SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA,

POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM,

CASTIGATA DENUO AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICOS, VATICANOS, BELGICOS, ETC.,

NECNON AD EDITIONES ANTIQUIORES ET CASTIGATIORES,

OPERA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI.

Editio novissima, emendata et auctior,

Accurante M****, Cursuum completorum Editore.

TOMUS TERTIUS.

Pars prior.

PARISIIS

VENIT APUD EDITOREM IN VICO DICTO MONTROUGE, JUXTA *PORTAM INFERNI*,

GALLICE : PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER.

1841.

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TERTIO TOMO CONTINENTUR.

IN I PARTE.

EX TYPIS CATHOLICIS MIGNE, IN VICO DICTO MONTROUGE,
Juxta portam Inferni Parisiorum, Gallice : *près la barrière d'Enfer de Paris.*

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TERTIO TOMO CONTINENTUR.

IN II PARTE.

CONTENTA IN APPENDICE.

EX TYPIS CATHOLICIS MIGNE, IN VICO DICTO MONTROUGE,
Juxta portam Inferni Parisiorum, Gallice : *près la barrière d'Enfer de Paris.*

SANCTI AURELII

AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA,

POST LOVANIENSIUM THEOLOGORUM RECENSIONEM,

CASTIGATA DENUO AD MANUSCRIPTOS CODICES GALLICOS, VATICANOS, BELGICOS, ETC.,

NECNON AD EDITIONES ANTIQUIORES ET CASTIGATIORES,

OPERA ET STUDIO

MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI.

Editio novissima, emendata et auctior,

Accurante M****, Cursuum completorum Editore.

TOMUS TERTIUS.

Pars altera.

PARISIIS

VENIT APUD EDITOREM IN VICO DICTO MONTROUGE, JUXTA *PORTAM INFERNI*,

GALLICE : PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER.

1841.

IN TERTIUM TOMUM

Præfatio.

Cum scientiam sanctarum Scripturarum, ceu castas animæ suæ delicias (*Confess. lib.* 11, *c.* 2), ab inito maxime sacerdotio unam excoluerit Augustinus; operæ pretium erat, ut ab ipso statim limine primis ejus scriptis et epistolis succederent sacræ ipsius commentationes, et recto quidem ac naturali ordine disponerentur. Nam, si libros polemicos, qui adversus Manichæos, Donatistas, Pelagianos, aliosque hæreticos ab eo conscripti sunt, in unam classem editores studiosorum gratia digesserunt; idem sane in Exegeticis præstandum erat, quod in recensendis Patribus, Ambrosio, Gregorio, aliisque nuper factum est. Id enim non modo argumenti dignitas, sed etiam piorum lectorum causa, qui Augustinum de sanctis Litteris disserentem auscultare amant, postulare videbatur; ut dispositis ex ordine Scripturis, continuas sancti Doctoris expositiones in promptu haberent. Hinc est quod cum istæ antehac in quasdam veluti lacinias inconcinne divulsæ, ac dispersæ extarent per varios hinc inde tomos; eas in unum demum adducere visum est, ne illa pars quæ potiores sibi curas, majoremque religionem merito vindicabat, tanquam minus a nobis curata haberetur, si perturbatum et confusum superiorum editionum ordinem retineremus.

Quapropter, quæ Augustini in sacras Litteras lucubrationes in tertio, quarto ac nono tomo distractæ erant, eas in hoc volumen pro serie Veteris ac Novi Testamenti ordinate conjecimus; præmissis in fronte libris de Doctrina Christiana, quæ veluti clavis atque ars est recte interpretandi rationis, quam adhibuit Augustinus, et post eum catholici commentatores. Hunc autem ordinem nulla sane singularitatis affectatione instituimus, sed virorum eruditorum consilio, atque animo juvandi lectores christianos, qui reconditos Scripturarum sensus ex Patrum traditione depromere ac discere malunt, quam ex libris recentiorum auctorum, rati plus latentis efficaciæ cœlestisque virtutis illis inesse, qui ad ipsos fontes propius accedunt, non solum tempore, sed etiam sanctitate.

Cum enim Scripturæ sacræ expositio in duabus maxime partibus consistat, nimirum in vero germanoque sensu eliciendo, et in excitandis ad pietatem lectorum animis; ita comparati sunt piorum doctorumque simul hominum plerique, ut non solum plus valeat apud eos veterum quam recentiorum auctoritas, sed etiam longe amplius in Dei cultum et amorem ex illorum lectione accendantur: sive id oriatur ex insita veneratione majorum, sive ex cœlesti quadam virtute eorum libris infusa, atque ex quodam genuinæ sanctitatis succo et gustu, qui ex eorum scriptis percipitur. Etsi porro in explicando sensu litterali seu grammaticali nonnulla felicius assecuti sint recentiores quidam, quam veteres; magis tamen ad roborandam fidem conducunt hi quam illi: at si reconditæ pietatis sensum in utrisque compares, in novis pene emarcida et languens jacet intelligentia Scripturarum; in antiquis sacro charitatis igne succensa animos legentium fovet ac recreat. Id sane experiri licet præcipue in Augustino, imo experti sunt quicumque sedulam ejus commentariis ac scriptis navarunt operam. Nam, si docendi sunt lectores, *sicut sol in lumine excedit omnes planetas, ita Augustinus omnes excessit in exponendo sacras Scripturas*, inquit Remigius Autissiodorensis (*Comment. in II Cor.*). Si commovendi et excitandi sunt legentium affectus, nullus id suavius et efficacius præstat quam Augustinus. Probavit hoc jam olim Fulgentius tanti Magistri discipulus, qui *ubi omnia quæ sibi dura videbantur expertus, adjutorio gratiæ spiritualis voluntati suæ sensit suppetere facultatem; beati Augustini exponentis trigesimum sextum Psalmum disputatione commonitus et compunctus, publicare suum statuit votum* (*In vita S. Fulg. cap.* 3) quod de monastico instituto conceperat.

Has autem sancti Doctoris in exponendis Scripturis dotes ita suspexere non modo posteri, verum etiam ejus æquales, ut ad ipsum in obscuris ac dubiis locis, tanquam ad cœleste oraculum, missis epistolis confugerint Simplicianus Mediolanensis, Paulinus Nolensis, Evodius Uzalensis antistites: imo ad eumdem Orosius presbyter, ab ultima Hispania, solo sanctarum Scripturarum ardore inflammatus advenerit (*August. epist.* 169, *n.* 13). Hinc Augustinum Audax Oraculum legis appellat (*Epist. inter August.* 260); asseritque Volusianus legi deesse, quidquid contigerit ab eo ignorari (*Ibid.* 135, *n.* 2). Sed illud in primis commendatione dignum, quod non tantum privati doctissimi quique homines, sed ipsa Concilia, scilicet Numidiæ et Carthaginis, sanctissimo Doctori, tanquam canonico interpreti, sacras Scripturas exponendi curam et provinciam commiserint (*Epist.* 213, *n.* 4), ut quod jam divina providentia ipsi creditum fuerat, etiam suffragante ac postulante Ecclesia exsequeretur.

Ad eam vero sacrorum Librorum intelligentiam pervenerat Vir sanctissimus imprimis vitæ integritate ac caritate. Unde Paulinus ad ipsum: *Lucere non dubito sanctæ animæ tuæ, quæ de interioris oculi puritate meruit illuminationem Spiritus sancti, per quem scrutari et inspicere possit alta Dei.* (*Epist. inter Aug.* 121, *n.* 18). Inde quæ ipsius erat in sacram Scripturam religio et reverentia, tantum eius animo venerationis incus-

serat, ut perpetuo miraretur profunditatem eloquiorum divinorum, et ipsi horror esset intendere in eam (*Confess. lib.* 12, *c.* 14). Unde, quemadmodum temerarius Scripturarum scrutator opprimitur a gloria (*Prov.* XXV, 27); sic e contrario ejus splendore ipse religiosus admirator totus illustrabatur. His accessit fervens et indefessum Augustini in easdem Scripturas studium, adeo ut totus inardesceret meditari in lege Dei, nolletque in aliud horas diffluere, quas a vitæ necessitatibus liberas inveniebat (*Confess. lib.* 2, *c.* 2). Ideo cum ad extremam vitæ periodum pervenisset, successorem sibi substitui curavit, quo pastoralibus curis expeditus, totus in eam meditationem intenderet animum (*Epist.* 213, *n.* 4); quasi non aliam, universæ Ecclesiæ magis utilem necessariamque operam navare posset.

Sed huic intelligentiæ cumulum imposuisse videntur ejus charitas et modestia. Modestia quippe modo imperitiam atque inscitiam suam profitetur, modo expositiones suas timide pro conjecturis proponit: tum alios ad meliores inveniendas hortatur; et si quid ipse profecerit, non suæ ipsius industriæ, sed aliorum meritis et orationibus ascribit. Denique charitas efficit, ut in varias sese formas componat, et ad res minutissimas demittat, qualis est numerorum expositio, ut sæculi sui genio ac studiis sese accommodet. Quæ res tantum abest ut minorem de ejus commentariis opinionem generare, quin ex adverso majorem eis gratiam conciliare debeat; quo magis accedit ad illam sapientiæ divinæ formam, quæ rudium et imperitorum hominum causa quodammodo puerascere non erubuit. Non ergo audiendi sunt quidam minus religiosi censores, qui in sacris Libris nonnisi grammaticalia fere elementa pensitantes, in sanctissimo Doctore carpere ausi sunt humilem interpretandi modum, qui ad regulas artis divinæ totus compositus est, non ad humanæ illius, quam isti tam studiose consectantur, humanæ eloquentiæ pompam.

Neque quemquam offendere debent allegoriæ, quibus aliquando Vir sanctus usus est in explanando præcipue Veteri Testamento. Hac enim religione in ejusmodi rebus agere solebat, ut illum cæteris expositorem præferret, qui omnia quæ dicta sunt, secundum litteram acciperet, dummodo posset evitare blasphemias (*De Genesi contra Manich. lib.* 2, *c.* 2); id est indignum Deo sensum. Sin minus, ad allegoricum sensum confugiendum esse docebat exemplo Apostolorum, qui eo sensu non semel usi sunt. Et certe quoniam Scriptura vetus rationem habet historiæ, prophetiæ atque legis; pro triplici ista ratione triplex sensus a sacris interpretibus merito usurpatus est; litteralis qui historiæ, allegoricus qui prophetiæ, moralis qui legi respondet. Itaque, etsi sensus ille mysticus ad finienda et stabilienda Ecclesiæ dogmata solus non sufficiat, nisi in sacris Litteris contineatur; utilissimus tamen est, ubi promovendæ legis perfectioni inservit, scilicet charitati; et ubi ducit ad Christum, qui finis est legis ac charitatis. Duplicem hunc scopum, ceu duplicem regulam, sibi proponit Augustinus in commentariis suis: unde fit ut nihil spirare videantur, nisi Christum; nihil inspirare, nisi charitatem. Accedit quod prudenter admodum hunc sensum inducit, eumque plurimum elicit ex litterali; nec ad eum facilius confugit, etiam in illis libris quos edidit adversus Manichæos (præterquam in primo suo super Genesim opere), tametsi opportuna ejus scopo hæc ratio videretur ad explicanda quædam veterum Patrum facta, quibus hæretici illi abutebantur. Sicubi vero Doctor sapientissimus unicum profert allegoricum sensum; id facit vel quia litteralem sibi obscurum ignotumve confitetur; vel quia litteralis ipse per sese ita dilucidus est, ut explicatione non egeat; vel denique quod aliis in locis eum exposuerit. Hoc enim pertinet ad prudentiam catholici Doctoris, ut non quavis occasione litteralem, ne vilescat, inculcet; sed aliquando præferat mysticum ac spiritualem, ubi auditorum studia et affectus id postulare videbuntur; imo etiam ipsa res, cum sensus allegoricus litteralis gerit vicem.

Hic fortasse occurrendum esset censuræ quorumdam hominum levis auctoritatis, qui verbis inverecundis Augustino exprobrare ausi sunt imperitiam linguarum, ex quarum ignoratione lapsus sit aliquando, ut mollius reddamus cujusdam neoterici dictum, quod atroci et impudenti vocabulo expressit. Sed ejusmodi convicia in auctorem ipsum recidunt, constatque apud æquos rerum æstimatores, Augustinum ad intelligentiam Novi Testamenti subsidio græcæ linguæ, ad quam omnes latinæ editiones conditæ sunt, satis instructum fuisse, ut probant variæ Lectiones ex græcis fontibus deductæ, quas Vir sanctus in locis dubiis aut mendosis adhibuit. Fatetur quidem in Confessionibus suis Vir modestissimus se, cum puerulus latinas litteras adamaret, græcas odisse (*Confess. lib.* 1, *c.* 13); sed *jam episcopus, jam senex*, ait Erasmus, *ad puero sibi fastiditas græcas litteras reversus est.* Qua in re egregium dedit specimen suæ in sacras Scripturas sedulitatis et reverentiæ, qui jam senex tot negotiis distractus, ad elementa græca descendere non gravatus est, ut ad sacrarum Litterarum intelligendum textum esset instructior.

Quod attinet ad Vetus Testamentum, in eo exponendo Vir sanctus præ oculis habuit versionem Septuaginta interpretum, quæ sola tunc in auctoritate erat jam inde ab Apostolorum temporibus: sed eam ita secutus est, ut in nullum inductus sit grave erratum; tametsi uberiores fortasse et locupletiores fuissent ipsius commentarii, si in hebraicas litteras penetrasset. Porro græcus contextus Septuaginta ab eo receptus, ille ipse est quem recensuit Nobilius; cujus pleræque variantes ex Augustino lectiones oriuntur ex editionum vitiis, quæ subsidio veterum librorum in hac editione sustulimus. Eam autem interpretationem credimus illam esse, quam ipse *Usitatam* appellat (*De Consensu Evang. lib.* 2, *c.* 66), Hieronymus Veterem et Vulgatam (*Lib. de Optimo genere interpret. et in Eccle.* I, 7, *ssq.*), eamdem fortasse quam cæteris præfert Augustinus, nempe Italam, ab ipso laudatam in libro secundo de Doctrina Christiana, capite decimo quinto, tanquam verborum tenaciorem

cum perspicuitate sententiæ : si tamen Italica hæc aliud complectebatur quam Novum Testamentum ; quod ex Augustini verbis non penitus exploratum est. Cæterum in libris Locutionum et Quæstionum in Heptateuchum, quos composuit jam senex, versionem ex hebræis fontibus proxime derivatam consulere solet, vulgari nostræ convenientem ; forsan quæ auctore Hieronymo prodierat, quam versione Septuaginta tandem accuratiorem agnoscit in libro quarto de Doctrina Christiana (*Cap.* 7, *n.* 15), scripto per id tempus, quo retractandis opusculis suis incumbebat. Paulo post, id est, sub finem vitæ suæ, hanc versionem adhibuit in condendo Speculo, quod ex Scripturæ centonibus ad usum vulgi tum meditabatur : sicque factum est ut hæc in manus populi ab Augustino tradita, evaserit vulgaris ac receptissima, versione Septuaginta interim quamdam retinente auctoritatem etiam in Ecclesia Romana, ut sancti Gregorii ad Leandrum Hispalensem super Jobi expositionem epistola contestatur.

Denique si nostram in recensendis istis Augustini libris operam commemorare juvat ; summa cum ubique cura et fide, tum maxime ubi in sacro textu mutandum aliquid vel tantillum fuit, agendum esse duximus. Quapropter cum in nonnullis Scripturæ testimoniis varietatem apud Augustinum nostrum deprehendet lector, atque unam eamdemque sententiam non constanter a nobis in integrum ubique, sed certis quibusdam in locis restitutam ; id minime tribuet negligentiæ aut temeritati, sed religioni et sinceræ fidei nostræ. Nam ea in re secuti sumus veterum codicum fidem, sicubi quid vel castigandum erat, vel retinendum : ne si pro arbitrio unam eamdemque sententiam, quam aliquando corrigendam esse docebant melioris notæ codices, in aliis locis diversam absque suffragio codicum similiter emendaremus ; excideret non levis, qui ex variis Augustini scriptis percipitur fructus, nempe ut ex variantibus ejus lectionibus argumenta deducantur tum ad restituendam Bibliorum quæ modo in Ecclesia leguntur integritatem, tum ad eorum auctoritatem stabiliendam.

ADMONITIO

IN LIBROS DE DOCTRINA CHRISTIANA.

Exegeticis opusculis, quæ tomus hic tertius complectitur, præfigendos curavimus libros de Doctrina Christiana, quorum videlicet argumentum eo pertinet, ut ad sacrarum Scripturarum intelligentiam et tractationem necessariis quibusdam documentis et præceptis imbuamur. Opus pro rei dignitate studiose elaboratum, nec profecto indignum, cui locus in Bibliorum limine cum Hieronymianis præfationibus concedatur. Id suscepto non ita pridem episcopatu, sicuti ex Retractationum serie intelligimus, id est, sub Christi annum trecentesimum nonagesimum septimum inchoaverat Augustinus, et cum ad eam duntaxat libri tertii partem, cui numerica nota 36 nunc præfigitur, perduxisset, impedire non potuit quo minus continuo prodiret in publicum : quando quidem in libris contra Faustum, circiter annum quadringentesimum conscriptis, locum ex eo quemdam de Ægyptiis per Hebræos Dei jussu exspoliatis commemorat in hæc verba : *Quid præfiguraverit, jam in quibusdam libris, quos de Doctrina Christiana prænotavi, quantum mihi tunc occurrit, me recolo posuisse* (*Lib.* 22, *cont. Faust. c.* 91). Postmodum vero recognoscens opuscula sua, cum imperfectum illud comperisset, prius absolvere voluit, quam ad alia retractanda gradum faceret : tuncque non modo librum tertium complevit, sed etiam quartum adjecit, anno a sua in Mauritaniam Cæsareensem profectione circiter octavo, id est Christi 426, aut 427, quemadmodum hic ad ejusdem quarti libri caput vigesimum quartum observamus.

Librorum autem argumenta hæc sunt. In primo quidem libro facta operis partitione, suscipitur tractatio de rebus : quibus explicatis, docetur Legis et omnium divinarum Scripturarum plenitudinem ac finem esse dilectionem rei qua fruendum est, et rei quæ nobis cum ea re frui potest, id est Dei et proximi.

In secundo libro de signis verbisque Scripturæ sacræ disputatur. Quoniam vero hujus sensus plerumque aut præ signorum ignorantia, aut præ eorum ambiguitate non percipitur ; ideo prolato in primis divinorum Librorum canone, declarare pergit Augustinus quarumnam potissimum linguarum peritia, quænamve disciplinæ ac scientiæ conferant ad illam signorum ignorantiam removendam. Ubi, data occasione, de repudiandis superstitiosis artibus agit. Quemadmodum etiam animo comparatus is esse debeat, qui operam studio Scripturarum navaturus sit, declarat sub initium et ad finem libri.

In tertio libro transit S. Doctor ad considerationem ambiguitatis, quæ cum in propriis, tum in translatis signis occurrere potest : discutit sedulo quibus ex fontibus oriatur isthæc ambiguitas, quave ratione possit auferri. Hinc tradit regulas quibus dignoscatur an locutio figurata sit ; et si quidem figurata, quo pacto debeat explicari. Tum ipsius Tichonii septem Regulas singulatim expendit.

Hactenus de investigando Scripturæ sensu. Jam autem in quarto libro tractat de disserendo, ibique partes et officia christiani oratoris persequitur ; cui sacrarum Litterarum auctores et doctores ecclesiasticos imitandos proponit, ex eorum scriptis sanæ eloquentiæ exempla in vario dicendi genere subjiciens. Postremo ipsum ec-

clesiasten hortatur, ut in primis orationi det operam; et quod verbis docet alios, id omnino vita et moribus exhibeat.

Hoc ipsum opus olim Angilbertus Corbeiæ Abbas in usum Ludovici Francorum Regis, fratris Carolomani, describi curavit, uti contestantur versus in Corbeiensis codicis fronte præfixi, in quibus hi præter alios leguntur :

Hunc Abbas humilis jussit fabricare libellum
Angilbertus enim vilis et exiguus :
Quem daret ille pio cœlesti numine fulto
Hlodoico Regi, qui est pius atque humilis.

Vide lib. 2 Retractationum, cap. 4, col. 631-632, a verbis , *Libros de Doctrina Christiana,* usque ad verba, *Præcepta quædam.* M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE DOCTRINA CHRISTIANA

LIBRI QUATUOR[a].

Prologus.

Doctrinam de Scriptura tractanda haud superfluo tradi.

1. Sunt præcepta quædam tractandarum Scripturarum , quæ studiosis earum video non incommode posse tradi ; ut non solum legendo alios qui divinarum Litterarum operta aperuerunt , sed et aliis ipsi aperiendo proficiant. Hæc tradere institui volentibus et valentibus discere, si Deus ac Dominus noster ea quæ de hac re cogitanti solet suggerere, etiam scribenti mihi non deneget. Quod antequam exordiar, videtur mihi respondendum esse his qui hæc reprehensuri sunt, aut reprehensuri essent, si eos non ante placaremus. Quod si nonnulli etiam post ista reprehenderint , saltem alios non movebunt, nec ab utili studio ad imperitiæ pigritiam revocabunt, quos movere possent, nisi præmunitos præparatosque invenirent.

2. Quidam enim reprehensuri sunt hoc opus nostrum , cum ea quæ præcepturi sumus non intellexerint. Quidam vero cum intellectis uti voluerint, conatique fuerint Scripturas divinas secundum hæc præcepta tractare, neque valuerint aperire atque explicare quod cupiunt, inaniter me laborasse arbitrabuntur ; et quia ipsi non adjuvabuntur hoc opere, nullum adjuvari posse censebunt. Tertium genus est reprehensorum, qui divinas Scripturas vel revera bene tractant, vel bene tractare sibi videntur : qui quoniam nullis hujusmodi observationibus lectis , quales nunc tradere institui, facultatem exponendorum sanctorum Librorum se assecutos vel vident , vel putant, nemini esse ista præcepta necessaria, sed potius totum quod de illarum Litterarum obscuritatibus laudabiliter aperitur , divino munere fieri posse clamitabunt.

3. Quibus omnibus breviter respondens, illis qui hæc quæ scribimus non intelligunt, hoc dico : me ita non esse reprehendendum, quia hæc non intelligunt ; tanquam si lunam veterem vel novam, sidusve aliquod minime clarum vellent videre, quod ego intento digito demonstrarem ; illis autem nec ad ipsum digitum meum videndum sufficiens esset acies oculorum, non propterea mihi succensere deberent. Illi vero qui etiam istis præceptis cognitis atque perceptis, ea quæ in divinis Scripturis obscura sunt intueri nequiverint, arbitrentur se digitum quidem meum videre posse ,

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

De Doctrina Christiana Libri quatuor recogniti sunt de novo ad codices manuscriptos triginta, scilicet ad Vaticanos tres, ad Corbeienses duos, quorum alter optimæ notæ et ante annos circiter mille descriptus videtur ; ad unum e Bibliotheca Regia, unum e Thuanea et unum e Germanensi nostra. Alios suppeditarunt Collegium Navarricum et Sorbonicum, PP. Franciscani majoris conventus Parisiensis, PP. Dominicani via Jacobea, PP. Augustiniani ad Sequanæ ripam, D. *de Vion d'Herouval*, D. *Bigot*, Cisterciensis Abbatia, item Abbatia Floriacensis, Vindocinensis, Gemmeticensis, Beccensis, Pratellensis, Lyrensis, S. Arnulfi Metensis, S. Albini Andegavensis, S. Audoeni Rotomagensis, S. Martialis Lemovicensis, S. Michaelis in Periculo maris, S. Remigii Remensis, S. Theoderici prope Remos et Casalis Benedicti. Præterea, libris iisdem emendandis adhibitæ sunt variantes lectiones, quas olim ex Belgicis sex Mss. collegerunt Lovanienses Theologi : collatæ etiam fuerunt antiquiores et potiores editiones, Bad. id est quæ Jodoci Badii Ascensii studio recognita, atque Joannis parvi typis excusa est Parisiis, an. 1502 ; Am. quæ ex Joannis Amerbachii officina prodiit Basileæ, an. 1506 ; Er. quam scilicet Desiderius Erasmus a se recensitam et emendatam curavit Frobeniano prelo excudi Basileæ, an. 1528 ; et Lov. id est, quam Lovaniensium Theologorum opera castigatiorem cæteris hactenus habebamus, ex Plantiniana typographia profectam an. 1576.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., *t.* 1, *memoratas, et insuper Lov.* 1586, *id est alteram Lovaniensium, datam Parisiis anno* 1586, *necnon Helm., id est, quam Georgius Calixtus juris publici fecit Helmestadii, anno* 1655. M.

(a) Inchoati circiter Christi annum 397 absoluti sub an. 426.

sidera vero quibus demonstrandis intenditur, videre non posse. Et illi ergo, et isti me reprehendere desinant, et lumen oculorum divinitus sibi præberi deprecentur. Non enim si possum membrum meum ad aliquid demonstrandum movere, possum etiam oculos accendere, quibus vel ipsa demonstratio mea, vel etiam illud quod volo demonstrare, cernatur.

4. Jamvero eorum qui divino munere exsultant, et sine talibus præceptis, qualia nunc tradere institui, se sanctos Libros intelligere atque tractare gloriantur, et propterea superflua voluisse me scribere existimant, sic est lenienda commotio, ut quamvis magno Dei dono jure lætentur, recordentur se tamen per homines didicisse vel litteras; nec propterea sibi ab Antonio sancto et perfecto viro Ægyptio monacho insultari debere, qui sine ulla scientia litterarum Scripturas divinas et memoriter audiendo tenuisse, et prudenter cogitando intellexisse prædicatur; aut ab illo servo Barbaro christiano [1], de quo a gravissimis fideque dignissimis viris nuper accepimus, qui litteras quoque ipsas nullo docente homine, in plenam notitiam orando ut sibi revelarentur, accepit triduanis precibus impetrans ut etiam codicem oblatum, stupentibus qui aderant, legendo percurreret.

5. Aut [2] si hæc quisque falsa esse arbitratur, non ago pugnaciter. Certe enim quoniam cum Christianis nobis res est, qui se Scripturas sanctas sine duce homine gaudent nosse, et si ita est, vero et non mediocri gaudent bono; concedant necesse est unumquemque nostrum et ab ineunte pueritia consuetudine audiendi linguam suam didicisse, et aliam aliquam vel græcam vel hebræam vel quamlibet cæterarum, aut similiter audiendo, aut per hominem præceptorem accepisse. Jam ergo si placet, moneamus omnes fratres, ne parvulos suos ista doceant, quia momento uno temporis adveniente Spiritu sancto, repleti Apostoli omnium gentium linguis locuti sunt; aut cui talia non provenerint, non se arbitretur esse christianum, aut Spiritum sanctum accepisse se dubitet. Imo vero et quod per hominem discendum est, sine superbia discat; et per quem docetur alius, sine superbia et sine invidia tradat quod accepit : neque tentemus eum cui credidimus, ne talibus inimici versutiis et perversitate decepti, ad ipsum quoque audiendum Evangelium atque discendum nolimus ire in ecclesias, aut codicem legere, aut legentem prædicantemque hominem audire; et exspectemus rapi usque in tertium cœlum, sive in corpore, sive extra corpus, sicut dicit Apostolus, et ibi audire ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui (II *Cor.* XII, 2-4), aut ibi videre Dominum Jesum Christum, et ab illo potius quam ab hominibus audire Evangelium.

6. Caveamus tales tentationes superbissimas et periculosissimas, magisque cogitemus et ipsum apostolum Paulum, licet divina et cœlesti voce prostratum et instructum, ad hominem tamen missum esse, ut sacramenta perciperet, atque copularetur Ecclesiæ (*Act.* IX, 3-7): et centurionem Cornelium quamvis exauditas orationes ejus, eleemosynasque respectas ei angelus nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum; per quem non solum sacramenta perciperet, sed etiam quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret (*Id.* X, 1-6). Et poterant utique omnia per angelum fieri, sed abjecta esset humana conditio, si per homines hominibus Deus verbum suum ministrare nolle videretur. Quomodo enim verum esset quod dictum est, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I *Cor.* III, 17); si Deus de humano templo responsa non redderet, et totum quod discendum hominibus tradi vellet, de cœlo atque per Angelos personaret? Deinde ipsa charitas, quæ sibi invicem homines nodo unitatis astringit, non haberet aditum refundendorum et quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent.

7. Et certe spadonem illum qui Isaiam prophetam legens non intelligebat, neque ad angelum apostolus misit, nec ei per angelum id quod non intelligebat expositum, aut divinitus in mente sine hominis ministerio revelatum est; sed potius suggestione divina missus est ad eum, seditque cum eo Philippus, qui noverat Isaiam prophetam, eique humanis verbis et lingua quod in Scriptura illa tectum erat, aperuit (*Act.* VIII, 27-35). Nonne cum Moyse Deus loquebatur, et tamen consilium regendi atque administrandi tam magni populi a socero suo, alienigena scilicet homine, et maxime providus et minime superbus accepit (*Exod.* XVIII, 14-26)? Noverat enim ille vir, ex quacumque anima verum consilium processisset, non ei, sed illi qui est veritas, incommutabili Deo tribuendum esse.

8. Postremo quisquis se nullis præceptis instructum divino munere quæcumque in Scripturis obscura sunt intelligere gloriatur, bene quidem credit, et verum est, non esse illam suam facultatem quasi a seipso existentem, sed divinitus traditam; ita enim Dei gloriam quærit et non suam : sed cum legit, et nullo sibi hominum exponente intelligit, cur ipse aliis affectat exponere, ac non potius eos remittit Deo, ut ipsi quoque non per hominem, sed illo intus docente intelligant? Sed videlicet timet ne audiat a Domino, *Serve nequam, dares pecuniam meam nummulariis* (*Matth.* XXV, 26, 27). Sicut ergo hi ea quæ intelligunt, produnt cæteris vel loquendo vel scribendo; ita ego quoque si non solum ea quæ intelligant [1], sed etiam intelligendo ea quæ observent, prodidero, culpari ab eis profecto non debeo : quanquam nemo debet aliquid sic habere quasi suum proprium, nisi forte mendacium. Nam omne verum ab illo est, qui ait : *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Quid enim habemus quod non accepimus? Quod si accepimus, quid gloriamur quasi non acceperimus (I *Cor.* IV, 7)?

9. Qui legit audientibus litteras, utique quas agnoscit enuntiat; qui autem ipsas litteras tradit, hoc agit

[1] Mss. e Vaticanis duo, *Barbarico Macario* : quod servi illius nomen in aliis codicibus et apud Cassiodorum Senatorem, qui id miraculi profert in præfatione ad Institutionum libros, frustra quæsivimus.

[2] Sic Mss. Editi vero, *At si hæc.*

[1] Mss. viginti tres, *intelligo.*

ut alii quoque legere noverint : uterque tamen id insinuat quod accepit. Sic etiam qui ea quæ in Scripturis intelligit, exponit audientibus, tanquam litteras quas agnoscit pronuntiat lectoris officio ; qui autem præcipit quomodo intelligendum sit, similis est tradenti litteras, hoc est præcipienti quomodo sit legendum : ut quomodo ille qui legere novit, alio lectore non indiget, cum codicem invenerit, a quo audiat quid ibi scriptum sit; sic iste qui præcepta quæ conamur tradere acceperit, cum in libris aliquid obscuritatis invenerit, quasdam regulas veluti litteras tenens intellectorem alium non requirat, per quem sibi quod opertum est retegatur; sed quibusdam vestigiis indagatis ad occultum sensum sine ullo errore ipse perveniat, aut certe in absurditatem pravæ sententiæ non incidat. Quapropter, quanquam et in ipso opere satis apparere possit huic officioso labori nostro non recte aliquem contradicere; tamen, si hujusmodi prooemio quibuslibet obsistentibus convenienter videtur esse responsum, hujus viæ quam in hoc libro ingredi volumus, tale nobis occurrit exordium

LIBER PRIMUS.

Principio fit partitio totius operis, quo Scripturarum studiosus cum ad earum investigandum sensum, tum ad edisserendum instituatur. Mox observata eorum de quibus doctrina tradenda est distinctione in res et signa, suscipitur in hocce priore libro tractatio de rebus. Res porro alias esse quibus frui, alias quibus nonnisi uti nobis liceat: et quidem Deo soli fruitione inhærendum esse, eoque nos ipsius incarnatione Verbi et rebus ab ipso temporaliter gestis, atque traditis Ecclesiæ clavibus promoveri; inter eas vero res quæ in usum veniunt, nonnullas esse quibus dilectio jure impenditur, sed in Deum relata. Quibus explicatis docetur totius Scripturæ sacræ plenitudinem et finem esse geminam charitatem, Dei propter seipsum, ac proximi propter Deum.

CAPUT PRIMUM. — *Inventione et enuntiatione nititur Scripturæ tractatio; quæ cum Dei auxilio suscipienda.*

1. Duæ sunt res quibus nititur omnis tractatio Scripturarum ; modus inveniendi quæ intelligenda sunt, et modus proferendi quæ intellecta sunt. De inveniendo prius, de proferendo postea disseremus. Magnum opus [1] et arduum, et si ad sustinendum difficile, vereor ne ad suscipiendum temerarium. Ita sane si de nobis ipsis præsumeremus : nunc vero cum in illo sit spes peragendi hujus operis, a quo nobis in cogitatione multa de hac re jam tradita tenemus, non est metuendum ne dare desinat cætera, cum ea quæ data sunt cœperimus impendere. Omnis enim res quæ dando non deficit, dum habetur et non datur, nondum habetur quomodo habenda est. Ille autem ait : *Qui habet, dabitur ei* (*Matth.* XIII, 12). Dabit ergo habentibus, id est, cum benignitate utentibus eo quod acceperunt, adimplebit atque cumulabit quod dedit. Illi quinque et illi septem erant panes, antequam inciperent dari esurientibus; quod ubi fieri cœpit, cophinos et sportas satiatis tot hominum millibus impleverunt (*Id.* XIV, 17-21; *et* XV, 34-38). Sicut ergo ille panis dum frangeretur accrevit, sic ea quæ ad hoc opus aggrediendum jam Dominus præbuit, cum dispensari cœperint, eo ipso suggerente multiplicabuntur, ut in ipso hoc nostro ministerio, non solum nullam patiamur inopiam, sed de mirabili etiam abundantia gaudeamus.

CAPUT II. — *Quid res, quid signa.*

2. Omnis doctrina vel rerum est vel signorum, sed res per signa discuntur. Proprie autem nunc res appellavi, quæ non ad significandum aliquid adhibentur, sicuti est lignum, lapis, pecus, atque hujusmodi cætera. Sed non illud lignum quod in aquas amaras Moysen misisse legimus, ut amaritudine carerent (*Exod.* XV, 25) ; neque ille lapis quem Jacob sibi ad caput posuerat (*Genes.* XXVIII, 11); neque illud pecus quod pro filio immolavit Abraham (*Id.* XXII, 13). Hæ namque ita res sunt, ut aliarum etiam signa sint rerum. Sunt autem alia signa quorum omnis usus in significando est, sicuti sunt verba. Nemo enim utitur verbis, nisi aliquid significandi gratia. Ex quo intelligitur quid appellem signa ; res eas videlicet quæ ad significandum aliquid adhibentur. Quamobrem omne signum etiam res aliqua est ; quod enim nulla res est, omnino nihil est : non autem omnis res etiam signum est. Et ideo in hac divisione rerum atque signorum, cum de rebus loquemur, ita loquemur ut etiamsi earum aliquæ adhiberi ad significandum possint, non impediant partitionem, qua prius de rebus, postea de signis disseremus; memoriterque teneamus id nunc in rebus considerandum esse quod sunt, non quod aliud etiam præter seipsas significant.

CAPUT III. — *Rerum divisio*

3. Res ergo aliæ sunt quibus fruendum est, aliæ quibus utendum, aliæ quæ fruuntur et utuntur. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, et quasi adminiculamur, ut ad illas quæ nos beatos faciunt, pervenire, atque his inhærere possimus. Nos vero qui fruimur et utimur, inter utrasque constituti, si eis quibus utendum est frui voluerimus, impeditur cursus noster, et aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus quibus fruendum est obtinendis vel retardemur, vel etiam revocemur, inferiorum amore præpediti.

CAPUT IV. — *Frui et uti, quid sit.*

4. Frui enim est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Uti autem, quod in usum venerit ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam usus illicitus, abusus potius vel abusio nominandus est. Quomodo ergo, si essemus peregrini, qui beate vivere nisi in patria non possemus, eaque peregrinatione utique miseri et miseriam finire cupientes,

[1] Vn. Fr. et Mss. quinque, *onus*.

in patriam redire vellemus, opus esset vel terrestribus vel marinis vehiculis quibus utendum esset ut ad patriam, qua fruendum erat, pervenire valeremus; quod si amœnitates itineris, et ipsa gestatio vehiculorum nos delectaret, et conversi ad fruendum his quibus uti debuimus, nollemus cito viam finire, et perversa suavitate implicati alienaremur a patria, cujus suavitas faceret beatos : sic in hujus mortalitatis vita peregrinantes a Domino (II *Cor.* v, 6), si redire in patriam volumus, ubi beati esse possimus, utendum est hoc mundo, non fruendum; ut invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur (*Rom.* I, 20), hoc est, ut de corporalibus temporalibusque rebus æterna et spiritualia capiamus.

CAPUT V. — *Deus Trinitas, res qua fruendum.*

5. Res igitur quibus fruendum est, Pater et Filius et Spiritus sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa res, communisque omnibus fruentibus ea; si tamen res et non rerum omnium causa sit, si tamen et causa. Non enim facile nomen quod tantæ excellentiæ conveniat potest inveniri, nisi quod melius ita dicitur Trinitas hæc, unus Deus ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (*Rom.* XI, 36). Ita Pater et Filius et Spiritus sanctus, et singulus quisque horum Deus, et simul omnes unus Deus; et singulus quisque horum plena substantia, et simul omnes una substantia. Pater nec Filius est nec Spiritus sanctus, Filius nec Pater est nec Spiritus sanctus, Spiritus sanctus nec Pater est nec Filius; sed Pater tantum Pater, et Filius tantum Filius, et Spiritus sanctus tantum Spiritus sanctus. Eadem tribus æternitas, eadem incommutabilitas, eadem majestas, eadem potestas. In Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto unitatis æqualitatisque concordia : et tria hæc unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum sanctum.

CAPUT VI. — *Deus ineffabilis, quomodo.*

6. Diximusne aliquid et sonuimus aliquid dignum Deo? Imo vero nihil me aliud quam dicere voluisse sentio : si autem dixi, non hoc est quod dicere volui. Hoc unde scio, nisi quia Deus ineffabilis est; quod autem a me dictum est, si ineffabile esset, dictum non esset? Ac per hoc ne ineffabilis quidem dicendus est Deus, quia et hoc cum dicitur, aliquid dicitur. Et fit nescio quæ pugna verborum, quoniam si illud est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile quod vel ineffabile dici potest. Quæ pugna verborum silentio cavenda potius quam voce pacanda est. Et tamen Deus, cum de illo nihil digne dici possit, admisit humanæ vocis obsequium, et verbis nostris in laude sua gaudere nos voluit. Nam inde est et quod dicitur Deus. Non enim revera in strepitu istarum duarum syllabarum ipse cognoscitur; sed tamen omnes latinæ linguæ scios [1], cum aures eorum sonus iste tetigerit, movet ad cogitandam excellentissimam quamdam immortalemque naturam.

[1] Apud Am. Er. et Mss. septemdecim, *socios.*

CAPUT VII. — *Deum omnes intelligunt in quo nihil melius.*

7. Nam cum ille unus cogitatur deorum Deus, ab his etiam qui alios et suspicantur et vocant et colunt deos sive in cœlo sive in terra, ita cogitatur, ut aliquid quo nihil melius sit atque sublimius illa cogitatio conetur attingere. Sane quoniam diversis moventur bonis, partim eis quæ ad corporis sensum, partim eis quæ ad animi intelligentiam pertinent; illi qui dediti sunt corporis sensibus, aut ipsum cœlum, aut quod in cœlo fulgentissimum vident, aut ipsum mundum, Deum deorum esse arbitrantur : aut, si extra mundum ire contendunt, aliquid lucidum imaginantur, idque vel infinitum, vel ea forma quæ optima videtur, inani suspicione constituunt, aut humani corporis figuram cogitant, si eam [1] cæteris anteponunt. Quod si unum Deum deorum esse non putant, et potius multos aut innumerabiles æqualis ordinis deos; etiam eos tamen prout cuique aliquid corporis videtur excellere, ita figuratos animo tenent. Illi autem qui per intelligentiam pergunt videre quod Deus est, omnibus eum naturis visibilibus et corporalibus, intelligibilibus etiam et spiritualibus, omnibus mutabilibus præferunt. Omnes tamen certatim pro excellentia Dei dimicant; nec quisquam inveniri potest qui hoc Deum credat esse quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt.

CAPUT VIII. — *Deus cum sit sapientia incommutabilis, rebus omnibus anteponendus.*

8. Et quoniam omnes qui de Deo cogitant, vivum aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda et indigna existimare de Deo, qui vitam ipsam cogitant, et quæcumque illis forma occurrerit corporis, eam vita vivere vel non vivere statuunt, et viventem non viventi anteponunt; eamque ipsam viventem corporis formam, quantalibet luce præfulgeat, quantalibet magnitudine præemineat, quantalibet pulchritudine ornetur, aliud esse ipsam, aliud vitam qua vegetatur intelligunt, eamque illi moli quæ ab illa vegetatur et animatur, dignitate incomparabili præferunt. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere, et si eam sine sensu vegetantem invenerint, qualis est arborum, præponunt eis sentientem, qualis est pecorum; et huic rursus intelligentem, qualis est hominum. Quam cum adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem coguntur præponere, illam scilicet vitam quæ non aliquando desipit, aliquando sapit, sed est potius ipsa Sapientia. Sapiens enim mens, id est, adepta sapientiam, antequam adipisceretur non erat sapiens; at vero ipsa Sapientia nec fuit unquam insipiens, nec esse unquam potest. Quam si non viderent, nullo modo plena fiducia vitam incommutabiliter sapientem commutabili vitæ anteponerent. Ipsam quippe [2] regulam veritatis, qua illam clamant esse meliorem, incommutabilem vident; nec uspiam nisi supra suam

[1] Editi, *sic eam.* At Mss. prope omnes, *si eam.*
[2] Ita in Mss. plerisque, ubi in editis habetur, *Ipsam quoque.*

naturam vident, quandoquidem se vident mutabiles.

CAPUT IX. — *Sapientiam immutabilem mutabili præferendam esse omnes norunt.*

9. Nemo est enim tam impudenter[1] insulsus qui dicat: Unde scis incommutabiliter sapientem vitam mutabili esse præferendam? Idipsum enim quod interrogat, unde sciam, omnibus ad contemplandum communiter atque incommutabiliter præsto est. Et hoc qui non videt, ita est quasi cæcus in sole, cui nihil prodest ipsis locis oculorum ejus tam claræ ac præsentis lucis fulgor infusus. Qui autem videt et refugit, consuetudine umbrarum carnalium invalidam mentis aciem gerit. Pravorum igitur morum quasi contrariis flatibus ab ipsa patria repercutiuntur homines; posteriora atque inferiora sectantes, quam illud quod esse melius atque præstantius confitentur.

CAPUT X. — *Ad videndum Deum purgandus animus.*

10. Quapropter, cum illa veritate perfruendum sit, quæ incommutabiliter vivit, et in ea Trinitas Deus, auctor et conditor universitatis, rebus quas condidit consulat; purgandus est animus, ut et perspicere illam lucem valeat, et inhærere perspectæ[2]. Quam purgationem quasi ambulationem quamdam, et quasi navigationem ad patriam esse arbitremur. Non enim ad eum qui ubique præsens est, locis movemur, sed bono studio bonisque moribus.

CAPUT XI. — *Purgandi animi exemplum Sapientia incarnata.*

11. Quod non possemus, nisi ipsa Sapientia tantæ etiam nostræ infirmitati congruere dignaretur, et vivendi nobis præberet exemplum, non aliter quam in homine, quoniam et nos homines sumus. Sed quia nos cum ad illam venimus, sapienter facimus; ipsa cum ad nos venit, ab hominibus superbis quasi stulte fecisse putata est. Et quoniam nos cum ad illam venimus, convalescimus; ipsa cum ad nos venit, quasi infirma existimata est. Sed quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (I *Cor.* I, 25). Cum ergo ipsa sit patria, viam se quoque nobis fecit ad patriam.

CAPUT XII. — *Quomodo Sapientia Dei ad nos venit.*

Et cum sano et puro interiori oculo ubique sit præsens, eorum qui oculum illum infirmum immundumque habent, oculis etiam carneis apparere dignata est. Quia enim in Sapientia Dei non poterat mundus per Sapientiam cognoscere Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes (I *Cor.* I, 21).

12. Non igitur per locorum spatia veniendo, sed in carne mortali mortalibus apparendo, venisse ad nos dicitur. Illuc ergo venit ubi erat, quia in hoc mundo erat, et mundus per eam factus est. Sed quoniam cupiditate fruendi pro ipso Creatore creatura, homines configurati huic mundo, et mundi nomine congruentissime vocati, non eam cognoverunt, propterea dixit Evangelista: *Et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10). Itaque in Sapientia Dei non poterat mundus per Sapientiam cognoscere Deum. Cur ergo venit cum hic esset, nisi quia placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes?

CAPUT XIII. — *Verbum caro factum est.*

Quomodo venit, nisi quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14)? Sicuti cum loquimur, ut id quod animo gerimus, in audientis animum per aures carneas illabatur, fit sonus verbum quod corde gestamus, et locutio vocatur; nec tamen in eumdem sonum cogitatio nostra convertitur, sed apud se manens integra, formam vocis qua se insinuet auribus, sine aliqua labe suæ mutationis[1] assumit: ita Verbum Dei non commutatum, caro tamen factum est, ut habitaret in nobis.

CAPUT XIV. — *Hominem quomodo sanarit Dei Sapientia.*

13. Sicut autem curatio via est ad sanitatem, sic ista curatio peccatores sanandos reficiendosque suscepit. Et quemadmodum medici cum alligant vulnera, non incomposite, sed apte id faciunt, ut vinculi utilitatem quædam pulchritudo etiam consequatur: sic medicina Sapientiæ per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus; de quibusdam contrariis curans, et de quibusdam similibus. Sicut etiam ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, sicut frigidum calido, vel humidum sicco, vel si quid aliud hujusmodi; adhibet etiam quædam similia, sicut linteolum vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo, ligaturamque ipsam non eamdem membris omnibus, sed similem similibus coaptat: sic sapientia Dei hominem curans, seipsam exhibuit ad sanandum, ipsa medicus, ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur. Quemadmodum autem illa Sapientia vocabatur, erat autem stultitia contemnentibus Deum; sic ista quæ vocatur stultitia, Sapientia est vincentibus diabolum. Nos immortalitate male usi sumus, ut moreremur; Christus mortalitate bene usus est, ut viveremus. Corrupto animo feminæ ingressus est morbus; integro corpore feminæ processit salus. Ad eadem contraria pertinet, quod etiam exemplo virtutum ejus vitia nostra curantur. Jamvero similia quasi ligamenta membris et vulneribus nostris adhibita, illa sunt, quod per feminam deceptos per feminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberavit. Multa quoque alia diligentius considerantibus quos instituti operis peragendi necessitas non rapit, vel a contrariis, vel a similibus medicinæ christianæ apparet instructio.

CAPUT XV. — *Resurrectione et ascensione Christi fulcitur fides, excitatur judicio.*

14. Jamvero credita Domini a mortuis resurrectio, et in cœlum ascensio, magna spe fulcit fidem nostram. Multum enim ostendit quam voluntarie pro nobis animam posuerit, qui eam sic habuit in potestate resumere. Quanta ergo se fiducia spes credentium con-

[1] In excusis, *tam imprudenter*. In Mss. tredecim, *tam impudenter*.
[2] Editi, *inhærere perfecte*. Elegantius Mss., *perspectæ*.

[1] Am. et Er.: *Sine aliqua labe, sine mutatione.*

solatur, considerans quantus quanta pro nondum credentibus passus sit? Cum vero judex vivorum atque mortuorum exspectatur e cœlo, magnum timorem incutit negligentibus, ut se ad diligentiam [1] convertant, eumque magis bene agendo desiderent, quam male agendo formident. Quibus autem verbis dici, aut qua cogitatione capi potest præmium, quod ille in fine daturus est; quando ad consolationem hujus itineris de Spiritu suo tantum dedit, quo in adversis vitæ hujus fiduciam charitatemque tantam ejus, quem nondum videmus, habeamus, et dona [2] unicuique propria ad instructionem Ecclesiæ suæ, ut id quod ostendit esse faciendum, non solum sine murmure, sed etiam cum delectatione [3] faciamus?

CAPUT XVI. — *Ecclesia Christi corpus et conjux medicinalibus molestiis ab ipso purgatur.*

15. Est enim Ecclesia corpus ejus, sicut apostolica doctrina commendat (*Ephes.* I, 23), quæ etiam conjux ejus dicitur. Corpus ergo suum multis membris diversa officia gerentibus (*Rom.* XII, 4), nodo unitatis et charitatis tanquam sanitatis astringit. Exercet autem hoc tempore et purgat medicinalibus quibusdam molestiis, ut erutam de hoc sæculo, in æternum sibi copulet conjugem Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi (*Ephes.* V, 23-32).

CAPUT XVII. — *Christus donando peccata viam aperuit ad patriam.*

16. Porro quoniam in via sumus, nec via ista locorum est, sed affectuum, quam intercludebat, quasi septa quædam spinosa, præteritorum malitia [4] peccatorum; quid liberalius et misericordius facere potuit, qui seipsum nobis, qua [5] rediremus, substernere voluit, nisi ut omnia donaret peccata conversis, et graviter fixa interdicta reditus nostri pro nobis crucifixus evelleret?

CAPUT XVIII. — *Claves traditæ Ecclesiæ.*

17. Has igitur claves dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in terra, soluta essent in cœlo; quæ ligaret in terra, ligata essent et in cœlo (*Matth.* XVI, 19): scilicet ut quisquis in Ecclesia ejus dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur; quisquis autem crederet, seque ab his correctus averteret, in ejusdem Ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide atque correctione sanaretur. Quisquis enim non credit dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando, quasi nihil illi melius quam malum esse remaneat, ubi de fructu suæ conversionis infidus est.

CAPUT XIX. — *Corporis et animi mors atque resurrectio.*

18. Jamvero sicut animi quædam mors est, vitæ prioris morumque relictio [6], quæ fit pœnitendo; sic etiam corporis mors est animationis pristinæ resolutio: et quomodo animus post pœnitentiam, qua priores mores perditos interemit, reformatur in melius; sic etiam corpus post istam mortem, quam vinculo peccati omnes debemus, credendum et sperandum est resurrectionis tempore in melius commutari, ut non caro et sanguis regnum Dei possideant, quod fieri non potest; sed corruptibile hoc induat incorruptionem, et mortale hoc induat immortalitatem (*I Cor.* XV, 50, 53), nullamque faciens molestiam, quia nullam patietur indigentiam, a beata perfectaque anima cum summa quiete vegetetur.

CAPUT XX. — *Qui non ad vitam sed ad supplicia renascantur.*

19. Cujus autem animus non moritur huic sæculo, neque incipit configurari veritati, in graviorem mortem morte corporis trahitur; neque ad commutationem [1] cœlestis habitudinis, sed ad luenda supplicia reviviscet.

CAPUT XXI. — *Rursus corporis de resurrectione.*

Hoc itaque fides habet, atque ita se rem habere credendum est, neque animum, neque corpus humanum omnimodum interitum pati; sed impios resurgere ad pœnas inæstimabiles, pios autem ad vitam æternam.

CAPUT XXII. — *Solo Deo fruendum.*

20. In his igitur omnibus rebus illæ tantum sunt quibus fruendum est, quas æternas atque incommutabiles commemoravimus; cæteris autem utendum est, ut ad illarum perfructionem pervenire possimus. Nos itaque qui fruimur et utimur aliis rebus, res aliquæ sumus. Magna enim quædam res est homo, factus ad imaginem et similitudinem Dei, non in quantum mortali corpore includitur, sed in quantum bestias rationalis animæ honore præcedit [2]. Itaque magna quæstio est utrum frui se homines debeant, an uti, an utrumque. Præceptum est enim nobis ut diligamus invicem; sed quæritur utrum propter se homo ab homine diligendus sit, an propter aliud. Si enim propter se, fruimur eo; si propter aliud, utimur eo. Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod enim propter se diligendum est, in eo constituitur vita beata; cujus etiamsi nondum res, tamen spes ejus nos hoc tempore consolatur. Maledictus autem qui spem suam ponit in homine (*Jerem.* XVII, 5).

21. Sed nec seipso quisquam frui debet, si liquido advertas; quia nec seipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illum quo fruendum est. Tunc est quippe optimus homo, cum tota vita sua pergit [3] in incommutabilem vitam, et toto affectu inhæret illi: si autem se propter se diligit, non se refert ad Deum; sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur. Et propterea jam cum defectu aliquo se fruitur; quia melior est cum totus hæret

[1] Bad. Am. et Er., *indulgentiam.* Melius cæteri codices, *diligentiam.*
[2] Lov., *donat.* Substituimus *dona*, ex Am. Er. et Mss. plerisque melioris notæ.
[3] Mss. quinque, *cum dilectione.*
[4] Editi, *intercludebant..... malitiæ :* pro quo Mss. magno consensu, *intercludebat... malitia.*
[5] Editi, *quo rediremus.* At Mss. septemdecim, *qua :* præter quinque alios, qui habent, *viam qua.*
[6] Am. et Er., *rejectio.*

[1] Tres e Vat. Mss., *ad communicationem.* Alius Vat., *ad communionem.* Huic Erasmus consentit; sed libri cæteri ferunt, *ad commutationem :* mox que in Mss. prope omnibus legebamus, *cœlestis habitudinis;* pro quo apud Am., *habitationis*, et apud Er. et Lov., *beatitudinis.*
[2] Sic undecim Mss. [*præcellit*].
[3] Am. et Er., *peragitur.*

atque constringitur incommutabili bono, quam cum inde vel ad seipsum relaxatur. Si ergo teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est : *Diliges*, inquit, *proximum tuum sicut teipsum ; Deum* vero *ex toto corde, et ex tota anima et ex tota mente* (*Levit.* XIX, 18 ; *Deut.* VI, 5 ; *et Matth.* XXII, 37, 39) ; ut omnes cogitationes tuas et omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem ait, *toto corde*, *tota anima*, *tota mente*, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat et quasi locum dare ut alia re velit frui ; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui et illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur.

CAPUT XXIII. — *Homini præcepto non opus est, ut se et suum corpus diligat. Prava sui dilectio.*

22. Non autem omnia quibus utendum est, diligenda sunt, sed ea sola quæ aut nobiscum societate quadam referuntur in Deum, sicuti est homo, vel angelus ; aut ad nos relata, beneficio Dei per nos indigent, sicuti est corpus. Nam utique martyres non dilexerunt scelus persequentium se, quo tamen usi sunt ad promerendum Deum. Cum ergo quatuor sint diligenda, unum quod supra nos est, alterum quod nos sumus, tertium quod juxta nos est, quartum quod infra nos est ; de secundo et quarto nulla præcepta danda erant. Quantumlibet enim homo excidat a veritate, remanet illi dilectio sui et dilectio corporis sui. Fugax enim animus ab incommutabili lumine omnium regnatore, id agit ut ipse sibi regnet et corpori suo ; et ideo non potest nisi et se et corpus suum diligere.

23. Magnum autem aliquid adeptum se putat, si etiam sociis, id est aliis hominibus, dominari potuerit. Inest enim vitioso animo id magis appetere, et sibi tanquam debitum vindicare, quod uni proprie debetur Deo. Talis autem sui dilectio melius odium vocatur. Iniquum est enim, quia vult sibi servire quod infra se est, cum ipse servire superiori nolit ; rectissimeque dictum est, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X, 6) : et ideo fit infirmus animus, et de mortali corpore cruciatur. Necesse est enim ut illud diligat, et ejus corruptione prægravetur. Immortalitas enim et incorruptio corporis de sanitate animi existit ; sanitas autem animi est firmissime inhærere potiori, hoc est incommutabili Deo. Cum vero etiam eis qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est, hominibus, dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est.

CAPUT XXIV. — *Nemo carnem suam odit, nequidem illi qui in eam insurgunt.*

24. Nemo ergo se odit. Et hinc quidem nulla cum aliqua secta quæstio fuit [1]. Sed neque corpus suum quisquam odit : verum est enim quod ait Apostolus, *Nemo unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes.* V, 29). Et quod nonnulli dicunt, malle se omnino esse sine corpore, omnino falluntur : non enim corpus suum, sed corruptiones ejus et pondus oderunt. Non itaque nullum corpus, sed incorruptum et celerrimum [2] corpus volunt habere : sed putant nullum corpus esse si tale fuerit, quia tale aliquid esse animam putant. Quod autem continentia quadam et laboribus quasi persequi videntur corpora sua ; qui hoc recte faciunt, non id agunt ut non habeant corpus, sed ut habeant subjugatum et paratum ad opera necessaria. Libidines enim male utentes corpore, id est consuetudines et inclinationes [3] animæ ad fruendum inferioribus, per ipsius corporis laboriosam quamdam militiam exstinguere affectant. Nam non se interimunt, sed curam suæ valetudinis gerunt.

25. Qui autem perverse id agunt, quasi naturaliter inimico suo corpori bellum ingerunt. In quo fallit eos quod legunt : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem ; hæc enim sibi invicem adversantur* (*Galat.* V, 17). Dictum est enim hoc propter indomitam carnalem consuetudinem, adversus quam spiritus concupiscit ; non ut interimat corpus, sed ut concupiscentia ejus, id est consuetudine mala edomita, faciat spiritui subjugatum [4], quod naturalis ordo desiderat. Quia enim hoc erit post resurrectionem, ut corpus omnimodo cum quiete summa spiritui subditum immortaliter vigeat, hoc etiam in hac vita meditandum est, ut consuetudo carnalis mutetur in melius, nec inordinatis motibus resistat spiritui. Quod donec fiat, caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem : non per odium resistente spiritu, sed per principatum ; quia magis quod diligit vult subditum esse meliori : nec per odium resistente carne, sed per consuetudinis vinculum, quod a parentum etiam propagine inveteratum naturæ lege inolevit. Id ergo agit spiritus in domanda carne, ut solvat malæ consuetudinis quasi pacta perversa, et fiat pax consuetudinis bonæ. Tamen nec isti qui falsa opinione depravati corpora sua detestantur, parati essent unum oculum vel sine sensu doloris amittere, etiamsi in altero tantus cernendi sensus remaneret, quantus erat in duobus, nisi aliqua res quæ præponenda esset, urgeret. Isto atque hujusmodi documento satis ostenditur eis qui sine pertinacia verum requirunt, quam certa sententia sit Apostoli, ubi ait : *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit.* Addidit etiam : *Sed nutrit et fovet eam, sicut Christus Ecclesiam.*

CAPUT XXV. — *Etsi aliquid amplius diligitur quam corpus, non tamen corpus odio habetur.*

26. Modus ergo diligendi præcipiendus est homini,

[1] Bad. Am. et Er. : *Et hinc quidem cum aliqua secta nonnulla quæstio fuit.*

[2] Bad. Am. et Er., uno tantum suffragante Ms., *integerrimum.*

[3] Quatuor melioris notæ Mss., *inclinationis.*

[4] Editi hactenus : *Sed ut concupiscentiam ejus, id est consuetudinem male domitam faciat spiritui subjugatam.* Cui lectioni præstat longe ea quam ex Mss. restituimus.

id est, quomodo se diligat ut prosit sibi. Quin autem se diligat et prodesse sibi velit, dubitare dementis est. Præcipiendum etiam quomodo corpus suum diligat, ut ei ordinate prudenterque consulat. Nam quod diligat etiam corpus suum, idque salvum habere atque integrum velit, æque manifestum est. Aliquid itaque amplius diligere aliquis potest, quam salutem atque integritatem corporis sui. Nam multi et dolores et amissiones nonnullorum membrorum voluntarias suscepisse inveniuntur, sed ut alia quæ amplius diligebant, consequerentur. Non ergo propterea quisquam dicendus est non diligere salutem atque incolumitatem corporis sui, quia plus aliquid diligit. Nam et avarus quamvis pecuniam diligat, tamen emit sibi panem : quod cum facit, dat pecuniam quam multum diligit et augere desiderat; sed quia pluris æstimat salutem corporis sui, quæ illo pane fulcitur. Supervacaneum est diutius de re manifestissima disputare, quod tamen plerumque nos facere cogit error impiorum.

CAPUT XXVI. — *Præceptum de Deo et proximo, imo et de seipso diligendo datum est.*

27. Ergo, quoniam præcepto non opus est ut se quisque et corpus suum diligat, id est, quoniam id quod sumus, et id quod infra nos est, ad nos tamen pertinet, inconcussa naturæ lege diligimus, quæ in bestias etiam promulgata est (nam et bestiæ se atque corpora sua diligunt); restabat ut et de illo quod supra nos est, et de illo quod juxta nos est, præcepta sumeremus. *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et diliges proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 37-40). Finis itaque præcepti est dilectio (I *Tim.* I, 5), et ea gemina, id est Dei et proximi. Quod si te totum intelligas, id est animum et corpus tuum, et proximum totum, id est animum et corpus ejus (homo enim ex animo constat et corpore), nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est. Cum enim præcurrat dilectio Dei, ejusque dilectionis modus præscriptus appareat, ita ut cætera in illum confluant, de dilectione tua nihil dictum videtur; sed cum dictum est, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum*, simul et tui abs te dilectio non prætermissa est.

CAPUT XXVII. — *Ordo dilectionis.*

28. Ille autem juste et sancte vivit, qui rerum integer æstimator est : ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendum, aut æque diligat quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod æque diligendum est. Omnis peccator in quantum peccator est, non est diligendus; et omnis homo in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus vero propter seipsum. Et si Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque debet Deum diligere quam seipsum. Item amplius alius homo diligendus est quam corpus nostrum : quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, et potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus; quia corpus per animam vivit qua fruimur Deo.

CAPUT XXVIII. — *Cui succurrendum, quando succurrere omnibus, vel duobus non possis.*

29. Omnes autem æque diligendi sunt : sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur. Sicut enim, si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret; nihil justius faceres quam ut sorte legeres, cui dandum esset quod dari utrique non posset : sic in hominibus quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi temporaliter colligatius adhærere potuerit.

CAPUT XXIX. — *Optandum et agendum ut omnes Deum diligant.*

30. Omnium autem qui nobiscum frui possunt Deo, partim eos diligimus [1] quos ipsi adjuvamus, partim eos a quibus adjuvamur, partim quorum et indigemus adjutorio, et indigentiæ subvenimus; partim quibus nec ipsi conferimus aliquid commodi, nec ab eis ut nobis conferatur attendimus. Velle tamen debemus ut omnes nobiscum diligant Deum, et totum quod vel eos adjuvamus vel adjuvamur ab eis, ad unum illum finem referendum est. Si enim in theatris nequitiæ qui aliquem diligit histrionem, et tanquam magno vel etiam summo bono ejus arte perfruitur, omnes diligit qui eum diligunt secum, non propter illos, sed propter eum quem pariter diligunt; et quanto est in ejus amore ferventior, tanto agit quibus potest modis, ut a pluribus diligatur, et tanto pluribus eum cupit ostendere; et quem frigidiorem videt, excitat eum quantum potest laudibus illius; si autem contravenientem invenerit, odit in illo vehementer odium dilecti sui, et quibus modis valet, instat ut auferat : quid nos in societate dilectionis Dei agere convenit, quo perfrui, beate vivere est; et a quo habent omnes qui eum diligunt, et quod sunt, et quod eum diligunt; de quo nihil metuimus, ne cuiquam possit cognitus displicere; et qui se vult diligi, non ut sibi aliquid, sed ut eis qui diligunt, æternum præmium conferatur, hoc est ipse quem diligunt? Hinc efficitur ut inimicos etiam nostros diligamus : non enim eos timemus, quia nobis quod diligimus auferre non possunt; sed miseramur potius, quia tanto magis nos oderunt, quanto ab illo quem diligimus separati sunt. Ad quem si conversi fuerint, et illum tanquam beatificum bonum, et nos tanquam socios tanti boni necesse est ut diligant.

CAPUT XXX. — *Proximi nostri, omnes homines, et ipsi Angeli.*

31. Oritur autem hoc loco de Angelis nonnulla quæstio. Illo enim fruentes, etiam ipsi beati sunt, quo

[1] Editi, *diligamus*. At Mss., excepto uno, *diligimus*.

et nos frui desideramus : et quanto in hac vita fruimur vel per speculum vel in ænigmate (I *Cor.* XIII, 12), tanto nostram peregrinationem et tolerabilius sustinemus, et ardentius finire cupimus. Sed utrum ad illa duo præcepta etiam dilectio pertineat Angelorum, non irrationabiliter quæri potest. Nam quod nullum hominum exceperit qui præcepit ut proximum diligamus, et ipse in Evangelio Dominus ostendit, et Paulus apostolus. Namque ille cui duo ipsa præcepta protulerat, atque in eis pendere totam Legem Prophetasque dixerat, cum interrogaret eum dicens, *Et quis est meus proximus* [1] ? hominem quemdam proposuit descendentem ab Jerusalem in Jericho, incidisse in latrones, et ab eis graviter vulneratum, saucium et semivivum esse derelictum ; cui proximum esse non docuit, nisi qui erga illum recreandum atque curandum misericors exstitit, ita ut hoc qui interrogaverat, interrogatus ipse fateretur. Cui Dominus ait, *Vade, et tu fac similiter* (*Luc.* X, 27, 37) ; ut videlicet eum esse proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret. Ex quo est jam consequens ut etiam ille a quo nobis hoc vicissim exhibendum est, proximus sit noster. Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem exceptum esse cui misericordiæ denegetur officium, quis non videat, quando usque ad inimicos etiam porrectum est, eodem Domino dicente : *Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos* (*Matth.* v, 44) ?

32. Ita quoque Paulus apostolus docet, cum dicit : *Nam non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur : Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur* (*Rom.* XIII, 9, 10). Quisquis ergo arbitratur non de omni homine Apostolum præcepisse, cogitur fateri, quod absurdissimum et sceleratissimum est, fuisse visum Apostolo non esse peccatum si quis aut non christiani, aut inimici adulteraverit uxorem, aut eum occiderit, aut ejus rem concupierit : quod si dementis est dicere, manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum, quia erga neminem operandum est malum.

33. Jamvero si vel cui præbendum est, vel a quo nobis præbendum est officium misericordiæ, recte proximus dicitur ; manifestum est hoc præcepto quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia, quanta multis divinarum Scripturarum locis animadvertere facile est. Ex quo et ipse Deus et Dominus noster proximum se nostrum dici voluit. Nam et seipsum significat Dominus Jesus Christus opitulatum esse semivivo jacenti in via afflicto et relicto a latronibus. Et propheta in oratione ait : *Sicut proximum, sicut fratrem nostrum, ita complacebam* (*Psal.* XXXIV, 14). Sed quoniam excellentior ac supra nostram naturam est divina substantia, præceptum quo diligamus Deum, a proximi dilectione distinctum est [1]. Ille enim nobis præbet misericordiam propter suam bonitatem, nos autem nobis invicem propter illius : id est, ille nostri miseretur, ut se perfruamur; nos vero invicem nostri misereamur, ut illo perfruamur.

CAPUT XXXI. — *Deus nobis non fruitur, sed utitur.*

34. Quapropter adhuc ambiguum esse videtur, cum dicimus ea re nos perfrui, quam diligimus propter seipsam, et ea re nobis fruendum esse tantum, qua efficimur beati, cæteris vero utendum. Diligit enim nos Deus, et multum nobis dilectionem ejus erga nos divina Scriptura commendat : quomodo ergo diligit ? ut nobis utatur, an ut fruatur ? Sed si fruitur, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit. Omne enim bonum nostrum vel ipse, vel ab ipso est : cui autem obscurum vel dubium est, non egere lucem rerum harum nitore quas ipsa illustraverit? Dicit etiam apertissime propheta : *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV, 2). Non ergo fruitur nobis, sed utitur. Nam si neque fruitur neque utitur, non invenio quemadmodum diligat.

CAPUT XXXII. — *Deus homine quomodo utatur.*

35. Sed neque sic utitur ut nos : nam nos res quibus utimur ad id referimus, ut Dei bonitate perfruamur ; Deus vero ad suam bonitatem usum nostrum refert. Quia enim bonus est, sumus ; et in quantum sumus, boni sumus. Porro autem quia etiam justus est, non impune sumus mali ; et in quantum mali sumus, in tantum etiam minus sumus. Ille enim summe ac primitus est, qui omnino incommutabilis est, et qui plenissime dicere potuit : *Ego sum qui sum ;* et, *Dices eis, Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14). Ut cætera quæ sunt, et nisi ab illo esse non possint, et in tantum bona sint [2], in quantum acceperunt ut sint. Ille igitur usus qui dicitur Dei, quo nobis utitur, non ad ejus, sed ad nostram utilitatem refertur, ad ejus autem tantummodo bonitatem. Cujus autem nos miseremur, et cui consulimus, ad ejus quidem utilitatem id facimus, eamque intuemur ; sed nescio quomodo etiam nostra fit [3] consequens, cum eam misericordiam quam impendimus egenti, sine mercede non relinquit Deus. Hæc autem merces summa est ut ipso perfruamur, et omnes qui eo fruimur, nobis etiam invicem in ipso perfruamur.

CAPUT XXXIII. — *Quomodo homine frui conveniat.*

36. Nam si in nobis id facimus, remanemus in via, et spem beatitudinis nostræ in homine vel in angelo collocamus. Quod et homo superbus et angelus superbus arrogant sibi, atque in se aliorum spem gaudent constitui. Sanctus autem homo et sanctus angelus etiam fessos nos atque in se acquiescere et remanere cupientes, reficiunt potius, aut eo sumptu quem propter nos, aut illo etiam quem propter se

[1] Omnes prope Mss., *et quis est mihi proximus ?*

[1] Addunt hic Mss. Vaticani duo : *Nos vero quia natura æquales sumus, et remota jactantia nihil aliud omnes quam homines sumus, præceptum quo diligamus proximum a nostra dilectione distinctum non est.*

[2] Excusi : *At cætera quæ sunt, et nisi ab illo esse non possunt, et in tantum bona sunt.* Non male ; melior tamen visa est lectio Mss.

[3] Editi, *sit.* At Mss., *fit.*

acceperunt, acceperunt tamen; atque ita refectos in illum ire compellunt, quo fruentes pariter beati sumus. Nam et Apostolus clamat : *Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis* (I *Cor.* I, 13)? et, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (*Id.* III, 7). Et angelus hominem se adorantem monet ut potius illum adoret, sub quo ei Domino etiam ipse conservus est (*Apoc.* XIX, 10).

37. Cum autem homine in Deo frueris, Deo potius quam homine frueris. Illo enim frueris quo efficeris beatus; et ad eum te pervenisse lætaberis, in quo spem ponis ut venias. Inde ad Philemonem Paulus : *Ita, frater*, inquit, *ego te fruar in Domino* (*Philem.* 20). Quod si non addidisset, *in Domino*, et *te fruar* tantum dixisset, in eo constituisset spem beatitudinis suæ. Quanquam etiam vicinissime dicitur frui, cum delectatione uti [1]. Cum enim adest quod diligitur, etiam delectationem secum necesse est gerat : per quam si transieris, eamque ad illud ubi permanendum est, retuleris; uteris ea, et abusive, non proprie, diceris frui. Si vero inhæseris atque permanseris, finem in ea ponens lætitiæ tuæ, tunc vere et proprie frui dicendus es : quod non faciendum est nisi in illa Trinitate, id est summo et incommutabili bono.

CAPUT XXXIV. — *Prima ad Deum via, Christus.*

38. Vide quemadmodum cum ipsa Veritas, et Verbum per quod facta sunt omnia, caro factum esset, ut habitaret in nobis (*Joan.* III, 3, 14), tamen ait Apostolus : *Et si noveramus Christum secundum carnem, sed jam non novimus* (II *Cor.* 5, 16). Ille quippe qui non solum pervenientibus possessionem, sed etiam viam præbere se voluit venientibus ad principium viarum [2], voluit carnem assumere : unde est etiam illud, *Dominus creavit me in principio viarum suarum* (*Prov.* VIII, 22); ut inde inciperent, qui vellent venire. Apostolus igitur quamvis adhuc ambularet in via, et ad palmam supernæ vocationis sequeretur vocantem Deum, tamen ea quæ retro sunt obliviscens, et in ea quæ ante sunt extentus (*Philipp.* III, 12-14), jam principium viarum transierat; hoc est, eo non indigebat, a quo tamen aggrediendum et exordiendum iter est omnibus qui ad veritatem pervenire, et in vita æterna permanere desiderant. Sic enim ait, *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6); hoc est, per me venitur, ad me pervenitur, in me permanetur. Cum enim ad ipsum pervenitur, etiam ad Patrem pervenitur; quia per æqualem ille cui est æqualis agnoscitur; vinciente et tanquam agglutinante nos Spiritu sancto, quo in summo atque incommutabili bono permanere possimus. Ex quo intelligitur quam nulla res [3] in via tenere nos debeat, quando nec ipse Dominus, in quantum via nostra esse dignatus est, tenere nos voluerit, sed transire; ne rebus temporalibus, quamvis ab illo pro salute nostra susceptis et gestis, hæreamus infirmiter, sed per eas potius curramus alacriter, ut ad eum ipsum, qui nostram naturam a temporalibus liberavit, et collocavit ad dexteram Patris, provehi atque pervehi [1] mereamur.

[1] Veteres codices, *cum dilectione uti.*
[2] Am. Er. et Ms. Theodericensis, *ad se principium viarum.*
[3] Editi, *quia.* At Mss. melioris notæ, *quam nulla res.*

CAPUT XXXV. — *Scripturæ plenitudo, finisque, amor Dei et proximi.*

39. Omnium igitur quæ dicta sunt, ex quo de rebus tractamus, hæc summa est, ut intelligatur Legis et omnium divinarum Scripturarum plenitudo et finis esse dilectio (*Rom.* XIII, 10; *et* I *Tim.* I, 5) rei qua fruendum est, et rei quæ nobiscum ea re frui potest; quia ut se quisque diligat, præcepto non opus est. Hoc ergo ut nossemus atque possemus, facta est tota pro salute nostra per divinam providentiam dispensatio temporalis, qua debemus uti, non quasi mansoria quadam dilectione atque delectatione, sed transitoria potius, tanquam viæ, tanquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet instrumentorum, aut si quid congruentius dici potest; ut ea quibus ferimur, propter illud ad quod ferimur, diligamus.

CAPUT XXXVI. —*Interpretatio Scripturæ licet vitiosa, non est mendax nec perniciose fallax, si modo utilis sit ædificandæ charitati. Corrigendus tamen interpres qui sic fallitur.*

40. Quisquis igitur Scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei et proximi, nondum intellexit. Quisquis vero talem inde sententiam duxerit [2], ut huic ædificandæ charitati sit utilis, nec tamen hoc dixerit quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, non perniciose fallitur, nec omnino mentitur. Inest quippe in mentiente voluntas falsa dicendi : et ideo multos invenimus, qui mentiri velint; qui autem falli, neminem. Cum igitur hoc sciens homo faciat, illud nesciens patiatur, satis in una eademque re apparet illum qui fallitur, eo qui mentitur esse meliorem; quandoquidem pati melius est iniquitatem, quam facere : omnis autem qui mentitur, iniquitatem facit [3]; et si cuiquam videtur utile aliquando esse mendacium, potest videri utilem aliquando esse iniquitatem. Nemo enim mentiens, in eo quod mentitur, servat fidem; nam hoc utique vult, ut cui mentitur fidem sibi habeat, quam tamen ei mentiendo non servat : omnis autem fidei violator, iniquus est. Aut igitur iniquitas aliquando utilis est, quod fieri non potest; aut mendacium semper inutile est.

41. Sed quisquis in Scripturis aliud sentit quam ille qui scripsit, illis non mentientibus fallitur : sed tamen, ut dicere cœperam, si ea sententia fallitur, qua ædificet charitatem, quæ finis præcepti est, ita fallitur, ac si quisquam errore deserens viam, eo tamen per agrum pergat, quo etiam via illa perducit. Corrigendus est tamen, et quam sit utilius viam non deserere demonstrandum est, ne consuetudine deviandi etiam in transversum aut perversum ire cogatur.

[1] In Vulgatis, *pervenire;* cujus loco in Mss., *pervehi.*
[2] Am. et undecim Mss., *dixerit.*
[3] Octodecim Mss., *qui mentitur inique facit.* Unus, *iniquum.*

CAPUT XXXVII. — *Multum inest periculi in hac interpretatione vitiosa.*

Asserendo enim temere quod ille non sensit quem legit, plerumque incurrit in alia quæ illi sententiæ contexere nequeat : quæ si vera et certa esse consentit, illud non possit verum esse quod senserat; fitque in eo, nescio quomodo, ut amando sententiam suam, Scripturæ incipiat offensior esse quam sibi. Quod malum si serpere siverit, evertetur ex eo. Per fidem enim ambulamus, non per speciem (II *Cor.* v, 7); titubabit autem fides, si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas : porro fide titubante, charitas etiam ipsa languescit. Nam si a fide quisque ceciderit, a charitate etiam necesse est cadat; non enim potest diligere quod esse non credit : porro si et credit et diligit, bene agendo et præceptis morum bonorum obtemperando efficit, ut etiam speret se ad id quod diligit esse venturum. Itaque tria hæc sunt, quibus et scientia omnis et prophetia militat, fides, spes, charitas.

CAPUT XXXVIII. — *Charitas perpetuo manet.*

42. Sed fidei succedit species [1], quam videbimus; et spei succedit beatitudo ipsa, ad quam perventuri sumus : charitas autem etiam istis decedentibus augebitur potius. Si enim credendo diligimus quod nondum videmus, quanto magis cum videre cœperimus? et si sperando diligimus quo nondum pervenimus, quanto magis cum pervenerimus? Inter temporalia quippe atque æterna hoc interest, quod temporale aliquid plus diligitur antequam habeatur, vilescit autem cum advenerit; non enim satiat animam, cui vera est et certa sedes æternitas : æternum autem ardentius diligitur adeptum, quam desideratum : nulli enim desideranti conceditur plus de illo existimare quam se habet, ut ei vilescat cum minus invenerit; sed quantum quisque veniens existimare potuerit, plus perveniens inventurus est.

[1] Sic Mss. tredecim. Editi vero, *succedit spes :* prave, uti intelligitur ex sequentibus verbis, *quam videbimus.*

CAPUT XXXIX. — *Scripturis non indiget homo fide, spe et charitate instructus.*

43. Homo itaque fide, spe et charitate subnixus, eaque inconcusse retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt. Unde in illis arbitror jam impletum esse quod dictum est : *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia evacuabitur.* Quibus tamen quasi machinis tanta fidei et spei et charitatis in eis surrexit instructio, ut perfectum aliquid tenentes, ea quæ sunt ex parte non quærant : perfectum sane, quantum in hac vita potest; nam in comparatione futuræ vitæ nullius justi et sancti est vita ista perfecta. Ideo *manent*, inquit, *fides, spes, charitas; tria hæc : major autem horum est charitas* (I *Cor.* xiii, 8, 13); quia et cum quisque ad æterna pervenerit, duobus istis decedentibus charitas auctior et certior permanebit.

CAPUT XL. — *Qualem lectorem Scriptura postulet.*

44. Quapropter, cum quisque cognoverit finem præcepti esse charitatem, *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I *Tim.* i, 5), omnem intellectum divinarum Scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationem illorum Librorum securus accedat. Cum enim diceret, *charitas*, addidit, *de corde puro*, ut nihil aliud quam id quod diligendum est, diligatur. *Conscientiam* vero *bonam* conjunxit propter spem : ille enim se ad id quod credit et diligit perventurum esse desperat, cui malæ conscientiæ scrupulus inest. Tertio, *et fide*, inquit, *non ficta.* Si enim fides nostra mendacio caruerit, tunc et non diligimus quod non est diligendum, et recte vivendo id speramus, ut nullo modo spes nostra fallatur. Propterea de rebus continentibus fidem, quantum pro tempore satis esse arbitratus sum, dicere volui, quia in aliis voluminibus, sive per alios sive per nos multa jam dicta sunt. Modus itaque sit iste libri hujus. Cætera de signis, quantum Dominus dederit, disseremus.

LIBER SECUNDUS.

Jam de signis verbisque Scripturæ sacræ sermonem instituit Augustinus, ostenditque hujus germanum sensum plerumque ideo non percipi, quia signa illa aut ignota sunt, aut ambigua. Quapropter prolato in primis divinorum Librorum canone, declarare pergit quarum potissimum linguarum peritia, quænamve disciplinæ ac scientiæ conferant ad illam signorum ignorantiam removendam. Ubi data occasione de repudiandis superstitiosis artibus et doctrinis strictim, sed prolunde disputat. Quemadmodum etiam animo comparatus is esse debeat, qui operam studio Scripturarum navaturus sit, declarat sub initium et ad finem libri.

CAPUT PRIMUM. — *Signum quid et quotuplex.*

1. Quoniam de rebus cum scriberem, præmisi commonens ne quis in eis attenderet nisi quod sunt, non etiam si quid aliud præter se significant; vicissim de signis disserens hoc dico, ne quis in eis attendat quod sunt, sed potius quod signa sunt, id est, quod significant. Signum est enim res, præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire : sicut vestigio viso, transisse animal cujus vestigium est, cogitamus; et fumo viso, ignem subesse cognoscimus; et voce animantis audita, affectionem animi ejus advertimus; et tuba sonante, milites vel progredi se [1], vel regredi, et si quid aliud pugna postulat, oportere noverunt.

2. Signorum igitur alia sunt naturalia, alia data. Naturalia sunt, quæ sine voluntate atque ullo appetitu significandi, præter se aliquid aliud ex se cognosci faciunt, sicuti est fumus significans ignem. Non enim volens significare id facit, sed rerum expertarum animadversione et notatione cognoscitur ignem subesse, etiam si fumus solus appareat. Sed et vestigium transeuntis animantis ad hoc genus pertinet : et vultus irati seu tristis affectionem animi significat, etiam nulla ejus voluntate qui aut iratus aut tristis est; aut si quis alius

[1] Am. Er. Lugd. Ven. Lov. Helm. ferunt, *vel progredi vel regredi*, nec habent *se.* M.

motus animi vultu indice proditur, etiam nobis non id agentibus ut prodatur. Sed de hoc toto genere nunc disserere non est propositum. Quoniam tamen incidit in partitionem nostram, præteriri omnino non potuit; atque id hactenus notatum esse suffecerit.

CAPUT II. — *De quo signorum genere hic tractandum.*

3. Data vero signa sunt, quæ sibi quæque viventia invicem dant ad demonstrandos, quantum possunt, motus animi sui, vel sensa, aut intellecta quælibet. Nec ulla causa est nobis significandi, id est signi dandi, nisi ad depromendum et trajiciendum in alterius animum id quod animo gerit is qui signum dat. Horum igitur signorum genus, quantum ad homines attinet, considerare atque tractare statuimus; quia et signa divinitus data, quæ in Scripturis sanctis continentur, per homines nobis indicata sunt, qui ea conscripserunt. Habent etiam bestiæ quædam inter se signa, quibus produnt appetitum animi sui. Nam et gallus gallinaceus reperto cibo, dat signum vocis gallinæ ut accurrat; et columbus gemitu columbam vocat, vel ab ea vicissim vocatur; et multa hujusmodi animadverti solent. Quæ utrum, sicut vultus aut dolentis clamor, sine significandi voluntate sequantur motum animi, an vere ad significandum dentur, alia quæstio est, et ad rem quæ agitur non pertinet: quam partem ab hoc opere tanquam non necessariam removemus.

CAPUT III. — *Inter signa principatum obtinent verba.*

4. Signorum igitur quibus inter se homines sua sensa communicant, quædam pertinent ad oculorum sensum, pleraque ad aurium, paucissima ad cæteros sensus. Nam cum innuimus, non damus signum nisi oculis ejus quem volumus per hoc signum voluntatis nostræ participem facere. Et quidam motu [1] manuum pleraque significant: et histriones omnium membrorum motibus dant signa quædam scientibus, et cum oculis eorum quasi fabulantur; et vexilla draconesque militares per oculos insinuant voluntatem ducum: et sunt hæc omnia quasi quædam verba visibilia. Ad aures autem quæ pertinent, ut dixi, plura sunt, in verbis maxime. Nam et tuba, et tibia, et cithara, dant plerumque non solum suavem, sed etiam significantem sonum. Sed hæc omnia signa verbis comparata paucissima sunt. Verba enim prorsus inter homines obtinuerunt principatum significandi quæcumque animo concipiuntur, si ea quisque prodere velit. Nam et odore unguenti Dominus, quo perfusi sunt pedes ejus, signum aliquod dedit (*Joan.* XII, 3 *et* 7); et Sacramento corporis et sanguinis sui prægustato [2], significavit quod voluit (*Luc.* XXII, 19, 20); et cum mulier tangendo fimbriam vestimenti ejus, salva facta est, nonnihil significat (*Matth.* IX, 21): sed innumerabilis multitudo signorum, quibus suas cogitationes homines exerunt, in verbis constituta est. Nam illa signa omnia quorum genera breviter attigi, potui verbis enuntiare; verba vero illis signis nullo modo possem.

CAPUT IV. — *Unde litteræ.*

5. Sed quia verberato aere statim transeunt, nec diutius manent quam sonant, instituta sunt per litteras signa verborum. Ita voces oculis ostenduntur, non per seipsas, sed per signa quædam sua. Ista igitur signa non potuerunt communia esse omnibus gentibus, peccato quodam dissensionis humanæ, cum ad se quisque principatum rapit. Cujus superbiæ signum est erecta illa turris in cœlum, ubi homines impii non solum animos, sed etiam voces dissonas habere meruerunt (*Gen.* XI, 1-9).

CAPUT V. — *Diversitas linguarum.*

6. Ex quo factum est ut etiam Scriptura divina, qua tantis morbis humanarum voluntatum subvenitur, ab una lingua profecta, qua [1] opportune potuit per orbem terrarum disseminari, per varias interpretum linguas longe lateque diffusa innotesceret gentibus ad salutem: quam legentes nihil aliud appetunt quam cogitationes voluntatemque illorum a quibus conscripta est, invenire, et per illas voluntatem Dei, secundum quam tales homines locutos credimus.

CAPUT VI. — *Obscuritas Scripturæ in tropis et figuris quorsum utilis.*

7. Sed multis et multiplicibus obscuritatibus, et ambiguitatibus decipiuntur qui temere legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis quid vel falso suspicentur non inveniunt, ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum divinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, et intellectum a fastidio revocandum [2], cui facile investigata plerumque vilescunt. Quid enim est, quæso, quod si quisquam dicat sanctos esse homines atque perfectos, quorum vita et moribus Christi Ecclesia de quibuslibet superstitionibus præcidit eos qui ad se veniunt, et imitatione bonorum sibimet quodammodo incorporat; qui boni fideles et veri [3] Dei servi, deponentes onera sæculi, ad sanctum Baptismi lavacrum venerunt, atque inde ascendentes conceptione sancti Spiritus fructum dant geminæ charitatis, id est, Dei et proximi: quid est ergo quod si hæc quisque dicat, minus delectat audientem, quam si ad eumdem sensum locum illum exponat de Canticis canticorum, ubi dictum est Ecclesiæ, cum tanquam pulchra quædam femina laudaretur, *Dentes tui sicut grex detonsarum, ascendens de lavacro, quæ omnes geminos creant, et non est sterilis in eis* (*Cant.* IV, 2)? Num aliud homo discit, quam cum illud planissimis verbis, sine similitudinis hujus adminiculo audiret? Et tamen nescio quomodo suavius intueor sanctos, cum eos quasi dentes Ecclesiæ video præcidere ab erroribus homines, atque in ejus corpus, emollita duritia, quasi demorsos mansosque

[1] Editi pluresque Mss., *et quidam motus*. Melius Mss. alii, *per motus*; vel, *motu*.

[2] Sic Editi, quibus suffragantur Mss. perpauci; cum plurimi habeant, *pergustato*; et alii quinque optimæ notæ, *per gustatum*: in quam lectionem incidit altera, quæ trium Mss. est, *per gustum*; quippe in antiquis codicibus passim reperire est *gustatum*, loco *gustum*.

[1] Bad. Am. Er. et aliquot Mss., *quæ*.

[2] Lov. nonnullique Mss., *renovandum*. Alii, cum Am. et Er., *revocandum*.

[3] In duobus Mss., *veri*. In aliis tribus, *vere*.

transferre. Oves etiam jucundissime agnosco detonsas, oneribus sæcularibus tanquam velleribus positis, et ascendentes de lavacro, id est de Baptismate, creare omnes geminos, id est duo præcepta dilectionis, et nullam esse ab isto sancto fructu sterilem video.

8. Sed quare suavius videam, quam si nulla de divinis Libris talis similitudo promeretur, cum res eadem sit eademque cognitio, difficile est dicere, et alia quæstio est. Nunc tamen nemo ambigit, et per similitudines libentius quæque cognosci, et cum aliqua difficultate quæsita multo gratius inveniri. Qui enim prorsus non inveniunt quod quærunt, fame laborant; qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidio sæpe marcescunt : in utroque autem languor cavendus est. Magnifice igitur et salubriter Spiritus sanctus ita Scripturas sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.

CAPUT VII. — *Gradus ad sapientiam ; primus, timor ; secundus, pietas ; tertius, scientia ; quartus, fortitudo ; quintus, consilium ; sextus, purgatio cordis ; septimus gradus seu finis, sapientia.*

9. Ante omnia igitur opus est Dei timore converti ad cognoscendam ejus voluntatem, quid nobis appetendum fugiendumque præcipiat. Timor autem iste cogitationem de nostra mortalitate et de futura morte necesse est incutiat, et quasi clavatis carnibus omnes superbiæ motus ligno crucis affigat. Deinde mitescere opus est pietate, neque contradicere divinæ Scripturæ sive intellectæ, si aliqua vitia nostra percutit; sive non intellectæ, quasi nos melius sapere meliusque præcipere [1] possimus : sed cogitare potius et credere id esse melius et verius quod ibi scriptum est, etiam si lateat, quam id quod nos per nosmetipsos sapere possumus.

10. Post istos duos gradus timoris atque pietatis ad tertium venitur scientiæ gradum, de quo nunc agere institui. Nam in eo se exercet omnis divinarum Scripturarum studiosus, nihil in eis aliud inventurus quam diligendum esse Deum propter Deum, et proximum propter Deum : et illum quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere ; proximum vero tanquam seipsum (*Matth.* XXII, 37 *et* 39), id est, ut tota proximi, sicut etiam nostri, dilectio referatur in Deum. De quibus duobus præceptis, cum de rebus ageremus, libro superiore tractavimus. Necesse est ergo, ut primo se quisque in Scripturis inveniat amore hujus sæculi, hoc est, temporalium rerum, implicatum, longe sejunctum esse a tanto amore Dei et tanto amore proximi, quantum Scriptura ipsa præscribit. Tum vero ille timor quo cogitat de judicio Dei, et illa pietas qua non potest nisi credere et cedere auctoritati sanctorum Librorum, cogit eum seipsum lugere. Nam ista scientia bonæ spei hominem non se jactantem, sed lamentantem facit : quo affectu impetrat sedulis precibus consolationem divini adjutorii, ne desperatione frangatur, et esse incipit in quarto gradu, hoc est fortitudinis, quo esuritur et sititur justitia. Hoc enim affectu ab omni mortifera jucunditate rerum transeuntium sese extrahit, et inde se avertens convertit ad dilectionem æternorum, incommutabilem scilicet unitatem eamdemque Trinitatem.

11. Quam ubi aspexerit, quantum potest, in longinqua radiantem, suique aspectus infirmitate sustinere se illam lucem non posse persenserit; in quinto gradu, hoc est in consilio misericordiæ, purgat animam tumultuantem quodammodo atque obstrepentem sibi de appetitu inferiorum conceptis sordibus. Hic vero se in dilectione proximi gnaviter exercet, in eaque perficitur; et spe jam plenus atque integer viribus, cum pervenerit usque ad inimici dilectionem, ascendit in sextum gradum, ubi jam ipsum oculum purgat, quo videri Deus potest, quantum potest ab iis qui huic sæculo moriuntur quantum possunt. Nam in tantum vident, in quantum moriuntur huic sæculo; in quantum autem huic vivunt, non vident. Et ideo quamvis jam certior, et non solum tolerabilior, sed etiam jucundior species lucis illius incipiat apparere; in ænigmate adhuc tamen et per speculum videri dicitur (I *Cor.* XIII, 12), quia magis per fidem quam per speciem ambulatur, cum in hac vita peregrinamur (II *Cor.* V, 6, 7), quamvis conversationem habeamus in cœlis (*Philipp.* III, 20.) In hoc autem gradu ita purgat oculum cordis, ut veritati ne ipsum quidem præferat aut conferat proximum; ergo nec seipsum, quia nec illum quem diligit sicut seipsum. Erit ergo iste sanctus tam simplici corde atque mundato, ut neque hominibus placendi studio detorqueatur a vero, nec respectu devitandorum quorumlibet incommodorum suorum, quæ adversantur huic vitæ. Talis filius ascendit ad sapientiam, quæ ultima et septima est, qua pacatus tranquillusque perfruitur. Initium enim sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX, 10, *et Eccli.* I, 16). Ab illo enim usque ad ipsam per hos gradus tenditur, et venitur.

CAPUT VIII. — *Libri canonici.*

12. Sed nos ad tertium illum gradum considerationem referamus, de quo disserere quod Dominus suggesserit, atque tractare instituimus. Erit igitur divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primo totas legerit, notasque habuerit, et si nondum intellectu, jam tamen lectione, duntaxat eas quæ appellantur canonicæ. Nam cæteras securius leget fide veritatis instructus, ne præoccupent imbecillem animum, et periculosis mendaciis atque phantasmatibus eludentes præjudicent aliquid contra sanam intelligentiam. In canonicis autem Scripturis, Ecclesiarum catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur; inter quas sane illæ sint, quæ apostolicas Sedes habere et Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt : in eis vero quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quanquam hoc

[1] Am. et quatuor Mss., *Percipere.*

facile invenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.

13. Totus autem canon Scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur (*a*) : Quinque Moyseos, id est Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio; et uno libro Jesu Nave, uno Judicum, uno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principium[1] videtur pertinere; deinde quatuor Regnorum, et duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi a latere adjunctis simulque pergentibus. Hæc est historia, quæ sibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum : sunt aliæ tanquam ex diverso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Job, et Tobias, et Esther, et Judith, et Machabæorum libri duo, et Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam usque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam : deinde Prophetæ, in quibus David unus liber Psalmorum ; et Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica canticorum, et Ecclesiastes. Nam illi duo libri, unus qui Sapientia, et alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur : nam Jesus Sirach eos conscripsisse constantissime perhibetur (*b*), qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui proprie Prophetæ appellantur, duodecim Prophetarum libri singuli, qui connexi sibimet, quoniam nunquam sejuncti sunt, pro uno habentur : quorum Prophetarum nomina sunt hæc, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias : deinde quatuor Prophetæ sunt majorum voluminum, Isaias, Jeremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris Testamenti Veteris terminatur auctoritas (*c*) : Novi autem, quatuor libris Evangelii, secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, secundum Joannem; quatuordecim Epistolis Pauli apostoli, ad Romanos, ad Corinthios duabus, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Thessalonicenses duabus, ad Colossenses, ad Timotheum duabus, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri duabus; tribus Joannis; una Judæ, et una Jacobi; Actibus Apostolorum libro uno, et Apocalypsi Joannis libro uno.

[1] Sic Mss. At editi, *principia*.

(*a*) Confer Hippon. concil. an 393, can. 38; et Carthag. 3, an. 397, can. 47.

(*b*) Quod attinet ad Sapientiæ librum, non esse ejus auctorem Jesum filium Sirach didicit postea Augustinus, uti in lib. 2 Retract., cap. 4, n. 2, admonet. Salomonis nomine laudat auctor, quisquis est, operis de Symbolo ad Catechumenos, lib. 2, c. 2; imo et Cyprianus in lib. de Mortalitate, Basilius in lib. 5 contra Eunomium, et passim Ambrosius. At Augustinus non hic tantum, sed etiam in admonitione ad Speculum de libro Sapientiæ, Salomoni tributum existimat, « propter quamdam eloquii similitudinem. Nam Salomonis non esse, inquit, nihil dubitant quique doctiores : » additque, illius quisnam sit auctor non apparere. Hieronymus librum eumdem, cui jam olim titulus erat, Sapientia Salomonis, *pseudepigraphon* appellat, et dicit Philoni Judæo ascriptum a veteribus, atque ipsius stilum græcam eloquentiam redolere. Sunt jam nonnulli qui velint sententias quidem ex Salomone, ex Philone autem earum collectionem phrasimque græcam prodiisse.

(*c*) Retract. lib. 2, c. 4, n. 2.

CAPUT IX. — *Qua ratione vacandum studio Scripturæ.*

14. In his omnibus libris timentes Deum et pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei. Cujus operis et laboris prima observatio est, ut diximus, nosse istos libros, etsi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa quæ in eis aperte posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, solertius diligentiusque investiganda sunt : quæ tanto quisque plura invenit, quanto est intelligentiæ[1] capacior. In iis enim quæ aperte in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia quæ continent fidem, moresque vivendi, spem scilicet atque charitatem, de quibus libro superiore tractavimus. Tum vero, facta quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum, in ea quæ obscura sunt aperienda et discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant. In qua re memoria valet plurimum : quæ si defuerit, non potest his præceptis dari.

CAPUT X. — *Scripturam contingit non intelligi ob ignota signa vel ambigua.*

15. Duabus autem causis non intelliguntur quæ scripta sunt, si aut ignotis, aut ambiguis signis obteguntur. Sunt autem signa vel propria, vel translata. Propria dicuntur, cum his rebus significandis adhibentur, propter quas sunt instituta ; sicut dicimus bovem, cum intelligimus pecus[2], quod omnes nobiscum latinæ linguæ homines hoc nomine vocant. Translata sunt, cum et ipsæ res quas propriis verbis significamus, ad aliud aliquid significandum usurpantur : sicut dicimus bovem, et per has duas syllabas intelligimus pecus quod isto nomine appellari solet; sed rursus per illud pecus intelligimus evangelistam, quem significavit Scriptura, interpretante Apostolo, dicens, *Bovem triturantem non infrenabis* (I *Cor.* IX, 9).

CAPUT XI. — *Ut ignorantia signorum tollatur, necessaria est linguarum cognitio, ac præsertim græcæ et hebrææ.*

16. Contra ignota signa propria magnum remedium est linguarum cognitio. Et latinæ quidem linguæ homines, quos nunc instruendos suscepimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem opus habent, hebræa scilicet et græca; ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita varietas. Quanquam et hebræa verba non interpretata sæpe inveniamus in libris, sicut Amen, et Alleluia, et Racha, et Hosanna, et si qua sunt alia : quorum partim propter sanctiorem auctoritatem, quamvis interpretari potuissent, servata est antiquitas, sicut est Amen, et Alleluia; partim vero in aliam linguam transferri non potuisse dicuntur, sicut alia duo quæ posuimus. Sunt enim quædam verba certarum linguarum, quæ in usum al-

[1] Editi, *intelligentia*. Mss. aliquot, *intelligentiæ*.

[2] Editi : *Sicut cum dicimus bovem, intelligimus pecus*. Aliquot Mss : *Sicut dicimus bovem, et pecus intelligimus*. Alii : *Sicut dicimus bovem, cum intelligimus pecus*.

terius linguæ per interpretationem transire non possint. Et hoc maxime interjectionibus accidit, quæ verba motum animi significant potius, quam sententiæ conceptæ [1] ullam particulam; nam et hæc duo talia esse perhibentur : dicunt enim Racha indignantis esse vocem, Hosanna lætantis. Sed non propter hæc pauca, quæ notare atque interrogare facillimum est, sed propter diversitates, ut dictum est, interpretum, illarum linguarum est cognitio necessaria. Qui enim Scripturas ex hebræa lingua in græcam verterunt, numerari possunt; latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari,

CAPUT XII. — *Diversitas interpretationum utilis. Ex verborum ambiguitate ut accidit error interpretum.*

17. Quæ quidem res plus adjuvit intelligentiam, quam impedivit, si modo legentes non sint negligentes. Nam nonnullas obscuriores sententias plurium codicum sæpe manifestavit inspectio, sicut illud Isaiæ prophetæ unus interpres ait, *Et domesticos seminis tui ne despexeris*; alius autem ait, *Et carnem tuam ne despexeris* (*Isai.* LVIII, 7) : uterque sibimet invicem attestatus est. Namque alter ex altero exponitur, quia et caro posset accipi proprie, ut corpus suum quisque ne despiceret, se putaret admonitum; et domestici seminis translate, Christiani possent intelligi, ex eodem verbi semine nobiscum spiritualiter nati : nunc autem collato interpretum sensu, probabilior occurrit sententia proprie de consanguineis non despiciendis esse præceptum, quoniam domesticos seminis cum ad carnem retuleris, consanguinei potissimum occurrunt; unde esse arbitror illud Apostoli quod ait, *Si quo modo ad æmulationem adducere potuero carnem meam, ut salvos faciam aliquos ex illis* (*Rom.* XI, 14); id est, ut æmulando eos qui crediderant, et ipsi crederent. Carnem enim suam dixit Judæos, propter consanguinitatem. Item illud ejusdem Isaiæ prophetæ, *Nisi credideritis, non intelligetis;* alius interpretatus est, *Nisi credideritis, non permanebitis* (*Isai.* VII, 9) : quis horum verba [2] secutus sit, nisi exemplaria linguæ præcedentis legantur, incertum est. Sed tamen ex utroque magnum aliquid insinuatur scienter legentibus. Difficile est enim ita diversos a se interpretes fieri, ut non se aliqua vicinitate contingant. Ergo, quoniam intellectus in specie sempiterna est, fides vero in rerum temporalium quibusdam cunabulis quasi lacte alit parvulos; nunc autem per fidem ambulamus, non per speciem (II *Cor.* v, 7); nisi autem per fidem ambulaverimus, ad speciem pervenire non poterimus quæ non transit, sed permanet, per intellectum purgatum nobis cohærentibus veritati : propterea ille ait, *Nisi credideritis, non permanebitis;* ille vero, *Nisi credideritis, non intelligetis.*

18. Et ex ambiguo linguæ præcedentis plerumque interpres fallitur, cui non bene nota sententia est, et eam significationem transfert, quæ a sensu scriptoris penitus aliena est : sicut quidam codices habent, *Acuti pedes eorum ad effundendum sanguinem;* ὀξὺς enim et acutum apud Græcos, et velocem significat. Ille ergo vidit sententiam, qui transtulit, *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem* (*Psal.* XIII, 3); ille autem alius ancipiti signo in aliam partem raptus erravit. Et talia quidem non obscura, sed falsa sunt : quorum alia conditio est; non enim intelligendos, sed emendandos tales codices potius præcipiendum est. Hinc est etiam illud, quoniam μόσχος græce vitulus dicitur, μοσχεύματα quidam non intellexerunt esse *plantationes*, et *vitulamina* interpretati sunt : qui error tam multos codices præoccupavit, ut vix inveniatur aliter scriptum; et tamen sententia manifestissima est, quia clarescit consequentibus verbis : namque, *Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas* (*Sap.* IV, 3), convenientius dicitur quam, *vitulamina*, quæ pedibus in terra gradiuntur, et non hærent radicibus. Hanc translationem in eo loco etiam cætera contexta custodiunt.

[1] Mss. tres *contextæ.*

[2] Sic tres Mss. Alii cum editis, *vero.*

CAPUT XIII. — *Interpretationis vitium unde emendari possit.*

19. Sed quoniam et quæ sit ipsa sententia, quam plures interpretes pro sua quisque facultate atque judicio conantur eloqui, non apparet, nisi in ea lingua inspiciatur quam interpretantur; et plerumque a sensu auctoris devius aberrat interpres, si non sit doctissimus : aut linguarum illarum, ex quibus in latinam Scriptura pervenit, petenda cognitio est; aut habendæ interpretationes eorum qui se verbis nimis obstrinxerunt; non quia sufficiunt, sed ut ex eis veritas vel error detegatur aliorum [1], qui non magis verba quam sententias interpretando sequi maluerunt. Nam non solum verba singula, sed etiam locutiones sæpe transferuntur, quæ omnino in latinæ linguæ usum, si quis consuetudinem veterum qui latine locuti sunt, tenere voluerit, transire non possunt. Quæ aliquando intellectui nihil adimunt, sed offendunt tamen eos qui plus delectantur rebus, cum etiam in earum signis sua quædam servatur integritas. Nam solœcismus qui dicitur, nihil aliud est quam cum verba non ea lege sibi coaptantur, qua coaptaverunt qui priores nobis non sine auctoritate aliqua locuti sunt. Utrum enim Inter homines, an, Inter hominibus dicatur, ad rerum non pertinet cognitorem. Item barbarismus quid aliud est, nisi verbum non eis litteris vel sono enuntiatum, quo ab eis qui latine ante nos locuti sunt, enuntiari solet? Utrum enim Ignoscere producta an correpta tertia syllaba dicatur, non multum curat qui peccatis suis Deum ut ignoscat petit, quolibet modo illud verbum sonare potuerit. Quid est ergo integritas locutionis, nisi alienæ [2] consuetudinis conservatio, loquentium veterum auctoritate firmatæ.

20. Sed tamen eo magis inde offenduntur homines, quo infirmiores sunt; et eo sunt infirmiores, quo doctiores videri volunt, non rerum scientia qua ædifi-

[1] Editi : *Libertas vel error dirigatur aliorum.* Reposuimus ex undecim Mss. fide, *veritas;* moxque ex conjectura, *detegatur* : cui conjecturæ unicus favet Floriacensis codex in quo legere est, *deligatur.*

[2] Sic Mss. plerique. At editi, *nisi latinæ consuetudinis.*

camur, sed signorum qua non inflari omnino difficile est, cum et ipsa rerum scientia sæpe cervicem erigat, nisi dominico reprimatur jugo. Quid enim obest intellectori, quod ita scriptum est : *Quæ est terra in qua isti insidunt super eam, si bona est an nequam ; et quæ sunt civitates in quibus ipsi inhabitant in ipsis* (*Num.* XIII, 20)? Quam locutionem magis alienæ linguæ esse arbitror, quam sensum aliquem altiorem. Illud etiam quod jam auferre non possumus de ore cantantium populorum, *Super ipsum autem floriet sanctificatio mea* (*Psal.* CXXXI, 18), nihil profecto sententiæ detrahit: auditor tamen perítior mallet hoc corrigi, ut non *floriet*, sed *florebit* diceretur ; nec quidquam impedit correctionem, nisi consuetudo cantantium. Ista ergo facile etiam contemni possunt, si quis ea cavere noluerit, quæ sano intellectui nihil detrahunt. At vero illud quod ait Apostolus, *Quod stultum est Dei*, *sapientius est hominibus ; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I *Cor.* I, 25) : si quis in eo græcam locutionem servare voluisset, ut diceret, Quod stultum est Dei, sapientius est hominum ; et quod infirmum est Dei, fortius est hominum ; iret quidem vigilantis lectoris intentio in sententiæ veritatem, sed tamen aliquis tardior aut non intelligeret, aut etiam perverse intelligeret. Non enim tantum vitiosa locutio est in latina lingua talis, verum et in ambiguitatem cadit ; ut quasi hominum stultum vel hominum infirmum sapientius vel fortius videatur esse quam Dei. Quanquam et illud, *sapientius est hominibus*, non caret ambiguo, etiamsi solœcismo caret. Utrum enim his *hominibus* ab eo quod est, Huic homini ; an his *hominibus* ab eo quod est, Ab hoc homine, dictum sit, non apparet nisi illuminatione sententiæ. Melius itaque dicitur, Sapientius est quam homines, et fortius est quam homines.

CAPUT XIV. — *Ignoti verbi et ignotæ locutionis unde eruenda cognitio.*

21. De ambiguis autem signis post loquemur ; nunc de incognitis agimus, quorum duæ formæ sunt, quantum ad verba pertinet. Namque aut ignotum verbum facit hærere lectorem, aut ignota locutio. Quæ si ex alienis linguis veniunt, aut quærenda sunt ab earum linguarum hominibus, aut eædem linguæ, si et otium est et ingenium, ediscendæ, aut plurium interpretum consulenda collatio est. Si autem ipsius linguæ nostræ aliqua verba locutionesque ignoramus, legendi consuetudine audiendique innotescunt. Nulla sane sunt magis mandanda memoriæ, quam illa verborum locutionumque genera quæ ignoramus ; ut cum vel peritior occurrerit de quo quæri possint, vel talis lectio quæ vel ex præcedentibus vel consequentibus vel utrisque ostendat quam vim habeat, quidve significet quod ignoramus, facile adjuvante memoria possimus advertere et discere. Quanquam tanta est vis consuetudinis etiam ad discendum, ut qui in Scripturis sanctis quodammodo nutriti educatique sunt, magis alias locutiones mirentur, easque minus latinas putent, quam illas quas in Scripturis didicerunt, neque in latinæ linguæ auctoribus reperiuntur. Plurimum hic quoque juvat interpretum numerositas collatis codicibus inspecta atque discussa ; tantum absit falsitas : nam codicibus emendandis primitus debet invigilare solertia eorum qui Scripturas divinas nosse desiderant, ut emendatis non emendati cedant, ex uno duntaxat interpretationis genere venientes.

CAPUT XV. — *Commendatur Itala versio latina, et græca Septuaginta interpretum.*

22. In ipsis autem interpretationibus, Itala cæteris præferatur ; nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. Et latinis quibuslibet emendandis, græci adhibeantur, in quibus Septuaginta interpretum, quod ad Vetus Testamentum attinet, excellit auctoritas (*a*) ; qui jam per omnes peritiores Ecclesias tanta præsentia sancti Spiritus interpretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit. Qui si, ut fertur, multique non indigni fide prædicant (*b*), singuli cellis etiam singulis separati cum interpretati essent, nihil in alicujus eorum codice inventum est quod non iisdem verbis eodemque verborum ordine inveniretur in cæteris ; quis huic auctoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat ? Si autem contulerunt ut una omnium communi tractatu judicioque vox fieret, nec sic quidem quemquam unum hominem qualibet peritia, ad emendandum tot seniorum doctorumque consensum aspirare oportet aut decet. Quamobrem, etiamsi aliquid aliter in hebræis exemplaribus invenitur quam isti posuerunt, cedendum esse arbitror divinæ dispensationi quæ per eos facta est, ut libri quos gens Judæa cæteris populis, vel religione vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum Gentibus ministra regis Ptolemæi potestate tanto ante proderentur. Itaque fieri potest ut sic illi interpretati sint, quemadmodum congruere Gentibus ille qui eos agebat, et qui unum os omnibus fecerat, Spiritus sanctus judicavit. Sed tamen, ut superius dixi, horum quoque interpretum qui verbis tenacius inhæserunt, collatio non est inutilis ad explanandam sæpe sententiam. Latini ergo, ut dicere cœperam, codices Veteris Testamenti, si necesse fuerit, græcorum auctoritate emendandi sunt, et eorum potissimum qui cum Septuaginta essent, ore uno interpretati esse perhibentur. Libros autem Novi Testamenti, si quid in latinis varietatibus titubat, græcis cedere oportere non dubium est, et maxime qui apud Ecclesias doctiores et diligentiores reperiuntur.

CAPUT XVI.— *Ut translata signa intelligantur juvat tum linguarum notitia, tum rerum.*

23. In translatis vero signis si qua forte ignota

(*a*) De Civit. Dei, lib. 18, c. 43.

(*b*) Inter eos Irenæus, lib. 3, c. 25 ; Clemens Alexandrinus, lib. 1 Stromatum ; Cyrillus Jerosolymitanus, Catechesi 4 ; Hilarius, in Psal. 2, etc. ; sed ante hos Justinus martyr, qui in oratione ad Gentes, cellularum in quibus LXX Interpretes Ptolemæi jussu Scripturis vertendis seorsim vacaverunt, vestigia quædam Alexandriæ se conspexisse profitetur. Verumtamen Hieronymus in præfatione in Pentateuchum nescire se ait, « quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo exstruxerit, quibus divisi « eadem scriptitarint : quippe cum Aristeas Ptolemæi « *ὑπερασπιστὴς*, et multo post tempore Josephus nihil « tale retulerint, sed in una basilica congregatos contulisse « scribant, non prophetasse. »

cogunt hærere lectorem, partim linguarum notitia, partim rerum, investiganda sunt. Aliquid enim ad similitudinem valet, et procul dubio secretum quiddam insinuat Siloa piscina, ubi faciem lavare jussus est cui oculos Dominus luto de sputo facto inunxerat (*Joan.* IX, 7): quod tamen nomen linguæ incognitæ, nisi Evangelista interpretatus esset, tam magnus intellectus lateret. Sic etiam multa, quæ ab auctoribus eorumdem Librorum interpretata non sunt, nomina hebræa, non est dubitandum habere non parvam vim atque adjutorium ad solvenda ænigmata Scripturarum, si quis ea possit interpretari : quod nonnulli ejusdem linguæ periti viri, non sane parvum beneficium posteris contulerunt, qui separata de Scripturis eadem omnia verba interpretati sunt; et quid sit Adam, quid Eva, quid Abraham, quid Moyses ; sive etiam locorum nomina, quid sit Jerusalem, vel Sion, vel Jericho, vel Sina, vel Libanus, vel Jordanis ; vel quæcumque alia in illa lingua nobis sunt incognita nomina : quibus apertis et interpretatis, multæ in Scripturis figuratæ locutiones manifestantur.

24. Rerum autem ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, cum ignoramus vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarumve rerum, quæ plerumque in Scripturis similitudinis alicujus gratia ponuntur. Nam et de serpente quod notum est, totum corpus eum pro capite objicere ferientibus, quantum illustrat sensum illum, quo Dominus jubet astutos nos esse sicut serpentes (*Matth.* X, 16); ut scilicet pro capite nostro, quod est Christus, corpus potius persequentibus offeramus, ne fides christiana tanquam [1] necetur in nobis, si parcentes corpori negemus Deum! vel illud, quod per cavernæ angustias coarctatus, deposita veteri tunica vires novas accipere dicitur, quantum concinit ad imitandam ipsam serpentis astutiam, exuendumque ipsum veterem hominem, sicut Apostolus dicit, ut induamur novo (*Ephes.* IV, 22, 24; *Coloss.* III, 9, 10); et exuendum per angustias, dicente Domino, *Intrate per angustam portam* (*Matth.* VII, 13)! Ut ergo notitia naturæ serpentis illustrat multas similitudines quas de hoc animante dare Scriptura consuevit; sic ignorantia nonnullorum animalium quæ non minus per similitudines commemorat, impedit plurimum intellectorem [2]. Sic lapidum, sic herbarum, vel quæcumque tenentur radicibus. Nam et carbunculi notitia, quod lucet in tenebris, multa illuminat etiam obscura librorum, ubicumque propter similitudinem ponitur; et ignorantia berylli vel adamantis claudit plerumque intelligentiæ fores. Nec aliam ob causam facile est intelligere pacem perpetuam significari oleæ ramusculo, quem rediens ad arcam columba pertulit (*Gen.* VIII, 11), nisi quia novimus et olei lenem contactum non facile alieno humore corrumpi, et arborem ipsam frondere perenniter. Multi autem propter ignorantiam hyssopi, dum nesciunt quam vim habeat, vel ad purgandum pulmonem, vel, ut dicitur, ad saxa radicibus penetranda, cum sit herba brevis atque humilis, omnino invenire non possunt quare sit dictum, *Asperges me hyssopo, et mundabor* (*Psal.* L, 9).

25. Numerorum etiam imperitia multa facit non intelligi, translate ac mystice posita in Scripturis. Ingenium quippe, ut ita dixerim, ingenuum non potest non moveri quid sibi velit quod et Moyses, et Elias, et ipse Dominus quadraginta diebus jejunaverunt (*Exod.* XXIV, 18; III *Reg.* XIX, 8; *et Matth.* IV, 2). Cujus actionis figuratus quidam nodus, nisi hujus numeri cognitione et consideratione, non solvitur. Habet enim denarium quater, tanquam cognitionem omnium rerum intextam temporibus. Quaternario namque numero et diurna et annua curricula peraguntur : diurna matutinis, meridianis, vespertinis, nocturnisque horarum spatiis; annua vernis, æstivis, autumnalibus, hiemalibusque mensibus. A temporum autem delectatione dum in temporibus vivimus, propter æternitatem in qua vivere volumus, abstinendum et jejunandum est: quamvis temporum cursibus ipsa nobis insinuetur doctrina contemnendorum temporum et appetendorum æternorum. Porro autem denarius numerus Creatoris atque creaturæ significat scientiam : nam trinitas Creatoris est, septenarius autem numerus creaturam indicat, propter vitam et corpus. Nam in illa tria sunt, unde etiam toto corde, tota anima, tota mente diligendus est Deus (*Id.* XXII, 37); in corpore autem quatuor manifestissima apparent, quibus constat, elementa. In hoc ergo denario dum temporaliter nobis insinuatur, id est, quater ducitur, caste et continenter, a temporum delectatione vivere, hoc est quadraginta diebus jejunare monemur. Hoc Lex, cujus persona est in Moyse, hoc Prophetia, cujus personam gerit Elias, hoc ipse Dominus monet; qui tanquam testimonium habens ex Lege et Prophetis, medius inter illos in monte, tribus discipulis videntibus atque stupentibus, claruit (*Id.*, XVII, 2, 3). Deinde ita quæritur quomodo quinquagenarius de quadragenario numero existat, qui non mediocriter in nostra religione sacratus est propter Pentecosten (*Act.* II), et quomodo ter ductus propter tria tempora, ante Legem, sub Lege, sub Gratia, vel propter nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, adjuncta eminentius ipsa Trinitate, ad purgatissimæ Ecclesiæ mysterium referatur, perveniatque ad centum quinquaginta tres pisces, quos retia post resurrectionem Domini in dexteram partem missa ceperunt (*Joan.* XXI, 11). Ita multis aliis atque aliis numerorum formis quædam similitudinum in sanctis Libris secreta ponuntur, quæ propter numerorum imperitiam legentibus clausa sunt.

26. Non pauca etiam claudit atque obtegit nonnullarum rerum musicarum ignorantia. Nam et de psalterii et citharæ differentia, quidam non inconcinne aliquas rerum figuras aperuit: et decem chordarum psalterium (*Psal.* XXXII, 2; *et Psal.* XCI, 4), non importune inter doctos quæritur utrum habeat aliquam musicæ legem, quæ ad tantum nervorum numerum cogat; an vero, si non habet, eo ipso magis sacrate accipiendus sit ipse numerus, vel propter decalogum

[1] Editi addunt hic, *caput*; quæ vox abest ab omnibus Mss.

[2] In vulgatis, *lectorem*. At in Mss., *intellectorem*

Legis, de quo item numero si quæratur, nonnisi ad Creatorem creaturamque referendus est, vel propter superius expositum ipsum denarium. Et ille numerus ædificationis templi, qui commemoratur in Evangelio, quadraginta scilicet et sex annorum (*Joan.* II, 20), nescio quid musicum sonat; et relatus ad fabricam Dominici corporis, propter quam templi mentio facta est, cogit nonnullos hæreticos confiteri Filium Dei non falso, sed vero et humano corpore indutum : et numerum quippe et musicam plerisque locis in sanctis Scripturis honorabiliter posita invenimus.

CAPUT XVII. — *Origo fabulæ Musarum novem.*

27. Non enim audiendi sunt errores gentilium superstitionum, qui novem Musas Jovis et Memoriæ [1] filias esse finxerunt. Refellit eos Varro, quo nescio utrum apud eos quisquam talium rerum doctior vel curiosior esse possit. Dicit enim civitatem nescio quam, non enim nomen recolo, locasse apud tres artifices terna simulacra Musarum, quod in templo Apollinis donum poneret, ut quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimum electa emeret. Itaque contigisse ut opera sua quoque illi artifices æque pulchra explicarent, et placuisse civitati omnes novem, atque omnes esse emptas, ut in Apollinis templo dedicarentur; quibus postea dicit Hesiodum poetam imposuisse vocabula. Non ergo Jupiter novem Musas genuit, sed tres fabri ternas creaverunt. Tres autem non propterea illa civitas locaverat, quia in somnis eas viderat, aut tot se cujusquam illorum oculis demonstraverant; sed quia facile erat animadvertere omnem sonum, quæ materies cantilenarum est, triformem esse natura. Aut enim voce editur, sicuti eorum est qui faucibus sine organo canunt; aut flatu, sicut tubarum et tibiarum; aut pulsu, sicut in citharis et tympanis, et quibuslibet aliis quæ percutiendo canora sunt.

CAPUT XVIII. — *Profani si quid bene dixerunt, non aspernandum.*

28. Sed sive ita se habeat quod Varro retulit, sive non ita; nos tamen non propter superstitionem profanorum debemus musicam fugere, si quid inde utile ad intelligendas sanctas Scripturas rapere potuerimus; nec ad illorum theatricas nugas converti, si aliquid de citharis et de organis, quod ad spiritualia capienda valeat, disputemus. Neque enim et litteras discere non debuimus, quia earum repertorem [2] dicunt esse Mercurium; aut quia justitiæ virtutique templa dedicarunt, et quæ corde gestanda sunt in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis justitia virtusque fugienda est : imo vero quisquis bonus verusque christianus est, Domini sui esse intelligat, ubicumque invenerit veritatem, quam confitens [3] et agnoscens, etiam in Litteris sacris superstitiosa figmenta repudiet; doleatque homines atque caveat, qui cognoscentes Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est cor insipiens eorum : dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, et immutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium (*Rom.* I, 21 *sqq.*).

CAPUT XIX. — *Doctrinarum genera duo reperta apud Ethnicos.*

29. Sed ut totum istum locum, nam est maxime necessarius, diligentius explicemus; duo sunt genera doctrinarum, quæ in gentilibus etiam moribus exercentur. Unum earum rerum quas instituerunt homines; alterum earum quas animadverterunt jam peractas aut divinitus institutas. Illud quod est secundum institutiones hominum, partim superstitiosum est, partim non est.

CAPUT XX. — *Scientiæ quas homines instituerunt aliquæ superstitionum plenæ. Catonis dictum lepidum.*

30. Superstitiosum est quidquid institutum est ab hominibus ad facienda et colenda idola pertinens, vel ad colendam sicuti Deum creaturam partemve ullam creaturæ; vel ad consultationes et pacta quædam significationum cum dæmonibus placita atque fœderata, qualia sunt molimina magicarum artium, quæ quidem commemorare potius quam docere assolent poetæ. Ex quo genere sunt, sed quasi licentiore vanitate, aruspicum et augurum libri. Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis quos characteres vocant, sive in quibusque rebus suspendendis atque illigandis, vel etiam aptandis [1] quodammodo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas, aut etiam manifestas; quæ mitiore nomine physica vocant, ut quasi non superstitione implicare, sed natura prodesse videantur : sicut sunt inaures in summo aurium singularum, aut de struthionum ossibus ansulæ in digitis, aut cum tibi dicitur singultienti, ut dextera manu sinistrum pollicem teneas.

31. His adjunguntur millia inanissimarum observationum, si membrum aliquod salierit, si junctim ambulantibus amicis lapis, aut canis, aut puer medius intervenerit : atque illud quod lapidem calcant, tanquam diremptorem amicitiæ, minus molestum est, quam quod innocentem puerum colapho percutiunt, si pariter ambulantibus intercurrit. Sed bellum est quod aliquando pueri vindicantur a canibus : nam plerumque tam superstitiosi sunt quidam, ut etiam canem qui medius intervenerit, ferire audeant, non impune; namque a vano remedio cito ille interdum percussorem suum ad verum medicum mittit. Hinc sunt etiam illa, limen calcare cum ante domum suam transit; redire ad lectum, si quis dum se calceat sternutaverit; redire domum, si procedens offenderit; cum vestis a soricibus roditur, plus tremere suspicio-

[1] Mss. duo e Vaticanis, *Minervæ*. Alii, omnes codices, *Memoriæ*. Sic vero etiam in lib. 2 de Ordine, cap. 14, n. 41.
[2] Mss. prope omnes, *earum Deum dicunt*.
[3] Mss. plusquam viginti, *conferens* : consentit editio Am.

[1] Codices editi et Mss., *saltandis quodammodo* : excepto uno Remigiano, cujus auctoritate restituimus, *aptandis*.

ne[1] futuri mali, quam præsens damnum dolere. Unde illud eleganter dictum est Catonis, qui cum esset consultus a quodam, qui sibi a soricibus erosas caligas diceret; respondit non esse illud monstrum, sed vere monstrum habendum fuisse, si sorices a caligis roderentur.

CAPUT XXI. — *Superstitio mathematicorum.*

32. Neque illi ab hoc genere perniciosæ superstitionis segregandi sunt, qui genethliaci, propter natalium dierum considerationes, nunc autem vulgo mathematici vocantur. Nam et ipsi quamvis veram stellarum positionem, cum quisque nascitur, consectentur, et aliquando etiam pervestigent; tamen quod inde conantur vel actiones nostras vel actionum eventa prædicere, nimis errant, et vendunt imperitis hominibus miserabilem servitutem. Nam quisque liber ad hujusmodi mathematicum cum ingressus fuerit, dat pecuniam ut servus inde exeat aut Martis, aut Veneris, vel potius omnium siderum; quibus illi qui primi erraverunt, erroremque posteris propinaverunt, vel bestiarum propter similitudinem, vel hominum ad ipsos homines honorandos imposuerunt vocabula. Non enim mirandum est, cum etiam propioribus recentioribusque temporibus, sidus quod appellamus Luciferum, honori et nomini Cæsaris Romani dicare conati sunt (*a*). Et fortasse factum esset atque isset in vetustatem, nisi avia ejus Venus præoccupasset hoc nominis prædium; neque jure ullo ad hæredes trajiceret, quod nunquam viva possederat aut possidendum petiverat. Nam ubi vacabat locus, neque alicujus priorum mortuorum honore tenebatur, factum est quod in rebus talibus fieri solet. Pro quintili enim et sextili mensibus, Julium atque Augustum vocamus, de honoribus hominum Julii Cæsaris et Augusti Cæsaris nuncupatos; ut facile qui voluerit intelligat etiam illa sidera prius sine his nominibus cœlo vagata esse: mortuis autem illis quorum honorare memoriam vel coacti sunt homines regia potestate, vel placuit humana vanitate, nomina eorum imponentes sideribus, eos ipsos sibi mortuos in cœlum levare videbantur. Sed quodlibet vocentur ab hominibus, sunt tamen sidera, quæ Deus instituit et ordinavit ut voluit; et est certus motus illorum, quo tempora distinguuntur atque variantur. Quem motum notare, cum quisque nascitur, quo modo se habeat, facile est, per eorum inventas conscriptasque regulas, quos sancta Scriptura condemnat, dicens: *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, quomodo ejus Dominum non facilius invenerunt* (*Sap.* XIII, 9)?

CAPUT XXII. — *Observatio siderum ad cognoscendam vitæ seriem vana.*

33. Sed ex ea notatione velle nascentium mores, actus, eventa prædicere, magnus error et magna dementia est. Et apud eos quidem qui talia dediscenda didicerunt, sine ulla dubitatione refellitur. hæc superstitio. Constellationes enim quas vocant, notatio

[1] Sic Mss. melioris notæ. At editi, *timere suspicionem*

(*a*) Sic Virg. Ecl. 9:
Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

est siderum, quomodo se habebant cum ille nasceretur, de quo isti miseri a miserioribus consuluntur. Fieri autem potest, ut aliqui gemini tam sequaciter fundantur ex utero, ut intervallum temporis inter eos nullum possit apprehendi, et constellationum numeris annotari. Unde necesse est nonnullos geminos easdem habere constellationes, cum paria rerum, vel quas agunt vel quas patiuntur, eventa non habeant, sed plerumque ita disparia, ut alius felicissimus, alius infelicissimus vivat: sicut Esau et Jacob geminos accepimus natos, ita ut Jacob, qui posterior nascebatur, manu plantam præcedentis fratris tenens inveniretur (*Gen.* XXV, 25). Horum certe dies atque hora nascentium aliter notari non posset, nisi ut amborum constellatio esset una; quantum autem intersit inter amborum mores, facta, labores atque successus, Scriptura testis est, jam ore omnium gentium pervagata[1].

34. Neque enim ad rem pertinet, quod dicunt ipsum momentum minimum atque angustissimum temporis, quod geminorum partum disterminat, multum valere in rerum natura atque cœlestium corporum rapidissima velocitate. Etsi enim concedam ut plurimum valeat, tamen in constellationibus a mathematico inveniri non potest, quibus inspectis se fata dicere profitetur. Quod ergo in constellationibus non invenit, quas necesse est unas inspiciat, sive de Jacob, sive de ejus fratre consulatur; quid ei prodest si distat in cœlo quod temere securus infamat, et non distat[2] in tabula quam frustra sollicitus intuetur? Quare istæ quoque opiniones quibusdam rerum signis humana præsumptione institutis, ad eadem illa quasi quædam cum dæmonibus pacta et conventa referendæ sunt.

CAPUT XXIII. — *Cur repudianda genethliacorum scientia.*

35. Hinc enim fit ut occulto quodam judicio divino, cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi et decipiendi pro meritis voluntatum suarum, illudentibus eos atque decipientibus prævaricatoribus angelis; quibus ista mundi pars infima, secundum pulcherrimum ordinem rerum, divinæ providentiæ lege subjecta est. Quibus illusionibus et deceptionibus evenit, ut istis superstitiosis et perniciosis divinationum generibus multa præterita et futura dicantur, nec aliter accidant, quam dicuntur; multaque observantibus secundum observationes suas eveniant, quibus implicati curiosiores fiant, et sese magis magisque inserant multiplicibus laqueis perniciosissimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ salubriter divina Scriptura non tacuit; neque ab ea sic deterruit animam, ut propterea talia negaret esse sectanda quia falsa dicuntur a professoribus eorum, sed etiam *si dixerint vobis*, inquit, *et ita evenerit, ne credatis eis* (*Deut.* XIII, 1-3). Non enim quia imago Samuelis mortui Sauli regi

[1] Mss., tres *pervulgata.*

[2] In excusis hactenus, *si discat in cœlo..... et non discat in tabula.* Sed incunctanter ex Mss. reponendum utroque loco *distat*: quandoquidem id confutatur, quod Mathematici garriunt, momentum vel minimum quo geminorum partus disterminatur, in tanta cœlestium corporum velocitate valere plurimum.

vera prænuntiavit (I *Reg.* XXVIII, 14-20; *Eccli.* XLVI, 23), propterea talia sacrilegia, quibus imago illa præsentata est, minus exsecranda sunt: aut quia in Actibus Apostolorum ventriloqua [1] femina verum testimonium perhibuit Apostolis Domini, idcirco Paulus apostolus pepercit illi spiritui, ac non potius feminam illius dæmonii correptione atque exclusione mundavit (*Act.* XVI, 16-18).

36. Omnes igitur artes hujusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum et dæmonum, quasi pacta quædam infidelis et dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda et fugienda christiano: *Non quod idolum sit aliquid,* ait Apostolus, *sed quia quæ immolant, dæmoniis immolant, et non Deo; nolo autem vos socios dæmoniorum fieri* (I *Cor.* X, 19, 20). Quod autem de idolis, et de immolationibus, quæ honori eorum exhibentur, dixit Apostolus, hoc de omnibus imaginariis signis sentiendum est, quæ vel ad cultum idolorum, vel ad creaturam ejusque partes tanquam Deum colendas trahunt, vel ad remediorum aliarumque observationum curam pertinent; quæ non sunt divinitus ad dilectionem Dei et proximi tanquam publice constituta, sed per privatas appetitiones rerum temporalium corda dissipant miserorum. In omnibus ergo istis doctrinis societas dæmonum formidanda atque vitanda est, qui nihil cum principe suo diabolo nisi reditum nostrum claudere atque obserare conantur. Sicut autem de stellis, quas condidit et ordinavit Deus, humanæ et deceptoriæ conjecturæ ab hominibus institutæ sunt; sic etiam de quibusque nascentibus vel quoquo modo divinæ providentiæ administratione existentibus rebus, multi multa humanis suspicionibus, quasi regulariter conjectata [2], litteris mandaverunt, si forte insolite acciderint, tanquam si mula pariat, aut fulmine aliquid percutiatur.

CAPUT XXIV. — *Societas et pactum cum dæmonibus in superstitioso rerum usu.*

37. Quæ omnia tantum valent, quantum præsumptione animorum quasi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata sunt. Quæ tamen plena sunt omnia pestiferæ curiositatis, cruciantis sollicitudinis, mortiferæ servitutis. Non enim quia valebant, animadversa sunt; sed animadvertendo atque signando [3] factum est ut valerent. Et ideo diversis diverse proveniunt secundum cogitationes et præsumptiones suas. Illi enim spiritus qui decipere volunt, talia procurant cuique, qualibus eum irretitum per suspiciones et consensiones ejus vident. Sicut enim, verbi gratia, una figura litteræ *X* quæ decussatim notatur, aliud apud Græcos, aliud apud Latinos valet, non natura, sed placito et consensione significandi; et ideo qui utramque linguam novit, si homini Græco velit aliquid significare scribendo, non in ea significatione ponit hanc litteram, in qua eam ponit cum homini scribit Latino: et Beta uno eodemque sono, apud Græcos litteræ, apud Latinos oleris nomen est; et cum dico, Lege, in his duabus syllabis, aliud Græcus, aliud Latinus intelligit: sicut ergo hæ omnes significationes pro suæ cujusque societatis consensione animos movent, et quia diversa consensio est, diverse movent; nec ideo consenserunt in eas homines, quia jam valebant ad significationem, sed ideo valent, quia consenserunt in eas: sic etiam illa signa, quibus perniciosa dæmonum societas comparatur, pro cujusque observationibus valent. Quod manifestissime ostendit ritus augurum, qui et antequam observent, et posteaquam observata signa tenuerint, id agunt ne videant volatus, aut audiant voces avium; quia nulla ista signa sunt, nisi consensus observantis accedat.

CAPUT XXV. — *In institutis humanis non superstitiosis quædam superflua, quædam commoda et necessaria.*

38. Quibus amputatis atque eradicatis ab animo christiano, deinceps videndæ sunt institutiones hominum non superstitiosæ, id est, non cum dæmonibus, sed cum ipsis hominibus institutæ. Namque omnia quæ ideo valent inter homines, quia placuit inter eos ut valeant, instituta hominum sunt: quorum partim superflua luxuriosaque instituta sunt, partim commoda et necessaria. Illa enim signa quæ saltando faciunt histriones, si natura, non instituto et consensione hominum valerent; non primis temporibus, saltante pantomimo (*a*), præco pronuntiaret populis Carthaginis quid saltator vellet intelligi. Quod adhuc multi meminerunt senes, quorum relatu hæc solemus audire. Quod ideo credendum est, quia nunc quoque si quis theatrum talium nugarum imperitus intraverit, nisi ei dicatur ab altero quid illi motus significent, frustra totus intentus est. Appetunt tamen omnes quamdam similitudinem in significando, ut ipsa signa, in quantum possunt, rebus quæ significantur similia sint. Sed quia multis modis simile aliquid alicui potest esse, non constant talia signa inter homines, nisi consensus accedat.

39. In picturis vero et statuis, cæterisque hujusmodi simulatis operibus, maxime peritorum artificum, nemo errat cum similia viderit, ut agnoscat quibus sint rebus similia. Et hoc totum genus inter superflua hominum instituta numerandum est, nisi cum interest quid eorum, qua de causa, et ubi, et quando, et cujus auctoritate fiat. Millia denique fictarum fabularum et falsitatum, quarum mendaciis homines delectantur, humana instituta sunt. Et nulla magis hominum propria, quæ a seipsis habent, existimanda sunt, quam quæque falsa atque mendacia. Commoda vero et necessaria

[1] Mss. tres, *ventiloqua.* Verius alii, *ventriloqua.* Græce, *eggastrimuthos,* uti Pythonissa mulier, 1 Reg. XXVIII, 7, vocatur apud LXX Interpretes, qui hanc vocem passim adhibent; eamque Basilius in Isai. VIII, 19, interpretatur ad hæcce verba, *zêtêsate eggastrimuthous,* «Hoc est, ait, qui in «Pythone futura prædicunt, per ventrem obsessi, ipso spi«ritu loquente, qui et de terra loquuntur, inania quædam «effutientes.» Annotaverat hic Erasmus ad oram libri, fuisse suo etiam tempore apud Italos divinatorum genus, qui sic dicti sunt, quod ore non edentes sonum, per ventrem loqui visi sunt.

[2] Editi, *conjecta litteris.* At Mss., *conjectata.*

[3] Mss. quinque, *servando.*

(*a*) Pantomimos, qui quoslibet gestus moresque exprimebat.

hominum cum hominibus instituta sunt, quæcumque in habitu et cultu corporis ad sexus vel honores discernendos differentia placuit; et innumerabilia genera significationum sine quibus humana societas, aut non omnino, aut minus commode geritur; quæque in ponderibus atque mensuris, et nummorum impressionibus vel æstimationibus, sua cuique civitati et populo sunt propria; et cætera hujusmodi, quæ nisi hominum instituta essent, non per diversos populos varia essent, nec in ipsis singulis populis pro arbitrio suorum principum mutarentur.

40. Sed hæc tota pars humanorum institutorum, quæ ad usum vitæ necessarium proficiunt, nequaquam est fugienda christiano; imo etiam quantum satis est, intuenda, memoriaque retinenda.

CAPUT XXVI. — *Quæ hominum instituta fugienda, et quæ amplectenda sint.*

Adumbrata enim quædam et naturalibus utcumque similia hominum instituta sunt. Quorum ea quæ ad societatem, ut dictum est, dæmonum pertinent, penitus repudianda sunt et detestanda : ea vero quæ homines cum hominibus habent, assumenda, in quantum non sunt luxuriosa atque superflua; et maxime litterarum figuræ, sine quibus legere non possumus, linguarumque varietas quantum satis est, de qua superius disputavimus. Ex eo genere sunt etiam notæ, quas qui didicerunt proprie jam notarii appellantur. Utilia sunt ista, nec discuntur illicite, nec superstitione implicant, nec luxu enervant, si tantum occupent, ut majoribus rebus, ad quas adipiscendas servire debent, non sint impedimento.

CAPUT XXVII. — *Scientiarum quas homines non instituerunt, aliquæ juvant ad intelligentiam Scripturarum.*

41. Jamvero illa quæ non instituendo, sed aut transacta temporibus, aut divinitus instituta, investigando homines prodiderunt, ubicumque discantur, non sunt hominum instituta existimanda. Quorum alia sunt ad sensum corporis, alia vero ad rationem animi pertinentia. Sed illa quæ sensu corporis attinguntur, vel narrata credimus, vel demonstrata sentimus, vel experta conjicimus.

CAPUT XXVIII. — *Historia quatenus juvet.*

42. Quidquid igitur de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos Libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur. Nam et per Olympiadas, et per Consulum nomina multa sæpe quæruntur a nobis; et ignorantia consulatus, quo natus est Dominus, et quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum, quia per tot annos ædificatum templum esse dictum est a Judæis, quod imaginem Dominici corporis habebat. Et annorum quidem fere triginta baptizatum esse retinemus auctoritate evangelica (*Luc.* III, 23) : sed postea quot annos in hac vita egerit, quanquam textu ipso actionum ejus animadverti possit; tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Evangelio, liquidius certiusque colligitur. Tunc enim videbitur non frustra esse dictum, quod quadraginta sex annis templum ædificatum sit, ut cum referri iste numerus ad ætatem Domini non potuerit, ad secretiorem instructionem humani corporis referatur, quo indui propter nos non dedignatus est unicus Dei Filius, per quem facta sunt omnia.

43. De utilitate autem historiæ, ut omittam Græcos, quantam noster Ambrosius quæstionem solvit, calumniantibus Platonis lectoribus et dilectoribus; qui dicere ausi sunt omnes Domini nostri Jesu Christi sententias, quas mirari et prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse, quoniam longe ante humanum adventum Domini Platonem fuisse, negari non potest! Nonne memoratus episcopus, considerata historia gentium, cum reperisset Platonem Jeremiæ temporibus profectum fuisse in Ægyptum, ubi propheta ille tunc erat (*a*), probabilius esse ostendit quod Plato potius nostris Litteris per Jeremiam fuerit imbutus, ut illa posset docere vel scribere quæ jure laudantur? Ante Litteras enim gentis Hebræorum, in qua unius Dei cultus emicuit, ex qua secundum carnem venit Dominus noster, nec ipse quidem Pythagoras fuit, a cujus posteris Platonem theologiam didicisse isti asserunt. Ita consideratis temporibus fit multo credibilius istos potius de Litteris nostris habuisse quæcumque bona et vera dixerunt, quam de Platonis Dominum Jesum Christum, quod dementissimum est credere.

44. Narratione autem historica cum præterita etiam hominum instituta narrantur, non inter humana instituta ipsa historia numeranda est; quia jam quæ transierunt, nec infecta fieri possunt, in ordine temporum habenda sunt, quorum est conditor et administrator Deus. Aliud est enim facta narrare, aliud docere facienda. Historia facta narrat fideliter atque utiliter; libri autem aruspicum, et quæque similes litteræ, facienda vel observanda intendunt docere, monitoris audacia, non indicis [1] fide.

CAPUT XXIX. — *Ad Scripturarum intelligentiam quatenus conducat animalium, herbarum, etc., præsertimque siderum cognitio.*

45. Est etiam narratio demonstrationi similis, qua non præterita, sed præsentia indicantur ignaris. In quo genere sunt quæcumque de locorum situ, naturisque animalium, lignorum, herbarum, lapidum, aliorumve corporum scripta sunt. De quo genere superius egimus, eamque cognitionem valere ad ænigmata Scripturarum solvenda docuimus : non ut pro quibusdam signis adhibeantur, tanquam ad remedia vel machinamenta superstitionis alicujus; nam et illud genus jam distinctum ab hoc licito et libero separavimus. Aliud est enim dicere, Tritam istam herbam si biberis, venter non dolebit; et aliud est dicere, Istam herbam collo si suspenderis, venter non dolebit. Ibi enim probatur contemperatio salubris, hic significatio superstitiosa damnatur. Quanquam ubi præcantationes,

[1] Editi, *judicis*. Patet legendum cum melioris notæ MSS., *indicis*.

(*a*) II Retract. cap. 4, n. 2.

et invocationes, et characteres non sunt, plerumque dubium est utrum res quæ alligatur, aut quoquo modo adjungitur sanando corpori, vi naturæ valeat, quod libere adhibendum est, an significativa quadam obligatione proveniat, quod tanto prudentius oportet cavere christianum, quanto efficacius prodesse videbitur. Sed ubi latet qua causa quid valeat, quo animo quisque utatur interest, duntaxat in sanandis vel temperandis corporibus, sive in medicina, sive in agricultura.

46. Siderum autem cognoscendorum non narratio, sed demonstratio est, quorum perpauca Scriptura commemorat. Sicut autem plurimis notùs est lunæ cursus, qui etiam ad passionem Domini anniversarie celebrandam solemniter adhibetur; sic paucissimis cæterorum quoque siderum vel ortus, vel occasus, vel alia quælibet momenta sine ullo sunt errore notissima. Quæ per seipsam cognitio, quanquam superstitione non alliget, non multum tamen ac prope nihil adjuvat tractationem divinarum Scripturarum, et infructuosa intentione plus impedit; et quia familiaris est perniciosissimo errori fatua fata cantantium, commodius honestiusque contemnitur. Habet autem præter demonstrationem præsentium, etiam præteritorum narrationi simile aliquid, quod a præsenti positione, motuque siderum, et in præterita eorum vestigia regulariter licet recurrere. Habet etiam futurorum regulares conjecturas, non suspiciosas et ominosas, sed ratas et certas; non ut ex eis aliquid trahere in nostra facta [1] et eventa tentemus, qualia genethliacorum deliramenta sunt, sed quantum ad ipsa pertinet sidera. Nam sicut is qui computat lunam, cum hodie inspexerit quota sit, et ante quotlibet annos quota fuerit, et post quotlibet annos quota futura sit potest dicere; sic de unoquoque siderum, qui ea perite computant, respondere consueverunt. De qua tota cognitione, quantum ad usum ejus attinet, quid mihi videretur aperui.

CAPUT XXX. — *Quid eodem conferant artes mechanicæ.*

47. Artium etiam cæterarum, quibus aliquid fabricatur, vel quod remaneat post operationem artificis ab illo effectum, sicut domus, et scamnum, et vas aliquod, atque alia hujuscemodi; vel quæ ministerium quoddam exhibent operanti Deo, sicut medicina, et agricultura, et gubernatio; vel quarum omnis effectus est actio, sicut saltationum et cursionum et luctaminum: harum ergo cunctarum artium de præteritis experimenta faciunt etiam futura conjici; nam nullus earum artifex membra movet in operando, nisi præteritorum memoriam cum futurorum exspectatione contexat. Harum autem cognitio tenuiter in ipsa humana vita cursimque usurpanda est, non ad operandum, nisi forte officium aliquod cogat, de quo nunc non agimus; sed ad judicandum, ne omnino nesciamus quid Scriptura velit insinuare, cum de his artibus aliquas figuratas locutiones inserit.

CAPUT XXXI. — *Quid juvet dialectica. Sophismata.*

48. Restant ea quæ non ad corporis sensus, sed ad rationem animi pertinent, ubi disciplina regnat disputationis et numeri. Sed disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in Litteris sanctis sunt penetranda et dissolvenda, plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi, et puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium. Sunt enim multa quæ appellantur sophismata, falsæ conclusiones rationum, et plerumque ita veras imitantes, ut non solum tardos, sed ingeniosos etiam minus diligenter attentos decipiant. Proposuit enim quidam, dicens ei cum quo loquebatur: Quod ego sum, tu non es. At ille consensit: verum enim erat ex parte, vel eo ipso quod iste insidiosus, ille simplex erat. Tunc iste addidit: Ego autem homo sum. Hoc quoque cum ab illo accepisset, conclusit dicens: Tu igitur non es homo (*a*). Quod genus captiosarum conclusionum Scriptura, quantum existimo, detestatur illo loco, ubi dictum est: *Qui sophistice loquitur, odibilis est* (*Eccli.* XXXVII, 23). Quanquam etiam sermo non captiosus, sed tamen abundantius quam gravitatem decet, verborum ornamenta consectans, sophisticus dicitur.

49. Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationis falsas habentes sententias, quæ consequuntur errorem illius cum quo agitur: quæ tamen ad hoc inferuntur a bono et docto homine, ut in iis erubescens ille cujus errorem consequuntur, eumdem relinquat errorem; quia si in eodem manere voluerit, necesse est etiam illa quæ damnat, tenere cogatur. Non enim vera inferebat Apostolus, cum diceret, *Neque Christus resurrexit;* et illa alia, *Inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides vestra* (I *Cor.* XV, 14); et deinceps alia quæ omnino falsa sunt, quia et Christus resurrexit, et non erat inanis prædicatio eorum qui hoc annuntiabant, nec fides eorum qui hoc crediderant: sed ista falsa verissime connectebantur illi sententiæ qua dicebatur non esse resurrectionem mortuorum. Istis autem falsis repudiatis, quoniam vera erant si mortui non resurgunt, consequens erit resurrectio mortuorum. Cum ergo sint veræ connexiones, non solum verarum, sed etiam falsarum sententiarum, facile est veritatem connexionum etiam in scholis illis discere, quæ præter Ecclesiam sunt. Sententiarum autem veritas in sanctis Libris ecclesiasticis investiganda est.

CAPUT XXXII. — *Veritas connexionum non ab hominibus instituta est, sed tantum observata.*

50. Ipsa tamen veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus et notata, ut eam possint vel discere vel docere: nam est in rerum ratione perpetua et divinitus instituta. Sicut enim qui narrat ordinem temporum, non eum ipse componit; et locorum situs, aut naturas animalium vel stirpium vel lapidum qui ostendit, non res ostendit ab hominibus institutas; et ille qui demonstrat sidera eorumque motus, non a se vel ab homine aliquo rem institutam demonstrat: sic etiam qui dicit, Cum falsum est quod consequitur, necesse est ut falsum sit quod præcedit; verissime dicit, neque ipse facit ut ita sit, sed tantum ita esse demonstrat. Ex

[1] Bad. Am. Er. et Mss. sex, *in nostra fata.*

(*a*) Hoc syllogismo quidam adorsus Diogenem, ipse facta a Diogene conversione captus deridebatur

hac regula illud est quod de apostolo Paulo commemoravimus : præcedit enim non esse resurrectionem mortuorum, quod dicebant illi quorum errorem destruere volebat Apostolus. Porro illam sententiam præcedentem, qua dicebant non esse resurrectionem mortuorum, necessario sequitur, *Neque Christus resurrexit* : hoc autem quod sequitur, falsum est; Christus enim resurrexit : falsum est ergo et quod præcedit; præcedit autem, non esse resurrectionem mortuorum : est igitur resurrectio mortuorum. Quod totum breviter ita dicitur : Si non est resurrectio mortuorum, neque Christus resurrexit : Christus autem resurrexit; est igitur resurrectio mortuorum. Hoc ergo, ut consequenti ablato auferatur etiam necessario quod præcedit, non instituerunt homines, sed ostenderunt. Et hæc regula pertinet ad veritatem connexionum, non ad veritatem sententiarum.

CAPUT XXXIII. — *In falsis sententiis conclusiones veræ esse possunt, et in veris falsæ.*

51. Sed in hoc loco de resurrectione cum ageretur, et regula connexionis vera est, et ipsa in conclusione sententia. In falsis autem sententiis, connexionis veritas est isto modo : faciamus aliquem concessisse, Si animal est cochlea, vocem habet; hoc concesso, cum probatum fuerit vocem cochleam non habere, quoniam consequenti ablato illud quod præcedit aufertur, concluditur non esse animal cochleam. Quæ sententia falsa est, sed ex concesso falso vera est conclusionis connexio. Veritas itaque sententiæ per seipsam valet; veritas autem connexionis ex ejus cum quo agitur, opinione vel concessione consistit. Ideo autem, ut supra diximus, infertur vera connexione quod falsum est, ut eum cujus errorem corrigere volumus, pœniteat concessisse præcedentia, quorum consequentia videt esse respuenda. Jam hinc intelligere facile est, sicut in falsis sententiis veras, sic in veris sententiis falsas conclusiones esse posse. Fac enim aliquem proposuisse, Si justus est ille, bonus est, et esse concessum ; deinde assumpsisse, Non est autem justus ; quo item concesso, intulisse conclusionem, Non est igitur bonus. Quæ tamen etsi vera sint omnia, non est tamen vera regula conclusionis. Non enim sicut ablato consequenti aufertur necessario quod præcedit, ita etiam ablato præcedenti aufertur necessario quod consequitur. Quia verum est, cum dicimus, Si orator est, homo est : ex qua propositione si assumamus, Non est autem orator ; non erit consequens cum intuleris, Non est igitur homo.

CAPUT XXXIV. — *Aliud est nosse leges conclusionum, aliud veritatem sententiarum.*

52. Quapropter aliud est nosse regulas connexionum, aliud sententiarum veritatem. In illis discitur quid sit consequens, quid non consequens, quid repugnans. Consequens est, Si orator est, homo est : inconsequens, Si homo est, orator est : repugnans, Si homo est, quadrupes est. Hic ergo de ipsa connexione judicatur. In veritate autem sententiarum ipsæ per se sententiæ, non earum connexio consideranda est : sed veris certisque sententiis, cum incertæ vera connexione junguntur, etiam ipsæ certæ fiant necesse est. Quidam autem sic se jactant, cum veritatem connexionum didicerint, quasi sententiarum ipsa sit veritas. Et rursus, quidam plerumque retinentes veram sententiam, male se contemnunt, quia leges conclusionis ignorant; cum melior sit qui novit esse resurrectionem mortuorum, quam ille qui novit consequens esse, ut si resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexerit.

CAPUT XXXV. — *Scientia definiendi et dividendi non est falsa etiamsi falsis adhibeatur. Falsum quid.*

53. Item scientia definiendi, dividendi, atque partiendi, quanquam etiam rebus falsis plerumque adhibeatur, ipsa tamen falsa non est, neque ab hominibus instituta, sed in rerum ratione comperta. Non enim quia et fabulis suis eam poetæ, et opinionibus erroris sui vel falsi philosophi, vel etiam hæretici, hoc est, falsi christiani adhibere consueverunt, propterea falsum est neque in definiendo, neque in dividendo aut partiendo, aliquid complectendum esse quod ad rem ipsam non pertinet, aut aliquid quod pertinet prætereundum. Hoc verum est, etiamsi ea quæ definiuntur aut distribuuntur, vera non sint. Nam et ipsum falsum definitur, cum dicimus falsum esse significationem rei non ita se habentis ut significatur, sive alio aliquo modo : quæ definitio vera est, quamvis falsum verum esse non possit. Possumus etiam dividere, dicentes, duo esse genera falsi : unum eorum quæ omnino esse non possunt; alterum eorum quæ non sunt, quamvis esse possint. Nam qui dicit septem et tria undecim esse, id dicit quod omnino esse non potest : qui autem dicit calendis, verbi gratia, januariis pluisse, tametsi factum non sit, id tamen dicit quod fieri potuerit. Definitio igitur et divisio falsorum potest esse verissima, quamvis falsa ipsa utique vera non sint.

CAPUT XXXVI. — *Eloquentiæ præcepta vera sunt, quamvis eis interdum falsa persuadeantur.*

54. Sunt etiam quædam præcepta uberioris disputationis, quæ jam eloquentia nominatur, quæ nihilominus vera sunt, quamvis eis possint etiam falsa persuaderi : sed quia et vera possunt [1], non est facultas ipsa culpabilis, sed ea male utentium perversitas. Nam neque hoc ab hominibus institutum est, ut charitatis [2] expressio conciliet auditorem, aut ut facile quod intendit, insinuet brevis et aperta narratio, et varietas ejus sine fastidio teneat intentos; et cæteræ hujusmodi observationes, quæ sive in falsis sive in veris causis, veræ sunt tamen, in quantum vel sciri vel credi aliquid faciunt, aut ad expetendum fugiendumve animos movent, et inventæ potius quod ita se habeant, quam ut ita se haberent institutæ.

CAPUT XXXVII. — *Quæ utilitas rhetoricæ et dialecticæ.*

55. Sed hæc pars [3] cum discitur, magis ut profera-

[1] Editi, *vera esse possunt*. Mss., *vera possunt*; supple, persuaderi.
[2] Editi, *veritatis expressio*. At Mss. octodecim, *charitatis*.
[3] Unicus Ms., *hæc ars*. Mox editiones Bad. Am. Er. et no-

mus ea quæ intellecta sunt, quam ut intelligamus, adhibenda est. Illa vero conclusionum et definitionum et distributionum, plurimum intellectorem adjuvat: tantum absit error, quo videntur homines sibi ipsam beatæ vitæ veritatem didicisse, cum ista didicerint. Quanquam plerumque accidat ut facilius homines res eas assequantur, propter quas assequendas ista discuntur, quam talium præceptorum nodosissimas et spinosissimas disciplinas. Tanquam si quispiam dare volens præcepta ambulandi, moneat non esse levandum posteriorem pedem, nisi cum posueris priorem, deinde minutatim quemadmodum articulorum et poplitum cardines oporteat movere, describat. Vera enim dicit, nec aliter ambulari potest; sed facilius homines hæc faciendo ambulant, quam animadvertunt cum faciunt, aut intelligunt cum audiunt. Qui autem ambulare non possunt, multo minus ea curant, quæ nec experiendo possunt attendere. Ita plerumque citius ingeniosus videt non esse ratam conclusionem, quam præcepta ejus capit; tardus autem non eam videt; sed multo minus quod de illa præcipitur: magisque in his omnibus ipsa spectacula veritatis sæpe delectant, quam ex eis in disputando aut judicando adjuvamur; nisi forte quod exercitatiora reddunt ingenia, si etiam maligniora aut inflatiora non reddant, hoc est, ut aut decipere verisimili sermone atque interrogationibus ament, aut aliquid magnum, quo se bonis atque innocentibus anteponant, se assecutos putent qui ista didicerunt.

CAPUT XXXVIII. — *Numerorum scientia non ex hominum instituto, sed ex rerum natura est ab hominibus adinventa.*

56. Jamvero numeri disciplina cuilibet tardissimo clarum est quod non sit ab hominibus instituta, sed potius indagata atque inventa. Non enim sicut primam syllabam Italiæ, quam brevem pronuntiaverunt veteres, voluit Virgilius, et longa facta est; ita quisquam potest efficere cum voluerit, ut ter terna aut non sint novem, aut non possint efficere quadratam figuram, aut non ad ternarium numerum tripla sint, ad senarium sescupla, ad nullum dupla, quia intelligibiles numeri semissem non habent. Sive ergo in seipsis considerentur, sive ad figurarum aut ad sonorum aliarumve motionum leges numeri adhibeantur, incommutabiles regulas habent, neque ullo modo ab hominibus institutas, sed ingeniosorum sagacitate compertas.

57. Quæ tamen omnia quisquis ita dilexerit, ut jactare se inter imperitos velit, et non potius quærere unde sint vera, quæ tantummodo vera esse persenserit; et unde quædam non solum vera sed etiam incommutabilia, quæ incommutabilia esse comprehenderit; ac sic a specie corporum usque ad humanam mentem perveniens, cum et ipsam mutabilem invenerit, quod nunc docta, nunc indocta sit, constituta tamen inter incommutabilem supra se veritatem, et mutabilia infra se cætera, ad unius Dei laudem atque dilectionem cuncta convertere, a quo cuncta esse cognoscit; doctus videri potest, esse autem sapiens nullo modo.

CAPUT XXXIX. — *Quibus ex supra notatis disciplinis quove animo danda opera. Leges humanæ.*

58. Quamobrem videtur mihi studiosis et ingeniosis adolescentibus, et timentibus Deum, beatamque vitam quærentibus, salubriter præcipi ut nullas doctrinas quæ præter Ecclesiam Christi exercentur, tanquam ad beatam vitam capessendam secure sequi audeant, sed eas sobrie diligenterque dijudicent: et si quas invenerint ab hominibus institutas, varias propter diversam voluntatem instituentium, et ignotas propter suspiciones errantium, maxime si habent etiam cum dæmonibus initam societatem per quarumdam significationum quasi quædam pacta atque conventa; repudient penitus et detestentur; alienent etiam studium a superfluis et luxuriosis hominum institutis. Illa vero instituta hominum, quæ ad societatem conviventium [1] valent, pro ipsa hujus vitæ necessitate non negligant. In cæteris autem doctrinis, quæ apud gentes inveniuntur, præter historiam rerum, vel præteriti temporis vel præsentis, ad sensus corporis pertinentium, quibus etiam utilium artium corporalium experimenta et conjecturæ annumerantur, et præter rationem disputationis et numeri, nihil utile esse arbitror. In quibus omnibus tenendum est,

Ne quid nimis;
(*Terent. in Andr., act. 1, scen. 1.*)

et maxime in iis quæ ad corporis sensus pertinentia, volvuntur temporibus, et continentur locis.

59. Sicut autem quidam de verbis omnibus et nominibus hebræis, et syris, et ægyptiis, vel si qua alia lingua in Scripturis sanctis inveniri potest, quæ in eis sine interpretatione sunt posita, fecerunt, ut ea separatim interpretarentur; et quod Eusebius fecit de temporum historia propter divinorum Librorum quæstiones, quæ usum ejus flagitant: quod ergo hi fecerunt de his rebus, ut non sit necesse christiano in multis propter pauca laborare; sic video posse fieri, si quem eorum qui possunt, benignam sane operam fraternæ utilitati delectet impendere, ut quoscumque terrarum locos, quæve animalia vel herbas atque arbores sive lapides vel metalla incognita, speciesque quaslibet Scriptura commemorat, ea generatim digerens, sola exposita litteris mandet. Potest etiam de numeris fieri, ut eorum tantummodo numerorum exposita ratio conscribatur, quos divina Scriptura meminit. Quorum aliqua aut omnia forte jam facta sunt, sicut multa quæ a bonis doctisque christianis elaborata atque conscripta non arbitrabamur, invenimus [2]; sed sive propter turbas negligentium, sive propter invidorum occultationes latent. Quod utrum de ratione disputandi fieri possit, ignoro: et videtur mihi non posse, quia per totum textum Scripturarum colligata est nervorum vice; et ideo magis ad ambigua solvenda

vem Mss., *cum discitur:* alii decem codices, *cum dicitur.* At Lov., *cum discutitur.*

[1] Er. et Lov., *convenientium:* pro quo Bad. Am. et Mss., *conviventium.*

[2] Sic novemdecim Mss. At vulgati habent: *Atque conscripta arbitramur, non invenimus.*

et explicanda, de quibus post loquemur, legentes adjuvat, quam ad incognita signa, de quibus nunc agimus, cognoscenda.

CAPUT XL.— *Ab Ethnicis si quid recte dictum, in nostrum usum est convertendum.*

60. Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera et fidei nostræ accommodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Ægyptii non solum idola habebant et onera gravia, quæ populus Israel detestaretur et fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro et argento, et vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto, sibi potius tanquam ad usum meliorem clanculo vindicavit; non auctoritate propria, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur (*Exod.* III, 22, *et* XII, 35): sic doctrinæ omnes Gentilium non solum simulata et superstitiosa figmenta gravesque sarcinas supervacanei laboris habent, quæ unusquisque nostrum duce Christo de societate Gentilium exiens, debet abominari atque devitare; sed etiam liberales disciplinas usui veritatis aptiores, et quædam morum præcepta utilissima continent, deque ipso uno Deo colendo nonnulla vera inveniuntur apud eos; quod eorum tanquam aurum et argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis divinæ providentiæ, quæ ubique infusa est, eruerunt, et quo perverse atque injuriose ad obsequia dæmonum abutuntur, cum ab eorum misera societate sese animo separat, debet ab eis auferre christianus ad usum justum prædicandi Evangelii. Vestem quoque illorum, id est, hominum quidem instituta, sed tamen accommodata humanæ societati, qua in hac vita carere non possumus, accipere atque habere licuerit in usum convertenda christianum.

61. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspicimus quanto auro et argento et veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus doctor suavissimus et martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de vivis taceam? quanto innumerabiles Græci? Quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est quod eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum (*Act.* VII, 22). Quibus omnibus viris superstitiosa Gentium consuetudo, et maxime illis temporibus, cum Christi recutiens jugum Christianos persequebatur, disciplinas quas utiles habebat, nunquam commodaret, si eas in usum colendi unius Dei, quo vanus idolorum cultus exscinderetur, conversum iri suspicaretur: sed dederunt aurum, et argentum, et vestem suam exeunti populo Dei de Ægypto, nescientes quemadmodum illa quæ dabant, in Christi obsequium cederent. Illud enim in Exodo factum, sine dubio figuratum est, ut hoc præsignaret; quod sine præjudicio alterius, aut paris, aut melioris intelligentiæ dixerim.

CAPUT XLI. — *Studium Scripturæ sacræ, qualem animam requirat. Hyssopi proprietates.*

62. Sed hoc modo instructus divinarum Scripturarum studiosus, cum ad eas perscrutandas accedere cœperit, illud apostolicum cogitare non cesset: *Scientia inflat, charitas ædificat* (I *Cor.* VIII, 1). Ita enim sentiet, quamvis de Ægypto dives exeat, tamen nisi Pascha egerit, salvum se esse non posse. Pascha autem nostrum immolatus est Christus (*Id.* V, 7), nihilque magis immolatio Christi nos docet, quam illud quod ipse clamat, tanquam ad eos quos in Ægypto sub Pharaone videt laborare: *Venite ad me, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum lene est, et sarcina mea levis est* (*Matth.* XI, 28-30): quibus, nisi mitibus et humilibus corde, quos non inflat scientia, sed charitas ædificat? Meminerint ergo eorum qui Pascha illo tempore per umbrarum imaginaria celebrabant [1], cum signari postes sanguine agni juberentur, hyssopo fuisse signatos (*Exod.* XII, 22). Herba hæc mitis et humilis est, et nihil fortius et penetrabilius ejus radicibus: ut in charitate radicati et fundati possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et altitudo, et profundum, id est, crucem Domini; cujus latitudo dicitur in transverso ligno, quo extenduntur manus; longitudo, a terra usque ad ipsam latitudinem, quo a manibus et infra totum corpus affigitur; altitudo, a latitudine sursum usque ad summum, cui adhæret caput [2]; profundum vero, quod terræ infixum absconditur. Quo signo crucis, omnis actio christiana describitur, bene operari in Christo, et ei perseveranter inhærere, sperare cœlestia, sacramenta non profanare (*a*). Per hanc actionem purgati valebimus cognoscere etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi [3], qua æqualis est Patri, per quem facta sunt omnia, ut impleamur in omnem plenitudinem Dei (*Ephes.* III, 17-19). Est etiam in hyssopo vis purgatoria, ne inflante scientia de divitiis ab Ægypto ablatis, superbe aliquid pulmo tumidus anhelet: *Asperges me*, inquit, *hyssopo et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. Auditui meo dabis exsultationem et lætitiam.* Deinde consequenter annectit ut ostendat purgationem a superbia significari hyssopo, *Et exsultabunt ossa humiliata* (*Psal.* L, 9, 10).

CAPUT XLII. — *Sacræ Scripturæ cum profana comparatio.*

63. Quantum autem minor est auri, argenti vestisque copia, quam de Ægypto secum ille populus abs-

[1] Bad. Am. et Er., *per umbram imaginariam celebrabant.*

[2] Bad. Am. Er. et plerique Mss., *ad summum quo adhæret caput.*

[3] Editi: *Supereminentem scientiam charitatis Christi.* At plures et melioris notæ Mss., *scientiæ charitatem.*

(*a*) Legendum videtur, *propalare*, quo stet analogia ad superiora isthæc verba: *Profundum vero quod terræ infixum absconditur.* Sic in epist. 55, ad Januarium, cap. 14, n. 25, ubi dominicæ crucis partes, eumdemque Apostoli ad Ephes. 3 locum ad christianos mores itidem transfert Augustinus, « Profundum, ait, quod terræ infixum est secretum « sacramenti præfigurat. »

tulit, in comparatione divitiarum quas postea Jerosolymæ consecutus est, quæ maxime in Salomone rege ostenduntur (III *Reg.* x, 14-23); tanta fit cuncta scientia, quæ quidem est utilis, collecta de libris Gentium, si divinarum Scripturarum scientiæ comparetur. Nam quidquid homo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur. Et cum ibi quisque invenerit omnia quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius ibi inveniet ea quæ nusquam omnino alibi, sed in illarum tantummodo Scripturarum mirabili altitudine et mirabili humilitate discuntur. Hac igitur instructione præditum cum signa incognita lectorem non impedierint, mitem et humilem corde, subjugatum leniter Christo, et oneratum sarcina levi, fundatum et radicatum et ædificatum in charitate, quem [1] scientia inflare non possit, accedat ad ambigua signa in Scripturis consideranda et discutienda, de quibus jam tertio volumine dicere aggrediar, quod Dominus donare dignabitur.

[1] Editi: *In charitate, quam scientia inflare.* Plerique Mss., *quem.*

LIBER TERTIUS.

Postquam egit in superiore libro de removenda signorum ignorantia, transit nunc S. Doctor ad considerationem ambiguitatis, quæ cum in propriis tum in translatis signis occurrit. In propriis quidem ex interpunctione vocum, ex earum pronuntiatione, ex ancipiti significatu: quod genus ambiguitatis ex contextu sermonis, et collatione interpretum, aut ejus linguæ unde Scriptura translata est inspectione resolvi ostendit. In translatis vero signis ambiguitas contingit, cum ipsa dictio non ad litteræ sensum ponitur in Scripturis: qua de re operosius disputat, traditque regulas quibus dignoscatur an locutio figurata sit, et si quidem figurata, quo pacto debeat explicari. Ad extremum ipsius Tichonii septem regulas singulatim expendit.

CAPUT PRIMUM. — *Summa superiorum librorum, et scopus sequentis.*

1. Homo timens Deum, voluntatem ejus in Scripturis sanctis diligenter inquirit. Et ne amet certamina, pietate mansuetus; præmunitus etiam scientia linguarum, ne in verbis locutionibusque ignotis hæreat; præmunitus etiam cognitione quarumdam rerum necessariarum, ne vim naturamve earum quæ propter similitudinem adhibentur, ignoret; adjuvante etiam codicum veritate, quam solers emendationis diligentia procuravit: veniat ita instructus ad ambigua Scripturarum discutienda atque solvenda. Ut autem signis ambiguis non decipiatur, quantum per nos instrui potest [1]; fieri autem potest ut istas vias quas ostendere volumus, tanquam pueriles vel magnitudine ingenii, vel majoris illuminationis claritate derideat: sed tamen, ut cœperam dicere, quantum per nos instrui potest, qui eo loco animi est, ut per nos instrui valeat, sciat ambiguitatem Scripturæ aut in verbis propriis esse, aut in translatis; quæ genera in secundo libro demonstravimus.

CAPUT II. — *Ambiguitas ex verborum distinctione quo modo tollenda.*

2. Sed cum verba propria faciunt ambiguam Scripturam, primo videndum est ne male distinxerimus, aut pronuntiaverimus. Cum ergo adhibita intentio incertum esse perviderit quomodo distinguendum aut quomodo pronuntiandum sit, consulat regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis et Ecclesiæ auctoritate percepit; de qua satis egimus, cum de rebus in primo libro loqueremur. Quod si ambæ vel etiam omnes, si plures fuerint partes, ambiguitatem secundum fidem sonuerint, textus ipse sermonis a præcedentibus et consequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio posuerunt, restat consulendus, ut videamus cuinam sententiæ, de pluribus quæ se ostendunt, ferat suffragium, eamque sibi contexi patiatur.

3. Jam nunc exempla considera. Illa hæretica distinctio, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat*, ut alius sensus sit, *Verbum hoc erat in principio apud Deum*, non vult Verbum Deum confiteri. Sed hoc regula fidei refellendum est, qua nobis de Trinitatis æqualitate præscribitur ut dicamus, *Et Deus erat Verbum;* deinde subjungamus, *Hoc erat in principio apud Deum* (*Joan.* I, 1, 2).

4. Illa vero distinctionis ambiguitas neutra parte resistit fidei, et ideo textu ipso sermonis dijudicanda est, ubi ait Apostolus: *Et quid eligam ignoro: compellor autem ex duobus; concupiscentiam habens dissolvi, et esse cum Christo; multo enim magis optimum: manere in carne necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 23, 24). Incertum enim est utrum *ex duobus concupiscentiam habens*, an *compellor autem ex duobus*, ut illud adjungatur, *concupiscentiam habens dissolvi, et esse cum Christo.* Sed quoniam ita sequitur, *multo enim magis optimum*, apparet eum ejus optimi dicere se habere concupiscentiam, ut cum ex duobus compellatur, alterius tamen habeat concupiscentiam, alterius necessitatem; concupiscentiam scilicet esse cum Christo, necessitatem manere in carne. Quæ ambiguitas uno consequenti verbo dijudicatur, quod positum est, *enim*: quam particulam qui abstulerunt interpretes, illa potius sententia ducti sunt, ut non solum compelli ex duobus, sed etiam duorum habere concupiscentiam videretur. Sic ergo distinguendum est: *Et quid eligam ignoro: compellor autem ex duobus;* quam distinctionem sequitur, *concupiscentiam habens dissolvi, et esse cum Christo.* Et tanquam quæreretur quare hujus rei potius habeat concupiscentiam; *multo enim magis optimum*, inquit. Cur ergo e duobus compellitur? Quia est manendi necessitas,

[1] Mss. Remig. Theoderic. et Cisterc. hic addunt: *Juvante Domino, hæc demonstrare totus noster conatus est.* Floriacensis vero unicum interponit verbum, *explicabo*: utrumque ineptum glossema.

quam ita subjecit, *Manere in carne necessarium propter vos.*

5. Ubi autem neque præscripto fidei, neque ipsius sermonis textu ambiguitas explicari potest, nihil obest secundum quamlibet earum quæ ostenduntur, sententiam distinguere. Veluti est illa ad Corinthios, *Has ergo promissiones habentes, charissimi, mundemus nos ab omni coinquinatione carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Capite nos. Nemini nocuimus* (II. *Cor.* VII, 1, 2). Dubium est quippe utrum, *Mundemus nos ab omni coinquinatione carnis et spiritus,* secundum illam sententiam, *Ut sit sancta et corpore et spiritu* (I *Cor.* VII, 34); an, *Mundemus nos ab omni coinquinatione carnis*, ut alius sit sensus, *Et spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei capite nos.* Tales igitur distinctionum ambiguitates in potestate legentis sunt.

CAPUT III.—*Qua ratione expediatur ambiguitas ex pronuntiatione. Percontatio et interrogatio quo differant.*

6. Quæcumque autem de ambiguis distinctionibus diximus, eadem observanda sunt et in ambiguis pronuntiationibus. Nam et ipsæ nisi lectoris nimia vitientur incuria, aut regulis fidei corriguntur, aut præcedentis vel consequentis contextione sermonis; aut si neutrum horum adhibetur ad correctionem, nihilominus dubiæ remanebunt, ut quolibet modo lector pronuntiaverit, non sit in culpa. Nisi enim fides revocet, qua credimus Deum non accusaturum adversus electos suos, et Christum non condemnaturum electos suos, potest illud sic pronuntiari, *Quis accusabit adversus electos Dei?* ut hanc interrogationem quasi responsio subsequatur, *Deus qui justificat.* Et iterum interrogetur, *Quis est qui condemnat?* et respondeatur, *Christus Jesus qui mortuus est.* Quod credere quia dementissimum est, ita pronuntiabitur, ut præcedat percontatio, sequatur interrogatio. Inter percontationem autem et interrogationem hoc veteres interesse dixerunt, quod ad percontationem multa responderi possunt; ad interrogationem vero, aut Non, aut Etiam. Pronuntiabitur ergo ita, ut post percontationem qua dicimus, *Quis accusabit adversus electos Dei?* illud quod sequitur sono interrogantis enuntietur, *Deus qui justificat?* ut tacite respondeatur, Non: et item percontemur, *Quis est qui condemnat?* rursusque interrogemus, *Christus Jesus qui mortuus est, magis autem qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui et interpellat pro nobis* (*Rom.* VIII, 33, 34)? ut ubique tacite respondeatur, Non. At vero illo loco ubi ait, *Quid ergo dicemus? Quia gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam* (*Rom.* IX, 30); nisi post percontationem qua dictum est, *Quid ergo dicemus?* responsio subjiciatur, *Quia gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam*, textus consequens non cohærebit. Qualibet autem voce pronuntietur illud quod Nathanael dixit, *A Nazareth potest aliquid boni esse* (*Joan.* I, 46), sive affirmantis, ut illud solum ad interrogationem pertineat quod ait, *A Nazareth?* sive totum cum dubitatione interrogantis; non video quomodo discernatur: uterque autem sensus fidem non impedit.

7. Est etiam ambiguitas in sono dubio syllabarum, et hæc utique ad pronuntiationem pertinens. Nam quod scriptum est, *Non est absconditum a te os meum, quod fecisti in abscondito* (*Psal.* CXXXVIII, 15), non elucet legenti utrum correpta littera *os* pronuntiet, an producta. Si enim corripiat, ab eo quod sunt ossa; si autem producat, ab eo quod sunt ora, intelligitur numerus singularis. Sed talia linguæ præcedentis inspectione dijudicantur: nam in Græco non στόμα, sed ὀστέον positum est. Unde plerumque loquendi consuetudo vulgaris utilior est significandis rebus, quam integritas litterata. Mallem quippe cum barbarismo dici, Non est absconditum a te ossum meum, quam ut ideo esset minus apertum, quia magis latinum est. Sed aliquando dubius syllabæ sonus etiam vicino verbo ad eamdem sententiam pertinente dijudicatur: sicut est illud Apostoli, *Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Galat.* V, 21). Si tantummodo dixisset, *Quæ prædico vobis,* neque subjunxisset, *sicut prædixi,* nonnisi ad codicem præcedentis linguæ recurrendum esset, ut cognosceremus utrum in eo quod dixit, *prædico*, producenda an corripienda esset media syllaba: nunc autem manifestum est producendam esse; non enim ait, Sicut prædicavi, sed *sicut prædixi.*

CAPUT IV. — *Ambiguitas dictionis qua ratione expediatur.*

8. Non solum autem istæ, sed etiam illæ ambiguitates quæ non ad distinctionem vel ad pronuntiationem pertinent, similiter considerandæ sunt: qualis illa est ad Thessalonicenses, *propterea consolati sumus, fratres, in vobis* (I *Thess.* III, 7). Dubium est enim utrum, O fratres; an, Hos fratres: neutrum autem horum est contra fidem; sed græca lingua hos casus pares non habet, et ideo illa inspecta renuntiatur vocativus, id est, O fratres. Quod si voluisset interpres dicere, Propterea consolationem habuimus, fratres, in vobis; minus servitum esset verbis, sed minus de sententia dubitaretur: aut certe si adderetur, Nostri, nemo fere ambigeret vocativum esse casum, cum audiret, *Propterea consolati sumus, fratres* nostri, *in vobis.* Sed jam hoc periculosius permittitur. Ita factum est in illa ad Corinthios, cum ait Apostolus: *Quotidie morior, per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu* (I *Cor.* XV, 31). Ait enim quidam interpres, *Quotidie morior, per vestram* juro *gloriam;* quia in græco vox jurantis (νὴ) manifesta est sine ambiguo sono. Rarissime igitur et difficillime inveniri potest ambiguitas in propriis verbis, quantum ad libros divinarum Scripturarum spectat, quam non aut circumstantia ipsa sermonis qua cognoscitur scriptorum intentio, aut interpretum collatio, aut præcedentis linguæ solvat inspectio.

CAPUT V. — *Scripturæ figuratas locutiones ad litteram accipere servitus miserabilis.*

9. Sed verborum translatorum ambiguitates, de quibus deinceps loquendum est, non mediocrem curam industriamque desiderant. Nam in principio ca-

vendum est ne figuratam locutionem ad litteram accipias. Et ad hoc enim pertinet quod ait Apostolus : *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (II *Cor.* III, 6). Cum enim figurate dictum sic accipitur, tanquam proprie dictum sit, carnaliter sapitur. Neque ulla mors animæ congruentius appellatur, quam cum id etiam quod in ea bestiis antecellit, hoc est, intelligentia carni subjicitur sequendo litteram. Qui enim sequitur litteram, translata verba sicut propria tenet, neque illud quod proprio verbo significatur, refert ad aliam significationem : sed si Sabbatum audierit, verbi gratia, non intelligit nisi unum diem de septem, qui continuo volumine repetuntur; et cum audierit Sacrificium, non excedit cogitatione illud quod fieri de victimis pecorum terrenisque fructibus solet. Ea demum est miserabilis animæ servitus, signa pro rebus accipere; et supra creaturam corpoream, oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non posse.

CAPUT VI. — *Judæorum servitus sub signis utilibus.*

10. Quæ tamen servitus in Judæo populo longe a cæterarum gentium more [1] distabat; quandoquidem rebus temporalibus ita subjugati erant, ut unus eis in omnibus commendaretur Deus. Et quanquam signa rerum spiritualium pro ipsis rebus observarent, nescientes quo referrentur, id tamen insitum habebant, quod tali servitute uni omnium, quem non videbant, placerent Deo. Quam custodiam tanquam sub pædagogo parvulorum fuisse scribit Apostolus (*Galat.* III, 24). Et ideo qui talibus signis pertinaciter inhæserunt, contemnentem ista Dominum, cum jam tempus revelationis eorum venisset, ferre non potuerunt (*Matth.* XII, 2); atque inde calumnias, quod sabbato curaret, moliti sunt principes eorum (*Luc.* VI, 7); populusque signis illis tanquam rebus adstrictus, non credebat Deum esse, vel a Deo venisse, qui ea sicut a Judæis observabantur, nollet attendere. Sed qui crediderunt, ex quibus facta est prima Ecclesia Jerosolymitana, satis ostenderunt quanta utilitas fuerit eo modo sub pædagogo custodiri, ut signa quæ temporaliter imposita erant servientibus, ad unius Dei cultum, qui fecit cœlum et terram, opinionem observantium religarent. Namque illi quia proximi spiritualibus fuerunt (in ipsis enim temporalibus et carnalibus votis [2] atque signis, quamvis quomodo spiritualiter essent intelligenda nescirent, unum tamen didicerant venerari æternum Deum), tam capaces exstiterunt Spiritus sancti, ut omnia sua venderent, eorumque pretium indigentibus distribuendum, ante Apostolorum pedes ponerent (*Act.* IV, 34), seque totos dedicarent Deo tanquam templum novum, cujus terrenæ imagini, hoc est, templo veteri, serviebant.

11. Non enim hoc ullas ecclesias Gentium fecisse scriptum est, quia non tam prope inventi erant, qui simulacra manufacta deos habebant.

[1] Vetus codex Corb., *morte*.
[2] Am., *vocis* : pro quo Erasmus haud feliciter substituit, *vocibus*. Sic etiam Lov. At Bad. et Mss. magno consensu ferunt, *votis*, id est, oblationibus.

CAPUT VII. — *Servitus gentium sub signis inutilibus.*

Et si quando aliqui eorum illa tanquam signa interpretari conabantur, ad creaturam colendam venerandamque referebant. Quid enim mihi prodest simulacrum, verbi gratia, Neptuni non ipsum habendum Deum, sed eo significari universum mare, vel etiam omnes aquas cæteras, quæ fontibus proruunt? sicut a quodam poeta illorum describitur, si bene recolo, ita dicente :

> Tu, Neptune pater, cui tempora cana crepanti
> Cincta salo resonant, magnus cui perpete mento
> Profluit oceanus, et flumina crinibus errant.

Hæc siliqua intra dulce tectorium sonantes lapillos quatit (*a*); non est autem hominum, sed porcorum cibus. Novit quid dicam, qui Evangelium novit (*Luc.* XV, 16). Quid ergo mihi prodest quod Neptuni simulacrum ad illam significationem refertur, nisi forte ut neutrum colam? tam enim mihi statua quælibet, quam mare universum, non est Deus. Fateor tamen altius demersos esse, qui opera hominum deos putant, quam qui opera Dei; sed nobis unus diligendus et colendus Deus præcipitur (*Deut.* VI, 5), qui fecit hæc omnia, quorum illi simulacra venerantur, vel tanquam deos, vel tanquam signa et imagines deorum. Si ergo signum utiliter institutum pro ipsa re sequi, cui significandæ institutum est, carnalis est servitus; quanto magis inutilium rerum signa instituta pro rebus accipere? Quæ si retuleris ad ea ipsa quæ his significantur, eisque colendis animum obligaveris, nihilominus servili carnalique onere atque velamine non carebis.

CAPUT VIII. — *Aliter Judæi a signorum servitute liberati, aliter Gentiles.*

12. Quamobrem christiana libertas eos quos invenit sub signis utilibus, tanquam prope inventos, interpretatis signis quibus subditi erant, elevatos ad eas res quarum illa signa sunt, liberavit : ex his factæ sunt Ecclesiæ sanctorum Israelitarum. Quos autem invenit sub signis inutilibus, non solum servilem operationem sub talibus signis, sed etiam ipsa signa frustravit removitque omnia : ut a corruptione multitudinis simulatorum deorum, quam sæpe ac proprie Scriptura fornicationem vocat, ad unius Dei cultum Gentes converterentur; nec sub ipsis jam signis utilibus servituræ, sed exercitaturæ potius animum in eorum intelligentia spirituali.

CAPUT IX. — *Quis signorum servitute premitur, quis non. Baptismus. Eucharistia.*

13. Sub signo enim servit qui operatur aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet : qui vero aut operatur, aut veneratur utile signum divinitus institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur et transit, sed illud potius quo talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo spiritualis et liber est, etiam tempore servitutis, quo carnalibus animis nondum oportet signa illa revelari, quorum jugo edomandi sunt.

Tales autem spirituales erant Patriarchæ ac Prophetæ, omnesque in populo Israel per quos nobis Spiritus sanctus ipsa Scripturarum et auxilia et solatia ministravit. Hoc vero tempore posteaquam resurrectione Domini nostri manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum, quæ jam intelligimus, operatione gravi onerati sumus; sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima ipse Dominus et apostolica tradidit disciplina : sicuti est Baptismi sacramentum, et celebratio corporis et sanguinis Domini. Quæ unusquisque cum percipit, quo referantur imbutus agnoscit, ut ea non carnali servitute, sed spirituali potius libertate veneretur. Ut autem litteram sequi, et signa pro rebus quæ iis significantur accipere, servilis infirmitatis est; ita inutiliter signa interpretari, male vagantis erroris est. Qui autem non intelligit quid significet signum, et tamen signum esse intelligit, nec ipse premitur servitute. Melius est autem vel premi incognitis, sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando, a jugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere.

CAPUT X. — *Unde dignoscatur an figurata sit locutio. Regula generalis. Charitas. Cupiditas. Flagitium. Facinus. Utilitas. Beneficentia.*

14. Huic autem observationi qua cavemus figuratam locutionem, id est, translatam quasi propriam sequi; adjungenda etiam illa est, ne propriam quasi figuratam velimus accipere. Demonstrandus est igitur prius modus inveniendæ locutionis, propriane an figurata sit. Et iste omnino modus est, ut quidquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas. Morum honestas ad diligendum Deum et proximum, fidei veritas ad cognoscendum Deum et proximum pertinet. Spes autem sua cuique est in conscientia propria, quemadmodum se sentit ad dilectionem Dei et proximi, cognitionemque proficere. De quibus omnibus primo libro dictum est.

15. Sed quoniam proclive est humanum genus non ex momentis ipsius libidinis, sed potius suæ consuetudinis æstimare peccata, fit plerumque ut quisque hominum ea tantum culpanda arbitretur, quæ suæ regionis et temporis homines vituperare atque damnare consueverunt; et ea tantum probanda atque laudanda, quæ consuetudo eorum cum quibus vivit, admittit : eoque contingit ut si quid Scriptura vel præceperit quod abhorret a consuetudine audientium, vel quod non abhorret culpaverit, si animum eorum jam verbi vinxit auctoritas, figuratam locutionem putent. Non autem præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpat nisi cupiditatem; et eo modo informat mores hominum. Item si animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quidquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur. Non autem asserit nisi catholicam fidem, rebus præteritis, et futuris, et præsentibus. Præteritorum narratio est, futurorum prænuntiatio, præsentium demonstratio : sed omnia hæc ad eamdem charitatem nutriendam atque corroborandam, et cupiditatem vincendam atque exstinguendam valent.

16. Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum : cupiditatem autem, motum animi ad fruendum se et proximo et quolibet corpore non propter Deum. Quod autem agit indomita cupiditas ad corrumpendum animum et corpus suum, flagitium vocatur : quod autem agit ut alteri noceat, facinus dicitur. Et hæc sunt duo genera omnium peccatorum; sed flagitia priora sunt. Quæ cum exinaniverint animum, et ad quamdam egestatem perduxerint, in facinora prosilitur, quo removeantur impedimenta flagitiorum, aut adjumenta quærantur. Item quod agit charitas quo sibi prosit, utilitas est : quod autem agit ut prosit proximo, beneficentia nominatur. Et hic præcedit utilitas; quia nemo potest ex eo quod non habet, prodesse alteri. Quanto autem magis regnum cupiditatis destruitur, tanto charitatis augetur.

CAPUT XI. — *Regula de iis quæ sævitiam redolent, referunturque nihilominus ex persona Dei vel sanctorum.*

17. Quidquid ergo asperum et quasi sævum factu dictuque in sanctis Scripturis legitur ex persona Dei vel sanctorum ejus, ad cupiditatis regnum destruendum valet. Quod si perspicue sonat, non est ad aliud referendum quasi figurate dictum sit. Sicuti est illud Apostoli : *Thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua : iis quidem qui secundum sustinentiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærentibus, vitam æternam; iis autem qui ex contentione sunt, et diffidunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci* (*Rom.* II, 5-9). Sed hoc ad eos, cum quibus evertitur ipsa cupiditas, qui eam vincere noluerunt. Cum autem in homine cui dominabatur, regna cupiditatis subvertuntur, illa est aperta locutio : *Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus*[1] *et concupiscentiis* (*Galat.* V, 24). Nisi quia et hic quædam verba translata tractantur, sicuti est, *ira Dei*, et, *crucifixerunt* : sed non tam multa sunt, vel ita posita, ut obtegant sensum, et allegoriam vel ænigma faciant, quam proprie figuratam locutionem voco. Quod autem Jeremiæ dicitur, *Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes* (*Jerem.* I, 10); non dubium quin figurata locutio tota sit, ad eum finem referenda quem diximus.

CAPUT XII. — *Regula de dictis et factis quasi flagitiosis imperitorum judicio, quæ Deo vel sanctis viris tribuuntur. Facta judicantur ex circumstantiis.*

18. Quæ autem quasi flagitiosa imperitis videntur, sive tantum dicta, sive etiam facta sunt, vel ex Dei

[1] Editi, *vitiis*; pro quo MSS., *passionibus*. Hanc vocem reddit passim Augustinus pro græca, *tois patêmasi*.

persona, vel ex hominum quorum nobis sanctitas commendatur, tota figurata sunt : quorum ad charitatis pastum enucleanda secreta sunt. Quisquis autem rebus prætereuntibus restrictius utitur, quam sese habent mores eorum cum quibus vivit, aut temperans aut superstitiosus est : quisquis vero sic eis utitur, ut metas consuetudinis bonorum inter quos versatur, excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. Neque ullo modo quisquam sobrius crediderit, Domini pedes ita unguento pretioso a muliere perfusos (*Joan.* XII, 3), ut luxuriosorum et nequam hominum solent, quorum talia convivia detestamur. Odor enim bonus, fama bona est, quam quisquis bonæ vitæ operibus habuerit, dum vestigia Christi sequitur, quasi pedes ejus pretiosissimo odore perfundit. Ita quod in aliis personis plerumque flagitium est, in divina vel prophetica persona magnæ cujusdam rei signum est. Alia est quippe in perditis moribus, alia in Osee prophetæ vaticinatione conjunctio meretricis (*Osee* I, 2) : nec, si flagitiose in conviviis temulentorum et lasciviorum nudantur corpora ; propterea in balneis nudum esse flagitium est.

19. Quid igitur locis et temporibus personisque conveniat, diligenter attendendum est, ne temere flagitia reprehendamus. Fieri enim potest ut sine aliquo vitio cupediæ [1] vel voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur ; insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum ardescat. Et sanus [2] quisque maluerit more Domini pisce vesci (*Luc.* XXIV, 43), quam lenticula more Esau nepotis Abraham (*Gen.* XXV, 34), aut hordeo more jumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus hujuscemodi rebus, non ex earum rerum natura quibus utimur, sed ex causa utendi et modo appetendi vel probandum est, vel improbandum quod facimus.

20. Regno terreno veteres justi cœleste regnum imaginabantur, et prænuntiabant. Sufficiendæ [3] prolis causa erat uxorum plurium simul uni viro habendarum inculpabilis consuetudo (*Id.* XVI, 3, XXV, 1 ; *et* II *Reg.* V, 13) ; et ideo unam feminam maritos habere plurimos honestum non erat : non enim mulier eo est fecundior, sed meretricia potius turpitudo est, vel quæstum vel liberos vulgo quærere. In hujuscemodi moribus quidquid illorum temporum sancti non libidinose faciebant, quamvis ea facerent quæ hoc tempore nisi per libidinem fieri non possunt, non culpat Scriptura. Et quidquid ibi tale narratur, non solum historice ac proprie, sed etiam figurate ac prophetice acceptum, interpretandum est usque in finem illum charitatis, sive Dei, sive proximi, sive utriusque.

[1] Editi, *vitio cupiditatis* ; vel, *cupidinis*. At Mss., *vitio cupediæ*, id est vitioso ciborum lautiorum suaviorumque appetitu.

[2] Editi, *et sanius quisque*. Mss., *sanus*.

[3] Mss. aliquot, *suscipiendæ*. Alii cum editis, *sufficiendæ* ; quod Virgilianum est, Georg. lib. 3, v. 65 :

Aliam ex alia generando suffice prolem.

Sicut enim talares et manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat ; nunc autem honesto loco natis, cum tunicati sunt, non eas habere flagitium est : sic animadvertendum est, in cætero quoque usu rerum abesse oportere libidinem, quæ non solum ipsa eorum, inter quos vivit, consuetudine nequiter abutitur; sed etiam sæpe fines ejus egressa, fœditatem suam, quæ inter claustra morum solemnium latitabat, flagitiosissima eruptione manifestat.

CAPUT XIII. — *Continuatio ejusdem argumenti.*

21. Quidquid autem congruit consuetudini eorum cum quibus vita ista degenda vel necessitate imponitur, vel officio suscipitur, a bonis et magnis hominibus ad utilitatem et beneficentiam referendum est ; vel proprie, sicut et nos debemus, vel etiam figurate, sicut Prophetis licet.

CAPUT XIV. — *Error opinantium nullam esse justitiam per seipsam.*

22. In quæ facta legenda cum incurrunt indocti alterius consuetudinis, nisi auctoritate reprimantur, flagitia putant ; nec possunt animadvertere totam conversationem suam, vel in conjugiis, vel in conviviis, vel in vestitu, cæteroque humano victu atque cultu, aliis gentibus et aliis temporibus flagitiosam videri. Qua varietate innumerabilium consuetudinum commoti quidam dormitantes, ut ita dicam, qui neque alto somno stultitiæ sopiebantur, nec in sapientiæ lucem poterant evigilare, putaverunt nullam esse justitiam per seipsam, sed unicuique genti consuetudinem suam justam videri : quæ cum sit diversa omnibus gentibus, debeat autem incommutabilis manere justitia, fieri manifestum nullam usquam esse justitiam. Non intellexerunt, ne multa commemorem, *Quod tibi fieri non vis, alii ne feceris* (*Tobiæ* IV, 16 ; *Matth.* VII, 12), nullo modo posse ulla eorum gentili diversitate variari. Quæ sententia cum refertur ad dilectionem Dei, omnia flagitia moriuntur; cum ad proximi, omnia facinora. Nemo enim vult corrumpi habitaculum suum : non ergo debet corrumpere habitaculum Dei, seipsum scilicet. Et nemo vult sibi a quoquam noceri : nec ipse igitur cuiquam nocuerit.

CAPUT XV. — *Regula in figuratis locutionibus servanda.*

23. Sic eversa tyrannide cupiditatis, charitas regnat justissimis legibus dilectionis Dei propter Deum, sui et proximi propter Deum. Servabitur ergo in locutionibus figuratis regula hujusmodi, ut tam diu versetur diligenti consideratione quod legitur, donec ad regnum charitatis interpretatio perducatur. Si autem hoc jam proprie sonat, nulla putetur figurata locutio.

CAPUT XVI. — *Regula de locutionibus præceptivis.*

24. Si præceptiva locutio est aut flagitium aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficentiam jubens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. *Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem filii hominis, et sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI, 54). Facinus vel flagitium videtur ju-

(Trois.)

bere : figura est ergo, præcipiens passioni dominicæ communicandum, et suaviter atque utiliter recondendum in memoria quod pro nobis caro ejus crucifixa et vulnerata sit. Ait Scriptura : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi.* Hic nullo dubitante beneficentiam præcipit : sed quod sequitur, *Hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput ejus* (*Prov.* XXV, 21, 22; *Rom.* XII, 20); malevolentiæ facinus putes juberi : ne igitur dubitaveris figurate dictum, et cum possit dupliciter interpretari, uno modo ad nocendum, altero ad præstandum; ad beneficentiam te potius charitas revocet, ut intelligas carbones ignis esse urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus qui dolet se inimicum fuisse hominis, a quo ejus miseriæ subvenitur. Item cum ait Dominus, *Qui amat animam suam, perdet eam* (*Joan.* XII, 25), non utilitatem vetare putandus est, qua debet quisque conservare animam suam ; sed figurate dictum, *perdat animam,* id est, perimat atque amittat usum ejus, quem nunc habet, perversum scilicet atque præposterum, quo inclinatur temporalibus, ut æterna non quærat. Scriptum est : *Da misericordi, et ne suscipias peccatorem* (*Eccli.* XII, 4). Posterior pars hujus sententiæ videtur vetare beneficentiam ; ait enim, *Ne suscipias peccatorem :* intelligas ergo figurate positum pro peccato *peccatorem,* ut peccatum ejus non suscipias.

CAPUT XVII. — *Alia omnibus communiter, alia singulis seorsim præcipi.*

25. Sæpe autem accidit ut quisquis in meliori gradu spiritualis vitæ vel est, vel esse se putat, figurate dicta esse arbitretur, quæ inferioribus gradibus præcipiuntur : ut verbi gratia, si cælibem amplexus est vitam, et se castravit propter regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 12), quidquid de uxore diligenda et regenda sancti Libri præcipiunt, non proprie sed translate accipi oportere contendat; et si quis statuit servare innuptam virginem suam, tanquam figuratam locutionem conetur interpretari qua dictum est, *Trade filiam, et grande opus perfeceris* (*Eccli.* VII, 27). Erit igitur etiam hoc in observationibus intelligendarum Scripturarum, ut sciamus alia omnibus communiter præcipi, alia singulis quibusque generibus personarum ; ut non solum ad universum statum valetudinis, sed etiam ad suam cujusque membri propriam infirmitatem medicina pertineat [1]. In suo quippe genere curandum est, quod ad melius genus non potest erigi.

CAPUT XVIII. — *Quo tempore quid præceptum vel licitum sit, considerandum.*

26. Item cavendum est ne forte quod in Scripturis veteribus pro illorum temporum conditione, etiamsi non figurate, sed proprie intelligatur, non est flagitium neque facinus, ad ista etiam tempora quis putet in usum vitæ posse transferri. Quod nisi dominante cupiditate, et ipsarum quoque Scripturarum, quibus evertenda est, satellitium quærente, non faciet ; nec intelligit miser ad hanc utilitatem illa sic esse posita, ut spei bonæ homines salubriter videant et consuetudinem quam aspernantur posse habere usum bonum, et eam quam amplexantur esse posse damnabilem, si et ibi charitas utentium, et hic cupiditas attendatur.

27. Nam si multis uxoribus caste uti quisquam pro tempore potuit, potest alius una libidinose. Magis enim probo multarum fecunditate utentem propter aliud, quam unius carne fruentem propter ipsam. Ibi enim quæritur utilitas temporum opportunitatibus congrua, hic satiatur cupiditas temporalibus voluptatibus implicata : inferiorisque gradus ad Deum sunt, quibus secundum veniam concedit Apostolus carnalem cum singulis conjugibus consuetudinem propter intemperantiam eorum (I *Cor.* VII, 2), quam illi qui plures singuli cum haberent, sicut sapiens in cibo et potu nonnisi salutem corporis, sic in concubitu nonnisi procreationem filiorum intuebantur. Itaque si eos in hac vita invenisset Domini adventus, cum jam non mittendi, sed colligendi lapides tempus esset (*Eccle.* III, 5), statim seipsos castrarent propter regnum cœlorum : non enim est in carendo difficultas, nisi cum est in habendo cupiditas. Noverant quippe illi homines etiam in ipsis conjugibus luxuriam esse abutendi intemperantiam : quod Tobiæ testatur oratio, quando est copulatus uxori. Ait enim : *Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum ; et benedictum nomen tuum in omnia sæcula sæculorum. Benedicant te cœli et omnis creatura tua. Tu fecisti Adam, et dedisti illi adjutorium Evam : et nunc, Domine, tu scis quoniam non luxuriæ causa accipio sororem meam, sed ipsa veritate, ut miserearis nostri, Domine* (*Tob.* VIII, 7-9).

CAPUT XIX. — *Mali alios de suo æstimant ingenio.*

28. Sed qui effrenata libidine, vel per multa stupra diffluentes evagantur, vel in ipsa una conjuge, non solum excedunt ad liberorum procreationem pertinentem modum, sed etiam inhumanioris [1] intemperantiæ sordes inverecunda omnino licentia servilis cujusdam libertatis accumulant ; non credunt fieri potuisse ut temperanter multis feminis antiqui uterentur viri, nihil servantes in usu illo nisi congruum tempori propagandæ prolis officium ; et quod ipsi laqueis libidinis obstricti, vel in una non faciunt, nullo modo in multis fieri posse arbitrantur.

29. Sed isti possunt dicere nec honorari quidem atque laudari oportere viros bonos et sanctos, quia ipsi cum honorantur atque laudantur, intumescunt superbia ; tanto avidiores inanissimæ gloriæ, quanto eos frequentius atque latius lingua blandior ventilaverit ; qua ita leves fiunt, ut eos rumoris aura, sive quæ prospera, sive quæ adversa existimatur, in quaslibet invehat voragines flagitiorum, aut in facinorum etiam saxa collidat. Videant ergo quam sibi arduum sit atque difficile nec laudis esca illici, nec contumeliarum aculeis penetrari; et non ex se alios metiantur.

CAPUT XX. — *In quavis vivendi ratione boni sui sunt similes.*

Credant potius Apostolos nostros nec cum suspi-

[1] Mss. duodecim, *perveniat.*

[1] Mss. octo *immanioris.*

cerentur ab hominibus, inflatos fuisse; nec cum despicerentur, elisos. Neutra quippe tentatio defuit illis viris: nam et credentium celebrabantur præconio, et persequentium maledictis infamabantur. Sicut ergo isti pro tempore utebantur his omnibus, et non corrumpebantur; sic illi veteres, usum feminarum ad sui temporis convenientiam referentes, non patiebantur eam dominationem libidinis, cui serviunt qui ista non credunt.

30. Et ideo isti sese nullo modo cohiberent ab inexpiabili odio filiorum, a quibus vel uxores vel concubinas suas attentatas, aut attrectatas esse cognoscerent, si eis forte tale aliquid accidisset.

CAPUT XXI. — *David quanquam in adulterium lapsus, longe fuit a libidinosorum intemperantia.*

Rex autem David cum hoc ab impio atque immani filio passus esset, non solum ferocientem toleravit, sed etiam planxit exstinctum (II *Reg.* XVIII, 33). Non enim carnali zelo irretitus tenebatur, quem nullo modo injuriæ suæ, sed peccata filii commovebant. Nam ideo, si vinceretur, eum occidi prohibuerat, ut edomito servaretur pœnitendi locus: et quia non potuit, non orbitatem doluit in ejus interitu, sed noverat in quas pœnas tam impie adultera [1] et parricidalis anima raperetur. Namque alio prius filio qui innocens erat, pro quo ægrotante affligebatur, moriente lætatus est.

31. Ex hoc maxime apparet qua moderatione ac temperantia illi viri feminis utebantur, quod cum in unam illicite irruisset rex idem, æstu quodam ætatis et temporalium rerum prosperitatibus abreptus, cujus etiam maritum occidendum præceperat; accusatus est per prophetam: qui cum ad eum venisset convincendum de peccato, proposuit ei similitudinem de paupere qui habebat ovem unam, cujus vicinus cum haberet multas, ad adventum hospitis sui unicam potius vicini sui pauperis oviculam exhibuit epulandam. In quem commotus David occidi eum jussit, et quadruplicari ovem pauperi; ut se nesciens condemnaret, qui peccaverat sciens. Quod cum ei manifestatum esset, et divinitus denuntiata vindicta, diluit pœnitendo peccatum (II *Reg.* XII, 1-14). Sed tamen in hac similitudine stuprum tantummodo designatum est de ove vicini pauperis; de marito autem mulieris interempto, hoc est, de ipso paupere, qui unam habebat ovem, occiso, non est per similitudinem interrogatus David, ut in solum adulterium diceret [2] sententiam damnationis suæ. Ex quo intelligitur quanta temperantia multas mulieres habuerit, quando de una in qua excessit modum, a seipso puniri coactus est. Sed in isto viro immoderatæ hujus libidinis non permansio, sed transitus fuit: propterea etiam ab arguente Propheta ille illicitus appetitus hospes vocatus est. Non enim dixit eum regi suo, sed hospiti suo vicini pauperis ovem ad epulandum exhibuisse. At vero in ejus filio Salomone, non quasi hospes transitum habuit, sed regnum ista libido possedit: de quo Scriptura non tacuit, culpans eum fuisse amatorem mulierum (III *Reg.* XI, 1). Cujus tamen initia desiderio sapientiæ flagraverant (II *Paralip.* I, 7-12); quam cum amore spirituali adeptus esset, amore carnali amisit.

[1] Am. Er. et Mss. septem, *tam impia et adultera*. Bad., *tam impii adultera*.
[2] Sic Mss.; editi vero, *in solo adulterio disceret*.

CAPUT XXII. — *Regula de Scripturæ locis, ubi laudantur facta quædam bonorum hodie moribus contraria.*

32. Ergo, quanquam omnia vel pene omnia quæ in Veteris Testamenti libris gesta continentur, non solum proprie, sed etiam figurate accipienda sint: tamen etiam illa quæ proprie lector acceperit, si laudati sunt illi qui ea fecerunt, sed ea tamen abhorrent a consuetudine bonorum, qui post adventum Domini divina præcepta custodiunt; figuram ad intelligentiam referat, factum vero ipsum ad mores non transferat. Multa enim sunt quæ illo tempore officiose facta sunt, quæ modo nisi libidinose fieri non possunt.

CAPUT XXIII. — *Regula de locis ubi magnorum virorum peccata referuntur.*

Si qua vero peccata magnorum virorum legerit, tametsi aliquam in eis figuram rerum futurarum animadvertere atque indagare potuerit; rei tamen gestæ proprietatem ad hunc usum assumat, ut se nequaquam recte factis suis jactare audeat, et præ sua justitia cæteros tanquam peccatores contemnat, cum videat tantorum virorum et cavendas tempestates, et flenda naufragia. Ad hoc enim etiam peccata illorum hominum scripta sunt, ut Apostolica illa sententia ubique tremenda sit, qua ait: *Quapropter qui videtur stare, videat, ne cadat* (I *Cor.* X, 12). Nulla enim fere pagina est sanctorum Librorum, in qua non sonet quod Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

CAPUT XXIV. — *Ante omnia considerandum genus locutionis.*

34. Maxime itaque investigandum est utrum propria sit, an figurata locutio, quam intelligere conamur. Nam comperto quod figurata sit, adhibitis regulis rerum quas in primo libro digessimus, facile est eam versare omnibus modis, donec perveniamus ad sententiam veritatis, præsertim cum usus accesserit pietatis exercitatione roboratus. Invenimus autem utrum propria sit, an figurata locutio, illa intuentes quæ supra dicta sunt.

CAPUT XXV. — *Idem verbum non idem significat ubique.*

Quod cum apparuerit, verba quibus continetur, aut a similibus rebus ducta invenientur, aut ab aliqua vicinitate attingentibus.

35. Sed quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus esse præscriptum ut quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significaverit, hoc eam semper significare credamus. Nam et in vituperatione fermentum posuit Dominus, cum diceret, *Cavete a fermento Pharisæorum* (*Matth.* XVI, 11); et in laude, cum diceret, *Simile est regnum cœlorum mulieri quæ abscondit fermentum in tribus mensuris farinæ, donec fermentaretur totum* (*Luc.* XIII, 21).

36. (*a*) Hujus igitur varietatis observatio duas habet formas. Sic enim aliud atque aliud res quæque significant, ut aut contraria, aut tantummodo diversa significent. Contraria scilicet, cum alias in bono, alias in malo res eadem per similitudinem ponitur, sicut hoc est quod de fermento supra diximus. Tale est etiam quod leo significat Christum, ubi dicitur, *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* v, 5); significat et diabolum, ubi scriptum est, *Adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit*, *quærens quem devoret* (I *Petr.* v, 8). Ita serpens in bono est, *Astuti ut serpentes* (*Matth.* x, 16); in malo autem, *Serpens Evam seduxit in astutia sua* (II *Cor.* xi, 3). In bono panis, *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* vi, 51); in malo, *Panes occultos libenter edite* (*Prov.* ix, 17): sic et alia plurima. Et hæc quidem quæ commemoravi, minime dubiam significationem gerunt, quia exempli gratia commemorari nonnisi manifesta debuerunt. Sunt autem quæ incertum sit in quam partem accipi debeant, sicut, *Calix in manu Domini vini meri plenus est mixto*. Incertum est enim utrum iram Dei significet non usque ad novissimam pœnam, id est usque ad fæcem; an potius gratiam Scripturarum a Judæis ad Gentes transeuntem, quia *inclinavit ex hoc in hoc*, remanentibus apud Judæos observationibus quas carnaliter sapiunt, quia *fæx ejus non est exinanita* (*Psal.* LXXIV, 9). Cum vero res eadem non in contraria, sed tantum in diversa significatione ponitur, illud est in exemplum, quod aqua et populum significat, sicut in Apocalypsi legimus (*Apoc.* XVII, 15, *et* XIX, 6); et Spiritum sanctum, unde est illud, *Flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus* (*Joan.* VII, 38); *et* si quid aliud atque aliud, pro locis in quibus ponitur, aqua significare intelligitur.

37. Sic et aliæ res non singulæ, sed unaquæque earum, non solum duo aliqua diversa, sed etiam nonnunquam multa significat, pro loco sententiæ, sicut posita reperitur.

CAPUT XXVI. — *Obscura ex locis apertioribus explicanda.*

Ubi autem apertius ponuntur, ibi discendum est quomodo in locis intelligantur obscuris. Neque enim melius potest intelligi quod dictum est Deo, *Apprehenda armá et scutum, et exsurge in adjutorium mihi* (*Psal.* XXXIV, 2), quam ex illo loco ubi legitur, *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos* (*Psal.* V, 13). Nec tamen ita ut jam ubicumque scutum pro aliquo munimento legerimus positum, non accipiamus nisi bonam voluntatem Dei: dictum est enim et *scutum fidei, in quo possitis*, inquit, *omnes sagittas maligni ignitas exstinguere* (*Ephes.* VI, 16). Nec rursum ideo debemus in armis hujuscemodi spiritualibus scuto tantummodo fidem tribuere, cum alio loco etiam lorica dicta sit fidei: *Induti*, inquit, *loricam fidei et charitatis* (I *Thess.* V, 8).

(*a*) Reliquum hujus libri, totumque librum quartum adjecit Augustinus, quando hoc opus suo ordine recognovit, ex lib. 2 Retract., cap. 4.

CAPUT XXVII. — *Eumdem locum varie intelligi nihil prohibet.*

38. Quando autem ex eisdem Scripturæ verbis, non unum aliquid, sed duo vel plura sentiuntur, etiam si latet quid senserit ille qui scripsit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex aliis locis sanctarum Scripturarum doceri potest: id tamen eo conante qui divina scrutatur eloquia, ut ad voluntatem perveniatur auctoris, per quem Scripturam illam sanctus operatus est Spiritus; sive hoc assequatur, sive aliam sententiam de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragatur, exsculpat, testimonium habens a quocumque alio loco divinorum eloquiorum. Ille quippe auctor in eisdem verbis quæ intelligere volumus, et ipsam sententiam forsitan vidit; et certe Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus est, etiam ipsam occursuram lectori vel auditori, sine dubitatione prævidit; imo ut occurreret, quia et ipsa est veritate subnixa, providit. Nam quid in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quam ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina contestantia faciant approbari?

CAPUT XXVIII. — *Locus incertus tutius per alios Scripturæ locos, quam per rationem manifestatur.*

39. Ubi autem talis sensus eruitur, cujus incertum certis sanctarum Scripturarum testimoniis non possit aperiri, restat ut ratione reddita manifestus appareat, etiam si ille cujus verba intelligere quærimus, eum forte non sensit. Sed hæc consuetudo periculosa est: per Scripturas enim divinas multo tutius ambulatur; quas verbis translatis opacatas cum scrutari volumus, aut hoc inde exeat quod non habeat controversiam; aut, si habet, ex eadem Scriptura ubicumque inventis atque adhibitis testibus terminetur.

CAPUT XXIX. — *Troporum cognitio necessaria*

40. Sciant autem litterati, modis omnibus locutionis, quos grammatici græco nomine tropos vocant, auctores nostros usos fuisse, et multiplicius atque copiosius, quam possunt existimare vel credere qui nesciunt eos, et in aliis ista didicerunt. Quos tamen tropos qui noverunt, agnoscunt in Litteris sanctis, eorumque scientia ad eas intelligendas aliquantum adjuvantur. Sed hic eos ignaris tradere non decet, ne artem grammaticam docere videamur. Extra sane ut discantur admoneo, quamvis jam superius id admonuerim, id est, in secundo libro, ubi de linguarum necessaria cognitione disserui. Nam litteræ, a quibus ipsa grammatica nomen accepit, Γράμματα enim Græci litteras vocant, signa utique sunt sonorum ad articulatam vocem qua loquimur pertinentium. Istorum autem troporum non solum exempla, sicut omnium, sed quorumdam etiam nomina in divinis Libris leguntur, sicut allegoria, ænigma, parabola. Quamvis pene omnes ii tropi, qui liberali dicuntur arte cognosci, etiam in eorum reperiantur loquelis, qui nullos grammaticos audierunt, et eo quo vulgus utitur sermone contenti sunt. Quis enim non dicit, Sic floreas? qui tropus metaphora vocatur. Quis non dicit piscinam etiam

quæ non habet pisces, nec facta est propter pisces, et tamen a piscibus nomen accepit? qui tropus catachresis dicitur.

41. Longum est isto modo cæteros persequi : nam usque ad illos pervenit vulgi locutio, qui propterea mirabiliores sunt, quia contra quam dicitur significant, sicuti est quæ appellatur ironia vel antiphrasis. Sed ironia pronuntiatione indicat quid velit intelligi, uti cum dicimus homini mala facienti, Res bonas facis : antiphrasis vero ut contraria significet, non voce pronuntiantis efficitur, sed aut verba habet sua, quorum origo e contrario est, sicut appellatur lucus, quod minime luceat; aut consuevit aliquid ita dici, quamvis dicatur etiam non e contrario, veluti cum quærimus accipere quod ibi non est, et respondetur nobis, Abundat; aut adjunctis verbis facimus ut a contrario intelligatur quod loquimur, veluti si dicamus, Cave illum, quia bonus homo est. Et quis talia non dicit indoctus, nec omnino sciens qui sint, vel quid vocentur hi tropi? Quorum cognitio propterea Scripturarum ambiguitatibus dissolvendis est necessaria, quia cum sensus, ad proprietatem verborum si accipiatur, absurdus est, quærendum est utique ne forte illo vel illo tropo dictum sit quod non intelligimus; et sic pleraque inventa sunt quæ latebant.

CAPUT XXX. — *Regulæ Tichonii donatistæ expenduntur.*

42. Tichonius quidam qui contra Donatistas invictissime scripsit, cum fuerit donatista, et illic invenitur absurdissimi cordis, ubi eos non omni ex parte relinquere voluit, fecit librum quem Regularum vocavit (*a*), quia in eo quasdam septem regulas exsecutus est, quibus quasi clavibus divinarum Scripturarum aperirentur occulta. Quarum primam ponit, De Domino et ejus corpore; secundam, De Domini corpore bipartito; tertiam, De promissis et Lege; quartam, De specie et genere; quintam, De temporibus; sextam, De recapitulatione; septimam, De diabolo et ejus corpore. Quæ quidem consideratæ, sicut ab illo aperiuntur, non parum adjuvant ad penetranda quæ tecta sunt divinorum eloquiorum : nec tamen omnia quæ ita scripta sunt ut non facile intelligantur, possunt his regulis inveniri, sed aliis modis pluribus, quos hoc numero septenario usque adeo non est iste complexus, ut idem ipse multa exponat obscura, in quibus harum regularum adhibet nullam, quoniam nec opus est. Neque enim aliquid illic tale versatur aut quæritur, sicut in Apocalypsi Joannis quærit, quemadmodum intelligendi sint angeli Ecclesiarum septem, quibus scribere jubetur, et ratiocinatur multipliciter, et ad hoc pervenit ut ipsos angelos intelligamus Ecclesias (*Apoc.* I, 20). In qua copiosissima disputatione nihil istarum est regularum, et utique res illic obscurissima quæritur; quod exempli gratia satis dictum sit : nam colligere omnia, nimis longum et nimis operosum est, quæ ita obscura sunt in Scripturis canonicis, ut nihil istarum septem ibi requirendum sit.

(*a*) Exstat in Bibliotheca Patrum, tom. 15, edit. Colon. an. 1622; et in Lugdun. an. 1677, tom. 6.

43. Iste autem cum has velut regulas commendaret, tantum eis tribuit, quasi omnia quæ in Lege, id est, in divinis Libris obscure posita invenerimus, his bene cognitis atque adhibitis intelligere valeamus. Ita quippe exorsus est eumdem librum ut diceret : *Necessarium duxi ante omnia, quæ mihi videntur, libellum Regularum scribere, et secretorum Legis veluti claves et luminaria fabricare. Sunt enim quædam regulæ mysticæ, quæ universæ Legis recessus obtinent, et veritatis thesauros aliquibus invisibiles visibiles faciunt. Quarum si ratio regularum sine invidia, ut communicamus, accepta fuerit; clausa quæque patefient, et obscura dilucidabuntur; ut quis prophetiæ immensam silvam perambulans, his regulis quodammodo lucis tramitibus deductus ab errore defendatur.* Hic si dixisset, Sunt enim quædam regulæ mysticæ, quæ nonnullos Legis recessus obtinent, aut certe, quæ Legis magnos recessus obtinent; non autem quod ait, *universæ Legis recessus* : neque dixisset, *Clausa quæque patefient*, sed, clausa multa patefient; verum dixisset, nec tam elaborato atque utili operi suo plusquam res ipsa postulat dando, in spem falsam lectorem ejus cognitoremque misisset. Quod ideo dicendum putavi, ut liber ipse et legatur a studiosis, quia plurimum adjuvat ad Scripturas intelligendas, et non de illo speretur tantum quantum non habet. Caute sane legendus est, non solum propter quædam in quibus ut homo erravit; sed maxime propter illa quæ sicut donatista hæreticus loquitur. Quid autem doceant vel admoneant istæ septem regulæ, breviter ostendam.

CAPUT XXXI. — *Regula prima Tichonii.*

44. Prima de Domino et ejus corpore est; in qua scientes aliquando capitis et corporis, id est, Christi et Ecclesiæ unam personam nobis intimari (neque enim frustra dictum est fidelibus, *Ergo Abrahæ semen estis* [*Galat.* III, 29], cum sit unum semen Abrahæ, quod est Christus), non hæsitemus quando a capite ad corpus, vel a corpore transitur ad caput, et tamen non receditur ab una eademque persona. Una enim persona loquitur dicens, *sicut sponso imposuit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento* (*Isai.* LXI, 10); et tamen quid horum duorum capiti, quid corpori, id est, quid Christo, quid Ecclesiæ conveniat, utique intelligendum est.

CAPUT XXXII. — *Regula secunda Tichonii.*

Secunda est de Domini corpore bipartito, quod quidem non ita debuit appellari; non enim revera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum : sed dicendum fuit, De Domini corpore vero atque permixto, aut, vero atque simulato, vel quid aliud; quia non solum in æternum, verum etiam nunc hypocritæ non cum illo esse dicendi sunt, quamvis in ejus esse videantur Ecclesia. Unde poterat ista regula et sic appellari, ut diceretur de permixta Ecclesia. Quæ regula lectorem vigilantem requirit, quando Scriptura cum ad alios jam loquatur, tanquam ad eos ipsos ad quos loquebatur, videtur loqui; vel de ipsis, cum de aliis jam loquatur; tanquam unum sit utrorumque corpus, propter temporalem commixtionem et communionem

Sacramentorum. Ad hoc pertinet in Canticis canticorum, *Fusca sum et speciosa ut tabernacula Cedar, ut pelles Salomonis* (*Cant.* I, 5). Non enim ait, Fusca fui ut tabernacula Cedar, et speciosa sum ut pelles Salomonis; sed utrumque se esse dixit, propter temporalem unitatem intra una retia piscium bonorum et malorum (*Matth.* XIII, 48). Tabernacula enim Cedar ad Ismaelem pertinent, qui non erit hæres cum filio liberæ (*Gen.* XXI, 10; *Galat.* IV, 30). Itaque cum de bona parte Deus dicat, *Ducam cæcos in viam quam non noverunt, et semitas quas non noverunt calcabunt; et faciam illis tenebras in lucem, et prava in directum : hæc verba faciam, et non derelinquam eos :* mox de alia parte, quæ male permixta est, dicit, *Ipsi autem conversi sunt retro* (*Isai.* XLII, 16, 17), quamvis alii jam significentur his verbis. Sed quoniam nunc in uno sunt, tanquam de ipsis loquitur de quibus loquebatur : non tamen semper in uno erunt. Ipse est quippe ille servus commemoratus in Evangelio, cujus dominus cum venerit, dividet eum, et partem ejus cum hypocritis ponet (*Matth.* XXIV, 51).

CAPUT XXXIII. — *Regula tertia Tichonii. Liber de Spiritu et Littera.*

46. Tertia regula est de Promissis et Lege, quæ alio modo dici potest de spiritu et littera, sicut nos eam appellavimus, cum de hac re librum scriberemus (*a*). Potest etiam sic dici, de gratia et mandato. Hæc autem magis mihi videtur magna quæstio quam regula, quæ solvendis quæstionibus adhibenda est. Hæc est quam non intelligentes Pelagiani, vel condiderunt suam hæresim, vel auxerunt. Laboravit in ea dissolvenda [1] Tichonius bene, sed non plene. Disputans enim de fide et operibus, opera nobis dixit a Deo dari merito fidei; ipsam vero fidem sic esse a nobis, ut nobis non sit a Deo. Nec attendit Apostolum dicentem, *Pax fratribus et charitas cum fide a Deo Patre et Domino Jesu Christo* (*Ephes.* VI, 23). Sed non erat expertus hanc hæresim, quæ nostro tempore exorta, multum nos, ut gratiam Dei quæ per Dominum nostrum Jesum Christum est, adversus eam defenderemus, exercuit; et secundum id quod ait Apostolus, *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis* (I *Cor.* XI, 19), multo vigilantiores diligentioresque reddidit, ut adverteremus in Scripturis sanctis, quod istum Tichonium minus attentum, minusque sine hoste sollicitum fugit, etiam ipsam scilicet fidem donum illius esse qui ejus mensuram unicuique partitur (*Rom.* XII, 3). Ex qua sententia quibusdam dictum est, *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro eo patiamini* (*Philipp.* I, 29). Unde quis dubitet utrumque esse Dei donum, qui fideliter atque intelligenter audit utrumque donatum? Plura sunt et alia testimonia quibus id ostenditur : sed hoc nunc non agimus; alibi autem atque alibi sæpissime ista egimus.

CAPUT XXXIV. — *Regula quarta Tichonii.*

47. Quarta Tichonii regula est de specie et genere. Sic enim eam vocat, volens intelligi speciem partem, genus autem totum, cujus ea pars est quam nuncupat speciem, sicut unaquæque civitas pars est utique universitatis gentium : hanc ille vocat speciem; genus autem omnes gentes. Neque hic ea discernendi [1] subtilitas adhibenda est, quæ a dialecticis traditur qui, inter partem et speciem quid intersit acutissime disputant. Eadem ratio est, si non de unaquaque civitate, sed de unaquaque provincia vel gente vel regno tale aliquid in divinis reperiatur eloquiis. Non solum enim, verbi gratia, de Jerusalem, vel de aliqua gentium civitate, sive Tyro, sive Babylonia, sive alia qualibet dicitur aliquid in Scripturis sanctis, quod modum ejus excedat, et conveniat potius omnibus gentibus : verum etiam de Judæa, de Ægypto, de Assyria, et quacumque alia gente, in qua sunt plurimæ civitates, non tamen totus orbis, sed pars ejus est, dicitur quod transeat ejus modum, et congruat potius universo, cujus hæc pars est; vel sicut iste appellat, generi, cujus hæc species est. Unde et in notitiam vulgi verba ista venerunt, ut etiam idiotæ intelligant quid specialiter, quid generaliter in quocumque præcepto imperiali sit constitutum. Fit hoc etiam de hominibus; sicut ea quæ de Salomone dicuntur, excedunt ejus modum, et potius ad Christum vel Ecclesiam, cujus ille pars est, relata clarescunt.

48. Nec species semper exceditur; sæpe enim talia dicuntur quæ vel ei quoque, vel ei fortasse tantummodo apertissime congruant : sed cum a specie transitur ad genus, quasi adhuc de specie loquente Scriptura, ibi vigilare debet lectoris intentio, ne quærat in specie quod in genere potest melius et certius invenire. Facile quippe est illud quod ait propheta Ezechiel, *Domus Israel habitavit in terra, et polluerunt illam in via sua, et in idolis suis, et peccatis suis; secundum immunditiam menstruatæ facta est via eorum ante faciem meam. Et effudi iram meam super eos, et dispersi illos inter nationes, et ventilavi eos in regiones; secundum vias eorum et secundum peccata eorum judicavi eos* (*Ezech.* XXXVI, 17-19) : facile est, inquam, hoc intelligere de illa domo Israel, de qua dicit Apostolus, *Videte Israel secundum carnem* (I *Cor.* X, 18); quia hæc omnia carnalis populus Israel et fecit, et passus est. Alia etiam quæ sequuntur, eidem intelliguntur populo convenire : sed cum cœperit dicere, *Et sanctificabo nomen meum sanctum illud magnum, quod pollutum est inter nationes, quod polluistis in medio earum; et scient gentes quia ego sum Dominus;* jam intentus debet esse, qui legit, quemadmodum species excedatur, et adjungatur genus. Sequitur enim et dicit : *Et dum sanctificabor in vobis ante oculos eorum, et accipiam vos de gentibus, et congregabo vos ex omnibus terris, et inducam vos in terram vestram; et aspergam vos aqua munda, et mundabimini ab omnibus simulacris vestris, et mundabo vos : et dabo vobis cor novum, et Spiritum novum dabo in vos; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et Spiritum meum dabo in vos : et faciam ut in justitiis*

[1] Mss. novem, *disserenda.*

(*a*) Liber de Spiritu et Littera.

[1] Mss. undecim, *disserendi.*

meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et faciatis : et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris; et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum; et mundabo vos ex omnibus immunditiis vestris (*Ezech.* XXXVI, 23-29). Hoc de Novo Testamento esse prophetatum, ad quod pertinet non solum una gens illa in reliquiis suis, ne quibus alibi scriptum est, *Si fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* x, 22), verum etiam cæteræ gentes, quæ promissæ sunt patribus eorum, qui etiam nostri sunt; non ambigit quisquis intuetur et lavacrum regenerationis hic esse promissum, quod nunc videmus omnibus gentibus redditum : et illud quod ait Apostolus, cum Novi Testamenti gratiam commendaret, ut in comparatione Veteris emineret, *Epistola nostra vos estis, scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II *Cor.* III, 2, 3), hinc esse respicit et perspicit ductum ubi iste propheta dicit, *Et dabo vobis cor novum, et Spiritum novum dabo in vos; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.* Cor quippe carneum, unde ait Apostolus, *tabulis cordis carnalibus*, a corde lapideo voluit vita sentiente discerni, et per vitam sentientem significavit intelligentem. Sic fit Israel spiritualis, non unius gentis, sed omnium quæ promissæ sunt patribus in eorum semine, quod est Christus.

49. Hic ergo Israel spiritualis ab illo Israele carnali, qui est unius gentis, novitate gratiæ, non nobilitate patriæ, et mente non gente distinguitur : sed altitudo prophetica dum de illo vel ad illum loquitur, latenter transit ad hunc; et cum jam de isto vel ad istum loquatur, adhuc de illo vel ad illum loqui videtur; non intellectum Scripturarum nobis quasi hostiliter invidens, sed exercens medicinaliter nostrum. Unde et illud quod ait, *Et inducam vos in terram vestram;* et paulo post, tanquam idipsum repetens, *Et habitabitis*, inquit, *in terra quam dedi patribus vestris;* non carnaliter sicut carnalis Israel, sed spiritualiter sicut spiritualis debemus accipere. Ecclesia quippe sine macula et ruga (*Ephes.* v, 27) ex omnibus gentibus congregata, atque in æternum regnatura cum Christo, ipsa est terra beatorum, terra viventium (*Psal.* XXVI, 13); ipsa intelligenda est patribus data, quando eis certa et incommutabili Dei voluntate promissa est : quoniam ipsa promissionis vel prædestinationis firmitate jam data est, quæ danda suo tempore a patribus credita est; sicut de ipsa gratia quæ sanctis datur, scribens ad Timotheum Apostolus ait, *Non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum et gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante sæcula æterna, manifestata autem nunc per adventum Salvatoris nostri* (II *Tim.* I, 9, 10). Datam dixit gratiam, quando nec erant adhuc quibus daretur; quoniam in dispositione ac prædestinatione Dei jam factum erat quod suo tempore futurum erat, quod ipse dicit manifestatum. Quamvis hæc possint intelligi et de terra futuri sæculi, quando erit cœlum novum et terra nova (*Apoc.* XXI, 1), in qua injusti habitare non poterunt. Et ideo recte dicitur piis quod ipsa sit terra eorum, quæ ulla ex parte non erit impiorum; quia et ipsa similiter data est, quando danda firmata est.

CAPUT XXXV. — *Regula quinta Tichonii.*

50. Quintam Tichonius regulam ponit, quam De temporibus appellat; qua regula plerumque inveniri vel conjici possit latens in Scripturis sanctis quantitas temporum. Duobus autem modis vigere dicit hanc regulam; aut tropo synecdoche, aut legitimis numeris. Tropus synecdoche, aut a parte totum, aut a toto partem facit intelligi : sicut unus evangelista post dies octo factum dicit, quod alius post dies sex, quando in monte discipulis tantum tribus præsentibus facies Domini fulsit ut sol, et vestimenta ejus sicut nix (*Luc.* IX, 28; *Matth.* XVII, 1, 2; *Marc.* IX, 1, 2). Utrumque enim verum esse non posset, quod de numero dierum dictum est, nisi ille qui dixit, *post dies octo*, intelligatur partem novissimam diei ex quo id Christus prædixit futurum, et partem primam diei quo id ostendit impletum, pro totis diebus duobus atque integris posuisse; is vero qui dixit, *post dies sex*, integros omnes et totos, sed solos medios computasse. Hoc modo locutionis, quo significatur a parte totum, etiam illa de resurrectione Christi solvitur quæstio. Pars enim novissima diei quo passus est, nisi pro toto die accipiatur, id est, adjuncta etiam nocte præterita; et nox in cujus parte ultima resurrexit, nisi totus dies accipiatur, adjuncto scilicet die illucescente dominico, non possunt esse tres dies et tres noctes, quibus se in corde terræ prædixit futurum (*Matth.* XII, 40).

51. Legitimos autem numeros dicit, quos eminentius divina Scriptura commendat, sicut septenarium, vel denarium, vel duodenarium, et quicumque alii sunt, quos legendo studiosi libenter agnoscunt. Plerumque enim hujusmodi numeri pro universo tempore ponuntur : sicut, *Septies in die laudabo te* (*Psal.* CXVIII, 164), nihil est aliud quam, *Semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII, 2). Tantumdem valent et cum multiplicantur, sive per denarium, sicut septuaginta et septingenti; unde possunt et septuaginta anni Jeremiæ (*Jerem.* XXV, 11) pro universo tempore spiritualiter accipi, quo est apud alienos Ecclesia : sive per seipsos, sicut decem per decem, centum sunt; et duodecim per duodecim, centum quadraginta quatuor; quo numero significatur universitas sanctorum in Apocalypsi (*Apoc.* VII, 4). Unde apparet non solas temporum quæstiones istis numeris esse solvendas, sed latius patere significationes eorum, et in multa proserpere. Neque enim numerus iste in Apocalypsi ad tempora pertinet, sed ad homines.

CAPUT XXXVI. — *Regula sexta Tichonii.*

52. Sextam regulam Tichonius Recapitulationem vocat, in obscuritate Scripturarum satis vigilanter inventam. Sic enim dicuntur quædam quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cum ad priora quæ prætermissa fuerant, latenter narratio revocetur : quod nisi ex hac regula intelligatur, erratur. Sicut in Genesi, *Et plantavit*, inquit, *Dominus Deus paradisum in Eden ad orientem, et posuit ibi hominem quem formavit; et produxit Deus adhuc de*

terra omne lignum speciosum, et bonum in escam; ita videtur dictum tanquam id factum sit posteaquam factum posuit Deus hominem in paradiso : cum breviter utroque commemorato, id est, quod plantavit Deus paradisum, et posuit ibi hominem quem formavit, recapitulando redeat et dicat quod prætermiserat, quomodo scilicet paradisus fuerit plantatus, quia produxit Deus adhuc de terra omne lignum speciosum et bonum in escam. Denique secutus adjunxit : *Et lignum vitæ in medio paradisi, et lignum scientiæ boni et mali.* Deinde flumen, quo paradisus irrigaretur, divisum in quatuor principia fluviorum quatuor, explicatur; quod totum pertinet ad institutionem paradisi. Quod ubi terminavit, repetivit illud quod jam dixerat, et revera hoc sequebatur, atque ait : *Et sumpsit Dominus Deus hominem quem finxit, et posuit eum in paradiso* (*Gen.* II, 8, 9), etc. Post ista enim facta ibi est positus homo, sicut nunc ordo ipse demonstrat : non post hominem ibi positum facta sunt ista, sicut prius dictum putari potest, nisi recapitulatio illic vigilanter intelligatur, qua reditur ad ea quæ fuerant prætermissa.

53. Itemque in eodem libro, cum commemorarentur generationes filiorum Noe, dictum est : *Hi filii Cham in tribubus suis, secundum linguas suas in regionibus suis* [1] *et in gentibus suis.* Enumeratis quoque filiis Sem dicitur : *Hi filii Sem in tribubus suis, secundum linguas suas in regionibus suis et in gentibus suis.* Et annectitur de omnibus : *Hæ tribus filiorum Noe, secundum generationes eorum et secundum gentes eorum. Ab his dispersæ sunt insulæ gentium super terram post diluvium. Et erat omnis terra labium unum, et vox una omnibus* (*Id.* X, 20, 31, 32, *et* XI, 1). Hoc itaque quod adjunctum est, *Et erat omnis terra labium unum, et vox una omnibus,* id est, una lingua omnium, ita dictum videtur tanquam eo jam tempore, quo dispersi fuerant super terram etiam secundum insulas gentium, una fuerit omnibus lingua communis; quod procul dubio repugnat superioribus verbis, ubi dictum est, *In tribubus suis secundum linguas suas.* Neque enim dicerentur habuisse jam linguas suas singulæ tribus, quæ gentes singulas fecerant, quando erat omnibus una communis. Ac per hoc recapitulando adjunctum est, *Et erat omnis terra labium unum, et vox una omnibus,* latenter narratione redeunte, ut diceretur quomodo factum sit, ut ex una omnium lingua fuerint divisi per multas : et continuo de illa turris ædificatione narratur, ubi hæc eis judicio divino ingesta est pœna superbiæ; post quod factum dispersi sunt super terram secundum linguas suas.

54. Fit ista recapitulatio etiam obscurius : sicut in Evangelio Dominus dicit, *Die quo exiit Loth a Sodomis, pluit ignem de cœlo, et perdidit omnes : secundum hæc erit dies Filii hominis, quo revelabitur. Illa hora, qui erit in tecto, et vasa ejus in domo, non descendat tollere illa; et qui in agro, similiter non revertatur retro : meminerit uxoris Loth* (*Luc.* XVII, 29-32; *Gen.* XIX, 26). Numquid cum Dominus fuerit revelatus, tunc sunt ista servanda, ne quisque retro respiciat, id est, vitam præteritam cui renuntiavit, inquirat; et non potius isto tempore, ut cum Dominus fuerit revelatus, retributionem pro eis quæ quisque servavit vel contempsit, inveniat? Et tamen quia dictum est, *In illa hora,* tunc putantur ista servanda, cum fuerit Dominus revelatus, nisi ad intelligendam recapitulationem, sensus legentis invigilet, adjuvante alia Scriptura quæ ipsorum Apostolorum adhuc tempore clamavit, *Filii, novissima hora est* (I *Joan.* II, 18). Tempus ergo ipsum quo Evangelium prædicatur, quousque Dominus reveletur, hora est in qua oportet ista servari; quia et ipsa revelatio Domini ad eamdem horam pertinet, quæ die judicii terminabitur (*Rom.* II 5, *et* XIII, 11).

CAPUT XXXVII. — *Regula septima Tichonii.*

55. Septima Tichonii regula est, eademque postrema, De diabolo et ejus corpore. Est enim et ipse caput impiorum, qui sunt ejus quodammodo corpus, ituri cum illo in supplicium ignis æterni (*Matth.* XXV, 41) : sicut Christus caput est Ecclesiæ, quod est corpus ejus, futurum cum illo in regno et gloria sempiterna (*Ephes.* I, 22). Sicut ergo in prima regula, quam vocat de Domino et ejus corpore, vigilandum est ut intelligatur, cum de una eademque persona Scriptura loquitur, quid conveniat capiti, quid corpori; sic et in ista novissima, aliquando in diabolum dicitur quod non in ipso, sed potius in ejus corpore possit agnosci, quod habet non solum in eis qui manifestissime foris sunt, sed in eis etiam qui cum ad ipsum pertineant, tamen ad tempus miscentur Ecclesiæ, donec unusquisque de hac vita exeat, vel a frumento palea ventilabro ultimo separetur (*Luc.* III, 17). Quod enim scriptum est apud Isaiam, *Quomodo cecidit de cœlo Lucifer mane oriens* (*Isai.* XIV, 12), et cætera, quæ sub figura regis Babyloniæ de eadem persona, vel ad eamdem personam dicta sunt in ipsa contextione sermonis, de diabolo utique intelliguntur; et tamen quod ibi dictum est, *Contritus est in terra, qui mittit ad omnes gentes,* non totum ipsi capiti congruit. Nam etsi mittit ad omnes gentes diabolus angelos suos, tamen in terra corpus ejus, non ipse, conteritur; nisi quia ipse est in corpore suo, quod contritum fit ut pulvis, quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* I, 4).

56. Hæ autem omnes regulæ, excepta una, quæ vocatur De promissis et Lege, aliud ex alio faciunt intelligi, quod est proprium tropicæ locutionis, quæ latius patet quam ut possit, ut mihi videtur, ab aliquo universa comprehendi. Nam ubicumque velut aliud dicitur ut aliud intelligatur, etsi nomen ipsius tropi in loquendi arte non invenitur, tropica locutio est. Quæ cum fit ubi fieri solet, sine labore sequitur intellectus : cum vero ubi non solet, laboratur ut intelligatur, ab aliis magis, ab aliis minus, sicut magis minusve dona Dei sunt in ingeniis hominum, vel adjutoria tribuuntur. Proinde sicut in verbis propriis, de quibus superius disputavimus, ubi res ut dicuntur intelligendæ sunt; sic in translatis quæ faciunt tropicas locutiones, ubi aliud ex alio intelligendum est, de quibus huc

[1] Mss. quatuor, *in generationibus.* Cæteri codices, *in regionibus*; juxta versionem LXX, *en tais chorais.*

usque quantum visum est, satis egimus; non solum admonendi sunt studiosi venerabilium Litterarum, ut in Scripturis sanctis genera locutionum sciant, et quomodo apud eas aliquid dici soleat, vigilanter advertant, memoriterque retineant; verum etiam, quod est præcipuum et maxime necessarium, orent ut intelligant. In eis quippe Litteris, quarum studiosi sunt, legunt quoniam *Dominus dat sapientiam, et a facie ejus scientia et intellectus.* (*Prov.* II, 6); a quo et ipsum studium, si pietate præditum est, acceperunt. Sed hæc satis etiam de signis, quantum ad verba pertinet dicta sint. Restat ut de proferendis eis quæ sentimus, sequenti volumine, quæ Dominus donaverit, disseramus.

LIBER QUARTUS.

Hactenus de investigando Scripturæ sensu, nunc demum agitur de disserendo. Et quidem rhetoricæ artis præcepta ad hujus libri institutum pertinere non vult Augustinus; sed tamen summa diligentia christiani oratoris partes persequitur: cui sacrarum Litterarum auctores et doctores ecclesiasticos dicendi sapientia, imo et eloquentia longe præstantissimos imitandos proponit, ex eorum scriptis elocutionis exempla in vario dicendi genere subjiciens. Postremo ipsum ecclesiasten hortatur, ut in primis orationi det operam; et quod verbis docet alios, id omnino vita et moribus præstet.

CAPUT PRIMUM. — *Rhetoricæ præcepta tradere non est hujus instituti.*

1. Hoc opus nostrum quod inscribitur de Doctrina Christiana, in duo quædam fueram prima distributione partitus. Nam post procemium, quo respondi eis qui hoc fuerant reprehensuri: *Duæ sunt res*, inquam, *quibus nititur omnis tractatio Scripturarum; modus inveniendi quæ intelligenda sunt, et modus proferendi quæ intellecta sunt. De inveniendo prius, de proferendo postea disseremus.* Quia ergo de inveniendo multa jam diximus, et tria de hac una parte volumina absolvimus, Domino adjuvante, de proferendo pauca dicemus; ut, si fieri potuerit, uno libro cuncta claudamus, totumque hoc opus quatuor voluminibus terminetur.

2. Primo itaque exspectationem legentium, qui forte me putant rhetorica daturum esse præcepta quæ in scholis sæcularibus et didici et docui, ista prælocutione cohibeo, atque ut a me non exspectentur, admoneo: non quod nihil habeant utilitatis; sed quod, si quid habent, seorsum discendum est, si cui fortassis bono viro etiam hæc vacat discere, non autem a me vel in hoc opere, vel in aliquo alio requirendum.

CAPUT II. — *Rhetorica facultate christianum doctorem uti convenit.*

3. Nam cum per artem rhetoricam et vera suadeantur et falsa, quis audeat dicere, adversus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veritatem, ut videlicet illi qui res falsas persuadere conantur, noverint auditorem vel benevolum, vel intentum, vel docilem proœmio facere; isti autem non noverint? illi falsa breviter, aperte, verisimiliter; et isti vera sic narrent, ut audire tædeat, intelligere non pateat, credere postremo non libeat? illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, asserant falsitatem; isti nec vera defendere, nec falsa valeant refutare? illi animos audientium in errorem moventes impellentesque dicendo terreant, contristent, exhilarent, exhortentur ardenter; isti pro veritate, lenti frigidique dormitent? Quis ita desipiat, ut hoc sapiat? Cum ergo sit in medio posita facultas eloquii, quæ ad persuadenda seu prava seu recta valet plurimum; cur non bonorum studio comparatur, ut militet veritati, si eam mali ad obtinendas perversas vanasque causas in usus iniquitatis et erroris usurpant?

CAPUT III. — *Rhetoricæ præcepta qua ætate, quave ratione disci possunt.*

4. Sed quæcumque sunt de hac re observationes atque præcepta, quibus cum accedit in verbis plurimis ornamentisque verborum exercitatioris linguæ solertissima consuetudo, fit illa quæ facundia vel eloquentia nominatur; extra istos litteras nostras, seposito ad hoc congruo temporis spatio, apta et convenienti ætate discenda sunt eis qui hoc celeriter possunt. Nam et ipsos Romanæ principes eloquentiæ non piguit dicere quod hanc artem nisi quis cito possit, nunquam omnino possit perdiscere (*Cicero*, *de Oratore*). Quod utrum verum sit, quid opus est quærere? Non enim, etiam si possint hæc a tardioribus tandem aliquando perdisci, nos ea tanti pendimus, ut eis discendis jam maturas vel etiam graves hominum ætates velimus impendi. Satis est ut adolescentulorum ista sit cura; nec ipsorum omnium quos utilitati ecclesiasticæ cupimus erudiri, sed eorum quos nondum magis urgens, et huic rei sine dubio præponenda necessitas occupavit. Quoniam si acutum et fervens adsit ingenium, facilius adhæret eloquentia legentibus et audientibus eloquentes, quam eloquentiæ præcepta sectantibus. Nec desunt ecclesiasticæ litteræ, etiam præter canonem in auctoritatis arce salubriter collocatum, quas legendo homo capax, etsi id non agat, sed tantummodo rebus quæ ibi dicuntur intentus sit, etiam eloquio quo dicuntur, dum in his versatur, imbuitur; accedente vel maxime exercitatione sive scribendi, sive dictandi, postremo etiam dicendi, quæ secundum pietatis ac fidei regulam sentit. Si autem tale desit ingenium, nec illa rhetorica præcepta capiuntur; nec, si magno labore inculcata quantulacumque ex parte capiantur, aliquid prosunt. Quandoquidem etiam ipsi qui ea didicerunt, et copiose ornateque dicunt, non omnes ut secundum ipsa dicant, possunt ea cogitare cum dicunt, si non de his disputant: imo vero vix ullos eorum esse existimo, qui utrumque possint, et dicere bene, et ad hoc faciendum præcepta illa dicendi cogitare cum dicunt. Cavendum est enim ne fugiant ex animo quæ dicenda sunt, dum attenditur

ut arte dicantur. Et tamen in sermonibus atque dictionibus eloquentium, impleta reperiuntur præcepta eloquentiæ, de quibus illi ut eloquerentur, vel cum eloquerentur, non cogitaverunt, sive illa didicissent, sive ne attigissent quidem. Implent quippe illa, quia eloquentes sunt; non adhibent, ut sint eloquentes.

5. Quapropter, cum ex infantibus loquentes non fiant, nisi locutiones discendo loquentium; cur eloquentes fieri non possint, nulla eloquendi arte tradita, sed elocutiones eloquentium legendo et audiendo, et quantum assequi conceditur, imitando? Quid, quod ita fieri ipsis quoque experimur exemplis? Nam sine præceptis rhetoricis novimus plurimos eloquentiores plurimis qui illa didicerunt; sine lectis vero et auditis eloquentium disputationibus vel dictionibus, neminem. Nam neque ipsa arte grammatica, qua discitur locutionis integritas, indigerent pueri, si eis inter homines, qui integre loquerentur, crescere daretur et vivere. Nescientes quippe ulla nomina vitiorum, quidquid vitiosum cujusquam ore loquentis audirent, sana sua consuetudine reprehenderent et caverent; sicut rusticos urbani reprehendunt, etiam qui litteras nesciunt.

CAPUT IV. — *Officium doctoris christiani.*

6. Debet igitur divinarum Scripturarum tractator et doctor, defensor rectæ fidei ac debellator erroris, et bona docere, et mala dedocere; atque in hoc opere sermonis conciliare adversos [1], remissos erigere, nescientibus quid agatur, quid exspectare debeant intimare. Ubi autem benevolos, intentos, dociles aut invenerit, aut ipse fecerit, cætera peragenda sunt, sicut postulat causa. Si docendi sunt qui audiunt, narratione faciendum est, si tamen indigeat, ut res de qua agitur innotescat. Ut autem quæ dubia sunt certa fiant, documentis adhibitis ratiocinandum est. Si vero qui audiunt movendi sunt potius quam docendi, ut in eo quod jam sciunt, agendo non torpeant, et rebus assensum, quas veras esse fatentur, accommodent, majoribus dicendi viribus opus est. Ibi obsecrationes et increpationes, concitationes et coercitiones, et quæcumque alia valent ad commovendos animos, sunt necessaria.

7. Et hæc quidem cuncta quæ dixi, omnes fere homines in iis quæ eloquendo agunt [2], facere non quiescunt:

CAPUT V. — *Interest magis ut sapienter dicat christianus orator, quam ut eloquenter. Unde consequi id valeat.*

Sed cum alii faciant obtuse, deformiter, frigide; alii acute, ornate, vehementer; illum ad hoc opus unde agimus, jam oportet accedere, qui potest disputare vel dicere sapienter, etiamsi non potest eloquenter, ut prosit audientibus, etiamsi minus quam prodesset, si et eloquenter posset dicere. Qui vero affluit insipienti eloquentia, tanto magis cavendus est, quanto magis ab eo in iis quæ audire inutile est, delectatur auditor, et eum quoniam diserte dicere audit, etiam vere dicere existimat. Hæc autem sententia nec illos fugit, qui artem rhetoricam docendam putarunt: fassi sunt enim sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus [1]; eloquentiam vero sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam (*Cicero, lib.* 1 *de Inventione*). Si ergo hoc illi qui præcepta eloquentiæ tradiderunt, in eisdem libris in quibus id egerunt, veritate instigante coacti sunt confiteri, veram, hoc est, supernam quæ a Patre luminum descendit, sapientiam nescientes; quanto magis nos non aliud sentire debemus, qui hujus sapientiæ filii et ministri sumus? Sapienter autem dicit homo tanto magis vel minus, quanto in Scripturis sanctis magis minusve profecit. Non dico in eis multum legendis memoriæque mandandis, sed bene intelligendis, et diligenter earum sensibus indagandis. Sunt enim qui eas legunt, et negligunt; legunt ut teneant, negligunt ne intelligant. Quibus longe sine dubio præferendi sunt qui verba earum minus tenent, et cor earum sui cordis oculis vident. Sed utrisque ille melior, qui et cum volet eas dicit, et sicut oportet intelligit.

8. Huic ergo qui sapienter debet dicere, etiam quod non potest eloquenter, verba Scripturarum tenere maxime necessarium est. Quanto enim se pauperiorem cernit in suis, tanto eum oportet in istis esse ditiorem; ut quod dixerit suis verbis, probet ex illis; et qui propriis verbis minor erat, magnorum [2] testimonio quodammodo crescat. Probando enim delectat, qui minus potest delectare dicendo. Porro qui non solum sapienter, verum etiam eloquenter vult dicere, quoniam profecto plus proderit, si utrumque potuerit; ad legendos vel audiendos et exercitatione imitandos eloquentes eum mitto libentius, quam magistris artis rhetoricæ vacare præcipio: si tamen ii qui leguntur et audiuntur, non solum eloquenter, sed etiam sapienter dixisse vel dicere veraci prædicatione laudantur. Qui enim eloquenter dicunt, suaviter; qui sapienter, salubriter audiuntur. Propter quod non ait Scriptura, Multitudo eloquentium; sed, *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum* (*Sap.* VI, 26). Sicut autem sæpe sumenda sunt et amara salubria, ita semper vitanda est perniciosa dulcedo. Sed salubri suavitate, vel suavi salubritate quid melius? Quanto enim magis illic appetitur suavitas, tanto facilius salubritas prodest. Sunt ergo ecclesiastici viri qui divina eloquia non solum sapienter, sed eloquenter etiam tractaverunt: quibus legendis magis non sufficit tempus, quam deesse ipsi studentibus et vacantibus possunt.

CAPUT VI. *Sapientia juncta cum eloquentia in sacris auctoribus.*

9. Hic aliquis forsitan quærit utrum auctores nostri, quorum scripta divinitus inspirata canonem nobis saluberrima auctoritate fecerunt, sapientes tantummodo, an eloquentes etiam nuncupandi sint. Quæ quidem quæstio apud meipsum, et apud eos qui mecum quod dico sentiunt, facillime solvitur. Nam

[1] Bad. Am. Er. et septem Mss., *aversos.*
[2] Duo Mss., *quæ loquendo arguunt.*

[1] Lov., *civibus.* Alii editi et Mss., *civitatibus.*
[2] Mss. duo e Vatic., *majorum.*

ubi eos intelligo, non solum nihil eis sapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri potest. Et audeo dicere, omnes qui recte intelligunt quod illi loquuntur, simul intelligere non eos aliter loqui debuisse. Sicut est enim quædam eloquentia quæ magis ætatem juvenilem decet, est quæ senilem; nec jam dicenda est eloquentia, si personæ non congruat eloquentis: ita est quædam, quæ viros summa auctoritate dignissimos planeque divinos decet. Hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit; alios autem, quanto videtur humilior, tanto altius non ventositate, sed soliditate transcendit. Ubi vero non eos intelligo, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam tamen non dubito esse talem, qualis est ubi intelligo. Ipsa quoque obscuritas divinorum salubriumque dictorum tali eloquentiæ miscenda fuerat, in qua proficere noster intellectus, non solum inventione, verum etiam exercitatione deberet.

10. Possem quidem, si vacaret, omnes virtutes et ornamenta eloquentiæ, de quibus inflantur isti qui linguam suam nostrorum auctorum linguæ, non magnitudine, sed tumore præponunt, ostendere in istorum Litteris sacris, quos nobis erudiendis, et ab hoc sæculo pravo in beatum sæculum transferendis, providentia divina providit. Sed non ipsa me plus quam dici potest in illa eloquentia delectant, quæ sunt his viris cum oratoribus Gentilium poetisve communia: illud magis admiror et stupeo, quod ista nostra eloquentia ita usi sunt per alteram quamdam eloquentiam suam, ut nec deesset eis, nec emineret in eis: quia eam nec improbari ab illis, nec ostentari oportebat; quorum alterum fieret, si vitaretur; alterum putari posset, si facile agnosceretur. Et in quibus forte locis agnoscitur a doctis, tales res dicuntur, ut verba quibus dicuntur, non a dicente adhibita, sed ipsis rebus velut sponte subjuncta videantur: quasi sapientiam de domo sua, id est, pectore sapientis procedere intelligas, et tanquam inseparabilem famulam etiam non vocatam sequi eloquentiam.

CAPUT VII. — *Pulchre docet, adductis exemplis, in sacris Litteris inesse germanam eloquentiam, quæ sapientiæ adhæret velut inseparabilis comes. Exempla ponuntur ex Epistolis Pauli, et ex Amos propheta. Exemplum aliud sanæ eloquentiæ ex Amos* 6, 1.

11. Quis enim non videat quid voluerit dicere, et quam sapienter dixerit Apostolus: *Gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* v, 3-5)? Hic si quis, ut ita dixerim, imperite peritus, artis eloquentiæ præcepta Apostolum secutum fuisse contendat, nonne a Christianis doctis indoctisque ridebitur? Et tamen agnoscitur hic figura, quæ κλίμαξ græce, latine vero a quibusdam est appellata gradatio, quoniam scalam dicere noluerunt, cum verba vel sensa connectuntur alterum ex altero; sicut hic, ex tribulatione patientiam, ex patientia probationem, ex probatione spem connexam videmus. Agnoscitur et aliud decus, quoniam post aliqua pronuntiationis voce singula finita, quæ nostri membra et cæsa, Græci autem κῶλα et κόμματα vocant, sequitur ambitus sive circuitus, quem περίοδον illi appellant, cujus membra suspenduntur voce dicentis, donec ultimo finiatur. Nam eorum quæ præcedunt circuitum, membrum illud est primum, *quoniam tribulatio patientiam operatur*; secundum, *patientia autem probationem*; tertium, *probatio vero spem*. Deinde subjungitur ipse circuitus, qui tribus peragitur membris, quorum primum est, *spes autem non confundit*; secundum, *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*; tertium, *per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. At hæc atque hujuscemodi in elocutionis arte traduntur. Sicut ergo Apostolum præcepta eloquentiæ secutum fuisse non dicimus, ita quod ejus sapientiam secuta sit eloquentia, non negamus.

12. Scribens ad Corinthios, in secunda Epistola redarguit quosdam, qui erant ex Judæis pseudoapostoli, eique detrahebant: et quoniam seipsum prædicare compellitur, hanc sibi velut insipientiam tribuens, quam sapienter dicit, quamque eloquenter? sed comes sapientiæ, dux eloquentiæ; illam sequens, istam præcedens et sequentem non respuens. *Iterum dico*, inquit, *ne quis me existimet insipientem esse; alioquin velut insipientem suscipite me, ut et ego modicum quid glorier. Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in stultitia, in hac substantia gloriæ. Quoniam quidem multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor. Libenter enim sustinetis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Toleratis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmati simus. In quo autem quis audet* (*in insipientia dico*), *audeo et ego. Hebræi sunt? et ego. Israelitæ sunt? et ego. Semen Abrahæ sunt? et ego. Ministri Christi sunt?* (*insipiens dico*) *super ego* [1]. *In laboribus plurimum, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus sæpius. A Judæis quinquies, quadraginta una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci: nocte et die in profundo maris fui; in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: in labore et ærumna, in vigiliis sæpius, in fame et siti, in jejuniis sæpius, in frigore et nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt, incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Si gloriari oportet, in iis quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor* (II *Cor.* xi, 16-30). Quanta sapientia ista sint dicta vigilantes vident. Quanto vero etiam eloquentiæ concurrerint flumine, et qui stertit advertit.

13. Porro autem qui novit, agnoscit quod ea cæsa

[1] Mss. duo, *plus ego*. At alii omnes cum editis, *super ego*. Græce, *huper egô*. ubi interpres verba magis reddidit quam sententiam.

quæ κόμματα Græci vocant, et membra, et circuitus, de quibus paulo ante disserui, cum decentissima varietate interponerentur, totam istam speciem dictionis, et quasi ejus vultum, quo etiam indocti delectantur moventurque, fecerunt. Nam unde cœpimus hunc locum inserere, circuitus sunt : primus minimus, hoc est bimembris ; minus enim quam duo membra circuitus habere non possunt, plura vero possunt : ergo ille primus est, *Iterum dico, ne quis me existimet insipientem esse*. Sequitur alius trimembris, *Alioquin velut insipientem suscipite me, ut et ego modicum quid glorier*. Tertius qui sequitur membra habet quatuor, *Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in stultitia, in hac substantia gloriæ*. Quartus duo habet, *Quandoquidem multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor*. Et quintus habet duo, *Libenter enim sustinetis insipientes, cum sitis ipsi sapientes*. Etiam sextus bimembris est, *Toleratis enim, si quis vos in servitutem redigit*. Sequuntur tria cæsa, *Si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur*. Deinde tria membra, *Si quis in faciem vos cædit, secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmati simus*. Additur trimembris circuitus, *In quo autem quis audet (in insipientia dico), audeo et ego*. Hinc jam singulis quibusque cæsis interrogando positis, singula itidem cæsa responsione redduntur, tria tribus, *Hebræi sunt? et ego. Israelitæ sunt? et ego. Semen Abrahæ sunt? et ego*. Quarto autem cæso simili interrogatione posito, non alterius cæsi, sed membri oppositione respondet, *Ministri Christi sunt? (insipiens dico) super ego*. Jam cæsa quatuor sequentia, remota decentissime interrogatione funduntur, *In laboribus plurimum, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus sæpius*. Deinde interponitur brevis circuitus, quoniam suspensa pronuntiatione distinguendum est [1], *A Judæis quinquies*, ut hoc sit unum membrum, cui connectitur alterum, *quadraginta una minus accepi*. Inde redditur ad cæsa, et ponuntur tria, *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci*. Sequitur membrum : *Nocte ac die in profundo maris fui*. Deinde quatuordecim cæsa decentissimo impetu profluunt, *In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis in falsis fratribus : in labore et ærumna, in vigiliis sæpius, in fame et siti, in jejuniis sæpius, in frigore et nuditate*. Post hæc interponit trimembrem circuitum, *Præter illa quæ extrinsecus sunt, incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Et huic duo membra percontatione subjungit, *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* Postremo totus iste quasi anhelans locus, bimembri circuitu terminatur, *Si gloriari oportet, in iis quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor*. Quod vero post hunc impetum interposita narratiuncula quodammodo requiescit, et requiescere facit auditorem, quid decoris, quid delectationis habeat, satis dici non potest. Sequitur enim dicens : *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi scit, qui est benedictus in sæcula, quod non mentior* (II *Cor*. XI, 31). Ac deinde quomodo periclitatus fuerit, et quomodo evaserit, brevissime narrat.

14. Longum est cætera persequi, vel in aliis sanctarum Scripturarum locis ista monstrare. Quid, si etiam figuras locutionis quæ illa arte traduntur, in iis saltem quæ de Apostoli eloquio commemoravi, ostendere voluissem? nonne facilius graves homines me nimium, quam quisquam studiosorum sibi sufficientem putarent? Hæc omnia quando a magistris docentur, pro magno habentur, magno emuntur pretio, magna jactatione venduntur. Quam jactationem etiam ego redolere vereor, dum ista sic dissero. Sed male doctis hominibus respondendum fuit, qui nostros auctores contemnendos putant, non quia non habent, sed quia non ostentant, quam nimis isti diligunt, eloquentiam.

15. Sed forte quis putat, tanquam eloquentem nostrum elegisse me apostolum Paulum. Videtur enim ubi ait, *Etsi imperitus sermone, sed non scientia* (*Ibid.*, 6), quasi concedendo obtrectatoribus sic locutus, non tanquam id verum agnosceret, confitendo. Si autem dixisset, *Imperitus quidem sermone, sed non scientia* [1], nullo modo aliud posset intelligi. Scientiam plane non cunctatus est profiteri, sine qua esse doctor Gentium non valeret. Certe si quid ejus proferimus ad exemplum eloquentiæ, ex illis Epistolis utique proferimus, quas etiam ipsi obtrectatores ejus, qui sermonem præsentis contemptibilem putari volebant, graves et fortes esse confessi sunt (*Ibid*. X, 10). Dicendum ergo mihi aliquid esse video et de eloquentia Prophetarum, ubi per tropologiam multa obteguntur. Quæ quanto magis translatis verbis videntur operiri, tanto magis cum fuerint aperta dulcescunt. Sed hoc loco tale aliquid commemorare debeo, ubi quæ dicta sunt non cogar exponere, sed commendem tantum quomodo dicta sint. Et ex illius prophetæ libro potissimum hoc faciam, qui se pastorem vel armentarium fuisse dicit, atque inde divinitus ablatum atque missum, ut Dei populo prophetaret (*Amos* VII, 14, 15). Non autem secundum Septuaginta interpretes, qui etiam ipsi divino Spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spiritualem sensum scrutandum magis admoneretur lectoris intentio ; unde etiam obscuriora nonnulla, quia magis tropica, sunt eorum : sed sicut ex hebræo in latinum eloquium, presbytero Hieronymo utriusque linguæ perito interpretante, translata sunt.

16. Cum igitur argueret impios, superbos, luxuriosos, et fraternæ ideo negligentissimos charitatis, rusticus vel ex rustico iste propheta exclamavit, dicens : *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel! Transite in Chalanne, et videte, et ite inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est. Qui sepa-*

[1] Mss. quatuor, *qui suspensa pronuntiatione distinguendus est.*

[1] Sic Bad. Am. Er. et Mss. At Lov., *et non addidisset, sed non scientia.*

rati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris : qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti : qui canitis ad vocem Psalterii. Sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti : et nihil patiebantur super contritione Joseph (*Amos* VI, 1-6). Numquidnam isti, qui Prophetas nostros tanquam ineruditos et elocutionis ignaros veluti docti disertique contemnunt, si aliquid eis tale vel in tales dicendum fuisset, aliter se voluissent dicere, qui tamen eorum insanire noluissent?

17. Quid enim est quod isto eloquio aures sobriæ plus desiderent? Primo ipsa invectio, quasi sopitis sensibus ut evigilarent, quo fremitu illisa est? *Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel!* Dein, de ut beneficiis Dei, qui eis ampla spatia regni dedit, ostendat ingratos, quoniam confidebant in monte Samariæ, ubi utique idola colebantur, *Transite*, inquit, *in Chalanne, et videte, et ite inde in Emath magnam, et descendite in Geth Palæstinorum, et ad optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est.* Simul etiam cum ista dicuntur, locorum nominibus tanquam luminibus ornatur eloquium, quæ sunt Sion, Samaria, Chalanne, Emath magna, et Geth Palæstinorum. Deinde verba quæ his adjunguntur locis, decentissime variantur : *Opulenti estis, confiditis, transite, ite, descendite.*

18. Consequenter denuntiatur futura sub iniquo rege appropinquare captivitas, cum adjungitur, *Qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis.* Tunc subjiciuntur merita luxuriæ, *Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris : qui comeditis agnum da grege, et vitulos de medio armenti.* Ista sex membra tres bimembres circuitus ediderunt. Non enim ait, Qui separati estis in diem malum, qui appropinquatis solio iniquitatis, qui dormitis in lectis eburneis, qui lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti; si ita diceretur, esset quidem et hoc pulchrum, ut ab uno pronomine repetito singula sex membra decurrerent, et pronuntiantis voce singula finirentur : sed pulchrius factum est, ut eidem pronomini essent bina subnexa, quæ tres sententias explicarent; unam ad captivitatis prænuntiationem, *Qui separati estis in diem malum, et appropinquatis solio iniquitatis;* alteram ad libidinem, *Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris;* ad voracitatem vero tertiam pertinentem, *Qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti :* ut in potestate sit pronuntiantis, utrum singula finiat, et membra sint sex, an primum et tertium et quintum voce suspendat, et secundum primo, quartum tertio, sextum quinto connectendo, tres bimembres circuitus decentissime faciat; unum quo calamitas imminens, alterum quo lectus impurus, tertium quo prodiga mensa monstretur.

19. Deinde luxuriosam remordet aurium voluptatem. Ubi cum dixisset, *Qui canitis ad vocem psalterii,* quoniam potest exerceri sapienter a sapientibus musica, mirabili decore dicendi, invectionis impetu relaxato, et non ad illos, sed de illis jam loquens, ut nos musicam sapientis a musica luxuriantis distinguere commoneret, non ait, Qui canitis ad vocem psalterii, et sicut David putatis vos habere vasa cantici : sed cum illud ad illos dixisset, quod luxuriosi audire deberent, *Qui canitis ad vocem psalterii,* imperitiam quoque eorum aliis quodammodo indicavit, adjungens, *Sicut David putaverunt se habere vasa cantici, bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti.* Tria hæc melius pronuntiantur, si suspensis duobus prioribus membris circuitus, tertio finiantur.

20. Jam vero quod his omnibus adjicitur, *Et nihil patiebantur super contritione Joseph*, sive continuatim dicatur ut unum sit membrum, sive decentius suspendatur, *et nihil patiebantur*, et post hanc distinctionem inferatur, *super contritione Joseph*, atque sit bimembris circuitus; miro decore non dictum est, Nihil patiebantur super contritione fratris, sed positus est pro fratre, *Joseph*, ut quicumque frater proprio significaretur ejus nomine, cujus ex fratribus fama præclara est, vel in malis quæ pendit, vel in bonis quæ rependit. Iste certe tropus ubi Joseph quemcumque fratrem facit intelligi, nescio utrum illa quam didicimus et docuimus, arte tradatur. Quam sit tamen pulcher, et quemadmodum afficiat legentes atque intelligentes, non opus est cuiquam dici, si ipse non sentit.

21. Et plura quidem, quæ pertinent ad præcepta eloquentiæ, in hoc ipso loco, quem pro exemplo posuimus, possunt reperiri. Sed bonum auditorem, non tam si diligenter discutiatur, instruit, quam si ardenter pronuntietur, accendit. Neque enim hæc humana industria composita, sed divina mente sunt fusa et sapienter et eloquenter; non intenta in eloquentiam sapientia, sed a sapientia non recedente eloquentia. Si enim, sicut quidam disertissimi atque acutissimi viri videre ac dicere potuerunt, ea quæ velut oratoria arte discuntur, non observarentur et notarentur, et in hanc doctrinam non redigerentur, nisi prius in oratorum invenirentur ingeniis; quid mirum si et in istis inveniuntur, quos ille misit qui facit ingenia? Quapropter et eloquentes quidem, non solum sapientes, canonicos nostros auctores doctoresque fateamur, tali eloquentia [1], qualis personis ejusmodi congruebat.

CAPUT VIII. — *Obscuritas sacrorum auctorum licet eloquens, non imitanda a doctoribus christianis.*

22. Sed nos etsi de litteris eorum, quæ sine difficultate intelliguntur nonnulla sumimus elocutionis exempla; nequaquam tamen putare debemus imitandos eos nobis esse in iis quæ ad exercendas et elimandas quodammodo mentes legentium, et ad rumpenda fastidia atque acuenda studia discere volentium, celandos [2] quoque, sive ut ad pietatem convertantur, sive ut a mysteriis secludantur, animos impiorum, utili ac salubri obscuritate dixerunt. Sic quippe illi lo-

[1] Bad. Am. Er. et Mss. septem, *tali eloquentia usos.*
[2] Mss. tres, *zelandos.* Sic etiam Bad. Am. et Er.

cuti sunt, ut posteriores qui eos recte intelligerent et exponerent, alteram gratiam, disparem quidem, verumtamen subsequentem in Dei Ecclesia reperirent. Non ergo expositores eorum ita loqui debent, tanquam se ipsi exponendos simili auctoritate proponant; sed in omnibus sermonibus suis primitus ac maxime ut intelligantur elaborent, ea quantum possunt perspicuitate dicendi, ut aut multum tardus sit qui non intelligat, aut in rerum quas explicare atque ostendere volumus difficultate ac subtilitate, non in nostra locutione sit causa quo minus tardiusve quod dicimus possit intelligi.

CAPUT IX. — *Difficilia intellectu apud quos et quomodo tractanda.*

23. Sunt enim quædam quæ vi sua non intelliguntur, aut vix intelliguntur, quantolibet et quantumlibet, quamvis planissime, dicentis versentur eloquio; quæ in populi audientiam, vel raro, si aliquid urget, vel nunquam omnino mittenda sunt. In libris autem, qui ita scribuntur ut ipsi sibi quodammodo lectorem teneant cum intelliguntur, cum autem non intelliguntur molesti non sint molentibus legere, et in aliquorum collocutionibus [1], non est hoc officium deserendum, ut vera, quamvis difficillima ad intelligendum, quæ ipsi jam percepimus, cum quantocumque labore disputationis ad aliorum intelligentiam perducamus, si tenet auditorem vel collocutorem discendi cupiditas, nec mentis capacitas desit, quæ quoquo modo intimata possit accipere; non curante illo qui docet, quanta eloquentia doceat, sed quanta evidentia.

CAPUT X. — *Perspicuitatis in dicendo studium.*

24. Cujus evidentiæ diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene sonet, sed quid bene indicet atque intimet quod ostendere intendit. Unde ait quidam, cum de tali genere locutionis ageret, esse in ea quamdam diligentem negligentiam (*Cicero*, *in Oratore*). Hæc tamen sic detrahit ornatum, ut sordes non contrahat. Quamvis in bonis doctoribus tanta docendi cura sit, vel esse debeat, ut verbum quod nisi obscurum sit vel ambiguum, latinum esse non potest, vulgi autem more sic dicitur ut ambiguitas obscuritasque vitetur, non sic dicatur ut a doctis, sed potius ut ab indoctis dici solet. Si enim non piguit dicere interpretes nostros, *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus* (*Psal.* XV, 4), quoniam senserunt ad rem pertinere, ut eo loco pluraliter enuntiaretur hoc nomen, quod in latina lingua tantummodo singulariter dicitur; cur pietatis doctorem pigeat imperitis loquentem, ossum potius quam os dicere, ne ista syllaba non ab eo quod sunt ossa, sed ab eo quod sunt ora intelligatur, ubi Afræ aures de correptione vocalium vel productione non judicant? Quid enim prodest locutionis integritas, quam non sequitur intellectus audientis, cum loquendi omnino nulla sit causa, si quod loquimur non intelligunt, propter quos ut intelligant loquimur? Qui ergo docet, vitabit omnia verba quæ non docent; et si pro eis alia integra, quæ intelligantur, potest dicere, id magis eliget: si autem non potest, sive quia non sunt, sive quia in præsentia non occurrunt, utetur etiam verbis minus integris, dum tamen res ipsa doceatur atque discatur integre.

25. Et hoc quidem non solum in collocutionibus, sive fiant cum aliquo uno, sive cum pluribus; verum etiam multo magis in populis quando sermo promitur, ut intelligamur instandum est. Quia in collocutionibus est cuique interrogandi potestas: ubi autem omnes tacent ut audiatur unus, et in eum intenta ora convertunt, ibi ut requirat quisque quod non intellexerit, nec moris est nec decoris; ac per hoc debet maxime tacenti subvenire cura dicentis. Solet autem motu suo significare utrum intellexerit cognoscendi avida multitudo: quod donec significet, versandum est quod agitur, multimoda varietate dicendi; quod in potestate non habent, qui præparata et ad verbum memoriter retenta pronuntiant. Mox autem ut intellectum esse constiterit, aut sermo finiendus, aut in alia transeundum est. Sicut enim gratus est qui cognoscenda enubilat; sic onerosus est qui cognita inculcat, eis duntaxat quorum tota exspectatio in dissolvenda eorum, quæ panduntur, difficultate pendebat. Nam delectandi gratia etiam nota dicuntur; ubi non ipsa, sed modus quo dicuntur attenditur. Quod si et ipse jam notus est, atque auditoribus placet, pene nihil interest utrum is qui dicit, dictor vel lector sit. Solent enim et ea quæ commode scripta sunt, non solum ab iis quibus primitus innotescunt, jucunde legi; verum ab iis etiam quibus jam nota sunt, neque adhuc illa de memoria delevit oblivio, non sine jucunditate relegi, vel ab utrisque libenter audiri. Quæ autem quisque jam oblitus est, cum commonetur, docetur. Sed de modo delectandi nunc non ago; de modo quo docendi sunt qui discere desiderant, loquor. Is autem est optimus, quo fit ut qui audit, verum audiat, et quod audit intelligat. Ad quem finem cum ventum fuerit, nihil tunc amplius de ipsa re tanquam diutius docenda laborandum est, sed forte de commendanda ut in corde figatur: quod si faciendum videbitur, ita modeste faciendum est, ne perveniatur ad tædium.

CAPUT XI. — *Quare conanti docere dicendum perspicue, non tamen insuaviter.*

26. Prorsus hæc est in docendo eloquentia, qua fit dicendo, non ut libeat quod horrebat, aut ut fiat quod pigebat, sed ut appareat quod latebat. Quod tamen si fiat insuaviter, ad paucos quidem studiosissimos suus pervenit fructus, qui ea quæ discenda sunt, quamvis abjecte inculteque dicantur, scire desiderant. Quod cum adepti fuerint, ipsa delectabiliter veritate pascuntur: bonorumque ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est. Sed

[1] In prius editis, *cum intelliguntur, molesti non sint volentibus legere: cum autem non intelliguntur, molesti non sint nolentibus legere. Et in aliquorum*, etc. Hunc locum Mss. subsidio liberavimus ab inepto glossemate, et a prava interpunctione, quæ a se invicem distrahebat partes propositionis hujus: *In libris autem..... non est hoc officium deserendum.*

quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes atque discentes, propter fastidia plurimorum, etiam ipsa sine quibus vivi non potest, alimenta condienda sunt.

CAPUT XII. — *Oratoris est docere, delectare, flectere, ex Cicerone, de Oratore. Quo modo hæc tria præstare debet.*

27. Dixit ergo quidam eloquens, et verum dixit, ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Deinde addidit: *Docere necessitatis est, delectare suavitatis, flectere victoriæ* (*Cicero, de Oratore*). Horum trium quod primo loco positum est, hoc est docendi necessitas, in rebus est constituta quas dicimus; reliqua duo, in modo quo dicimus. Qui ergo dicit cum docere vult, quamdiu non intelligitur, nondum se existimet dixisse quod vult ei quem vult docere. Quia etsi dixit quod ipse intelligit, nondum illi dixisse putandus est, a quo intellectus non est: si vero intellectus est, quocumque modo dixerit, dixit. Quod si etiam delectare vult eum cui dicit, aut flectere, non quocumque modo dixerit, faciet; sed interest quomodo dicat, ut faciat. Sicut est autem, ut teneatur ad audiendum, delectandus auditor; ita flectendus, ut moveatur ad agendum. Et sicut delectatur, si suaviter loquaris; ita flectitur, si amet quod polliceris, timeat quod minaris, oderit quod arguis, quod commendas amplectatur, quod dolendum exaggeras doleat; cum quid lætandum prædicas gaudeat, misereatur eorum quos miserandos ante oculos dicendo constituis, fugiat eos quos cavendos terrendo proponis; et quidquid aliud grandi eloquentia fieri potest ad commovendos animos auditorum, non quid agendum sit ut sciant, sed ut agant quod agendum esse jam sciunt.

28. Si autem adhuc nesciunt, prius utique docendi sunt quam movendi. Et fortasse rebus ipsis cognitis ita movebuntur, ut eos non opus sit majoribus eloquentiæ viribus jam moveri. Quod tamen cum opus est, faciendum est: tunc autem opus est, quando cum scierint quid agendum sit, non agunt. Ac per hoc docere necessitatis est. Possunt enim homines et agere et non agere quod sciunt. Quis autem dixerit eos agere debere quod nesciunt? Et ideo flectere necessitatis non est, quia non semper opus est, si tantum docenti vel etiam delectanti consentit auditor. Ideo autem victoriæ est flectere, quia fieri potest ut doceatur et delectetur, et non assentiatur. Quid autem illa duo proderunt, si desit hoc tertium? Sed neque delectare necessitatis est: quandoquidem cum dicendo vera monstrantur, quod ad officium docendi pertinet, non eloquio agitur, neque hoc attenditur, ut vel ipsa vel ipsum delectet eloquium, sed per seipsa, quoniam vera sunt, manifestata delectant. Unde plerumque delectant etiam falsa patefacta atque convicta. Neque enim delectant, quia falsa sunt; sed quia falsa esse verum est, delectat et dictio qua hoc verum esse monstratum est.

CAPUT XIII. — *Dicendo demum flectendi animi.*

29. Propter eos autem quibus fastidientibus non placet veritas, si alio quocumque modo, nisi eo modo dicatur, ut placeat et sermo dicentis, datus est in eloquentia non parvus etiam delectationi locus. Quæ tamen addita non sufficit duris, quos nec intellexisse, nec docentis elocutione delectatos esse profuerit. Quid enim hæc duo conferunt homini, qui et confitetur verum, et collaudat eloquium, nec inclinat assensum, propter quem solum, cum aliquid suadetur, rebus quæ dicuntur invigilat dicentis intentio? Si enim talia docentur quæ credere vel nosse sufficiat, nihil est aliud eis consentire, nisi confiteri vera esse. Cum vero id docetur quod agendum est, et ideo docetur ut agatur, frustra persuadetur verum esse quod dicitur, frustra placet modus ipse quo dicitur, si non ita discitur ut agatur. Oportet igitur eloquentem ecclesiasticum, quando suadet aliquid quod agendum est, non solum docere ut instruat, et delectare ut teneat, verum etiam flectere ut vincat. Ipse quippe jam remanet ad consensionem flectendus eloquentiæ granditate, in quo id non egit usque ad ejus confessionem demonstrata veritas, adjuncta etiam suavitate dictionis.

CAPUT XIV. — *Dictionis suavitas pro ratione argumenti procuranda est.*

30. Cui suavitati tantum operæ impensum est ab hominibus, ut non solum non facienda, verum etiam fugienda ac detestanda tot et tanta mala atque turpia, quæ malis et turpibus disertissime persuasa sunt, non ut eis consentiatur, sed sola delectationis gratia, lectitentur. Avertat autem Deus ab Ecclesia sua quod de synagoga Judæorum Jeremias propheta commemorat dicens: *Pavor et horrenda facta sunt super terram: Prophetæ prophetabant iniqua, et sacerdotes plausum dederunt manibus suis, et plebs mea dilexit sic. Et quid facietis in futurum* (*Jerem.* v, 30, 31)? O eloquentia tanto terribilior, quanto purior; et quanto solidior, tanto vehementior! O vere securis concidens petras! huic enim rei simile esse verbum suum, quod per sanctos Prophetas fecit, per hunc ipsum prophetam Deus ipse dixit (*Id.* XLVI, 22). Absit itaque, absit a nobis, ut sacerdotes plaudant iniqua dicentibus, et plebs Dei diligat sic. Absit a nobis, inquam, tanta dementia: nam quid faciemus in futurum? Et certe minus intelligantur, minus placeant, minus moveant quæ dicuntur; verumtamen dicantur; et justa [1], non iniqua libenter audiantur: quod utique non fieret, nisi suaviter dicerentur.

31. In populo autem gravi, de quo dictum est Deo, *In populo gravi laudabo te* (*Psal.* XXXIV, 18), nec illa suavitas delectabilis est, qua non quidem iniqua dicuntur, sed exigua et fragilia bona spumeo verborum ambitu ornantur, quali nec magna atque stabilia decenter et graviter ornarentur. Est tale aliquid in epistola beatissimi Cypriani, quod ideo puto vel accidisse, vel consulto factum esse, ut sciretur a posteris, quam linguam doctrinæ christianæ sanitas ab ista redundantia revocaverit, et ad eloquentiam graviorem modestioremque restrinxerit; qualis in ejus conse-

[1] Sic Mss. melioris notæ. At editi, *vera tamen dicantur et justa.*

quentibus litteris secure amatur, religiose appetitur, sed difficillime impletur. Ait ergo quodam loco : *Petamus hanc sedem : dant secessum vicina secreta ; ubi dum erratici palmitum lapsus pendulis nexibus per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt* (*Cypr., Epist. 1 ad Donatum*). Non dicuntur ista nisi mirabiliter affluentissima fecunditate facundiæ, sed profusione nimia gravitati displicent. Qui vero hæc amant, profecto eos qui non ita dicunt, sed castigatius eloquuntur, non posse ita eloqui existimant, non judicio ista devitare. Quapropter iste vir sanctus et posse se ostendit sic dicere, quia dixit alicubi, et nolle, quoniam postmodum nusquam.

CAPUT XV. — *Orandus Deus doctori eccleciastico ante concionem.*

32. Agit itaque noster iste eloquens, cum et justa et sancta et bona dicit, neque enim alia debet dicere; agit ergo quantum potest cum ista dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur : et hæc se posse, si potuerit, et in quantum potuerit, pietate magis orationum, quam oratorum facultate non dubitet; ut orando pro se, ac pro illis quos est allocuturus, sit orator antequam dictor. Ipsa hora jam ut dicat accedens, priusquam exserat proferentem linguam, ad Deum levet animam sitientem, ut eructet quod biberit, vel quod impleverit fundat. Cum enim de unaquaque re, quæ secundum fidem dilectionemque [1] tractanda sunt, multa sint quæ dicantur, et multi modi quibus dicantur ab eis qui hæc sciunt; quis novit quid ad præsens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? et quis facit ut quod oportet, et quemadmodum oportet, dicatur a nobis, nisi in cujus manu sunt et nos et sermones nostri (*Sap.* VII, 16)? Ac per hoc, discat quidem omnia quæ docenda sunt, qui et nosse vult et docere; facultatemque dicendi, ut decet virum ecclesiasticum, comparet : ad horam vero ipsius dictionis, illud potius bonæ menti cogitet convenire quod Dominus ait, *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini : non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X, 19, 20). Si ergo loquitur in eis Spiritus sanctus, qui persequentibus traduntur pro Christo, cur non et in eis qui tradunt discentibus Christum?

CAPUT XVI. — *Docendi præcepta non superfluo dantur ab homine, tametsi doctores efficiat Deus.*

33. Quisquis autem dicit non esse hominibus præcipiendum quid, vel quemadmodum doceant, si doctores sanctus efficit Spiritus, potest dicere nec orandum nobis esse, quia Dominus ait, *Scit pater vester quid vobis necessarium sit, prius quam petatis ab eo* (*Id.* VI, 8); aut apostolum Paulum Timotheo et Tito non debuisse præcipere quid, vel quemadmodum præciperent aliis. Quas tres apostolicas Epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia doctoris persona imposita. Nonne in prima ad Timotheum legitur : *Annuntia hæc et doce* (I *Tim.* IV, 11)? quæ autem sint, supra dictum est. Nonne ibi est : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* (*Id.* V, 1)? Nonne in secunda ei dicitur : *Formam habe verborum sanorum, quæ a me audisti* (II *Tim.* I, 13)? Nonne ibi ei dicitur : *Satis age, teipsum probabilem operarium exhibens Deo, non erubescentem, verbum veritatis recte tractantem* (*Id.* II, 15)? Ibi est et illud : *Prædica verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni longanimitate et doctrina* (II *Tim.* IV, 2). Itemque ad Titum, nonne dicit episcopum juxta doctrinam fidelis verbi perseverantem esse debere, *ut potens sit in doctrina sana et contradicentes redarguere* (*Tit.* I, 9)? Ibi etiam dicit : *Tu vero loquere quæ decent sanam doctrinam, senes sobrios esse* (*Id.* II, 1, 2), et quæ sequuntur. Ibi et illud : *Hæc loquere, et exhortare, et increpa cum omni imperio. Nemo te contemnat* (*Ibid.* 15). *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse* (*Id.* III, 1), etc. Quid ergo putamus? Numquid contra seipsum sentit Apostolus, qui cum dicat doctores operatione fieri Spiritus sancti, ipse illis præcipit quid et quemadmodum doceant? An intelligendum est, et hominum officia ipso sancto Spiritu largiente, in docendis etiam ipsis doctoribus non debere cessare; et tamen neque qui plantat esse aliquid, neque qui rigat, sed Deum qui incrementum dat (I *Cor.* III, 7)? Unde ipsis quoque ministris sanctis hominibus, vel etiam sanctis Angelis operantibus, nemo recte discit quæ pertinent ad vivendum cum Deo, nisi fiat a Deo docilis Deo [1], cui dicitur in Psalmo : *Doce me facere voluntatem tuam, quoniam tu es Deus meus* (*Psal.* CXLII, 10). Unde et ipsi Timotheo idem dicit apostolus, loquens utique ad discipulum doctor : *Tu autem persevera in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris* (II *Tim.* III, 14). Sicut enim corporis medicamenta, quæ hominibus ab hominibus adhibentur, nonnisi eis prosunt quibus Deus operatur salutem, qui et sine illis mederi potest, cum sine ipso illa non possint, et tamen adhibentur; et si hoc officiose fiat, inter opera misericordiæ vel beneficentiæ deputatur : ita et adjumenta doctrinæ tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cum Deus operatur ut prosint, qui potuit Evangelium dare homini, etiam non ab hominibus, neque per hominem.

CAPUT XVII. — *Ad docendum delectandum et flectendum pertinet triplex dicendi genus.*

34. Qui ergo nititur dicendo persuadere quod bonum est, nihil horum trium spernens, ut scilicet doceat, ut delectet, ut flectat; oret atque agat, ut quemadmodum supra diximus, intelligenter, libenter, obedienterque audiatur. Quod cum apte et convenienter facit, non immerito eloquens dici potest, etsi non eum sequatur auditoris assensus. Ad hæc enim tria, id est ut doceat, ut delectet, ut flectat, etiam tria illa videtur pertinere voluisse idem ipse Romani auctor eloquii, cum itidem dixit, *Is igitur erit eloquens, qui poterit parva submisse, modica temperate, magna gran-*

[1] Editi, *delectationemque*. Mss. potiores, *dilectionemque*.

[1] Hic vulgati omittunt, *Deo*; quod Mss. habent, nec superfluo.

diter dicere (*Cicero, de Oratore*) : tanquam si adderet illa etiam tria, et sic explicaret unam eamdemque sententiam dicens, Is erit igitur eloquens, qui ut doceat, poterit parva submisse; ut delectet, modica temperate; ut flectat, magna granditer dicere.

CAPUT XVIII. — *Ecclesiasticus orator in materia grandi semper versatur.*

35. Hæc autem tria ille, sicut ab eo dicta sunt, in causis forensibus posset ostendere; non autem hic, hoc est in ecclesiasticis quæstionibus, in quibus hujusmodi, quem volumus informare, sermo versatur. In illis enim ea parva dicuntur, ubi de rebus pecuniariis judicandum est; ea magna, ubi de salute ac de capite hominum : ea vero ubi nihil horum judicandum est, nihilque agitur ut agat sive decernat, sed tantummodo ut delectetur auditor, inter utrumque quasi media, et ob hoc modica, hoc est moderata dixerunt. Modicis enim modus nomen imposuit : nam modica pro parvis abusive, non proprie dicimus. In istis autem nostris, quandoquidem omnia, maxime quæ de loco superiore populis dicimus, ad hominum salutem, nec temporariam, sed æternam referre debemus, ubi etiam cavendus est æternus interitus, omnia magna sunt quæ dicimus; usque adeo ut nec de ipsis pecuniariis rebus vel acquirendis vel amittendis parva videri debeant, quæ doctor ecclesiasticus dicit, sive sit illa magna, sive parva pecunia. Neque enim parva est justitia, quam profecto et in parva pecunia custodire debemus, dicente Domino : *Qui in minimo fidelis est, et in magno fidelis est* (*Luc.* XVI, 10). Quod ergo minimum est, minimum est; sed in minimo fidelem esse, magnum est. Nam sicut ratio rotunditatis, id est ut a puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur, eadem est in magno disco, quæ in nummulo exiguo; ita ubi parva juste geruntur, non minuitur justitiæ magnitudo.

36. De judiciis denique sæcularibus (quibus utique nisi pecuniariis?) cum loqueretur Apostolus : *Audet quisquam vestrum*, inquit, *adversus alterum habens negotium, judicari ab iniquis, et non apud sanctos? An nescitis quia sancti mundum judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quia Angelos judicabimus, nedum sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos constituite ad judicandum* [1]. *Ad reverentiam vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum judicare? Sed frater cum fratre judicatur, et hoc apud infideles. Jam quidem omnino delictum est, quia judicia habetis vobiscum. Quare non magis iniquitatem patimini? quare non potius fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis, et fraudatis, et hoc fratres* [2]. *An nescitis quia injusti regnum Dei non hæreditabunt* (I *Cor.* VI, 1-9)? Quid est quod sic indignatur Apostolus, sic corripit, sic exprobrat, sic increpat, sic minatur? quid est quod sui animi affectum tam crebra et tam aspera vocis mutatione testatur? quid est postremo quod de rebus minimis tam granditer dicit? Tantumne de illo negotia sæcularia meruerunt? Absit. Sed hoc facit propter justitiam, charitatem, pietatem, quæ, nulla sobria mente dubitante, etiam in rebus quamlibet parvulis magna sunt.

37. Sane si moneremus homines quemadmodum ipsa negotia sæcularia vel pro se vel pro suis apud ecclesiasticos judices agere deberent, recte admoneremus ut agerent tanquam parva submisse : cum vero de illius viri disseramus eloquio, quem volumus earum rerum esse doctorem, quibus liberamur ab æternis malis, atque ad æterna pervenimus bona; ubicumque agantur hæc, sive ad populum sive privatim, sive ad unum sive ad plures, sive ad amicos sive ad inimicos, sive in perpetua dictione sive in collocutione, sive in tractatibus sive in libris, sive in epistolis vel longissimis vel brevissimis, magna sunt. Nisi forte quoniam calix aquæ frigidæ, res minima atque vilissima est, ideo minimum aliquid atque vilissimum Dominus ait, quod eum qui dederit discipulo ejus, non perdet mercedem suam (*Matth.* X, 42) : aut vero quando iste doctor in Ecclesia facit inde sermonem, parvum aliquid debet existimare se dicere; et ideo non temperate, non granditer, sed submisse sibi esse dicendum. Nonne quando accidit ut de hac re loqueremur ad populum, et Deus adfuit ut non incongrue diceremus, tanquam de illa aqua frigida quædam flamma surrexit (II *Mach.* I, 32), quæ etiam frigida hominum pectora, ad misericordiæ opera facienda, spe cœlestis mercedis accenderet?

CAPUT XIX. — *Alias alio utendum dicendi genere.*

38. Et tamen cum doctor iste debeat rerum dictor esse magnarum, non semper eas debet granditer dicere, sed submisse, cum aliquid docetur; temperate, cum aliquid vituperatur sive laudatur : cum vero aliquid agendum est, et ad eos loquimur, qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea quæ magna sunt, dicenda sunt granditer, et ad flectendos animos congruenter. Et aliquando de una eademque re magna, et submisse dicitur, si docetur; et temperate, si prædicatur; et granditer, si aversus inde animus ut convertatur impellitur. Quid enim Deo ipso majus est? Numquid ideo non discitur [1]? Aut qui docet unitatem Trinitatis, debet nisi submissa disputatione agere, ut res ad dignoscendum difficilis, quantum datur, possit intelligi? Numquid hic ornamenta, et non documenta quæruntur? numquid ut aliquid agat est flectendus auditor, et non potius ut discat instruendus? Porro cum laudatur Deus sive de seipso, sive de operibus suis, quanta facies pulchræ ac splendidæ dictionis oboritur ei qui potest quantum potest laudare, quem nemo convenienter laudat, nemo quomodocumque non laudat! At si non colatur, aut cum illo vel etiam præ illo colantur idola, sive dæmonia, sive quæcumque creatura; quantum hoc malum sit, atque ut ab

[1] Mss., *collocate*; et prope omnes omittunt, *ad judicandum* : quod etiam abest a græco textu Apostoli.
[2] Mss. quinque, *et hoc apud fratres*. Alii tres, *et hoc fratribus*.

[1] Editi, *dicitur*. Sed concinnius Mss., *discitur*.

hoc malo avertantur homines, debet utique granditer dici.

CAPUT XX.— *Exempla ex sacris Litteris, primum, dictionis submissæ; deinde temperatæ; postremo, grandis : hæc tria ex Epistolis Pauli.*

39. Submissæ dictionis exemplum est apud apostolum Paulum, ut planius aliquid commemorem, ubi ait : *Dicite mihi, sub Lege volentes esse, Legem non audistis? Scriptum est enim, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera : sed ille qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem : quæ sunt in allegoria. Hæc enim sunt duo Testamenta : unum quidem a monte Sina in servitutem generans, quæ est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus* [1] *est huic quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra* (*Galat.* IV, 21-26), etc. Itemque ubi ratiocinatur, et dicit : *Fratres, secundum hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo irritum facit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit, Et seminibus, tanquam in multis, sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est Lex, non infirmat ad evacuandas promissiones. Si enim ex Lege hæreditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus.* Et quia occurrere poterat audientis cogitationi, Utquid ergo Lex data est, si ex illa non est hæreditas? ipse sibi hoc objecit, atque ait velut interrogans : *Quid ergo Lex?* Deinde respondit : *Transgressionis gratia proposita est, donec veniret semen cui promissum est, disposita* [2] *per Angelos in manu mediatoris. Mediator autem unius non est, Deus vero unus est.* Et hic occurrebat, quod sibi ipse proposuit, *Lex ergo adversus promissa Dei?* Et respondit, *Absit :* reddiditque rationem, dicens, *Si enim data esset Lex quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus*, etc. (*Galat.* III, 15-22); vel si quid ejusmodi est. Pertinet ergo ad docendi curam non solum aperire clausa, et nodos solvere quæstionum; sed etiam dum hoc agitur, aliis quæstionibus, quæ fortassis inciderint, ne id quod dicimus improbetur per illas aut refellatur, occurrere : si tamen et ipsa earum solutio pariter occurrerit, ne moveamus quod auferre non possumus. Fit autem ut cum incidentes quæstioni aliæ quæstiones, et aliæ rursus incidentibus incidentes pertractantur atque solvuntur, in eam longitudinem ratiocinationis extendatur intentio, ut nisi memoria plurimum valeat atque vigeat, ad caput unde agebatur disputator redire non possit. Valde autem bonum est ut quidquid contradici potest, si occurrerit, refutetur; ne ibi occurrat, ubi non erit qui respondeat; aut præsenti quidem, sed tacenti occurrat, et minus sanatus abscedat.

40. In illis autem apostolicis verbis dictio temperata est : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juniores ut fratres, anus ut matres, adolescentulas ut sorores* (I *Tim.* V, 1, 2). Et in illis : *Obsecro autem vos, fratres, per miserationem Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem.* Et totus fere ipsius exhortationis locus temperatum habet elocutionis genus : ubi illa pulchriora sunt, in quibus propria propriis tanquam debita reddita decenter excurrunt, sicuti est, *Habentes dona diversa secundum gratiam quæ data est nobis; sive prophetiam, secundum regulam fidei; sive ministerium, in ministrando; sive qui docet, in doctrina; sive qui exhortatur, in exhortatione; qui tribuit, in simplicitate; qui præest, in sollicitudine; qui miseretur, in hilaritate. Dilectio sine simulatione; odio habentes malum, adhærentes bono : charitate fraternitatis invicem diligentes, honore mutuo prævenientes, studio non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos; benedicite, et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus : idipsum invicem sentientes* (*Rom.* XII, 1, 6-16). Et quam pulchre ista omnia sic effusa, bimembri circuitu terminantur, *Non alta sapientes, sed humilibus consentientes!* Et aliquanto post : *In hoc ipso*, inquit, *perseverantes, reddite omnibus debita : cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Quæ membratim fusa clauduntur etiam ipsa circuitu, quem duo membra contexunt : *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Et post paululum : *Nox præcessit*, inquit, *dies autem appropinquavit. Abjiciamus itaque opera tenebrarum, et induamus arma lucis : sicut in die honeste ambulemus; non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione; sed induite Dominum Jesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis* (*Id.* XIII, 6-8, 12-14). Quod si quisquam ita diceret, Et carnis providentiam ne in concupiscentiis feceritis; sine dubio aures clausula numerosiore mulceret : sed gravior interpres etiam ordinem maluit tenere verborum. Quomodo autem hoc in græco eloquio sonet, quo est locutus Apostolus, viderint ejus eloquii usque ad ista doctiores : mihi tamen quod nobis eodem verborum ordine interpretatum est, nec ibi videtur currere numerose.

41. Sane hunc elocutionis ornatum, qui numerosis fit clausulis, deesse fatendum est auctoribus nostris. Quod utrum per interpretes factum sit, an (quod magis arbitror) consulto illi hæc plausibilia devitaverint, affirmare non audeo, quoniam me fateor ignorare. Illud tamen scio, quod si quisquam hujus numerositatis peritus illorum clausulas eorumdem numerorum lege componat, quod facillime fit mutatis quibusdam verbis, quæ tantumdem significatione valent, vel mutato eorum quæ invenerit ordine; nihil illorum quæ velut magna in scholis grammaticorum aut rhetorum didicit, illis divinis viris defuisse cogno-

[1] In Mss. fere omnibus, *quæ conjuncta est.*
[2] In Mss. plerisque, *dispositum.*

scet : et multa reperiet locutionis genera tanti decoris, quæ quidem et in nostra, sed maxime in sua lingua decora sunt, quorum nullum in eis, quibus isti inflantur, litteris invenitur. Sed cavendum est ne divinis gravibusque sententiis, dum additur numerus, pondus detrahatur. Nam illa musica disciplina, ubi numerus iste plenissime discitur, usque adeo non defuit Prophetis nostris, ut vir doctissimus Hieronymus quorumdam etiam metra commemoret, in hebræa duntaxat lingua (*Hieron. in prologo super Job*) : cujus ut veritatem servaret in verbis, hæc inde non transtulit. Ego autem ut de sensu meo loquar, qui mihi quam aliis et quam aliorum est utique notior, sicut in meo eloquio, quantum modeste fieri arbitror, non prætermitto istos numeros clausularum ; ita in auctoribus nostris hoc mihi plus placet, quod ibi eos rarissime invenio.

42. Grande autem dicendi genus hoc maxime distat ab isto genere temperato, quod non tam verborum ornatibus comptum est, quam violentum animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamenta pene omnia ; sed ea si non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu suo, et elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi rerum rapit, non cura decoris assumit. Satis enim est ei propter quod agitur, ut verba congruentia, non oris eligantur industria, sed pectoris sequantur ardorem. Nam si aurato gemmatoque ferro vir fortis armetur, intentissimus pugnæ, agit quidem illis armis quod agit, non quia pretiosa, sed quia arma sunt : idem ipse est tamen, et valet plurimum, etiam cum rimanti telum ira facit [1]. Agit Apostolus, ut pro evangelico ministerio patienter mala hujus temporis, cum solatio donorum Dei, omnia tolerentur. Magna res est, et granditer agitur, nec desunt ornamenta dicendi : *Ecce*, inquit, *nunc tempus acceptabile*, *ecce nunc dies salutis. Nullam in quoquam dantes offensionem, ut non reprehendatur ministerium nostrum : sed in omnibus commendantes nosmetipsos ut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in benignitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei : per arma justitiæ a dextris et a sinistris* [2], *per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam; ut seductores, et veraces; ut qui ignoramur, et cognoscimur; quasi morientes, et ecce vivimus : ut coerciti, et non mortificati; ut tristes, semper autem gaudentes ; sicut egeni, multos autem ditantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes.* Vide adhuc ardentem, *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii; cor nostrum dilatatum est* (II *Cor.* VI, 2-11), et cætera, quæ persequi longum est.

[1] Lov., *rimanti telo mira facit.* Sed verius aliæ editiones et Mss., *rimanti telum ira facit.* Quod usurpatum est ex Virgilio, Æneid. 7 :

Hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis : quod cuique repertum
Rimanti telum ira facit.

[2] Mss. aliquot optimæ notæ, *arma justitiæ dextra et sinistra.*

43. Itemque ad Romanos agit, ut persecutiones hujus mundi charitate vincantur, spe certa in adjutorio Dei. Agit autem et granditer et ornate : *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt* [1]. *Quoniam quos ante præscivit, et prædestinavit conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, illos et vocavit ; et quos vocavit, ipsos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit. Quid ergo dicemus ad hæc ? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat? Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, magis autem qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui et interpellat pro nobis? Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est, Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis* (*Psal.* XLIII, 22). *Sed in his omnibus supervincimus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque præsentia, neque futura, neque virtus, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro* (*Rom.* VIII, 28-39).

44. Ad Galatas autem quamvis tota ipsa Epistola submisso dicendi genere scripta sit, nisi in extremis partibus ubi est eloquium temperatum ; tamen interponit quemdam locum eo motu animi, ut sine ullis quidem talibus ornamentis, qualia sunt in iis quæ modo posuimus, non posset tamen nisi granditer dici. *Dies*, inquit, *observatis, et menses, et annos, et tempora. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vos* [2]. *Estote sicut et ego, quoniam et ego sicut vos : fratres, precor vos ; nihil me læsistis. Scitis quia per infirmitatem carnis jampridem evangelizavi vobis, et tentationes vestras* [3] *in carne mea non sprevistis, neque respuistis ; sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. Quæ ergo fuit beatitudo vestra? Testimonium vobis perhibeo, quoniam si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi. Ergo inimicus factus sum vobis verum prædicans? Æmulantur vos non bene; sed excludere vos volunt, ut eos æmulemini. Bonum est autem in bono æmulari semper, et non solum cum præsens sum apud vos. Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. Vellem autem nunc adesse apud vos, et mutare vocem meam, quia confundor in vobis* (*Gal.* IV, 10-20). Numquid hic aut contraria contrariis verba sunt reddita, aut aliqua gradatione sibi subnexa sunt, aut cæsa et membra circuitusve sonuerunt? et tamen non ideo tepuit grandis affectus, quo eloquium fervere sentimus.

[1] Editi, *vocati sunt sancti.* Et paulo post., *conformes fieri.* At Mss. carent vocibus, *sancti* et *fieri ;* quæ prætermitti solent ab Augustino, et a græco textu absunt.

[2] Editi, *in vobis.* At Mss., *in vos :* juxta græcum, *eis umâs.*

[3] Mss. plerique habent, *et tentationem vestram.*

CAPUT XXI. — *Exempla triplicis hujus generis dictionis ex doctoribus ecclesiasticis, nempe Cypriano et Ambrosio desumuntur.*

45. Sed apostolica ista sic clara sunt, ut et profunda sint; atque ita conscripta memoriæque mandata, ut non solum lectore vel auditore, verum etiam expositore opus habeant, si quis in eis non superficie contentus altitudinem quærat. Quapropter videamus ista genera dicendi in eis qui istorum lectione ad rerum divinarum atque salubrium scientiam profecerunt, eamque Ecclesiæ ministrarunt. Beatus Cyprianus submisso dicendi genere utitur in eo libro ubi de Sacramento calicis disputat. Solvitur quippe ibi quæstio, in qua quæritur utrum calix dominicus aquam solam, an eam vino mixtam debeat habere. Sed exempli gratia aliquid inde ponendum est. Post principium ergo epistolæ, jam solvere incipiens propositam quæstionem : *Admonitos autem nos scias*, inquit, *ut in calice offerendo dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit, ut calix qui in commemorationem ejus offertur, vino mixtus offeratur. Nam cum dicat Christus, « Ego sum vitis vera »* (*Joan.* XV, 5); *sanguis Christi, non aqua est utique, sed vinum; nec potest videri sanguis ejus, quo redempti et vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur; qui Scripturarum omnium sacramento ac testimonio prædicatur. Invenimus enim in Genesi circa sacramentum Noe hoc idem præcucurrisse, et figuram dominicæ passionis illic exstitisse, quod vinum bibit, quod inebriatus est, quod in domo sua nudatus est, quod fuit recubans nudis et patentibus femoribus; quod nuditas illa patris a medio filio denotata est; a majore vero et minore contecta* (*Gen.* IX, 20-23), *et cætera quæ necesse non est exsequi, cum satis sit hoc solum complecti, quod Noe typum futuræ veritatis ostendens, non aquam sed vinum biberit; et sic imaginem dominicæ passionis expresserit. Item in sacerdote Melchisedech dominicum Sacramentum præfiguratum videmus* [1], *secundum quod Scriptura divina testatur, et dicit : « Et Melchisedech rex Salem protulit panem et vinum. Fuit autem sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham »* (*Id.* XIV, 18). *Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus, ex persona Patris ad Filium dicens : « Ante Luciferum genui te. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech »* (*Psal.* CIX, 4). Hæc et alia quæ sequuntur hujus epistolæ (*Cypr. Epist.* 63, *ad Cæcilium, de Sacramento calicis*), submissæ dictionis modum servant, quod facile est explorare legentibus.

46. Sanctus quoque Ambrosius cum agat rem magnam de Spiritu sancto, ut eum Patri et Filio demonstret æqualem, submisso tamen dicendi genere utitur; quoniam res suscepta non ornamenta verborum, aut ad flectendos animos commotionis affectum, sed rerum documenta desiderat. Ergo inter cætera, in principio hujus operis ait : *Commotus oraculo Gedeon, cum audisset quod deficientibus licet populorum millibus, in uno viro Dominus plebem suam ab hostibus liberaret, obtulit hædum caprarum, cujus carnem secundum præceptum angeli, et azyma supra petram posuit, et ea jure perfudit : quæ simul ut virgæ cacumine, quam gerebat, angelus Dei contigit, de petra ignis erupit, atque ita sacrificium quod offerebatur absumptum est* (*Jud.* VI, 11-21). *Quo indicio declaratum videtur, quod petra illa typum habuerit corporis Christi; quia scriptum est, « Bibebant de consequenti petra, petra autem erat Christus »* (I *Cor.* X, 4). *Quod utique non ad divinitatem ejus, sed ad carnem relatum est, quæ sitientium corda populorum perenni rivo sui sanguinis inundavit. Jam tunc igitur in mysterio declaratum est, quia Dominus Jesus in carne sua, totius mundi peccata crucifixus aboleret, nec solum delicta factorum, sed etiam cupiditates animorum. Caro enim hædi ad culpam facti refertur; jus ad illecebras cupiditatum, sicut scriptum est, « Quia concupivit populus cupiditatem pessimam, et dixerunt, Quis nos cibabit carne »* (*Num.* XI, 4)? *Quod igitur extendit angelus virgam, et tetigit petram, de qua ignis exiit, ostendit quod caro Domini Spiritu repleta divino, peccata omnia humanæ conditionis exureret. Unde et Dominus ait, « Ignem veni mittere in terram »* (*Luc.* XII, 49); et cætera, in quibus rei docendæ ac probandæ maxime incumbit (*Ambros. lib.* 1 *de Spiritu sancto, in prologo*).

47. De genere temperato est apud Cyprianum virginitatis illa laudatio : *Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major et cura. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per ipsas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas : quantoque plus gloriosa* [1] *virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium matris augescit.* Et alio loco in fine epistolæ : *Quomodo portavimus*, inquit, *imaginem ejus qui de limo est, sic portemus et imaginem ejus qui de cœlo est* (I *Cor.* XV, 49). *Hanc imaginem virginitas portat, portat integritas, sanctitas portat et veritas; portant disciplinæ Dei memores, justitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendas injurias mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraterna pace unanimes atque concordes. Quæ vos singula, o bonæ virgines, observare, diligere, implere debetis, quæ Deo et Christo vacantes, ad Dominum cui vos dicastis, majore et meliore parte præceditis. Provectæ annis, junioribus facite magisterium; minores natu, præbete majoribus ministerium, comparibus incitamentum; hortamentis vos mutuis excitate, æmulis de virtute documentis ad gloriam provocate; durate fortiter, spiritualiter pergite, pervenite feliciter; tantum mementote tunc nostri, cum incipiet in vobis virginitas honorari* (*Cypr. Tract. de disciplina et habitu Virginum*).

48. Ambrosius etiam genere dicendi temperato et

[1] Sic in Mss. At in prius editis, *dominici Sacramenti præfiguratum videmus mysterium*. Apud Cyprianum vero, *sacrificii dominici Sacramentum*.

[1] Apud Cyprianum, *copiosa*; in Floriacensi Ms., *generosa*.

ornato professis virginibus proponit, tanquam sub exempli forma, quod moribus imitentur, et dicit: *Virgo erat, non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum : corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior; non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens; intenta operi, verecunda sermoni; arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere; nullum lædere, bene velle omnibus; assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere; fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidivit humilem? quando risit debilem? quando vitavit inopem? Eos solos solita cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, et figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu nihil intus latere tenebrarum, tanquam lucernæ lux intus posita, foris luceat. Quid ego exsequar ciborum parcimoniam, officiorum redundantiam; alterum ultra naturam superfuisse, alterum ipsi naturæ pene defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hic congeminati jejunio dies; et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius qui mortem arceret, non delicias ministraret* (*Ambros. de Virginibus, lib.* 2, *in princip.*), etc. Hæc autem propterea in exemplo hujus temperati generis posui, quia non hic agit ut virginitatem voveant quæ nondum voverunt; sed quales esse debeant quæ jam votæ sunt. Nam ut aggrediatur animus tantum ac tale propositum, grandi utique dicendi genere debet excitari et accendi. Sed martyr Cyprianus de habitu virginum, non de suscipiendo virginitatis proposito scripsit. Iste vero episcopus etiam ad hoc eas magno accendit eloquio.

49. Verum ex eo quod ambo egerunt, dictionis grandis exempla memorabo. Ambo quippe invecti sunt in eas quæ formam pigmentis colorant, vel potius decolorant : quorum prior ille cum hoc ageret, ait inter cætera : *Si quis pingendi artifex vultum alicujus et speciem, et corporis qualitatem æmulo colore signasset; et signato jam consummatoque simulacro, manus alius inferret, ut jam formata, jam picta quasi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria et justa indignatio videretur. Tu te existimas impune laturam tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim impudica circa homines, et incesta fucis lenocinantibus non sis, corruptis violatisque quæ Dei sunt, pejor adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, prævaricatio est veritatis. Monentis Apostoli vox est : « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque festa celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis »* (1 *Cor.* v, 7, 8). *Num sinceritas perseverat et veritas, quando quæ sincera sunt polluuntur, et colorum adulteriis, et medicaminum* [1] *fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit, « Non potes facere capillum unum album aut nigrum »* (*Matth.* v, 36); *et tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse potiorem. Audaci conatu et sacrilego contemptu crines tuos inficis; malo præsagio futurorum capillos jam tibi flammeos auspicaris* (*Cypr. Tract. de disciplina et habitu Virginum*). Longum est inserere omnia quæ sequuntur.

50. Ille vero posterior ut in tales diceret : *Hinc illa*, inquit, *nascuntur incentiva vitiorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, et de adulterio vultus meditentur adulterium castitatis. Quanta hæc amentia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere; et dum verentur maritale judicium, prodere* [2] *suum? Prior enim de se pronuntiat, quæ cupit mutare quod nata est : ita dum alii studet placere, prius ipsa sibi displicet. Quem judicem, mulier, veriorem requiremus deformitatis tuæ, quam teipsam, quæ videri times? Si pulchra es, cur absconderis? si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientiæ, nec alieni gratiam erroris habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere : et irasceris si amet alteram, qui adulterare in te docetur. Mala magistra es injuriæ tuæ. Lenocinari enim refugit, etiam quæ est passa lenonem; ac licet vilis mulier, non alteri tamen, sed sibi peccat. Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt : ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur* (*Ambros. de Virginibus, lib.* 1). Satis, ut existimo, apparet feminas ne suam fucis adulterent formam, et ad pudorem et ad timorem hac facundia vehementer impelli. Proinde neque submissum neque temperatum, sed grande omnino genus hoc elocutionis agnoscimus. Et in his autem quos duos ex omnibus proponere volui, et in aliis ecclesiasticis viris et bona, et bene, id est sicut res postulat, acute, ornate, ardenterque dicentibus, per multa eorum scripta vel dicta possunt hæc tria genera reperiri, et assidua lectione vel auditione, admixta etiam exercitatione, studentibus inolescere.

CAPUT XXII. — *Omnibus generibus dictio varianda est.*

51. Nec quisquam præter disciplinam esse existimet ista miscere : imo quantum congrue fieri potest, omnibus generibus dictio varianda est. Nam quando prolixa est in uno genere, minus detinet auditorem. Cum vero fit in aliud ab alio transitus, etiamsi longius eat, decentius procedit oratio : quamvis habeant et singula genera varietates suas in sermone eloquentium, quibus non sinuntur in eorum qui audiunt, frigescere vel tepescere sensibus. Verumtamen facilius submissum solum, quam solum grande diutius tolerari potest. Commotio quippe animi quanto magis excitanda est, ut nobis assentiatur auditor, tanto minus in ea diu teneri potest, cum fuerit quantum satis est excitata. Et ideo cavendum est, ne dum volumus altius erigere quod erectum est, etiam inde decidat, quo fuerat ex-

[1] Editi et Mss. apud Augustinum, *et colorum adulterinis medicaminum.* Castigamus ex Cypriani libro, *et colorum adulteriis, et medicaminum.*

[2] Ita apud Ambrosium. At in Augustinianis codicibus aliquot, *perdere.* In aliis, *perdidere*, aut, *perdiderunt.*

citatione perductum. Interpositis vero quæ sunt dicenda submissius, bene reditur ad ea quæ opus est granditer dici, ut dictionis impetus sicut maris æstus alternet. Ex quo fit ut grande dicendi genus, si diutius est dicendum, non debeat esse solum, sed aliorum generum interpositione varietur : ei tamen genere dictio tota tribuitur, cujus copia prævaluerit.

CAPUT XXIII. — *Quomodo intermiscenda dictionis genera.*

52. Interest enim quod genus cui generi interponatur, vel adhibeatur, certis et necessariis locis. Nam et in grandi genere semper aut pene semper temperata decet esse principia. Et in potestate est eloquentis ut dicantur nonnulla submisse, etiam quæ possent granditer dici ; ut ea quæ dicuntur granditer, ex illorum fiant comparatione grandiora, et eorum tanquam umbris luminosiora reddantur. In quocumque autem genere aliqua quæstionum vincula solvenda sunt, acumine opus est, quod sibi submissum genus proprie vindicat. Ac per hoc eo genere utendum est et in aliis duobus generibus, quando eis ista incidunt : sicut laudandum aliquid vel vituperandum, ubi nec damnatio cujusquam nec liberatio, nec ad actionem quamlibet assensio requiritur, in quocumque alio genere occurrerit, genus adhibendum et interponendum est temperatum. In grandi ergo genere inveniunt locos suos duo cætera, et in submisso similiter. Temperatum autem genus non quidem semper, sed tamen aliquando submisso indiget, si, ut dixi, quæstio cujus nodus est solvendus, incurrat ; vel quando nonnulla quæ ornari possent, ideo non ornantur, sed submisso sermone dicuntur, ut quibusdam quasi toris ornamentorum præbeant eminentiorem locum. Grande autem genus temperata dictio non requirit : ad delectandos quippe animos, non ad movendos ipsa suscipitur.

CAPUT XXIV. — *Sublime dicendi genus quid efficiat.*

53. Non sane si dicenti crebrius et vehementius acclametur, ideo granditer putandus est dicere : hoc enim et acumina submissi generis, et ornamenta faciunt temperati. Grande autem genus plerumque pondere suo voces premit, sed lacrymas exprimit. Denique cum apud Cæsaream Mauritaniæ populo dissuaderem pugnam civilem, vel potius plus quam civilem, quam *Catervam* vocabant ; neque enim cives tantummodo, verum etiam propinqui, fratres, postremo parentes ac filii lapidibus inter se in duas partes divisi, per aliquot dies continuos, certo tempore anni solemniter dimicabant, et quisque ut quemque poterat occidebat : egi quidem granditer, quantum valui, ut tam crudele atque inveteratum malum de cordibus et moribus eorum avellerem, pelleremque dicendo ; non tamen egisse aliquid me putavi, cum eos audirem acclamantes, sed cum flentes viderem. Acclamationibus quippe se doceri et delectari, flecti autem lacrymis indicabant. Quas ubi aspexi, immanem illam consuetudinem a patribus et avis, longeque a majoribus traditam, quæ pectora eorum hostiliter obsidebat, vel potius, possidebat, devictam, antequam re ipsa id ostenderent, credidi. Moxque sermone finito ad agendas Deo gratias corda atque ora converti. Et ecce jam ferme octo vel amplius anni sunt, propitio Christo, ex quo illic nihil tale tentatum est (*a*). Sunt et alia multa experimenta quibus didicimus, homines, quid in eis fecerit sapientis granditas dictionis, non clamore potius quam gemitu, aliquando etiam lacrymis, postremo vitæ mutatione monstrasse.

54. Submisso etiam dicendi genere sunt plerique mutati : sed ut quod nesciebant, scirent, aut quod eis videbatur incredibile, crederent ; non autem ut agerent quod agendum jam noverant, et agere nolebant. Ad hujusmodi namque duritiam flectendam, debet granditer dici. Nam et laudes et vituperationes quando eloquenter dicuntur, cum sint in genere temperato, sic afficiunt quosdam, ut non solum in laudibus et vituperationibus eloquentia delectentur, verum et ipsi laudabiliter appetant, fugiantque vituperabiliter vivere. Sed numquid omnes qui delectantur, mutantur [1], sicut in grandi genere omnes qui flectuntur, agunt ; et in submisso genere omnes qui docentur, sciunt, aut credunt verum esse quod nesciunt?

CAPUT XXV. — *Temperatum dicendi genus quem in finem referri decet.*

55. Unde colligitur illa duo genera quod efficere intendunt, hoc eis esse maxime necessarium, qui sapienter et eloquenter volunt dicere. Illud vero quod agitur genere temperato, id est, ut eloquentia ipsa delectet, non est propter seipsum usurpandum ; sed ut rebus quæ utiliter honesteque dicuntur, si nec docente indigent eloquio nec movente, quia et scientes et faventes auditores habent, aliquanto promptius ex delectatione ipsa elocutionis, accedat vel tenacius adhærescat assensus. Nam cum eloquentiæ sit universale officium, in quocumque istorum trium generum, dicere apte ad persuasionem ; finis autem, id quod intenderis, persuadere dicendo : in quocumque istorum trium generum dicit quidem eloquens apte ad persuasionem, sed nisi persuadeat, ad finem non pervenit eloquentiæ. Persuadet autem in submisso genere vera esse quæ dicit ; persuadet in grandi, ut agantur quæ agenda esse jam sciuntur, nec aguntur ; persuadet in genere temperato, pulchre ornateque se dicere : quo fine nobis quid opus est? Appetant eum qui lingua gloriantur, et se in panegyricis talibusque dictionibus jactant, ubi nec docendus, nec ad aliquid agendum movendus, sed tantummodo est delectandus auditor. Nos vero istum finem referamus ad alterum finem, ut scilicet quod efficere volumus, cum granditer dicimus, hoc etiam isto velimus, id est, ut bona morum diligantur, vel devitentur mala ; si ab hac actione non sic alieni sunt homines, ut ad eam grandi genere dictionis urgendi videantur : aut, si jam id agunt, ut agant studiosius, atque in eo firmiter perse-

[1] Mss. quatuor, *imitantur*.

(*a*) Hic itaque liber perfectus fuit sub annum 426. Nam Augustini in Mauritaniam Cæsareensem profectio pertinet ad annum 418, ex epist. 190, et 193, n. 1. Atque apud Cæsaream, ubi se concionem illam ante octo aut amplius annos habuisse memorat, agebat S. Doctor mense septembri ejusdem anni 418, ex lib. de Gestis cum Emerito.

verent. Ita fit ut etiam temperati generis ornatu, non jactanter, sed prudenter utamur : non ejus fine contenti, quo tantummodo delectatur auditor; sed hoc potius agentes, ut etiam ipso ad bonum quod persuadere volumus, adjuvetur.

CAPUT XXVI. — *In unoquoque dicendi genere intendere debet orator, ut intelligenter, libenter et obedienter audiatur.*

56. Illa itaque tria, quæ supra posuimus, eum qui sapienter dicit, si etiam eloquenter vult dicere, id agere debere, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur, non sic accipienda sunt tanquam singula illis tribus dicendi generibus ita tribuantur, ut ad submissum intelligenter, ad temperatum libenter, ad grande pertineat obedienter audiri; sed sic potius ut hæc tria semper intendat, et quantum potest agat, etiam cum in illorum singulo quoque versatur. Nolumus enim fastidiri, etiam quod submisse dicimus; ac per hoc volumus non solum intelligenter, verum etiam libenter audiri. Quid autem agimus, divinis testimoniis docendo quod dicimus, nisi ut obedienter audiamur, id est ut credatur eis, opitulante illo cui dictum est, *Testimonia tua credita* [1] *facta sunt valde* (*Psal.* XCII, 5)? Quid etiam cupit nisi credi, qui aliquid, licet submisso eloquio, discentibus narrat? et quis eum velit audire, nisi auditorem nonnulla etiam suavitate detineat? Nam si non intelligatur, quis nesciat nec libenter eum posse, nec obedienter audiri? Plerumque autem dictio ipsa submissa, dum solvit [2] difficillimas quæstiones, et inopinata manifestatione demonstrat; dum sententias acutissimas de nescio quibus quasi cavernis, unde non sperabatur, eruit, et ostendit; dum adversarii convincit errorem, et docet falsum esse quod ab illo dici videbatur invictum; maxime quando adest ei quoddam decus non appetitum, sed quodammodo naturale, et nonnulla, non jactanticula, sed quasi necessaria, atque, ut ita dicam, ipsis rebus extorta [3] numerositas clausularum; tantas acclamationes excitat, ut vix intelligatur esse submissa. Non enim quia neque incedit ornata, neque armata, sed tanquam nuda congreditur, ideo non adversarium nervis lacertisque collidit; et obsistentem subruit ac destruit membris fortissimis falsitatem. Unde autem crebro et multum acclamatur ita dicentibus, nisi quia veritas sic demonstrata, sic defensa, sic invicta delectat? Et in hoc igitur genere submisso iste noster doctor et dictor id agere debet, ut non solum intelligenter, verum etiam libenter et obedienter audiatur.

57. Illa quoque eloquentia generis temperati apud eloquentem ecclesiasticum, nec inornata relinquitur, nec indecenter ornatur : nec solum hoc appetit ut delectet, quod solum apud alios profitetur; verum etiam in iis quæ laudat, sive vituperat, istis appetendis vel firmius tenendis, illis autem devitandis vel respuendis, vult utique obedienter audiri. Si autem non auditur intelligenter, nec libenter potest. Proinde illa tria, ut intelligant qui audiunt, ut delectentur, ut obediant, etiam in hoc genere agendum est, ubi tenet delectatio principatum.

58. Jam vero ubi movere et flectere grandi genere opus est auditorem (quod tunc est opus, quando et veraciter dici et suaviter confitetur, et tamen non vult facere quod dicitur), dicendum est procul dubio granditer. Sed quis movetur, si nescit quod dicitur? aut quis tenetur ut audiat, si non delectatur? Unde et in isto genere, ubi ad obedientiam cor durum dictionis granditate flectendum est, nisi et intelligenter et libenter qui dicit audiatur, non potest obedienter audiri.

CAPUT XXVII. — *Obedientius audiri cujus vita dictioni respondet.*

59. Habet autem ut obedienter audiatur, quantacumque granditate dictionis majus pondus vita dicentis. Nam qui sapienter et eloquenter dicit, vivit autem nequiter, erudit quidem multos discendi studiosos, quamvis *animæ suæ sit inutilis* (*Eccli.* XXXVII, 22), sicut scriptum est [1]. Unde ait et Apostolus : *Sive occasione, sive veritate, Christus annuntietur* (*Philipp.* I, 18). Christus autem veritas est, et tamen etiam non veritate annuntiari veritas potest; id est, ut pravo et fallaci corde, quæ recta et vera sunt, prædicentur. Sic quippe annuntiatur Jesus Christus ab eis qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi. Sed quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Dominum obedienter audiunt, qui ait, *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite : dicunt enim, et non faciunt;* ideo audiuntur utiliter, qui etiam utiliter non agunt. Sua enim quærere student, sed sua docere non audent, de loco scilicet superiore sedis ecclesiasticæ, quam sana doctrina constituit. Propter quod ipse Dominus priusquam de talibus, quod commemoravi, diceret, præmisit, *Super cathedram Moysi sederunt* (*Matth.* XXIII, 2, 3). Illa ergo cathedra, non eorum sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua; docere autem sua, cathedra illos non permittebat aliena.

60. Multis itaque prosunt dicendo quæ non faciunt; sed longe pluribus prodessent faciendo quæ dicunt. Abundant enim qui malæ vitæ suæ defensionem ex ipsis suis præpositis et doctoribus quærant, respondentes corde suo, aut etiam si ad hoc erumpunt, ore suo, atque dicentes : Quod mihi præcipis, cur ipse non facis? Ita fit ut eum non obedienter audiant, qui se ipse non audit, et Dei verbum quod eis prædicatur,

[1] Editi, *credibilia.* At Mss., *credita.* Sic passim Augustinus, juxta græcam versionem LXX, *épistôthêsan.*

[2] In vulgatis, *dissolvit* : ac paulo infra, *et quando nonnulla non jactanticula.* Hic vero particula, *quando*, abest a Mss. et sane redundat, si superius legatur, *dum solvit*, uti reipsa ferunt Mss. omnes.

[3] Mss. plures, *exorta.*

[1] Editi : *Sicut scriptum est, Scribæ et Pharisæi in cathedra Moysi sederunt. Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite : dicunt enim, et non faciunt.* Abest ab omnibus Mss. hæc Scripturæ sententia, hunc in locum, opinamur, immissa propter clausulam, *sicut scriptum est*, quæ referenda fuerat ad præcedentia verba ex Eccli. XXXVII, 22, ubi legitur, *Est vir astutus multorum eruditor, et animæ suæ inutilis est :* in antiqua lectione græca, quæ nunc exstat, *achrêstos estin*, pro quo latinæ versionis vulgatæ auctor legebat, *chrêstos :* quandoquidem reddidit, *suavis est*, quæ una erat lectio in Mss. nostris Bibliis, ubi jam in excusis utraque conjunctim reperitur.

simul cum ipso prædicatore contemnant. Denique Apostolus scribens ad Timotheum, cum dixisset, *Nemo adolescentiam tuam contemnat*; subjecit unde non contemneretur, atque ait : *Sed forma esto fidelium in sermone, in conversatione, in dilectione, in fide, in castitate* (I *Tim.* IV, 12).

CAPUT XXVIII. — *Veritati potius quam verbis studendum. Verbis contendere quid sit.*

61. Talis doctor ut obedienter audiatur, non impudenter non solum submisse ac temperate, verum etiam granditer dicit, quia non contemptibiliter vivit. Sic namque eligit bonam vitam, ut etiam bonam non negligat famam, sed provideat bona coram Deo et hominibus (II *Cor.* VIII, 21), quantum potest, illum timendo, his consulendo. In ipso etiam sermone malit rebus placere quam verbis; nec æstimet dici melius, nisi quod dicitur verius; nec doctor verbis serviat, sed verba doctori. Hoc est enim quod Apostolus ait : *Non in sapientia verbi, ne evacuetur crux Christi* (I *Cor.* I, 17). Ad hoc valet etiam quod ait ad Timotheum : *Noli verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium* (II *Tim.* II, 14). Neque enim hoc ideo dictum est, ut adversariis oppugnantibus veritatem, nihil nos pro veritate dicamus. Et ubi erit quod cum ostenderet qualis esse episcopus debeat, ait inter cætera : *Ut potens sit in doctrina sana et contradicentes redarguere* (*Tit.* I, 9)? Verbis enim contendere, est non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. Porro qui non verbis contendit, sive submisse, sive temperate, sive granditer dicat, id agit verbis ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat; quoniam nec ipsa, quæ præcepti finis et plenitudo Legis est charitas (I *Tim.* I, 5; *et Rom.* XIII, 10), ullo modo recta esse potest, si ea quæ diliguntur, non vera, sed falsa sunt. Sicut autem cujus pulchrum corpus et deformis est animus, magis dolendus est, quam si deforme haberet et corpus; ita qui eloquenter ea quæ falsa sunt dicunt, magis miserandi sunt, quam si talia deformiter dicerent. Quid est ergo non solum eloquenter, verum etiam sapienter dicere, nisi verba in submisso genere sufficientia, in temperato splendentia, in grandi vehementia, veris tamen rebus, quas audiri oporteat, adhibere? Sed qui utrumque non potest, dicat sapienter quod non dicit eloquenter, potius quam dicat eloquenter quod dicit insipienter.

CAPUT XXIX. — *Non culpandus ecclesiastes, qui a peritiore sumit conscriptum eloquium, quod ad populum proferat.*

Si autem ne hoc quidem potest, ita conversetur, ut non solum sibi præmium comparet, sed etiam præbeat aliis exemplum, et sit ejus quasi copia dicendi forma vivendi.

62. Sunt sane quidam qui bene pronuntiare pos sunt, quid autem pronuntient, excogitare non possunt. Quod si ab aliis sumant eloquenter sapienterque con scriptum, memoriæque commendent, atque ad populum proferant; si eam personam gerunt, non improbe faciunt. Sic enim, quod profecto utile est, multi prædicatores veritatis fiunt, nec multi magistri, si unius veri magistri idipsum dicant omnes, et non sint in eis schismata (I *Cor.* I, 10). Nec deterrendi sunt isti voce Jeremiæ prophetæ, per quem Deus arguit eos qui *furantur verba ejus, unusquisque a proximo suo* (*Jerem.* XXIII, 30). Qui enim furantur, alienum auferunt; verbum autem Dei non est ab eis alienum, qui obtemperant ei : potiusque ille dicit aliena, qui cum dicat bene, vivit male. Quæcumque enim bona dicit, ejus excogitari videntur ingenio, sed ab ejus moribus aliena sunt. Eos itaque dixit Deus furari verba sua, qui boni volunt videri, loquendo quæ Dei sunt; cum mali sint, faciendo quæ sua sunt. Nec sane ipsi dicunt bona quæ dicunt, si diligenter attendas. Quomodo enim dicunt verbis, quod negant factis? Non enim frustra de talibus ait Apostolus : *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Modo ergo quodam ipsi dicunt, et rursus alio modo non ipsi dicunt, quoniam utrumque verum est quod Veritas ait. De talibus enim loquens, *Quæ dicunt*, inquit, *facite; quæ autem faciunt, facere nolite*; hoc est, Quod ex ore illorum auditis, facite; quod in opere videtis, facere nolite : *dicunt enim*, inquit, *et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 3). Ergo quamvis non faciant, dicunt tamen. Sed alio loco tales arguens : *Hypocritæ*, inquit, *quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali* (*Id.* XII, 34)? Ac per hoc et ea quæ dicunt, quando bona dicunt, non ipsi dicunt, voluntate scilicet atque opere negando quod dicunt. Unde contingit ut homo disertus et malus, sermonem quo veritas prædicetur, dicendum ab alio non diserto sed bono, ipse componat; quod cum fit, ipse a seipso tradit alienum, ille ab alieno accipit suum. Cum vero boni fideles bonis fidelibus hanc operam commodant, utrique sua dicunt : quia et Deus ipsorum est, cujus sunt illa quæ dicunt; et ea sua faciunt, quæ non ipsi componere potuerunt, qui secundum illa composite vivunt.

CAPUT XXX. — *Concionator præmittat orationem ad Deum.*

63. Sive autem apud populum vel apud quoslibet jamjamque dicturus, sive quod apud populum dicendum vel ab eis qui voluerint aut potuerint legendum, est dictaturus; oret ut Deus sermonem bonum det in os ejus. Si enim regina oravit Esther, pro suæ gentis temporaria salute locutura apud regem, ut in os ejus Deus congruum sermonem daret (*Esther.* XIV, 13); quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo et doctrina laborat? Illi vero qui ea dicturi sunt quæ ab aliis acceperunt, et antequam accipiant, orent pro eis a quibus accipiunt, ut eis detur quod per eos accipere volunt; et cum acceperint, orent ut bene et ipsi proferant, et illi ad quos proferunt sumant; et de prospero exitu dictionis eidem gratias agant, a quo id se accepisse non dubitant : ut qui gloriatur, in illo glorietur, in cujus manu sunt et nos et sermones nostri (*Sap.* VII, 16).

CAPUT XXXI — *Excusat prolixitatem libri.*

64. Longior evasit liber hic quam volebam, quamque putaveram. Sed legenti vel audienti, cui gratus est, longus non est : cui autem longus est, per partes eum legat, qui habere vult cognitum; quem vero cognitionis ejus piget, de longitudine non queratur. Ego tamen Deo nostro gratias ago, quod in his quatuor libris non qualis ego essem, cui multa desunt, sed qualis esse debeat, qui in doctrina sana, id est christiana, non solum sibi, sed etiam aliis laborare studet, quantulacumque potui facultate disserui.

ADMONITIO

DE SEQUENTE LIBRO DE VERA RELIGIONE (*a*).

Inter opuscula quæ S. Augustinus nondum presbyter (quam dignitatem anno 391 adeptus est) emisit in lucem, postremum in Retractationibus locum assignat libro de vera Religione; quem idcirco ad annum 390 referendum censemus. Jam ante annos aliquot hujus argumenti tractationem Romaniano civi suo et Mæcenati pollicitus erat, uti meminit capite septimo, numero duodecimo. Id vero in se receperat scribens anno 386 contra Academicos, libro secundo, capite tertio, numero octavo. Porro in epistola decima quinta, ad Romanianum, numero primo, confectum a se opus memorat, ipsi propediem transmittendum.

Evodium postea de existentia Dei dubia quædam proponentem ad huncce librum remittit in epistola centesima sexagesima secunda, numero secundo; patetque ex epistola vigesima septima, numero quarto, ad Paulinum, eumdem librum unum esse ex quinque illis, quos *Pentateuchum contra Manichæos* appellat Paulinus, qui eos ab Alypio dono acceperat, et quorum occasione in laudem Augustini sic exclamat in epistola vigesima quinta, numero primo : *O vere sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint sæculi vanescere errore, condiuntur! O lucerna digne supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ late catholicis urbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, et lucem veritatis a confusione tenebrarum, splendore clarifici sermonis enubilas!* etc. Certe liber de vera Religione, si quis alius, hoc elogium Augustino demerebatur. Etsi enim recens tum, cum eum scripsit, in veræ religionis partes perductus esset, nec alio quam christiani catholici nomine præditus; eo tamen sublimi modo christianæ religionis sacramenta exponit, oppositorumque dogmatum in primis Manichæorum revellit fundamenta, ut jam tum absolutissimi doctoris et strenuissimi episcopi vices impleverit.

Vide lib. 1, *cap.* 13, Retractationum, *col.* 602, *a verbis*, Tunc etiam de Vera Religione, *n.* 1, *usque ad col.* 605, *n.* 9, *verbis*, Vitæ bonæ ac beatæ via. M.

(*a*) In B., librum de Moribus Manichæorum sequitur liber de Vera Religione. Melius hic adaptari videtur, utpote naturale libri de Doctrina Christiana complementum. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE VERA RELIGIONE

Liber unus (*a*).

Præmisso veram religionem non reperiri apud Paganos, neque in secta ulla, præterquam in catholica Ecclesia; mox divinæ œconomiæ erga humanam salutem historia (quod quidem christianæ religionis caput ac fundamentum est) sic explicatur, ut Manichæorum de duabus præsertim naturis seu de mali origine et natura errores revincantur. Agitur de duplici via qua Deus hominibus consulit, auctoritate credentes ad salutem vocans, intelligentes ratione. Quippe ratione subnixus homo ex rebus inferioribus ad Deum evehitur : imo ad ipsum prosequendum admonetur ex ipsis vitiis, de quorum triplici genere prolixum hic sermonem instituit Augustinus; qui denique unum verum Deum, id est, Trinitatem, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum vera religione colendum esse concludit.

CAPUT PRIMUM. — *Philosophi de religione aliud in scholis docebant, aliud in templis profitebantur.*

1. Cum omnis vitæ bonæ ac beatæ via in vera religione sit constituta, qua unus Deus colitur, et purgatissima pietate cognoscitur principium naturarum omnium, a quo universitas et inchoatur et perficitur et contine-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

In hujus libri recensione consuluimus Mss. Thuaneum, Regium, Navarricum, Sorbonicum, Victorinum, Casalensem Corbeiensem, Gemmeticensem, Audoenensem, Beccensem, Germanensem, e Bibliotheca Remensis ecclesiæ unum; lectiones ad nos missas Mss. Cisterciensis, Arnulfensis, Vaticani, et lectiones Belgicorum quinque apud Lov.; editiones denique Bad. Er. Lov. et Arnaldi.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

(*a*) Scriptus circiter an. Christi 390.

tur : hinc evidentius error deprehenditur eorum populorum, qui multos deos colere, quam unum verum Deum et Dominum omnium maluerunt, quod eorum sapientes, quos philosophos vocant, scholas habebant dissentientes et templa communia. Non enim vel populos vel sacerdotes latebat, de ipsorum deorum natura quam diversa sentirent, cum suam quisque opinionem publice profiteri non formidaret, atque omnibus, si posset, persuadere moliretur; omnes tamen cum sectatoribus suis diversa et adversa sentientibus, ad sacra communia nullo prohibente veniebant. Non nunc agitur, quis eorum verius senserit; sed certe illud satis, quantum mihi videtur, apparet, aliud eos in religione suscepisse cum populo, et aliud eodem ipso populo audiente defendisse privatim.

CAPUT II. — *De diis quid Socrates senserit. Mundus hic pro Deo habitus.*

2. Socrates tamen audacior cæteris fuisse perhibetur jurando per canem quemlibet, et lapidem quemlibet, et quidquid juraturo esset in promptu, et quasi ad manum occurrisset. Credo, intelligebat qualiacumque opera naturæ, quæ administrante divina providentia gignerentur, multo quam hominum et quorumlibet opificum esse meliora, et ideo divinis honoribus digniora, quam ea quæ in templis colebantur. Non quod vere lapis et canis essent colenda sapientibus, sed ut hoc modo intelligerent qui possent, tanta superstitione demersos esse homines, ut emergentibus hic esset tam turpis demonstrandus gradus, ad quem venire si puderet, viderent quanto magis pudendum esset in turpiore consistere. Simul et illos qui mundum istum visibilem, summum Deum esse opinabantur, admonebat turpitudinis suæ, docens esse consequens ut quilibet lapis tanquam summi Dei particula jure coleretur. Quod si exsecrarentur, mutarent sententiam, et unum Deum quærerent [1], quem solum supra mentes nostras esse, et a quo omnem animam et totum istum mundum fabricatum esse constaret. Postea suavius ad legendum, quam potentius ad persuadendum scripsit Plato. Non enim sic isti nati erant, ut populorum suorum opinionem ad verum cultum veri Dei, a simulacrorum superstitione atque ab hujus mundi vanitate converterent. Itaque et ipse Socrates cum populo simulacra venerabatur, et post ejus damnationem mortemque, nemo ausus est jurare per canem, nec appellare quemcumque lapidem Jovem, sed hæc tantummodo memoriæ litterisque mandare. Quod utrum timore severitatis [2], an aliqua cognitione temporum fecerint, judicare non est meum.

CAPUT III. — *Vera religio christiana, quæ hominibus persuasit, quod illis persuaderi posse Plato non credidit.*

3. Illud tamen fidentissime dixerim, pace horum omnium, qui eorum libros pervicaciter diligunt, christianis temporibus quænam religio potissimum tenenda sit, et quæ ad veritatem ac beatitatem via est, non esse dubitandum. Si enim Plato ipse viveret, et me interrogantem non aspernaretur, vel potius, si quis ejus discipulus eo ipso tempore quo vivebat, eum interrogaret, cum sibi ab illo persuaderetur, non corporeis oculis, sed pura mente veritatem videri; cui quæcumque anima inhæsisset, eam beatam fieri atque perfectam : ad quam percipiendam nihil magis impedire, quam vitam libidinibus deditam et falsas imagines rerum sensibilium, quæ nobis ab hoc sensibili mundo per corpus impressæ, varias opiniones erroresque generarent; quamobrem sanandum esse animum ad intuendam incommutabilem rerum formam, et eodem modo semper se habentem atque undique sui similem pulchritudinem, nec distentam locis, nec tempore variatam, sed unum atque idem omni ex parte servantem, quam non crederent esse homines, cum ipsa vere summeque sit : cætera nasci, occidere, fluere, labi; et tamen in quantum sunt, ab illo æterno Deo per ejus veritatem fabricata constare : in quibus animæ tantum rationali et intellectuali datum est, ut ejus æternitatis contemplatione perfruatur, atque afficiatur orneturque ex ea, æternamque vitam possit mereri; sed dum nascentium atque transeuntium rerum amore ac dolore sauciatur, et dedita consuetudini hujus vitæ atque sensibus corporis, inanibus evanescit imaginibus, irridet eos, qui dicunt esse aliquid, quod nec istis videatur oculis, nec ullo phantasmate cogitetur, sed mente sola et intelligentia cerni queat : cum hæc ergo a magistro sibi persuaderentur, si ex eo quæreret ille discipulus, utrum si quisquam existeret vir magnus atque divinus, qui talia populis persuaderet credenda saltem, si percipere non valerent, aut si qui possent percipere, non pravis opinionibus multitudinis implicati, vulgaribus obruerentur erroribus; eum divinis honoribus dignum judicaret : responderet, credo, ille, non posse hoc ab homine fieri, nisi quem forte ipsa Dei Virtus atque Sapientia ab ipsa rerum natura exceptum, nec hominum magisterio, sed intima illuminatione ab incunabulis illustratum, tanta honestaret gratia, tanta firmitate roboraret, tanta denique majestate subveheret, ut omnia contemnendo quæ pravi homines cupiunt, et omnia perpetiendo quæ horrescunt, et omnia faciendo quæ mirantur, genus humanum ad tam salubrem fidem summo amore atque auctoritate converteret. De honoribus vero ejus frustra se consuli, cum facile possit existimari quanti honores debeantur Sapientiæ Dei, qua gestante et gubernante ille pro vera salute generis humani, magnum aliquid proprium, et quod supra homines esset, mereretur.

4. Quæ si facta sunt, si litteris monumentisque celebrantur, si ab una regione terrarum, in qua sola unus colebatur Deus, et ubi talem nasci oportebat, per totum orbem terrarum missi electi viri, virtutibus atque sermonibus divini amoris incendia concitarunt; si confirmata saluberrima disciplina, illuminatas terras posteris reliquerunt; et, ne de præteritis loquar, quæ potest quisque non credere, si hodie per gentes populosque prædicatur : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc*

[1] Mss. sexdecim, *ut unum Deum quærerent.*
[2] Mss. novem omittunt, *severitatis;* e quibus Gemmet. ita prosequitur, *an alia cognitione*, etc.

erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 1-3). Si ad hoc percipiendum, diligendum, perfruendum ut anima sanetur, et tantæ luci hauriendæ mentis acies convalescat, dicitur avaris, *Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea et ærugo exterminant, et ubi fures effodiunt et furantur; sed thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea neque rubigo exterminant, neque fures effodiunt, neque furantur: ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* VI, 19-21): dicitur luxuriosis, *Qui seminat in carne, de carne metet corruptionem: qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam* (*Galat.* VI, 8): dicitur superbis, *Qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11): dicitur iracundis, *Accepisti alapam, para alteram maxillam* (*Matth.* V, 39): dicitur discordiosis, *Diligite inimicos vestros* (*Ibid.* 44): dicitur superstitiosis, *Regnum Dei intra vos est* (*Luc.* XVII, 21): dicitur curiosis, *Nolite quærere quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt* (II *Cor.* IV, 18): postremo dicitur omnibus, *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (I *Joan.* II, 15, 16).

5. Si hæc per totum orbem jam populis leguntur, et cum veneratione libentissime audiuntur. Si post tantum sanguinem, tantos ignes, tot cruces martyrum, tanto fertilius et uberius usque ad barbaras nationes Ecclesiæ pullularunt. Si tot juvenum et virginum millia contemnentium nuptias casteque viventium jam nemo miratur: quod cum fecisset Plato, usque adeo perversam temporum suorum timuit opinionem, ut perhibeatur sacrificasse naturæ [1], ut tanquam peccatum illud aboleretur. Si hæc sic accipiuntur, ut quomodo antea talia disputare, sic nunc contra disputare monstruosum sit. Si tali pollicitationi atque sponsioni per omnes terrarum partes quas homines incolunt, sacra christiana traduntur. Si hæc quotidie leguntur in ecclesiis, et a sacerdotibus exponuntur. Si tundunt pectora qui conantur hæc implere; si tam innumerabiles aggrediuntur hanc viam, ut desertis divitiis et honoribus hujus mundi ex omni hominum genere uni Deo summo totam vitam dicare volentium, desertæ quondam insulæ ac multarum terrarum solitudo compleatur. Si denique per urbes atque oppida, castella, vicos et agros etiam, villasque privatas in tantum aperte persuadetur et appetitur a terrenis aversio, et in unum Deum verumque conversio, ut quotidie per universum orbem humanum genus una pene voce respondeat, *sursum corda se habere ad Dominum* (*Ex can. Missæ*): quid adhuc oscitamus crapulam hesternam, et in mortuis pecudibus divina eloquia perscrutamur; si quando autem ad disputationem venitur, Platonico nomine ora crepantia, quam pectus vero plenum, magis habere gestimus?

[1] In Mss. septem, *sacrificasse naturæ naturam exsecratus, ut tanquam*, etc.

CAPUT IV. — *Philosophi qui sensibilibus toti hærent contemnendi.*

6. Qui ergo sensibilem istum mundum contemnere et animam virtute purgandam, summo Deo subjicere atque subjugare, vanum aut malum putant, alia ratione refellendi sunt: si tamen cum his dignum est disputare. Qui autem bonum et appetendum fatentur, cognoscant Deum et cedant Deo, per quem populis jam omnibus hæc credenda persuasa sunt. Quod utique ab ipsis fieret, si tantum valerent: aut si non fieret, crimen invidentiæ vitare non possent. Ergo cedant ei a quo factum est, nec curiositate aut inani jactantia impediantur quominus agnoscant, quid intersit inter paucorum timidas [1] conjecturas, et manifestam salutem correptionemque populorum. Illi enim si reviviscerent, quorum isti nominibus gloriantur, et invenirent refertas ecclesias, templaque deserta, et a cupiditate bonorum temporalium et fluentium ad spem vitæ æternæ et bona spiritualia et intelligibilia vocari et currere humanum genus; dicerent fortasse (si tales essent, quales fuisse memorantur): Hæc sunt quæ nos persuadere populis non ausi sumus, et eorum potius consuetudini cessimus, quam illos in nostram fidem voluntatemque traduximus.

7. Itaque si hanc vitam illi viri nobiscum rursum agere potuissent, viderent profecto cujus auctoritate facilius consuleretur hominibus, et paucis mutatis verbis atque sententiis christiani fierent, sicut plerique recentiorum nostrorumque temporum Platonici fecerunt. Aut si hoc non faterentur neque facerent, in superbia et invidia remanentes, nescio utrum possent ad ea ipsa quæ appetenda et desideranda esse dixerant, cum istis sordibus viscoque revolare. Nam tertio vitio curiositatis in percunctandis dæmonibus, quo isti maxime, cum quibus nunc agitur, Pagani a christiana salute revocantur, quia nimis puerile est, nescio utrum tales illi præpedirentur viri.

CAPUT V. — *In quibus sectis vera religio. Munus divinum. Spiritus sanctus.*

8. Sed quoquo modo se habeat philosophorum jactantia, illud cuivis intelligere facile est, religionem ab eis non esse quærendam, qui eadem sacra suscipiebant cum populis, et de suorum deorum natura ac summo bono, diversas contrariasque sententias in scholis suis, eadem teste multitudine, personabant. Quod si hoc unum tantum vitium christiana disciplina sanatum videremus, ineffabili laude prædicandam esse, neminem negare oporteret. Hæreses namque tam innumerabiles a regula Christianitatis aversæ, testes sunt non admitti ad communicanda Sacramenta eos qui de Patre Deo, et Sapientia ejus, et Munere divino aliter sentiunt et hominibus persuadere conantur, quam veritas postulat. Sic enim creditur et docetur, quod est humanæ salutis caput, non aliam esse philosophiam, id est sapientiæ studium, et aliam religionem, cum ii quorum doctrinam non approbamus, nec Sacramenta nobiscum communicant.

9. Quod in illis minus mirandum est, qui eorum

[1] Sic in Mss. melioris notæ. At in vulg. legitur, *tumidas*

quoque Sacramentorum ritu dispares esse voluerunt, sicut nescio qui Serpentini qui appellantur (*a*), sicut[1] Manichæi, sicut alii nonnulli. Sed in illis magis animadvertendum hoc magisque prædicandum, qui paria Sacramenta celebrantes, tamen quia sententia dispares sunt, et errores suos animosius defendere, quam cautius corrigere maluerunt, exclusi a catholica communione, et a participatione quamvis parium Sacramentorum, propria vocabula propriosque conventus, non in sermone tantum, sed etiam in superstitione meruerunt : ut Photiniani, Ariani, multique præterea. Nam de iis qui schismata fecerunt, alia quæstio est. Posset enim eos area dominica usque ad tempus ultimæ ventilationis velut paleas sustinere (*Matth.* III, 12), nisi vento superbiæ nimia levitate cessissent, et sese a nobis ultro separassent. Judæi vero quamvis uni omnipotenti Deo supplicent, sola tamen temporalia et visibilia bona de illo exspectantes, rudimenta novi populi ab humilitate surgentia, in ipsis suis Scripturis nimia securitate noluerunt advertere, atque ita in veteri homine remanserunt. Quæ cum ita sint, neque in confusione Paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Judæorum quærenda est religio, sed apud eos solos qui Christiani catholici, vel orthodoxi nominantur, id est integritatis custodes, et recta sectantes.

CAPUT VI. — *Vera religio in sola Ecclesia catholica, quæ omnibus errantibus utitur ad provectus suos. Boni nonnunquam ex Ecclesia per seditiosos expulsi.*

10. Hæc enim Ecclesia catholica per totum orbem valide lateque diffusa, omnibus errantibus utitur ad provectus suos, et ad eorum correctionem, cum evigilare voluerint. Utitur enim Gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit : omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat potestatem ; sive illi formandi sint adhuc[2], sive reformandi, sive recolligendi, sive admittendi. Carnales autem suos, id est viventes aut sentientes carnaliter, tanquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora sunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quisque vel palea, vel frumentum est, tamdiu sustinetur peccatum aut error cujuslibet, donec aut accusatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animositate defendat. Exclusi autem aut pœnitendo redeunt, aut in nequitiam male liberi defluunt, ad admonitionem nostræ diligentiæ ; aut schisma faciunt, ad exercitationem nostræ patientiæ ; aut hæresim aliquam gignunt, ad examen sive occasionem nostræ intelligentiæ. Hi sunt exitus christianorum carnalium qui non potuerunt corrigi aut sustineri.

[1] In excusis omittitur *sicut*, quam vocem in plerisque Mss. repertam restituimus, quia Serpentinos a Manichæis non obscure secernit Augustinus in lib. 2 de Genesi contra Manichæos, cap. 26, et clarius in libro de Hæresibus.

[2] Editi, *sive illi informandi sint adhuc*. Sed sincerius Mss., *formandi*.

(*a*) Ophitæ.

11. Sæpe etiam sinit divina providentia, per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de congregatione christiana, etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cum patientissime pro Ecclesiæ pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines quam vero affectu, et quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit. Talium ergo virorum propositum est, aut sedatis remeare turbinibus ; aut si id non sinantur, vel eadem tempestate perseverante, vel ne suo reditu talis aut sævior oriatur ; tenent voluntatem consulendi etiam eis ipsis quorum motibus perturbationibusque cesserunt, sine ulla conventiculorum segregatione usque ad mortem defendentes, et testimonio juvantes eam fidem quam in Ecclesia catholica prædicari sciunt. Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt : imo plura sunt quam credi potest. Ita omnibus generibus hominum et exemplorum ad animarum curationem, et ad institutionem spiritualis populi, utitur divina providentia.

CAPUT VII. — *Catholicæ Ecclesiæ religio amplectenda. Quid illa profiteatur.*

12. Quamobrem, cum ante paucos annos promiserim tibi scribere, charissime mihi Romaniane, quid de vera religione sentirem (*Lib.* 2 *contra Academicos, cap.* 3, *n.* 8), tempus nunc esse arbitratus sum[1], postquam tuas acerrimas interrogationes, sine ullo certo fine fluctuare, ea charitate qua tibi obstrictus sum, diutius sustinere non possem. Repudiatis igitur omnibus qui neque in sacris philosophantur, nec in philosophia consecrantur ; et iis qui vel prava opinione, vel aliqua simultate superbientes, a regula et communione Ecclesiæ catholicæ deviarunt ; et iis qui sanctarum Scripturarum lumen, et spiritualis populi gratiam, quod Novum Testamentum vocatur, habere noluerunt, quos quanta potui brevitate perstrinxi : tenenda est nobis christiana religio, et ejus Ecclesiæ communicatio quæ catholica est, et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque hæretici, et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quam Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.

13. Hujus religionis sectandæ caput est historia et prophetia dispensationis temporalis divinæ providentiæ, pro salute generis humani in æternam vitam reformandi atque reparandi. Quæ cum credita fuerit, mentem purgabit vitæ modus divinis præceptis conciliatus, et idoneam faciet spiritualibus percipiendis, quæ nec præterita sunt, nec futura, sed eodem modo semper manentia, nulli mutabilitati obnoxia ; id est, unum ipsum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum : qua Trinitate quantum in hac vita datum est

[1] Sic juxta Er. Lugd. Ven. Lov. In B., *nunc esse arbitratus postquam*, etc. M.

cognita, omnis intellectualis et animalis et corporalis creatura, ab eadem Trinitate creatrice esse in quantum est, et speciem suam habere [1], et ordinatissime administrari, sine ulla dubitatione perspicitur; non ut aliam partem totius creaturæ fecisse intelligatur Pater, et aliam Filius, et aliam Spiritus sanctus, sed et simul omnia et unamquamque naturam Patrem fecisse per Filium in dono Spiritus sancti. Omnis enim res, vel substantia, vel essentia, vel natura, vel si quo alio verbo melius enuntiatur, simul hæc tria habet; ut et unum aliquid sit, et specie propria discernatur a cæteris, et rerum ordinem non excedat.

CAPUT VIII. — *Quæ primo auctoritate ducti credidimus, postmodum ratione intelligimus. Hæretici prosunt Ecclesiæ.*

14. Quo cognito, satis apparebit quantum homo assequi potest, quam necessariis et invictis et justis legibus, Deo et Domino suo cuncta subjecta sint : ex quo illa omnia, quæ primo credidimus, nihil nisi auctoritatem secuti, partim sic intelliguntur, ut videamus esse certissima; partim sic, ut videamus fieri posse, atque ita fieri oportuisse, doleamusque illos hæc non credentes, qui nos antea credentes irridere, quam nobiscum credere maluerunt. Non enim jam illa hominis sacrosancta susceptio, et Virginis partus, et mors Filii Dei pro nobis, et resurrectio a mortuis, et in cœlum ascensio, et consessus ad dexteram Patris, et peccatorum abolitio, et judicii dies, et corporum resuscitatio, cognita æternitate Trinitatis et mutabilitate creaturæ, creduntur tantum, et non etiam judicantur ad summi Dei misericordiam, quam generi humano exhibet, pertinere.

15. Sed quoniam verissime dictum est, *Oportet multas hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos* (I *Cor.* XI, 19); utamur etiam isto divinæ providentiæ beneficio. Ex his enim hominibus hæretici fiunt, qui etiamsi essent in Ecclesia, nihilominus errarent. Cum autem foris sunt, plurimum prosunt, non verum docendo, quod nesciunt; sed ad verum quærendum carnales, et ad verum aperiendum spirituales catholicos excitando. Sunt enim innumerabiles in Ecclesia sancta Deo probati viri, sed manifesti non fiunt inter nos, quamdiu imperitiæ nostræ tenebris delectati dormire malumus, quam lucem veritatis intueri. Quapropter multi, ut diem Dei videant et gaudeant, per hæreticos de somno excitantur. Utamur ergo etiam hæreticis non ut eorum approbemus errores, sed ut catholicam disciplinam adversus eorum insidias asserentes, vigilantiores et cautiores simus, etiamsi eos ad salutem revocare non possumus.

CAPUT IX. — *Manichæorum error de duobus principiis et duabus animabus.*

16. Credo autem affuturum Deum, ut ista scriptura, præcedente pietate, legentibus bonis, non adversus unam aliquam, sed adversus omnes pravas et falsas opiniones possit valere. Contra eos tamen potissimum est instituta, qui duas naturas vel substantias singulis principiis adversus invicem rebelles esse arbitrantur. Offensi enim quibusdam rebus, et rursus quibusdam delectati, non earum quibus offenduntur, sed earum quibus delectantur, volunt esse auctorem Deum. Et cum consuetudinem suam vincere nequeunt, jam carnalibus laqueis irretiti, duas animas esse in uno corpore existimant : unam de Deo, quæ naturaliter hoc sit quod ipse; alteram de gente tenebrarum, quam Deus nec genuerit, nec fecerit, nec protulerit, nec abjecerit; sed quæ suam vitam, suam terram, suos fetus et animalia, suum postremo regnum habuerit, ingenitumque principium; sed quodam tempore adversus Deum rebellasse, Deum autem cum aliud quod faceret non haberet, et quomodo aliter posset hosti resistere non inveniret, necessitate oppressum misisse huc animam bonam, et quamdam particulam suæ substantiæ, cujus commixtione atque miscela [1] hostem temperatum esse somniant, et mundum fabricatum.

17. Neque nunc opiniones eorum refellimus, quod partim jam fecimus, partim quantum Deus siverit faciemus : sed in hoc opere quomodo adversus eos fides catholica tuta sit, et quomodo non perturbent animum ea quibus commoti homines in eorum cedunt sententiam, rationibus quas Dominus dare dignatur, quantum possumus demonstramus. Illud sane in primis tenere te volo, qui bene nosti animum meum, non hoc me fugiendæ arrogantiæ gratia quasi solemniter dicere, quidquid in his litteris erroris inveniri poterit, hoc solum mihi esse tribuendum; quidquid autem verum et convenienter expositum, uni omnium bonorum munerum largitori Deo.

CAPUT X.— *Historiam divinæ œconomiæ erga nostram salutem narraturus, ostendit primum unde error in religione contingat, et quomodo perfecta religio Deo subveniente instauretur.*

18. Quamobrem sit tibi manifestum atque perceptum, nullum errorem in religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animam, aut corpus, aut phantasmata sua (*a*), aut horum aliqua duo conjuncta, aut certe simul omnia : sed in hac vita societati generis humani sine dolo temporaliter congruens, æterna meditaretur, unum Deum colens; qui nisi permaneret incommutabilis, nulla mutabilis natura remaneret. Mutari autem animam posse, non quidem localiter, sed tamen temporaliter, suis affectionibus quisque cognoscit. Corpus vero et temporibus et locis esse mutabile, cuivis advertere facile est. Phantasmata porro nihil sunt aliud quam de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta : quæ memoriæ mandare ut accepta sunt, vel partiri, vel multiplicare, vel contrahere, vel distendere, vel ordinare, vel perturbare, vel quolibet modo figurare cogitando facillimum est, sed cum verum quæritur, cavere et vitare difficile.

[1] Mss. undecim carent his verbis, *et speciem suam habere*; quæ tamen hic apprime conveniunt propter secundam Trinitatis personam.

[1] Mss. novemdecim, *atque miseria*. Ita etiam Bad. et Er.
(*a*) I Retract. cap. 13, n. 2.

19. Non ergo creaturæ potius quam Creatori serviamus, nec evanescamus in cogitationibus nostris, et perfecta religio est (*a*). Æterno enim Creatori adhærentes, et nos æternitate afficiamur necesse est. Sed quia hoc anima peccatis suis obruta et implicata, per seipsam videre ac tenere non posset, nullo in rebus humanis ad divina capessenda interposito gradu, per quem ad Dei similitudinem a terrena vita homo niteretur, ineffabili misericordia Dei temporali dispensatione per creaturam mutabilem, sed tamen æternis legibus servientem, ad commemorationem primæ suæ perfectæque naturæ, partim singulis hominibus, partim vero ipsi hominum generi subvenitur. Ea est nostris temporibus christiana religio, quam cognoscere ac sequi, securissima ac certissima salus est (*b*).

20. Defendi autem adversus loquaces, et aperiri quærentibus, multis modis potest; omnipotente ipso Deo per seipsum demonstrante quæ vera sunt, et ad hæc intuenda et percipienda bonas voluntates per bonos Angelos et quoslibet homines adjuvante. Eo modo autem quisque utitur, quem videt congruere iis cum quibus agit. Ego itaque diu multumque considerans quales oblatrantes, et quales quærentes expertus sim, vel qualis ipse, sive cum latrarem, sive cum quærerem, fuerim; hoc modo mihi utendum putavi. Quæ vera esse perspexeris, tene, et Ecclesiæ catholicæ tribue; quæ falsa, respue, et mihi qui homo sum ignosce; quæ dubia, crede, donec aut respuenda esse, aut vera esse, aut semper credenda esse, vel ratio doceat, vel præcipiat auctoritas. Intende igitur in hæc quæ sequuntur, diligenter et pie, quantum potes: tales enim adjuvat Deus (*c*).

CAPUT XI. — *Omnis vita a Deo. Mors animæ, nequitia.*

21. Nulla vita est quæ non sit ex Deo, quia Deus utique summa vita est et ipse fons vitæ, nec aliqua vita in quantum vita est, malum est, sed in quantum vergit ad mortem: mors autem vitæ non est, nisi nequitia, quæ ab eo quod ne quidquam sit, dicta est; et ideo nequissimi homines, nihili homines appellantur. Vita ergo voluntario defectu deficiens ab eo qui eam fecit, et cujus essentia fruebatur, et volens contra Dei legem frui corporibus, quibus eam Deus præfecit, vergit ad nihilum; et hæc est nequitia: non quia corpus jam nihilum est. Nam et ipsum habet aliquam concordiam partium suarum, sine qua omnino esse non posset. Ergo ab eo factum est et corpus, qui omnis concordiæ caput est. Habet corpus quamdam pacem suæ formæ, sine qua prorsus nihil esset. Ergo ille est et corporis conditor, a quo pax omnis est, et qui forma est infabricata, atque omnium formosissima. Habet aliquam speciem, sine qua corpus non est corpus. Si ergo quæritur quis instituerit corpus, ille quæratur qui est omnium speciosissimus. Omnis enim species ab illo est. Quis est autem hic, nisi unus Deus, una veritas, una salus omnium, et prima atque summa essentia, ex qua est omne quidquid est, in quantum est; quia in quantum est quidquid est, bonum est.

22. Et ideo ex Deo non est mors. *Non enim Deus mortem fecit, nec lætatur in perditione vivorum* (*Sap.* I, 13): quoniam summa essentia esse facit omne quod est, unde et essentia dicitur. Mors autem non esse cogit quidquid moritur, in quantum moritur. Nam si ea quæ moriuntur, penitus morerentur, ad nihilum sine dubio pervenirent; sed tantum moriuntur, quantum minus essentiæ participant: quod brevius ita dici potest: tanto magis moriuntur, quanto minus sunt. Corpus autem minus est quam vita quælibet; quoniam quantulumcumque manet in specie, per vitam manet, sive qua unumquodque animal, sive qua universa mundi natura administratur. Corpus ergo magis subjacet morti, et ideo vicinius est nihilo: quapropter vita, quæ fructu corporis delectata negligit Deum, inclinatur ad nihilum, et ista est nequitia.

CAPUT XII. — *Lapsus et reparatio totius hominis.*

23. Hoc autem pacto vita carnalis et terrena efficitur, et ob hoc etiam caro et terra nominatur; et quamdiu ita est, regnum Dei non possidebit, et eripitur ei quod amat. Id enim amat quod et minus est quam vita, quia corpus est; et propter ipsum peccatum, quod amatur fit corruptibile, ut fluendo deserat amatorem suum, quia et ille hoc amando deseruit Deum. Præcepta enim ejus neglexit dicentis: Hoc manduca, et hoc noli (*Gen.* II, 16, 17). Trahitur ergo ad pœnas: quia diligendo inferiora, in egestate voluptatum suarum et in doloribus apud inferos ordinatur. Quid est enim dolor, qui dicitur corporis, nisi corruptio repentina salutis ejus rei quam male utendo anima corruptioni obnoxiavit [1]? Quid autem dolor, qui dicitur animi, nisi carere mutabilibus rebus, quibus fruebatur, aut frui se posse speraverat? Et hoc est totum quod dicitur malum, id est, peccatum, et pœna peccati.

24. Si autem dum in hoc stadio vitæ humanæ anima degit, vincat eas quas adversum se nutrivit cupiditates fruendo mortalibus, et ad eas vincendas gratia Dei se adjuvari credat, mente illi serviens et bona voluntate; sine dubitatione reparabitur, et a multis mutabilibus ad unum incommutabile revertetur, reformata per Sapientiam non formatam, sed per quam formantur universa, fruaturque Deo per Spiritum sanctum, quod est Donum Dei. Ita fit homo spiritualis omnia judicans, ut ipse a nemine judicetur (I *Cor.* II, 15), diligens Dominum Deum suum in toto corde suo, in tota anima, in tota mente, et diligens proximum suum non carnaliter, sed tanquam seipsum. Se autem spiritualiter diligit, qui ex toto, quod in eo vivit, Deum diligit. In his enim duobus præceptis tota Lex pendet, et Prophetæ (*Matth.* XXII, 37-40).

25. Inde jam erit consequens ut post mortem corporalem, quam debemus primo peccato, tempore suo atque ordine suo hoc corpus restituatur pristinæ

(*a*) I Retract. cap. 13, n. 2.
(*b*) Ibid., n. 3.
(*c*) Ibid., n. 4.

[1] Sic Mss. omnes. At Edd. habent, *fecit obnoxiam.*

stabilitati (*a*), quam non per se habebit, sed per animam stabilitam in Deo. Quæ rursus non per se stabilitur, sed per Deum quo fruitur; ideoque amplius quam corpus vigebit : corpus enim per ipsam vigebit, et ipsa per incommutabilem veritatem, qui Filius Dei unicus est; atque ita et corpus per ipsum Filium Dei vigebit, quia omnia per ipsum. Dono etiam ejus, quod animæ datur, id est sancto Spiritu, non solum anima, cui datur, salva et pacata et sancta fit, sed ipsum etiam corpus vivificabitur, eritque in natura sua mundissimum. Ipse enim dixit : *Mundate quæ intus sunt, et quæ foris sunt munda erunt* (*Matth.* XXIII, 26). Dicit et Apostolus : *Vivificabit et mortalia corpora vestra propter Spiritum manentem in vobis* (*Rom.* VIII, 11). Ablato ergo peccato, auferetur et pœna peccati : et ubi est malum? *Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus?* Vincit enim essentia nihilum, et sic absorbetur mors in victoriam (I *Cor.* XV, 54, 55).

CAPUT XIII. — *Angelorum differentia.*

26. Nec aliquid sanctificatis malus angelus oberit, qui diabolus dicitur; quia et ipse, in quantum angelus est, non est malus, sed in quantum perversus est propria voluntate. Fatendum est enim, et Angelos natura esse mutabiles, si solus Deus est incommutabilis : sed ea voluntate qua magis Deum quam se diligunt, firmi et stabiles manent in illo, et fruuntur majestate ipsius, ei uni libentissime subditi. Ille autem angelus magis seipsum quam Deum diligendo, subditus ei esse noluit, et intumuit per superbiam, et a summa essentia defecit, et lapsus est : et ob hoc minus est quam fuit, quia eo quod minus erat frui voluit, cum magis voluit sua potentia frui, quam Dei. Quanquam enim non summe, tamen amplius erat, quando eo quod summe est, fruebatur, quoniam Deus solus summe est. Quidquid autem minus est quam erat, non in quantum est, sed in quantum minus est, malum est. Eo enim, quo minus est quam erat, tendit ad mortem. Quid autem mirum si ex defectu inopia, et ex inopia invidentia, qua diabolus utique diabolus est?

CAPUT XIV. — *A libero arbitrio peccatum.*

27. Defectus autem iste quod peccatum vocatur, si tanquam febris invitum occuparet, recte injusta pœna videretur, quæ peccantem consequitur, et quæ damnatio nuncupatur. Nunc vero usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium (*b*); et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi. Non autem recte negat peccasse animam, qui et pœnitendo eam corrigi fatetur, et veniam pœnitenti dari, et perseverantem in peccatis justa lege Dei damnari. Postremo, si non voluntate male facimus, nemo objurgandus est omnino, aut monendus : quibus sublatis Christiana lex et disciplina omnis religionis auferatur necesse est. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium est, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. Tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si ei servirent liberaliter : quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.

28. Liberaliter igitur Deo Angeli serviunt, neque hoc Deo, sed ipsis prodest. Deus enim bono alterius non indiget, quoniam a seipso est. Quod autem ab eo genitum est, idipsum est; quia non est factum, sed genitum. Illa vero quæ facta sunt, ejus bono indigent, summo scilicet bono, id est summa essentia. Minus autem sunt quam erant, cum per animæ peccatum minus ad illum moventur : nec tamen penitus separantur; nam omnino nulla essent. Quod autem affectibus contingit animæ, hoc locis corpori : nam illa movetur voluntate, corpus autem spatio. Quod autem homini a perverso angelo persuasum dicitur, etiam ad hoc utique voluntate consensit. Nam si necessitate id fecisset, nullo peccati crimine teneretur.

CAPUT XV. — *Pœna ipsa peccati ad resipiscendum erudimur.*

29. Quod vero corpus hominis, cum ante peccatum esset in suo genere optimum, post peccatum factum est imbecillosum [1] et morti destinatum, quanquam justa vindicta peccati sit, plus tamen clementiæ Domini quam severitatis ostendit. Ita enim nobis suadetur a corporis voluptatibus, ad æternam essentiam veritatis amorem nostrum oportere converti. Et est justitiæ pulchritudo cum benignitatis gratia concordans, ut quoniam bonorum inferiorum dulcedine decepti sumus, amaritudine pœnarum erudiamur. Nam ita etiam nostra supplicia divina providentia moderata est, ut et in hoc corpore tam corruptibili ad justitiam tendere liceret, et deposita omni superbia uni Deo vero collum subdere, nihil de seipso fidere, illi uni se regendum tuendumque committere. Ita ipso duce homo bonæ voluntatis molestias hujus vitæ in usum fortitudinis vertit : in copia vero voluptatum prosperisque successibus temporalium, temperantiam suam probat et roborat; acuit in tentationibus prudentiam, ut non solum in eas non inducatur, sed fiat etiam vigilantior, et in amorem veritatis, quæ sola non fallit, ardentior.

CAPUT XVI. — *Incarnato Verbo beneficentius homini consultum est.*

30. Sed cum omnibus modis medeatur animis Deus pro temporum opportunitatibus, quæ mira sapientia ejus ordinantur, de quibus aut non est tractandum, aut inter pios perfectosque tractandum est; nullo modo beneficentius consuluit generi humano, quam cum ipsa Sapientia Dei, id est unicus Filius consubstantialis Patri et coæternus, totum hominem suscipere dignatus est, et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14). Ita enim demonstravit carnalibus, et non valentibus intueri mente veri-

(*a*) I Retract. cap. 13, n. 4.
(*b*) Ibid. n. 5.

[1] Er. Lov. et Arn., *imbecillum;* pro quo Bad. et Mss., *imbecillosum.*

tatem, corporeisque sensibus deditis, quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, quod non solum visibiliter (nam id poterat et in aliquo æthereo corpore ad nostrorum aspectuum tolerantiam temperato), sed hominibus in vero homine apparuit: ipsa enim natura suscipienda erat quæ liberanda. Et ne quis forte sexus a suo Creatore se contemptum putaret, virum suscepit, natus ex femina.

31. Nihil egit vi, sed omnia suadendo et monendo (*a*). Veteri quippe servitute transacta, tempus libertatis illuxerat, et opportune jam homini suadebatur atque salubriter, quam libero esset creatus arbitrio. Miraculis conciliavit fidem Deo qui erat [1], passione homini quem gerebat. Ita loquens ad turbas ut Deus, nuntiatam sibi matrem negavit (*Matth.* XII, 48): et tamen, ut Evangelium loquitur, puer parentibus subditus erat (*Luc.* II, 51). Doctrina enim Deus apparebat, ætatibus homo. Item aquam in vinum conversurus ut Deus, dicit, *Recede a me, mulier: mihi et tibi quid est? Nondum venit hora mea* (*Joan.* II, 4). Cum autem venisset hora, qua ut homo moreretur, de cruce cognitam matrem commendavit discipulo, quem præ cæteris diligebat (*Id.* XIX, 26, 27). Satellites voluptatum divitias perniciose populi appetebant: pauper esse voluit. Honoribus et imperiis inhiabant: rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant: tale conjugium prolemque contempsit. Contumelias superbissime horrebant: omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur: quæ major injuria quam justum innocentemque damnari? Dolores corporis exsecrabantur: flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant: morte multatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant: crucifixus est. Omnia quæ habere cupientes non recte vivebamus, carendo vilefecit [2]. Omnia quæ vitare cupientes a studio deviabamus veritatis [3], perpetiendo dejecit. Non enim ullum peccatum committi potest, nisi aut dum appetuntur ea quæ ille contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit.

32. Tota itaque vita ejus in terris, per hominem quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit. Resurrectio vero ejus a mortuis, nihil hominis perire naturæ, cum omnia salva sunt Deo, satis indicavit, et quemadmodum cuncta serviant Creatori suo, sive ad vindictam peccatorum, sive ad hominis liberationem, quamque facile corpus animæ serviat, cum ipsa subjicitur Deo. Quibus perfectis non solum nulla substantia malum est, quod fieri nunquam potest; sed etiam nullo malo afficitur, quod fieri per peccatum et vindictam potuit. Et hæc est disciplina naturalis (*b*), Christianis minus intelligentibus plena fide digna, intelligentibus autem omni errore purgata.

CAPUT XVII. — *Doctrinæ ratio in vera religione quam optima, seu Vetus seu Novum Testamentum spectetur.*

33. Jamvero ipse totius doctrinæ modus, partim apertissimus [1], partim similitudinibus, in dictis, in factis, in sacramentis, ad omnem animæ instructionem exercitationemque accommodatus, quid aliud quam rationalis disciplinæ regulam implevit? Nam et mysteriorum expositio ad ea dirigitur, quæ apertissime dicta sunt. Et si ea tantum essent quæ facillime intelliguntur, nec studiose quæreretur, nec suaviter inveniretur veritas. Neque si essent in Scripturis sacramenta [2], et in sacramentis non essent signacula veritatis, satis cum cognitione actio conveniret. Nunc vero quoniam pietas timore inchoatur, charitate perficitur; populus timore constrictus tempore servitutis in veteri Lege multis Sacramentis onerabatur. Hoc enim talibus utile erat ad desiderandam gratiam Dei, quæ per Prophetas ventura canebatur. Quæ ubi venit, ab ipsa Dei Sapientia homine assumpto, a quo in libertatem vocati sumus [3], pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem christiani populi, hoc est sub uno Deo liberæ multitudinis, continerent. Multa vero quæ populo Hebræo, hoc est sub eodem uno Deo compeditæ multitudini imposita erant, ab actione remota sunt, in fide atque interpretatione manserunt. Ita nunc nec serviliter alligant, et exercent liberaliter animum.

34. Quisquis autem ideo negat utrumque Testamentum ab uno Deo esse posse, quia non eisdem sacramentis tenetur populus noster, quibus Judæi tenebantur vel adhuc tenentur; potest dicere non posse fieri ut unus paterfamilias justissimus aliud imperet eis quibus servitutem duriorem utilem judicat, aliud eis quos in filiorum gradum adoptare dignatur. Si autem præcepta vitæ movent, quod in veteri Lege minora sunt, in Evangelio majora, et ideo putatur non ad unum Deum utraque pertinere; potest qui hoc putat perturbari, si unus medicus alia per ministros suos imbecillioribus, alia per seipsum valentioribus præcipiat ad reparandam, vel obtinendam salutem. Ut enim ars medicinæ, cum eadem maneat, neque ullo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita divina providentia, cum sit ipsa omnino incommutabilis, mutabili tamen creaturæ varie subvenit, et pro diversitate morborum alias alia jubet aut vetat; ut a vitio unde mors incipit, et ab ipsa morte, ad naturam suam et essentiam, ea quæ deficiunt, id est ad nihilum tendunt, reducat et firmet.

[1] Bad. et Er., *qui in eo erat*. Paulo post Mss. tres optimæ notæ habent, *homini quem regebat*. Alii cum Edd., *gerebat*. Utraque lectio recepta Augustino, qui superius cap. 3, n. 3, susceptum hominem Sapientia Dei *gestante et gubernante* meruisse dicit

[2] Ita in Mss. At in Edd., *vilia fecit*.

[3] Mss. non habent vocem *veritatis*. — Quidam critici putant vocem hanc a librariis additam, et eorumdem vitio vocem *studio* pro *stadio* obrepsisse. M.

(*a*) I Retract. cap. 13, n. 6.

(*b*) Alludit ad antiquam Philosophiæ partitionem in naturalem, moralem et rationalem. Moralem supra commemoravit, cum ait vitam Christi disciplinam morum fuisse: hic porro, naturalem; mox in sequenti capite, rationalem.

[1] Sic Mss. septemdecim et Arn. At Bad. Er. et Lov. habent, *partim apertissimis rationibus, partim similitudinibus.*, etc.

[2] Abest vox, *sacramenta*, a Mss. Germanensi, Gemmeticensi, et aliquot aliis non deterioris notæ.

[3] Plerique Mss., *homine assumpto, et in libertatem vocati sumus*.

CAPUT XVIII. — *Creaturæ quare mutabiles.*

35. Sed dicis mihi : Quare deficiunt? Quia mutabilia sunt. Quare mutabilia sunt? Quia non summe sunt. Quare non summe sunt? Quia inferiora sunt eo a quo facta sunt. Quis ea fecit? Qui summe est. Quis hic est? Deus incommutabilis Trinitas, quoniam et per summam Sapientiam ea fecit, et summa benignitate conservat. Cur ea fecit? Ut essent. Ipsum enim quantumcumque esse, bonum est; quia summum bonum est summe esse. Unde fecit? Ex nihilo. Quoniam quidquid est, quantulacumque specie sit necesse est [1]; ita etsi minimum bonum, tamen bonum erit, et ex Deo erit. Nam quoniam summa species summum bonum est, minima species minimum bonum est. Omne autem bonum, aut Deus, aut ex Deo est. Ergo ex Deo est etiam minima species. Sane quod de specie, hoc etiam de forma dici potest. Neque enim frustra tam speciosissimum, quam etiam formosissimum in laude ponitur. Id ergo est, unde fecit Deus omnia, quod nullam speciem habet, nullamque formam; quod nihil est aliud quam nihil. Nam illud quod in comparatione perfectorum informe dicitur, si habet aliquid formæ, quamvis exiguum, quamvis inchoatum, nondum est nihil, ac per hoc id quoque in quantum est, non est nisi ex Deo.

36. Quapropter etiam si de aliqua informi materia factus est mundus, hæc ipsa facta est omnino de nihilo. Nam et quod nondum formatum est, tamen aliquo modo ut formari possit inchoatum est, Dei beneficio formabile est: bonum est enim esse formatum. Nonnullum ergo bonum est et capacitas formæ : et ideo bonorum omnium auctor, qui præstitit formam, ipse fecit etiam posse formari. Ita omne quod est, in quantum est; et omne quod nondum est, in quantum esse potest, ex Deo habet. Quod alio modo sic dicitur : omne formatum, in quantum formatum est; et omne quod nondum formatum est, in quantum formari potest, ex Deo habet. Nulla autem res obtinet integritatem naturæ suæ, nisi in suo genere salva sit. Ab eo autem est omnis salus, a quo est omne bonum; at omne bonum ex Deo : salus igitur omnis ex Deo.

CAPUT XIX. — *Bona sunt, sed non summa bona, quæ vitiari possunt.*

37. Hinc jam cui oculi mentis patent, nec pernicioso studio vanæ victoriæ caligant atque turbantur, facile intelligit, omnia quæ vitiantur et moriuntur, bona esse, quanquam ipsum vitium, et ipsa mors, malum sit. Nisi enim salute aliqua privarentur, non eis noceret vitium vel mors : sed si non noceret vitium, nullo modo esset vitium. Si ergo saluti adversatur vitium, et nullo dubitante salus bonum est; bona omnia sunt, quibus adversatur vitium; quibus autem adversatur vitium, ipsa vitiantur : bona sunt ergo quæ vitiantur; sed ideo vitiantur, quia non summa bona sunt. Quia igitur bona sunt, ex Deo sunt : quia non summa bona sunt, non sunt Deus. Bonum ergo quod vitiari non potest, Deus est. Cætera autem omnia bona ex ipso sunt, quæ per seipsa possunt vitiari, quia per seipsa nihil sunt : per ipsum autem partim non vitiantur, partim vitiata sanantur [1].

CAPUT XX. — *Unde animæ vitium.*

38. Est autem vitium primum animæ rationalis, voluntas ea faciendi quæ vetat summa et intima veritas. Ita homo de paradiso in hoc sæculum expulsus est, id est ab æternis ad temporalia, a copiosis ad egena, a firmitate ad infirma : non ergo a bono substantiali ad malum substantiale, quia nulla substantia malum est; sed a bono æterno ad bonum temporale, a bono spirituali ad bonum carnale, a bono intelligibili ad bonum sensibile, a bono summo ad bonum infimum. Est igitur quoddam bonum, quod si diligit anima rationalis, peccat; quia infra illam ordinatum est : quare ipsum peccatum malum est, non ea substantia quæ peccando diligitur. Non ergo arbor illa malum est, quæ in medio paradiso plantata scribitur, sed divini præcepti transgressio. Quæ cum consequentem habet justam damnationem, contingit ex illa arbore, quæ contra vetitum tacta est, dignoscentia boni et mali : quia cum suo peccato anima fuerit implicata, luendo pœnas, discit quid intersit inter præceptum quod custodire noluit, et peccatum quod fecit; atque hoc modo malum, quod cavendo non didicit, discit sentiendo; et bonum quod non obtemperando [2] minus diligebat, ardentius diligit comparando.

39. Vitium ergo animæ est quod fecit, et difficultas ex vitio pœna est quam patitur; et hoc est totum malum. Facere autem et pati non est substantia : quapropter substantia non est malum. Sic enim nec aqua malum est, nec animal quod vivit in aere; nam istæ substantiæ sunt : sed malum est voluntaria præcipitatio in aquam, et suffocatio quam mersus patitur. Stilus ferreus alia parte qua scribamus, alia qua deleamus, affabre factus est, et in suo genere pulcher, et ad usum nostrum accommodatus. At si quispiam ea parte scribere qua deletur, et ea velit delere qua scribitur, nullo modo stilum malum fecerit, cum ipsum factum jure vituperetur : quod si corrigat, ubi erit malum? Si quis repente meridianum solem intueatur, repercussi oculi turbabuntur : num ideo aut sol malum erit aut oculi? Nullo modo; sunt enim substantiæ : sed malum est inordinatus aspectus, et ipsa quæ consequitur perturbatio; quod malum non erit, cum oculi fuerint recreati, et lucem suam congruenter aspexerint. Neque cum eadem lux quæ ad oculos pertinet, pro luce sapientiæ quæ ad mentem pertinet, colitur, ipsa fit malum : sed superstitio malum est, qua creaturæ potius quam Creatori servitur; quod malum omnino nullum erit, cum anima recognito Creatore, ipsi uni se subjecerit, et cætera per eum subjecta sibi esse persenserit.

40. Ita omnis corporea creatura, si tantummodo possideatur ab anima quæ diligit Deum, bonum est infimum, et in genere suo pulchrum; quoniam forma

[1] Mss. septem, *quantulacumque species sit, necesse est*, etc. Nec minus bene.

[1] In Cisterciensi Ms. habetur : *Partim non vitiantur, ut Angeli; partim vitiata sanantur, ut homines.*

[2] Mss. nonnulli, *quod in obtemperando.* Alii, *quod obtemperando.*

et specie continetur : si autem diligatur ab anima quæ negligit Deum, ne sic quidem malum fit ipsa; sed quoniam peccatum malum est, quo ita diligitur, fit pœnalis dilectori suo, et eum implicat ærumnis, et pascit fallacibus voluptatibus : quia neque permanent, neque satiant, sed torquent doloribus. Quia cum ordinem suum peragit pulchra mutabilitas temporum, deserit amantem species concupita, et per cruciatum sentientis discedit a sensibus, et erroribus agitat; ut hanc esse primam speciem putet, quæ omnium infima est, naturæ scilicet corporeæ[1], quam per lubricos sensus caro male delectata nuntiaverit[2], ut cum aliquid cogitat, intelligere se credat, umbris illusus phantasmatum. Si quando autem non tenens integram divinæ providentiæ disciplinam, sed tenere se arbitrans, carni resistere conatur; usque ad visibilium rerum imagines pervenit, et lucis hujus quam certis terminis circumscriptam videt, immensa spatia cogitatione format inaniter : et hanc speciem[3] sibi futuræ habitationis pollicetur; nesciens oculorum concupiscentiam se trahere, et cum hoc mundo ire velle extra mundum; quem propterea ipsum esse non putat, quia ejus clariorem partem per infinitum falsa cogitatione distendit. Quod non solum de hac luce, sed etiam de aqua, postremo de vino, de melle, de auro, de argento, de ipsis denique pulpis, vel sanguine, vel ossibus quorumlibet animalium, et cæteris hujusmodi rebus facillime fieri potest. Nihil enim est corporis, quod non vel unum visum possit innumerabiliter cogitari, vel in parvo spatio visum possit eadem imaginandi facultate per infinita diffundi. Sed facillimum est exsecrari carnem, difficillimum autem non carnaliter sapere.

CAPUT XXI. — *Anima seducitur, dum fugaces corporum pulchritudines consectatur.*

41. Hac ergo perversitate animæ, quæ contingit peccato atque supplicio, fit omnis natura corporea illud quod per Salomonem dicitur : *Vanitas vanitantium, et omnia vanitas. Quæ abundantia homini in omni labore ejus, quo ipse laborat sub sole* (*Eccle.* I, 2, 3)? Neque enim frustra est additum, *vanitantium*, quia si vanitantes detrahas, qui tanquam prima sectantur extrema, non erit corpus vanitas; sed in suo genere, quamvis extremam, pulchritudinem sine ullo errore monstrabit. Temporalium enim specierum multiformitas ab unitate Dei hominem lapsum per carnales sensus diverberavit, et mutabili varietate multiplicavit ejus affectum : ita facta est abundantia laboriosa, et, si dici potest, copiosa egestas, dum aliud et aliud sequitur, et nihil cum eo permanet. Sic a tempore frumenti, vini et olei sui multiplicatus est, ut non inveniat idipsum (*Psal.* IV, 8, 9), id est naturam incommutabilem et singularem, quam secutus non erret, et assecutus non doleat. Habebit enim etiam consequentem redemptionem corporis sui (*Rom.* VIII, 23), quod jam non corrumpetur. Nunc vero corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15), quia rapitur in ordinem successionis extrema corporum pulchritudo. Nam ideo extrema est, quia simul non potest habere omnia; sed dum alia cedunt atque succedunt, temporalium formarum numerum in unam pulchritudinem complent[1].

CAPUT XXII. — *Rerum transeuntium administratio solis impiis displicet.*

42. Et hoc totum non propterea malum, quia transit. Sic enim et versus in suo genere pulcher est, quamvis duæ syllabæ simul dici nullo modo possint. Nec enim secunda enuntiatur, nisi prima transierit; atque ita per ordinem pervenitur ad finem, ut cum sola ultima sonat, non secum sonantibus superioribus, formam tamen et decus metricum cum præteritis contexta perficiat. Nec ideo tamen ars ipsa qua versus fabricatur, sic tempori obnoxia est, ut pulchritudo ejus per mensuras morarum digeratur : sed simul habet omnia, quibus efficit versum non simul habentem omnia, sed posterioribus priora tollentem; propterea tamen pulchrum, quia extrema vestigia illius pulchritudinis ostentat, quam constanter atque incommutabiliter ars ipsa custodit.

43. Itaque, ut nonnulli perversi magis amant versum, quam artem ipsam qua conficitur versus, quia plus se auribus quam intelligentiæ dediderunt : ita multi temporalia diligunt, conditricem vero ac moderatricem temporum divinam providentiam non requirunt; atque in ipsa dilectione temporalium nolunt transire quod amant, et tam sunt absurdi, quam si quisquam in recitatione præclari carminis unam aliquam syllabam solam perpetuo vellet audire. Sed tales auditores carminum non inveniuntur; talibus autem rerum æstimatoribus plena sunt omnia; propterea quia nemo est, qui non facile non modo totum versum, sed etiam totum carmen possit audire; totum autem ordinem sæculorum sentire nullus hominum potest. Huc accedit quod carminis non sumus partes, sæculorum vero partes damnatione facti sumus. Illud ergo canitur sub judicio nostro, ista peraguntur de labore nostro. Nulli autem victo ludi agonistici placent, sed tamen cum ejus dedecore decori sunt : et hæc enim quædam imitatio veritatis est. Nec ob aliud a talibus prohibemur spectaculis, nisi ne umbris rerum decepti, ab ipsis rebus quarum illæ umbræ sunt, aberremus. Ita universitatis hujus conditio atque administratio, solis impiis animis damnatisque non placet; sed etiam cum miseria earum[2], multis vel in terra victricibus, vel in cœlo sine periculo spectantibus placet: nihil enim justum displicet justo.

CAPUT XXIII. — *Omnis substantia bona.*

44. Quocirca, cum omnis anima rationalis aut pec-

[1] Editi : *Natura scilicet corporea.* At Mss. decem, *naturæ scilicet corporeæ.*

[2] Editi, *male dilecta nuntiaverat.* Mss. octo, *maledicta nuntiaverit.* [illegible] alii, *male delectata nuntiaverit.*

[3] Lov. et Arn., *spem.* Sed melius antiquæ editiones et Mss., *speciem.*

[1] Sic Mss. plerique. At Er. Lov. et Arn., *numeros in pulchritudinem complent.*

[2] [illegible] : *sed etiam animalibus sanctis cum miseria earum.* Lov., *sed etiam animalibus sanctis cum,* etc. [illegible] Mss. plerique necnon editiones Bad. et Arn. sic exhibent : *sed etiam cum miseria,* etc.

catis suis misera sit, aut recte factis beata; omnis autem irrationalis aut cedat potentiori, aut pareat meliori, aut comparetur æquali, aut certantem [1] exerceat [1], aut damnato noceat; et omne corpus suæ animæ serviat, quantum pro ejus meritis, et pro rerum ordine sinitur : nullum malum est naturæ universæ, sed sua cuique culpa fit malum. Porro cum anima per Dei gratiam regenerata, et in integrum restituta, et illi subdita uni a quo est creata, instaurato etiam corpore in pristinam firmitatem, non cum mundo possideri, sed mundum possidere cœperit, nullum ei malum erit: quia ista infima pulchritudo temporalium vicissitudinum, quæ cum ipsa peragebatur, sub ipsa peragetur; et erit, ut scriptum est, *Cœlum novum et terra nova* (*Isai.* LXV, 17, *et Apoc.* XXI, 1), non in parte laborantibus animis, sed in universitate regnantibus. *Omnia* enim *vestra*, inquit Apostolus, *vos autem Christi*, *Christus autem Dei* (I *Cor.* III, 22) : et, *Caput mulieris vir, caput viri Christus; caput autem Christi Deus* (*Id.* XI, 3). Quoniam igitur vitium animæ non natura ejus, sed contra naturam ejus est, nihilque aliud est quam peccatum et pœna peccati; inde intelligitur nullam naturam, vel, si melius ita dicitur, nullam substantiam sive essentiam malum esse. Neque de peccatis pœnisque ejus animæ efficitur, ut universitas ulla deformitate turpetur. Quia rationalis substantia, quæ ab omni peccato munda est, Deo subjecta, subjectis sibi cæteris dominatur. Ea vero quæ peccavit, ibi ordinata est, ubi esse tales decet, ut Deo conditore atque rectore universitatis decora sint omnia. Et est pulchritudo universæ creaturæ per hæc tria inculpabilis; damnationem peccatorum, exercitationem justorum, perfectionem beatorum.

CAPUT XXIV. — *Duplici via saluti hominis consulitur, auctoritate et ratione : ac primo de auctoritatis subsidio agitur usque ad caput* 29.

45. Quamobrem ipsa quoque animæ medicina, quæ divina providentia et ineffabili beneficentia geritur, gradatim distincteque pulcherrima est. Distribuitur enim in auctoritatem atque rationem. Auctoritas fidem flagitat, et rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quanquam neque auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur cui sit credendum; et certe summa est ipsius jam cognitæ atque perspicuæ veritatis auctoritas. Sed quia in temporalia devenimus, et eorum amore ab æternis impedimur, quædam temporalis medicina, quæ non scientes, sed credentes ad salutem vocat, non naturæ et excellentiæ [2], sed ipsius temporis ordine prior est. Nam in quem locum quisque ceciderit, ibi debet incumbere ut surgat. Ergo ipsis carnalibus formis, quibus detinemur, nitendum est, ad eas cognoscendas quas caro non nuntiat. Eas enim carnales voco, quæ per carnem sentiri queunt, id est per oculos, per aures, cæterosque corporis sensus. His ergo carnalibus vel corporalibus formis inhærere amore pueros necesse est; adolescentes vero prope necesse est; hinc jam procedente ætate non est necesse.

[1] Lov. et Arn., *certamen*. Sed concinnius Bad. Er. et Mss. octo, *certantem*.
[2] Mss. quamplures, *non naturæ excellentia*.

CAPUT XXV. — *Quorum hominum seu librorum auctoritati de Dei cultu credendum.*

46. Quoniam igitur divina providentia, non solum singulis hominibus quasi privatim, sed universo generi humano tanquam publice consulit; quid cum singulis agatur, Deus qui agit atque ipsi cum quibus agitur sciunt. Quid autem agatur cum genere humano, per historiam commendari voluit, et per prophetiam. Temporalium autem rerum fides, sive præteritarum, sive futurarum, magis credendo quam intelligendo valet. Sed nostrum est considerare, quibus vel hominibus vel libris credendum sit ad colendum recte Deum, quæ una salus est. Hujus rei prima disceptatio est, utrum iis potius credamus, qui ad multos deos, an iis qui ad unum Deum colendum nos vocant. Quis dubitet eos potissimum sequendos qui ad unum vocant, præsertim cum illi multorum cultores, de hoc uno Domino cunctorum et rectore consentiant? et certe ab uno incipit numerus. Prius ergo isti sequendi sunt, qui unum Deum summum solum verum Deum, et solum colendum esse dicunt. Si apud hos veritas non eluxerit, tum demum migrandum est (*a*). Sicut enim in ipsa rerum natura major est auctoritas unius ad unum omnia redigentis, nec in genere humano multitudinis ulla potentia est nisi consentientis, id est unum sentientis : ita in religione qui ad unum vocant, eorum major et fide dignior esse debet auctoritas.

47. Altera consideratio est dissensionis ejus quæ de unius Dei cultu inter homines orta est. Sed accepimus, majores nostros eo gradu fidei [1], quo a temporalibus ad æterna conscenditur, visibilia miracula (non enim aliter poterant) secutos esse : per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit (*b*) : nec jam nobis dubium esse oportet iis esse credendum, qui cum ea prædicarent quæ pauci assequuntur, se tamen sequendos populis persuadere potuerunt. Nunc enim agitur quibus credendum sit, antequam quisque sit idoneus ineundæ rationi de divinis et invisibilibus rebus; nam ipsi rationi purgatioris animæ, quæ ad perspicuam veritatem pervenit, nullo modo auctoritas humana præponitur : sed ad hanc nulla superbia perducit [2]. Quæ si non esset, non essent hæretici, neque schismatici, nec carne circumcisi, nec creaturæ simulacrorumque cultores. Hi autem si non essent ante perfectionem populi, quæ promittitur, multo pigrius veritas quæreretur.

[1] Abest *fidei* a Mss. quindecim, necnon a Bad. et Er.
[2] Editi, *nulla superbia humana perducit.* Abest *humana* a Mss.
(*a*) I Retract. cap. 13, n. 6.
(*b*) Ibid. n. 7.

CAPUT XXVI. — *Divina providentia erga nostram salutem ad sex ætates hominis veteris ac novi.*

48. Dispensatio ergo temporalis, et medicina divinæ providentiæ, erga illos qui peccato mortalitatem meruerunt, sic traditur. Primo unius cujuslibet hominis nascentis natura, et eruditio cogitatur. Prima hujus ætas infantia in nutrimentis corporalibus agitur, penitus obliviscenda crescenti. Eam pueritia sequitur, unde incipimus aliquid meminisse. Huic succedit adolescentia, cui jam propagationem prolis natura permittit, et patrem facit. Porro adolescentiam juventus excipit, jam exercenda muneribus publicis, et domanda sub legibus; in qua vehementior prohibitio peccatorum, et pœna peccantium serviliter coercens, carnalibus animis atrociores impetus libidinis gignit, et omnia commissa congeminat. Non enim simplex peccatum est, non solum malum, sed etiam vetitum admittere. Post labores autem juventutis, seniori pax nonnulla conceditur. Inde usque ad mortem deterior ætas ac decolor, et morbis subjectior debilisque perducit. Hæc est vita hominis viventis ex corpore, et cupiditatibus rerum temporalium colligati. Hic dicitur vetus homo, et exterior, et terrenus, etiamsi obtineat eam quam vulgus vocat felicitatem, in bene constituta terrena civitate, sive sub regibus, sive sub principibus, sive sub legibus, sive sub his omnibus : aliter enim bene constitui populus non potest, etiam qui terrena sectatur; habet quippe et ipse modum quemdam pulchritudinis suæ.

49. Hunc autem hominem, quem veterem et exteriorem et terrenum descripsimus, sive in suo genere moderatum, sive etiam servilis justitiæ modum excedentem, nonnulli agunt totum ab istius vitæ ortu usque ad occasum. Nonnulli autem istam vitam necessario ab illo incipiunt, sed renascuntur interius, et cæteras ejus partes suo robore spirituali et incrementis sapientiæ corrumpunt et necant, et in cœlestes leges, donec post visibilem mortem totum instauretur, adstringunt. Iste dicitur novus homo, et interior, et cœlestis, habens et ipse proportione, non annis, sed provectibus distinctas quasdam spirituales ætates suas. Primam in uberibus utilis historiæ, quæ nutrit exemplis. Secundam jam obliviscentem humana, et ad divina tendentem, in qua non auctoritatis humanæ sinu continetur, sed ad summam et incommutabilem legem passibus rationis innititur. Tertiam jam fidentiorem, et carnalem appetitum rationis robore maritantem, gaudentemque intrinsecus in quadam dulcedine conjugali, cum anima menti copulatur, et velamento pudoris obnubitur, ut jam recte vivere non cogatur, sed etiamsi omnes concedant, peccare non libeat. Quartam jam idipsum multo firmius ordinatiusque facientem et emicantem in virum perfectum, atque aptam et idoneam omnibus et persecutionibus, et mundi hujus tempestatibus ac fluctibus sustinendis atque frangendis. Quintam pacatam atque ex omni parte tranquillam, viventem in opibus et abundantia incommutabilis regni summæ atque ineffabilis sapientiæ. Sextam omnimodæ mutationis in æternam vitam, et usque ad totam oblivionem vitæ temporalis transeuntem in perfectam formam, quæ facta est ad imaginem et similitudinem Dei. Septima enim jam quies æterna est, et nullis ætatibus distinguenda beatitudo perpetua. Ut enim finis veteris hominis mors est, sic finis novi hominis vita æterna. Ille namque homo peccati est, iste justitiæ.

CAPUT XXVII. — *Utriusque hominis decursus in universo hominum genere.*

50. Sicut autem isti ambo nullo dubitante ita sunt, ut unum eorum, id est veterem atque terrenum, possit in hac tota vita unus homo agere, novum vero et cœlestem nemo in hac vita possit nisi cum vetere; nam et ab ipso incipiat necesse est, et usque ad visibilem mortem cum illo, quamvis eo deficiente, se proficiente, perduret : sic proportione universum genus humanum, cujus tanquam unius hominis vita est ab Adam usque ad finem hujus sæculi, ita sub divinæ providentiæ legibus administratur, ut in duo genera distributum appareat. Quorum in uno est turba impiorum, terreni hominis imaginem ab initio sæculi usque ad finem gerentium. In altero, series populi uni Deo dediti, sed ab Adam usque ad Joannem Baptistam terreni hominis vitam gerentis servili quadam justitia : cujus historia Vetus Testamentum vocatur, quasi terrenum pollicens regnum; quæ tota nihil aliud est quam imago novi populi, et Novi Testamenti pollicentis regnum cœlorum. Cujus populi vita interim temporalis incipit a Domini adventu in humilitate, usque ad diem judicii, quando in claritate venturus est. Post quod judicium, vetere homine exstincto, erit illa mutatio quæ angelicam vitam pollicetur : *Omnes* enim *resurgemus, sed non omnes immutabimur* (I *Cor.* xv, 51). Resurget ergo pius populus, ut veteris hominis sui reliquias transformet in novum. Resurget autem impius populus, qui ab initio usque ad finem veterem hominem gessit, ut in secundam mortem præcipitetur. Ætatum autem articulos, qui diligenter legunt, inveniunt; nec zizania nec paleas perhorrescunt. Impius namque pio vivit, et peccator justo, ut eorum comparatione alacrius, donec perficiatur, assurgat.

CAPUT XXVIII. — *Quæ, quibus et quo pacto tradenda.*

51. Quisquis autem populi terreni temporibus usque ad illuminationem interioris hominis meruit pervenire, genus humanum pro tempore adjuvit, exhibens ei quod ætas illa poscebat, et per prophetiam intimans id quod exhibere opportunum non erat : quales Patriarchæ ac Prophetæ inveniuntur ab iis qui non pueriliter insiliunt (*a*), sed pie diligenterque pertractant divinarum et humanarum rerum tam bonum, et tam grande secretum. Quod etiam temporibus novi populi, a magnis et spiritualibus viris Ecclesiæ catholicæ alumnis video cautissime provideri : ne quid populariter agant, quod nondum esse temporis, ut cum populo agatur, intelligunt; alimenta lactea large avidis infirmioribus pluribus atque instanter infundunt, validioribus autem cibis cum sapientibus paucis ve-

(*a*) Ut Manichæi.

scuntur. Sapientiam enim loquuntur inter perfectos, carnalibus vero et animalibus, quamvis novis hominibus, adhuc tamen parvulis, nonnulla obtegunt, sed nulla mentiuntur. Non enim honoribus suis vanis consulunt et inanibus laudibus; sed utilitati eorum cum quibus societatem vitæ hujus inire meruerunt. Hæc enim lex est divinæ providentiæ, ut nemo a superioribus adjuvetur ad cognoscendam et percipiendam gratiam Dei, qui non ad eamdem puro affectu inferiores adjuverit. Ita de peccato nostro, quod in homine peccatore ipsa natura nostra commisit, et genus humanum factum est magnum decus ornamentumque terrarum, et tam decenter divinæ providentiæ procuratione administratur, ut ars ineffabilis medicinæ ipsam vitiorum fœditatem in nescio quam sui generis pulchritudinem vertat.

CAPUT XXIX. — *De altero salutis subsidio, scilicet ratione; quomodo hac duce ad Deum homo evehitur: hæc primum sensibus præstare deprehenditur.*

52. Et quoniam de auctoritatis beneficentia, quantum in præsentia satis visum est, locuti sumus; videamus quatenus ratio possit progredi a visibilibus ad invisibilia, et a temporalibus ad æterna conscendens. Non enim frustra et inaniter intueri oportet pulchritudinem cœli, ordinem siderum, candorem lucis, dierum et noctium vicissitudines, lunæ menstrua curricula, anni quadrifariam temperationem, quadripartitis elementis congruentem, tantam vim seminum species numerosque gignentium, et omnia in suo genere modum proprium naturamque servantia. In quorum consideratione non vana et peritura curiositas exercenda est, sed gradus ad immortalia et semper manentia faciendus. Proximum enim est, attendere quæ ista sit natura vitalis, quæ cuncta ista sentit: quæ profecto quoniam vitam dat corpori, præstantior eo sit necesse est. Non enim qualiscumque moles, quanquam ista visibili luce præfulgeat, si vita caret, magni æstimanda est. Quælibet namque viva substantia cuilibet non vivæ substantiæ, naturæ lege præponitur (*a*).

53. Sed quia irrationalia quoque animantia vivere atque sentire nemo ambigit, illud in animo humano præstantissimum est, non quo sentit sensibilia, sed quo judicat de sensibilibus. Nam et vident acutius, et cæteris corporis sensibus acrius corpora attingunt pleræque bestiæ quam homines: sed judicare de corporibus non sentientis tantum vitæ, sed etiam ratiocinantis est; qua illæ carent, nos excellimus. Jam vero illud videre facillimum est, præstantiorem esse judicantem, quam illa res est de qua judicatur. Non solum autem rationalis vita de sensibilibus, sed de ipsis quoque sensibus judicat; cur in aqua remum infractum oporteat apparere cum rectus sit, et cur ita per oculos sentiri necesse sit: nam ipse aspectus oculorum renuntiare id potest, judicare autem nullo modo. Quare manifestum est, ut sensualem vitam corpori, ita rationalem utrique præstare.

CAPUT XXX. — *At ratione præstantior lex immutabilis, scilicet veritas secundum quam judicat.*

54. Itaque si rationalis vita secundum seipsam judicat, nulla jam est natura præstantior. Sed quia clarum est eam esse mutabilem, quando nunc perita, nunc imperita invenitur; tanto autem melius judicat, quanto est peritior; et tanto est peritior, quanto alicujus artis vel disciplinæ vel sapientiæ particeps est: ipsius artis natura quærenda est. Neque nunc artem intelligi volo, quæ notatur experiendo, sed quæ ratiocinando indagatur. Quid enim præclarum novit, qui novit ea impensa quæ calce et arena confit, tenacius lapides cohærere, quam luto? aut qui tam eleganter ædificat, ut quæ plura sunt, paria paribus respondeant; quæ autem singula, medium locum teneant? quanquam iste sensus jam sit rationi veritatique vicinior. Sed certe quærendum est cur nos offendat, si duabus fenestris non super invicem, sed juxta invicem locatis, una earum major minorve sit, cum æquales esse potuerint: si vero super invicem fuerint, ambæque dimidio [1] quamvis impares, non ita offendat illa inæqualitas; et cur non multum curemus, quanto sit una earum aut major aut minor, quia duæ sunt. In tribus autem sensus ipse videtur expetere ut aut impares non sint, aut inter maximam et minimam ita sit media, ut tanto præcedat minorem, quanto a majore præceditur. Ita enim primo quasi natura ipsa consulitur quid probet. Ubi potissimum notandum est, quemadmodum quod solum inspectum minus displicuerit, in melioris comparatione respuatur. Ita reperitur nihil esse aliud artem vulgarem, nisi rerum expertarum placitarumque memoriam, usu quodam corporis atque operationis adjuncto: quo si careas, judicare de operibus possis, quod multo est excellentius, quamvis operari artificiosa non possis.

55. Sed cum in omnibus artibus convenientia placeat, qua una salva et pulchra sunt omnia; ipsa vero convenientia æqualitatem unitatemque appetat, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium: quis est qui summam æqualitatem vel similitudinem in corporibus inveniat, audeatque dicere, cum diligenter consideraverit quodlibet corpus vere ac simpliciter unum esse; cum omnia vel de specie in speciem, vel de loco in locum transeundo mutentur, et partibus constent sua loca obtinentibus, per quæ in spatia diversa dividuntur? Porro ipsa vera æqualitas ac similitudo, atque ipsa vera et prima unitas, non oculis carneis, neque ullo tali sensu, sed mente intellecta conspicitur. Unde enim qualiscumque in corporibus appeteretur æqualitas, aut unde convinceretur, longe plurimum differre a perfecta, nisi ea quæ perfecta est, mente videretur? si tamen quæ facta non est, perfecta dicenda est.

56. Et cum omnia quæ sensibiliter pulchra sunt, sive natura edita, sive artibus elaborata, locis et temporibus sint pulchra, ut corpus et corporis motus; illa æqualitas et unitas menti tantummodo cognita, secundum quam de corporea pulchritudine sensu internuntio judicatur, nec loco tumida est, nec instabilis tempore. Non enim recte dici potest secundum eam judicari rotundum canthum, et non secundum

(*a*) Consule lib. 2 de Libero Arbitrio, cap. 3 et seqq.

[1] Sic præstantiores Mss. At Edd. habent, *de medio*.

eam rotundum vasculum; aut secundum eam rotundum vasculum, et non secundum eam rotundum denarium. Similiter in temporibus atque in motibus corporum, ridicule dicitur secundum eam judicari æquales annos, et non secundum eam æquales menses; aut secundum eam æquales menses, et non secundum eam æquales dies. Sed sive per hæc spatia, sive per horas, sive per breviora momenta convenienter moveatur aliquid, eadem una et incommutabili æqualitate judicatur. Quod si minora et majora spatia figurarum atque motionum secundum eamdem legem parilitatis, vel similitudinis, vel congruentiæ judicantur, ipsa lex major est his omnibus, sed potentia. Cæterum spatio aut loci aut temporis, nec major nec minor: quia si major esset, non secundum totam judicaremus minora; si autem minor esset, non secundum eam judicaremus majora [1]. Nunc vero cum secundum totam quadraturæ legem judicetur et forum quadratum, et lapis quadratus, et tabella et gemma quadrata; rursus secundum totam æqualitatis legem judicentur convenire sibi motus pedum currentis formicæ, et secundum eam gradientis elephanti: quis eam dubitet locorum intervallis ac temporum, nec majorem esse, nec minorem, cum potentia superet omnia? Hæc autem lex omnium artium cum sit omnino incommutabilis, mens vero humana cui talem legem videre concessum est, mutabilitatem pati possit erroris, satis apparet supra mentem nostram esse legem, quæ veritas dicitur.

CAPUT XXXI. — *Deus summa ista lex est secundum quam ratio judicat, sed quam judicare non licet.*

57. Nec jam illud ambigendum est, incommutabilem naturam, quæ supra rationalem animam sit, Deum esse; et ibi esse primam vitam et primam essentiam, ubi est prima sapientia. Nam hæc est illa incommutabilis veritas, quæ lex omnium artium recte dicitur, et ars omnipotentis artificis. Itaque cum se anima sentiat nec corporum speciem motumque judicare secundum seipsam, simul oportet agnoscat præstare suam naturam ei naturæ de qua judicat; præstare autem sibi eam naturam, secundum quam judicat, et de qua judicare nullo modo potest. Possum enim dicere quare similia sibi ex utraque parte respondere membra cujusque corporis debeant; quia summa æqualitate delector, quam non oculis corporis, sed mentis contueor: quapropter tanto meliora esse judico quæ oculis cerno, quanto pro sua natura viciniora sunt iis quæ animo intelligo. Quare autem illa ita sint, nullus potest dicere: nec ita debere esse quisquam sobrie dixerit, quasi possint esse non ita.

58. Quare autem nobis placeant, et cur ea, quando melius sapimus, vehementissime diligamus, ne id quidem quisquam, si ea rite intelligit, dicere audebit. Ut enim nos et omnes animæ rationales, secundum veritatem de inferioribus recte judicamus; sic de nobis, quando eidem cohæremus, sola ipsa Veritas judicat. De ipsa vero nec Pater, non enim minor est quam ipse [1], et ideo quæ Pater judicat, per ipsam judicat. Omnia enim quæ appetunt unitatem, hanc habent regulam, vel formam, vel exemplum, vel si quo alio verbo dici se sinit; quoniam sola ejus similitudinem a quo esse accepit, implevit: si tamen, accepit, non incongrue dicitur, pro ea significatione, qua Filius appellatur, quia non de seipso est, sed de primo summoque principio, qui Pater dicitur; *ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur* (*Ephes.* III, 15). *Pater* ergo *non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V, 22): et, *spiritualis homo judicat omnia, ipse autem a nemine judicatur* (I *Cor.* II, 15), id est a nullo homine, sed a sola ipsa lege secundum quam judicat omnia; quoniam et illud verissime dictum est, *Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi* (II *Cor.* V, 10). Omnia ergo judicat, quia super omnia est, quando cum Deo est. Cum illo autem est, quando purissime intelligit, et tota charitate, quod intelligit, diligit. Ita etiam, quantum potest, lex ipsa etiam ipse fit, secundum quam judicat omnia, et de qua judicare nullus potest. Sicut in istis temporalibus legibus, quanquam de his homines judicent cum eas instituunt, tamen cum fuerint institutæ atque firmatæ, non licebit judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. Conditor tamen legum temporalium, si vir bonus est et sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est; ut secundum ejus incommutabiles regulas, quid sit pro tempore jubendum vetandumque discernat. Æternam igitur legem mundis animis fas est cognoscere, judicare non fas est. Hoc autem interest, quod ad cognoscendum satis est ut videamus ita esse aliquid vel non ita: ad judicandum vero addimus aliquid quo significemus posse esse et aliter; velut cum dicimus, Ita esse debet, aut, ita esse debuit, aut, ita esse debebit; ut in suis operibus artifices faciunt.

CAPUT XXXII.— *Unitatis in corporibus est vestigium, sed ipsa unitas nonnisi mente conspicitur.*

59. Sed multis finis est humana delectatio, nec volunt tendere ad superiora, ut judicent cur ista visibilia placeant. Itaque si quæram ab artifice, uno arcu constructo, cur alterum parem contra in altera parte moliatur; respondebit, credo, ut paria paribus ædificii membra respondeant. Porro si pergam quærere, idipsum cur eligat; dicet hoc decere, hoc esse pulchrum, hoc delectare cernentes: nihil audebit amplius. Inclinatus enim recumbit oculis, et unde pendeat non intelligit. At ego virum intrinsecus oculatum, et invisibiliter videntem non desinam commonere cur ista placeant, ut judex esse audeat ipsius delectationis humanæ. Ita enim superfertur illi, nec ab ea tenetur, dum non secundum ipsam, sed ipsam judicat. Et prius quæram utrum ideo pulchra sint, quia delectant; an ideo delectent, quia pulchra sunt. Hic mihi sine dubitatione respondebitur, ideo delectare quia pulchra sunt. Quæram ergo deinceps, quare sint pulchra; et si titubabitur, subjiciam, utrum ideo quia similes sibi par-

[1] Editi: *Non secundum eam judicaremus majora.* Melius Mss., *non secundum totam.*

[1] Mss. duodecim habent: *Non enim minus est quam ipse.*

tes sunt, et aliqua copulatione ad unam convenientiam rediguntur.

60. Quod cum ita esse compererit, interrogabo utrum hanc ipsam unitatem, quam convincuntur appetere, summe impleant, an longe infra jaceant, et eam quodammodo mentiantur. Quod si ita est (nam quis non admonitus videat, neque ullam speciem, neque ullum omnino esse corpus quod non habeat unitatis qualecumque vestigium; neque quantumvis pulcherrimum corpus, cum intervallis locorum necessario aliud alibi habeat, posse assequi eam quam sequitur unitatem?) : quare si hoc ita est, flagitabo ut respondeat, ubi videat ipse unitatem hanc, aut unde videat : quam si non videret, unde cognosceret et quid imitaretur corporum species, et quid implere non posset? Nunc vero cum dicit corporibus, Vos quidem nisi aliqua unitas contineret, nihil essetis, sed rursus si vos essetis ipsa unitas, corpora non essetis; recte illi dicitur, Unde illam nosti unitatem, secundum quam judicas corpora, quam nisi videres, judicare non posses quod eam non impleant : si autem his corporeis oculis eam videres, non vere diceres, quanquam ejus vestigio teneantur, longe tamen ab ea distare? nam istis oculis corporeis non nisi corporalia vides : mente igitur eam videmus. Sed ubi videmus? Si hoc loco esset ubi corpus nostrum est, non eam videret qui hoc modo in Oriente de corporibus judicat. Non ergo ista continetur loco; et cum adest ubicumque judicanti, nusquam est per spatia locorum, et per potentiam nusquam non est.

CAPUT XXXIII. — *Non corpora, nec sensus corporis, sed judicium mentitur. Differunt mentiens et fallens.*

61. Quod si eam corpora mentiuntur, non est credendum mentientibus, ne incidamus in vanitates vanitantium : sed quærendum potius est, cum ideo mentiantur, quia eam videntur ostendere oculis carneis, cum illa mente pura videatur, utrum in tantum mentiantur, in quantum ei similia sunt, an in quantum eam non assequuntur. Nam si assequerentur, quod imitantur implerent. Si autem implerent, omnino essent similia. Si omnino essent similia, nihil inter illam naturam et istam interesset. Quod si ita esset, non eam mentirentur : id enim essent quod illa est. Nec tamen mentiuntur diligentius considerantibus : quia ille mentitur qui vult videri id quod non est; quod autem non volens aliud putatur quam est, non mentitur, sed fallit tantum. Nam ita discernitur mentiens a fallente, quod inest omni mentienti voluntas fallendi, etiamsi non ei credatur : fallens autem esse non potest, qui non fallit. Ergo corporea species, quia nullam voluntatem habet, non mentitur : si vero etiam non putetur esse quod non est, nec fallit.

62. Sed ne ipsi quidem oculi fallunt; non enim renuntiare possunt animo nisi affectionem suam. Quod si non solum ipsi, sed etiam omnes corporis sensus ita renuntiant ut afficiuntur; quid ab eis amplius exigere debeamus ignoro. Tolle itaque vanitantes, et nulla erit vanitas. Si quis remum frangi in aqua opinatur, et cum inde aufertur integrari; non malum habet internuntium, sed malus est judex. Nam ille pro sua natura non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit : si enim aliud est aer, aliud aqua, justum est ut aliter in aere, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus recte; ad hoc enim factus est ut tantum videat : sed animus perverse, cui ad contemplandam summam pulchritudinem mens, non oculus factus est. Ille autem vult mentem convertere ad corpora, oculos ad Deum. Quærit enim intelligere carnalia, et videre spiritualia; quod fieri non potest.

CAPUT XXXIV. — *Conficta phantasmata quomodo judicentur.*

63. Quare ista perversitas corrigenda est, quia nisi fecerit quod sursum est deorsum, et quod deorsum est sursum, regno cœlorum aptus non erit. Non ergo summa quæramus in infimis, nec ipsis infimis inhæreamus [1]. Judicemus ea, ne cum ipsis judicemur; id est, tantum eis tribuamus, quantum species meretur extrema, ne cum in novissimis prima quærimus, a primis inter novissima numeremur. Quod nihil ipsis novissimis obest, sed nobis plurimum. Nec ideo divinæ providentiæ administratio minus decora fit; quia et injusti juste, et fœdi pulchre ordinantur. Et si propterea nos fallit rerum visibilium pulchritudo, quia unitate continetur, et non implet unitatem; intelligamus, si possumus, non ex eo quod est nos falli, sed ex eo quod non est. Omne quippe corpus verum corpus est; sed falsa unitas. Non enim summe unum est, aut in tantum id imitatur ut impleat : et tamen nec corpus ipsum esset, nisi utcumque unum esset. Porro utcumque unum esse non posset, nisi ab eo quod summe unum est, id haberet.

64. O animæ pervicaces (*a*), date mihi qui videat sine ulla imaginatione visorum carnalium. Date mihi qui videat omnis unius principium non esse, nisi unum solum a quo sit omne unum, sive illud impleat, sive non impleat. Qui videat date, non qui litiget, non qui videri velit se videre quod non videt. Date qui resistat sensibus carnis, et plagis quibus per illos in anima vapulavit : qui resistat consuetudini hominum, resistat laudibus hominum, qui compungatur in cubili suo, qui resculpat suum spiritum, qui non foris diligat vanitates, et quærat mendacia (*Psal.* IV, 3, 4); qui jam sibi noverit dicere : Si una Roma est, quam circa Tiberim nescio quis Romulus dicitur condidisse, falsa est ista quam cogitans fingo : non enim est ipsa, nec ibi sum animo [2]; nam quid ibi agatur modo, utique scirem. Si unus est sol, falsus est iste quem cogitans fingo : nam ille curricula sua certis locis et temporibus peragit; istum ego ubi volo, et quando volo constituo. Si unus est ille amicus meus, falsus est iste quem cogitans fingo : nam ille ubi sit nescio; iste ibi fingitur, ubi volo. Ego ipse certe unus sum, et hoc loco esse sentio corpus meum; et tamen figmento cogitationis pergo quo libet, loquor cum quo libet. Falsa sunt hæc; nec quisquam intelligit falsa. Non ergo intelligo, cum ista contemplor, et istis credo; quia ve-

[1] Mss. duodecim, *invideamus.*

[2] Bad. Lov. et Am., *nec ibi sum modo.* Sed præferenda visa est lectio Er. et Mss. decem, *nec ibi sum animo.*

(*a*) Manichæi phantasmatibus addicti, lib. 3 Confess., c. 6, et lib. 9, c. 4.

rum esse oportet quod intellectu contemplor: numquid forte sunt ista quæ phantasmata dici solent? Unde ergo impleta est anima mea illusionibus? Ubi est verum, quod mente conspicitur? Ita cogitanti jam dici potest: Illa lux vera est qua hæc non esse vera cognoscis. Per hanc illud unum vides, quo judicas unum esse quidquid aliud vides, nec tamen hoc esse quod illud est, quidquid mutabile vides.

CAPUT XXXV. — *Vacandum ut Deus cognoscatur.*

65. Quod si hæc intueri palpitat mentis aspectus, quiescite; nolite certare, nisi cum consuetudine corporum: ipsam vincite, et victa erunt omnia. Unum certe quærimus, quo simplicius nihil est. Ergo in simplicitate cordis quæramus illum. *Agite otium*, inquit, *et agnoscetis quia ego sum Dominus* (*Psal.* XLV, 11): non otium desidiæ, sed otium cogitationis, ut a locis et temporibus vacet. Hæc enim phantasmata tumoris et volubilitatis, constantem unitatem videre non sinunt. Loca offerunt quod amemus, tempora surripiunt quod amamus, et relinquunt in anima turbas phantasmatum, quibus in aliud atque aliud cupiditas incitetur. Ita fit inquietus et ærumnosus animus, frustra tenere a quibus tenetur, exoptans. Vocatur ergo ad otium, id est, ut ista non diligat, quæ diligi sine labore non possunt. Sic enim eis dominabitur, sic non tenebitur, sed tenebit. *Jugum meum*, inquit, *leve est* (*Matth.* XI, 30). Huic jugo qui subjectus est, subjecta habet cætera. Non ergo laborabit; non enim resistit quod subjectum est. Sed miseri amici hujus mundi, cujus domini erunt, si filii Dei esse voluerint, quoniam dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan.* I, 12); amici ergo hujus mundi tam timent ab ejus amplexu separari, ut nihil eis sit laboriosius, quam non laborare.

CAPUT XXXVI. — *Verbum Dei ipsa est veritas, quia omnino implet id a quo principio unum est quidquid est unum. Falsitas non ex rebus, sed ex peccatis.*

66. Sed cui saltem illud manifestum est, falsitatem esse, qua id putatur esse quod non est, intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id quod est. At si corpora in tantum fallunt, in quantum non implent illud unum quod convincuntur imitari, a quo Principio unum est quidquid est, ad cujus similitudinem quidquid nititur, naturaliter approbamus; quia naturaliter improbamus quidquid ab unitate discedit, atque in ejus dissimilitudinem tendit: datur intelligi esse aliquid, quod illius unius solius, a quo Principio unum est quidquid aliquo modo unum est, ita simile sit ut hoc omnino impleat ac sit idipsum; et hæc est Veritas et Verbum in Principio, et Verbum Deus apud Deum. Si enim falsitas ex iis est quæ imitantur unum, non in quantum id imitantur, sed in quantum implere non possunt; illa est Veritas quæ id implere potuit, et id esse quod est illud; ipsa est quæ illud ostendit sicut est: unde et Verbum ejus et Lux ejus rectissime dicitur (*Joan.* I, 9). Cætera illius unius similia dici possunt in quantum sunt, in tantum enim et vera sunt: hæc est autem ipsa ejus similitudo, et ideo Veritas. Ut enim veritate sunt vera, quæ vera sunt; ita similitudine similia sunt, quæcumque similia sunt. Ut ergo veritas forma verorum est, ita similitudo forma similium est. Quapropter vera quoniam in tantum vera sunt, in quantum sunt; in tantum autem sunt, in quantum principalis unius similia sunt: ea forma est omnium quæ sunt, quæ est summa similitudo Principii; et Veritas est, quia sine ulla dissimilitudine est.

67. Unde falsitas oritur, non rebus ipsis fallentibus, quæ nihil aliud ostendunt sentienti quam speciem suam, quam pro suæ pulchritudinis acceperunt gradu; neque ipsis sensibus fallentibus, qui pro natura sui corporis affecti, non aliud quam suas affectiones præsidenti animo nuntiant: sed peccata animas fallunt, cum verum quærunt, relicta et neglecta veritate. Nam quoniam opera magis quam artificem atque ipsam artem dilexerunt, hoc errore puniuntur, ut in operibus artificem artemque conquirant; et cum invenire nequiverint (Deus enim non corporalibus sensibus subjacet, sed ipsi menti supereminet), ipsa opera existiment esse et artem et artificem.

CAPUT XXXVII. — *Impietas idololatriæ multiplicis orta ex amore creaturæ.*

68. Hinc oritur omnis impietas, non modo peccantium, sed etiam damnatorum pro peccatis suis. Non enim tantum scrutari creaturam contra præceptum Dei, et ea frui potius quam ipsa lege et veritate volunt, quod primi hominis peccatum deprehenditur, male utentis libero arbitrio; sed hoc quoque in ipsa damnatione addunt, ut non modo diligant, sed etiam serviant creaturæ potius quam Creatori (*Rom.* I, 25), et eam colant per partes ejus, a summis usque ad ima venientes. Sed aliqui se in hoc tenent, ut pro summo Deo animam colant, et primam intellectualem creaturam, quam per Veritatem Pater fabricavit, ad ipsam Veritatem semper intuendam, et se per ipsam [1], quia omni modo ei simillima est. Deinde veniunt ad vitam genitalem, per quam creaturam visibilia et temporalia gignentia Deus æternus et incommutabilis operatur. Hinc ad animalia, et inde ad ipsa corpora colenda dilabuntur; et in his primo eligunt pulchriora, in quibus cœlestia maxime excellunt. Ergo in primis solis corpus occurrit, et in eo nonnulli remanent. Aliqui et lunæ splendorem religione dignum putant: est enim nobis, ut perhibetur, propinquior; unde viciniorem speciem habere sentitur. Alii etiam cæterorum siderum corpora adjungunt, et totum cœlum cum stellis suis. Alii cœlo æthereo copulant aerem, et istis duobus superioribus elementis corporeis subjiciunt animas suas. Sed inter hos illi sibi videntur religiosissimi, qui universam simul creaturam, id est mundum totum cum omnibus quæ in eo sunt, et vitam qua spiratur et animatur, quam quidam corpoream, quidam incorpoream esse crediderunt: hoc ergo totum simul unum Deum magnum esse arbitrantur, cujus partes sint cæteræ. Non enim universæ creaturæ auctorem conditoremque noverunt. Inde in simulacra præcipitantur, et ab operibus Dei usque in opera sua demerguntur, quæ tamen adhuc visibilia sunt.

[1] Lov., *et per seipsam*. Sed legendum ut in aliis editionibus et in omnibus Mss. habetur, *et se per ipsam*.

CAPUT XXXVIII. — *Aliud idololatriæ genus, quo peccator triplici cupiditati servit.*

69. Est enim alius deterior et inferior cultus simulacrorum, quo phantasmata sua colunt, et quidquid animo errante cum superbia vel tumore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine observant, donec fiat in anima nihil omnino colendum esse, et errare homines qui superstitioni se involvunt, et misera se implicant servitute. Sed frustra hoc sentiunt : non enim efficiunt ut non serviant; remanent quippe ipsa vitia, quibus ut ipsa colenda opinarentur attracti sunt. Serviunt enim cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi. Nego esse quemquam istorum qui nihil colendum existimant, qui non aut carnalibus gaudiis subditus sit, aut potentiam vanam foveat, aut aliquo spectaculo delectatus insaniat. Ita nescientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem exspectent. His autem rebus quibus quisque beatus vult effici, serviat necesse est, velit nolit. Nam quocumque duxerint, sequitur; et quisquis ea visus fuerit auferre posse, metuitur. Possunt autem auferre ista, et scintilla ignis et aliqua parva bestiola. Postremo, ut omittam innumerabiles adversitates, tempus ipsum auferat necesse est omnia transeuntia. Itaque cum omnia temporalia mundus iste concludat, omnibus mundi partibus serviunt, qui propterea putant nihil colendum esse ne serviant.

70. Verumtamen quanquam in hac rerum extremitate miseri jaceant, ut vitia sua sibi dominari patiantur, vel libidine, vel superbia, vel curiositate damnati, vel duobus horum, vel omnibus : quamdiu sunt in hoc stadio vitæ humanæ, licet eis congredi et vincere, si prius credant quod intelligere nondum valent, et non diligant mundum; *quoniam omne quod in mundo est*, sicut divinitus dictum est, *concupiscentia carnis est*, *et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (I *Joan.* II, 16). Hoc modo tria illa sunt notata : nam concupiscentia carnis, voluptatis infimæ amatores significat; concupiscentia oculorum, curiosos; ambitio sæculi, superbos.

71. Triplex etiam tentatio in homine, quem Veritas ipsa suscepit, cavenda monstrata est. *Dic*, inquit tentator, *lapidibus istis, ut panes fiant.* At ille unus et solus magister : *Non*, inquit, *in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.* Ita enim domitam docuit esse oportere cupiditatem voluptatis, ut nec fami cedendum sit. Sed forte dominationis temporalis fastu decipi poterat, qui carnis voluptate non potuit; omnia ergo mundi regna monstrata sunt, et dictum est : *Omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me.* Cui responsum est : *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Ita calcata est superbia. Subjecta est autem extrema etiam curiositatis illecebra : non enim ut se de fastigio templi præcipitaret urgebat, nisi causa tantum aliquid experiendi. Sed neque hic victus est, et ideo sic respondit, ut intelligeremus non opus esse ad cognoscendum Deum, tentationibus visibiliter divina explorare molientibus : *Non tentabis*, inquit, *Dominum Deum tuum* (*Matth.* IV, 1-10, *et Luc.* IV, 2-12). Quamobrem quisquis intus verbo Dei pascitur, non quærit in ista eremo voluptatem. Qui uni Deo tantum subjectus est, non quærit in monte, id est in terrena elatione jactantiam. Quisquis æterno spectaculo incommutabilis veritatis adhærescit, non per fastigium hujus corporis, id est per hos oculos præcipitatur, ut temporalia et inferiora cognoscat.

CAPUT XXXIX. — *Ex ipsis vitiis suis animam admoneri ut primam pulchritudinem requirat : quod primo de vitio voluptatis ostenditur usque ad caput 43.*

72. Quid igitur restat, unde non possit anima recordari primam pulchritudinem quam reliquit, quando de ipsis suis vitiis potest? Ita enim Sapientia Dei pertendit a fine usque ad finem fortiter (*Sap.* VIII, 1). Ita per hanc summus ille artifex opera sua in unum finem decoris ordinata contexuit. Ita illa bonitas a summo usque ad extremum nulli pulchritudini, quæ ab ipso solo esse posset, invidit; ut nemo ab ipsa veritate dejiciatur, qui non excipiatur ab aliqua effigie veritatis. Quære in corporis voluptate quid teneat, nihil aliud invenies quam convenientiam : nam si resistentia pariant dolorem, convenientia pariunt voluptatem. Recognosce igitur quæ sit summa convenientia. Noli foras ire, in teipsum redi; in interiore homine habitat veritas; et si tuam naturam mutabilem inveneris, transcende et teipsum. Sed memento cum te transcendis, ratiocinantem animam te transcendere. Illuc ergo tende, unde ipsum lumen rationis accenditur. Quo enim pervenit omnis bonus ratiocinator, nisi ad veritatem? cum ad seipsam veritas non utique ratiocinando perveniat, sed quod ratiocinantes appetunt, ipsa sit. Vide ibi convenientiam qua superior esse non possit, et ipse conveni cum ea. Confitere te non esse quod ipsa est : siquidem se ipsa non quærit; tu autem ad ipsam quærendo venisti, non locorum spatio, sed mentis affectu, ut ipse interior homo cum suo inhabitatore, non infima et carnali, sed summa et spirituali voluptate [1] conveniat.

73. Aut si non cernis quæ dico, et an vera sint dubitas, cerne saltem utrum te de iis dubitare non dubites; et si certum est te esse dubitantem, quære unde sit certum : non illic tibi, non omnino solis hujus lumen occurret [2], sed lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). Quod his oculis videri non potest; nec illis quibus phantasmata cogitantur, per eosdem oculos animæ impacta; sed illis quibus ipsis phantasmatibus dicitur : Non estis vos quod ego quæro, neque illud estis unde ego vos ordino; et quod mihi inter vos fœdum occurrerit, improbo; quod pulchrum, approbo; cum pulchrius sit illud unde improbo et approbo : quare hoc ipsum magis approbo, et non solum vobis, sed illis omnibus corporibus unde vos hausi, antepono. Deinde regulam ipsam quam vides, concipe hoc modo : Omnis qui se dubitantem intelligit, verum intelligit, et de hac re quam intelligit certus

[1] Lov. et Arn., *voluntate*, pro quo Bad. Er. et Mss. septem, *voluptate.*

[2] Ven. Lov. sic legunt hunc locum : *Non illic tibi omnino solis hujus lumen occurret.* M.

est : de vero igitur certus est. Omnis igitur qui utrum sit veritas dubitat, in seipso habet verum unde non dubitet ; nec ullum verum nisi veritate verum est. Non itaque oportet eum de veritate dubitare, qui potuit undecumque dubitare. Ubi videntur hæc, ibi est lumen sine spatio locorum et temporum, et sine ullo spatiorum talium phantasmate. Numquid ista ex aliqua parte corrumpi possunt, etiamsi omnis ratiocinator intereat, aut apud carnales inferos veterascat ? Non enim ratiocinatio talia facit, sed invenit. Ergo antequam inveniantur, in se manent, et cum inveniuntur, nos innovant.

CAPUT XL. — *De pulchritudine corporum carnisque voluptate, et de peccantium pœna.*

74. Ita renascitur interior homo, et exterior corrumpitur de die in diem (II *Cor.* IV, 16). Sed interior exteriorem respicit, et in sua comparatione fœdum videt ; in proprio tamen genere pulchrum et corporum convenientia lætantem, et corrumpentem quod in bonum suum convertit, alimenta scilicet carnis : quæ tamen corrupta, id est amittentia formam suam, in membrorum istorum fabricam migrant, et corrupta reficiunt, in aliam formam per convenientiam transeuntia ; et per vitalem motum dijudicantur quodammodo, ut ex eis in structuram hujus visibilis pulchri quæ apta sunt assumantur, non apta vero per congruos [1] meatus ejiciantur. Quorum aliud fæculentissimum redditur terræ ad alias formas assumendas, aliud per totum corpus exhalat, aliud totius animalis latentes numeros accipit, et inchoatur in prolem, et sive convenientia duorum corporum, sive tali aliquo phantasmate commotum, per genitales vias ab ipso vertice defluit in infima voluptate [2]. Jamvero in matre per certos numeros temporum in locorum numerum coaptatur, ut suas regiones quæque membra occupent ; et si modum parilitatis servaverint, luce coloris adjuncta, nascitur corpus quod formosum vocatur, et a suis dilectoribus amatur acerrime : non tamen in eo plus placet forma quæ movetur, quam vita quæ movet. Nam illud animal si nos amet, allicit violentius : si oderit autem, succensemus, et ferre non possumus, etiamsi formam ipsam præbeat fruenti. Hoc totum est voluptatis regnum, et ima pulchritudo ; subjacet enim corruptioni : quod si non esset, summa putaretur.

75. Sed adest divina providentia, quæ hanc ostendat et non malam, propter tam manifesta vestigia primorum numerorum, in quibus sapientiæ Dei non est numerus ; et extremam tamen esse, miscens ei dolores et morbos et distortiones membrorum, et tenebras coloris, et animorum simultates ac dissensiones, ut ex his admoneamur incommutabile aliquid esse quærendum. Et hoc facit per infima ministeria [3], quibus id agere voluptatis est ; quos exterminatores et angelos iracundiæ, divinæ Scripturæ nominant, quamvis ipsi nesciant quid de se agatur boni. His similes sunt homines qui gaudent miseriis alienis, et risus sibi ac ludicra spectacula exhibent, vel exhiberi volunt eversionibus et erroribus aliorum (*a*). Atque ita in his omnibus boni admonentur, et exercentur, et vincunt, et triumphant, et regnant. Mali vero decipiuntur, cruciantur, vincuntur, damnantur, et serviunt ; non uni omnium summo Domino, sed ultimis servis, illis videlicet angelis, qui doloribus et miseria damnatorum pascuntur, et pro ista malevolentia bonorum liberatione torquentur.

76. Ita ordinantur omnes officiis et finibus suis in pulchritudinem universitatis, ut quod horremus in parte, si cum toto consideremus, plurimum placeat : quia nec in ædificio judicando unum tantum angulum considerare debemus, nec in homine pulchro solos capillos, nec in bene pronuntiante solum digitorum motum, nec in lunæ cursu aliquas tridui tantum figuras. Ista enim, quæ propterea sunt infima, quia partibus imperfectis tota perfecta sunt, sive in statu, sive in motu pulchra sentiantur, tota consideranda sunt, si recte volumus judicare. Verum enim nostrum judicium, sive de toto, sive de parte judicet, pulchrum est : universo quippe mundo superfertur, nec alicui parti ejus, in quantum verum judicamus, adhæremus. Error autem noster parti adhærens ejus, ipse per se fœdus est. Sed sicut niger color in pictura cum toto fit pulcher ; sic totum istum agonem decenter edit incommutabilis divina providentia, aliud victis, aliud certantibus, aliud victoribus, aliud spectatoribus, aliud quietis et solum Deum contemplantibus tribuens : cum in his omnibus non sit malum nisi peccatum, et pœna peccati, hoc est defectus voluntarius a summa essentia, et labor in ultima non voluntarius ; quod alio modo sic dici potest, libertas a justitia, et servitus sub peccato.

CAPUT XLI. — *In peccantis animæ pœna pulchritudo.*

77. Corrumpitur autem homo exterior aut profectu interioris, aut defectu suo. Sed profectu interioris ita corrumpitur, ut totus in melius reformetur, et restituatur in integrum in novissima tuba, ut jam non corrumpatur neque corrumpat. Defectu autem suo in pulchritudines corruptibiliores, id est pœnarum ordinem præcipitatur. Nec miremur quod adhuc pulchritudines nomino : nihil enim est ordinatum, quod non sit pulchrum ; et, sicut ait Apostolus (*b*), *omnis ordo à Deo est* (*Rom.* XIII, 1). Necesse est autem fateamur meliorem esse hominem plorantem, quam lætantem vermiculum : et tamen vermiculi laudem sine ullo mendacio copiose possum dicere, considerans nitorem coloris, figuram teretem corporis, priora cum mediis, media cum posterioribus congruentia, et unitatis appetentiam pro suæ naturæ humilitate ser-

[1] Lov. et nonnulli Mss., *incongruos*. Sed verius Bad. Er. Arn. et Mss. alii duodecim, *congruos*. Quippe hic describitur exterioris hominis pulchritudo, in cujus structura nihil incongruum.

[2] Mss. octo, *defluit infima voluptate*.

[3] In excusis, *per infima ministeria eorum quibus*, etc. At a Mss. abest vox, *eorum*. Unde intelligimus non officia quædam hisce verbis denotari, sed ipsos angelos malos, qui mox appellantur, *ultimi servi* : contra vero boni Angeli inferius, cap. 55, *excellentissima*, et *sancta Dei ministeria*.

(*a*) I Confess. cap. 3, n. 6.

(*b*) I Retract. cap. 13, n. 7.

vantia; nihil ex una parte formatum, quod non ex altera parili dimensione respondeat. Quid jam de anima ipsa dicam vegetante modulum corporis sui, quomodo eum numerose moveat, quomodo appetat convenientia, quomodo vincat aut caveat obsistentia quantum potest, et ad unum sensum incolumitatis referens omnia, unitatem illam conditricem naturarum omnium, multo evidentius quam corpus insinuet? loquor de vermiculo animante qualicumque. Cineris et stercoris laudem verissime atque uberrime plerique dixerunt (*Cato apud Ciceronem, in Catone majore*). Quid ergo mirum est, si hominis animam, quæ ubicumque sit et qualiscumque sit, omni corpore est melior, dicam pulchre ordinari, et de pœnis ejus alias pulchritudines fieri, cum ibi non sit quando misera est, ubi beatos esse decet, sed ibi sit ubi esse miseros decet?

78. Prorsus nemo nos fallat. Quidquid recte vituperatur, in melioris comparatione respuitur (*a*). Omnis autem natura quamvis extrema, quamvis infima, in comparatione nihili jure laudatur. Et tunc cuique non est bene, si melius esse potest. Quare si nobis potest bene esse cum ipsa veritate, male sumus cum quolibet vestigio veritatis: multo ergo deterius cum extremitate vestigii, quando carnis voluptatibus adhæremus. Vincamus ergo hujus cupiditatis vel blanditias vel molestias; subjugemus nobis hanc feminam, si viri sumus. Nobis ducibus et ipsa erit melior, nec jam cupiditas, sed temperantia nominabitur. Nam cum ipsa ducit, nos autem sequimur, cupiditas illa et libido, nos vero temeritas et stultitia nuncupamur. Sequamur Christum caput nostrum, ut et nos sequatur cui caput sumus. Hoc et feminis præcipi potest, non maritali, sed fraterno jure; quo jure in Christo nec masculus nec femina sumus. Habent enim et illæ virile quiddam unde femineas subjugent voluptates, unde Christo serviant, et imperent cupiditati. Quod in multis viduis et virginibus Dei, in multis etiam maritatis, sed jam fraterne conjugalia jura servantibus, christiani populi dispensatione manifestum est. Quod si ab ea parte cui dominari Deus nos jubet, atque ut in nostram possessionem restituamur, et hortatur et opitulatur: si ergo ab hac parte per negligentiam et impietatem vir subditus fuerit, id est mens et ratio, erit quidem homo turpis et miser; sed destinatur in hac vita, et post hanc vitam ordinatur, quo eum destinari et ubi ordinari summus ille rector et Dominus judicat. Nulla itaque fœditate universa creatura maculari permittitur.

CAPUT XLII. — *Voluptas carnis admonet ut numeros indivisibiles quæramus. An tales in sint in aliquo vitali motu.*

79. Ambulemus ergo dum diem habemus, id est, dum ratione uti possumus, ut ad Deum conversi, Verbo ejus, quod verum lumen est illustrari, mereamur, ne nos tenebræ comprehendant (*Joan.* XII, 35). Dies est enim præsentia illius luminis quod *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Id.* I, 9). *Hominem* dixit, quia ratione uti potest [1], et ubi cecidit, ibi incumbere ut surgat. Si ergo voluptas carnis diligitur, ea ipsa diligentius consideretur; et cum ibi recognita fuerint quorumdam vestigia numerorum, quærendum est ubi sine tumore sint. Ibi enim magis unum est quod est. Et si tales sunt in ipsa motione vitali, quæ in seminibus operatur, magis ibi mirandi sunt quam in corpore. Si enim numeri seminum sicut ipsa semina tumerent, de dimidio grano fici, arbor dimidia nasceretur, neque de animalium seminibus etiam non totis, animalia tota et integra gignerentur, neque tantillum et unum semen vim haberet sui cujusque generis innumerabilem. De uno quippe secundum suam naturam possunt, vel segetes segetum, vel silvæ silvarum, vel greges gregum, vel populi populorum per sæcula propagari, ut nullum folium sit, vel nullus pilus per tam numerosam successionem, cujus non ratio in illo primo et uno semine fuerit. Deinde illud cogitandum est, quam numerosas, quam suaves sonorum pulchritudines verberatus aer trajiciat cantante luscinia, quas illius aviculæ anima non tam libere [2], cum liberet, fabricaretur, nisi vitali motu incorporaliter haberet impressas. Hoc et in cæteris animantibus, quæ ratione carentia, sensu tamen non carent, animadverti potest. Nullum enim horum est, quod non vel in sono vocis, vel in cætero motu atque operatione membrorum, numerosum aliquid et in suo genere moderatum gerat, non aliqua scientia, sed tamen intimis naturæ terminis, ab illa incommutabili numerorum lege modulatis.

CAPUT XLIII. — *In homine vis judicandi de corporum et temporum proportione. Qui in perpetua veritate modus ordinis.*

80. Redeamus ad nos, et omittamus ea quæ cum arbustis et bestiis habemus communia. Uno namque modo hirundo nidificat, et unumquodque avium genus uno aliquo suo modo. Quid est ergo in nobis, quo et de illis omnibus judicamus, quas figuras appetant, et quatenus impleant, et nos in ædificiis aliisque corporeis operibus, tanquam domini omnium talium figurarum, innumerabilia machinamur? Quid est in nobis, quod intus intelligit has ipsas visibiles corporum moles proportione magnas esse, vel parvas; et omne corpus habere dimidium, quantulumcumque sit; et si dimidium, innumerabiles partes: itaque omne granum milii suæ parti tantæ, quantam in hoc mundo nostrum corpus tenet, tam magnum esse quam mundus est nobis, totumque istum mundum figurarum ratione pulchrum esse, non mole; magnum autem videri, non pro sua quantitate, sed pro brevitate nostra, id est animalium quibus est plenus; quæ rursus cum habeant infinitatem divisionis, non ipsa per se, sed in aliorum, et maxime ipsius universi comparatione tam parva sunt? Nec in spatio temporum alia ratio est; quia ut omnis loci, sic omnis temporis longitudo habet dimidium sui: quamvis enim sit brevissima, et

(*a*) I Retract. cap. 13, n. 8.

[1] Editi, *qui ratione uti potest;* et paulo post Lov. et Arn., *incumbere debet ut surgat.* At Mss. habent, *quia ratione,* etc. et altero loco carent voce *debet,* quæ etiam abest a Bad. et Er.
[2] In Mss. non est, *tam libere.*

incipit, et progreditur, et desinit. Itaque non potest nisi habere dimidium, dum ibi dividitur qua transit ad finem. Ac per hoc et brevis syllabæ tempus in comparatione longioris breve, et hora brumalis æstivæ horæ comparata minor est (*a*). Sic mora unius horæ ad diem, et diei ad mensem, et mensis ad annum, et anni ad lustrum, et lustri ad majores circuitus, et ipsi ad universum tempus relati breves sunt; cum illa ipsa numerosa successio, et quædam gradatio, sive localium, sive temporalium spatiorum, non tumore vel mora, sed ordinata convenientia pulchra judicetur.

81. Ipse autem ordinis modus vivit in veritate perpetua, nec mole vastus, nec protractione volubilis; sed potentia supra omnes locos magnus, æternitate super omnia tempora immobilis: sine quo tamen nec ullius molis vastitas in unum redigi, nec ullius temporis productio potest ab errore cohiberi, et aliquid esse vel corpus ut corpus sit, vel motus ut motus sit. Ipsum est unum principale, nec per finitum nec per infinitum crassum, nec per finitum nec per infinitum mutabile. Non enim habet aliud hic, aliud alibi; aut aliud nunc, aliud postea: quia summe unus est Pater Veritatis, Pater suæ Sapientiæ, quæ nulla ex parte dissimilis, similitudo ejus dicta est et imago, quia de ipso est. Itaque etiam Filius recte dicitur ex ipso, cætera per ipsum. Præcessit enim forma omnium summe implens unum de quo est, ut cætera quæ sunt, in quantum sunt uni similia, per eam formam fierent.

CAPUT XLIV. — *Dei imago Filius, ad quam facta quædam.*

82. Horum alia sic sunt per ipsam, ut ad ipsam etiam sint, ut omnis rationalis et intellectualis creatura, in qua homo rectissime dicitur factus ad imaginem et similitudinem Dei: non enim aliter incommutabilem veritatem posset mente conspicere. Alia vero ita sunt per ipsam facta, ut non sint ad ipsam. Et ideo rationalis anima si Creatori suo serviat, a quo facta est, per quem facta est, et ad quem facta est, cuncta ei cætera servient: et vita ultima, quæ tam vicina illi est, et est adjutorium ejus, per quod imperat corpori; et ipsum corpus, extrema natura et essentia, cui omni modo cedenti ad arbitrium dominabitur, nullam de illo sentiens molestiam; quia jam non ex illo, nec per illud quæret beatitudinem, sed ex Deo per seipsam percipiet. Reformatum ergo corpus ac sanctificatum, sine detrimento corruptionis, et sine onere difficultatis administrabit. *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in cœlis* (*Matth.* XXII, 30). *Esca* vero *ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et illas destruet* (I *Cor.* VI, 13); quoniam *non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium* (*Rom.* XIV, 17).

CAPUT XLV. — *Voluptatis imbecillitas protrudit nos ad sublimiora. De superbiæ vitio, usque ad cap.* 49: *quomodo per hoc admonemur ad amplectendam virtutem.*

83. Quapropter, etiam in ista corporis voluptate invenimus unde commoneamur eam contemnere; non quia malum est natura corporis, sed quia in extremi boni dilectione turpiter volutatur, cui primis inhærere fruique concessum est. Cum trahitur auriga, et suæ temeritatis dat pœnas, quidquid illud est quo utebatur, accusat: sed imploret auxilium, jubeat Dominus rerum, obsistatur equis, alia jam spectacula de illius præcipitatione facientibus, et nisi subveniatur de morte facturis, restituatur in locum, super rotas collocetur, habenarum jura reddantur, regat cautius obtemperantes, et edomitas bestias; tunc sentiet quam bene currus, et tota illa junctio fabricata sit, quæ ruina ejus, et ipsum affligebat, et cursum decentissimæ moderationis amiserat: quia et huic corpori imbecillitatem peperit animæ male [1] utentis aviditas in paradiso, usurpans vetitum cibum contra medici disciplinam, qua sempiterna continetur salus.

84. Si ergo in ista ipsa visibilis carnis imbecillitate, ubi beata vita esse non potest, invenitur admonitio beatæ vitæ propter speciem de summo usque [2] ad ima venientem; quanto magis in appetitione nobilitatis et excellentiæ, et in omni superbia vanaque pompa hujus mundi? Quid enim aliud in ea homo appetit, nisi solus esse, si fieri possit, cui cuncta subjecta sint, perversa scilicet imitatione omnipotentis Dei? Quem si subditus imitaretur, secundum præcepta ejus vivendo, per eum haberet subdita cætera, nec ad tantam deformitatem veniret, ut bestiolam timeret, qui vult hominibus imperare. Habet ergo et superbia quemdam appetitum unitatis et omnipotentiæ; sed in rerum temporalium principatu, quæ omnia transeunt tanquam umbra.

85. Invicti esse volumus, et recte; habet enim hoc animi nostri natura post Deum a quo ad ejus imaginem factus est: sed ejus præcepta erant servanda, quibus servatis nemo nos vinceret. Nunc vero, dum ipsa cujus verbis turpiter consensimus, domatur dolore pariendi, et nos in terra laboramus, et cum magno dedecore superamur ab omnibus quæ nos commovere ac perturbare potuerint. Itaque nolumus ab hominibus vinci, et iram non possumus vincere. Qua turpitudine quid exsecrabilius dici potest? Fatemur hominem hoc esse quod nos sumus, qui tamen etsi habeat vitia, non est tamen ipse vitium. Quanto igitur honestius homo nos vincit, quam vitium? Quis autem dubitet immane vitium esse invidentiam, qua necesse est torqueatur et subjiciatur qui non vult in rebus temporalibus vinci? Melius est ergo ut homo nos vincat, quam invidentia vel quodlibet aliud vitium.

CAPUT XLVI. — *Invictus qui id solum amat quod amanti eripi non potest, id est Deum ex toto corde et proximum sicut seipsum.*

86. Sed nec ab homine vinci potest, qui vitia sua vicerit. Non enim vincitur, nisi cui eripitur ab adversario quod amat. Qui ergo amat id solum quod amanti eripi non potest, ille indubitanter invictus est, nec

(*a*) Ex eorum consuetudine qui ab ortu solis ad occasum duodecim horas constanter numerabant, hieme breviores, æstate longiores.

[1] In B., *malæ*. Restituimus, *male*, ex Er. Ven. et Lov. Par. M.

[2] Editi: *De summo bono usque*, etc. At abest *bono* a Mss.

ulla cruciatur invidia. Id enim diligit, ad quod diligendum et percipiendum quanto plures venerint, tanto cis uberius gratulatur. Diligit enim Deum ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente; et diligit proximum tanquam seipsum. Non ergo illi invidet, ut sit quod ipse est; imo adjuvat etiam quantum potest. Nec potest amittere proximum, quem diligit tanquam seipsum; quia neque in seipso ea diligit quæ oculis subjacent, aut ullis aliis corporis sensibus. Ergo apud seipsum habet quem diligit tanquam seipsum.

87. Ea autem est regula dilectionis, ut quæ sibi vult bona provenire, et illi velit; et quæ accidere sibi mala non vult, et illi nolit (*Tob.* IV, 16): hanc voluntatem erga omnes homines servat. Nam erga neminem operandum est malum: et *dilectio proximi malum non operatur* (*Rom.* XIII, 10). Diligamus ergo, ut præceptum est, etiam inimicos nostros (*Matth.* v, 44), si vere invicti esse volumus. Non enim per seipsum quisquam hominum invictus est; sed per illam incommutabilem legem, cui quicumque serviunt, soli sunt liberi. Sic enim eis quod diligunt auferri non potest: quæ res una invictos facit et perfectos viros. Nam si vel ipsum hominem homo dilexerit, non tanquam seipsum, sed tanquam jumentum, aut balneas, aut aviculam pictam vel garrulam, id est, ut ex eo aliquid temporalis voluptatis aut commodi capiat; serviat necesse est, non homini, sed, quod est turpius, tam fœdo et detestabili vitio, quo non amat hominem sicut homo amandus est. Quo vitio dominante, usque ad extremam vitam, vel potius mortem perducitur.

88. Sed nec sic quidem ab homine homo diligendus est, ut diliguntur carnales fratres, vel filii, vel conjuges, vel quique cognati, vel affines aut cives. Nam et dilectio ista temporalis est. Non enim ullas tales necessitudines haberemus, quæ nascendo et moriendo contingunt, si natura nostra in præceptis, et imagine Dei manens, in istam corruptionem non relegaretur (*a*). Itaque ad pristinam perfectamque naturam nos ipsa Veritas vocans, præcipit ut carnali consuetudini resistamus, docens neminem aptum esse regno Dei, qui non istas carnales necessitudines oderit (*Luc.* IX, 60, 62, *et* XIV, 26). Neque hoc cuiquam inhumanum videri debet. Magis enim est inhumanum, non amare in homine quod homo est, sed amare quod filius est [1]: hoc est enim non in eo amare illud quod ad Deum pertinet, sed amare illud quod ad se pertinet. Quid ergo mirum si ad regnum non pervenit, qui non communem, sed privatam rem diligit? Imo utrumque, ait quispiam: Imo illud unum, dicit Deus. Dicit enim verissime Veritas: *Nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI, 24). Nemo enim potest perfecte diligere quo vocamur, nisi oderit unde revocamur. Vocamur autem ad perfectam naturam humanam, qualem ante peccatum nostrum Deus fecit: revocamur autem ab ejus dilectione, quam peccando meruimus. Quare oderimus oportet, unde ut liberemur optamus.

89. Oderimus ergo temporales necessitudines, si æternitatis charitate flagramus. Diligat homo proximum tanquam seipsum. Certe enim sibi ipsi nemo est pater, aut filius, aut affinis, aut aliquid hujusmodi, sed tantum homo: qui ergo diligit aliquem tanquam seipsum, hoc in eo debet diligere, quod sibi ipse est. Corpora vero non sunt quod nos sumus: non ergo in homine corpus est expetendum aut desiderandum. Valet enim ad hoc etiam quod præceptum est: *Ne concupiscas rem proximi tui* (*Exod.* 20, 17). Quapropter quisquis in proximo aliud diligit quam sibi ipse est, non eum diligit tanquam seipsum. Ipsa igitur natura humana sine carnali conditione diligenda est, sive sit perficienda sive perfecta. Omnes sub uno Deo patre cognati sunt, qui eum diligunt et faciunt voluntatem ipsius. Et invicem sibi sunt, et patres cum sibi consulunt, et filii cum sibi obtemperant, et fratres maxime, quia eos unus Pater testamento suo ad unam hæreditatem vocat.

CAPUT XLVII. — *Vera proximi dilectio, quam qui impendit invictus est.*

90. Quapropter, cur iste non invictus sit hominem diligendo, cum in eo nihil præter hominem diligat, id est creaturam Dei ad ejus imaginem factam, nec ei possit deesse perfecta natura quam diligit, cum ipse perfectus est? Sicut enim, verbi gratia, si quisquam diligat bene cantantem, non hunc aut illum, sed tantum bene cantantem quemlibet, cum sit cantator ipse perfectus; ita vult omnes tales esse, ut tamen ei non desit quod diligit, quia ipse bene cantat. Nam si cuiquam invidet bene cantanti, non jam illud diligit, sed aut laudem, aut aliquid aliud, quo bene cantando vult pervenire; et potest ei minui vel auferri, si et alius bene cantaverit. Qui ergo invidet bene cantanti, non amat bene cantantem: sed rursus qui eo indiget, non bene cantat. Quod multo accommodatius de bene vivente dici potest, quia invidere nulli potest: quo enim perveniunt bene viventes, tantumdem est omnibus, nec minus fit cum plures habuerint. Et potest esse tempus quo bonus cantator cantare non decenter queat, et indigeat voce alterius, qua sibi exhibeatur quod diligit; tanquam si alicubi convivetur, ubi eum cantare turpe sit, sed deceat audire cantantem: bene autem vivere semper decet. Quare quisquis hoc et diligit et facit, non solum non invidet imitantibus, sed et his se præbet libentissime atque humanissime quantum potest; nec tamen eis indiget. Nam quod in illis diligit, in seipso habet totum atque perfectum. Ita cum diligit proximum tanquam seipsum, non invidet ei, quia nec sibi ipsi; præstat ei quod potest, quia et sibi ipsi; non eo indiget, quia nec seipso: tan-

[1] Lov. et Arn., *quod vilius est*. At Bad. Er. et Mss. magno consensu habent, *quod filius est*. Quæ lectio magis probatur, quia subjicit Augustinus, *amare hoc, esse amare illud quod ad se pertinet*: utiturque simili modo loquendi in lib. 1 de Sermone Domini in monte, ubi rursus de necessitudinum ejusmodi temporalium odio disserens, postquam explicuit quodnam amoris odiique genus uxori vir impendere debeat, « Hoc est, inquit, diligere in ea quod homo « est, odisse quod uxor est; » tum addit hoc et de patre et de matre et cæteris vinculis carnis intelligendum esse, ut in eis oderimus quod genus humanum nascendo et moriendo sortitum est; diligamus autem quod nobiscum potest ad illa regna perduci, ubi nemo dicit, Pater meus: sed omnes omnino uni Deo, *Pater noster*.

(*a*) I Retract. cap. 13, n. 8.

tum Deo indiget, cui adhærendo beatus est. Nemo autem illi eripit Deum. Ille ergo verissime atque certissime invictus homo est qui cohæret Deo, non ut ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud quam ipsum hærere Deo bonum est.

91. Hic vir quamdiu est in hac vita, utitur amico ad rependendam gratiam, utitur inimico ad patientiam, utitur quibus potest ad beneficentiam, utitur omnibus ad benevolentiam. Et quanquam temporalia non diligat, ipse recte utitur temporalibus, et pro eorum sorte hominibus consulit, si æqualiter non potest omnibus. Quare si aliquem familiarium suorum promptius quam quemlibet alloquitur, non eum magis diligit, sed ad eum habet majorem fiduciam, et apertiorem temporis januam. Tractat enim tempori deditos tanto melius, quanto minus ipse obligatus est tempori. Cum itaque omnibus, quos pariter diligit, prodesse non possit, nisi conjunctioribus prodesse malit, injustus est. Animi autem conjunctio major est, quam locorum aut temporum quibus in hoc corpore gignimur [1]; sed ea maxima est quæ omnibus prævalet. Non ergo iste affligitur morte cujusquam, quoniam qui toto animo Deum diligit, novit nec sibi perire quod Deo non perit. Deus autem dominus est et vivorum et mortuorum. Non cujusquam miseria miser est, quia nec cujusquam justitia justus est [2]. Et ut nemo illi justitiam et Deum, sic nemo aufert beatitudinem. Et si aliquando forte alicujus periculo, vel errore, vel dolore commovetur; usque ad illius auxilium, aut correctionem, aut consolationem, non usque ad suam subversionem valere patitur.

92. In omnibus autem officiosis laboribus, futuræ quietis certa exspectatione, non frangitur. Quid enim ei nocebit, qui bene uti etiam inimico potest? Ejus enim præsidio atque munimento inimicitias non pertimescit, cujus præcepto et dono diligit inimicos. Huic viro in tribulationibus parum est non contristari, nisi etiam gaudeat, sciens quod *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit : quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* v, 3-5). Quis huic nocebit? Quis hunc subjugabit? Homo qui prosperis rebus proficit, asperis quid profecerit discit. Cum enim mutabilium bonorum adest copia, non eis confidit; sed cum subtrahuntur, agnoscit utrum eum non ceperint : quia plerumque cum adsunt nobis, putamus quod non ea diligamus; sed cum abesse cœperint, invenimus qui simus. Hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit. Videtur ergo vincere, cum vincatur, qui superando ad id pervenit, quod cum dolore amissurus est : et vincit cum vinci videatur, quisquis cedendo ad id pervenit, quod non amittit invitus.

CAPUT XLVIII. — *Quæ sit perfecta justitia.*

93. Quem ergo delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat; et quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat, plus eum diligendo quam seipsum. Et hæc est perfecta justitia, qua potius potiora, et minus minora diligimus. Sapientem animam atque perfectam talem diligat, qualem illam videt; stultam non talem, sed quia esse perfecta et sapiens potest : quia nec seipsum debet stultum diligere. Nam qui se diligit stultum, non proficiet ad sapientiam; nec fiet quisquis qualis cupit esse, nisi se oderit qualis est. Sed donec ad sapientiam perfectionemque veniatur, eo animo ferat stultitiam proximi, quo suam ferret, si stultus esset, et amaret sapientiam. Quapropter si et ipsa superbia veræ libertatis et veri regni umbra est, etiam per ipsam nos commemorat divina providentia quid significemus vitiosi, et quo debeamus redire correcti.

CAPUT XLIX. — *De curiositate deinceps, ut hoc vitio admonemur ad contemplandam veritatem.*

94. Jam vero cuncta spectacula, et omnis illa quæ appellatur curiositas, quid aliud quærit quam de rerum cognitione lætitiam? Quid ergo admirabilius, quid speciosius ipsa veritate, ad quam omnis spectator pervenire se cupere confitetur, cum vehementer ne fallatur invigilat, et inde se jactat si quid acutius cæteris, et vivacius in spectando cognoscat et judicet? Ipsum denique præstigiatorem, nihil aliud quam fallaciam profitentem, diligenter intuentur, et cautissime observant; et si eluduntur, quia sua non possunt, illius delectantur scientia qui eos eludit. Nam si et ille nesciret quibus causis fallantur intuentes, vel nescire crederetur, pariter erranti nullus plauderet. Si quis autem de populo unus eum deprehenderit, majorem illo laudem se mereri putat, non ob aliud, nisi quia decipi fallique non potuit. Si autem multis apertus sit, non ille laudatur; sed irridentur cæteri qui talia deprehendere nequeunt. Ita omnis palma cognitioni datur, et artificio, et comprehensioni veritatis : ad quam nullo modo perveniunt qui foris eam quærunt.

95. Itaque in tantas nugas et turpitudines mersi sumus, ut cum interrogati quid sit melius, verum an falsum, ore uno respondeamus, verum esse melius; jocis et ludis tamen, ubi nos utique non vera, sed ficta delectant, multo propensius quam præceptis ipsius veritatis hæreamus. Ita nostro judicio et ore punimur, aliud ratione approbantes, aliud vanitate sectantes. Tamdiu autem est ludicrum et joculare aliquid, quamdiu novimus in cujus veri comparatione rideatur. Sed diligendo talia excidimus a vero, et non jam invenimus quarum rerum imitamenta sint, quibus tanquam primis pulchris inhiamus, et ab eis recedentes amplexamur nostra phantasmata. Nam redeuntibus nobis ad investigandam veritatem, ipsa in itinere occurrunt, et nos transire non sinunt, nullis viribus, sed magnis insidiis latrocinantia, non intelligentibus quam late pateat quod dictum est : *Cavete a simulacris* (I *Joan.* v, 21).

96. Itaque alii per innumerabiles mundos vaga cogitatione volutati sunt. Alii Deum esse non posse, nisi corpus igneum putaverunt. Alii candorem lucis immensæ per infinita spatia usquequaque porrectum,

[1] Lov. et Arn., *junguntur*. Bad. et Er., *jungimur*. At Mss. undecim, *gignimur*.

[2] Mss. septem, *nec cujusquam injustitia fit injustus*.

ex una tamen parte quasi nigro quodam cuneo fissum, duo adversa regna opinantes, et talia rebus constituentes principia, cum suis phantasmatibus fabulati sunt. Quos si jurare cogam utrum hæc vera esse sciant, fortasse non audeant, sed vicissim dicant : Tu igitur ostende quid verum sit. Quibus si nihil respondeam, nisi ut illam lucem quærant, qua eis apparet et certum est aliud esse credere, aliud intelligere ; jurarent et ipsi, nec oculis videri posse istam lucem, nec cum aliqua locorum vastitate cogitari, et nusquam non præsto esse quærentibus, et nihil ea certius atque serenius inveniri.

97. Quæ rursus omnia, quæ de hac luce mentis nunc a me dicta sunt, nulla alia quam eadem luce manifesta sunt. Per hanc enim intelligo vera esse quæ dicta sunt, et hæc me intelligere per hanc rursus intelligo. Et hoc rursus et rursus cum quisque se aliquid intelligere intelligit, et idipsum rursus intelligit, in infinitum pergere intelligo, et nulla hic esse spatia cujusquam tumoris aut volubilitatis intelligo : intelligo etiam non me posse intelligere, nisi vivam, et me vivaciorem intelligendo fieri, certius intelligo. Æterna enim vita vitam temporalem vivacitate ipsa superat : nec quid sit æternitas, nisi intelligendo conspicio. Mentis quippe aspectu omnem mutabilitatem ab æternitate sejungo, et in ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno ; quia spatia temporis præteritis et futuris rerum motibus constant. Nihil autem præterit in æterno, et nihil futurum est ; quia et quod præterit, esse desinit, et quod futurum est, nondum esse cœpit : æternitas autem, tantummodo est ; nec fuit, quasi jam non sit ; nec erit, quasi adhuc non sit. Quare sola ipsa verissime dicere potuit humanæ menti, *Ego sum qui sum ;* et de illa verissime dici potuit, *Misit me, qui est* (*Exod.* III, 14).

CAPUT L. — *Scripturarum et interpretationum ratio. Allegoria quadruplex.*

98. Cui si nondum possumus inhærere, objurgemus saltem nostra phantasmata, et tam nugatorios et deceptorios ludos de spectaculo mentis ejiciamus. Utamur gradibus quos nobis divina providentia fabricare dignata est. Cum enim figmentis ludicris nimium delectati evanesceremus in cogitationibus nostris, et totam vitam in quædam vana somnia verteremus ; rationali creatura [1] serviente legibus suis, per sonos ac litteras, ignem, fumum, nubem, columnam, quasi quædam verba visibilia, cum infantia nostra parabolis ac similitudinibus quodammodo ludere, et interiores oculos nostros luto hujuscemodi curare non aspernata est ineffabilis misericordia Dei.

99. Distinguamus ergo quam fidem debeamus historiæ, quam fidem debeamus intelligentiæ, quid mandemus memoriæ, verum esse nescientes, sed credentes tamen. Et ubi sit verum, quod non venit et transit, sed semper eodem modo manet. Qui sit modus interpretandæ allegoriæ, quæ per sapientiam dicta creditur in Spiritu sancto : utrum a visibilibus antiquioribus ad visibilia recentiora eam perducere sufficiat ; an usque ad animæ affectiones atque naturam, an usque ad incommutabilem æternitatem : an aliæ significent gesta visibilia, aliæ motus animorum, aliæ legem æternitatis ; an aliquæ inveniantur, in quibus hæc omnia vestiganda sint. Et quæ sit stabilis fides, sive historica et temporalis, sive spiritualis et æterna, ad quam omnis interpretatio auctoritatis dirigenda sit. Et quid prosit ad intelligenda et obtinenda æterna, ubi finis est omnium bonarum actionum, fides rerum temporalium. Et quid intersit inter allegoriam historiæ, et allegoriam facti, et allegoriam sermonis, et allegoriam sacramenti. Et quomodo ipsa locutio divinarum Scripturarum secundum cujusque linguæ proprietatem accipienda sit. Habet enim omnis lingua sua quædam propria genera locutionum, quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda. Quid prosit tanta loquendi humilitas, ut non solum ira Dei, et tristitia, et a somno expergefactio, et memoria, et oblivio, et alia nonnulla quæ in bonos homines cadere possunt, sed etiam pœnitentiæ, zeli, crapulæ nomina, et alia hujusmodi in sacris Libris inveniantur. Et utrum oculi Dei, et manus, et pedes, et alia hujus generis membra, quæ in Scripturis nominantur, ad visibilem formam humani corporis referenda sint ; an ad significationes intelligibilium et spiritualium potentiarum, sicut galea, et scutum, et gladius, et cingulum, et cætera talia. Et quod maxime quærendum est, quid prosit generi humano, quod sic nobiscum per rationalem, et genitalem, et corporalem creaturam sibi servientem divina providentia locuta est. Quo uno cognito, omnis ab animis protervitas (*a*) puerilis excluditur, et introducitur sacrosancta religio.

CAPUT LI. — *Scripturarum perscrutatio in curiositatis medelam.*

100. Omissis igitur et repudiatis nugis theatricis et poeticis, divinarum Scripturarum consideratione et tractatione pascamus animum atque potemus vanæ curiositatis fame ac siti fessum et æstuantem, et inanibus phantasmatibus, tanquam pictis epulis, frustra refici satiarique cupientem : hoc vere liberali, et ingenuo ludo salubriter erudiamur. Si nos miracula spectaculorum, et pulchritudo delectant, illam desideremus videre Sapientiam, quæ pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1). Quid enim mirabilius, vi incorporea mundum corporeum fabricante et administrante ? aut quid pulchrius ordinante et ornante ?

CAPUT LII. — *Et curiositas et alia vitia sunt occasio ad virtutem.*

101. Si autem omnes fatentur per corpus ista sentiri, et animum meliorem esse quam corpus, nihilne per se animus ipse conspiciet, aut quod conspiciet

[1] Erudito viro visum erat legendum esse, *irrationali*. Sed Mss. omnes et Edd. ferunt, *rationali creatura* : quibus verbis, nisi fallimur, intelligendi veniunt Angeli, ut infra n. 99, in fine, et in lib. 3 de Libero Arbitrio, cap. 10, n. 30. Quippe Deus per Angelos loquebatur antiquis Patribus, eorumque ministerio exhibebat *sonos*, *litteras*, *ignem*, *fumum*, *nubem*, *columnam*, et similia portenta, quæ in sacris Libris narrantur. Sic autem prosequuntur Mss. plerique, *serviente de legibus suis*, etc.

(*a*) Nempe Manichæorum in Vetus Testamentum.

potest esse, nisi multo excellentius longeque præstantius? Imo vero commemorati [1] ab iis quæ judicamus, intueri quid sit secundum quod judicamus, et ab operibus artium conversi ad legem artium, eam speciem mente contuebimur, cujus comparatione fœda sunt quæ ipsius benignitate sunt pulchra. *Invisibilia enim Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, et sempiterna ejus virtus et divinitas* (*Rom.* I, 20). Hæc est a temporalibus ad æterna regressio, et ex vita veteris hominis in novum hominem reformatio. Quid est autem unde homo commemorari non possit ad virtutes capessendas, quando de ipsis vitiis potest? Quid enim appetit curiositas nisi cognitionem, quæ certa esse non potest, nisi rerum æternarum et eodem modo se semper habentium? Quid appetit superbia nisi potentiam, quæ refertur ad agendi facilitatem, quam non invenit anima perfecta nisi Deo subdita [2], et ad ejus regnum summa charitate conversa? Quid appetit voluptas corporis nisi quietem, quæ non est nisi ubi nulla est indigentia et nulla corruptio? Cavendi sunt ergo inferiores inferi, id est post hanc vitam pœnæ graviores, ubi nulla potest esse commemoratio veritatis, quia nulla ratiocinatio: ideo nulla ratiocinatio, quia non eam perfundit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I, 9). Quare festinemus, et ambulemus cum dies præsto est, ne nos tenebræ comprehendant (*Id.* XII, 35). Festinemus a secunda morte liberari (*Apoc.* XX, 6, 14, *et* XXI, 8), ubi nemo est qui memor Dei sit, et ab inferno, ubi nemo confitebitur Deo (*Psal.* VI, 6).

CAPUT LIII. — *Scopi stultorum ac sapientium diversi.*

102. Sed miseri homines, quibus cognita vilescunt, et novitatibus gaudent, libentius discunt quam norunt, cum cognitio sit finis discendi. Et quibus vilis est facilitas actionis, libentius certant quam vincunt, cum victoria sit finis certandi. Et quibus vilis est corporis salus, malunt vesci quam satiari, et malunt frui genitalibus membris quam nullam talem commotionem pati; inveniuntur etiam qui malunt dormire quam non dormitare: cum omnis illius voluptatis sit finis, non esurire ac sitire, et non desiderare concubitum, et non esse corpore fatigato.

103. Quare qui fines ipsos desiderant, prius curiositate carent, cognoscentes eam esse certam cognitionem quæ intus est, et ea perfruentes quantum in hac vita queunt. Deinde accipiunt actionis facilitatem pervicacia posita, scientes majorem esse facilioremque victoriam, non resistere animositati cujusquam; et hoc, quantum in hac vita queunt, sentiunt: postremo, etiam quietem corporis, abstinendo ab iis rebus sine quibus agi hæc vita potest; ita gustant quam suavis est Dominus. Nec erit dubium [3] quid post hanc vitam futurum sit; et perfectionis suæ fide, spe, charitate nutriuntur. Post hanc autem vitam et cognitio perficietur; quia ex parte nunc scimus, cum autem venerit quod perfectum est, non erit ex parte (I *Cor.* XIII, 9, 10): et pax omnis aderit; nunc enim alia lex in membris meis repugnat legi mentis meæ, sed liberabit nos de corpore mortis hujus gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum (*Rom.* VII, 23-25); quia ex magna parte concordamus cum adversario, dum cum illo sumus in via: et tota sanitas, et nulla indigentia, et nulla fatigatio aderit corpori; quia corruptibile hoc, tempore atque ordine suo quo resurrectio carnis futura est, induetur incorruptione (I *Cor.* XV, 53). Non mirum autem, si hoc dabitur iis qui in cognitione solam veritatem amant, et in actione solam pacem, et in corpore solam sanitatem. Hoc enim in eis perficietur post hanc vitam, quod in hac vita plus diligunt.

CAPUT LIV. — *Supplicia damnatorum quam habeant rationem ad eorum vitia.*

104. Qui ergo male utuntur tanto mentis bono, ut extra eam visibilia magis appetant, quibus ad conspicienda [1] et diligenda intelligibilia commemorari debuerunt, dabuntur eis exteriores tenebræ. Harum quippe initium est carnis prudentia, et sensuum corporeorum imbecillitas. Et qui certaminibus delectantur, alienabuntur a pace, et summis difficultatibus implicabuntur. Initium enim summæ difficultatis est bellum atque contentio. Et hoc significare arbitror, quod ligantur ei manus et pedes, id est, facilitas omnis aufertur operandi. Et qui sitire et esurire volunt, et in libidinem ardescere et defatigari, ut libenter edant, et bibant, et concumbant, et dormiant, amant indigentiam, quod est initium summorum dolorum. Perficietur ergo in eis quod amant, ut ibi sint ubi eis sit ploratus [2] et stridor dentium (*Matth.* XXII, 13).

105. Plures enim sunt qui hæc omnia simul vitia diligunt, et quorum vita est spectare, contendere, manducare, bibere, concumbere, dormire, et in cogitatione sua nihil aliud quam phantasmata, quæ de tali vita colligunt, amplexari; et ex eorum fallacia, superstitionis vel impietatis regulas figere, quibus decipiuntur, et quibus inhærent, etiam si ab illecebris carnis se abstinere conentur. Quia non bene utuntur talento sibi commisso, id est mentis acie, qua videntur omnes, qui docti aut urbani aut faceti nominantur, excellere. Sed habent eam in sudario ligatam, aut in terra obrutam, id est delicatis et superfluis rebus, aut terrenis cupiditatibus involutam et oppressam. Ligabuntur ergo his manus et pedes, et mittentur in tenebras exteriores; ibi erit ploratus et stridor dentium. Non quia ipsa dilexerunt; (quis enim hæc diligat?) sed quia illa quæ dilexerunt, initia sunt istorum, et necessario dilectores suos ad ista perducunt. Qui enim magis amant ire quam redire aut pervenire, in longinquiora mittendi sunt; quoniam caro sunt, et spiritus ambulans et non revertens.

106. Qui vero bene utitur vel ipsis quinque sensibus

[1] Mss. duo, *commoniti*. Alii omnes, *commemorati*; et paulo infra habent, *commemorari*. Hoc verbo frequens utitur Augustinus pro, *commoneri*, quod hic in Edd. fuerat substitutum.
[2] Editi, *nisi anima perfecta et Deo subdita*. At Mss. probæ notæ, *anima perfecta nisi Deo subdita*.
[3] Er. Lov., *nec erit eis dubium*. M.

[1] Ita Mss. At excusi habent, *ad concupiscenda*.
[2] In Mss. plerisque, *ut eis ibi sit ploratus*, etc.

corporis ad credenda et prædicanda opera Dei, et nutriendam charitatem ipsius, vel actione vel cognitione ad pacificandam naturam suam, et cognoscendum Deum, intrat in gaudium Domini sui. Propterea talentum quod male utenti aufertur, illi datur qui talentis quinque bene usus est (*Matth.* xxv, 14-30, *et Luc.* xix, 15-26) : non quia transferri potest acumen intelligentiæ, sed ita significatum est posse hoc amittère negligentes et impios ingeniosos, et ad eam pervenire diligentes et pios, quamvis ingenio tardiores. Non enim datum est illud talentum ei qui acceperat duo; habet enim et hoc, qui jam in actione et cognitione bene vivit : sed ei qui acceperat quinque. Nondum enim habet ad æterna contemplanda idoneam mentis aciem, qui visibilibus tantum, id est temporalibus credit : sed habere potest, qui horum omnium sensibilium Deum artificem laudat, et eum persuadet fide, et exspectat spe, et quærit charitate.

CAPUT LV. — *Epilogus exhortans ad veram religionem, et a falsa deterrens. Qualis erat Manichæorum religio. Opiniones falsæ de diis. Vera religio.*

107. Quæ cum ita sint, hortor vos, homines charissimi et proximi mei, meque ipsum hortor vobiscum, ut ad id quo nos per sapientiam suam Deus hortatur, quanta possumus celeritate curramus. Non diligamus mundum, quoniam omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum est, et ambitio sæculi (I *Joan.* ii, 15, 16). Non diligamus per carnis voluptatem corrumpere atque corrumpi, ne ad miserabiliorem corruptionem dolorum tormentorumque veniamus. Non diligamus certamina, ne angelis qui talibus gaudent, in potestatem demur, humiliandi, vinciendi, verberandi. Non diligamus visibilia spectacula, ne ab ipsa veritate aberrando et amando umbras, in tenebras projiciamur.

108. Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris. Melius est enim qualecumque verum, quam omne quidquid pro arbitrio fingi potest; et tamen animam ipsam, quamvis anima vera sit cum falsa imaginatur, colere non debemus. Melior est vera stipula, quam lux inani cogitatione pro suspicantis voluntate formata; et tamen stipulam, quam sentimus et tangimus, dementis est credere colendam. Non sit nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus bestiarum. Meliores enim sunt extremi homines, quos tamen colere non debemus. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum : quia si pie vixerunt, non sic habentur ut tales quærant honores; sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse consortes [1]. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem male vixerunt, ubicumque sint non sunt colendi. Non sit nobis religio cultus dæmonum; quia omnis superstitio cum sit magna pœna hominum, et periculosissima turpitudo, honor est ac triumphus illorum.

109. Non sit nobis religio terrarum cultus et aquarum; quia istis purior et lucidior est aer, etiam caliginosus, quem tamen colere non debemus. Non sit nobis religio etiam purioris aeris et serenioris cultus : quia luce absente inumbratur; et purior illo est fulgor ignis etiam hujus, quem tamen, quoniam pro voluntate accendimus et exstinguimus, colere utique non debemus. Non sit nobis religio cultus corporum æthereorum atque cœlestium, quæ quamvis omnibus cæteris corporibus recte præponantur, melior tamen ipsis est quæcumque vita. Quapropter si animata sunt, melior est quævis anima per seipsam, quam corpus quodlibet animatum; et tamen animam vitiosam nemo colendam esse censuerit. Non sit nobis religio cultus illius vitæ, qua dicuntur arbores vivere : quoniam nullus sensus in illa est; et ex eo genere est ista qua nostri etiam corporis numerositas agitur, qua etiam capilli et ossa vivunt, quæ sine sensu præciduntur : hac autem melior est vita sentiens; et tamen vitam bestiarum colere non debemus.

110. Non sit nobis religio vel ipsa perfecta et sapiens anima rationalis, sive in ministerio universitatis, sive in ministerio partium stabilita, sive quæ in summis hominibus exspectat commutationem reformationemque portionis suæ; quoniam omnis vita rationalis si perfecta est, incommutabili veritati secum intrinsecus sine strepitu loquenti obtemperat, non obtemperans autem vitiosa fit. Non ergo per se excellit, sed per illam cui libenter obtemperat. Quod ergo colit summus angelus, id colendum est etiam ab homine ultimo, quia ipsa hominis natura id non colendo facta est ultima. Non enim aliunde sapiens angelus, aliunde homo; aliunde ille verax, aliunde homo; sed ab una incommutabili sapientia et veritate. Nam id ipsum actum est temporali dispensatione ad salutem nostram, ut naturam humanam ipsa Dei Virtus, et Dei Sapientia incommutabilis, et consubstantialis Patri et coæterna, suscipere dignaretur, per quam nos doceret id esse homini colendum, quod ab omni creatura intellectuali et rationali colendum est. Hoc etiam ipsos optimos Angelos, et excellentissima Dei ministeria velle credamus, ut unum cum ipsis colamus Deum, cujus contemplatione beati sunt. Neque enim et nos videndo angelum beati sumus; sed videndo veritatem, qua etiam ipsos diligimus Angelos, et his congratulamur. Nec invidemus quod ea paratiores, vel nullis molestiis interpedientibus perfruuntur : sed magis eos diligimus, quoniam et nos tale aliquid sperare a communi Domino jussi sumus. Quare honoramus eos charitate, non servitute. Nec eis templa construimus : nolunt enim se sic honorari a nobis; quia nos ipsos cum boni sumus, templa summi Dei esse noverunt. Recte itaque scribitur, hominem ab angelo prohibitum ne se adoraret, sed unum Dominum sub quo ei esset et ille conservus (*Apoc.* xxii, 9).

111. Qui autem nos invitant ut sibi serviamus, et tanquam deos colamus, similes sunt superbis hominibus, quibus si liceat, similiter coli volunt : sed istos homines perpeti minus, illos vero colere magis periculosum est. Omnis enim hominum dominatus in ho-

[1] Plures e Mss. et Er., *conservos*.

mines, aut dominantium aut servientium morte finitur : servitus autem sub angelorum malorum superbia, propter ipsum tempus quod est post mortem magis metuenda est. Illud etiam cuivis cognoscere facile est, quod sub homine dominante liberas cogitationes habere concessum est : illos autem dominos in mentibus ipsis formidamus, qui unus est oculus intuendæ ac percipiendæ veritatis. Quare si omnibus potestatibus, quæ dantur hominibus ad regendam rempublicam, pro nostro vinculo subditi sumus, reddentes Cæsari quod Cæsaris est, et Deo quod Dei est (*Matth.* XXII, 21), non est metuendum ne hoc post mortem nostram aliquis exigat. Et aliud est servitus animæ, aliud servitus corporis. Justi autem homines, et in uno Deo habentes omnia gaudia sua, quando per eorum facta Deus benedicitur, congratulantur laudantibus : cum vero ipsi tanquam ipsi laudantur, corrigunt errantes quos possunt; quos autem non possunt, non eis gratulantur, et ab illo vitio corrigi volunt. Quibus si similes, vel etiam mundiores atque sanctiores sunt boni Angeli, et omnia sancta Dei ministeria; quid metuimus ne aliquem illorum offendamus, si non superstitiosi fuerimus, cum ipsis adjuvantibus ad unum Deum tendentes, et ei uni religantes animas nostras, unde religio dicta creditur, omni superstitione careamus (*a*)?

112. Ecce unum Deum colo, unum omnium Principium, et Sapientiam qua sapiens est quæcumque anima sapiens est, et ipsum Munus quo beata sunt quæcumque beata sunt. Quisquis Angelorum diligit hunc Deum, certus sum quod etiam me diligit. Quisquis in illo manet, et potest humanas preces sentire, in illo me exaudit. Quisquis ipsum habet bonum suum, in ipso me adjuvat, nec mihi ejus participationem potest invidere. Dicant ergo mihi adoratores, aut adulatores partium mundi, quem non optimum sibi conciliet, qui hoc unum colit, quod omnis optimus diligit, et cujus cognitione gaudet, et ad quod principium recurrendo fit optimus. Quisquis vero angelus excessus suos diligit, et veritati esse subditus non vult, et privato suo lætari cupiens a communi omnium bono et vera beatitudine lapsus est [1], cui omnes mali subjugandi et premendi, nullus autem bonus nisi exercendus in potestatem datur; nullo dubitante non est colendus; cujus lætitia est nostra miseria et cujus damnum est nostra reversio.

113. Religet ergo nos religio uni omnipotenti Deo; quia inter mentem nostram qua illum intelligimus Patrem, et veritatem, id est lucem interiorem per quam illum intelligimus, nulla interposita creatura est. Quare ipsam quoque Veritatem nulla ex parte dissimilem in ipso, et cum ipso veneremur, quæ forma est omnium, quæ ab uno facta sunt, et ad unum nituntur. Unde apparet spiritualibus animis, per hanc formam esse facta omnia, quæ sola implet quod appetunt omnia. Quæ tamen omnia neque fierent a Patre per Filium, neque suis finibus salva essent, nisi Deus summe bonus esset : qui et nulli naturæ, quæ ab ipso bona esse posset, invidit; et in bono ipso alia quantum vellent, alia quantum possent, ut manerent dedit. Quare ipsum Donum Dei cum Patre et Filio æque incommutabile colere et tenere nos convenit : unius substantiæ Trinitatem, unum Deum a quo sumus, per quem sumus, in quo sumus : a quo discessimus, cui dissimiles facti sumus, a quo perire non permissi sumus : principium ad quod recurrimus, et formam quam sequimur, et gratiam qua reconciliamur : unum Deum quo auctore conditi sumus, et similitudinem ejus per quam ad unitatem formamur [2], et pacem qua unitati adhæremus : Deum qui dixit, *Fiat* (*Gen.* I); et Verbum per quod factum est omne quod substantialiter et naturaliter factum est; et Donum benignitatis ejus, quo placuit et conciliatum est auctori suo, ut non interiret quidquid ab eo per Verbum factum est : unum Deum quo creatore vivimus, per quem reformati sapienter vivimus, quem diligentes et quo fruentes beate vivimus : unum Deum ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen (*Rom.* XI, 36).

(*a*) I Retract. cap. 13, n. 9.

[1] Mss. quatuordecim, *communi omnium bonorum et vera beatitudine lapsus est*, etc.

[2] Ita in Mss. At in excusis legitur : *Per quem ad unitatem reformamur*.

DE SEQUENTIBUS DUOBUS LIBRIS

DE GENESI CONTRA MANICHÆOS (*a*).

S. AUGUSTINUS IN LIB. VIII DE GENESI AD LITT., CAP. II.

Contra Manichæos, qui has litteras Veteris Testamenti non aliter quam oportet accipiendo errant, sed omnino non accipiendo et detestando blasphemant, duos conscripsi libros recenti tempore conversionis meæ; cito volens eorum vel confutare deliramenta, vel erigere intentionem ad quærendam in Litteris quas oderunt, christianam et evangelicam fidem. Et quia non mihi tunc occurrebant omnia quemadmodum proprie possent accipi, magisque non posse accipi videbantur, aut vix posse aut difficile; ne retardarer, quid figurate significarent ea, quæ ad litteram non potui invenire, quanta valui brevitate et perspicuitate explicavi, ne vel multa lectione vel disputationis obscuritate deterriti, in manus ea sumere non curarent.

Vide præterea librum 1, *cap.* 10, Retractationum, *tom.* 1, *col.* 599, *n.* 1, *a verbis*, Jam vero in Africa, *usque ad col.* 600, *n.* 3, *verbis*, Manichæi quos deciperent. M.

(*a*) Hi duo libri *de Genesi contra Manichæos* tres de *Libero Arbitrio* libros in editione Benedictina sequuntur. Huc translati sunt ob paritatem argumenti. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE GENESI

CONTRA MANICHÆOS

LIBRI DUO [a].

LIBER PRIMUS.

In quo a Manichæorum calumniis vindicatur initium Geneseos, scilicet ab hocce versiculo, cap. 1 : *In principio creavit Deus cœlum et terram,* usque ad versiculum 2, cap. 2, quo Deus septimo Die requievisse dicitur.

CAPUT PRIMUM. — *In veteris Legis defensionem contra Manichæos scripturus est stilo ad imperitiorum captum demisso.*

1. Si eligerent Manichæi quos deciperent, eligeremus et nos verba quibus eis responderemus : cum vero illi et doctos litteris, et indoctos errore suo persequantur, et cum promittunt veritatem, a veritate conentur avertere; non ornato politoque sermone, sed rebus manifestis convincenda est vanitas eorum. Placuit enim mihi quorumdam vere christianorum sententia, qui cum sint eruditi liberalibus litteris, tamen alios libros nostros, quos adversus Manichæos edidimus, cum legissent, viderunt eos ab imperitioribus, aut non aut difficile intelligi, et me benevolentissime monuerunt ut communem loquendi consuetudinem non desererem, si errores illos tam perniciosos ab animis etiam imperitorum expellere cogitarem. Hunc enim sermonem usitatum et simplicem etiam docti intelligunt, illum autem indocti non intelligunt.

2. Solent ergo Manichæi Scripturas Veteris Testamenti, quas non noverunt, vituperare, et ea vituperatione infirmos et parvulos nostros, non invenientes quomodo sibi respondeant, irridere atque decipere : quia nulla Scriptura est, quæ non apud eos qui illam non intelligunt, facile possit reprehendi. Sed ideo divina providentia multos diversi erroris hæreticos esse permittit, ut cum insultant nobis, et interrogant nos ea quæ nescimus, vel sic excutiamus pigritiam, et divinas Scripturas nosse cupiamus. Propterea et Apostolus dicit : *Oportet hæreses esse*[1], *ut probati manifesti fiant inter vos* (I *Cor.* XI, 19). Illi enim Deo probati sunt, qui bene possunt docere : sed manifesti hominibus esse non possunt, nisi cum docent; docere autem nolunt, nisi eos qui doceri quærunt[2]. Sed multi ad quærendum pigri sunt, nisi per molestias et insultationes hæreticorum quasi de somno excitentur, et de imperitia sua erubescant sibi, et de illa imperitia sua periclitari se sentiant. Qui homines si bonæ sunt fidei, non cedunt hæreticis[1], sed quid eis respondeant diligenter inquirunt. Nec eos deserit Deus, ut petentes accipiant, et quærentes inveniant, et pulsantibus aperiatur (*Matth.* VII, 7). Qui autem desperant se posse in catholica disciplina invenire quod quærunt, atteruntur erroribus; et si perseveranter inquirunt, ad ipsos fontes a quibus aberraverunt, post magnos labores fatigati atque sitientes, et pene mortui revertuntur.

CAPUT II. — *Versiculus 1, cap. 1 Geneseos, vindicatur contra obtrectantes, quid faceret Deus ante mundi creationem et unde subito placuerit ei mundum creare.*

3. Primum ergo librum Veteris Testamenti, qui inscribitur *Genesis*, sic solent Manichæi reprehendere. Quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, quærunt, in quo principio; et dicunt : Si in principio aliquo temporis fecit Deus cœlum et terram, quid agebat antequam faceret cœlum et terram? et quid ei subito placuit facere, quod nunquam antea fecerat per tempora æterna? His respondemus, Deum in principio fecisse cœlum et terram, non in principio temporis, sed in Christo, cum Verbum esset apud Patrem, per quod facta et in quo facta sunt omnia (*Joan.* I, 1, 3). Dominus enim noster Jesus Christus, cum eum Judæi interrogassent quis esset, respondit, *Principium, quia et loquor vobis* (*Id.* VIII, 25). Sed etsi in principio temporis Deum fecisse cœlum et terram credamus, debemus utique intelligere quod ante principium temporis non erat tempus. Deus enim fecit et tempora : et ideo antequam faceret tempora, non

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Castigati sunt (hi duo libri) ad Regium codicem an. fere 1000, et ad optimæ notæ Mss. Theodericensem, Gemmeticensem, Martinensem, Audoenensem, Pratellensem, Casalensem, Arnulfensem, Cisterciensem, Regio-Montensem, duos Victorinos, Sorbonicum, Christinæanum, Vedastinum, Vaticanum; ad lectiones ex duobus Belgicis Lovaniensium cura collectas; et ad editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea omnes eas editiones initio Retr. et Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Mss. tredecim, *oportet multas hæreses esse.*

[2] Mss. plerique, *nisi eos qui quærunt*; omisso, *doceri.*

[a] Scripti circiter annum Christi 389

[1] Er., *credunt hæreticis.* Lov., *concedunt hæreticis.* M.

erant tempora. Non ergo possumus dicere fuisse aliquod tempus quando Deus nondum aliquid fecerat. Quomodo enim erat tempus quod Deus non fecerat, cum omnium temporum ipse sit fabricator? Et si tempus cum cœlo et terra esse cœpit, non potest inveniri tempus quo Deus nondum fecerat cœlum et terram. Cum autem dicitur, Quid ei placuit subito, sic dicitur, quasi aliqua tempora transierint, quibus Deus nihil operatus est. Non enim transire poterat tempus, quod nondum fecerat Deus; quia non potest esse operator temporum, nisi qui est ante tempora. Certe et ipsi Manichæi legunt apostolum Paulum, et laudant et honorant; et ejus Epistolas male interpretando multos decipiunt. Dicant ergo nobis quid dixerit apostolus Paulus, *Agnitionem veritatis quæ est secundum pietatem Dei in spem vitæ æternæ, quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna* (*Tit.* I, 1, 2): æterna enim tempora quid ante se habere potuerunt? Hoc ergo cogantur exponere, ut intelligant se non intelligere, cum temere volunt reprehendere quod diligenter quærere debuerunt.

4. Si autem non dicunt, Quid placuit Deo subito facere cœlum et terram, sed tollunt inde, subito; et hoc tantum dicunt, Quid placuit Deo facere cœlum et terram? Non enim coævum Deo mundum istum dicimus, quia non ejus æternitatis est hic mundus, cujus æternitatis est Deus: mundum quippe fecit Deus, et sic cum ipsa creatura quam Deus fecit, tempora esse cœperunt; et ideo dicuntur tempora æterna. Non tamen sic sunt æterna tempora quomodo æternus est Deus, quia Deus est ante tempora, qui fabricator est temporum: sicut omnia quæ fecit Deus bona sunt valde, sed non sic bona sunt, quomodo bonus est Deus, quia ille fecit, hæc autem facta sunt: nec ea genuit de seipso, ut hoc essent quod ipse est; sed ea fecit de nihilo, ut non essent æqualia, nec ei a quo facta sunt; nec Filio ejus per quem facta sunt; justum est enim [1]. Si ergo isti dixerint, Quid placuit Deo facere cœlum et terram? respondendum est eis, ut prius discant vim voluntatis humanæ, qui voluntatem Dei nosse desiderant. Causas enim voluntatis Dei scire quærunt, cum voluntas Dei omnium quæ sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit, Quare fecit Deus cœlum et terram? respondendum est ei, Quia voluit. Voluntas enim Dei causa est cœli et terræ, et ideo major est voluntas Dei quam cœlum et terra. Qui autem dicit, Quare voluit facere cœlum et terram? majus aliquid quærit quam est voluntas Dei: nihil autem majus inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, et id quod non est non quærat, ne id quod est non inveniat. Et si voluntatem Dei nosse quisquam desiderat, fiat amicus Deo: quia si voluntatem hominis nosse quisquam vellet, cujus amicus non esset, omnes ejus impudentiam ac stultitiam deriderent. Non autem quisquam efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus, et illo fine præcepti de quo Apostolus dicit, *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I *Tim.* I, 5): quod isti si haberent, non essent hæretici.

[1] Editi, *justus est enim*. Mss. quatuor, *justum est*.

CAPUT III. — *Defenditur vers.* 2.

5. Quod autem sequitur in libro Geneseos, *Terra autem erat invisibilis et incomposita*, sic reprehendunt Manichæi, ut dicant: Quomodo fecit Deus in principio cœlum et terram, si jam et terra erat invisibilis et incomposita? Ita, cum volunt Scripturas divinas prius vituperare quam nosse, etiam res apertissimas non intelligunt. Quid enim manifestius dici potuit, quam hoc dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram; terra autem erat invisibilis et incomposita*; id est, In principio fecit Deus cœlum et terram; terra autem ipsa quam fecit Deus, invisibilis erat et incomposita, antequam Deus omnium rerum formas locis et sedibus suis ordinata distinctione disponeret: antequam diceret, *Fiat lux*, et, *Fiat firmamentum*, et, *Congregentur aquæ*, et, *Appareat arida*, et cætera quæ in eodem libro sic exponuntur per ordinem, quemadmodum possint ea parvuli capere? Quæ omnia continent tam magna mysteria, ut quisquis ea didicerit, omnium hæreticorum vanitatem vel doleat quia homines sunt, vel derideat quia superbi sunt.

6. Sequitur in eodem libro, *Et tenebræ erant super abyssum.* Quod Manichæi reprehendunt dicentes: In tenebris ergo erat Deus, antequam faceret lucem? Vere ipsi sunt in tenebris ignorantiæ, et ideo non intelligunt lucem, in qua Deus erat antequam faceret istam lucem. Non enim norunt isti lucem, nisi quam carneis oculis vident. Et ideo istum solem, quem pariter non solum cum bestiis majoribus, sed etiam cum muscis et vermiculis cernimus, illi sic colunt ut particulam dicant esse lucis illius in qua habitat Deus. Sed nos intelligamus aliam lucem esse in qua Deus habitat, unde est illud lumen de quo in Evangelio legitur, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* 1, 9). Nam solis istius lumen non illuminat omnem hominem, sed corpus hominis et mortales oculos, in quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui solem istum multo melius quam nos dicuntur aspicere. Illud autem lumen non irrationabilium avium [1] oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, et ab amore visibilium rerum et temporalium se ad ejus præcepta implenda convertunt. Quod omnes homines possunt si velint (*a*), quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum. Ergo tenebræ erant super abyssum antequam lux ista fieret: de qua consequenter hoc loco dicitur.

CAPUT IV. — *In defensionem vers.* 3 *ostenditur tenebras nihil esse.*

7. *Et dixit Deus, Fiat lux.* Quia ubi lux non est, tenebræ sunt; non quia aliquid sunt tenebræ, sed ipsa lucis absentia tenebræ dicuntur. Sicut silentium non aliqua res est, sed ubi sonus non est, silentium

[1] Editi, *animalium*. Sed Mss., *avium*, scilicet aquilarum.
(*a*) I Retract. cap. 10, n. 2.

dicitur. Et nuditas aliqua res non est, sed in corpore ubi tegumentum non est, nuditas dicitur. Et inanitas non est aliquid, sed locus ubi corpus non est, inanis dicitur. Sic tenebræ non aliquid sunt, sed ubi lux non est, tenebræ dicuntur. Hoc ideo dicimus, quia solent dicere : Unde erant ipsæ tenebræ super abyssum, antequam faceret Deus lucem ? quis illas fecerat vel genuerat? aut si nemo fecerat vel genuerat eas, æternæ erant tenebræ. Quasi aliquid sint tenebræ : sed, ut dictum est, lucis absentia hoc nomen accepit. Sed quia ipsi fabulis suis decepti crediderunt gentem esse tenebrarum, in qua et corpora et formas et animas in illis corporibus fuisse arbitrantur, ideo putant quod tenebræ aliquid sint : et non intelligunt non sentiri tenebras, nisi quando non videmus, sicut non sentitur silentium, nisi quando non audimus. Sicut autem silentium nihil est, sic et tenebræ nihil sunt. Sicut autem isti dicunt gentem tenebrarum contra lucem Dei pugnasse ; sic potest et alius similiter vanus dicere, gentem silentiorum contra vocem Dei pugnasse. Sed illas vanitates modo non suscepimus refellere atque convincere. Nunc enim ea quæ reprehendunt in Veteri Testamento, statuimus defendere quantum vires Dominus præstare dignatur, et in eis ostendere contra veritatem Dei nihil valere hominum cæcitatem.

CAPUT V. — *Ut intelligendum quod Spiritus Dei superferebatur super aquas juxta vers.* 2.

8. Quod autem scriptum est, *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam*, sic solent Manichæi reprehendere, ut dicant : Aqua ergo erat habitaculum Spiritus Dei, et ipsa continebat Spiritum Dei? Totum conantur perversa mente pervertere, et excæcantur malitia sua. Cum enim dicimus, Sol superfertur super terram, numquid hoc intelligi volumus, quod in terra habitet sol, et terra solem contineat? Et tamen non sic Spiritus Dei superferebatur super aquam, sicut superfertur sol super terram ; sed alio modo quem pauci intelligunt. Non enim per spatia locorum superferebatur aquæ ille Spiritus, sicut sol terræ superfertur ; sed per potentiam invisibilis sublimitatis suæ. Dicant autem nobis isti, quomodo iis rebus quæ fabricandæ sunt, superferatur voluntas fabri. Quod si hæc humana et quotidiana non comprehendunt, timeant Deum, et simplici corde quod non intelligunt quærant, ne cum volunt verbis sacrilegis concidere veritatem quam videre non possunt, redeat illis securis in crura. Nam illa concidi non potest quæ incommutabilis manet ; sed quæcumque plagæ in illam emissæ fuerint repercutiuntur, et majore ictu redeunt in eos qui cædere audent, quod credere deberent, ut intelligere mererentur.

9. Deinde quærunt, et insultando interrogant : Unde erat ipsa aqua super quam ferebatur Spiritus Dei? numquid enim superius scriptum est quod Deus aquam fecerit? Hoc si pie quærerent, invenirent quemadmodum intelligendum esset. Non enim aqua sic appellata est hoc loco, ut hæc a nobis intelligatur quam videre jam possumus et tangere : quomodo nec terra quæ incomposita et invisibilis dicta est, talis erat qualis ista quæ jam videri et tractari potest. Sed illud quod dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, cœli et terræ nomine universa creatura significata est, quam fecit et condidit Deus. Ideo autem nominibus visibilium rerum hæc appellata sunt, propter parvulorum infirmitatem, qui minus idonei sunt invisibilia comprehendere. Primo ergo materia facta est confusa et informis, unde omnia fierent quæ distincta atque formata sunt, quod credo a Græcis chaos appellari. Sic enim et alio loco legimus dictum in laudibus Dei, *Qui fecisti mundum de materia informi* (*Sap.* XI, 18) : quod aliqui codices habent, *de materia invisa.*

CAPUT VI. — *Materies informis ex nihilo, et ex illa omnia.*

10. Et ideo Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia facta sunt, hæc ipsa materia tamen de omnino nihilo facta est. Non enim debemus esse similes istis qui omnipotentem Deum non credunt aliquid de nihilo facere potuisse, cum considerant fabros et quoslibet opifices non posse aliquid fabricare, nisi habuerint unde fabricent. Et ligna enim adjuvant fabrum, et argentum adjuvat argentarium, et aurum aurificem, et terra figulum adjuvat ut possit perficere opera sua. Si enim non adjuventur ea materia unde aliquid faciunt, nihil possunt facere, cum materiam ipsam ipsi non faciant. Non enim faber lignum facit, sed de ligno facit aliquid : sic et cæteri omnes hujusmodi opifices. Omnipotens autem Deus nulla re adjuvandus erat, quam ipse non fecerat, ut quod volebat efficeret. Si enim ad eas res quas facere volebat, adjuvabat eum aliqua res quam ipse non fecerat, non erat omnipotens : quod sacrilegum est credere.

CAPUT VII. — *Informis materia variis nominibus designata.*

11. Informis ergo illa materia quam de nihilo Deus fecit, appellata est primo cœlum et terra, et dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram ;* non quia jam hoc erat, sed quia hoc esse poterat : nam et cœlum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, et robur, et ramos, et fructus, et folia ; non quia jam sunt, sed quia inde futura sunt : sic dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, quasi semen cœli et terræ, cum in confuso adhuc esset cœli et terræ materia ; sed quia certum erat inde futurum esse cœlum et terram, jam et ipsa materia cœlum et terra appellata est. Isto genere locutionis etiam Dominus loquitur, cum dicit, *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV, 15) : non quia jam factum erat, sed quia certissime futurum erat. Nam post paululum dicit illis : *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Id.* XVI, 12). Utquid ergo dixerat, *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis ;* nisi quia se sciebat hoc esse facturum? Sic etiam cœlum

et terra potuit dici materia unde nondum erat factum cœlum et terra, sed tamen non erat aliunde faciendum. Innumerabiles tales locutiones in Scripturis divinis inveniuntur. Sicut in consuetudine sermonis nostri, cum id quod certissime speramus futurum dicimus, Jam factum puta.

12. Hanc autem adhuc informem materiam, etiam terram invisibilem atque incompositam voluit appellare, quia inter omnia elementa mundi terra videtur minus speciosa quam cætera. Invisibilem autem dixit, propter obscuritatem; et incompositam, propter informitatem. Eamdem ipsam materiam etiam aquam appellavit, super quam ferebatur Spiritus Dei, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas artificis. Quod etsi paucorum intelligentia potest attingere, humanis tamen verbis, nescio utrum vel a paucis hominibus, possit exponi. Propterea vero non absurde etiam aqua dicta est ista materia, quia omnia quæ in terra nascuntur, sive animalia, sive arbores vel herbæ, et si qua similia, ab humore incipiunt formari atque nutriri. Hæc ergo nomina omnia, sive cœlum et terra, sive terra invisibilis et incomposita et abyssus cum tenebris, sive aqua super quam Spiritus ferebatur, nomina sunt informis materiæ: ut res ignota notis vocabulis insinuaretur imperitioribus; et non uno vocabulo, sed multis, ne si unum esset, hoc putaretur esse quod consueverant homines in illo vocabulo intelligere. Dictum est ergo cœlum et terra, quia inde futurum erat cœlum et terra. Dicta est terra invisibilis et incomposita et tenebræ super abyssum, quia informis erat, et nulla specie cerni aut tractari poterat, etiamsi esset homo qui videret atque tractaret. Dicta est aqua, quia facilis et ductilis subjacebat operanti, ut de illa omnia formarentur. Sed sub his omnibus nominibus materia erat invisa et informis, de qua Deus condidit mundum.

CAPUT VIII. — *Reprimitur Manichæorum calumnia de vers. 4.*

13. *Et dixit Deus, Fiat lux. Et facta est lux.* Hoc non solent reprehendere Manichæi, sed illud quod sequitur, *Et vidit Deus lucem quia bona est.* Dicunt enim: Ergo non noverat Deus lucem, aut non noverat bonum. Miseri homines, quibus displicet, quod Deo placuerunt opera sua, cum videant etiam hominem artificem, verbi gratia, lignarium fabrum, quamvis in comparatione sapientiæ et potentiæ Dei pene nullus sit, tamen tam diu lignum cædere atque tractare dolando, asciando, planando, vel tornando atque poliendo quousque ad artis regulas perducatur, quantum potest, et placeat artifici suo. Numquid ergo quia placet ei quod fecit, ideo non noverat bonum? Prorsus noverat intus in animo, ubi ars ipsa pulchrior est, quam illa quæ arte fabricantur. Sed quod videt artifex intus in arte, hoc foris probat in opere, et hoc est perfectum quod artifici suo placet. *Vidit* ergo *Deus lucem quia bona est:* quibus verbis non ostenditur eluxisse Deo insolitum bonum, sed placuisse perfectum.

14. Quid si dictum esset, Miratus est Deus lucem quia bona est? quantum clamarent? quantum litigarent? Admiratio enim revera de rebus insperatis nasci solet, et tamen legunt isti, et laudant Dominum nostrum Jesum Christum in Evangelio admiratum esse fidem credentium (*Matth.* VIII, 10). Quis autem in illis fecerat ipsam fidem, nisi ipse qui eam mirabatur? Quod si et alius eam fecisset, utquid miraretur, qui præscius erat? Si solvunt Manichæi quæstionem istam, videant quia et illa solvi potest. Si autem non solvunt, quid ista reprehendunt quæ ad se nolunt pertinere, cum illa quæ ad se pertinere dicunt, non noverint? Quod enim miratur Dominus noster, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc est opus sic moveri. Omnes ergo tales motus ejus non perturbati animi sunt signa, sed docentis magistri. Sic sunt et verba Veteris Testamenti, quæ non Deum infirmum docent, sed nostræ infirmitati blandiuntur. Nihil enim de Deo digne dici potest. Nobis tamen ut nutriamur [1], et ad ea perveniamus quæ nullo humano sermone dici possunt, ea dicuntur quæ capere possumus.

CAPUT IX. — *Agitur pro altera parte ejusdem vers. et pro prima parte vers. sequentis.*

15. *Et divisit Deus inter lucem et tenebras, et vocavit Deus diem lucem, et tenebras vocavit noctem.* Hic non dictum est, Fecit Deus tenebras; quia tenebræ, sicut superius dictum est, lucis absentia est: distinctio tamen facta est inter lucem et tenebras. Quemadmodum nos clamando vocem facimus; silentium autem non sonando facimus, quia cessatio vocis silentium est: distinguimus tamen sensu quodam inter vocem et silentium, et illud vocamus vocem, illud silentium; quemadmodum ergo recte dicimur facere silentium, sic recte multis divinarum Scripturarum locis Deus dicitur facere tenebras, quia lucem quibus vult temporibus et locis vel non dat, vel detrahit. Hoc autem totum ad intellectum nostrum dictum est. Qua enim lingua vocavit Deus diem lucem, et tenebras noctem? utrum hebræa, an græca, an latina, an aliqua alia? et sic omnia quæ vocavit, quæri potest qua lingua vocaverit. Sed apud Deum purus intellectus est, sine strepitu et diversitate linguarum. *Vocavit* autem dictum est, vocari fecit; quia sic distinxit omnia, et ordinavit, ut et discerni possent, et nomina accipere. Sed postea suo loco requiremus, utrum vere sic est accipiendum, quia vocavit Deus; quoniam quantum accedimus in Scripturis et in eis assuescimus, tantum nobis locutiones earum innotescunt. Sic enim dicimus, Ille paterfamilias ædificavit domum istam, id est ædificari fecit, et multa talia per omnes libros divinarum Scripturarum inveniuntur.

CAPUT X. — *Ut recte intelligitur cœpisse et transisse dies unus juxta vers. 5.*

16. *Et facta est vespera* [2], *et factum est mane dies unus.* Et hic calumniantur Manichæi, dum putant ita dictum esse, quasi a vespera dies cœperit. Non intelligunt operationem illam qua lux facta est, et divi-

[1] Editi, *ut nutriatur fides.* At Regius codex pervetustus et optimæ notæ, aliique decem Mss. ferunt, *ut nutriamur.*

[2] In editis, *Et factum est vespere.* In Mss. constanter, *Et facta est vespera.*

sum est inter lucem et tenebras, et vocata est lux dies, et tenebræ nox; hanc ergo totam operationem non intelligunt ad diem pertinere: post hanc autem operationem tanquam finito die facta est vespera. Sed quia etiam nox ad diem suum pertinet, non dicitur transisse dies unus, nisi etiam nocte transacta cum factum est mane: sic deinceps reliqui dies computantur a mane usque in mane. Nunc enim cum factum est mane, et transactus est unus dies, incipit operatio, quæ sequitur ab ipso mane quod jam factum est, et post ipsam operationem fit vespera, deinde mane, et transit alter dies: atque ita deinceps cæteri dies transeunt.

CAPUT XI. — *Aquæ ut firmamento divisæ: vers.* 6-8.

17. *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ, et sit divisio inter aquam et aquam; et sic factum est. Et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus inter aquam quæ est super firmamentum, et inter aquam quæ est sub firmamento, et vocavit Deus firmamentum cœlum: et vidit Deus quia bonum est.* Hæc non memini Manichæos reprehendere solere: tamen quod divisæ sunt aquæ ut aliæ essent super firmamentum, et aliæ sub firmamento, quoniam materiam illam dicebamus nomine aquæ appellatam, credo firmamento cœli [1] materiam corporalem rerum visibilium ab illa incorporali rerum invisibilium fuisse discretam. Cum enim cœlum sit corpus pulcherrimum, omnis invisibilis creatura excedit etiam pulchritudinem cœli; et ideo fortasse super cœlum esse dicuntur aquæ invisibiles, quæ a paucis intelliguntur non locorum sedibus, sed dignitate naturæ superare cœlum: quanquam de hac re nihil temere affirmandum est; obscura est enim, et remota a sensibus hominum: sed quoquo modo se habeat, antequam intelligatur, credenda est. *Et facta est vespera, et factum est mane dies secundus.* Jam omnia hæc quæ repetuntur, sicut superius intelligenda atque tractanda sunt.

CAPUT XII. — *Aquarum congregatio de qua vers.* 9 *et* 10, *est ipsa earum formatio.*

18. *Et dixit Deus, Congregetur aqua, quæ est sub cœlo, in congregationem unam, et appareat arida; et sic factum est. Et congregata est aqua, quæ erat sub cœlo, in congregationem unam, et apparuit arida. Et vocavit Deus aridam, terram; et congregationem aquæ vocavit mare. Et vidit Deus quia bonum est.* In isto loco Manichæi dicunt: Si totum aquis plenum erat, quomodo poterant aquæ congregari in unum? Sed jam superius dictum est, nomine aquarum materiam illam appellatam super quam ferebatur Spiritus Dei, unde erat Deus omnia formaturus. Nunc vero cum dicitur, *Congregetur aqua, quæ est sub cœlo, in congregationem unam;* hoc dicitur ut illa materia corporalis formetur in eam speciem quam habent aquæ istæ visibiles. Ipsa enim congregatio in unum, ipsa est aquarum istarum formatio, quas videmus et tangimus. Omnis enim forma ad unitatis regulam cogitur. Et quod dicitur, *Appareat arida,* quid aliud dici intelligendum est, nisi ut illa materies accipiat visibilem formam, quam nunc habet terra ista quam videmus et tangimus? Superius ergo quod nominabatur terra invisibilis et incomposita, materiæ confusio et obscuritas nominabatur; et quod nominabatur aqua super quam ferebatur Spiritus Dei, eadem rursus materia nominabatur. Nunc vero aqua ista et terra formantur ex illa materia, quæ ipsis nominibus appellabatur, antequam formas istas, quas nunc videmus, acciperet. Sane dicitur, in hebræa locutione omnem aquarum congregationem, sive salsarum sive dulcium, mare appellari.

[1] Editi, *credo sub firmamento cœli.* At Mss. carent particula, *sub*

CAPUT XIII. — *Exploditur conquestio circa vers.* 11-13, *scilicet, infrugifera et noxia quare gignit tellus.*

19. *Et dixit Deus, Germinet terra herbam pabuli ferentem semen secundum suum genus et similitudinem, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in se secundum suam similitudinem. Et sic est factum. Et ejecit terra herbam pabuli, ferentem semen secundum suum genus, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen est in se secundum suam similitudinem, secundum suum genus super terram. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespera, et factum est mane dies tertius* (*Gen.* III, 17-19). Hic solent dicere: Si Deus jussit nasci de terra herbam pabuli, et lignum fructiferum, quis jussit nasci tantas herbas vel spinosas vel venenosas, quæ ad pabulum non proficiunt, et tam multa ligna quæ nullum fructum ferunt? Quibus sic respondendum est, ut nulla indignis aperiantur mysteria, neque ostendatur in qua figura futurorum ista sic dicta sint. Ergo dicendum est, quod per peccatum hominis terra maledicta sit, ut spinas pareret: non ut ipsa pœnas sentiret, quæ sine sensu est, sed ut peccati humani crimen semper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquando averti a peccatis, et ad Dei præcepta converti. Herbæ autem venenosæ ad pœnam, vel ad exercitationem mortalium creatæ sunt; et hoc totum propter peccatum, quia mortales post peccatum facti sumus. Per infructuosas vero arbores insultatur hominibus, ut intelligant quam sit erubescendum sine fructu bonorum operum esse in agro Dei, hoc est in Ecclesia; et timeant ne deserat eos Deus, quia et ipsi in agris suis infructuosas arbores deserunt, nec aliquam culturam eis adhibent. Ante peccatum ergo hominis non est scriptum, quod terra aliud protulerit nisi herbam pabuli et ligna fructuosa: post peccatum autem videmus multa horrida et infructuosa de terra nasci, credo propter eam causam quam diximus. Sic enim dicitur ad primum hominem posteaquam peccavit: *Maledicta erit terra tibi in omnibus operibus tuis; in tristitia et gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: Spinas et tribulos ejiciet tibi, et edes pabulum agri tui: in sudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia terra es, et in terram ibis.*

CAPUT XIV. — *Resolvuntur difficultates circa vers.* 14-19.

20. *Et dixit Deus, Fiant sidera in firmamento cœli, sic ut luceant super terram, et dividant inter diem et noctem, et sint in signa, et in tempora, et in dies, et in*

annos; et sint in splendorem in firmamento cœli, sic ut luceant super terram. Et sic est factum. Et fecit Deus duo luminaria, majus et minus : luminare majus in inchoationem diei, et luminare minus in inchoationem noctis, et stellas. Et posuit illas Deus in firmamento cœli, sic ut luceant super terram, et præsint diei et nocti, et dividant inter diem et noctem. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespera, et factum est mane dies quartus. Hic primo quærunt quomodo quarto die facta sint sidera, id est sol, et luna, et stellæ. Tres enim dies superiores quomodo esse sine sole potuerunt, cum videamus nunc solis ortu et occasu diem transigi, noctem vero nobis fieri solis absentia, cum ab alia parte mundi ad orientem redit? Quibus respondemus, potuisse fieri ut tres superiores dies singuli per tantam moram temporis computarentur, per quantam moram circumit sol, ex quo procedit ab oriente quousque rursus ad orientem revertitur. Hanc enim moram et longitudinem temporis possent sentire homines etiamsi in speluncis habitarent, ubi orientem et occidentem solem videre non possent. Atque ita sentitur potuisse istam moram fieri etiam sine sole antequam sol factus esset, atque ipsam moram in illo triduo per dies singulos computatam. Hoc ergo responderemus, nisi nos revocaret quod ibi dicitur, *Et facta est vespera, et factum est mane*, quod nunc sine solis cursu videmus fieri non posse. Restat ergo ut intelligamus, in ipsa quidem mora temporis ipsas distinctiones operum sic appellatas, vesperam propter transactionem consummati operis, et mane propter inchoationem futuri operis; de similitudine scilicet humanorum operum, quia plerumque a mane incipiunt, et ad vesperam desinunt. Habent enim consuetudinem divinæ Scripturæ de rebus humanis ad divinas res verba transferre.

21. Deinde quærunt utquid dictum sit de sideribus : *Et sint in signa et in tempora.* Numquid enim, aiunt, tres illi dies sine temporibus esse potuerunt, aut ad temporis spatia non pertinent? Sed, *in signa et tempora* dictum est, ut per hæc sidera tempora distinguantur, et ab hominibus dignoscantur : quia si currant tempora, et nullis distinguantur articulis, qui articuli per siderum cursus notantur, possunt quidem currere tempora atque præterire; sed intelligi et discerni ab hominibus non possunt. Sicut horæ quando nubilus dies est, transeunt quidem, et sua spatia peragunt; sed distingui a nobis et notari non possunt.

22. Quod autem dictum est, *Et fecit Deus duo luminaria; luminare majus in inchoationem diei, et luminare minus in inchoationem noctis*, pro eo dictum est ac si diceretur, in principatum diei et in principatum noctis. Non enim sol tantummodo inchoat diem, et non etiam peragit et finit : luna vero aliquando media nocte vel in fine noctis ad nos procedit; si ergo illæ noctes, quibus hoc facit, non ab ista inchoantur, quomodo in inchoationem noctis facta est? Si autem per inchoationem principium intelligas, et per principium principatum, manifestum est, quia per diem sol principatum tenet; luna vero per noctem, quia etsi cætera sidera tunc apparent, illa tamen suo fulgore superat omnia, et ideo princeps eorum rectissime dicitur.

23 Quod autem dictum est, *Et dividant inter diem et noctem*; potest hic fieri calumnia, ut dicatur : Quomodo jam Deus diviserat superius inter diem et noctem, si hoc, quarto die, sidera faciunt? Sic igitur hic dictum est, *Dividant inter diem et noctem*, tanquam si diceretur, Sic inter se diem dividant et noctem, ut soli dies detur, nox autem lunæ et sideribus cæteris. Quæ duo jam divisa erant, sed nondum inter sidera, ut jam certum esset de siderum numero, quid per diem, et quid per noctem appareret hominibus.

CAPUT XV. — *Aerem nebulosum aquæ nomine designari vers. 20, etc.*

24. *Et dixit Deus, Ejiciant aquæ reptilia animarum vivarum, et volatilia volantia super terram sub firmamento cœli. Et sic factum est. Et fecit Deus cetos magnos, et omnem animam animalium et repentium quæ ejecerunt aquæ secundum uniuscujusque genus, et omne genus volatile pennatum secundum genus. Et vidit Deus quia bona sunt; et benedixit illa Deus dicens : Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris, et volatilia multiplicentur super terram. Et facta est vespera, et factum est mane dies quintus.* Hic solent reprehendere, quærentes vel potius calumniantes, quare animalia non solum ea quæ in aquis vivunt, sed etiam ea quæ in aere volitant, et omnia pennata de aquis nata scriptum sit. Sed sciant omnes quos hæc movent, istum aerem nebulosum et humidum, in quo aves volant, a doctissimis hominibus qui hæc diligenter inquirunt, cum aquis solere deputari. Concrescit enim et crassus efficitur exhalationibus et quasi vaporibus maris et terræ, et de ipso humore pinguescit quodammodo ut volatus avium portare possit. Ideo per noctes serenas etiam rorat, cujus roris guttæ mane in herbis inveniuntur. Nam mons ille Macedoniæ, qui Olympus vocatur, tantæ altitudinis esse dicitur, ut in ejus cacumine nec ventus sentiatur, nec nubes se colligant, quia excedit altitudine sua totum istum aerem humidum in quo aves volant, et ideo nec aves ibi volare asseverantur. Quod ab eis proditum dicitur, qui per singulos annos solebant, nescio quorum sacrificiorum causa, memorati montis cacumen ascendere, et aliquas notas in pulvere scribere, quas alio anno integras inveniebant : quod fieri non posset, si ventum aut pluviam locus ille pateretur. Deinde quia tenuitas aeris illius qui ibi est, non eos inspirabat, durare ibi non poterant, nisi spongias humectas naribus applicarent, unde crassiorem et consuetum spiritum ducerent : hi ergo indicaverunt se etiam nullam avem in eo loco aliquando vidisse. Non itaque immerito non solum pisces et cætera quæ in aquis sunt animalia, sed etiam aves de aquis natas esse, fidelissima Scriptura commemorat; quia per istum aerem volare possunt, qui de maris et terræ humoribus surgit.

CAPUT XVI. — *Perniciosa animantia cur creata.*

25. *Et dixit Deus, Ejiciat terra animam vivam secundum unumquodque genus quadrupedum et serpentium*

et bestiarum terræ. Et sic est factum. Et fecit Deus bestias terræ secundum genus, et pecora secundum genus, et omnia repentia terræ secundum genus. Et vidit Deus quia bona sunt. Solent etiam istam Manichæi movere quæstionem ut dicant : Quid opus erat ut tam multa animalia Deus faceret, sive in aquis, sive in terra, quæ hominibus non sunt necessaria? multa etiam perniciosa sunt et timenda. Sed cum ista dicunt, non intelligunt quemadmodum omnia pulchra sunt conditori et artifici suo, qui omnibus utitur ad gubernationem universitatis, qui summa lege dominatur. Si enim in alicujus opificis officinam imperitus intraverit, videt ibi multa instrumenta quorum causas ignorat, et si multum est insipiens, superflua putat. Jamvero si in fornacem incautus ceciderit, aut ferramento aliquo acuto, cum id male tractat, seipsum vulneraverit, etiam perniciosa et noxia existimat ibi esse multa. Quorum tamen usum quoniam novit artifex, insipientiam ejus irridet, et verba inepta non curans, officinam suam instanter exercet. Et tamen tam stulti sunt homines, ut apud artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant, sed cum ea viderint credant esse necessaria, et propter usus aliquos instituta : in hoc autem mundo cujus conditor et administrator prædicatur Deus, audent multa reprehendere quorum causas non vident, et in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire quod nesciunt.

26. Ego vero fateor me nescire mures et ranæ quare creatæ sint, aut muscæ aut vermiculi : video tamen omnia in suo genere pulchra esse, quamvis propter peccata nostra multa nobis videantur adversa. Non enim animalis alicujus corpus et membra considero, ubi non mensuras et numeros et ordinem inveniam ad unitatem concordiæ pertinere. Quæ omnia unde veniant non intelligo, nisi a summa mensura et numero et ordine, quæ in ipsa Dei sublimitate incommutabili atque æterna consistunt. Quod si cogitarent isti loquacissimi et ineptissimi, non nobis tædium facerent, sed ipsi considerando omnes pulchritudines et summas et infimas, Deum artificem ubique laudarent ; et quoniam nusquam offenditur ratio, sicubi forte sensus carnalis offenditur, non rerum ipsarum vitio, sed nostræ mortalitatis meritis imputarent. Et certe omnia animalia aut utilia nobis sunt, aut perniciosa, aut superflua. Adversus utilia non habent quid dicant. De perniciosis autem vel punimur, vel exercemur, vel terremur, ut non vitam istam multis periculis et laboribus subditam, sed aliam meliorem, ubi securitas summa est, diligamus et desideremus, et eam nobis pietatis meritis comparemus. De superfluis vero quid nobis est quærere? Si tibi displicet quod non prosunt, placeat quod non obsunt; quia etsi domui nostræ non sunt necessaria, eis tamen completur hujus universitatis integritas, quæ multo major est quam domus nostra et multo melior. Hanc enim multo melius administrat Deus, quam unusquisque nostrum domum suam. Usurpa ergo utilia, cave perniciosa, relinque superflua. In omnibus tamen cum mensuras et numeros et ordinem vides, artificem quære. Nec alium invenies, nisi ubi summa mensura, et summus numerus, et summus ordo est, id est Deum, de quo verissime dictum est, quod omnia in mensura, et numero, et pondere disposuerit (*Sap.* XI, 21). Sic fortasse uberiorem capies fructum, cum Deum laudas in humilitate formicæ, quam cum transis fluvium in alicujus jumenti altitudine.

CAPUT XVII. — *Ut intelligitur ad imaginem Dei factus homo, juxta vers.* 26.

27. *Et dixit Deus : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ; et habeat potestatem piscium maris et volatilium cœli, et omnium pecorum et ferarum, et omnis terræ, et omnium reptilium, quæ super terram repunt*, et cætera usque ad vesperam et mane quo completur dies sextus. Istam maxime quæstionem solent Manichæi loquaciter agitare, et insultare nobis quod hominem credamus factum ad imaginem et similitudinem Dei. Attendunt enim figuram corporis nostri, et infeliciter quærunt utrum habeat Deus nares et dentes et barbam, et membra etiam interiora, et cætera quæ in nobis sunt necessaria. In Deo autem talia ridiculum est, imo impium credere, et ideo negant hominem factum esse ad imaginem et similitudinem Dei. Quibus respondemus, membra quidem ista in Scripturis plerumque nominari, cum Deus insinuatur audientibus parvulis; et hoc non solum in Veteris Testamenti libris, sed etiam in Novi. Nam et oculi Dei commemorantur, et aures, et labia [1], et pedes, et ad dexteram Dei Patris sedere evangelizatur Filius. Et ipse Dominus dicit : *Nolite per cœlum jurare, quia sedes Dei est ; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est* (*Matth.* V, 34, 35). Item ipse dicit quod in digito Dei ejiciebat dæmonia (*Luc.* XI, 20). Sed omnes qui spiritualiter intelligunt Scripturas, non membra corporea per ista nomina, sed spirituales potentias accipere didicerunt, sicut galeas, et scutum, et gladium (*Ephes.* VI, 16, 17), et alia multa. Primo ergo istis hæreticis dicendum est, qua impudentia de talibus verbis Veteri Testamento calumnientur, cum etiam in Novo hæc posita videant, aut fortasse non videant, sed cum litigant excæcentur.

28. Sed tamen noverint in catholica disciplina spirituales fideles non credere Deum forma corporea definitum ; et quod homo ad imaginem Dei factus dicitur, secundum interiorem hominem dici, ubi est ratio et intellectus : unde etiam habet potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum et ferarum, et omnis terræ, et omnium repentium quæ repunt super terram. Cum enim dixisset, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ;* addidit continuo, *Et habeat potestatem piscium maris et volatilium cœli*, et cætera : ut intelligeremus non propter corpus dici hominem factum ad imaginem Dei, sed propter eam potestatem qua omnia pecora superat. Omnia enim animalia cætera subjecta sunt homini, non propter corpus, sed propter intellectum, quem nos habemus, et illa non habent : quamvis

[1] Editi, *et labia et dentes et pedes*, etc.; sed a Mss. abest, *et dentes.*

etiam corpus nostrum sic fabricatum sit, ut indicet nos meliores esse quam bestias, et propterea Deo similes. Omnium enim animalium corpora, sive quæ in aquis, sive quæ in terra vivunt, sive quæ in aere volitant, inclinata sunt ad terram, et non sunt erecta sicut hominis corpus. Quo significatur, etiam animum nostrum in superna sua [1], id est in æterna spiritualia, erectum esse debere. Ita intelligitur per animum maxime, attestante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem et similitudinem Dei.

CAPUT XVIII. — *Potestas hominis in bestias.*

29. Aliquando etiam solent dicere : Quomodo accepit homo potestatem piscium maris et volatilium cœli et omnium pecorum et ferarum, cum videamus a multis feris homines occidi, et a multis volatilibus nobis noceri, quæ volumus vel vitare vel capere et plerumque non possumus ? quomodo ergo in hæc accepimus potestatem ? Hic illis primo dicendum est quod multum errent qui post peccatum considerant hominem, cum in hujus vitæ mortalitatem damnatus est, et amisit perfectionem illam qua factus est ad imaginem Dei. Sed si damnatio [2] ejus tantum valet, ut tam multis pecoribus imperet : quamvis enim a multis feris propter fragilitatem corporis possit occidi, a nullis tamen domari potest, cum ipse tam multas et prope omnes domet : si ergo hæc hominis damnatio tantum valet, quid de regno ejus cogitandum est, quod ei renovato et liberato divina voce promittitur ?

CAPUT XIX. — *Ut spiritualiter accipiendus vers.* 28.

30. Quod autem scriptum est, *Masculum et feminam fecit illos ; et benedixit eos Deus dicens, Crescite et multiplicamini, et generate, et replete terram ;* rectissime quæritur quemadmodum accipienda sit conjunctio masculi et feminæ ante peccatum, et ista benedictio qua dictum est, *Crescite et multiplicamini, et generate, et replete terram :* utrum carnaliter, an spiritualiter accipienda sit. Licet enim nobis eam etiam spiritualiter accipere, ut in carnalem fecunditatem post peccatum conversa esse credatur (*a*). Erat enim prius casta conjunctio masculi et feminæ ; hujus ad regendum, illius ad obtemperandum accommodata : et spiritualis fetus intelligibilium et immortalium gaudiorum replens terram, id est, vivificans corpus, et dominans ejus ; id est, ita subjectum habens, ut nullam ex eo adversitatem, nullam molestiam pateretur. Quod ideo sic credendum est, quia nondum erant filii sæculi hujus antequam peccarent. Filii enim sæculi hujus generant et generantur, sicut Dominus dicit, cum in comparatione futuræ vitæ quæ nobis promittitur, carnalem istam generationem contemnendam esse demonstrat (*Luc.* xx, 34-36).

CAPUT XX. — *Bestiis dominari, per allegoriam.*

31. Et quod eis dictum est, *Habete potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et repentium omnium quæ repunt super terram :* salvo quidem intellectu, quo manifestum est omnibus his animalibus hominem ratione dominari ; recte tamen intelligitur etiam spiritualiter, ut omnes affectiones et motus animi, quos habemus istis animalibus similes, subditos haberemus, et eorum dominaremur per temperantiam et modestiam. Cum enim non reguntur isti motus, erumpunt et pergunt in fœdissimas consuetudines, et per diversas perniciosasque delectationes nos rapiunt, et faciunt similes omni generi bestiarum. Cum autem reguntur et subjiciuntur, omnino mansuescunt et nobiscum concorditer vivunt. Non enim a nobis alieni sunt motus animi nostri. Pascuntur etiam nobiscum cognitione rationum et morum optimorum, et vitæ æternæ, tanquam herbis seminalibus et lignis fructiferis et herbis viridibus. Et hæc est hominis vita beata atque tranquilla, cum omnes motus ejus rationi veritatique consentiunt ; et vocantur gaudia, et amores sancti, et casti et boni. Si autem non consentiunt, nihilominus [1] dum negligenter geruntur, conscindunt et dissipant animum, et faciunt vitam miserrimam ; et vocantur perturbationes, et libidines, et concupiscentiæ malæ. De quibus jam nobis præcipitur, ut eas cum quanto possumus labore crucifigamus in nobis, donec absorbeatur mors in victoriam (I *Cor.*, xv, 54). Dicit enim Apostolus : *Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum perturbationibus et concupiscentiis* (*Galat.* v, 24). Vel hinc enim quivis admoneri debet non carnaliter hæc esse intelligenda, quia herbæ virides et ligna fructifera omni generi bestiarum, et omnibus volatilibus et omnibus serpentibus in Genesi dantur ad cibum, cum videamus leones, et accipitres, et milvos, et aquilas non pasci nisi carnibus, et interfectione aliorum animalium. Quod etiam de nonnullis serpentibus credo, qui sunt in arenosis et desertis locis, ubi nec lignum nec herba nascitur (*a*).

CAPUT XXI.— *In vers.* 31, *cur dicitur*, Bona valde.

32. Sane non est negligenter prætereundum quod dictum est, *Et vidit Deus omnia quæcumque fecit, esse bona valde.* Cum enim de singulis ageret, dicebat tantum, *Vidit Deus quia bonum est :* cum autem de omnibus diceretur, parum fuit dicere *bona*, nisi adderetur et *valde.* Si enim singula opera Dei cum considerantur a prudentibus, inveniuntur habere laudabiles mensuras et numeros et ordines in suo quæque genere constituta ; quanto magis omnia simul, id est ipsa universitas, quæ istis singulis in unum collectis impletur ? Omnis enim pulchritudo quæ partibus constat, multo est laudabilior in toto quam in parte : sicut in corpore humano, si laudamus oculos solos, si nasum solum, si solas genas, aut solum caput, aut solas manus, aut solos pedes, et cætera si pulchra singula et sola laudamus ; quanto magis totum corpus, cui omnia membra, quæ singula pulchra sunt, conferunt pulchritudinem suam : ita ut manus pulchra, quæ etiam sola laudabatur in corpore, si separetur a corpore, et ipsa amittat gratiam suam, et cætera sine illa inhonesta sint ? Tanta est vis et potentia integritatis et unitatis, ut etiam quæ multa sunt bona

[1] Huc revocavimus, *sua*, ex duodecim Mss., quæ vox in vulgatis omissa est.

[2] Editi hic et paulo post, *dominatio* : prætereaque Lov. habet, *dominari*. Sed corrigendum ad Mss. codices, *domatio* et *domari*.

(*a*) I Retract. cap. 10, n. 2.

[1] Mss. septem non habent, *nihilominus*. Et alii tres paulo post pro *geruntur*, substituunt, *reguntur*.

(*a*) I Retract. cap. 10, n. 2.

tunc placeant [1], cum in universum aliquid conveniunt atque concurrunt. Universum autem ab unitate nomen accepit. Quod si Manichæi considerarent, laudarent universitatis auctorem et conditorem Deum; et quod eos propter conditionem nostræ mortalitatis in parte offendit, redigerent ad universi pulchritudinem, et viderent quemadmodum Deus fecerit omnia non solum bona, sed etiam bona valde. Quia etiam in sermone aliquo ornato atque composito si consideremus singulas syllabas, vel etiam singulas litteras, quæ cum sonuerint statim transeunt, non in eis invenimus quid delectet atque laudandum sit. Totus enim ille sermo non de singulis syllabis aut litteris, sed de omnibus pulcher est.

CAPUT XXII. — *Requies diei septimi per allegoriam : cap. 2, vers. 1-3.*

33. Jam nunc videamus etiam illud, quod solent majore impudentia, quam imperitia deridere, quod scriptum est, Deum consummato cœlo et terra et omnibus quæ fecit, requievisse die septimo ab omnibus operibus suis, et benedixisse diem septimum, et sanctificasse eum, quia requievit ab operibus suis. Dicunt enim : Quid opus erat ut Deus requiesceret? an forte operibus sex dierum fatigatus et lassatus erat? Addunt etiam Domini testimonium, ubi ait, *Pater meus usque nunc operatur* (*Joan.* v, 17); et hinc multos imperitos decipiunt, quibus persuadere conantur Novum Testamentum Veteri Testamento adversari. Sed sicut illi quibus Dominus dicit, *Pater meus usque nunc operatur*, carnaliter opinabantur requiem Dei, et carnaliter sabbatum observantes non videbant quid illius diei significatio figuraret; sic et isti diversa quidem voluntate, pariter tamen non intelligunt sabbati sacramentum. Et illi enim carnaliter observando, et isti carnaliter exsecrando, sabbatum non noverunt. Transeat ergo unusquisque ad Christum ut auferatur velamen, sicut Apostolus dicit (II *Cor.* III, 16). Velamen enim aufertur, quando similitudinis et allegoriæ cooperimento ablato, veritas nudatur, ut possit videri.

34. Primo ergo hujus locutionis regula in multis divinarum Scripturarum locis animadvertenda atque discenda est [2]. Quid enim aliud significat, quod dicitur Deus requievisse ab omnibus operibus suis, quæ fecit bona valde, nisi requiem nostram, quam nobis daturus est ab omnibus operibus nostris, si et nos bona opera fecerimus? Secundum ipsam figuram locutionis dicit et Apostolus : *Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26). Non enim Spiritus sanctus gemit, quasi indigeat aut angustias patiatur, qui secundum Deum interpellat pro sanctis : sed quia ipse nos movet ad orandum cum gemimus, quod ipso movente nos facimus, ipse facere dictus est. Sic dicitur etiam illud : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (*Deut.* XIII, 3). Non enim ut sciat ipse quem nihil latet, sed ut scire nos faciat, quantum in ejus dilectione profecerimus, tentari nos permittit. Secundum ipsam locutionem dicit et Dominus noster, nescire se diem et horam de fine sæculi (*Matth.* XXIV, 36). Quid enim potest esse quod ille nesciat? Sed quia hoc utiliter occultabat discipulis, nescientem se esse dixit, quia illos nescientes occultando faciebat. Secundum hanc figuram etiam Patrem solum dixit scire diem ipsum, quia eumdem Filium scire faceret. Ex hac figura multæ quæstiones in divinis Scripturis, eis qui jam genus locutionis hujus noverunt, sine ulla difficultate solvuntur. Talibus locutionibus etiam abundat nostra consuetudo, cum dicimus lætum diem, quia nos lætos facit; et pigrum frigus, quia nos pigros facit; et fossam cæcam, quia nos eam non videmus; et linguam politam, quia verba polita facit : postremo etiam quietum ab omnibus molestiis tempus dicimus, in quo nos ab omnibus molestiis quieti sumus. Sed et Deus requievisse dictus est ab omnibus operibus suis, quæ fecit bona valde, quia in illo requiescemus ab omnibus operibus nostris, si opera bona fecerimus : quia et ipsa bona opera nostra illi tribuenda sunt qui vocat, qui præcipit, qui viam veritatis ostendit, qui ut et velimus invitat, et vires implendi ea quæ imperat, subministrat.

CAPUT XXIII. — *Septem dies, et septem ætates mundi.*

35. 1ª ÆTAS. Sed quare septimo die [1] requies ista tribuatur, diligentius considerandum arbitror. Video enim per totum textum divinarum Scripturarum sex quasdam ætates operosas, certis quasi limitibus suis esse distinctas, ut in septima speretur requies; et easdem sex ætates habere similitudinem istorum sex dierum, in quibus ea facta sunt quæ Deum fecisse Scriptura commemorat. Primordia enim generis humani, in quibus ista luce frui cœpit, bene comparantur primo diei quo fecit Deus lucem. Hæc ætas tanquam infantia deputanda est ipsius universi sæculi, quod tanquam unum hominem proportione magnitudinis suæ cogitare debemus; quia unusquisque homo cum primo nascitur, et exit ad lucem, primam ætatem agit infantiam. Hæc tenditur ab Adam usque ad Noe generationibus decem. Quasi vespera hujus diei fit diluvium [2]; quia et infantia nostra tanquam oblivionis diluvio deletur.

36. 2ª ÆTAS. Et incipit mane a temporibus Noe secunda ætas tanquam pueritia, et tenditur hæc ætas usque ad Abraham aliis generationibus decem. Et bene comparatur secundo diei quo factum est firmamentum inter aquam et aquam; quia et arca in qua erat Noe cum suis, firmamentum erat inter aquas inferiores in quibus natabat, et superiores quibus compluebatur. Hæc ætas non diluvio deletur, quia et pueritia nostra non oblivione tergitur de memoria. Meminimus enim nos fuisse pueros, infantes autem non meminimus. Hujus vespera est confusio linguarum in eis qui tur-

[1] Sic Mss. At editi habent : *Ut quæ bona sunt, tunc multum etiam placeant.*
[2] Mss. quinque, *discernenda est.*

[1] Mss. septem habent, *septimo diei.*
[2] Mss. septem, *in diluvio.*

rem faciebant, et fit mane ab Abraham. Sed nec ista ætas secunda generavit populum Dei, quia nec pueritia apta est ad generandum.

37. 3ª ÆTAS. Mane ergo fit ab Abrah., et succedit ætas tertia similis adolescentiæ. Et bene comparatur diei tertio, quo ab aquis terra separata est. Ab omnibus enim gentibus, quarum error instabilis et vanis simulacrorum doctrinis tanquam ventis omnibus mobilis, maris nomine bene significatur; ab hac ergo gentium vanitate et hujus sæculi fluctibus separatus est populus Dei per Abraham, tanquam terra cum apparuit arida, id est, sitiens imbrem cœlestem divinorum mandatorum : qui populus unum Deum colendo, tanquam irrigata terra, ut fructus utiles posset afferre, sanctas Scripturas et Prophetias [1] accepit. Hæc enim ætas potuit jam generare populum Deo, quia et tertia ætas, id est adolescentia filios habere jam potest. Et ideo ad Abraham dictum est : *Patrem multarum gentium posui te* [2], *et augeam te nimis valde, et ponam te in gentes, et reges de te exient. Et ponam testamentum meum inter me et te, et inter semen tuum post te, in generationes eorum in testamentum æternum; ut sim tibi Deus, et semini tuo post te : et dabo tibi et semini tuo post te terram in qua habitas, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, et ero illis Deus* (*Gen.* XVII, 5-8). Hæc ætas porrigitur ab Abraham usque ad David quatuordecim generationibus. Hujus vespera est in populi peccatis, quibus divina mandata prætéribant, usque ad malitiam pessimi regis Saül.

38. 4ª ÆTAS. Et inde fit mane regnum David. Hæc ætas similis juventutis est. Et revera inter omnes ætates regnat juventus, et ipsa est firmum ornamentum [3] omnium ætatum : et ideo bene comparatur quarto diei, quo facta sunt sidera in firmamento cœli. Quid enim evidentius significat splendorem regni, quam solis excellentia? Et plebem obtemperantem regno splendor lunæ ostendit, tanquam synagogam ipsam, et stellæ principes ejus, et omnia tanquam in firmamento in regni stabilitate fundata. Hujus quasi vespera est in peccatis regum, quibus illa gens meruit captivari atque servire.

39. 5ª ÆTAS. Et fit mane transmigratio in Babyloniam, cum in ea captivitate populus leniter in peregrino otio collocatus est. Et porrigitur hæc ætas usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi, id est quinta ætas, scilicet declinatio a juventute ad senectutem, nondum senectus, sed jam non juventus : quæ senioris ætas est, quem Græci πρεσβύτην vocant. Nam senex apud eos non πρεσβύτης, sed γέρων dicitur. Et revera sic ista ætas a regni robore inclinata et fracta est in populo Judæorum, quemadmodum homo a juventute fit senior. Et bene comparatur illi dici quinto, quo facta sunt in aquis animalia, et volatilia cœli, posteaquam illi homines inter gentes, tanquam in mari, vivere cœperunt, et habere incertam sedem et instabilem, sicut volantes aves. Sed plane erant ibi etiam ceti magni, id est illi magni homines qui magis dominari fluctibus sæculi, quam servire in illa captivitate potuerunt. Non enim ad cultum idolorum aliquo terrore depravati sunt. Ubi sane animadvertendum est quod benedixit Deus illa animalia, dicens, *Crescite et multiplicamini, et implete aquas maris, et volatilia multiplicentur super terram :* quia revera gens Judæorum, ex quo dispersa est per gentes, valde multiplicata est. Hujus diei, hoc est hujus ætatis, quasi vespera est multiplicatio peccatorum in populo Judæorum, quia sic excæcati sunt, ut etiam Dominum Jesum Christum non possent agnoscere.

40. 6ª ÆTAS. Mane autem fit ex prædicatione Evang. per Dominum nostrum Jesum Christum, et finitur dies quintus : incipit sextus, in quo senectus veteris hominis apparet. Hac enim ætate illud carnale regnum vehementer attritum est, quando et templum dejectum est, et sacrificia ipsa cessaverunt; et nunc ea gens quantum ad regni sui vires attinet, quasi extremam vitam trahit. In ista tamen ætate tanquam in senectute veteris hominis, homo novus nascitur, qui jam spiritualiter vivit. Sexta enim die dictum erat : *Producat terra animam vivam.* Nam quinto die dictum erat : *Producant aquæ*, non animam vivam, sed *reptilia animarum vivarum;* quoniam corpora sunt reptilia, et adhuc corporali circumcisione et sacrificiis tanquam in mari Gentium populus ille serviebat Legi (*a*). Istam vero animam vivam dicit, qua vita jam incipiunt æterna desiderari [1]. Serpentes ergo et pecora quæ terra producit, gentes significant jam stabiliter Evangelio credituras. De quibus dicitur in illo vase quod Petro demonstratum est in Actibus Apostolorum : *Macta, et manduca.* Et cum ille immunda diceret, responsum est ei : *Quæ Deus mundavit, tu ne immunda dixeris* (*Act.* X, 13-15). Tunc fit homo ad imaginem et similitudinem Dei, sicut in ista sexta ætate nascitur in carne Dominus noster, de quo dictum est per prophetam, *Et homo est, et quis agnoscet eum?* Et quemadmodum in illo die masculus et femina, sic et in ista ætate Christus et Ecclesia. Et præponitur homo in illo die pecoribus et serpentibus et volatilibus cœli, sicut in ista ætate Christus regit animas obtemperantes sibi, quæ ad Ecclesiam ejus, partim de Gentibus, partim de populo Judæorum venerunt; ut ab eo domarentur atque mansuescerent homines, vel carnali concupiscentiæ dediti sicut pecora, vel tenebrosa curiositate obscurati quasi serpentes, vel elati superbia quasi aves. Et sicut in illo die pascitur homo et animalia, quæ cum ipso sunt, herbis seminalibus et lignis fructiferis et herbis viridibus; sic ista ætate spiritualis homo quicumque bonus minister est Christi, et eum bene quantum potest imitatur, cum ipso populo spi-

[1] Regius codex et alii quinque : *Ut possit fructus utiles afferre sanctarum Scripturarum et Prophetarum.*

[2] In prius vulgatis Am. Er. et Lov. post, *posui te*, hæc interseruntur : *Ante Deum cui credidisti, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est : Sic erit semen tuum :* quæ omnia a Mss. absunt.

[3] Editi : *Firmamentum et ornamentum.* At Mss., *firmum ornamentum;* atque ex iis nonnulli paulo post habent, *et plebem obtemperantem regi.*

[1] Sic Mss. At prius vulgati habent : *Qua vitam incipiunt æternam desiderare.*

(*a*) I Retract. cap. 10, n. 3.

ritualiter pascitur sanctarum Scripturarum alimentis et lege divina : partim ad concipiendam fecunditatem rationum atque sermonum, tanquam herbis seminalibus; partim ad utilitatem morum conversationis humanæ, tanquam lignis fructiferis; partim ad vigorem fidei, spei et charitatis in vitam æternam, tanquam herbis viridibus, id est vigentibus, quæ nullo æstu tribulationum possint arescere. Sed spiritualis sic istis alimentis pascitur, ut multa intelligat; carnalis autem, id est parvulus in Christo, tanquam pecus Dei, ut multa credat quæ intelligere nondum potest : tamen eosdem cibos omnes habent.

41. 7ª ÆTAS. Hujus autem ætatis quasi vespera, quæ utinam nos non inveniat, si tamen nondum cœpit, illa est de qua Dominus dicit : *Putas cum veniet Filius hom., inveniet fidem super terram* (*Luc.* XVIII, 8)? Post istam vesperam fiet mane, cum ipse Dominus in claritate venturus est : tunc requiescent cum Christo ab omnibus operibus suis ii quibus dictum est, *Estote perfecti, sicut Pater vester qui in cœlis est* (*Matth.* V, 48). Tales enim faciunt opera bona valde. Post enim talia opera speranda est requies in die septimo, qui vesperam non habet. Nullo ergo modo verbis dici potest quemadmodum Deus fecerit, et condiderit cœlum et terram et omnem creaturam quam condidit : sed ista expositio per ordinem dierum sic indicat tanquam historiam rerum factarum, ut prædicationem futurorum maxime observet.

CAPUT XXIV.— *Ætates mundi quare inæquales.*

42. Si autem aliquem movet quod in istis ætatibus sæculi duas ætates primas denis generationibus advertimus explicari, tres autem consequentes singulæ quatuordecim generationibus contexuntur, sexta vero ista nullo generationum numero definita est (*Matth.* I, 1) ; facile est videre, etiam in unoquoque homine duas primas ætates, infantiam et pueritiam, corporis sensibus inhærere. Qui sensus corporis quinque sunt, visus, auditus, olfactus, gustus et tactus : quinarius autem numerus duplicatus, quoniam duplex est sexus humanus, unde generationes tales existunt, masculinus et femininus; quinarius ergo, ut dixi, duplicatus denarium numerum facit. Jamvero ab adolescentia et deinceps, ubi ratio jam incipit in homine prævalere, accedit quinque sensibus cognitio et actio, quibus vita regitur et administratur, ut jam septenarius numerus incipiat esse : qui similiter duplicatus, propter duplicem sexum, in quatuordecim generationibus eminet et apparet, quas habent tres ætates consequentes, tanquam adolescentis, et juvenis, et senioris. Senectutis vero ætas sicut in nobis nullo statuto annorum tempore definitur, sed post quinque illas ætates quantum quisque vixerit, senectuti deputatur : sic et in ista ætate sæculi non apparent generationes, ut etiam occultus sit ultimus dies, quem utiliter Dominus latere oportere demonstravit (*Id.* XXIV, 36).

CAPUT XXV.— *Septem dierum altior allegoria.*

43. Habet etiam unusquisque nostrum in bonis operibus et recta vita tanquam distinctos istos sex dies, post quos debet quietem sperare. Primo die lucem fidei, quando prius visibilibus credit [1], propter quam fidem Dominus visibiliter apparere dignatus est. Secundo die tanquam firmamentum disciplinæ, quo discernit inter carnalia et spiritualia, sicut inter aquas inferiores et superiores. Tertio die, quo mentem suam ad ferendos bonorum operum fructus, a labe et fluctibus tentationum carnalium, tanquam aridam terram a perturbationibus maris secernit, ut jam possit dicere, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* VII, 25). Quarto die, quo jam in illo firmamento disciplinæ spirituales intelligentias operatur atque distinguit, videt quæ sit incommutabilis veritas, quæ tanquam sol fulget in anima; et quemadmodum anima ipsius veritatis particeps fiat, et corpori ordinem et pulchritudinem præstet, tanquam luna illuminans noctem ; et quemadmodum stellæ omnes, scilicet intelligentiæ spirituales, in hujus vitæ obscuritate tanquam in nocte micent et fulgeant. Quarum rerum notitia fortior effectus incipiat quinto die in actionibus turbulentissimi sæculi, tanquam in aquis maris operari, propter utilitatem fraternæ societatis; et de corporalibus actionibus [2], quæ ad ipsum mare pertinent, id est ad hanc vitam, producere animarum vivarum reptilia, id est opera quæ prosint animis vivis; et cetos magnos, id est fortissimas actiones, quibus fluctus sæculi dirumpuntur et contemnuntur, et volatilia cœli, id est voces cœlestia prædicantes. Sexto autem die producat de terra animam vivam, id est de ipsa stabilitate mentis suæ ubi spirituales habet fructus, id est bonas cogitationes, motus omnes animi sui regat, ut sit in illo anima viva, id est rationi et justitiæ serviens, non temeritati atque peccato. Ita fiat etiam homo ad imaginem et similitudinem Dei, masculus et femina, id est intellectus et actio, quorum copulatione spiritualis fetus terram impleat, id est carnem subjiciat, et cætera quæ jam in hominis perfectione superius dicta sunt. In istis autem tanquam diebus vespera est in ipsa perfectione singulorum operum, et mane in inchoatione consequentium. Post istorum quasi sex dierum opera bona valde, speret homo quietem perpetuam, et intelligat quid sit, *Requievit Deus septimo die ab omnibus operibus suis* : quia et ipse in nobis hæc bona operatur, qui ut operemur jubet; et ipse recte requiescere dicitur, quia post hæc omnia opera requiem nobis ipse præstabit. Quomodo enim recte dicitur paterfamilias ædificare domum, cum hoc non opere suo faciat, sed eorum quibus servientibus imperat; sic recte dicitur et ab operibus requiescere, cum post perfectionem fabricæ, illis quibus imperabat permittit ut vacent, et jucundo otio perfruantur.

[1] Lov., *invisibilibus credit.* Sed melius Erasmus, Regius codex, et alii Mss. decem, *visibilibus credit.*
[2] Mss. tres, *agnitionibus.* Pauloque post habent, *fortissimas agnitiones.*

LIBER SECUNDUS.

Persequitur expositionem Geneseos ab hoc vers. 4 cap. 2 : *Hic liber creaturæ cœli et terræ*, etc., usque ad illum quo Adam et Eva de Paradiso ejiciuntur. Ad extremum, Ecclesiæ dogmata cum Manichæorum erroribus confert.

CAPUT PRIMUM. — *Recitatio secundi et tertii capitis Geneseos.*

1. Post enumerationem et expositionem dierum septem, interposita est quasi quædam conclusio, et appellatus est liber creaturæ cœli et terræ, quidquid superius dictum est, cum sit parva pars libri : sed ideo sic meruit vocari, quia universi sæculi a capite usque ad finem quasi brevis quædam imago in his diebus septem figurata est. Deinde incipit de homine diligentius narrari. Quæ omnis narratio non aperte, sed figurate explicatur, ut exerceat mentes quærentium veritatem, et spirituali negotio a negotiis carnalibus avocet. Sic enim se continet : *Hic est liber creaturæ cœli et terræ, cum factus esset dies quo fecit Deus cœlum et terram, et omnia viridia agri, antequam essent super terram, et omne pabulum agri, antequam germinaret. Nondum enim plueral Deus super terram, nec erat homo qui operaretur in ea. Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ. Et tunc finxit Deus hominem de limo terræ, et insufflavit in faciem ejus flatum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Et tunc plantavit Deus paradisum in Eden ad orientem, et posuit ibi hominem quem finxerat. Et produxit adhuc Deus de terra omne lignum formosum ad aspectum, et bonum ad escam : et lignum vitæ plantavit in medio paradisi, et lignum scientiæ boni et mali. Flumen autem prodibat ex Eden, et irrigabat paradisum : quod inde dividitur in quatuor partes. Nomen uni Phison; hoc est quod circuit totam terram Evilath, ibi est aurum, aurum autem terræ illius optimum* [1]*; ibi est carbunculus et lapis prasinus. Et nomen secundi fluminis Geon; hoc circuit totam terram Æthiopiæ. Et flumen tertium Tigris; hoc est quod vadit contra Assyrios. Et flumen quartum dicitur Euphrates. Et sumpsit Dominus Deus hominem quem fecerat, et posuit eum in paradiso, ut operaretur ibi, et custodiret eum. Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens : Ex omni ligno quod est in paradiso, edes ad escam; de ligno autem scientiæ boni et mali non edetis ab eo : qua die enim ederitis ab illo, morte moriemini. Et dixit Dominus Deus : Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sibi. Et quæcumque finxerat Deus ex omni genere pecorum, et ex omni genere bestiarum agri, et ex omni genere volatilium volantium sub cœlo, perduxit ea ad Adam, ut videret quid ea vocaret : et quod vocavit ea omnia Adam animam vivam, hoc est nomen ejus. Et post hæc vocavit Adam nomina omnium pecorum, et omnium avium cœli, et omnium bestiarum agri; et secundum quod vocavit ea Adam, hoc est nomen eorum usque in hodiernum diem. Ipsi autem Adæ nondum fuit adjutorium simile illi. Et immisit Deus soporem in Adam, et obdormivit : et sumpsit Deus unam de costis ejus, et implevit locum ejus carne, et formavit Deus costam quam accepit ab Adam in mulierem. Et adduxit illam ad Adam, ut videret quid eam vocaret. Et dixit Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea : hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta est* [1]*; et hæc erit mihi adjutorium. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adjungetur* [2] *uxori suæ; et erunt duo in carne una. Et erant ambo nudi, Adam et mulier ejus, et non confundebantur.*

2. *Serpens autem erat sapientior omnium bestiarum, quæ erant super terram, quas fecerat Dominus Deus. Et dixit serpens ad mulierem : Quare dixit Deus ne edatis ab omni ligno quod est in paradiso? Et dixit mulier ad serpentem : Ex omni ligno quod est in paradiso edemus; a fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit Deus ne edamus, sed neque tangamus, ne moriamur. Et dixit serpens mulieri : Non morte moriemini; sciebat enim Deus quia qua die manducaveritis ex illo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Et vidit mulier quia bonum est lignum in escam, et quia bonum est oculis ad videndum et cognoscendum; et sumpsit fructum de ligno illo, et manducavit, et dedit viro suo; et accepit Adam, et manducavit : et aperti sunt oculi eorum, et tunc scierunt quia nudi erant; et sumpserunt sibi folia fici, et fecerunt sibi succinctoria. Et cum audissent vocem Domini deambulantis in paradiso ad vesperam, absconderunt se Adam et mulier ejus ab ante faciem Domini Dei* [3]*, ad illam arborem quæ erat in medio paradiso. Et vocavit Dominus Deus Adam, et dixit illi : Adam, ubi es? Et dixit ille : Vocem tuam audivi, Domine, in paradiso, et timui, et abscondi me, quia nudus sum. Et dixit Dominus Deus : Quis nuntiavit tibi, quia nudus es, nisi quia ab illa arbore de qua dixeram tibi ex illa sola non manducare, ex illa manducasti? Et dixit Adam : Mulier quam dedisti mihi* [4]*, dedit ut ederem, et manducavi. Et dixit Deus mulieri : Quid hoc fecisti? Et dixit mulier : Serpens seduxit me, et manducavi. Et dixit Dominus Deus serpenti : Quia hoc fecisti, maledictus tu ab omni pecore, et omni genere bestiarum. Pectore et ventre repes, et terram manducabis omnibus diebus vitæ tuæ. Et inimicitiam ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum, et inter semen illius. Ipsa tuum observabit caput, et tu ejus calcaneum. Et mulieri dixit : Multiplicans multiplicabo dolores tuos, et suspiria tua, et in doloribus paries filios tuos; et ad virum tuum conversio tua, et ille tui dominabitur. Et tunc dixit Deus ad*

[1] Ita Mss. At Am. Er. et Lov. habent : *Ubi aurum nascitur, et aurum terræ*, etc.

[1] Omittitur *suo*, in editione Lov., quæ vox in Mss. Am. et Er., nec non in græco textu LXX continetur *ec toû andros autês.*

[2] Editi, *adhærebit*; pro quo Mss. habent, *adjungetur.*

[3] Am. Er. et Lov., *Domini Dei sui.* At Mss. carent voce, *sui.* — Pro, *ab ante faciem*, Er. et Ven. habent, *a facie*; Lov., *ante faciem.* M.

[4] Hic in excusis additur *sociam*, quæ vox abest a Mss.

Adam : Quia audisti vocem mulieris tuæ, et manducasti de ligno de quo præceperam tibi, ex illo solo ne ederes, maledicta terra erit tibi in omnibus operibus tuis, et in tristitia et gemitu tuo manducabis ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi, et edes pabulum agri tui. In sudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia terra es, et in terram ibis. Et tunc Adam imposuit nomen uxori suæ, Vita; quia mater est omnium vivorum. Et tunc fecit Dominus Deus Adæ et mulieri ejus tunicas pelliceas, et induit illos. Et dixit : Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis, ad scientiam cognoscendi bonum et malum. Et tunc ne porrigeret manum suam Adam ad arborem vitæ et sumeret sibi inde, et ederet et viveret in æternum, dimisit eum Dominus Deus de paradiso suavitatis, ut operaretur terram de qua et sumptus fuerat. Et ejectus foras de paradiso, moratus est contra paradisum voluptatis. Et Cherubim et illam flammeam frameam quæ versatur, posuit Deus ad custodiendam viam arboris vitæ.

CAPUT II. — *Genesis ad litteram ubique non potest exponi.*

3. Hæc secreta verborum si non reprehendentes et accusantes, sed quærentes et reverentes Manichæi mallent discutere, non essent utique Manichæi; sed daretur petentibus, et quærentes invenirent, et pulsantibus aperiretur. Plures enim quæstiones in hoc sermone proponunt, qui diligentia pia quærunt, quam isti miseri atque impii : sed hoc interest, quod illi quærunt ut inveniant, isti nihil laborant, nisi non invenire quod quærunt. Hic ergo totus sermo primo secundum historiam discutiendus est, deinde secundum prophetiam. Secundum historiam facta narrantur, secundum prophetiam futura prænuntiantur. Sane quisquis voluerit omnia quæ dicta sunt, secundum litteram accipere, id est non aliter intelligere quam littera sonat, et potuerit evitare blasphemias, et omnia congruentia fidei catholicæ prædicare, non solum ei non est invidendum, sed præcipuus multumque laudabilis intellector habendus est. Si autem nullus exitus datur, ut pie et digne Deo quæ scripta sunt intelligantur, nisi figurate atque in ænigmatibus proposita ista credamus; habentes auctoritatem apostolicam, a quibus tam multa de libris Veteris Testamenti solvuntur ænigmata, modum quem intendimus teneamus, adjuvante illo qui nos petere, quærere et pulsare adhortatur (*Matth*. VII, 7); ut omnes istas figuras rerum secundum catholicam fidem, sive quæ ad historiam, sive quæ ad prophetiam pertinent, explicemus, non præjudicantes meliori diligentiorique tractatui, sive per nos, sive per alios quibus Dominus revelare dignatur.

CAPUT III. — *Viride agri quid designat, vers.* 5, *cap* 2.

4. *Factus est ergo dies, quo die fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri, antequam essent super terram* [1], *et omne pabulum agri*. Superius septem dies numerantur, nunc unus dicitur dies, quo die fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri, et omne pabulum, cujus diei nomine omne tempus significari bene intelligitur. Fecit enim Deus omne tempus simul cum omnibus creaturis temporalibus, quæ creaturæ visibiles cœli et terræ nomine significantur. Movere autem nos debet ad quærendum, quod cum diem, qui factus est, et cœlum, et terram nominasset [1] adjecit etiam, *viride agri, et omne pabulum*. Non enim quando dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, tunc dictum est, factum esse omne viride agri et pabulum : manifeste enim legitur, quod tertio die factum est omne viride et pabulum agri. Quod autem dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, non pertinet ad aliquem dierum ex illis septem diebus. Adhuc enim vel materiam ipsam unde facta sunt omnia, cœli et terræ nomine nuncupabat : vel certe prius totam creaturam, cœli et terræ nomine proposuerat dicendo, *In principio fecit Deus cœlum et terram;* et postea particulatim per ordinem dierum sicut oportebat, propter prophetiam, quam in primo libro commemoravimus, Dei opera executus exposuit. Quid sibi ergo vult quod nunc nominato cœlo et terra, addidit, *viride agri et pabulum*, et tacuit cætera tam multa, quæ sunt in cœlo et in terra, vel etiam in mari; nisi quia viride agri invisibilem creaturam vult intelligi, sicut est anima? Ager enim solet in Scripturis figurate mundus appellari. Nam et ipse Dominus, *Ager est hic*, inquit, *mundus* (*Matth*. XIII, 38), cum illam parabolam exponeret, ubi bono semini sunt commixta zizania. Viride ergo agri spiritualem atque invisibilem creaturam dicit, propter vigorem vitæ, et nomine pabuli utique propter vitam bene hoc ipsum interpretamur (*a*).

5. Deinde quod addidit, *antequam essent super terram*, intelligitur antequam anima peccaret. Terrenis enim cupiditatibus sordidata, tanquam super terram nata, vel super terram esse, recte dicitur : ideoque addidit, *Nondum enim pluerat Deus supra terram.*

CAPUT IV. — *Quid sit*, Nondum pluerat super terram, *vers*. 5.

Quia et nunc viride agri Deus facit, sed pluendo super terram, id est, facit animas revirescere per verbum suum; sed de nubibus eas irrigat, id est de Scripturis Prophetarum et Apostolorum. Recte autem appellantur nubes, quia verba ista quæ sonant et percusso aere transeunt, addita etiam obscuritate allegoriarum quasi aliqua caligine obducta, velut nubes fiunt : quæ dum tractando exprimuntur, bene intelligentibus tanquam imber veritatis infunditur. Sed hoc nondum erat antequam anima peccaret; id est, antequam viride agri esset super terram. *Nondum enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur in ea*. Laboranti enim homini in terra imber de nubibus est necessarius, de quibus nubibus jam dictum est. Post peccatum autem homo laborare cœpit in terra, et necessarias habere illas nubes. Ante peccatum vero, cum viride agri et pabulum fecisset Deus, quo nomine invisibilem creaturam significari diximus, irrigabat

[1] Ven. : *Antequam esset super terram*. M.

[1] Editi : *Cum diem quo factum est cœlum et terra nominasset*. At Mss. magno consensu ferunt : *Cum diem qui factus est, et cœlum et terram nominasset*.

(*a*) I Retract. cap. 10, n. 3.

eam fonte interiore, loquens in intellectum ejus : ut non extrinsecus verba exciperet, tanquam ex supradictis nubibus pluviam ; sed fonte suo, hoc est de intimis suis manante veritate, satiaretur.

CAPUT V.— *Fons irrigans terram allegorice. Superbia quid sit.*

6. *Fons enim ascendebat*, inquit, *de terra, et irrigabat omnem faciem terræ.* De terra scilicet de qua dicitur : *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium* (*Psal.* CXLI, 6). Quando autem anima tali fonte irrigabatur, nondum per superbiam projecerat intima sua. *Initium* enim *superbiæ hominis apostatare a Deo.* Et quoniam in exteriora per superbiam tumescens cœpit non irrigari fonte intimo, bene insultatur illi verbis propheticis (*a*), et dicitur : *Quid superbit terra et cinis? Quoniam in vita sua projecit intima sua* (*Eccli.* X, 14, 9, 10). Quid est enim superbia aliud, nisi deserto secretario [1] conscientiæ foris videri velle quod non est? Et ideo laborans jam in terra necessariam habet pluviam de nubibus, id est doctrinam de humanis verbis, ut etiam hoc modo possit ab illa ariditate revirescere, et iterum fieri viride agri. Sed utinam vel pluviam veritatis de ipsis nubibus libenter excipiat. Nam propter illam Dominus noster nubilum carnis nostræ dignatus assumere, imbrem sancti Evangelii largissimum infudit, promittens etiam quod si quis biberit de aqua ejus, rediet ad illum intimum fontem, ut forinsecus non quærat pluviam. Dicit enim : *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 14). Iste, credo, fons ante peccatum ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ, quia interior erat, et nubium non desiderabat auxilium : *Nondum enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur in ea.* Cum enim dixisset, *Nondum enim pluerat Deus super terram*, subjecit et causam quare nondum pluerat : quia *non erat homo qui operaretur in ea.* Tunc autem homo cœpit operari in terra, cum post peccatum de beata vita dimissus est, qua in paradiso fruebatur. Sic enim scriptum est : *Et dimisit eum Dominus Deus de paradiso suavitatis, ut operaretur terram de qua et sumptus fuerat :* unde suo loco requiremus (*Infra, cap.* 22). Quod nunc ad hoc commemoravi, ut intelligeremus laboranti homini in terra, id est in peccatorum ariditate constituto, necessariam esse de humanis verbis divinam doctrinam, tanquam de nubibus pluviam. Talis autem scientia destruetur. Videmus enim nunc in ænigmate, tanquam in nubilo saginam quærentes : tunc autem facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 8, 12), quando universa facies terræ nostræ interiore fonte aquæ salientis irrigabitur. Nam si fontem aliquem hujus visibilis aquæ voluerimus intelligere, de quo dictum est, *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ ;* non est verisimile quod cum tam multi fontes perennes, sive rivorum, sive fluviorum per universam terram inveniantur, solus ille siccaverit [2], qui irrigabat omnem faciem terræ.

[1] Editi, *secreto.* Mss. duodecim, *secretario.*
[2] Juxta Er. et Lov., *siccuerit.* M.
(*a*) I Retract. cap. 10, n. 3.

CAPUT VI. — *Invisibilia quibus vocabulis signantur.*

7. Sub his ergo paucis verbis universa creatura nobis insinuata est ante peccatum animæ. Nomine enim cœli et terræ universa visibilis creatura significata est; et nomine diei, universum tempus; et nomine viridium et pabuli agri, creatura invisibilis; et nomine fontis ascendentis et irrigantis omnem faciem terræ, inundatio veritatis animam satians ante peccatum. Dies autem iste, cujus nomine universum tempus significari diximus, insinuat nobis non solum visibilem, sed etiam invisibilem creaturam tempus posse sentire : quod de anima nobis manifestatur, quæ tanta varietate affectionum suarum, et ipso lapsu quo misera facta est, et reparatione qua rursus in beatitatem redit, tempore mutari posse convincitur. Et ideo non dictum est, *Cum factus esset dies, quo die fecit Deus cœlum et terram*, tantum ; quibus nominibus visibilis creatura intimatur : sed additum est etiam, *viride, et pabulum agri ;* quo nomine invisibilem creaturam, propter vigorem et vitam, significari diximus, sicuti est anima. Et ita dictum est, *Cum factus esset dies, quo die fecit Deus cœlum et terram, et omne viride, et pabulum agri :* ut sic intelligeremus non solum visibilem, sed etiam invisibilem creaturam pertinere ad tempus, propter mutabilitatem; quia solus Deus incommutabilis est, qui est ante tempora.

CAPUT VII. — *Limus quid habeat mysterii.*

8. Nunc videamus post universæ creaturæ insinuationem tam visibilis quam invisibilis, et universale beneficium divini fontis erga invisibilem creaturam, quid de homine specialiter intimetur, quod ad nos maxime pertinet. Primo enim quod de limo terræ Deus hominem finxit, solet habere quæstionem qualis ille limus fuerit, vel quæ materia nomine limi significata sit. Illi autem inimici veterum Librorum, omnia carnaliter intuentes, et propterea semper errantes, etiam hoc reprehendere mordaciter solent, quod de limo Deus hominem finxit. Dicunt enim : Quare de limo fecit Deus hominem? an defuerat ei melior et cœlestis materia, unde hominem faceret, ut de labe terrena tam fragilem mortalemque formaret? Non intelligentes primo quam multis significationibus vel terra vel aqua in Scripturis ponatur : limus enim aquæ et terræ commixtio est. Dicimus enim tabidum et fragile et morti destinatum corpus humanum post peccatum esse cœpisse. Non enim in nostro corpore isti exhorrescunt nisi mortalitatem, quam damnatione meruimus. Quid autem mirum, aut difficile Deo, etiamsi de limo istius terræ hominem fecit, tale tamen corpus ejus efficere, quod corruptioni non subjaceret, si homo præceptum Dei custodiens peccare noluisset? Si enim speciem cœli ipsius de nihilo, vel de informi materia dicimus factam, quia omnipotentem artificem credimus; quid mirum si corpus, quod de limo qualicumque factum est, potuit ab omnipotenti artifice tale fieri, ut nulla molestia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, et nulla corruptione tabesceret?

9. Itaque superflue quæritur unde hominis corpus Deus fecerit ; si tamen nunc de corporis formatione

dicitur. Sic enim nonnullos nostros intelligere accepi, qui dicunt, posteaquam dictum est, *Finxit Deus hominem de limo terræ;* propterea non additum, Ad imaginem et similitudinem suam, quoniam nunc de corporis formatione dicitur. Tunc autem homo interior significabatur, quando dictum est : *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem Dei* (*a*). Sed etiamsi nunc quoque hominem ex corpore et anima factum intelligamus, ut non alicujus novi operis inchoatio, sed superius breviter insinuati diligentior retractatio isto sermone explicetur; si ergo, ut dixi, hominem hoc loco ex corpore et anima factum intelligamus, non absurde ipsa commixtione [1] limi nomen accepit. Sicut enim aqua terram colligit, et conglutinat, et continet, quando ejus commixtione limus ejus efficitur; sic anima corporis materiam vivificando in unitatem concordem conformat, et non permittit labi et resolvi.

CAPUT VIII. — *Insufflatio spiritus quid. Quid in Scripturis dicatur spiritus hominis.*

10. Quod autem scriptum est, *Et insufflavit in eum spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem :* si adhuc corpus solum erat, animam adjunctam corpori hoc loco intelligere debemus; sive quæ jam facta erat, sed tanquam in ore Dei erat, id est in ejus veritate vel sapientia, unde tamen non recessit quasi locis separata, quando insufflata est; non enim Deus loco continetur, sed ubique præsens est : sive tunc anima facta est, quando in illud figmentum Deus insufflavit spiritum vitæ, ut illa insufflatio ipsam operationem Dei significet, qua fecit animam in homine Spiritu potentiæ suæ. Si autem homo ille qui factus erat, jam corpus et anima erat; ipsi animæ sensus est additus ista insufflatione, cum factus est homo in animam viventem : non quia illa insufflatio conversa est in animam viventem, sed operata est in animam viventem. Nondum tamen spiritualem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animalem. Tunc enim spiritualis effectus est, cum in paradiso, hoc est in beata vita constitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei consummaretur. Itaque postquam peccavit, recedens a præcepto Dei, et dimissus est de paradiso, in hoc remansit ut animalis esset. Et ideo animalem hominem prius agimus omnes (*b*), qui de illo post peccatum nati sumus, donec assequamur spiritualem Adam, id est Dominum nostrum Jesum Christum, qui peccatum non fecit (I *Petr.* II, 22); et ab illo recreati et vivificati, restituamur in paradisum, ubi latro ille cum ipso eo die meruit esse, quo vitam istam finivit (*Luc.* XXIII, 43). Sic enim Apostolus dicit : *Sed non prius quod spirituale est, sed quod animale, sicut scriptum est : Factus est primus Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem* (I *Cor.* XV, 44-46).

11. Sic ergo debemus intelligere hunc locum, ut non quia dictum est, *Insufflavit in eum spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem*, credamus illam veluti partem naturæ Dei in animam hominis fuisse conversam, et cogamur dicere naturam Dei esse mutabilem : in quo errore maxime istos Manichæos veritas premit. Sicut enim est mater omnium hæreticorum superbia, ausi sunt dicere quod natura Dei sit anima. Et hinc urgentur a nobis, cum eis dicimus, Ergo natura Dei errat et misera est, et vitiorum labe corrumpitur et peccat; aut etiam, ut vos dicitis, naturæ contrariæ sordibus inquinatur : et cætera talia quæ de natura Dei nefas est credere. Nam factam esse animam ab omnipotente Deo, et ideo non illam esse partem Dei vel naturam Dei, manifeste alio loco scriptum est, dicente propheta, *Et qui finxit spiritum omnibus, ipse fecit omnia* (*Psal.* XXXII, 15) : et alio loco, *Qui finxit spiritum hominis in ipso* (*Zach.* XII, 1). Ergo factum esse spiritum hominis, manifeste his testimoniis approbatur. Spiritus autem hominis in Scripturis dicitur ipsius animæ potentia rationalis, qua distat a pecoribus, et eis naturæ lege dominatur. De quo dicit Apostolus : *Nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est* (I *Cor.* II, 11). Ne forte si probaretur [1] his testimoniis animam factam esse, non deessent qui dicerent spiritum hominis non esse factum, et ipsum arbitrarentur esse naturam Dei, et in ipsum dicerent partem Dei esse conversam, cum illa insufflatio Dei facta est. Quod sana doctrina similiter respuit, quia et ipse spiritus hominis cum aliquando errat, et aliquando prudenter sapit, mutabilem se esse clamat : quod nullo modo de natura Dei fas est credere. Non autem potest majus signum esse superbiæ, quam ut dicat se humana anima hoc esse quod Deus est, cum adhuc sub tantis vitiorum et miseriarum molibus gemat.

CAPUT IX. — *Paradisi deliciæ quid allegorice.*

12. Nunc jam videamus ipsam beatitudinem hominis, quæ paradisi nomine significatur : nam quoniam in nemoribus deliciosa quies hominum esse solet, et corporeis sensibus nostris de oriente lumen oritur, cœlumque consurgit, quod superius corpus est nostro corpore atque excellentius; propterea his verbis etiam spirituales deliciæ, quas habet beata vita, figurate explicantur, et ad orientem paradisus plantatur. Intelligamus autem nostra gaudia spiritualia significare omne lignum formosum ad aspectum intelligentiæ, et bonum ad escam quæ non corrumpitur, qua beatæ animæ pascuntur : nam et Dominus dicit, *Operamini escam quæ non corrumpitur* (*Joan.* VI, 27); ut est omnis ratio, quæ cibus est animæ. Ad orientem, lucem sapientiæ in Eden, id est in deliciis immortalibus et intelligibilibus. Nam deliciæ, vel voluptas, vel epulum hoc verbo significari dicitur, si ex hebræo in latinum interpretetur. Positum est autem sic sine interpretatione, ut aliquem locum significare videatur, magisque figuratam faciat locutionem. Productum autem ex terra omne illud lignum accipimus omne illud gau-

[1] Plerique codices, *commixtio*. Pratellensis Ms., *commixtione*.

(*a*) Sic intelligunt Tertullianus lib. de Resurrect. carnis, cap. 5, et Hilarius in Psal. CXVIII.

(*b*) I Retract. cap. 10, n. 3.

[1] Lov., *si non probaretur*. At Am. Er. et Mss. quatuordecim, e quibus Regius codex optimæ notæ, negatione carent.

dium spirituale ; id est, supereminere terræ, et non involvi atque obrui terrenarum cupiditatum implicamentis. Lignum autem vitæ plantatum in medio paradisi, sapientiam illam significat, qua oportet ut intelligat anima, in meditullio quodam rerum se esse ordinatam, ut quamvis subjectam sibi habeat omnem naturam corpoream, supra se tamen esse intelligat naturam Dei : et neque in dexteram declinet, sibi arrogando quod non est ; neque ad sinistram, per negligentiam contemnendo quod est : et hoc est lignum vitæ plantatum in medio paradisi. Ligno autem scientiæ boni et mali, ipsa item medietas animæ et ordinata integritas significatur : nam et ipsum lignum in medio paradisi plantatum est ; et ideo lignum dignoscentiæ boni et mali dicitur, quia si anima quæ debet in ea quæ anteriora sunt se extendere, id est in Deum, et ea quæ posteriora sunt oblivisci (*Philipp.* III, 13), id est corporeas voluptates, ad seipsam deserto Deo conversa fuerit, et sua potentia tanquam sine Deo frui voluerit, intumescit superbia, quod est initium omnis peccati. Et cum hoc ejus peccatum pœna fuerit consecuta, experiendo discit quid intersit inter bonum quod deseruit, et malum in quod cecidit. Et hoc ei erit gustasse de fructu arboris dignoscentiæ boni et mali. Præcipitur ergo illi ut de omni ligno quod est in paradiso edat, ex ligno autem in quo est dignoscentia boni et mali non edat ; id est, non sic eo fruatur, ut ipsam ordinatam integritatem naturæ suæ, quasi manducando violet atque corrumpat.

CAPUT X. — *Flumina quatuor quid notent.*

13. Flumen autem quod procedebat ex Eden, id est ex deliciis et voluptate et epulis, quod flumen a propheta significatur in Psalmis, cum dicit, *Torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* XXXV, 9) ; hoc est enim Eden, quod latine voluptas dicitur : dividitur in quatuor partes, et quatuor virtutes significat, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam. Dicitur autem Phison ipse esse Ganges, Geon autem Nilus, quod etiam in Jeremia propheta animadverti potest : nunc aliis nominibus appellantur. Sicut nunc Tiberis dicitur fluvius, qui prius Albula dicebatur. Tigris vero et Euphrates etiam nunc eadem nomina tenent : quibus tamen nominibus virtutes, ut dixi, spirituales significantur : quod etiam ipsorum nominum interpretatio docet, si quis hebræam linguam vel syram consideret. Sicut Jerusalem quamvis sit visibilis et terrenus locus, significat tamen civitatem pacis spiritualiter : et Sion quamvis sit mons in terra, speculationem tamen significat ; et hoc nomen in Scripturarum allegoriis ad spiritualia intelligenda sæpe transfertur : et ille qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, sicut Dominus dicit, et in via vulneratus, saucius et semivivus relictus est a latronibus (*Luc.* X, 30), utique locos istos terrarum, quamvis secundum historiam in terra inveniantur, spiritualiter cogit intelligi.

14. Prudentia ergo, quæ significat ipsam contemplationem veritatis ab omni ore humano alienam, quia est ineffabilis, quam si eloqui velis, parturis eam potius quam paris, quia ibi audivit et Apostolus ineffabilia verba quæ non licet homini loqui (II *Cor.* XII, 4) : hæc ergo prudentia terram circumit, quæ habet aurum, et carbunculum, et lapidem prasinum, id est disciplinam vivendi, quæ ab omnibus terrenis sordibus, quasi decocta nitescit, sicut aurum optimum ; et veritatem, quam nulla falsitas vincit [1], sicut carbunculi fulgor nocte non vincitur ; et vitam æternam, quæ viriditate lapidis prasini significatur, propter vigorem qui non arescit. Fluvius autem ille qui circuit terram Æthiopiam multum calidam atque ferventem, significat fortitudinem calore actionis alacrem atque impigram. Tertius autem Tigris vadit contra Assyrios, et significat temperantiam, quæ resistit libidini, multum adversanti consiliis prudentiæ : unde plerumque in Scripturis Assyrii adversariorum loco ponuntur. Quartus fluvius non dictum est contra quid vadat, aut quam terram circumeat : justitia enim ad omnes partes animæ pertinet, quia ipsa ordo et æquitas animæ est, qua sibi ista tria concorditer copulantur ; prima, prudentia ; secunda, fortitudo ; tertia, temperantia ; et in ista tota copulatione atque ordinatione justitia [2].

CAPUT XI. — *Opera hominis in paradiso : mulier in adjutorium facta.*

15. Quod autem ita constitutus est homo in paradiso, ut operaretur et custodiret ; operatio illa laudabilior laboriosa non erat. Alia est namque in paradiso operatio, et alia in terra, quo post peccatum damnatus est. Ex eo autem quod additum est, *et custodiret ;* significatum est qualis illa operatio erat. Namque in tranquillitate beatæ vitæ, ubi mors non est, omnis opera est custodire quod tenes. Accipit etiam præceptum, de quo superius jam tractavimus (*Supra*, c. 9). Quod præceptum, quoniam sic concluditur, ut non ad unum loquatur ; sic enim dicit, *Qua die autem manducaveritis, morte moriemini ;* incipit exponi quomodo sit facta femina : et facta dicitur in adjutorium viri, ut copulatione spirituali spirituales fetus ederet, id est bona opera divinæ laudis ; dum ille regit, hæc obtemperat ; ille a sapientia regitur, hæc a viro. Caput enim viri Christus, et caput mulieris vir (I *Cor.* XI, 3). Ideoque dicitur : *Non est bonum solum hominem esse.* Adhuc enim erat [3], quod fieret, ut non solum anima corpori dominaretur, quia corpus servilem locum obtinet, sed etiam virilis ratio subjugaret sibi animalem partem suam, per quod adjutorium imperaret corpori. Ad hujus rei exemplum femina facta est, quam rerum ordo subjugat viro ; ut quod in duobus hominibus evidentius apparet, id est in masculo et femina, etiam in uno homine considerari possit : ut appetitum animæ, per quem de membris corporis operamur, habeat mens interior tanquam virilis ratio subjugatum, et justa lege modum imponat adjutorio suo, sicut vir debet feminam regere, nec eam permit-

[1] Editi : *Sicut aurum optimum et verum quod nulla falsitas vincit.* At Mss. melioris notæ : *Sicut aurum optimum ; et veritatem*, etc.; quæ lectio planior est.

[2] Editi sic habent : *atque ordinatione perficiunt justitiam.* Mss. vero, *atque ordinatione justitia.* Supple, consistit.

[3] Ita melioris notæ Mss. cum Am. et Er., ubi Lov. habet, *ad hoc enim erat.*

tere dominari in virum; quod ubi contingit, perversa et misera domus est.

16. Primo ergo demonstravit Deus homini quanto melior esset pecoribus, et omnibus irrationabilibus animantibus: et hoc significat quod dictum est, adducta esse ad illum omnia animantia, ut videret quid ea vocaret, et eis nomina imponeret. Ex hoc enim apparet ipsa ratione hominem meliorem esse quam pecora, quod distinguere et nominatim ea discernere, nonnisi ratio potest, quæ de ipsis judicat. Sed hæc facilis ratio est; cito enim homo intelligit se meliorem esse pecoribus: illa est difficilis ratio, qua intelligit in seipso aliud esse rationale quod regit, aliud animale quod regitur.

CAPUT XII. — *Sopito Adæ juncta Eva. Quid sibi velit.*

Et quoniam hæc secretiore sapientia videt, ipsam visionem secretam nomine soporis significari arbitror, quem immisit Deus in Adam, quando ei mulier facta est. Ut enim hoc videatur, non est opus oculis istis corporeis, sed quanto quisque ab istis visibilibus rebus in interiora intelligentiæ secesserit (hoc est autem quasi obdormiscere), tanto melius et sincerius illud videt. Ipsa enim cognitio, qua intelligitur in nobis aliud esse quod ratione dominetur, aliud quod rationi obtemperet; ipsa ergo cognitio veluti effectio mulieris est de costa viri, propter conjunctionem significandam. Deinde, ut quisque huic suæ parti recte dominetur, et fiat quasi conjugalis in seipso, ut caro non concupiscat adversus spiritum, sed spiritui subjugetur, id est concupiscentia carnalis non adversetur rationi, sed potius obtemperando desinat esse carnalis, opus habet perfecta sapientia. Cujus contemplatio quia interior est et secretior, et ab omni sensu corporis remotissima, convenienter etiam ista soporis nomine intelligi potest. Tunc enim ordinatissime caput mulieris vir est, cum caput viri est Christus, qui [1] Sapientia est Dei.

17. Sane in locum illius costæ carnem adimplevit, ut hoc nomine insinuaretur dilectionis affectus, quo diligit unusquisque animam suam, et non est durus ut eam contemnat; quod diligit quisque cui præest. Non enim sic nominata est caro isto loco, ut carnalem concupiscentiam significet; sed isto modo potius quo propheta dicit auferri populo cor lapideum, et dari cor carneum (*Ezech.* XI, 19). Hoc modo enim dicit etiam Apostolus: *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II *Cor.* III, 3). Aliud est quippe propria locutio, aliud figurata, qualis ista est quam tractamus modo. Quapropter etsi visibilis femina secundum historiam de corpore viri primo facta est a Domino Deo, non utique sine causa ita facta est, nisi ut aliquod secretum intimaret. Num enim aut limus defuit unde femina formaretur? aut; si vellet Dominus, homini vigilanti costam sine dolore detrahere non posset? Sive ergo ista figurate dicta sint, sive etiam figurate facta sint, non frustra hoc modo dicta vel facta sunt; sed sunt plane mysteria et sacramenta, sive hoc modo quo tenuitas nostra conatur, sive aliquo alio meliore, secundum sanam tamen fidem sunt interpretanda et intelligenda.

[1] Sequimur Er. Ven. et Lov. B., *quæ.* M.

CAPUT XIII. — *Spirituale conjugium in homine.*

18. Vocavit ergo mulierem suam vir, tanquam potior inferiorem, et dixit: *Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea. Os de ossibus*, fortasse propter fortitudinem; et *caro de carne*, propter temperantiam. Hæ namque duæ virtutes ad inferiorem animi partem, quam prudentia rationalis regit, docentur pertinere. Quod autem dictum est, *Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta est;* ista origo nominis, et interpretatio in lingua latina non apparet. Quid enim simile habeat mulieris nomen ad viri nomen, non invenitur. Sed in hebræa locutione dicitur sic sonare, quasi dictum sit: Hæc vocabitur virago, quoniam de viro suo sumpta est. Nam virago vel virgo potius habet aliquam similitudinem cum viri nomine; mulier autem non habet: sed hoc, ut dixi, linguæ diversitas facit.

19. Quod autem additum est, *Relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una,* quomodo referatur ad historiam non invenio, nisi quod plerumque in genere humano ista contingunt; sed tota prophetia est, cujus Apostolus meminit, dicens: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 31, 32). Quod Manichæi si non cæci legerent, qui per Epistolas apostolicas multos decipiunt, intelligerent quomodo accipiendæ sint Veteris Testamenti Scripturæ, nec tam sacrilega voce auderent accusare quod nesciunt. Quod autem nudi erant Adam et mulier ejus, et non confundebantur, simplicitatem animæ castitatemque significat. Nam et Apostolus ita dicit: *Aptavi vos uni viro virginem castam exhibere Christo: timeo autem ne sicut serpens Evam fefellit versutia sua, ita corrumpantur mentes vestræ a simplicitate et castitate, quæ est in Christo* (II *Cor.* XI, 2, 3).

CAPUT XIV. — *Serpens diabolus, Eva affectus.*

20. Serpens autem significat diabolum, qui sane non erat simplex. Quod enim dicitur sapientior omnibus bestiis, figurate insinuatur ejus versutia. Non autem dictum est quod in paradiso erat serpens, sed erat serpens inter bestias quas fecit Deus. Paradisus namque beatam vitam, ut superius dixi, significat (*Supra, cap.* 9), in qua jam non erat serpens, quia jam diabolus erat; et de sua beatitudine ceciderat, quia in veritate non stetit. Nec mirandum est quomodo mulieri loqui potuerit, cum illa esset in paradiso, et ille non esset; non enim aut illa secundum locum erat in paradiso, sed potius secundum beatitudinis affectum: aut etiamsi locus est talis qui paradisus vocetur, in quo corporaliter Adam et mulier habitabant, etiam diaboli accessum corporaliter intelligere debemus? Non utique, sed spiritualiter, sicut Apostolus dicit, *Secundum principem potestatis aeris, spiritus qui*

nunc operatur in filiis diffidentiæ (*Ephes.* II, 2). Numquid ergo visibiliter eis apparet, aut quasi corporeis locis accedit ad eos in quibus operatur? Non utique, sed miris modis per cogitationes suggerit quidquid potest. Quibus suggestionibus resistunt, qui vere dicunt, quod item dicit Apostolus : *Non enim ignoramus astutias ejus* (II *Cor.* II, 11). Quomodo enim accessit ad Judam, quando ei persuasit ut Dominum traderet? numquid in locis, aut per hos oculos ei visus est? Sed utique, ut dictum est, intravit in cor ejus (*Luc.* XXII, 3). Repellit autem illum homo, si paradisum custodiat. Posuit enim Deus hominem in paradiso, ut operaretur et custodiret : quia sic de Ecclesia [1] dicitur in Canticis canticorum, *Hortus conclusus, fons signatus* (*Cant.* IV, 12); quo utique non admittitur perversitatis ille persuasor. Sed tamen per mulierem decipit : non enim etiam ratio nostra deduci ad consensionem peccati potest, nisi cum delectatio mota fuerit in illa parte animi, quæ debet obtemperare rationi tanquam rectori viro.

21. Etiam nunc in unoquoque nostrum nihil aliud agitur, cum ad peccatum quisque delabitur, quam tunc actum est in illis tribus, serpente, muliere, et viro. Nam primo fit suggestio sive per cogitationem, sive per sensus corporis, vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo : quæ suggestio cum facta fuerit, si cupiditas nostra non movebitur ad peccandum, excludetur serpentis astutia; si autem mota fuerit, quasi mulieri jam persuasum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrenat atque compescit. Quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, et quod libido commoverit, faciendum esse decernat, ab omni vita beata tanquam de paradiso expellitur homo. Jam enim peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum; quoniam rea tenetur in consensione conscientia.

CAPUT XV. — *Tentatio quomodo dejicit.*

22. Quo autem modo serpens ille peccatum persuaserit, diligenter considerandum est; pertinet enim maxime ad nostram salutem : nam ideo hæc scripta sunt ut jam talia caveamus. Nam cum interrogata mulier respondisset quid eis præceptum esset; ait ille : *Non morte moriemini : sciebat* [2] *enim Deus quoniam qua die manducaveritis ex illo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Videmus his verbis per superbiam peccatum esse persuasum : ad hoc enim valet quod dictum est, *Eritis sicut dii.* Sicut etiam hoc quod dictum est, *Sciebat enim Deus quoniam qua die mandacaveritis ex eo, aperientur oculi vestri,* quid hic intelligitur, nisi persuasum esse ut sub Deo esse nollent, sed in sua potestate potius sine Domino, ut legem ejus non observarent, quasi invidentis sibi ne se ipsi regerent, non indigentes illius interno lumine, sed utentes propria providentia, quasi oculis suis, ad dignoscendum bonum et malum, quod ille prohibuisset? Hoc est ergo quod persuasum est, ut suam potestatem nimis amarent, et cum Deo esse pares vellent, illa medietate, per quam Deo subjecti erant, et corpora subjecta habebant, tanquam fructu arboris constitutæ in medio paradisi, male uterentur, id est contra legem Dei; atque ita quod acceperant amitterent, dum id quod non acceperant, usurpare voluerunt. Non enim accepit hominis natura, ut per suam potestatem Deo non regente beata sit; quia nullo regente, per suam potestatem beatus esse solus Deus potest.

23. *Et vidit*, inquit, *mulier quia bonum est lignum ad escam ; et quia bonum est oculis ad videndum, et cognoscendum.* Quomodo videbat, si clausi erant oculi? Sed hoc dictum est, ut intelligeremus eos oculos esse apertos, posteaquam de fructu illo acceperunt, quibus se nudos videbant, et displicebant sibi, id est oculos astutiæ, quibus simplicitas displicet. Cum enim quisque ceciderit ab illa intima et secretissima luce veritatis, nihil est unde velit placere superbia, nisi fraudulentis simulationibus. Hinc enim et hypocrisis nascitur, in qua multum sibi videntur cordati, qui potuerint fallere et decipere quem voluerint. Dedit enim mulier viro suo, et manducaverunt, et aperti sunt oculi eorum, de quibus jam dictum est; et tunc viderunt quod nudi essent, sed oculis perversis, quibus illa simplicitas quæ nuditatis nomine significata est, erubescenda videbatur. Itaque ut jam non essent simplices, fecerunt de foliis fici sibi succinctoria, tanquam tegentes pudenda sua, id est occultantes simplicitatem, de qua jam erubescebat astuta superbia. Folia vero fici pruritum quemdam significant, si hoc bene in rebus incorporeis dicitur, quem miris modis animus patitur cupiditate, et delectatione mentiendi. Unde etiam latine salsi dicuntur, qui jocari amant. In jocis autem utique simulatio principatum tenet.

CAPUT XVI. — *Absconsio, ambulatio, percontatio quid signent.*

24. Itaque cum deambularet Deus in paradiso ad vesperam, id est cum ad eos jam judicandos veniret, adhuc ante pœnam eorum, deambulabat in paradiso, id est, quasi movebatur in eis præsentia Dei, quando jam ipsi stabiles in ejus præcepto non erant; et bene ad vesperam, id est cum jam ab eis sol occideret, id est auferretur ab eis lux illa interior veritatis : audierunt vocem ejus, et absconderunt se a conspectu ejus. Quis se abscondit a conspectu Dei, nisi qui deserto ipso incipit jam amare quod suum est? Jam enim habebant cooperimenta mendacii : qui autem loquitur mendacium, de suo loquitur (*Joan.* VIII, 44). Et ideo ad arborem se dicuntur abscondere, quæ erat in medio paradisi, id est ad seipsos, qui in medio rerum infra Deum et supra corpora ordinati erant. Ergo ad seipsos absconderunt se, ut conturbarentur miseris erroribus, relicto lumine veritatis, quod ipsi non erant. Particeps enim veritatis potest esse anima humana : ipsa autem veritas Deus est incommutabilis supra illam. Ab ea ergo veritate quisquis aversus est, et ad seipsum conversus, et non de rectore atque illustratore Deo, sed de suis motibus quasi liberis exsultat, tenebratur mendacio : quoniam qui loquitur mendacium, de suo

[1] In Er. Ven. Lov., *sic et Ecclesiæ.* M.
[2] Lov. hic et infra, *scit.* M.

loquitur; atque ita turbatur, et vocem illam prophetæ manifestat, qua dictum est, *Ad meipsum anima mea turbata est* (*Psal.* XLI, 7). Itaque jam interrogatur Adam, non Deo nesciente ubi esset, sed cogente ad confessionem peccati : non enim et Dominus Jesus Christus tam multa quæ interrogabat, nesciebat. Respondit autem, voce ejus audita, abscondisse se, quoniam nudus esset. Jam miserrimo errore respondit, quasi Deo posset displicere nudus, sicut eum ipse fecerat. Est autem hoc erroris proprium, ut quod cuique displicet, hoc etiam Deo displicere arbitretur. Illud autem sublimiter intelligendum est quod Dominus ait : *Quis nuntiavit tibi quod nudus esses, nisi quia ab illa arbore de qua dixeram tibi, ex illa sola ne manducares, ex illa manducasti?* Nudus enim erat a simulatione, sed vestiebatur luce divina. Unde aversus et ad seipsum conversus, quod significat de illa arbore manducasse, nuditatem suam vidit, et displicuit sibi ex eo quod non habebat aliquid proprium.

CAPUT XVII. — *Rejectio culpæ et serpentis pœna.*

25. Deinde jam more superbiæ in se non accusat quod consensit mulieri, sed in mulierem refundit culpam suam; et sic subtiliter quasi de astutia quam miser conceperat, voluit ad ipsum Deum pertinere quod peccavit. Non enim ait, Mulier dedit mihi; sed addidit dicens, *Mulier quam dedisti mihi.* Nihil est autem tam familiare peccantibus, quam tribuere Deo velle undecumque accusantur : et hoc de illa vena superbiæ, ut quoniam sic homo peccavit cum vult esse par Deo, id est liber esse ab ejus dominio, sicut ille ab omni dominio liber est, quoniam ipse est Dominus omnium; quoniam in majestate par illi esse non potuit, jam lapsus et jacens in peccato suo, parem sibi eum facere conetur. Vel potius illum vult ostendere peccasse, se autem esse innocentem. Et mulier interrogata refert culpam in serpentem : quasi aut ille sic acceperat uxorem ut ei obtemperaret, et non potius ut ipsam sibi obtemperare faceret; aut illa non poterat Dei præceptum potius custodire, quam verba serpentis admittere.

26. Jam serpens non interrogatur, sed prior excepit pœnam, quia nec confiteri peccatum potest, nec habet omnino unde se excuset. Non autem nunc ea damnatio diaboli dicitur, quæ ultimo judicio reservatur, de qua loquitur Dominus cum dicit, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41); sed ea pœna ejus dicitur, qua nobis cavendus est. Pœna enim ejus est, ut in potestate habeat eos qui Dei præcepta contemnunt. Hoc enim explicatur his verbis, quibus in eum profertur sententia : et inde major pœna est, quia de hac tam infelici potestate lætatur, qui solebat antequam caderet, de sublimi veritate gaudere in qua non stetit. Et ideo illi etiam pecora præponuntur, non in potestate, sed in conservatione [1] naturæ suæ : quia pecora non amiserunt beatitudinem aliquam cœlestem, quam nunquam habuerunt, sed in sua natura quam acceperunt peragunt vitam. Dicitur ergo huic : *Pectore et ventre repes.* Quod quidem et in colubro animadvertitur, et ex illo animante visibili ad hunc invisibilem inimicum nostrum locutio figuratur. Nomine enim pectoris, significatur superbia, quia ibi dominatur impetus animi : nomine autem ventris, significatur carnale desiderium, quia hæc pars mollior sentitur in corpore. Et quia his rebus ille serpit ad eos quos vult decipere; propterea dictum est, *Pectore et ventre repes.*

CAPUT XVIII. — *Serpentis cum Eva inimicitia.*

27. *Et terram*, inquit, *manducabis omnibus diebus vitæ tuæ :* id est omnibus diebus quibus agis hanc potestatem, ante illam ultimam pœnam judicii; hæc enim vita ejus videtur, de qua gaudet atque gloriatur. *Terram* ergo *manducabis*, duobus modis intelligi potest : vel ad te pertinebunt, quos terrena cupiditate deceperis, id est peccatores, qui terræ nomine significantur; vel certe genus tertium tentationis his verbis figuratur, quod est curiositas. Terram enim qui manducat, profunda et tenebrosa penetrat, et tamen temporalia atque terrena.

28. Non autem inimicitiæ ponuntur inter ipsum et virum, sed inter ipsum et mulierem. Numquid quia viros non decipit et tentat? Sed manifestum est quod decipit. An quia ipsum Adam non decepit, sed mulierem ejus? Sed numquid propterea non est inimicus ejus, ad quem pervenit per mulierem suam illa deceptio, maxime quia de futuro jam dicitur, *Inimicitias ponam inter te et mulierem?* Si autem quod non deinceps decepit Adam, nec ipsam Evam deinceps decepit. Quare ergo ita dicitur, nisi quia hic manifeste ostenditur non posse nos a diabolo tentari, nisi per illam animalem partem, quæ quasi mulieris imaginem vel exemplum in uno ipso homine ostendit, de qua superius jam multa diximus? Quod autem etiam inter semen diaboli, et semen mulieris ponuntur inimicitiæ, significatur semine diaboli perversa suggestio; semine autem mulieris, fructus boni operis, quo perversæ suggestioni resistit. Et ideo observat ipse plantam mulieris, ut si quando in illicita labitur delectatio [1], tunc illam capiat : et illa observat caput ejus, ut eum in ipso initio malæ suasionis excludat.

CAPUT XIX. — *De pœnis mulieri inflictis.*

29. Jam de pœna mulieris nulla quæstio est : manifeste enim multiplicatos dolores habet, atque suspiria in hujus vitæ calamitatibus; et quod in doloribus pariat filios, quamvis et in ista visibili muliere compleatur, tamen ad illam secretiorem consideratio revocanda est. Nam et in pecoribus feminæ cum dolore pariunt filios, et hæc est in illis mortalitatis conditio potius quam pœna peccati. Potest ergo fieri ut etiam in feminis hominibus mortalium corporum sit ista conditio. Sed hoc est magnum supplicium, quod ad istam corporum mortalitatem ex illa immortalitate venerunt. Verumtamen magnum sacramentum

[1] Editi Am. Er. et duo Mss., *conversione.* Lov., aliquot etiam suffragantibus Mss., *conversatione.* Sed melius Regius codex aliique duo, *conservatione.*

[1] Mss. non pauci habent : *si quando illicita elabitur delectatio.*

est hujus sententiæ, quod nulla abstinentia fit a voluntate carnali, quæ non habeat in exordio dolorem, donec in meliorem partem consuetudo flectatur. Quod cum provenerit, quasi natus est filius, id est ad bonum opus paratus est affectus per consuetudinem bonam. Quæ consuetudo ut nasceretur, cum dolore reluctatum est consuetudini malæ. Nam et illud quod post partum dictum est [1], *Erit tibi conversio ad virum tuum, et ipse tui dominabitur;* nonne multæ ac prope omnes mulieres absentibus viris suis pariunt, et post partum se ad illos non convertunt? Quæ autem superbæ sunt mulieres, et dominantur viris, numquid post partum carent hoc vitio, ut viri earum dominentur? Imo quasi dignitatem sibi additam credunt, quod matres fiunt, et plerumque superbiores existunt. Quid sibi ergo vult, quod posteaquam dictum est, *In doloribus paries filios*, additum est, *et erit tibi conversio ad virum tuum, et ipse tui dominabitur;* nisi quia illa pars animæ, quæ carnalibus gaudiis tenetur, cum aliquam malam consuetudinem volens vincere, passa fuerit difficultatem ac dolorem, atque ita pepererit consuetudinem bonam, cautius jam et diligentius rationi obtemperat tanquam viro; et ipsis quasi erudita doloribus convertitur ad rationem, et libenter servit jubenti, ne iterum in aliquam perniciosam consuetudinem defluat? Ista ergo quæ videntur maledicta, præcepta sunt, si non carnaliter spiritualia legamus. Lex enim spiritualis est (*Rom.* VII, 14).

CAPUT XX. — *De viri pœna.*

30. Item de sententia ista quæ prolata est in ipsum virum, quid dicemus? Numquid forte divites, quibus provenit facillimus victus, neque in terra operantur, evasisse istam pœnam existimandi sunt, qua dicitur: *Maledicta terra erit tibi in omnibus operibus tuis; in tristitia et gemitu tuo manducabis ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos pariet tibi, et edes pabulum agri tui: in sudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, ex qua sumptus es; quia terra es, et in terram ibis?* Sed certe illud manifestum est, quod nemo evadat istam sententiam. Hoc ipsum enim [2] quod in hac vita quisque natus, difficultatem inveniendæ veritatis habet ex corruptibili corpore (sicut enim Salomon dicit, *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* [*Sap.* IX, 15]), ipsi sunt labores et tristitiæ quas habet homo ex terra; et spinæ ac tribuli sunt punctiones tortuosarum quæstionum, aut cogitationes de provisione hujus vitæ: quæ plerumque, nisi exstirpentur et de agro Dei projiciantur, suffocant verbum, ne fructificet in homine, sicut Dominus in Evangelio dicit (*Marc.* IV, 18, 19). Et quoniam necessitate jam per hos oculos et per has aures de ipsa veritate admonemur, et difficile est resistere phantasmatibus quæ per istos sensus intrant in animam; quamvis per illos intret etiam ipsa admonitio veritatis; in ista ergo perplexitate, cujus vultus non sudet ut manducet panem suum? quod omnibus diebus vitæ nostræ passuri sumus, id est hujus vitæ quæ transitura est. Et hoc illi dictum est, qui coluerit agrum suum, quia ista patitur donec revertatur in terram, ex qua sumptus est, id est, donec finiat vitam istam. Qui enim coluerit agrum istum interius, et ad panem suum quamvis cum labore pervenerit, potest usque ad finem vitæ hujus hunc laborem pati: post hanc autem vitam non est necesse ut patiatur. Sed qui forte agrum non coluerit, et spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ in omnibus operibus suis, et post hanc vitam habebit, vel ignem purgationis vel pœnam æternam. Ita nemo evadit istam sententiam: sed agendum est ut saltem in hac tantum vita sentiatur.

CAPUT XXI. — *Quare post transgressionem Adam vitam vocaverit ipsam Evam: et de pellicearum tunicarum significatione.*

31. Quem autem non moveat, quod post peccatum et sententiam judicis Dei vocat Adam mulierem suam, Vitam, quia vivorum ipsa sit mater, posteaquam meruit mortem, et mortales fetus parere destinata est; nisi quia illos fetus attendit Scriptura, quos cum in doloribus pepererit, fiet illi conversio ad virum suum, et ejus ipse dominabitur? De quibus fetibus superius dictum est. Sic enim est illa vita materque vivorum. Nam vita quæ in peccatis est, mors appellari in Scripturis solet, sicut Apostolus dicit mortuam esse viduam quæ in deliciis vivit (I *Tim.* V, 6): et mortui nomine peccatum ipsum significari legimus, ubi dictum est, *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit in lavacro suo? Sic et qui jejunat super peccata sua, et iterum ambulans hæc eadem facit* (*Eccli.* XXXIV, 30, 31). Pro peccato enim mortuum posuit, abstinentiam vero jejuniumque a peccato, tanquam baptismum, hoc est mundationem [1] a mortuo: iterum autem redire ad peccatum, tanquam iterum tangere mortuum. Quare ergo non animalis illa pars nostra, quæ tanquam viro debet obtemperare rationi, cum per ipsam rationem de verbo vitæ recte vivendi sarcinam conceperit, appelletur vita; et cum parturitione abstinentiæ, quamvis cum doloribus atque gemitibus, malæ consuetudini resistens, bonam consuetudinem ad recte facta pepererit, mater vivorum vocetur, id est recte factorum; quibus contraria sunt peccata, quæ nomine mortuorum significari posse docuimus [2]?

32. Nam illa mors, quam omnes qui ex Adam nati sumus, cœpimus debere naturæ, quam minatus est Deus, cum præceptum daret ne arboris fructus ille ederetur; illa ergo mors in tunicis pelliceis figurata est. Ipsi enim sibi fecerunt præcinctoria de foliis fici, et Deus illis fecit tunicas pelliceas: id est, ipsi appetiverunt mentiendi libidinem relicta facie veri-

[1] Sic Am. Er. et Mss. potiores. At Lov. habet: *Quod post de partu dictum est.* Mss. sex, *quod de partu*, etc.

[2] Lov.: *hoc ipsum enim erit ei timendum, quod in hac vita*, etc. Removendas censuimus hæc verba, *erit ei timendum*, quibus antiquiores editiones et Mss. undecim carent.

[1] Editi, *inundationem;* sed maluimus uti est in Mss. decem, *mundationem.*

[2] Apud Er.: *Quare animalis... concepit, appellatur vita... peperit, mater vivorum vocatur... docuimus.* M.

tatis, et Deus corpora eorum in istam mortalitatem carnis mutavit, ubi latent corda mendacia. Neque enim in illis corporibus cœlestibus sic latere posse cogitationes credendum est, quemadmodum in his corporibus latent: sed sicut nonnulli motus animorum apparent in vultu, et maxime in oculis, sic in illa perspicuitate ac simplicitate cœlestium corporum omnes omnino motus animi latere non arbitror. Itaque illi merebuntur habitationem illam et commutationem in angelicam formam, qui etiam in hac vita cum possint sub tunicis pelliceis occultare mendacia, oderunt tamen ea et cavent flagrantissimo amore veritatis, et hoc solum tegunt, quod ii qui audiunt, ferre non possunt; sed nulla mentiuntur. Veniet enim tempus ut nihil etiam contegatur: nihil est enim occultum quod non manifestabitur (*Matth.* x, 26). Tamdiu autem in paradiso fuerunt isti, quamvis jam sub sententia damnantis Dei, donec ventum esset ad pelliceas tunicas, id est ad hujus vitæ mortalitatem. Quo enim majore indicio potuit significari mors quam sentimus in corpore, quam pellibus quæ mortuis pecoribus detrahi solent? Itaque cum contra præceptum, non imitatione legitima, sed illicita superbia, Deus esse appetit homo, usque ad belluarum mortalitatem dejectus est.

33. Ideo sic illi lex divina insultat ore Dei; qua insultatione nos admonemur quantum possumus cavere superbiam.

CAPUT XXII. — *Expulsio Adæ quid allegorice.*

Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis ad scientiam cognoscendi bonum et malum. Quæ ambigua locutio figuram facit: nam, *factus est tanquam unus ex nobis*, dupliciter intelligi potest: vel *unus ex nobis* quasi et ipse Deus, quod pertinet ad insultationem; sicut dicitur, unus ex senatoribus, utique senator: aut certe, quia et ipse deus esset, quamvis Creatoris sui beneficio, non natura, si sub ejus potestate manere voluisset, sic dictum est, *ex nobis;* quomodo dicitur, ex consulibus; aut, pro consulibus, qui jam non est. Sed ad quam rem factus est tanquam unus ex nobis? Ad scientiam scilicet dignoscendi boni et mali, ut iste per experimentum disceret dum sentit malum, quod Deus per sapientiam novit; et potestatem illam Omnipotentis quam pati noluit beatus atque consentiens, pœna sua discat esse inevitabilem.

34. *Et tunc ne porrigeret Adam manum suam ad arborem vitæ, et viveret in æternum, dimisit illum Deus de paradiso.* Bene dictum est, *dimisit*, non, exclusit; ut ipso peccatorum suorum pondere tanquam in locum sibi congruum videretur urgeri. Quod patitur plerumque malus homo cum inter bonos vivere cœperit, si se in melius commutare noluerit: ex illa bonorum congregatione, pondere malæ suæ consuetudinis pellitur; et illi eum non excludunt reluctantem, sed dimittunt cupientem Quod autem dictum est, *Ne porrigeret Adam manum suam ad arborem vitæ*, etiam hæc ambigua locutio est. Loquimur enim sic, cum dicimus, Ideo te moneo, ne iterum facias quod fecisti, volentes utique ut non faciat: et iterum sic, Ideo te moneo, ne forte sis bonus, volentes utique ut sit; id est, moneo te, non desperans quod bonus possis esse. Sicut loquitur Apostolus, cum dicit: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem* (II *Tim.* II, 25), Potest ergo videri propterea homo in labores hujus vitæ esse dimissus, ut aliquando manum porrigat ad arborem vitæ, et vivat in æternum. Manus autem porrectio bene significat crucem, per quam vita æterna recuperatur. Quamvis etiam si illo modo intelligamus, *ne manum porrigat, et vivat in æternum*, non injusta pœna est post peccatum interclusum esse aditum ad sapientiam, donec Dei misericordia mensuris temporum reviviscat qui mortuus est, et inveniatur qui perierat. Dimissus est ergo de paradiso suavitatis, ut operaretur terram de qua sumptus erat; id est, ut in corpore isto laboraret, et ibi si posset collocaret sibi meritum redeundi. Moratus est autem contra paradisum in miseria: quæ utique beatæ vitæ contraria est. Nam beatam vitam paradisi nomine significatam existimo.

CAPUT XXIII. — *Cherubim et framea versatilis quid notent.*

35. *Posuit autem Deus Cherubim et flammeam frameam quæ versatur*, quæ uno nomine versatilis dici potest, *ad custodiendam viam arboris vitæ.* Sicut illi volunt qui hebræa verba in Scripturis interpretati sunt, Cherubim latine Scientiæ plenitudo esse dicitur. Flammea vero framea versatilis, temporales pœnæ intelliguntur, quoniam tempora volubilitate versantur. Propterea et flammea dicitur, quia urit quodammodo omnis tribulatio. Sed aliud est uri ad consumptionem, et aliud est uri ad purgationem. Nam et Apostolus dicit: *Quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI, 29)? Sed iste affectus purgabat eum magis, quia de charitate veniebat. Et illæ tribulationes quas justi patiuntur, ad istam pertinent flammeam frameam: *Quoniam in igne probatur aurum et argentum, et homines acceptabiles in camino humiliationis* (*Eccli.* II, 5). Et iterum: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Id.* XXVII, 6). Quoniam ergo *quem diligit Deus, corripit; et flagellat omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6); sicut dicit Apostolus, *Scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem* (*Rom.* V, 3, 4), et legimus et audimus, et credendum est arborem vitæ, plenitudinem scientiæ et flammeam frameam custodire[1]. Nemo ergo potest pervenire ad arborem vitæ, nisi per has duas, id est per tolerantiam molestiarum, et scientiæ plenitudinem.

36. Sed tolerantia molestiarum omnibus fere in hac vita subeunda est, tendentibus ad arborem vitæ: plenitudo autem scientiæ videtur paucioribus provenire; ut quasi non omnes qui perveniunt ad arborem vitæ, per scientiæ plenitudinem veniant, quamvis omnes tolerantiam molestiarum, id est flammeam frameam versatilem, sentiant. Sed si attenda-

[1] Lov., *plenitudinem esse scientiæ, et flammea framea custodiri.* Sic etiam antiquiores editiones, nisi quod omittunt, *esse.* Sed ipsa orationis series probat legendum cum Mss., *plenitudinem scientiæ, et flammeam frameam custodire.*

tur quod Apostolus dicit, *Plenitudo autem Legis, charitas* (*Rom.* XIII, 10); et videamus eamdem charitatem præcepto illo gemino contineri, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua;* et, *Diliges proximum tanquam teipsum; in* quibus *duobus præceptis tota Lex pendet, et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 37-40): sine dubitatione intelligimus ad arborem vitæ non solum per flammeam frameam versatilem, id est per tolerantiam temporalium molestiarum, sed etiam per plenitudinem scientiæ, id est per charitatem veniri; quia *si charitatem*, inquit, *non habeam, nihil sum* (I *Cor.* XIII, 2).

CAPUT XXIV. — *Adam Christus, Eva Ecclesia.*

37. Sed in hoc sermone pollicitus sum considerationem rerum factarum, quam puto explicatam: et deinde considerationem prophetiæ, quæ remanet explicanda jam breviter. Posito enim tanquam signo quodam manifesto quo cætera dirigantur, non diu nos, quantum arbitror, ista consideratio detinebit. Dicit enim Apostolus sacramentum magnum esse, quod dictum est, *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una:* quod ipse interpretatur subjiciendo, *Ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 31, 32). Ergo quod per historiam impletum est in Adam, per prophetiam significat Christum, qui reliquit patrem, cum dixit: *Ego a patre exivi, et veni in hunc mundum* (*Joan.* XVI, 28). Non loco reliquit, quia Deus loco non continetur, neque aversione peccati, sicut apostatæ relinquunt Deum; sed apparendo hominibus in homine, cum Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Id.* I, 14). Quod ipsum non commutationem naturæ Dei significat, sed susceptionem naturæ inferioris personæ, id est humanæ [1]. Ad hoc valet etiam quod dicitur, *Semetipsum exinanivit* (*Philipp.* II, 7); quia non in ea dignitate apparuit hominibus in qua est apud Patrem, blandiens eorum infirmitati, qui cor mundum nondum habebant, unde videretur Verbum in principio Deus apud Deum (*Joan.* I, 1). Quid est ergo quod diximus, reliquit Patrem, nisi, reliquit apparere hominibus sicut est apud Patrem? Item reliquit et matrem, id est Synagogæ veterem atque carnalem observationem, quæ illi mater erat ex semine David secundum carnem, et adhæsit uxori suæ, id est Ecclesiæ, ut sint duo in carne una. Dicit enim Apostolus ipsum esse caput Ecclesiæ, et Ecclesiam corpus ejus (*Coloss.* I, 18). Ergo et ipse soporatus est dormitione passionis, ut ei conjux Ecclesia formaretur, quam dormitionem cantat per prophetam dicens: *Ego dormivi, et somnum cepi; et exsurrexi, quoniam Dominus suscepit me* (*Psal.* III, 6). Formata est ergo ei conjux Ecclesia de latere ejus, id est de fide passionis et Baptismi. Nam percussum latus ejus lancea, sanguinem et aquam profudit (*Joan.* XIX, 34). *Factus* autem, ut supra dixi, *ex semine David secundum carnem*, sicut Apostolus dicit (*Rom.* I, 3), id est tanquam de limo terræ, cum homo non esset qui operaretur in terra, quia nullus homo operatus est in Virgine, de qua natus est Christus. *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ.* Facies terræ, id est dignitas terræ, mater Domini virgo Maria rectissime accipitur, quam irrigavit Spiritus sanctus, qui fontis et aquæ nomine in Evangelio significatur (*Joan.* VII, 38, 39); ut quasi de limo tali homo ille fieret [1], qui constitutus est in paradiso, ut operaretur et custodiret, id est in voluntate Patris, ut eam impleret atque servaret.

CAPUT XXV. — *Hæretici et Manichæi maxime, per serpentem designati.*

38. Nam præceptum quod accepit, nos accepimus in illo, quia unusquisque christianus non incongrue sustinet personam Christi, dicente ipso Domino: *Quod fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40). Atque utinam frueremur, sicut est præceptum, omni ligno paradisi, quod significat spirituales delicias; *Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia*, sicut Apostolus dicit (*Galat.* V, 22, 23): et non tangeremus lignum in medio paradisi plantatum scientiæ boni et mali, id est non vellemus superbire de natura nostra, quæ, sicut jam diximus, media est, ut decepti experiremur quid intersit inter simplicem fidem catholicam, et fallacias hæreticorum! ita enim pervenimus ad dignoscentiam boni et mali. *Nam oportet*, inquit, *etiam hæreses esse, ut probati manifesti fiant inter vos* (I *Cor.* XI, 19). Etenim serpens ille secundum prophetiam, hæreticorum venena significat, et maxime istorum Manichæorum, et quicumque Veteri Testamento adversantur. Non enim aliquid manifestius prænuntiatum arbitror, quam istos in illo serpente, vel potius illum in istis esse vitandum. Nulli enim loquacius atque jactantius promittunt scientiam boni et mali; et in ipso homine, tanquam in arbore quæ plantata est in medio paradisi, eam dignoscentiam demonstraturos se esse præsumunt. Et etiam illud quod dictum est, *Eritis sicut dii*, qui alii magis dicunt quam isti, qui per suam superbam vanitatem, eamdem superbiam persuadere conantes, affirmant animam naturaliter hoc esse quod Deus est? Et ad quos magis pertinet apertio carnalium oculorum, quam ad istos qui relicta interiore

[1] Sic vulgati, quibus Mss. vix aliqui suffragantur. Nam Arnulfensis et Victorini duo vocem, *personæ*, omittunt: alii novem melioris notæ, e quibus est Theodericensis, Gemmeticensis, Pratellensis, Regio-Montensis, S. Audoeni Rothomagensis, Sorbonicus, unus S. Martini de Campis, et qui annos circiter mille præfert, quique olim Veronensis ecclesiæ fuit Regius codex, omisso verbo, *naturæ*, sic habent: *Sed susceptionem inferioris personæ, id est humanæ.* Ita etiam tributa Bedæ collectio, ad cap. 5 Epist. ad Ephesios, tum in excusis, tum in Corbeiensi codice sub nomine Flori manu descripto. Quod locutionis genus ea lege intelligendum, qua illud cum veteres dicunt Verbum suscepisse hominem, susceptione videlicet, ut Theologi aiunt, terminata ad hoc, ut Verbum ipsum suscipiens existat homo filiusque hominis, quæ est humana persona. Nam alias naturam hominis in personæ unitatem a Verbo susceptam fuisse docet constanter Augustinus, cujus celebrior est illa sententia ex epist. 3, ad Volusianum: « Ita inter Deum et homines me- « diator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque « naturam, et solita sublimaret insolitis, et insolita solitis « temperaret. »

[1] Ita Mss. At excusi habent, *ut qualis de limo terræ, talis homo ille fieret.*

sapientiæ luce solem istum, qui pertinet ad oculos corporis, adorare compellunt? Et omnes quidem hæretici generaliter scientiæ pollicitatione decipiunt, et reprehendunt eos quos simpliciter credentes invenerint; et quia omnino carnalia persuadent, quasi ad carnalium oculorum apertionem conantur adducere, ut interior oculus excæcetur.

CAPUT XXVI. — *Serpens hæreticus Manichæus.*

Sed istis etiam corpora sua displicent, non propter pœnalem mortalitatem, quam peccando meruimus; sed ita ut negent Deum esse corporum conditorem, tanquam apertis oculis carneis nuditas ista displiceat.

39. Sed nihil vehementius istos designat et notat, quam quod dicit serpens : *Non morte moriemini : sciebat enim Deus quoniam qua die ederitis, aperientur oculi vestri.* Sic enim isti credunt, quod serpens ille Christus fuerit, et deum nescio quem gentis tenebrarum, sicuti affirmant, illud præceptum dedisse confingunt, tanquam invideret hominibus scientiam boni et mali. Ex ista opinione etiam nescio quos serpentinos natos esse arbitror, qui serpentem pro Christo colere dicuntur (*a*), nec attendunt Apostolum qui ait : *Metuo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et sensus vestri corrumpantur* (II *Cor.* XI, 3). Hos ergo per istam prophetiam præfiguratos esse existimo. Seducitur autem verbis hujus serpentis carnalis nostra concupiscentia, et per illam decipitur Adam, non Christus, sed Christianus : qui si præceptum Dei servare vellet, et ex fide perseveranter viveret, donec idoneus fieret intelligentiæ veritatis, id est, si operaretur in paradiso, et custodiret quod accepit; non veniret in illam deformitatem, ut cum sibi displicet caro quasi nuditas sua, carnalia magis tegumenta mendaciorum, tanquam folia fici colligeret, quibus sibi faceret succinctorium. Hoc enim isti faciunt, cum de Christo mentiuntur, et ipsum mentitum esse prædicant; et tanquam abscondunt se a facie Dei, ad sua mendacia ab illius veritate conversi, sicut Apostolus dicit : *Et a veritate quidem auditum suum avertent, ad fabulas autem convertentur* (II *Tim.* IV, 4).

40. Et ille quidem serpens, id est ille error hæreticorum, qui tentat Ecclesiam, contra quem incantat[1] Apostolus, cum dicit, *Metuo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et sensus vestri corrumpantur;* ille ergo error pectore et ventre serpit, et terram manducat. Non enim decipit, nisi aut superbos, qui sibi arrogantes quod non sunt, cito credunt quod summi Dei et animæ humanæ una eademque natura sit; aut desideriis carnalibus implicatos, qui libenter audiunt quod quidquid lascive faciunt, non ipsi faciunt, sed gens tenebrarum; aut curiosos, qui terrena sapiunt, et spiritualia terreno oculo inquirunt. Erunt autem inimicitiæ inter istum et mulierem, et inter semen ejus, et semen mulieris, si pariat ista filios quamvis cum doloribus, et se ad virum suum convertat, ut ejus ipse dominetur. Tunc enim potest cognosci non aliam partem in nobis pertinere ad auctorem Deum, et aliam ad gentem tenebrarum, sicut isti dicunt; sed potius et illud quod regendi habet potestatem in homine, et illud inferius quod regendum est, ex Deo esse, sicut dicit Apostolus : *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei; mulier autem gloria viri est. Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro : etenim non creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum; propterea debet habere velamen mulier super caput, propter Angelos. Verumtamen neque mulier sine viro, neque vir sine muliere in Domino : sicut enim mulier ex viro, ita et vir per mulierem; omnia autem ex Deo* (I *Cor.* XI, 7-12).

CAPUT XXVII. — *Adæ lapsus et pœna allegorice.*

41. Laboret jam Adam in agro suo, et quod spinas et tribulos ei parit terra, intelligat non naturæ esse, sed pœnæ; et hoc non nescio cui genti tenebrarum, sed divino judicio tribuat : quia moderamen justitiæ est sua cuique tribuere. Ipse det mulieri escam cœlestem, quam accepit a capite suo, qui est Christus : non ab illa accipiat vetitum cibum, id est hæreticorum fallaciam cum magna pollicitatione scientiæ, et quasi secretorum adapertionem, quo fiat ad decipiendum error ipse conditior. Hæreticorum quippe superba et curiosa cupiditas in libro Proverbiorum clamat sub mulieris imagine, et dicit, *Qui stultus est, divertat ad me :* et inopes sensu exhortatur, dicens, *Panes occultos edite libenter, et aquam dulcem furtivam bibite* (*Prov.* IX, 16, 17). Et necesse est tamen, cum et illa quisque crediderit, præcedente libidine mentiendi, qua Christum mentitum esse credit, accipiat etiam tunicam pelliceam divino judicio. Quo nomine mihi videtur in prophetia significari non corporis mortalitas, quæ significatur in historia, de qua jam tractatum est; sed de carnalibus sensibus attracta phantasmata, quæ carnaliter mentientem divina lege consequuntur et contegunt : atque ita de paradiso, id est de catholica fide et veritate, dimittitur, habitaturus contra paradisum, id est eidem fidei contradicturus. Qui si aliquando se ad Deum converterit per flammeam frameam, id est per temporales tribulationes, sua peccata cognoscendo et gemendo, et non jam extraneam naturam, quæ nulla est, sed seipsum accusando, ut ipse veniam mereatur[1]; et per plenitudinem scientiæ, quæ est charitas, diligendo Deum, qui supra omnia est incommutabilis, et diligendo ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente; et diligendo proximum tanquam seipsum, perveniet ad arborem vitæ, et vivet in æternum.

CAPUT XXVIII. — *Per epilogum singulas refellit Manichæorum calumnias.*

42. Quid habent ergo isti, quod in his litteris Veteris Testamenti reprehendant? Interrogent secundum morem suum, et respondeamus sicut Dominus donare dignatur. Quare fecit Deus hominem, inquiunt, quem peccaturum sciebat? Quia et de peccante multa bona facere poterat, ordinans eum secundum moderamen

[1] Editi, *clamat;* pro quo ex Mss. restituimus *incantat.*
(*a*) Ophitæ.

[1] Editi, *per conversionem veniam*, etc. At Mss. non habent, *per conversionem.*

justitiæ suæ, et quia nihil oberat Deo peccatum ejus : et sive non peccaret, mors nulla esset ; sive quia peccavit, alii mortales de peccato ejus corriguntur. Nihil enim sic revocat homines a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio [1]. Sic eum faceret, inquiunt, ut non peccaret. Imo ipse hoc faceret ; sic enim factus est, ut si noluisset, non peccaret. Non admitteretur, inquiunt, diabolus ad ejus mulierem. Imo ipsa ad se diabolum non admitteret ; sic enim facta est, ut si noluisset, non admitteret. Non fieret, inquiunt, mulier. Hoc est dicere, non fieret bonum : quia et ipsa utique aliquod bonum est, et tantum bonum, ut Apostolus eam gloriam viri esse dicat ; et omnia ex Deo. Iterum dicunt : Quis fecit diabolum? Se ipse; non enim natura, sed peccando diabolus factus est. Vel ipsum, aiunt, non faceret Deus, si eum peccaturum esse sciebat. Imo, quare non faceret, cum per suam justitiam et providentiam multos de malitia diaboli corrigat ? An forte non audistis apostolum Paulum dicentem, *Quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare* (I *Tim.* I, 20)? et de seipso dicit, *Et ne magnitudine revelationum extollar, datus est mihi stimulus carnis, angelus Satanæ qui me colaphizet* (II *Cor.* XII, 7). Ergo, inquiunt, bonus est diabolus, quia utilis est? Imo malus in quantum diabolus est; sed bonus et omnipotens Deus est, qui etiam de malitia ejus multa justa et bona operatur. Non enim diabolo imputatur, nisi voluntas sua, qua conatur facere male, non Dei providentia, quæ de illo bene facit.

CAPUT XXIX. — *Confert Ecclesiæ dogmata cum Manichæorum erroribus.*

43. Postremo, quoniam cum Manichæis nobis de religione quæstio est, quæstio autem religionis est, quid de Deo pie sentiatur, quoniam negare non possunt in miseria peccatorum esse genus humanum ; illi dicunt naturam Dei esse in miseria : nos negamus, sed dicimus eam naturam esse in miseria, quam de nihilo fecit Deus, et ad hoc venisse non coactam, sed voluntate peccandi. Illi dicunt naturam Dei cogi ab ipso Deo ad pœnitentiam peccatorum : nos negamus, sed dicimus eam naturam quam Deus fecit de nihilo, posteaquam peccavit cogi ad pœnitentiam peccatorum. Illi dicunt naturam Dei ab ipso Deo accipere veniam : nos negamus, sed dicimus eam naturam quam fecit Deus de nihilo, si se a peccatis suis ad Deum suum converterit, accipere veniam peccatorum. Illi dicunt naturam Dei necessitate esse mutabilem : nos negamus, sed dicimus eam naturam quam Deus fecit de nihilo, voluntate esse mutatam. Illi dicunt naturæ Dei nocere aliena peccata : nos negamus, sed dicimus nulli naturæ nocere peccata, nisi sua (*a*) ; et Deum dicimus tantæ bonitatis esse, tantæ justitiæ, tantæ incorruptionis, ut neque peccet, neque ipse alicui noceat, qui peccare noluerit, nec ipsi aliquis qui peccare voluerit. Illi dicunt esse naturam mali cui Deus coactus est naturæ suæ partem dare cruciandam : nos dicimus nullum malum esse naturale [1] (*b*), sed omnes naturas bonas esse, et ipsum Deum summam esse naturam, cæteras ex ipso esse naturas : et omnes bonas in quantum sunt, quoniam fecit Deus omnia bona valde, sed distinctionis gradibus ordinata, ut sit aliud alio melius ; atque ita omni genere bonorum universitas ista compleatur, quæ quibusdam perfectis, quibusdam imperfectis, tota perfecta est, quam Deus effector conditorque ejus justo moderamine administrare non cessat ; qui omnia bona facit voluntate, nihil mali patitur necessitate. Cujus enim voluntas superat omnia, nulla ex parte quidquam sentit invitus. Cum ergo illa illi, et nos ista dicimus, unusquisque eligat quid sequatur. Ego enim, quod bona fide coram Deo dixerim, sine ullo studio contentionis, sine aliqua dubitatione veritatis, et sine aliquo præjudicio diligentioris tractationis, quæ mihi videbantur exposui.

[1] In Regio codice et sex aliis melioris notæ deest hæc sententia : *Nihil enim sic revocat homines a peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.*

[1] Editi, *malum esse naturæ.* Porro Mss. hic et in libro primo Retractationum, cap. 10, n. 3, habent, *naturale.*

(*a*) I Retract. cap. 10, n. 3.

(*b*) Ibid.

De subsequente libro vide lib. 1, *cap.* 18, Retractationum, *col.* 613, *a verbis,* Cum de Genesi, *usque ad col.* 614, *verbis,* Quærendo tractandum est. M.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE GENESI AD LITTERAM
IMPERFECTUS LIBER (a).

Tractatur initium Geneseos usque ad huncce versiculum 26 : *Faciamus hominem ad imaginem,* etc.

CAPUT PRIMUM. — 1. De obscuris naturalium rerum, quæ omnipotente Deo artifice facta sentimus, non affirmando, sed quærendo tractandum est ; in Libris maxime quos nobis divina commendat auctori-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Hunc librum jam habes suis, quibus ante scatebat, mendis purgatum ope Vaticani Ms., præter quem etiam in hanc rem adhibitæ fuerunt editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

(*a*) Hunc librum anno fere 393 adscribendum putamus, propterea quod ab Augustino in Retractationibus collocatur proxime post opusculum sive sermonem, quem de fide et symbolo habuit in Hipponensi concilio prædicti anni 393.

tas, in quibus temeritas asserendæ incertæ dubiæque opinionis, difficile sacrilegii crimen evitat : ea tamen quærendi dubitatio catholicæ fidei metas non debet excedere. Et quoniam multi hæretici ad suam sententiam, quæ præter fidem est catholicæ disciplinæ, expositionem Scripturarum divinarum trahere consueverunt ; ante tractationem hujus libri catholica fides breviter explicanda est.

2. Est autem hæc : Deum Patrem omnipotentem universam creaturam fecisse atque constituisse per Filium suum unigenitum, id est Sapientiam et Virtutem suam consubstantialem sibi et coæternam, in unitate Spiritus sancti, et ipsius consubstantialis et coæterni. Hanc ergo Trinitatem dici unum Deum, eumque fecisse et creasse omnia quæ sunt, in quantum sunt, catholica disciplina credi jubet; ita ut creatura omnis sive intellectualis sive corporalis, vel quod brevius dici potest secundum verba divinarum Scripturarum, sive invisibilis sive visibilis, non de Dei natura [1], sed a Deo sit facta de nihilo : nihilque in ea esse quod ad Trinitatem pertineat, nisi quod Trinitas condidit, ista condita est. Quapropter creaturam universam neque consubstantialem Deo, neque coæternam fas est dicere aut credere.

3. Ecce autem omnia quæ fecit Deus, bona valde : mala vero non esse naturalia ; sed omne quod dicitur malum, aut peccatum esse, aut pœnam peccati. Nec esse peccatum nisi pravum liberæ voluntatis assensum, cum inclinamur ad ea quæ justitia vetat, et unde liberum est abstinere ; id est, non in rebus istis, sed in usu earum non legitimo. Usus autem rerum est legitimus, ut anima in lege Dei maneat, et uni Deo plenissima dilectione subjecta sit, et cætera sibi subjecta sine cupiditate aut libidine ministret, id est secundum præceptum Dei. Ita enim sine difficultate et miseria, et cum summa facilitate et beatitudine administrabit. Pœna vero peccati est, cum ipsis creaturis non sibi servientibus cruciatur anima, cum Deo ipsa non servit : quæ creatura illi obtemperabat, cum ipsa obtemperabat Deo. Itaque non esse ignem malum, quia creatura Dei est ; sed tamen uri eo imbecillitatem nostram ex merito peccati. Dici autem peccata naturalia, quæ necesse est committi ante misericordiam Dei, postquam in hanc vitam per peccatum liberi arbitrii lapsi sumus.

4. Renovari autem hominem per Jesum Christum Dominum nostrum, cum ipsa ineffabilis ac incommutabilis Dei Sapientia plenum totumque hominem suscipere dignata est, et nasci de Spiritu sancto et virgine Maria ; crucifigi, sepeliri, et resurgere, et ascendere in cœlum, quod jam factum est ; et venire ad judicandos vivos et mortuos in fine sæculi, et resurrectionem mortuorum in carne, quod adhuc futurum prædicatur. Datum esse Spiritum sanctum credentibus in eum. Constitutam ab illo matrem Ecclesiam, quæ Catholica dicitur, ex eo quia universaliter perfecta est, et in nullo claudicat, et per totum orbem diffusa est. Remissa esse pœnitentibus priora peccata, et vitam æternam cœlorumque regnum promissum.

[1] Ms. Vatic., *non de Deo nata.*

CAPUT II. — 5. Secundum hanc fidem quæ possunt in hoc libro quæri et disputari, considerandum est. *In principio fecit Deus cœlum et terram.* Quatuor modi a quibusdam Scripturarum tractatoribus traduntur Legis exponendæ, quorum vocabula enuntiari græce possunt, latine autem definiri et explicari [1] : secundum historiam, secundum allegoriam, secundum analogiam, secundum ætiologiam. Historia est, cum sive divinitus, sive humanitus res gesta commemoratur. Allegoria, cum figurate dicta intelliguntur. Analogia, cum Veteris et Novi Testamentorum congruentia demonstratur. Ætiologia, cum dictorum factorumque causæ redduntur.

CAPUT III. — 6. Hoc ergo quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, quæri potest utrum tantummodo secundum historiam accipiendum sit, an etiam figurate aliquid significet, et quomodo congruat Evangelio, et qua causa liber iste sic inchoatus sit. Secundum historiam autem quæritur quid sit *In principio*, id est, utrum in principio temporis, an in principio in ipsa Sapientia Dei, quia et ipse Dei Filius principium se dixit, quando ei dictum est, *Tu quis es ;* et dixit, *Principium quod et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 25). Est enim Principium sine principio, et est Principium cum alio principio. Principium sine principio solus Pater est, ideo ex uno principio esse omnia credimus : Filius autem ita Principium est, ut de Patre sit. Ipsa etiam prima creatura intellectualis potest dici principium iis quibus caput est, quæ fecit Deus. Cum enim recte appelletur principium caput, in illa gradatione Apostolus mulierem tamen non dixit caput alicujus. Nam et virum dixit caput mulieris, et caput viri Christum, et caput Christi Deum (I *Cor.* XI, 3) : ita Creatori creatura subnectitur.

7. An ideo *In principio* dictum est, quoniam primum factum est ? An non potuit inter creaturas primum fieri cœlum et terra, si Angeli et omnes intellectuales Potestates primum factæ sunt ? Quia et Angelos creaturam Dei, et ab eo factos credamus necesse est. Nam et Angelos enumeravit propheta in centesimo quadragesimo octavo psalmo cum dixit : *Ipse jussit, et facta sunt ; ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII, 5). Sed si primum facti sunt Angeli, quæri potest utrum in tempore facti sunt, an ante omne tempus, an in exordio temporis. Si in tempore, jam erat tempus antequam Angeli fierent ; et quoniam etiam tempus ipsum creatura est, incipit necesse esse ut aliquid priusquam Angelos factum accipiamus. Si autem in exordio temporis factos dicimus, ut cum ipsis cœperit tempus, dicendum est falsum esse quod quidam volunt, cum cœlo et terra [2] tempus esse cœpisse.

8. Si autem prius quam tempus, Angeli facti sunt, quærendum est quomodo dictum sit in consequentibus : *Et dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento*

[1] Aliquot hic verba restituuntur, aliique passim redintegrantur loci ope Vaticani codicis; quod unum exemplar hujus operis manu exaratum nancisci potuimus.

[2] Sic Ms. Vatic. At vulgati, *ante cœlum et terram.*

cœli, ut luceant super terram, et dividant inter noctem et diem; et sint in signa, et tempora, et dies, et annos. Hic enim potest videri tunc cœpta esse tempora, cum cœlum et luminaria cœli ordinatis itineribus currere cœpissent: quod si verum est, quomodo potuerunt dies esse antequam tempus esset, si a cursu luminarium tempus exorsum est, quæ quarto die dicuntur esse facta? An ista dierum digestio secundum consuetudinem humanæ fragilitatis ordinata est lege narrandi et humilibus humiliter insinuandi sublimia, qua et ipse sermo narrantis non potest nisi aliqua habere et prima et media et ultima? An in temporibus istis dictum est ut essent luminaria, quæ tempora homines intervallis morarum in corporis motione metiuntur? Hæc enim tempora, si nullus motus corporum esset, nulla essent, et ipsa sunt hominibus manifestiora. Quod si admittimus, quærendum est utrum præter motum corporum possit esse tempus in motu incorporeæ creaturæ, veluti est anima vel ipsa mens; quæ utique in cogitationibus movetur, et ipso motu aliud habet prius, aliud posterius, quod sine intervallo temporis intelligi non potest. Quod si accipimus, etiam ante cœlum et terram potest intelligi tempus fuisse, si ante cœlum et terram facti sunt Angeli. Erat enim jam creatura quæ motibus incorporeis tempus ageret: et recte intelligitur cum illa etiam tempus esse, ut in anima quæ per corporeos sensus corporeis motibus assuefacta est. Sed fortasse non est in principibus et creaturis supereminentibus. Sed quoquo modo hoc se habeat (res enim secretissima est, et humanis conjecturis impenetrabilis), illud certe accipiendum est in fide, etiamsi modum nostræ cogitationis excedit, omnem creaturam habere initium; tempusque ipsum creaturam esse, ac per hoc ipsum habere initium, nec coæternum esse Creatori.

9. Potest etiam cœlum et terra pro universa creatura positum videri, ut et hoc visibile æthereum firmamentum, cœlum appellatum sit, et illa creatura invisibilis supereminentium Potestatum; rursusque terra, omnis inferior pars mundi, cum animalibus quibus inhabitatur. An cœlum omnis creatura sublimis atque invisibilis dicta est, terra vero omne visibile, ut etiam sic possit hoc quod dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, universa creatura intelligi? Fortasse quippe non incongrue in comparatione invisibilis creaturæ, omne visibile terra dicitur, ut illa cœli nomine nuncupetur. Quoniam et anima quæ invisibilis est, cum rerum visibilium amore tumesceret, et earum adeptione extolleretur, terra dicta est, sicut scriptum est, *Quid superbit terra et cinis* (*Eccli.* x, 9)?

10. Sed quæri potest utrum jam distincta et composita omnia dixerit cœlum et terram, an ipsam primo informem universitatis materiem, quæ in has formatas et speciosas naturas Deo ineffabiliter jubente digesta est, cœli et terræ nomine nuncupaverit. Quanquam enim scriptum legerimus, *Qui fecisti mundum de informi materia* (*Sap.* xi, 18); tamen etiam ipsam materiam cujusmodicumque sit, non possumus dicere non ab eo factam, ex quo omnia confitemur et credimus: ut etiam ipsa digestio et ordinatio singularum quarumque rerum formatarum et distinctarum mundus vocetur; ipsa vero materies cœlum et terra, veluti semen cœli et terræ appellata sit; et cœlum et terra quasi confusum atque permixtum ab artifice Deo accipiendis formis idoneum. Hactenus de hoc quæsitum sit quod dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*: nihil enim horum temere affirmare oportuit.

CAPUT IV. — 11. *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum; et Spiritus Dei ferebatur super aquam.* Ab hæreticis (*a*) qui Veteri Testamento adversantur, moveri calumnia huic loco solet, cum dicunt, Quomodo in principio fecit Deus cœlum et terram, si jam terra erat? non intelligentes hoc esse subjunctum, ut exponeretur qualis terra fuerit, de qua jam dictum est, *fecit Deus cœlum et terram.* Sic ergo accipiendum est: In principio fecit Deus cœlum et terram; hæc autem terra quam Deus fecit, invisibilis erat et incomposita, donec ab eodem ipso discerneretur, et ex confusione in rerum certo ordine constitueretur. An sic melius intelligitur, ut in hac exsecutione rursus eadem rerum materies commendaretur, quæ superius cœli et terræ nomine nuncupata est, ut iste sit sensus: In principio fecit Deus cœlum et terram; hoc autem quod cœlum et terra dictum est, terra erat invisibilis et incomposita, et tenebræ super abyssum; id est, quod cœlum et terra appellatum est, materies erat confusa quædam, de qua mundus, qui duabus maximis [1] partibus, cœlo scilicet et terra constat, digestis elementis et accepta forma fabricaretur? Quæ confusio materiæ sic potuit insinuari populari intelligentiæ, si diceretur terra invisibilis et incomposita, vel inordinata, vel imparata, et tenebræ super abyssum, id est super profunditatem vastissimam: quæ rursus profunditas ex eo fortasse nominata est, quia nullius intelligentia propter ipsam informitatem penetrari potest.

12. *Et tenebræ erant super abyssum.* Utrum subter abyssus erat et supra tenebræ, quasi jam loca distincta essent? An quoniam materiæ adhuc confusio exponitur, quod etiam χάος græce dicitur, ideo dictum est, *tenebræ erant super abyssum*, quia lux non erat: quæ si esset, utique supra esset, quia esset eminentior, et ea quæ sibi subjecta erant, illuminaret? Et revera qui diligenter considerat quid sint tenebræ, nihil aliud invenit quam lucis absentiam. Ita igitur dictum est, *Tenebræ erant super abyssum*, ac si dictum esset, Non erat lux super abyssum. Quapropter hæc materies quæ consequenti operatione Dei, in rerum formas ordinata distinguitur, appellata est terra invisibilis et incomposita, et profunditas carens luce; quæ appellata est superius nomine cœli et terræ, veluti semen, ut jam dictum est, cœli et terræ. Si tamen non cœlum et terram dicendo, universitatem prius proponere voluit, ut postea, insinuata materia, mundi partes exsequeretur.

[1] Ita Ms. Vatic. At editi, *maxime*
(*a*) Manichæis.

13. *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam.* Nusquam dixerat, Deus aquam fecit; nec tamen ullo modo credendum est aquam Deum non fecisse, et eam jam fuisse antequam ille aliquid constituisset. Etenim ille est *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, sicut Apostolus dicit (*Rom.* XI, 36). Ergo et aquam Deus fecit, et aliter credere magnus error est. Cur igitur non dictum est quod aquam Deus fecerit? An rursus eamdem materiam, quam vel cœli et terræ, vel terræ invisibilis et incompositæ atque abyssi nomine nuncupaverat, etiam aquam voluit appellare? Cur enim non et aqua appellaretur, si terra potuit, cum adhuc neque aqua distincta atque formata neque terra esset, neque aliquid aliud? Sed primo fortasse cœlum et terra appellata est, secundo terra incomposita et abyssus carens luce, tertio aqua non incongrue : ut primo ipsius universitatis, propter quam facta est de omnino nihilo, materies, cœli et terræ nomine vocaretur; secundo terræ incompositæ atque abyssi nomine insinuaretur informitas, quia inter omnia elementa terra est informior, et minus relucens quam cætera; tertio aquæ nomine significaretur materia subjecta operi artificis, aqua enim mobilior est quam terra; et ideo propter operandi facilitatem et motum faciliorem, subjecta materies artifici, aqua magis vocanda erat quam terra.

14. Et aer quidem mobilior est quam aqua; æther autem mobilior ipso aere non absurde creditur, aut sentitur : sed aeris vel ætheris nomine minus convenienter appellaretur materies. Magis enim hæc elementa vim creduntur habere faciendi, terra vero et aqua patiendi. Quod si occultum est, illud certe apertissimum puto, quod aquam ventus movet, et nonnulla terrena; ventus autem est aer motus et quasi fluctuans. Ergo cum aer aquam moveat manifeste, unde autem ipse moveatur ut sit ventus, occultum sit; quis dubitet congruentius aquæ nomine materiam vocari quia movetur, quam aeris qui movet? Moveri autem pati est, movere facere. Huc accedit quod ea quæ terra gignit, aqua irrigantur, ut nasci et perfici possint, ita ut prope videatur in hæc ipsa nascentia eadem aqua converti. Quocirca congruentius aquæ nomine appellaretur materies, cum subdita operi artificis insinuaretur propter mobilitatem et conversionem in quæque nascentia corpora, quam nomine aeris in quo sola mobilitas posset animadverti, cætera vero quibus materia expressius significaretur, defuissent; ut totus iste sit sensus : *In principio fecit Deus cœlum et terram*, id est materiam quæ cœli et terræ formam capere posset; quæ materia *terra invisibilis et incomposita erat*, id est informis et luce carens profunditas : quæ tamen quoniam moventi et operanti artifici subdita esset, propter hoc ipsum quod cedit operanti, aqua etiam nominata est.

15. In hac igitur materiæ significatione prius insinuatus est finis ejus, id est propter quid facta sit; secundo ipsa informitas, tertio servitus sub artifice atque subjectio. Itaque primo cœlum et terra, propter hoc enim facta materies; secundo terra invisibilis et incomposita, et tenebræ super abyssum, id est ipsa informitas sine lumine, unde etiam terra invisibilis dicta est; tertio aqua subjecta spiritui ad habitum formasque capiendas : ideo super aquam ferebatur Spiritus Dei, ut Spiritum operantem, aquam vero unde operaretur intelligamus, id est materiam fabricabilem. Cum enim ista tria dicimus unius rei nomina, materia mundi, materia informis, materia fabricabilis, horum primo nomini bene adjungitur cœlum et terra; secundo obscuritas, confusio, profunditas, tenebræ; tertio cedendi facilitas, cui jam ad operandum Spiritus superfertur artificis.

16. *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam.* Non ita superferebatur sicut oleum aquæ, vel aqua terræ, id est, quasi contineretur; sed, si ad hoc de visibilibus exempla capienda sunt, sicut superfertur lux ista solis aut lunæ his corporibus, quæ illuminat in terra : non enim continetur illis; sed cum cœlo contineatur, istis superfertur. Item cavendum est ne quasi locorum spatiis Dei Spiritum superferri materiæ putemus, sed vi quadam effectoria et fabricatoria, ut illud cui superfertur efficiatur, et fabricetur; sicut superfertur voluntas artificis ligno, vel cuique rei subjectæ ad operandum, vel etiam ipsis membris corporis sui, quæ ad operandum movet. Et hæc similitudo cum jam sit omni corpore excellentior, parva est tamen, et prope nihil ad intelligendam superlationem Spiritus Dei, subjecta sibi ad operandum mundi materia : sed non invenimus evidentiorem similitudinem et propinquiorem rei de qua loquimur, in iis rebus quæ ab hominibus quomodocumque capi possunt. Quapropter in hujusmodi cogitatione optime illud præceptum tenebitur, quod scriptum est : *Benedicentes Deum, exaltate illum quantumcumque potueritis, superabit et adhuc* (*Eccli.* XLIII, 33). Hoc autem dictum sit, si hoc loco Spiritus Dei Spiritus sanctus, quem in ipsa ineffabili et incommutabili Trinitate veneramur, accipitur.

17. Potest autem et aliter intelligi, ut spiritum Dei, vitalem creaturam, qua universus iste visibilis mundus atque omnia corporea [1] continentur et moventur, intelligamus; cui Deus omnipotens tribuit vim quamdam sibi serviendi ad operandum in iis quæ gignuntur. Qui spiritus cum sit omni corpore æthereo melior, quia omnem visibilem creaturam omnis invisibilis creatura antecedit, non absurde spiritus Dei dicitur. Quid enim non est Dei ex iis quæ condidit, cum etiam de ipsa terra dictum sit, *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII, 1); et illud [2] universali complexione quod scriptum est, *Quoniam tua sunt omnia, Domine, qui animas amas* (*Sap.* XI, 27)? Sed tunc potest iste spiritus sic intelligi, si quod dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, tantum de visibili creatura dictum sentiamus; ut super materiam rerum visibilium in exordio fabricationis earum superferretur invisibilis spiritus, qui tamen etiam ipse creatura esset, id est non Deus, sed a Deo facta at-

[1] Ms. Vatic., *corpora*.
[2] Ms. Vatic., *illa*.

que instituta natura. Si autem universæ creaturæ, id est et intellectualis et animalis et corporalis, materia creditur illo aquæ vocabulo enuntiata, nullo modo hoc loco Spiritus Dei potest nisi ille incommutabilis et sanctus intelligi, qui ferebatur super materiam omnium rerum, quas fecit et condidit Deus.

18. Tertia opinio de hoc spiritu oriri potest, ut credatur spiritus nomine, aeris elementum enuntiatum; ut ita quatuor elementa insinuata sint, quibus mundus iste visibilis surgit; cœlum scilicet, et terra, et aqua, et aer : non quia jam erant distincta et ordinata; sed quia in illius materiæ quamvis informi confusione, tamen exortura præsignabantur : quæ informis confusio tenebrarum et abyssi nomine commendata est. Sed quælibet sententiarum istarum vera sit, omnium rerum quæ ortæ sunt, quæ videntur, et quæ non videntur, non quantum ad vitia quæ contra naturam sunt, sed quantum ad ipsas naturas attinet, Deum esse auctorem et conditorem credendum est; nullamque omnino esse creaturam, quæ non ab ipso initium perfectionemque habeat generis et substantiæ suæ.

CAPUT V. — 19. *Et dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux.* Deum dixisse, *Fiat lux*, non voce de pulmonibus edita, nec lingua et dentibus, accipere debemus. Carnalium sunt istæ cogitationes : secundum autem carnem sapere, mors est (*Rom.* VIII, 6). Sed ineffabiliter dictum est, *Fiat lux.* Utrum autem hoc quod dictum est, Filio unigenito dictum est, an idipsum quod dictum est, Filius unigenitus est, quod dictum Dei verbum dicitur, per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 1, 3), quæri potest : dum tamen illa absit impietas, ut [1] Verbum Dei unigenitum Filium quasi vocem prolatam sicut a nobis fit, esse credamus. Verbum autem Dei, per quod facta sunt omnia, nec cœpit esse, nec desinet; sed sine inchoatione natum, Patri coæternum est. Quare hoc quod dictum est, *Fiat lux,* si et cœpit et destitit dici, magis Filio dictum est hoc verbum, quam ipsum est Filius. Et tamen etiam hoc ineffabiliter; nec carnalis imago subrepat in animum, et intellectum pium spiritualem conturbet. Quia et incipere aliquid et desinere in natura Dei, si proprie accipiatur, temeraria et præceps opinio est : carnalibus tamen et parvulis, non tanquam in ea mansuris, sed tanquam inde surrecturis humanissime concedenda est. Quidquid enim incipere et desinere Deus dicitur, nullo modo in ipsius natura, sed in ejus creatura, quæ illi miris modis obtemperat, intelligendum est.

20. *Et dixit Deus, Fiat lux.* Utrum ea lux quæ his carnalibus oculis patet, an aliqua occulta, quam nobis per hoc corpus videre non datum est? Et si occulta, utrum corporea, quæ per locorum spatia tenditur fortasse in sublimibus partibus mundi; an incorporea, qualis in anima est, ad quam vitandi et appetendi refertur examen a sensibus corporis, qua non carent etiam animæ bestiarum, an ea quæ superior ratiocinando apparet, ex qua incipit omne quod creatum est? Quamlibet enim lucem significet, factam tamen et creatam debemus accipere : non illam qua fulget ipsa Dei Sapientia, quæ non creata est, sed nata; ne sine luce Deus fuisse putetur priusquam istam, de qua nunc agitur, condidisset. De hac enim, sicut ipsa verba satis docent, hoc commendatur quod facta sit, *Et dixit*, inquit, *Fiat lux; et facta est lux.* Alia est lux de Deo nata, et alia lux quam fecit Deus : nata de Deo lux, est ipsa Dei Sapientia; facta vero lux, est quælibet mutabilis sive corporea sive incorporea.

21. Movere autem solet quomodo lux corporea esse potuerit antequam cœlum esset et cœli luminaria, quæ post istam exponuntur : quasi vero facile hoc ab homine percipi potest, aut omnino ullo modo potest, utrum sit aliqua lux præter cœlum, quæ tamen spatiis locorum distincta atque diffusa sit, mundumque amplectatur. Sed cum liceat hic et incorpoream lucem intelligere, si non visibilem tantum creaturam in hoc libro, sed omnem creaturam expositam dicimus, quid opus est in hac controversia remorari? Et fortasse quod quærunt homines, quando Angeli facti sunt, ipsi significantur hac luce, brevissime quidem, sed tamen convenientissime et decentissime.

22. *Et vidit Deus lucem, quia bona est.* Ista sententia non quasi insoliti boni lætitiam [1], sed approbationem operis significari, oportet intelligi. Quid enim convenientius de Deo dicitur, quantum inter homines dici potest, quam cum ita ponitur, Dixit, factum est, placuit : ita ut in eo quod dixit, imperium ejus intelligatur; in eo quod factum est, potentia; in eo quod placuit, benignitas : sicut ista ineffabilia per hominem hominibus, ita ut omnibus prodesse possent, dici debuerunt.

23. *Et divisit Deus inter lucem et tenebras.* Hinc intelligi licet quanta divini operis facilitate ista dicantur effecta. Non enim quisquam est qui sic existimet lucem factam, ut esset confusa cum tenebris, et ob hoc postea separationis indigeret; sed eo ipso quo lux facta est, consecuta est etiam divisio inter lucem et tenebras. Quæ enim societas lucis cum tenebris (II *Cor.* VI, 14)? Deus ergo divisit inter lucem et tenebras, quia lucem fecit, cujus absentia tenebræ vocantur. Interest autem inter lucem et tenebras, sicut interest inter vestimentum et nuditatem, aut plenum et inane, et similia.

24. Jam quot modis possit intelligi lux, supra dictum est, quibus contrariæ privationes possunt tenebræ nominari. Alia est enim lux quæ videtur his oculis corporeis, etiam ipsa corporea; ut solis, et lunæ, et stellarum, et si quid hujusmodi est, cui contrariæ sunt tenebræ, cum aliquis locus ea luce caret. Alia item lux est vita sentiens, et valens discernere quæ per corpus ad animæ judicium referuntur, id est alba et nigra, canora et rauca, suaveolentia et graveolentia, dulcia et amara, calida et frigida, et cætera hujusmodi. Alia est enim lux quæ sentitur oculis, alia qua per oculos agitur ut sentiatur. Illa enim in corpore, hæc autem quamvis per corpus ea quæ sentit

[1] Ms. Vatic., *ne.*

[1] Sic Ms. Vatic. At Am. Er. et Lov., *insoliti benevolentiam.*

percipiat, in anima est tamen. Huic contrariæ sunt tenebræ, insensibilitas quædam, vel si melius insensualitas dicitur, id est non sentire, quamvis inferantur quæ sentiri possent, si esset in illa vita lux ista unde sentitur. Neque hoc cum ministeria desunt corporis, sicut in cæcis aut surdis : nam in istorum animis est ista lux, de qua nunc agimus; sed instrumenta corporis desunt. Neque illo modo, quo modo in silentio vox non auditur, cum et ista lux est in anima, et adsunt corporis instrumenta, sed nihil quod sentiatur infertur. Non ergo qui iis causis non sentit, caret ista luce; sed cum talis potentia non est in anima, quæ jam nec anima dici solet, sed tantum vita, qualis perhibetur esse vitis et arboris, et quarumcumque stirpium : si tamen eas vel talem habere persuaderi ullo modo potest, quas nonnulli nimis errantes hæretici (*a*), non solum sentire per corpus, id est videre, audire, et calorem ignemque discernere; sed etiam intelligere rationem, et cogitationes nostras nosse arbitrantur : sed de his alia quæstio est. Insensibilitas ergo tenebræ hujus lucis, qua quidquid sentitur, cum ipsam vim sentiendi non habet vita quælibet. Convenienter autem lucem hanc dici concedit, quisquis concedit recte dici lucem, qua res quæque manifesta est. Cum autem dicimus, Manifestum est hoc canorum esse, manifestum est hoc dulce esse, manifestum est hoc frigidum esse, et quod forte hujus generis per corporales sensus attingimus; hæc lux qua ista manifesta sunt, utique intus in anima est, quamvis per corpus inferantur quæ ita sentiuntur. Tertium lucis genus in creaturis intelligi potest, quo ratiocinamur. Huic contrariæ tenebræ sunt irrationabilitas, sicut sunt animæ bestiarum.

25. Sive ergo lucem æthercam, sive sensualem cujus animalia participant, sive rationalem quam Angeli et homines habent, a Deo factam primitus in rerum natura hæc sententia vult intelligi; divisisse Deum inter lucem et tenebras, eo ipso quo lux facta est, oportet accipi, quod aliud est lux, aliud illæ privationes lucis, quas in contrariis tenebris ordinavit Deus. Non enim Deum fecisse tenebras dictum est : quoniam species ipsas Deus fecit, non privationes quæ ad nihilum pertinent, unde ab artifice Deo facta sunt omnia; quas tamen ab eo ordinatas intelligimus, cum dicitur, *Et divisit Deus inter lucem et tenebras*, ne vel ipsæ privationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta regente atque administrante. Sicut in cantando interpositiones silentiorum certis moderatisque intervallis, quamvis vocum privationes sint, bene tamen ordinantur ab iis qui cantare sciunt, et suavitati universæ cantilenæ aliquid conferunt. Et umbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt, ac non specie, sed ordine placent. Nam et vitiorum nostrorum non est auctor Deus; sed tamen ordinator est, cum eo loco peccatores constituit, et ea perpeti cogit quæ merentur. Ad hoc valet quod oves ponuntur ad dexteram, hædi autem ad sinistram (*Matth.* XXV, 33). Quædam ergo et facit Deus, et ordinat; quædam vero tantum ordinat. Justos et facit, et ordinat; peccatores autem in quantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantum. Quippe cum illos ad dexteram, illos ad sinistram constituit, et quod in ignem æternum jubet ire, ad meritorum ordinem valet. Ita species naturasque ipsas et facit, et ordinat; privationes autem specierum defectusque naturarum non facit, sed ordinat tantum. Dixit itaque, *Fiat lux; et facta est lux*. Non dixit, Fiant tenebræ; et factæ sunt tenebræ. Horum ergo unum fecit, alterum non fecit, utrumque tamen ordinavit, cum divisit Deus inter lucem et tenebras. Ita et ipso faciente pulchra sunt singula, et ipso ordinante pulchra sunt omnia.

(*a*) Manichæi.

CAPUT VI. — 26. *Et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem*. Cum et lux nomen sit alicujus rei, et dies rursum, et tenebræ et nox utrumque sit nomen, utrumque ita dici oportuit, nomina rebus imposita esse, ut illa res cui nomen impositum est, utique alio quoque nomine, non enim aliter poterat enuntiare[1]. Et ita dictum est, *Vocavit Deus lucem diem*, ut indifferenter etiam dici converse posset, Vocavit Deus diem lucem, et vocavit noctem tenebras. Quid ei respondebimus, si quis a nobis ita quærit : Luci nomen impositum est dies, an diei nomen impositum est lux? quia hæc duo utique, in quantum ad res significandas articulata voce enuntiantur, nomina sunt. Hoc modo etiam de aliis duobus quæri potest : Tenebris nomen impositum est nox, an nocti impositum est nomen tenebræ? Et quidem, ut Scriptura describit, manifestum est lucis nomen dictum esse diem, et tenebrarum nomen dictum esse noctem. Quia cum diceret, Deus fecit lucem, et divisit inter lucem et tenebras, nondum de vocabulis agebatur : postea adhibita sunt vocabula, dies et nox; cum et illa sine dubio vocabula sint, lux et tenebræ, res aliquas significantia, sicut dies et nox. Ergo hoc ita accipiendum est, quia enuntiari aliter non posset res quæ nomen accepit, nisi aliquo nomine; an potius ista vocatio accipienda est ipsa distinctio? Non enim omnis lux dies, aut omnes tenebræ nox; sed lux et tenebræ certis inter se vicibus ordinatæ atque distinctæ, diei et noctis nominibus appellantur. Omne quippe vocabulum ad distinctionem valet. Unde etiam nomen quod rem notet, appellatum est, quasi notamen. Notet autem, id est distinguat et doctitanter ad discernendum adjuvet. Fortasse ergo ipsum divisisse inter lucem et tenebras, hoc est vocasse lucem diem, et tenebras noctem, ut hoc sit ordinasse ista quod vocasse. An ista vocabula significare nobis volunt quam lucem dixerit, et quas tenebras; tanquam si diceret, Fecit Deus lucem, et divisit inter lucem et tenebras; lucem autem dico diem, et tenebras dico noctem : ne aliquam aliam lucem intelligas, quæ non sit dies; et ne aliquas alias tenebras intelligas, quæ non sint nox? Nam si omnis

[1] Ms. Vaticanus omittit *quoque* : et paulo post habet, *poterat enuntiare*, ubi editi habuerunt, *poterat enumerare*. Locus profecto a librariis fœdatus, atque expunctis hisce verbis, *nomina rebus imposita esse*, quæ haud dubie e margine irrepserunt, emendandus hunc in modum : *utrumque ita dici oportuit, ut illa res cui nomen impositum est, utique alio nomine (non enim aliter poterat) enuntiaretur*.

lux dies possit intelligi, et omnes tenebræ noctis nomine censerentur, fortasse non opus esset dicere, *Et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem.*

27. Item quæri potest quem diem dicat, et quam noctem. Si istum diem vult accipi quem solis ortus inchoat, et claudit occasus, et istam noctem quæ a solis occasu usque in ortum tenditur; non invenio quomodo esse potuerint, antequam cœli luminaria facta essent. An ipsa spatia horarum et temporum, etiam sine discrimine fulgoris atque umbræ, jam ita vocari potuerunt? Et quomodo in illam lucem rationalem, si hæc significata est, aut sensualem cadit hæc vicissitudo, quæ nomine diei et noctis significatur? An non secundum quod evenit, sed secundum quod potest evenire, ista insinuata sunt; quia et rationi potest error succedere, et sensui quædam stoliditas?

CAPUT VII. — 28. *Et facta est vespera, et factum est mane dies unus.* Non eodem modo nunc appellatur dies, quo cum diceretur, *Et vocavit Deus lucem diem;* sed eo modo quo dicimus, verbi gratia, triginta dies habere mensem : hoc enim nomine diei noctes quoque includimus; superius autem ita dictus est dies, ut a nocte sejungeretur. Itaque cum illa operatio diei per lucem gesta insinuaretur, consequenter factam dicitur esse vesperam, et factum esse mane diem unum; ut scilicet sit unus dies a cœpto die usque ad cœptum diem, id est a mane usque ad mane, quales dies annumeratis, ut dixi, noctibus appellamus. Sed quomodo facta est vespera, et factum est mane? An tanta mora temporis fecit lucem Deus, et divisit inter lucem et tenebras, quanta mora tenditur dies lucens, id est non annumerata nocte? Et ubi est quod scriptum est, *Subest enim tibi, cum voles posse* (*Sap.* XII, 18), si opus est Deo productione temporis, ut aliquid perficiat? An omnia quidem tanquam in arte atque ratione perfecta sunt Deo, non in productione temporis, sed in ipsa vi qua illas etiam res, quas non stare, sed transire cernimus, stabiliter efficit? Non enim et in sermone nostro cum verba alia transeant, et alia succedant, credibile est ita fieri in ipsa arte, qua operante stabiliter artificiosa occurrit oratio. Quanquam ergo sine productione temporis faciat Deus, cui subest posse cum volet; ipsæ tamen naturæ temporales motus suos temporaliter peragunt. Ita ergo fortasse dictum est, *Et facta est vespera, et factum est mane dies unus*, sicut ratione prospicitur ita fieri debere aut posse, non ita ut fit temporalibus tractatibus. Nam in ipsa ratione operationem contemplatus est[1] in Spiritu sancto, qui dixit, *Qui manet in æternum creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII, 1) : sed commodissime in illo libro, quasi morarum per intervalla factarum a Deo rerum digesta narratio est, ut ipsa dispositio, quæ ab infirmioribus animis contemplatione stabili videri non poterat, per hujusmodi ordinem sermonis exposita quasi istis oculis cerneretur.

CAPUT VIII. — 29. *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ, et sit dividens inter aquam et aquam. Et sic factum est. Et fecit Deus firmamentum, et divisit inter aquam quæ erat sub firmamento, et inter aquam quæ erat supra firmamentum.* Utrum aquæ tales sint supra firmamentum, quales sub firmamento istæ visibiles? an quia illam aquam videtur significare, supra quam Spiritus ferebatur, et eam intelligebamus esse ipsam mundi materiam, hæc etiam hoc loco firmamento interposito discreta credenda est, ut inferior sit materia corporalis, superior animalis? Hoc enim firmamentum dicit, quod cœlum postea vocat. Cœlesti autem corpore nihil est in corporibus alia melius. Alia quippe corpora cœlestia, et terrestria; et utique cœlestia meliora : quorum naturam quidquid transit, nescio quemadmodum corpus possit vocari; sed est fortasse vis quædam subjecta rationi, qua ratione Deus veritasque cognoscitur : quæ natura, quia formabilis est virtute atque prudentia, cujus vigore cohibetur ejus fluctuatio atque constringitur, et ob hoc[1] quasi materialis apparet, recte aqua divinitus appellata est; non locorum spatio, sed merito naturæ incorporeæ cœli corporei[2] ambitum excedens. Et quoniam cœlum firmamentum vocavit, non absurde intelligitur quidquid infra æthereum cœlum est, in quo pacata atque firmata[3] sunt omnia, mutabilius esse et dissolubilius. Quod genus corporalis materiæ ante acceptam speciem distinctionemque formatum, a qua firmamentum nominatum est, fuerunt qui crederent has visibiles aquas et frigidas superficiem cœli superamplecti. Et documentum adhibere conati sunt de tarditate stellæ unius de septem vagantibus, quæ superior est cæteris, et a Græcis Φαίνων dicitur, et triginta annis peragit signiferum circulum, ut ob hoc tarda sit, quia est frigidis aquis vicinior, quæ supra cœlum sunt. Quæ opinio nescio quemadmodum possit apud eos defendi, qui subtilissime ista quæsierunt. Nihil autem horum temere affirmandum, sed caute omnia modesteque sunt tractanda.

30. *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ et sit dividens inter aquam et aquam. Et sic factum est.* Postquam dixit, *sic factum est*, quid opus erat rursum addere, *Et fecit Deus firmamentum, et divisit inter aquam quæ erat sub firmamento, et aquam quæ erat supra firmamentum?* Nam cum dixisset superius, *Et dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux*; non addidit rursum, Et fecit Deus lucem : hic autem posteaquam dixit, *Et dixit Deus, Fiat : et sic factum est*, additum est, *et fecit Deus.* An hinc apparet non oportere lucem illam intelligi corporalem, ne eam aliqua creatura interposita fecisse Deus videatur (Deum autem Trinitatem dico) : hoc vero firmamentum cœli, quia corporeum est, per incorpoream creaturam accepisse speciem formamque creditur, ut prius incorporeæ naturæ rationabiliter a veritate impressum sit quod corporaliter imprimeretur, ut cœli fieret firmamentum : et ideo positum est, *Et dixit Deus, Fiat; et sic factum*

[1] Ms. Vatic., *temporis tractibus. Non ipsam rationem operationum contemplatus est*, etc.

[1] Editi, *et objectio.* Sed melius Ms. Vatic., *et ob hoc.*
[2] Sic emendamus ad Ms. Vatic. Nam in editis legebatur, *naturæ in corpore cœli incorporei.*
[3] Ms. Vatic., *et firma.*

est; in ipsa rationali natura prius factum est[1] fortasse unde imprimeretur corpori species.

CAPUT IX. — Cum autem additum est, *Et fecit Deus firmamentum, et divisit inter aquam quæ erat sub firmamento, et aquam quæ erat supra firmamentum;* et ipsa cooperatio[2] in illa materia, ut corpus cœli fieret, significatur? An forte varietatis causa, ut textus sermonis in fastidium non veniret, supra non est positum quod infra positum est, et non oportet scrupulose omnia rimari[3]? Eligat quis quod potest: tantum ne aliquid temere atque incognitum pro cognito asserat; memineritque se hominem de divinis operibus quantum permittitur quærere.

31. *Et vocavit Deus firmamentum cœlum.* Quod de vocatione superius tractatum est, hic quoque considerari potest: non enim omne firmamentum cœlum est. *Et vidit Deus quod bonum est.* Et de hoc superius quod tractatum est, retractaretur, nisi quod non eumdem ordinem video. Nam superius, *Et vidit Deus lucem quia bona est;* et post deinde subjicitur, *Divisit Deus inter lucem et tenebras; et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem:* hic autem postquam factum enarratum est, quod factum dicebatur, et postea quam vocatum est firmamentum cœlum, tum dicitur, *Et vidit Deus quia bonum est.* Quod si non fastidii evitandi gratia ita variatum est, illud certe intelligere cogimur quod dictum est. *Et fecit Deus omnia simul.* Quare enim primo ibi vidit quia bonum est, et postea nomen imposuit; hic autem primo nomen imposuit, et postea vidit quia bonum est; nisi quia illa differentia significat morarum intervalla non esse in operatione Dei, quamvis in ipsis inveniantur operibus? Secundum autem morarum intervallum prius aliquid et postea efficitur, sine quibus narratio factorum esse non potest quamvis sine his Deus ista efficere potuerit. *Et facta est vespera, et factum est mane dies secundus.* Jam hinc superius tractatum est, et easdem rationes hic quoque valere arbitror.

CAPUT X. — 32. *Et dixit Deus, Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in congregationem unam, et appareat arida. Et sic factum est.* Hinc probabilius credi potest aquam dictam esse superius, sicut arbitrabamur, ipsam mundi materiam. Nam si universum aqua oppletum erat, unde vel quo potuit congregari? Si enim quamdam confusionem materialem aquæ nomine appellaverat, hæc congregatio accipienda est ipsa formatio, ut talis esset aquæ species, qualem nunc esse cernimus. Et ipsum, *appareat arida,* quod positum est, terræ formatio intelligi potest, ut hanc haberet speciem terra, quam cernimus. Invisibilis enim et incomposita dicta erat, cum adhuc materiæ species deesset. Dixit ergo Deus, *Congregetur aqua quæ sub cœlo est;* id est in formam redigatur materies corporalis, ut aqua ista sit, quam sentimus. *In congregationem unam:* vis ipsa formæ commendatur nomine unitatis. Hoc est enim vere formari, in unum aliquid redigi; quoniam summe unum est omnis formæ principium. *Et appareat arida:* id est, speciem visibilem accipiat, atque a confusione distinctam. Et bene aqua congregatur, ut appareat arida; id est, cohibetur quod fluitat mare, ut quod obscurum est illustretur. *Et sic factum est:* etiam hoc fortasse in rationibus intellectualis naturæ prius factum est, ut postea quod dicitur, *Et congregata est aqua in congregationem unam, et apparuit arida,* non superfluo additum videatur, cum jam dictum esset, *Et sic factum est;* sed ut post rationalem et incorpoream operationem intelligeremus etiam corporalem secutam.

33. *Et vocavit Deus aridam terram, et congregationem aquæ mare vocavit.* Adhuc nobiscum facit illa causa vocabulorum: non enim omnis aqua, mare; aut omne aridum, terra. Ergo quæ aqua esset, et quæ arida, vocabulis segregandum fuit. Ipsam autem distinctionem atque formationem fuisse vocationem Dei, non absurde adhuc intelligi potest. *Et vidit Deus quia bonum est.* Et hic ipse ordo servatus est: quare huic etiam illa quæ jam tractata sunt, conferantur.

CAPUT XI. — 34. *Et dixit Deus, Germinet terra herbam pabuli, ferentem semen secundum genus suum et similitudinem, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in se secundum suam similitudinem.* Postquam facta sunt terra et mare, et vocata et approbata, quod sæpe diximus non morarum intervallis accipiendum esse, ne ineffabilem operantis Dei facultatem tarditas aliqua consequatur; non statim, sicut duobus diebus præcedentibus, subjicitur, *Facta est vespera, et factum est mane dies tertius:* sed adjungitur alia operatio, *Ut germinet terra herbam pabuli ferentem semen secundum genus suum et similitudinem, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in se secundum suam similitudinem.* Quod de luce illa, et firmamento, et aquis, et arida dictum non est; non enim habet lux successionis propaginem, aut cœlum de alio cœlo nascitur, aut terra aut mare alia maria et alias terras gignunt, quæ succedant. Hic ergo dicendum fuit, *ferentem semen secundum genus suum et similitudinem, et cujus semen sit in se secundum suam similitudinem,* ubi similitudo nascentium prætereuntis similitudinem servat.

35. Hæc autem omnia ita supra terram sunt, ut ipsi terræ radicitus cohæreant, et ei continuentur, et rursum quodammodo separentur: propterea hujus naturæ significationem in ista narratione servatam arbitror; quia et eodem die facta sunt, quo terra apparuit: et tamen iterum dixit Deus, ut terra germinaret; et iterum dictum est, *Et sic factum est;* deinde secundum superiorem regulam, postquam dictum est, *Et sic factum est,* subjungitur ipsa exsecutio, *Et dedit terra herbam pabuli, ferentem semen secundum genus suum; et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen in se secundum suam similitudinem.* Et iterum dicit, *Vidit Deus quia bonum est.* Itaque et uno die ista junguntur, et iteratis Dei verbis distinguuntur ab invicem. Quod de terra et mari propterea puto non esse factum, quia magis harum rerum est discernenda natura, quæ

[1] Sic in Ms. Vatic. Editi, *facta est.*

[2] Sic Am. ad marginem. In textu autem cum aliis editionibus habet, *corporatio.* Ms. Vatic., *operatio.*

[3] Ms. Vatic., *numerare:* nec minus apte.

cum oriantur et occidant, seminis successione propagantur. An quia terra et mare simul fieri potuerint, non solum in rationibus creaturæ spiritualis, ubi simul omnia facta sunt, sed etiam in ipsa corporali motione; arbores vero et quæque stirpes nasci non possent, nisi terra in qua germinarent, præcessisset : propterea et repetendum erat jussum Dei, ut facta significarentur distantia, tamen non alio die facienda, propter quod radicibus terræ affiguntur et continuantur? Sed quæri potest cur istis Deus non imposuerit nomina : an prætermissum est, quia multitudo eorum non sinebat? Verum hæc quæstio melius postea considerabitur, cum animadvertemus alia quæ non vocavit Deus, sicut vocavit lucem, et cœlum, et terram, et mare. *Et factum est vespera, et factum est mane dies tertius.*

CAPUT XII. — 36. *Et dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cœli, ut luceant super terram, et dividant inter diem et noctem; et sint in signis et temporibus, et in diebus, et annis; et sint in splendorem in firmamento cœli, ut luceant super terram.* Quarto die luminaria facta sunt, de quibus dicitur, *et sint in diebus:* quid ergo volunt tres dies transacti sine luminaribus? aut cur ista erunt in diebus, si etiam sine istis dies esse potuerunt? An quia evidentius productio illa temporis et morarum intervallum motu istorum luminarium distingui ab hominibus potest? An ista dierum et noctium enumeratio ad distinctionem valet inter illam naturam quæ facta non est, et eas quæ factæ sunt : ut *mane* nominaretur propter earum speciem factarum; *vespera* vero propter privationem? Quia quantum attinet ad illum a quo facta sunt, speciosa atque formosa sunt : quantum autem in ipsis est, possunt deficere, quia de nihilo facta sunt; et in quantum non deficiunt, non est eorum materiæ, quæ ex nihilo est, sed ejus qui summe est, et illa facit esse in genere et ordine suo.

37. *Et dixit Deus, Fiant in firmamento cœli luminaria ut luceant:* utrum de fixis tantum dictum est sideribus, an etiam de vagis? Sed duo luminaria majus et minus inter vaga sidera numerantur : quomodo ergo in firmamento facta sunt omnia, cum singulos suos vel globos vel circulos vaga singula quæque possideant? An quoniam in Scripturis et cœlos multos legimus et cœlum, sicuti in hoc loco cum dicitur firmamentum cœlum [1], intelligendum est omnem istam æthercam machinam dici quæ omnia sidera continet [2]; sub qua puri et tranquilli aeris serenitas viget, sub qua item iste aer turbulentus et procellosus agitatur? *Ut luceant super terram, et dividant inter diem et noctem.* Nonne jam Deus diviserat inter lucem et tenebras, et vocaverat lucem diem, et tenebras vocaverat noctem? ex quo apparet eum inter diem et noctem divisisse : quid sibi nunc vult quod dicitur de luminaribus, *et dividant inter diem et noctem?* An ita nunc fit ista divisio per luminaria, ut hominibus nota sit etiam solis carnalibus oculis ad rerum istarum contemplationem utentibus; ita vero Deus eam fecit ante circuitum luminarium, ut videri nisi a paucis sano spiritu et serena ratione non possit? An inter alium diem et aliam noctem divisit Deus, id est inter speciem quam imprimebat illi informitati, et informitatem quæ adhuc formanda restabat; alius vero est iste dies et alia nox, quorum volvente cœlo vicissitudo animadvertitur, quæ fieri non posset nisi solis ortu et occasu?

CAPUT XIII. — 38. *Et sint in signis et temporibus, et in diebus, et in annis.* Videtur mihi hoc quod dixit, *in signis,* planum fecisse illud quod dixit, *et in temporibus;* ne aliud acciperentur signa, et aliud tempora. Hæc enim nunc dixit tempora, quæ intervallorum distinctione æternitatem incommutabilem supra se manere significant, ut signum, id est quasi vestigium æternitatis tempus appareat. Item cum adjungit, *et in diebus, et in annis,* ostendit quæ dixerit tempora, ut dies fiant conversione fixorum siderum; anni vero manifesti, cum sol signiferum circulum peragit; obscuriores autem cum id unumquodque vagorum siderum in suis orbibus facit. Non enim dixit, Et mensibus, quia fortasse mensis annus est lunæ; sicut duodecim lunæ anni, annus est ejus sideris quod Φαέθοντα Græci vocant, et triginta solis anni annus est ejus sideris quod Φαίνων dicitur. Et fortasse ita cum omnia sidera ad idem redierint, annus magnus peragitur, de quo multi multa dixerunt. An *in signis* dixit, quibus certum iter significatur navigandi : *in temporibus* autem, velut est vernum tempus, et æstas, et autumnus, et hiems; quia et ista circumactu siderum variantur, suasque vices atque ordinem servant : *in diebus* autem *et in annis,* sicut expositum jam est, accipiendum?

39. *Et sint in splendorem in firmamento cœli ut luceant super terram.* Supra jam dictum erat, *Fiant luminaria in firmamento cœli, ut luceant super terram;* cur putamus esse repetitum? An quemadmodum dictum est de stirpibus, ut ferant semen, et sit in eis semen, secundum genus suum et similitudinem; ita hic e contrario dictum est de luminaribus, *Fiant* et *sint,* id est fiant et non gignant, sed ipsa sint. *Et sic factum est.* Ordo ille servatur.

40. *Et fecit Deus duo luminaria; luminare majus initium diei, et luminare minus initium noctis, et stellas.* Quid dicat initium diei, et initium noctis, mox apparebit. *Et stellas* vero quod addidit, utrum pertineant ad initium noctis annon, ambiguum est. Quidam autem volunt hic significari lunam plenam esse primitus factam, quod plena luna initio noctis assurgit, id est mox post solis occasum. Sed illud absurdum est, ut non a prima, sed a sexta decima vel quinta decima numerandi sumamus exordium. Nec illud moveat, quod perfectum fieri debuerit luminare quod factum est. Omni enim die perfecta est; sed ejus perfectio ab hominibus non videtur, nisi cum ex contraria parte soli opposita fuerit. Nam etiam cum illo constituta, quoniam sub illo est, videtur finiri : sed etiam tunc plena est; quia ex alia parte illustratur, nec videri potest ab iis qui subter sunt, id est terram incolunt. Quod non paucis verbis,

[1] Ms. Vatic., *cœlum et firmamentum.*
[2] Sic in Ms. Vatic. At in editis, *substantia continet.*

sed subtilibus dissertationibus et quarumdam figurarum visibilium demonstratione doceri potest.

41. *Et posuit illa Deus in firmamento cœli, ut luceant super terram.* Quomodo dixit, *Fiant in firmamento;* et quomodo nunc dicit, *Fecit Deus luminaria, et posuit in firmamento;* quasi extra sint facta, et post ibi posita, cum jam dictum sit ut ibi fierent? An hinc etiam atque etiam significatur, non ita Deum fecisse ut homines solent, sed ita narratum ut hominibus potuit: scilicet ut apud homines aliud sit, fecit; aliud, posuit: apud Deum autem utrumque idem sit, qui faciendo ponit, et ponendo facit?

42. *Et præsint diei ac nocti, et dividant inter diem et noctem.* Dictum erat *initium diei*, et *initium noctis*, quod hic exponit dicendo, *præsint diei et nocti.* Ergo initium illud, principatum intelligere debemus, quia et in die nihil est inter illa quæ videntur sole excellentius, et in nocte nihil luna vel stellis. Unde etiam illa ambiguitas jam non moveat, et credamus stellas sic positas, ut ad initium noctis, id est principatum pertineant. *Et vidit Deus quia bonum est.* Idem ordo servatur. Meminerimus sane quod etiam ista Deus non vocaverit, cum dici potuerit. Et vocavit Deus luminaria sidera; quia non omne luminare sidus est.

43. *Et facta est vespera, et factum est mane dies quartus.* Si dies istos consideres, quos ortus solis occasusque distinguit, non iste quartus, sed fortasse primus est dies; ut eo tempore putemus ortum esse solem, quo factus est, et donec cætera sidera fierent, occidisse. Sed qui intelligit et solem alibi esse, cum apud nos nox est, et noctem alibi esse, cum sol apud nos est, dierum istorum enumerationem sublimius indagabit.

CAPUT XIV. — 44. *Et dixit Deus, Ejiciant aquæ reptilia animarum vivarum, et volatilia volantia super terram sub firmamento cœli. Et sic factum est.* Ea quæ natantia sunt animalia, reptilia sunt appellata; quia pedibus non ambulant. An quia sunt alia quæ sub aqua in terra repunt? An sunt pennata in aquis, sicut pisces qui squamas habent, vel alii qui non habent, sed tamen pennis nituntur? Qui utrum inter volatilia hoc loco numerandi sint, dubitari potest. Nam et ipsa volatilia cur aquis tribuerit, non aeri, nonnulla quæstio est. Non enim has aves tantum hic accipere possumus, quibus aquæ familiares sunt, quales mergi, et anates, et quæcumque hujusmodi. Nam si de his tantum dixisset, non prætermitteret alio loco de aliis avibus dicere, inter quas nonnullæ usque adeo ab aquis remotæ sunt, ut ne bibant quidem. Nisi forte istum aerem terris contiguum, quoniam se humidum etiam serenissimis noctibus rore testatur, aquam vocavit, quia et in nubem cogitur. Nubes autem aqua est, quod omnes sentiunt quibus contingit in montibus inter nubila, vel etiam in campis inter nebulas ambulare. In hoc quippe aere volare aves dicuntur. Nam in illo sublimiore atque puriore, qui vere aer ab omnibus appellatus est, nequeunt: non enim earum pondus tenuitate sua sustinet. In illo autem neque nubes concrescere asseruntur, neque aliquid procellosum existere: quippe ubi ventus adeo nullus est, ut in vertice Olympi montis, qui spatia hujus humidi aeris excedere dicitur, quædam litteræ in pulvere solere fieri perhibeantur, et post annum integræ atque illæsæ inveniri ab iis qui solemniter memoratum montem ascendebant.

45. Quapropter non absurde existimari potest firmamentum cœli in divinis Scripturis usque ad hæc spatia vocari, ut et ille aer tranquillissimus et sincerissimus ad firmamentum pertinere credatur. Hoc enim nomine firmamenti, ipsa tranquillitas et magna pars rerum significari potest. Unde etiam illud dici pluribus in Psalmis existimo: *Et veritas tua usque ad nubes* (*Psal.* xxxv, 6; *et* lvi, 11). Nihil est enim firmius et serenius veritate. Nubes autem sub ista sincerissimi aeris regione concrescunt. Quod quanquam figurate dictum accipiatur, ex his tamen rebus scriptum est, quæ habent ad hæc quamdam similitudinem; ut corporea creatura constantior et purior, quæ a summitate cœli usque ad nubes est, veritatis figuram recte habere videatur, id est usque ad aerem caliginosum et procellosum et humidum. Ergo volatilia volantia super terram sub firmamento cœli, convenienter sunt aquis attributa; quia non inconvenienter aer iste aqua nominatur. Hinc etiam intelligi datur de aere nihil dictum esse, quomodo vel quando sit factus, quia iste aer nomine aquarum tenetur, ille autem nomine firmamenti; atque ita nullum elementum prætermissum est.

46. Sed fortasse quis dicat, Si eo quod dictum est, *Congregetur aqua*, intelligimus aquam esse factam ex illa confusione materiæ, hanc autem congregationem mare appellavit Deus; quomodo ibi possumus hunc aerem intelligere factum, quod mare non dicitur, etiam si aqua dici potest? Quamobrem mihi videtur in eo quod dictum est, *appareat arida*, non solum speciem terræ, sed etiam hujus aeris crassioris esse insinuatam. Per hunc enim terra illuminatur, ut perspicua nobis sit. In uno ergo verbo, quo dictum est, *appareat*, intimata sunt omnia sine quibus apparere non posset; id est et species ejus, et nudatio ab aquis, et aeris superfusio, per quem in ea lumen a superiore mundi parte transmittitur. An potius in eo quod scriptum est, *Congregetur aqua*, species hujus aeris commendatur, quia cum iste aer condensatur, hanc aquam videtur efficere? Coactionem itaque in densitatem, congregationem aquæ fortasse appellavit, ut mare fieret; ut id quod non congregatum, id est non spissatum superfertur, aqua sit, quæ aves volantes possit sustinere, utrique nomini accommodata, ut vocari possit et aqua subtilior, et aer crassior. Sed quando quæritur cur sit iste factus, non dicitur. An forte verum est, quod quidam volunt, humidis exhalationibus maris et terræ has auras effici ita crassiores aere illo superiore ac liquido, ut gestandis volatibus avium sint accommodatæ; ita porro teneriores iis aquis, quibus corpus abluitur, ut earum comparatione siccæ atque aeriæ sentiantur? Et quia de terra et mari jam dictum erat, quid opus erat dicere de exhalationibus earum, id est aquis avium, cum illum aerem purissimum et tranquillissimum fir-

mamento attributum intellexeris

47. Nam neque de fontibus et fluminibus dictum est quomodo facta sint. Qui enim scrupulosius ista quærunt et disserunt, æthereo superlapsu de mari dulcem invisibiliter dicunt extrahi vaporem, his videlicet ascensionibus quas nullo modo sentire possumus : inde conglobari nubes; atque ita terram imbribus madefactam antris occultioribus instillare atque insudare tantum, quantum coactum et per diversos tramites lapsum erumpat in fontes, sive parvos, sive gignendis fluminibus idoneos. Cujus rei documenta esse volunt, quod marinarum aquarum decoctarum vapor sinuato cooperculo exceptus, humorem dulcem gustantibus exhibet. Et omnibus fere manifestum est diminutos fontes inopiam sentire pluviarum. Attestatur et divina historia, cum Elias tempore ariditatis imbrem posceret : jussit enim, cum ipse oraret, ut puer suus ad mare attenderet; unde cum videret oriri perparvam nubeculam, pluviam Regi [1] sollicito adesse nuntiavit, qua mox etiam fugiens irrigatus est (III *Reg.* XVIII, 43, 44). Et David dicit : *Domine, qui advocas aquam maris, et effundis eam super faciem terræ* (*Ex Amos* V, 8, *et* IX, 6). Quapropter mari nominato, de aliis aquis superflue diceret, sive istis roriferis, quæ tenuitate auras volantibus avibus præbent, sive fontium ac fluminum ; si et illæ exhalationibus fiunt, et istæ reciprocis imbribus, quos terra sorbet, emanant.

CAPUT XV. — 48. *Ejiciant aquæ reptilia animarum vivarum.* Cur additum est *vivarum?* An possunt esse animæ, nisi vivant? An istam manifestiorem vitam commendare voluit, quæ inest animalibus sentientibus, quoniam stirpes [2] ea carent? *Et volatilia volantia super terram sub firmamento cœli.* Si volatilia non volant in illo purissimo aere, ubi nulla nubila oriuntur, hinc manifestum est ad firmamentum eum pertinere ; quia sub firmamento cœli dictum est volatilia volare super terram. *Et sic factum est.* Ordo ille servatur. Ideoque subjungitur sicut in cæteris, excepta luce, quæ prior facta est.

49. *Et fecit Deus cetos magnos, et omnem animam animalium repentium, quæ ejecerunt aquæ secundum genus eorum, et omne volatile pennatum secundum genus suum.* Meminerimus sane secundum suum genus, de iis creaturis dici, quæ seminali propagine reparantur : nam de herbis jam hoc, et de arboribus dictum est. *Et omne volatile pennatum.* Cur additum est *pennatum?* An potest esse volatile quod pennas non habeat? sed si potest, numquid hoc genus fecit Deus ; quandoquidem non invenitur ubi sit factum? an omnino potest quidquam volare sine pennis? Nam et vespertiliones, et locustæ, et muscæ, et si quid hujusmodi est quod plumis careat, pennis non caret. Sed *pennatum* additum est, ne solas aves intelligeremus; quoniam pisces pennati sunt, et super terram volant infra aquas : ideo non dictum est, aves ; sed, volantia generaliter et *volatile pennatum. Et vidit Deus quia bonum est.* Et hic sicut in cæteris locis intelligendum.

50. *Et benedixit ea, dicens : Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris ; et volatilia multiplicentur super terram.* Benedictionem ad fecunditatem valere voluit, quæ in successione prolis apparet, ut ea benedictione, quia infirma et mortalia creata sunt, genus suum nascendo custodiant. Sed cum etiam stirpes nascendo teneant similitudinem prætereuntium, cur eas non benedixit? An quia sensu carent, qui rationi vicinus est? Non enim vacat fortasse, quod secunda persona utitur Deus in benedicendo, ut hæc animantia compellet quodammodo tanquam audientia dicendo, *Crescite, et multiplicamini, et implete aquas maris ;* nec tamen in eadem persona usque ad finem benedictionis venitur : sequitur enim, *Et volatilia multiplicentur super terram ;* non dixit, Multiplicamini super terram. Nisi forte hoc ipso significatur sensum animantium non adeo vicinum esse rationi, ut perfecte possit accipere compellantem, sicut quæ intelligunt, atque uti ratione possunt.

51. *Et factum est sic.* Hic plane quivis tardus jam evigilare debet, ut intelligat quales isti dies enumerentur. Cum enim certos seminum numeros Deus animantibus dederit, servantes miram certo ordine [1] constantiam, ut certo dierum numero, pro suo quoque genere, et concepta utero gerant, et edita ova calefaciant; cujus naturæ institutio Dei sapientia conservatur, quæ tendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1) : quomodo uno die potuerunt et concipere, et utero gravescere, et parta vaporare [2] atque nutrire, et implere aquas maris, et multiplicari super terram? Ita enim subjungitur, *Et sic factum est;* ante vesperæ adventum. Sed nimirum cum dicit, *Facta est vespera ;* materiam informem commemorat : cum autem dicit, *Factum est mane ;* speciem, quæ ipsa operatione impressa est materiæ : mane [3] enim post operationem transactum diem concludit. Non tamen dixit Deus, Fiat vespera, vel, fiat mane : commemoratio est enim rerum factarum brevissima, significatis per vesperam et mane materia et specie, quæ utique Deum fecisse jam dictum erat : cum ipsum defectum tamen, id est cum de specie ad materiam et ad nihilum tenditur, si hoc noctis nomine recte insinuatum putamus, non dixerit factum, sed tamen ordinatum a Deo, cum ait superius, *Divisit Deus inter lucem et tenebras :* ut vesperæ vocabulo significetur informis materia, quæ quamvis ex nihilo facta est, est [4] tamen et habet capacitatem specierum atque formarum. Accipi etiam potest tenebrarum nomine ipsum omnino nihilum, quod non fecit Deus, et unde fecit quæcumque facere pro sua ineffabili bonitate dignatus est, cum sit omnipotens, qui etiam de nihilo tanta fecit.

52. *Et facta est vespera, et factum est mane dies*

[1] Sic Ms. Vatic. At editi, *ei sollicito.*
[2] Sic Ms. Vatic. At editi, *stipites.*

[1] Ms. Vatic., *certa ordinatione.*
[2] Editi, *fovere.* Mss. *vaporare,* id est calefacere, ut apud Ambr., lib. 4 Hex., capp. 3 et 5.
[3] Ms. Vatic., *ita enim,* omissa voce, *mane.*
[4] Ms. Vatic., *facta est tamen ;* nec habetur secundo, *est.*

quintus. Hic postquam dixit, *Et sic factum est*, non subdidit sicuti solet executionem, quasi iterum facta sint; jam enim superius dictum erat. Nec ea benedictione, quæ ad gignendam prolem pertinet, aliqua nova natura fabricabatur; sed quæ facta erant per successionem, conservabantur. Et ideo nec illud dictum est, Et vidit Deus quia bonum est : jam enim res ipsa placuerat, quæ tantum servanda erat in fetibus. Nihil hic itaque repetitum est, nisi quod ait, *Et factum est sic;* statimque subjectum de vespera et mane : quibus nominatis, transacta opera de informi materia et specie quæ imponitur, significari dictum est. Nisi forte aliquid melius atque sublimius occurrit quærentibus.

53. *Et dixit Deus*, *Ejiciat terra animam vivam secundum suum genus; quadrupedum*, *et serpentium*, *et bestiarum terræ secundum genus*, *et pecora secundum genus. Et factum est sic.* Cum dictum fuerit *animam*, cur additum sit *vivam ;* et quid sit *secundum genus ;* et de solita conclusione qua dicitur, *et factum est sic*, sicut superius tractatum est, consideranda et accipienda sunt. Cum autem in latina lingua nomine bestiarum omne irrationale animal generaliter significetur; hic tamen distinguendæ sunt species, ut quadrupedes accipiamus omnia jumenta; serpentes, omnia repentia; bestias vel feras, omnia quadrupedia indomita; pecora vero, quadrupedia quæ non operando adjuvant, sed dant aliquem fructum pascentibus.

CAPUT XVI. — 54. *Et fecit Deus bestias terræ secundum genus*, *et pecora secundum genus*, *et omnia serpentia terræ secundum genus.* Hæc iteratio quod dictum est, *Et fecit Deus*, cum jam dictum esset, *Et factum est sic;* secundum superiorem regulam consideretur. Sane hic pecorum nomine omnia puto significata esse quadrupedia quæ sub cura hominum vivunt. *Et vidit Deus quia bonum est :* solite accipiendum.

55. *Et dixit Deus*, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Et hic animadvertenda quædam et conjunctio, et discretio animantium. Nam eodem die factum hominem dicit, quo bestias. Sunt enim simul omnia terrena animantia; et tamen propter excellentiam rationis, secundum quam ad imaginem Dei et similitudinem efficitur homo, separatim de illo dicitur, postquam de cæteris terrenis animantibus solite conclusum est, dicendo, *Et vidit Deus quia bonum est.*

56. Considerandum etiam illud, quod in cæteris non dixit Deus, *Faciamus;* ut hoc quoque modo voluerit Spiritus sanctus humanæ naturæ insinuare præstantiam. Cui autem nunc dictum est, *Faciamus*, nisi cui dicebatur in cæteris, *Fiat?* Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3). Sed quid putamus aliter dictum esse, *Fiat*, nisi ut ipse faceret jussu Patris; et aliter, *Faciamus*, nisi ut ambo pariter facerent? An omnia quæ facit Pater, per Filium facit, et ideo nunc *Faciamus* dictum est, ut ipsi homini, propter quem Scriptura ipsa facta est, ita in seipso demonstraretur ea quæ Filius dicente Patre facit, etiam ipsum Patrem facere; ut quod in cæteris dicebatur, *Fiat, et factum est*, hic exponatur, non separatim fuisse dictionem et separatim effectionem, sed utrumque simul, cum hic dicitur, *Faciamus ?*

57. *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Omnis imago similis est ei cujus imago est; nec tamen omne quod simile est alicui, etiam imago est ejus : sicut in speculo et pictura, quia imagines sunt, etiam similes sunt; tamen si alter ex altero natus non est, nullus eorum imago alterius dici potest. Imago enim tunc est, cum de aliquo exprimitur. Cur ergo, cum dictum esset, *ad imaginem*, additum est, *et similitudinem;* quasi possit esse imago dissimilis? Sufficeret ergo *ad imaginem* dicere. An aliud est simile, aliud similitudo; sicut aliud est castus, aliud castitas; aliud fortis, aliud fortitudo : ut quemadmodum quæcumque sunt fortia, fortitudine sunt fortia; et quæcumque sunt casta, castitate sunt casta : ita quæcumque sunt similia, similitudine sint similia? Non autem imago nostra satis proprie dicitur similitudo nostra esse, cum tamen proprie dicatur similis nobis esse : ut ibi sit ea similitudo, qua similia sunt quæcumque similia, ubi est et castitas, qua casta sunt quæcumque sunt casta. Castitas autem nullius participatione casta est, sed ejus participatione sunt casta quæcumque casta sunt. Quæ utique in Deo est, ubi est etiam illa sapientia, quæ non participando sapiens est, sed cujus participatione sapiens est anima quæcumque sapiens est. Quapropter etiam similitudo Dei, per quam facta sunt omnia, proprie dicitur similitudo; quia non participatione alicujus similitudinis similis est, sed ipsa est prima similitudo, cujus participatione similia sunt, quæcumque per illam fecit Deus.

58. Expositio ergo fortasse est, quod additum est *ad similitudinem*, cum jam dictum esset, *ad imaginem;* ut ostenderetur eam quæ imago dicta est, non ita similem esse Deo, quasi alicujus similitudinis participantem, sed hanc ipsam esse similitudinem, cujus participarent omnia quæ dicuntur esse similia. Sicut ipsa est et castitas, cujus participatione castæ sunt animæ; et sapientia, cujus participatione sapientes sunt animæ; et pulchritudo, cujus participatione pulchra sunt quæcumque pulchra sunt. Si enim tantum similitudinem diceret, non significaret ab ipso esse genitam : si autem tantummodo imaginem diceret, significaret ab ipso quidem genitam, sed non significaret ita similem, ut non tantum similis, sed ipsa similitudo esset. Ut autem nihil castius ipsa castitate, et nihil sapientius ipsa sapientia, et nihil pulchrius ipsa pulchritudine; ita nihil similius ipsa similitudine dici, aut cogitari, aut esse omnino potest. Unde intelligitur ita Patri esse similem similitudinem suam, ut ejus naturam plenissime perfectissimeque impleat.

59. Quantum autem ad speciem rebus imponendam valeat Dei similitudo, per quam facta sunt omnia, quanquam humanas cogitationes altissime superet,

licet tamen utcumque arbitrari; si consideremus omnem naturam, sive quæ sentientibus, sive quæ ratiocinantibus occurrit, similibus inter se partibus servare unitatis [1] effigiem. Nam ex sapientia Dei sapientes vocantur animæ rationales, et ulterius hoc nomen non porrigitur : nam neque ulla pecora, et multo minus arbores, aut ignem, vel aerem, vel aquam, vel terram sapientem possumus dicere, quanquam per ipsam Dei sapientiam sint etiam omnia hæc in quantum sunt. At vero similes inter se et lapides dicimus, et animalia, et homines, et Angelos. Jam vero in singulis rebus, et terram, eo quod similes inter se habeat partes suas, fieri ut terra sit; et aquam qualibet quoque parte similem esse cæteris partibus, nec aliter aquam esse potuisse; et quantumlibet aeris, si cætero esset dissimile, nullo pacto aerem esse potuisse; et ignis lucisve particulam, eo quod non sit dissimilis reliquis partibus, fieri ut sit quod est [2] : ita de unoquoque lapidum vel arborum vel corpore cujuslibet animantis discerni et intelligi potest, quod non solum cum aliis sui generis rebus, sed in seipsis singulis non essent, nisi partes inter se similes haberent. Et tanto est pulchrius corpus, quanto similioribus inter se partibus suis constat. Jam porro animarum, non solum aliarum cum aliis amicitia similibus [3] moribus conflt; sed etiam in unaquaque anima similes actiones atque virtutes, sine quibus constantia esse non potest, beatam vitam indicant. Similia vero omnia hæc, non autem ipsam similitudinem possumus dicere. Quapropter, si rebus inter se similibus universitas constat, ut singulæ sint quidquid sunt, et omnes ipsam universitatem compleant, quam Deus et condidit et gubernat; per similitudinem ejus profecto, qui condidit omnia, supereminentem atque incommutabilem et incontaminabilem [4] talia facta sunt, ut similibus inter se partibus pulchra sint, ad ipsam tamen similitudinem omnia non facta sint, sed sola substantia rationalis : quare omnia per ipsam, sed ad ipsam non nisi anima [5].

60. Rationalis itaque substantia et per ipsam facta est, et ad ipsam : non enim est ulla natura interposita. Quandoquidem mens humana (quod non sentit, nisi cum purissima et beatissima est) nulli cohæret nisi ipsi veritati, quæ similitudo et imago Patris et sapientia dicitur. Recte igitur secundum hoc quod interius et principale hominis est, id est secundum mentem, accipitur, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Ex illo enim quod in homine principatum tenet, quod eum disjungit a belluis, totus est homo æstimandus. Cætera in eo quanquam in suo genere pulchra sint, tamen cum pecoribus communia sunt, ac per hoc in homine parvipendenda. Nisi forte quod ad intuendum cœlum figura humani corporis erecta est, valet aliquid etiam ut corpus ipsum ad similitudinem Dei factum credatur; ut quemadmodum a Patre illa similitudo non avertitur, ita corpus humanum a cœlo non sit aversum, sicut aliorum corpora animalium aversa sunt, quia prona in alvum prosternuntur. Sed tamen hoc non omni modo accipiendum est : nam corpus nostrum a cœlo plurimum differt; in illa vero similitudine, quæ Filius est, non potest quidquam esse dissimile illi cui similis est. Quoniam similia quæcumque alia sunt, inter se etiam dissimilia ex aliqua parte sunt : ipsa vero similitudo non est aliqua ex parte dissimilis. Pater tamen Pater est, nec Filius aliud est quam Filius : quia et cum dicitur similitudo Patris, quanquam ostendat nullam intervenire dissimilitudinem, non tamen solus est Pater, si habet [1] similitudinem (*a*).

61. *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Satis quidem quæ superius dicta sunt, secundum id exponunt hæc verba Scripturæ, in quibus legimus dixisse Deum, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, ut similitudo Dei ad quam factus est homo, ipsum Dei Verbum, hoc est unigenitus Filius accipi possit : non utique ut ipse sit eadem imago et similitudo æqualis Patri. Est tamen et homo imago Dei, sicut apertissime ostendit Apostolus dicens : *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei* (I *Cor.* XI, 7). Sed hæc imago ad imaginem Dei facta, non est æqualis et coæterna illi cujus imago est; nec esset, etiamsi nunquam omnino peccasset. Ille autem sensus est potius in his divinis verbis eligendus, ut ideo non dictum intelligamus singulariter, sed pluraliter, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* quia non ad solius Patris, aut solius Filii, aut solius Spiritus sancti, sed ad ipsius Trinitatis imaginem factus est homo. Quæ Trinitas ita est Trinitas, ut unus Deus sit; ita est unus Deus, ut Trinitas sit. Non enim ait Filio loquens, Faciamus hominem ad imaginem tuam; aut, ad imaginem meam : sed pluraliter ait, *ad imaginem et similitudinem nostram :* a qua pluralitate Spiritum sanctum separare quis audeat? Quæ pluralitas, quoniam non tres dii, sed unus est Deus, ideo intelligendum est postea Scripturam singulariter intulisse, atque dixisse, *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei;* ut non sic accipiatur, tanquam Deus Pater ad imaginem Dei, hoc est Filii sui : alioquin quomodo verum est, quod dictum est, *ad imaginem nostram*, si ad Filii solius imaginem factus est homo? Ac per hoc quia verum est quod ait Deus, *ad imaginem nostram;* ita dictum est, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei*, tanquam diceretur ad imaginem suam, quod est ipsa Trinitas.

62. Nonnulli autem putant ideo non repetitam similitudinem, neque dictum, Et fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem Dei, quia tunc tantummodo ad imaginem factus est; similitudo autem illi

[1] Ms. Vatic., *universitatis.*
[2] Editi, *quod non est.* Abest *non* a Ms. Vatic.
[3] Ms. Vatic., *quæ similibus.*
[4] Sic Ms. Vatic. At excusi habent : *Qua condidit omnia supereminenter, atque incommutabiliter, et incontaminabiliter.*
[5] Ms. Vatic., *sed ad ipsam non omnia.*

[1] Editi, *sed habet.* At Ms. Vatic aliique in 1 Retract., cap 18, *si habet.*

(*a*) Reliquum adjecit Augustinus multis post annis, cum Retractationum libros ederet, ex I Retract., cap. 18.

postea servabatur in resurrectione mortuorum : quasi possit esse imago aliqua, in qua similitudo non sit. Si enim omnino similis non est, procul dubio nec imago est. Verumtamen ut non sola ratione id agere videamur, et auctoritas Jacobi apostoli adhibenda est, qui cum de lingua hominis loqueretur, ait : *In ipsa benedicimus Deum, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt* (*Jacobi* III, 9).

ADMONITIO
IN SUBSEQUENTES LIBROS.

Ecce jàm tertiam in Genesim, vel quartam expositionem Augustini. Huic tractando sive tuendo contra Manichæos libro, recenti adhuc tempore conversionis suæ manum admoverat : sed in difficilioribus quibusque locis allegoricum sensum subjecisse contentus, prætermiserat litteralem; quem postea presbyter perscrutari aggressus, cum vires suas huic labori impares comperisset, opus imperfectum reliquit. Hinc sub annum quadringentesimum idem argumentum tractandum recepit episcopus : prius quidem secundum allegoriam in postremis tribus Confessionum libris; deinde vero ad litteram hoc in opere, deque ea re subsequentes duodecim libros confecit.

In iis historiam Geneseos ab exordio ad eum usque versiculum quo Adamus de Paradiso dimissus fuit, enarrans, non præterit ullum apicem, nihil quod non omni ratione verset penitiusque rimetur, nisi quod mysteria figurarum involucris obtecta explicare nequaquam studet : quippe qui nunc operæ pretium in eo totum reponat, uti demonstret nihil Genesis historia contineri, quod ad litteram verum esse non possit, nihil quod rationi aut naturæ rerum adversetur; ac si quid veluti superfluum et incongruum appareat, id mysticum credi oportere altiusque referri. Quædam autem obiter in libro secundo, adversus Genethliacos; in libro quarto, de senarii numeri perfectione; in libro quinto, de scientia et providentia Dei; in libro sexto, de Adami corpore; in libro septimo, de anima, de qua rursum in libro decimo. Tum de casu angelorum, in libro undecimo; de Paradiso et de multiplici visionum genere in libro duodecimo, deque aliis rebus passim agit, ea quæ certa sunt asserens et defendens, de incertis quæstiones et dubia movens. Opus impendio laudat Cassiodorus senator, in libro primo Institutionum, capite primo; Basiliique et Ambrosii in Genesim commentariis longe sublimius ducit.

Hisce libris in Retractationibus post opuscula quædam sub annum quadringentesimum elaborata locum dedit Augustinus, ordine, ut ait, quo eos cœpit, non quo perfecit. Nam illos quamvis efflagitarent amici, diu tamen apud se retinuit, ut ad limam identidem revocaret, ex epistola centesima quadragesima tertia, ad Marcellinum, versus finem anni quadringentesimi duodecimi data. Duodecimum librum citat in epistola centesima quinquagesima nona, ad Evodium, quam anno circiter quadringentesimo decimo quarto adscripsimus, ibique se totius operis emendationem, quo illud quam primum publici juris faciat, maturare significat : nondum tamen ediderat cum alteram ad Evodium, scilicet epistolam centesimam sexagesimam secundam scripsit, uti testatur numero secundo.

Vide lib. 2, *cap.* 24, Retractationum, *col.* 640, *a verbis,* Per idem tempus de Genesi, *usque ad verba,* Bipartita est. M.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE GENESI AD LITTERAM
LIBRI DUODECIM [a].

LIBER PRIMUS.

Expenditur initium Geneseos, cap. 1, vers. 1 : *In principio fecit Deus cœlum et terram :* usque ad vers. 5 : *Et vocavit Deus lucem diem*, etc.

CAPUT PRIMUM. — *In Scriptura quid considerandum.*

1. Omnis divina Scriptura bipartita est, secundum id quod Dominus significavit, dicens, scribam eruditum in regno Dei similem esse patrifamilias proferenti

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Hos libros cum viginti sex Mss. contulimus, scilicet cum Vaticanis tribus, PP. Augustinianorum majoris conventus Parisiensis duobus, Navarrici Collegii et Thuaneæ bibliothecæ totidem, cum uno e bibliotheca Laudunensis Ecclesiæ, uno Abbatiæ S. Martini de Campis apud Parisios, cum Sorbonico, Colbertino, Bigotiano, Cisterciensi, Albinensi, Audoenensi, Culturensi, Gemmeticensi, Germanensi, Lyrensi, Michaelino, Remigiano, Theodericensi, Vindocinensi, et uno Abbatiæ B. Mariæ de Josaphat Carnutensis. Consuluimus insuper variantes lectiones Belgicorum sex codicum per Lovanienses Theologos excerptas : necnon antiquiores editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus prætcrea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

(a) Inchoati circiter annum 401, absoluti sub annum 415.

de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* XIII, 52), quæ duo etiam Testamenta dicuntur. In Libris autem omnibus sanctis intueri oportet quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuntientur, quæ agenda præcipiantur vel moneantur. In narratione ergo rerum factarum quæritur utrum omnia secundum figuratum [1] tantummodo intellectum accipiantur, an etiam secundum fidem rerum gestarum asserenda et defendenda sint. Nam non esse accipienda figuraliter, nullus christianus dicere audebit, attendens Apostolum dicentem, *Omnia autem hæc in figura contingebant illis* (I *Cor.* X, 11) : et illud quod in Genesi scriptum est, *Et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24), magnum sacramentum commendantem in Christo et in Ecclesia (*Ephes.* V, 32).

2. Si ergo utroque modo illa Scriptura scrutanda est, quæramus quomodo dictum est præter allegoricam significationem, *In principio fecit Deus cœlum et terram :* utrum in principio temporis; an quia primo omnium facta sint; an in principio, quod est Verbum Dei unigenitus Filius. Et quomodo possit ostendi Deum sine ulla sui commutatione operari mutabilia et temporalia. Et quid significetur nomine cœli et terræ; utrum spiritualis corporalisque creatura cœli et terræ vocabulum acceperit, an tantummodo corporalis : ut in hoc libro de spirituali tacuisse intelligatur, atque ita dixisse cœlum et terram, ut omnem creaturam corpoream superiorem atque inferiorem significare voluerit. An utriusque informis materia dicta est cœlum et terra : spiritualis videlicet vita, sicuti esse potest in se, non conversa ad Creatorem; tali enim conversione formatur atque perficitur; si autem non convertatur, informis est : corporalis autem si possit intelligi per privationem omnis corporeæ qualitatis, quæ apparet in materia formata, cum jam sunt species corporum, sive visu, sive alio quolibet sensu corporis perceptibiles.

3. An cœlum intelligendum est creatura spiritualis, ab exordio quo facta est, perfecta illa et beata semper : terra vero, corporalis materies adhuc imperfecta; quia *terra*, inquit, *erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum;* quibus verbis videtur informitatem significare substantiæ corporalis? An utriusque informitas his etiam posterioribus verbis significatur : corporalis quidem eo quod dictum est, *Terra erat invisibilis et incomposita :* spiritualis autem eo quod dictum est, *Tenebræ erant super abyssum ;* ut translato verbo tenebrosam abyssum intelligamus naturam vitæ informem, nisi convertatur ad Creatorem : quo solo modo formari potest, ut non sit abyssus; et illuminari, ut non sit tenebrosa? Et quomodo dictum est, *Tenebræ erant super abyssum?* an quia non erat lux? quæ si esset, utique superesset, et tanquam superfunderetur : quod tunc fit in creatura spirituali, cum convertitur ad incommutabile atque incorporale [2] lumen, quod Deus est.

[1] Editi, *figuratum*. At Mss. vix ullo excepto, *figurarum*.
[2] Sic Mss. aliquot optimæ notæ. At editi, *incomparabile*.

CAPUT II. — *Quomodo dixit Deus*, Fiat lux; *an per creaturam, an per æternum Verbum.*

4. Et quomodo dixit Deus, *Fiat lux?* utrum temporaliter, an in Verbi æternitate? Et si temporaliter, utique mutabiliter; quomodo ergo possit intelligi hoc dicere Deus, nisi per creaturam; ipse quippe est incommutabilis? Et si per creaturam dixit Deus, *Fiat lux;* quomodo est prima creatura lux, si erat jam creatura, per quam Deus diceret, *Fiat lux?* An non est lux prima creatura; quia jam dictum erat, *In principio fecit Deus cœlum et terram;* et poterat per cœlestem creaturam vox fieri temporaliter atque mutabiliter, qua diceretur, *Fiat lux?* Quod si ita est, corporalis lux facta est ista, quam corporeis oculis cernimus, dicente Deo per creaturam spiritualem, quam Deus jam fecerat, cum in principio fecit Deus cœlum et terram, *Fiat lux;* eo modo quo per talis creaturæ interiorem et occultum motum divinitus dici potuit, *Fiat lux.*

5. An etiam corporaliter sonuit vox dicentis Dei, *Fiat lux;* sicut corporaliter sonuit vox dicentis Dei, *Tu es Filius meus dilectus* (*Matth.* III, 17) : et hoc per creaturam corporalem, quam fecerat Deus, cum in principio fecit cœlum et terram, antequam fieret lux, quæ in hac sonante voce facta est? Et si ita est, qua lingua sonuit ista vox, dicente Deo, *Fiat lux;* quia nondum erat linguarum diversitas, quæ postea facta est in ædificatione turris post diluvium (*Gen.* XI, 7)? Quænam lingua erat una et sola, qua Deus locutus est, *Fiat lux?* et quis erat quem oportebat audire, atque intelligere, ad quem vox hujusmodi proferretur? An hæc absurda carnalisque cogitatio est atque suspicio?

6. Quid ergo dicemus? An id quod intelligitur in sono vocis, cum dicitur, *Fiat lux,* non autem ipse corporeus sonus, hoc bene accipitur esse vox Dei? et utrum hoc ipsum ad naturam pertineat Verbi ejus, de quo dicitur, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum?* Cum enim de illo dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1, 3); satis ostenditur et lux per ipsum facta, cum dixit Deus, *Fiat lux.* Quod si ita est, æternum est quod dixit Deus, *Fiat lux;* quia Verbum Dei Deus apud Deum, Filius unicus Dei, Patri coæternus est : quamvis Deo hoc in æterno Verbo dicente creatura temporalis facta sit. Cum enim verba sint temporis, cum dicimus, Quando, et aliquando; æternum tamen est in Verbo Dei, quando fieri aliquid debeat : et tunc fit quando fieri debuisse in illo Verbo est, in quo non est quando et aliquando, quoniam totum illud Verbum æternum est.

CAPUT III. — *Quid sit lux illa. Curve non dictum*, Fiat cœlum, etc., *sicut*, Fiat lux. *Responsio prima.*

7. Et quid est lux ipsa quæ facta est? utrum spirituale quid, an corporale? Si enim spirituale, potest ipsa esse prima creatura, jam hoc dicto perfecta, quæ primo cœlum appellata est, cum dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram :* ut quod *dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux,* eam revocante ad se Creatore,

conversio ejus facta atque illuminata intelligatur.

8. Et cur ita dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram;* et non dictum est, In principio dixit Deus, Fiat cœlum et terra; et facta sunt cœlum et terra : sicut de luce narratur, *Dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux?* Utrum prius universaliter nomine cœli et terræ comprehendendum erat et commendandum quod fecit Deus; et deinde per partes exsequendum, quomodo fecit, cum per singula dicitur, *Dixit Deus;* id est, quia per Verbum suum fecit, quidquid fecit?

CAPUT IV. — *Altera responsio ad superiorem quæstionem.*

9. An cum primum fiebat informitas materiæ sive spiritualis sive corporalis, non erat dicendum, *Dixit Deus, Fiat;* quia formam Verbi semper Patri cohærentis, quo sempiterne dicit Deus omnia, neque sono vocis neque cogitatione tempora sonorum volvente, sed coæterna sibi luce a se genitæ Sapientiæ, non imitatur imperfectio, cum dissimilis ab eo quod summe ac primitus est, informitate quadam tendit ad nihilum; sed tunc imitatur Verbi formam, semper atque incommutabiliter Patri cohærentem, cum et ipsa pro sui generis conversione ad id quod vere ac semper est, id est ad creatorem suæ substantiæ, formam capit, et fit perfecta creatura : ut in eo quod Scriptura narrat, *Dixit Deus, Fiat*, intelligamus Dei dictum incorporeum in natura Verbi ejus coæterni revocantis ad se imperfectionem creaturæ, ut non sit informis, sed formetur secundum singula quæ per ordinem exsequitur? In qua conversione et formatione, quia pro suo modo imitatur Deum Verbum, hoc est Dei Filium semper Patri cohærentem, plena similitudine et essentia pari, qua ipse et Pater unum sunt (*Joan.* x, 30); non autem imitatur hanc Verbi formam, si aversa a Creatore, informis et imperfecta remaneat : propterea Filii commemoratio non ita fit quia Verbum, sed tantum[1] quia principium est, cum dicitur, *In principio fecit Deus cœlum et terram;* exordium quippe creaturæ insinuatur adhuc in informitate imperfectionis : fit autem Filii commemoratio, quod etiam Verbum est, eo quod scriptum est, *Dixit Deus, Fiat;* ut per id quod principium est, insinuet exordium creaturæ existentis ab illo adhuc imperfectæ; per id autem quod Verbum est, insinuet perfectionem creaturæ revocatæ ad eum, ut formaretur inhærendo Creatori, et pro suo genere imitando formam sempiterne atque incommutabiliter inhærentem Patri, a quo statim hoc est quod ille.

CAPUT V. — *Informem esse creaturam intellectualem, nisi perficiatur conversa ad divinum Verbum. Spiritus sanctus cur super aquam ferri dictus est antequam narraretur dixisse Deum,* Fiat lux.

10. Non enim habet informem vitam Verbum Filius, cui non solum hoc est esse quod vivere, sed etiam hoc est vivere, quod est sapienter ac beate vivere. Creatura vero, quanquam spiritualis et intellectualis vel rationalis, quæ videtur esse illi Verbo propinquior, potest habere informem vitam; quia non sicut hoc est ei esse quod vivere, ita hoc[1] vivere quod sapienter ac beate vivere. Aversa enim a Sapientia incommutabili, stulte ac misere vivit, quæ informitas ejus est. Formatur autem conversa ad incommutabile lumen Sapientiæ, Verbum Dei. A quo enim exstitit ut sit utcumque ac vivat, ad illum convertitur ut sapienter ac beate vivat. Principium quippe creaturæ intellectualis est æterna Sapientia; quod principium manens in se incommutabiliter, nullo modo cessat[2] occulta inspiratione vocationis loqui ei creaturæ cui principium est, ut convertatur ad id ex quo est, quod aliter formata ac perfecta esse non possit. Ideoque interrogatus quis esset, respondit : *Principium, quia et loquor vobis* (*Joan.* VIII, 25).

11. Quod autem Filius loquitur, Pater loquitur; quia Patre loquente dicitur Verbum, quod Filius est, æterno more, si more dicendum est, loquente Deo Verbum coæternum (*a*). Inest enim Deo benignitas summa, et sancta et justa; et quidem[3] non ex indigentia, sed ex beneficentia veniens amor in opera sua. Propterea priusquam scriberetur, *Dixit Deus, Fiat lux;* præcessit Scriptura dicens, *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam.* Quia sive aquæ nomine appellare voluit totam corporalem materiam, ut eo modo insinuaret unde facta et formata sint omnia, quæ in suis generibus jam dignoscere possumus, appellans aquam, quia ex humida natura videmus omnia in terra per species varias formari atque concrescere; sive spiritualem vitam quamdam ante formam conversionis quasi fluitantem : superferebatur utique Spiritus Dei; quia subjacebat scilicet bonæ voluntati Creatoris, quidquid illud erat quod formandum perficiendumque inchoaverat : ut dicente Deo in Verbo suo, *Fiat lux;* in bona voluntate, hoc est in beneplacito ejus pro modulo sui generis maneret quod factum est; et ideo rectum est[4], quod placuerit Deo, Scriptura dicente, *Et facta est lux; et vidit Deus lucem quia bona est.*

CAPUT VI. — *Trinitas insinuata cum in inchoatione, tum in perfectione creaturæ.*

12. Ut quemadmodum in ipso exordio inchoatæ creaturæ, quæ cœli et terræ nomine, propter id quod de illa perficiendum erat, commemorata est, Trinitas

[1] In prius editis, *sed etiam.* In Mss., *sed tantum.*

[1] Editi : *Quia sicut non hoc est ei esse quod vivere, ita nec hoc vivere quod*, etc. At Mss. magno consensu ferunt : *Non sicut hoc est ei esse quod vivere, ita hoc vivere*, etc. Et verius in Augustini doctrina, qui in lib. de Immortalitate animæ, cap. 8, n. 15, animum nisi vivat esse non posse dicit; moxque cap. 9 : « Nulla res, inquit, seipsa caret. Est autem animus vita quædam. »

[2] Sic Lov. At Am. et Er., *cessabit.* Mss. decem, *cessabat.* Colbertinus codex aliique duodecim melioris notæ, *cessaret.* Et consequenter omnes prope Mss. sic prosequuntur : *Ut converteretur ad id ex quo esset, quod aliter.... esse non posset.*

[3] Lov., *quidam.* At Mss. prope omnes, *quidem*

[4] Mss. sex, *et ideo lectum est.* Vindocinensis codex, *et ideo dictum est.* At cæteri Mss. et editi hic et in libro ad Dulcit. habent, *rectum est.* Paulo post in editis caput 6 incipiebat, *Et quemadmodum;* atque infra legebatur, *ita et in conversione.... insinuatur :* quibus locis sequimur Mss.

(*a*) Quæ sequuntur, usque ad finem cap. 7, translata sunt in librum de octo Dulcitii Quæstionibus, respons. ad quæst. 8, nn. 2 et 3.

insinuatur Creatoris (nam dicente Scriptura, *In principio fecit Deus cœlum et terram;* intelligimus Patrem in Dei nomine, et Filium in principii nomine, qui non Patri, sed per seipsum creatæ primitus ac potissimum spirituali creaturæ, et consequenter etiam universæ creaturæ principium est: dicente autem Scriptura, *Et Spiritus Dei ferebatur super aquam*, completam commemorationem Trinitatis agnoscimus); ita et in conversione atque perfectione creaturæ, ut rerum species digerantur, eadem Trinitas insinuetur: Verbum Dei scilicet, et Verbi generator, cum dicitur, *Dixit Deus;* et sancta bonitas, in qua Deo placet quidquid ei pro suæ naturæ modulo perfectum placet, cum dicitur, *Vidit Deus quia bonum est.*

CAPUT VII. — *Spiritus Dei cur dictus est superferri super aquam.*

13. Sed cur commemorata prius quamvis imperfecta creatura, postea commemoratur Spiritus Dei, prius dicente Scriptura, *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum* [1]; ac deinde inferente, *Et Spiritus Dei superferebatur super aquam?* An quoniam egenus atque indigus amor ita diligit, ut rebus quas diligit, subjiciatur; propterea cum commemoraretur Spiritus Dei, in quo sancta ejus benevolentia dilectioque intelligitur, superferri dictus est, ne facienda [2] opera sua per indigentiæ necessitatem potius quam per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur? Cujus rei memor Apostolus dicturus de charitate, super eminentem viam demonstraturum se ait (I *Cor.* XII, 31): et in alio loco, *Supereminentem*, inquit, *scientiæ charitatem Christi* (*Ephes.* III, 19). Cum ergo sic oporteret insinuari Spiritum Dei, ut superferri diceretur, commodius factum est ut prius insinuaretur aliquid inchoatum, cui superferri diceretur; non enim loco, sed omnia superante ac præcellente potentia.

CAPUT VIII. — *Dei amor in creaturas præstat eis ut sint, et ut maneant.*

14. Ita etiam rebus ex illa inchoatione perfectis atque formatis, *vidit Deus quia bonum est:* placuit enim quod factum est, in ea benignitate qua placuit ut fieret. Duo quippe sunt propter quæ amat Deus creaturam suam; ut sit, et ut maneat. Ut esset ergo quod maneret, *Spiritus Dei superferebatur super aquam;* ut autem maneret, *Vidit Deus quia bonum est.* Et quod de luce dictum est, hoc de omnibus. Manent enim quædam supergressa omnem temporalem volubilitatem in amplissima sanctitate sub Deo; quædam vero secundum sui temporis modos, dum per decessionem successionemque rerum sæculorum pulchritudo contexitur.

CAPUT IX. — *Utrum in tempore dictum sit,* Fiat lux, *an sine tempore.*

15. Quod ergo dixit Deus, *Fiat lux; et facta est lux*, in aliquo die dixit, an ante omnem diem? Si enim Verbo sibi coæterno dixit, hoc utique intemporaliter dixit: si vero temporaliter dixit, non Verbo sibi coæterno, sed per aliquam dixit creaturam temporalem; ac per hoc non erit prima creatura lux, quia jam erat per quam temporaliter diceretur, *Fiat lux.* Atque illud ante omnem diem fecisse intelligitur, quod dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram;* ut cœli nomine intelligatur spiritualis jam facta et formata creatura, tanquam cœlum cœli hujus, quod in corporibus summum est. Secundo enim die factum est firmamentum, quod rursus cœlum appellavit. Terræ autem nomine invisibilis et incompositæ, ac tenebrosa abysso, imperfectio corporalis substantiæ significata est, unde temporalia illa fierent, quorum prima esset lux.

16. Quomodo autem per creaturam, quam fecit ante tempora, dici potuit temporaliter, *Fiat lux*, invenire difficile est. Sono enim vocis non intelligimus dictum: nam quidquid tale est, corporeum est. An ex illa imperfectione substantiæ corporalis fecit aliquam vocem corpoream, per quam sonaret, *Fiat lux?* Ergo aliquod vocale corpus ante lucem creatum atque formatum est. Sed si ita est, jam erat tempus, per quod vox curreret, sonorumque spatia sibi succedentia [1] præterirent. Quod si jam erat tempus antequam fieret lux, in quo tempore fieret vox quæ resonaret, *Fiat lux;* ad quem diem pertinebat illud tempus? Unus enim dies, idemque primus ille numerari incipit, quo facta est lux. An ad ipsum diem pertinet totum spatium temporis, et quo factum est vocale corpus, per quod sonaret, *Fiat lux*, et quo facta est ipsa lux? Sed omnis talis vox propter audientis corporalem sensum a loquente profertur; ita enim factus est, ut percusso aere sentiat [2]. Numquid itaque talem habebat auditum illud quidquid erat invisibile et incompositum, cui sic Deus personaret ac diceret, *Fiat lux?* Abscedat itaque hæc ab animo cogitantis absurditas.

17. Utrum ergo spiritualis motus, sed tamen temporalis erat, quo dictum intelligimus, *Fiat lux*, expressus ab æterno Deo per Verbum coæternum in creatura spirituali, quam jam fecerat, cum dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, id est in illo cœlo cœli? an et ista locutio non tantum sine aliquo sono, sed etiam sine ullo temporali motu spiritualis creaturæ, in ejus mente atque ratione fixa quodammodo a Verbo Patri coæterno, et quodammodo impressa intelligitur, secundum quam moveretur, et ad speciem converteretur inferior illa tenebrosa imperfectio naturæ corporeæ, et fieret lux? Sed multum est ac difficillimum capere quomodo dicatur, Deo non temporaliter jubente, neque id temporaliter audiente creatura, quæ contemplatione veritatis omnia tempora excedit, sed intellectualiter sibimet impressas ab incommutabili Dei Sapientia rationes, tanquam intelligibiles locutiones, in ea quæ infra sunt transmittente, fieri temporales motus in rebus temporalibus vel formandis vel administrandis. Si autem lux, quæ primum dicta est ut fiat, et facta est, etiam primatum creaturæ

[1] Sic Mss. juxta græc. LXX. At editi, *et tenebræ erant super faciem abyssi.*
[2] Edit., *faciendo.* Mss., *facienda.*

[1] Mss. plerique, *succedentium.*
[2] In vulgatis, *facta est ut percusso aere sentiatur.* Sed verius in Mss., *factus est, ut.... sentiat*, scilicet auditus.

tenere intelligenda est, ipsa est intellectualis vita; quæ nisi ad Creatorem illuminanda converteretur, fluitaret informiter. Cum autem conversa et illuminata est, factum est quod in Verbo Dei dictum est, *Fiat lux.*

CAPUT X. — *Quomodo dies unus peractus fuit, sive in creatione sive post creationem lucis. Primus explicandi modus improbatur. Secundus dicendi modus difficultatibus implicatur.*

18. Verumtamen quemadmodum sine tempore dictum est, quia in Verbum Patri coæternum non cadit tempus; utrum ita etiam sine tempore factum sit, quisquam forsitan quærat. Sed quomodo potest hoc intelligi, cum facta luce et divisa a tenebris, et inditis diei noctisque vocabulis, dicat Scriptura, *Facta est vespera, et factum est mane dies unus?* Unde videtur illud opus Dei factum per spatium diei, quo peracto ad vesperam ventum est, quod est noctis initium. Itemque peracto nocturno spatio completus est totus dies, ut mane fieret in alterum diem, in quo die Deus aliud consequenter operaretur.

19. Imo vero idipsum permirabile est, cum Deus nullo spatio syllabarum æterna Verbi sui ratione dixerit, *Fiat lux;* cur tanta mora facta sit lux, donec diei spatium præteriret, et vespera fieret. An forte cito quidem lux facta est, sed mora diurni temporis in eo consumi potuit, cum discerneretur a tenebris, atque utrumque discretum suis vocabulis signaretur? Mirum si et hoc vel tanta mora fieri potuit a Deo, quanta dicitur a nobis. Discretio quippe lucis et tenebrarum in ipso utique opere, cum lux fieret, consecuta est: non enim lux esse potuit, nisi discerneretur a tenebris.

20. Quod autem *vocavit Deus lucem diem, et tenebras noctem*, quanta mora fieri poterat, etiam si hoc syllabatim per sonum vocis egisset, nisi quanta et a nobis dicitur, Lux vocetur dies, et tenebræ vocentur nox? nisi forte quis ita desipiat, ut quia super omnia magnus est Deus, putet ore Dei prolatas, quamvis paucissimas syllabas, per totum diei spatium potuisse distendi. Huc accedit, quia Verbo sibi coæterno, id est incommutabilis Sapientiæ internis æternisque rationibus, non corporali sono vocis, *vocavit Deus lucem diem, et tenebras noctem.* Rursum enim quæritur, si verbis quibus utimur vocavit, qua lingua vocaverit; et quid opus erat sonis transeuntibus, ubi cujusquam non erat corporalis ullus auditus: et non invenitur.

21. An dicendum est, quod cum cito peractum esset hoc opus Dei, tamdiu stetit lux non succedente nocte, donec diurnum spatium perageretur; et tamdiu mansit nox luci succedens, donec spatium nocturni temporis præteriret, et mane fieret diei sequentis, uno primoque transacto? Sed si hoc dixero, vereor ne deridear et ab iis qui certissime cognoverunt, et ab iis qui possunt facillime advertere quod eo tempore quo nox apud nos est, eas partes mundi præsentia lucis illustret, per quas sol ab occasu in ortum redit; ac per hoc omnibus viginti quatuor horis non deesse per circuitum gyri totius, alibi diem, alibi noctem. Numquidnam ergo in parte aliqua posituri sumus Deum ubi ei vespera fieret, cum ab ea parte in aliam partem lux abscederet? Nam et in libro qui appellatur Ecclesiastes, ita scriptum est: *Et oritur sol, et occidit sol, et in locum suum ducitur* [1]; hoc est, in eum locum unde ortus est. Sequitur enim, et dicit: *Ipse oriens illuc vadit ad austrum, et circuit ad aquilonem* (*Eccle.* I, 5, 6). Australis ergo pars cum habet solem, nobis dies est: cum autem ad aquilonis partem circumiens pervenit, nobis nox est; non tamen in alia parte non est dies, ubi præsentia solis est: nisi forte poeticis figmentis cor inclinandum est, ut credamus solem mari se immergere, atque inde lotum ex alia parte mane surgere. Quanquam si ita esset, abyssus ipsa præsentia solis illustraretur, atque ibi esset dies. Posset enim et aquas illuminare, quando ab eis non posset exstingui. Sed hoc monstruosum est suspicari. Quid quod etiam sol nondum erat?

22. Quapropter si spiritualis lux primo die facta est, numquidnam occidit, ut ei succederet nox? Si autem corporalis, quænam illa lux est, quam post occasum solis videre non possumus, quia nec luna erat adhuc, nec aliquæ stellæ? Aut si semper in ea parte cœli est, in qua sol, ut non sit solis lux, sed quasi comes ejus, eidem ita conjuncta, ut discerni dignoscique non possit, ad eamdem reditur difficultatem solvendæ hujus quæstionis: quia et ista lux eodem modo quo sol, tanquam comes ejus, ab occasu in ortum circumiens redit; et est in alia parte mundi, quo tempore pars ista in qua sumus, tenebrescit [2] in noctem. Ex quo cogit, quod absit, in una parte credere Deum fuisse, quam partem lux ista desereret, ut posset ei vespera fieri. An forte in ea parte lucem fecerat, in qua facturus erat hominem; et ideo cum ab ipsa parte lux discessisset, vespera facta dicitur, etiam cum in alia parte lux illa esset, quæ inde discesserat, mane exortura peracto circuitu?

CAPUT XI. — *De solis officio nova difficultas in superiore modo dicendi.*

23. Utquid ergo factus est sol in potestatem diei (*Psal.* CXXXV, 8), qui luceret super terram, si lux illa diei faciendo suffecerat, quæ dies etiam vocata est? An illa prior regiones superiores a terra longinquas illustrabat, ut sentiri non posset in terris; atque ita oportebat solem fieri, per quem dies inferioribus mundi partibus appareret? Potest et hoc dici, auctum esse fulgorem diei sole addito, ut per illam lucem minus fulgens dies quam nunc est, fuisse credatur. Etiam hoc a quodam dictum scio, primum naturam lucis inductam in opere Creatoris, cum dictum est, *Fiat lux, et facta est lux;* postea vero cum de luminaribus dicitur, quid ex ipsa luce factum sit fuisse commemoratum, ordine dierum, quo visum est Creatori cuncta esse facienda: quæ natura lucis quo transierit facta vespera, ut vicissim nox peragetur, nec ille dixit, nec facile inveniri posse arbitror. Neque enim exstinctam esse credendum est, ut nocturnæ tenebræ

[1] Ms. Colbertinus tresque alii optimæ notæ, *ducit.* Ita eumdem locum refert Hieronymus, qui vulgatam editionem sui temporis se secutum testatur.
[2] Mss. constanter, *tenebrascit.*

succederent; et rursus accersam, ut mane fieret, antequam hoc solis officio gereretur; quod a quarto die cœpisse fieri, eadem Scriptura testatur.

CAPUT XII. — *Alia difficultas de successione trium dierum et noctium ante solis creationem. Congregatio aquarum quomodo facta.*

24. Quod antequam fieret, quo circuitu sibi potuerint tres dies noctesque succedere, lucis quæ primo facta est permanente natura, si lux corporalis tunc facta intelligenda est, et invenire et explicare difficile est. Nisi forte molem terrenam et aquosam, antequam esset ab alterutro utrumque discretum, quod tertio die factum scribitur, tenebras Deum appellasse quis dixerit, propter crassiorem corpulentiam, quam lux penetrare non poterat, vel propter obscurissimam umbram tantæ molis, quam necesse est ut ex altera parte habeat corpus, si ex aliqua parte lux fuerit. Ad quem locum enim cujuslibet corporis moles lucem pervenire non sinit, in eo loco umbra est : quoniam locus carens ea luce, qua illustraretur, nisi impediret corpus oppositum, hoc totum est quod umbra dicitur. Quæ si pro mole corporis tam magna fuerit, ut occupet spatium terræ, quantum ex altera parte dies occupat, nox vocatur. Neque enim omnes tenebræ nox. Nam et in speluncis amplis, in quarum abdita lux irrumpere per oppositam molem non sinitur, sunt utique tenebræ; quia lux non est ibi, totumque spatium illud locus est carens luce : nec tamen tales tenebræ acceperunt vocabulum noctis, sed illæ quæ in eam partem terræ succedunt, unde removetur dies. Sicut non omnis lux dies appellatur; nam et lunæ lux est, et siderum, et lucernarum, et coruscationum, et quarumque rerum ita fulgentium : sed illa lux appellatur dies, cui nox præcedenti recedentique succedit.

25. Sed si primaria lux illa undique terræ molem circumfusa contexerat, sive staret, sive circumiret, non erat ex qua parte admitteret noctem sibi succedere; quia nusquam ipsa discedebat, ut ei faceret locum. An ex una parte facta erat, ut ipsa circumiens, etiam noctem ex alia parte consequenter circumire permitteret? Cum enim totam terram adhuc aqua tegeret, nihil impediebat ut aquosa et globosa [1] moles ex una parte faceret diem lucis præsentia, ex alia noctem lucis absentia, quæ in eam partem succederet a tempore vespertino, ex qua lux in aliam declinaret.

26. Quo ergo congregatæ sunt aquæ, si totam terram prius occupaverant? illæ scilicet quæ detractæ sunt, ut terra nudaretur, in quam partem congregatæ sunt? Si enim erat aliquid nudum terræ, quo congregarentur; jam apparebat arida, nec totum abyssus occupabat. Si autem totum texerant; quis erat locus quo colligerentur, ut terræ ariditas appareret? Numquidnam in altum congregatæ sunt, sicut fit cum ad ventilandum in area messis trita subrigitur, et congesta in aggerem nudat locum quem diffusa contexerat? Quis hoc dixerit, cum viderat usquequaque campos maris æquabiliter fusos, qui etiam cum aquæ fluctuantis quidam velut montes eriguntur, sedatis rursus tempestatibus complanantur? Et si qua littora nudantur latius, non potest dici nulla esse alia terrarum spatia, quo accedat id quod aliunde decedit, unde in eum locum ex quo recesserat, iterum accedat. Cum autem totam omnino terram undosa natura cooperiret, quo cederet, ut nudaret aliquas partes? An forte rarior aqua velut nebula terras tegebat, quæ congregatione spissata est, ut ex multis eas partibus, in quibus arida posset apparere, nudaret? Quanquam et terra longe lateque subsidens, potuit alias partes præbere concavas, quibus confluentes et corruentes aquæ reciperentur, et appareret arida ex his partibus, unde humor abscederet.

27. Non est autem informis omni modo materies, ubi etiam nebulosa species apparet :

CAPUT XIII. — *Aqua et terra quando creatæ.*

Et ideo quæri adhuc potest, quando Deus istas conspicuas aquarum terrarumque species qualitatesque creaverit; in nullo enim sex dierum hoc invenitur. Itaque si hoc ante omnem diem fecit, sicut ante istorum primorum dierum commemorationem scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram;* ut in terræ vocabulo intelligamus jam formatam terrenam speciem superfusis aquis ista jam visibili specie sui generis declaratis : ut in eo quod sequitur Scriptura dicens, *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum : et Spiritus Dei superferebatur super aquas*, nullam opinemur informitatem materiæ, sed terram et aquam sine luce, quæ nondum erat facta, suis jam notissimis qualitatibus conditas : ut ideo terra invisibilis dicta intelligatur, quod aquis cooperta non posset videri, etiamsi esset qui posset videre; ideo vero incomposita, quia nondum a mari distincta, et cincta littoribus, et suis fetibus animalibusque decorata : si ergo ita est, cur istæ species, quæ procul dubio corporales sunt, ante omnem diem factæ sunt? Cur non scriptum est, Dixit Deus, Fiat terra, et facta est terra; item, Dixit Deus, Fiat aqua; et facta est aqua; vel utrumque communiter, si una quasi lege loci infimi continentur, Dixit Deus, Fiat terra et aqua, et sic factum est?

CAPUT IV.—*Ratio cur in primo versiculo Geneseos subintelligatur materia informis.*

Cur non dictum est, cum hoc factum esset, Vidit Deus, quia bonum est?

28. Hæc enim consideratio suasit (quoniam manifestum est omne mutabile ex aliqua informitate formari; simulque illud et catholica fides præscribit, et certissima ratio docet, nullarum naturarum materiam esse potuisse, nisi ab omnium rerum non solum formatarum, sed etiam formabilium inchoatore Deo atque creatore, de qua etiam dicit ei quædam Scriptura, *Qui fecisti mundum ex materia informi* [*Sap.* XI, 18] hanc materiam illis verbis, quibus pro spirituali prudentia tardioribus etiam lectoribus vel auditoribus congrueret [1], fuisse commemoratam, quibus ante dierum enumerationem dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, etc., donec diceretur, *Et dixit*

[1] Mss. aliquot, *glebosa*.

[1] Mss. plures, *congrueretur*.

Deus, ut deinceps formatarum rerum ordo consequeretur.

CAPUT XV. — *Materia origine, non tempore formam præcedit.*

29. Non quia informis materia formatis rebus tempore prior est, cum sit utrumque simul concreatum, et unde factum est, et quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, verba vero formatam vocem indicant; non autem qui loquitur, prius emittit informem vocem, quam possit postea colligere, atque in verba formare : ita creator Deus non priore tempore fecit informem materiam, et eam postea per ordinem quarumque naturarum, quasi secunda consideratione formavit; formatam quippe creavit materiam. Sed quia illud unde fit aliquid, etsi non tempore, tamen quadam origine prius est, quam illud quod inde fit; potuit dividere Scriptura loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non divisit. Si enim quæratur utrum vocem de verbis an de voce verba faciamus; non facile quisquam ita tardo ingenio reperitur, qui non potius verba fieri de voce respondeat : ita quamvis utrumque simul qui loquitur faciat, quid unde faciat, naturali attentione satis apparet. Quamobrem, cum simul utrumque Deus fecerit, et materiam quam formavit, et res in quas eam formavit, et utrumque ab Scriptura dici oportuerit, nec simul utrumque dici potuerit; prius illud unde aliquid factum est, quam illud quod inde factum est, dici debuisse quis dubitet? Quia etiam cum dicimus materiam et formam, utrumque simul esse intelligimus, nec utrumque simul possumus enuntiare. Sicut autem in brevitate temporis contingit, cum duo ista verba proferimus, ut alterum ante alterum proferamus : ita in prolixitate narrationis alterum prius quam alterum narrandum fuit, quamvis utrumque, ut dictum est, simul fecerit Deus; ut quod sola origine prius est in faciendo, etiam tempore prius sit in narrando : quia duæ res, quarum etiam altera nullo modo prior est, nominari simul non possunt; quanto minus simul narrari? Non itaque dubitandum est ita esse utcumque istam informem materiam prope nihil, ut non sit facta nisi a Deo, et rebus quæ de illa factæ sunt simul concreata sit.

30. Sed si credibiliter dicitur eam significari illis verbis, *Terra autem erat invisibilis et incomposita, et tenebræ erant super abyssum : et Spiritus Dei superferebatur super aquam*; ut excepto quod ibi positum est de Spiritu Dei, cætera rerum quidem visibilium vocabula, sed ad illam informitatem, ut tardioribus poterat, insinuandam dicta intelligamus; quia hæc duo elementa, id est terra et aqua, ad aliquid faciendum operantium manibus tractabiliora sunt cæteris, et ideo congruentius istis nominibus illa insinuabatur informitas.

CAPUT XVI. — *Alia ratio explicandi quomodo dies et nox facta fuerit, emissione scilicet et contractione lucis, non probatur.*

Si hoc ergo probabiliter dicitur, non erat aliqua formata moles, quam lux ex una parte illustrans, ex altera faceret tenebras, unde posset nox die discedente succedere.

31. Emissionem vero contractionemque lucis illius si velimus diem noctemque intelligere, nec causam videmus cur ita fieret. Non enim jam erant animalia, quibus hæc vicissitudo salubriter exhiberetur, et quibus postmodum exortis per circuitum solis cernimus exhiberi. Nec ullum occurrit exemplum, quo istam emissionem contractionemque lucis, ut diei noctisque vicissitudines fierent, probare possimus. Jactus enim radiorum ex oculis nostris, cujusdam lucis quidem est jactus [1]; et contrahi potest, cum aerem, qui est oculis nostris proximus, intuemur; et emitti, cum ad eamdem rectitudinem, quæ sunt longe posita attendimus : nec sane cum contrahitur, omnino cernere quæ longe sunt desinit; sed certe obscurius, quam cum in ea obtutus emittitur. Sed tamen ea lux quæ in sensu videntis est, tam exigua docetur [2], ut nisi adjuvemur extranea luce, nihil videre possimus; et quoniam discerni ab ea non potest, quo exemplo demonstrari possit emissio in diem, et contractio lucis in noctem, sicut dixi, reperire difficile est.

CAPUT XVII. — *De spirituali luce difficultas, quomodo in ea sit vespera et mane, divisioque a tenebris.*

32. Si autem spiritualis lux facta est, cum dixit Deus, *Fiat lux*; non illa vera Patri coæterna intelligenda est, per quam facta sunt omnia, et quæ illuminat omnem hominem; sed illa de qua dici potuit, *Prior omnium creata est sapientia* (*Eccli.* I, 4). Cum enim æterna illa et incommutabilis, quæ non est facta, sed genita Sapientia, in spirituales atque rationales creaturas, sicut in animas sanctas se transfert (*Sap.* VII, 27), ut illuminatæ lucere possint; fit in eis quædam luculentæ rationis affectio, quæ potest accipi facta lux, cum diceret Deus, *Fiat lux* : si jam erat creatura spiritualis, quæ nomine cœli significata est, in eo quod scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*; non corporeum cœlum, sed cœlum incorporeum cœli corporei [3], hoc est, super omne corpus, non locorum gradibus, sed naturæ sublimitate præpositum. Quo autem modo simul fieri potuit et quod illuminaretur, et ipsa illuminatio, ac diverso tempore narranda fuerit, paulo ante diximus, cum de materia tractaremus.

33. Sed huic luci succedentem noctem, ut vespera fieret, quo pacto intellecturi sumus? A tenebris vero qualibus talis lux dividi potuit, dicente Scriptura, *Et divisit Deus inter lucem ac tenebras?* Numquid jam erant peccatores et stulti decidentes a lumine veritatis, inter quos et in eadem luce permanentes divideret Deus, tanquam inter lucem ac tenebras; et [4] lucem

[1] Excusi, *lucis evidens est jactus*. Dissentiunt Mss. omnes; pars habet, *lucis quidem est jactus*; alii, prætermissa media voce, *lucis est jactus*.

[2] Editi, *tam exigua videtur*. Mss., *docetur* : postque sex ex iis loco *adjuvemur*, habent, *adjuvetur*.

[3] In editis, *cœlis corporeis*. At nulli dubitamus veriorem esse hanc Mss. prope omnium lectionem, *sed cœlum incorporeum cœli corporei*; ubi Augustinus more suo ad illud Psal. CXIII, 16, alludit, *Cœlum cœli Domino*. Confer supra, nn. 15 et 17, nec non lib. 12 Confess., capp. 2, 8 et 9.

[4] Sic in omnibus Mss. At apud Am. Er. et Lov. amota hinc

vocans diem, ac tenebras noctem, ostenderet se non operatorem peccatorum, sed ordinatorem distributione meritorum? An hic dies totius temporis nomen est, et omnia volumina sæculorum hoc vocabulo includit; ideoque non dictus est primus, sed unus dies? *Et facta est* enim *vespera*, *et factum est*, inquit, *mane dies unus* : ut per hoc quod facta est vespera, peccatum rationalis creaturæ; quod autem factum est mane, renovatio ejus significata videatur.

34. Sed hæc allegoriæ propheticæ disputatio est, quam non isto sermone suscepimus. Instituimus enim de Scripturis nunc loqui secundum proprietatem rerum gestarum, non secundum ænigmata figurarum [1]. Ergo ad rationem factarum conditarumque naturarum, quomodo invenimus vesperam et mane in luce spirituali? An divisio quidem lucis a tenebris, distinctio est jam rei formatæ ab informi; appellatio vero diei et noctis, insinuatio distributionis [2] est, qua significetur nihil Deum inordinatum relinquere, atque ipsam informitatem, per quam res de specie in speciem modo quodam transeundo mutantur, non esse indispositam; neque defectus profectusque creaturæ, quibus sibimet temporalia quæque succedunt, sine supplemento esse decoris universi? Nox enim odinatæ sunt tenebræ.

35. Propterea vero cum facta esset lux, dictum est, *Vidit Deus lucem, quia bona est;* cum hoc posset post omnia ejusdem diei dicere, id est, ut cum explicasset [3], *Dixit Deus*, *Fiat lux; et facta est lux; Et divisit Deus inter lucem et tenebras; Et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem;* tunc diceret, *Et vidit Deus quia bonum est;* et deinceps annecteret, *Et facta est vespera*, *et factum est mane;* sicut in aliis operibus facit, quibus vocabula imponit. Hic ergo propterea non ita fecit, quoniam a formata re ad hoc distincta est illa informitas, ut non in ea finis esset, sed adhuc formanda restaret per creaturas cæteras jam corporales. Itaque si posteaquam distincta essent illa divisione et vocabulis, tunc diceretur, *Vidit Deus quia bonum est;* hæc facta acciperemus significari, quibus jam in suo genere nihil esset addendum. Quia vero lucem solam ita perfecerat; *Vidit Deus*, inquit, *lucem*, *quia bona est*, et divisione ac nominibus discrevit a tenebris. Neque tunc dixit, *Vidit Deus quia bonum est;* ad hoc enim erat informitas illa discreta, ut adhuc inde alia formarentur. Namque ista nox quæ nobis notissima est (facit enim eam super terras solis circuitus), quando per luminarium distributionem a die dividitur, post ipsam divisionem diei et noctis dicitur, *Vidit Deus quia bonum est.* Non enim hæc nox informis aliqua substantia erat, unde adhuc alia formarentur, sed spatium loci plenum aere, carens lumine diurno; cui utique nocti jam nihil addendum esset in genere suo, quo esset speciosior sive distinctior. Vespera autem in toto illo triduo, antequam fierent luminaria, consummati operis terminus non absurde fortasse intelligitur; mane vero, tanquam futuræ operationis significatio.

CAPUT XVIII. — *Quomodo Deus operatur.*

36. Sed ante omnia meminerimus, unde jam multa diximus, non temporalibus quasi animi sui aut corporis motibus operari Deum, sicut operatur homo vel angelus; sed æternis atque incommutabilibus et stabilibus rationibus coæterni sibi Verbi sui, et quodam, ut ita dixerim, fotu [1] pariter coæterni sancti Spiritus sui. Nam et illud quod per græcam et latinam linguam dictum est de Spiritu Dei, quod *superferebatur super aquas*, secundum syræ linguæ intellectum, quæ vicina est hebrææ, (nam hoc a quodam docto christiano syro fertur expositum) non *superferebatur*, sed *fovebat* potius intelligi perhibetur. Nec sicut foventur tumores aut vulnera in corpore aquis vel frigidis vel calore congruo temperatis; sed sicut ova foventur ab alitibus, ubi calor ille materni corporis etiam formandis pullis quodammodo adminiculatur, per quemdam in suo genere dilectionis affectum. Non itaque per singulos dies istorum operum divinorum tanquam temporales voces Dei carnaliter cogitemus. Non enim ad hoc ipsa Dei Sapientia nostra infirmitate suscepta venit ad colligendos sub alas suas filios Jerusalem, quemadmodum gallina pullos suos (*Matth.* XXIII, 37) ut semper parvuli simus; sed ut malitia infantes, mente pueri esse desinamus (I *Cor.* XIV, 20).

37. Et in rebus obscuris atque a nostris oculis remotissimis, si qua inde scripta etiam divina legerimus, quæ possint salva fide qua imbuimur, alias atque alias parere sententias; in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas eam recte labefactaverit, corruamus: non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est; cum potius eam quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.

CAPUT XIX. — *In obscuris Scripturæ locis nihil temere asserendum.*

38. Ponamus enim in eo quod scriptum est, *Dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux;* alium sensisse lucem corporalem factam, et alium spiritualem. Esse spiritualem lucem in creatura spirituali, fides nostra non dubitat [2]: esse autem lucem corporalem cœlestem, aut etiam supra cœlum, vel ante cœlum, cui succedere nox potuerit, tamdiu non est contra fidem, donec veritate certissima refellatur. Quod si factum fuerit, non hoc habebat divina Scriptura, sed hoc senserat humana ignorantia. Si autem hoc verum esse certa ratio demonstraverit, adhuc incertum erit utrum hoc in illis verbis sanctorum Librorum scriptor sentiri

fuerat particula, *et*, insertaque proxime ante vocem, *ostenderet:* pauloque post in iisdem legebatur, *distribuendorum*, pro quo in multis Mss., *distributione;* at in aliis, *distributionum meritorum*.

[1] Mss. septem, *futurarum*.

[2] Mss. sex, *distinctionis*.

[3] In excusis, *ut cum cœlum explicasset*. Redundat vox, *cœlum;* abestque a Mss.

[1] Editi, *flatu*. At Mss. melioris notæ *fotu*. Concinnius ad illam interpretandi rationem Syri cujusdam, quam hic laudat Augustinus, post Basilium in homilia 2 in Hexam.

[2] Sic ad melioris notæ Mss. emendamus, cum in prius editis legeretur : *Aliam sensisse lucem corporalem factam, et aliam spiritualem esse lucem in creatura spirituali, quod nostra fides non dubitat.*

voluerit, an aliud aliquid non minus verum. Quod si cætera contextio sermonis non hoc eum voluisse probaverit, non ideo falsum erit aliud, quod ipse intelligi voluit; sed et verum, et quod utilius cognoscatur. Si autem contextio Scripturæ hoc voluisse intelligi scriptorem non repugnaverit, adhuc restabit quærere utrum et aliud non potuerit. Quod si et aliud potuisse invenerimus, incertum erit quidnam eorum ille voluerit: et utrumque sentiri voluisse, non inconvenienter creditur, si utrique sententiæ certa circumstantia suffragatur.

39. Plerumque enim accidit ut aliquid de terra, de cœlo, de cæteris mundi hujus elementis, de motu et conversione vel etiam magnitudine et intervallis siderum, de certis defectibus solis ac lunæ, de circuitibus annorum et temporum, de naturis animalium, fruticum, lapidum, atque hujusmodi cæteris, etiam non christianus ita noverit, ut certissima ratione vel experientia teneat. Turpe est autem nimis et perniciosum ac maxime cavendum, ut christianum de his rebus quasi secundum christianas Litteras loquentem, ita delirare quilibet infidelis audiat, ut, quemadmodum dicitur, toto cœlo errare conspiciens, risum tenere vix possit. Et non tam molestum est, quod errans homo deridetur, sed quod auctores nostri ab eis qui foris sunt, talia sensisse creduntur, et cum magno eorum exitio de quorum salute satagimus, tanquam indocti reprehenduntur atque respuuntur. Cum enim quemquam de numero Christianorum in ea re quam optime norunt, errare deprehenderint, et vanam sententiam suam de nostris Libris asserere; quo pacto illis Libris credituri sunt, de resurrectione mortuorum, et de spe vitæ æternæ, regnoque cœlorum, quando de his rebus quas jam experiri, vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putaverint esse conscriptos? Quid enim molestiæ tristitiæque ingerant prudentibus fratribus temerarii præsumptores, satis dici non potest, cum si quando de prava et falsa opinione sua reprehendi, et convinci cœperint ab eis qui nostrorum Librorum auctoritate non tenentur, ad defendendum id quod levissima temeritate et apertissima falsitate dixerunt, eosdem Libros sanctos, unde id probent, proferre conantur, vel etiam memoriter, quæ ad testimonium valere arbitrantur, multa inde verba pronuntiant, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (I *Tim.* I, 7).

CAPUT XX. — *Genesim cur interpretetur sententias varias proferendo, non aliquam unam asserendo.*

40. Ad hoc enim considerandum et observandum, librum [1] Geneseos multipliciter, quantum potui, enucleavi, protulique sententias de verbis ad exercitationem nostram obscure positis; non aliquid unum temere affirmans cum præjudicio alterius expositionis fortasse melioris, ut pro suo modulo eligat quisque quod capere possit: ubi autem intelligere non potest, Scripturæ Dei det honorem, sibi timorem. Sed cum tam multis exitibus verba Scripturæ quæ tractavimus, exponantur, cohibeant se tandem qui litteris inflati sæcularibus hæc ita posita, ut omnia pia corda nutriant, velut imperitum atque impolitum aliquid exagitant; sine pennis in terra reptantes, et volatu ranarum [1] avium nidos irridentes. Periculosius autem errant quidam infirmi fratres, qui cum istos impios de cœlestium corporum numeris, vel de quibuslibet elementorum mundi hujus quæstionibus subtiliter et copiose disserere audiunt, evanescunt; et eos sibi cum suspirio præponentes, et magnos putantes, saluberrimæ pietatis Libros cum fastidio repetunt, et quos dulciter haurire deberent, vix patienter attingunt; a segetis asperitate abhorrentes, et spinarum floribus inhiantes. Non enim vacant videre quam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII, 9), nec in sabbato esuriunt; atque ideo pigri sunt, potestate a Domino sabbati accepta, vellere spicas, et tamdiu versari manibus, contritasque purgare, donec ad escam perveniant (*Matth.* XII, 1).

CAPUT XXI. — *Quis fructus hujusmodi interpretationis, qua nihil temere asseritur.*

41. Dicet aliquis: Quid tu tanta tritura dissertationis hujus, quid granorum exuisti? quid eventilasti? Cur propemodum in quæstionibus adhuc latent omnia? Affirma aliquid eorum quæ multa posse intelligi disputasti. Cui respondeo, ad eum ipsum me cibum suaviter pervenisse, quo didici non hærere homini in respondendo secundum fidem, quod respondendum est hominibus qui calumniari Libris nostræ salutis affectant; ut quidquid ipsi de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris Litteris non esse contrarium. Quidquid autem de quibuslibet suis voluminibus his nostris Litteris, id est catholicæ fidei contrarium protulerint, aut aliqua etiam facultate ostendamus, aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum: atque ita teneamus Mediatorem nostrum, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ absconditi (*Coloss.* II, 3), ut neque falsæ philosophiæ loquacitate seducamur, neque falsæ religionis superstitione terreamur. Et cum divinos Libros legimus in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, et sanitate catholicæ fidei muniuntur, id potissimum deligamus, quod certum apparuerit eum sensisse quem legimus; si autem hoc latet, id certe quod circumstantia Scripturæ non impedit, et cum sana fide concordat: si autem et Scripturæ circumstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id solum quod fides sana præscribit. Aliud est enim quid potissimum scriptor senserit non dignoscere, aliud autem a regula pietatis errare. Si utrumque vitetur, perfecte se habet fructus legentis: si vero utrumque vitari non potest, etiam si voluntas scriptoris incerta sit sanæ fidei congruam non inutile est eruisse [2] sententiam.

[1] In B., *libri;* cæteri editi, *librum,* concinnius

[1] Lov., *volaturarum.* At aliæ editiones et magna pars Mss habent, *volatu ranarum.*
[2] Sic Mss. At editi, *tenuisse.*

LIBER SECUNDUS

De eo quod scriptum est cap. 1, vers. 6 : *Et dixit Deus, Fiat firmamentum*, etc., usque ad vers. 19 : *Et factum est vespere*, etc. Nonnulla in fine contra Genethliacos.

CAPUT PRIMUM. — *Firmamentum in medio aquarum quid. Aquas supra sidereum cœlum esse quidam negant.*

1. *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, et sit dividens inter aquam et aquam : et sic est factum. Et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus inter aquam quæ erat infra firmamentum, et inter aquam quæ erat super firmamentum. Et vocavit Deus firmamentum cœlum. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespera, et factum est mane dies secundus.* De verbo Dei quo dixit, *Fiat firmamentum*, etc., et de placito ejus, quo vidit quia bonum est, et de vespera et mane, non opus est hic iterum similiterque disserere; atque ita deinceps quotiescumque ista repetuntur, secundum superiorem inquisitionem interim consideranda esse admonemus. Utrum autem nunc illud cœlum fiat, quod excedit aeris omnia spatia, ejusque omnem altitudinem, ubi etiam luminaria stellæque constituuntur quarto die; an ipse aer vocetur firmamentum, quæri merito potest.

2. Multi enim asserunt istarum aquarum naturam super sidereum cœlum esse non posse, quod sic habeant ordinatum pondus suum, ut vel super terram fluitent, vel in aere terris proximo vaporaliter ferantur. Neque quisquam istos debet ita refellere, ut dicat secundum omnipotentiam Dei, cui cuncta possibilia sunt, oportere nos credere, aquas etiam tam graves, quam novimus atque sentimus, cœlesti corpori, in quo sunt sidera, superfusas. Nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas rerum, secundum Scripturas ejus nos convenit quærere; non quid in eis vel ex eis ad miraculum potentiæ suæ velit operari. Neque enim si vellet Deus sub aqua oleum aliquando manere, non fieret; non ex eo tamen olei natura nobis esset incognita, quod ita facta sit, ut appetendo suum locum, etiam si subterfusa fuerit, perrumpat aquas, eisque se superpositam collocet. Nunc ergo quærimus utrum conditor rerum, qui omnia in mensura et numero et pondere disposuit (*Sap.* XI, 21), non unum locum proprium ponderi aquarum circa terram tribuerit, sed et super cœlum quod ultra limitem aeris circumfusum atque solidatum est.

3. Quod qui negant esse credendum, de ponderibus elementorum argumentantur, negantes ullo modo ita desuper quasi quodam pavimento solidatum esse cœlum, ut possit aquarum pondera sustinere; quod talis soliditas nisi terris esse non possit, et quidquid tale est, non cœlum sed terra sit. Non enim tantum locis, sed etiam qualitatibus propriis elementa distingui [1], ut pro qualitatibus propriis etiam loca propria sortirentur : aqua scilicet super terram, quæ etiam si sub terra stat aut labitur, sicut in antris cavernisque abditis, non tamen ea terræ parte quam supra, sed ea quam infra se habet, continetur. Nam si ex parte superiore fuerit pars ulla terræ delapsa, non manet super aquam, sed ea perrupta demergitur et pergit ad terram; quo veniens conquiescit, tanquam in loco suo, ut supra sit aqua, subtus autem terra. Unde cognoscitur quod etiam super aquas cum esset, non ipsis aquis portabatur, sed compage terræ tenebatur, sicut sese habent cameræ speluncarum.

[1] Editi, *distinguuntur*. At Mss., *distingui :* supple, contendunt illi qui de elementorum ponderibus argumentantur.

4. Hic occurrit admonere cavendum errorem, quem in libro primo cavendum admonui, ne forte quia scriptum est in Psalmis, *Fundavit terram super aquam;* arbitretur aliquis nostrum, adversus istos de ponderibus elementorum subtiliter disserentes, isto testimonio Scripturarum esse nitendum : quia illi non retenti auctoritate Litterarum nostrarum, et nescientes quemadmodum dictum sit, Libros sanctos facilius irridebunt, quam illud repudiabunt, quod vel certis rationibus perceperunt, vel experimentis manifestissimis probaverunt. Illud namque in Psalmis, aut figurate dictum recte accipi potest : ut quoniam cœli et terræ nomine sæpe in Ecclesia spirituales carnalesque significantur, cœlos ostenderit pertinere ad serenam intelligentiam veritatis, dicens, *Qui fecit cœlos in intelligentia* (*Psal.* CXXXV, 6, 5); terram vero ad fidem simplicem parvulorum, non fabulosis opinionibus incertam atque fallacem, sed prophetica et evangelica prædicatione firmissimam, quæ per Baptismum solidatur, et ideo subjecerit, dicens, *Fundavit terram super aquam.* Aut si ad litteram quisquam cogit intelligi, non incongruenter vel sublimia terrarum sive continentium, sive insularum accipiuntur, quæ superiora sunt aquis; vel ipsa tegmina speluncarum, quæ super aquas pendula soliditate firmata sunt. Quocirca nec ad litteram quisquam potest sic intelligere, quod dictum est, *Fundavit terram super aquam;* ut aquarum pondus terreno ponderi supportando naturali ordine quasi subjectum esse arbitretur.

CAPUT II. — *Aer terra superior.*

5. Aerem vero aquis esse superiorem, quamvis propter ampliora sui spatia etiam aridam contegat, hinc intelligitur, quod nullum vas ab ore impressum repleri aquis potest : unde satis indicat aeris naturam locum petere superiorem. Videtur enim vas inane, sed aere plenum probatur, cum ore imo in aquam deprimitur; quia enim per superiorem partem non invenit emeandi locum, nec deorsum versus irruptis [1] aquis subter eas ire natura sinitur, plenitudine sua repellit eas, et in vas non permittit intrare. Cum autem vas ita collocatur, ut os non habeat deorsum,

[1] Lov., *eruptis*. Cæteri codices, *irruptis.*

sed in latus inclinatum, intrat aqua inferius, exeunte aere superius. Itemque si vasis erecti os pateat in cœlum, cum infundis aquam, evadit aer sursum versus, ex aliis partibus qua non infundis, et fit locus aquæ deorsum versus intrandi. Quod si vi majore vas deprimitur, ut vel ex latere vel desuper aquæ repente influant, et undique os vasis obtegant, disrumpit eas aer sursum nitens, ut eis ad ima locum faciat; et ipsa disruptio singultus vasorum est, dum partibus fugit, quia totus tam cito non potest, propter illius oris angustias. Ita si aer super aquas ire cogitur, etiam confluentes eas disjicit [1], cum exsilientes impetu ejus impulsæ ebulliunt, et eum bullis crepantibus emittunt in sua properantem, atque illis ad ima decidendi aditum dantem. Si autem sub aquas ire cogitur ex vase, ut illo cedente vas ab ore in ima presso repleri velis, facilius undis undique versum cooperitur, quam per os ejus ab inferiore parte intrandi gutta exigua reperit locum.

CAPUT III. — *Ignis superior aere.*

6. Jam vero ignem ad superna emicantem etiam ipsius aeris naturam velle transcendere, quis non sentiat? quandoquidem si ardentem faculam capite deorsum quisque teneat, nihilominus flammæ crinis ad superiora contendit. Sed quoniam circumfusi ac superfusi aeris præpollenti constipatione subinde ignis exstinguitur, et in ejus qualitatem per abundantiam superatus subinde commutatur ac vertitur, ad universam ejus altitudinem transiliendam non potest perdurare. Itaque super aerem purus ignis esse dicitur cœlum, unde etiam sidera atque luminaria facta conjectant, illius videlicet igneæ lucis in eas formas quas in cœlo cernimus, conglobata dispositaque natura: ac per hoc, sicut terrarum ponderibus et aer et aqua cedit, ut ad terram perveniant; sic aquarum ponderi, et ipse aer cedit, ut vel ad terram vel ad aquam perveniat. Unde intelligi volunt, hoc modo necesse fuisse ut aer quoque, si quis ejus particulam in spatiis illis sublimibus cœli posset dimittere, pondere suo caderet, donec ad aeria subter spatia perveniret. Quapropter colligunt multo minus esse posse aquis supra illud igneum cœlum aliquid loci, cum illic aer multo aquis levior manere non possit.

CAPUT IV. — *Aquæ supra cœlum aereum quod firmamentum appellari quidam observavit.*

7. Talibus eorum disputationibus cedens, laudabiliter conatus est quidam demonstrare aquas super cœlos, ut ex ipsis visibilibus conspicuisque naturis assereret Scripturæ fidem. Et prius quidem, quod facillimum fuit, ostendit et hunc aerem cœlum appellari, non solum sermone communi, secundum quem dicimus serenum vel nubilum cœlum, sed etiam nostrarum ipsarum consuetudine Scripturarum, cum dicuntur volatilia cœli (*Matth.* vi, 26), cum aves in hoc aere volare manifestum sit: et Dominus cum de nubibus loqueretur, *Faciem*, inquit, *cœli potestis probare* (*Id.* xvi, 4). Nubes autem etiam per proximum terris aerem conglobari sæpe cernimus, cum per declivia jugorum ita recumbunt, ut plerumque excedantur etiam cacuminibus montium. Cum ergo probasset et hunc aerem cœlum dici, nulla alia causa etiam firmamentum appellatum voluit existimari, nisi quia intervallum ejus dividit inter quosdam vapores aquarum, et istas aquas quæ corpulentius [1] in terris fluitant. Et nubes quippe, sicut experti sunt qui inter eas in montibus ambulaverunt, congregatione et conglobatione minutissimarum guttarum talem speciem reddunt: quæ si spissantur amplius, ut conjungantur in unam grandem plures guttæ minimæ, non eam patitur aer apud se teneri, sed ejus ponderi ad ima dat locum; et hæc est pluvia. Ergo ex aere, qui est inter vapores humidos, unde superius nubila conglobantur, et maria subterfusa, ostendere ille voluit esse cœlum inter aquam et aquam. Hanc ergo diligentiam considerationemque laude dignissimam judico. Quod enim dixit, neque contra fidem est, et in promptu posito documento credi potest.

8. Quanquam possit videri, non impedire propria pondera elementorum, quominus etiam super illud sublime cœlum possint esse aquæ per illas minutias, per quas etiam super hoc spatium aeris esse potuerunt: qui quamvis gravior et inferior summo cœlo subjaceat, procul dubio levior est aquis, et tamen ut super eum sint vapores illi, nullo pondere prohibentur. Sic ergo et super illud cœlum potest minutioribus guttis levior halitus humoris extendi, qui pondere cadere non cogatur. Ipsi quippe subtilissima ratione persuadent, nullum esse quamlibet exiguum corpusculum in quo divisio finiatur, sed infinite omnia dividi; quia omnis pars corporis corpus est, et omne corpus habeat necesse est dimidium quantitatis suæ. Ac per hoc si potest aqua, sicut videmus, ad tantas guttarum minutias pervenire, ut super istum aerem vaporaliter feratur, qui natura levior est aquis; cur non possit et super illud levius cœlum minutioribus guttis et levioribus immanere vaporibus?

CAPUT V. — *Aquæ supra cœlum etiam sidereum.*

9. Quidam etiam nostri, istos negantes propter pondera elementorum aquas esse posse super cœlum sidereum, de ipsorum siderum qualitatibus et meatibus convincere moliuntur. Iidem namque asserunt stellam quam Saturni appellant, esse frigidissimam, eamque per annos triginta signiferum peragere circulum, eo quod superior , ac per hoc ampliore ambitu graditur. Nam sol eumdem circulum per annum complet, et luna per mensem; tanto, ut dicunt, brevius, quanto inferius, ut spatio loci spatium temporis congruat. Quæritur itaque ab eis, unde illa stella sit frigida, quæ tanto ardentior esse deberet, quanto sublimiore cœlo rapitur. Nam procul dubio cum rotunda moles circulari motu agitur, interiora ejus tardius eunt, exteriora celerius, ut majora spatia cum brevioribus ad eosdem gyros pariter occurrant: quæ autem

[1] In excusis, *dissecat*; pro quo in veteribus codicibus quibusdam, *disjicit*; in aliis probæ notæ, *dissicit*.

[1] Navarricus Ms., *corpulentiores*.

(Neuf.)

celerius, utique ferventius. Proinde memorata stella magis debuit calida esse quam frigida : quamvis enim suo motu, quoniam grande spatium est, triginta annis totum ambitum permeet, tamen cœli motu in contrarium rotata velocius, quod quotidie necesse est patiatur (quoniam, sicut dicunt, cœli singulæ conversiones, dies singulos explicant), calorem majorem debuit cœlo concitatiore concipere. Nimirum ergo eam frigidam facit aquarum super cœlum constitutarum illa vicinitas, quam nolunt credere, qui hæc, quæ breviter dixi, de motu cœli et siderum disputant. His quidam nostri conjecturis agunt adversus eos qui nolunt aquas super cœlum credere, et volunt eam stellam esse frigidam, quæ juxta summum cœlum circuit; ut ex hoc cogantur aquarum naturam [1], non jam illic vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate pendere. Quoquo modo autem et qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minime dubitemus : major est quippe Scripturæ hujus auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas.

CAPUT VI. — *De eo quod additum est*, Et fecit Deus, *etc., an eo declaretur Filii Dei persona.*

10. Sed animadversum est a quibusdam, quod nec ego dissimulandum puto, non frustra cum dixisset Deus, *Fiat firmamentum in medio aquarum, et sit divisio inter aquam et aquam ;* parum visum esse subjungere, *Et sic est factum*, nisi adderetur, *Et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus inter aquam quæ erat super firmamentum, et inter aquam quæ erat sub firmamento :* quod quidem sic intelligunt, ut personam Patris declaratam esse dicant, in eo quod scriptum est, *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, et sit divisio inter aquam et aquam : et sic est factum.* Ac deinde ut intelligatur Filius fecisse quod a Patre dictum est ut fieret, arbitrantur esse subnexum, *Et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus*, etc.

11. Sed cum antea legitur, *Et sic est factum;* a quo intelligimus factum? Si a Filio, quid opus erat jam dicere, *Et fecit Deus*, et quæ sequuntur? Si autem quod scriptum est, *Et sic est factum*, a Patre intellexerimus factum; non jam Pater dicit, et Filius facit : et potest aliquid Pater facere sine Filio, ut deinde Filius non hoc, sed aliud similiter faciat; quod est contra catholicam fidem. Si autem illud de quo dicitur, *Et sic est factum*, hoc idem fit cum itidem dicitur, *Et fecit Deus ;* quid prohibet eumdem intelligere facere quod dixit, qui dixit ut fieret? An etiam excepto eo quod scriptum est, *Et sic est factum*, tantummodo in his verbis, quibus dicitur, *Et dixit Deus ; Fiat*, et postea dicitur, *Et fecit Deus ;* Patris et Filii personam volunt intelligi?

12. Sed quæri adhuc potest, utrum quasi jussisse Filio Patrem debeamus accipere in eo quod scriptum est, *Et dixit Deus, Fiat?* Sed cur Scriptura non curavit ostendere etiam personam Spiritus sancti? An ita Trinitas intelligitur, *Et dixit Deus Fiat, Et fecit Deus, Et vidit Deus quia bonum est?* Sed non convenit unitati Trinitatis, ut Filius quasi jussus fecisse intelligatur, Spiritus autem sanctus nullo sibi jubente libere vidisse bonum esse quod factum est. Quibus enim verbis juberet Filio Pater ut faceret, cum ipse sit principale Verbum Patris, per quod facta sunt omnia? An eo ipso quod scriptum est, *Fiat firmamentum*, hæc ipsa dictio Verbum est Patris, unigenitus Filius, in quo sunt omnia quæ creantur, etiam antequam creentur, et quidquid in illo est, vita est [1]; quia quidquid per eum factum est, in ipso vita est, et vita utique creatrix, sub illo autem creatura? Aliter ergo in illo sunt ea quæ per illum facta sunt, quia regit et continet ea; aliter autem in illo sunt ea quæ ipse est. Ipse enim vita est, quæ ita in illo est ut ipse sit, quoniam ipse vita est lux hominum (*Joan.* I, 3, 4). Quia ergo nihil creari posset sive ante tempora, quod quidem non est Creatori coæternum, sive ab exordio temporum, sive in aliquo tempore, cujus creandi ratio, si tamen ratio recte dicitur, non in Dei Verbo Patri coæterno coæterna vita viveret; propterea Scriptura priusquam insinuet unamquamque creaturam, ex ordine quo conditam dicit, respicit ad Dei Verbum, prius ponens, *Et dixit Deus, Fiat* illud. Non enim invenit ullam causam rei creandæ, quam in Verbo Dei non invenit creari debuisse.

13. Non ergo Deus toties dixit, Fiat illa vel illa creatura, quoties in hoc libro repetitur, *Et dixit Deus.* Unum quippe Verbum ille genuit, in quo dixit omnia, priusquam facta sunt singula : sed eloquium scribentis descendens ad parvulorum capacitatem, dum insinuat singulatim genera creaturarum, per singula respicit uniuscujusque generis æternam rationem in Verbo Dei; nec illa repetita, ille tamen repetit, *Et Dixit Deus.* Si enim vellet prius dicere, *Factum est firmamentum in medio aquarum, ut esset divisio inter aquam et aquam ;* si quis ab eo quæreret, quomodo factum esset, recte responderet, *Dixit Deus, Fiat :* id est, in Verbo Dei æterno erat ut fieret. Inde ergo incipit narrare unumquodque factum, quod etiam post facti narrationem, quærenti quomodo factum sit, in reddenda ratione respondere deberet.

14. Cum ergo audimus, *Et dixit Deus, Fiat ;* intelligimus quod in Verbo Dei erat ut fieret. Cum vero audimus, *Et sic est factum ;* intelligimus factam creaturam non excessisse præscriptos in Verbo Dei terminos generis sui. Cum vero audimus, *Et vidit Deus quia bonum est*, intelligimus in benignitate Spiritus ejus non quasi cognitum posteaquam factum est placuisse, sed potius in ea bonitate placuisse ut maneret factum, ubi placebat ut fieret.

CAPUT VII. — *De eadem re.*

15. Ac per hoc manet adhuc causa requirendi, cur posteaquam dixit, *Et sic est factum*, ubi perfectio operis jam indicatur; addidit, *Et fecit Deus :* cum eo ipso quod ait, *Et dixit Deus, Fiat* illud, *Et sic est factum*, jam intelligatur id Deum dixisse in Verbo suo, et factum esse per Verbum ejus; atque ibi jam non solum

[1] Post, *cogantur aquarum naturam*, in editis additum fuit, *credere :* quod verum abest a Mss., et abesse debet, si *pendere* quod in fine sententiæ est, non a *pendeo*, sed a *pendo* accipiatur pro *æstimare.*

[1] Editi hic interponunt, *et vita utique creaturæ ;* quæ absunt a Mss.

Patris, sed etiam Filii possit apparere persona. Nam si propter ostendendam Filii personam repetitur, ac dicitur, *Et fecit Deus;* numquid ergo non per Filium congregavit aquam tertio die ut appareret arida, quia ibi non dicitur, Et fecit Deus congregari aquam, aut congregavit Deus aquam? Sed tamen etiam ibi posteaquam dixit, *Et factum est sic;* tunc repetivit, dicens, *Et congregata est aqua, quæ est sub cœlo.* Numquid etiam lux non per Filium facta est, ubi prorsus nullo modo repetivit? Potuit enim et illic ita dicere, Et dixit Deus, fiat lux, et sic est factum; et fecit Deus lucem; et vidit quia bona est: aut certe sicut in aquarum congregatione, ut non diceret, Et fecit Deus, sed tantum iterum repeteret [1], Et dixit Deus, fiat lux, et sic est factum; et facta est lux; et vidit Deus lucem, quia bona est. Sed nullo modo repetens posteaquam proposuit, *Et dixit Deus, Fiat lux;* nihil aliud intulit nisi, *Et facta est lux;* ac deinceps de placita luce et divisa a tenebris, et utroque appellato nominibus suis, sine ulla repetitione narravit.

CAPUT VIII. — *De luce cur non additum,* Et fecit Deus, *sicuti solet de aliis creaturis dici.*

16. Quid sibi ergo vult in cæteris illa repetitio? An eo modo demonstratur primo die, quo lux facta est, conditionem spiritualis et intellectualis creaturæ lucis appellatione intimari; in qua natura intelliguntur omnes Angeli sancti atque Virtutes: et propterea non repetivit factum posteaquam dixit, *Facta est lux;* quia non primo cognovit rationalis creatura conformationem suam, ac deinde formata est; sed in ipsa sua conformatione cognovit, hoc est illustratione veritatis, ad quam conversa formata est: cætera vero quæ infra sunt ita creantur, ut prius fiant in cognitione [2] rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo? Quapropter lucis conditio prius est in Verbo Dei secundum rationem, qua condita est, hoc est in coæterna Patri Sapientia; ac deinde in ipsa lucis conditione secundum naturam, qua condita est: illic non facta, sed genita; hic vero facta, quia ex informitate formata: et ideo dixit Deus, *Fiat lux, et facta est lux;* ut quod ibi erat in Verbo, hic esset in opere. Conditio vero cœli prius erat in Verbo Dei secundum genitam Sapientiam; deinde facta est in creatura spirituali, hoc est in cognitione Angelorum secundum creatam in illis sapientiam: deinde cœlum factum est, ut esset etiam ipsa cœli creatura in genere proprio. Sic et discretio vel species aquarum atque terrarum, sic naturæ lignorum et herbarum, sic luminaria cœli, sic animantia orta ex aquis ac terra.

17. Neque enim sicut pecora, solo sensu corporis, vident Angeli hæc sensibilia; sed si quo sensu tali utuntur, agnoscunt ea potius, quæ melius noverunt interius in ipso Dei Verbo, a quo illuminantur ut sapienter vivant: cum sit in eis lux quæ primo facta est, si lucem spiritualem in illo die factam intelligamus. Quemadmodum ergo ratio qua creatura conditur, prior est in Verbo Dei quam ipsa creatura quæ conditur: sic et ejusdem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali, quæ peccato tenebrata non est; ac deinde ipsa conditio creaturæ [1]. Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicerent (*Rom.* I, 20), qui ex quo creati sunt, ipsa Verbi æternitate sancta et pia contemplatione perfruuntur; atque inde ista despicientes, secundum id quod intus vident, vel recte facta approbant, vel peccata improbant.

18. Nec mirum est quod sanctis Angelis suis, in prima lucis conditione formatis, prius Deus ostendebat quod erat deinceps creaturus. Neque enim intellectum Dei nossent, nisi quantum ipse monstrasset. Quis enim cognovit intellectum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (*Id.* XI, 34-36). Ex ipso ergo discebant Angeli, cum in eis fieret cognitio creaturæ deinceps faciendæ, ac deinde fieret in genere proprio.

19. Quapropter, jam luce facta, in qua intelligimus ab æterna luce formatam rationalem creaturam, cum in cæteris creandis rebus audimus, *Et dixit Deus, Fiat;* intelligamus ad æternitatem Verbi Dei recurrentem Scripturæ intentionem. Cum vero audimus, *Et sic est factum;* intelligamus in creatura intellectuali factam cognitionem rationis, quæ in Verbo Dei est, condendæ [2] creaturæ, ut in ea natura prius quodam modo facta sit, quæ anteriore quodam motu in ipso Dei Verbo prior faciendam esse cognovit: ut postremo, cum audimus repeti ac dici quod *Fecit Deus*, jam intelligamus in suo genere fieri ipsam creaturam. Porro cum audimus, *Et vidit Deus quia bonum est*, intelligamus benignitati Dei placuisse quod factum est, ut pro modo sui generis maneret quod placuit ut fieret, cum *Spiritus Dei superferebatur super aquam.*

CAPUT IX. — *De figura cœli.*

20. Quæri etiam solet quæ forma et figura cœli esse credenda sit secundum Scripturas nostras. Multi enim multum disputant de iis rebus, quas majore prudentia nostri auctores omiserunt, ad beatam vitam non profuturas discentibus; et occupantes, quod pejus est, multum pretiosa, et rebus salubribus impendenda temporum spatia. Quid enim ad me pertinet, utrum cœlum sicut sphæra undique concludat terram in media mundi mole libratam, an eam ex una parte desuper velut discus operiat? Sed quia de fide agitur Scripturarum, propter illam causam, quam non semel commemoravi, ne quisquam eloquia divina non intelligens, cum de his rebus tale aliquid vel invenerit in Libris nostris, vel ex illis audierit, quod perceptis a se rationibus [3] adversari videatur, nullo modo eis cætera utilia monentibus, vel narrantibus, vel pronuntiantibus credat; breviter dicendum est de figura cœli hoc scisse auctores nostros quod veritas habet; sed Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines nulli saluti profutura.

[1] In plerisque Mss., *sed tamen iterum repeteret.*
[2] Editi, *cogitatione.* Melius Mss., *cognitione.*

[1] In excusis ad vocem *creaturæ* addebatur, *postea in genere proprio;* quod abest ab omnibus Mss.
[2] Plures Mss., *conditæ.*
[3] Sic Mss. At editi, *assertionibus.*

21. Sed, ait aliquis, quomodo non est contrarium iis qui figuram sphæræ cœlo tribuunt, quod scriptum est in Litteris nostris, *Qui extendit cœlum sicut pellem* (*Psal.* CIII, 2)? Sit sane contrarium, si falsum est quod illi dicunt : hoc enim verum est quod divina dicit auctoritas, potius quam illud quod humana infirmitas conjicit. Sed si forte illud talibus illi documentis probare potuerint, ut dubitari inde non debeat; demonstrandum est hoc quod apud nos de pelle dictum est, veris illis rationibus non esse contrarium : alioquin contrarium erit etiam ipsis in alio loco Scripturis nostris, ubi cœlum dicitur velut camera esse suspensum (*Isai.* XL, 22, *sec.* LXX). Quid enim tam diversum et sibimet adversum, quam plana pellis extensio, et cameræ curva convexio? Quod si oportet, sicuti oportet, hæc duo sic intelligere, ut concordare utrumque, nec sibimet repugnare inveniatur; ita oportet etiam utrumlibet horum illis non adversari disputationibus, si eas forte veras certa ratio declaraverit, quibus docetur cœlum sphæræ figura undique esse convexum, si tamen probatur.

22. Et illa quidem apud nos cameræ similitudo, etiam secundum litteram accepta, non impedit eos qui sphæram dicunt. Bene quippe creditur secundum eam partem, quæ super nos est, de cœli figura Scripturam loqui voluisse. Si ergo sphæra non est, ex una parte camera est, ex qua parte cœlum terram contegit : si autem sphæra est, undique camera est. Sed illud quod de pelle dictum est, magis urget, ne non sphæræ, quod humanum est forte commentum, sed ipsi nostræ cameræ adversum sit. Quid autem hinc allegorice senserim, *Confessionum* nostrarum liber tertius decimus habet (*Cap.* 15). Sive igitur ita ut ibi posui, sive aliquo alio modo intelligendum sit cœlum sicut pellis extentum; propter molestos et nimios exactores expositionis ad litteram, hoc dico, quod, sicut arbitror, omnium sensibus patet : utrumque enim fortasse, id est et pellis et camera, figurate intelligi potest; utrumque autem ad litteram quomodo possit, videndum est. Si enim camera non solum curva, sed etiam plana recte dicitur; profecto et pellis non solum in planum, verum etiam in rotundum sinum extenditur. Nam et uter sicut et vesica, pellis est.

CAPUT X. — *De cœli motu.*

23. De motu etiam cœli nonnulli fratres quæstionem movent, utrum stet, an moveatur. Quia si movetur, inquiunt, quomodo firmamentum est? Si autem stat, quomodo sidera quæ in illo fixa creduntur, ab oriente usque ad occidentem circumeunt, septentrionibus breviores gyros juxta cardinem peragentibus; ut cœlum, si est alius nobis occultus cardo ex alio vertice, sicut sphæra, si autem nullus alius cardo est, velut discus rotari videatur? Quibus respondeo, multum subtilibus et laboriosis rationibus ista perquiri, ut vere percipiatur utrum ita an non ita sit; quibus ineundis atque tractandis nec jam mihi tempus est, nec illis esse debet, quos ad salutem suam et sanctæ Ecclesiæ necessariam utilitatem cupimus informari. Hoc sane noverint, nec nomen firmamenti cogere ut stare cœlum putemus (firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum et inferiorum aquarum, vocatum intelligere licet); nec, si veritas cœlum stare persuaserit, impediri nos circuitu siderum ne hoc intelligere possimus. Et ab ipsis quippe qui hæc curiosissime et otiosissime quæsierunt, inventum est, etiam cœlo non moto, si sola sidera verterentur [1], fieri potuisse omnia quæ in ipsis siderum conversionibus animadversa atque comprehensa sunt.

CAPUT XI. — *De vers.* 9 *et* 10, *ubi explicat quid de terræ informitate intelligendum sit.*

24. *Et dixit Deus, Congregetur aqua quæ sub cœlo est in congregationem unam, et appareat arida. Et factum est sic; et congregata est aqua quæ sub cœlo est in congregationem unam, et apparuit arida. Et vocavit Deus aridam terram, et congregationes aquarum vocavit mare. Et vidit Deus quia bonum est.* Jam de hoc opere Dei propter alterius rei quærendæ necessitatem, in primo nostro volumine satis tractavimus (*Lib.* I, *cc.* 12, *et* 13). Hic itaque breviter admonemus, ut quem forte non movet quærere quando species aquarum terrarumque creata sit, accipiat isto die non esse factum, nisi ut secernerentur hæc duo elementa inferiora. Quem vero movet cur in diebus facta sit lux et cœlum, extra dies autem vel ante omnes dies aqua et terra; et cur ad Dei verbum facta sint illa, dicente Deo, *Fiat;* hæc autem dicente quidem Deo discreta, non autem Deo dicente facta inveniantur : habet quod salva fide intelligat, scilicet id quod dictum est ante dierum enumerationem, *Terra erat invisibilis et incomposita,* cum commendaret Scriptura cujusmodi terram fecerat Deus, quia prædixerat, *In principio fecit Deus cœlum et terram;* nihil aliud his verbis quam materiæ corporalis informitatem insinuare voluisse, eligens eam usitatius appellare quam obscurius. Si tamen tardo intellectui non subrepat ut materiam et speciem, quia verbis Scriptura separat, conetur duo hæc etiam tempore separare, tanquam prius fuerit materia, et ei, temporis intervallo interposito, postea sit addita species; cum Deus hæc simul creaverit, materiamque formatam instituerit, cujus informitatem usitato, ut dixi, vocabulo vel terræ vel aquæ Scriptura prædixit. Terra enim et aqua etiam suis qualitatibus id existentia quod videmus, tamen propter facilem corruptionem propinquiora sunt eidem informitati quam cœlestia corpora. Et quoniam per enumerationem dierum jam ex informi quæque formata numerantur, et ex ista corporali materia jam factum cœlum narraverat, cujus multum distat species a terrenis; jam quod ex ea formandum in rerum infima parte restabat, noluit [2] sub his verbis in rerum creatarum ordinem inserere, ut diceretur, *Fiat;* non acceptura ista residua informitate talem speciem, qua-

[1] Mss. duodecim, *moverentur.*

[2] Editi, *voluit.* Mss. omnes, *noluit.* Amplectimur : ratio quippe redditur, cur aquæ ac terræ formationem non retulerit Genesis scriptor sub his verbis, ut diceretur, *Fiat aqua, Fiat terra,* sicuti de cœlo dictum narravit, *Fiat firmamentum.* Confer superioris libri caput 13.

lem acceperat cœlum, sed jam inferiorem et infirmiorem atque informitati proximam : ut his potius verbis, cum dicitur, *Congregentur aquæ*, et, *appareat arida*, acceperint hæc duo species proprias istas notissimas nobisque tractabiles, aqua mobilem, terra immobilem : et ideo de illa dictum est, *congregetur ;* de hac autem, *appareat :* aqua enim est labiliter fluxa, terra stabiliter fixa.

CAPUT XII. — *De vers.* 11, 12 *et* 13, *quare seorsum de herbis et lignis dictum sit*, Et factum est sic, *etc.*

25. *Et dixit Deus, Germinet terra herbam pabuli, ferentem semen secundum genus et secundum similitudinem; et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen sit in ipso secundum similitudinem suam super terram. Et factum est sic. Et produxit terra herbam pabuli, semen habentem secundum genus, et secundum similitudinem, et lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen ejus in eo sit secundum genus super terram. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespera, et factum est mane dies tertius.* Hic moderamen ordinatoris advertendum est, ut quoniam distincta quædam creatura est herbarum atque lignorum ab specie terrarum et aquarum, ut in elementis numerari non possint, seorsum de illis diceretur ut exirent de terra; et seorsum illis redderentur illa solita, ut diceretur, *Et factum est sic;* ac deinde repeteretur quod factum est : seorsum quoque indicaretur Deum vidisse quia bonum est; tamen quia fixa radicibus continuantur terris et connectuntur, ista quoque ad eumdem diem pertinere voluerit.

CAPUT XIII. — *De vers.* 14, 15, *etc.*, *cur luminaria die quarto condita.*

26. *Et dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento cœli* [1], *ut luceant super terram, in inchoationem diei et noctis, et ut dividant inter diem et noctem; et sint in signa et tempora, et in dies, et in annos, et sint in splendorem in firmamento cœli, ut luceant super terram. Et factum est sic. Et fecit Deus duo luminaria magna ; luminare majus in inchoationem diei, et luminare minus in inchoationem noctis ; et stellas : et posuit ea* [2] *Deus in firmamento cœli, ut luceant super terram, et ut sint in inchoationem diei et noctis, et ut dividant inter lucem et tenebras. Et vidit Deus quia bonum est. Et facta est vespera, et factum est mane dies quartus.* In hoc quarto die quærendum est, quid sibi velit ista ordinatio, ut prius vel fierent, vel secernerentur aqua et terra, priusque terra germinaret, quam in cœlo sidera fierent. Neque enim possumus dicere electa esse quæque meliora, quibus dierum series ita distingueretur, ut finis et medium maxime ornatius eminerent : septem quippe dierum medius quartus est. Occurrit enim illud quia septimo die non est facta ulla creatura. An forte lux primi diei magis respondet ad quietem diei septimi, ut eo modo concinentibus finibus iste ordo texatur, eminentibus de medio luminibus cœli? Sed si primus dies septimo concinit, debet ergo et secundus sexto concinere. Quid autem simile habet firmamentum cœli cum homine facto ad imaginem Dei? An quia cœlum totam superiorem mundi partem occupat, et homini in totam inferiorem potestas dominandi tributa est? Sed quid agimus de pecoribus et de bestiis, quas ipso die sexto in suo genere terra produxit? quæ illis cum cœlo potest esse collatio?

27. An potius, quoniam primo facta intelligitur lucis nomine spiritualis creaturæ formatio, consequens erat ut corporalis quoque creatura, id est mundus iste visibilis fieret ; qui factus est biduo propter duas partes suas maximas, quibus constat universus, cœlum scilicet et terram, secundum hanc rationis collationem, qua et ipsa universa creatura spiritualis et corporalis sæpe cœlum et terra nominatur : ita ut globus quoque iste turbulentioris aeris terrenæ parti deputetur ; exhalationibus quippe humidis corporascit : si quid vero tranquilli aeris est, ubi ventosi atque procellosi motus non possunt existere, ad cœlestem partem pertineat : post hanc universitatem molis corporeæ fabricatam, quæ uno loco tota est, quo collocatus est mundus, consequens erat ut impleretur partibus intra universum, quæ de loco in locum congruis motibus agerentur? Cujus generis herbæ atque arbores non sunt. Radicibus quippe ista fixa sunt terræ : et quamvis habeant motus incrementorum suorum, de locis tamen propriis non moventur nisibus suis ; sed ubi fixa sunt, ibi aluntur et crescunt : propterea magis pertinent ad terram, quam ad genera rerum quæ in aquis et terris moventur. Quia ergo visibili mundo constituendo, hoc est cœlo et terræ, duo sunt attributi dies, restat ut his mobilibus et visibilibus partibus, quæ creantur intra illum, tres dies reliqui deputentur. Et quia sicut prius cœlum factum est, ita prius est ornandum hujusmodi partibus suis ; quarto die fiunt sidera, quibus super terram lucentibus habitatio quoque illustretur inferior, ne habitatores ejus in habitationem tenebrosam inducantur. Et ideo, quia infirma corpora inferiorum habitatorum, succedente motibus quiete reparantur, factum est ut circumeunte sole, diei noctisque vicissitudine, propter vicissitudinem dormiendi et vigilandi potirentur : nox vero illa non indecora remaneret, sed lunæ ac siderum luce, et ipsos consolaretur homines, quibus plerumque operandi est etiam nocturna necessitas ; et quibusdam animalibus, quæ lucem solis ferre non possunt, ad sufficientiam temperaretur.

CAPUT XIV. — *Quomodo luminaria sint in signa et tempora, in dies et annos.*

28. Illud autem quod dictum est, *Et sint in signa et tempora, et in dies, et in annos*, quis non videat quam obscure positum sit, quarto die cœpisse tempora, quasi superius triduum sine tempore præterire potuerit? Quis ergo animo penetrat quomodo illi tres dies transierint, antequam inciperent tempora, quæ quarto die dicuntur incipere ; vel utrum omnino transierint dies illi? An circa speciem factæ rei dies appellatus sit, et circa privationem nox : ut nondum specie formata materia nox dicta sit, unde formanda erant cætera ; sicut potest quamvis in rebus formatis, intelligi

[1] Magna pars Mss. hic et infra constanter habet, *in firmamento cœli, sic ut luceant.*

[2] Sic Mss. At in editis, *eas.*

tamen in ipsa mutabilitate informitas materiæ : non enim spatiis vel locorum quasi remotior, vel temporum quasi anterior, discerni potest? An potius in ipsa re facta atque formata eadem mutabilitas, hoc est deficiendi, ut ita dixerim, possibilitas, nox appellata sit; quia inest rebus factis, etiamsi non mutentur, posse mutari? Vespera autem et mane non quasi per temporis præteritionem et adventum, sed per quemdam terminum, quo intelligitur quousque sit naturæ proprius [1] modus, et unde sit naturæ alterius consequenter exordium : an aliqua alia ratio sit horum verborum diligentius vestiganda?

29. Quis in tantum secretum facile irrumpat, et quæ signa dicat, cum dicit de sideribus, *Et sint in signa?* Neque enim illa dicit quæ observare vanitatis est; sed utique utilia, et hujus vitæ usibus necessaria, quæ vel nautæ observant in gubernando, vel omnes homines ad prævidendas aeris qualitates per æstatem et hiemem, et autumnalem vernalemque temperiem. Et nimirum hæc vocat tempora, quæ per sidera fiunt, non spatia morarum, sed vicissitudines affectionum cœli hujus. Nam si aliquis vel corporalis vel spiritualis motus conditionem istorum luminarium præcessit, ut aliquid a futura exspectatione per præsens in præteritum trajiceret, sine tempore esse non potuit. Et quis obtineat non fuisse nisi ab exordio siderum conditorum? Sed certæ horæ, et dies, et anni, quos usitate novimus, non fierent nisi motibus siderum. Itaque si hoc modo intelligamus tempora, dies et annos, ut tempora articulos quosdam [2] quos per horologia computamus, vel in cœlo notissimos, cum ab oriente usque in meridianam altitudinem sol insurgit, atque inde rursus usque in occidentem vergit; ut possit deinceps adverti vel luna vel aliquod sidus ab oriente statim post occasum solis emergere; quod item cum ad mediam cœli venerit altitudinem, medium noctis indicet, tunc scilicet occasurum cum sole redeunte fit mane : dies autem totos solis ab oriente usque ad orientem [3] circuitus : annos vero vel istos usitatos solis anfractus, non cum ad orientem, quod quotidie facit, sed cum ad eadem loca siderum redit, quod non facit nisi peractis trecentis sexaginta quinque diebus et sex horis, id est, quadrante totius diei, quæ pars quater ducta, cogit interponi unum diem, quod Romani bissextum vocant, ut ad eumdem circuitum redeatur; vel etiam majores et occultiores annos : nam completis aliorum siderum spatiis, majores anni fieri dicuntur : si ergo ita intelligamus tempora, dies et annos, nemo dubitat hæc sideribus et luminaribus fieri. Ita enim positum est, ut incertum sit utrum ad omnia sidera pertineat quod dictum est, *Sint in signa et tempora, et in dies, et in annos;* an signa et tempora ad cætera, dies vero et anni ad solem tantummodo.

CAPUT XV. — *Luna qualis creata fuerit.*

30. Qualis etiam luna facta sit, multi loquacissime inquirunt; atque utinam inquirentes loquantur, ac non potius docere conantes! Dicunt enim ideo plenam factam, quia non decebat ut Deus imperfectum aliquid illo die faceret in sideribus, quo scriptum est quod facta sint sidera. Qui autem resistunt, dicunt : Ipsa ergo debuit prima luna dici, non quarta decima; quis enim incipit ita enumerare? Ego autem medius inter istos ita sum, ut neutrum asseram; sed plane dicam, sive primam sive plenam lunam Deus fecerit, fecisse perfectam. Ipsarum enim naturarum est Deus auctor et conditor. Omnis autem res quidquid progressu naturali per tempora congrua quodammodo prodit atque explicat, etiam ante continebat occultum, etsi non specie vel mole corporis sui, tamen ratione naturæ [1]. Nisi forte arbor quæ per hiemem pomis vacua foliisque nudata est, tunc imperfecta dicenda est; aut vero in primordiis etiam suis, cum adhuc nullum fructum dedisset, imperfecta erat illa natura. Quod non tantum de arbore, sed nec de ipso ejus semine recte diceretur, ubi omnia quæ progressu temporis quodammodo procedunt, modis invisibilibus latent. Quanquam si aliquid Deus imperfectum fecisse diceretur, quod deinde ipse perficeret, quid reprehensionis haberet ista sententia? Jure autem displiceret, si id quod ab illo inchoatum esset, ab alio diceretur esse perfectum.

31. Qui ergo de terra non queruntur, quam fecit Deus, cum in principio fecit Deus cœlum et terram, quia invisibilis erat et incomposita, et postea tertio die conspicua redditur atque componitur; quid sibi de luna tenebras faciunt quæstionum? Aut si quod de terra dictum est, non temporis intervallo, cum simul Deus materiam rebus concreaverit [2], sed narrationis distributione intelligunt dictum; cur in hoc quod etiam oculis videri potest, non intuentur integrum corpus habere lunam, et tota sua rotunditate perfectum, etiam cum lumine corniculato, sive incipiens ad terras lucere, sive desinens fulget? Si ergo lumen in ea crescit, vel perficitur, vel minuitur; non luminare ipsum, sed illud quod accenditur variatur : si autem ex una sphærulæ suæ parte semper lucet, sed dum eam partem convertit ad terram, donec totam convertat, quod a prima usque ad quartam decimam fit, crescere videtur; semper est plena, sed terræ habitatoribus non semper apparet. Hæc eadem ratio est, et si solis radiis illustratur. Non enim potest etiam sic, cum soli proxima est, nisi lucidis cornibus apparere; quia cætera pars, quæ tota in orbem illustratur, non est ad terras ut videri possit, nisi cum soli contraria est, ut totum terris appareat quod ejus illuminatur.

32. Non desunt tamen qui non eo se arbitrari dicunt lunam primitus a Deo quartam decimam factam, quia plena facta credenda est; sed quia in Scripturis Dei verba sic habent, *lunam factam in inchoationem noctis;* tunc autem noctis exordio videtur, cum plena est : alias vero et per diem incipit videri ante plenitudinem, et in progressu noctis tanto ampliore quanto minuitur. Sed qui per inchoationem noctis non intelligit nisi

[1] Mss. prope omnes, *propriæ.*
[2] Lov., *ut articulos quosdam;* omisso, *tempora*, quod in cæteris libris reperitur.
[3] Editi, *ad occidentem.* Sed melius Mss., *ad orientem.*

[1] Mss. tres, *corporis, vi tamen et ratione naturæ.*
[2] Sic Mss. At editi, *Deus res concreaverit.*

principatum (nam et græcum verbum hoc magis indicat, cum dictum est ἀρχὴν· et in Psalmis apertius scriptum est, *Solem in potestatem diei, lunam et stellas in potestatem noctis* [*Psal.* CXXXV, 8, 9]), non cogitur a quarta decima numerare, et credere lunam factam primo esse non primam.

CAPUT XVI. — *An sidera æqualiter fulgeant.*

33. Quæri etiam solet utrum cœli luminaria ista conspicua, id est sol et luna et stellæ, æqualiter fulgeant; sed quod diversis intervallis distent a terra, propterea diversa claritate magis minusque nostris oculis appareant. Et de luna quidem qui hæc dicunt, non dubitant minus eam lucere quam solem, a quo etiam perhibent illustrari. Multas autem stellas vel æquales soli, vel etiam majores audent dicere, sed longius positas parvas videri. Et nobis quidem potest fortasse sufficere, quoquo modo se ista res habeat, artifice Deo condita sidera. Quanquam teneamus auctoritate apostolica dictum, *Alia gloria solis, alia gloria lunæ, et alia gloria stellarum : stella enim ab stella differt in gloria* (1 *Cor.* XV, 41). Sed quia possunt adhuc dicere, etiamsi non resistant Apostolo : Differunt quidem in gloria, sed ad oculos terrenorum; aut, quia hoc propter resurgentium similitudinem dicebat Apostolus, qui non utique ad oculos aliter erunt et in se aliter, differunt quidem et in seipsis sidera in gloria, sed tamen nonnulla sunt etiam sole majora : ipsi viderint quemadmodum soli tam magnum tribuant principatum, ut eum radiis suis quasdam stellas, et eas quidem principales, quibus amplius isti quam cæteris supplicant, et tenere dicant, et retro agere a cursu proprio. Non enim fit verisimile, majores aut etiam æquales violentia radiorum ejus posse superari. Aut si superiores signorum stellas vel septentrionum majores esse asserunt, quæ nihil tale a sole patiuntur; cur ista per signa circumeuntes amplius venerantur? cur eas signorum dominas perhibent? Etsi enim regradationes illas siderum, vel fortasse tarditates, non a sole fieri quisque contendat, sed aliis occultioribus causis; soli tamen istos in suis deliramentis, quibus vim fatorum a veritate devii suspicantur, præcipuam tribuere potestatem ex libris eorum certe manifestum est.

34. Sed dicant quod volunt de cœlo, alieni a Patre qui est in cœlis : nobis autem de intervallis et magnitudine siderum subtilius aliquid quærere, talique inquisitioni rebus gravioribus et melioribus necessarium tempus impendere, nec expedit, nec congruit. Et melius credimus ea esse cæteris majora luminaria, quæ sancta Scriptura ita commendat, *Et fecit Deus duo luminaria magna :* quæ tamen non sunt æqualia. Nam consequenter dicit, cum ea cæteris præposuerit, inter seipsa differre. Ait enim, *Luminare majus in inchoationem diei, et luminare minus in inchoationem noctis.* Certe enim vel hoc concedent oculis nostris, ut ea manifestum sit amplius cæteris lucere super terram, nec diem clarere nisi luce solis, nec noctem tot stellis apparentibus ita lucere si luna desit, quemadmodum præsentia illius illustratur.

CAPUT XVII. — *In Genethliacos.*

35. De fatis autem siderum qualeslibet eorum argutias, et quasi de mathesi documentorum experimenta, quæ illi ἀποτελέσματα vocant, omnino a nostræ fidei sanitate respuamus : talibus enim disputationibus etiam orandi causas nobis auferre conantur, et impia perversitate in malis factis, quæ rectissime reprehenduntur, ingerunt accusandum potius Deum auctorem siderum, quam hominem scelerum [1]. Sed quod animæ nostræ non sint natura corporibus ne quidem cœlestibus subditæ, audiant et philosophos suos : quia vero terrenis corporibus illa corpora superiora non ad ea quæ ipsi tractant potentiora sunt, vel hinc aliquando cognoscant, quia cum multa corpora diversorum generum, vel animantium, vel herbarum et arbustorum, uno simul puncto temporis seminentur, unoque puncto temporis innumerabiliter multa nascantur, non tantum diversis, sed etiam iisdem terrarum locis, tantæ sunt varietates in progressibus, in actibus et passionibus eorum, ut vere isti, sicut dicitur, perdant sidera, si ista considerant.

36. Quid autem insulsius et hebetius, quam cum istis rebus convincuntur, dicere ad solos homines sibi subjiciendos fatalem stellarum pertinere rationem? In quibus tamen etiam ipsi de geminis convincuntur, quorum diverse viventium, diverse felicium vel infelicium, diverseque morientium, easdem plerumque constellationes accipiunt. Quia etsi interfuit aliquid cum de utero funderentur, in nonnullis tamen tantum interest, quantum ab istis comprehendi computatione non possit. Manus sequentis Jacob, dum nascerentur, inventa est pedem fratris præcedentis tenens; usque adeo sic nati sunt quasi unus infans in duplum prolixior nasci videretur (*Gen.* XXV, 25). Horum certe constellationes, quas appellant, nullo modo dispares esse potuerunt. Quid ergo vanius, quam ut illas constellationes intuens mathematicus, ad eumdem horoscopum, ad eamdem lunam, diceret unum eorum a matre dilectum, alterum non dilectum? Si enim aliud diceret, falsum profecto diceret; si autem hoc diceret, verum quidem, sed non secundum suorum librorum ineptas cantiunculas diceret. Quod si huic historiæ, quia de nostris profertur, nolunt credere, numquid et naturam rerum delere possunt? Cum ergo se minime falli dicant, si horam conceptionis invenerint, saltem sicut homines non dedignentur conceptum considerare geminorum.

37. Ideoque fatendum est, quando ab istis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cum ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est : quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidiore propter tam magnam longitudinem vitæ; partim sanctis Angelis quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam jussu ejus sibi revelantibus, qui merita humana occultissimæ justitiæ sin-

[1] Editi, *hominum scelera.* Mss., *hominem scelerum.*

ceritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt. Quapropter bono christiano, sive mathematici, sive quilibet impie divinantium, maxime dicentes vera, cavendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant.

CAPUT XVIII. — *Difficultas de sideribus, an per spiritus regantur et animentur.*

38. Solet etiam quæri, utrum cæli luminaria ista conspicua corpora sola sint, an habeant rectores quosdam spiritus suos : et si habent, utrum ab eis etiam vitaliter inspirentur, sicut animantur carnes per animas animalium, an sola sine ulla permixtione præsentia. Quod licet in præsenti non facile comprehendi possit; arbitror tamen in processu tractandarum Scripturarum opportuniora loca posse occurrere, ubi nobis de hac re, secundum sanctæ auctoritatis regulas, etsi non ostendere certum aliquid, tamen credere licebit. Nunc autem servata semper moderatione piæ gravitatis, nihil credere de re obscura temere debemus ; ne forte quod postea veritas patefecerit, quamvis libris sanctis sive Testamenti Veteris sive Novi nullo modo esse possit adversum, tamen propter amorem nostri erroris oderimus. Nunc ad librum operis nostri jam tertium transeamus.

LIBER TERTIUS.

De vers. 20 : *Et dixit Deus, Educant aquæ*, et reliquis usque ad primi capitis finem.

CAPUT PRIMUM. — *Animalium ex aquis eductio prius narratur quam quæ de terra; quod aqua aeri, aer cœlo proximum elementum sit.*

1. *Et dixit Deus, Educant aquæ reptilia animarum vivarum, et volatilia super terram, secundum firmamentum cœli. Et factum est sic. Et fecit Deus cetos magnos et omne animal reptilium, quæ eduxerunt aquæ secundum genus eorum; et omne volatile pennatum secundum genus. Et vidit Deus quia bona sunt, et benedixit ea Deus dicens : Crescite et multiplicamini, et replete aquas in mari, et volatilia multiplicentur super terram. Et facta est vespera, et factum est mane dies quintus.* Nunc in inferiore parte mundi, ea quæ spiritu vitæ moventur, fiunt, et primum aquarum, quod aeris qualitati proximum elementum est; quia huic cœlo, in quo sunt luminaria, ita vicinus est aer, ut et ipse cœli nomen acceperit; sed nescio utrum etiam firmamentum possit vocari. Dicuntur autem cœli pluraliter in una eademque re, quæ dicitur unum cœlum. Nam cum in hoc libro singulari numero dicatur cœlum, quod divisit inter aquas quæ supra, et eas quæ infra sunt; in illo tamen psalmo, *Et aquæ*, inquit, *quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Et cœlos cœlorum si bene intelligimus sidereos aeriorum, tanquam superiores inferiorum, et hos in eodem psalmo accipimus, ubi dictum est, *Laudate eum, cœli cœlorum* (*Psal.* CXLVIII, 4, 5). Satis apparet hunc aerem, non solum cœlum, sed etiam cœlos dici : sicut dicuntur et terræ, nec aliud significatur, quam illa quæ singulariter terra dicitur, quando dicimus orbem terrarum, et orbem terræ.

CAPUT II. — *Cœlos diluvio periisse, et aerem in aquæ naturam transisse.*

2. Hos etiam aerios cœlos quondam periisse diluvio in quadam earum quæ canonicæ appellantur, Epistola legimus (II *Pet.* III, 6). Neque enim humida illa natura, quæ ita concreverat, ut cubitis quindecim altissimorum montium transcenderet vertices (*Gen.* VII, 20), potuit ad sidera pervenire. Sed quia hujus aeris humidioris, in quo aves volitant, vel tota vel prope tota spatia compleverat, periisse qui fuerant cœlos in illa Epistola scribitur. Quod nescio quemadmodum possit intelligi, nisi in aquarum naturam pinguioris hujus aeris qualitate conversa : alioquin non perierunt tunc isti cœli, sed sublimius erecti sunt, cum locum eorum aqua occupaverat. Itaque facilius eos secundum illius Epistolæ auctoritatem periisse credimus, et alios, sicut ibi scribitur, repositos (II *Petr.* III, 5-7), extenuatis [1] videlicet exhalationibus, quam sic erectos, ut eis superioris cœli natura loco suo cederet.

3. Oportebat itaque ut in creandis habitatoribus inferioris hujus mundi partis, quæ sæpe terræ nomine tota commemoratur, prius producerentur ex aquis animalia, postea vero de terra : quod ita sit aeri aqua similis, ut ejus exhalationibus pinguescere probetur, ut et spiritum procellæ faciat, id est ventum, et nubila contrahat, et possit volatus avium sustinere. Quapropter etiamsi verum dixit quidam sæcularium poetarum, *Nubes excedit Olympus*, et, *Pacem summa tenent* (*Lucanus*, *lib.* 2); quia perhibetur in Olympi vertice aer esse tam tenuis, ut neque nubibus obumbretur, neque turbetur vento, neque sustentare alites possit, neque ipsos qui forte ascenderint homines, crassioris auræ spiritu alere, sicut in isto aere consueverunt : tamen et ipse aer est, unde aquis vicina qualitate diffunditur, et propterea ipse quoque in humidam naturam conversus diluvii tempore creditur. Neque enim arbitrandum est aliquid de spatiis siderei cœli usurpasse, cum omnes etiam altissimos montes aqua transcenderat.

CAPUT III. — *De elementorum commutatione sententiæ. Aer in Genesis historia non prætermissus.*

4. Quanquam de conversione elementorum, etiam inter ipsos qui hæc otiosa cura subtilissime perscrutati sunt, non parva quæstio est. Alii enim dicunt omnia in omnia posse mutari, atque converti : alii vero esse aliquid omnino proprium singulis perhibent elementis, quod in alterius elementi qualitatem nullo modo vertatur. Unde fortassis suo loco, si Dominus

[1] Mss. fere omnes, *extentis*.

voluerit, diligentius disputabimus : nunc autem quod ad præsentem sermonem attinet, hæc commemoranda existimavi, ut intelligamus servatum esse ordinem rerum quo prius oportuit aquarum animalia quam terrarum narrari creata.

5. Nec ullo modo arbitrandum est prætermissum esse in hac Scriptura ullum mundi hujus elementum, cum quatuor notissimis eum constare persuasum sit, quia videtur hic cœlum, et aqua, et terra commemorari, de aere autem taceri. Consuetudo quippe nostrarum Scripturarum est, aut cœli et terræ nomine mundum appellare, aut interdum addere et mare. Aer itaque vel ad cœlum pertinere intelligitur, si qua sunt in ejus superioribus partibus tranquillissima et pacatissima spatia ; vel ad terram propter hunc turbulentum et caliginosum locum, qui humida exhalatione pinguescit, quamvis et ipse sæpius cœli nomine nuncupetur : ac per hoc non scriptum est, Producant aquæ reptilia animarum vivarum, et producat aer volatilia volantia super terram ; sed utrumque hoc animantium genus ex aquis productum esse narratur. Quidquid ergo aquarum sive labiliter undosum et fluidum est, sive vaporaliter tenuatum atque suspensum, ut illud reptilibus animarum vivarum, hoc volatilibus appareat distributum, utrumque tamen humidæ naturæ deputatur.

CAPUT IV. — *Quinque sensus ad quatuor elementa referri.*

6. Ideoque sunt etiam qui subtilissima consideratione quinque istos manifestissimos corporis sensus secundum quatuor usitata elementa ita distinguant, ut oculos ad ignem, aures ad aerem dicant pertinere. Olfaciendi autem gustandique sensum naturæ humidæ attribuunt : et olfactum quidem istis exhalationibus humidis, quibus crassatur hoc spatium, in quo aves volitant ; gustatum vero istis fluxibilibus et corpulentis humoribus. Nam quæcumque in ore sapiunt, ipsius oris humori commiscentur ut sapiant, etiamsi arida cum acciperentur fuisse videantur. Ignis tamen omnia penetrat, ut motum in eis faciat. Nam et humor privatione caloris congelascit, et cum possint fervescere [1] cætera elementa, ignis frigescere non potest : facilius quippe exstinguitur, ut ignis non sit, quam frigidus maneat, aut sit alicujus frigidi contactu tepidior. Tactus autem, qui est quintus in sensibus, terreno elemento magis congruit : proinde per totum corpus animantis, quod maxime ex terra est, quæque tacta sentiuntur. Dicunt etiam nec videri sine igne posse aliquid, nec tangi sine terra. Ac per hoc elementa omnia in omnibus inesse; sed unumquodque eorum ex eo quod amplius habet accepisse vocabulum. Ideo autem caloris privatione, cum corpus nimie frigescit, obtundi sensum, quia motus pigrescit, qui ex calore inest corpori, dum ignis aerem, et aer humida, et humor terrena quæque afficit, subtilioribus scilicet crassiora penetrantibus.

7. Quanto autem quidque subtilius est in natura corporali, tanto est vicinius naturæ spirituali ; quamvis longe distante genere, quandoquidem illud corpus est, illud non est.

[1] Editi, *frigescere*. At Mss. plerique, *fervescere*.

CAPUT V. — *Ut ad quatuor elementa varie se habet sentiendi vis in quinque sensibus.*

Ac per hoc quoniam sentire non est corporis, sed animæ per corpus, licet acute disseratur secundum diversitatem corporeorum elementorum sensus esse corporis distributos ; anima tamen cui sentiendi vis inest, cum corporea non sit, per subtilius corpus agitat vigorem sentiendi. Inchoat itaque motum in omnibus sensibus a subtilitate ignis, sed non in omnibus ad idem pervenit. In visu enim pervenit represso calore usque ad ejus lucem. In auditu usque ad liquidiorem aerem calore ignis penetrat. In olfactu autem transit aerem purum, et pervenit ad humidam exhalationem, unde crassior hæc aura subsistit. In gustatu et hanc transit, et pervenit usque ad humorem corpulentiorem : quo etiam penetrato atque trajecto, cum ad terrenam gravitatem pervenit, tangendi ultimum sensum agit.

CAPUT VI. — *Aeris elementum non esse prætermissum a scriptore Genesis.*

8. Non igitur ignorabat naturas elementorum eorumque ordinem, qui cum visibilium, quæ intra mundum in elementis natura moventur, conditionem introduceret, prius cœlestia luminaria, deinde aquarum animantia, terrarum autem postrema narravit : non quod aerem prætermiserit, sed quod purissimi et quietissimi aeris, ubi volare aves non posse dicuntur, si qua sunt spatia, cœlo superiori conjunguntur, et cœli nuncupatione in Scripturis ad superiorem mundi partem pertinere intelliguntur : ut terræ nomine universaliter hoc totum significetur, ex quo incipit deorsum versus, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, et omnes abyssi*, donec perveniatur ad aridam quæ proprio nomine terra dicitur. Aer itaque ille superior, sive quod ad cœlestem mundi pertinet partem, sive quod nullum habet visibilem habitatorem, de qualibus nunc sermo narrantis est, neque prætermissus est cœlo nominato, neque annumeratus in creandis animalibus : iste vero inferior qui excipit exhalationes humidas maris ac terræ, et ad sustinendas aves quodammodo crassatur, nonnisi ex aquis accipit animalia. Quod enim ejus humidum est, hoc portat alitum corpora, quæ ita nituntur pennis volantes, quemadmodum pisces quibusdam suis alis natantes.

CAPUT VII. — *Volatilia ex aquis non immerito dicuntur creata.*

9. Proinde scienter tanquam Spiritus Dei, qui scribenti aderat, ex aquis dicit producta volatilia. Quorum natura [1] bipartitum locum sortita est ; inferiorem scilicet in unda labili, superiorem vero in aura flabili : illum deputatum natantibus, istum volantibus. Sicut huic elemento congruos duos etiam sensus animalibus datos videmus ; olfactum explorandis vaporibus, gustatum explorandis liquoribus. Quod enim et tactu aquas ventosque sentimus, hoc est quod terræ

[1] Mss. quinque, *Aquarum enim natura.* Sic etiam Am. et Er.

solidum [1] omnibus admiscetur elementis : sed in his crassioribus sentitur amplius, ita ut etiam tangendo contrectari valeant. Ideoque et ista in duabus maxime mundi partibus generaliter terræ nomine complectuntur : sicut ille psalmus ostendit, omnia superiora ab illo principio enumerans, *Laudate Dominum de cœlis*; omniaque inferiora ab alio principio, *Laudate Dominum de terra ;* ubi et spiritus tempestatis et omnes abyssi nominantur, et ignis iste qui urit tangentem (*Psal.* CXLVIII, 1-8), quia de terrenis et humidis motibus ita existit, ut subinde vertatur in aliud elementum. Et quamvis naturæ suæ sursum nitendo indicet appetitum, in cœlestem tamen superiorem tranquillitatem non potest evadere ; quia multo aere superatus et in eum conversus exstinguitur : ac per hoc in ista rerum parte corruptibiliore atque pigriore turbulentis motibus agitatur ad temperandum ejus rigorem, et ad usus terroresque mortalium.

10. Quia ergo etiam tactu, qui ad terram proprie pertinet, sentiri possunt et fluctus undarum, et flatus aurarum, propterea ipsa quoque aquatilium animalium corpora et terrenis vescuntur, et maxime aves ; in terra etiam requiescunt, fetusque propagant : pars enim humoris quæ vaporaliter exhalatur, etiam super terras extenditur. Ideoque cum dixisset Scriptura, *Educant aquæ reptilia animarum vivarum*, *et volatilia*, inquit, *super terram ;* addidit sane, dicens, *secundum firmamentum cœli*, in quo potest aliquanto manifestius apparere illud quod antea videbatur obscurum. Non enim ait, In firmamento cœli, sicut de luminaribus ; sed, *volantia*, inquit, *super terram*, *secundum firmamentum cœli*, id est juxta firmamentum cœli : quia videlicet hoc caliginosum et humidum spatium, in quo aves volant, illi spatio contiguum est, ubi volare non possunt, quod jam merito tranquillitatis et quietis pertinet ad firmamentum cœli. In cœlo ergo volant aves, sed in isto, quod ille psalmus etiam terræ nomine includit ; propter quod cœlum vocantur multis locis volatilia cœli : non tamen in firmamento, sed secundum firmamentum.

CAPUT VIII. — *Reptilia animarum vivarum pisces cur appellati.*

11. Nonnulli putant propter sensus tarditatem non animam vivam, sed *reptilia animarum vivarum* appellata. Sed si propterea sic appellarentur, avibus daretur nomen animæ vivæ. Cum vero et ipsa volatilia dicta sunt, sicut illa, reptilia, ut subaudiatur animarum vivarum ; fatendum est, ut arbitror, ita dictum, ac si diceretur, Quæ sunt in animabus vivis reptilia vel volatilia : sicut dici posset, Ignobilia hominum, ut intelligeremus, quicumque sunt in hominibus ignobiles. Quanquam enim sint et animalia terrestria quæ repunt super terram ; tamen ex multo majore numero pedibus moventur, et tam pauca fortasse in terris repunt, quam pauca in aquis gradiuntur.

12. Nonnulli autem putaverunt propterea non animam vivam, sed *reptilia animarum vivarum* pisces esse appellatos, quod eis memoria nulla sit, nec aliqua vita velut rationi vicinior. Sed fallit eos experientia minor. Nam quidam scripserunt, quæ animadvertere potuerunt in vivariis piscium, multa miranda. Sed etiamsi forte falsa scripserunt, memoriam tamen pisces habere certissimum est. Quod ipse sum expertus, et experiantur qui possunt et volunt. Nam fons quidam magnus Bullensium-regiorum, fere plenus est piscium. Solent autem homines desuper intuentes eis aliquid jacere, quod sibi vel præripiant confluentes, vel inter se diripiant concertantes. Quo pastu assueti, deambulantibus super oram fontis hominibus, ipsi quoque cum eis congregatim natando eunt et redeunt, exspectantes unde aliquid jactent, quorum præsentiam sentiunt. Non itaque frustra mihi videtur aquarum animalia sic appellata reptilia, quemadmodum aves volatilia : nam si vel nulla memoria, vel sensus tardior, animæ vivæ nomen repulisset a piscibus, volatilibus certe adhiberetur, quorum vita in oculis nostris est et memor et garrula [1], et in nidis construendis educandisque fetibus solertissima.

CAPUT IX. — *Quod quidam philosophi cuique elemento sua animalia tribuerunt.*

13. Nec ignoro, ita quosdam philosophos sua cujusque elementi distribuisse animalia, ut terrena esse dicerent, non tantum quæ in terra repunt atque gradiuntur, sed aves etiam quod et ipsæ in terra requiescant, volando fatigatæ : aeria vero animalia dæmones esse ; cœlestia, deos ; quorum quidem nos partim luminaria, partim Angelos dicimus. Iidem tamen aquis pisces et sui generis belluas attribuunt, ut nullum elementum suis animalibus vacet : quasi vero sub aquis terra non sit, aut probare possint pisces non in ea requiescere ac reparare natandi vires, sicut volandi aves ; et si forte rarius pisces id faciunt, quod ad gestanda corpora sit unda quam aura validior, ita ut terrena quoque animalia natantia ferat, sive usu docta, ut homines, sive natura, ut quadrupedia vel serpentes. Aut si propterea non putant, quia non insunt pedes piscibus ; nec phocæ aquarum sunt, nec colubri cochleæque terrarum : nam et illæ pedes habent, et hæc genera sine ullis pedibus, non dico, requiescunt in terra, sed ab ea vix aut nunquam recedunt. Dracones autem sine pedibus et in speluncis requiescere, et in aerem sustolli perhibentur : qui quanquam non facile noti sint, litteræ tamen, non tantum nostræ, sed etiam Gentilium, nequaquam de istorum animantium genere tacuerunt.

CAPUT X. — *Concesso dæmones esse aeria animalia, nihil detrahitur Scripturæ docenti producta fuisse ex aquis volatilia. Venti, tonitrua, nubes, pluvia, nix, grando, serenitas.*

14. Quapropter, etsi dæmones aeria sunt animalia, quoniam corporum aeriorum natura vigent ; et propterea morte non dissolvuntur ; quia prævalet in eis elementum, quod ad faciendum quam ad patiendum est aptius ; duobus subterpositis, aqua scilicet et terra, uno autem superposito, id est igne sidereo : distribuuntur enim elementa ad patiendum duo,

[1] Sic Mss. At editi, *terra solida.*

[1] Mss. aliquot, *est memoratu garrula.*

humor et humus; ad faciendum autem alia duo, aer et ignis: si ergo hæc ita sunt, non impedit ista distinctio nostram Scripturam, quæ non ex aere, sed ex aquis producta indicat volatilia; quia subtilioris quidem et in auras exhalati atque distenti, sed tamen humoris locus volatilibus datus est. Aer autem a confinio luminosi cœli usque ad aquarum fluida et nuda terrarum pervenit. Non tamen totum spatium ejus exhalationes humidæ infuscant, sed usque ad eum finem, unde incipit etiam terra nominari, secundum illum psalmum ubi dicitur, *Laudate Dominum de terra* (*Psal.* CXLVIII, 7). Superior vero pars aeris, propter puram tranquillitatem, cœlo cui collimitatur, communi pace conjungitur, et ejus vocabulo nuncupatur. In qua fortassis parte si fuerunt ante transgressionem suam transgressores angeli cum principe suo, nunc diabolo, tunc archangelo (nam nonnulli nostri, non eos putant cœlestes vel supercœlestes angelos fuisse), non mirum si post peccatum in istam sunt detrusi caliginem; ubi tamen et aer sit, et humore tenui contexatur, qui commotus ventos, et vehementius concitatus etiam ignes et tonitrua, et contractus nubila, et conspissatus pluviam, et congelantibus nubilis nivem, et turbulentius congelantibus densioribus nubilis grandinem, et distentus serenum facit, occultis imperiis et opere Dei, a summis ad infima universa quæ creavit administrantis. Unde in illo psalmo cum commemorata essent, *ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis;* ne talia sine divina providentia fieri moverique putarentur, continuo subjecit, *Quæ faciunt verbum ejus* (*Id.* 8).

15. Si autem transgressores illi antequam transgrederentur, cœlestia corpora gerebant, neque hoc mirum est, si conversa sunt ex pœna in aeriam qualitatem, ut jam possint ab igne, id est ab elemento naturæ superioris aliquid pati: nec aeris saltem spatia superiora atque puriora, sed ista caliginosa tenere permissi sunt, qui eis pro suo genere quidam quasi carcer est, usque ad tempus judicii. Et si quid de his transgressoribus angelis diligentius requirendum est, alius erit accommodatior Scripturæ locus. Proinde quod nunc satis est, si hæc spatia turbida et procellosa, propter aeris naturam usque ad undas terrasque porrectam[1], possunt aeria corpora sustinere; possunt et avium quæ producta sunt ex aquis, propter aquarum tenues halitus: qui scilicet eidem aeri juxta undas et terras circumfuso, atque ob hoc infimæ ac terrenæ parti deputato, vaporaliter inseruntur, et auras intexunt, quæ nocturnis rigoribus aggravatæ sereno etiam rore distillant; si autem vehementius frigus est, etiam gelu candidius inalbescunt.

CAPUT XI. — *Tractatur vers. 24 et 25, ubi de variis animantium generibus creatis de terra.*

16. *Et dixit Deus, Educat terra animam vivam secundum genus: quadrupedia, et reptilia, et bestias terræ secundum genus, et pecora secundum genus. Et factum est sic. Et fecit Deus bestias terræ secundum genus, et pecora secundum genus, et omnia reptilia terræ secundum genus. Et vidit Deus quia bona sunt.* Jam nunc consequens erat ut alteram partem, quæ proprie terra dicitur, infimi hujus loci, quem totum cum omnibus abyssis et nebuloso aere universaliter vocabulo terræ alibi Scriptura complectitur, ornaret animalibus suis. Et manifesta quidem sunt animalium genera, quæ in verbo Dei terra produxit. Sed quia sæpe nomine pecorum vel nomine bestiarum, animalia omnia rationis expertia solent intelligi, merito quæritur quas nunc proprie bestias, et quæ pecora dicat. Et repentia quidem sive reptilia terrena, non est dubitandum quod omnes serpentes[1] intelligi voluit; quanquam et bestiæ dici possint: pecorum autem nomen non usitate serpentibus convenit. Rursum leonibus, et pardis, et tigridibus, et lupis, et vulpibus, canibus etiam et simiis, atque id genus cæteris usitate convenit vocabulum bestiarum. Pecorum autem nomen his animalibus accommodatius aptari solet, quæ sunt in usu hominum: sive adjuvandis laboribus, ut boves et equi, et si qua talia; sive ad lanificium[2], vel ad vescendum, ut oves et sues.

17. Quid ergo sunt quadrupedia? Quanquam enim hæc omnia, præter quædam serpentia, quatuor pedibus gradiantur, nisi tamen hoc nomine proprie quædam vellet intelligi, non utique hic etiam quadrupedia nominaret, quamvis de his in repetitione tacuerit. An cervi, et damulæ, et onagri, et apri (quia neque illis bestiis ubi leones sunt, conjungi possunt; similes enim sunt illis pecoribus, neque tamen sub humana cura sunt) proprie quadrupedia nuncupata sunt; quasi reliqua essent hæc animalia, quibus ista appellatio generalis quidem cum multis propter numerum pedum, sed tamen speciali significatione tribueretur? An quia ter dixit, *secundum genus*, tria quædam genera nos invitat attendere? Primo, *secundum genus* quadrupedia et reptilia; ubi arbitror significatum quæ quadrupedia dixerit, scilicet quæ in genere sunt reptilium, sicut sunt lacerti, stelliones, et si quid hujusmodi est. Ideoque in repetitione quadrupedum nomen non iteravit, quia reptilium vocabulo fortasse complexus est: unde ibi non simpliciter ait, reptilia; sed addit, *omnia reptilia terræ*. Ideo *terræ*, quia sunt et aquarum; et ideo *omnia*, ut illic intelligantur quæ quatuor etiam pedibus nituntur, quæ superius quadrupedum nomine proprie significata sunt. Bestias autem, de quibus item ait, *secundum genus*, quidquid ore aut etiam unguibus sævit, exceptis serpentibus. Pecora vero de quibus tertio ait, *secundum genus*, quæ neutra vi lacerant, sed aut cornibus, aut ne hoc quidem. Prædixi enim et quadrupedum nomen quam late pateat, ipso pedum numero facile agnosci, et nomine pecorum vel bestiarum omne irrationale animal aliquando comprehendi. Sed etiam ferarum vocabulum solet in latina lingua tantumdem valere: non ideo tamen negligenda fuit consideratio, quomodo possint hæc nomina, quæ non frustra in hoc Scripturarum loco posita sunt, etiam speciali distinctione discerni,

[1] Editi, *porrecta*. Emendamus auctoritate Mss., *porrectam*.

[1] Plures e Mss., *repentes*.
[2] In Mss. prope omnibus, *lanicium*.

quod in usu loquendi quotidiano facile animadverti potest.

CAPUT XII. — *Quid secundum genus, quod de quibusdam creaturis, non de homine dicitur.*

18. Non frustra etiam lectorem movet utrumne passim et quasi fortuito an aliqua ratione dicatur, *secundum genus,* tanquam fuerint et antea, cum primo creata narrentur [1] : an genus eorum in superioribus rationibus intelligendum est, utique spiritualibus, secundum quas creantur inferius. Sed si ita esset, hoc de luce, hoc de cœlo, hoc de aquis et terris, hoc de cœli luminaribus diceretur. Quid enim eorum est, cujus non æterna et incommutabilis ratio in ipsa Dei Sapientia vigeat, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter? (*Sap.* VIII, 1.) Incipit autem hoc dici de herbis et lignis, usque ad hæc terrena animantia. Nam et in eis quæ ex aquis creata sunt, quamvis in prima commemoratione dictum non sit; in illa tamen iteratione dictum est, *Et fecit Deus cetos magnos et omnem animam animalium reptilium, quæ eduxerunt aquæ secundum genus eorum; et omne volatile pennatum secundum genus.*

19. An quia hæc ita exorta sunt, ut ex eis alia nascerentur, et originis formam successione servarent, ideo dicuntur *secundum genus,* propter propagationem prolis, qua permansura creabantur? Sed cur de herbis et lignis non solum dicitur, *secundum genus,* verum etiam *secundum similitudinem*, cum et animalia sive aquarum sive terrarum secundum similitudinem suam generent? An, quia genus sequitur similitudo, noluit eam ubique repetere? Nam et semen non ubique repetivit; cum tam herbis et lignis insit, quam animalibus, etsi non omnibus. Observatum est enim quædam ita nasci ex aquis vel terra, ut sexus eis nullus sit; et ideo semen eorum non sit in eis, sed in elementis ex quibus oriuntur. Hoc est ergo *secundum genus*, ubi et seminum vis et similitudo intelligitur succedentium decedentibus [2]; quia nihil eorum ita creatum est, ut semel existeret, vel permansurum, vel nullo succedente decessurum.

20. Cur ergo et de homine non ita dictum est, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, secundum genus, cum et hominis propago manifesta sit? An quia non ita Deus fecerat hominem ut moreretur, si præceptum servare voluisset, et ideo non erat necessarius decessori successor : sed post peccatum comparatus est pecoribus insensatis, et similis factus est eis (*Psal.* XLVIII, 13); ut jam filii sæculi hujus generent et generentur, quo possit mortalium genus servata successione subsistere? Quid sibi ergo vult post hominem factum illa benedictio, *Crescite et multiplicamini*, *et implete terram;* quod utique fieri posset generando? An nihil hinc temere dicendum, donec ad eum Scripturæ locum perveniamus, ubi diligentius ista requirenda atque tractanda sunt? Potest enim nunc fortasse sufficere, propterea de homine non dictum esse, *secundum genus*, quia unus fiebat, de quo etiam femina facta est. Non enim multa genera hominum, sicut herbarum, lignorum, piscium, volatilium, serpentium, pecorum, bestiarum : ut sic dictum accipiamus, *secundum genus,* ac si diceretur generatim, ut inter se similia atque ad unam originem seminis pertinentia distinguerentur a cæteris.

CAPUT XIII. — *Benedictio cur solis aquatilibus sicut homini impertita. Officium gignendi.*

21. Item quæritur quid tantum aquarum animalia de Creatore meruerint, ut sola benedicerentur, sicut homines. Nam et ipsa benedixit Deus, dicens : *Crescite et multiplicamini, et implete aquas maris, et volatilia multiplicentur super terram.* An in uno creaturæ genere dicendum fuit, ut in cæteris consequenter intelligeretur, quæ generationibus crescunt? Prius ergo diceretur in eo quod primum tale creatum est, in herba scilicet atque ligno. An forte quæ nullum haberent propagandæ prolis affectum, ac sine ullo sensu generarent, indigna judicavit illis benedictionis verbis, *Crescite et multiplicamini :* ubi autem talis inesset affectus, ibi primum hoc dixit, ut in terrenis animalibus etiam non dictum intelligeretur? Necessarium autem fuit hoc in homine repetere, ne quisquam diceret in officio gignendi filios ullum esse peccatum, sicut est in libidine, sive fornicandi, sive ipso conjugio immoderatius abutendi.

CAPUT XIV. — *De insectorum creatione.*

22. Nonnulla etiam de quibusdam minutissimis animalibus quæstio est, utrum in primis rerum [1] conditionibus creata sint, an ex consequentibus rerum mortalium corruptionibus? Nam pleraque eorum aut de vivorum corporum vitiis, vel purgamentis, vel exhalationibus aut cadaverum tabe gignuntur; quædam etiam de corruptione lignorum et herbarum, quædam de corruptionibus fructuum : quorum omnium non possumus recte dicere Deum non esse creatorem. Inest enim omnibus quoddam naturæ sui generis decus, sic ut in his major sit admiratio bene considerantis, et laus uberior omnipotentis artificis; qui omnia in sapientia fecit (*Psal.* CIII, 24), quæ a fine usque ad finem pertendens, et suaviter cuncta disponens (*Sap.* VIII, 1), nec ea ipsa rerum novissima, quæ pro sui generis ordine dissolvuntur, et quarum dissolutionem ex pœna nostræ mortalitatis horremus, relinquit informia : sed creat minima corpore, acuta sensu, animantia; ut majore attentione stupeamus agilitatem muscæ volantis, quam magnitudinem jumenti gradientis, ampliusque miremur opera formicularum, quam onera camelorum.

23. Sed utrum in primis, ut dixi, rerum conditionibus, quæ isto sex dierum ordine creatæ narrantur, hæc quoque minima instituta credamus, an postea consequentibus corruptibilium corporum solutionibus, hoc quæritur. Et potest quidem dici ea minutissima, quæ ex aquis vel terris oriuntur, tunc creata : in quibus etiam illa non absurde intelliguntur, quæ nascuntur ex iis quæ terra germinante orta sunt; et quia

[1] In plurimis et optimæ notæ Mss., *narrarentur.*
[2] Mss. tredecim, *succedentium de succedentibus*.

[1] Lov., *rerum mortalium.* Abest *mortalium* ab aliis libris.

præcesserant conditionem, non solum animalium, sed etiam luminarium; et quia terræ continuantur per radicum connexionem, unde illo die quo apparuit arida, exorta sunt, ut potius ad supplementum habitationis, quam ad numerum habitatorum pertinere intelligantur. Cætera vero quæ de animalium gignuntur corporibus, et maxime mortuorum, absurdissimum est dicere tunc creata, cum animalia ipsa creata sunt: nisi quia inerat jam omnibus animatis corporibus vis quædam naturalis, et quasi præseminata et quodammodo liciata [1] primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro suo quæque genere ac differentiis erant exortura, per administrationem ineffabilem omnia movente incommutabili Creatore.

CAPUT XV. — *De creatione animalium venenatorum.*

24. De generibus quoque animalium venenosis et perniciosis quæri solet, utrum post peccatum hominis ad vindictam creata sint; an potius cum jam creata essent innoxia, nonnisi postea peccatoribus nocere cœperint. Neque hoc mirum est, quandoquidem etiam temporibus hujus vitæ laboriosæ atque ærumnosæ, cum ita sit nemo justus ut perfectum se audeat dicere, fideliter attestante Apostolo et dicente, *Non quia jam acceperim, aut etiam perfectus sim* (*Philipp.* III, 12); cumque adhuc exercendæ atque in infirmitate perficiendæ virtuti necessariæ sint tentationes et molestiæ corporales, eodem rursus Apostolo manifestante qui ait, in magnitudine revelationum ne extolleretur, datum sibi esse stimulum carnis, angelum satanæ, ut eum colaphizaret, rogatumque a se Dominum tertio, ut discederet ab eo, respondisse sibi, *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 7-9): tamen et sanctus Daniel inter leones salvus atque intrepidus vixit (*Dan.* VI, 22; *et* XIV, 38), qui non utique Deo mentiens in oratione, non tantum peccata populi sui, sed etiam sua fatetur (*Id.* IX, 4-19); et in ipsius Apostoli manu mortifera vipera inhæsit, nec læsit (*Act.* XXVIII, 5). Potuerunt ergo ista etiam creata nihil nocere, si causa non exstitisset vel terrendorum puniendorumque vitiorum, vel probandæ perficiendæque virtutis: quia et exempla sunt demonstranda patientiæ, ad profectum cæterorum; et ipse sibi homo in tentationibus certius innotescit; et juste salus illa perpetua, quæ turpiter amissa est per voluptatem [2], fortiter recipitur per dolorem.

CAPUT XVI. — *Bestiæ invicem nocentes cur creatæ.*

25. Dicet aliquis: Cur ergo invicem bestiæ nocent, quibus nec peccata ulla sunt, ut vindicta ista dicatur, nec ullam recipiunt tali exercitatione virtutem? Ideo nimirum, quia scilicet aliæ cibi sunt aliarum. Nec recte possumus dicere: Non essent aliæ quibus aliæ vescerentur. Habent enim omnia, quamdiu sunt, mensuras, numeros, ordines suos; quæ cuncta merito considerata laudantur, nec sine occulta pro suo genere moderatione pulchritudinis temporalis, etiam ex alio in aliud transeundo, mutantur. Quod etsi stultos latet, sublucet proficientibus, clarumque perfectis est. Et certe omnibus talibus inferioris creaturæ motibus præbentur homini salubres admonitiones, ut videat quantum sibi satagendum sit pro salute spirituali et sempiterna, qua omnibus irrationalibus animantibus antecellit; cum illa videat a maximis elephantis usque ad minimos vermiculos pro salute corporali et temporali, quam pro sui generis inferiore ordinatione sortita sunt, sive resistendo, sive cavendo, agere quidquid valent: quod non apparet, nisi cum quædam refectionem corporis sui ex aliorum corporibus quærunt; alia se vel repugnandi viribus, vel fugæ præsidio, vel latebrarum munimine tuentur. Nam et ipse corporis dolor in quolibet animante magna et mirabilis animæ vis est, quæ illam compagem ineffabili permixtione vitaliter continet, et in quamdam sui moduli redigit unitatem, cum eam non indifferenter, sed, ut ita dicam, indignanter, patitur corrumpi atque dissolvi.

CAPUT XVII. — *Scrupulus de corporibus mortuorum devoratis.*

26. Illud etiam fortasse aliquem moveat, si animalia noxia vivos homines aut pœnaliter lædunt, aut salubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent, cur in escas suas dilacerant etiam corpora hominum mortuorum? Quasi vero quidquam intersit ad nostram utilitatem, ista caro jam exanimis in naturæ profunda secreta per quos transitus eat, unde mirabili omnipotentia Creatoris reformanda rursus eruatur. Quanquam et hinc fiat quædam prudentibus admonitio, ut se ita commendent fideli Creatori, omnia maxima et minima occulto nutu administranti, cui nostri etiam capilli numerati sunt (*Luc.* XII, 7), ne propter inanes curas exanimatorum corporum suorum ulla genera mortium perhorrescant, sed piæ fortitudinis nervos ad omnia præparare non dubitent.

CAPUT XVIII. — *Spinæ et tribuli lignaque infructuosa cur et quando creata.*

27. Talis etiam quæstio de spinis et tribulis solet oboriri, et de quibusdam lignis infructuosis, vel cur vel quando creata sint, cum Deus dixerit, *Producat terra herbam pabuli seminantem semen, et lignum fructiferum faciens fructum.* Sed qui ita moventur, non intelligunt saltem de usitatis formulis humani juris, quemadmodum appelletur usufructus. Utilitas enim quædam fruentium in fructus nomine consideratur. Quantæ autem sint utilitates, sive manifestæ, sive occultæ, omnium quæ terra gignens radicitus alit, et ipsi quædam intueantur, et ab expertis cætera inquirant.

28. Et de spinis quidem ac tribulis absolutior potest esse responsio, quia post peccatum dictum est homini de terra, *Spinas et tribulos pariet tibi* (*Gen.* III, 18). Nec tamen facile dicendum est tunc cœpisse ista oriri ex terra. Fortassis enim quoniam in ipsis

[1] Er. et Lov.: *Præseminata materia, et quodammodo initiata primordia.* Mss. vero carent voce, *materia:* proque *initiata*, habent *liciata;* uti etiam editio Am. Quod vocabulum intelliges ex lib. 22 de Civitate Dei, cap. 14; ubi membra omnia esse latenter in semine, et nascentes perfectionis modum, non in mole, sed in ratione jam habere docet Augustinus: « In qua ratione, ait, uniuscujusque materiæ in« dita corporali jam quodammodo, ut ita dicam, liciatum « videtur, quod nondum est, imo quod latet, sed accessu « temporis erit, vel potius apparebit. »

[2] In editis, *per voluntatem.* At in Mss., *per voluptatem.*

quoque generibus seminum multæ reperiuntur utilitates, poterant habere locum suum sine ulla pœna hominis. Sed ut in agris in quibus jam pœnaliter laborabat, etiam ista nascerentur, hoc ad cumulum pœnæ valere credi potest, cum possent alibi nasci, vel ad avium pecorumque pastus, vel ad ipsorum hominum aliquos usus. Quanquam et ille sensus non abhorret ab his verbis, quo ita intelligitur dictum *Spinas et tribulos pariet tibi*; ut hæc etiam antea terra pariens, non tamen homini pareret ad laborem, sed cujuscemodi animalibus convenientem cibum; sunt enim quæ his generibus, et mollioribus et aridioribus commode suaviterque vescantur : tunc autem cœperit ista homini parere ad ærumnosum negotium, cum post peccatum cœpit in terra laborare. Non quod aliis locis hæc antea nascerentur, et post in agris quos homo ad capiendas fruges coleret; sed et prius et postea in eisdem locis : prius tamen non homini, post autem homini; ut hoc significetur quod additum est, *tibi* : quia non est dictum, Spinas et tribulos pariet, sed, *pariet tibi*; id est ut tibi jam ista nasci incipiant ad laborem, quæ ad pastum tantummodo aliis animalibus antea nascebantur.

CAPUT XIX. — *De vers. 26, 27, etc. Cur in solius hominis creatione dictum*, Faciamus.

29. *Et dixit Deus : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et dominetur piscium maris et volatilium cœli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium reptilium repentium super terram. Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum : masculum et feminam fecit eos. Et benedixit eos Deus dicens : Crescite, et multiplicamini, et implete terram, et dominamini ejus, et principamini piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium reptilium repentium super terram. Et dixit Deus*, *Ecce dedi vobis omne pabulum seminale, seminans semen quod est super omnem terram, et omne lignum quod habet in se fructum seminis seminalis; vobis erit ad escam, et omnibus bestiis terræ, et omnibus volatilibus cœli, et omni reptili repenti super terram, quod habet in se spiritum vitæ; et omne pabulum viride in escam. Et factum est sic. Et vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde. Et facta est vespera, et factum est mane dies sextus.* Etiam atque etiam de natura hominis post erit uberior considerandi et diligentius disserendi locus. Nunc tamen, ut opera sex dierum nostra inquisitio pertractatioque concludat, hoc primum breviter dicimus, non indifferenter accipiendum quod in aliis operibus dicitur, *Dixit Deus, Fiat*; hic autem, *Dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* : ad insinuandam scilicet, ut ita dicam, pluralitatem personarum propter Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum. Quam tamen deitatis unitatem intelligendam statim admonet, dicens, *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei*; non quasi Pater ad imaginem Filii, aut Filius ad imaginem Patris; alioquin non vere dictum est, *ad imaginem nostram*, si ad Patris solius, aut Filii solius imaginem factus est homo : sed ita dictum est, *fecit Deus ad imaginem Dei* : tanquam diceretur, fecit Deus ad imaginem suam. Cum autem nunc dicitur, *ad imaginem Dei*, cum superius dictum sit, *ad imaginem nostram*; significatur quod non id agat illa pluralitas personarum, ut plures deos vel dicamus, vel credamus, vel intelligamus; sed Patrem et Filium et Spiritum sanctum, propter quam Trinitatem dictum est *ad imaginem nostram*, unum Deum accipiamus, propter quod dictum est, *ad imaginem Dei*.

CAPUT XX.— *In quo homo factus sit ad imaginem Dei. Cur de hominis creatione non dicitur*, Et sic est factum.

30. Hic etiam illud non est prætereundum, quia cum dixisset, *ad imaginem nostram*; statim subjunxit, *et habeat potestatem piscium maris et volatilium cœli*, et cæterorum animalium rationis expertium : ut videlicet intelligamus in eo factum hominem ad imaginem Dei, in quo irrationalibus animantibus antecellit. Id autem est ipsa ratio, vel mens, vel intelligentia, vel si quo alio vocabulo commodius appellatur. Unde et Apostolus dicit, *Renovamini in spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem* (*Ephes*. IV, 23, 24), *qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Coloss*. III, 10); satis ostendens ubi sit homo creatus ad imaginem Dei, quia non corporeis lineamentis, sed quadam forma intelligibili mentis illuminatæ.

31. Ac per hoc sicut in illa prima luce, si eo nomine recte intelligitur facta lux intellectualis particeps æternæ atque incommutabilis sapientiæ Dei, non dictum est, Et sic est factum, ut deinde repeteretur, Et fecit Deus : quia sicut jam, quantum potuimus, disseruimus, non fiebat cognitio aliqua Verbi Dei in prima creatura, ut post eam cognitionem inferius crearetur, quod in eo Verbo creabatur; sed ipsa prima creabatur lux, in qua fieret cognitio Verbi Dei, per quod creabatur, atque ipsa cognitio illi esset ab informitate sua converti ad formantem Deum, et creari, atque formari : postea vero in cæteris creaturis dicitur, *Et sic est factum*; ubi significatur in illa luce, hoc est in intellectuali creatura, prius facta Verbi cognitio; ac deinde cum dicitur, *Et fecit Deus*, ipsius creaturæ genus fieri demonstratur, quod in Verbo Dei dictum erat ut fieret : hoc et in hominis conditione servatur. Dixit enim Deus, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, etc. Ac deinde non dicitur, *Et sic est factum*; sed jam subinfertur, *Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei* : quia et ipsa natura scilicet intellectualis est, sicut illa lux, et propterea hoc est ei fieri, quod est agnoscere Verbum Dei per quod fit.

32. Nam si diceretur, *Et sic est factum*, et postea subinferretur, *Et fecit Deus*; quasi prius factum intelligeretur in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in aliqua creatura quæ rationalis non esset : quia vero et ipsa rationalis creatura est, et ipsa eadem cognitione perfecta est. Sicut enim post lapsum peccati homo in agnitione Dei renovatur, secundum imaginem ejus qui creavit eum; ita in ipsa agnitione creatus est, antequam delicto veterasceret, unde rursum in eadem agnitione renovaretur. Quæ autem non in ea cogni-

tione creata sunt, quia sive corpora sive irrationales animæ creabantur, primo facta est in creatura intellectuali cognitio eorum a Verbo, quo dictum est ut fierent : propter quam cognitionem primo dicebatur, *Et sic est factum:* ut ostenderetur facta ipsa cognitio in ea natura, quæ hoc in Verbo Dei ante cognoscere poterat; ac deinde fiebant ipsæ corporales et irrationales creaturæ, propter quod deinceps addebatur, *Et fecit Deus.*

CAPUT XXI. — *De hominis immortalitate difficultas ex cibo ipsi præstito.*

33. Quomodo autem homo immortalis factus sit, et acceperit escam cum aliis animalibus, herbam pabuli ferentem semen, et lignum fructiferum, et herbam viridem, difficile est dicere. Si enim peccato mortalis effectus est, utique ante peccatum non indigebat talibus cibis. Neque enim posset corpus illud fame corrumpi. Nam illud quod dictum est, *Crescite et multiplicamini, et implete terram,* quanquam nisi per concubitum maris et feminæ fieri non posse videatur; unde hinc quoque mortalium corporum exstitit indicium : potest tamen dici, alium modum esse potuisse in corporibus immortalibus, ut solo piæ charitatis affectu, nulla corruptionis concupiscentia filii nascerentur, nec mortuis parentibus successuri, nec ipsi morituri; donec terra immortalibus hominibus impleretur, ac sic instituto justo et sancto populo, qualem post resurrectionem futurum credimus, nascendi etiam modus fieret : potest quidem dici, et quomodo dicatur, alia consideratio est; sed non etiam hoc quisquam dicere audebit, ciborum indigentiam quibus reficiantur, nisi mortalibus corporibus esse posse [1].

CAPUT XXII. — *Opinio quorumdam animæ creationem signari his verbis,* Et fecit, *etc., corporis vero istis,* Et finxit Deus, *etc.*

34. Nonnulli autem etiam hoc suspicati sunt, nunc interiorem hominem factum, corpus autem hominis postea, cum ait Scriptura, *Et finxit Deus hominem de limo terræ* : ut quod dictum est, *fecit*, ad spiritum pertineat; quod autem, *finxit*, ad corpus. Nec attendunt masculum et feminam nonnisi secundum corpus fieri potuisse. Licet enim subtilissime disseratur, ipsam mentem hominis in qua factus est ad imaginem Dei, quamdam scilicet rationalem vitam, distribui in æternæ contemplationis veritatem, et in rerum temporalium administrationem [2]; atque ita fieri quasi masculum et feminam, illa parte consulente, hac obtemperante : in hac tamen distributione non recte dicitur imago Dei, nisi illud quod inhæret contemplandæ incommutabili veritati. In cujus rei figura Paulus apostolus virum tantum dicit imaginem et gloriam Dei : *Mulier autem,* inquit, *gloria viri est* (I *Cor.* XI, 7). Itaque quamvis hoc in duobus hominibus diversi sexus exterius secundum corpus figuratum sit, quod etiam in una hominis interius mente intelligitur; tamen et femina quæ est corpore femina, renovatur etiam ipsa in spiritu mentis suæ in agnitione Dei secundum imaginem ejus qui creavit, ubi non est masculus et femina. Sicut autem ab hac gratia renovationis, et reformatione imaginis Dei, non separantur feminæ, quamvis in sexu corporis earum aliud figuratum sit, propter quod vir solus dicitur esse imago et gloria Dei; sic et in ipsa prima conditione hominis, secundum id quod et femina homo erat, habebat utique mentem suam eamdemque rationalem, secundum quam ipsa quoque facta est ad imaginem Dei. Sed propter unitatem conjunctionis, *Fecit Deus*, inquit, *hominem ad imaginem Dei.* Ac ne quisquam putaret solum spiritum hominis factum, quamvis secundum solum spiritum fieret ad imaginem Dei, *Fecit illum,* inquit, *masculum et feminam,* ut jam etiam corpus factum intelligatur. Rursum ne quisquam arbitraretur ita factum, ut in homine singulari uterque sexus exprimeretur, sicut interdum nascuntur, quos androgynos vocant; ostendit se singularem numerum propter conjunctionis unitatem posuisse, et quod de viro mulier facta est, sicut postea manifestabitur, cum id quod hic breviter dictum est, diligentius cœperit explicari : et ideo pluralem numerum continuo subjecit, dicens, *Fecit eos, et benedixit eos.* Sed, ut jam dixi, diligentius in consequenti Scriptura de hominis creatione requiremus.

CAPUT XXIII. — *Quo spectet illud vers.* 30, Et sic est factum.

35. Nunc advertendum est, quod posteaquam dixit, *Et sic factum est;* statim subjecit, *Et vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde :* ubi intelligitur potestas et facultas ipsa data naturæ humanæ sumendi ad escam pabulum agri et fructus ligni. Ad hoc enim intulit, *Et sic est factum,* quod ab illo loco inchoaverat, ubi ait, *Et dixit Deus, Ecce dedi vobis pabulum seminale,* etc. Nam si ad omnia quæ supra dicta sunt retulerimus quod ait, *Et sic est factum ;* consequens erit ut confiteamur etiam crevisse illos jam, et multiplicatos implevisse terram in eodem sexto die; quod eadem Scriptura testante post multos annos factum invenimus. Quapropter, cum data esset hæc facultas edendi, et hoc Deo dicente homo cognovisset, dicitur, *Et sic est factum;* in hoc utique quod Deo dicente homo cognovit. Nam si id etiam tunc egisset, id est in escam illa quæ data sunt etiam vescendo assumpsisset, servaretur illa consuetudo Scripturæ, ut posteaquam dictum est, *Et sic est factum,* quod ad exprimendam præcedentem cognitionem pertinet, deinde inferretur etiam ipsa operatio, ac diceretur, Et acceperunt et ederunt. Poterat enim ita dici, etiamsi non rursus nominaretur Deus. Sicut in illo loco posteaquam dictum est, *Congregetur aqua quæ sub cœlo est in congregationem unam, et appareat arida;* subinfertur, *Et sic est factum* : ac deinde non dicitur, *Et fecit Deus;* sed tamen ita repetitur, *Et congregata est aqua in congregationes suas,* etc.

CAPUT XXIV. — *Cur de homine non singulatim, uti de cæteris, dictum sit,* Vidit Deus quia bonum est.

36. Quod autem non singulatim, ut in cæteris, etiam de humana creatura dixit, *Et vidit Deus quia*

[1] In excusis habebatur : *Quibus reficiebantur, nisi mortalibus corporibus esse non posse.* Verior Mss. lectio, quam in textu exhibemus.

[2] Editi : *et in quamdam... administrationem.* Abest *quamdam* a Mss.

bonum est; sed post hominem factum, datamque illi potestatem vel dominandi vel edendi, subintulit de omnibus, *Et vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde*, merito quæri potest. Potuit enim coprimo reddi homini singulatim, quod singulatim cæteris quæ antea facta sunt redditum est; tum demum de omnibus dici quæ fecit Deus, *Ecce bona valde*. An forte quia sexto die perficiuntur omnia, propterea de omnibus dicendum fuit, *Vidit Deus omnia quæ fecit, et ecce bona valde*; non singillatim de iis quæ ipso die facta sunt? Cur ergo de pecoribus et bestiis et reptilibus terræ dictum est, quæ ad eumdem diem sextum pertinent? nisi forte illa et singillatim in suo genere, et cum cæteris universaliter dici bona meruerunt; et homo factus ad imaginem Dei, nonnisi cum cæteris hoc dici meruit. An quia perfectus nondum erat, quia nondum erat in paradiso constitutus? quasi vero posteaquam ibi constitutus est, dictum sit quod hic prætermissum est.

37. Quid ergo dicemus? An quia præsciebat Deus hominem peccaturum, nec in suæ imaginis perfectione mansurum, non singillatim, sed cum cæteris eum dicere voluit bonum, velut intimans quid esset futurum? Quia cum ea quæ facta sunt, in eo quod facta sunt, quantum acceperunt, manent, sicut vel illa quæ non peccaverunt, vel illa quæ peccare non possunt; et singula bona, et in universo bona valde sunt. Non enim frustra est additum, *valde*; quia et corporis membra si etiam singula pulchra sunt, multo sunt tamen in universi corporis compage omnia pulchriora. Quia oculum, verbi gratia, placitum atque laudatum, tamen si separatum a corpore videremus, non diceremus tam pulchrum, quam in illa connexione membrorum, cum loco suo positus in universo corpore cerneretur. Ea vero quæ peccando amittunt decus proprium, nullo tamen modo efficiunt ut non etiam ipsa recte ordinata, cum toto atque universo bona sint. Homo igitur ante peccatum et in suo utique genere bonus erat; sed Scriptura prætermisit hoc dicere, ut illud potius diceret quod futurum aliquid prænuntiaret. Non enim falsum de illo dictum est. Qui enim singillatim bonus est, magis utique cum omnibus bonus est. Non autem quando cum omnibus bonus est, sequitur ut etiam singillatim bonus sit. Moderatum est itaque ut id diceretur, quod in præsenti verum esset, et præscientiam significaret futuri. Deus enim naturarum optimus conditor, peccantium vero justissimus ordinator est; ut etiam si qua singillatim fiunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis universitas pulchra sit. Sed jam ea quæ sequuntur in sequenti volumine pertractemus.

LIBER QUARTUS.

Tractatur initium cap. 2 Geneseos. Postque nonnulla de senarii numeri perfectione, movetur quæstio rursum, circa vers. 5 cap. 1, quomodo scilicet creata luce, facta sit vespera et factum mane, sicque dies numerati usque ad sextum et septimum.

CAPUT PRIMUM. — *Dies sex quomodo accipiendi.*

1. *Et consummata sunt cœlum et terra, et omnis ornatus eorum. Et consummavit Deus in die sexto opera suæ quæ fecit; et requievit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit. Et benedixit Deus diem septimum, et sanctificavit eum; quia in ipso requievit ab omnibus operibus suis quæ inchoavit Deus facere.* Arduum quidem atque difficillimum est viribus intentionis nostræ, voluntatem scriptoris in istis sex diebus, mentis vivacitate penetrare, utrum præterierint dies illi, et addito septimo, nunc per volumina temporum, non re, sed nomine repetantur. In toto enim tempore multi dies veniunt præteritis similes, nullus autem idem redit. Utrum ergo præterierint dies illi; an istis qui eorum vocabulis et numero censentur, in temporum ordine quotidie transcurrentibus, illi in ipsis rerum conditionibus maneant: ut non solum in illis tribus antequam fierent luminaria, sed etiam in reliquis item tribus, diei nomen intelligamus in specie rei quæ creata est, noctemque ejus in privatione vel defectu, vel si quo alio nomine melius significatur, cum amittitur species, aliqua mutatione a forma ad informitatem declinante atque vergente: quæ mutatio in omni creatura sive possibilitate inest, etiamsi desit effectu, sicut in cœlestibus superioribus; sive ad implendam in infimis rebus pulchritudinem temporalem, per ordinatas vices quorumque mutabilium decessionibus [1] successionibusque peragitur, sicut manifestum est in rebus terrenis atque mortalibus: vespera vero in omnibus perfectæ conditionis quasi quidam terminus sit: mane autem incipientis exordium; omnis enim creata natura certis suis initiis et finibus continetur: indagare difficile est. Sed sive hoc, sive illud, sive aliquid etiam tertium probabilius, quod dicatur, possit inveniri, quod in progressu disputationis forsitan apparebit, quemadmodum in illis diebus et nox et vespera et mane intelligatur: non est tamen abs re, ut consideremus senarii numeri perfectionem in ipsa interiori natura numerorum; quam mente intuentes, ea quæ sensibus etiam corporis adjacent, numeramus, numeroseque disponimus.

CAPUT II. — *De senarii numeri perfectione.*

2. Invenimus ergo senarium numerum primum esse perfectum, ea ratione quod suis partibus compleatur. Sunt enim et alii numeri aliis causis rationibusque perfecti. Proinde istum senarium ea ratione perfectum diximus, quod suis partibus compleatur, talibus duntaxat partibus, quæ multiplicatæ possint consummare numerum cujus partes sunt. Talis enim pars numeri dici potest quota sit. Nam ternarius numerus potest dici pars, non tantum senarii, cujus dimidia est, sed omnium ampliorum quam est ipse ternarius. Nam et quaternarii et quinarii pars major

[1] Mss., *cessionibus*.

ternarius est : potest enim dividi et quaternarius in tria et unum, et quinarius in tria et duo. Et septenarii et octonarii et novenarii, et quidquid ultra est numerorum, pars est ternarius, non major vel dimidia, sed minor. Nam septenarius quoque dividi potest in tria et quatuor, et octonarius in tria et quinque, et novenarius in tria et sex : sed nullius horum potest dici ternarius quota sit pars, nisi tantum novenarii, cujus pars tertia est, sicut senarii dimidia. Itaque horum omnium quos commemoravi, nullus consummatur ex aliquot ternariis, nisi senarius et novenarius. Nam ille constat ex duobus ternariis, istè autem ex tribus.

3. Senarius ergo numerus, ut dicere cœperam, partibus suis connumeratis et in summam ductis, in se completur. Alii namque sunt numeri, quorum partes simul ductæ minorem summam faciunt, alii vero ampliorem : certis vero intervallorum rationibus pauciores inveniuntur, qui suis partibus compleantur, quarum summa nec citra insistat, nec ultra excrescat, sed ad tantum occurrat, quantus est ipse numerus cujus partes sunt. Horum primus senarius est. Nam unius in numeris nullæ partes sunt. Sic enim dicitur unum in numeris quibus numeramus, ut non habeat dimidium vel aliquam partem, sed vere ac pure et simpliciter unum sit. Duorum autem pars unum est, et ea dimidia, nec ulla altera. Ternarius vero duas habet, unam quæ dici possit quota sit, quod est unum, nam tertia ejus est; et aliam majorem quæ non possit dici quota sit, id est duo : nec hujus ergo partes computari possunt illæ, de quibus agimus, id est quæ dici possunt quotæ sint. Porro quaternarius duas habet tales : nam unum, quarta ejus est; duo, dimidia ; sed ambæ in summam ductæ, id est unum et duo simul, ternarium faciunt, non quaternarium. Non ergo eum complent partes suæ, quia in summa minore consistunt. Quinarius non habet talem nisi unam, id est ipsum unum, quæ quinta pars ejus est : nam et duo quamvis pars ejus minor sit et tria major ; neutra tamen earum dici potest quota pars ejus sit. Senarius vero tres partes tales habet, sextam, tertiam, dimidiam : sexta ejus, unum est ; tertia, duo, dimidia, tria. Hæ autem partes in summam ductæ, id est unum et duo et tria, simul eumdem consummant perficiuntque senarium.

4. Jam septenarius non habet talem partem nisi septimam, quod est unum. Octonarius tres, octavam, quartam, dimidiam, id est unum, duo et quatuor : sed hæ simul ductæ septenarium faciunt infra insistentem, non ergo complent eumdem octonarium. Novenarius duas habet, nonam, quod est unum ; et tertiam, quod est tria : hæ autem simul, quaternarium faciunt longe novenario minorem. Denarius tres habet tales partes ; unum decimam, duo quintam, quinque dimidiam, qui numeri simul ducti ad octonarium perveniunt, non ad denarium. Undenarius non habet nisi solam undecimam, sicut septenarius solam septimam, et quinarius solam quintam, et ternarius solam tertiam, et binarius solam dimidiam, quod in omnibus unum est. Duodenarius vero partibus suis talibus simul ductis, non ipse consummatur, sed exceditur ; ampliorem quippe duodenario numerum faciunt : nam usque ad sexdecim perveniunt. Habet enim eas quinque, duodecimam, sextam, quartam, tertiam, dimidiam : nam duodecima ejus unum est ; sexta, duo ; quarta, tria ; tertia, quatuor ; dimidia, sex : unum autem, et duo, et tria, et quatuor, et sex, in summam ducta sexdecim sunt.

5. Et ne multis morer, in infinita serie numerorum plures numeri reperiuntur, qui tales partes aut non habent nisi singulas, sicut ternarius, et quinarius, et cæteri ejusmodi ; aut ita plures habent tales partes, ut in unum ductæ atque in summam redactæ vel citra insistant, sicut est octonarius, et novenarius et alii plurimi, vel ultra excedant, sicut duodecimus et duodevigesimus, et multi tales. Plures ergo reperiuntur quilibet horum, quam illi qui perfecti vocantur, eo quod suis simul ductis talibus partibus compleantur. Nam post senarium duodetrigesimus invenitur, qui similiter suis talibus partibus constat : habet enim eas quinque vigesimam octavam, quartamdecimam, septimam, quartam, dimidiam ; id est unum, et duo, et quatuor, et septem, et quatuordecim ; quæ simul ductæ eumdem duodetrigesimum complent : fiunt enim viginti octo. Et quanto numerorum ordo procedit, tanto productioribus pro rata portione [1] intervallis reperiuntur hi numeri, qui suis talibus partibus in summam redactis, ad seipsos occurrunt, dicunturque perfecti. Quorum enim numerorum tales partes simul ductæ non implent eosdem numeros quorum partes sunt, imperfecti nominantur : quorum autem etiam excedunt, plus quam perfecti appellantur.

6. Perfecto ergo numero dierum, hoc est senario, perfecit Deus opera sua quæ fecit. Ita enim scriptum est : *Et consummavit Deus in die sexto* [2] *opera sua quæ fecit.* Magis autem in istum numerum intentus fio, cum considero etiam ordinem operum ipsorum. Sicut enim idem numerus gradatim partibus suis in trigonum surgit ; nam ita sequuntur unum, duo, tria, ut nullus alius interponi possit, quæ singulæ senarii partes sunt quibus constat ; unum, sexta ; duo, tertia ; tria, dimidia : ita uno die facta est lux, duobus autem sequentibus fabrica mundi hujus ; uno superior pars, id est firmamentum, altero inferior, id est mare et terra : sed partem superiorem nullis alimentorum corporalium generibus implevit, quia non ibi erat positurus corpora tali refectione indigentia ; at inferiorem, quam sibi congruentibus animalibus ornaturus erat, necessariis eorum indigentiæ cibis ante ditavit. Reliquis ergo tribus diebus ea creata sunt, quæ intra mundum, id est intra istam universitatem visibilem ex elementis omnibus factam, visibilia suis et congruis motibus agerentur : primo in firmamento luminaria, quia prius erat factum firmamentum ; deinde in infe-

[1] Sic plures ac melioris notæ Mss. At editi, *pro rata proportione.*

[2] In excusis, *septimo*, juxta versionem Vulgatam. At in Mss., *sexto*, juxta LXX, quos sequitur Augustinus supra, n. 1, et passim profert, *in die sexto.*

riore animantia, sicut ordo ipse poscebat, uno die, aquarum; alio, terrarum. Nec quisquam ita demens est, ut audeat dicere non potuisse Deum facere uno die cuncta, si vellet; aut si vellet biduo, uno die spiritualem creaturam, et alio corporalem; sive uno die cœlum cum omnibus pertinentibus, et alio terram cum omnibus quæ in ea sunt; et omnino quando vellet, quamdiu vellet, et quomodo vellet: quis est qui dicat voluntati ejus aliquid potuisse resistere?

CAPUT III. — *De eo quod scriptum est Sap.* XI, 21, *Omnia in mensura*, etc.

7. Quapropter cum eum legimus sex diebus omnia perfecisse, et senarium numerum considerantes, invenimus esse perfectum, atque ita creaturarum ordinem currere, ut etiam ipsarum partium, quibus iste numerus perficitur, appareat quasi gradata distinctio; veniat etiam illud in mentem, quod alio loco Scripturarum ei dicitur, *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti* (*Sap.* XI, 21); atque ita cogitet anima, quæ potest, invocato in auxilium Deo, et impertiente atque inspirante vires, utrum hæc tria, mensura, numerus, pondus, in quibus Deum disposuisse omnia scriptum est, erant alicubi antequam crearetur universa creatura, an etiam ipsa creata sunt; et si erant antea, ubi erant. Neque enim ante creaturam erat aliquid nisi creator. In ipso ergo erant. Sed quomodo? nam et ista quæ creata sunt, in ipso esse legimus (*Rom.* XI, 36): an illa sicut ipse, ista vero sicut in illo a quo reguntur et gubernantur? Et quomodo illa ipse? Neque enim Deus mensura est, aut numerus, aut pondus, aut ista omnia. An secundum id quod novimus mensuram in eis quæ metimur, et numerum in eis quæ numeramus, et pondus in eis quæ appendimus, non est Deus ista: secundum id vero quod mensura omni rei modum præfigit, et numerus omni rei speciem præbet, et pondus omnem rem ad quietem ac stabilitatem trahit, ille primitus et veraciter et singulariter ista est, qui terminat omnia et format omnia, et ordinat omnia; nihilque aliud dictum intelligitur, quomodo per cor et linguam humanam potuit, *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti*, nisi, Omnia in te disposuisti?

8. Magnum est paucisque concessum, excedere omnia quæ metiri possunt, ut videatur mensura sine mensura; excedere omnia quæ numerari possunt, ut videatur numerus sine numero; excedere omnia quæ appendi possunt, ut videatur pondus sine pondere.

CAPUT IV. — *In Deo esse mensuram sine mensura, numerum sine numero, et pondus sine pondere.*

Neque enim mensura et numerus et pondus in lapidibus tantummodo et lignis atque hujusmodi molibus, et quantiscumque corporalibus vel terrestribus vel cœlestibus animadverti et cogitari potest. Est etiam mensura aliquid agendi, ne sit irrevocabilis et immoderata progressio; et est numerus et affectionum animi et virtutum, quo ab stultitiæ deformitate, ad sapientiæ formam decusque colligitur; et est pondus voluntatis et amoris, ubi apparet quanti quidque in appetendo, fugiendo, præponendo, postponendoque pendatur: sed hæc animorum atque mentium et mensura alia mensura cohibetur, et numerus alio numero formatur, et pondus alio pondere rapitur. Mensura autem sine mensura est, cui æquatur quod de illa est, nec aliunde ipsa est: numerus sine numero est, quo formantur omnia, nec formatur ipse: pondus sine pondere est, quo referuntur ut quiescant, quorum quies purum gaudium est, nec illud jam refertur ad aliud.

9. Sed nomina mensuræ et numeri et ponderis, quisquis nonnisi visibiliter novit, serviliter novit. Transcendat itaque omne quod ita novit, aut si nondum potest, nec ipsis nominibus hæreat, de quibus cogitare nisi sordide non potest. Tanto enim magis cuique ista in superioribus chara sunt, quanto ipse minus est in inferioribus caro. Quod si non vult aliquis ea vocabula, quæ in rebus infimis et abjectissimis didicit, transferre ad illa sublimia, quibus intuendis mentem serenare conatur, non est urgendus ut faciat. Dum enim hoc intelligatur quod intelligendum est, non magnopere curandum est quid vocetur. Scire oportet tamen cujusmodi similitudo est inferiorum ad superiora. Non enim aliter recte hinc illuc ratio tendit, et nititur.

10. Jam vero si quisquam dicit creatam esse mensuram et numerum et pondus, in quibus Deum omnia disposuisse Scriptura testatur; si in illis omnia disposuit, eadem ipsa ubi disposuit? si in aliis, quomodo ergo in ipsis omnia, quando ipsa in aliis? Non itaque dubitandum est illa esse extra ea quæ disposita sunt, in quibus omnia disposita sunt.

CAPUT V. — *In Deo ipso exstat ratio mensuræ, numeri et ponderis, ad quam disposita sunt omnia.*

11. An forte putabimus ita dictum esse, *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti*, ac si diceretur, Omnia sic disposuisti, ut haberent mensuram, et numerum, et pondus? Quia et si diceretur, Omnia corpora in coloribus disposuisti; non hinc esset consequens ut ipsa Dei Sapientia, per quam facta sunt omnia, colores in se prius habuisse intelligeretur, in quibus faceret corpora: sed ita acciperetur, Omnia corpora in coloribus disposuisti, ac si diceretur, Omnia corpora sic disposuisti, ut haberent colores. Quasi vero a creatore Deo disposita in coloribus corpora, id est ita disposita ut colorata essent, possit aliter intelligi, nisi aliqua ratio colorum singulis corporum generibus distribuendorum in ipsa disponentis sapientia non defuisse intelligatur, etsi color ibi non appellatur. Hoc est enim quod dixi: dum res cognoscitur, non esse de vocabulis laborandum.

12. Faciamus [1] ergo ita dictum esse, *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti*, tanquam dictum esset, ita disposita ut haberent proprias mensuras suas, et proprios numeros, et proprium pondus, quæ in eis pro sui cujusque generis mutabilitate mutarentur, augmentis et diminutionibus, multitudine et paucitate, levitate et gravitate, secundum dispositionem Dei: numquid sicut ista mutantur, ita ipsum

[1] Editi, *fateamur*. Mss. vero, *faciamus*.

Dei consilium, in quo ea disposuit, mutabile dicimus? Averterit ipse tantam dementiam.

CAPUT VI. — *Ubi cernebat Deus unde omnia disponeret.*

Cum ergo hæc ita disponerentur, ut haberent mensuras, et numeros, et pondera sua, ubi ea cernebat ipse disponens? Neque enim extra seipsum, sicut cernimus oculis corpora; quæ utique nondum erant, cum disponerentur ut fierent. Nec intra seipsum ista cernebat, sicut animo cernimus phantasias corporum, quæ non præsto sunt oculis, sed ea quæ vidimus, vel ex eis quæ vidimus imaginando cogitamus. Quò modo ergo ista cernebat, ut ita disponeret? Quo, nisi eo quo solus potest?

13. Verum etiam [1] nos mortales et peccatores, quorum animas aggravant corpora corruptibilia, et quorum sensum multa cogitantem terrena deprimit habitatio (*Sap.* IX, 15); quanquam etsi corda mundissima et mentes simplicissimas gereremus, sanctisque Angelis jam essemus æquales, non utique nobis ita nota esset divina substantia sicut ipsa sibi.

CAPUT VII. — *Senarii numeri perfectionem quomodo cernamus.*

Tamen istam senarii numeri perfectionem, nec extra nos ipsos cernimus, sicut oculis corpora; nec ita intra nosmetipsos, quemadmodum corporum phantasias, et visibilium imagines rerum, sed alio quodam longe differenti modo. Quamvis enim se objectent mentis aspectui quasi corpusculorum quædam simulacra, cum senarii numeri compositio vel ordo vel partitio cogitatur: tamen validior et præpotentior desuper ratio non eis annuit, interiusque numeri vim contuetur; per quem contuitum fidenter dicit, id quod dicitur unum in numeris, in nullas partes dividi posse; nulla autem corpora nisi in partes innumerabiles dividi; et facilius cœlum et terram transire, quæ secundum senarium numerum fabricata sunt, quam effici posse ut senarius numerus non suis partibus compleatur. Gratias itaque Creatori semper agat animus humanus, a quo ita creatus est, ut hoc possit videre, quod avium nulla, nulla bestiarum, quæ tamen nobiscum vident et cœlum, et terram, et luminaria, et mare, et aridam, et omnia quæ in eis sunt.

14. Quamobrem non possumus dicere, propterea senarium numerum esse perfectum, quia sex diebus perfecit Deus omnia opera sua; sed propterea Deum sex diebus perfecisse opera sua, quia senarius numerus perfectus est. Itaque, etiamsi ista non essent, perfectus ille esset; nisi autem ille perfectus esset, ista secundum eum perfecta non fierent.

CAPUT VIII. — *Quies Dei in die septimo ut intelligenda.*

15. Jam vero quod scriptum est, requievisse Deum in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit; et ideo eumdem diem benedixisse, et sanctificasse, quia in ipso requievit; ut quomodo possumus, quantum ab ipso adjuti fuerimus, intellectu conemur attingere, prius de hoc carnales hominum suspiciones a nostris mentibus abigamus. Numquid enim dici vel credi fas est Deum laborasse in operando, cum ea quæ supra scripta sunt condidit, quando dicebat, et fiebant? Ita quippe nec homo laborat, si aliquid faciendum, mox ut dixerit, fiat. Quamvis enim humana verba sonis adminiculata ita proferantur, ut sermo diuturnus fatiget: tamen cum tam pauca sunt, quam pauca legimus in eo quod scriptum est, cum Deus dixit, *Fiat lux, Fiat firmamentum*, et cætera usque in finem operum, quæ sexto die consummavit; nimis absurdi deliramenti est, istum vel hominis, nedum Dei, laborem putare.

16. An forte quis dixerit, dicendo quidem ut fierent, quæ continuo facta sunt, Deum non laborasse, sed forte cogitando quid fieri debuisset; qua cura velut liberatus rerum perfectione requieverit, et eo merito diem quo primo factus est ab hac animi intentione securus, benedicere, et sanctificare voluerit? Quod si hæc sapere, multum desipere est (rerum enim condendarum tam facultas, quam facilitas incomparabilis atque ineffabilis est apud Deum),

CAPUT IX. — *Quo sensu Deus requiescere dicitur. Tristitia laudabilis.*

Quid restat ut intelligamus, nisi forte creaturæ rationali, in qua et hominem creavit, in seipso requiem præbuisse, post ejus perfectionem, per donum Spiritus sancti, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris (*Rom.* V, 5) ut illuc feramur appetitu desiderii, quo cum pervenerimus requiescamus, id est nihil amplius requiramus? Sicut enim recte dicitur Deus facere, quidquid ipso in nobis operante fecerimus; ita recte dicitur Deus requiescere, cum ejus munere requiescimus.

17. Hoc quidem recte intelligimus; quia et verum est, et non magnæ intentionis indiget, ut videamus ita dici requiescere Deum, cum requiescere nos facit, sicut dicitur cognoscere, cum efficit ut cognoscamus. Neque enim Deus temporaliter cognoscit quod antea non noverat; et tamen dicit ad Abraham, *Nunc cognovi quoniam times Deum* (*Gen.* XXII, 12): ubi quid aliud accipimus, nisi, Nunc feci ut cognosceretur? His locutionum modis, cum ea quæ non accidunt Deo tanquam illi accidant loquimur, eum facere agnoscimus ut nobis accidant; ea duntaxat quæ laudabilia sunt: et hæc quantum Scripturarum usus admittit. Neque enim nos temere aliquid tale de Deo dicere debemus, quod in Scriptura ejus non legimus.

18. Ex hoc locutionis modo arbitror dictum illud ab Apostolo: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei in quo signati estis in die redemptionis* (*Ephes.* IV, 30). Neque enim ipsa Spiritus sancti, qua est quidquid ipse est, substantia contristari potest; cum habeat æternam atque incommutabilem beatitudinem, magisque sit ipsa æterna et incommutabilis beatitudo. Sed quia ita in sanctis habitat, ut eos impleat charitate, qua necesse est ut homines ex tempore gaudeant profectu fidelium et bonis operibus; et ideo necesse est etiam contristentur lapsu vel peccatis eorum, de quorum fide ac pietate gaudebant; quæ tristitia laudabilis est, quia venit ex dilectione quam Spiritus sanctus infun-

[1] Mss., *verumtamen.*

dit : propterea ipse Spiritus dicitur contristari ab eis qui sic agunt, ut eorum factis contristentur sancti, non ob aliud nisi quia Spiritum sanctum habent; quo dono tam boni sunt, ut eos mali mœstificent, hi maxime quos bonos fuisse sive noverunt sive crediderunt. Quæ profecto tristitia non solum non culpanda, verum etiam præcipue laudanda ac prædicanda est.

19. Hoc genere locutionis rursus idem apostolus mirabiliter usus est, ubi ait : *Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo* (*Galat.* IV, 9). Neque enim tunc eos cognoverat Deus, præcognitos videlicet ante constitutionem mundi (I *Petr.* I, 10); sed quia tunc ipsi cum illius munere, non suo merito vel facultate cognoverant, maluit tropice loqui, ut tunc ab illo cognitos diceret, cum eis cognoscendum se præstitit, et verbum corrigere, quasi hoc minus recte dixerit, quod proprie dixerat, quam sinere ut hoc sibi arrogarent se potuisse, quod eis posse ille donaverat.

CAPUT X. — *Quæstio an ipse Deus proprie requiescere potuerit.*

20. Hic ergo intellectus, in eo quod positum est requievisse Deum ab omnibus operibus suis, quæ fecit bona valde, quia ipse nos facit requiescere, cum bona opera fecerimus, quibusdam forte suffecerit : sed nos hujus sententiæ Scripturarum consideratione suscepta, urgemur quærere quonammodo et ipse requiescere potuerit; quamvis requie sua nobis insinuata, sperare admonuerit in se requiem nostram futuram. Sicut enim ipse fecit cœlum et terram, et ea quæ in eis sunt, et omnia sexto die consummavit; nec in eis aliquid dici potest nos creasse, illo donante ut crearemus, et ideo dictum esse, *Consummavit Deus in die sexto opera sua quæ fecit*, quia ut a nobis consummarentur ipse præstitit : ita et quod dictum est, *Requievit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis quæ fecit*, non utique nostram requiem, quam concedente ipso adepturi sumus, sed ipsius primitus intelligere debemus, qua in septimo die requievit, consummatis operibus; ut prius omnia quæ scripta sunt facta monstrentur, et deinde si opus est, etiam aliquid significasse doceantur. Recte quippe dicitur, sicut Deus post opera sua bona requievit, ita et nos post opera nostra bona requieturos. Sed ob hoc etiam recte flagitatur, ut quemadmodum disputatum est de operibus Dei, quæ ipsius esse satis apparet; ita de requie Dei satis disseratur, quæ propria[1] ipsius demonstretur.

CAPUT XI.— *Quomodo utrumque constat, Deum in die septimo requievisse, et nunc usque operari.*

21. Quapropter justissima ratione compellimur indagare, si valeamus, atque eloqui, quomodo utrumque sit verum, et quod hic scriptum est, in septimo die requievisse Deum ab operibus suis, quæ fecit; et quod in Evangelio dicit ipse, per quem facta sunt omnia, *Pater meus usque nunc operatur, et ego operor* (*Joan.* V, 17). Eis enim hoc respondit, qui propter requiem Dei Scripturæ hujus auctoritate antiquitus commendatum sabbatum, ab eo non observari querebantur. Et dici quidem probabiliter potest, observandum sabbatum Judæis fuisse præceptum in umbra futuri, quæ spiritualem requiem figuraret, quam Deus exemplo hujus quietis suæ fidelibus bona opera facientibus arcana significatione pollicebatur. Cujus quietis et ipse Dominus Christus, qui nonnisi quando voluit passus est, etiam sepultura sua mysterium confirmavit. Ipso[1] quippe die sabbati requievit in sepulcro, cumque totum diem habuit sanctæ cujusdam vacationis, posteaquam sexto die, id est parasceve, quam dicunt sextam sabbati, consummavit omnia opera sua, cum de illo quæ scripta sunt, in ipso crucis patibulo complerentur. Nam et hoc verbo usus est quando ait : *Consummatum est; et inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* XIX, 30). Quid ergo mirum si Deus istum diem, quo erat Christus in sepultura quieturus, volens etiam hoc modo prænuntiare, ab operibus suis in uno die requievit, deinceps operaturus ordinem sæculorum, ut et illud vere diceretur, *Pater meus usque nunc operatur?*

CAPUT XII. — *Alia ratio conciliandi Scripturam de requie et de continua operatione Dei.*

22. Potest etiam intelligi Deum requievisse a condendis generibus creaturæ, quia ultra jam non condidit aliqua genera nova : deinceps autem usque nunc et ultra operari eorumdem generum administrationem, quæ tunc instituta sunt; non ut ipso saltem die septimo potentia ejus a cœli et terræ, omniumque rerum quas condiderat, gubernatione cessaret, alioquin continuo dilaberentur. Creatoris namque potentia, et omnipotentis atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ : quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim, sicut structor ædium cum fabricaverit, abscedit, atque illo cessante atque abscedente stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen sui subtraxerit.

23. Proinde et quod Dominus ait, *Pater meus usque nunc operatur*, continuationem quamdam operis ejus, qua universam creaturam continet atque administrat, ostendit. Aliter enim posset intelligi si diceret, Et nunc operatur, ubi non esset necesse ut operis continuationem acciperemus : aliter autem cogit intelligi cum ait, *Usque nunc*, ex illo scilicet quo cuncta cum conderet operatus est. Et quod scriptum est de sapientia ejus, *Pertingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap.* VIII, 1); de qua item scriptum est, quod motus ejus agilior celeriorque sit omnibus motibus (*Ibid.* VII, 24) : satis apparet recte intuentibus, hunc ipsum incomparabilem et ineffabilem, et si possit intelligi, stabilem motum suum, rebus eam præbere suaviter disponendis; quo utique subtracto, si ab hac operatione cessaverit, eas continuo perituras. Et illud quod ait Apostolus cum Deum Atheniensibus prædicaret, *In illo vivimus, et movemur et sumus* (*Act.* XVII, 28), liquide cogitatum quantum humana mens valet, adjuvat hanc sententiam, qua

[1] Mss. plerique, *proprie.*

[1] Lov., *ideo quippe.* At aliæ editiones et Mss., *ipso.*

credimus et dicimus Deum in iis quæ creavit, indesinenter operari. Neque enim tanquam substantia ejus sic in illo sumus, quemadmodum dictum est, quod habeat vitam in semetipso (*Joan.* v, 26) : sed utique cum aliud simus quam ipse, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur, et hoc est opus ejus, quo continet omnia, et quo ejus *sapientia pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter;* per quam dispositionem *in illo vivimus, et movemur, et sumus.* Unde colligitur quod si hoc opus suum rebus subtraxerit, nec vivemus, nec movebimur, nec erimus. Claret igitur ne uno quidem die cessasse Deum ab opere regendi quæ creavit, ne motus suos naturales quibus aguntur atque vegetantur, ut omnino naturæ sint, et in eo quod sunt pro suo quæque genere maneant, illico amitterent, et esse aliquid omnino desinerent, si eis subtraheretur motus ille Sapientiæ Dei, quo disponit omnia suaviter. Quapropter sic accipimus Deum requievisse ab omnibus operibus suis quæ fecit, ut jam novam naturam ulterius nullam conderet; non ut ea quæ condiderat, continere et gubernare cessaret. Unde et illud verum est, quod *in septimo die requievit Deus;* et illud, quod *usque nunc operatur.*

CAPUT XIII. — *De Sabbati observatione. Sabbatum christianum.*

24. Et opera quidem ejus videmus bona ; quietem vero ejus post bona opera nostra videbimus. Ob quam significandam mandavit Hebræo populo unum diem observandum (*Exod.* xx, 8) : quod tam carnaliter agebant, ut eo die salutem nostram Dominum videntes operari criminarentur, ac si eis de opere Patris rectissime responderet, cum quo et ipse operabatur æqualiter, non solum creaturæ universæ administrationem, sed etiam ipsam nostram salutem. Jam vero tempore gratiæ revelatæ, observatio illa sabbati, quæ unius diei vacatione figurabatur, ablata est ab observatione fidelium. In ea quippe gratia perpetuum sabbatum jam observat, qui spe futuræ quietis operatur quidquid boni operatur, nec in ipsis bonis operibus suis, quasi habens bonum quod non acceperit, gloriatur : ita enim tanquam diem sabbati, hoc est Dominicæ cessationis in sepultura, suscipiens atque intelligens Baptismi sacramentum, quiescit a pristinis operibus suis ; ut jam in novitate vitæ ambulans (*Rom.* vi, 4), Deum in se operari cognoscat, qui simul et operatur, et quiescit, et creaturæ præbens congruam gubernationem, et apud se habens æternam tranquillitatem.

CAPUT XIV.—*Cur Deus sanctificaverit diem quietis suæ.*

25. Denique ipse nec cum creavit defessus, nec cum cessavit refectus est; sed nos voluit per Scripturam suam ad quietis exhortari desiderium, intimando nobis eum diem se sanctificasse, in quo quievit ab omnibus operibus suis. Nam nusquam omnium sex dierum quibus creata sunt omnia, legitur aliquid sanctificasse, nec ante ipsos sex dies ubi scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* i, 1), additum est, Et sanctificavit : sed diem istum, in quo requievit ab omnibus operibus suis quæ fecit, voluit sanctificare, tanquam et apud ipsum, qui nihil in opere suo laborat, plus quies quam operatio valeat. Hoc quidem in hominibus Evangelium nobis intimat, ubi Salvator noster meliorem partem dicit Mariæ, quod sedens ad pedes ejus requiescebat in verbo ejus, quam Marthæ, quamvis propter obsequium quo ei ministrabat circa multa occupatæ, et licet bonum opus operantis (*Luc.* x, 39-42). Verum hoc in Deo quomodo sit vel intelligatur, difficile dictum est, etiamsi cogitatu aliquantulum attingi potest, cur Deus sanctificaverit diem quietis suæ, qui nullum sanctificaverit operis sui, nec ipsum sextum quo et hominem fecit, et cuncta perfecit. Ac primum ipsum requiescere Dei quale sit, cujus humanæ mentis acies assequi potest? Quod tamen nisi esset, hoc omnino ista Scriptura non poneret. Dicam sane quod sentio, hæc duo indubitata præloquens, nec Deum, velut post laborem desideratumve negotii sui finem, temporali quadam requie delectatum ; nec has Litteras auctoritate tanta merito præminentes, frustra falsoque dixisse quod Deus ab omnibus operibus suis quæ fecit, in septimo die requieverit, eaque causa eumdem diem sanctificaverit.

CAPUT XV. — *Solvitur quæstio superius proposita.*

26. Nimirum ergo quia vitium est et infirmitas animæ, ita suis operibus delectari, ut potius in eis, quam in se requiescat ab eis; cum procul dubio melius aliquid in illa sit quo ea facta sunt, quam ipsa quæ facta sunt : insinuatur nobis Deus per hanc Scripturam, qua dicitur requievisse ab omnibus operibus suis quæ fecit, nullo opere suo sic delectatus, quasi faciendi ejus eguerit, vel minor futurus nisi fecisset, vel beatior cum fecisset. Quia enim ex illo ita est quidquid ex illo est, ut ei debeat quod est, ipse autem nulli quod ex ipso est, debeat quod beatus est; se rebus quas fecit diligendo præposuit : non sanctificans diem quo ea facienda inchoavit, nec illum quo ea perfecit, ne illis vel faciendis vel factis auctum ejus gaudium videretur; sed eum quo ab ipsis in seipso requievit. Et ipse quidem nunquam ista requie caruit, sed nobis eam per diem septimum ostendit : hinc etiam significans non percipi requiem suam nisi a perfectis, cum ad eam intimandam non deputavit diem, nisi qui perfectionem rerum omnium sequebatur. Nam qui semper est quietus, tunc nobis requievit, cum se requievisse monstravit.

CAPUT XVI.— *Dei requies ab operibus suis in septimo die.*

27. Illud quoque attendendum est, quod Dei requiem, qua de seipso beatus est, nobis insinuari oportebat, ut intelligamus quomodo dicatur etiam requiescere in nobis ; quod non dicitur, nisi cum in se requiem præstat et nobis. Requies igitur Dei recte intelligentibus ea est, qua nullius indiget bono : et ideo certa et nobis in illo est, quia et nos beatificamur bono quod ipse est, non ipse bono quod nos sumus. Nam et nos aliquod bonum ab illo sumus, qui fecit omnia bona valde, in quibus fecit et nos. Porro alia res bona præter ipsum nulla est, quam ipse non fecit; ac per hoc nullo præter se alio

bono eget, qui bono quod fecit non eget. Hæc est ejus requies ab omnibus operibus suis quæ fecit. Quibus autem bonis laudabiliter non egeret, si nulla fecisset? Nam etiam sic dici posset nullis egens bonis, non a factis in seipso requiescendo, verum omnino nulla faciendo. Sed bona facere si non posset, nulla esset potentia : si autem posset nec faceret, magna esset invidentia. Quia ergo est omnipotens et bonus, omnia valde bona fecit : quia vero seipso bono perfecte beatus est, a bonis quæ fecit, in seipso requievit, ea scilicet requie a qua nunquam recessit. Sed si diceretur requievisse a faciendis, nihil aliud quam non fecisse intelligeretur. Nisi autem diceretur requievisse a factis, non eis egere quæ fecit minus commendaretur.

28. Quo itaque die hoc commendari oportuisset, nisi septimo? Quod sane intelligit quisquis senarii numeri perfectionem, de qua supra locuti sumus, perfectioni creaturæ congruenter adhibitam recolit. Si enim senario numero perficienda fuerat creatura, sicuti perfecta est, eaque requies Dei erat nobis commendanda, qua demonstraretur nec perfectis beatificari creaturis ; procul dubio dies erat in hac commendatione sanctificandus qui sequitur sextum , quo erigeremur ad hanc requiem concupiscendam, ut et nos in illo requiescamus.

CAPUT XVII. — *Quies nostra in Deo.*

29. Neque enim similitudo pia est, si velimus ita similes esse Deo, ut et nos ab operibus nostris requiescamus in nobis, sicut ipse requievit in se ab operibus suis. In quodam quippe incommutabili bono requiescere debemus, quod ille nobis est qui nos fecit. Hæc erit igitur summa, minimeque superba, et vere pia requies nostra, ut sicut ipse requievit ab omnibus operibus suis, quia non ei opera sua, sed ipse sibi bonum est, quo beatus est : ita et nos ab omnibus operibus, non tantum nostris, verum etiam ipsius, nonnisi in illo requieturos nos esse speremus ; idque desideremus post bona opera nostra, quæ in nobis agnoscimus illius potius esse quam nostra : ut etiam sic post bona opera sua ipse requiescat [1], cum post bona opera quæ ab illo justificati fecerimus, in se nobis requiem præstat. Magnum est enim nobis ab illo exstitisse, sed majus erit in illo requievisse. Sicut ipse non ideo beatus est, quia hæc fecit; sed quia etiam factis non egens, in se potius quam in ipsis requievit. Unde non operis, sed quietis diem sanctificavit ; quia non hæc faciendo, sed eis quæ fecit non egendo, se beatum intimavit.

30. Quid ergo tam humile ac facile effatu, et quid tam sublime atque arduum cogitatu, quam Deus requiescens ab omnibus operibus suis quæ fecit? Et ubi requiescens nisi in seipso, quia beatus nonnisi seipso? Quando, nisi semper? In diebus autem quibus rerum quas condidit consummatio narratur, et ab eis quietis Dei ordo distinguitur, quando, nisi in septimo die, qui earum sequitur perfectionem? A perfectis enim

[1] Editi addunt, *in nobis* ; quod abest a Mss.

requiescit, qui nec perfectis eget, quo beatior esse possit.

CAPUT XVIII.—*Septimus dies cur mane habuerit, non vesperam.*

31. Et quod apud illum quidem, quieti ejus nec mane nec vespera est ; quia nec aperitur initio, nec clauditur fine : perfectis autem operibus ejus mane habet et vesperam non habet ; perfecta quippe creatura habet quoddam initium suæ conversionis ad quietem Creatoris sui, sed illa non habet finem quasi terminum perfectionis suæ, sicut ea quæ facta sunt. Ac per hoc requies Dei non ipsi Deo, sed rerum ab eo conditarum perfectioni inchoatur, ut in illo incipiat requiescere quod ab illo perficitur, et in eo habere mane ; in suo enim genere tanquam vespera terminatum est : sed in Deo vesperam habere jam non potest, quia non erit aliquid illa perfectione perfectius.

32. In illis enim diebus quibus omnia creabantur, vesperam terminum conditæ creaturæ ; mane autem initium condendæ alterius accipiebamus. Ac per hoc quinti diei vespera terminus est conditæ quinto die creaturæ : mane autem quod post ipsam vesperam factum est, initium est condendæ sexto die creaturæ ; qua condita tanquam ejus terminus facta est vespera. Et quia nihil aliud condendum restiterat, ita post illam vesperam mane factum est, ut non esset initium condendæ alterius creaturæ, sed initium quietis universæ creaturæ in requie Creatoris. Neque enim cœlum et terra et omnia quæ in eis sunt, universa scilicet spiritualis corporalisque creatura in seipsa manet; sed utique in illo de quo dictum est, *In illo enim vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28). Quia etsi unaquæque pars potest esse in toto cujus pars est; ipsum tamen totum non est nisi in illo a quo conditum est. Et ideo non absurde intelligitur sexto die completo post ejus vesperam factum mane, non quo significaretur initium condendæ alterius creaturæ, sicut in cæteris ; sed quo significaretur initium manendi et quiescendi totius quod conditum est, in illius quiete qui condidit. Quæ quies Deo [1] nec initium habet nec terminum : creaturæ autem habet initium, sed non habet terminum; et ideo septimus dies eidem creaturæ cœpit a mane, sed nullo vespere terminatur.

33. Nam si in cæteris diebus vespera et mane talium temporum vices significant, qualia nunc per hæc quotidiana spatia peraguntur; non video quid prohibuerit et septimum diem vespera, noctemque ejusdem mane concludere, ut similiter diceretur, Et facta est vespera, et factum est mane dies septimus : quandoquidem et ipse unus est dierum, qui omnes septem sunt, quorum repetitione menses et anni et sæcula peraguntur; ut mane quod poneretur post vesperam septimi, hoc esset initium octavi diei, de quo jam deinceps silendum fuit, quia idem primus est ad quem reditur, a quo rursus hebdomadis series ordiatur [2].

[1] Editi, *Dei*. At Mss., *Deo*. Et mox Lov. pro, *creaturæ autem*, habet, *creatura*, repugnantibus cæteris codicibus.
[2] Mss. octo, *ordinatur*.

Unde probabilius est istos quidem septem dies, illorum nominibus et numero, alios atque alios sibimet succedentes currendo temporalia peragere spatia : illos autem primos sex dies inexperta nobis atque inusitata specie in ipsis rerum conditionibus explicatos ; in quibus et vespera et mane sicut ipsa lux et tenebræ, id est dies et nox, non eam vicissitudinem præbuerunt, quam præbent isti per solis circuitus : quod certe de illis tribus fateri cogimur, qui ante condita luminaria commemorati atque numerati sunt.

34. Ac per hoc qualiscumque in eis vespera et mane fuerit, nullo modo tamen opinandum est, eo mane quod post sexti diei vesperam factùm est, initium accepisse requiem Dei ; ne temporale aliquod bonum illi æternitati et incommutabilitati accidisse vanitate temeraria suspicemur : sed illam quidem requiem Dei, qua in seipso requiescit, eoque bono beatus est quod ipse sibi est, nec initium eidem ipsi habere nec terminum ; consummatæ autem creaturæ habere initium, eamdem requiem Dei. Quoniam rei cujusque perfectio, non tam in universo cujus pars est, quam in eo a quo est, in quo et ipsum universum est, pro sui generis modulo stabilitur ut quiescat, id est, ut sui momenti ordinem teneat. Ac per hoc ipsa universitas creaturæ, quæ sex diebus consummata est, aliud habet in sua natura [1], aliud in ordine quo in Deo est, non sicut Deus, sed tamen ita ut ei quies propriæ stabilitatis non sit, nisi in illius quiete qui nihil præter se appetit, quo adepto requiescat. Et ideo dum ipse manet in se, quidquid ex illo est retorquet ad se ; ut omnis creatura in se habeat naturæ suæ terminum, quo non sit quod ipse est ; in illo autem quietis locum, quo servet quod ipsa est. Scio quod non proprie dixerim locum ; nam proprie dicitur in spatiis quæ corporibus occupantur : sed quia et ipsa corpora non manent in loco, nisi quo sui ponderis tanquam appetitu perveniunt, ut eo comperto requiescant ; ideo non incongruenter a corporalibus ad spiritualia verbum transfertur, ut dicatur locus, cum res ipsa plurimum distet.

35. Initium ergo creaturæ in quiete Creatoris illo mane significatum arbitror, quod factum est post vesperam sexti diei ; non enim posset in illo nisi perfecta requiescere : proinde sexto die consummatis omnibus, factaque vespera, factum est et mane, quo inciperet consummata creatura in illo a quo facta est requiescere. Quo initio Deum in seipso requiescentem, ubi et ipsa requiescere posset invenit, tanto stabilius atque firmius, quanto ipsa illius, non ille hujus eguit ad quietem suam. Sed quoniam quidquid erit universa creatura quibuslibet mutationibus suis, non utique nihil erit, ideo creatura universa in Creatore suo semper manebit ; ac per hoc post illud mane nulla deinde vespera fuit.

36. Hoc diximus [2], cur septimus dies, in quo requievit Deus ab omnibus operibus suis, mane habuerit post vesperam sexti, vesperam vero non habuerit.

CAPUT XIX. — *Alia ratio qua intelligitur septimus dies habuisse mane sine vespera.*

Est aliud quod de hac re magis proprie atque melius possit, quantum existimo, intelligi, sed aliquanto difficilius explicari ; ut non creaturæ, sed etiam sibi requies Dei septimo die [1] mane habuerit sine vespera, id est initium sine termino. Si enim ita diceretur, Requievit Deus in die septimo, nec adderetur, Ab omnibus operibus suis quæ fecit, frustra hujus quietis initium quæreremus. Non enim incipit Deus requiescere, cujus requies sine initio, sine termino sempiterna est. Sed quoniam ab omnibus operibus suis quæ fecit, eis non egendo, requievit, intelligitur requies quidem Dei nec cœpta nec terminata ; requies autem ejus ab omnibus operibus suis quæ fecit, ex eo cœpta est ex quo illa perfecit. Neque enim operibus suis non egendo requievisset, prius quam essent, quibus nec perfectis eguisset ; et quia eis omnino nunquam eguit, nec ista beatitudo qua non eis eget, tanquam proficiendo perficietur, ideo septimo diei nulla vespera accessit.

CAPUT XX. — *Dies septimus an creatus.*

37. Sed plane quæri potest, dignaque consideratione movet, quomodo intelligatur in seipso Deus requievisse ab omnibus operibus suis quæ fecit ; cum scriptum sit, *Et requievit Deus in die septimo.* Non enim dictum est, In seipso ; sed, *in die septimo.* Quid est ergo dies septimus ? utrum creatura est aliqua, an temporis tantummodo spatium ? Sed etiam temporis spatium creaturæ temporali concreatum est ; ac per hoc et ipsum sine dubio creatura est. Neque enim ulla tempora vel sunt, vel esse potuerunt, vel poterunt, quorum Deus non sit creator : ac per hoc et istum septimum diem, si tempus est, quis creavit, nisi omnium temporum creator ? Sed illi sex dies cum quibus vel in quibus creaturis creati sint, superior Scripturæ sanctæ sermo indicat. Quocirca in his diebus septem, quorum species nota nobis est, qui re quidem ipsa prætereunt, sed aliis succedentibus nomina sua quodammodo tradunt, ut illi sex dies nominentur ; novimus eorum primi quando creati sunt : septimum autem diem, qui nomine sabbati nuncupatur, quando Deus creaverit, non videmus. In ipso quippe die non fecit aliquid, imo ab eis quæ sex diebus fecerat, in eodem septimo requievit. Quomodo ergo requievit in die quem non creavit ? Aut quomodo eum post sex dies continuo creavit, cum sexto die consummaverit omnia quæ creavit, nec aliquid septimo die creaverit, sed in eo potius ab omnibus quæ creaverat, requieverit ? An unum tantummodo diem creavit Deus, ut ejus repetitione multi, qui dicuntur dies, præterirent atque transcurrerent ; nec opus erat ut septimum diem crearet, quia illius quem creaverat, septima repetitio hunc utique faciebat ? Lucem quippe de qua scriptum est, *Et dixit*

[1] Mss. quatuor, *consummata est in natura sua, aliud habet in natura sua.*

[2] Editi, post, *diximus*, addunt, *ut intelligatur* ; quæ verba omittunt Mss. omnes.

[1] Sic Mss. At excusi, prætermissa voce *Dei*, ferunt, *requies septimi diei.*

Deus, Fiat lux ; et facta est lux (*Gen.* I, 3), discrevit a tenebris, eamque vocavit diem, et tenebras vocavit noctem. Tunc itaque Deus diem fecit, cujus repetitionem Scriptura appellat secundum diem, deinde tertium, et usque ad sextum, quo consummavit Deus opera sua : atque inde illius diei primitus creati septima repetitio septimi diei nomen accepit, in quo requievit Deus. Ac per hoc nulla creatura est septimus dies, nisi eadem ipsa septies rediens, quæ condita est, quando vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit noctem.

CAPUT XXI. — *De luce quæ ante luminaria fuit ad vicissitudinem diei et noctis.*

38. Rursus ergo ad eam quæstionem relabimur, de qua in primo libro exiisse videbamur ; ut item quæramus quomodo circuire potuerit lux ad exhibendam diurnam nocturnamque vicissitudinem, non solum antequam cœli luminaria, sed antequam ipsum cœlum quod firmamentum appellatum est, factum esset, antequam denique ulla species terræ vel maris, quæ circuitum lucis admitteret, sequente nocte unde illa transisset. Cujus quæstionis difficultate compulsi, ausi sumus disceptationem nostram quasi ad hanc terminare sententiam, ut diceremus illam lucem quæ primitus facta est, conformationem esse creaturæ spiritualis ; noctem vero, adhuc formandam in reliquis operibus rerum materiem, quæ fuerat instituta, cum in principio fecit Deus cœlum et terram, antequam verbo faceret diem [1]. Sed nunc diei septimi consideratione commoniti, facilius est ut nos ignorare fateamur, quod remotum est a sensibus nostris, quonam modo lux illa quæ dies appellata est, vel circuitu suo, vel contractione et emissione, si corporalis est, vices diurnas nocturnasque peregerit, vel si spiritualis est, condendis creaturis omnibus præsentata sit, suaque ipsa præsentia diem, noctem vero absentia, vesperam initio absentiæ, mane initio præsentiæ fecerit ; quam ut in re aperta contra divinæ Scripturæ verba conemur, dicendo aliud esse diem septimum, quam illius diei quem fecit Deus septimam repetitionem. Alioquin aut non creavit Deus septimum diem, aut aliquid creavit post illos sex dies, id est ipsum diem septimum ; falsumque erit quod scriptum est, in sexto die consummasse omnia opera sua, et in septimo requievisse ab omnibus operibus suis. Quod utique quoniam falsum esse non potest, restat ut præsentia lucis illius, quem diem Deus fecit, per omnia opera ejus repetita sit, quoties dies nominatus est, et in ipso septimo in quo requievit ab operibus suis.

CAPUT XXII. — *Lux spiritualis quomodo diei et noctis vicissitudinem exhibuisse intelligitur.*

39. Sed quoniam lux corporalis, antequam fieret cœlum, quod firmamentum vocatur, in quo etiam luminaria facta sunt, quo circuitu vel quo processu et recessu vices diei et noctis exhibere potuerit, non invenimus ; istam quæstionem relinquere non debemus sine aliqua nostræ prolatione sententiæ : ut si lux illa quæ primitus creata est, non corporalis sed spiritualis est, sicut post tenebras facta est ubi intelligitur a sua quadam informitate ad Creatorem conversa atque formata ; ita et post vesperam fiat mane, cum post cognitionem suæ propriæ naturæ, qua non est quod Deus, refert se ad laudandam lucem, quod ipse Deus est, cujus contemplatione formatur. Et quia cæteræ creaturæ, quæ infra ipsam fiunt, sine cognitione ejus non fiunt, propterea nimirum idem dies ubique repetitur, ut ejus repetitione fiant tot dies, quoties distinguuntur rerum genera creatarum, perfectione senarii numeri terminanda : ut vespera primi diei sit etiam sui cognitio [1], non se esse quod Deus est ; mane autem post hanc vesperam, quo concluditur dies unus, et inchoatur secundus, conversio sit ejus, qua id quod creata est, ad laudem referat Creatoris, et percipiat de Verbo Dei cognitionem creaturæ quæ post ipsam fit, hoc est firmamenti : quod in ejus cognitione fit prius cum dicitur, *Et sic est factum ;* deinde in natura ipsius firmamenti, quod conditur, cum additur etiam postea, jam dicto, *Et sic est factum, Et fecit Deus firmamentum.* Deinde fit vespera illius lucis, cum ipsum firmamentum, non in Verbo Dei sicut ante, sed in ipsa ejus natura cognoscit : quæ cognitio quoniam minor est, recte vesperæ nomine significatur. Post quam fit mane, quo concluditur secundus dies, et incipit tertius : in quo itidem mane conversio est lucis hujus, id est diei hujus ad laudandum Deum, quod operatus sit firmamentum, et percipiendam de Verbo ejus cognitionem creaturæ, quæ condenda est post firmamentum. Ac per hoc cum dicit Deus, *Congregetur aqua quæ est sub cœlo, in collectionem unam et appareat arida*, cognoscit hoc illa lux in Verbo Dei quo id dicitur ; et ideo sequitur, *Et sic est factum*, hoc est in ejus cognitione ex Verbo Dei : deinde cum additur, *Et congregata est aqua*, etc. (*Gen.*, I, 9, 10), cum jam dictum esset, *Et sic factum est*, in suo genere ipsa creatura fit ; quæ item cum in suo genere facta cognoscitur ab ea luce, quæ jam in Verbo Dei faciendam cognoverat, fit tertio vespera : et inde hoc modo cætera usque ad mane post vesperam sexti diei.

CAPUT XXIII. — *Cognitio rerum in verbo Dei et in seipsis.*

40. Multum quippe interest inter cognitionem rei cujusque in Verbo Dei, et cognitionem ejus in natura ejus ; ut illud merito ad diem pertineat, hoc ad vesperam. In comparatione enim lucis illius quæ in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio qua creaturam quamlibet in seipsa novimus, non immerito nox dici potest : quæ rursus tantum differt ab errore vel ignorantia eorum qui nec ipsam creaturam sciunt, ut in ejus comparatione non incongrue dicatur dies. Sicut ipsa vita fidelium quæ in hac carne atque in hoc sæculo ducitur, in comparatione vitæ infidelis atque impiæ non irrationabiliter lux et dies appellatur, dicente Apostolo, *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* 5, 8) ; et illud, *Abjiciamus opera tenebrarum, et induamus nos arma lucis ; sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* XIII, 12, 13) : qui tamen

[1] Editi addunt hic, *in quo requievit ;* quod abest a Mss.

[1] Locus ad Mss. emendatus ; in quo scilicet excusi habuerunt, *cognitione*, pauloque post, *conversio fit ejus.*

dies nisi rursus in comparatione illius diei quo æquales Angelis facti videbimus Deum sicuti est, ipse quoque nox esset; non hic prophetiæ lucerna indigeremus : unde apostolus Petrus dicit, *Habemus certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes sicut lucernæ lucenti*[1] *in obscuro loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (II *Petr.* I, 19).

CAPUT XXIV. — *Scientia Angelorum.*

41. Quapropter cum sancti Angeli, quibus post resurrectionem coæquabimur (*Matth.* XXII, 30), si viam (quod nobis Christus factus est) usque in finem tenuerimus, semper videant faciem Dei, Verboque ejus unigenito Filio sicut Patri æqualis est perfruantur, in quibus prima omnium creata est sapientia; procul dubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo per quod facta sunt omnia : ac deinde in ipsa creatura, quam sic noverunt tanquam infra despicientes, eamque referentes ad illius laudem, in cujus incommutabili veritate rationes secundum quas facta est, principaliter vident. Ibi ergo tanquam per diem, unde et concordissima unitas eorum ejusdem veritatis participatione dies est primitus creatus; hic autem tanquam per vesperam : sed continuo fit mane (quod in omnibus sex diebus animadverti potest), quia non remanet angelica scientia in eo quod creatum est, quin hoc continuo referat ad ejus laudem atque charitatem[2], in quo id non factum esse, sed faciendum fuisse cognoscitur : in qua veritate stando dies est. Nam si vel ad seipsam natura angelica converteretur, seque amplius delectaretur, quam illo cujus participatione beata est; intumescens superbia caderet, sicut diabolus : de quo suo loco loquendum est, cum de serpente hominis seductore sermo debitus flagitabitur.

CAPUT XXV. — *Cur sex diebus non addatur nox.*

42. Quia ergo Angeli creaturam in ea ipsa creatura sic sciunt, ut ei scientiæ electione ac dilectione præponant quod eam sciunt in Veritate, per quam facta sunt omnia, participes ejus effecti; ideo per omnes sex dies non nominatur nox, sed post vesperam et mane dies unus : item post vesperam et mane dies secundus; deinde post vesperam et mane dies tertius : ac sic usque in mane sexti diei, unde incipit septimus quietis Dei, quamvis cum suis noctibus, dies tamen non noctes narrantur. Tunc enim nox ad diem pertinet, non dies ad noctem, cum sublimes et sancti Angeli id quod creaturam in ipsa creatura noverunt, referunt ad illius honorem et amorem, in quo æternas rationes quibus creata est contemplantur; eaque concordissima contemplatione sunt unus dies, quem fecit Dominus, cui conjungetur Ecclesia de hac peregrinatione liberata, ut et nos exsultemus et jucundemur in eo (*Psal.* CXVII, 24).

[1] Mss. omittunt, *lucenti.*

[2] In editis, *claritatem.* In quinque Mss., *charitatem* : hanc lectionem confirmat quod rursum, n. 42 dicitur, *referunt ad illius honorem et amorem.*

CAPUT XXVI. — *Numerus dierum quomodo accipiendus.*

43. Hujus ergo diei, cujus et vespera et mane secundum suprà dictam rationem accipi potest, sexta repetitione consummata est universa creatura; factumque est mane, quo finiretur sextus dies; et unde inciperet septimus vesperam non habiturus, quia Dei requies non est creatura : quæ cum per dies cæteros conderetur, aliter in seipsa facta cognoscebatur, quam in illo in cujus veritate facienda videbatur, cujus cognitionis quasi decolor species vesperam faciebat. Non itaque jam forma ipsius operis dies, et terminus vespera, et alterius operis initium mane, in hac rerum conditarum narratione debet intelligi; ne cogamur contra Scripturam dicere, præter sex dies conditam diei septimi creaturam, aut ipsum diem septimum nullam esse creaturam : sed dies ille quem fecit Deus, per opera ejus ipse repetitur, non circuitu corporali, sed cognitione spirituali, cum beata illa societas Angelorum et primitus contemplatur in Verbo Dei, quo dicit Deus, *Fiat;* atque ideo prius in ejus cognitione fit, cum dicitur, *Et sic est factum ;* et postea rem ipsam factam, in ea ipsa cognoscit, quod significatur facta vespera; et eam deinde cognitionem rei factæ ad illius veritatis laudem refert, ubi rationem viderat faciendæ, quod significatur facto mane. Ac sic per omnes illos dies unus est dies, non istorum dierum consuetudine intelligendus, quos videmus solis circuitu determinari atque numerari; sed alio quodam modo, a quo et illi tres dies, qui ante conditionem istorum luminarium commemorati sunt, alieni esse non possunt. Is enim modus non usque ad diem quartum, ut inde jam istos usitatos cogitaremus, sed usque ad sextum septimumque perductus est; ut longe aliter accipiendus sit dies et nox, inter quæ duo divisit Deus, et aliter iste dies et nox, inter quæ dixit ut dividant luminaria quæ creavit, cum ait, *Et dividant inter diem et noctem* (*Gen.* I, 14). Tunc enim hunc diem condidit, cum condidit solem, cujus præsentia eumdem exhibet diem : ille autem dies primitus conditus jam triduum peregerat, cum hæc luminaria illius diei quarta repetitione creata sunt.

CAPUT XXVII. — *Usitati dies hebdomadæ longe dispares septem diebus Geneseos.*

44. Quapropter quod illum diem vel illos dies, qui ejus repetitione numerati sunt, in hac nostra mortalitate terrena experiri ac sentire non possumus, et si quid ad eos intelligendos conari possumus, non debemus temerariam præcipitare sententiam, tanquam de his aliud sentiri congruentius probabiliusque non possit; istos septem dies, qui pro illis agunt hebdomadam, cujus cursu et recursu tempora rapiuntur, in qua dies unus est a solis ortu usque in ortum circuitus, sic illorum vicem quamdam exhibere credamus, ut non eos illis similes, sed multum impares minime dubitemus.

CAPUT XXVIII. — *Interpretatio data de luce et die spirituali non existimetur impropria et figurata.*

45. Nec quisquam arbitretur, illud quod dixi de

luce spirituali, et de condito die spirituali et angelica creatura, et de contemplatione quam habet in Verbo Dei, et de cognitione qua in seipsa creatura cognoscitur, ejusque relatione ad laudem incommutabilis veritatis, ubi prius ratio videbatur rei faciendæ, quæ cognita est facta; non jam proprie, sed quasi figurate atque allegorice convenire ad intelligendum diem et vesperam et mane: sed aliter quidem quam in hac consuetudine quotidianæ lucis hujus et corporalis; non tamen tanquam hic proprie, ibi figurate. Ubi enim melior et certior lux, ibi verior etiam dies: cur ergo non et verior vespera et verius mane? Nam si in istis diebus habet quamdam declinationem suam lux in occasum, quam vespere nomine nuncupamus, et ad ortum iterum reditum, quod mane dicimus; cur et illic vesperam non dicamus, cum a contemplatione Creatoris creatura despicitur [1], et mane cum a cognitione creaturæ in laudem Creatoris assurgitur? Neque enim et Christus sic dicitur lux (*Joan.* VIII, 12), quomodo dicitur lapis (*Act.* IV, 11); sed illud proprie, hoc utique figurate. Quisquis ergo non eam quam pro nostro modulo vel indagare vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quæ non in prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie meliusque possit intelligi; quærat, et divinitus adjutus inveniat. Fieri enim potest ut etiam ego aliam his divinæ Scripturæ verbis congruentiorem fortassis inveniam. Neque enim ita hanc confirmo, ut aliam quæ præponenda sit, inveniri non posse contendam, sicut confirmo requiem Dei Scripturam sanctam, non quasi post lassitudinem vel curæ molestiam, nobis insinuare voluisse.

CAPUT XXIX. — *In angelica cognitione dies, vespera et mane.*

46. Quamobrem potest aliquis fortasse mecum disputando certare, ut dicat sublimium cœlorum Angelos non alternatim contueri, primo rationes creaturarum incommutabiliter in Verbi Dei incommutabili veritate, ac deinde ipsas creaturas, et tertio earum etiam in seipsis cognitionem ad laudem referre Creatoris; sed eorum mentem mirabili facilitate hæc omnia simul posse. Numquid tamen dicet, aut si quisquam dixerit audiendus est, illam cœlestem in Angelorum millibus civitatem, aut non contemplari Creatoris æternitatem, aut mutabilitatem ignorare creaturæ, aut ex ejus quoque inferiore quadam cognitione non laudare Creatorem? Simul hoc totum possint, simul hoc totum faciant; possunt tamen et faciunt. Simul ergo habent et diem, et vesperam, et mane.

CAPUT XXX. — *Nihilo ignobilior angelica scientia, licet in hac sit vespera et mane.*

47. Neque enim verendum est ne forte qui est idoneus jam illa sentire, ideo non putet hoc ibi posse fieri, quia in his diebus, qui solis hujus circuitu peraguntur, fieri non potest. Et hoc quidem non potest eisdem partibus terræ: universum autem mundum quis non videat, si attendere velit, et diem ubi sol est, et noctem ubi non est, et vesperam unde discedit, et mane quo accedit, simul habere? Sed nos plane in terris hæc omnia simul habere non possumus: nec ideo tamen istam terrenam conditionem lucisque corporeæ temporalem localemque circuitum illi patriæ spirituali coæquare debemus, ubi semper est dies in contemplatione incommutabilis veritatis, semper vespera in cognitione in seipsa creaturæ, semper mane etiam ex hac cognitione in laude Creatoris. Quia non ibi abscessu lucis superioris, sed inferioris cognitionis distinctione fit vespera; nec mane tanquam nocti ignorantiæ scientia matutina succedat, sed quod vespertinam etiam cognitionem in gloriam conditoris attollat. Denique et ille, nocte non nominata, *Vespere*, inquit, *et mane, et meridie enarrabo et annuntiabo; et exaudies vocem meam* (*Psal.* LIV, 18): hic fortasse per temporum vices, sed tamen, quantum puto, significans quid sine temporum vicibus ageretur in patria, cui ejus peregrinatio suspirabat.

CAPUT XXXI. — *Initio creationis rerum quomodo non simul dies, vespera et mane in angelica cognitione.*

48. Sed numquid si jam nunc simul ista omnia gerit atque habet angelica illa societas et unitas diei, quem primitus condidit Deus, tunc etiam cum hæc conderentur simul hæc habuit? Nonne per omnes sex dies, cum ea quæ per singulos Deo condere placuit, conderentur, primo hæc accipiebat in Verbo Dei, ut in ejus notitia primitus fierent, cum dicebatur, *Et sic est factum;* deinde cum facta essent, in sua propria natura qua sunt, Deoque placuissent quia bona sunt, tunc itidem ea cognoscebat alia quadam inferiore cognitione, quæ nomine vesperæ significata est; ac deinde facta vespera fiebat mane, cum de suo Deus opere laudaretur, et alterius creaturæ quæ deinceps facienda erat, ex Dei Verbo notitia, priusquam fieret, acciperetur? Non ergo tunc simul omnia, et dies et vespera et mane; sed singillatim, per ordinem quem Scriptura commemorat.

CAPUT XXXII. — *Si tunc ista omnia simul in Angelorum scientia, saltem non sine quodam ordine fuerunt.*

49. An etiam tunc simul omnia, quia non secundum temporum moras, sicut fiunt dies isti, cum oritur et occidit sol, et in locum suum redit, ut rursus oriatur; sed secundum potentiam spiritualem mentis angelicæ, cuncta quæ voluerit simul notitia facillima comprehendentem? Nec ideo tamen sine ordine, quo apparet connexio præcedentium sequentiumque causarum. Neque enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda præcedant; quæ item priora sunt in Verbo, per quod facta sunt omnia, quam in iis quæ facta sunt omnibus. Mens itaque humana prius hæc quæ facta sunt, per sensus corporis experitur, eorumque notitiam pro infirmitatis humanæ modulo capit: et deinde quærit eorum causas, si quo modo possit ad eas pervenire principaliter atque incommutabiliter manentes in Verbo Dei, ac sic invisibilia ejus, per ea

[1] Bigotianus codex, *dispicitur*. Alii, *despicitur;* quasi deorsum aspicitur, uti usurpat Augustinus supra, n. 41, et lib. 2, n. 17; et Virgil. Æneid lib. 1, v. 228:
Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes.

quæ facta sunt, intellecta conspicere (*Rom.* I, 20). Quod quanta tarditate ac difficultate agat, et quanta temporis mora propter corpus corruptibile quod aggravat animam (*Sap.* IX, 15), etiam quæ ferventissimo studio rapitur ut instanter ac perseveranter hoc agat, quis ignorat? Mens vero angelica pura charitate inhærens Verbo Dei, posteaquam illo ordine creata est, ut præcederet cætera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt; ac sic prius in ejus fiebant cognitione, cum Deus dicebat ut fierent, quam in sua propria natura: quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognovit, minore utique notitia, quæ vespera dicta est. Quam notitiam sane præcedebant quæ fiebant; quia præcedit cognitionem quidquid cognosci potest. Nisi enim prius sit quod cognoscatur, cognosci non potest. Post hoc si eo modo sibi placeret, ut amplius seipsa quam Creatore suo delectaretur, non fieret mane, id est non de sua cognitione in laudem Creatoris assurgeret. Cum vero factum est mane [1], faciendum erat aliud et cognoscendum Deo dicente, *Fiat;* ut prius itidem fieret in cognitione mentis angelicæ, et posset rursus dici, *Et sic est factum;* ac deinde in natura propria, ubi subsequente vespera nosceretur.

50. Ac per hoc etiamsi nulla hic morarum temporalium sint intervalla, præcessit tamen ratio condendæ creaturæ in Verbo Dei, cum dixit, *Fiat lux;* et secuta est ipsa lux qua angelica mens formata est, atque in sua natura facta est, non autem alibi sequebatur ut fieret: et ideo non prius dictum est, *Et sic est factum,* et postea dictum, Et fecit Deus lucem; sed continuo post Verbum Dei facta est lux, adhæsitque creanti luci lux creata, videns illam et se in illa, id est rationem qua facta est. Vidit etiam se in se, id est, distante [2] quod factum est ab eo qui fecit. Et ideo cum placuisset Deo factum, videnti quia bonum est, et divisa esset lux a tenebris, et vocata lux dies, et tenebræ nox; facta est et vespera: quia necessaria erat et ista cognitio, qua distingueretur a Creatore creatura, aliter in seipsa cognita quam in illo; atque inde mane ad aliud præcognoscendum, quod fuerat Verbo Dei faciendum, prius in cognitione mentis angelicæ, deinde in natura ipsius firmamenti. Et ideo dixit Deus, *Fiat firmamentum; et sic est factum*, in cognitione creaturæ spiritualis, hoc priusquam fieret in eo ipso prænoscentis. Deinde *fecit Deus firmamentum;* iam utique ipsam firmamenti naturam, cujus minor esset tanquam vespertina cognitio: ac sic usque ad omnium operum finem, et usque ad requiem Dei, quæ non habet vesperam, quia non est facta sicut creatura, ut posset etiam ipsius geminari cognitio, tanquam prior et major in Verbo Dei sicut in die, et posterior ac minor in seipsa sicut in vespera.

CAPUT XXXIII. — *An simul omnia, an per intervalla dierum condita fuerint.*

51. Sed si omnia mens simul angelica potest, quæ singillatim per ordinem connexarum causarum sermo distinguit; numquid etiam quæ fiebant, velut ipsum firmamentum, velut aquarum congregatio, speciesque terrarum nudata, velut fruticum et arborum germinatio, luminarium et siderum conformatio, aquatilia terrestriaque animantia simul omnia facta sunt? annon potius per intervalla temporum secundum præfinitos dies? An forte non sicut ea secundum motus eorum naturales nunc experimur, ita etiam cum primitus instituta sunt cogitare debemus; sed secundum mirabilem atque ineffabilem virtutem Sapientiæ Dei, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII, 1)? Neque enim et ipsa gradibus attingit, aut tanquam gressibus pervenit. Quapropter quam facilis ei efficacissimus motus est, tam facile Deus condidit omnia; quoniam per illam sunt condita: ut hoc quod nunc videmus temporalibus intervallis ea moveri ad peragenda quæ suo cuique generi competunt, ex illis insitis rationibus veniat, quas tanquam seminaliter sparsit Deus in ictu condendi, cum *dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt* (*Psal.* XXXII, 9).

52. Non itaque tarde institutum est, ut essent tarda quæ tarda sunt; nec ea mora condita sunt sæcula, qua transcurrunt. Hos enim numeros tempora peragunt, quos cum crearentur, non temporaliter acceperunt. Alioquin si rerum naturales motiones, dierumque istorum, quos novimus, usitata spatia, cum hæc primitus Verbo Dei facta sunt, cogitemus; non uno die opus erat, sed pluribus, ut ea quæ radicibus pullulant, terramque vestiunt, subter primitus germinarent; deinde certo numero dierum pro suo quæque genere in auras erumperent, etiam si hoc usque fieret, quod de creata natura eorum die uno, id est tertio, factum Scriptura narravit. Deinde quot diebus opus erat, ut aves volarent, si a suis primordiis existentes, ad plumas et pennas per naturæ suæ numeros pervenerunt? An forte ova tantum creata erant, cum quinto die dictum est quod ejecerint aquæ omne volatile pennatum secundum suum genus? Aut si propterea recte hoc dici potuit, quia in illo humore ovorum jam erant omnia, quæ per numeros certos dierum coalescunt, et explicantur quodammodo, quia inerant jam ipsæ numerosæ rationes incorporaliter corporeis rebus intextæ; cur non et ante ova idipsum recte dici potuerit, cum jam eædem rationes in elemento humido fierent, quibus alites per temporales sui cujusque generis moras oriri et perfici possent? De quo enim Creatore Scriptura ista narravit, quod sex diebus consummaverit omnia opera sua, de illo alibi non utique dissonanter scriptum est, quod creaverit omnia simul (*Eccli.* XVIII, 1). Ac per hoc et istos dies sex vel septem, vel potius unum sexies septiesve repetitum simul fecit, qui fecit omnia simul. Quid ergo opus erat sex dies tam distincte dispositeque narrari? Quia scilicet ii qui non possunt videre quod dictum est, *Creavit omnia simul*, nisi cum eis sermo tardius incedat; ad id quo eos ducit, pervenire non possunt.

[1] Abest, *mane*, a plerisque et melioris notæ Mss.
[2] Sorbonicus Ms., *distare*.

CAPUT XXXIV. — *Omnia et simul facta, et nihilominus per sex dies facta.*

53. Quomodo ergo dicimus sexies repetitam lucis illius præsentiam per angelicam cognitionem a vespera ad mane; cum ipsa tria simul, id est et diem et vesperam et mane, semel ei habere suffecerit: cum simul universam creaturam, sicut simul facta est, et in primis atque incommutabilibus rationibus, per quas condita est, contemplaretur propter diem, et in ejus ipsius natura cognosceret propter vesperam, et Creatorem ex ipsa etiam inferiore cognitione propter mane laudaret? Aut quomodo præcedebat mane, ut in Verbo cognosceret quid esset Deo postea faciendum, idipsum etiam consequenter vespere cognitura, si prius et posterius nihil factum est, quia simul omnia facta sunt? Imo vero et prius atque posterius per sex dies quæ commemorata sunt facta sunt, et simul omnia facta sunt: quia et hæc Scriptura, quæ per memoratos dies narrat opera Dei, et illa quæ simul eum dicit fecisse omnia, verax est; et utraque una est, quia uno Spiritu veritatis inspirante conscripta est.

54. Sed in his rebus, in quibus quid prius sit vel posterius, intervalla temporum non demonstrant, quamvis utrumque dici possit, id est simul, et prius et posterius, facilius tamen intelligitur quod dicitur simul, quam quod prius atque posterius: velut cum solem intuemur orientem, certe manifestum est quod ad eum acies nostra pervenire non posset, nisi transiret totum aeris cœlique spatium, quod inter nos et ipsum est; hoc autem cujus longinquitatis sit, quis æstimare sufficiat? Nec utique perveniret eadem acies vel radius oculorum nostrorum ad transeundum aerem qui est super mare, nisi prius transisset eum qui est super terram, in qualibet mediterranea regione simus, ab eo loco ubi sumus usque ad littus maris. Deinde si ad eamdem lineam contuitus nostri adhuc post mare terræ adjacent, eum quoque aerem qui super illas transmarinas terras est, transire acies nostra non potest, nisi prius peracto spatio aeris illius qui super mare quod prius occurrit, extenditur. Faciamus jam post illas transmarinas terras nonnisi Oceanum remanere; numquid et aerem qui super Oceanum diffunditur, potest transire acies nostra, nisi prius transierit quidquid aeris citra Oceanum supra terram est? Oceani autem magnitudo incomparabilis perhibetur; sed quantacumque sit, prius oportet aerem qui supra est, transeant radii nostrorum oculorum; et postea quidquid ultra est; tum demum ad solem perveniant, quem videmus. Num igitur quia toties hic diximus, Prius, et postea, ideo non simul omnia uno ictu transit noster obtutus? Si enim clausis oculis faciem contra visuri solem ponamus, nonne mox ut eos aperuerimus, ibi potius aciem nostram nos invenisse, quam illuc eam perduxisse putabimus; ita ut nec ipsi oculi prius aperti fuisse videantur, quam illa quo intenderat pervenisse [1]? Et certe iste corporeæ lucis est radius, emicans ex oculis nostris, et tam longe posita tanta celeritate contingens, ut æstimari compararique non possit. Nempe hic et illa omnia tam ampla immensaque spatia simul uno ictu transiri manifestum est, et quod prius posteriusque transeatur, nihilo minus certum est.

55. Merito resurrectionis nostræ celeritatem cum exprimere vellet Apostolus, *in ictu oculi* dixit fieri (I *Cor.* XV, 52). Neque enim aliquid in rerum corporearum motibus vel ictibus potest celerius inveniri. Quod si oculorum carnalium acies celeritate tantum potest, quid mentis acies vel humanæ? quanto magis angelicæ? Quid jam de ipsius summæ Dei Sapientiæ celeritate dicatur, quæ attingit ubique propter suam munditiem, et nihil inquinatum in eam incurrit (*Sap.* VII, 24)? In his ergo quæ simul facta sunt, nemo videt quid prius posteriusve fieri debuerit, nisi in illa Sapientia, per quam facta sunt omnia per ordinem simul.

CAPUT XXXV. — *Conclusio de diebus Geneseos.*

56. Dies ergo ille quem Deus primitus fecit, si spiritualis rationalisque creatura est, id est Angelorum supercœlestium atque Virtutum, præsentatus est omnibus operibus Dei hoc ordine præsentiæ, quo ordine scientiæ [2], qua et in Verbo Dei facienda præcognosceret, et in creatura facta cognosceret, non per intervallorum temporalium moras, sed prius et posterius habens in connexione creaturarum, in efficacia vero Creatoris omnia simul. Sic enim fecit quæ futura essent, ut non temporaliter faceret temporalia, sed ab eo facta currerent tempora. Ac per hoc isti dies septem, quos lux corporis cœlestis circumeundo explicat atque replicat, secundum quamdam umbram significationis admonent nos quærere illos dies, in quibus lux creata spiritualis omnibus operibus Dei per senariam numeri perfectionem præsentari potuerit; atque inde septimam [3] requiem Dei mane habere, et vesperam non habere: ut non sit hoc Deo requievisse in die septimo, tanquam ipso die septimo eguerit ad requiem suam; sed quod in conspectu Angelorum suorum requieverit ab omnibus operibus suis quæ fecit, non utique nisi in seipso, qui factus non est; id est, ut creatura ejus angelica, quæ cognoscendis omnibus operibus ejus in ipso et in illis, tanquam dies cum vespera præsentata est, nihil post omnia valde bona opera ejus melius cognosceret, quam illum ab omnibus in seipso requiescere, nullo eorum egentem quo sit beatior.

[1] Am. et Er., *quam illo quo intenderant pervenisse.* Lov., *pervenissent.* At Mss., *quam illa quo intenderat* (scilicet, oculorum acies) *pervenisse.*

[2] Mss. aliquot, *præscientiæ.*

[3] Mss. non pauci, *inde in septimam.* Unus aut alter, *inde in septima.*

LIBER QUINTUS.

De eo quod scriptum est in cap. 2 Geneseos, vers. 4 : *Hic est liber creaturæ cœli*, etc., usque ad illud, vers. 6 : *Fons autem ascendebat de terra*, etc.

CAPUT PRIMUM. — *Sex vel septem Genesis dies unius diei repetitione numerari potuisse.*

1. *Hic est liber creaturæ cœli et terræ, cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri, antequam esset super terram, et omne fenum agri, antequam exortum est. Non enim pluerat super terram Deus : et homo non erat qui operaretur terram. Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ.* Nunc certe firmior fit illa sententia qua intelligitur unum diem fecisse Deum, unde jam illi sex vel septem dies unius hujus repetitione numerari potuerint; quandoquidem apertius sancta Scriptura jam dicit, concludens quodammodo cuncta quæ ab initio usque ad hunc locum dixerat, atque infert, *Hic est liber creaturæ* vel facturæ *cœli et terræ, cum factus est dies.* Neque enim quisquam dicturus est cœlum et terram hic ita commemorata, sicut dictum erat antequam conditus insinuaretur dies, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Illud enim si eo modo intelligitur, ut aliquid Deus fecerit sine die, priusquam faceret diem, qua ratione id possit accipi, suo loco dixi, quod dicendum putavi, nulli intercludens melius intelligendi licentiam. Nunc autem, *Hic est*, inquit, *liber creaturæ cœli et terræ, cum factus est dies :* satis, ut opinor, ostendens, non hic se ita commemorasse cœlum et terram, sicut in principio antequam fieret dies, cum tenebræ essent super abyssum; sed quomodo factum est cœlum et terra, cum factus est dies, id est jam formatis atque distinctis partibus et generibus rerum, quibus universa creatura disposita atque composita reddit hanc speciem quæ mundus vocatur.

2. Illud hic ergo cœlum commemoratum est, quod cum creasset Deus, firmamentum vocavit, cum omnibus quæ in illo sunt; et ea terra, quæ cum abysso imum obtinet locum, cum omnibus quæ in ea sunt. Sequitur enim et adjungit, *Fecit Deus cœlum et terram;* ut cœli et terræ nomine et præmisso antequam factum diem commemoraret, et repetito cum commemorasset, non sinat suspicari, ita se nunc cœlum et terram nominasse, sicut in principio antequam esset creatus dies. Sic enim verba contexuit, *Hic est liber creaturæ cœli et terræ, cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram :* ut si quisquam velit sic intelligere quod superius positum est, *liber creaturæ cœli et terræ,* quemadmodum dictum est, *In principio fecit Deus cœlum et terram,* priusquam conderet diem, quia prius et hic commemorata sunt cœlum et terra, et postea factus dies; corrigatur subsequentibus verbis : quia et post commemoratum factum diem, rursus cœli et terræ nomen adjunctum est.

3. Quanquam et hoc quod positum est, *cum*, et sic adjunctum, *factus est dies*, cuivis contentioso extorqueat alium esse intellectum non posse. Si enim ita esset interpositum, ut diceretur, Hic est liber creaturæ cœli et terræ, factus est dies, fecit Deus cœlum et terram; quisquam forte arbitraretur librum creaturæ cœli et terræ sic appellatum, quomodo appellatum est in principio cœlum et terra, ante conditum diem; ac deinde subjunctum, *factus est dies*, sicut ibi postea narratum est, quod Deus fecerit diem : inde continuo rursus dictum, *Fecit Deus cœlum et terram*, tanquam sic jam quemadmodum hæc facta sunt post conditum diem. Sed quia ita interpositum est ut diceretur, *cum factus est dies;* sive hoc superioribus verbis connectas, ut sit una sententia, *Hic est liber creaturæ cœli et terræ cum factus est dies;* sive inferioribus, ut item hoc modo sit plena sententia, *Cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram :* procul dubio cogit eo modo se intelligi cœlum et terram commemorasse, quomodo facta sunt, cum factus est dies. Deinde cum dictum esset, *Fecit Deus cœlum et terram;* additum est, *et omne viride agri :* quæ certe manifestum est tertio die facta. Unde liquidius apparet eumdem illum esse unum diem quem fecit Deus, quo repetito, factus est et secundus, et tertius, et cæteri usque ad septimum diem.

CAPUT II. — *Viride agri cur additum.*

4. Cum autem nomine cœli et terræ, usitato more Scripturarum, nunc universam creaturam voluerit accipi, quæri potest cur addiderit, *et omne viride agri;* quod mihi videtur ideo posuisse, ut significantius intimaret quem diem commendaverit, quod ait, *cum factus est dies.* Cito enim quisquam putaret hunc diem lucis corporeæ commendatum, quo circumeunte nobis vicissitudo diurni nocturnique temporis exhibetur. Sed cum creaturarum conditarum ordinem recolimus, et invenimus omne viride agri tertio die creatum, antequam sol fieret, qui quarto die factus est, cujus præsentia dies iste quotidianus usitatusque peragitur; quando audimus, *Cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri;* admonemur de ipso die cogitare, quem sive corporalem nescio qua luce nobis incognita, sive spiritualem in societate unitatis angelicæ, non tamen talem qualem hic novimus, intellectu vestigare conemur.

CAPUT III. — *Ex narrationis ordine intelligitur omnia simul creata fuisse.*

5. Illud etiam non ab re fuerit intueri, quod cum posset dicere, Hic est liber creaturæ cœli et terræ, cum fecit Deus cœlum et terram; ut in cœlo et terra intelligeremus quidquid in eis est, sicut loqui divina Scriptura consuevit, ut nomine cœli et terræ sæpissime, interdum addito et maris, universam insinuet creaturam, aliquando adjungens et dicens, Et quæ sunt in eis (*Psal.* CXLV, 6) : ut quidquid horum dice-

ret, ibi intelligeremus et diem, sive quem primitus condidit, sive istum quem præsentia solis fecit : non ita dixit, sed interposuit diem, dicens, *Cum factus est dies*. Nec ita locutus est ut diceret, Hic est liber creaturæ diei et cœli et terræ; tanquam hoc ordine, quo facta narrantur : nec ita, Hic est liber creaturæ cœli et terræ, cum factus est dies et cœlum et terra, cum fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri : nec ita, Hic est liber creaturæ cœli et terræ, cum fecit Deus diem, et cœlum et terram, et omne viride agri : hos enim magis locutionis modos loquendi consuetudo poscebat. Sed ait, *Hic est liber creaturæ cœli et terræ, cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri :* tanquam illud insinuans, cum factus est dies, tunc fecisse Deum cœlum et terram, et omne viride agri.

6. Porro autem superior narratio factum diem primitus indicat, eumque unum diem deputat; post quem secundum annumerat, quo factum est firmamentum; et tertium, quo species terræ marisque digestæ sunt, et lignum atque herbam terra produxit. An forte hoc illud est, quod in libro superiore moliebamur ostendere, simul Deum fecisse omnia, quandoquidem narrationis illa contextio, cum sex dierum ordine creata cuncta et consummata memorasset, nunc ad unum diem omnia rediguntur nomine cœli et terræ, adjuncto etiam fruticum genere? Nimirum propter quod supra dixi, ut si fortassis ex hac nostra consuetudine intelligeretur dies, corrigeretur lector, cum recoleret viride agri ante istum solarem diem Deum dixisse ut terra produceret. Ita jam non ex alio Scripturæ sanctæ libro profertur testimonium quod omnia simul Deus creaverit (*Eccli.* XVIII, 1); sed vicina testificatio paginæ consequentis ex hac re nos admonet, dicens, *Cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri :* ut istum diem et septies intelligas repetitum, ut fierent septem dies; et cum audis tunc facta omnia, cum factus est dies, illam senariam vel septenariam repetitionem sine intervallis morarum spatiorumque temporalium factam, si possis, apprehendas; si nondum possis, hæc relinquas conspicienda valentibus : tu autem cum Scriptura non deserente infirmitatem tuam, et materno incessu tecum tardius ambulante proficias; quæ sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat [1], affabilitate parvulos nutriat.

CAPUT IV. — *Cur fenum antequam exoriretur factum fuisse dicitur.*

7. Quid sibi ergo vult etiam quod sequitur : nam ita sermo contexitur, *Cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri, antequam esset super terram, et omne fenum agri, antequam exortum est?* Quid est hoc? Nonne quærendum est ubi ea fecerit, antequam essent super terram, et antequam exorta sunt? Quis enim non proclivius crederet, tunc ea Deum fecisse, cum exorta sunt, non antequam exorta sunt, nisi admoneretur hoc divino eloquio, ista Deum fecisse antequam exorirentur, ut si ubi facta sint, invenire non possit, credat tamen ante facta quam exorta, quisquis huic Scripturæ pie credit; impie quippe non credit.

8. Quid ergo dicemus? An quod nonnulli putaverunt, in ipso Verbo Dei facta omnia, antequam exorirentur in terra? Sed si hoc modo facta sunt, non cum factus est dies, sed antequam fieret dies, facta sunt : aperte autem Scriptura dicit, *Cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri antequam esset super terram, et omne fenum antequam exoriretur.* Si ergo cum factus est dies, non utique antequam fieret dies : ac per hoc non in Verbo, quod Patri coæternum est antequam dies, antequam omnino aliquid fieret; sed cum factus est dies. Nam illa quæ in Verbo Dei ante omnem creaturam sunt, non utique facta sunt [1] : hæc autem facta sunt, cum factus est dies, sicut Scripturæ verba declarant; sed tamen antequam essent super terram, antequam exorirentur; quod de viridibus et feno agri dictum est.

9. Ubi ergo? An in ipsa terra causaliter et rationaliter; sicut in seminibus jam sunt omnia, antequam evolvant quodammodo, atque explicent incrementa et species suas per numeros temporum? Sed ista semina, quæ videmus, jam super terram sunt, jam exorta sunt : annon erant super terram, sed infra terram; et ideo antequam exorta sunt, facta sunt, quia tunc exorta sunt, cum semina germinarunt, et accessu incrementorum in auras eruperunt, quod per moras temporum nunc fieri videmus suo cuique generi distributas? Num ergo semina tunc facta sunt, cum factus est dies, et in ipsis erat omne viride agri, et omne fenum, nondum ea specie qua sunt super terram jam exorta, sed ea vi qua sunt in rationibus seminum? Semina ergo primum terra produxit? Sed non ita Scriptura loquebatur, cum diceret, *Et produxit terra herbam pabuli*, vel herbam feni, *seminantem* [2] *semen secundum genus, et secundum similitudinem; et lignum fructuosum faciens fructum, cujus semen suum in se secundum genus super terram.* His enim verbis magis apparet semina esse orta ex herbis et lignis; non autem illa ex seminibus, sed ex terra : præsertim quia et ipsa verba Dei sic se habent. Non enim ait, Germinent semina in terra herbam feni, et lignum fructuosum; sed ait, *Germinet terra herbam feni seminantem semen;* ut semen ex herba, non herbam insinuaret ex semine. *Et sic est factum, et produxit terra* (*Gen.* I, 11, 12); id est, prius sic est factum in cognitione illius diei, et produxit terra jam, ut hoc fieret etiam in ipsa creatura, quæ condita est.

10. Quomodo ergo antequam essent super terram, et antequam exorirentur : quasi aliud eis fuerit fieri cum cœlo et terra, quando factus est dies ille inusitatus atque incognitus nobis, quem primum Deus fecit; aliud autem exoriri super terram, quod non fit nisi per hos dies, quos circuitus solis facit per temporum moras suo cuique generi accommodatas? Quod

[1] Veteres codices optimæ notæ, *agnos pascat*.

[1] Lov., *non utique cum factus est dies facta sunt*. M.
[2] Mss. constanter habent, *seminans*.

si ita est, diesque ille societas atque unitas super cœlestium Angelorum atque Virtutum est; procul dubio longe aliter nota est Angelis creatura Dei, aliter nobis : excepto quod eam in Verbo Dei noverunt, per quod facta sunt omnia; etiam in seipsa dico longe aliter notam eis esse quam nobis. Illis enim primordialiter, ut ita dicam, vel originaliter, sicut eam Deus primitus condidit, et post eam conditionem a suis operibus requievit, non condendo aliquid amplius : nobis autem secundum rerum antea conditarum administrationem, jam per ordines temporum, secundum quam Deus jam illis rebus per senariam perfectionem consummatis, usque modo operatur.

11. Causaliter ergo tunc dictum est produxisse terram herbam et lignum, id est producendi accepisse virtutem. In ea quippe jam tanquam in radicibus, ut ita dixerim, temporum facta erant, quæ per tempora futura erant. Nam utique postea plantavit Deus paradisum juxta orientem, et ejecit ibi de terra omne lignum speciosum ad aspectum, et bonum ad escam (*Gen.* II, 8, 9) : nec tamen dicendum est, cum aliquid tunc addidisse creaturæ, quod ante non fecerat, quod velut illi perfectioni, qua omnia bona valde sexto die consummavit, post esset addendum; sed quia jam omnes naturæ fruticum atque lignorum in prima conditione factæ fuerant, a qua conditione Deus requievit, movens deinde administransque per temporales cursus illa ipsa quæ condidit, et a quibus conditis requievit, non solum tunc plantavit paradisum, sed etiam nunc omnia quæ nascuntur. Quis enim alius etiam nunc ista creat, nisi qui usque nunc operatur? Sed creat hæc modo ex iis quæ jam sunt : tunc autem ab illo, cum omnino nulla essent, creata sunt, cum factus est dies ille, qui etiam ipse omnino non erat [1], spiritualis videlicet atque intellectualis creatura.

CAPUT V. — *Ordo creationis rerum per sex dies, non intervallis temporum, sed connexione causarum.*

12. Factæ itaque creaturæ motibus cœperunt currere tempora : unde ante creaturam frustra tempora requiruntur, quasi possint inveniri ante tempora tempora [2]. Motus enim si nullus esset vel spiritualis vel corporalis creaturæ, quo per præsens præteritis futura succederent, nullum esset tempus omnino. Moveri autem creatura non utique posset, si non esset. Potius ergo tempus a creatura, quam creatura cœpit a tempore; utrumque autem ex Deo. Ex ipso enim, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (*Rom.* XI, 36). Nec sic accipiatur quod dictum est, Tempus a creatura cœpit, quasi tempus creatura non sit; cum sit creaturæ motus ex alio in aliud, consequentibus rebus secundum ordinationem administrantis Dei cuncta quæ creavit. Quapropter cum primam conditionem creaturarum cogitamus, a quibus operibus suis Deus in die septimo requievit; nec illos dies sicut istos solares, nec ipsam operationem ita cogitare debemus, quemadmodum nunc aliquid Deus operatur in tempore : sed quemadmodum operatus est unde inciperent tempora, quemadmodum operatus est omnia simul, præstans eis etiam ordinem, non intervallis temporum, sed connexione causarum, ut ea quæ simul facta sunt, senario quoque illius diei numero præsentato perficerentur.

13. Non itaque temporali, sed causali ordine prius facta est informis formabilisque materies, et spiritualis et corporalis, de qua fieret quod faciendum esset, cum et ipsa priusquam instituta est, non fuisset : nec instituta est nisi ab illo utique summo Deo et vero, ex quo sunt omnia; sive cœli et terræ nomine significata sit, quæ in principio fecit Deus ante unum illum diem quem condidit, propterea jam sic appellata, quia inde facta sunt cœlum et terra; sive nomine terræ invisibilis et incompositæ atque abyssi tenebrosæ, ut jam in primo libro tractatum est.

14. In his vero quæ jam ex informitate formata sunt, evidentiusque appellantur creata, vel facta, vel condita, primum factus est dies. Oportebat enim ut primatum creaturæ obtineret illa natura, quæ creaturam per Creatorem, non Creatorem per creaturam posset agnoscere. Secundo, firmamentum unde corporeus incipit mundus. Tertio, species maris et terræ, atque in terra potentialiter, ut ita dicam, natura herbarum atque lignorum. Sic enim terra ad Dei verbum ea produxit, antequam exorta essent, accipiens omnes numeros eorum quos per tempora exsereret secundum suum genus. Deinde, posteaquam hæc velut habitatio rerum condita est, quarto die luminaria et sidera creata sunt, ut prius pars mundi superior, rebus quæ intra mundum moventur visibilibus ornaretur. Quinto, aquarum natura, quia cœlo aerique conjungitur, produxit ad Dei verbum indigenas suos, omnia scilicet natatilia et volatilia; et hæc potentialiter in numeris, qui per congruos temporum motus exsererentur. Sexto, terrestria similiter animalia, tanquam ex ultimo elemento mundi ultima; nihilominus potentialiter, quorum numeros tempus postea visibiliter explicaret.

15. Hunc omnem ordinem creaturæ ordinatæ dies ille cognovit; et per hanc cognitionem sexies quodammodo præsentatus tanquam sex dies exhibuit, cum sit unus dies, ea quæ facta sunt, in Creatore primitus, et in ipsis consequenter agnoscens, nec in ipsis remanens, sed eorum etiam cognitionem posteriorem ad Dei referens dilectionem, vesperam et mane et meridiem in omnibus præbuit; non per moras temporum, sed propter ordinem conditorum. Postremo, quietis sui Creatoris, qua in se requiescit ab omnibus operibus suis, notitiam repræsentans, in qua non habet vesperam, benedici et sanctificari ob hoc meruit. Unde ipsum septenarium numerum sancto Spiritui quodammodo dedicatum, commendat Scriptura (*Isai.* XI, 2, 3), et novit Ecclesia.

16. Hic est ergo liber creaturæ cœli et terræ, quia in principio fecit Deus cœlum et terram, secundum materiæ quamdam, ut ita dicam, formabilitatem, quæ consequenter verbo ejus formanda fuerat, præcedens formationem suam, non tempore, sed origine. Nam utique cum formaretur, primum factus est dies

[1] Editi, *omnino erat spiritualis;* omissa negante particula, quam huc ex Mss. revocamus.

[2] Sic Mss. et Am. At Er. et Lov., *ante creaturam tempora.*

cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri antequam esset super terram, et omne fenum agri antequam exoriretur, sicut tractavimus; vel si quid liquidius et congruentius videri et dici potuit aut potuerit.

CAPUT VI. — *De versiculo*, Non enim pluerat, etc. *An inde intelligendum omnia simul creata esse.*

17. Quod autem sequitur, *Non enim pluerat Deus super terram, et homo non erat qui operaretur terram;* quo pertineat, et quid nobis insinuet, indagare difficile est. Tanquam ideo antequam exortum est, fecit Deus fenum agri, quia nondum pluerat super terram: si enim post pluviam fenum fecisset, pluvia magis exortum quam factum ab eo videretur. Quid enim? quod post pluviam exoritur, ab alio fit nisi ab eodem Deo? Cur autem non erat homo qui operaretur terram? Nonne jam sexto die fecerat hominem, et septimo requieverat ab omnibus operibus suis? An hoc recapitulando commemorat, quoniam quando fecit Deus omne viride agri, et omne fenum, nondum pluerat super terram, et nondum erat homo? Tertio quippe die fecit ista, hominem autem sexto. Sed cum fecit Deus omne viride atque omne fenum agri antequam exortum est super terram, non solum homo non erat qui operaretur terram, sed nec ipsum fenum erat super terram, quod utique ante dicit factum quam exortum. An ideo die tertio fecit Deus ista, quia nondum erat homo qui operando terram faceret ea? Quasi vero tam multa ligna et tam multa genera herbarum, non sine ulla opera hominum nascantur ex terra.

18. An ob hoc utrumque positum est, et quia nondum pluerat super terram, et quia nondum erat homo qui operaretur terram? Ubi enim opera humana non est, per pluviam ista nascuntur. Sunt etiam quædam quæ per pluviam non nascuntur, nisi humana opera accedat. Ideo nunc utrumque adjutorium necessarium est, ut cuncta nascantur: tunc autem utrumque defuit; ideo fecit Deus hæc potentia Verbi sui sine pluvia, sine opere humano. Nam etiam nunc ipse facit, sed jam per pluviam et per hominum manus; quamvis neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (I *Cor.* III, 7).

19. Quid est ergo quod adjungit, *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ?* Ille quippe fons tanta largitate manans, sicut Nilus Ægypto, posset universæ terræ esse pro pluvia. Quid itaque pro magno commendatum est, antequam plueret fecisse Deum illa gignentia, cum quantum posset adjuvare pluvia, tantum fons irrigans terram? Verum et si aliquid minus, minora illa fortasse, non tamen nulla nascerentur. An hinc etiam more suo Scriptura tanquam infirmis infirmiter loquitur, et tamen innuit aliquid quod intelligat qui valuerit? Nimirum enim sicut isto die, paulo superius commemorato, significavit unum diem factum a Deo, et tunc Deum fecisse cœlum et terram, cum factus est dies; ut quomodo possemus cogitaremus simul omnia Deum fecisse, quamvis superior sex dierum enumeratio velut temporum intervalla ostendisse videretur: ita cum dixisset, cum cœlo et terra Deum fecisse omne viride agri antequam esset super terram, et omne fenum agri antequam exortum est, addidit, *Nondum enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur terram;* tanquam diceret, Non ea sic fecit Deus, quemadmodum facit nunc talia, cum pluit, et cum operantur homines. Hæc enim jam per moras temporum fiunt, quæ tunc non erant, cum fecit omnia simul, unde etiam tempora inciperent.

CAPUT VII.—*De fonte qui rigabat totam terram*, etc.

20. Quod autem sequitur, *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ;* hinc jam, quantum arbitror, intimatur quæ fiant secundum intervalla temporum ex prima illa conditione creaturarum, ubi facta sunt omnia simul. Et recte ab eo cœpit elemento, ex quo cuncta genera nascuntur vel animalium, vel herbarum atque lignorum, ut agant temporales numeros suos naturis propriis distributos. Omnia quippe primordia seminum, sive unde omnis caro, sive unde omnia fruteta gignuntur, humida sunt, et ex humore concrescunt. Insunt autem illis efficacissimi numeri, trahentes secum sequaces potentias ex illis perfectis operibus Dei, a quibus in die septimo requievit.

21. Verumtamen quis iste sit fons ad irrigandam faciem terræ omnis idoneus, merito quæritur. Si enim fuit, et obstrusus est vel siccatus, causa quærenda est. Nunc enim videmus nullum esse fontem, quo irrigetur omnis facies terræ. Fortassis ergo peccatum hominum hanc etiam pœnam commeruit, ut tanta illius fontis repressa largitas facillimam terris auferret fecunditatem, ut incolentium augeretur labor. Posset hoc, quamvis nulla id Scriptura narraverit, affirmare humana suspicio, nisi illud occurreret, quod peccatum hominum, cui pœna laboris imposita est, post paradisi delicias exstitit: paradisus autem habebat prægrandem fontem suum, de quo post diligentius suo loco loquendum est; ex cujus uno capite quatuor magna flumina et nota gentibus manare narrantur. Ubi ergo erat fons iste aut ista flumina, quando ille unus maximus ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ? Certe enim tunc non Geon, qui dicitur Nilus, unus ex illis quatuor, rigabat Ægyptum, quando fons ascendebat de terra, et non Ægyptum tantum, sed omnem faciem terræ satiabat.

22. An primo Deum voluisse credendum est uno fonte maximo irrigare omnem terram, ut illa quæ in ea principaliter condiderat, accepto humoris adjutorio, jam etiam per temporalia spatia gignerentur, pro suorum generum diversitate etiam diversis numeris dierum; et postea plantato paradiso repressisse illum fontem, multisque fontibus, sicut jam nunc videmus, implevisse terram; de paradisi autem uno fonte quatuor ingentia flumina divisisse; ut et terra cætera creaturarum suarum plena generibus, congruos numeros suorum temporum agentibus, fontes etiam suos haberet ac fluvios; et paradisus loco electiore plantatus, quatuor illa flumina ex capite sui fontis emitteret? aut ex ipso uno fonte paradisi, multo largius exun-

dante, prius totam irrigasse terram, atque ad parienda per temporum numeros genera, quæ in ea sine intervallis temporum creaverat, fecundasse; ac postea repressisse in eo loco aquarum eruptionem vastissimam, ut de diversis per omnem terram capitibus fluminum ac fontium jam manarent; ac deinde in regione illius fontis, non jam universam terram rigantis, sed memorabiles solos illos quatuor fluvios emittentis, plantasse paradisum, ubi hominem quem fecerat collocaret?

CAPUT VIII. — *Quæ Scriptura reticet, quatenus conjectando proferre juvat.*

23. Quia enim non omnia scripta sunt, quemadmodum post illam primam rerum conditionem tempora cucurrerint, seque secutæ sint administrationes creaturarum, quæ primitus factæ sextoque illo die consummatæ sunt, sed quantum satis judicavit Spiritus, qui inerat scribenti ea quæ non solum ad factarum rerum notitiam, sed etiam ad futurarum præfigurationem valerent; nescientes conjectamus quid fieri potuerit, quod ille non nesciens prætermisit; tantum id conantes pro modulo nostro, quantum adjuvamur, efficere, ne aliqua absurditas vel repugnantia putetur esse in Scripturis sanctis, quæ opinionem lectoris offendat, et dum existimat fieri non potuisse quæ facta esse Scriptura commemorat, vel resiliat a fide, vel non accedat ad fidem.

CAPUT IX. — *Difficultas de fonte terram universam irrigante.*

24. Proinde cum de isto fonte quærimus, quomodo id quod dictum est, *Ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ*, non impossibile videatur; si ea quæ diximus, impossibilia cuiquam videantur, quærat ipse aliud, quo tamen verax ista Scriptura monstretur, quæ procul dubio verax est, etiamsi non monstretur. Nam si argumentari voluerit, quo eam falsam esse convincat; aut ipse nulla vera de creaturarum conditione atque administratione dicturus est; aut si vera dixerit, istam non intelligendo falsam putabit: velut si contendat ideo non potuisse uno quantolibet fonte omnem terræ faciem irrigari; quia si montes non irrigabat, non omnem terræ faciem irrigabat: si autem etiam montes rigabat, non erat jam impertitio saginæ, sed diluvii inundatio; quod si terra tunc sic erat, totum mare erat, et nondum discreta erat arida.

CAPUT X. — *Fons ille terram totam rigans ut intelligendus.*

25. Cui respondetur, quia hoc vicibus temporum posset, sicut certo tempore per plana Ægypti Nilus restagnat, et alio tempore ad ripas suas redit: aut si iste nescio cujus ignotæ ac longinquæ partis mundi aquis et pruinis hiemalibus anniversaria creditur incrementa colligere; quid de Oceani alternis æstibus, quid de quibusdam littoribus, quæ late nudantur fluctibus, vicissimque operiuntur, dici potest? ut omittam quod de quorumdam fontium mira vicissitudine perhibetur, certo annorum intervallo sic eos inundare, ut totam illam regionem rigent, cui alio tempore vix ex altis puteis ad potandum sufficientem præbent aquam. Cur ergo sit incredibile, si ex uno abyssi capite alterna inundatione fluente atque refluente, tunc universa terra rigata est? Quod si ipsius abyssi magnitudinem, ea parte excepta quod mare dicitur et evidenti amplitudine atque amaris fluctibus [1] terras ambit, in ea sola parte quam reconditis sinibus terra continet, unde se omnes fontes amnesque diversis tractibus venisque distribuunt, et suis quique locis erumpunt, fontem voluit appellare Scriptura, non fontes, propter naturæ unitatem; eumque per innumerabiles vias antrorum atque rimarum ascendentem de terra et ubique dispertitis quasi crinibus irrigantem omnem faciem terræ, non continua specie tanquam maris aut stagni, sed sicut videmus ire aquas per alveos fluminum flexusque rivorum, et eorum excessu vicina perfundere: quis non accipiat, nisi qui contentioso spiritu laborat? Potest quippe etiam ita dicta intelligi omnis terræ facies irrigata, quemadmodum dicitur, omnis vestis facies colorata, etiamsi non continuatim, sed maculatim fiat: præsertim quia tunc in novitate terrarum, etsi non omnia, plura tamen plana fuisse credibile est, quo latius possent erumpentia fluenta dispergi atque distendi.

26. Quapropter de istius fontis magnitudine vel multitudine, qui sive unam habuit alicunde eruptionem, sive propter aliquam in terræ occultis sinibus unitatem, unde omnes aquæ super terram scatent omnium fontium magnorum atque parvorum, unus fons dictus est, per omnes dispertitiones suas ascendens de terra et irrigans omnem faciem terræ: sive etiam, quod est credibilius, quia non ait, Unus fons ascendebat, sed ait, *Fons autem ascendebat de terra*, pro numero plurali posuit singularem; ut sic intelligamus fontes multos per universam terram loca vel regiones proprias irrigantes, sicut dicitur miles, et multi intelliguntur, sicut dicta est locusta et rana in plagis (*Psal.* CIV, 34), quibus Ægyptii percussi sunt, cum esset innumerabilis locustarum numerus et ranarum; jam non diutius laboremus.

CAPUT XI. — *Rerum creationem primam factam esse sine temporis mora: administrationem non ita.*

27. Sed illud etiam atque etiam consideremus, utrum possit nobis per omnia constare sententia qua dicebamus, aliter operatum Deum omnes creaturas prima conditione, a quibus operibus in die septimo requievit; aliter istam earum administrationem, qua usque nunc operatur: id est, tunc omnia simul sine ullis temporalium morarum intervallis; nunc autem per temporum moras, quibus videmus sidera moveri ab ortu ad occasum, cœlum mutari ab æstate ad hiemem, germina certis dierum momentis pullulare, grandescere, virescere, arescere. Animalia quoque statutis temporum metis et cursibus et concipi, et perfici, et nasci, et per ætates usque in senium mortemque decurrere, et cætera hujusmodi temporalia. Quis enim operatur ista nisi Deus, etiam sine ullo tali suo

[1] Editi, *aquæ maris fluctibus*, etc. Paulo post, *fontes et omnes aquæ diversis tractibus*: quibus locis Mss. lectionem re[illegible]

motu? non enim et ipsi accidit tempus. Inter illa ergo opera Dei, a quibus requievit in die septimo, et ista quæ usque nunc operatur, quemdam Scriptura interponens suæ narrationis articulum, commendavit se illa explicasse, et cœpit jam ista contexere. Illorum explicatorum commendatio sic facta est : *Hic est liber creaturæ cœli et terræ, cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri antequam esset super terram, et omne fenum agri antequam exoriretur. Non enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur terram.* Istorum autem contextio sic cœpit : *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ.* Ab hac commemoratione fontis hujus et deinceps ea quæ narrantur, per moras temporum facta sunt, non omnia simul.

CAPUT XII. — *Opera Dei sub triplici consideratione.*

28. Cum ergo aliter se habeant omnium creaturarum rationes incommutabiles in Verbo Dei, aliter illa ejus opera a quibus in die septimo requievit, aliter ista quæ ex illis usque nunc operatur; horum trium hoc quod extremum posui, nobis utcumque notum est per corporis sensus, et hujus consuetudinem vitæ. Duo vero illa remota a sensibus, et ab usu cogitationis humanæ, prius ex divina auctoritate credenda sunt; deinde per hæc quæ nota sunt, utcumque noscenda, quanto quisque magis minusve potuerit pro suæ capacitatis modo, divinitus adjutus internis æternisque rationibus [1] ut possit.

CAPUT XIII. — *Omnia antequam fierent, in Sapientia Dei.*

29. De primis ergo illis divinis incommutabilibus æternisque rationibus, quoniam ipsa Dei Sapientia, per quam facta sunt omnia, priusquam fierent ea noverat, sic Scriptura testatur : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1-3). Quis ergo tam sit demens, ut dicat non ea Deum fecisse quæ noverat? Porro si noverat, ubi nisi apud ipsum, apud quem Verbum erat, per quod facta sunt omnia? Nam si extra seipsum ea noverat, quis eum docuerat? Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (*Rom.* XI, 34-36).

30. Quanquam et ea quæ sequuntur in Evangelio, satis asserant istam sententiam : adjungit enim Evangelista et dicit, *Quod factum est, in illo vita est, et vita erat lux hominum* (*Joan.* I, 4). Quia scilicet rationales mentes, in quo genere homo factus est ad imaginem Dei, non habent veram lucem suam nisi ipsum Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, cujus participes esse poterunt ab omni iniquitate et errore mundatæ.

CAPUT XIV. — *Illud ex Joanne,* Quod factum est, *etc., quomodo distinguendum.*

31. Non ergo ita pronuntiari oportet, *Quod factum est in illo, vita est*, ut subdistinguamus, *Quod factum est in illo*, et deinde inferamus, *vita est*. Quid enim non in illo factum est, cum commemoratis multis etiam terrenis creaturis, dicatur in Psalmo, *Omnia in Sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24); dicat et Apostolus, *Quoniam in ipso condita sunt omnia in cœlo et in terra, visibilia et invisibilia* (*Coloss.* I, 16). Consequens ergo erit, si ita distinxerimus, ut et ipsa terra, et quæcumque in ea sunt, vita sint. Quæ cum absurde dicantur omnia vivere, quanto absurdius ut etiam vita sint? præsertim quia distinguit de quali vita loquatur, cum addit, *Et vita erat lux hominum*. Sic ergo distinguendum est, ut cum dixerimus, *Quod factum est*, deinde inferamus, *in illo vita est* : non in se scilicet, hoc est in sua natura, qua factum est ut conditio creaturaque sit; sed in illo vita est, quia omnia quæ per ipsum facta sunt, noverat antequam fierent; ac per hoc [1] non sicut creatura quam fecit, sed sicut vita et lux hominum, quod est ipsa Sapientia, et ipsum Verbum unigenitus Dei Filius. Eo modo ergo in illo vita est quod factum est, quomodo dictum est, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* V, 26).

32. Nec prætermittendum est, quod emendatiores codices habent, *Quod factum est, in illo vita erat*, ut sic intelligatur, *vita erat*, quomodo *In principio erat Verbum* [2], *et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Quod ergo factum est*, jam *vita erat in illo*, et vita non qualiscumque; nam et pecora dicuntur vivere, quæ frui non possunt participatione sapientiæ; sed *vita erat lux hominum*. Mentes quippe rationales purgatæ gratia ejus, possunt pervenire ad ejusmodi visionem, qua nec superius quidquam sit, nec beatius.

CAPUT XV. — *Omnia qualis vita sunt in Deo.*

33. Sed etiam si hoc legamus et intelligamus, *Quod factum est, in illo vita est;* manet [3] ista sententia, ut id quod per ipsum factum est, vita esse in illo intelligatur, in qua vita vidit omnia, quando fecit; et sicut vidit, ita fecit : non præter seipsum videns, sed in seipso ita enumeravit omnia quæ fecit. Nec alia visio ipsius et Patris, sed una, sicut una substantia. Nam et in libro Job ita ipsa Sapientia, per quam facta sunt omnia, prædicatur : *Sapientia vero*, inquit, *unde inventa est? vel quis sit locus scientiæ? Ignorat mortalis viam ejus, nec invenietur in hominibus.* Et paulo post : *Audivimus*, inquit, *ejus gloriam; Dominus commendavit viam ejus, et ipse novit locum ejus. Ipse enim omne quod est sub cœlo perfecit, et novit quæ sunt in terra, omnia quæ fecit : ventorum libramenta, aquæ mensuras quando fecit, sicut vidit enumeravit* (*Job.* XXVIII, 12, 22-25). His atque hujusmodi testimoniis probatur quod hæc omnia, priusquam fierent, erant in notitia

[1] Sic editi. At Mss. optimæ notæ carent hisce verbis, *internis æternisque rationibus;* quæ quidem salvo sensu expungi possent.

[1] Lov., *ac per hoc in illo erat.* Istud, *in illo erat*, abest ab antiquioribus editis, Am. Er. et a sincerioribus Mss., cujus glossematis loco subaudiendum, *in illo vita est.*

[2] Mss. optimæ notæ et plerique : *in illo vita erat, quomodo in principio erat;* neque habent, *ut sic intelligatur vita erat.*

[3] Mss. aliquot, *movet;* alii, *monet;* cæteri cum editis, *manet.*

facientis. Et utique ibi meliora, ubi veriora, ubi æterna et incommutabilia. Quanquam sufficere debeat ut quisque noverit, vel inconcusse credat quod Deus hæc omnia fecerit; non opinor eum esse tam excordem, ut Deum quæ non noverat fecisse arbitretur. Porro, si noverat ea, priusquam faceret ea; profecto priusquam fierent, apud illum erant eo modo nota, quo sempiterne atque incommutabiliter vivunt, et vita sunt: facta autem eo modo, quo unaquæque creatura in genere suo est.

CAPUT XVI. — *Deum facilius mente percipimus quam creaturas.*

34. Quamvis ergo illa æterna incommutabilisque natura, quod Deus est, habens in se ut sit, sicut Moysi dictum est, *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14); longe scilicet aliter quam sunt ista quæ facta sunt: quoniam illud vere ac primitus est, quod eodem modo semper est, nec solum non commutatur, sed commutari omnino non potest; nihil horum quæ fecit existens, et omnia primitus habens, sicut ipse est: neque enim ea faceret, nisi ea nosset antequam faceret; nec nosset, nisi videret; nec videret, nisi haberet; nec haberet ea quæ nondum facta erant, nisi quemadmodum est ipse non factus: quamvis, inquam, illa substantia ineffabilis sit, nec dici utcumque homini per hominem possit, nisi usurpatis quibusdam locorum ac temporum verbis, cum sit ante omnia tempora et ante omnes locos; tamen propinquior nobis est qui fecit, quam multa quæ facta sunt. In illo enim vivimus, et movemur, et sumus (*Act.* XVII, 28): istorum autem pleraque remota sunt a mente nostra propter dissimilitudinem sui generis, quoniam corporalia sunt; nec idonea est ipsa mens nostra, in ipsis rationibus quibus facta sunt, ea videre apud Deum, ut per hoc sciamus quot et quanta qualiaque sint, etiamsi non ea videamus per corporis sensus. Remota quippe sunt et a sensibus corporis nostri, quoniam longe sunt, vel interpositis aut oppositis aliis a nostro contuitu tactuque [1] separantur. Ex quo fit ut major ad illa invenienda sit labor, quam ad illum a quo facta sunt, cum sit incomparabili felicitate præstantius illum ex quantulacumque particula pia mente sentire, quam illa universa comprehendere. Unde recte culpantur in libro Sapientiæ inquisitores hujus sæculi: *Si enim tantum*, inquit, *potuerunt valere, ut possent æstimare sæculum; quomodo ejus Dominum non facilius invenerunt* (*Sap.* XIII, 9)? Ignota enim sunt fundamenta terræ oculis nostris, et qui fundavit terram, propinquat mentibus nostris.

CAPUT XVII. — *Ante sæcula, a sæculo, in sæculo.*

35. Jam nunc consideremus ea quæ fecit Deus omnia simul, a quibus in die sexto consummatis requievit in septimo, postea consideraturi opera ejus, in quibus usque nunc operatur. Ipse enim ante sæcula: a sæculo autem ea dicimus, ex quo cœpit sæculum, sicut ipsum mundum; in sæculo autem, sicut ea quæ nascuntur in mundo. Cum ergo Scriptura dixisset, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*; paulo post ait, *In hoc mundo erat, et mundus per ipsum factus est* (*Joan.* I, 3, 10). De hoc opere Dei alio loco scriptum est: *Qui fecisti mundum de materia informi* (*Sap.* XI, 18). Hic mundus plerumque cœli et terræ nomine nuncupatur, sicut jam commemoravimus, quæ Scriptura dicit Deum fecisse, cum factus est dies: de quibus verbis jam, quantum visum est, disputavimus, quemadmodum congruat conditioni mundi hujus, et quod sex diebus consummatus est cum omnibus quæ in eo sunt, et quod tunc factus, cum factus est dies, ut et illud congruat quod creavit omnia simul (*Eccli.* XVIII. 1).

CAPUT XVIII. — *Creaturæ plures nobis ignotæ. Qua ratione a Deo et ab Angelis noscuntur. Cognitio matutina et vespertina.*

36. Hujus universæ Dei creaturæ multa non novimus, sive quæ in cœlis sunt altius, quam ut noster sensus ea possit attingere; sive quæ in regionibus terrarum fortassis inhabitabilibus; sive quæ deorsum latent, vel in profundo abyssi, vel in occultis sinibus terræ. Hæc igitur antequam fierent, utique non erant. Quomodo ergo Deo nota erant quæ non erant? Et rursus quomodo ea faceret quæ sibi nota non erant? Non enim quidquam fecit ignorans. Nota ergo fecit, non facta cognovit. Proinde, antequam fierent, et erant, et non erant: erant in Dei scientia, non erant in sua natura. Ac per hoc factus est dies ille, cui utroque modo innotescerent, et in Deo et in seipsis: illa velut matutina sive diurna cognitione, hac vero velut vespertina. Ipsi autem Deo non audeo dicere alio modo innotuisse, cum ea fecisset, quam illo quo ea noverat ut faceret, apud quem non est commutatio, nec momenti obumbratio (*Jacobi* I, 17).

CAPUT XIX. — *Angeli Dei nuntii mysterium regni cœlorum noverunt a sæculis.*

37. Non sane propter inferiorum scientiam nuntiis indiget, quasi per eos fiat scientior; sed illo simplici ac mirabili modo novit omnia stabiliter atque incommutabiliter. Habet autem nuntios propter nos et propter ipsos; quia illo modo Deo parere et assistere, ut eum de inferioribus consulant, ejusque supernis præceptis et jussis obtemperent, bonum est eis in ordine propriæ naturæ atque substantiæ. Nuntii autem græce ἄγγελοι dicuntur; quo nomine generali universa illa superna civitas nuncupatur, quem primum diem conditum existimamus.

38. Nam nec illud eos latuit mysterium regni cœlorum, quod opportuno tempore revelatum est pro salute nostra, quod [1] ex hac peregrinatione liberati, eorum cœtui conjungamur. Neque enim hoc ignorarent; quandoquidem ipsum semen, quod opportuno tempore advenit (*a*), per ipsos dispositum est in manu mediatoris (*Galat.* III, 19), id est in ejus potestate qui Dominus eorum est, et in forma Dei, et in forma servi. Dicit item Apostolus: *Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc, annuntiare in gentibus investigabiles divitias Christi, et illuminare quæ sit dispensatio sacra-*

[1] Mss. fere omnes, *actuque*.

[1] Sic Mss. At editi, *quo*.
(*a*) II Retract. cap. 24 n. 2.

menti quod fuit absconditum a sæculis in Deo, qui universa creavit; ut innotesceret Principibus et Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum propositum sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro (*Ephes.* III, 8-11). Sic ergo fuit hoc absconditum a sæculis in Deo, ut tamen innotesceret Principibus et Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei; quia ibi primitus Ecclesia, quo post resurrectionem et ista Ecclesia congreganda est, ut simus æquales Angelis Dei (*Matth.* XXII, 30). Illis ergo a sæculis innotuit; quia omnis creatura non ante sæcula, sed a sæculis. Ab ipsa enim exorta sunt sæcula, et ipsa a sæculis; quoniam initium ejus initium sæculorum est: Unigenitus autem ante sæcula, per quem facta sunt sæcula (*Hebr.* I, 2). Ideoque ex persona Sapientiæ, *Ante sæcula*, inquit, *fundavit me* (*Prov.* VIII, 23, sec. LXX); ut in ea faceret omnia, cui dictum est, *Omnia in Sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24).

39. Quod autem non in Deo tantum innotescit Angelis quod absconditum est, verum etiam hic eis apparet, cum efficitur atque propalatur, idem apostolus ita testis est: *Et sine dubio*, inquit, *magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (I *Tim.* III, 16). Et nisi fallor, mirum est si non omnia quæ dicitur Deus tunc cognoscere quando ad præsens tempus cognoscere, ideo dicitur, quia cognosci facit, sive ab Angelis, sive ab hominibus. Modus quippe iste locutionis cum per efficientem id quod efficitur significatur, creber est in Scripturis sanctis; maxime cum de Deo aliquid dicitur, quod ei ad proprietatem locutionis non convenire præsidens mentibus nostris ipsa veritas clamat.

CAPUT XX. — *Deum adhuc operari.*

40. Jam nunc ergo discernamus opera Dei, quæ usque nunc operatur, ab illis operibus a quibus in die septimo requievit. Sunt enim qui arbitrentur [1] tantummodo mundum ipsum factum a Deo, cætera jam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinavit et jussit; Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini: *Pater meus usque nunc operatur.* Et ne quisquam putaret apud se illum aliquid operari, non in hoc mundo: *Pater in me manens*, inquit, *facit opera sua; et sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* V, 17, 20, 21). Deinde, quia non solum magna atque præcipua, verum etiam ista terrena et extrema ipse operatur, ita dicit Apostolus: *Stulte, tu quod seminas non vivificatur, nisi moriatur; et quod seminas, non corpus quod futurum est seminas, sed nudum granum fere tritici, aut alicujus cæterorum; Deus autem dat illi corpus quomodo voluerit, et unicuique seminum proprium corpus* (I *Cor.* XV, 36-38). Sic ergo credamus, vel, si possumus, etiam intelligamus usque nunc operari Deum, ut si conditis ab eo rebus operatio ejus subtrahatur, intercidant.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. habent, *arbitrantur*. M.

41. Sed plane, si aliquam creaturam sic eum nunc instituere putaverimus, ut genus ejus primæ illi suæ conditioni non inseruerit, aperte contradicimus dicenti Scripturæ, quod consummaverit omnia opera sua in die sexto (*Gen.* II, 2). Secundum illa enim genera rerum quæ primum condidit, nova eum multa facere, quæ tunc non fecit, manifestum est. Novum autem genus instituere credi recte non potest, quoniam tunc omnia consummavit. Movet itaque occulta potentia universam creaturam suam, eoque motu illa versata, dum Angeli jussa perficiunt, dum circumeunt sidera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus et diversis etiam per aerem conglobationibus agitatur, dum vireta [1] pullulant, suaque semina evolvunt, dum animalia gignuntur, varioque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui justos exercere permittuntur, explicat sæcula, quæ illi, cum primum condita est, tanquam plicita [2] indiderat: quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit, provido motu administrare cessaret.

CAPUT XXI. — *Omnia gubernari divina providentia.*

42. Admoneri autem nos oportet iis quæ in tempore formantur atque nascuntur, quomodo ista considerare debeamus. Non enim frustra de Sapientia scriptum est, quod amatoribus suis *ostendit se in viis hilariter, et in omni providentia occurrit illis* (*Sap.* VI, 17). Nec omnino audiendi sunt qui putaverunt sublimes quidem mundi partes, id est a confinio corpulentioris aeris hujus et supra, divina providentia gubernari; hanc autem imam partem terrenam et humidam, aerisque hujus vicinioris qui terrarum et aquarum exhalationibus humescit, in quo venti nubesque consurgunt, casibus potius et fortuitis motibus agitari. Contra hos enim loquitur Psalmus, qui cum explicasset laudem cœlestium, se etiam ad ista inferiora convertit, dicens: *Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi; ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus* (*Psal.* CXLVIII, 7, 8). Nihil enim tam videtur casibus volvi, quam omnes istæ procellosæ ac turbulentæ qualitates, quibus cœli hujus inferioris, quod non immerito etiam terræ nomine deputatum est, facies variatur et vertitur. Sed cum addidit, *Quæ faciunt verbum ejus*, satis ostendit earum quoque rerum ordinem divino subditum imperio, latere nos potius, quam universitatis deesse naturæ. Quid autem? ore suo Salvator, cum dicit unum passerem non cadere in terram sine Dei voluntate (*Matth.* X, 29), et quod fenum agri post paululum mittendum in clibanum, ipse tamen vestiat (*Id.* VI, 30); nonne confirmat non solum totam istam mundi partem rebus mortalibus et corruptibilibus deputatam, verum etiam vilissimas ejus abjectissimasque particulas divina providentia regi?

[1] In antiquis codicibus constanter scriptum, *virecta*.

[2] Editi, *condita sunt tanquam implicita*. At Mss. omnes, *condita est*; scilicet universa creatura. Tum aliqui prosequuntur, *tanquam placita*; sed alii sincerius, *plicita*; a verbo plico.

CAPUT XXII. — *Argumenta divinæ providentiæ.*

43. Et certe isti qui hoc negant, nec sanctis eloquiis tantæ auctoritatis acquiescunt, si in hac mundi parte, quam putant fortuitis motibus perturbari, potius quam sapientia divinæ summitatis regi, et ut hoc quasi probent gemino abutuntur argumento, vel quod supra commemoravi de inconstantia tempestatum, vel de felicitatibus atque infelicitatibus hominum, quod non pro vitæ meritis accidunt; viderent tantum ordinem, quantus in membris carnis cujuslibet animantis apparet, non dico medicis, qui hæc propter artis suæ necessitatem diligenter patefacta et dinumerata rimati sunt, sed cuivis mediocris cordis et considerationis homini; nonne clamarent, ne puncto quidem temporis Deum, a quo est omnis mensurarum modus, omnis paritas numerorum, omnis ordo ponderum, ab ejus gubernatione cessare? Quid ergo absurdius, quid insulsius sentiri potest, quam eam totam esse vacuam nutu et regimine providentiæ, cujus extrema et exigua videas tanta dispositione formari, ut aliquanto attentius cogitata ineffabilem incutiant admirationis horrorem? Et cum animæ natura naturæ corporis antecellat, quid est dementius quam putare nullum esse divinæ providentiæ judicium de moribus hominum, cum in eorum carne tanta ejus solertiæ clareant et demonstrentur indicia? Sed quia hæc minima in promptu sunt sensibus nostris, et ea facile investigamus, elucet in eis ordo rerum: at illa quorum ordinem videre non possumus, inordinata arbitrantur qui esse non putant, nisi quod videre possunt, aut si putant, tale aliquid putant, quale videre consueverunt.

CAPUT XXIII. — *Quomodo Deus omnia simul creaverit, et nunc usque operetur.*

44. Nos autem, quorum gressus, ne in illam perversitatem incidamus, eadem divina providentia per sanctam Scripturam regit, ex ipsis quoque operibus Dei eodem adjuvante indagare conemur ubi hæc simul creaverit, cum a consummatis suis operibus requievit, quorum species per ordinem temporum usque nunc operatur. Consideremus ergo cujuslibet arboris pulchritudinem in robore, ramis, frondibus, pomis: hæc species non utique repente tanta ac talis est exorta, sed quo etiam ordine novimus. Surrexit enim a radice, quam terræ primum germen infixit; atque inde omnia illa formata et distincta creverunt. Porro illud germen ex semine: in semine ergo illa omnia fuerunt primitus, non mole corporeæ magnitudinis, sed vi potentiaque causali. Nam illa magnitudo, copia terræ humorisque congesta est. Sed illa in exiguo grano mirabilior præstantiorque vis est, qua valuit adjacens humor commixtus terræ tanquam materies verti in ligni illius qualitatem, in ramorum diffusionem, in foliorum viriditatem ac figuram, in fructuum formas et opulentiam, omniumque ordinatissimam distinctionem. Quid enim ex arbore illa surgit aut pendet, quod non ex quodam occulto thesauro seminis illius extractum atque depromptum est? At illud semen ex arbore, licet non illa sed altera, atque illa rursus ex altero semine. Aliquando autem et arbor ex arbore, cum surculus demitur atque plantatur. Ergo et semen ex arbore, et arbor ex semine, et arbor ex arbore. Semen autem ex semine nullo modo, nisi arbor interveniat prius. Arbor vero ex arbore, etiamsi semen non interveniat. Alternis igitur successionibus alterum ex altero, sed utrumque ex terra, nec ex ipsis terra: prior igitur eorum parens terra. Sic et animalia, potest incertum esse utrum ex ipsis semina, an ipsa ex seminibus: quodlibet tamen horum prius, ex terra esse certissimum est.

45. Sicut autem in ipso grano invisibiliter erant omnia simul quæ per tempora in arborem surgerent; ita ipse mundus cogitandus est, cum Deus simul omnia creavit, habuisse simul omnia quæ in illo et cum illo facta sunt, quando factus est dies: non solum cœlum cum sole et luna et sideribus, quorum species manet motu rotabili, et terram et abyssos, quæ velut inconstantes motus patiuntur, atque inferius adjuncta partem alteram mundo conferunt; sed etiam illa quæ aqua et terra produxit potentialiter atque causaliter, priusquam per temporum moras ita exorirentur, quomodo nobis jam nota sunt in eis operibus, quæ Deus usque nunc operatur.

46. Quæ cum ita sint, *Hic est liber creaturæ cœli et terræ, cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri antequam esset super terram, et omne fenum agri antequam exortum est:* non sic quomodo facit opere quo nunc usque operatur per pluviam et hominum agriculturam; ad hoc enim adjunctum est, *Non enim pluerat Deus super terram, nec erat homo qui operaretur terram:* sed illo modo quo creavit omnia simul, senarioque dierum numero consummavit, cum diem quem fecit, eis quæ fecit sexies præsentavit, non alternante spatio temporaliter, sed ordinata cognitione causaliter. A quibus operibus in die septimo requievit, etiam suam requiem ejusdem diei notitiæ gaudioque præbere dignatus: et ideo non cum in quolibet opere suo, sed in sua requie benedixit et sanctificavit. Unde nullam ulterius creaturam instituens, sed ea quæ omnia simul fecit, administratorio actu gubernans et movens, sine cessatione operatur, simul et requiescens et operans, sicut jam ista tractata sunt. Quorum operum ejus quæ usque nunc operatur, per volumina temporum explicandorum, velut exordium narrandi sumens, ait Scriptura, *Fons autem ascendebat de terra, et irrigabat omnem faciem terræ.* De quo fonte quia diximus quod dicendum putavimus, ea quæ sequuntur ab alio consideremus exordio.

LIBER SEXTUS.

In vers. cap. 2 Geneseos, *Et finxit Deus hominem pulverem de terra*, etc., quomodo seu quando de limo formatus fuerit homo inquiritur : tum, dilata tantisper consideratione animæ, dicitur de corpore Adami.

CAPUT PRIMUM. — *An istud*, Et finxit Deus, *etc., de prima hominis formatione facta die sexto, an de altera posterius et per temporis moram facta intelligendum.*

1. *Et finxit Deus hominem pulverem de terra, et insufflavit in faciem ejus flatum vitæ; et factus est homo in animam viventem.* Hic primo videndum est utrum ista recapitulatio sit, ut nunc dicatur quomodo factus sit homo quem sexto illo die factum legimus; an vero tunc quidem cum fecit omnia simul, in his etiam latenter hominem fecit, sicut fenum terræ antequam esset exortum : ut eo modo et ipse cum jam esset in secreto quodam naturæ aliter factus, sicut illa quæ simul creavit cum factus est dies, accessu temporis etiam isto modo fieret, quo in hac perspicua forma vitam gerit, vel male vel bene; sicut fenum quod factum est antequam exoriretur super terram, accedente jam tempore et fontis illius irrigatione exortum est, ut esset super terram.

2. Prius ergo secundum recapitulationem id conemur accipere. Fortassis quippe ita homo factus sit in die sexto, sicut dies ipse primitus factus est, sicut firmamentum, sicut terra et mare. Neque enim hæc dicenda sunt ante in quibusdam primordiis jam facta latuisse, ac deinde in hanc faciem qua mundus exstructus est, accessu temporis tanquam exorta claruisse; sed ab exordio sæculi, cum factus est dies, conditum mundum, in cujus elementis simul sunt condita, quæ post accessu temporis orirentur, vel fruteta, vel animalia quæque secundum suum genus. Nam nec ipsa sidera credendum est in elementis mundi primitus facta atque recondita, accessu postea temporis exstitisse, atque in has enituisse formas quæ cœlitus fulgent; sed illo senario perfectionis numero creata simul omnia, cum factus est dies. Utrum ergo sic et homo ista jam specie qua in sua natura vivit, et agit sive bonum sive malum? an et ipse in occulto sicut fenum agri antequam exortum est, ut hoc ei post esset accessu temporis exoriri, quod de pulvere factus est?

CAPUT II. — *Res exploratur ex contextu Scripturæ.*

3. Accipiamus ergo eum sexto ipso die in hac perspicua visibilique forma de limo finctum [1], sed tunc non commemoratum quod nunc recapitulando insinuatur, et videamus utrum nobiscum ipsa Scriptura concordet. Sic certe scriptum est, cum adhuc diei sexti opera narrarentur : *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; et habeat potestatem piscium maris et volatilium cœli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium repentium quæ repunt super terram. Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum; masculum et feminam fecit eos, et benedixit eos Deus, dicens : Crescite et multiplicamini, et implete terram, et dominamini ejus; et habete potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium reptilium repentium super terram* (*Gen.* I, 26-28). Jam ergo de limo formatus erat, et illi jam soporato mulier ex latere jam facta erat, sed hoc tunc commemoratum non erat, quod nunc recapitulando commemoratum est. Neque enim sexto die factus est masculus, et accessu temporis postea facta femina; sed *fecit eum*, inquit; *masculum et feminam fecit eos, et benedixit eos.* Quomodo ergo jam homine in paradiso constituto mulier ei facta est? An et hoc prætermissum Scriptura recoluit? Nam sexto illo die etiam paradisus plantatus est, et ibi homo collocatus est, et soporatus est ut Eva formaretur, et ea formata evigilavit, eique nomen imposuit. Sed hæc nisi per temporales moras fieri non possent. Non itaque ita facta sunt, sicut creata sunt omnia simul.

CAPUT III. — *Eadem quæstio ex aliis locis Scripturæ discutitur.*

4. Quantamlibet enim homo cogitet facilitatem qua Deus etiam hæc simul cum cæteris fecit, verba certe hominis novimus, nisi per temporales morulas emitti voce non posse. Cum ergo verba hominis audimus, vel cum animantibus, vel cum mulieri nomen imposuit, vel cum secutus etiam dixit, *Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et conjungetur uxori suæ; et erunt duo [1] in carne una* (*Gen.* II, 24); quibuslibet syllabis ista sonuerint, nec duæ quæcumque in his verbis syllabæ simul sonare potuerunt : quanto minus hæc omnia cum iis quæ simul creata sunt, simul fieri? Ac per hoc, aut et illa omnia non simul ab ipso summo exordio sæculorum, sed per moras atque intervalla temporum facta sunt, diesque ille non spirituali sed corporali substantia primum conditus, vel circuitu lucis nescio quomodo, vel emissione et contractione, mane ac vesperam faciebat : aut si consideratis omnibus quæ superioribus sermonibus petractata sunt, probabilis ratio persuasit, illum diem spiritualem sublimiter ac primitus conditum lucem quamdam sapientem vocatum esse diem, cujus præsentia per ordinatam cognitionem conditioni rerum in numero senario præberetur; atque huic sententiæ Scripturæ verba congruere quod ait postea, *Cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri antequam esset super terram, et omne fenum agri antequam exoriretur* (*Ibid.*, 4, 5); attestari etiam quod alibi scriptum est, *Qui vivit in æternum creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII, 1) : non est dubium

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. hic et passim, *factum.* M.

[1] Mss. prope omnes, *et erunt ambo.*

hoc quod homo de limo terræ finctus est, eique formata uxor ex latere, jam non ad conditionem qua simul omnia facta sunt, pertinere, quibus perfectis requievit Deus; sed ad eam operationem, quæ fit jam per volumina sæculorum, qua usque nunc operatur.

5. Huc accedit quod ipsa etiam verba quibus narratur quomodo Deus paradisum plantaverit, in eoque hominem quem fecerat collocarit, ad eumque adduxerit animalia, quibus nomina imponeret, in quibus cum adjutorium simile illi non fuisset inventum, tunc ei mulierem costa ejus detracta formaverit, satis nos admonent hæc non ad illam operationem Dei pertinere, unde requievit in die septimo, sed ad istam potius qua per temporum cursus usque nunc operatur. Cum enim paradisus plantaretur, ita narrat : *Et plantavit Deus paradisum in Eden ad orientem, et posuit ibi hominem quem finxerat. Et ejecit Deus adhuc de terra omne lignum pulchrum ad aspectum, et bonum ad escam* (*Gen.* II, 8, 9).

CAPUT IV. — *Idem expenditur ad Gen.* II, 8, 9.

Cum dicit ergo, *Ejecit adhuc de terra omne lignum pulchrum ad aspectum;* manifestat utique quod aliter nunc ejecerit de terra lignum, aliter tunc cum tertio die produxit terra herbam pabuli, seminantem semen secundum genus suum, et lignum fructuosum secundum suum genus. Hoc est enim, *Ejecit adhuc*, super illud scilicet quod jam ejecerat : tunc utique potentialiter et causaliter in opere pertinente ad creanda omnia simul, a quibus consummatis in die septimo requievit; nunc autem visibiliter in opere pertinente ad temporum cursum, sicut usque nunc operatur.

6. Nisi forte quis dicat non omne ligni genus tertio die creatum, sed dilatum aliquid quod sexto crearetur, cum homo factus est atque in paradiso constitutus. Sed quæ sexto die creata sunt, apertissime Scriptura declarat; anima viva scilicet secundum unumquodque genus, quadrupedum et repentium et bestiarum, et ipse homo ad imaginem Dei masculus et femina. Proinde potuit prætermittere quomodo sit homo factus, quem tamen ipso die factum esse narravit, ut recapitulando postea, quemadmodum etiam factus fuerit intimaret, hoc est de terræ pulvere, et mulier illi de latere; non tamen aliquod creaturæ genus prætermittere, vel in eo quod dixit Deus, *Fiat*, sive, *Faciamus*, vel in eo quod dicitur, *Sic est factum*, sive, *Fecit Deus*. Alioquin frustra per singulos dies tam diligenter distincta sunt omnia, si permixtionis dierum potest ulla suspicio residere, ut cum herba et lignum diei tertio sit attributum, aliqua ligna etiam sexto die creata esse credamus, quæ ipso sexto die Scriptura tacuerit.

CAPUT V. — *De eadem re.*

7. Postremo quid respondebimus de bestiis agri, et volatilibus cœli, quæ adduxit Deus ad Adam, ut videret quid ea vocaret? Quod ita scriptum est : *Et dixit Dominus Deus; Non est bonum esse hominem solum; faciamus illi adjutorium secundum ipsum. Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cœli, et adduxit illa ad Adam, ut videret quid vocaret illa : et omne quodcumque illud vocavit Adam animam vivam, hoc nomen est illius. Et vocavit Adam nomina omnibus pecoribus et omnibus volatilibus cœli, et omnibus bestiis agri. Adæ autem non est inventus adjutor similis ipsi. Et injecit Deus mentis alienationem super Adam, et obdormivit, et sumpsit unam de costis ejus, et adimplevit carnem in locum ejus, et ædificavit Dominus Deus costam, quam sumpsit de Adam, in mulierem* (*Gen.* II, 18-22). Si ergo consequenter, cum in pecoribus et bestiis agri et volatilibus cœli non esset inventum adjutorium simile homini, fecit ei Deus adjutorium simile de costa lateris ejus; hoc autem factum est cum easdem bestias agri et volatilia cœli adhuc de terra finxisset, et ad illum adduxisset : quomodo sexto die factum hoc potest intelligi, quandoquidem illo die produxit terra animam vivam secundum verbum Dei; volatilia vero quinto die produxerunt aquæ similiter secundum verbum Dei? Non itaque hic diceretur, *Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cœli*, nisi quia jam terra produxerat omnes bestias agri sexto die, et aqua omnia volatilia cœli quinto die. Aliter ergo tunc, id est potentialiter atque causaliter, sicut illi operi competebat, quo creavit omnia simul, a quibus in die septimo requievit : aliter autem nunc, sicut ea videmus, quæ per temporalia spatia creat, sicut usque nunc operatur. Ac per hoc jam per istos notissimos lucis corporalis dies, qui circuitu solis fiunt, Eva facta est de latere viri sui. Tunc enim Deus adhuc finxit de terra bestias et volatilia, in quibus cum adjutorium simile ipsi Adam non esset inventum, illa formata est. In talibus ergo diebus etiam ipsum de limo finxit Deus.

8. Neque enim dicendum est, masculum quidem sexto die factum, feminam vero posterioribus diebus; cum ipso sexto die apertissime dictum sit, *Masculum et feminam fecit eos, et benedixit eos*, et cætera, quæ de ambobus et ad ambos dicuntur. Aliter ergo tunc ambo, et nunc aliter ambo : tunc scilicet secundum potentiam per verbum Dei tanquam seminaliter mundo inditam, cum creavit omnia simul, a quibus in die septimo requievit, ex quibus omnia suis quæque temporibus jam per sæculorum ordinem fierent; nunc autem secundum operationem præbendam temporibus, qua usque nunc operatur, et oportebat jam tempore suo fieri Adam de limo terræ, ejusque mulierem ex viri latere.

CAPUT VI. — *Sententiam suam liquidius explicat, ne male intelligatur.*

9. In qua distributione operum Dei, partim ad illos dies invisibiles pertinentium, quibus creavit omnia simul, partim ad istos appositos, in quibus operatur quotidie quidquid ex illis tanquam involucris primordialibus in tempore evolvitur, si non importune atque absurde Scripturæ verba secuti sumus, quæ nos ad hæc distinguenda duxerunt : cavendum est ne propter ipsarum rerum aliquanto difficilem perceptionem, quam tardiores assequi non sufficiunt, putemur aliquid sentire ac dicere, quod scimus nos nec sentire

nec dicere. Quanquam enim præcedentibus sermonibus, quantum potuerim, lectorem præstruxerim; plures tamen arbitror caligare in his locis, et putare ita fuisse prius hominem in illo Dei opere, quo cuncta simul creata sunt, ut aliquam vitam duceret, ut Dei locutionem ad se directam, cum dixit Deus, *Ecce dedi vobis omne pabulum seminale*, discerneret, crederet, intelligeret. Noverit ergo qui hoc putat, non hoc me sensisse, neque dixisse.

10. Sed rursus, si dixero non ita fuisse hominem in illa prima rerum conditione, qua creavit Deus omnia simul, sicuti est non tantum perfectæ ætatis homo, sed ne infans quidem, nec tantum infans, sed ne puerperium quidem in utero matris, nec tantum hoc, sed nec semen quidem visibile hominis; putabit omnino non fuisse. Redeat ergo ad Scripturam; inveniet sexto die hominem factum ad imaginem Dei, factos autem masculum et feminam. Item quærat quando facta sit femina; inveniet extra illos sex dies: tunc enim facta est, quando Deus de terra finxit adhuc bestias agri et volatilia cœli; non quando volatilia produxerunt aquæ, et animam vivam, in qua et bestiæ sunt, produxit terra. Tunc autem factus est homo et masculus et femina: ergo et tunc et postea. Neque enim tunc, et non postea; aut vero postea, et non tunc: nec alii postea, sed iidem ipsi aliter tunc, aliter postea. Quæret ex me quomodo. Respondebo, Postea visibiliter, sicut species humanæ constitutionis nota nobis est; non tamen parentibus generantibus, sed ille de limo, illa de costa ejus. Quæret tunc quomodo. Respondebo, Invisibiliter, potentialiter, causaliter, quomodo fiunt futura non facta.

11. Hic forte non intelliget. Subtrahuntur enim ei cuncta quæ novit, usque ad ipsam seminum corpulentiam. Neque enim vel tale aliquid homo jam erat, cum in prima illa sex dierum conditione factus erat. Datur quidem de seminibus ad hanc rem nonnulla similitudo, propter illa quæ in eis futura conserta sunt; verumtamen ante omnia visibilia semina sunt illæ causæ: sed non intelligit. Quid ergo faciam, nisi, quantum possum, salubriter moneam ut Scripturæ Dei credat et tunc factum hominem, quando Deus, cum factus est dies, fecit cœlum et terram, de quo alibi Scriptura dicit, *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII, 1); et tunc quando jam non simul, sed suis quæque temporibus creans, finxit eum de limo terræ, et ex ejus osse mulierem? nam nec isto modo eos illo sexto die factos, nec tamen eos illo sexto die non factos intelligere Scriptura permittit.

CAPUT VII. — *Dici non posse animas prius creatas quam corpora.*

12. Forte ergo animæ eorum sexto die illo factæ erant, ubi et ipsa imago Dei recte intelligitur in spiritu mentis eorum, ut postea corpora formarentur? Sed neque hoc credere eadem Scriptura permittit. Primo propter illam operum consummationem; quæ non video quomodo possit intelligi, si defuit aliquid tunc non causaliter conditum, quod postea visibiliter conderetur. Deinde quia sexus ipse masculi et feminæ nisi in corporibus esse non potest. Quod si quisquam secundum intellectum et actionem tanquam utrumque sexum in una anima accipiendum putaverit; quid faciet de his quæ ad escam Deus ipso die dedit de lignorum fructibus, quæ nisi homini habenti corpus non utique congrua est? Nam si et hanc escam figurate accipere quisquam voluerit, recedet a proprietate rerum gestarum, quæ primitus in hujusmodi narrationibus omni observatione fundanda est.

CAPUT VIII. — *Difficultas de voce Dei ad hominem sexto die directa.*

13. Quomodo ergo loquebatur, inquit, eis qui nondum audiebant, nec intelligebant; quia nec erant qui verba perciperent? Possem respondere sic eos allocutum Deum, quemadmodum Christus nos nondum natos, etiam longe post futuros, nec tantum nos, sed etiam eos omnes qui futuri sunt post nos. Omnibus enim dicebat, quos suos futuros videbat, *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20): sicut Deo notus erat propheta cui dixit, *Priusquam te formarem in utero, novi te* (*Jerem.* I, 5); sicut decimatus est Levi cum esset in lumbis Abraham (*Hebr.* VII, 9, 10). Cur enim non ita et ipse Abraham in Adam, et ipse Adam in primis operibus mundi, quæ Deus creavit omnia simul? Sed verba Domini per os carnis ejus, et verba Dei per ora Prophetarum temporali corporis voce proferuntur, et omnibus syllabis suis congruas temporum moras sumunt, atque consumunt: cum vero Deus dicebat, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et habeat potestatem piscium maris et volatilium cœli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium reptilium quæ repunt super terram*; et, *Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et dominamini ejus; et habete potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum, et omnis terræ, et omnium repentium quæ repunt super terram*; et, *Ecce dedi vobis omne pabulum seminale, seminans semen quod est super omnem terram, et omne lignum fructiferum, quod habet in se fructum seminis seminalis, quod erit vobis ad escam* (*Gen.* I, 26-29); ipse sermo ejus ante omnem aeris sonum, ante omnem carnis et nubis vocem, in illa summa ejus Sapientia, per quam facta sunt omnia, non quasi humanis auribus instrepebat, sed rebus factis rerum faciendarum causas inserebat, et omnipotenti potentia futura faciebat, hominemque suo tempore formandum, in temporum tanquam semine vel tanquam radice condebat, quando condebat unde inciperent sæcula, ab illo condita qui est ante sæcula. Creaturæ quippe aliæ creaturas alias, quædam tempore, quædam causis præcedunt: ille autem omnia quæ fecit, non solum excellentia, qua etiam causarum effector est, verum etiam æternitate præcedit. Sed de hoc opportunioribus deinde Scripturarum locis fortassis plenius disserendum est.

CAPUT IX. — *Jeremias quomodo Deo notus antequam formatus. Merita nondum natorum.*

14. Nunc de homine quod cœptum est terminetur, ea moderatione servata, ut in profundo Scripturæ

sensu magis præstemus diligentiam requirendi, quam affirmandi temeritatem. Quia enim noverat Jeremiam Deus priusquam eum formaret in utero, dubitare fas non est : apertissime quippe dicit, *Priusquam te formarem in utero, novi te.* Ubi autem illum nosset antequam ita formasset, etsi nostræ infirmitati assequi vel difficile vel impossibile est; utrum in aliquibus propinquioribus causis, sicut Levi in lumbis Abrahæ decimatus est; an in ipso Adam, in quo genus humanum tanquam radicaliter institutum est; et in eo ipso utrum jam cum de limo formatus esset, an cum causaliter in his operibus factus quæ creavit omnia simul; an vero ante omnem potius creaturam, sicut elegit et prædestinavit sanctos suos ante mundi constitutionem (*Ephes.* I, 4); an potius in omnibus præcedentibus causis, sive quas commemoravi, sive quas non commemoravi, priusquam in utero formaretur; non arbitror scrupulosius quæri oportere, dummodo Jeremiam constet, ex quo est in hac luce a parentibus editus, ex illo egisse vitam propriam, qua grandescens ætatis accessu, posset vivere sive male sive bene; antea vero nullo modo, non solum priusquam in utero formaretur, sed nec jam ibi formatus, antequam natus. Neque enim habet ullam cunctationem apostolica illa sententia de geminis in Rebeccæ utero nondum agentibus aliquid boni aut mali (*Rom.* IX, 11).

15. Nec tamen frustra scriptum est, nec infantem mundum esse a peccato, cujus est unius diei vita super terram (*Job.* XIV, 4, *sec.* LXX); et illud in Psalmo, *Ego in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis mater mea* (*Psal.* L, 7) *me in utero aluit;* et quod in Adam omnes moriuntur, in quo omnes peccaverunt (*Rom.* V, 12). Nunc autem liquido teneamus, quælibet parentum merita trajiciantur in prolem, quæcumque gratia Dei, antequam nascatur, quemque sanctificet, nec iniquitatem esse apud Deum, nec boni malive agere quemquam quod ad propriam personam pertineat, antequam natus est : illamque sententiam qua nonnulli putant alibi peccasse magis minusque animas, et pro diversorum meritis peccatorum in diversa corpora esse detrusas, apostolicæ non convenire sententiæ; cum apertissime dictum sit, nihil egisse nondum natos seu boni seu mali.

16. Ac per hoc aliqua quæstio est suo loco retractanda, quid de peccato primorum parentum, qui duo soli fuerunt, generis humani contraxerit universa consparsio [1] : nihil tamen talium meritorum habere potuisse hominem antequam de terræ pulvere finctus esset, antequam suo tempore viveret, nulla quæstio est. Sicut enim Esau et Jacob, quos nondum natos dixit Apostolus nihil egisse boni aut mali (*Id.* IX, 11), non possemus dicere traxisse aliquid meriti de parentibus, si nec ipsi parentes egissent aliquid boni aut mali; nec genus humanum peccasse in Adam, si ipse non peccasset Adam; non autem peccasset Adam, nisi jam suo tempore viveret, quo posset vivere sive bene sive male : ita frustra peccatum ejus, seu recte factum requiritur, cum adhuc in rebus simul creatis causaliter conditus, nec vita propria jam vivebat, nec in parentibus sic viventibus erat. In illa enim prima conditione mundi, cum Deus omnia simul creavit, homo factus est qui esset futurus, ratio creandi hominis, non actio creati.

CAPUT X. — *Res variis modis existentes.*

17. Sed hæc aliter in Verbo Dei, ubi ista non facta, sed æterna sunt; aliter in elementis mundi, ubi omnia simul facta futura sunt; aliter in rebus quæ secundum causas simul creatas, non jam simul sed suo quæque tempore creantur, in quibus Adam jam formatus ex limo, et Dei flatu animatus, sicut fenum exortum; aliter in seminibus, in quibus rursus quasi primordiales causæ repetuntur, de rebus ductæ quæ secundum causas, quas primum condidit, exstiterunt, velut herba ex terra, semen ex herba. In quibus omnibus ea jam facta modos et actus sui temporis acceperunt, quæ ex occultis atque invisibilibus rationibus, quæ in creatura causaliter latent, in manifestas formas naturasque prodierunt : sicut herba exorta super terram, et homo factus in animam vivam, et cætera hujusmodi, sive fruteta sive animantia, ad illam operationem Dei pertinentia, quæ usque nunc operatur. Sed etiam ista secum gerunt tanquam iterum seipsa invisibiliter in occulta quadam vi generandi, quam extraxerunt de illis primordiis causarum suarum, in quibus creato mundo cum factus est dies, antequam in manifestam speciem sui generis exorirentur, inserta sunt.

CAPUT XI. — *Opera creationis die sexto quomodo et jam consummata, et adhuc inchoata.*

18. Si enim prima illa opera Dei, cum simul omnia creavit, in suo modo perfecta non essent, ea procul dubio post adderentur quæ illis perficiendis defuissent; ut quædam universitatis perfectio ex utrisque constaret singulis quasi semis, velut alicujus totius partes essent, quarum conjunctione ipsum totum cujus partes fuerant, compleretur. Rursus, si ita essent illa perfecta, sicut perficiuntur, cum suis quæque temporibus in manifestas formas actusque procreantur; profecto aut nihil ex eis postea per tempora fieret, aut hoc fieret, quod ex istis quæ suo quæque jam tempore oriuntur, Deus non cessat operari. Nunc autem quia jam et consummata quodammodo, et quodammodo inchoata sunt ea ipsa quæ consequentibus evolvenda temporibus primitus Deus omnia simul creavit, cum faceret mundum : consummata quidem quia nihil habent illa in naturis propriis, quibus suorum temporum cursus agunt, quod non in istis causaliter factum sit; inchoata vero, quoniam quædam erant quasi semina futurorum, per sæculi tractum ex occulto in manifestum locis congruis exserenda : ipsius etiam Scripturæ verba satis ad hoc admonendum insigniter vigent, si quis in eis evigilet. Nam et consummata ea dicit et inchoata : nisi enim consummata essent, non scriptum esset, *Et consummata sunt cœlum et terra, et omnis compositio illorum : et consummavit Deus in die sexto opera sua, quæ fecit : et requievit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis, quæ fecit : et*

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov. legunt, *conspersio*. M.

benedixit Deus diem septimum, et sanctificavit eum; rursusque nisi inchoata essent, non ita sequeretur, quia illa die *requievit ab omnibus operibus suis quæ inchoavit Deus facere.*

19. Hic igitur si quis inquirat quomodo consummavit et quomodo inchoavit : neque enim alia consummavit, alia inchoavit, sed eadem ipsa utique a quibus in die septimo requievit, ex iis quæ supra diximus clarum est. Consummasse quippe ista intelligimus Deum, cum creavit omnia simul ita perfecte, ut nihil ei adhuc in ordine temporum creandum esset, quod non hic ab eo jam in ordine causarum creatum esset : inchoasse autem, ut quod hic præfixerat causis, post impleret effectis. Proinde *formavit Deus hominem pulverem terræ*, vel limum terræ, hoc est de pulvere vel limo terræ; *et inspiravit* sive insufflavit *in ejus faciem spiritum vitæ, et factus est homo in animam vivam.* Non tunc prædestinatus; hoc enim ante sæculum in præscientia Creatoris : neque tunc causaliter vel consummate inchoatus, vel inchoate consummatus; hoc enim a sæculo in rationibus primordialibus, cum simul omnia crearentur : sed creatus in tempore suo, visibiliter in corpore, invisibiliter in anima, constans ex anima et corpore.

CAPUT XII. — *Corpus hominis an singulari modo a Deo formatum.*

20. Jam ergo videamus quomodo eum fecerit Deus, primum de terra corpus ejus; post etiam de anima videbimus, si quid valebimus. Quod enim manibus corporalibus Deus de limo finxerit hominem, nimium puerilis cogitatio est, ita ut si hoc Scriptura dixisset, magis eum qui scripsit translato verbo usum credere deberemus, quam Deum talibus membrorum lineamentis determinatum qualia videmus in corporibus nostris. Dictum est enim, *Manus tua gentes disperdidit* (*Psal.* XLIII, 3); et, *Eduxisti populum tuum in manu forti et brachio excelso* (*Psal.* CXXXV, 11, 12); sed pro potestate et virtute Dei positum hujus membri nomen quis usque adeo desipit, ut non intelligat?

21. Nec illud audiendum est, quod nonnulli putant, ideo præcipuum Dei opus esse hominem, quia cætera dixit, et facta sunt; hunc autem ipse fecit : sed ideo potius, quia hunc ad imaginem suam fecit. Nam illa quæ dixit et facta sunt, ideo sic scriptum est (*Psal.* CXLVIII, 5), quia per Verbum ejus facta sunt, sicut per hominem hominibus dici potuit verbis, quæ temporaliter cogitantur, et voce proferuntur. Non sic autem loquitur Deus, nisi cum per corporalem creaturam loquitur, sicut Abrahæ, sicut Moysi, sicut per nubem de Filio suo. Ante vero omnem creaturam, ut esset ipsa creatura, eo Verbo dictum est, quod in principio erat Deus apud Deum : et quia omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 1, 3), utique et homo per ipsum factus est. Certe enim cœlum verbo fecit, quia dixit et factum est : scriptum est tamen, *Et opera manuum tuarum sunt cœli* (*Psal.* CI, 26). Et de hoc imo quasi fundo mundi scriptum est : *Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam manus ejus finxerunt* (*Psal.* XCIV, 5). Non igitur hoc in honorem hominis deputetur, velut cætera Deus dixerit, et facta sint, hunc autem ipse fecerit; aut verbo cætera, hunc autem manibus fecerit. Sed hoc excellit in homine, quia Deus ad imaginem suam hominem fecit, propter hoc quod ei dedit mentem intellectualem, qua præstat pecoribus; unde jam superiore loco disseruimus. In quo honore positus, si non intellexerit, ut bene agat, eisdem ipsis pecoribus quibus prælatus est comparabitur. Sic etenim scriptum est : *Homo in honore positus non intellexit; comparatus est pecoribus insensatis, et similis factus est eis* (*Psal.* XLVIII, 13). Nam et pecora Deus fecit, sed non ad imaginem suam.

22. Nec dicendum est, Hominem ipse fecit, pecora vero jussit, et facta sunt : et hunc enim et illa per Verbum suum fecit, per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 3). Sed quia idem Verbum et Sapientia et Virtus ejus est; dicitur et manus ejus, non visibile membrum, sed efficiendi potentia. Nam hæc eadem Scriptura quæ dicit quod Deus hominem de limo terræ finxerit, dicit etiam quod bestias agri de terra finxerit, quando eas cum volatilibus cœli ad Adam adduxit, ut videret quid ea vocaret. Sic enim scriptum est : *Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias* (*Gen.* I, 25). Si ergo et hominem de terra et bestias de terra ipse formavit, quid habet homo excellentius in hac re, nisi quod ipse ad imaginem Dei creatus est? Nec tamen hoc secundum corpus, sed secundum intellectum mentis, de quo post loquemur. Quanquam et in ipso corpore habeat quamdam proprietatem quæ hoc indicet, quod erecta statura factus est, ut hoc ipso admoneretur non sibi terrena esse sectanda, velut pecora, quorum voluptas omnis ex terra est, unde in alvum cuncta prona atque prostrata sunt. Congruit ergo et corpus ejus animæ rationali, non secundum lineamenta figurasque membrorum, sed potius secundum id quod in cœlum erectum est, ad intuenda quæ in corpore ipsius mundi superna sunt : sicut anima rationalis in ea debet erigi, quæ in spiritualibus natura maxime excellunt, ut quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram (*Coloss.* III, 2).

CAPUT XIII. — *Qua ætate aut statura conditus fuerit Adam.*

23. Sed quomodo fecit eum Deus de limo terræ; utrum repente in ætate perfecta, hoc est virili atque juvenili, an sicut nunc usque format in uteris matrum? Neque enim alius hæc facit, quam ille qui dixit, *Priusquam te formarem in utero, novi te* (*Jerem.* I, 5) : ut illud tantum proprium habuerit Adam, quod non ex parentibus natus est, sed factus ex terra; eo tamen modo ut in hoc perficiendo, et per ætates augendo hi temporum numeri complerentur, quos naturæ humani generis attributos videmus. An potius hoc non est requirendum? Utrumlibet enim fecerit, hoc fecit quod Deum et omnipotentem et sapientem posse ac facere congruebat. Ita enim certas temporum leges generibus qualitatibusque rerum in manifestum ex abdito producendis attribuit, ut ejus voluntas sit super omnia.

Potentia quippe sua numeros creaturæ dedit, non ipsam potentiam eisdem numeris alligavit. Nam Spiritus ejus ita faciendo mundo superferebatur (*Gen.* I, 2), ut et facto superferatur, non corporalibus locis, sed excellentia potestatis.

24. Quis enim nescit aquam concretam terræ, cum ad radices vitis venerit, duci in saginam ligni illius, atque in eo sumere qualitatem, qua in uvam procedat paulatim erumpentem; atque in ea grandescente vinum fiat, maturumque dulcescat, quod adhuc fervescat expressum, et quadam vetustate firmatum ad usum bibendi utilius jucundiusque perveniat? Num ideo Dominus lignum quæsivit aut terram, aut has temporum moras, cum aquam miro compendio convertit in vinum, et tale vinum quod ebrius etiam conviva laudaret (*Joan.* II, 9, 10)? Numquid adjutorio temporis eguit conditor temporis? Nonne certis dierum numeris suo cuique generi accommodatis, omnis natura serpentium coalescit, formatur, nascitur, roboratur? Num exspectati sunt hi dies, ut in draconem virga converteretur de manu Moysi et Aaron (*Exod.* VII, 10)? Nec ista cum fiunt, contra naturam fiunt, nisi nobis quibus aliter naturæ cursus innotuit; non autem Deo, cui hoc est natura quod fecerit.

CAPUT XIV. — *Rationes causales mundo primum inditæ, cujus generis fuerint.*

25. Quæri autem merito potest, causales illæ rationes, quas mundo indidit, cum primum simul omnia creavit, quomodo sint institutæ: utrum ut, quemadmodum videmus cuncta nascentia vel fruticum vel animalium in suis conformationibus atque incrementis, sua pro diversitate generum diversa spatia peragerent temporum? an ut, quemadmodum creditur factus Adam sine ullo progressu incrementorum virili ætate, continuo conformarentur? Sed cur non utrumque illas credimus habuisse, ut hoc ex eis futurum esset, quod factori placuisset? Si enim illo modo dixerimus, incipiet contra ipsas factum videri, non solum etiam illud de aqua vinum, sed et omnia miracula quæ contra naturæ usitatum cursum fiunt: si autem isto modo, multo erit absurdius ipsas istas quotidianas naturæ formas et species contra illas primarias omnium nascentium causales rationes suorum temporum peragere spatia. Restat ergo ut ad utrumque modum habiles creatæ sint; sive ad istum quo usitatissime temporalia transcurrunt, sive ad illum quo rara et mirabilia fiunt, sicut Deo facere placuerit quod tempori congruat.

CAPUT XV. — *Primus homo non aliter quam primordiales causæ haberent, formatus fuit.*

26. Verumtamen sic factus est homo, quemadmodum illæ primæ causæ habebant ut fieret primus homo, quem non ex parentibus nasci, qui nulli præcesserant, sed de limo formari oportebat, secundum causalem rationem, in qua primitus factus erat. Nam si aliter factus est, non eum Deus in illorum sex dierum operibus fecerat: in quibus cum dicitur factus, ipsam causam utique fecerat Deus, qua erat suo tempore homo futurus, et secundum quam fuerat ab illo faciendus, qui simul et consummaverat inchoata propter perfectionem causalium rationum, et inchoaverat consummanda propter ordinem temporum [1]. Si ergo in illis primis rerum causis, quas mundo primitus Creator inseruit, non tantum posuit quod de limo formaturus erat hominem, sed etiam quemadmodum formaturus, utrum sicut in matris utero, an in forma juvenili; procul dubio sic fecit, ut illic præfixerat; neque enim contra dispositionem suam faceret: si autem vim tantum ibi posuit possibilitatis, ut homo fieret quoquo modo fieret, ut et sic et sic posset, id est ut id quoque ibi esset [2], quia et sic et sic posset; unum autem ipsum modum quo erat facturus in sua voluntate servavit, non mundi constitutioni contexuit: manifestum est etiam sic non factum esse hominem contra quam erat in illa prima conditione causarum; quia ibi erat etiam sic fieri posse, quamvis non ibi erat ita fieri necesse esse: hoc enim non erat in conditione creaturæ, sed in placito Creatoris, cujus voluntas rerum necessitas est.

CAPUT XVI. — *In rei natura est, ut quid esse possit; ut futurum sit, nonnisi in Dei voluntate.*

27. Nam et nos pro captu infirmitatis humanæ jam in ipsis rebus tempore exortis possumus nosse quid in cujusque natura sit, quod experimento perceperimus; sed utrum etiam futurum sit ignoramus. Est quippe in natura hujus, verbi gratia, juvenis ut senescat; sed utrum hoc etiam sit in Dei voluntate, nescimus. Sed nec in natura esset, nisi in Dei voluntate prius fuisset, qui condidit omnia. Et utique occulta ratio est senectutis in corpore juvenili, vel juventutis in corpore puerili: neque enim oculis cernitur, sicut ipsa in puero pueritia, sicut juventus in juvene; sed alia quadam notitia colligitur inesse in natura quiddam latens, quo educantur in promptu numeri occulti, vel juventutis a pueritia, vel senectutis a juventute. Occulta est ergo ista ratio, qua fit ut hoc esse possit, sed oculis; menti autem non est occulta: utrum autem hoc etiam necesse sit, omnino nescimus. Et illam quidem qua fit ut esse possit, esse in natura ipsius corporis novimus: illam vero qua fit ut necesse sit, manifestum est illic non esse.

CAPUT XVII. — *Ex futuris quænam vere futura.*

28. Sed fortassis in mundo est, ut necesse sit istum hominem senescere. Si autem nec in mundo est, in Deo est. Hoc enim necessario futurum est quod ille vult, et ea vere futura sunt quæ ille præscivit. Nam multa secundum inferiores causas futura sunt; sed si ita sunt et in præscientia Dei, vere futura sunt: si autem ibi aliter sunt, ita potius futura sunt, sicut ibi sunt, ubi qui præscit [3], falli non potest. Nam futura

[1] Sic in omnibus Mss. At in excusis, cum insigni glossemate habetur: *Qui simul et consummaverat, has perspicuas species producens, inchoata propter perfectionem causalium rationum; et inchoaverat, rationes causales fiendorum mundo imprimens, consummanda propter ordinem temporum.*

[2] Editi: *Ut homo fieret quoquomodo, ut et sic posset, id est ut ideo quoque ibi esset:* pauloque post, *in sua voluntate servavit, cum mundi constitutionem contexuit.* Quos locos ad Mss. redintegramus.

[3] Lov., *quæ præsit.* Melius editiones Am. Er. Et Mss., *qui præscit.*

dicitur senectus in juvene, sed tamen futura non est, si ante moriturus est : hoc autem ita erit, sicut se habent aliæ causæ, sive mundo contextæ, sive in Dei præscientia reservatæ. Nam secundum quasdam futurorum causas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam (*Isai.* XXXVIII, 5); id utique faciens quod ante constitutionem mundi se facturum esse præsciebat, et in sua voluntate servabat. Non ergo id fecit quod futurum non erat : hoc enim magis erat futurum, quod se facturum esse præsciebat. Nec tamen illi anni additi recte dicerentur, nisi aliquid adderetur [1], quod se aliter in aliis causis habuerat. Secundum aliquas igitur causas inferiores jam vitam finierat : secundum illas autem quæ sunt in voluntate et præscientia Dei, qui ex æternitate noverat quid illo tempore facturus erat (et hoc vere futurum erat), tunc erat finiturus vitam quando finivit vitam. Quia etsi oranti concessum est, etiam sic eum oraturum ut tali orationi concedi oporteret ille utique præsciebat, cujus præscientia falli non poterat : et ideo quod præsciebat, necessario futurum erat.

CAPUT XVIII. — *Colligitur Adamum non formatum fuisse contra quam erat in primordialibus causis institutum.*

29. Quapropter, si omnium futurorum causæ mundo sunt insitæ, cum ille factus est dies, quando Deus creavit omnia simul ; non aliter Adam factus est, cum de limo formatus est, sicut est credibilius jam perfectæ virilitatis, quam erat in illis causis, ubi Deus hominem in sex dierum operibus fecit. Ibi enim erat non solum ut ita fieri posset, verum etiam ut ita eum fieri necesse esset. Tam enim non fecit Deus contra causam, quam sine dubio volens præstituit, quam contra voluntatem suam non facit. Si autem non omnes causas in creatura primitus condita præfixit, sed aliquas in sua voluntate servavit; non sunt quidem illæ quas in sua voluntate servavit, ex istarum quas creavit necessitate pendentes : non tamen possunt esse contrariæ quas in sua voluntate servavit, illis quas sua voluntate instituit ; quia Dei voluntas non potest sibi esse contraria. Istas ergo sic condidit, ut ex illis esse illud, cujus causæ sunt, possit ; sed non necesse sit : illas autem sic abscondit, ut ex eis esse necesse sit hoc, quod ex istis fecit ut esse possit.

CAPUT XIX. — *Adamo non spirituale sed animale corpus a Deo formatum esse.*

30. Solet item quæri, utrum animale corpus prius homini formatum sit e limo, quale nunc habemus, an spirituale, quale resurgentes habebimus. Quanquam enim hoc in illud mutabitur ; seminatur enim corpus animale, surget corpus spirituale : tamen quid prius homini factum sit, ideo disceptatur, quia si animale factum est, non hoc recipiemus, quod in illo perdidimus, sed tanto melius quanto spirituale animali præponendum est, quando erimus æquales Angelis Dei (*Matth.* XXII, 30). Sed Angeli possunt aliis et justitia præponi; numquid et Domino? De quo tamen dictum est : *Minorasti eum paulo minus ab Angelis* (*Psal.* VIII, 6). Unde, nisi propter carnis infirmitatem quam sumpsit ex Virgine, formam servi accipiens (*Philipp.* II, 7), in qua moriens nos a servitute redimeret? Sed quid hinc diutius disseramus? Non enim obscura est Apostoli sententia de hac re ; qui cum voluisset adhibere testimonium, quo probaret esse corpus animale, non tam de suo vel de cujusquam hominis corpore, quod in præsenti videbatur, quam de hoc ipso Scripturæ hujus loco recoluit et adhibuit, dicens : *Si est corpus animale, est et spirituale ; sic etenim scriptum est : Factus est primus homo Adam in animam viventem ; novissimus Adam in spiritum vivificantem. Sed non primum quod spirituale est, sed quod animale; postea, spirituale. Primus homo de terra, terrenus ; secundus homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni ; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. Et quomodo induimus imaginem terreni, induamus et imaginem ejus qui de cœlo est* (I *Cor.* XV, 44-49). Quid ad hoc dici potest? Imaginem ergo cœlestis hominis nunc ex fide portamus, habituri in resurrectione quod credimus : imaginem autem terreni hominis ab ipso exordio humanæ generationis induimus.

CAPUT XX. — *Difficultas contra superiorem sententiam. Opinio corpus Adami prius animale, postea spirituale factum fuisse in paradiso.*

31. Hic occurrit alia quæstio, quomodo renovemur, si non ad hoc per Christum revocamur, quod in Adam prius eramus. Quanquam enim multa non in pristinum, sed in melius renoventur, ab inferiore tamen statu, quam quo erant antea, renovantur. Unde ergo ille filius mortuus erat, et revixit ; perierat, et inventus est (*Luc.* XV, 32) : unde illi profertur stola prima, si non immortalitatem recipit, quam perdidit Adam? Quomodo autem perdidit immortalitatem, si corpus habuit animale? Neque enim animale corpus, sed spirituale erit, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* XV, 53). Nonnulli his angustiis coarctati, ut et illa constet sententia qua exemplum de animali corpore hinc datum est, ut diceretur, *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem ;* et ista renovatio receptioque immortalitatis, non absurde dicatur in pristinum futura, in illud scilicet quod Adam perdidit : putaverunt prius quidem hominem fuisse corporis animalis ; sed dum in paradiso constitutus est, eum fuisse mutatum, sicut nos quoque resurrectione mutabimur. Hoc quidem liber Geneseos non commemorat ; sed ut possint utraque testimonia Scripturarum inter se consentire, sive illud quod de animali corpore dictum est, sive illa quæ de renovatione nostra plurima in sanctis Litteris reperiuntur, hoc tanquam necessario consequi crediderunt.

CAPUT XXI. — *Exploditur illa opinio.*

32. Sed si ita est, frustra conamur paradisum et illas arbores earumque fructus, præter figuratam significationem, prius accipere ad rerum gestarum proprietatem. Quis enim credat jam illius modi cibos ex arborum pomis immortalibus et spiritualibus corporibus necessarios esse potuisse? Verumtamen si aliud non potest

[1] Mss. plures probæ notæ, *nisi ad aliquid adderentur.*

inveniri, melius eligimus paradisum spiritualiter intelligere, quam vel putare non renovari hominem, cum toties hoc Scriptura commemoret; vel eum existimare recipere quod non ostenditur amisisse. Huc accedit quod et ipsa mors hominis, quam eum peccato commeruisse, multa divina testimonia colloquuntur, indicat eum sine morte futurum fuisse, nisi peccasset. Quomodo ergo sine morte mortalis? aut quomodo non mortalis, si corpus animale?

CAPUT XXII. — *Adamum peccato mortem animæ, non corporis meruisse, quidam non recte arbitrantes.*

33. Unde quidam non eum mortem corporis peccato meruisse arbitrantur, sed mortem animæ, quam fecit iniquitas. Nam credunt eum, propter corpus animale, exiturum fuisse de hoc corpore, ad requiem scilicet quam nunc habent sancti qui jam dormierunt, et in fine sæculi eadem membra immortaliter recepturum[1]; ut videlicet mors corporis non de peccato accidisse videatur, sed naturaliter, ut animalium cæterorum. Verum his rursus Apostolus occurrit et dicit: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Christum a mortuis habitat in vobis; qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*Rom.* VIII, 10, 11). Ac per hoc mors etiam corporis de peccato est. Si ergo non peccasset Adam, nec corpore moreretur; ideoque immortale haberet et corpus. Quomodo ergo immortale, si animale?

CAPUT XXIII. — *In eos qui dicunt Adæ corpus ex animali spirituale factum in paradiso.*

34. Sed rursus non vident, qui ejus corpus in paradiso mutatum putant, ut ex animali fieret spirituale, nihil impedire, si non peccasset, ut post paradisi vitam, quam juste obedienterque vixisset, acciperet eamdem corporis mutationem in vita æterna, ubi jam cibis corporalibus non egeret. Quid ergo necesse est propter hoc jam cogi figurate, non proprie paradisum intelligere, quia non posset mori corpus nisi peccato? Verum est quidem quod non moreretur etiam corpore, nisi peccasset; aperte quippe dicit Apostolus, *Corpus mortuum propter peccatum*: animale tamen posset esse ante peccatum, et post vitam justitiæ, cum Deus vellet, fieri spirituale.

CAPUT XXIV. — *In renovatione quomodo id recipimus, quod Adam perdidit.*

35. Quomodo ergo, inquiunt, renovari dicimur, si non hoc recipimus, quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? Hoc plane recipimus secundum quemdam modum, et non hoc recipimus secundum quemdam modum. Non itaque immortalitatem spiritualis corporis recipimus, quam nondum habuit homo; sed recipimus justitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo. Renovabimur ergo a vetustate peccati, non in pristinum corpus animale, in quo fuit Adam, sed in melius, id est in corpus spirituale, cum efficiemur æquales Angelis Dei (*Matth.* XXII, 30), apti cœlesti habitationi, ubi esca quæ corrumpitur non egebimus. Renovamur ergo spiritu mentis nostræ (*Ephes.* IV, 23) secundum imaginem ejus qui creavit nos, quam peccando Adam perdidit. Renovabimur autem etiam carne, cum hoc corruptibile induetur incorruptione, ut sit spirituale corpus; in quod nondum mutatus, sed mutandus erat Adam, nisi mortem etiam corporis animalis peccando meruisset.

36. Denique non ait Apostolus, Corpus quidem mortale propter peccatum; sed, *Corpus mortuum propter peccatum.*

CAPUT XXV. — *Adæ corpus mortale simul et immortale.*

Illud quippe ante peccatum, et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat: id est mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ: a quo ligno separatus est cum peccasset, ut posset mori, qui nisi peccasset posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. Si enim corpus animale, utique mortale, quia et mori poterat; quamvis et immortale, ideo quia et non mori poterat. Neque enim immortale quod mori omnino non possit, erit nisi spirituale, quod nobis futurum in resurrectione promittitur. Ac per hoc illud animale et ob hoc mortale, quod propter justitiam spirituale fieret et ob hoc omni modo immortale[1], factum est propter peccatum non mortale, quod et antea erat, sed mortuum, quod posset non fieri, si homo non peccasset.

CAPUT XXVI. — *Corpus Adæ et nostrum diversa.*

37. Quomodo ergo corpus nostrum dicit Apost. mortuum, cum adhuc de viventibus loqueretur, nisi quia jam ipsa conditio moriendi ex peccato parentum hæsit in prole? Animale est enim et hoc corpus, sicut et primi hominis fuit; sed hoc jam in ipso animalis genere multo est deterius: habet enim necessitatem moriendi, quod illud non habuit. Quamvis enim restabat adhuc ut immutaretur, et spirituale factum plenam immortalitatem perciperet, ubi cibo corruptibili non egeret; tamen si juste viveret homo, et in spiritualem habitudinem corpus ejus mutaretur, non iret in mortem. In nobis autem etiam juste viventibus, corpus moriturum est; propter quam necessitatem, ex illius primi hominis peccato venientem, non mortale, sed mortuum corpus nostrum dixit Apostolus, quia omnes in Adam morimur (*Rom.* V, 12; *et I Cor.* XV, 22). Item dicit: *Sicut est veritas in Jesu, deponere vos secundum priorem conversationem hominem veterem; eum qui corrumpitur secundum concupiscentias deceptionis*; hoc est, factus Adam per peccatum. Vide ergo quid sequatur: *Renovamini autem spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem; eum qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis* (*Ephes.* IV, 21-24): ecce quod perdidit Adam per peccatum.

[1] In editis, *recepturi*. Reponimus ex Mss., *recepturum*.

[1] Editi habuerunt hic, *mortale*, cum hacce interpunctione vocum: *Spirituale fieret: et ob hoc mortale omnimodo factum est propter peccatum*. Emendavimus ad Mss. fidem.

CAPUT XXVII. — *Quomodo mente et corpore ad id renovamur, quod Adam perdidit.*

In hoc ergo renovamur, secundum id quod amisit Adam, id est secundum spiritum mentis nostræ: secundum autem corpus quod seminatur animale, et resurget spirituale, in melius renovabimur, quod nondum fuit Adam.

38. Dicit item Apostolus: *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus, induite novum qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Coloss.* III, 9, 10). Hanc imaginem in spiritu mentis impressam perdidit Adam per peccatum (*a*); quam recipimus per gratiam justitiæ; non spirituale atque immortale corpus, in quo ille nondum fuit, et in quo erunt omnes sancti resurgentes a mortuis: hoc enim præmium est illius meriti, quod amisit. Proinde illa stola prima (*Luc.* XV, 22), aut ipsa justitia est unde lapsus est; aut, si indumentum corporalis immortalitatis significat, etiam hanc ille sic amisit, cum propter peccatum ad eam pervenire non potuit. Dicitur enim et amisisse uxorem, et amisisse honorem, qui speratum non acceperit, illo a quo sperabat offenso.

CAPUT XXVIII.—*Adam licet spiritualis mente, corpore fuit animalis etiam in paradiso.*

39. Secundum hanc ergo sententiam corpus animale habuit Adam, non tantum ante paradisum, sed etiam in paradiso constitutus: quamvis in interiore homine fuerit spiritualis, secundum imaginem ejus qui creavit eum; quod amisit peccando, meruitque etiam corporis mortem, qui non peccando mereretur et in corpus spirituale commutationem. Nam si et interius animaliter vixit, non possumus dici ad hoc ipsius renovari. Quibus enim dicitur, *Renovamini spiritu mentis vestræ*, hoc eis dicitur, ut spirituales fiant: quod si ille nec in ipsa mente fuit, quomodo nos renovamur ad id quod homo nunquam fuit? Apostoli autem et omnes justi animale utique corpus adhuc habebant, sed tamen spiritualiter interius vivebant; renovati scilicet in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eos: non ideo tamen jam peccare non poterant, si consentirent iniquitati. Nam et spirituales posse cadere in tentatione[1] peccati, ostendit Apostolus, ubi ait, *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne et tu tenteris* (*Galat.* VI, 1). Hoc dixi, ne cuiquam impossibile videatur quod peccavit Adam, si spiritualis erat mente, quamvis animalis esset corpore. Quæ cum ita sint, nihil tamen adhuc præpropere confirmamus, sed exspectamus potius utrum etiam cætera Scriptura hunc intellectum non impediat.

CAPUT XXIX.— *De anima tractandum in sequenti libro.*

40. Sequitur enim quæstio de anima valde difficilis, in qua multi laboraverunt, nobisque ubi laboremus reliquerunt. Sive enim quia non omnium omnia legere potui, qui de hac re secundum Scripturarum nostrarum veritatem ad aliquid liquidum minimeque dubium pervenire potuerunt; sive quia tanta quæstio est, ut etiam qui eam veraciter solvunt, non facile intelligantur a talibus, qualis ipse sum: fateor neminem adhuc mihi persuasisse quod sic habeam de anima, ut nihil amplius quærendum putem. Utrum autem nunc certum aliquid inventurus sim et definiturus, ignoro. Quod autem potuero, si conatum meum Dominus adjuverit, sequenti volumine explicare curabo[2].

(*a*) II Retract. cap. 24, n. 2.

[1] Mss. aliquot, *in tentationem*.
[2] Sic Mss. At editi, *conabor*.

LIBER SEPTIMUS.

In quo illud Geneseos, cap. 2, vers. 7: *Et flavit in faciem ejus flatum vitæ*, etc., illustratur uberrima tractatione de anima.

CAPUT PRIMUM. — *De anima tractatio suscipitur.*

1. *Et finxit Deus hominem pulverem de terra, et flavit in faciem ejus flatum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Hæc verba Scripturæ nobis et in principio superioris libri consideranda proposuimus, et de ipso homine facto, maximeque de ejus corpore, quantum satis duximus, quod secundum Scripturas visum est, disseruimus. Sed quia de anima humana non parva quæstio est, ad hunc eam librum differendam putavimus, nescientes quantum nos Dominus adjuturus esset recte loqui cupidos; illud tamen scientes, nisi quantum ipse adjuvaret, recte non esse locuturos. Recte est autem veraciter atque congruenter, nihil audacter refellendo, nihil temere affirmando, dum adhuc dubium est, verum falsumne sit, sive fidei, sive scientiæ christianæ; quod autem doceri potest vel rerum ratione apertissima, vel Scripturarum auctoritate certissima, sine cunctatione asserendo.

2. Ac primum illud videamus, quod scriptum est, *Flavit*, vel, *Sufflavit in faciem ejus flatum vitæ.* Nonnulli enim codices habent, *Spiravit*, vel, *Inspiravit in faciem ejus.* Sed cum Græci habeant ἐνεφύσησεν, non dubitatur *flavit* vel *sufflavit* esse dicendum. Quærebamus autem in superiori sermone de manibus Dei, cum homo de limo formatus cogitaretur: quid ergo nunc dicendum est in eo quod scriptum est, *Sufflavit Deus*, nisi quia sicut non manibus corporis finxit, ita nec faucibus labiisque sufflavit?

3. Verumtamen hoc verbo Scriptura in quæstione difficillima plurimum nos, quantum opinor, adjuvat.

CAPUT II. — *Animam non esse ejusdem naturæ cum Deo, ex proposito Scripturæ loco arguitur.*

Nam cum quidam ex hoc verbo crediderint aliquid esse animam de ipsa substantia Dei, id est, ejusdem naturæ cujus ille est, hoc ideo putantes, quia cum homo sufflat, aliquid de seipso ejicit in flatu; hinc potius ad-

monendi sumus, hanc inimicam fidei catholicæ reprobare sententiam. Nos enim credimus Dei naturam atque substantiam, quæ in Trinitate creditur a multis, intelligitur a paucis, omnino esse incommutabilem. Porro autem animæ naturam vel in deterius vel in melius commutari posse, quis ambigit? Ac per hoc sacrilega opinio est, eam et Deum credere unius esse substantiæ. Quid enim hoc modo aliud quam et ille commutabilis creditur? Credendum itaque est, et intelligendum, neque ullo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam sic esse a Deo tanquam rem quam fecerit, non tanquam de natura cujus est ipse, sive genuerit, sive quoquo modo protulerit.

CAPUT III. — *Urgetur idem argumentum.*

4. Et quomodo, inquiunt, scriptum est, *Sufflavit in faciem ejus, et factus est homo in animam vivam*; si non anima Dei pars est, vel Dei omnino substantia? Imo vero ex hoc verbo satis apparet ita non esse. Cum enim homo sufflat, anima utique ipsa subjacentem sibi naturam corporis movet, et de illa, non de seipsa flatum facit. Nisi isti forte tam tardi sunt, ut nesciant isto reciproco halitu, quem de hoc aere circumfuso ducimus et reddimus, fieri etiam flatum, cum voluntate sufflamus. Quod si etiam non ex hoc aere, qui forinsecus adjacet, accepto et reddito, sed ex ipsius nostri corporis natura qua constat, sufflando aliquid ejiceremus, non eadem natura est corporis et animæ; quod et ipsi utique consentiunt. Quapropter etiam sic aliud est animæ substantia, quæ corpus regit et movet; aliud flatus, quem regendo vel movendo facit de corpore sibi subdito, non de seipsa cui corpus est subditum. Cum itaque longe quidem incomparabili modo, sed tamen anima regat subditum corpus, et Deus subditam creaturam, cur non potius intelligatur de subjecta sibi creatura fecisse Deus animam in eo quod sufflasse dictus est; quandoquidem ipsa anima, quamvis corpori suo non ita dominetur, ut Deus universitati quam condidit, tamen ejus motu, non de sua substantia flatum facit?

5. Possemus quidem dicere nec ipsum Dei flatum esse animam hominis, sed Deum sufflando fecisse animam in homine: sed ne putentur meliora quæ fecit verbo, quam quod fecit flatu, quia et in nobis melius est verbum quam flatus; nihil est interim secundum supradictam rationem, cur animam ipsam Dei flatum dicere dubitemus, dum intelligatur non esse Dei natura atque substantia, sed hoc ipsum esse sufflare, quod est flatum facere; quod autem flatum facere, hoc animam facere. Cui sententiæ congruit quod per Isaiam dicit Deus: *Spiritus enim a me procedet, et flatum omnem ego feci.* Nam non quemlibet flatum corporeum eum dicere, sequentia docent. Cum enim dixisset, *Omnem flatum ego feci; Et propter peccatum,* inquit, *pusillum quid contristavi eum, et percussi eum* (*Isai.* LVII, 16, 17, *sec.* LXX). Quid ergo dicit flatum, nisi animam, quæ propter peccatum percussa et contristata est? Quid igitur est, *Omnem flatum ego feci,* nisi, Omnem animam ego feci?

CAPUT IV. — *Deum sufflando non fecisse de seipso animam, nec de elementis.*

6. Si ergo Deum diceremus tanquam corporei mundi hujus animam, cui mundus ipse esset tanquam corpus unius animantis, recte non eum diceremus sufflando fecisse animam hominis, nisi corpoream, de isto aere subjacente sibi ex corpore suo: non tamen quod fecisset dedissetque sufflando, de seipso dedisse putare deberemus, sed ita de sibi subjecto aere corporis sui, sicut anima de hujusmodi re similiter adjacente, hoc est de corpore, non de seipsa flatum facit. Nunc vero quia non tantummodo mundi corpus Deo esse subditum dicimus, sed illum esse supra omnem creaturam sive corporalem sive spiritualem; nec de seipso, nec de corporeis elementis credendus est animam fecisse sufflando.

CAPUT V. — *An anima ex nihilo.*

7. Utrum autem ex eo quod omnino non erat, id est ex nihilo; an ex aliqua re, quæ jam ab illo facta spiritualiter erat, sed anima nondum erat, merito quæri potest. Si enim Deum adhuc aliquid ex nihilo creare non credimus, posteaquam creavit omnia simul, et ob hoc a [1] consummatis omnibus operibus requievisse credimus, quæ inchoavit facere, ut quidquid deinde faceret, ex his faceret; non video quemadmodum intelligamus, adhuc eum ex nihilo animas facere. An dicendum est, eum in illis quidem operibus primorum sex dierum fecisse illum diem occultum, ac si hoc potius credi oportet, spiritualem atque intellectualem naturam, scilicet unitatis angelicæ, et mundum, id est cœlum et terram; atque in illis jam exstantibus naturis rationes creasse futurarum aliarum, non ipsas naturas: alioquin si jam ibi creatæ essent sicut erant futuræ, non adhuc essent futuræ? Quod si ita est, nondum erat in conditis rebus animæ humanæ ulla natura, et tunc esse cœpit, cum eam Deus sufflando fecit, atque indidit homini.

8. Sed non ideo quæstio sublata est, qua quæritur adhuc utrum eam naturam, quæ anima dicitur, et antea non erat, ex nihilo creaverit, tanquam ipse flatus ejus non ex aliqua substantia subjacente factus sit, sicut de flatu dicebamus, quem facit anima ex corpore suo; sed omnino ex nihilo tunc factus sit flatus, cum Deus flare voluit, idemque hominis anima factus sit: an vero jam erat aliquid spirituale, quamvis hoc quidquid erat, nondum animæ natura erat, atque ex hoc factus sit flatus Dei quæ natura esset animæ; sicut nec corporis humani natura jam erat, antequam Deus eam de limo terræ vel pulvere formasset. Non enim caro humana erat pulvis aut limus; sed tamen aliquid erat unde illa fieret, quæ nondum erat.

CAPUT VI. — *An ut corporis, ita et animæ præcesserit aliqua materies.*

9. Num ergo credibile est, in primis illis sex dierum operibus Deum condidisse, non solum futuri corporis humani causalem rationem, verum etiam materiem

[1] In editis: *Et ob hoc consummatis,* expuncta præpositione *a,* quæ exstat in omnibus Mss.

de qua fieret, id est terram, de cujus limo vel pulvere fingeretur, animæ autem solam ibi condidisse rationem, secundum quam fieret, non etiam quamdam pro suo genere materiam, de qua fieret? Si enim quiddam incommutabile esset anima, nullo modo ejus quasi materiam quærere deberemus : nunc autem mutabilitas ejus satis indicat eam interim vitiis atque fallaciis deformem reddi, formari autem virtutibus veritatisque doctrina, sed in sua jam natura qua est anima; sicut etiam caro in sua natura qua jam caro est, et salute decoratur, et morbis vulneribusque fœdatur. Sed sicut hæc, excepto quod jam caro est in qua natura vel proficit ut pulchra, vel deficit ut deformis sit, habuit etiam materiem, id est terram, de qua fieret, ut omnino caro esset : sic fortasse potuit et anima, antequam ea ipsa natura fieret, quæ anima dicitur, cujus vel pulchritudo virtus, vel deformitas vitium est, habere aliquam materiam pro suo genere spiritualem, quæ nondum esset anima; sicut terra de qua caro facta est, jam erat aliquid, quamvis non erat caro.

10. Sed enim jam terra implebat mundi infimam partem, antequam de illa corpus hominis fieret, conferens universo totum suum, ut etiamsi nulla ex ea caro fieret animantis cujusquam, specie tamen sua mundi fabricam molemque compleret, secundum quam dicitur mundus cœlum et terra.

CAPUT VII. — *Dici non posse qualis fuisset illa materies animæ.*

At vero illa spiritualis materies, si fuit ulla unde anima fieret, vel si est ulla unde animæ fiunt, quid ipsa est? quod nomen, quam speciem, quem usum in rebus conditis tenet? Vivit, an non? Si vivit, quid agit? quid confert universitatis effectibus? Beatamne vitam gerit, an miseram, an neutram? Vivificat aliquid? an ab hoc etiam opere vacat, et in quodam secreto universitatis otiosa requiescit, sine vigili sensu motuque vitali? Si enim nulla prorsus adhuc vita erat, quomodo esset vitæ futuræ quædam incorporea nec viva materies? Aut falsum est, aut nimis latet. Si autem jam vivebat nec beate nec misere, quomodo rationalis erat? Quod si tunc rationalis facta est, cum ex illa materie natura humanæ animæ facta est; irrationalis ergo vita materies erat animæ rationalis, id est humanæ? Quid ergo inter illam pecorisque distabat? An rationalis erat jam possibilitate, nondum facultate? Si enim videmus infantilem animam, jam utique hominis animam, nondum cœpisse uti ratione, et tamen eam rationalem dicimus; cur non credatur sic in illa materie, de qua facta est anima, quietum fuisse motum etiam sentiendi, sicut in ista infantili, quæ jam certe anima est hominis, quietus est adhuc motus ratiocinandi?

CAPUT VIII. — *Beatam fuisse materiem illam admitti non potest.*

11. Nam si jam beata erat vita, de qua facta est hominis anima; deterius ergo facta est : et ideo non jam illa materies hujus, sed illius ista defluxio est. Nam materies aliqua cum formatur, præsertim a Deo, in melius sine dubitatione formatur. Sed etiam si cujusquam in aliqua beatitudine factæ a Deo vitæ defluxio anima humana posset intelligi, nec sic credenda erat esse cœpisse in aliquo actu meritorum suorum, nisi ex quo propriam cœpit agere vitam, dum anima facta est animans carnem, et ejus sensibus velut nuntiis utens, atque in seipsa se vivere sentiens sua voluntate, intellectu, memoria. Si enim est aliquid, unde istam defluxionem formatæ carni Deus inspiraret, tanquam sufflando animam faciens, idemque beatum est; nullo modo movetur, aut mutatur, aut amittit aliquid, cum hoc ab eo defluit, unde anima fit.

CAPUT IX. — *Neque illam materiem esse quamdam irrationalem animam.*

Non est enim corpus, ut tanquam exhalando minuatur.

12. Si autem anima irrationalis, materies est quodammodo, de qua fit anima rationalis, id est humana, rursus quæritur etiam ipsa irrationalis unde fiat; quia et ipsam non facit nisi creator omnium naturarum. An illa de materie corporali? Cur non ergo et ista? Nisi forte quod velut gradatim fieri conceditur, compendio posse Deum facere quisquam negabit. Proinde quælibet adhibeatur interpositio, si corpus est materies animæ irrationalis, et anima irrationalis est materies animæ rationalis, procul dubio corpus est materies animæ rationalis. Quod neminem unquam scio ausum esse sentire, nisi qui et ipsam animam nonnisi in genere alicujus corporis ponit.

13. Deinde cavendum est ne quædam translatio animæ fieri a pecore in hominem posse credatur (quod veritati fideique catholicæ omnino contrarium est), si concesserimus irrationalem animam veluti materiem subjacere, unde rationalis anima fiat. Sic enim fiet, ut si hæc in melius commutata, erit hominis; illa quoque in deterius commutata, sit pecoris. De quo ludibrio quorumdam philosophorum etiam eorum posteri erubuerunt, nec eos hoc sensisse, sed non recte intellectos esse dixerunt. Et credo ita esse, velut si quisquam etiam de Scripturis nostris hoc sentiat, ubi dictum est, *Homo in honore positus non intellexit; comparatus est pecoribus insensatis, et similis factus est eis* (*Psal.* XLVIII, 13) : aut ubi item legitur, *Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi* (*Psal.* LXXIII, 19). Neque enim non omnes hæretici Scripturas catholicas legunt; nec ob aliud sunt hæretici, nisi quod eas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt. Sed quoquo modo se habeat vel non habeat opinio philosophorum de revolutionibus animarum, catholicæ tamen fidei non convenit credere animas pecorum in homines, aut hominum in pecora transmigrare.

CAPUT X.—*Ex morum similitudine non effici ut anima hominis in pecus transeat.*

14. Fieri sane homines vitæ genere pecoribus similes, et ipsæ res humanæ clamant, et Scripturæ testantur. Unde est illud quod commemoravi, *Homo in honore positus non intellexit; comparatus est jumentis insensatis, et similis factus est eis :* sed in hac vita utique, non post mortem. Proinde vel talibus bestiis no-

lebat in potestatem dari animam suam, qui dicebat, *Ne tradideris bestiis animam confitentem tibi;* quales cavendos Dominus significat, ubi dicit eos indutos vestitu ovium, intus autem esse lupos rapaces (*Matth.* VII, 15): vel ipsi diabolo et angelis ejus; nam et ille dictus est leo et draco (*Psal.* XC, 13).

15. Quid enim afferunt argumenti philosophi qui putant hominum animas in pecora, vel pecorum in homines post mortem posse transferri? Hoc certe, quod morum similitudo ad id trahat, velut avaros in formicas, rapaces in milvos, sævos ac superbos in leones, sectatores immundæ voluptatis in sues: et si qua similia. Hæc quippe afferunt, nec attendunt per hanc rationem nullo modo fieri posse, ut pecoris anima post mortem in hominem transferatur. Nullo modo enim porcus similior erit homini quam porco; et cum mansuescunt leones, canibus vel etiam ovibus fiunt similiores quam hominibus. Cum igitur a pecorum moribus pecora non recedunt, et quæ aliquantulum cæteris dissimilia fiunt, similiora sunt tamen suo generi quam humano, longeque plus ab hominibus quam a pecoribus differunt: nunquam erunt hominum animæ istæ, si ea quæ similiora sint trahunt. Si autem hoc argumentum falsum est, quomodo erit illa vera opinio; quandoquidem nihil aliud afferunt, quo etiamsi non vera, saltem verisimilis habeatur? Unde proclivius et ipse crediderim, quod etiam eorum posteri sectatores, illos homines qui hæc primitus in suis libris posuerunt, in hac vita potius intelligi voluisse, quadam perversitate morum ac turpitudine homines pecorum similes fieri, ac sic quodammodo in pecora commutari, ut hoc dedecore objecto, eos a cupiditatum pravitate revocarent.

CAPUT XI. — *Fictitiæ quarumdam animarum transmigrationes. Manichæorum deterior quam philosophorum opinio.*

16. Nam illa quæ feruntur accidisse, ut quidam quasi recordarentur in quorum animalium corporibus fuerint, aut falsa narrantur, aut ludificationibus dæmonum hoc in eorum animis factum est. Si enim contingit in somnis, ut fallaci memoria quasi recordetur se homo fuisse quod non fuit, aut egisse quod non egit; quid mirum si quodam Dei justo occultoque judicio, sinuntur dæmones in cordibus etiam vigilantium tale aliquid posse?

17. Manichæi autem qui se christianos vel putant, vel putari volunt, in hac opinione translationis vel revolutionis animarum eo sunt illis Gentium philosophis, vel si qui alii vani homines hoc putent, deteriores et detestabiliores, quod illi animæ naturam a Dei natura discernunt, isti autem cum aliud nihil dicant esse animam quam ipsam Dei substantiam, atque id omnino quod Deus est, non trepidant eam tam turpiter commutabilem dicere, ut nullum sit herbæ seu vermiculi genus, ubi eam non esse permixtam, vel quo revolvi non posse mirabili opinentur insania. Qui tamen si remotis ab animo suo rerum obscurissimarum quæstionibus, quas carnali corde versantes, necesse est ut in opiniones falsas, noxias monstrosasque labantur et provolvantur, unum illud firmissime teneant, quod omni animæ rationali sine ullius disputationis ambagibus naturaliter et veraciter insitum est, esse omnino incommutabilem et incorruptibilem Deum; tota eorum mille formis fabula repente dilabitur, quam in suis vanis ac sacrilegis mentibus, nonnisi de Dei turpissima mutabilitate finxerunt.

18. Non est igitur materies animæ humanæ, anima irrationalis.

CAPUT XII. — *Anima non est ex corporeo elemento.*

Quid est ergo, unde anima flatu Dei facta est? An corpus aliquod erat terrenum quidem et humidum? Nullo modo: hinc enim potius caro facta est. Nam quid aliud est limus quam terra humida? Nec de humore solo [1] anima facta credenda est, quasi caro de terra et anima de aqua. Nimis enim absurdum est, inde factam putare animam hominis, unde facta est caro piscis et volucris.

19. Ergo fortassis ex aere? Huic enim elemento etiam flatus competit; sed noster, non Dei. Unde supra diximus hoc potuisse congruenter putari, si animam mundi tanquam unius maximi animantis Deum crederemus, ut ita eam flaverit de aere corporis sui, sicut flat nostra de sui. Cum vero Deum esse constet supra omne mundi corpus, et supra omnem spiritum quem creavit, incomparabili omnino distantia; quomodo id recte dici potest? An forte quanto magis Deus universæ suæ creaturæ præsens est omnipotentia singulari, tanto magis potuit ex aere flatum facere, quæ anima hominis esset? Sed cum anima non sit corporea, quidquid autem ex mundi corporeis elementis fit, corporeum sit necesse est, inque mundi elementis etiam aer iste numeretur; nec si de puri illius cœlestisque ignis elemento facta anima diceretur, credi oporteret. Omne quippe corpus in omne corpus posse mutari, non defuerunt qui assererent. Corpus autem aliquod sive terrenum sive cœleste, converti in animam, fierique naturam incorpoream, nec quemquam sensisse scio, nec fides hoc habet.

CAPUT XIII. — *Medicorum sententia de corpore humano.*

20. Deinde si non est contemnendum quod medici non tantum dicunt, verum etiam probare se affirmant, quamvis omnis caro terrenam soliditatem in promptu gerat, habet tamen in se et aeris aliquid, quod et pulmonibus continetur, et a corde per venas, quas arterias vocant, diffunditur; et ignis non solum fervidam qualitatem, cujus sedes in jecore [2] est, verum etiam luculentam, quam velut eliquari ac subvolare ostendunt in excelsum cerebri locum, tanquam in cœlum corporis nostri; unde et radii emicant oculorum, et de cujus medio velut centro quodam, non solum ad oculos, sed etiam ad sensus cæteros tenues fistulæ deducuntur, ad aures scilicet, ad nares, ad palatum, propter audiendum, olfaciendum, atque gustandum;

[1] Sic Mss. In editis, *sola.*
[2] In excusis additur, *et in cerebro;* quod abest a Mss.

ipsumque tangendi sensum qui per totum corpus est, ab eodem cerebro dirigi dicunt per medullam cervicis, et eam quæ continetur ossibus, quibus dorsi spina conseritur, ut inde se tenuissimi quidam rivuli, qui tangendi sensum faciunt, per cuncta membra diffundant.

CAPUT XIV. — *Animam non esse ex elementis.*

Cum igitur his quasi nuntiis accipiat anima quidquid eam corporalium non latet, ipsa vero usque adeo aliud quiddam sit, ut cum vult intelligere, vel divina, vel Deum, vel omnino etiam seipsam, suasque considerare virtutes, ut aliquid veri certique comprehendat, ab hac ipsorum quoque oculorum luce se avertat, eamque ad hoc negotium, non tantum nullo adjumento, verum etiam nonnullo impedimento esse sentiens, se in obtutum mentis attollat; quomodo ex eo genere aliquid est, cum ejusdem generis summum non sit nisi lumen, quod ex oculis emicat, quo illa non adjuvatur nisi ad corporeas formas coloresque sentiendos; habetque ipsa innumerabilia longe dissimilia cuncto generi corporum, quæ nonnisi intellectu atque ratione conspiciat, quo nullus carnis sensus aspirat.

CAPUT XV. — *Anima incorporea.*

21. Quapropter non est quidem humanæ animæ natura, nec de terra, nec de aqua, nec de aere, nec de igne quolibet; sed tamen crassioris corporis sui materiam, hoc est, humidam quamdam terram, quæ in carnis versa est qualitatem, per subtilioris naturam corporis administrat, id est per lucem et aerem. Nullus enim sine his duobus vel sensus in corpore est, vel ab anima spontaneus corporis motus. Sicut autem prius esse debet nosse quam facere, ita prius est sentire quam movere. Anima ergo quoniam res est incorporea, corpus quod incorporeo vicinum est, sicuti est ignis, vel potius lux et aer, primitus agit, et per hæc cætera quæ crassiora sunt corporis, sicuti humor et terra, unde carnis corpulentia solidatur, quæ magis sunt ad patiendum subdita, quam prædita ad faciendum.

CAPUT XVI. — *Cur dictum sit*, Factus est homo in animam vivam.

22. Non mihi ergo videtur dictum, *Factus est homo in animam vivam*, nisi quia sentire cœpit in corpore; quod est animatæ viventisque carnis certissimum indicium. Nam moventur et arbusta, non tantum vi extrinsecus impellente, veluti cum ventis agitantur, sed illo motu quo intrinsecus agitur quidquid ad incrementum speciemque arboris pertinet, quo ducitur succus in radicem, vertiturque in ea quibus constat herbæ natura vel ligni: nihil enim horum sine interno motu. Sed iste motus non est spontaneus, qualis ille qui sensui copulatur ad corporis administrationem, sicut in omnium animalium genere, quam vocat Scriptura *animam vivam* (*Gen.* I, 21). Nam et nobis nisi inesset etiam ille motus, nec crescerent nostra corpora, nec ungues capillosque producerent. Sed si hoc solum esset in nobis sine sensu motuque illo spontaneo, non diceretur homo *factus in animam vivam.*

CAPUT XVII. — *In faciem hominis cur dicitur Deus sufflasse.*

23. Proinde quoniam pars cerebri anterior, unde sensus omnes distribuuntur, ad frontem collocata est, atque in facie sunt ipsa velut organa sentiendi, excepto tangendi sensu qui per totum corpus diffunditur; qui tamen etiam ipse ab eadem anteriori parte cerebri ostenditur habere viam suam, quæ retrorsus per verticem atque cervicem ad medullam spinæ, de qua loquebamur paulo ante, deducitur, unde habet utique sensum in tangendo et facies, sicut totum corpus, exceptis sensibus videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, qui in sola facie prælocati sunt: ideo scriptum arbitror, quod *in faciem Deus* sufflaverit *homini flatum vitæ*, cum *factus est in animam vivam.* Anterior quippe pars posteriori merito præponitur; quia et ista ducit, illa sequitur, et ab ista sensus, ab illa motus est, sicut consilium præcedit actionem.

CAPUT XVIII. — *Tres ventriculi cerebri.*

24. Et quoniam corporalis motus, qui sensum sequitur, sine intervallis temporum nullus est, agere autem intervalla temporum spontaneo motu nisi per adjutorium memoriæ non valemus; ideo tres tanquam ventriculi cerebri demonstrantur: unus anterior ad faciem, a quo sensus omnis; alter posterior ad cervicem, a quo motus omnis; tertius inter utrumque, in quo memoriam vigere demonstrant, ne cum sensum sequitur motus, non connectat homo quod faciendum est, si fuerit quod fecit oblitus. Hæc illi certis indiciis probata esse dicunt, quando et ipsæ partes aliquo affectæ morbo vel vitio, cum defecissent officia vel sentiendi, vel movendi membra, vel motus corporis reminiscendi, satis quid valerent singulæ declararunt, eisque adhibita curatio cui rei reparandæ profecerit exploratum est. Sed anima in istis tanquam in organis agit; nihil horum est ipsa: sed vivificat et regit omnia, et per hæc corpori consulit, et huic vitæ, in qua factus est homo in animam vivam.

CAPUT XIX. — *Animæ præstantia supra res corporeas.*

25. Unde ergo sit ipsa, id est, de qua velut materie Deus hunc flatum fecerit, quæ anima dicitur, dum quæritur, nihil corporeum debet occurrere. Sicut enim Deus omnem creaturam, sic anima omnem corpoream creaturam naturæ dignitate præcellit. Per lucem tamen et aerem, quæ in ipso quoque mundo præcellentia sunt corpora, magisque habent faciendi præstantiam, quam patiendi corpulentiam sicut humor et terra, tanquam per ea quæ spiritui similiora sunt, corpus administrat. Nuntiat enim aliquid lux corporea: cui autem nuntiat, non hoc est quod illa; et hæc est anima cui nuntiat, non illa quæ nuntiat. Et cum afflictiones corporis moleste sentit, actionem suam, qua illi regendo adest, turbato ejus temperamento impediri offenditur, et hæc offensio dolor vocatur. Et aer qui nervis infusus est, paret voluntati ut membra moveat, non autem ipse voluntas est. Et illa pars media motum membrorum nuntiat, ut memoria teneatur [1], non

[1] Sic Mss. At editi, *memorata teneantur.*

ipsa memoria est. Denique dum hæc ejus tanquam ministeria vitio quolibet seu perturbatione omni modo deficiunt, desistentibus nuntiis sentiendi et ministris movendi, tanquam non habens cur adsit, abscedit. Si autem non ita deficiunt, ut in morte assolet, turbatur ejus intentio, tanquam conantis redintegrare labentia, nec valentis. Et in rebus quibus turbatur, inde cognoscitur quæ pars ministeriorum in causa sit, ut si potuerit, medicina succurrat.

CAPUT XX. — *Aliud anima, aliud organa corporis.*

26. Namque aliud esse ipsam, aliud hæc ejus corporalia ministeria, vel vasa, vel organa, vel si quid aptius dici possunt, hinc evidenter elucet, quod plerumque se vehementi cogitationis intentione avertit ab omnibus, ut præ oculis patentibus recteque valentibus multa posita nesciat; et si major intentio est, dum ambulabat, repente subsistat, avertens utique imperandi nutum a ministerio motionis qua pedes agebantur : si autem non tanta est cogitationis intentio, ut figat ambulantem loco, sed tamen tanta est ut partem illam cerebri mediam nuntiantem corporis motus non vacet advertere ; obliviscitur aliquando et unde veniat, et quo eat, et transit imprudens villam quo tendebat, natura sui corporis sana, sed sua [1] in aliud avocata. Quapropter istas corporei cœli corporeas quasdam particulas, id est, lucis et aeris, quæ primæ excipiunt nutus animæ vivificantis, eo quod incorporeæ naturæ propinquiores sunt quam humor et terra, ut ad earum proximum ministerium tota moles administretur, utrum Deus de hoc circumfuso et superfuso cœlo corpori viventis miscuerit, aut adjunxerit, an et ipsas de limo sicut carnem fecerit, non est ad rem pertinens quæstio. Omne quippe corpus in omne corpus mutari posse, credibile est : quodlibet autem corpus mutari posse in animam, credere absurdum est.

CAPUT XXI. — *Anima neque ullo ex corpore, neque ullum corpus est.*

27. Quamobrem nec illud audiendum est, quod quidam putaverunt, quintum quoddam esse corpus unde sit anima [2], quod nec terra, nec aqua sit, nec aer, nec ignis, sive iste turbulentior atque terrenus, sive ille cœlestis purus et lucidus ; sed nescio quid aliud quod careat usitato nomine, sed tamen corpus sit (*Cic. lib.* 1 *Tusc. quæst.*). Si enim qui hoc sentiunt, hoc dicunt corpus quod et nos, id est, naturam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine, spatium loci occupantem, neque hoc est anima, neque inde facta credenda est. Quidquid enim tale est, ut multa non dicam, in quacumque sui parte lineis dividi vel circumscribi potest: quod anima si pateretur, nullo modo nosse posset tales lineas, quæ per longum secari non queunt, quales in corpore non posse inveniri nihilominus novit.

28. Nec ipsa sibi tale aliquid occurrit, cum se nescire non possit, etiam quando se ut cognoscat inquirit. Cum enim se quærit, novit quod se quærat; quod nosse non posset, si se non nosset. Neque enim aliunde se quærit, quam a seipsa. Cum ergo quærentem se novit, se utique novit ; et omne quod novit tota novit : cum itaque se quærentem novit, tota se novit, ergo et totam se novit : neque enim aliquid aliud, sed seipsam tota novit [1]. Quid ergo adhuc se quærit, si quærentem se novit ? Neque enim si nesciret se, posset quærentem se scire se : sed hæc in præsenti ; quod autem de se quærit, quid antea fuerit, vel quid futura sit quærit. Desinat ergo nunc interim suspicari se esse corpus ; quia si aliquid tale esset, talem se nosset, quæ magis se novit quam cœlum et terram, quæ per sui corporis oculos novit.

29. Omitto dicere quia illud ejus quod etiam pecora habere intelliguntur, vel cœli volatilia cum habitacula sua seu nidos repetunt, quo capiuntur imagines omnium rerum corporalium, nullo modo cuiquam corpori simile est ; et utique hoc potius corpori simile esse deberet, ubi corporearum rerum similitudines continentur. At si hoc corpus non est, quia certum est, eas similitudines corporum illic non solum memoriter detineri, verum etiam innumerabiles pro arbitrio figurari ; quanto minus alia qualibet vi sua corpori esse anima similis potest ?

30. Si autem corpus esse dicunt alia qualibet notione omne quod est, id est, omnem naturam atque substantiam ; non quidem admittenda est ista locutio, ne non inveniamus quomodo loquentes, ea quæ corpora non sunt, a corporibus distinguamus : non tamen nimis est de nomine laborandum. Nam et nos dicimus, quidquid anima est, non esse horum quatuor notissimorum elementorum, quæ manifesta sunt corpora ; sed neque hoc esse quod Deus est. Quid sit autem, non dicitur melius quam anima vel spiritus vitæ. Ideo enim additur, vitæ, quia et iste aer plerumque dicitur spiritus. Quanquam et animam eumdem aerem appellaverunt, ut jam non possit inveniri nomen, quo proprie distinguatur ista natura, quæ nec corpus, nec Deus est, nec vita sine sensu, qualis potest credi in arboribus, nec vita sine rationali mente, qualis est in pecoribus ; sed vita nunc minor quam Angelorum, et futura quod Angelorum, si ex præcepto sui creatoris hic vixerit.

31. Unde sit autem, id est, de qua velut materia facta sit, vel de qua perfecta beataque natura defluxerit, vel utrum omnino ex nihilo facta sit, etiamsi dubitatur, et quæritur ; illud tamen minime dubitandum est, et si aliquid antea fuit, a Deo factum esse quod fuit, et eam nunc a Deo factam, ut anima viva sit : aut enim nihil fuit, aut hoc quod est non fuit. Sed illam partem, qua quærebamus quasi ejus materiem unde facta sit jam satis tractavimus.

CAPUT XXII. — *An causalis ratio animæ fuerit condita in diebus Geneseos.*

32. Nunc, si omnino non fuit, quærendum est quomodo possit intelligi quod causalis ejus ratio fuisse dicebatur in primis sex dierum operibus Dei, quando fecit Deus hominem ad imaginem suam, quod nisi

[1] In editis, *sua vi.* Deest, *vi,* in omnibus prope Mss.
[2] Mss. plerique, *unde sint animæ.*

[1] In Mss. paucis, *sed seipsam totam novit* : quod, opinamur, erratum est.

secundum animam non recte intelligitur. Verendum est autem, ne cum dicimus non ipsas tunc naturas atque substantias quæ futuræ fuerant, Deum creasse, dum crearet omnia simul, sed earum futurarum causales quasdam rationes, putemur inania quædam dicere. Quæ sunt enim istæ causales rationes, secundum quas posset jam dici Deus fecisse hominem ad imaginem suam, cujus corpus nondum de limo finxerat, cui nondum animam afflando fecerat? Et corporis quidem humani etiamsi fuit aliqua occulta ratio, qua futurum erat ut formaretur, erat et materies de qua formaretur, id est terra, in qua videri potest illa ratio velut in semine latuisse: animæ autem faciendæ, id est flatus faciendi, qui esset anima hominis, quæ ibi ratio causalis primitus condita est, cum diceret Deus, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (quod nisi secundum animam recte intelligi non potest), si nulla erat natura ubi [1] conderetur?

33. Si enim hæc ratio in Deo erat, non in creatura; nondum ergo erat condita: quomodo ergo dictum est, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei* (*Gen.* I, 26, 27)? Si autem jam in creatura erat, hoc est, in iis quæ simul omnia creaverat Deus, in qua creatura erat? utrum spirituali, an corporali? Si spirituali, agebatne aliquid in corporibus mundi, seu cœlestibus, seu terrestribus? An in ea erat hæc vacans antequam homo in sua natura propria conderetur, sicut in ipso homine jam propriam ducente vitam latenter otioseque inest ratio generandi, quæ non operatur, nisi per concubitum atque conceptum? An et illa natura creaturæ spiritualis [2], in qua latente erat hæc ratio, nihil agebat sui operis? Et utquid creata erat? An ut contineret rationem futuræ animæ humanæ, vel futurarum animarum, tanquam in seipsis esse non possent, sed in aliqua creatura propria vita jam vivente, sicut generandi ratio non potest esse nisi in aliquibus jam existentibus perfectisque naturis? Parens ergo animæ instituta est aliqua creatura spiritualis, in qua sit ratio futuræ animæ, quæ non inde existat, nisi cum eam Deus homini inspirandam facit. Neque enim et ex homine fetum vel seminis vel ipsius jam prolis creat et format nisi Deus, per Sapientiam attingentem ubique propter suam munditiam, ita ut nihil inquinatum in eam incurrat (*Sap.* VII, 24 *et* 25), dum pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Id.* VIII, 1). Sed nescio quemadmodum possit intelligi, ad hoc tantum creatam nescio quam creaturam spiritualem, quæ in Dei conditionibus per illos sex dies factis non commemoraretur, cum Deus hominem sexto die fecisse dictus est, quem nondum in propria natura fecerat, sed adhuc ratione causali in illa creatura quæ commemorata non est. Magis enim debuit ipsa commemorari, quæ sic consummata erat, ut non adhuc esset secundum suæ causæ præcedentem rationem facienda.

[1] Er. et Lov., *unde*. At Am. et Mss., *ubi*.

[2] Editi: *An illa creatura spiritualis.* Prætulimus hic lectionem Mss. consensione firmatam.

CAPUT XXIII. — *An illa causalis ratio animæ fuerit inserta in angelica natura.*

34. An forte in illius diei natura, quem primitus condidit, si spiritus intellectualis dies ille recte accipitur, hanc faciendæ animæ causalem rationem Deus inseruit, cum sexto die fecit hominem ad imaginem suam; causam scilicet rationemque præfigens secundum quam eum post illos septem dies faceret; ut videlicet corporis ejus causalem rationem in natura terræ, animæ autem in natura illius diei creasse credatur? Sed quid aliud dicitur, cum hoc dicitur, nisi angelicum spiritum quasi parentem esse animæ humanæ, si sic in illo inest animæ humanæ creandæ præcondita ratio, sicut in homine futuræ prolis suæ: ut corporum quidem humanorum parentes homines sint, animarum autem Angeli, creator vero et animarum et corporum Deus, sed corporum ex hominibus, animarum ex Angelis; aut prioris corporis ex terra, et prioris animæ ex angelica natura, ubi rationes eorum causales præfixerat, quando primitus fecit hominem in iis quæ simul omnia creavit; deinceps vero jam homines ex hominibus, corpus ex corpore, animam ex anima? Durum est hoc, Angeli aut Angelorum filiam dicere esse animam: sed multo durius, cœli corporei; quanto magis ergo, maris et terræ? Multo minus igitur in aliqua corporali creatura, causalis animæ ratio præcondita est, cum faceret Deus hominem ad imaginem suam, antequam eum suo tempore de limo formatum flatu animaret, si absurde creditur animam causaliter in natura angelica condidisse.

CAPUT XXIV. — *Anima an creata sit priusquam corpori inserta.*

35. Illud ergo videamus, utrum forsitan verum esse possit, quod certe humanæ opinioni tolerabilius mihi videtur, Deum in illis primis operibus quæ simul omnia creavit, animam etiam humanam creasse, quam suo tempore membris ex limo formati corporis inspiraret, cujus corporis in illis simul conditis rebus rationem creasset causaliter, secundum quam fieret, cum faciendum esset, corpus humanum. Nam neque illud quod dictum est, *ad imaginem suam*, nisi in anima; neque illud quod dictum est, *masculum et feminam*, nisi in corpore recte intelligimus. Credatur ergo, si nulla Scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicit, hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio causalis in elementis mundi; anima vero jam ipsa crearetur, sicut primitus conditus est dies, et creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est inspirando, formato ex limo corpori insereret.

CAPUT XXV. — *Anima si extra corpus existebat, an suopte nutu ad corpus venerit.*

36. Sed hic rursus non spernenda oritur quæstio. Si enim jam facta erat anima, et latebat, ubi ei posset esse melius quam ibi? Quid ergo fuit causæ ut anima innocenter vivens insereretur vitæ hujus carnis, in qua peccando, ipsum qui eam creavit offenderet; unde eam merito sequeretur laboris ærumna

damnationisque cruciatus? An illud dicendum est, quod ad corpus administrandum voluntate propria fuerit inclinata, in qua vita corporis, quoniam et juste et inique vivi potest, quod eligeret hoc haberet, vel præmium de justitia, vel de iniquitate supplicium, ut nec illi apostolicæ sententiæ sit contrarium, qua dicit nondum natos nihil egisse boni seu mali (*Rom.* IX, 11)? Illa quippe inclinatio voluntatis ad corpus, nondum est actio vel justitiæ vel iniquitatis, de qua ratio reddenda est in judicio Dei, recepturo unoquoque secundum ea quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum (II *Cor.* V, 10). Cur ergo non jam et illud credatur, quod Dei nutu ad corpus venerit; ubi si vellet secundum præceptum ejus agere, mercedem acciperet vitæ æternæ, atque Angelorum societatis [1]: si autem contemneret, pœnas justissimas lueret, sive laboris diuturni, sive ignis æterni? An quia hoc ipsum, Deo volenti obtemperasse, jam utique actio bona est, et erit contrarium nondum natos nihil egisse vel boni vel mali?

CAPUT XXVI. — *Anima si proprio nutu corpori inserta, non fuit præscia futuri. Liberum arbitrium.*

37. Quæ si ita sunt, fatebimur etiam non in eo rerum genere animam primitus creatam, ut esset præscia futuri operis sui, vel justi, vel iniqui. Nimis quippe incredibile est eam potuisse propria voluntate inclinari ad corporis vitam, si se ita in quibusdam peccaturam præsciret, ut juste supplicio perpetuo puniretur. Juste sane Creator laudatur in omnibus quæ fecit omnia bona valde. Neque enim ex iis tantum laudandus est, quibus præscientiam dedit; cum recte laudetur etiam quia pecora creavit, quibus est natura humana præstantior etiam in ipsis peccantibus. Natura quippe hominis ex Deo est, non iniquitas, qua se ipse involvit male utendo libero arbitrio: quod tamen si non haberet, in natura rerum minus excelleret. Cogitandus quippe est homo juste vivens etiam non præscius futurorum, et ibi videndum est, excellentia voluntatis bonæ quam non impediatur ad recte vivendum et Deo placendum, quod ignarus futuri vivit ex fide. Hujusmodi ergo creaturam quisquis esse nollet in rebus, contradicit Dei bonitati. Quisquis autem pœnas eam non vult luere pro peccatis, inimicus est æquitati.

CAPUT XXVII. — *Animam naturali appetitu ferri in corpus.*

38. Sed si ad hoc fit anima, ut mittatur in corpus, quæri potest utrum, si noluerit, compellatur. Sed melius creditur hoc naturaliter velle, id est, in ea natura creari ut velit, sicut naturale nobis est velle vivere: male autem vivere jam non est naturæ, sed perversæ voluntatis, quam juste pœna consequitur.

39. Frustra ergo jam quæritur ex qua veluti materie facta sit anima, si recte intelligi potest in primis illis operibus facta, cum factus est dies. Sicut enim illa quæ non erant, facta sunt, sic et hæc inter illa. Quod si et materies aliqua formabilis fuit, et corporalis et spiritualis, non tamen et ipsa instituta nisi a Deo, ex quo sunt omnia, quæ quidem formationem suam non tempore, sed origine præcederet, sicut vox cantum; quid nisi de materia spirituali facta anima congruentius creditur?

[1] Editi, *societatem*: cujus loco Mss., *societatis*.

CAPUT XXVIII. — *Difficultates, cum dicitur animam Adæ non prius creatam quam ejus corpori inspiratam fuisse.*

40. Si autem aliquis non vult eam existimare factam, nisi cum jam formato corpori est inspirata, videat quid respondeat, cum quæritur unde facta sit. Aut enim ex nihilo dicturus est Deum aliquid fecisse vel facere post illam consummationem operum suorum; et debet intueri quomodo explicet sexto die factum hominem ad imaginem Dei (quod nisi secundum animam recte intelligi non potest), id est, in qua natura causalis ratio facta fuerit ejus rei quæ nondum fuit: aut non de nihilo, sed de aliquo jam existente factam dicet animam; et laborabit inquirendo quænam illa natura sit, an corporalis, an spiritualis, secundum eas quæstiones quas superius versavimus; manente illa quoque molestia, ut adhuc quæratur in qua substantia creaturarum in sex diebus primitus conditarum, causalem illam rationem fecerit animæ, quam nondum de nihilo, vel de aliquo fecerat.

41. Quam si eo modo devitare voluerit, ut dicat, sexto die etiam de limo factum esse hominem, sed hoc recapitulando postea commemoratum; videat de muliere quid dicat, quia *masculum et feminam*, dixit, *fecit eos, et benedixit eos* (*Gen.* I, 27, 28). Quod si et ipsam eo die factam esse de viri osse responderit, attendat quomodo asserat sexto die facta volatilia, quæ adducta sunt ad Adam, cum Scriptura omne genus volatilium quinto die creatum ex aquis insinuet; item sexto die ligna etiam quæ in paradiso plantata sunt, cum eadem Scriptura hoc creaturæ genus tertio diei tribuerit. Ipsa etiam verba consideret quid sit, *Ejecit adhuc de terra omne lignum pulchrum ad aspectum, et bonum ad escam;* tanquam illa quæ tertio die terra ejecerat, non erant pulchra ad aspectum et bona ad escam, cum in his essent operibus quæ fecit Deus omnia bona valde: quid sit etiam, *Finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cœli* (*Id.* II, 19); tanquam illa non fuerint omnia, quæ primo producta erant, vel potius nulla ante producta erant. Neque enim dictum est, *Et finxit Deus adhuc de terra* cæteras bestias agri, et cætera volatilia cœli, quasi quæ minus vel terra sexto, vel aqua quinto die produxerit; sed, *omnes bestias*, inquit, *et omnia volatilia.* Necnon et illud cogitet, quemadmodum Deus et sex diebus fecerit omnia; primo, ipsum diem; secundo, firmamentum; tertio, speciem maris et terræ, atque ex terra herbam et ligna; quarto, luminaria et sidera; quinto, aquarum animalia; sexto, terræ; et postea dicatur, *Cum factus est dies, fecit Deus cœlum et terram, et omne viride agri:* quandoquidem cum factus est dies, non fecit nisi ipsum diem. Quomodo etiam omne viride agri fecerit antequam esset super terram, et fenum

omne antequam exoriretur (*Gen.* II, 4, 5). Tunc enim factum cum exortum est, non antequam exoriretur, quis non diceret, nisi Scripturæ verba revocarent? Meminerit etiam scriptum esse, *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul* (*Eccli.* XVIII, 1); et videat quemadmodum simul creata dici possint, quorum creatio spatiis temporalibus distat, non horarum tantum, sed etiam dierum. Curet quoque ostendere quomodo utrumque sit verum, quod contrarium videri potest, et Deum in die septimo ob omnibus operibus suis requievisse, quod Geneseos liber dicit (*Gen.* II, 2), et usque nunc eum operari, quod Dominus dicit (*Joan.* V, 17). Respiciat etiam quæ dicta sunt consummata, quomodo eadem dicta sint inchoata.

42. His enim omnibus divinæ Scripturæ testimoniis, quam esse veracem nemo dubitat nisi infidelis aut impius, ad illam sententiam ducti sumus, ut diceremus Deum ab exordio sæculi primum simul omnia creavisse, quædam conditis jam ipsis naturis, quædam præconditis causis; sicut non solum præsentia, verum etiam futura fecit [1] omnipotens, et ab eis factis requievit, ut eorum deinceps administratione atque regimine crearet etiam ordines temporum et temporalium : qui et consummaverat ea propter omnium generum terminationem, et inchoaverat propter sæculorum propagationem, ut propter consummata requiesceret, et propter inchoata usque nunc operetur. Sed si possunt hæc melius intelligi, non solum non resisto, verum etiam faveo.

43. Nunc tamen de anima, quam Deus inspiravit homini sufflando in ejus faciem, nihil confirmo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei; et sit incorporea, id est, non sit corpus [1], sed spiritus; non de substantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed factus a Deo; nec ita factus ut in ejus naturam natura ulla corporis vel irrationalis animæ verteretur; ac per hoc, de nihilo : et quod sit immortalis secundum quemdam vitæ modum, quem nullo modo potest amittere; secundum quamdam vero mutabilitatem, qua potest vel deterior vel melior fieri, non immerito etiam mortalis possit intelligi; quoniam veram immortalitatem solus ille habet, de quo proprie dictum est, *Qui solus habet immortalitatem* (I *Tim.* VI, 16). Cætera quæ in hoc libro disceptando locutus sum, ad hoc valeant legenti, ut aut noverit quemadmodum sine affirmandi temeritate quærenda sint quæ non aperte Scriptura loquitur; aut, si ei quærendi modus iste non placet, quemadmodum ipse quæsiverim sciat, ut si me potest docere non abnuat, si autem non potest, a quo ambo discamus mecum requirat.

[1] Ita veteres codices. At vulgati ferunt, *sic ut non solum præsentia, verum etiam futura fecerit.* Pauloque post, *requieverit et earum deinceps*, etc.

[1] Habebant excusi : *Ut non sit substantia Dei, et sic incorporea, ut non sit corpus.* At Mss., *ut non sit substantia Dei, et sit incorporea, id est, non sit corpus.*

LIBER OCTAVUS.

De eo quod legitur Gen. 2, vers. 8 : *Et plantavit Deus paradisum in Eden*, etc., usque ad illud, vers. 17 : *De ligno autem cognoscendi bonum et malum non manducabitis de illo*, etc.

CAPUT PRIMUM. — *Paradisus in Eden plantatus et proprie et figurate accipiendus.*

1. *Et plantavit Deus paradisum in Eden ad orientem, et posuit ibi hominem quem finxit.* Non ignoro de paradiso multos multa dixisse; tres tamen de hac re quasi generales sunt sententiæ. Una eorum qui tantummodo corporaliter paradisum intelligi volunt : alia eorum qui spiritualiter tantum; tertia eorum qui utroque modo paradisum accipiunt; alias corporaliter, alias autem spiritualiter. Breviter ergo ut dicam, tertiam mihi fateor placere sententiam. Secundum hanc suscepi nunc loqui de paradiso, quod Dominus donare dignabitur, ut homo factus e limo, quod utique corpus humanum est, in paradiso corporali collocatus intelligatur : ut quemadmodum ipse Adam, etsi aliquid aliud significat secundum id quod eum formam futuri dixit esse Apostolus (*Rom.* V, 14), homo tamen in natura propria expressus accipitur, qui vixit certo numero annorum, et propagata numerosa prole mortuus est, sicut moriuntur cæteri homines, etsi non sicut cæteri ex parentibus natus, sed sicut primitus oportebat ex terra factus est; ita et paradisus, in quo eum collocavit Deus, nihil aliud quam locus quidam intelligatur, terra scilicet ubi habitaret homo terrenus.

2. Narratio quippe in his libris non genere locutionis figuratarum rerum est, sicut in Cantico canticorum, sed omnino gestarum, sicut in Regnorum libris et hujuscemodi cæteris. Sed quia illic ea dicuntur quæ vitæ humanæ usus notissimus habet, non difficile, imo promptissime primitus accipiuntur ad litteram, ut deinde ex illis quid etiam futurorum res ipsæ gestæ significaverint, exsculpatur : hic autem quia ea dicuntur quæ usitatum naturæ cursum intuentibus non occurrant, nolunt ea quidam proprie, sed figurate dicta intelligi; atque ex illo loco volunt incipere historiam, id est, rerum proprie gestarum narrationem, ex quo dimissi de paradiso Adam et Eva convenerunt atque genuerunt. Quasi vero usitatum nobis sit, vel quod tot annos vixerunt, vel quod Enoch translatus est, vel quod et grandæva et sterilis peperit, et cætera hujusmodi.

3. Sed alia est, inquiunt, narratio factorum mirabilium, alia institutarum creaturarum. Illic enim ea ipsa insolita ostendunt alios esse tanquam naturales modos rerum, alios miraculorum, quæ magnalia nominantur; hic autem ipsa insinuatur institutio naturarum. Quibus respondetur, Sed ideo insolita et ipsa, quia prima. Nam quid tam sine exemplo, et sine pari

facto in rerum mundanarum constitutione quam mundus? Num ideo credendum non est Deum fecisse mundum, quia jam non facit mundos; aut non fecisse solem, quia jam non facit soles? Et hoc quidem non de paradiso, sed de ipso homine permotis debuit responderi: nunc vero cum ipsum sic credant a Deo factum, sicut alius nullus factus est; cur paradisum nolunt ita factum credere, quemadmodum nunc vident silvas fieri?

4. Ad eos quippe loquor, qui auctoritatem harum Litterarum sequuntur: eorum enim quidam non proprie, sed figurate paradisum intelligi volunt. Nam qui omnino adversantur his litteris, alias cum eis atque aliter egimus (*Lib. de Gen. cont. Manich.*): quanquam et hæc in hoc ipso opere nostro, quantum valemus, ita defendamus ad litteram, ut qui non rationabiliter moti, propter animum pervicacem vel hebetem, credere ista detrectant, nullam tamen inveniant rationem unde falsa esse convincant. Verum isti nostri qui fidem habent his divinis Libris, et nolunt paradisum ad proprietatem litteræ intelligi, locum scilicet amœnissimum fructuosis nemoribus opacatum, eumdemque magnum et magno fonte fecundum, cum videant nulla humana opera tot ac tanta vireta silvescere occulto opere Dei; miror quemadmodum credunt ipsum hominem ita factum, quemadmodum nunquam viderunt. Aut si et ipse figurate intelligendus est, quis genuit Cain, et Abel, et Seth? An et ipsi figurate[1] tantum fuerunt, non etiam homines ex hominibus nati? De proximo ergo attendant istam præsumptionem quo tendat, et conentur nobiscum cuncta primitus quæ gesta narrantur in expressionem proprietatis accipere. Quis enim eis postea non faveat intelligentibus quid ista etiam figurata significatione commoneant, sive ipsarum spiritualium naturarum vel affectionum, sive rerum etiam futurarum? Sane si nullo modo possent salva fide veritatis ea, quæ corporaliter hic nominata sunt, corporaliter etiam accipi, quid aliud remaneret, nisi ut ea potius figurate dicta intelligeremus, quam Scripturam sanctam impie culparemus? Porro autem si non solum non impediunt, verum etiam solidius asserunt divini eloquii narrationem hæc etiam corporaliter intellecta; nemo erit, ut opinor, tam infideliter pertinax, qui cum ea secundum regulam fidei exposita proprie viderit, malit in pristina remanere sententia, si forte illi visa fuerant, nonnisi figurate posse accipi.

CAPUT II. — *Genesim alias contra Manichæos cur secundum allegoriam exposuerit.*

5. Nam et ego contra Manichæos, qui has litteras Veteris Testamenti non aliter quam oportet accipiendo errant, sed omnino non accipiendo et detestando blasphemant, duos conscripsi libros recenti tempore conversionis meæ; cito volens eorum vel confutare deliramenta, vel erigere intentionem ad quærendam in Litteris quas oderunt, christianam et evangelicam fidem. Et quia non mihi tunc occurrebant omnia quemadmodum proprie possent accipi, magisque non posse accipi videbantur, aut vix posse aut difficile; ne retardarer, quid figurate significarent ea quæ ad litteram non potui invenire, quanta valui brevitate et perspicuitate explicavi, ne vel multa lectione vel disputationis obscuritate deterriti, in manus ea sumere non curarent. Memor tamen quid maxime voluerim nec potuerim, ut non figurate sed proprie primitus cuncta intelligerentur, nec omnino desperans etiam sic posse intelligi, idipsum in prima parte secundi libri ita posui. *Sane*, inquam, *quisquis voluerit omnia quæ dicta sunt, secundum litteram accipere, id est, non aliter intelligere quam littera sonat, et potest evitare blasphemias, et omnia congruentia fidei catholicæ prædicare; non solum ei non est invidendum, sed præcipuus multumque laudabilis intellector habendus est. Si autem nullus exitus datur, ut pie et digne Deo quæ scripta sunt intelligantur, nisi figurate atque in ænigmatibus proposita ista credamus; habentes auctoritatem apostolicam, a quibus tam multa de libris Veteris Testamenti solvuntur ænigmata, modum quem intendimus teneamus, adjuvante illo qui nos petere, quærere et pulsare adhortatur* (*Matth.* VII, 7): *ut omnes istas figuras rerum secundum catholicam fidem, sive quæ ad historiam, sive quæ ad prophetiam pertinent, explicemus; non præjudicantes meliori diligentiorique tractatui, sive per nos, sive per alios, quibus Dominus revelare dignatur* (*De Gen. contra Manich. lib.* 2, *cap.* 2). Hæc tunc dixi. Nunc autem quia voluit Dominus ut ea diligentius intuens atque considerans, non frustra, quantum opinor, existimarem etiam per me posse secundum propriam, non secundum allegoricam locutionem hæc scripta esse monstrari, sicut ea quæ superius valuimus ostendere, sic etiam quæ sequuntur de paradiso perscrutemur.

CAPUT III. — *De vers.* 8 *et* 9, *ubi rursus de creatione ligni.*

6. *Plantavit* ergo *Deus paradisum* in deliciis (hoc est enim *in Eden*) *ad orientem, et posuit ibi hominem quem finxerat.* Sic enim scriptum est, quia sic factum est. Deinde recapitulat, ut hoc ipsum quod breviter posuit, ostendat quemadmodum factum sit; hoc est, quemadmodum paradisum Deus plantaverit, et illic hominem, quem finxerat, constituerit. Sic enim sequitur: *Et ejecit adhuc Deus de terra omne lignum pulchrum ad aspectum, et bonum ad escam.* Non dixit, Et ejecit de terra Deus aliud lignum vel cæterum lignum; sed, *Ejecit*, inquit, *adhuc de terra omne lignum pulchrum ad aspectum, et bonum ad escam.* Jam ergo tunc produxerat terra omne lignum et pulchrum ad aspectum, et bonum ad escam, hoc est tertio die: nam sexto die dixerat, *Ecce dedi vobis omne pabulum seminale, seminans semen, quod est super omnem terram; et omne lignum fructiferum, quod habet in se fructum seminis seminalis, quod erit vobis ad escam* (*Gen.* I, 29). Num ergo aliud eis tunc dedit, aliud nunc dare voluit? Non opinor: sed cum ex his generibus sint ista ligna instituta in paradiso, quæ jam terra tertio die produxerat, adhuc ea produxit in tempore suo: quia tunc scilicet, quod scriptum est, ea produxisse

[1] Mss. nonnulli, *figuræ*.

terram, causaliter factum erat in terra; hoc est, quia tunc ea producendi virtutem latenter acceperat, qua virtute fit ut etiam nunc talia terra progignat in manifesto atque in tempore suo.

7. Verba ergo Dei sexto die dicentis, *Ecce dedi vobis omne pabulum seminale seminans semen, quod est super omnem terram*, et cætera, non sonabili vel temporali voce prolata verba sunt, sed sicut in ejus Verbo est creandi potentia. Dici autem hominibus, quid sine temporalibus sonis Deus dixerit, nonnisi per temporales sonos potuit. Futurum enim erat ut homo jam de limo formatus, et flatu ejus animatus, et quidquid ex illo humani generis exstitisset, uteretur eis ad escam, quæ super terram exortura erant ex illa virtute generandi, quam terra jam acceperat. Cujus futuri causales rationes in creatura condens, tanquam jam exstitisset, loquebatur interna atque intima veritate, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, sed Spiritus ejus scribenti utique revelavit.

CAPUT IV. — *De altera parte vers.* 9, *lignum vitæ et vere creatum esse, et sapientiam figurasse.*

8. Illud plane quod sequitur, *Et lignum vitæ in medio paradisi, et lignum scientiæ dignoscendi bonum et malum*, diligentius considerandum est, ne cogat in allegoriam, ut non ista ligna fuerint, sed aliud aliquid nomine ligni significent. Dictum est enim de sapientia : *Lignum vitæ est omnibus amplectentibus eam* (*Prov.* III, 18). Verumtamen cum sit Jerusalem æterna in cœlis, etiam in terra civitas qua illa significaretur, condita est; et Sara et Agar quamvis duo Testamenta significarent, erant tamen quædam etiam mulieres duæ (*Galat.* IV, 24-26); et cum Christus per ligni passionem fluento spirituali nos irriget, erat tamen et petra, quæ aquam sitienti populo ligno percussa manavit, de qua diceretur, *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 4). Aliud quam erant illa omnia significaverunt, sed tamen etiam ipsa corporaliter fuerunt. Et quando a narrante commemorata sunt, non erat illa figurata locutio, sed earum rerum expressa narratio, quarum erat figurata præcessio. Erat ergo et lignum vitæ, quemadmodum petra Christus : nec sine mysteriis rerum spiritualium corporaliter præsentatis voluit hominem Deus in paradiso vivere. Erat ei ergo in lignis cæteris alimentum, in illo autem sacramentum; quid significans, nisi sapientiam, de qua dictum est, *Lignum vitæ est amplectentibus eam :* quemadmodum de Christo diceretur, Petra manans est sitientibus eam? Recte quippe appellatur quod ad eum significandum præcessit. Ipse est ovis quæ immolatur in Pascha ; tamen et illud non tantum dicendo figurabatur, sed etiam faciendo. Neque enim ovis illa non erat ovis; plane ovis erat, et occidebatur, et manducabatur (*Exod.* XII, 3-11) : et tamen eo vero facto, aliud etiam quiddam figurabatur. Non sicut ille vitulus saginatus, qui minori filio revertenti in epulas cæsus est (*Luc.* XV, 23). Ibi quippe ipsa narratio figurarum est, non rerum figurata significatio gestarum. Non enim hoc evangelista, sed Dominus ipse narravit : evangelista vero hoc Dominum narrasse narravit. Proinde quod narravit evangelista, etiam factum est; Dominum scilicet talia locutum fuisse : ipsius autem Domini narratio parabola fuit, de qua nunquam exigitur ut etiam ad litteram facta monstrentur, quæ sermone proferuntur. Christus est et lapis unctus a Jacob (*Gen.* XXVIII, 18), et lapis reprobatus ab ædificantibus, qui factus est in caput anguli (*Psal.* CXVII, 22) : sed illud etiam in rebus gestis factum est, hoc autem tantum in figuris prædictum. Illud quippe scripsit narrator rerum præteritarum, hoc prænuntiator tantummodo futurarum.

CAPUT V. — *De eodem ligno vitæ, ipsum et figuram et nihilominus rem veram fuisse.*

9. Sic et Sapientia, idem ipse Christus, lignum vitæ est in paradiso spirituali, quo misit de cruce latronem (*Luc.* XXIII, 43) :creatum[1] est autem, quod eam significaret, lignum vitæ etiam in paradiso corporali; quia hoc illa Scriptura dixit, quæ res suis temporibus gestas narrans, et hominem corporaliter factum, et in corpore viventem ibi constitutum esse narravit. Aut si quisquam putat animas, cum a corpore excesserint, locis corporaliter visibilibus contineri, cum sint sine corpore, asserat sententiam suam : non deerunt qui sic faveant, ut illum etiam divitem sitientem in loco utique corporali fuisse contendant, ipsamque animam omnino esse corpoream, propter arentem linguam et stillam aquæ de Lazari digito concupitam (*Id.* XVI, 24), pronuntiare non dubitent, cum quibus ego de tam magna quæstione nulla temeritate confligo. Melius est enim dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Illum quippe divitem in ardore pœnarum et illum pauperem in refrigerio gaudiorum intelligendos esse non dubito. Sed quomodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii, vix fortasse a mansuete quærentibus, a contentiose autem certantibus nunquam invenitur. Cito sane respondendum est, ne nos profunda ista quæstio, et multis sermonibus indigens tardet, Si corporalibus locis animæ continentur, etiam exutæ corporibus; potuit ille latro in eum introduci paradisum, ubi fuerat corpus primi hominis; ut aptiore Scripturarum loco, si ulla necessitas flagitaverit, etiam de hac re quid vel quæramus vel arbitremur, utcumque promamus.

10. Nunc vero, quod sapientia non sit corpus, et ideo nec lignum, nec dubito, nec dubitari a quoquam puto : potuisse autem per lignum, id est, per corpoream creaturam, tanquam sacramento quodam significari sapientiam in paradiso corporali, ille credendum non existimat, qui vel tam multa in Scripturis rerum spiritualium corporalia sacramenta non videt, vel hominem primum cum ejusmodi aliquo sacramento vivere non debuisse contendit; cum Apostolus dicat etiam hoc quod de muliere dixit, quam ei factam esse de latere credimus, *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24); *sacramentum magnum* esse *in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 31, 32). Mirum est autem,

[1] Editi, *certum*. At Mss. decem, *creatum*.

et vix ferendum, quemadmodum velint homines paradisum figurate dictum, et nolint etiam figurate factum. Quod si concedunt sicut de Agar et Sara, sicut de Ismael et Isaac, hæc quoque et facta, et tamen etiam figurata; cur non admittant etiam lignum vitæ, et vere aliquod lignum fuisse, et tamen sapientiam figurasse, non video.

11. Illud quoque addo, quanquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta. Profecto enim licet usitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cujus una collyride (a) hominem Deus ab indigentia famis dierum quadraginta spatio vindicavit (III *Reg.* XIX, 8). An forte credere dubitabimus, per alicujus arboris cibum, cujusdam altioris significationis gratia, homini Deum præstitisse ne corpus ejus vel infirmitate vel ætate in deterius mutaretur, aut in occasum etiam laberetur; qui ipsi cibo humano præstitit tam mirabilem statum, ut in fictilibus vasculis farina et oleum deficientes reficeret, nec deficeret (*Id.* XVII, 16)? Jam hic de genere contentiosorum quisquam existat, et dicat Deum in terris nostris miracula talia facere debuisse, in paradiso autem non debuisse: quasi vero non vel de pulvere hominem, vel de latere viri mulierem, majus ibi miraculum fecit, quam quod hic mortuos suscitavit.

CAPUT VI. — *Lignum scientiæ boni et mali arbor vera et innoxia. Obedientia. Inobedientia.*

12. Sequitur ut videamus de ligno scientiæ dignoscendi bonum et malum. Prorsus et hoc lignum erat visibile ac corporale, sicut arbores cæteræ. Quod ergo lignum esset, non est dubitandum; sed cur hoc nomen acceperit, requirendum. Mihi autem etiam atque etiam consideranti dici non potest quantum placeat illa sententia, non fuisse illam arborem cibo noxiam; neque enim qui fecerat omnia bona valde (*Gen.* I, 31), in paradiso instituerat aliquid mali: sed malum fuisse homini transgressionem præcepti. Oportebat autem ut homo sub Domino Deo positus alicunde prohiberetur, ut ei promerendi Dominum suum virtus esset ipsa obedientia, quam possum verissime dicere solam esse virtutem omni creaturæ rationali agenti sub Dei potestate; primumque esse et maximum vitium tumoris ad ruinam sua potestate velle uti, cujus vitii nomen est inobedientia. Non esset ergo unde se homo Dominum habere cogitaret atque sentiret, nisi aliquid ei juberetur. Arbor itaque illa non erat mala, sed appellata est scientiæ dignoscendi bonum et malum, quia si post prohibitionem ex illa homo ederet, in illa erat præcepti futura transgressio, in qua homo per experimentum pœnæ disceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, et inobedientiæ malum. Proinde et hoc non in figura dictum, sed quoddam vere lignum accipiendum est; cui non de fructu vel pomo quod inde nasceretur, sed ex ipsa re nomen impositum est, quæ illo contra vetitum tacto fuerat secutura.

(a) Collyride pane subcinericio, quem alio nomine *collu-ram* vocant.

CAPUT VII. — *De vers.* 10, 11, 13 *et* 14; *illic accipienda esse vera flumina. Tiberis prius Abula. Nilus, qui prius Geon. Ganges, qui prius Phison.*

13. *Flumen autem exiit de Eden, quod irrigabat paradisum, et inde divisum est in quatuor partes. Ex his uni nomen est Phison; hoc est quod circuit totam terram Evilath, ubi est aurum: aurum autem terræ illius bonum, et ibi est carbunculus, et lapis prasinus. Et nomen flumini secundo Geon; hoc est quod circuit totam terram Æthiopiæ. Flumen autem tertium Tigris; hoc est quod fluit contra Assyrios. Flumen autem quartum Euphrates.* De his autem fluminibus quid amplius satagam confirmare quod vera sint flumina, nec figurate dicta quæ non sint, quasi tantummodo aliquid nomina ipsa significent, cum et regionibus per quas fluunt notissima sint, et omnibus fere gentibus diffamata? Quinimo ex his, quoniam constat ea prorsus esse (nam duobus eorum nomina vetustas mutavit, sicut Tiberis dicitur fluvius qui prius Albula vocabatur; Geon quippe ipse est, qui nunc dicitur Nilus; Phison autem ille dicebatur, quem nunc Gangen appellant; duo vero cætera, Tigris et Euphrates, antiqua etiam nomina tenuerunt), nos admoneri oportet cætera quoque primitus ad proprietatem litteræ accipere, non in eis figuratam locutionem putare, sed res ipsas quæ ita narrantur et esse, et aliquid etiam figurare. Non quia non posset parabola locutionis assumere aliquid de re quam non [1] proprie quoque esse constaret, sicut de illo Dominus loquitur, qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones (*Luc.* X, 30): quis enim non sentiat et plane videat esse parabolam, locutionemque illam totam esse figuratam? verum duæ civitates quæ ibi nominatæ sunt, hodieque in locis propriis demonstrantur. Sed hoc modo acciperemus et quatuor hæc flumina, si cætera quæ de paradiso narrantur, non proprie sed figurate accipere ulla necessitas cogeret: at nunc cum primitus proprie res ipsas intelligere ratio nulla prohibeat, cur non potius auctoritatem Scripturæ simpliciter sequimur in narratione rerum gestarum, res vere gestas prius intelligentes, tum demum quidquid aliud significant perscrutantes?

14. An eo movebimur, quod de his fluminibus dicitur, aliorum esse fontes notos, aliorum autem prorsus incognitos, et ideo non posse accipi ad litteram, quod ex uno paradisi flumine dividuntur? cum potius credendum sit, quoniam locus ipse paradisi a cognitione hominum est remotissimus, inde quatuor aquarum partes dividi, sicut fidelissima Scriptura testatur; sed ea flumina, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi iisse sub terras, et post tractus prolixarum regionum locis aliis erupisse, ubi tanquam in suis fontibus nota esse perhibentur. Nam hoc solere nonnullas aquas facere, quis ignorat? Sed ibi hoc scitur, ubi non diu sub terris currunt. Exibat ergo flumen de Eden, id est de loco deliciarum, et irrigabat paradisum, id est ligna omnia pulchra atque fructuosa, quæ omnem terram regionis illius opacabant.

[1] Abest *non* ab Er. M.

CAPUT VIII. — *De vers. 15; an homo positus in paradiso ut agriculturæ operam daret.*

15. *Et sumpsit Dominus Deus hominem quem fecit, et posuit eum in paradiso, ut operaretur et custodiret. Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens : Ab omni ligno quod est in paradiso esca edes*[1]*; de ligno autem cognoscendi bonum et malum, non manducabitis de illo. Quo die autem ederitis ab eo, morte moriemini.* Cum superius breviter dixerit Deum plantasse paradisum, et constituisse ibi hominem quem finxerat, recapitulavit ut narraret quomodo sit paradisus constitutus. Nunc ergo et illud recapitulando commemoravit quomodo ibi Deus posuerit hominem quem fecit. Videamus itaque quid sit quod dictum est, *ut operaretur et custodiret.* Quid *operaretur*, et quid *custodiret?* Numquid forte agriculturam Dominus voluit operari primum hominem? An non est credibile quod eum ante peccatum damnaverit ad laborem? Ita sane arbitraremur, nisi videremus cum tanta voluptate animi agricolari quosdam, ut eis magna pœna sit inde ad aliud avocari. Quidquid ergo deliciarum habet agricultura, tunc utique longe amplius erat, quando nihil accidebat adversi, vel terra vel cœlo. Non enim erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis, cum ea quæ Deus creaverat, humani operis adjutorio lætius feraciusque provenirent; unde Creator ipse uberius laudaretur, qui animæ in corpore animali constitutæ rationem dedisset operandi, ac facultatem, quantum animo volenti satis esset, non quantum invitum indigentia corporis cogeret.

16. Quod enim majus mirabiliusque spectaculum est, aut ubi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui potest, quam cum positis seminibus, plantatis surculis, translatis arbusculis, insitis malleolis, tanquam interrogatur quæque vis radicis et germinis quid possit, quidve non possit; unde possit, unde non possit; quid in ea valeat numerorum invisibilis interiorque potentia, quid extrinsecus adhibita diligentia : inque ipsa consideratione perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (I *Cor.* III, 7); quia et illud operis quod accedit extrinsecus, per illum accedit, quem nihilominus creavit, et quem regit atque ordinat invisibiliter Deus?

CAPUT IX. — *Agriculturæ opus allegorice.*

17. Hinc jam in ipsum mundum, velut in quamdam magnam arborem rerum, oculus cogitationis attollitur; atque in ipso quoque gemina operatio providentiæ reperitur, partim naturalis, partim voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei administrationem, qua etiam lignis et herbis dat incrementum; voluntaria vero, per Angelorum opera et hominum. Secundum illam primam cœlestia superius ordinari, inferiusque terrestria; luminaria sideraque fulgere, diei noctisque vices agitari, aquis terram fundatam interlui atque circumlui, aerem altius superfundi, arbusta et animalia concipi et nasci, crescere et senescere, occidere, et quidquid aliud in rebus interiore naturalique motu geritur. In hac autem altera signa dari, doceri et disci[1], agros coli, societates administrari, artes exerceri, et quæque alia sive in superna societate aguntur, sive in hac terrena atque mortali, ita ut bonis consulatur et per nescientes malos. Inque ipso homine eamdem geminam providentiæ vigere potentiam : primo erga corpus naturalem, scilicet eo motu quo fit, quo crescit, quo senescit; voluntariam vero, quo illi ad victum, tegumentum, curationemque consulitur. Similiter erga animam naturaliter agitur ut vivat, ut sentiat; voluntarie vero ut discat, ut consentiat.

18. Sicut autem in arbore id agit agricultura forinsecus, ut illud proficiat quod geritur intrinsecus; sic in homine secundum corpus, ei quod intrinsecus agit natura, servit extrinsecus medicina : itemque secundum animam, ut natura beatificetur intrinsecus, doctrina ministratur extrinsecus. Quod autem ad arborem colendi negligentia, hoc ad corpus medendi incuria, hoc ad animam discendi segnitia : et quod ad arborem humor inutilis, hoc ad corpus victus exitiabilis, hoc ad animam persuasio iniquitatis. Deus itaque super omnia, qui condidit omnia, et regit omnia, omnes naturas bonus creat, omnes voluntates justus ordinat. Quid ergo abhorret a vero, si credamus hominem ita in paradiso constitutum, ut operaretur agriculturam, non labore servili, sed honesta animi voluptate? Quid enim hoc opere innocentius vacantibus, et quid plenius magna consideratione prudentibus?

CAPUT X. — *Quid sit,* Ut operaretur et custodiret.

19. *Ut custodiret* autem, quid? An ipsum paradisum? Contra quos? Nullus certe vicinus metuebatur invasor, nullus limitis perturbator, nullus fur, nullus aggressor. Quomodo ergo intellecturi sumus corporalem paradisum potuisse ab homine corporaliter custodiri? Sed neque Scriptura dixit, Ut operaretur et custodiret paradisum; dixit autem, *Ut operaretur et custodiret.* Quanquam si de græco diligentius ad verbum exprimatur, ita scriptum est, *Et accepit Dominus Deus hominem quem fecit, et posuit eum in paradiso operari eum et custodire.* Sed utrum ipsum hominem posuit operari, hoc enim sensit qui interpretatus est, *ut operaretur;* an eumdem paradisum operari, id est, ut homo paradisum operaretur, ambigue sonat : et videtur magis exigere locutio, ut non dicatur, Operaretur paradisum; sed, in paradiso.

20. Verumtamen ne forte sic dictum sit, *Ut operaretur* paradisum, sicut superius dictum est, *Nec erat homo qui operaretur terram* (eadem quippe locutio est, operari terram, quæ operari paradisum); ambiguam sententiam ad utrumque tractemus. Si enim non est necesse ut accipiamus, Paradisum custodire, sed, in paradiso; quid ergo in paradiso custodire? Nam quid operari in paradiso, jam ut visum est disseruimus. An ut quod operaretur in terra per agriculturam, in seipso custodiret per disciplinam; id est, ut sicut ei

[1] Hic et paulo post omnes Lov. Mss. ferunt, *escam edes.* E contra Er. Lugd. Ven. nunc legunt, *escam edes,* nunc, *esca edes* nunc, *edes ad escam.* M.

[1] Juxta Er. Lugd. Ven. Lov., *discere.* M.

ager obtemperaret colenti se, ita et ipse præcipienti Domino suo, ut sumpto præcepto obedientiæ fructum, non spinas inobedientiæ redderet? Denique quoniam similitudinem a se culti paradisi in seipso custodire subditus noluit, similem sibi agrum damnatus accepit: *Spinas*, inquit, *et tribulos pariet tibi* (*Gen.* III, 18).

21. Quod si et illud intelligamus, ut paradisum operaretur, et paradisum custodiret, operari quidem paradisum posset, sicut supra diximus, per agriculturam; custodire autem non adversus improbos aut inimicos, qui nulli erant, sed fortassis adversus bestias. Quomodo istud? aut quare? Numquid enim bestiæ jam in hominem sæviebant, quod nisi peccato non fieret? Ipse quippe bestiis omnibus ad se adductis, sicut post commemoratur, nomina imposuit: ipse etiam sexto die lege verbi Dei cum omnibus communes cibos accepit. Aut si erat jam quod timeretur in bestiis, quonam pacto posset unus homo illum munire paradisum? Neque enim exiguus locus erat, quem tantus fons irrigabat. Custodire quidem ille deberet, si posset paradisum tali et tanta maceria communire, ut eo serpens non posset intrare: sed mirum si priusquam communiret, omnes serpentes inde posset excludere.

22. Proinde intellectum ante oculos cur prætermittimus? Positus est quippe homo in paradiso, ut operaretur eumdem paradisum, sicut supra disputatum est, per agriculturam non laboriosam, sed deliciosam, et mentem prudentis magna atque utilia commonentem: custodiret autem eumdem paradisum ipsi sibi, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli. Denique accepit et præceptum, ut sit per quod sibi custodiat paradisum, id est, quo conservato non inde projiciatur. Recte enim quisque dicitur non custodisse rem suam, qui sic egit ut amitteret eam, etiamsi alteri salva sit, qui eam vel invenit vel accipere meruit.

23. Est alius in his verbis sensus, quem puto non immerito præponendum, ut ipsum hominem operaretur Deus et custodiret (*a*). Sicut enim operatur homo terram, non ut eam faciat esse terram, sed ut cultam atque fructuosam: sic Deus hominem multo magis, quem ipse creavit ut homo sit, eum ipse operatur ut justus sit, si homo ab illo per superbiam non abscedat; hoc est enim apostatare a Deo, quod initium superbiæ Scriptura dicit: *Initium*, inquit, *superbiæ hominis apostatare a Deo* (*Eccli.* X, 14). Quia ergo Deus est incommutabile bonum, homo autem et secundum animam et secundum corpus mutabilis res est; nisi ad incommutabile bonum, quod est Deus, conversus substiterit, formari ut justus beatusque sit, non potest. Ac per hoc Deus idem qui creat hominem, ut homo sit, ipse operatur hominem atque custodit, ut etiam bonus beatusque sit. Quapropter qua locutione dicitur homo operari terram, quæ jam terra erat, ut ornata atque fecunda sit, ea locutione dicitur Deus operari hominem, qui jam homo erat, ut pius sapiensque sit, eumque custodire, quod homo sua potestate in se, quam illius supra se delectatus, dominationemque ejus contemnens tutus esse non possit.

(*a*) Altera tamen expositio aptius congruit hebræo, in quo pronomen *eum*, refertur ad *paradisum*, genere feminino cum ista voce conveniens.

CAPUT XI. — *Cur hic addita dictio*, Dominus. *Dominus verus.*

24. Proinde nullo modo vacare arbitror, sed nos aliquid, et magnum aliquid admonere, quod ab ipso divini libri hujus exordio, ex quo ita cœptus est, *In principio fecit Deus cœlum et terram*, usque ad hunc locum, nusquam positum est, Dominus Deus; sed tantum modo, *Deus:* nunc vero ubi ad id ventum est, ut hominem in paradiso constitueret, eumque per præceptum operaretur et custodiret, ita Scriptura locuta est, *Et sumpsit Dominus Deus hominem quem fecit, et posuit eum in paradiso operari eum et custodire:* non quod supra dictarum creaturarum Dominus non esset Deus; sed quia hoc nec propter Angelos, nec propter alia quæ creata sunt, sed propter hominem scribebatur, ad eum admonendum quantum ei expediat habere Dominum Deum, hoc est, sub ejus dominatione obedienter vivere, quam licentiose abuti propria potestate, nusquam hoc prius ponere voluit, nisi ubi perventum est ad eum in paradiso collocandum, operandum et custodiendum: ut non diceret sicut et cætera omnia superius, Et sumpsit Deus hominem quem fecit; sed diceret, *Et sumpsit Dominus Deus hominem, quem fecit, et posuit eum in paradiso operari eum*, ut justus esset, *et custodire*, ut tutus esset, ipsa utique dominatione sua, quæ non est illi sed nobis utilis. Ille quippe nostra servitute non indiget, nos vero dominatione illius indigemus, ut operetur et custodiat nos; et ideo verus solus est Dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram utilitatem salutemque servimus. Nam si nobis indigeret, eo ipso non verus Dominus esset, cum per nos ejus adjuvaretur necessitas, sub qua et ipse serviret. Merito ille in Psalmo: *Dixi*, inquit, *Domino*, *Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV, 2). Nec ita sentiendum est quod diximus, nos illi ad utilitatem nostram salutemque servire, tanquam aliud aliquid ab illo exspectemus quam eum ipsum, qui summa utilitas et salus nostra est. Sic enim eum gratis secundum illam vocem diligimus: *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 28).

CAPUT XII. — *Hominem non posse quidquam boni agere sine Deo. Discessus a Deo.*

25. Neque enim tale aliquid est homo, ut factus, deserente eo qui fecit, possit aliquid agere bene tanquam ex seipso; sed tota ejus actio bona, est converti ad eum a quo factus est, et ab eo justus, pius, sapiens, beatusque semper fieri: non fieri et recedere, sicut a corporis medico sanari et abire: quia medicus corporis operarius fuit extrinsecus, serviens naturæ intrinsecus operanti sub Deo, qui operatur omnem salutem gemino illo opere providentiæ, de quo supra locuti sumus (*Cap.* 9). Non ergo ita se debet homo ad Dominum convertere, ut cum ab eo factus fuerit ju-

stus abscedat, sed ita ut ab illo semper fiat. Eo quippe ipso cum ab illo non discedit, ejus ipse præsentia justificatur, et illuminatur, et beatificatur, operante et custodiente Deo, dum obedienti subjectoque dominatur.

26. Neque enim, ut dicebamus, sicut operatur homo terram, ut culta atque fecunda sit, qui cum fuerit operatus abscedit, relinquens eam vel aratam, vel satam, vel rigatam, vel si quid aliud, manente opere quod factum est, cum operator abscesserit, ita Deus operatur hominem justum, id est justificando eum, ut si abscesserit, maneat in abscedente quod fecit : sed potius sicut aer præsente lumine non factus est lucidus, sed fit; quia si factus esset, non autem fieret, etiam absente lumine lucidus maneret; sic homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuo tenebratur; a quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur.

27. Ille itaque operetur hominem bonum atque custodiat, qui incommutabiliter bonus est. Semper ab illo fieri, semperque perfici debemus, inhærentes ei, et in ea conversione quæ ad illum est permanentes, de quo dicitur, *Mihi autem adhærere Deo bonum est;* et cui dicitur, *Fortitudinem meam ad te custodiam* (*Psal.* LVIII, 10). Ipsius enim sumus figmentum, non tantum ad hoc ut homines simus, sed ad hoc etiam ut boni simus. Nam et Apostolus cum fidelibus ab impietate conversis, gratiam qua salvi facti sumus, commendaret (*Ephes.* II, 8-10) : *Gratia enim*, inquit, *salvi facti estis per fidem; et hoc non ex vobis, sed Dei donum est; non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum creati in Christo Jesu, in operibus bonis quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Et alibi cum dixisset, *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini;* ne sibi putarent tribuendum, tanquam ipsi se facerent justos et bonos, continuo subjecit : *Deus enim est qui operatur in vobis* (*Philipp.* II, 12, 13). *Sumpsit* ergo *Dominus Deus hominem quem fecit, et posuit eum in paradiso operari eum*, hoc est, operari in eo, *et custodire* eum.

CAPUT XIII. — *Cur homo prohibitus a ligno scientiæ boni et mali.*

28. *Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens : Ab omni ligno quod est in paradiso, edes ad escam; de ligno autem cognoscendi bonum et malum, non manducabitis de illo. Qua die autem ederitis ab eo, morte moriemini.* Si aliquid mali esset lignum illud, unde prohibuit hominem Deus, ejus ipsius mali natura venenatus videretur ad mortem. Quia vero ligna omnia in paradiso bona plantaverat (*Gen.* I, 12), qui fecit omnia bona valde, nec ulla ibi natura mali erat, quia nusquam est mali ulla natura (quod diligentius, si Dominus voluerit, disseremus, cum de illo serpente dicere cœperimus) ; ab eo ligno quod malum non erat prohibitus est, ut ipsa per se præcepti conservatio bonum illi esset, et transgressio malum.

29. Nec potuit melius et diligentius commendari quantum malum sit sola inobedientia, cum ideo reus iniquitatis factus est homo, quia eam rem tetigit contra prohibitionem, quam si non prohibitus tetigisset, non utique peccasset. Nam qui dicit, verbi gratia, Noli tangere hanc herbam, si forte venenosa est mortemque prænuntiat, si tetigerit, sequitur quidem mors contemptorem præcepti; sed etiam si nemo prohibuisset, atque ille tetigisset, nihilominus utique moreretur. Illa quippe res contraria saluti vitæque ejus esset, sive inde vetaretur, sive non vetaretur. Item cum quisque prohibet eam rem tangi, quæ non quidem tangenti, sed illi qui prohibuit obesset, velut si quisquam in alienam pecuniam misisset manum, prohibitus ab eo cujus erat pecunia illa; ideo esset prohibito peccatum, quia prohibenti poterat esse damnosum. Cum vero illud tangitur, quod nec tangenti obesset si non prohiberetur, nec cuiquam alteri quandolibet tangeretur; quare prohibitum est, nisi ut ipsius per se bonum obedientiæ, et ipsius per se malum inobedientiæ monstraretur?

30. Denique a peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo ne admitteretur, sola deberet jussio dominantis attendi. Quæ si sola attenderetur, quid aliud quam Dei voluntas attenderetur? quid aliud quam Dei voluntas amaretur? quid aliud quam Dei voluntas humanæ voluntati præponeretur? Dominus quidem cur jusserit, viderit; faciendum est a serviente quod jussit, et tunc forte videndum est a promerente cur jusserit. Sed tamen ut causam jussionis hujus non diutius requiramus, si hæc ipsa magna est utilitas homini quod Deo servit, jubendo Deus utile facit quidquid jubere voluerit, de quo metuendum non est, ne jubere quod inutile est possit.

CAPUT XIV. — *Ex divini præcepti contemptu experientia mali.*

31. Nec fieri potest ut voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat. Hoc expertus est homo contemnens præceptum Dei, et hoc experimento didicit quid interesset inter bonum et malum, bonum scilicet obedientiæ, malum autem inobedientiæ, id est, superbiæ et contumaciæ, perversæ imitationis Dei et noxiæ libertatis. Hoc autem in quo ligno accidere potuit, ex ipsa re, ut jam supra dictum est, nomen accepit (*Cap.* 6). Malum enim nisi experimento non sentiremus, quia nullum esset, si non fecissemus. Neque enim ulla natura mali est, sed amissio boni hoc nomen accepit. Bonum quippe incommutabile Deus est : homo autem quantum ad ejus naturam, in qua eum Deus condidit, pertinet, bonum est quidem, sed non incommutabile ut Deus. Mutabile autem bonum, quod est post incommutabile bonum, melius bonum fit, cum bono incommutabili adhæserit, amando atque serviendo rationali et propria voluntate. Ideo quippe et hæc magni boni natura est, quia et hoc accepit, ut possit summi boni adhærere naturæ. Quod si noluerit, bono se privat, et hoc ei malum est, unde per justitiam Dei etiam cruciatus consequitur. Quid enim tam iniquum, quam ut bene sit desertori boni? Neque ullo modo fieri potest ut ita sit : sed aliquando amissi superioris boni non sentitur malum, cum habetur quod

amatum est inferius bonum. Sed divina justitia est ut qui voluntate amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, dum naturarum creator ubique laudetur. Adhuc enim est bonum quod dolet amissum bonum : nam nisi aliquod bonum remansisset in natura, nullus boni amissi dolor esset in pœna.

32. Cui autem sine mali experimento placet bonum, id est, ut antequam boni amissionem sentiat, eligat tenere ne amittat, super omnes homines prædicandus est. Sed hoc nisi cujusdam singularis laudis esset, non illi puero tribueretur, qui ex genere Israel factus Emmanuel nobiscum Deus (*Matth.* I, 23), reconciliavit nos Deo, hominum et Dei homo mediator (I *Tim.* II, 5), Verbum apud Deum, caro apud nos (*Joan.* I, 1, 14), Verbum caro inter Deum et nos. De illo quippe propheta dicit, *Priusquam sciat puer bonum aut malum, contemnet malitiam, ut eligat bonum* (*Isai.* VII, 16, *sec.* LXX). Quomodo quod nescit, aut contemnit aut eligit, nisi quia hæc duo sciuntur aliter per prudentiam boni, aliter per experientiam mali? Per prudentiam boni malum scitur, etsi non sentitur. Tenetur enim bonum, ne amissione ejus sentiatur malum. Item per experientiam mali scitur bonum; quoniam quid amiserit, sentit, cui de bono amisso male fuerit. Priusquam sciret ergo puer per experientiam, aut bonum quo careret, aut malum quod boni amissione sentiret, contempsit malum ut eligeret bonum, id est, noluit amittere quod habebat, ne sentiret amittendo quod amittere non debebat. Singulare exemplum obedientiæ; quippe qui non venit facere voluntatem suam, sed ejus voluntatem a quo missus est (*Joan.* VI, 38) : non sicut ille qui elegit facere voluntatem suam, non ejus a quo factus est. Merito sicut per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita per unius obedientiam justi constituuntur multi (*Rom.* V, 19); quia sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur (I *Cor.* XV, 22).

CAPUT XV. — *Lignum scientiæ boni et mali cur sic appellatum.*

33. Frustra autem nonnulli acute obtusi sunt [1], cum requirunt quomodo potuerit appellari lignum dignoscentiæ boni et mali, antequam in eo transgressus esset homo præceptum, atque ipsa experientia dignosceret quid interesset inter bonum quod amisit, et malum quod admisit. Lignum enim tale nomen accepit, ut eo secundum prohibitionem non tacto caveretur, quod eo contra prohibitionem tacto sentiretur. Neque enim quia inde contra præceptum manducaverunt, ideo factum est illud lignum dignoscentiæ boni et mali; sed utique etiamsi obedientes essent, et nihil inde contra præceptum usurpassent, id recte vocaretur, quod ibi eis accideret, si usurpassent. Quemadmodum si vocaretur arbor saturitatis, quod inde possent homines saturari; numquid si nemo accessisset, ideo nomen illud esset incongruum? quandoquidem cum accederent et saturarentur, tunc probarent quam hoc recte arbor illa vocaretur.

[1] Antiqui codices, constanter, *obtunsi sunt* : ut et in lib. 4 de Doctrina Christ., n. 7, *obtunse*.

CAPUT XVI. — *Hominem ante mali experimentum potuisse intelligere quid esset malum.*

34. Et quomodo, inquiunt, intelligeret homo quod ei dicebatur lignum dignoscentiæ boni et mali, quando ipsum malum quid esset omnino nesciebat? Hoc qui sapiunt parum attendunt quemadmodum a contrariis notis sic pleraque intelligantur ignota, ut etiam verba rerum quæ non sunt, cum in loquendo interponuntur, nullus caliget auditor. Hoc enim quod omnino non est, nihil vocatur; et has duas syllabas nemo non intelligit, qui latine audit et loquitur. Unde, nisi cum sensus intuetur id quod est, et ejus privatione quid etiam non sit agnoscit? Sic et inane cum dicitur, intuendo corporis plenitudinem, privatione ejus tanquam contraria, quid dicatur inane intelligimus; sicut audiendi sensu non solum de vocibus, verum etiam de silentio judicamus : sic ex vita quæ inerat homini, posset ejus cavere contrarium, id est, vitæ privationem quæ mors vocatur; et ipsam causam qua perderet quod amabat, id est quodlibet factum suum quo fieret ut amitteret vitam, quibuslibet syllabis appellaretur, quemadmodum latine cum dicitur peccatum vel malum, tanquam signum ejus intelligeret, quod mente discerneret. Nos enim quomodo intelligimus, cum dicitur resurrectio, quam nunquam experti sumus? Nonne quia sentimus quid sit vivere, et ejus rei privationem vocamus mortem, unde reditum ad id quod sentimus, resurrectionem appellamus? et si quo alio nomine in quacumque lingua idipsum appellatur, menti utique signum insinuatur in voce loquentium, quo sonante agnoscat quod etiam sine signo cogitaret. Mirum est enim quemadmodum rerum quas habet amissionem, etiam inexpertam natura devitet. Quis enim pecora docuit devitationem mortis, nisi sensus vitæ? quis parvulum puerum adhærescere bajulo suo, si eum fuerit ex alto jacere minitatus? quod ex quodam tempore incipit, sed tamen antequam aliquid hujusmodi expertus sit.

35. Sic ergo illis primis hominibus jam vita erat dulcis, quam profecto amittere devitabant; idque ipsum quibuscumque modis vel sonis significantem Deum intelligere poterant : nec aliter eis posset persuaderi peccatum, nisi prius persuaderetur eos ex illo facto non esse morituros, id est, illud quod habebant et se habere gaudebant, non amissuros; unde suo loco loquendum est. Advertant itaque, si quos movet, quomodo potuerint intelligere inexperta nominantem vel minantem Deum; et videant nos omnium inexpertorum nomina, nonnisi ex contrariis quæ jam novimus, si privationum sunt, aut ex similibus, si specierum sunt, sine ullo æstu dubitationis agnoscere. Nisi forte aliquem movet quemadmodum loqui potuerint, vel loquentem intelligere, qui non didicerant vel crescendo inter loquentes, vel aliquo magisterio; quasi magnum fuerit Deo loqui eos docere, quos ita fecerat, ut hoc possent etiam ab hominibus discere, si essent a quibus.

CAPUT XVII. — *An utrique, Adamo et Evæ, datum sit præceptum.*

36. Merito sane quæritur utrum hoc præceptum viro tantum dederit Deus, an etiam feminæ? Sed nondum narratum est quemadmodum facta sit femina. An forte jam erat facta? sed hoc quemadmodum gestum sit quod prius erat gestum, postea recapitulando narratum est. Verba enim Scripturæ sic se habent: *Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens;* non dixit, præcepit eis: deinde sequitur, *Ab omni ligno quod est in paradiso esca edes;* non dixit, edetis. Deinde adjungit, *De ligno autem cognoscendi bonum et malum, non manducabitis de illo:* jam hic tanquam ad ambos pluraliter loquitur, et pluraliter præceptum terminat dicens, *Qua die autem ederitis ab eo, morte moriemini.* An sciens quod ei facturus erat mulierem, ita præcepit ordinatissime, ut per virum præceptum Domini ad feminam perveniret? Quam disciplinam in Ecclesia servat Apostolus, dicens: *Si quid autem discere volunt, domi viros suos interrogent* (I *Cor.* XIV, 35).

CAPUT XVIII. — *Quomodo Deus locutus sit homini.*

37. Item quæri potest quomodo nunc Deus locutus sit ad hominem quem fecit, jam certe sensu ac mente præditum, ut audire et intelligere loquentem valeret? Neque enim aliter præceptum posset accipere, quo transgresso reus [1] esset, nisi hoc acceptum intelligeret. Quomodo ergo illi locutus est Deus? Utrum intus in mente secundum intellectum, id est, ut sapienter intelligeret voluntatem ac præceptum Dei sine ullis corporalibus sonis vel corporalium similitudinibus rerum? Sed non sic existimo primo homini locutum Deum. Talia quippe Scriptura narrat, ut potius credamus sic esse Deum locutum homini in paradiso, sicut etiam postea locutus est Patribus, sicut Abrahæ, sicut Moysi, id est in aliqua specie corporali. Hinc est enim quod audierunt ejus vocem ambulantis in paradiso ad vesperam, et absconderunt se (*Gen.* III, 8).

CAPUT XIX. — *Ut intelligatur operatio Dei in creaturis, quid in primis de ipso sentiendum.*

38. Locus itaque magnus neque prætereundus proponitur, ut intueamur quantum possumus, quantum ipse adjuvare et donare dignatur, opus divinæ providentiæ bipartitum, quod superius cum de agricultura loqueremur, transitoria quadam occasione perstrinximus, ut inde jam inciperet legentis animus hoc assuescere contueri, quod adjuvat plurimum, ne quid indignum de ipsa Dei substantia sentiamus. Dicimus itaque ipsum summum, verum, unum ac solum Deum, Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, id est, Deum Verbumque ejus et utriusque Spiritum, Trinitatem ipsam, neque confusam, neque separatam, Deum qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest (I *Tim.* VI, 16), nec locorum vel finito vel infinito spatio contineri nec temporum vel finito vel infinito volumine variari. Neque enim est in ejus substantia qua Deus est, quod brevius sit in parte quam in toto, sicut necesse est esse quæ in locis immoto cardine moveatur: sic tota palma ab articulo sunt; aut fuit in ejus substantia quod jam non est, vel erit quod nondum est, sicut in naturis quæ possunt temporis mutabilitatem pati.

[1] Sic Mss. At editi, *quo transgressor ejus.*

CAPUT XX. — *Creatura corporalis loco et tempore, spiritualis tempore tantum, Creator ipse neutro modo mutabilis.*

39. Hic ergo incommutabili æternitate vivens creavit omnia simul, ex quibus currerent tempora, et implerentur loca, temporalibusque et localibus rerum motibus sæcula volverentur. In quibus rebus quædam spiritualia, quædam corporalia condidit, formans materiam quam nec alius nec nullus, sed omnino ipse informem ac formabilem instituit, ut formationem suam non tempore, sed origine præveniret. Spiritualem autem creaturam corporali præposuit; quod spiritualis tantummodo per tempora mutari posset, corporalis autem per tempora et loca. Exempli enim gratia, per tempus movetur animus, vel reminiscendo quod oblitus erat, vel discendo quod nesciebat, vel volendo quod nolebat: per loca autem corpus, vel a terra in cœlum, vel a cœlo in terram, vel ab oriente in occidentem, vel si quo alio simili modo. Omne autem quod movetur per locum, non potest nisi et per tempus simul moveri: at non omne quod movetur per tempus, necesse est etiam per locum moveri. Sicut ergo substantiam quæ movetur per tempus et locum, præcedit substantia quæ tantum per tempus; ita ipsam præcedit illa quæ nec per locum nec per tempus. Ac per hoc sicut per tempus et locum movet corpus ipse tantum per tempus motus conditus spiritus; ita per tempus movet conditum spiritum ipse nec per tempus nec per locum motus conditor Spiritus: sed spiritus creatus movet seipsum per tempus, et per tempus ac locum corpus; Spiritus autem creator movet seipsum sine tempore ac loco, movet conditum spiritum per tempus sine loco, movet corpus per tempus et locum.

CAPUT XXI. — *Quomodo Deus immotus moveat creaturas, exemplo animæ deprehendi.*

40. Quocirca quisquis intelligere conatur quemadmodum vere æternus et vere immortalis atque incommutabilis Deus, ipse nec per tempus nec per locum motus moveat temporaliter et localiter creaturam suam; non eum puto posse assequi, nisi prius intellexerit quemadmodum anima, hoc est spiritus creatus, non per locum, sed tantum per tempus motus, moveat corpus per tempus et locum. Si enim quod in seipso agitur capere nondum potest, quanto minus illud quod supra est?

41. Affecta quippe anima carnalium sensuum consuetudine, etiam seipsam cum corpore per locum moveri putat, dum id per locum movet. Quæ si possit diligenter inspicere, tanquam cardines membrorum corporis sui, quemadmodum articulatim dispositi sunt, a quibus initia motionum nitantur; inveniet ea quæ per spatia locorum moventur, nisi ab eis quæ loco fixa sunt, non moveri. Non enim movetur solus digitus, nisi manus fixa sit, a cujus articulo velut

cubiti, sic cubitus ab articulo humeri, humerus ab scapula cum movetur, stantibus utique cardinibus quibus motio nitatur, it per loci spatium quod movetur. Sic plantæ in talo est articulus, quo stante moveatur; sic cruris in genu et totius pedis in coxa : et nullius membri motus omnino est, quem voluntas movet, nisi ab aliquo articuli [1] cardine, quem nutus ejusdem voluntatis primitus figit, ut ab eo quod loci spatio non movetur, agi valeat quod movetur. Denique nec in ambulando pes levatur, nisi alius fixus totum corpus ferat, donec ille qui motus est a loco unde fertur, ad locum quo fertur, immoto articulo sui cardinis innitatur.

42. Porro, si in corpore nullum membrum per locum voluntas movet, nisi ab eo membri articulo quem non movet, cum et illa pars corporis quæ movetur, et illa qua fixa fit ut moveatur, corporeas habeant quantitates suas, quibus occupent spatia locorum suorum ; quanto magis ipse animæ nutus, cui membra deserviunt, ut quod placuerit figatur, unde id quod movendum est innitatur; cum anima non sit natura corporea, nec locali spatio corpus impleat, sicut aqua utrum sive spongiam; sed miris modis ipso incorporeo nutu commixta sit vivificando corpori, quo et imperat corpori, quadam intentione non mole : quanto magis, inquam, nutus ipse voluntatis ejus non per locum movetur, ut corpus per locum moveat, quando totum per partes movet, nec aliquas loco movet nisi per illas quas loco non movet?

CAPUT XXII. — *Quomodo Deus moveat, quomodo anima.*

43. Quod si intelligere difficile est, utrumque credatur, et quod creatura spiritualis non per locum mota moveat corpus per locum, et quod Deus non per tempus motus moveat creaturam spiritualem per tempus. Quod si de anima quisque non vult hoc credere, quod quidem sine dubio non solum crederet, verum etiam intelligeret, si eam posset, sicuti est, incorpoream cogitare : cui enim non facile occurrat, quod per locum non moveatur quod per loci spatia non distenditur? quidquid autem per loci spatia distenditur corpus est; ac per hoc consequens est ut anima per locum moveri non putetur, si corpus non esse credatur : sed, ut dicere cœperam, si de anima hoc quisque non vult credere, non nimis urgendus est. Substantiam vero Dei nisi credat nec per tempus nec per locum moveri, nondum perfecte incommutabilem credit.

CAPUT XXIII. — *Deus semper quietus, omnia tamen agens.*

44. Verum quia omnino incommutabilis est illa natura Trinitatis, et ob hoc ita æterna, ut ei aliquid coæternum esse non possit, ipsa apud seipsam et in seipsa sine ullo tempore ac loco, movet tamen per tempus et locum sibi subditam creaturam, naturas creans bonitate, voluntates ordinans potestate : ut in naturis nulla sit, quæ non ab illo sit; in voluntatibus autem nulla bona sit, cui non præsit, nulla mala sit, qua bene uti non possit. Sed quia non omnibus naturis dedit voluntatis arbitrium, illæ autem quibus dedit, potentiores ac superiores sunt; illæ naturæ quæ non habent voluntatem, subditæ sint necesse est illis quæ habent, et hoc ordinatione Creatoris, qui nunquam ita punit voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem. Cum igitur omne corpus et omnis anima irrationalis non habeat voluntatis arbitrium, subdita ista sunt eis naturis quæ præditæ sunt arbitrio voluntatis; nec omnibus omnia, sed sicut distribuit justitia Creatoris. Ergo Dei providentia regens atque administrans universam creaturam, et naturas et voluntates, naturas ut sint, voluntates autem ut nec infructuosæ bonæ, nec impunitæ malæ sint; subdit primitus omnia sibi, deinde creaturam corporalem creaturæ spirituali, irrationalem rationali, terrestrem cœlesti, femineam masculinæ, minus valentem valentiori, indigentiorem copiosiori. In voluntatibus autem, bonas sibi, cæteras vero ipsis servientibus sibi; ut hoc patiatur voluntas mala, quod ex jussu Dei fecerit bona, sive per seipsam, sive per malam, in rebus duntaxat quæ naturaliter sunt etiam malis voluntatibus subditæ, id est in corporibus. Nam in seipsis malæ voluntates habent interiorem pœnam suam, eamdem ipsam iniquitatem suam.

CAPUT XXIV. — *Quænam beatis Angelis subditæ creaturæ.*

45. Ac per hoc sublimibus Angelis Deo subdite fruentibus, et Deo beate servientibus, subdita est omnis natura corporea, omnis irrationalis vita, omnis voluntas vel infirma vel prava ; ut hoc de subditis vel cum subditis agant, quod naturæ ordo poscit in omnibus, jubente illo cui subjecta sunt omnia. Proinde illi in illo veritatem incommutabilem vident, et secundum eam suas dirigunt voluntates. Fiunt ergo illi participes æternitatis, veritatis, voluntatis ejus semper [1], sine tempore et loco. Moventur autem ejus imperio etiam temporaliter, illo non temporaliter moto. Nec ita ut ab ejus contemplatione resiliant aut defluant; sed simul et illum sine loco ac tempore contemplantur, et ejus in inferioribus jussa perficiunt, moventes se per tempus, corpus autem per tempus et locum, quantum eorum congruit actioni. Et ideo Deus bipartito providentiæ suæ opere præest universæ creaturæ; naturis, ut fiant; voluntatibus autem, ut sine suo jussu vel permissu nihil faciant.

CAPUT XXV. — *Natura universitatis, partesque ejus quomodo a Deo administrentur.*

46. Natura igitur universitatis corporalis non adjuvatur extrinsecus corporaliter. Neque enim est extra eam ullum corpus, alioquin non est universitas. Intrinsecus autem adjuvatur incorporaliter, Deo id agente ut omnino natura sit; quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia (*Rom.* XI, 36). Partes vero ejusdem universitatis et intrinsecus incorporaliter adjuvantur, vel potius fiunt, ut naturæ sint; et extrinsecus corporaliter, quo se melius habeant, sicut

[1] Editi, *articulrai*. Mss., *atriculi*.

[1] Sic Mss. At editi, *voluntatem ejus semper facientes*.

alimentis, agricultura, medicina, et quæcumque etiam ad ornatum fiunt, ut non solum salvæ ac fecundiores, verum etiam decentiores sint.

47. Spiritualis autem creata natura si perfecta atque beata est, sicut Angelorum sanctorum, quantum attinet ad seipsam, quo sit, sapiensque sit, nonnisi intrinsecus incorporaliter adjuvatur. Intus ei quippe loquitur Deus miro et ineffabili modo, neque per scripturam corporalibus instrumentis affixam, neque per voces corporalibus auribus insonantes, neque per corporum similitudines, quales in spiritu imaginaliter fiunt, sicut in somnis, vel in aliquo excessu spiritus, quod græce dicitur ἔκστασις, et nos eo verbo jam utimur pro latino : quia et hoc genus visionum, quamvis interius fiat quam sunt ea quæ animo per sensus corporis nuntiantur ; tamen quia simile est eis, ita ut cum fit, discerni ab eis aut omnino non possit, aut certe vix et rarissime possit, et quia exterius est quam illud quod in ipsa incommutabili veritate mens rationalis et intellectualis intuetur, eaque luce de his omnibus judicat ; inter illa quæ extrinsecus fiunt arbitror esse deputandum. Creatura ergo spiritualis et intellectualis perfecta et beata, qualis Angelorum est, sicut dixi, quantum attinet ad seipsam quo sit, sapiensque ac beata sit, nonnisi intrinsecus adjuvatur æternitate, veritate, charitate Creatoris. Extrinsecus vero si adjuvari dicenda est, eo fortasse solo adjuvatur, quod invicem vident, et de sua societate gaudent in Deo, et quod perspectis etiam in eis ipsis omnibus creaturis, undique gratias agit laudatque Creatorem. Quod autem attinet ad creaturæ angelicæ actionem, per quam universarum rerum generibus, maximeque humano providentia Dei prospicitur ; ipsa extrinsecus adjuvat, et per illa visa quæ similia sunt corporalibus, et per ipsa corpora quæ angelicæ subjacent potestati.

CAPUT XXVI. — *Deus semper idem et immotus administrat omnia.*

48. Quæ cum ita sint, cum Deus omnipotens et omnitenens, incommutabili æternitate, veritate, voluntate semper idem, non per tempus nec per locum motus, movet per tempus creaturam spiritualem, movet etiam per tempus et locum creaturam corporalem ; ut eo motu naturas quas intrinsecus substituit, etiam extrinsecus [1] administret, et per voluntates sibi subditas, quas per tempus, et per corpora sibi atque illis voluntatibus subdita, quæ per tempus et locum movet, eo tempore ac loco cujus ratio in ipso Deo vita est sine tempore ac loco : cum ergo tale aliquid Deus agit, non debemus opinari ejus substantiam qua Deus est, temporibus locisque mutabilem, aut per tempora et loca mobilem, sed in opere divinæ providentiæ ista cognoscere ; non in illo opere quo naturas creat, sed in illo quo intrinsecus creatas etiam extrinsecus administrat, cum sit ipse, nullo locorum vel intervallo vel spatio, incommutabili excellentique potentia et interior omni re, quia in ipso sunt omnia, et exterior omni re, quia ipse est super omnia. Item nullo temporum vel intervallo vel spatio, incommutabili æternitate et antiquior est omnibus, quia ipse est ante omnia, et novior omnibus, quia idem ipse post omnia.

CAPUT XXVII. — *Quomodo locutus sit Deus Adæ.*

49. Quapropter cum audimus Scripturam dicentem, *Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicens : Ab omni ligno quod est in paradiso esca edes ; de ligno autem cognoscendi bonum et malum, non manducabitis de illo. Qua die autem ederitis ab eo, morte moriemini* ; si modum quærimus quomodo ista locutus sit Deus, modus quidem ipse a nobis proprie comprehendi non potest : certissime tamen tenere debemus, Deum aut per suam substantiam loqui, aut per sibi subditam creaturam ; sed per substantiam suam non loqui nisi ad creandas omnes naturas, ad spirituales vero atque intellectuales non solum creandas, sed etiam illuminandas, cum jam possunt capere locutionem ejus, qualis est in Verbo ejus quod in principio erat apud Deum, et Deus erat Verbum, per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 1-3). Illis autem qui eam capere non possunt, cum loquitur Deus, nonnisi per creaturam loquitur, aut tantummodo spiritualem, sive in somnis, sive in ecstasi in similitudine rerum corporalium ; aut etiam per ipsam corporalem, dum sensibus corporis vel aliqua species apparet, vel insonant voces.

50. Si ergo Adam talis erat, ut posset capere illam locutionem Dei, quam mentibus angelicis per suam præbet substantiam ; non dubitandum est quod ejus mentem per tempus moverit miro et ineffabili modo, non motus ipse per tempus, eique utile ac salubre præceptum veritatis impresserit, et quæ transgressori pœna deberetur, ea ipsa ineffabiliter veritate monstraverit : sicut audiuntur vel videntur omnia bona præcepta in ipsa incommutabili Sapientia, quæ in animas sanctas se transfert (*Sap.* VII, 27) ex aliquo tempore, cum ipsius nullus sit motus in tempore. Si autem ad eum modum Adam justus erat, ut ei adhuc opus esset alterius creaturæ sanctioris et sapientioris auctoritas, per quam cognosceret Dei voluntatem atque jussionem, sicut nobis Prophetæ, sicut ipsis Angeli ; cur ambigimus per aliquam hujusmodi creaturam ei esse locutum Deum, talibus vocum signis quæ intelligere posset ? Illud enim quod postea scriptum est, cum peccassent eos audisse vocem Domini Dei ambulantis in paradiso (*Gen.* III, 8), quia non per ipsam Dei substantiam, sed per subditam ei creaturam factum est, nullo modo dubitat qui fidem catholicam sapit. Ad hoc enim et aliquanto latius de hac re disserere volui, quia nonnulli hæretici (*a*) putant substantiam Filii Dei nullo assumpto corpore per seipsam esse visibilem, et ideo antequam ex Virgine corpus acciperet, ipsum visum esse Patribus opinantur, tanquam de solo Deo Patre dictum sit, *Quem nemo hominum vidit, nec videre potest* (I *Tim.* VI, 16) ; quia Filius visus sit ante acceptam servi formam, etiam per ipsam substantiam suam : quæ impietas

[1] Mss. aliquot hic et paulo infra, *etiam intrinsecus*

(*a*) Ariani.

procul a catholicis mentibus repellenda est. Sed de hoc plenius alias, si Domino placuerit, disseremus: nunc terminato isto volumine, id quod sequitur, quomodo sit mulier ex viri sui latere creata, in consequentibus parandum est.

LIBER NONUS.

De eo quod legitur, Gen. cap. 2, vers. 18 : *Et dixit Dominus Deus : Non est bonum hominem esse solum*, etc., usque ad illud, vers. 24 : *Et erunt duo in carne una.*

CAPUT PRIMUM. — *Cur dictum sit*, Et finxit Deus adhuc de terrâ, *etc. De Terræ vocabulo.*

1. *Et dixit Dominus Deus : Non bonum est hominem esse solum; faciamus ei adjutorium secundum ipsum. Et finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cœli, et adduxit illa ad Adam, ut videret quid vocaret illa. Et omne quodcumque vocavit illud Adam animam vivam, hoc est nomen ejus. Et vocavit Adam nomina omnibus pecoribus, et omnibus volatilibus cœli, et omnibus bestiis agri. Ipsi autem Adam non est inventus adjutor similis ei. Et immisit Deus ecstasim in Adam, et obdormivit. Et accepit unam costarum ejus, et adimplevit carnem in loco ejus : et ædificavit Dominus Deus costam, quam accepit de Adam, in mulierem; et adduxit eam ad Adam. Et dixit Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; hæc vocabitur mulier, quoniam ex viro suo sumpta est. Et propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et conglutinabitur uxori suæ; et erunt duo in carne una.* Si aliquid adjuvant lectorem, quæ in libris superioribus considerata atque conscripta sunt, non debemus in hoc diutius immorari, quod *finxit adhuc Deus de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cœli* : cur enim dictum sit, *adhuc*, id est propter [1] primam conditionem creaturarum sex diebus consummatam, in qua causaliter perfecta sunt omnia simul et inchoata, ut deinde ad effectus suos causæ perducerentur, jam quantum potuimus, in præcedentibus intimavimus (*Lib.* 6, *cap.* 5). Et si quis hoc aliter enodandum putat, tantum diligenter attendat illa omnia, quæ ut hoc sentiremus attendimus; et si probabiliorem inde potuerit enucleare sententiam, non solum resistere non debemus, sed debemus etiam gratulari.

2. Si quem autem movet quia non dixit, Finxit Deus adhuc de terra omnes bestias agri, et de aquis omnia volatilia cœli, sed tanquam utraque genera de terra finxerit, *Et finxit*, inquit, *Deus adhuc de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cœli*; videat duobus modis esse intelligendum : aut tacuisse nunc unde finxerit volatilia cœli, quia et tacitum posset occurrere, ut non de terra utrumque accipiatur Deum finxisse, sed tantummodo bestias agri; ut volatilia cœli etiam tacente Scriptura intelligamus unde finxerit, velut qui sciamus in prima causalium rationum conditione ex aquis ea esse producta : aut terram universaliter sic appellatam simul cum aquis, quemadmodum appellata est in illo psalmo, ubi cœlestium laudibus terminatis, ad terram facta est conversio sermonis, et dictum, *Laudate Dominum de terra, dracones et omnes abyssi*, etc. (*Psal.* CXLVIII, 7), nec postea dictum est, Laudate Dominum de aquis. Ibi enim sunt omnes abyssi, quæ tamen de terrâ laudant Dominum : ibi etiam reptilia et volatilia pennata, quæ nihilominus de terra laudant Dominum. Secundum istam universalem appellationem terræ, secundum quam etiam de toto mundo dicitur, Deus qui fecit cœlum et terram, sive de arida sive de aquis quæcumque creata sunt, de terra creata veraciter intelliguntur.

CAPUT II. — *Quomodo id locutus sit Deus :* Non est bonum, *etc.*

3. Nunc jam videamus quomodo accipiendum sit quod dixit Deus, *Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adjutorium secundum ipsum* : utrum temporaliter vocibus ac syllabis editis hoc dixerit Deus; an ipsa ratio commemorata est, quæ in Verbo Dei principaliter erat, ut sic femina fieret : quam rationem suscipiebat etiam tunc Scriptura cum diceret, *Et dixit Deus, Fiat* hoc aut illud, quando primitus omnia condebantur. An forte in mente ipsius hominis hoc dixit Deus, sicut loquitur quibusdam servis suis in ipsis servis suis? Ex quo genere servorum ejus erat etiam ille qui dixit in Psalmo : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV, 9). An aliqua de hac re ipsi homini in ipso homine per angelum est facta revelatio in similitudinibus vocum corporalium, quamvis tacuerit Scriptura utrum in somnis, an in ecstasi; ita enim fieri hæc solent : an aliquo alio modo, sicut revelatur Prophetis; unde illud est, *Et dixit mihi angelus qui loquebatur in me* (*Zach.* II, 3) : an per corporalem creaturam vox ipsa sonuerit, sicut de nube, *Hic est Filius meus* (*Matth.* III, 17). Quid ergo ex his omnibus factum sit, ad liquidum comprehendere non valemus; verumtamen certissime teneamus et dixisse hoc Deum, et si corporali voce vel temporaliter expressa similitudine corporis dixit, non eum per substantiam suam, sed per aliquam imperio suo subditam dixisse creaturam, sicut in libro præcedente tractavimus (*Cap.* 27).

4. Nam visus est Deus etiam postea sanctis viris, alias capite albo sicut lana, alias inferiore parte corporis sicut aurichalcum (*Apoc.* I, 14, 15), alias aliter atque aliter : non tamen illas visiones hominibus per substantiam quæ ipse est, sed per sibi subdita quæ creavit, eum præbuisse, et per similitudines formarum vocumque corporalium, quod voluit ostendisse ac

[1] Legebatur in editis, *præter*. At in Mss., *propter*, quod in eumdem sensum redit.

dixisse, certissimum est eis qui substantiam Trinitatis incommutabiliter æternam, nec per tempus nec per locum moveri, et per tempus et per locum movere vel fideliter credunt, vel etiam excellenter intelligunt. Non ergo jam quæramus quomodo istud dixerit, sed potius intelligamus quid dixerit. Adjutorium quippe homini secundum ipsum fuisse faciendum, æterna ipsa veritas habet, per quam creata sunt omnia; et in illa hoc audit qui potest in ea cognoscere quid quare creatum sit.

CAPUT III. — *Mulier in adjutorium propter sobolem facta.*

5. Si autem quæritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, sicut adjutorium semini terra est, ut virgultum ex utroque nascatur : hoc enim et in prima rerum conditione dictum erat, *Masculum et feminam fecit eos, et benedixit eos Deus, dicens : Crescite, et multiplicamini, et implete terram, et dominamini ejus* (*Gen.* I, 27, 28). Quæ ratio conditionis et conjunctionis masculi et feminæ atque benedictio, nec post peccatum hominis pœnamque defecit. Ipsa enim est secundum quam nunc terra hominibus plena est dominantibus ejus.

6. Quanquam enim jam emissi de paradiso convenisse et genuisse commemorentur; tamem non video quid prohibere potuerit, ut essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ, et torus immaculatus (*Hebr.* XIII, 4) : hoc Deo præstante fideliter justeque viventibus, eique obedienter sancteque servientibus, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore ac dolore pariendi, fetus ex eorum semine gignerentur; non ut morientibus parentibus filii succederent, sed ut illis qui genuissent in aliquo formæ statu manentibus, et ex ligno vitæ, quod ibi plantatum erat, corporalem vigorem sumentibus, et illi qui gignerentur ad eumdem perducerentur statum, donec certo numero impleto, si juste omnes obedienterque viverent, tunc fieret illa commutatio, ut sine ulla morte animalia corpora conversa in aliam qualitatem, eo quod ad omnem nutum regenti se spiritui deservirent, et solo spiritu vivificante sine ullis alimentorum corporalium sustentaculis viverent, spiritualia vocarentur. Potuit hoc fieri, si non præcepti transgressio mortis supplicium mereretur.

7. Qui enim hoc fieri potuisse non credunt, nihil aliud quam consuetudinem naturæ jam post peccatum pœnamque humanam sic currentis attendunt : non autem in eorum genere nos esse debemus, qui non credunt nisi quod videre consueverunt. Quis enim dubitet homini obedienter et pie viventi præstari potuisse quod diximus, qui non dubitat vestibus Israelitarum impertitum esse quemdam in suo genere statum, ut per annos quadraginta nulla vetustatis detrimenta paterentur (*Deut.* XXIX, 5)?

CAPUT IV. — *Quare non coierint primi parentes in paradiso.*

8. Cur ergo non coierunt, nisi cum exiissent de paradiso? Cito responderi potest, Quia mox creata muliere, prius quam coirent, facta est illa transgressio, cujus merito in mortem destinati, etiam de loco illius felicitatis exierunt. Non enim Scriptura tempus expressit, quantum interfuerit inter eos factos, et ex eis natum Cain. Potest etiam dici quia nondum Deus jusserat ut coirent. Cur enim non ad hanc rem divina exspectaretur auctoritas, ubi nulla concupiscentia tanquam stimulus inobedientis carnis urgebat? Ideo autem hoc non jusserat Deus, quia secundum suam præscientiam disponebat omnia, in qua et eorum casum procul dubio præsciebat, unde jam mortale genus propagandum esset humanum.

CAPUT V. — *Mulier facta in adjutorium non alia quam sobolis causa.*

9. Aut si ad hoc adjutorium gignendi filios, non est facta mulier viro, ad quod ergo adjutorium facta est? Si quæ simul operaretur terram; nondum erat labor ut adjumento indigeret, et si opus esset, melius adjutorium masculus fieret : hoc et de solatio dici potest, si solitudinis fortasse tædebat. Quanto enim congruentius ad convivendum et colloquendum duo amici pariter quam vir et mulier habitarent? Quod si oportebat alium jubendo, alium obsequendo pariter vivere, ne contrariæ voluntates pacem cohabitantium perturbarent; nec ad hoc retinendum ordo defuisset, quo prior unus, alter posterior, maxime si posterior ex priore crearetur, sicut femina creata est. An aliquis dixerit de costa hominis Deum feminam tantum, non etiam masculum, si hoc vellet, facere potuisse? Quapropter non invenio ad quod adjutorium facta sit mulier viro, si pariendi causa subtrahitur.

CAPUT VI. — *Filiorum successio qualis si Adam non peccasset.*

10. Nam si parentes filiis suis cedere ex hac vita oportebat, ut ita omne humanum genus per decessiones et successiones certa numerositate impleretur, potuerunt etiam homines genitis filiis, perfectaque humani officii justitia, hinc ad meliora transferri, non per mortem, sed per aliquam commutationem, aut illam summam qua receptis corporibus fient sancti sicut Angeli in cœlis (*Matth.* XXII, 30); aut si illam dari non oportet, nisi omnibus simul in sæculi fine, aliquam inferiorem quam illa erit : quæ tamen haberet meliorem statum, quam vel hoc corpus habet, vel illa etiam quæ primitus facta sunt, viri ex limo terræ, mulieris ex viri carne.

11. Neque enim arbitrandum est Eliam vel sic esse jam sicut erunt sancti, quando peracto operis die denarium pariter accepturi sunt (*Id.* XX, 10); vel sic quemadmodum sunt homines qui ex ista vita nondum emigrarunt, de qua ille tamen non morte, sed translatione migravit (IV *Reg.* II, 11). Jam itaque aliquid melius habet, quam in hac vita posset; quamvis nondum habeat quod ex hac vita recte gesta in fine habiturus est : pro nobis enim meliora providerunt [1], ne sine nobis perfecti perficerentur (*Hebr.* XI, 40). Aut si quisquam putat hoc Eliam mereri non potuisse, si

[1] Mss. tres, *provisa sunt.* Alii, *providerunt :* uti passim Augustinus ex Hebr. II, ad quem locum hic alludit.

duxisset uxorem, filiosque procreasset (creditur enim non habuisse, quia hoc Scriptura non dixit, quamvis et de cælibatu ejus nihil dixerit); quid de Enoch respondebit, qui filiis genitis Deo placens non mortuus, sed translatus est [1] (*Gen.* v, 24)? Cur ergo et Adam et Eva, si juste viventes caste filios procreassent, non eis possent translatione, non morte, succedentibus cedere? Nam si Enoch et Elias in Adam mortui, mortisque propaginem in carne gestantes, quod debitum ut solvant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, et, quod tamdiu dilatum est, morituri (*Malach.* iv, 5; *et Apoc.* xi, 3-7), nunc tamen in alia vita sunt, ubi ante resurrectionem carnis, antequam animale corpus in spirituale mutetur, nec morbo nec senectute deficiunt: quanto justius atque probabilius primis illis hominibus præstaretur, sine ullo suo parentumve peccato viventibus, ut in meliorem aliquem statum filiis genitis cederent, unde sæculo finito cum omni posteritate sanctorum, in angelicam formam, non per carnis mortem, sed per Dei virtutem multo felicius mutarentur?

CAPUT VII. — *Mulier pariendi causa. Unde laudabilis virginitas et nuptiæ. Matrimonii triplex bonum.*

12. Non itaque video ad quod aliud adjutorium mulier facta sit viro, si generandi causa subtrahitur: quæ nihilominus quare subtrahatur ignoro. Unde enim magnum magnique honoris meritum apud Deum fidelis et pia virginitas habet, nisi quia isto jam tempore continendi ab amplexu cum ex omnibus gentibus ad implendum sanctorum numerum largissima suppetat copia, percipiendæ sordidæ voluptatis libido non sibi vindicat quod jam sufficiendæ prolis necessitudo non postulat? Denique utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, recte excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis esse posset officium, sit ægrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malum est, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non est bonum: imo vero non propter illud malum culpabile est hoc bonum, sed propter hoc bonum veniale est illud malum; quoniam id quod bonum habent nuptiæ, et quo bonæ sunt nuptiæ peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est; fides, proles, sacramentum. In fide attenditur ne præter vinculum conjugale, cum altera vel altero concumbatur: in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: in sacramento autem, ut conjugium non separetur, et dimissus aut dimissa nec causa prolis alteri conjungatur. Hæc est tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fecunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas. Unde quia satis disseruimus in eo libro quem de Bono Conjugali nuper edidimus, ubi et continentiam vidualem et excellentiam virginalem pro suorum graduum dignitate distinximus, diutius hic noster stilus non est occupandus.

CAPUT VIII. — *Fuga vitiorum in contraria.*

13. Nunc enim quærimus cui adjutorio mulier facta sit viro, si eis ad gignendos filios misceri sibimet in paradiso non licebat. Qui enim hoc sentiunt, forte peccatum esse omnem concubitum putant. Difficile est namque, ut dum perverse homines vitia devitant, non in eorum contraria perniciter currant. Etenim sicut exhorrens avaritiam, fit profusus; aut exhorrens luxuriam, fit avarus; aut inquietus fit, cujus pigritiam reprehenderis; aut cujus inquietudinem, piger; aut qui reprehensus odisse cœperit audaciam suam, ad timiditatem fugit; aut qui timidus non esse conatur, tanquam abrupto vinculo fit temerarius, dum non ratione, sed opinione crimina metiuntur: ita dum nesciunt homines quid in adulteriis et fornicationibus divino jure damnetur, etiam causa procreandi conjugalem concubitum detestantur.

CAPUT IX. — *Mulier propter gignendos filios, etiamsi ex peccato non fuisset necessitas moriendi.*

14. Quod qui non faciunt, sed tamen fecunditatem carnis propter successionem mortalitatis divinitus datam sentiunt; nec ipsi putant primos illos homines potuisse concumbere, nisi, propter peccatum quod admiserant morituri, gignendo requirerent successores: nec attendunt, si recte potuerunt successores quæri morituris, multo rectius socios quæri potuisse victuris. Impleta enim terra genere humano, recte proles nonnisi quæ morientibus succederet, quæreretur: ut autem per duos homines terra impleretur, quomodo ipsi, nisi gignendo, officium societatis implerent? An vero ita quis cæcus est mente, ut non cernat quanto terris ornamento sit genus humanum, etiam cum a paucis recte laudabiliterque vivatur; quantumque valeat ordo reipublicæ, in cujusdam pacis terrenæ vinculum coercens etiam peccatores? Neque enim tantum depravati sunt homines, ut non etiam tales pecoribus et volatilibus antecellant; quorum tamen omnium generibus hanc infimam mundi partem pro sui loci sorte decoratam, quem non considerare delectet? Quis autem ita sit excors, ut putet minus eam ornari potuisse, si justis non morientibus impleretur?

15. Nam quia numerosissima est superna civitas Angelorum, ideo non recte connubio copularentur, nisi morerentur. Hanc quippe numerositatem perfectam etiam in resurrectione sanctorum Angelis sociandam Dominus præsciens ait, *In resurrectione neque nubent, neque uxores ducent; non enim incipient mori, sed erunt æquales Angelis Dei* (*Matth.* xxii, 30): hic vero cum implenda esset hominibus terra, et eam, propter cognationis arctiorem necessitudinem et unitatis vinculum maxime commendandum, ex uno oporteret impleri; propter quid aliud secundum ipsum quæsitus est femineus sexus adjutor, nisi ut serentem genus humanum natura muliebris, tanquam terræ fecunditas, adjuvaret?

CAPUT X. — *Libidinis morbus ex peccato.*

16. Quamvis honestius meliusque credatur, ita fuisse tunc illorum hominum corpus animale constitutorum in paradiso, nondum mortis lege damnatum, ut non haberent appetitum carnalis voluptatis, qualem nunc habent ista corpora, quæ jam ex mortis propagine ducta sunt. Neque enim nihil est in eis factum, cum de ligno prohibito edissent: quandoquidem Deus

[1] Editi, *sed vivus translatus est.* Abest *vivus* a Mss.

dixerat, non, Si ederitis, morte moriemini; sed, *Quo die ederitis, morte moriemini* (*Gen.* II, 17) : ut hoc ipsum in eis illa faceret dies, quod Apostolus gemit dicens, *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* VII, 22, 25). Non enim sufficeret ei, si diceret, Quis me liberabit de hoc mortali corpore? sed, *de corpore*, inquit, *mortis hujus*. Sicut etiam illud, *Corpus quidem*, inquit, *mortuum est propter peccatum* (*Id.* VIII, 10) : nec ibi ait mortale, sed *mortuum*; quamvis utique et mortale, quia moriturum. Non ita credendum est fuisse illa corpora, sed licet animalia, nondum spiritualia, non tamen mortua, id est, quæ necesse esset ut morerentur : quod eo die factum est, quo lignum contra vetitum [1] tetigerunt.

17. Sicut in ipsis nostris corporibus quædam pro suo modo sanitas dicitur, quæ si perturbata sic fuerit, ut letalis morbus jam viscera depascatur, quo inspecto, medici mortem imminere pronuntient; mortale utique corpus etiam tunc dicitur, sed aliter quam cum esset sanum, quamvis quandoque sine dubio moriturum : ita illi homines animalia quidem corpora gerentes, sed non moritura nisi peccassent, acceptura autem angelicam formam cœlestemque qualitatem, mox ubi præceptum transgressi sunt, eorum membris velut aliqua ægritudo letalis, mors ipsa concepta est; mutavitque illam qualitatem, qua corpori sic dominabantur, ut non dicerent, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*; quia etsi nondum spirituale, sed animale corpus erat, nondum tamen erat mortis hujus, de qua et cum qua nati sumus. Quid enim aliud, non dicam nati, sed omnino concepti, nisi ægritudinem quamdam inchoavimus, qua sumus necessario morituri? Neque enim tam necesse est eum ipso morbo mori, qui hydrops, vel dysentericus, vel elephantiosus factus fuerit, quam cum qui hoc corpus habere cœperit, in quo omnes homines natura sunt filii iræ (*Ephes.* II, 3), quia hoc non fecit nisi pœna peccati.

18. Quæ cum ita sint, cur non credamus illos homines ante peccatum ita genitalibus membris ad procreandos filios imperare potuisse, sicut cæteris, quæ in quolibet opere anima sine ulla molestia, et quasi pruritu voluptatis movet? Si enim Creator omnipotens ineffabiliterque laudandus, qui et in minimis suis operibus magnus est, apibus donavit ut sic operentur generationem filiorum, quemadmodum ceræ speciem liquoremque mellis; cur incredibile videatur primis hominibus talia fecisse corpora, ut si non peccassent, et morbum quemdam quo morerentur, continuo non concepissent, eo nutu imperarent membris quibus fetus exoritur, quo pedibus cum ambulatur, ut neque cum ardore seminaretur, neque cum dolore pareretur. Nunc vero transgrediendo præceptum, motum legis illius, quæ repugnat legi mentis, in membris concepta mortis habere meruerunt; quem nuptiæ ordinant, continentia cohibet et refrenat, ut quemadmodum de peccato factum est supplicium, sic de supplicio fiat meritum.

CAPUT XI. — *Femineus sexus conformatus propter sobolem, non tamen cum libidine, nisi homo peccasset, procreandam. Obedientia.*

19. Factam itaque feminam viro, de viro, in eo sexu, in ea forma et distinctione membrorum, qua feminæ notæ sunt; quæ peperit Cain et Abel, et omnes fratres eorum, ex quibus omnes homines nascerentur, in quibus peperit etiam Seth (*Gen.* IV, 1 *et* 25), per quem ventum est ad Abraham et ad populum Israel, gentemque omnibus jam notissimam gentibus, et per Noe filios omnes gentes; quisquis dubitaverit, omnia cogit nutare quæ credimus, longeque a fidelium mentibus repellendus est. Cum ergo quæritur ad quod adjutorium factus sit ille sexus viro, diligenter, quantum valeo, cuncta consideranti, nonnisi causa prolis occurrit, ut per eorum stirpem terra impleretur; sed non eo modo procreatam, quo nunc procreantur homines, cum inest peccati lex in membris repugnans legi mentis, etiamsi per Dei gratiam virtute superatur : hoc enim esse non potuisse credendum est, nisi in corpore mortis hujus, quod corpus mortuum est propter peccatum. Et quid hac pœna justius, quam ut non ad omnem nutum serviat corpus, id est, suus famulus animæ, sicut Domino suo detrectavit ipsa servire; sive utrumque ex parentibus creet Deus, corpus ex corpore, animam ex anima; sive alio modo faciat animas : non utique ad opus impossibile nec mercede parva, ut cum anima pietate Deo subdita legem istam peccati, quæ est in membris corporis mortis hujus, quam primus homo accepit in pœnam, vicerit ipsa per gratiam, præmium cœleste percipiat majore gloria, demonstrans quanta sit laus obedientiæ, quæ alienæ inobedientiæ pœnam potuit virtute superare?

CAPUT XII. — *Animalia vere adducta esse ad Adam, ut iis nomina imponeret: sed hac re gesta aliquid figurari.*

20. Sed quoniam cui adjutorio femina facta sit viro, satis, quantum existimo, requisitum est; illud jam videamus quare sit factum, quod adductæ sunt ad Adam omnes bestiæ agri, et omnia volatilia cœli, ut eis nomina imponeret; atque ita velut necessitas oriretur creandi ei feminam ex ejus latere, cum inter illa animalia simile illi adjutorium non fuisset inventum. Videtur enim mihi propter aliquam significationem propheticam factum, sed tamen factum, ut re gesta confirmata figuræ interpretatio libera relinquatur. Quid est enim hoc ipsum quod volatilibus terrestribusque animantibus, non etiam piscibus atque omnibus natatilibus Adam nomina imposuit? Si enim linguæ humanæ consulantur, sic appellantur hæc omnia, quemadmodum eis homines loquendo nomina imposuerunt. Non solum hæc quæ sunt in aquis et terris, verum etiam ipsa terra, et aqua, et cœlum, et quæ videntur in cœlo, et quæ non videntur, sed creduntur, pro diversitate linguarum gentilium, diversis nominibus ap-

[1] Sic Mss. In editis, *quo lignum vetitum.*

pellantur. Unam sane linguam primitus fuisse didicimus, antequam superbia turris illius post diluvium fabricatæ, in diversos signorum sonos humanam divideret societatem (*Gen.* XI, 1-8). Quæcumque autem illa lingua fuerit, quid attinet quærere ? Illa certe tunc loquebatur Adam, et in ea lingua, si adhuc usque permanet, sunt istæ voces articulatæ, quibus primus homo animalibus terrestribus et volatilibus nomina imposuit. Num igitur ullo modo credibile est, in eadem lingua nomina piscium non ab homine, sed divinitus instituta, quæ Deo docente homo postea disceret? Quod si ita etiam factum esset, quare ita factum esset, procul dubio mystica significatio resonaret. Sed credendum est, paulatim cognitis piscium generibus nomina imposita : tunc autem cum pecora, et bestiæ, et volatilia ad hominem adducta sunt, ut eis ad se congregatis, generatimque distinctis, nomina imponeret, quibus etiam ipsis paulatim, et multo citius quam piscibus, si hoc factum non esset, posset nomina imponere; quid fuit causæ, nisi ratio aliquid significandi, quod ad prænuntiationem futurorum valeret? Cui rei maxime ordo narrationis hujus invigilat.

21. Deinde, numquid ignorabat Deus, nihil tale se creasse in naturis animalium, quod simile adjutorium posset esse homini? An opus erat ut hoc etiam ipse homo cognosceret, et eo commendatiorem haberet uxorem suam, quod in omni carne creata sub cœlo, et de hoc aere sicut ipse vivente, nihil ejus simile invenerit? Mirum si hoc scire non posset, nisi omnibus ad se adductis atque perspectis. Si enim Deo credebat, posset hoc illi eo modo dicere, quomodo et præceptum dedit, quomodo et peccantem interrogavit, atque judicavit. Si autem non credebat, profecto neque hoc scire poterat, utrum ad eum omnia ille, cui non credebat, adduxerit; an forte in aliquibus ab illo remotioribus terræ partibus aliqua ei similia, quæ non demonstrasset, absconderit. Non itaque arbitror dubitandum hoc alicujus propheticæ significationis gratia factum, sed tamen factum.

22. Neque hoc opere suscepimus prophetica ænigmata perscrutari, sed rerum gestarum fidem ad proprietatem historiæ commendare, ut quod impossibile videri vanis atque incredulis potest, aut ipsi auctoritati sanctæ Scripturæ velut testificatione contraria repugnare, id pro meis viribus, quantum Deus adjuvat, disserendo demonstrem, neque impossibile esse, neque contrarium ; quod autem possibile quidem apparet, nec habet ullam speciem repugnantiæ, sed tamen quasi superfluum, vel etiam stultum quibusdam videri potest, hoc ipsum disputando demonstrem, quod ideo non [1] tanquam rerum gestarum naturali vel usitato ordine factum est, ut cordibus nostris fidelissima sanctarum Scripturarum auctoritate prælata, quia stultum esse non potest, mysticum esse credatur, quamvis ejus expositionem vel inquisitionem aut alibi jam exhibuerimus, aut in tempus aliud differamus.

[1] Negationem hic restituimus ex Mss.; quæ quidem in excusis immerito rejecta fuerat ad marginem.

CAPUT XIII. — *Formatio mulieris eo modo quo narratur facta est, ut quidpiam prænuntiaretur.*

23. Quid ergo sibi vult etiam illud, quod mulier viro de latere facta est? Verum esto propter ipsius conjunctionis vim commendandam hoc ita fieri oportuisse credamus; numquid etiam ut dormienti fieret, eadem ratio vel necessitas flagitabat ; ut denique osse detracto, in cujus locum caro suppleretur? Num enim non potuit ipsa caro detrahi, ut inde congruentius, quod sit sexus infirmior, mulier formaretur? An vero tam multis additis, costam Deus ædificare potuit in mulierem, et carnem pulpamve non potuit, qui de pulvere ipsum hominem fecit? Aut si jam costa fuerat detrahenda, cur non altera pro ea costa reposita est? Cur etiam non dictum est, Finxit, aut, fecit sicut in omnibus supra operibus ; sed, *ædificavit*, inquit, *Dominus Deus illam costam*, non tanquam corpus humanum, sed tanquam domum? Non est itaque dubitandum, quoniam hæc facta sunt et stulta esse non possunt, ob aliquid significandum esse facta, fructum futuri sæculi ab ipso jam primordio generis humani Deo præscio in ipsis suis operibus misericorditer prædicante; ut certo tempore servis suis, sive per hominum successiones, sive per suum Spiritum vel Angelorum ministerium revelata atque conscripta, et promittendis rebus futuris et recognoscendis impletis testimonium perhiberent : quod magis magisque in consequentibus apparebit.

CAPUT XIV. — *Quomodo animalia adducta ad Adam.*

24. Videamus ergo, quod isto opere suscepimus, non secundum præfigurationem rerum futurarum, sed secundum rerum gestarum non allegoricam, sed propriam significationem, quemadmodum hæc accipi possint : *Et finxit Deus*, inquit, *adhuc de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cœli;* unde jam quod visum est, et quantum visum est, disseruimus. *Et adduxit omnia ea ad Adam, ut videret quid ea vocaret.* Quomodo hæc adduxerit Deus ad Adam, ne carnaliter sapiamus, adjuvare nos debet quod de bipartito opere divinæ providentiæ in libro superiore tractavimus (*Cap.* 9, 19-26). Neque enim sicut indagant atque adigunt venantes vel aucupantes ad retia, quæcumque animantia capiunt, ita hoc factum esse credendum est; aut vox aliqua jussionis de nube facta est eis verbis, quæ rationales animæ audientes, intelligere, atque obedire assolent. Non enim hoc acceperunt ut possint bestiæ, vel aves : in suo tamen genere obtemperant Deo; non rationali voluntatis arbitrio, sed sicut movet ille omnia temporibus opportunis, non ipse temporaliter motus, per angelica ministeria, quæ capiunt in verbo ejus quid quo tempore fieri debeat : et illo non temporaliter moto, moventur ipsa temporaliter ut in iis quæ sibi subjecta sunt, jussa ejus efficiant.

25. Omnis enim anima viva, non solum rationalis, sicut in hominibus, verum etiam irrationalis, sicut in pecoribus, et volatilibus, et piscibus, visis movetur. Sed anima rationalis voluntatis arbitrio vel consentit visis, vel non consentit : irrationalis autem non ha-

bet hoc judicium; pro suo tamen genere atque natura viso aliquo tacta propellitur. Nec in potestate ullius [1] animæ est, quæ illi visa veniant, sive in sensum corporis, sive in ipsum spiritum interius: quibus visis appetitus moveatur cujuslibet animantis. Ac sic cum ea visa per Angelorum obedientiam desuper ministrantur, pervenit jussio Dei non solum ad homines, nec solum ad aves et pecora, verum etiam ad ea quæ sub aquis latent, sicut ad cetum qui glutivit Jonam (*Jonæ* II, 1): nec solum ad ista majora, verum etiam ad vermiculum; nam et huic legimus divinitus jussum, ut radicem cucurbitæ roderet, sub cujus umbraculo Propheta requieverat (*Id.* IV, 6, 7). Si enim homini donavit Deus, sic eum instituens, ut etiam carnem peccati portans, possit non solum pecora et jumenta suis usibus subdita, nec tantum domesticas aves, sed etiam libere volitantes [2] quaslibet etiam sævas feras et capere, et mansuetas facere, et eis mirabiliter imperare potentia rationis, non corporis; cum earum appetitus et dolores captans, paulatimque illectando, premendo, laxandoque moderans, agresti eas exuit consuetudine, et tanquam humanis moribus induit: quanto magis Angeli hoc possunt, qui jussione Dei in ipsa ejus, quam sempiterne intuentur, incommutabili veritate perspecta, moventes se per tempus, et corpora sibi subdita per tempus [3] et locum, agilitate mirabili, et visa quibus moveatur [4], et appetitum carnalis indigentiæ, valent efficere omni animæ vivæ, ut quo eam venire opus est, nesciens adducatur?

CAPUT XV. — *Formatio mulieris non per alium quam Deum.*

26. Jam ergo videamus, ipsa mulieris formatio, quæ mystice etiam ædificatio dicta est, quemadmodum facta sit. Natura quippe mulieris creata est, quamvis ex virili, quæ jam erat, non aliquo motu [5] jam existentium naturarum. Angeli autem nullam omnino possunt creare naturam: solus enim unus cujuslibet naturæ, seu magnæ seu minimæ, creator est Deus, id est ipsa Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Aliter ergo quæritur, quemadmodum sit soporatus Adam, costaque ejus sine ullo doloris sensu a corporis compage detracta sit. Hæc enim fortasse dicantur potuisse per Angelos fieri; formare autem vel ædificare costam, ut mulier esset, usque adeo non potuit nisi Deus, a quo universa natura subsistit, ut ne illud quidem carnis supplementum in corpore viri, quod in illius costæ successit locum, ab Angelis factum esse crediderim, sicut nec ipsum hominem de terræ pulvere: non quod nulla sit Angelorum opera, ut aliquid creetur, sed non ideo creatores sunt; quia nec agricolas creatores segetum atque arborum dicimus. Non enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (I *Cor.* III, 7). Ad hoc incrementum pertinet etiam in corpore humano, quod osse dempto, locus carne suppletus est, illo scilicet opere Dei, quo naturas substituit ut sint, quo ipsos quoque Angelos creavit.

27. Opus itaque agricolæ est ut aquam ducat cum rigat: non autem opus ejus est ut aqua per declivia prolabatur; sed illius qui omnia in mensura, et numero, et pondere disposuit (*Sap.* XI, 21). Item opus agricolæ est ut surculus avellatur ex arbore, terræque mandetur: at non opus ejus est ut succum imbibat, ut germen emittat, ut aliud ejus solo figat, quo radicem stabiliat, aliud in auras promoveat, quo robur nutriat, ramosque diffundat; sed illius qui dat incrementum. Medicus etiam ægro corpori alimentum adhibet, et vulnerato medicamentum: primum non de rebus quas creavit, sed quas creatas opere Creatoris invenit: deinde cibum vel potum præparare potuit et ministrare, emplastrum formare et medicamento illitum [1] apponere; num etiam ex iis quæ adhibet, operari et creare vires vel carnem potest? Natura id agit interiore motu, nobisque occultissimo. Cui tamen si Deus subtrahat operationem intimam, qua eam substituit et facit, continuo tanquam exstincta, nulla remanebit.

28. Quapropter cum Deus universam creaturam suam bipartito quodammodo opere providentiæ, de quo in superiore libro locuti sumus (*Cap.* 9, 19-26), et in naturalibus et in voluntariis motibus administret, creare naturam tam nullus angelus potest, quam nec seipsum. Voluntas vero angelica obedienter Deo subdita, ejusque exsecuta jussionem, naturalibus motibus de rebus subjectis tanquam materiam ministrare, ut secundum illas principales in Verbo Dei non creatas, vel secundum illas in primis sex dierum operibus causaliter creatas rationes aliquid in tempore creetur, more agricolandi vel medendi potest. Quale itaque ministerium Deo exhibuerint Angeli in illa mulieris formatione, quis audeat affirmare? Certissime tamen dixerim, supplementum illud carnis in costæ locum, ipsiusque feminæ corpus et animam conformationemque membrorum, omnia viscera, sensus omnes, et quidquid erat quo illa et creatura et homo et femina erat, nonnisi in illo opere Dei factum, quod Deus non per Angelos, sed per semetipsum, non operatus est et dimisit, sed ita continuanter operatur, ut nec ullarum aliarum rerum, nec ipsorum Angelorum natura subsistat, si non operetur.

CAPUT XVI. — *Tarditas ingenii humani non assequitur opera Dei.*

29. Sed quoniam carnem animatam atque sentientem, quantum naturam rerum pro humano captu experiri potuimus, non novimus nasci, nisi aut ex istis tanquam materialibus elementis, hoc est aqua et terra, aut ex fruticibus vel lignorum fructibus, vel etiam ex carnibus animalium, sicut innumerabilia genera vermium sive reptilium, aut certe ex concubitu parentum, nullam autem carnem natam scimus ex

[1] Sic Mss. In editis, *illius.*
[2] Sic Mss. At editi, *liberæ voluntatis.*
[3] Apud Lov. desunt hæc verba, *et corpora sibi subdita per tempus,* quæ exstant in cæteris codicibus.
[4] Editi, *et jussa quibus moveantur.* Mss. non omnes, *visa;* sed omnes, *moveatur,* scilicet anima viva.
[5] Hic Mss. magno consensu ferunt, *non aliqui motus.* An forte subintelligendum est, *erant?*

[1] Editi, *medicamenta ilico.* At Mss., *medicamento illitum.*

carne cujuslibet animantis, quæ tam esset ei similis, ut sexu tantum discerneretur; quærimus in rebus creationis hujus similitudinem, qua mulier de viri latere facta est, nec possumus invenire : non ob aliud, nisi quia homines quemadmodum operentur in hac terra novimus; quemadmodum autem Angeli in hoc mundo quodammodo agricolentur, non utique novimus. Nam profecto si remota hominum industria fruticum genus naturæ cursus operaretur, nihil aliud nossemus quam ex terra nasci arbores et herbas, et ex earum seminibus, ab eis itidem in terram cadentibus : numquid innotesceret nobis quid valeret insitio, ut alterius generis lignum radice propria, poma portaret aliena, et, coalescente unitate, jam sua? Hæc per agricolarum opera didicimus, cum ipsi creatores arborum nullo modo essent, sed naturæ cursum Deo creanti suum quoddam officium ministeriumque præberent. Nequaquam enim quidquam per eorum opera existeret, si hoc in Dei opere intima naturæ ratio non haberet. Quid ergo mirum si hominem ex osse hominis factam non novimus, quando creanti Deo quemadmodum Angeli serviant ignoramus; qui nec arborem ex arboris surculo in robore alieno factam nosse possemus, si et ista Deo creanti quemadmodum agricolæ serviant, similiter nesciremus?

30. Nullo modo tamen dubitamus et hominum et arborum nonnisi Deum esse creatorem, fideliterque credimus factam feminam ex viro, nullo interveniente concubitu, etiamsi forte costa hominis ministrata sit per Angelos in opere Creatoris : sicut fideliter credimus etiam virum factum ex femina nullo interveniente concubitu, cum semen Abrahæ dispositum est (*a*) per Angelos in manu mediatoris (*Galat.* III, 19). Utrumque infidelibus incredibile est; fidelibus autem cur ad rei gestæ proprietatem quod de Christo factum est, et tantum ad figuratam significationem quod de Eva scriptum est, credibile videatur [1]? An vero sine cujusquam concubitu vir ex femina fieri potuit, femina ex viro non potuit? et virginalis uterus unde vir fieret habebat, virile autem latus unde femina fieret non habebat, cum hic Dominus de famula nasceretur, ibi de servo famula formaretur? Poterat et Dominus carnem suam de costa vel de aliquo membro Virginis creare; sed qui posset ostendere in corpore suo hoc se iterum fecisse quod factum est, utilius in matris corpore ostendit nihil pudendum esse quod castum est.

CAPUT XVII. — *Mulieris formandæ ratio an in hominis causali conditione ad sextum diem pertinere præexstabat.*

31. Quod si quæritur, quomodo se habeat causalis illa conditio, in qua primum hominem Deus fecit ad imaginem ac similitudinem suam (ibi quippe et hoc dictum est, *Masculum et feminam fecit eos* [*Gen.* I, 27)]: utrum jam illa ratio, quam mundi primis operibus concreavit, atque concrevit Deus, id habebat, ut secundum eam jam necesse esset ex viri latere feminam fieri; an hoc tantum habebat ut fieri posset, ut autem ita fieri necesse esset, non ibi jam conditum, sed in Deo erat absconditum : si hoc ergo quæritur, dicam quid mihi videatur sine affirmandi temeritate; quod tamen cum dixero, fortasse prudenter ista considerantes, quos jam christiana fides imbuit, etiam si nunc primitus ista cognoscunt, non esse dubitandum judicabunt.

32. Omnis iste naturæ usitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas, secundum quas et spiritus vitæ, qui creatura est, habet quosdam appetitus suos determinatos quodammodo, quos etiam mala voluntas non possit excedere. Et elementa mundi hujus corporei habent definitam vim qualitatemque suam, quid unumquodque valeat vel non valeat, quid de quo fieri possit vel non possit. Ex his velut primordiis rerum, omnia quæ gignuntur, suo quoque tempore exortus processusque sumunt, finesque et decessiones sui cujusque generis. Unde fit ut de grano tritici non nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus. Super hunc autem motum [1] cursumque rerum naturalem, potestas Creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi seminales rationes habent, non tamen id quod non in eis posuit ut de his fieri vel ab ipso possit [2]. Neque enim potentia temeraria, sed sapientiæ virtute omnipotens est; et hoc de unaquaque re in tempore suo facit, quod ante in ea fecit ut possit. Alius ergo est rerum modus quo illa herba sic germinat, illa sic; illa ætas parit, illa non parit; homo loqui potest, pecus non potest. Horum et talium modorum rationes non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditæ atque concreatæ [3]. Ut autem lignum de terra excisum, aridum, perpolitum, sine radice ulla, sine terra et aqua repente floreat, et fructum gignat (*Num.* XVII, 8), ut per juventam sterilis femina in senecta pariat (*Gen.* XVIII, 11, *et* XXI, 2), ut asina loquatur (*Num.* XXII, 28), et si quid ejusmodi est, dedit quidem naturis, quas creavit, ut ex eis et hæc fieri possent (neque enim ex eis vel ille faceret quod ex eis fieri non posse ipse præfigeret, quoniam seipso non est nec ipse potentior) : verumtamen alio modo dedit, ut non hæc haberent in motu naturali, sed in eo quo ita creata essent, ut eorum natura voluntati potentiori amplius subjaceret.

CAPUT XVIII. — *Mulieris formandæ ratio sic præexistebat uti erat Mysterio conveniens.*

33. Habet ergo Deus in seipso absconditas quorumdam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit; easque implet non illo opere providentiæ, quo naturas substituit ut sint, sed illo quo eas administrat ut voluerit, quas ut voluit condidit. Ibi est et gratia, per quam salvi fiunt peccatores. Nam quod attinet ad naturam iniqua sua voluntate depravatam, recursum per semetipsam non habet, sed per Dei gratiam, qua

[1] In editis, *non videatur*. Abest *non* a Mss.
(*a*) II Retract. c. 24, n. 2.

[1] Mss. sex, *modum*.
[2] Sic Mss. omnes. At excusi sublata negatione perperam ferebant : *Quod in eis posuit, ut de his fieri vel absque ipso possit.*
[3] Mss., *concretæ*.

adjuvatur et instauratur. Neque enim desperandi sunt homines in illa sententia, in qua scriptum est : *Omnes qui ambulant in ea, non revertentur* (*Prov.* II, 19). Dictum est enim secundum pondus iniquitatis suæ, ut quod revertitur, qui revertitur, non sibi tribuat, sed gratiæ Dei, non ex operibus, ne forte extollatur (*Ephes.* II, 9).

34. Propterea mysterium gratiæ hujus Apostolus absconditum dixit, non in mundo, in quo sunt absconditæ causales rationes omnium rerum naturaliter oriturarum, sicut absconditus erat Levi in lumbis Abrahæ, quando et ipse decimatus est (*Hebr.* VII, 9, 10); sed in Deo, qui universa creavit. Quamobrem omnia etiam quæ ad hanc gratiam significandam, non naturali motu rerum, sed mirabiliter facta sunt, eorum etiam absconditæ causæ in Deo fuerant : quorum etiam si unum erat [1], quod ita mulier facta est de latere viri, et hoc dormientis, quæ per ipsum firma facta est, tanquam ejus osse firmata, ille autem propter ipsam infirmus, quia in locum costæ non costa sed caro suppleta est; non habuit hoc prima rerum conditio, quando sexto die dictum est, *Masculum et feminam fecit eos*, ut femina omnino sic fieret; sed tantum hoc habuit, quia et sic fieri posset, ne contra causas quas voluntate instituit, mutabili voluntate aliquid fieret. Quid autem fieret, ut omnino aliud futurum non esset, absconditum erat in Deo, qui universa creavit.

35. Sed quoniam sic dixit absconditum, ut innotesceret principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei (*Ephes.* III, 9, 10); probabiliter creditur, sicut illud semen cui promissum est, dispositum est per Angelos in manu mediatoris, sic omnia quæ ad ipsius seminis adventum vel prænuntiandum vel annuntiandum in rerum natura, præter usitatum naturæ cursum mirabiliter facta sunt, ministrantibus Angelis esse facta : ut tamen ubique creator vel reparator creaturarum non sit, nisi qui plantatore et rigatore quolibet solus incrementum dat Deus (I *Cor.* III, 7).

[1] Sic Mss. Editi vero habent, *etiam summum erat*.

CAPUT XIX. — *Ecstasis Adæ.*

36. Ac per hoc etiam illa ecstasis quam Deus immisit in Adam, ut soporatus obdormiret, recte intelligitur ad hoc immissa, ut et ipsius mens per ecstasim particeps fieret tanquam angelicæ curiæ, et intrans in sanctuarium Dei intelligeret in novissima [1] (*Psal.* LXXII, 17). Denique evigilans tanquam prophetiæ plenus, cum ad se adductam costam [2], mulierem suam videret, eructavit continuo, quod magnum sacramentum commendat Apostolus (*Ephes.* V, 31, 32) : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Hæc vocabitur mulier, quoniam de viro suo sumpta est : et propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una.* Quæ verba cum primi hominis fuisse Scriptura ipsa testetur, Dominus tamen in Evangelio Deum dixisse declaravit. Ait enim, *Non legistis quia qui fecit* [3] *ab initio, masculum et feminam fecit eos : et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una* (*Matth.* XIX, 4)? ut hinc intelligeremus propter ecstasim quæ præcesserat in Adam, hoc eum divinitus tanquam prophetam dicere potuisse. Sed jam iste hujus libri terminus placet, ut ea quæ sequuntur, ab alio exordio renovent intentionem legentium.

[1] Editi, *intelligeret novissima*. At Mss., *in novissima* : uti passim Augustinus in Psal. LXXII, 17, juxta græc. interpr. LXX, *sunô eis ta eschata*.

[2] Nonnulli codices omittunt, *costam*. Et paulo post Mss. pervetusti scriptum habent, *eructuavit*.

[3] Vulgata versio in Evangelio addit hic, *hominem* : quæ vox abest a græco textu, imo et a latino in Germanensibus Bibliis Mss., necnon ab omnibus libris in hoc opere Augustini.

LIBER DECIMUS.

In quo tractatur de animarum origine.

CAPUT PRIMUM. — *Animam mulieris ex anima viri factam esse quorumdam opinio.*

1. Jam quidem ordo ipse videtur exposcere ut de peccato primi hominis disseramus; sed quia de carne mulieris, quemadmodum facta sit, Scriptura narravit, tacuit autem de anima, multo magis nos fecit intentos, ut de hoc diligentius inquiramus, quonam modo refelli possint, sive non possint, qui credunt animam de anima hominis, sicut carnem de carne fieri, a parentibus in filios utriusque rei transfusis seminibus. Hinc enim primitus ad hoc moventur, ut dicant quod unam animam Deus fecerit, sufflando in faciem hominis, quem de pulvere finxerat, ut ex illa jam cæteræ crearentur animæ hominum, sicut ex illius carne omnis etiam caro hominum. Quoniam primo Adam formatus est, deinde Eva : et ille quidem unde habuerit corpus, unde animam, dictum est; corpus videlicet pulverem terræ, animam vero flatum Dei : at illa de illius latere cum facta dicatur, non dicitur quod eam Deus flando similiter animaverit, tanquam utrumque de illo ductum sit, qui jam fuerat animatus. Aut enim taceri oportuit, inquiunt, etiam de anima viri, ut eam, sicut possemus, datam divinitus vel intelligeremus, vel certe crederemus : aut si hoc propterea Scriptura non tacuit, ne animam quoque sicut carnem hominis de terra factam esse putaremus, debuit et de mulieris anima non taceri, ne putaretur ex traduce, si hoc verum non est. Quapropter ideo tacitum est, inquiunt, quod in ejus faciem flaverit Deus, quia illud verum est, quod et anima ex homine propagata est.

2. Huic suspicioni facile occurritur. Si enim pro-

pterea putant animam mulieris ex anima viri factam, quia non scriptum est quod in mulieris faciem flaverit Deus; cur credunt ex viro animatam feminam, quando ne id quidem scriptum est? Unde si Deus omnes animas hominum nascentium, sicut primam, facit, propterea Scriptura de aliis tacuit, quoniam posset quod in una factum commemoratum est, etiam de cæteris prudenter intelligi. Itaque si oportuit nos per hanc Scripturam de hac re aliquid admoneri, magis si aliquid aliud fiebat in femina, quod in viro factum non erat, ut ex carne animata ejus anima duceretur, non sicut viri ejus aliunde corpus, aliunde anima; hoc ipsum quod alio modo fiebat, Scriptura potius tacere non debuit, ne hoc itidem factum putaremus quod jam de illo didiceramus. Proinde quia non dixit ex anima viri factam esse animam mulieris, convenientius creditur eo ipso nos admonere voluisse, nihil hic aliud putare, quam de viri anima noveramus, id est, similiter datam esse mulieri: cum præsertim esset evidentissimæ occasionis locus, ut si non tunc quando formata est, postea certe diceretur, ubi ait Adam, *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea* (*Gen.* II, 23). Quanto enim charius amantiusque diceret, Et anima de anima mea? Non tamen hinc tam magna quæstio jam soluta est, ut unum horum manifestum certumque teneamus.

CAPUT II. — *Quid in superioribus libris investigatum circa originem animæ.*

3. Quamobrem primum videndum est, utrum sancta Scriptura libri hujus, ab ejus exordio pertractata, hinc nos dubitare permittat: tunc recte fortasse requiremus, aut quænam sententia potius eligenda sit, aut in rei hujus incerto quem modum tenere debeamus. Certe enim sexto die *fecit Deus hominem ad imaginem suam;* ubi etiam dictum est, *Masculum et feminam fecit eos* (*Gen.* I, 27). Quorum illud superius, ubi imago Dei commemorata est, secundum animam; hoc autem, ubi sexus differentia, secundum carnem accipiebamus (*Lib.* 6 *et* 7). Et quoniam tot ac tanta testimonia, quæ ibi considerata atque tractata sunt, nos non sinebant eodem ipso sexto die etiam formatum de limo hominem mulieremque de latere ejus accipere, sed hoc postea factum esse post illa primitus opera Dei, in quibus creavit omnia simul (*Eccli.* XVIII, 1); quæsivimus quid de hominis anima crederemus, discussisque omnibus disceptationis nostræ partibus, illud credibilius vel tolerabilius dici visum est, quod ipsa hominis anima in illis operibus facta est, corporis vero ejus in mundo corporeo tanquam in semine ratio: ne cogeremur contra verba Scripturæ aut sexto die totum factum dicere, id est, et de limo virum, et de ejus latere feminam; aut in illis sex dierum operibus nullo modo esse factum hominem; aut corporis humani causalem rationem tantummodo factam, animæ autem nullam, cum potius secundum ipsam sit homo ad imaginem Dei: aut certe etsi non contra verba Scripturæ aperte posita, tamen dure atque intolerabiliter diceremus, vel in ea creatura spirituali, quæ ad hoc tantummodo creata esset, factam fuisse animæ humanæ rationem, cum ipsa creatura, in qua ista ratio facta diceretur, non commemoraretur in operibus Dei; vel in aliqua creatura, quæ in illis commemoraretur operibus, factam rationem animæ, velut in hominibus qui jam sunt, facta ratio[1] latet generandorum filiorum: ac sic eam vel Angelorum filiam, vel, quod est intolerabilius, alicujus elementi corporei crederemus.

CAPUT III. — *Originis animarum triplex modus.*

4. Sed nunc si ob hoc mulier non de viro, sed similiter ut ille, a Deo factam animam asseritur accepisse, quia singulas singulis Deus facit, non erat facta in illis primis operibus anima feminæ: aut si generalis omnium animarum ratio facta fuerat, sicut in hominibus ratio gignendi, reditur ad illud durum ac molestum, ut vel Angelorum, vel, quod indignissimum est, cœli corporei, vel alicujus etiam inferioris elementi filias animas hominum esse dicamus. Ac per hoc videndum est, etsi latet quid verum sit, quid saltem tolerabilius dici possit: utrum hoc quod modo dixi, an in illis primis Dei operibus unam animam primi hominis factam, de cujus propagine omnes hominum animæ crearentur; an novas subinde animas fieri, quarum nulla vel ratio facta præcesserit in primis illis sex dierum operibus Dei. Horum autem trium duo priora non repugnant primis illis conditionibus, ubi simul omnia creata sunt. Sive enim in aliqua creatura tanquam in parente ratio animæ facta sit, ut omnes animæ ab illa generentur, a Deo autem creentur, quando singulis hominibus dantur, sicut a parentibus corpora; sive non ratio animæ velut in parente ratio prolis, sed ipsa omnino cum factus est dies facta sit anima, sicut ipse dies, sicut cœlum et terra, et luminaria cœli; congruenter dictum est, *Fecit Deus hominem ad imaginem suam.*

5. Hoc vero tertium quomodo non repugnet ei sententiæ qua et sexto die factus accipitur homo ad imaginem Dei, et post diem septimum visibiliter creatus, non tam facile videri potest. Novas quippe animas fieri, quæ neque ipsæ, neque ratio earum, tanquam in parente prolis, sexto illo die facta sit cum his operibus, a quibus consummatis, et inchoatis Deus in die septimo requievit; si dixerimus, cavendum est ne frustra tam diligenter Scriptura commendet sex diebus consummasse Deum omnia opera sua, quæ fecit bona valde, si aliquas adhuc naturas fuerat creaturus, quas nec ipsas nec earum ibi rationes causaliter fecerit: nisi intelligatur, rationem quidem singillatim faciendarum animarum nascentibus quibusque dandarum in seipso habere, non in creatura aliqua condidisse; sed quia non alterius generis creatura est anima, quam illius secundum quam sexto die factus est homo ad imaginem Dei, non recte dici[2] Deum eam facere nunc, quæ tunc non consummavit. Jam enim tunc animam fecerat, quales et nunc facit; et ideo non aliquod novum creaturæ genus nunc facit, quod tunc in suis consummatis operibus non creavit: nec con-

[1] Editi: *velut in omnibus, qui jam sunt facti, ratio.* Melius Mss., *velut in hominibus qui jam sunt, facta ratio.*
[2] Editi, *dicimus;* sed concinnius Mss., *dici.*

tra illas causales rationes rerum futurarum, quas universitati tunc indidit, hæc ejus operatio est, sed potius secundum ipsas; quandoquidem corporibus humanis, quorum ex illis primis operibus propagatio continuata successione protenditur, tales congruit animas inseri, quales nunc facit atque inserit.

6. Quapropter jam nihil timentes, ne contra verba libri hujus, quæ de prima illa sex dierum conditione conscripta sunt, quælibet harum trium sententiarum probabilitas vicerit, sentire videamur; suscipiamus diligentiorem quæstionis hujus pertractationem, quantum adjuvat Deus : ne forte fieri possit ut si non liquidam, de qua dubitari ultra non debeat, tam certe acceptabilem de hac re sententiam nanciscamur, ut eam tenere donec certum aliquid elucescat, non sit absurdum. Quod si ne hoc quidem potuerimus, documentorum momentis undique pariterque nutantibus, saltem non videbitur nostra dubitatio laborem devitasse quærendi, sed affirmandi temeritatem : ut me, si quis recte jam certus est, docere dignetur; si quem vero nec divini eloquii, nec perspicuæ rationis auctoritas, sed sua præsumptio certum fecerat, dubitare mecum non dedignetur.

CAPUT IV. — *De animæ natura et origine quid certum.*

7. Ac primum illud firmissime teneamus, animæ naturam nec in naturam corporis converti, ut quæ jam fuit anima, fiat corpus; nec in naturam animæ irrationalis, ut quæ fuit anima hominis, fiat pecoris; nec in naturam Dei, ut quæ fuit anima, fiat quod est Deus : atque ita vicissim nec corpus, nec animam irrationalem, nec substantiam quæ Deus est, converti et fieri animam humanam. Illud etiam non minus certum esse debet, animam non esse nisi creaturam Dei. Quapropter si neque de corpore, neque de anima irrationali, neque de seipso Deus animam hominis fecit, restat ut aut de nihilo eam faciat, aut de aliqua spirituali, tamen rationali creatura. Sed de nihilo fieri aliquid consummatis operibus, quibus creavit omnia simul, violentum est velle monstrare; et utrum perspicuis documentis obtineri possit, ignoro. Nec exigendum est a nobis quod vel comprehendere homo non valet; vel si jam valeat, mirum si persuadere cuiquam potest, nisi tali, qui etiam nullo homine docere conante, potest etiam ipse tale aliquid intelligere. Tutius est igitur de hujusmodi rebus non humanis agere conjecturis, sed divina testimonia perscrutari.

CAPUT V. — *Anima nec ex Angelis, nec ex elementis, nec ex Dei substantia.*

8. Quod ergo ex Angelis, tanquam parentibus Deus creet animas, nulla mihi de canonicis Libris occurrit auctoritas. Multo minus itaque ex mundi corporeis elementis : nisi forte illud movet, quod apud Ezechielem prophetam cum demonstratur resurrectio mortuorum, redintegratis corporibus, ex quatuor ventis cœli advocatur spiritus, quo perflante vivificentur, ut surgant. Sic enim scriptum est : *Et dixit mihi Dominus, Propheta super spiritum; propheta, fili hominis, et dic ad spiritum, Hæc dicit Dominus, A quatuor partibus ventorum cœli veni, et inspira in mortuos hos, et vivant. Et prophetavi, sicut præcepit mihi Dominus, et introivit spiritus vitæ in eos, et revixerunt, et steterunt super pedes suos, congregatio multa valde* (*Ezech.* XXXVII, 9. 10). Ubi mihi videtur prophetice significatum, non ex illo tantum campo ubi res ipsa demonstrabatur, sed ex toto orbe terrarum resurrecturos homines, et hoc per flatum quatuor mundi partium fuisse figuratum. Neque enim etiam flatus ille ex corpore Domini, substantia erat Spiritus sancti, quando sufflavit et ait, *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX, 22); sed utique significatum est, sic etiam ab ipso procedere Spiritum sanctum, quomodo ab ejus corpore flatus ille processit. Sed quia mundus non ita Deo coaptatur ad unitatem personæ, sicut caro illa Verbo ejus unigenito Filio; non possumus dicere ita esse animam de substantia Dei, quemadmodum flatus ille a quatuor ventis de natura mundi factus est : sed tamen aliud eum fuisse, aliud significasse puto; quod exemplo flatus ex corpore Domini procedentis recte intelligi potest : etiamsi Ezechiel propheta illo loco non resurrectionem carnis, qualis proprie futura est, sed inopinatam desperati populi reparationem per Spiritum Domini, qui replevit orbem terrarum (*Sap.* I, 7), figurata revelatione prævidit.

CAPUT VI. — *Opiniones de anima duæ ad Scripturæ testimonia expendendæ.*

9. Illud ergo jam videamus, cuinam potius sententiæ divina testimonia suffragentur : eine qua dicitur animam unam Deum fecisse, et dedisse primo homini, unde cæteras faceret, sicut ex ejus corpore cætera hominum corpora; an ei qua dicitur singulas singulis facere, sicut illi unam, non ex illa cæteras. Illud enim quod per Isaiam dicit, *Omnem flatum ego feci* (*Isai.* LVII, 16), cum hoc eum de anima dicere, quæ sequuntur satis ostendant, ad utrumque accipi potest. Nam sive ex una primi hominis anima, sive ex aliquo suo secreto, omnes procul dubio animas ipse facit.

10. Et illud quod scriptum est, *Qui finxit singillatim corda eorum* (*Psal.* XXXII, 15), si nomine cordium voluerimus animas intelligere, neque hoc repugnat cuiquam duorum de quibus nunc ambigimus. Sive enim ex una illa quam flavit in faciem primi hominis, ipse utique singulas fingit, sicut etiam corpora; sive singulas vel fingat et mittat, vel in eis ipsis quibus miserit, eas fingat : quanquam hoc non mihi videatur dictum, nisi ex eo quod per gratiam nostræ animæ ad imaginem Dei renovatione formantur. Unde dicit Apostolus : *Gratia enim salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed donum Dei est; non ex operibus, ne forte quis extollatur. Ipsius enim sumus figmentum, creatum in Christo Jesu in operibus bonis* (*Ephes.* II, 8-10). Non enim per hanc gratiam fidei corpora nostra creata vel ficta possumus intelligere, sed sicut in Psalmo dictum est, *Cor mundum crea in me, Deus* (*Psal.* L, 12).

11. Hinc etiam illud esse puto, *Qui finxit spiritum hominis in ipso* (*Zach.* XII, 1); tanquam aliud sit factam animam mittere, aliud in ipso homine facere,

id est, reficere ac renovare. Sed etiam hoc si non de gratia, in qua renovamur, sed de natura, in qua nascimur, intelligamus, ad utramque sententiam duci potest : quia vel ex una illa primi hominis tanquam semen animæ attractum ipse fingit in homine, ut vivificet corpus; sive spiritum vitæ, non ex illa propagine, sed aliunde corpori infusum, ipse itidem fingit per mortales sensus carnis, ut fiat homo in animam vivam.

CAPUT VII. — *Utri opinioni faveat illud*, Sortitus sum animam bonam, *etc.*

12. Illud sane de libro Sapientiæ, ubi ait, *Sortitus sum animam bonam, et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum* (*Sap.* VIII, 19, 20); diligentiorem considerationem flagitat. Magis enim videtur attestari opinioni qua non ex una propagari, sed desuper animæ venire creduntur ad corpora. Verumtamen quid est, *Sortitus sum animam bonam?* quasi aut in illo animarum fonte, si ullus est, aliæ sint animæ bonæ, aliæ non bonæ, quæ sorte quadam exeant, quænam cui homini tribuatur; aut alias Deus ad horam conceptorum vel nascentium faciat bonas, alias non bonas, quarum quisque habeat sorte, quæ acciderit. Mirum si hoc eos saltem adjuvat, qui credunt animas alibi factas, singillatim mitti a Deo singulis quibusque corporibus hominum, ac non illos potius, qui pro meritis operum, quæ ante corpus egerunt, in corpora mitti animas dicunt. Secundum quid enim aliæ bonæ, aliæ non bonæ venire ad corpora possunt putari, nisi secundum opera sua? Neque enim secundum naturam, in qua fiunt ab illo qui omnes naturas bonas facit. Sed absit ut contradicamus Apostolo, qui dicit nondum natos nihil egisse boni aut mali, unde confirmat non potuisse ex operibus dici, sed ex vocante, *Major serviet minori;* cum de geminis ageret adhuc in Rebeccæ utero constitutis (*Rom.* IX, 10-13). Sequestremus ergo paululum hoc de libro Sapientiæ testimonium : neque enim negligendi sunt, seu errent, seu verum sapiant, qui hoc specialiter et singulariter de anima illa dictum putant mediatoris Dei et hominum hominis Christi Jesu. Quod, si necesse fuerit, quale sit postea considerabimus, ut si Christo convenire non potuerit, quæramus quemadmodum id accipere debeamus, ne contra apostolicam veniamus fidem, putantes habere animas aliqua merita operum suorum, priusquam incipiant in corporibus vivere.

CAPUT VIII. — *Neutri sententiæ adversari illud*, Auferes spiritum, *etc.*

13. Nunc illud videamus, quemadmodum dictum sit, *Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum convertentur. Emittes spiritum tuum, et creabuntur; et innovabis faciem terræ* (*Psal.* CIII, 29, 30). Pro illis enim qui arbitrantur animas ex parentibus sicut corpora creari, hoc videtur sonare, cum sic intelligatur, ut spiritum eorum propterea dixerit, quod eum homines ex hominibus acceperint : qui cum mortui fuerint, non eis poterit ab hominibus reddi, ut resurgant; quia non rursus, quemadmodum quando nati sunt, a parentibus ducitur, sed Deus eum reddet, qui resuscitat mortuos (II *Machab.* VII, 23). Ac per hoc eumdem spiritum dixit eorum cum moriuntur, Dei autem cum resurgunt. Quod possunt illi, qui non ex parentibus, sed Deo mittente, animas venire asserunt, pro sua opinione sic intelligere, ut eorum dixerit spiritum cum moriuntur, quia in eis erat, et ab eis exit; Dei autem cum resurgunt, quod ab ipso mittitur, ab ipso redditur : proinde hoc etiam testimonium neutris eorum adversatur.

14. Ego vero arbitror melius intelligi hoc dictum de gratia Dei, qua interius renovamur. Omnium enim superborum secundum terrenum hominem viventium, et de sua vanitate præsumentium, quodammodo aufertur spiritus proprius, cum exuunt se veterem hominem, et infirmantur, ut perficiantur expulsa superbia, dicentes Domino per humilem confessionem, *Memento*[1] *quia pulvis sumus* (*Psal.* CII, 14) : quibus dictum erat, *Quid superbit terra et cinis* (*Eccli.* X, 9)? Per oculum quippe fidei contuentes Dei justitiam, ut non velint constituere suam (*Rom.* X, 3), semetipsos despiciunt, sicut Job dicit, et distabescunt, et æstimant se terram et cinerem : hoc est enim, *Et in pulverem suum convertentur.* Accepto autem Spiritu Dei, dicunt : *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus* (*Galat.* II, 20). Sic innovatur facies terræ, per Novi Testamenti gratiam, numerositate sanctorum.

CAPUT IX. — *Item illud*, Et convertatur, *etc., inter utramque opinionem consistere.*

15. Illud etiam quod apud Ecclesiasten scriptum est, *Et convertatur pulvis in terram, sicut fuit, et spiritus revertatur ad Deum qui dedit eum* (*Eccle.* XII, 7), neutri sententiæ contra alteram suffragatur, sed inter utramque consistit. Cum enim isti dixerint hinc probari non a parentibus, sed a Deo animam dari, quod converso pulvere in terram suam, id est carne, quæ de pulvere facta est, revertetur spiritus ad Deum qui dedit illum; respondent illi : Utique ita est. Redit enim spiritus ad Deum, qui eum dedit homini primo, quando in ejus faciem sufflavit (*Gen.* II, 7), converso pulvere, id est humano corpore, in terram, unde primitus factum est (*Id.* III, 19). Neque enim ad parentes erat spiritus rediturus, quamvis inde sit creatus ex illo uno qui homini primo datus est; sicut nec ipsa caro post mortem ad parentes revertitur, a quibus eam certe constat esse propagatam. Quemadmodum ergo caro non redit ad homines ex quibus creata est, sed ad terram unde primo homini formata est; ita et spiritus non redit ad homines a quibus transfusus est, sed ad Deum a quo primæ illi carni datus est.

16. Quo testimonio sane satis admonemur, ex nihilo Deum fecisse animam quam primo homini dedit, non ex aliqua jam facta creatura, sicut corpus ex terra : et ideo cum redit, non habet quo redeat, nisi ad auctorem qui eam dedit; non ad eam creaturam ex qua facta est, sicut corpus ad terram. Nulla est enim creatura ex qua facta est, quia ex nihilo facta

[1] Juxta græcum *mnesthêti.* Sic etiam vetus Psalterium et Romanum, itemque Arabicum et Æthiopicum. At Vulgata, *recordatus est.*

est; ac per hoc ad factorem redit quæ redit, a quo ex nihilo facta est. Non enim omnes redeunt, quoniam sunt de quibus dicitur, *Spiritus ambulans, et non revertens* (*Psal.* LXXVII, 30).

CAPUT X. — *Quæstio de anima non facile solvitur ex Scripturis.*

17. Quocirca difficile est quidem omnia de hac re Scripturarum sanctarum testimonia colligere; quod etsi fieri possit, ut non solum commemorentur sed etiam pertractentur, in magnam sermonis longitudinem pergunt: sed tamen nisi aliquid tam certum proferatur, quam certa proferuntur quibus ostenditur quod Deus animam fecerit, vel quod eam primo homini dederit, quonam modo per divini eloquii testimonium ista quæstio solvatur ignoro. Si enim scriptum esset quod similiter sufflaverit Deus in faciem formatæ mulieris, et facta fuerit in animam vivam; jam quidem plurimum lucis accederet, qua cuique formatæ carni hominis non ex parentibus dari animam crederemus: adhuc tamen exspectaretur quid proprie teneretur in prole, qui nobis modus usitatus est hominis ex homine. Prima vero mulier aliter facta est, et ideo adhuc dici posset animam propterea non ex Adam divinitus Evæ datam, quia non ex illo tanquam proles orta est. Si autem homini qui primus ex illis natus est, commemoraret Scriptura non ex parentibus ductam, sed desuper animam datam, illud jam in cæteris, etiam tacente Scriptura, oporteret intelligi.

CAPUT XI. — *An utrique sententiæ possit accommodari illud*, Per unum hominem, *etc. Baptismus infantium.*

18. Nunc itaque et illud consideremus, utrum neutram confirmet sententiam, sed utrique possit accommodari, quod scriptum est, *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt:* et paulo post, *Sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem, ita et per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi* (*Rom.* V, 12, 18, 19). Ex his enim verbis Apostoli, qui defendunt animarum propaginem, sententiam suam sic astruere moliuntur: Si secundum solam carnem, inquiunt, potest intelligi peccatum vel peccator, non cogimur in his verbis ex parentibus animam credere; si autem quamvis per illecebram carnis, non tamen peccat nisi anima, quomodo accipiendum est quod dictum est, *in quo omnes peccaverunt*, si non ex Adam etiam anima, sicut caro, propagata est? aut quomodo *per* illius *inobedientiam peccatores constituti sunt*, si tantum secundum carnem in illo, non etiam secundum animam fuerunt?

19. Cavendum est enim ne vel Deus videatur auctor esse peccati, si dat animam carni, in qua eam peccare necesse sit; vel possit esse anima, præter ipsius Christi, cui liberandæ a peccato non sit christiana gratia necessaria, quia non peccavit in Adam, si omnes in eo peccasse secundum carnem tantum quæ de illo creata est, non etiam secundum animam dictum est: quod usque adeo contrarium est ecclesiasticæ fidei, ut parentes ad percipiendam gratiam sancti Baptismi etiam cum parvulis atque infantibus currant; in quibus si hoc vinculum peccati solvitur quod tantummodo carnis, non etiam quod animæ est, merito quæritur quid eis obesset, si in illa ætate de corpore sine Baptismo exirent. Si enim per hoc Sacramentum corpori eorum consulitur, non et animæ, deberent et mortui baptizari: at cum videamus hoc universaliter Ecclesiam retinere, ut cum viventibus curratur, et viventibus succurratur, ne cum mortui fuerint nihil possit fieri quod prosit; non videmus quid aliud possit intelligi, nisi unumquemque parvulum non esse nisi Adam et corpore et anima, et ideo illi Christi gratiam necessariam. Ætas quippe illa in seipsa nihil egit vel boni vel mali; proinde ibi anima innocentissima est, si ex Adam propagata non est: unde quomodo possit juste ire in condemnationem, si de corpore sine Baptismo exierit, quisquis istam sententiam de anima tenens potuerit demonstrare, mirandus est.

CAPUT XII. — *Carnalis concupiscentiæ causam non in carne sola, sed etiam in anima esse.*

20. Verissime quippe ac veracissime scriptum est, *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Galat.* V, 17): sed tamen carnem sine anima concupiscere nihil posse, puto quod omnis doctus indoctusque non dubitet. Ac per hoc ipsius concupiscentiæ carnalis causa non est in anima sola, sed multo minus est in carne sola. Ex utroque enim fit: ex anima scilicet, quod sine illa delectatio nulla sentitur; ex carne autem, quod sine illa carnalis delectatio non sentitur. Carnem itaque concupiscentem adversus spiritum dicit Apostolus carnalem procul dubio delectationem, quam de carne et cum carne spiritus habet adversus delectationem, quam solus habet. Solus quippe habet, nisi fallor, illud desiderium, non cum carnis voluptate, vel carnalium rerum cupiditate commixtum, quo desiderat et deficit anima in atria Domini (*Psal.* LXXXIII, 3). Solus habet etiam illud, de quo ei dicitur, *Concupisti sapientiam; serva mandatum, et Dominus præbet illam tibi* (*Eccli.* I, 33). Nam cum spiritus imperat membris corporis, ut huic desiderio serviant, quo solus accenditur, velut cum assumitur codex, cum aliquid scribitur, legitur, disputatur, auditur, cum denique panis frangitur esurienti, et cætera humanitatis ac misericordiæ præstantur officia; obedientiam caro exhibet, non concupiscentiam movet. His atque hujusmodi bonis desideriis quibus sola anima concupiscit, cum adversatur aliquid quod eamdem animam secundum carnem delectat, tunc dicitur caro concupiscere adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.

21. Sic enim dicta est caro in eo quod secundum ipsam facit anima, cum ait, *Caro concupiscit;* quemadmodum dictum est, Auris audit, et oculus videt Quis enim nescit quod anima potius et per aurem au

diat, et per oculum videat? Ita loquimur et cum dicimus, Manus tua subvenit homini; cum aliquid porrecta manu datur, quo cuiquam subveniatur. Quod si de ipso etiam fidei oculo, ad quem pertinet credere quæ per carnem non videntur, dictum est, *Videbit omnis caro salutare Dei* (*Luc.* III, 6); non utique nisi de anima, qua vivit caro, cum etiam per ipsam carnem nostram Christum pie videre, id est, formam qua indutus est propter nos, non pertineat ad concupiscentiam, sed ad ministerium carnis, ne forte aliquis ita velit accipere quod dictum est, *Videbit omnis caro salutare Dei*: quanto congruentius dicitur caro concupiscere, quando anima non solum carni animalem vitam præbet, verum etiam secundum ipsam carnem aliquid concupiscit; quod in potestate non est ne concupiscat, quamdiu inest peccatum in membris, id est, violenta quædam carnis illecebra in corpore mortis hujus, veniens de vindicta illius peccati, unde propaginem ducimus, secundum quam omnes ante gratiam filii sunt iræ (*Ephes.* II, 3). Contra quod peccatum militant sub gratia constituti, non ut non sit in eorum corpore, quamdiu ita mortale est, ut et mortuum jure dicatur, sed ut non regnet. Non autem regnat, cum desideriis ejus, id est, his quæ secundum carnem contra spiritum concupiscuntur, non obeditur. Proinde Apostolus numquid ait, Non sit peccatum in vestro mortali corpore (sciebat quippe inesse peccati delectationem, quam peccatum vocat, depravata scilicet ex prima transgressione natura)? sed, *Non*, inquit, *regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus; nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato* (*Rom.* VI, 12, 13).

CAPUT XIII. — *Illa sententia de concupiscentia carnis, quam sit expedita. Peccata puerorum.*

22. Secundum hanc sententiam, nec rem absurdissimam dicimus, quod caro sine anima concupiscat; nec Manichæis consentimus, qui cum viderent non posse carnem sine anima concupiscere, aliam quamdam animam suam ex alia natura Deo contraria carnem habere putaverunt, unde concupiscat adversus spiritum. Nec alicui animæ non esse necessariam Christi gratiam dicere cogimur, cum dicitur nobis: Quid meruit anima infantis, unde illi perniciosum sit non percepto christiani Baptismi sacramento exire de corpore, si nec proprium aliquod peccatum commisit, nec ex illa est quæ in Adam prima peccavit?

23. Non enim de pueris grandiusculis agimus, quibus quidem peccatum proprium nolunt attribuere quidam, nisi ab anni quarti decimi articulo, cum pubescere cœperint. Quod merito crederemus, si nulla essent peccata, nisi quæ membris genitalibus admittuntur: quis vero audeat affirmare, furta, mendacia, perjuria, non esse peccata, nisi qui talia vult impune committere? At his plena est puerilis ætas, quamvis in eis non ita ut in majoribus punienda videantur, quod sperentur annis accedentibus, quibus ratio convalescat, posse præcepta salutaria melius intelligere, eisque libentius obedire. Sed nunc de pueris non agimus, quorum carnalem ac puerilem voluptatem vel corporis vel animi si veritas et æquitas oppugnaverit, quibus possunt viribus dictorum atque factorum repugnant; pro qua, nisi pro falsitate et iniquitate, quæ suffragari videbitur eis, vel ad percipienda quæ alliciunt, vel ad vitanda quæ offendunt? De infantibus loquimur, non quia nascuntur plerumque de adulteriis [1] (neque enim in pravis moribus naturæ dona culpanda sunt; aut propterea non debuerunt germinare frumenta, quod ea severit furantis manus: aut vero ipsis parentibus obfutura sit iniquitas sua, si se ad Deum convertendo correxerint; quanto minus filiis, si recte vixerint?).

CAPUT XIV. — *Argumentum pro opinione animarum ex traduce, desumptum ex reatu et baptismo parvulorum, discutitur.*

Sed illa ætas hic vehementem quæstionem movet, cujus anima cum peccatum nullum habeat de proprio voluntatis arbitrio, quæritur quomodo possit justificari per illius unius hominis obedientiam, si per alterius unius inobedientiam rea non est? Hæc vox eorum est, qui animas hominum ex hominibus parentibus creatas volunt, non quidem nisi a creatore Deo, sed sicut etiam corpora. Non enim et hæc parentes creant, ac non ille qui ait: *Priusquam te formarem in utero, novi te* (*Jerem.* I, 5).

24. Quibus respondetur, animas quidem corporibus hominum Deum novas singillatim dare, ad hoc ut in carne peccati de originali peccato veniente recte vivendo, carnalesque concupiscentias sub Dei gratia subigendo, meritum comparent, quo cum ipso corpore in melius transferantur tempore resurrectionis, et in Christo in æternum cum Angelis vivant. Sed necesse esse ut [2], cum membris terrenis atque mortalibus, maximeque de peccati carne propagatis, miro modo coaptantur, ut ea primitus vivificare, post etiam ætatis accessu regere possint, tanquam oblivione prægraventur. Quæ si esset quodammodo indigestibilis, Creatori tribueretur: cum vero paulatim ab hujus oblivionis torpore anima resipiscens possit converti ad Deum suum, ejusque misericordiam et veritatem primo ipsa pietate conversionis, deinde servandi præcepti ejus perseverantia promereri; quid ei obest illo velut somno paululum immergi, unde paulatim evigilans in lucem intelligentiæ, propter quam rationalis anima facta est, potest per voluntatem bonam eligere vitam bonam? quod quidem non poterit, nisi adjuverit gratia Dei per Mediatorem. Hoc si neglexerit homo, non tantum secundum carnem, verum etiam secundum spiritum erit Adam: si autem curaverit, erit Adam secundum carnem tantummodo; secundum spiritum autem recte vivens, illud etiam quod de Adam culpabile tractum est, mundatum a labe peccati recipere merebitur illa commutatione quam sanctis resurrectio pollicetur.

25. Sed antequam per ætatem possit secundum spiritum vivere, necessarium habet Mediatoris Sacramentum, ut quod per ejus fidem nondum potest, per

[1] In plurimis Mss., *de adulteris.*
[2] Lov. cum omnibus Mss. omittunt, *ut.* M.

eorum qui eum diligunt fiat. Ejus enim Sacramento solvitur etiam in ætate infantili originalis pœna peccati; a quo nisi adjutus, etiam juvenis, carnalem concupiscentiam non domabit; nec ea subjugata æternæ vitæ meritum apprehendet, nisi ejus dono, quem promereri studet. Ideo vivus oportet etiam infans baptizetur, ne obsit animæ societas carnis peccati, qua participata fit ut nihil possit anima infantis secundum spiritum sapere. Ipsa quippe affectio gravat etiam corpore exutam, nisi cum in corpore est, per unicum sacrificium Mediatoris [1] veri sacerdotis expietur.

CAPUT XV. — *Idem argumentum penitius examinatur.*

26. Quid ergo, ait aliquis, si hoc non curaverint sui, vel infidelitate, vel negligentia? Hoc quidem etiam de majoribus dici potest. Possunt enim vel repente emori, vel apud eos ægrotare, ubi eis quo baptizentur, nemo subveniat. Sed illi, inquit, habent etiam propria peccata, quorum indigeant remissione, quæ si dimissa non fuerint, nemo eos recte dicet immerito plecti pro iis quæ in sua vita sua voluntate commiserint: illa vero anima, cui quædam contagio tracta de carne peccati, si de illa prima anima peccatrice non creata est, nullo modo imputari potest (neque enim ullo peccato, sed natura qua sic facta est, et Deo dante carni data est); cur alienabitur ab æterna vita, si baptizando infanti nemo subvenerit? An forte nihil oberit? Quid ergo prodest ei cui subvenitur, si nihil obest cui non subvenitur?

27. Hic pro sua causa quid respondere possint, qui secundum Scripturas sanctas, vel quod apud eas inveniatur, vel quod eis non adversetur, conantur asserere animas novas non de parentibus tractas corporibus dari; nondum me audisse, vel uspiam legisse fateor. Non ideo sane absentium negotium deserendum est, si quid mihi, quo adjuvari videatur, occurrerit. Possunt enim adhuc dicere, Deum præscium quomodo quæque anima victura esset, si diutius in corpore viveret, ei procurare lavacri salutaris ministrationem, cujus futuram fuisse prævidet pietatem, cum ad annos fidei capaces veniret, si non eum oporteret propter aliquam occultam causam morte præveniri. Occultum itaque est, atque ab humano, vel certe ab ingenio meo remotissimum, cur nascatur infans, vel continuo vel cito moriturus: sed hoc ita occultum est, ut neutros adjuvet, de quorum nunc sententiis disceptamus. Illa enim explosa opinione qua putantur animæ pro anteactæ vitæ meritis in corpora detrudi, ut ea citius solvi meruisse videatur, quæ non multa peccaverat, ne contradicamus Apostolo, nihil nondum natos boni vel mali egisse testanti (*Rom.* IX, 11); nec illi qui animæ traducem affirmant, possunt pro se ostendere cur aliorum mors acceleretur, retardetur aliorum, nec qui eas dari novas volunt singulis singulas. Occulta ergo ista causa est, et utrisque pariter, quantum existimo, nec suffragatur, nec adversatur.

[1] Abest vox, *Mediatoris*, a plerisque Mss. et ab editis Am. et Er.

CAPUT XVI. — *De eodem argumento.*

28. Proinde qui de infantium mortibus urgebantur, cur omnibus sit necessarium Baptismi sacramentum, quorum animæ non ex illa ductæ sunt, cujus inobedientia peccatores constituti sunt multi; cum respondent, peccatores quidem omnes constitui secundum carnem, secundum animam vero nonnisi eos qui eo tempore male vixerunt, quo et bene potuissent; omnes autem animas, hoc est et infantum, ideo habere necessarium Baptismi sacramentum, sine quo ex hac vita etiam in illa ætate emigrare non expedit, quia contagio peccati ex carne peccati, qua obruitur anima, cum his inseritur membris, oberit ei post mortem, nisi cum adhuc in ipsa carne est, Sacramento Mediatoris expietur; eique divinitus hoc auxilium procurari, quam Deus præsciit, si usque ad annos fidei congruos hic viveret, pie fuisse victuram, quam propter aliquid quod ipse novit, et nasci voluit in corpore, et cito extraxit e corpore: cum ergo hæc respondent, quid eis contradici potest, nisi incertos nos eorum salutis fieri, qui hac vita bene gesta, in Ecclesiæ pace defuncti sunt; si non solum secundum id quod quisque vixit, verum etiam secundum id quod victurus esset, si amplius vivere potuisset, quisque judicandus est? quandoquidem valent apud Deum merita mala, non tantum præteritorum, sed futurorum etiam delictorum, a quorum reatu nec mors liberat, si antequam fuerint commissa provenerit; nec aliquid ei præstitum est, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus (*Sap.* IV, 11). Deus enim præscius illius futuræ malitiæ, cur non eum secundum ipsam potius judicaturus est, si morituræ animæ infantis, ne obesset ei ex corpore peccati participata colluvies, ideo subveniendum judicavit per Baptismum, quia præscivit eam, si viveret, pie fideliterque fuisse victuram?

29. An ideo potius refelli hoc inventum potest, quia meum est: illi autem qui de hac sententia certos se esse confirmant, alia fortasse proferunt vel testimonia Scripturarum, vel documenta rationum, quibus hanc auferant ambiguitatem, vel certe ostendant, non esse contra id quod sentiunt illud Apostoli, quo gratiam qua salvi efficimur, magna intentione commendans, ait, *Sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* XV, 22); et, *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, sic per obedientiam unius hominis justi constituentur multi;* eosdemque multos peccatores, non quibusdam exceptis, sed omnes intelligi volens, superius ait de Adam, *In quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 19, 12): unde utique infantum animas non posse secerni, et eo quod dictum est, *omnes*, et eo quod eis per Baptismum subvenitur, non absurde credunt, qui animas ex unius traduce sapiunt, nisi aliqua manifesta et liquida vel ratione, quæ Scripturis sanctis non repugnet, vel earum ipsarum Scripturarum auctoritate redarguantur?

CAPUT XVII. — *Testimonium ex libro Sapientiæ in utramque partem tractatur.*

30. Jam itaque videamus, quantum suscepti hujus operis necessitas patitur, quale etiam illud sit, quod

paulo ante distulimus. Scriptum est enim in libro Sapientiæ : *Puer autem eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam ; et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum* (*Sap.* VIII , 19, 20). Cum enim videatur illos adjuvare hoc testimonium, qui non ex parentibus creari, sed venire ad corpus vel descendere Deo mittente animas dicunt; rursus hoc impedit eorum sententiam, quod ait, *Sortitus sum animam bonam :* cum procul dubio vel ex uno fonte manare quodammodo tanquam rivulos, vel pari natura fieri animas credant, quas Deus mittit in corpora ; non autem alias bonas vel magis bonas, et alias non bonas vel minus bonas. Unde enim bonæ aut magis bonæ, seu non bonæ aut minus bonæ animæ , nisi vel moribus secundum liberum voluntatis arbitrium, vel differentia temperaturæ corporum, dum aliæ magis, aliæ minus gravantur corpore , quod corrumpitur et aggravat animam (*Id.* IX, 15) ? Sed neque actio erat aliqua singularum quarumque animarum, qua earum mores discernerentur, antequam venirent ad corpora ; nec ex corpore minus gravante potuit iste dicere animam suam bonam, qui ait, *Sortitus sum animam bonam ; et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Accessisse enim dixit bonitati qua bonus erat, sortitus videlicet animam bonam, ut etiam ad corpus incoinquinatum veniret. Aliunde ergo bonus antequam veniret ad corpus : sed utique non differentia morum, quia nullum antea vitæ gestæ meritum ; non differentia corporis, quia prius bonus quam veniret ad corpus. Unde igitur ?

31. Hoc autem illis qui ex traduce animæ illius prævaricatricis animas creari asserunt, quamvis pro eis sonare non videatur, quod dictum est, *Veni ad corpus*, tamen in cæteris non incongrue coaptatur; ut cum dixisset, *Puer autem eram ingeniosus*, idipsum explicans quibus causis ingeniosus esset, continuo subjungeret, *Et sortitus sum animam bonam*, videlicet ex paterno ingenio vel corporali temperamento. Deinde, *Cum essem*, inquit, *magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum :* quod si maternum intelligatur, ne hoc quidem quod dictum est, *Veni ad corpus*, huic opinioni refragabitur, cum ex anima et corpore paterno venisse ad maternum corpus accipitur incoinquinatum, videlicet vel a cruore menstruo ; dicuntur enim ex hoc ingenia gravari ; vel a contaminatione adulterina. Ita et hæc verba libri hujus aut magis eis favent, qui animarum traducem loquuntur ; aut si et isti ea possunt pro se interpretari, inter utrosque alternant.

CAPUT XVIII. — *De anima Christi : an possit in ipsum convenire illud,* Puer autem ingeniosus eram, *etc.*

32. Quæ si de Domino secundum humanam , quæ a Verbo assumpta est, creaturam velimus accipere, sunt quidem in eadem circumstantia lectionis, quæ illi excellentiæ non conveniant; maxime illud, quia idem ipse qui hæc in eodem libro loquitur, aliquanto superius quam ista verba, de quibus nunc agimus, diceret, confessus est se ex semine viri in sanguine coagulatum (*Sap.* VII, 2) : a quo nascendi modo utique alienus est Virginis partus, quam non ex semine viri carnem concepisse Christi, nullus ambigit christianus. Sed quia est in Psalmis, ubi ait, *Foderunt manus meas et pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea ; ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me : diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*, quæ proprie illi uni cóngruunt; ibi etiam dixit, *Deus, Deus meus, respice in me, utquid me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum* (*Psal.* XXI, 17, 18, 19, 2), quæ rursus ei non conveniunt, nisi transfiguranti in se corpus humilitatis nostræ, quoniam membra sumus corporis ejus : et quia in ipso Evangelio, *puer proficiebat ætate, et sapientia :* si possunt [1] etiam ista, quæ circum hanc sententiam in libro Sapientiæ leguntur, propter humilem formam servi et unitatem corporis Ecclesiæ cum capite suo, eidem ipsi Domino coaptari ; quid ingeniosius illo puero , cujus in annis duodecim seniores sapientiam mirabantur (*Luc.* II, 42-52) ? et quid illa anima melius, quæ, etiamsi vincant non certando, sed probando, qui animarum traducem affirmant, non erit consequens ut etiam ipsa ex illius prævaricatoris traduce venisse credenda sit ; ne per illius hominis inobedientiam etiam ipse peccator constituatur, per cujus unius obedientiam ab illo reatu liberati, justi constituuntur multi ? et quid incoinquinatius illo utero Virginis, cujus caro etiamsi de peccati propagine venit, non tamen de peccati propagine concepit ; ut ne ipsum quidem corpus Christi ea lex severit in utero Mariæ, quæ in membris posita corporis mortis, repugnat legi mentis? quam sancti patres conjugati refrenantes, non quidem nisi quousque licebat in concubitum relaxarunt; nec tamen tantummodo quousque licebat, ejus impetum pertulerunt. Proinde corpus Christi quamvis ex carne feminæ assumptum est, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat, tamen quia non sic in ea conceptum est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Non enim accepit inde reatum moriendi, qui apparet in motu carnis non voluntario, quamvis voluntate superando, adversus quem spiritus concupiscit (*Galat.* V, 17) : sed accepit inde, non quod contagioni prævaricationis, sed quod exsolvendæ indebitæ morti, et ostendendæ promissæ resurrectioni sufficeret ; quorum unum nobis ad non timendum, alterum ad sperandum valeret.

33. Denique si a me quæratur unde acceperit animam Jesus Christus, mallem quidem hinc audire meliores atque doctiores : sed tamen pro meo captu libentius responderim, unde Adam [2], quam de Adam. Si enim pulvis assumptus ex terra, in qua nullus hominum fuerat operatus, meruit divinitus animari ; quanto magis corpus assumptum ex carne, in qua itidem nullus hominum fuerat operatus, sortitum est animam bonam, cum illic erigeretur casurus, hic descenderet levaturus? Et fortasse ideo ait, *Sortitus sum animam bonam* (si tamen hoc de illo oportet intelligi), quia solent quæ sorte dantur, divinitus dari : aut,

[1] Sic omnes Mss. In editis, *et sapientia, sic possunt.*
[2] Editi, *non de Adam.* At omnes Mss., *unde Adam.*

quod fidenter dicendum est, ne vel illa anima aliquibus operibus præcedentibus ad tantum apicem subvecta putaretur, ut cum ea Verbum caro fieret, et habitaret in nobis (*Joan.* I, 14), ad auferendam suspicionem præcedentium meritorum sortis nomen accessit.

CAPUT XIX. — *Anima Christi non fuit in lumbis Abrahæ, ideoque non est ex traduce.*

34. Est in Epistola quæ inscribitur ad Hebræos, locus quidam diligenti consideratione dignissimus. Cum enim per Melchisedech, in quo hujus rei futuræ figura præcesserat, discerneret sacerdotium Christi a sacerdotio Levi, *Videte ergo*, inquit, *qualis hic est, cui et decimam partem Abraham dedit de primitiis patriarcha. Et ii quidem qui de filiis sunt Levi, sacerdotium accipientes, mandatum habent a decimis populi secundum Legem, hoc est a fratribus suis, quamvis et ipsi ex lumbis Abrahæ exierint : qui autem non est ex genere eorum, decimavit Abraham, et habentem promissionem benedixit. Sine ulla autem contradictione, qui minor est a majore benedicitur : et hic quidem decimas morientes homines accipiunt; ibi autem qui testificatur se vivere, et sicut oportet dicere, propter Abraham, et Levi accipiens decimam decimatus est : adhuc enim in lumbis patris sui fuit* (*Hebr.* VII, 4-10). Si ergo etiam hoc valet ad istam distantiam, quantum præemineat sacerdotio Levitico sacerdotium Christi, quod sacerdos Christus per illum præfiguratus est, qui decimavit Abraham, in quo et ipse Levi decimatus est, profecto Christus ab eo non est decimatus. At si propterea decimatus est Levi, quia erat in lumbis Abrahæ ; propterea non est decimatus Christus, quia non erat in lumbis Abrahæ. Porro autem si non secundum animam, sed tantum secundum carnem accipimus Levi fuisse in Abraham ; ibi erat et Christus, quia et Christus secundum carnem ex semine est Abrahæ ; et ipse itaque decimatus est. Quid est ergo quod affertur pro magna differentia sacerdotii Christi a sacerdotio Levi, quod Levi decimatus est a Melchisedech, cum esset in lumbis Abrahæ, ubi et Christus erat, unde pariter decimati sunt; nisi quia necesse est intelligamus, secundum aliquem modum ibi Christum non fuisse ? Quis autem neget eum secundum carnem ibi fuisse ? Ergo secundum animam ibi non fuit. Non est igitur anima Christi de traduce prævaricationis Adæ, alioquin etiam ipsa ibi fuisset.

CAPUT XX. — *Ad argumentum nunc allatum quid respondendum pro defendentibus animarum traducem.*

35. Hic [1] existunt illi qui traducem animarum defendunt, et dicunt confirmatam esse sententiam suam, si Levi constat etiam secundum animam fuisse in lumbis Abrahæ, in quo eum decimavit Melchisedech, ut possit ab eo Christus in ista decimatione discerni : qui quoniam decimatus non est, et tamen in lumbis Abrahæ secundum carnem fuit, restat ut secundum animam ibi non fuerit, et ideo sit consequens ut ibi Levi secundum animam fuerit. Hoc ad me non multum attinet, qui utrorumque collationem adhuc audire sum paratior, quam utrorumlibet jam confirmare sententiam. Interim Christi animam ab origine hujus traducis per hoc testimonium secernere volui. Invenient isti qui eis pro cæteris fortasse respondeant, et dicant, quod etiam me non parum movet, quamvis nullius hominis anima sit in lumbis patris sui, secundum carnem tamen in lumbis Abrahæ constitutum Levi decimatum, et ibi constitutum secundum carnem Christum non decimatum. Secundum rationem quippe illam seminalem ibi fuit Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem, secundum quam rationem non ibi erat Christi caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerit Mariæ caro. Quapropter nec Levi, nec Christus in lumbis Abrahæ secundum animam : secundum carnem vero et Levi, et Christus ; sed Levi secundum concupiscentiam carnalem, Christus autem secundum solam substantiam corporalem. Cum enim sit in semine et visibilis corpulentia, et invisibilis ratio, utrumque cucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipso Adam usque ad corpus Mariæ ; quia et ipsum eo modo conceptum et exortum est : Christus autem visibilem carnis substantiam de carne Virginis sumpsit ; ratio vero conceptionis ejus non a semine virili, sed longe aliter ac desuper venit. Proinde secundum hoc quod de matre accepit, etiam in lumbis Abrahæ fuit.

36. Ille est igitur decimatus in Abraham, qui licet secundum carnem tantum, sic tamen fuit in lumbis ejus, quemadmodum in sui patris etiam ipse Abraham ; id est, qui sic est natus de patre Abraham, quemadmodum de suo patre natus est Abraham, per legem scilicet in membris repugnantem legi mentis et invisibilem concupiscentiam, quamvis eam casta et bona jura nuptiarum non sinant valere, nisi quantum ex ea possunt generi substituendo prospicere : non autem et ille ibi decimatus est, cujus caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahæ carne decimabatur quod curabatur, non illud unde curabatur. Eadem namque caro non Abrahæ tantum, sed ipsius primi terrenique hominis, simul habebat et vulnus prævaricationis et medicamentum vulneris : vulnus prævaricationis in lege membrorum repugnante legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem seminali ratione quasi transcribitur ; medicamentum autem vulneris in eo, quod inde sine opere concupiscentiali, in sola materia corporali, per divinam conceptionis formationisque rationem de Virgine assumptum est, propter mortis sine iniquitate consortium, et sine falsitate resurrectionis exemplum. Quapropter quod anima Christi non sit ex traduce animæ illius primæ prævaricatricis, puto quod etiam ipsi qui animarum traducem defendunt, consentiant ; per semen quippe concumbentis patris transfundi etiam semen animæ volunt, a quo genere conceptionis Christus alienus est : et quod in Abraham si secundum animam fuisset, etiam ipse decimatus esset ; non esse autem decimatum, Scriptura testatur, quæ hinc quoque sacerdotium ejus a Levitico sacerdotio distinguit.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. ferunt, *Hinc*. M.

CAPUT XXI. — *Christum, si in Abrahamo secundum animam fuisset, non potuisse non decimari.*

37. An forte dicent : Sicut potuit ibi esse secundum carnem et non decimari, cur non etiam secundum animam sine decimatione potuerit : hic respondetur, Quia utique simplicem animæ substantiam incrementis augeri corporalibus, nec illi putaverunt qui eam corpus existimant, quorum in parte sunt maxime qui eam ex parentibus creari opinantur. Proinde in corporis semine potest esse vis invisibilis, quæ incorporaliter numeros agit, non oculis sed intellectu discernenda ab ea corpulentia, quæ visu tactuque sentitur : et ipsa quantitas corporis humani, quæ utique modulum seminis incomparabiliter excedit, satis ostendit posse inde aliquid sumi, quod non habeat illam vim seminalem, sed tantum corporalem substantiam, quæ divinitus, non de propagine concumbentium, in carnem Christi assumpta atque formata est. Hoc autem de anima quis valeat affirmare, quod utrumque habeat, et materiam seminis manifestam, et rationem seminis occultam ? Sed quid laborem in re quæ persuaderi verbis nemini forsitan potest, nisi tantum ac tale ingenium sit, quod possit loquentis prævolare conatum, nec totum exspectare a sermone? Breviter itaque colligam : si potuit et de anima fieri (quod cum de carne diceremus, forsitan intellectum sit), ita est de traduce anima Christi, ut non secum labem prævaricationis attraxerit, si autem sine isto reatu non posset inde esse, non est inde. Jam de cæterarum animarum adventu, utrum ex parentibus an desuper sit, vincant qui potuerint : ego adhuc inter utrosque ambigo, et moveor, aliquando sic, aliquando autem sic, salvo eo duntaxat, ut vel corpus esse animam, vel aliquam corpoream qualitatem sive coaptationem, si ita dicenda est, quam Græci ἁρμονίαν vocant, non credam, nec quolibet ista garriente me crediturum esse confidam, adjuvante Deo mentem meam.

CAPUT XXII. — *Utrique opinioni de animæ origine accommodatur locus ille Joannis :* Quod natum, *etc.*

38. Est aliud testimonium non negligendum quod pro se possunt proferre, qui venire desuper animas credunt, dicente ipso Domino : *Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est* (*Joan.* III, 6). Quid hac, inquiunt, sententia determinatius, non posse ex carne animam nasci ? Quid est enim aliud anima, quam spiritus vitæ, creatus utique, non creator ? Contra quos illi alii : Quid enim, inquiunt, nos aliud sentimus, qui dicimus carnem ex carne, animam ex anima ? Nam ex utroque constat homo, de quo utrumque venire sentimus, carnem de carne operantis, spiritum de spiritu concupiscentis : ut interim omittatur, quod illud Dominus non de carnali generatione, sed de spirituali regeneratione dicebat.

CAPUT XXIII. — *Ex duabus de anima sententiis quænam præponderet. Consuetudo Ecclesiæ in Baptismo parvulorum.*

39. His igitur quantum pro tempore potuimus pertractatis, omnia paria vel pene patria ex utroque latere, rationum testimoniorumque momenta pronuntiarem, nisi eorum sententia qui animas ex parentibus creari putant, de baptismo parvulorum præponderaret. De quibus quid eis responderi possit, nondum mihi interim occurrit : si quid forte postea Deus dederit, si quam etiam scribendi concesserit facultatem studiosis talium, non gravabor. Nunc tamen non esse contemnendum testimonium parvulorum, ut quasi refelli, si veritas contra est, negligatur, ante denuntio. Aut enim de hac re nihil quærendum est, ut sufficiat fidei nostræ scire nos quo pie vivendo venturi sumus, etsi nesciamus unde venerimus : aut si non impudenter æstuat anima rationalis etiam hoc nosse de seipsa, absit pervicacia contendendi, adsit diligentia requirendi, humilitas petendi, perseverantia pulsandi ; ut si nobis hoc expedire novit, qui melius quam nos quid nobis expediat utique novit, det etiam hoc, qui dat bona data filiis suis (*Matth.* VII, 7, 11). Consuetudo tamen matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda nisi apostolica esset traditio. Habet enim et illa parva ætas magnum testimonii pondus, quæ prima pro Christo meruit sanguinem fundere.

CAPUT XXIV. — *Quid cavendum his qui opinantur animas esse ex traduce.*

40. Admoneo sane, quantum valeo, si quos ista præoccupavit opinio, ut animas ex parentibus credant propagari, quantum possunt seipsos considerent, et interim sapiant corpora non esse animas suas. Nulla enim propior natura est, qua diligenter inspecta, possit etiam Deus, qui supra omnem creaturam suam incommutabilis permanet, incorporaliter cogitari, quam ea quæ ad ipsius imaginem facta est : et nihil vicinius, aut fortasse nihil tam consequens, quam ut credito quod anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur. Propter hoc enim corporalibus assuefacti et affecti sensibus, nolunt animam credere aliud esse quam corpus, ne si corpus non fuerit, nihil sit : ac per hoc tanto magis timent etiam de Deo credere quod corpus non sit, quanto magis timent Deum credere nihil esse. Ita enim feruntur in phantasias vel phantasmata imaginum, quæ cogitatio de corporibus versat, ut his subtractis tanquam per inane pereundum sit, reformident. Ita necesse est ut et justitiam et sapientiam pingant quodammodo in cordibus suis cum formis et coloribus, quas non possunt incorporeas cogitare : nec tamen dicunt, quando justitia vel sapientia moventur, ut vel laudent eas, vel secundum eas aliquid agant, quem colorem, quam staturam, quæ lineamenta vel quales formas conspexerint. Sed de his alias et multa jam diximus, et si Deus voluerit, ubi res videbitur postulare, dicemus. Nunc quod dicere cœperamus, si de traduce animarum a parentibus vel non dubitant quidam quod ita sit, vel dubitant an ita sit, animam tamen corpus esse non audeant credere aut dicere ; maxime propter quod

dixi, ne Deum quoque ipsum nihil aliud opinentur esse quam corpus, etsi excellentissimum; etsi naturæ cujusdam propriæ cætera supergredientis, corpus tamen.

CAPUT XXV. — *Tertulliani error de anima.*

41. Denique Tertullianus, quia corpus esse animam credidit, non ob aliud nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, et ideo timuit ne nihil esset, si corpus non esset, nec de Deo valuit aliter sapere : qui sane quoniam acutus est, interdum contra opinionem suam visa veritate superatur. Quid enim verius dicere potuit, quam id quod ait quodam loco, *Omne corporale passibile est* (*Tertull. in lib. de Anima, cap.* 7)? Debuit ergo mutare sententiam, qua paulo superius dixerat etiam Deum corpus esse. Neque enim arbitror eum ita desipuisse, ut etiam Dei naturam passibilem crederet, ut jam Christus non in carne tantum, neque in carne et anima, sed in ipso Verbo per quod facta sunt omnia, passibilis et commutabilis esse credatur : quod absit a corde christiano. Item cum animæ etiam colorem daret aerium ac lucidum, ventum est ad sensus quibus eam membratim quasi corpus instruere conatus est, et ait : *Hic erit homo interior, alius exterior, dupliciter unus, habens et ille oculos et aures suas, quibus populus Dominum audire et videre debuerat; habens et cæteros artus, per quos et in cogitationibus utitur, et in somnis fungitur* (*Ibid., cap.* 9).

42. Ecce quibus auribus et quibus oculis debuit audire et videre Deum populus, quibus anima in somnis fungitur : cum si ipsum Tertullianum quisquam videret in somnis, nunquam se diceret ab eo visum, et cum eo locutum, quem vicissim ipse non vidisset. Postremo, si anima seipsam videt in somnis, cum, jacentibus utique uno loco membris corporis sui, ipsa per varias imagines evagatur, quas videt; quis eam vidit aliquando in somnis aerii coloris ac lucidi, nisi forte ut cætera quæ similiter falso videt? Nam et hoc potest videre : sed absit ut eam talem, cum evigilaverit, credat; alioquin quando se aliter viderit, quod magis crebrum est, aut mutata erit anima ejus, aut nec tunc animæ videtur substantia, sed imago corporis incorporea, quæ miro modo sicut in cogitatione formatur. Quis enim Æthiops non pene semper nigrum se vidit in somnis; aut si in alio colore se vidit, non magis miratus est, si fuit cum illo memoria? Aerio tamen colore ac lucido nescio utrum se unquam vidisset, si nunquam istum legisset, vel audisset.

43. Quid, quod ducuntur homines talibus visis, et de Scripturis nobis volunt præscribere, tale aliquid esse, non animam, sed ipsum Deum, qualis figuraliter sanctorum spiritibus demonstratus est, qualis etiam in sermone allegorico ponitur? similia quippe sunt illa visa talibus dictis. Ac sic errant, constituentes in corde suo simulacra vanæ opinionis, nec intelligentes ita sanctos de suis visis talibus judicasse, qualiter judicarent si talia divinitus in figuris dicta legerent, vel audirent : sicut septem spicæ et septem boves, septem anni sunt (*Gen.* XLI, 26); sicut linteum quatuor lineis alligatum, velut discus plenus variis animalibus, orbis terrarum est cum omnibus gentibus (*Act.* X, 11) : sic omnia cætera, et multo magis quæ de rebus incorporeis, corporalibus significantur non rebus, sed imaginibus.

CAPUT XXVI. — *De animæ incrementis quid Tertulliano visum.*

44. Noluit tamen Tertullianus animam crescere substantia sicut corpus; afferens etiam timoris sui causam : *Ne etiam decrescere substantia dicatur*, inquit, *atque ita et defectura credatur.* Et tamen quia per corpus eam localiter tendit, non invenit exitum incrementorum ejus, quam vult de semine exiguo æquari corporis quantitati; et ait : *Sed vis ejus in quo* [1] *naturalia peculia consita retinentur, salvo substantiæ modulo, quo a primordio inflata est, paulatim cum carne producitur* [2]. Hoc forte non intelligeremus, nisi adhibita similitudine eorum quæ videmus, planum faceret quod dicebat. *Constitue*, inquit, *certum pondus auri vel argenti rudem adhuc massam : collectus habitus est illi, et futuro interim minor, tamen continens intra lineam moduli totum quod natura est auri vel argenti : dehinc cum in laminam massa laxatur, major efficitur initio suo, per dilatationem ponderis certi, non per adjectionem, dum extenditur, non dum augetur; etsi sic quoque augetur, dum extenditur. Licet enim et habitu augeri, cum statu non licet. Tunc et splendor ipse provehitur auri vel argenti, qui prius fuerat quidem et in massa, sed obscurior, non tamen nullus : tunc et alii atque alii habitus accedunt pro facilitate materiæ, qua duxerit eam qui agit, nihil conferens modulo nisi effigiem. Ita et animæ incrementa reputanda non substantiva, sed provocativa* (*Lib. de Anima, cap.* 37).

45. Quis hunc crederet, cum isto corde tam disertum esse potuisse? sed tremenda ista sunt, non ridenda. Ad hoc enim numquid cogeretur, si aliquid cogitare posset, quod et sit, et corpus non sit? Quid autem absurdius, quam putare massam cujuspiam metalli ex aliqua parte crescere posse dum tunditur, nisi decrescat ex altera; vel augeri latitudine, nisi crassitudine minuatur? aut ullum esse corpus manente naturæ suæ quantitate, quod undique crescat, nisi rarescat? Quomodo igitur implebit anima ex illa stilla seminis magnitudinem corporis, quod animat, si et ipsa corpus est, cujus substantia nullo accessu crescat? Quomodo, inquam, implebit carnem, quam, vivificat, nisi tanto rarior fuerit, quanto grandius quod animaverit? Timuit videlicet ne deficeret etiam minuendo, si cresceret; et non timuit ne deficeret rarescendo, cum cresceret. Sed quid amplius immorer, quando et sermo pergit in prolixiorem modum, quam petit terminandi necessitas, et sententia mea jam satis sit nota, vel quid certum teneam, vel unde adhuc dubitem, et quare dubitem? Proinde et hoc volumen jam concludatur, ut quæ sequuntur deinde videamus.

[1] Apud Tertullianum, *in qua.*

[2] Editi hic addunt, *in membris;* quod a Mss. et a Tertulliano abest.

LIBER UNDECIMUS.

In illud cap. 2 Geneseos, vers. 25 : *Et erant nudi*, etc., et in totum cap. 3, cujus illustrandi causa dicitur de conditione et casu diaboli.

CAPUT PRIMUM. — *Recitato textu Geneseos explicatur vers. 25 cap. 2.*

1. *Et erant nudi ambo Adam et mulier ejus, et non pudebat illos. Serpens autem erat prudentissimus omnium bestiarum quæ sunt super terram, quas fecit Dominus Deus. Et dixit serpens mulieri, Quid, quia dixit Deus, Non edetis ab omni*[1] *ligno paradisi? Et dixit mulier serpenti, A fructu ligni quod est in paradiso edemus, de fructu autem ligni quod est in medio paradisi, dixit Deus, Non edetis ex eo, neque tangetis illud, ne moriamini. Et dixit serpens mulieri, Non morte moriemini : sciebat enim Deus, quoniam qua die manducaveritis de eo, aperientur vobis oculi, et eritis tanquam dii, scientes bonum et malum. Et vidit mulier quia bonum lignum ad escam, et quia placet oculis videre, et decorum est cognoscere. Et sumens de fructu ejus edit, et dedit viro suo secum, et ederunt. Et aperti sunt oculi amborum, et agnoverunt quia nudi erant, et consuerunt folia fici, et fecerunt sibi campestria. Et audierunt vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad vesperam, et absconderunt se Adam et mulier ejus a facie Domini Dei, in medio ligni paradisi. Et vocavit Dominus Deus Adam, et dixit illi, Ubi es? Et dixit ei, Vocem tuam audivi deambulantis in paradiso, et timui, quia nudus sum, et abscondi me. Et dixit illi, Quis nuntiavit tibi quia nudus es, nisi a ligno quod præceperam tibi tantum ne ex eo manducares, ab eo edisti? Et dixit Adam, Mulier quam dedisti mecum, hæc mihi dedit de ligno, et edi. Et dixit Dominus Deus mulieri, Quid hoc fecisti? Et dixit mulier, Serpens seduxit me, et manducavi. Et dixit Dominus Deus serpenti, Quia fecisti hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, et ab omnibus bestiis, quæ sunt super terram. Super pectus tuum et ventrem tuum ambulabis, et terram edes omnes dies vitæ tuæ. Et inimicitias ponam inter te et inter mulierem, et inter semen tuum et semen ejus : ipsa tibi servabit caput, et tu servabis ejus calcaneum. Et mulieri dixit, Multiplicans multiplicabo tristitias tuas et gemitum tuum. In tristitiis paries filios, et ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur. Adæ autem dixit, Quia audisti vocem mulieris tuæ, et edisti de ligno, de quo præceperam tibi de eo solo non edere, maledicta terra in operibus tuis : in tristitiis edes illam omnes dies vitæ tuæ; spinas et tribulos germinabit tibi, et edes fenum agri. In sudore faciei tuæ edes panem tuum, donec convertaris in terram, ex qua sumptus es; quia terra es, et in terram ibis. Et vocavit Adam nomen mulieris suæ, Vita*[2]*, quoniam hæc est mater omnium viventium. Et fecit Dominus Deus Adam et mulieri ejus tunicas pelliceas, et induit eos. Et dixit Dominus Deus, Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis in cognoscendo bonum et malum. Et nunc ne aliquando extendat manum suam, et sumat de ligno vitæ, et edat, et vivat in æternum. Et dimisit illum Dominus Deus de paradiso voluptatis operari terram, ex qua sumptus est. Et ejecit Adam, et collocavit eum contra paradisum voluptatis : et ordinavit Cherubim, et flammeam rhomphæam quæ vertitur, custodire viam ligni vitæ.*

2. Antequam hujus propositæ Scripturæ textum ex ordine pertractemus, admonendum arbitror, quod jam me et alibi in hoc opere memini prælocutum, illud a nobis esse flagitandum, ut ad proprietatem litteræ defendatur quod gestum narrat ipse qui scripsit. Si autem in verbis Dei, vel cujusquam personæ in officium propheticum assumptæ, dicitur aliquid quod ad litteram nisi absurde non possit intelligi, procul dubio figurate dictum ob aliquam significationem accipi debet; dictum tamen esse dubitare fas non est : hoc enim a fide narratoris, et pollicitatione expositoris exigitur (*Lib.* 8, *c.* 1-7).

3. *Erant* ergo *ambo nudi :* verum est, omnino nuda erant corpora duorum hominum in paradiso conversantium. *Nec pudebat eos :* quid enim puderet, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ (*Rom.* VII, 23)? quæ illos pœna peccati post perpetrationem prævaricationis secuta est, usurpante inobedientia prohibitum, et justitia puniente commissum. Quod antequam fieret, nudi erant ut dictum est, et non confundebantur : nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur; nihil putabant velandum, quia nihil senserant refrenandum. Quemadmodum propagaturi essent filios, jam antea disputatum est (*Supra*, *lib.* 9, *c.* 3-11) : non tamen eo modo credendum est, quo propagaverunt posteaquam crimen admissum prædicta ultio consecuta est; cum priusquam morerentur, jam in corpore inobedientium hominum justissimo reciprocatu inobedientium membrorum tumultum mors concepta versaret. Nondum erant tales Adam et Eva, cum ambo nudi essent, et non confunderentur.

CAPUT II. — *Serpentis sapientia qualis, et unde.*

4. *Serpens autem erat* ibi *prudentissimus* quidem, sed *omnium bestiarum quæ erant super terram, quas fecerat Dominus Deus.* Translato enim verbo dictum est, *prudentissimus*, vel sicut plures latini codices habent, *sapientissimus*, non proprio quo in bonum accipi solet sapientia vel Dei, vel Angelorum, vel animæ rationalis; tanquam si sapientes apes etiam formicasque dicamus, propter opera velut imitantia sapientiam. Quanquam iste serpens non irrationali anima

[1] Editi, *illo*. At Mss. ut in sacris Bibliis, *omni*.
[2] Editi, *nomen mulieris suæ Eva, id est, Vita*. At Mss. omnes carent his verbis, *Eva, id est :* quæ nec leguntur apud Interpretes LXX.

sua, sed alieno jam spiritu, id est diabolico, posset sapientissimus dici omnium bestiarum. Quantumlibet enim prævaricatores angeli de supernis sedibus suæ perversitatis et superbiæ merito dejecti sint, natura tamen excellentiores sunt omnibus bestiis propter rationis eminentiam. Quid ergo mirum si suo instinctu diabolus jam implens serpentem, eique spiritum suum miscens, eo more quo vates dæmoniorum implere solet[1], sapientissimum eum reddiderat omnium bestiarum secundum animam vivam irrationalemque viventium? Abusione quippe nominis ita sapientia dicitur in malo, quemadmodum in bono astutia; cum proprie magisque usitate in latina duntaxat lingua sapientes laudabiliter appellentur, astuti autem male cordati intelligantur. Unde nonnulli, sicut in plerisque codicibus invenimus, ad usum latinæ locutionis, non verbum, sed potius sententiam transferentes, astutiorem omnibus bestiis istum serpentem, quam sapientiorem dicere maluerunt. Quid autem habeat hebræa proprietas, utrum illic in malo, non abusive, sed proprie possint dici et intelligi sapientes, viderint qui eam probe noverunt. Nos tamen aperte legimus alio Scripturarum sanctarum loco sapientes ad malum, non ad bonum (*Jerem.* IV, 22); et Dominus dicit sapientiores esse filios sæculi filiis lucis, ad consulendum sibimet in posterum quamvis fraude, non jure (*Luc.* XVI, 8).

CAPUT III. — *Diabolus nonnisi per serpentem tentare permissus.*

5. Nec sane debemus opinari quod serpentem sibi, per quem tentaret persuaderetque peccatum, diabolus elegerit; sed cum esset in illo propter perversam et invidam voluntatem decipiendi cupiditas, nonnisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est. Nocendi enim voluntas potest esse a suo quoque animo prava; non est autem potestas nisi a Deo, et hoc abdita altaque justitia, quoniam non est iniquitas apud Deum.

CAPUT IV.— *Tentatio hominis quare permissa.*

6. Si ergo quæritur cur Deus tentari permiserit hominem, quem tentatori consensurum esse præsciebat; altitudinem quidem consilii ejus penetrare non possum, et longe supra vires meas hoc esse confiteor. Est ergo aliqua causa fortassis occultior, quæ melioribus sanctioribusque reservatur, illius gratia potius quam meritis eorum: sed tamen quantum vel donat sapere, vel sinit dicere, non mihi videtur magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene vivere, quia nemo male vivere suaderet; cum et in natura posse, et in potestate haberet[2] velle non consentire suadenti, adjuvante tamen illo qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacobi* IV, 6). Cur itaque tentari non sineret, quem consensurum esse præsciebat, cum id facturus esset propria voluntate per culpam, et ordinandus esset illius æquitate per pœnam: ut etiam sic ostenderet animæ superbæ ad eruditionem futurorum sanctorum, quam recte ipse uteretur animarum voluntatibus etiam malis, cum illæ perverse uterentur naturis bonis?

CAPUT V. — *Homo a tentatore dejectus, quia superbus.*

7. Nec arbitrandum est quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quædam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quam de se falso præsumpserit, disceret. Verissime quippe dictum est: *Ante ruinam exaltatur cor, et ante gloriam humiliatur* (*Prov.* XVI, 18). Et hujus forte hominis vox est in Psalmo: *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum*[1]. Deinde jam expertus quid mali habeat superba præsumptio propriæ potestatis, et quid boni adjutorium gratiæ Dei: *Domine*, inquit, *in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti autem faciem tuam, et factus sum conturbatus* (*Psal.* XXIX, 7, 8). Sed sive illud de hoc homine, sive de alio dictum sit, extollenti se tamen animæ, et nimium tanquam de propria virtute præfidenti, etiam experimento pœnæ fuerat demonstrandum quam non bene se habeat facta natura, si a faciente recesserit. Hinc enim etiam maxime commendatur quale bonum sit Deus, quando nulli ab eo recedenti bene est: quia et qui gaudent in mortiferis voluptatibus, esse sine dolorum timore non possunt; et qui omnino malum desertionis suæ majore superbiæ stupore non sentiunt, aliis qui hæc discernere noverunt, miseriores prorsus apparent; ut si nolunt recipere medicinam talia devitandi, valeant ad exemplum, quo possint talia devitari. Sicut enim apostolus Jacobus dicit, *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum autem cum consummatum fuerit, generat mortem* (*Jacobi* I, 14, 15). Unde sanato superbiæ tumore resurgitur, si voluntas quæ ante experimentum defuit, ut permaneretur cum Deo, saltem post experimentum adsit, ut redeatur ad Deum.

CAPUT VI. — *Cur Deus permiserit hominem tentari.*

8. Sic autem quidam moventur de hac primi hominis tentatione, quod eam fieri permiserit Deus, quasi nunc non videant universum genus humanum diaboli insidiis sine cessatione tentari. Cur et hoc permittit Deus? An quia probatur et exercetur virtus, et est palma gloriosior non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari: cum etiam ipsi qui deserto Creatore eunt post tentatorem, magis magisque tentent eos qui in verbo Dei permanent, præbeantque illis contra cupiditatem devitationis exemplum, et incutiant contra superbiam timorem pium? Unde dicit Apostolus: *Intendens teipsum, ne et tu tenteris* (*Galat.* VI, 1). Mirum est enim quantum ista humilitas, qua subdimur Creatori, ne tanquam ejus adjutorio non egentes de nostris viribus præsumamus, per Scripturas omnes divinas cura continua commendatur. Cum ergo etiam per injustos justi, ac per impios pii proficiant, frustra

[1] In plerisque Mss., *impleri solent.*

[2] Mss. nonnulli, *habere.* Tum quidam prosequuntur, *si vellet non consentire.* Alii plerique, *habeat velle non consentire.* Sic etiam Am. et Er. At Lov., *habeat velle et non consentire.*

[1] Veteres codices, *in sæculum.* Sic interdum Augustinus, propter ambiguitatem lectionis græcæ apud LXX, *eis ton aiōna.*

dicitur: Non crearet Deus, quos præsciebat malos futuros. Cur enim non crearet quos præsciebat bonis profuturos, ut et utiles eorum bonis voluntatibus exercendis admonendisque nascantur, et juste pro sua mala voluntate puniantur?

CAPUT VII. — *Cur homo non talis creatus qui nollet unquam peccare.*

9. Talem, inquiunt, faceret hominem, qui nollet omnino peccare. Ecce nos concedimus meliorem esse naturam quæ omnino peccare nolit; concedant et ipsi non esse malam naturam quæ sic facta est, ut posset non peccare si nollet, et justam esse sententiam qua punita est, quæ voluntate non necessitate peccavit. Sicut ergo ratio vera docet meliorem esse naturam quam prorsus nihil delectat illicitum; ita ratio vera nihilominus docet etiam illam bonam esse quæ habet in potestate illicitam delectationem, si exstiterit, ita cohibere, ut non solum de cæteris licitis recteque factis, verum etiam de ipsius pravæ delectationis cohibitione lætetur. Cum ergo hæc natura bona sit, illa melior, cur illam solam, et non utramque potius faceret Deus? Ac per hoc qui parati erant[1] de illa sola Deum laudare, uberius eum debent laudare de utraque. Illa quippe est in sanctis Angelis, hæc in sanctis hominibus. Qui autem sibi partes iniquitatis elegerunt, laudabilemque naturam culpabili voluntate depravarunt. non quia præsciti sunt, ideo creari minime debuerunt, Habent enim et ipsi locum suum, quem in rebus impleant pro utilitate sanctorum. Nam Deus nec justitia cujusquam recti hominis eget; quanto minus iniquitate perversi?

CAPUT VIII. — *Quare creati qui præsciebantur futuri mali.*

10. Quis autem sobria consideratione dicat: Melius non crearet quem præsciebat ex alterius iniquitate posse corrigi, quam crearet etiam quem præsciebat pro sua iniquitate debere damnari? Hoc est enim dicere, melius non esse qui alterius malo bene utendo misericorditer coronaretur, quam esse etiam malum qui pro suo merito juste puniretur. Cum enim ratio certa demonstrat duo quædam non æqualia bona, sed unum superius, alterum inferius; non intelligunt tardi corde, cum dicunt, Utrumque tale esset; nihil se aliud dicere quam, Solum illud esset. Ac sic cum æquare volunt genera bonorum, numerum minuunt; et immoderate augendo unum genus, alterum tollunt. Quis autem hos audiret, si dicerent: Quoniam excellentior sensus est videndi quam audiendi, quatuor oculi essent, et aures non essent? Ita, si excellentior est creatura illa rationalis, quæ sine ullius pœnæ comparatione, sine ulla superbia Deo subditur; aliqua vero in hominibus ita creata est, ut in se Dei beneficium non possit agnoscere, nisi alterius videndo supplicium, ut non altum sapiat, sed timeat (*Rom.* XI, 20), id est non de se præfidat, sed confidat in Deum; quis recte intelligens dicat, Talis esset ista qualis illa; nec videat se nihil aliud dicere quam, Non esset ista, sed sola esset illa? Quod si inerudite atque insipienter dicitur, cur ergo non crearet Deus etiam quos malos futuros esse præsciebat, volens ostendere iram et demonstrare potentiam suam, et ob hoc sustinens in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam (*Id.* IX, 22, 23)? Sic enim qui gloriatur, nonnisi in Domino gloriatur (II *Cor.* X, 17), cum cognoscit non suum, sed illius esse, non solum ut sit, verum etiam ut nonnisi ab illo bene sibi sit, a quo habet ut sit.

11. Nimis itaque importune dicitur: Non essent quibus Deus tantam beneficentiam misericordiæ suæ tribueret, si aliter esse non possent, nisi essent et hi in quibus vindictæ justitiam demonstraret.

CAPUT IX. — *De eadem difficultate.*

Cur enim non utrique potius essent, quando in utrisque et bonitas Dei et æquitas jure prædicatur?

12. At enim si Deus vellet, etiam isti boni essent. Quanto melius hoc Deus voluit, ut quod vellent essent: sed boni infructuose, mali autem impune non essent, et in eo ipso aliis utiles essent? Sed præsciebat quod eorum futura esset[1] voluntas mala. Præsciebat sane, et quia falli non potest ejus præscientia, ideo non ipsius, sed eorum est voluntas mala. Cur ergo eos creavit, quos tales futuros esse præsciebat? Quia sicut prævidit quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de malis factis eorum quid boni esset ipse facturus. Sic enim eos fecit, ut eis relinqueret unde et ipsi aliquid facerent, quo quidquid etiam culpabiliter eligerent, illum de se laudabiliter operantem invenirent. A se quippe habent voluntatem malam, ab illo autem et naturam bonam, et justam pœnam; sibi debitum locum, aliis exercitationis adminiculum et timoris exemplum.

CAPUT X. — *Malorum voluntatem in bonum convertere potest Deus: quare non faciat.*

13. Sed posset, inquiunt, etiam ipsorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est. Posset plane. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipsum est. Debemus enim non plus sapere quam oportet sapere (*Rom.* XII, 3). Puto autem paulo ante satis nos ostendisse non parvi boni esse rationalem creaturam, etiam istam quæ malorum comparatione cavet malum: quod genus bonæ creaturæ utique non esset, si omnium malas voluntates in bonum Deus convertisset, et nulli iniquitati pœnam debitam infligeret; ac sic non esset nisi solum illud genus, quod nulla vel peccati vel supplicii malorum comparatione proficeret. Ita velut aucta numerositate excellentioris generis, ipsorum generum bonorum numerus minueretur.

CAPUT XI. — *Malorum pœnis non indiget Deus, sed ex eis consulit bonorum saluti.*

14. Ergo, inquiunt, est aliquid in operibus Dei, quod alterius malo indigeat, quo proficiat ad bonum? Itane obsurduerunt et excæcati sunt homines, nescio quo studio contentionis, ut non audiant vel videant, quibusdam punitis, quam plurimi corrigantur? Quis

[1] Mss., *paraverant.*

[1] Sic Mss. At editi, *quid eorum factura esset.*

enim paganus, quis Judæus, quis hæreticus non hoc in domo sua quotidie probet? Verum cum venitur ad disputationem inquisitionemque veritatis, nolunt advertere sensus suos homines, ex quo opere divinæ providentiæ in eos veniat imponendæ commotio disciplinæ; ut si non corriguntur qui puniuntur, eorum tamen exemplo cæteri metuant, valeatque ad eorum salutem justa pernicies aliorum. Num enim malitiæ eorum vel nequitiæ Deus auctor est, de quorum justa pœna consulit, quibus hoc modo consulendum esse constituit? Non utique: sed cum eos vitiis propriis malos futuros esse præsciret, non eos tamen creare destitit; utilitati deputans eorum, quos in hoc genere creavit, ut ad bonum proficere, nisi malorum comparatione[1], non possent. Si enim non essent, nulli rei utique prodessent. Parumne boni est actum ut sint, qui certe illi generi utiles sunt; quod genus quisquis non vult ut sit, nihil aliud agit, nisi ut ipse in eo non sit?

15. Magna opera Domini; exquisita in omnes voluntates ejus (*Psal.* CX, 2): prævidet bonos futuros, et creat; prævidet malos futuros, et creat: seipsum ad fruendum præbens bonis, multa munerum suorum largiens et malis, misericorditer ignoscens: juste ulciscens; itemque misericorditer ulciscens, juste ignoscens: nihil metuens de cujusquam malitia, nihil indigens de cujusquam justitia; nihil sibi consulens nec de operibus bonorum, et bonis consulens etiam de pœnis malorum. Cur ergo non permitteret tentari hominem illa tentatione probandum[2], convincendum, puniendum, cum superba concupiscentia propriæ potestatis quod conceperat pareret, suoque fetu confunderetur, justoque supplicio a superbiæ atque inobedientiæ malo posteros deterreret, quibus ea conscribenda et annuntianda parabantur?

CAPUT XII.— *Cur tentatio per serpentem fieri permissa.*

16. Si autem quæritur cur potissimum per serpentem diabolus tentare permissus sit; jam hoc significandi gratia factum esse, quem non admoneat Scriptura tantæ auctoritatis, tantis divinitatis documentis agens in prophetando, quantis effectis jam mundus impletus est? Non quod diabolus aliquid ad instructionem nostram significare voluerit, sed cum accedere ad tentandum non posset nisi permissus, num per aliud posset, nisi per quod permittebatur accedere? Quidquid igitur serpens ille significavit, ei providentiæ tribuendum est, sub qua et ipse diabolus suam quidem habet cupiditatem nocendi; facultatem autem nonnisi quæ datur, vel ad subvertenda ac perdenda vasa iræ, vel ad humilianda sive probanda vasa misericordiæ. Natura itaque serpentis unde sit, novimus: produxit enim terra in verbo Dei omnia pecora, et bestias, et serpentes; quæ universa creatura habens in se animam vivam irrationalem, universæ rationali creaturæ sive bonæ sive malæ voluntatis, lege divini ordinis subdita est (*Gen.* I, 20-26). Quid ergo mirum si per serpentem aliquid agere permissus est diabolus, cum dæmonia in porcos intrare Christus ipse permiserit (*Matth.* VIII, 32)?

[1] Editi hic, *cooperatione.* Mss. constanter, *comparatione.*
[2] In Mss. probæ notæ, *prodendum.*

CAPUT XIII. — *In Manichæos qui diabolum in creaturis Dei censeri nolunt.*

17. Magis de ipsa natura diaboli scrupulosius quæri solet, quam totam quidam hæretici, offensi molestia malæ voluntatis ejus, alienare conantur a creatura summi et veri Dei, et alterum ei dare principium, quod sit contra Deum. Non enim valent intelligere, omne quod est, in quantum aliqua substantia est, et bonum esse, et nisi ab illo vero Deo, a quo omne bonum est, esse non posse: malam vero voluntatem inordinate moveri, bona inferiora superioribus præponendo; atque ita factum esse ut rationalis creaturæ spiritus, sua potestate propter excellentiam delectatus, tumesceret superbia, per quam caderet a beatitudine spiritualis paradisi, et invidentia contabesceret. In quo tamen bonum est hoc ipsum quod vivit, et vivificat corpus, sive aerium, sicut ipsius diaboli vel dæmonum spiritus, sive terrenum, sicut hominis anima, cujusvis etiam maligni atque perversi. Ita dum nolunt aliquid, quod Deus fecerit, propria voluntate peccare, ipsius Dei substantiam dicunt primo necessitate, et post inexpiabiliter voluntate corruptam atque perversam. Sed de istorum dementissimo errore alias jam diximus multa.

CAPUT XIV. — *Causa ruinæ angelicæ. Superbia; invidia.*

18. In hoc autem opere quærendum est secundum sanctam Scripturam, quid de diabolo dicendum sit. Primo, utrum ab initio ipsius mundi sua potestate delectatus abstiterit ab illa societate et charitate, qua beati sunt Angeli qui fruuntur Deo; an aliquo tempore in sancto cœtu fuerit Angelorum, etiam ipse pariter justus, et pariter beatus. Nonnulli enim dicunt ipsum ei fuisse casum a supernis sedibus, quod inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porro autem invidia sequitur superbiam, non præcedit: non enim causa superbiendi est invidia, sed causa invidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidia vero sit odium felicitatis alienæ, quid unde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur; vel inferioribus, ne sibi coæquentur; vel superioribus, quod eis non coæquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est.

CAPUT XV. — *Superbia et amor privatus fontes malorum. Amores duo. Civitates duæ. Opus de Civitate Dei pollicetur.*

19. Merito initium omnis peccati superbiam Scriptura definivit, dicens: *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* X, 15). Cui testimonio non inconvenienter aptatur etiam illud quod Apostolus ait, *Radix omnium malorum est avaritia* (I *Tim.* VI, 10); si avaritiam generalem intelligamus, qua quisque appetit aliquid amplius quam oportet, propter excellentiam suam, et quemdam propriæ rei amorem: cui sapienter nomen latina lingua indidit, cum appellavit privatum, quod potius a detrimento quam ab incremento dictum elucet. Omnis enim privatio minuit. Unde itaque vult eminere superbia, inde in angustias egestatemque

contruditur, cum ex communi ad proprium damnoso sui amore redigitur. Specialis est autem avaritia, quæ usitatius appellatur amor pecuniæ. Cujus nomine Apostolus per speciem genus significans, universalem avaritiam volebat intelligi dicendo, *Radix omnium malorum est avaritia*. Hac enim et diabolus cecidit, qui utique non amavit pecuniam, sed propriam potestatem. Proinde perversus sui amor privat sancta societate turgidum spiritum, eumque coarctat miseria jam per iniquitatem satiari cupientem. Hinc alio loco cum dixisset, *Erunt enim homines seipsos amantes;* continuo subjecit, *amatores pecuniæ* (II *Tim*. III, 2), ab illa generali avaritia cujus superbia caput est, ad hanc specialem descendens quæ propria hominum est. Neque enim essent etiam homines amatores pecuniæ, nisi eo se putarent excellentiores, quo ditiores. Cui morbo contraria charitas non quærit quæ sua sunt, id est non privata excellentia lætatur: merito ergo et non inflatur (I *Cor*. XIII, 5, 4).

20. Hi duo amores, quorum alter sanctus est, alter immundus; alter socialis, alter privatus; alter communi utilitati consulens propter supernam societatem, alter etiam rem communem in potestatem propriam redigens propter arrogantem dominationem; alter subditus, alter æmulus Deo; alter tranquillus, alter turbulentus; alter pacificus, alter seditiosus; alter veritatem laudibus errantium præferens, alter quoquo modo laudis avidus; alter amicalis [1], alter invidus; alter hoc volens proximo quod sibi, alter subjicere proximum sibi; alter propter proximi utilitatem regens proximum, alter propter suam: præcesserunt in Angelis; alter in bonis, alter in malis; et distinxerunt conditas in genere humano civitates duas, sub admirabili et ineffabili providentia Dei, cuncta quæ creata sunt administrantis et ordinantis, alteram justorum, alteram iniquorum. Quarum etiam quadam temporali commixtione peragitur sæculum, donec ultimo judicio separentur, et altera conjuncta Angelis bonis in rege suo vitam consequatur æternam, altera conjuncta angelis malis in ignem cum rege suo mittatur æternum. De quibus duabus civitatibus latius fortasse alio loco, si Dominus voluerit, disseremus.

CAPUT XVI. — *Diabolus quandonam lapsus sit.*

21. Quando ergo dejecerit superbia diabolum, ut naturam suam bonam prava voluntate perverteret, Scriptura non dicit: ante tamen factum fuisse, et ex hac eum homini invidisse, ratio manifesta declarat. In promptu est enim omnibus hæc intuentibus, non ex invidentia superbiam nasci, sed ex superbia potius invidentiam. Non autem frustra putari potest, ab initio temporis diabolum superbia cecidisse, nec fuisse ullum antea tempus quo cum Angelis sanctis pacatus vixerit et beatus, sed ab ipso primordio creaturæ a suo creatore apostatasse; ut illud quod Dominus ait, *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit* (*Joan*. VIII, 44), utrumque ab initio intelligamus, non solum quod homicida fuit, sed etiam quia in veritate non stetit. Et homicida quidem ab illo initio ex quo homo potuit occidi; non autem potuit occidi, antequam esset qui occideretur. Ab initio ergo homicida diabolus, quia ipse occidit hominem primum, ante quem nullus hominum fuit. In veritate autem non stetit, et hoc ab initio ex quo ipse creatus est, qui staret si stare voluisset.

CAPUT XVII.—*An beatus fuerit diabolus ante peccatum.*

22. Quomodo enim duxisse etiam vitam beatam inter beatos Angelos credi potest, qui futuri sui peccati atque supplicii, id est desertionis et ignis æterni, præscius non fuit? Si præscius non fuit, merito quæritur cur non fuerit [1]. Neque enim sancti Angeli æternæ suæ vitæ ac beatitudinis incerti sunt. Nam quomodo beati, si incerti? An dicemus hoc Deum diabolo revelare noluisse, cum adhuc esset angelus bonus, vel quid facturus, vel quid passurus esset; cæteris vero hoc revelasse quod essent in æternum in ejus veritate mansuri? Quod si ita est, ideo jam non æqualiter beatus, imo jam nec plane beatus fuit, quandoquidem plane beati de sua beatitudine certi sunt, ut eam nullus perturbet metus. Quo autem malo merito ita discernebatur a cæteris, ut ei Deus nec ea quæ ad ipsum pertinerent, futura revelaret? Numquid ille prius ultor, quam iste peccator? Absit: neque enim Deus damnat innocentes. An forte ex alio genere angelorum fuit, quibus Deus non dedit vel de seipsis præscientiam futurorum? qui quonam modo beati possint esse non video, quibus incerta est ipsa sua beatitudo. Nam et hoc quidam senserunt, non fuisse diabolum in illa sublimi natura Angelorum, quæ supercœlestis est; sed in eorum qui aliquanto inferius in mundo facti sunt, et per sua officia distributi. Tales enim fortasse posset aliquid etiam illicitum delectare: quam tamen delectationem si peccare nollent, libero arbitrio cohiberent; sicut homo, maxime ille primus, qui peccati pœnam nondum habebat in membris, quandoquidem et ipsa a sanctis viris Deo subditis per ejus gratiam pietate superatur.

CAPUT XVIII. — *Homo ante peccatum quomodo beatus fuerit.*

23. Porro ista quæstio de beata vita, utrum eam quisquam jam habere dicendus sit, cui incertum est [2] utrum secum permansura sit, an ei miseria quandoque succedat, potest et de ipso primo homine oriri. Nam si futuri sui peccati præscius erat divinæque vindictæ, beatus esse unde poterat? Ergo erat in paradiso non beatus. Sed enim non erat futuri peccati sui præscius? Ergo per hanc ignorantiam aut ejusdem beatitudinis incertus; et quomodo jam vere beatus? aut falsa spe certus, non scientia; et quomodo non stultus?

24. Sed tamen hominis adhuc in corpore animali constituti, cui obedienter viventi dandum adhuc esset Angelorum consortium, et mutatio corporis ex animali in spirituale, possumus intelligere beatam vitam secundum quemdam modum, etiamsi non erat præ-

[1] Er. et Lov., *amicabilis*; pro quo Am. et Mss., *amicalis*.

[1] Er. Lugd. Ven. legunt, *id est desertionis et ignis æterni si præscius non fuit, merito quæritur cur non fuerit*. M.

[2] Mss., *cujus incertus est utrum*, etc.

scius futuri sui peccati. Neque enim et illi præscii fuerunt, quibus Apostolus dicit, *Vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne et tu tenteris* (*Galat.* VI, 1); non absurde tamen nec improbe dicimus, beatos jam fuisse hoc ipso quod spirituales essent, non corpore, sed justitia fidei, spe gaudentes, in tribulatione patientes (*Rom.* XII, 12). Quanto magis ergo, et ampliore modo beatus erat homo in paradiso ante peccatum, quamvis incertus futuri sui casus, qui spe ita gaudebat propter præmium futuræ commutationis, ut nulla esset tribulatio cui tolerandæ patientia militaret? Quamvis enim non vana præsumptione de incerto certus velut stultus, sed spe non infidelis; antequam apprehenderet illam vitam, ubi certissimus ipsius æternæ vitæ suæ futurus esset, posset exsultare, quemadmodum scriptum est, *cum tremore* (*Psal.* II, 11); et hac exsultatione, multo abundantius in paradiso, quam sancti in his terris, beatus esse, modo quodam inferiore quam in illa vita æterna sanctorum supercœlestiumque Angelorum, non tamen nullo.

CAPUT XIX. — *Angelorum conditio.*

25. Dicere autem de aliquibus angelis quod in suo quodam genere beati esse possint, futuræ suæ iniquitatis et damnationis, vel certe perpetuæ salutis incerti, quibus nec spes subesset quod aliquando et ipsi aliqua in melius mutatione certi de hac re futuri essent, vix ferenda præsumptio est: nisi forte et hoc dicatur, ita creatos istos angelos mundanis ministeriis distributos sub aliis sublimioribus et beatioribus, ut pro recte gestis præposituris suis accipiant illam vitam beatam ac sublimiorem, de qua possint esse certissimi, cujus utique spe gaudentes possint non incongrue dici jam beati. Ex quorum numero si diabolus cecidit cum sociis iniquitatis suæ, simile est hoc ei quod cadunt a justitia fidei etiam homines, simili superbia prævaricati, vel seipsos seducentes, vel illi seductori consentientes.

26. Sed asserant hæc duo genera bonorum Angelorum qui potuerint, unum supercœlestium, in quibus nunquam fuit qui cadendo diabolus factus est; alterum autem mundanorum, in quibus fuit: mihi autem, fateor, unde hoc secundum Scripturas asseram, non interim occurrit; sed coarctatus quæstione illa, qua quæritur utrum sui casus præscius, antequam caderet, fuerit, ne suæ beatitudinis incertos esse vel aliquando fuisse Angelos dicerem, non sine causa putari posse dixi, diabolum ab ipso creaturæ, hoc est ab ipso vel temporis vel suæ conditionis initio cecidisse, nec aliquando in veritate stetisse.

CAPUT XX. — *Opinio de diabolo creato in malitia.*

27. Unde nonnulli eum non in hanc malitiam libero voluntatis arbitrio esse deflexum, sed in hac omnino creatum putant, quamvis a Domino Deo summo et vero naturarum omnium creatore: adhibentque testimonium de libro Job, quoniam ibi scriptum est, cum de illo sermo esset, *Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ut illudatur ab Angelis ejus* (*Job.* XL, 14, *sec.* LXX): cui sententiæ congruit quod in Psalmo scriptum est, *Draco hic quem finxisti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII, 26); nisi quod hic, *quem finxisti*, dixit; non autem sicut ibi, *Hoc est initium figmenti Domini*: tanquam in initio cum ita finxisset, ut malus, ut invidus, ut seductor, ut omnino diabolus esset, non voluntate depravatus, sed ita creatus.

CAPUT XXI. — *Refellitur hæc opinio.*

28. Hæc opinio quomodo non sit adversa ei, quod scriptum est, *Fecit Deus omnia bona valde*[1] (*Gen.* I, 31), quamvis conentur ostendere; nec insulse etiam vel inerudite asseratur, non tantum conditione prima, sed etiam nunc depravatis tot voluntatibus, in summa tamen omnia quæ creata sunt, id est universam omnino creaturam bonam esse valde, non quod boni sint in ea mali, sed quod non efficiant malitia sua ut sub Dei administratoris imperio, virtute, sapientia, decus et ordo universitatis aliqua ex parte turpetur sive turbetur; cum suis quibusque voluntatibus, etiam malis, tribuantur certi et congrui limites potestatum et pondera meritorum, ut etiam cum ipsis convenienter justeque ordinatis universitas pulchra sit: tamen quia quilibet occurrit, et verum est atque manifestum, justitiæ ipsi esse contrarium ut nullo præcedente merito, hoc ipsum in quoquam Deus damnet quod in eo ipse creaverit, certaque et evidens damnatio diaboli et angelorum ejus ex Evangelio recitatur, ubi se dicturum Dominus prænuntiavit eis qui a sinistris sunt, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41); nullo modo in eo naturam quam Deus creavit, sed malam propriam voluntatem pœna ignis æterni plectendam esse credendum est.

CAPUT XXII. — *Opinionis ejusdem fundamenta convelluntur.*

29. Nec ejus naturam esse significatam quod dictum est, *Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ut illudatur ab Angelis ejus*: sed vel corpus aerium, quod tali voluntati congruenter aptavit; vel ipsam ordinationem, in qua eum fecit etiam nolentem utilem bonis; vel quod præsciens eum propria voluntate malum futurum, fecit eum tamen, non abstinens bonitatem suam in præbenda vita atque substantia futuræ etiam noxiæ voluntati[2], simul prævidens quanta de illo bona esset sua mirabili bonitate ac potestate facturus. *Initium* autem *figmenti Domini* dictus est, *quod fecit ut illudatur ab Angelis ejus*, non quia ipsum primitus condidit, vel initio malum condidit; sed quia cum sciret eum ad hoc propria voluntate malum futurum ut bonis noceret, creavit eum ad hoc ut de illo bonis ipse prodesset. Hoc est enim, *ut illudatur ab Angelis ejus*; quoniam sic illuditur, cum sanctis prosunt tentationes ejus, quibus eos depravare conatur, ut malitia, in qua ipse esse voluit, eo nolente sit utilis servis Dei; quia hoc prævidens eum finxit. Ideo

[1] Codices editi et Mss. post, *bona valde*, addunt: *Ubi invenitur diabolus non propria voluntate depravatus, sed ab ipso Domino Deo factus malus valde*; quod glossema esse censor quidam nec imprudens nec recens annotavit in Colbertino Ms. Mox in editis legebatur: *Quamvis conentur ostendere ut insulse*: at in Mss., *nec insulse*.

[2] Mss. aliquot, *voluntatis*.

initium ad illudendum, quia et mali homines vasa ejusdem diaboli, et tanquam capitis corpus, quos nihilominus Deus malos futuros prævidens, creavit tamen ad utilitatem sanctorum, similiter illuduntur, cum et ipsis nocere volentibus, præstatur sanctis ex eorum comparatione cautela, et pia sub Deo humilitas et intelligentia gratiæ[1], et exercitatio ad tolerandos malos, et probatio ad diligendos inimicos. Sed ille est initium figmenti, quod sic illuditur, quia præcedit istos et temporis antiquitate, et principatu malitiæ. Hoc autem illi Deus per sanctos Angelos facit, illo opere providentiæ, quo creatas naturas administrat, subdens videlicet angelos malos Angelis bonis, ut malorum improbitas, non quantum nititur, sed quantum sinitur possit : nec tantum angelorum malorum, verum et hominum, donec etiam ista justitia, qua vivitur ex fide (*Rom.* I, 17), quæ nunc patienter in hominibus exercetur, convertatur in judicium (*Psal.* XCIII, 15), ut possint et ipsi non solum duodecim tribus Israel (*Matth.* XIX, 28), sed etiam angelos judicare (I *Cor.* VI, 3).

CAPUT XXIII. — *Ut intelligendum est diabolum in veritate nunquam stetisse.*

30. Quod ergo putatur nunquam diabolus in veritate stetisse, nunquam cum Angelis beatam duxisse vitam, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse, non sic accipiendum est, ut non propria voluntate depravatus, sed malus a bono Deo creatus putetur ; alioquin non ab initio cecidisse diceretur : neque enim cecidit, si talis est factus. Sed factus continuo se a luce veritatis avertit, superbia tumidus, et propriæ potestatis delectatione corruptus : unde beatæ atque angelicæ vitæ dulcedinem non gustavit, quam non utique acceptam fastidivit, sed nolendo accipere deseruit, et amisit. Proinde nec sui casus præscius esse potuit; quoniam sapientia pietatis est fructus. Ille autem continuo impius, consequenter et mente cæcus, non ex eo quod acceperat cecidit, sed ex eo quod acciperet, si subdi voluisset Deo : quod profecto quia noluit, et ab eo quod accepturus erat cecidit, et potestatem illius sub quo esse noluit, non evasit; factumque in illo est pondere meritorum, ut nec justitiæ possit lumine delectari, nec ab ejus sententia liberari.

CAPUT XXIV. — *De corpore mystico diaboli intelligendum esse illud*, Quomodo cecidit, *etc.*

31. Quod ergo per Isaiam prophetam in eum dicitur, *Quomodo cecidit de cœlo Lucifer mane oriens? contritus est in terram, qui mittebat ad omnes gentes? Tu autem dixisti sensu tuo, In cœlum ascendam, super sidera cœli ponam thronum meum, sedebo in monte excelso super montes excelsos qui sunt ad aquilonem, ascendam super nubes, ero similis Altissimo : nunc autem ad inferos descendes* (*Isai.* XIV, 12-14); et cætera, quæ in figura regis velut Babylonis in diabolum dicta intelliguntur, plura in ejus corpus conveniunt, quod etiam de humano genere congregat; et in eos maxime qui ei per superbiam cohærent, apostatando a mandatis Dei. Sicut enim qui erat diabolus, homo dictus est, ut in Evangelio, *Inimicus homo hoc fecit* (*Matth.* XIII, 28); ita qui homo erat, diabolus dictus est, ut rursus in Evangelio, *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI, 71)? Et sicut corpus Christi quod est Ecclesia, dicitur Christus, sicut illud est, *Vos Abrahæ semen estis*, cum paulo superius dixisset, *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus : non dicit, Et seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus* (*Galat.* III, 29, 16); et iterum, *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum est corpus; ita et Christus* (I *Cor.* XII, 12) : eo modo etiam corpus diaboli, cui caput est diabolus, id est ipsa impiorum multitudo, maximeque eorum qui a Christo vel de Ecclesia sicut de cœlo decidunt, dicitur diabolus, et in ipsum corpus figurate multa dicuntur, quæ non tam capiti quam corpori membrisque conveniant. Itaque Lucifer qui mane oriebatur et cecidit, potest intelligi apostatarum genus vel a Christo vel ab Ecclesia; quod ita convertitur ad tenebras amissa luce, quam portabat, quemadmodum qui convertuntur ad Deum, a tenebris ad lucem transeunt, id est, qui fuerunt tenebræ lux fiunt.

CAPUT XXV. — *De eodem corpore diaboli dictum esse illud*, Tu es signaculum, *etc. Paradisus Ecclesia.*

32. Item in figura principis Tyri per Ezechielem prophetam in diabolum dicta intelliguntur, *Tu es signaculum similitudinis et corona decoris; in deliciis paradisi Dei fuisti, omni lapide pretioso ornatus es* (*Ezech.* XXVIII, 12, 13); et cætera, quæ non tam in ipsum principem spiritum nequitiæ, quam in corpus ejus dicta conveniunt. Paradisus enim dicta est Ecclesia, sicut legitur in Cantico canticorum, *Hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ, paradisus cum fructu pomorum* (*Cant.* IV, 12, 13). Inde ceciderunt vel aperta et corporali separatione omnes hæretici; vel occulta et spirituali, quamvis in ea corporaliter esse videantur, omnes conversi ad vomitum suum, cum post remissionem omnium peccatorum paululum ambulassent in via justitiæ, in quibus facta sunt posteriora deteriora prioribus, et quibus expediebat non cognoscere viam justitiæ, quam cognoscentibus retrorsum reflecti a tradito sibi sancto mandato (*Prov.* XXVI, 11; *et* II *Petr.* II, 21, 22). Hanc pessimam generationem Dominus describit, cum dicit spiritum nequam exire ab homine, et cum aliis septem redire, et in domo quam mundatam jam invenerat, inhabitare, ut sint novissima hominis illius pejora prioribus (*Matth.* XII, 43-45). Tali enim generi hominum, quod jam factum est corpus diaboli, possunt hæc verba congruere, *A die qua creatus es tu cum cherub*, id est cum sede Dei, quæ interpretatur, Multiplicata scientia, *et posuit te in monte sancto Dei*, hoc est in Ecclesia; unde est, *Et exaudivit me de monte sancto suo* (*Psal.* III, 5). *Fuisti in medio lapidum flammeorum*, id est sanctorum spiritu ferventium, lapidum vivorum : *ambulasti sine vitio tu in diebus tuis, ex quo die creatus es tu donec inventa sunt delicta tua in te* (*Ezech.* XXVIII, 14, 15).

[1] Sic plerique et optimæ notæ Mss. At excusi habent, *humilitatis et intelligentiæ gratia.*

Possunt diligentius ista tractari, ut fortassis ostendatur non solum et hunc intellectum esse in his verbis posse, sed omnino alium esse non posse.

CAPUT XXVI. — *Conclusio de diaboli conditione et lapsu.*

33. Verum quia longum est, et alium sermonem exigit eidem tantum quæstioni deputatum; nunc sufficiat ista complexio, aut ab initio conditionis suæ diabolum a beatitudine, quam si voluisset percepturus fuerat, impia superbia cecidisse, aut alios esse angelos inferioris ministerii in hoc mundo, inter quos secundum eorum quamdam non præsciam beatitudinem vixerat, et a quorum societate cum sibi subditis angelis suis tanquam archangelus cecidit per superbam impietatem; si hoc ullo modo asseri potest, quod mirum si potest [1]: aut certe rationem requirendam, quemadmodum omnes sancti Angeli, si inter illos aliquando pariter beatus cum suis angelis diabolus vixit, nondum habuerint etiam ipsi certam præscientiam perpetuæ felicitatis suæ, sed eam post casum ejus acceperint; aut quo merito ante suum peccatum diabolus cum sociis suis a cæteris Angelis discretus fuerit, ut ipse sui casus futuri esset ignarus, illi autem certi permansionis suæ: dum tamen et peccatores angelos minime dubitemus detrusos tanquam in carcerem caliginis hujus aeriæ circa terras, secundum apostolicam fidem, in judicio puniendos servari (II *Petr.* II, 4); et in illa superna beatitudine sanctorum Angelorum non esse incertam vitam æternam, nec nobis secundum Dei misericordiam et gratiam et fidelissimam pollicitationem incertam futuram, cum fuerimus eis post resurrectionem et istorum mutationem corporum copulati. Ad hanc enim spem vivimus, et ejus promissionis gratia recreamur. Quidquid autem etiam de diabolo dici potest, cur eum Deus creaverit, cum talem præsciret futurum, et cur omnipotens ejus voluntatem non convertat in bonum, secundum ea quæ disseruimus cum de malis hominibus similiter quæreremus, sive intelligatur, sive credatur, sive quid melius inveniri potest, inveniatur.

CAPUT XXVII. — *De tentatione diaboli per serpentem.*

34. Ab illo ergo cujus super omnia quæ creavit, summa potestas est, per Angelos sanctos a quibus illuditur diabolus, cum et de ipsius malevolentia consulitur [2] Ecclesiæ Dei, non est permissus tentare feminam nisi per serpentem, nec virum nisi per feminam: sed in serpente ipse locutus est, utens eo velut organo, movensque ejus naturam eo modo quo movere ille, et moveri illa potuit, ad exprimendos verborum sonos et signa corporalia, per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem. In ipsa vero muliere, quia illa rationalis creatura erat, quæ motu suo posset uti ad verba facienda, non ipse locutus est, sed ejus operatio atque persuasio; quamvis occulto instinctu adjuvaret interius, quod exterius egerat per serpentem. Quod quidem si solo instinctu occultius ageret, sicut egit in Juda ut traderet Christum (*Joan.* XIII, 2), posset efficere in anima superbo amore suæ potestatis inducta: sed, sicut jam dixi, tentandi voluntatem habet diabolus, in potestate autem nec ut faciat habet, nec quo modo faciat. Quia permissus est ergo, tentavit; et quomodo permissus est, ita tentavit: cui autem generi hominum prodesset quod faciebat, neque sciebat, neque volebat, et eo ipso illudebatur ab Angelis.

CAPUT XXVIII. — *An serpens verba prolata intellexerit.*

35. Non itaque serpens verborum sonos intelligebat, qui ex illo fiebant ad mulierem. Neque enim conversa credenda est anima ejus in naturam rationalem; quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, cum dæmon in eis loquitur ea passione cui exorcista requiritur, sciunt quid loquantur; quanto minus ille intelligeret verborum sonos, quos per eum et ex eo diabolus illo modo faciebat, qui hominem loquentem non intelligeret, si eum a diabolica passione immunis audiret? Nam et quod putantur audire et intelligere serpentes verba Marsorum, ut eis incantantibus prosiliant plerumque de latebris, etiam illic diabolica vis operatur, ad cognoscendam ubique providentiam, quam rem cui rei naturali ordine subjiciat, et quid etiam voluntatibus malis sapientissima potestate permittat, ut hoc magis habeat usus, serpentes moveri carminibus hominum, quam ullum aliud genus animantium. Etiam hæc enim non parva testatio est, naturam primitus humanam serpentis seductam esse colloquio. Gaudent enim dæmones hanc sibi potestatem dari, ut ad incantationem hominum serpentes moveant, ut quolibet modo fallant quos possunt. Hoc autem permittuntur ad primi facti memoriam commendandam, quod sit eis quædam cum hoc genere familiaritas. Porro ipsum primum factum ad hoc permissum est, ut per naturam serpentis significaretur generi hominum, cui erudiendo hæc gesta conscribi oportebat, omnis diabolicæ tentationis similitudo: quod apparebit, cum in serpentem proferri cœperit divina sententia.

CAPUT XXIX. — *Serpens cur dictus prudentissimus.*

36. Proinde *prudentissimus omnium bestiarum*, hoc est, astutissimus, ita dictus est serpens propter astutiam diaboli, quæ in illo et de illo agebat dolum; quemadmodum dicitur prudens vel astuta lingua, quam prudens vel astutus movet ad aliquid prudenter astuteque suadendum. Non enim est hæc vis seu virtus membri corporalis quod vocatur lingua, sed utique mentis quæ utitur ea. Ita etiam dictus est stilus mendax scribarum: neque enim esse mendacem pertinet, nisi ad viventem atque sentientem; sed stilus mendax dictus est, quod per eum mendax mendaciter operetur; quemadmodum si et iste serpens mendax diceretur, quod eo diabolus tanquam stilo mendaciter uteretur.

37. Hoc ideo commendandum putavi, ne quisquam existimans animantia rationis expertia humanum habere intellectum, vel in animal rationale repente mu-

[1] Er. et Lov., *per superbiæ impietatem: sed hoc nullo modo asseri potest, illud mirum si potest.* Visum est restituere lectionem Mss.

[2] Lov., *consolantur.* Alii codices, *consulatur*; vel, *consulitur.*

tari, seducatur in illam opinionem ridiculam et noxiam revolutionis animarum vel hominum in bestias, vel in homines bestiarum. Sic ergo locutus est serpens homini, sicut asina in qua sedebat Balaam, locuta est homini (*Num* XXII, 28), nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum. Habent enim quædam boni et mali angeli opera similia, sicut Moyses et magi Pharaonis (*Exod.* VII, 10, 11). Verum in his etiam boni Angeli potentiores sunt, nec mali angeli etiam talium operum quidquam possunt, nisi quod per bonos Angelos permiserit Deus, ut retribuatur unicuique secundum cor ejus, vel secundum gratiam Dei; utrumque juste ac benigne per altitudinem divitiarum sapientiæ Dei (*Rom.* XI, 33).

CAPUT XXX. — *Colloquium serpentis cum muliere.*

38. *Dixit* ergo *serpens mulieri, Quid, quia dixit Deus, Non edetis ab omni ligno paradisi? Et dixit mulier serpenti, A fructu ligni quod est in paradiso edemus : de fructu autem ligni, quod est in medio paradisi, dixit Deus, Non edetis ex eo, neque tangetis illud, ne moriamini.* Ideo prius interrogavit serpens, et respondit hoc mulier, ut prævaricatio esset inexcusabilis, neque ullo modo dici posset, id quod præceperat Deus oblitam fuisse mulierem. Quanquam et oblivio præcepti, maxime unius et tam necessarii, ad maximam culpam damnabilis negligentiæ pertineret : verumtamen evidentior ejus transgressio est, cum memoria retinetur, et tanquam in illo Deus assistens præsensque contemnitur. Unde necessarium fuit, cum in Psalmo diceretur, *Et memoria retinentibus mandata ejus,* addere, *ut faciant ea* (*Psal.* CII, 18). Multi enim retinent memoria, ut contemnant ea, prævaricationis majore peccato, ubi oblivionis nulla est excusatio.

39. *Dixit* ergo *serpens mulieri, Non morte moriemini. Sciebat enim Deus, quoniam quo die manducaveritis de eo, adaperientur vobis oculi, et eritis sicut dii, cognoscentes bonum et malum.* Quando his verbis crederet mulier a bona atque utili re divinitus se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille propriæ potestatis, et quædam de se superba præsumptio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda et humilianda? Denique verbis non contenta serpentis consideravit lignum, *viditque bonum ad escam, et decorum ad aspectum,* et non credens posse inde se mori, arbitror quod putaverit Deum alicujus significationis causa dixisse, *Si manducaveritis*, *morte moriemini :* atque ideo sumpsit de fructu ejus, et manducavit, et dedit etiam viro suo secum; fortassis etiam cum verbo suasorio, quod Scriptura tacens intelligendum relinquit. An forte nec suaderi jam opus erat viro, quando illam eo cibo mortuam non esse cernebat?

CAPUT XXXI. — *Ad quid aperti oculi Adami et Evæ.*

40. Ergo *ederunt, et aperti sunt oculi amborum.* Quo [1], nisi ad invicem concupiscendum, ad peccati pœnam carnis ipsius morte conceptam; ut jam esset corpus non animale tantum, quod poterat, si obedientiam conservarent, in meliorem spiritualemque habitum sine morte mutari, sed jam corpus mortis, in quo lex in membris repugnaret legi mentis (*Rom.* VII, 23)? Neque enim clausis oculis facti erant, et in paradiso deliciarum cæci palpantesque oberrabant, ut vetitum lignum etiam nescientes attingerent, palpantesque fructus prohibitos ignorando decerperent. Quomodo autem animalia et volatilia adducta sunt ad Adam, ut videret quid ea vocaret, si non videbat? et quomodo ipsa mulier ad virum adducta est, quando facta est, ut de illa quam non videbat diceret, *Hoc nunc os de ossibus meis*, *et caro de carne mea,* etc. (*Gen.* II, 19, 22, 23)? Postremo, quomodo vidit mulier quia bonum est lignum in escam, et quia placet oculis ad videndum, et decorum est cognoscere, si eorum clausi erant oculi?

41. Nec tamen ideo propter unius verbi translationem totum figurate accipiendum est. Viderit enim quemadmodum dixerit serpens, *Aperientur vobis oculi.* Hoc enim eum scriptor libri dixisse narravit; in qua vero significatione vel sententia dixerit, lectori considerare permisit. Hoc autem quod scriptum est, *Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt quia nudi erant,* ita scriptum est, quemadmodum omnia quæ gesta narrantur; nec tamen ideo in allegoricam narrationem nos debent ducere. Neque enim et evangelista narrator dicta cujusquam figurata ex ejus persona inserebat, ac non ex persona sua quæ fuerant gesta narrabat, cum diceret de illis duobus, quorum unus erat Cleophas, quod cum fregisset eis Dominus panem, *aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum,* quem per viam non cognoverant (*Luc.* XXIV, 13-31); non utique clausis oculis ambulantes, sed eum cognoscere non valentibus. Sicut ergo ibi, sic nec isto loco narratio figurata est, quamvis translato verbo Scriptura usa sit, ut apertos diceret oculos, qui et antea patebant : apertos utique ad aliquid intuendum et cogitandum, quod antea nunquam adverterant. Ubi enim ad transgrediendum præceptum audax curiositas mota est, avida experiri latentia, quidnam tacto vetito sequeretur, et noxia libertate habenas prohibitionis rumpere delectata, probabilius existimans non esse mortem, quam timuerant, secuturam : tale quippe pomum credendum est fuisse in illa arbore, cujus generis poma jam in aliis arboribus innoxia senserant; unde magis crediderunt Deum posse peccantibus facile ignoscere, quam patienter tulerunt [1] non cognoscere quidnam esset, vel cur eos inde cibum sumere vetuisset : mox ut ergo præceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente omnino nudati, quam typho quodam et superbo amore suæ potestatis offenderant, in sua membra oculos injecerunt, eaque motu eo quem non noverant, concupiverunt. Ad hoc ergo aperti sunt oculi, ad quod antea non patebant, quamvis ad alia paterent.

CAPUT XXXII. — *Mortalitatis et libidinis origo. Ficulnea succinctoria.*

42. Hæc mors ea die accidit, qua factum est quod Deus vetuit. Amisso quippe statu mirabili, corpus

[1] Editi, *Quomodo*. At Mss., *Quo*.

[1] Sic Mss. At Am., *quam patienter tulerit.* Er., *quam patienter tulerint.* Lov., *quod patienter tulerint.*

ipsum cui status etiam de ligno vitæ virtute mystica præbebatur, per quem nec morbo tentari, nec mutari ætate potuissent, ut hoc in eorum carne, quamvis adhuc animali et in melius postea commutanda, jam tamen significaretur per escam ligni vitæ, quod ex ipso spirituali alimento sapientiæ, cujus sacramentum illud lignum erat, fit in Angelis per æternitatis participationem, ut in deterius non mutentur : hoc ergo amisso statu, corpus eorum duxit morbidam et mortiferam qualitatem, quæ inest etiam pecorum carni, ac per hoc etiam eumdem motum quo fit in pecoribus concumbendi appetitus, ut succedant nascentia morientibus : sed tamen etiam in ipsa jam pœna suæ generositatis index anima [1] rationalis bestialem motum in membris suæ carnis erubuit, eique incussit pudorem, non solum quia hoc ibi sentiebat, ubi nunquam antea tale aliquid senserat, verum etiam quod ille pudendus motus de præcepti transgressione veniebat. Ibi enim sensit, qua prius gratia vestiretur, quando in sua nuditate nihil indecens patiebatur. Ibi completum est, *Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti autem faciem tuam* [2], *et factus sum conturbatus* (*Psal.* XXIX, 8). Denique illa conturbatione ad folia ficulnea cucurrerunt, succinctoria consuerunt, et quia glorianda deseruerant, pudenda texerunt. Nec arbitror eos cogitasse aliquid in illis foliis, quod talibus congrueret contegi jam membra prurientia ; sed occulto instinctu ad hoc illa conturbatione compulsi sunt, ut etiam talis pœnæ suæ significatio a nescientibus fieret, quæ peccatorem facta convinceret, et doceret scripta lectorem [3].

CAPUT XXXIII. *Vox Dei ambulantis in paradiso.*

43. *Et audierunt vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad vesperam.* Ea quippe hora tales jam convenerat visitare, qui defecerant a luce veritatis. Fortassis enim aliis intrinsecus vel effabilibus vel ineffabilibus modis Deus cum illis antea loquebatur, sicut etiam cum Angelis loquitur ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, ubi est intellectus nosse simul quæcumque etiam per tempora non fiunt simul. Forte, inquam, sic cum eis loquebatur, etsi non tanta participatione divinæ sapientiæ, quantam capiunt Angeli ; tamen pro humano modulo, quantumlibet minus, sed ipso genere visitationis et locutionis ; fortassis etiam illo qui fit per creaturam, sive in ecstasi spiritus corporalibus imaginibus, sive ipsis sensibus corporis aliqua specie præsentata vel ad videndum, vel ad audiendum, sicut in Angelis suis solet videri Deus vel sonare per nubem. Nunc tamen quod audierunt vocem Dei ambulantis in paradiso ad vesperam, nonnisi per creaturam visibiliter factum est, ne substantia illa invisibilis et ubique tota, quæ Patris et Filii est et Spiritus sancti, corporalibus eorum sensibus locali et temporali motu apparuisse credatur.

44. *Et absconderunt se Adam et mulier ejus a facie Domini in medio ligno quod est in paradiso.* Cum Deus avertit intrinsecus faciem suam, et fit homo conturbatus ; non miremur hæc fieri, quæ similia sunt dementiæ, per nimium pudorem ac timorem ; illo quoque occulto instinctu non quiescente, ut ea nescientes facerent, quæ aliquid significarent, quandoque scituris posteris, propter quos ista conscripta sunt.

CAPUT XXXIV. — *Adam ob nuditatem sese abscondens interrogatur a Deo.*

45. *Et vocavit Dominus Deus Adam, et dixit illi, Ubi es?* Increpantis vox est, non ignorantis. Et hoc sane ad aliquam pertinet significationem, quod sicut præceptum viro datum est, per quem perveniret ad feminam, ita vir prior interrogatur. Præceptum enim a Domino per virum usque ad feminam : peccatum autem a diabolo per feminam usque ad virum. Hæc mysticis significationibus plena sunt, non id agentibus in quibus facta sunt, sed de his id agente potentissima sapientia Dei. Non autem nunc significata reseramus, sed gesta defendimus.

46. Respondit ergo Adam : *Vocem tuam audivi in paradiso, et timui, quia nudus sum, et abscondi me.* Satis probabile est, solere Deum per creaturam tali actioni congruam in forma humana primis illis hominibus apparere : quos tamen nunquam permisit advertere nuditatem suam, eorum intentionem in superna sustollens, nisi cum post peccatum pudendum in membris motum pœnali membrorum lege sensissent. Sic ergo affecti sunt, ut solent affici homines sub oculis hominum ; et talis affectio de peccati pœna erat, eum latere velle quem latere nihil potest, et ab eo carnem occultare, qui cordis inspector est. Sed quid mirum si superbi [1] volentes esse sicut dii, evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum ? Se quippe dixerunt esse sapientes in abundantia sua, et illo avertente faciem, stulti facti sunt (*Rom.* I, 21, 22). Quod enim jam ipsos pudebat erga seipsos, unde sibi et succinctoria fecerant, multo vehementius ab illo etiam sic succincti videri verebantur, qui tanquam familiari temperamento ad eos videndos per creaturam visibilem velut humanos oculos afferebat. Si enim propterea sic apparebat, ut homines tanquam cum homine loquerentur, quemadmodum Abraham ad quercum Mambre (*Gen.* XVIII, 1), illa ipsa prope amicitia pudore onerabat post peccatum, quæ fiduciam dabat ante peccatum ; nec jam illam nuditatem audebant ostendere talibus oculis, quæ displicebat et suis.

CAPUT XXXV. — *Excusationes Adami et Evæ.*

47. Dominus ergo volens jam peccatores more justitiæ interrogatos punire amplius quam erat illa pœna, de qua jam cogebantur erubescere : *Quis nuntiavit*, inquit, *tibi quia nudus es, nisi a ligno quod præceperam tibi tantum ne ex eo manducares, ab eo edisti?* Hinc enim mors concepta, propter Dei sententiam, qui sic fuerat comminatus, fecit adverti concupiscentialiter membra ubi dicti sunt aperti oculi, et secutum

[1] Am. et Er., *vindex anima.* Lov., *vindex animæ.* At Mss. magno consensu, *index anima.*

[2] Editi addunt, *a me ;* quod abest a Mss. et a versione LXX.

[3] Ita in Mss. ubi in excusis legebatur, *quæ peccatorem factum convinceret, et doceret Scriptura lectorem.*

[1] Mss., *superbe.*

est quod puderet. *Et dixit Adam, Mulier quam dedisti mecum, hæc mihi dedit a ligno, et edi.* Eia superbia! numquid dixit, Peccavi [1]? Habet confusionis deformitatem, et non habet confessionis humilitatem. Ad hoc ista conscripta sunt, quia et ipsæ interrogationes nimirum ad hoc factæ sunt, ut et veraciter et utiliter scriberentur; quia si mendaciter, non utique utiliter: ut advertamus, quo morbo superbiæ laborent homines hodie, nonnisi in Creatorem conantes referre si quid egerint mali, cum sibi velint tribui si quid egerint boni. *Mulier*, inquit, *quam dedisti mecum*, id est quam dedisti ut esset mecum, *hæc mihi dedit a ligno, et edi:* quasi ad hoc data sit, ut non ipsa potius obediret viro, et ambo Deo.

48. *Et dixit Dominus Deus mulieri, Quid hoc fecisti? Et dixit mulier, Serpens seduxit me, et manducavi.* Nec ista confitetur peccatum, sed in alterum refert, impari sexu, pari fastu. Ex his tamen natus est, nec eos imitatus est, sed plane pluribus malis exercitatus, qui dixit, et dicet usque ad terminum sæculi: *Ego dixi, Domine, miserere mei; sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5). Quanto melius sic et isti? Sed adhuc cervices peccatorum non conciderat Dominus (*Psal.* CXXVIII, 4). Restabant labores, dolores mortis, et omnis contritio sæculi, et gratia Dei qua tempore opportuno subvenit hominibus, quos afflictos docuit non de seipsis debere præsumere. *Serpens*, inquit, *seduxit me, et manducavi:* quasi cujusquam suasio præcepto Dei debuerit anteponi.

CAPUT XXXVI. — *Maledictio serpentis.*

49. *Et dixit Dominus Deus serpenti, Quia fecisti tu hoc, maledictus tu ab omnibus pecoribus, et ab omnibus bestiis quæ sunt super terram. Super pectus tuum et ventrem tuum ambulabis, et terram edes omnes dies vitæ tuæ. Et inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter semen tuum et semen illius. Ipsa tibi servabit caput, et tu servabis ejus calcaneum.* Tota ista sententia figurata est, nec aliud debet ei scriptoris fides narrationisque veritas, nisi ne illam dictam fuisse dubitemus. Quod enim positum est, *Et dixit Dominus Deus serpenti*, verba sola scribentis sunt; hæc [2] exigenda sunt per proprietatem. Hoc ergo verum est, dictum est serpenti. Jam cætera verba Dei sunt, quæ libero lectoris intellectui relinquuntur utrum proprie an figurate accipi debeant, sicut in exordio voluminis hujus nostri prælocuti sumus. Proinde quod serpens, cur hoc fecerit non est interrogatus, potest videri quod non ipse utique id in sua natura et voluntate fecerat; sed diabolus de illo et per illum et in illo fuerat operatus, qui jam ex peccato impietatis ac superbiæ suæ igni destinatus fuerat sempiterno. Nunc ergo quod serpenti dicitur, et ad eum qui per serpentem operatus est utique refertur, procul dubio figuratum est: nam in his verbis tentator ille describitur, qualis generi humano futurus esset; quod genus humanum propagari tunc cœpit, quando hæc in diabolum est tanquam in serpentem prolata sententia. Hæc itaque verba quomodo figuris expositis accipienda sint, et in illis duobus adversus Manichæos editis libris de Genesi, quantum potuimus disseruimus, et si quid diligentius et congruentius alias potuerimus, Deus aderit ut efficiamus: nunc tamen nostra intentio in aliud quam suscepimus, nullo exigente avertenda est.

[1] Sic in probæ notæ Mss. In aliis vero codicibus, *et edi. Numquid dixit, Peccavi? Superbia habet.*

[2] Er. Lugd. Ven. Lov. ferunt, *et hæc:* et inferius, *hoc ergo vere est dictum serpenti.* M.

CAPUT XXXVII. — *Pœna mulieris.*

50. *Et mulieri dixit, Multiplicans multiplicabo tristitias tuas et gemitum tuum: in tristitiis paries filios, et ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur.* Hæc quoque in mulierem Dei verba, figurate ac prophetice multo commodius intelliguntur: verumtamen quia nondum pepererat femina, nec dolor et gemitus parientis nisi ex corpore mortis est, quæ illa præcepti transgressione concepta est, animalibus quidem etiam tunc membris, sed si homo non peccasset, non utique morituris, et alio quodam statu feliciore victuris, donec post vitam bene gestam in melius mutari mererentur, sicut jam supra pluribus locis insinuavimus, refertur hæc pœna et ad proprietatem litteræ; nisi quia id quod dictum est, *Et ad virum tuum conversio tua, et ipse dominabitur tui*, videndum est quemadmodum proprie possit accipi. Neque enim et ante peccatum, aliter factam fuisse decet credere mulierem, nisi ut vir ei dominaretur, et ad eum ipsa serviendo converteretur. Sed recte accipi potest hanc servitutem significatam, quæ cujusdam conditionis est potius quam dilectionis, ut etiam ipsa talis servitus, qua homines hominibus postea esse servi cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta. Dixit quidem Apostolus, *Per charitatem servite invicem* (*Galat.* V, 13); sed nequaquam diceret, Invicem dominamini. Possunt itaque conjuges per charitatem servire invicem; sed mulierem non permittit Apostolus dominari in virum (I *Tim.* II, 12). Hoc enim viro potius Dei sententia detulit, et maritum habere dominum meruit mulieris non natura, sed culpa: quod tamen nisi servetur, depravabitur amplius natura, et augebitur culpa.

CAPUT XXXVIII. — *Pœna Adami et nomen mulieri impositum.*

51. Dixit ergo et ad virum ejus: *Quia audisti vocem mulieris tuæ, et edisti de ligno, de quo præceperam tibi de eo solo non edere; maledicta terra in operibus tuis: in tristitiis edes illam omnes dies vitæ tuæ; spinas et tribulos edet tibi, et edes fenum agri. In sudore faciei tuæ edes panem tuum, donec convertaris in terram, ex qua sumptus es; quia terra es, et in terram ibis.* Hos esse in terra labores humani generis, quis ignorat? Et quia non essent, si felicitas quæ in paradiso fuerat, teneretur, non est utique dubitandum; ac per hoc etiam proprie verba hæc primitus accipere ne pigeat. Servanda tamen est et exspectanda significatio prophetiæ, quam maxime hic intuetur Dei loquentis intentio. Neque enim frustra et ipse Adam miro quodam instinctu tunc vocavit nomen mulieris suæ *Vitam;* subjiciens etiam, *quoniam ista est mater omnium viventium.* Nam et hæc non scriptoris narrantis vel affirmantis, sed

ipsius primi hominis verba intelligenda sunt, ut diceret, *quoniam hæc est mater omnium viventium*, tanquam nominis a se impositi causam inferens, cur eam vocaverit, *Vitam*.

CAPUT XXXIX. — *Tunicæ pelliceæ. Exprobratio superbiæ.*

52. *Et fecit Dominus Deus Adæ et mulieri ejus tunicas pelliceas, et induit eos.* Et hoc significationis gratia factum est, sed tamen factum; sicut illa quæ significationis gratia dicta sunt, sed tamen dicta sunt. Hoc enim, quod sæpe dixi, nec me sæpius piget dicere, a narratore rerum proprie gestarum exigendum est, ut ea narret facta esse quæ facta sunt, et dicta esse quæ dicta sunt. Sicut autem in factis quæritur quid factum sit, et quid significet; ita in verbis et quid dictum sit, et quid significet. Sive enim figurate, sive proprie dictum sit, quod dictum esse narratur, dictum tamen esse non debet putari figuratum.

53. *Et dixit Deus, Ecce Adam factus est tanquam unus ex nobis in cognoscendo bonum et malum.* Quoniam hoc, per quodlibet et quomodolibet dictum sit, Deus tamen dixit, non aliter intelligendum est quod ait, *unus ex nobis*, nisi propter Trinitatem numerus pluralis accipiatur; sicut dictum erat, *Faciamus hominem* (*Gen.* I, 26); sicut etiam Dominus de se et de Patre, *Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23). Replicatum est igitur in caput superbi, quo exitu concupiverit quod a serpente suggestum est, *Eritis sicut dii : Ecce*, inquit, *Adam factus est tanquam unus ex nobis*. Verba enim sunt hæc Dei, non tam huic insultantis, quam cæteros ne ita superbiant deterrentis, propter quos ista conscripta sunt. *Factus est*, inquit, *tanquam unus ex nobis in cognoscendo bonum et malum*. Quid aliud intelligendum, nisi exemplum timoris incutiendi esse propositum, quod non solum non fuerit factus qualis fieri voluit, sed nec illud quod factus fuerat, conservavit?

CAPUT XL. — *Expulsio e paradiso. Excommunicatio.*

54. *Et nunc*, inquit Deus, *ne aliquando extendat manum, et sumat de ligno vitæ, et edat, et vivat in æternum. Et dimisit illum Dominus Deus de paradiso voluptatis operari terram, ex qua sumptus est.* Superiora verba Dei sunt; hoc autem factum propter ipsa verba secutum est. Alienatus enim a vita, non solum quam fuerat, si præceptum servasset, cum Angelis accepturus, sed ab illa etiam quam ducebat in paradiso, felici quodam corporis statu, separari utique debuit a ligno vitæ : sive quod ex ipso illi subsisteret felix ille ipse status corporis, ex re visibili, virtute invisibili, sive quod in eo esset et sacramentum visibile invisibilis sapientiæ; alienandus inde utique fuerat, vel jam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus : sicut etiam in hoc paradiso, id est Ecclesia, solent a Sacramentis altaris visibilibus homines disciplina ecclesiastica removeri.

55. *Et ejecit Adam, et collocavit eum contra paradisum voluptatis.* Et hoc significandi gratia factum est, sed tamen factum, ut contra paradisum, quo beata vita etiam spiritualiter significabatur, habitaret peccator utique in miseria. *Et ordinavit Cherubim, et flammeam romphæam quæ vertitur, custodire viam ligni vitæ.* Hoc per cœlestes utique potestates etiam in paradiso visibili factum esse credendum est, ut per angelicum ministerium esset illic ignea quædam custodia : non tamen frustra factum esse, nisi quia significat aliquid etiam de paradiso spirituali, non est utique dubitandum.

CAPUT XLI. — *Opiniones de hominis peccato, quale fuerit.*

56. Non autem ignoro quibusdam esse visum, festinatione prævertisse illos homines appetitum scientiæ boni et mali, et immaturo tempore percipere voluisse quod eis dilatum opportunius servabatur; idque egisse tentatorem, ut præoccupando [1] quod nondum talibus congruebat, offenderent Deum, et ab ejus rei utilitate alienarentur exclusi atque damnati, ad quam si suo tempore, sicut Deus volebat, accederent, possent ea salubriter perfrui. Hoc, si forte lignum illud non ad proprietatem ut verum lignum et vera poma ejus, sed ad figuram velint accipere, habeat exitum aliquem rectæ fidei veritatique probabilem.

57. Visum est et quibusdam, duos illos primos homines nuptias suas fuisse furatos, et ante mixtos esse concubitu, quam eos qui creaverat copulasset; quam rem nomine ligni fuisse significatam, unde prohibiti erant, donec opportuno tempore jungerentur. Quasi vero in ea ætate facti esse credendi sint, ut exspectanda esset maturitas pubertatis; aut non illud tunc legitimum esset, cum primum fieri potuisset, cum autem non potuisset, non utique fieret : nisi forte sponsa erat a patre tradenda, et exspectanda erat votorum solemnitas, et convivii celebritas, et dotis æstimatio, et conscriptio tabularum. Ridiculum istud est; præter quod a rerum gestarum proprietate discedit, quam suscepimus asserendam, et quantum Deus donare voluit asseruimus.

CAPUT XLII. — *An Adam crediderit serpenti, quave ratione ad peccandum inductus sit.*

58. Illud magis movet, si jam spiritualis erat Adam, quamvis mente, non corpore, quomodo credere potuerit quod per serpentem dictum est, ideo Deum prohibuisse ne fructu ligni illius vescerentur, quia sciebat eos, si fecissent, futuros ut deos propter dignoscentiam boni et mali, tanquam hoc tantum bonum creaturæ suæ Creator inviderit : hoc mirum si homo spirituali mente præditus credere potuisset. An quia hoc credere ipse non posset, propterea mulier addita est [2], quæ parvi intellectus esset, et adhuc fortasse secundum sensum carnis, non secundum spiritum mentis viveret, et hoc est quod ei Apostolus non tribuit imaginem Dei? Sic enim ait : *Vir quidem non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei; mulier autem gloria viri est* (I *Cor.* XI, 7). Non quod mens feminæ

[1] Mss. plerique, *præcerpendo*.

[2] Libri omnes, *addita est* : excepto Remigiano codice, in quo a prima manu scriptum fuerat, *adita est*; non omnino male, si subaudias, a serpente.

eamdem imaginem capere non possit, cum in illa gratia nos dicat nec masculum esse nec feminam (*Galat.* III, 27, 28); sed quod fortassis illa hoc nondum perceperat quod fit in agnitione Dei, et viro regente ac dispensante paulatim fuerat perceptura. Neque enim frustra est illud quod Apostolus ait, *Adam enim primus formatus est, deinde Eva : et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione* [1] *facta est* (I *Tim.* II, 13, 14); id est, ut per illam etiam vir prævaricaretur. Nam et ipsum dicit prævaricatorem, ubi ait: *In similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri* (*Rom.* V, 14). Seductum tamen negat. Nam et interrogatus non ait, *Mulier quam dedisti mecum*, seduxit me, et manducavi; sed, *ipsa mihi*, inquit, *dedit a ligno, et manducavi.* Illa vero, *Serpens*, inquit, *seduxit me.*

59. Ita Salomon vir tantæ sapientiæ, numquidnam credendum est quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid utilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non evaluit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret (III *Reg.* XI, 4). Ita et Adam, posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducavit, eique dedit ut simul ederent, noluit eam contristare, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, et omnino illa interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ; sed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus: quod eum facere non debuisse, divinæ sententiæ justus exitus indicavit.

60. Ergo alio modo quodam etiam ipse deceptus est; sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse seduci in illo modo quo illa potuit. Hanc autem proprie seductionem appellavit Apostolus, qua id quod suadebatur, cum falsum esset, verum putatum est; id est, quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuerit, quod sciebat eos, si tetigissent, velut deos futuros, tanquam eis divinitatem invideret, qui eos homines fecerat. Sed etiam si virum propter aliquam mentis elationem, quæ Deum internorum scrutatorem latere non poterat, sollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem videret accepta illa esca non esse mortuam, secundum ea quæ superius tractavimus; non tamen eum arbitror, si jam spirituali mente præditus erat, ullo modo credere potuisse quod eos Deus ab esca illius ligni invidendo vetuisset. Sed quid plura? Persuasum est illud peccatum sicut persuaderi talibus posset: conscriptum est autem sicut legi ab omnibus oporteret, etsi a paucis hæc intelligerentur sicut oporteret.

[1] Mss. aliquot, *in prævaricationem.* Haud inepte, si ratio interpretationis proxime subsequentis habeatur: attamen Apostoli textus græcus habet, *en parabasei*, quod receptam cæterorum codicum lectionem retinere cogit.

LIBER DUODECIMUS.

In quo de paradiso et tertio cœlo quo raptus est Paulus, deque multiplici visionum genere disputatur.

CAPUT PRIMUM. — *De paradiso locus Apostoli examinandus.*

1. Ab exordio Scripturæ sanctæ, quæ inscribitur Genesis, donec homo primus de paradiso dimissus est, undecim libris sive asserendo atque defendendo quæ certa nobis sunt, sive inquirendo [1] et ambigendo de incertis, quæ potuimus, et sicut potuimus, disseruimus atque conscripsimus; non tam præscribentes de rebus obscuris unicuique quid sentiat, quam nos docendos in quibus dubitavimus ostendentes, temeritatemque affirmandi amoventes a lectore, ubi non valuimus præbere sententiæ firmitatem [2]: iste autem duodecimus liber ea jam cura expeditus, qua nos pertractandus textus sacrarum Litterarum occupabat, liberius atque prolixius versabit de paradiso quæstionem; ne putemur evitasse, quod videtur Apostolus in tertio cœlo insinuare paradisum, ubi ait: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum ejusmodi usque in tertium cœlum : et scio ejusmodi hominem sive in corpore sive extra corpus nescio, Deus scit, quia raptus est in paradisum, et audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui* (II *Cor.* XII, 2-4).

2. In his verbis primum quæri solet, quid dicat tertium cœlum: deinde, utrum illic intelligi voluerit paradisum, an posteaquam raptus est in tertium cœlum, raptum esse et in paradisum, ubicumque sit paradisus; non ut hoc fuerit rapi in tertium cœlum quod in paradisum, sed prius in tertium cœlum, et post inde in paradisum. Et hoc sic ambiguum est, ut non mihi videatur posse dissolvi, nisi aliquis non ex præsentibus Apostoli verbis, sed ex aliis forte Scripturarum locis, vel ratione perspicua, inveniat aliquid, quo doceat sive in tertio cœlo esse paradisum, sive non esse; cum et ipsum tertium cœlum quid sit non liquido appareat, utrum in rebus corporalibus, an forte in spiritualibus intelligendum sit. Posset quidem dici nonnisi in locum aliquem corporalem hominem rapi potuisse cum corpore; sed quia et hoc ita posuit ut nescire se dixerit, utrum in corpore, an extra corpus raptus sit, quis audeat dicere se scire quod se nescire Apostolus dixit? Verumtamen si neque spiritus sine corpore ad loca corporalia rapi potest, nec corpus ad spiritualia, hæc ipsa dubitatio ejus velut cogit intelligi (siquidem de seipso hæc cum

[1] Mss. plures, *inquirendo, arbitrando et ambigendo.*
[2] In Mss. plerisque, *scientiæ firmitatem.*

scripsisse nemo ambigit), tale fuisse illud quo raptus est, quod utrum corporale an spirituale esset, dignosci discernique non posset.

CAPUT II. — *Apostolum potuisse nescire an extra corpus paradisum viderit, si vidit in ecstasi.*

3. Cum enim vel in somnis, vel in ecstasi, corporum exprimuntur imagines, non discernuntur omnino a corporibus, nisi cum homo redditûs sensibus corporis, recognoscit se in illis fuisse imaginibus, quas non per sensum corporis hauriebat. Quis enim cum a somno evigilaverit, non continuo sentiat imaginaria fuisse quæ videbat, quamvis cum ea videret dormiens, a vigilantium corporalibus visis discernere non valebat? Quanquam mihi accidisse scio, et ob hoc etiam aliis accidere potuisse vel posse non dubito, ut in somnis videns, in somnis me videre sentirem; illasque imagines, quæ ipsam nostram consensionem [1] ludificare consueverunt, non esse vera corpora, sed in somnis eas præsentari firmissime, etiam dormiens, tenerem atque sentirem. Hoc tamen fallebar aliquando, quod amico meo, quem similiter in somnis videbam, idipsum persuadere conabar, non esse illa corpora, quæ videbamus, sed esse imagines somniantium, cum et ipse utique inter illa sic mihi appareret quomodo illa : cui et hoc dicebam, neque id verum esse quod pariter loqueremur, sed etiam ipsum tunc aliud aliquid videre dormientem, et utrum ista ego viderem omnino non scire; verum cum eidem ipsi persuadere moliebar quod ipse non esset, adducebar ex parte etiam ipsum putare esse, cui profecto non loquerer, si omni modo sic afficerer quod ipse non esset. Ita non poterat, quamvis mirabiliter vigilans, anima dormientis, nisi duci imaginibus corporum, ac si corpora ipsa essent.

4. In ecstasi autem unum audire potui, et eum rusticanum vix valentem quod sentiebat exprimere, qui et vigilare se sciret, et videre quiddam non oculis corporis. Nam ut ejus verbis utar, quantum recolere possum : Anima mea, inquit, videbat eum, non oculi mei. Non tamen sciebat utrum corpus esset, an imago corporis. Non enim erat talis, ut ista discerneret, verum tam simpliciter fidelis, ut eum sic audirem, ac si illud quod se vidisse narrabat, ipse vidissem.

5. Ac per hoc si paradisum Paulus ita vidit, ut apparuit Petro ille discus submissus e cœlo (*Act.* x, 11), ut Joanni quidquid in Apocalypsi se vidisse conscripsit (*Apoc.* I, 12, *etc.*), ut Ezechieli campus ille cum ossibus mortuorum et illa eorum resurrectio (*Ezech.* XXXVII, 1-10), ut Isaiæ sedens Deus, et in conspectu ejus Seraphim, et ara unde carbo assumptus Prophetæ labia mundavit (*Isai.* VI, 1-7); manifestum est eum ignorare potuisse utrum in corpore, an extra corpus ea viderit.

CAPUT III. — *Apostolus certus se vidisse tertium cœlum, incertus quomodo viderit.*

6. Sed si extra corpus visa sunt, et corpora non fuerunt, adhuc quæri potest utrum imagines corporum fuerint, an ea substantia quæ nullam corporis similitudinem gerit, sicut Deus, sicut ipsa mens hominis, vel intelligentia, vel ratio, sicut virtutes, prudentia, justitia, castitas, charitas, pietas, et quæcumque aliæ sunt, quas intelligendo atque cogitando enumeramus, discernimus, definimus, non utique intuentes lineamenta earum vel colores, aut quomodo sonent, aut quid oleant, aut quid inore sapiant, aut quid contrectantibus de calore seufrigore, mollitudine seu duritia, lenitate seu asperitate renuntient; sed alia quadam visione, alia luce, alia rerum evidentia, et ea longe cæteris præstantiore atque certiore.

7. Rursus igitur ad eadem ipsa Apostoli verba redeamus, et ea diligentius perscrutemur, hoc sine dubitatione primitus constituto, multo magis atque incomparabiliter amplius Apostolum scisse, quod de incorporea corporeaque natura nos ut sciamus utcumque, conamur. Si ergo sciebat, spiritualia per corpus, corporalia extra corpus videri omnino non posse; cur non per ea ipsa quæ vidit, quomodo etiam potuerit videre, discrevit? Si enim certus erat illa esse spiritualia, cur non consequenter extra corpus ea se vidisse certus nihilominus erat? Si autem corporalia esse noverat, nonnisi per corpus videri potuisse cur non etiam noverat? Unde ergo dubitat utrum in corpore an extra corpus ea viderit, nisi forte ita etiam dubitat utrum illa corpora an similitudines corporum fuerint? Prius itaque videamus quid sit in verborum istorum contextione unde non dubitet, atque ita cum remanserit unde dubitet, fortassis ex his de quibus non dubitat, quomodo etiam illud dubitet apparebit.

8. *Scio*, inquit, *hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum ejusmodi usque in tertium cœlum.* Scit ergo ante annos quatuordecim in Christo raptum hominem usque ad tertium cœlum, hoc omnino non dubitat; nec nos ergo dubitemus : sed utrum in corpore an extra corpus, dubitat; unde illo dubitante, quis nostrum certus esse audeat? Num forte hinc etiam illud consequens erit ut tertium cœlum fuisse dubitemus, quo raptum hominem dixit? Si enim res ipsa demonstrata est, tertium cœlum demonstratum est : si autem imago aliqua corporalium similis facta est, non erat illud tertium cœlum, sed illa ostensio sic ordinata est, ut videretur sibi ascendere primum cœlum, super quod videret alterum, quo rursus ascendens iterum alterum videret superius, quo cum pervenisset, posset dicere se in tertium cœlum raptum. Sed illud quod tertium cœlum esset, quo raptus est, neque dubitavit, neque dubitare nos voluit : ad hoc enim præmisit, *Scio*, et inde cœpit, ut id quod se scire Apostolus dicit, solus ille non credat verum esse, qui non credit Apostolo.

CAPUT IV. — *Vere tertium cœlum fuisse illud quo raptus est Apostolus. Difficultas quomodo Apostolus certus sit de cœlo viso, et incertus de modo quo visum fuit.*

9. Scit ergo hominem raptum esse usque in ter-

[1] Editi, *consuetudinem* : pro quo Mss., *consensionem*.

tium cœlum : proinde illud quo raptus est, vere tertium cœlum est; non signum aliquod corporale, quod cum ostenderetur Moysi, usque adeo sentiebat aliud esse ipsam Dei substantiam, aliud visibilem creaturam, in qua se Deus humanis et corporalibus sensibus præsentabat, ut diceret, *Ostende mihi temetipsum* (*Exod.* XXXIII, 13); nec aliqua imago rei corporalis, quam cum Joannes videret in spiritu, quærebat quid esset, eique respondebatur, vel, *Civitas est*, vel, *Populi sunt*, vel aliquid aliud, cum videret ille bestiam, sive mulierem, sive aquas, sive quid ejusmodi (*Apoc.* XIII, 1, *et* XVII, 15, 18) : sed, *Scio*, inquit, *hominem raptum usque in tertium cœlum.*

10. Quod si spiritualem imaginem corporali similem cœlum appellare voluisset, sic erat etiam imago corporis ejus, in qua illuc raptus ascenderat : sic ergo et suum corpus appellaret, quamvis imaginem corporis, quomodo illud cœlum, quamvis imaginem cœli; neque curaret discernere quid sciret, et quid nesciret, id est quia sciret raptum hominem usque ad tertium cœlum, nesciret autem utrum in corpore an extra corpus; sed simpliciter narraret visionem, earum rerum nominibus appellans illa quæ vidit, quarum erant similia. Nam et nos dicimus, cum somnia nostra narramus vel aliquam in eis revelationem, Vidi montem, vidi fluvium, vidi tres homines, et si quid ejusmodi; ea nomina tribuentes illis imaginibus, quæ habent res ipsæ quarum similes erant : Apostolus autem, Illud, inquit, *scio*, illud *nescio*.

11. At si utrumque imaginaliter apparuit, utrumque pariter scitur, pariterve nescitur : si autem proprie cœlum, et ideo scitur; quomodo potuit imaginaliter corpus illius hominis apparere?

12. Nam si cœlum corporeum videbatur, quare latebat utrum corporeis oculis videretur? Si autem incertum erat utrum oculis corporeis an spiritu videretur, et ideo dictum est, *Sive in corpore*, *sive extra corpus, nescio*; quomodo non incertum erat et illud, utrum vere cœlum corporeum videretur, an imaginaliter ostenderetur? Itemque si substantia incorporea videbatur, non in aliqua imagine corporis, sed sicut videtur justitia, sapientia, et si quid ejusmodi, et hoc erat cœlum; id quoque manifestum est, oculis hujus corporis videri aliquid tale non posse : ac per hoc si aliquid tale se vidisse sciebat, non per corpus se vidisse dubitare non poterat. *Scio*, inquit, *hominem in Christo ante annos quatuordecim* : hoc scio, nemo dubitet qui mihi credit; sed utrum *in corpore* an *extra corpus, nescio, Deus scit.*

CAPUT V. — *Eadem difficultas enodatur.*

13. Quid ergo scis, quod discernis ab eo quod nescis, ne credentes fallantur? *Raptum*, inquit, *eumdem hominem usque in tertium cœlum.* At illud cœlum aut corpus erat, aut spiritus : si corpus erat, et corporeis oculis visum est; cur illud cœlum esse scitur, et in corpore visum esse nescitur? Si autem spiritus erat; aut corporis imaginem præbuit, et tam incertum est utrum corpus fuerit, quam incertum est utrum in corpore visum sit; aut sic visum est, quomodo videtur mente sapientia, sine ullis imaginibus corporum, et nihilominus certum est videri non potuisse per corpus : aut ergo utrumque certum est, aut utrumque incertum; aut quomodo certum quod visum est, incertum autem per quod visum est? Manifestum est enim incorpoream naturam ab eo videri non potuisse per corpus. Corpora vero etiam si possunt videri sine corpore, non utique sic videntur per corpus, sed longe ille dispar modus est si quis est; unde mirum si posset Apostolum tanquam simillimus fallere, aut ad dubitationem cogere, ut si corporeum cœlum non corporeis oculis vidit, incertum sibi esse diceret utrum in corpore an extra corpus id viderit.

14. Restat ergo fortasse ut quoniam mentiri non posset Apostolus, qui tanta cura egit, ut discerneret quid sciret, et quid nesciret, hoc ipsum eum intelligamus ignorasse, utrum quando in tertium cœlum raptus est, in corpore fuerit, quomodo est anima in corpore, cum corpus vivere dicitur, sive vigilantis, sive dormientis, sive in ecstasi a sensibus corporis alienata; an omnino de corpore exierit, ut mortuum corpus jaceret, donec peracta illa demonstratione membris mortuis anima redderetur, et non quasi dormiens evigilaret, aut ecstasi alienatus denuo rediret in sensus, sed mortuus omnino reviivisceret. Proinde quod vidit raptus usque in tertium cœlum, quod etiam se scire confirmat, proprie vidit, non imaginaliter. Sed quia ipsa a corpore alienata, utrum omnino mortuum corpus reliquerit, an secundum modum quemdam viventis corporis ibi anima fuerit, sed mens ejus ad videnda vel audienda ineffabilia illius visionis arrepta sit, hoc incertum erat, ideo forsitan dixit, *Sive in corpore sive extra corpus*, *nescio*, *Deus scit.*

CAPUT VI. — *Visionum genera tria.*

15. Quod autem non imaginaliter, sed proprie videtur, et non per corpus videtur, hoc ea visione videtur, quæ omnes cæteras superat. Harum species atque differentias, quantum me Dominus adjuverit, explicare curabo. Ecce in hoc uno præcepto cum legitur, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum* (*Matth.* XXII, 39), tria genera visionum occurrunt : unum per oculos, quibus ipsæ litteræ videntur; alterum per spiritum hominis quo proximus et absens cogitatur; tertium per contuitum mentis, quo ipsa dilectio intellecta conspicitur. In his tribus generibus, illud primum manifestum est omnibus : in hoc enim videtur cœlum et terra, et omnia quæ in eis conspicua sunt oculis nostris. Nec illud alterum, quo absentia corporalia cogitantur, insinuare difficile est : ipsum quippe cœlum et terram, et ea quæ in eis videre possumus, etiam in tenebris constituti cogitamus; ubi nihil videntes oculis corporis, animo tamen corporales imagines intuemur, seu veras, sicut ipsa corpora videmus, et memoria retinemus; seu fictas, sicut cogitatio formare [1] potuerit. Aliter enim cogitamus Carthaginem quam novimus, aliter Alexandriam quam non novimus. Tertium vero illud quo dilectio intellecta conspicitur, eas res continet, quæ non ha-

[1] Sic in Mss. Editi, *imaginari.*

bent imagines sui similes, quæ non sunt quod ipsæ. Nam homo vel arbor vel sol, et quæcumque alia corpora, sive cœlestia sive terrestria, et præsentia videntur in suis formis, et absentia cogitantur imaginibus animo impressis; et faciunt duo genera visorum, unum per corporis sensus, alterum per spiritum, quo illæ imagines continentur. Dilectio autem numquid aliter videtur præsens in specie qua est, et aliter absens in aliqua imagine sui simili? Non utique; sed quantum mente cerni potest, ab alio magis, ab alio minus ipsa cernitur: si autem aliquid corporalis imaginis cogitatur, non ipsa cernitur.

CAPUT VII. — *Genera visionum : corporale, spirituale, intellectuale. Corporale proprie et translate. Spirituale pluribus modis.*

16. Hæc sunt tria genera visionum, de quibus et in superioribus libris aliquid diximus, sicut res postulare videbatur, non tamen eorum numerum commemoravimus; et nunc breviter eis insinuatis, quoniam suscepta quæstio flagitat ut de his aliquanto uberius disseramus, debemus ea certis et congruis signare nominibus, ne assidue circumloquendo moras faciamus. Primum ergo appellemus corporale, quia per corpus percipitur et corporis sensibus exhibetur. Secundum spirituale; quidquid enim corpus non est et tamen aliquid est, jam recte spiritus dicitur: et utique non est corpus, quamvis corpori similis sit, imago absentis corporis, nec ille ipse obtutus quo cernitur. Tertium vero intellectuale, ab intellectu; quia mentale, a mente, ipsa vocabuli novitate nimis absurdum est, ut dicamus.

17. Horum vocabulorum rationem si subtilius reddam, et prolixior et perplexior sermo erit, cum hoc vel nulla, vel certe non tanta necessitas exigat. Satis est ergo scire corporale aliquid vel proprie dici, cum de corporibus agitur, vel etiam translato vocabulo, sicut dictum est, *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Neque enim divinitas corpus est, sed quia sacramenta Veteris Testamenti appellat umbras futuri, propter umbrarum comparationem corporaliter dixit habitare in Christo plenitudinem divinitatis, quod in illo impleantur omnia, quæ in illis umbris figurata sunt, ac sic quodammodo umbrarum illarum ipse sit corpus (*Coloss.* II, 9, 17), hoc est figurarum et significationum illarum ipse sit veritas. Sicut ergo ipsæ figuræ significative, translato utique vocabulo, non proprie dictæ sunt umbræ; ita et quod ait plenitudinem divinitatis corporaliter habitare, translato verbo usus est.

18. Spirituale autem pluribus modis dicitur. Nam et corpus, quod futurum est in resurrectione sanctorum, spirituale appellat Apostolus, ubi ait, *Seminatur corpus animale, resurget corpus spirituale* (I *Cor.* XV, 44); eo quod miris modis ad omnem facilitatem et incorruptionem spiritui subdatur, et sine ulla indigentia corporalium alimentorum solo vivificetur spiritu, non quod incorpoream substantiam sit habiturum: neque enim et hoc corpus, quale nunc habemus, animæ habet substantiam, et hoc est quod anima, quia dictum est animale. Item spiritus dicitur, vel aer iste, vel flatus ejus, id est motus ejus, sicut dictum est: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis* (*Psal.* CXLVIII, 8). Dicitur etiam spiritus anima, sive pecoris, sive hominis, sicut scriptum est: *Et quis scit, spiritus filiorum hominis si ascendat ipse sursum, et spiritus pecoris si descendat ipse deorsum in terram* (*Eccle.* III, 21)? Dicitur spiritus et ipsa mens rationalis, ubi est quidam tanquam oculus animæ, ad quem pertinet imago et agnitio Dei. Unde dicit Apostolus, *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est* (*Ephes.* IV, 23, 24); cum et alibi dicat de interiore homine, *Qui renovatur in agnitione Dei, secundum imaginem ejus qui creavit eum* (*Coloss.* III, 10). Item cum dixisset, *Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* VII, 25); alio loco eamdem sententiam commemorans, *Caro*, inquit, *concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vultis faciatis* (*Galat.* V, 17), quam dixit mentem, hanc etiam spiritum appellavit. Dicitur spiritus etiam Deus, sicut ait Dominus in Evangelio: *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.* IV, 24).

CAPUT VIII. — *Unde spirituale dicitur visionum genus secundum.*

19. Ex his omnibus modis, quos commemoravimus, quibus appellatur spiritus, non traximus hoc vocabulum, quo appellavimus spirituale hoc visionis genus de quo nunc agimus; sed ex illo uno modo quem invenimus in Epistola ad Corinthios, quo spiritus a mente distinguitur evidentissimo testimonio. *Si enim oravero*, inquit, *lingua, spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est.* Cum ergo linguam [1] intelligatur hoc loco dicere obscuras et mysticas significationes, a quibus si intellectum mentis removeas, nemo ædificatur, audiendo quod non intelligit; unde etiam dicit, *Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo; nemo enim audit, spiritus autem loquitur mysteria*: satis indicat eam se linguam hoc loco appellare, ubi sunt significationes velut imagines rerum ac similitudines, quæ ut intelligantur, indigent mentis obtutu. Cum autem non intelliguntur, in spiritu eas dicit esse, non in mente: unde apertius ait, *Si benedixeris spiritu; qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem, quandoquidem nescit quid dicas?* Quia ergo etiam lingua, id est membro corporis quod movemus in ore cum loquimur, signa utique rerum dantur, non res ipsæ proferuntur; propterea translato verbo linguam appellavit quamlibet signorum prolationem priusquam intelligantur: quo cum intellectus accesserit, qui mentis est proprius, fit revelatio, vel agnitio, vel prophetia, vel doctrina. Proinde ait, *Si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi loquar vobis in revelatione, aut in agnitione, aut in prophetia, aut in doctrina* (I *Cor.* XIV, 14, 2, 16, 6)? id est cum signis; hoc est, linguæ accesserit intel-

[1] Apud Er. Lugd. Ven. Lov. legitur, *lingua*. M.

lectus, ut non spiritu tantum, sed etiam mente agatur quod agitur.

CAPUT IX. — *Prophetiam ad mentem pertinere.*

20. Proinde, quibus signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, ut etiam intelligerentur, nondum erat prophetia; magisque propheta erat, qui interpretabatur quod alius vidisset, quam ipse qui vidisset. Unde apparet magis ad mentem pertinere prophetiam, quam ad istum spiritum, qui modo quodam proprio vocatur spiritus, vis animæ quædam mente inferior, ubi corporalium rerum similitudines exprimuntur. Itaque magis Joseph propheta, qui intellexit quid significarent septem spicæ et septem boves, quam Pharao qui eas vidit in somnis (*Gen.* XLI, 1-32). Illius enim spiritus informatus est, ut videret; hujus mens illuminata, ut intelligeret. Ac per hoc in illo erat lingua, in isto prophetia; quia in illo rerum imaginatio, in isto imaginationum interpretatio. Minus ergo propheta, qui rerum quæ significantur, sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium imagines videt; et magis propheta, qui solo earum intellectu præditus est: sed et maxime propheta, qui utroque præcellit, ut et videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines, et eas vivacitate mentis intelligat, sicut Danielis excellentia tentata est et probata, qui regi et somnium quod viderat dixit, et quid significaret aperuit (*Dan.* II, 27-45, *et* IV, 16-24). Et ipsæ quippe imagines corporales in spiritu ejus expressæ sunt, et earum intellectus revelatus in mente. Ex hoc ergo modo quo appellatur in ista distinctione spiritus, secundum quem dixit Apostolus, *Orabo spiritu*, *orabo autem et mente* (I *Cor.* XIV, 15), ut et signa rerum formarentur in spiritu, et eorum refulgeret intellectus in mente; secundum hanc, inquam, distinctionem spiritualenunc appellavimus tale genus visorum, quali etiam corporum absentium imagines cogitamus.

CAPUT X. — *Intellectuale genus visionis.*

21. Intellectuale autem illud excellentius, quod mentis est proprium. Nec mihi occurrit omnino, ita pluribus modis dici posse intellectum, sicut spiritum multis modis appellatum esse comperimus. Sive autem intellectuale dicamus, sive intelligibile, hoc idem significamus. Quanquam nonnihil interesse nonnulli voluerunt, ut intelligibilis sit res ipsa, quæ solo intellectu percipi potest; intellectualis autem, mens quæ intelligit: sed esse aliquam rem quæ solo intellectu cerni possit, ac non etiam intelligat, magna et difficilis quæstio est. Esse autem rem quæ intellectu percipiat, et non etiam intellectu percipi possit, non arbitror quemquam vel putare, vel dicere; mens quippe non videtur nisi mente. Quia ergo videri potest, intelligibilis; quia et videre, intellectualis est, secundum illam distinctionem. Quapropter sequestrata illa difficillima quæstione, utrum sit aliquid quod tantum intelligatur nec intelligat, nunc intellectuale et intelligibile sub eadem significatione appellamus.

CAPUT XI. — *Corporalem visionem referri ad spiritualem, hanc vero ad intellectualem.*

22. Tria igitur ista genera visionum, corporale, spirituale, et intellectuale, singillatim consideranda sunt, ut ab inferioribus ratio ad superiora conscendat. Jam quidem superius exemplum proposuimus, quo in una sententia omnia tria videantur genera. Cum enim legitur, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum* (*Matth.* XXII, 39), corporaliter litteræ videntur, spiritualiter proximus cogitatur, intellectualiter dilectio conspicitur. Sed et litteræ absentes possunt spiritualiter cogitari, et proximus præsens potest corporaliter videri; dilectio autem nec per substantiam suam potest oculis corporis cerni, nec per imaginem corporis similem spiritu cogitari, sed sola mente, id est intellectu, cognosci et percipi. Corporalis sane visio nulli horum generi præsidet, sed quod per eam sentitur, illi spirituali tanquam præsidenti nuntiatur. Nam cum aliquid oculis cernitur, continuo fit imago ejus in spiritu; sed non dignoscitur facta, nisi cum ablatis oculis ab eo quod per oculos videbamus, imaginem ejus in animo invenerimus. Et siquidem spiritus irrationalis est, veluti pecoris, hoc usque oculi nuntiant. Si autem anima rationalis est, etiam intellectui nuntiatur, qui et spiritui præsidet, ut si illud quod hauserunt oculi, atque id spiritui, ut ejus illic imago fieret, nuntiaverunt, alicujus rei signum est, aut intelligatur continuo quid significet, aut quæratur; quoniam nec intelligi nec requiri nisi officio mentis potest.

23. Vidit rex Balthasar articulos manus scribentis in pariete, continuoque per corporis sensum imago rei corporaliter factæ spiritui ejus impressa est, atque ipso viso facto ac præterito, illa in cogitatione permansit: videbatur in spiritu, et nondum intelligebatur, nec tunc intellectum erat hoc signum, cum corporaliter fieret atque oculis corporalibus appareret; jam tamen signum esse intelligebatur, id habens ex mentis officio. Et quia requirebatur quid significaret, etiam ipsam inquisitionem utique mens agebat. Quo non comperto Daniel accessit, et spiritu prophetico mente illustrata, perturbato regi quid illo signo portenderetur aperuit (*Dan.* V, 5-28); ipse potius propheta per hoc genus visionis, quod mentis est proprium, quam ille qui et signum corporaliter factum corporaliter viderat, et transacti ejus imaginem in spiritu cogitando cernebat, nec aliquid intellectu poterat, nisi nosse signum esse, et quid significaret inquirere.

24. Vidit Petrus in alienatione mentis vas quatuor lineis alligatum submitti de cœlo plenum variis animalibus, cum audivit et vocem, *Macta, et manduca.* Qui cum redditus sensibus de visu disceptaret, ecce quos Cornelius miserat, nuntiavit ei spiritus dicens: *Ecce viri quærunt te; sed surge, descende, et vade cum illis, quia ego misi eos.* Qui cum venisset ad Cornelium, quid in illa visione intellexerit, ubi audierat, *Quæ Deus mundavit, tu ne communia dixeris*, ipse indicavit dicens: *Sed mihi Deus ostendit neminem communem aut immun-*

dum hominem dicere (*Act*. x, 10-28). Cum ergo illum discum videret alienatus a corporis sensibus, et illas voces, *Macta, et manduca*, et, *Quæ Deus mundavit, tu communia ne dixeris*, in spiritu audiebat. Redditus autem corporis sensibus, idipsum quod visum atque auditum memoria tenuerat, in eodem spiritu cogitando cernebat. Quæ omnia non corporalia, sed corporalium imagines erant, sive cum primum in ipsa alienatione visæ sunt, sive cum postea recordatæ atque cogitatæ. Cum vero disceptabatur, et requirebatur ut illa signa intelligerentur, mentis erat actio conantis, sed deerat effectus [1] donec nuntiati sunt qui venerant a Cornelio ; hac vero corporali etiam accedente visione, cum et Spiritus sanctus rursus in spiritu ei diceret, *Vade cum eis*, ubi et illud signum ostenderat, et impresserat voces, adjuta divinitus mens intellexit quid illis signis omnibus ageretur. His atque hujusmodi rebus diligenter consideratis, satis apparet corporalem visionem referri ad spiritualem, eamque spiritualem referri ad intellectualem.

CAPUT XII. — *Corporalis et spiritualis visio.*

25. Sed cum vigilantes, neque mente a sensibus corporis alienata, in visione corporali sumus, discernimus ab ea visionem spiritualem, qua corpora absentia imaginaliter cogitamus, sive memoriter recordantes quæ novimus, sive quæ non novimus et tamen sunt, in ipsa spiritus cogitatione utcumque formantes, sive quæ omnino nusquam sunt, pro arbitrio vel opinatione fingentes. Ab his omnibus ita discernimus illa corporalia quæ videmus, et in quibus præsentibus sunt sensus corporis nostri, ut non dubitemus hæc esse corpora, illas vero imagines corporum. Cum autem vel nimia cogitationis intentione, vel aliqua vi morbi, ut phreneticis per febrem accidere solet, vel commixtione cujusquam alterius spiritus seu mali seu boni, ita corporalium rerum in spiritu exprimuntur imagines, tanquam ipsis corporis sensibus corpora præsententur, manente tamen etiam in sensibus corporis intentione ; sic videntur quæ in spiritu fiunt imagines corporum, quemadmodum corpora ipsa per corpus ; ita ut simul cernatur et homo aliquis præsens oculis, et absens alius spiritu tanquam oculis. Nam experti sumus sic affectos et cum eis locutos qui vere aderant, et cum aliis qui non aderant, tanquam adessent. Resipiscentes autem aliqui referunt quod vidissent, aliqui non possunt. Sic enim et somnia quidam obliviscuntur, quidam meminerunt. Quando autem penitus avertitur atque abripitur animi intentio a sensibus corporis, tunc magis ecstasis dici solet. Tunc omnino quæcumque sint præsentia corpora, etiam patentibus oculis non videntur, nec ullæ voces prorsus audiuntur : totus animi contuitus aut in corporum imaginibus est per spiritualem, aut in rebus incorporeis nulla corporis imagine figuratis per intellectualem visionem.

[1] Mss. magno consensu, *affectus* : forte melius, eo videlicet significatu, quo postea n. 26, *affectionis* vocabulum usurpatur.

26. Sed cum spiritualis visio, penitus alienato a sensibus corporis animo, imaginibus corporalium detinetur, sive in somnis sive in ecstasi, si nihil significant quæ videntur, ipsius animæ sunt imaginationes : sicut etiam vigilantes et sani, et nulla alienatione moti, multorum corporum quæ non adsunt sensibus corporis, cogitatione imagines versant. Verum hoc interest, quod eas a præsentibus verisque corporibus constanti affectione discernunt. Si autem aliquid significant; sive dormientibus exhibeantur, sive vigilantibus, cum et oculis vident præsentia corpora, et absentium imagines cernunt spiritu, tanquam oculis præsto sint, sive illa quæ ecstasis dicitur, alienato prorsus animo a sensibus corporis ; mirus modus est : sed commixtione [1] alterius spiritus fieri potest ut ea quæ ipse scit, per hujusmodi imagines ei cui miscetur ostendat, sive intelligenti, sive ut ab alio intellecta pandantur. Si enim demonstrantur hæc, nec utique a corpore demonstrari possunt, quid restat nisi ut ab aliquo spiritu demonstrentur ?

CAPUT XIII. — *An insit in anima vis divinationis.*

27. Nonnulli quidem volunt animam humanam habere vim quamdam divinationis in seipsa. Sed si ita est, cur non semper potest, cum semper velit ? An quia non semper adjuvatur ut possit ? Cum ergo adjuvatur, numquid a nullo, aut a corpore ad hoc adjuvari potest ? Proinde restat ut a spiritu adjuvetur. Deinde quomodo adjuvatur ? Utrum in corpore fit aliquid, ut inde quasi relaxetur et emicet ejus intentio, quo in id veniat, ubi in seipsa videat significantes similitudines, quæ ibi jam erant, nec videbantur, sicut multa habemus et in memoria, quæ non semper intuemur ? An fiunt illic, quæ ante non fuerant, vel in aliquo spiritu sunt, quo illa erumpens et emergens ibi eas videat ? Sed si jam in illa erant quasi proprie, cur eas non etiam consequenter intelligit ? Aliquando enim, imo plerumque non intelligit. An sicut spiritus ejus adjutus est, ut eas in se videret, ita et mens nisi adjuvetur, ea quæ habet spiritus, intelligere non potest ? An forte non corporea removentur, vel quasi relaxantur impedimenta, ut suo impetu anima in ea quæ videnda sunt, exseratur ; sed ipsa prorsus in hæc assumitur, sive tantum spiritualiter cernenda, sive etiam intellectualiter cognoscenda ? An aliquando in seipsa videt ista, aliquando per alterius spiritus commixtionem ? Quidquid horum est, temere affirmari non oportet. Illud tamen dubium esse non debet, corporales imagines, quæ spiritu cernuntur, non semper signa esse aliarum rerum, sive in vigilantibus, sive in dormientibus, sive in ægrotantibus : mirum est autem, si aliquando ecstasis fieri potest, ut non illæ corporalium rerum similitudines aliquid significent.

28. Non sane mirum est si et dæmonium habentes aliquando vera dicunt, quæ absunt a præsentium sensibus ; quod certe nescio qua occulta mixtura ejusdem spiritus fit, ut tanquam unus sit patientis atque vexan-

[1] Editi, *si commixtione*, etc. Ita etiam Mss. excepto Martinensi, cujus auctoritate reponimus, *sed*.

tis. Cum autem spiritus bonus in hæc visa humanum spiritum assumit aut rapit, nullo modo illas imagines signa rerum aliarum esse dubitandum est, et earum quas nosse utile est : Dei enim munus est. Discretio sane difficillima est, cum spiritus malignus quasi tranquillus agit, ac sine aliqua vexatione corporis assumpto humano spiritu dicit quod potest ; quando etiam vera dicit, et utilia prædicat, transfigurans se, sicut scriptum est, *velut angelum lucis* (II *Cor.* XI, 14), ad hoc ut cum illi in manifestis bonis creditum fuerit, seducat ad sua. Hunc discerni non arbitror, nisi dono illo de quo ait Apostolus, cum de diversis Dei muneribus loqueretur, *Alii dijudicatio spirituum* (I *Cor.* XII, 10).

CAPUT XIV. — *Intellectualis visio non fallit. In aliis falli non semper est perniciosum.*

Non enim magnum est, tunc eum dignoscere, cum ad aliqua pervenerit vel perduxerit, quæ sunt contra bonos mores vel regulam fidei : tunc enim a multis discernitur. Illo autem dono, in ipso primordio quo multis adhuc bonus apparet, continuo dijudicatur an malus sit.

29. Tamen et per corporalem visionem, et per imagines corporalium quæ demonstrantur in spiritu, et boni instruunt, et mali fallunt. Intellectualis autem visio non fallitur. Aut enim non intelligit, qui aliud opinatur quam est ; aut si intelligit, continuo verum est. Quid enim faciant oculi non habent, cum simile corpus viderint, quod ab alio discernere non possint : aut quid faciat animi intentio, cum in spiritu facta fuerit corporis similitudo, quam non valeat distinguere a corpore ? Sed adhibetur intellectus, quærens quid illa significent vel utile doceant ; et aut inveniens ad fructum suum pervenit, aut non inveniens in disceptatione se tenet, ne aliqua perniciosa temeritate prolabatur in exitiabilem errorem.

30. Judicat autem sobrius intellectus divinitus adjutus, quæ vel quanta sint, in quibus etiam aliud putare quam est, non sit animæ perniciosum. Nec enim putantium periculo, et non potius exitio suo, quisque a bonis putatur bonus, etiamsi occultus sit malus, si in rebus ipsis, id est in ipso bono quo fit quisque bonus, non erretur : aut aliquid obest omnibus hominibus, quod cum dormiunt, vera corpora esse arbitrantur, quorum similitudines in somnis vident : aut aliquid obfuit Petro, quod soluto se a vinculis, seque angelo deducente, factum est repentino miraculo ut putaret se visum videre (*Act.* XII, 7-9) : vel cum in illa ecstasi respondit, *Nequaquam, Domine, quia nunquam manducavi omne commune et immundum* ; putans ea ipsa quæ in disco demonstrabantur, tanquam vera animalia (*Id.* X, 11-14). Hæc quando aliter inventa fuerint, quam putata sunt, cum viderentur, non nos pœnitet ita nobis fuisse visa, si non arguatur vel infidelitas dura, vel opinatio vana sive sacrilega. Quapropter et cum visis corporalibus diabolus fallit, nihil obest quod ludificantur oculi, si non erratur in veritate fidei, et intelligentiæ sanitate, qua docet Deus subjectos sibi. Aut si ludificet animam spirituali visione imaginibus corporum, ut putet corpus esse quod non est, non aliquid obest animæ si perniciosæ suasioni non consentiat.

CAPUT XV. — *Somnia venerea sine peccato contingere.*

31. Unde aliquando fit quæstio de consensionibus somniantium, cum etiam concumbere sibi videntur, vel contra propositum suum, vel contra etiam licitos mores. Quod non contingit, nisi cum ea quæ vigilantes etiam cogitamus, non cum placito consensionis, sed sicut etiam talia propter aliquid loquimur, sic admoventur in somnis, et exprimuntur, ut eis naturaliter etiam caro moveatur, et quod naturaliter colligit, per genitales vias emittat ; sicut hoc ipsum dicere utique non possem, nisi etiam cogitarem. Porro imagines rerum corporalium, quas necessario cogitavi, ut hoc dicerem, si tanta expressione præsentarentur in somnis, quanta præsentantur corpora vigilantibus, fieret illud quod sine peccato fieri a vigilante non posset. Quis enim vel cum loquitur, et postulante necessitate sermonis de suo concubitu aliquid dicit, possit non cogitare quod dicit ? Porro ipsa phantasia, quæ fit in cogitatione sermocinantis, cum ita expressa fuerit in visione somniantis, ut inter illam et veram commixtionem corporum non discernatur, continuo movetur caro, et sequitur quod eum motum sequi solet, cum hoc tam sine peccato fiat, quam sine peccato a vigilante dicitur, quod ut diceretur, sine dubio cogitatum est. Verumtamen propter animæ affectionem bonam, quæ desiderio meliore mundata multas interficit cupiditates, quæ ad naturalem carnis motum non pertinent ; quem casti vigilantes cohibent et refrenant, dormientes autem ideo non possunt, quia non habent in potestate quæ admoveatur expressio corporalis imaginis, quæ discerni non possit a corpore : propter illam ergo affectionem animæ bonam, etiam in somnis quædam ejus merita clarent. Nam etiam dormiens Salomon sapientiam præposuit omnibus rebus, eamque neglectis cæteris est precatus a Domino : et sicut Scriptura testatur, placuit hoc coram Domino, nec distulit retributionem bonam pro desiderio bono (III *Reg.* III, 5-15).

CAPUT XVI. — *Corporalium similitudines a spiritu in seipso formari.*

32. Quæ cum ita sint, pertinet corporis sensus ad visa corporalia, qui per quinque quasi rivulos distanter valentes distribuitur : cum illud quod est subtilissimum in corpore, et ob hoc animæ vicinius quam cætera, id est lux, primum per oculos sola diffunditur, emicatque in radiis oculorum ad visibilia contuenda ; deinde mixtura quadam, primum cum aere puro, secundo cum aere caliginoso atque nebuloso, tertio cum corpulentiore humore, quarto cum terrena crassitudine, quinque sensus cum ipso, ubi sola excellit, oculorum sensu efficit : sicut in libro quarto, itemque in septimo disseruisse me recolo. Est autem hoc cœlum oculis conspicuum, unde luminaria et sidera effulgent, excellentius utique omnibus corporeis elementis, sicut oculorum sensus excellit in corpore. Quia vero spiritus omnis omni est corpore sine dubi-

tatione præstantior, sequitur ut non loci positione, sed naturæ dignitate præstantior sit natura spiritualis isto corporeo cœlo, etiam illa ubi rerum corporalium exprimuntur imagines.

33. Hic existit quiddam mirabile, ut cum prior sit corpore spiritus, et posterior corporis imago quam corpus, tamen quia illud quod tempore posterius est, fit in eo quod natura prius est, præstantior sit imago corporis in spiritu, quam ipsum corpus in substantia sua. Nec sane putandum est facere aliquid corpus in spiritu, tanquam spiritus corpori facienti, materiæ vice subdatur. Omni enim modo præstantior est qui facit, ea re de qua aliquid facit; neque ullo modo spiritu præstantius est corpus; imo perspicuo modo spiritus corpore. Quamvis ergo prius videamus aliquod corpus, quod antea non videramus, atque inde incipiat imago ejus esse in spiritu nostro, quo illud cum absens fuerit recordemur: tamen eamdem ejus imaginem non corpus in spiritu, sed ipse spiritus in seipso facit celeritate mirabili, quæ ineffabiliter longe est a corporis tarditate; cujus imago mox ut oculis visum fuerit, in spiritu videntis nullius puncti temporalis interpositione formatur. Itemque in auditu, nisi auribus perceptæ vocis imaginem continuo spiritus in seipso formaret, ac memoria retineret, ignoraretur secunda syllaba utrum secunda esset, cum jam prima utique nulla esset, quæ percussa aure transiisset: ac sic omnis locutionis usus, omnis cantandi suavitas, omnis postremo in actibus nostris corporalis motus dilapsus occideret; neque ullum progressum nancisceretur, si transactos corporis motus memoriter spiritus non teneret, quibus consequentes in agendo connecteret. Quos utique non tenet, nisi imaginaliter a se factos in se. Ipsarum etiam futurarum motionum imagines præveniunt fines actuum nostrorum. Quid enim agimus per corpus, quod non cogitando præoccupaverit spiritus, omniumque visibilium operum similitudines in seipso primitus viderit, et quodammodo disposuerit?

CAPUT XVII. — *Similitudines animo expressæ unde innotescant dæmonibus. Visiones quædam miræ. Phrenetici. Puer ægrotans.*

34. Quæ spirituales corporalium similitudines in animo nostro, quemadmodum innotescant spiritibus etiam immundis, vel quid obstaculi patiatur anima nostra ex isto terreno corpore, ut eas invicem in nostro spiritu videre nequeamus, invenire et explicare difficile est. Certissimis tamen indiciis apud nos constitit enuntiatas a dæmonibus cogitationes hominum (*a*), qui tamen si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere, non tentarent: sicut illam in Job nobilem ac mirabilem patientiam procul dubio, si posset diabolus cernere, nollet a tentato utique superari. Cæterum alicubi longe jam facta quod nuntiant, quæ post aliquot dies vera esse firmentur, non est mirandum. Possunt enim hoc efficere, non solum acrimonia cernendi etiam corporalia incomparabiliter præstantiore quam nostra est, sed etiam corporum ipsorum, longe utique subtiliorum, mira velocitate.

(*a*) Lib. 1 cont. Academicos, capp. 6 et 7.

35. Comperimus etiam in domo constitutum patientem spiritum immundum, dicere solere quando ad eum venire cœpisset ex duodecim millibus presbyter, et per omnia loca itineris ubi esset, et quam propinquaret, et quando ingrederetur et fundum et domum et cubiculum, donec in conspectu ejus astaret. Quæ omnia etsi non oculis patiens ille cernebat, tamen nisi aliquo modo cerneret, non tam veraciter enuntiaret. Erat autem iste febriens, et tanquam in phrenesi ista dicebat. Et forte revera phreneticus erat, sed propter ista dæmonium pati putabatur. Nullum refectionis cibum accipiebat a suis, sed a solo presbytero. Resistebat etiam suis violenter quantum valebat; illo solo presbytero veniente quiescebat, illi tantum subditus erat, et subdite respondebat. Nec tamen eidem saltem presbytero illa cessit mentis alienatio sive dæmonium, nisi cum sanus esset a febribus, sicut phrenetici sanari solent; nec aliquando postea tale aliquid passus est.

36. Novimus etiam sine dubitatione phreneticum futuram mortem cujusdam feminæ prædixisse; non sane specie divinandi, sed tanquam factum ac præteritum recolentem. Nam cum ejus apud eum commemoratio fieret, Mortua est, inquit, ego eam vidi efferri, hac cum ejus corpore transierunt; cum illa incolumis viveret: post paucos autem dies repente defuncta, et per eum locum elata est, qua ille prædixerat.

37. Fuit item apud nos puer, qui in exordio pubertatis dolorem acerrimum genitalium patiebatur, medicis nequaquam valentibus quid illud esset agnoscere, nisi quod nervus ipse introrsum reconditus erat, ita ut nec præciso præputio, quod immoderata longitudine propendebat, apparere potuerit, sed postea vix esset inventus. Humor autem viscosus et acer exsudans testes et inguina urebat. Sed acutum dolorem non continuum patiebatur, et cum patiebatur, ejulabat vehementer cum jactatione membrorum mente sanissima, sicut in cruciatibus corporalium dolorum fieri solet. Deinde inter voces suas abripiebatur ab omnibus sensibus, et jacebat patentibus oculis neminem circumstantium videns, ad nullam vellicationem se movens. Post aliquantum tanquam evigilans, nec jam dolens, quæ videret indicabat. Tum interpositis paucis diebus eadem patiebatur. In omnibus sane vel pene omnibus visionibus suis, duos se dicebat videre, unum provectioris ætatis, alterum puerum, a quibus ei vel dicebantur, vel demonstrabantur, quæ se audisse et vidisse narrabat.

38. Vidit quodam die chorum piorum psallentium, lætantium in luce mirabili, et impiorum in tenebris diversas et atrocissimas pœnas; illis ducentibus et ostendentibus, et felicitatis aliorum, aliorumque infelicitatis meritum insinuantibus. Hoc autem vidit die dominico Paschæ, cum per totam Quadragesimam nihil doluisset, cui vix intervallo tridui antea parcebatur. Viderat autem in ipso ingressu Quadragesimæ illos promittentes sibi quod per quadraginta dies nullum sensurus esset dolorem; postea ipsi ei dederunt

tanquam medicinale consilium, ut ei præputii longitudo præcideretur, quo facto diu non doluit. Cum vero iterum similiter doleret, et similia videre cœpisset, accepit ab eis rursus consilium, ut in mare pube tenus intraret, ac post aliquantam moram inde discederet, promittentibus sane quod jam deinceps vehementem illum dolorem non esset passurus, sed solius illius viscosi humoris molestiam : atque ita secutum est; nec unquam talem aliquam postea passus est aversionem mentis a sensibus, nec tale aliquid vidit quale antea cum in mediis doloribus et horrendis vocibus repente obmutescens abriperetur. Postea tamen medicis cætera curantibus et sanantibus, non permansit in proposito sanctitatis.

CAPUT XVIII. — *De visionum causis.*

39. Istarum visionum et divinationum causas et modos vestigare si quis potest, certoque comprehendere, eum magis audire vellem, quam de me exspectari ut ipse dissererem. Quid tamen putem, ita ut nec docti me tanquam confirmantem derideant, nec indocti tanquam docentem accipiant, sed utrique disceptantem et quærentem potius quam scientem, non occultabo. Ego visa ista omnia visis comparo somniantium. Sicut enim aliquando et hæc falsa, aliquando autem vera sunt, aliquando perturbata, aliquando tranquilla; ipsa autem vera, aliquando futuris omnino similia, vel aperte dicta, aliquando obscuris significationibus et quasi figuratis locutionibus prænuntiata : sic etiam illa omnia. Sed amant homines inexperta rimari, et causas insolitorum requirere, cum quotidiana plerumque talia sæpe etiam latentioris originis nosse non curent. Nam quemadmodum in vocibus, hoc est signis quibus loquendo utimur, audito verbo inusitato, quærunt primo quid sit, hoc est quid significet; quo cognito deinde quærunt unde ita dictum sit, cum tam multa sine cura nesciant, quæ in usu sermonis habent, unde ita sint dicta : sic cum aliquid inusitatum in rebus acciderit, sive corporalibus, sive spiritualibus, causas rationemque sollicite inquirunt, et sibi reddi a doctoribus flagitant.

40. Soleo autem cum me quisque interrogat, verbi gratia, quid sit catus, et respondeo, Prudens vel acutus, nec ei sufficit, sed pergit quærere unde dictus sit catus, vicissim referre et quærere unde dictus sit acutus, quod nihilominus utique ignorabat, sed quia usitatum nomen erat, patienter ejus originem nesciebat : quod autem novum insonuit auribus, parum putat nosse quid significando valeat, nisi etiam unde dicatur exquirat. Quisquis ergo ex me quærit unde visa corporalibus similia in ecstasi appareant, quæ raro accidit animæ, vicissim quæro, unde appareant dormientibus, quæ quotidie sentit anima, et nemo illud aut non multum curat inquirere. Quasi vero ideo minus mira sit talium natura visorum, quia quotidiana est; aut ideo minus curanda, quia omnium est; aut si recte faciunt qui ista non quærunt, non rectius fecerint si nec in illa curiosi sint. Ego vero multo amplius admiror, multoque maxime stupeo quanta celeritate ac facilitate in se anima fabricetur imagines corporum, quæ per corporis oculos viderit, quam somniantium vel etiam in ecstasi visiones. Quæcumque tamen illa natura visorum est, procul dubio corpus non est. Hoc nosse cui non sufficit, unde etiam existant, inquirat ab aliis; me ignorare confiteor.

CAPUT XIX. — *Unde nascantur visiones.*

41. Illud plane exemplorum experimentis colligi datur, sicut corporum pallor, rubor, tremor, vel etiam morbus aliquando a corpore habet causas, aliquando ab anima; et a corpore quidem, cum vel humor suffunditur, vel cibus vel aliquid aliud corpori injectum extrinsecus; ab anima vero, cum vel timore turbatur, vel pudore confunditur, vel irascitur, vel amat, vel si quid ejusmodi; nec immerito, si id quod animat et regit, etiam cum vehementius movetur, vehementius exagitat : ita et ipsi animæ ut in ea visa pergat, quæ non ei per sensus corporis nuntiantur, sed per incorporalem substantiam, et ita pergat ut non discernat utrum corpora sint an similitudines corporum, aliquando a corpore accidit, aliquando a spiritu : et a corpore quidem, sive naturali vicissitudine, ut sunt visa somniantium, dormire quippe a corpore est homini; sive aliqua mala valetudine sensibus perturbatis, ut cum a phreneticis simul et corpora videntur, et visa similia corporibus tanquam et ipsa præ oculis adsint : aut penitus interclusis, sicut sæpe male affecti morbo aliquo ingravescente, præsente corpore diu absentes, deinde hominibus redditi, multa se vidisse dixerunt : a spiritu vero, cum omnino sano atque integro corpore in alienationem rapiuntur, sive ita ut et per sensus corporis corpora videant, et in spiritu quædam similia quæ a corporibus non discernant; sive penitus avertantur a sensibus carnis, et nihil per eos omnino sentientes, illa spirituali visione habitent in similitudinibus corporum. Sed cum malus in hæc arripit spiritus, aut dæmoniacos facit, aut arreptitios, aut falsos prophetas : cum autem bonus, fideles mysteria loquentes, aut accedente etiam intelligentia veros prophetas, aut ad tempus quod per eos oportet ostendi, videntes atque narrantes.

CAPUT XX. — *Visa quæ a corpore occasionem habent, non tamen exhiberi a corpore.*

42. Sed cum a corpore causa est ut talia visa cernantur, non ea corpus exhibet; neque enim habet eam vim, ut formet aliquid spirituale : sed sopito, aut perturbato, aut etiam intercluso itinere intentionis a cerebro, qua dirigitur sentiendi motus, anima ipsa quæ motu proprio cessare ab hoc opere non potest, quia per corpus non sinitur, vel non plene sinitur corporalia sentire, vel ad corporalia vim suæ intentionis dirigere, spiritu corporalium similitudines agit, aut intuetur objectas. Et si quidem eas ipsa agit, phantasiæ tantum sunt; si autem objectas intuetur, ostensiones sunt. Denique cum oculi dolent vel exstincti sunt, quia non est causa in sede cerebri, unde ipsa dirigitur intentio sentiendi, non fiunt hujusmodi visiones, quamvis cernendis corporalibus obstaculum

existat a corpore. Magis enim cæci aliquid dormientes quam vigilantes vident. Dormientibus quippe in cerebro consopitur via sentiendi, quæ intentionem ad oculos ducit, ideoque ipsa intentio in aliud aversa, cernit visa somniorum tanquam species corporales adsint, ut sibi dormiens vigilare videatur, et non similia corporibus, sed ipsa corpora intueri se putet : cum autem vigilant cæci, ducitur per illa itinera intentio cernendi, quæ cum ad loca venerit oculorum, non exseritur foras, sed ibi remanet, ut vigilare se sentiant, potiusque esse in tenebris vigilando etiam per diem, quam dormiendo, sive per diem sive per noctem. Nam et qui cæci non sunt, plerique patentibus oculis dormiunt nihil per eos videntes, sed non ideo nihil videntes, cum spiritu cernant visa somniorum : si autem clausis oculis vigilent, neque dormientium præsto sunt visionibus neque vigilantium. Tantum tamen valet, quod usque ad oculos eorum nec sopita nec perturbata nec interclusa pervenit a cerebro via sentiendi, et animæ intentionem usque ad ipsas quamvis clausas fores corporis ducit, ut cogitentur quidem imagines corporum, sed nullo modo pro eis habeantur corporibus quæ per oculos sentiuntur.

43. Tantum interest, ubi fiat impedimentum sentiendi corporalia, cum fit in corpore. Si enim non fit nisi in ipsis aditibus, et quasi januis sensuum, velut in oculis, in auribus, cæterisque sensibus corporalibus, sola impeditur perceptio corporalium ; non autem animæ intentio in aliud sic avertitur, ut pro corporibus habeat imagines corporum : si autem causa est intus in cerebro, unde diriguntur viæ ad ea quæ foris sunt, sentienda ; ipsius intentionis vasa sopiuntur, vel turbantur, vel intercluduntur, quibus nititur anima in ea quæ foris sunt, intuenda vel sentienda. Quem nisum quoniam non amittit, tanta expressione format similia, ut imagines corporalium a corporibus discernere non valens, utrum in illis an in istis sit nesciat ; et cum scit, longe alio modo sciat, quam dum in cogitando versantur sive occurrunt similitudines corporum. Qui modus nisi ab expertis capi utcumque non potest. Hinc enim erat, quod me dormiens in somnis videre sciebam, nec tamen illas corporalium rerum similitudines quas videbam, sic ab ipsis corporalibus discernebam, quemadmodum eas cogitantes etiam clausis oculis vel in tenebris constituti discernere solemus. Tantum valet ipsa animi intentio utrum perducatur usque ad sensus licet clausos, an in ipso cerebro, unde in hæc nititur, aliqua causa existente in aliud avertatur, ut quamvis aliquando se noverit non corpora, sed corporum similitudines cernere, vel minus erudita etiam ipsa esse corpora existimans, sentiat se non ea corpore, sed spiritu videre, longe sit tamen ab affectione qua suo corpori præsentatur : unde se norunt et cæci vigilare, cum similitudines corporum cogitatas a corporibus, quæ videre non possunt, certa notione discernunt.

CAPUT XXI. — *Visa corporalibus similia in quæ anima rapitur, non ideo esse naturæ diversæ.*

44. Cum autem sano corpore, nec somno sensibus consopitis, aliquo occulto opere spirituali in ea visa quæ similia sunt corporalibus anima rapitur, non quia modus diversus est, ideo est etiam diversa natura visorum ; cum et in illis causis quæ de corpore existunt, sit utique differentia, et aliquando a contrario. Nam phrenetici non dormiendo potius perturbatas habent sentiendi vias in capite, ut talia videant, qualia somniantes vident, quorum dormiendo avertitur intentio a sensu vigilandi, et in ea videnda convertitur. Cum ergo illud fiat non dormiendo, hoc autem dormiendo, non tamen ea quæ videntur ex alio genere sunt, quam ex natura spiritus, de quo vel in quo fiunt similitudines corporum. Ita quamvis diversa sit causa intentionis alienatæ, quando sano corpore vigilantis occulta quadam vi spirituali anima rapitur, ut vice corporum expressas corporalium rerum similitudines in spiritu videat, eadem tamen est natura visorum. Neque enim dici potest, cum causa in corpore est, tunc animam sine ulla præsensione futurorum ex seipsa versare imagines corporum, sicut etiam cogitando eas solet; cum vero in ea videnda spiritu assumitur, divinitus hæc demonstrari : quandoquidem aperte Scriptura dicit, *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et juvenes visa videbunt, et senes somnia somniabunt* (*Joel.* II, 28), divinæ operationi utrumque tribuens ; et, *Angelus Domini apparuit Joseph in somnis dicens, Noli timere accipere Mariam conjugem tuam;* et iterum, *Tolle puerum, et vade in Ægyptum* (*Matth.* I, 20 ; et II, 13).

CAPUT XXII. — *Quomodo contingant visa illa, ex quibus divinationes occulto instinctu seu casu factæ.*

45. Itaque bono quidem spiritu assumi spiritum hominis ad has videndas imagines, nisi aliquid significent, non puto : cum vero in corpore causa est, ut in eas expressius intuendas humanus intendatur spiritus, non semper aliquid significare credendum est; sed tunc significant, cum inspirantur a demonstrante spiritu, sive dormienti, sive aliquid aliud ex corpore, ut a carnis sensibus alienaretur, patienti. Vigilantibus etiam neque ullo morbo afflictis nec furore exagitatis, occulto quodam instinctu ingestas esse cogitationes quas promendo divinarent, non solum aliud agentes, sicut Caiphas pontifex prophetavit (*Joan.* XI, 51), cum ejus intentio non haberet voluntatem prophetandi, verum etiam id suscipientes, ut divinandi modo aliquid dicerent, novimus.

46. Nam quidam juvenes jocando ut fallerent, ubi peregrini iter agebant, mathematicos se esse finxerunt, ignorantes omnino utrum duodecim signa dicerentur. Qui cum hospitem suum mirari cernerent quæ dicebant, et attestari esse verissima, audacius in plura progressi sunt. At ille attestans ad omnia mirabatur. Postremo ab eis de filii salute quæsivit, quem diu absentem desiderabat, et quod inopinate tardaret, ne quid ei accidisset sollicitus erat. At illi non curantes quid post eorum abscessum veri cognosceretur, dum

tamen in præsentia lætum hominem redderent, mox profecturi responderunt salvum ac propinquantem, et eo ipso die quo hæc loquebantur, esse venturum : neque enim metuebant, ne cum totus dies peractus esset, eos ille redarguendos postridie sequeretur. Quid multa? dum jam abire disponerent, ecce subito adhuc eis illic positis venit.

47. Item alius ante symphoniacum saltabat, ubi erant multa idola per quamdam Paganorum solemnitatem, non aliquo spiritu arreptus, sed imitatione ludicra arreptitios æmulatus, scientibus circumstantibus et spectantibus. Moris enim erat ut ante prandium peractis sacrificiis agitatisque fanaticis, si qui adolescentes post prandium vellent eo more ludere, nullus prohiberetur. Ille ergo inter saltandum, facto sibi silentio, jocabundus, et ridente multitudine circumseptus, ea nocte quæ impendebat, in ea silva quæ juxta erat, hominem a leone interemptum iri, ad cujus cadaver spectandum illucescente die confluxuram turbam, et illius solemnitatis locum deserturam, prædixit. Et factum est; cum satis cunctis qui aderant in omnibus ejus motibus claruisset, hoc eum ludendo et jocando nusquam perturbata vel alienata mente dixisse; ipso etiam tanto amplius mirante quod accidit, quanto magis nosset quo id animo atque ore protulerit.

48. Quonam modo hæc visa in spiritum hominis veniant, utrum ibi primitus formentur, an formata ingerantur, et quadam conjunctione cernantur, ut sic hominibus angeli ostendant cogitationes suas, et corporalium rerum similitudines, quas in suo spiritu futurorum cognitione præformant, quemadmodum et ipsi nostras cogitationes, non utique oculis, quia non corpore, sed spiritu vident; verum hoc intersit, quod illi nostras, etiam si nolimus, noverunt, nos autem ipsorum, nisi ostendantur, nosse non possumus; quia sic eas, ut opinor, habent in potestate occultare spiritualibus modis, quemadmodum nos quibusdam interjectis obstaculis, nostra corpora ne aliorum oculis videantur, abscondimus : et quid fiat in spiritu nostro, ut aliquando cernantur tantummodo significantes imagines, et utrum aliquid significent ignoretur; aliquando autem aliquid significare sentiantur, sed quid significent nesciatur; aliquando vero tanquam pleniore demonstratione anima humana et spiritu ipsas et mente quid significent videat; et scire difficillimum est, et si jam sciamus, disserere atque explicare operosissimum.

CAPUT XXIII. — *Spiritualem naturam, ubi tam multis causis similitudines corporalium formentur, in nobis existere.*

49. Quod autem nunc insinuare satis arbitror, certum est esse spiritualem quamdam naturam in nobis, ubi corporalium rerum formantur similitudines; sive cum aliquod corpus sensu corporis tangimus, et continuo formatur ejus similitudo in spiritu, memoriaque reconditur; sive cum absentia corpora jam nota cogitamus, ut ex eis formetur quidam spiritualis aspectus, quæ jam erant in spiritu et antequam ea cogitaremus; sive cum eorum corporum quæ non novimus, sed tamen esse non dubitamus, similitudines, non ita ut sunt illa, sed ut occurrit, intuemur; sive cum alia, quæ vel non sunt, vel esse nesciuntur, pro arbitrio vel opinatione cogitamus; sive unde unde, neque id agentibus, neque volentibus nobis variæ formæ corporalium similitudinum versantur in animo; sive cum aliquid corporaliter acturi, ea ipsa disponimus quæ in illa actione futura sunt, et omnia cogitatione antecedimus; sive jam in ipso actu, vel cum loquimur, vel cum facimus, omnes corporales motus, ut exseri possint, præveniuntur similitudinibus suis intus in spiritu; neque enim ulla vel brevissima syllaba in ordine suo nisi prospecta sonuisset : sive cum a dormientibus somnia videntur, vel nihil vel aliquid significantia; sive cum valetudine corporali turbatis intrinsecus itineribus sentiendi, imagines corporum spiritus veris corporibus ita miscet, ut internosci vel vix possint, vel omnino non possint; et aut significent aliquid, aut sine ulla significatione oboriantur; sive prorsus ingravescente aliquo morbo vel dolore corporis, et intercludente intus vias quibus animæ, ut per carnem sentiret, exserebatur ac nitebatur intentio, altius quam somno absentato spiritu, corporalium rerum existunt aut monstrantur imagines, vel significantes aliquid vel sine ulla significatione apparentes; sive nulla ex corpore causa existente, sed assumente atque rapiente aliquo spiritu tollitur anima in hujusmodi videndas similitudines corporum, miscens eis visa corporalia, cum simul etiam corporis sensibus utitur; sive ita spiritu assumente alienatur ab omni corporis sensu, et avertitur, ut solis similitudinibus corporum spirituali visione teneatur, ubi nescio utrum possint aliqua nihil significantia videri.

CAPUT XXIV.—*Visionem intellectualem spirituali, spiritualem corporali præstare.*

50. Hæc igitur natura spiritualis, in qua non corpora, sed corporum similitudines exprimuntur, inferioris generis visiones habet, quam illud mentis atque intelligentiæ lumen, quo et ista inferiora dijudicantur, et ea cernuntur quæ neque sunt corpora, neque ullas gerunt formas similes corporum; velut ipsa mens et omnis animæ affectio bona, cui contraria sunt ejus vitia, quæ recte culpantur atque damnantur in hominibus. Quo enim alio modo ipse intellectus nisi intelligendo conspicitur? Ita et charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, et cætera hujusmodi, quibus propinquatur Deo (*Galat.* v, 22, 23) : et ipse Deus, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia (*Rom.* XI, 36).

51. Quanquam itaque in eadem anima fiant visiones, sive quæ sentiuntur per corpus, sicut hoc corporeum cœlum, terra, et quæcumque in eis nota esse possunt, quemadmodum possunt; sive quæ spiritu videntur similia corporum, de quibus multa jam diximus; sive cum mente intelliguntur, quæ nec corpora sunt, nec similitudines corporum; habent utique ordinem suum, et est aliud alio præcellentius. Præstantior est enim visio spiritualis quam corporalis, et rursus præstantior intellectualis quam spiritualis. Corporalis enim sine spirituali esse non potest; quandoquidem mo-

mento eodem quo corpus sensu corporis tangitur, fit etiam in animo tale aliquid, non quod hoc sit, sed quod simile sit; quod si non fieret, nec sensus ille esset, quo ea quæ extrinsecus adjacent, sentiuntur. Neque enim corpus sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in seipsa quod extrinsecus nuntiatur. Non potest itaque fieri visio corporalis, nisi etiam spiritualis simul fiat: sed non discernitur, nisi cum fuerit sensus ablatus a corpore, ut id quod per corpus videbatur, inveniatur in spiritu. At vero spiritualis visio etiam sine corporali fieri potest, cum absentium corporum similitudines in spiritu apparent, et finguntur multæ pro arbitrio, vel præter arbitrium demonstrantur. Item spiritualis visio indiget intellectuali ut dijudicetur, intellectualis autem ista spirituali inferiore non indiget; ac per hoc spirituali corporalis, intellectuali autem utraque subjecta est. Cum ergo legimus, *Spiritualis omnia judicat, ipse autem a nemine dijudicatur* (I *Cor*. II, 15); non secundum spiritum, a quo mens discernitur, sicut illud quod dictum est, *Orabo spiritu, orabo et mente* (*Id*. XIV, 15), sed ex illa notione debemus accipere qua dictum est, *Renovamini autem spiritu mentis vestræ* (*Eph*. IV, 23). Jam enim supra docuimus alio modo et ipsam mentem spiritum dici, secundum quam spiritualis omnia dijudicat. Quapropter non absurde neque inconvenienter arbitror spiritualem visionem inter intellectualem et corporalem tanquam medietatem quamdam obtinere. Puto enim non incongruenter medium dici, quod corpus quidem non est, sed simile est corporis, inter illud quod vere corpus est, et illud quod nec corpus est, nec simile corporis.

CAPUT XXV. — *Solam intellectualem visionem non fallere.*

52. Illuditur autem anima similitudinibus rerum, non earum vitio, sed opinionis suæ, cum approbat quæ similia sunt pro iis quibus similia sunt, ab intelligentia deficiens. Fallitur ergo in visione corporali, cum in ipsis corporibus fieri putat quod fit in corporis sensibus; sicut navigantibus videntur in terra moveri quæ stant, et intuentibus cœlum stare sidera quæ moventur, et divaricatis radiis oculorum duas lucernæ species apparere, et in aqua remus infractus, et multa hujusmodi: aut cum putat aliquid hoc esse, quod similiter coloratum est, vel similiter sonat, vel olet, vel sapit, vel tangitur; hinc enim et medicamentum aliquod ceratum coctum in cacabo putatur legumen, et sonitus transeuntis vehiculi putatur ex tonitruo, et si nullis aliis sensibus exploretur, sed soli adjaceat olfactui, citrium putatur herba quæ vocatur apiaria, et cibus aliquo dulciculo succo affectus putatur melle conditus; et ignotus annulus contrectatus in tenebris, putatur aureus, cum sit æreus aut argenteus: aut cum repentinis inopinatisque corporalibus visis anima turbata vel in somnis videre se putat, vel aliquo hujusmodi spirituali viso affici: unde in omnibus corporalibus visis, et aliorum sensuum contestatio, et maxime ipsius mentis atque rationis adhibetur, ut quod in hoc rerum genere verum est, inveniatur quantum inveniri potest. In visione autem spirituali, id est in corporum similitudinibus, quæ spiritu videntur, fallitur anima, cum ea quæ sic videt, ipsa corpora esse arbitratur; vel quod sibi suspicione falsaque conjectura finxerit, hoc etiam in corporibus putat, quæ non visa conjectat. At vero in illis intellectualibus visis non fallitur: aut enim intelligit, et verum est; aut si verum non est, non intelligit: unde aliud est in his errare quæ videt, aliud ideo errare quia non videt.

CAPUT XXVI.— *Raptus animæ duplex, spirituali visione et intellectuali.*

53. Quapropter cum rapitur anima in ea visa quæ spiritu cernuntur similia corporalibus, ita ut omnino a sensibus corporis avertatur amplius quam in somno solet, sed minus quam in morte; jam divinæ admonitionis est et adjutorii, ut se non corpora, sed visa corporum similia spiritualiter noverit cernere, sicuti quæ se in somnis videre, etiam antequam evigilent, sciunt. Ibi si etiam videntur futura, ita ut omnino futura noscantur, quorum imagines præsentes videntur, sive ipsa hominis mente divinitus adjuta, sive aliquo inter ipsa visa quid significent exponente, sicut in Apocalypsi Joanni exponebatur (*Apoc*. I, 10 *sqq*.), magna revelatio est: etiamsi forte ignoret ille cui hæc demonstrantur, utrum e corpore exierit, an adhuc sit in corpore, sed spiritu a sensibus corporis alienato ista videat; potest enim sic raptus id ignorare, si ei et hoc non ostendatur.

54. Porro autem, si quemadmodum raptus est a sensibus corporis, ut esset in istis similitudinibus corporum, quæ spiritu videntur, ita et ab ipsis rapiatur, ut in illam quasi regionem intellectualium vel intelligibilium subvehatur, ubi sine ulla corporis similitudine perspicua veritas cernitur; nullis opinionum falsarum nebulis offuscatur: ibi virtutes animæ non sunt operosæ ac laboriosæ. Neque enim opere temperantiæ libido frenatur, aut opere fortitudinis tolerantur adversa, aut opere justitiæ iniqua puniuntur, aut opere prudentiæ mala devitantur. Una ibi et tota virtus est amare quod videas, et summa felicitas habere quod amas. Ibi enim beata vita in fonte suo bibitur, inde aspergitur aliquid huic humanæ vitæ, ut in tentationibus hujus sæculi, temperanter, fortiter, juste, prudenterque vivatur. Propter illud quippe adipiscendum, ubi secura quies erit et ineffabilis visio veritatis, labor suscipitur, et continendi a voluptate, et sustinendi adversitates, et subveniendi indigentibus, et resistendi decipientibus. Ibi videtur claritas Domini, non per visionem significantem, sive corporalem, sicut visa est in monte Sina (*Exod*. XIX, 18), sive spiritualem, sicut vidit Isaias (Isai. VI, 1), vel Joannes in Apocalypsi: sed per speciem, non per ænigmata, quantum eam capere mens humana potest, secundum assumentis Dei gratiam, ut os ad os loquatur ei quem dignum tali Deus colloquio fecerit; non os corporis, sed mentis,

CAPUT XXVII. — *Quo genere visionis Deus a Moyse visus.*

Sicut intelligendum arbitror quod de Moyses scriptum est (*Num.* XII, 8).

55. Concupiverat enim, sicut in Exodo legimus, videre Deum; non utique sicut viderat in monte, nec sicut videbat in tabernaculo (*Exod.* XIX, 18, *et* XXXIII, 9), sed in ea substantia qua Deus est, nulla assumpta corporali creatura, quæ mortalis carnis sensibus præsentetur: neque in spiritu figuratis similitudinibus corporum; sed per speciem suam, quantum eam capere creatura rationalis et intellectualis potest, sevocata ab omni corporis sensu, et ab omni significativo ænigmate spiritus. Sic enim scriptum est, *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te;* cum paulo superius legatur locutus Dominus ad Moysen *facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum.* Sentiebat ergo quid videbat, et quod non videbat desiderabat. Nam et paulo post, cum dixisset ei Deus, *Invenisti enim gratiam in conspectu meo, et scio te præ omnibus;* respondit ei, *Ostende mihi claritatem tuam.* Et tunc quidem responsum accepit a Domino figuratum, de quo nunc longum est disputare, quando ei dixit: *Non poteris videre faciem meam, et vivere. Non enim videbit homo faciem meam, et vivet.* Deinde subjecit et ait illi: *Ecce locus penes me, et stabis super petram, statim ut transiet mea majestas, et ponam te in spelunca petræ, et tegam manu mea super te donec transeam; et auferam manum, et tunc videbis posteriora mea: nam facies mea non apparebit tibi* (*Id.* XXXIII, 11-23). Nec tamen secuta Scriptura hoc etiam corporaliter factum esse narravit, satisque per hoc demonstratum est figurate dictum esse in Ecclesiæ significatione. Ipse est enim locus penes Dominum, quia Ecclesia est templum ejus et ipsa ædificata est super petram, et cætera quæ ibi dicta sunt, eidem intelligentiæ congruunt. Nisi tamen concupitam et desideratam Dei claritatem Moyses videre meruisset, non in libro Numerorum diceret Deus ad Aaron et Mariam fratres ejus: *Audite verba mea, Si fuerit propheta inter vos Domino, in visione illi cognoscar* [1], *et in somno loquar illi; non ita quomodo famulus meus Moyses in tota domo mea fidelis est. Os ad os loquar ad illum in specie, et non per ænigmata, et claritatem Domini vidit* (*Num.* XII, 6-8). Neque enim hoc secundum substantiam corporis, quæ carnis sensibus præsentatur, intelligendum est; nam utique sic loquebatur ad Moysen *facie ad faciem*, contra in contra, quando tamen dixit ei, *Ostende mihi temetipsum;* et nunc etiam ad ipsos quos objurgabat, et quibus Moysi meritum ita præferebat, sic loquebatur per creaturam corporalem præsentatam sensibus carnis. Illo ergo modo, in illa specie qua Deus est, longe ineffabiliter secretius et præsentius loquitur locutione ineffabili, ubi eum nemo videns vivet [2] vita ista, qua mortaliter vivitur in istis sensibus corporis: sed nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus et alienatus a carnalibus sensibus, ut merito nesciat, sicut Apostolus ait, utrum in corpore an extra corpus sit (II *Cor.* XII, 3), cum in illam rapitur et subvehitur visionem.

CAPUT XXVIII. — *Tertium cœlum et paradisum de quo Apostolus, posse intelligi tertium genus visionis.*

56. Quapropter si hoc tertium visionis genus, quod superius est, non solum omni corporali, quo per corporis sensus corpora sentiuntur, verum etiam omni illo spirituali, quo similitudines corporum spiritu et non mente cernuntur, tertium cœlum appellavit Apostolus; in hoc videtur claritas Dei, cui videndæ corda mundantur, unde dictum est, *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8): non per aliquam corporaliter vel spiritualiter figuratam significationem tanquam per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem (I *Cor.* XIII, 12), quod de Moyse dictum est, *os ad os;* per speciem scilicet qua est Deus quidquid est, quantulumcumque eum mens, quæ non est quod ipse, etiam ab omni terrena labe mundata, et ab omni corpore et similitudine corporis alienata et abrepta capere potest: a quo peregrinamur mortali et corruptibili onere gravati, quamdiu per fidem ambulamus, non per speciem (II *Cor.* v, 6, 7), et cum hic juste vivimus. Cur autem non credamus, quod tanto Apostolo doctori Gentium, rapto usque ad istam excellentissimam visionem, voluerit Deus demonstrare vitam, in qua post hanc vitam vivendum est in æternum? Et cur non dicatur iste paradisus, excepto illo in quo corporaliter vixit Adam inter ligna nemorosa atque fructuosa? Quandoquidem et Ecclesia, quæ nos congregat in charitatis sinum, *paradisus* dicta est *cum fructu pomorum* (*Cant.* IV, 13). Sed hoc figurate dictum est, tanquam illo paradiso, ubi proprie fuit Adam, Ecclesia significata sit per formam futuri. Quanquam diligentius considerantibus fortassis occurrat illo paradiso corporali, in quo Adam corporaliter fuit, et istam vitam sanctorum significatam, quæ nunc agitur in Ecclesia, et illam quæ post hanc erit in æternum: sicut Jerusalem, quæ interpretatur Visio pacis, et tamen quædam terrena civitas demonstratur, significat Jerusalem matrem nostram æternam in cœlis, sive in iis qui spe salvi facti sunt, et quod non vident sperantes per patientiam exspectant (*Rom.* VIII, 24, 25), secundum quos multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum (*Galat.* IV, 26, 27); sive in ipsis Angelis sanctis per Ecclesiam multiformis sapientiæ Dei (*Ephes.* III, 10), cum quibus post hanc peregrinationem sine labore et sine fine vivendum est.

CAPUT XXIX. — *An ut plures cœli, ita in spirituali et intellectuali visione plures gradus.*

57. Si autem sic accipimus tertium cœlum quo Apostolus raptus est, ut quartum etiam, et aliquot ultra superius cœlos esse credamus, infra quos est hoc tertium cœlum, sicut eos alii septem, alii octo, alii novem vel etiam decem perhibent, et in ipso uno quod dicitur firmamentum, multos gradatim esse

[1] Mss. aliquot probæ notæ, *si fuerit propheta vester, in visione illi Dominus cognoscar.*
[2] In plerisque Mss., *vivens videt.*

confirmant; ac per hoc corporeos esse vel ratiocinantur vel opinantur, de quorum ratione sive opinione nunc disserere longum est : potest etiam [1] fieri, ut etiam in spiritualibus vel intellectualibus multos quosdam gradus quisquam esse contendat, aut si possit ostendat, eosque distinctos juxta aliquem provectum magis minusve illustrium revelationum. Sed utcumque se ista habeant, et accipiantur ut libet, ab alio sic, ab alio autem sic; ego visorum vel visionum præter ista tria genera, aut corpore, aut spiritu, aut mente, usque adhuc vel nosse vel docere non possum. Sed quot et quantæ singulorum generum sint differentiæ, ut in unoquoque aliud alio gradatim superferatur, ignorare me fateor.

CAPUT XXX. — *In spirituali genere visionis alia visa quasi divina, alia humana.*

58. Sicut autem in ista luce corporea est cœlum, quod super terras suspicimus, unde luminaria clarent et sidera, quæ corpora longe sunt meliora terrestribus : sic in illo genere spirituali, in quo videntur corporum similitudines luce quadam incorporali ac sua, sunt quædam excellentia et merito divina, quæ demonstrant Angeli miris modis; utrum visa sua facili quadam et præpotenti junctione vel commixtione etiam nostra esse facientes, an scientes nescio quomodo nostram in spiritu nostro informare visionem, difficilis perceptu, et difficilior dictu res est. Sunt autem alia visa usitata et humana, quæ sive ex ipso spiritu nostro multipliciter existunt, sive ex corpore spiritui quodammodo suggeruntur, sicut fuerimus affecti vel carne vel animo. Non solum enim vigilantes homines curas suas cogitando versant in similitudinibus corporum, verum etiam dormientes hoc sæpe somniant, quo indigent : nam et negotia sua gerunt ex animi cupiditate, et epulis poculisque inhiantes insistunt, si forte esurientes sitientesque dormierunt. Quæ omnia puto comparata illis angelicis demonstrationibus sic habenda, ac si in ista natura corporum terrena cœlestibus compararentur.

CAPUT XXXI. — *In intellectuali visione alia sunt quæ in anima videntur, aliud lumen quo ipsa illustratur. Lumen animæ Deus.*

59. Sic etiam in illo genere intellectualium visorum alia sunt, quæ in ipsa anima videntur, velut virtutes quibus vitia sunt contraria; sive permansuræ, ut pietas; sive utiles huic vitæ, et postea non futuræ, sicut fides qua credimus ea quæ nondum videmus, et spes qua futura cum patientia exspectamus, et ipsa patientia qua omnia toleramus adversa, donec quo volumus veniamus. Istæ quippe et hujusmodi virtutes, quæ nunc propter transigendam istam peregrinationem valde necessariæ sunt; non erunt in illa vita, propter quam adipiscendam sunt necessariæ : et tamen etiam ipsæ intellectualiter videntur; neque enim aut corpora sunt, aut species habent similes corporum. Aliud autem est ipsum lumen, quo illustratur anima, ut omnia vel in se vel in illo veraciter intellecta conspiciat : nam illud jam ipse Deus est, hæc autem creatura, quamvis rationalis et intellectualis ad ejus imaginem facta, quæ cum conatur lumen illud intueri, palpitat infirmitate, et minus valet. Inde est tamen quidquid intelligit sicut valet. Cum ergo illuc rapitur, et a carnalibus subtracta sensibus, illi visioni expressius præsentatur non spatiis localibus, sed modo quodam suo, etiam supra se videt illud, quo adjuta videt quidquid etiam in se intelligendo videt.

CAPUT XXXII. — *Anima corpore exuta quo feratur.*

60. Si autem quæritur, cum anima de corpore exierit, utrum ad aliqua loca corporalia feratur, an ad incorporalia corporalibus similia, an vero nec ad ipsa, sed ad illud quod et corporibus et similitudinibus corporum est excellentius; cito quidem responderim, ad corporalia loca eam vel non ferri nisi cum aliquo corpore, vel non localiter ferri. Jam utrum habeat aliquod corpus, cum de hoc corpore exierit, ostendat qui potest; ego autem non puto : spiritualem enim arbitror esse, non corporalem [1]. Ad spiritualia vero pro meritis fertur, aut ad loca pœnalia similia corporibus : qualia sæpe demonstrata sunt iis qui rapti sunt a corporis sensibus, et mortuis similes jacuerunt, et infernales pœnas viderunt, cum et ipsi in seipsis gererent quamdam similitudinem corporis sui, per quam possent ad illa ferri, et talia similitudinibus sensuum experiri. Neque enim video cur habeat anima similitudinem corporis sui, cum, jacente sine sensu ipso corpore, nondum tamen penitus mortuo, videt talia, qualia multi ex illa subductione vivis redditi narraverunt; et non habeat, cum perfecta morte penitus de corpore exierit. Aut ergo ad illa fertur pœnalia, aut ad illa itidem similia corporalibus, nec tamen pœnarum, sed quietis atque gaudiorum.

61. Neque enim recte dici potest, vel illas falsas esse pœnas, vel illam falsam requiem atque lætitiam : tunc enim hæc falsa sunt, quando per opinationis errorem alia pro aliis putantur. Nam Petrus non solum cum discum illum videbat, et in eo non similitudines corporum, sed corpora putabat (*Act.* x, 11, 12), in hoc utique fallebatur; verum etiam cum alio tempore ab angelo solutus e vinculis ibat in corpore ambulans, et præsentatus corporalibus formis, et putabat se visum videre (*Id.* xii, 7-9), nihilominus fallebatur. Nam et illæ in disco erant spirituales formæ corporalibus similes; et ista corporalis expressio soluti de vinculis, propter miraculum spirituali similis erat. Fallebatur autem anima in utrisque, nonnisi cum alia pro aliis approbaret. Quamvis ergo non sint corporalia, sed similia corporalibus, quibus animæ corporibus exutæ afficiuntur, seu bene seu male, cum et ipsæ corporibus suis similes sibimet appareant; sunt tamen et vera lætitia et vera molestia facta de substantia spirituali. Nam et in somnis magni interest utrum in lætis an in tristibus simus. Unde quidam in rebus quas concupiverant constituti, se evigilasse do-

[1] In Er. Lugd. Ven. Lov. *autem*. M.

[1] Mss. aliquot optimæ notæ carent his verbis, *spiritualem enim arbitror esse, non corporalem*, quæ rursus habentur in fine n. 61, quo forte ex loco huc translata sunt : nam et in pluribus Mss. insignis hic transpositio versuum fere 50, commissa est.

luerunt; et rursus gravibus terroribus atque cruciatibus exagitati atque vexati, cum expergefacti essent, dormire timuerunt, ne in eadem mala revocarentur. Et utique dubitandum non est quod expressiora sint illa quæ inferna dicuntur, atque ob hoc vehementius sentiantur. Nam et qui subtracti sunt sensibus corporis, minus quidem quam si omni modo morerentur, sed tamen amplius quam si dormirent, expressiora se vidisse narraverunt, quam si somnia narravissent. Est ergo prorsus inferorum substantia, sed eam spiritualem arbitror esse, non corporalem.

CAPUT XXXIII.— *De inferis quæstio. Animam esse incorpoream. Sinus Abrahæ.*

62. Nec audiendi sunt, qui affirmant inferos in hac vita explicari, nec esse post mortem. Viderint enim quemadmodum poetica figmenta interpretentur; nos ab auctoritate divinarum Scripturarum, quibus solis de hac re fides habenda est, recedere non debemus. Quanquam possimus ostendere, illorum quoque sapientes de inferorum substantia minime dubitasse, quæ post hanc vitam excipit animas mortuorum. Unde autem sub terris esse dicantur inferi, si corporalia loca non sunt, aut unde inferi appellentur, si sub terris non sunt, merito quæritur (*a*). Animam vero non esse corpoream non me putare, sed plane scire, audeo profiteri: tamen habere posse similitudinem corporis et corporalium omnino membrorum quisquis negat, potest negare animam esse, quæ in somnis videt vel se ambulare, vel sedere, vel hac atque illac gressu aut etiam volatu ferri ac referri, quod sine quadam similitudine corporis non fit. Proinde si hanc similitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem, sed corpori similem; ita etiam in locis videtur esse non corporalibus, sed corporalium similibus, sive in requie, sive in doloribus.

63. Quanquam et illud me nondum invenisse confiteor, inferos appellatos, ubi justorum animæ requiescunt. Et Christi quidem animam venisse usque ad ea loca in quibus peccatores cruciantur, ut eos solveret a tormentis quos esse solvendos occulta nobis sua justitia judicabat, non immerito creditur. Quomodo enim aliter accipiendum sit quod dictum est, *Quem Deus suscitavit ex mortuis, solutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis* (*Act.* II, 24), non video nisi ut quorumdam dolores apud inferos eum solvisse accipiamus, ea potestate qua Dominus est, cui omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Philipp.* II, 10), per quam potestatem etiam illis doloribus, quos solvit, non potuit attineri. Neque enim Abraham, vel ille pauper in sinu ejus, hoc est in secreto quietis ejus, in doloribus erat, inter quorum requiem et illa inferni tormenta[1] legimus magnum chaos[2] firmatum: sed nec apud inferos esse dicti sunt. *Contigit* enim, inquit, *mori inopem illum, et auferri ab Angelis in sinum Abrahæ: mortuus est autem et dives, et sepultus est; et cum apud inferos in tormentis esset* (*Luc.* XVI, 22-26), et cætera. Videmus itaque inferorum mentionem non esse factam in requie pauperis, sed in supplicio divitis.

64. Illud etiam quod Jacob dicit ad filios suos, *Deducetis senectam meam cum tristitia ad inferos* (*Gen.* XLIV, 29), videtur hoc magis timuisse, ne nimia tristitia sic perturbaretur, ut non ad requiem beatorum iret, sed ad inferos peccatorum. Neque enim parvum animæ malum est tristitia, cum et Apostolus cuidam tam sollicite timuerit, ne majore tristitia absorberetur (II *Cor.* II, 7). Proinde, ut dixi, nondum inveni, et adhuc quæro, nec mihi occurrit inferos alicubi in bono posuisse Scripturam duntaxat canonicam: non autem in bono accipiendum sinum Abrahæ, et illam requiem quo ab Angelis pius pauper ablatus est, nescio utrum quisquam possit audire; et ideo quomodo eam[1] apud inferos credamus esse, non video.

CAPUT XXXIV. — *De Paradiso et tertio cœlo quo raptus est Paulus.*

65. Verum hoc dum quærimus, et aut invenimus, aut non invenimus, urget nos longitudo libri hujus eum aliquando concludere. Quapropter quoniam de paradiso sermonem instituimus, propter illud quod Apostolus ait, scire se raptum hominem usque in tertium cœlum, nescire autem sive in corpore sive extra corpus, et quia raptus est in paradisum, et audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui; non temere affirmamus, utrum in tertio cœlo sit paradisus, an etiam in tertium cœlum, et inde rursus in paradisum raptus sit. Si enim proprie quidem nemorosus locus, translato autem verbo, omnis etiam spiritualis quasi regio, ubi animæ bene est, merito paradisus dici potest; non solum tertium cœlum, quidquid illud est, quod profecto magnum sublimiterque præclarum est, verum etiam in ipso homine lætitia quædam bonæ conscientiæ paradisus est. Unde et Ecclesia in sanctis temperanter et juste et pie viventibus paradisus recte dicitur (*Eccli.* XL, 28), pollens affluentia gratiarum, castisque deliciis: quandoquidem et in tribulationibus gloriatur de ipsa patientia plurimum gaudens, quia secundum multitudinem dolorum in corde consolationes Dei jucundant animam ejus (*Psal.* XCIII, 19). Quanto magis ergo post hanc vitam etiam sinus ille Abrahæ paradisus dici potest, ubi jam nulla tentatio, ubi tanta requies post omnes dolores vitæ hujus? Neque enim et lux ibi non est propria quædam et sui generis, et profecto magna, quam dives ille de tormentis et tenebris inferorum, tam utique de longinquo, cum magnum chasma esset in medio, sic tamen vidit, ut ibi illum quondam contemptum pauperem agnosceret.

66. Quæ si ita sunt, ideo sub terris dicuntur inferi vel creduntur, quia congruenter in spiritu per illas corporalium rerum similitudines sic demonstrantur, ut quoniam defunctorum animæ inferis dignæ, carnis amore peccaverunt, hoc eis per illas corporalium similitudines exhibeatur, quod ipsi carni mortuæ solet,

[1] Mss. magno consensu: *Et illa inferna tormenta.*
[2] Mss. plerique, *chasma.*
(*a*) II Retract. c. 24, n. 2,

[1] Editi, *eum.* At omnes nostri Mss., *eam*, quod ad *requiem* refertur.

ut sub terram recondatur. Denique inferi eo quod infra sint, latine appellantur: sicut autem secundum corpus si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia graviora; ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora: unde et in græca lingua origo nominis quo appellantur inferi, ex eo quod nihil suave habeant, resonare perhibetur. Nec ipsam tamen rerum partem noster Salvator mortuus pro nobis visitare contempsit, ut inde solveret quos esse solvendos secundum divinam secretamque justitiam ignorare non potuit. Quapropter animæ illius latronis cui dixit, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43), non utique inferos præstitit, ubi pœnæ sunt peccatorum: sed aut illam requiem sinus Abrahæ; non enim alicubi non est Christus, cum ipse sit Sapientia Dei attingens ubique propter suam munditiam (*Sap.* VII, 24); aut illum paradisum, sive in tertio cœlo, sive ubicumque alibi est, quo post tertium cœlum est raptus Apostolus: si tamen non aliquid unum est diversis nominibus appellatum, ubi sunt animæ beatorum.

67. Si ergo cœlum primum recte accipimus hoc omne corporeum generali nomine quidquid est super aquas et terram; secundum autem, in similitudine corporali quod spiritu cernitur, sicut illud unde animalibus plenus in ecstasi Petro discus ille submissus est (*Act.* X, 10-12); tertium vero, quod mente conspicitur ita secreta et remota et omnino abrepta a sensibus carnis atque mundata, ut ea quæ in illo cœlo sunt, et ipsam Dei substantiam, Verbumque Deum per quod facta sunt omnia, in charitate Spiritus sancti ineffabiliter valeat videre et audire: non incongruenter arbitramur, et illuc esse Apostolum raptum (II *Cor.* XII, 2-4), et ibi fortassis esse paradisum omnibus meliorem, et si dici oportet, paradisum paradisorum. Si enim animæ bonæ lætitia in rebus bonis est in omni creatura, quid ea lætitia præstantius quæ in Verbo Dei est per quod facta sunt omnia?

CAPUT XXXV. — *Resurrectio corporum ad perfectam beatitudinem animæ cur sit necessaria.*

68. Sed si quem movet, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si potest eis etiam sine corporibus summa illa beatitudo præberi; difficilior quidem quæstio est, quam ut perfecte possit hoc sermone finiri: sed tamen minime dubitandum est, et raptam hominis a carnis sensibus mentem, et post mortem ipsa carne deposita, transcensis etiam similitudinibus corporalium, non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti Angeli vident; sive alia latentiore causa, sive ideo quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi; quo appetitu retardatur quodammodo ne tota intentione pergat in illud summum cœlum, quamdiu non subest corpus, cujus administratione appetitus ille conquiescat. Porro autem si tale sit corpus, cujus sit difficilis et gravis administratio, sicut hæc caro quæ corrumpitur, et aggravat animam (*Sap.* IX, 15), de propagine transgressionis existens, multo magis avertitur mens ab illa visione summi cœli: unde necessario abripienda erat ab ejusdem carnis sensibus, ut ei, quomodo capere posset, illud ostenderetur. Proinde cum hoc corpus jam non animale, sed per futuram commutationem spirituale receperit Angelis coæquata, perfectum habebit naturæ suæ modum, obediens et imperans, vivificata et vivificans, tam ineffabili facilitate, ut sit ei gloriæ quod sarcinæ fuit.

CAPUT XXXVI. — *Tria visionum genera quomodo erunt in beatis.*

69. Nimirum enim erunt et tunc ista tria genera visionum, sed nulla falsitate aliud pro alio approbabitur, nec in corporalibus, nec in spiritualibus visis; multo minus in intellectualibus, quibus ita præsentatis et perspicuis perfruetur[1] ut longe minore evidentia nunc nobis adjaceant istæ species corporales, quas sensu carnis attingimus, et eis multi ita sunt dediti, ut solas esse arbitrentur, et quidquid tale non est, putent omnino non esse. Sapientes autem ita sunt in his corporalibus visis, ut quamvis ea præsentiora videantur, certiores sint tamen in illis quæ præter corporis speciem præterque corporis similitudinem intelligendo utcumque perspiciunt; quamvis ea non valeant ita mente conspicere, ut hæc sensu corporis intuentur. Sancti vero Angeli et his corporalibus judicandis atque administrandis præsunt, nec eis tanquam præsentioribus familiarius inclinantur; et eorum significativas similitudines in spiritu ita discernunt, et tanta potentia quodammodo tractant, ut eas possint etiam hominum spiritibus revelando miscere; et illam incommutabilem substantiam Creatoris ita conspiciunt, ut visione atque amore et eam præponant omnibus, et secundum eam judicent de omnibus, et in eam dirigantur ut agantur, et ex ea dirigant quidquid agunt. Denique quamvis abrepto Apostolo a carnis sensibus in tertium cœlum et paradisum, hoc ipsum certe defuit ad plenam perfectamque cognitionem rerum, quæ Angelis inest, quod sive in corpore sive extra corpus esset, nesciebat. Hoc utique non deerit, cum receptis corporibus in resurrectione mortuorum corruptibile hoc induetur incorruptione, et mortale hoc induetur immortalitate (I *Cor.* XV, 53). Omnia enim evidentia erunt sine ulla falsitate, sine ulla ignorantia, suis ordinibus distributa et corporalia et spiritualia et intellectualia, in natura integra et beatitate perfecta.

CAPUT XXXVII. — *Sententia quorumdam de tertio cœlo.*

70. Scio quidem nonnullos eorum qui Scripturas sanctas ante nos in fide catholica tractasse laudantur, etiam sic exposuisse quod ait Apostolus, tertium cœlum, ut corporalis et animalis et spiritualis hominis hic differentias accipi vellent, atque ad illud incorporearum rerum genus excellenti evidentia contemplandum esse Apostolum raptum: quod genus etiam in hac vita spirituales homines præ cæteris rebus diligunt, eoque perfrui concupiscunt. Ego autem cur maluerim spirituale et intellectuale dicere, quod illi fortasse animale et spirituale dixerunt, ut earumdem rerum alia tantummodo nomina ponerem, jam in primis hujus libri partibus me disseruisse suffecerit. Quæ si rite

[1] Editi, *perfruetur*. At Mss. omnes, *perfruitur*.

pro modulo nostro disputavimus, aut spiritualis lector hæc approbabit, aut etiam ut sit spiritualis, adjuvante Spiritu sancto, aliquid ex ista lectione proficiet. Sed jam universum hoc opus, quod duodecim voluminibus continetur, isto tandem fine concludimus.

DE SUBSEQUENTI LOCUTIONUM OPERE.

LIBRI II RETRACTATIONUM CAPUT LIV.

Septem libros de septem libris divinarum Scripturarum, id est Moysi quinque, et uno Jesu Nave, et altero Judicum feci, notatis locutionibus singulorum quæ minus usitatæ sunt linguæ nostræ : quas parum advertendo sensum quærunt, qui legunt, divinorum eloquiorum, cum sit locutionis genus, et nonnunquam exsculpunt aliquid quod a veritate quidem non abhorreat; non tamen id sensisse auctor a quo hoc scriptum est invenitur, sed genere locutionis hoc dixisse credibilius apparet. Multa autem in Scripturis sanctis obscura, cognito locutionis genere dilucescunt. Propter quod cognoscenda sunt eadem genera locutionum ubi sententiæ patent; ut etiam ubi latent cognitio ipsa succurrat, easque intentioni legentis aperiat. Hujus operis titulus est, Locutiones de Genesi; atque ita de singulis libris. Quod autem in libro primo posui scriptum esse : *Et fecit Noe omnia verba quæcumque præcepit illi Dominus*, *sic fecit* (*Locut. in Gen.* VI, 22), eamque locutionem dixi esse similem ei, quod in conditione creaturæ posteaquam dicitur, *Et sic est factum*, additur, *et fecit Deus* (*Gen.* I); non omni modo simile hoc eidem mihi videtur. Denique ibi etiam sensus latet; hic sola locutio est. Hoc opus sic incipit : *Locutiones Scripturarum.*

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
In Heptateuchum
LOCUTIONUM
LIBRI SEPTEM [(a)].

LIBER PRIMUS.

Locutiones de Genesi.

Locutiones Scripturarum, quæ videntur secundum proprietates, quæ idiomata græce vocantur, linguæ hebraicæ vel græcæ.

[GEN. *cap.* I, ℣ 14.] *Et dividant inter medium diei, et inter medium noctis.*

[Ib. 20, 26.] *Volatilia volantia super terram secundum firmamentum cœli.* Quæritur quomodo accipiendum sit, *secundum firmamentum.* Sic etiam, *Faciamus hominem secundum imaginem et secundum similitudinem :* quod multi latini codices habent, *ad imaginem et similitudinem.*

[Ib. 28.] *Implete terram, et dominamini ejus :* latina enim locutio est, *Dominamini ei.*

[Ib. II, 5.] *Et homo non erat operari terram :* quod latini codices habent, *qui operaretur terram.*

[Ib. 8.] *Plantavit Deus paradisum secundum orientem :* quod latini habent, *ad orientem.*

[Ib. 9.] Quod habent multi latini codices, *Et lignum sciendi bonum et malum*, vel, *lignum scientiæ boni et mali*, vel, *lignum sciendi boni et mali;* et si quæ sunt aliæ varietates de hac re interpretum, græcus habet, *et lignum ad sciendum cognoscibile boni et mali ;* quod

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Castigati sunt de novo (hi septem libri) ad Mss. Victorinos duos, ad Vaticanum, Sorbonicum, Cisterciensem, Beccensem, Michaelinum, PP. Bernardinorum collegii Parisiensis unum, ad Corbeiensem vetustissimum et optimæ notæ, ad variantes Lovaniensium lectiones ex quatuor Belgicis : et demum ad editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

(a) Hoc opus ad annum circiter 419 referre idcirco visum est, quia in Retractationibus locum habet proximum post libros de Nuptiis et Concupiscentia, quos eo fere tempore scriptos fuisse liquet.

nescio utrum locutionis sit, et non magis certum sensum aliquem insinuet.

[Ib. 16.] Quod habent latini codices, *Ex omni ligno quod est in paradiso, escæ edes* : non, *in paradiso escæ*, distinguendum est ; sed, *escæ edes* : nam *esca edes* dici admittit latina locutio, quoniam pro dativo casu græco, ablativum vel quem appellant septimum, in hujusmodi locutionibus solent ponere. Aut certe ordo verborum est, *Ex omni ligno escæ*.

[Ib. III, 1.] *Serpens erat prudentissimus omnium bestiarum*, quod multi latini habent ; in græco scriptum est φρονιμώτατος [1], non σοφώτατος.

[Ib. 7.] Quod scriptum est de Adam et Eva, *Aperti sunt oculi eorum;* cum absurde credatur eos in paradiso cæcos, vel oculis clausis prius oberrasse, locutionis est, qua etiam de Agar scriptum est, *Aperuit oculos suos, et vidit puteum* (*Gen.* XXI, 19) ; neque enim clausis prius oculis sedebat : et quod in fractione panis aperti sunt oculi eorum qui cognoverunt Dominum post resurrectionem (*Luc.* XXIV, 31) ; neque enim per viam cum illo clausis oculis ambulabant.

[Ib. 15.] Quod habent multi codices, *Inimicitiam ponam inter te et mulierem ;* græci habent, *in medio tui et in medio mulieris :* quod locutionis est ; nam tantumdem valet quantum cum dicitur, *inter te et mulierem :* hoc et in eo quod sequitur, *in medio seminis tui, et in medio seminis ejus*.

[Ib. 17.] Quod habent multi latini codices, *Quia audisti vocem mulieris tuæ, et edisti de ligno de quo præceperam tibi, de eo solo non edere ;* græci habent, *edisti de ligno de quo præceperam tibi, eo solo non edere ex eo :* alii autem interpretes græci habent, *manducasti*, vel *edisti ;* ut ita sit sensus secundum ipsos, Quia audisti vocem mulieris tuæ, et edisti de ligno de quo præceperam tibi eo solo non edere, ex eo edisti.

[Ib. IV, 2.] *Et apposuit parere fratrem ejus Abel :* locutio est frequens in Scripturis, *apposuit dicere*.

[Ib. 8.] *Et factum est, dum essent in campo, insurrexit Cain super Abel, et occidit eum :* locutio est ; nam etsi non haberet, *Et factum est*, posset integer sensus esse, *et cum essent in campo*.

[Ib. VI, 6.] Quod scriptum est in quibusdam latinis codicibus, *Et pœnituit, et dixit Deus, Deleam hominem, quem feci a facie terræ ;* in græco invenitur διενοήθη, quod magis *recogitavit*, quam *pœnituit*, significare perhibetur : quod verbum etiam nonnulli latini codices habent.

[Ib. 14.] Quod habent latini codices plurimi, *Nidos facies in arcam ;* cum latina locutio sit non In arcam, sed In arca : græci nec In arcam, nec In arca habent; sed, *Nidos facies arcam ;* quod intelligitur, ut ipsa arca nidi essent.

[Ib. 16.] Quod habent plerique codices, *Facies ostium arcæ a latere ;* nonnulli habent, *ex transverso :* sic enim voluerunt interpretari quod græce dicitur, ἐκ πλαγίων.

[Ib. VII, 4.] Quod scriptum est, *Adhuc enim septem dies, ego inducam diluvium aquæ super terram*, quod nonnulli latini codices habent ; in græco invenitur, *ego inducam pluviam super terram :* græca locutio genitivum casum habet, non accusativum, ut si hoc in latinum exprimamus, ita dicatur, Adhuc enim septem dierum inducam pluviam super terram.

[Ib. 5.] Quod scriptum est, *Et fecit Noe omnia quæcumque præcepit illi Dominus Deus, sic fecit*, locutio est similis ei quod in conditione creaturæ posteaquam dicitur, *Et sic est factum*, additur, *Et fecit Deus*.

[Ib. 4.] Quod scriptum est, *Delebo omnem suscitationem*, non creationem dictam notandum est : ἀνάστασιν enim græce scriptum est, quod nomen etiam resurrectionis assidue ponitur in scripturis græcis, cum posset ἐξανάστασις dici, ut suscitatio sit ἀνάστασις, resurrectio ἐξανάστασις. Quo verbo et Apostolus usus est, *Si quo modo occurram in resurrectionem mortuorum* (*Philipp.* III, 11) : ibi enim Græci non ἀνάστασιν, sed ἐξανάστασιν habent.

[Ib. 14.] Quod scriptum est, *Et omnes bestiæ secundum genus, et omnia pecora secundum genus, et omne repens quod movetur super terram secundum genus, et omne volatile secundum genus intrarunt ad Noe in arcam, bina ab omni carne in quo est spiritus vitæ ;* non refertur *in quo*, nisi *genus* subaudias, id est, in quo genere : nam si *carne* subaudiremus, In qua fuerat dicendum ; quod solus interpres Symmachus dixit.

[Ib. 23.] Quod iterum scriptum est, *Et deleta est omnis suscitatio*, notandum locutionis esse, pro eo ac si diceret, conditionem vel creaturam carnis. Cum dixisset, *Et deleta est omnis suscitatio quæ erat super faciem omnis terræ, ab homine usque ad pecudem* [1] *et repentium et volatilium cœli*, deinde addidit, *Et deleta sunt de terra;* locutionem illam esse repetitionis, qua familiariter utitur [2] Scriptura, notandum est.

[Ib. VIII, 6, 7.] Quod scriptum est, *Dimisit corvum videre si cessavit aqua, et exiens reversus non est, donec siccavit aqua a terra*, locutio est usitata in Scripturis, quæ jam nunc incipiat adverti : non enim postea reversus est, quia dictum est non reversum donec siccavit aqua.

[Ib. 9.] Quod scriptum est, *Et extendit manum suam, accepit eam, et induxit eam ad semetipsum in arcam*, locutio est, quam propterea hebræam puto, quia et punicæ linguæ familiarissima est, in qua multa invenimus hebræis verbis consonantia : nam utique sufficeret, *Et extendit manum*, etsi non adderet, *suam*. Tale est etiam quod paulo post dicit, *Habebat olivæ folia, surculum in ore suo*.

[Ib. 12.] *Et non apposuit reverti ad eum amplius :* locutio est familiarissima in Scripturis.

[Ib. 21.] Quod scriptum est, *Et non adjiciam adhuc maledicere super terram*, simile est superiori, *Et non apposuit reverti ad eum*.

[Ib. 21.] *Et non adjiciam percutere omnem carnem vivam :* ipsa locutio est.

[Ib. IX, 5.] *Etenim sanguinem vestrum animarum ve-*

[1] Omnes Mss., *scriptum est, sovhrôtatos*.

[1] Editi, *pecudum*. At Mss., *pecudem :* juxta græc. LXX, *eôs ktênous*.
[2] Sequimur Lugd. Ven. Lov. B. habent, *utatur*. M

strarum; cum sufficeret aut *sanguinem vestrum*, aut *sanguinem animarum vestrarum*

[Ib. 12.] *Hoc signum testamenti quod ego ponam inter medium meum et vestrum;* quod est, inter me et vos.

[Ib. x, 9.] *Hic erat gigas*[1] *venator contra Dominum Deum;* incertum est utrum possit accipi, coram Domino Deo; quia et sic solet intelligi quod græce dicitur, ἐναντίον.

[Ib. 14.] *Unde exiit inde Philisthiim;* cum sufficeret, *Unde exiit Philisthiim.*

[Ib. xi, 1.] *Et erat omnis terra labium unum;* quod usitate nos dicimus, lingua una. *Et erat omnis terra labium unum;* notandum, omnem terram appellatam omnes homines qui tunc erant, quamvis nondum in omni terra.

[Ib. 3.] *Et facti sunt illis lateres pro lapide:* græcus habet, *Et facti sunt illis lateres in lapidem;* quod si latine diceretur, locutio minus intelligeretur.

[Ib. 4.] *Venite, ædificemus nobis civitatem et turrim, cujus caput erit usque ad cœlum;* secundum hyperbolen dictum est, si locutionis genus hic accipiendum est: si autem, *usque ad cœlum*, proprie dictum accipitur, inter quæstiones consideretur.

[Ib. 10.] Quod quidam latini codices habent, *Sem filius Noe erat annorum centum cum genuit Arphaxad;* græci habent, *Sem filius centum annorum cum genuit Arphaxad:* ubi ellipsis est, quia deest *erat*. Sed quod non habent *filius Noe*, sed *filius* tantum, nova locutio est.

[Ib. 30.] *Et erat Sara sterilis, et non generabat;* cum posset sufficere, *Et erat Sara sterilis.*

[Ib. xii, 12.] *Erit ergo cum te viderint Ægyptii, dicent, Quia uxor illius hæc:* genere locutionis adjunctum est, *Quia;* nam sufficere potuit, *uxor illius hæc.*

[Ib. 14.] Quod ait Scriptura, *Factum est autem statim ut intravit Abram in Ægyptum;* sufficeret, *Statim autem ut intravit Abram in Ægyptum.*

[Ib. 18.] *Quid hoc fecisti mihi, quia non annuntiasti mihi quia uxor tua est?* cum sufficeret, *non annuntiasti*. Et ipsum, *annuntiasti*, more Scripturarum dictum est; nam latini habent pleriq:ue, *non dixisti.*

[Ib. xiii, 1.] *Ascendit autem Abram de Ægypto, ipse et uxor ejus et omnia ejus, et Loth cum eo in desertum;* subauditur, ascenderunt: nec tamen proprie dicitur ascendisse cum eo quod habebat exanime, sicut aurum et argentum et omnis supellex; ac per hoc intelligitur hic locutio, quæ vocatur græce ζεῦγμα κατ' ἔλλειψιν.

[Ib. 7.] *Et facta est rixa inter medium pastorum pecorum Abram et pecorum Loth:* unde latini codices pene omnes non transtulerunt istam locutionem, sed ita loquuntur ut consuetudo nostra habet, et nobis deinceps eam notare non placuit; ipsa est enim per omnia in græca scriptura, ubi tale aliquid dicitur.

[Ib. 8.] *Quoniam homines fratres nos sumus,* Abram dixit ad Loth: unde intelligitur morem esse Scripturæ ita loqui, ut fratres appellentur unius cognationis, etiamsi gradu sanguinis differant, ut alter sit in superiore, alter in inferiore, sicut hoc loco; nam patruus ejus[1] erat Abram.

[Ib. xiv, 1.] *Factum est autem in regno Amarphal regis Sennaar;* secundum nostræ locutionis consuetudinem sic incipere sufficeret, *in regno autem Amarphal:* ergo quod ait Scriptura, *Factum est autem*, more suo locuta est.

[Ib. 5.] *Quarto decimo autem anno Chodollogomor et reges qui cum eo;* subauditur, erant: unde a quibusdam latinis etiam additum est.

[Ib. 6.] *Et Chorræos qui in montibus Seir;* subauditur, erant.

[Ib. 13.] *Adveniens autem eorum qui evaserunt quidam, nuntiavit Abram transfluviali, ipse autem habitabat ad quercum Mambre, Amorrhis fratris Eschol, et fratris Aunan; qui erant conjurati Abram;* obscurum hyperbaton: ordo est enim, Adveniens eorum qui evaserunt quidam Amorrhis fratris Eschol et fratris Aunan, qui erant conjurati, nuntiavit Abram transfluviali; ipse autem habitabat ad quercum. Hoc hyperbaton obscurius fit etiam per ellipsin: cum enim dictum esset, *quidam Amorrhis fratris Aunan;* non dictum est, quid fratris, sed intelligitur, filius: sicut cum dicitur Jacobus Alphei, quamvis non dicatur filius, nihil aliud intelligitur; et multæ sunt tales locutiones Scripturarum ubi filius tacetur et intelligitur.

[Ib. 22.] Quod habent quidam latini codices, *Et dixit Abram ad regem Sodomorum, Extendo manum meam ad Deum altissimum, qui creavit cœlum et terram, si a sparto usque ad corrigiam calceamenti;* fefellit interpretem, quod græcus habet σπαρτίου, quod latine filium intelligitur, ut ista Scripturarum locutio sit, Extendo manum meam ad Deum altissimum, qui creavit cœlum et terram, si accipiam de omnibus tuis: si enim pro eo dixit, *Extendo manum meam ad Deum altissimum*, ac si diceret, juro, non est in latino usitata locutio, nisi ita dicatur, Extendo manum meam ad Deum altissimum, me non accipere de omnibus tuis.

[Ib. xv, 13.] *Sciendo scies quia peregrinum erit semen tuum in terra:* locutio quidem Scripturarum est usitatissima; sed græci habent, *Sciens scies*, quod pene tantumdem est.

[Ib. xvi, 3.] *Et dedit eam Abram viro suo ipsi uxorem:* plus habet, *ipsi*.

[Ib. 4.] *Cum autem vidit se conceptum habere, spreta sum coram illa:* græci habent hoc loco participium, quod latina lingua non habet, hoc est ἰδοῦσα: sed tanquam si diceretur, Videns autem se conceptum habere, spreta sum coram illa; quasi soloecismus sonat: sic etiam per illud participium quod dictum est, ἰδοῦσα, pro quo nos dicimus, Videns.

[Ib. xvii, 6.] Quod latini habent, *Augeam te nimis valde;* græci habent, *valde valde.*

[Ib. 8.] *Et dabo tibi et semini tuo post te terram in qua habitas, omnem terram Chanaan in possessionem æternam:* videndum utrum locutio sit quod dicit, *æternam*, græci habent αἰώνιον: et quod ait, *et semini tuo*

[1] In antiquis codicibus constanter, *gigans*

[1] In editis omissum fuerat, *ejus:* quod ex Corbeiensi aliisque optimæ notæ Mss. restituimus.

post te; ibi enim voluit intelligi quod dixerat, *tibi.*

[Ib. xvii, 9.] *Tu autem testamentum meum conservabis, et semen tuum post te in progenies suas : conservabis,* pro, conserva; promissivum pro imperativo modo posuit.

[Ib. 12.] *Et puer octo dierum circumcidetur, omne masculinum :* pro, omnis masculus; quasi posset circumcidi nisi masculus.

[Ib. 17.] *Et procidit Abraham in faciem, et dixit in animo suo dicens, Si mihi centum annos habenti nascetur, et si Sara annorum nonaginta pariet?* Admirantis esse istam locutionem, non dubitantis, dubitandum non est.

[Ib. 24.] *Abraham autem erat annorum nonaginta novem cum circumcisus est carnem præputii sui :* non dixit, Carne; aut, in carne.

[Ib. xviii, 7.] *Et in boves accucurrit Abraham :* non dixit, Ad boves.

[Ib. 11.] *Abraham autem et Sara seniores progressi in diebus :* quod græci habent, *progressi dierum.*

[Ib. 20.] *Dixit autem Dominus, Clamor Sodomorum et Gomorrhæ impletus est, et delicta eorum magna valde* Clamorem Scriptura solet ponere pro tanta impudentia et libertate iniquitatis, ut nec verecundia, nec timore abscondatur.

[Ib. 28.] *Et dixit, Quia non perdam si invenero ibi quadraginta quinque:* superfluum videtur, *quia*, et ideo in codicibus nonnullis latinis non legitur.

[Ib. 30.] *Numquid, Domine, si loquar :* subauditur, irasceris, aut aliquid hujusmodi.

[Ib. xix, 29.] *Cum everteret Dominus civitates, in quibus habitabat in eis* [1].

[Ib xx, 13.] *In omni loco ubi intraverimus ibi.*

[Ib. xxi, 19.] *Et aperuit Deus oculos ejus, et vidit puteum aquæ vivæ :* locutio est, non enim clausis oculis erat; unde jam in principio libri locuti sumus, ubi scriptum est, *Et aperti sunt oculi eorum.*

[Ib. 23.] *Et terra quam inhabitasti in ea.*

[Ib. 27.] *Et disposuerunt ambo testamentum,* vel testati sunt ambo : amat Scriptura testamenti nomine pactum appellare.

[Ib. xxii, 2.] *Accipe filium tuum dilectum :* illa locutione dictum est, *Accipe,* qua etiam ad Agar de filio ejus.

[Ib. 4.] *Et respiciens Abraham oculis;* cum sufficeret, *respiciens.*

[Ib. 16.] *Per memetipsum juravi, nisi benedicens benedicam te :* ac si diceret, Per memetipsum juravi quod benedicens benedicam te; aut nullo verbo addito simpliciter, Per memetipsum juravi, benedicens benedicam te.

[Ib. 17.] *Et multiplicans multiplicabo semen tuum;* cum sufficere posset, *multiplicabo.*

[Ib. 20.] *Et nuntiatum est Abrahæ, dicentes;* cum consuetudo loquendi habeat, Nuntiaverunt Abrahæ dicentes, aut, nuntiatum est a dicentibus.

[Ib. xxiii, 3, 4.] *Et surrexit Abraham a mortuo suo :* non dixit, a mortua sua. Et iterum de eadem : *Et sepeliam,* inquit, *mortuum meum :* quod non neutro quasi corpus mortuum, sed masculino genere dictum græca scriptura demonstrat.

[Ib. xxiv, 3.] *Et adjurabo te per Dominum Deum cœli et Deum terræ :* græci non habent, *per*, sed, *adjurabo Dominum Deum cœli.*

[Ib. 3.] *Cum quibus ego habito in eis.*

[In 5.] *Ne quando noluerit mulier ire mecum :* mulierem feminam appellare proprium est illius linguæ.

[Ib. 5.] *In terram de qua existi inde.*

[Ib. 6.] *Attende tibi ne revoces filium meum illuc :* his verbis solet comminatio declarari.

[Ib. 9, 8.] *Et posuit puer manum suam sub femore Abrahæ, et juravit ei de verbo hoc :* ergo locutio est qua dixerat Abraham, *adjuro te*, ac si dixisset, jura mihi; non autem solemus sic loqui, sed observandum est utrum sint in Scripturis aliæ similes locutiones : nam quod dixit Abraham, *Si noluerit mulier venire tecum, purus eris a juramento hoc;* manifestavit ita se dixisse, *adjuro te,* tanquam diceret, jura mihi.

[Ib. 16.] Quod scriptum est de Rebecca, *Virgo autem erat speciosa valde, virgo erat, vir non cognoverat eam*, ista repetitio commendationem virginitatis insinuat. Sed cur additum sit, *vir non cognoverat eam*, nisi locutionis sit, mirum si possit ita accipi ut virgo nomen sit ætatis, non integritatis. Græci autem non habent, *cognoverat,* sed *cognovit ;* quod videtur inconsequens.

[Ib. 26.] *Adoravit Domino :* quod nobis usitatum est dicere, Adoravit Dominum.

[Ib. 27.] *Quoniam non dereliquit justitiam et veritatem a Domino meo :* id est justitiam et veritatem quæ est a Domino meo, ac si diceret, quam fecit Dominus meus.

[Ib. 28.] *Et currens puella nuntiavit in domum matris suæ :* quasi non ipsa esset et patris domus.

[Ib. 32.] *Et aquam lavare pedibus ipsius, et pedibus virorum qui cum eo erant.*

[Ib. 40.] *Dominus cui placui ante ipsum, ipse mittet angelum suum tecum ;* quasi non sufficeret, *cui placui :* an poterat ei placere nisi ante ipsum ?

[Ib. 42.] *Si tu prosperas viam meam, qua ego nunc ingredior in eam.*

[Ib. 43, 44.] Cum verba sua narraret servus Abrahæ, quæ dixit accessurus ad fontem, ita narravit : *Et erit virgo cui ego dixero, Da mihi bibere pusillum aquæ de hydria tua, et dicet mihi, Et tu bibe, et camelis tuis hauriam : hæc mulier est quam paravit Dominus famulo suo Isaac.* Quibus verbis satis evidenter expressum est, etiam mulieres appellatas locutione hebraica, quæ virgines essent.

[Ib. 48.] *Et benedixi Dominum Deum domini mei Abraham :* honorificentiæ locutio est, et familiarissima Scripturis, sicut Deus Heliæ.

[Ib. 49.] *Renuntiate mihi ut redeam in dextram aut sinistram.* Per dextram prosperitatem, per sinistram adversitatem significavit; id est dextram, si concesserint; sinistram, si non concesserint; nam utique ea via rediturus fuerat qua venerat : quam locutionem

[1] Editi, *habitabant in eis.* Mss. vero, *habitabat :* scilicet Loth, juxta græcum

Scripturarum etiam cætera earum loca indicabunt; quia dextra nominatur in omnibus bonis, sinistra in malis, sive felicitas et infelicitas, sive justitia et injustitia, et aliquando dextra in æternis, sinistra in temporalibus.

[Ib. xxv, 13.] *Hæc sunt nomina filiorum Ismael secundum nomina generationum eorum :* tanquam dixisset, secundum quæ nomina generationes eorum appellatæ sunt.

[Ib. 20.] *Accepit Rebeccam filiam Bathuel Syri de Mesopotamia, sororem Laban Syri, sibi in uxorem :* cum posset dici tantummodo, *uxorem;* aut, *sibi uxorem.*

[Ib. 24.] *Et ei erant gemini in utero ejus*; cum posset non addi quod dictum est, *ejus.*

[Ib. 27.] *Creverunt autem juvenes.* Est talis locutio et apud auctores sæculares, sicuti est, *Et scuta latentia condunt* (*Virg. Æneid. lib.* 3, *v.* 237) : id est, condendo latentia faciunt. Sic et hic, *Creverunt juvenes,* cum infantes essent, intelligitur, crescendo facti sunt juvenes.

[Ib. 31.] Jacob ad Esau, *Vende mihi hodie primogenita tua mihi :* sic enim habent codices græci.

[Ib. xxvi, 28.] *Videntes vidimus quia est Dominus tecum.*

[Ib. 28.] *Et disponemus tecum testamentum :* amant Scripturæ pro pacto ponere testamentum, id est διαθήκην. Quod latini habent, *Et disponemus tecum testamentum ne facias nobiscum malum :* tanquam diceretur, ut paciscaris non facere nobiscum malum.

[Ib. xxvii, 1.] *Et vocavit filium suum seniorem Esau, et dixit :* hoc loco senioris nomen non significat ætatem gravem, sed ex comparatione majorem.

[Ib. 3.] *Nunc ergo sume vas tuum pharetramque et arcum :* non dixit vasa, sed *vas :* quod autem intelligi voluit, non apparet, nisi forte locutio est, ut vas pharetram voluerit intelligi, et exponendo quid dixerit vas, adjunxerit *pharetramque et arcum,* tanquam dixerit, sume vas tuum et pharetram; veluti si diceret, sume vas tuum, id est pharetram : deinde aliud, et arcum, quod non ad illud vas pertineret quod est pharetra : aut certe pharetram et arcum vas voluit appellare, singularem ponens numerum pro plurali; tanquam si diceret, accipe vestem tuam, quo nomine intelligeremus plures vestes, sicuti intelligimus militem pro militibus, et multa sunt talia.

[Ib. 3.] *Exi in campum, et venare mihi venationem.*

[Ib. 9.] *Et vade ad oves, et sume mihi duos hædos teneros et bonos :* nomine ovium utriusque pecoris genus significavit, quod in eisdem pascuis simul erant.

[Ib. xxviii, 4.] *Et det tibi benedictionem patris tui Abraham :* Isaac dicit filio suo de avo ejus patre suo.

[Ib. 5.] *Et exiit in Mesopotamiam Syriæ :* quasi Mesopotamia dicatur nisi Syriæ, quamvis hoc Septuaginta non habere perhibeantur *Syriæ*, sed cum asterisco scriptum est.

[Ib. 15.] Deus ad Jacob, *Non derelinquam te, donec faciam omnia quæ tecum locutus sum :* quasi dimissurus, cum fecerit; non utique, sed locutio est.

[Ib. xxviii, 16.] *Surrexit Jacob de somno suo, et dixit, Quia est Dominus in loco hoc, ego autem ignorabam :* plenus sensus est, etsi non habeat, *quia. Est Dominus in loco hoc;* ac si diceret, est hic demonstratio Domini : non enim Dominus in loco est.

[Ib. xxix, 5.] Jacob interrogans quod ait, *Nostis Laban filium Nachor?* cum esset filius Bathuel; intelligendum est nobiliorem fuisse Nachor, et merito dignitatis ejus factum esse ut de ipso interrogaret. Filium autem dici et avi et proavi et ultra majoris alicujus eum qui ex illo propagatur, usitatissimæ locutionis est. Hinc est quod et Isaac patrem filii sui appellavit Abraham, sicut paulo ante commemoravi.

[Ib. 7.] *Adhuc est dies multa, nondum est hora congregandi pecora.*

[Ib. xxx, 4.] *Et dedit illi Ballam ancillam suam ipsi uxorem :* plenum esset, etsi *ipsi* non adderetur.

[Ib. 27.] *Si inveni gratiam ante te, auguratus essem; benedixit enim me Deus in introitu tuo :* non videtur consequens; quia hic dicendum fuit, Si invenissem gratiam ante te, auguratus essem; nunc autem *Si inveni :* ordo est, Si inveni gratiam ante te, permitte me augurari; ita enim dixit, *auguratus essem*, tanquam diceret, o si auguratus essem ! id est, ad bonum augurium te in domo mea haberem.

[Ib. 33.] *Et exaudiet me justitia mea in die crastino :* id est, exaudiri me faciet.

[Ib. xxxi, 2.] *Et vidit Jacob faciem Laban, et ecce non erat ad eum sicut hesterna et nudiustertiana die :* familiarissima in Scripturis locutio, hesterna et nudiustertiana die, pro tempore præterito posuit.

[Ib. 10.] *Et vidi oculis meis in somno;* cum clausi sint in somno oculi corporis.

[Ib. 13.] *Ego sum Deus, qui apparui tibi in loco Dei,* locutio est : an Deus in loco Dei sic accipiendum est, quomodo, *Pluit Dominus a Domino* (*Gen.* xix, 24), Filius a Patre?

[Ib. 31.] *Respondens autem Jacob dixit ad Laban, Dixi enim ne forte auferas filias tuas a me, et omnia mea.*

[Ib. 33.] *Intravit autem Laban et inscrutatus est in domo Liæ :* advertendum est quomodo dicatur domus uxoris, cum in itinere comprehensi sint a Laban; nisi forte consuetudo Scripturarum dicit domum pro cubiculo vel tentorio, quomodo etiam ancillarum domos dicit.

[Ib. 37.] *Jacob dicit ad Laban, Quia scrutatus es omnia vasa domus meæ :* nunc unam domum dicit, cujus membra erant domus uxorum ejus et concubinarum; ut intelligatur domos appellatas, cum essent cubicula aut tentoria, quos etiam papiliones vocant.

[Ib. 42.] *Nisi Deus patris mei Abraham et timor Isaac adfuisset* [1] *mihi :* patrem suum appellat avum suum, sicut ei dixerat Isaac pater ejus.

[Ib. xxxii, 3-5.] *Misit autem Jacob nuntios ante se*

[1] In Mss., *esset;* juxta græc. LXX, *en moi.*

ad Esau fratrem suum in terram Seir in regionem Edom, mandavit illis dicens, Sic dicetis domino meo Esau, Sic dicit puer tuus Jacob, cum Laban habitavi et demoratus sum usque modo, et facti sunt mihi boves et asini et oves et pueri et puellæ, et misi nuntiare domino meo Esau : non dixit, misi nuntiare tibi.

[Ib. XXXII, 17.] *Si interrogaverit te Esau dicens, Cujus es? et quo vadis? et cujus hæc quæ antecedunt te? et dices, Pueri tui Jacob :* plenum esset et integrum, etiam si *et* non haberet.

[Ib. 18.] *Munera misit domino meo Esau, et ecce ipse post nos :* dicendum autem fuerat usitata locutione, domino meo tibi, aut, domino suo tibi.

[Ib. 22.] *Surrexit autem eadem nocte, et accepit uxores duas et duas ancillas :* hic distinguuntur ab uxoribus, quas prius uxores Scriptura dixerat. *Et accepit duas uxores et duas ancillas :* notandum est quemadmodum dicatur consuetudine Scripturarum, *accepit;* non enim tunc eas duxit, aut tunc a socero accepit.

[Ib. XXXIII, 13.] Quod habent latini codices, *Et oves et boves fetantur;* græci habent, *fetantur super me :* quod ea significatione dictum est, ut intelligatur, super sollicitudinem vel curam meam; quomodo solemus loqui, cum dicimus super caput nostrum esse aliquid, cujus maximam curam gerimus.

[Ib. XXXIV, 7.] *Et filii Jacob venerunt de campo, et cum audissent, compuncti sunt viri, et triste erat illis valde quod turpe fecerat in Israel, quod dormisset cum filia Jacob, et non sic erit :* difficile talis locutio reperitur in Scripturis, non inducta persona loquentium scriptorem verba eorum interposuisse : non enim ait, et dixerunt; sed hoc tacito verba dixit eorum : nam qui alii dicere potuerunt, *et non sic erit*, nisi qui graviter indignati vindictam moliebantur?

[Ib. 8.] Notandum quod Emmor loquens de Dina ad Jacob et filios ejus, *filiam* dicit *vestram;* non dicit, filiam tuam, sororem istorum.

[Ib. 15, 16.] *In hoc similes erimus vobis, et habitabimus in vobis :* id est, inter vos.

[Ib. 19.] *Appositus enim erat filiæ Jacob :* id est, amabat eam.

[Ib. 26.] *Et filium ejus Sichem interfecerunt in ore gladii :* ac si diceret, gladio.

[Ib. 28, 29.] Quæ abstulerunt filii Jacob de civitate Sichimorum Salem, cum eam expugnassent, sic enumerantur : *Oves eorum, et boves eorum, et asinos eorum, quæcumque erant in civitate, et quæcumque erant in campo tulerunt; et omnia corpora eorum captivaverunt, et diripuerunt quæcumque erant in civitate, et quæcumque erant in domibus.* Inter hæc omnia non satis intelligitur quid dixit, *et corpora eorum :* neque enim suspicandum est, quod corpora abstulerunt peremptorum; sed rerum intelligenda sunt, quæ corporaliter possidentur : ut eorum sit exsecutio quod sequitur, *et supellectilem*, et cætera, sicut in jure dicitur traditio corporum; quanquam græci σωμάτια servos appellant usitatissima locutione, sed quia non σωμάτια, sed σώματα hic dictum est, non est temere confirmandum, servos significatos : fieri tamen potest, ut hoc magis sit.

[Ib. XXXVI, 40.] Cum gentem Edom, id est Idumæorum, commemoret Scriptura, et qui in ea regnassent, postea dicit, *Hæc nomina principum Esau, secundum loca eorum in regionibus eorum, et in gentibus eorum :* gentes appellans unius gentis, propter familiarum multiplicatas generationes, cum etiam ipse Edom vocaretur; unde et gens quam propagavit cognominata est, cujus utique pater fuit.

[Ib. XXXVII, 21.] *Cum audisset autem Ruben, liberavit eum de manibus eorum, et dixit, Non feriamus eum in animam.* Non ergo liberavit eum, et inde hoc dixit; sed hoc dicendo eum liberavit. Prius ergo dixit, *liberavit eum*, et deinde brevi recapitulatione quomodo eum liberaverit, insinuat.

[Ib. 22.] *Non feriamus eum in animam :* hoc loco nomine animæ vitam corporis animati significat, per efficientem id quod efficitur. Secundum hoc videri potest etiam ad diabolum dictum esse de Job, *Animam ejus ne tangas* (*Job* II, 6); id est, ne occidas eum. Nam secundum illam significationem qua natura animæ commemoratur, illud a Domino dicitur : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X, 28).

[Ib. 27.] Quod Judas dicit, *Manus autem nostræ non sint super eum*, hoc est quod dici a nobis solet, Manus ei non inferamus.

[Ib. 27.] *Quoniam frater noster et caro nostra est :* non aliud, sed bis hoc idem dictum est, tanquam exponendo quid sit frater noster, id est caro nostra, quod ex eadem carne fuerant procreati.

[Ib. 31.] *Occiderunt hædum caprarum :* sic solet loqui Scriptura, quemadmodum in Psalmo, *Sicut agni ovium* (*Psal.* CXIII, 4), quasi possit esse aut hædus nisi caprarum, aut agni nisi ovium.

[Ib. XXXVIII, 13.] *Et nuntiatum est nurui ejus Thamar dicentes :* dicendum autem fuit, Nuntiaverunt dicentes.

[Ib. 14.] *Et depositis vestimentis viduitatis suæ a se :* quid minus esset, si non adderetur, *a se?*

[Ib. 26.] *Et non apposuit amplius scire eam :* pro eo quod est misceri ei.

[Ib. XXXIX, 4.] *Et invenit Joseph gratiam in conspectu domini sui :* hæc locutio nulli est ignota in Scripturis.

[Ib. 6.] *Et nesciebat quæ circa eum erant nihil* [1] : apud Græcos usitata est vulgo locutio, apud nos recta non est; sed, nesciebat aliquid, dicimus.

[Ib. 6.] *Præter panem quem ipse edebat :* per panem utique omnia intelligi voluit ad victum ejus pertinentia; unde pro quotidiano victu, panis solus positus intelligitur in oratione Dominica (*Matth.* VI, 11).

[Ib. 7.] *Et misit uxor Domini ejus oculos suos in Joseph :* solet et apud nos vulgo esse usitata locutio, pro eo quod est, Amavit eum.

[1] Editi : *Quæ circa eum erant;* nec addunt, *nihil*, quod reposuimus ex Mss. quippe cum hujus vocis causa locutionem illam commemoret Augustinus.

[Ib. xxxix, 7.] *Et ait, Dormi mecum :* et ista usitata est locutio, pro eo quod est, Concumbe mecum.

[Ib. 22.] *Et dedit carceris custos carcerem per manum Joseph :* pro eo quod est, In manus Joseph; per quod significat, in potestate.

[Ib. xl, 8.] *Et dixerunt, Somnium vidimus, et non est qui interpretetur illud :* cum somnium suum unusquisque vidisset, non dixerunt, Somnia vidimus; sed, *Somnium vidimus.*

[Ib. 12.] *Tres fundi, tres dies sunt :* non dixit, tres dies significant. Et multum hæc locutio notanda est, ubi aliqua significantia, earum rerum quas significant, nomine appellantur : inde est quod ait Apostolus, *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* x, 4); non ait, Petra significabat Christum.

[Ib. 13.] *Et dabis calicem Pharaoni in manum ejus;* cum plenum esset, etiamsi non adderetur, *in manum ejus.*

[Ib. 19.] *Et auferet Pharao caput tuum abs te :* plenum esset, etiam si non haberet, *abs te.*

[Ib. 19.] *Et manducabunt aves cœli carnes tuas abs te :* similis superiori locutioni.

[Ib. xli, 1.] *Et factum est post biennium dierum :* quid minus esset si non haberet, *dierum ?*

[Ib. 7.] *Surrexit autem Pharao, et erat somnium :* amant Scripturæ sic loqui de somniis, cum fuerit evigilatum, tanquam reddita homini veritate vigilantium, tunc illud appareat somnium, quod cum videretur, quasi veritas fuit.

[Ib. 9.] *Peccatum meum recordor hodie. Pharao iratus fuit pueris suis, et posuit nos in carcere :* illi loquebatur tanquam de altero.

[Ib. 11.] *Et vidimus somnium ambo nocte una, ego et ille :* quasi non sufficeret, quod *ambo* dixerat. Deinde et hic, *vidimus somnium* dicit; non, vidimus somnia : tanquam unum ambo vidissent.

[Ib. 13.] *Factum est autem sicut comparavit nobis, ita et contigit. Factum est autem;* sic solet Scriptura ponere : nam plenum esset, *sicut enim comparavit nobis, ita et contigit.*

[Ib. 19.] *Quales nunquam vidi tales in tota terra Ægypti turpiores :* dici autem posset more nostro, quibus nunquam vidi turpiores; aut, quales nunquam vidi; aut, nunquam vidi tales. *Exsurgens autem dormivit : exsurgens* ait, pro expergiscens.

[Ib. 25.] *Quanta Deus facit, ostendit Pharaoni :* cum illi loqueretur, tanquam de altero dicit.

[Ib. 30.] *Et consumet fames terram :* pro, homines qui sunt in terra.

[Ib. 33.] *Nunc ergo vide hominem prudentem et intelligentem, et constitue eum super terram Ægypti; et faciat Pharao et constituat locorum principes super terram :* quasi alius sit cui dixit, *Provide hominem prudentem,* et alius de quo dixit, *constituat Pharao.*

[In 35.] *Et congregetur triticum sub manu Pharaonis :* id est, sub potestate.

[Ib. 40.] *Tamen thronum præcedam tui ego :* sic se habent verba in græco, quæ dixit Pharao ad Joseph. Sed *præcedam tui*, usitata est apud Græcos locutio, apud nos autem dicitur, præcedam te : illud vero, præcedam te thronum, nec apud Græcos usitata perhibetur, sed, præcedam te throno, id est honore sedis; quod intelligitur, præcedam te regno, hoc enim illi et postea dicit.

[Ib. xli, 44.] *Ego Pharao; sine te nemo extollet manum suam super omnem terram Ægypti :* tanquam diceret, ego sum rex, tu autem princeps vel præpositus Ægypti. Pharao quippe non hominis nomen est, sed regiæ potestatis.

[Ib. xlii, 1, 2.] *Videns autem Jacob quia est venditio in Ægypto, dixit filiis suis, Quare segnes estis? Ecce audivi quod est venditio in Ægypto :* notandum quia id quod audisse se dicit, vidisse eum Scriptura dixerat.

[Ib. 2.] *Emitte nobis pusillas escas, ut vivamus, et non moriamur :* unum horum sufficeret, aut, *vivamus*, aut, *non moriamur.*

[Ib. 11.] *Pacati sumus; non sunt pueri tui exploratores :* quasi de aliis dixerint, *non sunt pueri tui exploratores*, cum possent dicere, non sumus : honorificentiæ autem more maxime ita loquebantur.

[Ib. 13.] *Duodecim sumus pueri tui fratres in terra Chanaan :* cum posterius dicant, quod unus eorum non sit, ipsum scilicet Joseph non esse existimantes, id est, periisse. Hac locutione dictum est etiam illud, *Hi filii Jacob qui facti sunt in Mesopotamia* (*Gen.* xxxv, 26); cum ibi non fuerit natus Benjamin. Quod autem dixerunt, *sumus in terra Chanaan,* cum eo tempore quo loquebantur, in Ægypto essent, *sumus* dictum est, pro habitamus : inde enim venerant illico redituri, ibi commorantes.

[Ib. 14.] *Hoc est quod dixi vobis, dicens quod exploratores estis :* quid deesset, etiam si non adderet, *dicens ?*

[Ib. 19.] *Ipsi vero ite et ducite emptionem tritici vestri : ducite,* pro eo quod est, ferte; quia enim ducuntur jumenta in quibus fertur, etiam hoc duci dictum est.

[Ib. 22.] *Nonne locutus sum vobis, dicens, Ne noceatis puero, et non exaudistis me?* Notandum exauditionem non eam solam dici qua exaudit Deus.

[Ib. 23.] *Ipsi autem ignorabant quia audit Joseph : audit,* pro intelligit; nam voces audit utique aure etiam qui non intelligit linguam. Repetitur illa locutio quando narrant patri suo quid eis acciderit in Ægypto, et quid dixerint ad Joseph.

[Ib. 32.] *Duodecim sumus fratres filii patris nostri : unus non est, pusillus autem cum patre nostro hodie in terra Chanaan.* Multa in his paucis verbis genera locutionum sunt, et illud quod paulo ante memoravi, *duodecim sumus,* cum ipsi dicant, *unus non est :* et, *filii sumus patris nostri*, quasi possent esse filii non patris sui. *Pusillus autem cum patre nostro hodie in terra Chanaan,* nec dixerunt, est, aut aliquid hujusmodi. Deinde notandum est, quod maxime necessarium videtur propter Evangelistarum narrationes, quomodo cum ea quæ dicta sunt, dicta esse narrantur, non omnino eodem modo repetuntur, cum tamen in diver-

sitate verborum nihil sententiæ deperceat veritatis. Nam quod dixerunt dictum sibi esse a Joseph, *et in terra mercamini*, non invenitur ab illo dictum. Sine mendacio autem dixerunt, quod ex verbis quæ dixerat, in ejus voluntate cognoverant : neque enim verba sunt necessaria nisi ad expromendam, et in audientium notitiam perferendam, quantum possumus, voluntatem.

[Ib. XLII, 35.] *Et erat uniuscujusque alligatura argenti in sacco eorum :* non dixit, in sacco ejus, aut, in saccis eorum, sed quasi unus saccus omnium esset.

[Ib. 36.] *Super me facta sunt omnia hæc :* id est, me miseria onerant.

[Ib. XLIII, 3.] *Ait autem illi Judas, dicens :* potuit plenum esse, etsi non haberet, *dicens*.

[Ib. 3.] *Interrogans interrogavit nos homo :* assidua est talis locutio in Scripturis, *interrogans interrogavit nos homo;* aut, interrogando interrogavit, et si qua similia.

[Ib. 16.] *Mecum enim manducabunt homines panes meridie :* numquid panes tantum? sed ab eo quod excellit et cætera est complexa locutio. *Mecum enim manducabunt homines panes meridie :* quod dicit *meridie*, prandium significat quod fit medio die, hoc est enim meridies.

[Ib. 18.] *Ut accipias nos in servos et asinos nostros :* non utique subauditur, servos; nam quod latini codices *servos* habent, in græcis παῖδας legitur, quod nullo modo asini possunt esse. Ergo *asinos nostros* tantummodo *accipias* subauditur.

[Ib. 21.] *Aperuimus saccos nostros, et hoc argentum uniuscujusque in sacco suo :* non addidit, inventum est; aut, apparuit; aut, erat, aut aliquid hujusmodi.

[Ib. 23.] *Propitius vobis, nolite timere :* in his verbis quibus dictum est, *Propitius vobis,* duo verba sunt quæ subaudiuntur, et sit, et Deus. Plenum est enim, Propitius sit vobis Deus, quod omnino in græco usitatissimum est.

[Ib. 28.] *Salvus est puer tuus pater noster, adhuc vivit :* hic expressius ostenditur pueri nomine servum solere significari; non enim in illo sene posset hoc esse nomen ætatis.

[Ib. 32.] *Non enim poterant Ægyptii manducare cum Hebræis panes : abominatio est enim Ægyptiis.* Illa locutio frequentatur, ut in panibus omnes escæ intelligantur.

[Ib. 34.] *Magnificata facta est autem pars Benjamin præ partibus omnium quincupliciter ad illorum :* jam quia dictum erat, *præ partibus omnium,* potuit non dici, *ad illorum.*

[Ib. XLIV, 6, 7.] *Inveniens autem eos, dixit secundum verba hæc :* potuit dicere, dixit eis verba hæc. An forte non locutionis genus est, sed interest etiam sententiæ? Aliud enim est ipsa verba dicere, aliud secundum ipsa, ut quæcumque alia dicta fuerint, eadem sententia teneatur quæ illis verbis comprehensa est : hoc est, secundum ipsa, etiamsi non ipsa. Sed quia sequitur illis respondentibus, *Utquid loquitur dominus secundum verba hæc?* qui utique dicere debuerunt usitato more, Utquid loquitur dominus verba hæc? constat esse locutionis genus.

[Ib. XLIV, 7.] *Absit a pueris tuis facere secundum verbum hoc :* potuerunt dicere, Absit a nobis; sed illa honorificentia est usitata in Scripturis sic dicere, tanquam de aliis : *pueris* autem, pro servis dictum est.

[Ib. 9.] *Et nos autem erimus servi domino nostro. Etiam hic* παῖδες, græci habent, hoc est *pueri*, quod tam assidue Scriptura pro servis ponit, ut difficile inveniatur non isto nomine appellare servos.

[Ib. 34.] *Quomodo autem ascendam ad patrem, cum puer non sit nobiscum, ut non videam mala quæ invenient patrem meum?* Magis consuetudo loquendi exigebat dici, Ut videam mala quæ invenient patrem meum [1]; hoc est, Quomodo ascendam ut videam? Novo itaque loquendi more id quod dixit, pro eo dixit ac si dixisset, non. Sic enim usitatus ordo iste verborum est : Non ascendam ad Patrem, cum puer non sit nobiscum, ut non videam mala quæ invenient patrem meum.

[Ib. XLV, 2, 4.] Quando flevit Joseph, cum recognosceretur a fratribus suis, ait Scriptura, *Audierunt autem omnes Ægyptii, et auditum est in domo Pharaonis.* Deinde sequitur quod narrabat, *Dixit autem Joseph ad fratres suos :* prius itaque Scriptura dixit quod postea factum est; hoc enim famæ celebritate accidit, ut omnibus Ægyptiis notum fieret; et postea reversa est narratio ad id quod dicebatur brevi recapitulatione.

[Ib. 16.] *Et divulgata est vox in domo Pharaonis, dicentes, Venerunt fratres Joseph : dicentes*, posuit pro dicentium; vox enim dicentium divulgata est, *Venerunt fratres Joseph.*

[Ib. XLVI, 2.] *At ille respondit, Quid est, dicens?* Ordo est, At ille respondit dicens, Quid est?

[Ib. 4.] Deus ad Jacob dicit, *Ego descendam tecum in Ægyptum, et ego ascendere te faciam in finem :* sic habent græci, quod latini habent, *et ego deducam te in finem.*

[Ib. 28.] *Judam autem misit ante se ad Joseph, ut veniret sibi obviam juxta Heroum civitatem :* nescio utrum Heroum nomen facile in Scripturis reperiatur.

[Ib. 31, 32.] In verbis Joseph, quibus ait ad fratres suos, *Ascendens nuntiabo Pharaoni et dicam ei, Fratres mei et domus patris mei qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me : viri autem sunt pastores (viri enim pecorum nutritores erant), et jumenta et oves et omnia sua adduxerunt*, quod interpositum est, *viri enim pecorum nutritores erant*, ex persona sua scriptor interposuit, et redit ad verba Joseph, adjungendo, *et jumenta et omnia sua adduxerunt*, ut ordo sit in verbis Joseph : Viri autem sunt pastores, et jumenta et oves et omnia sua adduxerunt.

[Ib. XLVII, 8.] *Dixit autem Pharao ad Jacob, Quot anni dierum vitæ tuæ ?* subauditur, sunt.

[Ib. 9.] *Pusilli et mali fuerunt dies annorum vitæ meæ. Pussilli*, pro paucis, positum est : neque enim vitæ

[1] In excusis omissum fuerat : *Magis consuetudo loquendi exigebat dici, Ut videam mala quæ invenient patrem meum* Restituitur locus ex Mss.

alicujus quam cæterorum dies possunt esse horarum spatio breviores. Hoc autem Jacob ex comparatione dixit vitæ majorum suorum : nam utique centum triginta annos, quos ille jam agebat, nemo nunc vivit.

[Ib. XLVII, 12.] *Triticum secundum corpus :* id est, secundum numerum corporum. Per corpus etenim, numerum corporum ; per numerum corporum, numerum hominum significat.

[Ib. 13.] *Invaluerat autem fames valde, et defecit terra Ægypti : terram* posuit pro hominibus qui erant in terra.

[Ib. 15.] *Venerunt autem omnes Ægyptii ad Joseph dicentes, Da nobis panes :* per *panes* triticum significat, locutione per id quod efficitur, id quod efficit.

[Ib. 20.] *Et facta est terra Pharaoni :* non ait, Pharaonis. Amat sic loqui Scriptura, sicut in Psalmo dictum est, *Et custodivi legem tuam ; hæc facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi* (*Psal.* CXVIII, 55, 56) : de lege Dei dixit, *hæc facta est mihi*, id est, in meam utilitatem.

[Ib. 22.] *Præter terram sacerdotum tantum non possedit Joseph :* quasi dixisset, Præter terram sacerdotum tantum, omnem terram possedit Joseph.

[Ib. 26.] *Et posuit illis Joseph in præceptum usque in hodiernum diem in terra Ægypti, ut præstent quintas Pharaoni :* hinc intelligitur Pharaonis nomen potestatis fuisse regalis, quod dixit *usque in hodiernum diem.* Non enim illi qui tunc fuit, præstare poterant Ægyptii usque ad illum diem, quo ista scribebantur, quando ille jam non vivebat.

[Ib. 28.] *Et fuerunt dies Jacob annorum vitæ ejus :* dies annorum sæpe dicit Scriptura, cum semel posset annos dicere.

[Ib. XLVIII, 1.] Quod scriptum est, *Nuntiatum est Joseph, quia pater tuus turbatur :* aliqui codices habent *vexatur*, aliqui *æstuatur*, et aliud alii, sicut interpretari Latini potuerunt, quod græce scriptum est ἐνοχλεῖται. Ideo autem *turbatur*, accomodatius dici videtur, quia hoc dici solet de iis qui afflictatione corporis morte propinquante jactantur. Et ex hoc etiam turba ὄχλος dicitur : est enim turba, multitudo inordinata, non sicut populus, quod δῆμος dicitur, nec sicut plebs, quod λαὸς dicitur, sed sicut ὄχλος, quod turba dicitur.

[Ib. 16.] Jacob benedicens nepotes suos filios Joseph, ait inter cætera, *Et invocabitur in his nomen meum, et nomen patrum meorum :* unde notandum est, non solum exauditionem, sed etiam invocationem dici aliquando quæ non Dei, sed hominum sit.

[Ib. 18.] *Hic enim primitivus :* minus habet, est, secundum codices græcos.

[Ib. XLIX, 24.] In benedictione Joseph ait inter cætera Jacob, *Inde qui confortavit Israel :* mirum si non subauditur, est, ut plenum sit, Inde est qui confortavit Israel.

[Ib. L, 2, 3.] Quod scriptum est, *Dixit Joseph servis suis sepultoribus, ut sepelirent patrem ejus ;* non invenit lingua latina quemadmodum appellaret ἐνταφιαστὰς : non enim ipsi sepeliunt, id est, terræ mandant corpora mortuorum, quod non est græce ἐνταφιάσαι, sed θάψαι. Illi ergo ἐνταφιασταὶ id agunt quod exhibetur corporibus humanis, vel condiendo vel siccando vel involvendo et alligando, in quo opere maxime Ægyptiorum cura præcellit. Quod ergo dicit, *Etiam sepelierunt;* curaverunt, intelligere debemus. Et quod dicit, *quadraginta dies sepulturæ*, ipsius curationis accipiendi sunt. Sepultus enim ille non est, nisi ubi se mandaverat sepeliri.

[Ib. 4.] *Loquimini in aures Pharaonis :* locutio est usitata in Scripturis.

[Ib. 6.] *Et dixit Pharao ad Joseph, Descende et sepeli patrem tuum :* etiam si per potentes illos per quos Joseph mandaverat, Pharao dixit quod perferrent ad Joseph, non utique dixit nisi ipsi Joseph. Unde illud est in Evangelio, quod unus Evangelistarum dicit, centurionem venisse ad Dominum et dixisse illi, *Puer meus jacet in domo paralyticus* (*Matth.* VIII, 5, 6) : alius autem totum diligentius narrans, amicos eum ad Dominum misisse commemorat, qui hoc ei dicerent (*Luc.* VII, 3); in quibus amicis utique ipse venit, cujus in eis voluntas præsens fuit : unde est, *Qui vos recipit, me recipit ; et qui me recipit, recipit eum qui me misit* (*Matth.* X, 40).

[Ib. 10.] *Planxerunt eum planctum magnum et validum :* planxerunt planctum, non planxerunt planctu ; locutio est in latina lingua non ignota, sicut dicitur, servitutem servivit, militiam militavit, et similia.

[Ib. 15.] *Et redditione reddet nobis omnia mala quæ ostendimus ei.* Ex hac locutione ait et Apostolus, *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit* (II *Timoth.* IV, 14) : *ostendimus* enim dictum est, vel *ostendit*, pro eo quod est, fecimus, vel fecit.

[Ib. 17.] *Accipe iniquitatem servorum Dei patris tui :* nova locutio est, *Accipe iniquitatem*, pro ignosce, aut remitte, aut obliviscere ; sed puto inde esse dictum *Accipe*, ac si diceretur, æquo animo acccipe, hoc est, noli indigne ferre.

[Ib. 18.] *Et venientes ad eum dixerunt :* non iterum venerunt, sed quod dictum fuit iterum dictum est : solet hoc facere Scriptura.

LIBER SECUNDUS.

Locutiones de Exodo.

[EXOD. *cap.* I, ℣. 7-12.] *Et invalescebant valde valde.*

[Ib. 21.] Quid est quod dictum est de obstetricibus, *Et fecerunt sibi domos, quoniam timuerunt Deum?* Prædictum est enim, *Benefaciebat Deus cum obstetricibus.* Et ad hoc videtur pertinere, quod fecerunt sibi domos timendo Deum, tanquam beneficia Dei ad hoc eis profuerint ut facerent sibi domos. Numquid antea non eas habuisse domos intelligendum est? An ad divitias

hoc verbum pertinet, vel potius ad aliquas rei familiaris idoneas facultates? Huic enim simile videtur, quod ait etiam Jacob post quatuordecim annos servitutis suæ socero suo volenti eum adhuc apud se tenere : *Nunc ergo quando faciam et ego mihi domum?* Dixerat enim quod crevérint pecora Laban sub illo; sicut et ipse Laban confessus fuerat dicens, *Benedixit me Deus in introitu tuo* (*Gen.* XXX, 29-31) : cum ergo dicit, *quando faciam et ego mihi domum?* subintelligitur, sicut et tu. Hoc videtur enim valere quod ait, *et ego*, ut ad ipsam domum faciendam videatur pertinere quod consequenter ad Laban merces ipsa statuenda proponitur.

[Ib. I, 22.] *Et omne femininum vivificate illud :* sic enim habent græci; latini non habent, *illud*.

[Ib. II, 1.] *Erat autem quidam de tribu Levi, et sumpsit sibi de filiabus Levi :* intelligitur uxorem, quod quidam latini interpretes etiam addendum putaverunt; sequitur autem, *Et habuit eam, et concepit.*

[Ib. 3.] Quid sit *thibin*, ideo difficile est nosse, quia nec græcus interpres ex hebræo, nec latinus ex græco vertit hoc nomen, sed sic transtulit ut invenit.

[Ib. 14.] *Timuit autem Moyses et dixit, Si sic divulgatum est verbum hoc.* Duo sunt in hac locutione attendenda : primo, quia pendet sententia, et sic dimissa est; deinde, quia verbum pro facto posuit.

[Ib. 25.] *Et respexit filios Israel, et innotuit illis :* pro eo positum est *innotuit*, quod egit in eis, quibus Dei curam erga se intelligerent.

[Ib. III, 7.] *Videns vidi vexationem populi mei, qui est in Ægypto.*

[Ib. 11, 12.] *Et dixit Moyses ad Deum, Quis sum, quia ibo ad Pharaonem regem Ægypti, et quia educam filios Israel de terra Ægypti? Dixit autem, Quoniam ero tecum :* sic habet græcus; latinus autem, *Et quis ego*, dixit : et non dixit, *quia ibo, et quia educam;* sed, *ut eam, et educam.* Et quod in græco habet, *Dixit autem, quia ero tecum*, intelligitur utique quod dixerit ad Moysen : totum autem hoc latinus addidit, et ait, *Dixit autem Deus ad Moysen.*

[Ib. 16.] Deus dicit quod dicat Moyses filiis Israel, *Visitans visitavi vos, et quæcumque contigerunt vobis in Ægypto :* græcus habet, *Visitatione visitavi vos.*

[Ib. 18.] Deus dicit ad Moysen de filiis Israel, *Et audient vocem tuam :* græcus habet, *Et exaudient vocem tuam*, quia et exauditio dicitur hominis.

[Ib. 22.] Quod habet latinus, *Poscet mulier a vicina, et ab inquilina sua vasa argentea et aurea et vestem;* græcus habet *a cohabitatrice sua*, hoc est συσκήνου [1], quod latini aliqui interpretati sunt, *a concellaria sua.*

[Ib. IV, 1.] Moyses dicit, *Quid si non crediderint mihi, neque exaudierint vocem meam :* quod latinus, *audierint* interpretatus est.

[Ib. 4.] *Extende manum, et apprehende caudam,* græcus habet : latinus autem, *manum tuam et caudam ejus*, interpretatus est. *Et extendens manum apprehendit caudam, et facta est virga in manu ejus.*

[Ib. 5.] *Et dixit illi : Ut credant tibi quoniam apparuit tibi Dominus Deus patrum ipsorum :* græcus non habet, *Et dixit illi;* sed continuo adjunxit, *ut credant tibi;* id est, verba Dei, post illud factum miraculum: tanquam adhuc loqueretur, et modo sententiam verborum impleverit. Nam ordo est verborum, Extende manum et apprehende caudam, ut credant tibi : sed interposita est facti narratio, et postea redditum, *ut credant tibi.*

[Ib. IV, 6.] Quod latinus habet, *Et facta est manus ejus leprosa tanquam nix;* græcus non habet *leprosa*, sed tantum, *facta est tanquam nix.*

[Ib. 8.] *Quod si non audierint vocem signi primi;* græcus sic habet : latinus autem, *vocem tuam signi primi;* sic et sequitur, *credent tibi in voce signi sequentis.*

[Ib. 9.] *Et erit aqua, quam sumes de flumine, sanguis super aridam :* vel potius *super aridum*, id est, super id quod aridum est; quod latinus dixit, *sanguis super terram.*

[Ib. 10.] Moyses dicit : *Precor, Domine, non sum eloquens ante hesternam et nudiustertianam diem.*

[Ib. 17.] *Et virgam hanc sumes in manum tuam, in qua facies in ea signa;* cum dici posset, in qua facies signa; aut certe, Virgam hanc sumes in manum tuam, et facies in ea signa : nunc vero utrumque dictum est solita locutione Scripturarum.

[Ib. 18, 19.] *Post dies autem illos multos, mortuus est rex Ægypti : dixit autem Dominus ad Moysen in Madian, Vade, perge in Ægyptum, mortui sunt enim omnes qui quærebant animam tuam.* Multa in his verbis genera locutionum notanda sunt : primo, *Vade, perge in Ægyptum,* tanquam non sufficeret tantum *Vade*, vel tantum *perge;* deinde, *mortui sunt omnes qui quærebant animam tuam*, cum solum regem Ægypti Scriptura dixerit mortuum, et de solo antea dictum fuerit quod Moysen quærebat occidere. An ipse post alios inimicos ultimus mortuus est? Quod si ita est, non locutio, sed sensus est. Item, *qui quærebant animam tuam*, non in malo tantum, sed etiam in bono dici solet in Scripturis : nam sicut hic, in malo dictum est etiam in Psalmis, *Confundantur et revereantur qui quærunt animam meam* (*Psal.* XXXIX, 15); in bono, *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam* (*Psal.* CXLI, 5) : nisi forte aliquid distare dicitur inter quærentes et requirentes, ut illud in malo, hoc in bono intelligendum sit.

[Ib. V, 10.] *Et dicebant ad populum dicentes, Hæc dicit Pharao :* quam locutionem piguit latinum interpretari.

[Ib. 21.] *Videat Deus vos et judicet, quoniam exsecrabilem fecistis odorem nostrum palam Pharaone, et palam servis ejus, dare gladium in manus ejus, ut occidat nos;* sic enim habet græcus : latinus autem ait, quem pro optimo legebamus, *ut daretis gladium in manibus ejus;* qui solœcismus, nulla interpretationis necessitate factus est, quia in græco non est.

[Ib. VI, 4.] *Statui testamentum meum ad illos, ita ut darem illis terram Chananæorum, et terram quam incoluerunt, in qua et incoluerunt in ea :* sic enim habet

[1] Editi, *sunoikou*. At Mss. uti apud LXX. *suskenou*.

græcus, quod utique et in græca lingua absurde videtur sonare; et tamen Septuaginta interpretum auctoritas tanta est, quos ita loqui non piguit. Quid enim? et sensus hic latet? Quod si nullus est, ipsa locutio notanda est, ne alibi inventa sensum impediat, vel aliquid quærere ubi quærendum non est, compellat.

[Ib. VI, 5.] Quod habet latinus, *Exaudivi gemitum filiorum Israel, quemadmodum Ægyptii affligerent eos;* græcus habet κατεδουλοῦνται, quod interpretari posset, *in servitutem redigunt eos:* nam uno verbo non potest.

[Ib. 9.] *Et locutus est Moyses sic ad filios Israel, et non exaudierunt Moysen a defectione animi et ab operibus duris: exaudierunt* ait, non, audierunt.

[Ib. 12.] *Ego enim ineloquens sum,* quod ait Moyses ad Dominum, ἄλογος dixit græcus, non, imperitus, quasi ἀμαθής vel ἀπαίδευτος.

[Ib. 26.] *Hi sunt Aaron et Moyses, quibus dixit eis Deus ut educant filios Israel de terra Ægypti:* sic enim habet græcus.

[Ib. 30.] *Ecce ego gracili voce sum, et quomodo exaudiet me Pharao?* Notandum quod *exaudiet* dixit, non, audiet.

[Ib. VII, 6.] *Fecit autem Moyses et Aaron, sicut præcepit illis Dominus, ita fecerunt:* quid deesset, si non diceretur, *ita fecerunt?*

[Ib. 9.] *Si loquetur vobis Pharao dicens, Date nobis signum aut portentum, et dices Aaron fratri tuo, Sume virgam:* nonne locutionis nostræ consuetudo poscebat et quædam ejus integritas, ut ita diceretur, Si loquetur vobis Pharao dicens, Date nobis signum aut portentum, dices Aaron fratri tuo, Sume virgam? quid ergo ibi additum est, *et,* nisi aliqua proprietate locutionis hebraicæ? nam neque græca esse perhibetur.

[Ib. 11.] Non mihi videntur satis commode interpretati latini σοφιστὰς Pharaonis, ut dicerent *sapientes:* σοφοὶ enim sapientes dicuntur. Potuit enim latinus interpres sophistas dicere, quoniam non est quemadmodum id latine dicatur; et ideo isto verbo jam utimur pro latino, sicut philosophiam dicimus non solum græce, verum etiam latine: sophistas appellarunt [1] latinarum litterarum eloquentissimi auctores.

[Ib. 12.] *Et absorbuit virga Aaron virgas illarum;* ac si diceret, draco Aaron.

[Ib. 15.] Quod dictum est de Pharaone, *Ecce ipse exiit ad aquam;* græcus habet, *super aquam.*

[Ib. 16.] *Dimitte populum meum ut serviat mihi in deserto, et ecce non exaudisti usque adhuc:* quoties dicitur *exaudisti,* cum homini dicatur?

[Ib. 22.] *Fecerunt autem similiter et incantatores Ægyptiorum veneficiis suis. Et induratum est cor Pharaonis, et non exaudivit eos, sicut dixit Dominus:* quia in usu Scripturæ est, *exaudivit,* cum etiam de homine loquitur.

[Ib. VIII, 1.] *Dimitte populum meum ut serviant mihi;* non, ut serviat: qui loquendi modus non fere invenitur nisi ubi res ipsa singularis pluribus constat. Populus enim singulari nomine dicitur, sed constat ex multis. Sic etiam est, *Omnis terra adorent te* (*Psal.* LXV, 4): quia omnis terra dictum est, pro hominibus qui sunt in terra.

[Ib. VIII, 2.] *Ecce ego ferio omnes fines tuos ranis:* sic enim habet græcus elegantissima locutione, ut ranæ ipsæ, plaga intelligatur, qua feritur terra Ægypti.

[Ib. 3, 4.] *Et eructabit flumen ranas, et ascendentes intrabunt in domos tuas et in promptuaria cubiculorum tuorum super lectos tuos, et in domos servorum tuorum, et populi tui, et in conspersis tuis, et in clibanis tuis; et super te et super populum tuum et super servos tuos ascendent ranæ.* Notandum quod *in domos,* etc. cum dixisset, accusativum casum tenuit; *et super lectos,* etc., ubi dixit, *super,* accusativum similiter servavit; *in conspersis* autem et *in clibanis* ad ablativum se transtulit: nam et græcus mutavit præpositionem, quam non mutat latinus. Ille enim habet εἰς τοὺς οἴκους, *in domos; in conspersis* autem ἐν τοῖς φυράμασιν: ubi mirum si non etiam sensus est, non locutio, ut in conspersionibus et in clibanis exortas ranas forsitan velit intelligi, non extrinsecus ascendisse vel irruisse, et quia eas fluvium eructaturum prædicit, inde implere omnia.

[Ib. 6.] *Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti et eduxit ranas, et educta est rana et operuit terram:* repetitio a plurali ad singularem numerum trajecta est; nam utique rana, pro multitudine ranarum positum est; nescio quo autem modo per loquendi consuetudinem imbutis sensibus hominum, sæpe plus videtur quod singulariter, quam quod pluraliter dicitur: nam plus accipitur cum dicitur, verbi causa, est illic miles, quam sunt illic milites; est illic piscis, quam sunt illic pisces.

[Ib. 14.] *Et colligebant eas acervos acervos:* hæc repetitio multitudinem acervorum significat, et Scripturis est familiaris.

[Ib. 16.] Quod habent latini, *Extende manu virgam tuam, et percute terra;* non, percute terram: græcus habet *aggerem terræ,* si tamen hoc verbo recte interpretatur quod dictum est τὸ χῶμα τῆς γῆς.

[Ib. 18.] *Fecerunt autem similiter et incantatores veneficiis suis, ut educerent cyniphes, et non poterant.* Notandum est, *fecerunt* dictum pro eo quod est, conati sunt facere. Nam utique si fecerunt similiter, procul dubio eduxerunt cyniphes: sed quia sequitur, *ut educerent, et non poterant;* non ergo similiter fecerunt, sed similiter facere conati sunt. Aut si forte et ipsi quamvis veneficiis agerent, eadem tamen agendi specie virgam extendebant, quod Scriptura non expressit, ad hoc referendum est, *fecerunt similiter.*

[Ib. 21, 22.] *Et in terram super quam sunt super eam. Et gloriosam faciam in die illa terram Gessen, in qua populus meus inest super eam.*

[Ib. 29.] *Et dixit Moyses, Ego exeam a te, et orabo ad Deum, et exibit cynomyia a Pharaone et a servis ejus:* quasi alteri diceret et *exeam a te,* et de altero Pharaone subsequeretur a quo esset exitura cynomyia.

[Ib. IX, 1.] *Dimitte populum meum ut mihi serviant.*

[Ib. 18, 24.] *Ecce ego pluam hanc horam crastinam*

[1] Sic Mss. At editi, *sophistæ autem appellantur.*

diem grandinem multam. Grando autem multa valde valde.

[Ib. IX, 29, 28.] *Et desinent voces et grando.* Notandum est Scripturam, *voces* solere appellare tonitrua, quas voces Dei etiam Pharao superius appellavit dicens, *Orate pro me ad Dominum, ut desinant fieri voces Dei :* ubi et illa locutio est quod dixit, *desinant fieri voces.*

[Ib. X, 2.] *Ut narretis in aures filiis vestris, et filiis filiorum vestrorum quæcumque illusi Ægyptiis :* notandum quemadmodum dicatur *illusi*, ne forte ita sit dictum, *Draco hic quem finxisti ad illudendum ei* (*Psal.* CIII, 26); et illud in Job, *Hoc est initium figmenti Domini quod fecit ad illudendum ab Angelis ejus* (*Job* XL, 14).

[Ib. 4.] *Ecce ego induco hanc horam crastino die locustam multam.* Ecce quemadmodum superius dixit ranam, ubi diximus plerumque plus intelligi cum aliquod hujusmodi singulariter dicitur, quam si pluraliter diceretur. Manifestum est enim plus sonare, *locustam multam*, quam si diceret, locustas multas.

[Ib. 8.] *Qui autem et qui sunt qui ibunt?* quotidie dicimus consuetudine familiariore, Quam qui et qui ibunt?

[Ib. 15.] *Non est relictum viride nihil in lignis :* dicendum fuit more locutionis nostræ, Non est relictum viride aliquid in lignis.

[Ib. 16, 17.] Pharao ad Moysen, *Peccavi ante Dominum Deum vestrum et in vobis; suscipite ergo delictum meum :* hac locutione et ad Joseph usi sunt fratres ejus ubi dixerunt, *Accipe iniquitatem servorum Dei patris tui* (*Gen.* L, 17).

[Ib. 23.] Quod latini habent, *Et nemo vidit fratrem suum tribus diebus;* græcus habet, *Et non vidit nemo fratrem suum :* notandum etiam fratrem hominis quemlibet hominem dici.

[Ib. 24.] Pharao dicit ad Moysen et Aaron, *Ite et servite Domino Deo vestro, præter oves et boves, relinquite;* sic enim habet græcus : valde inusitata locutio est, nisi post distinctionem inferatur, *relinquite*, et subaudiatur, ista; ut sit sensus, Ite præter oves et boves, et relinquite ista : solet enim talis ellipsis fieri crebro in locutionibus Scripturarum.

[Ib. 26.] *Et non relinquemus ungulam;* quasi abductis pecoribus, posset ungula remanere: quid est enim aliud *non relinquemus ungulam*, nisi, nec ungulam relinquemus?

[Ib. 28.] Pharao ad Moysen, *Attende tibi ultra apponere videre faciem meam*: pro eo quod est, attende tibi ne ultra videas faciem meam.

[Ib. XI, 2.] *Et petat unusquisque a proximo suo, et mulier a proxima vasa argentea et aurea et vestem :* notandum et Ægyptios Hebræis proximos dictos.

[Ib. 6, 7.] *Et erit clamor magnus per omnem terram Ægypti, qualis non fuit, et talis non adhuc apponetur : in filiis autem Israel non mutiet canis lingua sua ab homine usque ad pecus.* Elegantissima locutio est : per canem quippe extremum significavit vel hominum vel pecorum, ita commendans quanta in Hebræis quies futura esset, Ægyptiis acerba orbitate clamantibus.

[Ib. XII, 3.] *Accipiant singuli ovem per domos patriarum.* Quas dicat patrias, non facile est intelligere; utrum civitates in quibus commanebant, an potius numerosas familias a cujusque velut paternitate propagatas : hoc enim magis in græco significari perhibetur.

[Ib. 4.] *Si autem pauci sint qui in domo, ita ut non sint idonei ad ovem*, id est, ut ipsa paucitas non sit idonea ad ovem consumendam, *assumet secum vicinum proximum suum*, hoc est ipsa domus assumet vicinum : hominem proximum pro homine posuit, singularem autem pro plurali ; non enim unum, sed quot sufficiunt : cum de ove consumenda Scriptura loqueretur, *secundum numerum*, inquit, *animarum unusquisque quod sufficiat;* animas pro hominibus, a parte totum.

[Ib. 7.] *Sument a sanguine, et ponent super duos postes, et super limen in domibus in quibus manducabunt illas in eis.* Cum dixerit, *in quibus*, dixit etiam, *in eis*, more usitatissimo : sed *manducabunt illas*, quæritur quas, et intelligitur carnes ; hoc enim sequitur, *Et manducabunt carnes hac nocte assatas igni;* quod habent latini codices, *qui manducabunt carnem*, græci autem habent κρέας, id est carnem, sed genere neutro ; ideo in græco est, *in domibus, in quibus manducabunt illa in eis.* Est vero illa locutio, ut prius diceret illas, quam prædiceret quid in consequentibus intelligeretur quas dixerit, similis ei locutioni quam de filio Moysi exposuimus (*Lib.* II *Quæstionum de Exodo, quæst.* 11), cum eum vellet angelus occidere, et exemplum adhibuimus de Psalmo, *Fundamenta ejus in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion* (*Psal.* LXXXVI, 1, 2) : cujus enim fundamenta non intelligimus, nisi ex consequentibus ; sic et hic, *in quibus manducabunt illas in eis*, id est in quibus domibus manducabunt illas, intelligitur carnes, de quibus consequenter loquitur.

[Ib. 22.] *Sumetis autem vobis fasciculum hyssopi, et tingetis ex sanguine qui est juxta ostium, et linietis super limen et super ambos postes de sanguine.* Etiam hic fasciculus hyssopi plures utique fasciculos significat, sicut rana plures ranas, et locusta plures locustas : tropus autem iste quando fit in rebus quæ a nobis non ita dici solent, obscuritatem facit.

[Ib. 26, 27.] *Et erit cum dicent ad vos filii vestri, Quæ est servitus ista? Et dicetis eis, Immolatio pascha hoc Domino :* etiam si non haberet, *et*, plenum esset, *dicetis eis.*

[Ib. 28.] *Et advenientes fecerunt filii Israel sicut præcepit Dominus Moysi et Aaron; ita fecerunt :* non adderet, *ita fecerunt*, nisi mos esset Scripturarum.

[Ib. 51.] *Et factum est, in die illa eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti.*

[Ib. XIII, 1.] *Ait autem Dominus ad Moysen dicens.*

[Ib. 12.] *Omne adaperiens vulvam, masculina :* pluralem numerum intulit singulari, quia ipsum quod dictum est, *omne adaperiens*, non utique in uno, sed in multis accipitur. Similis est locutio, *Attendite, popule meus* (*Psal.* LXXVII, 1). Tale est et quod paulo post sequitur, *Omne quod adaperit vulvam de armentis*

et de pecoribus, quæcumque tibi nata erunt : omne quæcumque tibi nata erunt, ipse modus est locutionis.

[Ib. XIII, 13.] *Omne adaperiens vulvam asinæ* : græcus habet, *asini ;* modo illo locutionis, quem jam in Genesi notavimus, ubi masculinum pro feminino positum est, de morte Saræ dicente Scriptura, *Surgens Abraham a mortuo*, et, *Sepeliam mortuum meum* (*Gen.* XXIII, 3, 4) ; et talia ibi sæpe dicuntur de mortua.

[Ib. 15.] *Propter hoc ego immolo Domino omne quod aperit vulvam, masculina :* similis locutio superiori.

[Ib. 16.] *Et erit in signum super manum tuam* : id est, super opera tua ; ubi magis sensus est forsitan quam locutio.

[Ib. XIV, 27.] *Et excussit Dominus Ægyptios in medium maris :* græcus habet, *Et excussit Dominus Ægyptios medium maris.*

[Ib. 31.] *Vidit autem Israel manum magnam, quæ fecit Dominus Ægyptiis.*

[Ib. XV, 1.] *Tunc cantavit Moyses et filii Israel canticum hoc Domino, et dixerunt dicere :* sic enim habet græcus, καὶ εἶπαν λέγειν.

[Ib. 22.] *Et non inveniebant aquam, ut biberent :* poterat non habere, *ut biberent.*

[Ib. 24.] *Et murmuravit populus adversus Moysen dicentes* : non, dicens ; sed, *dicentes :* ex pluribus enim populus constat.

[Ib. XVI, 1.] *Et venerunt omnis synagoga filiorum Israel in eremum :* non dixit, venit, quia synagoga ex pluribus constat.

[Ib. 2.] *Murmurabant omnis synagoga filiorum Israel adversus Moysen et Aaron :* eadem est ista locutio.

[Ib. 4.] *Dixit autem Dominus ad Moysen, Ecce ego pluam vobis panes de cœlo.* Manna pluiturus, panes promisit : locutio est qua panis pro alimento ponitur ; amat autem Scriptura pluraliter magis panes, quam singulariter dicere.

[Ib. 7.] *Mane videbitis*, inquit, *gloriam, dum exaudiet murmurationem vestram super Deum :* id est, quia murmuratis super Deum, quod tantum valet ac si diceret, adversus Deum. Deinde notandum novo modo hic exauditionem dictam non precantium, sed murmurantium, cum reprehendat utique Scriptura murmurationem : tanquam hoc dixerit, quod cognoverit Deus murmurationem eorum, et ipsam Dei cognitionem dixit exauditionem.

[Ib. 9, 12.] *Accedite ante Deum ; exaudivit enim murmur vestrum :* iterum exauditionem, non precum significat et petitionum, sed etiam murmuris malorum ; hoc et postea dicit Deus, *Exaudivi murmur filiorum Israel.*

[Ib. 14.] *Et ecce in facie eremi minutum tanquam coriandrum.* Cum toties Deus dicat, *faciem terræ*, sicut hic *faciem eremi*, mirum est unde homines ita errent cum faciem audierint, ut aliquid tale opinentur, qualis hominis facies est, vel alicujus animantis.

[Ib. 16.] *Secundum numerum animarum vestrarum unusquisque cum commanentibus vobis colligite.* Quam sæpe Scriptura animas, homines appellat, a parte totum : non facile autem carnes pro hominibus, sed carnem, sicuti est, *Non timebo quid mihi faciat caro ;* quod apertius in eodem psalmo ait, *Quid mihi faciet homo* (*Psal.* LV, 5, 11). Non autem diceret, secundum numerum carnium vestrarum, sicut dixit, *secundum numerum animarum vestrarum.*

[Ib. XVI, 21.] *Et collegerunt illud mane mane :* quomodo puteos puteos, acervos acervos, sic dictum est *mane mane.*

[Ib. 29.] *Nullus vestrum egrediatur unusquisque de loco suo die septimo :* quod interpositum est, *unusquisque*, potuit et non dici.

[Ib. XVII, 1.] *Non erat autem populo aqua bibere :* id est ad bibendum.

[Ib. 2.] *Et maledicebat populus ad Moysen :* id est, maledictis agebat Moysen ; hoc est, maledicebant illi : nam hoc in consequentibus ipse dixit, *Quid maledicitis mihi ?*

[Ib. 3.] *Et murmuravit populus ad Moysen dicentes.*

[Ib. 5.] *Et virgam in qua percussisti flumen accipe in manu tua : in qua percussisti*, dixit pro eo quod dicimus, de qua percussisti ; et est ita locutio creberrima in Scripturis.

[Ib. XVIII, 12.] *Et sumpsit Jothor socer Moysi holocaustomata et sacrificia Deo : sumpsit*, pro eo quod est obtulit. An forte sensus est, non locutio, ut ea sumpsisse intelligatur, quæ Moyses obtulisset ? quanquam Moyses non legatur superius sacrificasse, nec Aaron nec quisquam Hebræorum qui educti sunt de terra Ægypti ; sed tantum superius scriptum est, quod altare constituerit Moyses, et appellaverit illud, *Dominus meum refugium* (*Exod.* XVII, 15). Istum autem Jothor legimus sacerdotem fuisse Madian, id est gentis Madian. Mirum est autem, si ejus adventu cœpit sacrificare Moyses, et non potius ipse Jothor qui jam sacerdos erat.

[Ib. 18.] *Grave tibi verbum hoc :* subauditur, est.

[Ib. 20.] *Et demonstrabis illis vias, in quibus ambulabunt in eis.*

[Ib. 26.] *Verbum autem grave referebant super Moysen:* sic enim habet græcus, quod latini interpretati sunt, *ad Moysen.* Illa sane locutione ipsa etiam cura significatur, qua dictum est, *super Moysen ;* velut onus ei significaretur impositum. *Verbum autem grave* dictum est, pro quæstione gravi : unde sequitur, *Omne autem verbum leve judicabunt ipsi.*

[Ib. XX, 24.] Quod græcus habet ἐπονομάσω, *supernominavero* aut *annominavero* expressius dicitur, quod usitatius *cognominavero* nonnulli interpretati sunt ; sed non habet necessariam significationem *cognominavero :* propinquius autem dicitur *cognominavero*, quam *nominavero ;* nam et hoc aliqui interpretes dixerunt.

[Ib. 24.] *Et veniam ad te, et benedicam te :* cum superius pluraliter loqueretur, *facietis et immolabitis*, dicit, *veniam ad te*, tanquam ipsi Israel, id est, populo.

[Ib. XXI, 1.] *Et hæ justificationes quas pones coram illis. Si emeris servum Hebræum*, etc. Notanda locutio, quemadmodum cum illud dictum sit ad Moysen, hoc est, *hæ sunt justificationes quas appones coram illis ;*

jam ad populum ipsum cætera dicuntur quasi ad Moysen, *Si emeris servum Hebræum.* Non enim hoc Moysi dictum est, sed quod populo diceret, tantum ipsi populo dicebat.

[Ib. xxi, 6.] *Pertundet ei Dominus auriculam de subula, et serviet ei in sempiternum,* vel *in æternum :* quod græcus habet, εἰς τὸν αἰῶνα. Ecce quemadmodum Scriptura multis locis dicit secundum hoc verbum græcum, *sempiternum*, vel *æternum.* Ubi non intelligitur æternitas illa, secundum quam nobis æterna promittuntur, vel secundum quam a contrario igne æterno mali cremabantur : neque enim servus iste qui vivere in æternum non posset, posset servire in æternum; sed intelligitur *æternum* dictum, cujus temporis finis non est; aut certe aliquid hoc sacramento significatur æternum.

[Ib. 13.] *Dabo tibi locum, in quem fugiat ibi qui occiderit.*

[Ib. 20.] *Si quis percusserit servum suum aut ancillam suam in virga :* quod est, de virga.

[Ib. 28.] *Lapidibus lapidabitur taurus :* quasi possit lapidari nisi lapidibus. Differt aliquid ista locutio ab illa qua diceret more Scripturarum, *lapidatione lapidabitur*, sed tamen similis est.

[Ib. 29.] *Si autem taurus cornupeta erat ante hesternam et nudiustertianam :* pro tempore præterito posuit partem pro toto, quantumcumque illud fuisset, more Scripturarum.

[Ib. 33.] *Si quis autem aperuerit lacum, aut exciderit lacum, et non operuerit eum, et ceciderit illuc vitulus aut asinus, dominus laci reddet.* Et hæc locutio a parte totum intelligenda est : non enim si equus ceciderit in lacum aut ovis, ideo non reddet, quia hoc scriptum non est.

[Ib. 34.] *Quod autem mortuum fuerit, ipsi erit :* pro, ipsius erit.

[Ib. xxii, 5.] *Si autem depaverit quis agrum aut vineam, et admiserit pecus suum depascere agrum alium;* id est, alienum.

[Ib. 26.] *Si autem pignus acceperis vestem proximi, ante solis occasum reddes ei :* genus pro specie posuit; sic enim dictum est, ac si de omni veste pignus dederit, cum de illo specialiter se dicere ex consequentibus Scriptura testetur, qui non habet nisi eam vestem unde se nocte cooperiat.

[Ib. xxiii, 20, 21.] *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, ut servet te in via, et inducat te in terram quam paravi tibi. Ante te ibit* [1], *et exaudi eum.* Angelum suum jubet Deus exaudiri a populo, non utique petentem, sed jubentem.

[Ib. 28.] *Et mittam vespas ante te, et ejiciet Amorrhæos :* a plurali ad singularem numerum se convertit. Intelligitur autem, Ejiciet Amorrhæos vespa, sicut rana, sicut locusta, non quod una sit, sed quod per singularem pluralis numerus intelligatur.

[Ib. 30.] *Per partes ejiciam illos a te.*

[Ib. xxiii, 32, 33.] *Non dispones illis et diis eorum pactum; et non consident in terra tua, ne peccare te faciant ad me :* non dixit, in me, idem tamen significat.

[In xxiv, 3.] *Respondit autem omnis populus voce una, dicentes.*

[Ib. 10.] *Et viderunt locum ubi steterat ibi Deus Israel ; ubi steterat*, posset sufficere, sed hebraicæ dicuntur istæ locutiones.

[Ib. xxv, 13.] *Et inaurabis illa auro :* similis est locutio, lapidibus lapidabitur.

[Ib. 29.] *Cyathos in quibus immolabunt in eis.*

[Ib. xxvi, 19.] *Duas bases columnæ uni in ambas partes ejus, et duas bases columnæ uni in ambas partes ejus.* Ne de omnibus diceret, de duabus dicit more suo geminando : sicut puteos puteos, acervos acervos, generationes et generationes, et similia.

[Ib. 29.] *Et columnas inaurabis auro, et inaurabis seras auro.*

[Ib. xxvii, 6.] *Et inærabis ea æramento :* talis locutio est, inaurabis auro.

[Ib. 21.] *Extra velum, quod est super testamentum :* de lucerna accendenda cum diceret, hoc ait, id est quod foris accenderetur ubi est sanctum, non intra velamen quod est super testamentum, hoc est Sanctum sanctorum. Ergo *super* non sic ait, tanquam est tectum, vel camera, vel firmamentum cœli, vel arcæ cooperculum; sed etiam quod vice parietis oppositum esset, *super* dixit : sicut dicimus superiorem discumbere aut stare, non utique alterum portari ab altero.

[Ib. 21.] *Legitimum sempiternum in progenies vestras :* eo modo sempiternum, quo multa superius diximus.

[Ib. xxviii, 22 (*a*).] *Et sumet Aaron nomina filiorum Israel super rationale judicii super pectus introeunti sanctum* [1]. Consequens erat ut diceret, *introiens in sanctum*, hoc est sumet Aaron introiens, quod aliqui latini, solœcismum vitantes, interpretati sunt. Sed quia et græcus *introeunti* habet, et latini aliqui consonant, locutionem potius notandam credidi, quam corrigendam.

[Ib. 24 (*b*).] *Et pones super rationale judicii fimbrias catenata.* Et hic latini nonnulli solœcismum caventes, *fimbrias catenatas*, interpretati sunt; græcus autem habet, τοὺς κρωσσοὺς τὰ ἀλυσιδωτά. Hanc solemus dicere absolutam locutionem, cum generi masculino vel feminino neutrum infertur; quemadmodum si dicamus, Justitiæ terrenæ non sunt stabilia.

[Ib. 35.] *Et Aaron cum cœperit fungi sacerdotio, audietur vox ejus intranti in sanctum in conspectu Domini, et exeunti.* Vocem ejus ex tintinnabulis dixit, qui magis sonus est ejus. *Intranti et exeunti*, pro intrantis et exeuntis, posuit dativum pro genitivo.

[Ib. xxix, 13.] *Et duos renes et adipem quæ super eos:* subauditur, est, quod nonnulli interpretes addiderunt.

[Ib. 26.] *Et separabis illud separatione.*

[Ib. xxx, 8.] *Et cum accendet Aaron lucernas, sero*

[1] Vetus codex Corbeiensis optimæ notæ, *ante ibi :* forte interpres in græco legerat, *pro ekei.* Nunc porro apud LXX habetur, *proseche seautô Attende tibi.* In Vulgata, *Observa eum.*

[1] Sic melioris notæ Mss. At excusi, *introeunti in sanctuarium, hoc est*, etc.

(*a*) Apud LXX. In Vulgata v. 29.

(*b*) Apud LXX. In Vulgata v. 30.

incendet super illud : sero dixit pro vespere, et ideo notanda locutio est; ὀψὲ quippe græcus habet. Sero autem proprie non solet dici, nisi cum tempus transierit quo fieri debuit, quod sero dicitur factum.

[Ib. xxx, 12, 13.] *Si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum, et dabunt singuli redemptionem animæ suæ Domino, et non erit in eis ruina in visitatione eorum, et hoc est quod dabunt tibi.* Pendet ista locutio, quia interposita est conjunctio copulativa, quæ si non interponeretur, non penderet. Tribus autem locis est posita quorum undelibet detracta, plenam facit esse sententiam. Rursus ubi dictum est, *Si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum, et dabunt singuli redemptionem animæ suæ Domino :* si enim non dixisset, *et dabunt*, sed tantummodo dixisset, *dabunt*, finiretur sententia nec penderet; ita enim diceretur, *Si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum, dabunt singuli redemptionem animæ suæ Domino.* Si autem hic ponitur hæc conjunctio, deorsum tollenda est, ut ita dicatur, *Si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum, et dabunt singuli redemptionem animæ suæ Domino, et non erit in eis ruina in visitatione eorum, hoc est quod dabunt.* Aut certe in medio ubi dictum est, *et non erit in eis ruina*, si detrahas conjunctionem, non pendebit sententia : erit enim sensus, *Si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum, et dabunt singuli redemptionem animæ suæ Domino, non erit in eis ruina.* Cum vero ubique posita est eadem conjunctio, pendere facit locutionem : ideo eam notandam putavimus.

[Ib. xxxii, 1.] *Consurrexit populus in Aaron, et dixerunt ei :* usitata locutio est, quia ex multis populus constat. Deinde notandum, totum pro parte positum. Apostolus enim, sicut revera erat, quosdam eorum dixit hoc fecisse, non totum populum, ubi ait, *Neque idolis serviamus, sicut quidam illorum* (I *Cor.* x, 7).

[Ib. 1.] *Surge, et fac nobis deos qui nos præcedant.* Sedenti loquebantur? an potius locutio est notanda, propter quod sæpe dicitur, *Exsurge, Domine* (*Psal.* xliii, 26); aut, *Surge, Deus, judica terram* (*Psal.* lxxxi, 8)?

[Ib. 10.] *Et nunc sine me, et iratus ira;* quomodo, morte morietur : amat ita loqui Scriptura.

[Ib. 24.] *Cui sunt aurea demite :* non dixit quid aurea, unde latini interpretes dixerunt, *qui habet aurum demat.*

[Ib. 26.] *Quis ad Dominum, veniat ad me.*

[Ib. 31.] *Fecerunt sibi deos aureos :* de uno vitulo; pluralem ergo numerum pro singulari posuit. Inde est et illud, *Hi dii tui Israel qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Non sane locutiones istæ reperiuntur ubi pluralis pro singulari ponitur, nisi in eo rerum genere in quo etiam de pluribus fieri vel intelligi potest. Non enim quia unus ille vitulus erat, ideo non et plures fieri poterant, aut ideo non multis idolis similis fuerat. Hac locutione dictum est latrones insultasse Domino (*Matth.* xxvii, 44), cum hoc unum fecisse Scriptura testetur (*Luc.* xxiii, 39), sed non solus fuerat latro. Quin etiam cum ista locutio fit per nomina propria, qualiter eam in Scripturis factam nondum comperimus, plures illic intelliguntur, sicut Phædras et Medeas quidam dixerunt, cum fuerit una Phædra et una Medea, sed Phædras et Medeas appellaverunt omnes similes Phædræ et Medeæ. Ita non sine causa nec utcumque ac passim sicut ab imperitis vitiose fit, sed certo modo certisque regulis istæ locutiones interponuntur.

[Ib. xxxiii, 1.] *Vade, ascende hinc tu, et populus tuus, quos eduxisti de terra Ægypti :* non, quem eduxisti, quod ita usitatum est ut rarius aliter dicatur.

[Ib. 5.] *Et dixit Dominus, Deponite stolas gloriarum vestrarum et cultum, et ostendam quæ facturus sum tibi.* A plurali ad singularem numerum locutionem terminavit, quia multi erant et populus erat, sicut eis dixerat, *Vos populus dura cervice :* non dixit, tu populus, sed, *Vos populus*, cum vos, numeri sit pluralis, populus autem numeri singularis.

[Ib. xxxiv, 9.] *Si inveni gratiam in conspectu tuo, simul ambulet Dominus meus nobiscum :* tanquam de alio dicat. Assiduæ sunt hæ locutiones, sed cum dicitur ad Deum, putatur Patri dici de Filio. Cum autem talia dicerentur ad Pharaonem et ad Joseph et ad alios multis locis, genus locutionis intelligebatur.

[Ib. 15.] *Nequando ponas testamentum iis qui sedent super terram :* ac si diceret, sedes habent, quod est, habitant.

[Ib. 17.] *Et deos fusiles ne feceris tibi :* locutio est a parte totum significans; non enim quia fusiles tantummodo nominavit, fieri sculptiles, ductiles, fictilesque permisit, vel ullum genus simulacrorum, aut qualiumcumque factitiorum deorum.

[Ib. 19.] *Omne adaperiens vulvam, masculina :* id est, omne adaperiens vulvam mihi erit, ex iis quæ sunt masculina.

[Ib. 20.] *Primitivum subjugalis redimes ove :* et hoc a parte totum est; neque enim si subjugale non sit jumentum quodlibet, cujus caro tanquam immunda respuitur, ideo non est redimendum, aut alio quam ove redimendum.

[Ib. 25.] *Non occides super fermentum sanguinem immolatorum meorum :* locutio est utique, occides sanguinem, pro eo quod est, occidendo effundes.

[Ib. 25.] *Et non dormiet usque in mane immolatio solemnitatis Paschæ : dormiet* dixit, manebit; nam caro pecudis occisæ et coctæ quomodo dormiet? Quod ergo dicitur, *Quare obdormis, Domine* (*Psal.* xliii, 34), hoc genere locutionis dicitur, et intelligitur, Quare cessas, id est, non vindicas.

[Ib. 28.] De quadraginta dierum jejunio Moysi Scriptura sic loquitur, *Panem non manducavit, et aquam non bibit :* a parte totum, pane omnem cibum, et aqua omnem potum significans.

[Ib. 1.] *Excide tibi duas tabulas, sicut et primæ :* subauditur, fuerunt; unde hoc verbum nostri interpretes etiam abdendum putaverunt, quoniam inusitata est in lingua latina talis ellipsis.

[Ib. xxxv, 4.] *Et ait Moyses ad omnem synagogam*

filiorum Israel, dicens : plenum esset, etsi non haberet, *dicens.*

[Ib. xxxv, 21.] *Et attulerunt unusquisque quod afferebat cor eorum :* poterat usitatius dici, Et attulit unusquisque quod afferebat cor ejus.

[Ib. 21.] *Et quibus visum est animæ eorum, attulerunt demptionem* [1] *Domino :* non dixit, et sicut visum est animæ eorum.

[Ib. 23.] *Et omnis cui inventum est apud eum coria arietum rubricata :* quod diceretur usitate, omnes apud quos inventa sunt coria arietum rubricata.

[Ib. 24.] *Omnis afferens demptionem, argentum et æs attulerunt demptiones Domino :* usitatius diceretur, omnis attulit, quam, omnis attulerunt.

[Ib. 24.] *Et apud quos inventa sunt apud eos ligna imputribilia : apud eos* more Scripturarum additum est, nam sine hoc esset plena sententia.

[Ib. 25.] *Et omnis mulier sapiens mente, manibus nere;* quasi nere posset non manibus : et *sapiens nere,* elegans atque inusitata locutio est. Deinde, *Omnis mulier attulerunt :* more superiorum plurali concluditur singularis, quia, omnis mulier attulit, usitatius diceretur.

[Ib. 26.] *Et omnes mulieres quibus visum est sensu suo, in sapientia nerunt pilos caprinos :* notandum sapientiam in his artibus sæpe appellare Scripturam, id est σοφίαν.

[Ib. 28.] *Et compositiones et oleum unctionis et compositionem incensi :* non compositiones aliquas extra debemus intelligere; sed cum dictum esset, *et compositiones,* per conjunctionem copulativam non aliud adjunxit, sed quod dixerat exposuit, ut sciremus quas compositiones, *et oleum,* inquit, *unctionis et compositionem incensi :* compositiones autem vocat, quia ex multis ista confecta sunt.

[Ib. 29.] *Et omnis vir et mulier quorum afferebat sensus eorum, ut intrarent, et facerent omne opus quodcumque præcepit Dominus fieri illud per Moysen, attulerunt filii Israel demptionem Domino.* Ergo omnis vir et mulier, intelliguntur filii Israel. Cæteræ locutiones similes superioribus.

[Ib. 32, 33.] *Facere aurum et argentum et æs :* pro eo quod est facere ex auro et argento et ære; non enim aurum faciebant, sed ex auro. Tale est etiam quod paulo post dicit, *Et operari ligna ;* hoc est, ex lignis.

[Ib. 35.] *Facere omnia opera sancti textilia, et varia texere cocco et bysso, facere omne opus architectonicum varietatis.* Ecce et in rebus textilibus architectonicum opus appellat : mirum nisi propterea, quia tabernaculum fiebat, quod ædificii simile fuit, et tanquam domus erigebatur. Quid autem dicat *opera sancti,* non evidenter apparet, utrum sancti sacerdotis, quoniam et de stola vel de stolis ejus hæc dicuntur; an sancti Dei, in cujus cultum hæc fiebant; an *opera sancti*, sicut dicebatur Sanctum et Sanctum sanctorum.

[Ib. xxxvi, 8 (*a*).] *Humeralia continentia ex utrisque partibus ejus :* non dixit ex utrisque partibus eorum, quamvis illa *humeralia*, non humerale dixisset, sicut solet humerale dicere; ipsum enim appellavit pluraliter *humeralia,* sicut stolam et easdem stolas.

[Ib. 37 (*b*).] *Et Eliab filius Achisamach de tribu Dan, qui architectonatus est textilia et consutilia, et diversicoloria, texere de cocco et bysso.* Novo more dicuntur architectonari textilia. Etiam illud a parte totum intelligendum est quod ait, *texere cocco et bysso :* ex his enim et cætera intelligimus, id est, purpuram et hyacinthum.

[Ib. xxxix, 31.] *Et fecerunt filii Israel sicut præcepit Dominus Moysi, ita fecerunt :* plenum esset, etiamsi non adderetur, *ita fecerunt.*

[Ib. xl, 14.] *Et fecit Moyses omnia quæ præcepit ei Dominus, ita fecit :* similiter ut dictum est de filiis Israel.

[1] Editi hic et infra, *redemptionem :* pro quo Mss. constanter, *demptionem,* juxta græc. LXX, *aphairema.*

(*a*) Apud LXX.
(*b*) Apud LXX : At in Vulgata cap. 38, v. 23.

LIBER TERTIUS.

Locutiones de Levitico.

(*a*) [Levit. *cap.* i, ℣ 2.] *Homo ex vobis si obtulerit dona Domino a pecoribus, a bobus et ab ovibus offeretis :* hoc est, si a pecoribus offeretis, a bobus, ab ovibus offeretis. Ovium nomine etiam caprarum genus inclusit, sicut in aliis locis solet.

[Ib. ii, 6.] *Et confringes ea fragmenta :* id est, confringendo facies ea fragmenta.

[Ib. iv, 23.] *Et cognitum ei fuerit peccatum quod peccavit in eo.* Duo modi locutionis hic notandi sunt, et *peccatum peccavit,* et quod addidit, *in eo.* In quo enim nisi in ipso, id est peccato?

[Ib. v, 1.] *Si autem anima peccaverit, et audierit vocem jurationis, et ipse testis fuerit, aut viderit, aut conscius fuerit, si non nuntiaverit, et accipiet peccatum :* plus videtur habere, *et;* nam eo dempto integre sequitur, *accipiet peccatum.*

[Ib. 1.] *Si autem anima peccaverit, et audierit vocem jurationis, et ipse testis fuerit, aut viderit, aut conscius fuerit non nuntiaverit : et* positum est, pro id est : nam sic dici posset nostræ locutionis consuetudine, Si autem anima peccaverit, id est audierit vocem jurationis, et cætera.

[Ib. 3.] *Aut tetigerit ab immunditia hominis, ab omni immunditia ejus, quam si tetigerit inquinetur, et latuit eum, post hoc autem cognoverit et deliquerit;* cum recto ordine dicendum esset, *et deliquerit, post hoc autem cognoverit.*

(*a*) Mss. aliquot et omnes hactenus editi carent prioribus hisce 31 locutionibus; quæ ex Cisterci nsi codice, necnon ex Corbeiensi optimæ notæ etante 800 annos conscripto nunc primum vulgantur.

[Ib. xv, 16.] *Anima si latuerit eum oblivione, et peccaverit nolens :* non ait, si latuerit eam, quoniam animam pro homine ponit, sicut facit et in aliis, ubi animam prius dicit, quæ generis feminini est, postea masculinum infert genus ad hominem referens. Sed hic multo est hæc locutio pressior, quoniam continuatim utrumque genus positum est, ut diceretur, *Anima si latuerit eum.* Hæc locutio terruit interpretes latinos, et noluerunt eam transferre, sed ita posuerunt : *Anima si qua latuerit, et peccaverit non volens*, cum aliud sit utique si anima lateat, aliud si animam lateat : hoc autem Scriptura dicit, *si lateat eam;* non, si ipsa lateat. In græco autem alio invenimus, *Animam* [1] *si latuerit ea oblivione;* sed etiam ipse in consequentibus masculinum intulit dicens, *Sacerdos exorabit pro eo, et dimittetur illi*, quod ibi habet αὐτῷ. Unde apparet scriptorem timuisse solœcismum, nec tamen perseverare potuisse in genere feminino victum evidentia Scripturæ consequentis.

[Ib. vi, 9.] *Ista holocaustosis super incensionem ejus super altare totam noctem usque in mane, et ignis altaris ardebit super illud :* potuit non habere *et*, atque ita dici, *totam noctem usque in mane ignis altaris ardebit.* Sed addita ista conjunctio facit obscuritatem his qui in talibus Scripturarum locutionibus non assuefacti sunt.

[Ib. 14.] *Ista lex sacrificii, quod offerrent illud filii Aaron, sacerdotes ante Dominum :* nihil deesset si non haberet, *illud.*

[Ib. 17.] *Sancta sanctorum est.* Sic habet et græcus, sed græca locutio est, quam nostri quidam transferre nolentes dixerunt, Sancta sanctorum sunt.

[Ib. 32 (*a*).] *Occident arietem qui pro delicto ante Dominum.* Latini interpretes addiderunt, est, et dixerunt, *qui pro delicto est*, quod græcus non habet.

[Ib. vii, 6 (*b*).] *Et si votum aut voluntarium sacrificaverit donum suum, quacumque die obtulerit sacrificium, edetur crastina die :* pro eo quod est, postera die; unde alii, *altera die,* interpretati sunt.

[Ib. viii, 31.] *Coquite carnes in atrio tabernaculi testimonii in loco sancto, et ibi edetis eas, et panes qui sunt in canistro consummationis, quomodo præceptum est mihi dicens, Aaron et filii ejus edent eam.* Hanc locutionem quidam transferre nolentes dixerunt *quomodo præcepit mihi dicens;* quia hoc videtur consequens, ille autem in nostræ locutionis consuetudine solœcismus est.

[Ib. 35.] *Et ad ostium tabernaculi testimonii sedebitis septem dies, die et nocte :* pro eo quod est, habitabitis.

[Ib. ix, 7.] *Et ait Moyses ad Aaron, Accede ad altare, et fac quod pro peccato tuo, et holocaustum : et exora pro te et domo tua, et fac dona populi, et exora pro eis quomodo præcepit Dominus Moysi.* Non ait, Quomodo præcepit Dominus mihi; sed ita locutus est, quasi fuisset alter Moyses cui Dominus præcepit, et alter iste qui hoc ad Aaron loquebatur.

[1] Sic vetus codex Corbeiensis. At Cisterciensis, *Anima.*
(*a*) Apud LXX : at in Vulgata, cap. 7, v. 2.
(*b*) Apud LXX : at in Vulgata, v. 16.

[Ib. x, 8, 9.] *Et locutus est Dominus ad Aaron dicens, Vinum et siceram non bibetis*, et cætera. Quam locutionem Domini ita concludit, *Omnia legitima quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi :* cum Dominus loqueretur, non ait, Quæ locutus sum ad eos per manum Moysi; sed ea locutione usus est qua superius ipse Moyses.

[Ib. 9.] *Legitimum æternum in progenies vestras distinguere inter medium mundorum et contaminatorum*, et cætera. Notandum quemadmodum dicat, *æternum*, quod utique non erit sine fine.

[Ib. 14.] Moyses loquens ad Aaron, Eleazar et Ithamar filios ejus, inter cætera etiam hoc ait, *A sacrificiis salutarium filiorum Israel brachium ablationis et pectusculum segregationis super hostias adipum offerent, segregationem segregare ante Deum. Et erit tibi et filiis tuis et filiabus tuis tecum legitimum æternum;* cum hoc totum finem fuisset habiturum.

[Ib. xi, 9.] Cum de animantibus quæ in aquis sunt præciperet, quæ sint eorum munda vel immunda, *In aquis*, inquit, *et in mari, et in torrentibus.* Sed *in mari* latini codices habent, quia nimis insolens fuit pluralem numerum transferre de græco, et non dicere *in mari*, sed *in maribus*, maxime propter ambiguitatem, ne non maria, sed mares intelligerentur, id est masculi : nam nihilo minus insolens est, sed tamen interpretatum est de sanguinibus, quia latina lingua sanguinis numerum pluralem non recipit, vel in ipso nominativo casu. Nam etsi ab eo quod est mare nemo dicit maribus, dicuntur tamen maria, cum sanguines non dicantur, et tamen scriptum est, *Libera me a sanguinibus* (*Psal.* L, 16); et, *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus* (*Psal.* xv, 4). Ergo et maribus ita dici posset nisi, ut dixi, ambiguitas vitaretur. Torrentes vero isto loco pro fluminibus posuit Scriptura, cum torrentes proprie dicantur hiemales fluvii qui siccantur æstate, et ideo pisces habere non possunt. Unde nonnulli interpretes nostri non torrentes interpretari, sed flumina maluerunt. Poni autem in Scripturis torrentes pro fluminibus locus ille Psalmi satis ostendit ubi legitur, *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Non enim tale aliquid intelligi voluit nomine torrentis quod ad tempus flueret, ac deinde siccaretur, cum sequatur et dicat, *Quoniam apud te est fons vitæ* (*Psal.* xxxv, 9, 10); quæ utique æterna est et indeficiens.

[Ib. 21.] *Sed hæc edetis a repentibus volatilibus, quæ ambulant super quatuor, quæ habent crura superiora pedum ejus :* non dixit, pedum suorum.

[Ib. 44.] *Et eritis sancti, quoniam sanctus ego :* subauditur, sum; unde plerique nostri interpretati sunt, *quoniam sanctus sum ego.*

[Ib. xii, 1.] *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens.* Hæc usitatissima locutio est et creberrima in Scripturis, *locutus est dicens.* Sed ea quæ sequitur, rarius reperitur, et latini sermonis coarctat inopiam : græcus enim habet, καὶ ἐρεῖς πρὸς αὐτοὺς λέγων, quod latine exprimi posset, et dices ad eos dicens; minus autem offendit, si dicatur, et inquies ad eos dicens; et simi-

lius est græco, quia et ille non dixit, λέξεις πρὸς αὐτοὺς λέγων, sed, ἐρεῖς πρὸς αὐτοὺς λέγων.

[Ib. XII, 2.] *Mulier quæcumque semen receperit et pepererit masculum, et immunda erit septem dies:* nostri plerique noluerunt transferre, sed ita dixerunt, *Mulier quæcumque semen receperit et pepererit masculum, immunda erit septem dies.* Illa ergo locutio quoniam et græco eloquio inusitata est, posset nec in græco transferri: quia vero eam Græcos transferre non piguit, cur Latinos piguerit, ignoro.

[Ib. 4.] *Triginta et tres dies* [1] *sedebit in sanguine mundo suo.* Similiter et de illa quæ feminam peperit, dictum est, *sedebit in sanguine mundo suo*, sed duplicatis eisdem diebus, id est, sexaginta sex diebus. *Sedebit* ergo dictum est manebit, non enim per tot dies de sella ei surgere non licebat.

[Ib. XIII, 2.] *Homini si cui facta fuerit in cute corporis ejus cicatrix signi lucida.* Notandum cicatricem dicere Scripturam non vulneris, sed etiam solius coloris notam.

[Ib. 2.] *Et fuerit in cute coloris ejus tactus lepræ:* tactum dicit ipsam maculam, quod ipse homo lepra sit tactus.

[Ib. 3.] *Et videbit eum sacerdos, et inquinabit eum:* pro eo quod est, inquinatum pronuntiabit.

[Ib. 3.] *Et pilus qui est in tactu convertatur albus:* id est, convertatur in album.

[Ib. 6.] *Et purgabit eum sacerdos; signum enim est:* purgatum pronuntiabit; sicut, inquinabit, quod supra dixit, inquinatum pronuntiabit.

[Ib. 7, 8.] *Et viderit eum sacerdos, et ecce commutata est significatio in cute, et inquinabit illum sacerdos:* plus habet, *et;* nam ea conjunctione detracta integer sensus est hoc modo, *Si autem conversa fuerit significatio in cute, posteaquam vidit eum sacerdos, ut purget illum, et visus fuerit denuo sacerdoti, et viderit eum sacerdos, et ecce commutata est significatio in cute, inquinabit illum sacerdos.*

[Ib. 9, 10.] *Et tactus lepræ, si fuerit in homine, veniet ad sacerdotem, et videbit sacerdos, et ecce cicatrix alba in cute, et hæc mutavit pilum album, et a sano carnis vivæ in cicatrice:* id est, mutavit pilum in album colorem in cicatricem, *mutavit autem a sano carnis vivæ*, id est, quia non talem pilum habet, quod sanum est in carne vivat.

[Ib. 45, 46 (a).] De leproso cum loqueretur, ait, *Et immundus immundus vocabitur;* quasi non satis esset semel dicere, *immundus vocabitur.* Quanquam nonnulli codices ita habeant, in alio græco ita invenimus semel dictum, *immundus vocabitur.* Item paulo post dicit, *Cum sit immundus, immundus erit;* quod in latinum de græco non sicut positum est exprimi potuit: ait enim Græcus, ἀκάθαρτος ὢν ἀκάθαρτος ἔσται: quasi diceret, immundus existens, immundus erit: sed non hoc est existens, quod græcus dicit ὢν, sed si dici posset, essens, ab eo quod est esse, non ab eo quod est existere.

[Ib. XIII, 47.] *Et vestimento si fuerit in eo tactus lepræ:* potuit usitate ita dicere, Et in vestimento si fuerit tactus lepræ.

[Ib. 51.] *Aut in omni vase pelliceo, in quocumque fuerit in eo tactus:* poterat satis esse, *in quocumque fuerit tactus.*

[Ib. 55.] *Et ecce non commutavit tactus aspectum suum:* id est colorem in quem aspicitur; non enim aspectum quo ipse aspicit: tactum quippe ipsam maculam dicit.

[Ib. XIV, 15.] *Et accipiens sacerdos de hemina olei, superfundet in manum sacerdotis sinistram:* non dixit, in manum suam sinistram, cum utique in suam faciet.

[Ib. XV, 2.] *Viro, viro cuicumque fuerit fluor.*

[Ib. 16.] *Et homo cuicumque exierit ex eo concubitus seminis.*

[Ib. 21.] *Et omne super quodcumque dormit super illud: et omne super quod sederit super illud, immundum erit.*

[Ib. XVI, 21.] *Et emittet in manu hominis parati in eremum:* id est, emittet in eremum in manu hominis ad hoc parati; de hirco emissario loquebatur cum hoc diceret: notandum est autem quomodo dicat Scriptura, *in manu.*

[Ib. XVII, 3.] *Homo, homo filiorum Israel:* id est, ex filiis Israel; ista autem repetitio quemlibet hominem videtur significare, id est, ille aut ille.

[Ib. XVIII, 7.] *Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuæ non revelabis:* hac locutione concubitum vetuit cum his personis.

[Ib. 14.] *Turpitudinem fratris patris tui non revelabis, et ad uxorem ejus non introibis: propinqua enim tua est: et* posuit, pro id est; hanc enim dicit turpitudinem fratris patris ejus, id est, turpitudinem patrui, pudenda uxoris patrui.

[Ib. 25.] *Et exhorruit terra eos qui insident super eam:* id est, sedes habent, quod est habitant.

[Ib. XIX, 9.] *Et permetentibus vobis messem terræ vestræ, non perficietis messem vestram agri tui permetere.* Hoc quod a plurali cœpit, et ad singularem numerum terminavit, plerique latini interpretari noluerunt, sed dixerunt, *agri vestri*, ubi dictum est *agri tui*, quasi græcus hoc non posset dicere: magis ergo locutio notanda fuit quam emendanda.

[Ib. XX, 17.] *Quicumque acceperit sororem suam ex patre suo aut ex matre sua, et viderit turpitudinem ejus, et ipsa viderit turpitudinem ejus, turpitudinem sororis suæ revelavit, peccatum suum accipient:* peccatum posuit pro pœna peccati.

[Ib. 25.] *Et segregabitis vosmetipsos inter medium pecorum mundorum, et inter medium pecorum immundorum, et inter medium volucrum mundarum et immundarum. Segregabitis vosmetipsos*, dixit, *inter medium mundorum et immundorum*, quoniam segregantur munda ab immundis, vel a mundis immunda: nova est omnino locutio. Aliud est enim, Segregabis inter me-

[1] Mss., *sex dies.* Sed liquet legendum hic juxta LXX, *tres dies.*

(a) Hinc liber tertius incipit in prius editis.

dium pecorum mundorum, et inter medium pecorum immundorum, sicut sæpissime loqui solet; aliud est quod modo ait, *Segregabitis vosmetipsos*, tanquam illa ab alterutris segregantes, seipsos segregent ab utrisque, tanquam judicando inter utraque.

[Ib. XXI, 1.] *Dic sacerdotibus filiis Aaron, et dices ad eos, In animabus non inquinabuntur in gente eorum, nisi in propinquo qui proximus est eis :* in luctu dicit qui debetur animabus defunctorum; ideo enim lugetur, quia excesserunt.

[Ib. 5.] *Et calvitium non rademini super mortuum, et super carnes suas non secabunt sectiones :* usitata esset locutio, carnes suas non secabunt sectionibus.

[Ib. 7, 8.] *Mulierem fornicariam et profanam non accipient, et mulierem ejectam a viro suo; quoniam sanctus est Domino Deo suo :* non dixit, quoniam sancti sunt, sed tanquam de uno loqueretur, cum cœperit a plurali. Deinde sequitur singulariter, *Sanctificabit* [1] *eum, dona Domini Dei vestri iste offeret; sanctus est, quoniam sanctus ego Dominus qui sanctifico eos :* rursus ad pluralem conclusit.

[Ib. XXII, 11.] *Si autem sacerdos possederit animam emptam pecunia, hic edet de panibus ejus :* non dixit, hæc edet, cum animam dixerit, quæ generis est feminini; sed potius ad illud respexit quod per animam significare voluit, id est hominem.

[Ib. 12.] *Et filia hominis sacerdotis si fuerit viro alienigenæ :* id est, si nupserit viro alienigenæ.

[Ib. 26, 27.] *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Vitulum aut ovem aut capram, cum natum fuerit, et erit septem dies sub matre sua :* plus videtur habere, *et*, secundum usitatissimas locutiones in Scripturis, quas latini plerique transferre noluerunt.

[Ib. 32.] *Et sanctificabor in medio filiorum Israel :* quod est, sanctus habebor; neque enim Dominus etiam præter filios Israel non est sanctus. Eo sensu dictum est et in oratione dominica, *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI, 9), id est, sanctum habeatur ab hominibus.

[1] Editi, *Sanctificavi*. Mss., *Sanctificabit*. Apud LXX, *Hagiaseis, Sanctificabis*.

[Ib. XXIII, 2.] *Loquere ad filios Israel, et dices ad eos, Solemnia Domini quæ vocabitis vocata sancta, ista sunt solemnia mea : sex diebus facies opera :* cum ad plures loquendum dixerit, tanquam ad unum postea loquitur.

[Ib. 15 et 16.] *Et numerabitis vobis a die crastino sabbati qua obtulerit gremium superpositionis, septem septimanas integras numerabis :* non dixit, numerabitis, cum ad plures superius loqueretur.

[Ib. XXIV, 11.] *Et cum nominasset filius mulieris Israelitidis, nomen maledixit* : cum hic non addiderit, Dei, manifestum est tamen nomen Dei esse intelligendum cui maledixit.

[Ib. 15.] *Homo, homo si maledixerit Deum, suum peccatum accipiet.* Ecce ubi satis apparet locutionis esse, cum dicitur, *Homo, homo*, tanquam dicat, homo ille aut ille, hoc est quicumque homo : non sicut quidam putaverunt, *Homo, homo* ita dici, tanquam laudabiliter nuncupetur, ac si diceretur, Homo, sed homo; id est, non qualiscumque velut similis pecori, sed qui vere sit homo : quem sensum non esse verum, sed locutionis hoc esse Scripturarum, aperte hic ostenditur, cum in eo dicitur qui culpatur, non qui laudatur.

[Ib. XXV, 46.] Cum de servis ageret, quos liceret habere Israelitis, *Et erunt vobis*, inquit, *in possessionem in æternum :* cum utique æterni moriendo esse non possent vel domini vel servi; *æternum* ergo dixit, ubi non est temporis præstitutus modus quousque serviant sicut constitutus est eis, quos in remissione dimitti jubet libertati suæ.

[Ib. XXVI, 3.] *Si in præceptis meis ambulaveritis, et mandata mea observaveritis, et feceritis ea, et dabo pluviam vobis in tempore suo* : superfluum est, *et*, consuetudini locutionis nostræ, sed more Scripturarum additum; sequebatur enim, *dabo vobis*.

[Ib. 18.] *Et si usque adhuc non obedieritis mihi, et apponam castigare vos septies in peccatis vestris :* etiam hic superfluum est, *et*; sequebatur enim, *apponam castigare vos* : quod autem ait, *septies*, pro omni numero accipiendum est.

LIBER QUARTUS.

Locutiones de Numeris.

[NUM. *cap.* I, ỳ 4.] *Et vobiscum erun unusquisque secundum caput uniuscujusque principum.*

[Ib. 22, 20.] *Filiis Simeon secundum propinquitates eorum, secundum populos eorum, secundum domos familiarum eorum, secundum numerum nominum eorum, secundum caput eorum, omnia masculina, a viginti annis et supra, omnis qui procedit in virtute, recognitio eorum.* Hæc locutio quod non dicit, filii Simeon, vel, ex filiis Simeon, sed, *filiis Simeon*, dativo casu, et hoc servat deinceps in cæteris tribubus, non est translata ab interpretibus latinis quos inspicere potuimus. In sola autem tribu Ruben, quæ prima numerata est, non est ista locutio : non enim ait, Filiis Ruben secundum propinquitates eorum, etc., sed ait, *Et fuerunt filii Ruben primogeniti Israelis secundum propinquitates eorum;* et deinde similiter ut in cæteris.

[Ib. 54.] *Et fecerunt filii Israel secundum omnia quæ mandavit Dominus Moysi et Aaron; ita fecerunt.*

[Ib. III, 3.] *Sacerdotes qui uncti sunt, quorum consummaverunt manus eorum sacerdotio fungi.*

[Ib. IV, 14.] *Et imponent super illud omnia vasa ejus, quibus ministrant in ipsis.*

[Ib. V, 7.] *Et reddet cui deliquit ei :* quidam locutionem istam transferre nolentes, emendato ordine

verba transtulerunt, dicentes, *Et reddet ei cui deliquit.*

[Ib. 6.] *Vir aut mulier quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis :* non ait, quæcumque fecerit; sed locutio est, ubi sexus masculinus pronomen vindicavit, quamvis posterius femininus sit positus, quæ locutio usitata non est.

[Ib. 12.] *Viri viri, si prævaricata fuerit uxor ejus :* non solum quia geminavit nomen, ut diceret, *Viri, viri*, sed etiam quia addidit, *ejus*, notanda locutio est.

[Ib. 14.] *Si superveniet illi spiritus zelandi, illa autem non fuerit inquinata, et adducet homo uxorem suam ad sacerdotem :* superfluum est, *et*, sed Scripturis usitata locutio.

[Ib. 18.] *Erit aqua argutionis, quæ maledicitur hæc :* hanc locutionem inusitatam fecit ordo verborum; posset enim usitate ita dici, *Erit aqua argutionis hæc quæ maledicitur*, aut, *Erit hæc aqua argutionis quæ maledicitur*, vel si quid aliud usitata verba ordinando dici potest.

[Ib. 19.] *Innocense sto ab aqua argutionis, quæ maledicitur hæc.* In hac locutione non solus verborum ordo inusitate sonat, sed etiam casus mutatus est : esset enim integrum et usitatum, *Innocens esto ab hac aqua argutionis, quæ maledicitur;* aut, *ab aqua argutionis hac, quæ maledicitur.*

[Ib. 27.] *Et inflabitur ventrem;* pro, inflabitur ventre : hæc locutio et apud latinos auctores frequentatur; sed interpretes nostri qui eam transferre noluerunt, dixerunt, *Et inflabitur venter ejus.*

[Ib. VI, 2.] *Vir vel mulier quicumque magne voverit votum :* non dixit, quæcumque.

[Ib. 9.] *Et radetur caput suum*, talis locutio est qualis superius, *inflabitur ventrem.*

[Ib. VII, 3.] *Sex vehicula tecta et duodecim boves, vehiculum a duobus principibus, et vitulum a singulis :* in hac locutione notandum putavi eosdem dictos vitulos quos boves dixerat; sed hoc etiam græcum idioma esse perhibetur.

[Ib. 11.] *Princeps unus quotidie, princeps quotidie offerent dona sua :* pro eo ut diceret, singulis diebus singuli principes.

[Ib. 15.] *Vitulum unum pro bobus, et hircum ex capris unum.*

[Ib. VIII, 19.] *Et non erit in filiis Israel accedens filiorum Israel ad sancta :* videtur potuisse sufficere, *Et non erit in filiis Israel accedens ad sancta;* aut certe, *non erit filiorum Israel accedens ad sancta.*

[Ib. 20.] *Et fecit Moyses et Aaron et omnis synagoga filiorum Israel Levitis secundum quæ præcepit Dominus Moysi de Levitis; ita fecerunt eis filii Israel.*

[Ib. IX, 13.] *Et homo, homo quicumque mundus fuerit, et in viam longinquam non est, et defuerit facere pascha, exterminabitur anima illa de populo suo :* ergo *homo, homo*, locutio est, ac si diceret, quicumque homo, ille vel ille.

[Ib. 17.] *Et cum ascendisset nubes a tabernaculo, et postea promovebant filii Israel :* poterat plenum esse, *Et cum ascendisset nubes a tabernaculo, promovebant filii Israel.*

[Ib. X, 14.] *Et promovebunt ordo castrorum filiorum Juda primi.*

[Ib. 17.] *Et promovebunt filii Gerson et filii Merari :* futuri temporis verbum posuit, cum rem gestam præteritam narret, sicut in superioribus cum de nube loqueretur, ad cujus motum vel stationem castra promovebant vel consistebant (*Exod.* XII, 21, 22), atque ita deinceps in plurium promotionibus hoc verbo utitur.

[Ib. 29.] *Et dixit Moyses Obeth filio Raguel Madianitæ genero Moysi :* non ait, genero suo.

[Ib. 30.] *Et dixit ad eum, Non ibo, sed ad terram meam et ad progeniem meam :* subauditur, ibo.

[Ib. XI, 4.] *Et promiscuus qui erat in eis, concupiverunt concupiscentiam :* singularem posuit pro plurali, ut *promiscuus* diceret, non promiscui; et tamen pluralem reddidit, cum ait, *concupiverunt.*

[Ib. 6.] *Nunc autem anima nostra arida, nihil præter in manna oculi nostri :* desunt verba, est et sunt; plenum quippe esset, Anima nostra arida est, nihil præter in manna sunt oculi nostri : nam quidam interpretes ita transtulerunt, et addiderunt verba quæ non sunt in græco.

[Ib. 8.] *Et molebant illud in mola.*

[Ib. 21.] *Sexcenta millia peditum, in quibus sum in eis.*

[Ib. 25.] *Et abstulit de spiritu qui super ipsum :* subauditur, aut erat, aut erit. Sed hanc locutionem, quæ dicitur ellipsis, græco eloquio familiarissimam, et, quantum puto, etiam hebræo, latinos interpretes transferre piguit, cum et in latina lingua frequentetur, quamvis minus quam in græca.

[Ib. 33.] *Et percussit Dominus plagam magnam valde :* notanda fuit locutio, *percussit plagam;* non, percussit plaga, quod est usitatum.

[Ib. XII, 3.] *Et homo Moyses lenis valde :* subauditur, erat.

[Ib. 9.] *Et ira animationis Domini super eos :* subauditur, facta est.

[Ib. 10.] *Et ecce Maria leprosa sicut nix :* et hic subauditur, facta est.

[Ib. XIII, 20.] *Et quæ terra, in qua isti insident super eam; et quæ civitates, in quibus isti habitant in ipsis.*

[Ib. 25.] *Locum ipsum quem nominaverunt vallem Botri* [1]; cum superius dixisset, *Venerunt in vallem Botri*; dictum est ergo per anticipationem, non quia jam hoc vocabatur quando venerunt, sed cum scriberetur hic liber, jam vocabatur.

[Ib. 32.] *Quoniam fortior nobis est magis :* usitata esset locutio si non haberet, *magis.*

[Ib. 33.] *Et protulerunt pavorem terræ, quam exploraverunt eam.*

[Ib. 33.] *Terram quam transivimus eam explorare, terra comedens qui habitant super eam est :* dicendum autem fuit usitate, terra quam transivimus explorare.

[Ib. XIV, 7.] *Terra quam exploravimus eam, bona est valde valde.*

[Ib. 10.] *Et ait omnis synagoga lapidare eos in lapidibus :* non dictum est, lapidibus; cum ipsum *lapidare*, posset usitata locutione sufficere.

[1] Mss. constanter, *Botrui.*

[Ib. 11.] *Et quousque non creaunt mihi in omnibus signis, quibus feci in ipsis?* non ait, quæ feci in ipsis.

[Ib. 24.] *Puer autem meus Chaleb, quoniam spiritus alius in eo, et assecutus est me, et inducam eum in terram :* usitatum esset, si non haberet, *et.*

[Ib. 24.] *Et inducam eum in terram, in quam intravit illuc :* sufficeret usitata locutione, *in quam intravit.*

[Ib. 26.] *Et ait Dominus ad Moysen et Aaron, dicens :* hoc illatum est, cum Dominus et superius loqueretur. Facit hoc sæpe Scriptura, cum aliquid aliud vult dicere, iterum inducit loquentem, qui jam loquebatur.

[Ib. 29.] *Quotquot murmuraverunt super me :* non ait, de me, aut adversus me.

[Ib. 31.] *Et hæreditate possidebunt terram, quam vos abscessistis ab ea :* usitatum esset, a qua vos abscessistis; nunc vero, et *quam abscessistis* dictum est novo more, et additum est, *ab ea*, sicut Scripturæ loqui solent : sicut est, *Penitusque sonantes accestis scopulos*, id est, accessistis scopulos, non ait, ad scopulos ; et, *Devenere locos* (*Æneid. lib.* 1, vv. 200, 201 ; *et lib.* 6 v. 638), non ait, ad locos : ita et *quam abscessistis*, non ait, a qua abscessistis.

[Ib. 35.] *Ego Dominus locutus sum, nisi ita fecero synagogæ malignæ isti.* Quærendum est sane quid sit quod græce positum est ἢ μὴν [1]. nostri enim interpretes hoc pene ubique interpretati sunt, *nisi.*

[Ib. xv, 18.] *In terram in quam ego induco vos illuc.*

[Ib. 27, 28.] *Si autem anima una peccaverit non sponte, offeret capram unam anniculam pro peccato, et exorabit sacerdos pro anima invita, et quæ peccaverit nolenter ante Dominum, exorare pro eo ; et remittetur ei.* In hac sententia, et illa locutio notanda erat, quod ait, *exorabit sacerdos*, et postea dixit, *exorare*, utrumque enim simul ita dici posset, exorabit exorare. Et illa, quod a feminino genere incipiens ad masculinum clausit. Cum enim dixisset, *Si anima una peccaverit ;* conclusit dicens, *exorare pro eo :* ubi intelligitur, pro eo homine : nam et quod adjunxit, *et dimittetur ei*, in latino quidem non apparet, quia hoc pronomen generis omnis est ; sed in græco masculinum elucet, ubi habet αὐτῷ, quod hic positum est, *ei.* Quod vero hic dictum est, *pro anima invita*, intelligitur quæ invita peccaverit, non quod nolit pro se offerri. Hoc enim etiam consequenter exposuit, cum ait, *et quæ peccaverit nolenter.* Et ideo *invita* positum est, quia latine non potuit exprimi quod græce dictum est ἀκουσιασθείσης, non enim potuit dici nolentata, vel quid aliud ab eo quod nolens fecerit.

[Ib. 30.] *Et anima quæcumque fecerit in manu superbiæ ;* subauditur peccatum : notandum etiam quod ait, *manu superbiæ*, manum ponens pro opere sive potestate.

[Ib. 35.] *Morte moriatur homo ; lapidate eum lapidibus, omnis synagoga :* et *morte moriatur*, et *lapidate lapidibus*, et *lapidate*, *omnis synagoga*, locutiones sunt inusitatæ nobis.

[Ib. xvi, 17.] *Et accipite singuli thuribulum suum.*

[Ib. 33.] *Et descenderunt ipsi et omnia quæ sunt eis :* præsens posuit pro præterito, *sunt* pro erant vel fuerunt.

[Ib. 34.] *Et omnis Israel qui in circuitu eorum, fugerunt a voce eorum :* subauditur erat ; id est, omnis Israel qui erat in circuitu eorum.

[Ib. 37.] *Quoniam sanctificaverunt thuribula peccatorum horum in animabus suis :* non dixit, quia sanctificaverunt thuribula peccatores hi in animabus suis ; sed quasi quæreretur quorum thuribula pro eo ut diceret sua, dixit, *peccatorum horum.* Qui autem sanctificaverint, intelligendum reliquit, id est, quia ipsi.

[Ib. xvii, 8.] *Et ecce germinavit virga Aaron in domum Levi :* latina consuetudo, in domo Levi exigeret dici.

[Ib. xviii, 6.] *Et ego accepi fratres vestros Levitas de medio filiorum Israel dationem datam Domino :* hæc locutio in latinum necessitate ita translata est. Nam græcus habet δόμα δεδομένον, quod si quisquam latine velit exprimere, dicturus est, datum datum, quia et δόμα datum est, secundum quod dicit Apostolus, *Non quia quæro datum, sed requiro fructum* (*Philipp.* iv, 17), quod in græco δόμα scriptum est : et in Genesi, *Dedit Abraham data filiis suis* (*Gen.* xxv, 6) ; græcus habet, δόματα : et in Evangelio, *Nostis bona data dare filiis vestris* (*Matth.* vii, 11) ; δόματα est in græco : et δεδομένον, datum est, non nomen, sed participium. Ac per hoc datum datum dici posset, tanquam datum quod datur, nisi ambiguitas vitanda esset. Hanc ambiguitatem quidam nostri interpretes vitare conantes, *donum datum* dixerunt ; sed donum, græce δῶρον dicitur, non δόμα· unde hoc loco non recte diceretur, quia non sibi hoc donatum a filiis Israel dicit Deus, sed pro primogenitis sibi debitis redditum : unde et quæ redduntur et quæ donantur, data dici possunt ; et ideo omne donum etiam datum est, non omne datum etiam donum est : quia non omne quod datur continuo etiam donatur.

[Ib. xviii, 12.] *Omnis primitia olei, et omnis primitia vini et tritici, primitia eorum quæcumque dederint Domino, tibi dedi ea.* Non dixit, omnem primitivum tibi dedi eum ; sed cum dixisset, *omnis primitia*, et enumeraret de quibus rebus esset, intulit, *tibi dedi ea :* nec saltem, tibi dedi eam, aut, tibi dedi eas, id est primitias ; sed neutrum genus intulit, quod quidem fieri absoluta locutione etiam in latina lingua solet. Neque hoc quod dictum est, *primitia*, latinum videtur : primitiæ quippe numeri tantum pluralis dici solent. Sed si potuerunt interpretes nostri transferre quod in græco invenerunt, *Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus* (*Psal.* xv, 4) ; et alio loco, *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus* (*Psal.* v, 7) ; cum sanguis in latina lingua numeri sit tantum singularis ; cur etiam hic pigeret singularem numerum *primitia*, sicut habet græcus, exprimere ? Aliqui tamen interpretes primitias transtulerunt, et per accusativum casum, ut dicerent, *omnes primitias tibi dabo.* Ita utramque locutionem nobis inusitatam, quomodo in græco inventa est, transferre noluerunt.

[Ib. xix, 2.] *Loquere filiis Israel, et accipiant a te juvencam rufam :* pro eo ac si diceret, adducant ad te ;

[1] Editi, *ekei.* At Mss. fere uti apud LXX, *ê mên*, quod Num. cap. 28 et 35, aliisque locis vertitur, *nisi.*

aut certe utrumque usitate diceretur, accipiant et adducant ad te juvencam rufam.

[Ib. 7.] *Et lavabit corpus suum aqua :* hoc intelligeretur etiamsi non haberet, *aqua.*

[Ib. 9.] *Et ponet extra castra in locum mundum :* non in loco mundo dixit, quod latinæ locutionis est.

[Ib. 15.] *Omne vas apertum quæcumque non habent alligaturam alligatam super ea.*

[Ib. xx, 9.] *Et accepit Moyses virgam quæ ante Dominum :* subauditur, erat.

[Ib. 12.] *Quia non credidistis sanctificare me in conspectu filiorum Israel :* id est, sanctitatem meam declarare. Secundum istam locutionem dictum est, *Et pro eis sanctifico meipsum* (*Joan.* xvii, 19). et in oratione Dominica, *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* vi,9).

[Ib. 15.] *Et incolæ fuimus in Ægypto dies plures :* pro, annis multis.

[Ib. 18.] *Et dixit ad eum Edom :* hoc est gens ipsa; non enim adhuc vivebat Edom qui erat Esau : sicut ipsi qui nuntios miserunt, Israel vocabantur, quod prius nomen unius hominis erat.

[Ib. 19.] *Et dicunt ei filii Israel, Juxta montem transibimus : si autem de aqua tua biberimus ego et pecora mea, dabo pretium tibi :* satis eleganter a plurali transit ad singularem numerum, tanquam Israel diceret, cum dixisset, *filii Israel*, et a verbis cœpisset numeri pluralis, quod est, *transibimus* et *biberimus.*

[Ib. 30.] *Et vidit omnis synagoga quia dimissus est Aaron :* non facile hoc verbum reperitur in Scripturis, *dimissus*, pro eo quod est mortuus ; hoc et in Evangelio est, ubi ait Simeon, *Nunc dimittis servum tuum in pace* (*Luc.* ii, 29) : verum tamen ἀπολύεις habet in græco, quod magis a resolutione quam a dimissione dictum sonat; non enim dixit ἄφεις, quod sine dubio est, dimittis.

[Ib. 30.] *Et fleverunt Aaron triginta dies omnis domus Israel :* non dixit, flevit; nec dixit, tota vel universa, sed *omnis*, quasi plures essent; sicuti est, omnis homo, quod de omnibus dicitur, longe utique aliud quam totus homo, quod de uno dicitur : sed assidue ponit Scriptura omne pro toto.

[Ib. xxi, 5.] *Et detrahebat populus ad Deum et adversus Moysen :* non dixit, de Deo; sed, *ad Deum.* Quamvis hanc locutionem quidam transferre nolentes, *detrahebant de Deo*, transtulerunt.

[Ib. 7.] *Ora ergo ad Deum ut auferat a nobis serpentem :* sicut et in Exodo dictum est, ranam (*Exod.* viii, 6), singulare pro plurali.

[Ib. xxi, 9.) *Et factum est quando momordit serpens hominem, et aspexit in æneum serpentem, et vivebat :* non solum hoc habet ista locutio quod vertit modum verbi, et a specie perfecta præteriti temporis ad imperfectam clausit, sed etiam quod plus habet, *et.*

[Ib. 11.] *Et elevantes ex Oboth, castra collocaverunt in Achalgai trans in eremo :* hoc est, in ulteriore eremo.

[Ib. xxii, 23.] *Et percussit asinam in virga :* non dixit, virga, sed, *in virga.*

[Ib. xxiii, 11.] *In maledictionem inimicorum meorum vocavi te, et ecce benedixisti benedictionem :* non dixit, benedictione, sed tanquam diceret, ecce dixisti benedictionem.

[Ib. 12.] *Quæcumque miserit Deus in os meum, hoc observabo loqui :* non dixit, hæc observabo.

[Ib. 13.] *Veni mecum adhuc in locum alium, de quo non videbis eum inde.*

[Ib. xxv, 4.] *Et ait Dominus ad Moysen, Accipe duces populi, et ostenta eos Domino contra solem, et avertetur ira animationis Domini ab Israel :* cum Dominus loqueretur; non dixit, et ostenta eos mihi, et avertetur ira mea ab Israel.

[Ib. 15.] *Domus familiæ est Madian :* de muliere hoc dixit, quæ cum adultero Israelita percussa est; quibus verbis, quantum puto, intelligi voluit nobilem fuisse, ut diceret eam, *domus familiæ*, sicut jam vulgo ad insigne divitiarum et paterfamilias et materfamilias dicitur.

[Ib. xxvi, 1.] *Et locutus est Dominus ad Moysen et ad Eleazar sacerdotem dicens, Accipe principium totius synagogæ filiorum Israel a viginti annis et supra :* notandum quid appellaverit *principium*, robur scilicet ætatis in populo.

[Ib. xxvii, 20 *et* 21.] *Ut exaudiant eum filii Israel;* et, *In ore ejus exibunt;* et, *In ore ejus introibunt*, id est, cum jusserit.

[Ib. 22.] *Et fecit Moyses secundum quæ præcepit illi Dominus; et assumens Jesum statuit eum ante Eleazarum sacerdotem*, etc., ubi hoc notandum fuit, quia cum jam dixisset, *Et fecit Moyses secundum quæ præcepit illi Dominus*, eadem ipsa repetit.

[Ib. 23.] *Et commendavit eum secundum quæ præcepit Dominus Moysi :* non ait, secundum quæ præcepit illi Dominus.

[Ib. xxviii, 13.] *Decimam decimam similaginis consparsam in oleo agno uni :* id est singulas decimas singulis agnis ; quod enim ait, *Decimam decimam*, significavit quod repetendæ sint decimæ per singulos agnos.

[Ib. 16 *et* 17.] *Et in mense primo quarta decima mensis hujus dies festus, septem dies azyma edetis :* notandum diem festum per plures dies celebrari ; et tamen diem festum dici, non dies festos, ipsius festivitatis celebrationem, quotquot dies tenuerit.

[Ib. xxix, 1.] *Et mense septimo una mensis.* Secundum hanc locutionem dictum est in Genesi, *Et facta est vespera, et factum est mane dies unus* (*Gen.* i, 5) : nam et ibi sicut hic græcus habet ἡμέρα μία, unde quidam hic interpretantes *prima die mensis*, necessariam locutionem prætermiserunt, quamvis a sententia verborum non recesserint.

[Ib. 2.] *Vitulum unum ex bobus, arietem unum :* non ait, ex ovibus,sicut illud *ex bobus*, cum et illud si deesset, plenum esset.

[Ib. 2.] *Agnos anniculos sine vitio septem :* hoc quod in agnis posuit, *sine vitio*, per omnia subauditur, et in vitulo scilicet, et in ariete.

[In 4.] *Decima decima agno uni, septem agnis :* id est, singula singulis.

[Ib. 39.] *Exceptis votis vestris, et voluntaria vestra, et holocaustomata vestra, sacrificia vestra, et libamina vestra, et salutaria vestra.* Hanc locutionem, si vel græca

esset, non notarem : non enim ait, Exceptis votis vestris et voluntariis vestris, et cætera, ut cœperat; sed neque, Excepta vota vestra, ut ab ipso velut solœcismo inciperet : sed cum prius recte usitata locutione dixisset, *Exceptis votis vestris;* ea deinde adjunxit per alium casum, ubi subaudiri non possit, *exceptis*, sed, excepta; quod non admittit nec græca nec latina locutio.

[Ib. xxx, 3.] *Homo, homo quicumque voverit votum Domino :* pro eo quod est, omnis homo.

[Ib. 4.] *Cum autem mulier voverit votum Domino, aut definierit definitione in domo patris sui in juventute sua.* Hic mulierem feminam dicit etiamsi virgo sit, more Scripturarum : unde etiam de Christo est, quod ait Apostolus, *Factum ex muliere* (*Galat.* iv, 4).

[Ib. 4.] *Et audierit pater ejus vota ejus et definitiones ejus, quas definivit. Definitiones definivit*, locutio est.

[Ib. 4.] *Definivit adversus animam suam :* id est, adversus delectationes animæ suæ.

[Ib. 4.] *Et tacuerit pater ejus, et stabunt omnia vota ejus :* hic plus habet, *et;* nam integer sensus est, *Si audierit et tacuerit pater ejus, stabunt omnia vota ejus.*

[Ib. 7.] *Si autem facta fuerit viro :* intelligitur, nupserit; Scriptura sic loquitur.

[Ib. 7.] *Et vota ejus super eam :* subauditur, sunt, quod nonnulli interpretes etiam addiderunt.

[Ib. 13.] *Omnia quæcumque exierint ex labiis ejus secundum vota ejus, et secundum definitiones quæ adversus animam ejus, non manet ei*, et cum exspectaretur numerus pluralis, ut diceret, *non manent ei ;* nam ita nonnulli interpretati sunt, vitantes istum quasi solœcismum.

[Ib. xxxi, 4.] *Mille ex tribu, et mille ex tribu, ex omnibus tribubus Israel.* Numquid duodecies dixit mille ? Et tamen repetitio ista millenos significat.

[Ib. 8.] *Interfecerunt in gladio :* quod usitate diceretur, interfecerunt gladio.

[Ib. 10.] *Et omnes civitates eorum, quæ in habitationibus eorum :* subauditur, erant.

[Ib. 10.] *Et villas eorum succenderunt in igni :* quod usitate diceretur, succenderunt igni.

[Ib. 18.] *Et omnem multitudinem mulierum, quæ non novit concubitum masculi, vivificate.* Nusquam certius apparet hebræa locutione mulieres etiam dici virgines solere.

[Ib. 28 *et* 29.] *Et a dimidia parte eorum accipietis, et dabis ea Eleazar sacerdoti primitias Domini :* non dixit, dabitis.

[Ib. 35.] *Et animæ hominum a mulieribus, quæ non cognoverunt concubitum viri, omnis anima duo et triginta millia :* et hic superior locutio confirmata est, mulieres dici etiam quæ non cognoverunt concubitum viri, id est virgines.

[Ib. 54.] *Et accepit Moyses et Eleazar sacerdos aurum a chiliarchis et a centurionibus, et intulit ea in tabernaculum testimonii.* Videtur dicere debuisse, et intulit illud in tabernaculum testimonii ; quoniam aurum acceptum esse prædixerat, et plerique latini codices sic habent : sed ideo pluraliter videtur illatum ut diceret, *intulit ea*, quia multa vasa fuerant superius commemorata, in quibus erat hoc aurum.

[Ib. xxxii, 1.] *Et pecora, multitudo erat filiis Ruben et filiis Gad, multitudo copiosa valde :* non dixit, et pecorum multitudo erat.

[Ib. 1.] *Et viderunt regionem Jazer et regionem Galaad, et erat locus, locus pecoribus :* non jungendum est in pronuntiatione quod bis dixit *locus;* sed subdistinguendum, *et erat locus*, et deinde inferendum, *locus pecoribus.* Quasi enim exspectaretur qualis locus, ita repetitio eleganter illata est.

[Ib. 2.] *Et accedentes filii Ruben et filii Gad, dixerunt ad Moysen et Eleazar sacerdotem, et ad principes synagogæ, dicentes :* non est ista vel græca vel latina locutio, *dixerunt dicentes*, sed hebræa videtur.

[Ib. 5.] *Detur terra ista famulis tuis in possessionem :* quasi de aliis dicerent, cum sibi peterent.

[Ib. 12.] *Non enim secuti sunt post me, præter Chaleb filius Jephone.* Videtur dicere debuisse, præter Chaleb filium Jephone; sed nominative intulit, quia præcessit, *secuti sunt.* Est autem ista locutio etiam latina, sed rara.

[Ib. 13.] *Donec consumeretur omnis generatio facientes maligna in conspectu Domini :* non dixit, faciens maligna ; neque, facientium maligna.

[Ib. 16.] *Et accesserunt ei, et dixerunt :* non ait quod usitatum est, accesserunt ad eum.

[Ib. 24.] *Et ædificabitis vobis ipsis civitates impedimentis vestris :* ac si diceret, ædificabitis vobis ipsis civitates propter impedimenta vestra.

[Ib. 26, 27.] *Impedimenta nostra et uxores nostræ et omnia pecora nostra erunt in civitatibus Galaad, pueri autem tui transibunt omnes armati :* non dixerunt, nos autem transibimus omnes armati, sed tanquam de aliis dicerent.

[Ib. 28.] *Et commendavit eis Moyses Eleazar sacerdotem et Jesum filium Nave, et principes familiarum tribuum Israel.* Non ait, commendavit eos Moyses Eleazar sacerdoti, quod utique ordo locutionis usitatæ exigebat : per hos enim introducti sunt in terram, quam petebant : unde magis illi istis a quibus introducebantur in terram postulatam, quam isti qui introducebant, illis quos introducebant, commendati videntur.

[Ib. 30.] *Si autem non transierint armati vobiscum in bellum in conspectu Domini, et transferte impedimenta eorum :* plus habet, *et.*

[Ib. 33.] *Et dedit eis Moyses filiis Gad et filiis Ruben :* plus habet, *eis.*

[Ib. xxxiii, 14.] *Et non ibi erat aqua populo bibere :* pro eo quod est, ad bibendum.

[Ib. 51.] *Loquere filiis Israel, et dices ad eos :* sufficere videtur, *loquere filiis Israel.*

[Ib. 52.] *Et omnia idola fusilia eorum perdetis ea :* plus habet, *ea.*

[Ib. xxxiv, 6.] *Hoc erit vobis fines maris :* non dixit, hi erunt vobis.

[Ib. 7. *Et hoc erit vobis fines ad Aquilonem* : eadem repetita locutio est.

[Ib. xxxv, 3.] *Et erunt civitates eis habitare* : pro eo quod dici solet, ad habitandum.

[Ib. 11.] *Refugia erunt vobis fugere illo homicidam* : quod usitate dici potest, ut fugiat illo homicida.

[Ib. 15.] *Et incolæ qui in vobis, istæ civitates in refugium* : singulari numero positum est *incolæ*; id est, huic incolæ qui in vobis, quoniam minus habet, *est* : non enim ait, qui in vobis est, notissima locutione, sed rariore in lingua latina quam in græca.

LIBER QUINTUS.

Locutiones de Deuteronomio.

[DEUTER. *cap.* I, ℣ 7.] *Usque ad flumen magnum, flumen Euphratem* : non dixit, usque ad flumen magnum Euphratem.

[Ib. 17.] *Et judicium quod durum fuerit a vobis, afferetis illud ad me* : non dixit, quod durum fuerit vobis, sed, *a vobis*; id est, ita durum, ut a vobis judicari non possit.

[Ib. 35.] *Si videbit aliquis virorum istorum terram optimam hanc, quam juravi patribus eorum, præter Chaleb filius Jephone, hic videbit eam* : et in libro Numerorum istam locutionem notavimus, quia non dixit, præter Chaleb filium Jephone; sed, *filius*.

[Ib. II, 7.] *Dominus enim Deus vester benedixit te in omni opere manuum tuarum* : non ait, benedixit vos in omni opere manuum vestrarum, cum prædixisset, *vester*, non, tuus.

[Ib. 24.] *Nunc ergo surgite, et promovete, et pertransite vos vallem Arnon; ecce tradidi in manus tuas Seon regem Esebon* : non dixit, in manus vestras, sed a plurali ad singularem transiit.

[Ib. IV, 7.] *Quoniam quæ est gens magna, cui est ei Deus appropians illis* : duo sunt hic notanda; vel quod ait, *cui est ei*, vel quod non ait, appropians illi, sed, *appropians illis*.

[Ib. 12.] *Et similitudinem non vidistis, sed vocem* : cum vox non possit videri, sed generaliter hoc verbum posuit, tanquam ad omnem corporis sensum videre pertineat.

[Ib. 5 *et* 14.] *In quam vos ingredimini illo, hæreditare eam* : plenum esset etiamsi non additum esset, *illo*.

[Ib. 20.] *Et eduxit vos de fornace ferrea ex Ægypto* : fornacem ferream, duram tribulationem intelligi voluit : secundum hoc et de Joseph dictum est in Psalmis, *Ferrum pertransiit animam ejus* (*Psal.* CIV, 18).

[Ib. 22.] *Et non transeo Jordanem hunc*; quasi et alius sit Jordanis : ex hac locutione arbitror sæpe dici etiam hunc mundum, quasi alius sit.

[Ib. 25.] *Si autem genueris filios et filios filiorum tuorum* : notanda locutio est, ubi et avos nepotes dicit gignere.

[Ib. 29.] *Et quæretis ibi Dominum Deum vestrum; et invenietis eum, quando exquiretis eum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua in tribulatione tua* : non dixit, in toto corde vestro, et in tota anima vestra, in tribulatione vestra.

[Ib. 32.] *Interrogate dies priores, qui fuerunt priores te* : non dies, sed homines intelligendum est. Similiter et hoc notand.... quod etiam superius cum dixerit, *Interrogate* pluraliter, *priores te* intulit singulariter; non, priores vobis.

[Ib. 34.] *Si et tentavit Deus ingressus accipere sibi gentem de media gente* : *tentavit*, pro eo quod est voluit, positum est, aut quid aliud : quod autem ait, *de media gente*, de mediis gentibus intelligendum est, singulari posito pro plurali; sicut serpentem, ranam, et locustam, pro serpentibus; ranis et locustis, scriptum legimus.

[Ib. 34.] *Secundum omnia quæ fecit Dominus Deus vester in Ægypto coram te vidente* : nihil minus est, etsi non addatur, *vidente*.

[Ib. V, 5.] *Et ego stabam inter Dominum et vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini; quoniam timuistis a facie ignis, et non ascendistis in montem, dicens, Ego sum Dominus Deus tuus*, etc. *Dicens* posuit pro, cum diceret.

[Ib. 14.] *Et advena qui incolit in te* : populo dictum accipiendum est, non quasi uni homini, quia in populo incolit advena.

[Ib. 15.] *Propter hoc constituit tibi Dominus Deus tuus, ut observes diem sabbati, et sanctificare eum* : si, *et*, non haberet, non videretur inusitata locutio, *ut observes diem sabbati sanctificare eum*; aut certe si ita esset, ut observes diem sabbati et sanctifices eum; aut ita, propter hoc constituit tibi Dominus Deus tuus observare diem sabbati et sanctificare eum : nunc vero, *ut observes diem sabbati, et sanctificare eum*, inusitata et notanda locutio est.

[Ib. VI, 13.] *Attende tibi, ne dilatetur cor tuum, et obliviscaris Domini Dei tui* : notandum etiam in malo dici posse dilatationem cordis; exsultatio quippe in dilatatione intelligitur, cui contrariæ sunt angustiæ, id est tristitia : utrumque autem potest et in bono et in malo accipi.

[Ib. 20.] *Et erit cum interrogaverit te filius tuus cras dicens* : cras posuit, pro futuro quocumque tempore.

[Ib. VII, 1.] *Septem gentes magnas et multas* : quomodo ergo multas, si septem? sed multas dixit multitudinem habentes.

[Ib. 2.] *Non dispones ad eos testamentum*; cum de gentibus diceret : testamentum ergo pro pacto posuit.

[Ib. 3 *et* 4.] *Et filiam ejus non sumes filio tuo ; discedere enim faciet filium tuum a me, et serviet diis aliis, et irascetur indignatione Dominus in vos :* non ait, irascar, sed tanquam de alio diceret.

[Ib. IX, 1.] *Civitates magnas et muratas usque in cœlum :* hyperbolice dictum.

[Ib. 4.] *Ne dicas in corde tuo, cum consumpserit Dominus Deus tuus gentes istas ante faciem tuam, dicens, Propter justitias meas induxit me Dominus hæreditare terram bonam istam :* ordo est, *Ne dicas in corde tuo dicens.*

[Ib. 28.] *Ne quando dicant inhabitantes terram, unde eduxisti nos inde :* more Scripturæ additum est, *inde.*

[Ib. XI, 3.] *Quæ fecit virtutem Ægyptiorum :* hoc interpretes quidam latini minus intelligentes noluerunt dicere *virtutem*, sed *virtuti*, vel *exercitui ;* quoniam id quod ait Græcus δύναμιν, nonnulli exercitum intellexerunt. Sed elegans locutio est, *Quæ fecit virtutem eorum ;* intelligendum est quid eam fecit; quoniam ad nihil eam redegit : sed quia pluraliter dictum est, ideo subobscurum est.

[Ib. 6.] *Quos aperiens terra os suum deglutivit eos, et domos eorum, et tabernacula eorum :* duæ locutiones hic notandæ sunt, quod et additum est, *eos*, cum sufficere posset quod ait superius, *quos ;* et *domos eorum* cum dixisset, addidit *et tabernacula eorum*, quasi alias in eremo haberent domos nisi tabernacula. Sed nimirum domus intelligi voluit homines ad eos pertinentes, sicut ipsi populo dicitur, *Et nunc tu, domus Jacob* (*Isai.* II, 5). Nec ista locutio aliena est a latina lingua : nam et Romani dicti sunt domus Assaraci (*Æneid. lib* 1, *v.* 284), quod ex Assaraco Trojano originem ducerent.

[Ib. 7.] *Quoniam oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna, quæ fecit in vobis hodie :* cum de his operibus diceret, quæ per eremum facta sunt eo tempore quo ibi circumducebantur per quadraginta annos; tamen *hodie* dixit, quod intelligi voluit hoc tempore, quotquot ibi annos idem tempus habere potuisset.

[Ib. 9.] *Terram quam juravit Dominus patribus vestris dare eis, seminique eorum post eos :* tanquam diceret, id est semini eorum post eos; non enim et ipsis dedit, sed ita ipsis dedit, cum semini eorum dedit.

[Ib. 13.] *Si autem auditu audieritis omnia mandata ejus, quæ ego mando tibi hodie ; auditu* videtur superfluum, sed locutio est Scripturæ sanctæ familiarissima.

[Ib. 14.] *Et dabit pluviam terræ tuæ in tempore suo matutinum et serotinum* [1]. Cum matutinum tempus dies dicatur, numquid hinc intelligi voluit tempus anni primum? Serotinum vero minus latinum est; sed non potuit magis proprie de græco exprimi, quod illi dicunt ὄψιμον· tamen etiam in latina lingua vulgo usitatum est; ut dicatur serotinum, sed quod tardius quam oporteat factum est; hic vero tempus anni potius intelligi voluit.

[1] Mss. quinque hic tantum, *matutinam et serotinam.*

[Ib. 15 *et* 16.] *Et cum comederis, et satiatus fueris, attende tibi ipsi ne dilatetur cor tuum, et prævaricemini et serviatis diis aliis.* Jam superius tales locutiones notavimus, sive quod a singulari ad pluralem transit, sive quod in malo voluit intelligi *dilatetur*, ubi noxiam prosperitatem significavit.

[Ib. 24.] *Et flumen magnum flumen Euphratem*, repetitiones istæ usitatæ sunt in Scripturis, et rem decenter commendant.

[Ib. 25.] *Timorem vestrum et tremorem vestrum imponet Dominus Deus vester super faciem universæ terræ :* non timorem et tremorem quo ipsi timent et tremunt, sed quo timentur et alios tremere faciunt.

[Ib. XII, 17.] *Non poteris manducare in civitatibus tuis decimationem frumenti tui :* pro eo quod est, non debebis.

[Ib. XIII, 16.] *Et incendes civitatem in igni :* nos usitatius diceremus, igni.

[Ib. XIV, 24.] *Si autem longe fuerit via a te :* ac si diceret, longa via fuerit; adverbium posuit pro nomine.

[Ib. XV, 6.] *Et fenerabis gentes multas.* Fenerationem Scriptura dicit mutuo datam pecuniam, etiamsi usuræ non accipiantur : unde est et illud in Psalmo, *Beatus qui miseretur et commodat* (*Psal.* CXI, 5). Hoc enim maluerunt interpretari nostri, qui sententiam potius quam verba sequenda putaverunt : nam in græco habet δανείζει, quod est feneratur.

[Ib. 6.] *Et principaberis gentium multarum; tui autem non principabuntur :* tanquam diceret, tibi non dominabuntur, hoc est gentes : genitivus enim casus est singularis hujus pronominis quod ait *tui*, cujus dativus est tibi; non pluralis nominativus, cujus genitivus est tuorum.

[Ib. 7.] *Si autem fuerit in te egenus in fratribus tuis ;* non uni homini, sed populo dicitur, ideo *in te.*

[Ib. 7, 8.] *Si autem fuerit in te egenus in fratribus tuis in una civitatum tuarum, in terra quam Dominus Deus tuus dat tibi, non avertes cor tuum, neque constringes manum tuam a fratre tuo egente : aperiens aperies manus tuas ei, fenus fenerabis ei quantumcumque postulat, et quantum eget.* Hic certe cum opera misericordiæ præcipiat, non utique usurarum crudelitas suscipienda est : unde apparet quod ait, *fenus fenerabis ei*, mutuo dandum quod postularet, intelligi voluisse. Quod autem ait, *aperiens aperies manus tuas*, tale est et quod sequitur, *fenus fenerabis*, usitata locutio est in Scripturis sanctis.

[Ib. 17.] Cum de aure pertundenda servi præcepisset, *Et ancillam*, inquit, *tuam facies similiter :* accusativum pro dativo ponens; non ait, ancillæ tuæ facies, quod locutionis nostræ consuetudo poscebat.

[Ib. 21.] *Si autem fuerit in eo vitium, claudum aut cæcum, vel omne vitium malum :* non ait, claudicatio aut cæcitas, ipsa enim sunt vitia; sed *claudum*, et *cæcum*, quod sunt non vitia, sed animalia quæ habent vitia. Hoc quoque notandum est quod ait, *vitium malum*, quasi posset esse vitium bonum.

[Ib. XVI, 4.] *Et non dormiet de carnibus, de quibus*

immolaveritis vespere die primo usque in mane : pro eo quod est, non remanebit ea nocte, *non dormiet* dictum est.

[Ib. XVII, 1.] *Non offeres Domino Deo tuo vitulum vel ovem, in quo est in ipso vitium :* usitata locutio esset, *in quo est vitium ;* sed ista Scripturis est usitatior.

[Ib. 5.] *Et lapidabis eos in lapidibus, et morientur :* quod ex nostra consuetudine diceretur, lapidibus, non *in lapidibus.*

[Ib. 16.] *Non multiplicabit sibi equum :* pro equis vel pro equitatu, *equum* posuit; unde nonnulli *equitatum* interpretati sunt.

[Ib. 15.] *Non poteris constituere super te hominem alienum, quia non est frater tuus : Non poteris,* dictum est pro, non debebis.

[Ib. XVIII, 16.] *Secundum omnia quæ petiisti a Domino Deo tuo in Horeb, in die convocationis, dicentes :* cum dixerit superius *petiisti*, *dicentes* subjecit, non, dicens.

[Ib. XX, 4.] *Quoniam Dominus Deus noster, qui præcedit vobiscum :* non dixit, vos.

[Ib. XXII, 6.] *Si occurreris nido avis ante faciem tuam in via.* Notandum quod *occurreris* dixit etiam non ambulanti.

[Ib. 8.] *Si autem ædificaveris domum novam, facies coronam solario tuo, et non facies homicidium in domo tua, si cadat qui cecidit ab eo :* id est, a solario cadat qui cecidit; nimis inusitata locutio est.

[Ib. XXIV, 2 *et* 3.] *Et abiens fuerit viro alteri, et oderit eam vir novissimus.* Notandum ex duobus posteriorem novissimum dici : talis locutio est et in Evangelio, quando quæritur ex duobus fratribus quis eorum fecerit voluntatem patris, et respondetur *novissimus*, cum duo fuerint (*Matth.* XXI, 31).

[Ib. 6.] *Non pignerabis molam, neque superiorem lapidem molæ, quia animam iste pignerat :* pro eo quod est, quia animam pigneras, si feceris. Deinde notandum animam dixisse, pro ea vita quam habet anima in corpore : ex qua locutione et illud est in Evangelio, *Nonne anima plus est quam esca* (*Matth.* VI, 25)?

[Ib. 7.] *Si autem deprehendatur homo furans animam ex fratribus suis filiis Israel :* animam pro homine posuit. Denique sequitur, *et opprimens eum vendiderit;* quæ non minus notanda est locutio : noluit enim dicere, eam, quod esset magis consequens, quoniam animam dixerat; sed *eum*, id est hominem, in cujus significatione dixerat animam.

[Ib. 10.] *Si debitum fuerit in proximo tuo, debitum quodcumque :* repetitio verbi locutionem notandam facit.

[Ib. XXV, 7.] *Si autem noluerit homo accipere uxorem fratris sui, et ascendet mulier in porta ad senatum et dicet, Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel, noluit frater viri mei.* Quamvis verborum repetitiones amet Scriptura, inusitatior est tamen repetitio hæc : sed elegantius querelæ ostentat affectum.

[Ib. XXVII, 21.] *Maledictus omnis qui dormierit cum omni pecore :* pro eo quod est, concubuerit. Deinde *cum omni pecore*, pro eo quod est, cum quolibet pecore.

[Ib. XXVIII, 48.] *Et servies inimicis tuis, quos immittet Dominus Deus tuus super te.* Græcus habet λατρεύσεις, ubi latinus interpretatus est, *servies :* solet autem hoc verbum in ea servitute Scriptura ponere, quæ debetur Deo; unde idololatræ appellantur, qui ea servitute idolis serviunt : ergo hic inusitate positum est hoc verbum. Quanquam possit etiam hunc sensum habere, quod tam graviter multa dixerit, ut inimicis suis nimium superbientibus tanquam diis servisse cogantur.

[Ib. 49.] *Gentem cujus non audies vocem ejus :* et hoc notandum est, quod et *cujus* dixit, et *ejus*, sicut loqui Scripturæ solent; et in quod ait, *cujus non audies vocem*, pro eo quod est, cujus linguam non intelliges.

[Ib. 54 *et* 55.] *Mollis in te et tenera valde fascinabit oculo suo fratrem suum, et uxorem quæ est in sinu ejus, et qui reliqui sunt filii quicumque relicti fuerint illi; ita ut det uni ex eis a carnibus filiorum suorum de quibuscumque edet, eo quod non derelictum sit ei quidquam in angustia et tribulatione, qua tribulabunt te inimici tui in omnibus civitatibus tuis.* Notandum est quemadmodum hic dictum sit *fascinabit*, pro invidebit, et tanquam ad hoc derelicto, ut necesse sit ei dare de carnibus filiorum, quas cogit necessitas in cibum sumi a parentibus. Nam et in Proverbiis quod latini codices habent, *Non cœnabis cum viro invido* (*Prov.* XXIII, 6); græcus habet, ἀνδρὶ βασκάνῳ· βάσκανος autem fascinus dicitur.

[Ib. 63.] *Et erit sicut lætatus est Dominus in vobis, benefacere vobis.* Græcus habet, *benefacere vos*, nec videtur esse saltem græca locutio : accusativus tamen pro dativo positus intelligitur; unde maluerunt latini interpretes dicere *vobis*, quam vos.

[Ib. XXIX, 2.] *Vos vidistis omnia quæ fecit Dominus Deus vester in terra Ægypti, coram vobis, Pharaoni et servis ejus omnibus et omni terræ illius, tentationes magnas, quas viderunt oculi tui :* notandum illas plagas etiam *tentationes* vocari.

[Ib. XXX, 4.] *Si fuerit dispersio tua a summo cœli usque ad summum cœli, inde congregabit te Dominus Deus tuus.* Mirum si non hoc dicit, *a summo cœli usque ad summum cœli,* quod solet etiam dicere, a summo terræ usque ad summum terræ : fortasse propterea quia secundum id quod et iste aer cœlum dicitur, conjungitur terræ.

[Ib. 12 *et* 13.] *Non in cœlo est, dicens, Quis ascendet in cœlum, et accipiet nobis illud, et audientes illud faciemus? Neque trans mare est, dicens, Quis transfretabit nobis trans mare, et accipiet nobis illud, et audientes illud faciemus? dicens* pro eo posuit quod est, ut dicas : nova locutio.

[Ib. XXXI, 8.] *Et Dominus qui comitatur tibi tecum.*

[Ib. 16.] *Et dixit Dominus ad Moysen, Ecce tu dormies cum patribus tuis :* hoc verbo ejus mortem significavit.

[Ib. 27.] *Amaricantes eratis quæ ad Deum :* id est, amaricabatis ea quæ Dei sunt.

[Ib. 29.] *Scio enim quia post obitum meum, iniquitate iniquitatem facietis :* uno verbo autem græce dicitur, *iniquitatem facietis*, quod est ἀνομήσετε.

[Ib. 29.] *Et occurrent vobis mala novissimum dierum:* sic enim habet græcus, pro in novissimis diebus, aut in novissimo dierum.

[Ib. XXXII, 6.] *Nonne hic ipse pater tuus possedit te, et fecit te, et creavit te?* ordo notandus est; prius enim videtur dicere debuisse, *creavit te et fecit te*, et deinde, *possedit te*. Quomodo enim intelligitur posse possideri qui non est?

[Ib. 14.] *Cum adipe renum tritici.* Hæc metaphora nimis inusitata est, ut renes tritici intelligantur velut interiora tritici, unde farina ejicitur : hoc enim et adipem dixit; nam hoc nomine etiam farinam solent Græci dicere : hoc enim habet græcus in Exodo, ubi scriptum est, *Elevantes farinam super humeros suos* (*Exod.* XII, 34); græcus quippe interpres στέατα posuit, quod sunt adipes.

[Ib. 20.] *Filii in quibus non est fides in eis :* usitata Scripturis locutio.

[Ib. 36.] *Quoniam judicabit Dominus populum suum, et in servis suis consolabitur :* pro, servos suos consolabitur; nisi forte ipsum consolari dicit translato verbo, velut ab indignatione et offensione, qua eum offendunt mali. Sic autem ejus consolatio accipienda est, non ex more hominum, sicut nec ira et zelus, et cætera talia.

[Ib. 37.] *Ubi sunt dii eorum, in quibus fidebant in ipsis :* plenum esset et sine, *in ipsis*.

[Ib. 40.] *Et jurabo dexteram meam :* id est, per dexteram meam.

[Ib. 42 (*a*).] *Lætamini cœli simul cum eo, et adorent eum omnes Angeli Dei :* alii codices habent, *et adorent eum omnes filii Dei*. Filios autem Dei dictos, qui Angeli sunt in cœlis, non facile in Scripturis sanctis invenitur.

(*a*) Apud LXX.

LIBER SEXTUS.

Locutiones de Jesu Nave.

[Jos. *cap.* I, ℣ 14.] *Vos autem transibitis expeditiores fratribus vestris, omnis fortis :* id est, omnis quicumque in vobis fortis est.

[Ib. III, 4.] *Ut sciatis viam, quam ibitis eam :* plenum esset, etiam si non haberet, *eam*.

[Ib. V, 13.] *Et factum est, cum esset Jesus in Jericho :* notanda locutio est; nondum quippe erant in eadem civitate, cujus portæ contra illos clausæ fuerant, unde factum est ut in eam intrare non possent, nisi muri ejus cecidissent circumacta arca Domini : ergo *in Jericho* dictum est, in terra quæ pertineret ad Jericho.

[Ib. VI, 1.] De Jericho dictum est cum clausa esset, *Nec quisquam ex illa prodibat, neque introibat :* utique in illam subauditur, non ex illa; hoc appellatur græce ζεῦγμα κατ' ἔλλειψιν.

[In 21.] Dominus dicit ad Jesum : *Ecce ego trado tibi subjugatam Jericho, et regem ejus qui est in ea, potentes fortitudine.* Mirandum quod non hic posuit conjunctionem copulativam ut diceret, et potentes fortitudine, quam solet Scriptura tam assidue ponere, ut etiam ibi inveniatur ubi sensum solitæ locutionis impediat : an et Jericho et rex ejus dicti sunt *potentes fortitudine?*

[Ib. 25, et IV, 9.] *Et Raab meretricem et domum paternam ejus vivificavit Jesus, et commorata est in Israel usque in hodiernum diem.* Notandum est quemadmodum dicat Scriptura, *usque in hodiernum diem*, quod assidue dicit; nam et de lapidibus illis duodecim qui positi sunt ubi Jordanis ex ima parte defluxerat, et ex parte superiore constiterat, arca transeunte vel populo, ita dictum est, quod essent ibi *usque in hodiernum diem :* quod videtur ita sonare, tanquam post plurimum temporis per hanc Scripturam ista narrentur, nec eo tempore ii libri conscripti fuerint quo erant hæc recentissima. Quisquis autem putat hoc, quid de ista meretrice dicturus est, quæ utique quantum est ætas unius hominis vixit, et tamen dicitur, *usque in hodiernum diem?* De his itaque rebus hoc dicitur, quæ non ita constitutæ sunt, ut postea mutarentur ab eis qui constituerunt : quomodo dicitur aliquis in exsilium perpetuum missus, quia non ad tempus præfinitum hoc supplicio plectitur; non quia quisquam potest esse perpetuus in exsilio, cum homo ipse non possit esse perpetuus. Sic ergo et ista meretrix non est præcepta ad tempus habitare in Israel; ideo dictum est, *usque in hodiernum diem*.

[Ib. VII, 11.] Dominus dicit ad Jesum : *Peccavit populus, et transgressus est testamentum meum, quod disposui ad eos.* Notandum quemadmodum testamentum appellet hoc quod præceperat, ut anathema esset Jericho, et nemo sibi inde aliquid usurparet.

[Ib. VIII, 1 *et* 2.] Dominus loquens ad Jesum ait inter cætera : *Ecce dedi in manus tuas regem Gai et terram ipsius, et facies Gai sicut fecisti Jericho et regi ejus, et prædam pecorum prædaberis tibi.* Præcipue notanda locutio est, non solum quia *prædaberis tibi* dixit, tanquam unius futura esset illa præda, cum omnium esset futura; nam tales locutiones usitatissimæ sunt, cum Deus tanquam ad unum loquitur, quæ ad populum loquitur : sed hoc novum est hic, quia prædixit Scriptura, *Et dixit Dominus ad Jesum*, quem constat unum hominem fuisse; quod tamen dixit *prædaberis tibi*, non utique ita dictum est, ut præda illa hujus unius hominis esse præcepta sit, sed universi populi.

[Ib. 12.] *Et insidiæ erant civitati a mari.* Qui nescit, putat istam civitatem maritimam. Consuetudinis est

autem Scripturarum, ut occidentalem partem, a mari appellet, vel ad mare; quia ex ipsa parte terra ubi hæc agebantur, propius habet mare quam a cæteris partibus.

[Ib. 18.] *Extende manum tuam in gæso, quod est in manu tua, contra civitatem.* Ista locutio notanda non esset, nisi propter nomen quod obscurum est eis, in quorum consuetudine non est. Quid enim dicat gæson, non facile intelligitur : hoc interpres Symmachus scutum appellasse perhibetur. Septuaginta autem interpretes, secundum quos ista tractamus, qui posuerunt gæson, miror si ei in græca lingua hastam vel lanceam gallicanam intelligi voluerunt : ea quippe dicuntur gæsa, quorum et Virgilius meminit, ubi ait de Gallis in scuto Æneæ pictis, *Duo quisque Alpina coruscant gæsa manu* (*Æneid. lib.* 8, vv. 661, 662).

[Ib. 22.] *Et facti sunt inter medium castrorum, hi hinc et hi hinc.* Duo notanda sunt in hac locutione : unum, quod cum hostes qui vincebantur, in medio essent, tanquam de his dictum est, quod hi essent hinc et hi hinc, cum potius ita Israelitæ fuerint, qui eos in medio posuerant percutiendos; alterum, quod inter medium castrorum eos factos esse dicit Scriptura, castra appellans etiam productas acies in prælio constitutas, cum castra non soleant appellari, nisi ubi exercitus ad manendum consistit : nisi forte ideo castra appellata sunt, quia cum omnibus suis ibant.

[Ib. 27.] *Exceptis pecoribus et spoliis, quæ erant in civitate, prædati sunt filii Israel secundum præceptum Domini, quemadmodum constituit Dominus Jesu :* ita dictum est *Exceptis pecoribus et spoliis, prædati sunt*, quasi ipsa non fuerint prædati, cum potius ipsa prædati sint, et excepta ideo dicta sint, quia hæc illo prælio sola consumpta non sunt.

[Ib. IX, 7.] Israelitæ respondentes Gabaonitis dixerunt : *Vide ne in me habites. Et quomodo disponam tibi testamentum?* Jam et superius tales locutiones notavimus : hoc est enim *Vide ne in me habites*, quod est, apud me, id est in terra quam eis promiserat Deus. Et hic tanquam ad unum hominem videntur locuti, cum legatus ad eos non unus venerit : sed more suo genti et populo responsa reddentes, singulari numero loquuntur, sicut plerumque et ad ipsos Deus vel ductor ipsorum. Notandum etiam quod pactum pacis testamentum vocat Scriptura, more quidem suo; nam sæpe ita loquitur.

[Ib. X, 17.] *Et nuntiatum est Jesu dicentes, Inventi sunt quinque reges absconditi in spelunca :* pro eo quod est, nuntiaverunt dicentes.

[Ib. 25.] *Ita faciet Dominus omnibus inimicis vestris, quos vos debellabitis eos :* nihil minus esset huic sententiæ, etsi non haberet, *eos*.

[Ib. XI, 19 et 20.] *Et omnes cepit in bello, quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum ad Israel, ut exterminarentur :* notandum est, *confortari cor*, non semper in bono accipiendum.

[Ib. XIV, 6.] *Tu scis verbum, quod locutus est Dominus ad Moysen hominem Dei de me et te :* non dixit, hominem suum.

[Ib. XVII, 16.] *Et dixerunt filii Joseph, Non sufficit nobis mons et equus electus, et ferrum Chananæo qui habitat in Bethsan : equum electum* dixit, pro equis electis, quod usitatum in nostro sermone non est; unde nonnulli latini interpretes noluerunt *equum* interpretari, sed *equitatum*. Sic autem dictum est, *equus electus*, pro equis, sicut in nostra consuetudine dicitur miles, pro militibus.

[Ib. XIX, 33 et 34.] *Et facti sunt exitus illorum Jordanis, et revertentur fines ad mare :* non dixit, reversi sunt, aut saltem, revertuntur, sicut solet de finibus dici; sed, *revertentur*, tanquam adhuc futurum sit, cum præteritorum sit ista narratio : et in omnibus fere ipsis terrarum divisionibus, per singulas quasque tribus ita loquitur Scriptura, ut futuri temporis verbis utatur.

[Ib. XX, 9.] *Refugere illuc qui percusserit animam nolens :* hic animam, vel hominem intelligere debemus, vel vitam carnis quæ fit per animam; qua locutione et illud dictum est a fratribus Joseph, *Non percutiamus ejus animam* (*Gen.* XXXVII, 22), id est, non eum occidamus. Nam si anima posset ab interfectore percuti, non diceret Dominus, *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem occidere non possunt* (*Matth.* X, 28).

[Ib. XXI, 2.] *Mandavit Dominus in manu Moysi :* locutio familiarissima Scripturis; ita enim dicitur, Verbum quod factum est in manu illius vel illius prophetæ, hoc est in potestate dicendi datum.

[Ib. 40 (*a*).] *Et accepit Jesus cultros petrinos, in quibus circumciderat filios Israel :* non dixit, quibus circumciderat, sed *in quibus*.

[Ib. XXII, 7.] *Et ubi dimisit eos Jesus in domos suas, et benedixit eos dicens :* plus videtur hic copulativa conjunctio, id est, *et;* nam ita dici posset, *Et ubi dimisit eos in domos suas, benedixit eos dicens.*

[Ib. 8.] Item alia locutio notanda est, quod cum dixisset Scriptura, *Et benedixit eos Jesus dicens*, atque his verbis intentos fecisset audire quid benedicendo dixit Jesus; hoc solum subjecit, *In divitiis multis abierunt in domos suas, et pecora multa valde, et argentum et aurum et vestem multam valde, diviserunt prædam inimicorum suorum cum fratribus suis :* quod magis esse narrantis quam benedicentis apparet.

[Ib. 10.] *Ædificaverunt ibi aram super Jordanem, aram magnam videre :* ista locutio etiam in sermone latino nota est.

[Ib. 11.] *Et audierunt filii Israel dicentium :* non ait, dicentem, vel dicentes.

[Ib. 27.] *Servire servitutem Domini :* in qua locutione duo notanda sunt, et *servire servitutem*, quæ etiam latina locutio reperitur; et *servitutem Domini*, id est quæ debetur vel exhibetur Domino.

[Ib. 30.] *Et audientes Phinees sacerdos et omnes principes synagogæ qui erant cum illo, verba quæ locuti sunt filii Ruben et filii Gad et dimidium tribus Manasses, et placuerunt illis : audientes* pro audierunt positum est;

(*a*) Apud LXX.

aut plus est hic, *et;* nam plenus est sensus, *audientes verba hæc, placuerunt illis :* nec tamen sine inconsequentia; quia, cum audissent, dicendum fuit.

[Ib. XXIII, 1.] *Et Jesus senior provectus diebus :* hoc de Abraham dictum notavimus, seniorem in Scripturis non solum illum appellari qui est infra ætatem senis, sed etiam valde senem. Unde non omnis senior senex, omnis autem senex senior dici potest.

[Ib. XXIV, 7.] *Et induxit super illos mare, et operuit super illos :* non ait, operuit illos, quamvis nonnulli interpretes hoc maluerunt dicere.

[Ib. 17.] *In omnibus gentibus quas transivimus per ipsas :* usitatæ in Scripturis sunt istæ locutiones, nec tam crebro notandæ quam crebro intercurrunt.

LIBER SEPTIMUS.

Locutiones de Judicibus.

[JUD. cap. 1, ℣ 1.] *Et factum est postquam defunctus est Jesus, interrogabant filii Israel in Domino :* non ait, Dominum, quod sermonis nostri consuetudo poscebat.

[Ib. 3.] *Et bellemus in Chananæo :* non dixit, adversus Chananæum, aut contra Chananæum, aut saltem, in Chananæum.

[Ib. II, 8.] *Et mortuus est Jesus filius Nave servus Domini, filius centum decem annorum.* Ista repetitio quod cum dixisset *filius Nave*, repetivit *filius*, et deinde addidit, *centum decem annorum*, inusitata est; ut potius *filius centum decem annorum* diceret, quam homo centum decem annorum : sed tamen et alibi reperitur.

[Ib. 10.] *Et omnis generatio appositi sunt ad patres suos :* notanda locutio est, quod non ait, apposita est, quia plures erant.

[Ib. 14.] *Tradidit eos in manu prædantium :* non dixit, in manum; quod videtur latina locutio postulare.

[Ib. 18.] *Et cum suscitavit Dominus eis judices, et erat Dominus cum judice :* solita locutione plus est hic, *et;* nam plenum esset, *Et cum suscitavit Dominus eis judices, erat Dominus cum judice.* Notandum est etiam hoc, quod a plurali ad singularem transiens, non ait, cum judicibus, sed, *cum judice*, id est, cum unoquoque judice.

[Ib. 19.] *Et factum est, cum moreretur judex, et revertebantur, et iterum corrumpebant super patres suos.* Recta locutio esse ita poterat secundum consuetudinem sermonis nostri, Et fiebat cum moreretur judex, et revertebantur, et iterum corrumpebant super patres suos. Si, *et*, non haberet, plenum esset, *cum moreretur judex, revertebantur, et iterum corrumpebant super patres suos*, id est plusquam patres eorum.

[Ib. 20.] *Propter quod tanta dereliquit gens hæc testamentum meum : tanta* dixit, pro tantum, id est tam multum nomen pro adverbio, quod etiam in latinis locutionibus maxime poeticis invenitur.

[Ib. 20.] *Et non obaudierunt vocis meæ :* græca magis locutio est.

[Ib. III, 10.] *Factus est super eum Spiritus Domini :* cum Spiritus Domini utique factus non sit; sed *super eum factus est*, ita dictum est ac si diceretur, factum est ut esset super eum. Ex qua locutione et in Evangelio legitur. *Ante me factus est (Joan. I, 27)*; id est, factum est ut esset ante me : quod alio modo diceretur, prælatus est mihi.

[Ib. 21.] *Et sumpsit Aioth gladium de super femore suo dextro :* sic interpretari potuit quod græcus habet: ἀπὸ ἄνωθεν, nam locutio minus latina est.

[Ib. 17.] *Erat autem Eglom vir exilis valde :* hoc κατ' ἀντίφρασιν dictum, id est locutione contraria, sequentia indicant; quando enim percussus est, dictum est quod concluserunt adipes vulnus, quia non eductus est gladius de ventre ejus.

[Ib. 31.] *Et percussit alienigenas in sexcentos viros :* non ait, alienigenarum sexcentos viros, aut certe alienigas in sexcentis viris.

[Ib. IV, 6.] *Nonne præcepit Dominus Deus Israel tibi, et perges in montem Thabor?* Non ait, ut pergas, quod videtur esse consequens; sed inusitata locutione, *Nonne præcepit tibi, et perges*, ut subaudiamus verbum quod supra positum est, et sit, Nonne perges? aut solita locutione plus habet, *et;* nam ista conjunctione detracta sensus currit, *Nonne mandavit Dominus Deus Israel tibi, Perges in montem Thabor, et accipies tecum decem millia virorum?* etc.

[Ib. 8.] *Quoniam nescio diem in quo Dominus prosperat angelum mecum :* utrum prosperat actus angeli ejus qui mecum est? an prospera mihi facit per angelum?

[Ib. 13.] *Omnes currus suos, nongentos currus ferreos.* Ubilibet distinguatur, elegans repetitio : utrum *omnes currus suos*, et deinde sequatur *nongentos currus ferreos;* an *omnes currus suos nongentos*, et deinde inferatur *currus ferreos.*

[Ib. 15.] *Et pavefecit Dominus Sisaram, et omnes currus ejus, et omnia castra ejus, in ore gladii in conspectu Barach.* Quomodo pavefecit currus, nisi eos intelligas qui erant in curribus? *Et pavefecit Dominus Sisaram, et omnes currus ejus, et omnia castra ejus, in ore gladii in conspectu Barach. Pavefecit in ore gladii*, ac si diceret, interfecit in ore gladii : *pavefecit* ergo, cum cæderentur gladio.

[Ib. 16.] *Et descendit Sisara desuper curru suo :* ita dici latine potuit, quod est græce ἀπὸ ἄνωθεν.

[Ib 19.] *Et cooperuit eum in pelle sua :* non dixit, pelle, aut de pelle; sic enim habet græcus ἐν τῇ δέρρει αὐτῆς.

[Ib. 20.] *Et erit, si quis venerit ad te, et dixerit, Est hic vir? et dices, Non est.* Detracta conjunctione consequentem habet sensum, *Si quis venerit ad te, et dixerit, Est hic vir? dices, Non est.*

[Ib. 24.] *Et pergebat manus filiorum Israel pergens :* solita et frequentata locutio est.

[Ib. 24.] *Et indurabatur in Jabin regem Chanaan :* novo modo positum est hoc verbum, *indurabatur*, pro eo quod est, fortis efficiebatur et prævalidus.

[Ib. v, 26.] *Perforavit caput ejus, et percussit :* id est, percussit caput ejus, et perforavit.

[Ib. 31.] *Sic pereant omnes inimici tui, Domine; et diligentes eum sicut ortus solis in potentia ejus :* non dixit, diligentes te, cum utique de Domino intelligi vellet.

[Ib. vi, 3.] *Et factum est, quando seminavit vir Israel:* non unum hominem significat, sed ipsam gentem.

[Ib. 3.] *Ascendebat Madian et Amalech et filii Orientis, et ascendebat super eum :* ista repetitio verbi non videtur habere solitam elegantiam vel affectum.

[Ib. 9.] *Et liberavi vos de manu Ægypti :* per manum, potestatem significat; per Ægyptum, Ægyptios.

[Ib. 13.] *Et dixit ad eum Gedeon, In me, Domine mi :* subintelligitur, intende, hoc est, In me intende; et est ista locutio Scripturis familiarissima.

[Ib. 13.] *Et si est Dominus nobiscum, et utquid invenerunt nos omnia mala ista?* Plus habet conjunctionem, *et*, sicut solet loqui Scriptura, quæ si detrahatur, plena sententia est, *Et si est Dominus nobiscum, utquid invenerunt nos omnia mala ista?* Quamvis et superior conjunctio possit salva sententia detrahi, ut cum dixisset, *In me, Domine mi;* deinde subsequatur, *si est Dominus nobiscum, utquid invenerunt nos omnia mala ista :* magis enim hoc exigit nostræ locutionis consuetudo.

[Ib. 25.] *Et vitulum annorum septem.* Hic manifestum est quomodo vitulos appellet Scriptura : bos enim annorum septem, secundum consuetudinem locutionis nostræ, non est utique vitulus. Secundum hanc ergo locutionem dictum est de Samegar [1], quod occiderit *sexcentos viros præter vitulos boum* (*Jud.* iii, 31), hoc est præter boves.

[Ib. 34.] *Et cecinit in cornea :* subauditur tuba; græcus enim non habet, tuba, sed tantum cornea.

[Ib. vii, 12.] *Camelis eorum non erat numerus, et erant sicut arena quæ est ad labium maris.* In multitudine constat ὑπερβολικῶς dictum. Hæc autem translatio, ubi *labium maris* posuit pro littore, assidua est in Scripturis, sed rara est in latinis codicibus, quia plerique littus interpretati sunt, magis quid significaret labium volentes ponere, quam ipsum labium. Nam littus si vellent Septuaginta interpretes dicere, non deesset linguæ græcæ quod dicerent.

[Ib. 16.] *Et divisit trecentos viros per tria principia :* pro partibus *principia* posuit.

[Ib. viii, 1.] *Et dixerunt ad Gedeon viri Ephræm :* id est viri de tribu Ephræm.

[Ib. 1.] *Quid verbum hoc fecisti nobis, ut non vocares nos cum exires pugnare in Madian?* verbum pro facto posuit.

[Ib. ix, 4.] *Et dederunt septuaginta argenti :* subauditur, pondo, vel tale aliquid : interpretatio ex hebræo, *septuaginta pondo* habet.

[1] In Mss., *Sagemar*.

[Ib. 4.] *Et conduxit in ipsis Abimelech viros : in ipsis* dixit, pro ex ipsis, id est ex argenti pondo septuaginta conduxit viros.

[Ib. 4.] *Viros inanes et perturbatos :* inanes posuit pro levibus, quibus sunt contrarii graves; unde dicitur, *In populo gravi laudabo te* (*Psal.* xxxiv, 18).

[Ib. 5.] *Et intravit in domum patris sui in Ephratha, et interfecit fratres suos filios Jerobaal septuaginta viros super lapidem unum :* quia jam superius septuaginta dixerat filios Jerobaal, id est Gedeon; et nunc eos septuaginta dicit occisos : quamvis minus occisi fuerint duo; id est, ipse qui occidit, et Joatham junior qui latuit, de quo adjungens dicit, *et remansit Joatham filius Jerobaal junior, quoniam abscondit se :* ac per hoc universum numerum posuit pro pene universo.

[Ib. 23.] *Et spreverunt viri Sichimorum in domo Abimelech :* non dixit, spreverunt domum Abimelech.

[Ib. 34.] *Et insidiati sunt super Sichimam quatuor principia :* id est, quatuor partes : jam istam locutionem superius etiam notavimus.

[Ib. 43.] *Et accepit populum, et divisit eum in tria principia : accepit*, dixit de illo populo qui cum illo erat; et hic *tria principia* pro tribus partibus posuit.

[Ib. 55.] *Et abierunt viri locum suum :* id est, unusquisque.

[Ib. xi, 8.] *Et eris nobis in caput omnibus habitantibus Galaad :* non dixit, eris nobis caput; sic enim solet loqui Scriptura : unde est, *Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii* (*Psal.* xxx, 3), et multa hujusmodi.

[Ib. 34.] *Et hæc unica ei, et non est præter ipsam filius aut filia :* hoc est quod dictum est, *unica ei*; sed propter affectum repetita sententia est. *Et non est ei præter ipsam filius aut filia : non est ei*, pro non erat ei dictum est; præterita quippe narrantur.

[Ib. xiii, 2.] *Et uxor ejus sterilis, et non pariebat :* cum potuisset sufficere quod dictum est, *sterilis*.

[Ib. 8.] *Et precatus est Manue Dominum et dixit, In me, Domine; homo Dei quem misisti, veniat nunc iterum ad nos : In me* ita dictum est ut subaudiatur, intende.

[Ib. xv, 8.] *Et percussit eos tibiam super femur :* hæc locutio inusitata est, tamen locutio est, non aliquis in corpore vulneris locus, sicut in Quæstionibus exposui; hoc est, percussit eos ad admirationem, ad stuporem (*Quæst. in Jud. quæst.* 55).

[Ib. 10.] *Et dixerunt vir Juda, Quare ascendistis super nos :* singularem posuit pro plurali, dixerunt enim viri Juda, non unus vir.

[Ib. 12.] *Ne forte occurratis in me vos :* pro eo quod est, occidatis me; et hæc locutio in Quæstionibus exposita est (*Id. quæst.* 56).

[Ib. 13.] *Et reduxerunt eum de petra, et venit usque ad Maxillam :* locus est sic appellatus postea ex eo facto quod ibi gessit ipse Samson, quando maxilla asini pugnans, mille prostravit : hoc ergo per prolepsim dictum est, quia post illa omnia gesta, hæc historia conscripta est.

[Ib. 14.] *Sicut stupa cum olefecerit ignem :* metaphora

ab animali ad inanimale ; non enim stupa sensum habet olfactus : sed ita dictum est, ac si diceretur, cum ignem senserit ; quamvis et hoc quod dixi, senserit, ad eamdem metaphoram pertineat, sed ad celeritatem intelligendam pertinet quod dictum est, *olefecerit*.

[Ib. 15.] *Et extendit manum suam, et accepit eam :* etsi non diceret *extendit manum suam*, utique extenta manu acceptam intelligeremus.

[Ib. XVI, 2.] *Et nuntiatum est Gazæis, dicentes* : non ait, nuntiaverunt dicentes, aut nuntiatum est a dicentibus.

[Ib. 7.] *Si ligaverint me in septem nervis humidis nondum siccatis :* non ait, septem nervis, sed *in septem nervis*.

[Ib. 7.] *Si ligaverint me in septem nervis humidis nondum siccatis, et infirmabor :* plenum esset, etsi non haberet, *et*.

[Ib. 9.] *Et insidiæ ei sedebant in cubiculo :* quod nonnulli interpretati sunt, *obsidebant*, sed græcus ἐκάθητο, hoc est sedebat, quia insidiæ singulari numero græce dicuntur, nec potest latine dici insidia : locutio autem notanda erat, quia dictum est, *insidiæ sedebant*, pro iis qui insidiabantur ; ipsi enim sedebant.

[Ib. 10.] *Nunc ergo indica mihi in quo ligaberis :* non ait, quo ligaberis, aut unde ligaberis.

[Ib. 11.] *Si ligaverint me in funibus novis :* non dixit, funibus.

[Ib. 11.] Item, *Si ligaverint me in funiculis novis, in quibus non est factum opus, et infirmabor :* plenum esset, etsi non præponeretur, *et*.

[Ib. 15.] *Et hoc tertium fefellisti me : tertium*, posuit pro tertio, sive ter, nomen scilicet pro adverbio, quod et in latinis locutionibus eleganter fieri solet.

[Ib. 26.] *Dimitte me, et palpabo columnas, super quas domus confirmata est super eas.*

DE SUBSEQUENTI QUÆSTIONUM OPERE.

LIB. II. RETRACT. CAPUT LV.

1. *Eodem tempore* (a) *scripsi etiam libros Quæstionum de Libris eisdem divinis septem, quos ideo appellare sic volui, quia ea quæ ibi disputantur, magis quærenda proposui, quam quæsita dissolvi ; quamvis multo plura in eis mihi videantur ita pertractata, ut possint etiam soluta et exposita non immerito judicari. Regnorum quoque libros eodem modo jam considerare cœperamus ; sed non multum progressi, in alia quæ magis urgebant, animum intendimus. In primo autem libro, ubi agitur de virgis variatis, quas ponebat Jacob in aqua, ut in conceptu positæ oves eas viderent cum biberent, et varios fetus parerent* (*Quæst.* 93) ; *non bene a nobis exposita est causa, cur iterum concipientibus non ponebat, id est cum alios fetus conciperent, sed in priore conceptu. Nam quæstionis alterius expositio* (*Id.* 95), *ubi quæritur cur dixerit socero suo Jacob, « Et decepisti mercedem meam decem agnabus »* (*Gen.* XXXI, 41), *satis veraciter enodata, demonstrat istam sicut solvi debuit non solutam.*

2. *In tertio quoque libro ubi de summo agitur sacerdote, quomodo creabat filios, cum haberet necessitatem bis in die ingredi in Sancta sanctorum, ubi erat altare incensi, ad offerendum incensum mane et vespera* (*Exod.* XXX, 7, 8), *quo non posset, sicut Lex dicit, immundus intrare ; et eadem Lex dicat, immundum fieri hominem etiam ex concubitu conjugali, quem jubet quidem lavari aqua, sed et lotum dicit immundum esse usque ad vesperam* (*Levit.* XV, 16) ; *unde dixi, « Consequens fuisse, ut aut continens esset, aut diebus aliquibus intermitteretur incensum »* (*Quæst.* 82) : *non vidi non fuisse consequens. Potest enim sic intelligi quod scriptum est, « Immundus erit usque ad vesperam, » ut per ipsam vesperam jam non esset immundus, sed usque ad ipsam, ut vespertino jam tempore incensum mundus offerret, cum propter creandos filios post matutinum incensum mixtus esset uxori. Itemque ubi quæsitum est, quomodo prohibitus esset super funus patris sacerdos summus intrare* (*Levit.* XXI, 11), *cum eum fieri sacerdotem (quando unus erat) nisi post mortem sacerdotis patris non oporteret ; dixi, « Propter hoc necesse fuisse, nondum sepulto patre statim post ejus mortem, filium ejus constitui, qui succederet patri ; propter etiam continuationis incensum, quod bis in die necesse erat offerri »* (*Quæst.* 83) ; *qui sacerdos super mortem nondum sepulti patris prohibetur intrare. Sed parum attendi, potuisse hoc præcipi magis propter illos, qui futuri fuerant summi sacerdotes non patribus summis sacerdotibus succedentes, sed tamen ex filiis, id est ex posteris Aaron, si forte summus sacerdos, aut filios non haberet, aut ita reprobos haberet ut nullus eorum patri deberet succedere : sicut Samuel summo sacerdoti Heli successit* (1 *Reg.* I) ; *cum sacerdotis filius ipse non esset sed tamen ex filiis, hoc est, ex posteris esset Aaron.*

3. *De latrone etiam cui dictum est, « Hodie mecum eris in paradiso »* (*Luc.* XXIII, 43), *quod non fuerit visibiliter baptizatus, quasi certum posui* (*Quæst.* 84), *cum sit incertum, magisque illum baptizatum fuisse credendum sit, sicut ego quoque alibi postea disputavi. Item quod in quinto libro dixi, ubi commemorantur matres in generationibus evangelicis, « non eas positas nisi cum patribus »* (*Id.* 46), *verum est quidem, sed ad rem de qua agebatur non*

(a) Quo nimirum tempore superiorem Locutionum collectionem, quæ in lib. II Retractationum cap. 54 recensita est, comparabat eodem ipso S. Doctor subsequentes Quæstionum in Heptateuchum, uti in antiquis codici[illegible] scribuntur, libro per ecit : nisi quod Quæstiones primum, deinde tum Locutiones de iisdem divinis Libris dictasse intelligitur ex Locutionibus de Exodo, cap. 12, v. 7, et Locutionibus de Judicibus, cap. 15, vv., 8 et 12 ; tametsi in Retractationibus priorem locum dederit Locutionum collectioni, forte quia eam hoc ordine sive dictare cœperat, sive legi volebat.

pertinet. Agebatur autem de iis qui ducebant fratrum vel propinquorum conjuges, eorum qui sine filiis defuncti essent, propter duos patres Joseph, quorum alterum Matthæus commemorat, alterum Lucas. De qua quæstione diligenter in hoc opere disserui, cum retractaremus opus nostrum contra Faustum Manichæum. Hoc opus sic incipit : « Cum Scripturas sanctas, quæ appellantur canonicæ. »

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

QUÆSTIONUM

In Heptateuchum

LIBRI SEPTEM (a).

LIBER PRIMUS.

Quæstiones in Genesim

PROOEMIUM.

Cum Scripturas sanctas, quæ appellantur canonicæ, legendo et cum aliis codicibus secundum Septuaginta interpretationem conferendo percurreremus, placuit eas quæstiones, quæ in mentem venirent, sive breviter commemorando, vel etiam pertractando tantummodo proponerentur, sive etiam qualitercumque tanquam a festinantibus solverentur, stilo alligare, ne de memoria fugerent. Non ut eas satis explicaremus, sed ut cum opus esset, possemus inspicere; sive ut admoneremur quid adhuc esset requirendum, sive ut ex eo quod jam videbatur inventum, ut poteramus, essemus et ad cogitandum instructi, et ad respondendum parati. Si quis igitur hæc legere propter incultum in nostra festinatione sermonem non fastidierit, si quas quæstiones propositas invenerit nec solutas, non ideo sibi nihil collatum putet. Nonnulla enim pars inventionis est, nosse quid quæras. Quarum autem solutio placuerit, non ibi vile contemnat eloquium, sed de aliqua participatione doctrinæ potius gratuletur. Non enim disputatio veritate, sed veritas disputatione requiritur. Exceptis ergo iis quæ a principio, ubi Deus cœlum et terram fecisse narratur, usque ad dimissionem duorum primorum hominum de paradiso, tractari multipliciter possunt, de quibus alias, quantum potuimus, disseruimus (*In libris de Genesi*); hæc sunt quæ legentibus nobis occurrentia voluimus litteris attineri [1].

QUÆST. I. [GEN. *cap.* IV, ỳ 17.] Quomodo Cain potuerit condere civitatem, cum civitas alicui utique constituatur hominum multitudini, illi autem duo parentes et duo filii fuisse referantur, quorum filiorum ab altero alter occisus est, in cujus occisi locum alius natus esse narratur. An ideo quæstio est, quoniam qui legunt, putant solos tunc fuisse homines quos divina Scriptura commemorat, nec advertunt eos qui prius sunt conditi duos, vel eos etiam quos genuerunt, tam diu vixisse, ut multos gignerent? Non enim et Adam ipse eos solos genuit, quorum nomina leguntur, cum de illo Scriptura loquens ita concludat, quod genuerit filios et filias (*Gen.* v, 4). Proinde cum multo pluribus illi vixerint annis, quam Israelitæ in Ægypto fuerunt, quis non videat quam multi homines nasci potuerunt, unde illa civitas impleretur, si Hebræi multo minore tempore ita multiplicari potuerunt?

II. [Ib. v, 25.] Quæri solet quomodo Mathusalam secundum annorum computationem vivere post diluvium potuerit, cum omnes, præter eos qui in arcam ingressi sunt, periisse dicantur. Sed hanc quæstionem

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Recensiti sunt (hi libri) ad Mss. codic. Vatic. duos, Fuxensis collegii apud Tholosates unum, ad Sorbonicum scriptum ante annos circiter 400, Beccensem qui annos 600 præfert, ad ejusdem fere ætatis Remigianum, et Michaelinum, ad Thuaneum et Benignianum, qui ante 800 annos scripti videntur, ad vetustissimum omnium et optimæ notæ Corbeiensem : ad variantes lectiones Lovaniensium Theologorum ex quinque Belgicis decerptas : item ad Excerpta Eugypii abbatis in duobus Mss. contenta, et ad Flori collectionem manu descriptam. Postremo collati fuerunt ad antiquiores editiones Bad. seu Rat., id est quæ ex Augustini Ratisponensis recognitione, cura Jodoci Badii prodiit Lugduni, an. 1497, ad Amerbachianam, ad Frobenianam Erasmi, et ad Lovaniensiam Antuerpiensem.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

(*a*) Scripti circiter Christi annum 419.

[1] Am. Er. et Lov., *attingere*. Tres antiquiores Mss., *attinere*. Nos cum Rat. et duobus Mss., *attineri*.

plurium codicum mendositas peperit (a). Non solum quippe in Hebræis aliter invenitur; verum etiam in Septuaginta interpretatione, Mathusalam in codicibus paucioribus, sed veracioribus, sex annos ante diluvium reperitur fuisse defunctus.

III. [Ib. vi, 4.] Item quæritur quemadmodum potuerint angeli cum filiabus hominum concumbere, unde gigantes nati esse perhibentur: quamvis nonnulli et latini et græci codices non angelos habeant, sed filios Dei; quos quidam ad solvendam istam quæstionem, justos homines fuisse crediderunt, qui potuerunt etiam angelorum nomine nuncupari. Nam de homine Joanne scriptum est, *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam* (*Malach.* III, 1). Sed hoc movet, quomodo vel ex hominum concubitu nati sunt gigantes, vel feminis miscere se potuerunt, si non homines, sed angeli fuerunt? Sed de gigantibus, id est, nimium grandibus atque fortibus, puto non esse mirandum quod ex hominibus nasci potuerunt; quia et post diluvium quidam tales fuisse reperiuntur; et quædam corpora hominum in incredibilem modum ingentia, nostris quoque temporibus exstiterunt, non solum virorum, verum etiam feminarum. Unde credibilius est homines justos appellatos vel angelos, vel filios Dei, concupiscentia lapsos peccasse cum feminis, quam angelos carnem non habentes usque ad illud peccatum descendere potuisse: quamvis de quibusdam dæmonibus, qui sint improbi mulieribus, a multis tam multa dicantur, ut non facile sit de hac re definienda sententia.

IV. [Ib. vi, 15.] De arca Noe quæri solet utrum tanta capacitate quanta describitur, animalia omnia quæ in eam ingressa dicuntur, et escas eorum ferre potuerit. Quam quæstionem cubito geometrico solvit Origenes, asserens non frustra Scripturam dixisse quod Moyses omni sapientia Ægyptiorum fuerit eruditus (*Act.* vii, 22), qui geometricam dilexerunt. Cubitum autem geometricum dicit tantum valere quantum nostra cubita sex valent. Si ergo tam magna cubita intelligamus, nulla quæstio est, tantæ capacitatis arcam fuisse, ut posset illa omnia continere.

V. [Ib. vi, 15.] Item quæritur utrum arca tam magna centum annis potuerit fabricari a quatuor hominibus, id est, Noe et tribus filiis ejus. Sed si non potuit, non erat magnum fabros alios adhibere: quamvis operis sui mercede accepta non curaverint, utrum eam Noe sapienter, an vero inaniter fabricaretur; et ideo non in eam intraverint, quia non crediderint quod ille crediderat.

VI. [Ib. vi, 16.] Quid est quod ait, cum de arcæ fabricatione loqueretur, *Inferiora bicamerata et tricamerata facies eam* [1]? Non enim inferiora futura erant bicamerata et tricamerata. Sed in hac distinctione totam instructuram [2] ejus intelligi voluit, ut haberet inferiora, haberet et superiora inferiorum [1] quæ appellantur bicamerata; haberet et superiora superiorum, quæ appellavit tricamerata. In prima quippe habitatione, id est in inferioribus, semel camerata erat arca; in secunda vero habitatione supra inferiorem jam bicamerata erat, ac per hoc in tertia supra secundam sine dubio tricamerata erat.

VII. [Ib. vi, 21.] Quoniam non solum vivere, sed etiam pasci in arca animalia Deus dixit, et jussit ut Noe ab omnibus escis sumeret sibi et illis, quæ ad illum fuerant ingressura: quæritur quomodo ibi leones vel aquilæ, quæ consueverunt carnibus vivere, pasci potuerint; utrum et animalia præter illum numerum propter aliorum escam fuerint intromissa, an aliqua præter carnes (quod magis credendum est) a viro sapiente, vel Deo demonstrante provisa sint, quæ talium quoque animantium escis convenirent?

VIII. [Ib. vii, 8, 9.] Quod scriptum est, *Et a volatilibus mundis et a volatilibus immundis, et a pecoribus mundis et a pecoribus immundis, et ab omnibus serpentibus in terra;* quod deinde non additur, subauditur mundis et immundis; et adjungitur, *Duo duo* [2] *intraverunt ad Noe in arcam, masculus et femina.* Quæritur quomodo superius distinxerit duo duo ab immundis, nunc autem sive a mundis sive ab immundis duo duo dicat intrasse. Sed hoc refertur non ad numerum mundorum vel immundorum animalium, sed ad masculum et feminam; quia in omnibus sive mundis sive immundis duo sunt, masculus et femina.

IX. [Ib. vii, 15.] Notandum quod scriptum est, *In quo est spiritus vitæ*, non solum de hominibus, sed etiam de pecoribus dictum, propter illud quod quidam de Spiritu sancto volunt intelligere, ubi scriptum est, *Et insufflavit Deus in faciem ejus spiritum vitæ* (*Gen.* II, 7): quod melius quidam codices habent, *flatum vitæ*.

X. [Ib. vii, 20.] De montium altitudine, quam omnem scriptum est transcendisse aquam cubitis quindecim, quæritur propter Olympi montis historiam. Si enim terra invadere potuit spatium tranquilli illius aeris, ubi dicitur nec nubes videri, nec ventos sentiri, cur non et aqua crescendo?

XI. [Ib, vii, 24.] Quod scriptum est, *Exaltata est aqua super terram centum quinquaginta dies;* quæritur utrum usque ad hunc diem creverit, an per tot dies in altitudine qua creverat manserit: quoniam alii interpretes planius videntur hoc dicere. Nam Aquila dixit, *Obtinuit:* Symmachus, *Prævaluerunt*, id est aquæ [3].

XII. [Ib. viii, 1.] Quod scriptum est [4], post centum quinquaginta dies adductum esse spiritum super terram, et desiisse aquam, et conclusos fontes abyssi, et

[1] Editi, *ea*; pro quo Mss., *eam*, juxta LXX, *autèn*: refertur ad arcam.
[2] Editi, *structuram ejus*. At omnes nostri Mss., *instructuram*.

(a) Confer lib. 15 de Civit. Dei, cap. 11.

[1] Sic plures et melioris notæ Mss. At excusi ferebant: *Ut haberet inferiora, haberet media et superiora, quæ appellantur tricamerata.*
[2] In editis, *Duo et duo.* Abest conjunctio, *et*, a Mss. et a græc. LXX.
[3] Editi, *Prævaluerunt aquæ*; omisso, *id est*, quod habent nostri omnes Mss.
[4] Editi: *Quod scriptum est exaltatam esse aquam post centum quinquaginta dies, et adductum esse spiritum*; refragantibus septem melioris notæ Mss. quos hic sequimur.

cataractas cœli, et detentam pluviam de cœlo; quæritur utrum post centum quinquaginta dies hæc facta sint, an per recapitulationem omnia commemorata sint, quæ post quadraginta dies pluviæ fieri cœperunt : ut hoc solum ad centum quinquaginta dies pertineat, quod usque ad ipsos aqua exaltata est, aut de fontibus abyssi cessante jam pluvia, aut quia mansit in altitudine sua, dum nullo spiritu[1] siccaretur; cætera vero quæ dicta sunt, non post centum quinquaginta dies omnia facta sint, sed commemorata sint omnia, quæ ex fine quadraginta dierum fieri cœperunt.

XIII. [Ib. VIII, 6-9.] Quod scriptum est, dimissum esse corvum, nec rediisse; et dimissam post eum columbam, et ipsam rediisse, quod non invenisset requiem pedibus suis : quæstio solet oboriri, utrum corvus mortuus sit, an aliquo modo vivere potuerit? quia utique si fuit terra ubi requiesceret, etiam columba requiem potuit invenire pedibus suis. Unde conjicitur a multis quod cadaveri potuerit corvus insidere, quod columba naturaliter refugit.

XIV. [Ib. VIII, 9.] Item quæstio est quomodo columba non invenerit ubi resideret, si jam, sicut narrationis ordo contexitur, nudata fuerant cacumina montium. Quæ videtur quæstio aut per recapitulationem posse dissolvi, ut ea posterius narrata intelligantur, quæ prius facta sunt; aut potius quia nondum siccata fuerant.

XV. [Ib. VIII, 21.] Quid sibi vult quod Dominus dicit, *Non adjiciam adhuc maledicere super terram propter opera hominum; quia apposita est mens hominis ad maligna a juventute*[2]. *Non adjiciam ergo adhuc percutere omnem carnem vivam, quemadmodum feci*; et deinde adjungit quæ secundum largitatem bonitatis suæ donat hominibus indignis? Utrum hic Testamenti Novi indulgentia figurata sit, et præterita ultio ad Vetus pertineat Testamentum : hoc est, illud ad Legis severitatem, hoc ad gratiæ bonitatem[3]?

XVI. [Ib. IX, 5.] Quid est, *Et de manu hominis fratris exquiram animam hominis?* An omnem hominem fratrem omnis hominis[4] intelligi voluit, secundum cognationem ex uno ductam?

XVII. [Ib. IX, 25.] Quare peccans Cham in patris offensa, non in seipso, sed in filio suo Chanaan maledicitur; nisi quia prophetatum est quodammodo terram Chanaan, ejectis inde Chananæis et debellatis, accepturos fuisse filios Israel, qui venirent de semine Sem?

XVIII. [Ib. X, 8.] Quæritur quomodo dictum sit de Nembroth, *Hic cœpit esse gigas super terram*; cum gigantes et antea natos Scriptura commemoret. An forte quia post diluvium novitas generis humani reparandi denuo commemoratur, in qua novitate hic cœpit esse gigas super terram?

[1] Am. Er. et Lov., *dum in illo spiritu*. At Rat. et omnes Mss., *dum nullo spiritu*.

[2] Editi, *ad malitiam a juventute*. At Mss. Corbeiensis et Eugypii duo, *ad maligna* : juxta græc. LXX, *ta ponêra*.

[3] Vetus codex Corbeiensis, *veritatem*.

[4] Editi, *hominis nomine intelligi*. Abest, *nomine*, a Mss. e quibus duo ejus loco habent, *vel hominis*.

XIX. [Ib. X, 25.] Quæritur quid sit, *Et Heber nati sunt filii duo; nomen unius Phalech, quia in diebus ejus divisa est terra* : nisi forte in diebus ejus linguarum illa diversitas exstiterit, per quam factum est ut gentes dividerentur.

XX. [Ib. XI, 1.] *Et erat omnis terra labium unum* : quomodo hoc potest intelligi, quando superius dictum est quod filii Noe, vel filiorum ejus distributi essent per terram secundum tribus et secundum gentes, et secundum linguas suas, nisi quia per recapitulationem postea commemorat quod prius erat? sed obscuritatem facit quod eo genere locutionis ista contexit, quasi narratio de iis quæ postea facta sunt, consequatur.

XXI. [Ib. XI, 4.] *Venite ædificemus nobis civitatem, et turrim cujus caput erit usque in cœlum.* Si hoc se posse crediderunt, nimium stulta audacia et impietas deprehenditur. Et quia ob hoc Dei vindicta secuta est, ut eorum linguæ dividerentur, non absurde hoc cogitasse creduntur.

XXII. [Ib. XI, 7.] *Venite descendamus, et confundamus ibi linguam eorum*[1], *ne audiat unusquisque vocem proximi* : utrum ad Angelos Dominus hoc dixisse intelligitur? an secundum illud accipiendum est, quod in exordio libri legitur, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26)? Nam et quomodo postea dicitur singulari numero, *quia ibi confudit Dominus labia terræ* : sic et illic cum dictum esset, *Faciamus ad imaginem nostram*; in consequentibus tamen non dictum est, Fecerunt, sed, *Fecit Deus*.

XXIII. [Ib. XI, 12, 13.] Quod scriptum est, *Et erat Arphaxad annorum centum triginta quinque, cum genuit Chainan; et vixit Arphaxad postquam genuit Chainan annos quadringentos*, vel, sicut in græco invenimus, *annos trecentos*; quæritur quomodo dixerit Deus ad Noe, *Erunt anni vitæ eorum centum viginti.* Nondum enim natus erat Arphaxad quando dixit hoc Deus, nec fuit in arca cum parentibus suis : quomodo ergo intelliguntur deinceps anni vitæ humanæ prædicti centum viginti, cum inveniatur homo vixisse amplius quadringentis annis? Nisi quia intelligitur, ante viginti annos quam inciperet arca fieri, quæ centum annis facta reperitur, hoc Deum dixisse ad Noe, cum jam prænuntiaret facturum se esse diluvium, nec vitæ humanæ deinceps futuræ in iis qui post diluvium nascerentur spatium prædixisse, sed vitæ hominum quos fuerat diluvio deleturus.

XXIV. [Ib. X, 21.] Quæritur quare scriptum sit, *Sem erat pater omnium filiorum Heber*; cum inveniatur Heber quintus a Sem filio Noe : utrum quia ex illo Hebræi dicuntur appellati? per illum enim generatio transiit ad Abraham. Quid ergo probabilius sit, Hebræos tanquam Heberæos dictos, an tanquam Abrahæos, merito quæritur (*a*).

[1] Editi, *linguas eorum*. Et paulo infra, *confudit Dominus labium terræ*. Nos juxta græcum, primo ad Corbeiensem codicem reponimus, *confundamus ibi linguam eorum*; deinde ad alios cum eodem septem, *labia terræ*.

(*a*) Vid. lib. 16 de Civit. Dei, cap. 5; et lib. 2 Retract., cap. 16.

XXV. [Ib. XI, 26.] 1. Quomodo accipiendum sit, quod cum esset Tharra[1] pater Abrahæ annorum septuaginta, genuit Abraham, et postea cum suis omnibus mansit in Charran, et vixit annos ducentos quinque in Charran, et mortuus est: et dixit Dominus ad Abraham ut exiret de Charran, et exiit inde, cum esset idem Abraham septuaginta quinque annorum? Nisi quia per recapitulationem ostenditur, vivo Tharra locutum esse Dominum; et Abraham vivo patre suo secundum præceptum Domini, exiisse de Charran, cum esset septuaginta quinque annorum, centesimo et quadragesimo quinto anno vitæ patris sui, si dies vitæ patris sui anni ducenti quinque fuerunt: ut ideo scriptum sit, *Fuerunt anni vitæ Tharræ ducenti quinque in Charran*, quia ibi complevit omnes annos totius vitæ suæ. Solvitur ergo quæstio per recapitulationem, quæ indissolubilis remaneret, si post mortem Tharræ acciperemus locutum esse Dominum ad Abraham ut exiret de Charran, quia non poterat esse adhuc annorum septuaginta quinque cum pater ejus jam mortuus esset, qui eum septuagesimo ætatis suæ anno genuerat; ut Abraham post mortem patris sui annorum esset centum triginta quinque, si omnes anni patris ejus ducenti quinque fuerunt. Recapitulatio itaque ista, si advertatur in Scripturis, multas quæstiones solvit, quæ indissolubiles possunt videri secundum etiam superiorum quæstionum expositionem, per eamdem recapitulationem factam.

2. Quanquam et aliter ista quæstio a quibusdam solvatur, ex illo computari annos ætatis Abrahæ, ex quo liberatus est de igne Chaldæorum, in quem missus ut arderet, quia eumdem ignem superstitione Chaldæorum colere noluit, liberatus inde, etsi in Scripturis non legitur, Judaica tamen narratione traditur. Potest et sic solvi, quoniam Scriptura quæ dixit, *Cum esset Tharra annorum septuaginta, genuit Abraham et Nachor et Arran*; non utique hoc intelligi voluit, quia eodem anno septuagesimo ætatis suæ omnes tres genuit, sed ex quo anno generare cœpit, eum annum commemoravit Scriptura. Fieri autem potest ut posterior sit generatus Abraham, sed merito excellentiæ, qua in Scripturis valde commendatur, prior fuerit nominatus: sicut propheta priorem nominavit minorem, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malach.* I, 2, 3); et in Paralipomenon cum sit quartus nascendi ordine Judas, prior est commemoratus (I *Paral.* IV, 1), a quo Judaicæ genti nomen est, propter tribum regiam. Commodius autem plures exitus inveniuntur, quibus quæstiones difficiles dissolvantur.

3. Consideranda est sane narratio Stephani de hac re, cui magis harum expositionum non repugnet. Et illud quidem cogit ut non sicut narrari videtur in Genesi (*Gen.* XII, 1), post mortem Tharræ locutus sit Deus ad Abraham, ut exiret de cognatione sua et de domo patris sui; sed cum esset in Mesopotamia priusquam habitaret in Charran, jam utique egressus de terra Chaldæorum, ut in illo itinere intelligatur ei locutus Deus. Sed quod Stephanus postea sic narrat, *Tunc Abraham egressus de terra Chaldæorum habitavit in Charran; et inde, postquam mortuus est pater ejus, collocavit eum in terra hac* (*Act.* VII, 4); non parvas affert angustias huic expositioni, quæ fit per recapitulationem. Videtur enim habuisse imperium Domini, quo ei fuerat locutus in itinere Mesopotamiæ, egresso de terra Chaldæorum, et eunti in Charran, et hoc imperium post mortem patris sui obedienter implesse, cum dicitur, *Et habitavit in Charran; et inde, postquam mortuus est pater ejus, collocavit illum in terra hac.* Ac per hoc manet quæstio, si septuaginta quinque annorum (sicut evidenter Scriptura Geneseos loquitur) fuit, quando egressus est de Charran, quomodo esse possit hoc verum, nisi forte quod ait Stephanus, *Tunc Abraham egressus est de terra Chaldæorum et habitavit in Charran*, non sic accipiatur, Tunc egressus est posteaquam ei locutus est Dominus; jam enim erat in Mesopotamia, sicut supra dictum est, quando illud audivit a Domino: sed ipsa regula recapitulationis contexere voluit Stephanus, et simul dicere, unde egressus, ubi habitaverit, cum ait, *Tunc Abraham egressus est de Terra Chaldæorum, et habitavit in Charran.* In medio autem, id est, inter egressum de terra Chaldæorum, et habitationem in Charran, locutus est ei Deus. Postea vero quod adjungit Stephanus, *Et inde, postquam mortuus est pater ejus, collocavit illum in terra hac*; intuendum est, quia non dixit, Et postquam mortuus est pater ejus, egressus est de Charran; sed, *Inde collocavit eum Deus in terra hac*: ut post habitationem in Charran collocaretur in terra Chanaan, non post mortem patris egressus, sed post mortem patris collocatus in terra Chanaan, ut ordo verborum sit, Habitavit in Charran, et inde collocavit illum in terra hac, postquam mortuus est pater ejus; ut tunc intelligamus collocatum vel constitutum Abraham in terra Chanaan, quando illic eum nepotem suscepit, cujus universum semen illic fuerat regnaturum, ex promisso Dei hæreditate donata. Nam ex ipso Abraham natus est Ismael de Agar, nati et alii ex Cethura, ad quos illius terræ non pertineret hæreditas. Et ex Isaac natus est Esau, qui similiter ab illa hæreditate alienatus est. Ex Jacob autem filio Isaac, quotquot filii nati sunt, id est universum semen ejus, ad illam hæreditatem pertinuit. Sic ergo collocatus et constitutus in illa terra Abraham, quoniam vixit usque ad nativitatem Jacob, si recte intelligitur; soluta quæstio est secundum recapitulationem; quamvis et aliæ solutiones non sunt contemnendæ.

XXVI. [Ib. XII, 12, 14.] *Erit ergo cum te viderint Ægyptii, dicent quia uxor illius hæc. Factum est autem statim ut intravit Abraham in Ægyptum, videntes Ægyptii mulierem quia speciosa erat valde.* Quomodo accipiatur, quod Abraham veniens in Ægyptum celare voluit uxorem suam esse Saram[1], secundum omnia quæ de hac re scripta sunt, utrum hoc convenerit tam sancto viro, an subdefectio[2] fidei ejus intelligatur,

[1] In excusis, *Thare*. At in Mss. constanter, *Thara*, vel *Tharra*; et sic in græco.

[1] Mss. constanter cum gemina *rr*, uti apud LXX, *Sarram*.
[2] Editi, *sub defectione fidei*. Legendum cum Mss., *subdefectio fidei*; uti rursum postea lib. [illegible], quæst. 50.

sicut nonnulli arbitrati sunt; jam quidem et contra Faustum de hac re disputavi (*Contra Faustum, lib.* 22, *cap.* 33 *et* 34); et diligentius a presbytero Hieronymo expositum est, quare non sit consequens ut cum aliquot dies apud regem Ægypti Sara fuerit, etiam ejus concubitu credatur esse polluta (*Hieron. lib. Quæstionum in Gen.*); quoniam mos erat regius, vicibus ad se admittere mulieres suas, et nisi lomentis [1] et unguentis diu prius accurato corpore, nulla intrabat ad regem. Quæ dum fierent, afflictus est Pharao manu Dei, ut viro redhiberet intactam, quam ipsi Deo maritus commiserat, tacens quod uxor esset, sed non mentiens quod soror esset: ut caveret quod poterat, quantum homo poterat, et Deo commendaret quod cavere non poterat; ne si et illa quæ [2] cavere poterat, Deo tantum dimitteret, non in Deum credere, sed Deum tentare potius inveniretur.

XXVII. [Ib. XIII, 10.] Quod terra Sodomorum et Gomorrhæ, antequam deleretur, comparatur paradiso Dei, eo quod erat irrigua, et terræ Ægypti [3] quam Nilus irrigat; satis, ut opinor, ostenditur quomodo intelligi debeat ille paradisus quem plantavit Deus, ubi constituit Adam. Quis enim alius intelligatur paradisus Dei, non video. Et utique si arbores fructiferæ in paradiso virtutes animi accipiendæ essent, sicut nonnulli existimant, nullo corporali in terra paradiso veris lignorum generibus instituto, non diceretur de ista terra, *sicut paradisus Dei*.

XXVIII. [Ib. XIII, 14.] *Respiciens oculis tuis, vide a loco in quo nunc tu es ad Aquilonem et Africum et Orientem et mare, quia omnem terram quam tu vides, tibi dabo eam et semini tuo usque in sæculum.* Quæritur hic quomodo intelligatur tantum terræ promissum esse Abrahæ et semini ejus, quantum poterat oculis circumspicere per quatuor cardines mundi. Quantum est enim quod ad terram conspiciendam acies corporalis visus possit attingere? Sed nulla est quæstio, si advertamus non hoc solum esse promissum: non enim dictum est, Tantum terræ dabo tibi quantum vides; sed, *Tibi dabo terram quam vides.* Cum enim et ulterior undique dabatur, profecto hæc præcipue quæ videbatur dabatur. Deinde attendendum est quod sequitur; quoniam ne putaret etiam ipse Abraham hoc solum promitti terræ quod aspicere vel circumspicere posset, *Surge,* inquit, *et perambula terram in longitudine ejus et latitudine, quia tibi dabo eam:* ut perambulando perveniret ad eam, quam oculis uno loco stans videre non posset. Significatur autem ea terra quam prius [4] populus accepit Israel, semen Abrahæ secundum carnem; non illud latius semen secundum fidem, quod ne taceretur, dictum est ei futurum sicut arena maris, secundum hyperbolen quidem, sed tamen tantum quod numerare nullus posset.

[1] Editi, *fomentis*: pro quo Mss., *lomentis*.
[2] Sic in Mss. At in editionibus Am. Er. et Lov., *ne si et illa quod*. In editione autem Rat. (id est quæ ex Augustini Ratisponensis recensione an. 497, vulgata est) legitur, *ne si et ille quod*.
[3] Editi, *ut terra Ægypti*. Mss. vero, *et terræ Ægypti*: supple, comparatur.
[4] Vetus codex Corbeiensis, *primus*.

XXIX. [Ib. XIV, 13.] *Et nuntiavit Abrahæ transfluviali.* Transfluvialem Abraham appellatum etiam græca exemplaria satis indicant: sed cur ita appellatus sit, hæc videtur causa, quod ex Mesopotamia veniens, transito flumine Euphrate, sedes constituit in terra Chanaan, et transfluvialis appellatus est ex ea regione unde venerat. Unde Jesus Nave dicit Israelitis: *Quid? vultis servire diis patrum vestrorum qui sunt trans flumen* (*Josue* XXIV, 15)?

XXX. [Ib. XV, 12.] De eo quod scriptum est, *Circa solis autem occasum pavor irruit super Abraham, et ecce timor magnus incidit ei;* tractanda est ista quæstio, propter eos qui contendunt perturbationes istas non cadere in animum sapientis: utrum tale aliquid sit quale Agellius [1] commemorat in libris Noctium Atticarum, quemdam philosophum in magna maris tempestate turbatum, cum esset in navi et animadversum a quodam luxurioso adolescente; qui cum ei post transactum periculum insultaret, quod philosophus cito perturbatus esset, cum ipse neque timuerit neque palluerit; respondit, ideo illum non perturbatum, quia nequissimæ animæ suæ nihil timere deberet, quod nec digna esset pro qua aliquid timeretur (*Agell. lib.* 19, *c.* 1. *De Civit. Dei, lib.* 9, *c.* 4). Cæteris autem studiosis, qui in navi fuerant, exspectantibus protulit librum quemdam Epicteti stoici, ubi legebatur non ita placuisse Stoicis, nullam talem perturbationem cadere in animum sapientis, quasi nihil tale in eorum appareret affectibus, sed perturbationem ab eis definiri, cum ratio talibus motibus cederet; cum autem non cederet, non dicendam perturbationem. Sed considerandum est quemadmodum hoc dicat Agellius, et diligenter inserendum [2].

XXXI. [Ib. XVII, 8.] *Dabo tibi et semini tuo post te terram in qua habitas, omnem terram cultam [3] in possessionem æternam.* Quæstio est quomodo dixerit æternam, cum Israelitis temporaliter data sit: utrum secundum hoc sæculum dicta sit æterna, ut ab eo quod est αἰὼν græce, quod sæculum significat, dictum sit αἰώνιον, tanquam si latine dici posset sæculare: an ex hoc aliquid secundum spiritualem promissionem hic intelligere cogamur, ut æternum dictum sit, ideo quia hinc æternum aliquid significatur: an potius locutionis est Scripturarum, ut æternum appellent, cujus rei finis non constituitur; aut non ita fit ut deinceps non sit faciendum, quantum pertinet ad curam vel potestatem facientis; sicut ait Horatius,

> Serviet æternum, qui parvo nesciet uti.
> (*Horat., lib.* 1, *epist.* 10.)

Non enim potest in æternum servire, cujus ipsa vita, qua servit, æterna esse non potest. Quod testimonium non adhiberem, nisi locutionis esset. Verborum quippe illi sunt nobis auctores, non rerum vel sententiarum. Si autem defenduntur Scripturæ secundum

[1] In excusis, *Aulus Gellius*. At in Mss. optimæ notæ ubique, *Agellius*: uti passim restitutum eunt viri litterati.
[2] Am. Er. et Lov., *et diligenter disserendum*. Editio Rat., *ut diligenter miserendus*. At Mss. duodecim, *et diligenter inserendum*.
[3] Apud LXX et in Vulgata, *terram Chanaan*. In Ms. Corb., *terram incultam*.

locutiones proprias, quæ idiomata vocantur, quanto magis secundum eas quas cum aliis linguis communes habent?

XXXII. [Ib. XVIII, 16.] Quæritur quomodo dictum sit ad Abraham de filio ejus, *Et reges gentium ex illo erunt :* utrum quia non provenit secundum regna terrena, secundum Ecclesiam accipi debeat; an propter Esau etiam ad litteram contigit.

XXXIII. [Ib. XVIII, 2.] *Et videns procucurrit in obviam illis ab ostio tabernaculi sui, et adoravit super terram, et dixit : Domine, si inveni gratiam ante te, ne prætereas servum tuum.* Quæritur cum tres viri essent qui ei apparuerant, quomodo singulariter Dominum appellet, dicens, *Domine, si inveni gratiam ante te :* an intelligebat unum ex eis Dominum, et alios angelos : an potius in angelis Dominum sentiens, Domino potius quam angelis loqui elegit : quia uno ex tribus cum ipso Abraham postea remanente, duo mittuntur in Sodomam, et illis sic loquitur Loth tanquam Domino.

XXXIV. [Ib. XVIII, 4.] *Sumatur aqua, et lavent pedes vestros, et refrigerate sub arbore, et sumam panem, et manducate.* Quæritur si angelos intelligebat, quomodo potuerit ad hanc humanitatem invitare; quoniam refectio mortali carni [1] necessaria est, non immortalitati Angelorum.

XXXV. [Ib. XVIII, 11.] *Abraham autem et Sara seniores, progressi in diebus : defecerant autem Saræ fieri muliebria.* Seniorum ætas minor est quam senum, quamvis et senes appellentur seniores. Unde si vera sunt quæ a nonnullis medicis asseruntur, quoniam senior vir cum muliere seniore filios facere non potest, etiamsi adhuc feminæ muliebria veniant; secundum hoc admiratum Abraham de promissione filii (*Gen.* XVII, 17), et miraculum posuisse Apostolum, accipere possumus, ubi dixit *emortuum corpus* Abrahæ (*Rom.* IV, 19). Emortuum quippe corpus non ita intelligendum est, ac si omnino nullam vim generandi habere posset, si mulier juvenilis [2] ætatis esset; sed secundum hoc emortuum, ut etiam de provectioris ætatis muliere non posset. Nam ideo de Cethura potuit, quia et juvenilis illam invenit ætatis. Sic enim medici tradunt, quoniam cujus corpus viri secundum hoc jam defecit, ut cum femina provectioris ætatis, quamvis menstrua adhuc patiatur, generare non possit, de juvencula potest. Et rursus mulier quæ jam provectæ ætatis est, quamvis adhuc menstrua fluant, ut de seniore parere non possit, de juvene potest. Illud itaque ideo miraculum fuit, quia secundum id quod diximus, emortuo corpore viri, femina quoque provectæ ætatis fuit, ut ei destitissent fieri muliebria. Nam si quod ait Apostolus, *corpus emortuum*, verbo quis premat, quia dixit *emortuum;* jam ergo nec animam habuisse, sed cadaver fuisse intelligi debet; quod absurdissimæ falsitatis est. Sic itaque solvitur ista quæstio. Alioquin merito movet quomodo cum esset Abraham prope mediæ ætatis, secundum quam homines tunc vivebant, et postea filios de Cethura fecerit, dicatur ab Apostolo, corpore emortuo, et pro miraculo, quia genuit, prædicetur?

XXXVI. [Ib. XVIII, 13.] *Et dixit Dominus ad Abraham, Quare risit Sara in semetipsa dicens, Ergo vere pariam* [1]*? ego autem senui.* Quæritur quare istam redarguat Dominus, cum et Abraham riserit, nisi quia illius risus admirationis et lætitiæ fuit, Saræ autem dubitationis; et ab illo hoc dijudicari potuit, qui corda hominum novit.

XXXVII. [Ib. XVIII, 15.] *Negavit Sara dicens, Non risi : timuit enim.* Quomodo intelligebant Deum esse qui loquebatur, cum etiam negare ausa sit Sara quod riserit, tanquam hoc ille posset ignorare : nisi forte Sara homines eos putabat, Abraham vero Deum intelligebat? Sed etiam ipse illa humanitatis officia præbendo, de quibus supra dixi, quæ necessaria nisi infirmæ carni esse non possent, mirum nisi homines prius esse arbitratus est : sed fortassis in quibus Deum loqui intellexit, quibusdam divinæ majestatis existentibus et apparentibus signis, sicut in hominibus Dei [2] sæpe apparuisse Scriptura testatur. Sed rursus quæritur, si ita est, unde angelos fuisse postea cognoverint, nisi forte cum eis videntibus in cœlum iissent.

XXXVIII. [Ib. XVIII, 19.] *Scio enim, quia constituet filiis suis, et domui suæ post se, et custodient vias Domini, et facere* [3] *justitiam et judicium, ut adducat Dominus in Abraham omnia, quæ locutus est ad illum.* Ecce ubi promittit Dominus Abrahæ non solum præmia, sed etiam obedientiam justitiæ filiorum ejus, ut circa eos etiam præmia promissa compleantur.

XXXIX. [Ib. XVIII, 21.] *Descendens ergo videbo si secundum clamorem ipsorum venientem ad me consummantur, si autem non, ut sciam.* Verba hæc si non dubitantis quid duorum potius eventurum sit, sed irascentis et minantis accipiamus, nulla quæstio est. More quippe humano Deus in Scripturis ad homines loquitur, et ejus iram noverunt sine perturbatione ejus intelligere, qui noverunt. Solemus autem etiam sic minaciter loqui, Videamus si non tibi facio, aut, Videamus si non illi fecero, et, si non potuero tibi facere; vel, Sciam, id est, hoc ipsum experibor, utrum non possim : quod cum minando non ignorando dicitur, irati apparet affectus; sed perturbatio non cadit in Deum. Mos autem humanæ locutionis et usitatus est, ut humanæ infirmitati congruat [4], cui Deus coaptat locutionem suam.

XL. [Ib. XVIII, 32.] Quæri solet utrum quod de Sodomis dixit Deus, non se perdere locum, si invenirentur illic vel decem justi, speciali quadam sententia, de illa civitate, an de omnibus intelligendum sit generaliter, parcere Deum loco, in quocumque vel decem justi fuerint. In qua quæstione non est quidem necesse ut hoc de omni loco accipere compellamur : verumtamen de Sodomis potuit et sic dici, quia sciebat Deus

[1] Mss. melioris notæ, *quæ refectioni mortalis carnis.*
[2] In antiquis codicibus constanter scriptum, *juvenalis.*

[1] Sic Mss. juxta græcum. Editi vero, *ego vero pariam.*
[2] Editi, *Deum.* At Mss., *Dei.*
[3] Sic Mss. juxta græc. LXX. At editi habent, *ut custodiant vias Domini, et faciant.*
[4] Mss., *congruit.*

ibi non esse vel decem; et ideo sic respondebatur Abrahæ, ut significaretur nec tot ibi posse inveniri, ad exaggerationem iniquitatis illorum. Non enim necesse erat Deo tam sceleratis hominibus parcere, ne cum illis perderet justos; cum posset, justis inde liberatis, reddere impiis digna supplicia : sed, ut dixi, ad ostendendam malignitatem multitudinis illius, dixit, *Si decem ibi invenero*, *parcam universæ civitati;* tanquam si diceret, Certe possum nec pios cum impiis perdere, nec tamen propterea impiis parcere quia liberatis et separatis inde piis, possum impiis digna rependere; et tamen si ibi inveniantur, parco; hoc est, quia nec tot ibi possent inveniri. Tale aliquid est apud Jeremiam, ubi ait, *Circuite vias Jerusalem, et videte, et quærite in plateis ejus, et cognoscite si invenietis hominem facientem justitiam et quærentem fidem, et propitius ero peccatis eorum* (*Jerem.* v, 1) : id est, invenite vel unum, et parco cæteris; ad exaggerandum et demonstrandum quod nec unus ibi posset inveniri.

XLI. [Ib. xix, 1.] Quod occurrit Loth angelis, et adoravit in faciem, videtur intellexisse quod angeli essent; sed rursus cum eos ad refectionem corporis invitat, quæ mortalibus necessaria est, videtur putasse quod homines essent : ergo quæstio similiter solvitur, ut soluta est in tribus qui venerunt ad Abraham, ut aliquibus signis appareret eos divinitus missos, qui tamen homines crederentur. Nam hoc et in Epistola quæ est ad Hebræos, cum de hospitalitatis bono Scriptura loqueretur, ait : *Per hanc enim quidam nescientes hospitio receperunt angelos* (*Hebr.* xiii, 2).

XLII. [Ib. xix, 8.] Quod ait Sodomitis Loth, *Sunt mihi duæ filiæ quæ nondum noverunt viros, producam illas ad vos; utimini illis quomodo placuerit vobis, tantum in viros istos ne faciatis iniquum;* quoniam prostituere volebat filias suas hac compensatione, ut viri hospites ejus nihil a Sodomitis tale paterentur : utrum admittenda sit compensatio flagitiorum vel quorumque peccatorum, ut nos faciamus mali aliquid, ne alius gravius malum faciat; an potius perturbationi Loth, non consilio tribuendum sit quia hoc dixerit, merito quæritur. Et nimirum periculosissime admittitur hæc compensatio : si autem perturbationi humanæ tribuitur, et menti tanto malo permotæ, nullo modo imitanda est.

XLIII. [Ib. xix, 11.] *Viros vero qui erant ad ostium domus percusserunt cæcitate.* Græci habent, ἀορασίᾳ, quod magis significat, si dici posset, avidentia, quæ faciat non videri, non omnia, sed quod non opus est. Nam merito movet quomodo potuerunt deficere quærendo ostium, si tali erant cæcitate percussi, ut omnino nihil viderent. Hoc enim modo sua calamitate turbati, ulterius ostium non requirerent. Hac ἀορασίᾳ et illi percussi sunt, qui quærebant Elisæum (IV *Reg.* vi, 18). Hanc et illi habuerunt, qui Dominum post resurrectionem cum illo ambulantes in via non cognoverunt (*Luc.* xxiv, 16); quamvis ibi non sit hoc verbum positum, sed res ipsa intelligatur.

XLIV. [Ib. xix, 18, 19.] *Dixit autem Loth ad illos : Oro, Domine, quia invenit puer tuus misericordiam ante te, et magnificasti justitiam tuam, quam facis in me, ut vivat anima mea; ego autem non possum salvus fieri in monte, ne forte comprehendant me mala et moriar.* Hæc perturbatione timoris non credebat ipsi Domino, quem in angelis cognoscebat, qua etiam illud de filiabus suis prostituendis dixerat; ut intelligamus non pro auctoritate habendum quod dixit de turpitudine filiarum : non enim et hoc pro auctoritate habendum est, Deo non esse credendum.

XLV. [Ib. xix, 29.] *Et recordatus est Deus Abraham, et exemit Loth de medio eversionis.* Commendat Scriptura meritis magis Abrahæ liberatum esse Loth, ut intelligamus justum Loth dictum secundum quemdam modum, maxime quod unum verum Deum colebat, et propter comparationem scelerum Sodomorum, inter quos vivens ad vitam similem non potuit inclinari.

XLVI. [Ib. xix, 30.] *Ascendit autem Loth de Segor, et sedebat in monte.* Mirum nisi ipse mons est, in quem sponte ascendit, quo admonente Domino ascendere noluit : aut enim nullus est alius, aut non apparet.

XLVII. [Ib. xix, 30.] *Timuit enim habitare in Segor.* Infirmitati ejus Dominus et timori concesserat civitatem quam Loth ipse delegerat, et in ea promiserat ei securitatem, quod propter illum parceret civitati : tamen etiam ibi esse timuit; ita fides ejus non magni roboris fuit.

XLVIII. [Ib. xx, 2.] *Dixit autem Abraham de Sara uxore sua, Soror mea est. Timuit enim dicere, Uxor mea est, ne forte occiderent eum viri civitatis propter illam.* Quæri solet quomodo adhuc in illa ætate pro Saræ pulchritudine Abraham periclitari metuebat. Sed magis formæ illius vis miranda est, quæ adhuc amari poterat, quam quæstio difficilis putanda.

XLIX. [Ib. xx, 6.] Quod ait Deus ad Abimelech, propter Saram, *Et peperci tibi ut non peccares in me*, quando eum admonuit uxorem Abrahæ esse, quam putabat sororem : advertendum est et notandum, in Deum peccari, quando talia committuntur quæ putant homines leviter habenda, tanquam in carne peccata. Quod autem dixit ei, *Ecce tu morieris* : etiam hoc notandum est, quomodo dicat Deus tanquam prædicens sine dubio futurum quod admonendo dicit, ut a peccato abstinendo caveatur.

L. [Ib. xxi, 8.] Merito quæritur cur Abraham nec die quo natus est ei filius, nec die quo circumcisus est, sed die quo ablactatus est, epulum fecerit. Quod nisi ad aliquam spiritualem significationem referatur, nulla solutio quæstionis est; tunc scilicet esse debere magnum gaudium spiritualis ætatis, quando fuerit factus homo novus spiritualis, id est, non talis qualibus dicit Apostolus, *Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis : sed nec adhuc potestis; adhuc enim estis carnales* (I *Cor.* iii, 2).

LI. [Ib. xxi, 10.] Quæritur Sara dicente, *Ejice ancillam et filium ejus, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac*, quare contristatus sit Abraham,

cum ista fuerit prophetia, quam utique magis debuit nosse ipse quam Sara. Sed intelligendum est, vel ex revelatione hoc dixisse Saram, quia prius illi fuerat revelatum; illum vero quem de hac postea Dominus instruit, paterno affectu pro filio fuisse commotum; vel ambos prius nescisse quidnam illud esset, et per Saram nescientem hoc prophetice dictum esse, cum illa mota esset muliebri animo propter ancillæ superbiam.

LII. [Ib. XXI, 13.] Notandum quod et Ismael dictus sit a Deo semen Abrahæ, propter illud quod sic accipiendum docet Apostolus quod dictum est, *In Isaac vocabitur tibi semen; id est, non filii carnis, sed filii promissionis deputantur in semine* (*Rom.* IX, 7, 8): ut hoc proprie pertineat ad Isaac, qui non fuit filius carnis, sed filius promissionis, ubi promissio fit de omnibus gentibus.

LIII. [Ib. XXI, 14.] *Surrexit autem Abraham mane, et sumpsit panes et utrem aquæ, et dedit Agar, et imposuit in humeros, et puerum, et dimisit illam.* Fieri quæstio solet quomodo imposuerit in humeros et puerum tam grandem. Nam qui fuerat antea quam natus esset Isaac, tredecim annorum circumcisus, cum esset Abraham nonaginta novem, et natus sit Isaac centenario patre, ludebat autem Ismael cum Isaac quando Sara commota est, utique cum grandiusculo, qui jam fuerat ablactatus; profecto annorum fuit Ismael, quando cum matre sua de domo patris expulsus est, amplius sexdecim. Sed ut hoc quod cum parvulo lusit, per recapitulationem dictum accipiamus, antequam ablactaretur Isaac; profecto etiam sic amplius quam tredecim annorum puer in humeros matris, cum utre et panibus, nimis absurdum est ut impositus esse credatur. Quam facile autem solvitur quæstio, si non subaudiamus, imposuit; sed, dedit. Dedit enim Abraham, sicut scriptum est, matri ejus panes et utrem, quæ illa imposuit in humeros suos. Cum autem adjunctum et dictum est *et puerum*, subaudimus dedit, qui panes et utrem dederat; non, in humeros imposuit.

LIV. [Ib. XXI, 15-18.] *Defecit autem aqua de utre, et projecit puerum sub unam abietem, et discessit, et sedere cœpit contra illum longe quantum arcus mittit; dixit enim, Non videbo mortem filii mei: et sedit contra eum. Exclamans autem puer ploravit; et exaudivit Deus vocem pueri de loco ubi erat: et vocavit angelus Dei Agar de cœlo, et dixit ei, Quid est, Agar? Noli timere, exaudivit enim Deus vocem filii tui de loco in quo est. Surge, et accipe puerum, et tene illum in manu tua: in magnam enim gentem faciam illum.* Solet quæri quomodo, cum puer esset annorum amplius quindecim, projecerit eum mater sub arborem, et ierit longe quantum arcus mittit, ne videret eum morientem; quasi enim quem portabat projecerit, ita videtur sonare quod dicitur, maxime quia sequitur, *Flevit puer.* Sed intelligendum est projectum esse non a portante, sed ut fit, ab animo, tanquam moriturum. Neque enim quod scriptum est, *Projectus sum a facie oculorum tuorum* (*Psal.* XXX, 23), portabatur qui hoc dixit. Et est in quotidiano loquendi usu, cum projici dicitur aliquis ab aliquo cum quo erat, ne ab illo videatur aut cum illo maneat. Intelligendum est autem quod Scriptura tacuit, ita discessisse matrem a filio, ut puer ignoraret quo mater abierit, et eam in silvestribus stirpibus latuisse, ne filium siti deficientem videret. Ille autem etiam illa ætate, quid mirum si matre diutius non visa et tanquam perdita, eo loco, ubi solus remanserat, flevit? Quod ergo postea dicitur, *Accipe puerum*, non ut eum de terra velut jacentem tolleret, dictum est, sed ut ei conjungeretur, et eum manu teneret deinceps comitem, sicut erat: quod plerumque faciunt simul ambulantes cujuslibet ætatis.

LV. [Ib. XXI, 22.] *Factum est autem in tempore illo, et dixit Abimelech*, etc. Quæri potest, quando cum isto Abimelech pactum fecit Abraham, et appellatus est puteus quem fodit, Puteus jurationis, quomodo congruat veritati. Agar enim de Abrahæ domo expulsa cum filio, juxta puteum, sicuti dictum est, jurationis errabat, qui valde postea dicitur factus ab Abraham: ibi enim Abimelech et Abraham juraverunt, quod nondum utique factum erat, cum de domo Abrahæ Agar cum filio fuisset expulsa. Quomodo ergo errabat juxta puteum jurationis? An factum jam fuisse intelligendum est, et per recapitulationem postea commemoratum quod egit Abraham cum Abimelech? Nisi forte qui longe postea librum scripsit, ex nomine putei jurationis appellavit regionem, in qua cum filio mater errabat, tanquam diceret, Errabat in illa regione, ubi puteus jurationis factus est: quamvis puteus postea sit factus, sed longe ante ætatem scriptoris; sic autem appellabatur puteus cum liber scriberetur, nomen tenens antiquum, quod Abraham imposuerat. Si autem ipse est puteus, quem apertis oculis vidit Agar, nihil restat nisi ut per recapitulationem quæstio dissolvatur. Nec movere debet quomodo puteum, quem foderat Abraham, nesciebat Agar si ante est ille fossus quam illa expulsa. Valde enim fieri potuit ut pecorum suorum causa, longe a domo in qua cum suis habitabat, puteum foderet, quem illa nesciret.

LVI. [Ib. XXI, 33.] Quæri potest quomodo ad puteum juramenti agrum [1] plantaverat Abraham, si in terra illa, quemadmodum Stephanus dicit, non acceperat hæreditatem, nec spatium pedis (*Act.* VII, 5). Sed ea est intelligenda hæreditas quam Deus munere suo fuerat daturus, non empta pretio. Intelligitur autem spatium circa puteum ad illud emptionis pactum pertinere, in quo fuerant agnæ septem datæ, quando Abimelech et Abraham sibi etiam juraverunt.

LVII. [Ib. XXII, 1.] *Et tentavit Deus Abraham.* Quæri solet quomodo hoc verum sit, cum dicat in Epistola sua Jacobus quod Deus neminem tentat (*Jacobi*, I, 13): nisi quia locutione Scripturarum solet dici, tentat, pro eo quod est probat. Tentatio vero illa de qua Jacobus dicit, non intelligitur nisi qua quisque peccato implicatur. Unde Apostolus dicit: *Ne forte ten-*

[1] Mss. Beccensis et Michaelinus, *nemus*.

taverit vos is qui tentat (I *Thess.* III, 5). Nam et alibi scriptum est, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (*Deut.* XIII, 3) : etiam hoc genere locutionis, ut *sciat*, dictum est, ac si diceretur, ut scire vos faciat; quoniam vires dilectionis suæ hominem latent, nisi divino experimento etiam eidem innotescant.

LVIII. [Ib. XXII, 12.] Vox angeli de cœlo ad Abraham, *Ne injicias manum in puerum, neque facias ei quidquam. Modo enim cognovi, quoniam timeas Deum tu*; etiam ista quæstio simili locutione solvitur : hoc est enim, *Nunc cognovi, quoniam timeas Deum tu*, quod significat, Nunc te feci cognoscere. In consequentibus autem hoc genus locutionis evidenter apparet, ubi dicitur, *Et vocavit Abraham nomen loci illius, Dominus vidit; ut dicant hodie, In monte Dominus apparuit. Vidit*, pro eo quod est apparuit, hoc est *vidit*, pro eo quod est videri fecit; significans per efficientem id quod efficitur, sicut frigus pigrum quod pigros facit.

LIX. [Ib. XXII, 12.] *Et non pepercisti filio tuo dilecto propter me.* Numquid Abraham propter Angelum non pepercit filio suo, et non propter Deum? Aut ergo angeli nomine Dominus Christus significatus est, qui sine dubio Deus est, et manifeste a propheta dictus est, *magni consilii Angelus* (*Isai.* IX, 6, *sec. LXX*); aut quod Deus erat in angelo, et ex persona Dei angelus loquebatur, sicut in Prophetis etiam solet. Nam in consequentibus hoc magis videtur apparere ubi legitur, *Et vocavit angelus Domini Abraham iterum de cœlo, dicens, Per memetipsum juravi, dicit Dominus.* Non facile enim invenitur Dominus Christus Patrem Dominum dicere tanquam suum Dominum, illo præsertim tempore antequam sumeret carnem. Nam secundum id quod formam servi accepit, non incongruenter hoc dici videtur. Nam secundum hujus rei futuræ prophetiam illud est in Psalmo, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu* (*Psal.* II, 7). Nam neque in ipso Evangelio facile invenimus a Christo Deum Patrem Dominum appellatum, quod Dominus ejus esset; quamvis Deum inveniamus in illo loco, ubi ait, *Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17). Quod autem scriptum est, *Dixit Dominus Domino meo* (*Psal.* CIX, 1), ad ipsum qui loquebatur refertur, id est, *Dixit Dominus Domino meo*, Pater scilicet Filio : et, *Pluit Dominus a Domino*, qui scribebat dixit (*Gen.* XIX, 24); ut Dominus ejus a Domino ejus, id est, Dominus noster a Domino nostro pluisse intelligatur, Filius a Patre.

LX. [Ib. XXII, 21.] Quod in his quos nuntiaverunt Abrahæ natos esse filios Melchæ, nominatur et Chamuel pater Syrorum, non utique illi qui nuntiaverunt, nuntiare patrem Syrorum potuerunt : ex origine quippe illius Syrorum genus longe postea propagatum est. Sed dictum est a persona scribentis, qui post omnia illa tempora hæc scribendo narravit; quemadmodum supra diximus de puteo jurationis (*Sup. quæst.* 55).

LXI. [Ib. XXIII, 7.] *Exsurgens autem Abraham adoravit populum terræ.* Quæritur quomodo scriptum sit, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13; X, 20); cum Abraham sic honoraverit populum quemdam gentium, ut etiam adoraret. Sed animadvertendum est in eodem præcepto, non dictum, Dominum Deum tuum solum adorabis, sicut dictum est, *Et illi soli servies*, quod est græce λατρεύσεις. Talis enim servitus nonnisi Deo debetur. Unde damnantur idololatræ, id est, ejusmodi servitutem exhibentes idolis, quæ debetur Deo. Nec moveat quod alio loco in quadam Scriptura prohibet angelus hominem adorare se, et admonet ut Dominus potius adoretur (*Apoc.* XIX, 10). Talis enim apparuerat angelus ut pro Deo posset adorari; et ideo fuerat corrigendus adorator.

LXII. [Ib. XXIV, 3.] Quod Abraham jubet puero suo ut manum suam ponat sub ejus femore, et sic eum adjurat per Dominum Deum cœli, et Dominum terræ, solet imperitos movere; non attendentes magnam istam de Christo exstitisse prophetiam, quod ipse Dominus Deus cœli et Dominus terræ in ea carne venturus esset, quæ de illo femore propagata est.

LXIII. [Ib. XXIV, 12-14.] Quærendum quo differant augurationes illicitæ ab illa petitione signi, qua petivit servus Abrahæ ut ei Deus ostenderet ipsam esse futuram uxorem domini sui Isaac, a qua cum petivisset ut biberet, diceretur illi, *Bibe et tu, et adaquabo camelos tuos quoadusque bibere desinent.* Aliud est enim, mirum aliquid petere quod ipso miraculo signum sit; aliud ea observare, quæ ita fiunt ut mira non sint, sed a conjectoribus superstitiosa vanitate interpretentur. Sed hoc ipsum etiam quod mirum aliquid postulatur, quo significetur quod quisque vult nosse, utrum audendum sit, non parva quæstio est. Eo namque pertinet, quod dicuntur qui hoc non recte faciunt, tentare Dominum. Nam ipse Dominus cum a diabolo tentaretur, testimonium de Scripturis adhibuit, *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI, 16; *Matth.* IV, 7). Suggerebatur enim tanquam homini ut signo aliquo exploraret ipse quantus esset, id est, quam multum apud Deum posset; quod vitiose fit, cum fit. Ab hoc autem discernitur quod Gedeon fecit pugnæ imminente periculo (*Jud.* VI, 17) : consultatio quippe illa magis quam tentatio Dei fuit. Unde et Achaz apud Isaiam timet signum petere, ne Deum tentare videatur, cum hoc eum Dominus admoneat per prophetam (*Isai.* VI, 11, 12); credo, existimans quod ab ipso propheta exploraretur utrum præcepti memor esset, quo tentare Deum prohibemur.

LXIV. [Ib. XXIV, 37, 38.] Servus Abrahæ narrans quæ sibi mandata fuerant a domino suo, dicit eum sibi dixisse, *Non sumes uxorem filio meo a filiabus Chananæorum, inter quos ego habito in terra eorum; sed in domum patris mei ibis, et in tribum meam, et sumes uxorem filio meo inde* : et cætera si legantur quemadmodum illi mandata sint, sententia eadem reperitur; verba vero non omnia, vel ipsa, vel ita dicta sunt. Quod admonendum putavi propter stultos et indoctos homines, qui Evangelistis hinc calumniantur, quod in aliquibus verbis non omni modo conve-

niunt, quamvis rebus atque sententiis omnino non discrepent. Certe enim istum librum unus homo scripsit, qui ea quæ supra dixit cum mandaret Abraham, vel relecta sic ponere potuit, si ad rem pertinere judicaret, cum veritas narrationis exigitur [1], nisi ut rerum sententiarumque sit, quibus voluntas, propter quam intimandam verba fiunt, satis appareat.

LXV. [Ib. XXIV, 41.] Quod habent latini codices, narrante servo Abrahæ quæ sibi mandaverat dominus ejus, *Tunc innocens eris a juramento meo*, vel, *juratione mea;* græci habent, *a maledicto meo :* ὅρκος enim dicitur juratio, ἀρὰ maledictum; unde et κατάρατος maledictus vel ἐπικατάρατος dicitur. Proinde oritur quæstio, quomodo illa juratio maledictum possit intelligi; nisi quia maledictus est qui contra jurationem fecerit.

LXVI. [Ib. XXIV, 49.] *Si ergo facitis misericordiam et justitiam ad dominum meum, renuntiate mihi.* Duo illa quæ assidue ponuntur in aliis sanctis Scripturis, et maxime in Psalmis, misericordia, et justitia, tantumdem enim valet misericordia et veritas, hinc jam apparere cœperunt.

LXVII. [Ib. XXIV, 51.] *Ecce Rebecca in conspectu tuo; accipiens recurre, et sit uxor filii domini tui, quemadmodum locutus est Dominus.* Quæritur quando locutus sit Dominus, nisi quia vel prophetam esse Abraham noverant, et prophetice a Domino dictum quod per illum dictum fuerat, agnoscebant : aut signum illud quod sibi datum servus ejus narravit, locutionem Domini appellaverunt; hoc enim magis de Rebecca expressum est. Nam quod Abraham dixerat, non de Rebecca dixerat, sed de aliqua femina ex tribu vel cognatione sua; et hoc ad utrumque, ut immunis esset a juramento servus, si non impetrasset : quod utique non dicitur, cum aliquid prophetatur. Certam enim decet esse prophetiam.

LXVIII. [Ib. XXIV, 60.] Quod Rebeccæ dixerunt fratres ejus proficiscenti, *Soror nostra es, esto in millia millium, et hæreditatem obtineat semen tuum, civitates adversariorum :* non prophetæ fuerunt, aut vanitate tam magna optaverunt; sed eos quæ promiserat Deus Abrahæ latere non potuit.

LXIX. [Ib. XXIV, 63.] Quod scriptum est, *Et exiit Isaac exerceri in campo meridie;* qui verbum de hac re græcum nesciunt, exercitationem corporis putant. Scriptum est autem græce ἀδολεσχῆσαι : ἀδολεσχεῖν vero ad animi exercitationem pertinet, et sæpe vitio deputatur; more tamen Scripturarum plerumque in bono ponitur. Pro isto verbo quidam interpretati sunt exercitationem, quidam garrulitatem, quasi verbositatem, quæ in bono, quantum ad latinum eloquium pertinet, vix aut nunquam invenitur; sed, ut dixi, in Scripturis plerumque in bono dicitur : et videtur mihi significare animi affectum studiosissime aliquid cogitantis cum delectatione cogitationis; nisi aliud sentiunt qui hæc verba græca melius intelligunt.

LXX. [In XXV, 1.] *Adjiciens autem Abraham sumpsit uxorem nomine Cethuram.* Quæstio hæc esset, si peccatum esset, maxime in antiquis dantibus operam propagandæ proli. Quodlibet enim hic quam incontinentia suspicanda est tanti viri, in illa præsertim jam ætate. Cur autem de hac filios fecerit, qui cum miraculo de Sara fecerat, supra dictum est (*Quæst.* 35): quanquam nonnulli donum quod accepit Abraham velut reviviscentis corporis ad filios procreandos, diu permansisse asserant, ita ut posset et alios procreare. Sed multo est absolutius de adolescentula potuisse seniorem, quod senior de seniore non posset, nisi Deus illic miraculum præstitisset, maxime propter Saræ non solum ætatem, verum etiam sterilitatem. Sane etiam grandioris ætatis, et sicut Scriptura loquitur, plenum dierum posse dici seniorem, hoc est presbyterum, hinc intelligi potest, quia hoc Abraham appellatus est quando mortuus est. Proinde omnis senex etiam presbyter, non omnis presbyter etiam senex; quia plerumque est hoc nomen ætatis quæ infra senectutem senectuti vicina est, et ex hoc etiam ipsa a senectute nomen accepit in latina lingua, ut presbyter senior appelletur. Apud Græcos autem, maxime sicut Scriptura loquitur, πρεσβύτεροι et νεώτεροι dicuntur, etiamsi ætates juvenum comparentur; quod dicimus nos majorem atque juniorem. Verumtamen hoc factum Abrahæ, quod post mortem Saræ de Cethura filios procreavit, non sic accipiendum est, quasi humana consuetudine et cogitatione tantummodo substituendæ numerosioris prolis hoc factum sit. Sic enim possent accipere homines etiam quod de Agar factum est, nisi Apostolus admoneret illa fuisse facta prophetice, ut in utrisque personis mulierum earumque filiorum duo Testamenta ad futurorum prænuntiationem allegorica significatio figuraret (*Galat.* IV, 22-24). Unde in isto quoque Abrahæ facto aliquid tale quærendum est; etsi non facile occurrat, ego interim quod occurrit : munera quæ acceperunt filii concubinarum, videntur mihi significare quædam Dei dona, vel in sacramentis vel in quibusque signis, etiam carnali populo Judæorum et hæreticis data, velut filiis concubinarum; cum hæreditatis munus, quod est charitas et vita æterna, nonnisi ad Isaac pertineat, hoc est, ad filios promissionis.

LXXI. [Ib. XXV, 13.] Quid sibi vult quod scriptum est, *Hæc sunt nomina filiorum Ismael secundum nomina generationum eorum?* Non enim satis elucet cur additum sit, *secundum nomina generationum eorum;* cum ii soli nominentur quos ille genuit, non etiam qui ab ipsis geniti sunt. Nisi forte quia nationes ex illis propagatæ eorum nominibus appellantur, hoc significatum sit, cum dictum est, *secundum nomina generationum eorum :* quamvis hoc modo illæ nationes sint potius secundum nomina istorum, non ista nomina secundum illas nationes; quia illæ posterius exstiterunt. Unde notanda locutio est, quia et postea de illis dicitur, *duodecim principes secundum gentes eorum.*

LXXII. [Ib. XXV, 22.] Quod de Rebecca scriptum

[1] Editi, *non exigitur*. Abest negatio a Mss. quæ hic propter subsequentem particulam *nisi*, inserta fuit; sed perperam, cum detracta illa perelegans sit iste dicendi modus, *si ad rem pertinere judicaret, nisi ut rerum sententiarumque sit veritas, quæ in narratione exigitur.*

est, quia venit interrogare Dominum cum gestirent puerperia in utero ejus, quæritur quo ierit. Non enim erant tunc prophetæ, aut sacerdotes secundum ordinem tabernaculi vel templi Domini. Quo ergo ierit, merito movet, nisi forte ad locum ubi aram constituerat Abraham. Sed illic quomodo responsa audierit [1], omnino tacet Scriptura; utrum per aliquem sacerdotem, quod incredibile est, si erat, non fuisse nominatum, et nullam ibi omnino sacerdotum aliquorum factam esse mentionem. An forte ibi cum orando allegassent desideria sua, dormiebant in loco, ut per somnium monerentur? An adhuc vivebat Melchisedech, cujus tanta fuit excellentia, ut a nonnullis dubitetur, utrum homo, an angelus fuerit? An erant aliqui tales etiam illo tempore homines Dei, in quibus posset Deus interrogari? Quidquid horum est, et si quid aliud quod me forte, ne commemorarem, præterierit, mentiri tamen Scriptura non potest, quæ dixit Rebeccam iisse ad interrogandum Dominum, eique Dominum respondisse.

LXXIII. [Ib. xxv, 23.] In eo quod Dominus respondit Rebeccæ, *Duæ gentes in utero tuo sunt, et duo populi de ventre tuo separabuntur, et populus populum superabit, et major serviet minori*, spirituali intelligentia carnales in populo Dei significantur per majorem filium, et spirituales per minorem: quia sicut dicit Apostolus, *Non prius quod spirituale, sed quod animale; postea, spirituale* (I *Cor.* xv, 46). Solet et sic intelligi hoc quod dictum est, ut in Esau figuratus sit major populus Dei, hoc est Israeliticus secundum carnem: per Jacob autem figuratus sit ipse Jacob secundum spiritualem progeniem. Sed etiam historica proprietate hoc responsum invenitur esse completum, ubi populus Israel, hoc est Jacob minor filius, superavit Idumæos, hoc est gentem quam propagavit Esau, eosque fecit tributarios per David: quod diu fuerunt, usque ad regem [scilicet Joram [2]] sub quo Idumæi rebellaverunt, et jugum Israelitarum Idumæi a cervice sua deposuerunt, secundum prophetiam ipsius Isaac quando minorem pro majore benedixit; hoc enim dixit eidem majori, cum et ipsum postea benediceret (*Gen.* xxvii, 40).

LXXIV. [Ib. xxv, 27.] *Jacob autem erat homo simplex habitans domum.* Quod græce dicitur ἄπλαστος, hoc latini simplicem interpretati sunt. Proprie autem ἄπλαστος non fictus; unde aliqui latini interpretes, sine dolo, interpretati sunt, dicentes, *Erat Jacob sine dolo habitans in domo*: ut magna sit quæstio, quomodo per dolum acceperit benedictionem qui erat sine dolo. Sed ad significandum magnum aliquid hoc Scriptura præmisit [3]. Hinc enim maxime cogimur ad intelligenda illo loco spiritualia, quia sine dolo erat qui dolum fecit. Unde quid sentiremus, in sermone quodam ad populum habito satis diximus (*Serm.* 4, n. 16-24).

[1] Sic in Mss. Beccensi et Michaelino. In cæteris, *responsa dentur.*

[2] Id abest a Mss.

[3] Am. Er. et Lov., *aliquid quod Scriptura prætermisit.* Rat., *aliquid quod Scriptura præmisit.* Longe melius Mss. quos hoc loco sequimur.

LXXV. [Ib. xxvi, 1.] In eo quod scriptum est, *Facta est autem fames super terram, præter famem quæ ante facta est in tempore Abraham: abiit autem Isaac ad Abimelech regem Philistinorum in Gerara;* quæritur hoc quando sit factum: utrum posteaquam Esau vendidit primogenita sua cibo lenticulæ; post illam quippe narrationem hoc narrari incipit: an, ut fieri solet, per recapitulationem narrator ad ea reversus sit, cum progressus de filiis ejus ad eum locum pervenisset, qui de lenticula commemoratus est. Movet autem, quia ipse invenitur Abimelech, qui etiam Saram concupiverat: ipsius enim paranymphus et princeps militiæ, qui ibi commemorati sunt, etiam hic commemorantur, utrum vel vivere potuerint. Quando enim factus est amicus Abrahæ, nondum natus erat Isaac, sed jam promissus. Ponamus ante annum quam nasceretur [1] Isaac, illud fuisse factum: deinde Isaac suscepit filios, cum esset annorum sexaginta; illi autem juvenes erant quando vendidit Esau primogenita sua: ponamus etiam ipsos circa viginti annos fuisse; fiunt anni ætatis Isaac usque ad illud factum filiorum ejus, circiter octoginta: adolescentem accipiamus fuisse Abimelech, quando matrem ipsius concupivit, et Abrahæ amicus est factus; potuit ergo jam esse quasi centenarius, si post illud factum filiorum suorum perrexit in illam terram famis necessitate Isaac. Non ergo ex hoc cogit ulla necessitas, per recapitulationem putare narratam profectionem Isaac in Gerara. Sed quia ibi diuturno tempore fuisse Isaac scribitur, et puteos fodisse, et de his contendisse, et ditatum fuisse pecunia; mirum nisi recapitulando ista commemorantur, quæ ideo fuerant prætermissa, ut primum de filiis ejus usque ad illum locum de lenticula narratio perveniret.

LXXVI. [Ib. xxvi, 12, 13.] Ideo quod scriptum est de Isaac, *Benedixit autem eum Dominus, et exaltatus est homo, et procedens major fiebat, quoadusque magnus factus est valde*, secundum terrenam felicitatem dictum sequentia docent. Exsequitur enim narrator easdem ejus divitias, quibus magnus factus est; et hinc motus Abimelech, timuit illum ibi esse, ne potentia ejus sibi esset infesta. Quanquam ergo aliquid spirituale ista significent, tamen secundum id quod contigerunt, ideo præmissum est, *Benedixit eum Dominus*, ut sana fide intelligamus etiam ista temporalia dona, nec dari posse, nec sperari debere, etiam cum ab infirmioribus appetuntur, nisi ab uno Deo: ut qui in minimis fidelis est, etiam in magnis fidelis sit; et qui in mammona iniquo fidelis inventus est, etiam verum accipere mereatur, sicut Dominus in Evangelio loquitur (*Luc.* xvi, 10). Talia etiam de Abraham dicta sunt, quod ei munere Dei provenerint. Unde non parum ædificat sanam fidem pie intelligentibus ista narratio, etiamsi de his rebus allegorica significatio nulla posset exsculpi [2].

LXXVII. [Ib. xxvi, 28.] *Fiat exsecratio inter nos et inter te;* id est, juratio quæ maledictis obstringit, quæ accidant ei qui pejeraverit: secundum quam conside-

[1] Sic Mss. At editi, *antequam nasceretur.*

[2] Mss. tres probæ notæ, *excludi.*

randum est quod et servus Abrahæ commemoravit, narrans eis a quibus accepit uxorem domino suo Isaac.

LXXVIII. [Ib. xxvi, 32.] Quid est quod scriptum est, quod cum venissent pueri Isaac et dixissent, *Fodimus puteum, et non invenimus aquam;* appellavit eumdem puteum Isaac juramentum? An quamvis factum sit, in aliquam significationem sine dubio ducendum est spiritualem; quoniam nihil habet convenientiæ secundum litteram, ut ideo juramentum appellaverit puteum, quod ibi aqua non sit inventa? Quanquam alii interpretes pueros Isaac inventam potius aquam nuntiasse dixerunt: sed etiam sic quare juramentum appellatum est, ubi nulla fuerat facta juratio?

LXXIX. [Ib. xxvii, 1-17.] Quoniam tantus patriarcha Isaac, antequam moriatur, quærit a filio suo venationem et escam, qualem amat, pro magno beneficio, et promittit benedictionem, nullo modo vacare arbitramur a significatione prophetica: maxime quoniam festinat uxor ejus ut illam benedictionem minor accipiat, quem ipsa diligebat, et cætera in eadem narratione multum movent ad majora intelligenda vel requirenda.

LXXX. [Ib. xxvii, 33.] Quod habent latini codices, *Expavit autem Isaac pavore magno valde*, græci habent, ἐξέστη δὲ Ἰσαὰκ ἔκστασιν μεγάλην σφόδρα, ubi tanta commotio intelligitur, ut quædam mentis alienatio sequeretur. Ipsa enim proprie dicitur ecstasis. Et quia solet in magnarum rerum revelationibus fieri, in hac intelligendum est factam esse spiritualem admonitionem, ut confirmaret benedictionem suam filio minori, cui potius irascendum fuit quod fefellerit patrem. Sic et de Adam cum prophetatur hoc sacramentum magnum, quod dicit Apostolus in Christo et in Ecclesia, *Erunt duo in carne una*, dicitur quod ecstasis præcesserit (*Gen.* ii, 21-24, *et Ephes.* v, 31, 32).

LXXXI. [Ib. xxvii, 42.] Quomodo annuntiata vel renuntiata sunt verba Esau Rebeccæ, quibus comminatus est occidere fratrem suum, cum Scriptura dicat hoc eum in sua cogitatione dixisse; nisi quia hinc nobis datur intelligere, quod divinitus eis revelabantur omnia? Unde ad magnum mysterium pertinet, quod filium suum minorem pro majore voluit benedici.

LXXXII. [Ib. 28, 2.] Quod habent latini codices, Isaac dicente filio suo, *Vade in Mesopotamiam, in domum Bathuel patris matris tuæ, et sume inde tibi uxorem;* græci codices non habent *Vade*, sed *fuge:* hoc est, ἀπόδραθι. Unde intelligitur etiam Isaac cognovisse quod filius ejus Esau de fratre suo in cogitatione sua dixerit.

LXXXIII. [Ib. xxviii, 16, 17.] *Et surrexit Jacob de somno suo, et dixit, Quia est Dominus in loco hoc, ego autem nesciebam: et timuit, et dixit, Quam terribilis locus hic! hoc* [1] *non est nisi domus Dei; et hæc porta est cœli.* Hæc verba ad prophetiam pertinent, quia ibi futurum erat tabernaculum, quod constituit Dominus in hominibus in primo populo suo. Portam cœli autem sic intelligere debemus, tanquam inde fiat aditus credentibus ad capessendum regnum cœlorum.

LXXXIV. [In xxviii, 18.] Quod statuit lapidem Jacob, quem sibi ad caput posuerat, et constituit eum titulum, et perfudit illum oleo, non aliquid idololatriæ simile fecit; non enim vel tunc vel postea frequentavit lapidem adorando, vel ei sacrificando: sed signum fuit in prophetia evidentissima constitutum, quæ pertinet ad unctionem, unde Christi nomen a chrismate est.

LXXXV. [Ib. xxviii, 19.] *Et vocavit Jacob nomen loci illius Domus Dei, et Ulammaus erat nomen civitati ante.* Juxta civitatem dormisse si intelligatur, nulla quæstio est; si autem in civitate, mirum videtur quomodo potuerit illum titulum constituere. Quod autem vovit votum si prosperaretur eundo et redeundo, decimasque promisit domui Dei futuræ in loco illo, prophetia est domus Dei, ubi et ipse rediens Deo sacrificavit; non illum lapidem Deum appellans, sed domum Dei, id est, quia in illo loco futura erat domus Dei.

LXXXVI. [Ib. xxix, 10.] Quod venit Rachel cum ovibus patris sui, et dicit Scriptura quod cum vidisset Jacob Rachel filiam Laban fratris matris suæ, accessit et revolvit lapidem ab ore putei; magis notandum est, aliquid Scripturam prætermittere quod intelligere debemus, quam ulla quæstio commovenda. Intelligitur enim quod illi, cum quibus primo loquebatur Jacob, interrogati quæ esset quæ veniebat cum ovibus, ipsi dixerunt filiam esse Laban, quam utique Jacob non noverat; sed illius interrogationem responsionemque illorum, Scriptura prætermittens, intelligi voluit.

LXXXVII. [Ib. xxix, 11, 12.] Quod scriptum est, *Osculatus est Jacob Rachel, et exclamans voce sua flevit; et indicavit ei quia frater est ejus, et quia filius Rebeccæ est.* Consuetudinis quidem fuit, maxime in illa simplicitate antiquorum, ut propinqui propinquas oscularentur, et hoc hodie fit in multis locis: sed quæri potest quomodo ab incognito illa osculum acceperit, si postea indicavit Jacob propinquitatem suam. Ergo intelligendum est, aut illum qui jam audierat quæ illa esset, fidenter in ejus osculum irruisse; aut postea Scripturam narrasse per recapitulationem quod primo factum erat, id est, quod indicaverit Jacob quis esset. Sicut de paradiso postea dicitur, quomodo Deus eum instituerit, cum jam dictum esset quod plantavit Deus paradisum, et posuerit illic hominem quem finxerat: et multa alia per recapitulationem dicta intelliguntur.

LXXXVIII. [Ib. xxix, 20.] Quod scriptum est, *Et servivit Iacob pro Rachel annis septem; et erant in conspectu ejus velut pauci dies, eo quod diligebat illam,* quærendum quomodo dictum sit, cum magis etiam breve tempus longum esse soleat amantibus. Dictum est ergo propter laborem servitutis, quem facilem et levem amor faciebat.

LXXXIX. [Ib. xxix, 27-31.] Si parum advertatur rei hujus narratio, putabitur quod posteaquam Liam Jacob duxit uxorem, deinde servivit alios septem annos

[1] Editi: *Hic non est nisi domus Dei.* Mss. vero, *hoc*, quod in græco est *τοῦτο*.

pro Rachel, et tunc eam duxit. Verum autem non ita est, sed Laban ei dixit, *Consumma itaque septimanam*[1] *istius, et dabo tibi et hanc pro opere quod operaberis apud me adhuc septem annos alios.* Quod itaque ait, *Consumma septimanam istius*, ad nuptiarum celebrationem pertinet, quæ septem diebus celebrari solent. Hoc itaque ait, Imple dies nuptiarum septem pertinentes ad istam quam duxisti, et dabo tibi et hanc pro eo quod operaberis apud me adhuc septem annos alios. Deinde sequitur, *Fecit autem Jacob sic, et implevit septimanam ejus*, id est, septem dies nuptiarum Liæ, *et dedit illi Laban Rachel filiam suam ipsi uxorem. Dedit autem Laban Rachel filiæ suæ Ballam*[2] *ancillam suam ei ancillam, et intravit ad Rachel. Dilexit autem Rachel magis quam Liam, et servivit illi septem annos alios.* Utique apparet quia posteaquam duxit Rachel, tunc servivit pro ea septem annos alios. Nimis enim durum et valde iniquum fuit, ut deceptum adhuc differret alios annos septem, et tunc eam traderet quam primo debuit. Septem autem diebus solere nuptias celebrari, etiam liber Judicum ostendit in Samson, quando fecit potum[3] septem diebus (*Jud.* xiv, 10). Et addidit Scriptura, quod sic solerent facere juvenes : fecit autem hoc propter nuptias suas.

XC. [Ib. xxx, 3, 9.] Non facile dignoscitur, quas concubinas appellet Scriptura, quas uxores; quandoquidem et Agar dicta est uxor, quæ postea dicitur concubina, et Cethura (*Gen.* xvi, 3, *et* xxv, 1, 6), et ancillæ quas dederunt Rachel et Lia viro suo (*Id.* xxx, 3, 4, 9). Nisi forte omnis concubina uxor, non autem omnis uxor concubina more loquendi Scripturarum appellatur : id est, ut Sara et Rebecca et Lia et Rachel concubinæ dici non possint; Agar vero et Cethura et Balla et Zelfa, et uxores et concubinæ.

XCI. [Ib. xxx, 11.] Quod latini habent, nato filio Liæ de Zelfa, quod dixerit, *Beata* vel *Felix facta sum*, græci habent, εὐτύχη, quod magis bonam fortunam significat. Unde videtur occasio non bene intelligentibus dari, tanquam illi homines fortunam coluerint, aut hoc verbum divinarum Scripturarum auctoritas in usu receperit. Sed aut fortuna intelligenda est pro his rebus quæ fortuito videntur accidere, non quia numen aliquod sit, cum hæc ipsa tamen quæ fortuita videntur, causis occultis divinitus dentur; unde etiam verba, quæ nemo potest auferre a consuetudine loquendi, parata sunt, id est, forte, et fortasse, et forsitan, et fortuito; unde videtur et in græca lingua resonare, quod dicunt τάχα, velut ab eo quod est τύχη : aut certe Lia propterea sic locuta est, quod adhuc gentilitatis consuetudinem retinebat. Non enim hoc Jacob dixit, ut ex hoc data huic verbo putetur auctoritas.

XCII. [Ib. xxx, 30.] Quod Jacob dicit, *Et benedixit te Dominus in pede meo;* satis advertendus est et notandus Scripturarum sensus, ne cum ita quisque locutus fuerit, quasi-augurari videatur. Multum enim interest quod adjecit, *Benedixit te Dominus in pede meo:* in ingressu enim meo voluit intelligi, gratias hinc agens Deo.

XCIII. [Ib. xxx, 37, 42.] In facto Jacob cum virgas excorticavit, detrahens viride, ut album varie appareret, et sic in conceptu fetus pecorum variarentur, cum matres in alveis aquarum biberent, et visis virgis illam varietatem conspicerent; multa dicuntur similiter fieri in animalium fetibus : sed et mulieri accidisse traditur, et scriptum reperitur in libris antiquissimi et peritissimi medici Hippocratis, quod suspicione adulterii fuerat punienda, cum puerum pulcherrimum peperisset utrique parenti generique dissimilem, nisi memoratus medicus solvisset quæstionem, illis admonitis quærere ne forte aliqua talis pictura esset in cubiculo; qua inventa mulier a suspicione liberata est. Sed ad hanc rem quam fecit Jacob, virgarum ex diversis arboribus trium copulatio quid contulerit utilitatis, quod attinet ad varias pecudes multiplicandas, non apparet omnino; nec aliquid ad hoc commodum interest, utrum ex unius generis ligno varientur virgæ, an plura sint lignorum genera, cum sola quæratur lignorum varietas : ac per hoc cogit inquiri prophetiam, et aliquam figuratam significationem res ista, quam sine dubio ut propheta fecit Jacob; et ideo nec fraudis arguendus est. Non enim tale aliquid, nisi revelatione spirituali, eum fecisse credendum est. Quod autem ad justitiam pertinebat, sicut alii interpretes apertius hoc narrant, non ponebat virgas in secundo conceptu ovium : quod tanto obscurius, quanto brevius a Septuaginta dictum est, *Quia cum peperissent, non ponebat;* quod intelligitur cum primum peperissent : ut jam non solere ponere intelligatur, cum secundo pariturae essent, ne ipse auferret omnes fetus, quod iniquum fuit (*a*).

XCIV. [Ib. xxxi, 30.] Quod Laban dicit, *Quare furatus es deos meos?* hinc est illud fortasse, quod et augurari se dixerat, et ejus filia bonam fortunam nominaverat. Et notandum est, quod a principio libri nunc primum invenimus deos gentium : superioribus quippe Scripturæ locis Deum nominabant.

XCV. [Ib. xxxi, 41, 7.] Quid est quod dicit Jacob socero suo, *Et decepisti mercedem meam decem agnabus?* Hoc enim quando et quomodo factum sit, Scriptura non narrat : sed utique factum est quod iste commemorat; nam dixit hoc et uxoribus suis, quando eas vocavit in campum. Conquerens enim de patre illarum, ait inter cætera, *Et mutavit mercedem meam decem agnorum.* Intelligitur ergo per singula tempora partus ovium, cum videret Laban tales fetus esse natos, quales placuerat ut ad Jacob pertinerent, pactum fraude mutasse, et dixisse ut futuro fetu alios pecudum colores haberet in mercede Jacob. Tunc autem ille virgas varias non supponebat, et non nascebantur varii, sed unius coloris, quæ Jacob ex novo pacto auferebat. Quod cum vidisset Laban, rursus pactum fraude mutabat, ut ad Jacob varia pertinerent : tunc

[1] Mss. Novem constanter habent, *septima*. Sic etiam Am. et Rat.

[2] In editis, *Balam*. At in Mss. cum gemina *ll* scribitur *Ballam*, ut in græco.

[3] Lov., *convivium*, pro quo Rat. Am. Er. et Mss., *potum*; quæ vox usurpata est ex libro Judic., cap. 14, v. 10, ubi LXX verterunt, *époiêse poton*.

(*a*) II Retract. cap. 55, n. 1.

illarum suppositione virgarum varia nascebantur. Ergo quod ait Jacob uxoribus suis, *Mutavit mercedem meam decem agnorum*, et postea ipsi Laban, *Decepisti mercedem meam decem agnabus*, non ita dixit quasi provenerit socero ejus ipsa fraus; ut enim non ei proveniret, Deum sibi dixit adversus illum adfuisse: decem vero agnos vel decem agnas, pro decem temporibus posuit, quibus oves quas pascebat per sexennium pepererunt. Bis quippe pariebant in anno: contigerat autem ut primo anno, quo inter se pacti sunt, et ad eas pascendas placito hujus mercedis accessit, semel parerent in fine anni, quia cum accessit, jam semel pepererant; rursumque sexto anno, id est ultimo, cum semel peperissent, exorta necessitate profectionis, prius recederet, quam iterum parerent: ac per hoc cum primus annus atque ultimus duos ovium partus sub illo haberent, hoc est, singulos, medii vero quatuor anni binos, fiunt omnes decem. Nec mirum quod hæc decem tempora nomine agnorum appellavit, qui eisdem temporibus nascebantur; velut si quisquam dicat, Per tot vindemias, aut, Per tot messes, quibus numerus intelligatur annorum: unde ait quidam, *Post aliquot aristas* (*Virgil. in Bucol., Eclog.* 1, *v.* 70); per aristas videlicet messes, et per messes annos significans. Pecudum autem illius regionis fecunditas, sicut Italarum, tanta fertur, ut bis in anno pariant (*a*).

XCVI. [Ib. XXXI, 45.] *Sumpsit autem Jacob lapidem, et constituit eum titulum.* Diligenter animadvertendum est, quomodo istos titulos in rei cujusque testimonio constituebant; non ut eos pro diis colerent, sed ut eis aliquid significarent.

XCVII. [Ib. XXXI, 47, 48.] Quod acervum lapidum, quem inter se constituerant Laban et Jacob, cum aliquanta diversitate appellaverunt, ut eum vocaret Laban Acervum testimonii, Jacob Acervum testem; traditur ab eis qui et syram et hebræam linguam noverunt, propter proprietatem suæ cujusque linguæ factum. Fieri enim solet, ut alia lingua non dicatur uno verbo, quod alia dicitur, et vicinitate significationis quidque appelletur. Nam postea dicitur, *Propter hoc appellatum est nomen, Acervus testatur.* Hoc enim medie positum est, quod utrique conveniret, et ei qui dixerat, *Acervus testimonii*, et ei qui dixerat, *Acervus testis*.

XCVIII. [Ib. XXXI, 48, 49.] Quid est quod loquendo Laban ad Jacob dicit, *Testatur acervus hic, et testatur titulus hic. Propter hoc appellatur nomen, Acervus testatur. Et visio quam dixit, Respiciat Deus inter me et te?* Nisi forte ordo est, *Et visio quam dixit Deus, Respiciat inter me et te*, Deus quippe illi dixerat in visione, ne læderet Jacob.

XCIX. [Ib. XXXI, 50.] Quid est quod dicit in consequentibus Laban, *Vide, nemo nobiscum est?* nisi forte nemo extraneorum, aut propter testificationem Dei, quem ita habere deberent, tanquam nemo cum eis esset, quem testimonio ejus adjungerent.

C. [Ib. XXXI, 53, 42.] *Et juravit Jacob per timorem patris sui Isaac. Per timorem* utique quo timebat Deum, quem timorem etiam superius commendavit, cum diceret, *Deus patris mei Abrahæ, et timor patris mei Isaac*.

CI. [Ib. XXXII, 2.] Castra Dei quæ vidit Jacob in itinere, nulla dubitatio est quod Angelorum fuerit multitudo: ea quippe in Scripturis militia cœli nominatur.

CII. [Ib. XXXII, 6-12.] Nuntiato sibi fratre suo Jacob veniente obviam ei cum quadringentis viris, turbatus est quidem et mente confusus, quoniam timuit valde; et ut visum est homini perturbato, divisam multitudinem suam in duo castra disposuit. Ubi quæri potest, quomodo habuerit fidem promissis Dei, quandoquidem dixit, *Si venerit ad castra prima frater meus, et exciderit ea, erunt secunda in salutem.* Sed etiam hoc fieri potuit, ut everteret castra ejus Esau, et tamen Deus post illam afflictionem adesset, et liberaret eum, et quæ promisit impleret. Et admonendi fuimus hoc exemplo, ut quamvis credamus in Deum, faciamus tamen quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis, ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur. Denique post hæc, quæ verba dicat idem Jacob, considerandum est: *Deus*, inquit, *patris mei Abraham, et Deus patris mei Isaac, Domine, qui dixisti mihi, Recurre in terram generationis tuæ, et bene tibi faciam, idoneus es mihi ab omni justitia et ab omni veritate, quæ fecisti puero tuo. In virga enim mea ista transii Jordanem hunc, nunc autem factus sum in duo castra: erue me de manu fratris mei, de manu Esau; quia ego timeo illum, ne cum venerit feriat me et matres super filios. Tu autem dixisti, Benefaciam tibi, et ponam semen tuum tanquam arenam maris, quæ non dinumerabitur præ multitudine.* Satis in his verbis et humana infirmitas, et fides pietatis apparet.

CIII. [Ib. XXXII, 20.] Quod latini codices habent de Jacob, *Dixit enim, Placabo vultum ejus, in muneribus præcedentibus eum;* scriptor libri qui narrans ait de Jacob, *Dixit enim, Placabo vultum ejus*, huc usque verba Jacob dixisse intelligitur, cætera vero sua intulisse quod ait, *in muneribus præcedentibus eum*: tanquam diceret, In muneribus quæ præcedebant Jacob, placabo vultum fratris mei. Ordo est ergo verborum Jacob, *Placabo vultum ejus, et post hoc videbo faciem ejus; forsitan enim suscipiet faciem meam.* Interposita autem sunt verba scriptoris, *in muneribus præcedentibus eum*.

CIV. [Ib. XXXII, 26.] Quod ab illo angelo desiderat Jacob benedici, cui luctando prævaluit, magna est de Christo prophetia. Nam eo ipso admonet mysticum aliquid sapere, quia omnis homo a majore vult benedici. Quomodo ergo ab eo benedici iste voluit, quem luctando superavit? Prævaluit enim Jacob Christo, vel potius prævalere visus est, per eos Israelitas a quibus crucifixus est Christus; et ab eo tamen benedicitur in eis Israelitis qui crediderunt in Christum, ex quibus erat qui dicebat, *Nam et ego Israelita sum ex semine*[1] *Abraham, de tribu Benjamin* (*Rom.* XI, 1).

(*a*) II Retract. cap. 55, n. 1.

[1] Mss. et editiones Rat. Am. et Er., *ex genere*.

Unus ergo atque idem Jacob et claudus et benedictus : claudus in latitudine femoris, tanquam in multitudine generis, de quibus dictum est, *Et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* XVII, 46) ; benedictus autem in eis de quibus dictum est, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* XI, 5).

CV. [Ib. XXXIII, 10.] Quid sibi vult quod Jacob ait fratri suo, *Propter hoc vidi faciem tuam, quemadmodum cum videt aliquis faciem Dei?* utrum paventis et perturbati animi verba usque in hanc adulationem proruperunt ? an secundum aliquem intellectum sine peccato dicta accipi possunt ? Fortassis enim quia dicti sunt et Gentium dii, quæ sunt dæmonia, non præjudicetur ex his verbis homini Dei. Non enim dixit, Quemadmodum si viderem faciem Dei, sed, *Cum videt aliquis ;* ipse autem aliquis, quem significare possit, incertum est : atque ita fortasse temperata sunt verba, ut et ipse Esau sibi delatum tantum honorem grate acciperet, et qui hæc etiam aliter [1] intelligere possunt, eum a quo dicta sunt nullo crimine impietatis arguerent. Quod etsi benigno animo dicta hæc verba fraterna sunt, quoniam et post bonam susceptionem metus ipse transierat; potuit sic dici, quemadmodum et Moyses Pharaonis deus dictus est (*Exod.* VII, 1), secundum quod dicit Apostolus, *Etsi sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo, sive in terra, quemadmodum sunt dii multi, et domini multi* (I *Cor.* VIII, 5) : maxime quia sine articulo, in græco dictum est ; quo articulo evidentissime solet veri Dei unius fieri significatio. Non enim dixit, πρόσωπον τοῦ Θεοῦ, sed dixit, πρόσωπον θεοῦ : facile autem hoc intelligunt qua distantia dicatur, qui Græcorum eloquium audire atque intelligere solent.

CVI. [Ib. XXXIII, 14.] Quæritur utrum mendaciter promiserit Jacob fratri suo, quod sequens pedes suorum, in itinere propter quos si [2] moraretur, venturus esset ad eum in Seir : hoc enim, sicut Scriptura deinde narrat, non fecit, sed eo perrexit itinere quod dirigebat ad suos. An forte veraci animo promiserat, sed aliud postea cogitando delegit ?

CVII. [Ib. XXXIV, 2, 3.] Quomodo Scriptura dicit quod *vidit Sichem filius Emmor Evæi* [3], *princeps terræ, Dinam filiam Jacob, et accepit eam, et dormivit cum ea, et humiliavit eam : et intendit animo Dinæ filiæ Jacob, et adamavit virginem, et locutus est secundum sensum virginis ipsi* [4] ? Quomodo virgo appellatur, si jam cum illa dormierat, eamque humiliaverat ? Nisi forte virgo nomen ætatis est secundum hebræum eloquium : an potius per recapitulationem postea commemoratur quod primo factum est ? Prius enim potuit intendere animæ ipsius et amare virginem, et loqui secundum sensum virginis, et deinde cum illa dormire, eamque humiliare.

CVIII. [Ib. XXXIII, 5, et XXXIV, 25.] Cum paulo ante loquens Jacob cum fratre suo Esau infantes filios suos esse significet, qui græce dicuntur παιδία, quæri potest quomodo potuerunt facere tantam stragem direptionemque civitatis, interfectis quamvis in dolore circumcisionis constitutis pro sorore sua Dina. Sed intelligendum est, diu illic habitasse Jacob, donec et filia ejus virgo fieret, et filii juvenes. Nam ita scriptum est : *Et venit Jacob in Salem in civitatem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, cum advenit de Mesopotamia Syriæ, et applicuit ad faciem civitatis ; et emit partem agri, in quo statuit illic tabernaculum suum, ab Emmor patre Sichem* [1] *centum agnis ; et statuit ibi aram, et invocavit Deum Israel. Exiit autem Dina filia Liæ, quam peperit ipsi Jacob, ut condisceret filias regionis ejus* (*Gen.* XXXIII, 18-20, *et* XXXIV, 1), et cætera. Apparet ergo his verbis non transeunter, sicut viator solet, illic mansisse Jacob, sed agrum emisse, tabernaculum constituisse, aram instruxisse, ac per hoc diutius habitasse : filiam vero ejus cum ad eam venisset ætatem, ut amicas habere jam posset, condiscere voluisse filias civium loci ; atque ita factam esse pro illa cruentissimam cædem et deprædationem, quæ jam, ut puto, quæstionem non habet. Multitudo enim non parva erat cum Jacob, qui plurimum ditatus fuit ; sed filii ejus in hoc facto nominantur, quia ejusdem facti principes atque auctores fuerunt.

CIX. [Ib. XXXIV, 30.] Quod ait Jacob, timens bella finitimorum apud civitatem Salem, quam expugnaverunt filii ejus, *Ego autem exiguus sum numero, et convenientes super me occident me ;* propter bella plurium, quæ consurgere poterant, se dixit numero exiguum, non quod minus multos haberet, quam possent sufficere expugnationi illius civitatis, cum suos in itinere in bina castra diviserit.

CX. [Ib. XXXV, 1.] *Dixit autem Deus ad Jacob, Surge, et ascende in locum Bethel, et habita ibi ; et fac ibi aram Deo, qui apparuit tibi, cum fugeres a facie Esau fratris tui.* Quid est quod non dixit, Et fac ibi aram mihi, qui apparui tibi ; sed Deus dicit, *Fac ibi aram Deo qui apparuit tibi?* utrum Filius ibi apparuit, et Deus Pater hoc dicit ? an in aliquo genere locutionis annumerandum ?

CXI. [Ib. XXXV, 2.] Quod Jacob ascensurus Bethel, ubi jussus est aram facere, dicit domui suæ et omnibus qui cum illo erant, *Tollite deos alienos, qui vobiscum sunt, de medio vestrum,* etc. ; deinde dicitur, *Et dederunt Jacob deos alienos, qui erant in manibus eorum, et inaures quæ erant in auribus eorum :* quæritur quare et inaures, quæ si ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant, nisi quia intelligendum est phylacteria fuisse deorum alienorum. Nam Rebeccam a servo Abrahæ inaures accepisse Scriptura testatur ; quod non fieret, si eis inaures habere ornamenti gratia non liceret. Ergo illæ inaures quæ cum idolis datæ sunt, ut dictum est, idolorum phylacteria fuerunt.

CXII. [Ib. XXXV, 5.] *Et factus est timor Dei in civitatibus quæ circa illos erant, et non sunt consecuti post filios*

[1] Duo Mss., *etiam rite intelligere.*
[2] In Lov., *propter quos sic moraretur.* M.
[3] Mss. octo, *Emmor Chorræus princeps terræ.*
[4] Am. Er. et Lov., *ipsius.* At Rat. et melioris notæ Mss., *psi ;* juxta interpretationem LXX, *autê.*

[1] Quinque melioris notæ Mss., *tabernaculum suum ad Emmor patrem Sichem.* Et sic latina editio versionis græcæ LXX.

Israel. Incipiamus animadvertere quemadmodum Deus operetur in hominum mentibus. A quo enim timor Dei factus est in illis civitatibus, nisi ab illo qui sua promissa in Jacob filiisque tuebatur?

CXIII. [Ib. XXXV, 6.] *Venit autem Jacob in Luza, quæ est in terra Chanaan, quæ est Bethel.* Animadvertendum est tria jam nomina hujus civitatis commemorata; Ulammaus, quod dictum est eam prius vocatam, cum illuc prius pergens in Mesopotamiam venisset Jacob (*Gen.* XXVIII, 19); et Bethel, quod nomen ipse imposuit (*Id.* XXXV, 15), et interpretatur Domus Dei; et Luza, quod modo commemoratum est. Nec mirum debet videri: multis enim locis hoc accidit, et in civitatibus, et in fluminibus, et in quibusque terrarum, ut ex aliis atque aliis causis vel adderentur, vel mutarentur vocabula, sicut etiam ipsis hominibus.

CXIV. [Ib. XXXV, 9, 10.] Iterum in Luza apparuit Deus Jacob, et dixit ei: *Nomen tuum jam non vocabitur Jacob, sed Israel erit nomen tuum.* Hoc ei dicit ecce iterum Deus in benedictione, quæ repetitio confirmat magnum promissum in hoc nomine. Nam hoc mirum est, quibus etiam semel dictum est, amplius eos non vocari quod vocabantur, sed quod eis novum nomen imponebatur, omnino amplius aliquid non vocatos nisi quod eis impositum sit: istum autem per totam vitam suam et deinceps post vitam suam appellatum esse Jacob, cui non semel [1] Deus dixerat, *Non jam vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum* (*Id.* XXXII, 28). Nimirum ergo nomen hoc ad illam recte intelligitur pertinere promissionem, ubi sic videbitur Deus, quomodo non est antea Patribus visus. Ibi non erit nomen vetus, quia nihil remanebit vel in ipso corpore vetustatis, et Dei visio summum erit præmium.

CXV. [Ib. XXXV, 11.] In promissis Jacob dicitur, *Gentes et congregationes gentium erunt ex te*: quæritur utrum gentes secundum carnem, congregationes autem gentium secundum fidem, an utrumque propter fidem gentium dictum est, si gentes appellari non possunt una gens Israel secundum carnem.

CXVI. [Ib. XXXV, 13-15.] *Ascendit autem Deus ab eo loco, ubi locutus est cum eo; et statuit Jacob titulum in loco in quo locutus est cum eo, titulum lapideum; et libavit super eum libamen, et infudit super eum oleum; et vocavit Jacob nomen loci, in quo locutus est cum eo illic Deus, Bethel.* Iterum factum est hoc loco, quod factum fuerat? an iterum commemoratum est? Sed quodlibet horum sit, super lapidem libavit Jacob, non lapidi libavit. Non ergo sicut idololatræ solent aras ante lapides constituere, et tanquam diis libare lapidibus.

CXVII. [Ib. XXXV, 26.] 1. Quod duodecim filii computantur Israel, qui nati sunt ei, et dicitur, *Hi sunt filii Israel, qui nati sunt ei in Mesopotamia*, cum Benjamin longe postea natus sit, cum jam transiisset Bethel, et appropinquaret Bethlehem: frustra quidam conantes istam solvere quæstionem, dixerunt non legendum, *nati sunt*, sicut latini plerique codices habent; sed, *facti sunt*; græce enim scriptum est ἐγένοντο: ita volentes intelligi etiam Benjamin, quamvis ibi natus non fuerit, ibi factum tamen; quia jam fuerat in utero seminatus, ut prægnans inde Rachel exiisse credatur. Hoc autem modo etiamsi, *nati sunt*, legeretur, possent dicere, jam in utero natus erat, quia conceptus erat; sicut de sancta Maria dictum est ad Joseph, *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Matth.* I, 20).

2. Sed aliud est quod impedit hanc solutionem quæstionis hujus; quia si jam ibi Benjamin conceptus erat, qui filii Jacob grandes inde exierunt, vix annorum duodecim esse potuerunt. Viginti namque annos illic explevit, quorum primis septem sine conjugio fuit, donec serviendo id adipisceretur [1]. Ut ergo primo anno, quo duxit uxorem, ei filius nasceretur, duodecim annorum esse potuit primitivus, cum inde profectus est. Proinde si jam conceptus fuerat Benjamin, intra decem menses illa omnis via peracta est, et quidquid in itinere scriptum est de Jacob. Unde sequitur ut filii ejus tam parvuli pro sorore sua Dina tantam stragem fecerint, tot homines trucidaverint, ita expugnaverint civitatem: in quibus Simeon et Levi, qui primi gladiis accincti intraverunt ad illos homines eosque peremerunt, undecim unus, alter autem decem annorum fuisse reperiatur etiamsi per singulos annos sine intermissione illa pepererat: quod utique incredibile est, ab illius ætatis pueris illa omnia fieri potuisse; quando et ipsa Dina vix adhuc sex annorum fuit.

3. Proinde aliter solvenda quæstio est, ut ideo intelligatur dictum, commemoratis duodecim filiis, *Hi sunt filii Jacob, qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ*, quia inter omnes qui tam multi erant, unus tantum erat non ibi natus, qui tamen inde habuit nascendi causam, quod ibi mater ejus patri copulata est. Sed solutio ista quæstionis aliquo exemplo similis locutionis firmanda est [2].

4. Nulla tamen est facilior solutio quæstionis hujus, quam ut per synecdochen dictum accipiatur. Ubi enim pars major est, aut potior, solet ejus nomine etiam illud comprehendi quod ad ipsum nomen non pertinet. Sicut ad duodecim Apostolos jam non pertinebat Judas, qui etiam mortuus fuit cum Dominus resurrexit a mortuis, et tamen ipsius duodenarii numeri nomen Apostolus in Epistola sua tenuit, ubi ait, eum apparuisse illis duodecim (I *Cor.* XV, 5). Cum articulo enim hoc græci codices habent (*a*), ut non possint intelligi quicumque duodecim; sed illi in eo numero insignes. Eo modo locutionis puto et illud a Domino dictum, *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis*

[1] Sic habet Er., et melius, ut probat contextus series. In B., *cui semel*, adjuncta hac nota in margine: « Fortasse, *non semel*. » M.

[1] Am. Er. et Lov., *donec serviendo Lia ei desponsaretur.* At Mss. favente Rat. *serviendo, id adipisceretur*: scilicet, conjugium.

[2] Post, *firmanda est*, habet vetustissimus codex Corbeiensis in medio contextu, *Ab hinc scribendum.* Ex quo intelligere est istum codicem forte descriptum fuisse ad exemplar illud, in quo Eugypius, qui hunc locum excerpsit, id sua manu annotaverat: et conjecturam auget quod solet cum Eugypii excerptis in variantibus lectionibus convenire.

(*a*) Græc., *tois dôdeca.* At Vulgata, *undecim.*

diabolus est (*Joan.* VI, 71)? ut non ad electionem etiam ipse pertinere videatur. Non enim facile invenitur electorum nomen in malo, nisi quando mali eliguntur a malis. Quod si putaverimus et illum electum, ut per ejus traditionem Domini passio compleretur, id est malitiam ejus ad aliquid electam, bene utente Deo etiam malis; aliud attendamus ubi ait, *Non de omnibus vobis dico : ego scio quos elegi* (*Id.* XIII, 18) : ubi declarat ad electionem non pertinere nisi bonos. Ac per hoc illud quod dictum est, *Ego vos duodecim elegi*, per synecdochen dictum est, ut nomine majoris meliorisque partis, etiam illud complecteretur, quod ad ipsum nomen non pertinet.

5. Hic modus est in hoc eodem libro, ubi Emmor pro filio suo Sichem, ut acciperet Dinam filiam Jacob, exiit loqui cum eodem Jacob, et venerunt etiam filii ejus qui absentes erant, et ad omnes dicit Emmor : *Sichem filius meus elegit animo filiam vestram; date ergo illi eam uxorem* (*Gen.* XXXIV, 6-8). Quia enim potior erat patris persona, per synecdochen filiam vestram dicens, etiam fratres tenuit hoc nomine, quorum non erat filia. Hinc est et illud, *Curre ad oves, et accipe inde mihi duos hædos* (*Id.* XXVII, 9) : simul enim pascebantur oves et hædi; et quia potiores sunt oves, earum nomine etiam caprinum pecus complexus est. Sic quia potior erat numerus undecim filiorum Jacob, qui nati fuerant in Mesopotamia, ipsorum commemoratione Scriptura complexa est etiam Benjamin, qui non erat ibi natus, et dictum est, *Hi sunt filii Jacob, qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ.*

CXVIII. [Ib. XXXVI, 1.] Quod post narrationem mortis Isaac narratur quas uxores Esau acceperit, et quos creaverit, recapitulatio intelligenda est. Neque enim post mortem Isaac fieri cœpit, cum jam essent Esau et Jacob centum viginti annorum. Nam eos sexagenarius suscepit, et vixit omnes annos vitæ suæ centum octoginta.

CXIX. [Ib. XXXVI, 6, 7.] Quæstio est, quomodo Scriptura dicat, post mortem Isaac patris sui Esau abscessisse de terra Chanaan, et habitasse in monte Seir; cum veniente de Mesopotamia Jacob fratre ejus, legatur quod jam illic habitabat. Proinde quid fieri potuerit ut Scriptura falli vel fallere non credatur, in promptu est cogitare; quod scilicet Esau posteaquam in Mesopotamiam frater ejus abscessit, noluit habitare cum parentibus suis, sive ex illa commotione qua dolebat se benedictione fraudatum, sive aliqua causa vel uxorum suarum, quas odiosas videbat esse parentibus, vel qualibet alia : et cœpit habitare in monte Seir. Deinde post reditum Jacob fratris sui, facta inter eos concordia, reversus est et ipse ad parentes, et cum mortuum patrem simul sepelissent, quia eos in plurimum ditatos terra illa, sicut scriptum est, minime capiebat, abscessit rursus in Seir, et ibi propagavit gentem Idumæorum.

CXX. [Ib. XXXVI, 21.] Quod scriptum est, *Hi principes Chorræi filii Seir in terra Edom;* secundum tempus quo vivebat, scriptor commemorat. Cum autem Seir habitaret qui istos genuit, nondum veniente in illam terram Esau, nondum utique appellabatur terra Edom. Non enim nomen nisi ab ipso Esau inditum est terræ, quoniam idem ipse et Esau et Edom vocabatur, de quo propagati sunt Idumæi, hoc est gens Edom.

CXXI. [Ib. XXXVI, 31, 32.] Quod scriptum est, *Et hi reges qui regnaverunt in Edom, antequam regnaret rex in Israel,* non sic accipiendum est, tanquam omnes reges nominati sint usque ad ea tempora, quibus cœperunt reges Israel, quorum primus fuit Saül. Multi enim fuerunt in Edom usque ad tempora Saül, temporibus etiam Judicum, quorum tempora fuerunt ante reges : sed ex his multis eos solos potuit commemorare Moyses, qui fuerunt antequam ipse moreretur. Nec mirum est quod numerantibus ab Abraham per Esau patrem gentis Edom, atque per Raguel filium Esau, et Zara filium Raguel, et Jobab filium Zara, cui Jobab successit in regno Balac, qui primus in terra Edom rex fuisse commemoratur, usque ad ultimum regem quem potuit nominare Moyses, plures generationes inveniuntur quam numerantur ab Abraham per Jacob usque ad Moysen. Nam illic inveniuntur fere duodecim, hic autem usque ad Moysen ferme septem. Fieri enim potuit ut ideo ibi plures nominarentur, quia citius moriendo plures alter alteri successerunt. Sic etiam contigit ut alium ordinem sequens Matthæus, ab Abraham usque ad Joseph quadraginta duas generationes numeraret (*Matth.* I, 1-17) : Lucas autem in ordine alio numerans generationes non per Salomonem, sicut ille, sed per Nathan, ab Abraham usque ad Joseph quinquaginta quinque commemoret (*Luc.* III, 23-38). In illo quippe ordine ubi plures numerantur, citius mortui sunt, quam hic ubi pauciores. Ne forte autem moveat aliquem, quod inter reges Edom commemoratur Balac filius Beor, et de similitudine nominis existimet illum esse Balac, qui restitit Moysi ducenti populum Israel : sciat illum Balac Moabitam fuisse, non Idumæum, eumque fuisse filium Sephor, non filium Beor; sed fuisse etiam ibi tunc filium Beor Balaam, non Balac, quem Balaam conduxerat idem Balac ad maledicendum populum Israel (*Num.* XXII, 2-6).

CXXII. [Ib. XXXV, 29, et XXXVII, 2.] Quomodo potuerit mors Isaac, decem et septem annorum invenire Joseph ejus nepotem, sicut videtur tanquam ex ordine Scriptura narrare, quocumque se quisque convertat, invenire difficile est. Nolo enim dicere, non posse inveniri, ne forte me fugiat quod alium non fugit. Si enim post mortem avi sui Isaac, decem et septem annorum fuit Joseph quando eum fratres in Ægyptum vendiderunt, procul dubio et pater ejus Jacob septimo decimo anno filii sui Joseph centum viginti annorum fuit. Genuit enim eos Isaac, cum esset annorum sexaginta, sicut scriptum est (*Gen.* XXV, 26) : vixit ergo Isaac postea centum viginti, quia centesimo octogesimo mortuus est; idcirco dimisit filios centum viginti annos habentes, et Joseph decem et septem. Joseph autem quoniam triginta annorum fuit, quando apparuit in conspectu Pharaonis, secuti sunt autem

septem anni ubertatis et duo famis, donec ad eum pater cum fratribus venit; triginta novem profecto annos agebat Joseph quando Jacob intravit in Ægyptum. Tunc autem idem Jacob, quod ore suo Pharaoni dicit, centesimum et trigesimum annum agebat ætatis (*Gen.* XLVII, 9); centum autem et viginti Jacob, quando erat decem et septem Joseph: quod verum esse nullo modo potest. Si enim septimo decimo anno vitæ Joseph, Jacob centum viginti ageret, procul dubio trigesimo et nono anno Joseph, non centum triginta, sed centum quadraginta et duos annos agere inveniretur Jacob. Si autem die mortis Isaac, nondum erat annorum decem et septem Joseph, sed aliquantulo tempore post mortem avi sui ad septimum decimum pervenit annum, quo anno Scriptura testante in Ægyptum est a fratribus venditus, plurium etiam quam centum quadraginta duum annorum esse debuit pater ejus, quando est filium in Ægyptum consecutus. Scriptura quippe posteaquam narravit annum vitæ ultimum Isaac centesimum et octogesimum, et ejus mortem ac sepulturam (*Id.* XXXV, 28, 29), deinde commemoravit quemadmodum digressus esset Esau a fratre suo de terra Chanaan in montem Seir, et contexuit commemorationem regum et principum gentis ipsius, in qua se constituit, vel quam propagavit Esau; post hæc, narrationem de Joseph sic intulit (*Id.* XXXVI, 6-43): *Habitabat autem Jacob in terra Chanaan. Hæ autem procreaturæ Jacob. Joseph autem decem et septem annorum erat pascens cum fratribus oves.* Deinde narratur causa somniorum quemadmodum odiosus fratribus sit factus, et venditus (*Id.* XXXVII, 1-28). Aut ergo eodem anno septimo decimo, aut etiam aliquanto major venit in Ægyptum: ac per hoc utrolibet modo permanet quæstio. Si enim decem et septem annorum fuit post mortem avi sui, quando pater ejus centum viginti fuit; profecto anno ejus trigesimo et nono, quando Jacob venit in Ægyptum, centum quadraginta duos annos idem Jacob agere debuit: fuit autem tunc Jacob centum triginta; ac per hoc si decem et septem annorum Joseph in Ægyptum est venditus, ante duodecim annos quam moreretur avus ejus, venditus invenitur. Decem enim et septem annorum esse non potuit, nisi ante duodecim annos mortis Isaac, centesimo et octavo anno vitæ patris sui Jacob. His enim cum adjecerimus viginti duos annos quibus Joseph usque ad adventum patris sui fuit in Ægypto, fient ætatis anni Joseph triginta novem, et Jacob centum triginta, et nulla erit quæstio. Sed quoniam Scriptura post mortem Isaac ista narravit, putatur Joseph post ejusdem avi sui mortem decem et septem annorum fuisse. Quapropter intelligamus de vita Isaac, tanquam multum decrepiti senis, tacuisse Scripturam, cum jam de Jacob et ejus filiis loqueretur: vivo tamen Isaac, decem et septem annorum esse cœpit Joseph.

CXXIII. [Ib. XXXVII, 10.] Quod dicit Jacob ad Joseph, *Quod est somnium hoc quod somniasti? Numquid venientes veniemus ego et mater tua et fratres tui adorare te super terram?* nisi in aliquo mysterio dictum accipiatur, quomodo intelligitur de matre Joseph, quæ jam erat mortua? Unde non in Ægypto, cum sublimaretur, putandum est hoc esse completum; quia nec pater eum adoravit, quando ad eum venit in Ægyptum, nec mater olim defuncta potuit. In Christi ergo persona facile intelligi potest etiam de mortuis, secundum illud quod dicit Apostolus, quia *donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum* (*Philipp.* II, 9, 10).

CXXIV. [Ib. XXXVII, 28.] Quæritur quare Ismaelitas Scriptura, quibus a fratribus venditus est Joseph, etiam Madianitas vocet, cum Ismael sit de Agar filius Abrahæ, Madianitæ vero de Cethura? An quia Scriptura dixerat de Abraham, quod munera dederit filiis concubinarum suarum, Agar scilicet et Cethuræ, et dimiserit [1] eos ab Isaac filio suo in terram Orientis (*Gen.* XXV, 6), unam gentem fecisse intelligendi sunt?

CXXV. [In XXXVII, 35.] De Jacob scriptum est, cum lugeret Joseph, *Congregati sunt autem omnes filii ejus et filiæ, et venerunt consolari eum.* Quæ filiæ præter Dinam? An filios et filias dicit connumeratis nepotibus et neptibus? jam enim majores filii ejus filios habere potuerunt.

CXXVI. [Ib. XXXVII, 35.] *Et noluit consolari, dicens, Quoniam descendam ad filium meum lugens in infernum.* Solet esse magna quæstio, quomodo intelligatur infernus; utrum illuc mali tantum, an etiam boni mortui descendere soleant. Si ergo tantum mali, quomodo iste ad filium suum se dicit lugentem velle descendere? Non enim in pœnis inferni eum esse credit. An perturbati et dolentis verba sunt, mala sua etiam hinc exaggerantis?

CXXVII. [Ib. XXXVII, 36.] *Et vendiderunt Joseph in Ægyptum Petephræ spadoni, præposito coquorum.* Nolunt quidam præpositum coquorum interpretari, qui græce ἀρχιμάγειρος dicitur; sed præpositum militiæ, cui esset potestas occidendi. Nam sic appellatus est etiam ille quem Nabuchodonosor misit, penes quem potius invenitur primatus fuisse militiæ.

CXXVIII. [Ib. XXXVIII, 1-3.] *Factum est autem in tempore illo descendit Judas a fratribus suis ad hominem quemdam Odollamitam, cui nomen Iras: et vidit illic Judas filiam hominis Chananæi nomine Savam* [2], *et accepit eam, et introivit ad eam, et concepit, et peperit filium*, et cætera. Quæritur quando ista fieri potuerunt. Si enim posteaquam Joseph devenit in Ægyptum, quomodo intra viginti ferme et duos annos (nam post tantum temporis colligitur eos venisse ad eumdem Joseph fratrem suum in Ægyptum cum patre suo) fieri potuerit ut Judæ filii ejus ætatis omnes possent ducere uxores? Nam Thamar nurum suam, mortuo primogenito suo, alteri filio dedit: quo etiam mortuo, exspectavit ut cresceret tertius; et cum crevisset, nec illi eam dedit, timens ne et ipse moreretur: unde factum est ut eidem socero suo se illa

[1] Tres Mss., *diviserit.* Alii codices, *dimiserit*: hoc nempe acceptum est ex LXX, *exapesteilen*, illud concordat cum Vulgata, *separavit.*

[2] Sic Mss. juxta LXX. At editi, ut in Vulgata, *Sue.*

supponeret. Quomodo ergo hæc omnia intra tam paucos annos fieri potuerint, merito movet, nisi, ut forte solet, Scriptura per recapitulationem aliquot annos ante venditum Joseph hoc fieri cœpisse intelligi velit; quoniam sic positum est, ut diceretur, *Factum est autem in illo tempore :* ubi tamen quæritur, si decem et septem annorum erat Joseph quando venditus est, quot annorum esse Judas potuerit quartus filius Jacob, quandoquidem ipse primogenitus Ruben ut plurimum fratrem suum Joseph quinque aut sex annos potuerit ætate præcedere. Evidenter autem Scriptura dicit triginta annorum fuisse Joseph, quando innotuit Pharaoni (*Gen.* XLI, 46). Cum ergo ipse anno septimo decimo ætatis suæ venditus fuisse credatur, tredecim annos peregerat in Ægypto ignotus Pharaoni; ad hos autem tredecim annos accesserunt septem anni ubertatis, et facti sunt anni viginti; his adduntur duo, quia secundo anno famis intravit Jacob in Ægyptum cum filiis suis, et inveniuntur viginti duo anni, quibus abfuit Joseph a patre et a fratribus suis : quo medio tempore, quomodo fieri potuerint de uxore et filiis et nuru Judæ omnia quæ narrantur, indagare difficile est : nisi forte ut credamus (et hoc enim fieri potuit), mox ut adolescere Judas cœpit, eum incidisse in amorem ejus quam duxit uxorem, nondum vendito Joseph in Ægyptum.

CXXIX. [Ib. XXXVIII, 14.] *Et depositis vestimentis viduitatis suæ a se.* Hinc insinuatur et temporibus Patriarcharum certa et sua fuisse vestimenta viduarum, non utique talia qualia conjugatarum.

CXXX. [Ib. XXXIX, 1.] Quod iterum dicitur, *Joseph autem depositus est in Ægyptum, et possedit eum Petephres spado Pharaonis*, ad ordinem redit Scriptura unde recesserat, ut illa narraret quæ supra digesta sunt.

CXXXI. [Ib. XL, 16.] Quod aliqui codices latini habent, *tria canistra alicæ*, cum græci habeant χονδριτῶν, quod interpretantur qui usum ejusdem linguæ habent, panes esse cibarios. Sed illud movet, quomodo panem cibarium potuerit Pharao habere in escis. Dicit enim in superiore canistro fuisse omnia ex quibus edebat Pharao, opus pistorum [1]. Sed intelligendum est etiam ipsum canistrum habuisse panes cibarios, quia dictum est, tria canistra χονδριτῶν, et desuper fuisse illa ex omni genere operis pistoris in eodem canistro superiore.

CXXXII. [Ib. XLI, 1.] Quod putabat se stare Pharao super flumen, quemadmodum servus Abrahæ dixit, *Ecce ego sto super fontem aquæ* (*Id.* XXIV, 13) (nam et ibi græcus ἐπὶ τῆς πηγῆς dixit quemadmodum hic ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ) : hæc locutio si intelligatur in Psalmo ubi scriptum est, *Qui fundavit terram super aquam* (*Psal.* XXIII, 2); non coguntur homines putare sicut navem natare terram super aquam. Secundum hanc enim locutionem recte intelligitur quod altior sit terra quam aqua; altius quippe ab aquis sustollitur, ubi habitent terrena animalia.

CXXXIII. [Ib. XLI, 30.] Quod scriptum est, *Obliviscentur ubertatis futuræ in tota terra Ægypti*, non futuræ illis qui famem patientur, tanquam postea veniat illis ubertas; sed futura erat tunc quando loquebatur, tanquam diceret, Ubertatis hujus, quam futuram significarunt boves bonæ et spicæ bonæ, obliviscentur homines in ea fame, quam significaverunt boves et spicæ malæ.

CXXXIV. [Ib. XLI, 38.] *Numquid inveniemus hominem talem, qui habeat Spiritum Dei in se?* Ecce jam, nisi fallor, tertio insinuatur nobis in hoc libro Spiritus sanctus, id est, Spiritus Dei. Primo ubi dictum est, *Et Spiritus Dei ferebatur super aquam* (*Gen.* I, 2) : secundo ubi dicit Deus, *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, propter quod carnes sunt* [1] (*Id.* VI, 3) : et tertio nunc, quod Pharao dicit de Joseph, esse in illo Spiritum Dei; nondum tamen legimus Spiritum sanctum.

CXXXV. [Ib. XLI, 45.] *Et imposuit Pharao nomen Joseph Psonthomphanech :* hoc nomen interpretari dicitur, *Occulta revelavit;* ex illo utique quod somnia regi aperuit : Ægyptia vero lingua Salvatorem mundi perhibent appellatum isto nomine.

CXXXVI. [Ib. XLI, 45.] *Et dedit ei Aseneth, filiam Petephræ sacerdotis Solis civitatis, ipsi uxorem.* Quæri solet cujus Petephræ, utrum illius cujus servus fuit, an alterius : sed credibilius æstimatur alterius. Nam de illo cur non credatur, multa sunt quæ moveant. Primum, quia Scriptura non commemoravit, cum videatur hoc non potuisse præterire, quod ad illius juvenis non parvam gloriam pertinebat, ut ejus filiam duceret, cujus famulus fuit. Deinde quomodo spado filiam habere potuerit? Sed respondetur, Quomodo uxorem : postea quippe creditur abscissus, vel casu vulneris, vel propria voluntate. Et quod honor ejus, non ipse commemoratur qui solet, id est, quod ἀρχιμάγειρος fuerit, quem principem coquorum latini interpretes posuerunt, principem autem militiæ quidam intelligi volunt. Sed etiam hic respondetur, duos illum honores habuisse; et sacerdotium Solis, et militiæ principatum : congruenter autem alibi ille honor ejus commemoratus est, qui talibus actibus congruebat; hic vero, posteaquam in Joseph apparuit non parva divinitas, ipse honor debuit nominari soceri ejus, qui pertineret ad divinitatem non parvam, secundum opinionem Ægyptiorum in sacerdotio [2] Solis. Verum in his omnibus, quia et præpositus fuit custodiarum carceris, nimis incredibile est huic præpositum officio sacerdotem [3]. Deinde non simpliciter dictum est, quod sacerdos Solis esset; sed civitatis Solis, quæ vocatur Heliopolis : abesse autem dicitur amplius quam viginti millibus a civitate Memphi, ubi Pharaones, id est, reges maxime commanebant. Quomodo ergo deserto officio sacerdotii sui potuit strenue regi servire in militiæ principatu? Accedit etiam quod Ægyptii sacerdotes perhibentur non servisse semper, nisi templo

[1] Ms. Corb. *opus pistorium*; et paulo infra, *operis pistorii.*

[1] In excusis, *caro sunt.* At in melioris notæ Mss. hic et infra in lib. 2, quæst. 55, *carnes sunt.* Sic apud LXX.

[2] Editi, *in sacerdote :* pro quo Mss., *in sacerdotio.*

[3] Sic Mss. et Bat. At Am. Er. et Lov., *hunc fuisse præpositum officio sacerdotum.*

deorum suorum, nec aliud aliquid officii gessisse : sed si forte tunc aliter fuit, credat quisque quod placet; non est tamen quæstio cujus exitus clausus sit, sive unus fuerit Petephres, sive duo : quodlibet enim horum quisque existimet, non est fidei periculosum, nec contrarium veritati Scripturarum Dei.

CXXXVII. [Ib. XLI, 49.] *Et congregavit Joseph triticum, sicut arenam maris multum valde, quoadusque non potuit numerari; non enim erat numerus :* pro eo dictum est, *non enim erat numerus*, quod nomen numeri omnis usitati excederet illa copia, et quomodo appellaretur non inveniebatur. Nam unde fieri potest ut quantumlibet magnæ, finitæ tamen multitudinis, numerus non sit? Quamvis hoc potuerit etiam secundum hyperbolen dici.

CXXXVIII. [Ib. XLII, 9.] *Et commemoratus est Joseph somniorum suorum, quæ vidit ipse :* adoraverant enim eum fratres sui. Sed aliquid in illis somniis excelsius inquirendum est. Non enim potest eo modo de patre ejus ac matre compleri, quæ jam mortua fuerat, quod de sole et luna cum vidisset, a patre increpante audierat (*Gen.* XXXVII, 10), qui vivebat [1].

CXXXIX. [Ib. XLII, 15, 16.] Quid est quod Joseph vir tam sapiens, atque ita non solum hominum inter quos vivebat testimonio, sed ipsa etiam Scriptura teste laudatus, ita jurat per salutem Pharaonis, non exituros de Ægypto fratres suos, nisi frater eorum junior veniret? An etiam bono et fideli viro vilis fuerat salus Pharaonis, cui fidem sicut primitus domino suo servabat in omnibus? quanto enim magis ipsi, qui eum in tanto honore locaverat, si illi servavit, qui eum servum emptitium possidebat? Quod si non curabat Pharaonis salutem, numquid et perjurium pro cujuslibet hominis salute vitare non debuit? An non est perjurium? Tenuit enim unum eorum donec veniret Benjamin, et verum factum est quod dixerat : *Non exibitis hinc, nisi venerit frater vester.* Ad omnes enim non potuit pertinere quod dictum est; nam quomodo et ille venturus esset, nisi ad eum adducendum aliqui rediissent? Sed quod sequitur magis urget quæstionem, ubi iterum juravit dicens, *Mittite ex vobis unum, et adducite fratrem vestrum; vos autem ducemini* [2], *quoadusque manifesta sint verba vestra, si vera dicitis an non : sin autem, per salutem Pharaonis, exploratores estis;* id est, si non vera dicitis, exploratores estis. Huic sententiæ interposuit jurationem, quia si vera non dixissent, exploratores essent, id est, exploratorum pœna digni essent; quos tamen vera dicere sciebat. Neque enim perjurus est quisque, si ei quem castissimum novit, dicat, Si hoc adulterium de quo argueris commisisti, damnat te Deus, et his verbis adhibeat jurationem; verum omnino jurat : ibi est enim conditio qua dixit, Si fecisti, quem tamen non fecisse certum habet. Sed ait aliquis, Verum est quia si fecit adulterium, damnat illum Deus : hoc autem quomodo verum est, Si non verum dicitis, exploratores estis, cum etiamsi mentiantur, non sint exploratores? Sed hoc est quod dixi, ita dictum esse, *exploratores estis*, tanquam si dictum esset, exploratorum pœna digni estis, hoc est exploratores deputabimini merito mendacii vestri. *Estis* autem potuisse dici, pro habebimini et deputabimini, innumeræ similes locutiones docent. Unde est illa Eliæ, *Quicumque exaudierit in igne, ipse erit Deus* (III *Reg.* XVIII, 24). Non enim tunc erit, sed tunc habebitur.

CXL. [Ib. XLII, 23.] Quid est quod cum inter se pœnitentes filii Israel loquerentur de fratre suo Joseph, quod cum illo male egerint, et hoc eis divino judicio redderetur, quod se periclitari videbant, adjungit Scriptura et dicit, *Ipsi ignorabant quia audiebat Joseph : interpres enim inter illos erat.* Hoc scilicet intelligendum est, ideo eos putasse quia ille non audiret, quod videbant interpretem qui inter illos erat, nihil ei dicere eorum quæ loquebantur; nec ob aliud adhibitum putabant interpretem, nisi quod eorum linguam ille nesciret; nec cura erat interpretis ea dicere illi, a quo positus fuerat, quæ non ad illum, sed inter se loquebantur.

CXLI. [Ib. XLII, 24.] *Et iterum accessit ad eos, et dixit illis :* nec adjungit quid illis dixerit. Unde intelligitur hæc eadem dixisse quæ dixerat.

CXLII. [Ib. XLII, 38.] *Et deducetis senectam meam cum tristitia ad infernum.* Utrum ideo ad infernum, quia cum tristitia? an etiamsi abesset tristitia, tanquam ad infernum moriendo descensurus hæc loquitur? De inferno enim magna quæstio est, et quid inde Scriptura sentiat, locis omnibus, ubi forte hoc commemoratum fuerit, observandum est.

CXLIII. [Ib. XLIII, 23.] Quod a præposito domus audiunt, *Deus vester et Deus patrum vestrorum dedit vobis thesauros in saccis vestris; argentum autem vestrum probatum habeo*, mendacium videtur, sed aliquid significare credendum est. Argentum enim quod et datur, et non minuitur, quia et probatum [1] appellatum est, nimirum illud intelligitur de quo alibi legimus, *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum* (*Psal.* XI, 7), id est perfecte.

CXLIV. [Ib. XLIII, 34.] *Biberunt autem, et inebriati sunt cum eo.* Solent hinc ebriosi adhibere testimonii patrocinium; non propter illos filios Israel, sed propter Joseph, qui valde sapiens commendatur : sed hoc verbum et pro satietate solere poni in Scripturis, qui diligenter adverterit, multis in locis inveniet. Unde est illud, *Visitasti terram et inebriasti eam, multiplicasti ditare eam* (*Psal.* LXIV, 10) : eo quod in laude benedictionis hoc positum est, et donum Dei commemoratur, apparet hac ebrietate saturitatem significari. Nam ita inebriari ut inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ utile est, quoniam majore quam satietati sufficit, humore corrumpitur; sicut vita ebriosorum, qui non satietate se replent, sed mergunt diluvio.

CXLV. [Ib. XLIV, 15.] Quod ait fratribus suis Joseph,

[1] Mss. duo, *qui viderat.*

[2] Editi, *non educemini.* At Mss. absque negatione habent, *ducemini;* supple, in carcerem : quod in Vulgata sic enuntiatur, *eritis in vinculis.* Apud LXX, *humeis de apachthéte.*

[1] Hic Mss. omnes, *probum.* Græc. LXX, *eudokimoun.*

Nesciebatis quia augurio auguratur homo qualis ego; de hoc augurio etiam mandavit eis dicendum per hominem suum; quid sibi velit, quæri solet; an quia non serio, sed joco dictum est, ut exitus docuit, non est habendum mendacium? Mendacia enim a mendacibus serio aguntur, non joco: cum autem quæ non sunt, tanquam joco dicuntur, non deputantur mendacia. Sed magis movet quid sibi velit ista actio Joseph, qua fratres suos, donec eis aperiret quis esset, toties ludificavit, et tanta exspectatione suspendit: quod licet tanto sit suavius cum legitur, quanto illis fit inopinatius cum quibus agitur, tamen sapientiæ illius gravitate, nisi magnum aliquid isto quasi ludo significaretur, nec ab illo fieret, nec ea Scriptura contineretur, in qua est tanta, sanctitatis auctoritas et prophetandorum tanta intentio futurorum; quam modo exsequi exponendo non suscepimus, sed admonere tantum voluimus, quid hic oporteat inquiri. Nam nec illud vacare arbitror, quod non ait, auguror ego, sed *auguratur homo qualis ego.* Quod si locutionis genus est, in Scripturæ corpore simile aliquid reperiendum est.

CXLVI. [Ib. XLIV.] Non negligenter considerandum puto, tantam miseriam in hac perturbatione fratrum suorum quomodo Joseph quamdiu voluit tenuit, et quanta voluit mora produxit: non eos utique faciens calamitosos, quando tantæ etiam ipsorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat; et totum hoc quod agebat, ut eorum gaudium differretur, ad hoc agebat, ut eadem dilatione cumularetur: tanquam non essent condignæ passiones eorum in toto illo tempore quo turbabantur, ad futuram gloriam exsultationis, quæ in eis fuerat revelanda, fratre cognito, quem a se perditum esse arbitrabantur.

CXLVII. [Ib. XLIV, 19.] Multa in narratione Judæ aliter dicta sunt, quam cum illis egerat Joseph, quamvis apud eum loqueretur, ut omnino de illa insimulatione quod exploratores essent, nihil diceretur. Quod utrum consulto tacitum sit, an et id fecerit perturbationis oblivio, non apparet. Nam et illud quod dixerunt, se ab ipso Joseph interrogatos de patre et fratre suo, se autem illa interroganti indicasse, mirum si vel ad sententiam potest ista pervenire narratio, ut eam constet esse veracem. Quanquam etsi aliqua falsa in ea sunt, falli potius per oblivionem potuit, quam audere mentiri; apud eum præsertim, cui non sicut nescienti, sed etiam illa quæ noverat eum scire, ad flectendam ejus misericordiam narrationi suæ inserebat.

CXLVIII. [Ib. XLV, 7.] Quid est quod dicit Joseph, *Misit enim me Deus ante vos, remanere vestrum reliquias super terram, et enutrire vestrum reliquiarium magnum*[2]? Hoc enim non usquequaque consonat, ut reliquias vel reliquiarium accipiamus Jacob et filios ejus, cum omnes sint incolumes. An forte illud significat alto secretoque mysterio, quod ait Apostolus, *Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt* (*Rom.* XI, 5); quia propheta prædixerat, *Etsi fuerit numerus filiorum Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* X, 22). Ad hoc enim occisus est Christus a Judæis, et traditus Gentibus tanquam Joseph Ægyptiis a fratribus, ut et reliquiæ Israel salvæ fierent. Unde dicit Apostolus, *Nam et ego Israelita sum:* et, *Ut plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom.* XI, 1 *et* 25); id est, ex reliquiis Israel secundum carnem, et plenitudine gentium quæ in fide Christi secundum spiritum sunt Israel. Aut si et genti illi Israeliticæ restat fidei plenitudo, ex qua erant reliquiæ, in quibus reliquiis tunc et Apostoli salvi facti sunt, hoc significatur ea plenitudine liberationis Israel, qua per Moysen ex Ægypto liberati sunt.

CXLIX. [Ib. XLVI, 6, 7.] *Intrarunt in Ægyptum Jacob et omne semen ejus, filii et filii filiorum ejus, filiæ et filiæ filiarum ejus cum eo.* Quærendum quomodo dicat *filias et filias filiarum ejus cum eo,* cum filiam unam legatur habuisse. Superius autem filias ejus dixeramus accipi posse neptes ejus, sicut filii Israel omnes dicuntur etiam universus populus ab illo propagatus. Sed nunc cum dicit, *filias filiarum,* propter unam Dinam, pluralis numerus pro singulari positus est, sicut etiam pro plurali singularis solet: nisi nurus ejus quisque asserat filias ejus potuisse appellari.

CL. [In XLVI, 15.] Quod dicit Scriptura tot animas peperisse Liam, vel tot aut tot animas exiisse de femoribus Jacob; videndum est quid hinc respondeatur eis qui hoc testimonio confirmare nituntur, a parentibus simul animas cum corporibus propagari. Animas enim dictas pro hominibus, a parte totum significante locutione, nullus ambigit. Sed quomodo ipsam partem, ex qua totum commemoratum est, hoc est animam, cujus nomine totus homo significatus est, alienemus ab eo quod dictum est, *exierunt de femoribus ejus,* ut carnes tantum ex illo natas, quamvis solæ animæ nominentur, accipiamus; quærendi sunt locutionum modi secundum Scripturas.

CLI. [Ib. XLVI, 15.] *Hi filii Liæ, quos peperit ipsi Jacob in Mesopotamia Syriæ, et Dinam filiam ejus, omnes animæ filii et filiæ ejus triginta tres.* Numquid istæ omnes triginta tres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sunt? Sex[1] utique filii et una filia, ex quibus nepotes commemorati sunt. Si ergo de uno Benjamin quæstio nata fuerat, quando numeratis duodecim filiis Jacob et nominatim commemoratis dictum est, *Hi filii Jacob qui facti sunt ei in Mesopotamia Syriæ* (*Supra, quæst.* 117]): quanto major nunc quæstio est, quomodo triginta tres animæ ex Lia in Mesopotamia Syriæ natæ sunt; nisi quia illa locutio confirmatur, tanquam ibi omnes orti sunt, quorum parentes ibi orti sunt? Deinde et illud jam non dubium est, in

[1] Mss. septem, *tantæ.*

[2] Editiones Er. et Lov., *et enutrire vestrum reliquias. Mirum est: hoc enim,* etc. Rat. et Am., *vestrum reliquiarum mirum est. Hoc enim,* etc. Vaticani Mss., *enutrire vestrarum reliquiarum magnum semen. Hoc enim,* etc. Thuaneus, Benignianus, aliique veteres cod. optimæ notæ ferunt, *vestrum reliquiarium magnum;* juxta LXX, *humon kataleipsin megalên.* Errandi occasio librariis fuit vox, *reliquiarium:* qua, licet barbara voce, haud illibenter post Scripturam sacram usus fuit Augustinus in lib. 5 Confess., cap. 8, n. 15.

[1] Libri omnes, *Sed utique filii;* excepto uno e Vatic. Mss. qui habet *sex.* Melius, Scriptura suffragante [*sed utique filii*].

una filia filias nominari, plurali numero pro singulari posito.

CLII. [Ib. XLVI, 26, 27.] Quod legitur sexaginta sex animas intrasse cum Jacob in Ægyptum, exceptis videlicet filiis Joseph, et deinde illis annumeratis infertur, *Septuaginta quinque animæ erant, cum quibus Jacob intravit in Ægyptum ;* sic accipiendum est, qui erant in domo Jacob, quando intravit in Ægyptum. Nam utique quos ibi invenit, non cum eis intravit. Sed quoniam diligentius discussa veritate reperiuntur duo nati jam fuisse cum intravit, Ephræm et Manasses, quod non solum hoc loco hebræi codices habere dicuntur, verum etiam ipsa secundum Septuaginta interpretatio in Exodo declarat ; nec Septuaginta interpretes mihi in hoc videntur errasse, qui propter aliquam mysticam significationem quadam velut prophetica libertate hunc numerum complere voluerunt, si adhuc vivente Jacob illi ex duobus filiis Manasse et Ephræm propagati sunt, quos eidem numero domus Jacob aggregandos judicaverunt. Sed quia invenitur Jacob decem et septem annos vixisse in Ægypto (*Gen.* XLVII, 28), quomodo potuerunt filii Joseph illo vivo etiam nepotes habere, non invenitur. Ingressus est enim Ægyptum Jacob secundo anno famis (*Id.* XLV, 6) ; nati sunt autem filii Joseph in annis abundantiæ (*Id.* XLI, 50) : quibuslibet annis ubertatis nati existimentur, a primo anno ubertatis usque ad secundum annum famis, quo ingressus est Jacob in Ægyptum, novem anni sunt ; huc additis decem et septem quibus ibi vixit Jacob, viginti sex anni reperiuntur. Quomodo ergo minus quam viginti et sex annorum juvenes etiam nepotes habere potuerunt ? Sed neque ulla hebraica veritate ista solvitur quæstio. Quemadmodum enim impleri potuit, ut tot nepotes susciperet Jacob antequam intraret in Ægyptum, etiam de Benjamin qui illa ætate venit ad fratrem ? Non solum autem Scriptura eum filios habuisse commemorat, sed et nepotes et pronepotem, qui omnes annumerantur sexaginta sex hominibus, cum quibus Jacob in Ægyptum, etiam secundum hebraicam veritatem perhibetur intrasse. Videndum est etiam, quid sibi velit, quod cum Joseph et filii ejus non amplius quam octo commemorentur, Benjamin vero et ejus filii simul undecim reperiantur, non decem et novem omnes sicut sunt octo et undecim, sed decem et octo referantur in summam : et postea Joseph cum filiis suis, non animæ octo, sed novem fuisse dicantur, cum octo inveniantur (*Id.* XLVI, 21, 22, 27). Hæc omnia, quæ indissolubilia videntur, magnam continent sine dubitatione rationem ; sed nescio utrum possint cuncta ad litteram convenire, præcipue in numeris, quos in Scripturis esse sacratissimos et mysteriorum plenissimos, ex quibus jam quos inde nosse potuimus, dignissime credimus.

CLIII. [Ib. XLVI, 32.] Commendatur in Patriarchis, quod pecorum nutritores erant a pueritia sua et a parentibus suis. Et merito, nam hæc est sine ulla dubitatione justa servitus et justa dominatio, cum pecora homini serviunt, et homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum est, cum crearetur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et habeat potestatem piscium maris et volatilium cœli, et omnium pecorum quæ sunt super terram (Gen.* I, 26). Ubi insinuatur rationem debere dominari irrationabili vitæ. Servum autem hominem homini, vel iniquitas vel adversitas fecit[1] : iniquitas quidem, sicut dictum est, *Maledictus Chanaan, erit servus fratribus suis (Id.* IX, 25) ; adversitas vero, sicut accidit ipsi Joseph, ut venditus a fratribus servus alienigenæ fieret (*Id.* XXXVII, 28, 36). Itaque primos servos, quibus hoc nomen in latina lingua inditum est, bella fecerunt. Qui enim homo ab homine superatus jure belli posset occidi, quia servatus est, servus est appellatus : inde et mancipia, quia manu capta sunt. Est etiam ordo naturalis in hominibus, ut serviant feminæ viris, et filii parentibus ; quia et illic hæc justitia est ut infirmior ratio serviat fortiori. Hæc igitur in dominationibus et servitutibus clara justitia est, ut qui excellunt ratione, excellant dominatione : quod cum in hoc sæculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diversitatem, ferunt justi temporalem perversitatem, in fine habituri ordinatissimam et sempiternam felicitatem.

CLIV. [Ib. XLVI, 34.] *Abominatio est enim Ægyptiis omnis pastor ovium.* Merito Ægyptiis, in quibus figura est præsentis sæculi, in quo abundat iniquitas, abominatio est omnis pastor pecorum : abominatio est enim iniquo vir justus.

CLV. [Ib. XLVII, 5, 6.] *Venerunt autem in Ægyptum ad Joseph Jacob et filii ejus : et audivit Pharao rex Ægypti, et ait Pharao ad Joseph dicens, Pater tuus et fratres tui venerunt ad te : ecce terra Ægypti ante te est, in terra optima colloca patrem tuum et fratres tuos.* Hæc repetitio non prætermissæ rei, ad quam sæpe obscure per recapitulationem reditur, sed omnino aperta est. Jam enim dixerat Scriptura quomodo venerint ad Pharaonem fratres Joseph, et quid eis dixerit, vel ab eis audierit (*Id.* XLV, 16-20) ; sed hoc nunc velut ab initio repetivit, ut inde contexeret narrationem ab his verbis, quæ soli Joseph Pharao dixit : quorum omnium in codicibus græcis, qui a diligentioribus conscripti sunt, quædam obeliscos habent, et significant ea quæ in hebræo non inveniuntur, et in Septuaginta inveniuntur ; quædam asteriscos, quibus ea significantur quæ habent hebræi, nec habent Septuaginta.

CLVI. [Ib. XLVII, 9.] Quid est quod dixit Jacob Pharaoni, *Dies annorum vitæ meæ, quos incolo?* Sic enim habent græci, quod latini habeat, *ago*, vel *habeo,* vel si quid aliud. Utrum ergo ideo dixit, *quos incolo*, quia in terra natus est, quam nondum populus divina promissione hæreditatis acceperat ; et ibi vitam ducens, utique in aliena terra erat, non solum quando peregrinabatur, sicut in Mesopotamia, verum etiam quando ibi erat ubi natus est? An potius secundum id accipiendum est, quod ait Apostolus, *Quamdiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino* (II *Cor.* V, 6)?

[1] Am. Er. et Lov., *dominari fecit.* Abest *dominari* ab omnibus Mss. et ab editione Rat.

Secundum hoc et illud in Psalmo dictum intelligitur, *Inquilinus ego sum in terra, et peregrinus sicut omnes patres mei* (*Psal.* XXXVIII, 13). Nam iterum dicit de ipsis diebus vitæ suæ, *Non pervenerunt in dies annorum vitæ patrum meorum, quos dies incoluerunt.* Non enim hic aliud voluit intelligi, quam id quod latini codices habent, *vixerunt;* ac per hoc significavit hanc vitam incolatum esse super terram, id est peregrinationis habitationem. Sed credo sanctis hoc convenire, quibus aliam patriam æternam Dominus pollicetur. Unde videndum est quemadmodum dictum est de impiis, *Incolent et abscondent, ipsi calcaneum meum observabunt* (*Psal.* LV, 7). De his enim convenientius accipitur, qui ut abscondant incolunt; id est, ut insidientur filiis, non manent in domo in æternum.

CLVII. [Ib. XLVII, 11.] *Et dedit eis possessionem in terra optima, in terra Ramessem, sicut præcepit Pharao.* Quærendum est utrum terra Ramessem ipsa sit Gessen. Ipsam enim petierant, et ipsam eis Pharao dari præceperat.

CLVIII. [Ib. XLVII, 12.] *Et metiebatur triticum patri suo Joseph;* et tamen eum pater nec quando vidit adoravit, nec quando ab illo triticum accipiebat : quomodo ergo somnium Joseph modo impletum putabimus (*Gen.* XXXVII, 9), et non potius majoris rei continere prophetiam?

CLIX. [Ib. XLVII, 14.] *Et intulit Joseph omnem pecuniam in domum Pharaonis.* Pertinuit ad Scripturam in hac etiam re commendare fidem famuli Dei [1].

CLX. [Ib. XLVII, 16, 4.] *Dixit autem illis Joseph, Adducite pecora vestra, et dabo vobis panes pro pecoribus vestris, si defecit* [2] *argentum.* Quæri potest, cum Joseph frumenta collegerit unde homines viverent, pecora unde vivebant, cum tanta fames invalesceret : maxime quia fratres Joseph Pharaoni dixerant, *Non sunt enim pascua pecoribus puerorum tuorum; invaluit enim fames in terra Chanaan;* et propter hanc etiam inopiam pascuorum se venisse commemoraverant. Proinde si ea fame pascua defecerant in terra Chanaan, cur in Ægypto non defecerant, eadem tunc fame ubique invalescente? An sicut perhibetur ab eis qui loca sciunt, in multis Ægypti paludibus poterant pascua non deesse, etiam cum fames esset frumentorum, quæ solent Nili fluminis inundatione provenire? Magis enim dicuntur paludes illæ feracia [3] pascua gignere, quando aqua Nili minus excrescit.

CLXI. [Ib. XLVII, 29.] Moriturus Jacob filio suo Joseph dicit : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, subjice manum tuam sub femore meo, et facies in me misericordiam et veritatem.* Ea filium juratione constringit, qua servum constrinxit Abraham (*Gen.* XXIV, 2); ille mandans unde uxor ducatur filio suo, iste sepulturam commendans corporis sui. In utraque tamen causa nominata sunt duo illa, quæ magni habenda atque pendenda sunt in Scripturis omnibus, quacumque dispersim leguntur, misericordia et justitia, vel misericordia et judicium, vel misericordia et veritas, quandoquidem in quodam loco scriptum est, *Universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV, 10). Ita hæc duo multum commendata multum consideranda sunt. Servus autem Abrahæ dixerat, *Si facitis in dominum meum misericordiam et justitiam* (*Gen.* XXIV, 49); sicut et iste filio suo dicit, *Ut facias in me misericordiam et veritatem.* Quid sibi autem velit a tanto viro tam sollicita corporis commendatio, ut non in Ægypto sepeliatur, sed in terra Chanaan juxta patres suos, mirum videtur, et quasi absurdum, nec conveniens tantæ excellentiæ mentis propheticæ, si hoc ex hominum consuetudine metiamur. Si autem in his omnibus sacramenta quærantur, majoris admirationis gaudium ipsi qui invenerit orietur. Cadaveribus quippe mortuorum peccata significari in Lege, non dubium est, cum jubentur homines post eorum contrectationem, sive qualemcumque contactum, tanquam ab immunditia purificari. Et hinc illa sententia ducta est, *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus? Sic et qui jejunat super peccata sua, et iterum ambulans hæc eadem facit* (*Eccli.* XXXIV, 30, 31). Sepultura ergo mortuorum remissionem significat peccatorum, eo pertinens quod dictum est, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1). Ubi ergo sepelienda erant hoc significantia cadavera Patriarcharum, nisi in ea terra ubi ille crucifixus est, cujus sanguine facta est remissio peccatorum? Mortibus enim Patriarcharum peccata hominum figurata sunt. Dicitur autem ab eo loco, quod Abrahamium vocatur, ubi sunt ista corpora, abesse locum ubi crucifixus est Dominus fere triginta millibus, ut etiam ipse numerus eum significare intelligatur, qui in baptismo apparuit fere triginta annorum : et si quid aliud de re tanta, vel hoc modo vel sublimius intelligi potest, dum tamen non frustra arbitremur tales ac tantos homines Dei tantam gessisse curam pro sepeliendis corporibus suis; cum sit atque esse debeat fidelium ista securitas, quod ubicumque corpora eorum sepeliantur vel insepulta etiam per inimicorum rabiem relinquantur, aut pro eorum libidine dilacerata absumantur, non ideo vel minus integram, vel minus gloriosam eorum resurrectionem futuram.

CLXII. [Ib. XLVII, 31.] Quod habent latini codices, *Et adoravit super caput virgæ ejus;* nonnulli codices emendatius habent, *Adoravit super caput virgæ suæ*, vel *in capite virgæ suæ*, sive *in cacumine* [1], vel *super cacumen.* Fallit eos enim verbum græcum, quod eisdem litteris scribitur, sive *ejus*, sive *suæ :* sed accentus dispares sunt, et ab eis qui ista noverunt, in codicibus non contemnuntur; valent enim ad magnam discretionem. Quamvis et unam plus litteram habere posset, si esset *suæ*, ut non esset αὐτοῦ, sed ἑαυτοῦ. Ac per hoc merito quæritur quid sit quod dictum est. Nam facile intelligeretur senem, qui virgam ferebat eo more, quo illa ætas baculum solet, ut se inclinavit ad Deum adorandum, id utique fecisse super cacumen

[1] Vetus codex Corbeiensis, *famulis Dei.*
[2] Editi, *deficit.* Mss. vero, juxta græcum, *defecit.*
[3] Mss. quindecim, *feracius*

[1] Plerique Mss., *sive in cacumen;* pro, *in cacumine.*

virgæ suæ, quam sic ferebat, ut super eam caput inclinando adoraret Deum. Quid est ergo, *Adoravit super cacumen virgæ ejus*, id est filii sui Joseph? An forte tulerat ab eo virgam, quando ei jurabat idem filius, et dum eam tenet, post verba jurantis, nondum illa reddita mox adoravit Deum? Non enim pudebat eum ferre tantisper insigne potestatis filii sui, ubi figura magnæ rei futuræ præsignabatur : quamvis in hebræo facillima hujus quæstionis absolutio esse dicatur, ubi scriptum perhibent, *Et adoravit Israel ad caput lecti*, in quo utique senex jacebat, et sic positum habebat, ut in eo sine labore, quando vellet, oraret; nec ideo tamen quod Septuaginta interpretati sunt, nullum vel levem sensum habere putandum est.

CLXIII. [Ib. XLVIII, 4.] Etiam hic commemorans Jacob promissiones Dei erga se factas, dicit sibi dictum, *Faciam te in congregationes gentium* : quibus verbis magis fidelium vocationem significat, quam carnalis generis propagationem.

CLXIV. [Ib. XLVIII, 5, 6.] Quod scriptum est, dicente Jacob de Ephræm et Manasse, *Nunc ergo filii tui duo, qui facti sunt tibi in terra Ægypti priusquam ad te venirem in Ægyptum, mei sunt, Ephræm et Manasse, tanquam Ruben et Simeon erunt mihi* (*natos autem si genueris postea, tibi erunt*); *in nomine fratrum suorum appellabuntur in sortibus eorum:* fallit legentes aliquando, ut existiment ita dictum, tanquam si alios genuisset Joseph, istorum nominibus eos Jacob appellari præciperet; quod non ita est. Verborum quippe ordo contexitur, *Nunc ergo filii tui duo, qui facti sunt tibi in terra Ægypti priusquam ad te venirem in Ægyptum, mei sunt Ephræm, et Manasse, tanquam Ruben et Simeon erunt mihi; in nomine fratrum suorum appellabuntur in sortibus eorum ;* hoc est, simul hæreditatem capient cum fratribus suis, ut simul vocentur filii Israel. Duæ quippe ipsæ tribus adjunctæ sunt, ut excepta tribu Levi, quæ sacerdotalis fuit, duodecim essent quæ terram dividerent, et decimas præberent. Illud autem interpositum est, quod de aliis filiis Joseph si nascerentur dixit.

CLXV. [Ib. XLVIII, 7.] Quod Jacob filio suo Joseph tanquam nescienti voluit indicare, ubi et quando sepelierit matrem ejus, cum et ipse simul fuerit cum fratribus suis; sed etsi erat tam parvus ætate, ut illud vel curare vel animo retinere non posset, quæ res compulit modo dici? nisi forte ad rem pertinuit commemorare ibi sepultam matrem Joseph, ubi Christus fuerat nasciturus.

CLXVI. [Ib. XLVIII, 14, 19.] Quod ita benedicit nepotes suos Israel, ut dexteram manum minori imponat, majori autem sinistram, et hoc filio suo Joseph volenti corrigere quasi errantem atque nescientem, ita respondet, *Scio, fili, scio, et hic erit in populum, et hic exaltabitur; sed frater ejus junior major illo erit, et semen ejus erit in multitudinem gentium :* hactenus de Christo accipiendum est, quatenus etiam de ipso Jacob et fratre ejus dictum est, *Quia major serviet minori* (*Gen.* XXV, 23). Secundum hoc enim significavit aliquid prophetice hoc faciendo Israel, quod populus posterior per Christum futurus generatione spirituali, superaturus erat populum priorem de carnali patrum generatione gloriantem.

CLXVII. [Ib. XLVIII, 22.] Quod dicit Jacob Sichimam se præcipuam dare filio suo Joseph, et addit quod eam possederit in gladio suo et arcu, quæri potest quemadmodum valeat ad litteram convenire. Emit enim centum agnis possessionem illam (*Gen.* XXXIII, 19), non cepit jure victoriæ bellicæ. An quia Salem civitatem Sichimorum filii ejus expugnaverunt (*Id.* XXXIV, 25), et jure belli potuit ejus fieri, ut justum bellum cum eis gestum videatur, qui tantam priores injuriam fecerunt in ejus filia contaminanda? Cur non ergo illis illam terram dedit, qui hoc perpetraverunt, hoc est, majoribus filiis suis? Deinde si modo ex illa victoria glorians, dat eam terram filio suo Joseph, cur ei displicuerunt tunc filii qui hoc commiserunt? Cur denique etiam nunc, cum eos benediceret, exprobrando id commemoravit in factis eorum (*Id.* XLIX, 5)? Procul dubio ergo aliquod hic latet propheticum sacramentum : quia et Joseph quadam præcipua significatione Christum præfiguravit, et ei datur illa terra, ubi disperdiderat obruendo deos alienos Jacob; ut Christus intelligatur possessurus gentes diis patrum suorum renuntiantes, et credentes in eum.

CLXVIII. [Ib. XLIX, 32.] Videndum quomodo dicant Scripturæ, quod assidue dicunt de mortuis, *Et appositus est ad patres suos:* vel, *Appositus est ad populum suum.* Ecce enim de Jacob dicitur, jam quidem mortuo, sed nondum sepulto; et ad quem populum apponatur, non in promptu est videre. Ex illo enim populus prior nascitur, qui dictus est populus Israel : qui vero eum præcesserunt, tam pauci justi nominantur, ut eos populum appellare cunctemur. Nam si dictum esset, Appositus est ad patres suos, nulla quæstio fieret. An forte populus est, non solum hominum sanctorum, verum et Angelorum, populus civitatis illius, unde dicitur ad Hebræos, *Sed accessistis ad montem Sion, et ad civitatem Dei Jerusalem, et ad millia Angelorum exsultantium* (*Heb.* XII, 22)? Huic populo apponuntur qui hanc vitam placentes Deo finiunt [1]. Tunc enim dicuntur apponi, quando nulla jam remanet sollicitudo tentationum, et periculum peccatorum. Quod intuens ait Scriptura : *Ante mortem ne laudes hominem quemquam* (*Eccli.* XI, 30).

CLXIX. [Ib. L, 3.] Quadraginta dies sepulturæ, quos commemorat Scriptura, forte significant aliquid pœnitentiæ, qua peccata sepeliuntur. Non enim frustra etiam quadraginta dies jejuniorum sunt constituti, quibus Moyses (*Exod.* XXXIV, 28) et Elias (III *Reg.* XIX, 8), et ipse Dominus jejunavit (*Matth.* IV, 2) : et Ecclesia præcipuam observationem jejuniorum Quadragesimam vocat. Unde et in hebræo de Ninivitis apud Jonam prophetam scriptum perhibent, *Quadraginta dies et Ninive evertetur* (*Jonæ* III, 4) : ut per tot dies, accommodatos videlicet humiliationi pœnitentium, intelli-

[1] Editi, *qui post hanc vitam placentes Deo fiunt.* Hunc locum emendamus auctoritate Mss. quibus Eugypii abbatis collectio cum in excusis, tum in duobus Corbeiensibus Mss. suffragatur.

gantur in jejuniis sua deflevisse peccata, et impetrasse misericordiam Dei. Nec tamen putandum est istum numerum luctui pœnitentium tantummodo convenire: alioquin non quadraginta dies fecisset Dominus cum discipulis suis post resurrectionem, intrans cum eis et exiens, manducans et bibens; qui dies utique magnæ lætitiæ fuerunt. Nec Septuaginta interpretes, quos legere consuevit Ecclesia, errasse credendi sunt, ut non dicerent, *Quadraginta dies*, sed, *Triduum et Ninive evertetur*. Majore quippe auctoritate præditi quam interpretum officium est, prophetico spiritu, quo etiam ore uno in suis interpretationibus, quod magnum miraculum fuit, consonuisse firmantur, *Triduum* posuerunt, quamvis non ignorarent quod dies quadraginta in hebræis codicibus legerentur; ut in Domini Jesu Christi clarificatione intelligerentur dissolvi abolerique peccata; de quo dictum est, *Qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV, 25). Clarificatio autem Domini in resurrectione et in cœlum ascensione cognoscitur. Unde et his numero, quamvis unum et eumdem, Spiritum sanctum dedit: primo, posteaquam resurrexit (*Joan.* XX, 22); iterum, posteaquam ascendit in cœlum (*Act.* II, 2-4). Et quoniam post triduum resurrexit, post quadraginta autem dies ascendit; unum horum, quod posterius factum est, per numerum dierum codices hebræi significant: alterum autem de triduo, quod ad eamdem etiam rem pertineret, Septuaginta commemorare, non interpretationis servitute, sed prophetiæ auctoritate voluerunt. Non ergo dicamus unum horum falsum esse, et pro aliis interpretibus adversus alios litigemus, cum et illi qui ex hebræo interpretantur; probent nobis hoc scriptum esse quod interpretantur; et Septuaginta interpretum auctoritas, quæ tanto etiam divinitus facto miraculo commendatur, tanta in Ecclesiis vetustate firmetur.

CLXX. [Ib. L, 5.] Quod mandavit Joseph ad potentes Ægypti, ut dicerent Pharaoni nomine ejus, *Pater meus adjuravit me, dicens, In monumento quod ego fodi mihi in terra Chanaan, ibi me sepelies*, quæri potest quomodo verum sit; cum hæc verba patris ejus, quando de sua sepultura mandavit, non legantur. Sed ad sententiam verba referre debemus, sicut in aliis supra similiter iteratis verbis vel narrationibus admonuimus. Voluntati enim enuntiandæ, et in notitiam perferendæ, oportet verba servire. Fodisse autem sibi Jacob sepulcrum, nusquam superius in Scripturis legitur. Sed nisi fieret, cum in eisdem terris esset, modo non diceretur.

CLXXI. [Ib. L, 10.] Quid sibi vult quod cum pergerent ad sepeliendum Jacob, Scriptura dicit, *Et advenerunt ad aream Atad, quæ est trans Jordanem?* Prætergressi sunt enim locum in quo erat mortuus sepeliendus, millia (sicut perhibent qui noverunt) plusquam quinquaginta: tantum quippe spatii est, plus minus, ab eo loco ubi sepulti sunt Patriarchæ, in quibus et Jacob, usque ad hunc locum, quo eos advenisse narratur. Nam post factum ibi luctum et planctum magnum redierunt ad locum quem præterierant, rursus Jordane transjecto. Nisi forte quis dicat, aliquorum hostium vitandorum causa per eremum eos venisse cum corpore, qua etiam populus Israel ductus est per Moysen ab Ægypto liberatus. Illo quippe itinere et plurimum circuitur, et per Jordanem venitur ad Abrahamium [1], ubi sunt corpora Patriarcharum, id est, ad terram Chanaan. Sed quoquo modo factum sit, ut trans illa loca ad orientem versus tantum iretur, et inde ad ea per Jordanem veniretur, significationis causa factum esse credendum est, quod per Jordanem venturus erat ad eas terras postea Israel in filiis suis.

CLXXII. [Ib. L, 10, 3.] *Et fecit luctum patri suo septem dies.* Nescio utrum inveniatur alicui sanctorum in Scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos Novemdial [2] appellant. Unde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui Christianorum istum in mortuis suis numerum servant, qui magis est in Gentilium consuetudine. Septimus vero dies auctoritatem in Scripturis habet: unde alio loco scriptum est, *Luctus mortui septem dierum; fatui autem omnes dies vitæ ejus* (*Eccli.* XXII, 13). Septenarius autem numerus propter sabbati sacramentum præcipue quietis indicium est; unde merito mortuis tanquam requiescentibus exhibetur. Quem tamen numerum in luctu Jacob decuplaverunt Ægyptii, qui eum septuaginta diebus luxerunt.

CLXXIII [Ib. L, 22.] *Et vixit Joseph annos centum decem, et vidit Joseph Ephræm filios usque ad tertiam generationem, et filii Machir filii Manasse nati sunt super femora Joseph.* Cum hos filios filiorum, vel nepotes filiorum dicat Scriptura Joseph vivendo vidisse, quomodo eos jungit illis septuaginta quinque hominibus, cum quibus Jacob Ægyptum dicit intrasse (*Gen.* XLVI, 27): quandoquidem Joseph senescendo pervenit ut eos natos videret; Jacob autem cum ingressus est in Ægyptum, juvenis erat Joseph, et eum pater moriens quinquagesimum et sextum fere ætatis annum agentem reliquit? Unde constat certi mysterii causa illum numerum, id est, septuagenarium et quinarium Scripturam commendare voluisse. Si autem quisquam exigit, quomodo etiam secundum historiæ fidem verum sit, Jacob cum septuaginta quinque animabus in Ægyptum intrasse; non illo uno die quo venit, ejus ingressum oportet intelligi: sed quia in filiis suis plerumque appellatur Jacob, hoc est in posteris suis, et per Joseph eum constat in Ægyptum intrasse; introitus ejus accipiendus est quamdiu vixit Joseph, per quem factum est ut intraret. Toto quippe illo tempore nasci et vivere potuerunt omnes qui commemorantur, ut septuaginta quinque animæ compleantur usque ad nepotes Benjamin. Sicut enim dicit, *Hi filii Liæ, quos peperit ipsi Jacob in Mesopotamia Syriæ* (*Ibid*, 15), loquens etiam de iis qui non erant nati; quia illic parentes eorum ex quibus nati sunt, pepererat, ibi eos perhibens natos, quoniam causa qua nascerentur ibi nata

[1] Rat., *ad Abrahamum.* Am. Er. et Lov., *ad Mambram.* Legendum cum Mss., *ad Abrahamium*, uti supra, in quæst. 161.

[2] Eugypii collectio Mss., *Novemdialia.*

est, id est parentes eorum, quos ibi Lia peperit: ita quoniam causam intrandi in Ægyptum Jacob in Joseph habuit, totum tempus quo in Ægypto vixit Joseph, ingressio erat Jacob in Ægyptum per suam progeniem, quæ illo vivo propagabatur, per quem factum est ut ingrederetur.

LIBER SECUNDUS.

Quæstiones in Exodum, et in fine descriptio Tabernaculi.

QUÆST. I. [EXOD. *cap.* I, ℣ ℣. 19, 20.] De obstetricum mendacio, quo fefellerunt Pharaonem, ne occiderent masculos Israelitas quando nascebantur, dicentes non ita parere mulieres Hebræas sicut pariebant Ægyptiæ; quæri solet utrum talia mendacia approbata sint auctoritate divina, quandoquidem scriptum est Deum bene fecisse obstetricibus: sed utrum pro misericordia ignoscebat mendacio; an et ipsum mendacium dignum præmio judicabat, incertum est. Aliud enim faciebant obstetrices vivificando infantes parvulos, aliud Pharaoni mentiendo: nam in illis vivificandis opus misericordiæ fuit; mendacio vero illo pro se utebantur, ne noceret illis Pharao, quod potuit non ad laudem, sed ad veniam pertinere. Neque hinc auctoritatem ad mentiendum esse propositam mihi videtur eis de quibus dictum est, *Et non est inventum in ore eorum mendacium* (*Apoc.* XIV, 5.) Quorumdam enim vita longe inferior a professione sanctorum, si habeat ista mendaciorum peccata, provectu ipso et indole feruntur, præsertim si beneficia divina nondum norunt exspectare cœlestia, sed circa terrena occupantur. Qui autem ita vivunt, ut eorum conversatio, sicut dicit Apostolus, in cœlis sit (*Philipp.* III, 20), non eos existimo linguæ suæ modum, quantum ad veritatem promendam attinet falsitatemque vitandam, exemplo illo obstetricum debere formare. Sed diligentius de hac quæstione disserendum est, propter alia exempla quæ in Scripturis reperiuntur.

II. [Ib. II, 12.] De facto Moysi, cum occidit Ægyptium ad defendendos fratres suos, satis disputavimus in illo opere quod de vita Patriarcharum adversus Faustum scripsimus: utrum indoles in eo laudabilis fuerit, qua hoc peccatum admiserit, sicut solet uber terræ, etiam ante utilia semina, quadam herbarum quamvis inutilium feracitate laudari; an omnino ipsum factum justificandum sit (*Contra Faustum lib.* 22, *cc.* 60, *sqq.*). Quod ideo non videtur, quia nullam adhuc legitimam potestatem gerebat, nec acceptam divinitus, nec humana societate ordinatam. Tamen, sicut Stephanus dicit in Actibus Apostolorum, putabat intelligere fratres suos, quod per eum Deus daret illis salutem (*Act.* VII, 25): ut per hoc testimonium videatur Moyses jam divinitus admonitus (quod Scriptura eo loco tacet) hoc audere potuisse.

III. [Ib. III, 4.] *Clamavit illum*[1] *Dominus de rubo.* Dominus in angelo? an Dominus, angelus ille qui dictus est, *Magni consilii angelus* (*Isai.* IX, 6), et intelligitur Christus? Supra enim dixit, *Apparuit illi angelus Domini in flamma ignis de rubo.*

IV. [Ib. III, 8.] *Educere illos de terra illa in terram bonam et multam, in terram fluentem lac et mel:* utrum terram fluentem lac et mel spiritualiter accipere debemus; quia secundum proprietatem non hoc erat illa quæ data est populo Israel? an locutionis est, qua id ad laudem ubertatis et suavitatis referatur?

V. [Ib. III, 9.] *Et nunc ecce clamor filiorum Israel venit ad me:* non sicut clamor Sodomorum (*Gen.* XVIII, 20), quo iniquitas sine timore et sine verecundia significatur.

VI. [Ib. III, 22.] Quod mandavit Dominus Hebræis per Moysen, ut acciperent ab Ægyptiis vasa aurea et argentea et vestem, atque addidit, *Et prædabimini eos:* mandati hujus non potest injustum esse judicium. Mandatum enim Dei est, de quo non judicandum, sed ei obtemperandum fuit. Ille enim novit quam juste mandaverit: ad servum autem pertinet obedienter facere quod mandavit.

VII. [Ib. IV, 10.] Quod ait Moyses ad Dominum, *Precor, Domine, non sum eloquens ante hesternum, neque ante nudiustertianum diem, neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo*, intelligitur credere posse se fieri Dei voluntate subito eloquentem, cum dicit, *neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo*: tanquam ostendens fieri potuisse ut ante hesternum et nudiustertianum diem qui eloquens non fuisset, repente fieret, ex quo cum illo Dominus loqui cœpit.

VIII. [Ib. IV, 11.] *Quis fecit mutum et audientem, videntem et cæcum: nonne ego Dominus Deus?* Sunt qui Deo calumnientur, vel Scripturæ potius Veteris Testamenti, quia dixerit Deus quod ipse fecerit cæcum et mutum. Quid ergo dicunt de Domino Christo aperte in Evangelio dicente, *Ego veni ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX, 39)? Quis autem nisi insipiens crediderit aliquid homini secundum vitia corporalia posse accidere, quod Deus nolit? Sed eum juste totum velle nemo ambigit.

IX. [Ib. IV, 12.] Quod Dominus dicit ad Moysen, *Sed nunc vade, et ego aperiam os tuum, et instruam te quæ locuturus es;* satis hic apparet non tantum instructionem oris, sed ipsam etiam apertionem ad Dei voluntatem et gratiam pertinere. Non enim ait, Tu aperi os tuum, et ego instruam te; sed utrumque ipse promisit, *Aperiam*, *et instruam.* Alibi autem dicit in Psalmo, *Dilata os tuum, et adimplebo illud* (*Psal.* LXXX, 11). Ubi significat in homine voluntatem accipiendi quod Deus donat volenti: ut ad voluntatis exordium pertineat, *Dilata os tuum;* ad Dei autem gratiam, *Et adimplebo illud.* Hic vero, *Et aperiam os tuum*, *et instruam te.*

X. [Ib. IV, 14-16.] *Et iratus iracundia Dominus dixit.*

[1] Editi, *Clamavit ad illum.* Mss., *Clamavit illum:* id est, vocavit, uti habetur in Vulgata. Apud LXX, *ekalesen auton.*

Quemadmodum possit intelligi irascens Deus, quia non sicut homo per irrationabilem perturbationem, per omnia tenendum est, ubi tale aliquid Scriptura dicit, ne de hoc eadem sæpe dicenda sint. Sed merito quæritur cur hic iratus de fratre Moysi dixerit, quod ipse illi loqueretur ad populum : videtur enim tanquam diffidenti non dedisse plenissimam facultatem, quam daturus erat ; et per duos agi voluisse, quod et per unum posset, si credidisset. Verumtamen eadem verba omnia diligentius considerata, non significant iratum Dominum pro vindicta dedisse Aaron. Sic enim dicit, *Nonne ecce Aaron frater tuus Levites? scio quia loquens loquetur ipse* [1]. Quibus verbis ostenditur Deus increpasse potius eum, qui timeret ire quod ipse esset minus idoneus, cum haberet fratrem per quem posset ad populum loqui quod vellet; quoniam erat ipse gracilis vocis, et linguæ tardioris : quanquam de Deo totum sperare deberet. Deinde eadem ipsa quæ paulo ante promiserat, et posteaquam iratus est, dicit. Dixerat enim, *Aperiam os tuum, et instruam te;* nunc autem dicit, *Aperiam os tuum et os ejus, et instruam vos quæ faciatis :* sed quoniam addidit, *Et loquetur ipse tibi ad populum*, videtur oris apertio præstita, propter quod dicit Moyses linguæ se tardioris. De vocis autem gracilitate nihil ei præstare Dominus voluit, sed propter hoc adjutorium fratris adjunxit, qui posset ea uti voce, quæ populo docendo sufficeret. Quod ergo ait, *Et dabis verba mea in os ejus*, ostendit quod ea loquenda esset daturus : nam si tantummodo audienda, sicut populo, in aures diceret. Deinde quod paulo post ait, *Et loquetur ipse tibi ad populum, et ipse erit tuum os*, et hic subauditur, ad populum. Et cum dicit, *Tibi loquetur ad populum;* satis indicat in Moyse principatum, in Aaron ministerium. Deinde quod ait, *Tu autem illi eris quæ ad Deum* [2], magnum hic fortassis perscrutandum est sacramentum, cujus figuram gerat, veluti medius Moyses inter Deum et Aaron, et medius Aaron inter Moysen et populum.

XI. [Ib. IV, 24-25.] In eo quod scriptum est, *Et factum est, in via ad refectionem obviavit ei angelus, et quærebat eum occidere : et assumpto Sephora calculo, circumcidit præputium filii sui; et procidit ad pedes ejus, et dixit, Stetit sanguis circumcisionis infantis mei. Et recessit ab eo; propter quod dixit, Desiit sanguis circumcisionis;* primum quæritur, quem volebat angelus occidere, utrum Moysen, quia dictum est, *occurrit ei angelus, et quærebat eum occidere.* Nam cui putabitur occurrisse, nisi illi qui universo suorum comitatui præfuit, et a quo cæteri ducebantur? An puerum quærebat occidere, cui mater circumcidendo subvenit; ut ob hoc intelligatur occidere voluisse infantem, quia non erat circumcisus, atque ita sancire præceptum circumcisionis, severitate vindictæ? Quod si ita est, incertum est prius de quo dixerit, *quærebat eum occidere;* quia ignoratur quem, nisi ex consequentibus reperiatur : mira sane locutione et inusitata, ut prius diceret, *occurrit ei, et quærebat eum occidere*, de quo nihil antea dixerat. Sed talis est in Psalmo : ***Fundamenta ejus in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion*** (*Psal.* LXXXVI, 1, 2). Inde enim Psalmus incipit, nec aliquid de illo vel de illa dixerat, cujus fundamenta intelligi voluit, dicens, *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Sed quia sequitur, *diligit Dominus portas Sion;* ergo fundamenta vel Domini vel Sion, et ad faciliorem sensum magis Sion, ut fundamenta civitatis accipiantur. Sed quia in hoc pronomine, quod est, *ejus*, genus ambiguum est (omnis enim generis est hoc pronomen, id est et masculini, et feminini, et neutri), in græco autem in feminino genere dicitur αὐτῆς, masculino et neutro αὐτοῦ, et habet codex græcus, αὐτοῦ; cogit intelligere non fundamenta Sion, sed fundamenta Domini, id est, quæ constituit Dominus, de quo dictum est, *Ædificans Jerusalem Dominus* (*Psal.* CXLVI, 2). Nec Sion tamen, nec Dominum antea nominaverat, cum diceret, *Fundamenta ejus in montibus sanctis :* sic et hic nondum nominato infante dictum est, *occurrit ei, et quærebat eum occidere;* ut de quo dixerit, in consequentibus agnoscamus. Quanquam etsi de Moyse accipere quisquam voluerit, non est magnopere resistendum. Illud potius quod sequitur, si fieri potest, intelligatur, quid sibi velit ideo recessisse angelum ab interfectione cujuslibet eorum, quia dixit mulier, *Stetit sanguis circumcisionis infantis.* Non enim ait, Recessit ab eo, propter quod circumcidit infantem : sed quia stetit sanguis circumcisionis; non quia cucurrit, sed quia stetit : magno, nisi fallor, sacramento.

XII. [Ib. IV, 20.] Quod superius dictum est, quod Moyses uxorem et infantes suos imposuit vehiculis, ut cum eis in Ægyptum pergeret, postea vero Jothor [1] socer ejus illi cum eis occurrit, posteaquam eduxit populum ex Ægypto (*Exod.* XVIII, 1-5); quæri potest quomodo utrumque sit verum. Sed intelligendum est, post illam, quæ ab angelo futura erat, interfectionem Moysi vel infantis, reversam fuisse cum parvulis. Nam quidam putaverunt propter hoc angelum terruisse, ne ad impedimentum ministerii, quod divinitus impositum Moyses gerebat, femineus sexus comitaretur.

XIII. [Ib. V, 1-3.] Quæritur quomodo populo dicatur, quod mandavit Deus ejecturum se eos de Ægypto in terram Chanaan; Pharaoni autem dicatur, quod trium dierum iter exire vellent in desertum immolare Deo suo ex mandato ejus. Sed intelligendum est, quamvis Deus sciret quid esset facturus, quoniam præsciebat non consensurum Pharaonem ad populum dimittendum, illud primo dictum esse, quod etiam primitus fieret, si ille dimitteret. Ut enim sic fierent omnia quemadmodum consequens Scriptura testatur, Pharaonis contumacia meruit et suorum. Neque enim mendaciter Deus jubet quod scit non facturum cui jubetur, ut justum judicium consequatur.

XIV. [Ib. V, 22, 23.] Verba quæ dicit Moyses ad Dominum, *Quare afflixisti populum hunc? et utquid me*

[1] Sic Mss. juxta LXX, *hoti lalôn lalêsei autos.* At editi, *quia eloquens est, loquetur ipse.*

[2] Sic Mss. locutione græca, *esê ta pros ton Theon :* quam locutionem alias retinuerunt in excusis, alias mutaverunt hunc in modum, *eris in iis quæ ad Deum.*

[1] In editis, *Jethro.* At in Mss. uti apud LXX, *Jothor.*

misisti? Ex quo enim intravi ad Pharaonem loqui in tuo nomine, in hunc populum; et non liberasti populum tuum; non contumaciæ verba sunt vel indignationis, sed inquisitionis et orationis : quod ex his apparet, quæ illi Dominus respondit. Non enim arguit infidelitatem ejus, sed quid sit facturus aperuit.

XV. [Ib. VI, 14-28.] Sacramenti locum esse dubium non est, quod Scriptura volens originem Moysi demonstrare, quoniam ejus actio jam expetebat, a primogenito Jacob, id est Ruben, progenies cœpit, inde ad Simeon, inde ad Levi; ultra progressa non est, quoniam ex Levi Moyses. Hi autem commemorantur, qui jam commemorati fuerant in illis septuaginta quinque, in quibus Israel intravit in Ægyptum : non enim primam neque secundam, sed tertiam tribum, id est Leviticam Deus esse voluit sacerdotalem.

XVI. [Ib. VI, 30.] Quod Moyses dicit, *Ecce ego gracili voce sum, et quomodo exaudiet me Pharao?* non videtur tantum propter magnitudinem populi excusare de vocis gracilitate, verum etiam propter unum hominem. Mirum si tam gracilis vocis fuit, ut nec ab uno homine posset audiri : an forte regius fastus non eos permittebat de proximo loqui? Dicitur autem illi : *Ecce dedi te deum Pharaoni, et Aaron frater tuus erit tuus propheta* (*Exod.* VII, 1).

XVII. [Ib. IV, 16.] Notandum quod cum ad populum mitteretur, non ei dictum est, Ecce dedi te deum populo, et frater tuus erit tuus propheta; sed *frater tuus*, inquit, *loquetur tibi ad populum.* Dictum etiam est, *Erit os tuum, et tu illi quæ ad Deum :* non dictum est, Tu illi deus. Pharaoni autem dicitur Moyses datus deus, et secundum analogiam propheta Moysi Aaron, sed ad Pharaonem. Hic insinuatur nobis, ea loqui prophetas Dei quæ audiunt ab eo, nihilque aliud esse prophetam Dei, nisi enuntiatorem verborum Dei hominibus, qui Deum vel non possunt vel non merentur audire.

XVIII. [Ib. VII, 3.] Assidue Deus dicit, *Indurabo cor Pharaonis :* et velut causam infert cur hoc faciat, *Indurabo*, inquit, *cor Pharaonis, et implebo signa mea et portenta mea in Ægypto;* tanquam necessaria fuerit obduratio cordis Pharaonis, ut signa Dei multiplicarentur vel implerentur in Ægypto. Utitur ergo Deus bene cordibus malis, ad id quod vult ostendere bonis, vel quod facturus est bonis [1]. Et quamvis uniuscujusque cordis in malitia qualitas, id est, quale cor habeat ad malum, suo fiat vitio, quod inolevit ex arbitrio voluntatis; ea tamen qualitate mala ut huc vel illuc moveatur, cum sive huc sive illuc male moveatur, causis fit quibus animus propellitur : quæ causæ ut existant vel non existant, non est in hominis potestate; sed veniunt ex occulta providentia, justissima plane et sapientissima, universum quod creavit disponentis et administrantis Dei. Ut ergo tale cor haberet Pharao, quod patientia Dei non moveretur ad pietatem, sed potius ad impietatem, vitii proprii fuit : quod vero ea facta sunt, quibus cor suo vitio tam malignum resisteret jussionibus Dei (hoc est enim quod dicitur induratum, quia non flexibiliter consentiebat, sed inflexibiliter resistebat), dispensationis fuit divinæ, qua tali cordi non solum justa, sed evidenter justa pœna parabatur, qua timentes Deum corrigerentur. Proposito quippe lucro, verbi gratia, propter quod homicidium committatur, aliter avarus, aliter pecuniæ contemptor movetur; ille scilicet ad facinus perpetrandum, ille ad cavendum : ipsius tamen lucri propositio in alicujus illorum non fuit potestate. Ita causæ veniunt hominibus malis, quæ non sunt quidem in eorum potestate, sed hoc de illis faciunt, quales eos invenerint jam factos propriis vitiis ex præterita voluntate. Videndum sane est, utrum etiam sic accipi possit, *Ego indurabo*, tanquam diceret, Quam durum sit demonstrabo.

XIX. [Ib. VII, 9.] *Si loquetur vobis Pharao dicens, Date nobis signum aut portentum : et dices Aaron fratri tuo, Sume virgam, et projice illam palam Pharaone et palam servis ejus; et erit draco.* Hic certe non ministerio vocis opus erat, cui videbatur velut ex necessitate datus Aaron propter gracilitatem vocis Moysi; sed virga erat projicienda ut draco fieret : cur hoc ergo Moyses ipse non fecit, nisi quia ista mediatio ipsius Aaron inter Moysen et Pharaonem alicujus magnæ rei figuram gerit?

XX. [Ib. VII, 10.] Etiam hoc notandum, quod cum signum palam Pharaone fieret, scriptum est, *Et projecit Aaron virgam suam :* cum forte si dixisset, Projecit virgam, nulla esset quæstio; quod vero addidit, *suam*, cum eam Moyses dederit, non frustra forsitan dictum est. An erat utrique illa virga communis, ut cujuslibet eorum diceretur, verum diceretur?

XXI. [Ib. VII, 12.] *Et absorbuit virga Aaron virgas illorum.* Si dictum esset, Absorbuit draco Aaron virgas illorum, intelligeretur verus draco Aaron phantastica illa figmenta non absorbuisse, sed virgas. Hoc enim potuit absorbere quod erant, non quod esse videbantur et non erant. Sed quoniam dixit, *Absorbuit virga Aaron virgas illorum;* draco utique potuit virgas absorbere, non virga. Sed eo nomine appellata res est unde versa est, non in quod versa est, quia in id etiam reversa est : et ideo hoc vocari debebat quod principaliter erat. Quid ergo dicendum est de virgis magorum? utrum et ipsæ veri dracones factæ fuerant, sed ea ratione virgæ appellatæ sunt, qua et virga Aaron? an potius videbantur esse quod non erant, ludificatione venefica? Cur ergo ex utraque parte et virgæ dicuntur et dracones, ut de figmentis illis nihil differat loquendi modus? Sed demonstrare difficile est quomodo etiam si veri dracones facti sunt ex virgis magorum, non fuerint tamen creatores draconum, nec magi, nec angeli mali quibus ministris illa operabantur. Insunt enim corporeis rebus per omnia elementa mundi quædam occultæ seminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis atque causalis, prorumpunt in species debitas suis modis et finibus. Et sic non dicuntur angeli, qui ista faciunt, animalium creatores; sicut nec agricolæ segetum vel

[1] Vetus codex Corbeiensis, et Eugypii collectio in duobus Mss., *vel quos facturus est bonos.*

arborum vel quorumque in terra gignentium creatores dicendi sunt, quamvis noverint præbere quasdam visibiles opportunitates et causas, ut illa nascantur. Quod autem isti faciunt visibiliter, hoc angeli invisibiliter; Deus vero solus [1] verus creator est, qui causas ipsas et rationes seminarias rebus inseruit. Res breviter dicta est, quæ si exemplis et copiosa disputatione explicetur, ut facilius intelligatur, longo sermone opus est, a quo se ratio nostræ festinationis excusat.

XXII. [Ib. VII, 22.] *Fecerunt autem similiter et incantatores Ægyptiorum veneficiis suis: et induratum est cor Pharaonis, et non exaudivit eos, sicut dixit Dominus.* Cum hæc dicuntur, videtur propterea cor Pharaonis induratum fuisse, quia et incantatores Ægyptiorum similia fecerunt: sed consequentia docebunt quanta fuerit illa obduratio, etiam cum incantatores defecerunt.

XXIII. [Ib. VIII, 7.] *Fecerunt autem similiter et incantatores Ægyptiorum veneficiis suis; et eduxerunt ranas super terram Ægypti.* Quæritur unde, si jam ubique factum erat. Sed similis quæstio est, unde et aquam in sanguinem verterint, si tota aqua Ægypti in sanguinem conversa jam fuerat. Proinde intelligendum est regionem, ubi filii Israel habitabant, plagis talibus non fuisse percussam: et inde potuerunt incantatores vel aquam haurire, quam in sanguinem verterent, vel aliquas ranas educere ad solam demonstrationem magicæ potentiæ. Quanquam potuerunt etiam, posteaquam illa compressa sunt, facere: sed Scriptura cito narrando conjunxit quod etiam postea fieri potuit.

XXIV. [Ib. VIII, 15.] *Et vidit Pharao quoniam facta est refrigeratio, et ingravatum est cor ejus, et non exaudivit eos, sicut dixerat Dominus.* Hic apparet non illas tantum fuisse causas obdurationis cordis Pharaonis, quod incantatores ejus similia faciebant; verum etiam ipsam Dei patientiam, qua parcebat. Patientia Dei secundum corda hominum, quibusdam utilis ad pœnitendum, quibusdam inutilis, ad resistendum Deo et in malo perseverandum: non tamen per se ipsa inutilis est, sed secundum cor malum, sicut jam diximus. Hoc et Apostolus dicit: *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam cordis tui et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus* (*Rom.* II, 4-6). Nam et alibi cum diceret, *Christi bonus odor sumus in omni loco;* etiam illud adjunxit, *Et in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt* (II *Cor.* II, 15). Non dixit Christi bonum se odorem esse iis qui salvi fiunt, malum autem iis qui pereunt; sed tantum bonum odorem se dixit. Illi vero tales sunt, ut et bono odore pereant secundum sui cordis, ut sæpe dictum est, qualitatem, quæ mutanda est bona voluntate in Dei gratia, ut incipiant ei prodesse judicia Dei, quæ malis cordibus nocent. Unde ille mutato in melius corde cantabat, *Vivet anima mea, et laudabit te; et judicia tua adjuvabunt me* (*Psal.* CXVIII, 175). Non dixit, Munera tua, vel, præmia tua; sed, *judicia tua.* Multum est autem ut sincera fiducia

[1] Mss. quindecim, *unus.*

dici possit, *Proba me, Domine, et tenta me; ure renes meos et cor meum.* Et ne sibi aliquid ex suis viribus tribuisse videretur, continuo addidit: *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua* (*Psal.* XXV, 2, 3). Factam erga se commemorat misericordiam, ut complacere posset in veritate; quoniam universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10).

XXV. [Ib. VIII, 19.] Quod dixerunt magi ad Pharaonem, *Digitus Dei est hoc* [1], quoniam non potuerunt educere scyniphes; senserunt profecto, cum artium suarum nefariarum scirent potentiam, non talibus artibus, velut potentior in eis esset Moyses, suos conatus fuisse frustratos, ut non possent educere scyniphes, sed digito Dei, qui utique operabatur per Moysen. Digitus autem Dei, sicut Evangelium manifestissime loquitur, Spiritus sanctus intelligitur. Namque uno evangelista ita narrante verba Domini, ut diceret, *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia* (*Luc.* XI, 20); alius evangelista idipsum narrans exponere voluit quid sit digitus Dei, et ait, *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia* (*Matth.* XII, 28). Cum itaque magi faterentur, quorum Pharao potentia præfidebat, digitum Dei esse in Moyse, in quo superabantur, et eorum veneficia frustrabantur; tamen induratum est cor Pharaonis nunc mirabili omnino duritia. Cur autem in tertia ista plaga magi defecerint (nam plagæ cœperunt ex quo aqua in sanguinem versa est), et sentire et explicare difficile est. Poterant enim et in primo signo deficere, ubi in serpentem virga conversa est; et in prima plaga, ubi aqua in sanguinem commutata est; et in secunda de ranis, si hoc voluisset digitus Dei, id est Spiritus Dei. Quis enim dementissimus dixerit digitum Dei in hoc signo potuisse conatus magorum impedire, et in superioribus nequivisse? Omnino ergo certa causa est quare illa facere huc usque permissi sunt. Commendatur enim fortasse Trinitas, et quod verum est, summi philosophi gentium, quantum in eorum litteris indagatur, sine Spiritu sancto philosophati sunt, quamvis de Patre et Filio non tacuerint, quod etiam Didymus in libro suo meminit, quem scripsit de Spiritu sancto (*Didymus in lib.* 1 *de Spiritu sancto*).

XXVI. [Ib. VIII, 21-23.] *Ecce ego mitto in te, et in servos tuos, et in populum tuum, et in domos tuas cynomyiam, et implebuntur domus Ægyptiorum cynomyia; ut scias quoniam ego sum Dominus Deus omnis terræ: et dabo intervallum inter populum meum et inter populum tuum.* Quod hic Scriptura aperuit, ne ubique diceret, intelligere debemus et in posterioribus et in prioribus signis factum esse, ut terra in qua habitabat populus Dei, nullis plagis talibus vexaretur. Opportunum autem fuit ut ibi hoc aperte poneretur, unde jam incipiunt signa quibus magi similia nec conati sunt facere: procul dubio enim quia ubique fuerant scyniphes in regno Pharaonis, non autem fuerant in terra Gessen, ibi conati sunt magi similiter facere, et minime potuerunt. Quousque ergo deficerent, nihil

[1] Sic Mss. juxta græcam interpretationem LXX. At editi, *est hic.*

de illius terræ segregatione dictum est; sed ex quo cœperunt ea fieri, ubi jam illi similia facere nec conari auderent.

XXVII. [Ib. VIII, 25.] Quod latini habent, *Euntes immolate Domino Deo vestro in terra*[1], græcus habet, *Venientes* (*a*) *immolate Domino Deo vestro in terra*. Nolebat enim eos ire quo dicebant, sed ut illic in Ægypto immolarent, volebat. Hoc ostendunt verba Moysi quæ sequuntur, ubi dicit non posse fieri propter abominationes Ægyptiorum.

XXVIII. [Ib. VIII, 26.] Quod ait Moyses, *Non potest fieri sic : abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro :* id est, hæc immolaturi sumus quæ abominantur Ægyptii, et propterea in Ægypto non possumus : hoc manifestant verba quæ adjungit et dicit, *Si enim immolaverimus abominationes Ægyptiorum palam ipsis, lapidabimur.* Hoc non intelligentes quidam interpretes nostri, sic interpretati sunt, ut dicerent, Non potest fieri sic : numquid abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro? Cum magis hoc Scriptura dixerit, quia Ægyptiorum abominationes immolaturi sunt. Alii vero latini sic habent, Non potest fieri sic, quoniam abominationes Ægyptiorum non immolabimus Domino Deo nostro. Contrarium sensum facit addita particula negativa, cum Moyses dixerit, *Non potest fieri sic : abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro :* et ideo in eremum dicebant se ire velle, ubi Ægyptii non viderent abominationes suas. Hoc autem intelligendum est mystice significari, quod etiam de pastoribus dicimus, qui erant Ægyptiis abominabiles (*Gen.* XLVI, 34); et ideo separatam terram Israelitæ acceperunt, cum venerunt in Ægyptum. Sic enim et sacrificia Israelitarum abominationes sunt Ægyptiis, sicut iniquis vita justorum.

XXIX. [Ib. VIII, 32.] Cum ablata esset locusta, dictum est de Pharaone, *Et ingravavit Pharao cor suum etiam in hoc tempore, et noluit dimittere populum.* Certe nunc non dictum est, Ingravatum est cor Pharaonis; sed, *ingravavit Pharao cor suum.* Sic utique in omnibus plagis. A voluntate quippe hominis est origo vitiorum: moventur autem causis corda hominum, talia sic, talia vero sic, etiam non diversis causis sæpe diverso modo, secundum proprias qualitates, quæ ex voluntatibus veniunt.

XXX. [Ib. IX, 7.] *Videns autem Pharao quia non est mortuum de pecoribus filiorum Israel ullum, ingravatum est cor Pharaonis.* Quomodo ex contrariis causis facta est hæc ingravatio cordis Pharaonis? Si enim et pecora Israelitarum morerentur, tunc videretur causa competens qua cor ejus ingravaretur ad contemnendum Deum, tanquam si et magi ejus pecora Israelitarum fecissent mori : nunc vero unde debuit ad timendum vel credendum moveri, videns nullum pecus mortuum ex pecoribus Hebræorum, hinc ingravatum est; id est, illa ingravatio etiam huc usque progressa est.

XXXI. [Ib. IX, 8.] Quid est quod dicit Deus ad Aaron et Moysen, *Sumite vobis plenas manus favillæ de fornace, et aspergat Moyses in cœlum coram Pharaone et coram servis ejus, et fiat pulvis in universa terra Ægypti?* Signa enim superiora, virga fiebant, quam non Moyses, sed Aaron vel extendebat super aquam, vel ea terram percutiebat : nunc vero interpositis duobus signis de cynomyia et pecorum mortibus, ubi nec Aaron nec Moyses aliquid manu operati sunt, dicitur ut Moyses favillam spargat in cœlum de fornace, et hanc ambo sumere jubentur, sed ille spargere non in terram, sed in cœlum : tanquam Aaron qui datus erat ad populum, terram percutere deberet, vel in terram sive in aquam manum extendere; Moyses vero, de quo dictum est, *Erit tibi* (*a*) *quæ ad Deum* (*Exod.* IV, 16), in cœlum jubetur favillam spargere. Quid duo illa superiora signa, ubi nec Moyses nec Aaron manu aliquid operantur? Quid sibi vult ista diversitas? neque enim nihil.

XXXII. [Ib. IX, 16.] *Et propter hoc ipsum conservatus es, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Hæc Scripturæ verba et Apostolus posuit, cum in eodem loco perdifficili versaretur. Ibi autem et hoc ait : *Si autem volens Deus ostendere iram, et demonstrare potentiam suam, attulit in multa patientia vasa iræ :* parcendo utique iis quos malos futuros esse præscierat; quæ vasa dicit perfecta in perditionem. *Et ut notas*, inquit, *faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ* (*Rom.* IX, 22, 23). Unde vasorum misericordiæ vox est in Psalmis : *Deus meus, misericordia ejus præveniet me; Deus meus demonstravit mihi in inimicis meis* (*Psal.* LVIII, 11, 12). Novit ergo Deus bene uti malis, in quibus tamen humanam naturam non ad malitiam creat, sed perfert eos patienter quousque scit oportere; non inaniter, sed utens eis ad admonitionem vel exercitationem bonorum. Ecce enim ut annuntiaretur nomen Dei in universa terra, vasis misericordiæ utique prodest. Ad eorum itaque utilitatem Pharao servatus est, sicut et Scriptura testatur, et exitus docet.

XXXIII. [Ib. IX, 19, 6, 20.] Quid est quod mandavit Deus Pharaoni, cum se facturum magnam grandinem minaretur, ut festinet congregare pecora sua, et quæcumque illi essent in campo, ne grandine intereant? hoc enim non tam indignanter quam misericorditer videtur admonere. Sed hoc non facit quæstionem, quando Deus etiam irascens temperat pœnam. Illud est quod merito movet, quibus nunc pecoribus consulatur, si omnia mortua fuerant plaga superiore, ubi scriptum est quod discrevit Deus inter pecora Hebræorum et Ægyptiorum, ita ut illinc nullum moreretur, omnia vero Ægyptiorum pecora morerentur. An eo solvitur quæstio, quod prædixerat ea moritura quæ in campo fuissent, ut hæc accipiantur omnia; intelligantur autem evasisse quæ in domibus erant, quæ potuerunt etiam a dubitantibus colligi, et in domo teneri, ne forte verum esset quod Moyses Dominum facturum

[1] Editi, *in terra hac.* Abest demonstrativa particula a Mss., abest quoque ab interpretatione LXX, quo fit ut Augustinum non pigeat illustrare hunc locum.

(*a*) *Elthontes.*

(*a*) Vulgata : *Eris ei in his.*

esse prædixerat: et ex his esse in campis iterum poterant, quæ modo admonet congregari in domos, ne grandine pereant; maxime, quia sequitur Scriptura et dicit, *Qui timuit verbum Domini servorum Pharaonis, congregavit pecora sua in domos: qui autem non intendit mente in verbum Domini, dimisit pecora sua in campo?* Hoc ergo fieri potuit, quando etiam mortem pecorum minatus est Deus, quamvis id Scriptura tacuerit.

XXXIV. [Ib. IX, 22.] *Et dixit Dominus ad Moysen, Extende manum tuam in cœlum, et erit grando in omni terra Ægypti.* Ecce iterum Moyses non in terram, sed in cœlum manum jubetur extendere, sicut superius de favilla.

XXXV. [Ib. IX, 27, 30.] Cum fragore cœli, qui vehemens erat in grandine, Pharao territus rogaret Moysen ut oraret pro illo, confitens iniquitatem suam et populi sui, Moyses ei dixit: *Et tu et servi tui scio quod nondum timetis Dominum.* Qualem timorem quærebat, cui timor iste nondum erat Domini timor? Facile est enim pœnam timere, sed non hoc est Deum timere, illo scilicet timore pietatis, quem commemorat Jacob, ubi dicit: *Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac adesset*[1] *mihi, nunc me inanem dimisisses* (*Gen.* XXXI, 42).

XXXVI. [Ib. X, 1.] *Dixit Dominus ad Moysen, Intra ad Pharaonem: ego enim gravavi cor ejus et servorum ejus, ut ordine superveniant signa mea hæc super eos*[2]; tanquam opus habeat Deus cujusquam malitia. Sed sic intelligendum est, ac si diceret, Ego enim patiens fui super eum et servos ejus, ut non eos auferrem, ut ordine superveniant signa mea super eos. Quia enim patientia Dei obstinatior fiebat malus animus, ideo pro eo quod est, Patiens in eum fui, dicitur, *gravavi cor ejus.*

XXXVII. [Ib. X, 19.] *Et non est relicta locusta una in omni terra Ægypti: et induravit Dominus cor Pharaonis.* Beneficium certe Dei commemoravit Scriptura, quo abstulit locustas; et secuta, dixit indurasse Dominum cor Pharaonis, beneficio utique suo, et patientia sua, qua ille fiebat obstinatior, dum ei parceretur: sicut omnia mala corda hominum, patientia Dei male utendo durescunt.

XXXVIII. [Ib. X, 21, 12.] Tertio dicitur ad Moysen, *Extende manum tuam in cœlum*, ut fieret etiam plaga tenebrarum. Nunquam autem dictum est ad fratrem ejus Aaron, ut extenderet manum in cœlum. Quod ergo dictum est ad Moysen, *Extende manum tuam super terram Ægypti, et ascendat locusta super terram*, credo id significatum, etiam minus posse qui plus potest; non autem continuo cui minora conceduntur, posse majora.

XXXIX. [Ib. XI, 2.] Deus ad Moysen: *Loquere ergo secreto in aures populi, et petat unusquisque a proximo, et mulier a proxima, vasa aurea et argentea et vestem.* Non hinc quisque sumendum exemplum putare debet ad exspoliandum isto modo proximum. Hoc enim Deus jussit, qui noverat quid quemque pati oporteret: nec Israelitæ furtum fecerunt, sed Deo jubenti ministerium præbuerunt. Quemadmodum cum minister judicis occidit eum quem judex jussit occidi, profecto si id sponte faciat, homicida est, etiamsi eum occidat, quem scit occidi a judice debuisse. Est etiam ista nonnulla quæstio, si seorsum habitabant Hebræi in terra Gessen, ubi nec plagæ fiebant quibus regnum Pharaonis affligebatur, quomodo petit quisque a proximo vel a proxima, aurum, argentum, et vestem; præsertim quia ubi primum hoc mandatur per Moysen, sic positum est, *et mulier a vicina sua et concellaria*, vel *concellanea* (si ita dicendum est), vel *cohabitatrice sua* (a). Unde intelligendum est, etiam in terra Gessen non solos Hebræos habitasse, sed eis aliquos Ægyptios in illa terra cohabitatores fuisse, ad quos potuerunt merito Hebræorum etiam illa divina beneficia pervenire, ut hinc eos et diligerent iidem Ægyptii cohabitatores, et quod petebant facile commodarent: nec tamen Deus judicavit ita illos alienos fuisse ab injuriis et contritionibus quas populus Dei pertulit, ut nec isto damno ferirentur, qui plagis illis propterea quod terræ illi parcebatur, percussi non erant.

XL. [Ib. XI, 9.] *Dixit autem Dominus ad Moysen, Non exaudiet vos Pharao, ut multiplicem signa mea et portenta mea in terra Ægypti:* tanquam opus fuerit ejus inobedientia, ut signa illa multiplicarentur, quæ utiliter fiebant ad terrendum populum Dei, atque ipsa discretione ad pietatem informandum. Sed hoc Dei fuit, malitia cordis illius bene utentis; non Pharaonis, Dei patientia male abutentis.

XLI. [Ib. XII, 10, 46.] *Quæ autem superaverint ab eo in mane, igne concremabitis.* Quæri potest, quomodo aliquid superabit, cum hoc præmoniti fuerint, ut si domus non habuerit consumendo pecori idoneam multitudinem, vicini assumantur. Sed intelligitur quoniam dictum est, *Os non conteretis ab eo*, remansura utique fuisse ossa, quæ igne cremarentur.

XLII. [Ib. XII, 5.] *Agnus perfectus, masculus, anniculus erit vobis.* Movere potest ista locutio, quasi agnus possit esse non masculus, nescientem qua necessitate ita sit translatum. Ovis enim transferri debuit, quia græcus πρόβατον habet; sed πρόβατον in græca lingua generis neutri est, et potuerunt quæ sequuntur omnia convenire, tanquam si diceret, Pecus perfectum, masculum, anniculum erit vobis. Potuit enim latine dici, masculum pecus, quomodo dicuntur mascula thura, genere neutro: ovis autem masculus dici non posset, quia feminini generis est ovis. Item ovis mascula si diceretur, esset absurdius. Pecus vero si poneretur, etiam aliud intelligeretur; nec servaretur sacramentum, quod cum Scriptura de ove loquatur, post dicit, *ab agnis et hædis accipietis illud.* Qua in re Christus significari merito accipitur. Quid enim opus erat ovem vel agnum ab agnis et hædis accipiendum moneri, nisi ille figuraretur, cujus caro non solum ex justis, verum etiam ex peccatoribus propagata est? Quanquam conentur Judæi etiam hædum intelligere accipiendum ad celebrandum Pascha, et hoc esse dictum putant, *ab*

[1] Septem melioris notæ Mss., *esset*; juxta græcum, ἐν ἐμοί.

[2] Post, *super eos*, in Ms. Corbeiensi additur, *ita dicit, Ego enim gravavi cor ejus ut ordine superveniant signa mea hæc super eos.*

(a) In græco, *para geitonos kai suskênou autês.*

agnis et hædis accipere, tanquam diceret, vel ab agnis agnum, vel ab hædis hædum, si illud desit, sumi oportere : apparet tamen in Christo rebus impletis quid illo præcepto fuerit figuratum.

XLIII. [Ib. XII, 14.] Quod scriptum est, *Et facietis diem hunc in progenies vestras legitimum æternum* vel *æternalem*, quod græce dicitur αἰώνιον, non sic accipiendum est, tanquam possit istorum prætereuntium dies esse ullus æternus ; sed illud æternum est, quod iste significat dies : velut cum dicimus ipsum Deum æternum, non utique istas duas syllabas æternas dicimus, sed quod significant. Quanquam diligenter scrutandum sit quomodo appellare Scriptura soleat æternum, ne forte ita dixerit solemniter æternum, quem nefas habeant prætermittere, aut sua sponte mutare. Aliud est enim quod præcipitur quousque fiat, sicut præceptum est ut septies muros Jericho circumiret arca (*Josue* VI, 3, 4) : aliud, cum præcipitur sic observari aliquid, ut nullus terminus præfiniatur observationis, sive quotidie, sive per menses, sive per annos solemniter, sive per multorum vel aliquorum annorum certa intervalla. Aut ergo sic appellavit æternum, quod non sua sponte audeant desinere celebrare; aut, sicut dixi, ut non ipsa signa rerum, sed res quæ iis significantur æternæ intelligantur.

XLIV. [Ib. XII, 30.] *Et factus est clamor magnus in terra Ægypti. Non enim erat domus in qua non erat in ea mortuus.* Nonne potuit esse aliqua domus quæ primogenitum non haberet? Cum ergo primogeniti tantummodo morerentur, quomodo nulla erat quæ non haberet mortuum? An et hoc divinitus præscientia Dei fuerat procuratum, ut in omnibus omnino essent domibus primogeniti, in quibus perculerentur Ægyptii? Ab hac sane plaga non putandi sunt immunes fuisse Ægyptii qui habitabant in terra Gessen ; hominum quippe erat, vel animalium, non terræ : id est, homines et animalia primogenita moriebantur occulto et angelico percussu, non aliquid in terra vel in cœlo factum erat, sicut rana, vel locusta, vel tenebræ, unde qui habitabant, affligerentur. A talibus enim plagis cum terra Gessen fuisset aliena, procul dubio perveniebat beneficium ad eos Ægyptios qui in eadem terra cum Hebræis morabantur : hac vero primogeniti eorum omnes percussi sunt.

XLV. [Ib. XII, 35, 36.] *Filii autem Israel fecerunt sicuti præceperat illis Moyses, et petierunt ab Ægyptiis vasa aurea et argentea et vestem; et Dominus dedit gratiam populo suo coram Ægyptiis, et commodaverunt illis, et prædati sunt Ægyptios.* Jam hoc factum fuerat ante mortes primogenitorum Ægyptiorum; sed nunc per recapitulationem repetitur. Nam narratum est quando factum est. Modo enim fieri quomodo posset, ut in tanto luctu ex mortibus suorum accommodarent ista filiis Israel? Nisi forte quis dicat etiam ista plaga non fuisse percussos Ægyptios qui cum Hebræis inhabitabant terram Gessen.

XLVI. [Ib. XII, 22.] Quid est quod ait, *Accipietis autem fasciculum hyssopi, et tingentes ex sanguine qui est juxta ostium, linietis super limen et super ambos postes?* Quæritur enim quem sanguinem dicat juxta ostium, cum illius agni utique velit intelligi sanguinem, cujus immolatione fit Pascha. An eo modo consequenter præcipit, quamvis hoc tacuerit, ut idem agnus juxta ostium occidatur? An, quod est credibilius, ideo dixit *ex sanguine qui est juxta ostium*, quia utique ille qui liniturus est super limen et postes, vas ipsum in quo sanguinem excepit, juxta ostium positurus est, ut ad manum habeat quando tingit?

XLVII. [Ib. XII, 37, 40.] *Sustulerunt autem filii Israel de Ramesse in Socchoth, in sexcenta millia peditum viri, præter instructum*, vel *censum;* si isto modo potest recte interpretari quod græcus habet ἀποσκευήν, quo verbo non solum mobilia, verum etiam moventia significari indicat Scriptura, ubi Judas loquens ad patrem suum dicit : *Mitte puerum mecum, et surgentes ibimus ut vivamus, et non moriamur et nos, et tu, et substantia nostra* (*Gen.* XLIII, 8). Ibi enim græcus ἀποσκευήν habet, ubi *substantiam* latinus interpretatus est; quod aliquando *censum* interpretantur nostri : sicut nunc *instructum* dicere voluimus, dum tamen eo nomine et homines et jumenta vel omnia pecora intelligantur. Ubi etiam utrum et uxores possint intelligi, nescio. Sexcenta tamen millia peditum cum Scriptura commemoret, addens et dicens, *Excepto instructu*, vel *censu*, vel *substantia*, vel si quo alio verbo melius interpretatur ἀποσκευή, manifestum est et homines significatos, sive in servis, sive in mulieribus, sive in his ætatibus quæ militiæ non essent idoneæ, ut sexcenta millia peditum in eis solis intelligamus, qui possent militari agmine armari.

Quæri autem solet utrum ad tantum numerum Hebræi pervenire potuerint per eos annos in Ægypto, quos ostendere consideratus in Scripturis numerus potest : qui primum anni quot fuerint non parva quæstio est. Dicit enim Deus ad Abraham cum factum esset illud sacrificium de vacca trima, et capra, et ariete, et turture, et columba, antequam non solum Isaac, sed nec Ismael quidem natus esset : *Sciendo scias* [1], *quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria; et in servitutem redigent eos, et nocebunt illis quadringentos annos* (*Gen.* XV, 13). Si ergo quadringentos annos sic acceperimus, ut in servitute sub Ægyptiis intelligantur, non parvum spatium temporis fuit, quo ita populus multiplicaretur. Sed tot annos non fuisse, apertissimo indicio Scriptura testatur.

Quidam enim putant quadringentos triginta annos accipi debere, ex quo Jacob intravit in Ægyptum, donec inde populus per Moysen liberatus est, quoniam in Exodo scriptum est : *Incolatus autem filiorum Israel, quem incoluerunt in terra Ægypti et in terra Chanaan, ipsi et patres eorum, anni quadringenti triginta.* Servitutis autem eorum volunt esse annos quadringentos ; propterea quod scriptum est in Genesi : *Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non sua; et in servitutem redigent eos, et noce-*

[1] Sic Mss. hoc loco : at inferius constanter habent, *Sciendo scies*.

bunt illis quadringentos annos. Sed quoniam servitutis anni post mortem Joseph computantur (illo enim vivo, non solum ibi non servierunt, verum etiam regnaverunt), non est quemadmodum computentur quadringenti triginta in Ægypto. Ingressus est enim Jacob anno filii sui trigesimo et nono: quoniam triginta annorum erat Joseph, cum apparuit in conspectu Pharaonis (*Gen.* XLI, 46), et regnare cœpit sub illo; transactis autem septem annis ubertatis, secundo anno famis ingressus est Jacob in Ægyptum cum aliis filiis suis (*Id.* XLV, 6); ac per hoc tunc agebat Joseph triginta et novem annos, qui impletis vitæ suæ annis centum et decem, mortuus est (*Id.* L, 22, 25): vixit ergo in Ægypto post ingressum ad se patris sui, septuaginta et unum annos; quos si detraxerimus a quadringentis triginta annis, remanebunt servitutis anni, id est post mortem Joseph, non quadringenti, sed trecenti et quinquaginta novem anni. Quod si ex illo putabimus nos computare debere, ex quo Joseph sub Pharaone regnare cœpit, ut tunc quodammodo intelligatur intrasse Israel in Ægyptum, quando ibi filius ejus tanta potestate sublimatus est, etiam sic trecenti quinquaginta erunt, quos Tychonius vult accipi quadringentos, ut a toto pars intelligatur, id est a toto centenario pars quinquagenaria, et probat hac loquendi regula solere uti Scripturam (*Tychonius, in Regular. lib.* 5). Si autem, quod aliquanto probabilius dici potest, tunc habeamus intrasse Israel in Ægyptum, quando illic Joseph esse venditus cœpit, detracturi sumus adhuc annos tredecim, ut trecentos triginta septem annos pro quadringentis accipiamus. Sed cum Scriptura commemoret Caath filium Levi avum Moysi cum avo suo Jacob intrasse in Ægyptum (*Gen.* XLVI, 11); dicat autem eum vixisse annos centum triginta (*Exod.* VI, 18, 20) (*a*); filium vero ejus patrem Moysi Ambram [1] centum triginta septem; Moysen vero dicat octoginta annorum fuisse cum de Ægypto populum liberavit (*Id.* VII, 7): etiam si tunc genuisset Caath patrem Moysi, quo anno mortuus est, ille quoque Ambram ultimo vitæ suæ anno genuisset Moysen; computati anni centum triginta et centum triginta septem et octoginta, trecentos et quadraginta septem annos faciunt, non quadringentos triginta. Quod si quis dicat extremo anno vitæ Joseph [2] natum esse Caath filium Levi; septuaginta ferme anni possunt accedere illi summæ, quia septuaginta unum annos vixit in Ægypto Joseph post ingressum patris sui. Quapropter etiam sic septuaginta anni vitæ Joseph ab ingressu Jacob in Ægyptum usque ad nativitatem Caath, si tunc natus asseratur, et centum triginta anni ipsius Caath, et centum triginta septem filii ejus Ambram patris Moysi, et octoginta ipsius Moysi, quadringentos decem et septem annos faciunt, non quadringentos triginta.

Proinde illa nimirum computatio, quam secutus est Eusebius in historia sua Chronica, perspicua veritate subnixa est. Ab illa enim promissione computat quadringentos triginta annos, qua vocavit Deus Abraham, ut exiret de terra sua in terram Chanaan (*Eusebius in Chron. ad mundi an.* 3260): quia et Apostolus cum Abrahæ laudaret et commendaret fidem, in ea promissione qua Christum vult intelligi prophetatum, id est qua promisit Deus Abrahæ quod benedicerentur in eo omnes tribus terræ, *Hoc autem dico*, inquit, *quia testamentum confirmatum a Deo, post quadringentos et triginta annos facta Lex non infirmat ad evacuandas promissiones* (*Galat.* III, 17). Ex illa ergo promissione qua vocatus est Abraham et credidit Deo, post quadringentos et triginta annos factam Legem dicit Apostolus, non ex tempore quo Jacob intravit in Ægyptum. Deinde etiam ipsa Scriptura Exodi satis hoc significavit: non enim dixit, *Incolatus filiorum Israel*, quem incoluerunt in terra Ægypto, anni quadringenti triginta; sed aperte dixit, *quem incoluerunt in terra Ægypto et in terra Chanaan, ipsi et patres eorum.* Ac per hoc manifestum est computandum esse tempus etiam Patriarcharum Abrahæ, Isaac, et Jacob, ex quo peregrinari cœpit Abraham in terra Chanaan; id est ex illa promissione in qua ejus fidem laudat Apostolus, usque ad illud tempus quo ingressus est Israel in Ægyptum. Toto quippe isto tempore peregrinati sunt patres in terra Chanaan, et deinde semen Israel in Ægypto; ac sic completi sunt quadringenti triginta anni a promissione usque ad exitum Israel ex Ægypto, quando facta est Lex in monte Sina, quæ non infirmat testamentum ad evacuandas promissiones.

Septuagesimo ergo et quinto anno vitæ suæ Abraham, sicut Scriptura dicit, egressus est in terram Chanaan (*Gen.* XII, 4), et genuit Isaac cum esset annorum centum (*Id.* XXI, 5). Fiunt itaque anni viginti quinque ex promissione usque ad natum Isaac. His adduntur omnes anni vitæ Isaac, id est centum octoginta (*Id.* XXXV, 28), fiunt ducenti quinque: tunc erat Jacob annorum centum viginti; nati sunt enim sexagenario patre gemini, ipse et Esau (*Id.* XXV, 26): post decem autem annos intravit Jacob in Ægyptum, cum esset annorum centum triginta (*Id.* XLVII, 9). Joseph autem esset triginta novem. Fiunt proinde anni a promissione usque ad ingressum Jacob in Ægyptum, ducenti quindecim. Joseph autem ab illo trigesimo et nono anno ætatis suæ, in quo eum pater in Ægypto invenit, vixit septuaginta et unum annos; quia omnes ætatis ejus anni centum decem fuerunt (*Id.* L, 22). Cum itaque ad ducentos quindecim annos accesserint septuaginta unus, fiunt anni ducenti octoginta sex. Restant centum quadraginta quatuor vel quinque, quibus intelligitur servisse in Ægypto populus Israel post mortem Joseph. His annis quantum multiplicari potuerint, si fecunditas hominis consideretur, adjuvante illo qui eos voluit valde multiplicari, reperitur non esse mirum quod in sexcentis millibus peditum egressus est

[1] In editis, *Caath, Amram.* At in Mss. constanter scriptum est *Cath, Ambram.* Græc. LXX habent, *Ambram*, non *Cath*, quod quidem sic exstat Gen. 46; sed Exod. 6, cum gemino *aa* legitur, *Kaath.*

[2] In editis, *vitæ Jacob.* Legendum cum optimis Mss., *vitæ Joseph.*

(*a*) Nunc tamen Exod. VI, 18, Caath centum triginta tres annos vixisse refertur, tum in Vulgata, tum apud LXX.

populus ex Ægypto, excepto cætero apparatu, ubi et servitia erant, et sexus muliebris et imbellis ætas.

Quod ergo dixit Deus ad Abraham, *Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria; et in servitutem redigent eos, et nocebunt illis quadringentos annos*, non sic accipiendum est, tanquam in illa durissima servitute quadringentos annos Dei populus fuerit : sed quia scriptum est, *In Isaac vocabitur tibi semen* (*Id.* XXI, 12); ex anno nativitatis Isaac usque ad annum egressionis ex Ægypto computantur anni quadringenti quinque. Cum ergo de quadringentis triginta detraxeris viginti quinque qui sunt a promissione usque ad natum Isaac, non mirum est si quadringentos et quinque annos summa solida quadringentos voluit appellare Scriptura, quæ solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa perfectioris numeri paululum excrescit aut infra est, non computetur. Non itaque quod ait, *In servitutem redigent eos, et nocebunt illis*, ad quadringentos annos referendum est, tanquam per tot annos eos habuerint in servitute; sed referendi sunt quadringenti anni ad id quod dictum est, *Peregrinum erit semen tuum in terra non propria* : quia sive in terra Chanaan, sive in Ægypto, peregrinum erat illud semen, antequam hæreditatem sumerent terram ex promissione Dei; quod factum est posteaquam ex Ægypto liberati sunt : ut hyperbaton hic intelligatur, et ordo verborum sit, *Sciendo scias, quia peregrinum erit semen tuum in terra non propria quadringentis annis*; illud autem interpositum intelligatur, *Et in servitutem redigent eos, et nocebunt illis*; ita ut ad quadringentos annos ista interpositio non pertineat. In extrema enim parte annorum summæ hujus, hoc est, post mortem Joseph, factum est ut in Ægypto populus Dei duram perageret servitutem.

XLVIII. [Ib. XIII, 9.] Quid est quod ait, cum de Pascha præciperet, *Erit tibi in signum super manum tuam?* an intelligitur super opera tua, id est, quod præferre debeas operibus tuis? Pertinet enim Pascha propter occisionem ovis ad fidem Christi, et sanguinem quo redempti sumus. Hæc autem fides operibus præponenda est, ut sit quodammodo super manum, adversus illos qui in operibus Legis gloriabantur : de qua re Apostolus loquitur, et multum agit[1]; qui fidem operibus sic vult anteponi, ut ex illa pendeant opera bona, atque ab ea præveniantur, non ut ipsa velut meritis bonorum operum retribui videatur (*Galat.* III, *et Hebr.* XI). Illa enim ad gratiam pertinet : *si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia* (*Rom.* XI, 6).

XLIX. [Ib. XIII, 17.] *Cum autem dimisit Pharao populum, non deduxit eos Deus viam*[2] *terræ Philistiim, quia prope erat. Dixit enim Deus, Nequando pœniteat populum cum viderit prælium, et revertatur in Ægyptum.* Hic ostenditur omnia fieri debere[1], quæ consilio recte fieri possunt, ad devitanda quæ adversa sunt, etiam cum Deus apertissime adjutor est.

L. [Ib. XIII, 18.] *Quinta autem progenie ascenderunt filii Israel de terra Ægypti.* Utrum progeniem in centum annis vult computari, et ideo quinta progenie, quia post quadringentos triginta annos? an per hominum generationes hoc potius intelligendum est, ab ipso Jacob qui intravit in Ægyptum, usque ad Moysen qui cum populo egressus est? Jacob enim primus, secundus Levi, tertius Caath, quartus Ambram, quintus Moyses invenitur. Has autem dicit progenies latinus interpres, quas γενεὰς Græci vocant, quæ in Evangelio *generationes* appellantur, nec numerantur nisi per successiones hominum, non per numerum annorum.

LI. [Ib. XIV, 13.] Dixit autem Moyses : *Confidite, et state*[2], *et videte salutem quæ est a Domino, quam faciet vobis hodie. Sicut enim vidistis Ægyptios hodie, non apponetis amplius videre eos in æternum tempus.* Quomodo accipienda sunt hæc verba, cum viderint postea Israelitæ Ægyptios? An quia isti qui tunc videbant, non eos ulterius viderunt; quia et illi sunt mortui qui consequebantur, et isti omnes quisque die mortis suæ? nam posteri eorum viderunt posteros illorum. An, Non eos videbitis sicut hodie, intelligendum est, non sicut hodie persequentes et inimicos, et tanto post vos agmine venientes; ut omnino nulla sit quæstio, nec de æterno tempore quod hic posuit; quia etsi videbunt se utrique tempore resurrectionis, non sic utique videbunt ut hodie?

LII. [Ib. XIV, 15.] Quid est quod dixit Dominus ad Moysen, *Quid tu clamas ad me?* cum Scriptura non dixerit aliquid de Moysi vocibus, nec eum orantem commemoraverit; nisi quia intelligi voluit, hoc eum egisse vocis silentio, ut corde clamaret.

LIII. [Ib. XIV, 16]. *Et tu eleva virgam tuam, et extende manum tuam super mare.* Hæc est illa virga, in qua fiebant mirabilia, quæ modo dicitur esse Moysi : tunc autem fratris ejus fuisse dicebatur, quando per illam ipse operabatur.

LIV. [In XV, 12.] *Extendisti dexteram tuam*[3], *transvoravit eos terra.* Terram pro aqua non mirum est positam. Tota quippe pars ista extrema vel infima mundi, terræ nomine censetur; secundum id quod sæpe dicitur, Deus qui fecit cœlum et terram : et illius psalmi distributione commemoratis cœlestibus, *Laudate*, inquit, *Dominum de terra*; et ea exsequitur in laude, quæ etiam ad aquas pertineant (*Psal.* CXLVIII, 7).

LV. [Ib. XV, 10, 8.] *Misisti Spiritum tuum, et cooperuit eos mare.* Ecce jam quinto commemoratur Spiritus Dei, ut in hoc numero accipiamus et quod dictum est,

[1] Sic Mss. At prius excusi, *et nullum ait posse Deo placere sine fide, qui*, etc. Pauloque post Am. Er. et Lov. posuerant, *pertinent*, pro *pertinet*, quod profecto fidem spectat, debuitque per nos restitui auctoritate Mss. quibus consentit editio Ratisponensis.

[2] Editi, *per viam*. Abest, *per*, a Mss. et a græc. LXX. Mox Am. Er. et Lov., *quæ prope erat*. At Mss. et Rat., *quia*; juxta LXX, *hoti eggus ên*.

[1] Lov., *fieri debere consilio, quæ consilio*, etc. Aliæ editiones et melioris notæ Mss. non habent, *consilio*, nisi in posteriori loco.

[2] Vaticani Mss., *Confidite, state* : omisso, *et*, quod etiam a græco abest.

[3] Editi, *manum tuam*. Mss., *dexteram tuam*; juxta LXX, *tên dexian sou* : neque ante *transvoravit*, habetur particula, *et*, quæ addita fuit in excusis.

Digitus Dei est hoc (*Exod.* VIII, 19). Primo, ubi Scriptum est, *Spiritus Dei superferebatur super aquas* (*Gen.* I, 2) : secundo, ubi dicitur, *Non permanebit in istis hominibus Spiritus meus, quoniam carnes sunt*[1] (*Id.* VI, 3) : tertio, ubi Pharao dicit ad Joseph, *Quoniam Spiritus Dei est in te* (*Id.* XLI, 38) : quarto, ubi incantatores Ægyptiorum dicunt, *Digitus Dei est hoc :* quinto, in hoc cantico, *Misisti Spiritum tuum, et cooperuit eos mare.* Meminerimus autem Spiritum Dei non solum ad beneficia, verum etiam ad vindictam commemorari. Nam quid aliud etiam supra dixit, *Per Spiritum iræ tuæ divisa est aqua?* Iste itaque Spiritus Dei in Ægyptios, Spiritus iræ ejus fuit[2], quibus nocuit aquarum divisio, ut intrantes possent aquis redeuntibus obrui: filiis vero Israel quibus profuit quod aqua divisa est, non fuit ille Spiritus iræ Dei. Unde significatur propter diversas operationes et effectus Spiritum Dei dissimiliter appellari, cum sit unus atque idem ille duntaxat, qui etiam Spiritus sanctus in unitate Trinitatis accipitur. Proinde non arbitror alium quam eumdem significari, ubi dicit Apostolus, *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore*[3]; *sed accepistis Spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 15) : quia eodem Spiritu Dei, id est, digito Dei, quo Lex in tabulis lapideis conscripta est (*Exod.* XXXI, 18), timor incussus est eis qui gratiam nondum intelligebant, ut de sua infirmitate atque peccatis per Legem convincerentur, et Lex illis fieret pædagogus, a quo perducerentur ad gratiam quæ est in fide Jesu Christi (*Galat.* III, 22-26). De hoc autem Spiritu adoptionis et gratiæ, id est de hoc opere Spiritus Dei, quo impertitur gratia et regeneratio in vitam æternam, dicitur, *Spiritus autem vivificat;* cum supra diceretur *Littera occidit* (II *Cor.* III, 6), id est, Lex conscripta, tantummodo jubens, sine adjutorio gratiæ[4].

LVI. [Ib. XV, 23, 24.] *Venerunt autem in Merra, et non poterant bibere de Merra*[5]; *amara enim erat.* Si propter hoc appellatum est nomen loci ejus amaritudo, quia non potuerunt ibi aquam bibere, quod amara esset (Merra enim interpretatur Amaritudo); quomodo venerunt in Merra, nisi quia eo nomine locum Scriptura appellavit, in quem venerunt, quo jam appellabatur cum hæc scribebantur? Posterius enim utique scripta sunt, quam illa contigerunt.

LVII. [Ib. XV, 25.] *Et ostendit ei Dominus lignum, et misit illud in aquam, et facta est aqua dulcis.* Genus ligni erat istam habens vim, an quolibet ligno id facere poterat Deus, qui tanta mirabilia faciebat? Hoc tamen videtur significare quod dictum est, *ostendit ei,* tanquam tale jam lignum esset, quo posset hoc fieri : nisi forte locus erat ubi ligna omnino non inveniebantur, ut hoc ipsum esset divini adjutorii, quod ei lignum Dominus ostendit, ubi nullum erat, et per lignum aquas dulces fecit, præfigurans gloriam et gratiam crucis : sed in tali etiam natura ligni, quis nisi creator et demonstrator laudandus est?

LVIII. [Ib. XVI, 4.] *Dixit autem Dominus ad Moysen, Ecce ego pluam vobis panes de cœlo : et exiet populus et colliget unius diei in diem, ut tentem illos si ambulabunt*[1] *in lege mea, an non.* Tentatio ista probatio est, non ad peccatum seductio : nec ideo probatio ut Deus noverit, sed ut ipsos[2] ipsis hominibus ostendat, quo humiliores fiant ad petendum adjutorium et agnoscendam Dei gratiam.

LIX. [Ib. XVI, 8.] Moyses et Aaron dicunt ad populum inter cætera : *Propter quod exaudivit Dominus murmurationem vestram, quam vos murmuratis adversum nos. Nos autem quid sumus? Non enim adversum nos murmur vestrum est, sed adversus Deum.* Non ex hoc tantum se valere voluerunt quantum Deus : dixerunt enim, *Quid sumus nos?* ut illi adversus illum se scirent murmurasse, qui istos miserat, et qui per istos operabatur. Nec talis illa est sententia, ubi Petrus dicit Ananiæ : *Ausus es mentiri Spiritui sancto? non hominibus mentitus es, sed Deo* (*Act* V, 3, 4). Non enim ait, Ausus es mentiri mihi? non mihi mentitus es, sed Deo : quod si dixisset, simile fuisset. Neque ita dixit, Ausus es mentiri Spiritui sancto? non Spiritui sancto mentitus es, sed Deo : ita enim loquens, negaret Deum esse Spiritum sanctum. Nunc vero cum dixisset, *Ausus es mentiri Spiritui sancto?* cum ille se putaret hominibus fuisse mentitum, ipse Spiritum sanctum Deum esse monstravit subjungens, *Non hominibus mentitus es, sed Deo.*

LX. [Ib. XVI, 12.] Deus mandat per Moysen populo, *Ad vesperam edetis carnes, et mane replebimini panibus.* Ecce non pro omni alimento panes nominantur. Nam isto nomine et carnes complecterentur, quia et ipsæ alimenta sunt : nec tamen panes eos modo dicit, qui fiunt ex frumentis; ipsos enim proprie panes appellare consuevimus : manna autem panum nomine appellat. Non autem vacat quod dicit ad vesperam carnes et mane panes se daturum. Tale quippe aliquid etiam in Elia significatum est, cum ei alimenta corvus afferret (III *Reg.* XVII, 6). An forte carnibus ad vesperam et mane panibus ille significatur, qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* IV, 25)? Ad vesperam quippe mortuus ex infirmitate sepultus est, mane autem apparuit discipulis, qui resurrexerat in virtute.

LXI. [Ib. XVI, 33.] *Et dixit Moyses ad Aaron, Accipe vas aureum unum, et mitte illud plenum gomor manna, et repones illud ante Deum, ut servetur in progenies, quemadmodum præcepit Dominus.* Quæri potest, ubi Aaron poneret ante Deum, quando nec ullum simula-

[1] Am. Er. et Lov., *quoniam caro sunt.* At editio Ratisponensis, suffragantibus nostris MSS., *carnes;* plurali numero, ut est in græco LXX.

[2] Plerique MSS., *Iste itaque Spiritus Dei in Ægyptios : nam Spiritus iræ ejus quibus nocuit.* Ubi additur, *nam;* et omittitur, *fuit.*

[3] MSS. optimæ notæ, *in timorem;* juxta græc., *eis phobon:* quæ etiam lectio erat Vulgatæ versionis in antiquis Corbeiensibus Bibliis.

[4] MSS. aliquot, *Lex conscripta tantummodo, sine adjutorio gratiæ.*

[5] Editi, *bibere aquam de Mesra.* At MSS., *bibere de Merra.* Sic etiam LXX.

[1] In editis, *si ambulent.* In MSS., *si ambulabunt.* Apud LXX, *ei poreusontai.*

[2] Editi, *sed ut ipse ipsis.* Melius MSS., *ipsos ipsis*

crum fuit, nec arca testamenti jam fuerat instituta. An forte ideo de futuro dixit, *repones*, ut intelligeretur tunc ante Deum posse reponi, quando futura erat arca? an potius, *ante Deum*, dictum est quod fit ipsa devotione offerendi, in quocumque loco poneretur? ubi enim non est Deus? Sed illud quod adjungit, *Et reposuit Aaron ante testimonium ad reservandum*, priorem magis sensum asserit. Hoc enim modo Scriptura dixit per prolepsim, quod postea factum est, cum esse cœpit tabernaculum testimonii.

LXII. [Ib. XVI, 35.] *Filii autem Israel ederunt manna annis quadraginta, quoadusque venirent in terram quæ inhabitatur. Manna ederunt quoadusque venirent in partem Phœnicis.* Significavit Scriptura per prolepsim, id est, hoc loco commemorando quod etiam postea factum est, non edisse filios Israel in eremo nisi manna. Hoc est enim quod ait, *usque ad terram quæ inhabitatur*, id est, quæ jam non est eremus : non quia continuo ut venerunt ad terram habitabilem destiterunt vesci manna, sed quia non ante. Trajecto enim Jordane significatur manna cessasse, ubi panes terræ manducaverunt : quando ergo ingressi sunt habitabilem terram, antequam transirent Jordanem, vel tantum manna vesci, vel utroque cibo potuerunt; hoc quippe intelligi potest, quando cessasse manna non dicitur nisi Jordane trajecto. Cur autem in illa eremi inopia etiam carnes desideraverint, quando de Ægypto cum suis valde multis pecoribus exierunt, magna quæstio est. Nisi forte dicatur, cum per eremum pascua tanta non essent, et ex eo minor futura videretur fecunditas pecorum, pepercisse illos pecoribus, ne omnibus deficientibus, etiam sacrificiis necessaria defuissent, vel si quid aliud dici potest, unde quæstio ista solvatur. Congruentius tamen creditur non eos carnes desiderasse, quas de pecoribus habere poterant; sed eas quæ deerant, ex aquis videlicet. Ipsas quippe in illa eremo non inveniebant : unde et illis ortygometra data est, id est, aves, quas coturnices multi latine interpretati sunt, cum sit aliud genus avium ortygometra, quamvis coturnicibus non usquequaque dissimile. Noverat enim Deus quid desiderarent, et desiderium eorum quo carnis genere satiaret. Sed quia Scriptura concupivisse illos carnes dixerat, nec expresserat cujusmodi carnes, ideo quæstio facta est.

LXIII. [Ib. XVI, 35.] *Manna ederunt quoadusque venirent in partem Phœnicis.* Jam dixerat, *quoadusque venirent ad terram quæ inhabitatur;* sed quia non expresserat proprie quam diceret, repetitione videtur quamdam proprietatem expressisse, dicendo, *in partem Phœnicis.* Sed tunc illam terram sic credendum est appellatam; modo enim hoc non vocatur nomine. Alia quippe est quæ Phœnice appellatur regio Tyri et Sidonis, qua illos transisse non legitur. Quanquam Scriptura fortasse potuerit terram Phœnicis appellare, ubi palmarum arbores jam esse cœperant post eremi vastitatem; quoniam palma græce sic appellatur. Initio enim profectionis suæ invenerunt locum, ubi septuaginta palmarum arbores fuerant, et duodecim fontes : sed postea eos excepit eremi prolixitas, ubi tale aliquid; non fuit, quousque venirent ad loca quæ colebantur. Verum ille sensus est probabilior, ut credamus sic appellatam tunc fuisse terram. Multarum enim terrarum et locorum, sicut fluminum et urbium, nomina certis existentibus causis antiquitate mutata sunt.

LXIV. [Ib. XVII, 5.] *Et dixit Dominus ad Moysen, Antecede populum; sume autem tecum de senioribus populi; et virgam in qua percussisti flumen, accipe in manu tua.* Flumen Aaron legitur, non Moyses, virga percussisse. Nam Moyses eadem virga mare divisit, non flumen : quid sibi ergo vult, *Accipe virgam in qua percussisti flumen?* An forte mare appellavit flumen? quærendum exemplum locutionis hujus, si ita est. An quod Aaron fecit, Moysi potius tributum est, quia per Moysen Deus jubebat, quæ faceret Aaron; et in Moyse auctoritas, in illo autem ministerium fuit : quandoquidem et primis suis verbis Deus hoc illi ait de fratre suo, *Erit tibi ad populum, tu illi quæ ad Deum* (*Exod.* IV, 16)?

LXV. [Ib. XVII, 9.] *Et ecce ego sto super cacumen collis, et virga Dei in manu mea*, dicit Moyses ad Jesum Nave, cum præciperet pugnari adversus Amalech. Nunc ergo virga Dei dicitur, quæ primum dicta est virga Aaron, postea vero virga Moysi : sicut dicitur spiritus Eliæ qui est Spiritus Dei (*Luc.* I, 17), cujus particeps factus est Elias; sic illa potuit dici. Dicitur etiam Dei justitia, quæ nostra est, sed donata a Deo : de qua loquens Apostolus, Judæos arguit dicens, *Ignorantes Dei justitiam, et suam justitiam volentes constituere* (*Rom.* X, 3), id est, tanquam a se sibi paratam; contra quales dicit, *Quid enim habes quod non accepisti* (I *Cor.* IV, 7) ?

LXVI. [Ib. XVIII, 12.] *Venit autem et Aaron et omnes seniores Israel manducare panem cum socero Moysi ante Deum*, vel, sicut alii codices habent, *coram Deo;* quod græce scriptum est ἐναντίον τοῦ Θεοῦ. Quæritur ubi ante Deum, quando nec tabernaculum fuit, nec arca testamenti, quæ postea sunt instituta. Neque enim et hic de futuro dictum accipere possumus, sicut dictum est de manna quod positum est in vase aureo (*Supra, quæst.* 61). Ergo ante Deum id accipere debemus factum, quod in honorem Dei factum est : ubi enim non Deus?

LXVII. [Ib. XVIII, 15.] Moyses socero dixit : *Quia venit ad me populus inquirere judicium a Deo; cum eis contigerit disceptatio, et venerint ad me, judico unumquemque, et moneo eos præcepta Dei et legem ejus* Quæri potest quomodo ista Moyses dixerit, cum lex Dei adhuc nulla conscripta esset : nisi quia lex Dei sempiterna est, quam consulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, secundum quod illa incommutabili veritate præceperit [1]. Numquid enim Moyses, quamvis cum illo Deus loqueretur, per singula credendum est quod consulere soleret Deum, si quid

[1] Editi, *secundum quod illa incommutabili veritate perceperint :* excepta editione Ratisponensi, quæ cum nostris Mss. habet, *illa.... præceperit.*

esset in disceptationibus tantæ multitudinis, quæ illum in hoc judicandi negotio a mane usque ad vesperam detinebat? Et tamen nisi suæ menti præsidentem Dominum consuleret, legemque ejus æternam sapienter attenderet, quid justissimum judicare inter disceptantes posset, non inveniret.

LXVIII. [Ib. XVIII, 18, 19.] In eo quod Jothor consilium dat genero suo Moysi, ne occupatus judiciis populi et ipse et populus consumeretur consumptione intolerabili; prima quæstio est, cur hoc Deus famulum suum, cum quo ipse tanta et talia loquebatur, ab alienigena passus est admoneri. In quo Scriptura nos admonet, per quemlibet hominem detur consilium veritatis, non debere contemni. Videndum etiam ne forte ibi voluerit Deus ab alienigena admoneri Moysen, ubi et ipsum posset tentare superbia: sedebat enim judiciaria sublimitate solus, universo populo stante. Nam hunc sensum indicat, cum ipse Jothor eos eligi jussit ad judicandas causas populi, qui odissent superbiam. Deinde quam sit observandum quod alibi Scriptura dicit, *Fili, ne in multis sint actus tui.* (*Eccli.* XI, 10); satis et hic apparet. Deinde verba Jothor dantis consilium Moysi consideranda sunt: dicit enim, *Nunc itaque audi me, et consilium dabo tibi, et erit Deus tecum.* Ubi mihi videtur significari, nimis intentum humanis actionibus animum, Deo quodammodo vacuari, quo fit tanto plenior, quanto in superna atque æterna liberius extenditur.

LXIX. [Ib. XVIII, 19, 20.] Quod vero adjungit et dicit, *Esto tu populo quæ ad Deum, et referes verba eorum ad Deum: et testaberis illis præcepta Dei et legem ejus; et demonstrabis illis vias in quibus ambulabunt in eis, et opera quæ facient;* cum populo universo hæc agenda esse demonstrat. Non enim ait, Uniuscujusque verba referes ad Deum, sed *verba eorum*, cum supra dixisset, *Esto tu populo quæ ad Deum sunt.* Post hæc admonet ne singulorum negotia, quæ inter se habent, deserantur, electis videlicet potentibus viris Deum colentibus, justis, et qui oderint superbiam, quos constituat super millenos, alios super centenos, alios super quinquagenos, alios super denos. Sic et ab ipso Moyse removit graves et periculosas occupationes, nec istos gravavit. Quandoquidem ipsi mille haberent unum super se, et sub illo haberent alios decem, et sub eis alios viginti, et sub his alios centum, ut vix aliquid ad singulos quosque præpositos perveniret, quod judicare necesse haberent. Insinuatur hic etiam humilitatis exemplum, quod Moyses, cum quo loquebatur Deus, non fastidivit, neque contempsit alienigenæ soceri sui consilium. Quanquam et ipse Jothor, cum Israelita non fuisset, utrum inter viros Deum verum colentes religioseque sapientes habendus sit, quemadmodum et Job, cum ex ipso populo non fuisset, merito quæritur: imo credibilius habetur. Ambigue quippe posita sunt verba, vel utrum sacrificaverit Deo vero in populo ejus, quando vidit generum suum, vel utrum eum adoraverit ipse Moyses: quanquam de adoratione etiam si expresse positum esset, honor videretur socero redditus, eo modo quo solet hominibus honorificentiæ causa exhiberi a Patribus; sicut de Abraham scriptum est, quod adoraverit filios Chet (*Gen.* XXIII, 7). Quos autem dicat γραμματοεισαγωγεῖς post decuriones, non facile sciri potest; quoniam hoc nomen in nullo usu habemus, vel officiorum, vel magisteriorum. Nam quidam *doctores* interpretati sunt, ut intelligantur utique litterarum, qui introducant in litteras, sicut resonat græcum vocabulum. Hic sane significatur quod ante Legem datam habuerint Hebræi litteras: quæ quando cœperint esse, nescio utrum valeat indagari. Nonnullis enim videtur a primis hominibus eas cœpisse, et perductas esse ad Noe, atque inde ad parentes Abrahæ, et inde ad populum Israel: sed unde hoc probari possit, ignoro.

LXX. [Ib. XIX, 1-11.] *Mensis autem tertii exitus filiorum Israel de terra Ægypti hac die venerunt in eremum Sina, et profecti sunt ex Raphidin, et venerunt in eremum Sina, et applicuit Israel ibi contra montem, et Moyses ascendit in montem Dei, et vocavit eum Dominus de monte dicens, Hæc dices domui Jacob, et nuntiabis filiis Israel*, et cætera. Deinde paulo post: *Descende, et testare populo, et purifica illos hodie et cras, et lavent vestimenta, et sint parati in diem tertium. Tertia enim die descendet Dominus in montem Sina coram omni populo.* Hoc die reperitur data Lex, quæ in tabulis lapideis scripta est digito Dei, sicut consequentia docent (*Exod.* XXXI, 18). Dies autem iste tertius apparet tertii mensis ab exitu Israel ex Ægypto. Ex die ergo quo Pascha fecerunt, id est, agnum immolaverunt et ederunt, qui fuit quartus decimus primi mensis (*Id.* XII, 6.), usque ad istum quo Lex datur, dies quinquaginta numerantur: decem et septem scilicet primi mensis, reliqui ab ipso quarto decimo; deinde omnes triginta secundi mensis, qui fiunt quadraginta septem; et tertius tertii mensis, qui est a solemnitate occisi agni quinquagesimus. Ac per hoc in ista umbra futuri, secundum agni immolati diem festum, sicut quinquagesimo die Lex data est, quæ conscripta est digito Dei: ita in ipsa veritate Novi Testamenti a festivitate agni immaculati Christi Jesu quinquaginta dies numerantur, ut Spiritus sanctus [1] de altissimis datus est (*Act.* II, 2 4). Digitum Dei autem esse Spiritum sanctum, et supra jam diximus teste Evangelio (*Supra, quæst.* 25).

LXXI. [Ib. XX, 1-17.] Quæritur, decem præcepta Legis quemadmodum dividenda sint: utrum quatuor sint usque ad præceptum de sabbato, quæ ad ipsum Deum pertinent; sex autem reliqua, quorum primum est, *Honora patrem et matrem*, quæ ad hominem pertinent: an potius illa tria sint, et ista septem. Qui enim dicunt illa quatuor esse, separant quod dictum est, *Non erunt tibi dii alii præter me;* ut aliud præceptum sit, *Non facies tibi idolum*, etc. ubi figmenta colenda prohibentur. Unum autem volunt esse, *Non concupisces uxorem proximi tui, Non concupisces de-*

[1] Apud Er. Lov. habetur, *quando Spiritus sanctus.* Nonne melius legeretur, *et ?* Fulcitur hæc nostra conjectura altero S. Augustini loco, nempe Serm. 8, n. 13, 14, in quo hæc ipsa repetuntur. M.

mum proximi tui, et omnia usque in finem. Qui vero illa tria esse dicunt, et ista septem, unum volunt esse, quidquid de uno colendo Deo præcipitur, ne aliquid aliud præter illum pro Deo colatur : hæc autem extrema in duo dividunt ; ut aliud sit, *Non concupisces uxorem proximi tui*, aliud, *Non concupisces domum proximi tui*. Decem tamen esse præcepta neutri ambigunt, quoniam hoc Scriptura testatur.

Mihi tamen videtur congruentius accipi tria illa, et ista septem, quia et Trinitatem videntur illa quæ ad Deum pertinent insinuare diligentius intuentibus. Et revera quod dictum est, *Non erunt tibi dii alii præter me*, hoc ipsum perfectius explicatur cum prohibentur colenda figmenta. Concupiscentia porro uxoris alienæ, et concupiscentia domus alienæ, tantum in peccando differunt, ut illi quod dictum est, *Non concupisces domum proximi tui*, adjuncta sint et alia dicente Scriptura, *neque agrum ejus*, *neque servum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neque subjugale ejus, neque omne pecus ejus, neque quæcumque proximi tui sunt*. Discrevisse autem videtur concupiscentiam uxoris alienæ a concupiscentia cujuslibet rei alienæ, quando utrumque sic cœpit, *Non concupisces uxorem proximi tui, Non concupisces domum proximi tui*, et huic cœpit cætera adjungere. Non autem cum dixisset, *Non concupisces uxorem proximi tui*, huic connexuit alia dicens, neque domum ejus, neque agrum ejus, neque servum ejus, et cætera : sed omnino apparent hæc esse conjuncta quæ uno præcepto videntur contineri, et discreta ab illo ubi uxor nominata est. Illud autem ubi dictum est, *Non erunt tibi dii alii præter me*, apparet hujus rei diligentiorem exsecutionem esse in iis quæ subjecta sunt. Quo enim pertinet, *Non facies tibi idolum, neque ullum simulacrum, quæcumque in cœlo sunt sursum, et quæcumque in terra deorsum, et quæcumque in aqua sub terra; non adorabis ea, neque servies illis*, nisi ad id quod dictum est, *Non erunt tibi dii alii præter me?*

Sed rursum quæritur quo differat, *Non furtum facies*, ab eo quod paulo post de non concupiscendis proximi rebus præcipitur. Non quidem omnis qui rem proximi sui concupiscit, furatur : sed si omnis qui furatur, rem proximi concupiscit, poterat in illa generalitate, ubi de non concupiscenda re proximi præcipitur, etiam illud quod ad furtum pertinet contineri. Similiter etiam quæritur, quo differat quod dictum est, *Non mœchaberis*, ab eo quod paulo post dicitur, *Non concupisces uxorem proximi tui*. In eo quippe quod dictum est, *Non mœchaberis*, poterat et illud intelligi. Nisi forte in illis duobus præceptis, non mœchandi et non furandi, ipsa opera notata sunt; in his vero extremis ipsa concupiscentia : quæ tantum differunt, ut aliquando mœchetur, qui non concupiscit uxorem proximi, cum alia aliqua causa illi miscetur; aliquando autem concupiscat, nec ei misceatur, pœnam timens : et hoc fortasse Lex ostendere voluit, quod utraque peccata sint.

Item quæri solet utrum mœchiæ nomine etiam fornicatio teneatur. Hoc enim græcum verbum est, quo jam Scriptura utitur pro latino. Mœchos tamen Græci nonnisi adulteros dicunt. Sed utique ista Lex non solis viris in populo, verum etiam feminis data est. Neque enim quia dictum est, *Non concupisces uxorem proximi tui*, nihil hic sibi præceptum debet putare femina, et tanquam licite concupiscere virum proximæ suæ. Si ergo hic ex illo quod viro dictum est, intelligitur, quamvis non dictum sit, quod etiam ad feminam pertineat; quanto magis eo quod dictum est, *Non mœchaberis*, uterque sexus astringitur, cum et ipsum præceptum potest referri ad utrumque, sicut, *Non occides, Non furaberis*, et quæ alia similiter non expresso uno sexu utrique videntur sonare communiter? Tamen ubi unus exprimitur, honoratior utique exprimitur, id est masculinus, ut ex hoc intelligat etiam femina quid sibi præceptum sit. Ac per hoc si femina mœcha est, habens virum, concumbendo cum eo qui vir ejus non est, etiamsi ille non habeat uxorem; profecto mœchus est et vir habens uxorem, concumbendo cum ea quæ uxor ejus non est, etiamsi illa non habeat virum. Sed utrum, si faciat qui uxorem non habet, cum femina quæ virum non habet, ambo præcepti hujus transgressione teneantur, merito quæritur. Si enim non tenentur, non est prohibita in Decalogo fornicatio, sed sola mœchia, id est, adulterium : quamvis omnis mœchia etiam fornicatio esse intelligitur, sicut loquuntur Scripturæ. Dominus enim dicit in Evangelio : *Quicumque dimiserit uxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari* (*Matth.* v, 32). Hic utique fornicationem appellavit, si cum alio peccet quæ virum habet, quod est mœchia, id est, adulterium. Omnis ergo mœchia etiam fornicatio in Scripturis dicitur. Sed utrum etiam omnis fornicatio mœchia dici possit, in eisdem Scripturis non mihi interim occurrit locutionis exemplum. Sed si non omnis fornicatio etiam mœchia dici potest, ubi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri qui uxores non habent, cum feminis quæ maritos non habent, utrum inveniri possit, ignoro. Sed si furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ (non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit; sed utique a parte totum intelligi voluit, quidquid illicite rerum proximi aufertur); profecto et nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.

Et quod dictum est, *Non occides*, non putandum est fieri contra hoc præceptum, quando lex occidit, vel occidi aliquem Deus jubet. Ille enim facit qui jubet, quando ministerium negare non licet.

In eo etiam quod dictum est, *Falsum testimonium non dices adversus proximum tuum*, quæri solet utrum prohibitum sit omne mendacium : ne forte non sit hoc præceptum adversus eos qui dicunt tunc esse mentiendum quando id mendacium prodest alicui, et nihil obest ei cui mentiris. Tale quippe non est *adversus proximum tuum*, ut ideo videatur hoc addidisse Scriptura, quæ posset breviter dicere, *Falsum testimonium non dices*, sicut dixit, *Non occides, Non mœ-*

chaberis, Non furaberis. Sed hinc magna quæstio est, nec a festinantibus commode explicari potest, quomodo accipiendum sit, *Perdes omnes qui loquuntur mendacium* (*Psal.* v, 7); et, *Noli velle mentiri omne mendacium* (*Eccli.* vii, 14); et cætera hujusmodi.

LXXII. [Ib. xx, 18.] *Et omnis populus videbat vocem, et lampadas, et vocem tubæ, et montem fumantem.* Solet quæri quomodo populus videbat vocem, cum vox non ad visum, sed potius ad auditum pertinere videatur. Sed sicut modo dixi, Videatur, de omnibus quæ a me dicta sunt; sic, videre solet pro generali sensu poni, non solum corporis, verum etiam animi: unde et illud est, *Cum vidisset Jacob quia sunt escæ in Ægypto* (*Gen.* xlii, 1, *sec.* LXX); unde utique absens erat. Quanquam nonnulli videre vocem nihil aliud esse arbitrati sunt quam intelligere, qui visus mentis est. Cum vero hic breviter dicendum esset quod populus videbat vocem et lampadas, et vocem tubæ ac montem fumantem, quæstio major oriretur quomodo audiebat lampadas et montem fumantem, quod pertinet ad sensum videndi. Nisi quis dicat, nec tam breviter dicendum fuisse; sed, ut totum diceretur, audiebat vocem, et videbat lampadas, et audiebat vocem tubæ, et videbat montem fumantem. [illegible] erant, et de nubibus, sicut tonitrua, et de tuba; si tamen ipsam dixit vocem quæ de nubibus edebatur. Ac per hoc melius in iis quæ ad sensum audiendi pertinebant, generalis sensus est positus, hoc est, videndi, cum breviter totum vellet Scriptura complecti, quam ut in iis quæ pertinent ad videndi sensum, subintelligeretur auditus: quo more loqui non solemus. Nam, Vide quid sonet, solemus dicere; Audi quid luceat, non solemus.

LXXIII. [Ib. xx, 19.] *Loquere tu nobis, et non loquatur ad nos Deus, ne quando moriamur.* Multum et solide significatur, ad Vetus Testamentum timorem potius pertinere, sicut ad Novum dilectionem: quanquam et in Vetere Novum lateat, et in Novo Vetus pateat. Quomodo autem tali populo tribuatur videre vocem Dei, si hoc accipiendum est intelligere, cum sibi loqui Deum timeant ne moriantur, non satis elucet.

LXXIV. [Ib. xx, 20.] *Et dixit eis Moyses, Constantes estote: propterea enim venit Deus ad vos, tentare vos ut sit timor ejus in vobis, ne peccetis.* Sic illi cohibendi fuerant a peccatis, utique timendo ne pœnas sensibiles paterentur; quia nondum poterant amare justitiam: et in hoc erat illis tentatio a Domino, qua probabantur, ut appareret cujusmodi essent; non ut Deo noti fierent, quem non latebant qualescumque essent, sed ut inter se ac sibimet. Multum tamen istis terroribus Testamenti Veteris differentia commendatur, quod etiam in Epistola ad Hebræos apertissime dictum est (*Hebr.* xii, 24-28).

LXXV. [Ib. xx, 21.] *Moyses autem intravit in nebulam, ubi erat Deus:* id est, ubi expressiora fiebant signa, quibus cognosceretur Deus. Nam quomodo in nebula erat, cui cœli cœlorum non sufficiunt; nisi quemadmodum nusquam non est, qui in loco nullo est[1]?

[1] Editi, *deest:* pro quo omnes Mss., *est.*

LXXVI. [Ib. xx, 23.] *Non facietis vobis deos argenteos, et deos aureos non facietis vobis ipsis.* Repetitur quod in primo præcepto inculcatum est; et ex diis argenteis et aureis utique omnia simulacra intelliguntur, sicut in illo etiam psalmo, *Idola gentium argentum et aurum* (*Psal.* cxiii, 4, *et* cxxxiv, 15).

LXXVII. [Ib. xxi, 2.] Quæ de servo Hebræo præcipiuntur, ut sex annos serviat, et dimittatur liber gratis, ne servi Christiani hoc flagitarent a dominis suis, apostolica auctoritas jubet servos dominis suis esse subditos, ne nomen Dei et doctrina blasphemetur (*Ephes.* vi, 5, *et* I *Tim.* vi, 1). Illud enim ex hoc satis constat in mysterio præceptum, quia et pertundi subula ejus aurem ad postem præcepit Deus, qui libertatem illam recusasset.

LXXVIII. [Ib. xxi, 7-11.] *Si quis autem vendiderit filiam suam famulam*[1], *non abibit ita ut recedunt ancillæ. Quod si non placuerit domino suo, quam non annominavit eam, remunerabit eam. Genti autem exteræ non est dominus vendere illam, quoniam sprevit in ea. Quod si filio annominaverit eam, secundum justificationem filiarum faciet ei. Quod si aliam accipiet ei, quæ opus sunt, et vestem, et conversationem ejus non fraudabit. Si autem tria hæc non fecerit ei, exibit gratis sine pretio.* Obscurissimum istum locum inusitata verba locutionesque fecerunt, ita ut interpretes nostri quemadmodum eum explicarent, pene non invenirent. In ipso quoque græco eloquio multum obscurum est quod hic dicitur. Tamen quid videatur, ut potero, aperiam.

Si quis autem, inquit, *vendiderit filiam suam famulam*, id est ut sit famula, quam οἰκέτην Græci vocant: *non abibit ita ut recedunt ancillæ*, intelligendum est, non sic recedet, quomodo recedunt ancillæ Hebrææ post sex annos. Eam quippe oportet etiam in femina Hebræa legem datam intelligi, quæ servatur in maribus. Cur ergo ista non ita recedet, nisi quia in illo famulatu intelligitur humiliata, quod ei se dominus miscuerit? Hoc quippe in consequentibus utcumque clarescit. Sequitur enim et dicit, *Quod si non placuerit domino suo, quam non annominavit eam*, id est non eam fecit uxorem: *remunerabit eam*, hoc est, quod supra dixit, *non abibit ita ut recedunt ancillæ.* Justum est[2] quippe aliquid accipere pro eo quod humiliata est; quia non ei se ita miscuit, ut faceret uxorem, id est, ut annominaret eam sibi. Hoc autem quod diximus, *remunerabit eam*, quidam interpretes dixerunt, *redimet eam.* Quod si in græco dictum esset ἀπολυτρώσεται, scriptum esset sicut scriptum est, *Et ipse redimet Israel* (*Psal.* cxxix, 8); nam et ἀπολυτρώσεται scriptum est. In hoc autem loco ἀπολυτρώσει legitur, ubi intelligitur quod accipit magis aliquid, quam pro ea datur ut redimatur. Cui enim dabit dominus ejus, ut redimat quam ipse famulam possidet? *Genti autem exteræ non est dominus vendere illam, quia sprevit in ea:* id est, non quia sprevit in ea, ideo dominus est vendere illam, id est in tantum ei dominabitur, ut

[1] Sic Mss. constanter, juxta LXX. At editi, *in famulam.*
[2] Mss., *jussa est.*

etiam exteræ genti eam licite vendat. Hoc est autem *sprevit in ea*, quod est sprevit in eam : sprevit eam autem, hoc est humiliavit eam, id est concumbendo nec uxorem faciendo. Dixit autem græce ἠθέτησεν, quod nos diximus *sprevit*, quo verbo Scriptura utitur apud Jeremiam, *Sicut spernit mulier eum cui commiscetur* (*Jerem.* III, 20).

Deinde sequitur et dicit, *Quod si filio annominaverit eam, secundum justificationem filiarum faciet ei.* Hic jam apparere incipit quemadmodum supra dixerit, *quam non annominavit.* Nam quid est aliud, *si filio annominaverit eam*, nisi filio conjunxerit eam uxorem? quandoquidem dicit, *secundum justificationem filiarum faciet ei*, id est, ut sic tradat tanquam filiam, dotem scilicet apponens ei. Deinde adjungit, *Quod si aliam accipiet ei*, id est non istam deputaverit uxorem filio suo, sed ei aliam accipiat : *quæ opus sunt, et vestem et conversationem ejus non fraudabit;* dabit ei simili lege, quæ competunt, quoniam non mansit uxor filio ejus, quemadmodum ei daret, si eam sibi non annominasset, et tamen concumbendo humiliasset. Quod autem nos diximus, *conversationem non fraudabit*, græcus habet ὁμιλίαν, id est, locutionem, quo nomine intelligitur Scriptura honestius appellare concubitum. Quid est autem, Concubitum non fraudabit, nisi pro concubitu mercedem dabit? Namque apud Danielem contra Susannam falsum testimonium dicentes seniores, *Venit*, inquiunt, *ad eam adolescens, qui erat in latenti absconditus, et concubuit cum ea.* Daniel autem de hoc ipso interrogans, ait, *Sub qua arbore vidisti eos colloquentes :* quod illi dixerant, *concubuit cum ea.* Deinde alterum arguens atque convincens dixit, *Semen Chanaan, et non Juda, species delectavit te, et illa concupiscentia evertit cor tuum : sic enim faciebatis filiabus Israel, sed illæ timentes acquiescebant vobis* (*Dan.* XIII, 37, 54-58). Græcus autem habet ὡμίλουν ὑμῖν, quod posset latine verbum e verbo dici, Loquebantur vobis : quo significaretur concubitus. Nam ubi dicitur, *Sub qua arbore comprehendistis eos*, græcus habet, Comprehendistis eos colloquentes invicem : et illic significatur concubitus.

Quod ergo de hac de qua agitur adjungit Scriptura, et dicit, *Si autem tria hæc non fecerit ei, exibit gratis*, hoc intelligitur, Si eam ipse concubitu non humiliaverit, neque filio suo conjunxerit, neque alia a filio suo ducta istam ejecerit, *abibit gratis*, id est sufficiet ei non teneri in servitute. Abibit enim nihil accipiens, ut servus Hebræus. Non enim licet domino ejus copulare illam viro non Hebræo, quam non licet exteræ genti tradi. Si autem servo Hebræo eam copulaverit, hoc utique intelligitur, quod cum eo gratis exibit, nequaquam a marito separata.

LXXIX. [Ib. XXI, 12, 13.] *Si quis percusserit aliquem, et mortuus fuerit, morte moriatur. Qui autem nolens, sed Deus tradidit in manus ejus, dabo tibi locum in quem fugiat.* Quæritur hoc quomodo dictum sit, *Si autem nolens, sed Deus tradidit in manus ejus ;* quasi etsi volens occiderit, posset occidere, nisi Deus traderet in manus ejus. Intelligitur ergo, tantummodo Deum fecisse, cum quisque occiditur a nolente : et pro hoc quod tantummodo Deus id fecit, dictum est, *sed Deus tradidit in manus ejus.* Cum vero volens occidit, et ipse occidit, et Deus tradidit in manus ejus. Hoc ergo interest, quod illic tantum Deus fecit : hic autem et Deus et homo, propter voluntatem facientis ; sed non sicut Deus homo. Deus enim nonnisi juste, homo autem pœna dignus : non quia illum occidit quem Deus nollet occidi, sed quia per iniquitatem. Non enim ministerium Deo jubenti præbuit, sed suæ malignæ cupiditati servivit. In uno igitur eodemque facto et Deus de occulta æquitate laudatur, et homo de propria iniquitate punitur. Non enim quia Deus proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum (*Rom.* VIII, 32), ideo Judas excusatus est, qui eumdem ad mortem tradidit Christum. (*Matth.* XXVI, 48).

LXXX. [Ib. XXI, 22-25.] *Si autem litigabunt duo viri, et percusserint mulierem in utero habentem* [1], *et exierit infans ejus nondum formatus; detrimentum patietur, quantum indixerit vir mulieris, et dabit cum postulatione.* Mihi videtur significationis alicujus causa dici hæc, magis quam Scripturam circa hujusmodi facta occupatam. Nam si illud attenderet, ne prægnans mulier percussa in abortum compelleretur, non poneret duos litigantes viros, cum possit et ab uno hoc admitti, qui cum ipsa muliere litigaverit, vel etiam non litigaverit, sed alienæ posteritati nocere volendo id fecerit. Quod vero non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profecto nec hominem deputavit quod tale in utero geritur. Hic de anima quæstio solet agitari, utrum quod formatum non est, ne animatum quidem possit intelligi, et ideo non sit homicidium, quia nec exanimatum dici potest, si adhuc animam non habebat. Sequitur enim et dicit, *Si autem formatum fuerit, dabit animam pro anima.* Ubi quid aliud intelligitur, nisi, et ipse morietur? Nam hoc et in cæteris ex hac occasione jam præcipit, *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, combustionem pro combustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore :* talionis videlicet æquitate. Quæ Lex ideo constituit, ut demonstraret quæ vindicta debeatur. Nisi enim per Legem sciretur quid vindictæ deberetur, unde sciretur quid venia relaxaret, ut dici posset, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris?* (*Id.* VI, 12.) Debitores igitur Lege monstrantur, ut quando ignoscitur appareat quid dimittatur. Neque enim debita dimitteremus, nisi quid nobis deberetur Lege indice disceremus. Si ergo illud informe puerperium jam quidem fuerit, sed adhuc quodammodo informiter animatum (quoniam magna de anima quæstio non est præcipitanda indiscussæ temeritate sententiæ), ideo Lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima viva in eo corpore quod sensu caret, si talis est in carne nondum formata, et ideo nondum sensibus prædita. Quod autem dixit, *Et dabit cum postulatione* quod maritus mulieris, informi ex-

[1] Ita melioris notæ Mss. juxta LXX, et syriacam, chaldaicam, samaritanam atque arabicam versionem. At editi ferunt, *et percusserit quis mulierem fetum in utero habentem.*

cluso, dandum constituerit, non est in promptu intelligere : ἀξίωμα quippe, quod græcus habet, pluribus modis intelligitur, et tolerabilius *cum postulatione* dictum est, quam si aliud diceretur. Fortassis enim postulabit ut det, ut eo modo [1] satis Deo faciat, etiamsi maritus mulierve non expetat.

LXXXI. [Ib. XXI, 28.] *Si autem cornu percusserit taurus virum aut mulierem, et mortuus fuerit, lapidibus lapidabitur taurus, et non manducabuntur carnes ejus; dominus autem tauri innocens erit.* Ad justitiam pertinet ut animal hominibus noxium perimatur, et quod de tauro positum est, a parte totum intelligendum est, quidquid in pecoribus usui humano subditis infestum est hominibus. Sed si necesse est occidi, numquid lapidari? Quid interest enim animal, quod auferendum est, qua morte auferatur? Deinde quod addidit, carnibus ejus non esse vescendum, quo pertinet, nisi omnia ista significent aliquid, quod Scriptura maxime solet intueri?

LXXXII. [Ib. XXI, 35.] *Si autem cornu percusserit alicujus taurus taurum proximi, et mortuus fuerit, vendent taurum vivum, et partientur pretium ejus, et taurum qui mortuus fuerit dispertientur.* Numquid in solo tauro hæc justificatio servanda est, et non de omni pecori in tali casu? Poinde a parte totum et hoc intelligendum est : sed hoc de carnibus occisi pecoris fieri non potest, quæ non vescuntur.

LXXXIII. [Ib. XXII, 1.] Quæ justificatio est ut pro vitulo uno quinque reddantur, pro ove autem quatuor, nisi aliquid significare intelligatur?

LXXXIV. [Ib. XXII, 2.] *Si autem perfodiens inventus fuerit fur, et percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium. Si autem orietur sol super eum, reus est; pro morte morietur* [2]. Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur : si autem diurnus, pertinere. Hoc est enim quod ait, *si orietur sol super eum.* Poterat quippe discerni quod ad furandum, non ad occidendum venisset, et ideo non deberet occidi. Hoc et in legibus antiquis (*a*) sæcularibus, quibus tamen ista est antiquior, invenitur, impune occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderit : jam enim plus est quam fur.

LXXXV. [Ib. XXII, 9.] Quid est, *qui convictus fuerit per Deum, restituet duplo;* nisi quia vult Deus aliquando signo dato prodere pejerantem?

LXXXVI. [Ib. XXII, 28.] *Deos non maledices.* Quæritur quos dixerit deos; utrum principes qui judicant populum, sicut dictum est de Moyse, quod datus fuerat deus Pharaoni (*Exod.* VII, 1) : ut per expositionem sit dictum quod sequitur, velut ostendendo quos dixerit deos, ubi ait, *Et principem populi tui non maledices :* quod græcus habet, *non dices male.* An secundum illud accipiendum est, quod Apostolus ait, *Nam etsi sunt qui dicuntur dii, sive in cœlo, sive in terra, sicuti sunt dii multi et domini multi* (I *Cor.* VIII, 5); addendo enim, *sicuti sunt*, deos intelligi voluit, qui digne etiam dicuntur : ita sane ut λατρεία quæ dicitur græce, et interpretatur latine servitus, sed ea quæ ad religionem pertinere intelligitur, non debeatur nisi uni Deo vero, qui nobis est Deus? Illi autem qui dicuntur dii, etiam si qui sunt qui merito dicuntur, prohibiti sunt maledici, non jussi sunt sacrificiis vel ullis latriæ obsequiis honorari.

LXXXVII. [Ib. XXIII, 2.] *Non eris cum pluribus in malitia.* Ne se inde quisquam defendat, quia cum pluribus fecit, aut ideo putet non esse peccatum.

LXXXVIII. [Ib. XXIII, 3.] *Et pauperis non misereberis in judicio.* Nisi addidisset, *in judicio*, magna esset quæstio. Sed intelligendum esset, etiam si scriptum non esset. Supra enim dixerat, *Non apponeris cum multitudine, declinare cum pluribus, ut declines judicium :* ac per hoc, *Et pauperis non misereberis*, posset intelligi, *in judicio.* Sed cum additum est, nulla quæstio est hoc esse præceptum, ne forte cum judicamus, videamus justitiam esse pro divite contra pauperem, et nobis recte facere videamur si contra justitiam pauperi faveamus causa misericordiæ. Bona est ergo misericordia, sed non debet esse contra judicium. Judicium sane illud appellat Scriptura, quod justum est. Ne quis autem propter istam sententiam Deum putaret misericordiam prohibere, quod sequitur, opportunissime sequitur : *Si autem obviaveris bovi inimici tui, aut subjugali ejus, errantibus, reducens reddes ei :* ut scias non te prohibitum facere misericordiam, fac etiam erga inimicos tuos, cum potestas est a judicando libera; non enim cum reducis errantem bovem inimici tui et reddis, inter aliquos judex resides.

LXXXIX. [Ib. XXIII, 10, 11.] *Sex annis seminabis terram tuam, et colliges fructum ejus; septimo autem anno remissionem facies, et requiem dabis illi : et edent pauperes gentis tuæ; quæ autem superabunt edent feræ bestiæ. Sic facies vineam tuam et olivetum tuum.* Quæri potest quid colligant pauperes, si septimo anno ita parcit terræ, ut nec seminetur quidem. Non enim ad vineam et olivetum pertinet quod dictum est, *Edent pauperes gentis tuæ;* quia de terra non seminata nihil possunt sumere, ubi segetes nasci non possunt : de vinea enim et oliveto postea dicit similiter esse faciendum; ac per hoc illud de arvis intelligitur, quæ frumentis serviunt. An sic accipiendum, *Sex annis seminabis terram tuam, et colliges fructus ejus*, hoc est, Sex annis seminabis, et colliges; septimo vero non colliges, ut intelligatur seminabis, etiamsi dictum non est : ut ad sex annos seminare et colligere pertineat, ad septimum vero dimittere quod fuerit seminatum? Nam quid inde habebunt pauperes, quorum residuum etiam feris bestiis dedit, eis videlicet quæ illis frugibus vesci possint, sicut sunt apri, et cervi, et si quid hujusmodi? Quod tamen non diceretur, nisi alicujus significationis gratia. Nam si quod attinet ad præcepta quæ hominibus data sunt, de bobus cura non est Deo (*Id.* IX, 9); quod non sic intelligitur, tanquam non

[1] Editiones Am. Er. et Lov., *postulabit ut de eo modo.* Rat. et septem Mss., *postulavit ut det eo modo.* Alii quinque Mss. probæ notæ, *postulabit ut det, ut eo modo.* Forte legendum, *postulabit judex ut eo modo.* An potius negatione præfixa, *non postulabit ut det, ut eo modo*, etc.?

[2] In excusis, *et morte morietur.* In Mss., *pro morte morietur :* id est vicissim juxta græc. LXX, *antapothaneitai.*

(*a*) Scilicet in XII Tabulis, e quibus hæc ipsa lex profertur a Cicerone in Orat. pro Milone.

ipse pascat ea quæ nec seminant, nec metunt, neque congregant in horreum, sed quia ei curæ non est præcepto monere hominem, quomodo bovi suo consulat : quanto minus ei cura est de feris bestiis præcipere, quomodo illis ab hominibus consulatur, cum eas ipse pascat divitiis naturæ usquequaque fructiferæ, qui eas etiam per alios sex annos pascit, cum colliguntur quæ seminantur?

XC. [Ib. XXIII, 19.] *Non coques agnum in lacte matris suæ.* Quomodo intelligatur ad verborum proprietatem nescio utrum possit reperiri. Si enim alicujus significationis causa prohibitum acceperimus agnum in lacte coqui, nullus usus est ita coquendi. Si autem in diebus quibus lactatur, quis hoc habuit unquam Judæorum in observatione, ut agnum non coqueret, nisi cum desisteret sugere? Quid est autem *in lacte matris suæ;* quasi posset, etiamsi hoc intelligeretur, sine hujus præcepti transgressione coqui, si eo nato mortua matre ejus, ab ove alia lactaretur? cum alicujus profecto rei significandæ causa esse præceptum nemo ambigat. Sed etiam illa quæ possunt observantia factitari, non sine causa ita præcepta sunt; significant enim aliquid. Hoc vero quomodo observetur ad proprietatem verborum aut non est, aut non elucet. Intellectum tamen de Christo approbo, quod hac prophetia prædictus est non occidendus a Judæis infans, quando Herodes quærens eum ut occideret, non invenit (*Matth.* II, 13-16); ut *coques* quod dictum est, pertineat ad ignem passionis, hoc est, tribulationem. Unde dicitur : *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* (*Eccli.* XXVII, 6). Quia ergo non est tunc infans passus, cum quærente Herode hujusmodi periculum imminere videretur, prædictum est his verbis, *Non coques agnum in lacte matris suæ.* Illud quoque forsitan non absurdum est, quod alii dicunt, id esse præceptum per Prophetam, ne se boni Israelitæ sociarent malis Judæis, a quibus Christus passus est tanquam agnus in lacte matris suæ, id est, eo tempore quo conceptus est. Dicuntur enim feminæ ex quo conceperint, lac colligere : illo autem mense conceptum et passum esse Christum, et Paschæ observatio, et dies Ecclesiis notissimus nativitatis ejus ostendit. Qui enim mense nono natus est octavo calendas januarias, profecto mense primo conceptus est circa octavum calendas aprilis, quod tempus etiam passionis ejus fuit in lacte matris suæ, hoc est, in diebus matris suæ [1].

XCI. [Ib. XXIII, 20, 21.] *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, ut servet te in via, ut inducat te in terram quam paravi tibi. Attende tibi, et exaudi eum, ne non credas illi : nihil enim subtrahet tibi; nomen enim meum est super eum.* Hoc de illo nimirum intelligitur, cui nomen mutatum est, ut Jesus [1] vocaretur : ipse quippe introduxit populum in terram promissionis.

XCII. [Ib. XXIII, 25-27.] *Et servies Domino Deo tuo; et benedicam panem tuum, et vinum tuum, et aquam tuam, et avertam infirmitatem a vobis. Non erit qui non generet, neque sterilis super terram tuam. Numerum dierum tuorum replebo. Et timorem mittam qui te antecedat; et amentes faciam omnes gentes in quas tu intrabis*, etc. Quamvis istæ promissiones possint et spiritualiter intelligi, tamen cum secundum temporalem hominum felicitatem intelliguntur, ad Vetus Testamentum pertinent : ubi quanquam præcepta, exceptis his quæ in sacramento aliquid significant, eadem ad mores bonos pertinentia reperiantur, promissiones tamen carnales atque terrenæ sunt. Unde in psalmo septuagesimo secundo pene lapsos et effusos gressus suos homo Dei dicit, cum zelaret in peccatoribus pacem peccatorum intuens. Ea quippe cernebat abundare impiis, quæ ipse secundum Testamentum Vetus exspectabat a Domino Deo, cui hac mercede serviebat. Et cum hinc ei subrepere cœpisset sensus impius, quod Deum non curare existimaret humana, correptum se dicit, dum auctoritatem sanctorum non est ausus improbare, et incœpit cognoscere, et ait, *Hoc labor est ante me, donec introeam in sanctuarium Dei, et intelligam in novissima* (*Psal.* LXXII, 2-17). Ibi enim præmia dabuntur ad Novum pertinentia Testamentum, quæ impii non accipient : et pœnæ tunc futuræ sunt impiorum, quas nullus piorum sensurus est.

XCIII. [Ib. XXIII, 28.] *Et mittam vespas ante te, et ejiciet [2] Amorrhæos, Evæos, Chananæos, et Chettæos a te.* Quæritur de his vespis quid intelligendum sit. Nam et promittit hoc Deus, et liber Sapientiæ dicit impletum, ubi ait : *Et misit antecessores exercitus sui vespas* (*Sap.* XII, 8). Non autem legimus factum, neque Moysi temporibus, neque sub Jesu Nave, neque sub judicibus, neque sub regibus. Ac per hoc vespæ istæ aculei timoris intelligendi sunt fortasse, quibus agitabantur memoratæ gentes, ut cederent filiis Israel. Deus enim loquitur, in cujus sermone si figurate aliquid dicatur,

[1] Accedit alia expositio in Quæstionum codice Corbeiensi ante annos circiter octingentos scripto reperta his verbis : *Est alius sensus facilior, Non coques agnum in lacte matris suæ; parvulos adhuc et lactentes, qualibus dicit Apostolus, Lac vobis potum dedi non escam, non mittes in præproperam passionem, tanquam Christo sit dictum, qui talibus adhuc Discipulis pepercit, pro quibus se offerens ait, Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Atque ut intelligeretur adhuc eos invalidos et minus idoneos fuisse passioni tanquam agnos in lacte matris, secutus ait Evangelista : Ut impleretur sermo quem dixerat, Quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam. Unde apparet eos, si tunc paterentur, fuisse perituros. Hoc enim tunc non passi sunt, quod postea passi sunt, non adhuc agni in lacte, sed jam arietes in grege.* Sunt et alia quædam ad hancce expositionem præmissa in eodem codice, sed omnia profecto e margine in contextum per amanuensem translata. Nam absunt prorsus a cæteris Quæstionum codicibus : exstant vero in duobus nostris Mss. collectionis Eugypii, in uno quidem continua serie, at in altero cum ejuscemodi præmonitione, *Hinc jam ex alio opere S. Augustini quæ sequuntur adjecta sunt.* Itaque suspicamur Quæstionum exemplar illud, quo usus est scriptor codicis Corbeiensis primo laudati, habuisse ea quæ Eugypius abbas, ætate Augustino prope æqualis, sua manu annotaverat. Sic enim in lib. 1, super Genes., quæst. 117, n. 3, ante illa verba, *Nulla tamen est facilior*, etc. descripsit ille in medio contextu, *Ab hinc scribendum*; quæ fuerat, uti opinamur, annotatio Eugypii præcipientis exscribi sequentia, quæ hodieque in ipsius collectione reperiuntur.

[1] Am. Er. et Lov., *Israel* Sed verius Mss. et Rat., *Jesus* : is est Josue.

[2] Er. et Lov., *ejiciam*; pro quo Mss. necnon Rat. et Am., *ejiciet*, scilicet, vespa : ubi a plurali numero fit transitus ad singularem, quemadmodum explicatur in Locutionum lib. 2, locut. 107.

quod ad proprietatem non sit impletum, non impedit historiæ fidem, in qua perspicitur veritas narrationis. Sicut nec Evangelistarum narratio secundum proprietatem impeditur, si aliquid a Christo dicitur figurate.

XCIV. [Ib. XXIII, 33.] *Si servieris diis eorum, erunt tibi offendiculum.* Hic græcus δουλεύσῃς habet, non λατρεύσῃς. Unde intelligitur, quia et δουλεία debetur Deo tanquam Domino, λατρεία vero nonnisi Deo tanquam Deo.

XCV. [Ib. XXIV, 1-3.] *Et Moysi dixit, Ascende ad Dominum tu, et Aaron, et Nadab, et Abiud, et septuaginta seniorum Israel: et adorabunt a longe Dominum; et accedet Moyses solus ad Dominum, ipsi autem non accedent: populus autem non ascendet cum illis. Introiit autem Moyses, et narravit populo omnia verba Dei et justificationes. Respondit autem omnis populus voce una dicentes, Omnia verba quæ locutus est Dominus, faciemus, et audiemus.* Usque ad hunc locum Scripturæ justificationes intelliguntur quæ datæ sunt populo ad observandum. Incipiunt autem quantum ipsa verba Scripturæ indicant, unde hoc nomen justificationum exorsum est ab illo servo Hebræo cui auris ad postem pertunditur. In quibus omnibus justificationibus considerandum est, quæ inde ad agendam vitam et morum bonorum conservationem duci possint. Multa quippe in eis sunt sacramenta significantia potius aliquid, quam vitam nostram instruentia. Justificationes sane Latini interpretes eas esse dixerunt, quæ græci δικαιώματα appellant.

XCVI. [Ib. XXIV, 3.] Notandum est quod iterum populus ita respondet, *Omnia verba quæ locutus est Dominus faciemus, et audiemus;* cum videatur ordo postulare ut diceretur, audiemus, et faciemus. Sed mirum nisi aliquis sensus hic latet. Nam si *audiemus*, pro eo positum est quod est intelligemus, prius oportet verbis Dei reddere faciendi servitutem, ut ad intelligentiam earum rerum quæ ipso præcipiente fiunt, merito devotionis, qua non contemptæ, sed factæ sunt, ipse perducat. Sed videndum est, utrum iste populus illi filio similis inveniatur qui patri jubenti dixit, *Ibo in vineam, et non iit* (*Matth.* XXI, 30). Gentes enim quæ Dominum penitus contempserunt, postea per unius obedientiam justificatæ, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam (*Rom.* IX, 30).

XCVII. [Ib. XXIV, 4.] Notandum quod *Moyses ædificavit altare sub monte, et duodecim lapides in duodecim tribus Israel.* Intelligitur enim ex duodecim lapidibus altare ædificatum, significasse ipsum populum esse altare Dei, sicut est templum Dei (II *Cor.* VI, 16.)

XCVIII. [Ib. XXIV, 5.] *Et immolaverunt hostiam salutaris Deo.* Non dixit, hostiam salutarem, sed, *hostiam salutaris:* quod græcus habet σωτηρίου. Unde in Psalmo, *Calicem*, inquit, *salutaris accipiam* (*Psal.* CXV, 13): non dixit, calicem salutarem. Ubi videndum est, ne forte ille significetur, de quo dixit Simeon, *Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 30). Hunc enim et Psalmus commendat ubi legitur, *Bene nuntiate diem ex die salutare ejus* (*Psal.* XCV, 2). Quid est enim aliud, si diligentius attendamus, quod ait *diem ex die*, nisi lumen ex lumine, hoc est Deum ex Deo, quod est unigenitus Filius?

XCIX. [Ib. XXIV, 6, 7.] *Sumens autem Moyses dimidiam partem sanguinis, infudit in craterem, et partem reliquam sanguinis affudit ad altare: et accipiens librum Testamenti recitavit in aures populi.* Notandum est, nunc primum sacrificasse Moysen evidenter Scripturam dicere, ex quo ex Ægypto eductus est populus. Primo enim de Jothor dictum erat socero ejus, quamvis cum aliqua ambiguitate, quod immolaverit Deo (*Exod.* XVIII, 12). Et advertendum librum Testamenti cum sanguine hostiæ recitari, in quo libro illas justificationes conscriptas debemus accipere. Nam decalogum Legis in tabulis lapideis fuisse conscriptum postea manifestum est.

C. [Ib. XXIV, 7.] *Et dixerunt, Omnia quæcumque locutus est Dominus, faciemus, et audiemus.* Non aliter respondent ecce jam tertio.

CI. [Ib. XXIV, 9.] *Et ascendit Moyses, et Aaron, et Nadab, et Abiud, et septuaginta seniorum Israel: et viderunt locum ubi steterat ibi Deus Israel.* Constat inter eos qui recte intelligunt, nullo Deum contineri loco, nec aliquo velut situ corporis membra ponere, sicuti est nostri corporis, sedere, jacere, stare, et si quid hujusmodi est. Hæc enim non sunt nisi corporum, Deus autem spiritus est (*Joan.* IV, 24). Quod ergo se ostendit specie corporali vel signis corporaliter expressis, non substantia ejus apparet, qua est ipse quod est, sed assumptio formarum visibilium ejus omnipotentiæ subjacet.

CII. [Ib. XXIV, 11, 10.] *Et de electis Israel non dissonuit nec unus: et apparuerunt in loco Dei, et manducaverunt, et biberunt.* Quis dubitet illos quos nominatim expressit, et septuaginta seniores, nunc appellatos electos Israel? qui procul dubio personam gerebant eorum qui electi sunt in populo Dei. Non enim omnium est fides (II *Thess.* III, 2): et novit Dominus qui sunt ejus. In magna autem domo sunt alia vasa in honorem, alia in contumeliam (II *Tim.* II, 19, 20). Quoniam ergo quos ante præscivit, et prædestinavit; quos autem prædestinavit, illos et vocavit; quos autem vocavit, ipsos et justificavit; quos autem justificavit, ipsos et glorificavit (*Rom.* VIII, 30): profecto de electis Israel non dissonuit nec unus. Significantur autem quaternario numero in Moyse et Aaron et Nadab et Abiud, propter quatuor Evangelia, et totius orbis, qui in quatuor partes dividitur, promissionem: et septuaginta de senioribus Israel, numero scilicet septenario decuplato, qui pertinet ad significandum Spiritum sanctum. Sapphiro autem significatur vita cœlestis, maxime quia dictum est, *sicut aspectus firmamenti.* Firmamentum autem cœlum appellari quis nesciat? Et forma lateris in eodem sapphiro quadraturam ipsam, vel stabilitatem, vel ejusdem quaternarii numeri sacramentum figurat. Quod autem manducant et bibunt in loco Dei, suavitatem saturitatemque significat in illo regno æternitatis. Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur (*Matth*

v, 6). Unde et Dominus dicit venturos multos (quos utique, nisi electos, præscitos, prædestinatos, vocatos, justificatos, glorificatos?), et recubituros cum Abraham et Isaac et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII, 11). Nam et alio loco ipse hoc promittit fidelibus suis, quod faciat eos recumbere, et transeat, et ministret eis (*Luc.* XII, 37).

CIII. [Ib. XXIV, 13.] Quid sibi vult quod Jesus Nave, non commemoratus in illis quatuor, subito cum Moyse apparet, et cum illo ascendit in montem ad accipiendas tabulas Legis; et subito rursus idem Jesus absconditur, id est tacetur; et Moyses accepit Legem in duabus tabulis, et cum eo iterum apparet? An forte significat Novum Testamentum nomine Jesu, et absconditum esse in Lege, et aliquando apparere intelligentibus? Quod vero Jesus jam vocatur, cum in libro Numerorum quando id nomen acceperit Scriptura testetur, cum jam prope esset ut terram promissionis intrarent (*Num.* XIII, 17), per prolepsim, hoc est per præoccupationem anticipat Scriptura quod postea factum est. Omnia quippe ista posteaquam facta sunt, scripta sunt; ac per hoc quando factum est quod modo commemoratur, nondum vocabatur Jesus, sed quando scriptum est jam hoc vocabatur.

CIV. [Ib. XXV, 11, 12.] *Et facies in ea cymatia aurea versatilia in circuitu.* Cymatia dixit, quæ in quadratura exstant per quatuor partes, sicut mensæ quadræ fieri solent. Nec quod ait *versatilia*, mobilia debemus accipere. Fixa sunt enim, sicut dixi mensas habere solitas : sed *versatilia* dixit, tortilia, quæ græce vocantur στρεπτά; vel canalibus, sicut sunt columnæ tortiles; aut implicatis duabus virgulis in modum restis, sicut etiam torques fieri solent. Quod autem ait, *Et fabricabis illi quatuor annulos aureos, et impones super quatuor latera : duos annulos in latus unum, et duos annulos in latus secundum*; ad quatuor angulos occurrunt quatuor annuli singuli in singulis, et per angulorum numerum fit ut quod in duobus lateribus ponitur, in omnibus quatuor ponatur. Unus enim angulus duobus lateribus communis est : alioquin non occurrit ut bini annuli ponantur per quatuor latera, cum sint quatuor annuli; octo quippe esse debuerunt, si aliter intelligimus, quam quod dixi fieri numero angulorum. Ad hoc enim annuli in angulis ponuntur, quo inducantur subportatoria vel gestatoria, quibus arca a quatuor hominibus hinc atque inde portetur.

CV. [Ib. XXV, 17.] Propitiatorium quid dicat superimponendum super arcam, quæri solet : sed cum aureum fieri jubeat, ejusque longitudinem et latitudinem tantam exprimat, quanta et ipsius arcæ dicta est, procul dubio velut tabulam auream tantæ formæ fieri præcipit, qua tegeretur arca; ita ut in ipso propitiatorio essent duo Cherubim, hinc atque inde alterutrum attendentes, ita ut vultus eorum in propitiatorium essent, et pennis suis obumbrarent propitiatorium : quod magnum est sacramentum. Aurum quippe significat sapientiam, arca significat secretum Dei. In arca jussa sunt poni Lex, et manna, et virga Aaron : in Lege præcepta sunt, virga potestas significatur, manna gratia; quia nisi cum gratia non est potestas præcepta faciendi. Verumtamen quia Lex a quovis proficiente non ex omni parte completur, propitiatorium est desuper. Ad hoc enim opus est ut propitius sit Deus, et ideo desuper ponitur, quia superexsultat misericordia judicio (*Jacobi* II, 13). Duo vero Cherubim pennis suis obumbrant propitiatorium, id est, honorant velando; quoniam mysteria ista ibi sunt : et invicem se attendunt, quia consonant; duo quippe ibi Testamenta figurantur : et vultus eorum sunt in propitiatorium, quia misericordiam Dei, in qua una spes est, valde commendant. Denique hinc se promisit locuturum Deus ad Moysen de medio Cherubim desursum propitiatorii. Porro si creatura rationalis in multitudine scientiæ, quoniam hanc interpretationem habent Cherubim, duobus ipsis animalibus significatur; ideo duo sunt, ut societatem charitatis commendent; ideo pennis suis propitiatorium obumbrant, quia Deo non sibi tribuunt pennas suas, id est, Deum honorant virtutibus, quibus præstant : et vultus eorum non sunt nisi in propitiatorium, quia cuicumque profectui ad multitudinem scientiæ spes non est, nisi in Dei misericordia.

CVI. [Ib. XXV, 27.] Quod ait, *Erunt annuli in thecis*[1] *subportatoriis ad tollendam mensam*, hoc intelligendum est, quod annuli essent velut thecæ subportatoriorum; id est, quo subportatoria tanquam in thecas inducantur. *Erunt* quippe *in thecis*, ita dictum est, tanquam diceretur, Erunt pro thecis.

CVII. [Ib. XXVI, 1.] Decem aulæorum jubet fieri tabernaculum, cum sit decalogus Legis. Aulæa vero significant latitudinem, propter facilitatem. Charitas quippe plenitudo Legis est (*Rom.* XIII, 10) : et nonnisi charitati sunt præcepta facilia : unde ipsa dilatatio commendatur, cum dicitur, *Dilatasti gressus meos subtus me, et non sunt infirmata vestigia mea* (*Psal.* XVII, 37). Sed quoniam ista dilatatio per gratiam fit Dei; charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, non per nosipsos, sed per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V, 5); ideo hic mystice ipse numerus etiam commendatur, qui pertinet etiam ad Spiritum sanctum, per quem Lex possit impleri. Dicitur enim aulæum longitudinem habere debere in cubitis viginti octo. Iste autem numerus, quia per septenarium dividendus est, significavit, cum dicit latitudinem aulæi in cubitis quatuor. Quater enim septem fiunt viginti octo. Et est etiam iste numerus perfectus; quia, sicut senarius, suis partibus constat. Quod vero tam sæpe dicit, *Cherubim facies ea opere textoris*, quid aliud quam in his omnibus multitudinem scientiæ commendat, quod interpretatur *Cherubim?*

CVIII. [Ib. XXVI, 7.] *Et facies vela capillacia operire super tabernaculum; undecim vela facies ea.* Quæ capillacia vela sunt, id est cilicina, undecim dicuntur

[1] Apud LXX, *eis thêkas toîs anaphoreûsin*. Legendum ergo, *in thecas*, licet codices omnes habeant, *in thecis subportatoriis* : nempe familiari vitio librariorum, qui rursum infra easdem voces casu et genere conciliandas invicem putarunt; nam legebatur in hactenus editis, *velut thecæ subportatoriæ*, ubi ex Mss. aliquot reposuimus, *subportatoriorum*.

esse. In peccatis quippe transgressio est. Transgressio vero undenario numero significatur, quoniam transgreditur denarium, hoc est Legem : ideo ipsa undecim per septenarium multiplicata, faciunt septuaginta septem ; ubi significavit Dominus universam remissionem peccatorum, dicens, *Non solum septies, verum etiam septuagies septies* (*Matth.* XVIII, 22) : quot generationes reperiuntur, cum Lucas a baptismo Domini enumerans sursum versus ascendit, et pervenit per Adam usque ad Deum (*Luc.* III,23-38). Ad hoc enim fit significatio peccatorum in his velis, ut per confessionem exprimantur, et per gratiam quæ data est Ecclesiæ aboleantur, hoc est tegantur : unde dicitur, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1). Deinde jubet ea vela cooperiri pellibus arietinis rubricatis. Aries autem rubricatus, cui non occurrat Christus passione cruentatus? Significantur his etiam martyres sancti, quorum orationibus propitiatur Deus peccatis populi sui. Ipsis denique superjaciuntur pelles hyacinthinæ, ut significetur vita æterna viriditate, tanquam vigore perpetuo.

CIX. [Ib. XXVI, 17.) *Facies duos anconiscos columnæ uni consistentes ex adverso :* hoc est, unum hinc, et unum inde, de lateribus columnæ. Anconiscos autem dicit, quos vulgo vocamus ancones, sicut sunt in columnis cellarum vinariarum, quibus incumbunt ligna quæ cupas ferunt. Ducta est autem similitudo verbi a cubitis, ubi flectuntur manus, quibus incumbunt recumbentes, qui græce ἀγκῶνες vocantur.

CX. [Ib. XXVI, 21.] *Bases columnarum duas uni.* Bases non eas tantum videtur dicere Scriptura, quibus columnæ ab imo fulciuntur ; sed etiam superiores, quæ capitella nos dicimus. Ideo dicit, *duas bases columnæ uni in ambas partes ejus.* Nam quæ sunt ambæ partes, nisi inferior et superior ?

CXI. [Ib. XXVI, 25.] Quod octo columnas et bases earum sexdecim secundum supradictam rationem a posterioribus tabernaculi Scriptura dicit, cum superius sex dixerit, intelligitur annumeratis duabus angularibus octo fieri.

CXII. [Ib. XXVI, 33.] *Et dividet vobis velamen inter medium sanctum, et inter medium sanctum sanctorum :* id est, ut inter sanctum et sanctum sanctorum sit hoc velamen, de quo nunc loquitur, in quatuor columnis extentum. De hac differentia inter sanctum et sanctum sanctorum ad Hebræos Epistola loquitur (*Hebr.* IX, 1-12) ; quia ubi Arca testimonii, ibi sanctum sanctorum, hoc est, intus ultra velum : foris autem mensa et candelabrum, et cætera quæ paulo ante dixit quemadmodum fierent, sancta dicta sunt, et non sancta sanctorum. Et significatur foris Vetus Testamentum, intus autem Novum, cum sit utrumque in lectione Veteris Testamenti, et expressum operibus, et significatione figuratum. Ac per hoc in sanctis figura est figuræ, quia figura est Veteris Testamenti : in sanctis autem sanctorum figura est ipsius veritatis, quia figura est Novi Testamenti. Totum quippe Vetus Testamentum in his rebus et celebrationibus, quæ ita observanda præcipiuntur, figura est.

CXIII. [Ib. XXVII, 1, 2.] De altari quæritur quomodo tribus cubitis altum esse voluerit, cum tanta fere sit staturæ hominis altitudo. Quomodo ergo ministrabatur altari, cum gradus habere altare alio loco prohibeat ? *Ne pudenda*, inquit, *tua reveles super illud* (*Exod.* XX, 26). Sed illic dicebat de altari quod terra vel lapidibus construendum esset, ubi gradus ipsi coædificati ad corpus altaris utique pertinerent : nunc vero de tabulis fieri altare præcipit, quo si apponeretur ad horam ministrationis aliquid ubi staret minister altaris, et peracto ministerio tolleretur, ad corpus altaris non utique pertineret. Item quæritur quomodo super altare ligneum sacrificium quod inferebatur, posset incendi ; præsertim quia concavum fieri jubet, et craticulam deponi usque ad medium ejus, id est medium concavitatis ejus, opere factum reticulato. An quoniam dixit, *Et facies cornua in quatuor angulos, ex seipso erunt cornua, et teges illa æramento*, non ad sola cornua referendum est quod ait, *teges illa æramento*, sed ad omnia de quibus loquebatur, de altari fabricando præcipiens ?

CXIV. [Ib. XXVIII, 3.] *Et tu loquere omnibus sapientibus mente, quos replevi spiritu intellectus :* αἰσθήσεως quidem græcus habet, quem latine *sensum*, non intellectum dicere solemus ; sed Scriptura de sensu interiore, quem intellectum vocamus, sic loqui solet, sicuti est ad Hebræos, *Perfectorum est autem solidus cibus, eorum qui per habitum exercitatos habent sensus ad discernendum bonum et malum* (*Hebr.* V, 14). Ibi enim quod posuit *sensus*, græcus habet αἴσθησις. Quem ergo istum spiritum, nisi Spiritum sanctum debemus accipere ?

[Ib. XXVIII, 4.] *Et stolæ quas facient, pectoralem, humeralem, et tunicam talarem, et tunicam cum corymbis* [1]. Has appellatas stolas esse et cætera, cum superius unam stolam faciendam proposuisset, notandum est. Tunicam vero *cum corymbis* honestius putarunt latini interpretes dici, quam si dicerent *cum cirris*, qui bene dispositi ornamento esse vestibus solent.

CXV. [Ib. XXVIII, 4, 16, 9, 10.] Aspidiscas in veste sacerdotali quas dicat? utrum scutulas, quæ a scuto latine appellantur, quia et Græci scutum ἀσπίδα appellant? an vero aspidiscas propter diligenter colligandum dicit ab aspide serpente, sicut etiam murænulæ [2] appellantur? *Spithamis* [3] *autem longitudo, et spithamis latitudo :* Latini quidam interpretati sunt, mensuram extentæ palmæ a fine pollicis usque ad finem digiti minimi. Item quod dicitur, *Sumes duos lapides ony-*

[1] Editi, *tunicam cum cornibus* : item infra, *cum cornibus honestius putarunt*, etc.. Mirum si cui visum est id honestius dici. Porro Mss. constanter habent, *cum corymbis* : quo proprie vocabulo significantur hederarum racemi, ex Plinio, lib. 16, cap. 34; et ex Servio, ad illud Virgil. Eclog. 3, v. 39 :

Diffusos hedera vestit pallente corymbos.

Græca versio LXX habet hic, *chitôna corumbôton*, id est vestem fimbriatam, seu potius cirratam, aut cum cirris, uti insinuat Augustinus.

[2] Apud Bat. et antiquiores Mss., *murænæ*.

[3] Ita in Mss. At in excusis, *Spithamus* : licet apud LXX sit in genitivo casu, *spithames*. Eadem voce utuntur in Isai., cap. 40, v. 12, quam Hieronymus in eum locum sic interpretatur : « *Spithamé*, inquit, id est palmus, extentam significat manum a pollice usque ad extremum digitum. »

chinos, et sculpes in eis nomina filiorum Israel; sex nomina in lapide uno, et sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum, an intelligendum, ut [1] lapides sint de nominibus filiorum Israel secundum nativitates eorum, id est secundum ordinem quo nati sunt?

CXVI. [Ib. XXVIII, 22.] *Et facies super rationale fimbrias complectentes opus catenatum de auro puro.* Quod Latini *rationale* interpretati sunt, inopia linguæ fecit. Græcus enim habet λόγιον, non λογικόν. Rationale autem illud solemus appellare, quod Græci dicunt λογικόν. Sed quoniam λόγος in græca lingua ambiguum est, utrum verbum significet, an rationem, quia utriusque rei nomen est; ubi putatum est a verbo dictum λόγιον, eloquium nostri interpretati sunt: nam quod habemus, *Eloquia Domini, eloquia casta* (*Psal.* XI, 7), Græci habent λόγια: hic vero in veste sacerdotali, quod ex auro et hyacintho et purpura et cocco duplici torto et bysso duplici torta fieri præceptum est quadratum duplex, quod esset in pectore sacerdotis, et λόγιον vocaretur, incertum utrum a ratione an a verbo ductum fuerit, interpretes nostri magis a ratione dictum putantes *rationale* appellaverunt.

CXVII. [Ib. XXVIII, 30.] *Et impones super rationale judicii demonstrationem et veritatem.* Quid sibi hoc velit, vel in quali re vel metallo poneretur super rationale demonstratio et veritas, quoniam talia dicit fieri in veste sacerdotis, quæ corporaliter fiunt [2], invenire difficile est. Fabulantur tamen quidam lapidem fuisse, cujus color, sive ad adversa, sive ad prospera mutaretur quando sacerdos intrabat in sancta: et hoc esse quod ait, *Et afferet Aaron judicia filiorum Israel super pectus;* ostendens videlicet in illa demonstratione et veritate, quid de illis judicaverit Dominus. Quanquam possit intelligi demonstrationem et veritatem litteris impositam super λόγιον.

CXVIII. [Ib. XXVIII, 31.] *Et facies tunicam talarem hyacinthinam;* id est, usque ad talos dependentem. *Et erit peristomium ex ea medium*, id est, qua caput ejiciatur: hoc est enim quod Græci dicunt περιστόμιον. *Oram habens in circuitu peristomii, opus textoris, commissuram contextam;* id est, ne ipsa ora extrinsecus assuatur: hoc videtur dicere, *commissuram contextam.* Unde etiam addidit, *ex ipsa, ut ne rumpatur;* id est, ut ex se ipsa sit ipsa ora contexta cum veste.

CXIX. [Ib. XXVIII, 35.] *Et erit Aaron cum cœperit fungi sacerdotio, audietur vox ejus intranti in sanctum in conspectu Domini et exeunti, ut non moriatur:* intrantis et exeuntis vocem de tintinnabulis dixit audiri, tantumque ibi pondus observationis posuit, ut diceret, *ne moriatur.* Testimonia ergo quædam significari voluit in veste sacerdotali, qua utique significatur Ecclesia, per hæc tintinnabula, ut nota sit conversatio sacerdotis: sicut Apostolus dicit, *Circa omnes teipsum bonorum operum præbens exemplum* (*Tit.* II, 7); aut illud, *Quæ audisti a me per multos testes, hæc eadem commenda fidelibus, et iis qui idonei sunt et alios docere* (II *Tim.* II, 2.) An quid aliud? magnum tamen est, quidquid illud est. *Intranti* autem *et exeunti*, pro intrantis et exeuntis; locutio est. *Vox* pro sonitu; nam tintinnabulorum magis sonus quam vox est.

CXX. [Ib. XXVIII, 36-38.] *Et facies laminam auream puram, et formabis in eadem formationem signi, sanctitatem Domini* [1]; *et impones illud super hyacinthum duplicem tortam; et erit super mitram: secundum inspectum mitræ erit; et erit supra frontem Aaron. Et auferet* [2] *Aaron peccata sanctorum quæcumque sanctificabunt filii Israel, omnis dati sanctorum eorum.* Quomodo formetur in lamina sanctitas Domini, non video, nisi aliquibus litteris, quas quidam quatuor esse dicunt hebræas, quod, ut Græci appellant, τετραγράμματον nomen Dei ineffabile credunt fuisse, vel esse adhuc usque. Sed quælibet sint, vel quomodolibet se habeant illæ litteræ, ut dixi, sanctitatem Domini, vel sanctificationem, si hoc magis dicendum est, quod græcus habet ἁγίασμα, nonnisi litteris in auro formari potuisse crediderim. Ibi autem dicit sacerdotem sanctorum auferre peccata, *Quæcumque sanctificabunt*, inquit, *filii Israel omnis dati sanctorum eorum:* quod arbitror dictum in eis sacrificiis quæ offerunt pro peccatis suis; ut non sanctorum hominum intelligamus, sed sanctorum ab eo quod sunt sancta quæ offeruntur pro peccatis. Cum ergo de lamina dixisset, adjunxit atque ait, *Et auferet Aaron peccata sanctorum, quæcumque sanctificabunt filii Israel omnis dati sanctorum eorum*: id est, sacerdos auferet quæcumque offerunt pro peccatis suis, quæ dicuntur et sancta, quia sanctificantur, et peccata, quia pro peccatis offeruntur; sicut multis locis hoc ipsum evidenter Scriptura commemorat. Quod autem adjungit et dicit, *Et erit super frontem Aaron semper acceptum illis in conspectu Domini*, ad laminam illam revertitur; in qua intelligitur frontis ornamentum [3], fiducia bonæ vitæ, quam qui vere perfecteque, non significatione, sed veritate sacerdos habet, solus potest auferre peccata, nec habet necessitatem offerre pro suis.

CXXI. [Ib. XXVIII. 41.] De Aaron et filiis Aaron cum præciperet, loquens ad Moysen, quomodo vestirentur, et ungerentur, quid est quod ait, *Et implebis manus eorum, ut sacerdotio fungantur mihi?* An forte muneribus, quæ offerenda sunt Deo?

CXXII. [Ib. XXVIII, 42.] *Et facies eis femoralia linea tegere turpitudinem corporis* [4] *eorum; a lumbis usque*

[1] In Mss. post vocem, *minimi*, proxime subsequitur: *Et lapides sint de nominibus filiorum Israel secundum nativitates eorum.* Qui est Exod., cap. 28, v. 21: nisi quod LXX habent *kata onomata*, ubi Augustinus videtur legisse *kata gennêmata.*

[2] Unus e Vatic. Mss., *ut fiunt.*

[1] Am. Er. et Lov.: *Et formabis in eadem formatione sanctitatem Domini.* Mss. quinque, *in ea deformationem signi, sanctitatem* etc. Alii duo et Rat., *in ea deformationem signis, sanctitatem*, etc. Nonnulli, *in eadem formationem signi*, etc. Porro legitur apud LXX: *kaì ektupôseis en autò ektupóma hagiasma kuriou.*

[2] Editi, *Et auferat*: pauloque post, *omnis datus sanctorum eorum.* Reposuimus ad Mss. fidem, *et auferet*; tumque, *omnis dati*: quæ etiam lectio est LXX.

[3] Removimus hinc verba quædam in melioris notæ Mss. non reperta. Nempe sic in editis habebatur: *Ad laminam illam revertitur. In quo advertendum si inveniri potest, qui non habeat necessitatem pro suis offerre peccatis præter Christum, qui solus potest omnium auferre peccata: intelligitur frontis ornamentum.*

[4] Mss. nostri constanter, *coloris.* Græca versio LXX, *chrôtos.*

ad femora erunt. Cum vestis tanta cooperiat totum corpus, quid est quod ait, *Femoralia facies linea tegere turpitudinem corporis eorum,* quasi apparere posset tanta desuper veste adhibita? Nisi quia signum esse voluit in hoc castitatis vel continentiæ : quæ ideo per indumentum significatur, ut non a seipso habita, sed data intelligatur.

CXXIII. [Ib. XXIX, 8, 9.] Cum de filiis Aaron loqueretur : *Et indues eos,* inquit, *tunicas, et cinges eos zonis, et circumdabis eis cidaras.* Quam dicat cidarim vel cidaras, quoniam non est interpretatum, nec in usu modo est, ignoratur : puto tamen non esse capitis tegumen, ut nonnulli putaverunt. Neque enim diceret, *circumdabis eis*, nisi tale aliquid esset, quod non capiti, sed corpori usui esset.

CXXIV. [Ib. XXIX, 9.] *Et erit illis sacerdotium mihi in sempiternum.* Quomodo dicat *in sempiternum*, de his significativis rebus, superius sæpe diximus. Nam utique mutatum est hoc sacerdotium, ut illud esset in æternum secundum ordinem Melchisedec, non secundum ordinem Aaron. Ibi enim et juratio, et nulla Dei pœnitudo, qua significetur mutatio. *Juravit* enim *Dominus, et non pœnitebit eum, Tu es,* inquit, *sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec* (*Ps.* CIX, 4). De ordine autem Aaron dictum est quidem *in sempiternum*, vel propter tempus non præceptum quousque observaretur, vel quod res significaret æternas : nusquam est tamen dictum de sacerdotio Aaron, quia juravit Dominus et non pœnitebit eum. Et ideo dictum est in illo sacerdotio secundum ordinem Melchisedec, *Non pœnitebit eum*, ut significaretur, quia de sacerdotio Aaron pœnituit eum, id est, mutavit illud.

CXXV. [Ib. XXIX, 9.] Quid est, *Et consummabis manus Aaron, et manus filiorum ejus?* An per manus potestatem significavit, ut aliquid etiam ipsi consecrare possent : potestas autem ipsa sanctificatione consummabatur, qua præcepti sunt sanctificari a Moyse?

CXXVI. [Ib. XXIX, 10.] *Et adduces vitulum ad ostium tabernaculi testimonii, et superimponent Aaron et filii ejus manus suas super caput vituli in conspectu Domini.* Ecce unde supra dictum est, consummandas esse manus eorum, id est, perficiendam potestatem, ut etiam ipsi sanctificarent, quod modo fit, cum ponunt manus suas super vitulum immolandum.

CXXVII. [Ib. XXIX, 18.] Quod *odor suavitatis Domino* sæpe dicitur sacrificium de victimis pecorum in Scripturis sanctis, non utique Deus odore fumi illius delectatur; sed tantum illud quod his significatur spiritualiter Deum delectat cum spiritualiter exhibetur, quoniam ipse odor Dei spiritualiter intelligitur. Non enim sicut nos odorem corporeis naribus ducit. Sicut ergo ille olefacit, sic ista significant.

CXXVIII. [Ib. XXIX, 26.] *Et sumes pectusculum de ariete consummationis, quod est Aaron;* id est, hujus Aaron [1]. Hoc enim pertinere voluit ad summum sacerdotem.

CXXIX. [Ib. XXIX, 28-30.] *Et erit Aaron et filiis ejus legitimum æternum a filiis Israel* : cum diceret de pectusculo et brachio victimarum. More illo ergo *æternum* dixit, quem sæpe supra commemoravimus.

Et stola sancti, quæ est Aaron, erit filiis ejus post eum, ungere eos in ipsis, et consummare manus eorum. Septem diebus vestiet se ea sacerdos qui successerit ei de filiis ejus, qui intrabit in tabernaculum testimonii deservire in sanctis. Hæc verba multas quæstiones habent. Nam primum hic notandum est, quomodo cum *stolam* dixerit *sancti*, postea pluraliter dicit *ungere eos in ipsis*, tanquam in stolis. Nam et supra multas stolas eas dixerat, quibus una constaret. Quanquam ambiguum sit utrum *in ipsis* ab eo quod sunt ipsa genere neutro, quæcumque sunt quibus illa stola completur, id est vestis sacerdotalis : quod magis putandum est, ex eo quod in consequentibus dicit, *Septem diebus vestiet se ea sacerdos qui successerit ei ;* ea scilicet omnia quæ commemoravit, cum vestem sacerdotalem describeret. Repetivit sane quod supra dixerat, *consummare manus eorum* : unde quid mihi videretur exposui (*Supra*, *quæst.* 125). Quod vero ait, *Septem diebus vestiet se ea sacerdos*, numquid aliis diebus se non vestiet? Sed illis septem continuis intelligi voluit, quibus ejus sacerdotium quodammodo dedicatur, atque hebdomadis est in ejus inchoatione festivitas. Successorem autem Aaron eum dicit, *qui intrat in tabernaculum testimonii, deservire in sanctis :* eum scilicet significans, qui non poterat esse nisi unus, non quales erant et filii Aaron cum vivo patre suo, sed qualis successor ipsius Aaron. Quomodo ergo proprium dicit hujus unius esse, *intrare in tabernaculum testimonii, deservire in sanctis,* cum et illa quæ sunt extra velum, quo velantur sancta sanctorum. sancta appellentur, et tabernaculum testimonii etiam illud vocetur, ubi sunt sancta, id est mensa et candelabrum : ubi cum deserviant et sequentes sacerdotes ad mensam et candelabrum et ipsum altare, quomodo unum dicit successorem Aaron, qui *intret in tabernaculum testimonii deservire in sanctis?* Si enim dixisset, Deservire in sanctis sanctorum, nulla esset quæstio. Ad hæc enim, ubi est arca testimonii, solus unus intrabat summus sacerdos : quod etiam in Epistola ad Hebræos diligentissime commendatur. Nisi forte eo ipso quod unum dicit *intrare in tabernaculum testimonii, deservire in sanctis,* non vult utique intelligi, nisi in sanctis sanctorum ; quia et ipsa utique sancta appellantur. Non enim omnia quæ sancta sunt, etiam sancta sanctorum dici possunt : illa vero quæ sunt sancta sanctorum, procul dubio utique sancta sunt. Unus autem iste qui semel in anno intrabat in sancta sanctorum, quoniam Dominum Christum significabat, apertissime supradicta ad Hebræos Epistola commendatur (*Hebr.* IX, 7-11). Quod autem præfiguratum est in sancto sanctorum, ut super arcam quæ Legem habebat, esset propitiatorium, ubi Dei misericordia significari intelligenda est, qua propitius fit eorum peccatis [1] qui Legem non implent ; hoc mihi videtur

[1] Editi, *id est, ipsius Aaron.* At Mss., *hujus :* quo articulo indicat Augustinus nomen Aaron hoc Exodi loco poni in gignendi casu.

[1] Am. Er. et Lov. : *Misericordia significatur, intelligendum*

etiam in ipsa veste sacerdotis significari : nam et ipsa quid aliud quam Ecclesiæ Sacramenta significat? Quod in λογίῳ, id est rationali in pectore sacerdotis posito judicia constituit, in lamina vero sanctificationem et ablationem [1] peccatorum : tanquam rationale sit in pectore simile arcæ in qua Lex erat, et lamina illa in fronte, similis propitiatorio quod super arcam erat, et ut utrobique servaretur quod scriptum est, *Superexsultat misericordia judicio* (*Jacobi*, II, 13).

CXXX. [Ib. XXIX, 37.] Quid est quod purificatum et sanctificatum altare septem diebus dicit quod *sanctum sancti erit?* Altare non quidem dicit sanctum sanctorum, sicut est illud quod velo separatur, ubi est arca testimonii : verumtamen et hoc altare extra velum positum, per sanctificationem septem dierum dicit potius, quam [2] per unctionem fieri sanctum sancti. Et addit, *Omnis qui tetigerit altare, sanctificabitur.*

CXXXI. [Ib. XXX, 3, 4.] Cum de annulis loqueretur altaris incensi, quod altare non inærari, sed inaurari jussit, *Et duos annulos aureos puros facies*, inquit, *sub tortili corona ejus, in duo latera facies in duobus lateribus :* quoniam græcus habet, εἰς τὰ δύο κλίτη ποιήσεις ἐν τοῖς δυσὶ πλευροῖς. Nam κλίτη latera sunt, et πλευρὰ latera sunt. Unde quidam Latini sic interpretati sunt, *In duas partes facies in duobus lateribus.* Non autem ait Græcus μέρη, quod est partes, sed κλίτη, quod latera. Nam hoc verbum est in illo psalmo, ubi scriptum est : *Uxor tua sicut vinea fertilis in lateribus domus tuæ* (*Psal.* CXXVII, 3). Ac per hoc tantum casus interest, quia prius accusativum, post vero ablativum posuit, *In duo latera facies, in duobus lateribus.* Quis autem sit sensus difficile est assequi; nisi forte, ut solet Scriptura amare ellipsim, ut aliquid desit et subaudiatur, etiam hic subaudiatur, Erunt : ut iste sit sensus, *In duo latera facies, in duobus lateribus erunt;* id est, ad duo latera facies annulos, quoniam in duobus lateribus erunt.

CXXXII. [Ib. XXX, 4.] *Et erunt arcus amitibus* (*a*) *ita ut tollatur illud in eis.* Quos annulos dixerat, arcus dicit. Annulos quippe pro rotundis ansis posuit. Et quid est aliud annulus vel circulus, nisi undique arcus? Ideo quidam nolentes arcu dicere, thecas interpretati sunt, quibus amites inducerentur, dicentes, *Et erunt thecæ amitibus;* quasi græcus hoc non posset dicere, cum etiam thecæ græcum verbum sit : dixit autem ψαλίδες, quod arcus interpretatur.

CXXXIII. [Ib. XXX, 8, 10.] *Incendet super illud incensum continuationis in conspectu Domini in progenies eorum. Continuationis incensum* dicit, quod continuatim fieret, id est, nullo die prætermitteretur. Cum de altari præciperet incensi, id est, in quo incensum tantum poneretur, non holocaustum, non sacrificium, non libatio; prædixerat idipsum incensum quotidie poni debere : nunc autem dicit, *Et depropitiabit Aaron* vel *exorabit*, *super cornua ejus semel in anno de sanguine purificationis delictorum. Depropitiabit*, ab eo quod est depropitiatio, quæ græce dicitur ἐξιλασμός. Unde et intelligendum est, hoc quod semel in anno jubet fieri ad propitiandum Deum super cornua altaris incensi, id est ut de sanguine purificationis delictorum, victimarum scilicet quæ offeruntur pro delictis, semel in anno tangantur cornua altaris incensi, non pertinere ad illam appositionem incensi, quam quotidie fieri jusserat. Illa enim fiebat aromatibus, non sanguine; et quotidie, non semel in anno. Non ergo sumus intellecturi, semel in anno intrare sacerdotem solere in sanctum sanctorum, sed semel in anno cum sanguine : et quotidie quidem solere intrare sine sanguine, causa incensi imponendi; cum sanguine autem semel in anno : maxime quia sequitur et dicit, *Semel in anno purificabit illud; sanctum sanctorum est Domino.* Non ergo semel in anno ponet illic incensum, quod quotidie fieri jussum est; sed semel in anno purificabit illud, quod cum sanguine fieri præceptum est. Et post hoc adjungit, *Sanctum sanctorum est Domino :* ac per hoc si sanctum sanctorum non extra, sed intra velum erat; etiam illud profecto altare de quo nunc agitur, quod poni jussit contra velum, intrinsecus jussit.

CXXXIV. [Ib. XXX, 12.] Quid est quod ait, *Si acceperis computationem filiorum Israel in visitatione eorum;* nisi quia jubet eos aliquando visitari et computari, id est numerari? Quod in David propterea vindicatum intelligendum est, quia Deus non jusserat (II *Reg.* XXIV).

CXXXV. [Ib. XXX, 26-33.] Advertendum est etiam et notandum quemadmodum unguento chrismatis omnia jussit ungi, tabernaculum scilicet et ea quæ in illo erant, et deinde erunt sancta sanctorum. Omnia scilicet cum fuerint uncta, erunt sancta sanctorum. Quid igitur distabit jam inter illa interiora, quæ velo teguntur, et cætera, si omnia cum uncta fuerint erunt sancta sanctorum, diligentius requirendum : hæc tamen notanda credidimus. Ubi etiam meminerimus, quod sicut de illo altari sacrificiorum, quod post unctionem appellari voluit sanctum sancti, continuo dictum est, *Omnis qui tangit illud, sanctificabitur :* ita de omnibus postea, quæ de illo unguento uncta, dicta sunt sancta sanctorum, eadem sententia subsecuta est, ut diceretur, *Omnis qui tangit ea, sanctificabitur.* Quod duobus modis intelligi potest; sive tangendo sanctificabitur, sive sanctificabitur ut ei liceat tangere : si tamen non licebat tangere populo tabernaculum, quando afferebant hostias, vel quæcumque ab eis allata offerebantur Deo. Nam consequenter non solis sacerdotibus neque solis Levitis dicendum admonet, quod ait ad Moysen, *Et filiis Israel loqueris dicens :* utique filii Israel totus ille populus erat; jubet autem illis dici, *Oleum linitio unctionis, sanctum erit hoc vobis in progenies vestras : super carnem hominis non linietur, et secundum compositionem hanc non facietis vobis ipsis similiter. Sanctum est, et sanctificatio erit vobis. Quicumque fecerit similiter, et quicumque dabit de ea exteræ*

est quam propitius sit peccatis eorum. Nos hic sequimur. Rat et Mss.

[1] Editi, *oblationem.* Mss. aliquot, *abolitionem :* alii, *ablationem.*

[2] Mss. plerique omittunt, *quam.* Nonnulli habent sic, *dici potuisset per unctionem.*

(*a*) Id est vectibus, uti ex Vulgata versione intelligitur.

nationi, interibit de populo suo. Jubet igitur non solis sacerdotibus, sed universo populo Israel, ut non faciant tale unguentum in usus humanos. Hoc est enim quod ait, *super carnem hominis non linietur.* Prohibet ergo simile fieri in usus suos, et interitum minatur si quisquam similiter fecerit, id est, unguentum ad usus suos simile confecerit, vel cuiquam hinc dederit exteræ nationi. Ac per hoc quod ait, *Sanctificatio erit vobis*, cum hoc populo Israel universo dici jubeat, non video quid intelligam, nisi quia licebat eis, quando veniebat cum suis quisque muneribus, tangere tabernaculum; et tangendo sanctificeabantur propter illud oleum, quo cuncta peruncta sunt; et hinc dictum, *Omnis qui tangit sanctificabitur* : non tamen sic quemadmodum sacerdotes, qui etiam ut sacerdotio fungerentur, ungebantur ex illo.

CXXXVI. [Ib. XXX, 34.] Quod præcepit quibus aromatibus fiat thymiama, id est incensum, et dicit unguentario more coctum opus unguentarii : non ideo putare debemus unguentum fieri, id est unde aliquid ungatur, sed ut dictum est thymiama, vel incensum quod imponatur illi altari incensi, ubi non licebat sacrificari, et erat intus in sancto sanctorum [1].

CXXXVII. [Ib. XXX, 36.] *Et concides de illis minutum, et pones contra testimonia in tabernaculo testimonii, unde innotescam tibi inde. Sanctum sanctorum erit vobis incensum.* Ecce iterum hoc incensum, quia intus ponebatur in altari incensi quod intus erat, sanctum sanctorum dicitur : et tabernaculum testimonii proprie dicitur illud ipsum interius ubi arca erat, adhibita sane differentia cum ait, *Unde innotescam tibi inde.* Sic enim dixerat primum de propitiatorio, quod utique intus est, id est, intra velum super arcam.

CXXXVIII. [Ib. XXXI, 2-5.] Quid est quod Beseleel cum juberet adhiberi operibus tabernaculi faciendis, dixit eum se *replevisse spiritu divino sapientiæ, et intellectus, et scientiæ in omni opere, excogitare, et architectonari*, etc.? Utrum Spiritus sancti muneri etiam ista opera tribuenda sunt, quæ pertinere ad opificium videntur? an et hoc significative dictum est, ut ea pertineant ad divinum spiritum sapientiæ, et intellectus, et scientiæ, quæ his rebus significantur? Tamen etiam hic cum spiritu repletus dicatur iste divino sapientiæ, et intellectus, et scientiæ, nondum legitur Spiritus sanctus.

CXXXIX. [Ib. XXXI, 13.] Quid sibi vult, quod cum de sabbato observando præciperet, ait, *Testamentum æternum in me et filiis Israel;* non ait, inter me et filios Israel? An quia sabbatum requiem significat, et requies nobis non est nisi in illo? Nam profecto filios Israel universum populum suum dicit, id est, semen Abraham : et est Israel secundum carnem, et secundum spiritum. Nam si Israel non esset dicendus, nisi ex genere carnis, non diceret Apostolus, *Videte Israel secundum carnem* (I *Cor.* X, 18) : ubi profecto significat esse Israel secundum spiritum qui in abscondito Judæus est et circumcisione cordis (*Rom.* II, 29.) Sic ergo melius fortasse distinguitur, *Testamentum æternum in me;* ut deinde alius sensus sit, *et filiis Israel signum est æternum*, id est, æternæ rei signum : quo modo petra erat Christus, quia petra significabat Christum (I *Cor.* X, 4). Non ergo ita jungendum est, *Testamentum æternum in me et filiis Israel*, tanquam in Deo et filiis Israel sit hoc testamentum; sed *Testamentum æternum in me*, quia in illo promissa est requies æterna; *et filiis Israel signum est æternum*, quia filii Israel acceperunt observandum signum, quo requies significatur æterna veris Israelitis, hoc est filiis promissionis et visuris Deum facie ad faciem sicuti est.

CXL. [Ib. XXXI, 18.] *Et dedit Moysi statim ut cessavit loqui ad eum, in monte Sina, duas tabulas testimonii, tabulas lapideas* [1] *scriptas digito Dei.* Cum tam multa locutus sit Deus, duæ tantum tabulæ dantur Moysi lapideæ, quæ dicuntur tabulæ testimonii futuræ in arca. Nimirum omnia cætera quæ præcepit Deus ex illis decem præceptis, quæ duabus tabulis conscripta sunt, pendere intelliguntur, si diligenter quærantur et bene intelligantur : quomodo hæc ipsa rursus decem præcepta ex duobus illis, dilectione scilicet Dei et proximi, in quibus tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 37-40).

CXLI. [Ib. XXXII, 2.] Quod jubet Aaron inaures *demi ab auribus uxorum atque filiarum*, unde illis faceret deos, non absurde intelligitur difficilia præcipere voluisse, ut hoc modo eos ab illa intentione revocaret : factum tamen illud ipsum difficile ut esset aurum ad faciendum idolum, propter eos notandum putavi, qui contristantur, si quid tale propter vitam æternam divinitus fieri, vel æquo animo tolerari jubeatur.

CXLII. [Ib. XXXII, 8.] Dominus indicans Moysi quid fecerit de vitulo populus, hoc est de idolo quod ex auro suo fecerant, dicit eos dixisse, *Hi dii tui Israel qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Quod eos dixisse non legitur, sed animum eorum hunc fuisse Deus ostendit. Horum quippe verborum gerebant in corde sententiam, quæ Deum latere non poterat.

CXLIII. [Ib. XXXII, 14.] *Et propitiatus est Dominus de malitia quam dixit facere populo suo.* Malitiam hic pœnam intelligi voluit, sicuti est, *Æstimata est malitia exitus illorum* (*Sap.* III, 2). Secundum hanc dicitur bonum et malum a Deo (*Eccli.* XI, 14), non secundum malitiam qua homines mali sunt. Malus enim Deus non est; sed malis ingerit mala, quia justus est.

CXLIV. [Ib. XXXII, 19.] Iratus quidem Moyses videtur tabulas testimonii digito Dei scriptas collisisse atque fregisse; magno tamen mysterio figurata est iteratio Testamenti, quoniam Vetus fuerat abolendum, et constituendum Novum. Notandum sane quanta pro populo ad Deum supplicatione laboraverit, qui tam severus in eos vindicando exstitit. Quod autem in ignem missum vitulum fusilem contrivit, et in aquam sparsit, quam populo potum dedit, quid nobis videatur

[1] Sic melioris notæ Mss. At editi, *erat intra sancta sanctorum.*

[1] Legendum ut Mss. et castigatiores editi habent, *tabulas testimonii, tabulas lapideas.* [*Testimonii, lapideas.*]

significare, jam alibi scripsimus in opere contra Faustum Manichæum (*Lib.* 22, *cap.* 93).

CXLV. [Ib. xxxii, 24.] *Et dederunt mihi, et misi in ignem, et exiit vitulus hic.* Compendio locutus est, non dicens quod ipse formaverit, ut exiret vitulus fusilis? an excusationis causa timendo mentitus est, tanquam ipse in ignem periturum aurum projecerit, atque ipso non id agente forma vituli exierit? Quod ideo non est credendum hoc eum animo dixisse, quia nec latere Moysen posset quid esset in viro [1], cum quo Deus loquebatur, et fratrem de mendacio non redarguit.

CXLVI. [Ib. xxxii, 25.] *Et cum vidisset Moyses populum, quia dissipatus est, dissipavit enim eos Aaron, ut in gaudium venirent adversariis suis.* Notandum est quemadmodum illud totum mali quod populus fecit, ipsi Aaron tribuatur, quod eis consenserit ad faciendum quod male petierant. Magis enim dictum est, *dissipavit eos Aaron*, quoniam cessit eis, quam dissipaverunt se ipsi qui tantùm malum flagitaverunt.

CXLVII. [Ib. xxxii, 31, 32.] Cum Moyses dicit ad Deum, *Precor, peccavit populus iste peccatum magnum, et fecerunt sibi deos aureos, et nunc siquidem remittis illis peccatum illorum, remitte; sin autem, dele me de libro tuo quem scripsisti :* securus quidem hoc dixit, ut a consequentibus ratiocinatio concludatur; id est, ut quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret. Verumtamen advertendum est quantum malum in illo peccato perspexerit Moyses, quod tanta cæde crediderit expiandum, qui eos sic diligebat, ut pro eis illa verba Deo funderet.

CXLVIII. [Ib. xxxii, 35.] Merito quæritur, cum superius populum dissipasse dictus sit Aaron, cur in ipsum vindicta nulla processerit, neque cum Moyses interfici jussit omnem qui Levitis euntibus ad portam et redeuntibus occurrisset armatis, neque cum postea factum est quod Scriptura dicit, *Et percussit Dominus populum propter facturam vituli, quem fecit Aaron :* maxime quia et hic hoc idem repetendo inculcatum est. Non enim dictum est, *Et percussit Dominus populum propter facturam vituli*, quem fecerunt, sed, *quem fecit Aaron :* et tamen non est percussus Aaron; quin etiam illud quod de sacerdotio ejus ante peccatum ejus Deus præcipiebat, impletum est. Sed jussit et ipsum et filios ablui; et sic ordinati sunt in sacerdotio. Ita novit ille cui parcat usque ad commutationem in melius; et cui parcat ad tempus, quamvis eum præscierit in melius non mutari; et cui non parcat ut mutetur in melius, et cui non parcat, ita ut nec mutationem [2] ejus exspectet : et totum hoc ad id redit, quod Apostolus dicit exclamans, *Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* xi, 33).

CXLIX. [Ib. xxxiii, 1.] *Vade ascende hinc, tu et populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti.* Deus iratus dicere videtur, *tu et populus tuus, quem eduxisti;* alioquin dixisset, tu et populus meus, quem eduxi de terra Ægypti : sed illi quando idolum poposcerunt, ita locuti sunt, *Moyses enim hic homo qui eduxit nos de terra Ægypti, non scimus quid factum sit ei;* liberationem suam in homine constituendo defecerant. Hoc eis modo replicatur cum dicitur, *tu et populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti :* quod illis est crimini, non Moysi. Non enim aliud volebat Moyses, nisi ut non in illo, sed in Domino spem ponerent, et Domini misericordia se cum gratiarum actione crederent ab illa servitute liberatos : cujus tamen apud Deum tanquam fidelissimi famuli tantum erat meritum per illius gratiam, ut ei diceret Deus, *Sine me, et iratus ira conteram eos* (*Exod.* xxxii, 1, 23, 10). Quod utrum jubentis sit cum ait, *Sine me*, an quasi petentis, utrumque videtur absurdum. Nam et si jubebat Deus, inobedienter famulus non parebat; et Deum hoc a servo velut pro beneficio petere non decebat, cum præsertim posset eos etiam illo nolente conterere. Ille itaque ibi sensus in promptu est, quod his verbis significavit Deus plurimum apud se prodesse illi populo, quia sic ab illo viro diligebantur, quem sic Dominus diligebat; ut eo modo admoneremur, cum merita nostra nos gravant ne diligamur a Deo, relevari nos apud eum illorum meritis posse quos diligit. Nam cum ab Omnipotente dicitur homini, *Sine me, et conteram eos*, quid aliud dicitur quam, Contererem eos, nisi diligerentur abs te? Ita ergo dictum est, *Sine me*, ac si diceretur, Noli eos diligere, *et conteram eos;* quia ne id faciam dilectio tua in illos intercedit mihi. Obtemperandum autem esset Domino dicenti, Noli eos diligere, si hoc jubendo dixisset, et non potius admonendo et exprimendo quid illum ab eorum supplicio revocaret : nec tamen etiam illo intercedente sine flagello disciplinæ populum dereliquit. Nescio quo enim modo, ut sic eos diligeret ipse Moyses, Deus illos occultius diligebat, qui manifeste voce terrebat.

CL. [Ib. xxxiii, 1-3.] Ubi dicit Deus ad Moysen, *Vade, ascende hinc, tu et populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham, Isaac, et Jacob, dicens, Semini vestro dabo eam;* continuo tanquam ad ipsum Moysen adhuc loquatur, occulta conversione, quæ græce ἀποστροφή dicitur, jam ad ipsum populum loquitur dicens : *Et simul mittam angelum meum ante te, et ejiciet Chananæum, et Amorrhæum, et Chettæum, et Pheresæum, et Gergesæum, et Evæum, et Jebusæum; et introducet te in terram fluentem lac et mel. Non enim ascendam tecum, quia populus dura cervice es, ut non deleam te in via.* Magna sacramenti et mira profunditas, tanquam misericordiam majorem posset angelus habere quam Deus, qui populo duræ cervicis parceret; cui Deus, si cum illis esset, ipse non parceret : et tamen etiam per angelum suum, se quodammodo ab eis absente, qui nusquam esse absens potest, implere se dicit quod patribus eorum juravit; tanquam et hic ostendens hoc se ideo facere, quia illis patribus justis promisit, non quod isti digni essent. Quid ergo significat, nisi forte ideo se non esse cum eis, quia dura cervice sunt; quia non eum propitium et salubrem, nisi humilitas et

[1] Mss., *in vero.*
[2] Sic Mss. At editi omissa negatione habent, *ut vitæ mutationem*, etc.

pietas capit? Esse autem Deum cum duræ cervicis hominibus, nihil est aliud quam vindicando adesse atque puniendo : unde cum eo modo malis non adest, parcendo facit; quo pertinet illud quod dicitur, *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* L, 11) : quia si advertit, evertit [1]. Sicut enim fluit cera a facie ignis, sic pereunt peccatores a facie Dei (*Psal.* LXVII, 3).

CLI. [Ib. XXXIII, 12, 13.] *Et dixit Moyses ad Dominum, Ecce tu mihi dicis : Deduc populum hunc. Tu autem non demonstrasti mihi quem simul mittas mecum. Tu autem dixisti mihi, Scio te præ omnibus, et gratiam habes apud me. Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum, manifeste ut videam te, ut sim inveniens gratiam ante te, et ut sciam quia populus tuus est gens hæc.* Quod habet græcus γνωστῶς, hoc quidam latini interpretati sunt, *manifeste*, cum Scriptura non dixerit φανερῶς. Potuit ergo fortasse aptius dici, *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum, scienter ut videam te :* quibus verbis satis ostendit Moyses, quod non ita videbat Deum in illa tanta familiaritate conspectus, ut desiderabat videre; quoniam illæ omnes visiones Dei, quæ mortalium præbebantur aspectibus, et ex quibus fiebat sonus, quo mortalis attingeretur auditus, sic exhibebantur, assumpta sicut Deus volebat, specie qua volebat, ut non in eis ipsa ullo sensu corporis sentiretur divina natura, quæ invisibilis ubique tota est, et nullo continetur loco. Et quia in duobus præceptis, hoc est dilectionis Dei et proximi, tota Lex pendet (*Matth.* XXII, 37-40), ideo Moyses in utroque suum desiderium demonstrabat : in dilectione scilicet Dei, ubi ait, *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum, manifeste ut videam te, ut sim inveniens gratiam in conspectu tuo ;* in dilectione autem proximi, ubi ait, *Et ut sciam quia populus tuus est gens hæc.*

CLII. [Ib. XXXIII, 17.] Quid est quod dicit Deus ad Moysen, *Quoniam scio te præ omnibus?* numquid Deus plus aliqua scit, et aliqua minus? An secundum quod dicitur quibusdam in Evangelio, *Non novi vos* (*Id.* XXV, 12)? Secundum hanc enim scientiam, qua Deus dicitur scire quæ illi placent, nescire quæ displicent, non quia ignorat ea, sed quia non approbat, sicut ars recte dicitur nescire vitia, cum improbat vitia; præ omnibus Deus Moysen sciebat, quia Deo præ omnibus Moyses placebat.

CLIII. [Ib. XXXIII, 12, 17.] Notandum estne, quod prius ipse Moyses dixerat Deo, *Dixisti mihi, Scio te præ omnibus ;* quod illi Deus posteaquam hoc ipse Deo dixit, legitur dixisse, ante autem non legitur : ut intelligamus non omnia esse scripta quæ cum illo Deus locutus est? Sed diligentius requirendum est in prioribus Scripturæ partibus, an vere ita sit [2].

CLIV. [Ib. XXXIII, 14-23.] Cum dixisset Moyses ad Dominum, *Ostende mihi gloriam tuam ;* respondit ei Dominus, *Ego transibo ante te gloria mea* [1] *: et vocabo nomine Domini in conspectu tuo ; et miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero :* cum paulo ante dixisset, *Ipse antecedam te, et requiem tibi dabo ;* quod Moyses sic videtur accepisse, *Antecedam te*, tanquam non ei populo qui præsens in itinere futurus esset : et ideo ait, *Si non tu ipse simul veneris nobiscum, ne me educas hinc*, etc. Deus autem neque ei hoc negavit dicens, *Et hoc tibi verbum quod dixisti faciam.* Quomodo ergo cum dixisset ei Moyses, *Ostende mihi gloriam tuam*, rursus, tanquam præcessurus et non cum eis simul futurus, videtur dicere, *Ego transibo ante te*, nisi quia hoc aliud est? Ille quippe intelligitur loqui et dicere, *Transibo ante te*, de quo dicit Evangelium, *Cum venisset hora ut transiret Jesus de hoc mundo ad Patrem* (*Joan.* XIII, 1) : qui transitus etiam Pascha interpretari perhibetur. Hæc itaque magna omnino prophetia est. Ipse enim ante omnes sanctos transit ad Patrem de hoc sæculo, parare illis mansiones regni cœlorum, quas dabit eis in resurrectione mortuorum; quoniam transiturus ante omnes primogenitus a mortuis factus est (*Coloss.* I, 18).

Gratiam vero suam in eo ipso valde commendat cum dicit, *Et vocabo nomine Domini in conspectu tuo :* tanquam in conspectu populi Israel, cujus Moyses cum hæc audiret typum gerebat. In conspectu enim gentis ipsius ubique dispersæ vocatur Dominus Christus in omnibus gentibus. *Vocabo* autem dixit, non Vocabor, activum verbum pro passivo ponens, genere locutionis inusitato; in quo nimirum magnus sensus latet. Sic enim fortasse significare voluit seipsum hoc facere, id est gratia sua fieri, ut vocetur Dominus in omnibus gentibus.

Quod vero addidit, *Et miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero ;* ibi plane expressius ostendit vocationem qua nos vocavit in suum regnum et gloriam : non pro meritis nostris, sed pro misericordia sua. Quoniam enim se gentes introducturum pollicebatur, dicens, *Vocabo nomine Domini in conspectu tuo ;* commendavit hoc se misericorditer facere, sicut Apostolus dicit : *Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum; Gentes autem super misericordia glorificare Deum* (*Rom.* XV, 8, 9). Hoc ergo prædictum est, *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero.* Quibus verbis prohibuit hominem velut de propriarum virtutum meritis gloriari, ut qui gloriatur in Domino glorietur (II *Cor.* X, 17). Non enim ait, *Miserebor* talibus vel talibus, sed, *cui misericors fuero ;* ut neminem præcedentibus bonis operibus suis misericordiam tantæ vocationis meruisse

[1] Editiones Rat. Am. et Er., *quia nisi avertit, advertit.* Lov. et septem Mss., *quia nisi avertit, evertit.* Sed prætulimus lectionem Mss. optimæ notæ Corbeiensis, Michaelini, etc.

[2] Hæc ibi annotant edit. Er. Lugd. Ven. et Lov. : *Notandum est quod prius ipse Moyses dixerat Deo, Dixisti mihi, Scio te præ omnibus : quod illi Deus posteaquam hoc ipse dixit legitur dixisse, ante autem non legitur, ut intelligamus non omnia esse scripta quæ cum illo Deus locutus est : sed diligentius inquirendum est in prioribus Scripturæ partibus, an vero ita sit.* M.

[1] Editi, *ante te in gloria mea.* Abest *in* a Mss. et a LXX.

demonstret. Etenim Christus pro impiis mortuus est (*Rom.* v, 6).

Sed utrum hoc idem repetere voluerit, cum addidit, *Misericordiam præstabo cui misericordiam præstitero*, vel sicut alii interpretati sunt, *cui misericors fuero;* an aliquid intersit, nescio. Quod enim græca lingua duobus verbis dictum est, ἐλεήσω, et οἰκτειρήσω, quod unum atque idem videtur significare, non potuit latinus diversis verbis dicere, et diversis modis eamdem misericordiam repetivit. Si autem diceretur, Miserebor cui misereor, et miserebor cui misertus ero; non satis commode dici videretur. Et tamen fortius ille ipse ibi sensus est, quod aut ipsius misericordiæ suæ firmitatem Deus ista repetitione monstravit: sicut Amen, Amen; sicut Fiat, Fiat; sicut repetitio somnii Pharaonis, pluraque similia. Aut in utrisque populis, id est Gentibus et Hebræis, hoc modo Deus prænuntiavit misericordiam se esse facturum. Quod Apostolus ita dicit: *Sicut enim vos aliquando non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis illorum incredulitate; sic et ipsi nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnes in incredulitate, ut omnium misereatur* (*Id.* xi, 30-32).

Deinde post hanc suæ misericordiæ commendationem respondet ad illud quod ei dictum fuerat, *Ostende mihi gloriam tuam*, vel quod supra petiverat Moyses, dicens, *Ostende mihi temetipsum manifeste ut videam te. Non poteris*, inquit, *videre faciem meam. Non enim videbit homo faciem meam, et vivet:* ostendens huic vitæ, quæ agitur in sensibus mortalibus corruptibilis carnis, Deum sicuti est apparere non posse; id est, sicuti est videri in illa vita potest, ubi ut vivatur, huic vitæ moriendum est.

Item interposito articulo dicente Scriptura, *Et ait Dominus*, sequitur et loquitur, *Ecce locus penes me.* Quis enim locus non penes Deum est, qui nusquam est absens? Sed Ecclesiam significat dicendo, *Ecce locus penes me*, tanquam templum suum commendans, *Et stabis*, inquit, *super petram* (quia *super hanc petram*, ait Dominus, *ædificabo Ecclesiam meam* [*Matth.* xvi, 18]), *statim ut transiet gloria mea:* id est, Statim ut transiet gloria mea, stabis supra petram; quia post transitum Christi, id est post passionem et resurrectionem Christi stetit populus fidelis supra petram. *Et ponam te*, inquit, *in caverna petræ:* munimen firmissimum significat. Alii autem interpretati sunt, *in specula* [1] *petræ*; sed græcus habet ὀπήν: hoc autem foramen vel cavernam rectius interpretamur.

Et tegam manu mea super te [2], *donec transeam: et auferam manum, et tunc videbis posteriora mea; facies autem mea non videbitur tibi.* Cum jam dixisset, *Stabis super petram, statim ut transiet gloria mea*, ubi intelligitur post transitum suum promisisse super petram stabilitatem; quomodo accipiendum est quod ait, *Ponam te in caverna petræ, et tegam manu mea super te, donec transeam: et auferam manum, et tunc videbis posteriora mea:* quasi jam illo in petra constituto, tegat manu sua super eum, et deinde transeat; cum esse in petra non possit, nisi post ejus transitum? Sed recapitulatio intelligenda est rei prætermissæ, quali solet uti Scriptura in multis locis. Postea quippe dixit quod ordine temporis prius est. Qui ordo ita se habet: *Tegam manu mea super te, donec transeam, et tunc videbis posteriora mea; nam facies mea non videbitur tibi: et stabis super petram statim ut transiet gloria mea, et ponam te in caverna petræ.* Hoc enim factum est in eis quos tunc significabat persona Moysi, id est Israelitis, qui in Dominum Jesum, sicut Actus Apostolorum indicant, postea crediderunt, id est, statim ut transiit ejus gloria. Non posteaquam resurrexit a mortuis, et ascendit in cœlum, misso desuper Spiritu sancto, cum linguis omnium gentium Apostoli loquerentur, compuncti sunt corde multi ex eis qui crucifixerant Christum: quem ut non cognovissent, et Dominum [1] gloriæ crucifixissent, cæcitas ex parte in Israel facta est (*Rom.* xi, 25), sicut dictum fuerat, *Tegam manu mea super te, donec transeam.* Unde Psalmus dicit, *Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua:* diem appellans, quando Christus divina miracula faciebat; noctem, quando sicut homo moriebatur, quando et illi titubaverunt qui in die crediderant. Hoc est ergo, *Cum transiero, tunc videbis posteriora mea*, Cum transiero de hoc mundo ad Patrem, posterius in me credituri sunt quorum typum geris. Tunc enim compuncti corde dixerunt: *Quid faciemus?* Et jussi sunt ab Apostolis agere pœnitentiam, et baptizari in nomine Jesu Christi, ut dimitterentur illis peccata eorum (*Act.* ii, 37, 38). Quod in psalmo illo sequitur, cum dictum esset, *Die ac nocte gravata est super me manus tua;* id est, ut non cognoscerem [2] (Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent [I *Cor.* ii, 8]): sequitur et jungit, *Conversus sum in ærumna mea, dum configeretur spina;* id est, cum essem corde compunctus. Deinde addidit, *Peccatum meum cognovi, et facinus meum non operui:* posteaquam viderunt quanto scelere Christum crucifixerint. Et quia receperunt consilium ut agerent pœnitentiam, et in Baptismo remissionem acciperent peccatorum; *Dixi*, inquit, *pronuntiabo adversum me delictum meum Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei* (*Psal.* xxxi, 4, 5).

Hanc autem prophetiam potius fuisse, quam locutus est Dominus ad Moysen satis res ipsa indicat; quandoquidem de petra vel caverna ejus, et de manus ejus superpositione, de visione posteriorum ejus, nihil postea visibili opere subsecutum legitur. Mox enim adjungit interposito articulo Scriptura, *Et dixit Dominus ad Moysen*; cum ipse Dominus utique etiam illa quæ supra dicta sunt loqueretur, atque inde con-

[1] Editi, *spelunca*. At Mss. Vatic. et Gallic. cum Eugypio in duobus Mss., *specula*.

[2] Editi, *Et tegam manum meam super te*. At Mss., juxta græcum, *manu mea*.

[1] Am. Er. et Lov., *quem si cognovissent, nunquam Dominum*, etc. Rat. et quatuor Mss., *quem non ut cognovissent et Dominum*, etc. Alii Mss., *quem ut non cognovissent et Dominum*, etc

[2] Am. Er. et Lov. omittunt particulam negativam, quam huc revocavimus ex Mss. et editione Ratisponensi.

texit quid deinceps Dominus dicat, *Excide tibi duas tabulas lapideas, sicut et primas*, etc.

CLV. [Ib. XXXIV, 7.] Quid est quod dictum est de Domino, *Et reum non purificabit;* nisi, non eum dicet innocentem ?

CLVI. [Ib. XXXIV, 10.] Deus in monte duas rursus lapideas tabulas conscripturo dicit Moysi inter cætera, *Coram omni populo tuo faciam gloriosa*. Nondum dignatur dicere, Coram omni populo meo. An ita dixit, *populo tuo*, quomodo cuilibet homini ejusdem populi diceretur, id est, Ex quo populo es : quomodo, Civitati tuæ dicimus, non cui dominaris, vel quam constituisti, sed unde civis es? Sic enim et paulo post dicit, *Omnis populus, in quibus es :* alio modo quid dictum est, nisi, populus tuus? Quod autem non dixit, In quo es, consuetudo locutionis est.

CLVII. [Ib. XXXIV, 12.] Quid est quod dicitur ad Moysen, *Attende tibi, nequando ponat* [1] *testamentum his qui sedent super terram*. Non enim habet græcus, nequando ponas ; sed, *ne quando ponat*. An forte de populo ei dicere voluit, cujus ipse ductor fuit? Sed non ipse introduxit populum in eam terram, ubi prohibet poni testamentum cum eis qui in illa habitabant. Mirum itaque locutionis genus est, et adhuc inexpertum vel non animadversum : si tamen locutio est, ac non sensus aliquis.

CLVIII. [Ib. XXXIV, 13, 15.] Cum præciperet Deus ad Moysen loquens, ut data terra in potestate, omnis idololatria everteretur, nec adorarentur dii alieni, ait, *Dominus enim Deus, zelans nomen, Deus zelator est :* id est, ipsum nomen quod Dominus Deus dicitur, zelans est, quia Deus zelator est. Quod non humanæ perturbationis vitio facit Deus, semper atque omni modo incommutabilis atque tranquillus ; sed hoc verbo indicat, non impune plebem suam per alienos deos fornicaturam. Ductum est enim verbum tropo metaphora a zelo maritali, quod castitatem custodit uxoris. Quod nobis prodest, non Deo. Quis enim tali genere fornicationis Deo nocuerit? sed sibi plurimum, ut pereat. Quod Deus prohibet terrore gravissimo, zelantem se appellans : cui dicitur in Psalmo, *Perdidisti omnem qui fornicatur abs te ; mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 27, 28). Denique sequitur : *Ne forte ponas testamentum his qui sedent super terram, et fornicentur post deos eorum.*

CLIX. [Ib. XXXIV, 20.] Quod ait, *Non videberis in conspectu meo inanis ;* sicut indicant circumstantia de quibus loquitur, *in conspectu suo :* dixit Deus in tabernaculo suo : hoc est autem, *Non ibi videberis inanis*, nunquam intrabis sine aliquo munere. Quod spiritualiter intellectum, magnum sacramentum est. Verum hæc dicebantur de umbris significationum.

CLX. [Ib. XXXIV, 21.] Cum de sabbato præcepisset, quid est quod adduxit, *Satione et* [2] *messe requiesces ?* Videtur enim dicere, Tempore sationis et messis. An forte ita observandam requiem sabbati præcepit, ut nec illa tempora habeant excusationem, quæ agricolis valde sunt necessaria propter victum atque vitam ? Jussum est ergo ut etiam tempore sationis et messis, quando multum urget operatio, requiescatur in sabbato : ac sic per hæc tempora, quæ opus plurimum flagitant, significatum est, omni tempore sabbato debere cessari.

CLXI. [Ib. XXXIV, 24.] Quod dicit, *Non concupiscet quisquam de terra tua, cum ascendes videri in conspectu Dei tui, tria tempora anni* [1], hoc vult intelligi, ut securus quisque ascenderet, nec de terra sua sollicitus esset, Deo promittente custodiam, quod nemo inde aliquid concupisceret, propter illum qui ascendit, ne suam inde timeret absentiam. Et hic satis ostendit quid supra dixerit, *Non apparebis in conspectu Domini Dei tui inanis*, quia in illo loco dixit ubi tabernaculum vel templum Deus fuerat habiturus.

CLXII. [Ib. XXXIV, 25.] Quid est quod ait, *Non occides super fermentum sanguinem immolatorum meorum?* An illa hoc loco dicit immolata sua, quæ per Pascha occiduntur, et præcipit ne tunc sit in domo fermentum, quoniam dies sunt azymorum ?

CLXIII. [Ib. XXXIV, 25.] Quid est quod ait, *Et non dormiet in mane immolatio solemnitatis Paschæ ;* nisi quod superius aperte præcepit, ne aliquid ex pecore quod immolatur, carnium relinquatur in mane? Sed locutio fecit obscuritatem : *Dormiet* enim dixit, pro Manebit.

CLXIV. [Ib. XXXIV, 26.] *Non coques agnum in lacte matris suæ.* Ecce dixit iterum quod quemadmodum intelligi possit ignoro. Magna tamen est de Christo prophetia, etiam si fieri ad litteram possit ; quanto magis si non potest? In sermonibus enim Dei non sunt ad proprietatem operum omnia revocanda, sicut nec illud de petra, et caverna ejus, et manus superpositione (*Exod.* XXXIII, 22). Sed plane de fide narratoris hoc exigendum est, ut quæ dicit facta esse, vere facta sint, et quæ dicit dicta esse, vere dicta sint. Quod exigitur etiam a narratoribus Evangelii : cum enim Christum narrent quædam dixisse quæ in parabolis dixit ; tamen hæc eum dixisse non parabola, sed historica narratio est.

CLXV. [Ib. XXXIV, 28.] *Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus et quadraginta noctibus ; panem non manducavit, et aquam non bibit.* Quod et ante dixerat, quando tabulas accepit, quas fregit, hoc etiam modo repetit ; non recapitulando quod factum est, sed iterum factum esse commendans. Repetitio quippe Legis jam quid significet diximus. Quod autem ait, *Panem non manducavit, et aquam non bibit*, intelligitur jejunavit, a parte totum ; id est, nomine panis omnem cibum, et nomine aquæ omnem potum significante Scriptura.

CLXVI. [Ib. XXXIV, 28, 27, 1.] *Et scripsit in tabulis verba* [2] *Testamenti, decem verba.* De Moyse dictum est quod ipse scripserit, cui etiam Deus paulo ante di-

[1] Editi, *ponas*. Mss. omnes, *ponat :* uti etiam habent codices plerique in Locut. lib. 2, loc. 135. Porro in græco LXX, libri alii *thês*, alii teste Nobilio ferunt, *thê*.

[2] In editis, *De satione*. Abest *de* a nostris Mss., quorum unus aut alter pro *requiesces*, habet *requies*, sicuti LXX.

[1] Sic Mss. et græc. LXX. At editi, *per tria tempora anni*.

[2] In editis omittitur hic, *verba*. Habetur in Mss. et apud LXX.

xerat, *Scribe tibi verba hæc*. Cum vero primum Legem accepit, cujus tabulas abjecit et fregit, nec ipse excidisse dictus est tabulas lapideas, et modo dictum est, *Excide tibi duas tabulas lapideas ;* nec ei dictum est ut scriberet, sicut ei modo dicitur ; nec eas ipse scripsisse narratur, sicut modo narrat Scriptura, et dicit, *Scripsit in tabulis verba Testamenti, decem verba :* sed tunc dictum est, *Et dedit Moysi, statim ut cessavit loqui ad eum in monte Sina, duas tabulas testimonii, tabulas lapideas scriptas digito Dei* (*Exod.* XXXI, 18) ; deinde paulo post, *Et conversus*, inquit, *Moyses descendit de monte, et duæ tabulæ testimonii in manibus ejus, tabulæ lapideæ scriptæ ex utraque parte earum, hinc atque hinc erant scriptæ, et tabulæ opus Dei erant, et scriptura scriptura Dei insculpta in tabulis* (*Id.* XXXII, 15, 16). Proinde magna oritur quæstio, quomodo illæ tabulæ, quas erat Moyses Deo utique præsciente fracturus, non hominis opus esse dicantur, sed Dei ; nec ab homine scriptæ, sed scriptæ digito Dei : posteriores vero tabulæ tamdiu mansuræ, ac in tabernaculo ac templo Dei futuræ, jubente quidem Deo, tamen ab homine excisæ sint, ab homine scriptæ. An forte in illis prioribus gratia Dei significabatur, non hominis opus, qua gratia indigni facti sunt revertentes corde in Ægyptum, et facientes idolum ; unde illo beneficio privati sunt, et propterea Moyses tabulas fregit : istis vero tabulis posterioribus significati sunt qui de suis operibus gloriantur ; unde dicit Apostolus, *Ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 3) ; et ideo tabulæ humano opere exsculptæ, et humano opere conscriptæ datæ sunt, quæ cum ipsis manerent, ad eos significandos de suis operibus gloriaturos, non de digito Dei, hoc est de Spiritu Dei ?

Certe ergo repetitio Legis Novum Testamentum significat ; illud autem Vetus significabat, unde confractum et abolitum est : maxime quoniam cum secundo Lex datur, nullo terrore datur, sicut illa in tanto strepitu ignium, nubium et tubarum ; unde tremefactus populus dixit, *Non loquatur Deus ad nos, ne moriamur* (*Exod.* XX, 19) : unde significatur timor esse in Vetere Testamento, in Novo dilectio. Quomodo igitur hæc solvitur quæstio, quare illæ opus Dei, istæ opus hominis ; et illæ conscriptæ digito Dei, istæ scriptæ ab homine ? An forte ideo magis in illis prioribus Vetus significatum est Testamentum, quia Deus ibi præcepit, sed homo non fecit ? Lex enim posita est in Vetere Testamento, quæ convinceret transgressores, quæ subintravit ut abundaret delictum (*Rom.* V, 20). Non enim implebatur timore, quæ non impletur nisi charitate. Et ideo dicitur opus Dei, quia Deus Legem constituit, Deus conscripsit : nullum opus hominis, quia homo Deo non obtemperavit, et eum potius reum Lex fecit. In secundis autem tabulis homo per adjutorium Dei tabulas facit, atque conscribit ; quia Novi Testamenti charitas Legem facit. Unde dicit Dominus, *Non veni Legem solvere, sed implere* (*Matth.* V, 17) : dicit autem Apostolus, *Plenitudo Legis charitas* (*Rom.* XIII, 10) ; et, *Fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* V, 6). Factum est itaque homini facile in Novo Testamento, quod in Vetere difficile fuit, habenti fidem quæ per dilectionem operatur ; atque illo digito Dei, hoc est, Spiritu Dei intus eam in corde scribente, non foris in lapide. Unde dicit Apostolus, *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (II *Cor.* III, 3) ; *quoniam charitas Dei*, qua veraciter impletur præceptum, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Hoc est ergo primo data Lex (ubi significatur Vetus Testamentum, quod est opus tantummodo Dei, et conscriptio digiti Dei), quod Apostolus dicit, *Itaque Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.* Lex ergo sancta et bona, Dei opus est : ubi homo nihil agit, quia non obtemperat ; sed reatu potius premitur, Lege minante atque damnante. *Peccatum* enim inquit, *ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem* (*Id.* VII, 12, 13). Beatus autem homo est, cum hoc mandatum sanctum, et justum, et bonum, est etiam opus ejus [1], sed per gratiam Dei.

CLXVII. [Ib. XXXV, 1.] Moyses ad filios Israel, posteaquam de monte descendit, habens alias tabulas Legis, circumposito sibi velamine propter gloriam vultus ejus, quam filii Israel non poterant intueri, *Hæc*, inquit, *verba, quæ dixit Dominus facere ea :* ambigue positum est, utrum *ea facere* ipse Dominus, an illi : sed utique manifestum est quod illi ; jussit quippe ille quæ fierent. Sed forte ideo sic positum est, ut ex utroque accipiatur ; quia et Dominus facit, cum facientes adjuvat, secundum illud Apostoli, *In timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini ; Deus enim est qui operatur in vobis et velle, et operari, pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 12, 13).

CLXVIII. [Ib. XXXV, 24.] *Omnis afferens demptionem, argentum et æs attulerunt demptionem Domino :* tanquam diceret, Omnis qui attulit, attulit illud atque illud , inter cætera quæ dicebat, et argentum et æs commemorans. *Demptionem* sane interpretati sunt latini, quod græcus habet ἀφαίρεμα. Appellata est autem demptio, eo quod sibi demeret qui Domino afferret.

CLXIX. [Ib. XXXV, 29.] Narrante Moyse commemoratum est quod ei dixit Deus de Beseleel eisdem verbis ac totidem, quod eum impleverit Spiritu divino sapientiæ, et intellectus, et scientiæ ad tabernaculi opera facienda, quæ pertinent ad artes opificum [2] : unde quid nobis videretur jam diximus (*Supra, quæst.* 138). Sed ideo nunc hoc idem commemorandum putavi, quia non frustra eisdem omnino verbis repetitum est, quibus antea Moysi a Domino fuerat intimatum. Sane novo more hic ars architectonica perhibetur, opificum ex auro et argento et quocumque metallo, cum illa dici soleat architectonica, quæ pertinet ad fabricas ædificiorum.

CLXX. [Ib XXXVI, 2 *et* 3.] *Et omnes qui sponte vellent ire ad opera, ut consummarent ea, et acceperunt a*

[1] Ita Mss. Editi vero, *et bonum fecit, hoc etiam opus ejus.*
[2] Corbeiensis vetus codex : *Quæ pertinent ad artis opificum.* Forte leg. *opificium*

Moyse omnes demptiones[1]. In notitiam tantum Moyses pertulit quæ Dominus opera fieri præceperit, tabernaculum scilicet cum omnibus quæ in eo essent, et vestes sacerdotales[2]. Commemoravit autem quosdam, quibus dixit Spiritum divinitus datum, quo illa efficere possent : et tamen multi intelliguntur sponte ad eadem opera venisse quibus neque imperatum est, nec eorum nomina commemorata sunt a Domino dicta Moysi. Non ergo illi soli hoc munus divinitus habuerunt, qui nominatim commemorantur, sed fortasse præcipue atque excellentius. Laudandus est autem in his omnibus non attractus ad opus serviliter animus, sed liberaliter et sponte devotus.

CLXXI. [Ib. XXXVI, 4, *et* 5.] Notandum quod illi qui sapientes appellantur, effectores operum sancti, etiam moribus tales erant, ut cum ipsi susciperent omnia quæ populus offerebat, existimans necessaria ex quibus illa omnia complerentur, viderunt plus offerri quam erat necesse, et dixerunt Moysi; atque ille per præconem ultra populum offerre prohibuit. Poterant autem, si vellent, multa auferre, sed modestia prohibuit, vel religio terruit.

CLXXII. [Ib. XXXV, 2.] Posteaquam descendit Moyses de monte, opera commendantur tabernaculi construendi, et vestis sacerdotalis ; de quibus faciendis antequam aliquid præciperet, locutus est ad populum de sabbati observatione. Ubi non immerito movet, cum decem verba Legis acceperit in tabulis lapideis iterum, quas ipse excidit, ipse conscripsit ; quare de sabbato solo, posteaquam descendit, populum admonuit. Si enim propterea decem præcepta Legis superfluum fuit ut populus iterum audiret ; cur non fuit superfluum ut de sabbato audiret, cum et hoc in eisdem præceptis decem legatur? An et hoc simile est velamento, quo faciem obtexit, quia splendorem vultus ejus filii Israel non poterant intueri? Nam ex decem præceptis hoc solum populo præcepit, quod figurate ibi dictum est : alia quippe ibi novem sicut præcepta sunt, etiam in Novo Testamento observanda minime dubitamus. Illud autem unum de sabbato usque adeo figurata diei septimi observatione apud Israelitas velatum fuit, et in mysterio præceptum fuit, et quodam sacramento figurabatur, ut hodie a nobis non observetur, sed solum quod significabat intueamur. In illa autem requie ubi opera servilia jubentur cessare, magna est altitudo gratiæ Dei. Tunc enim fiunt cum requie opera bona, cum fides per dilectionem operatur (*Galat.* v, 6) : timor autem tormentum habet, et in tormento quæ requies ? Unde timor non est in charitate (I *Joan.* IV, 18) : charitas autem diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* v, 5). Ideo *sabbatum requies sancta Domino :* Dei scilicet gratiæ tribuenda, non nobis velut ex nobis. Alioquin nostra opera sic erunt, ut sint humana, aut peccata[3] : aut cum timore, non cum dilectione ; et ideo servilia sine requie. Plenitudo autem sabbati erit in requie sempiterna. Non enim frustra institutum est et sabbatum sabbatorum (*Levit.* XXV).

CLXXIII. [Ib. XL, 9, 10.][1] Superius quando prius locutus est Deus de tabernaculo ungendo, dixit eadem unctione sanctificari illa omnia, et fieri sancta sanctorum. Altare autem holocaustomatum eadem unctione sanctificatum, dixerat fieri sanctum sancti : et hoc interesse videbatur, quod nihil eorum dixisset sanctum sanctorum, nisi quod tantum velo separabatur a sancto, id est, ubi erat arca testamenti et altare incensi (*Exod.* XXX, 26-38). Nunc autem cum eadem repeteret, dixit de tabernaculo uncto et his quæ in illo essent, quod eadem unctione sanctificarentur, et fierent sancta : illud autem altare holocaustomatum, de quo prius dixerat quod fieret sanctum sancti, eadem unctione nunc dixit fieri sanctum sanctorum. Unde datur intelligi tantumdem valere quod dictum fuerat sanctum sancti, quantum valet quod dictum est sanctum sanctorum : ac per hoc et illa omnia uncta, id est totum tabernaculum, et quæcumque in eo essent, quæ prius appellaverat sancta sanctorum, tantumdem valere quod nunc ait sancta : nec unumquodque eorum dici tantummodo post istam unctionem sanctum sancti, verum etiam sanctum sanctorum, sicut altare holocaustomatum ; ut jam nihil intersit, quantum ad hanc appellationem attinet, inter illa quæ interius intra velum fuerant, id est ubi erat arca testimonii, et cætera foris, nisi quod illa interius ita dicebantur sancta sanctorum vel sanctum sanctorum[2], ut etiam ante unctionem sic appellarentur ; cætera vero unctione sanctificata sunt, ut hoc nomen acciperent. Quod otio discutiendum est quid ista significent.

CLXXIV. [Ib. XL, 19.] Cum Scriptura narraret quomodo Moyses constituerit tabernaculum, *Extendit*, inquit, *aulæa super tabernaculum :* non utique desuper tectum, sed cingens columnas ; quia de columnis dixerat, quod statuerit tabernaculum.

CLXXV. [Ib. XL, 29.] Cum dixit, *Et super atrium in circuitu tabernaculi et altaris*, manifestat altare holocaustomatum ad ostium tabernaculi forinsecus fuisse, ut atrio totum ambiretur, et altare esset infra atrium inter portam atrii et ostium tabernaculi.

CLXXVI. [Ib. XL, 34, 35.] Notanda est res multum mirabilis, quod nube descendente et implente tabernaculum, quæ tamen gloria Domini dicitur, non poterat Moyses intrare tabernaculum, qui in monte Sina, quando Legem primitus accepit, intravit in nubem ubi erat Deus (*Id.* XIX, 20). Procul dubio ergo aliam personam tunc figurabat, aliam nunc : et tunc eorum qui participes fiunt intimæ veritatis Dei ; nunc autem Judæorum, quibus gloria Domini, quæ in tabernaculo est, quod est gratia Christi, tanquam nubes opponitur, non eam intelligentibus, et ideo non

[1] Codices editi et Mss., *demptum æs.* Locum hunc vitiatum esse notat Nobilius, cum legi debeat, *omnes demptiones ;* secundum LXX, *panta ta aphairemata ;* et juxta Vulgatam, *universa donaria.*

[2] Melioris notæ Mss., *et vestis sacerdotalis.*

[3] Editi, *aut cum peccato.* Mss., *aut peccata.*

[1] Hic ab excusis in quæstionum distinctione incipimus discedere ut sequamur Mss.

[2] Sic Mss. et editio Ratisponensis. Aliæ vero editiones, *vel sanctum sancti.*

intrant[1] in tabernaculum testimonii. Et hoc credendum est semel factum, mox ut constitutum est tabernaculum, significationis hujus causa, vel alicujus alterius. Neque enim semper sic erat nubes super tabernaculum, ut illuc Moyses intrare non posset; quandoquidem non removebatur nubes, nisi cum eis hoc signum dabatur disjungendi, hoc est castra movendi ex eo loco ubi erant; et accedendi quo nubes ducebat per diem, flamma per noctem (*Exod.* XIII, 21). Quæ duo vicissim etiam super tabernaculum manebant, ubi castra posuissent, nubes per diem, flamma per noctem.

QUÆST. CLXXVII. *De Tabernaculo.*

1. Quoniam liber qui Exodus dicitur, in constitutione tabernaculi sumit terminum, de quo tabernaculo etiam per superiora ejusdem libri multa dicuntur, quæ faciant difficultatem intelligendi, sicut solet omnis τοπογραφία, id est loci alicujus descriptio in omni historia facere; visum est mihi de toto ipso tabernaculo separatim dicere, quo intelligatur, si fieri potest, quale illud, et quid fuerit, interim proprietate narrationis inspecta[2], et in aliud tempus dilata figurata significatione: neque enim aliquid ibi fuisse putandum est, quod jubente Deo constitueretur sine alicujus magnæ rei sacramento, cujus cognitio fidem formamque pietatis ædificet.

2. [Ib. XXVI, 1, 6.] Jubet ergo Deus Moysi facere tabernaculum decem aulæorum de bysso torta, et hyacintho, et purpura, et cocco torto, Cherubim opere textoris: αὐλαίας quas Græci appellant, Latini aulæa perhibent, quas cortinas vulgo vocant. Non ergo decem atria fieri jussit, sicut quidam negligenter interpretati sunt: non enim αὐλὰς, sed αὐλαίας dixit. Opere ergo textili Cherubim jussit in aulæis fieri, quorum aulæorum longitudinem esse præcepit cubitorum viginti octo, et latitudinem cubitorum quatuor. Cohærere autem invicem aulæa, et conjungi inter se quinque hinc, et quinque inde, ut spatium quod eis cingeretur, hoc esset tabernaculi spatium. Quomodo autem inter se connecterentur eadem quina aulæa, ita præcepit, *Facies illis*, inquit, *ansas hyacinthinas in ora summa aulæi unius ex una parte in commissuram; et sic facies superiora summa*[3] *ad commissuram secundam:* id est, ubi committitur aulæum aulæo, tertium scilicet secundo, quod secundum jam cum primo commissum est, id est conjunctum atque connexum, faciem contra faciem consistentia ex adverso singula; quoniam inter se jussit quina[4] conjungi, ut ex adverso constituerentur. Utrum autem quadrum spatium his concluderetur, an rotundum, nondum apparet; sed apparebit cum de columnis cœperit dicere, quibus protenduntur aulæa. Non ergo amplius quam de trium connexione dicere voluit, quæ fit in duabus commissuris, secundi ad primum, et tertii ad secundum, ut ex hac veluti regula cætera jungerentur. Ansas ergo præcepit fieri primo aulæo quinquaginta, ex una parte qua illi fuerat committendum secundum; et ansas quinquaginta tertio aulæo, ex ea parte qua secundo conjungebatur: ipsum autem secundum, id est inter utrasque ansas quinquagenas medium, circulos habere voluit quinquaginta aureos, utique ex una parte, per quos conjungeretur quinquaginta ansis aulæi primi; ac per hoc consequens erat ut ex alia quoque parte circulos totidem haberet, per quos conjungeretur ansis aulæi tertii. Quod breviter Scriptura ita dixit: *Et facies circulos quinquaginta aureos, et conjunges aulæum ad aulæum circulis, et erit tabernaculum unum.* Circuli ergo quinquaginta aurei secundi aulæi, inserebantur quinquaginta ansis[1] hyacinthinis primi aulæi; quinquaginta circuli inserebantur et quinquaginta ansis tertii aulæi; et deinceps ita cæteri connectebantur, ut quinque complecterentur, atque ex adversa parte alia similiter quinque.

3. [Ib. 7-11.] Deinde dicit, *Et facies vela capillacia operire super tabernaculum:* id est, quæ venirent super, non a parte tecti, sed supercingendo. Dicimus enim et sic aliquid superponi, non quemadmodum tectum domus, sed quemadmodum tectorium parietis, tanquam super lineam fasciam. *Undecim*, inquit, *vela facies ea. Longitudo veli unius erit triginta cubitorum, et quatuor cubitorum latitudo veli unius: mensura eadem erit undecim velorum. Et conjunges quinque vela in se, et sex vela in se.* Quomodo illa aulæa voluit quina conjungi, sic ista vela quinque et sex, quæ undecim erant, non decem. *Et duplicabis*, inquit, *velum sextum secundum faciem tabernaculi:* ne moveret[2] quia impariliter alterutrum incurrebant sex et quinque. Deinde dicit etiam ista vela capillacia, quemadmodum sibimet jungerentur. Et idem dicit, sed fortasse planius, *Et facies*, inquit, *ansas quinquaginta in ora veli unius, quod contra medium est*, id est, contra secundum, quia ipsum erit medium inter primum et tertium: *secundum commissuram*, id est, juncturam. *Et quinquaginta ansas facies super oram veli, quod conjunctum est ad secundum velum*, id est super oram tertii veli, qua conjungitur secundo. *Et facies circulos æreos quinquaginta, et conjunges circulos de ansis; et conjunges vela, et erit unum.* Circulos ergo medio velo voluit apponi, id est secundo, quibus quiquagenis ansis jungeretur primo et tertio. Nihil hic aliud est, nisi quod circulos non aureos, sed æreos fieri nunc præcepit. Ansas autem in aulæis hyacinthinas dixerat: in velis autem capillaciis quoniam tacuit cujusmodi essent ansæ, quid nisi capillacias eas credibilius accipimus?

4. [Ib. 12-14.] Quod deinde sequitur ita est ad intelligendum difficile, ut verear ne exponendo fiat obscurius. Dicit enim, *Et suppones in velis tabernaculi*

[1] In editis, *intravit*. In Mss., *intrant*.
[2] Plures Mss., *interim ad proprietatem narrationis, excepta* (*vel exspectata*), *et in aliud*, etc. Vaticani duo: *Interim quantum ad proprietatem narrationis spectat, et in aliud.*
[3] Sic in Mss. et apud LXX. At in editis, *facies summam.*— In B., *facies super ora summa.* M.
[4] Editi, *ea*. Mss., *quina*.

[1] In excusis deerant hic decem verba, nunc restituta ex Mss. qui paulo post habent, *complerentur*; pro, *complecterentur*.
[2] Excusi, *ne moveretur*. Mss., *ne moveret*, id est, ne facesseret difficultatem.

dimidium veli quod superaverit, subteges quod abundat de velis tabernaculi, subteges post tabernaculum. Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi, hinc atque hinc ut operiat. Cum sextum velum jusserit duplicari secundum faciem tabernaculi, quid dicat superare in velis dimidium veli; et quid dicat, *Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc*, cum dimidium veli quindecim cubita sint, quoniam triginta cubitorum jussit esse unum velum, quis facile intelligat? Aut si propterea superat de longitudine velorum, quia prima aulæa de bysso et cocco et purpura et hyacintho viginti octo cubitis longa esse præcepit, ista vero capillacia triginta cubitorum esse voluit, duobus cubitis superantur singula aulæa a singulis velis capillaciis: quæ in summam ducta, excepto undecimo quod duplicari jussit, viginti cubita excrescunt, quibus superatur ambitus aulæorum ambitu capillaciorum. Decem quippe velorum cubita bina, quibus longiora erant, viginti faciunt: quorum ex utroque latere decem hinc et decem inde poterant superare, non cubitum ex hoc et cubitum ex hoc, sicut Scriptura loquitur. Quapropter differenda mihi videtur hujus loci expositio, donec tabernaculum columnis omnibus, cum atrio, quod circumponitur, omni ex parte consistat. Fortassis enim per anticipationem aliquid dicit de his velis capillaciis, quod ad illa proficiat, de quibus nondum locutus est. Quod enim dicit, *Et facies vela capillacia operire super tabernaculum*, utrum universum tabernaculum his velis cooperiri velit cum atrio scilicet, de quo circumponendo postea loquitur; an hoc interius tabernaculum, quod decem aulæis fieri jussit, incertum est. Sequitur ergo et dicit, *Et facies operimentum tabernaculo, pelles arietum rubricatas.* Etiam hoc operimentum utrum universo tabernaculo fieri jusserit in circuitu, an interiori tantum, similiter habetur incertum. Quod vero adjungit, *Et operimenta pelles hyacinthinas desuper*, hoc non in circuitu, sed a tecto velut camera accipiendum est.

5. [Ib. 15-21.] *Et facies*, inquit, *columnas tabernaculo de lignis imputribilibus: decem cubitorum columnam unam, et cubiti unius et dimidii latitudinem columnæ unius; duos anconiscos columnæ uni consistentes ex adverso: sic facies omnibus columnis*[1] *tabernaculi.* Quare jusserit fieri hos anconiscos, de quibus antea dixi quid essent (*Supra, quæst.* 109), non satis mihi apparet. Si enim ad columnas portandas fierent, quatuor ut minimum fierent[2]: si autem ubi seræ incumberent, etiam plures fierent; nam quinas seras singulis columnis distribuit. Nisi forte in his anconiscis non aliquis usus, sed sola significatio sit, sicut in velo undecimo capillacio. Nam columna duos anconiscos velut brachia hinc atque hinc extendens, figuram crucis reddit. Nunc jam videamus numerum columnarum, in quibus et forma tabernaculi possit adverti, utrum quadra, an rotunda sit, an oblongam habeat quadraturam, lateribus longioribus brevioribus frontibus sicut pleræque basilicæ construuntur: hoc enim potius hic evidenter exprimitur. Nam ita dicit: *Et facies columnas tabernaculo, viginti columnas ab latere isto, quod respicit ad aquilonem. Et quadraginta bases argenteas facies viginti columnis, duas bases columnæ uni in ambas partes ejus. Et latus secundum contra austrum viginti columnas, et quadraginta earum bases argenteas; duas bases columnæ uni in ambas partes ejus, et duas bases columnæ uni in ambas partes ejus.* Repetitio non moveat; quia locutionis est, ut omnes ita intelligantur de quibus non dicit. De basibus autem jam antea diximus, cur una columna duas habeat, quia et capita hoc loco bases vocat (*supra, quæst.* 110).

6. [Ib. 22-25.] Videmus igitur vicenis columnis porrecta duo latera tabernaculi aquilonis et austri: duo sunt reliqua, orientale et occidentale, quæ si totidem columnas habuissent, procul dubio quadrum esset. Quot autem habeat, de occidentali non tacetur, de orientali tacetur: utrum quia non habuit, et sola illic sine columnis extendebantur aulæa ab extrema columna unius lateris usque ad alterius alteram extremam; an aliqua causa taceantur, ut etiam tacitæ intelligantur, nescio. Postea quippe ex ipsa parte orientis decem columnæ commemorantur, sed atrii de quo post loquitur, quod huic tabernaculo circumponi jubet. Commemoratis ergo lateribus tabernaculi aquilonio et australi in vicenis columnis, deinde sequitur et adjungit, dicens: *Et retro tabernaculum per partem quæ est contra mare, facies sex columnas: et duas columnas facies in angulis tabernaculi a posterioribus, et æquales deorsum versus; et in se convenientes erunt, æquales de capitibus in commissuram unam. Sic facies ambobus duobus angulis*[1]*; æquales sint. Et erunt octo columnæ, et bases earum argenteæ sexdecim: duæ bases columnæ uni, et duæ bases columnæ uni in ambas partes ejus.* De basibus similis ratio et similis locutio est. Latus itaque occidentis, nam hoc est ad mare, columnis octo extenditur; sex mediis, et duabus angularibus quas æquales ad unam commissuram dicit esse debere; credo quod angulus duo in se latera committat, et sit columna angularis lateri utrique communis, ista occidentali et aquiloniæ, illa occidentali et australi. Quod autem dicit etiam æquales deorsum versus hoc utique dicit, ut ad perpendiculum librarentur, ne robustiores essent infra quam supra, sicut pleræque columnæ sunt.

7. [Ib. 26-29.] Deinde dicit: *Et facies seras de lignis imputribilibus, quinque uni columnæ ex una parte tabernaculi; et quinque seras columnæ lateri tabernaculi secundo; et quinque seras columnæ posteriori lateri tabernaculi, quod est ad mare.* Mirum si dubitari potest, latus orientale columnas non habuisse in hoc interiore tabernaculo, cui postea circumponitur atrium. Singulas quasque igitur columnas omnium trium laterum habere seras quinas jubet. *Et sera*, inquit, *media inter medias columnas pertranseat ab uno latere in aliud latus.* Hoc videtur dicere, ut de columna in columnam sera perveniret, et per intervallum columnarum por-

[1] Editi, *omnes columnas*. Mss. et LXX, *omnibus columnis*.

[2] Sic Mss. At editi excepto Rat. sic habent: *Si enim ad columnas portandas, fierent quatuor, ut in unum fierent.*

[1] Editi, *sic facies angulos duobus angulis*. Mss., *ambobus duobus*; secundum LXX, *amphoterais tais dusi gôniais.*

rigeretur a latere unius usque in latus alterius : ac per hoc una ex his omnibus columna non erat habitura proprias quinque seras; ad quam extremam quinque perveniebant a columna sibi proxima venientes. *Et columnas*, inquit, *inaurabis auro, et annulos facies æreos, in quos induces seras, et inaurabis auro seras.* Ne columnæ foraminibus cavernarentur, quo intrarent seræ, annulos fieri jussit, quibus ex utraque parte continerentur fines serarum. Proinde intelliguntur hi annulli fixis in ligno ansulis pependisse, ut extremas partes serarum possent capere et continere.

8. [Ib. 30-37.] *Et eriges*, inquit, *tabernaculum secundum speciem quæ monstrata est tibi in monte. Et facies velamen de hyacintho et purpura et cocco torto et bysso neta; opus textile facies illud Cherubim*[1]. *Et superimpones illud super quatuor columnas imputribiles inauratas auro, et capita earum aurea, et bases earum quatuor argenteæ. Et pones velamen super columnas, et induces illuc, interius quam velamen est*[2], *arcam testimonii : et dividet vobis velamen inter medium sancti et inter medium sancti sanctorum. Et cooperies de velamine arcam testimonii in sancto sanctorum*[3]. Hæc omnia manifesta sunt, interius intra velamen hoc quatuor columnis impositam fuisse arcam testimonii : quam non sic operiri jussit velamine, ut super arcæ cooperculum jaceret velamen, sed ut contra statueretur[4]. Deinde dicit : *Et pones mensam foris extra velamen ; et candelabrum contra mensam in parte tabernaculi, quæ respicit ad austrum : et mensam pones in parte tabernaculi, quæ respicit ad aquilonem.* Etiam hoc planum est. Quod autem sequitur, *Et facies adductorium de hyacintho et purpura et cocco torto et bysso torta, opus variatoris. Et facies velamini quinque columnas, et inaurabis illas auro, et capita earum aurea : et conflabis eis quinque bases æreas :* cui usui velamen hoc fiat quinque columnis extentum, post apparebit, nam hic non apparet. Vult enim illud esse velamen ostii tabernaculi, hujus videlicet interioris, cui circumponitur atrium. Deinde jubet altare fieri sacrificiorum et holocaustomatum ; et dicit quemadmodum fiat : nondum autem dicit ubi ponatur; sed hoc quoque post apparebit.

9. [Ib. XXVII, 9-13.] Hinc jam de atrio loquitur usque in finem, quod circumponendum est tabernaculo illi, de quo prius constituendo locutus est. *Et facies*, inquit, *atrium;* quod dicitur græce αὐλήν, non αὐλαίαν : quod quidam interpretes nostri non discernentes, et hoc et illa aulæa, quas αὐλαίας non αὐλὰς Græci dicunt, atria interpretati sunt dicentes, *Et facies tabernaculum decem atriorum*, ubi *decem aulæorum* dicere debuerunt. Nonnulli autem multo imperitiores, januas interpretati sunt et αὐλὰς et αὐλαίας. Sicut autem in lingua latina invenimus aulæa, quas Græci αὐλαίας vocant; ita quam illi appellant αὐλήν, nostri aulam vocaverunt. Sed jam non atrium isto nomine, sed domus regia significatur in latina lingua ; apud Græcos autem, atrium. Ergo, *Et facies*, inquit, *atrium tabernaculo in latere quod respicit ad austrum ; et tentoria atrii ex bysso torta ; longitudo sit centum cubitorum uni lateri : columnæ eorum* [1] *viginti, et bases earum æreæ viginti ; et circuli earum, et arcus earum argentei. Sic et lateri quod est ad aquilonem, tentoria centum cubitorum longitudinis; et columnæ eorum viginti, et bases earum æreæ viginti, et circuli earum, et arcus columnarum, et bases inargentatæ argento. Latitudo autem atrii quæ est ad mare, tentoria ejus quinquaginta cubitorum ; columnæ eorum decem, et bases earum decem. Et latitudo atrii quod est ad orientem, quinquaginta cubitorum; columnæ ejus decem, et bases earum decem.*

10. Hic jam videmus commemorari columnas ab oriente, cum loquitur de atrio, et eas decem dicens cum basibus æreis, sicut dixit etiam de occidentalibus : ubi difficillima oritur quæstio. Nam facile est quidem ut accipiamus ab oriente unum ordinem columnarum ad atrium pertinentium, quo tabernaculum interius per omnes quatuor partes cingitur; quia non habebat ex ea parte columnas tabernaculum interius : ab occidente autem ubi jam erant interioris tabernaculi columnæ octo, quomodo etiam istas decem, quas exterioris atrii commemorat, accepturi sumus, tanquam ab occidente duo sint ordines columnarum, interiorum octo, et exteriorum decem ? Quod si ita est, longiora erunt etiam latera atrii exterioris, quam tabernaculi interioris, ut sit unde ab extremo in extremum alius columnarum ordo dirigatur, et non incurrat in ordinem priorem ad interius tabernaculum pertinentem. Et si hoc est, consequens erit ut vicenæ illæ columnæ duorum laterum tabernaculi interioris, austri et aquilonis, intervallis brevioribus dirimantur, quam illæ vicenæ quas habet atrium exterius ex eisdem lateribus. Et quia illi exteriores ordines vicenarum columnarum, sicut Scriptura loquitur, centena cubita tenent ; isti interiores totidem columnarum quotlibet minus cubita teneant, quoniam hoc Scriptura non expressit, consequens erit ut octo columnæ illæ tabernaculi interioris in latere occidentali rariores sint quam vicenæ illæ ejusdem tabernaculi australes et aquiloniæ, ut possit comprehendi spatium quantum sufficit decem illis aulæis circumtendendis, quibus primitus dixit hoc tabernaculum fieri. Habent enim cubita vicena et octona, quæ fiunt simul ducenta octoginta : quorum si centena essent in lateribus duobus austri et aquilonis, ubi vicenarum columnarum ordines sunt, quadragena utique cubita tenderentur per alia duo latera orientis et occidentis, et proportione occurrerent in octo columnis cubita quadraginta, sicut in viginti columnis cubita centum ; sed non essent longiora latera exterioris atrii, quoniam centenis cubitis definita sunt ; et ideo non esset quemadmodum ille ordo decem columnarum ab an-

[1] In editis, *super Cherubim.* At in Mss. et apud LXX, absque particula, *super*, legitur *facies illud Cherubim.* Hebraismus est, quo præcipitur velamen artificis industria sigendum imaginibus alatis, sive potius, uti habet versio Vulgata, *pulchra varietate contexendum.*

[2] Sic Mss. juxta græc. LXX : *kai eisoiseis ekei esôteron tou katapetasmatos.* Adeoque perperam in antea excusis, *et induces illud interius ubi velamen est.*

[3] Editi, *in sanctis sanctorum.* Vaticani Mss. juxta græc., *in sancto sanctorum.*

[4] In editis, *contra mensam statueretur.* Abest, *mensam*, a Mss.

[1] Editi, *earum.* At Mss., *eorum :* refertur ad tentoria.

gulo australi in angulum aquilonium includeret ordinem interiorum octo columnarum. Proinde ut atrio undique circumdetur interius tabernaculum, oportet illud esse etiam longitudinis brevioris : atque ita necesse sit vicenas ejus columnas in duobus lateribus, quibus in longum porrigitur, densius constitui, quam sunt atrii exterioris etiam ipsæ vicenæ; et rarius octo columnas tabernaculi interioris a parte occidentis, quam decem ex eadem parte atrii exterioris : quoniam quidquid minus cubitorum ex illis aulæis extenditur in columnis vicenis duorum laterum ad austrum et ad aquilonem, compensandum est latitudine orientalis et occidentalis lateris, ut ducenta octoginta cubita consummentur aulæorum. Non enim sicut de velis capillaciis, ubi unum plus est, ita et de his aulæis jussit aliquid duplicari. Quapropter si tantum breviatur longitudo tabernaculi interioris, quod ab atrio exteriore posset includi, ut in vicenis ejus columnis non centena cubita tendantur aulæorum ; sed verbi gratia, ut minimum nonagena et sena, ut quaternis cubitis breviora sint : hæc ipsa quaterna cubita, id est octo cubita in duos aliis lateribus utique tendenda sunt, orientali et occidentali; ac sic in illis octo columnis occidentalibus tabernaculi interioris non extenduntur cubita quadraginta, sed quadraginta quatuor, et alia quadraginta quatuor ab oriente. Cum ergo in decem columnis exterioris atrii tenduntur cubita quinquaginta, in octo autem interioris tabernaculi tenduntur cubita quadraginta quatuor, rariora inveniuntur intervalla interiorum octo columnarum quam exteriorum decem : quia si paria essent, ita in columnis octo quadraginta cubita tenderentur, sicut quinquaginta tendebantur in decem ; quoniam quod sunt proportione octo ad decem, hoc sunt quadraginta ad quinquaginta. Quinarium quippe numerum quadraginta octies habent, quinquaginta decies

11. [Ib. 14-16.] Nec nos moverent columnarum intervalla disparia, quod densiores in lateribus longitudinis ponerentur, ubi vicenæ sunt, rariores autem in latere latitudinis, ubi octo sunt, nisi aliud existeret quod urgeret mutare sententiam. Cum enim commemorasset longitudinem atrii ad mare habere tentoria quinquaginta cubitorum, et columnas decem, et bases earum decem ; et latitudinem atrii ad orientem item quinquaginta cubitorum, et columnas decem et bases decem ; atque his dictis perfecta videretur forma tabernaculi cum atrio suo undique ambiente, injecit aliud, quod ubi et quomodo intelligendum sit, difficillime reperitur : *Et quindecim*, inquit, *cubitorum tentoriorum altitudo lateri uni : columnæ eorum tres, et bases earum tres. Et latus secundum, quindecim cubitorum tentoriorum altitudo : columnæ eorum tres, et bases earum tres. Et portæ atrii tegumen viginti cubitorum altitudo de hyacintho et purpura et cocco neto et bysso torta, varietate acu picta : columnæ earum quatuor et bases earum quatuor.* Hæc ubi constituantur, perfecta illa forma tabernaculi, non video : sed plane video eumdem esse numerum columnarum decem, in tribus et tribus et quatuor, ternis scilicet a lateribus et quatuor in medio. Ac per hoc tentoria illa quinquaginta cubitorum non contexta erunt, ne aditus in atrio nullus sit : sed quindenis cubitis media viginti cubita separabuntur, ut faciant portæ tabernaculi tegimen, hoc est velum, quod ornamento velamentoque dependeat, et teneat spatium quatuor columnarum, quod portæ atrii deputatum atque separatum est. Ideo velamen ipsum a lateribus quindenum cubitorum divisum atque separatum, etiam specie distingui voluit, ut opere acu picto quatuor illis coloribus variaretur. Sed latera illa quindenum cubitorum hinc atque hinc ternas columnas habentium, si ad eamdem lineæ rectitudinem portæ atrii conjungantur, non erit spatium inter decem columnas exterioris atrii et octo interioris tabernaculi, ubi sit altare quinque cubitorum, quadrum occupans spatium ; et ante ipsum altare, ubi serviatur altari ; et inter ipsum et ostium tabernaculi interioris, ubi sit labrum æneum. Sic enim poni jussum est, unde manus et pedes sacerdotes lavent, quando intrant tabernaculum, vel quando accedunt ut altari deserviant : quod nisi foris a tabernaculo in atrio intellexerimus, quomodo possunt prius lavare manus et pedes, et sic tabernaculum introire ? Foris autem ab atrio non possumus altare statuere; quia et tabernaculum et altare circumdari atrio præcepit. Restat igitur ut illa latera quindenum cubitorum hinc atque hinc, et columnarum ternarum, sic accipiamus a lateribus, ut ipsa faciant intervallum totidem cubitorum [1] inter portam atrii et ostium tabernaculi interioris : portam quidem patentem viginti cubitis in quatuor columnis, et habentem velum acu picto opere variatum viginti cubitorum ; ostium vero tabernaculi interius, ubi ponatur velamen illud in quinque columnis extentum : quod utique non intra illum ordinem octe columnarum, sed extra foris ad atrium positum intelligere debemus. Tunc enim erit velum ostii tabernaculi, quod ostium tanquam valvis aperiebatur, ubi aulæa inter se circulis et ansis non conjungebantur. Aut si forte intra illum ordinem octo columnarum tabernaculi interioris, opponebatur hoc velamen in quinque columnis ostio tabernaculi, ut quando aperiebatur, interiora non nudarentur, ne a prospicientibus viderentur ; quod tamen velamen sive interius ab illo ordine columnarum, sive exterius poneretur, quod non satis elucet : procul dubio distabat moderato intervallo ab eodem ordine columnarum, ne quinque columnæ ad quatuor columnas densius constipatæ, intercluderent potius aditum, quam velarent.

12. Secundum istum itaque modum, et secundum hanc formam tabernaculi nihil jam opus est vicenas illas columnas laterum interioris tabernaculi ad austrum et aquilonem constituere densiores, et rariores illas octo facere quæ ab occidente fuerant. Decem quippe illæ atrii exterioris ab eadem parte occidentis non longum ordinem faciunt columnarum, quo includantur octo interiores, sed ternis ab utro-

[1] Sic Mss. At editi, *aliquot cubitorum.*

que latere constitutis, et quatuor in porta [1], spatium concludunt, ubi et altare sit holocaustomatum intra portam atrii ante ostium tabernaculi; et labrum inter ostium tabernaculi et altare; et intervallum necessarium ministerio inter altare et portam atrii : et sic illud totum spatium atrii concluditur columnis decem, tribus ab aquilone, et tribus ab austro, et quatuor ab occidente, tanquam si Π græcam litteram facias. Et sic adjungebatur idem spatium longiori ordini columnarum tabernaculi interioris, tanquam si ad litteram memoratam, ex ea parte qua non habet, adjungas litteræ productionem quæ iota dicitur; ut ejus parte quæ in medio est, ab eo latere concludatur, et restent hinc atque inde ex ipso iota reliquæ partes. Poterant ergo numerari decem columnæ in illo longo ordine partis occidentalis tabernaculi interioris, sed cum illis octo adderentur duæ, quæ fuerant ultimæ in ordinibus laterum atrii aquilonis et austri. Nam et illæ decem quæ proprie ad atrium pertinerent a parte occidentis, unde et intrabatur ad tabernaculum, ternas habebant in lateribus, et quatuor in fronte, ubi porta erat, atque ita spatium usui sacrificiorum necessarium intra atrium ante tabernaculum amplectebantur. In ternis autem columnis quæ fuerant a lateribus, tentoria erant de bysso quindenorum cubitorum : in quatuor autem ubi porta erat, velum erat viginti cubitorum acu picto opere variatum.

13. [Ib. XXXVIII, 9-18.] Nec moveat quod ait Scriptura, *Quindecim cubitorum tentoriorum altitudo lateri uni : columnæ eorum tres, et bases earum tres. Et latus secundum quindecim cubitorum tentoriorum altitudo : columnæ eorum tres, et bases earum tres. Et portæ atrii tegumen viginti cubitorum altitudo.* Altitudinem quippe eamdem dicit, quæ fuerat longitudo tentoriorum. Eadem quippe altitudo est cum texuntur, quæ longitudo est cum tenduntur. Quod ne suspicari videamur, alio loco idipsum Scriptura commemorans ait, *Et fecerunt atrium quod est ad austrum, tentoria atrii de bysso torta, centum per centum :* id est, centum cubita tentoriorum per centum cubita spatii quod tenebant viginti columnæ. Deinde sequitur : *Et columnæ eorum viginti, et bases earum viginti æreæ. Et latus quod ad aquilonem centum per centum, et columnæ eorum viginti* [2], *et bases earum viginti æreæ : et latus quod est ad mare, aulæa quinquaginta cubitorum : columnæ eorum decem, et bases earum decem.* Eadem dicit aulæa quæ tentoria. *Et latus quod est ad orientem quinquaginta cubitorum tentoria.* Post hæc redit ad posteriora tabernaculi, ut ostendat quemadmodum illæ decem columnæ spatium de quo loquebatur, atrii complectebantur. *Quindecim cubitorum*, inquit, *quod est a dorso.* Dorsum appellat, quia posteriora tabernaculi erant, id est a parte occidentis. *Et columnæ*, inquit, *eorum tres, et bases earum tres. Et a dorso secundo hinc et hinc secundum portam* [3] *atrii aulæa quindecim cubitorum : columnæ eorum tres, et bases earum tres.* Manisfestum est certe eadem duo dorsa dici hoc loco, cum commemorantur omnia quemadmodum facta sint, quæ latera dicebantur, quando præcipiebatur ut fierent : latera scilicet quia hinc atque inde conjuncta portæ occidentalis [1] atrii spatium concludebant; dorsa vero, quod a tergo tabernaculi erat hæc pars atrii, id est a parte occidentali. Sequitur autem et dicit : *Omnia aulæa atrii de bysso torta, et bases columnarum æreæ, et ansæ earum argenteæ, et capita earum inargentata argento; et columnæ inargentatæ argento, omnes columnæ atrii.* Deinde adjungit quod nondum isto loco commemoraverat : *Et vela memorati atrii* [2] *opus variatoris, de hyacintho et purpura et cocco neto et bysso torta; viginti cubitorum longitudinem et latitudinem.* Ecce ubi apparet eamdem dictam superius altitudinem, quæ aulæorum extentorum fuerat longitudo. Denique addit : *Et latitudinem quinque cubitorum.* Tot enim cubitis latitudinis erigebantur tentoria exterioris atrii, sicut interioris cubitis quatuor. Sic autem et superius dixerat : *Longitudo autem atrii centum per centum, et latitudo quinquaginta per quinquaginta, et altitudo quinque cubitorum ex bysso torta.* Hanc latitudinem dicens quam postea altitudinem dixit; quoniam quæ jacentium latitudo est, eadem erectorum altitudo. Sicut quod paulo ante commemoravi, quæ cum texuntur altitudo est, eadem cum tenduntur longitudo est.

14. [Ib. XXVI, 12, 9, 13.] Nunc jam quod distuleram, videamus; quomodo ex hac forma universi tabernaculi, quam sicut potui ante oculos collocavi, difficultas illa solvatur de capillaciis velis. Quæ fortasse ideo erat abstrusior, quia per anticipationem ibi aliquid dictum est, quod proficeret operi, de quo postea fuerat locuturus, cum atrium tabernaculo circumponendum describeret. Nunc itaque verba ipsa videamus. *Et suppones*, inquit, *quod superabit in velis tabernaculi, dimidium veli quod superabit subteges; quod abundat in velis tabernaculi, subteges post tabernaculum.* Hoc totum quod dictum est unum sensum habet, quia dimidium veli quod superaverit, hoc est, id quod abundaverit de velis tabernaculi, subtegendum est post tabernaculum. Quomodo ergo superet, id est, abundet et restet dimidium veli, ex illa serie connexorum velorum oportet inquirere : quoniam quinque in se, et sex in se connecti voluit, sicut superius loquens dixerat, sextum velum a facie tabernaculi duplicandum, id est ab oriente. Toties enim posteriora tabernaculi a parte occidentis esse significavit, id est ad mare. Quid igitur facies tabernaculi, nisi pars illa intelligenda est quæ est ad orientem? Pars ergo illa qua vela quinque connexa sunt, habet cubita centum quinquaginta, hoc est quinquies tricena (tricenorum enim cubitorum erant singula, sicut ea Deus fieri jusserat) : illa vero pars in qua erant non quinque, sed sex vela sibimet similiter connexa, cubita habebat centum octoginta, id est sexies tricena,

[1] Rat. et Lov., *impar.* Am. Er. et quinque Mss., *in portam.* Alii Mss., *in porta.*
[2] Editi, excepto Rat., *viginti æreæ.* Abest *ærea* a Mss. et a LXX.
[3] Editi, *partem;* pro quo Mss., *portam.* Sic etiam LXX.

[1] Cisterciensis Ms., *conjuncta a parte occidentali.*
[2] Legitur apud LXX, Exodi cap. 37, *Et velamen portæ atrii.* Confer Vulgat. Exodi cap. 38, v. 18.

ac per hoc duplicato ex eis uno velo, sicut jussum est, secundum faciem tabernaculi, minuebantur in ea duplicatione cubita quindecim; quibus detractis, centum sexaginta quinque remanebant. Et ideo post centum quinquaginta cubita, quibus illi parti quinque velorum etiam ista pars sex velorum æquabatur, superabant atque abundabant cubita quindecim. Illinc enim erant a parte quinque velorum, cubita centum quinquaginta : hinc autem a parte sex velorum, duplicato uno velo secundum faciem tabernaculi, erant cubita centum sexaginta quinque. Plus ergo habebat pas ista cubita quindecim. Hoc dicit dimidium veli, quod jubet subtegi post tabernaculum, ut quia illud a facie duplicatum est, hoc dimidium redundans a posteriore parte tabernaculi non duplicaretur, sed subtegeretur, id est, omnia ipsa quindecim cubita subtermissa tegerentur : ac sic et ipsa illi longitudini detraherentur, sicut illa itidem quindecim a facie tabernaculi unius veli duplicatione detracta sunt : eoque modo centum quinquaginta cubitis quinque velorum occurrerent ex alia parte centum quinquaginta cubita sex velorum; triginta scilicet cubitis de centum octoginta detractis, a facie tabernaculi velo duplicato, et a posterioribus tabernaculi dimidio velo subtecto.

15. Jam illud quod sequitur aliud est, et aliam quæstionem infert, propter quam maxime hujus loci expositionem differendam putavi, ut prius et formam constituendi tabernaculi, et de atrio circumponendo quod scriptum est videremus. Sequitur ergo : *Cubitum ex hoc*, *et cubitum ex hoc*, *ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi, erit contegens super latera tabernaculi hinc atque hinc*, *ut operiat.* Aliud est quod superabit una pars sex velorum aliam partem quinque velorum, propter ampliorem velorum numerum, unde jam diximus : aliud quod superabit de longitudine velorum, unde nunc dictum est. Ita enim non pars parti comparatur, et altera alteram superare invenitur; illa scilicet, quæ vela sex habet, illam quæ vela quinque habet; quæ ambæ ut sibimet æquarentur, a facie tabernaculi facta est unius veli duplicatio, a tergo dimidii subtectio : sed ipsa vela capillacia comparata aulæis, ex quibus decem jussit fieri interius tabernaculum quatuor coloribus textis, longiora reperiuntur cubitis binis. Ea enim erant aulæa singula cubitorum viginti octo, ista triginta : ideo hic non ait, Ex eo quod superat de velis; sed, *Ex eo quod superat velis de longitudine velorum.* Quid est ergo, *Cubitum ex hoc*, *et cubitum ex hoc*, *erit contegens super latera tabernaculi*, nisi quia illa longitudo in qua binis cubitis vela capillacia longiora sunt aulæis, singulis singula, non tota in unam partem cogenda est, id est, ut quidquid superat, ad posteriora tabernaculi colligatur; sed distribuatur ex æquo, tantumque ejus ad priora tabernaculi, quantum ad posteriora tribuatur : id est, quoniam duo cubita in singulis velis eamdem quæ superat longitudinem faciunt, ut cubitum inde auferat pars ista, et cubitum illa; ita de singulis cubitis suis habebit pars ista cubita decem, et illa de suis singulis decem; quoniam decem vela binis cubitis longiora, viginti cubitorum longitudinem faciunt, qua videntur superare serie sua seriem aulæorum?

16. Deinceps videndum est hæc viginti cubita, quæ superant de longitudine velorum, cui spatio cingendo proficiant. Si enim velis capillaciis interius tabernaculum circumtegitur, ita superant, ut quid ex eis cooperiatur non sit omnino. Unde restat etiam ipsa subtegi, et subtegendo detrahi, quod Scriptura non dicit. Aulæa quippe decem, quæ habent cubita vicena et octona, quibus interius tenditur tabernaculum, circumplectuntur spatium quantum possunt circumplecti cubita ducenta octoginta : unde latera illa longiora australe et aquilonium, habentia vicenas columnas, auferunt ex his cubitis centena [1] cubita; restant octoginta, quæ duobus reliquis lateribus brevioribus, orientali quod non habet ordinem columnarum, et occidentali ubi erant columnæ octo, quadragena distribuantur. Proinde in capillaciis velis, quoniam detractis triginta cubitis trecenta restabant, si trecentis cubitis capillaciorum velorum, ducenta octoginta cooperiantur aulæorum, ita supererunt viginti, ut non sit quod ex eis tegatur. Proinde duo illa cubita, quæ singula capillacia plus habent, ex quibus summa viginti cubitorum collecta est, sic distribuenda sunt, *Cubitum ex hoc*, *et cubitum ex hoc;* id est, ne omnia in unam partem cogantur, ut proficiant operiendis lateribus tabernaculi, sed exterioris atrii, id est, omnia illa trecenta cubita velorum capillaciorum extrinsecus tabernaculum cingant. Adjunctis quippe lateribus atrii exterioris centenum cubitorum, id est [2], austri et aquilonis, quinquagena cubita supersunt orientis et occidentis, quæ omnia fiunt trecenta, quibus cooperiendis capillaciorum trecentena sufficiunt. Hoc est quod ait, *Cubitum ex hoc*, *et cubitum ex hoc;* id est, distributio duorum cubitorum, quibus unumquodque velum capillacium longius est, hoc est *ex eo quod superat velis de longitudine velorum*, *erit contegens super latera tabernaculi;* illa scilicet exteriora quæ ad atrium pertinent, *hinc atque hinc ut operiat :* nec illa ipsius atrii, quæ centenis cubitis et vicenis columnis tenduntur; ipsa enim non sunt facta longiora, quam illa interioris tabernaculi quæ decem aulæis tenduntur, et vicenas etiam ipsa columnas habent. Nam sicut interioris tabernaculi duo latera ab aquilone et austro centenis cubitis porriguntur, ita et exterioris atrii. Non ergo ad ipsa exteriora totidem columnarum latera tegenda capillaciorum velorum proficit longitudo, qua longitudinem superant aulæorum. Tantum enim dant exterioribus lateribus, quantum et interioribus darent, id est cubita centena, quæ fiunt ducenta : sed quia lateribus orientis et occidentis sufficerent latera quadragena, si tantummodo interius tabernaculum velis capillaciis cingeretur; additis autem lateribus atrii crevit tabernaculi latitudo, ut tegendis lateribus

[1] Editi, *ducenta.* Mss. vero, *centena :* id est, duo latera auferunt sua quodque centum cubita.

[2] Lov., *centum cubitorum, id est.* Et paulo post, *quinquaginta cubita*, pro *quinquagena*, ex graviori certe typographorum lapsu.

orientali et occidentali jam non quadragena, sed quinquagena cubita sint necessaria : ad ea tegenda proficere potuit capillaciorum velorum longitudo amplior quam aulæorum; ut non ambo cubita, quibus binis longiora sunt, ex una parte impenderentur, sed *cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc;* ac sic haberet ex ipsa superabundantia latus orientale cubita decem, et occidentale alia decem. Viginti enim fiunt bina decem : quia veli undecimi [1] cubita triginta duplicatione et subtectione ab hoc ambitu detrahuntur.

17. Sed quoniam id quod latine interpretatum est, *Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc*, *ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi*, *erit contegens super latera tabernaculi*, græcus habet πλάγια, quæ latini nonnulli non *latera*, sed *obliqua* interpretati sunt, merito movet, quia etsi nihil hic videatur obliquum, ubi omnes anguli quatuor laterum recti sunt; πλάγια tamen dici latera illa non possunt, quorum unum est in facie, alterum retro, id est, orientale et occidentale, sed πλάγια dici possunt a dextro et a sinistro, id est, aquilonium et australe : cum ergo non sint ea πλάγια quæ habent cubita quinquagena, quibus lateribus tegendis proficere potuisse diximus superantem longitudinem capillaciorum velorum; quomodo erit verum, *Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc, ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi*, *erit contegens super latera tabernaculi?* Sed nimirum de illis lateribus tegendis loquitur, quæ etiam dorsa appellat quindenorum cubitorum columnarumque ternarum, quæ cum porta atrii habente cubita viginti et columnas quatuor, quinquaginta complent cubita et columnas decem. Hæc latera ex istis suis finibus in medio posuerunt atrii portam, ex illis autem ostium tabernaculi : inter portam atrii et ostium tabernaculi spatium jacet, quantum cubita illa concludunt viginti a porta, et dextra lævaque quindena. In eo spatio est altare holocaustomatum intra portam atrii ante ostium tabernaculi; et inter altare et ostium tabernaculi labrum æreum [2], ubi sacerdotes manus et pedes lavabant. Diligenter autem mensuris examinatis, fortasse in istis lateribus ternarum columnarum, quæ πλάγια græce dicta sunt, nonnulla etiam obliquitas invenitur; ut non frustra quidam interpretes nostri *obliqua* interpretarentur, quæ in græco πλάγια repererunt. Non enim vela capillacia quindenis cubitis suis possunt tegere quindena cubita tentoriorum in illis lateribus, nisi posterioribus partibus tabernaculi, antequam ad illa latera deflectantur, non amplius quam dena cubita impenderint. Ac sic ex linea recta posterioris tabernaculi, id est a parte occidentis; quæ linea cum habuisset octo columnas pertinentes ad interius tabernaculum, decem habere cœpit additis lateribus atrii exterioris; et cum habuisset cubita quadraginta ad octo columnas pertinentia, quinquaginta habere cœpit in columnis decem : ex hac ergo linea cum tecta fuerint velis capillaciis dena cubita ab utroque angulo venientia, restabunt in medio triginta non tecta velis capillaciis, sed illis tantummodo aulæis; in quorum triginta cubitorum medio, per quotlibet cubita tenderentur, erat ostium tabernaculi. Proinde illa latera ternarum columnarum et quindenorum cubitorum, si ex illis finibus suis quibus jungebantur portæ atrii, patebant inter se cubitis viginti, quia tantum habebat porta quæ illa latera dirimebat; ex aliis autem finibus quibus hærebant posteriori illi lineæ tabernaculi, de qua locuti sumus, habebant inter se cubita triginta; procul dubio erant obliqua : quoniam plus inter se patebant ex hac parte ubi habebant media cubita triginta, quam ex illa parte ubi habebant media cubita viginti. Ita illa decem cubita capillaciorum velorum, quod erat dimidium abundantis longitudinis, quæ proficiebant posteriori parti tabernaculi, hoc est occidentali, sicut alia decem proficiebant priori parti, id est orientali, quinis cubitis complebant tecturam laterum illorum, quæ græce πλάγια dicta sunt, inde quinque et hinc quinque. Quæ si defuissent, dena cubita tegerentur in eisdem lateribus, et quina nuda essent. Itaque, quantum mihi videtur, melius intelligitur hinc esse dictum, *Cubitum ex hoc, et cubitum ex hoc*, *ex eo quod superat velis de longitudine velorum tabernaculi*, non quia erant, cum hinc et inde quina essent; sed quia ex illa longitudine redundabant, in qua binis cubitis erant aulæis capillacia longiora, ex quibus duobus cubitis uniuscujusque veli cubitum profecerat parti orientali : restabat utique alterum cubitum parti occidentali, ut cubitum ex hoc esset contegens super πλάγια tabernaculi. Unde dictum est, *hinc atque hinc ut operiat,* quia non operiebat totum, si eadem quina cubita defuissent.

18. Nunc jam quoniam satis disputatum est, quomodo illa omnia intelligenda sint, quæ in tabernaculi constitutione videbantur obscura, breviter si possumus enitamur ostendere quid sit eadem disputatione confectum. Ab occidente igitur intrabatur, et prima erat ingrediendi porta atrii, quæ patebat viginti cubitis, et habebat quatuor columnas, quibus dependebat velum viginti cubitis extentum, erectum autem cubitis quinque, quatuor illis sæpe commemoratis coloribus acu picto opere variato. Hac porta ingrediens excipiebatur atrio, cujus latera dextera lævaque quindenis cubitis et ternis columnis porrigebantur introrsus; ut in medio ponerent ostium tabernaculi interioris, in ea parte quo perveniebant, sicut in medio ponebant portam atrii, ab ea parte unde incipiebant. Hoc itaque atrium latius erat quam longius. Nam longitudo ejus erat a porta ipsius usque ad ostium tabernaculi interioris, in cubitis ferme quindecim : latitudo autem circa portam in cubitis viginti, circa ostium vero in cubitis triginta. Unde obliqua illa latera fuisse intelliguntur, quæ dextera lævaque in columnis ternis et quindenis cubitis erant. In hoc atrio erat altare sacrificiorum quadratum, quinque scilicet cubitis lon-

[1] Editi, *undecim*. Verius aliquot Mss., *undecimi*.

[2] Hic locus in integrum restituitur ope Mss. Vaticani unius, Corbeiensis et Thuanei. Nam in editis Am. Er. et Lov. sic exhibebatur : *In eo spatio est altare tabernaculi, et inter altare tabernaculi labrum*, etc. Apud Rat. et aliquot Mss.: *In eo spatio est altare tabernaculi, et inter altare atque ostium tabernaculi labrum.*

gum, et totidem latum. Inter portam et altare spatium erat, ubi versabantur qui sacrificia imponebant altari: introrsus vero inter altare et ostium tabernaculi, locus erat cineris ante altare[1], et deinde labrum æneum ubi manus et pedes sacerdotes lavabant, vel altari in atrio servituri, vel tabernaculum interius ingressuri. Tentoria porro hujus atrii in lateribus ternarum columnarum byssina erant, extenta cubitis quindenis, erecta cubitis quinis.

19. Ab hoc ergo atrio intrabatur ostium tabernaculi cum transisses altare, et labrum æneum. Intrabatur autem apertis aulæis, quibus decem, quinque hinc et quinque inde ex adverso sibimet constitutis, totum ipsum interius tabernaculum cingebatur. Quod ostium ingresso occurrebat velum, quod ad ostium fuerat oppositum, in quinque columnis extentum, variatum illis quatuor coloribus : quod velum cum faciendum præciperet, *adductorium* vocavit, credo quod curreret, ducendo et reducendo, cum operiret atque aperiret ingressum. Transito isto velo, excipiebat pars tabernaculi media inter hoc velum et illud alterum interius, quod columnis quatuor fuerat impositum, ex illis quatuor coloribus factum, et separabat inter sancta quæ forinsecus erant, et sancta sanctorum interius posita. In hoc itaque medio spatio inter ista duo vela, mensa erat aurea, quæ habebat panes propositionis in in parte aquilonis; et contra eam candelabrum aureum septem lucernarum in parte austri. Huc usque secundis sacerdotibus licebat intrare.

20. Interius autem, id est, in sancto sanctorum ultra velum quatuor columnarum, arca erat testimonii deaurata, in qua erant tabulæ lapideæ Legis, et virga Aaron, et urna aurea cum manna, et propitiatorium desuper aureum, ubi stabant duo cherubim, alis obumbrantes propitiatorium et intuentes invicem et ipsum. Ante arcam vero, id est inter arcam et velum, positum erat altare incensi, quod aliquando aureum dicit Scriptura, aliquando deauratum, aureum utique appellans quia erat inauratum. Ad hæc sancta sanctorum nisi summo sacerdoti non licebat intrare quotidie propter inferendum incensum; semel autem in anno cum sanguine ad purificandum altare, et si quando forte exigebat necessitas pro peccato sacerdotis, aut universæ synagogæ, sicut in Levitico scriptum est (*Levit.* XVI). Sic intrabatur tabernaculum ab occidente, id est a porta atrii [2] usque ad latus orientale introrsus ubi erat arca testimonii.

21. Hoc autem interius tabernaculum, quod incipiebat non a porta atrii, sed ab ostio quod appellabatur ostium tabernaculi, et finiebatur in longum latere orientis ubi erat arca testimonii, decem aulæis concludebatur, quorum erant singula viginti octo cubitorum, quinque hinc et quinque inde, sibimet connexa ansulis et circulis, et ex adverso sibimet constituta; et columnis vicenis in lateribus longioribus aquilonis atque austri, et columnis octo a latere occidentis, a latere autem orientis nullis columnis, sed solis aulæis. Quæ aulæa decem erigebantur in cubitis quatuor, et per totum circuitum tendebantur in cubitis ducentis octoginta : quorum centena in lateribus erant longioribus austri et aquilonis per vicenas columnas; quadragena vero cubita in reliquis duobus lateribus brevioribus; uno occidentis per columnas octo; altero orientis, ubi columnæ non erant, sed sola tendebantur aulæa de solis duabus angularibus columnis, mediis autem nullis : et erant hæc aulæa decem de quatuor coloribus texta. Hoc ergo interius tabernaculum circumdabatur atrio ab austro viginti columnis, et ab aquilone viginti. Quæ duo atrii latera æqualem habebant longitudinem cum lateribus interioris tabernaculi; quia et ipsa vicenis columnis porrigebantur in cubitis totidem, id est centenis. A latere autem orientis atrium concludebatur columnis decem, cubitis quinquaginta : qui ordo columnarum rectus erat, et incurrebat in illas duas angulares interioris tabernaculi, quas solas orientis pars habebat; proinde cum ipsis complebantur decem. A latere autem occidentis habebat quidem atrium decem columnas, non tamen recto ordine, sed sicut jam ostendimus, tanquam triporticum, quatuor a porta, et ternas a lateribus.

22. Universum autem atrium in circuitu tabernaculi tentoriis byssinis cingebatur, quæ erigebantur cubitis quinque : his superveniebant vela capillacia undecim, ex una parte quinque sibimet connexa, ex alia sex. In connexione ergo quinque velorum, cubita erant centum quinquaginta; ex alia vero parte in connexione sex velorum, cubita erant centum octoginta : quoniam vela singula tricenorum fuerunt cubitorum. Sed ut alia pars alteri coæquaretur, duplicatum est unum velum a facie tabernaculi, id est ab oriente; et subtectum est dimidium velum a parte posteriore, id est ab occidente : atque ita subtracta sunt cubita triginta, quanta erat veli unius longitudo; et remanserunt centum quinquaginta, quot etiam ex parte altera fuerunt. Circuitus itaque velorum capillaciorum, quo cingebatur atrium tabernaculi, trecentis cubitis tendebatur, sicut circuitus decem aulæorum interioris tabernaculi cubitis ducentis octoginta. Aulæa quippe singula habebant cubita vicena et octona in longitudine; capillacia vero vela tricenis cubitis longa erant. Quapropter ex ambitu aulæorum interioris tabernaculi, qui erat in cubitis ducentis octoginta centena cubita in lateribus longioribus erant austri et aquilonis, et quadragena in duobus brevioribus orientis et occidentis : ex ambitu autem capillaciorum velorum, quo atrium exterius tegebatur, quia ambitus erat in cubitis trecentis, centena erant in lateribus longioribus austri et aquilonis, quoniam æqualia erant lateribus tabernaculi interioris, quinquagena autem in duabus reliquis partibus orientis et occidentis. Ac per hoc duo illa cubita, quibus longius erat aulæo velum capillacium, non lateribus austri et aquilonis, quæ paria erant atrii exterioris et tabernaculi interioris, sed lateribus orientis et occidentis proficiebant. In eis enim lateribus creverat tabernaculi latitudo,

[1] Editio Rat. et Mss. quatuor omittunt, *ante altare*.
[2] Sic vetus codex Corbeiensis. At editi et plures Mss., *a porta Austri*. Vaticanus Ms., *a porta atrii Austri*.

circumposito extrinsecus atrio : sed quinquaginta cubita velorum capillaciorum a parte orientis per decem columnarum rectum ordinem tendebantur, eisque proficiebat unum cubitum ex duobus illis, quibus eorumdem velorum major fuerat longitudo; alia vero cubita quinquaginta, quæ occidentali latere debebantur, quibus alterum ex duobus illis cubitum proficiebat, non tendebantur per columnarum ordinem rectum. Ibi enim erat illa tanquam triporticus, quæ concludebat spatium atrii, ubi esset altare sacrificiorum, quatuor columnis a porta, et ternis a lateribus: ac per hoc non poterant etiam portam [1] cingere illa cubita quinquaginta, sed usque ad cooperienda obliqua illa latera tendebantur, quæ in columnis ternis et quindenis cubitis erant. Erigebantur autem capillacia vela cubitis quatuor, eisque tegebantur atrii tentoria byssina, quorum erat erectio in cubitis quinque.

[1] Editi omittunt, *portam;* habent omnes Mss.

23. Pelles vero rubricatæ super capillacia vela veniebant. Desuper autem, id est, a parte tecti, vice cameræ tabernaculum pellibus hyacinthinis tegebatur : utrum cum atrio et spatium illud interius, non apparet; sed credibilius est atrii spatia quæ inter exteriores et interiores columnas erant, cœlum [1] apertum habuisse, maxime illud occidentis, ubi erat altare sacrificiorum.

[1] Am. Er. et Lov., *velum.* At Rat. et Mss., *cœlum.*

LIBER TERTIUS.

Quæstiones in Leviticum.

QUÆST. I. [LEVIT. *cap.* V, ỳ 1.] *Si autem anima peccaverit, aut audierit vocem jurationis, et ipse testis fuerit aut viderit, aut conscius fuerit, si non nuntiaverit, et accipiet peccatum :* hoc est, *Si non* utique *nuntiaverit* [1], *accipiet peccatum.* Quod enim additum est, *et,* locutionis est usitatæ in Scripturis. Verum iste sensus quia obscurus est, exponendus videtur. Hoc enim videtur dicere, peccare hominem, quo audiente jurat aliquis falsum, et scit eum falsum jurare, et tacet. Tunc autem scit, si ei rei de qua juratur, testis fuerit, aut vidit, aut conscius fuit; id est, aliquo modo cognovit, aut oculis suis conspexit, aut ipse qui jurat illi indicavit : ita enim potuit esse conscius. Sed inter timorem hujus peccati, et timorem proditionis hominum, non parva existit plerumque tentatio. Possumus enim paratum ad perjurium admonendo vel prohibendo a tam gravi peccato revocare : sed si non audierit, et coram nobis de re quam novimus, falsum juraverit, utrum prodendus sit, si proditus etiam in periculum mortis incurrat, difficillima quæstio est. Sed quia non expressit cui hoc indicandum est, utrum illi cui juratur, an sacerdoti, vel cuipiam qui non solum eum persequi non potest irrogando supplicium, sed etiam orare pro illo potest; videtur mihi quod se homo solvat etiam a peccati vinculo, si indicet talibus, qui magis possunt prodesse quam obesse perjuro, sive ad corrigendum eum, sive ad Deum pro illo placandum : si et ipse confessionis adhibeat medicinam.

II. [Ib. v, 2-6.] Post hoc autem peccati genus, quod de perjurio alicujus non indicato commemoravit nullum pro eo sacrificium jussit offerri; sed deinde subjunxit : *Anima quæcumque tetigerit omnem rem immundam, aut morticini, aut a fera capti immundi, aut eorum quæ sunt morticina abominationum immundarum, morticinum jumentorum immundorum; aut tetigerit ab immunditia hominis, ab omni immundita ejus, quam si tetigerit, inquinabitur : et latuerit eum, post hoc autem cognoverit, et deliquerit.* Neque hic sacrificium pro isto genere peccati quod offerretur commemoravit, sed adhuc adjecit, et ait : *Anima quæcumque juraverit distinguens labiis malefacere, aut benefacere, secundum omnia quæcumque distinxerit homo cum jurejurando, et latuerit eum, et id cognoverit, et peccaverit unum ex his, et confessus fuerit peccatum, pro quo peccavit adversus ipsum.* His omnibus sine aliqua interpositione sacrificii connexis et explicatis, adjungit, et dicit : *Et offeret* [2] *pro iis quæ deliquit Domino, pro peccato quo peccavit, feminam ab ovibus agnam, aut capram de capris pro peccato, et exorabit pro eo sacerdos pro peccato, et remittetur illi peccatum.* Quid est ergo quod pro tacito cujusquam perjurio, et pro eo quod tangitur morticinum vel aliquid immundum, nullum sacrificium commemoravit; pro eo vero peccato ubi falsum quisquam nesciens juravit, dixit offerri agnam vel capram? An pro omnibus supra dictis hoc sacrificium oportet intelligi? Voluit enim prius omnia enumerare, et sic inferre quo sacrificio possint expiari. Sed in eis omnibus supra dictis generibus peccatorum, sunt quædam propter locutionum modos subobscure posita, sicuti est quod ait, *morticinum jumentorum.* Ea enim quæ græce κτήνη appellantur, plerique nostrorum *jumenta* interpretati sunt; quod nomen in latina consuetudine eorum animalium est, quorum laboribus adjuvamur, maxime in portandis oneribus, sicuti sunt equi, asini, muli, cameli, et si quid hujusmodi : quæ vero Græci κτήνη vocant, tam late intelliguntur, ut omnia aut prope omnia pecora isto nomine concludantur. Et ideo novo genere locutionis, velut πλεονασμῷ, additum est in græco, *immundorum,* cum diceretur, *jumentorum :* quoniam sunt etiam munda pecora, quæ κτήνη appellantur. Quæ autem jumenta usus latinus appellat, secundum Legis distinctionem nonnisi immunda sunt.

III. [Ib. v, 2-6.] Item quod ait, *Anima quæcumque juraverit, distinguens labiis malefacere aut benefacere,*

[1] Juxta Er. et Lov., *Quid hoc est, si non nuntiaverit.* M.

[2] Mss., *afferet.* Sic etiam infra constanter, ubi in græc. LXX est, *oisei.*

quæritur quid dixerit, *distinguens*. Assidue quippe hoc verbum ponit Scriptura. Unde est et illud, *Reddam vota mea, quæ distinxerunt labia mea* (*Psal.* LXV, 13-14) : item dicitur ad Ezechielem, *Cum dicam iniquo, Morte morieris, et tu non distinxisti neque locutus es* (*Ezech.* III, 18) : item scriptum est, *Si qua in domo patris sui constituta voverit votum, distinguens labiis suis adversus animam suam* (*Num.* XXX, 4). Videtur ergo ista distinctio quasi definitio esse, qua secernitur aliquid a cæteris, quæ solo dicto non tenentur. Sic ergo accipiatur tanquam dictum sit, *Anima quæ juraverit, definiens labiis malefacere aut benefacere, secundum omnia quæ definierit homo cum jurejurando, et latuerit eum*, id est, nesciens faciendum esse vel non faciendum, juraverit facere : *et id cognoverit, et peccaverit unum ex his*, sive quia juravit antequam cognosceret, sive quia fecit quod juravit, et cognovit postea quia non fuit faciendum neque jurandum : *et confessus fuerit peccatum pro quo peccavit*, id est, peccatum quod peccavit : locutio est enim. Quod autem addidit, *adversus ipsum*, quid intelligitur, nisi adversus ipsum peccatum confessus fuerit, id est, confitendo peccatum accusaverit? *Et offeret pro iis quæ deliquit Domino, pro peccato quo peccavit, feminam ab ovibus agnam*. Usitata locutione *agnam feminam* dicit, quasi possit esse non femina : *aut capram de capris*, sicut *agnam de ovibus*, quasi possit esse aut agna nisi de ovibus, aut capra nisi de capris. Nonnulla autem quæstio est, imo non parva, quid sit quod assidue dicit, *Post hoc autem cognoverit, et deliquerit* : quasi tunc fiat delictum, cum fuerit cognitum. An potius quia nisi pro cognito satisfieri non potest? Sed non ait, Post hoc autem cognoverit et pœnituerit eum : quid ergo est, *Post hoc cognoverit et deliquerit*, nisi post cognitionem deliquerit ; ut si sciens fecerit quod faciendum non esset, tunc delicto purgatio debeatur? Sed non ita prælocutus est. Ea quippe videtur exsequi peccata quæ ab ignorantibus, et per hoc a nolentibus committuntur. Fortassis ergo aliquo genere locutionis *deliquerit* dictum est, delictum esse didicerit. An potius converso ordine dictum est (quia et talia genera locutionis habet Scriptura) quod per alia loca similia recto ordine dicebatur? Nam cum alibi toties scriptum sit, *Et deliquerit et cognitum fuerit ei*; hic tantum converso, ut dixi, ordine, prius dictum est *cognoverit*, deinde *et deliquerit*. Ordine autem suo, ita dici posset : *Anima quæcumque tetigerit omnem rem immundam aut morticini, aut a fera capti immundi, aut eorum quæ sunt morticina abominationum immundarum, morticinum jumentorum immundorum, aut tetigerit ab immunditia hominis, ab omni immunditia ejus quam si tetigerit inquinetur, et si latuerit eum, et deliquerit, post hoc autem cognoverit*.

IV. [Ib. v, 7.] *Si autem non valet manus ejus quod satis est in ovem, offeret pro peccato suo quod peccavit, duos turtures aut duos pullos columbinos Domino; unum pro peccato, et unum in holocaustoma*. Certe hic aperit quæstionem, de qua superius cum loqueretur ambigebamus. Ideo quippe videtur dicere, *unum pro peccato, alterum in holocaustoma*, quoniam non offerebatur sacrificium pro peccato nisi cum holocausto. Denique cum prius seorsum de holocaustis loqueretur, commemoravit turturem, et non dixit duos (*Levit.* I, 14) : nunc vero ideo duos dicit, quia sacrificium pro peccato sine holocaustomate non offerebatur. Quod ergo superius dicebat, *Et imponet super holocaustoma* (*Id.* IV, 35), non est dubium quod prius holocaustoma, deinde illud superimponebatur : nunc vero de avibus aliter dicit, ut prius offeratur pro peccato una avis, deinde altera in holocaustoma.

V. [Ib. v, 15.] Quod autem ait, *Anima, si latuerit cum oblivione;* id est, si oblivione factum fuerit ut lateat eum, vel eam si ad animam refers, quoniam *eum* dicendo, ad hominem retulit. Animam quippe hic hominem dicit.

VI. [Ib. v, 15, 16.] *Et peccaverit nolens a sanctis Domini* [1]. Videtur obscure positum hoc peccati genus, sed in consequentibus aperitur, ubi dicit post oblatum [2] de ariete sacrificium, *Restituet illud, et quintas adjiciet*. Ibi enim intelligitur hoc esse a sanctis oblivione peccare, aliquid per oblivionem usurpare quod debetur sanctis, sive sacerdotibus, sive oblationibus, vel primitiarum, vel quidquid hujusmodi.

VII. [Ib. 17-19.] *Et anima quæcumque peccaverit, et fecerit unum ab omnibus præceptis Domini, quæ non oportet fieri, et non cognoverit, et deliquerit, et non cognoverit peccatum suum* [3], *et afferet arietem sine macula de ovibus pretio argenti in delictum ad sacerdotem : et exorabit pro eo sacerdos propter ignorantiam ejus, quam ignoravit, et ipse non scivit, et remittetur illi. Deliquit enim delictum ante Dominum*. Excepta locutionum inusitata densitate, quæ jam propter assiduam repetitionem debent esse notissimæ, totus iste sensus obscurus est; quoniam quæritur quomodo discernatur hoc genus delicti ab eis quæ superius quadam generalitate complexus est. Videtur enim hoc ratio poscere, ut certis generibus peccatorum certa genera, quibus expientur, sacrificiorum adhibenda sint. Hoc autem quod modo commemoravi, non specialiter exprimit peccatum, sed in ea videtur generalitate versari, de qua ante cum diceret, constituit sacrificium sacerdoti vitulum, et universæ synagogæ similiter vitulum, principi caprum, et cuicumque animæ, hoc est cuicumque homini capram, vel si voluerit ovem, tamen femininum pecus (*Levit.* IV). Deinde cœpit excepta facere quædam genera peccatorum, et nominatim exprimere pro quibus quid offerendum sit : velut de audito et tacito cujusquam perjurio, et de tacto morticino et immundo, et juratione falsa per ignorantiam; de ovibus agnam, aut capram de capris, aut par turturum, aut duos pullos columbinos, aut decimam partem œphi similaginis; pro eo autem pec-

[1] Editi : *Et si peccaverit nolens a sanctis Dominum*. At Mss. consentiente græco carent, *si*, et habent, *Domini*. Quorum demum auctoritate passim lectionem græcam LXX Interpretum restituimus tam frequentibus locis, ut nos ea omnia pigeat annotare.

[2] Editi, *quod post oblatum*. Abest *quod* a Mss.

[3] Sic omnes codices hoc loco : licet postea in quæst. 20, n. 5, ferant, *et acceperit peccatum suum;* quæ lectio verior est, ut liquet ex græc. LXX.

cante qui per oblivionem aliquid sanctorum usurpavit, arietem et ejusdem rei restitutionem, quintis adjectis. Nunc vero non expressa specie peccati, generaliter addens, *Anima quæcumque deliquerit, et fecerit unum ab omnibus præceptis Domini, quæ non oportet fieri* (sic in illa generalitate dicebat, *Unum ex præceptis Domini quod non fiet*), *et non cognoverit, et deliquerit*, id est, per ignorantiam nolens peccaverit; arietem jubet offerri, non capram aut feminam ex ovibus, sicut superius in tali peccatorum generalitate constituerat. Quid sibi ergo vult ista permixtio? Nisi forte quod hic dicit, *Deliquit enim delicto delictum ante Dominum*, hoc quod ait, *ante Dominum*, in his voluit delictum intelligi, quæ fiunt ante Dominum, id est, quibus Domino in tabernaculo deservitur: unde aliquid paulo ante dixerat, cum ait, *Peccavit a sanctis;* et intelleximus, usurpavit aliquid sanctorum, quia etiam restitui præceperat. Ac per hoc non sic tantum peccari potest in his rebus, si aliquid inde per oblivionem usurpetur; sed etiam multis aliis modis potest quisque per ignorantiam delinquere in iis quæ servituti Domini exhibentur: hoc voluit postea genus delictorum generaliter commemorare, et ideo et illic et hic arietem jussit offerri. Plenæ sunt autem Scripturæ cum dicitur, *ante Dominum*, et non intelligitur nisi illud quod Domino exhibetur, sicut sacrificium, vel primitiæ, vel aliqua in sacris servitus.

VIII. [Ib. v, 7.] Quæritur etiam utrum ubique sit accipiendum quod dictum est, si non valet manus ejus quod satis est ad ovem, offerre eum debere par turturum, aut duos pullos columbinos; et si hoc quoque non valet, certam similaginis quantitatem. Quoniam si ubique ita licere intelligitur, non potest quidem dici, sacerdotem non habere vitulum, aut universam synagogam, aut principem non habere caprum [1] vel ovem: et si ita est, quid opus erat postea dicere, tacitum cujusquam perjurium, aut tactum immundum, et perjurium per ignorantiam factum purgari sacrificio agnæ et capræ, cum eadem sacrificia præcepta sint etiam in illa generalitate peccati, ad quam generalitatem etiam ista potuerunt pertinere? Si autem hinc ista discernuntur, quod licebat pro eis [2] turtures et columbos, vel etiam, si hoc non esset, similaginem offerri, ibi autem ubi non dictum est non licebat; non videtur subventum esse pauperibus; quoniam multa possent esse delicta non specialiter expressa, quæ ad illam generalitatem referrentur, ubi gravarentur inopes, si tantummodo capram feminam, et agnam ex ovibus, et illas aviculas [3], et similaginem licebat offerri. Nisi forte quis dicat, hoc discerni ista excepta et nominatim expressa peccata ab illis quæ generaliter commemorata sunt, quia hic agnam dixit, ibi ovem, ut ætas pecorum aliquam differentiam faciat: dum tamen intelligatur pauperibus peræque subventum, ut si non haberent ulla animalia quadrupedia, aut memoratas aves aut similaginem offerrent pro peccatis ignorantiæ suæ. Si autem movet quare cum generaliter omnia ignorantiæ peccata concluserit, et sacrificia non pro distantia peccatorum quam non fecerat, sed pro distantia personarum distinxerit; postea voluerit etiam peccata distinguere, et pro eorum diversitate sacrificia diversa præcipere, quasi non ad illam generalitatem omnia pertinerent: sic factam posterius exceptionem oportet intelligi, ut quæcumque remanserint, his exceptis quæ nominatim et specialim commemoravit, dicta in illa generalitate intelligamus. Quem modum locutionis non est alibi reperire: sed in Scripturis sanctis tale est illud ubi Apostolus ait, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est.* Hic enim nihil videtur prætermisisse peccati, quandoquidem ait, *Omne peccatum quodcumque fecerit homo:* postea tamen excepit fornicationem, cum intulit, *Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat* (I *Cor.* vi, 18). Quod secundum consuetudinem nostræ locutionis ita diceretur: Omne peccatum quodcumque fecerit homo excepta fornicatione, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat. Ita et hic, cum prius generaliter omnia ignorantiæ peccata diceret illis, quæ commemoravit, sacrificiis expianda; postea tamen excepit illa quibus expresse et distincte positis certam sacrificiorum purgationem adhiberet, ut his exceptis quæcumque reliqua essent, ad illam generalitatem pertinerent.

IX. [Ib. vi, 6, 10.] *Offeret arietem ab ovibus sine macula, pretio, in quod deliquit.* Non ita distinguendum est, quasi pretio in quod deliquerit, id est in quod pretium deliquit; sed si offeret arietem, pretio offerat, id est emptum. Etiam hoc enim videtur ad sacramentum alicujus significationis pertinere voluisse, quoniam pretium ipsum non definivit. Nam si definiisset, posset videri hoc præcepisse, ne vile pecus offerretur, ut etiamsi non emeret qui offerret, tale tamen offerret quod tanti valeret. Addito autem, non solum *pretio*, ut emptus aries offerretur, verum etiam *siclorum sanctorum*, ita enim dicit, *Pretio argenti siclorum siclo sancto* [1] (*Levit.* v, 15), aliquot siclis ut ematur aries, non uno siclo voluit. Quid sibi autem velit, siclum sanctum, jam ubi visum est disseruimus. Quod vero cum dixisset, *Et delecti sui offeret Domino arietem ab ovibus sine macula pretio;* deinde addidit, *in quod deliquit:* intelligendum est in id offerret in quod deliquit; id est, in eam rem, propter eam rem. *Et auferet holocarpoma quod consumpserit ignis, illam holocaustosim ab altari.* Quid auferet, si consumptum est? Jussit enim sacerdotem auferre post totius noctis ignem holocarpoma, id est, holocaustum quod ignis consumpserit. Vel quid sibi vult etiam illud quod addidit, *illam holocaustosim;* cum hoc intelligatur holocarpoma quod holocaustosis? Nisi forte illud est verum quod in quodam græco invenimus; non enim ait, auferet holocarposim, sed *auferet catacarposim*,

[1] Er et Lov., *capram.* Alii codices, *caprum.*
[2] Editi, *pro eo.* Mss. vero, *pro eis.*
[3] Forte leg., *et non illas aviculas.*

[1] In excusis, *argenti siclorum sanctorum.* In Mss., *argenti siclorum, siclo sancto.* Porro apud LXX legitur, *argurion suclôn, tô suclô tôn hagiôn:* in codicibus tamen aliquot, Nobilio teste, *tô suclô tô hagiô.*

hoc est, reliquias holocausti quod ignis consumpsit. Has autem reliquias, veluti est cinis et carbo, appellavit illam holocaustosim, ejus rei nomine quæ consumpta est, reliquias ipsius consumptionis appellans.

X. [Ib. vi, 9.] Quod autem supra dixit, *Ista lex holocausti*, et deinde exponens quæ sit eadem lex, dicit, *Ista holocaustosis, super incensionem ejus super altare totam noctem usque in mane, et ignis altaris ardebit super illud, non exstinguetur;* planius esset secundum nostræ consuetudinis locutionem, si non haberet, *et :* nam ista conjunctione detracta ita sensus contexitur, *Ista holocaustosis, super incensionem ejus super altare totam noctem usque in mane ignis altaris ardebit super illud*, id est, super altare. Deinde ad cumulum exprimendæ sententiæ intulit, *non exstinguetur :* nam hoc erat jam dictum, *tota nocte*.

XI. [Ib. vi, 11.] *Et induet stolam aliam, et abjiciet holocarpoma extra castra in locum mundum :* hoc appellat *holocarpoma* quod jam concrematum est; hoc autem in illo græco κατακάρπωσις legitur. Quidam vero latini addiderunt, *quod concrematum est* [1], et ita interpretati sunt, *Et abjiciet holocarpoma, quod concrematum est, extra castra in locum mundum*.

XII. [Ib. vi, 12.] *Et ignis super altare* [2] *semper ardebit ab eo, et non exstinguetur;* id est, ab illo igne in quo arsit holocaustum usque in mane. Non vult enim ignem prorsus exstingui, sed cum usque in mane arserit holocaustum, ablatis inde reliquiis consumptionis nec sic exstingui ignem, sed inde iterum renovari, quo ardeant alia quæ imponuntur.

XIII. [Ib. vi, 12 *et* 13.] Quod autem sequitur et dicit, *Et exuret super illud sacerdos ligna mane mane* [3], *et stipabit super illud holocaustum, et superponet super illud adipem salutaris; et ignis semper ardebit super altare, non exstinguetur :* videndum est utrum *mane mane* quotidie voluerit intelligi, ut nullus dies prætermitteretur, quo non inveniretur holocaustum, et adeps salutaris; an *mane mane*, ut quocumque die imponeretur, nonnisi mane imponeretur. Si enim quotidie intellexerimus, quid, si nullus afferret? Si autem tanquam de publico vel de suo sacerdotes quotidiana holocausta procurabant; super ipsa imponebantur ea quæ jussit a populo oblata pro peccatis super holocausta imponi; et non erat necesse offerenti sacrificia pro peccato, etiam holocaustum offerre super quod illud imponeretur, nisi quando par turturum offerebatur, aut duo pulli columbini : nam ibi omnino definitum est, unum pro peccato, alterum in holocaustum offerri oportere; et prius pro peccato, deinde in holocaustum (*Levit.* v, 7). Deinde quæri potest utrum holocaustum quod mane mane jussit imponi, ipsum etiam per totam noctem arderet usque ad alterum mane; an illud quod ait, tota nocte ardere debere, holocaustum fuerit vespertinum, et deinde cœperit de lege holocausti dicere, ut a vespertino holocausto inciperet : quod mirum est si taceret, nec admoneret talia vespere offerri oportere.

XIV. [Ib. vi, 20.] *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Istud donum Aaron et filiorum ejus, quod offerunt Domino in die quacumque unxeris eum.* Alia sunt sacrificia, quæ commemoravit in Exodo, quibus per septem dies sanctificantur sacerdotes, ut sacerdotio suo fungi incipiant (*Exod.* xxix, 1); et aliud est quod modo commemorat, quid offerat summus sacerdos, quando constituitur, id est quando ungitur. Hoc enim sequitur et dicit, *In die quacumque unxeris eum.* Non dixit, unxeris eos; cum etiam secundos sacerdotes ungi præcipiat. Deinde dicit ipsum sacrificium, *decimam partem œphi similagenis, in sacrificium sempiternum.* Quæritur quomodo sempiternum, si illud eo die offertur, quo ungitur summus sacerdos, ab illo qui unctus est, nisi ut semper hoc offeratur in die quo ungitur summus sacerdos, hoc est per successiones sacerdotum? quamvis et illo modo sempiternum possit intelligi, non hoc, sed quod significat.

XV. [Ib. vi, 20, 21.] *Dimidium ejus*, inquit, *mane, et dimidium ejus post meridiem;* quod græcus habet δειλινόν. *In sartagine*, inquit, *in oleo fiet, conspersam offeret eam, fresa*, id est eam similaginem. Deinde dicit *fresa*, si tamen hoc recte interpretatum est ex illo quod græcus habet ἐρικτά [1], et pluraliter hoc posuit genere neutro. Non enim ait fresam, tanquam eamdem similaginem, quam dixerat conspersam. Hæc autem fresa sacrificium de fragmentis esse dicitur. Utrum ergo fresa dicat ipsa fragmenta, id est comminuta; an ipsa minutissima similaginis fresa dixerit, non est evidens.

XVI. [Ib. vi, 21, 22.] Sequitur autem et dicit : *Sacrificium in odorem suavitatis Domino. Sacerdos unctus qui pro eo ex filiis ejus, faciet illud.* Propter hoc fortassis dixerat *sempiternum*, ut hoc faciat omnis summus sacerdos, quando succedit mortuo, eo die quo unctus fuerit; adjunxit enim et ait, *Lex æterna :* cum possit etiam æternum secundum id intelligi quod significat.

XVII. [Ib. vi, 23.] Sequitur autem, *Omne consummabitur;* quod habet græcus ἐπιτελεσθήσεται, et aliqui interpretes dixerunt, *Omne imponetur :* ubi vult intelligi esse holocaustum, quia nihil exinde remanet. Denique adjungit, *Et omne sacrificium sacerdotis, holocaustum erit, et non edetur.* Hoc ergo dixerat, *Omne consummabitur.*

XVIII. [Ib. vi, 26, 30.] De sacrificio pro peccato cum diceret, *Sacerdos*, inquit, *qui imponet illud, manducabit illud.* Non hoc quod imponet manducabit, nam illud igni consumetur; sed quod inde remanserit : non enim holocaustum est, ut totum ardeat in altari. Dicit autem postea : *Omnia quæ pro peccato sunt, ex quibus illatum fuerit a sanguine eorum in tabernaculum testimonii exorari in sancto, non edetur, sed igni concremabitur.* Quomodo ergo ad sacerdotes pertinent

[1] Sic Mss. At editi, *consecratum*.

[2] Editi, *Et ignis altaris*. Mss. juxta LXX, *super altare*.

[3] Editi, *mane*, hic et infra nonnisi semel : at Mss. et LXX iterato habent; pro quo Vulgata versio, *mane per singulos dies*.

[1] In editis et apud LXX, *elicta, convoluta*. Sed melius Ms. Corbeiensis, *ericta*, id est *fresa*, uti interpretatur Augustinus. Exstat eadem vox Levit. cap. 2, v. 14, *chidra ericta*, latine *segetes* seu *farra comminuta*.

manducanda, quæ remanent de sacrificiis pro peccatis? Propter quod intelligendum est hæc excepta esse, de quorum sanguine tangitur illud altare incensi in tabernaculo testimonii. Hoc enim jussit fieri superius de vitulo, quem pro peccato suo sacerdos offerret, et de vitulo quem pro peccato universæ synagogæ, ut carnes quæ remanserint, foris extra castra comburantur (*Levit.* IV, 12 *et* 21) : hoc et modo breviter commemoravit.

XIX. [Ib. VII, 1.] *Et ista est lex arietis qui pro delicto est, sancta sanctorum sunt :* id est ad sacerdotes pertinent manducanda.

XX. [Ib. VII, 7.] Quid est quod de ariete pro delicto cum dixisset, legemque sacrificii exposuisset, ait, *Quomodo quod pro peccato, ita et id quod pro delicto : lex una est eorum?* Quæritur inter peccatum et delictum quæ sit differentia ; quoniam si nulla esset, nullo modo diceretur, *Quomodo quod pro peccato, ita et quod pro delicto.* Quamvis enim lex ejusque sacrificium nihil distet, quia lex una est eorum ; tamen ipsa duo, quorum unum est sacrificium, id est peccatum et delictum, si inter se nihil differrent, et si unius rei duo nomina essent, non curaret Scriptura tam diligenter commendare unum esse utriusque sacrificium.

Fortassis ergo peccatum est perpetratio mali, delictum autem desertio boni : ut quemadmodum in laudabili vita, aliud est declinare a malo, aliud facere bonum, quod admonemur dicente Scriptura, *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 27) ; ita in damnabili, aliud sit declinare a bono, aliud facere malum ; et illud delictum, hoc peccatum sit. Nam et ipsum vocabulum si discutiatur, quid aliud sonat delictum, nisi derelictum? et quid derelinquit qui delinquit, nisi bonum? Græci etiam duo nomina usitata huic pesti imposuerunt. Nam delictum apud eos et παράπτωμα dicitur et πλημμέλεια. Isto ipso quippe loco Levitici πλημμέλεια est. Apostolus autem ubi dicit, *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto* (*Galat.* VI, 1), παραπτώματι græcus habet : quorum nominum si origo discutiatur in παραπτώματι, tanquam decidere intelligitur qui delinquit. Unde cadaver quod Latini a cadendo dixerunt, græce πτῶμα dicitur, ἀπὸ τοῦ πίπτειν, id est ab eo quod est cadere. Qui ergo peccando malum facit, prius delinquendo a bono cadit. Et πλημμέλεια simile nomen est negligentiæ : nam græce negligentia ἀμέλεια dicitur, quia curæ non est quod negligitur. Sic enim græcus dicit, Non curo, οὐ μέλει μοι. Particula ergo quæ additur πλὴν, ut dicatur πλημμέλεια, præter significat, ut ἀμέλεια quod vocatur negligentia, videatur sonare sine cura ; πλημμέλεια præter curam, quod pene tantumdem est. Hinc et quidam nostri πλημμέλειαν non delictum, sed negligentiam interpretari maluerunt. In latina autem lingua quid aliud negligitur, nisi quod non legitur, id est non eligitur? Unde etiam legem a legendo, id est ab eligendo latini auctores appellatam esse dixerunt. His quodammodo vestigiis colligitur quod ille delinquit, qui bonum derelinquit, et relinquendo a bono cadit, quia negligit, id est, non legit. Peccatum vero unde sit dictum, quod græce ἁμαρτία dicitur, in neutra lingua mihi interim occurrit.

Potest etiam videri illud esse delictum quod imprudenter, id est ignoranter ; illud peccatum, quod ab sciente committitur. Huic differentiæ videntur ista testimonia consonare divina : *Delicta quis intelligit* (*Psal.* XVIII, 13)? Et illud, *Quoniam tu scisti imprudentiam meam :* continuo quippe secutus adjunxit, *Et delicta mea a te non sunt abscondita* (*Psal.* LXVIII, 6) ; velut alio modo repetens eamdem sententiam. Nec ab eadem ratione discordat quod paulo ante commemoravi Apostoli dictum, *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto :* hinc enim quod præoccupatum dicit, imprudenter lapsum esse significat. Peccatum vero ad scientem pertinere apostolus Jacobus tanquam definiens ait : *Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi* (*Jacobi* IV, 17). Sed sive illa, sive ista, sive aliqua alia differentia sit peccati et delicti, nisi aliqua esset, non Scriptura ita loqueretur ut diceret, *Quomodo quod pro peccato, ita et quod pro delicto : lex una est eorum.*

Indifferenter autem plerumque dicuntur, ut et peccatum nomine delicti, et delictum nomine peccati appelletur. Neque enim cum dicitur in Baptismo fieri remissio peccatorum, non fit etiam delictorum : nec tamen utrumque dicitur, quia in illo nomine utrumque intelligitur. Sic et Dominus ait, pro multis effundi sanguinem suum in remissionem peccatorum (*Matth.* XXVI, 28) : numquid quoniam non ait, et delictorum, ideo quisquam dicere audebit in sanguine ipsius delictorum non fieri remissionem? Item quod scriptum est apud Apostolum, *Nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia vero ex multis delictis in justificationem* (*Rom.* V, 16) ; quid aliud quam nomine delictorum etiam peccata comprehensa sunt?

In hac quoque ipsa Scriptura Levitici, qua cogimur aliquam inter delictum peccatumque distantiam vel invenire vel credere, ita legitur, cum de his ipsis quæ pro peccatis offerenda jubebantur sacrificiis Deus loqueretur : *Si autem omnis,* inquit, *synagoga filiorum Israel ignoraverit, et latuerit verbum ab oculis synagogæ, et fecerit unum ab omnibus mandatis Domini quod non fiet, et deliquerint, et cognitum illis fuerit peccatum quod peccaverunt in eo.* Ecce ubi dixit, *Et deliquerint,* ibi continuo *peccatum quod peccaverunt* addidit, hoc ipsum utique quod deliquerunt. Et paulo post : *Si autem princeps,* inquit, *peccaverit et fecerit unum ab omnibus præceptis Domini Dei sui, quod non fiet nolens*[1], *et deliquerit.* Item in consequentibus : *Si autem anima,* inquit, *una peccaverit nolens, de populo terræ, in eo quod facit ab omnibus præceptis Domini quod non fiet, et deliquerit, et cognitum fuerit ei peccatum quod peccavit in ipso* (*Levit.* IV, 13, 14, 22, 27 *et* 28). Item alibi : *Anima quæcumque juraverit distinguens labiis malefacere aut benefacere, secundum omnia quæcumque distinxerit homo cum jurejurando, et latuerit eum, et hic cognoverit, et peccaverit unum ex his; et confessus fuerit peccatum pro quo peccavit adversus ipsum, et offeret pro eis quæ deliquit Domino, pro eo peccato quod peccavit.* Et paulo

[1] Ita in Mss. et apud LXX. At in editis, *non fecit volens.*

posi: *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Anima, si latuerit cum oblivione, et peccaverit nolens a sanctis Domini, offeret delicti sui Domino arietem sine macula de ovibus, pretio argenti siclorum siclo sancto, pro quo deliquit; et pro quo peccavit a sanctis, restituet, et quintas adjiciet super illud, et dabit illud sacerdoti: et sacerdos exorabit pro eo in ariete delicti, et remittetur illi.* Sequitur adhuc et dicit: *Anima quæcumque peccaverit, et fecerit unum ab omnibus præceptis Domini, quæ non oportet fieri, et non cognoverit*[1], *et deliquerit, et acceperit peccatum suum; et offeret arietem de ovibus pretio argenti in delictum ad sacerdotem: exorabitque pro eo sacerdos, pro ignorantia ejus quam ignoravit, et ipse non scivit, et remittetur illi. Deliquit enim delicto delictum ante Dominum* (*Levit.* v, 14-6, 14-19). Et adhuc ita dicit: *Et locutus est Dominus ad Moysen dicens, Anima quæcumque peccaverit et despiciens despexerit præcepta Domini, et mentitus fuerit quæ sunt ad proximum de commendatione aut de societate, aut de rapina, aut injuriam fecerit aliquam proximo, aut invenerit perditionem, et mentitus fuerit de eo, et juraverit injuste de uno ab omnibus quæcumque fecerit homo, ita ut peccet in his: et erit cum peccaverit, et deliquerit, et reddet rapinam quam rapuit, aut injuriam quam nocuit, aut commendatum quod depositum est apud eum, aut perditionem, quam invenit, ab omni re quam juravit pro ea injuste; et restituet ipsum, et quintas ejus adjiciet ad illud, cujus est ipsi reddet; et qua die convictus fuerit delicti sui*[2], *offeret Domino arietem ab ovibus sine macula, pretio in quod deliquit: et exorabit pro eo sacerdos ante Dominum, et remittetur illi de uno ab omnibus quæ fecit, et deliquit in eo* (*Id.* vi, 1-7). Pene ergo in omnibus factis quæ dicit esse peccata, eadem etiam delicta dicit. Quapropter et indifferenter ea dici manifestum est multis Scripturarum locis; et habere aliquid differentiæ Scriptura testatur, quæ dicit, *Sicut quod pro peccato, ita et quod pro delicto.*

XXI. [Ib. vii, 23-25.] *Omnem adipem boum et ovium et caprarum non edetis, et adeps morticinorum et a fera captorum fiet in omne opus, et cibo non edetur. Omnis qui ederit adipem a pecoribus quæ offeretis ab eis hostiam Domino, peribit anima illa de populo suo.* Dixerat superius, de adipe, *Omnis adeps Domino* (*Id.* iii, 16); et quæsieramus utrum omnis omnino pecoris mundi duntaxat (nam de immundis nulla quæstio est); et quid de adipe fieret, quem vetuit in escam venire: nunc autem dixit quid fieret de adipe morticini et a fera capti, ut sit in omne opus; omne opus, utique illud opus cui tale aliquid necessarium est. Unde remansit quæstio, quid fiat de adipe cæterorum animalium, quæ munda[3] sunt ad vescendum. Sed cum dicit omnem animam perire de populo suo, qui ederit adipem eorum pecorum, ex quibus Domino offertur, videtur definiisse illum tantum adipem de pecoribus mundis prohibitum manducari, ex quibus fit sacrificium: quamvis Judæos audierimus nullum omnino adipem in escam sumere. Sed quid Scriptura voluerit, non quid illi opinati fuerint, requirendum. Denique non inveniunt quid recte de adipe faciant, unde se abstinent, et quomodo eum projiciant, cum dictum sit, *Omnis adeps Domino;* si non adipem sacrificiorum tantum, sed etiam eorum animalium de quibus non sacrificatur, quamvis immundorum, hic volunt intelligi.

XXII. [Ib. vii, 29-34.] Quid sibi vult quod de sacrificiis salutaris iterum admonet, et dicit, cum qui offert donum sacrificii salutaris sui, pectusculum et brachium sacerdotibus dare debere, ita tamen, ut adeps pectusculi offeratur Domino cum pinna jecinoris[1]; cum superius loquens de sacrificiis salutaris pinnam jecinoris cum adipe ventris et renum et lumborum offerri Domino præceperit (*Levit.* iv, 9), tacuerit autem de adipe pectusculi? An quod ibi prætermisit, hic commemorat? Quare ergo de pinna jecinoris et ibi et hic? An forte aliquid interest quod superius de sacrificio salutaris præcepit, hic autem addidit *sui*, tanquam aliud sit salutaris, aliud salutaris sui?

XXIII. [Ib. iv, 3-7, et viii, 2, 14, 15, 28.] Cum sacrificia pro peccatis prius commemoraret, vitulum dixit offerendum pro peccato sacerdotis, qui fecisset populum peccare; postea etiam quando narravit Scriptura, quemadmodum ea quæ præcepit Dominus, gesta sunt erga Aaron et filios ejus, dicitur oblatus vitulus pro peccato; sed superius de sanguine vituli cornua tangi præcepit altaris incensi, aspergendum etiam ex ipso sanguine contra velum sanctum, reliquum vero sanguinem fundendum ad basim altaris holocaustomatum: postea vero quando sanctificatur Aaron, de aspersione sanguinis contra velum nihil dictum est; de cornibus autem altaris dictum est; sed non additum est *incensi;* additum est autem, effundendum sanguinem *ad basem altaris;* non dixit, ad basem ejus, tanquam necesse fuisset illud altare accipere, cujus cornua sanguine tetigisset: proinde quamvis ambigue sit positum, liberum est tamen ita intelligere factum, ut fuerat ante præceptum de vitulo pro peccato; ut non ejus altaris cornua tacta intelligamus, ad cujus basem fusus est sanguis; sed tacta cornua altaris incensi, fusum autem sanguinem ad basem altaris sacrificiorum.

Superius, quia generaliter præcipiebat, si sacerdos peccasset, ipsum sacerdotem unctum et consummatum, quem vult intelligi summum sacerdotem, sacrificia ista jussit offerre: nunc vero cum sanctificatur Aaron, Moyses offert et ipse accipit pectusculum impositionis, quod antea prælocutus est sacerdoti esse dandum. Inde autem puto pectusculum impositionis dictum, quia imponebatur inde adeps, sicut commemoravit superius de sacrificio salutaris. Cum ergo videatur ab Aaron cœpisse summum sacerdotium, quid putamus fuisse Moysen? Si ergo sacerdos non fuit, quomodo per illum omnia illa gerebantur? si autem fuit quomodo summum sacerdotium ab ejus fratre cœpisse definimus? Quanquam etiam psalmus ille, ubi dictum est, *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus* (*Psal.*

[1] Deerat *non* in excusis; at in Mss. et apud LXX reperitur.

[2] B. habent, *qua die convictus fuerit: et delicti sui.* Lectioni Er. et Lov. adhæremus. M.

[3] Editi, *immundæ.* Mss. melioris notæ, *munda.*

[1] Er. et Lov. legunt, *penna jecoris;* et paulo post, *pennam jecoris.* B., *pinna jocineris*, corrupte. M.

xcviii, 6), auferat dubitationem quod sacerdos fuerit et Moyses. Vestem tamen illam sacerdotalem, quæ magnum continet sacramentum, Aaron jubetur accipere et successores ejus summi sacerdotes (*Exod.* xxviii). In Exodo antequam omnino aliquid de sanctificandis et quodammodo ordinandis sacerdotibus præcipiatur, quando Moyse ascendente in montem, jubentur non ascendere sacerdotes (*Id.* xix, 24), quos intelligere alios non possumus nisi filios Aaron; non quia jam erant, sed quia futuri erant, hoc eos jam tunc Scriptura appellavit per anticipationem, sicut sunt pleraque talium locutionum: nam et filius Nave, Jesus appellatus est (*Id.* xxxiii, 11), cum longe postea hoc nomen ei Scriptura narret impositum (*Num.* xiii, 17). Ambo ergo tunc summi sacerdotes erant, Moyses et Aaron; an potius Moyses, Aaron vero sub illo? an et ipse summus propter vestem pontificalem, ille vero propter excellentius ministerium? Nam a principio ei dicitur, *Ipse tibi quæ ad populum, tu illi quæ ad Deum* (*Exod.* iv, 16).

Quæri etiam potest, post mortem Moysi quis ungebat successorem summi sacerdotis, qui succedere nisi defuncto non utique poterat. An quia jam unctus erat inter secundos sacerdotes (idem quippe fuit oleum, quo et summus et secundi ungebantur), vestem tantum sumebat ille pontifex, qua ejus summitas appareret? Et si ita est, utrum ipse sumebat, an eum alius induebat, sicut et post ejus mortem Moyses filium fratris sui? Si ergo ab alio vestiebatur, numquid non poterat a secundo summus; præsertim quia talis erat vestis, ut eum ab alio indui necesse fuerit? an sic induebatur prius, ut etiam postea? Non enim semel indutus non eam ponebat; aut cum posuisset, non eam resumebat. Fieri ergo fortasse poterat, ut secundi vestirent primum, obsequendo, non excellendo. Unde autem apparebat quisnam filiorum summo sacerdoti succedere deberet? non enim primogenitum, aut majorem Scriptura definivit: nisi intelligamus aliquo divino indicio fieri solere, sive per prophetam, sive quolibet alio modo quo consulit Deus solet: quanquam ex contentione res provenisse videatur, ut postea propterea fuerint plures summi sacerdotes, quia contendentibus excellentioribus, litis finiendæ causa pluribus honor ipse tribuebatur.

XXIV. [Ib. viii, 35.] Quid est quod dicit Moyses ad Aaron et filios ejus, cum sanctificantur ad ineundum sacerdotium, *Ad ostium tabernaculi testimonii sedebitis septem dies, die et nocte, ne moriamini?* Numquidnam credibile est, situ corporis uno loco sedere præceptos per dies septem die et nocte, unde se omnino non commoverent? Nec tamen hinc tanquam allegorice aliquid significatum, quod non fieret, sed intelligeretur [1], cogendi sumus accipere; sed potius agnoscere locutionem Scripturarum, ubi sessionem pro habitatione et commoratione ponit. Non enim quia dictum est de Semei quod sederit in Jerusalem annos tres (III *Reg.* ii, 38), ideo putandum est per totum illud tempus in sella sedisse, et non surrexisse. Hinc et sedes dicuntur, ubi habent commorationem quorum sedes sunt: habitatio quippe hoc nomen accepit.

XXV. [Ib. ix, 1.] *Et factum est, die octavo vocavit Moyses Aaron, et filios ejus, et senatum Israel.* Quem quidam nostri *senatum* interpretati sunt, γερουσίαν græcus habet: hoc est ergo secutus interpres, quia et senatus a senio videtur dictus. Non autem apte in latino diceretur, Vocavit senectutem Israel, pro senibus vel senioribus: quamvis eadem locutio esset si diceretur, Vocavit juventutem Israel, pro juvenibus. Sed hoc usitatum est in latina lingua, illud autem non est. Nam hoc proprie diceretur, si diceretur, Vocavit senectutem Israel. Unde quidam insolenter putantes etiam *senatum* dici, interpretati sunt *ordinem seniorum*. Compendio tamen forsitan melius diceretur, Vocavit seniores Israel.

XXVI. [Ib. ix, 2-4.] Moyses dicit ad Aaron: *Et senatui Israel loquere dicens, accipite hircum ex capris unum pro peccato, et arietem et vitulum et agnum anniculum in holocarposim sine macula, et vitulum a bobus, et arietem in sacrificium salutaris ante Dominum, et similam conspersam in oleo; quoniam hodie videbitur Dominus in vobis.* Quatuor genera sacrificiorum de animalibus superius commendavit; holocausti, pro peccato, salutaris, et consummationis: sed consummationis ad sacerdotis sanctificationem pertinet. Tria ergo genera reliqua hic præcipiuntur offerri, et dicitur hoc senioribus Israel ut pertineat ad universum populum. Sed hoc loco sacrificium pro peccato habet tria pecora; hircum, et arietem, et vitulum: ad holocaustum vero agnus pertinet; et ad sacrificium salutaris, vitulus et aries. Quapropter non est sic distinguendum, ut pro peccato non intelligatur nisi hircus, tria vero reliqua in holocaustum, id est, aries, et vitulus, et agnus: sed potius tria prima pro peccato, id est, quod dictum est, *Accipite hircum ex capris unum pro peccato, et arietem et vitulum*, subaudiatur pro peccato; et reliquus sit agnus in holocarposim, id est in holocaustum. Quod ideo commonendum a nobis fuit, quoniam posset etiam ita distingui, ut cum dictum esset, *Accipite hircum ex capris unum pro peccato*, reliqua jam ad holocarposim pertinere dicerentur. Quod vero adjungit, *sine macula*, ad omnia referri potest. Cum ergo ambiguum sit quomodo aptius distinguatur, illa res adducit ut tria superiora pro peccato intelligantur, quoniam superius pro peccato principis hircum jussit offerri (*Levit.* iv, 23); et pro peccato cujusque proprio, cum peccat ante Dominum, faciendo unum ex his quæ non oportet, præcepit arietem (*Id.* v, 18); pro peccato vero universæ synagogæ vitulum (*Id.* iv, 14). Oportebat ergo ut cum senatui loqueretur quid universus populus offerre debeat, et hircus jubeatur propter principes, et aries propter proprium uniuscujusque peccatum, et vitulus propter peccatum universæ synagogæ. Aliud est enim quod in populo habet quisque peccatum suum proprium, et possunt habere omnes propria, aliud quando commune peccatum est, quod uno animo fit, et una voluntate ad aliquid multitudine comparata committitur.

[1] In Er. Lugd. Ven. Lov. desunt verba, *sed intelligeretur*. M.

Quod vero sacrificia salutaris vitulum et arietem jubet, hæc jubet quæ præcipua sunt : universi enim populi causa est. Præcipiens autem antea de sacrificiis salutaris, undelibet jussit offerri, sive masculum, sive feminam : dum tamen nonnisi de bobus et de ovibus et capris offerrentur (*Levit.* III). Si autem quæritur quare duo præcepit, vitulum et arietem, difficile est invenire : nisi forte vitulum voluit sacrificium salutaris universi populi; arietem autem pro unoquoque tanquam pro singulis quibusque : quia videtur etiam superius quasi duo genera salutaris sacrificii præcepisse; unum quod velut universorum esset, appellavit sacrificium salutaris; alterum autem ubi dixit, *Si quisque obtulerit sacrificium salutaris sui.* Ubi etiam differentiam reperiebamus, quia in illo quod appellavit salutaris, non commemoravit adipem pectusculi offerendum Domino, atque ipsum pectusculum et brachium dextrum danda sacerdoti : sed in illo hoc fieri jussit quod postea dicit sacrificium salutaris sui (*Supra, quæst.* 22); quod forte intelligitur singulorum quorumque privatum, non publicum universorum. Nam et Moyses obtulit sacrificia salutaris, nec dictum est ibi, salutaris sui; credo, quoniam pro populo universo obtulit. Ubi autem universi, ibi et singuli; non autem ubi singuli, continuo ibi universi. Singula enim possunt esse sine universo; universi autem non possunt nisi ex singulis quibuscumque constare. Nam singuli quique congregati vel in summam reputati, faciunt universos.

Notandum est sane, cum pro populo offeruntur sacrificia, et pro peccato sacrificia jussa esse offerri, et holocaustum, et sacrificia salutaris; pro sacerdote autem oblatum fuisse pro peccato, et holocaustum, et consummationis, non autem salutaris : sed consummationis tunc oblatum est, quando sacerdotes sanctificati sunt ut sacerdotio fungerentur, et hæc obtulit Moyses pro Aaron et filiis ejus (*Levit.* VIII); postea vero Aaron ipse jam sanctificatus et sacerdotio fungens, offerre pro se jussus est vitulum pro peccato, et arietem in holocaustum. Non autem jussus est pro se offerre consummationis, quia tunc ideo oblatum est, ut consummaretur sanctificatione, et sacerdotio fungi posset, quo jam quoniam fungebatur, non opus erat eum iterum consummari.

XXVII. [Ib. IX, 7-21.] *Et ait Moyses ad Aaron, Accede ad altare, et fac quod pro peccato tuo, et holocaustum tuum : et exora pro te et domo tua.* Mirum est quomodo prius dicat faciendum quod pro peccato, deinde holocaustum, cum sacrificia pro peccatis super holocausta superius jubeat imponi (*Id.* IV, 35), excepto quod de avibus præcepit (*Id.* V, 8-10). An forte hic quod prius fiebat, id est holocaustum, posterius commemoravit? Non enim, quemadmodum de avibus, dixit, Fac prius illud et postea illud; sed, fac illud atque illud : quid autem prius faciendum sit, indicat superius exposita instructio, ubi dicit super holocaustum imponi sacrificium pro peccatis. Quanquam valde moveat quod etiam ita narrat Scriptura fecisse Aaron quod audivit; ut prius commemoret eum facere pro peccato, deinde holocaustum. Quod utrum et ipse prius fecerit, an prius hoc Scriptura narraverit quod postea factum est, sicut in multis facere solet, haberetur incertum, nisi quod dixi superius legeretur, cum ageret de sacrificio pro peccato. Ita enim legitur : *Et superponet illud sacerdos super altare super holocaustoma Domini, et exorabit pro eo sacerdos pro peccato quod peccavit, et dimittetur illi* (*Levit.* IV, 35). Quomodo ergo posset hoc super holocaustoma imponi, nisi holocaustoma prius imponeretur? Præcepit autem hoc et de sacrificio salutaris, ut super holocaustoma imponeretur : sed quia hoc non ubique dicit, non per omnia sacrificia salutaris, nec per omnia sacrificia pro peccato, potest forsitan dici non hoc regulariter fuisse præceptum : sed illic tantummodo ut fieret dictum est, id est in sacrificio salutaris, cum sit de bobus, ibi enim id præcepit; et in sacrificio pro peccato, cum fit [1] de femina ex ovibus : cætera vero sive sint salutaris, sive pro peccato, non esse necesse ut super holocausta imponantur.

Movet etiam quod cum faceret Aaron dona populi, quæ supra commemoravit, non omnia commemorata sunt immolata, quæ fuerant prædicta; sed tantum hircus pro peccato et holocaustum, ubi tamen illum agnum non expressit : duo vero alia, quæ ad sacrificia pro peccato potius quam ad holocaustum pertinere diximus, tacuit, id est arietem et vitulum; nisi forte a parte totum intelligi voluit, ut solo capro commemorato etiam illa subsecuta acciperemus.

Cum de sacrificiis salutaris populi narraret, quemadmodum ea fecerit Aaron, de vitulo et ariete ait : *Et occidit vitulum et arietem sacrificii salutaris populi, et obtulerunt filii Aaron sanguinem ad eum, et affudit ad altare in circuitu, et adipem qui a vitulo, et ab ariete lumbum, et adipem tegentem super ventrem, et duos renes, et adipem qui super ipsos est, et pinnam quæ est in jecinore; et posuit adipem super pectuscula, et imposuit adipes ad altare : et pectusculum et brachium dextrum abstulit Aaron, ablationem ante Dominum, quomodo præcepit Dominus Moysi* [2]. Nunc singulariter, nunc pluraliter loquitur, cum de duobus animalibus loquatur, vitulo et ariete. Quod ergo dicit *duos renes*, ab utroque animante intelligendum est, atque ita quatuor fiunt; ita et cætera. Quod vero ait, *Et posuit adipes super pectuscula,* cum ipsa pectuscula non imposuerit altari, sacerdoti enim debebantur cum brachiis dextris; quid sibi vult? An intelligendum est, Et posuit adipes qui sunt super pectuscula? ipsos enim posuit, quos imponeret altari a pectusculis demptos. Nam ita et superius præceperat. Denique sequitur, *Et imposuit adipes super altare, et pectusculum et brachium dextrum abstulit Aaron ablationem ante Dominum :* modo singulariter inferens, et pectusculum dicens, utique utrumque ex utroque animante, quæ pectuscula dixerat.

[1] In Er. Lugd. Ven. Lov., *cum sit.* M.
[2] Hic tres Scripturæ versiculos in ante excusis rejectos, scilicet, *Et adipem quia vitulo*, etc., revocavimus ex Mss.

XXVIII. [Ib. IX, 22.] Quid est quod ait, *Cum extulisset Aaron manus super populum, benedixit eos, et descendit, cum fecisset quod pro peccato, et holocaustomata, et quæ salutaris?* Ubi autem ista fecit, nisi super altare, id est, ad altare stans eique deserviens? Inde ergo descendit ubi stabat. Nimirum illius solutio quæstionis adjuvari hoc testimonio videtur, ubi quæsieramus in Exodo quomodo serviri potuerit ad altare, quod erat altum cubitis tribus? Gradum quippe illic intelligere prohibebamur, quia id Deus vetuerat, ne super altare pudenda virilia ministrantis revelarentur, quod utique fieret, si pars altaris gradus esset, id est, si compactus adhæreret (*In Exod. quæst.* 113). Denique ibi hoc vetuit, ubi de altari structili loquebatur, unum enim esset altare cum gradu cujus pars esset gradus, et ideo vetitum est; hic vero ubi altaris tanta fuerat altitudo, ut nisi sacerdos super aliquid staret, apte ministrare non posset, intelligendum est, quidquid illud erat, quod ad horam ministrationis ponebatur et auferebatur, non fuisse altaris partem, et ideo non fuisse contra præceptum, quo gradum habere prohibitum est: hoc autem qualecumque fuerit, tacuit Scriptura, et ideo quæstio facta est. Sed nunc cum dicit Scriptura sacerdotem, cum fecisset sacrificia, descendisse, hoc est cum immolata imposuisset altari, utique manifestat alicubi eum stetisse unde descenderet : et quia ibi steterat, ideo trium cubitorum altari ministrando deservire potuisse.

XXIX. [Ib. IX, 24.] *Et vidit omnis populus, et amens factus est.* Quod alii interpretes dixerunt, *expavit*, conantes transferre de græco quod dictum est, ἐξέστη, unde ἔκστασις dicitur, qui sæpe in Scripturis latinis legitur mentis excessus.

XXX. [Ib. IX, 24.] *Et exiit ignis a Domino, et devoravit quæ erant super altare, holocaustomata, et adipes.* Quid dixerit, *a Domino*, quæri potest utrum quia nutu et voluntate Domini factum est, an ab eo loco ignis exiit ubi erat arca testimonii. Non enim in loco aliquo ita est Dominus, quasi alibi non sit.

XXXI. [Ib. X, 1-3.] Posteaquam exeunte igne a Domino, incensi et mortui sunt filii Aaron, qui ausi sunt in batillis suis adhibito igne alieno incensum imponere Domino; quod ideo non licebat, quia ex illo igne qui divinitus in altare venerat deinceps custodito, omnia erant accendenda quæ in tabernaculo accendi oportebat : mortuis ergo illis ait Moyses, *Hoc est quod dixit Dominus dicens, In eis qui mihi appropinquant sanctificabor, et in omni synagoga glorificabor :* eos appropinquare Domino volens intelligi, qui in tabernaculo sacerdotio fungebantur; sanctificari autem in eis etiam vindicando, sicut factum est. Utrum ut hinc sciretur quam minus aliis parcat, si illis non parcit : quo sensu dictum est, *Si justus vix salvus erit, peccator et impius ubi parebunt* (I *Petr.* IV, 18)? An potius secundum illud, *Cui plus datur, plus exigitur ab eo?* et illud, *Servus qui non cognovit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit pauca : servus autem qui cognovit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit multa* (*Luc.* XII, 48, 47)? et illud, *Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potentiora tormenta patientur* (*Sap.* VI, 7)? Sed ubi hoc dixerit Dominus, quod eum dixisse Moyses commemoravit, in Scriptura quæ retro est non invenitur. Tale ergo est hoc, quale in Exodo, ubi dicit Domino, *Tu dixisti, Scio te præ omnibus* (*Exod.* XXXIII, 12); quod invenitur quidem Dominus ei dixisse, sed postea : sed quoniam mendaciter nunquam hoc Moyses diceret, intelligitur id ei etiam ante dixisse, quamvis scriptum non fuerit; ita et hoc. Unde apparet non omnia scripta esse quæ Deus locutus est eis, per quos nobis sancta Scriptura ejus ministrata est.

XXXII. [Ib. X, 6, 7.] Quid est quod Aaron et reliquos filios ejus mortem illorum duorum lugere prohibens dicit, *Caput vestrum cidara non denudabitis*, ubi certe ostendit cidaras tegmina capitum fuisse; nisi quia illa faciebant lugentes, quæ consuetudini ornatus essent contraria? Sicut enim in nostra consuetudine, quia caput apertum magis habetur, operitur in luctu; sic quia illi operimento capitis ornabantur, nudandum erat lugentibus. Quod ideo prohibet, ne lugerent eos in quorum pœna sanctificatus est Dominus, id est commendatus est timor ejus. Nec ideo quia lugendi non erant, nam permittit alios lugere illos : sed quia illi lugere tunc non debebant, cum dies sanctificationis eorum agerentur, nondum completis septem, quibus eos præcepit de tabernaculo non abscedere. Quanquam possit videri, quia illo oleo fuerant sanctificati, hoc dictum esse quod nunquam quemquam lugere deberent. Ita enim dicit : *Fratres autem vestri, omnis domus Israel, plorabunt incendium, quo incensi sunt a Domino. Et ab ostio tabernaculi testimonii non exibitis, ne moriamini : oleum enim unctionis, quod est a Domino, super vos est.*

XXXIII. [Ib. X, 9-11.] *Et locutus est Dominus ad Aaron dicens : Vinum et siceram non bibetis tu et filii tui tecum, cum intrabitis in tabernaculum testimonii, aut cum accedetis ad altare, et non moriemini.* Quando ergo eis bibere licebat, quandoquidem in tabernaculum eis quotidie necesse erat introire et accedere ad altare, propter continuam servitutem? Quod si quisquam dicit, non omni die sacrificia imponi solere, quid dicet de ingressu in tabernaculum, qui quotidianus erat propter candelabrum et panes propositionis super mensam ponendos? Si autem respondetur, *in tabernaculum testimonii* nunc quod ait, illud esse intelligendum ubi erat arca testimonii; etiam illuc necesse erat intrare summum sacerdotem propter incensum continuationis. Non enim semel in anno intrabat; sed cum sanguine purificationis semel in anno, propter incensum autem quotidie. An intelligendum est Deum præcepisse ut vinum omnino non biberent? Cur ergo non ita præcepit potius ut breviter diceret, *Vinum non bibetis;* sed addidit, *cum intrabitis in tabernaculum, aut cum accedetis ad altare?* An quia causa non bibendi tacenda non erat, maxime quia Deus præscius erat futuros postea tam multos etiam summos sacerdotes uno tempore, id est non

per successionem, qui tabernaculo et sacrificiis et incenso et universo illi ministerio vicibus deservirent; quando utique illi non bibebant, quorum locus erat deserviendi, alii autem bibebant? An quid aliud hoc loco intelligendum est? Quoniam cum vinum et siceram sacerdotes bibere prohiberet, secutus ait, *Legitimum æternum in progenies vestras* : ambiguum est utrum superiori sensui connectatur, id est, ad vinum non bibendum pertineat; an inferiori ubi sequitur, *Distinguere inter medium sanctorum et contaminatorum, et inter medium mundorum et immundorum; et instruere filios Israel omnia legitima quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi* : ut hoc sit officio sacerdotum legitimum æternum in progenies eorum. Quomodo autem dicat *æternum*, jam sæpe diximus. Hoc quoque ambigue positum est quod ait, *Distinguere inter medium sanctorum et contaminatorum, et inter medium mundorum et immundorum;* utrum ab eo quod sunt sancta et munda, vel inquinata et immunda; an ab eo quod sunt sancti et mundi, vel inquinati et immundi : id est utrum inter illa ipsa sacra, quæ rite vel non rite fierent, distinguere voluit sacerdotes; an inter ipsos homines probandos vel improbandos; an potius ad utrumque referendum est, sive homines, sive sacra.

XXXIV. [Ib. x, 14.] *Pectusculum segregationis et brachium ablationis manducabitis in loco sancto.* Quamvis singula singulis data sint, nimirum tamen utrumque posset dici segregationis, quia utrumque sacerdoti separatur; et utrumque ablationis sive demptionis, quod græce dicitur ἀφαίρεμα, quia utrumque demitur et aufertur eis pro quibus offertur, ut detur sacerdoti. Pectusculum sane impositionis superius legimus, et brachium ablationis; quia de brachio nihil imponebatur altari, adeps autem de pectusculo imponebatur.

XXXV. [Ib. x, 14.]. Quid est quod dicit, *De sacrificiis salutarium*, cum ea dicat quæ alibi dixit *sacrificia salutaris;* et cum singulari numero id dixit *sacrificium salutaris*, cum de eadem re diceretur [1]? An forte hoc loco ubi ait, *A sacrificiis salutarium*, sanitatum dici debuit? Nam in illo psalmo ubi dictum est, *Exaudi nos, Deus sanitatum nostrarum* (*Psal.* LXIV, 6), hoc verbum habet græcus quod etiam hoc loco, id est σωτηρίων· qui genitivus pluralis in græca lingua ambiguus est, utrum a salute, an à salutari nomen declinatum sit : quoniam σωτηρία dicitur salus vel sanitas, unde fit genitivus pluralis τῶν σωτηριῶν· salutare autem σωτήριον dicitur, et inde genitivus pluralis idem ipse est. Si ergo recte potest intelligi etiam sacrificium salutis quod est sacrificium salutaris, quoniam a salutari salus datur, et illud est salutare unde salus accipitur : non est necesse ut tanquam multorum salutarium sacrificia hic intelligamus, ubi dictum est *sacrificiis salutarium*, sed multarum forsitan sanitatum, quæ tamen ab uno salutari accipiuntur. Quod sit autem salutare Dei, de quo dictum est, *Calicem salutaris accipiam* (*Psal.* CXV, 13), et de quo Simeon dicit in Evangelio, *Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 30); fides christiana novit. Possunt sane non absurde intelligi vel dici etiam sacrificia salutaria, quæ sunt salutaris.

XXXVI. [Ib. x, [15-20.] *Et erit tibi et filiis tuis et filiabus tuis legitimum sempiternum.* Non frustra est additum, *filiabus;* quoniam quædam ad escas pertinentia sacerdotum prohibet a feminis accipi, sed a masculis jubet.

Cum quæsisset Moyses caprum oblatum pro populi peccatis, et non invenisset, quoniam fuerat incensus, et iratus esset, quod ea quæ pro peccato a populo offerrentur, constituit Dominus sacerdotibus edenda, oblatis inde adipibus et renibus; iratus autem esset non fratri suo, sed filiis ejus, credo quod ad eos suggerendi ministerium pertineret : respondit illi Aaron et ait, *Si hodiè obtulerunt ea quæ pro peccato illorum sunt, et holocausta sua ante Dominum, et contigerunt mihi talia, et comedam quod est pro peccato hodie, numquid placitum erit Domino? Et audivit Moyses, et placuit illi.* Hoc videtur dixisse Aaron, quod ipso die quo primum obtulerant filii Israel pro peccato suo, non debuit a sacerdotibus manducari, sed totum incendi, non inde regulam faciens ad cætera; nam deinceps sacrificia pro peccatis ipsi edebant : sed quia hoc primum fuit ipso primo die primitus oblatum, credendum est Aaron sacerdotem hoc divina inspiratione dixisse [1], ut et illud circa sacerdotes deinceps servaretur quod præceperat Dominus Moysi, et hoc quod Aaron dixit tanquam divinitus dictum Moyses approbaret. Quid ergo de cæteris ejusdem diei sacrificiis, id est de ariete et vitulo, quæ diximus etiam ipsa pro peccato oblata debere intelligi? An de vitulo nulla quæstio est, quoniam oportebat sic fieri, ut de ejus sanguine quemadmodum præceptum fuerat intromitteretur, unde et tangerentur cornua altaris incensi, et consequens erat ut totus arderet? Quid ergo de ariete? An quoniam primum caprum quæsivit Moyses, quod de capro illi responsum est, hoc et de ariete intelligendum est, quem ex ordine fuerat quæsiturus, nisi illud responsum sacerdotis ei placuisset? De vitulo autem quid quæreret, cum ea lege fieri potuerit, quam de vitulo pro peccato universæ synagogæ præceperat Deus, sicut de vitulo pro peccato sacerdotis, id est ut totus arderet extra castra (*Levit.* IV, 12 *et* 21)? Hæc enim sunt verba irascentis Moysi ad filios fratris sui, cum hircum pro peccato quæsitum non invenisset, quia fuerat totus incensus : *Quare non comedistis illud quod fuit pro peccato in loco sancto? Quoniam enim sancta sanctorum sunt, hoc vobis dedit edere, ut auferatis peccatum synagogæ, et exoretis pro eo ante Dominum. Non enim illatum est a sanguine ejus in sanctum ante faciem intus. Edetis illud in loco sancto, quomodo mihi constituit Dominus.* Utique cum dicit, *Non enim illatum est a sanguine ejus in sanctum ante faciem intus*, procul dubio discernit illud quod ita fit

[1] Hanc phrasim, mutata interpunctione, hocce modo legunt Fr. Lugd. Ven. Lov. : *Quid est quod dicit de sacrificiis salutarium : cum ea dicat quæ alibi dixit sacrificia salutaris singulari numero, id dixerit sacrificium salutaris, cum de eadem re diceretur?* M.

[1] Nostri omnes Mss., *hoc divina aspiratione dixisse.*

pro peccato sacerdotis, sive pro peccato universæ synagogæ, non de hirco, de quo sanguis quoniam non erat jussus inferri ad tangenda cornua intus altaris incensi, non debuit totus incendi, sed a sacerdotibus manducari. Hoc autem quare sit factum, id est ut etiam ipse totus incenderetur, respondit Aaron, et placuit Moysi.

Sane quoniam sex pecora præcepta fuerunt senioribus populi ut offerrentur pro populo, quorum prius quatuor commemoravit, hircum et arietem, et vitulum, et agnum anniculum; quorum manifestum est hircum pro peccato, manifestum est etiam agnum anniculum in holocaustum; duo vero media, arietem et vitulum, ambigue posita videramus, utrum ad sacrificium pro peccato pertinerent, et hirco adjungerentur, an potius agno ut in holocaustum offerrentur, unde quid nobis videretur, suo loco exposuimus: postea vero ut sex animalia complerentur, vitulum et arietem commemoravit in sacrificium salutaris; nec tamen in consequentibus cum immolata sunt, et identidem commemorata, fit mentio pecorum ipsorum arietis et vituli, quæ inter caprum et agnum posuerat, sed tantum ille vitulus et ille aries commemorantur, quos in sacrificium salutaris offerri jusserat, ut jam non sex pecora, sed potius quatuor fuisse credantur: potest fortassis intelligi quod duo illa, quæ prius inter hircum et agnum posuerat, iterum nominavit, et non est alius vitulus et alius aries in sacrificium salutaris: ut cum dixisset hircum pro peccato, et arietem et vitulum non dicens in quid, id est in quam rem, agnum vero anniculum in holocaustum; postea dicere voluerit quid de vitulo et ariete faciendum esset, id est, quia neque pro peccato sicut hircus, neque in holocaustum sicut agnus, sed in sacrificium salutaris jubebantur inferri. Sed si hoc intellexerimus, manebit quæstio quare pro peccato synagogæ hircus oblatus sit, cum de sacrificiis quæ pro peccatis offerenda essent ab initio Dominus loquens, vitulum offerri jusserit pro peccato synagogæ, sicut pro peccato sacerdotis, non caprum, sed vitulum; de quo vitulo etiam sanguinem, similiter ut pro peccato sacerdotis, ad tangenda cornua altaris incensi præcepit inferri (*Levit.* IV, 3-18): et quæ causa fuerit, ut pro peccato Aaron, et Moyses vitulum offerret (*Id.* VIII, 14), et ipse Aaron alterum vitulum (*Id.* IX, 8), sicut pro peccato sacerdotis secundum Dei præceptum offerri oportebat; pro peccato autem populi non vitulus, sicut præceptum fuerat, sed hircus potius offerretur. Quod cum moveret, visum est nobis, ut supra diximus, quod non solus hircus pro peccato populi, sed et aries et vitulus offerri jussus est, ut ad ista tria subaudiatur, pro peccato: quia et principes erant in populo, pro quibus hircus fuerat offerendus: et singuli quique habere propria peccata potuerunt, pro quibus aries; et unum aliquod peccatum omnes, pro quo vitulus, sicut ab initio præceptum fuerat, pro peccato universæ synagogæ vitulum offerri oportebat. Ideo autem cum immolata sunt, hircus tantummodo nominatur, ut alia etiam tacita intelligerentur, locutione a parte totum, quia omnia fuerant pro peccatis.

XXXVII. [Ib. XI, 33, 34.] Cum ageret de morticinis immundorum animalium, *Et omne vas fictile*, inquit, *in quo ceciderit ex eis intus* [1], *quæcumque sunt intus immunda erunt; et illud conteretur*, id est, ipsum vas. *Et omnis cibus qui manducatur, in quemcumque venerit super illum aqua, immundus erit vobis.* Non quæcumque aqua intelligenda est, quæ supervenerit cibo, facit eum immundum; sed ex illo vase quod factum est immundum de morticinis immundis, si forte ipsum vas habuit aquam.

XXXVIII. [Ib. XI, 47.] *Instruere* [2] *filios Israel inter vivificantia quæ manducantur, et inter vivificantia quæ non manducantur:* quæ græcus habet ζωογονοῦντα, nostri quidam *vivificantia* interpretari maluerunt, quia utcumque hoc verbum noster usus recepit, quam facere novum insolitum, si dici posset vivigignentia. Non enim quæ vivificant, id est vivere faciunt, sed quæ vivos fetus gignunt, id est non ova, sed pullos, dicuntur ζωογονοῦντα.

XXXIX. [Ib. XII, 4.] Quid est quod ait de muliere quæ peperit, *Omne sanctum non tanget, et in sanctuarium non introibit?* Quod sanctuarium vult intelligi; cum legatur in tabernaculum nonnisi sacerdotes solere ingredi, et usque ad velum interius secundum, ultra velum autem ipsum ubi erat arca, nonnisi unum summum sacerdotem? An et ante tabernaculum, ubi erat altare sacrificiorum, sanctuarium dici potuit? Nam sæpe appellatur locus sanctus etiam ipsum atrium, cum dicitur, *In loco sancto edent ea* (*Levit.* VI, 26). Illuc fortassis solebant intrare mulieres, quando offerebant dona sua, quæ imponerentur altari.

XL. [Ib. XII, 2-8.] Quid est quod dicit, *Si masculum pepererit mulier, immunda erit septem dies; secundum dies secessionis purgationis ejus immunda erit: et in die octavo circumcidet carnem præputii ejus; et triginta et tres dies sedebit in sanguine suo mundo. Omne quod sanctum est non continget, et in sanctuarium non introibit?* Quæ differentia est inter septem dies illos quibus dicit eam immundam, et triginta tres quibus in sanguine suo mundo sedebit? Si enim jam immunda non est per triginta tres dies, quare non tangit quod sanctum est? An hoc adhuc interest, quia in sanguine est, licet mundo: ut hoc distet, quia cum immunda est, ubicumque etiam sederit, immundum facit; cum vero jam in sanguine mundo sedet, tantum quod sanctum est non ei licet tangere, et in sanctuarium intrare? Hoc est enim quod ait, *secundum dies secessionis purgationis suæ*, quod dicit alio loco, immunditiam feminæ quæ menstruis purgatur, septem dierum esse, quando omne super quod sederit immundum erit (*Id.* XV, 19-23). *Secessionis* autem dicit, quoniam secedebat aliquantum, ne omnia coinqui-

[1] Hic in editis deest, *intus*: quod in Mss. et apud LXX habetur.

[2] Editi, *Instrue*. At Mss., *Instruere*: sicuti legendum conjiciebat Nobilius in annotationibus ad Levit. 2, ubi insuper monet verba isthæc: *Kai sumbibazein tous huious Israêl*, quæ quidem hodie LXX in excusis non habent, reperiri in aliquot codicibus inserta versiculo 47, proxime ad illud, *anameson tôn zôogonountôn*.

naret, cum perageret illos dies. Hos dies immunditiæ ejus, si feminam pareret, Lex duplicabat, et quatuordecim faciebat: reliquos autem quibus sedebat in sanguine mundo suo, etiam ipsos duplices jusserat observari, id est sexaginta sex, ut omnes essent in partu masculi quadraginta, in feminæ octoginta. Aliqui autem codices græci non habent, *in sanguine mundo suo;* sed, *in sanguine immundo suo.*

Et cum adimpleti fuerint dies purgationis ejus, super filio aut super filia offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum, et pullum columbinum aut turturem [1], *pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii ad sacerdotem: et offeret eum ante Dominum, et exorabit pro ea sacerdos, et purgabit eam a fonte sanguinis ejus. Ista lex ejus quæ peperit masculum aut feminam. Si autem non invenerit manus ejus quod satis est in agnum, et accipiet duos turtures, aut duos pullos columbinos; unum in holocaustum, et unum pro peccato: et exorabit pro ea sacerdos, et purgabitur.* Recte ergo superius non legendum est, *Offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum*, aut *pullum columbinum aut turturem pro peccato*, sicut nonnulli codices habent; sed sicut dictum est, *et pullum columbinum aut turturem pro peccato:* quandoquidem postea dicit, *Si non invenerit manus ejus quod satis est ad agnum, et accipiet duos turtures:* ubi plus videtur habere *et;* nam ea conjunctione detracta, integre sequitur, *accipiet duos turtures aut duos pullos columbinos*, unam avem scilicet in holocaustum, alteram pro peccato.

Sed quo peccato? Numquid peperisse peccatum est? An hic ostenditur illa propago ex Adam, unde Apostolus dicit, *Ex uno in condemnationem;* et quia *per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit* (*Rom.* v, 16, 12)? Et hic satis apparet quemadmodum dictum sit, *Ego enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis mater mea in utero me aluit* (*Psal.* L, 7). Cur ergo non illud quod natum est purgari dicit Scriptura per hoc sacrificium, sed ipsam quæ peperit? An ad ipsam quidem, unde illa origo trahebatur, relata purgatio est propter sanguinis fontem; non poterat tamen sine ipsius fetus purgatione fieri, qui ex ipso sanguine exortus est? Nam quo pertinet quod superius ait, *Super filio aut super filia offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum, et pullum columbinum aut turturem pro peccato*, si nihil per hoc sacrificium fiebat pro eis qui nascebantur?

Quod si quisquam ita distinguere conabitur, ut dicat non esse jungendum, *Super filio aut super filia* offerre *agnum anniculum sine macula in holocaustum, et pullum columbinum pro peccato;* sed ita potius legendum, *Et cum adimpleti fuerint dies purgationis ejus super filio aut super filia*, id est dies purgationis impleti fuerint super illo aut super illa, filio scilicet vel filia; ut deinde ab alio sensu sequatur, *Offeret agnum anniculum sine macula in holocaustum, et pullum columbinum pro peccato*, id est, pro peccato suo, cum completi fuerint dies purgationis ejus super filio aut super filia: quisquis ergo ita distinguendum putaverit, ex Evangelio convincetur, ubi cum tale aliquid nato ex virgine Domino facerent, magis propter consuetudinem Legis, quam propter necessitatem alicujus in eo expiandi purgandique peccati, sic legitur, *Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo* (*Luc.* II, 27): non dictum est, pro matre ejus, sed, *pro eo;* quamvis ea fierent quæ hoc loco præcepta sunt de duobus turturibus aut duobus pullis columbinis. Sic enim baptizari ipse etiam dignatus est baptismo Joannis, qui erat baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum (*Matth.* III, 13, 11), quamvis nullum haberet ille peccatum. Merito ergo quidam nostri ita interpretati sunt etiam istum in Levitico locum, ut non dicerent, *super filio aut super filia;* sed, *pro filio aut pro filia.* Hanc enim vim hujus præpositionis esse intellexerunt hoc loco, ubi græcus ait, ἐφ' υἱῷ ἢ ἐπὶ θυγατρί. Sane advertendum est quam pauper Dominus nasci voluerit, ut non pro illo offerretur agnus et pullus columbinus aut turtur, sed par turturum aut duo pulli columbini, sicut in Evangelio legitur (*Luc.* II, 24); quod Scriptura Levitici tunc jussit offerri, si non habuerit manus offerentis quod satis est in agnum.

XLI. [Ib. XIII, 20]. *Homini si cui facta fuerit in cute corporis ejus cicatrix signi lucida, et fuerit in cute coloris ejus tactus lepræ.* Velut exponendo dixit posterius, unde quod primum dixerat intelligeretur, quoniam dixerat, *Homini si cui facta fuerit in cute corporis ejus cicatrix signi lucida*, ne cicatricem sic intelligeremus, quomodo solet esse vestigium sanati vulneris, aperuit hoc se de colore dicere, cum adjunxit, *Et fuerit in cute coloris ejus tactus lepræ.* Quidquid ergo illud est, coloris vitium est, quod nomine cicatricis appellat. Quod vero ait, *tactus lepræ*, non quod tactu color sentiatur; sed ita dicit tactum lepræ, tanquam ipse homo vel corpus ejus lepra sit tactum, hoc est maculatum atque vitiatum: sicut dici solet, Tetigit eum, vel non tetigit febris. Denique ipsam maculam, tactum vocat, et eam semper isto nomine appellat. Unde nonnulli nostri non *tactum*, sed *maculam* interpretati sunt: quo nomine quidem planius videretur sonare quod legitur; sed potuit et græcus non dicere ἁφὴν, id est *tactum*, sed μῶμον, id est *maculam*, unde ἄμωμον dicit immaculatum: quanquam non ab illo solo quod in colore contingit, sed ab omni vitio purum solet Scriptura ἄμωμον dicere; unde non maculam coloris, sed omnis vitii notam vult intelligi, quod μῶμον appellat. Posset ergo quod ad solum colorem attinet σπίλον dicere; quo verbo usus est Apostolus, ubi ait de Ecclesia, *Non habentem maculam aut rugam* (*Ephes.* v, 27). Nec μῶμον autem, nec σπίλον dixit, sed ἁφὴν, id est tactum: quod et in græca lingua inusitate dicitur in coloribus;

[1] Editi pluresque Mss. hic et infra tertio loco, *et turturem.* Corbeiensis codex et unus e Vaticanis, *aut turturem.* Cui lectioni suffragantur LXX et versio Vulgata: neque porro adversatur Augustinus, uti Nobilio perperam videbatur. Postea quippe codices nonnullos reprehendit S. Doctor, non quia, *aut turturem*, sed quia, *aut pullum columbinum*, pro, *et pullum*, etc., exhiberent.

et tamen hoc Septuaginta interpretes non piguit græce dicere; cur ergo latinos piguerit? Quod autem dicitur *cicatrix signi*, vel ideo dicitur, quod significet aliquid; vel ideo potius, quod ipsum hominem signo quodam discernit a cæteris, hoc est, notabilem reddit.

XLII. [Ib. XIII, 3.] Quid est quod ait, *Et videbit sacerdos, et inquinabit eum?* ad quem veniet ut mundetur. Sed *inquinabit* dictum est, inquinatum pronuntiabit, si hæc in eo viderit, quæ Scriptura dicit de macula lepræ.

XLIII. [Ib. XIII, 4, 7, 2.] *Si autem lucidus albus erit in cute coloris ejus* [1], *et humilis non fuerit aspectus ejus a cute. Lucidus albus* subauditur tactus, id est, illa macula coloris, non pilus. Quod postea dicit, *Si autem conversa mutata fuerit significatio in cute;* hanc dicit significationem, quod superius *signum* in latino legitur. Nam græcus et supra et hic uno eodemque verbo usus est, σημασίαν dicens.

XLIV. [Ib. XIII, 5 et 6.] *Et segregabit illum sacerdos septem diebus in secundo; et videbit illum sacerdos die septimo in secundo : et ecce obscurus tactus non est conversus tactus in cute; et purgavit eum sacerdos : signum enim est :* hoc est, purgatum eum, pronuntiabit; non enim est lepra, sed signum.

XLV. [Ib. XIII, 4-7.] *Si autem conversa mutata fuerit significatio in cute, posteaquam vidit illum sacerdos ut purget : et visus fuerit denuo sacerdoti, et viderit eum sacerdos, et ecce commutata significatio in cute; et inquinabit eum sacerdos : lepra est.* Etiam hic *inquinabit* dixit, inquinatum pronuntiabit : *et* autem plus habet, ex more locutionis Scripturæ. Hoc itaque videtur admonuisse, ut cum visus fuerit solus color albus et lucidus, discolor sano colori, adhuc probetur a sacerdote, ut si viderit etiam pilum mutatum in album colorem, et humiliorem factum cutis locum, in quo est albus color, tunc pronuntiet lepram, id est, inquinet hominem pronuntiando leprosum. *Si autem*, inquit, *lucidus albus fuerit in cute coloris ejus*, id est, lucidus albus fuerit ille tactus; quo nomine eamdem maculam appellat : *et humilis non fuerit aspectus ejus a cute; et pilus non erit conversus in album, ipse autem est obscurus*, id est ipse pilus, quia non est albus : *et segregabit sacerdos tactum septem dies; et videbit sacerdos tactum die septimo*, id est illam maculam : *et ecce tactus manet ante eum; non commutatus est tactus in cute*, id est, non est discolor et dissimilis inventus a cute. Ergo sanatum est quod vitiosum erat : sed adhuc jubet probari eamdem sanitatem per alios septem dies, atque ideo sequitur et dicit, *Et segregabit illum sacerdos septem dies in secundo*, id est septem alios dies; *et videbit illum sacerdos die septimo in secundo : et ecce obscurus tactus*, id est, quia non albus et lucidus, ac per hoc concolor sano colori; *non est mutatus tactus*, in cute, sicut et paulo ante dixit, hoc est non est dissimilis a cætera cute : *et purgabit eum sacerdos*, id est, purgatum pronuntiabit a suspicione lepræ; non quod habuerit lepram, quam jam non habet, sed quoniam lepra non fuit, quod in illo lucido et albo colore tactus, id est maculæ illius quæ apparuerat, cum exspectaretur utrum humilior fieret locus, et pilus illic in album converteretur, non contigit, sed potius ille tactus qui fuit ante lucidus et albus, obscurus inventus est, id est similis cætero colori, non lucidus : non erat ergo lepra, *signum est enim*, non lepra, quod sic apparuerit : tamen etiam propter hoc purgatus a suspicione lepræ, *lavabit vestimenta sua;* quia et in illo signo aliquid fuit, propter quod lavanda fuerant vestimenta; *et mundus erit.*

XLVI. [Ib. XIII, 7, 8.] Deinde sequitur, *Si autem conversa mutata fuerit significatio in cute, posteaquam vidit illum sacerdos ut purgaret illum;* id est, posteaquam vidit eum sacerdos septimo die prius sanum, ut purgaret illum, mutata est illa significatio, id est illud signum in cute : *et visus fuerit in secundo sacerdoti*, id est post alios septem dies : *et viderit eum sacerdos, et ecce commutata est significatio in cute*, id est, non stetit in illa sanitate, in qua eum viderat post primos septem dies. *Et inquinabit illum sacerdos : lepra est.* Jam hic quoniam illud quod visum fuerat post primos septem dies sanum, non stetit in suo, sed mutatum est in pristinum vitium, lepra pronuntiatur; ita ut non illic exspectetur vel locus humilior, vel pilus in album conversus. Cum enim lepra non sit notabilis atque vitiosa, nisi varietas; hoc ipsum de vitioso colore redire ad sanum, et de sano redire ad vitiosum, ita notabile est, ut non ibi fuerit exspectandum, quod in primo exspectari præceperat, de humiliori loco et pili candore, sed jam etiam ista varietate sine dubitatione sit lepra.

XLVII. [Ib. XIII, 9-17.] Deinde sequitur : *Et tactus lepræ si fuerit in homine, veniet ad sacerdotem : et videbit sacerdos; et ecce cicatrix alba in cute; et hæc mutavit capillum album, et a sano carnis vivæ in cicatrice.* Hinc si subtrahamus *et*, more enim locutionis Scripturarum positum est, iste erit sensus : *Et videbit sacerdos; et ecce cicatrix alba in cute; et hæc mutavit capillum album a sano carnis vivæ in cicatrice.* Ordo est : *Mutavit capillum album in cicatrice a sano carnis vivæ;* id est, cum caro viva et sana habeat capillum obscurum, vel nigrum, hæc cicatrix album habet. *Lepra veterascens est in cute coloris ejus : et inquinabit eum sacerdos*, id est, inquinatum pronuntiabit. *Non segregabit eum, quia immundus est :* hoc videtur dicere, quia ubi inventus fuerit pilus in album mutatus concolor albo vitio cutis, jam non segregatur, ut probetur; nec exspectatur utrum etiam humilior fiat locus; sed ex hoc tantum quod alba est cutis discolor cæteræ, et album habet pilum discolorem cæteris qui sunt in carne viva et sana, lepra veterascens pronuntiatur : ideo veterascens, quia jam non est probanda illis bis septem diebus. *Si autem restitutus fuerit color sanus, et conversus fuerit albus :* quoniam dixerat totum album factum per totam cutem, eo ipso jam mundum esse; quia varietas ibi jam non esset. Deinde ait, *Et quacumque die visus fuerit in eo color vivus, inquinabitur :* ubi satis ostendit varietatem improbari. Ac per

[1] Am. Er. et Lov., *in cute color ejus.* Rat. vero et Mss., *coloris.* In græco est, *tou chrotos autou.*

hoc quod modo dixit, *Si autem restitutus fuerit color sanus, et conversus fuerit albus, et veniet ad sacerdotem; et videbit sacerdos : et ecce conversus tactus in album; et purgabit sacerdos tactum; mundus est.* Restitutum colorem sanum non debemus accipere, ut color sanus esset; etenim ipse erat per quem tamen fiebat immundus propter varietatem. Restitutum ergo dixit colorem sanum, ut illud esset quod fuerat, id est albus sano pereunte. Tunc enim rursus mundus erit, cum totus albus fuerit, quia nulla ibi varietas erit. Sed restitutum pro pereunte accipere, nimis inusitata locutio est. Magis enim videtur dicere debuisse, Si autem restitutus fuerit color albus : nunc vero ait, *restitutus sanus, et conversus fuerit albus;* tanquam diceret, Sanus color si restitutus fuerit in album.

XLVIII. [Ib. XIII, 30.] Quid est, quod cum de lepra capitis loqueretur, eam etiam quassationem (*a*) appellavit, cum in solo colore fiat, vel cutis vel capillorum, et quod humilior aspectus ejus a cætera cute appareat, sine dolore tamen et sine ulla vexatione? An hoc quod immundum est quassationem voluit appellare pro plaga, velut hac immunditia homo percussus sit?

XLIX. [Ib. XIII, 47 *et* 48.] Quid sibi vult, quod cum diceret de lepra vestimentorum aliarumque rerum ad usus hominum pertinentium, ait, *Aut in vestimento laneo, aut in vestimento stuppeo, aut in stamine, aut in lana, aut in lineis, aut in laneis;* cum jam supra dixisset, *in vestimento laneo, aut in vestimento stuppeo?* Nam stuppeum est utique lineum. An illic vestimenta intelligi voluit; hic autem quodlibet laneum et quodlibet lineum? Non enim vestimenta sunt stramina jumentorum, cum sint lanea; aut vestimenta sunt retia, cum sint linea. Prius ergo specialiter de vestimentis, deinde generaliter de omnibus rebus laneis et lineis dicere voluit.

L. [Ib. XIII, 48.] Quæritur quid dixerit, *In omni operaria pelle;* quod nonnulli interpretati sunt, *In omni confecta pelle.* Sed non ait græcus ἐργαστμένῳ δέρματι · ait autem ἐργασίμῳ, quod verbum etiam in Regnorum libro positum est, ubi Jonathan loquitur ad David, *Esto in agro in die operaria* (I *Reg.* XX, 19), id est, in die qua fit opus. Ac per hoc etiam hic pellem operariam in qua fit opus debemus accipere, id est alicui operi accommodatam. Sunt enim pelles quæ tantummodo ad ornamentum habentur, non ad opus.

LI. [Ib. XIII, 48.] Quid est quod ait, *In omni vase operario pellis;* nisi quod est ex pelle factum, hoc est in omni vase pelliceo? Hoc autem isto loco vas dicit, quod Græci appellant σκεῦος · hoc enim nomen generale est omnium utensilium. Aliud est autem quod appellatur ἀγγεῖον · nam et hoc latina lingua vas dicitur : sed ἀγγεῖον, illud magis intelligitur vas quod liquorem capit.

LII. [Ib. XV, 11.] Quid est quod ait, *Et quemcumque tetigerit*[1] *qui fluorem seminis patitur, et manus suas non lavit aqua, lavabit vestimenta, et lavabit corpus suum aqua, et immundus erit usque in vesperam?* Ambigue quippe positum est quod ait, *manus suas non lavit aqua*, velut posteaquam tetigerit. Sed intelligendum est, quemcumque non lotis manibus tetigerit, ipse quem tetigerit, lavabit vestimenta, etc.

LIII. [Ib. XVI, 16, 19.] Quid est, quod cum præciperet quomodo intrare deberet sacerdos summus in sanctum, quod est intra velum, ait inter cætera, *Et exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israel, et ab injustitiis eorum, et de omnibus peccatis eorum?* Quomodo ergo pro sanctis, si ab immunditiis filiorum Israel et ab injustitiis eorum de omnibus peccatis eorum? An quia non ait, pro immunditiis filiorum Israel, sed *ab immunditiis*, hoc intelligendum est, *Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israel*, id est pro eis qui sancti sunt ab immunditiis filiorum Israel, non consentientes immunditiis eorum : non quia pro ipsis tantum exorandum erat, sed quia etiam pro ipsis, ne quisquam putaret ita fuisse sanctos, ut nihil esset unde pro eis exoraretur, quamvis essent ab immunditiis filiorum Israel et ab injustitiis eorum alieni? *De omnibus peccatis eorum*, id est, quæ injustitiæ veniebant de omnibus peccatis eorum.

Potest et iste esse sensus, *Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israel;* id est, ut hoc pro illis exorari intelligatur, ut ab immunditiis filiorum Israel tuti essent. Sed *exorabit* non potest accipi, nisi quod alio verbo dicitur, propitiabit. Unde et propitiatorium vocatur, quod alii exoratorium interpretati sunt : græce autem dicitur ἱλαστήριον. Et quod hoc loco latinus ait, *Exorabit pro sanctis*, græcus habet ἐξιλάσεται, quod non intelligitur nisi pro peccatis. Unde scriptum est in Psalmo, *Qui propitius fit omnibus iniquitatibus tuis* (*Psal.* CII, 3). Hic ergo aptior sensus est, ut intelligatur sacerdos etiam pro his propitiare Deum, qui sancti sunt ab immunditiis filiorum Israel; et quia licet ita sancti sint ut immunditiis filiorum Israel et injustitiis non consentiant, habent tamen aliquid propter quod eis necessaria sit propitiatio Dei.

Sane in quodam græco invenimus, *Et exorabit sanctum;* non, *pro sanctis :* et illud quidem *sanctum*, genere neutro, id est τὸ ἅγιον. Nam posset intelligi, exorabit sanctum Deum, et nulla esset quæstio : quomodo autem possit intelligi, *exorabit hoc sanctum*, difficile est dicere, nisi forte illud sanctum quidquid est quod Deus est; quia et Spiritus sanctus, qui utique Deus est, neutro genere græce dicitur τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Et forte hoc est, si tamen ille codex verior est, qui emendatior videbatur, ἐξιλάσεται τὸ ἅγιον, hoc est, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, quod latine genere neutro dici non potest. Quamvis et in tribus aliis codicibus, uno græco et duobus latinis, non invenerimus, nisi quod supra diximus, *Exorabit pro sanctis.* Quod potest et sic accipi, ut non pro sanctis hominibus, sed pro iis quæ sancta sunt intelligatur, id est tabernaculo ipso, et quæcumque in eis essent sanctificata Domino : ut hoc sit, *Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum*

[1] In editis, *quicumque tetigerit :* et infra, *quicumque non lotis.* In Mss. constanter, *quemcumque.* Porro apud LXX legitur, *hosôn ean hapsétai, quæcumque tetigerit;* forte per librarios *hosou* mutatum est in *hosôn.* Quippe Vulgata versio habet, *Omnis quem tetigerit.*

(*a*) *Thrausma.*

Israel, propitiabit Deum pro iis quæ sanctificata sunt Domino, ab immunditiis filiorum Israel; quia in medio eorum erat tabernaculum. Sic enim sequitur : nam cum dixisset, *Exorabit pro sanctis ab immunditiis filiorum Israel, et ab injustitiis eorum, de omnibus peccatis eorum ;* continuo subjecit, *Et ita faciet tabernaculo testimonii quod creatum est in eis, in medio immunditiæ eorum :* ut ad hoc necessaria videatur illa propitiatio pro sanctis, id est pro tabernaculo et omnibus quæ in eo sancta dicuntur. Nam et paulo post hoc dicit de altari, quod aspersione sanguinis mundaret illud sacerdos, et sanctificaret ab immunditiis filiorum Israel.

LIV. [Ib. XVI, 20.] *Et perficiet exorans sanctum.* Utrum perficiet sanctum? an exorans sanctum, secundum id quod supra diximus? nam et hic neutro genere græce dictum est τὸ ἅγιον. Utrum ergo exorans Dominum perficiet sanctum, id est perfecte sanctificat quod sanctificat? an *perficiet*, quod ait, *exorans sanctum*, id est, illud sanctum quod est τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον?

LV. [Ib. XVI, 20, 27, 29, 33.] De duobus hircis, uno immolando, et alio in desertum dimittendo, quem ἀποπομπαῖον vocant (a), solet esse disceptatio : et a quibusdam ille immolandus in bono accipitur, ille autem dimittendus in malo. Non tamen iste sensus ideo confirmandus est, quia homo in cujus manu in eremum hircus dimittitur, cum redierit, lavare jussus est vestimenta sua et corpus suum aqua, et sic ingredi in castra; tanquam et hoc sit indicium cur in malo sit ille hircus accipiendus, a cujus contagione homo abluendus est. Sic enim dicit abluendum et qui alterius hirci vitulique acceperit carnes, et extra castra combusserit; quia ita de illo et de vitulo fieri jubet, de quorum immolatorum sanguine fit aspersio, et sunt pro peccatis : ac per hoc non negligenter istorum duorum hircorum distinctio in allegorica significatione tractanda est. Item cum constituisset diem decimum septimi mensis [1] sabbato sabbatorum, quo fieret supradicta purgatio a sacerdote illo uno qui patri succedit, loquens de eodem sacerdote ait, *Exorabit sanctum sancti :* quod jam nescio utrum aliter accipiendum sit, quam, Exorabit in sancto sancti, quodam genere locutionis; in illo scilicet sancto quo solus ipse summus sacerdos intrabat, quod est intra velum, ubi arca erat testimonii et altare incensi. Non enim eumdem locum tanquam Deum exorabit, sed quia ibi exorabit Deum, ita positum est, *Exorabit sanctum sancti.* Nam et hoc genere neutro in græco positum est, τὸ ἅγιον τοῦ ἁγίου. An forte Spiritum sanctum sancti Dei, hoc est, τὸ ἅγιον Πνεῦμα τοῦ ἁγίου Θεοῦ; An potius *Exorabit* dictum est, Exorando purgabit? Nam sic verba contexit : *Et exorabit sanctum sancti, et tabernaculum testimonii* [2], *et altare exorabit, et pro sacerdotibus et pro omni synagoga exorabit.* Quomodo ergo exorabit tabernaculum et altare, nisi, ut dictum est, intelligamus, exorando purgabit?

LVI. [Ib. XVII, 3, 4.] Illud quod dicit, *Quicumque occiderit vitulum, aut ovem, aut capram in castris, et quicumque occiderit extra castra, et ad ostium tabernaculi testimonii non attulerit*, et in hoc constituit peccatum, et comminatur facienti; non de iis dicit quæ occiduntur ad usum vescendi, vel si quid aliud, sed de sacrificiis. Prohibuit enim privata sacrificia, ne sibi quisque quodammodo sacerdos esse audeat; sed illuc afferat, ubi per sacerdotem offerantur Deo. Ita enim nec vanis sacrificabunt : nam et hoc in ea consuetudine cavendum præmonuit. Cum ergo non liceret offerri sacrificia nisi in tabernaculo, cui templum postea successit; unde et rex Israel Jeroboam vaccas facere ausus est, quibus populus sacrificaret, ne hujus legis necessitate seducerentur ab eo qui sub regno ejus erant, dum pergerent Jerusalem ut in templo Dei offerrent sacrificia sua, in quo facto a Domino condemnatus est (III *Reg.* XII, 28-30) : merito quæritur quomodo licite sacrificaverit Elias extra templum Dei, quando et ignem de cœlo impetravit, et prophetas dæmoniorum convicit (*Id.* XVIII, 36-39). Quod mihi non videtur alia ratione defendi, quam illa qua defenditur et Abrahæ factum, quod filium Deo jussus voluit immolare (*Gen.* XXII, 3-10). Cum enim jubet ille qui legem constituit, aliquid fieri quod in lege prohibuit, jussio ipsa pro lege habetur, quoniam auctor est legis. Non enim deesse possent miracula alia præter sacrificium, quibus superarentur et convincerentur prophetæ lucorum : sed Spiritus Dei qui fuerat in Elia, quidquid in hac re fecit, contra legem esse non potest, quia dator est legis.

LVII. [Ib. XVII, 10-12.] Quid est quod prohibens edendum sanguinem dicit, *Anima omnis carnis, sanguis ejus est?* Quem totum locum sic explicat : *Et homo, homo filiorum Israel, aut de proselytis qui appositi sunt in vobis, quicumque ederit omnem sanguinem ; et statuam faciem meam super animam quæ manducat sanguinem, et perdam illam de populo suo. Anima enim omnis carnis, sanguis ejus est. Et ego dedi illud vobis exorare pro animabus vestris : sanguis enim ejus pro anima exorabit. Propterea dixi filiis Israel, Omnis anima ex vobis non edet sanguinem ; et proselytus qui appositus est in vobis, non edet sanguinem.* Numquidnam si animam pecoris sanguinem dicimus, etiam anima hominis sanguis putanda est? Absit. Quomodo ergo non ait, Anima omnis carnis pecoris sanguis ejus est; sed, *Anima*, inquit, *omnis carnis sanguis ejus est?* In omni utique carne, etiam hominis caro deputatur. An quia vitale aliquid [1] est in sanguine, quia per ipsum maxime in hac carne vivitur, qui in omnibus venis per corporis cuncta diffunditur, ipsam vitam corporis vocavit animam, non vitam quæ migrat ex corpore, sed quæ morte finitur? Qua locutione dici-

[1] Editi, *diem decimum septimum mensis.* At Mss., *septimi mensis :* verius, ut patet ex LXX et ex Vulg.

[2] Editi, *tabernaculum testimoniorum.* Mss. cum græco, *testimonii.*

(a) Hircus emissarius græce *apopompaios*, dicitur apud LXX, Levit. cap. 16, vv. 8 et 10; scilicet juxta Theodoreti observationem in Levit., quæst. 22, *ôs apopempomenos eis tên erêmon*, ut qui emittatur in desertum : hinc enim appellatum esse colligit iis ex verbis Levit., cap. 16, v. 10, *aposteilai auton eis tên apopompên.*

[1] Editi, *an quia et tale aliquid.* Et paulum infra, *qui in omnibus venis et corporis junctura.* Reponimus ex novem Mss. : *an quia vitale, etc.... per corporis cuncta.*

mus istam vitam temporalem esse, non æternam; mortalem, non immortalem : cum sit immortalis animæ natura, quæ ablata est ab Angelis in sinu Abrahæ (*Luc.* XVI, 22); et cui dicitur, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Id.* XXIII, 43); et quæ in tormentis ardebat inferni (*Id.* XVI, 23). Secundum istam ergo significationem, qua perhibetur anima etiam hæc temporalis vita, dixit apostolus Paulus, *Non enim facio animam meam pretiosiorem quam me* [1] (*Act.* XX, 24); ubi se ostendere voluit et mori paratum pro Evangelio. Nam secundum significationem qua anima dicitur illa quæ migrat ex corpore, magis eam pretiosam faciebat, cui tantum meritum conquirebat. Sunt et aliæ hujusmodi locutiones. Vita itaque ista temporalis maxime sanguine continetur in corpore. Sed quid est quod ait, *Dedi vobis eum ad altare Dei, exorare pro anima vestra;* tanquam anima pro anima exoret? Numquid sanguis pro sanguine, quasi de nostro sanguine solliciti simus, cum pro anima nostra volumus exorari? Absurdum est hoc.

Sed multo est absurdius ut sanguis pecoris exoret pro anima hominis, quæ mori non potest : cum manifeste Scriptura testetur in Epistola ad Hebræos, illum sanguinem victimarum nihil profuisse ad exorandum Deum pro peccatis hominum; sed significasse aliquid quod prodesset. *Impossibile est enim*, inquit, *sanguinem hircorum et taurorum auferre peccata* (*Hebr.* X, 4). Restat itaque ut quoniam pro anima nostra exorat Mediator ille, qui omnibus illis sacrificiis quæ pro peccatis offerebantur præfigurabatur, illud appelletur anima quod significat animam.

Solet autem res quæ significat ejus rei nomine quam significat nuncupari; sicut scriptum est, *Septem spicæ, septem anni sunt;* non enim dixit, septem annos significant : et, *Septem boves, septem anni sunt* (*Gen.* XLI, 26); et multa hujusmodi. Hinc est quod dictum est, *Petra erat Christus* (I *Cor.* X, 4) : non enim dixit, Petra significat Christum, sed tanquam hoc esset, quod utique per substantiam non hoc erat, sed per significationem. Sic et sanguis quoniam propter vitalem quamdam corpulentiam animam significat, in sacramentis anima dictus est. Verum si quisquam putat animam pecoris esse sanguinem, non est in ista quæstione laborandum. Tantum ne anima hominis, quæ carnem humanam vivificat, et est rationalis, sanguis putetur, valde cavendum est, et hic error modis omnibus refutandus. Quærendæ etiam locutiones, quibus per id quod continet, significetur id quod continetur, ut quoniam anima sanguine tenetur in corpore (nam si fuerit effusus abscedit), per ipsum aptius significata sit anima, et ejus nomen sanguis acceperit. Sicut ecclesia dicitur locus quo Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur : *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam* (*Ephes.* V, 27). Hoc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem apostolus testis est, ubi ait : *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? an ecclesiam Dei contemnitis* (I *Cor.* XI, 22)? Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut in ecclesiam prodire, aut ad ecclesiam confugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum parietesque prodierit vel confugerit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur. Scriptum est etiam, *Et effundens sanguinem, qui fraudat mercedem mercenarii* (*Eccli.* XXXIV, 27). Mercedem sanguinem dixit, quoniam ea sustentatur vita, quæ nomine sanguinis appellatur.

Sed cum Dominus dicat, *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis meum sanguinem, non habebitis in vobis vitam* (*Joan.* VI, 54); quid sibi vult quod a sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificiis unum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum : a cujus tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo, non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam? Quærendum igitur quid significet, quod homo prohibetur in Lege sanguinem manducare, eumque Deo fundere jubetur. Nam de animæ natura, cur per sanguinem significata sit, quantum in præsentia satis visum est, diximus.

LVIII. [Ib. XVIII, 7, 8.] *Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuæ non revelabis; turpitudo enim eorum est* [1]. Prohibet cum matre concumbere : ibi est enim turpitudo patris et matris. Nam postea prohibet et novercæ, ubi dicit, *Turpitudinem uxoris patris tui non revelabis; turpitudo enim patris tui est :* ubi exposuit quomodo in matre utriusque sit turpitudo, id est patris et matris; in noverca enim tantum patris.

LIX. [Ib. XVIII, 9, 11.] *Turpitudinem sororis tuæ ex patre tuo, aut ex matre tua, quæ domi est nata, vel quæ foris nata est, non revelabis turpitudinem earum* [2]. *Quæ domi nata est*, intelligitur ex patre : *quæ foris nata est*, intelligitur ex matre, si forte de priore viro eam mater susceperat, et cum illa in domum venerat, quando patri ejus nupsit, quem monet Scriptura ne revelet turpitudinem sororis suæ. Hic videtur non prohibuisse, et quasi prætermisisse concubitum cum sorore de utroque parente nata : non enim dicit, Turpitudinem non revelabis sororis tuæ ex patre et matre, sed, *ex patre aut ex matre.* Verum quis non videat etiam illud esse prohibitum multo maxime? Si enim non licet sororis turpitudinem revelare ex quolibet parente natæ, quanto magis ex utroque? Quid est autem quod interposita prohibitione concubitus, etiam cum suis neptibus, sive de filio, sive de filia, sequitur et dicit, *Turpitudinem filiæ uxoris patris tui non revelabis?* Si enim huc usque dixisset, intelligeremus etiam cum filia novercæ prohibitum fuisse concubitum, quam ex priore viro noverca peperisset, nec hujus qui prohibetur soror esset, vel ex patre, vel ex

[1] Editio Rat., *pretiosam mihi.* Sic etiam Mss melioris notæ, imo omnes, excepto uno qui habet, *pretiosiorem mihi.* In græco textu Actuum, cap. 20, v. 24, legimus *timian emautô* : quod Mss. illis suffragatur.

[1] Mss., *turpitudinem eorum.* Editi, *turpitudo enim eorum est.* Neutra lectio convenit cum Scripturæ textu, in quo post *non revelabis*, proxime subsequitur, *mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus.*

[2] Editi, *turpitudo enim earum est.* Mss., *turpitudinem earum :* hanc lectionem confirmat græc. LXX.

matre : cum vero addidit, *Ex eodem patre soror tua est, non revelabis turpitudinem ejus*, manifestat de sorore factam esse istam prohibitionem, cum fuerit ex patre et ex noverca, de qua jam superius dixerat. An ideo iterum hoc apertius voluit prohibere, quia superius subobscurum fuit? sæpe enim hoc facit Scriptura.

LX. [Ib. XVIII, 14.] *Turpitudinem fratris patris tui non revelabis, et ad uxorem ejus non introibis.* Exposuit quid dixerit, *Turpitudinem fratris patris tui*, id est, patrui tui, *non revelabis :* hoc est enim, *ad uxorem ejus non introibis.* In uxore quippe patrui, voluit intelligi turpitudinem patrui; sicut in uxore patris, turpitudinem patris.

LXI. [Ib. XVIII, 16.] *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis; turpitudo fratris tui est.* Quæritur utrum hoc vivo fratre, an mortuo sit prohibitum : et non parva quæstio est. Si enim dixerimus de vivi fratris uxore locutam Scripturam, uno generali præcepto, quo prohibetur homo ad uxorem accedere alienam (*Exod.* XX, 14), etiam hoc utique continetur. Quid est ergo quod tam diligenter has personas, quas appellat domesticas, propriis prohibitionibus distinguit a cæteris? Non enim et quod prohibet de uxore patris, hoc est de noverca, vivo patre accipiendum est, et non potius mortuo. Nam vivo patre quis non videat multo maxime prohibitum, si cujuslibet hominis uxor aliena prohibita est maculari adulterio? De his ergo personis videtur loqui, quæ possent non habentes viros in matrimonium convenire, nisi Lege prohiberentur, sicut fertur esse consuetudo Persarum. Sed rursus, si fratre mortuo intellexerimus prohibitum esse ducere fratris uxorem, occurrit illud, quod excitandi seminis causa, si ille sine filiis defunctus esset, jubet Scriptura esse faciendum (*Deut.* XXV, 5) : ac per hoc collata ista prohibitione cum illa jussione, ne invicem adversentur, intelligenda est exceptio, id est, non licere cuiquam defuncti fratris ducere uxorem, si defunctus posteros dereliquit; aut etiam illud esse prohibitum, ne liceret ducere fratris uxorem, etiam quæ a fratre vivo per repudium recessisset. Tunc enim, sicut Dominus dicit, ad duritiam Judæorum Moyses permiserat dare libellum repudii (*Matth.* XIX, 8), et per hanc dimissionem potuit putari quod licite quisquam sibi uxorem copularet fratris, ubi adulterium non timeret, quoniam repudio discessisset.

LXII. [Ib. XVIII, 17.] *Turpitudinem mulieris et filiæ ejus non revelabis :* id est, ne putet quisquam licere sibi ducere filiam uxoris suæ. Simul enim mulieris et filiæ ejus non licet revelare turpitudinem, id est ambabus misceri, et matri et filiæ.

LXIII. [Ib. XVIII, 17, 18.] *Filiam filii ejus et filiam filiæ ejus non accipies.* Etiam neptem uxoris de filio vel de filia duci prohibuit. *Uxorem super sororem* [1] *ejus non accipies in zelum.* Hic non prohibuit superducere, quod licebat antiquis propter abundantiam propagationis : sed sororem sorori noluit superduci; quod videtur fecisse Jacob (*Gen.* XXX, 22-28), sive quia nondum fuerat lege prohibitum, sive quia supposita alterius fraude deceptus est, et illa magis de placito veniebat, quam posterius accepit; sed injustum erat priorem dimitti, ne faceret eam mœchari. Hoc autem quod ait *in zelum*, utrum ideo positum est, ne sit zelus inter sorores, qui inter illas quæ sorores non essent contemnendus fuit? [1] an ideo potius, ne propter hoc fiat, id est ne hoc animo fiat, ut in zelum sororis soror superducatur?

LXIV. [Ib. XVIII, 19.] *Et ad mulierem in segregatione immunditiæ ejus non accedes revelare turpitudinem ejus :* id est, ad menstruatam mulierem non accedes. Segregabatur enim secundum Legem, propter immunditiam. Hoc cum superius satis sufficienter prohibuisset (*Levit.* XV, 19-27), quid sibi vult quod etiam hic hoc eisdem præceptis voluit adjungere? An forte in superioribus quod jam dictum est, ne figurate accipiendum putaretur, etiam hic positum est, ubi talia prohibita sunt, quæ etiam tempore Novi Testamenti remota umbrarum veterum observatione, sine dubio custodienda sunt? Quod videtur etiam per prophetam Ezechielem significasse, qui inter illa peccata quæ non figuratæ, sed manifestæ iniquitatis sunt, etiam hoc commemorat, ad mulierem menstruatam si quis accedat; et inter justitiæ merita, si non accedat (*Ezech.* XVIII, 6, *et* XXII, 10). Qua in re non natura damnatur, sed concipiendæ proli noxium perhibetur [2].

LXV. [Ib. XVIII, 20.] *Et ad uxorem proximi tui non dabis concubitum seminis tui, inquinari ad eam.* Ecce ubi rursus prohibet adulterium, quod cum aliena uxore committitur, quod etiam in Decalogo prohibetur (*Exod.* XX, 14). Unde apparet illa ita prohibita, ut etiam mortuis viris suis non ducantur uxores, quarum prohibet turpitudinem revelari.

LXVI. [Ib. XVIII, 21.] *Et a semine tuo non dabis servire principi.* Hic non video quid intelligatur, nisi principi qui pro Deo colitur. Non enim ait δουλεύειν, sed λατρεύειν, in græco, quod latinus non solet interpretari, nisi ut dicat *servire ;* plurimum autem distat. Nam servire hominibus sicut servi serviunt, quod non est λατρεύειν, sed δουλεύειν, Scriptura non prohibet : servire autem secundum id quod est λατρεύειν, non jubetur hominibus, nisi uni vero Deo, sicut scriptum est, *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Deut.* VI, 13). Non solum autem hoc verbo, quod ait λατρεύειν, satis significat quem principem dicat, id est, cui cultus tanquam Deo exhibetur; verum etiam eo quod adjungit, *Et non profanabis nomen sanctum*, sive Dei, de cujus populo [3] datur illo modo servire principi; sive nomen sanctum ipsius populi Israel, propter quod dicitur, *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit.* XI, 44 ; XIX, 2 ; *et* I *Petr.* I, 16). Opportunissime etiam hic adjungit, *Ego Dominus ;* hoc utique

[1] Sic Mss. et LXX. At editi, *super uxorem sororem*, etc.

[1] In omnibus prope Mss. neutro genere, *zelum.......*, *quod .... contemnendum fuit.*

[2] Editi, *prolis noxium prohibetur.* Mss., *proli noxium ;* et ex his plerique, *perhibetur.*

[3] Sic Mss. At editi, *sive Dei, cui populo.*

admonens, quia illi soli debetur λατρεία, id est ea servitus qua servitur Deo.

LXVII. [Ib. XVIII, 25.] Quod dicit, *Et exhorruit terra eos qui insident super eam*, propter mala facta eorum, quæ superius commemoravit, non ideo dictum putandum est, quod habeat terra sensum quo ista sentiat et exhorreat; sed nomine terræ homines significat, qui sunt super terram. Proinde cum hæc mala faciunt homines, inquinant terram, quia inquinantur homines qui hæc imitantur; et exhorret terra, quia exhorrent homines qui nec faciunt nec imitantur.

LXVIII. [Ib. XIX, 11.] *Non furtum facietis neque mentiemini, neque calumniam faciet unusquisque proximo.* Illud de furto positum est in Decalogo. Quod autem dicit, *Neque mentiemini, neque calumniam faciet unusquisque proximo*, mirum si non eo præcepto continetur, quod ibi positum est, *Neque falsum testimonium dices adversum proximum tuum* (*Exod.* XX, 15, 16); quoniam neque calumnia sine mendacio fieri potest, quod falsi testimonii generalitate concluditur. Sed utrum hæc aliqua compensatione admittenda sint, magna quæstio est : sicut de mendacio pene omnibus videtur, quod ubi nemo læditur, pro salute mentiendum est. Utrum ergo ita et de furto? an furtum fieri non potest, ubi nullus læditur? Quinimo fieri potest, etiam quando ei cui fit consulitur, tanquam si quisquam homini volenti se occidere, gladium furetur. Nam calumnia nescio utrum cuiquam ad ejus utilitatem fieri possit : nisi forte quod ad majus gaudium fiebat, quo postea fruerentur, quod Joseph de scypho calumniabatur fratribus suis, quibus etiam explorationis falsum crimen intenderat (*Gen.* XLIV, 5, *et* XLII, 9, 14). Quanquam si definitionibus ista determinare tentemus, fortasse furtum non est, nisi quando alieno occulte ablato proximus læditur; et calumnia non est, nisi quando falsi criminis objectione proximus læditur : mendacium autem non possumus dicere tunc tantummodo esse, quando proximus læditur; cum enim falsum ab sciente dicitur, procul dubio mendacium est, sive illo quisquam, sive nemo lædatur. Proinde magna quæstio de mendacio, utrum possit aliquando justum esse mendacium, facile solveretur fortasse, si sola præcepta intueremur, non et exempla. Nam quid isto præcepto absolutius, *Non mentiemini?* Sic enim dictum est, quomodo, *Non facies tibi idolum;* quod factum non potest aliquando justum esse; et quomodo dictum est, *Non mœchaberis :* quis autem dicat aliquando mœchiam justam esse posse? Et, *Non furaberis :* secundum enim definitionem illam furti, justum esse furtum nunquam potest. Et, *Non occides* (*Exod.* XX, 4, 14, 15, 13); quoniam cum homo juste occiditur, lex eum occidit, non tu : numquid ita dici potest, Cum homo juste mentitur, lex mentitur? Sed exempla faciunt difficillimam quæstionem. Mentitæ sunt obstetrices Ægyptiæ, et bona illis Deus retribuit (*Id.* I, 19, 20) : mentita est Raab pro exploratoribus terræ, et ideo liberata est (*Josue* II, 4, *et* VI, 25). An ex quo dictum est in Lege, *Non mentiemini*, ex illo intelligendum est nec in tali causa licere mendacium, in quali causa legitur Raab esse mentita? Sed magis credibile est, quia injustum erat mendacium, ideo prohibitum; non quia prohibitum, ideo factum injustum. Fortassis ergo, sicut de obstetricibus diximus, non hoc in eis remuneratum quod mentitæ sunt, sed quod infantes Hebræos liberaverunt, ut propter hanc misericordiam illud peccatum veniale sit factum, non tamen existimetur non fuisse peccatum : sic etiam de Raab intelligendum est, remuneratam in illa liberationem exploratorum, ut propter eamdem liberationem venia sit data mendacio. Ubi autem venia datur, manifestum est esse peccatum. Sed illud cavendum est, ne ita quisque existimet etiam cæteris peccatis, si propter liberationes hominum fiant, ita veniam posse concedi. Multa enim mala intolerabilia et nimium detestanda istum sequuntur errorem.

LXIX. [Ib. XIX, 15.] *Non nocebis proximo.* Si quid sit nocere et non nocere, pateret hominibus, hoc generale præceptum ad innocentiam retinendam fortasse sufficeret. Omnia enim quæ prohibentur committi in proximum, ad hoc unum referenda sunt, quod dictum est, *Non nocebis proximo.* Nam quod sequitur, *Non rapies*, nisi ad hoc referatur, ne rapiendo noceatur, aliquando evenit, ut non rapiendo quisque noceat. Nam gladius insanienti rapiendus est, et si non fecerit quis ut oportuerit [1], magis nocuerit.

LXX. [Ib. XIX, 17 *et* 18.] Quid est quod cum supra dixisset, *Non odio habebis fratrem tuum in animo tuo : arguendo argues proximum tuum, et non accipies propter ipsum peccatum*, consequenter adjunxit, *Et non vindicatur manus tua?* utrum pro eo quod est, non punitur? Animo enim bono facis, cum disciplinam peccanti proximo imponis, ne accipias peccatum ejus negligendo. Ad hoc enim pertinet quod ante posuit, *Non odio habebis proximum tuum in animo tuo.* Videri enim potest ei qui arguitur, quod oderis eum, cum non sit in animo tuo. An, *non vindicatur manus tua*, hoc potius admonet, ne quæras vindicari manum tuam, nec ulciscendi libidine rapiaris? Nam quid est aliud, vindicari velle, nisi lætari vel consolari de alieno malo? Et ideo dictum est, *Non irasceris filiis populi tui.* Sic enim recte ira definita est, quod sit ulciscendi libido. Quidam vero codices habent, *Et non vindicabitur manus tua :* id est, ne arguendo vindicare te velis, sed potius consulere illi quem arguis.

LXXI. [Ib. XIX, 28.] *Et incisiones super animam non facietis in corpore vestro. Super animam dixit*, super funus mortui : de anima quippe dolor est quæ recessit. Ad hunc autem dolorem pertinet luctus, in quo luctu nonnullæ gentes habent consuetudinem secare corpora sua. Hoc fieri [2] Deus prohibet.

LXXII. [Ib. XX, 5.] *Ita ut fornicentur in principes* [3]

[1] Mss. Michaelinus et Beccensis, *uti potuerit.*
[2] Editi, *fieri a Judæis.* Mss. non habent, *a Judæis.*
[3] In editis exciderat particula, *in*, quæ restituitur ex Mss. et ex textu LXX, qui in excusis quidem habet, *hoste ekporneuein auton, ut fornicetur ;* sive, *ut fornicaretur ipse :* in aliis tamen libris (quos hic sequitur Augustinus), pro *auton*, legitur *autous*, teste Nobilio in Not. ad Levit., cap. 20 sic

de populo suo. Non de populo suo principes, sed de populo suo fornicentur. Eos quippe principes vult hic intelligi, qui pro diis colebantur : sicut Apostolus dicit, *Secundum principem potestatis aeris* (*Ephes.* II, 2); et in Evangelio Dominus, *Nunc princeps hujus mundi missus est foras* (*Joan.* XII, 31); et, *Ecce venit princeps mundi, et in me nihil inveniet* (*Id.* XIV, 30).

LXXIII. [Ib. XX, 10.] *Homo, homo quicumque adulteraverit uxorem viri, aut quicumque adulteraverit uxorem proximi sui, morte moriantur :* pluraliter dixit, *morte moriantur*, hoc est qui adulteravit, et quæ adulterata est. Hic aliquid distare voluit inter quemlibet virum et proximum, quamvis multis locis proximum pro omni homine ponat. Sed quæ est ista locutio, ut cum jam dixisset de viro, hoc idem repetierit de proximo, cum sit consequens, ut multo magis ab uxore proximi abstinendum sit, si ab uxore cujuslibet viri abstinendum est? Nam si prius de proximo dixisset, ne putaretur uxorem licere adulterare non proximi, addendum fuisset de quolibet viro : nunc vero, si quod minus est non licet; quanto minus licet quod majus malum est? Nam si non licet adulterare uxorem cujuslibet viri, quanto magis proximi? An forte ista repetitio tanquam exponit quid prius dictum sit, ut ideo intelligat homo quantum malum sit adulterare uxorem viri, quia si hoc fecerit, uxorem proximi adulterat? Proximus est enim omnis homo homini.

LXXIV. [Ib. XX, 16.] *Et mulier quæ accesserit ad omne pecus, ascendi ab eo, interficietis mulierem et pecus : morte moriantur; rei sunt.* Quæritur quomodo sit reum pecus, cum sit irrationale, nec ullo modo legis capax. An quemadmodum transferuntur verba modo locutionis, quæ græce appellatur μεταφορὰ, ab animali ad inanimale, sicut dicitur improbus ventus, vel iratum mare; ita et hic translatum est a rationali ad irrationale? Nam pecora inde credendum est jussa interfici, quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam.

LXXV. [Ib. XX, 17.] *Quicumque acceperit sororem suam ex patre suo, aut ex matre sua, et viderit turpitudinem ejus; improperium est : exterminabuntur in conspectu generis sui. Turpitudinem sororis suæ revelavit, peccatum suum [1] accipient.* Quid ait in hoc loco, *viderit*, nisi concumbendo cognoverit? sicut in Lege dicitur, *Cognovit uxorem suam* (*Gen.* IV, 1, 17 *et* 25), pro eo quod est, mixtus est ei. Et quid ait, *peccatum suum accipient*, cum de pœna eorum loqueretur, nisi quia et ipsam pœnam peccati, peccatum voluit appellare?

LXXVI. [Ib. XX, 20, 25.] *Quicumque dormierit cum cognata sua, turpitudinem cognationis suæ revelavit : sine filiis morientur.* Quæritur quousque sit intelligenda ista cognatio, cum ex longo gradu liceat utique accipere uxorem, semperque licuerit. Sed intelligendum est ex his gradibus quos prohibuit, non licere, et secundum ipsos dictum, *Quicumque dormierit cum cognata sua :* ubi et aliquas non commemoratas intelligendas dimisit, sicut sororem de utroque parente, sicut uxorem fratris matris, id est avunculi. Nam de uxore patrui primum prohibuit, quamvis hæc non cognatio, sed affinitas perhibetur. Sed quid est, *sine filiis morientur;* cum filii ex hujusmodi conjunctionibus et ante nati sint, et [1] hodieque nascantur? An hoc intelligendum est Lege Dei constitutum, ut quicumque ex eis nati fuerint, non deputentur filii, id est nullo parentibus jure succedant?

Et non exsecrabiles facietis animas et in pecoribus, et in volucribus, et in omnibus serpentibus terræ, quæ ego segregavi vobis in immunditiam. Videtur hic significare non hæc natura immunda esse, sed aliquo sacramenti signo; quandoquidem dicit, *quæ ego segregavi vobis in immunditiam*, tanquam immunda eis non essent, si eis segregata non essent.

LXXVII. [Ib. XX, 27.] *Et vir aut mulier, si forte fuerit illi ventriloquus, aut incantator, morte moriantur ambo : lapidibus lapidabitis eos; rei sunt.* Utrum vir et mulier, an vir et ventriloquus, aut mulier et ventriloquus sive incantator. Sed hoc magis, et qui habet, et quem habet [2].

LXXVIII. [Ib. XXI, 7, 8.] *Mulierem fornicariam et profanam non accipient, et mulierem ejectam a viro suo; quoniam sanctus est Domino Deo suo.* Superius, *non accipient* dixerat; nunc autem, *quoniam sanctus est*, non, quoniam sancti sunt : de pluribus qui uno sunt tempore sacerdotibus loquebatur, et de unoquoque eorum dixit, *quoniam sanctus est;* locutione qua solet uti Scriptura. Nam unum illum summum postea commemorat, qui intrabat ad sancta sanctorum. Nam et pluraliter conclusit, dicens, *Et sanctificabis eum : dona Domini Dei vestri iste offeret; sanctus est, quoniam sanctus ego Dominus, qui sanctifico eos.* Quantum autem pertinet ad dona, quoniam dixit, *dona Domini Dei vestri ipse offeret*, non solum summus ille offerebat, sed etiam secundi sacerdotes. Ac per hoc quod ait, *Mulierem fornicariam et profanam et ejectam a viro suo non accipient*, hoc et secundi sacerdotes prohibiti sunt : nam de summo postea dicit, qui etiam nonnisi virginem accipere jussus est.

LXXIX. [Ib. XXI, 10.] *Et sacerdos magnus a fratribus suis [3] :* id est, qui inter fratres suos magnus est, ille scilicet unus magnus sacerdos. *Cui fusum est super caput ex oleo christo :* ipsum oleum appellat Scriptura christum.

LXXX. [Ib. XXI, 10.] *Et consummatus manus induere vestimenta :* illa utique, quæ in veste sacerdotali operosissime describuntur.

LXXXI. [Ib. XXI, 10 *et* 11.] *Caput non releget cidari, et vestimenta sua non scindet, et super omnem animam mortuam non introibit.* Intelligitur ea quæ supra dixit, in luctu facere eum prohibitum, id est, caput nudare

Vulgatam observamus in Mss. Bibliis Germanensibus, et Corb. habere, *ut fornicarentur :* licet in editis ferat, *ut fornicaretur.*

[1] Ita editi. At Mss. hoc loco, *suum*, juxta LXX omittunt.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. omittunt, *et.* M.

[2] Mss. prope omnes, *et quæ habet.*

[3] Editi, *eorum fratribus.* Mss., *a fratribus :* his consentiunt LXX.

cidari, et vestimenta scindere. Vestimenta enim scindere lugentium erat antiquorum : sicut de Job scriptum est, cum ei filii ejus ruina nuntiarentur oppressi (*Job.* I, 20). Nudare autem caput cidari propterea lugentis esse potuit, quia detractio est ornamenti. Quod vero ait, *Super omnem animam mortuam non introibit ;* quomodo dicat animam mortuam corpus mortuum, difficile est intelligere : ea tamen Scripturarum est usitata locutio, quæ nobis inusitatissima est. Nomen ergo rectricis suæ etiam corpus accipit anima destitutum, quoniam reddendum illi est in resurrectione; sicut ædificium quod appellatur ecclesia, etiam cum inde Ecclesia exierit, qui homines sunt, nihilominus ecclesia dicitur. Sed cum corpus non accipiat animæ nomen in homine vivente, quomodo tunc vocetur anima, cum caruerit anima, mirum est. Porro si animam mortuam intellexerimus a corpore separatam, ut ipsam separationem mortem dixisse videatur, id est ut anima mortua sit dirempta a corpore, non natura sua perdita (non enim et cum dicimur mortui peccato [*Rom.* VI, 2], natura dicitur interiisse, sed quod jam peccato non utimur : ut sic intelligatur anima mortua, id est corpori mortua, quod uti eo desierit, cum in sua natura vivat); quomodo potest quisquam intrare super animam mortuam, quod sacerdos iste prohibetur, cum quisquis intrat, super mortuum corpus intret, non super animam quæ discessit a corpore? An ipsam vitam temporalem animæ vocabulo appellavit, quæ utique mortua est in defuncto corpore, anima illa emigrante, quæ mori non potest? Non quod ipsa vita anima fuerit; sed quod per animæ præsentiam, qua subsistebat, nomen ejus acceperit : sicut distinximus, cum de sanguine loqueremur, quid dictum sit, *Anima omnis carnis, sanguis ejus est* (*Supra*, *quæst.* 57). Est enim et ipse sanguis mortuus in corpore mortui : non enim cum abscedente anima abscessit. Vetuit ergo Scriptura summum sacerdotem etiam super patris vel matris funus intrare ; quod secundum non prohibuit. Sequitur enim, *Super patrem suum et super matrem suam non inquinabitur.* Ordo est autem verborum, *Super patrem suum non inquinabitur*, nec *super matrem suam.*

LXXXII. [In XXI, 12.] *Et de sanctis non exibit :* eo procul dubio tempore quod suorum funera celebrabantur, sicut et septem diebus quibus sanctificabatur, de sanctis est exire prohibitus (*Levit.* VIII, 33) ; non autem semper. Sane si uxores ducere, vel filios gignere non vetabantur summi tunc sacerdotes, magna oritur quæstio. Cum Lex etiam conjugali concubitu immundum hominem dicat usque ad vesperam, etiam cum abluerit corpus suum aqua (*Id.* XV, 16) ; et jubeatur summus sacerdos propter incensum continuationis bis in die quotidie intrare intra velum (*Exod.* XXX, 7, 8), ubi erat altare incensi, nec quemquam immundum ad sancta fas esset accedere : quomodo id quotidie summus sacerdos implebat, si filios procreabat? Nam si ægritudo illi accidisset, quis loco ejus fungeretur, si quis inquirat; responderi potest quod gratia Dei non ægrotabat : numquid sic etiam de filiorum procreatione responderi potest? Unde fit consequens ut aut continens esset, aut diebus aliquibus intermitteretur incensum (*a*); aut si illud intermitti non posset, quod nonnisi per summum sacerdotem necesse esset imponi, non fieret immundus coitu conjugali, merito præcipuæ sanctificationis suæ. Aut si etiam ad ipsum pertinet, quod de omnibus filiis Aaron in consequentibus dicit, ut nullus eorum accedat ad sancta, si cui aliquid acciderit immunditiæ ; illud profecto restat accipere [1], quod nonnullis diebus non imponebatur incensum.

LXXXIII. [In XXI, 11.] Quod autem super funus patris sui summus sacerdos prohibetur intrare, quæri potest quomodo jam esse poterat summus sacerdos, nondum mortuo patre suo, cum eos patribus succedere jubeat. Ideo necesse erat nondum sepulto summo sacerdote, continuo substitui sacerdotem propter continuationis incensum, quod per summum sacerdotem quotidie oportebat imponi (*b*). Quanquam et illa quæstio de ægritudine summi sacerdotis manet, si vel moriturum necesse erat diebus aliquibus ægrotare : nisi forte et hoc ita solvatur, ut dicatur non solere summos sacerdotes, nisi subito mori, non præcedente ægritudine; sicut de ipso Aaron Scriptura testatur (*Num.* XX, 26-29).

LXXXIV. [In XXI, 15.] Advertendum est quoties dicit, *Ego Dominus*, *qui sanctifico eum*, loquens de sacerdote; cum hoc etiam Moysi dixerit, *Et sanctificabis eum* (*Exod.* XXIX, 24). Quomodo ergo et Moyses sanctificat et Dominus? Non enim Moyses pro Domino : sed Moyses visibilibus Sacramentis per ministerium suum; Dominus autem invisibili gratia per Spiritum sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium Sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiæ, visibilia Sacramenta quid prosunt? Merito autem quæritur, utrum etiam ista invisibilis sanctificatio sine visibilibus Sacramentis, quibus visibiliter homo sanctificatur, pariter nihil prosit : quod utique absurdum est. Tolerabilius enim quisque dixerit, sine illis istam non esse, quam si fuerit non prodesse; cum in ista sit omnis utilitas illorum. Sed etiam hoc, quod sine illis ista esse non possit, quomodo recte dicatur, intuendum est. Nihil quippe profuit Simoni mago visibilis Baptismus, cui sanctificatio invisibilis defuit : sed quibus ista invisibilis, quoniam affuit profuit, etiam visibilia Sacramenta perceperant [2] similiter baptizati. Nec tamen Moyses, qui visibiliter sacerdotes sanctificabat, ubi fuerit ipse ipsis sacrificiis vel oleo sanctificatus, ostenditur : invisibiliter vero sanctificatum negare quis audeat, cujus tanta gratia præeminebat? Hoc et de Joanne Baptista dici potest : prius enim baptizator, quam baptizatus apparuit (*Matth.* III, 11, 14). Unde eum sanctificatum nequaquam negare possumus : id tamen in eo factum visibiliter non in-

[1] Sic Mss. At Editi, *immunditiæ pro peccato, illud restat accipere.*
[2] Mss. Beccensis et Michaelinus, *percepere.*
(*a*) II Retract. 2, cap. 55, n. 2.
(*b*) Ibid.

venimus antequam ad ministerium baptizandi veniret. Hoc et de latrone illo, cui secum crucifixo Dominus ait (*a*), *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Neque enim sine sanctificatione invisibili tanta felicitate donatus est. Proinde colligitur invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse atque profuisse sine visibilibus Sacramentis, quæ pro temporum diversitate mutata sunt, ut alia tunc fuerint, et alia modo sint : visibilem vero sanctificationem, quæ fieret per visibilia Sacramenta, sine ista invisibili posse adesse, non posse prodesse. Nec tamen ideo Sacramentum visibile contemnendum est : nam contemptor ejus invisibiliter sanctificari nullo modo potest. Hinc est quod Cornelius et qui cum eo erant, cum jam invisibiliter infuso sancto Spiritu sanctificati apparerent, baptizati sunt tamen (*Act.* X, 44-48) : nec superflua judicata est visibilis sanctificatio, quam invisibilis jam præcesserat.

LXXXV. [Ib. XXII, 1, 2.] *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens, Dic Aaron et filiis ejus, et attendant a sanctis filiorum Israel, et non profanabunt nomen sanctum meum, quanta* [1] *ipsi sanctificant mihi. Ego Dominus. Et dices illis, In progenies vestras omnis homo quicumque accesserit ab omni semine vestro ad sancta, quæcumque sanctificaverint filii Israel Domino, et erit immunditia ejus in illo, exterminabitur anima illa a me. Ego Dominus Deus vester.* Ablata est omnis dubitatio, neminem sacerdotum vel summorum vel secundorum debuisse accedere ad sancta, si immunditia ejus in ipso esset. Erat ergo consequens continentia sacerdotis, ne propter filiorum procreationem aliquibus diebus non imponeretur continuationis incensum, quod a solis summis sacerdotibus bis in die solebat imponi, mane et vespera (*Exod.* XXX, 7, 8) : quandoquidem post coitum conjugalem etiam toto corpore immundus erat usque ad vesperam (*Levit.* XV, 16), a quo id necesse erat imponi. Quod autem ait, *quæ sanctificant filii Israel*, intelligendum est, offerendo sacerdotibus offerendum per eos Domino. Et notandum sanctificationis genus, quod fit voto et devotione offerentis. Sed utrum sicut isto modo sanctificantur ea quæ offeruntur ab hominibus, ita et ipsi homines eodem modo seipsos sanctificare dicantur, cum in aliqua re seipsos vovent, observandum est in Scripturis.

LXXXVI. [Ib. XXII, 4.] *Et qui tetigerit omnem immunditiam animæ :* id est, aliquid morticinum, cujus secundum Legem tactus inquinat.

LXXXVII. [Ib. XXIV, 15, 16.] *Homo, homo si maledixerit Deum suum, peccatum accipiet : nominans autem nomen Domini, morte moriatur:* quasi aliud sit maledicere Deum suum, aliud nominare nomen Domini; atque illud sit peccatum, hoc autem tantum nefas, ut etiam morte sit dignum. Quamvis hoc loco ita intelligendum sit, quod dictum est, *nomen Domini*, ut cum maledicto fiat, id est maledicendo nominet. Quid ergo distat inter illud peccatum et hoc tanti sceleris crimen? An forte hoc ipsum repetendo monstravit non leve illud esse peccatum, sed tantum scelus quod morte puniendum sit? sed quia per distinctionem hoc intulit, non dicens, nominans enim, sed, *nominans autem;* subobscurum factum est. Et ideo si hoc recte intelligitur, notandum est etiam locutionis genus.

LXXXVIII. [Ib. XXIV, 17.] *Et homo qui percusserit omnem animam hominis, et mortuus fuerit, morte moriatur.* Non ait, Quicumque percusserit hominem, et mortuus fuerit, sed, *animam hominis;* cum potius corpus hominis a percussore feriatur, sicut et Dominus dicit, *Nolite timere eos qui corpus occidunt* (*Matth.* X, 28). Eo more ergo quo solet Scriptura, appellat animam vitam ipsam corporis, quæ fit per animam, et hinc voluit ostendere homicidam, quod hominis animam percutiat, id est percutiendo vita hominem privet. Cur ergo addidit, *Et mortuus fuerit*, si jam hoc ipso ostendit homicidium, quod animam hominis percusserit, id est vita homo a percutiente privatus sit? An exponere voluit quomodo accipiendum sit, quod dixerat, hominis animam percussam, et sic ait, *et mortuus fuerit*, tanquam diceret, id est mortuus fuerit? hoc est enim, animam hominis fuisse percussam.

LXXXIX. [Ib. XXV, 2-7.] *Cum introieritis in terram quam ego do vobis, et requieverit terra quam ego do vobis, sabbata Domini. Sex annis seminabis agrum tuum, et sex annis putabis vineam tuam, et congregabis fructum ejus : anno autem septimo sabbata, requies erit terræ, sabbata Domino.* Quomodo intelligendum est, *Cum introieritis in terram quam do vobis, et requieverit terra; sex annis seminabis agrum tuum*, etc., quasi tunc fieri præceptum sit, quando terra requieverit; cum propterea terra requiescat, quoniam hoc fit. Requiem enim terræ septimo utique anno vult intelligi, quo jussit nihil in ea quemquam operari per agriculturam. Sed nimirum longum hyperbaton facit obscuritatem huic sensui. Videtur ergo hic esse ordo verborum : *Cum introieritis in terram quam ego do vobis, et requieverit terra quam ego do vobis, sabbata Domini : quæ ab se surgunt agrum tuum non metes, et uvam sanctificationis tuæ non vindemiabis : annus requiescendi erit terræ. Et erunt sabbata terræ esca tibi, et puero tuo, et puellæ tuæ, et mercenario tuo, et inquilino qui applicitus est ad te, et pecoribus tuis, et bestiis quæ sunt in terra tua omne quod nascetur ex eo in escam.* Interposuit autem exponendo quomodo terra requiescat, et ait : *Sex annis seminabis agrum tuum, et sex annis putabis vitem tuam, et congregabis fructum ejus : anno autem septimo sabbata, requies erit terræ, sabbata Domini. Agrum tuum non seminabis, et vineam tuam non putabis.* Et per hoc quod ait, *non putabis*, omnem culturam eo anno prohibitam debemus accipere. Neque enim si putanda non est, aranda est, aut adminiculis suspendenda, vel quodlibet aliud, quod ad culturam ejus pertineat, adhibendum : sed quomodo solet a parte totum intelligi, ita per putationem omnis cultura significata est. Et per agrum atque vineam, cum et illum seminari, et hanc putari prohibuit, omne agri genus intelligendum est. Neque enim in oliveto, vel

[1] Editi, *quando*. At Mss., *quanta ;* juxta LXX, *hosa*.
(*a*) Vide Retract. lib. 2, c. 55.

quolibet alterius generis agro aliquid operandum est, de quibus tacuit. Quod vero ait, *Et erunt sabbata terræ esca tibi, et puero tuo, et puellæ tuæ*, etc., satis aperuit nec dominum agri prohibitum vesci eis, quæ non adhibita cultura illo anno sponte nascantur, sed fructus redigere prohibitum. Sic ergo permissus est aliquid inde in escam sumere, quomodo transiens, ut hoc solum caperet quod statim vescendo consumeret, non quod in usus reponeret.

XC. [Ib. XXV, 23.] *Et terra non venumdabitur in profanationem :* alii codices habent, *in confirmationem ;* quam mendositatem in alterutris prius in græco accidisse arbitror, propter verbi similem sonum : βεβήλωσις enim profanatio dicitur ; βεβαίωσις autem, confirmatio. Sed ille sensus apertus est, *Et terra non venumdabitur in profanationem :* id est, ne quis auderet terram, quam accepit a Deo, vendere profanis, qui ea utantur ad impietatem cultumque deorum alienorum atque falsorum. Illud autem subobscurum est, *Non venumdabitur terra in confirmationem :* quod puto non intelligendum, nisi ne ita venditio confirmetur, ut eam non recipiat venditor tempore remissionis, sicut præceptum est. Quod vero sequitur, utrique sensui potest congruere, sive legatur, *Et terra non venumdabitur in profanationem;* sive, *in confirmationem.* Secutus quippe adjunxit, *Mea enim est terra, propter quod proselyti et incolæ vos estis ante me.*

XCI. [Ib. XXV, 24.] *Et per omnem terram possessionis vestræ mercedem dabitis terræ :* alii autem codices habent, *redemptionem dabitis terræ.* Sensus ergo hic est : *Non venumdabitur terra in profanationem*, id est, illis qui ea utantur in injuriam Creatoris ; aut *in confirmationem*, id est, ut eam emptor perpetuo possideat, nec certo secundum Dei præceptum intervallo annorum restituat venditori. *Mea est enim*, inquit, *terra :* unde secundum meum præceptum ea uti debetis. Atque ut ostenderet suam esse, non ipsorum, quid ipsi in ea essent, consequenter adjunxit, dicens, *Propter quod proselyti et incolæ vos estis ante me :* hoc est, Quamvis proselyti, id est advenæ sint vobis, qui ex alienigenis adjunguntur genti vestræ ; et incolæ, id est non in terra propria manentes : tamen etiam vos omnes ante me advenæ estis et incolæ. Hoc Deus dicit, sive Israelitis, quod aliarum gentium terram, quas expulit, eis dederit : sive omni homini, quoniam ante Deum qui semper manet [1], et sicut scriptum est, cœlum et terram implet (*Jerem.* XXIII, 24), utique præsentia sua, omnis homo advena est nascendo, et incola vivendo ; quoniam compellitur migrare moriendo.

XCII. [Ib. XXV, 24.] Deinde adjungit et dicit, *Per omnem terram possessionis vestræ mercedem dabitis terræ*, tanquam inquilini, vel *redemptionem.* Illud, nisi fallor, vult intelligi quod inde reddebant quodam modo, per cessationes septimorum quorumque annorum, et quinquagesimi anni, quem vocat remissionis ; ut ipsa vacatio terræ velut merces habitationis aut redemptio esset ab illo cujus est, hoc est ab ejus creatore Deo.

XCIII. [Ib. XXVI, 11.] *Et ponam tabernaculum meum in vobis, et non abominabitur anima mea vos.* Animam suam Deus voluntatem suam dicit. Non enim est animal habens corpus et animam ; neque substantia ejus ejusmodi est, cujusmodi creatura ejus, quæ anima dicitur, quam fecit, sicut per Isaiam ipse testatur, dicens, *Et omnem flatum ego feci* (*Isai.* LVII, 16) : quod cum de anima hominis dicere consequentia manifestant. Sicut ergo cum dicit oculos suos, et labia sua, et cætera vocabula membrorum corporalium, non utique accipimus eum forma corporis esse definitum ; sed illa omnia membrorum nomina non intelligimus, nisi effectus operationum atque virtutum [1] : ita et cum dicit, *Anima mea*, voluntatem ejus debemus accipere. Perfecte quippe simplex illa natura quæ Deus dicitur, non constat ex corpore et spiritu ; nec ipso spiritu mutabilis est, sicut anima : sed et spiritus est Deus, et semper idem ipse, apud quem non est commutatio (*Jacobi* I, 17). Hinc autem acceperunt Apollinaristæ occasionem, qui dicunt animam non habuisse mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum (I *Tim.* II, 5), sed tantum Verbum et carnem fuisse, cum diceret, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38) : sed ipso ejus actu, qui nobis per evangelicam declaratur historiam, sic apparent humanæ animæ officia, ut hinc dubitare dementis sit.

XCIV. [Ib. XXVI, 33, 36.] Quid est, quod inobedientiæ pœnas cum minaretur Deus, dixit inter cætera, *Et consumet vos perambulans gladius;* deinde ait, *Et erit terra vestra deserta, et civitates vestræ erunt desertæ : tunc bene sentiet terra sabbata sua, omnes dies desolationis suæ ; et vos eritis in terra inimicorum vestrorum ?* Quomodo ergo consumet eos gladius, si erunt in terra inimicorum suorum ? An in ipsa terra consumet, quoniam strage mortuorum facta non erunt ibi ? An *consumet vos*, sic ait, ac si diceret, interficiet vos, ut ad istam consumptionem illi pertineant, qui gladio cadent, non omnes : quandoquidem paulo post dicit, *Et eis qui residui sunt ex vobis, superducam formidinem in cor eorum ?* An secundum hyperbolen dictum est, *consumet vos :* secundum quem loquendi modum et abundantia eorum dicta est sicut arena maris (*Gen.* XXII, 17, *et* XXXII, 12) ? Secundum istum modum etiam dicitur, quod deinde sequitur, *Et persequetur eos sonus folii volantis :* id est, quia nimius in eis timor erit, ut et levissima quæque formident.

[1] Sic Mss. At editi, *homini qui ante Deum semper manet.*

[1] Ms. Corbeiensis, *atque virtutem.*

LIBER QUARTUS.

Quæstiones in Numeros.

QUÆST. I. [NUM. cap. I, ỷ 1-44.] Quid est quod singulos de singulis tribubus eligi jubet principes, eosque appellat χιλιάρχους? quos quidam latini interpretes tribunos appellaverunt : χιλίαρχοι autem videntur a mille cognominati. Sed cum consilium Jothor socer Moysi genero suo daret, quod etiam Deus approbavit, de ordinando populo sub principibus, ut non omnes omnium causæ Moysen ultra vires onerarent, χιλιάρχους appellavit constituendos super millenos homines, ἑκατοντάρχους super centenos, et πεντακοντάρχους, super quinquagenos, et δεκαδάρχους super denos : ab ipsis numeris, quibus præessent, cognominatos (*Exod.* XVIII, 14-25). Numquidnam et hic sic accipiendi sunt χιλίαρχοι, quod singuli essent super millenos? Non utique : neque enim universus omnium populus Israel duodecim hominum millia tunc fuerunt. Singulos enim elegit de singulis tribubus, quæ duodecim tribus procul dubio non millenos homines, sed multa millia continebant. Nomen ergo commune est cum illis, qui in Exodo appellantur χιλίαρχοι, quod unusquisque illorum esset mille hominum princeps : istorum autem unusquisque millium princeps, quoniam sive a mille, sive a millibus, eadem compositio nominis resonat, ut appellentur χιλίαρχοι.

II. [Ib. I, 20-46.] Merito quæritur quid sibi velit quod per omnes tribus, ubi computantur per singulas quasque filii Israel in ætate militari, dicitur, *secundum propinquitates eorum, secundum populum eorum, secundum domos familiarum eorum, secundum numerum nominum eorum, secundum caput eorum;* et hæc quinque similiter omnino repetuntur, donec tribus omnes compleantur : quasi aliud sit, *secundum propinquitates eorum*, aliud *secundum populos*, aliud *secundum domos familiarum*, aliud *secundum numerum nominum*, aliud *secundum caput;* cum potius videantur aliis verbis eadem significare ista omnia. Intentionem autem movet, quia tam diligenter per omnes tribus eadem repetuntur, ut non frustra fieri quivis judicet, etiamsi non intelligat. Nimirum ergo numerus ipse aliquid insinuat sacramenti, ut hoc idem quinquies varie repetatur. Nam iste numerus sicut in ipsis quinque libris Moysi, id est quinarius, in Vetere Testamento maxime commendatur. Illa vero quæ deinceps quatuor connectuntur, id est *masculina, a viginti annis et supra, omnis qui procedit in virtute, recognitio eorum;* quamvis et ipsa per omnes tribus eodem prorsus modo repetantur, habent necessariam differentiam. Cum enim ageretur de numero universæ multitudinis ad unam tribum pertinentis, discernendus erat sexus, ideo positum est, *Omnia masculina.* Et ne parvuli etiam computarentur, adjunctum est, *a viginti annis et supra.* Rursus ne imbellis ætas senectutis annumeraretur, additum est, *omnis qui procedit in virtute.* Et omnia concluduntur verbo ejus operis quod fiebat, ut dicatur, *recognitio eorum.* Recognitio enim hæc fiebat, ut hominum millia computarentur. Quinque igitur illa, propinquitates, populi, domus familiarum, numerus nominum, et caput; et ista deinde quatuor, sexus, ætas, virtus, recognitio, fortasse in ipso numero aliquid insinuant. Si enim horum duorum numerorum, id est quinarii et quaternarii, alter multiplicetur ex altero, id est ut quinquies quaterni, aut quater quini ducantur, viginti fiunt. Quo numero etiam adolescentium ætas illa significatur. Qui numerus commemoratur et quando intratur in terram promissionis : et dicitur illa ætas viginti annorum, quæ non declinaverit in dextram aut sinistram. Ubi mihi videntur significari sancti fideles ex utroque Testamento fidem veram tenentes. Nam Vetus Testamentum quinque libris Moysi maxime excellit, et Novum quatuor Evangeliis.

III. [Ib. I, 51.] Quod ait de tabernaculo distendendo [1], levando, erigendo, *Et alienigena qui accesserit moriatur;* hic alienigena intelligendus est etiam ex illis filiis Israel, qui non de illa tribu fuerunt [2], quam tabernaculo servire præcepit, id est qui non fuerit de tribu Levi. Mirum est autem quomodo abusive alienigena dicitur, quod magis alterius generis hominem significat, id est ἀλλογενής, et non magis ἀλλόφυλος, quod significat alterius tribus hominem : quo nomine magis utitur Scriptura in aliarum gentium hominibus, ut allophyli appellentur, quasi aliarum tribuum homines.

IV. [Ib. III, 5-7.] *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens, Accipe tribum Levi; et statues eos in conspectu Aaron sacerdotis, et ministrabunt ei : et custodient custodias ejus, et custodias filiorum Israel, ante tabernaculum testimonii.* Quas φυλακάς græcus dixit, has nostri interpretes alii *custodias*, alii *excubias* interpretati sunt. Sed mirum nisi vigiliæ melius dicuntur quæ solent in castris ternarum horarum observationem habere. Unde scriptum est, *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos, ambulans super mare* (*Matth.* XIV, 25) : hoc est, post nonam horam noctis, post tres videlicet vigilias. Et multis locis Scripturarum nostri vigilias interpretati sunt, quas Græci φυλακάς vocant. Ubi nulla dubitatio est, spatia nocturni temporis significari : quod puto et hic accipiendum. Quomodo enim Levitæ jubentur observare custodias Aaron, et custodias filiorum Israel, id est φυλακάς, nisi fortasse dictum est, ne putarent ab observandis vigiliis, quæ proprie in castris observari solent, propter honorem quo serviebant tabernaculo, immunes se esse debere, cum et ipsos oporteret propter opera tabernaculi non

[1] Excusi, *distinguendo.* Mss. Beccensis et Michaelinus, *distendendo.* Alii melioris notæ, *distringendo.*

[2] Juxta Er. Lugd. Ven. Lov., *fuerant.* M.

minus vicissim observare vigilias, quæ observarentur in aliis circumquaque castris filiorum Israel?

V. [In III, 10.] *Alienigena qui tetigerit morietur.* Quærendum quomodo dixerit in Levitico, *Qui tetigerit tabernaculum sanctificabitur* (*Levit.* VI, 18) : cum hic dicat, *Alienigena qui tetigerit, morietur;* volens intelligi eos qui non essent de tribu Levi. An forte hic, *tetigerit*, ad obsequium dixerit servitutis, quod a solis Levitis deberi tabernaculo præcepit? hinc enim loquebatur.

VI. [Ib. III, 12-51.] Quid est quod Levitas pro primogenitis filiorum Israel sibi Deus deputat, ita ut numeratis primogenitis populi, qui plures inventi sunt quam erat numerus Levitarum, argento redimerentur, quinque siclis pro uno datis? Quod pro pecoribus non est factum, cum et pecora Levitarum pro primogenitis pecorum Israel sibi esse voluerit. Quomodo deinceps primogenita eorum vel pecorum eorum pertinebant ad Deum, ubi jussit immunda primogenita vel humana mutari ovibus? Quomodo non et pro istis deinceps primogenitis computabantur filii Levitarum (manebat enim in posteris eadem tribus, quæ posset pro primogenitis posterioribus computari); nisi quia illud justum fuit, ut qui nascerentur de illis qui jam ad portionem Domini pertinebant, datam pro primogenitis qui de Ægypto exierunt, jam Deus proprios haberet, tanquam suos de suis, nec possent pro illis juste computari, qui deinceps primogeniti Deo debebantur? De universo quippe populo, et de universis pecoribus populi data est portio Deo pro primogenitis: et hæc portio erat Levitæ et pecora eorum. Jam si quid genuissent, Dei erat; non poterat hoc tanquam a populo dari, quod jam alienum erat : ac per hoc debita deinceps primogenita Deo reddi oportebat; nec pro his computari posteros Levitarum vel pecorum eorum.

VII. [Ib. IV, 7.] Cum præciperet de tollenda mensa, jussit cum illa et panes tolli sic dicens : *Et panes qui semper super eam erunt.* Non utique isti semper super eam erunt, sed similes eorum : quia illi auferebantur, et recentes quotidie ponebantur; dum tamen sine panibus mensa non relinqueretur. Ideo dixit, *qui semper super eam erunt :* hoc est, quia semper panes, non quia illi semper.

VIII. [Ib. IV, 11.] *Et super altare aureum adoperient vestimentum hyacinthinum, et adoperient illud operimento pelliceo hyacinthino.* Posset ista locutio videri, quam velut absurdam et non integram latini interpretes transferre noluerunt; id est, *super altare aureum adoperient vestimentum hyacinthinum :* tanquam debuerit dici, Et altare aureum adoperient vestimento hyacinthino. Nam *adoperient vestimentum hyacinthinum*, hoc videtur significare, quod ipsum vestimentum aliunde adoperiretur, non quod ipso vestimento adoperiretur altare [1]. Sed mihi videtur non tam genus locutionis esse, quam subobscurus sensus. Hoc quippe intelligi potest, *Et super altare aureum adoperient vestimentum hyacinthinum*, ut ipsum vestimentum hyacinthinum alia re operiendum præciperet, quod vestimentum jam super altare esset; ac sic breviter utrumque complecteretur, et vestimento hyacinthino altare operiendum, et vestimentum hyacinthinum alio tegmine operiendum. Subjunxit denique unde cooperiri vellet vestimentum hyacinthinum, cum adjecit, *Et adoperient illud operimento pelliceo hyacinthino.*

IX. [Ib. V, 6-8.] *Vir, aut mulier, quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis, et despiciens despexerit, et deliquerit, anima illa annuntiabit peccatum quod peccavit, et restituet delictum : caput* [1] *et quintas ejus adjiciet super illud, et reddet cui deliquit ei. Si autem non fuerit homini proximus, ita ut reddat illi delictum ad ipsum; delictum quod redditur Domino, sacerdoti erit, excepto ariete propitiationis per quem exorabit in illo pro eo.* Hic ea peccata intelligenda sunt, quorum in his rebus perpetratio est, quæ pecunia restitui possunt. Non enim aliter diceret quomodo restituenda sint, nisi damna pecuniaria fuissent. Jubet enim restitui caput et quintas, id est, totum illud quidquid est, et quintam ejus partem, excepto ariete qui fuerat offerendus in sacrificium ad expiandum delictum. Jubet autem illud quod restituitur sacerdotis esse, id est, ipsum caput et quintam, si non est proximus ei in quem commissum est. Ubi utique intelligitur tunc Domino reddendum quod sit sacerdotis, si homo ipse non supersit qui damnum passus est, nec proximus ejus, quem puto hæredem intelligi voluisse. Sed de ipso homine nihil dixit Scriptura : verumtamen cum dicit, *Si non ei fuerit proximus*, sub hac brevitate insinuat, tunc quæri proximum ejus, si ipse non fuerit. Si autem nec proximus erit, Domino restituetur, ne impunitum remaneat quod admissum est : quod tamen non cedat in sacrificium, sed sit sacerdotis. Sic sane verba Scripturæ distinguenda sunt, *Si autem non fuerit homini proximus, ita ut reddat illi delictum ad ipsum :* locutionis est enim quod addidit, *ad ipsum;* aut forte *ad ipsum* dixit, quod ad ipsum pertineat, id est ipse possideat. Deinde sequitur, *Delictum quod redditur Domino, sacerdoti erit :* delictum autem dicit, cum redditur ea res quæ per delictum ablata est.

X. [Ib. V, 6, 7.] Quæri autem potest, quomodo in Exodo dicitur, si quis furatus fuerit vitulum aut ovem, restituere debere quinque vitulos vel quatuor oves, si occiderit, aut vendiderit; si autem quod abstulerit, salvum apud eum reperitur, duplum esse restituendum (*Exod.* XXII, 1, 4) : cum hic restitui jubeat caput et quintam, quod longe est etiam a duplo; quanto magis a quadruplo vel quinquies tanto? Nisi forte quia hic ait, *Vir, aut mulier, quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis*, peccata ignorantiæ voluit intelligi humana peccata. Fieri enim potest ut parum attendendo, per negligentiam trajiciat homo

[1] Editi, *aliunde operiretur altare;* omissis verbis, *non quod ipso vestimento adoperiretur*, quæ ex Mss. restituuntur.

[1] Editi, *restituet delictum et quintas;* omisso, *caput.* Pauloque post, *ita ut reddat illi delictum ipsum;* omisso, *ad.* Redintegravimus utrumque locum ad Mss. qui concordant cum græco.

rem alienam in rem suam : quod ideo peccatum est, quia si diligenter attenderetur, non admitteretur. Et hæc voluit capite et quinta restitui, non sicut furta mulctari. Nam si furta et fraudes hic intellexerimus, quæ non per ignorantiam negligentiæ, sed furandi et fraudandi animo committuntur, et ideo dicta *humana*, quia in homines fiunt; ille, nisi fallor, erit exitus quæstionis hujus, ut ideo qui fecit non reddat vel duplum, quia non deprehenditur vel convincitur, sed ignorantibus a quo factum sit, vel utrum factum sit, ipse annuntiat delictum suum. Cum enim dixisset Scriptura, *Vir, aut mulier, quicumque fecerit ab omnibus peccatis humanis, et despiciens despexerit, et deliquerit*, id est contemnendo ista commiserit; adjunxit, et ait, *Anima illa annuntiabit peccatum quod peccavit, et restituet delictum, caput et quintas ejus :* forte ergo propterea tantum, quia ipse annuntiavit; et ideo non eo damno plectendus fuit, quo furem comprehensum vel convictum plecti oporteret.

XI. [Ib. v, 21.] Verba quæ Scriptura dicit mulieri a sacerdote dicenda, quando a suspicione adulterii eam maritus adducit, *Det eam Dominus in maledictum et in exsecramentum*, græcus habet ἐνόρκιον. Quo verbo videtur significari juramentum per exsecrationem; velut si quisquam dicat, Sic non mihi illud et illud contingat : vel certe ita juret, Illud et illud mihi contingat, si fecero, vel non fecero. Ita hoc dictum est, *Det te Dominus in maledictum et in exsecramentum*, tanquam diceretur, ut de te jurent quæ per exsecrationem jurabunt; sic non eis contingat, aut, hoc eis contingat, nisi hoc aut illud fecerint [1].

XII. [Ib. vi, 14-17.] *Et offeret munus suum Domino, agnum anniculum sine vitio in holocaustoma, et agnam anniculam sine vitio unam in peccatum.* Hoc quidam nostri interpretes transferre noluerunt, veluti locutionem inusitatam vitantes, et dixerunt, *pro peccato*, non, *in peccatum*, cum sit sensus in ea locutione, qui non fuerat perturbandus. *In peccatum* quippe dictum est, quia hoc ipsum quod pro peccato offerebatur, peccatum vocabatur. Unde illud est apud Apostolum de Domino Christo, *Eum qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit* (II *Cor.* v, 21) : Deus Pater scilicet, Deum Filium pro nobis fecit peccatum, id est sacrificium pro peccato. Sicut ergo agnus in holocaustoma, ut ipsum pecus esset holocaustoma; sic et agna in peccatum, ut ipsum pecus esset peccatum, id est sacrificium fieret pro peccato, sicut de ariete, quod sequitur, *in salutare* dicit, tanquam ipsum sit salutare, cum sit sacrificium salutaris. Quod postea repetendo manifestat : nam et illud *pro peccato* dicit, quod prius dixerat *in peccatum;* et hoc *sacrificium salutaris*, quod prius dixerat, *in salutare.*

XIII. [Ib. viii, 24.] *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens, Hoc est de Levitis.* Hoc alii interpretati sunt, *Hæc est lex de Levitis* : sed quod scriptum est, *Hoc est de Levitis*, intelligitur dictum, Hoc constituo de Levitis.

[1] Mss. quinque et Rat., *nisi illud fecerint.* Alii duo Mss.: *nisi illud de te fecerint.* Am. et Er., *nisi hoc illud de te fecerint.*

XIV. [Ib. viii, 24-26.] Deinde sequitur : *A quinto et vicesimo anno et supra, introibunt ministrare in ministerium in operibus in tabernaculo testimonii; et a quinquagenario recedet ab administratione, et non operabitur ultra (et ministrabit frater ejus) : in tabernaculo testimonii custodire custodias; opera autem non operabitur.* Hunc sensum obscurum facit ὑπέρβατον, quod ita confusum est, tanquam de ipso fratre sit dictum, *custodire custodias;* cum dictum sit de illo, qui recedit ab operibus, et remanebit illic, *in tabernaculo testimonii custodire custodias; opera autem non operabitur;* sed operabitur frater ejus, id est, qui nondum pervenit ad ætatem quinquagenariam, a viginti quinque annis incipiens operari. Ergo ita distinguendum est : *Et a quinquagenario recedet ab administratione, et non operabitur ultra, et ministrabit frater ejus.* Deinde redit ad illum quinquagenarium, de quo loquebatur, et de illo explicat cætera, dicens, *In tabernaculo testimonii custodire custodias; opera autem non operabitur.* Quod enim ait, *custodire*, subauditur, incipiet, tanquam id uno verbo diceret, custodiet custodias. Solet enim usitate etiam in latinis locutionibus infinitum verbum poni pro finito.

XV. [Ib. ix, 6-12.] Cum Paschæ tempore quidam, qui immundi facti erant super animam hominis, id est super mortuum, quærerent quomodo Pascha facerent; quoniam oportebat eos ab immunditiis septem diebus purificari secundum Legem : consuluit Dominum Moyses, et responsum accepit, cuicumque tale aliquid accidisset, vel tam in longinquo itinere constitutus esset, ut non posset occurrere, alio mense eum facere debere Pascha, propter diem mensis quartum decimum, ubi lunæ numerus observabatur. Sed si quæratur quid facerent, si forte talis immunditia etiam ad secundum mensem occurreret; arbitror id quod dictum est de secundo mense, tanquam regulariter fuisse retinendum, ut tertio mense observarent, aut certe Pascha non egisse tali necessitate, ad culpam non pertineret.

XVI. [Ib. ix, 15-23.] *Et die qua statutum est tabernaculum, texit nubes tabernaculum, domum testimonii : et vespere erat super tabernaculum velut species ignis usque mane. Ita fiebat semper; nubes tegebat illud die, et species ignis nocte. Et cum ascendisset nubes a tabernaculo, et postea promovebant filii Israel : et in loco ubicumque steterat nubes, ibi castra collocabant filii Israel. Per præceptum Domini castra collocabunt filii Israel, et per præceptum Domini promovebunt. Omnes dies in quibus obumbrat nubes super tabernaculum, in castris erunt filii Israel : et quando protraxerit* [1] *nubes super tabernaculum dies plures; et custodient filii Israel custodiam Dei, et non promovebunt. Et erit, cum texerit nubes dies numero super tabernaculum; per vocem Domini in castris erunt, et per præceptum Domini promovebunt. Et erit cum fuerit nubes a vespera usque mane, et ascenderit nubes mane, et promovebunt die; vel*

[1] Editi, *protexerit.* At Mss., *protraxerit :* juxta LXX, *ephelkétai.*

nocte et si ascenderit nubes [1], *promovebunt : die vel mense die abundante nube obumbrante super illud, in castris erunt filii Israel, et non promovebunt. Quoniam per præceptum Domini promovebunt. Custodiam Domini custodierunt per præceptum Domini in manu Moysi.*

Totus hic locus diligenter exponendus est, quoniam inusitatis generibus locutionum obscuratus est. *Et die*, inquit, *qua statutum est tabernaculum, texit nubes tabernaculum, domum testimonii :* idem tabernaculum appellavit domum testimonii. *Et vespere erat super tabernaculum velut species ignis usque mane. Ita fiebat semper.* Deinde diligenter exprimit, quid fiebat semper, *Nubes,* inquit, *tegebat illud die, et species ignis nocte. Et cum ascendisset nubes a tabernaculo, et postea promovebant filii Israel.* Ista sententia obscura non est, nisi propter illam locutionem ubi additur, *et.* Ordo enim verborum integer sequitur, etiamsi desit ipsa conjunctio, ut sic dicatur, *Et cum ascendisset nubes a tabernaculo, postea promovebant filii Israel :* quamvis et ipsum quod dictum est, *postea*, si deesset, plena posset esse sententia. Deinde sequitur, dicens, *Et in loco ubicumque steterat nubes, ibi castra collocabant filii Israel.*

Hoc autem totum quod faciebant, ad præceptum Domini referens, ita complectitur : *Per præceptum,* inquit, *Domini castra collocabunt filii Israel, et per præceptum Domini promovebunt.* Præceptum Domini appellat signum ipsum quod fiebat in nube, sive cum staret obumbrans tabernaculum, ut castra consisterent; sive cum ascendisset, atque ultra moveretur, ut eam elevatis castris sequerentur. Mutavit sane in hac sententia narrantis modum, et tanquam prædicens atque prænuntians verba futuri temporis habere cœpit. Neque enim ait, *Per præceptum Domini castra* collocabant *filii Israel;* sed, *collocabunt* : nec ait, *per præceptum Domini* promovebant; sed, *promovebunt.* Et hunc modum etiam in consequentibus servat, qui modus in Scripturis est inusitatissimus. Nam verbis præteriti temporis sæpe futura prædicta esse novimus; sicut est, *Foderunt manus meas et pedes* (*Psal.* XXI, 17); et, *Sicut ovis ad immolandum ductus est* (*Isai.* LIII, 7); et innumerabilia talia : ut autem narrator rerum gestarum verbis utatur temporis futuri, sicut hoc loco, difficillime in Scripturis inveniri potest.

Ergo posteaquam dixit, de die et nocte, quo signo promoveret populus, vel maneret; ne putarentur per noctem ambulare et per diem solere considere, atque hoc diebus omnibus facere, secutus adjunxit, et ait, *Omnes dies in quibus obumbrat nubes super tabernaculum, in castris erunt filii Israel; et quando protraxerit nubes super tabernaculum dies plures.* Deinde admonens non hoc ex illorum necessitate fieri, sed ex Dei voluntate, *Et custodient*, inquit, *filii Israel custodiam Dei,* id est, custodiam quam præcepit Deus; *et non promovebunt.* Et tanquam diceretur, Quando ergo promovebunt? *Et erit*, inquit, *cum texerit nubes dies numero super tabernaculum,* id est, dies certo numero, qui numerus utique Deo placeret : *per vocem Domini in castris erunt, et per præceptum Domini promovebunt.* Hanc videtur dicere vocem Domini signum quod dat de statione, et motu nubis; quia et vox loquentis, procul dubio signum est voluntatis. Quod ergo ait, *et per præceptum,* hoc idem signum puto intelligendum. Quanquam posset vox et præceptum Domini illud etiam accipi quod locutus est, ut solet, ad Moysen, et præcepit hoc fieri. Neque enim scirent illi promovendum esse nube promovente, et standum esse nube stante, nisi hoc eis ante præciperetur.

In his autem quæ dicta sunt nondum apparuit, utrum per diem tantum ambularetur, an etiam per noctem, secundum signum quod nubes motu suo dabat. Fortassis enim quamvis plures dies in castris manerent nube non promovente, potuit tamen putari nubem non solere ascendere de castris, et signum itineris dare, nisi per diem. Sequitur ergo et dicit : *Et erit, cum fuerit nubes a vespera usque mane, et ascenderit nubes mane, et promovebunt die.* Hic illa copulativa conjunctio more Scripturæ posita est. Nam ea detracta plenus est sensus hoc modo : *Et erit, cum fuerit nubes a vespera usque mane, et ascenderit nubes mane, promovebunt die.* Deinde quia et nocte si nubes ascenderet promovebant, atque iter nocturnum si illud signum acciperent agebant, adjunxit et ait : *Vel nocte et si ascenderit nubes, promovebunt.* Sed locutio est inusitatior : non enim tantum positum est, *et;* sed eo more positum est, quo non solet. Unde mihi videtur præposteratus ordo verborum, sicut sæpe et in latinis locutionibus fieri solet : quod genus antistrophe dicitur. Proinde si ita dicatur, *vel et nocte si ascenderit nubes, promovebunt;* aut certe ita, *si et nocte ascenderit nubes, promovebunt,* planissimus sensus est.

Adhuc autem occurrebat cogitanti, ut scire vellet utrum quomodo cognitum est solere illos ad nubis signum diebus et noctibus ambulare, vel diebus et noctibus in castris esse, ita etiam solerent per dies tantum manere, etiam quorum noctibus ambularent : quod arbitror Scripturam in consequentibus intimasse cum dicit, *Die vel mense diei, abundante nube obumbrante super illud, in castris erunt filii Israel, et non promovebunt.* Quia enim dixerat, *vel nocte et si ascenderit nubes, promovebunt;* tanquam restabat ut diceret, die autem si non ascenderit, non promovebunt, quando quasi promovere debere videbantur : sed quia hoc etiam diebus pluribus fieri poterat, ut noctibus ambularent, promovente nube, et ea manente diebus non ambularent, ideo posuit, *die vel mense diei.* Non dixit, mense, ne ibi et noctes ejusdem mensis acciperentur; sed, *mense diei,* id est mense ex ea parte qua dies illi fuit, non ex ea qua nox. *Die ergo vel mense diei, abundante nube obumbrante*, id est, abundante in obumbrando, vel abundantius obumbrante, *super illud,* illud scilicet tabernaculum, *in castris erunt filii Israel, et non promovebunt.* Postremo repetiit, divina auctoritate factum, cui resisti utique non debebat, adjungens :

[1] Ita constanter Mss., cumque iis inferius concordant editi, qui hoc tantum loco habent, *et cum sic ascenderit nubes.*

Quoniam per præceptum Domini promovebunt. Custodiam Domini custodierunt, per præceptum Domini, in manu Moysi. Rediit ad verbum præteriti temporis, ut diceret, *custodierunt.* Quod vero in fine posuit, *in manu Moysi*, usitatissima in Scripturis locutio est, quia per Moysen hæc Deus præcipiebat.

XVII. [Ib. x, 7.] *Et cum congregaveritis synagogam, tubat canetis, et non in signo.* Non ergo ad hoc canendum præcipit, ut congregetur synagoga; nam si hoc fit, signum est : sed jam congregata synagoga, præcipit tuba canere, tanquam ad cantum jam pertineat; non ad dandum signum, quo dato fieri aliquid admoneat. Proinde cum hoc quod jam congregata synagoga tubis canebant, quisquam homo Novi Testamenti ad aliquid spirituale interpretatur, illi signum est, qui intelligit quare fiat; non illis qui non intelligebant, nisi quando ad hoc fiebat, ut aliquod opus indiceretur.

XVIII. [Ib. xi, 17.] *Et auferam de spiritu qui est in te, et superponam super eos; et sustinebunt tecum impetum populi, et non portabis illos tu solus.* Plerique latini interpretes non ut in græco est, transtulerunt; sed dixerunt, *Auferam de spiritu tuo qui est in te, et ponam super eos,* aut *ponam in eis;* et fecerunt sensum laboriosum ad intelligendum. Putari enim potest de spiritu ipsius hominis dictum, quo humana natura completur corpore adjuncto, quæ constat ex corpore et spiritu, quem etiam animam dicunt : de quo et Apostolus dicit, *Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Sic et quæ Dei sunt, nemo scit nisi Spiritus Dei.* Et quod adjungit ac dicit, *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est* (I *Cor.* ii, 11, 12); ostendit utique alium esse Spiritum Dei, cujus particeps fit spiritus hominis per gratiam Dei. Quamvis posset etiam, sicut alii interpretati sunt, intelligi Spiritus Dei in eo quod dicitur, *de spiritu tuo qui est in te;* ut dictum sit, *tuo*, quia fit etiam noster qui Dei est, cum accipimus eum : sicut de Joanne dictum est, *In spiritu et virtute Eliæ* (*Luc.* i, 17). Non enim anima Eliæ in eum fuerat revoluta. Quod si quidam hæretica perversitate opinantur, quid dicturi sunt in eo quod scriptum est, *Spiritus Eliæ requievit super Elisæum* (IV *Reg.* ii, 15); cum jam ille utique haberet animam suam (*a*) : nisi quia dictum est de Spiritu Dei, ut etiam per illum operaretur qualia per Eliam operabatur; non ab illo recedens, ut istum posset implere; aut dispertitus minus esset in illo, ut posset ex aliqua parte et in isto esse? Deus est enim qui possit esse in omnibus tantus, in quibus per illam gratiam esse voluerit. Nunc autem cum ita scriptum sit, *Et auferam de spiritu qui est super te*, nec dictum sit, *de spiritu tuo*, facilior est absolutio quæstionis : quia intelligimus nihil aliud Deum significare voluisse, nisi ex eodem Spiritu gratiæ illos quoque habituros adjutorium, ex quo habebat Moyses; ut et isti haberent quantum Deus vellet, non ut ideo Moyses minus haberet.

XIX. [Ib. xi, 21-23.] *Et dixit Moyses, Sexcenta millia peditum, in quibus sum in ipsis, et tu dixisti, Carnes dabo eis, et edent mense dierum. Numquid oves et boves occidentur illis, et sufficient illis? aut omnis piscis congregabitur eis, et sufficiet eis?* Quæri solet utrum hoc Moyses diffidendo dixerit, an quærendo. Sed si putaverimus eum diffidendo dixisse, nascetur quæstio cur hoc ei non exprobraverit Dominus, sicut exprobravit quod ad petram unde aqua profluxit, videtur de potestate Domini dubitasse. Si autem dixerimus hoc eum dixisse quærendo modum quo fieret, ipsa Domini responsio, ubi ad eum dixit, *Numquid manus Domini non sufficiet,* quasi redarguentis videtur quod iste ista non credidisset. Sed melius arbitror intelligi Dominum ita respondisse, tanquam modum futuri facti, quem ille requirebat, dicere noluerit, sed potius opere ipso suam potentiam demonstrare. Poterat enim et Mariæ dicenti, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, a calumniantibus objici quod minus crediderit, cum illa modum quæsiverit, non de virtute Dei dubitaverit. Quod autem responsum est illi, *Spiritus sanctus superveniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit te*, poterat et sic responderi quomodo hic, Numquid Spiritui sancto impossibile est, qui superveniet in te? ac sic idem ipse sensus conservaretur. Porro autem talia quædam dicens Zacharias, incredulitatis arguitur, et vocis oppressæ pœna plectitur (*Luc.* i, 34, 35, 18, 19, 20). Quare, nisi quia Deus non de verbis, sed de cordibus judicat? Alioquin et ad illam petram unde aqua profluxit, poterant excusari verba Moysi, nisi in eum clara esset divina sententia quod diffidendo talia dixerit. Nam ita se ea verba habent : *Audite me, increduli; numquid de petra ista educemus vobis aquam?* Deinde sequitur : *Et elevata Moyses manu sua percussit petram virga bis, et exiit aqua multa, et bibit synagoga et pecora eorum.* Utique ad hoc congregavit populum, ad hoc illam virgam in qua tanta miracula fecerat sumpsit, eaque petram percussit, atque inde solitæ virtutis est consecutus effectus. Verba ergo illa quibus ait, *Numquid ex hac petra educemus vobis aquam?* possent sic accipi, tanquam diceretur, Nempe ex hac petra secundum vestram incredulitatem aqua educi non potest : ut denique percutiendo ostenderetur, fieri divinitus potuisse quod illi infidelitate non crederent, maxime quia dixerat, *Audite me, increduli.* Ita quidem intelligi possent hæc verba, nisi Deus qui cordis inspector est, quo animo dicta fuerint indicaret. Sequitur enim Scriptura et dicit : *Et dixit Dominus ad Moysen et Aaron, Quoniam non credidistis sanctificare me in conspectu filiorum Israel, propter hoc non inducetis vos synagogam hanc in terram quam dedi eis* (*Num.* xx, 10-12). Ac per hoc intelligitur illa verba ita dixisse Moysen, tanquam ad incertum percusserit, ut si non sequeretur effectus, hoc prædixisse putaretur, cum ait, *Numquid ex hac petra educemus vobis aquam?* quod in animo ejus lateret omnino, nisi Dei sententia proderetur. E contrario itaque isto loco debemus intelligere verba Moysi de promissis carnibus, quærentis potius quomodo fieret, quam diffidentis fuisse; quando sententia Domini non secuta est, quæ vindicaret, sed potius quæ doceret.

(*a*) Confer Tertull., lib. de Anima, cap. 35.

XX. [Ib. XII, 1.] De uxore Moysi Æthiopissa quæri solet, utrum ipsa sit filia Jothor, an alteram duxerit, vel superduxerit : sed ipsam fuisse credibile est : de Madianitis quippe erat, qui reperiuntur in Paralipomenon Æthiopes dicti, quando contra eos pugnavit Josaphat. Nam in his locis dicitur eos persecutus populus Israel, ubi Madianitæ habitant (II *Paral.* XIV, 9-14), qui nunc Saraceni appellantur. Sed nunc eos Æthiopes nemo fere appellat, sicut solent locorum et gentium nomina plerumque vetustate mutari.

XXI. [Ib. XIII, 18-26.] *Et dixit ad eos, Ascendite ista eremo, et ascendetis in montem, et videbitis terram quæ sit, et populum qui insidet super eam, si fortis est aut infirmus, si pauci sunt aut multi.* Exposuisse intelligitur, secundum quid dixerit, *si potens est aut infirmus;* hoc est, *si pauci sunt aut multi.* Nam quomodo possent de monte prospicientes sentire humanarum virium fortitudinem? Potest et alius sensus esse multo congruentior veritati. Quod ait, *Ascendetis in montem*, in ipsam terram dixit, quam explorare volebant. Non enim possent facile exploratores intelligi, ubi tanquam peregrinantes omnia perquirebant. Nam si de montis vertice eos putaverimus conspexisse terram, et explorasse; quomodo possent exquirere omnia quæ Moyses exquirenda præcepit? quomodo intrare civitates, quas eos Scriptura dixit intrasse? quomodo de illa valle botrum tollere, propter quem et loco nomen est inditum, ut vallis Botri [1] diceretur? In ipso ergo monte explorabatur terra, quia ipsa erat quæ exploraretur : et ibi erat quidam depressior locus, de qua valle botrus ablatus est.

XXII. [Ib. XIII, 33.] *Et protulerunt pavorem terræ quam exploraverunt. Pavorem terræ* dixit, non quo pavebat eadem terra, sed quem ex ea terra conceperant.

XXIII. [Ib. XIV, 9.] Caleb et Jesus Nave loquentes ad populum Israel ne timerent ingredi terram promissionis, dixerunt inter cætera : *Vos autem ne timueritis populum terræ, quoniam cibus nobis sunt. Abscessit enim tempus ab eis, Dominus autem in nobis; ne timueritis eos.* Quod dictum est, *Cibus nobis sunt*, intelligi voluerunt, consumemus eos. Quod vero adjunxerunt, *Abscessit enim tempus ab eis, Dominus autem in nobis :* satis diligenter non dixerunt, Abscessit Dominus ab eis; impii quippe antiquitus fuerunt : sed quoniam et impiis occulta dispensatione divinæ providentiæ datur tempus florendi atque regnandi, *Abscessit*, inquiunt, *tempus ab eis, Dominus autem in nobis.* Non dixerunt, Abscessit tempus ab eis, et nostrum successit : sed, *Dominus autem in nobis*, non tempus. Illi enim tempus habuerunt, isti Dominum Deum temporum creatorem et ordinatorem, et quibusque, ut ei placet, distributorem.

XXIV. [Ib. XV, 24-29.] Quod præcipitur quomodo expientur peccata quæ non sponte committuntur, merito quæritur quæ sint ipsa peccata nolentium : utrum quæ a nescientibus committuntur; an etiam possit recte dici peccatum esse nolentis, quod facere compellitur : nam et hoc contra voluntatem facere dici solet. Sed utique vult propter quod facit, tanquam si pejerare nolit, et facit [1] cum vult vivere, si quisquam, nisi fecerit, mortem minetur. Vult ergo facere, quia vult vivere : et ideo non per seipsum appetendo ut falsum juret, sed ut falsum jurando vivat. Quod si ita est, nescio utrum possint dici ista peccata nolentium, qualia hic dicuntur expianda. Nam si diligenter consideretur, forte ipsum peccare nemo velit, sed propter aliud fit, quod vult qui peccat. Omnes quippe homines qui scientes faciunt quod non licet, vellent licere : usque adeo ipsum peccare nemo appetit propter hoc ipsum, sed propter illud quod ex eo consequitur. Hæc si ita se habent, non sunt peccata nolentium, nisi nescentium; quæ discernuntur a peccatis volentium.

XXV. [Ib. XV, 30, 31.] *Et anima quæcumque peccaverit in manu superbiæ ex indigenis, aut ex proselytis, Deum hic exacerbat, et exterminabitur anima illa de populo suo; quoniam verbum Domini contempsit, et mandata ejus disperdidit : contritione conteretur anima illa, peccatum ejus in illa.* Quæ sint peccata quæ fiunt in manu superbiæ, id est superbia committuntur, Scriptura ipsa in consequentibus satis exposuit, ubi ait, *Quoniam verbum Domini contempsit.* Aliud est ergo præcepta contemnere, aliud magni quidem pendere, sed aut ignarum contra facere, aut victum. Quæ duo fortasse pertineant ad illa peccata quæ a nolentibus fiunt, de quibus superius quemadmodum Deo propitiato expiarentur admonuit; ac inde subjecit peccata superbiæ, cum quisque superbiendo, id est præceptum contemnendo perperam facit. Quod genus peccati non dixit ullo genere sacrificii purgari oportere, tanquam insanabile judicans, illa duntaxat curatione quæ per sacrificia gerebatur, qualia facienda in hac Scriptura præcipiuntur : quæ si per se ipsa attendantur, nulli peccato [2] possunt mederi; si autem res ipsæ quarum hæc sacramenta sunt inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum. Quod ergo scriptum est, *Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov.* XVIII, 3), iste significatus est, quem Scriptura hoc loco dicit, *in manu superbiæ* delinquere. Hoc igitur sine pœna ejus qui committit, non potest aboleri; atque ideo non potest esse impunitum, et cum pœnitendo sanatur : ipsa enim afflictio pœnitentis pœna peccati est, quamvis medicinalis et salubris. Merito quippe magnum judicatur peccatum, cum superbia præceptum contemnit : sed e contrario, ut sanari possit, cor contritum et humiliatum Deus non spernit (*Psal.* L, 19). Verumtamen quia sine pœna non fit, ideo hinc talia dicta sunt : *Deum*, inquit, *hic exacerbat;* quia Deus superbis resistit (*Jacobi* IV, 6). *Et exterminabitur anima illa de populo suo;* quoniam talis omnino in numero eorum qui ad Deum pertinent, non est. *Quoniam verbum Domini contempsit, et mandata ejus disperdidit : contritione conteretur anima*

[1] In Mss. constanter, *Botrui*. Apud LXX. Num. cap. 13, *Botruos*.

[1] Editi, et Mss. uno excepto Corbeiensi codice carent his verbis, *tanquam si pejerare nolit, et facit.*
[2] Editi *nullo pacto*. Mss. vero, *nulli peccato.*

illa. Quare autem contritione contereţur, consequenter adjungit, dicens, *Peccatum ejus in illa :* ac per hoc si tali peccato debitam contritionem ipse sibi adhibeat pœnitendo, cor contritum, ut dictum est, Deus non spernet. Quamvis in græco non dictum sit hoc loco, *contritione conteretur ;* sed, *extritione exteretur anima illa :* quod ita accipi potest, quasi omni modo terendo exstinguatur, ac non sit. Sed prius natura immortalitatis animæ hunc intellectum recusat. Deinde si quod exteritur, omni modo efficeretur ut non sit, non diceret de sapiente, *Et gradus ostiorum ejus exterat pes tuus* (*Eccli.* VI, 36). Verum illa discretio magis magisque consideranda est, utrum nemo peccet nisi aut ignarus, aut victus, aut contemnens; unde nunc longum est disputare.

XXVI. [Ib. XVI, 13, 14.] Quid est quod Dathan et Abiron, cum in seditionem consurrexissent, vocati a Moyse, ac superbe et injuriose respondentes, *Numquid pussillum hoc, quoniam eduxisti nos in terram fluentem lac et mel, interficere nos in eremo? quoniam præes nobis, princeps es* [1] *: et tu in terram fluentem lac et mel induxisti nos, et dedisti nobis sortem agri et vineas;* post hæc addiderunt, *Oculos hominum illorum abscidisses : non ascendimus?* Quorum oculos hominum dixerunt? Utrum populi Israel, tanquam dicentes, Si ista præstitisses, oculos hominum illorum abscidisses; id est, ita te diligerent, ut oculos suos eruerent, et darent tibi? Quod indicium magnum dilectionis et Apostolus dicit, *Quoniam si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi* (*Galat.* IV, 15). Et deinde plenam contumaciam addiderunt, *Non ascendimus,* id est, Non veniemus ; quia vocaverat eos. An potius *oculos hominum illorum,* dicit hostium, qui nimis acres et terribiles fuerant nuntiati : tanquam dicerent, Etsi hoc fecisses, non tibi obtemperaremus; nisi quod modus verbi alius pro alio positus est, ut non dicerent, Non ascenderemus; sed, *Non ascendimus,* quodam genere locutionis?

XXVII. [Ib. XVI, 20, 21.] *Et locutus est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Abscedite vos de medio synagogæ istius.* Notandum est tunc jubere Dominum separationem fieri corporalem, cum jam vindicta imminet malis : sic Noe cum domo sua separatur a cæteris diluvio perituris (*Gen.* VII, 15) ; sic Lot cum suis separatur a Sodomis igne cœlitus consumendis (*Id.* XIX, 12); sic ipse populus ab Ægyptiis marinis fluctibus obruendis (*Exod.* XIX, 20); sic isti nunc a synagoga Chore, Abiron et Dathan, qui se primitus per seditionem abrumpere voluerunt : cum quibus tamen sancti antea viventes et conversantes, et cum cæteris quos reprobat Deus, secundum verba quæ in eos increpans dicit, contaminari tamen ab eis minime potuerunt : nec separare se jussi sunt, quando vindictam Dominus sive differebat, sive talem adhibebat, qua innocentes periclitari lædive non possent, sicut serpentum morsibus, sicut strage mortium, qua Deus, quem volebat, sicut volebat, alio percutiebat intacto ; non sicut aqua diluvii, aut ignea pluvia, aut aqua maris, aut hiatu terræ, quæ permixtos poterat pariter absumere : non quia et ibi Deus suos conservare non posset; sed quid opus erat tentatione miraculi ubi separatio fieri poterat, ut vel aqua, vel ignis, vel hiatus terræ, quos invenisset, auferret? Sic et in fine a zizaniis separabuntur frumenta , ut malos cremantibus flammis, justi fulgeant sicut sol in regno Patris sui (*Matth.* XIII, 30, 40-43).

XXVIII. [Ib. XVI, 30.] Quod ait Moyses de Chore et Abiron et Dathan, *In visione ostendet Deus, et aperiens terra os suum absorbebit eos,* quidam interpretati sunt, *In hiatu ostendet Dominus :* credo, putantes dictum χάσματι, quod græce positum est φάσματι, quod pro eo dictum est, ac si diceretur, In manifestatione, quod aperte oculis apparebit. Non enim sic dictum est, *In visione*, quemadmodum solent dici visiones, sive somniorum, sive quarumque in ecstasi figurarum ; sed ut dixi, in manifestatione. Nonnulli autem aliud opinantes, *In phantasmate* interpretari voluerunt; quod omnino sic abhorret a consuetudine locutionis nostræ, ut nusquam fere dicatur phantasma , nisi ubi falsitate visorum sensus noster illuditur : quamvis et hoc a videndo sit dictum ; sed, ut dixi, aliud loquendi consuetudo præjudicavit.

XXIX. [Ib. XVI, 32, 33.] *Et descenderunt ipsi, et omnia quæcumque sunt eis, viventes ad inferos.* Notandum secundum locum terrenum dictos esse inferos, hoc est in inferioribus terræ partibus. Varie quippe in Scripturis et sub intellectu multiplici, sicut rerum de quibus agitur sensus exigit, nomen ponitur inferorum, et maxime in mortuis hoc accipi solet. Sed quoniam istos viventes dictum est ad inferos descendisse, et ipsa narratione quid factum fuerit satis apparet; manifestum est, ut dixi, inferiores partes terræ inferorum vocabulo nuncupatas, in comparatione hujus superioris terræ in cujus facie vivitur : sicut in comparatione cœli superioris, ubi sanctorum demoratio est Angelorum, peccantes angelos in hujus aeris detrusos caliginem Scriptura dicit tanquam carceribus inferi puniendos reservari. *Si enim Deus,* inquit, *angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in judicio puniendos reservari* (II *Petr.* II, 4) : cum apostolus Paulus *principem potestatis aeris* diabolum dicat, *qui operatur in filiis diffidentiæ* (*Ephes.* II, 2).

XXX. [Ib. XVI, 36-40.] *Et dixit Dominus ad Moysen et ad Eleazarum filium Aaron sacerdotem : Tollite thuribula ærea e medio exustorum, et ignem alienum hunc semina ibi; quia sanctificaverunt thuribula peccatorum horum in animabus suis : et fac ea laminas ductiles circumpositionem altari; quoniam oblata sunt ante Dominum et sanctificata sunt, et facta sunt in signum filiis Israel.* Hoc loco cur non ad Moysen et Aaron, sicut in superioribus, Dominus locutus sit, sed ad Moysen et ad Eleazarum filium Aaron, hæc mihi causa interim occurrit : quoniam quæstio erat de progenie sacerdotum, id est de quo genere esse deberent (unde illi ex alio genere, quia sibi usurpare sacerdotium ausi

[1] Sic in Mss. et apud LXX. At in antea editis, *præest nobis princeps : et tu.*

sunt, tam horrendo et mirabili supplicio perierunt); non ad Aaron, qui jam summus sacerdos erat, sed ad Eleazarum voluit loqui Deus, qui ei succedere debebat, et secundo jam sacerdotio fungebatur, ut eo modo seriem generis commendaret, quæ in successionibus sacerdotum esse deberet. Unde etiam in consequentibus dicit : *Et accepit Eleazar filius Aaron sacerdotis thuribula ærea, quanta*[1] *obtulerunt qui exusti sunt, et addidit ea circumpositionem altaris, memoriale filiis Israel, ut non accedat quisquam alienigena, qui non est de semine Aaron, imponere incensum ante Dominum : et non erit sicut Chore et sicut conspiratio ejus, sicut locutus est Dominus in manu Moysi.* Hoc ergo modo voluit per Eleazarum Deus non sacerdotium, quod jam erat in Aaron, sed successionis sacerdotalis progeniem commendare. Quod vero ait, *Et ignem alienum hunc semina ibi*, sparge intelligendum est. Et quod addidit, *Quia sanctificaverunt thuribula peccatorum horum in animabus suis*, locutione quidem inusitata expressa sententia est : sed notandum novo modo dicta sanctificata pœna eorum, a quibus hoc peccatum fuerat perpetratum; quia per eos exemplum datum est cæteris, quo timerent. Circumpositionem autem altari cur ex eis fieri voluit, addidit dicens, *Quoniam oblata sunt ante Dominum, et sanctificata facta sunt in signum filiis Israel :* non ergo in eis reprobari voluit, quod a talibus oblata sunt; sed hoc potius cogitari et attendi, ante quem oblata sint, id est quia ante Dominum, ut plus in eis valeret nomen Domini ante quem oblata sunt, quam pessimum meritum eorum a quibus oblata sunt. Hoc autem jam et in Exodo commemoraverat Scriptura, quando altare fabricatum dicit (*Exod.* XXVII, 2) : unde intelligitur genera rerum gestarum distributa esse per libros, non temporum ordo contextus. Nam et de virga Aaron, quomodo res gesta sit, ut et florens et germinans electionem sacerdotii ejus divinitus indicaret, in hoc libro Scriptura narravit (*Num.* XVII, 8); et tamen de ipsa virga in Exodo dicitur, ut in sanctis sanctorum cum manna in arca poneretur, quando præcipitur de tabernaculo fabricando (*Exod.* XXVI); quod utique longe ante præceptum est, quam ipsum tabernaculum fabricatum perfectumque consisteret : stetit autem primo mense secundi anni, ex quo de Ægypto egressi sunt (*Id.* XL, 15), et liber iste incipit a secundo mense ejusdem anni secundi, primo die mensis : unde clarum est ista, si librorum ordinem consideremus, per recapitulationem, id est præteritorum recordationem commemorari, quæ putant, qui minus diligenter intendunt, eodem facta ordine quo narrantur.

XXXI. [Ib. XVIII, 1.] *Et ait Dominus ad Aaron, dicens : Tu et filii tui, et domus patris tui tecum, accipietis peccata sanctorum; et tu et filii tui accipietis peccata sacerdotii vestri.* Hæc sunt peccata quæ appellantur sacrificia pro peccatis. Proinde *peccata sanctorum* dictum est, non quæ sancti committant; sed ab eo quod sunt sancta, dictum est *sanctorum*, quia in sanctis offeruntur : et peccata dicuntur sacrificia pro peccatis; ideo appellata sunt *peccata sanctorum*. Et *peccata sacerdotii vestri*, id est, eadem ipsa quæ offeruntur pro peccatis : sicut etiam in Levitico declarat, et pertinere debere dicit ad sacerdotem (*Levit.* VI, 25, 26).

XXXII. [Ib. XVIII, 12.] *Primogenita omnia, quæcumque fuerint in terra eorum, quantacumque attulerint Domino, tibi erunt.* Hic primogenita, non fetus primitivos pecorum dicit : nam ipsa græce πρωτότοκα nominatur, hæc autem πρωτογενήματα. Sed latine duabus his rebus, duo nomina reperta non sunt. Et ideo ista πρωτογενήματα quidam *primitias* interpretati sunt : sed primitiæ ἀπαρχαὶ dicuntur, et aliud sunt. Hæc igitur tria ita discernuntur, quia πρωτότοκα sunt primitivi animalium fetus, etiam hominum : πρωτογενήματα vero, primi fructus de terra sumpti, vel de arbore, vel de vite : primitiæ autem de fructibus quidem, sed jam redactis ab agro; sicut de massa, de lacu, de dolio, de cupa, quæ primitus sumebantur.

XXXIII. [Ib. XIX.] De juvenca rufa, cujus cinerem ad aquam aspersionis, eorumque mundationem qui mortuum tetigerint, proficere Lex mandavit, nec tacere[1] permittimur; evidentissimum enim signum in ea Novi Testamenti præfiguratur; nec satis digne festinantes dicere de tanto sacramento valemus. Primo enim quod ita cœpit de hac re loqui Scriptura, quem non moveat, et intentissimum faciat in altitudine sacramenti? *Et locutus est*, inquit, *Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Ista distinctio Legis, quæcumque constituit Dominus.* Procul dubio non est distinctio, nisi inter aliqua duo, vel plura : nam distinctionem singularitas non requirit. Nec distinctionem cujuslibet rei commemoravit, sed addidit, *Legis :* nec cujuscumque legis : assidue quippe in Scriptura dicitur de unaquaque re, de qua legitime præcipitur, Hæc est lex illius vel illius rei; non universalis Lex, quæ continet omnia quæ legitime præcipiuntur : hic vero cum dixisset, *Hæc est distinctio Legis;* secutus adjunxit *quæcumque constituit Dominus*, præcipiendo utique, non creando. Nam etiam nonnulli interpretes, *quæcumque præcepit Dominus*, transtulerunt. Si ergo hæc est distinctio Legis, quæcumque præcepit Dominus; procul dubio magna est ista distinctio : et recte intelligitur duo Testamenta distinguere. Eadem quippe sunt in Vetere et Novo : ibi obumbrata, hic revelata; ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solum Sacramenta diversa sunt, verum etiam promissa. Ibi videntur temporalia proponi, quibus spirituale præmium occulte significetur : hic autem manifestissime spiritualia promittuntur, et æterna. Temporalium autem bonorum atque carnalium, et spiritualium atque æternorum, quæ clarior certiorque distinctio est, quam passio Domini nostri Jesu Christi? in cujus morte satis constitit, non istam terrenam transitoriamque felicitatem a Domino Deo pro magno munere sperandam et optandam : quandoquidem in unigenito Filio suo, quem tanta illa perpeti

[1] Am. Er. et Lov., *quæ antea.* Rat. et Mss., *quanta :* juxta LXX, *hosa.*

[1] Sic in Mss. At in excusis, *tangere.*

voluit, longe aliud a se peti exspectarique oportere apertissima distinctione declaravit. Hanc igitur passionem Domini nostri Jesu Christi, velut distinctionem duorum Testamentorum, hoc quod de juvencæ rufæ mactatione narratur, satis congrue præfigurat.

Locutus est Dominus ad Moysen et Aaron, *dicens*, *Ista distinctio Legis quæcumque constituit Dominus:* ac deinde mandare incipit hæc adjungens et dicens, *Loquere filiis Israel.* Potest etiam ita distingui, *Et locutus est Dominus ad Moysen et Aaron dicens; Ista distinctio Legis*, *quæcumque constituit Dominus*, *dicens:* non quæcumque constituit Dominus creans, sicut cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt; sed quæcumque constituit Dominus dicens, in duobus videlicet Testamentis; ut deinde sequatur, *Loquere filiis Israel*, *et accipiant ad te* [1] *juvencam rufam sine vitio.* Juvenca rufa carnem Christi significat. Sexus femineus est, propter infirmitatem carnalem; rufa est, propter ipsam cruentam passionem. Quod autem ait, *Accipiant ad te*, in ipso Moyse figuram Legis ostendit: quoniam secundum Legem sibi visi sunt occidere Christum, quia solvebat secundum ipsos sabbatum, et sicut putabant, observationes legitimas profanabat. Quod ergo sine vitio dicitur hæc juvenca, mirum non est: hanc enim carnem etiam cæteræ hostiæ figurabant, ubi similiter sine vitio pecora immolari jubentur. Erat quippe illa caro in similitudine carnis peccati (*Rom.* VIII, 3), sed non caro peccati. Verumtamen hic ubi evidentius Legis distinctionem Deus voluit commendare, parum fuit dicere, *sine vitio*, nisi diceretur, *quæ non habet in se vitium:* quod si repetendi causa dictum est, fortasse non frustra est, quod eam rem ipsa repetitio firmius commendavit. Quanquam et illud non abhorret a vero, ut ideo additum intelligatur, *quæ non habet in se vitium*, cum jam dictum esset, *juvencam sine vitio*, quia in se non habuit vitium caro Christi, in aliis autem habuit, qui membra sunt ejus. Quæ enim caro in hac vita sine peccato, nisi illa sola quæ non habet in se vitium? *Et non est superpositum super eam jugum.* Non enim subjugata est iniquitati, cui subjugatos inveniens liberavit, et eorum vincula disrupit, ut ei dicatur, *Disrupisti vincula mea*, *tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV, 16, 17). Super illius quippe carnem non est positum jugum, qui potestatem habuit ponendi animam suam et iterum sumendi eam (*Joan.* X, 18).

Et dabis eam, inquit, *ad Eleazarum sacerdotem.* Cur non ad Aaron, nisi forte ita præfiguratum est, non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros hujus sacerdotii passionem Domini perventuram? *Et ejicient eam extra castra:* sic et ejectus est Dominus passurus extra civitatem. Quod autem ait, *in locum mundum;* ita significatum est, quia non habuit causam malam. *Et occident eam in conspectu ejus:* sicut occisa est caro Christi in conspectu eorum qui jam futuri erant in novo Testamento Domini sacerdotes.

Et accipiet Eleazar sanguinem ejus, et asperget contra faciem tabernaculi testimonii a sanguine ejus septies. Hæc testificatio est, Christum secundum Scripturas fudisse sanguinem in remissionem peccatorum (*Rom.* III, 25; *et Ephes.* I, 7). Ideo *contra faciem tabernaculi testimonii*, quia non aliter declaratum est, quam fuerat divino testimonio prænuntiatum: et ideo *septies*, quia ipse numerus ad mundationem pertinet spiritualem.

Et cremabunt eam in conspectu ejus. Puto quia concrematio ad signum pertinet resurrectionis. Natura est quippe ignis ut in superna moveatur, et in eum convertitur quod crematur. Nam et ipsum cremare de græco in latinum ductum verbum est a suspensione (*a*). Quod vero additum est, *in conspectu ejus*, id est in conspectu sacerdotis, hoc mihi insinuatum videtur, quia illis apparuit resurrectio Christi, qui futuri erant regale sacerdotium. Jam quod sequitur, *Et pellis ejus et carnes et sanguis ejus cum stercore ejus comburetur*, id ipsum expositum est quomodo concremabitur: et significatum est quod non solum substantia mortalis corporis Christi, quæ commemoratione pellis et carnium et sanguinis intimata est; verum etiam contumelia et abjectio plebis, quam nomine stercoris significatam puto, converteretur in gloriam, quam combustionis flamma significat.

Et accipiet sacerdos lignum cedrinum et hyssopum et coccinum, et immittet in medium combustionis juvencæ. Lignum cedrinum spes est, quæ debet in supernis firmiter habitare. Hyssopus fides, quæ cum sit herba humilis, radicibus hæret in petra. Coccinum charitas, quod fervorem spiritus igneo colore testatur. Hæc tria debemus mittere in resurrectionem Christi, tanquam in medium combustionis illius, ut cum illo sit abscondita vita nostra, sicut dicit Apostolus: *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 3).

Et lavabit vestimenta sua sacerdos, et lavabit corpus suum aqua, et postea introibit in castra, et immundus erit sacerdos usque ad vesperam. Lavatio vestimentorum et corporis quid est, nisi mundatio exteriorum et interiorum? hoc sacerdos. Deinde sequitur: *Et qui comburet eam, lavabit vestimenta sua, et lavabit corpus suum aqua, et immundus erit usque ad vesperam.* In eo qui comburit, eos figuratos arbitror, qui Christi carnem sepelierunt, resurrectioni eam veluti conflagrationi mandantes.

Et congregabit homo mundus cinerem juvencæ, et ponet extra castra in locum mundum. Quid dicimus cinerem juvencæ, reliquias videlicet illius interfectionis et combustionis, nisi famam quæ consecuta est passionem resurrectionemque Christi? Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico (*Psal.* XXXVI, 37). Nam et cinis erat, quia velut mortuus ab infidelibus contemnebatur; et tamen mundabat, quia et resurrexisse a fidelibus credebatur. Et quia hæc fama apud eos maxime claruit, qui in cæteris gentibus erant, et non erant de consortio Judæorum, ideo dictum esse existimo, *Et congregabit homo mundus cinerem juvencæ:* mundus utique ab interfectione Christi, quæ Judæos fecerat reos. *Et reponet in locum mundum*, id est, honorabiliter tractabit: tamen *extra castra*, quia extra

[1] Editi, *a te*. At Mss. juxta LXX, *ad te*.

(*a*) *Kremeô*, suspendo.

celebrationem Judaicæ consuetudinis honor evangelicus claruit. *Et erit synagogæ filiorum Israel in conservationem. Aqua aspersionis, purificatio est.* Postea declarat plenius quemadmodum ex isto cinere fiebat aqua aspersionis, unde mundabantur a contactu mortuorum; quod utique significat ab iniquitate hujus moribundæ vel morticinæ vitæ.

Sed mirum est quod sequitur: *Et qui congregat*, inquit, *cinerem juvencæ, lavabit vestimenta sua; et immundus erit usque ad vesperam.* Quomodo erit ex hoc immundus, qui mundus accesserat; nisi quia et ii qui sibi videntur mundi, in fide Christiana se agnoscunt quia omnes peccaverunt et egent gloria Dei, justificati gratis per sanguinem ipsius (*Rom.* III, 23, 24)? Hunc tamen vestimenta sua lavare dixit, non etiam corpus suum; credo, quod illius cineris congregatione et repositione in loco mundo, si hæc spiritualiter intelligantur, jam intrinsecus vult intelligi fuisse mundatum: sicut Cornelius audiens et credens quod prædicaverat Petrus, ita mundatus est, ut ante visibilem Baptismum, cum suis qui aderant, acciperet donum Spiritus sancti; verumtamen nec visibile Sacramentum contemni potuit (*Act.* X, 44-48), ut ablutus etiam extrinsecus [1] lavaret quodammodo vestimenta sua. *Et erit*, inquit, *filiis Israel, et proselytis qui apponuntur, legitimum æternum.* Quid aliud ostendit, nisi baptismum Christi, quem significabat aqua aspersionis, et Judæis et Gentibus profuturum; id est filiis Israel et proselytis, tanquam naturalibus ramis et inserto pinguedini radicis oleastro (*Rom.* XI, 16 24)? Quem autem non faciat intentum, quod post ablutionem de singulis quibusque dicitur, *Et immundus erit usque ad vesperam?* Neque hic tantum, sed in omnibus, aut pene in omnibus talibus mundationibus hoc dicitur. Ubi nescio utrum aliquid aliud possit intelligi, nisi quod omnis homo post remissionem plenissimam peccatorum permanendo in hac vita contrahit aliquid, unde sit immundus usque ad ejusdem vitæ finem, ubi ei dies iste quodammodo clauditur, quod significat vespera.

Deinde incipit Scriptura dicere, et exsequitur quemadmodum immundi facti homines, aqua illa aspersionis purificentur: *Qui tetigerit*, inquit, *mortuum, omnis anima hominis immunda erit septem diebus: hic purificabitur die tertio et die septimo, et mundus erit.* Et hic nihil aliud intelligendum video, nisi contactum mortui, esse hominis iniquitatem. Septem vero dierum immunditiam propter animam et corpus dictam puto; animam in ternario, corpus in quaternario. Quod quare ita sit, longum est disputare. Secundum hoc arbitror dictum per prophetam, *In tribus et quatuor impietatibus non adversabor* [2] (*Amos* I, 3). Adjungit autem, et dicit, *Si autem non purificatus fuerit die tertio et die septimo, non erit mundus. Omnis qui tetigerit mortuum ab omni anima hominis, et mortuus fuerit, et non fuerit purificatus*; id est ante mortuus fuerit tacto mortuo, quam fuerit purificatus; *tabernaculum Domini polluit: exteretur* [1] *anima illa ex Israel.* Notandum est quod difficillime reperitur in his libris aliquid evidentius de vita animæ post mortem fuisse conscriptum. Hic ergo cum dicit, si fuerit mortuus ante purificationem, manere in illo immunditiam, et exteri animam illam ex Israel, id est a consortio populi Dei; quid aliud vult intelligi, nisi manere animæ pœnam, etiam post mortem, si cum vivit, mundata non fuerit sacramento isto, quo Christi baptismus figuratur? *Quoniam aqua aspersionis*, inquit, *non est circumaspersa super eum, immundus est; adhuc immunditia ejus in ipso est. Adhuc*, scilicet etiam post mortem. Quod vero supra dixit, *Tabernaculum Domini polluit*, quantum in ipso est utique, dixit: sicut Apostolus, *Spiritum nolite exstinguere* (I *Thess.* V, 19): cum exstingui ille non possit. Nam si ex hoc tabernaculum immundum factum vellet intelligi, mundari utique juberet.

Postea vero immundos a mortuis factos, hoc est a mortuis operibus, quæ sunt omnes iniquitates, ita mundari jubet: *Et accipient illi immundo*, inquit, *a cinere illius exustæ purificationis, et effundent super illum*, id est super eumdem cinerem, *aquam vivam in vase: et accipiens hyssopum, intingens in aqua vir mundus, et circumaspergens super domum, et super vasa, et super animas, quotquot fuerint illic, et super eum qui tetigerit os humanum, aut vulneratum, aut mortuum, aut monumentum; et asperget mundus super immundum in* [2] *die tertio et in die septimo: et purificabitur die septimo, et lavabit vestimenta sua, et lavabitur aqua, et immundus erit usque ad vesperam.* Alia est aqua aspersionis, et alia utique illa qua lavabit vestimenta sua. *Et lavabitur aqua*, quam puto spiritualem intelligendam, per significationem, non per proprietatem. Nam sine dubio visibilis erat, sicut illæ omnes umbræ futurorum. Proinde qui sacramento Baptismi recte abluitur, quod illa aspersionis aqua figurabatur, mundatur et spiritualiter, id est invisibiliter, et in carne et in anima, ut sit mundus et corpore et spiritu. Quod vero hyssopo dixit aquam aspersionis aspergi, qua herba supra diximus fidem significari; quid aliud occurrit, nisi quod scriptum est, *Fide mundans corda eorum* (*Act.* XV, 9)? Non enim prodest Baptismus, si desit fides. A viro autem mundo dixit hoc fieri, ubi significantur ministri portantes personam Domini sui, qui vere vir mundus est [3]. Nam et de his ministris in consequentibus dicit, *Et qui circumasperget aquam aspersionis, lavabit vestimenta sua*; id est, observabit et corpore [4]. *Et qui tetigerit aquam*

[1] Mss. Michaelinus et Beccensis, *nec visibile sacramentum contemni potuit oblatum, quin etiam extrinsecus*, etc.

[2] Editi, *adversabor*. At Mss., *aversabor*: juxta LXX, *apostraphêsomai.*

[1] Editi, *exterminabitur*; excepto Rat. qui cum Mss. habet, *exteretur*.

[2] Editi et aliquot Mss. post *fuisse conscriptum*, subjiciunt proxime, *Die tertio et in die septimo: et purificabitur*, etc., detractis videlicet intermediis quinque et viginti versibus, quos restituimus ope veterum codicum Corbeiensis, Thuanei, et Cisterciensis, necnon auctoritate Flori seu Bedæ vulgati in Comment. super Epistolam ad Hebræos, cap. 9.

[3] In excusis: *Portantes personas Domini sui, qui vere mundus est.* At in Mss., *portantes personam Domini sui, qui vere vir mundus est.*

[4] Sic Mss. At editi, *et corpus.*

aspersionis, immundus erit usque ad vesperam. Et omne quodcumque tetigerit illud immundus, immundum erit : et anima quæ tetigerit, immunda erit usque ad vesperam. Jam dixi superius quid mihi significare videatur, *usque ad vesperam.*

XXXIV. [Ib. XIX, 16.] *Omnis qui tetigerit super, faciem campi vulneratum, aut mortuum, aut os hominis, aut monumentum.* Quæri potest quid dictum sit *vulneratum, aut mortuum.* Si enim aliud voluit intelligi vulneratum, aliud mortuum; cavendum est ne putetur immundus esse etiam qui tetigerit vulneratum vivum, quod utique absurdum est. Sed quia possunt et mortui esse vulnerati, ipsos mortuos intelligitur discrevisse, ut et vulneratum mortuum intelligamus, id est, vulnere peremptum aut mortuum sine vulnere.

XXXV. [Ib. XX, 11.] Quod de petra aqua educta est, apostolus Paulus quid esset exposuit, ubi ait, *Et omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant enim* [1] *de spirituali sequenti petra : petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 4). Significata est ergo de Christo profluens gratia spiritualis, qua interior sitis irrigaretur. Sed quod virga petra percutitur, crux Christi figuratur. Ligno enim accedente ad petram, gratia manavit : et quod bis percutitur, evidentius significat crucem. Duo quippe ligna sunt crux.

XXXVI. [Ib. XX, 13.] Quod de aqua illa quæ de petra profluxit dictum est, *Hæc aqua contradictionis, quia maledixerunt filii Israel ante Dominum, et sanctificatus est in ipsis :* prius maledixerunt, quando locuti sunt contra beneficium Domini, quo educti erant de Ægypto; et postea sanctificatus est in ipsis, cum illo miraculo profluentis aquæ ejus sanctitas declarata est. An forte duo genera hominum demonstravit, et contradicentium gratiæ Christi, et percipientium gratiam Christi; ut illis sit aqua contradictionis, istis sanctificationis? Nam et de ipso Domino in Evangelio legitur, *Et in signum cui contradicetur* (*Luc.* II, 34).

XXXVII. [Ib. XX, 17, 19.] Quod inter mandata Moyses ad regem Edom dicit inter cætera, *Neque bibemus aquam de lacu tuo*, intelligendum est gratis, id est, quia non gratis bibemus : quod postea manifestat, dicens, *Si autem de aqua tua bibemus, ego et pecora mea, dabo pretium tibi.*

XXXVIII. [Ib. XX, 17.] *Non declinabimus in dextera neque in sinistra :* pluraliter dictum est, in ea quæ dextera sunt, vel quæ sinistra sunt.

XXXIX. [Ib. XX, 24.] *Non introibitis in terram quam dedi filiis Israel in possessionem; quoniam exacerbastis me super aquam maledictionis.* Quam dixit superius aquam contradictionis, ipsam dicit hic maledictionis : non enim ait ἀντιλογίας, sed λοιδορίας.

XL. [Ib. XXI, 2.] *Et vovit Israel votum Domino, et dixit, Si mihi tradideris populum istum subjectum*, id est, si mihi cum tradendo subjeceris, *anathemabo illum et civitates ejus.* Hic videndum est, quomodo dicatur *anathemabo*, quod vovetur, et tamen pro maledicto ponitur, sicut et de isto populo dicitur : unde illud est, *Si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* I, 9). Hinc vulgo ductum est, ut devotatio dicatur : nam devotare se quemquam, nemo fere dicit, nisi maledicens.

XLI. [Ib. XXI, 3.] *Et anathemavit eum et civitatem ejus : et vocatum est nomen loci illius Anathema.* Hinc ductum est ut anathema, detestabile aliquid et abominabile videatur. Ut enim nihil inde victor in usus suos auferret, sed totum in pœnam luendam voveret, hoc erat anathemare, quod vulgo dicitur devotare. Origo autem hujus verbi est in græca lingua ab his rebus, quæ votæ et persolutæ, hoc est, promissæ et redditæ, sursum ponebantur in templis, ἀπὸ τοῦ ἄνω τιθέναι : hoc est, sursum ponere, vel figendo, vel suspendendo.

XLII. [Ib. XXI, 13, 14.] In itinere filiorum Israel, quo castra promovebant, atque ponebant, inter cætera scriptum est, *Et inde castra collocaverunt trans Arnon in eremo* [1], *quod exstat a limitibus Amorrhæorum. Est enim Arnon limes Moab* [2] *inter Moab et inter Amorrhæum. Propterea dicitur in libro, Bellum Domini Zoob inflammavit, et torrentes Arnon, et torrentes constituit inhabitare Er.* In quo libro hoc scriptum sit, non commemoravit, neque ullus est in his quos divinæ Scripturæ canonicos appellamus. De talibus occasiones reperiunt, qui libros apocryphos incautorum auribus et curiosorum conantur inserere, ad persuadendas fabulosas impietates. Sed hic dictum est scriptum in libro, non dictum est in cujus prophetæ vel patriarchæ sancto libro. Neque negandum est fuisse jam libros sive Chaldæorum, unde egressus est Abraham; sive Ægyptiorum, ubi didicerat Moyses omnem illorum sapientiam; sive cujusque gentis alterius, in quorum librorum aliquo potuit hoc esse scriptum : qui tamen non ideo sit assumendus in eas Scripturas quibus divina commendatur auctoritas; sicut nec propheta ille Cretensis, cujus mentionem facit Apostolus (*Tit.* I, 12); nec Græcorum scriptores vel philosophi vel poetæ, quos idem ipse apostolus magnum sane aliquid et veraciter promptum ad Athenienses loquens, dixisse confirmat : *In illo enim vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28). Licet enim divinæ auctoritati unde voluerit, quod verum invenerit, testimonium sumere; sed non ideo omnia quæ ibi scripta sunt, accipienda confirmat. Cur autem hoc isto commemoratum sit loco, non evidenter apparet; nisi forte, ut fines illic inter duas gentes constituerentur, bello actum est, quod bellum ejusdem loci homines propter magnitudinem, bellum Domini esse dixerunt, ut scriberetur in aliquo eorum libro, *Bellum Domini Zoob inflammavit :* quod vel arserit eodem bello ista civitas, aut ad pugnandum inflammata sit, hoc est, excitata, vel si quid aliud in obscuritate loci hujus latet.

XLIII. [Ib. XXI, 16.] *Hic est puteus quem dixit Dominus ad Moysen, Congrega populum, et dabo eis aquam*

[1] Editi, *autem.* Mss. vero, *enim*, juxta græcum.

[1] Codices omnes hic ferebant, *in Hernon :* corrupte pro, *in eremo;* uti ex LXX et ex Vulgata liquet.

[2] Editi omittunt hic, *Moab;* atque infra pro *Zoob*, constanter habent, *Moab :* quæ errata emendantur ex Mss. et ex LXX.

bibere. Ita hoc commemoratum est, quasi alicubi superius hoc ad Moysen dixisse Dominus legatur : sed quia nusquam reperitur, hic intelligendum est et illic bibisse populum, qui de siccitate conquerebatur.

XLIV. [Ib. xxi, 24, 25.] *Et percussit eum Israel nece gladii : et dominati sunt terræ ejus ab Arnon usque Jaboc, et usque ad filios Ammon : quoniam Jazer termini filiorum Ammon sunt. Et accepit Israel omnes civitates istas. Et habitavit Israel in omnibus civitatibus Amorrhæorum in Esebon.* Hic certe Israel possedit civitates Amorrhæorum, quas bello superavit; quia non eas anathemavit : nam si eas anathemasset, possidere illi non liceret, nec inde ad usus suos aliquid prædæ usurparet. Notandum est sane quemadmodum justa bella gerebantur. Innoxius enim transitus negabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere debebat. Sed jam ut Deus sua promissa compleret, adjuvit hic Israelitas, quibus Amorrhæorum terram dari oportebat. Nam Edom cum similiter eis transitum denegaret, non pugnaverunt cum ipsa gente Israelitæ, id est filii Jacob cum filiis Esau, duorum germanorum atque geminorum, quia terram illam Israelitis non promiserat; sed declinaverunt ab eis.

XLV. [Ib. xxi, 27.] *Propterea dicent ænigmatistæ, Venite in Esebon*, et cætera. Qui sint ænigmatistæ ideo non apparet, quia non sunt in consuetudine litteraturæ nostræ, neque in ipsis divinis Scripturis fere alio loco reperitur hoc nomen : sed quia videntur quasi canticum dicere, quo cecinerunt bellum inter Amorrhæos et Moabitas gestum, in quo Seon rex Amorrhæorum Moabitas superavit, non incredibiliter putantur isti ænigmatistæ sic tunc appellati, quos poetas nos appellamus; eo quod poetarum sit consuetudo atque licentia miscere carminibus suis ænigmata fabularum, quibus aliquid significare intelligantur. Non enim aliter essent ænigmata, nisi illic esset tropica locutio, qua discussa perveniretur ad intellectum qui in ænigmate latitaret.

XLVI. [Ib. xxii, 4-6.] Quod dicit Scriptura, posteaquam Israel vicit Amorrhæos, et possedit omnes civitates eorum, misisse legatos Balac regem Moabitarum ad conducendum Balaam, a quo malediceretur Israel, satis ostenditur non omnes Moabitas venisse in conditionem Seon regis Amorrhæorum, quando eos bello superavit : si quidem remansit gens Moabitarum usque ad illud tempus, ubi regnaret Balac rex Moab. Quod vero Moab dixit senioribus Madian, id est, Moabitæ senioribus Madianitarum, *Nunc ablinget synagoga hæc omnes* [1] *qui in circuitu nostro sunt;* non una gens erat, sed vicini ad vicinos dixerunt quod pariter cavendum esset. Nam Moab filius fuit Lot ex una filiarum (*Gen.* xix, 37), Madian vero filius Abrahæ de Cethura (*Id.* xxv, 2). Non itaque una gens erat, sed duæ vicinæ atque conterminæ.

XLVII. [Ib. xxii, 7-13.] Quid est quod scriptum est, *Et divinationes in manibus eorum*, cum de iis diceretur quos miserat Balac ad conducendum Balaam, ut malediceret Israel? Numquidnam ipsi divinabant? an aliqua ferebant unde faceret Balaam, quo posset divinare, tanquam aliqua quæ in sacrificiis incenderentur, aut quoquo modo impenderentur; et ideo dictæ sunt divinationes, quia per hæc ille poterat divinare? an quid aliud? obscure enim dictum est. Notandum sane, quod *venit Deus ad Balaam et dixit ei, Quid homines hi penes te?* etc. Nec dictum est utrum in somnis hoc factum sit, quamvis per noctem factum satis eluceat, cum post hæc dicit Scriptura, *Et exsurgens Balaam mane.* Potest enim movere quomodo cum homine pessimo Deus locutus sit, quod etiamsi in somnis factum esse constaret, non ideo nulla quæstio remaneret, propter ipsam indignitatem. Sic et Dominus Jesus Christus ait de divite illo, qui destruere veteres apothecas et ampliores novas disponebat implere : *Dixit ad illum Deus, Stulte, hac nocte anima tua auferetur a te; hæc quæ præparasti cujus erunt* (*Luc.* xii, 20)? Ne quisquam glorietur quod ei loquitur Deus eo modo, quo talibus loquendum esse novit; quando potest hoc et reprobis fieri : quia et cum per angelum loquitur, ipse loquitur.

XLVIII. [Ib. xxii, 12-38.] Quod ait Balaam iterum ad se missis honoratioribus nuntiis, *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argento et auro, non potero prævaricare verbum Domini, facere illud pusillum vel magnum in mente mea*, nullum habet omnino peccatum : sed quod sequitur non est sine gravi peccato. Jam enim constans esse debuit semel audito, quod ei dixerat Dominus, *Non ibis cum eis, neque maledices populum : est enim benedictus;* nec eis ullam spem dare, quod posset Dominus, tanquam ipse Balaam muneribus et honoribus flexus, adversus populum suum, quem benedictum esse dixerat, suam mutare sententiam. Sed ibi se victum cupiditate monstravit, ubi loqui sibi Dominum de hac re iterum voluit, de qua ejus jam cognoverat voluntatem. Quid enim opus erat quæ sequuntur adjungere : *Et nunc sustinete ibi et vos nocte hac, et sciam quid adjiciet Dominus loqui ad me?* Proinde Dominus videns ejus cupiditatem captam devictamque muneribus, permisit eum ire, ut per jumentum quo vehebatur ejus avaritiam coerceret : hoc ipso confundens illam dementiam, quod prohibitionem Domini per angelum factam transgredi asina non audebat, quam ille cupiditate transgredi conaretur, quamvis eamdem cupiditatem timore supprimeret. *Venit enim Deus ad Balaam nocte, et ait illi : Si vocare te venerunt homines, exsurgens sequere eos, sed verbum quodcumque locutus fuero ad te, hoc facies. Et exsurgens Balaam mane stravit asinam suam, et abiit cum principibus Moab.* Cur post istam permissionem Deum iterum non consuluit, et post illam prohibitionem iterum consulendum putavit, nisi quia ejus maligna cupiditas apparebat, quamvis timore Domini premeretur? Denique Scriptura sequitur, *Et iratus est animatione Deus, quia ibat ipse; et insurrexit angelus Dei, ut non permitteret eum in via*, et cætera quæ sequuntur, donec asina loqueretur. Nihil hic sane mirabilius videtur, quam quod loquente asina territus non

[1] In editis, *adjunget synagogæ, hæc omnes.* In Mss., *ablinget synagoga hæc :* quæ est lectio LXX.

est, sed insuper ei, velut talibus monstris assuetus, ira perseverante respondit. Postea illi et angelus loquitur, arguens et improbans ejus viam : quo viso tamen exterritus adoravit. Deinde ire permissus est, ut jam per ipsum prophetia clarissima proferretur. Nam omnino permissus non est dicere quod volebat, sed quod virtute Spiritus cogebatur. Et ipse quidem reprobus mansit : nam posterior de illo sancta Scriptura ita locuta est, ut quidam reprehensibiles et reprobi viam ejus secuti dicerentur : *Secuti*, inquit, *viam Balaam filii Beor, qui mercedem iniquitatis dilexit* (II *Petr*. II, 15.)

XLIX. [Ib. XXII, 22, 32.] De angelo qui locutus est Balaam in via, quo viso asina ejus progredi non ausa est, Scriptura ita loquitur : *Et iratus est animatione Deus, quia ibat ipse; et insurrexit angelus Dei differre eum in via.* Ubi primo notandum est quemadmodum dixerit, *iratus est Deus, et insurrexit angelus Dei* : nec interposuit iratum Deum misisse angelum, sed tanquam in angelo iratum Deum significavit; quoniam veritas et justitia Dei irasci angelum fecit. Nam *insurrexit* quod dictum est, utique commotione intelligendum est. Deinde quod ait, *differre eum in via*, quod græce positum est διαβαλεῖν, hoc et in consequentibus dicit ipse angelus, *Et ecce ego exii in dilationem tuam*, ubi græcus habet διαβολήν. Ubi fortassis accusatio congruentius intelligitur, ut hic quod dictum est *differre eum in via*, accusare accipiatur. Unde creditur etiam diabolus appellatus, tanquam accusator latine dicendus sit : non quia nemo possit etiam bene recteque accusare; sed quoniam diabolus amat accusare, utique invidentiæ stimulis agitatus, quale illi in Apocalypsi testimonium perhibetur (*Apoc*. XII, 9, 10). Positum est autem hoc verbum et in comœdia, unde latinum esse non dubium est, sub eadem significatione, vel certe vicina, ubi de patre irato dicitur filio :

> Orationem sperat invenisse se,
> Qua differat te.
> (*Terentius in Andr*., *act*. 2, *scen*. 4.)

Solet autem hic intelligi, differat, velut hac atque illac ferat tempestate verborum, quasi discerpat et dissipet; quod utique ille accusando videbatur esse facturus. Sed etsi *differre eum in via* sic intellexerimus, quia distulit angelus ejus festinationem remorando, ut ei quod opus erat et demonstraret, et diceret; non absurda est hujus verbi etiam sub ista significatione positio.

L. [Ib. XXII, 23-29.] *Et cum vidisset asina angelum Dei resistentem in via, et evaginatum gladium in manu ejus, et declinavit asina de via, et ibat in campum.* Campus iste adhuc extra macerias vinearum fuit. *Et percussit asinam in virga, ut corrigeret eam in via. Et stetit angelus Dei in sulcis vinearum, maceria hinc, et maceria hinc.* Merito quæritur, si hinc atque inde maceriæ in medio ponebant viam, sicut fieri solet; quomodo ibi stans angelus dicitur stetisse in sulcis vinearum : neque enim in via inter macerias potuerunt sulci esse vinearum. Sed ordo verborum est, *ut corrigeret eam in via, maceria hinc, et maceria hinc.* In hac ergo via corrigere voluit asinam Balaam, ut inter macerias ambularet. Interpositum est autem, *Et stetit angelus Dei in sulcis vinearum*, in una scilicet vinearum, quæ in medio ponebant viam. *Et cum vidisset asina angelum Dei, compressit se ad parietem*, id est ad maceriam illius utique vineæ, in qua non erat angelus, quoniam ab alia parte erat in sulcis vinearum. *Et compressit pedem Balaam ad parietem, et adjecit adhuc cædere eam. Et apposuit angelus Dei, et adjiciens*[1] *substitit in loco angusto;* jam non in sulcis vinearum, sed inter ipsas macerias, id est in via : *in quo non fuit declinare dextram*[2] *neque sinistram. Et cum vidisset asina angelum Dei, consedit*[3] *sub Balaam.* Cæsa enim, retro non ibat; in parietem non se premebat, quoniam non ab altera parte terrebatur, sed in media via in angusto angelus erat : restabat ergo ut subsideret. *Et iratus est Balaam, et percutiebat asinam virga. Et aperuit Deus os asinæ, et ait ad Balaam : Quid feci tibi, quia percussisti me tertio hoc? Et ait Balaam asinæ : Quia illusisti mihi; et si haberem gladium in manu mea, jam transfixissem te.* Nimirum iste tanta cupiditate ferebatur, ut nec tanti monstri miraculo terreretur, et responderet quasi ad hominem loquens, cum Deus utique non asinæ animam in naturam rationalem vertisset, sed quod illi placuerat, ex illa sonare fecisset, ad illius vesaniam cohibendam : illud fortasse præfigurans, quia stulta mundi electurus erat Deus, ut confunderet sapientes (I *Cor*. I, 27), pro illo spirituali et vero Israel, hoc est promissionis filiis.

LI. [Ib. XXIII, 5.] *Et factus est Spiritus Dei super illum;* id est, super Balaam. Non factus est Spiritus Dei, tanquam factura sit Spiritus Dei; sed *factus est super illum*, id est, factum est ut super illum esset : quomodo, *Qui post me venit, ante me factus est*, id est, factum est ut ante me esset, ut præponeretur mihi; *quia prior me*, inquit, *erat* (*Joan*. I, 30) : et sicut, *Dominus factus est adjutor meus* (*Psal*. XXIX, 11); non enim Dominus factura est, sed factum est ut me adjuvaret : *et*, *Factus est Dominus refugium pauperum* (*Psal*. IX, 10), id est, factum est ut ad eum refugerent pauperes : et, *Facta est super me manus Domini* (*Ezech*. I, 3, et III, 22), id est, factum est ut super me esset; et multa talia in Scripturis reperiuntur.

LII. [Ib. XXV, 4, 7, 8.] *Et dixit Dominus ad Moysen : Accipe duces populi, et ostenta eos Domino contra solem; et auferetur ira animationis Domini ab Israel.* Iratus est Deus de fornicationibus Israel, et carnalibus et spiritualibus; nam et filiabus Moab se impudice miscuerant, et idolis fuerant consecrati : hoc ad Moysen dixit, ut ostentaret Domino duces populi contra solem. In quo verbo intelligitur eos jussos esse crucifigi, ut hoc sit, *Ostenta eos Domino contra solem*, id est palam in conspicuo lucis hujus. Nam græcus ait παραδειγμάτισον, quod dici posset, Exempla; quia παράδειγμα exemplum dicitur. Nam præter Septuaginta

[1] Apud LXX, *kai apeltôn, et abiens.*
[2] Sic Mss. juxta LXX. At editi, *in qua non fuit declinare in dexteram.*
[3] Editi, *concidit.* Mss. vero, *consedit* : apud LXX, *suneckuthisen.*

interpretes, Aquila perhibetur dixisse, *confige*, vel potius *sursum confige*, quod est ἀνάπηξον; Symmachus autem verbo evidentiore, *suspende*. Mirum est sane, quod Scriptura narrare destiterit utrum hoc fuerit ex præcepto Domini impletum : quod contemni potuisse non video, aut si contemptum est, impune contemni. Si autem factum est et tacitum, cur ex eo quod Phinees filius Eleazar transfixit adulteros, placatum fuisse Dominum Scriptura testatur, plagamque cessasse; quasi crucifixis ducibus, sicut præceperat Dominus, adhuc indignatio perseverans alio modo placanda videretur : cum procul dubio falsum esse non posset, quod prænuntiaverat et promiserat Dominus, dicens, *Accipe duces populi, et ostenta eos Domino contra solem; et avertetur ira animationis Domini ab Israel?* Si ergo factum erat, quis dubitet iram Domini aversam fuisse ab Israel? Quid itaque opus erat ut adhuc Phinees ad placandum Deum sic in adulteros vindicaret, eique testimonium Scriptura perhiberet quod eo modo placaverit Dominum? Nisi forte intelligamus, cum illud de ducibus populi Moyses, quod præceperat Dominus, implere disponeret, eum voluisse etiam secundum Legem talia punire flagitia et sacrilegam audaciam, ut juberet quemque interficere proximum suum diis alienis nefarie consecratum, atque interea etiam illud Phinees faceret, ac sic ira Domini jam placata, non opus fuisse duces populi crucifigi. Hæc sane severitas illi tempori congrua, quantum malum sit fornicationis et idololatriæ, prudentium fidei satis evidenter ostendit.

LIII. [Ib. XXVII, 13, 14.] Eam causam mortis Moysi dicit Dominus, quam etiam fratris ejus. Ambobus enim etiam hoc ante prædixerat, quod ideo non intrarent cum populo Dei in terram promissionis, quia non eum sanctificaverunt coram populo ad aquam contradictionis (*Num.* XX, 12); id est quia dubitaverunt de dono ejus, quod posset aqua de petra profluere, sicut exposuimus in eo ipso Scripturæ loco (*Supra, quæst.* 19). Hujus autem rei mysterium datur intelligi, quia nec sacerdotium quod prius institutum est, cujus personam gerebat Aaron, nec ipsa Lex cujus personam gerebat Moyses, introducunt populum Dei in terram hæreditatis æternæ; sed Jesus, in quo typus erat Domini Jesu Christi, id est gratia per fidem. Et Aaron quidem ante defunctus est, quam Israel in aliquam partem terræ promissionis intraret; Moyse autem adhuc vivente capta est terra Amorrhæorum atque possessa, sed Jordanem cum eis non est transire permissus. Ex aliqua enim parte Lex observatur in fide christiana. Ibi enim sunt etiam præcepta, quæ hodieque observare Christiani jubemur. Sacerdotium vero illud et sacrificia nullam partem tenent hodie fidei christianæ, nisi quod in umbris futurorum acta atque transacta sunt. Cum vero ambobus fratribus, id est Aaron et Moysi, dicitur ut apponantur ad populum suum, manifestum est non esse in illos iram Dei, quæ separat a pace sanctæ societatis æternæ. Unde manifestatur, non solum officia, sed etiam mortes eorum signa fuisse futurorum, non supplicia indignationis Dei.

LIV. [Ib. XXVII, 18, 19.] *Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Accipe ad teipsum Jesum filium Nave, hominem qui habet Spiritum in seipso; et impones manus tuas super eum, et statues eum in conspectu Eleazari sacerdotis, et mandabis ei in conspectu omnis synagogæ*, etc. Notandum est, quod cum jam haberet Spiritum in seipso Jesu Nave, sicut Scriptura testatur (ubi quid aliud quam Spiritum sanctum debemus accipere? non enim de spiritu hominis hoc diceret, quem nullus erat qui non habebat), jussus est tamen Moyses ei manus imponere; ne quisquam homo, qualibet præpollens gratia, sacramenta [1] consecrationis audeat recusare.

LV. [Ib. XXVII, 20.] Quid est quod cum Deus præciperet Moysi de Jesu Nave, ait inter cætera, *Et dabis de gloria tua super eum?* Nam græca locutione τῆς δόξης habet, quod tantumdem valet ac si diceret *de gloria*, id est ἀπὸ τῆς δόξης. Latini autem nonnulli interpretati sunt, *dabis gloriam tuam;* non, *de gloria tua.* Sed sive illud esset, ut *gloriam tuam* diceret, non ideo eam non habiturus erat Moyses; nec quia dixit, *de gloria*, ideo minutum est quod habebat. Sic enim accipiendum est, ac si diceret, Facies eum socium gloriæ tuæ : non autem hujusmodi res, quasi partiliter divisæ, minuuntur; sed totæ sunt omnibus, totæ singulis qui earum habent societatem.

LVI. [Ib. XXX, 3.] *Homo, homo quicumque voverit votum Domino, aut juraverit juramentum, aut definierit definitionem de anima sua, non profanabit verbum suum : omnia quæcumque exierint ex ore ejus faciet.* Non hoc ad omnem jurationem pertinet, sed ad eam ubi quisque de anima sua voverit alicujus utique rei abstinentiam, qua ei licebat uti per Legem, sed per votum sibi ipse efficit non licere.

LVII. [Ib. XXX, 4-6.] *Si autem mulier voverit votum Domino, aut definierit definitionem in domo patris sui in juventute sua, et audierit pater ejus vota ejus, et definitiones ejus, quas definivit adversus animam suam, et tacuerit pater ejus; et stabunt omnia vota ejus, et omnes definitiones ejus, quas definivit adversus animam suam, manebunt ei. Si autem abnuens abnuerit pater ejus, quacumque die audierit omnia vota ejus, et definitiones ejus, quas definivit adversus animam suam, non stabunt : et Dominus emundabit eam, quia abnuit pater ejus.* Quoniam quidem de muliere, quæ adhuc in juventute sua in domo patris est, loquitur, merito hic quæritur etiam de voto virginitatis; mulieres quippe etiam virgines in Scriptura appellari solere notissimum est : et videtur etiam Apostolus de patre loqui, cum dicit, *Servet virginem suam;* et, *Det nuptum virginem suam* (I *Cor.* VII, 37, 38), et cætera hoc modo : ubi nonnulli intellexerunt, *virginem suam*, virginitatem suam; nulla tamen hoc simili Scripturarum locutione demonstrant, cum sit inusitatissima. Quod autem ait, *adversus animam suam*, non sic accipiendum est, quasi animæ noceat talibus votis; sed *adversus animam* dicitur, adversus animalem delectationem, sicut etiam de jejunio præcipiens superius ait, *Et affligetis animas vestras* (*Num.* XXIX, 7).

[1] Editi, *sacramentum*. Mss., *sacramenta*.

LVIII. [Ib. XXX, 6.] Quod autem ait, *Et Dominus emundabit eam, quia abnuit pater ejus; emundabit* dixit, a voti non impleti crimine absolvet : sicut in multis locis dicitur, *Et mundabit eum sacerdos*, id est mundum habebit, mundum judicabit; sicuti est et illud, *Mundatione non mundabis reum*, id est, Non dices mundum eum qui immundus est.

LIX. [Ib. XXX, 7-16.] *Si autem facta fuerit viro, et vota ejus super eam secundum distinctionem labiorum ejus, quanta definivit adversus animam suam; et audierit vir ejus, et tacuerit ei quacumque die audierit : et ita stabunt omnia vota ejus, et definitiones ejus, quas definivit adversus animam suam, stabunt. Si autem abnuens abnuerit vir ejus in quacumque die audierit omnia vota ejus, et definitiones ejus, quas definivit adversus animam suam, non manebunt : quoniam vir abnuit ab ea et Dominus mundabit eam.* Feminam sub patre antequam nubat, et sub viro nuptam, noluit Lex ita vovere aliquid Deo adversus animam suam, id est in aliquarum rerum licitarum atque concessarum abstinentia, ut in eisdem votis feminea valeat [1] auctoritas, sed virilis; ita ut si adhuc innuptæ jam concesserat pater vota persolvere, si antequam persolverit nupserit, et viro ejus hoc cognitum non placuerit, non persolvat, et sit omnino sine peccato, quia *Dominus mundabit eam*, sicut dicit, id est mundam judicabit : neque hoc contra Deum fieri putandum est, cum ipse Deus hoc præceperit, hoc voluerit.

Sequitur autem de viduis, vel a viro abjectis, id est, non sub potestate viri constitutis, aut patris; et earum vota ad persolvendum libera esse dicit hoc modo : *Et votum*, inquit, *viduæ et expulsæ, quæcumque voverit adversus animam suam, manebunt ei.* Deinde dicit de nupta, si in domo viri sui jam constituta aliquid tale voverit. De illa enim prius dixerat, quæ in domo patris voverat, et antequam redderet nupserat. De hac ergo quæ in domo mariti vovit, ita loquitur : *Si autem in domo viri ejus votum ejus, aut definitio, quæ adversus animam ejus cum jurejurando; et audierit vir ejus, et tacuerit ei, et non abnuerit ei; et stabunt omnia vota ejus, et omnes definitiones, quas definivit adversus animam suam, stabunt adversus eam. Si autem circumauferens circumauferat vir ejus, quacumque die audierit omnia, quæcumque exierint ex labiis ejus, secundum vota ejus et secundum definitiones, quæ adversus animam ejus, non manent ei : vir ejus circumabstulit, et Dominus mundabit eam. Omne votum et omne jusjurandum vinculi affligere animam, vir ejus statuet ei, et vir ejus circumauferet. Si autem tacens tacuerit ei diem ex die, et statuet ei omnia vota ejus, et definitiones, quæ super ipsam, statuet ei; quoniam tacuit ei, die quo audivit. Si autem circumauferens circumauferat vir ejus post diem quem audivit; et accipiet peccatum suum.*

Manifestum est ita voluisse Legem feminam esse sub viro, ut nulla vota ejus, quæ abstinentiæ causa voverit, reddantur ab ea, nisi auctor vir fuerit permittendo. Nam cum ad peccatum ejusdem viri pertinere voluerit, si prius permiserit, et postea prohibuerit; etiam hic tamen non dixit ut faciat mulier quod voverat, quia permissa prius a viro fuerat. Viri dixit esse peccatum, quia abnuit quod prius concesserat : non tamen mulieri vel ex hoc permissum dedit, ut cum prius ei vir concesserit, postea si prohibuerit, contemnatur.

Utrum autem ista etiam ad vota continentiæ et a concubitu abstinentiæ pertineant, merito quæritur, ne forte ea tantum intelligenda sint adversus animam voveri, quæ sunt in cibis et potionibus. Quod videtur et illud significare, ubi Dominus ait, *Nonne anima plus est quam esca* (*Matth.* VI, 25)? et cum de jejunio præcipitur, ita præcipitur, *Affligetis animas vestras* (*Num.* XXIX, 7). Nescio autem utrum alicubi legi possit, adversus animam dici votum quod de abstinentia concubitus fuerit : maxime quia cum hic Lex auctoritatem viro tribuat, non mulieri quæ viro subdita est, ut tunc persolvenda sint vota mulieris, si vir approbaverit; si autem renuerit, non debeantur : Apostolus tamen, cum de concubitu conjugatarum loqueretur, non ibi majorem auctoritatem viro quam feminæ dedit; sed, *Uxori*, inquit, *vir debitum reddat, similiter et uxor viro : uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir; similiter autem et vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier* (I *Cor.* VII, 3, 4). Quando ergo in hac re parem utriusque esse voluit potestatem, puto quod nobis intelligendum insinuet, istam de concumbendo vel non concumbendo regulam non pertinere ad ea vota, ubi non habent parem vir et mulier potestatem, sed viri major est, ac prope ejus solius est. Non enim ait Lex virum non debere reddere vota sua, si uxor prohibuerit; sed uxorem, si vir prohibuerit. Unde non mihi videtur in hujusmodi votis et definitionibus atque obligationibus, quæ adversus animam fiunt, etiam ista debere accipi, quæ inter se vir et uxor de concumbendo, vel de abstinentia concumbendi placita habuerint.

Deinde quia et istæ justificationes dicuntur, et meminimus in illis justificationibus, quæ in Exodo sub hoc nomine aliæ commemorantur, multa præcipi, quæ accipi ad proprietatem non possint, nec in Novo Testamento observentur; sicut de aure servi pertundenda (*Exod.* XXI, 6), et si quid ejusmodi est : non absurde etiam hic aliquid figurate dictum intelligitur, ut quoniam sunt multæ abstinentiæ cerimoniarum irrationabiles, et aliquando etiam inimicæ veritati, hoc fortasse hic intelligi voluerit, tunc ratas esse, cum rationabiles fuerint; hoc est, cum eas approbaverit ratio, quæ ad vicem viri debet regere omnem animalem motionem, quæ fit non tantum in appetendo, verum etiam in abstinendo : ut si mente et ratione decernitur, tunc fiat; si autem improbatur consilio rationis, non fiat. Quod si ratio quod prius recte faciendum esse decreverit, post improbet, sit peccatum consilii : etiam sic tamen nonnisi rationi motio illa consentiat.

LX. [Ib. XXXI, 5, 6.] Quid est, *Et misit eos Moyses*

[1] Am. Er. et Lov., *non prævaleat*. Bat., *non valeat*. Abest *non* a Mss., e quibus plerique habent, *valeat*.

mille ex tribu et mille ex tribu cum virtute eorum? Utrum virtutem eorum vult intelligi, principes eorum? an virtutem a Domino eis datam, vel per ipsum Moysen impetratam? an potius virtutem eorum dicit [1], ea quibus virtus eorum sustentaretur?

LXI. [Ib. XXXI, 8.] Potest videri quæstio, quomodo quando Israelitæ Madianitas debellaverunt, interfectum dicat Scriptura Balaam, qui fuerat conductus ad maledicendum populum Israel: cum superius quando benedicere coactus est, ita eamdem actionem Scriptura concluserit, cum ait, *Et surgens Balaam abiit reversus in locum suum, et Balac abiit ad semetipsum* (*Num* XXIV, 25). Si ergo redierat ad locum suum Balaam, quomodo hic interfectus est, cum de tam longinquo, id est de Mesopotamia venerit? An forte reversus est ad Balac, et hoc Scriptura non dixit? Quanquam etiam possit in locum suum rediisse intelligi, quod ab ipso loco ubi sacrificia faciebat, in eum locum reversus est unde illuc exierat, id est, ubi tanquam peregrinus habebat hospitium. Non enim dictum est in domum suam, aut, in patriam suam; sed, *in locum suum*. Habet autem et quisque peregrinus locum suum, ubi ad tempus habitat. De ipso autem Balac qui eum conduxerat, non dictum est, ad locum suum, sed, *ad semetipsum*; id est, ubi dominans habitabat. Posset ergo dici *ad locum suum*, et dominans, et peregrinus: *ad semetipsum* autem, non video quomodo posset dici peregrinus, cum ad hospitium suum venisset.

LXII. [Ib. XXXI, 9.] *Et prædam egerunt mulieres Madian, et suppellectilem eorum, et pecora eorum, et omnia quæ possederant, et virtutem eorum deprædati sunt.* Cum jam dixisset mulieres, supellectilem, et pecora, et omnia quæ possidebant; quid deinde addit, *et virtutem eorum deprædati sunt?* Nimirum enim hæc intelligenda est virtus, de qua et supra dictum est, misisse millenos de singulis tribubus cum virtute eorum. An forte cibus quo sustentabantur, virtus eorum appellata est, quo subministrato vires suppetunt, et quo subtracto vires deficiunt? Unde per prophetam Deus cum minaretur, ait: *Auferam virtutem panis, et virtutem aquæ* (*Isai.* III, 1). Et Moyses ergo cum annona miserat illos millenos, quod dictum est, *cum virtute eorum*; et isti Madianitis victis etiam hoc eorum inter cætera fuerant deprædati.

[1] Editi, *virtutem eorum, quia dedit ea quibus virtus*, etc. Substituimus lectionem Mss. nisi quod ex iis nonnulli habent, *quibus victus*.

LXIII. [Ib. XXXI, 15, 16.] *Utquid vivificastis omne femininum? Hæc enim fuerunt filiis Israel* [1], *secundum verbum Balaam, ut recedere facerent et despicere verbum Domini propter Phogor*. Hoc consilium malignum, ut eis ad illecebram feminæ supponerentur, per quas non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter in adorando idolo fornicarentur, quando dederit Balaam Scriptura non dixit; et tamen apparet factum esse, cum hic commemoratur. Sic ergo potuit et redire ipse Balaam, qui jam ierat in locum suum, ut non locum ejus [2] intelligamus peregrinationis hospitium; quamvis hoc Scriptura tacuerit.

LXIV. [Ib. XXXV, 11, 12.] Quid est quod ait, *Et erunt civitates vobis refugia a vindicante sanguinem, et non morietur is qui occidit, quoadusque stet in conspectu synagogæ in judicium*; cum de iis loquatur, qui nolentes occiderint, et alibi dicat, tunc unumquemque in tali causa confugientium exire liberum de civitate quo confugerat, cum sacerdos maximus fuerit defunctus? Quomodo ergo hic dicit, *Et non morietur is qui occidit, quoadusque stet in conspectu synagogæ in judicium*; nisi quia ideo judicatur ut tunc ei liceat esse in civitate refugii, si manifestum factum fuerit in judicio quod nolens occiderit?

LXV. [Ib. XXXV, 19, 12.] Quid est quod ait, *Qui vindicat sanguinem, ipse interficiet homicidam; cum occurrerit ei, iste interficiet eum?* Sic enim sonat male intelligentibus, quasi passim et sine judicio data fuerit ultori mortis propinqui sui, licentia occidendi ejus interfectorem. Sed hoc intelligi voluit, quia secundum id quod supra dictum est, qui occiderit, confugiat ad unam de civitatibus refugiorum, quoadusque stet in judicium, ne ante inventus a propinquo occidatur; quia etsi nolens occidit, præter illas civitates inventus occiditur. Cum vero in judicium steterit in aliqua earum civitatum, et judicatus fuerit homicida in aliqua earum in quas fugere conceditur, esse ibi non sinitur; tum demum jam judicatum, ubicumque compertum, propinquo licet occidere. Neque enim opus est eum ad judicium deduci, cum jam fuerit judicatus homicida, et propterea de illis civitatibus pulsus sit.

[1] In editis, *Hoc enim fecerunt filii Israel*. In Mss., *hæc enim* (scilicet, feminina) *fuerunt filiis Israel*. Apud LXX, *autai gar ēsan tois huiois Israel*.
[2] Sic Mss. At editi, *ut modo locum ejus*.

LIBER QUINTUS.

Quæstiones in Deuteronomium.

QUÆST. I. [DEUT. *cap.* I, ỹ ỹ 29, 30.] In eo quod commemorat Moyses, dixisse se populo timenti hostes inhabitantes terram, quo introducendus fuit, *Ne paveatis, neque timeatis ab eis: Dominus Deus noster, qui præcedit ante faciem vestram, ipse simul debellabit eos vobiscum*: satis ostenditur ita esse adjutorem Deum, ut etiam homines agant aliquid.

II. [Ib. II, 30.] *Et noluit Seon rex Esebon transire nos per ipsum, quoniam induraverat Dominus Deus noster spiritum ejus, et confortavit cor ejus, ut traderetur in manus tuas, sicut in hac die.* Hæc dicens Moyses, dum populum alloquitur, tale aliquid commemorat, quale dicebatur in Exodo, *Ego induravi cor Pharaonis* (*Exod.* X, 1); et quod in Psalmis legitur, *Convertit cor*

eorum, ut odissent populum ejus (*Psal.* CIV, 25). Nec tacetur hic causa indurationis hujus, cum dicitur, *ut traderetur in manus tuas, sicut in hac die* : id est, ut vinceretur a te; quod non fieret, nisi resisteret; non autem resisteret, nisi corde obdurato. Cujus rei justitiam si quæsierimus, inscrutabilia sunt judicia Dei (*Rom.* XI, 33) : iniquitas autem non est apud Deum (*Id.* IX, 14). Sane notandum est, confortatum cor posse dici etiam in malo.

III. [Ib. III, 2.] *Verumtamen Og rex Basan reliquus factus est a Raphain.* Hoc nomine, quod est Raphain, gigantes significari in hebræa lingua dicunt qui eam noverunt. Unde quod habent plerique codices *derelictus est a Raphain*, planius utique dicitur, *reliquus factus est*, ut ipse ex illis remansisse intelligatur : cujus etiam consequenter longitudo et latitudo ferrei lecti commemoratur, ad ejus magnitudinem commendandam.

IV. [Ib. IV, 16.] *Ne feceritis iniquitatem, et faciatis vobis ipsis sculptilem similitudinem, omnem imaginem.* Quid intersit inter similitudinem et imaginem quæri solet. Sed hic non video quid interesse voluerit, nisi aut duobus istis vocabulis unam rem significaverit, aut similitudinem dixerit, si, verbi gratia, fiat statua vel simulacrum habens effigiem humanam, non tamen alicujus hominis exprimantur lineamenta, sicut pictores vel statuarii faciunt, intuentes eos quos pingunt seu fingunt. Hanc enim imaginem dici nemo dubitaverit : secundum quam distinctionem omnis imago etiam similitudo est, non omnis similitudo etiam imago est. Unde si gemini inter se similes sint, similitudo dici potest alterius cujuslibet in altero, non imago. Si autem patri filius similis sit, etiam imago recte dicitur; ut sit pater prototypus, unde illa imago expressa videatur : quarum aliæ sunt ejusdem substantiæ, sicut filius; aliæ non ejusdem, sicut pictura. Unde illud quod in Genesi scriptum est, *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei;* manifestum est ita dictum, ut non ejusdem substantiæ sit imago quæ facta est. Si enim ejusdem esset, non facta, sed genita diceretur. Sed quod non addidit, Et similitudinem, cum superius dictum esset, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 27, 26); quibusdam visum est similitudinem aliquid amplius esse quam imaginem, quod homini reformando per Christi gratiam postea servaretur. Miror autem si non propterea postea imaginem solam voluit commemorare, quia ubi imago, continuo et similitudo est. Unde et hic Moyses similitudinem et imaginem fieri vetat, secundum eam fortasse rationem quam diximus. In Decalogo autem generaliter dicitur, nullam fieri debere similitudinem (*Exod.* XX, 4), nec imago commemoratur. Cum enim nulla similitudo fit, procul dubio nec imago fit; quoniam si imago, utique et similitudo. Non autem si fit similitudo, continuo fit et imago : tamen si nulla similitudo, sequitur ut nulla imago. Denique ubi prohibuit similitudinem et imaginem, hominis intelligi voluit, ubi et similitudo fieri potest, non hujus aut illius, sed cujuslibet hominis; et imago, id est hujus proprie, vel illius hominis. Cum vero de pecoribus diceretur atque irrationalibus animantibus, solam similitudinem dixit : quis enim reperiri potest, qui sibi unum constituat canem, vel quid ejusmodi, quem intuens ejus imaginem pingat, aut fingat? quod de hominibus usitatissimum est.

V. [Ib. IV, 18.] Quid est autem quod ait, *Similitudinem omnis piscis, quæcumque sunt in aquis sub terra.* An et aquam, propter tractabilem corpulentiam, terram intelligi voluit, et secundum hoc in eo quod scriptum est, *fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1), et aquas debemus accipere? Assidue quippe Scriptura his duabus partibus commemoratis, universum mundum vult intelligi, secundum illud, *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXX, 2), et innumerabilia ejusmodi. An ideo dictum est, *sub terra*, quod terra nisi superior aquis esset, habitari utique ab hominibus et animalia terrena habere non posset!

VI. [Ib. IV, 19.] *Et ne suspiciens in cœlum, et videns solem et lunam et stellas et omnem ornatum cœli, errans adores ea, et servias illis, quæ distribuit Dominus Deus tuus ea, omnibus gentibus, quæ sunt sub cœlo.* Non ita dictum est, tanquam Deus præceperit ea coli a gentibus, a solo autem populo suo non coli : sed aut ita dictum est, quod Deus præscierit gentes culturam exhibituras his cœlestibus et tamen hoc præsciens creaverit ea; cum vero populum suum futurum esse præsciverit, qui ista non coleret : aut *distribuit* dictum est, ut intelligatur usus, qui commendatur in Genesi, *Ut sint in signis, et in temporibus, et in diebus, et in annis* (*Gen.* I, 14); quem usum in eis communem habet populus Dei cum omnibus gentibus, non autem cultum quem habent aliæ gentes.

VII. [Ib. IV, 23.] *Ne obliviscamini testamentum Domini Dei vestri, quod disposuit ad vos, et faciatis vobismetipsis sculptilem similitudinem omnium quæcumque constituit tibi Dominus Deus tuus.* Hic certe generaliter loquens similitudinem posuit, imaginem tacuit; quoniam si nulla fit similitudo, profecto nec imago : quia ubi imago, continuo similitudo; quamvis non ubi similitudo, continuo imago.

VIII. [Ib. IV, 32, 33.] Quærendum quomodo dictum sit, *Interrogate dies priores, qui fuerunt priores te, ex die qua creavit Deus hominem super terram, et a summo cœli usque ad summum cœli.* Subauditur enim, interrogate. Videtur autem significare totum orbem terrarum. Sed cur, *a summo cœli usque ad summum cœli* dicat, non, a summo terræ usque ad summum terræ, non est facile dignoscere. Talis enim quædam locutio est et in Evangelio cum dicit Dominus, quod congregabuntur electi ejus *a summis cœlorum usque ad terminos eorum* (*Matth.* XXIV, 31). Nisi forte hic nec in hominibus nec in Angelis auditum esse vult intelligi, quod in hoc populo factum singulariter commendat : hoc enim sequitur, *Si factum est secundum verbum magnum hoc, si auditum est tale quid : si audivit gens vocem Dei viventis loquentis e medio ignis, quemadmodum audisti tu, et vixisti* [1]. Quod si ita est, ut nec in

[1] Editi, *et vidisti.* At Mss., *et vixisti.* Sic etiam LXX et Vulgata

hominibus nec in Angelis hoc dicat auditum, quid est ergo illud in Evangelio, *A summis cœlorum usque ad terminos eorum*, cum sine dubio Dominus hoc ait, cum de novissima electorum suorum congregatione loqueretur?

IX. [Ib. v, 2-4.] Quid est quod ait, *Dominus Deus vester disposuit ad vos testamentum in Horeb : non patribus vestris disposuit Dominus testamentum hoc, sed ad vos, vos hic omnes viventes hodie; facie ad faciem locutus est Dominus ad vos in monte e medio ignis?* An quia illi qui non ingrediuntur in terram promissionis (mortui sunt enim omnes) non pertinent ad hoc testamentum, quorum tunc recognitio facta est, cum a viginti annis ætatis et supra numerarentur usque ad quinquaginta annos habiles ad bellum? Quomodo ergo illis locutus est Dominus, qui hodie vivunt? An quia ex viginti annis et infra potuerunt multi tunc esse, qui hoc bene meminissent, alieni ab illa pœna, quam Deus constituit illis qui tunc numerati sunt, non intrare in terram promissionis; et hos utique appellat, qui quamvis viginti annorum et supra non essent, quando Deus in monte loquebatur, ut numerari tunc possent, potuerunt tamen esse decem et novem et infra usque ad puerilem ætatem, quæ posset illa quæ facta et dicta sunt et videre, et audire, et memoria retinere?

Sed quid est quod ait, *Facie ad faciem* [2] *locutus est Dominus ad vos*; quos paulo ante maxime admonere curavit, quod nullam similitudinem viderint, sed solam vocem de medio ignis audierint? An propter rerum evidentiam, et quodammodo præsentiam manifestatæ divinitatis, de qua dubitare nemo posset, his verbis usus est? Quod si ita est, quid prohibet de ipso Moyse hoc intelligi, in eo quod de illo dictum est, quod facie ad faciem locutus sit cum eo Dominus (*Exod.* XXXIII, 11), ut nec ipse aliquid oculis viderit præter ignem? An aliquid amplius vidisse intelligitur, quia scriptum est eum intrasse in nebulam vel nimbum ubi erat Deus (*Id.* XXIV, 18)? Sed etsi aliquid amplius vidit, quam illi; non eum tamen mortalibus oculis vidisse Dei substantiam ex illis ejus verbis intelligi potest, quibus ait Deo : *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum, ut scienter videam te* (*Id.* XXXIII, 13). Neque enim arbitrandum est hunc populum, cui Moyses loquebatur, sic tunc vidisse Deum facie ad faciem, quando in monte loquebatur e medio ignis, quemadmodum Apostolus dicit in fine nos esse visuros, ubi ait : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Quid autem hoc, et quantum esset, consequenter aperuit, dicens : *Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (I *Cor.* XIII, 12). Quod etiam ipsum caute accipiendum est, ne tantam putetur habiturus homo cognitionem Dei, quantam nunc habet hominis Deus; sed pro suo modo ita perfectam, ut ei nihil adhuc exspectetur addendum : ut quam perfecte nunc Deus novit hominem, sed tamen sicut Deus hominem, ita tunc perfecte noverit homo Deum, sed tamen sicut homo Deum. Neque enim quia dictum est, *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est* (*Matth.* v, 48), ideo æqualitatem Patris, quam Verbum habet unigenitum, sperare debemus : quamvis non defuerint qui et hoc futurum putaverint, nisi forte quid dicant parum intelligimus (*a*).

X. [Ib. v, 5, 6, 24.] Quid est quod ait, *Et ego stabam inter Dominum et vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini*; tanquam in loco esset Dominus, hoc est in monte unde illi voces audiebant? Quod sic accipiendum est, ut non ex hoc suspicemur Dei substantiam in ullo aliquo esse corporali loco, qui est ubique totus, nec per locorum intervalla propinquat aut recedit : sed demonstrationes ejus in ea creatura, quæ non est quod ipse, non aliter humanis sensibus exhibentur. Unde Dominus volens auferre ab hujusmodi suspicionibus mentem nostram, quibus putatur Deus loco aliquo contineri : *Veniet*, inquit, *hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis : nos adoramus quod scimus; quia salus ex Judæis est. Sed venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare* (*Joan.* IV, 21-24). Medium ergo se dixit Moyses non inter Dei substantiam et populum intervallo aliquo loci; sed quia per eum placuit populo audire cætera Dei verba, posteaquam vehementer est territus, audita de medio ignis voce Dei dicentis Decalogum legis.

Sed merito quæritur quomodo accipiantur hæc verba Deuteronomii, dicente Moyse, *Et ego stabam inter Dominum et vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini; quoniam timuistis a facie ignis, et non ascendistis in montem, dicens, Ego sum Dominus Deus tuus*, et cætera : quæ jam verba Dei sunt, quæ Decalogus continet. Quid ergo vult quod addidit, *dicens?* Si enim putaverimus hyperbaton, ut ordo verborum sit, *Et ego stabam inter Dominum et vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini, dicens, Ego sum Dominus Deus tuus* : non erit verum. Non enim hæc verba per Moysen populus, sed de medio ignis audivit : quod cum sustinere non posset audito Decalogo, postulavit ut per Moysen cætera audiret. Restat ergo ut quod positum est, *dicens*, pro eo positum intelligamus, ac si esset, Cum diceret; ut iste sit sensus, *Et ego stabam inter Dominum et vos in tempore illo, annuntiare vobis verba Domini; quoniam timuistis a facie ignis, et non ascendistis in montem*, cum diceret, *Ego sum Dominus Deus tuus* : ut subaudiatur, cum diceret utique Dominus. Cum enim hæc verba diceret Dominus, quæ consequenter ex Decalogo cuncta commemorat, tunc timuit populus a facie ignis, et non ascendit in montem, et rogavit ut per Moysen potius verba Domini audiret (*Exod.* XX, 18, 19).

[2] Mss. plures, *faciem ad faciem* : uti græc., *prosópon kata prosópon*.

(*a*) Confer Epist. 92, n. 3, et 147, n. 36.

Quæ verba Moyses commemorat in Deuteronomio dicta sibi a populo, cum audire jam nollent vocem Dei, sed per eum peterent sibi dici quæ dicebat Deus; id est, *Ecce ostendit Dominus Deus noster nobis gloriam suam, et vocem ejus audivimus e medio ignis*, et cætera : non eadem prorsus leguntur in Exodo, ubi primum narrata sunt, quæ modo repetuntur. Unde intelligamus, quod aliquoties jam commemoravi, non esse in mendacio deputandum, si aliis quibuslibet verbis eadem voluntas manifestatur, propter Evangelistarum etiam verba, quæ ab imperitis et calumniosis tanquam repugnantia reprehenduntur. Neque enim magnum erat Moysi attendere quæ in Exodo scripserat, et eisdem omnino verbis illa repetere, nisi pertineret ad sanctos doctores nostros hoc ipsum insinuare discentibus, ut nihil aliud in verbis loquentium quærant, nisi voluntatem propter quam enuntiandam verba instituta sunt.

XI. [Ib. v, 29.] Quid est quod ait Moyses dictum sibi esse a Domino de populo Hebræo, *Quis dabit esse sic cor eorum in eis, ut timeant me, et custodiant mandata mea?* An hic jam vult intelligi, gratia sua concedi hoc beneficium, ut sit in hominibus justitia Dei ex fide, non quasi propria, velut ex Lege? Hoc enim et per prophetam significat, dicens, *Auferam eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum* (*Ezech.* xi, 19, et xxxvi, 26) : quod propter sensum dictum est, quem caro habet, et lapis non habet, verbo utique translato. Hoc ipsum et alibi dicit : *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum novum ; non secundum testamentum quod disposui ad patres eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti. Quoniam hoc est testamentum quod disposui ad eos, post dies illos : dans leges meas in cor eorum, et in mente eorum superscribam eas, et iniquitatum eorum et peccatorum eorum non memor ero amplius* (*Jerem.* xxxi, 31-34). Hoc enim discernit Novum Testamentum a Veteri, quod in Veteri data est Lex in tabulis lapideis, in Novo autem in cordibus, quod fit per gratiam. Unde et Apostolus dicit, *Non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* : et alio loco, *Idoneos nos*, inquit, *fecit ministros Novi Testamenti, non litteræ, sed spiritus* [1] (II *Cor.* iii, 3, 6).

XII. [Ib. vi, 13.] Quod ait de Domino, *Et in nomine ejus jurabis*, non ita præceptum accipiendum est, quasi jurari jusserit; sed in alterius alicujus Dei nomine jurari prohibuit. Melius autem fit si secundum Evangelium nec juraveris (*Matth.* v, 34); non quia mala est vera juratio, sed ne in perjurium incidatur facilitate jurandi. Qui enim jurat, non solum verum, sed etiam falsum jurare potest : qui autem omnino non jurat, a perjurio longe ambulat.

XIII. [Ib. viii, 2.] *Et recordaberis omnem viam quam* [2] *duxit te Dominus Deus tuus in deserto, ut affligeret te, et tentaret te, et cognita faceret quæ in corde tuo sunt, si observabis mandata ejus, an non.* Hic apertius dictum est, quod alibi genere locutionis obscurum est, ubi legitur, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (*Deut.* xiii, 3). Intelligitur enim positum esse, *ut sciat*, pro eo quod est, ut sciri faciat; quod modo dilucide dictum est, *Ut tentaret te, et cognita faceret quæ in corde tuo sunt* : non enim ait, et cognosceret; quod quidem si dixisset, intelligendum erat, cognita faceret.

XIV. [Ib. ix, 6-8.] *Et scias hodie quia non propter justitias tuas Dominus Deus tuus dat tibi terram bonam istam hæreditare ; quoniam populus dura cervice es.* Certe isti sunt qui propterea non meruerunt perire in deserto, quia nescierunt dexteram aut sinistram [1] : ecce jam dura cervice appellantur. Unde videndum est illud in sacramento esse dictum, non quod istorum merita commendata sint. Nam ne quis existimet subito istos vituperabiles factos, qui merito fuissent ante laudati, paulo post eis dicitur : *Memor esto, ne obliviscaris, quanta exacerbasti Dominum Deum tuum in deserto ; ex qua die existis* [2] *de terra Ægypti, donec venistis in locum hunc, increduli perseverastis quæ ad Dominum.* Quod si quidam eorum tales erant, quidam vero fideles et boni, etiam sic non utique illis datur terra promissionis, qui nesciunt dexteram aut sinistram, ut hoc sic intelligamus quasi non offenderint Deum. Nam et patres eorum, qui mortui sunt, nec in eamdem terram intrare permissi sunt, tales inveniuntur fuisse, ut in eis essent quidam etiam boni. Propter quod Apostolus, non omnes, sed quosdam eorum dicit offendisse, in quibus, eorum peccata commemorat (I *Cor.* x, 5-10). Similes quippe istos parentibus suis, ita evidentius docet et ista Scriptura Deuteronomii, quod consequenter adjungit, et dicit : *Et in Horeb exacerbastis Dominum.* Ubi certe illi exacerbaverunt, qui propter eadem mala merita sua non sunt in terram promissionis inducti.

XV. [Ib. x, 1-4.] *In illo tempore dixit Dominus ad me, Excide tibi duas tabulas lapideas quemadmodum priores, et ascende ad me in montem; et facies tibi arcam ligneam : et scribam in tabulis verba quæ erant in tabulis prioribus, quas contrivisti; et immittes eas in arcam. Et feci arcam ex lignis imputribilibus, et excidi duas tabulas lapideas sicut priores, et ascendi in montem, et duæ tabulæ in duabus manibus meis. Et scripsit in tabulis secundum scripturam priorem decem verba, quæ locutus est Dominus ad vos in monte e medio ignis : et dedit eas Dominus mihi.* Non immerito quæritur quomodo hæc in Deuteronomio dicantur, Moyse recolente ac repetente quæ gesta sunt; cum in Exodo, ubi primum hæc dicta et facta narrantur, ita sit scriptum, *Et dixit Dominus ad Moysen, Scribe tibi verba hæc ; etenim in verbis his posui Testamentum tibi et Israel. Et*

[1] Sic optimæ notæ Mss. juxta Apostolum in græco, *ou grammatos, alla pneumatos*. At editi, *non littera, sed spiritu*.

[2] Editi, *viam per quam*. Abest, *per*, a Mss. et a græco LXX.

[1] Mss. hic et inferius, *dextra et sinistra* : id est bonum et malum, uti legitur Num. cap. 14, v. 23; et Deut. cap. 1, v. 39.

[2] Sic Mss. juxta LXX. At editi excepto Rat. prosequuntur in singulari, *existi, venisti, incredulus perseverasti* : pauloque post, *exacerbasti*.

erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus et quadraginta noctibus; panem non manducavit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba Testamenti, decem verba. Cum ergo in Exodo ipse Moyses in tabulis decem Legis verba scripsisse narretur, quomodo hic in Deuteronomio Deus in tabulis eadem verba scripsisse recolitur?

Denique illud quod in Exodo, cum transeunter tractaremus, et quid nobis in ea differentia visum fuerit litteris mandaremus, cur priores tabulæ, quæ contritæ sunt, digito Dei scriptæ referantur; secundas autem tamdiu in arca tabernaculoque mansuras, ipse Moyses scripsisse dicatur: ita per hanc differentiam duo Testamenta significata esse diximus, ut in Veteri Testamento Lex commendaretur tanquam opus Dei, ubi homo nihil fecerit, eo quod Lex timore non posset impleri: quoniam cum vere fit opus legis, charitate fit, non timore; quæ charitas gratia est Testamenti Novi. Ideo in secundis tabulis homo legitur scripsisse verba Dei, quia homo potest facere opus Legis per charitatem justitiæ, quod non potest per timorem pœnæ (*Lib. Quæstionum in Exod.*, *quæst.* 166).

Nunc ergo cum legitur in Deuteronomio de secundis tabulis ita dictum, *Et excidi duas tabulas lapideas sicut priores, et ascendi in montem, et duæ tabulæ in duabus manibus meis. Et scripsit in tabulis secundum scripturam priorem decem verba:* non enim ait, Et scripsi; sed, *scripsit*, hoc est, Deus; sicut paulo ante dixerat verba Dei sibi dicta, *Excide tibi duas tabulas lapideas quemadmodum priores, et ascende ad me in montem; et facies tibi arcam ligneam: et scribam in tabulis verba quæ erant in tabulis prioribus:* discutienda nascitur quæstio, quod utrasque tabulas, id est et priores et secundas, Deus hic legitur scripsisse, non homo. Sed si in ipso quoque Exodo verba Dei legantur, ubi jubet easdem tabulas secundas excidi a Moyse, nihil aliud invenitur, quam ipsum Deum se easdem promisisse scripturum. Nam ita scriptum est: *Et dixit Dominus ad Moysen, Excide tibi duas tabulas lapideas sicut et priores, et ascende ad me in montem: et scribam in tabulis verba quæ erant in tabulis prioribus, quas tu contrivisti.* Excepto itaque libro Deuteronomii, quæstionem istam etiam solus liber Exodi continet, quomodo dixerit Deus, *Et scribam in tabulis verba quæ erant in tabulis prioribus;* cum paulo post legatur, *Scribe tibi verba hæc; etenim in verbis his posui Testamentum tibi et Israel. Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus et quadraginta noctibus; panem non manducavit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba Testamenti, decem verba.* Si enim superius quod dictum est, *Scribe tibi verba hæc; etenim in verbis his posui Testamentum tibi et Israel*, ad superiora pertinet, quæ Deus ita præcipiebat, ut non in duabus lapideis tabulis scriberentur, sed in illo libro Legis, ubi multa conscripta sunt; certe illud quod sequitur, *Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus et quadraginta noctibus; panem non manducavit, et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba Testamenti, decem verba* (*Exod.* XXXIV, 1, 27, 28), satis manifestat eumdem Moysen in tabulis hæc decem verba scripsisse, non Deum. Nisi forte violenter quidem, sed certa necessitate compellimur, ubi dictum est, *Et scripsit in tabulis verba Testamenti, decem verba*, non Moysen subaudire, sed Dominum; supra enim positum est, *Et erat ibi Moyses in conspectu Domini:* ut a Domino, in cujus conspectu erat Moyses, quadraginta diebus et quadraginta noctibus panem non manducans, et aquam non bibens, scripta intelligantur hæc decem verba in tabulis, sicut ante promiserat.

Quod si ita est, non quidem illa differentia duorum Testamentorum, quæ nobis visa est, in his verbis commendari potest, quando et priores et secundas tabulas scripsit, non homo, sed Deus: verumtamen illa certe distantia non habet dubitationem, quod priores tabulas et Deus fecit, et Deus scripsit. Non enim tunc dictum est ad Moysen, *Excide tibi duas tabulas:* sed ita potius legitur, *Et conversus Moyses descendit de monte, et duæ tabulæ testimonii in manibus ejus: tabulæ lapideæ scriptæ ex utraque parte, hinc atque hinc erant scriptæ; et tabulæ opus Dei erant, et scriptura scriptura Dei est sculpta in tabulis* (*Id.* XXXII, 15, 16). Jam enim superius dixerat easdem tabulas scriptas digito Dei, sic loquens: *Et dedit Moysi, statim ut cessavit loqui ad eum, in monte Sina duas tabulas testimonii, tabulas lapideas scriptas digito Dei* (*Id.* XXXI, 18). Ibi ergo et tabulæ opus Dei erant, et scriptura earum digito Dei facta. Secundas autem tabulas ipse Moyses jubetur excidere; ut ipsæ certe opere humano intelligantur excisæ, quamvis eas Deus ipse scripserit, sicut promisit cum juberet excidi. Porro autem si diligentius attendamus, ideo utrumque dictum esse in secundis tabulis, quia et Deus facit per gratiam suam opus Legis in homine, et homo per fidem suam suscipiens gratiam Dei, pertinens ad Testamentum Novum, cooperator est adjuvantis Dei (ideo autem in primis solum opus Dei commemoratur, quia Lex spiritualis est, et Lex sancta, et mandatum sanctum et justum et bonum [*Rom.* VII, 12]: ideo vero nullum opus hominis ibi commemoratur, quia infideles non contemperantur adjutorio gratiæ, sed ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere justitiæ Dei non sunt subjecti [*Id.* X, 3]; unde illis Lex ad condemnationem valet, quod significat contritio tabularum); profecto non cogimur violento intellectu subaudire quod Deus scripserit, ubi Scriptura dicit, *Et erat ibi Moyses in conspectu Domini quadraginta diebus et quadraginta noctibus; panem non manducavit et aquam non bibit, et scripsit in tabulis verba Testamenti:* ubi valde sonat scripsisse Moysen. Sed ideo superius Deus se promisit scripturum, et in Deuteronomio non solum ita promisisse, verum etiam ipse scripsisse narratur, ut significetur quod ait Apostolus, *Deus enim est qui operatur in vobis et velle, et operari, pro bona voluntate:* hoc est, in eis qui ex fide gratiam suscipiunt, et non suam justitiam volunt statuere, sed justitiæ Dei subjecti sunt, ut ipsi sint in Christo justitia Dei. Nam et illic Apostolus utrumque dicit, et Deum

operari, et ipsos. Nam si ipsi non operabantur, quomodo eis dicebat, *Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini* (*Philipp.* II, 13, 12)? Operatur ergo ille, cooperamur nos : non enim aufert, sed adjuvat bonæ voluntatis arbitrium.

XVI. [Ib. x, 8, 9.] *In illo tempore distinxit Dominus tribum Levi, portare arcam testamenti Domini, assistere coram Domino, ministrare, et orare in nomine ejus usque in hunc diem. Propter hoc non est Levitis pars et sors cum fratribus suis; Dominus ipse pars ejus est, sicut dixit ei.* Nisi per hanc tribum significaretur universum regale sacerdotium, quod ad Novum pertinet Testamentum, nullo modo ausus esset dicere homo, qui ex eadem tribu non erat, *Pars mea Dominus* (*Psal.* LXXII, 26); et in alio psalmo, *Dominus pars hæreditatis meæ* (*Psal.* XV, 5).

XVII. [Ib. XI, 20.] Quid est quod præcepit Moyses commendans verba Domini, et ait, *Scribetis ea super limina domorum vestrarum et januarum vestrarum* : cum hoc secundum proprietatem nemo fecisse Israelitarum commemoretur, vel legatur; quia nec quisquam potest, nisi forte dividat ea per multas partes domus suæ? An hyperbolica commendatio est, sicut multa dicuntur?

XVIII. [Ib. XII, 11.] Quærendum quomodo jubeat decimationes omnium fructuum et primitiva pecorum non manducari, nisi in civitate ubi templum erit, cum eas Levitis dari in Lege præceperit.

XIX. [Ib. XIII, 1 *et* 3.] *Si autem surrexit in te propheta, seu somniator somnians, et dederit tibi signum vel prodigium, et venerit signum sive prodigium quod locutus est ad te, dicens, Eamus, et serviamus diis aliis, quos nescitis : non audietis verba prophetæ illius, vel somniantis somnium illud; quoniam tentat Dominus Deus vester vos, scire an diligatis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, et ex tota anima vestra.* Hoc quidam interpretes latini non ita posuerunt, *scire an diligatis;* sed, *ut sciat an diligatis.* Quamvis eadem sententia videatur : verumtamen illud quod dictum est, *scire*, facilius ad illos refertur; ut sic accipiamus, *tentat vos scire*, ac si diceretur, tentando vos facit scire. Ubi sane intelligi voluit, etiam illa quæ a divinantibus non secundum Deum dicuntur, si acciderint quæ dicuntur, non accipienda sic, ut fiant quæ præcipiuntur ab eis, aut colantur quæ coluntur ab eis. Nec præter suam potestatem Deus ostendit esse quod ista contingunt : sed quasi quæreretur cur ea permittat, causam tentationis exposuit, ad cognoscendam eorum dilectionem, utrum eam habeant erga Deum suum; cognoscendam vero ab ipsis potius, quam ab illo qui scit omnia antequam fiant.

XX. [Ib. XIV, 28, 29, et XV, 1.] *Post tres annos produces omnem decimam fructuum tuorum, in illo anno pones illud in civitatibus tuis, et veniet Levita, quia non est ei pars neque sors tecum; et advena et pupillus et vidua, quæ in civitatibus tuis; et manducabunt, et saturabuntur; ut benedicat te Dominus Deus tuus in omnibus operibus tuis quæcumque feceris.* Ex ista decima non dixit ut ipse manducet cum suis · ac per hoc Levitis et advenis et pupillis et viduis eam jussit impendi. Sed obscure positum est, quia non est distincta ista decima ab illa quam voluit cum Levitis in eo loco manducari, quem Dominus elegisset templo[1] suo. Sed in ea interpretatione, quæ est ex hebræo, apertius hoc distinctum reperimus. Ait enim : *Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore, et repones intra januas tuas; venietque Levites, qui aliam non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus et pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent, et saturabuntur; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum, quæ feceris.* Primo hoc ipsum planius est quod ait, *Anno tertio*; intelligitur enim uno anno interposito : in Septuaginta autem, quoniam *Post tres annos* dixit, incertum est utrum eos medios esse voluerit, ut quinto quoque anno fieret. Deinde cum ait, *Et separabis aliam decimam*, satis ostendit extra esse illam quam voluit eum ipsum qui offert, manducare cum suis et Levitis in eo loco quem Dominus elegisset. Et hanc enim aliam[2] decimam intra januas suas eum ponere præcepit, non ad eum locum deferre, ubi Dominus se voluit invocari. *Et veniet*, inquit, *Levites, qui non habet partem nec possessionem tecum, et peregrinus et pupillus et vidua, qui intra portas tuas sunt, et comedent.* Hinc certe manifeste verum est, non istam decimam Deum fieri voluisse communem ei qui offert, et his quibus impendenda est; sed illis solis erogari eam jussit, qui aliud non haberent, in quibus præcipue Levitem posuit. *Post septem annos facies remissionem.* Hic certe manifestatur, quomodo et superius dixerit, *Post tres annos.* Non enim et hos septem annos medios esse voluit : unoquoque anno eam fieri præcepit, tanquam sabbatismum annorum.

XXI. [Ib. XV, 9.] *Attende tibi ipsi, ne fiat verbum occultum in corde tuo iniquitas, dicens, Appropiat annus septimus, annus remissionis; et malignetur oculus tuus in fratrem tuum egenum, et non tribuas ei : et exclamabit adversum te ad Dominum, et erit in te peccatum magnum.* Magnifice occultum verbum hoc dixit; quoniam nemo audet hoc dicere qui potuerit cogitare, ideo non esse mutuum dandum indigenti, quoniam appropinquat annus remissionis, cum Deus propter misericordiam utrumque præceperit, et commodari cum quisque indiget, et remitti anno remissionis. Quomodo ergo misericorditer remissurus est illo anno quo remittendum est, si crudeliter cogitat illo tempore dandum non esse quo dandum est?

XXII. [Ib. XV, 12.] *Si autem venumdatus fuerit tibi frater tuus Hebræus aut Hebræa, serviet tibi sex annis, et septimo dimittes eum liberum a te.* Hos emptos non anno remissionis remitti voluit, quem septimum quemque observari oportebat ab omnibus; sed anno septimo emptionis ejus, quotocumque anno illorum septimus iste annus occurreret.

XXIII. [Ib. XV, 19.] *Omne primogenitum quod natum*

[1] Editi et duo Mss., *tempore*. Cæteri Mss., *templo*.
[2] Am. Er. et Lov., *et aliam*. Abest conjunctio a Mss. et ab editione Ratisponensi.

fuerit in bobus tuis, et in ovibus tuis, masculina[1] *sanctificabis Domino Deo tuo.* Quærendum utrum quæ græce dicuntur πρωτότοκα, nec latine dici nisi *primogenita* potuerunt, in his tantum intelligenda sint, quæ nascuntur ex matribus : ipsa enim proprie pariuntur potius quam gignuntur. Parere quippe est τίκτειν, quod est ex femina, unde πρωτότοκον dicitur : gignere autem est γεννᾶν, unde proprie latine primogenitus dicitur. Ex feminis autem dabantur primitiva, id est quæ prima pariebantur, non quæ prima gignebantur a viris, si forte ex viduis quæ jam pepererant gignerentur. Non enim aliter essent quæ aperirent vulvam, quod proprium voluit esse Lex eorum quæ primo nata Domino debebantur. Si ergo est in his verbis certa distinctio, non frustra Dominus non dicitur a Patre μονότοκος, sed μονογενής, id est unigenitus, quod est unicus : *a mortuis* autem *primogenitus* quidem latine dicitur, quia non potuit latinum verbum ita componi secundum loquendi consuetudinem; græce autem πρωτότοκος dicitur, non πρωτογενής : tanquam Pater genuerit æqualem sibi, creatura vero pepererit. Nam et quod dicitur *primogenitus omnis creaturæ* (*Coloss.* I, 18, 15), quod ibi πρωτότοκος græce legitur, potest ita intelligi secundum novam creaturam, de qua dicit Apostolus, *Si qua igitur in Christo nova creatura* (II *Cor.* V, 17) : ex qua ille primitivus est, quia primitus ita resurrexit, ut jam non moriatur, nec ei mors ultra dominetur (*Rom.* VI, 9); quod novæ creaturæ, quæ in illo est, futurum promittitur in fine. Sed ista distinctio non temere affirmanda, sed in Scripturis diligentius perscrutanda est. Movet enim quemadmodum dici potuit in Proverbiis, *Primogenite, tibi dico, fili* (*Apud* LXX, *Prov.* XXIV, *vel* XXXI); id est, ex cujus persona dictum intelligatur. Si enim ex Dei Patris persona ad Christum dicitur (cui sententiæ utrum sequentia consonent vix est asserere), eumdem dicit primogenitum quem unigenitum : primogenitum, quia etiam nos filii Dei sumus; unigenitum vero, quoniam solus ille de substantia Patris et Patri æqualis atque coæternus est. Mirum est autem utrum inter parere et gignere evidentissimis documentis sacra Scriptura distinguat.

XXIV. [Ib. XVI, 2.] *Et immolabis Pascha Domino Deo tuo, oves et boves.* Quid sibi vult hoc, quod addidit, *boves;* cum immolationem Paschæ de ove tantummodo commendaverit, quam jussit accipi ex ovibus et hædis vel ex capris? quod mystice accipitur propter Christum, cujus ex justis et peccatoribus est origo carnalis. Non enim ait, Ex ovibus aut capris, licet proprie non possit intelligi ovis ex capris : sed ne forte Judæi dicerent subaudiendum caprum si dictum esset, Aut ex capris; dictum est, *ex ovibus et capris* (*Exod.* XII, 5). Quid ergo hic sibi volunt boves? An propter alia sacrificia quæ ipsis diebus azymorum sunt immolanda?

XXV. [Ib. XVI, 9-11.] Quærendum quomodo præceperit observari quod ait : *Septem septimanas integras dinumerabis tibi ipsi, inchoare te falcem injicere in messem : incipies numerare septem septimanas, et facies diem festum septimanarum Domino Deo tuo, prout valet manus tua, quæcumque Dominus tibi dederit, secundum quod benedicet te Dominus Deus tuus; et epulaberis ante Dominum Deum tuum.* Si enim ab universo populo hæc pentecoste jussa est observari, numquid omnes uno die credendum est falcem jussos mittere in messem? Si autem sibi quisque observat istam quinquagesimam, dinumerans ab illo die quo falcem mittit; non una est universo populo : illa vero una est quæ computatur ab immolatione Paschæ usque in diem datæ Legis in Sina.

XXVI. [Ib. XVII, 14 et 15.] *Si autem intraveris in terram quam Dominus Deus tuus dat tibi in sorte, et hæreditaveris eam, et habitaveris in ea, et dices, Constituam super me principes, sicut et cæteræ gentes quæ circa me sunt; constituendo constitues super te principem, quem elegerit Dominus Deus tuus ipsum : ex fratribus tuis constitues super te principem; non poteris constituere super te hominem alienum, quia non est frater tuus.* Quæri potest cur displicuerit populus Deo, quando regem desideravit (I *Reg.* VIII, 7), cum hic inveniatur esse permissus. Sed magis hinc intelligendum est, merito non fuisse secundum voluntatem Dei, quia fieri hoc non præcepit, sed desiderantibus permisit. Verumtamen præcepit, ne fieret alienus, sed frater, id est, ex eodem populo indigena non alienigena. Quod autem ait, *non poteris*, intelligendum est, non debebis.

XXVII. [Ib. XVII, 17.] De rege cum loqueretur ait, *Non multiplicabit sibi uxores, ut non discedat cor ejus: et argentum et aurum non multiplicabit sibi valde.* Unde quæritur utrum David contra hoc præceptum non fecerit : non enim unam habuit uxorem (II *Reg.* V, 13). Nam de Salomone manifestum est quod transgressus fuerit hoc præceptum, et in feminis, et in auro, et in argento. Sed hinc potius intelligitur permissum fuisse regibus, ut plures haberent quam unam : multiplicare enim prohibiti sunt : quæ prohibitio non habet transgressionem, si paucæ fuerint, sicut David fuerunt; non autem multæ, sicut Salomoni. Quamvis cum addidit, *ut non discedat cor ejus*, hoc magis videtur præcepisse, ne multiplicando perveniat ad alienigenas feminas : per quas factum est in Salomone, ut discederet cor ejus a Deo (III *Reg.* II, 1-4). Multiplicatio tamen generaliter ita prohibita est, ut etiamsi ex Hebræis solis eas multiplicasset, contra hoc præceptum fecisse merito argui posset.

XXVIII. [Ib. XVIII, 6-8.] *Si autem supervenerit Levites ex una civitatum tuarum, ex omnibus filiis Israel, ubi ipse incolit, secundum quod cupit anima ejus in locum quem elegerit Dominus*, id est, si desideraverit ire ad locum ubi Dominus invocatur; *et ministrabit nomini Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ, qui astant ibi coram Domino : partem partitam edet, præter venditionem, quæ est secundum familiam.* Quam dicat venditionem, obscurum est : nisi forte quia decimationes et primogenita præcepit vendi ab eis qui in longinquo habitarent, ne multa cogerentur portare ad locum invocationis Domini, vel pecora ducere, ut

[1] Editi, *masculinum.* At Mss. cum græco, *masculina.*

illic ab eis denuo emerentur ex eodem pretio; et jusserat habere ibi partem Levitam, qui maneret in ea civitate, unde illæ decimationes et primogenita debebantur. Et ideo dixit secundum familiam hoc deberi Levitæ, quoniam ex successione qua succedit parentibus suis, hoc circa eum servari oportet, quod parentibus exhibitum est.

XXIX. [Ib. XVIII, 11.] Quoniam portentorum inspectores prohibet esse in populo Dei, quærendum est quomodo ista portenta quæ inspici prohibentur, discernantur ab eis quæ divinitus ita dantur, ut quid significent dici debeat: sicut omnia miracula, quæ in Scripturis reperiuntur significantia quod pertineat ad regulam fidei; sicut dicimus quid significaverit vellus in area compluta siccum, vel in sicca area complutum (*Judic.* VI, 37-40); aut virga Aaron quæ floruit (*Num.* XVII, 8), et nuces attulit; et cætera hujusmodi. Sicut autem discernuntur divinationes, quas consequenter prohibet, a prædictionibus vel annuntiationibus Prophetarum, sic illæ inspectiones prodigiorum a significationibus divinorum miraculorum discernendæ sunt.

XXX. [Ib. XX, 4.] *Quoniam Dominus Deus vester, qui præcedit vobiscum, simul debellabit vobiscum inimicos vestros, et salvos faciet vos.* Ecce quemadmodum et in spiritualibus conflictibus sperandum et petendum est adjutorium Dei, non ut nos nihil faciamus, sed ut adjuti cooperemur. Sic enim ait, *debellabit vobiscum*, ut etiam ipsos acturos quod agendum esset ostenderet.

XXXI. [Ib. XX, 5-7.] *Et loquentur scribæ ad populum dicentes, Quis est homo qui ædificavit domum novam, et non dedicavit eam? vadat, et revertatur in domum suam, ne moriatur in bello, et homo alius dedicet eam. Et quis est homo qui pastinavit vineam, et non est epulatus ex ea? vadat, et revertatur in domum suam, ne moriatur in bello, et homo alius epuletur ex ea. Et quis est homo qui sponsavit uxorem, et non accepit eam? vadat, et redeat in domum suam, ne moriatur in bello, et homo alius accipiat eam.* Possunt movere ista, quasi meliore conditione moriantur in bello, qui jam dedicaverunt ædificia sua, jamque epulati sunt de novellis, iamque duxerunt sponsas suas, quam ii qui nondum. Sed quoniam his rebus tenetur humanus affectus, et magni æstimantur hæc ab hominibus; intelligendum est ad hoc ista dici in bellum procedentibus, ut quisquis animo his tenetur, appareat cum revertitur, ne propter hoc minus fortiter agat, dum timet ne ante moriatur, quam domum dedicaverit, aut de novella sua biberit, aut sponsam suam duxerit. Nam utique quantum ad feminam pertinet, melius alteri nubit intacta quam vidua: sed hæc, ut dixi, instituta sunt propter virorum animos explorandos.

XXXII. [Ib. XXII, 5.] *Non erunt vasa viri super mulierem:* vasa bellica vult intelligi, id est, arma. Nam quidam etiam hoc interpretati sunt.

XXXIII. [Ib. XXII, 13-21.] *Si autem quis acceperit uxorem, et habitaverit cum ea, et oderit eam, et imponat ei occasionis verba, et detulerit ei nomen malignum, et dixerit, Mulierem hanc accepi, et accedens ad eam non inveni ejus virginalia: et accipiens pater puellæ, et mater, producent virginalia puellæ ad seniores ad portam, et dicet pater puellæ senioribus, Filiam meam hanc dedi homini huic uxorem, et odio habens eam, ipse nunc imponit ei occasionis verba dicens, Non inveni filiæ tuæ virginalia: et ecce virginalia filiæ meæ. Et replicabunt pallium coram senibus civitatis illius. Et accipient senes civitatis hominem illum, et castigabunt eum, et damnificabunt eum centum siclis, et dabunt patri adolescentulæ; quia protulit nomen malum super virginem Israelitem: et ipsius erit uxor; non poterit dimittere eam perpetuo tempore. Si autem verum factum sit hoc verbum, et non inveniantur virginalia puellæ, et producent adolescentulam ad januam domus patris ipsius, et lapidabunt eam viri civitatis ejus in lapidibus, et morietur; quoniam fecit impudentiam in filiis Israel, prostituere domum patris sui: et auferes malignum ex vobis ipsis.* Satis hinc apparet quemadmodum subditas feminas viris, et pene famulas Lex esse voluerit uxores: quod dicens adversus uxorem vir testimonium unde lapidaretur illa, si hoc verum esse demonstraretur; ipse tamen non vicissim lapidatur, si hoc falsum esse constiterit; sed tantummodo castigatur, et damnificatur, eique perpetuo jubetur adhærere qua carere voluerat. In aliis autem causis, eum qui testimonio falso cuiquam nocuerit, quem, si probaretur, jussit occidi, eadem pœna plecti jubet, qua fuerat, si verum esset, iste plectendus.

XXXIV. [Ib. XXII, 28, 29, 19.] *Si autem invenerit aliquis puellam virginem quæ sponsata non est, et vim faciens ei dormierit cum ea, et inventus fuerit; dabit homo qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta didrachma*[1] *argenti, et ipsius erit uxor; quia humiliavit eam: non poterit dimittere eam per omne tempus.* Merito quæritur utrum ista pœna sit, ut non eam possit dimittere per omne tempus, quam inordinate atque illicite violavit. Si enim ob hoc intelligere voluerimus eam non posse, id est non debere dimitti per omne tempus, quia uxor effecta est, occurrit illud quod permisit Moyses dare libellum repudii, et dimittere (*Deut.* XXIV, 1). In his autem qui illicite vitiant, noluit licere, ne ad ludibrium fecisse videatur, et potius finxisse quod eam uxorem duxerit, quam vere placitoque duxisse. Hoc et de illa jussum est, cui fuerit vir calumniatus de virginalibus non inventis.

XXXV. [Ib. XXIII, 3, 4.] *Non intrabit Ammanites et Moabites in Ecclesiam Domini, et usque ad decimam generationem non intrabit in Ecclesiam Domini, et usque in æternum.* Quæstio est, quomodo intraverit Ruth quæ Moabitis fuit (*Ruth.* I, 22), de qua etiam caro Domini originem ducit (*Matth.* I, 5). Nisi forte istam mystice prophetaverit intraturam, quod ait, *usque ad decimam generationem.* Computantur enim generationes ex Abraham, quando fuit et Lot qui genuit Moabitas et Ammanitas ex filiabus (*Gen.* XIX, 37, 38); et inveniuntur cum ipso Abraham compleri decem gene-

[1] In excusis, *quinquaginta didrachmata.* In aliquot Mss. ut in græco, *didrachma.* In aliis, *didrachmas.*

rationes usque ad Salmon, qui genuit Booz, qui maritus secundus fuit Ruth. Sunt enim istæ, Abraham, Isaac, Jacob, Judas, Phares, Esrom, Aram, Aminadab, Naasson, Salmon: Salmon quippe genuit Booz, qui viduam duxit Ruth; ac per hoc videtur post decimam generationem genus fecisse in Ecclesia Domini pariendo filios ipsi Booz. Sed cur additum sit, *et usque in æternum*, merito adhuc quæritur. An quia deinceps nulla anima de Ammanitis et Moabitis intravit in illam Ecclesiam populi Hebræorum, posteaquam ista generatione decima prophetia completa est? An potius ita dictum est, *et usque ad decimam generationem*, ut omnino semper intelligi voluerit, per denarii numeri quamdam universitatem, ut hoc exposuerit quodammodo addendo et dicendo, *et usque in æternum?* Quod si ita est, Ruth contra præceptum vetitum videtur admissa. An Ammanitas prohibuit admitti, non Ammanitidas, id est, viros inde, non feminas? maxime quia cum evertissent Israelitæ ipsam gentem, omnes viros occidere jussi sunt, feminas autem non, nisi eas quæ noverant concubitum viri (*Num.* XXXI, 17, 18); quoniam ipsæ in fornicationem seduxerant populum: virgines autem salvas esse voluerunt, non eis imputantes culpam qua everti illa gens meruit; quam etiam hic commemoravit, velut quæreretur cur Moabitas et Ammanitas admitti noluerit in Ecclesiam Domini: subjunxit enim, *Eo quod non obviaverint vobis cum panibus et aqua in via, cum exiretis de Ægypto, et quia conduxerunt adversum te Balaam filium Beor de Mesopotamia, ut malediceret te.* Has culpas nec tunc, quando illa gens debellata est, feminis imputaverunt, quas salvas conservare maluerunt.

XXXVI. [Ib. XXIII, 15, 16.] *Non trades puerum domino suo, qui appositus est tibi a domino suo:* non quod dominus ejus eum apposuerit, id est commendaverit; potius enim depositum diceret; sed appositum dixit a domino suo, id est huic adjunctum, cum ab illo abscessisset: non ergo suscipi, sed reddi potius prohibuit fugitivos. Hoc quidem putari potest, nisi intelligamus genti et populo ista dici, non uni homini. Ex alia itaque gentem refugientem ad istam gentem cui loquebatur, hominem a domino suo, id est a rege suo, reddi prohibuit: quod etiam alienigena servavit Achis rex Geth, quando ad eum refugit David a facie domini sui, hoc est, regis Saül (I *Reg.* XXI, 10). Apertissime autem hoc explanat, cum dicit de ipso refuga, *In vobis habitabit, in omni loco ubi placuerit ei.*

XXXVII. [Ib. XXIII, 17.] *Non erit meretrix a filiabus Israel, et non erit fornicans a filiis Israel.* Ecce ubi manifeste prohibuit fornicari et viros et feminas etiam cum non alienis conjugibus; peccatum esse demonstrans misceri non conjugibus suis, quando et meretrices esse, et ad meretrices accedere prohibet, quarum publice venalis est turpitudo. In Decalogo autem mœchiæ nomine non videtur hoc aperte prohibuisse, quoniam mœchia nonnisi adulterium intelligi solet. Unde quid nobis videretur, ibi tractavimus (*Quæst. in Exod.*, *quæst.* 71).

XXXVIII. [Ib. XXIII, 18, 17.] *Non offeres mercedem meretricis, neque commutationem canis in domum Domini Dei tui ad omne votum, quoniam abominatio Domino Deo tuo est, et utrumque:* quod ita intelligitur, quoniam abominatio Domino Deo tuo est, et hoc non unum horum, sed utrumque. De cane quippe vetat fieri commutationem primogenitorum, quam jubet fieri de aliis immundis animalibus, id est equis et asinis, et si quid est eorum quæ adjuvant hominem, et latine a juvando jumenta dicuntur. De cane autem noluit; utrum et de porco, et quare noluerit, requirendum est: et si de omnibus talibus noluit [1], quare solum canem isto loco exceptum fecerit. De mercede autem meretricis ut diceret, videtur ea esse causa, quia superius prohibuerit esse meretricem de filiabus Israel, aut quemquam filiorum Israel uti meretrice: et ne subreperet cogitationi, expiari posse hoc peccatum, si aliquid inde offerretur in templum, dicendum fuit quod sit abominatio Domino.

XXXIX. [Ib. XXIV, 7.] *Morietur fur ille*, id est, qui furatus est hominem; *et auferetis malignum ex vobis ipsis.* Assidue hoc dicit Scriptura, cum jubet occidi malos: qua locutione usus est etiam Apostolus, cum diceret, *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? Nonne de iis qui intus sunt, vos judicatis? Auferte malum ex vobis ipsis* (I *Cor.* V, 12, 13). Nam græcus habet τὸν πονηρὸν, quod etiam hic scriptum est: hoc autem potius malignum solet interpretari, quam malum. Nec ait, τὸ πονηρὸν, id est, hoc malignum; sed τὸν πονηρὸν, quod est, hunc malignum. Ex quo apparet eum voluisse intelligi, qui aliquid tale commisit, ut excommunicatione sit dignus. Hoc enim nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio. Quamvis et aliter illud apostolicum possit intelligi, ut unusquisque malum vel malignum ex se ipso sit jussus auferre. Qui sensus acceptabilior esset, si hoc malum, vel hoc malignum, non autem hunc malignum in græco inveniretur: nunc vero credibilius est de homine dictum, quam de vitio. Quanquam possit eleganter intelligi etiam homo auferre a se malum hominem, quemadmodum dictum est, *Exuite vos veterem hominem:* quod exponens ait, *Qui furabatur, jam non furetur* (*Ephes.* IV, 22, 28).

XL. [Ib. XXIV, 8.] *Secundum legem omnem quam juraverint vobis sacerdotes Levitæ.* Hic apparet omnem sacerdotem Levitam fuisse; quamvis non omnis Levites sacerdos fuerit.

XLI. [Ib. XXIV, 10-13.] *Si debitum fuerit in proximo tuo, debitum quodcumque, non intrabis in domum ejus pignerare pignus: foris stabis, et homo apud quem debitum tuum est, proferet tibi pignus foras. Si autem homo eget, non dormies in pignore ejus, redditione reddes ei vestimentum suum circa occasum solis; et dormiet in vestimento suo, et benedicet te, et tibi erit misericordia coram Domino Deo tuo.* Non immerito videtur ad opus misericordiæ pertinere ut non intret pignerator in domum, ne fiat perturbatio debitori: sed ex hoc etiam

[1] In excusis, *voluit.* Ad quinque melioris notæ Mss. reponimus, *noluit.*

ipsum debitorem admonet pignus foras proferre creditori. Quod vero jubet egenti pignus eodem die restitui, ut in eo dormiat qui non habet ubi dormiat, merito movet, ut requiratur cur non potius creditori præceperit ut non auferat pignus, quod eodem die oportet ut restituat. Quod si ad compellendum debitorem fieri voluerit, quomodo se urgeat ad reddendum, cum sciat pignus eodem die se recepturum? An forte hoc fieri voluerit propter memoriam, ne obliviscatur reddere, et tunc non reddat si vere non habuerit : maxime quia creditoris sui misericordia vincitur, cui esse non debet ingratus, si pignus receperit in quo dormiat; simul et creditor cum ille non reddiderit, debet eum credere non habere, qui hac etiam indiget misericordia, ut pignus ei propterea restituatur, quod aliud non habet ubi dormiat?

XLII. [Ib. XXIV, 16.] *Non morientur patres pro filiis, et filii non morientur pro patribus : unusquisque in suo peccato morietur.* Ecce non solum Prophetæ hoc dixerunt (*Ezech.* XVIII, 17), verum etiam Lex dicit, sua culpa quemque interimendum, non autem patris sui, aut filii sui. Quid est ergo quod alibi dicitur, *Deus reddens peccata patrum in filios, in tertiam et quartam progeniem?* An de filiis nondum natis illud intelligitur, propter originale peccatum, quod etiam ex Adam traxit genus humanum; hic autem de filiis jam natis est facta distinctio, ut unusquisque in suo peccato moriatur? Non enim trahit aliquid ex patre, qui jam natus erat, quando pater ejus peccavit. Sed cum et ibi dicit, *his qui oderunt me* (*Exod.* XX, 5); manifestum est etiam illam conditionem posse mutari, si filii parentum suorum facta non fuerint imitati. Nam et illud ex Adam temporaliter redditur, quia omnes propter hoc moriuntur; non autem in æternum eis qui fuerint per gratiam spiritualiter regenerati, in eaque permanserint usque in finem. Quamvis et illud merito quæri possit, si redduntur peccata patrum in filios his qui oderunt Deum, cur in tertiam et quartam generationem, vel prætermissa prima et secunda, vel non etiam in cæteras permanente impietate et imitatione malorum parentum. An per hunc numerum, quoniam septenarius intelligitur, universitatem significare voluit : et ideo non ipsum potius septenarium posuit, ut diceret in septimam generationem, ac sic omnis intelligeretur; quia causam perfectionis hujus numeri hoc modo potius intimavit? Ideo namque perhibetur perfectus, quia ex his duobus constat, ternario scilicet primo impari toto, et quaternario primo pari toto. Unde esse et illud propheticum existimo, quod assidue repetitur, *In tribus et quatuor impietatibus non aversabor* (*Amos* I, 3); per quod voluit impietates universas potius quam tres vel quatuor intelligi.

XLIII. [Ib. XXIV, 17.] *Non declinabis judicium advenæ, et orphani, et viduæ. Non pignerabis vestimentum viduæ.* Cur non ait, Et non pignerabis vestimentum eorum? Quæ enim causa est ut trium istorum judicium declinare vetuerit, pignus autem auferri vestimentum solius viduæ, non et illorum? Nisi quia judicia omnium facienda propterea commendavit, quia non habent a quibus defendantur sive advena, quia in terra aliena est; sive orphanus, id est pupillus, quia parentibus caret; sive vidua, quia maritum non habet : pignus vero cum prohibet vestimentum auferri viduæ, puto quod satis eleganter admoneat, eas vere dicendas esse viduas, quæ etiam pauperes sunt. Id enim et Apostolus evidenter ostendit, ubi ait : *Si qua autem vidua filios et nepotes habet, discat primum domum suam pie tractare, et mutuam vicem parentibus reddere : hoc enim acceptum est coram Domino. Quæ autem vere vidua est, et desolata, speravit in Dominum, et persistit in orationibus nocte et die.* Hanc vere viduam dixit, quæ non habet a quibus sustentetur; quia non solum viro, sed etiam posteris atque omni ope destituta est : divitem quippe non diceret desolatam. Pauperi itaque pignus non est auferendum vestimentum : nam et hoc ipso quod vestimentum prohibet auferri, pauperem ostendit. Neque enim creditor non potius auferret argentum, vel si quid aliud, quam vestimentum. Porro si occurrerit animo, Quid, si multa habeat vestimenta non necessaria, sed superflua? quomodo intelligitur vere vidua, hoc est non solum desolata, verum etiam quæ non [1] in deliciis agit? quam subjecit dicens, *Quæ autem in deliciis agit, vivens mortua est* (I *Tim.* V, 4-6). Hanc quippe opposuit, tanquam e contrario veræ viduæ, tanquam talis non sit vera vidua. Quæcumque autem divites alias nuptias experiri noluerunt, continentia in eis laudatur, non desolatio commendatur. Hæ quippe maritis tantum viduatæ sunt, non aliis rebus

XLIV. [Ib. XXIV, 19.] Quod admonet, ut in messe oblitum manipulum nemo colligat, et olivam vel uvam relictam nemo repetat diligentius neglecta colligere, et dicit egentibus dimittenda; occurrit forsitan cogitationi, Quid, si hæc quæ ab agrorum dominis dimittuntur, non egentes, sed improbi colligant? Sed considerandum primo illum misericordia facere, qui hoc animo dimittit, ut egentes habeant quod dimittitur. Deinde cum hæc populo præcipiuntur, simul admonentur ii qui non indigent, ista non quærere. Quod si quæsierint, quid aliud quam res alienas, et, quod gravius est, pauperum invadere judicandi sunt? Utrique ergo commemorantur [2] his præceptis, et quorum agri sunt, ut misericorditer ea relinquant; et qui indigentes non sunt, ut inde se abstineant : quando utrumque dicitur, et a quibus dimittenda sint, et quibus dimittenda sint.

XLV. [Ib. XXV, 1-3.] *Si autem fuerit altercatio inter homines, et accesserint ad judicium, et judicaverint, et justificaverint justum.* Judices intelligendi sunt judicare, non illi qui dicti sunt altercationem habere. Deinde sequitur : *Et reprehenderint impium. Et erit, si dignus fuerit plagis, qui impie agit; constitues eum in conspectu judicum, et flagellabunt eum ante se, secundum impietatem ejus : numero quadraginta flagellabunt eum; non apponent. Si autem apposuerint flagellare eum super*

[1] Editi, *quæ in deliciis agit* : omissa negante particula, quæ interponitur in potioribus Mss.
[2] Er., *commonentur*.

has plagas plures, deturpabitur frater tuus coram te. Valde advertendum est quod cum ea peccata plagis emendanda præceperit, quæ digna non sunt mortis supplicio vindicari, et hoc tam paucis plagis; cum tamen qui cæditur, appellavit impium vel impie agentem: ut noverimus, non sicut plurimi loquuntur, locutas esse Scripturas; quas incuriosius legimus, cum putamus adulterium non esse impietatem, quia in hominem videtur peccasse qui hoc fecerit, cum illud peccatum morte plecti jubeat Lex (*Deut.* XXII, 22); et his peccatis graviores esse dicimus impietates, cum sint earum quædam quæ flagelli plagis quadraginta puniuntur. Est itaque levis impietas, quæ verbere digna est; et est gravior quæ morte digna est: ita etiam illa peccata quæ non in Deum, sed in hominem videntur admitti, sunt morte digna quædam; sunt alia correptione, seu verbere, seu venia [1] faciliore. Ita enim locutos esse Septuaginta interpretes constat, ut etiam illius qui plagis dignus est, impietatem vocaverint.

XLVI. [Ib. XXV, 5.] *Si autem habitaverint fratres in unum, et mortuus fuerit unus ex eis, semen autem non fuerit ei; non erit uxor defuncti foris non appropianti [2]: frater viri ejus intrabit ad eam, et accipiet eam sibi uxorem, et cohabitabit ei. Et erit, infans quicumque natus fuerit, constituetur ex defuncti nomine, et non delebitur nomen ejus ex Israel.* Videtur hoc præcepisse Lex de fratris uxore ducenda, non ob aliud, nisi ut semen suscitet fratri qui sine liberis defunctus est. Quod autem ait, *Constituetur ex defuncti nomine, et non delebitur nomen ejus ex Israel*, id est nomen defuncti; ex hoc videtur dictum, ut ille qui nascitur, hoc nomine appelletur, quo appellabatur defunctus, cui quodam modo propagatur. Unde nobis visum est magis secundum adoptionis morem solvere in Evangelio quæstionem de duobus patribus Joseph (*De Cons. Evang. lib.* 2, *c.* 3), quorum unum commemorat Matthæus, cum scilicet qui genuit Joseph (*Matth.* I, 16); alterum Lucas, cum cujus filius erat [3] Joseph (*Luc.* III, 23): quoniam nullius eorum nomen Joseph accepit. Nisi forte hoc dictum est, *Constituetur ex defuncti nomine*, non ut ejus nomen accipiat, sed ut ex ejus nomine, id est tanquam filius, non ejus cujus semine est genitus, sed illius defuncti cui semen suscitatum est, hæres constituatur. Quod enim additum est, *Et non delebitur nomen ejus ex Israel*, potest ita intelligi, non quod nomen ejus puer consequenter accipiat; sed quod ille non sine posteritate mortuus esse videbitur, et ideo permanet ejus nomen, hoc est memoria. Neque enim etiam si ipse filium genuisset, nomen suum ei fuerat impositurus, ut nomen ejus non deleretur ex Israel: sed ex hoc utique non deleretur, quia non sine liberis ex hac vita emigraret; et hoc jubetur ex ejus uxore frater ejus implere, quod ille non potuit. Nam etsi frater non fuisset, et propinquus ducebat uxorem ejus, qui sine filiis mortuus esset, ad suscitandum semen fratri suo: sicut fecit Booz ducendo Ruth, ut semen excitaret propinquo suo, cujus fuerat illa uxor, nec de illo genuerat; et tamen qui de illa natus est, ex nomine quidem defuncti constitutus est, quia filius ejus est dictus, atque ita factum est ut nomen defuncti non deleretur ex Israel, nec tamen ejus nomine appellatus est (*Ruth* IV, 13-17).

QUÆSTIO DE DUOBUS PATRIBUS JOSEPH. *Matth.* II, 16; *Luc.* III, 23.

Quæ cum ita sint, abundantius duobus modis solvi potest evangelica quæstio, ut unus eorum quos diversos commemorant Matthæus et Lucas, ita fuerit propinquus alteri ad ducendam ejus uxorem, ut alios etiam sursum versus parentes atque majores iste, alios ille habere potuerit. Nam si fratrum filii fuissent, unum habuissent avum; quod non ita est: nam secundum Matthæum, Mathan est avus Joseph; secundum Lucam vero, non Mathan, sed Mathath. Quod si quisquam putat esse tantam similitudinem nominis, ut ab scriptoribus in una littera erratum sit, ut fieret tam parva et pene nulla diversitas; quid de istorum patribus dicturus est? Nam secundum Lucam Mathath filius fuit Levi; secundum Matthæum autem, Mathan ex Eleazar genitus invenitur: atque ita inde sursum versus diversi sunt patres et avi; et deinde majores usque ad Zorobabel, qui fere est vigesimus sursum ab Joseph apud Lucam, apud Matthæum autem undecimus. Qui propterea idem ipse esse creditur, quia pater ejus apud utrumque Evangelistam Salathiel invenitur: quamvis fieri potuerit, ut alius fuerit eodem nomine, habens ejusdem nominis patrem, cujus et ille habuit. Nam et inde sursum versus diversi sunt: alium quippe habet Zorobabel avum apud Lucam, qui est Neri; alium apud Matthæum, qui est Jechonias; atque inde superius nusquam est consonantia, quousque veniatur ad David, apud Matthæum per Salomonem, apud Lucam per Nathan. Difficillimum autem videtur non fuisse aliquem propinquiorem qui duceret uxorem fratris sui, quam eum qui ex David esset consanguineus tam longinquo gradu, non aliqua infra propinquitate conjunctus; cum sit apud Lucam David pene quadragesimus a Joseph, apud Matthæum autem ferme vigesimus septimus. Aut si propinqui ad uxores defunctorum ducendas etiam illi quærebantur, qui ex feminarum sanguine propinquabant, fieri potuit ut esset aliquis ita propinquus, qui Joseph genuerit de uxore propinqui sui, qui sine liberis decessit: ac sic ei esset alter ex natura pater, alter ex Lege; in quorum patribus et avis et deinde majoribus ideo nulla propinquitas appareret, quod non ex maribus, sed ex feminis propinquarent. Verumtamen si ita esset, nec David aliquando unus pater occurreret. Aut si quisquam potuisse contendit, ubi ponimus quod consuetudo Scripturæ non est feminas in genealogia pro maribus ponere, sicut eas nullus Evangelista interposuit? Ubi enim commemorantur matres, non ponuntur nisi cum patribus (*a*). Ac per hoc aut ita propinquior defuit ad uxorem defuncti sibi copulandam, ut origo cognationis David [1] repeteretur: aut adoptio fecit alterum patrem

[1] Editi, *pœna*. At Mss., *venia*.
[2] Editi, *uxor defuncti fratris non alteri nubet appropianti*. Emendantur ad Mss. et ad LXX.
[3] Mss. duo Vaticani, *filius non erat*.

[1] Editi, *a David*. Delendum, *a*, quo Mss. carent.
(*a*) II Retract. c. 55, n. 3.

quem posset habere Joseph.

XLVII. [Ib. XXVI, 14.] Quid est quod inter illa quæ jubet dicere hominem, qui in dandis decimis, et quæcumque dare vel impendere jussus est, omnia mandata complevit, etiam hoc cum laude et commendatione sua dicere jubet, *Non dedi ex eis mortuo?* An per hoc prohibet parentalia, quæ observare gentes solent?

XLVIII. [Ib. XXVIII, 13, 14.] *Non præteribis ab omnibus verbis quæ ego mando tibi hodie, dextra*[1] *aut sinistra ire post deos alienos, servire illis.* Quæri potest quomodo possit intelligi ire in dextra, qui post deos alienos ierit servire illis; cum dextra in laude ponatur, illud autem nunquam laudabiliter fieri possit : nam et quod reprehenditur in via vitæ, qui declinat in dextra, non ibi ea reprehenduntur quæ dextra sunt, sed ille qui declinat in ea, id est, qui sibi arrogat quæ Dei sunt. Ideo dicitur in Proverbiis : *Non declines in dextra aut in sinistra : vias enim quæ a dextris sunt novit Dominus; perversæ autem sunt quæ a sinistris.* Ergo bonæ sunt dextræ, quas novit Dominus. *Novit enim Dominus vias justorum* (*Psal.* I, 6), sicut in Psalmo legitur. Cur ergo dictum sit, *Ne declines in dextra*, consequenter ostendit addendo, *Ipse enim rectos faciet cursus tuos.* Absit autem ut dextras, quas novit Dominus, negemus esse rectas : sed, ut dixi, declinare in eas est, non illius gratiæ, sed sibi tribuere velle quod rectum est. Denique, ut dixi, adjungit et dicit, *Ipse enim faciet rectos cursus tuos, et omnia itinera tua in pace producet* (*Prov.* IV, 27).

Quapropter hoc quod isto loco Deuteronomii, de quo agimus, dictum est. *Non præteribis ab omnibus verbis quæ ego mando tibi hodie, dextra aut sinistra ire post deos alienos, servire illis,* non ideo dictum est, quia dii alii possunt etiam in dextris accipi; sed aut terrena loca significata sunt, quia et in dextra et in sinistra habebant gentes alios deos colentes : aut hoc de diis aliis separatim pronuntiandum est, ut duo sint sensus; unus videlicet, *Non præteribis ab omnibus verbis quæ ego mando tibi hodie, dextra aut sinistra*, secundum illum scilicet intellectum, quem supra exposui; alius autem sit sensus, *ire post deos alienos, servire illis*, ut et hic subaudiatur, *Non præteribis ab omnibus verbis quæ ego mando tibi hodie.* Quem totum sensum si dicere velimus, superiora verba, quæ utrique sensui sunt communia, repetituri sumus; ut quomodo illic dicitur, *Non præteribis ab omnibus, quæ ego mando tibi hodie, dextra aut sinistra*, sic et istic repetatur, *Non præteribis ab omnibus quæ ego mando tibi hodie*[2], *ire post deos alienos, servire illis.* Prætereundo enim a verbis quæ mandata sunt, etiam hoc fit, ut eatur post deos alienos. Non enim hoc solum mandatum est, aut hoc solum præteriri Deus non vult, quod mandavit, ne post deos alienos eatur, sed omnia quæ mandavit : hoc tamen ita præcipue, ut post generalitatem præcepti quo admonuit non esse prætereundum ab omnibus verbis mandatorum suorum, etiam hoc seorsum commendare voluerit.

Potest hoc quod ait, *dextra aut sinistra*, etiam sic intelligi, ut nec eorum causa, quæ propter felicitatem appetuntur, nec eorum quæ propter infelicitatem fugiuntur, ire mandaverit post deos alios : id est, nec pro iis quæ amantur, nec contra ea quæ odio habentur, a diis aliis auxilium esse poscendum : aut certe illo modo, ut vel concilientur, quo prosint[1]; vel placentur, ne noceant. Nam et de quibusdam scriptum est in Psalmo, *Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis :* ideo quia his rebus opinantur fieri hominem beatum, quas et boni et mali possunt habere; et ideo dextera est iniquitatis, quia iniqui sunt, qui eam dexteram putant. Non enim est vera dextera, sed *dextera* est *eorum quorum os locutum est vanitatem. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt,* cum potius, sicut mox adjungit et docet, *Beatus sit populus cujus Dominus Deus ipsius* (*Psal.* CXLIII, 8, 15). Hæc est vera dextera, æquitatis, non iniquitatis. Non est ergo eundum post deos alienos, neque in dextra, ut existimet homo ex ipsis se fieri beatum; neque in sinistra, ut existimando ipsis adversantibus se fieri miserum, ad hoc eos colat ut avertat. Aut certe si dextra intelligimus æterna, sinistra vero temporalia bona; nec propter illa, nec propter ista eos colendos sancta Scriptura hoc loco admonuisse credatur.

XLIX. [Ib. XXIX, 1.] *Hæc verba Testamenti quod mandavit Dominus Moysi, statuere filiis Israel in terra Moab, præter Testamentum quod testatus est eis in Horeb.* Ostendit unde appellatus sit liber Deuteronomium, quasi secunda Lex; ubi magis illius repetitio est, quam aliquid aliud : pauca enim sunt, quæ ibi non sint in eo quod primum datum est. Nec tamen appellantur hæc duo Testamenta, quamvis ita hæc verba sonare videantur : utrumque enim unum est Testamentum, quod in Ecclesia dicitur Vetus. Nam si propter hæc verba duo Testamenta dicenda essent, jam non duo, sed plura essent, excepto Novo. Multis enim locis Scriptura dicit Testamentum : sicut illud quod factum est ad Abraham de circumcisione (*Gen.* XVII, 4), vel illud superius ad Noe (*Id.* IX, 9).

L. [Ib. XXIX, 2-4.] *Et vos vidistis omnia quæcumque fecit Dominus Deus vester in terra Ægypti coram vobis Pharaoni, et omnibus servis ejus, et omni terræ illius, tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa et prodigia illa magna, et manum validam. Et non dedit Dominus Deus vobis cor scire, et oculos videre, et aures audire usque in diem istam.* Quomodo ergo ait superius, *Vos vidistis tentationes magnas, quas viderunt oculi tui*, si *non dedit Dominus eis oculos videre, et aures audire;* nisi quia viderunt corpore, et corde non viderunt? quia oculi dicuntur et cordis : propterea inde cœpit, *Et non dedit Dominus Deus vobis cor scire.* Ad hoc pertinent duo quæ sequuntur, *et oculos videre, et aures audire*, id est intelligere, et obtemperare. Quod vero dicit, *Et non dedit Dominus Deus vobis;*

[1] Editi, *in dextra.* Abest, *in*, a Mss. et a LXX.
[2] Desiderabantur hic verba illa : *sic et istic repetatur, Non præteribis ab omnibus quæ ego mando tibi hodie;* quæ reperimus in Codd. Sorbonico et Remigiano.

[1] Sic Mss. At excusi, *veluti consulantur, quæ prosint*

nullo modo increpans et arguens hoc diceret nisi ad eorum quoque culpam pertinere intelligi vellet, ne quisquam se ex hoc excusabilem putet. Simul enim ostendit et sine adjutorio Domini Dei eos intelligere et obedire non posse oculis cordis, et auribus cordis : et tamen si adjutorium Dei desit, non ideo esse excusabile hominis vitium ; quoniam judicia Dei quamvis occulta, tamen justa sunt.

LI. [Ib. xxix, 5-6.] *Et adduxit vos quadraginta annis in deserto : non inveteraverunt vestimenta vestra, et calceamenta vestra non sunt attrita a pedibus vestris ; panem non manducastis, vinum et siceram non bibistis, ut sciretis quia iste Dominus Deus vester.* Hinc apparet tantum vini in suis impedimentis potuisse portare Israelitas, quando exierunt de Ægypto, quod possent cito consumere. Nam si omnino nihil secum tulissent, unde esset illud de quo dictum est, *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere?* Non enim hoc de aqua diceretur, cum et ipsius Moysi manifestissima verba sint, non fuisse illam vocem principium belli, sed principium vini (*Exod.* xxxii, 6, 18).

LII. [Ib. xxix, 18-21.] *Numquid est aliquis inter vos vir, aut mulier, aut familia*[1], *vel tribus, cujus mens declinavit a Domino Deo vestro, ire servire diis gentium illarum? Num qua est in vobis radix sursum germinans in felle et amaritudine? Et erit, cum audierit verba maledictionis hujus, et opinabitur in corde suo, dicens, Sancta mihi fiant, quoniam in errore cordis mei incedo : ut non simul perdat peccator eum*[2] *qui sine peccato est; nolet Deus propitiare ei, sed tunc incendetur ira Domini, et zelus ejus in homine illo, et adhærebunt in eo omnia maledicta Testamenti hujus, quæ scripta sunt in libro Legis hujus.* Ita dictum est, *Numquid est in vobis?* ut tanquam requirentem intelligamus, ne forte sit. Si quis autem esset, eum terruit vehementer, ne forte quisquam diceret in corde suo, audiens illa maledicta, *Sancta mihi sint*, id est, maledicta sancta mihi sint : *quoniam in errore cordis mei incedo*, id est, absit ut mihi ista eveniant, non mihi sint hæc mala, sed sancta, id est propitia et innoxia ; *quoniam in errore cordis mei incedo*, eundo scilicet post deos gentium, et eis tanquam impune serviendo. Non, inquit, erit sic. *Non perdat simul peccator eum qui sine peccato est :* tanquam diceret, Cavete ne cui vestrum talia persuadeat, qui talia cogitat. *Nolet Deus propitiare ei*, sive talia cogitanti, sive illi cui talia fuerint persuasa, sicut ipse opinatus est dicendo, *Sancta mihi sint;* et quasi hoc modo avertendo a se vim illius maledicti. *Sed tunc accendetur ira Domini, et zelus ejus in homine illo*, quando putabit eam se avertere, ista in corde suo dicendo. *Et adhærebunt in eo omnia maledicta Testamenti hujus, quæ scripta sunt in libro Legis hujus.* Non possunt quidem omnia evenire uni homini : non enim etiam toties mori potest, quot genera mortis hic dicta sunt; sed *omnia* dixit, pro quibuslibet, ut non sit immunis ab omnibus, cui evenerint aliqua eorum quibus pereat. Quod autem ait, *Ut non simul perdat peccator eum qui sine peccato est;* quod græcus habet ἀναμάρτητον, non sic accipiendum est, tanquam ab omni prorsus peccato mundum et immunem hoc dixerit ἀναμάρτητον, id est sine peccato ; sed eum qui sine peccato isto esset, de quo loquebatur : sicut dicit Dominus in Evangelio, *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent* (*Joan.* xv, 22) ; non utique omne, sed hoc peccatum quo non crediderunt in eum. Dicit etiam Deus ad Abimelech de Sara uxore Abrahæ, *Scio quia in mundo corde fecisti hoc* (*Gen.* xx, 6) : non utique mundum illius cor ita voluit intelligi, ut similis eis esset, de quibus dictum est, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8) ; sed ab illo peccato, de quo agebatur, mundum cor habebat, quoniam quantum ad ipsum pertinebat, non concupiverat conjugem alienam.

LIII. [Ib. xxx, 6.] *Et circumpurgabit Dominus cor tuum, et cor seminis tui, diligere Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, ut vivas tu.* Evidens pollicitatio gratiæ : promittit enim Deus se esse facturum quod solet jubere ut fiat.

LIV. [Ib. xxx, 11-14.] *Quia mandatum hoc, quod ego mando tibi hodie, non est supra modum, neque longe abs te est : non in cœlo est, dicens,* id est, ut dicas, *Quis ascendet nobis in cœlum, et accipiet nobis illud, et audientes illud faciemus? Neque trans mare est, dicens,* id est, ut dicas, *Quis transfretabit nobis trans mare, et accipiet nobis illud, et audientes illud faciemus? Prope est verbum hoc valde in ore tuo, et in corde tuo, et in manibus tuis facere illud.* Hoc esse verbum fidei dicit Apostolus : quod ad Novum pertinet Testamentum. Sed quæri potest, cur ea superius mandata dixerit, quæ scripta sunt in libro Legis hujus (*Deut.* xxix, 21) : nisi quia his omnibus spiritualia significantur ad Novum Testamentum pertinentia, si bene intelligantur. Item quæri potest cur hoc quod hic positum est, *Neque trans mare est, ut dicas, Quis transfretabit nobis trans mare, et accipiet nobis illud*, Apostolus dixerit, *Aut quis descendet in abyssum ;* atque id exponens adjunxerit, *Hoc est Christum a mortuis reducere :* nisi quia mare appellavit totam in hoc sæculo vitam, quæ morte transitur, ut quodam modo mare finiatur, et trans mare mors ipsa appelletur, velut trans istam vitam, quæ maris vocabulo significatur. Deinde quod hic additum est, *et in manibus tuis ;* non ait Apostolus, nisi, *in ore tuo et in corde tuo.* Et hoc usque in finem exsecutus est, dicens, *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x, 7, 8, 10). Merito quod ex hebræo translatum est, quantum a nobis inspici potuit, non habet, *in manibus tuis*. Nec frustra tamen hoc a Septuaginta interpretibus additum existimo : nisi quia intelligi voluerunt etiam ipsas manus, quibus significantur opera, in corde accipi debere, ubi est fides quæ per dilectionem operatur (*Galat.* v, 6). Nam si forinsecus ea quæ Deus jubet, manibus fiant, et in corde non fiant, nemo est tam

[1] Editi et plures Mss., *aut familiis*. Pauloque post, *nequam est in eo radix*. Locum hunc redintegrant, et cum LXX conciliant codices aliquot melioris notæ.

[2] Editi, *non simul perdat peccatorem et eum*, etc. At Mss. juxta LXX : *Non simul perdat peccator eum qui sine peccato est*. Hanc lectionem confirmat expositio, quæ mox ab Augustino subjicietur.

insulsus, qui præcepta arbitretur impleri. Porro si charitas, quæ plenitudo est Legis (*Rom.* XIII, 10), habitet in corde, etiamsi manibus corporis quisquam non possit operari, pax illi est utique cum hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* XI, 14).

LV. [Ib. XXXII, 5.] *Peccaverunt non ei filii vituperabiles.* Quod in græco est *τέκνα μωμητά*, quidam interpretati sunt sicut hic, id est, *filii vituperabiles;* quidam, *filii commaculati;* quidam, *filii vitiosi.* Unde non magna quæstio, imo nulla est. Sed illud merito ad quærendum movet, si generaliter dictum est, *Peccaverunt non ei,* quoniam qui peccat, non ei peccat, id est, non Deo nocet, sed sibi; quomodo intelligendum sit quod in Psalmo legitur, *Tibi soli peccavi* (*Psal.* L, 6); et in Jeremia, *Tibi peccavimus, patientia Israel, Domine* (*Jerem.* XIV, 7, 8); et iterum in Psalmo, *Sana animam meam, quia peccavi tibi* (*Psal.* XL, 5): et utrum hoc sit peccare Deo, quod peccare in Deum. Unde ait Heli sacerdos: *Si in Deum peccaverit, quis orabit pro eo* (I *Reg.* II, 25)? Dicam ergo interim quid mihi in præsentia videatur. Intelligent fortasse aliquid melius, qui melius hæc sapiunt, aut etiam nos alio tempore, quantum adjuverit Dominus. Peccare in Deum, est in iis peccare quæ ad Dei cultum pertinent. Nam hoc quod commemoravi, nihil aliud indicat: sic enim peccabant filii Heli, quibus hoc pater eorum dixit. Sic existimandum est peccari etiam in homines qui pertinent ad Deum: nam hoc Deus legitur dixisse ad Abimelech de Sara, *Propterea peperci tibi, ne peccares in me* (*Gen.* XX, 6). Peccare autem Domino, vel potius peccasse Domino [1] (nisi forte alicubi scriptum occurrat quod huic sensui resistat), hi mihi videntur non immerito dici, qui piam pœnitentiam peccati sui nunc agunt, ut glorificetur ignoscens Dominus. Causam quippe reddens David cur dixerit, *Tibi soli peccavi, et malum* [2] *coram te feci;* subjecit et ait, *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris:* sive cum dicit Deus, *Judicate inter me et vineam meam* (*Isai.* V, 3): sive de Domino Jesu Christo intelligatur, qui solus verissime dicere potuit, *Venit enim princeps mundi, et in me non habet quidquam* (id est, quidquam peccati quod morte sit dignum); *sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite, eamus hinc* (*Joan.* XIV, 30, 31): tanquam diceret, Etiamsi levissima peccata mortis supplicio persequatur princeps mundi, in me non habet quidquam, sed surgite, eamus hinc, id est, ut patiar; quia in eo quod patior, voluntatem impleo Patris mei, non pœnam solvo peccati mei. Et quod Jeremias ait, *Tibi peccavimus, patientia Israel,* Domino utique suppliciter dicitur in pœnitentia cum spe salutis ex venia [3]. Et quod dictum est, *Sana animam meam, quia peccavi tibi,* hoc idem agitur ut Deus ignoscendo glorificetur: quia magna est ejus misericordia super confitentes sibi et redeuntes ad se, qui dicit se nolle mortem peccatoris, quantum [1] ut revertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII, 11). Hinc et ipse David non solum in Psalmo, verum etiam cum eum Deus argueret per prophetam, non sine spe propitiationis Domini respondit, *Peccavi Domino* (II *Reg.* XII, 13). Medico enim vulneratus videtur quodammodo, qui ut sanetur se subdit manibus medici, ut in eo medicinæ opus impleatur. In hoc autem cantico prævidebat Propheta futuros quosdam, qui sic fuerant peccaturi Deum offendendo magnis iniquitatibus suis, ut nec pœnitentiam agere vellent, et ad Deum redire ut sanarentur: de quibus etiam alibi dicitur, *Quoniam caro sunt, et spiritus ambulans, et non revertens* (*Psal.* LXXVII, 39). Potest etiam sic intelligi, *Peccaverunt non ei,* secundum id quod non ei nocuerunt peccato suo, sed sibi.

LVI. [Ib. XXXIII, 1-3.] *Et hæc benedictio quam* [2] *benedixit Moyses homo Dei filios Israel, priusquam defungeretur. Et dixit, Dominus ex Sina venit, et alluxit ex Seir nobis: festinavit ex monte Pharan cum multis millibus Cades. Ad dexteram ejus Angeli cum eo, et pepercit populo suo. Et omnes sanctificati sub manus tuas, et hi sub te sunt. Et accepit de verbis ipsius Legem, quam mandavit nobis Moyses, hæreditatem congregationibus Jacob. Et erit in dilecto princeps, congregatis principibus populorum simul tribubus Israel.* Non negligenter prætereunda est ista prophetia. Apparet quippe ista benedictio ad novum populum pertinere, quem Dominus Christus sanctificavit; ex cujus persona ista dicuntur a Moyse, non ex persona ipsius Moysi, quod in consequentibus evidenter apparet. Nam si propterea dictum est, *Dominus ex Sina venit,* quia in monte Sina Lex data est; quid sibi vult quod sequitur, *et alluxit ex Seir nobis:* cum Seir mons Idumææ sit, ubi regnavit Esau? Deinde cum Moyses filios Israel benedicat his verbis, sicut Scriptura prædixit, quomodo idem dicit, *Et accepit de verbis ipsius Legem, quam mandavit nobis Moyses?* Nimirum ergo prophetia est, ut diximus, populum novum Christi gratia sanctificatum prænuntians, ideo sub nomine filiorum Israel, quia semen est Abraham, hoc est, filii sunt promissionis, et interpretatio ejus est, Videns Deum. Dominus ergo qui ex Sina venit, Christus intelligendus est, quoniam Sina interpretatur, Tentatio. Venit ergo ex tentatione passionis, crucis, mortis. *Et alluxit ex Seir.* Seir interpretatur, Pilosus, quod significat peccatorem; sic enim natus est Esau odio habitus (*Gen.* XXV, 25): sed quoniam qui sedebant in tenebris et in umbra mortis, lux orta est eis (*Isai.* IX, 2); ideo alluxit ex Seir. Simul etiam non adsurde intelligitur esse prædictum, ex gentibus quæ significantur per nomen Seir, quia mons est pertinens ad Esau, venturam gratiam Christi populo Israel. Unde dicit Apostolus: *Ita et hi nunc non crediderunt in vestra misericordia, ut et ipsi misericordiam consequantur* (*Rom.* XI, 31). Ipsi ergo

[1] Editi, *peccare in Dominum.* At Mss., *peccasse Domino.* Recte quidem, sed paulo infra Mss. iidem et omnes editi perperam erebant, *qui piam pœnitentiam peccati sui non agunt:* cum certe certius legi debeat, *nunc agunt:* vel forte, *qui per piam pœnitentiam peccati sui hoc agunt.*

[2] Mss., *malignum.*

[3] Sic Mss. At Am. Er. et Lov., *et veniæ.* Rat., *et venia.*

[1] In editis, *tantum ut revertatur.* In Mss. vero, *quantum;* juxta LXX, *ὡς ἀποστρέψαι.*

[2] Editi, *quam benedixit:* et inferius, *hæreditatem congregationis Jacob:* pauloque post, *simul cum tribubus Israel.* His in locis sequimur Mss. qui cum græco LXX conveniunt.

dicunt, *Alluxit ex Seir nobis, et festinavit ex monte Pharan*, id est, ex monte fructifero : id enim interpretatur *Pharan*, quo significatur Ecclesia. *Cum multis millibus Cades*. Et Mutata interpretatur *Cades*, et Sanctitudo. Mutata sunt ergo multa millia, et sanctificata per gratiam, cum quibus venit Christus ad Israelitas postea colligendos. Sequitur et dicit, *Ad dexteram ejus Angeli cum eo :* hoc non indiget expositione. *Et pepercit*, inquit, *populo suo :* donans remissionem peccatorum Inde ad ipsum convertit sermonem atque ait, *Et omnes sanctificati sub manus tuas, et hi sub te sunt :* non utique superbientes, et suam justitiam volentes constituere; sed agnoscentes gratiam, ut justitiæ Dei subjiciantur (*Rom*. x, 3). *Et accepit*, inquit, *de verbis ipsius Legem :* populus utique de quo ait, *Et pepercit populo suo*. Accepit ergo de verbis ipsius Legem, *quam mandavit*, inquit, *nobis Moyses :* hoc est, populus ejus de verbis ejus accepit Legem, quia de doctrina ejus intellexit Legem eam ipsam quam mandavit nobis Moyses. Ipse quippe ait in Evangelio : *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan*. v, 46). Non enim accepit populus ille Legem quam non intellexit; sed tunc accepit, quando intellexit de verbis ejus, carens velamine veteri, conversus ad Dominum : hanc dicit *hæreditatem congregationibus Jacob*, quæ intelligenda est non terrena, sed cœlestis; non temporalis, sed æterna. *Et erit*, inquit, *in dilecto princeps :* ipse utique in dilecto populo erit princeps Dominus Jesus : *congregatis principibus populorum*, id est, gentium : *simul tribubus Israel*, ut impleatur quod supra dictum est, *Lætamini, gentes, simul cum populo ejus; quia cæcitas ex parte in Israel facta est, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret* (*Rom*. xv, 10, et xi, 25).

LVII. [Ib. xxxiii,17.] Cum Joseph benediceret, ait inter cætera, *Primogenitus tauri pulchritudo ejus*. Quod non ita legendum est, tanquam dixerit, primogenitus tauri; sed, cum sit primogenitus, pulchritudo ejus tauri est : propter crucis cornua, de Domino intelligitur figuratum.

LIBER SEXTUS.

Quæstiones in Jesum Nave (*a*).

Quæst. I. [Jos. *cap*. 1, ỹ 5.] Dominus dicit ad Jesum Nave, *Et sicut eram cum Moyse, ita ero et tecum*. Non solum autem hoc testimonio, sed etiam in Deuteronomio multis documentis probatur Moyses ita defunctus, ut Dei famulus et Deo placens : quamvis in eo illa vindicta completa sit, ne terram promissionis intraret (*Deut*. xxxii, 48-52, *et* xxxiv, 4, 5). Ex quo datur intelligi, Dominum etiam bonis servis suis in aliquo succensentem, et temporaliter vindicare, et tamen in eorum habere numero, quæ sunt in domo ejus vasa in honorem utilia Domino (II *Tim*. ii, 21), quibus daturus est promissa sanctorum.

II. [Ib. i, 11; iii, 7.] Quæstio est, quomodo posteaquam locutus est Dominus ad Jesum Nave, exhortans et confirmans eum, seque promittens cum illo futurum, mandaverit idem Jesus populo per scribas, ut præpararent cibaria, quod post tres dies Jordanem fuerant transituri, cum inveniantur post multo plures dies transisse Jordanem. Cum enim hæc populo mandasset, misit exploratores in Jericho, quoniam Jordane trajecto ipsa proxima civitas occurrebat : illi autem diverterunt ad Raab mulierem fornicariam, et ab illa occultati, atque a rege quæsiti et minime inventi, eadem dimittente illos per fenestram, et monente ut triduo laterent in montanis, quatuor dies videntur esse consumpti ; inde posteaquam nuntiaverunt quæ circa illos gesta fuerint, promovit Jesus cum populo universo de loco ubi erat diluculo; qui cum venisset ad Jordanem, divertit et mansit : tunc rursus populus admonetur ut post triduum se præparet transire Jordanem, arca Domini præcedente. Hinc ergo intelligitur humanam fuisse dispositionem, quam fecit populo nuntiari, ut cibaria præpararent, tanquam post tres dies memoratum fluvium transituri. Potuit enim hoc sicut homo sperare fieri posse, si exploratores celeriter revertissent. Quibus tardantibus intelligitur, quamvis Scriptura tacuerit, ex divina dispositione cætera impleta, ut jam inciperet apud populum glorificari Jesus, et ostendi quod cum illo Dominus esset, sicut fuerat cum Moyse. Nam et hoc illi dicitur fluvium transituro, sicut scriptum est : *Et dixit Dominus ad Jesum, In die isto incipiam exaltare te coram omnibus filiis Israel, ut sciant quoniam sicut eram cum Moyse, sic ero et tecum*. Nec incredibile debet videri, etiam illos cum quibus Deus loquebatur, aliquid ex humana dispositione agere voluisse, in qua sibi Deum tamen fiderent [1] esse rectorem, eorumque ex illius a quo regebantur providentia, consilia fuisse mutata. Nam et Moyses ipse utique tanquam homo putaverat esse faciendum, ut causas populi sic audiret, quemadmodum et sibi et illis, onus intolerabile subeundo, prodesse non posset : ejusque dispositio divinitus, et hoc ipsum socero ejus suggerente et monente, atque hanc admonitionem Deo approbante, mutata est (*Exod*. xviii, 14-26).

III. [Ib. iii, 3, 4, 15.] Scribæ populo dicunt, *Cum videritis arcam testimonii Domini Dei nostri, et sacerdotes nostros* [2] *et Levitas tollentes eam, proficiscimini de locis vestris ; et ite post eam : sed longum intervallum sit inter vos et illam, quantum duo millia cubitorum stabitis, ne propinquetis ei, ut sciatis viam quam ibitis in eam. Non enim abiistis viam ab hesterna et nudiustertiana die.*

(*a*) In hujus libri 6 titulo legendum, *Jesum Nave*, ut in Mss.; non, *Josue*, ut in editis reperitur. [*Josue*.]

[1] Mss Decem et editio Ratisponensis, *viderent*.
[2] Sic Mss. At editi, *Dei vestri et sacerdotes vestros*.

Longe jussum est arcam præcedere, ut posset a populo videri. Tam grande quippe agmen, si post eam proximum pergeret, non eam videret præire, nec nosset qua sequeretur. Ex hoc autem facto intelligendum est, quod columna illa nubis, quæ solebat movendis castris signum dare, et iter ostendere (*Exod.* XIII, 21), jam recesserat, nec eis apparebat: hinc factum est ut etiam triduum illud ex humana dispositione prædiceretur (*Supra, quæst.* 2). Nunc ergo duce Jesu arcam Domini sequuntur nube subtracta tanquam velamine ablato. *Jordanis autem plenus erat per totam crepidinem suam, sicut in diebus messis tritici.* Hoc incredibile videtur regionibus nostris: ibi autem, sicut perhibent qui noverunt, in initio veris est messis tritici; tunc autem ille fluvius repletur amplius quam per hiemem.

IV. [Ib. IV, 7.] *Et erunt vobis lapides isti memoriale filiis Israel usque in æternum.* Quomodo *in æternum*, cum cœlum et terra transeant (*Matth.* XXIV, 35)? An quoniam æternum aliquid significant hi lapides, cum ipsi æterni esse non possint? Quamvis possit quod in græco est, ἕως τοῦ αἰῶνος, dici latine, et usque in seculum, quod non est consequens ut intelligatur æternum.

V. [Ib. IV, 15 *et* 16.] *Et dixit Dominus ad Jesum, dicens: Manda sacerdotibus portantibus arcam testamenti testimonii.* Solet dici arca testamenti, vel arca testimonii: nunc dicta est arca testamenti testimonii, ut non solum arca, sed etiam ipsum testamentum, appellaretur testamentum testimonii. Hinc enim dicit Apostolus: *Nunc autem sine Lege justitia Dei manifestata est, testimonium habens per Legem et Prophetas* (*Rom.* III, 21). In cujusdam enim rei alterius venturæ testimonium datum fuerat illud, quod dicitur Testamentum Vetus.

VI. [Ib. V, 2-7.] *Dixit Dominus ad Jesum; Fac tibi ipsi cultros de petra acutos*, vel, sicut habet græcus, *de petra acuta, et sedens circumcide filios Israel iterum.* In hoc præcepto quæritur cur dixerit, *iterum.* Non enim unus homo bis circumcidendus erat: sed quia unus populus erat in quibusdam circumcisus, in quibusdam non circumcisus, ideo dictum est *iterum*, ut circumcisus iterum circumcideretur, non homo, sed populus. Nam et sequentia id ostendunt. Dicit enim Scriptura: *Et fecit Jesus cultros petrinos sibi ipsi acutos, et circumcidit filios Israel in loco qui vocatur Collis præputiorum. Hoc autem modo circumpurgavit Jesus filios Israel, qui aliquando fuerant in via, et qui aliquando incircumcisi erant eorum qui exierant ex Ægypto; omnes istos circumcidit Jesus. Quadraginta enim et duobus annis conversatus est Israel in deserto Mabdaritide, et ideo incircumcisi erant illorum plurimi pugnatorum qui exierunt de terra Ægypti qui inobedientes fuerant mandatis Dei, in quibus et definierat Dominus eis, ne viderent illi terram quam juraverat Dominus patribus eorum dare illis, terram fluentem lac et mel. Pro his autem substituit filios eorum, quos circumcidit Jesus, eo quod fuissent in itinere incircumcisi.* Manifestum est ergo non omnes fuisse, sed quosdam. Quidam enim de Ægypto exeuntium filii in illo populo incircumcisi erant, quos potuit circumcidere Jesus; illorum scilicet filios qui genuerunt in deserto, et contempserunt eos circumcidere, quod inobedientes erant legi Dei. Nulla itaque causa est cur ii qui putant rebaptizandos eos qui habent christiani Baptismi sacramentum, hoc testimonio Legis adjuvari se putent: quia nullus bis numero unus homo est circumcisus; sed populus qui jam fuerat in quibusdam circumcisus, in quibusdam vero adhuc incircumcisus erat. Et si aliquo modo id fieri posset, ut bis circumcidi hominem Deus juberet; numquid possunt dicere ideo fuisse præceptum, quia illi ab Ægyptiis fuerant circumcisi, aut ab aliquibus hæreticis ab Israelitarum societate segregatis? Cum vero satis etiam appareat quare sit a Deo dictum; nullum hic possunt homines erroris sui patrocinium reperire.

VII. [Ib. V, 13-15.] Quando Jesus vidit virum contra se stantem evaginato gladio, et eo respondente dicit quod esset princeps militiæ virtutis Domini; et prostratus in terram dixit, *Quid præcipis tuo famulo?* quæri potest utrum angelo se prostraverit, eumque dixerit dominum; an potius intelligens a quo missus fuerat, ipsum Dominum dixerit, eique se prostraverit. Erat autem, sicut legitur, Jesus in Jericho, non utique in ipsa civitate, cujus muri nondum ceciderant, quod mox futurum erat, ut in eam possent intrare; sed in agro ad eam pertinente: nam interpretatio quæ est ex hebræo, sic habet.

VIII. [Ib. VII.] In eo quod factum est ut Achar de tribu Juda furaretur de anathemate civitatis Jericho contra præceptum Domini; et propter ejus peccatum tria millia quæ missa fuerant in Gai, dederunt terga hostibus, et occisi sunt ex eis triginta sex viri; et populo graviter territo, Jesus cum senioribus se prostravit ad Dominum, eique responsum est ideo factum esse, quod peccaverit populus; minatus est etiam Deus non se cum eis futurum, nisi abstulerint anathema de se ipsis; et quod ostensus est qui fecerat, nec solus occisus, sed cum omnibus suis: quæri solet quomodo juste pro alterius peccatis in alios vindicetur; maxime quia in Lege Dominus dixit, nec patres pro filiorum, nec filios pro patrum peccatis esse puniendos (*Deut.* XXIV, 16)? An aliud judicantibus hominibus est præceptum, ne quemquam pro altero puniant; Dei autem judicia non sunt ejusmodi, qui alto et invisibili consilio suo novit quatenus extendat etiam temporalem hominum pœnam salubremque terrorem? Non enim aliquid dirum [1], quantum attinet ad universi mundi administrationem, contingit mortalibus, cum moriuntur quandoque morituri: et tamen apud eos qui talia metuunt, disciplina sancitur, ut non se solum quisque curet in populo, sed invicem sibi adhibeant diligentiam, et tanquam unius corporis et unius hominis alia pro aliis sint membra sollicita. Nec tamen credendum est, etiam pœnis quæ post mortem irrogantur, alium pro alio posse damnari; sed in his tantum rebus hanc irrogari pœnam, quæ finem fuerant habituræ, etiamsi non eo modo finirentur. Simul etiam ostenditur quantum connexa sit in populi societate ipsa universitas, ut non in seipsis singuli, sed et

[1] Editi, *durum*.

tanquam partes in toto existimentur. Per unius igitur peccatum mortemque paucorum admonitus est populus universus, tanquam in corpore universo quærere quod admissum est. Simul etiam significatum est quantum mali fieret, si universa illa congregatio peccasset; quando ne unus quidem ita potuit judicari [1], ut ab eo possent cæteri esse securi. At vero, si Achar ab aliquo inventus atque comprehensus, et illius criminis reus ad judicium Jesu fuisset adductus, nequaquam putandum est hominem judicem vel pro illo vel cum illo quemquam alium, qui societate facti ejus minime teneretur, fuisse puniturum. Neque enim ei mandatum Legis licebat excedere, quod datum est hominibus, ne judicio suo, quod in hominem homini jussum sive permissum est, alterum pro alterius peccato arbitretur esse plectendum. Longe autem secretiore justitia judicat Deus, qui potens est etiam post mortem, quod homo non potest, vel liberare vel perdere. Visibiles igitur afflictiones hominum sive mortes, quoniam his quibus ingeruntur, et obesse et prodesse possunt, novit Dominus in occulto providentiæ suæ quemadmodum juste quibusque dispenset, etiam cum aliorum peccata in aliis videtur ulcisci. Pœnas vero invisibiles, quæ nonnisi nocent, et prodesse non possunt, ita nullus Deo judice pro alienis peccatis luit, sicut homine judice luere nullus nisi pro sua culpa istas visibiles debet Hoc enim præcepit homini judici Deus, in his quæ ad humanum judicium pertinent vindicanda [2], quod in suo judicio facit ipse, quo potestas non aspirat humana.

IX. [Ib. VII, 15 *et* 25.] Merito quæritur, cum Dominus propter illum qui de anathemate furtum fecerat, præceperit eum qui fuisset ostensus, igni cremari, cur eum ostensum Jesus lapidari potius a populo fecerit. An ita eum mori oportuit, quemadmodum Jesus, qui propius Dominum sequebatur, Domini verba jubentis intelligere potuit? Sic enim alius quisquam non facile potuit. Unde magis quærendum est cur lapidationem ignem appellaverit Dominus, quam credendum Jesum aliud fecisse quam jusserat Dominus. Nam neque ad intelligendum verba Domini quisquam potuit esse sapientior, neque ad faciendum quisquam obedientior. Proinde ignis nomine pœnam potuisse significari, Scriptura testis est in Deuteronomio, ubi dicitur ad filios Israel, *Et eduxit vos de fornace ferrea ex Ægypto* (*Deut.* IV, 20): ubi utique duram tribulationem intelligi voluit.

Duæ autem mihi causæ occurrunt (non ut ambæ sint, sed ut altera ex eis), cur non ille cum suis omnibus evidenti igne crematus sit. Si enim peccatum ejus Dominus tale esse judicavit, quod supplicio illo expiatum non puniret in æternum, propter ipsam expiationem et purgationem congruenter illa pœna ignis nomen accepit. Neque ad hunc intellectum quisquam tendere admoneretur, si eum proprie visibilis ignis exureret; sed in eo quisque remaneret, quod aperte videbat impletum, nec aliquid ultra quæreret: nunc vero cum propter Dei verba et factum Jesu, a quo prævaricari illa verba non possent, rectissime dicitur etiam lapidationem ignem fuisse; eleganter agnoscitur illa pœna hominem, ne in posterum peccato illo interiret, fuisse purgatum. Quod significant etiam vasa in Levitico, quæ jubentur igne purgari. Si autem tale fuit illud peccatum, propter quod eum etiam post istam vitam gehenna susciperet; ideo Jesus eum voluit lapidari, ut quod a Domino dictum est, *igni cremabitur*, illud admoneret intelligi, quod Dominus faceret, non quod ab ipsis esset faciendum. Si enim dixisset Dominus, Igni eum cremabitis et omnia ejus; huic sensui locus nullus esset: cum vero ita positum est, ut magis videatur Deus quod ei futurum esset prædixisse, quam quod ei ab hominibus deberet fieri præcepisse; melius non potuit facere Jesus, qui divina verba sicut tantus propheta intellexit, qui etiam hoc ipsum prophetice fecit, quam ut illum lapidibus potius quam flammis interimeret, ne in illis ignibus verba Domini viderentur impleta, quæ ob aliud dicta volebat intelligi.

Nec movere debet quod non ipsum tantum, sed etiam omnia quæ sunt ejus, Deus cremanda igni prædixerit. Sic enim ait, *Igni cremabitur, et omnia quæcumque sunt ei*. Omnia enim quæcumque sunt ei, opera ejus possunt intelligi, quæ cum illo dixit esse concremanda: non sicut dicit Apostolus de quibusdam operibus igne consumptis, *ipse autem salvus erit* (I *Cor.* III, 15): si hujus peccatum ita intelligendum est, ut etiam æterno igne puniatur. Filios ergo ejus et filias cum pecoribus et omnibus quæ habebat, populus quidem cum eum puniret, simul lapidibus obruit: non tamen hoc judicio humano, sed prophetico spiritu fecit Jesus; sive ita intelligens, *omnia quæ sunt ei*, ut nec filios censeret exceptos, lapidationis etiam pœnam pro igne ingerens; sive opera ejus quæ post mortem Deus in illo fuerat crematurus, non solum per cætera quæ illi erant, verum etiam per filios ejus significans.

Nec ideo sane credendum est eos pro peccato patris, a quo innocentes erant, etiam post mortem supplicio inferni ignis incensos. Mors quippe ista quæ omnes manet, quamvis de primo peccato veniat, tamen quia ita nati sumus, ut necessario moriendum sit, accelerata quibusdam est utilis. Unde legitur de quodam: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus* (*Sap.* IV, 11). Quo ergo judicio Dei, vel misericordia, fuerit irrogata sive filiis ejus, sive illis triginta sex viris, cum omnes ab ejus peccato alieni fuerint, latet apud eum apud quem non est iniquitas (*Rom.* IX, 14). Verum illud in promptu est, quod et populum terribiliter oportebat quærere quod admissum est; et tanto vehementius timuerunt cæteri factum ejus imitari, quanto magis humana exhorret infirmitas, et in tam magnum tamque justum populi odium dari, et eis quos ad spem propagandi generis se relicturum putabat, peccato suo secum consumptis suis posteris emori.

X. [Ib. VIII, 2.] Quod Deus jubet loquens ad Jesum, ut constituat sibi retrorsus insidias, id est insidiantes

[1] Ms. Cisterciensis, *vindicari*.
[2] Sic Rat. et Mss. At Am. Er. et Lov., *judicanda*.

bellatores ad insidiandum hostibus, hinc admonemur non injuste fieri ab his qui justum bellum gerunt : ut nihil homo justus præcipue cogitare debeat in his rebus, nisi ut justum bellum suscipiat, cui bellare fas est; non enim omnibus fas est. Cum autem justum bellum susceperit, utrum aperta pugna, utrum insidiis vincat, nihil ad justitiam interest. Justa autem bella definiri solent, quæ ulciscuntur injurias, si qua gens vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est. Sed etiam hoc genus belli sine dubitatione justum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, et novit quid cuique fieri debeat. In quo bello ductor exercitus vel ipse populus, non tam auctor belli, quam minister judicandus est.

XI. [Ib. VIII, 4-8.] Jesus mittens ad Gai debellandum triginta millia bellatorum, ait illis : *Vos insidiabimini post civitatem, et non longe eritis a civitate, et eritis omnes parati : et ego et omnis populus qui mecum est, accedemus ad civitatem. Et erit, cum exierint qui commorantur in Gai, in obviam nobis, sicut antea, et fugiemus a facie illorum. Et cum exierint post nos, adducemus illos de civitate, et dicent, Fugiunt isti a facie nostra, sicut antea. Vos autem exsurgetis ex insidiis et ibitis in civitatem. Secundum verbum istud facietis. Ecce præcipio vobis.* Quærendum est utrum omnis voluntas fallendi pro mendacio deputanda sit; et si ita est, utrum possit justum esse mendacium, quo ille fallitur, qui dignus est falli : et si ne hoc quidem mendacium justum reperitur, restat ut secundum aliquam significationem hoc, quod de insidiis factum est, ad veritatem referatur.

XII. [Ib. IX, 3-15.] Quod Gabaonitæ venerunt ad Jesum cum vetustis panibus et saccis, ut putarentur, sicut finxerant, de terra venisse longinqua, quo eis parceretur (constitutum enim erat a Domino, ne alicui terras illas inhabitanti parcerent, quo ingrediebantur) : nonnulli codices et græci et latini habent, *Et accipientes saccos veteres super humeros suos;* alii vero qui veraciores videntur, non habent, *super humeros*, sed, *super asinos suos.* Similitudo enim verbi in græca lingua mendositatem facilem fecit, et ideo latina quoque exemplaria variata sunt : ὤμων quippe et ὄνων non multum ab invicem dissonant, quorum prius humerorum nomen est, posterius asinorum. Ideo est autem de asinis credibilius, quoniam se a sua gente longinqua missos esse dixerunt : unde apparet eos fuisse legatos, et ideo magis in asinis quam in humeris necessaria portare potuisse; quia nec multi esse poterant; et non solum saccos, sed etiam utres eos portasse Scriptura commemorat.

XIII. [Ib. IX, 19.] Quæri potest quomodo jurationem servandam esse crediderint Hebræi Gabaonitis, quibus ita juraverant, tanquam de longinqua terra venientibus, sicut illi mentiti fuerant. Sciebant enim se debellandos, si cognitum esset Hebræis in ea terra eos habitare, quam promissam fuerant interfectis habitantibus retenturi. Mentientibus ergo quod de longinqua terra ad eos venissent, juraverunt eis Israelitæ. Posteaquam vero cognoverunt ibi eos habitare, ubi omnes quos invenerant secundum Dei præceptum debellare oportebat, noluerunt tamen frangere jurationem : et licet eos mentitos esse didicissent, parcere maluerunt jurationis causa; cum possent utique dicere se tantum illis jurasse [1], quos eos esse crediderant, id est de longinquo venientes; cum vero aliud cognoverunt, præceptum circa eos Domini implendum erat, ut sicuti cæteri expugnarentur. Deus autem hoc approbavit, nec parcentibus succensuit : quamvis eum non interrogassent quinam illi essent, et ideo eos illi fallere valuissent. Unde non importune utique credendi sunt, etsi fallere homines pro sua salute voluerunt, non tamen fallaciter Deum timuisse in populo ejus : propterea nec succensuit Dominus jurantibus aut parcentibus, adeo ut postea Gabaonitas ipsos tanquam populi sui homines de domo Saül vindicaverit, sicut Regnorum ostendit historia (II *Reg.* XXI, 1-9). Et quoniam juratio sic servata est, quamvis in hominibus qui mentiti sunt, ut ad clementiam sententia flecteretur, non displicuit Deo. Nam si e contrario jurassent aliquos se interfecturos, quos Gabaonitas in terra promissionis esse putavissent, et postea didicissent eos esse ab illa terra extraneos, et de longinquo ad se venisse, nullo modo arbitrandum est, quod eos essent debellaturi causa jurationis implendæ : cum propter ipsam parcendi clementiam sanctus David, etiam post verba quibus se Nabal interfecturum esse juraverat, utique sciens quem fuerat interfecturus, parcere maluit, nec in re deteriore implere juramentum (I *Reg.* XXV, 22, 33); magis Deo placere existimans, si quod ira perturbatus ad nocendum juraverat, non fecisset, quam si perfecisset.

XIV. [Ib. X, 7, 8.] Cum obsessi Gabaonitæ a regibus Amorrhæorum, misissent ad Jesum, ut sibi subveniretur; ita Scriptura sequitur, et dicit : *Et ascendit Jesus a Galgala, ipse et omnis populus bellatorum cum illo, omnis potens in fortitudine. Et dixit Dominus ad Jesum, Noli timere illos; in manus enim tuas tradidi eos : non subsistet ex illis quisquam coram vobis.* Ubi neque consultus est Dominus utrum eundum ad eos esset; sed ultro suis recte subvenire volentibus, futuram victoriam prænuntiavit. Sic ergo posset, quamvis non consultus, de ipsis Gabaonitis admonere, qui essent, cum se longinquos esse mentirentur, nisi ei placuisset illa juratio, quæ subjectis parcere cogeret. Crediderant enim Deo, quem audierant suo populo promisisse quod illas gentes subverteret, eorumque terram obtineret; et hanc eorum fidem non eos prodendo [2] remuneravit quodam modo.

XV. [Ib. X, 5, 6.] Quæritur quemadmodum rex civitatis Jerusalem Adonibezech et cæteri quatuor cum quibus obsedit Gabaonitas, secundum Septuaginta interpretes, primo reges Jebusæorum cum ad eos obsidendos convenerunt, postea vero reges Amorrhæorum dicantur ab ipsis Gabaonitis, quando nuntios

[1] Mss., *se tanquam illis jurasse.*
[2] Sic Mss. cum Rat. et Am. At Er. et Lov., *perdendo.*

miserunt ad Jesum, ut eos de obsidione liberaret. Sicut autem inspicere potuimus in ea interpretatione quæ ex hebræo est, utrobique Amorrhæorum dicuntur : cum constet Jebusæorum fuisse regem civitatis Jerusalem, quia ipsa est dicta Jebus tanquam illius gentis metropolis ; et septem gentes sæpissime Scriptura commemoret, quas promisit Deus exterminaturum se esse a facie populi sui, ex quibus una perhibetur Amorrhæorum. Nisi forte hoc nomen universale fuerat omnium, aut potius majoris partis : ut non una, sed plures in his septem hoc nomine tenerentur ; quamvis esset etiam una de septem, quæ Amorrhæorum proprie vocaretur sicut est pars quædam quæ proprie dicitur Libya, quamvis hoc nomen universæ Africæ competat ; et pars quædam quæ proprie dicitur Asia, quamvis Asiam vel dimidium terrarum orbem quidam, vel alii tertiam partem orbis posuerint. Nam, quod constat, et Chananæi tanquam una gens in illis septem commemorantur, et tamen universa illa terra originaliter terra Chanaan vocatur.

XVI. [Ib. XI, 14 *et* 15.] *Non dimisit in ea Jesus quidquam spirans, sicut præcepit Dominus Moysi puero suo, et Moyses similiter præcepit Jesu, et sic fecit Jesus : non est transgressus quidquam ab omnibus quibus constituit Dominus Moysi.* Propter hoc nullo modo putanda est ista crudelitas, quod nullum vivum in civitatibus sibi traditis dimittebat Jesus, quia Deus hoc jusserat. Qui autem existimant hinc Deum ipsum fuisse crudelem, et propter hoc Veteris Testamenti verum Deum fuisse auctorem nolunt credere, tam perverse de operibus Dei quam de peccatis hominum judicant, nescientes quid quisque pati dignus sit, et magnum putantes malum cum casura dejiciuntur, mortalesque moriuntur.

XVII. [Ib. XI, 19.] *Et non erat civitas quæ non erat tradita filiis Israel.* Quæritur quomodo hoc verum sit, cum nec temporibus postea Judicum, nec temporibus Regum omnes omnino illarum septem gentium civitates capere potuerint Hebræi. Sed aut sic intelligendum est, quod ad nullam civitatem bellando accessit Jesus quam non ceperit : aut certe nulla non capta est, sed earum quæ in regionibus supra commemoratis fuerunt. Enumeratæ sunt enim regiones, in quibus fuerunt civitates de quibus facta est ista conclusio, *Et omnes cepit in bello.*

XVIII. [Ib. XI, 20.] *Quia per Dominum factum est confortari cor eorum, ut obviam irent ad bellum ad Israel, ut exterminarentur ; ita ut non daretur eis misericordia, sed ut exterminarentur, sicut dixit Dominus ad Moysen.* Ita dictum est hoc per Dominum factum confortari cor eorum, hoc est obdurari cor eorum, sicut de Pharaone (*Exod.* VII, 3, 22, et VIII, 19) ; quod divino altoque judicio juste fieri minime dubitandum est, cum deserit Deus et possidet inimicus : quod sic accipiendum est quemadmodum et ibi. Sed hic aliud movet, quomodo dictum sit ad hoc eis confortatum cor, ut exsurgerent in bellum adversus Israel, et ob hoc eis non præberent misericordiam : quasi præbenda esset, si non bellarent ; cum Deus præceperit nulli eorum esse parcendum ; et ob hoc Gabaonitis pepercerint, quia se de longinqua terra venisse fingentes eorum jurationem tenuerant. Sed quoniam quibusdam ultro præbuerunt Israelitæ misericordiam, quamvis contra Dei mandatum ; ad hoc dictum esse intelligendum est, istos ita bellasse, ut non eis parceretur, nec ab eis ipsis Israelitæ neglecto Dei mandato ad misericordiam flecterentur. Quod quidem duce Jesu, qui omnia diligenter divina præcepta servabat, non est credendum fieri potuisse : verumtamen nec ipse istos tam cito delevisset, nisi conspirantissime contrairent ; atque ita fieri posset ut eis ab illo minime debellatis, qui Dei præcepta implere curabat, remansissent ad illud tempus, quando eis possent parcere post mortem Jesu, qui non tanta cura Dei mandata faciebant. Nam et adhuc eodem vivente quibusdam illi pepercerunt, tantummodo eos ditioni suæ subjugantes : quosdam vero nec vincere potuerunt. Verum hæc non illo duce facta sunt ; sed cum jam senex vacaret a bello, tantummodo eis terras dividens ; ut ipsi jam illo non bellante, divisas sibi terras partim jam hoste vacuas tenerent, partim pugnando caperent. Et quod vincere aliquos minime potuerunt, providentiæ divinæ fuisse, opportune Scripturarum certis apparebit locis.

XIX. [Ib. XVI, 10.] *Et non perdidit Ephræm Chananæum qui habitabat in Gazer : et habitabat Chananæus in Ephræm usque in diem istum, donec ascendit Pharao rex Ægypti, et cepit civitatem, et incendit eam in igni ; et Chananæos, et Pherezæos, et qui habitabant in Gazer transpunxit ; et dedit eam Pharao in dotem filiæ suæ.* Quod de Pharaone rege dictum est, miror si prophetice dictum intelligere debemus ; cum hæc historia illis temporibus conscripta credatur, quibus erant gesta illa recentia. Quid autem magnum eligi potuit quod prophetice diceretur, cum præterita narrentur, taceanturque futura majora, et maxime necessaria ? Proinde potius existimandum est Septuaginta interpretes, qui auctoritate prophetica ex ipsa mirabili consensione interpretati esse perhibentur, hæc addidisse ; non tanquam futura prænuntiantes, sed quia illo tempore ipsi erant, quo facta esse meminerant, et in libris Regnorum legerant (III *Reg.* IV, 34, *apud* LXX ; IX, 16, *in Vulgata*). Etenim regum temporibus factum est. Quod ideo credibilius nobis visum est, quoniam inspeximus interpretationem quæ est ex hebræo, et hoc ibi non invenimus : sicut nec illud quod dictum est de Jericho, quod Hoza qui eam reparasset, incurrerit maledictum quod dixerat Jesus. Sic enim scriptum est, *et adjuravit Jesus in illa die : Maledictus homo qui resuscitabit et ædificabit civitatem illam : in primogenito suo fundabit eam, et in novissimo suo imponet portas ejus* (*Josue* VI, 26) : huc usque invenitur in interpretatione ex hebræo. Illud autem quod sequitur, *Et ita fecit Hoza qui ex Bethel ; in Abiron primogenito fundavit eam, et in resalvato* [1] *novissimo impo-*

[1] Rat. et Lov., *et in se salvato.* Mss. duo Vaticani, totidemque ex nostris, *et in resalvato.* Apud LXX, *kai en tô diasôthenti.* Attamen Cisterciensis vetus codex habet hic, *et in se-*

suit portas ejus (*In Vulgata* III *Reg.* xvi, 34): hoc illic non legitur. Unde apparet a Septuaginta interpositum, qui factum esse noverant.

XX. [Ib. xix, 47 (*a*).] *Et Amorrhæus permansit ut habitaret in Elom et in Salumin, et gravata est manus Ephræm super eos, et facti sunt illis tributarii.* Hoc jam contra Domini præceptum fiebat, et adhuc vivebat Jesus, sed dux eorum in illis præliis jam præ senectute non erat. Propter hoc dictum est, a Domino factum ut confortaretur cor illorum, qui simul conspiraverunt ire in bellum contra Jesum, ne ista illis misericordia præberetur, etiam contra Dei præceptum (*Josue* xxi, 20), si remansissent non expugnati, et senescente sive defuncto Jesu relinquerentur expugnandi a filiis Israel, qui eis contra præceptum Domini possent parcere, quod ille non faceret.

XXI. [Ib. xxi, 41-43.] Merito quæritur, cum Israel non solum usque ad diem mortis Jesu, verum etiam postea, non eradicaverit gentes quæ terram promissionis tenebant, quamvis ex parte illis debellatis in eadem promissa hæreditate consisterent, quomodo intelligendum sit quod dictum est, *Et dedit Dominus Israeli omnem terram quam juraverat dare patribus eorum, et hæreditaverunt eam, et habitaverunt in ea. Et requiem dedit illis Dominus in circuitu, sicut juraverat patribus eorum: non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum; omnes inimicos eorum tradidit Dominus eis in manus eorum. Non decidit ex omnibus verbis bonis quæ locutus est Dominus filiis Israel; omnia advenerunt.*

Diligenter ergo universa consideranda sunt. Et primum videndum quod gentium terra promissa sit Israelitis. Septem quidem gentes assidue videntur commemorari, sicut in Exodo legitur: *Et dixit Dominus ad Moysen, Vade, et ascende hinc tu et populus tuus, quos eduxisti de terra Ægypti, in terram quam juravi Abraham et Isaac et Jacob, dicens, Semini vestro dabo eam: et simul mittam ante faciem tuam angelum meum, et ejiciet Amorrhæum, et Cetthæum, et Pheresæum, et Gergesæum, et Evæum, et Jebusæum, et Chananæum* (*Exod.* xxxiii, 1, 2). Harum ergo septem gentium terram videtur Deus Patribus promisisse. Scriptum est etiam in Deuteronomio multo expressius: *Si autem accesseris ad civitatem expugnare eam, et evocaveris eos cum pace, siquidem pacifica responderint tibi, et aperuerint tibi, omnes populi qui inventi fuerint in civitate erunt tibi tributarii et obedientes: si autem non obedierint tibi, et fecerint ad te bellum, et circumsedebis eam; et tradet eam Dominus Deus tuus in manus tuas, et interficies omne masculinum ejus in nece gladii, præter mulieres; et supellectilem, et omnia pecora, et omnia quæcumque fuerint in civitate, et omnia utensilia prædaberis tibi; et edes omnem prædationem inimicorum tuorum, quos*[1] *Dominus Deus tuus dabit tibi. Sic facies omnibus civitatibus quæ longe sunt a te valde, quæ non sunt a civitatibus gentium istarum. Ecce autem ex civitatibus istis, quas Dominus Deus tuus dat tibi hæreditare terram eorum, non vivificabis omnem vivum, sed anathemabis eos; Cetthæum, et Amorrhæum, et Chananæum, et Pheresæum, et Evæum, et Jebusæum, et Gergesæum, quemadmodum mandavit tibi Dominus Deus tuus* (*Deut.* xx, 10-17). Et hic istarum septem gentium terram promissam in hæreditatem, quam debellatis usque ad internecionem eisdem gentibus Israelitæ possiderent, manifestum est. Cæteras enim quæ longinquius extra istas gentes invenirentur, voluit fieri tributarias eorum, si non resisterent: si autem resisterent, etiam ipsas interfici, et in perditionem dari, exceptis pecoribus et quæ in prædam possent venire. Item alio loco in Deuteronomio ita legitur: *Et erit, cum induxerit te Dominus Deus tuus in terram in quam intras ibi*[2] *hæreditare eam, et abstulerit gentes magnas et multas a conspectu tuo, Cetthæum, et Gergesæum, et Amorrhæum, et Pheresæum, et Chananæum, et Evæum, et Jebusæum, septem gentes magnas et multas et fortiores vobis; et tradet eos Dominus Deus tuus in manus tuas, et percuties eos, exterminio exterminabis eos. Non dispones ad eos testamentum, neque miserearis eorum, neque matrimoniis jungamini cum eis: filiam tuam non dabis filio ejus, et filiam ejus non sumes filio tuo,* etc. (*Deut.* vii, 1-3).

Proinde his atque aliis Scripturarum locis sæpe ostenditur, harum septem gentium terras ita accepisse in hæreditatem filios Israel, ut non cum eis qui easdem terras tenebant, sed pro eis illic habitarent. Verumtamen in Genesi non istæ tantum septem gentes, sed undecim promittuntur semini Abrahæ. Sic enim legitur: *In die illa disposuit Dominus Deus testamentum ad Abraham, dicens, Semini tuo dabo terram hanc, a flumine Ægypti usque ad flumen magnum, flumen Euphratem, Cenæos, et Cenesæos, et Cedmonæos, et Cetthæos, et Pheresæos, et Raphaim, et Amorrhæos, et Chananæos, et Evæos, et Gergesæos, et Jebusæos* (*Gen.* xv, 18-21). Quæ ita solvitur quæstio, ut intelligamus hanc præcessisse prophetiam, quod in eos fines regnum fuerat porrecturus et dilataturus Salomon, de quo ita scriptum est: *Et omne propositum Salomonis, quo destinaverat ædificare in Jerusalem et Libano et in omni terra potestatis suæ: omnis populus qui derelictus est a Cetthæo, et Amorrhæo, et Pheresæo, et Evæo, et Jebusæo, qui non erant ex Israel, ex filiis eorum qui residui erant cum eis in terra, quos non consumpserant filii Israel, et subjugavit eos Salomon in tributum usque in diem hunc* (III *Reg.* x, 22, *apud* LXX; *in Vulgata* ix, 19-21). Ecce residua populorum debellandorum atque omnino ex Dei præcepto perdendorum subjugavit Salomon in tributum, quos utique secundum Dei præceptum perdere debuit: sed tamen subjugati tanquam

[1] *sal nato.* Quæ lectio collata ad lib. 3 Regum, cap. 16, v. 34, ubi in Vulgata versione legitur, *et in Segub novissimo suo*: in arabica, *et in Sagub natu minimo*, etc., inducit ut suspicemur græcum, *diasóihenti*, profectum esse ex mendoso latino, adeoque additamentum illud non a septuaginta interpretibus, uti credit Augustinus, sed a latinis postmodum fuisse interpositum.

(*a*) Apud LXX.

[1] Sic Mss. et LXX. At editi, *quam*.

[2] Am. Er. et Lov., *intrabis*. Rat. et Mss. duo, *intrabitis*. Alii quidam Mss., *intras ibi*, juxta LXX.

tributarii possessi sunt. Paulo post autem ita legitur: *Et erat dominans in omnibus regibus a flumine usque ad terram Philistiim, et usque ad fines Ægypti* (III *Reg.* x, 26, *apud* LXX; iv, 21, *in Vulgata*). Ecce ubi impletum est quod in Genesi Deus ad Abraham loquens, promittensque prædixerat. A flumine quippe hic intelligitur ab Euphrate: magnum enim flumen in illis locis, etiam proprio nomine non addito, potest intelligi. Neque enim de Jordane hoc accipi potest, cum et citra Jordanem et ultra Jordanem jam terras Israelitæ obtinuerant et ante regnum Salomonis. Ergo a flumine Euphrate ex partibus orientis, usque ad fines Ægypti, quæ pars illis erat ab occidente, regnum Salomonis Scriptura Regnorum dixit fuisse porrectum. Tunc ergo amplius subjugatum est, quam septem illæ gentes tenebant; ac per hoc tunc in servitutem redactæ sunt, non septem, sed undecim gentes. Quod enim in Regnorum libris scriptum est, *usque ad fines Ægypti a flumine*, cum Scriptura ab oriente usque ad occidentem quantum porrectum esset regnum, vellet ostendere; hoc idem in Genesi, cum ab occidente usque ad orientem præfiniretur, dictum est, *a flumine Ægypti usque ad flumen magnum Euphratem.* Flumen quippe Ægypti, qui finis est disterminans regnum Israel ab Ægypto, non est Nilus, sed alius est non magnus fluvius, qui fluit per Rhinocoruram [1] civitatem, unde jam ad orientem versus incipit terra promissionis. Sic ergo fuerat constitutum filiis Israel, ut septem gentium terras, exterminatis et perditis illis gentibus, ipsi inhabitarent; aliis autem regnarent subditis atque tributariis usque ad flumen Euphratem. Et quamvis in hoc Deo non obtemperassent, quia et ex illis quas exterminare deberent, obedientes aliquos fecerant; Deus tamen temporibus Salomonis fidem suæ promissionis implevit.

Nunc itaque in libro Jesu Nave quod considerare suscepimus, quomodo erit verum, *Et dedit Deus Israeli omnem terram quam juraverat dare patribus eorum, et hæreditaverunt eam?* quomodo adhuc vivente Jesu omnem terram dedit, cum etiam reliquias illarum septem gentium nondum superavissent? Nam quod sequitur, *et hæreditaverunt eam*, verum est; quia ibi erant, ibique consederant. Deinde quod adjungit, *Et requiem dedit illis Dominus in circuitu, sicut juraverat patribus eorum*, verum est; quia vivo adhuc Jesu non eis quidem cedebant reliquiæ illarum gentium, sed nulla earum eos in terris ubi consederant, bello lacessere audebat. Ideo dictum est et quod deinde adjungitur, *Non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum.* Quod vero sequitur, *Sed omnes inimicos eorum tradidit Dominus illis in manus eorum;* hos intelligi voluit inimicos, qui obviam ire in bellum ausi sunt. Deinde quod dicit, *Non decidit ex omnibus verbis bonis quæ locutus est Dominus filiis Israel; omnia advenerunt;* ita vult intelligi, quia cum jam illi contra præceptum Domini fecissent, quibusdam parcendo ex illis septem gentibus, et eos obedientes faciendo, adhuc tamen inter eos salvi erant. Ideo cum dixisset, *ex omnibus verbis*, addidit, *bonis;* quia nondum evenerant maledicta contemptoribus et transgressoribus constituta. Restat ergo ut quod ait, *Dedit Dominus Israeli omnem terram quam juraverat dare patribus eorum*, secundum hoc intelligatur, quia etsi adhuc erant ex illis gentibus reliquiæ conterendæ et exterminandæ, vel ex aliis usque ad flumen Euphratem, aut subjugandæ si non resisterent, aut perdendæ si resisterent; tamen in usum eorum relictæ sunt, in quibus exercerentur, ne carnalibus affectibus et cupiditatibus infirmi, repentinam tanquam rerum temporalium prosperitatem modeste ac salubriter sustinere non possent, sed elati citius interirent, quod opportune alio loco demonstrabitur. Omnis ergo illis terra data est; quia et illa pars quæ nondum fuerat in possessionem data, jam data fuerat in quamdam exercitationis utilitatem.

XXII. [Ib. xxi, 42.] Quod ait, *Non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum*, quæri potest quomodo verum sit, cum de tribu Dan superius scriptum sit, quod eos hostes eorum non permiserint descendere in vallem, et prævaluerint eis in montibus (*Josue* xix, 48, *apud* LXX). Sed quod diximus cum duodecim filios Jacob Scriptura in Mesopotamia natos commemorasset, ubi non fuerat natus Benjamin (*Quæst. in Gen., quæst.* 117); hoc etiam hic intelligendum est, quia pro universo populo undecim [1] tribus deputatæ sunt, ea regula quæ aliis Scripturarum locis nobis satis innotuit. Causa autem si quæritur, cur hæc tribus in ea sorte quæ illi obvenit, non obtinuerit sufficientes terras, et ab eis a quibus tenebantur afflicta sit; in Dei quidem secreto consilio esse credendum est. Verumtamen cum Jacob filios suos benediceret, talia dixit de isto Dan, ut de ipsa tribu existimetur exsurrecturus Antichristus (*Gen.* xlix, 17). Unde nunc dicere plura non suscipimus, cum etiam sic solvi possit hæc quæstio, quia *non restitit quisquam ante faciem illorum ab omnibus inimicis eorum*, cum simul sub unius ducis imperio bellum gererent, antequam singulis tribubus sua defendenda dividerentur loca.

XXIII. [Ib. xxii, 23.] *Et in sacrificiis salutarium nostrorum.* Quia pluraliter dicta sunt sacrificia, pluraliter etiam salutaria. Ubi advertendum est diligentius, quemadmodum dici soleat sacrificium salutaris; quoniam si Christum acceperimus, quoniam ipse dictus est *Salutare Dei* (*Luc.* ii, 30), non occurrit quemadmodum pluraliter possit hoc verbum intelligi. Unus enim Dominus noster Jesus Christus (I *Cor.* viii, 6): quamvis dicantur christi per ejus gratiam, sicut in Psalmo legitur, *Nolite tangere christos meos* (*Psal.* civ, 15). Sed utrum salutares dici possint, vel salutaria, non facile audendum est [2]: solus enim ipse Salvator corporis.

XXIV. [Ib. xxiii, 14.] Quod dicit Jesus de sua pro-

[1] Ita in vetustis codicibus et in editione Lat. scribitur. At apud Er. et Lov., *Rhinocoluram*: apud Am., *Rhinocornium.*

[1] Editi, *duodecim.* At nostri omnes Mss., *undecim.*
[2] Vaticani Mss., *audiendum est.*

pinquante morte, *Ego autem recurro viam, sicut et omnes qui super terram;* in ea interpretatione quæ est ex hebræo invenimus, *ingredior viam.* Ita ergo accipiendum est quod Septuaginta dixerunt, *recurro*, sicut dictum est homini, *Donec revertaris in terram unde sumptus es* (*Gen.* III, 19); ut secundum corpus dictum intelligatur. Secundum animam vero, si voluerimus ita accipere, quemadmodum in Ecclesiaste positum est, *Et spiritus revertetur ad Deum qui dedit eum* (*Eccle.* XII, 7); non arbitror de omnibus posse dici, sed de iis qui sic vixerint, ut ad Deum redire mereantur, tanquam ad auctorem a quo creati sunt. Neque enim hoc et de illis recte intelligi potest, de quibus dicitur, *Spiritus ambulans et non revertens* (*Psal.* LXXVII, 39). Iste autem vir sanctus Jesus Nave si non addidisset, *sicut et omnes qui super terram*, nulla esset quæstio; neque enim aliud de illo crederemus, quam quo eum dignum esse legimus: cum vero additum est, *sicut et omnes qui super terram;* mirum si hoc, quod latinus interpres *recurro* posuit, non magis *percurro* vel *excurro* dicendum est, si hoc potest dici quod græcus habet ἀποτρέχω. Omnes enim percurrunt, vel excurrunt hujus vitæ viam, cum ad ejus finem pervenerint. Sed quia hoc verbum positum est, ubi parentes Rebeccæ dicunt ad servum Abrahæ, *Ecce Rebecca; accipiens recurre, et sit uxor domini tui* (*Gen.* XXIV, 51); ideo et hic ita hoc verbum interpretatum est.

XXV. [Ib. XXIV, 3.] Quod Septuaginta interpretes habent, *Et assumpsi patrem vestrum Abraham de trans flumen, et deduxi eum in omnem terram;* interpretatio quæ est ex hebræo habet, *et induxi eum in terram Chanaan.* Mirum est ergo si Septuaginta pro terra Chanaan, omnem terram ponere voluerunt, nisi intuentes prophetiam, ut magis ex promissione Dei tanquam factum accipiatur, quod certissime futurum in Christo et in Ecclesia prænuntiabatur, quod est verum semen Abrahæ; non in filiis carnis, sed in filiis promissionis.

XXVI. [Ib. XXIV, 11.] *Et bellaverunt adversus vos qui habitabant Jericho.* Quæri potest quomodo id verum sit, cum clausis portis se murorum ambitu tantummodo tuerentur. Sed recte dictum est, quia et claudere adversus hostem portas, ad bellum pertinet. Non enim miserunt legatos qui poscerent pacem. Unde si dictum esset, Pugnaverunt adversum vos, falsum esset. Neque enim bellum continuas pugnas habet, sed aliquando crebras, aliquando raras, aliquando nullas. Bellum est tamen quando est quodam modo armata dissensio [1].

XXVII. [Ib. XXIV, 12.] Quid est, quod inter cætera quæ Jesus Nave erga Israelitas Dominum fecisse commemorat, dicit, *Misit ante vos vespas, et ejecit illos a facie vestra* [2]: quod etiam in libro Sapientiæ legitur (*Sap.* XII, 8), nec tamen uspiam factum esse in iis quæ gesta sunt, invenitur? An forte translato verbo, vespas intelligi voluit acerrimos timoris aculeos, quibus quodam modo volantibus rumoribus pungebantur, ut fugerent, aut aerios occultos spiritus, quod in Psalmo dicit, *Per angelos malignos* (*Psal.* LXXVII, 49)? Nisi forte quis dicat, non omnia quæ facta sunt, esse conscripta; et hoc quoque visibiliter factum, ut veras vespas velit intelligi.

XXVIII. [Ib. XXIV, 19.] Quid est, quod dixit Jesus ad populum, *Non poteritis servire Domino, quia Deus sanctus est.* An quia illius sanctitati perfecta servitute quodam modo contemperari, humanæ fragilitati impossibile est? Quo audito, isti non solum ejus eligere servitutem, sed etiam de adjutorio ejus et misericordia præsumere debuerunt: quam ille intellexit, qui dicit in Psalmo, *Ne intres in judicium cum servo tuo; quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Psal.* CXLII, 2). Isti autem de se potius præsumere delegerunt, quod Deo possent sine ulla offensione servire, ut jam tunc inciperent, quod de illis expressit Apostolus: *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 3). Ita eis jam Lex subintrabat, ut abundaret delictum, et postea superabundaret gratia per Dominum Christum (*Id.* V, 20, 21), qui finis est Legis, ad justitiam omni credenti (*Id.* X, 4).

XXIX. [Ib. XXIV, 23.] Quid est quod ait idem Jesus loquens ad populum, *Et nunc circumauferte deos alienos qui sunt in vobis, et dirigite corda vestra ad Dominum Deum Israel.* Non enim credendi sunt adhuc habuisse apud se aliqua gentium simulacra, cum superius eorum obedientiam prædicaverit: aut vero si haberent, post tantas Legis comminationes, illa eos prospera sequerentur; cum sic in eos vindicatum sit, quod unus eorum de anathemate furtum fecerat. Denique Jacob dixit hoc eis qui cum illo exierant de Mesopotamia, ubi sic idola colebantur, ut et Rachel paterna furaretur (*Gen.* XXXI, 19): sed post illam admonitionem Jacob, dederunt quæ habebant (*Id.* XXXV, 2, 4); unde apparuit hoc eis ita dictum esse, quia sciebat eos habere ille qui dixerat. Nunc vero post hanc admonitionem Jesu Nave nullus tale aliquid protulit. Nec tamen putandum est hoc illum inaniter præcepisse; non enim ait, Et nunc auferte deos alienos si qui sunt in vobis; sed omnino tanquam sciens esse, *qui sunt*, inquit, *in vobis.* Proinde Propheta sanctus in cordibus eorum esse cernebat cogitationes de Deo alienas a Deo, et ipsas admonebat auferri. Quisquis enim talem cogitat Deum qualis non est Deus, alienum Deum utique et falsum in cogitatione portat. Quis est autem qui sic cogitet Deum quemadmodum ille est? Ac per hoc relinquitur fidelibus, quamdiu peregrinantur a Domino (II *Cor.* V, 6), auferre a corde suo irruentia vana phantasmata, quæ se cogitantibus ingerunt, velut talis aut talis sit Deus, qualis utique non est: et dirigere cor ad illum fideliter, ut quemadmodum et quantum nobis expedire novit, ipse se insinuet per Spiritum suum, donec assumatur omne mendacium, unde dictum est, *Omnis*

[1] Sic omnes Mss. At editi, *quando portæ hostibus clauduntur: et quodammodo armata defensio.*

[2] Hic post, *et ejecit illos*, addimus ex Mss., *a facie vestra.* In græco nunc est, *apo prosôpou hêmôn*, a facie nostra.

homo mendax (*Psal.* cxv, 11) ; et transacta non solum impia falsitate, verum etiam ipso speculo et ænigmate, facie ad faciem cognoscamus, sicut et cogniti sumus : quemadmodum Apostolus dicit, *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem : nunc scio ex parte ; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (I *Cor.* xiii, 12).

XXX. [Ib. xxiv, 25-27.] *Et disposuit Jesus testamentum ad populum in illo die, et dedit illi Legem et judicium in Silo coram tabernaculo Domini Dei Israel. Et scripsit verba hæc in libro Legis Dei ; et accepit lapidem magnum, et statuit illum Jesus sub terebintho ante Dominum. Et dixit Jesus ad populum : Ecce lapis iste erit vobis in testimonium, quia hic audivit omnia quæ dicta sunt a Domino, quæcumque locutus est ad vos hodie, et hic erit vobis in testimonium in novissimis diebus, cum mentiti fueritis Domino Deo vestro.* Hæc verba qui non in superficie tantum audiunt, sed aliquanto altius perscrutantur, nequaquam tantum virum tam insipientem putare debent, ut verba Dei quæ locutus est populo, inanimum lapidem audisse crediderit : qui etiamsi ab artifice in hominis similitudinem effigiatus esset, inter illos utique deputaretur, de quibus in Psalmo canitur, *Aures habent, et non audient* (*Psal.* cxiii, 6). Neque enim idola Gentium aurum et argentum sola non audiunt, et, si lapidea sint, audiunt. Sed per hunc lapidem profecto illum significavit, qui fuit lapis offensionis non credentibus Judæis, et petra scandali; qui cum reprobaretur ab ædificantibus, factus est in caput anguli (*Psal.* cxvii, 22, *et* I *Pet.* ii, 7, 8) : quem præfiguravit et illa petra quæ potum sitienti populo, ligno percussa profudit (*Exod.* xvii, 6) ; de qua dicit Apostolus, *Bibebant autem de spirituali sequenti petra ; petra autem erat Christus* (I *Cor.* x, 4). Unde et cultellis petrinis populum circumcidit iste ductor egregius (*Josue* v, 2, 3) : qui cultri petrini cum illo etiam sepulti sunt, ut profundum mysterium demonstrarent posteris profuturum. Sic ergo et istum lapidem, quanquam visibiliter statutum, spiritualiter debemus accipere, in testimonium futurum Judæis infidelibus, hoc est mentientibus ; de quibus dicit Psalmus, *Inimici Domini mentiti sunt ei* (*Psal.* lxxx, 16). Neque enim frustra, cum jam Dei famulus Moyses, vel potius per eum Deus disposuisset ad populum testamentum, quod in arca erat, quæ dicta est arca testamenti, et in libris Legis tanta sacramentorum et præceptorum multiplicitate conscriptis (*Exod.* xxiv, 3, *etc.*); tamen etiam hic dictum est, *Disposuit Jesus ad populum testamentum in illa die.* Repetitio quippe testamenti Novum Testamentum significat ; quod significat et Deuteronomium, quod interpretatur Secunda lex ; quod significant et prioribus confractis tabulæ renovatæ (*Exod.* xxxiv, 1, 4). Multis enim modis significandum quod uno modo implendum fuit. Jamvero quod sub terebintho statutus est lapis, hoc significat, quod virga ad petram, ut aqua profluerct ; quia neque hic sine ligno statutus est lapis. Ideo autem subter, quia non fuisset in cruce exaltatus, nisi humilitate subjectus ; vel quod illo tempore, quo id faciebat Jesus Nave, adhuc obumbrandum mysterium fuit. Terebinthi etiam lignum medicinalem lacrymam exsudat, quæ arbor a Septuaginta interpretibus hoc loco posita est, quamvis secundum alios interpretes quercus legatur.

Mirum est sane quod saltem in novissimis suis verbis, quibus populum allocutus est Jesus homo Dei, nihil eos objurgavit, ex eo quod his gentibus pepercerunt, quas Dominus usque ad internecionem cum anathemate perdendas esse præcepit. Sic enim scriptum est : *Et factum est, postquam invaluerunt filii Israel, et fecerunt Chananæos obaudientes, exterminio autem eos non exterminaverunt* (*Josue* xvii, 13). Nam primo id eos non potuisse, Scriptura testata est : sed nunc posteaquam prævaluerunt, ita ut facerent obaudientes, quod non etiam exterminaverunt, utique contra præceptum Domini factum est : quod non est cuiquam factum, cum Jesus exercitum duceret. Cur ergo non eos objurgavit allocutione novissima, quod in hoc Domini præcepta neglexerunt ? An forte quia prius dixit eos Scriptura non potuisse, utique antequam prævalerent, etiam cum prævaluissent timuisse credendi sunt, ne forte paratis obaudire si parcere noluissent, acrius eos adversum se ex ipsa desperatione pugnare compellerent, et eos superare non possent? Hunc ergo eis humanum timorem Dominus noluit imputare, etsi apparet in eo quædam subdefectio fidei, quæ si fortis in eis esset, ea sequerentur quæ ipsum Jesum bellantem secuta sunt. Quia vero non in eis tanta fides fuit, etiam cum adversariis suis prævaluissent, pugnare cum eis usque ad internecionem eorum timore non ausi sunt. Quem timorem, ut dixi, non de malitia, neque de superbia vel contemptu præcepti dominici, sed de animi infirmitate venientem, noluit eis Dominus imputare, cum eis per Jesum novissima loqueretur. Unde et Apostolus : *Alexander*, inquit, *ærarius multa mala mihi ostendit ; reddet illi Dominus secundum opera ipsius.* De his autem qui cum periclitantem, non malitia, sed timore deseruerant, ita locutus est : *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt ; non illis imputetur* (II *Tim.* iv, 14, 16).

LIBER SEPTIMUS.

Quæstiones in Judices.

Quæst. I. [Jud. *cap.* i.] In fine libri Jesu Nave breviter narrator porrexit historiam, quo usque filii Israel ad colendos deos alienos declinaverunt : in hoc autem libro ad ordinem reditur, quomodo consequentia gesta fuerint post mortem Jesu Nave. Non ergo ab illo tempore incipit liber, quo populus ad colenda simulacra

defluxit; sed a prioribus interpositis temporibus, quibus ea gesta sunt, post quæ ad illa pervenit.

II. [Ib. I, 1-3.] *Et factum est postquam defunctus est Jesus, interrogabant filii Israel in Domino* [1] *dicentes : Quis ascendet nobiscum ad Chananæum dux ad debellandum eum* [2] *? Et dixit Dominus : Judas ascendet ; ecce dedi terram in manu* [3] *ipsius*. Hic quæritur utrum aliquis homo Judas vocabatur, an ipsam tribum, ita ut solet, sic appellavit. Sed illi qui interrogaverant Dominum, post mortem Jesu Nave ducem requirebant ; unde putatur unius expressum hominis nomen. Verum, quia non solet duces nominare Scriptura cum constituuntur, nisi commemorata etiam origine parentum, et constat post Jesum duces habuisse populum Israel, quorum primus est Gothoniel filius Cenez; rectius intelligitur nomine Judæ, tribum Juda fuisse significatam. Ab ipsa enim tribu voluit Dominus incipere conteri Chananæos. Et cum populus de duce interrogasset, ad hoc valuit responsio Domini, ut scirent Deum noluisse [4] ab universo populo bellari adversus Chananæos. Dixit ergo, *Judas ascendet*. Et sequitur Scriptura narrans, *Et dixit Judas ad Simeon fratrem suum :* utique tribus ad tribum. Non enim adhuc vivebant illi filii Jacob qui dicti sunt Judas et Simeon, inter cæteros fratres suos propriis nominibus appellati; sed dixit tribus Juda ad tribum Simeon, *Ascende mecum in sortem meam, et bellemus in Chananæo* [5], *et ibo etiam ego tecum in sortem tuam*. Manifestum est auxilium sibi tribum Juda alterius tribus postulasse, quod redderet, cum et illi in sua sorte habere inciperent necessarium.

III. [Ib. I, 9-12.] *Et dixit Caleb : Quicumque percusserit Civitatem litterarum, et ceperit eam, dabo ei filiam meam Axam uxorem* [6]. Jam hoc et in libro Jesu Nave commemoratum est (*Josue* xv, 16) : sed utrum Jesu vivente factum sit, et nunc per recapitulationem repetitum ; an post ejus mortem posteaquam dictum est, *Judas ascendet*, et cœpit Judas debellare Chananæos, in quo bello ista omnia gesta narrantur, merito quæritur. Sed credibilius est post mortem Jesu factum, tunc autem per prolepsim, id est per præoccupationem commemoratum, quemadmodum et alia. Nunc enim cum res gestæ adversus Chananæos tribus Juda exponerentur, ita se narrationis ordo continet, inter cætera Judæ facta bellica, de quo post mortem Jesu dixerat Dominus, *Judas ascendet ; Et postea descenderunt filii Juda pugnare ad Chananæum, qui habitabat in montana et austrum et campestrem. Et abiit Judas ad Chananæum inhabitantem in Chebron, et exiit Chebron ex adverso. Nomen autem erat Chebron Cariatharbocsepher* [1], *et percussit Sesi et Achiman et Cholmi filios Enach : et ascenderunt inde ad inhabitantes Dabir. Nomen autem Dabir quod erat ante Civitas litterarum. Et dixit Caleb : Quicumque percusserit Civitatem litterarum, et acceperit eam, dabo ei filiam meam in uxorem*. Constat ergo ex hoc ordine gestarum rerum tam perspicuo, post mortem Jesu hoc esse factum. Tunc vero cum civitates datæ ipsi Caleb commemorarentur, progressus ex occasione narrator, quod postea factum est præoccupavit. Nec tamen frustra arbitror hoc de filia Caleb data in victoris præmium, bis numero Scripturam commemorare voluisse.

IV. [Ib. I, 14, 15.] Alia nascitur quæstio de filia Caleb, quod in libro Jesu Nave sic de illa dicitur, *Et factum est, cum ingrederetur ipsa, et consilium habuit cum eo dicens, Petam patrem meum agrum. Et exclamavit de asino*, et cætera: ubi agrum petiit a patre, atque concessus est (*Josue* xv, 18, 19). Hic autem, *Et factum est*, inquit, *cum ingrederetur ipse, monuit eam Gothoniel* [2], *ut peteret a patre suo agrum*. Sed in eo quod dictum ibi est, *cum ingrederetur ipsa ;* et hic dictum est, *cum ingrederetur ipse* : nihil contrarium est : simul enim ingrediebantur viam. Quod vero ibi dictum est, *consilium habuit cum eo*, id est cum viro suo, *dicens, Petam patrem meum agrum ; et exclamavit de asino, et petiit ;* in eo quod habuit consilium, ibi monita est ut peteret : quorum alterum ibi dictum est, alterum hic. Utrumque autem ita diceretur, Et consilium habuit cum eo dicens, Petam patrem meum agrum : ille autem monuit eam ; et exclamavit de asino. Porro autem quod ibi agrum refertur petiisse, nec nomen ipsius agri tacitum est ; hic vero cum agrum petere monita fuerit a viro suo, non agrum petiisse dicitur, *clamans de subjugali*, quod ibi dictum est de asino, sed *redemptionem aquæ*, eo quod in terram austri fuisset tradita ; subjecitque Scriptura, *Et dedit ei Caleb secundum cor ejus redemptionem excelsorum et redemptionem humilium ;* quid sibi velit obscurum est : nisi forte ager ipse ideo petebatur, ut haberet de fructibus ejus unde aquam redimeret, cujus inopia in illis regionibus erat, quo nupta ducebatur. Sed, *dedit ei Caleb redemptionem excelsorum, et redemptionem humilium*, non video quid subaudiamus, nisi fluentorum, excelsorum videlicet in montanis, humilium in campestribus sive in vallibus.

V. [Ib. I, 18, 19.] *Et non hæreditavit Judas Gazam et finem ejus, et Ascalonem et finem ejus, et Accaron et finem ejus, et Azotum et adjacentia ejus. Et erat Dominus cum Juda, et hæreditavit montem, quoniam non potuit hæreditare inhabitantes in valle, quoniam Rechab obstitit eis, et currus erant ei ferrei*. Quod in libro Jesu Nave, cum illum locum tractarem, ubi scriptum est, *Et dedit Dominus Israeli omnem terram*, cum multas ejus partes nondum possiderent, dixi ita posse intelligi omnem terram datam, quia ea quæ data non est in possessionem, data est in quamdam exercitationis

[1] Editi, *Dominum*. Mss., *in Domino*. Apud LXX, *dia tou Kuriou*. Istud locutionis genus notatur in Locutionum libro 7.
[2] Am. Er. et plerique Mss., *ad bellandum eum* : forte pro *in eum ;* juxta LXX, *polemêsai pros auton*.
[3] Ita Sorbonicus Ms. juxta LXX. At alii codices, *in manus*.
[4] Editi, *voluisse*. Mss., *noluisse*.
[5] Editi, *in Chananæos*. At Mss. *in Chananæo :* sic legisse Augustinum liquet ex Locutionum libro 7.
[6] Mss. omnes, *filiam meam in uxorem :* omisso nomine, *Axam*.

[1] Am. Er. et Lov., *Cariatharbe vel Sepher*. At Mss. et Rat., *Cariathar voxsepher*. Apud LXX, *Kariatharbocsepher*.
[2] Thuaneus codex hic et infra, *movit eam*. Græc. LXX, *epeseisen autên*.

utilitatem (*Quæst. in Josue, quæst.* 21) : hoc multo evidentius hic apparet, quandoquidem commemorantur civitates quas non hæreditavit Judas, et dicitur, *Et erat Dominus cum Juda, et hæreditavit montem, quoniam non potuerunt hæreditare inhabitantes in valle.* Quis enim non intelligat etiam hoc ipsum ad id pertinere, quod erat Dominus cum Juda, ne totum prospere obtinendo extolleretur? Quod enim adjungit, *quoniam Rechab obstitit eis, et currus erant ei ferrei;* quos currus timuerit, dictum est, non Dominus qui erat in Juda, sed ipse Judas : cur autem timuerit, cum quo Dominus erat, si quæritur, hoc est quod prudenter intelligendum est, refringere [1] Deum propitium etiam in cordibus suorum nimiæ prosperitatis excessus, ut in usum eorum convertat inimicos, non solum quando vincuntur inimici, sed etiam quando metuuntur; illud ad commendandam largitatem suam, illud ad eorum reprimendam elationem. Nam utique inimicus sanctorum est angelus satanæ; quem tamen sibi datum colaphizantem dicit Apostolus, ne magnitudine revelationum extolleretur (II *Cor.* XII, 7).

VI. [Ib. I, 20.] *Et dederunt Caleb Chebron, sicut locutus est Moyses; et hæreditavit inde tres civitates filiorum Enach, et abstulit inde tres filios Enach.* Jam hoc dictum est in libro Jesu Nave (*Josue* XV, 13, 14), quoniam illo vivo factum est; sed hic recapitulando commemoratum est, cum de tribu Juda, unde fuit Caleb, Scriptura loqueretur.

VII. [Ib. I, 21, 8.] Quæritur quomodo dictum sit, *Et Jebusæum habitantem in Jerusalem non hæreditaverunt filii Benjamin, et habitavit Jebusæus cum filiis Benjamin in Jerusalem usque in hodiernum diem*, cum superius legatur eadem civitas a Juda capta et incensa, interfectis in ea Jebusæis? Sed cognoscendum est istam civitatem communem habuisse duas tribus, Judam et Benjamin, sicut ostendit ipsa divisio terrarum, quæ facta est a Jesu Nave (*Ibid.* 63, *et* XVIII, 28). Ipsa est enim Jebus quæ Jerusalem : ideo duæ istæ tribus remanserunt ad templum Domini, quando cæteræ, excepta Levi quæ sacerdotalis fuit et terras in divisionem non accepit, separaverunt se a regno Juda cum Jeroboam. Intelligendum est ergo a Juda quidem civitatem captam et incensam, interfectis qui illic reperti fuerant: sed non omnes Jebusæos esse extinctos; sive quia erant extra illam civitatem, sive quia fugere potuerunt : quos reliquos Jebusæos admissos esse a filiis Benjamin, quibus cum Juda erat civitas illa communis, in ea simul habitare. Quod ergo dictum est, *Non hæreditaverunt Jebusæum filii Benjamin*, intelligendum est quod nec tributarios eos facere potuerunt, sive voluerunt. Aut certe *non hæreditavit Jebusæum*, dictum est, quia non sine illo tenuit terram quæ ab illo possidebatur.

VIII. [Ib. I, 27.] *Et non hæreditavit Manasses Bethsan, quæ est Scytharum civitas.* Ipsa hodie perhibetur Scythopolis dici. Potest autem movere, quomodo in illis partibus multum ab Scythia diversis potuerit esse Scytharum civitas. Sed similiter potest movere, quomodo tam longe a Macedonia Macedo Alexander condiderit Alexandriam civitatem; quod utique fecit longe lateque bellando : ita etiam, cum Scythæ aliquando bellando in longinqua progrederentur, istam condere potuerunt. Nam legitur in historia gentium, universam pene Asiam Scythas aliquando tenuisse, cum regi Ægyptiorum illi qui eis ultro bellum indixerat, irent obviam, quorum adventu territus, in suum se regnum recepit.

IX. [Ib. I, 27.] *Et non hæreditavit Manasses Bethsan, quæ est Scytharum civitas, neque filias ejus. Filias ejus* dicit civitates quas ipsa quasi metropolis instituerat.

X. [Ib. I, 28.] *Et factum est, quando prævaluit Israel, et posuit Chananæum in tributum, et auferens non abstulit eum.* Jam tale aliquid dictum est in libro Jesu Nave, pene ipsis verbis (*Josue.* XVII, 13). Proinde aut hic per anacephalæosim dicitur, aut illic per prolepsim dictum est; id est, aut hic recapitulando, aut illic præoccupando.

XI. [Ib. I, 34.] *Et contribulavit Amorrhæus filios Dan in monte, quoniam non permisit eos descendere in vallem.* Et hoc similiter, aut in libro Jesu Nave præoccupando commemoratum est (*Id.* XIX, 48, *sec.* LXX), aut hic recapitulando.

XII. [Ib. II, 1.] *Et ascendit angelus Domini super Clauthmona montem.* Scriptor libri hoc nomine appellavit locum, quia postea scripsit : nam quando angelus Domini super eum ascendit, nondum sic appellabatur. A ploratione quippe nomen accepit, eo quod græce κλαυθμὸς ploratio dicitur. Ibi enim populus flevit, cum audisset ab hoc angelo verba Domini vindicantis in eos, quod inobedientes fuissent, quia non exterminaverunt populos secundum præceptum ejus, quibus prævaluerunt, eligentes eos facere tributarios, quam interimere et perdere, quemadmodum jusserat Dominus. Quod sive contempto Dei mandato, sive timore fecerint, ne hostes adversum se acrius pugnare pro salute obtinenda, quam pro tributo non dando cogerent, sine dubio peccaverunt, vel spernendo quod divinitus imperatum est, vel non præsumendo quod eos posset, qui imperaverat, adjuvare. Quod ideo per Jesum noluit eis dicere (si tamen adhuc eo vivente jam cœperat fieri [1], et non potius præoccupando commemoratum fuerat quod illo mortuo fieri cœpit), quia hoc omnibus voluit exprobrare per angelum : nondum autem omnes id fecerant vivente Jesu, etsi aliqui forte jam cœperant. Credibilius est tamen nihil tale fieri cœptum vivente Jesu Nave, tantumque terrarum sub illo tenuisse filios Israel, quantum eis ad considendum sufficeret, quamvis in sortibus suis haberent unde crescendo et convalescendo adhuc adversarios exterminarent. Proinde post mortem Jesu, posteaquam prævaluerunt ut hoc possent facere, maluerunt eos habere tributarios secundum voluntatem suam, quam interimere et perdere secundum voluntatem Dei : propter hoc ad eos corripiendos angelus missus est. Quod vero comme-

[1] Sic Mss. et editio Rat. Aliæ vero editiones, *restringere*.

[1] Editi : *Eo vivente jam fieri præceperat.* Verius Vaticani codices, *jam cœperat fieri.*

moratum est in libro Jesu Nave (*Josue* XIII, 31, 3), magis existimo præoccupando commemoratum, quod post ejus mortem vel futurum esse jam ipse noverat prophetico spiritu, si ab illo liber conscriptus est, qui appellatur Jesu Nave; vel si ab alio scriptus est, jam factum esse sciebat post mortem Jesu, quod in illo libro præoccupando commemoravit.

XIII. [Ib. II, 3.] Quid est quod angelus Domini inter cætera divinæ comminationis dicit, *Non adjiciam transmigrare populum quem dixi ejicere; non auferam eos a facie vestra: et erunt vobis in angustias, et dii eorum erunt vobis in scandalum;* nisi ut intelligamus nonnulla etiam de ira Dei venire peccata? Ut enim dii gentium, inter quas non a se exterminatas Israelitæ habitare voluerunt, essent eis in scandalum, id est, facerent eos scandalizari in Domino Deo suo, eoque offenso vivere, indignans hoc comminatus est Deus; quod certe manifestum est magnum esse peccatum.

XIV. [Ib. II, 6, 8.] *Et dimisit Jesus populum, et abierunt filii Israel unusquisque in domum suam, et unusquisque in hæreditatem suam* [1], *hæreditare terram.* Hoc per recapitulationem iterari nulla dubitatio est (*Id.* XXIV, 28, 29). Nam et mors ipsius Jesu Nave etiam in hoc libro commemoratur, ut tanquam ab exordio cuncta breviter insinuarentur, ex quo eis Dominus dedit terram, et quemadmodum sub ipsis judicibus vixerint, quæve perpessi sint; atque iterum reditur ad ipsorum judicum ordinem, ab eo qui primus est constitutus.

XV. [Ib. II, 10.] *Et surrexit generatio altera post eos, qui non scierunt Dominum, et opera ejus quæ fecit Israel.* Exposuit quomodo dixerit, *non scierunt Dominum;* in illis videlicet præclaris et mirabilibus operibus, per quæ factum est ante illos ut Israel sciret Dominum.

XVI. [Ib. II, 13.] *Et servierunt Baal et Astartibus.* Solet dici Baal nomen esse apud gentes illarum partium Jovis, Astarte autem Junonis, quod et lingua Punica putatur ostendere. Nam Baal Punici videntur dicere Dominum; unde Baalsamen, quasi Dominum cœli intelliguntur dicere: Samen quippe apud eos cœli appellantur. Juno autem sine dubitatione ab illis Astarte [2] vocatur. Et quoniam istæ linguæ non multum inter se differunt, merito creditur hic de filiis Israel hoc dicere Scriptura, quod Baal servierunt et Astartibus, quia Jovi et Junonibus. Nec movere debet quod non dixit Astarti, id est Junoni; sed tanquam multæ sint Junones, pluraliter hoc nomen posuit. Ad simulacrorum enim multitudinem referri voluit intellectum, quoniam unumquodque Junonis simulacrum Juno vocabatur; ac per hoc tot Junones, quot simulacra intelligi voluit. Varietatis autem causa existimo Jovem singulariter, Junones pluraliter commemorare voluisse. Nam eadem causa plurium simulacrorum etiam Joves pluraliter dici possent. Hoc autem, id est, nomine plurali Junones, in græcis secundum Septuaginta reperimus, in latinis autem singulariter erat. Quorum in illo qui non habebat Septuaginta interpretationem, sed ex hebræo erat, Astaroth legimus; nec Baal, sed Baalim. Quod si forte aliud in hebræa vel syra lingua nomina ista significant, deos tamen alios fuisse constat et falsos, quibus Israel servire non debuit.

XVII. [Ib. II, 10 23, et III, 1, 4.] *Et vendidit eos in manu inimicorum suorum in circuitu.* Quæri solet quare dixerit, *vendidit*, tanquam aliquod pretium intelligatur datum. Sed et in Psalmo legitur, *Vendidisti populum tuum sine pretio* (*Psal.* XLIII, 13); et apud prophetam, *Gratis venditi estis, et non cum argento redimemini* (*Isai.* LII, 3). Quare ergo *venditi*, si *gratis* et *sine pretio*, et non potius donati? An forte Scripturarum locutio est, ut venditus etiam qui donatur dici possit? Hic autem sensus est optimus in eo quod dictum est, *Gratis venditi estis; et, Vendidisti populum tuum sine pretio:* quia illi quibus tradidisti populum, impii fuerunt, non Deum colendo tradi sibi illum populum meruerunt, ut ipse cultus tanquam pretium videretur. Quod vero dictum est, *Neque cum argento redimemini;* non ait, Neque cum pretio, sed, *Neque cum argento;* ut pretium redemptionis intelligamus, quale dicit apostolus Petrus, *Non enim argento et auro redempti estis, sed pretioso sanguine Agni immaculati* (1 *Petr.* I, 18, 19). In argento enim Propheta omnem pecuniam significavit, ubi ait, *Non cum argento redimemini;* quoniam pretio quidem sanguinis Christi, non tamen pretio pecuniario fuerant redimendi.

In eo quod Dominus dicit, *Et ego non apponam auferre virum a facie ipsorum de gentibus quas reliquit Jesus filius Nave, et dimisit ad tentandum in eis Israel, si observabunt viam Domini abire in ea* [1], *quemadmodum custodierunt patres eorum, an non: et dimisit Dominus gentes has, ut non auferret illas tunc; et non tradidit illas in manu Jesu,* satis ostenditur causa, quare non Jesus omnes illas gentes bellando deleverit; quia hoc si fieret, non essent in quibus isti probarentur. Poterant autem esse ad utilitatem ipsorum, si tentati in eis, non reprobi invenirentur; eisque talibus inventis, quales eos esse debere præceperat Dominus, jam gentes illæ auferrentur a facie eorum, si ita viverent, nec bellis eos exerceri oporteret. Verba enim Domini huc usque accipienda sunt: *Propter quod tanta dereliquit gens hæc testamentum meum, quod mandavi patribus eorum, et non obedierunt voci meæ: et ego non apponam auferre virum a facie ipsorum,* id est adversarium. Cætera vero verba scriptoris sunt, exponentis unde dixerat Dominus non se ablaturum virum de gentibus quas reliquit Jesus filius Nave. Deinde subjungens qua causa dereliquerit, *Et dimisit*, inquit, *ad tentandum Israel, si observent viam Domini abire in ea, quemadmodum custodierunt patres eorum, an non;* eos volens intelligi patres custodisse viam Domini, qui fuerunt cum Jesu, id est eo tempore quo ille vivebat. Generationem quippe alteram superius retulit surrexisse post illos, qui vixerunt cum Jesu, et ab ipsis cœpisse transgressiones quæ offenderunt Dominum; pro quibus tentandis, id

[1] Editi carebant hisce verbis, *unusquisque in hæreditatem suam*; quæ Mss. auctoritate restituimus.
[2] Mss. tres, *Estart.* Duo alii, *Astart.*

[1] Editi, *in eam:* pauloque post, *in manus Jesu:* quibus locis sequimur LXX, cum Mss.

est probandis, relictæ fuerant gentes, nec exterminatæ per Jesum.

Deinde ne putaretur hoc Jesus consilio suo tanquam humano egisse, ut gentes illæ relinquerentur, subjungit Scriptura : *Et dimisit Dominus gentes has, ut non auferret illas celeriter; et non tradidit eas in manu Jesu.* Deinde sequitur : *Et hæ gentes quas reliquit Jesus*[1], *ut tentaret in eis Israel, omnes qui nescierunt omnia bella Chanaan* : *verum, propter generationes filiorum Israel, docere illos bellum.* Erat ergo ista causa in eorum tentatione, ut bellare discerent; id est, ut tanta pietate et obedientia legis Dei bellarent, quanta patres eorum qui Domino Deo etiam bellando placuerunt : non quia optabile aliquid est bellum, sed quia pietas laudabilis est in bello. Quod autem sequitur, *Verum qui ante illos nescierunt illas;* quid, nisi gentes vult intelligi, quas nescierunt bellando qui fuerunt ante istos; quorum tentationi, hoc est probationi relictæ sunt? Deinde commemorans quæ sint, *Quinque*, inquit, *satrapias alienigenarum;* quas in libris Regnorum manifestius exprimit (I *Reg.* VI, 5, 16). Satrapiæ autem dicuntur quasi parva regna, quibus satrapæ[2] præerant : quod nomen in illis partibus cujusdam honoris est, sive fuit. *Et omnem*, inquit, *Chananæum, et Sidonium, et Evæum inhabitantem Libanum, ante montem Hermon usque ad Caboemath*[3] *: et factum est, ut tentaretur in ipsis Israel;* tanquam diceret, Hoc autem factum est, ut tentaretur in ipsis Israel : *scire si audient mandata Domini;* non ut sciret Deus omnium cognitor, etiam futurorum, sed ut scirent ipsi, et sua conscientia vel gloriarentur, vel convincerentur utrum audirent mandata Domini, *quæ mandavit patribus eorum in manu Moysi.* Quoniam ergo manifestati sibi sunt non se obedisse Deo, in iis gentibus quæ ad eorum tentationem, id est exercitationem atque probationem, fuerant derelictæ; propterea dixit Deus vel illa in quibus aperte missus angelus et expresse locutus est[4], vel paulo ante, ubi ait, *Propter quod tanta dereliquit gens hæc testamentum meum, quod mandavi patribus eorum, et non obedierunt voci meæ : et ego non apponam auferre virum a facie ipsorum.*

Dictum est autem in Deuteronomio ex persona Dei loquentis de istis gentibus adversariis : *Non ejiciam illos in anno uno, ne fiat terra deserta, et multiplicentur in te bestiæ feræ* : *paulatim ejiciam illos, donec multiplicemini, et crescatis et hæreditetis terram* (*Exod.* XXIII, 29, 30). Poterat hanc promissionem suam servare Dominus erga obedientes, ut exterminatio gentium illarum, crescentibus Israelitis partibus fieret, cum eorum multitudo terras unde adversarii exterminarentur desertas esse non sineret. Quod autem ait, *ne multiplicentur in te bestiæ feræ*, mirum si non bestiales quodammodo cupiditates et libidines intelligi voluit, quæ solent de repentino successu terrenæ felicitatis existere. Neque enim Deus homines exterminare poterat, et bestias non poterat, vel perdere, vel pasci potius non permittere.

XVIII. [Ib. III, 9.] *Et excitavit Dominus salvatorem Israel, et salvavit eos.* Deinde velut quæreretur quem salvatorem, *Gothoniel*, inquit, *filium Cenez.* Accusativum enim casum hic debemus accipere, tanquam diceret Gothonielem. Advertendum est autem quod salvatorem dicat etiam hominem, per quem Deus salvos faciat. Nam *clamaverunt filii Israel ad Dominum : et excitavit Dominus salvatorem Israel, et salvavit eos, Gothoniel filium Cenez, fratrem Caleb juniorem ipsius : et exaudivit eos.* Inter illa autem quæ appellantur ὑπερβατὰ, hoc genus rarum est, quoniam habet et illud quod Græci vocant ὑστερολογίαν. Quod enim ait postea, *et exaudivit eos*, si prius ponatur, fit sermo lucidior. Nam ordo est, *Et clamaverunt filii Israel ad Dominum, et exaudivit eos, et excitavit Dominus salvatorem Israel.* Deinde quod hic interpositum est, *et salvavit eos*, et postea dictum est, *Gothoniel*, aut *Gothonielem filium Cenez*, si ita diceretur, planius fieret, *Et excitavit Dominus salvatorem Israel Gothoniel filium Cenez, et salvavit eos.*

XIX. [Ib. III, 11.] Quadraginta annos quievisse terram promissionis a bellis sub Gothoniele judice Scriptura testatur : quantum temporis primordia Romani imperii sub Numa Pompilio tantummodo rege pacata habere potuerunt.

XX. [Ib. III, 19, 20.] Quæri potest utrum mentitus fuerit Aod judex, quando occidit Eglom regem Moab. Cum enim solus soli insidiaretur ut eum percuteret, hoc illi ait, *Verbum occultum mihi est ad te, rex;* ut ille a se omnes qui cum illo fuerant removeret. Quod cum factum esset, iterum dixit Aod, *Verbum Dei mihi ad te, rex.* Sed potest non esse mendacium, quandoquidem verbi nomine solet etiam factum appellare Scriptura; et revera ita erat. Quod autem dixit, *Verbum Dei*, intelligendum est hoc illi Deum ut faceret præcepisse, qui eum populo suo excitaverat salvatorem, sicut illis temporibus talia fieri divinitus oportebat.

XXI. [Ib. III, 17.] Merito quæritur quomodo fuerit *exilis valde rex Eglom, et concluserint adipes vulnus*, quando percussus est. Sed intelligendum est ea locutione dictum, quæ solet a contrario intelligi, sicut dicitur lucus, quod minime luceat; et abundare respondetur, quod non est; et benedixit regi, pro maledixit, sicut scriptum est in Regnorum libro de Nabuthe (III *Reg.* XXI, 10, 13). Nam in ea interpretatione quæ non secundum Septuaginta, sed ex hebræo est, ita invenimus, *Erat autem Eglom crassus nimis.*

XXII. [Ib. III, 23.] *Et exiit Aod foras*[1] *et transiit observantes, et clausit januas domus superioris super eum, et coarctavit.* Hoc recapitulando dictum est, quod fuerat prætermissum. Nam prius hoc fecisse intelligendum est, et sic de superius descendisse, et transiisse observantes.

XXIII. [Ib. III, 25.] Quomodo pueri regis Eglom

[1] Editi, *reliquit Dominus.* At plerique et melioris notæ Mss., *reliquit Jesus :* uti LXX in Complutensi editione habent; sicque Theodoretus, quæst. 8 in Judices.
[2] Mss., *satrapes.*
[3] Sic Mss. At editiones, *aut montem Hermon usque ad Cabemath* : præter Lov. quæ habet, *Cabemeth.*
[4] Sequimur hic Er. Lov. B. habent, *et locutus expressus est.* M.

[1] Mss. plures, *Aod foras.* Nonnulli tamen cum editis habent, *ad fores.*

clavi aperuerint quod Aod clavi non clauserat, potest movere : aut si ille clavi clauserat, quomodo secum eam non auferret, ut isti nec clavi aperire possent. Proinde aut alia clavis allata est, aut tale clausuræ genus fuit quod sine clavi posset claudi, nec sine clavi aperiri. Nam sunt quædam talia, sicut ea quæ veruclata [1] dicuntur.

XXIV. [Ib. III, 30.] Sub judice Aod octoginta annos pacem habuit Israel in terra promissionis, duplicato scilicet tempore quam fuit memorabile sub Romanorum rege Numa Pompilio.

XXV. [Ib. III, 31.] *Et post eum surrexit Samegar filius Aneath* [2], *et percussit alienigenas in sexcentos viros præter vitulos boum; et salvavit Israel.* Quomodo post Aod iste pro Israel pugnaverit, et dictus sit salvasse Israel, potest esse quæstio. Non enim rursus fuerant captivati, vel jugo servitutis innexi. Sed intelligendum ita dictum, *salvavit*, non quia nocuerit aliquid hostis, sed ne permitteretur nocere; quoniam credendum est bello cœpisse tentare, et hujus victoria fuisse depulsum. Sed quid sibi velit quod addidit, *præter vitulos boum*, obscurum est. An forte et boum stragem pugnando fecit, et ita dictum est eum occidisse sexcentos viros, præter illud quod fecit de bobus occisis? Sed quare vitulos? An græcæ locutionis consuetudo est, etiam vitulos eos appellare, qui grandes sunt? Nam ita loqui vulgo in Ægypto perhibentur; sicut apud nos pulli appellantur gallinæ cujuslibet ætatis. Non autem habet interpretatio ex hebræo, *præter vitulos boum*, sicut ista quæ secundum Septuaginta est : sicut habet illa ex hebræo, *vomere occisos sexcentos viros*, quod ista non habet.

XXVI. [Ib. IV, 8.] Quid est quod respondens Barac Debboræ ait, *Si ibis, ibo; et si non ieris mecum, non ibo : quoniam nescio diem in qua prosperat angelum Dominus mecum;* quasi a prophetissa diem audire non potuerit? nec illa diem respondit, sed perrexit cum illo. Et quid est, *prosperat angelum Dominus mecum?* An hic demonstratum est, quia et Angelorum actus prosperantur, id est adjuvantur a Domino, ut feliciter cedant? an locutionis est, *prosperat angelum mecum*, id est, facit mecum prospera per angelum?

XXVII. [Ib. IV, 15.] *Et pavefecit Dominus Sisaram et omnes currus ejus.* Ecce quemadmodum commendat Scriptura agere Deum in cordibus, ut det exitum rebus, quem constituit. Utique enim pavefecit vel obstupefecit Sisaram, ut traderet eum.

XXVIII. [Ib. IV, 22.] Ubi Jahel mulier quæ occidit Sisaram, cum locuta esset ad Barac qui eum quærebat, scriptum est de ipso Barac, quia *intravit ad eam :* animadvertendum est non esse consequens ut cum Scriptura dicit de viro quod intravit ad aliquam feminam, jam etiam concubuisse credatur. Assidue quippe sic loquitur Scriptura, *intravit ad eam*, ut nolit intelligi nisi quod ei mixtus sit. Hic ergo proprie dictum est, *intravit ad eam*, id est in domum ejus intravit, non ut per hæc verba intelligatur concubitus.

XXIX. [Ib. V, 7 *et* 8.] In Cantico Debboræ dicitur, *Defecerunt habitantes in Israel, defecerunt donec surrexit Debbora, donec surrexit mater in Israel, elegerunt ut panem hordeaceum deos novos : tunc expugnaverunt civitates principum.* Hic intermixtus ordo verborum obscuritatem facit, et quæstionem movet. Quomodo enim intelligatur, *Elegerunt ut panem hordeaceum deos novos, tunc expugnaverunt civitates principum;* quasi tunc eis faverit Deus ad expugnandas civitates principum, quando elegerunt ut panem hordeaceum deos novos? Sed in aliis jam Scripturarum locis sæpe didicimus quemadmodum fiant hyperbata; quorum directione cum verba ad ordinem redeunt, sensus explanatur. Iste ergo est ordo : *Defecerunt habitantes in Israel; defecerunt, elegerunt ut panem hordeaceum deos novos, donec surrexit Debbora, donec surrexit mater in Israel : tunc expugnaverunt civitates principum.*

XXX. [Ib. V, 8.] Quæri potest quomodo dictum sit, *Elegerunt ut panem hordeaceum deos novos;* cum panis hordeaceus quamvis sit in comparatione triticei panis abjiciendus, tamen etiam ipse pascat, et vitale alimentum sit : dii autem novi, quos dicuntur elegisse, qui defecerunt a Deo vivo, non possunt in alimentis animæ deputari, sed potius in venenis. An hactenus accipienda est similitudo, quatenus valet ut propter hoc solum dictum intelligatur, quia sicut plerumque fastidio fit, ut eligenda rejiciantur, et aspernanda delectent; ita vitio pravæ voluntatis tanquam languore fastidii, cum esset Deus eorum verus, in falsis elegerunt nihil aliud quam novitatem spreta veritate [1]; atque ita cibum mortiferum tanquam panem hordeaceum elegerunt, non se arbitrantes inde perituros, sed etiam inde vitam velut esca innoxia licet viliore sumpturos? Secundum opinionem ergo eorum similitudo posita est, animique languorem, non secundum veritatem. Nam dii illi novi nullis sunt cibis vitalibus comparandi.

XXXI. [Ib. VI, 8, 11.] *Et factum est, quando clamaverunt filii Israel ad Dominum propter Madian, et misit Dominus virum prophetam ad filios Israel, et dixit eis.* Cur non dicatur nomen hujus prophetæ, quod valde Scripturis inusitatum est, latens causa est; non tamen nullam esse arbitror. Sed quia post verba quibus exprobravit inobedientiam populo, sequitur Scriptura dicens, *Et venit angelus Domini, et sedit sub quercu, quæ erat in Ephra :* non absurde intelligitur iste angelus significatus nomine viri, ut posteaquam hæc verba dixit, venerit ad quercum memoratam, et ibi sederit. Nomine enim virorum solere appellari Angelos notum est (*Gen.* XIX, 10) : quamvis eum qui esset angelus, appellatum esse prophetam, non facile nec evidenter occurrat : eum sane qui propheta esset, dictum angelum legimus (*Matth.* XI, 10) : sed si Angelorum dicta prophetica nota sunt, id est quibus futura prænuntiaverunt; cur non possit angelus prophetæ nomine nuncupari? Verumtamen, ut dixi, ex-

[1] Sic in omnibus Mss. At in editis, *verudata*.
[2] Excusi, *Sannegar*. Mss. *Samegar :* atque ex his nonnulli, *filius Anead*. At LXX, *Samegar filius Dinach*.

[1] Sic Mss. Editi vero : *Sibi falsos elegerunt nihil aliud quam novitatem et spreta veritate*.

pressum et manifestum de hac re testimonium non occurrit.

XXXII. [Ib. VI, 12.] Quod angelus dicit ad Gedeon, *Dominus tecum potens in fortitudine*, nominativus casus est, non vocativus. Hoc est, *Dominus potens tecum est;* non, tu potens.

XXXIII. [Ib. VI, 14.] Advertendum est dixisse angelum tanquam ex Domini auctoritate, *Nonne ecce misi te?* cum loqueretur ad Gedeon. Quis enim eum misit, nisi qui ad eum angelum misit? Debbora vero ait ad Barac, *Nonne mandavit Dominus Deus Israel tibi* (*Judic.* IV, 6)? Hic autem non dictum est, Nonne ecce misit te Dominus? sed, *Nonne ecce misi te?*

XXXIV. [Ib. VI, 15.] Ubi respondet Gedeon ad angelum, *In me, Domine;* hoc est, In me intende : *In quo salvabo Israel? ecce mille mei humiliores in Manasse :* intelligitur præpositus fuisse mille hominum, quos græce χιλιάρχους appellat Scriptura? an quid aliud?

XXXV. [Ib. VI, 18-22.] Animadvertendum est quod Gedeon non ait angelo, Offeram tibi sacrificium; sed ait, *Offeram sacrificium meum, et ponam in conspectu tuo.* Unde intelligendum est non eum angelo, sed per angelum sacrificium offerre voluisse. Quod et ipse angelus evidenter ostendit, qui non ab eo sacrificium tanquam sibi sumpsit; sed ait illi : *Accipe carnes et azymos, et pone ad petram illam, et jus effunde. Et cum hoc fecisset Gedeon, extendit angelus Domini summum virgæ quæ erat in manu ejus, et tetigit carnes et azymos; et accensus est ignis de petra, et comedit carnes et azymos.* Ita etiam ipse Angelus in sacrificio quod obtulit Gedeon, officium ministrantis implevit : ignem quippe homo minister ut homo sine miraculo subjecisset, quem mirabiliter ut angelus iste subjecit. Denique tunc cognovit Gedeon quod Angelus Domini esset : nam hoc Scriptura continuo subdidit, *Et vidit Gedeon quoniam angelus Domini est.* Prius ergo tanquam cum homine loquebatur, quem tamen hominem Dei credidit, ut coram ipso sacrificium vellet offerre, velut adjuvandus ejus præsentia sanctitatis.

XXXVI. [Ib. VI, 20.] Quæri potest quare Gedeon ausus fuerit sacrificium offerre Deo præter locum ubi jusserat Deus? Præter tabernaculum quippe suum Deus prohibuerat sacrificari sibi (*Deut.* XII, 13); cui tabernaculo templum postea successit : tempore autem quo fuit Gedeon, tabernaculum Dei erat in Silo; atque ideo illic tantum legitime posset sacrificari. Sed intelligendum est quod illum angelum primo prophetam putaverat, et tanquam Deum in illo consuluerat de offerendo sacrificio : quod ille si prohibuisset, non utique fieret; sed quoniam approbavit, et ut fieret annuit, Dei auctoritatem Gedeon in faciendo secutus est. Ita quippe Deus legitima illa constituit, ut leges non sibi, sed hominibus daret. Unde quodcumque præter illa ipse præcepit, non a transgressoribus, sed potius a piis et obedientibus impletum intelligendum est : sicut Abraham de immolando filio (*Gen.* XXII, 2). Nam et sic Elias extra tabernaculum Domini ad convincendos sacerdotes idolorum sacrificavit (III *Reg.* XVIII, 30-38) : quod ex præcepto Domini fecisse intelligendus est, qui ei tanquam prophetæ revelatione atque inspiratione jussit ut faceret. Quanquam tanta consuetudo præter tabernaculum sacrificandi crebuerat, ut etiam Salomon in excelsis sacrificasse inveniatur, nec ejus sacrificium fuisse reprobatum (*Id.* III, 4-15). Et tamen notantur reges, qui inter opera laudabilia sua non destruxerunt excelsa, ubi contra Legem Dei populus sacrificare consueverat : et qui destruxit, majore prædicatione laudatur. Ita Deus consuetudinem populi sui, qua præter ejus tabernaculum, tamen non diis alienis offerebant, sed Domino Deo suo, sustinebat potius quam vetabat, etiam sic exaudiens offerentes. Hoc autem quod Gedeon fecit, quis non intelligat per angelum procuratum, ut prophetice fieret, in qua prophetia petra illa commendaretur? Cui quidem petræ non sacrificatum est, sed de illa ignis commemoratur éxiisse, quo sacrificium consumeretur. Sive enim per aquam, quam percussa petra effudit in eremo (*Num.* XX, 2), sive per ignem, donum Spiritus sancti significatur, quod ditissime Dominus Christus effudit super nos. Nam et in Evangelio significatum est hoc donum per aquam, ubi ipse Dominus ait, *Si quis sitit, veniat et bibat : qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ;* ubi Evangelista subjunxit, *Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII, 37-39). Significatum est et per ignem, ubi veniente illo super congregatos legitur, *Visæ sunt illis linguæ divisæ velut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum* (*Act.* II, 3): et ipse Dominus ait, *Ignem veni mittere super terram* (*Luc.* XII, 49).

XXXVII. [Ib. VII, 6.] *Et factus est numerus eorum qui lambuerunt manu sua, lingua sua, trecenti viri.* Plerique latini codices non habent, *manu sua*, sed tantummodo, *lingua sua*, quoniam sic intellexerunt quod supra dictum est, *sicut canes :* græcus autem habet utrumque, *manu sua, lingua sua*, ut intelligatur quod manu aquam raptam in os projiciebant; et hoc erat simile bibentibus canibus, qui non ore apposito, sicut boves, aquam ducunt quam bibunt, sed lingua in os rapiunt, sicut etiam isti intelliguntur fecisse, sed cum manu in os aquam projicerent, quam lingua exciperent. Nam et interpretatio ex hebræo planius id habet his verbis, *Fuit itaque numerus eorum qui manu in os projiciente aquam lambuerant, trecenti viri.* Neque enim solent homines ita bibere, ut sine ope manus, lingua, sicut canes, aquam hauriant : aut [1] vero istis præceptum fuerat ut hoc facerent : sed cum ad bibendum descendissent ad aquam, multi genu flexo biberunt, quod facilius et minore labore fieret; pauci vero quia non flexo genu se incurvaverunt, ut canes biberunt, sed aqua manu in os jacta. Quorum numerus, quia trecenti erant, signum insinuat crucis propter litteram T græcam, qua iste numerus significatur; per quam etiam gentes magis in crucifixum credituras præfiguratum est, quod littera græca est.

[1] In Lov., *at.* M.

Unde Græcorum nomine Apostolus omnes gentes significat, cum dicit, *Judæo primum et Græco* (*Rom.* II, 9, 10), et, *Judæis et Græcis* (I *Cor.* I, 24); sæpe ita commemorans circumcisionem et præputium, quod in linguis gentium græca ita excellat, ut per hanc omnes decenter significentur. Iste numerus et in vernaculis Abrahæ animadvertendus est, per quos fratrem ab hostibus liberavit, quando eum Melchisedech in magno mysterio benedixit. Quod enim exuberant illic decem et octo (nam trecenti decem et octo fuisse referuntur [*Gen.* XIV, 14-20]), videtur mihi significatum quo etiam tempore fieret, id est tertio, quod futurum erat sub gratia. Nam primum est ante Legem, secundum sub Lege, tertium sub Gratia. Singula vero tempora senario numero significata sunt propter perfectionem : nam ter seni, decem et octo sunt. Unde et illa mulier decem et octo annos habebat in infirmitate, quam curvam Salvator cum invenisset, erexit, et a diaboli alligamento, ut Evangelium indicat, solvit (*Luc.* XIII, 11-13). Nam quod ita isti probati sunt, per quos vinceret Gedeon, ut similes in bibendo canibus dicerentur, significat quod contemptibilia et ignobilia elegit Dominus (I *Cor.* I, 28) : pro contemptu enim habetur canis. Unde dicit, *Non est bonum tollere panem filiorum, et mittere canibus* (*Matth.* XV, 26) : et David ut se tanquam contemptibilem abjiceret, canem se appellavit loquens ad Saül (I *Reg.* XXIV, 15).

XXXVIII. [Ib. VII, 11.] Quid sibi vult quod scriptum est, *Gedeon descendit ipse, et Phara puer ejus, in partem quinquaginta, qui erant in castris* : quod latini quidam codices habent, *in eam partem in qua erant quinquageni custodes in castris;* alii vero, *in partem quinquagesimam in castra?* Obscurum quippe dictum plures sententias interpretum fecit. Sed aut ea pars castrorum erat, quam servabant quinquaginta custodes; aut, si quinquageni intelligendi sunt circumquaque servasse, in unam partem isti descenderunt ubi erant quinquaginta.

XXXIX. [Ib. VII, 13.] Quod ille qui proximo suo somnium narravit, quod audivit Gedeon, ut de victoria futura confirmaretur, dixit se vidisse mensam panis hordeacei, volventem in castris, et percutientem tabernaculum Madian, et subvertentem ; hoc intelligendum arbitror quod de canibus, quia per contemptibilia mundi (quod significat mensa panis hordeacei) Salvator superbos fuerat confusurus.

XL. [Ib. VII, 20.] Quod exclamari jussit Gedeon a trecentis suis, *Gladius Domino et Gedeon,* id est huic Gedeon, hoc significat, quod gladius id erat operaturus quod Domino placeret et Gedeon.

XLI. [Ib. VIII, 26, 27.] Quæri solet quid sit Ephud, vel Ephod : quod quidem si sacerdotale est indumentum, quod plerique dicunt, vel potius superindumentum, quod ἐπένδυμα græce dicitur, vel ἐπωμίς, quod magis superhumerale interpretari latine potest ; merito movet quomodo de tanto auro Gedeon id fecerit. Nam ita scriptum est : *Et factum est pondus inaurium aurearum quas petierat, sicli mille septingenti auri, præter brachialia et torques et operimenta purpurea, quæ erant super reges Madian, præter torques quæ erant in cervicibus camelorum ipsorum : et fecit illud Gedeon in ephud, et statuit illud in civitate sua in Ephra; et fornicatus est omnis Israel post illud ibi ; et factum est Gedeon et domui ejus in scandalum.* Quomodo ergo ista vestis de tanto auro fieri potuit? Nam et mater Samuelis fecit filio suo, sicut legimus, ephud bar, quod nonnulli interpretati sunt ephud lineum, quando eum dedit Domino in templo nutriendum (I *Reg.* II, 18) : ubi evidentius apparet hoc genus esse indumenti. An ideo dictum est, *statuit illud in civitate sua*, ut hinc intelligeretur aureum fuisse factum? Non enim dictum est, posuit, sed *statuit;* quoniam ita erat solidum et validum ut statui posset, hoc est, positum stare.

Hoc ergo illicitum cum fecisset Gedeon, *fornicatus est post illud omnis Israel*, id est, sequendo illud contra Legem Dei : ubi non frustra quæritur, cum idolum non fuerit, id est, cujusquam Dei falsi et alieni simulacrum, sed ephud, id est, unum de sacramentis tabernaculi quod ad vestem sacerdotalem pertineret, quomodo fornicationem Scriptura dicat populi ista sectantis atque venerantis. Ideo scilicet quod præter tabernaculum Dei, ubi erant ista quæ ibi fieri jusserat Deus, extra simile aliquid fieri fas non erat. Ideo sequitur et dicit Scriptura, *Et factum est Gedeon et domui ejus in scandalum*, id est, ut ab offenso Deo discederet : quia et hoc quoddam genus idoli quodam modo erat, quod extra Dei tabernaculum quodlibet manufactum pro Deo coleretur ; cum illa ipsa quæ jussa sunt in tabernaculo fieri ad Dei potius cultum referrentur, quam pro Deo aliquid eorum, aut pro Dei simulacro colendum haberetur.

Quanquam per ephud vel ephod, ea locutione quæ significat a parte totum, omnia possint intelligi quæ constituit Gedeon in sua civitate, veluti ad colendum Deum similia tabernaculo Dei : et propterea per hoc, quia hoc est sacerdotalis honoris insigne, quod sæpe Scriptura commemorat ; ut hoc sit peccatum Gedeon, quod extra Dei tabernaculum fecerit aliquid simile, ubi coleretur Deus : non quod solido auro velut adorandum constituerit ephud ; sed quod ex auro ipso, quod esset de præda, fecerit ea quæ pertinerent ad ornamenta vel instrumenta sacrarii, quæ omnia per ephud significata sunt, propter excellentiam, ut dixi, vestis sacerdotalis. Nam et ipsum ephud non quidem ex auro solo fieri præceptum est, si hoc est superhumerale sacerdotalis vestis : verumtamen etiam aliquid auri habet. Nam ex auro et hyacintho et purpura et coccino et bysso ut fieret, divinitus imperatum est (*Exod.* XXXIX, 2) : sed quia hoc ita posuerunt Septuaginta interpretes, ut commemoratis omnibus quæ de spoliis acceperat Gedeon, inferrent, *Et fecit illud Gedeon in ephud;* videtur ita dictum, tanquam ex toto illo quod commemoratum est, hoc factum esse credatur : cum possit etiam illic intelligi locutio quæ significat a toto partem, ut quod dictum est, *Fecit illud in ephud*, intelligatur, fecit inde ephud, vel, fecit ex eo

ephud; non scilicet illud totum consumens in ephud, sed ex illo quantum sufficiebat impendens. Nam in illa interpretatione quæ ex hebræo est, sic legitur, *Fecitque ex eo Gedeon ephod.* Quod enim apud Septuaginta scriptum est *ephud*, hoc in hebræo perhibetur dici *ephod.* Non autem omnes sacerdotes tali utebantur superhumerali, quod esset ex auro et hyacintho et purpura et coccino et bysso, sed solus summus sacerdos. Unde illud quod de Samuele commemoravimus factum illi ab ejus matre, non erat utique tale: quoniam cum datus est nutriendus, non erat summus sacerdos, utique puer. Unde, ut dictum est, ephud bar appellatur, vel potius ephud bat, sicut asserunt qui hebræam linguam noverunt, et interpretatur ephud lineum. Sed Gedeon existimo illud fecisse, quod erat præcipuum summi sacerdotis indumentum atque ornamentum, per quod et cætera significata sunt opera sacrarii, quod in sua civitate præter Dei tabernaculum constituerat; et propter hoc peccatum factum est illi et domui ejus in scandalum, ut sic interiret (quod postea Scriptura narrat) tanta ejus numerositas filiorum (*Judic.* IX, 5).

XLII. [Ib. VIII, 27, 28.] Non prætereunda oritur quæstio, quomodo quieverit terra quadraginta annos in diebus Gedeon, cum post victoriam qua liberavit Hebræos, ex auro spoliorum fecerit abominationem, et post illam fornicatus sit omnis Israel, et fuerit illi et domui ejus in scandalum. Quomodo ergo post hoc tantum nefas, quod et Gedeon et populus admisit, requievit terra quadraginta annos; cum hoc Scriptura soleat ostendere, cum a Domino Deo populus fornicaretur, tunc potius pacem illos perdere, non acquirere; et hostibus subjugari, non ab hostium infestatione muniri? Sed intelligendum est, sicut solet Scriptura, per prolepsim, id est per præoccupationem dixisse, quod fecerit ephud contra Dei Legem Gedeon ex illo auro, quod fuerat hostibus devictis atque prostratis ablatum, quia uno loco dicere voluit et unde erat aurum, et quid de illo factum sit: sed postea factum est in fine dierum Gedeon hoc peccatum, quando consecuta sunt etiam mala quæ deinde Scriptura contexuit, posteaquam commemoravit quot annis in diebus Gedeon terra conquieverit; quos annos recapitulando commemoravit, id est, ad ordinem revertendo quem prætervertera t, prius dicendo de illo scandalo quod novissime factum est.

XLIII. [Ib. VIII, 33.] *Et factum est cum esset mortuus Gedeon, et aversi sunt filii Israel, et fornicati sunt post Baalim: et posuerunt ipsi sibi Baalberith testamentum, ut esset eis ipse in deum.* Et Baalim et Baalberith idola intelligenda sunt. Major itaque transgressio et fornicatio commissa est a populo post mortem Gedeon, quam illo vivo propter ephud: quoniam et illud, etsi illicite factum erat, tamen de sacramentis tabernaculi erat; ista vero post idola fornicatio non habet vel falsam paternæ religionis defensionem. Unde etiam illud ephud, si non in fine temporis Gedeon, sed ante factum est, ita Deus patienter tulit, ut pax in terra perseveraret: quia licet factum erat quod prohibuerat, non tamen longe recessum erat ab illo, qui tale aliquid in tabernaculo suo atque in honorem suum fieri jusserat. Nunc vero graviora commissa, et apertissimam post idola fornicationem populi esse noluit impunitam.

XLIV. [Ib. IX, 14, 15.] Quod inducitur rhamnus, id est quoddam spinarum genus, in similitudinem dicere omnibus lignis convenientibus eam ut regnaret super ea, *Si in veritate ungitis me vos, regnare super vos, venite, confidite in protectione mea: et si non, exeat ignis de rhamno, et comedat cedros Libani:* obscurus sensus est, sed eum inventa distinctio manifestat. Non enim ita legendum est, *Et si non exeat ignis de rhamno:* sed subdistinguendum, *Et si non*, ac deinde inferendum, *exeat ignis de rhamno;* id est, Et si non confiditis in protectione mea, aut, Et si non in veritate ungitis me regnare super vos, *exeat ignis de rhamno, et comedat cedros Libani.* Comminantis enim verba sunt quid facere possit, si noluerint eam regnare super se. Verum quia non ait, Exibit ignis de rhamno, et manducabit cedros Libani, sed ait, *Exeat, et manducet;* obscurius factum est quam si sola distinctio lateret. Vehementioris autem comminationis est, et quodam modo præsentioris efficaciæ, si quis dicat, Si non vis facere quod volo, sæviat in te ira mea, id est jam sæviat; utquid eam teneo? quam si dicat, sæviet, promissivo modo [1] pœnam intentans futuram.

XLV. [Ib. IX, 23.] *Et emisit Deus spiritum malignum inter Abimelech et inter viros Sichimorum.* Hoc verbum, utrum imperantem, an permittentem Deum significet, non facile definiri potest. Quod enim hic positum est, *Emisit*, græcus habet ἐξαπέστειλεν· quod etiam est in Psalmis ubi legitur, *Emitte lucem tuam* (*Psal.* XLII, 3): quanquam in quibusdam locis interpretes nostri, et ubi est in græco ἐξαπέστειλεν, *misit* interpretati sunt, non, *emisit*. Potest ergo et sic intelligi, ut spiritum malignum Deus tanquam ire inter eos volentem emiserit, id est, potestatem dederit maligno spiritui ad eorum pacem perturbandam. Usque adeo autem etiam mitti a Domino malignum spiritum propter justitiam vindicandi non absurdum visum est, ut quidam id quod est ἐξαπέστειλεν, etiam *immisit* interpretati sint.

XLVI. [Ib. IX, 32, 33.] Verba quæ misit ad nuntios Abimelech Zebul princeps civitatis Sichimorum, etiam id habent: *Et nunc surge nocte tu et populus tuus tecum, et insidiare in agro. Et erit mane simul ut oritur sol, maturabis, et tendes super civitatem.* Quod latini quidam habent *maturabis*, quidam vero *manicabis*, græcus habet quod dici posset non uno verbo, *diluculo surges.* Et fortasse hinc sit dictum, maturabis, a matutino tempore, quamvis etiam aliis temporibus dici soleat ad rem accelerandam. Manicabis autem latinum verbum esse mihi non occurrit. Sed illud movet, quod cum dixisset, *simul ut oritur sol*, addidit, *diluculo surges;* cum ipsum diluculum quod græce dicitur ὄρθρος, tempus ante solem significet, quod jam usitatissime dicitur, cum albescere cœperit. Sic itaque

[1] Sic Mss. At editi: *Quasi dicat sæviat permissivo modo.*

intelligendum est, ut quod positum est *mane*, ipsum diluculum intelligatur. Additum est autem, *simul ut oritur sol*, ut exprimeretur non jam orto sole faciendum, sed ubi fulgor apparuerit solis orientis. Non enim aliunde albescit diluculum; nisi cum cœperit partem cœli, quam videmus ab oriente, lux solis ad eam redeuntis attingere. Hinc est quod etiam in Evangelio unam atque eamdem rem alius evangelista dicit diluculo factam, cum adhuc obscurum esset (*Joan*. XX, 1), alius oriente sole (*Marc*. XVI, 2); quia et ipsa lux quantulacumque diluculi sole utique fiebat oriente, id est ad ortum veniente, et fulgorem suum de suæ præsentiæ propinquitate jactante. Quam lucem quidam idiotæ solis non esse putaverunt, sed illam esse quæ primitus condita est, antequam Deus quarto die conderet solem.

XLVII. [Ib. X, 1.] *Et surrexit post Abimelech, qui salvum faceret Israel Thola filius Phua, filius patris fratris ejus, vir Issachar.* Filium patrui ejus, dixit *filium patris fratris ejus*, cum ordinatius et usitatius atque apertius diceretur, filium fratris patris ejus: filius enim erat patrui ejus, sicut evidentius in ea interpretatione quæ ex hebræo est, invenitur. Non ergo quod dictum est *patris fratris*, ab eo declinatum est quod est in nominativo pater fratris, sed ab eo quod est patris frater, hoc est enim patruus. Nam sive ponatur in nominativo, hic pater fratris, sive ponatur hic patris frater, genitivum facit hujus patris fratris. Verum altera oritur quæstio, quomodo fuerit patruus Abimelech *vir Issachar*, id est vir de tribu Issachar, cum Abimelech patrem habuerit Gedeon, qui Gedeon de tribu fuit Manasse. Quomodo ergo Phua et Gedeon fratres fuerunt, ut possit esse Phua patruus Abimelech, cujus patrui filius Thola succederet, secundum istam narrationem, ipsi Abimelech? Potuerunt ergo Gedeon et Phua unam habere matrem, ex qua diversis patribus nascerentur, et fratres essent unius matris filii, non unius patris. Solebant enim nubere feminæ de aliis tribubus in alias tribus. Unde et Saül cum esset de tribu Benjamin, dedit filiam suam David homini de tribu Juda (I *Reg*. XVIII, 27): et sacerdos Joiade[1], utique homo de tribu Levi, duxit filiam Joram regis, hominis de tribu Juda (II *Paral*. XXII, 11). Hinc factum est, ut Elizabeth et Mariam cognatas in Evangelio legamus (*Luc*. I, 36), cum fuerit Elizabeth de filiabus Aaron: ex quo intelligitur de tribu Levi et filiabus Aaron aliquam nupsisse in tribum Juda, unde ita fieret inter ambas illa cognatio, ut Domini caro non solum de regia, verum etiam de sacerdotali stirpe propagaretur.

XLVIII. [Ib. XI, 24.] Inter cætera quæ Jephte mandat per nuntios regi filiorum Ammon, etiam hoc dicit: *Nonne quæcumque hæreditavit tibi Chamos deus tuus, hæc hæreditabis; et omnia quæcumque hæreditavit Dominus Deus noster a facie vestra, hæc hæreditabimus?* Quod quidam latini sic interpretandum putaverunt, ut dicerent, *Nonne quæcumque dedit tibi in hæreditatem Chamos deus tuus, hæc possidebis?* ubi videri potest confirmasse Jephte deum istum, qui vocatur Chamos, potuisse aliquid dare in hæreditatem cultoribus suis. Quidam vero sic habent, *Nonne quæcumque possedit Chamos deus tuus, hæc possidebis?* et hoc ita sonat, quasi aliquid potuerit possidere. An forte secundum hoc dictum est, quod sub Angelis constitutæ sunt gentes, juxta Canticum Moysi famuli Dei (*Deut*. XXXII, 8, *sec*. LXX)? Numquidnam ergo ille angelus, sub quo erant filii Ammon, Chamos appellatus est? Quis hoc audeat affirmare, cum possit intelligi secundum ejus opinionem dictum, quia putabat deum suum hoc possidere, vel in possessionem sibi dedisse? Magis autem iste sensus elucet in iis verbis quæ græcus habet, *Nonne quæcumque hæreditavit tibi Chamos Deus tuus, hæc hæreditabis?* ut in eo quod positum est, *tibi*, intelligatur ita dictum, ac si diceretur, sicut videbitur tibi. Tibi enim hæreditavit qui hoc putas, non quod ille aliquid posset hæreditare. Denique in eo quod sequitur, *Et omnia quæcumque hæreditavit Dominus Deus noster*, non dixit, hæreditavit nobis, tanquam diceret, sicut nobis videtur; sed, vere hæreditavit, *a facie vestra;* quoniam abstulit ipsis, et his dedit: *hæc* inquit, *hæreditabimus.*

XLIX. [Ib. XI.] De filia Jephte quod eam pater in holocaustoma obtulit Deo; quoniam in bello voverat, si vicisset, eum se haulocaustoma oblaturum, qui sibi de domo exiens occurrisset; quod cum vovisset, vicit; et occurrente sibi filia, quod voverat reddidit: solet esse magna et ad dijudicandum difficillima quæstio; quibusdam quid sibi hoc velit nosse cupientibus et pie quærentibus; quibusdam vero qui Scripturis his sanctis imperita impietate adversantur, hoc maxime in crimen vocantibus, quod Legis et Prophetarum Deus etiam humanis sacrificiis fuerit delectatus. Quorum calumniis sic primitus respondemus, ut Deum Legis et Prophetarum, atque ut expressius dicam, Deum Abraham et Deum Isaac et Deum Jacob nec illa sacrificia delectaverint, ubi pecorum holocausta offerebantur; sed quod significativa fuerint et quædam umbræ futurorum, res ipsas nobis quæ his sacrificiis significabantur, commendare voluisse: fuisse autem etiam istam utilem causam cur illa mutarentur, nec modo juberentur, imo prohiberentur offerri, ne vere secundum carnalem affectum talibus Deum delectari putaremus.

Sed utrum etiam humanis sacrificiis significari futura oportuerit, merito quæritur: non quod mortes hominum quandoque moriturorum in hac causa exhorrescere et formidare deberemus, si illi qui hæc de se fieri gratanter acciperent, in æternam remunerationem commendarentur Deo: sed si hoc verum esset, hoc genus sacrificiorum Deo non displiceret; displicere autem Deo satis evidenter eadem Scriptura testatur. Nam cum omnia primogenita sibi dicari, et sua esse voluerit atque præceperit; redimi tamen a se voluit primogenita hominum (*Exod*. XIII, 2, 12, 13), ne immolandos Deo crederent filios suos, quos natos primitus suscepissent. Deinde hoc apertius ita loquitur, quod humana holocausta sic Deus improbet, ut pro-

[1] In Mss., *Judæ*, seu *Jude*. Apud LXX, *Iadaé*.

hibeat, detestans ea in aliis gentibus, et populo suo præcipiens ne audeat imitari : *Si autem*, inquit, *exterminaverit Dominus Deus tuus gentes, in quas tu intras hæreditare terram eorum a conspectu tuo, et hæreditatis eam, et habitabis in terra eorum; attende tibi ipsi, ne exquiras sequi eos, postquam exterminati fuerint a facie tua, ne exquiras deos eorum dicens, Quemadmodum faciunt gentes diis suis, faciam et ego : non facies ita Domino Deo tuo. Abominamenta enim quæ Dominus odit, fecerunt diis suis; quoniam et filios suos et filias suas comburunt igni diis suis* (*Deut.* XII, 29 31).

Quid evidentius ostendi potest his sanctæ Scripturæ testimoniis, ut alia hujuscemodi omittam, quam Deum a quo hæc Scriptura humano generi contributa est, non solum non diligere, verum etiam odisse talia sacrificia, in quibus homines immolantur? Illa plane diligit et coronat, cum quisque justus iniquitatem patiens usque ad mortem pro veritate decertat, vel ab inimicis, quos pro justitia offendit, occiditur, retribuens eis bona pro malis, id est pro odio dilectionem. Talem dicit Dominus sanguinem justum, a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariæ[1] (*Matth.* XXIII, 35). Præcipue autem quod sanguinem fudit ipse pro nobis, et sacrificium seipsum obtulit Deo; sic utique obtulit, ut ab inimicis pro justitia occideretur : hunc imitata martyrum millia usque ad mortem pro veritate certarunt, et ab inimicis sævientibus immolata sunt; de quibus dicit Scriptura, *Tanquam aurum in fornace probavit illos, et sicut holocausti hostiam accepit illos* (*Sap.* III, 6). Unde et Apostolus dicit, *Ego enim jam immolor* (II *Tim.* IV, 6).

Sed non sic Jephte de filia fecit holocaustoma Domino; sed sicut præceptum fuerat pecora offerri, et prohibitum fuerat homines immolari. Magis hoc illi simile videtur quod fecit Abraham, quod Dominus specialiter fieri præcepit (*Gen.* XXII), non generali lege ut talia sibi sacrificia fierent aliquando mandavit, imo etiam fieri omnino prohibuit. Distat itaque hoc quod Jephte fecit a facto Abrahæ, quoniam ipse jussus obtulit filium : iste autem fecit quod et Lege vetabatur, et nullo speciali jubebatur imperio. Deinde non solum in sua Lege postea, verum etiam tunc Deus in ipso Abrahæ filio talibus sacrificiis quam non delectaretur ostendit; cum patrem cujus fidem jubendo probaverat, a filii tamen interfectione prohibuit, ac arietem, quo sacrificium licite secundum veterum congruam temporibus consuetudinem compleretur, apposuit.

Si autem hoc quemquam movet, quomodo pie crediderit Abraham Deum sacrificiis talibus delectari, si hæc illicite offeruntur Deo; et ideo putat recte credidisse etiam Jephte quod tale sacrificium Deo posset esse acceptum : primo consideret aliud esse ultro vovere, aliud jubenti obtemperare. Non enim, si aliquid præter morem in domo a domino institutum servo jubetur, atque id laudabili obedientia facit, ideo non est plectendus, si hoc facere sponte præsumpserit. Deinde habebat quod crederet Abraham, ut propter divinum imperium non parceret filio, non credens Deum tales victimas libenter accipere, sed hoc eum propterea jussisse, ut resuscitaret occisum, et hinc aliquid tanquam Deus sapiens demonstraret. Nam hoc de illo etiam in Epistola legitur, quæ inscribitur ad Hebræos; et fides ejus, quia hoc de Deo crediderit, quod posset filium ejus suscitare, laudatur (*Hebr.* XI, 17-19). Iste vero et Deo non jubente neque poscente, et contra legitimum ejus præceptum, ultro sacrificium vovit humanum. Sic enim scriptum est : *Et vovit Jephte votum Domino, et dixit : Si traditione tradideris mihi filios Ammon in manu mea, et erit quicumque exierit de januis domus meæ in obviam mihi, in revertendo me in pace a filiis Ammon, et erit, Domino offeram eum halocaustoma.*

Non utique his verbis pecus aliquod vovit, quod secundum Legem holocaustoma posset offerre. Neque enim est aut fuit consuetudinis, ut redeuntibus cum victoria de bello ducibus pecora occurrerent. Quantum autem attinet ad multa animalia, canes solent dominis blando famulatu alludentes currere in obviam : de quibus ille in suo voto cogitare non posset, ne in injuriam Dei aliquid, non solum illicitum, verum etiam contemptibile et secundum Legem immundum vovisse videretur. Nec ait, Quodcumque exierit de januis domus meæ in obviam mihi, offeram illud holocaustoma; sed ait, *quicumque exierit offeram eum :* ubi procul dubio nihil aliud quam hominem cogitavit; non tamen fortasse unicam filiam : quanquam illam in tanta paterna gloria quis posset anteire, nisi forte uxor? Nam quod non dixit, quæcumque, sed *quicumque exierit de januis domus meæ*, solet Scriptura masculinum genus pro quolibet sexu ponere : sicut de Abraham dictum est, *Surgens a mortuo* (*Gen.* XXIII, 3); cum ejus uxor mortua fuisset.

Quia ergo de hoc voto atque facto nihil videtur Scriptura judicasse, sicut de Abraham, quando filium jussus obtulit, apertissime judicavit; sed tantummodo scriptum reliquisse legentibus judicandum, quemadmodum de facto Judæ filii Jacob, quando ad nurum quidem suam nesciens intravit, verum quantum in ipso fuerat fornicatus est, quia meretricem putavit (*Id.* XXXVIII, 15), neque approbavit hoc Scriptura, neque reprobavit, sed justitia et lege Dei consulta æstimandum pensandumque dimisit : quia ergo de isto Jephte facto in neutram partem sententiam Scriptura Dei protulit, ut noster intellectus in judicando exerceretur, possemus jam dicere Deo displicuisse tale votum, et ad illam perductum esse vindictam, ut patri potissimum filia unica occurreret; quod si sperasset atque voluisset[1], non continuo, ut eam vidit, scidisset vestimenta sua, et dixisset, *Heu me, filia mea, impedisti me; in offendiculum facta es in oculis meis.* Deinde sexaginta dierum tam longa dilatione data filiæ suæ Dominus ab unicæ charissimæ nece cum eum non prohibuerit, sicut prohibuit Abra-

[1] Vaticani duo Mss. : *Dilectionem talem, quod dicet Dominus sanguinem justum a sang. Ab. usque ad sang. Zachariæ* [illegible].

[1] Editi, *vovisset*. Mss. melioris notæ, *voluisset*.

ham, donec perficiendo quod voverat seipsum percuteret orbitate gravissima, Deum autem nequaquam hominis immolatione placaret : et ideo hujuscemodi patri pœnam fuisse retributam, ne impunitum talis voti relinqueretur exemplum, ut aut magnum aliquid se vovere Deo putarent homines, cum victimas humanas voverent, et, quod est horribilius, filiorum ; aut non vera, sed potius simulata eadem vota essent, cum velut exemplo Abrahæ sperarent qui vovissent, Deum prohibiturum talia vota compleri.

Possemus, inquam, hæc dicere, nisi ab ista sententia duo nos præcipue divinarum Scripturarum testimonia retardarent ; ut hanc rem gestam et in libris tantæ auctoritatis memoriæ commendatam, diligentius quantum Dominus adjuvat, et cautius perscrutemur, ne in ullam partem judicium temerarium proferamus. Unum, quod in Epistola ad Hebræos iste Jephte inter tales commemoratur, ut eum culpare vereamur, ubi sic scriptum est : *Et quid adhuc dicam? Deficit enim me tempus enarrandi de Gedeon, Barac, Samson, et Jephte, et David, et Samuel, et Prophetis ; qui per fidem vicerunt regna, operantes justitiam consecuti sunt promissiones* (*Hebr.* XI, 32). Alterum, quod ubi de illo ista narrantur, quod tale voverit et impleverit votum, præmisit Scriptura dicens, *Et factus est super Jephte Spiritus Domini, et perrexit Galaad et Manasse, et transiit speculam Galaad, et de specula Galaad ad trans filios Ammon, et votum vovit Jephte Domino*, et cætera ad hoc ipsum votum pertinentia ; ut omnia quæ deinceps facta sunt, tanquam opera Spiritus Domini, qui super eum factus est, intelligenda videantur. Ista testimonia nos compellunt quærere potius cur factum sit, quam facile improbare quod factum est.

Sed primo illud quod ex Epistola quæ ad Hebræos est, commemoravi, inter illos laudabiles viros qui ibidem recoluntur, non solum est Jephte, verum etiam Gedeon, de quo similiter Scriptura dicit, *Spiritus Domini confortavit Gedeon* (*Judic.* VI, 34) : et tamen ejus factum, quod de illo auro prædæ operatus est ephud, et fornicatus est post illud omnis Israel, et factum est domui Gedeon in scandalum (*Id.* VIII, 27), non solum laudare non possumus ; verum etiam quia Scriptura hic apertissime judicavit, reprobare minime dubitamus : nec tamen ex hoc ulla fit injuria Spiritui Domini, qui eum confortavit, ut hostes populi ejus tanta facilitate superaret. Cur ergo inter illos commemoratur, *qui per fidem vicerunt regna, operantes justitiam* ; nisi quia sancta Scriptura, quorum fidem atque justitiam veraciter laudat, non hinc impeditur eorum etiam peccata, si qua novit, et oportere judicat, notare veraciter? Nam et in eo quod idem Gedeon signum petens, sicut ipse locutus est, tentavit in vellere (*Id.* VI, 39), nescio utrum non fuerit transgressus præceptum quod scriptum est, *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI, 16) : verumtamen etiam in ejus tentatione Dominus quod prænuntiare volebat ostendit ; in compluto scilicet vellere et area tota circumquaque sicca, figurare primum populum Israel, ubi erant sancti cum gratia cœlesti, tanquam pluvia spirituali ; et postea compluta area sicco vellere, figurare Ecclesiam toto orbe diffusam, habentem non in vellere tanquam in velamine, sed in aperto cœlestem gratiam, illo priore populo velut ab ejusdem gratiæ rore alienato atque siccato. Nec tamen frustra inter fideles et operantes justitiam, propter bonam fidelemque vitam, in qua eum credendum est esse defunctum, tale in Epistola ad Hebræos meruit testimonium.

Utrum autem quia posteaquam dictum est, *Factus est super Jephte Spiritus Domini*, ea secuta sunt, ut votum illud voveret, atque hostes vinceret, et quod voverat redderet, Spiritui Domini omnia deputanda sint, ut perinde habeatur et hoc sacrificium, tanquam id Dominus sicut Abrahæ fieri jusserit, non facile dixerim ; cum utique de Gedeon possit hæc afferri differentia, quia post peccatum quod fecit, quando fecit ephud post quod universus populus fornicatus est, nulla est ejus commemorata prosperitas : postea vero quam Jephte votum vovit, illa est insignis ejus victoria consecuta, propter quam adipiscendam voverat, et qua adepta quod voverat solvit. Rursus enim considerandum est, quia Gedeon, etsi non posteaquam fecit ephud, tamen posteaquam tentavit Dominum, quod utique peccatum est, magna strage hostibus cæsis atque superatis populo acquisivit salutem. Sic enim scriptum est : *Et dixit Gedeon ad Dominum, Non irascatur indignatio tua in me, et loquar adhuc semel, et tentabo adhuc semel in vellere*, et cætera. Iram quippe Dei metuebat, quia noverat tentando se peccare, quod Deus in Lege sua manifestissime prohibet. Hoc tamen peccatum ejus et mirabilis signi evidentia et magna victoriæ prosperitas liberationisque populi consecuta est. Jam enim Deus statuerat afflicto populo subvenire, atque hujus ducis, quem ad hoc opus assumpserat, utebatur animo non solum fideli et pio, verum etiam subdeficiente et delinquente, et ad prænuntianda quæ volebat, et complenda quæ dixerat.

Non enim per istos tantum, qui etiamsi peccaverunt, inter justos tamen narrantur, sed etiam per ipsum Saülem omni modo reprobatum, multa Deus populo suo præstitit, in quem insilivit etiam Spiritus Dei, et prophetavit ; non cum juste ageret, sed cum in virum sanctum David innocentemque sæviret (I *Reg.* XIX, 20-23). Agit enim Spiritus Domini et per bonos et per malos, et per scientes et per nescientes, quod agendum novit, et statuit : qui etiam per Caipham acerrimum Domini persecutorem, nescientem quid dixerit, insignem protulit prophetiam, quod oporteret Christum mori pro gente (*Joan.* XI, 49-51). Quis enim egit nisi Spiritus Domini, curans prænuntiare ventura, ut judici Gedeon tentare volenti Dominum, et non credenti quod ei fuerat per manum ejus de salute populi jam locutus, hoc potissimum de vellere prius compluto, postmodum sicco, et de area primum sicca, postea rigata veniret in mentem? Ut quod subdefecit a fide, infirmitati ejus delictoque deputetur ; quod vero etiam tali ejus animo ad hoc quod generi

humano significari oportebat usus est Deus, ad ejus intelligatur misericordiam et mirabilem providentiam pertinere.

Si quis autem dicit omnia scientem fecisse et dixisse Gedeon ex revelatione prophetica, ut per eum signa talia monstrarentur; nec defecisse a fide; et quod ei jam promiserat Dominus credidisse; sed actione prophetica in vellere voluisse tentare, atque ita illius tentationem fuisse inculpabilem, sicut dolum Jacob (*Gen.* XXVII, 15, 16); et illud quod Domino ait, *Non irascatur indignatio tua in me*, non ideo dixisse quod iram ejus timeret, sed quod eum confideret non irasci, cum ea faceret quæ Spiritu ejus dictante facienda esse tanquam propheta sentiret: dicat ut videtur, dum modo illud quod de facto ephud Scriptura ipsa culpavit, quodlibet significet, non audeat excusare a peccato. Nam et illud quod trecenti viri ad signum crucis ipso numero pertinentes, hydrias fictiles acceperunt, eisque ardentes faculas incluserunt, quibus hydriis fractis repente lumina numerose micantia tantam hostium multitudinem terruerunt (*Judic.* VII, 16-22), tanquam ex suo arbitrio videtur fecisse Gedeon; non enim Scriptura dicit Dominum admonuisse ut hoc faceret: et tamen tam grande signum quis ejus animo atque consilio faciendum, nisi Dominus, inspiravit? Qui præfiguravit sanctos suos thesaurum evangelici luminis in vasis fictilibus habituros, sicut Apostolus dicit, *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus* (II *Cor.* IV, 7): quibus in passione martyrii tanquam vasculis fractis, major eorum gloriæ fulgor emicuit, quæ impios evangelicæ prædicationis inimicos inopinata illis Christi claritate superavit.

Seu ergo per scientes, seu per nescientes, præfigurationem prædicationemque futurorum Spiritus Domini propheticis temporibus operatus est: nec ideo peccata eorum dicendum est non fuisse peccata; quia et Deus, qui et malis nostris bene uti novit, etiam ipsis eorum peccatis usus est ad significanda quæ voluit. Proinde si propterea peccatum non fuit, sive cujuslibet necis humanæ, sive etiam parricidale sacrificium vel vovere, vel reddere, quia magnum aliquid et spirituale significavit; frustra Deus talia prohibuit, et se odisse testatus est; quoniam et illa quæ fieri jussit, utique ad aliquam significationem rerum spiritualium magnarumque referuntur. Cur ergo illa prohiberet, quandoquidem poterant propter eamdem rerum earumdem significationem, propter quam et ista licite fiebant, nihilominus licite fieri; nisi quia nec tale aliquid significantia quale expedit credere, humana Deo sacrificia placuerunt, quando non pro justitia quisque ab inimicis, quia recte vivere voluit aut peccare noluit, interimitur, sed homo ab homine tanquam electa hostia more pecoris immolatur?

Quid si, ait aliquis, quoniam pecorum victimæ jam eo ipso quo fuerant usitatæ, quamvis et ipsæ a recte intelligentibus ad significationem spiritualium referrentur, minus tamen faciebant intentos ad magnum sacramentum Christi et Ecclesiæ requirendum; propterea Deus re insigni et inopinata volens quasi dormientes hominum animos excitare, eo magis quo talia sibi sacrificia offerri vetuerat, curavit sibi ejusmodi aliquid offerendum, ut ipsa admiratio magnam gigneret quæstionem, et magna quæstio ad perscrutandum magnum mysterium studium piæ mentis erigeret, pie vero scrutans mens hominis altitudinem prophetiæ, velut hamo piscem Dominum Christum de profundo Scripturarum levaret? Huic nos rationi et considerationi non obsistimus. Sed alia quæstio est de animo voventis, alia de providentia Dei qualicumque animo ejus optime utentis. Quamobrem si Spiritus Domini qui factus est super Jephte, ut hoc voveret omnino præcepit, quod quidem Scriptura non aperuit; tamen si hoc ille præcepit, cujus non licet jussa contemnere, non solum insipientia culpanda non est, verum etiam laudanda obedientia est. Hoc enim, etiamsi se homo ipse interimat, quod utique humana voluntate atque consilio facere nefas est, profecto intelligendum est obedienter fieri potius quam sceleste, si divinitus jussum est: de qua quæstione satis in primo libro de Civitate Dei disputavimus (*De Civit. Dei, lib.* 1, *c.* 21). Si autem Jephte humanum secutus errorem, humanum sacrificium vovendum putavit, ejus quidem peccatum de unica filia jure punitum est, quod etiam ipse verbis suis satis videtur ostendere, ubi ait, *Heu me, filia mea, impedisti me; in offendiculum facta es in oculis meis;* discissis etiam vestimentis suis. Verumtamen etiam hic ejus error habet aliquam laudem fidei, qua Deum timuit, ut quod voverat redderet, nec divini in se judicii sententiam declinavit; sive sperans Deum prohibiturum, sicut fecit Abrahæ, sive ejus voluntatem etiam non prohibentis intellectam facere potius quam contemnere statuens.

Quanquam et hic merito quæri potest utrum verius intelligitur hoc Deum nolle fieri, et in eo potius Deo, si non fieret, obediretur, quoniam hoc se nolle et in Abrahæ filio et in legitima prohibitione monstraverat. Verumtamen si propterea Jephte non faceret, sibi potius in unica pepercisse, quam Dei voluntatem secutus esse videretur. Magis ergo intellexit in eo quod ei filia occurrit, ultorem Deum, justæque pœnæ se fideliter subdidit, timens sæviorem tanquam de tergiversatione vindictam. Credebat enim etiam bonæ et virginis animam filiæ bene recipi, quod non seipsa voverat immolandam, sed voto et voluntati non restiterat patris, et Dei fuerat secuta judicium. Mors enim sicut nec sibi a quoquam sponte nec cuiquam sponte inferenda est; ita Deo jubente recusanda non est, cujus constitutione quocumque temporis obeunda est: nec quisquam qui eam perpeti detrectat, ut omnino evitetur, sed tantummodo ut differatur, laborat [1]. Hæc autem festinantibus nobis de prædicta quæstione satis esse utcumque discussa pro hac quidem parte visa sunt.

Nunc jam quid Spiritus Domini, sive per nescientem Jephte sive per scientem, sive per ejus impru

[1] Quæ sequuntur, scilicet, *hæc autem festinantibus*, etc., usque ad *nunc jam*, absunt a Mss. Vaticanis et Gallicanis

dentiam sive per obedientiam, sive per offensionem sive per fidem, in hac re gesta præfiguraverit, quantum Deus adjuvat, requiramus, breviterque pendamus. Admonet enim nos et urget quodam modo iste sanctarum Scripturarum locus cogitare quemdam potentem virtute. Talis enim dicitur Jephte, quod nomen interpretatur Aperiens. Dominus autem Christus, sicut indicat Evangelium discipulis suis *aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas* (*Luc.* XXIV, 45, 27). Hunc Jephte fratres ejus reprobaverunt, et de paterna domo expulerunt, objicientes ei quod esset filius fornicariæ, tanquam ipsi essent de uxore legitima nati. Hoc etiam egerunt adversus Dominum principes sacerdotum et Scribæ et Pharisæi, qui de Legis observatione gloriari videbantur, tanquam ille solveret Legem, et ideo veluti non esset legitimus filius. Et quanquam de sancta quidem Virgine corpus assumpserat, quod fidelibus notum est; tamen ejus mater, quantum ad gentem pertinet, etiam illa Judaica synagoga dici potest. Revolvat qui voluerit propheticos Libros, et videat quoties et quanta verbi severitate atque indignatione Domini, illa gens velut impudica mulier de suis fornicationibus arguatur. Unde est etiam illud in hoc libro recentissimum, vel cum post ephud quod fecit Gedeon, omnis Israel legitur fornicatus, vel quod abierunt post deos gentium quibus erant circumdati. Unde in illos divina ira commota est, ut per annos decem et octo contererentur a filiis Ammon (*Judic.* VIII, 27, *et* X, 6-8). Sed numquid non ex eadem gente Israel etiam illi nati erant sacerdotes, et Scribæ, et Pharisæi, quos in eis diximus fuisse præfiguratos, qui Jephte, tanquam isti Dominum Christum, veluti non legitimum filium persecuti expulerunt? Sed in eo similitudo adumbrata est, quod isti, ut dixi, veluti Legis observatores, eum qui contra præcepta Legis facere videbatur, tanquam legitimi non legitimum, jure sibi visi sunt ejecisse. Secundum hoc enim plebs illa dicta est fornicari, quod Legis præcepta non servans, tanquam viro non exhibebat fidem.

Sic autem scriptum est de Jephte, *Et creverunt filii uxoris, et ejecerunt Jephte.* Verbum quod positum est, *creverunt*, significat in figura, prævaluerunt: quod in Judæis impletum est, qui prævaluerunt infirmitati Christi, quia ita voluit, ut ab eis quæ oportebat passione perferret; sicut hoc idem significans Jacob prævaluit angelo, cum quo ut idipsum portenderet luctabatur (*Gen.* XXXII, 24-28). Dixerunt ergo ad Jephte, *Non hæreditabis in domo patris nostri, quoniam filius mulieris fornicariæ tu.* Tanquam dicerent quod Evangelium loquitur, *Non est iste homo a Deo, qui sic solvit sabbatum* (*Joan.* IX, 16): se autem velut jactantes legitimos filios Domino dixerunt, *Nos ex fornicatione non sumus nati; unum patrem habemus Deum* (*Id.* VIII, 41). *Et fugit Jephte a facie fratrum suorum, et habitavit in terra Tob.* Fugit, quoniam se quantus esset abscondit; fugit, quoniam eos sævientes latuit: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.* II, 8). Fugit, quoniam morientis infirmitatem viderunt, virtutem autem resurgentis non viderunt. Habitavit autem in terra bona, vel, ut expressius dicamus, opima. Quod enim græce ἀγαθὸν, hoc latine opimum dicitur: id autem interpretatur Tob. Ubi mihi videtur intelligenda ejus a mortuis resurrectio. Nam quæ terra magis opima, quam terrenum corpus excellentia immortalitatis et incorruptionis indutum?

Quod autem dicitur de Jephte, quia posteaquam fugiens a facie fratrum suorum habitavit in terra Tob, colligebantur ad eum viri latrones, et obambulabant cum ipso; quanquam et ante passionem objectum fuerit Domino, quod cum publicanis et peccatoribus manducaret, quando respondit, non esse necessarium sanis medicum, sed ægrotis (*Matth.* IX, 11, 12); et inter iniquos deputatus est (*Isai.* LIII, 12), quando inter latrones crucifixus est, et unum ex eis de cruce in paradisum transtulit (*Luc.* XXIII, 33, 43): tamen posteaquam resurrexit, et esse cœpit, secundum id quod supra exposuimus, in terra Tob, collecti sunt ad illum scelerati homines propter remissionem peccatorum; qui cum illo ambulabant, quia secundum ejus præcepta vivebant. Neque hoc fieri desinit usque nunc, et deinceps, quousque ad eum confugiunt mali, ut justificet impios qui ad eum convertuntur, et discant iniqui vias ejus (*Psal.* L, 15).

Jam illud, quod hi qui abjecerant Jephte (erat enim Galaadites), conversi sunt ad eum, et quæsiverunt eum, per quem liberarentur ab inimicis suis; quam clara præfiguratione significat, quod hi qui abjecerunt Christum, ad eum rursus conversi, in illo reperiunt salutem! sive illi intelligantur quos Petrus apostolus cum de ipso scelere arguisset, sicut in Actibus Apostolorum legitur, et hortatus esset ut ad eum converterentur, quem fuerant persecuti, compuncti sunt corde, et ab illo quem a se alienaverant, desideraverunt salutem (quid est autem liberari ab inimicis, nisi a peccatis? sic enim illis ait, *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi; et remittentur vobis peccata vestra* (*Act.* II, 22-38): sive illa potius significetur, quæ in fine speratur vocatio gentis Israel. Magis quippe ipsa videtur apparere in eo quod dicitur, *Et factum est post dies*: quod utique post tempus significat; et per hoc insinuat non illud intelligendum quod recenti Domini passione est, sed quod postea futurum est. Quo videtur etiam id pertinere, quod seniores Galaad venerunt ad Jephte, ut per ætatem senilem posteriora et novissima tempora accipienda sint. Interpretatur autem Galaad Abjiciens, sive Revelatio. Quorum utrumque satis apte huic rei congruit; quia primo Dominum Christum abjecerunt, eisque postea revelabitur.

Quod vero contra filios Ammon dux quærebatur Jephte, quibus victis liberarentur, qui eo duce adversus illos bellare cupiebant, quoniam interpretatur Ammon Filius populi mei, sive Populus mœroris; profecto aut illi significantur inimici, qui ex ipsa gente perseverantes in infidelitate prædicti sunt: aut omnino omnes gehennæ prædestinati, ubi erit eis fletus et stridor dentium (*Matth.* XXV, 30), tanquam populo

mœroris. Quanquam populus mœroris, etiam diabolus et angeli ejus non inconvenienter intelliguntur; sive quia æternam miseriam eis quos decipiunt acquirunt; sive quia et ipsi æternæ miseriæ deputati sunt.

Eleganter sane, ad exprimendam multo evidentius prophetiam, Jephte respondit senioribus Galaad: *Nonne vos odio habuistis me, et ejecistis me de domo patris mei, et emisistis me a vobis? et quid est quod venistis, quando tribulati estis?* Tale aliquid figuratum est in Joseph, quem fratres vendentes abjecerunt (*Gen.* XXXVII, 28); et cum fame tribularentur, ad ejus opem misericordiamque conversi sunt (*Id.* XLII-XLIV). Hic vero multo amplius elucet significatio futurorum, quod non ipsi prorsus fratres qui ejecerunt Jephte, ad eum venerunt; sed Galaad seniores pro universo illo populo eidem supplicantes. Sicut eadem gens dicitur Israel, sive in eis qui tunc fuerunt, Christumque reprobaverunt, sive in eis qui ad ejus opem postea reversi sunt. Populo enim dicitur inimico, sive in majoribus sive in posteris suis longa odia trahenti atque servanti, tandemque converso in eis qui tunc convertendi sunt, *Nonne vos odio habuistis me, et ejecistis me de domo patris mei?* Hoc enim eis visum est qui persecuti sunt, quod ejecerunt Christum de domo David, in qua regni ejus non erit finis (*Luc.* I, 33).

Et dixerunt seniores Galaad ad Jephte: Non sic modo venimus ad te. Tanquam dicerent Judæi conversi ad Christum: Tunc venimus ut persequeremur, modo venimus ut sequamur. Profitentur etiam adversus inimicos eum futurum sibi caput. Respondet ille, si eorum vicerit inimicos, quod erit eis in principem: quod Gedeon noluit, cum id Israelitæ voluissent. Respondit quippe illis: *Princeps vester Dominus erit* (*Judic.* VIII, 22, 23). Rex enim nomine principis significatur: quod nondum habebat gens illa tempore Judicum. Cœperunt autem habere Saülem (I *Reg.* X, 1) et deinceps successores ejus alios, qui in libris Regnorum leguntur. Nam in Deuteronomio cum eis præcipitur qualem debeant habere regem, si hoc eis placuerit (*Deut.* XVII, 14), non ibi rex, sed princeps appellatur. Sed quia iste Jephte illum figurabat, qui verus est rex, quod etiam in titulo scriptum fuit, qui cruci ejus affixus est, quem Pilatus delere vel emendare non ausus est (*Joan.* XIX, 19-22); ideo credendum est esse dictum, *Ero vobis in principem.* Illi autem dixerant, *Eris nobis in caput:* quoniam caput viri Christus (I *Cor.* XI, 3), et ipse est caput corporis Ecclesiæ (*Ephes.* V, 23). Denique posteaquam eos liberavit Jephte ab omnibus inimicis, non eis factus est rex, ut intelligeremus, illud quod dictum est, ad prophetiam potius pertinuisse de Christo, quam ad ipsum proprie Jephte, de quo Scriptura narrationem ita concludit: *Et judicavit Jephte Israel sex annis, et mortuus est Jephte Galaadites, et sepultus est in civitate sua Galaad* (*Judic.* XII, 7). Judicavit ergo Israel sicut cæteri Judices: non ibi regnavit ut princeps, sicut hi qui Regnorum voluminibus continentur.

Jamvero quod posteaquam eis idem Jephte dux constitutus est, misit nuntios ad hostes prius pacis verba portantes, illud ostenditur quod ait Apostolus, in quo Christus loquebatur: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (Rom. XII, 18). Verba porro ipsa quæ mandavit Jephte, omnia pertractare nimis longum est, festinantibus nobis: videntur tamen mihi sic intelligenda, quantum attinet ad significationem futurorum, ut in eis advertatur doctrina Christi, admonens nos quemadmodum sit ambulandum, hoc est, vivendum inter eos qui non secundum propositum vocati sunt. Novit enim Dominus qui sunt ejus (II *Tim.* II, 19).

Jamvero quod cum esset debellaturus inimicos, factus est super eum Spiritus Domini, significatur Spiritus sanctus impertitus membris Christi.

Quod autem *pertransiit Galaad et Manasse, et transiit speculam Galaad, et ab specula Galaad ad trans filios Ammon*, proficientia significantur membra Christi ad victoriam de inimicis reportandam. Galaad quippe interpretatur Abjiciens, Manasse Necessitas. Transeundi sunt ergo a proficientibus abjicientes, id est contemnentes: transeunda et necessitas, ne forte cum transierit qui proficit contemnentes, cedat terrentibus. Transeunda etiam specula Galaad, quoniam Galaad etiam Revelatio interpretatur. Est autem specula altitudo ad prospiciendum, vel despiciendum, id est desuper aspiciendum. Specula itaque Galaad congruenter mihi videtur significare superbiam revelationis: unde dicit Apostolus, *Et in magnitudine revelationum ne extollar* (II *Cor.* XII, 7). Ergo et ipsa transeunda est, id est, non est in ea manendum propter cadendi periculum. His pertransitis, facile superantur inimici: quod significat dicendo, *Et ab specula Galaad transiit ad filios Ammon*, de quibus inimicis jam supra dictum est.

Et vovit Jephte votum, et dixit: Si traditione tradideris mihi filios Ammon in manu mea, et erit quicumque exierit de januis domus meæ in obviam mihi in revertendo me in pace a filiis Ammon, et erit Domino, et offeram eum holocaustoma. Quemlibet in hoc loco cogitaverit Jephte secundum cogitationem humanam, non videtur unicam filiam cogitasse; alioquin non diceret, cum illam cerneret occurrisse, *Heu me, filia mea, impedisti me; in offendiculum facta es in oculis meis. Impedisti* enim ita dictum est, tanquam ad hoc se impeditum indicaverit, ne illud quod cogitarat impleret. Sed quem potuit cogitare primitus occurrentem, qui filios alios non habebat? An conjugem cogitavit, et ut hoc fieret Deus noluit, et ut non relinqueret impunitum, ne quis deinceps id auderet; et ut magna providentia, ex hoc quoque ipso quod accidit, sacramentum Ecclesiæ figuraret? Ex utroque igitur prophetia coaptata est; et ex eo quod vovens cogitavit, et ex eo quod nolenti contigit. Si enim conjugem cogitavit, conjux Christi Ecclesia est. *Propterea relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est*, inquit Apostolus, *ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (*Ephes.* V, 31, 32). Sed quia hujus Jephte conjux virgo esse non potuit, in eo quod filia potius occurrit, et inulta non remansit prohibitum sacrificium voventis audacia, et virginitas Ecclesiæ figurata est.

Nec abhorret a vero, quod filiæ nomine eadem significatur Ecclesia : nam cujus alterius typum gerebat etiam illa mulier, cui post tactam fimbriam suam sanatæ, ait Dominus, *Filia, fides tua te salvam fecit; vade in pace* (*Matth.* IX, 20-22)? Et certe, unde nullus ambigit, discipulos suos ipse sponsi filios appellavit, se apertissime indicans sponsum : *Non possunt*, inquit, *jejunare filii sponsi, quamdiu cum illis est sponsus; venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt* [1] (*Ibid.*, 15). Holocaustoma ergo erit Ecclesia, quam *virginem castam* beatus Apostolus appellat (II *Cor.* XI, 2), quando in resurrectione mortuorum fiet in universa, quod scriptum est, *Absorpta est mors in victoriam.* Tunc tradet regnum Deo et Patri (I *Cor.* XV, 54, 24). Quod regnum ipsa Ecclesia est, rex ipse cujus figuram vovens ille gestabat. Sed quoniam tunc fiet, cum completa fuerit sexta ætas sæculi, ideo sexaginta dierum a virginitate dilatio postulata est. Ex omnibus quippe ætatibus Ecclesia congregatur. Quarum prima est, ab Adam usque ad diluvium : secunda a diluvio, id est, a Noe usque ad Abraham : tertia ab Abraham usque ad David : quarta a David usque ad transmigrationem in Babyloniam : quinta ab hac transmigratione usque ad Virginis partum : sexta inde usque in hujus sæculi finem. Per quas sex ætates tanquam per sexaginta dies flevit sancta virgo Ecclesia virginalia sua : quia licet virginalia, tamen fuerant peccata deflenda ; propter quæ universa ipsa virgo toto orbe diffusa quotidie dicit, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12). Eosdem autem sexaginta dies, duos menses maluit appellare, quantum existimo, propter duos homines ; unum per quem mors, alterum per quem resurrectio mortuorum ; propter quos etiam duo Testamenta dicuntur.

Quod vero *factum est in præceptum in Israel*, *ex diebus in dies conveniebant lamentari filiam Jephte Galaaditem*, *quatuor dies in anno* ; non puto significare aliquid post impletum holocaustoma, quod erit in vitam æternam ; sed præterita tempora Ecclesiæ, in quibus erant beati lugentes. Quatriduo autem figurata est ejus universitas, propter quatuor partes orbis, per quas longe lateque diffusa est. Ad historiæ vero proprietatem, non arbitror hoc decrevisse Israelitas, nisi quia intelligebant in ea re judicium Dei magis ad percutiendum patrem fuisse depromptum, ne tale vovere sacrificium deinceps ullus auderet. Nam quare luctus et lamentatio decerneretur, si votum illud lætitiæ fuit ?

Si autem et illud, quod populus Ephræm postea ab eodem Jephte debellatus est, ad judicium Dei, quod erit in fine, referendum est, sicut ipse Dominus dicit, *Eos qui noluerunt me regnare sibi, adducite et interficite coram me* (*Luc.* XIX, 27) ; nec ibi quadraginta duo millia, quæ ceciderunt, vacanti numero commemorata sunt (*Judic.* XII, 4, 6). Sicut enim illi duo menses propter sexaginta dies senarium numerum sex ætatum significant : ita et ibi sexies septenarius ductus hoc idem figurat, quantum ad sex ætates sæculi pertinet ; sexies enim septem quadraginta duo sunt. Nec frustra et ipse Jephte sex annis populum judicavit.

L. [Ib. XIII, 4.] Quæri potest quomodo dixerit angelus ad matrem Samson, cum annuntiaret ei filium futurum, quia sterilis erat, *Et nunc observa*, *et non bibas vinum et siceram, non manduces omne immundum.* Quid est enim immundum ? nisi forte dissolutio disciplinæ, quæ esse cœperat in Israel, etiam ad ea manducanda eos labefecerat, quæ prohibuerat Deus in generibus animalium (*Deut.* XIV, 3-19). Cur enim non credatur etiam hoc eos multo proclivius facere potuisse, qui etiam ad cultum idolorum transgrediebantur ?

LI. [Ib. XIII, 6.] Quod mater Samson viro suo indicans quemadmodum illi angelus annuntiaverit filium futurum, dixit, *Et interrogabam eum unde esset, et nomen suum non annuntiavit mihi*, quæri potest utrum verum dixerit; quoniam hoc non legitur, cum ei angelus loqueretur. Sed intelligendum est hoc ibi Scripturam tacuisse, hic autem commemorasse quod ibi tacuerat. Illud etiam quod non ait, Interrogavi eum quid vocaretur, et nomen suum non annuntiavit mihi, sed ait, Interrogavi *unde esset* ; videtur inconsequens quod addidit, *et nomen suum non annuntiavit mihi.* Non enim nomen ejus interrogaverat, cum quæreret unde esset, sed locum vel civitatem, cum hominem putaret. Nam et hominem Dei eum appellavit, specie tamen vel habitu angelo similem, hoc est, quia tam præclarum vidit, sicut ipsa narravit. Sed si ita distinguatur, *Et interrogabam eum unde esset*, *et nomen suum*, ut subaudiatur, interrogabam eum, et postea inferatur, *non annuntiavit mihi*, non habet quæstionem : ad utrumque enim referri potest, quod ait, *non annuntiavit mihi*, id est, nec unde esset, nec nomen suum.

LII. [Ib. XIII, 7, 5.] Item quod ait eadem mulier, dictum sibi esse ab angelo, quoniam *Nazaræus Dei erit puer a ventre usque ad diem mortis suæ*, non legitur ab angelo dictum. Et quod legitur dictum, *Ipse incipiet salvum facere Israel de manu Philistiim*, non est a muliere commemoratum. Itaque et aliquid non dixit, quod audivit; et tamen nihil credenda est dixisse quod non audivit : sed Scripturam potius non omnia verba angeli posuisse, cum ipsum mulieri loquentem insereret narrationi. Ideo autem dictum est, *a ventre usque ad diem mortis suæ*, quia Nazaræi dicebantur in Lege, ad tempus qui votum habebant, secundum ea quæ Scriptura per Moysen præceperat (*Num.* VI, 2-21). Unde est hoc, quod huic jussum est ut ferrum non ascenderet in caput ejus, et vinum et siceram non biberet. Hoc enim tota vita sua observavit Samson, quod illi qui vocati sunt Nazaræi certis diebus observabant, voventes votumque reddentes.

LIII. [Ib. XIII, 16, 15, 1.] Quod dicit Scriptura, *Quoniam ignoravit Manue quia angelus Dei est*, manifestum est etiam ejus uxorem hominem credidisse. Quod ergo ei dixit, *Vim faciamus tibi nunc*, *et faciamus in conspectu tuo hædum caprarum*, tanquam hominem invitavit, sed ita ut hoc cum illo epularetur, quod sacrificium fecisset. Nam facere hædum capra-

rum: non solet dici, nisi cum fit sacrificium. Denique et ille ita respondit, *Si vim feceris mihi, non manducabo de panibus tuis;* ubi ostendit se fuisse ad epulas invitatum. Deinde addidit, *Et si feceris holocaustum, Domino offeres illud.* Utique ideo dixit, *Si feceris holocaustum*, quia ille dixerat, *Faciamus in conspectu tuo hœdum caprarum.* Non autem omne sacrificium holocaustum erat; nam de holocausto non manducabatur, quia totum incendebatur, et ideo vocabatur holocaustum. Sed angelus etiam non manducaturus, holocaustum potius fieri admonuit, non tamen sibi, sed Domino: propter hoc maxime, quia gens Israel illo tempore consueverat, quibuslibet diis falsis sacrificare; unde et tunc offenderat Deum, ut traderetur inimicis per quadraginta annos.

LIV. [Ib. XIII, 16 23.] Quid sibi vult, quod posteaquam manifestatus est Manue et uxori ejus angelus, qui cum eis loquebatur, dixit idem Manue uxori suæ, *Morte moriemur, quoniam Deum vidimus;* ex illa scilicet Legis sententia, ubi scriptum est, *Nemo potest faciem meam videre et vivere* (*Exod.* XXXIII, 20)? Opinabantur ergo ut homines, Deum se vidisse, tanto utique miraculo facto, quod in igni sacrificii stetit, qui cum illis prius quasi homo loquebatur. Sed Deum in angelo, an Deum ipsum angelum appellabant? Sic enim scriptum est: *Et sumpsit Manue hœdum caprarum, et sacrificium; et obtulit super petram Domino mirabilia facienti; et Manue et uxor ejus exspectabant. Et factum est dum ascenderet flamma desuper altare ad cœlum, et ascendit angelus Domini in flamma. Et Manue uxorque illius exspectabant; et ceciderunt super faciem suam super terram. Et non apposuit ultra angelus Domini apparere ad Manue et ad uxorem ejus. Tunc cognovit Manue quoniam angelus Domini est; et dixit Manue ad uxorem suam, Morte moriemur, quoniam Deum vidimus.* In his ergo verbis quia non dixit, Morte moriemur, quoniam angelum Domini vidimus, sed, *Deum vidimus*, oritur quæstio, utrum in angelo intelligebant Deum, an eumdem angelum Deum vocabant. Illud enim tertium, quod Deum putaverant qui erat angelus, dici non potest, apertissime dicente Scriptura, *Tunc cognovit Manue quoniam angelus Domini est.* Sed unde metuebat mortem? Non enim Scriptura in Exodo dixerat, Nemo videt faciem angeli, et vivet, sed, *faciem meam* dixit, cum Deus loqueretur. An et in hoc ipso quod in angeli præsentia Deum cognoverat Manue, ita perturbatus est, ut mortem timeret? Quod autem illi uxor sua respondit, *Si vellet Dominus mortificare nos, non accepisset de manu nostra holocaustoma et sacrificium, nec illuminasset nos omnia hæc; sed nec audita fecisset nobis hæc:* utrum ipsum angelum crediderunt accepisse sacrificium, quia viderunt eum in altaris flamma stetisse? an per hoc intellexerunt accepisse Dominum, quia hoc fecit angelus, ut se ostenderet angelum? Quodlibet autem horum sit, jam tamen angelus dixerat, *Si autem facis holocaustum, Domino offer illud;* hoc est, non mihi, sed Domino. Quod ergo stetit angelus in altaris flamma, magis significasse intelligendus est illum magni consilii Angelum in forma servi (*Isai.* IX, 6), hoc est, in homine quem suscepturus erat, non accepturum sacrificium; sed ipsum sacrificium futurum.

LV. [Ib. XV, 8, 15.] Quid est quod dictum est, quod *percussit alienigenas Samson tibiam super femur?* Quis enim habet tibiam super femur, cum tibia deorsum versus non sit, nisi a genu usque ad talum? Deinde si locum corporis significaret, ubi eos vulneravit, numquidnam omnes quos percussit, in uno corporis loco fuerant vulnerati? Quod si esset credibile, possemus forsitan suspicari eum pugnasse tibia alicujus animalis tanquam fuste, et ea illos super femur percussisse: sicut de illo scriptum est, quod maxilla asini mille occiderit. Sed neque illud, ut dixi, credibile est, quod pugnans unum tantum locum observaverit ubi eos perculeret: et non ait Scriptura, Percussit eos tibia super femur, sed *tibiam super femur.* Nimirum ergo inusitata locutio facit obscuritatem. Ita enim dictum est, ac si diceretur, Percussit eos valde mirabiliter, id est, ut admirando stupentes tibiam super femur ponerent; tibiam scilicet unius pedis super femur alterius, sicut solent sedere, qui mirando stupent. Tanquam si diceretur, Percussit eos manum ad maxillam; id est, tanta cæde, ut manum ad maxillam; tristi admiratione ponerent. Hunc sensum ita se habere etiam interpretatio quæ est ex hebræo, satis edocet nam ita legitur, *Percussit eos ingenti plaga, ita ut stupentes suram femori imponerent.* Tale est enim, ac si diceret, tibiam femori imponerent; quoniam sura utique retrorsus cum tibia est.

LVI. [Ib. XV, 12.] Quid est quod ait Samson viris Juda, *Jurate mihi ne interficiatis me vos, et tradite me eis, ne forte occurratis in me vos?* Quam locutionem ita nonnulli interpretati sunt, *ne forte veniatis adversum me vos.* Sed hoc eum ne ab his interficeretur dixisse, illud indicat, quod in Regnorum libro scriptum est, jubente Salomone ut homo occideretur, et dicente, *Vade, occurre illi* (III *Reg.* II, 29). Quod ideo non intelligitur, quia non est consuetudinis apud nos ita dici. Sic enim quod militares potestates dicunt, Vade, alleva illum, et significat, Occide illum, quis intelligat, nisi qui illius locutionis consuetudinem novit? Solet et vulgo apud nos dici, Compendiavit illi [1], quod est, occidit illum: et hoc nemo intelligit, nisi qui audire consuevit. Hæc est enim vis generalis omnium locutionum, ut quemadmodum ipsæ linguæ, non intelligantur, nisi audiendo vel legendo discantur.

[1] In excusis scribebatur, *compediavit illi.* At in plerisque ac melioris notæ Mss., *compendiavit.*

DE SUBSEQUENTI OPERE

Vide librum 2, *cap.* 13, Retractationum, *t.* 1, *col.* 635, *a verbis,* **Liber cujus est titulus, Annotationes in Job,** *usque ad verba*, **Ei super terram.** M

Ætatem subsequentis opusculi non hic significavit Augustinus, nisi ipsa Retractationum serie, in qua locum illi opusculo medium tribuit inter libros circiter annum 400 elaboratos, recensuitque illud aliquando ante opus quod contra Petiliani Litteras, Anastasio in Romana cathedra sedente, ex lib. 2, c. 51, adeoque non serius anno 402 conscriptum fuit.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

ANNOTATIONUM IN JOB

Liber unus (a).

[JOB *cap.* I.] *Et opera magna erant ei super terram :* quia operabatur de ipsis operibus. *Faciebant convivium quotidie, donec eorum numerus impleretur.* Signum est charitatis. *Et offerebat pro eis victimas, secundum eorum numerum.* Intelligendum, alias esse peculiares confessiones, quasi singulas victimas ; aliud vero sacrificium pro omnium et pro omnibus peccatis, quod significat dicens [1] : *Ne forte peccaverint filii mei, et maledixerint Deo in cordibus suis.* Bene additur, *Ne forte ;* quia in corde eos maledixisse suspicabatur. *Et ecce venerunt Angeli Dei, ut starent coram Deo.* Affectio animæ ad veritatem non potuit aliter narrari, nisi temporaliter et localiter quodam modo diceretur. *Et venit equidem diabolus cum eis.* Utrum quia non potuit, nisi per eos audire, dictum est, *cum eis. Et dixit Dominus diabolo : Unde ades ?* Collatio præteritæ actionis cum eo, unde permittitur aliquid deinceps agere, responsio ad interrogationem est : ipsa vero interrogatio vis divina est, in qua non permittitur agere quod libet. *In cogitationibus enim impii interrogatio erit* (*Sap.* I, 9), ad manifestandum eum nobis. *Sed mitte manum tuam, et tange omnia quæ habet :* da potestatem. *Nisi in faciem tuam benedixerit tibi.* Pendens locutio, id est, Si non tibi in faciem benedicet tactis rebus suis, quasi subaudiretur, quid jubes? *Et discessit diabolus a facie Domini :* a consultatione ad actionem. *Et venerunt hostes et ceperunt eos.* Secundum illud, *Qui nunc operatur in filiis diffidentiæ* (*Ephes.* II, 2), etiam istos excitavit. Notandum autem quomodo in hominibus habuerit potestatem, et in elementis, sed tamen datam a Deo. *Nudus exii de utero matris meæ.* Notandum quam consolatorie [1] loquatur, quamvis secundum consuetudinem luctum fecerit.

[Ib. II.] *Ecce trado illum tibi; tantum animam ejus custodi :* ne vitam eripere posse præsumeret. *Et tulit sibi testam, ut raderet saniem.* Per passionem Domini significat radi peccata confitentium.

[Ib. III.] *Et nox in qua dixerunt, Conceptus est homo.* Aliquæ superiores potestates, quæ hoc scire potuerunt. *Nox illa sint tenebræ :* ne patiatur jam quæ passus est. *Nox illa sint tenebræ ;* id est, sit oblivioni. *Neque requirat eam Dominus desuper.* Non reparetur per immortalitatem ; id est, pereat mortalitas. *Nec veniat in eam lumen :* lumen memoriæ. *Sed excipiant illam tenebræ et umbra mortis :* vita ista, quæ umbra est futuræ pœnæ ; ut sit sensus, Justus qui lumen est, non eam videat, sed tenebræ, hoc est peccatores et carnales tribulationes de vita ista. *Et conturbent eam, quasi amaritudines diei :* præcepta bonæ vitæ, vel dies judicii, quibus perturbantur carnales. *Et noctem illam accipiant tenebræ :* perpetuæ. *Non sit in diebus anni :* justis spiritualibus qui sole fruuntur, et majores sunt. *Sed nox illa sit dolor :* quia dolorem facit diligentibus se. *Neque numeretur in diebus mensium.* Justi in Ecclesia propter lunam tanquam minorem : ad quos dicitur, *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus* (I *Cor.* III, 1) ; ut ipse Paulus sit de diebus anni. *Sed maledicat illam maledicens illi diei :* Dominus, qui maledicet amantes carnalia. *Tenebrescant sidera noctis illius :* eminentes in peccatis. *Permaneat, et in lucem non veniat.* Quia non convertentur, dicit per prophetiam [2]. *Quia non conclusit portas ventris ma-*

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Recensitus fuit hic liber ad Mss. Victorinæ bibliothecæ duos, Regiæ unum, Navarrici Collegii unum, ad Beccensem et Floriacensem, ad variantes lectiones ex uno Ms. Belgico descriptas : necnon ad editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Sic Ms. Regius. At Victorinus codex, *quod significat Deum.* Am. Er. et duo Mss., *quod significat Dominum.* Lov., *quod significat ante Dominum.*

(a) Scriptus circiter an. Christi 400.

[1] Duo Mss., *consolatoria.*

[2] Editi, *per Prophetam.* At Mss., *per prophetiam.*

tris meæ : civitatem terrenam, quam significat Babylon. Concluderentur enim portæ, si non laudaretur peccator in desideriis animæ suæ (*Psal.* IX, 2, 4). *Quare enim in ventre non obii?* antequam eminerem tibi per aliquam actionem. Conceptus enim ad spem pertinet. *Ex utero exii, et non protinus perii?* Hujus ergo figura intelligenda est in his verbis, qui in talibus concupiscentiis fuerat inveteratus. *Et utquid constiterunt mihi genua* : ut ibi confirmarer? *Quare ubera suxi?* doctrinæ nutrientes ad nequitiam. *Nunc utique dormiens quiescerem* : moriendo huic mundo. *Cum regibus honoratis terræ* : in Ecclesia. *Qui gloriabantur in gladiis.* Unde est, *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei* (*Ephes.* VI, 17). *Aut cum principibus, quibus multum fuit aurum* : sapientia. *Qui compleverunt domos suas argento* : eloquio Domini. *Aut tanquam abortivum prolapsum de vulva matris* : ut nunquam emineret. *Aut tanquam infantes qui non viderunt lucem* : ad nobilitatem aliquam non pervenerunt. *Ibi impii deposuerunt furorem suum* : in morte ab hoc mundo. *Ibi requieverunt fatigati corpore* : aut fatigati corpore non animo, aut finem corporalium consecuti. *Non audierunt vocem exactoris. Judex tradet te exactori* (*Luc.* XII, 58), inde est; hoc est, donata illis esse peccata : de impiis quippe dicebat. *Pusillus et magnus ibi est.* De uno dictum puto bene intelligi, secundum illud quod *qui se humiliat, exaltabitur* (*Id.* XIV, 11). *Et servus non timens Dominum suum.* Sive secundum illud, *Vis non timere potestatem? Bonum fac* (*Rom.* XIII, 3); sive secundum illud, *Consummata dilectio foras mittit timorem* (I *Joan.* IV, 18). *Utquid enim datur eis qui in amaritudine sunt, lux?* peccatorum honor. *Et vita animabus quæ sunt in doloribus?* in dolorum materia, hoc est in peccatis. *Quæ desiderant mortem, et non contingit illis* : adeptionem [1] fructus peccati. *Mors viro requies, cujus vita abscondita est* : vel quia coram Deo vel quia paucis nota. De ea vero jam morte accipiendum, per quam morimur mundo. In illa enim non est requies. *Conclusit enim Deus adversus eum* : non eum dando in desideria cordis sui. *Ante escas quippe meas gemitus adest* : ante gaudium ciborum Dei tribulationes præcedere. *Et fleo coarctatus timore* : videns quia evitare non possum quæ timui. *Timor enim quem verebar, venit mihi* : adversa quæ de misericordia Dei ad correptionem fiunt. *Neque in pace, neque in silentio, neque in requie.* Falsa enim fuerunt, propter quæ timebat. *Venit enim mihi ira* ; vindicta, secundum quam justus vix salvus fit (I *Petr.* IV, 18).

[Ib. IV.] Verba Eliphaz. *Pondus autem verborum tuorum quis sustinebit?* Hic ergo dicit se cogi ad loquendum, quia non sustinet dicta ejus. *Nonne timor tuus stultus est?* Paratus enim ad hæc esse debueras, si aliis veraciter suadebas. Nec talia bene timuisti; cum diceres, *Timor enim quem verebar, venit mihi* (*Job* III, 25). *Et spes tua et simplicitas vitæ tuæ quasi stultitia* : qua ista bona putantur. *Fremitus leonis et vox leænæ* : ipse diabolus, et superbiæ civitas, quæ sæpe etiam bestiæ more a Prophetis ponitur. *Et gaudium draconum exstinctum est* : superborum et insidiosorum. *Myrmicoleon periit, eo quod non haberet escam.* Quia in novissimo non erunt, quos inducens comedat. Separabuntur enim pii ab impiis. Hic autem errat, quod ea quæ de diabolo audierat prophetata, de Job intelligebat. Myrmicoleon vero accipiendus est, vel quia utrumque in eo est, cum et rapit et occulte persequitur frumenta, quæ sublato oculo facit non germinare; vel quia avaris et in terra thesaurizantibus dominatur; vel quia justos persequitur, quasi formicas præparantes sibi escas æstate ad hiemem, quibus non pascetur, cum boni ab impiis fuerint separati. *Et catuli leonum divisi sunt ab invicem.* Conspiratio principum civitatis illius dissipata est, qui nati sunt de illa societatis civitate et diabolo; vel quia se invicem vastaverunt. Inde est, *Exsurget gens contra gentem* [1] (*Marc.* XIII, 8). *Nihil horum tibi accidisset* : vel illa damna et orbitas et plaga vulneris; vel te non penetraret dolor animi, quia et te consolareris, si aliis ex corde dixisses, *Numquid non capit auris mea ab eo magnifica?* Quia ista quæ dicit, ex revelatione se dicit dicere. *Et spiritus in faciem mihi occurrit.* Quasi flatum sensisse vult intelligi : nam negat in consequentibus fuisse figuram. Reminiscendum ita etiam Spiritum in Apostolos descendisse. *Quid enim? numquid homo coram Domino mundus erit?* Aut hæc audisse se dicit; aut dicit ideo se horruisse, quia nemo mundus coram Domino; aut ideo sic vidisse, quia nemo coram Deo ita mundus est [2], ut Deum ut est videat. Modo mundus secundum perfectionem accipiendus, ut quod superius negat mundum hominem perire, secundum quemdam modum intelligamus. *Si contra servos suos non credit.* Quod evenit cum diceret Elias, *Domine, Prophetas tuos occiderunt* : et dicit illi, *Reliqui mihi septem millia virorum* (III *Reg.* XIX, 14, 18). Non enim inde septem millia virorum jam munda erant. Nam angeli dicti sunt et Prophetæ. *Et adversus Angelos suos pravum quid reperit.* Vel quod adversus eos dicitur, vel quod ipsi dicunt. Hoc tamen potest etiam de veris Angelis accipi. *Habitantes autem domos luteas* : quorum conversatio non est in cœlis. *Percussit illos tanquam tinea.* Aut aliqua corruptio percussit eos tanquam tinea, aut Deus eos percussit : vel hac tinea, vel sicut percutit tinea, hoc est, latenter intrinsecus corruptione ab eis ipsis exorta per concupiscentias carnales, hoc est habitatione in domibus luteis. *Et a mane usque ad vesperam ultra non sunt.* Aut ultra sæculum hoc non sunt, aut a prosperis rebus usque ad tribulationem : pœnam enim consecuti sunt. *Eo quod non possent sibi ipsis subvenire, perierunt* : cum in se habent spem. *Interierunt, quia non habebant sapientiam* : non in se sperandi [3].

[Ib. V.] *Invoca autem, si quis tibi respondeat.* Illis enim respondetur, qui mundi sunt coram Deo. *Etenim stultum perimit ira* : indignatio, qua quisque angitur, tanquam inique sibi aliquid acciderit, dum non cogitat usque adeo se immundum esse coram Deo, ut in-

[1] In editis, *adoptionem.* In Mss., *adeptionem.*

[1] Am. Er. et plerique Mss.: *Exsurget gens supra vel contra gentem.* Evangelium in græco, *ethnos epi ethnos.*

[2] In excusis exciderant isthæc verba, *aut ideo sic vidisse, quia nemo coram Deo ita mundus est* : quæ huc revocantur ex Mss. Floriacensi et Beccensi.

[3] Er. legit, *sperando.* M.

vocanti non Angeli respondere, aut se demonstrare dignati sint. Qui enim hoc non cogitat, stultus est, et ira irrationabili interimitur. Aut idcirco Angelos non audire, non videre potest stultus, quia ira interemptus est, et a zelo occisus. *Errantem autem occidit zelus :* ad imitandum peccatores. *Ego autem vidi stultos, radicem mittentes.* Stultos nunc impios accipiendum, ut e contrario sapientia hominis pietas sit, sicut in consequentibus dicitur. *Et conterantur super januas infirmorum :* humilium, cum recepti fuerint in cubiculum a sponso, et stulti foris remanserint (*Matth.* xxv)? *Quæ enim illi congregaverunt, justi comedent.* Et de Judæis potest intelligi, congregantibus prophetias, quas Gentiles potius comederunt; et de his qui facientes comedunt quæ alii præcipiunt et non faciunt. *Ipsi vero de malis non liberabuntur :* quamvis prædicent non esse facienda. *Exhauriatur fortitudo eorum :* qua superbiunt adversus infirmos. Exhauriatur autem, ut jam incipiat laborare. *Non enim prodiet de terra labor :* id est de creatura non conquerantur, sed de se. *Sed homo in labore nascitur.* Secundum id dictum est, *nascitur*, secundum quod in laboriosam vitam ex quieta quisque convertitur. *Pulli autem vulturis altissime volitant.* Vultur bene intelligitur Dominus, quia altitudine prophetiæ vidit mortalitatem nostram, qua descendens pasceretur, convertens nos in corpus suum. Pulli ergo vulturis, filii sponsi dicti sunt : altissime autem volitantes, conversationem in cœlis habentes (*Philipp.* III, 20), ut a labore liberentur in quo homo nascitur. Secuti sunt quippe vocem dicentis, *Venite ad me, omnes qui laboratis* (*Matth.* XI, 28). Possunt et pulli vulturis in malo intelligi aeriæ potestates, quæ mortibus, hoc est peccatis, pascuntur. Quoniam hujusmodi prævaricatores angeli non sunt perducti ad humilitatem mortalitatis multum laboriosam, in qua homo nascitur, valde illi superbiunt, hoc est altissime volitant. *Qui dat pluviam super faciem terræ :* tanquam confitentibus faciat misericordiam. *Ut non faciat manus eorum veritatem.* Non faciant quod promittunt, minantes dominari infirmis. *In die occurrent illis tenebræ :* ut Judæis, qui Dominum non cognoverunt quis esset. *Aut tanquam in nocte palpabunt in meridie :* sicut videntes signa, tamen dubitant dicentes, *Propheta est;* alii, *Seducit populum* (*Joan.* VII, 40 12) : quando nec ad lucernam videre voluerunt. *Et pereant in bello :* in tentationibus. *Et egrediatur de manu potentis infirmus :* diaboli. *Sit autem infirmo spes.* Illi enim fortes rem hic quærunt. *Beatus autem vir quem arguit Dominus.* In hoc enim errat, quia videtur sibi Job [1], quia iniquitatibus suis hæc patiatur, cum ex hoc beatus sit, quia in hac vita cum arguitur, habet corrigendi possibilitatem. *Et in septimo non te tanget malum.* Sacramentum sabbati. *In fame te liberabit a morte.* Verbo enim alit, et facit firmum ad tentationes. *In prælio vero de manu ferri solvet te :* de potestate vinculorum. *A flagello linguæ abscondet te :* ne sentias contumelias; non ne patiaris [1]. *Injustos et iniquos deridebis :* ut sapientia perditionem iniquorum irridebit (*Prov.* I, 26). *Et feroces bestias non timebis :* id est, Judæos non timebis; quia tibi Gentes obaudient. Hæc autem de Domino accipienda sunt. Eliphaz hic errat, quia putat de Job intelligenda, quæ ei revelata sunt, cum totum Domino competat. *Quia cum lapidibus agri habebis fœdus.* Lapides agri, quia in Gentibus nulla ordinatio Legis fuit, ut quasi de ædificio lapides essent. *Bestiæ enim feræ pacatæ erunt tibi.* Sive de Judæis, sive de Gentibus. *Deinde scies quod in pace erit domus tua :* id est, Ecclesia. *Et filii tui erunt tanquam omnis herba in campo :* sine ariditate. *Et venies in sepulcrum tanquam frumentum maturum :* post passionem. *Ecce hæc ita exquisivimus.* Hic auctoritas hujus prophetiæ confirmatur. *Tu vero scito temetipsum, quid egeris.* Non enim injuste hæc tibi Deus permisit accidere.

[Ib. VI.] Verba Job. [*Sed ut videtur, verba sunt mala.* Non enim verba Job de impatientia sunt flagellorum, cum significent dolorem, non peculiarem Job, sed quem habuit de omni genere humano. *Sagittæ enim Domini in corpore meo sunt.* Verba Dei, quibus anima transfigitur, cum cogitur ad confessionem. *Quarum furor bibit sanguinem meum.* Tollunt enim peccatum. *Cum enim incipio loqui, stimulant me.* Quod enim loquor, illæ cogunt. *Quid enim? numquid frustra onager clamabit, nisi escam requirens?* ut inde famem patiatur, quia liber esse voluit. *Aut bos mugiet, cum habeat in præsepi cibos?* Asino cibaria labore bovis præparantur, sicut Gentibus labore Prophetarum et Apostolorum, qui utique Judæi fuerunt. Itaque hæc verba cibum desiderantis sunt, id est auxilium, non impatientis ad dolorem. *Numquid potest sine sale edi panis?* Quasi ei diceretur, Cur sic ea per figuras dicis? respondet, quia si ex persona sua ea diceret, insulsa essent. *Aut est sapor in sermonibus vanis?* Vanos sermones hominum dicit; quia panis verba Dei sunt, sed panis cœlestis. *Sic nec anima mea potest cessare.* Quomodo non potest sine sale edi panis, sic nunc ministerium præbeo verbo Dei; propter illud, *Quomodo audient sine prædicante* (*Rom.* X, 14)? *Fetidas enim escas meas video sicut est odor leonis.* Nam verba mea fetida sunt sicut leo : vel propter superbiam, per quam jactantes putent; vel propter quod amplexantes carnalia, fetorem leonis habent, qui propriis verbis gaudent. *Quod si det, et* [2] *veniat postulatio mea.* Postulationem dicit, rem quam petebat. *Et spem meam det Dominus* Sic enim confidens ob spem post tribulationem venturæ consolationis, opportune tentatur. Bene autem spem dicit; quia cum res venerit, jam tentatio non erit necessaria, *Sit mihi civitas sepulcrum, super cujus muros saliebam.* Societatem illam Babyloniæ vult sibi sepulcrum : non ut eum obruat, sed ut sciat quia mortuos tegit quicumque in illa fuerint, de cujus tanquam firmamento et munimine superbiebat. *Non*

[1] Sic Mss. habent. Editi vero, *videtur sibi quod Job iniquitatibus.*

[1] Editi : *Nonne patieris injustos* etc. ? At Mss., *nonne patiaris? Injustos*, etc.

[2] Editi cum Vulgata : *Quis det ut?* At Mss. : *Quod si det et.* Apud LXX, *si enim det et.*

parcam. Non enim mentitus sum : verba sunt sancta Dei mei. Quia non alia dixit quam audivit a Deo. Id est de homine generaliter prophetantis, quia auxilio indiget in confessione. *Quæ est enim virtus mea, ut sufferam?* Quod significabat vulnus ejus. *Aut quod tempus meum, ut sustineat anima mea?* Quia imminente morte terrentur homines, ut convertantur, et confiteantur Deo putredinem peccatorum, cujus consideratione se dicit cogi ad confessionem. *Numquid virtus lapidum virtus mea?* Duros et impenetrabiles jaculis verborum Dei, qui non moventur ad confitendum. *Aut non in ipso confidebam, cum mihi bene esset :* id est, cum essem immortalis ad imaginem Dei. *Sed adjutorium a me recessit.* Factus mortalis volens in me confidere. *Et visitatio Domini me despexit.* Secundum quod dictum est, *Aut filius hominis, quoniam visitas eum* (*Psal.* VIII, 5). *Propinqui mei non respexerunt me.* Horrui Angelis. *Tanquam torrens deficiens.* Misericordia enim aliquando inundavit me; et siccavi, et non fui mihi fons. *Aut sicut fluctus transierunt me :* tanquam sint consolationes potus. *Qui me metuebant, nunc irruerunt super me :* diabolus cum angelis suis. *Perii, et exsul de domo mea factus sum :* aut de habitatione cœlesti, aut de conscientia. Idcirco foras extra domum suam sedebat. *Vias Themanorum videte, semitas Sabæorum intuemini.* Illos significat, qui in temporalibus confidunt, de quibus se, id est, hominem quem significat, dicit non præsumere. *Nunc autem et vos insurrexistis in me sine misericordia :* putantes beatitudinem hominum, si carnalibus abundent. Quia insultabant, potius quam compatiebantur. *Sed videntes vulnus meum, timete.* Intelligentes quid significet, timete futuras pœnas. *Quid enim? numquid aliquid vos petii? aut fortitudine vestra indigeo?* Quia coram eo infirmus est, qui eum potest salvare. *Docete me, et ego obmutescam.* Idcirco enim patientes debuerunt esse ad doctrinam ejus, quia ipsi eum docere non poterant. *Sed, ut video, parva veri hominis verba dicitis.* Eum dicit verum hominem, qui personam significat agentis pœnitentiam, conversione ad Deum, cujus parva verba dicebant. *Non enim a vobis auxilium peto.* Verus enim homo a Deo petit auxilium. Ille enim verus est qui confitetur. Unde est, *Qui facit veritatem, venit ad lucem* (*Joan.* III, 21). *Neque enim elocutionem sermonis vestri sustinebo.* Dei enim se locutionem dixit sustinere, qua instruatur. *Verumtamen super pupillum* [1] *irruistis.* Quod ad vos pertinet, insultare mihi voluistis, quamvis non intellexeritis quid significet. Quia neque Job, quem videbant, insultare debuerant; ideo, *Verumtamen* [2]. *Nunc autem inspicientes vacate mihi :* non habentes quod me doceatis. *Et rursum justitiæ adestote.* Quia primo videbantur sibi justitia cogi ad loquendum. *Non est enim in ore meo iniquitas; et fauces meæ nonne sapientiam meditabantur?* Dicit se non Deum accusasse, sed hominem induxisse accusantem iniquitates suas, sicut superius sermo ejus intellectus est. Hanc dicit meditationem sapientiæ.

[1] Lov., *super pusillum.* Am. Er. et plures Mss., *super pupillum;* juxta Vulg. et LXX.
[2] Editi, *ideo veniunt tamen.* Regius codex, *ideo venerunt tamen.* Alii Mss., *ideo verumtamen ;* supple, dicit Job.

[Ib. VII.] *Numquid non tentatio est vita humana super terram?* Hic jam apertius ostendit ex cujus significatione superius loqueretur. Tentationem vero dicit tanquam stadium certaminis, ubi vincit homo, vel vincitur. *Et sicut quotidiani mercenarii vita ejus :* temporalem mercedem exspectantis, ut jam eorum qui justitiæ suæ fructum in futurum exspectant, non sit vita super terram. *Aut tanquam servus metuens dominum suum, et consecutus umbram.* Quod significat absconditio Adæ a facie Domini, et tectio foliorum de quibus umbra fit, quam relicto Deo consecutus est homo. *Aut tanquam mercenarius qui exspectat mercedem operis sui.* Iste a superiori hoc differt, quod superior habuit, hic autem habere desiderat ipsa temporalia. *Sic et ego exspectavi menses vanos.* Jam ad umbram dixit vanos, id est temporalia bona. *Et noctes dolorum datæ sunt mihi :* in quibus et lux amittitur sapientiæ, et materies est pœnarum. *Si dormiero, dico, Quando dies? et si surrexero, rursum, Quando vesper?* Quando cupiditatem negotii patitur homo in otio, et otii in negotio. *Repleor autem doloribus a vespere usque ad mane :* quo occidit a Deo. Unde et ad vesperam deambulans Deus eos dimisit (*Gen.* III, 7, 8) : quod significat dolentes, quibus nulla exspectatio est remedii, nisi mane. De quo dicitur, *Mane astabo tibi* (*Psal.* V, 5) ; id est, quando post judicium mane Deus revelabitur justis. Unde et Dominus vespere sepelitur, et mane resurgit (*Joan.* XIX *et* XX). Hanc ergo vitam tanquam lucifero potest comparare. *Et concrescit corpus meum putredine vermium :* vermium multitudine. *Infundo glebas terræ* [1], *radens saniem.* Expressio cupiditatum vel curarum confessionis, in qua gaudent iniqui ; quod ad occasionem redigunt peccandi, quæ alii per pœnitentiam confitentur : unde sunt canes, qui Lazari vulnera lingebant (*Luc.* XVI, 21). *Et vita mea exilior est quam loquela.* Minus enim facio quam loquor. *Recordare ergo quia spiritus est vita mea :* id est, in fame [2] spirituali. *Et non revertar ad visibilia. Non me cognoscet oculus videntis :* quia mutabor ; ut videntem hic, diabolum accipiamus invidentem. *Oculi tui in me, et non subsisto.* Interficis enim in me vitam carnalem in qua fuit. *Tanquam nubes expurgata de cœlo :* aut per cœlum purgata ; quomodo dicimus de ferro purgata : ut hic significaverit auxilium sibi fuisse de cœlo, ut purgaretur : aut certe ut jam non sit nubes, sed in aerem purum extenuetur, tanquam radiis solis expurgata, ut obscuritas carnis et sanguinis non sit in cœlo. Non enim caro et sanguis regnum Dei possidebunt, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et absorbebitur mors in victoriam (I *Cor.* XV, 50, 53, 54). *Si enim homo descenderit ad inferos, ultra non ascendet.* Ad hoc ergo recordare, ut non descendas. *Et non revertetur amplius in domum suam :* id est, ad requiem suam. *Propterea itaque et ego non parcam ori meo :* confitendo, cum tempus est. *Utrumne mare sum ego, aut draco?* Non enim sicut impios aut diabolum

[1] Sic Mss. juxta LXX. At editi, *In fundo globos terræ.*
[2] Er. et Lov., *in vita.* Am. et Mss., *in fame.*

repulisti. *Quia statuisti super me custodiam :* ut non me moveam ad perturbationem, ut sunt maris termini. *Quia dixi, Consolabitur me lectus meus :* carnalia, in quibus requiescebat. *Et referam ad meipsum consolationem in toro meo.* Ad te enim debeo referre consolationem meam. *Exterres me per somnia, et per visionem me obstupefacis :* per tribulationes vitæ hujus, quæ ita somnia sunt, quomodo et bona vitæ hujus somnia. *Absolves a spiritu meo animam meam :* propter visibiles terrores, a quibus liberabitur anima metuens venire ad eos. *Et a morte ossa mea repuli.* Nam ierant in mortem ossa mea, nisi his exterritus fortior essem et patiens, quod est ossium firmitas. *Non enim in sempiternum vivam, ut patienter feram.* Brevitate vitæ, et metu mortis me correxi. Unde inconvertibilis diabolus, quia non moritur, sed damnatur. *Initium sapientiæ timor* (*Eccli.* I, 16), inde est. *Discede a me ; vana est enim vita mea :* quia non suffero tentationes. *Aut quia sensu tuo intendisti in eum :* propter quod rationalis est. Unde illud, *Nos autem sensum Domini habemus* (I *Cor.* II, 16). Rationis vero munus dicit extensionem intellectus. *Et in requie judicabis eum :* dignum requie. *Usquequo me non dimittis ?* vinctum tribulationibus. *Neque deseris, donec deglutiam salivam meam ?* in dolore ac flagellis contineam et absorbeam voluptatum fluxus, per tribulationes admonitus. *Si ego peccavi, quid possum tibi facere?* Sensus hic est, Si peccavi, nihil possum tibi facere. An forte loquendo molesti tibi sunt homines? Tu ergo qui scis sensum, quare constituisti hominem, ut loqueretur adversus te, ut esset tibi oneri ? Si autem peccatum hominis, nec facto nec dicto tibi nocet, quare non oblivisceris peccatum ejus, sed purgas illud potius; nisi quia illa quæ supra dicta sunt, ad bonitatem tuam referuntur? *Quid est enim homo, quod exaltasti eum?* Quæ non intelligentes amici ejus, putaverunt ab eo Deum reprehendi. Si enim non propterea facis mihi tentationes ut cohibeam fluxos motus meos, ut mihi ita consulas ; quæ alia causa est ut corripias hominem ? Non enim nocere tibi potest quia peccat ; aut sentis quasi adversitatem loquelæ ejus, cum scias sensum humanum, et utique posses quod tibi adversarium est non constituere. *Et quare non es oblitus iniquitatis meæ :* si non ea causa ut mihi prodessent tentationes istæ, ut bonitatis tuæ sit totum, et quod me corripis? *Nunc autem in terram ibo.* Cum enim purges peccatum meum, restat mihi tamen adhuc in terram ire per mortem corporalem. *Nam evigilabo, et ultra non ero :* in hac terra.

[Ib. VIII.] Verba Baldad Sauchitis. *Misit in manu* [1] *iniquitates eorum.* In manu misit, aut in vindicta, aut supputatione debitores eos, id est peccatores demonstravit. *Et restituet tibi vitam justitiæ :* quæ debetur justitiæ, id est beatam. *Et erunt priora tua minima :* in comparatione posteriorum, quæ infinita erunt. *Aut numquid non hi docebunt te, et referent tibi ?* Quoniam nonnullorum major est auctoritas. Jam et hic de Christo dicturus audita narrat, quomodo Eliphaz narravit revelationem. *Numquid viret scirpus sine aqua?* Ita ergo et impii arescent sine misericordia Dei. *Adhuc in sua radice consistit, et non metetur :* si aquam non habeat. *Antequam bibat omnis herba, nonne arescit ?* nisi bibat : non enim aliquando viruit impius. *Atque araneis complebitur tabernaculum ejus :* opera inutilia. Jam vero de Judæis et Domino videtur dicere. *Quod si et suffulserit domum suam, non stabit :* aut Scripturis sanctis, aut spe promissionis Domini, aut regnum ipsum. *Et cum cœperit, non permanebit :* sequi Deum ; quod Judæis evenit, qui secuti non sunt incipientes. *Humidus enim est ante solem :* carnalium fluxu putrescentes [1]. *Ante solem* vero, sub tribulationibus, ut *ante*, sub significet, sicut dicimus, Ante me fac. *Et de putredine ejus germen ejus ascendet.* Nisi enim illi tam mali essent, non per passionem exaltaretur Dominus, qui de illis secundum carnem natus est (*Rom.* IX, 5). *In congregationibus lapidum dormit.* Majores enim illum crucifigent. *Et in medio lapillorum vivet :* humilium, de quibus fuerunt Apostoli. *Si deglutietur, locus mentietur eum.* Si absconderit quod Filius Dei sit, dicetur quia non est Filius Dei. Opus est ergo ut ipse sese indicet : in hoc enim loco non possunt divina cognosci. *De terra autem alterum germinabit :* vel Dominus resurgendo, vel alterum genus piorum, id est Christianorum. *Dominus enim non probabit innocentem.* An, non reprobabit ? vel illud, Impium non probabit innocentem ? *Nec ullum munus :* id est, sacrificia quæ habebant Judæi. *Veracium autem os implebit risu :* confitentium. *Et tabernaculum impii non permanebit :* vel ipsum templum, vel regnum.

[Ib. IX.] Verba Job. *Vere scio qui ita est ;* id est, quia secundum iniquitates meas hæc mihi restituit : sed non sicut vos arbitramini ; sed quia nemo est in conspectu ejus justus. *Non respondebunt ei unum de mille.* In omnibus quippe convincet. *Qui in vetustatem perducit montes, et nesciunt :* id est ad infirmitatem ; ut est, *Inveteravi in omnibus inimicis meis* (*Psal.* VI, 8). *Qui vertit eos in ira.* Irascendo eos vertit, id est, ut aliud inveniant quam appetierant, cum qui se exaltat, humiliabitur (*Luc.* XIV, 11). *Qui commovet orbem a fundamentis :* per vocationem, quæ facta est, per quam commoti sunt excellentes in mundo. *Et columnæ ejus movebuntur.* *Qui præcipit soli, et non oritur :* ut aut sapientia non intelligatur, aut qui scripserunt ; ut est, *Signa librum* (*Dan.* XII, 4). *Qui extendit cœlum solus :* Ecclesiam, quæ proprie Dei sedes est, quam extendit per totum orbem ; *solus*, ad significandam unitatem Trinitatis. Nam utique per Filium in Spiritu sancto omnia facta sunt. *Et ambulat super mare tanquam super terram.* *Super terram*, id est, firmiter confirmans Ecclesiam in sæculo, vel subjiciendo sibi peccatores, in quibus non mergitur, non cedendo tentationibus eorum. *Si transgressus me fuerit, non videbo. Si altior me fuerit, aut celeritate perstrinxerit me, non eum agnoscam.* Opus est ergo ut et congruat infirmitati meæ, et non me deserat. *Si enim morti tradi-*

[1] Editi, *in manum :* moxque, *aut supplantationem.* At Mss., *in manu*, juxta LXX : et postea, *aut supputatione.*

[1] In excusis, *putrescens.* In Mss., *putrescentes :* refertur ad Judæos.

derit, quis avertet? Morti enim tradit, cum vel transgreditur, vel transit ut nesciatur. Hæc est mors animæ, ut Deum nesciat. *Ipsius enim inavertibilis ira.* Aliorum enim potest averti a potentiore. *Ab ipso subdita sunt cætera sub cœlo* [1]: excepto ipso cœlo, id est rationali creatura; quia si ipsa sibi cætera subdidisset, nunquam per ea, quæ sibi subdiderat, puniretur: quia vero Deus ei illa subdidit, punitur per ea, quando offenderit eum qui subdidit. *Quod si etiam justus fuero, non exaudiet me:* rogans eum, præsumens de mea justitia. Comparans enim ea his quæ apud se sunt incommutabilibus et perpetuis, tanquam injustum me non exaudiet. Ergo ejus mihi misericordia necessaria est. *Judicium ejus rogabo:* quia ego judicare non possum me justum esse. Unde est, *Sed neque meipsum judico; qui autem judicat me, Dominus est* (I *Cor.* IV, 3, 4). *Si vero invocavero, et non exaudierit; non credam quoniam exaudivit vocem meam.* Cum judicium ejus rogo, si non exaudierit, non credam quod vel aliquando exaudierit me: occultis enim causis me audivit, non merito deprecationis meæ. Aut certe, non credam non me exauditum nunc: aliquando enim exauditus sum. Aut ita, Quia si exaudierit quod peto, credam etiam exauditum me: nam si non credidero, quamvis fiat quod peto, tamen non exauditus sum; ut signum exauditionis credulitas postulantis sit. *Ne forte in turbine me conterat.* Propterea quæro judicium ejus, ne in turbine me conterat. *Multas enim tribulationes meas fecit sine causa:* quorum causa me latuit. Aut certe confitentis vox est, flagellis Dei confitentis non se esse correctum, et idcirco posse turbine conteri, quasi majori supplicio. *Non enim sinit me respirare:* tam multæ sunt tribulationes meæ. *Etenim quia potest, obtinet.* Vincit, ut voluntatem ejus faciam, non meam. *Quod etsi fuero justus, os meum impia loquetur:* si me justum putavero. *Verumtamen auferetur vita mea.* Quamvis nesciam si impie egi, tamen auferetur vita mea, ut patiar quæ nolo, aut non faciam quæ volo. *Unum est quod dixi, magnum et potentem disperdit ira.* Id est, propter hoc unum fiunt tribulationes hominibus, ut magnus sibi potensque nemo videatur, præsumens de viribus suis. *Quia nequam homines in magna morte erunt:* non in mediocri, in qua sunt etiam justi, cum tribulantur, et ab eis deridentur. *Terra tradita est in manus impii:* aut corpus justorum, non anima, cum eos persequuntur, aut quando impius dominari permittitur. Potest et accipi homo peccator in manus diaboli secundum mortalitatem suam. *Faciens judicium* (a) *ejus operit:* aut ipsius impii judicium, aut justi; in hoc enim tempore opertum est. Aut certe hoc ipso facit judicium ejus, id est, eo illum punit, quo occultat ei providentiam suam: ut est, *Præ magnitudine iræ suæ non requiret* (*Psal.* II, 25). Vel eo justum vindicat, quo occultat persecutori ejus judicium suum, id est providentiam suam, ut arctius peccatorum laqueis per impunitatem capiatur. *Quod si non est, quis ergo est?* Potest hoc de Domino intelligi, qui et derisus est, et cujus terra, hoc est, corpus traditum est in manus Judæorum, et cujus judicium faciens occultavit majestatem ipsius. *Quod si ipse non est, quis ergo est*, qui majora faciat, quam fecit ipse? Vel sic, Quod si non facit Deus judicium justi vel impii, quis potest facere? *Vita autem mea levior est cursore.* Tanquam fugitivos dicit homines a justitia discedentes; ut ille filius minor profectus in regionem longinquam (*Luc.* XV, 13). *Aut quasi aquilæ volantis, et quærentis escam.* De superioribus, in quibus naturaliter animæ rationales beatæ sunt, id est operibus justitiæ, inclinaverunt se ad terrenas voluptates. *Quod si et locutus fuero, obliviscor dum loquor.* Locutio; quemadmodum affectum habuit ad exteriora, sic anima dum progreditur ad ea quæ foris sunt, cupiditate fruendi creatura, obliviscitur interiorem Creatorem. *Declinans in faciem ingemiscam.* Illam enim declinationem dolores sequuntur. *Commoveor omnibus membris:* timor, quo incipit recurrere. *Et quia sum impius, quare non sum mortuus, et laboro?* Scio, subaudis. Aut dicit se laborare, quia impietati mortuus non est. *Et mundatus fuero mundis manibus:* aut Dei manibus, aut suis; id est, bonis operibus per regenerationem. *Satis in sorde me tinxisti:* in istam mortalitatem perductum. *Et exsecratum me est vestimentum meum:* immortalitas, qua cupimus supervestiri (II *Cor.* V, 4); sed quia non possumus in hac corruptione, ideo dicit, *Exsecratum me est vestimentum meum. Non es enim homo, sicut et ego, cui contradicam.* Homini enim possem demonstrare justitiam meam; in tuo autem judicio invenior injustus. *Utinam esset nobis arbiter!* Videtur blasphemare, nisi illum Mediatorem Dei et hominum (I *Tim.* II, 5) optare intelligatur, ut per eum alleget preces suas. Hoc modo enim ille audit inter utrumque positus, et arguit hominem. Filio enim omne judicium Pater dedit (*Joan.* V, 22). *Et qui argueret, et qui audiret inter utrumque. Avertat a me virgam suam.* Transeat timor Legis, ut adoptionis libertate et charitate illi conjungar. *Non enim sum mecum:* quia his hæreo quæ foris sunt.

[Ib. X.] *Proferam contra me sermones.* Hæc confitentis sunt. *Et dicam ad Dominum, Noli me docere impium esse.* Noli me tentare ultra quam possum ferre, nec mihi sinas accidere, quibus mihi impietas persuadeatur. *Aut bonum est tibi, si inique egero?* Non est autem tibi bonum, si inique egero: non ergo injuste me ita constituisti. *Quia despicis opus quod manus tuæ fecerunt?* Si quod despicis opus manuum tuarum. *Ad consilium impiorum animadvertisti?* sed non ejus impietatis quæ hominibus apparet. Et, *Ad consilium impiorum animadvertisti?* non quia placet illi ut inique agant. *Aut sicut homo perspicit, perspicis?* quia utique non sicut homo perspicis; ideo in consilio impiorum animadvertisti. Est enim impietas quam tu solus vides, et ab hominibus non videtur. *Aut humana est vita tua?* id est, brevis, ut non possis de perpetuitate ju-

[1] In LXX: *Kêtê tà hup'ouranon, ceti qui sub cœlo.* Sed credimus labem allatam eorum versioni, quæ forte habebat, *kéthoi tês huperêphanias, adjutores superbiæ:* quod hebræo textui consonat.

(a) Utebatur mendoso codice: nam apud LXX legitur, *facies judicium;* in Vulgata, *vultum judicum.*

dicare. *Et peccata mea investigasti.* Non enim latere te potuerunt quæ latent homines. *Scis enim me nihil impie fecisse.* Nam quantum ad homines, nihil impie feci. *Sed quis est qui de manibus tuis eripiat*[1]? judicantis. Sicut Deus judicas, cum vides etiam eas impietates quas homo non videt. *Postea vero mutatus percussisti me :* se scilicet mutato, non Deo; quia mutatus homo mutatum Deum sentit, ut per tenebrarum diuturnitatem mutati oculi mutatum solem sentiunt. *Memor esto quia de luto finxisti me.* Tua ergo misericordia indigeo. *In terram me iterum convertes :* morte, quæ pœna est peccati. *Nonne tanquam lac mulsisti me?* Quia etiam jam mortalibus præbuit misericordiam, cum homines de hominibus informi primordio formavit. *Hæc ergo cum in te sint, scio quia omnia potes :* quia tantæ bonitatis sunt, ut carnalem quoque substantiam operentur. *Quod si et peccavero, custodies me* : aut ut me non perdas, aut ne lateat peccatum meum. *Et si justus fuero, non possum respirare :* in conspectu hominum. Nam tu vides peccata quæ homines latent. *Plenus enim sum opprobrio :* in conspectu tuo. *Et capior sicut leo ad occisionem.* Est superbiæ peccatum quod homines latet, quando etiam in factis laudabilibus possit obrepere. *Iterum autem commutatus sævissime crucias me :* post pœnam peccati, qua mortalis factus est homo. Secundum has dicit tribulationes, quas in hac vita homines patiuntur; quia repente pleræque accidunt tribulationes, quæ turbant quietem ipsius vitæ mortalis, cum in salute est, vel in securitate rerum quamvis temporalium, quam misericordiæ Dei deputavit. *Instaurans in me tormenta mea.* Quia jam ipsa mortalitas tormentum est, de qua tribulationes aliæ fiunt. *Quare ergo de ventre eduxisti me?* de obscuritate ad notitiam, quæ sola majoris miseriæ est materia, cum subvertitur : hanc generationem superius etiam commemoravit. *Et essem tanquam non fuissem :* penitus ignotus. Unde est, *Vocat ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt* (*Rom.* IV, 17), id est, secundum ignobilitatem. *Aut numquid non est tempus parvum vitæ meæ?* Non enim propter longitudinem vitæ meæ mortuus non sum; cum utique parvum sit quod vivo. *Patere me, donec requiescam pusillum.* Post misericordiam qua de limo fecisti me, et mutatum mortalitate percussisti me, et ipsa mortalitate consolatus es me, deinde exercuisti me tribulationibus. Patere ergo me, ut requiescam in te : *Antequam eam in pœnas unde reverti non licet.* Ab his enim quas supra commemoravit, licet reverti, si se homo ad Deum converterit. Vult autem requiescere antequam eat in pœnas æternas, ad hoc utique, ut non eat. Quemadmodum si dicamus alicui, Corrige te, antequam damneris: non enim cum se correxerit, damnabitur. *Ubi non est lux, nec est videre vitam hominum.* Illa est enim vita hominum, ubi est lumen verum, quod illuminat omnem hominem (*Joan.* I, 9). Alia est terra viventium, alia terra morientium.

[Ib. XI.] Verba Sophar Minæi. *Aut numquid videbitur eloquens justus esse?* Putat enim, Job verbis magis quam operibus abundare. *Beatus natus homo, brevis vitæ.* Sententiam suam illi replicat, quam vult intelligi loquaciter dictam et inaniter. *Cum nemo sit qui contradicat tibi.* Quia quando dicebat, nemo ei contradixit. *Sed quomodo Dominus loquatur ad te.* Ea loquere potius, quibus misereatur tui Deus. *Quia duplex erit super te ;* corripiendo, et consolando. *Et tunc scies quia digne reddita sint tibi a Domino quæ peccasti :* post correctionem sequente illuminatione. *Aut vestigium Domini invenies :* ut velis Deum reprehendere. *Sublime est cœlum, et quid facies?* ut invenias sacramenta cœli. Non enim debes eum reprehendere, cujus opera non comprehendis. *Quis dicet illi, Quid fecisti?* Et hoc enim recte erit factum, si Deus hoc fecerit : quia facere aliquid ille nisi recte non potest. *Ipse enim novit opera hominum iniquorum.* Non iniqui operis est. Unde vult intelligi quia stulte hic, quem iniquum putat, reprehenderit Deum : sic enim eum loqui existimavit. *Homo vero aliter nutat sermonibus.* Modo illi placet Deus, modo illi displicet; cum apud Deum sit firmitas. *Et vir natus mulieris tanquam onager erit in deserto :* cupiditate libertatis, impatiens dominatoris atque domitoris. *Et extendens ad eum manus tuas ;* ut acceptet opera tua. *Si iniquum quid est in manu tua.* Ipsa duo repetivit, sed ordine mutato. *Et iniquitas in domo tua non maneat.* Hoc dixit cor. *Sic enim fulgebit facies tua tanquam aqua :* pura conscientia. *Tanquam fluctum qui non præterit, et non terreris ;* nisi omnes tangat in hac vita. *Et oratio tua tanquam lucifer erit :* ante illuminationem præibit ; quasi et ista ad prophetiam sanctæ civitatis vel ad populum Dei pertinentia, audita, vel revelata dicuntur, sicut a superioribus amicis ejus dicta sunt. *Et rogabunt faciem tuam multi.* Omnia ista de Ecclesia.

[Ib. XII.] Verba Job. *Sed justus vir et sine crimine venit in derisum.* De Domino intelligendus est. Sensus : Non ergo mirum si et ego vobis in derisum veni. *Et domus ejus ut devastaretur ab iniquis :* Ecclesia a persecutoribus. *Imo vero nullus confidat, cum sit nequam, se impunitum futurum :* quia judicium a domo Dei (I *Petr.* IV, 17). *Tanquam inquisitio in eos non sit futura :* non confidant. *Sed tamen interroga quadrupedia, si tibi respondeant.* Ideo recte inquirit iniquos, quia ex operibus potuerunt cognoscere Creatorem, et colere debuerunt. Non enim creaturarum responsione doceri debuerant ; cum acceperint rationem qua ista cognoscerent. *Si non in manu ejus est anima omnium viventium.* Hinc ergo scitur, quia ipse omnia creavit, quia anima omnium viventium in manu ejus. *Et spiritus omnis carnis hominis :* omnis carnis humanæ, id est rationalis anima. *Auris enim sermones dijudicat.* Quemadmodum sensus sensibilia dijudicat, ita spiritualia spiritus, qui debuit cognoscere, quoniam in manu Domini est, opera Domini. *In multo tempore sapientia est.* Non utique in multo tempore; sed apud Dominum, a quo petenda est. *Si destruxerit, quis ædificabit ?* propter virtutem destruxerit, et propter sapientiam clauserit, ut ad eam non perveniat. *Si prohibuerit aquam, siccabit terram :* sapientiam ipsam,

[1] Sic Mss. cum LXX. At editi, *eripiatur.*

terram vero hominem. *Quod si et emiserit, perdet evertens terram.* Multis enim sapientibus factis turbabuntur peccatores. *Qui ducit consultores captivos.* Subjugat enim sibi eos qui se consulunt. *Judices autem terræ in pavorem misit :* aut Judæos, aut Pilatum, aut sensu terreno judicantes. *Qui collocat reges super sedes :* id est, Apostolos. *Et circumdedit balteo lumbos eorum:* id est, continentia. *Qui emittit sacerdotes captivos :* ut ab hominibus ducantur; et significantur Judæi. *Qui permutat labia fidelium.* Permutat in bonum, ut non de justitia sua, sed de gratia ejus præsumant. *Et intelligentiam senum cognovit.* Cui placet intelligentia senum. Unde est, *Cogniti estis a Deo* (*Galat.* IV, 9) : cui adversarium est, *Non novi vos* (*Matth.* XXV, 12). Et bene cœpit a fide, et pervenit ad intelligentiæ canos. *Qui revelat profunda de tenebris :* aperiendo prophetias. *Et produxit in lucem umbram mortis :* id est, fecit ut cognosceretur vita ista, quia umbra mortis est. *Decipiens gentes, et perdens eas :* putantes quod nocerent Ecclesiæ Dei, cum sibi nocerent; quod de impiis intelligendum est. *Sternens gentes, et in viam ducens eas :* ad humilitatem, tanquam illum asinum. *Reconcilians corda principum populi terræ :* sibi reconcilians vel Judæos vel reges terræ, qui primo persequebantur Ecclesiam. *Seduxit*[1] *autem eos in viam quam non noverant :* subruendo Legis opera, ut simpliciter intelligerentur; hinc eis visus est peccator. *Quo errore tenebrati sunt tanquam ebrius.*

[Ib. XIII.] *Et arguam in conspectu ejus, si voluerit :* ut arguat seipsum; quod est confessionis. *Et curatores malorum omnes vos.* Bonos enim non potestis consolatione curare. *Audite ergo objurgationem oris mei :* in vos. *Et ante conspectum ejus profertis dolum :* cum vultis vos videri justos, quod non estis. *An subtrahitis vos ipsos judices fieri ?* Numquid potestis dissimulare, et non judicare, quia de vobis verum dico? *Si enim omnia facietis, adjiciemini ei :* id est, etiamsi omnia præcepta faciatis, inveniet in vobis quod arguat. Nemo enim justus in conspectu ejus. *Quod si et occulte personas mirati fueritis :* suas, seipsos justificando, non solum ad homines, sed etiam ad seipsos. *Corpus autem luteum :* ut fragilitatis saltem vestræ consideratione timeatis. *Apprehendens meas carnes dentibus meis.* Non mihi parcam, ut non solum vos arguam, sed etiam me. *Et animam meam ponam in manu :* inspiciendam, ut nihil celem, sive ut computem peccata mea. *Licet occidat me ille qui potens est, qui et cœpit :* quamvis occidat peccata mea. *Tamen loquar, et coram eo arguam me :* non me justificabo, abscondens peccata mea. *Ecce ego appropinquo judicio meo :* ut judicem de me; quasi ipsa sit hominis justitia, in confessione sibi non parcere. *Tunc a facie tua non abscondar :* quemadmodum absconduntur peccatores. *Manum aufer a me :* ut nihil in me sit castigandum, et sit in me charitas. *Et timor tuus non me terreat. Quot sunt iniquitates meæ ?* Hinc potest videri illud dixisse, *Animam meum ponam in manu mea :* ad computandum. *Aut putas me esse contrarium tibi ?* Cum utique infirmus sum, et quasi hoc metuis, ne si justificatus fuero, par tibi sim; cum folium sim. Ergo est aliqua latens causa, quando hæc non est. *Et imposuisti mihi peccata juventutis.* Ut hæc sit causa, quare dicat abscondi a se peccata sua, quia superbierit, quod est peccatum juventutis. *Et posuisti in compede pedem meum :* in vinculo mortalitatis. *Et radices pedum meorum contemplatus es :* cupiditates meas. *Qui veterasco sicut uter :* ut vinum novum portare non possim : *aut* (ut [1] panno novo consui) *velut vestimentum quod a tineis comestum est.*

[Ib. XIV.] *Homo enim natus ex muliere, brevis vitæ, et plenus iracundiæ :* pœnæ[2] . *Et hunc fecisti venire in judicium coram te.* Quamvis ita mortalis sit, et ipse habet tamen unde rationem reddat : exigitur enim de illo quod potest, quamvis perparum possit. *Dinumerati enim sunt menses ejus apud te.* Eo enim quod temporalis est, de peccato convincitur : nam æternum illum tu feceras. *Discede ab eo ; sine, requiescat :* secundum opinionem carnalis et animalis hominis, cui totum bonum hæc vita est. Et ideo sibi vult parci, ut fruatur hac vita. *Est enim arbori spes.* Irridenter hæc pronuntianda. Utique enim magis est spes homini : quod carnales nolunt credere. *Vir vero cum mortuus fuerit, abiit.* Et hic ironicè. *Tempore enim minuetur mare ; nam post impletur.* Dicit autem de his locis, ubi accessus et recessus fit, vel quod omnia littora latenter minuuntur et augentur, horis lunaribus scilicet, cum oritur luna, vel nobis vel aliis usque ad medium cœlum [3] crescit, et inde minuitur. *Usquequo cœlum est, non consuetur :* ad novum[4], id est ipsi cœlo. *Atque utinam apud inferos me custodisses.* Usque adeo est spes resurrectionis, ut jam et his carcerem vitæ incertis. *Et abscondisses me, donec requiesceret ira tua.* Hinc est, *Abscondere pusillum, donec transeat ira Domini* (*Isai.* XXVI, 20); id est, donec transeat ista mortalitas, et ad resurrectionem veniatur. *Si enim mortuus fuerit homo, vivet.* Nam hæc non est vita. *Consummatis diebus vitæ suæ :* tunc vivet. *Deinde vocabis, et ego respondebo tibi :* obediens tibi, sine impedimento mortalitatis. *Signasti in sacculo iniquitates meas :* ut redderes mihi. *Annotasti si quid invitus erravi :* etiam hoc annotasti. Invitum autem errare pœna peccati est. *Et quidem mons cadens defluit.* Ita et homo ex altitudine et firmitate sua cecidit. *Et petra veterascit in loco suo :* ut homo in genere suo et conditione sua. *Et alluvione frequentium gurgitum :* quasi et homo ita ad exilitatem perductus sit, cum crebris cupiditatum alluvionibus atteritur. *Spem vero hominis perdidisti.* Gradus fecit de monte ad petram, a petra ad lapides, a lapidibus ad arenam ; quia has minutiones carnales patiuntur. Et bene jam *perdidisti* dixit. *Impulisti enim in finem :* in consumptionem. Ut pereat spes ista qua carnales gaudent. *Mutasti faciem ejus, dimisisti eum :* cum ima[illegible]

[1] Editi, *eduxit.* Manuscripti vero, *seduxit.* Apud LXX, *éplanêse.*

[1] Er. Lov. non habent *ut.* M.

[2] Sic melioris notæ Mss. At editi, *brevi vivens tempore, plenus iracundiæ plenæ.*

[3] In excusis, *ad medium mensem.* Verius in Mss., *ad medium cœlum.*

[4] Er. et Lov., *non consuetur ad novum*, sine commate. M.

Dei in eo exterminata est. *Et cum multi fuerunt filii ejus, nescit :* quia moritur, quamvis propagetur soboles. *Sed carnes ejus super eum doluerunt :* id est, talem conditionem suam homo carnaliter dolet, et animaliter luget. Spiritualis enim novit, quia etsi exterior homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem (II *Cor.* IV, 16): quia hoc fieri sentit in seipso.

[Ib. XV.] Verba Eliphaz Themanitis. *Et implevit dolore ventrem.* Spiritus enim scientiæ per consolationem sanat potius a doloribus : tu autem qui imples ventrem dolore, non spiritu scientiæ respondes. *Nonne tu repulisti timorem?* Deum non timuisti, in eum talia dicens. *Et elegisti linguam malorum :* qua homines maledicunt. *Quid enim? numquid primus homo natus es?* quia tantum superbis. *Aut ante colles concretus es?* Etiam montes nomine collium accipiendos, id est, ante omnes virtutes, spiritus potentes. *Sed et senex et decrepitus in nobis est.* Qui sciat etiam quæ nos nescimus, est inter nos, *Quid ausum fuit cor tuum? et quid sustinuerunt oculi tui?* speraverunt. *Quid enim est homo ut sit sine crimine?* quod et tu dixisti. *Si in sanctis ejus non est fides :* propter incerta temporum, quibus plerumque falluntur, ut multa dicant, et non faciant. *Et cœlum non est mundum ante eum :* pro his qui habitant in cœlo; aut certe cœlum pro ipsis sanctis ponitur, quia in his habitat Deus. *Quæ sapientes dixerunt, et non celaverunt parentes suos.* Quia etiam Judæis Apostoli prædicaverunt. *Ipsis solis data est terra :* inhabitanda. *Nec supervenit illis quisquam extraneus :* nec sanctus homo vel angelus; id est, in securitate possidebunt. *Cum putaverint se esse jam in pace.* Ita dicit, quasi hoc putet ipsi Job evenisse. *Non credit converti a tenebris :* non credit ut convertatur a peccatis. *Et decretus est in escam vulturum :* aeriarum potestatum, quæ mortibus peccatorum pascuntur. *Sicut dux in prima acie decidet.* Audax est, et non fert tribulationes. *Qua*[1] *elevavit manus contra Deum.* An, *quia elevavit? Et cucurrit contra eum contumeliose :* adversaria faciendo quam præcepit. *In crassa cervice scuti sui :* præsumens de protectione sua. *Quia operuit faciem ejus in adipe suo.* Per adipem, id est, per exaltationem superbiæ suæ abscondit a se Deum. *Et fecit capistrum super femora :* ut libidinibus suis colligaretur, quo vinculo duceretur ad mortem. *Quæ enim illi paraverunt, alii auferunt :* ipsum etiam regnum terrenum, vel quamcumque spem temporalem, quam cum toto mundo justi accipient. *Et non ditabitur, nec permanebit substantia ejus :* impii scilicet. *Non immittet super terram umbram :* id est, non viret. *Sed stirpem ejus arefaciet ventus :* tentatio. *Præcisio ejus ante horam corrumpetur :* priusquam speret. *Decidat tanquam flos olivæ.* Decidat a pace, vel quia meliora hos sequuntur, quemadmodum florem fructus. *Testimonium enim impii, mors :* signum. *Et ignis comburet domus eorum qui munera accipiunt.* Hi sunt enim impii qui munera temporalia præponunt justitiæ. *Concipiet et in ventre gemitus.* Ea quæ sperat, in pœnam illi proficiunt.

[1] *Quia*, juxta Er. et Lov. M.

[Ib. XVI.] Verba Job. *Audivi talia multa :* non solum quæ vos dicitis. *Consolatores malorum omnes.* Malos potestis consolari, quia ipsi vos imitantur, non bonos : et est vocativus. A nullo enim vestrum audivi aliquid boni. *Quid enim? numquid ordo in sermonibus est spiritus?* superbiæ. *Aut in quo molestum tibi erit?* quamvis non ames quod dicas. *Et ego secundum vos loquor :* quomodo digni estis. *Si subjecta esset anima vestra pro mea.* Si vos pateremini quod ego; loquerer sermonibus, non factis : ita nihil est loqui quod non facitis[1]. *Si enim loquar, non dolebo vulnere.* Ostendistis vos neque in loquendo, neque in tacendo prudentes esse. Nam sapientes et cum loquuntur, in consolationibus condolescunt; vel in confessione sua loquentes, dolent vulnus suum; vel cum tacent, prudenter tacent. *Nunc autem lassavit me, et fecit stultum, et putrem :* ut non contra vos loquar, Deus fregit superbiam; ut stultus factus sapiens fiam. *Apprehendisti me, et in testimonium factus sum.* Convicisti me de peccatis meis, et adversum me ego sum testis. *Et surrexit super me mendacium meum :* cum mihi justus videbar. *Contra faciem meam respondi.* Hinc est, *Statuam te ante faciem tuam* (*Psal.* XLIX, 21). *Iracundia usus dejecit me.* Benedixit, *usus iracundia;* non enim eam patitur : dejecit autem tanquam superbum. *Fremuit super me dentibus.* Objurgavit me; ut dentes pro verbis intelligantur. *Sagittæ piratarum ejus super me deciderunt.* Aerias potestates quibus utitur Deus, et eis permittit ut aut exerceantur boni, aut puniantur mali. Piratæ autem, quia in hoc mari navigantibus insidiantur. *Acie oculorum irruit.* Non dissimulavit a peccatis meis, tanquam innuit ut punirer. Ipse enim tanquam lumen est, punitoribus ostendens puniendos. Ruina mihi fuit aspectio ejus. Aut ita : Fecit ut viderem peccatum meum; ante enim non sic mihi ad sensum perductum fuit. *Acriter percussit me in genibus, et simul concurrerunt in me.* Deo enim percutiente, illi concurrerunt angeli satanæ. *In pace cum essem, discerpsit me.* Ab ipsa pace aut a memetipso discerpsit, ut ab adversariis et sibi adversantibus dilacerarer. *Et tenens comam meam divulsit :* per peccata mea me adversum me divisit. *Statuit me sicut signum :* in quem jacularentur, ut solet signum poni jaculantibus, quo jacula dirigant. *Circumdederunt me lanceis, emittentes in renes meos; non pepercerunt :* propter desideria carnalia, quæ sibi impacta dicit, per malas persuasiones ab angelis malis. *Effuderunt in terra fel meum :* ut terrena bona zelarer in iis qui his abundant. *Dejecerunt me prostratione magna :* ne carnalem prostrationem intelligeremus. *Cilicium assuerunt corio meo :* peccata interiora, quibus reminiscitur se fuisse in bonis. *Et super palpebras meas umbra mortis.* Volo videre, et impedit me consuetudo carnalis. *Terra ne operiat super sanguinem carnis meæ :* id est, ne si immunda fuerit oratio mea optando terrena, accedat cumulus terræ super vinculum mortalitatis meæ; quod significavit nomine sanguinis : id est, ne cupiditate terrena majoribus calamitatibus voluntarii peccati operiar, quod est illud naturale peccatum de condi-

[1] Mss., *quod facitis :* absque negatione.

tione mortali, *Nec sit locus clamori meo.* Intercludatur meritum orationis meæ. *Et nunc ecce in cœlis est testis meus.* De Domino videtur dicere, quia nondum in terram descenderat. *Et conscius meus in excelsis :* propter participationem mortalitatis. *Dijudicetur vir cum Domino.* Veniat Dominus, ut cum eo vir judicetur, tanquam Joannes cum Christo. In quorum dijudicatione intelligitur quid distet inter hominem perfectum, et Deum hominem factum. *Sicut filius hominis ad proximum suum :* Dominus homine suscepto, ad eum qui inciderat in latrones (*Luc.* x, 30). *Anni enim dinumerati venerunt mihi :* quod mihi per Christum subveniatur plenitudine temporum (*Galat.* IV, 4). *Et viam per quam non revertar, ingrediar :* viam renuntiandi sæculo.

[Ib. XVII.] *Defeci agitatus spiritu :* ordo, Defeci spiritu, laboribus concussus. *Oro ut sepeliar, et non contingit mihi :* ut absorbeatur mortale a vita. Ingemiscimus enim gravati, in quo nolumus spoliari, sed supervestiri (II *Cor.* V, 4); id est, mutemur potius quam moriamur. Quod utique, quamvis hoc homo cupiat, non contingit. Debet enim mortem condemnatione peccati. *Preces adhibebo cum labore, et quid feci :* nonnihil feci [1] impetrans. *Furati sunt externi bona mea.* Ipsam immortalitatem, qua spoliatur, significat, qui semivivus a latronibus est relictus. *Quis et iste?* qui mihi subventurus est, Dominum significans. Sed ideo dicit, *Quis est?* quia inter homines futurus erat, ut vix ab eis discerneretur. *Ad manum meam ligetur :* vinculo charitatis, ut custodiat me, et ducat quo vult. *Quia cor eorum abscondisti a prudentia.* Qui cum non cognoverunt abscondisti. *Propter hoc non exaltabis eos*, Quia humiles non fuerunt, ideo cæcati sunt, et non potuerunt humilitate Christi exaltari. *Parti annuntientur mala.* Quod cæcitas ex parte in Israel facta est (*Rom.* XI, 25), sive quia eis mala videbantur quæ Christus annuntiabat, ut dicerent, *Seducit turbas* (*Joan.* VII, 12); sive per Prophetas quæ annuntiata sunt de cæcitate Israel, non utique toti, sed parti acciderunt. *Et oculi super filios eorum tabuerunt :* admiratione miraculorum, quibus dictum est, *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in quo ejiciunt* (*Matth.* XII, 27)? *Posuisti autem me in loquelam nationibus :* hominem quem redemisti, id est, Ecclesiam de qua loquerentur nationes, sive quæ loqueretur nationibus. *Et in risum illis deveni :* aut nationibus, cum ei detraherent; aut Judæis, qui loquebantur nationibus. *Obscurati sunt ob iram oculi mei.* Obscurati sunt oculi Ecclesiæ, id est Apostoli, cum intellecti non sunt ab iis qui hac pœna erant puniendi. *Et expugnatus sum valde ab omnibus.* Tam Judæi enim quam Gentes expugnaverunt Ecclesiam. *Et mirati sunt* [2] *super hoc veraces :* vel quare potestas data sit impiis in Ecclesiam [3], vel quare ab impiis Evangelium agnitum non sit. *Justus autem super inimicum consurgat :* qui temporaliter cadit persecutionibus, ut postea infidelibus dominetur. *Et purus manibus sumat audaciam :* spei audaciam, ut confiteatur Christum et in persecutione. *Non enim invenit in vos veritatem.* Omnibus enim tam Judæis quam aliis gratia necessaria est. *Et convulsæ sunt compages cordis mei :* ut non celem peccata mea. *Noctem in diem posuerunt :* impii. Unde est, *Væ illis qui dicunt quod bonum est malum, et malum bonum; qui ponunt tenebras lucem, et lucem tenebras* (*Isai.* V, 20). *Si sustinuero, inferi domus mea erunt :* pertulero peccata mea, ut non confitear. *Interitum appellavi patrem meum.* Non ero filius vitæ. Appellavit autem Deus. *Matrem meam* [1] *et sororem tabem.* Ex eo quod inseparabiliter hæreant, tanquam cognati. *Quæ est enim mihi jam spes?* subauditur, Si sustinuero. *Aut bona mea videbo?* quibus seductus converti noluit, et sustinuit peccatorem.

[Ib. XVIII.] Verba Baldad Sauchitis. *Et lumen impiorum exstinguetur.* Noli ergo mirari si et tuum tanquam impii lumen exstinctum est. *Lux ejus fuerunt tenebræ in domo :* claritas domus ejus; id est, aut diabolus aut Antichristus. *Et lucerna super eum exstinguetur :* exiguum et terrenum lumen. *Accipiant infimi substantiam ejus.* Quæ habere ille voluit [2], habeant humiles. *Immissus est enim pes ejus in laqueum.* Ipse enim captus est, Dominum persequendo. *Confortavit super eum sitiens :* ut vincant eum esurientes et sitientes justitiam. *Absconditus est super terram funiculus ejus :* quo capiatur, hoc est, ea quæ illi quasi conceduntur. *Et captio ejus in semita :* qua transit. *Per circuitum perdant eum dolores :* undique. *Et multi circa pedes ejus veniant in angustia famis :* multi qui eum sequuntur, vel qui ei obsequuntur. *Comedantur rami pedum ejus :* doctrinarum ejus, id est, qua it. *Rumpatur de habitaculo ejus sanitas :* tranquillitas hujus vitæ. *Et teneat eum necessitas causæ regalis :* opportunitas punitionis ejus, quæ valebit ad gloriam Dei, propter quod modo illi permittitur cupiditas sua. Causam regalem dicit, quia se Christum jactabit. *Habitet in tabernaculo ejus in nocte ejus.* Necessitas causæ regalis cruciet conscientiam ejus; appetitio tyrannidis : *in nocte*, in supplicio cæcitatis ejus, quando damnatur. *Aspergentur speciosa ejus sulphure :* quibus placebat, igne fetido concrementur. *Et de sursum irruet messio ejus :* a Deo. *Et non sit nomen ejus in facie platearum ubi erat :* tollatur de memoria populi. *Et non sit cognoscibilis* [3] *in populo suo.* Ad tantam dejectionem veniat, ut a suis non agnoscatur. *Nec resalvetur sub cœlo domus ejus.* Aliqui enim resalvabuntur. *Sed in populo ejus vivant alteri.* Aliis subjugetur populus ejus.

[Ib. XIX.] Verba Job. *Et destruitis me verbis.* Infirmatis me, qui me consolari debuistis. *Scitote tantum quia Deus fecit mihi sic :* apud quem possum de peccato convinci, non apud homines. *Et vallum suum circa me circumdedit.* Fossa circa muros est; quo

[1] Sic Mss. Beccensis et Floriacensis. At editi : *Preces adhibeo cum labore : et quid feci? non mihi feci.*
[2] *Admirati sunt*, juxta Er. Lugd. Ven. M.
[3] In B. *Ecclesia.* Er. Lugd. Ven., *Ecclesiam.* M.

[1] Lov. ferunt, *appellavi autem Deus matrem meam*, sine interpunctione. Sic etiam Er., qui legit tamen, *appellavit*, ut cæteri editi. M.
[2] Editi, *noluit.* Manuscripti, *voluit.*
[3] Sic in Mss. At in editis, *cognominatio.*

coactus sum ad confessionem. *Ecce video opprobria, et non loquor.* Utilitatem dicit confessionis; quia si vellet ridere peccatum suum, et non illud proloqui, clamaret, et non exaudiretur. *In vultu meo tenebras posuit.* Illuminationem vultus mei abstulit a me; quod contingit aversis. *Et abstulit coronam de capite meo:* dignitatem spiritualem, quam dat sapientia. *Et disrupit me undique, et abii.* Omnia tenebam, et abstulit illa a me: adversus illud quod acceperat virtutem continendi omnia. *Et arbitratus est me tanquam inimicum.* Sic me judicavit, quasi ei nocerem, si ei par essem. *Et circumdederunt tabernaculum meum*; cor et conscientiam. *Fratres mei recesserunt:* in spe correctionis, quia fratres sunt: quamvis primo correctionem meam aspernati sint; et eos secuti qui sibi aliena, hoc est perniciosa, suaderent. *Et amici mei immisericordes facti sunt:* in malis spiritualibus, qui non condolent proximis suis, sed potius eos irrident; quos non irriderent in malis carnalibus constitutos. *Et scientes nomen meum obliti sunt me:* non me cognoscentes, quod mutatus sum. *Vicini domus, et ancillæ meæ:* cum quibus secreta communicabam; adulatores, qui recedunt ab eo qui confitetur Deo: ipsi enim dicuntur ancillari. *Servum meum vocavi, et non respondit:* aut corpus, aut eos qui ei ad mala serviebant. *Os meum deprecabatur* [1], *et rogabam uxorem meam:* tanquam dicens, *Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me* (*Psal.* XLI, 12)? id est, cupiens ut ei consentiat, *Invocavi blandiens filios uteri mei:* quos genuerat, persuadens eis spem sæculi. *Et quos dilexeram, consurrexerunt in me:* in illa vita. *In cute computruerunt carnes meæ.* Amore eorum quæ forinsecus sentiuntur, computruerunt interiora mea. Nam utique leve est, si ad litteram accipiamus, tanquam scabiem habuerit. *Et ossa mea in dentibus meis sunt.* Firmitas et fortitudo mea in verbis est, non in factis. *Miseremini mei, miseremini mei, o amici.* Angelos videtur postulare, ut pro eo deprecentur, aut certe sanctos ut pro pœnitente orent. *Manus enim Domini est quæ tetigit me.* Manu Domini se tactum dicit, ut doleret vulnus suum, quod sine sensu ei fuit. *Quare me persequimini, sicut et Dominus?* detestamini et horretis sicut Dominus; vel objurgatis, cum jam confitear. *De carnibus meis non satiamini.* Non gaudetis, si carnaliter vivam. *Stilo ferreo et plumbo:* ut quemadmodum cedit plumbum stilo ferreo, sic cedant sermonibus meis corda hominum. *Aut in testimonium in petris sculpantur:* ut illi ea discant, qui firmi sunt ad evangelizandum. *Scio enim quia æternus est qui me resoluturus est:* quia potest me reparare. *Quorum ego mihi conscius sum:* quia merui illa. *Quæ oculus meus vidit, et non alius.* Hoc est, *Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus qui in ipso est* (I *Cor.* II, 11). *Et omnia mihi consummata sunt in sinu:* in interioribus ubi nemo videt, in conscientia. *Quod si et dixeritis, Quid dicemus contra eum?* Secundum quod dictum est etiam spiritualibus, *Intendens teipsum, ne et tu tenteris* (*Galat.* VI, 1). *Et radicem sermonis inveniemus in eo:* ut de ipsius [1] eum convincamus. *Ira enim super iniquos veniet.* Qui se extollunt super peccatores, et putant se tales esse non posse, ipsos dicit iniquos.

[1] Editi, *deprecabar.* Mss. juxta LXX, *deprecabatur.*

[Ib. XX.] Verba Sophar Minæi. *Non enim intelligitis magis quam ego.* Ad alios se convertit, qui cum eo Job consolabantur. *Eruditionem confusionis meæ audiam.* Oblique vult ut Job audiat eruditionem confusionis suæ: tunc enim potest etiam spiritum sapientiæ consequi. Hæc autem locutio solemnis est, cum dicimus, Bonum est mihi ut caveam, nam male mihi erit; cum volumus ut alius caveat. *Numquid hæc nosti a sæculis?* Ex quo sunt sæcula, scis hæc. Et hæc putat quod Job ignoret tanquam impius. *Oculus videbit, et non adjiciet.* Non enim videbitur. *Filios ejus disperdat impius:* sive imitatores ejus, sive seductos ab eo. *Et manus ejus succendantur doloribus:* operibus ejus crucientur. *Ossa ejus impleta sunt juventute ejus.* Superbit de firmitate sua. *Abscondet eam sub lingua sua.* Non illam demonstrabit tanquam dolosus, ut tacite illa utatur. *Parcet ei, et non relinquet eam.* Amans eam, et nolens ea carere, non eam persequetur: aut, parcet ei Dominus, et hac impunitate non eam relinquet. *Et tenebit eam in medio gutture suo:* tanquam quod eum delectat. *Et non poterit subvenire sibi.* Non ideo se liberabit. *Fel aspidis in ventre ejus:* in interioribus, in occultis habens nocendi malitiam. *Divitiæ inique congregatæ evomentur:* cum tormento interiorum et pressura cordis. *De domo ejus protrahet eum angelus.* Quandocumque manifestabuntur occulta ejus per tribulationes. *Et furore draconum fulgebit* [2]*:* ut ille qui primo occultus fuit, tribulationibus proditus, furore draconum fulgeat jam palam. *Interficiat illum lingua colubri.* Seducat eum diabolus. *Et non videat mulctram pecorum:* fructus ovium, id est, justitiæ opera non faciat, ut se inde intelligat posse redimi. *Neque pabula mellis et butyri:* opera bona cum charitate et hilaritate cordis, et largitate præbentis. Butyrum enim lac pingue est. *In vanum et frustra laboravit:* quia non intelligit hæc de his operando, quæ ad misericordiam pertinent. Unde et Dominus butyrum et mel dicitur manducare (*Isai.* VII, 15), quia hæc illi in humilibus ejus præbentur. *Quæ egerunt ut durum quid:* quod mandi non potest, nec glutiri. Durum nescio quid est, puto, iniquitas vel superbia. *In desiderio suo non salvabitur:* quia iniqua desideravit. *Non erunt reliquiæ de cibis ejus.* Transierunt cupiditates ejus. *Cum putaverit se repletum esse, coarctabitur.* Non tam satietas est de plenitudine cupiditatum, quam pressura. *Si quo modo impleat ventrem suum.* Talis necessitas ei veniet, ut dubitet utrum impleat ventrem suum; cum utique ista ideo quærantur, ut pellatur necessitas. Hoc autem dixit, quia tanto plus cupit, quanto plus habuerit. *Et emittet super eum furorem iracundiæ:* quia non vidit facere opera bona. *Vulneret eum sagitta ærea:* perpetua.

[1] Er., *ut de ipsis.* M.

[2] Mss. aliquot, *furorem:* sed omnes habent postea, *fulgebit;* sicque legisse videtur Augustinus, licet nunc apud LXX habeatur, *sugat:* in Vulgata, *suget.*

Pertranseat corpus ejus jaculum. Penetret eum tentatio, ut et de his quæ sperat, et de his quæ relinquit, vulneretur, tanquam a pectore per tergum trajectus. *Fulgura in tabernaculis ejus :* terrores repentini in cogitationibus ejus. *Lædat advena domum ejus :* diabolus, qui adventitius est ad tentandum ; si quidem habeat homo etiam proprias tentationes. *Et detegat cœlum iniquitates ejus :* cœleste judicium. *Et possessio bonorum ejus ab episcopo* [1]. Hæc illi largietur Deus.

[Ib. xxi.] Verba Job. *Et non sit mihi a vobis hæc consolatio :* qua putatis bonis temporalibus gaudendum, cum communia sint piis et impiis ; et si quando quis iniquus esset, hinc in eum vindicari : cum Job dicat usque ad sepulcrum permanere bona ista impiis, et non in eos per ea vindicari. *Quid enim? numquid humana est castigatio mea?* A Deo est mihi castigatio. Itaque et ipse potest consolari, non vos. *Aut quare non irascar?* Nolite ergo me ita consolari : nam impiorum utique felicitatem video. *Respicite ad me, et admiramini :* tanquam inania dicentem. *Si enim recorder, perturbor.* Indignitates humanæ vitæ, rediens ad affectum præteritum [2] ab isto in quo nunc est, confitetur. *Et tenentur carnes meæ doloribus :* carnaliter doleo. *Quare impii vivunt?* Quærit ab eis causam, quia dicebant hic in impios vindicari. *Et permanent, sicut vetustate, oves eorum :* quo modo possunt vetustate perseverare ; non enim semper erunt. *Erant autem in manibus eorum bona.* Non tulit eis bona ipsa, cum hæc dicerent. *Imo vero, impiorum lucerna exstinguetur :* claritas temporalis, etiamsi non sicut isti intelligebant. *Deficiant filii ejus bona ejus :* bona quæ eis persuasit, temporalia scilicet, aut Antichristi, aut diaboli. *Videant oculi ejus necem suam.* Significat et hanc prosperitatem ignorari ab his qui hac gaudent : in futuro autem ad sensum etiam impiorum perducetur. *Quia nulla voluntas ejus in domo sua post eum :* quia in conscientia sua Dominum non consecuti sunt in tribulationibus. *Licet numerus mensium ejus dimidiatus sit :* quamvis præsentem coluerit Deum, tamen quia non et futura speravit, quod est plenus mensium numerus. *Ipse enim homicidia judicat.* Quia impii cum persuaserint impietatem per dilectionem carnalium impietatum, futuro sæculo utique occidunt. Non tamen talia homicidia judicant homines, sed solus Deus. *Hic morietur in robore simplicitatis suæ.* Videtur exsequi occulta homicidia, commemorans largum unum, et alium avarum ; quia homines abundantes, et largi putantur et boni. *Intestina ejus plena sunt adipe :* habet lætitiam. *Et medulla eorum diffunditur :* intestinorum ; quia non tenet intra se bona sua, sed impendit illa vel in se, vel in aliis. *Itaque scio vos audacter mihi insistere.* Non enim considerate dicitis. *Quia dicitis, Ubi est domus principis?* vel impiorum vel superbi ; quia putabant hic eis auferri bona, cum plerique etiam pleni his vitam finierint per ea puniendi. *Et ubi est velamen in tabernaculis impiorum?* honor. *Interrogate eos qui transeunt per viam :* qui non delectantur via, sed transeunt per eam. *Et signa eorum non ignorabitis :* vel impiorum quæ dant transeuntes, dicentes quid eis [1] futurum sit ; vel a quibus cognoscantur impii. *Quis annuntiabit coram eo viam ejus?* Coram impio viam suam nemo, nisi Dominus annuntiat fiducialiter, quia ipse ei respondet. Et tamen *et ipse* Dominus *in sepulcrum deductus est.* Ita merces pietatis non hic speranda est. *Et super acervum vigilavit.* Ante enim ipse resurrexit, quam acervus resurgeret resurgentium. *Dulces fuerunt ei lapides torrentis :* quos sæculum non subvertit, id est discipulos suos. *Et post eum omnis homo sequitur, et ante eum innumerabiles.* Aut *post eum omnis homo*, id est, unus homo : *et ante eum innumerabiles*, qui nunc in numero hominum deputati [2] sunt. Aut post eum turba credentium, et ante eum Patriarchæ et Prophetæ. *Quomodo ergo consolamini me inaniter?* præsentia bona vel mala suadentes.

[Ib. xxii.] Verba Eliphaz Themanitis. *Nonne Dominus est qui docet sensum et scientiam?* Quasi dixerit Job non eum recte judicare ; cum utique reprehendi Deus non possit, nisi per intelligentiam, qua superior est, siquidem ab ipso detur homini. *Et veniet tecum in judicium?* ut compareris ei. *Lumen tuum in tenebras conversum est :* dignitas. *Et dormientem te aqua operuit :* securum inundatio tribulationis. *An per nebulam dijudicat?* quasi per nebulam videre non possit. *Nubes latibulum ejus, et non videbitur.* Latent eum quæ in terra sunt. *Et ambitum cœli percurrit :* figuram, non et terram. *Ergone semitam sæculi custodis?* Quasi Job putarit a Deo res humanas non curari. *Quia capti sunt immaturi :* secundum se immaturi. Putabant enim se in perpetuum permansuros. Aut certe antequam pervenirent ad sapientiam : sed quia hoc audierant, non quia ista sentiebant isti amici Job. *Et cogitatio impii longe est ab eo, et implet domos eorum bonis.* Est longe ab eo cogitatio impii, quia non sic facit sicut sperat impius ; id est, aut quia placet ei impietas, aut non videt eam. *Videntes justiores erunt :* intelligentes ; quamvis isti non intellexerint, putantes quia hic redditur impiis. *Et inculpabilis subsannabit eos :* impios. *Esto durus, si sustinueris patiens :* hoc est, dura. *Procul facies iniquitatem a tabernaculo tuo :* conversationem vel vitam tuam ; quamvis hæc isti carnaliter dicant. *Et ponens illud super aggerem in petram :* adversus id quod dixit, *Flumen decurrens fundamenta eorum. Quia humiliavit semetipsum :* ipsum lumen. *Et dices, Elatus est in superbiam :* adversus superbos. *Erue innocentem, et salvaberis munditia manuum tuarum.* Noli deficere in bonis operibus, quia curat Deus humana.

[Ib. xxiii.] Verba Job. *Et quidem scio quia de manu mea est increpatio :* de peccatis meis. *Et manus mea gravis facta est super gemitum meum.* Ideo me percussisti [3], ut doleam. *Et venire usque ad solium ejus.* Ut

[1] Editi, *ab ipso.* At Mss., *ab episcopo :* juxta LXX, *para tou episcopou.*

[2] Mss., *ad effectum perterritum.* Am. et Er., *ad affectum perterritum.* Pauloque post Floriacensis codex habet, *in quo nunc est. cum confitetur.*

[1] Sic Er. Lugd. Ven. In B., *et.* M.

[2] Mss. tres, *deputandi.*

[3] Sic Mss. At editi, *percussistis.*

sim tam sanctus, ut perveniam ad eorum numerum, qui sedes ejus sunt. Tunc enim possum dicere vera, et audire : unde et cœli dicuntur sancti. *Et cognoscam causationes quas loquetur mihi :* redditiones causarum, quibus se omnia juste judicare demonstrat. *Et sentiam quæ annuntiat mihi :* jam proximus ei. *An in multa virtute dijudicabitur mecum :* ut per potentiam resistat mihi? Nequaquam. *Tamen in terrore non abutatur me :* propter peccata mea, pro quibus timeo modo, cum sum in terrore, non abutatur me. *Cæterum cum ad eum venero :* in illa libertate qua ego annumerabor solio ejus, omnia amabo, et non mihi resistet virtus ejus; quamvis modo possit me abuti, utpote peccatore : id est, faciat de me quod vult, etiam cum pœna mea, juste tamen. *Veritas enim et increpatio est ab eo :* id est, non injuste increpat. *Educit in finem judicium meum.* Etiam si modo corripit, postea manifestabit. *Nam si primus ambulavero, postea non ero.* Non arroganter sperem, non infideliter desperem : hoc est, non declinare dextra aut sinistra. Inde est, *Si ascendero in cœlum, tu ibi es* (*Psal.* CXXXVIII, 8). Quis me inde potest pellere? etc. *A læva quid aget, non apprehendam.* Superiora repetit. A læva autem dicit non se apprehensurum deditum temporalibus. *Convertetur ad dexteram, et non videbo.* Ideo non debeo esse a læva. *Convertetur* autem dixit, quia ipse in spiritualibus est, unde ego me averto, si a læva fuero. *Scit ipse viam meam :* ut etiamsi per tribulationes me duxerit, sequar. *Probavit me sicut aurum :* in tribulationibus [1]. *Egrediar in præceptis ejus.* De tenebris meis exeam, sed tamen in præceptis ejus. *Si autem ipse judicavit sic :* ut per tribulationes me tanquam aurum probet. *Propterea ad eum festinavi :* quia me tribulavit, ideo relictis temporalibus ad eum festinavi. *Et commonitus sollicitus fui de eo :* ut his pœnis carnalibus æterna supplicia devitarem. *Idcirco a facie ejus turbabor.* Modo turbabor, ut caveam cogitans futurum judicium, ubi erit ejus manifestatio. *Et Dominus mollivit cor meum.* Et ipsum timere, quo cavet futuras pœnas, misericordiæ Dei deputat. Non enim sciret superventuras pœnas et tenebras malis, nisi Dominus molliret cor ejus præsentibus tribulationibus : adversus illud, quod indurat Deus cor Pharaonis (*Exod.* VII, 3).

[Ib. XXIV.] *Quare Dominum non latuerunt horæ :* Quamobrem, vel, Itaque. *Finem transgressi sunt :* Christum. *Et inclinaverunt pauperes a via justa :* ut vel imitarentur eos, vel inde arbitrarentur non esse divinum judicium, quia impunitam videbant malitiam qua eis nocebant relinquentes justitiam. *Simul absconditi sunt mites terræ :* cum his qui declinaverunt a via justa, absconditi sunt mites, ne mihi ferrent auxilium. Nam tria sunt genera hominum in Ecclesia, cum fit persecutio : alii enim consentiunt, alii fugiunt, alii patiuntur, quorum personam sustinet Job. *Et irruerunt asini feri in agro super me.* Stulti et indomiti, et ob hoc superbi, irruerunt super me confitentem, scilicet Ecclesiam. *Et exeuntes ad opus suum.* Hoc enim opus est eorum, ut in me irruant, id est, ad hoc deputati sunt a Deo. *Suavis factus est ei panis in adolescentes.* Impio et persecutori suavem panem dicit, id est persecutionem, qua libenter fruebatur, cum eam faceret adolescentibus : ut adolescentes aut pro amatoribus voluptatum accipiamus, quia ipsi facile talibus consentiunt; aut pro eis qui tantum in Ecclesia profecerunt, ut pueritiæ quidem simplicitatem transierint, sed nondum pervenerint ad robur illud virile, quo etiam persecutor contemnitur. *Agrum ante tempus non suum demessuerunt.* Aut genera dicit persecutionum, ut aliquem agri damno terrerent : aut pro agro Ecclesia intelligenda, quam ante maturitatem persecutionibus metere voluerunt, id est, antequam simul zizania crescerent, ut tempore messis separarentur (*Matth.* XIII, 29, 30). *De stillicidiis montium madescent :* confugientes nudi ad speluncas, ubi saxa distillant. *Rapuerunt ab ubere pupillum.* Pupilli et viduæ plerumque ex persona Ecclesiæ accipiendi : est populus sub tormento. *Et eum qui ceciderat, humiliaverunt :* desertum vel auxilio Dei, vel alicujus; quod est magnæ sævitiæ, non talibus parcere. *In angustiis insidiati sunt inique :* in necessitatibus. *De civitate et de domibus ejiciebantur.* Ab eis ejiciebantur alii. *Anima vero parvulorum in gemitu valde :* fuit. *Ipse autem Deus eorum curam non habuit :* impiorum, quia modo curam eorum non habendo, fecit eos desperare de judicio Dei; quia impune mala faciebant. *Et ideo in tenebras traditi sunt :* ignorantiæ judicii Dei. *Et repente ut fur :* eos occupabit dies ille. *Oculus adulteri observat tenebras.* Ostendere vult in quas tenebras tradantur impii per impunitatem : non enim eas quas captant adulteri, et cæteri qui male faciunt per noctem, ne agnoscantur per diem; sed illas quæ etiam mane [1] super eos sunt. *Suffodit in tenebris domos.* Alia mala facta commemorat. *Per diem obsignaverunt semetipsos :* occultaverunt. *Non cognoverunt lucem, quia simul eis manet* [2] *umbra mortis :* non quia nox recessit, propterea eos deseruit umbra mortis. *Levis est super faciem aquæ :* ad comparationem terræ, splendidiores accipiendi sunt, quos lux penetrat et imago levitatis; et ideo levis est super eos umbra mortis. Nam et ipsi portant eam per conditionem carnis. Vel, *Levis est super faciem aquæ* dixit, super eos qui in Baptismo confitentur. *Maledicatur pars eorum super terram.* Sterile sit quod delegerunt. *De sinu enim pupillorum rapuerunt :* de corde infirmorum verbum, per malam suasionem. *Deinde rememoratum est peccatum ejus :* quod putabat in oblivionem venire. *Conteratur sicut lignum insanabile omnis iniquus :* quod non sanat [3]. *Sterili enim non fecit bene :* quæ sine consolatione filiorum est. *Consurgens ergo non credit contra vitam suam :* non credit adversus vitam suam; debuit enim credere malam se habere vitam, et eo ipso consurgere. *Cum infirmari cœperit, non speret sanitatem :* tribulari. *Sed cadit in languorem.* Tales enim impius consolationes quærit in rebus adversis, quibus infirmior fiat. *Emar-*

[1] Mss. tres, *tentationibus*.

[1] Editi, *male*. Mss., *mane*.
[2] Sic editi et Mss. At LXX, *ou prôi, mane*.
[3] Lov. *sanatur*. Alii codices editi et Mss., *sanat*.

cuit sicut malva in æstu altitudo ejus : quia non tulit æstum tribulationis; malva autem, propter infirmitatem. *Aut sicut de stipula spica decidens sponte ejus.* Quia mane erat in culmine ipsius. Ipse enim sibi elegit tales consolationes quibus pejus infirmetur. *Alioquin quis est qui loquatur mendacium me dicere?* si et aliter sunt.

[Ib. xxv.] Verba Baldad Sauchitis. *Quid enim exordium quam timor ab eo?* Ista subjunctio videtur illis verbis consentire, quibus dicit Job, *Idcirco a facie ejus turbabor, considerabo, et timebo ab eo* (*Job* XXIII, 15). *Nemo putet esse moram piratis.* Sine mora secundum permissum ejus tentant. *In quem enim non venient insidiæ ab eo?* hoc est, cum ipse permittit. Insidias autem dicit tentationes. *Aut quomodo erit homo justus coram Domino?* Ergo juste eum tentari permittit. *Vel quomodo se mundabit natus ex muliere?* nisi enim a Deo mundatus fuerit, immundus est. *Si lunæ præcipit, et non lucet.* Quoniam si exigant rationes et ordo providentiæ ipsius, ut luna non luceat, præcipiet ut non luceat, et non lucebit. Sed quare? Utrum inde vult videri non mundam lunam coram eo, quia præcipit ei, et non lucet? an forte rationalis animæ natura figurate hic insinuatur, cui sol intelligibilis est lumen illud verum, quod illuminat omnem hominem (*Joan.* I, 9)? Et quoniam tanto magis luna lucet terrenis aspectibus, quanto magis recedit a sole; cum autem propinquat soli, interimitur terris : intelligamus animæ divinitus præcipi, ut superata nativitate terrena atque mortali, qua splendor ejus apparet terreno sensu videntibus, appareat et propinquet, subjugeturque sapientiæ, quo ejus luce secretissime [1] exsultans, caveat facere justitiam suam coram hominibus, ut videatur ab eis (*Matth.* VI, 1), sed cum gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31). Quia et cum apparet hominibus, dono Creatoris apparet, *Nec stellæ sunt mundæ apud eum :* in comparatione ejus.

[Ib. xxvi.] Verba Job. *Cui ades : vel quem adjuturus es?* cum indignans tanquam injustitiæ eorum, putaret eos a Deo puniendos. Verum sibi ipse loquens seipsum revocat, ut Deo potius dimittat judicium eorum, ne aut adesse Deo videatur, aut adjuvare eum velle, quasi invalidum, ad coercendos vel corrigendos homines; aut consilium dare, quid cum illis agat; aut sequi eum, tanquam assecuturus causam quare dolosos homines esse et vivere patiatur, cum superet omnem animam quærentem virtute incomprehensibili; aut quasi annuntiare illi aliquid de illis, cum ab ipso habeat homo et spiramen, cum aliquid enuntiat. *Numquid gigantes redigentur in nihilum?* Non ergo mirandum si istis Deus parcit, quando gigantes non redigit in nihilum. Et ne diceretur, Sed ad inferos detrusi sunt; subjecit quia infernum videt Deus : et tamen eos ibi ordinavit ubi esse meruerunt; sicut justos sive nunc sicut sunt, sive postea sicut erunt, quamvis eos nunquam removeat a facie sua, quia omnia nuda sunt coram eo; ita ut proximos gigantes etiam istos consolatores superbos accipias. *Subter aquam et proximi eorum.* An *Subter aquam*, subaudiendum, tenentur, vel aliquid tale? *Et non est velamen perditioni.* Etiam perditio eum non latet. *Extendens aquilonem super nihilum.* Potest aquilo diabolum significare, et terra peccatorem; quoniam et illi et illi inanis est spes. *Suspendens terram super nihilum :* in aerem. *Ligans aquam in nubibus suis :* propter obscuritatem prophetiæ. *Et non est scissa nubes sub eo :* sub veritate quam habuit nubes, quæ non scinditur Scripturas intelligentibus : non enim adversaria dicuntur, sicuti putant non intelligentes. *Qui tenet faciem solis* (*a*) ne agnosceretur ab impiis sol justitiæ. *Et extendit super eum nubem suam :* carnem quam Dominus suscepit. *Præceptum circumdedit super faciem aquæ :* populos. *Usque ad consummationem lucis :* hujus vitæ finem, hoc est finem sæculi, aut quousque consummentur, id est, perficiantur homines, quibus dictum est, *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). *Columnæ cœli contremuerunt, et obstupuerunt ab increpatione ejus :* quod contigit Petro per Paulum (*Galat.* II, 11). *Virtute sua sedavit mare :* placavit sæculum, a quo persecutionem patiebatur Ecclesia. Unde etiam columnas cœli contremuisse ab increpatione ejus, potest hoc modo intelligi, ut robustissimi Ecclesiæ contremuerint pro infirmis, ab increpatione Domini permittentis tentationes persecutionis. Columna enim clamat : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et non ego uror* (II *Cor.* XI, 29)? *Prudentia ejus vulneratus est cetus.* Vulneratum dicit diabolum dolore, quo ei justi non cedebant. *Et claustra cœli metuunt eum :* vel Angeli, vel qui acceperunt claves regni cœlorum. *Præcepto autem peremit draconem desertorem.* Eumdem dixit et cetum. Sed nunc ostendit quomodo sit vulneratus, cum acceperunt præceptum, qui ei renuntiaverunt. *Ecce hæ partes viæ ejus :* qua ad Deum venitur. *Virtutem autem tonitrus ejus quis sciet, quando faciet?* Tonitrum dicit evidentissimam vocem manifestationis ejus : aut illam forte vocem, quam dedit per filium tonitrus, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1) : ut sit ordo, *Quando faciet*, utrum *quis sciet virtutem tonitrus ejus?*

[Ib. xxvii.] *Et spriritus divinus in naribus meis.* Hic ostenditur prophetice eum dicere quæ dicit, et prophetice cognoscere quia isti consolatores ejus dolo pleni sunt. *Absit a me justos vos dicere, donec moriar :* etiamsi usque ad mortem persequamini me, quia vos libere reprehendo. *Nec enim separabo innocentem :* ne [1] vos autem. *Nec enim conscius sum mihi iniquum quid commisisse.* Illi enim solent plerumque aliis parcere, qui metuunt sibi aliquid verum objici. *Quæ enim spes est impio? Quia exspectat.* Ne quis putaret male eum optasse inimicis suis, hic aperuit quo animo dixerit. Impietatem quippe illorum vult everti, et perire superbiam : quod fit cum solvitur ab impietate anima quæ tenebatur rea; solvitur autem per confessionem

[1] Sic in Mss. At in editis, *secretissima*.

[1] Er. legit, *nec*, pro, *ne*. M.

(*a*) Mendum in codice Augustini : siquidem apud LXX legitur, *thronou*; in Vulgata, *solii*.

pœnitentis hominis, et gratiam ignoscentis Dei. Ergo, *Quæ enim est spes impio?* interrogatio : et responsio, *Quia exspectat, et confidit in Domino, si forte solvatur*[1], *aut preces ejus exaudiat Dominus.* Potest quidem et alius sensus occurrere in his verbis, sed non ita contexitur et libro et fidei, ut quasi totum ex desperatione sit, quod spem prorsus non habeat impius : cum adversus hoc scriptum sit, *Credenti autem in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam* (*Rom.* IV, 5). Et ideo quod sequitur, gratia Domini dicere intelligitur. *Aut si evenerit ei necessitas :* ideo debemus exspectare gratiam solventis. Numquid enim in necessitate, id est in tentatione, *habuit fiduciam,* meritorum in conspectu Dei? *Aut si invocaverit exaudiet eum?* si tanquam fiducia operum suorum invocat, quæ nulla sunt. *Quapropter annuntiabo vobis quid sit in manu Domini :* quid disponat Deus. *Ecce omnes nostis quia vane vana loquimini :* ob hoc gratia jam exspectanda est. Quomodo enim allegavit merita operum suorum vane vana loquens? *Possessio vero potentium veniet ab Omnipotente super eos :* ut possideant eos potentes, id est, diabolus et angeli ejus. Potentes autem ideo dicit, quia isti infirmabuntur sequentes vanitatem, ut in eos illi prævaleant duces et principes vanitatis : quomodo et Dominus fortem eum appellat (*Luc.* XI, 21), non ob aliud nisi quia tenet invalidos. *Quod si multi fuerint filii ejus, in occisionem erunt.* Filios ejus dicit, qui eum ad seducendum imitantur, falsorum dogmatum persuasorem in damnationem. *Si autem juvenes facti fuerint, indigebunt :* id est, si confirmati fuerint in errore, indigebunt; non enim eos satiavit vanitas. *Et qui circa eum sunt, morte morientur :* qui simillimi ei sunt ad seducendum. *Et viduis eorum non miserebitur :* plebibus quas seduxit cum eis, viri morte desertis, quasi fidem illis conjugalem in erroris promissione servaverit. *Quod si et collegerit ut terram argentum :* id est, si prudentes et sapientes, cum adhuc terra et lutum sunt, id est, cum adhuc stulta et carnalia sentiunt, eis consenserint; postea correcti et cognoscentes ad justos convertentur. *Erunt enim domus eorum sicut tineæ et araneæ, quæ servavit :* cor, vel conscientiam. Aut domus dixit munimenta quibus se protegunt, verum astuta et latebrosa, sed invalidissima, sicut tineæ folliculus quo se abscondit, et araneæ caverna, in quam se recipiendo cooperit, et claudit eam. *Quæ servavit* autem, intelligitur se ipsa in illa caverna; quia non omnes araneæ hoc faciunt : propter spontaneam et interiorem corruptionem iniquæ cogitationis, et propter inutilia opera, quæ quasi diligenter in domo servavit sibi impius. *Dives dormiet, et non adjiciet :* quia post mortem non adjiciet ad ipsas impietates divitias. *Oculos suos aperuit, et non est.* In resurrectione enim non inveniet seipsum divitem, quod putaverat. *Tollet eum æstus, et abibit :* aut æstus maris, tribulatio sæculi; aut æstus quo arescunt herbæ, quæ radicem non habent. *Et ventilabit eum de loco suo :* aut de spe sua ; aut Deus cum ventilabit de loco suo, ut non sit in loco Dei, hoc est, in populo quem inhabitavit Deus. *Et projiciet super eum, et non parcet :* tanquam aggerem pœnarum. *Plaudet super manibus suis :* sicut dictum est, *Et ego perditioni eorum superridebo* (*Prov.* I, 26) : non enim superlugebit perditionem impiorum.

[1] In LXX, *sôthêsetai*, *salvabitur*. Vulgata vero locum hunc vertit per verbum, *liberet*.

[Ib. XXVIII.] *Est enim argenti locus unde fit :* prudentes, qui magis in actione sunt. *Locus autem auro, ubi purgatur :* sapientes, qui in contemplatione sunt. *Ferrum enim de terra fit.* Hæc metalla indifferenter accipienda in bono sunt; nam ideo ferrum dixit, quia nihil interest, quasi superius de ferro diceret : quamvis ferrum possint fortes intelligi. Revera enim nulla distinctio est in sapientia hominum quam in ea sunt. *Æs autem similiter ut lapides excluditur :* quia totum de terra separatur : ut ostendat propterea esse bonos malis mixtos ad tempus, quia de ipsis malis secluduntur[1] boni, et per illos purgantur tanquam metalla operi vel ædificio necessaria; cum ipsa terra opus habeant eliquari ac formari, unde et separandi sunt, ut post hanc separationem habeat terra locum atque ordinem suum, sicut impii per damnationem pro meritis suis. *Et omnem finem ipse invenit :* quid quo perduceret. *Invenit* autem dixit, instituit. *Lapis tenebræ et umbra mortis. Lapis,* id est, Vetus Testamentum tenebris et umbræ mortis datum est, id est carnalia sectantibus, quamvis ab uno Deo hæc exspectarent : unde superbientes non discindebant torrentem, id est non transibant per lapsum temporalium ad aliquam soliditatem, sed ipso lapsu ferebantur. *Et facta est discissio torrentis a cinere :* hoc est, a confitente peccata sua, et non superbiente de meritis operum : quod factum est per gratiam Novi Testamenti. *Discissio torrentis a cinere :* ab hominibus. *Et commoti sunt ab hominibus :* adulantibus non increpante Deo, ab ipsa (*a*) quæ eis promissa erant perdendo primatum suum. *Terra de qua egressus est panis :* subaudiendum, Ipsos dico commotos de quibus, tanquam de terra, panis Domini exiit. *Et eam incensurus est :* infidelem cœlesti judicio Dominus[2]. *Locus sapphiri lapides ejus :* ordo, locus sapphiri, id est, pretiosi et necessarii ædificio civitatis cœlestis. *Et aggeres aurum ei :* aurum ei non modicum est, sed aggeres. *Semitam quam non cognovit avis :* humilitatem Domini. *Nec vidit eam oculus vulturis :* diaboli. *Non transit super eam leo :* per fortitudinem superbiens. *In durissimo lapide extendit manum suam.* Potens est enim Deus de lapidibus excitare filios Abrahæ (*Matth.* III, 9). *Et ripas fluminum disrupit :* ut totum irrigaret. Flumina enim dicit prædicatores verbi. Voluerunt quippe ripis suis contineri, ut tantum circumcisioni prædicarent. *Omne vero pretiosum vidit oculus meus :* humanus, per Verbum carnem factum. *Altitudinem fluminum revelavit.* Virtutes tolerandi persecutiones in martyrio occultæ et altæ sunt in homine, donec persecutionis

[1] Ita Regii codicis ope castigamus : scilicet legebatur in editis, *seducuntur*.
[2] Mss. tres, *Domini*.
(*a*) Forte *ob ipsa*.

tentatione revelentur. *Ostenditque virtutem suam in lumine :* in eis quibus dixit, *Vos estis lux mundi* (*Matth.* v, 14). Per quos etiam pars Judæorum non parva conversa est. *Abyssus dixit, Non est in me.* Ideo in abysso constituti homines eam invenire non potuerunt, quia in ea non est. *Non dabitur aurum inclusum pro ea :* id est thesaurus. *Non erit deterior auro Ophir :* tanquam si diceret, Vel sic eam quærite, siquidem deterior non sit auro Ophir. *Non æquabitur ei aurum et vitrum.* Aut intelligendum aliquod vitrum speciosum ; aut quia sunt homines qui vitrum plus diligant quam sapientiam. *Et commutatio ejus vasa aurea :* non sunt, subaudis. *Et excelsa et Gabis* [1] *non erunt in memoria :* oblivioni erunt in comparatione ejus. Aut *excelsa et Gabis*, tanquam superba quæque non sint in memoria, ut per humilitatem trahas de absconditis sapientiam. *Sapientia unde inventa est?* dicit, quia non potuit eam invenire homo nisi per gratiam, ideo ad Deum convertendum esse cor. *Latet ab oculis omnis hominis :* quia non est insensibilibus. *Perditio et mors dixerunt :* perditi et mortui, cum in deliciis vivunt. *Dominus commendavit viam ejus :* humilitatem, quæ abscondita est a volucribus cœli. *Et ipse novit locum ejus.* Locus sapientiæ quis, nisi Pater est? Cum enim dicitur, *Ego in illo, et ille in me* (*Joan.* x, 38); invicem sibi quasi loca sunt. *Ipse enim omne quod est sub cœlo, perspicit.* Hoc modo ea novit, quo fecit, et non sensibiliter. *Ventorum libramenta atque mensuras* (*a*). Tota creatura per partem significatur. Et bene, pondere, mensura, et numero omnia dixit facta (*Sap.* xi, 21), in quibus intelligitur Creator. *Quando fecit, sicut vidit, enumeravit.* Non extra vidit ut faceret ; sed in semetipso, sicut artifex. *Et viam tempestatum vocibus : tempestatum* pro tentationum positum est ; tentationum autem, pro his qui tentantur : quomodo dicerentur voces naufragii, pro vocibus naufragorum. *Tunc vidit eam, et exposuit eam.* In prædestinatione Dominus vidit viam qua se converterent tentati. *Paravit et investigavit :* in prædestinatione, non [2] in actione.

[Ib. xxix.] *Quisnam me restituet in menses priorum dierum?* Hæc ex persona dici videntur Ecclesiæ simul cum capite Christo, tanquam totus ipse homo loquatur tempore abundantiæ tribulationum et tentationum, tanquam his diebus, de quibus Dominus dicit : *Venient dies quando optabitis videre unum de diebus istis, et non videbitis* (*Luc.* xvii, 22). Eo enim tempore quo Dominus erat in terra, nulla erat sollicitudo, quamvis adhuc populo parvo christiano, qui constabat ex his qui in eum crediderant, ex quibus erant plus quam quingenti fratres, quibus etiam post resurrectionem apparere dignatus est, sicut Apostolus dicit (I *Cor.* xv, 6). Nulla ergo tunc erat sollicitudo, ne aut a malis male gubernaretur Ecclesia, aut hæresum vel schismatum laniaretur insidiis. Nam nec ipsas corporales persecutiones passa est ; non aliquas pertulit vel intrinsecus vel extrinsecus adversitates. Loquitur itaque Job ex persona hominis, hoc est, populi ad Novum Testamentum pertinentis, desiderantis illos dies, sicut prædixerat Dominus. Et fortasse ideo *menses* appellavit, non annos, quia ex quo elegit Dominus discipulos, usque ad passionem, non anni, sed menses fuerunt. *Cum lucebat lucerna ejus super caput meum :* vel carnem Domini visibiliter præsentem, vel verbum ex ore præsentis corporaliter. *Cum verbum Domini* [1] *inspiceret domum meam* ad diligentiam custodiendi conversationem. *Et circum me pueri mei :* qui obsequebantur humiliter necessaria administrantes. *Cum flueret per vias meas butyrum :* per mores meos exsultationem fidei et bonorum operum. *Cum montes mei abundarent lacte :* Prophetæ bene parvulis exponerentur. *Cum exirem matutinus in civitate :* aut cum jam charitas lucesceret, transactis tenebris timoris ; aut in exordio Ecclesiæ, ut non satis occultus, non satis manifestus. *Et in plateis ponebatur mihi sella :* a turbis deferebatur mihi docendi auctoritas. *Videntes me adolescentes abscondebantur :* dediti concupiscentiis. *Senes autem assurgebant :* prudentes. *Et potentes cessaverunt loqui :* superbientes de doctrinis suis. *Quia auris audivit, et beatificavit me.* Populus quem non cognovi servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi (*Psal.* xvii, 45). *Et oculus videns me declinavit :* Judæorum non credentium. *Et os viduæ benedixit me :* ejus animæ quæ diaboli conjugio renuntiavit. Ecce ferebatur mortuus filius unicus matris suæ, quæ erat vidua (*Luc.* vii, 12). *Et vestiebar judicio sicut chlamyde :* in præferendis spiritualibus, carnalibus, nesciat sinistra quid faciat dextera tua (*Matth.* vi, 3), id est, qua intentione operetur : operta enim sinistra, dextra exserta est in vestitu chlamydis ; quod facit, qui recte judicat quo sit referendum quod operatur. *Judicium quod non noveram exquisivi.* Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te ; quid nobis erit (*Id.* xix, 27)? Dicit felicitatis suæ fuisse, quod habuerit a quo quæreret de futuro judicio. *Confregi molas iniquorum :* ut jam non devorarent plebem de cibo panis. *Ætas mea senescet ; sicut arbor palmæ, multo vivam tempore :* prolongabitur, et ero sicut arbor palmæ in honore sempiterno, et celsitudine, et rectitudine. *Et ros morabitur in messe mea.* Ex quo seminatur et germinat ager, messis dicitur. *Gloria mea nova mecum :* id est, Novi Testamenti. *Et arcus meus in manu mea gradietur :* faciam quod præcipio. *Et in sermone meo non adjecerunt.* Perfectionem Evangelii significat : nam sermo Synagogæ datus indiguit adjectione. *Sed gavisi sunt cum loquerer eis :* quia prior locutio timorem habebat, sequens charitatem. *Quod si et riderem ad*

[1] Editi, *gravis*, corrupte pro *Gabis*, voce hebræa, quam quidem LXX retinuerunt ; Symmachus vero vertit, *huperêmena :* Vulgata, *eminentia :* Hieronymus de nominibus hebraicis in Job interpretatur, *altitudinem confusionis :* alii denique ignotum quoddam gemmæ genus significare putant.

[2] Floriacensis codex optimæ notæ, caret hic particula negativa.

(*a*) Sic legisse videtur Augustinus, pro *aquæ*, sive *aquarum mensuras*, quæ vera Scripturæ lectio est.

[1] Floriacensis Ms., *cum Dominus*.

eos, non credebant : de his quæ in parabolis ita loquebatur, ut non intelligeretur; non tamen sicut verba sonare videbantur, vana dicere putaretur. Hic est risus Saræ (*Gen.* XVIII, 10), qui significabat omnia eos in prophetia fecisse : unde qui figurate aliquid dicunt. *Elegi eorum viam, et sedi princeps :* aut suscipiendo mortalitatem, aut cum publicanis et peccatoribus convivando, sed ita ut princeps eis essem ad salutem. *Et habitabam sicut rex cinctus fortibus :* qui suis dimissis eum secuti sunt. *Quasi consolans tristes.* Eos dicit qui spe gaudebant, cum de præsenti vita erant tristes. *Beati lugentes* (*Matth.* v, 5), ut dictum est; et, *Quasi tristes, semper autem gaudentes* (II *Cor.* VI, 10) : qui non possunt [1] tenere illam magnitudinem, de qua dictum est, *Qui autem fecerit et sic docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum* (*Matth.* v, 19).

[Ib. xxx.] *Nunc autem derident me infimi, nunc monent me minores tempore :* quia et postea nati sunt in Ecclesia tales, et non proficiunt plurimum. *Monent me* autem dixit, quia per honores ecclesiasticos accipiunt potestatem prædicandi populo, quæ ipsi non faciunt. *Quorum spernebam parentes.* Parentes eorum dixit, quorum imitatione filii sunt, quibus tunc dicebatur, *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ* (*Id.* XXIII, 13). *Et virtus manuum eorum quasi nihilum mihi erat :* parentum potestas, qui tunc usque adeo plurimum poterant, ut crucifigerent Dominum. *In eo peribat omnis vita :* quia non se vel in fine correxerunt. *Egestate et fame instabiles :* a variis desideriis insatiabilibus. *Qui fugiebant in desertum heri :* conferendo se ad excusationem Legis, quam non simpliciter intelligebant; et quia in deserto acceperant, *fugientes in desertum heri.* Sicut enim hodie pertinet ad Novum Testamentum, sic ad Vetus heri : de Novo enim dictum est, *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* (*Psal.* XCIV, 8); et, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). *Qui rodebant cortices arborum :* quia figuras Legis, quibus vina tegebantur [2], pro cibo habebant. *Quorum erat cibus radix herbarum :* sacramenta quæ corporaliter jussi erant celebrare, tanquam terræ inhærentia; ex quibus tamen simplicis intelligentiæ fructus surgeret, et supra terram in libertatem ferretur, quo illi pervenire non poterant. *Inhonorati, et abjecti, et egentes omni bono :* amisso primatus honore, ab spe promissionis; quia et ipsum terrenum donum pro meritis suis amiserant, et regnum cœlorum non tenent. *Qui radices lignorum manducabant, propter magnam famem.* Quod de radicibus herbarum dictum est, propter fructum frumenti, hoc de radicibus lignorum intelligendum est, propter fructum vini et olei. Nam omnes istos spirituales fructus accepit Ecclesia, quorum radices terræ implicatæ sacramenta erant, quæ corporaliter Judæi observare cogebantur, sabbatum, circumcisionem, et victimas, et cætera hujusmodi spiritualium ciborum. *Insurrexerunt super me fures :* qui ad honores indebitos, qui justorum sunt proprii, per tenebrosas fallacias pervenerunt. *Quorum domus erant cavernæ petrarum :* qui concupiscentias suas defendebant, et tegebant quibusdam obscuritatibus divinorum Librorum. *Et inter arbores clamabant.* Manifesta erant peccata eorum, quamvis ea Scripturarum obscuritate, quasi umbris arborum, tegere conarentur. Hinc est, *Clamor Sodomorum ascendit ad me* (*Gen.* XVIII, 20). Et plerisque locis pro manifestis peccatis clamorem ponit Scriptura : ut verbum sit quidquid corde concipitur; clamor, cum procedit in factum. *Qui sub stirpibus terræ manebant.* Non saltem in stirpibus, sed etiam inferius stirpibus manere possunt intelligi, qui vel carnaliter præcepta custodiunt. Stirpes enim sunt non jam ipsi fructus, sed unde surgunt partes fructiferæ, vel arborum, vel herbarum : si tamen fructiferum genus est, quia et non fructiferi generis stirpes dicuntur. *Filii stultorum et ignobilium :* Judæorum; nam hos dixit superius parentes eorum propter imitationem, quia et isti sub Dei nomine ambulant, quem non colunt. Stultos autem et ignobiles dicit Judæos, qui e contrario, non solum se confidebant esse duces cæcorum, sed etiam filios esse Abrahæ, quo patre se esse jactabant nobiles. Sed cum audiunt, *Cæci sunt, duces cæcorum* (*Matth.* xv, 14); stulti demonstrantur : et cum audiunt, *Si filii Abrahæ estis, facta Abrahæ facite* (*Joan.* VIII, 39); degenerando demonstrantur ignobiles. *Nomen et honor exstinctus a terra.* Erat enim, sed exstinctum est. *Nunc autem cithara eorum ego sum :* horum, quorum illi patres sunt, qui me ad aurem habebant, non ad cor. *Et me habent ad fabulam :* inanem et inutilem narrationem et auditionem, quamvis me et narrent, et audiant. *Abominati sunt me, discedentes procul :* longe facti a justitia peccando, et præcepta justitiæ malis moribus exsecrando. *Nec in faciem meam pepercerunt spuere.* Exsecranda facies namque Christi est his, qui præcepta ejus cum contemptu exhorrent. Vel, male me innotescere fecerunt morum suorum pravitate. *Aperiens enim pharetram suam afflixit me :* secreta rerum, unde tentationes existunt. *Et frenum in faciem meam miserunt* : ut eis invitus consentirem, portans eos ducentes quo vellent, ad ima sua. *Et a dextris germinantes consurrexerunt :* et favendo et bene monendo exorti sunt quidem, ut suas cupiditates explerent, non persequendo. *Pedes meos vinxerunt compedibus :* officiorum ecclesiasticorum, ut non eos possent fugere. *Contritæ sunt semitæ meæ :* ut non apparerent, per quas solent boni ambulare, non quærentes sua, sed Christi (*Philipp.* II, 20). *Exuit enim me stola :* auctoritate pristina, cui cedi solet; quod contingit multitudine et consuetudine peccatorum prævalente. *Et jaculis suis vulneravit me :* præceptis, quibus video mala, et quia coercere non possum, crucior. *Abusus est me sicut voluit :* etiam calamitate et miseria mea usus est ad justitiam suam Deus, sicut voluit. *Doloribus involutus sum :* et in me, et in aliis patior. Foris pugnæ, intus timores (II *Cor.* VII, 5). Quis infirmatur, et ego non infirmor (*Id.* XI, 29)? *Et iterantur dolores mei, discedit sicut spiritus, spes mea.* Quasi inane ali-

[1] Omissam hic in editis negationem restituimus ex Mss.
[2] Er. et Lov., *utilia tegebantur.* M.

quid conversi ad spem temporalium, habentes quod promitto. *Et sicut nubes transiit salus mea :* non sperantes salutem promissam, amore præsentis salutis. *Et nunc super me effundetur anima mea :* precando [1]. *Nocte vero ossa mea confracta sunt :* firmitatem quam habuit, dixit sibi ereptam. *Et nervi mei dissoluti sunt :* actiones præteritæ. *In multa virtute apprehendit stolam meam :* ad demonstrandam virtutem suam, modo affligendo, et postea reparando. *Et quasi ora vestimenti mei circumdedit me :* modicum mihi reliquit auctoritatis. *In terra et cinere pars mea :* in pœnitentia, quia extremum. *Steterunt et consideraverunt me :* et me jacente, superbi steterunt, quærentes quid in me reprehenderent. *Et projecisti me a salute.* Illos dolet, qui spem reparationis amiserunt. *Domus enim est omni mortali terra.* Ideo se dicit mortem metuere, quia conversatio ejus non sit in cœlo (*Philipp.* III, 20), secundum plures qui mali sunt in Ecclesia, et terrene vivunt. *Atque utinam possem meipsum interficere :* ut morerer sæculo. *Aut rogarem alium, et faceret mihi hoc :* vel angelum meliorem, vel Deum per quem corrigerer. *Ego bona præstolabar.* Dolet, quia repente sibi ista evenerunt. *Venter meus efferbuit, et non tacebit :* interiora, vel memoria qua recordatur quid fuerit primo, et quomodo afflicta est in gemitibus. *Et steti in cœtu clamans :* quia non in frequentia audita est eorum qui se nolebant corrigere. *Cutis mea innigrata est valde :* ex his quæ forinsecus patiebatur. *Versa est in luctum cithara mea :* opera bona, quibus laudabat Deum gaudens.

[Ib. XXXI.] *Testamentum feci oculis meis.* Numquid cœpi sperare visibilia ? *Ut non cogitem de virgine :* ut subaudiatur, absit. Hinc jam incipit merita Ecclesiæ commemorare, in his qui perseverant in fine in tentationibus magnis, abundante iniquitate, et refrigescente charitate multorum (*Matth.* XXIV, 12, 13). *Et non cogitabo de virgine :* incorruptione sapientiæ, vel justitiæ. *Et quæ est alia pars Dei desuper ?* subauditur, non cogitabo. Aut ita : Et quæ est, nisi illa ? *Si incessi cum irrisoribus.* Jam bonis qui sunt in Ecclesia difficile est non talibus sociari [2]. *Vel si festinavit ad dolum pes meus :* hypocrisis. *Seram et alii fructus meos edant :* quomodo Judæis contigit, id est, ea dicere quæ alii faciant, magis quam ipsi. *Sine stirpe sim super terram :* ut facile arescam. Ille enim in terra tanquam in petra firmus est, qui facit quod dicit. *Si secutum est cor meum mulierem :* ut suam quæreret gloriam in populo Dei, potius quam Dei, cui uni jure debetur. *Aut si obsedi januas ejus :* insidiose captavi desideria plebis ejus, vel timorem, quibus ageretur, ut mihi potius serviret quam Deo. *Placeat quoque uxor mea alteri :* fama mea diabolo, cui quando placemus, displicemus Deo. Ille enim malis nostris gaudet. *Et filii mei humilientur :* facta, vel imitatores mei. *Furor enim animæ meæ est indomitus, commaculare viri uxorem :* mihi eam vindicando. *Quod si et despexi judicium famuli mei aut ancillæ, cum judicarentur apud me :* secundum quod dictum est, *Sæcularia igitur judicia si habueritis* (I *Cor.* VI, 4). Famulos autem dixit, laicos adhuc sæcularibus deditos. *Quod si et visitationem, quod responsum dabo ?* in tribulatione, quam conscientiam habeo, quia ista despexi? *Nonne sicut ego conceptus sum in utero, et illi?* in Sacramentis. Eadem enim omnibus prædicantur [1], eadem credunt. *Et fuimus similiter in ventre ?* Non enim ille aliter renuntiat, quam ille, qui plene serviturus est Deo. *Et de ventre matris meæ dux eis fui.* Ab initio enim sui hæc [2] operatur Ecclesia. *Aut si despexi nudum pereuntem, et non operui.* Si non fide remissionis peccatorum, tanquam tunicam non habentem, velavi a nuditate fœditatis, id est peccati, pereuntem. Jam enim desperat multitudine peccatorum. Et hinc est, *Et quorum tecta sunt peccata* (*Psal.* XXXI, 1). *Infirmorum si non benedixerunt mihi humeri :* spe immortalitatis, tanquam pallio desuper cooperti. Ne autem post fidem remissionis peccatorum sufficere putarent præteritarum pœnarum metu carere, et inciperent sperare temporalia, bene adjecit : *De tonsura ovium mearum calefacti sunt*, quod a frigore spei terrenæ, illorum vindicati sunt consideratione, si carnalia per renuntiationem posuerunt, exemplo gregis detonsarum (*Cant.* IV, 2). *Si levavi super pupillum manum meam :* qui non inveniendo patrem, poterat creaturam vel hominem sequi. *Fidens, quia mihi est adjutorium multum :* volens eis dominari. *Discedat humerus meus a jugulo meo :* quod his contingit, qui se ab Ecclesia separant, dum volunt populis dominari, ut præcisionem præcisionis patiantur. Per humerum autem aut brachium, significantur actiones. *Timor enim continuit me :* ne levaret manum super pupillum. *Et a pondere ejus non sustinebo :* si hoc velim ut pupillum opprimam. *Posui aurum robur meum :* numquid præsumpsi de doctrina aut sapientia Dei? *Quod si et in lapide pretioso fidebam :* quasi de operibus meis. *Si et lætatus sum, cum esset mihi census multus :* quasi de meo ; ut qui gloriatur, in Domino glorietur (II *Cor.* X, 17). *Si et in innumerabilibus posui animam meam* [3] (Subaudiendum ad omnia, *Discedat ab humero meo brachium meum*) : quod amarer [4] a multis *Et deceptum est clam cor meum :* ordo, *Si et in innumerabilibus posui animam meam, et deceptum est clam cor meum :* si consensi tali cogitationi, ut in me præsumerem. *Quod si et osculatus sum manum meam, ponens ad os meum :* gavisus sum tanquam de operibus meis. *Quod si et gavisus sum super ruina inimici mei :* Ecclesiæ, ut sunt persecutores Ecclesiæ. *Audiat auris mea maledictionem meam :* perducatur ad sensum meum. *Opprobrio sim in populo meo diffamatus :* plebi sanctorum, ut separetur tanquam illusus. *Quod si sæpe dixerunt ancillæ*

[1] Editi, *peccando.* Mss., *precando.*

[2] Sic Er. Lugd. Ven. Lov. In B. (*Jam de bonis qui sunt in Ecclesia*). *Difficile est non talibus sociari.* M.

[1] Er. et Lov. sic legunt hunc locum, *eadem enim in sacramentis omnibus prædicantur.* M.

[2] Sic Mss. At editi, *Ab initio enim fui. Hæc*, etc.

[3] In LXX, *manum meam :* suffragatur Vulgata.

[4] Am. et Er., *quod amaretur.*

meæ : adulatores. *Quis det nobis ut carnibus ejus saturemur? cum satis bonus essem* : ut imitarentur felicitatem carnalem in me. Non tamen hæc gessi; ne dicerent enim hæc, non me præbebam in talibus bonum. *Foris non madebat hospes* : recipiebam peregrinum in sæculo. *Quod si et sponte peccans, abscondi peccatum meum.* Voluntarie enim peccantibus nobis, postquam accepimus scientiam veritatis (*Hebr.* x, 26). *Aut si dimisi infirmum sinu vacuo exire januam meam* : ut ideo exierit januam, quia sinu vacuo fuit. *Quis mihi tribuat auditorem?* Quis mihi præstet ut audiar? *Manum Domini si non timui* : qua scripsit, *Si non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis* (*Matth.* vi, 15). *Conscriptionem si quam habeo* : ordo, *Conscriptionem si quam habeo. Et si non disrupi eam super humeros meos, et coronatus legam super humeros meos levans* : et coronatus publice legam, id est, adversus faciem meam. *Statuam te ante faciem tuam* (*Psal.* xlix, 21). Quia populi corona confundar; quia non feci mandatum Domini, quod me fecisse jam dixeram, negando primo me habere conscriptionem, quæ mihi postea objicitur. *Si super me unquam terra gemuit* : stipendiarii Ecclesiæ, quod malus sum. *Aut sulci ejus ploraverunt simul* : quo semina recipiuntur, et unde fructus dantur; quia et malus sum, et mala semina seminabam : ideo *simul. Aut si et virtutem ejus comedi solus sine pretio* : ipsa misericordia, qua participat catechizanti qui catechizatur (*Galat.* vi, 6); hoc est, *solus*, non retribuens ei qui daret. *Aut si animam Domini terræ decipiens contristavi* : non me dignum exhibens passioni ejus qui pro me animam fudit. Nolite constristare Spiritum sanctum in vos (*Ephes.* iv, 30). *Pro tritico germinet mihi urtica* : pro spiritualibus doctoribus magistri prurientium auditu per confricationes hominum mente corruptorum, et a veritate destitutorum (I *Tim.* vi, 5). *Et pro hordeo spina* : pro carnalibus obedientibus peccatores et resistentes. *Erat enim Job in conspectu suo justus*; in conscientia sua.

[Ib. xxxii.] Verba Eliu Buzitis. *Deus abjecit* [1] *eum, et non vir* : ut hanc dicam causam, cur tacuerint. *Et sermonibus vestris non respondebo ei.* Ego enim talia dicam, ut mihi, quemadmodum vobis, respondere non possit. *Quia ergo exspectavi, et non sunt locuti* : quasi ad Job conversus dicit. *Venter meus sicut uter musto plenus.* Commendat hunc Scriptura, quia in prophetia locuturus sit. *Et veluti follis ærarii disruptus* : ad duritiam solvendam, de vi loquor; inde et iratus dicitur. Non enim opus esset ut ego loquerer, si vos ei responderitis. *Alioquin et me tineæ edent* : aut sicut vos aut sicut omnes qui mirantur personas.

[Ib. xxxiii.] *Mundum est cor meum in verbis* : non duplex. *Spiritus divinus qui me fecit* : subaudis, est; ut sit, *Spiritus divinus* est *qui me fecit. Quomodo ergo dicis, Justus sum, et non exaudivit me?* quasi adversario dixerit Job. *Semel enim loquitur Dominus* : quasi vocationem omnium justorum semel fecit Dominus, et temporaliter circa singulos hoc agit divina providentia. *Per somnium, aut in visitatione nocturna* : aut in ignorantia aut in tribulatione. *Aut sicut incidit sævus timor in homines, cum dormiunt in cubiculis* : securi. *Et corpus ejus a ruina eruat* : translate sicut ossa. *Et pepercit animæ ejus a morte* : cum eum converterit, parcet ei. *Quia venturum est bellum, et iterum arguet eum in infirmitate in cubili* : post conversionem jam probat, ne de se præsumat. *Et multitudo ossium ejus emarcuit* : fiducia de se. *Omnemque escam non poterit sumere* : consolationem de temporalibus. *Et renovabit corpus suum, sicut litura in pariete* : mutationem vitæ : et hic translate, propter ædificium, id est, in societatem. *Et molliet carnes suas sicut parvuli* : ne sit durus superbia, secundum quod Eliu videtur, tentatur Job humilis per innovationem. *Et intravit facie hilari cum professione* : paratus ad tentationes. *Salva animam meam, ne veniam in corruptionem* : hic tentatio mortis. *Vices tres cum viro* : conversionis, probationis, mortis. *Sed eruit animam meam de morte* : quia adhuc hæc mortis restat, *Ut anima mea in lumine collaudet eum.* Jam ergo orationes cessabunt, quia nulla erit indigentia.

[Ib. xxxiv.] *Respondens autem Eliu, dixit.* Quomodo dicitur, Et adjecit. *Et qui habetis scientiam, auribus percipite* : spiritualibus. *Quia auris sermones probat* : ista carnalis. *Quid est bonum, quia dixit Job, Justus sum?* Quid boni dixit quia dixit? *Et in judicio meo mentitus est.* Hinc est, *Ego bona præstolabar* (*Job* xxx 26) : ideo præter spem, quod est, mentitus est. *Quis est vir ut Job?* Adhuc verba Job sunt. *Dixit enim, Non visitabitur qui ambulaverit cum Deo.* Hic illum putat deceptum, quia hoc sperans illa omnia fecerit : aut certe, quod in bonum non putat visitari eum qui ambulaverit cum Domino. *Absit a Domino impietas* : aut ut non visitet in bono, qui cum eo ambulaverit; aut etiam si visitaverit in tentatione, impie et injuste agat. *Impius est qui dicit regi, Injuste agis.* Tu autem non debes illud dicere, qui non es impius. Bene, *qui dicit*; non, qui dixerit, ne jam etiam ob hoc esset : quomodo dicitur, Factum est, qui hoc facit. *Impiissime, principibus* : tanquam Angelis dicat, Nisi Michael princeps vester, impiissime agitis. Aut si ita impiissime dicitur principibus, quanto magis regi? *Abusi sunt enim inique cum excluderentur infirmi.* Male usi sunt exclusione sua, cum propter infirmitatem excluderentur ab ea visione, qua videntur omnia divinitus ordinatissime ordinari et administrari. In eo autem male usi sunt, quia spiritum suum sequi maluerunt, Deum ista non curare : ex hoc enim illis vane veniet, ut in necessitatibus suis clament et rogent hominem, cum Deum rogare debuerunt. *Neque erit locus, et non est umbra mortis, ut latitent qui faciunt iniqua.* Non ad hoc est umbra mortis ut latitent : ut est, *Non senes habent sapientiam* (*Id.* xxxii, 9); quia non senectus est causa sapientiæ : et, *Hæreticum ne salutes* (*Tit.* iii, 10), ne inde, qua hæreticus est. *Et evertet noctem, et humiliabuntur* : ut supra eos sit quod sub ipsis erat; id est, premat eos quod subditum illis erat. *Et exstinxit impios; lucere sibi videbantur. Et justitias*

[1] Mss. aliquot, *adjecit.*

ejus non cognoverunt. Dicit quid boni Deus fecerit de iniquitate eorum : *ut perferatur ad eum clamor pauperis. Ipse quietem dabit, et quis poterit condemnare?* Non qualem quærunt homines quæ illis tribulationibus turbatur. Si Deus justificat, quis est qui condemnet (*Rom.* VIII, 33, 34)? *Et contra hominem simul :* adversus Gentiles et Judæos. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter perversitatem populi :* cui dicitur, *Qui ergo doces alium, teipsum non doces* (*Id.* II, 21). *Absque me videbo ; tu ostende mihi :* te reprehendens, meipsum forte reprehendendum esse non video? Interroganter pronuntiandum. *Si iniquitatem operatus sum, non adjiciam :* correptus a te. *Numquid a te exigit eam, quia repulisti?* quia reprehendisti. *Et vir sapiens audiet verbum meum :* Deum omnia curare. *Job autem non in sapientia locutus est :* putando quod aliquid sibi inique divinitus acciderit.

[Ib. XXXV.] *Quare hoc existimasti in judicio?* quare hoc judicasti? *Tu quis es, qui dixisti, Justus sum, ante conspectum Domini?* Ante conspectum Domini dixisti, Justus sum. Utrumque enim reprehensibile est in homine : unum, si aut superbe dicatur, aut falsum sit justum eum esse, etiam secundum humanam justitiam ; alterum autem, quia nunquam vere dici ab homine potest, quod ante conspectum Dei sit justus, cui comparatus quilibet iniquus est. *Aut dicis, Quid prodest tibi, aut quid faciam, si peccavi?* Hoc enim ei videtur Job dixisse Deo, quasi aut Deo prosit peccatum ejus, ut isto dolore ad impietatem cogatur, ubi ait, *Nolite me docere impium esse : aut bonum est tibi si inique egero* (*Job* X, 2, 3)? aut Deo noceat peccando, et ideo illum sic insequatur Deus quasi hostem suum premens, ne aliquid ab illo mali patiatur. Nam hoc etiam dixerat, *Si ego peccavi, quid possum tibi facere* (*Id.* VII, 20)? Ad utrumque ergo Eliu respondit, consequentibus verbis. *Ego dabo tibi responsum, et tribus amicis meis. Aspice in cœlum, et vide ; respice in nubes quam altæ sint a te. Si peccasti, quid agis?* Confirmat quod ab eo dictum est, *Si ego peccavi, quid possum tibi facere. Aut si multa injusta fecisti, quid poteris facere?* Plus est, *multa injusta fecisti*, quam quod superius dixit, *peccasti*. Sed tamen quid poteris facere Deo ; quando ne nubes quidem potes lædere? *Et si justus es, quid dabis ei?* E contrario, quomodo justitia tua nihil ei prodest, sic injustitia nihil nocet. *Aut quid de manu tua accipiat?* etiamsi dare velis ; propter sacrificia, quæ stulti putant Deum sumere velut eis indigentem. *Viro simili tui impietas tua, et filio hominis justitia tua :* vel illa nocet, vel hæc prodest. Sed his versibus confirmavit potius, quam refellit sententiam quam dixit Job, *Si ego peccavi, quid possum tibi facere?* Consequenter ergo oportet ut ostendat quare in hac vita homines affliguntur injuriis malorum, inter quos etiam diabolus cum angelis suis numeratur, princeps injuriarum et iniquitatum omnium. Cum enim Deo non possint nocere peccantes, cur eos tradit in potestate affligendos malis? et exponit deinceps, dicens, *A multitudine clamabunt, vociferabuntur a brachio multorum. Et non dixit, Ubi est Deus qui fecit me?* Ad hoc enim patiuntur hæc, ut Deum quærant, non ut inaniter vociferentur. Quod autem ait, *fecit me*, pro documento est, quia quærentem se non relinquet, quem ipse fecit. *Qui distribuit custodias nocturnas :* tempora hujus sæculi sub certis potestatibus ordinata, quia nec in ista erroris nocte relinquet hominem sine custodia, qui eum fecit. *Qui separat me a quadrupedibus terræ, et a volatilibus cœli sapientiorem me fecit.* Sic enim quærendus est Dominus in afflictionibus vitæ hujus, ut non ab eo terrena bona desideremus ; quia jam bestiis meliores sumus, antequam illa accipiamus. *Ibi clamabunt ; et non audies. Ibi*, dixit, in multitudine, in afflictione clamantium, et a brachio multorum : aut certe, *Ibi*, propter hoc ; sicut est, *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem* (*Psal.* XXXV, 13). *Et non audies* quod dixit, de eo dixit. *Ab injuriis malorum :* subaudiendum, clamabunt. *Vana enim non vult Dominus videre.* Non vult subvenire vana petentibus, et non ideo vociferantibus in afflictione ut bona sempiterna percipiant, cum propterea separati sint a quadrupedibus terræ, et sapientiores facti volatilibus cœli : sed vociferantur, quia non sunt in hujus sæculi iniquitate felices. *Ipse enim Omnipotens perspicit eos qui faciunt justitiam, et salvum me faciet.* Sicut ipse videt facientes, qui cordis intima perspicit, sic ea salute salvos facit, quam ipse videt in occulto. Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (I *Cor.* II, 9). Ideo etiamsi perturbetur vana salus hominis, dat tamen auxilium de tribulatione Pater, qui videt in abscondito (*Matth.* VI, 4). *Judicare itaque eum, si potes collaudare eum, sicuti est.* Hoc enim visus est Job dicere, cum ait, *Utinam esset nobis arbiter* (*Job* IX, 33)! *Et nunc quia non est visitans iram suam, nec cognovit delicta vehementer.* Cognovit ad vindictam. Unde est, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco :* et in eodem loco, *Averte faciem tuam a peccatis meis* (*Psal.* L, 5, 11). Cognovit ergo delicta ; nam ideo patiuntur homines tribulationes in hoc sæculo : sed non vehementer, quia partibus corrigens dat locum pœnitentiæ. *Et Job vane aperuit os suum ; in ignorantia sua verba multiplicat.*

[Ib. XXXVI.] *Sustine me pusillum, ut te doceam : adhuc enim in me sunt sermones : suscipiens scientiam meam de longe.* Quoniam quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino (II *Cor.* V, 6). *Operibus autem meis quæ justa sunt, loquar.* Ne dicatur ei, quod peccatori dicit Deus, *Quid tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti eruditionem* (*Psal.* XLIX, 16, 17)? Ergo hic operibus loquendum est : nam scientia de longe suscipitur ex parte et in ænigmate. Cum autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est auferetur (I *Cor.* XIII, 12) ; et non jam de longe erit, quoniam videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2). *In veritate, et non injusta verba injuste intelliges.* Ea ipsa quæ patiebatur Job, verba Dei dicit esse in veritate, et non injusta : sed ab isto injuste intelligi existimat, quem putat conqueri se immerito pati, cum etiam de justorum tri-

bulatione dictum sit, *Tempus est ut judicium incipiat a domo Domini* (I *Petr.* IV, 17). *Et scito quia Dominus non abjiciet innocentem :* quamvis corripiat quem diligit, et flagellet omnem filium quem recipit (*Hebr.* XII, 6). *Fortis robore cordis, non vivificat impium :* quamvis ad tempus ei parcere videatur. Et bene, *Fortis robore cordis*, quia tunc eum non vivificabit, quando seræ [1] pœnitentiæ locum quæret cum lacrymis, et non inveniet, nec flectet ad misericordiam fortiter judicantem, quem modo misericorditer admonentem contemnit. *Et judicium pauperibus dabit :* quo judicent eos a quibus patiuntur iniquitatem. Et bene *pauperum*, ut superius *impium* divitem intelligas, id est superbum. *Non auferet a justo oculos ejus.* Etiam cum eum velut in fornace probat tentatione tribulationis (*Eccli.* XXVII, 6), non ei auferet intelligentiam, qua cognoscitur et colitur Deus. Ex quo satis ostendit impiorum pœnam esse ipsam cæcitatem, etiam cum videtur eis parci. *Et cum regibus in solio :* subauditur, sedere eos fecit, hoc est, justos. Reges autem dicit qui carnem suam regunt; unde est illud, *Quis est rex qui vadit committere bellum cum alio rege* (*Luc.* XIV, 31), etc. *Et sedere eos fecit in perpetuum, et exaltabuntur.* Et hic subauditur quod supra dixit, *cum regibus in solio. Exaltabuntur* autem dixit, quoniam humiliati sunt. *Et qui compediti sunt compedibus.* A quo vinculo dicit Apostolus sibi bonum esse dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23); id est, retinacula hujus vitæ, in qua corpus quod corrumpitur, aggravat animam (*Sap.* IX, 15). *Capientur in funibus paupertatis.* Convincientur longis consuetudinibus delectationum carnalium, quæ sunt de rerum indigentia, quibus mortalis vita sustentatur et agitur. *Et annuntiantur eis opera eorum.* Non utique bona, sive ista ipsa concupiscentialia, de quibus dicitur, *Scio quia non habitat in carne mea bonum* (*Rom.* VII, 18); quæ etiamsi non regnent in nostro mortali corpore ad obediendum eis, non tamen desunt : sive quibus ad hæc venire homo meruit ex traduce peccati. *Et delicta, cum fuerint roborati.* Ipsa sunt opera quæ supra dixit. Non enim infirmis facile possunt annuntiari, id est manifestari; sed iis qui jam ita profecerunt, ut transierint omnem istam iniquitatem, quæ vulgo nota est in apertissimis operibus flagitiosis et facinorosis. *Sed justum exaudiet :* eum scilicet qui ex fide vivit (*Habac.* II, 4), ut gratiæ Dei deputet, non meritis suis, non solum quod secundum vitæ istius modum justificatus est, sed etiam quod restat, ut ab universo delictorum malo liberetur : quæ [2] annuntiat veritas fidelibus, cum fuerint roborati, quando capientur in funibus paupertatis; adhuc enim compediti sunt compedibus, nondum exaltati, ut sedeant in solio cum regibus in perpetuum. *Et dixit, quia convertentur ab iniquitate. Et dixit*, subaudiendum est, Deus. *Si audierint, et servierint, complebunt dies suos in bonis, et annos suos in gloria.* Tunc vero nullum peccatum erit in homine, quia nulla erit mortis contentio, id est, indigentia mortalitatis, quæ facta est de peccato, cum jam dicetur, *Ubi est, mors, contentio tua* (I *Cor.* XV, 55)? *Impios vero non faciet salvos; eo quod noluerunt scire Dominum.* Hoc ad Gentes magis videtur pertinere. *Et cum monerentur, inobedientes erant.* Hoc ad Judæos, et omnes qui eis per inobedientiam similes sunt, etiam in Ecclesia. *Et hypocritæ corde ponent furorem :* quo Dominum crucifixerunt. *Non clamabunt, quia ligavit eos :* honore nominis super omnes gentes. *Moriatur ergo in juventute anima eorum :* in superbia, qua se extollebant veluti de meritis operum suorum. *Et vita eorum vulneretur ab angelis.* Commodius accipitur a nuntiis veritatis, quorum aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem (II *Cor.* II, 16). *Quod tribulaverint infirmum et invalidum :* illud infirmum Dei, quod fortius est hominibus (I *Cor.* I, 25). *Judicium vero mansuetorum statuet :* ipse Dominus, exemplo mansuetudinis suæ differens etiam vindictam imitantium se, sed tamen certo futuram. *Et quia decepit te ab ore inimici abyssus.* Decepit, sicut visum est persecutoribus ejus, profunditas hujus sæculi Christum ab ore falsi testis : ad ipsum enim Dominum convertit sermonem. *Effusi subter eam :* subaudiendum, deceperuntte; gravati enim terrenis cupiditatibus subter abyssum effusi dicti sunt. *Et descendit mensa tua plena pinguedine :* Sacramentum corporis et sanguinis ejus, panis qui de cœlo descendit (*Joan.* VI, 50). *Non deficiet justos judicium.* Quamvis edant pauperes, et saturentur, ad imitandas passiones Domini, parati de plenitudine charitatis; non tamen ideo non facit judicium ipsorum cito. *Et ira super impios erit, propter impietatem munerum quæ accipiebant iniquitatibus.* Omnia munera dicit, quæcumque commoda temporalia, propter quæ commoda iniquitates fiunt. *Non te avertat voluntas animi.* Domino dicitur, non monentis auctoritate aut jubentis audacia, sed locutione prophetiæ per imperativum modum futura prædicentis; sicuti est, *Accingere gladium tuum super femur potentissime* (*Psal.* XLIV, 4). *A precibus infirmorum :* cum in necessitate fuerint, clamantium, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24)? *Et omnes qui habent fortitudinem :* præsumentes de operibus suis, et suam justitiam volentes constituere (*Id.* X, 3). *Noli extrahere per noctem.* Manifestum sit quod eos a populo tuo secernis, sive illos superbos qui de oliva fracti sunt, sive sarmenta de vite amputata, unde hæreses et schismata exorta sunt. *Ut ascendant populi pro eis :* ut inserantur infirma hujus mundi, confusis fortibus (I *Cor.* I, 27). Quoniam qui se humiliat, exaltabitur; et qui se exaltat, humiliabitur (*Luc.* XIV, 11). *Sed cura ne quid facias indecens :* ne nomen Domini Dei et doctrina blasphemetur, dum dicunt, quorum judicium justum est, *Faciamus mala ut veniant bona* (*Rom.* III, 8). *Hoc enim elegisti super inopiam.* Non solum elegisti inopiam confitentis, sed super hanc vitæ ac morum decus, ut doctrina salutaris ornetur in omnibus. *Ecce Deus consolabitur*, vel, *roborabitur in fortitudine sua.* Quia etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (II *Cor.* XIII, 4). *Quis enim est sicut ille*

[1] Editi, *sero.* Mss. vero, *seræ.* Sic inferius ad cap. 37, v. 4, vocatur sera infidelium pœnitentia in die judicii.
[2] Er. et Lov., *quem.* M.

potens? vel quis est qui discutiat opera ejus? tanquam judicans de illo, cum ipse sit judex vivorum et mortuorum. *Aut quis est qui dicat, Egit inique* [1] ? *Memento quia magna sunt opera ejus, quæ laudaverunt viri :* Evangelistæ atque omnes prædicatores verbi, ministerio suo vita congruentes. *Omnis homo respicit ad eum :* memor infirmitatis humanæ. *Quicumque compunguntur homines :* pœnitentia peccatorum, homines sunt. *Ecce Deus multus, et nesciemus. Multus*, quia sicut abundavit peccatum, superabundavit gratia (*Rom.* v, 20). *Nesciemus* autem ex persona eorum dictum est, quorum ex parte cæcitas facta est, donec plenitudo gentium intraret (*Id.* xi, 25). *Numerus annorum ejus infinitus :* propter æternitatem positum est. *Ei autem numerabiles stillæ pluviæ.* Hoc enim, quod homines [2] prædicatores implevit Evangelium, numerabile est usque in consummationem sæculi, donec auferatur scientia quæ ex parte est, et veniat quod perfectum est, facie ad faciem (I *Cor.* xiii, 12). *Effundetur imber per semitas suas.* Non enim viæ malorum capient eum. *Fluent nubes, et tenebrascent super homines plurimos.* Quia etsi obvelatum est Evangelium, in his qui pereunt est obvelatum. *Horam constituit jumentis, et sciunt cubilis ordinem.* Quoniam cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui (*Isai.* i, 3). *In his omnibus non obstupescit animus ejus.* Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* cx, 10). *Nec mutatur cor tuum a corpore :* ut elevatum a terra sursum habeatur ad Dominum. *Si cogitaverit extendere nebulam :* ut qui vident, cæci fiant (*Joan.* ix, 39). *Æque ut per tabernaculum expandit eam.* In carne quippe mortali tanquam tabernaculo habitans, per eam non est agnitus a persecutoribus, dum eis cessit, et eam extendit atque expandit in cruce. *Ecce :* fundit super omnia lucem suam, quam absconderat, cum cæcitas ex parte in Israel fieret, effundit super omnes gentes. *Et radices maris contexit.* Cupiditatem sæculi redarguit. Non enim ad abscondendum lux contegit, sed ad manifestandum. In eis enim judicavit populos, ostendendo illis peccata eorum per lucem veritatis. *Dabit escam plurimis :* utique agnoscentibus, cum arguuntur peccata sua, et esurientibus ac sitientibus justitiam. *In manibus* [3] *contexit lumen.* Si ab eo quod sunt *immanes;* his qui non dimittunt peccata hominibus, cum sibi a Deo dimitti velint : si autem ab eo quod sunt *manus;* his qui de manibus suis, hoc est de operibus, extolluntur, seipsos justificantes. *Contexit* enim *lumen*, ad hoc dixit, ne videatur ab eis; quia excæcatum est insipiens cor eorum (*Rom.* i, 21). *Et mandavit de eo in contrarium :* ut qui faciunt veritatem, vel dimittendo ut dimittatur eis, vel confitendo mala sua ut gratiæ Dei subdantur, ipsi veniant ad lucem ut manifestentur opera eorum, quoniam in Deo sunt operata (*Joan.* iii, 21), non in ipsis. Contrarius est enim et immani misericors, et superbo humilis. *Ut nuntiaret super illo amico suo :* super illo lumine, hoc est, de illo quod contexit, ut absconderet immani et ingrato; ut id annuntiaret, id est, aperiret, non jam servo sub Lege, sed reconciliato per gratiam; aut *amico suo*, imitatori suo : quia et filius hominis non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* xx, 28). *Possessionem contra eum qui ascendere nituntur :* ut ipsum lumen possideant, qui se a terrenis extrahunt. Ipsis enim annuntiatur, qui adhuc enituntur ascendere; quia cum ascenderint, non opus erit annuntiatore facie ad faciem videntibus. *Contra eum* vero quod ait, *ascendere nituntur*, non quasi adversantes, sed obviam euntes; sicut Apostolus dicit, *In obviam Christo* (I *Thess.* iv, 16).

[Ib. xxxvii.] *Sed et in hoc obstupuit cor meum :* admiratione. *Et evulsum est de loco suo :* de terrenis rebus, quibus delectabatur, ut sursum habeatur ad Dominum. *Audite sonitum terroris et vocis ejus.* Hinc eum apparet ista in spiritu dicere. Nam incipit dicere cur evulsum sit cor ejus de loco suo, auctoritate scilicet Evangelii per totum orbem terribiliter sonantis, *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Matth.* iii, 2). *Et strepitu oris illius exeunt :* ad eos utique qui foris sunt, in delectationibus rerum visibilium. *Subter universum cœlum circuit, et lumen ejus in finibus terræ :* dum Ecclesia per omnes gentes diffunditur. *Post eum fremet vox.* Post primum adventum ejus novissima tuba secundi adventus ejus in claritate tonabit (I *Cor.* xv, 52, *et* I *Thess.* iv, 15). *In sonitu superbiæ suæ.* Superbiam pro celsitudine posuit; quia primus adventus in humilitate fuit. *Et non poterit investigari, cum audita fuerit vox ejus.* Nunc ergo quæratur Dominus, dum inveniri potest (*Isai.* lv, 6), hoc est, comprehendi ad salutem per fidem non fictam. Tunc enim non poterit, cum venerit judicare, et audita fuerit vox ejus dicentis, *Ite in ignem æternum* (*Matth.* xxv, 41). Quoniam sera tunc erit, et infructuosa infidelium pœnitentia. *Tonabit fortis in voce sua mirabiliter.* Quia non fortitudinis ejus, sed infirmitatis nostræ ex participatione mortalitatis vox illa fuit primi adventus ejus, de quo dictum est, *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I *Cor.* i, 25). *Fecit enim magna quæ nesciebamus.* Hæc in primo adventu; et ideo postea ad exigenda quæ dedit, judex venturus est. *Quæ nesciebamus* autem, dictum est ex persona eorum quos latuit divinitas Domini, in infirmitatem carnis intuentes. *Præcipiens nubi, Esto super terram :* carni suæ, ut per Sacramentum accipiatur, in memoria ejus (*Luc.* xxii, 19, 20), ad imitationem humilitatis et informationem charitatis. *Et tempestas pluviæ, et tempestas imbrium potestatis ejus.* Est enim nubes quidem super terram : sed quando exprimatur ad irriganda corda per pluviam imbresque sermonis, quod fit cum sacramenta intelliguntur, non in nostra, sed in ipsius potestate est. *In manu omnis hominis signat.* Significat ei per opera ejus quam reus sit, ut

[1] Editi, *qui dicat ei inique :* et paulo post, *quem laudaverunt.* Substituimus lectionem Mss. quæ cum LXX et Vulgata concordat.

[2] Floriacensis codex, *quod per homines.*

[3] Editi, *immanibus.* Mss. vero, *in manibus.* Circa hoc Augustinus idcirco hærebat, quod a veteribus constanter per *n* scribi soleret vox ipsa composita *inmanis :* sicque etiam in antiquis libris passim reperias *inmen[illegible]*, *inval[illegible]*, *inlatus*, *inpunis*, etc. Porro in Græco LXX habetur, *épi ch[illegible]ón.*

sciat omnis homo infirmitatem suam, et clamet, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*Rom.* VII, 24)? *Introierunt autem bestiæ sub protectione, et quieverunt in cubili.* Introierunt autem peccatores sub indulgentia gratiæ, et quieverunt in conscientia, remissis peccatis. *De promptuariis supervenit tempestas :* tentatio de occulto rerum ordine. *Et de promptuariis frigus :* de secretis judicium in eos qui non perseverant; ut refrigescat eorum charitas ex abundantia iniquitatis (*Matth.* XXIV, 12, 13). Merito enim contingit eis, dum spem suam non in Deo, sed in hominibus ponunt. *Et ab spiritu Dei dabitur glacies.* Non solum ex abundantia iniquorum frigescent, qui spem ponunt in hominibus; sed etiam ex operibus bonis eorum, in quibus est spiritus Dei, durescunt quidam quasi glacie livoris, quibus est Paulus odor mortis in mortem (II *Cor.* II, 16). Et ad hæc quis idoneus, ut intelligat quoniam recte ac juste ab spiritu Dei dabitur glacies? Sicut enim carnalibus homines laudantibus contingit ex hominum iniquitate frigescere desperando; ita carnalibus ab hominibus laudari cupientibus contingit ex hominum justitia durescere invidendo. *Gubernat autem aquam qualiter illi placuerit :* ut pluat super unam civitatem, et super aliam non pluat (*Amos* IV, 7); quod ad imbrem attinet spiritualem, pro subditarum aut non subditarum meritis animarum. *Et frumentum irrigavit nubes.* Simus ergo frumentum[1], si cupimus irrigari. *Disseminavit nubem lucem suam :* Evangelium incarnationis suæ. *Et ipsa per circuitum vertitur* per orbem terræ ipsa tractatur. *In gubernaculis ad operandum omnia quæ mandaverit eis.* Gubernacula in quibus illa nubes per circuitum vertitur, prædicatores sunt verbi, per quos Ecclesiæ gubernantur ad operanda omnia mandata Dei. *Hæc constituta sunt ab eo super terram :* a Domino nostro Jesu Christo. *Sive in tribu, sive in terra sua.* Sive in tribu Juda, unde secundum carnem natus est, et passus, et resurrexit, et ascendit in cœlum : ex hac enim geniti erant Apostoli, et multi fratres prope inventi et salvi facti; sive ante passionem ejus per ipsum vocati, sive post ascensionem per Apostolos in ipsa Jerusalem, atque in Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo, sicut commemorat apostolus Paulus, *propter veritatem Dei, ad confirmandas patrum promissiones. Sive in misericordia inveniri voluerit eam :* illam nubem scilicet in misericordia voluerit inveniri a credentibus Gentibus. Hoc enim sequitur, *Gentes autem super misericordiam glorificare Deum* (*Rom.* XV, 8, 9). *Auribus percipe hæc, Job.* Quasi renovat intentionem, dicturus de vocatione Gentium. *Sta, et commovere virtutem Domini.* Noli moveri mente, aliquid tibi tribuendo. *Scimus quia Deus posuit opera sua :* reprobans utique gloriantes de operibus suis. *Cum faceret lucem de tenebris :* cum justificaret impios. Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino (*Ephes.* V, 8). *Scit differentiam nubium :* Evangelistarum aliorum sibi ante passionem, aliorum post passionem credentium. *Et ingentes lapsus malorum :* non eorum qui elapsi sunt crucifigentes eum, ut eos postea pœniteret, et baptizarentur in eo; sed eorum lapsus qui nec corrigi potuerunt, perseveranter etiam postea persequentes Ecclesiam : horum enim non parvi, sed ingentes lapsus sunt. *Tua vero stola est valida*[1] : dignitas superba; tanquam in eum quippe dicitur, qui de operibus suis audet extolli. *Quiescente terra ab austro, firmabis cum eo cœlos, qui æqualiter ad videndum fusi sunt?* Ab austro terram congruenter intelligimus eos qui de Judæis crediderunt in Christum. Sicut enim sol ab aquilonari terra remotior est, australi autem vicinior; ita quos prope inventos dicit Apostolus luci Evangelistarum (*Ephes.* II, 17), non absurde accipiuntur terra ab austro. Sicut autem cœlos Evangelistas solemus accipere, ut est, *Cœli enarrant gloriam Dei;* de his enim dictum est, *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* XVIII, 2, 5) : ita terras recte accipimus plebes, quibus evangelizatum est. Et quoniam plebes quæ de Judæa crediderunt, posteaquam quieverunt exeuntes de hac terra[2] (nunc enim hic non sunt), firmata est tamen auctoritas Evangelistarum in Ecclesiis quæ sunt ex Gentibus, firmata autem misericordia Dei, non jam opitulante auctoritate Ecclesiarum Judææ, quæ in Christum est; propterea sensus hic est, ut per interrogationem pronuntietur : Numquid tu quiescente terra ab austro; id est, jam non existente in hac vita plebe ulla christiana ex Judæis, firmabis cum eo Evangelistas, et divinarum Scripturarum libros, qui per misericordiam Dei non solis Judæis, sed etiam Gentibus æqualiter ad videndum fusi sunt? Gratiam quippe Dei commendat et misericordiam, ne quis de meritis glorietur, quæ Judæorum erat superbia. *Quare doce me quid dicamus ei, et requiescamus multa dicentes.* Quia non est quod ei dicant convicti, nullum se habere meritum per seipsos, sed ejus indigere misericordia *Numquid liber aut scriba assistis mihi, ut stans faciam hominem tacere?* Quare ergo non dicis, si habes quod dicas? Non enim quasi dictanti mihi excipis, ut tu nihil dicas; sed utique colloquimur. *Omnibus autem non est visibile lumen, quod refulget in nubibus.* Redit ad ea quæ dicebat de spe remissionis peccatorum et illuminationis gratiæ per misericordiam Dei : refulget enim lumen in nubibus. Non tamen ipsarum nubium proprium est; illuminantur enim. Aliud est enim quod fulget suo lumine, aliud quod refulget illustratum. Sed non est omnibus visibile. Multi enim putant lumine suo fulgere animas, cum sapientes sunt. Unde sunt illi, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt (*Rom.* I, 22). *Et spiritus transit, et mundabit eas.* Hic spiritum dixit, de quo dictum est, *Ab increpatione spiritus iræ tuæ* (*Psal.* XVII, 16); et, *A spiritu tuo quo fugiam* (*Psal.* CXXXVIII, 7)? Per correptiones enim tentationum ostenditur hominibus meritum eorum, quia ipsi peccatis suis tenebræ sunt, et egent gloria Dei (*Rom.* III, 22), ut illius lumine illustrari velint,

[1] In editis deerant isthæc verba, *irrigavit nubes. Simus ergo frumentum* : quæ manuscriptorum ope restituuntur.

[1] In LXX, *thermê, calida :* sic etiam Vulgata.
[2] In aliquot Mss., *de hac vita.*

illi dantes honorem, non sibi; atque ita deposita superbia, mundentur a delicto magno: nam Spiritus sanctificationis non transit, sed manet. *Ab aquilone nubes coloris aurei.* Ab sceleratissima impietate, et a Deo longe remota, veniunt tamen mundati atque conversi, et illuminati sapientia: unde, nisi per gratiam, qua non merita attenduntur, sed peccata dimittuntur? Unde ille cum sibi vellet ignosci, *Doceam*, inquit, *iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur* (*Psal.* L, 15): tanquam nubes ab oriente vel aquilone jam coloris aurei, illuminatis tenebris suis. *In his est magna gloria et honor Omnipotentis.* Cui plurimum dimittitur, plurimum diligit. Quoniam potest et impium justificare qui est omnipotens. *Et non invenimus alium similem virtuti ejus.* Solus enim hic peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (I *Petr.* II, 22). Solus enim Deus verax, omnis autem homo mendax (*Psal.* CXV, 11): unde vicit, cum judicaretur, Deus homo factus. *Qui juste judicat, non putas exaudire eum?* Non itaque homo de venia desperando, addat peccata peccatis, tanquam addictus jam damnationi, quia certus est de justitia Dei, sub qua non potest esse impunitus. Ita enim Deus juste judicat, ut etiam exaudiat veniam deprecantes; et tanto magis, quanto magis juste judicat. Non enim justi judicii est, pœnitentes supplices miscere cum iis qui recusant humilitatem et satisfactionem pœnitentiæ. *Propterea timebunt eum homines:* si se homines esse meminerint, confitendo peccata sua; quia adhuc homines sunt, quibus dicitur, Nonne homines estis? *Timebunt quoque eum et sapientes corde:* ne sibi tribuendo quod acceperunt, et dicendo se esse sapientes, stulti fiant. Potest enim auferri superbis, quod datur humilibus. Quapropter et sapientes quamvis cordis illuminatione, non linguæ jactatione sapientes sint et reges, spiritualiter judicantes terram, ipsi autem a nemine judicentur (I *Cor.* II, 15), serviant tamen Domino in timore, et exsultent cum tremore, ne pereant de via recta (*Psal.* II, 11, 12). Deus est enim, qui operatur in eis et velle et operari, pro bona voluntate (*Philipp.* II, 13).

[Ib. XXXVIII.] *Et posteaquam quievit Eliu loqui, dixit Dominus ad Job per turbinem nubis.* Etiam si hoc modo vox ista facta est, quo modo ad Moysen, vel quo modo cum se Dominus tribus discipulis in monte ostendisset (*Matth.* XVII, 1-5); tamen quod non dictum est simpliciter, per nubem, sed, *per turbinem nubis*, hoc significari arbitror, quod non per sanam carnem interrogatus, hoc est, tentatus est Job, sed per tribulationem perturbationemque carnis. *Quis est qui celat me consilium, continens sermones* [1] *in corde, et me putat dare?* Nemo est ergo qui se immeritum pati aliquid asperum dicat; quia si non factis, saltem verbis peccatur; et si non verbis, saltem temeraria præsumptione intus in corde, vel sermonibus cogitationum: et quoniam Deum non latent, nemo flagellatus dicat indigne se accipere disciplinam, quasi ultra non sit, quo per illam proficiat. Sciendum est enim, sic in principio libri hujus diabolo laudatum Job testimonio Dei, et in fine tribus amicis ejus, ut tamen nosset Deus quantum ei deesset ad perfectionem, quo etiam laudabiles secundum hanc vitam viros, et Deo jam placentes, paterna flagella perducunt; quæ noluit ab Apostolo removere, dicens, *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 9). *Accingere tanquam vir lumbum tuum.* Significat ad hoc pati dura et amara Dei servos in hoc sæculo, ut omnes affectiones suas a terrenarum delectationum fluxu colligant, atque constringant. *Interrogabo te; tu autem responde mihi. Ubi eras cum fundarem terram?* Hinc jam commendare incipit eminentiam Domini nostri Jesu Christi, quia in ipso est salus omnium percussorum venenata suasione serpentis, ne in se sibi quisque esse salutem putet. Ille enim Deus, non sicut dictum est, *Dii estis, et filii Altissimi* (*Psal.* LXXXI, 6); sed cui rapina non sit esse æqualem Patri (*Philipp.* II, 6): et filius hominis, non sicut filii hominum in quibus non est salus (*Psal.* CXLV, 3); sed præ participibus suis (*Psal.* XLIV, 8). Non enim justus tantum, sicut Job, sicut Paulus, sicut Ecclesia; sed etiam justificans tanquam unigenitus a Patre, plenus gratia et veritate (*Joan.* I, 14). Ad insinuandam ergo differentiam divinæ humanitatis ejus, in quo princeps hujus mundi nihil invenit (*Id.* XIV, 30), quia in passione, quæ non rapuit, tunc exsolvebat (*Psal.* LXVIII, 5), et justificationem sanctorum per peccatorum remissionem, quibus sanctis in unum redactis fit corpus ejus Ecclesia, cujus et particula est Job secundum historiam quia justificatus, et figura universæ, per prophetiam incipit dicere quæ dicturus est. *Ubi eras cum fundarem terram?* Utrum quia nondum erat, an quia non per eum fundata est, sicut per unicum Filium? et terram istam, an ipsam Ecclesiam? Ipsa enim accepit lapidem angularem (*Ephes.* II, 20), de quo mox dicturus est. *Indica mihi, si nosti scientiam.* Hæc enim quæ a Domino pro nobis temporaliter gesta sunt, ad scientiam pertinent. *Quis posuit mensuras ejus si nosti?* secundum distributionem donorum spiritualium. *Unicuique enim nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus* (*Id.* IV, 7, 8). Quia si totum corpus oculus, ubi auditus (I *Cor.* XII, 17)? Secundum mensuram quippe uniuscujusque partis incrementum corporis facit, in ædificationem sui in charitate [1] (*Ephes.* IV, 16). *Aut quis est qui induxit super eam funiculum?* ut eam faceret hæreditatem suam, distinguens ab eis quibus dicit, *Non novi vos* (*Matth.* VII, 23). Novit enim Dominus qui sunt ejus (II *Tim.* II, 19). *Aut super quo circuli ejus fixi sunt?* Quia constringunt eam, ne dissolvatur, divini Libri fixi super Dominum; quia quisquis eos sine illo interpretari voluerit, fluitet atque erret necesse est. *Quis est autem qui misit lapidem angularem super eam?* quem reprobaverunt ædificantes (*Psal.* CXVII, 22). *Quando facta sunt sidera simul: si-*

[1] Sic Mss. juxta LXX. At editi, *qui celat meum consilium contemnens sermones*, etc.

[1] Manuscripti, *in charitatem.*

mul baptizata tot millia verbo vitæ, inter peccatores tanquam in tenebris fulgentia. *Laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei :* Evangelistæ. *Conclusi portis mare :* populos amaricantes amore terrenorum. Sed quare *portis?* An forte ut non solum modum haberet exercendi justos persecutionibus, sed etiam ut liceret justis inde egredi? *Cum fremeret ex utero matris suæ, volens progredi :* cum irasceretur in concilio Babyloniæ civitatis, fornicantis amore hujus sæculi, volens extendere persecutiones suas ad perdendos de terra eos de quibus dictum est, *Non peto ut tollas eos de sæculo, sed ut tollas eos a malo* (*Joan.* XVII, 15). *Circumposui illi nubem operimentum.* Non enim boni tantum, sed etiam mali multi amatoresque hujus sæculi, Sacramento corporis Christi subjecti sunt : cujus auctoritate a sanctorum persecutione reprimuntur. *Et nebula obvolvi illud :* ignorantia, qua terrenam inde exspectant felicitatem, terrenamque infelicitatem timent; et propterea timent quos, nisi ita esset, persequerentur. Non enim solum dictum est, *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum qui requirunt eum;* sed etiam dictum est, *Manducaverunt, et adoraverunt omnes divites terræ* (*Psal.* XXI, 27, 30). *Et posui illi terminos, imponens claustra et portas : terminos* quibus sævitia cohibeatur, non ut nihil affligat, sed quo usque exerceat; *claustra*, ut injusti non progrediantur; *portas*, ut ab eis justi egrediantur. *Et dixi, Huc usque venies, et non transibis.* Sicut ipse diabolus modum accepit, quo usque affligeret Job; ita illud mare quo usque persequeretur Ecclesiam. *Sed in temetipso comminuentur fluctus tui :* alterna vastatione discordiarum atque bellorum. *Aut numquid tecum lucem constitui matutinam?* id est, cum consilio tuo tempus resurrectionis prædestinavi? *Aut cognovit lucifer ordinem suum?* subaudiendum est, Numquid tecum? Dominum autem luciferum dicit, propter ipsum matutinum resurrectionis exortum. Non enim de alio dici potuit, *Et lucifer oriatur in cordibus vestris* (II *Petr.* I, 19). Ipse agnovit ordinem suum, ut esset primitiæ dormientium, primogenitus a mortuis (I *Cor.* XV, 20), caput Ecclesiæ, secuturo etiam corpore in futura resurrectione sanctorum. *Apprehendere pennas terræ :* dictum est, *Si recipiam pennas meas in directum* (*Psal.* CXXXVIII, 9); virtutes utique spirituales fidelium, quibus a sæcularibus suspenduntur illecebris. *Excutere impios ex ea.* Ad hoc enim prior tanto ante resurrexit agnoscens ordinem suum, ut fidem resurrectionis insinuaret, atque per ipsas pennas Ecclesiæ ubique prædicatus, ministerio circumvolantium nuntiorum, juste apprehendat eas in opus judicandi duodecim tribus Israel, cum venerit excutere impios ex Ecclesia, qui nunc ante judicium permixti tolerantur. *Et tu sumens terræ lutum figurasti animal?* sive ipsum Adam commemoret, sive quod nunc sexta ætate sæculi, sicut tunc sexto die, de peccatoribus, tanquam de luto terræ, homo factus est secundum imaginem ejus qui creavit eum (*Gen.* I, 27, *et* II, 7). Non utique hoc fecit Ecclesia, sed in hoc potius facta est per Verbum opportuno tempore incarnatum, per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 3). *Et famosum eum posuisti super terram?* Magis iste homo famosus positus super terram, qui sexta ætate sæculi factus est, quam ille qui sexta die, antequam essent cæteri homines, per quos diffamari tu : nisi forte, quia nunc ita innotuit. *Et abstulisti ab impiis lucem?* sicut ille qui venit, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant (*Id.* IX, 39). *Aut brachium superborum comminuisti?* potentiam eorum, sicut ille qui infirma mundi elegit, ut confunderet fortia (I *Cor.* I, 27). *Aut venisti ad fontem maris?* sicut ille, cui venienti patuit confitendo quidquid occultum erat in cordibus impiorum, qui credendo in eum justificati sunt. Nam quem fontem maris melius accipimus, nisi secretum unde erumpit omnis hæc amarissima impietas, quæ ingentes fluctus jam manifestorum malorum operum concitat, quæ vident homines in apertis factis, qui fontem ipsum videre non possunt? *Aut in vestigiis abyssi ambulas?* Abyssus hic recte intelligitur vita sæcularis, quæcumque est in profundo malorum, quo, sicut scriptum est, *cum venerit peccator contemnet* (*Prov.* XVIII, 3). Quia ipsi quoque desperatissimi, subjecti gratiæ per remissionem [1] peccatorum salvi facti emerserunt, et receperunt Christum : non in abyssum quo premebantur; sed in locum ejus, ut ubi ambulabat calcans eos, ambulet inhabitans eos Christus; *in vestigiis abyssi*, remanentibus per memoriam peccatorum suorum, ut dum recolunt ubi fuerint, amplius diligant quem receperunt, a quo sibi tanta dimissa sunt (*Luc.* VII, 41-47). *Aut tibi aperiuntur metu portæ mortis?* Omnibus enim morientibus aperiuntur portæ mortis, sed non metu, sicut uni illi qui destruendæ mortis causa mortuus est. Aut certe aperiuntur ad resurgendum. *Aut janitores inferni videntes te, timuerunt?* sicut illum unum, in quo nihil dignum morte princeps mundi [2] invenit, quem tam cito dimiserunt, quem inviti admiserunt. Inferi autem janitores, aliquæ inferiores potestates morti præpositæ intelligendæ sunt. *Aut cognovisti latitudinem sub cœlo?* sicut cognovit qui per illam diffudit Ecclesiam. *Narra ergo mihi quanta quæque sint.* Quis enim hoc sciat, nisi quem ille docuerit? *Aut in qua terra habitat lux?* Ille enim docet, quia manifestatio verborum ejus illuminat, et intelligere facit infantes (*Psal.* CXVIII, 130). *Aut quis tenebrarum locus?* Hoc quoque ille docet, qui dicit, *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal* XXXIII, 6). Hinc enim ostendit eos tenebrescere qui recedunt, dum nolunt esse infantes. Initium enim superbiæ hominis, apostatare a Deo (*Eccli.* X, 14). Inde qui non glorificaverunt [2] Deum, aut gratias egerunt, evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum (*Rom.* I, 21), et facti sunt tenebrarum locus. Nisi forte ille est tenebrarum locus, qui excipit perseverantes in peccatis, ut ipsi sint tenebræ, quarum ille est locus, quem vere nullus hominum novit. Similiter et terra, in qua habitat lux, potest intelligi terra illa viventium,

[1] Am. Er. et plerique Mss., *gratiæ remissionis.*

[2] Floriacensis codex, *princeps mortis.* Paulo post Am. Er. et plerique Mss., *quem inviti amiserunt.*

id est, beatitudo exceptura perseverantes in fide et spe et charitate, qui fuerunt aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino (*Ephes.* v, 8). *Si duces me in fines eorum?* quo usque perveniunt qui tales sunt. Quid est enim ubi non sit sapientia Dei, quæ attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* viii, 1)? Cui utique nullus hominum comparandus est. *Quod si et nosti semitas eorum; numquid scis quia tunc natus es, et numerus annorum tuorum multus?* Quod si et nosti semitas impiorum, qui vel tenebræ sunt vel tenebrarum locus; quia omnes etiam qui jam ad Deum conversi sunt, in ipsis semitis ambulaverunt, antequam acciperent a Deo gratiam, qua justificat impium: numquid scis tamen quia tunc tibi exstitit causa mortaliter nascendi in hoc sæculo, cum easdem semitas inierunt primi omnium hominum parentes, qui prævaricatione impii manibus et verbis accersierunt mortem, ut omnes in Adam morerentur? Non enim ex quo quisque in hac vita apparuit, computandus est numerus annorum ejus tam parvus, sed ex quo facta est prima mortalis nativitas. Cum enim, verbi gratia, natus est Abraham, tunc omnes in illo Hebræi nati sunt. Numerus ergo annorum unicuique multus est secundum mortalitatis originem, quæ exorta est in semitis impiorum. Quis autem meminit fuisse se, aut cum esset, scire potuit esse se in lumbis patris sui? Quandoquidem nec illud tempus quisquam recolit, quo non in parentibus, sed in seipso natus est; quo tempore certe nemo dubitat, quod jam erat, et vivebat, et sentiebat. Omnia autem scit illa Sapientia quæ format omnia, non tantum illa super cœlestia, sed etiam ista mortalia. Et quia Christus Dei Virtus est et Dei Sapientia (I *Cor.* i, 24), scit ista ille, qui etiam mortaliter natus est, non conditione mortali, quia in mortuis liber, sed miseratione mortalium, ut a morte faceret liberos. *Aut venisti in thesauris nivis?* id est, ad eam cognitionem pervenisti, sicut ille sciebat etiam opportunas causas imminentium scandalorum secretas atque abditas? Nam inde appellat thesauros, ad probanda et exercenda spiritualium corda, cum exclamaret: *Væ mundo a scandalis! oportet enim venire scandala; væ autem illi homini per quem scandalum venit* (*Matth.* xviii, 7)! Per superbiam quippe elati in alto, more nivis congelascunt, et cadunt; ex quorum iniquitate abundante refrigescit charitas multorum: qui autem sustinent Dominum viriliter agentes (*Psal.* xxvi, 14), et spiritu ferventes (*Rom.* xii, 11), perseverent usque in finem, et salvi erunt (*Matth.* xxiv, 13). *Aut thesauros grandinis vidisti?* Grando sunt illi iniqui, quando non solum torpent, nullum fervorem spiritus habentes, sed etiam obstinata duritia persequendo vel irruendo contundunt. *Quæ reposita sunt tibi in tempus inimicorum, et in diem pugnæ et belli?* Vel hinc quis non videat cujus personam in prophetia gestet Job? Non enim huic uni homini reposita sunt ista in tempus inimicorum, et in diem pugnæ et belli, sed utique unico populo Dei. Tempus quippe inimicorum est, donec transeat iniquitas, quæ quanto magis abundat, tanto magis adversus diabolum acrius pugnandum atque bellandum est, ne charitas perseverantium refrigescat. *Unde autem procedit pruina?* Quis hoc novit, nisi quia hæc ut initia parturitionum sunt? Pruina quippe minutissima grando est. *Et dispergitur auster sub cœlo?* Austrum, quamvis mortalibus carnibus gravis sentiatur, non tamen uspiam memini in sanctis Libris mali aliquid significare, sicut aquilonem nunquam in bono: illum, quia ex ea parte flat qua lux claret; istum, quia ex ea unde lux est remotior. *Dispergitur* ergo *auster sub cœlo*, ut adversus illas omnes iniquitates auxilium aliquod intelligatur Dei, quamdiu nondum in cœlo, sed sub cœlo sumus. *Quis præparavit flumen validæ pluviæ, et viam vocibus tempestatis?* Vide quemadmodum tria illa breviter complexa sint, quæ Dominus in tentationibus ponit contemnenda his qui ædificant super petram, et perniciosa his qui ædificant super arenam (*Id.* vii, 24-27). Pluviam commemoravit, et flumen, et voces tempestatis, ubi ventos intelligimus. Pluvia ergo tentatur, qui ex ipsa celsitudine Scripturarum divinarum peccandi occasionem prave intelligendo accipit: tanquam si audiens, *Cui modicum dimittitur, modicum diligit* (*Luc.* vii, 42, 43), dicat sibi, *Faciamus mala, ut veniant bona* (*Rom.* iii, 8); et permaneat in peccato, ut gratia abundet (*Id.* v, 20): et multa hujusmodi, quibus se homines sermonem divinum male interpretando subvertunt, impunitatem sibi promittentes, quando misericordia Dei in divinis Libris commendatur. Flumine autem, quando ab hominibus qui hæc ita intellexerunt et acceperunt, tentatur: flumen enim nunc dicit illud quod de pluvia colligitur, et torrens vocatur, cum ait, *Quis præparavit validæ pluviæ flumen?* quod impleat, et qua currat [1]. Sicut sunt vasa iræ perfecta ad perditionem (*Id.* ix, 22), quæ illo modo quo dixi, Scripturas accipiunt. Per illos enim habet liberiorem cursum [2] perniciosa illa interpretatio, quam agri fructiferi non recipiunt; et tanto majore impetu impellit, et dejicit, et trahit quod instabile invenerit, quanto videtur de auctoritate divina suscepta. Ventis vero tentatur, quem perflant [3] inanes suasiones hominum superborum, id est, ex propria auctoritate verba vana jactantium. Qui ergo judicio Dei præparatur ad perditionem, non obtemperando verbis ejus, quod est super arenam ædificare, non resistit ventis talibus, et cadendo fit via vocibus tempestatis. *Validæ* autem *pluviæ* dictum arbitror, difficilis ad capiendum, id est, ad intelligendum. *Ut pluat super terram ubi non est vir*: subaudiendum est, *Quis præparavit?* Per virum autem videtur Legem significare, quæ data est Judæis. Ergo super Gentes intelligimus imbrem Evangelii. *In deserto, ubi non est homo*: in ipsis Gentibus, ubi non erat aliqua auctoritas cognoscentis Deum. *Ut satiet* [4] *invium et inhabitabile, et ut germinet herbæ viror.* Multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum (*Isai.* liv, 1). In omnibus autem his quatuor versibus, subaudiendum est, *Quis præparavit? Quis est pluviæ*

[1] Sic Mss. At editi, *quod impleatur et quod currat.*
[2] Floriacensis Ms., *labilem cursum.*
[3] Am. Er. et aliquot Mss., *quem inflant.*
[4] Editi, *faciat.* Mss cum LXX, *satiet.*

pater? sicut sponsus, qui filios suos misit prædicatione regni cœlorum irrigare terram. *Et quis est qui peperit glebas roris?* bene suscipientes illam prædicationem. Sic enim ait *glebas roris*, qui modo dicuntur vasa vini ad hoc facta, ut vinum suscipiant. *De cujus utero procedit glacies?* Utrum glacies in bono accipienda est, propter stabilitatem et a fluxu continentiam, ut ita dictum sit, *De cujus utero procedit glacies*, quemadmodum illud, *Quis est pluviæ pater?* An uterus pro secreto positus est, ut *de ejus utero procedat glacies*, sicut dedit illos Deus in reprobum sensum (*Rom.* I, 28)? An potius de *illius utero procedit glacies*, qui persuadendo impietatem, qua intrinsecus plenus est, facit frigescere et durescere amisso calore charitatis? quis enim hunc novit, sicut ille, qui ait duris et resistentibus Evangelio, *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII, 44)? *Aut pruinam in cœlo quis genuit? quæ descendit sicut aquæ flumen.* Quod de glacie in ultimo sensimus, hoc et de pruina accipiendum puto. Nec tamen frustra est additum, *in cœlo*, ut ex ipsis qui præsunt, intelligatur, imitantibus sane bonos nuntios veritatis, qui transfigurant se sicut ministri justitiæ (II *Cor.* XI, 15). Quo pertinet, quod adjunctum est, *quæ descendit sicut aquæ flumen*. *Aut faciem impii quis tabefecit?* id est, confudit : quis, nisi ille qui quos justificavit, ipsos et glorificavit (*Rom.* VIII, 30)? *Aut intellexisti nexus Pleiadis, et septum Orionis aperuisti? An aperies Mazuroth*[1] *in tempore suo, et vesperum super ædificationem ejus induces?* Num et astrologia perscrutanda est, ad cognoscendum proprietates istorum siderum, ut hunc locum intelligere possimus? Miror si hoc congruit sermoni nostro, et certe nimis longum est : transimus ergo ad alia. An quibusdam sideribus nominatis, figura locutionis qua intelligitur a parte totum, omnia sidera accipienda sunt? (Si tamen et Mazuroth sidus est, quod interpretatum nec in græca lingua invenimus : nam hebræum esse nomen, satis apparet.) Ita enim a parte totum intelligitur et quod scriptum est, *Ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3). Non enim Lucifer in omni creatura prior est conditus, ut ante Luciferum, ante omnem creaturam dictum videatur : sed per Luciferum omnia sidera, quod est a parte totum; et per omnia sidera omnia tempora intelliguntur (de sideribus enim scriptum est, *Et sint in signis et in temporibus* [*Gen.* I, 14]); ut Dominus natus ante omnia tempora, non utique natus in tempore, et ob hoc Patri coæternus insinuaretur. Pleiadis ergo, et Orionis, et Mazuroth, et Vesperi commemoratio, cuncta sidera intelligenda de compendio persuadet. Si enim uno Lucifero, quanto magis tot nominatis etiam cætera accipi per hujusmodi locutionem licet? Cur ergo alibi dictum est, *intellexisti nexus;* alibi, *aperuisti;* alibi, *aperiens in tempore suo;* et alibi, *super ædificationem ejus induces?* Propria sunt ista singulorum ex ordine commemoratorum? An recte dici posset etiam, Septum Pleiadis aperuisti, et intellexisti nexus Orionis? Atque ita et alia duo commutari possunt[2] : sicut illud in Psalmo, *Qui habitat in cœlis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos* (*Psal.* II, 4), nihil sententiæ deperiret, etiamsi ita diceretur, Qui habitat in cœlis subsannabit eos, et Dominus irridebit eos. Sicut enim qui habitat in cœlis, ipse est Dominus; ita, sive Pleiadis nomen, sive Orionis, in eadem significatione est, si per utrumlibet omnia sidera intelliguntur. Omnium itaque siderum nomine, omnes in Ecclesia tales intelligendi sunt, qui conversationem habent in cœlis (*Philipp.* III, 20). Nexus eorum intelliguntur, quibus et invicem sibi et Deo connectuntur ne cadant. Charitas autem nunquam cadit (I *Cor.* XIII, 8). Quis autem hoc nosset, nisi ille ostendisset, qui ait, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 34); et, *Qui me diligit, diligetur a Patre meo* (*Id.* XIV, 21)? Septum eorum est quo sepiuntur divina Scriptura quam non transgrediuntur. Quis autem hanc aperit, nisi ad quem transitur, ut auferatur velamen? Tempus apertionis est eorum, id est demonstrationis et manifestationis, cum veniet Dominus, et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis, et tunc erit laus unicuique a Deo (I *Cor.* IV, 5). Solus enim ipse hoc faciet in tempore suo : quia cum ipse apparuerit vita nostra, et nos cum illo apparebimus in gloria (*Coloss.* III, 4). Inducet autem eos super ædificationem eorum, qui eos faciet hoc possidere quod hic ædificaverint. Si cujus enim opus permanserit, quod superædificavit, mercedem accipiet (I. *Cor.* III, 14). *Scis commutationes cæli.* Utrum in deterius, sicut ii qui cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt? Noluerunt enim esse sedes Dei; ac per hoc mutati sunt, cum evanuerunt in cogitationibus suis (*Rom.* I, 21). An in melius? Quia omnes quidem resurgemus, non tamen omnes immutabimur. Qui autem immutabuntur, manifestum est, cum ait, *Et nos immutabimur* (I *Cor.* XV, 51, 52). Cum enim justi immutabuntur, cœlum immutabitur; quia thronus Dei cœlum est (*Matth.* V, 34), et sapientia Verbum Dei, et Deus erat Verbum, et thronus sapientiæ anima justi. An utrumque potius? Non enim commutationem cœli, sed *commutationes* dixit. *Aut omnia quæ sub cœlo*[1] *pariter fiunt.* Sicut enim hujus mutationes afficiunt ea quæ sub cœlo sunt, ita et cum mutantur justi, sive in deterius, sive in melius, afficiunt carnales ad utrumque. *Vocabis nubem voce :* aut interiore; aut illa qua dictum est, *Sequere me* (*Joan.* XXI, 19); aut illa qua dictum est, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? *Et in tremore aquæ validæ obedient tibi :* populi potentes, cum audiunt, *In timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini : Deus est enim qui operatur in vobis et velle et operari, pro bona voluntate* (*Philipp.* II, 12, 13). *Mittes vi flumina*[2], *et ibunt. Flumina*, inquit, *de ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII, 38). *Vi* autem dicit, fiducia, qua persecutores non timuerunt; quia et qui vim faciunt, diripiunt regnum cœlorum (*Matth.* XI, 12). *Aut dicent tibi, quid est?* id est, numquid abs te quæ-

[1] Sic Mss. et LXX. At editi, *an aperies Arcturos.*
[2] Er. et Lov., *commemorari possunt.* M.

[1] Editi, *quæ sub cœlo sunt.* Abest, *sunt*, a Ms. Floriacensi.
[2] In LXX, *keraunous, fulmina.* Vulgata, *fulgura.*

rent vel voluntatem jussionis tuæ, sicut Saulus ait, *Quid me jubes facere* (*Act.* IX, 6)? aut spem mercedis suæ, sicut dixerunt, *Ecce dimisimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis* (*Matth.* XIX, 27)? *Quis dedit mulieribus texturæ sapientiam, et varietatum scientiam?* Texit et apud Salomonem mulier vestimenta viro suo (*Prov.* XXXI, 10-24). Opera ergo intelligenda sunt Ecclesiarum, quibus honoratur Deus. Nam et ipsa textura, id est, infirmos fratres, tanquam languinantem tramam firmorum atque erectorum spiritualium [1], quasi staminum contextione constringere maximum et singulare opus est Ecclesiarum. Et varietatum scientia ad id valet, ut, tanquam in polymito ea est varietas colorum, qua non turbetur decus unitatis; sic in fratribus ita sint dona diversa, ut nulla invidiæ discrepantia cohæreant sibi, sufferentes invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis (*Ephes.* IV, 2, 3). *Aut quis est qui numeret nubes sapientia?* Novit enim Dominus qui sunt ejus (II *Tim.* II, 19) : quis autem hoc hominum, inquit, novit? *Et organa cœli in terram declinavit?* Angelos cœlestes, per quos divinæ voces enuntiari solent. Non enim ceciderunt sicut ille unus, sed flexu obedientiæ declinati sunt in terram; maxime cum et ipse Dominus esset in terra. Nam evangelista inquit, *Et Angeli ministrabant ei* (*Matth.* IV, 11). *Diffusus est autem sicut terra cinis, et agglutinavit eum sicut lapidibus cibum* [2]. Diffusa est late atque abundanter humilitas pœnitentiæ, ad hoc ut Dominus qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (I *Pet.* V, 5), cohæreret eis tanquam glutine charitatis, homo hominibus; ut mediator esset Dei et hominum (I *Tim.* II, 5), seipsum illis dans cibum per Sacramentum corporis et sanguinis sui, stulta mundi tanquam lapides eligens, ut confundat sapientes (I *Cor.* I, 27). Angelis enim cibus est in quantum est Verbum Dei apud Deum : lapidibus autem ut cibus esset, Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 1, 14). Ergo agglutinabitur hominibus, præcedente pœnitentia, tanquam cinis diffundatur faciens ei viam. Hinc ille qui dicebat, *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne dixeritis vobis, Patrem habemus Abraham : potens est enim Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III, 8, 9) : quibus lapidibus eum tanquam cibum agglutinandum esse nuntiabat. Si autem non præcedit humilitas pœnitendi, non agglutinabitur, quia excelsa a longe cognoscit (*Psal.* CXXXVII, 6). *Aut capies leoni escas, aut animas draconum replebis?* De diabolo dictum est, *Et conculcabis leonem et draconem* (*Psal.* XC, 13) : propter insidias et iram. Omnes ergo angeli ejus leonibus et draconibus comparantur. Ille autem capit eis escas, et animas eorum replet, qui de impietate convictos tradit in ejus potestatem. Volunt enim latere impietatem suam, sed cum producuntur, utique capiuntur, ut sint in potestate diaboli et angelorum ejus, quibus consenserunt. *Pavidi enim sunt in cubilibus suis :* in latebris insidiarum suarum. Nam si pavidi non essent, quis subsisteret? Pavent autem illius imperium, sub quo exclamarunt, *Quid venisti ante tempus perdere nos?* Et quemadmodum de porcis manifestum est, quod in eos non issent, nisi permissi essent (*Marc.* I, 24, et V, 11-13), sic intelligendum est nihil eos in quemquam posse nisi permissos : permitti autem justitia, qua reguntur omnia, sive probationis causa, sive vindictæ, vel ad damnationem, vel ad correctionem irrogatæ. *Et sedent in silvis insidiantes.* Non enim quiescit in eis voluntas nocendi, etiam cum potestas non datur. Observant autem in insidiis in tam silvosa densitate occasionum carnalium quis capiatur divinis legibus, id est, convincatur de peccato suo, ita ut eorum escæ deputari mereatur. *Quis autem præparavit corvo escam? pulli enim ejus ad Dominum clamantes, et errantes, et escam quærentes :* ut est in Psalmo, *Et pullis corvorum invocantibus eum* (*Psal.* CXLVI, 9). Cui sententiæ est locus iste simillimus. Nec in malo possunt intelligi, quia invocant eum. Significantur ergo nigri, hoc est peccatores nondum dealbati remissione peccatorum. Sed ideo pulli, quia jam humiles : ideo errantes, quia nondum cognoverunt veritatem, quam tamen pie quærunt, cum ad Dominum clamant. Præparari autem corvo esca potest, propter ejus præscientiam, qui novit etiam nondum humilem quemque conversum iri : sed tamen pulli, hoc est, humiles ad Dominum clamant.

[Ib. XXXIX.] *Si cognovisti tempus pariendi tragelaphorum petras?* τράγος hircus est, ἔλαφος cervus : tragelaphus ergo compositum ex hirco et cervo animal. Significat igitur mentem servientem legi Dei secundum interiorem hominem. Videt autem, quantum adhuc ex parte hircus est, aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, et captivantem se in lege peccati (*Rom.* VII, 22, 23). Peperit [1] autem talibus petras opportuno tempore, ille qui firmamenta solida exemplorum in Scripturis posuit, in quibus et quiescentes de se non desperent, quorum caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem, donec vivacitate cervi serpentinis suasionibus superatis spiritu vivant, et spiritum sectentur, (*Galat.* V, 17, 18), ne regnet peccatum (unde similitudo hirci ducitur) in eorum mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus (*Rom.* VI, 12). *Aut partus cervarum custodisti?* Ecclesiarum in numero spiritualium, materno affectu imitationem suam persuadentium, quibus jam nihil possunt serpentinæ opiniones nocere : tamen et tales custodiuntur non de se, sed de Deo præsumentes. *Et numerasti menses partus earum?* Non enim pariunt nisi per Evangelium, quod a baptismo suo Dominus usque ad passionem et ascensionem suam certis mensibus magisterii sui auctoritate prædicavit. *Et dolores earum solvisti?* Non enim sine dolore dicebatur, *Filii mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis* (*Galat.* IV, 19). Solvuntur autem isti dolores cum fuerit partus editus, id est, veritas persuasa eis pro quibus ita ingemiscitur, id agente in interioribus conscientiæ verbo Dei. *Et nu-*

[1] Er. et Lov., *electorum spiritualium.* M.
[2] In LXX, *hósper lithô kubon, sicut lapide cubum.*

[1] Lov., *parat.* At Am. Er. et nostri omnes Mss., *peperit.*

tristi hinnulos earum sine metu? in lacte sacramentorum non timidos. Non enim acceperunt spiritum servitutis iterum in timore (*Rom.* VIII, 15). *Partus earum emittes*[1] : in libertatem uberioris pascuæ spiritualis. *Abrumpent filii earum :* vincula concupiscentiarum sæcularium. *Multiplicabuntur in tritico :* solidiore cibo sapientiæ, post nutrimenta lactis. *Exibunt, et non revertentur eis.* Exibunt, tanquam ex angustiis doctrinæ, quæ per homines incipientibus traditur; et non revertentur matribus suis, non jam opus habentes lacte, nec doctoribus hominibus indigentes. Sane isti tres versus non per interrogationem pronuntiandi sunt. *Quis autem est qui dimisit onagrum liberum?* Mirum nisi eos per onagrum significat, qui pauci ab omni negotio liberi Deo serviunt. *Et vincula ejus quis resolvit?* affectionum carnalium atque popularium. *Posui enim habitaculum desertum et tabernacula ejus salsuginem :* unde clamet, *Sitivit in te anima mea* (*Psal* LXII, 2.) *Irridens multitudinem civitatis :* quam Babyloniam Scriptura dicit; perambulantem per latam viam, quæ ducit ad perditionem (*Matth.* VII, 13). *Et querelam exactoris non audiens :* nemini quidquam debens. *Consideravit montes pascuæ suæ :* magnitudinem revelationum. *Et post omne viride quærit :* omne sempiternum. *Volet autem monoceros servire tibi?* superbus dignitate hujus sæculi; quia et tales subjugavit Christus, et ministros Ecclesiæ constituit : μονόκερως enim unicornis est, quod superbiam significat. *Aut dormire super præsepe tuum?* sicut super illius humilitatem, qui etiam in præsepi est infans positus (*Luc.* II, 7). requiescitur securitate veniæ peccatorum, et oblivione curarum malæ conscientiæ. *Et alligabit in loris jugum suum?* jugum lene portans alligatum loris, hoc est, in auctoritatibus eorum qui carnem mortificaverunt atque domuerunt. Unde et Joannes zona pellicea cingebatur (*Matth.* III, 4), non asperis vestibus peccatorum. *Aut ducet tibi sulcos in campo?* aperiet pectora plebis obedientis ad obtinendum regnum Dei. *Confidis autem in eo, quia mutata est virtus ejus?* ut non vanitatem humanæ laudis et honoris etiam in Ecclesiæ ministerio requirat, sicut requirebat in sæculo. *Aut dimittes ei opera tua?* sicut ille, pro quo se dicit Apostolus legatione fungi, exhortans pro Christo reconciliari Deo. (II *Cor.* V, 20). *Et credes ei, quia reddet tibi sementem?* Nihil ex eo suo dominatui vindicabit. Sementem quippe dicit opus seminandi. *Et in aream tuam inferet?* Ut sit inter illos, quibus ipse Dominus præcipit rogandum Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam (*Luc.* X, 2) : non autem ut sibi velit aream facere, sicut princeps hæresum et schismatum, et quicumque non Dei gloriam quærunt, sed suam. Difficillimum est enim ut velit iste monoceros, sed tamen et hoc præstat atque efficit in hominis animo, qui facit mirabilia solus (*Psal.* LXXI, 18), consilia destruens, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et captivans omnem intellectum ad obedientiam suam (II *Cor.* X, 4, 5). *Penna struthionum mixta est alis herodionis et accipitris.* Tardis ingenio, quos significant struthiones, quia volare non possunt, donatum esse per ejus gratiam qui stulta mundi elegit (I *Cor.* I, 27), ut æquarentur ingeniosorum celeritati pariter credentium, qui per alias aves quas commemoravit significantur, per hunc versum intelligendum est. *Et reliquit in terra ova sua.* Jam incipit de struthione dicere, id est de his quos per hoc animal significat. Non enim miscerentur pennæ eorum tardæ alis velocium avium ad pariter volandum, nisi spem priorem in terra relinquerent, quam per ova significat. *Et in pulvere calefiunt.* Quia etsi id quod sperabat in sæculo non attenderit, plerumque faventibus amatoribus sæculi, qui pulveri comparantur, provenit. *Et oblita est quia pes disperdet ea, et bestia agri conculcabit ea.* Quod si et adversa cujusquam cupiditas et iniqui hujus mundi perturbent, et obterant spem ejus talem, tanquam ova ejus quæ relinquit in terra; ita non curat, ut tanquam oblita non sentiat. *Obduruit contra filios suos, ne sint ejus :* etiamsi jam non spes sit sicut ova, sed res ipsa, sicut filii jam nati, hoc est felicitas temporalis, fortiter contemnit eam, nolens eam suam esse felicitatem; quia illam veram desiderat. *Frustra laboravit absque ullo timore.* Hoc antequam convertatur : laborat enim spe sæculi sine fructu, et quod est insipientius, sine ullo timore, dum præsumit in rebus incertis. *Quia despexit eam Deus in sapientia, et non distribuit ei intellectum.* Quid enim stultius, quam fidere in vanitate, et laborare ad acquirenda peritura sine ullo timore amittendi? Concipiunt enim plerique hunc affectum, quibus longa felicitas sæculi provenit, præsertim si ab avis et atavis perpetua successione ducatur, ut se repente infelices fieri posse non credant. Et quia magni solent apparere in terra, non tamen pennis virtutum cœlesti conversatione frui, recte struthionibus comparantur. Sed attende quod sequitur : *Cum tempus fuerit, in altum evolabit, et irridebit equitem et ascensorem.* Posteaquam venit plenitudo temporis (*Galat.* IV, 4), ut præciperetur divitibus hujus sæculi, non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (I *Tim.* VI, 17), cœperunt sursum cor habere ad Dominum, et deridere superbos persecutores, quos Dominus projecit in mare : tunc enim penna struthionis mixta velocibus avibus, cœlum petit, et cætera quæ de hoc animali supra dicta sunt, fiunt. *An tu circumdedisti equo virtutem?* Martyrem videtur describere, intrepidum et alacrem testem fidei salutaris, non tamen virtute propria, sed qua eum circumdedit Dominus. *Et inseruisti collo ejus hinnitum?* Induite vos armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo (*Ephes.* VI, 11). *Et gloriæ pectoris ejus audacia*[1]. Hæc est audacia qua Isaias audet et dicit[2] (*Isai.* LXV, 1; *Rom.* X, 20). Gloria vero pectoris est conscientia (II *Cor.* I, 12) opus hominis probans, ut in semetipso habeat quisque gloriam et non in altero (*Galat.* VI, 4). *Pro-*

[1] Sic Mss. juxta LXX. Editi vero, *euntes*

[1] Floriacensis codex, *audaciam.*

[2] Apud Lov., post, *dicit*, additur : *Inventus sum a non quærentibus me : palam apparui iis qui me non interrogabant;* quod totum abest ab Am. Er. et Mss.

diens[1] *in campo luxuriat.* In lucem libertatis exiens, facilitate boni operis in latitudine charitatis exsultat. *Et procedit in prælium cum virtute :* adversus tentationes adversitatum. *Occurrensque jaculo contemnit :* quia circumposita sunt ei arma, in quibus est illud scutum fidei, in quo ignita inimici jacula exstinguuntur (*Ephes.* VI, 16). *Nec se avertit a ferro :* vel a morte visibili, vel qui sunt et duri ad non consentiendum veritati, et acuti ad persequendum a quibus se non avertit, quia ipsos etiam ut diligat jubetur. *Super ipsum enim gaudet arcus et gladius.* Per confessionem quippe ejus asseritur et comminatio Dei, quæ invisibiles pœnas longe prænuntiat, et testificatio verbi, qua omnes tanquam cominus errores debellat. Aliud est enim minari, quod longe futura sunt supplicia peccatorum, quod est tanquam arcu tela intendere; aliud tanquam manu ad manum gladio verbi præsentes debellare cupiditates. *Lanceæ hastæque tremore.* Quid est quod lanceæ hastæque tremore super ipsum gaudet arcus et gladius? An quia nisi et ipse tremat, hoc est, timeat futuram mortem, quam jaculatur divina justitia, non potest præsentem contemnere, quam persecutor minatur, ut intrepidam habeat confessionem, et prædicet cum fiducia veritatem, cui non possint inimici resistere : atque ita *super eum gaudeat*, hoc est, per ipsum libere asseratur doctrina Dei, per quam minatur impiis futurum interitum, et interficit præsentem iniquitatem? Nisi enim gaudium spei nostræ cum tremore damnationis esset, in nobis negligens esset ipsa securitas et superba præsumptio; neque in Psalmo nobis diceretur, *Exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11). *Et iracundia evertit terram.* Apud semetipsum irascens, ad evertendas in se terrenas concupiscentias et timores carnales, quibus quisque a tolerantia passionis avertitur. In hac sententia forte dictum est, *Irascimini et nolite peccare* (*Psal.* IV, 5). Cum iracundia enim saluberrima se debet quisque correctione corripere, dicens, *Utquid tristis es, anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deum, quia confitebor illi.* Quia enim ore confessio fit ad salutem (*Rom.* X, 10), statim sequitur, *Salutare vultus mei Deus meus* (*Psal.* XLI, 6, 7). *Nec credet, donec clamaverit tuba.* Ante tempus quippe tentationis, etiamsi eversa est terrena trepidatio, non apparet, nec facile credendum est, nisi tempus ipsum tentationis docuerit. *Cum autem tuba cecinerit, dicet, Euge.* Cum tempus tentationis venerit, tunc vero placebit ei anima ejus, si gloriatur in tribulationibus; quia tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem (*Rom.* V, 3, 4) : ut jam non dicat animæ suæ irascens, *Utquid conturbas me?* sed glorians dicat, *Lauda, anima mea, Dominum* (*Psal.* CXLV, 2). *Et procul odoratur pugnam :* non quasi in hominibus persequentibus qui videntur, sed *procul*, hoc est, longe ab oculis; sciens quia non est ei *colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, et rectores mundi, tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus* (*Ephes.* VI, 12), hoc est *procul.* Apte autem dictum est, *odoratur*, propter principem potestatis aeris hujus. Odores quippe olfactu sentiuntur, sive boni, sive mali. *Odoratur* ergo *pugnam*, qui intelligit principem potestatis aeris hujus operari in filiis diffidentiæ (*Ephes.* II, 2), quorum persequentium iras aut insidias patitur, ut adversus spiritualia nequitiæ spiritualibus armis dimicet, non corporalibus adversus carnem et sanguinem, id est malos et perditos homines, quos carneis oculis videt. *Tonitrum ducum et clamorem :* subaudiendum est, odoratur. Tonitrum autem propter ipsum aerem puto dictum esse, in quo clausa spiritualia nequitiæ versantur. Non enim rectores mundi propterea dicti sunt hi spiritus, quia cœlum et terram regunt, sed sicut ipse exponit Apostolus. Etenim ne ita intelligeretur, subjecit statim quid dixerit rectores mundi; *tenebrarum harum*, inquit, hoc est impiorum : quibus ad Dominum conversis dixit, *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Id.* V, 8). In voluntate enim cujusque est, utrum tenebræ sit, an lux : sed cum tenebræ, in seipso, hoc est, peccatis quæ ipsius sunt propria; cum autem lux, non in seipso sed in Domino, a quo illuminatur, ut quemadmodum dixit Isaias, tenebræ ejus sint velut meridies (*Isai.* LVIII, 10). Dicitur et in Psalmis, *Illuminabis tenebras meas* (*Psal.* XVII, 29). Quos ergo dicit Apostolus rectores tenebrarum, ipsi et in hoc versu dicti sunt duces. Ducuntur enim et ab his tenebræ, hoc est impii, ut persequantur pios, id est, eos qui persecutionem patiuntur propter justitiam, non eos qui patiuntur propter impietates et iniquitates suas. Ducum autem talium clamorem dicit odorari martyrem : non quia sonitus aliquis inde auditur auribus corporis, sed quia cordis auribus per fidem clament, quanta diabolus et angeli ejus adversus Dei servos machinentur : unde ait Apostolus, *Non enim ignoramus astutiam ejus* (II *Cor.* II, 11). Adversus quem clamorem ducum, surdæ utique sunt aures infidelium. *Numquid in sapientia tua plumescit accipiter?* sicut in sapientia Dei, quæ est Christus, novus homo paulatim innovatur, conversationem habiturus in cœlestibus. *Expansis pennis immobilis, respiciens ad austrum?* explicatis ab omni impedimento sæculari virtutibus geminæ dilectionis permanens inconcussus in fide; non tamen in hoc ipso de seipso præsumens, sed sperans in Deum, et in illum revocans intentionem, a quo ipse charitatis ardor inspiratur, ut fortitudinem suam ad ipsum custodiat (*Psal.* LVIII, 10), dicens, *Nonne Deo subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum, etenim ipse est Deus meus et salutaris meus, susceptor meus; non movebor amplius* (*Psal.* LXI, 2, 3). *Ac tuo præcepto exaltatur aquila?* sicut ejus præcepto, qui ait, *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me* (*Joan.* XII, 32). Pro nobis enim moriturus, et corpus resurrectione levaturus in cœlum : *Ubi fuerit*, inquit, *cadaver, illuc congregabuntur et aquilæ* (*Matth.* XXIV, 28). Satiavit enim in bonis cœlestibus desiderium ejus, cujus sicut aquilæ juventus renovabitur (*Psal.* CII, 5). Potest et exaltatio aquilæ ad id pertinere, quod ait Apostolus

[1] Apud LXX, *ἀνορύσσων*, fodiens.

lus, *Sive enim mente excessimus Deo;* ut versus qui etiam ibi sequitur de vulture, ad id pertineat quod etiam ibi sequitur, *Sive temperantes sumus, vobis.* Sequitur enim, *Aut vultur super nidum suum in petra sedens morabitur,* quia ex affectu dictum videtur non sublimia contemplandi mentis excessu, sed inferioribus consulendi per temperantiam qua humanis rebus congruitur; ut impii qui pro mortuis habentur, justificati per verbum, hoc est, quasi ore devorati convertantur in corpus Ecclesiæ. Vultur enim de mortuis pascitur; et ideo *super nidum suum,* ubi tanquam fetus ponit opera huic vitæ necessaria. Ideo autem *in petra,* quia cum dixisset Apostolus, *Sive temperantes sumus, vobis;* continuo subjunxit, *Charitas enim Christi compellit nos* (II *Cor.* v, 13, 14) : *petra autem erat Christus* (I *Cor.* x, 4). Et bene *sedens morabitur,* secundum id quod dictum est, *Compellor autem ex duobus, concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo; multo enim magis optimum,* ut hoc ad exaltationem aquilæ pertineat; ad vulturem vero sedentem in nido, et morantem, *Manere in carne necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 23, 24). Et quia petra etiam tota Ecclesia bene intelligitur, propter etiam Simonem, qui ob hoc a Domino petrus appellatus est (*Marc.* III, 16), summitas petræ est caput Ecclesiæ. Ad hoc additur versus qui sequitur : *In summitate petræ et in caverna.* Summitas enim refertur ad id quod est caput, caverna vero ad id quod vita nostra abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III, 3). *Et cum ibi fuerit, quærit escas :* de quibus dictum est Petro, *Macta, et manduca* (*Act.* XI, 7), ut incorporaret Ecclesiæ credituros ex Gentibus. *Longe oculi ejus respiciunt; et pulli ejus volutantur in sanguine.* Spe futuræ immortalitatis in vitam æternam intentionem suam longe porrigit : quamvis opera ejus in carnis infirmitate volutentur, id est, dubiis motibus jactetur, dum incertum habet humana ignorantia ex iis quæ misericorditer facit, quid cui prosit ad Deum, cum tamen longe oculis prospicientibus propter æternam salutem sincera charitate dispensat. Sed cum invenerit iste talis operator et dispensator eos qui per affectum quo renuntiant diabolo, jam mortui sint huic sæculo; sine dubitatione aliqua eis exhibet oris ministerium in opere sermonis, quo eos in corpus Ecclesiæ jam paratissimos trajiciat : et ideo sequitur, *Ubicumque fuerint cadavera, confestim reperiuntur.*

Respondit Dominus, et dixit. Quod nunc Dominus tanquam repetit sermonem, cum ipse loqueretur, intelligitur Job ad ea quæ dicta sunt, obstupuisse in silentio, et quievisse, ut nihil amplius dicere auderet. Ergo duobus qui sequuntur versibus exhortatur eum Dominus ad respondendum. *Numquid qui disputat cum Omnipotente, quiescit?* hoc est, Quare tu quiescis cum Omnipotente disputans? *Arguens Deum respondebit ita?* subaudiendum est, numquid; ut sit sensus, Numquid arguit Deum qui disputans respondebit? Quærendo enim cum Omnipotente disputatur, non convincendo aut refellendo. Non ergo quia Omnipotens est, ideo quiescendum est a disputando cum eo. Neque enim ad arguendum ab eo aliquid per disputationem tanquam ab ipsa veritate requiritur. Potest et sic intelligi, Numquid qui disputat cum Domino, quiescit? id est, quia non quiescit qui cum Omnipotente disputat, non est cum eo disputandum ut quiescatur. Solet enim disputans contradicere : qui autem contradicit Deo, quiescere non potest, hoc est, non invenit quietem, nisi in ejus voluntate sine ulla contradictione consentiat. *Arguens enim Deum respondebit ita;* id est, cum disputando respondet Deo, arguit Deum, et propterea non pervenit ad quietem. Unde dictum est, *O homo, tu quis es qui respondeas Deo* (*Rom.* IX, 20)? Sed quid tale fecerat Job? Non enim Deus sic illum accipit tanquam contradicentem sibi, sicut amici ejus non intelligentes; cum tale testimonium illi perhibeat, et in capite libri, et in fine. An propter personam quam Job gestabat dictum est, hoc est, corporis Domini, quod est Ecclesia, in qua multa infirmorum pars est, non quidem desperatorum, sed tamen adhuc in provectu suo periclitantium, quibus pene commoventur pedes, et quorum paulo minus effunduntur gressus, dum zelant in peccatoribus, pacem peccatorum intuentes? Qui dicunt : *Quomodo scivit Deus, et si est scientia in Altissimo? Ecce ipsi peccatores, et abundantes in sæculo obtinuerunt divitias. Numquid vane justificavi cor meum, et lavi in innocentibus manus meas, et fui flagellatus tota die, et arguitio mea in matutinum* (*Psal.* LXXII, 2-14). Nam hinc potius Job ipse videtur respondere sequentibus versibus.

Respondens autem Job dixit : Quid ergo judicer commonitus et increpatus a Domino, audiens talia, cum nihil sim? id est, quid ergo mihi judicium comparo, cum me commonet et arguit Dominus, si ei contradicam; *audiens talia,* id est, intelligens quanta justitia et misericordia mecum sic agatur, cum per meipsum utique nihil sim? *Quod responsum dabo?* id est, quid potero contradicere veritati? *Manum ponam ad os meum,* id est, tenebo et cohibebo loquacitatem meam. *Semel locutus sum; iterum non adjiciam.* Nisi in mysterio accipiatur, quomodo semel locutus est Job, qui toties locutus est? Aut quomodo iterum non adjiciet, post paululum locuturus? Sed locutio hic intelligenda est progressus animæ in hæc exteriora, quo relinquit Deum, et ei resistit. Unde major iste progressus, etiam clamor in Scriptura appellatur, cum dicit Deus clamorem Sodomorum ad se pervenisse (*Gen.* XVIII, 20). Cui locutioni atque clamori contrarium est beatissimum illud silentium, de quo dicitur, Et silebit sine timore ab omni malignitate. Bene itaque dicit semel se locutum continua quadam locutione in tota vita veteris hominis, cum esset spiritus ambulans, et non revertens (*Psal.* LXXVII, 39). Nunc autem manum imponens ori, ne ultra progrediatur, promittit se non adjicere iterum, ne recedat a Deo. Amen.

ADMONITIO
IN LIBRUM CUI TITULUS SPECULUM.

Scripturam sacram speculi vice esse nobis propositam observat Gregorius in lib. 2 Moral. cap. 1; adeoque hanc, ubi virorum illustrium gestis narrandis insistit, non eorum peccata et lapsus, omninoque nihil silentio præterire notat, quo minus ad informandos mores exempla cuique homini præsto sint opportuna. Verumtamen istud speculi munus habet Scriptura alio itidem ex capite; imo id sibi vindicat ea maxime parte, qua vitæ præcepta continentur; quibus videlicet in conspectu positis, si ulla est in moribus labes, si decus speciesque non ementita pietatis in animo insidet, facilius dijudicatur. Hæc itaque præcepta S. doctoris Augustini studio collecta fuisse in unum librum, cui Speculo nomen ab ipso inditum est, fidem facit Possidius in ejus vita, cap. 28; quo loco recensitis ante Retractationum libris, continenter subjicit : *Quique prodesse omnibus volens, et volentibus multa librorum legere et non valentibus, ex utroque divino Testamento, Vetere et Novo, præmissa præfatione præcepta divina seu vetita ad vitæ regulam pertinentia excerpsit, atque ex his unum codicem fecit : ut qui vellet legeret, atque in eo vel quam obediens Deo, inobediensve esset agnosceret : et hoc opus voluit Speculum appellare.* Tum vero Vandalorum in Africam irruptionem, quæ ad annum Christi 428 pertinet, brevi post tempore contigisse refert. Unde intelligas opus istud esse anni fere 427, quod subinde inter opuscula Retractationum libris posterius edita numeratur in antiquis codicibus, uti in Retractationum fine Tom. 1 annotatum fuit. Eumdem librum probe cognitum se habuisse significat Cassiodorus senator in lib. de Institutione div. Script. cap. 16, hisce verbis : *Liber ejusdem Augustini quasi philosophiæ moralis, quem pro moribus instituendis atque corrigendis ex divina auctoritate collegit, Speculumque nominavit, magna intentione legendus est.*

Porro cum ad vulgi usum istud pium opus compararet S. Doctor, eo noluit nisi faciliores intellectu præceptiones comprehendi. Quo etiam consilio adductum credimus, ut versione uteretur non ex græco LXX, quam sequi solebat, sed ex hebræo, quod hanc demum comperisset esse illa multis in locis planiorem. Nam hoc nomine eam aliquoties laudat in postremis suis libris Quæstionum in Heptateuchum, ac præsertim in quarto de Doctrina Christiana libro, quem tribus aliis adjiciens anno 426, aut 427, sic testimonium ex propheta Amos prolaturus loquitur in cap. 7 : *Non autem*, ait, *secundum* LXX *Interpretes, qui etiam ipsi divino Spiritu interpretati, ob hoc aliter videntur nonnulla dixisse, ut ad spiritualem sensum scrutandum magis admoneretur lectoris intentio, unde etiam obscuriora nonnulla, quia magis tropica, sunt eorum : sed sicut ex hebræo in latinum eloquium presbytero Hieronymo utriusque linguæ perito interpretante translata sunt.* Præterea, si quæ forsitan ex congestis in Speculum sententiis contrariæ viderentur, conciliare decreverat et illustrare propositis postea quæstionibus : quas quidem in Mss. codicibus frustra quæsivimus; cumque de hoc labore nihil dicat Possidius, qui de ipsa vel præfatione Speculi tacendum non existimavit, haud immerito creditur Augustinum ab eo explendo præpeditum fuisse.

Aliud non ita pridem Hieronymi Vignerii cura prodiit Speculum sub Augustini nomine; in quo sententiæ Scripturarum revocantur ad certa quædam capita instituta variis de rebus sacram doctrinam spectantibus, adeo ut non tam vitæ instituendæ consilio, quam erudiendi animi causa, comparatum esse videatur. Quocirca istud minus cum eo convenit Speculo, quod et Possidii verbis et Augustini præfatione describitur : planeque oportet sicuti nostrum hoc genuinum, ita Vignerianum illud spurium habeamus.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
de Scripturâ sacrâ
SPECULUM [a]

Præfatio.

Quis ignorat in Scripturis sanctis, id est, Legitimis, Propheticis, Evangelicis, et Apostolicis, auctoritate canonica præditis, quædam sic esse posita, ut tantum scirentur et crederentur; ut est quod *in principio fecit*

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

In Gallicanis Mss. nonnisi duobus repertum est, Regiæ Bibliothecæ uno, altero Carnutensis Ecclesiæ : quorum codicum ope, necnon collatis ad eosdem codices editionibus Am. Er. et Lov. restituitur in integrum multis in locis.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., *t.* 1. *memoratas*. M.

(a) Scriptum sub annum Christi 427.

Deus cœlum et terram (*Gen.* I, 1), et quod *in principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1), et quæcumque facta divina vel humana tantummodo cognoscenda narrantur : quædam vero sic esse jussa, ut observarentur et fierent, vel prohibita, ne fierent; ut est, *Honora patrem et matrem;* et, *Non mœchaberis* (*Exod.* XX, 12, 14, *et Matth.* XV, 4; V. 27, 28)? Horum autem quæ jubendo et vetando scripta sunt, alia sunt sacramentorum velata mysteriis, quæ multa Veteris Testamenti populo illi facienda mandata sunt, neque a populo christiano nunc fiunt, sed tantummodo intelligenda requiruntur atque tractantur : sicuti est sabbatum ad visibilem vacationem (*Deut.* V, 12), sicut azyma in pane sine fermento, Pascha in ovis occisione (*Exod.* XII); sicut tot genera sacrificiorum ciborumque vitandorum, et neomeniæ, et annuæ solemnitates, quas observant nunc usque Judæi; et illæ justificationes, quæ non ad opera justitiæ proprie pertinent, sed aliquid significare intelliguntur. Quis enim christianus septimo anno cogitur servum reddere libertati; et si discedere ille noluerit, ejus auriculam subula pertundere ad postem (*Id.* XXI, 2, 6), et cætera hujusmodi? Alia vero etiam nunc facienda sunt, si facienda præcepta sunt; nec facienda, si prohibita; qualia sunt illa quæ dixi, *Honora patrem et matrem;* et, *Non mœchaberis.* De his igitur quæ ita sunt posita in Litteris sacris, vel jubendo, vel vetando, vel sinendo, ut etiam nunc, id est tempore Novi Testamenti, ad vitam piam exercendam moresque pertineant, hoc opus quod in manus sumpsi componere aggressus sum; ut quantum me Deus adjuvat, omnia talia de canonicis Libris colligam, atque ut facile inspici possint, in unum tanquam Speculum congeram. Oportuit enim sic ea poni ab auctoribus nostris, quemadmodum posita sunt, ut præcepta narrationibus vel disputationibus propriis figurata, et figuratis propria miscerentur, dum rerum gestarum ordo servatur, aut respondetur adversis, aut qui docendi sunt instruuntur, aut occultorum inventione quodammodo renovantur hi qui prompta et aperta fastidiunt : nos autem in hoc opere nec infidelem vel adducimus vel ædificamus ad fidem; nec exercemus quibusdam salubribus difficultatibus ingenium intentionemque discentium; sed eum qui jam credens obedire Deo voluerit, ut hic se inspiciat, admonemus, quantumque in bonis moribus operibusque profecerit, et quantum sibi desit, attendat. Sic enim potest et de his quæ habet gratias agere; et de his quæ non habet, ut habeat satis agere; ac propter illa servanda curam precesque fidelis pietatis adhibere. In his autem omnibus quæ inspicienda ponere institui, quæcumque inter se videbuntur esse contraria, postea propositis quæstionibus exponenda atque solvenda sunt. Sane supplicia male factorum, et præmia recte factorum, quamvis nonnulla commemoranda existimaverim, tamen in Novo Testamento dissimilia veteribus esse quis nesciat? Ab ipsa igitur Lege quæ data est per Moysen, divinorum præceptorum, qualia nos commemoraturos esse promisimus, aggrediamur exordium.

DE LIBRO LEGIS,

QUI EXODUS NOMINATUR.

[Cap. XX.] Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, et quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra : non adorabis ea, neque coles. *Item :* Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum : nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. *Et paulo post :* Honora patrem tuum et matrem, ut sis longævus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus; non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt. *Item post Decalogum aliis in locis, hæc in eodem libro reperiuntur præcepta vivendi :* Non facietis mecum [1] deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis.

Et aliquanto post [XXI.] : Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus, constituam tibi locum quo fugere debeat. Si quis de industria occiderit proximum suum per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur. Qui percusserit patrem suum et matrem, morte moriatur. Qui furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur. Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. Si rixati fuerint viri, et percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, et ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo; si surrexerit et ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit qui percussit : ita tamen ut operas ejus et impensas in medicos restituat. Qui percusserit servum suum vel ancillam virga, et mortuus fuerit in manibus ejus, criminis reus erit : sin autem uno die supervixerit vel duobus, non subjacebit pœnæ; quia pecunia illius est. Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem prægnantem, et abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit; subjacebit damno, quantum expetierit maritus mulieris, et arbitri judicarint : sin autem mors ejus fuerit subsecuta; reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore. Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, et luscos eos fecerit; dimittet liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit servo, aut ancillæ suæ; similiter dimittet eos liberos. Si bos cornu petierit virum aut mulierem, et mortui fuerint; lapidibus obruetur, et non comedentur carnes ejus; dominus quoque bovis innocens erit. Quod si bos cornupeta fuerit ab heri et nudiustertius, et contestati sunt dominum ejus, nec reclusit eum, occideritque virum ac mulierem; et bos lapidibus obruetur, et dominum illius occident. Quod si pretium ei fuerit impositum, dabit pro anima sua quidquid fuerit postulatus.

[1] Particula, *mecum*, non reperitur in editis, abestque nunc a versione Vulgata. Sed eam habent Mss. hujus operis; habet hebræus textus, imo etiam Vulgata versio in Corbeiensi volumine ante 800 annos descripto.

Filium quoque et filiam si cornu percusserit, simili sententiæ s..ja ebit. Si servum ancillamque invaserit, triginta siclos argenti dabit domino; bos vero lapidibus obruetur. Si quis aperuerit cisternam, et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos aut asinus in eam; dominus cisternæ reddet pretium jumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, et ille mortuus fuerit; vendent bovem vivum, et divident pretium; cadaver autem mortui inter se dispertient. Sin autem sciebat quod bos cornupeta esset ab heri et nudiustertius, et non custodivit eum dominus suus; reddet bovem pro bove, et cadaver integrum accipiet.

[XXII.] Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, et occiderit, vel vendiderit; quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove. Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit; percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur. Si non habuerit quod pro furto reddat, venumdabitur. Si autem inventum fuerit apud eum quod furatus est vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis; duplum restituet. Si læserit quispiam agrum vel vineam, et dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. Si egressus ignis invenerit spicas [1], et comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris; reddet damnum qui ignem succenderit. Si quis commendaverit amico pecuniam aut vas in custodiam, et ab eo qui susceperat, furto ablata fuerint; si invenitur fur, duplum reddet: si latet, dominus domus applicabitur ad deos, et jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui, ad perpetrandam fraudem, tam in bove quam in asino, et ove ac vestimento, et quidquid damnum inferre potest, et ad deos utriusque causa perveniet; et si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo. Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem et ovem, et omne jumentum ad custodiam, et mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus [2], nullusque hoc viderit; jusjurandum erit in medio, quod non extenderit manum ad rem proximi sui; suscipietque dominus juramentum, et ille reddere non cogetur. Quod si furto sublatum fuerit, restituet damnum domino. Si comestum a bestia, deferet ad eum quod occisum est, et non restituet. Qui a proximo suo quidquam horum mutuum postulaverit, et debilitatum aut mortuum fuerit, domino non præsente; reddere compelletur. Quod si in præsentiarum fuit dominus, non restituet, maxime si conductum venerat pro mercede operis sui. Si quis seduxerit virginem, necdum desponsatam, et dormierit cum ea; dotabit eam, et habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddat pecuniam juxta modum dotis quam virgines accipere consueverunt. Maleficos non patieris vivere. Qui coierit cum jumento, morte moriatur. Qui immolat diis, occidetur, præter Domino soli. Advenam non contristabis, neque affliges eum: advenæ enim fuistis in terra Ægypti. Viduæ et pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego exaudiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio et erunt uxores vestræ viduæ, et filii vestri pupilli. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes. Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum redde ei; ipsum enim est solum quo operitur indumentum carnis ejus, nec habet aliud in quo dormiat: si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. Diis non detrahes, et principi populi tui non maledices. Decimas tuas et primitias non tardabis offerre. Primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.

Et paulo post [XXIII.]: Non suscipies vocem mendacii, nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falsum testimonium. Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies [1]. Pauperis quoque non misereberis in judicio [2]. Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. Non declinabis in judicio pauperis. Mendacium fugies. Insontem et justum non occides; quia aversor impium. Ne accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes, et subvertunt verba justorum. Peregrino molestus non eris: scitis enim advenarum animas, quia et ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. *Et post quædam interposita, cum de alienigenis loqueretur:* Non adorabis deos eorum, neque coles eos. Non facies opera eorum, sed destrues eos, et confringes statuas eorum: servietisque Domino Deo vestro.

Et post multa in eodem libro de diis Gentium [XXXIV.] Sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide. Noli adorare deum alienum; Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum; ne cum fornicati fuerint cum diis suis, et adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis; ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant et filios tuos in deos suos. Deos conflatiles non facies tibi. *Et paulo post:* Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo [3] Domini Dei tui.

Hæc de libro Legis, qui Exodus nominatur, colligenda existimavi. Nunc eodem modo inspiciamus in sequenti Levitico.

DE LEVITICO.

[Cap. XVIII.] Omnis homo, *inquit*, ad proximam

[1] Ita hic in omnibus codicibus, quibus Bibliorum volumen Corbeiense consentit. At in hebræo et apud LXX, *invenerit spinas*. Sic etiam Vulgata post Romanam correctionem factam Sixti V auctoritate.

[2] Editi, *a bestiis*. Mss. vero, *ab hostibus*; quæ lectio verior

[1] In editis, *a vero Deo devies*. Abest, *Deo*, a Mss. hujus libri, necnon a sacris Bibliis.

[2] Carnutensis Ecclesiæ Ms. habet hic, *in negotio*: sicque legebatur in Bibliis Corb. versionis Vulgatæ.

[3] Mss., *in domum*.

sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus. Turpitudinem patris tui, et turpitudinem matris tuæ non discooperies : mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies; turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre, quæ domi vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filiæ filii tui vel neptis ex filia, non revelabis; quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiæ uxoris patris tui, quam peperit patri tuo, et est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies; quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non revelabis; eo quod caro sit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non revelabis, nec accedas ad uxorem ejus, quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis; quia uxor filii tui est; nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis; quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem uxoris tuæ et filiæ ejus non revelabis. Filiam filii ejus, et filiam filiæ illius non sumes, ut reveles ignominiam ejus; quia caro illius sunt, et talis coitus incestus est. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illa vivente. Ad mulierem quæ patitur menstrua, non accedes, nec revelabis fœditatem ejus. Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commixtione maculaberis. De semine tuo non dabis ut consecretur idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. Cum masculo non commisceberis coitu femineo; quia abominatio est. Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei; quia scelus est. Nec polluamini in omnibus his.

Et post aliquantum [xix.] : Unusquisque matrem et patrem suum timeat. *Et post unum versum :* Nolite converti ad idola, nec deos conflatiles faciatis vobis. Ego Dominus Deus vester. *Et post paululum :* Nec remanentes, *inquit*, spicas colliges, neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis; sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester. Non facietis furtum. Non mentiemini. Nec decipiet unusquisque proximum suum. Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego sum Dominus. Nec facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque in mane. Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum : sed timebis Dominum Deum, quia ego sum Dominus. Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Nec consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis : juste judica proximo tuo. Non eris criminator et susurro in populis. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus. Ne oderis fratrem tuum in corde tuo : sed publice argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego sum Dominus. Leges meas custodite. *Et paulo post :* Non comedetis cum sanguine [1]. Non augurabimini, nec observabitis somnia. Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis [2] barbam. Et super mortuo non incidetis carnem vestram : neque figuras aliquas et stigmata facietis vobis. Ego Dominus. Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, et impleatur piaculo. *Et post unum versum :* Ego Dominus. Ne declinetis ad magos, nec ab hariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos. Ego Dominus Deus vester. Coram cano capite consurge, et honora personam senis, et time Deum tuum. Ego sum Dominus. Si habitaverit advena in terra vestra, et moratus fuerit inter vos, ne exprobretis ei; sed sit inter vos quasi indigena, et diligetis eum quasi vosmetipsos : fuistis enim et vos advenæ in terra Ægypti. Ego Dominus Deus vester. Nolite facere aliquid iniquum in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa, et æqua sint pondera; justus modius, æquusque sextarius. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. Custodite omnia præcepta mea, et universa judicia, et facite ea. Ego Dominus.

[xx.] Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens, Hæc loqueris filiis Israel : Homo de filiis Israel, et de advenis qui habitant in Israel, si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur; populus terræ lapidabit eum : et ego ponam faciem meam contra illum, succidamque eum de medio populi sui, eo quod de semine suo dederit Moloch, et contaminaverit sanctuarium meum, et polluerit nomen sanctum meum. Quod si negligens populus terræ, et quasi parvipendens imperium meum, dimiserit hominem qui dedit de semine suo Moloch, nec voluerit eum occidere; ponam faciem meam super hominem illum, et cognationem ejus; succidamque et ipsum et omnes qui consenserunt ei, ut fornicarentur cum Moloch de medio populi sui. Anima quæ declinaverit ad magos et hariolos, et fornicata fuerit cum eis; ponam faciem meam contra eam, et interficiam illam de medio populi sui. Sanctificamini, et estote sancti; quia ego sanctus sum Dominus Deus vester. Custodite præcepta mea, et facite ea. Ego Dominus qui sanctifico vos. Qui maledixerit patri suo aut matri, morte moriatur. Patri matrique qui maledixerit [3], sanguis ejus sit super eum. Si mœchatus fuerit vir cum uxore alterius, et adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui; morte moriantur et mœchus et adultera. Qui dormierit cum noverca sua, et revelaverit ignominiam patris sui; morte moriantur ambo : sanguis eorum sit super eos. Si quis dormierit cum nuru sua, uterque moriatur; quia scelus operati sunt : sanguis eorum sit super eos. Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas; morte

[1] Editi, *carnem cum sanguine*. At Mss. carent voce, *carnem*, quæ nec in Latinis Bibliis nisi mendosis reperitur.

[2] Carnutensis codex, *nec eradicetis*. Alii juxta Vulgatam, *radetis*. Hoc modo si legebat Augustinus, mirari subit cur istud præceptum transtulerit in hancce collectionem, quæ præter præcepta ad veteris et novi Testamenti tempus peræque spectantia continere nihil debebet. Porro LXX vertunt, *oudè phthereite tèn opsin toû pògônos*, *neque corrumpetis aspectum barbæ vestræ*.

[3] In castigatioribus Bibliis, *patri matrique maledixit*.

moriantur : sanguis eorum sit super eos. Qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, scelus operatus est; vivus ardebit cum eis, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. Qui cum jumento et pecore coierit, morte moriatur : pecus quoque occidite. Mulier quæ succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo; sanguis eorum sit super eos. Qui acceperit sororem suam, filiam patris sui, vel filiam matris suæ, et viderit turpitudinem ejus, illaque conspexerit fratris ignominiam, nefariam rem operati sunt; occidentur in conspectu populi, eo quod turpitudinem suam mutuo revelaverint; et portabunt iniquitatem suam. Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, et revelaverit turpitudinem ejus, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui. Turpitudinem materteræ et amitæ tuæ non discooperies. Qui hoc fecerit, ignominiam carnis suæ nudavit; portabunt ambo iniquitatem suam. Qui coierit cum uxore patrui vel avunculi sui, et revelaverit ignominiam cognationis suæ; portabunt ambo peccatum suum; absque liberis morientur. Qui duxerit uxorem fratris sui, rem facit illicitam : turpitudinem fratris sui revelavit; absque filiis erunt. *Et in alio loco :* Vir sive mulier, in quibus pythonicus vel divinationis fuerit spiritus, morte moriantur; lapidibus obruent eos : sanguis eorum sit super illos.

Itemque in alio loco, cum de summo sacerdote loqueretur [XXI.] : Virginem, *inquit*, ducet uxorem; viduam et repudiatam, et sordidam atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo : ne commisceat stirpem generis sui, vulgo gentis suæ; quia ego Dominus qui sanctifico eum.

Et post multa [XXIV.] : Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum. Et qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur : lapidibus opprimet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit. Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Qui percusserit et occiderit hominem, morte moriatur. Qui percusserit animal, reddat vicarium, id est, animam pro anima. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum, sicut fecit, fiat ei : fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet; qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. Qui percusserit jumentum, reddet aliud. Qui percusserit hominem, punietur. Æquum judicium sit inter vos, sive peregrinus, sive civis peccaverit; quia ego sum Dominus Deus vester.

Et post aliquantum [XXVI.] : Non facietis vobis idolum et sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem [1] lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum. Ego enim sum Dominus Deus vester.

Hæc de Levitico. Nunc de libro cujus nomen est Numeri, quæ visa sunt commemoranda ponemus.

DE NUMERIS.

[Cap. XXVII.] Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. Quod si et fratres non habuerit, dabitis hæreditatem fratribus patris ejus. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas iis qui ei proximi sunt : eritque hoc filiis Israel sanctum lege perpetua, sicut præcepit Dominus Moysi.

Et post multa [XXXV.] Ad unius testimonium nullus condemnabitur. Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis.

Hæc de Numeris invenimus, quæ inspicienda putavimus. Deuteronomium deinceps considerabimus.

DE DEUTERONOMIO.

[Cap. I.] Nulla erit distantia personarum : ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam personam; quia Dei judicium est.

Et plurimis interpositis, ubi Decalogum repetit [IV.] Custodite igitur sollicite animas vestras. Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est Dominus vobis in Horeb de medio ignis : ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ; similitudinem omnium jumentorum quæ sunt super terram, vel avium sub cœlo volantium; atque reptilium quæ moventur in terra, sive piscium qui sub terra morantur in aquis; ne forte oculis elevatis ad cœlum videas solem et lunam, et omnia astra cœli, et errore deceptus adores, et colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. *Et paulo post :* Cave, *inquit*, ne quando obliviscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum; et facias tibi sculptam similitudinem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit : quia Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator.

Et alio loco [V.] : Non habebis deos alienos in conspectu meo. Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium quæ in cœlo sunt desuper, et quæ in terra deorsum, et quæ versantur in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem, iis qui oderunt me; et faciens misericordiam in multa millia diligentibus me, et custodientibus præcepta mea. Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra : quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit. *Et post paululum :* Honora, *inquit*, patrem tuum et matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus; ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non occides, neque mœchaberis, furtumque non facies, nec loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces uxorem proximi tui, non domum, non agrum, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa quæ illius sunt.

Et alibi in eodem libro [VI.] : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua. *Et paulo post :* Cum comederis et saturatus fueris, cave diligenter ne obliviscaris Domini, qui eduxit te de terra Ægypti de domo servitutis. Dominum Deum tuum timebis, et ipsi soli

[1] Sic Mss. juxta Vulgatam. At editi, *in signum*.

servies, ac per nomen illius jurabis. Non ibitis post deos alienos cunctarum gentium quæ in circuitu vestro sunt : quoniam Deus æmulator, Dominus Deus tuus in medio tui; ne quando irascatur furor Domini Dei tui contra te, et auferat te de superficie terræ. Non tentabis Dominum Deum tuum.

Item paulo post, cum de alienigenis loquitur [VII.] : Neque sociabis cum eis conjugia; filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo. Quia seducet filium tuum ne sequatur me, et ut magis serviat diis alienis : irasceturque furor Domini, et delebit te cito. Quin potius hæc facietis eis : aras eorum subvertite, confringite statuas, lucosque succidite, et sculptilia comburite. *Et post aliquantulum :* Sculptilia eorum igne combures. Non concupisces argentum et aurum de quibus facta sunt, neque assumes ex eis tibi quidquam, ne offendas; propterea, quia abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam; ne fias anathema, sicut et illud est : quasi spurcitiem detestaberis, et velut inquinamentum ac sordes abominationi [1] habebis; quia anathema est.

Et alio in loco [VIII.] : Observa, et cave ne quando obliviscaris Domini Dei tui, et negligas mandata ejus, atque judicia, et ceremonias, quas ego præcipio tibi hodie : ne postquam comederis et satiatus fueris, domos pulchras ædificaveris, et habitaveris in eis; habuerisque armenta et ovium greges, argenti et auri cunctarumque rerum copiam, elevetur cor tuum, et non reminiscaris Domini Dei tui. *Et post paucos versus :* Ad extremum, *inquit*, misertus est tui; ne diceres in corde tuo, Fortitudo mea et robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt : sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse tibi vires præbuerit.

Et post aliquantum [XI.] : Ut ipsi comedatis, ac saturemini. Cavete ne forte decipiatur cor vestrum, et recedatis a Domino Deo, serviatisque diis alienis, et adoretis eos; iratusque Dominus claudat cœlum.

Et post aliquantum [XII.] : Subvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes, quas possessuri estis, deos suos, super montes excelsos et colles, et subter [1] omne lignum frondosum. Dissipate aras eorum, et confringite statuas; lucos igne comburite, et idola comminuite : disperdite nomina eorum de locis illis. *Et quibusdam interpositis, cum de alienigenis loqueretur :* Cave ne imiteris eas, postquam te fuerint introeunte subversæ, et requiras ceremonias earum, dicens, Sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita et ego colam. Non facies similiter Domino Deo tuo. Omnes enim abominationes quas aversatur Dominus, fecerunt diis suis, offerentes filios et filias, et comburentes igni. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino; nec addas quidquam, nec minuas.

[XIII.] Si surrexerit in medio tui prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, et prædixerit signum atque portentum; et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi, Eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis; non audias verba prophetæ illius, aut somniatoris : quia tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde et in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, et ipsum timete : mandata illius custodite, et audite vocem ejus : ipsi servietis, et ipsi adhærebitis. Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur; quia locutus est, ut vos averteret a Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, et redemit de domo servitutis; ut errare te faceret de via quam tibi præceperat Dominus Deus tuus; et auferes malum de medio tui. Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, sive uxor quæ est in sinu tuo, aut amicus quem diligis ut animam tuam, clam dicens, Eamus et sequamur deos alienos, quos tu ignoras et patres tui, cunctarum in circuitu gentium, quæ juxta vel procul sunt ab initio usque ad fines terræ; non acquiescas ei, neque audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis, et occultes eum : sed statim interficies; sit prius manus tua super eum; et post te [1] omnis populus mittat manum : lapidibus obrutus necabitur, quia te voluit abstrahere a Domino Deo tuo.

Et post paululum [XIV.] : Non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo : quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo.

Et alio loco [XV.] : Si unus, *inquit*, de fratribus tuis, qui moratur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit; non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum : sed aperies eam pauperi, et dabis mutuum quo eum indigere perspexeris. Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, et dicas in corde tuo, Appropinquat septimus annus remissionis; et avertas oculos a paupere fratre tuo, nolens ei quod postulat mutuum commodare; ne clamet contra te ad Dominum, et fiat tibi in peccatum : sed dabis ei; nec ages quidpiam callide in ejus necessitatibus sublevandis : ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, et in cunctis ad quæ manum miseris. Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ : idcirco ego præcipio tibi ut aperias manum fratri tuo egeno et pauperi, qui tecum versatur in terra.

Et post aliquantum [XVI.] : Judices et magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio : nec in alteram partem declinent. Non accipias personam, nec munera; quia munera excæcant oculos sapientium, et mutant verba justorum. Juste quod justum est persequeris, ut vivas, et possideas terram quam Dominus Deus tuus dederit tibi. *Et post pauca :* Non facies tibi, atque constitues statuam, quæ odit Dominus Deus tuus.

Item post pauca [XVII.] : Cum reperti fuerint apud te intra unam portarum tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier, qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui, et transgrediantur pactum illius, ut vadant, et serviant diis alienis, et adorent eos, solem et lunam et omnem militiam cœli, quæ

[1] Sic Mss. juxta Vulgatam. At editi, *super*.

[1] In latinis castigatioribus Bibliis, *et postea*.

non præcepi; et hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensque inquisieris diligenter, et verum esse repereris, et abominatio facta est in Israel : educes virum ac mulierem, qui rem sceleratissimam perpetraverunt, ad portas civitatis tuæ, et lapidibus obruentur. In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur. Nemo occidatur uno contra se dicente testimonium. Manus testium prima interficiat eum, et manus reliqui populi extrema mittatur; ut auferas malum de medio tui. *Item post aliquantum :* Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto [1] judicis; moriatur homo ille : et auferes malum de Israel; cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.

Et post quædam interposita, cum de alienigenis admoneret [XVIII.] : Cave, *inquit*, ne imitari velis abominationes illarum gentium. Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum aut filiam ducens per ignem, aut qui hariolos sciscitetur, et observet somnia atque auguria; nec sit maleficus, nec incantator, neque pythones consulas nec divinos, et quæras a mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus.

Et post aliquantum [XIX.] : Non stabit testis unus contra aliquem, quidquid illud peccati et facinoris fuerit : sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum prævaricationis; stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum et judicum, qui fuerint in diebus illis : cumque diligentissime perscrutantes invenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium; reddent ei sicut fratri suo reddere cogitavit; et auferes malum de medio tui : ut audientes cæteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere. Non misereberis ejus; sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

Et alibi in eodem libro [XXI.] : Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audiat patris ac matris imperium, et coercitus obedire contempserit; apprehendent eum, et deducent ad seniores civitatis illius, et ad portam judicii, dicentque ad eos, Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contempsit, comessationibus vacat et luxuriæ atque conviviis : lapidibus eum obruet populus civitatis, et morietur; ut auferatis malum de medio vestri, et universus Israel audiens pertimescat.

Et post pauca [XXII.] : Non videbis bovem fratris tui aut ovem errantem, et præteribis; sed reduces fratri tuo : etiamsi non est propinquus tuus frater, nec nosti eum, duces in domum tuam, et erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus; et recipiat. Similiter facies de asino et vestimento, et de omni re fratris tui quæ perierit : si inveneris eam, ne negligas quasi alienam. Si videris asinum fratris tui aut bovem cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis cum eo. Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea : abominabilis enim apud Dominum est qui facit hæc. *Item post pauca :* Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum; ne effundatur sanguis in domo tua, et sis reus labente alio et in præceps ruente. *Item paulo post :* Si duxerit vir uxorem, et postea eam odio habuerit; quæsieritque occasiones quibus dimittat eam, objiciens ei nomen pessimum, et dixerit, Uxorem hanc accepi, et ingressus ad eam non inveni virginem : tollent eam pater et mater ejus, et ferent secum signa virginitatis ejus ad seniores urbis, qui in porta sunt; et dicet pater, Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, ut dicat, Non inveni filiam tuam virginem : et ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expandent vestimentum coram senioribus civitatis : apprehendentque senes urbis illius virum, et verberabunt illum; condemnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ; quoniam diffamavit nomen pessimum super virginem Israel : habebitque eam uxorem, et non poterit dimittere omni tempore vitæ suæ. Quod si verum est quod objicit, et non est in puella inventa virginitas; ejicient eam extra fores domus patris sui, et lapidibus obruent viri civitatis ejus, et morietur; quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui : et auferes malum de medio tui. Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque moriatur, id est adulter et adultera; et auferes malum de Israel. Si puellam virginem desponderit vir, et invenerit eam aliquis in civitate, et concubuerit cum illa; educes utrumque ad portam civitatis illius, et lapidibus obruentur; puella, quia non clamavit, cum esset in civitate; vir, quia humiliavit uxorem proximi sui : et auferes malum de medio tui. Sin autem in agro repererit vir puellam quæ desponsata est, et apprehendens concubuerit cum illa, ipse morietur solus : puella nihil patietur, nec est rea mortis : quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, et occidit animam ejus; ita et puella perpessa est : sola erat in agro, clamavit, et nullus affuit qui liberaret eam. Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum ea, et res ad judicium venerit; dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ centum siclos argenti, et habebit eam uxorem, quia humiliavit eam : non poterit dimittere cunctis diebus vitæ suæ. Non accipiet homo uxorem patris sui, nec revelabit operimentum ejus.

Et post paululum [XXIII.] : Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel. *Et post paululum :* Non feneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno. *Et post paucos versus :* Cum voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris : quod autem semel egressum est de labiis tuis, obser-

[1] Lov., *ex decreto :* uti olim quibusdam in Bibliis legebatur. At Am. Er. et Mss., *et decreto :* subintellige, nolens obedire; nam hebræus textus sic fere sonat : *Qui fecerit in superbia ad non audiendum ad sacerdotem.... vel ad judicem, morietur*, etc. At græc. LXX, *ut non obediat sacerdoti.... vel judici*, etc.

vabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo, et propria voluntate et ore tuo locutus es.

Et paulo post [XXIV.] : Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam, quia animam suam apposuit [1] tibi. Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, et vendito eo accipiens [2] pretium, interficietur : et auferes malum de medio tui *Et post paucos versus :* Cum repetis, *inquit*, a proximo tuo rem aliquam quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas; sed stabis foris, et ille tibi proferet quod habuerit. Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus; sed statim reddes ei ante solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, et habeas justitiam coram Domino Deo tuo. Non negabis mercedem indigentis et pauperis fratris tui, sive advenæ qui tecum moratur in terra, et intra portas tuas est : sed eadem die reddes ei pretium laboris sui, ante solis occasum; quia pauper est, et ex eo sustentat animam suam : ne clamet coram te ad Dominum, et reputetur tibi in peccatum. Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro suo peccato morietur. *Et post paucos versus :* Quando messueris segetem in agro tuo, et oblitus manipulum reliqueris; non reverteris ut tollas illum : sed advenam et pupillum et viduam auferre patieris; ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Si fruges colliges olivarum, quidquid remanserit in arboribus, non reverteris ut colligas; sed relinques advenæ, pupillo, ac viduæ. Si vindemiaveris vineam tuam, non colliges remanentes racemos; sed cedent in usus advenæ, pupilli, ac viduæ. Memento quod et tu servieris in Ægypto, et idcirco præcipiam tibi ut facias hanc rem.

[XXV.] Si fuerit causa inter aliquos, et interpellaverint judices; quem justum esse perspexerint, illi justitiæ palmam dabunt; quem impium, condemnabunt impietatis. Sin autem qui peccavit dignum viderint plagis; prosternent, et coram se facient verberari. Pro mensura peccati erit et plagarum modus : ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos obeat [3] frater tuus. *Et post paululum* : Si habuerint inter se jurgium viri, et unus contra alterum rixari cœperint, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miserit manum, et apprehenderit verenda ejus; abscindes manum illius, nec flecteris super eam ulla misericordia. Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus; nec erit in domo tua modius major et minor. Pondus habebis justum et verum; et modius æqualis et verus erit tibi.

Et post pleraque [XXVII.] : Maledictus homo qui facit sculptile et conflatile, abominationem Domini, opus manuum artificum, ponitque illud in abscondito : et respondebit omnis populus, et dicet, Amen. Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui transfert terminos proximi sui : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui errare facit cæcum in itinere : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui pervertit judicium advenæ, pupilli, et viduæ : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus omnis qui dormit cum uxore patris sui, et revelat operimentum lectuli ejus : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum omni jumento : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui, vel matris suæ : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormit cum socru sua : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui clam percusserit proximum suum : et dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui accipit munera, ut percutiat animam sanguinis innocentis : et dicet omnis populus, Amen.

Huc usque de libris Moysi quæ visa sunt ponenda, posuimus. In his vero quæ sequuntur et appellantur, Jesu Nave, Judicum, Regnorum, Paralipomenon, rerum gestarum potius historia legitur quam præcepta vivendi. Hæc tamen paucissima de libro Jesu Nave prætereunda in hoc opere non putavi.

DE JESU NAVE.

[Cap. XXII.] Revertimini, et ite in tabernacula vestra, et in terram possessionis, quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Jordanem : ita duntaxat ut custodiatis attente, et opere compleatis mandatum et legem, quam præcepit vobis Moyses servus Domini; ut diligatis Dominum Deum vestrum, et ambuletis in omnibus viis ejus, et observetis mandata illius, adhæreatisque ei, ac serviatis ei in omni corde et anima vestra.

Et in alio loco [XXIII.] : Ne postquam intraveritis, *inquit*, ad gentes quæ inter vos futuræ sunt, juretis in nomine deorum earum, et serviatis eis, et adoretis illos : sed adhæreatis Domino Deo vestro, quod fecistis usque in diem hanc.

De libro autem Psalmorum multa ponenda sunt, quamvis eadem sæpe repetantur : sed habebo modum, quantum potero, ne hoc opus quod memoria maxime tenendum est, in nimium longitudinem pergat.

DE PSALMIS.

In psalmo I. Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra derisorum non sedit. Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die ac nocte. *In psalmo* II. Nunc ergo, reges, intelligite; erudimini, judices terræ. Servite Domino in timore, et exsultate cum tremore. Adorate pure (*a*), ne forte

[1] Ita Speculum in omnibus libris : quibus consentit vetus Bibliorum volumen Corb. At in Bibliis Sixti auctoritate castigatis legitur, *opposuit*.

[2] Editi, *accipiet*. Manuscripti, *accipiens*. Vulgata, *acceperit*.

[3] In sacris Bibliis, *abeat*.

(*a*) Sequitur versionem Hieronymi, qui primo quidem Psalmos, quos juxta LXX jam olim Ecclesia decantat, emendandos recepit; postmodum vero nova ex hebræo translatione Psalterium integrum latinitate donavit : qua de re exstat ipsius ad Sophronium Epistola, ejusdemque operis mentionem facit etiam Augustinus in Epistola ad Audacem nunc 261, n. 5; denique hujusce versiculi interpretationem, *Adorate pure*, suam agnoscit Hieronymus, vindicatque in lib. 1 adversus Ruffinum. In cæteris, confer Psalterium Hieron. juxta hebr. quod habes in illius Operum tomo 7.

irascatur, et pereatis de via. Cum exarserit post paululum furor ejus, beati omnes qui sperant in eum. *In psalmo* IV. Filii viri, usquequo, incly̆ti mei, ignominiose diligitis vanitatem, quærentes mendacium? *Et paulo post* : Irascimini, et nolite peccare : loquimini in cordibus vestris super cubilia vestra, et tacete. Sacrificate sacrificium justitiæ, et confidite in Domino. *In psalmo* V. Quoniam non es Deus volens iniquitatem. Nec habitabit juxta te malignus; non stabunt iniqui in conspectu oculorum tuorum. Odisti omnes operantes iniquitatem, perdes loquentes mendacium. Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus. *In psalmo* XIV. Domine, quis peregrinabitur in tentorio tuo? et quis habitabit in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam, loquiturque veritatem in corde suo : qui non est facilis in lingua sua, neque fecit amico suo malum, et opprobrium non sustinuit super vicino suo. Despicitur oculis ejus improbus [1], timentes autem Dominum glorificat. Jurat ut se affligat, et non mutat. Pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera adversus innoxium non accepit. Qui facit hæc, non movebitur in æternum. *In psalmo* XXIII. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui non exaltavit frustra animam suam, et non juravit dolose. Accipiet benedictionem a Domino, et justitiam [2] a Deo salutari suo. *In psalmo* XXVI. Lux mea Dominus et salutare meum, quem timebo? Dominus fortitudo vitæ meæ, quem formidabo? *Et post quatuor versus* [3] : Si steterint adversum me castra, non timebit cor meum. Si surrexerit contra me bellum, in hoc ego confidam. Unum petii a Domino, et hoc requiram : ut habitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ; ut videam pulchritudinem Domini, et attendam templum ejus. *Et alio loco* : Tibi dixit cor meum, Quæsivi vultum ejus; faciem tuam, Domine, requiram. *Et postea* : Exspecta Dominum, confortare, et roboretur cor tuum, et sustine Dominum. *In psalmo* XXVII. Ne tradas me cum impiis, et cum operantibus iniquitatem; qui loquuntur pacem cum amicis suis, et est malum in corde eorum. *In psalmo* XXX. Confortamini, et roboretur cor vestrum, omnes qui exspectatis Dominum. *In psalmo* XXXI. Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intelligentia. In chamo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Multi dolores impii; confidentem autem in Domino misericordia circumdabit. Lætamini in Domino et exsultate, justi; et gaudete, omnes recti corde. *In psalmo* XXXII. Laudate, justi, Dominum; rectos decet laudatio. *Et alio loco* : Beata gens cujus Dominus Deus ejus, populus quem elegit Dominus in hæreditatem sibi. *In psalmo* XXXIII. Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo. In Domino laudabitur anima mea; audiant mites et lætentur. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus pariter. *Et post paucos versus* : Gustate et videte, quia bonus Dominus; beatus vir qui sperat in eo. Timete Dominum, sancti ejus; quoniam non est inopia timentibus eum. Leones indiguerunt [1], et esurierunt; quærentibus autem Dominum, non deerit omne bonum. Venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos. Quis est vir qui velit vitam, diligens videre dies bonos? Custodi linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Recede a malo, et fac bonum; quære pacem, et persequere eam. *Et post septem versus* [2] : Juxta est Dominus contritis corde, et confractos spiritu salvabit. *In psalmo* XXXVI. Noli contendere cum malignis, neque æmuleris facientes iniquitatem. Quoniam sicut herba velociter conterentur; et sicut olus viride arescent. Spera in Domino, et fac bonum; peregrinare in terra, et pascere fide. Et [3] delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Volve [4] super Dominum viam tuam, et confide in eo, et ipse faciet. Et educet sicut lumen justitiam tuam, et judicium tuum sicut meridiem. Tace Domino, et exspecta eum : noli contendere adversus eum qui proficit in via sua, adversus virum qui facit quæ cogitat. Dimitte iram, et relinque furorem; noli contendere, ut male facias. Quoniam qui male faciunt, interibunt; exspectantes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram. Adhuc enim modicum, et non erit impius; et cogitabis de loco ejus, et non subsistet. Mites autem hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis. *Et paulo post* : Melius est parum justo, super divitias impiorum multas. Quia brachia impiorum confringentur; sublevat autem justos Dominus. *Et post aliquantum* : Recede a malo, et fac bonum. *Et alibi* : Exspecta Dominum, et custodi viam ejus; et exaltabit te, ut possideas terram. Custodi simplicitatem, et vide rectum; quia erit ad extremum viro pax. *In psalmo* XXXIX. Beatus vir qui posuit Dominum [5] confidentiam suam, et non est aversus ad superbias pompasque mendacii. *In psalmo* XLIII. In Domino gaudebimus tota die, et in nomine tuo in æternum confitebimur. *Et paulo post* : Omnia hæc venerunt super nos; et non sumus obliti tui, nec mentiti fuimus in pacto tuo. Non est conversum retro cor nostrum, nec declinaverunt gressus nostri a semita tua. Quoniam dejecisti nos in loco draconum, et operuisti nos umbra mortis. Si obliti sumus nominis Dei nostri, et expandimus manus nostras ad Deum alienum; numquid non Deus investigabit istud? ipse enim novit cogitationes cordis. Quoniam propter te morti-

[1] Sic ad Mss. fidem correximus : ubi in editis legebatur : *Despicit oculus ejus improbos.*

[2] Editi, *misericordiam.* Mss. vero juxta Hieronymi Psalterium, *justitiam.*

[3] In prius editis, *et post tertius versus.* Reponimus ex Mss., *et post quatuor.*

[1] Sic Mss. juxta Hieronymi Psalterium. At editi hic habebant, *divites indiguerunt.*

[2] Editi, *et post quartus versus.* At Mss., *et post septem.* Sic in editis plerumque numerus mendose exprimebatur, et aliter atque in Mss. quod semel monuisse suffecerit.

[3] In editis omittitur, *et* : habetur in Regio Ms. et in Psalterio Hieronymi.

[4] Lov., *voluta.* Alii codices editi et scripti, *volve*, juxta Psalt. Hieronym.

[5] Ita in Mss. et in Psalt. Hieron. At in editis, hic, *qui posuit in Deum.*

ficati sumus tota die, reputati sumus ut grex occisionis. *In psalmo* XLVI. Canite Deo, canite: canite regi nostro, canite. Quia rex universæ terræ Deus, canite erudite. *In psalmo* XLIX. Immola Deo laudem, et redde Altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis: liberabo te, et glorificabis me. Impio autem dixit Deus, Quid tibi est cum narratione præceptorum meorum, ut assumas pactum meum in ore tuo? Qui odisti disciplinam, et projecisti verba mea post te. Si videbas furem, consentiebas ei; et cum adulteris erat pars tua. Os tuum dimisisti ad malitiam; et lingua tua concinnavit dolum. Sedens adversum fratrem tuum loquebaris; et adversum filium matris tuæ fabricabaris opprobrium. Hæc fecisti, et tacui: existimasti futurum me similem tui; arguam te, et proponam ante oculos tuos. Intelligite hoc, qui obliviscimini Deum; ne forte capiam, et non sit qui liberet. Qui immolat confessionem, glorificat me; et qui ordinate ambulat, ostendam ei salutare Dei. *In psalmo* L. Ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognovi, et peccatum meum contra me est semper. *Et alibi:* Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies. *In psalmo* LI. Quid gloriaris in malitia, potens? Misericordia Domini tota est die. Insidias cogitat lingua tua, quasi novacula acuta faciens dolum. Dilexisti malum magis quam bonum, mendacium magis quam loqui justitiam. Dilexisti omnia verba ad devorandum, lingua dolosa. Sed Deus destruet te in sempiternum; terrebit te, et evellet te de tabernaculo, et eradicabit te de terra viventium. Videbunt justi, et timebunt, et super eum ridebunt: Ecce vir qui non posuit Deum fortitudinem suam: sed speravit in multitudine divitiarum suarum; confortatus est in insidiis suis. Ego autem sicut oliva virens in domo Dei, speravi in misericordia Dei, in sæculum sempiternum. Confitebor tibi in sæculum, quoniam fecisti; et exspectabo nomen tuum, quoniam bonum in conspectu sanctorum tuorum. *In psalmo* LXI. Sperate in eo omni tempore, populi; effundite coram illo, cor vestrum [1]: Deus spes nostra est. Verumtamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri: in stateris dolosis fraudulenter agunt simul. Nolite confidere in calumnia, et in rapina ne frustremini. Divitiæ si affluxerint, ne apponatis cor. *In psalmo* LXIII. Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo. *In psalmo* LXVIII. Quia propter te portavi opprobrium; operuit confusio faciem meam. Alienus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ. Quia zelus domus tuæ comedit me, et opprobrium exprobrantium tibi cecidit super me. Et flevi in jejunio animam meam; et factum est in opprobrium mihi. Et posui vestimentum meum saccum; et factus sum illis in parabolam. Contra me loquebantur qui sedebant in porta, et cantabant bibentes vinum. *Et aliquanto post:* Laudabo nomen Dei in cantico, et magnificabo eum in confessione. Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua efferentem et ungulas. Videntes mansueti lætabuntur. Qui quæritis Dominum, vivet anima vestra. Quoniam exaudivit pauperes Dominus. *In psalmo* LXXII. Quia ecce qui elongant se a te, peribunt; perdidisti omnem fornicantem a te. Mihi autem appropinquare Deo bonum est: posui in Domino Deo spem meam, ut narrem omnes annuntiationes tuas. *In psalmo* LXXV. Vovete, et reddite Domino Deo vestro; omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent dona terribili, auferenti spiritum ducum, terribili regibus terræ. *In psalmo* LXXVII. Ausculta, populus meus, legem meam; inclinate aurem vestram ad verba oris mei. Aperiam in parabola [1] os meum, loquar ænigmata antiqua. *Et alio loco:* Et narrabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur cogitationem ejus, et mandata ejus custodiant. *In psalmo* LXXX. Laudate Deum fortitudinem nostram, jubilate Deo Jacob. *Et alio loco:* Israel si audieris me, non sit in te deus alienus, et non adores deum peregrinum. Ego sum Dominus Deus tuus. *In psalmo* LXXXI. Usquequo judicatis iniquitatem, et facies impiorum suscipitis? Judicate pauperi et pupillo, egeno et inopi juste facite. *In psalmo* LXXXIII. Beati qui habitant in domo tua, adhuc laudabunt te. Beatus homo cujus fortitudo est in te, semitæ in corde ejus: transeuntes in valle fletus fontem ponent eam. Benedictionem quoque amicietur doctor [2]: ibunt de fortitudine in fortitudinem; parebunt apud Deum in Sion. *Et paulo post:* Quoniam melior est dies in atriis tuis super millia. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis impietatis. *In psalmo* XCI. Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. *In psalmo* XCIII. Intelligite, stulti in populo; et insipientes, aliquando discite. *Et paulo post:* Beatus vir quem erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum. Ut quiescat a diebus afflictionis, donec fodiatur impio interitus. *In psalmo* XCIV. Venite adoremus, et curvemur, flectamus genua ante faciem Domini factoris nostri. *Et post duos versus:* Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra; sicut in contradictione, sicut in die tentationis in deserto. *In psalmo* XCV. Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra. Cantate Domino, benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus. Narrate in gentibus gloriam ejus, in universis populis mirabilia ejus. *Et post sex versus:* Afferte Domino, familiæ populorum, afferte Domino gloriam et fortitudinem. Afferte Domino gloriam nomini ejus; levate munera, et introite in atria ejus. Adorate Dominum in decore sanctuarii. *In psalmo* XCVI. Qui diligitis Dominum, odite malum. *Et post tres versus:* Lætamini, justi, in Domino, et confitemini memoriæ sanctæ ejus. *In psalmo* XCVII. Jubilate Domino, omnis terra; vociferamini, et laudate, et canite. *In psalmo* XCVIII. Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus, quia sanctus est [3]. *In psalmo* XCIX. Jubilate Domino, omnis terra, servite Domino in lætitia. Ingredimini coram illo in laude.

[1] Editi, *corda vestra.* Mss. juxta Psalt. Hier., *cor vestrum.*

[1] Sic Mss. et Psalt. Hieron. At editi hic, *in parabolis.*
[2] Editi, *doctus.* Mss. cum Psalt. Hieron., *doctor.*
[3] Sic Mss. et Psalt. Hieron. At editi, *sanctum est.*

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, et ipsius sumus[1]. *Et post unum versum :* Ingredimini portas ejus in gratiarum actione, atria ejus in laude; confitemini ei. *In psalmo* C. Deambulabo in simplicitate cordis mei in medio domus meæ. Non ponam coram oculis meis verbum Belial. Facientem declinationes odivi, nec adhæsit mihi. Cor pravum recedet a me; malum nesciam. Loquentem in abscondito contra proximum suum, hunc interficiam[2]. Superbum oculis et altum corde, cum hoc esse non potero. Oculi mei ad fideles terræ, ut habitent mecum : ambulans in via simpliciter, hic ministrabit mihi. Non habitabit in medio domus meæ faciens malum[3] : loquens mendacium non placebit in conspectu oculorum meorum. Mane perdam omnes impios terræ, ut interficiam de civitate Domini universos qui operantur iniquitatem. *In psalmo* CII. Misericordia autem Domini, ab æterno et usque in æternum super timentes eum. Et justitia ejus super filios filiorum, iis qui custodiunt pactum ejus, et recordantur præceptorum ejus ad facienda ea. *In psalmo* CIV. Confitemini Domino, et invocate nomen ejus; notas facite populis cogitationes ejus. Canite ei, et psallite illi : loquimini in universis mirabilibus ejus. Exsultate in nomine sancto ejus; lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum et virtutem ejus, quærite faciem ejus jugiter. Recordamini mirabilium ejus, quæ fecit, signorum et judiciorum oris ejus. *In psalmo* CVII. Paratum cor meum, Deus; cantabo et psallam : sed et gloria mea. Consurge, psalterium et cithara; consurgam mane. Confitebor tibi in populis, Domine, cantabo te in nationibus. *In psalmo* CX. Confitebor Domino in toto corde meo, in consilio justorum et congregatione. *Et in alio loco :* Principium sapientiæ timor Domini : doctrina bona cunctis qui faciunt eam; laus ejus perseverans jugiter. *In psalmo* CXI. Beatus vir qui timet Dominum; in mandatis ejus volet nimis. *Et post quinque versus :* Bonus vir clemens et fenerans, dispensabit verba sua in judicio; quia in æternum non commovebitur. In memoria sempiterna erit justus; ab auditu malo non timebit. Paratum cor ejus confidens in Domino; firmum cor ejus, non timebit donec aspiciat in hostibus suis. Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus permanet in æternum; cornu ejus exaltabitur in gloria. Impius videbit et irascetur, dentibus frendet, et tabescet : desiderium impiorum peribit. *In Psalmo* CXII. Laudate, servi, Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum, a modo et usque in æternum. Ab ortu solis usque ad occasum ejus, laudabile nomen Domini. *In psalmo* CXIII. Idola Gentium argentum et aurum, opus manuum hominum. Os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt. Aures habent, et non audient, etc. *Et paulo post :* Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Israel confidit in Domino; auxiliator et protector eorum est. Domus Aaron confidit in Domino; auxiliator et protector eorum est. Timentes autem Dominum confidunt in Domino; auxiliator et protector eorum est. *In psalmo* CXV. Credidi propter quod locutus sum, ego afflictus sum nimis. *Et post aliquantum :* Quid reddam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Gloriosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. *Et post tres versus :* Tibi immolabo hostiam laudis, et in nomine Domini invocabo. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus; in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem. *In psalmo* CXVI. Laudate Dominum, omnes gentes; collaudate eum, universi populi. *In psalmo* CXVII. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Dicat nunc Israel, quoniam in æternum misericordia ejus. Dicat domus Aaron, quoniam in æternum misericordia ejus. Dicant qui timent Dominum, quoniam in æternum misericordia ejus. Cum tribularer invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus. *Et post quinque versus :* Melius est sperare in Domino, quam sperare in homine. Melius est sperare in Domino, quam sperare in principibus. *Et post octo versus :* Fortitudo mea et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Vox laudis et salutis in tabernaculis justorum. *In psalmo* CXVIII. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui custodiunt testimonia ejus, in toto corde requirunt eum. *Et alio loco :* Et ambulabo in spatioso, quia præcepta tua quæsivi. Et loquar in testimoniis tuis coram regibus, et non confundar. Et delectabor in mandatis tuis, quæ dilexi. Et levabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi; et loquar in præceptis tuis. *Et post quatuor versus :* A lege tua non declinavi. Recordatus sum judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum. Horror obtinuit me ab impiis, quia dereliquerunt legem tuam. Carmina erant mihi præcepta tua, in domo peregrinationis meæ. Recordatus sum in nocte nominis tui, Domine, et custodivi legem tuam. Hoc factum est mihi, quia præcepta tua custodivi. Pars mea, Domine[1], dixi, ut custodiam verbum tuum. Deprecatus sum vultum tuum in toto corde; miserere mei secundum eloquium tuum. Recogitavi vias meas, et converti pedes meos ad testimonia tua. Festinavi, et non neglexi custodire mandata tua. Funes impiorum implicaverunt me; legem tuam non sum oblitus. Medio noctis surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ. Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium præcepta tua. *Et post paucos versus :* Ego autem in toto corde servabam præcepta tua. Incrassatum est velut adeps cor eorum, et ego in lege tua meditabar. Bonum mihi quia afflictus sum, ut discerem præcepta tua. Melior mihi est lex oris tui, super millia auri et argenti. *Et post paucos versus :* Quia lex tua meditatio mea. *Et post paululum :* Ego autem loquar in præceptis tuis. *Et post paululum :* Præcepta tua non sum oblitus. *Et post duos versus :*

[1] Editi, *et non ipsi nos.* Mss. juxta Psalt. Hieron., *et ipsius sumus.*

[2] Legebatur in prius excusis, *Non ponebam coram oculis meis verba Belial....nec adhæsit mihi cor pravum. Recedentem a me malum nesciebam.... hunc interficiebam.* Hos versus ad Mss. et ad Psalt. Hieron. emendavimus.

[3] In Psalterio Hieronymi, *faciens dolum.*

[1] Editi, *Dominus.* Mss., *Domine.*

Foderunt mihi superbi foveas, quæ non erant juxta legem tuam. *Et post duos versus :* Paulo minus consumpserunt me in terra; ego autem non dimisi præcepta tua. *Et post septem versus :* Nisi quod lex tua delectatio mea, forte periissem in pressura mea. In sempiternum non obliviscar præceptorum tuorum; quia per ipsa vivificasti me. Tuus ego sum, salva me; quoniam præcepta tua quæsivi. Me exspectaverunt impii, ut perderent me; testimonium tuum considerabo. Omnis consummationis vidi finem; latum mandatum tuum nimis. Quam dilexi legem tuam! tota die hæc meditatio mea. *Et paulo post :* Ab omni semita mala prohibui pedes meos, ut custodirem verba tua. A judiciis tuis non recessi, quia tu illuminasti me. Quam dulce gutturi meo eloquium tuum! super mel ori meo. Præcepta tua considerabam; propterea odivi omnem semitam mendacii. Lucerna pedi meo verbum tuum, et lux semitæ meæ. *Et post septem versus :* Anima mea in manu mea semper, et legis tuæ non sum oblitus. Posuerunt impii laqueum mihi, et a præceptis tuis non aberravi. Hæreditas mea testimonia tua in sempiternum; quia gaudium cordis mei sunt. Inclinavi cor meum, ut facerem justificationes tuas, propter æternam retributionem. Tumultuosos odivi, et legem tuam dilexi. Protectio mea et scutum meum tu es : verbum tuum exspectavi. Recedite a me, maligni, et custodiam mandata Dei mei. *Et post septem versus :* Quasi scoriam computasti omnes impios terræ; propterea dilexi testimonia tua. Horripilavit a timore tuo caro mea, et judicia tua timui. Feci judicium et justitiam, ne derelinquas me iis qui calumniantur me. *Et post paucos versus :* Propterea dilexi mandata tua super aurum et topazium. Propterea in universa præcepta tua direxi; omnem semitam mendacii odio habui. Mirabilia testimonia tua; idcirco custodivit ea anima mea. *Et post duos versus :* Os meum aperui, et respiravi; quia mandata tua desiderabam. *Et alio loco :* Consumpsit me zelus meus, quia obliti sunt verborum tuorum hostes mei. Probatus sermo tuus nimis, et servus tuus dilexit illum. Parvulus ego sum et contemptibilis; sed præcepta tua non sum oblitus. *Et post tres versus :* Mandata tua voluntas mea. *Et paulo post :* Vide afflictionem meam, et eripe me; quia legis tuæ non sum oblitus. *Et post sex versus :* Multi qui persequuntur me, et affligunt me; a testimoniis tuis non declinavi. Vidi prævaricatores tuos, et mœrebam; quia verbum tuum non custodierunt. Vide quoniam præcepta tua dilexi, Domine; juxta misericordiam tuam vivifica me. *Et post quatuor versus :* Gaudens ego sum in eloquio tuo, sicut qui invenit spolia multa. Mendacium odio habui, et detestatus sum; legem autem tuam dilexi. Septies in die laudavi te, super judiciis justitiæ tuæ. Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum. Exspectabam salutare tuum, Domine, et mandata tua feci. Custodivit anima mea testimonia tua, et dilexit ea nimis. Custodivi præcepta tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. *Et post octo versus :* Sit manus tua auxiliatrix mea; quia præcepta tua elegi. Desideravi salutare tuum, Domine, et lex tua voluntas mea est [1]. *Et post duos versus :* Erravi quasi ovis perdita; quære servum tuum, quia mandatorum tuorum non sum oblitus. *In psalmo* CXIX. Ego pacifica loquebar, et illi debellabant ea. *In psalmo* CXXI. Rogate pacem Jerusalem : sit bene iis qui diligunt eam. *Et post duos versus :* Propter fratres meos et proximos meos, loquebar pacem tibi. Propter domum Domini Dei nostri, quærebam bona tibi. *In psalmo* CXXII. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce sicut oculi servorum ad manus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ ad manum dominæ suæ; sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. *In psalmo* CXXIV. Qui confidunt in Domino, quasi mons Sion; immobilis in æternum inhabitabilis Jerusalem. *In psalmo* CXXVII. Beatus omnis qui timet Dominum, qui ambulat in viis ejus [2]. *In psalmo* CXXIX. Sustinui Dominum, sustinuit anima mea, et verbum ejus exspectavi. *In psalmo* CXXX. Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei; et non ambulavi in magnis et in mirabilibus super me. Si non proposui, et silere feci animam meam; sicut ablactatus ad matrem suam, ita ablactata ad me anima mea. Exspecta, Israel, Dominum, a modo et usque in æternum. *In psalmo* CXXXII. Ecce quam bonum est et quam decorum, habitare fratres in unum. *In psalmo* CXXXIII. Ecce benedicite Domino, omnes servi Domini; qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. In noctibus levate manus vestras ad sanctum [3], et benedicite Domino. *In psalmo* CXXXIV. Laudate nomen Domini; laudate, servi, Dominum. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus; canite nomini ejus, quoniam decens. *Et post pauca :* Idola Gentium argentum et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquentur; oculos habent, et non videbunt, etc. *Et paulo post :* Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Domus Israel, benedicite Domino; domus Aaron, benedicite Domino; timentes Dominum, benedicite Domino. *In psalmo* CXXXV. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus. Confitemini Deo deorum, quoniam in æternum misericordia ejus. Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus. *Et in fine psalmi :* Confitemini Deo cœli, quoniam in æternum misericordia ejus. *In psalmo* CXXXVI. Si oblitus fuero tui, Jerusalem, in oblivione sit dextera mea. Adhæreat lingua mea gutturi meo, si non recordatus fuero tui, Jerusalem. Si non præposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ. *In psalmo* CXXXVIII. Nonne odientes te, Domine, odivi, et contra adversarios tuos distabui? Perfecto odio oderam illos; inimici facti sunt mihi. *In psalmo* CXXXIX. Ne des, Domine,

[1] Sic Mss. et Psalt. Hieron. At editi, *meditatio mea est.*

[2] Editi, *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.* Sequimur Mss. et Psalt. Hieronymi.

[3] Editi, *in sancta.* Mss. juxta Psalt. Hier., *ad sanctum.*

desideria impii; scelera ejus ne effundantur, et eleventur. *Et post quatuor versus :* Vir linguosus non dirigetur in terra. *In psalmo* CXL. Corripiat me justus in misericordia, et arguat me : oleum amaritudinis non impinguet caput meum. *Et post quinque versus :* Quoniam ad te, Domine, oculi mei : in te speravi; ne evacues animam meam. *In psalmo* CXLI. Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum. Effundam in conspectu ejus eloquium meum, tribulationem meam coram illo annuntiabo. *Et post sex versus :* Clamavi ad te, Domine; dixi, Tu es spes mea, pars mea in terra viventium. *In psalmo* CXLII. Meditabar omnia opera tua, facta manuum tuarum loquebar. Expandi manus meas ad te; anima mea quasi terra sitiens ad te. *Et post tres versus :* Fac me audire mane misericordiam tuam, quoniam in te confido. Notam fac mihi viam in qua ambulo, quoniam ad te levavi animam meam. Libera me de inimicis, Domine : a te protectus sum. *In psalmo* CXLIII. Libera me, et erue me de manu filiorum alienorum; quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera mendacii. Ut sint filii nostri quasi plantatio crescens in adolescentia sua. Filiæ nostræ quasi anguli ornati ad similitudinem templi. Promptuaria nostra plena, et supereffundentia ex hoc in illud. Pecora nostra in millibus, et innumerabilia in compitis nostris : tauri nostri pingues. Non est interruptio, et non est egressus, et non est ululatus in plateis nostris. Beatus populus cujus talia sunt; beatus populus cujus Dominus Deus ejus. *In psalmo* CXLIV. Exaltabo te, Domine, Deus meus, rex, et benedicam nomini tuo in æternum et ultra. In omni die benedicam tibi, et laudabo nomen tuum in sempiternum jugiter. *Et post duos versus :* Generatio ad generationem laudabit opera tua, et fortitudines tuas annuntiabunt. Decorem gloriæ magnitudinis tuæ, et verba mirabilium tuorum loquar. Et fortitudinem horribilium tuorum loquentur, et magnitudines tuas narrabunt. Memoriam multæ bonitatis tuæ loquentur, et justitias tuas laudabunt. *Et post tres versus :* Et sancti tui benedicunt tibi. Gloriam regni tui dicent, et fortitudines tuas loquentur. Ut ostendant filiis hominum fortitudines ejus, et gloriam decoris regni ejus. *Et paulo post :* Juxta est Dominus omnibus qui invocant eum in veritate. Placitum timentium se faciet, et clamorem eorum audiet, et salvabit eos. Custodit Dominus omnes diligentes se; et universos impios conteret. Laudem Domini loquetur os meum, et benedicet omnis caro nomini sancto ejus in æternum et jugiter. *In psalmo* CXLV. Lauda, anima mea, Dominum : laudabo Dominum in vita mea, cantabo Deo meo, quamdiu sum. Nolite confidere in principibus, in filio hominis cui non est salus. *Et post duos versus :* Beatus cujus Deus Jacob auxiliator ejus, spes ejus in Domino Deo suo. *In psalmo* CXLVI. Laudate Dominum, quoniam bonus est : canticum Dei nostri [1], quoniam decorum est, pulchra laudatio. *Et post paucos versus :* Suscipiens mansuetos Dominus; humilians impios usque ad terram. Canite Domino in confessione, canite Deo nostro. *Et post quatuor versus :* Non est in fortitudine equi voluntas ejus, neque in tibiis viri placebitur ei. Placebitur Domino in iis qui timent eum, et exspectant misericordiam ejus. *In psalmo* CXLVIII. Reges terræ et omnes populi, principes et universi judices terræ, juvenes et virgines, senes cum pueris laudent nomen Domini. *In psalmo* CXLIX. Cantate Domino canticum novum; laus ejus in congregatione sanctorum. Lætetur Israel in factore suo, filii Sion exsultent in rege suo. *Et post tres versus :* Exaltabit mansuetos in Jesu. Exsultabunt sancti in gloria, laudabunt in cubilibus suis; exaltationes Dei in gutture eorum. *In psalmo* CL. Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in fortitudine potentiæ ejus. Laudate eum in fortitudinibus ejus, laudate eum juxta multitudinem magnificentiæ suæ. *Et in fine psalmi :* Omne quod spirat laudet Dominum.

[1] Sic Mss. et Psalt. Hieron. Editi, *Deo nostro*.

Hæc de libro Psalmorum collegimus, in quibus suam quisque vitam, si proficere affectat, inspiciat. Ubi lectorem admonemus, ut ea quæ de Psalmis posui, tanquam unum psalmum contextim legat, tacitis verbis meis, quæ ad hoc interposui, ut si voluerit, inspiciat ubi sit scriptum quod posui, id est, quoto vel in quo loco ejusdem psalmi. His enim prætermissis qui lectione continuata inspexerit sola verba Psalmorum, multo jucundius, et ob hoc utilius ex divinis afficietur eloquiis. Nunc de libris Salomonis quæ videbuntur huic operi necessaria, colligemus : ac primum de Proverbiis; qui liber si bene intelligatur, ad mores pios informandos pene totus valebit. Sed ea quæ obscura sunt prætermitto : habeant ea, quibus exerceantur, lectores dilectoresque spiritualium litterarum; nos in hoc opere statuimus illa ponere quæ ad agendam vitam facile intellecta referantur. Quamvis multis videri possim apertissima prætermisisse; nonnullaque hinc potius clausa sunt, unde putantur esse perspicua. Quid enim tam clarum videtur, et quid tam inepte fit, si ad proprietatem velis accipere, quod ibi scriptum est, Ab aqua aliena abstine te, et de fonte alieno ne biberis (*a*)? *Aut quid valet ad mores corrigendos, nisi illic intellectus altior requiratur, quod dictum est,* Paupertas virum humiliat, manus autem fortium locupletat (*Prov.* X, 4)? *Cum et non esse pauperem, et esse manibus fortem, non sit in bonorum hominum potestate, sed et multis provenerit pessimis; et hoc proverbium male intellectum, possit provocare pauperes fortes, ut rapinis se existiment debere ditescere. Quis non autem rideat, si proprie positum putaverit quod ibi legitur,* Non enim nascuntur filii malignis (*Id.* XXIV, 20)? *Omnia ergo talia relinquemus, et ea quibus suadetur aliquid aliquanto diutius; cum id quod suadetur atque præcipitur non sit obscurum, et id potius sit ponendum in hoc Speculo, ubi se illi inspiciant, quibus jam persuasum est, bene ac lauda-*

(*a*) Vulgata versio caret hac sententia, *Ab aqua aliena*, etc., quæ quidem erat Augustino familiaris, sæpeque ab ipso in congressu cum Donatistis prave eam usurpantibus explicata : habetur apud LXX, Prov. cap. 9 sub vers. 18. Ex eorumdem interpretatione ipsi in mentem veniebant alia hic subjecta testimonia, nisi quod LXX istud efferunt in plurali, *cheîres dè andreiôn ploutizousin, manus fortium locupletant.*

biliter vivere, sed ut hoc faciant, quæ sibi optanda atque observanda sint, quærunt. Hæc itaque de Proverbiis Salomonis ponenda credimus.

DE PROVERBIIS.

[Cap. I.] Timor Domini principium scientiæ. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Audi, fili mi, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. *Et post quatuordecim versus, cum de homicidis loqueretur :* Ipsi, *inquit,* contra sanguinem suum insidiantur, et moliuntur fraudes contra animas suas. Sic semitæ omnis avari animas possidentium rapiunt. *Item post quatuor versus :* Usquequo, parvuli, diligitis infantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia cupiunt, et imprudentes odiunt scientiam? *Et post undecim versus :* Tunc invocabunt me, et non exaudiam ; mane consurgent, et non invenient me : eo quod exosam habuerint disciplinam, et timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, et detraxerint universæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur. Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos. Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, et abundantia perfruetur, malorum timore sublato.

Et post tres versus [II.] : Si enim sapientiam invocaveris, et inclinaveris cor tuum prudentiæ; si quæsieris eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderis illam : tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei invenies; quia Dominus dat sapientiam, et ex ore ejus scientia et prudentia. Custodiet rectorum salutem, et proteget gradientes simpliciter : servans semitas justitiæ, et vias sanctorum custodiens. Tunc intelliges justitiam, et judicium, et æquitatem, et omnem semitam bonam. Si intraverit sapientia cor tuum, et scientia animæ tuæ placuerit; consilium custodiet te, et prudentia servabit te; ut eruaris de via mala, et ab homine qui perversa loquitur. Qui derelinquunt iter rectum, et ambulant per vias tenebrosas: qui lætantur cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis : quorum viæ perversæ, et infames gressus eorum. Ut eruaris a muliere aliena, et ab extranea quæ mollit sermones suos, et reliquit ducem pubertatis suæ, et pacti Dei sui oblita est.

Et post tredecim versus [III.] : Misericordia et veritas non te deserant : circumda eas gutturi tuo, et describe in tabulis cordis tui; et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo, et hominibus. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, et ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum. Time Deum, et recede a malo. *Et post unum versum :* Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum. *Et post duos versus :* Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias; nec deficias, cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit; et quasi pater in filio complacet sibi. Beatus homo qui invenit sapientiam, et qui affluit prudentia. Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, et auro primo fructus ejus : pretiosior est cunctis opibus ; et omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari. *Et post decem versus :* Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis : Custodi legem atque consilium. *Et post novem versus :* Noli prohibere benefacere eum qui potest ; si vales, et ipse benefac. Ne dicas amico tuo, Vade, et revertere, et cras dabo tibi ; cum statim possis dare. Ne moliaris amico tuo malum ; cum ille in te habeat fiduciam. Ne contendas adversus hominem frustra. *Et post septem versus :* Illusores ipse deludet, et mansuetis dabit gratiam.

Et post quadraginta tres versus [1] [IV.] : Omni custodia serva cor tuum ; quia ab ipso vita procedit. Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te. Oculi tui recta videant ; et palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Dirige semitam pedibus tuis, et omnes viæ tuæ stabilientur. Ne declines in dexteram aut in sinistram. Averte pedem tuum a malo. Vias enim quæ a dextris sunt novit Dominus ; perversæ vero sunt quæ a sinistris sunt. Ipse autem rectos facit cursus tuos, itinera autem tua in pace producet.

[V.] Fili mi, attende sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam ; ut custodias cogitationes, et disciplinam labia tua conservent. Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus. Novissima autem illius amara quasi absinthium, et acuta quasi gladius biceps. Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant.

Et post nonaginta septem versus [VI.] : Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, ne capiaris nutibus illius. Pretium enim scorti, vix unius est panis : mulier autem viri pretiosam animam capit. Numquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus ? Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cum tetigerit eam. Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit : furatur enim, ut esurientem impleat animam ; deprehensus quoque reddet septuplum, et omnem substantiam domus suæ tradet. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam.

Et post quatuor versus [VII.] : Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi. Serva [2] mandata mea, et vive, et legem meam quasi pupillam oculi tui.

Et post quinquaginta septem versus [VIII.] : Intelligite, parvuli, astutiam ; et insipientes, animadvertite. *Et post duos versus :* Veritatem meditabitur guttur meum, et labia mea detestabuntur impium [3]. *Et post*

[1] Pigebat annotare circa versuum recensionem errata quam frequentissima, quæ videlicet postquam in Amerbachianam editionem semel inducta sunt, alias deinceps editiones reluctantibus Mss. codicibus constanter occuparunt. Attamen de insignioribus aliquot castigationibus non silendum videtur hoc loco. Nam in editis pro : *Et post quadraginta tres,* legebatur : *Et post viginti quatuor :* item infra ubi habes : *Et post nonaginta septem,* in illis habebas : *Et post plures versus :* atque ubi nunc : *Et post quinquaginta septem ;* ibi ferebatur : *Et post aliquot versus :* quibus locis aliisque propemodum innumeris restituimus lectionem Mss. unde intelligi facilius queat cujusnam rationis, cujusve mensuræ versus illi fuerint, qui computantur ab Augustino.

[2] Mss.: *Scrutare.*

[3] Sic Mss. juxta Vulgatam. At editi habebant : *Et labia mea non attestantur impium.*

tres versus : Accipite disciplinam meam et non pecuniam; doctrinam magis quam aurum diligite. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis; et omne desiderabile ei non potest comparari. *Et post duos versus :* Timor Domini odit malum; arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestatur. *Et post sex versus :* Ego diligentes me diligo; et qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia. Melior est fructus meus auro et pretioso lapide, et genimina mea argento electo. In viis justitiæ ambulo, in medio semitarum judicii; ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. *Et post viginti tres versus :* Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino. Qui autem in me peccaverit, lædet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.

Et post novem versus [IX.] : Relinquite infantiam, et vivite, et ambulate per vias prudentiæ. Qui erudit derisorem, ipse sibi facit injuriam; et qui arguit impium, generat maculam sibi. Noli arguere derisorem, ne oderit te : argue sapientem, et diliget te. Da sapienti occasionem, et addetur ei sapientia. Doce justum, et festinabit accipere. Principium sapientiæ timor Domini, et scientia sanctorum, prudentia.

Et post decem et octo versus [X.] : Non proderunt thesauri iniquitatis; justitia vero liberabit a morte. *Et post quatuor versus :* Qui congregat in messe, filius sapiens est : qui autem stertit æstate, filius confusionis. *Et post quatuor versus :* Sapiens corde præcepta suscipiet : stultus cæditur labiis. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter : qui autem depravat vias suas, manifestus erit. Qui annuit oculo, dabit dolorem : stultus labiis verberabitur. Vena vitæ, os justi; et os impiorum operit iniquitatem. Odium suscitat rixas; et universa delicta operit charitas. In labiis sapientis invenietur sapientia; et virga in dorso ejus qui indiget corde. Sapientes abscondunt sapientiam : os autem stulti confusioni proximum est. *Et post quatuor versus :* Via vitæ custodienti disciplinam : qui autem increpationes relinquit, errat. Abscondunt odium labia mendacia. Qui profert contumeliam, insipiens est. In multiloquio peccatum non deerit : qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. Argentum electum lingua justi : cor impiorum pro nihilo. Labia justi erudiunt plurimos : qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur. Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio. Quasi per risum stultus operatur scelus : sapientia autem est viro prudentia. Quod timet impius, veniet super eum : desiderium suum justis dabitur. *Et post duos versus :* Sicut acetum dentibus, et fumus oculis; sic piger iis qui miserunt eum. Timor Domini apponet dies; et anni impiorum breviabuntur. Exspectatio justorum, lætitia : spes autem impiorum peribit. Fortitudo simplicis via Domini; et pavor iis qui operantur malum. Justus in æternum non commovebitur : impii autem non habitabunt in terra. Os justi parturiet sapientiam : lingua pravorum peribit. Labia justi considerant placita, et os impiorum perversa.

[XI.] Statera dolosa, abominatio apud Deum; et pondus æquum, voluntas ejus. Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia : ubi autem humilitas, ibi et sapientia. Simplicitas justorum diriget eos; et supplantatio perversorum perdet illos. Non proderunt divitiæ in die ultionis : justitia autem liberabit a morte. Justitia simplicis diriget viam ejus; et in impietate sua corruet impius. Justitia rectorum liberabit eos; et in insidiis suis capientur iniqui. Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes, et exspectatio sollicitorum peribit. *Et post quinque versus* [1] *:* Qui despicit amicum suum, indigens corde est : vir autem prudens tacebit. Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana : qui autem fidelis est animi [2], celat commissum. Ubi non est gubernator, populus corruet : salus autem, ubi multa consilia. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo : qui autem cavet laqueos, securus erit. *Et post duos versus :* Benefacit animæ suæ vir misericors : qui autem crudelis est, etiam propinquos abjicit. *Et post tres versus :* Abominabile Domino pravum cor; et voluntas ejus in iis qui simpliciter ambulant. Manus in manu, non erit innocens malus : semen autem justorum salvabitur. *Et post duos versus :* Desiderium justorum omne bonum est : præstolatio impiorum furor. Alii dividunt propria, et ditiores fiunt : alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. Anima quæ benedicit, impinguabitur : et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis : benedictio autem super caput vendentium. Bene consurgit diluculo, qui quærit bona : qui autem investigator malorum est, opprimetur ab eis. Qui confidit in divitiis suis, hic corruet : justi autem quasi virens folium germinabunt. *Et post quatuor versus :* Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator?

[XII.] Qui diligit disciplinam, diligit scientiam : qui autem odit increpationes, insipiens est. Qui bonus est, hauriet a Domino gratiam : qui autem confidit in cogitationibus suis, impie agit. Non roborabitur homo ex impietate, et radix justorum non commovebitur. *Et post aliquot versus* [3] *:* Desiderium impii, munimentum est pessimorum : radix autem justorum proficiet. Propter peccata labiorum ruina proximat malo : effugiet autem justus de angustia. De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, et juxta opera manuum suarum retribuetur ei. Via stulti, recta in oculis ejus : qui autem sapiens est, audit consilia. *Et post quatuor versus :* Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiæ : lingua autem sapientium sanitas est. Labium veritatis firmum erit in perpetuum : qui au-

[1] Regius codex, *Et post* III *versus*. Carnutensis : *Et post* IV *versus*. Forte legendum, *Et post* VIII *versus*.

[2] In Regio Ms. loco *animi*, habetur, *amici*. Utraque vox simul recepta est in Bibliis Sixti auctoritate castigatis. Attamen, *amici*, deest in vetusto Bibliorum codice Corbeiensi.

[3] In Mss. : *Et post decem versus :* plures tamen interjecti esse videntur, nisi forte isti versus erant solito prolixiores.

tem testis est repentinus, concinnat linguam mendacem. Dolus in corde cogitantium mala : qui autem ineunt pacis consilia, sequetur eos gaudium. Non contristabit justum quidquid ei acciderit : impii autem replebuntur malo. Abominatio Domini [1], labia mendacia : qui autem fideliter agunt, placent ei. Homo versutus celat scientiam : et cor insipientium provocabit stultitiam. *Et post duos versus :* Mœror in corde viri humiliabit illum, et sermone bono lætificabitur. Qui negligit damnum propter amicum, justus est : iter autem impiorum decipiet eos. Non inveniet fraudulentus lucrum, et substantia hominis erit auri pretium. In semita justitiæ vita : iter autem devium ducit ad mortem.

[XIII.] Filius sapiens, doctrina patris : qui autem illusor est, non audit cum arguitur. De fructu oris sui homo saturabitur bonis : anima autem prævaricatorum iniqua. Qui custodit os suum, custodit animam suam : qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Vult et non vult piger : anima autem operantium impinguabitur. Verbum mendax justus detestabitur : impius autem confundit et confundetur. Justitia custodit innocentis viam : impietas vero peccatores supplantat. Est quasi dives, cum nihil habeat ; et est quasi pauper, cum in multis divitiis sit. Redemptio animæ viri, divitiæ suæ : qui autem pauper est, increpationem non sustinet. Lux justorum lætificat : lucerna impiorum exstinguetur. Inter superbos semper jurgia sunt : qui autem agunt cuncta consilio, reguntur sapientia. Substantia festinata minuetur : quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Spes quæ differtur, affligit animam : lignum vitæ desiderium veniens. Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat : qui autem timet præceptum, in pace versabitur. Lex sapienti fons vitæ, ut declinet a ruina mortis. Doctrina bona dabit gratiam : in itinere contemptorum vorago. *Et post aliquot versus* [2] : Qui parcit virgæ suæ, odit filium suum : qui autem diligit illum, instanter erudit. Justus comedit, et replet animam suam : venter autem impiorum insaturabilis.

Et post duos versus [XIV.] : Ambulans recto itinere, et timens Deum, despicietur ab eo qui infami graditur via. In ore stulti virga superbiæ : labia sapientium custodiunt eos. *Et post duos versus :* Testis fidelis non mentietur : profert mendacium testis dolosus. Quærit derisor sapientiam, et non invenit : doctrina sapientium facilis. Vade contra virum stultum, et nescito labia imprudentiæ [3]. Sapientia callidi est intelligere viam suam ; et imprudentia stultorum errans. Stultus illudet peccatum : inter justos morabitur gratia. Cor quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus. Domus impiorum delebitur : tabernacula vero justorum germinabunt. Est via quæ videtur homini justa ; novissima autem ejus deducunt ad mortem. Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat. *Et post tres versus :* Sapiens timet, et declinat malum : stultus transilit, et confidit. Impatiens operabitur stultitiam ; et vir versutus odiosus est. *Et post quatuor versus :* Qui despicit proximum suum, peccat : qui autem miseretur pauperis, beatus erit. Errant qui operantur malum : misericordia et veritas præparant bona. In omni opere [1] erit abundantia : ubi autem verba sunt plurima, frequenter egestas. *Et post quatuor versus :* In timore Domini fiducia fortitudinis ; et filiis ejus erit spes. Timor Domini fons vitæ, ut declinet [2] a ruina mortis. *Et post duos versus :* Qui patiens est, multa gubernatur prudentia : qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. Vita carnium sanitas cordis : putredo ossium invidia. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ejus : honorat autem eum, qui miseretur pauperis.

Et post septem versus [XV.] : Responsio mollis frangit iram : sermo durus suscitat furorem. Lingua sapientium ornat scientiam : os fatuorum ebullit stultitiam. *Et post septemdecim versus :* Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur. *Et post duodecim versus :* Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni et insatiabiles. Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio. Vir iracundus provocat rixas : qui patiens est mitigat suscitatas. Iter pigrorum quasi sepes spinarum : via justorum absque offendiculo. Filius sapiens lætificat patrem : et stultus homo despicit matrem suam. *Et post duos versus :* Dissipantur cogitationes ubi non est consilium : ubi vero plures sunt consiliarii, confirmantur. Lætatur homo in sententia oris sui ; et sermo opportunus est optimus. Semita vitæ super eruditum, ut declinet de inferno novissimo. *Et post quatuor versus :* Conturbat domum suam, qui sectatur avaritiam : qui autem odit munera, vivet. Mens justi meditabitur obedientiam : os impiorum redundat malis. Longe est Dominus ab impiis ; et orationes justorum exaudiet. Lux oculorum lætificat animam : fama bona impinguat ossa. Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientium commorabitur. Qui abjicit disciplinam, despicit animam suam : qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Timor Domini, disciplina sapientiæ ; et gloriam præcedit humilitas.

[XVI.] : Hominis est animum præparare, et Dei gubernare linguam. Omnes viæ hominum patent oculis ejus : spirituum ponderator est Dominus. Revela Domino opera tua, et dirigentur cogitationes tuæ. Universa propter semetipsum operatus est Dominus ; impium quoque ad diem malum. Abominatio Domini omnis arrogans : etiamsi manu ad manum fuerit [3], non erit innocens. Misericordia et veritate redimitur iniquitas, et in timore Domini declinatur a malo. Cum

[1] Vulgata : *Abominatio est Domino.*
[2] Regius codex : *Et post XII versus.*
[3] Vulgata, *et nescit labia prudentiæ.*

[1] Mss., *in omni opere bono.*
[2] In sacris Bibliis castigatioribus, *declinent.*
[3] In Vulgata nunc legitur, *manus ad manum:* et infra post, *non erit innocens,* interponitur hæc sententia : *Initium viæ bonæ, facere justitiam* etc.; quæ nec est in hebræo, nec in antiquis Corb. Bibliis versionis Vulgatæ : ascita est ex LXX.

placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Melius est parum cum justitia, quam multi fructus cum iniquitate. Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressus ejus. Divinatio in labiis regis; in judicio non errabit os ejus. Pondus et statera judicia Domini sunt, et opera ejus omnes lapides sæculi [1]. Abominabiles regi qui agunt impie; quoniam justitia firmatur solium. Voluntas regum labia justa : qui recta loquitur, dirigetur. Indignatio regis nuntii mortis; et vir sapiens placabit eam. In hilaritate vultus regis, vita; et clementia ejus, quasi imber serotinus. Posside sapientiam, quia auro melior est: et acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. Semita justorum declinat mala; custos animæ suæ servat viam suam. Contritionem præcedit superbia; et ante ruinam exaltatur spiritus. Melius est humiliari cum mitibus, quam dividere spolia cum superbis. Eruditus in verbo reperiet bona; et qui in Domino sperat, beatus est. Qui sapiens corde est, appellabitur prudens; et qui dulcis eloquio, majora percipiet. *Et post septemdecim versus :* Melior est patiens viro forti; et qui dominatur animæ suæ, expugnatore urbium. Sortes mittuntur in sinum; sed a Domino temperantur.

[XVII.] Melior est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena victimis cum jurgio. Servus sapiens dominabitur filiis stultis, et inter fratres hæreditatem dividet. Sicut igne probatur argentum, et aurum camino; ita corda probat Dominus. Malus obedit linguæ iniquæ, et fallax obtemperat labiis mendacibus. Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus; et qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Corona senum filii filiorum; et gloria filiorum patres sui. Non decent stultum verba composita, nec principem labium mentiens. Gemma gratissima exspectatio præstolantis; quocumque se verterit, prudenter intelliget. Qui celat delictum, quærit amicitias : qui altero sermone repetit, separat fœderatos. Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum. Semper jurgia quærit malus : angelus autem crudelis mittetur contra eum. Expedit magis ursæ occurrere raptis fetibus, quam fatuo confidenti sibi in stultitia sua. Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus. Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum; et antequam patiatur contumeliam, judicium deserit. Et qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum. *Et post sexdecim versus :* Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicii. In facie prudentis lucet sapientia : oculi stultorum in finibus terræ. *Et post tres versus* [2] *:* Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est, et pretiosi spiritus vir eruditus.

Et post duos versus [XVIII.] : Occasiones quærit qui vult recedere ab amico; omni tempore erit exprobrabilis. *Et post sex versus :* Accipere personam impii non est bonum, ut declines a veritate judicii. *Et post sex versus :* Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis. Turris fortissima nomen Domini : ad ipsam currit justus, et exaltabitur. *Et post duos versus :* Antequam conteratur, exaltatur cor hominis; et antequam glorificetur, humiliatur. *Et post septem versus :* Justus est prior accusator sui; venit amicus ejus, et investigabit eum. Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque dijudicat. Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma, et judicia quasi vectes urbium. *Et post duos versus :* Mors et vita in manu linguæ; qui diligunt eam, comedent fructus ejus. Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum; et hauriet jucunditatem a Domino [1]. Cum obsecrationibus loquetur pauper; et dives effabitur rigide. Vir amicabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater.

[XIX.] Melior est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quam dives torquens labia, et insipiens. Ubi non est scientia animæ, non est bonum; et qui festinus est, pedibus offendit. Stultitia hominis supplantat gressus ejus, et contra Deum fervet animo suo. Divitiæ addunt amicos plurimos : a paupere autem et quos habuit separantur. Testis falsus non erit impunitus; et qui mendacia loquitur, non effugiet. Multi colunt personam potentis, et amici sunt dona tribuentis. Fratres hominis pauperis oderunt eum; insuper et amici procul recesserunt ab eo. Qui tantum verba sectatur, nihil habebit : qui autem possessor est mentis, diligit animam suam. *Et post decem versus :* Pigredo immittit soporem, et anima dissoluta esuriet. Qui custodit mandatum, custodit animam suam; qui autem negligit vias suas, mortificabitur. Feneratur Domino qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei. Erudi filium tuum, ne desperes. *Et post sex versus :* Homo indigens misericors est; et melior pauper quam vir mendax. Timor Domini ad vitam, et in plenitudine commorabitur absque visitatione pessimi [2]. *Et post duos versus :* Pestilente flagellato stultus sapientior erit : sin autem corripueris sapientem, intelliget disciplinam. Qui affligit patrem, et fugit [3] matrem, ignominiosus est et infelix. Non cesses, fili, audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ. Testis iniquus deridet judicium; et os impiorum devorat iniquitatem. Parata sunt derisoribus judicia, et mallei percutientes stultorum corporibus.

[XX.] Luxuriosa res vinum, et tumultuosa ebrietas : quicumque in his delectatur, non erit sapiens. *Et post aliquos versus :* Pondus et pondus, mensura et mensura, utrumque abominabile est apud Deum. Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et si recta sint opera

[1] Legendum, *sacculi*, non *sæculi :* et paulo infra, *diligetur*, non *dirigetur :* quæ mendæ etiam in sacra Biblia irrepserant.

[2] Mss. : *Et post* XVII *versus :* insigni lapsu amanuensium; aut certe codex ille Proverbiorum, qui ab Augustino legebatur, sententias eo loci plures quam sacra Biblia exhibebat.

[1] In editis addebatur hic : *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum : qui autem tenet adulteram, stultus est et insipiens :* quod etiam in Vulgata nunc interpositum est ex LXX. Sed in antiquis Bibliis Corb. non reperitur, neque in hebræo : abest quoque ab Augustini Speculo in Mss. qui mox prosequuntur sic, *cum obsecratione*, etc.

[2] Apud Vulgatam, *pessima :* quanquam in Bibliis Corb., *pessimi.*

[3] Legendum, *fugat*, ut in Bibliis emendatis. Porro Regius codex pro, *fugit*, habet hic, *confundit.*

ejus. *Et post duos versus :* Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat : aperi oculos tuos, et saturare panibus : *Et post septemdecim versus :* Abominatio est apud Deum pondus et pondus; statera dolosa non est bona.

Et post viginti quinque versus [XXI.] : Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. Munus absconditum exstinguit iras, et donum in sinu indignationem maximam. Gaudium justo est facere judicium; et pavor operantibus iniquitatem. Vir qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu gigantium reputabitur. *Et post novem versus :* Qui custodit os suum et linguam, custodit ab angustiis animam suam. Superbus et arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam. Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim quidquam manus ejus operari. Tota die concupiscit et desiderat : qui autem justus est tribuet, et non cessabit. Hostiæ impiorum abominabiles; quia offeruntur ex scelere. Testis mendax peribit: vir bene dicens [1], loquetur victoriam.

Et post quinque versus [XXII.] : Melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ. *Et post quindecim versus :* Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur : de panibus enim suis dedit pauperi [2]. Ejice derisorem, et exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ et contumeliæ. *Et post quatuor versus :* Dicit piger, Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. *Et post tres versus* [3] : Qui calumniatur pauperem ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, et egebit. *Et post octo versus :* Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta; quia Dominus judicabit causam ejus, et configet eos qui confixerunt animam ejus. Noli esse amicus homini iracundo; neque ambules cum viro furioso : ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ. Noli esse cum iis qui defigunt manus suas, et qui vades se offerunt pro debitis.

Et post aliquantum [XXIII.] : Noli subtrahere a puero disciplinam : si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis. *Et post octo versus :* Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt. *Et post viginti versus :* Ne intuearis vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus. Ingreditur blande; sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.

Et post septem versus [XXIV.] : Ne æmuleris, *inquit*, viros malos, nec desideres esse cum eis; quia rapinas meditatur mens eorum, et fraudes labia eorum loquuntur. *Item post sexdecim versus :* Erue eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris, Vires non suppetunt : qui inspector est cordis, ipse intelligit; et servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua. *Item post novem versus :* Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina ejus ne exsultet cor tuum : ne forte videat Dominus, et displiceat ei, et auferat ab eo iram suam. Ne contendas cum pessimis [1], nec æmuleris impios. *Et post duos versus :* Time Dominum, fili mi, et regem; et cum detractoribus non commiscearis : quoniam repente consurget perditio eorum; et ruinam utriusque quis novit? Hæc quoque sapientibus : Cognoscere personam in judicio, non est bonum. Qui dicit [2] impio, Justus es; maledicent ei populi, et detestabuntur eum tribus. Qui arguunt, laudabuntur, et super ipsos veniet benedictio. Labia deosculabitur qui recta verba respondet. *Et post duos versus* : Ne sis testis frustra contra proximum tuum, nec lactes quemquam labiis tuis. Nec dicas, Quomodo fecit mihi, sic faciam ei : reddam unicuique secundum opus suum. Per agrum hominis pigri transivi, et per vineam viri stulti; et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ : et maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem, posui in corde meo, et exemplo didici disciplinam.

Et post viginti versus [XXV.] : Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio cito; ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum. Causam tuam tracta cum amico tuo; et secretum extraneo non reveles; ne forte insultet tibi cum audierit, et exprobrare non cesset. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Inauris aurea et margarita fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem. *Et post septemdecim versus :* Acetum in nitro est, qui cantat carmina cordi pessimo [3]. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; et si sitierit, da ei aquam bibere : prunas enim congregabis super caput ejus, et Dominus reddet tibi. *Et post decem versus :* Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, sic vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.

Et post duos versus [XXVI.] : Sicut avis ad alia [4] transvolans, et passer quo libet vadens; sic maledictum frustra prolatum in quempiam superveniet. Flagellum equo, et chamus asino, et virga dorso imprudentium. Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam; ne efficiaris ei similis. Responde stulto juxta stultitiam suam; ne sibi sapiens esse videatur. *Et post decem versus :* Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam. Vidisti hominem sapientem sibi videri; magis illo spem habebit stultus. Dicit piger, Leo est in via, et leæna in itineribus. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. Abscondit piger manus sub ascella sua, et laborat si ad os suum eas converterit. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias. Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens

[1] In sacris Bibliis, *vir obediens*.
[2] Hoc loco LXX interponunt : *Victoriam et honorem acquiret qui dat munera*, etc. : quæ sententia immissa est in Vulgatam; cum non sit in hebræo, neque in Corbeiensi codice versionis licet vulgatæ.
[3] Ms. Regius : *Et post* II *versus*.

[1] Carnutensis Ms., *cum impiis*.
[2] Sic etiam Vulgata in Mss. Bibl. Corb. At in editis Bibliis habet in plurali, *qui dicunt*, etc.
[3] Nihil hic minus quam in hebræo et antiquis Bibliis Corb. At in editis Bibliis additur ad huncce versum : *Sicut tinea vestimento*, etc.
[4] Editi, *ad alta*. At Carnut. Ms., *ad alia :* sicut in Bibliis non mendosis legitur.

et commiscetur rixæ alterius. Sicut noxius est qui mittit lanceas et sagittas in mortem; sic vir qui fraudulenter nocet amico suo, et cum fuerit deprehensus dicit, Ludens feci. Cum defecerint ligna, exstinguetur ignis; et susurrone subtracto, jurgia conquiescunt. Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas. Verba susurratoris quasi simplicia, et ipsa perveniunt ad intima ventris. *Et post tres versus :* Labiis suis intelligitur inimicus, cum in corde tractaverit dolos. Quando submiserit vocem suam, ne credideris ei; quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius. Qui operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio. Qui fodit foveam, incidet in eam; et qui volvit lapidem, revertitur ad eum. Lingua fallax non amat veritatem; et os lubricum operatur ruinas.

[XXVII.] Ne glorieris in crastinum [1], ignorans quid superventura pariat dies. Laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua. *Et post quatuor versus :* Melior est manifesta correptio, quam amor absconditus. Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula. *Et post tres versus :* Amicum tuum, et amicum patris tui ne dimiseris. *Et post aliquos versus :* Infernus et perditio non replentur : similiter et oculi hominum insatiabiles. Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum; sic probatur homo in ore laudantis [2]. Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.

Et post aliquot versus [3] [XXVIII.] : Vir pauper calumnians pauperes, similis est imbri vehementi, in quo paratur fames. Qui derelinquunt legem, laudant impium : qui custodiunt, succenduntur contra eum. Viri mali non cogitant judicium : qui autem requirunt Dominum, animadvertunt omnia. Melior est pauper ambulans in simplicitate sua, quam dives in pravis itineribus. *Et post duos versus :* Qui coacervat divitias usuris et fenore, liberali in pauperes congregat eas. Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Qui decipit justos in via mala, in interitu suo corruet, et simplices possidebunt bona ejus. *Et post quatuor versus :* Qui abscondit scelera sua, non dirigetur : qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur. Beatus homo qui semper est parvidus : qui vero mentis est duræ, corruet in malum. *Item post duodecim versus :* Vir fidelis multum laudabitur : qui autem festinat ditari, non erit innocens. Qui cognoscit in judicio faciem, non facit bene; iste et pro buccella panis deserit veritatem. Vir qui festinat ditari et aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum, magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit. Qui subtrahit aliquid a patre suo et a matre, et dicit, Hoc non est peccatum, particeps homicidæ est. Qui se jactat et dilatat, jurgia concitat : qui autem sperat in Domino, sanabitur. Qui confidit in corde suo, stultus est : qui autem graditur sapienter, ipse salvabitur. Qui dat pauperi, non indigebit : qui despicit deprecantem sustinebit penuriam.

Et post decem versus [XXIX.] : Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, recte expandit gressibus ejus. *Et post viginti duos versus :* Servus verbis non potest erudiri; quia quod dicis intelligit, et respondere contemnit. Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quam illius correptio. *Et post quatuor versus :* Superbum sequitur humilitas, et humilem suscipiet gloria. Qui cum fure partitur, odit animam suam; adjurantem audit, et non indicat. Qui timet hominem, cito corruet : qui autem sperat in Domino, sublevabitur. Multi requirunt faciem principis, et a Domino judicium egreditur singulorum. Abominantur justi virum impium; et abominantur impii eos qui in recta sunt via.

Et post quatuordecim versus [XXX.] : Duo rogavi, ne deneges mihi antequam moriar : Vanitatem et verba mendacia longe fac a me. Mendicitatem et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria : ne forte saturatus illiciar ad negandum, et dicam, Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, et perjurem nomen Dei mei. Ne accuses servum ad dominum suum, ne forte maledicat tibi, et corruas.

Et post aliquantum [XXXI.] : Aperi os tuum, decerne quod justum est, et judica inopem et pauperem.

Satis sint ista de Parabolis. Deinde librum alium Salomonis, qui vocatur Ecclesiastes, intuentes, similiter ea quæ in illo invenerimus huic operi apta, monstrabimus.

DE ECCLESIASTE.

[Cap. II.] Et vidi quia tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux a tenebris. Sapientis oculi in capite ejus : stultus in tenebris ambulat.

Et post aliquantum [IV.] : Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei [1]. Multo enim melior est obedientia quam stultorum victimæ, qui nesciunt quid faciant mali.

[V.] Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, et tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui. Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenitur stultitia. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio : sed quodcumque voveris redde : multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere. Ne dederis os tuum ut peccare facias carnem tuam, neque dicas coram angelo, Non est providentia : ne forte iratus Deus super sermone tuo dissipet cuncta opera manuum tuarum. Ubi multa sunt somnia, plurimæ vanitates et sermones inumeri : tu vero Deum time. *Et post sex versus :* Avarus non impletur pecunia; et qui amat divitias fructus non capiet ex eis.

[1] Ms., *in crastino.*

[2] In Bibliis prelo editis additur hic : *Cor iniqui inquirit mala*, etc., quod abest ab hebræo et ab antiquis Bibl. Corbeiensibus.

[3] Carnutensis codex : *Et post* XX *versus.*

[1] In Vulgata versione additur, *et appropinqua ut audias.*

Et post aliquantum [VII.] Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii : in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. Melior est ira risu : quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Cor sapientium, ubi tristitia est ; et cor stultorum ubi lætitia. Melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi : quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti. *Et post quatuor versus* : Melior est patiens arrogante. Ne velox sis ad irascendum ; quia ira in sinu stulti requiescit. Ne dicas, Quid putas causæ est quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt? stulta est enim hujuscemodi interrogatio. *Et post tres versus* : Hoc autem plus habet eruditio et sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo.

Et aliquanto post [VIII.] : Ego os regis ob servo, et præcepta juramenti Dei. Ne festines recedere a facie ejus, neque permaneas in opere malo. *Et paulo post*, Ex eo quod peccator, *inquit*, centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus ; sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Dei.

Et post aliquantum [IX.] : Dicebam ego meliorem esse sapientiam fortitudine. *Et post quatuor versus* : Melior est sapientia quam arma bellica : et qui in uno peccaverit, multa bona perdet.

Et post duos versus [X.] : Pretiosior est sapientia et gloria parva, ad tempus stultitia. *Et post tredecim versus* : Qui fodit foveam, incidet in eam ; et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Qui transfert lapides, affligetur in eis ; et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. Si retusum fuerit ferrum, et hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit ; multo labore exacuetur, et post industriam sequetur sapientia. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Verba oris sapientis gratia, et labia insipientis præcipitabunt eum.

Et paulo post [XI.] : Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua ; et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum ; et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium. Aufer iram a corde tuo, et amove malitiam a carne tua. Adolescentia enim et voluptas vana sunt.

[XII.] Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ. *Et post aliquos versus* [1] : Deum time, et mandata ejus observa.

DE CANTICO CANTICORUM.

Restat ille liber Salomonis, cujus inscriptio est, Canticum canticorum. Sed de illo in hoc opus quid transferre possumus, cum totus amores sanctos Christi et Ecclesiæ figurata locutione commendet, et prophetica pronuntiet altitudine? nisi quod in eo, quamvis sit ad intelligendum difficillimus, possumus tamen facile advertere, quantum sit divina illa et divinitus inspirata charitas appetenda, quantique pendenda : quandoquidem non ibi semel dicitur, sed alio atque alio loco iterum ac tertio repetitur [Capp. II, III, VIII.] : Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, in virtutibus et viribus agri, si levaveritis charitatem quoadusque velit (*a*). *Ecclesia quippe, in qua utique sumus, his verbis exhortatur filias suas, hoc est, seipsam in plurimis constitutam. Ipsa est ager Dei fructuosissimus, cujus virtutes et vires magnæ sunt, ad quas amando Christum martyres pervenerunt. Nam quo usque vult ille dilectæ suæ in hac interim vita charitatem levari* [1], *nisi quo usque ipse docuit verbo, et suo est hortatus exemplo, dicens,* Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV, 13) : *et quod dixit efficiens? Unde ne ad ipsum solum hoc pertinere videretur, ait Joannes in Epistola sua,* Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere (I *Joan.* III, 16) : *hoc ergo est*, quoad usque velit.

Legitur etiam in eodem Cantico [II.] : Ordinate in me charitatem.

Christus quoque ipse ibi dicit [VI.] : Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem.

Et alibi [VII.] : Quam pulchra es et quam decora, charissima, in deliciis !

Et alio loco [VIII.] : Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum : quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. *Et post unum versum :* Aquæ multæ non potuerunt [2] exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet [3] eam.

DE LIBRO JOB.

[Cap. XXIV.] Qui noverunt eum, ignorant dies illius. Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, et rapuerunt eos. Asinum pupillorum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduæ. *Et post quinque versus :* Agrum non suum demetunt ; et vineam ejus quem vi oppresserunt, vindemiant. Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore. *Et post duos versus :* Vim fecerunt deprædantes pupillos, et vulgum pauperem spoliaverunt. Nudis et incedentibus absque vestitu et esurientibus tulerunt spicas. *Et post duos versus :* De civitatibus fecerunt viros gemere ; et anima vulneratorum clamavit ; et Deus inultum abire non patitur. Ipsi fuerunt rebelles lumini : nescierunt vias ejus, nec reversi sunt per semitas illius. *Et post viginti et unum versus :* Conteratur quasi lignum infructuosum. Pavit enim sterilem, et quæ non parit ; et viduæ bene non fecit. Detraxit fortem in fortitudine sua.

[1] Regius Ms. : *Et post* XXXIII *versus.*

[1] Mss., *levare.*
[2] Sic Vulgata in editis. At in Mss. Bibliis Corb., *poterunt.* Apud LXX, *hudôr polu ou dunésetai.*
[3] Mss. duo, *despicient.*
(*a*) Istud et alterum proxime subjectum testimonium juxta LXX, reliqua v[...] juxta Vulgatam profert

Et post aliquantum [XXIX.] : Auris audiens beatificabat me ; et oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberassem pauperem vociferantem, et pupillum cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, et cor viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum, et vestivi me sicut vestimento et diademate judicio meo. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum ; et causam quam nesciebam, diligenter investigabam. Conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam.

Et aliquanto post [XXXI.] : Si ambulavi in vanitate, et festinavit in dolo pes meus ; appendat me in statera justa, et sciat Deus simplicitatem meam. Si declinavit gressus meus de via ; et si secutus est oculus meus cor meum [1], et in manibus meis adhæsit macula. *Et post duos versus :* Si deceptum est cor meum super mulierem ; et si ad ostium amici mei insidiatus sum. *Et post duos versus:* Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina. Si contempsi judicium subire cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me. *Et post quatuor versus* [2] : Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduæ exspectare feci. Si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meæ egressa est mecum. Si despexi pereuntem, eo quod non habuerit vestimentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est. Si levavi super pupillum manum meam, etiam cum viderem me superiorem in portis. *Et post quinque versus :* Si putavi aurum robur meum, et obryzo dixi, Fiducia mea. Si lætatus sum super multas divitias meas, et quia plurima reperit manus mea. *Et post sex versus :* Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum. *Et post quatuor versus :* Foris non mansit peregrinus ; ostium meum viatori patuit. Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam. Si expavi ad multitudinem nimiam, et despectio propinquorum terruit me ; et non magis tacui, nec egressus sum ostium. Quis mihi tribuat auditorem, ut desiderium meum Omnipotens audiat, et librum scribat ipse qui judicat ; ut in humero meo portem illum, et circumdem [3] quasi coronam mihi ? Per singulos gradus meos pronuntiabo illum, et quasi principi [4] offeram eum. Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent. Si fructus ejus comedi absque pecunia, et animam agricolarum afflixi.

Nunc jam de libris Prophetarum quæ sunt huic operi necessaria colligamus. Ac primum de his Prophetis qui propter brevitatem voluminum suorum Minores vocantur. Ergo apud Osee prophetam ista comperimus.

[1] Legendum ut in melioribus Bibl. : *Si secutum est oculos meos cor meum.*
[2] Regius codex : *Et post* VI *versus.*
[3] Mss. Omittunt, *et circumdem.*
[4] Ms. Regius, *principem.*

DE LIBRO OSEE.

[Cap. IV.] Audite verbum Domini, filii Israel, quia judicium Domino cum habitatoribus terræ. Non est enim veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. *Et post duodecim versus :* Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. *Et post quindecim versus :* Quoniam Dominum reliquerunt in non custodiendo. Fornicatio, et vinum, et ebrietas aufert cor. *Et post septemdecim versus :* Quoniam ipsi cum meretricibus versabantur, et cum effeminatis sacrificabant. Et populus non intelligens vapulabit. Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Juda. Et nolite ingredi in Galgala ; et ne ascendatis in Bethave ; neque juraveritis, Vivit Dominus.

Et post aliquot versus [1] [V.] : Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum Deum suum ; quia spiritus fornicationis in medio eorum, et Dominum non cognoverunt.

Et post sexaginta et unum versus [VI.] : Judicia tua quasi lux egredientur. Quia misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta.

Et post aliquantum [X.] : Seminate vobis in justitia, et metite in ore misericordiæ : innovate vobis novale. Tempus autem requirendi Dominum, cum venerit qui docebit vos justitiam.

Et post septuaginta octo versus [XII.] : Et tu ad Dominum Deum converteris [2] : misericordiam et judicium custodi ; et spera in Domino Deo tuo semper.

Et post quinquaginta et unum versus [XIII.] : Ego autem Dominus Deus tuus eduxi te de terra Ægypti [3] ; et dominum absque me nescies, et salvator non est præter me.

Et post triginta novem versus [XIV.] : Convertere, Israel, ad Dominum Deum tuum ; quoniam corruisti in iniquitate tua. Tollite vobiscum verba, et convertimini ad Dominum : dicite ei, Omnem iniquitatem aufer, et accipe bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum.

DE LIBRO JOEL.

[Cap. I.] Expergiscimini ebrii, et flete, et ululate, omnes qui bibitis vinum in dulcedine ; quoniam periit ab ore vestro. Gens enim ascendit super terram meam fortis et innumerabilis.

Et post aliquantum [II.] : Nunc ergo dicit Dominus, Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et in fletu, et in planctu ; et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra : et convertimini ad Dominum Deum vestrum ; quia benignus et misericors est.

DE LIBRO AMOS.

[Cap. II.] Hæc dicit Dominus : Super tribus scele-

[1] Ms. Regius: *Et post* VIII *versus.*
[2] Ms. Regius, *convertere.*
[3] Vulgata, *Deus tuus ex terra Ægypti :* prætermisso, *eduxit te* ; quod ex LXX acceptum est.

ribus Juda, et super quatuor non convertam eum; eo quod abjecerint legem Domini, et mandata ejus non custodierint. Deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierunt patres eorum. *Et post duos versus :* Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Israel, et super quatuor non convertam eum; pro eo quod vendiderint pro argento justum, et pauperem pro calceamentis. Qui conterunt super pulverem terræ capita pauperum, et viam humilium declinant. Et filius ac pater ejus ierunt ad puellam, ut violarent nomen sanctum meum. *Et post unum versum :* et vinum, *inquit*, damnatorum bibebant in domo Dei sui.

Et aliquanto post [V.] : Quia hæc dicit Dominus domui Israel : Quærite me, et vivetis. *Et post tres versus :* Quærite Dominum, et vivite. *Et post octo versus:* Odio habuerunt in porta corripientem, et loquentem perfecte abominati sunt. Idcirco pro eo quod diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo. *Et post tres versus :* Quia cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra. Hostes justi, accipientes munus, et pauperes in porta deprimentes. *Et post duos versus :* Quærite bonum et non malum, ut vivatis; et erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis. Odite malum, et diligite bonum, et constituite in porta judicium; si forte misereatur Dominus exercituum reliquiis Joseph.

Et post aliquot versus [VI.] : Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege, et vitulum de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterii : sicut David putaverunt se habere vasa cantici; bibentes in phialis vinum, et optimo unguento delibuti, et nihil patiebantur super contritione Joseph.

Et post aliquantum [VIII.] : Audite hoc qui conteritis pauperem, et deficere facitis egenos terræ, dicentes : Quando transibit messis[1], et venumdabimus merces; et sabbatum, et aperiemus frumentum : ut minuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras dolosas; ut possideamus in argento egenos et pauperes pro calceamentis, et quisquilias frumenti vendamus.

DE LIBRO MICHÆÆ.

[Cap. II.] Væ qui cogitatis inutile, et operamini malum in cubilibus vestris. In luce matutina faciunt illud; quoniam contra Deum manus eorum. Et concupierunt agros, et violenter tulerunt, et domos rapuerunt; et calumniabantur virum et domum ejus, virum et hæreditatem ejus.

Et post aliquantum [III.] : Audite hæc, principes domus Jacob, et judices domus Israel, qui abominamini judicium, et omnia recta pervertitis. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, et Jerusalem in iniquitate. Principes ejus in muneribus judicabant; et sacerdotes ejus in mercede docebant; et prophetæ ejus in pecunia divinabant, et super Dominum requiescebant, dicentes : Numquid non Deus in medio nostrum? Non venient super nos mala.

Et post aliquantum [VI.] : Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus quærat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Et post tres versus :* Adhuc ignis in domo impii, thesauri iniquitatis, et mensura minor iræ plena. Numquid justificabo stateram impiam, et saccelli pondera dolosa? In quibus divites ejus repleti sunt iniquitate, et habitantes in ea loquebantur mendacium, et lingua eorum fraudulenta in ore eorum.

Et post duodecim versus [VII.] : Væ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ. Non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est : omnes in sanguine insidiantur; vir fratrem suum venatur ad mortem : malum manuum suarum dicunt bonum. Princeps postulat, et judex in reddendo est, et magnus locutus est desiderium animæ suæ.

DE LIBRO HABACUC.

[Cap. I.] Contra me factum est judicium, et contradictio potentior. Propter hoc lacerata est lex, et non pervenit usque ad finem judicium : quia impius prævalet adversus justum, propterea egreditur judicium perversum.

Et paulo post [II.] : Justus autem in fide sua vivet. Et quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, et non decorabitur. *Et post aliquantum :* Quid prodest sculptile, quia illud sculpsit fictor suus conflatile et imaginem falsam; quia speravit in figmento fictor ejus, ut faceret simulacra muta? Væ qui dicit ligno, Expergiscere; Surge, lapidi tacenti. Numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro et argento, et omnis spiritus non est in visceribus ejus. Dominus autem in templo sancto suo : sileat a facie ejus omnis terra.

DE LIBRO SOPHONIÆ.

[Cap. I.] Disperdam, *inquit*, de loco hoc reliquias Baal, et nomina æditUorum cum sacerdotibus; et eos qui adorant super tecta militiam cœli, et adorant, et jurant in Domino, et jurant in Melchom; et qui avertuntur de post tergum Domini; et qui non quæsierunt Dominum, nec investigaverunt eum. Silete a facie Domini; quia juxta est dies Domini. *Et post sexdecim versus :* Et erit in tempore illo, scrutabor Jerusalem in lucernis, et visitabo super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt in cordibus suis, Non faciet bene Dominus, et non faciet male.

Et post aliquot versus[1] [II.] : Convenite, congregamini, gens non amabilis, priusquam pariat jussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies furoris Domini. Quærite Dominum, omnes mansueti terræ, qui judicium ejus estis operati. Quærite justum, quærite mansuetum; si quomodo abscondamini in die furoris Domini.

Et post aliquantum [III.] : Et derelinquam in medio tui populum pauperem et egenum; et sperabunt in nomine Domini reliquiæ Israel : non facient iniqui-

[1] In sacris Bibliis, *mensis*.

[1] Ms. Regius : *Et post* XVIII *versus*.

tatem, nec loquentur mendacium, et non invenietur in ore eorum lingua dolosa.

DE LIBRO ZACHARIÆ.

[Cap. v.] *Cum de volumine loqueretur, quod vidit in spiritu :* Et dixit ad me, Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, et omnis jurans, ex hoc similiter judicabitur. Educam illud, dicit Dominus exercituum, et veniet ad domum furis, et ad domum jurantis in nomine meo mendaciter; et commorabitur in medio domus ejus, et consumet eum, et ligna ejus, et lapides ejus.

Et post aliquantum [VII.] : Et factum est verbum Domini ad Zachariam dicens, Hæc ait Dominus exercituum dicens : Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite unusquisque cum fratre suo; et viduam et pupillum et advenam et pauperem nolite calumniari, et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo.

Item post aliquantum [VIII.] : Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : veritatem et judicium pacis judicate in portis vestris; et unusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, et juramentum mendax ne diligatis. Omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.

DE LIBRO MALACHIÆ.

[Cap. I.] Filius honorat patrem, et servus dominum suum : si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? et si dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum?

Et paulo post [II.] : Ego dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis, sicut non servastis vias meas, et accepistis faciem in Lege. Numquid non pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo despicit unusquisque fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? Transgressus est Judas, et abominatio facta est in Israel, et in Jerusalem; quia contaminavit Judas sanctificationem Domini quam dilexit, et habuit filiam dei alieni. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum et discipulum de tabernaculis Jacob, et offerentem munus Domino exercituum. Et hoc rursum fecistis : operiebatis lacrymis altare Domini, fletu et mugitu, ita ut ultra non respiciam ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra. Et dixistis, Quam ob causam? Quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti : et hæc particeps tua et uxor fœderis tui. Nonne unus fecit, et residuum spiritus ejus? Et quid unusquisque quærit, nisi semen Dei [1]? Custodite ergo spiritum vestrum; et uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere. Cum odio habueris eam, dimitte, dicit Dominus Deus Israel : operiet autem iniquitas vestimentum ejus, dicit Dominus exercituum. Custodite spiritum vestrum, et nolite despicere. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, et dixistis, In quo eum fecimus laborare? In eo cum diceretis, Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, et tales ei placent; aut certe ubi est dies judicii?

Et post quindecim versus [III.] : Et accedam ad vos, *inquit*, in judicio, et ero testis velox maleficis et adulteris et perjuris, et qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas [1] et pupillos, et opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum. Ego enim Dominus, et non mutor; et vos filii Jacob non estis consumpti. A diebus enim patrum vestrorum recessistis a legitimis meis, et non custodistis. Revertimini ad me, et revertar ad vos, dicit Dominus exercituum. *Et post quindecim versus :* Invaluerunt super me verba vestra, dicit Dominus : Et dixistis, Quid locuti sumus [2]? Dixistis, Vanus est qui servit Deo : et quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, et quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? Ergo nunc beatos dicimus arrogantes : siquidem ædificati sunt facientes iniquitatem [3], et tentaverunt Deum, et salvi facti sunt. Tunc locuti sunt timentes Deum, unusquisque cum proximo suo. Et attendit Dominus, et audivit, et scriptus est liber monumenti coram eo, timentibus Dominum, et cogitantibus nomen ejus : et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium; et parcam eis, sicut parcit vir filio suo servienti sibi. Et convertimini [4], et videbitis quid sit inter justum et impium, et inter servientem Deo et non servientem ei.

[IV.] Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, et erunt omnes superbi et omnes facientes iniquitatem, stipula; et inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non relinquet eis radicem et germen. Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, et sanitas in pennis ejus : et egrediemini, et salietis sicut vituli de armento; et calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.

DE LIBRO ISAIÆ.

[Cap. I.] Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Quiescite perverse agere, discite benefacere, quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam; et venite et arguite me, dicit Dominus. *Et post octo versus :* Argentum tuum versum est in scoriam; vinum tuum mixtum est aqua. Principes tui socii furum : omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, et causa viduæ non ingreditur ad eos.

Et paulo post [II.] : Domus Jacob venite, ambulemus in lumine Domini. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob; quia repleti sunt ut olim, et

[1] Vulgata versio : *Et quid unus quærit*, etc. LXX autem : *Quid aliud præter semen quærit Deus ?*

[1] Sic Mss. juxta Vulgatam. At editi, *et humiliant viduas.*
[2] In sacris Bibliis additur, *contra te.*
[3] Hic et paulo infra pro, *iniquitatem*, habetur in sacris Bibliis, *impietatem.*
[4] Sacra Biblia, *convertemini.*

augures habuerunt ut Philistiim, et pueris alienis adhæserunt. *Et post tres versus :* Repleta est terra ejus idolis; opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. *Et post quinque versus :* Quia dies Domini exercituum super omnem superbum et excelsum, et super omnem arrogantem, et humiliabitur.

Et paulo post [III.] : Populum meum exactores sui spoliaverunt, et mulieres dominatæ sunt eis. Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant. *Et post aliquos versus :* Vos enim depasti estis vineam meam, rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis, dicit Dominus exercituum? Et dixit Dominus : Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, ambulabant, et in pedibus suis composito gradu incedebant.

Et paulo post [V.] : Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum ad agrum copulatis usque ad extremum loci [1] (ut auferatis proximo : *Symmachus et Theodotion*, donec deficiat, *vel* non sit locus, *transtulerunt*) : numquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum. *Et post tres versus :* Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris ; et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. *Et post septemdecim versus :* Væ qui dicitis malum bonum, et bonum malum ; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras ; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem. Qui justificatis impium pro muneribus, et justitiam justi aufertis ab eo.

Et aliquanto post [X.] : Væ qui condunt leges iniquas, et scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, et vim facerent causæ humilium populi mei ; ut essent viduæ præda eorum, et pupillos diriperent.

Et post paululum [XI.] : Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet : sed judicabit in judicio pauperes, et arguet in æquitate pro mansuetis terræ ; et percutiet terram virga oris sui, et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus.

Et post sexaginta versus [XII.] : Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo. Quia fortitudo mea et laus mea Dominus Deus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris : et dicetis in illa die, Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, notas facite in populis adinventiones ejus, mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, annuntiate hoc in universa terra. Exsulta et lauda, habitatio Sion ; quia magnus in medio tui sanctus Israel.

Et post quadraginta versus [XIII.] : Et quiescere faciam superbiam infidelium, et arrogantiam fortium humiliabo.

Item post aliquantum [XVII.] : Dicit Dominus Deus Israel : In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi ejus ad sanctum Israel respicient ; et non inclinabitur ad altaria quæ fecerunt manus ejus, et quæ operati sunt digiti ejus ; non respiciet lucos, et delubra.

Et post aliquantum [XXII.] : Vocabit, *inquit*, Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum et ad planctum, et ad calvitium, et ad cingulum sacci. Et ecce gaudium et lætitia occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum. Comedamus, et bibamus ; cras enim moriemur. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum : Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.

Item post aliquantum [XXVI.] : Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. Vetus error abiit ; servabis pacem ; pacem, quia in te speravimus. Speratis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. *Et post sex versus :* In semita judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te ; nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte ; sed et spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum feceris judicia tua in terra, justitiam discent habitatores terræ. Misereamur impio, et non discet facere justitiam. In terra sanctorum iniqua gessit, et non videbit gloriam Dei.

Et post aliquantum [XXIX.] : Defecit qui prævalebat, consummatus est illusor, et succisi sunt omnes qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo.

Et post decem versus [XXX.] : Væ, filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me ; et ordiremini telam, et non per spiritum meum ; ut adderetur peccatum super peccatum. *Et paulo post :* Hæc dicit Dominus Deus sanctus Israel, Si revertamini et quiescatis, salvi eritis. In silentio et in spe erit fortitudo vestra ; et noluistis. *Et post viginti versus :* Contaminabis laminas sculptilium argenti tui, et vestimentum conflatilis auri tui, et disperges ea sicut immunditiam menstruatæ.

Et post aliquantum [XXXI.] : Convertimini, sicut in

[1] Regius Ms., *usque ad terminos loci :* Vulgata vero, *usque ad terminum loci*. Deinde ille idem codex cum Vulgata pariter caret his verbis, *ut auferatis proximo* : quæ quidem verba ex LXX, non absque exscriptoris lapsu, adjecta sunt : et fas est opinari annotatiunculam hic sive ab Augustino, sive ab alio insertam fuisse ex Commentariis Hieronymi, qui nimirum ad hunc locum id observat : « Pro eo, ait, quod « nos diximus usque ad terminum loci, LXX transtulerunt « *hina toù plésion aphélòntai ti*, id est, *ut auferant aliquid* « *proximo* ; Symmachus et Theodotio, *donec deficiat* ; vel, « *non sit locus* : ut deficiente terra nequaquam saturetur « avaritia. »

profundum recesseratis, filii Israel. In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum.

Item post aliquantum [XXXIII.] : Et erit fides in temporibus tuis, divitiæ salutis sapientia et scientia, timor Domini ipse thesaurus ejus. *Et paulo post :* Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante ? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis ? Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem ; qui projicit avaritiam et calumniam [1], et excutit manus suas ab omni munere ; qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat omne [2] malum. Iste in excelsis habitabit ; munimenta saxorum sublimitas ejus. Panis ei datus est, et aquæ ejus fideles sunt.

Et post aliquantum [XLIV.] : Memento horum, Jacob et Israel, quoniam servus meus es tu : formavi te, servus meus es tu, Israel, ne obliviscaris mei. Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua ; revertere ad me, quoniam redemi te.

Item post aliquantum [XLVI.] : Mementote istud, et confundamini ; redite, prævaricatores, ad cor. Recordamini prioris sæculi ; quoniam ego Deus, et non est ultra deus, nec est similis mei.

Et aliquanto post [L.] : Quis ambulavit [3] in tenebris, et non est lumen ei? Speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum.

Item post aliquantum [LI.] : Audite me, qui scitis justum, populus [4]; lex mea in corde eorum. Nolite timere opprobria hominum, et blasphemias eorum ne timeatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis ; et sicut lanam, sic devorabit eos tinea : salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum.

Et post aliquantum [LV.] : Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum ; et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.

Et post viginti versus [LVI.] : Hæc dicit Dominus, Custodite judicium, et facite justitiam, quia juxta est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur. Beatus vir qui facit hoc, et filius hominis qui apprehendit istud ; custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum.

Et post non multum [LVII.] : Qui consolamini in diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus, subter eminentes [5] petras. In partibus torrentis pars tua. Hæc est sors tua ; et ipsis obtulisti libamen [1], obtulisti sacrificium. Numquid super his non indignabor?

Item post aliquantum [LVIII.] : Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt, quasi gens quæ justitiam fecerit, et quæ judicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me judicia justitiæ, appropinquare Deo volunt. Quare jejunavimus, et non aspexisti ? humiliavimus animas nostras, et nescisti ? Ecce in die jejunii vestri invenietur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impie. Nolite jejunare sicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester. Numquid tale est jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? numquid contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere ? Numquid istud vocabis jejunium et diem acceptabilem Domino ? Nonne hoc est magis jejunium quod elegi ? Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti sunt, liberos ; et omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cum videris nudum, vesti eum, et carnem tuam ne despexeris. *Et post quatuor versus* [2] : Si abstuleris de medio tui catenam, et desieris digitum extendere, et loqui quod non prodest : cum effuderis esurienti animam tuam ; et animam afflictam repleveris ; orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies ; et requiem tibi dabit Dominus semper.

Et post multa [LXV.] : Populus qui ad iracundiam provocant me, ante faciem meam semper ; qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres ; qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt. *Et post duos versus :* Qui dicunt, Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Ecce scriptum est coram me : non tacebo, sed reddam, et retribuam in sinu eorum, iniquitates vestras, et iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus. Qui sacrificaverunt super montes et super colles, exprobraverunt mihi, et remetiar opus eorum primum in sinu eorum. *Et post decem versus* : Et vos, *inquit*, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, et libatis super eam : numerabo vos in gladio, et omnes in cæde corruetis ; pro eo quod vocavi vos, et non respondistis, locutus sum, et non attendistis : et faciebatis malum in oculis meis, et quæ nolui elegistis.

Et paulo post [LXVI.] : Hæc dicit Dominus, Cœlum sedes mea, et terra scabellum pedum meorum. Quæ est ista domus quam ædificabitis mihi ? et quis iste locus quietis meæ ? Omnia hæc manus mea fecit, et facta sunt universa ista, dicit Dominus. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos ? *Et post sex versus :*

[1] Vulgata versio, *ex calumnia*. Syriaca et arabica, *et oppressionem*. LXX, *et iniquitatem*.

[2] Abest, *omne*, a sacro textu in Bibliis.

[3] Sacra Biblia, *qui ambulavit* ; idque Hieronymus de Christo interpretatur : « Qui non habuit speciem, inquit, nec « gloriam, sed in similitudine carnis peccatricis suscepit « formam servi. » Attamen Augustinus videtur legisse, *quis ambulavit*, ac de homine in peccatorum suorum tenebris agente intellexisse.

[4] Vulgata, *populus meus*. Abest, *meus*, ab hebræo et ab antiquis Bibliis Corbeiensibus, necnon ab editis omnibus et Mss. hujus operis.

[5] Editi, *imminentes*. At Mss. juxta Vulgatam, *eminentes*.

[1] Vulgata, *effudisti libamen*.

[2] Regius Ms., *post* III *versus*. Editi, *post quartus :* forte pro, *post quatuor*. Sic aliquanto infra ubi nunc legitur : *Et post sex versus ;* editi habebant : *Et post sextus versus :* Ms. Regius : *Et post* VII *versus*.

Ego illusiones eorum eligam, et quæ timebant adducam eis : quia vocavi, et non erat qui responderet; locutus sum, et non audierunt; feceruntque malum in oculis meis, et quæ nolui elegerunt. Audite legem Domini, qui tremitis ad verbum ejus. Dixerunt fratres vestri odientes vos et abjicientes propter nomen meum, Glorificetur Dominus, et videbimus in lætitia vestra; ipsi autem confundentur.

DE LIBRO JEREMIÆ.

[Cap. II.] Audite verbum Domini, domus Jacob, et omnes cognationes domus Israel. Hæc dicit Dominus : Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? *Et post decem versus :* Hæreditatem meam posuistis in abominationem. Sacerdotes non dixerunt, Ubi est Dominus? Et tenentes legem nescierunt me, et pastores prævaricati sunt in me, et prophetæ prophetaverunt in Baal, et idola secuti sunt. *Et paulo post* : Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris. Quid niteris bonam ostendere viam tuam ad quærendam dilectionem, quæ insuper et malitias tuas docuisti vias tuas; et in alis tuis inventus est sanguis animarum pauperum et innocentum? Non in fossis inveni eos, sed in omnibus quæ supra memoravi. Et dixisti, Absque peccato et innocens ego sum, et propterea avertatur furor tuus a me. Ecce ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris, Non peccavi. Quam vilis es facta nimis, iterans vias tuas! et ab Ægypto confunderis, sicut confusa es ab Assur. Nam et ab ista egredieris, et manus tuæ erunt super caput tuum; quoniam obtrivit Dominus confidentiam tuam.

Et paulo post [III.] : Convertimini, filii, revertentes, dicit Dominus, quia ego vir vester.

Item paulo post [IV.] : Si converteris [1], Israel, ait Dominus, ad me convertere. Si abstuleris offendicula tua a facie mea, non commoveberis. Et jurabis, Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia; et benedicent eum gentes, ipsumque laudabunt. *Et paulo post :* Stultus populus meus me non cognovit : filii insipientes sunt, et vecordes; sapientes sunt ut faciant mala; bene autem facere nescierunt.

Et post triginta versus [V.] : Circuite vias Jerusalem, et aspicite, et considerate, et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, et quærentem fidem, et propitius ero ei. Quod si etiam, Vivit Dominus, dixerint, et hoc falso jurabunt. Domine, oculi tui respiciunt fidem. Percussisti eos, et non doluerunt; attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam : induraverunt facies suas super petram, noluerunt reverti. Ego autem dixi, Forsitan pauperes sunt, et stulti, ignorantes viam Domini, judicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, et loquar eis; ipsi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei sui : et ecce magis hi simul confregerunt jugum, ruperunt vincula. *Et post sex versus* : Filii tui dereliquerunt me, et jurant in iis qui non sunt dii. Saturavi eos, et mœchati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores, et admissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebant. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? et in gente tali non ulciscetur manus mea? *Et post quadraginta versus :* Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit; et commovebuntur, et non poterunt, et intumescent fluctus ejus; et non transibunt illud. Populo autem huic factum est cor incredulum, et exasperans : recesserunt, et abierunt; et non dixerunt in corde suo, Metuamus Dominum Deum nostrum. *Et post paucos versus* [1] : Inventi sunt, *inquit*, in populo meo impii, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes et pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo : ideo magnificati sunt et dilatati; incrassati sunt et impinguati; et præterierunt sermones meos pessime. Causam pupilli non dixerunt [2], et judicium pauperum non judicaverunt. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem hujuscemodi non ulciscetur anima mea [3]? Stupor et mirabilia facta sunt in terra. Prophetæ prophetabant mendacium, et sacerdotes applaudebant manibus suis, et populus meus dilexit talia : quid igitur fiet in novissimo ejus?

Et post triginta versus [VI.] : Cui loquar? et quem contestabor, ut audiat? Ecce incircumcisæ aures eorum, et audire non possunt : ecce verbum Domini factum est illis in opprobrium, et non suscipiunt illud.

Et paulo post [VII.] : Audite verbum Domini, omnis Juda, qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel : Bonas facite vias vestras et studia vestra, et habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes : Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Quoniam si bene direxeritis vias vestras et studia vestra, si feceritis judicium inter virum et proximum ejus, advenæ et pupillo et viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, et post deos alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis; habitabo vobiscum in loco isto, in terra quam dedi patribus vestris, a sæculo usque in sæculum. Ecce vos confiditis vobis

[1] Vulgata nunc, *reverteris :* at in antiquis Bibliis Corb. uti hic, *converteris*.

[1] Ms. Regius, *et post* VII *versus*.

[2] Vulgata, *Causam viduæ non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt*. Sic etiam Hieronymus, nisi quod ipse omittit vocem, *viduæ*; quæ vox nec est in hebræo, et a secunda manu addita fuit in antiquis Bibliis Corbeiensibus.

[3] Hic in Regio Ms. inseruntur isthæc verba : *Tunc exponit quod supra dixerat, Ibo ad optimates et loquar eis; forsitan ipsi cognoverunt viam Domini : et ecce magis ii pariter confregerunt jugum, ruperunt vincula. Nunc describit, qui sunt optimates, prophetæ videlicet et sacerdotes, quorum alii futura prædicunt, alii facienda ex Lege decernunt. Et ecce, inquit, illis mendacium prophetantibus sacerdotes manibus applauserunt. Et ut ostendatur populus non esse sine culpa, qui a talibus abducatur, scriptum est, Et populus meus dilexit talia; quondam meus, sed postquam dilexit talia meus esse desinit. Quid igitur facient, cum novissimum tempus judicii advenerit, sive captivitatis necessitas, unde stupor et mirabilia facta sunt, quia nec in principibus, nec in populo inventus sit, qui recta sentiret.* Excerpta hæc sunt ex Hieronymi in Jeremiam Commentario.

in sermonibus mendacii, qui non proderunt vobis, furari, occidere, adulterare, jurare mendaciter, libare Baalim, et ire post deos alienos, quos ignoratis. Et venistis, et stetistis coram me in domo hac, in qua invocatum est nomen meum; et dixistis, Liberati sumus, eo quod fecerimus omnes abominationes istas. Ergo [1] spelunca latronum facta est domus ista, in qua invocatum est nomen meum in oculis vestris? Ego, ego sum, ego vidi, dicit Dominus. Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio, et videte, quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. Et nunc quia fecistis omnia opera hæc, dicit Dominus, et locutus sum ad vos, mane consurgens et loquens, et non audistis; et vocavi, et non respondistis: faciam domui huic, in qua invocatum est nomen meum, et in qua vos habetis fiduciam, et loco quem dedi patribus vestris, sicut feci Silo; et projiciam vos a facie mea, sicut projeci omnes fratres vestros universum semen Ephraim. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi; quia non exaudiam te. Nonne vides quid isti faciant in civitatibus Juda, et in plateis Jerusalem? Filii colligunt ligna, et patres succendunt ignem, et mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, et libent diis alienis, et me ad iracundiam provocent. Numquid me ad iracundiam provocant, dicit Dominus? nonne semetipsos in confusione vultus sui?

Et paulo post [VIII.]: Numquid qui cadit, non resurget? Et qui aversus est, non revertetur? Quare ergo aversus est populus iste in Jerusalem aversione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, et noluerunt reverti. Attendi, et auscultavi; nemo quod bonum est loquitur: nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci? *Et post novem versus*: Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? Vere mendacium operatus est stilus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti et capti sunt. Verbum enim Domini projecerunt, et sapientia nulla est in eis.

Et paulo post [IX.]: Quis dabit me in solitudine diversorium viatorum, et derelinquam populum meum, et recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt et cœtus prævaricatorum; et extenderunt linguam suam quasi arcum mendacii, et non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus. Unusquisque se a proximo suo custodiat, et in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, et omnis amicus fraudulenter incedet; et vir fratrem suum deridebit, et veritatem non loquentur. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent laboraverunt. Habitatio tua in medio doli. In dolo renuerunt scire me, dicit Dominus. Propterea hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego conflabo, et probabo eos. Quid enim aliud faciam a facie filiæ populi mei? Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est in ore suo: pacem cum amico suo loquitur, et occulte ponit insidias. Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente tali non ulciscetur anima mea? *Et paulo post*: Hæc dicit Dominus: Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam et judicium et justitiam in terra. Hæc enim placent mihi, ait Dominus.

Et post sexdecim versus [X.]: Hæc dicit Dominus: Juxta vias gentium nolite discere, et a signis cœli nolite metuere quæ timent gentes; quia leges populorum vanæ sunt. Quia lignum de saltu præcidit opus manus artificis in ascia: argento et auro decoravit illud; clavis et malleis compegit, ut non dissolvatur. In similitudinem palmæ fabricata sunt, et non loquentur: portata tollentur, quia incedere non valent. Nolite ergo timere ea, quia nec male possunt facere, nec bene. Non est similis tui, Domine; magnus es tu, et magnum nomen tuum in fortitudine. Quis non timebit te, o Rex gentium? Tuum est enim decus inter cunctos sapientes gentium, et in universis regnis eorum nullus est similis tui. Pariter insipientes et fatui probabuntur. Doctrina vanitatis eorum lignum est. Argentum involutum de Tharsis affertur, et aurum de Ophaz, opus artificis et manus ærarii. Hyacinthus et purpura indumentum eorum, opus artificum universa hæc. Dominus autem Deus verus est, ipse Deus vivens, et rex sempiternus. Ab indignatione ejus commovebitur terra, et non sustinebunt gentes comminationem ejus. Sic ergo dicetis eis: Dii qui cœlos et terram non fecerunt, pereant de terra, et de his quæ sub cœlo sunt.

Et aliquanto post [XVII.]: Hæc dicit Dominus, Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cum venerit bonum; sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis et inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas; et non timebit cum venerit æstus: et erit folium ejus viride, in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.

Item aliquanto post [XXII.]: Hæc dicit Dominus, Facite judicium et justitiam, et liberate vi opressum de manu calumniatoris; et advenam, et pupillum, et viduam nolite contristare, neque opprimatis inique; et sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto.

Et paulo post [XXIII.]: Væ pastoribus qui disperdunt et dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideo hæc dicit Dominus Deus Israel ad pastores qui pascunt populum meum, Vos dispersistis gregem meum, et ejecistis eos, et non visitastis: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait Dominus. *Item paulo post*: Hæc dicit Dominus exercituum, Nolite audire verba prophetarum qui pro-

[1] Vulgata: *Numquid ergo?*

phetant vobis et decipiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Dicunt his qui blasphemant me, Locutus est Dominus, Pax erit vobis: et omni qui ambulat in pravitate cordis sui dixerunt, Non veniet super vos malum. Quis enim affuit in consilio Domini? *Et post undecim versus:* Non mittebam prophetas, et ipsi currebant; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. Si stetissent in consilio meo, et nota fecissent verba mea populo meo, avertissem utique eos a via sua mala, et a pessimis cogitationibus suis. *Et post quatuor versus*: Audivi quæ dixerunt prophetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes, Somniavi, somniavi. Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium seductiones cordis sui; qui volunt facere ut obliviscatur populus meus nominis mei, propter somnia cordis sui [1], quæ narrat unusquisque ad proximum suum, sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal? Propheta qui habet somnium, narret somnium; et qui habet sermonem meum, narret sermonem meum vere. Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petram? Propterea ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea unusquisque a proximo suo. Ecce ego ad prophetas, ait Dominus, qui assumunt linguas suas, et aiunt, Dicit Dominus. Ecce ego ad prophetas somniantes mendacium, ait Dominus, qui narraverunt ea et seduxerunt populum meum in mendacio suo et in miraculis suis, cum ego non misissem eos, nec mandassem eis; qui nihil profuerunt populo huic, dicit Dominus.

Et paulo post [XXV.]: Et misit Dominus ad vos omnes servos suos Prophetas, consurgens diluculo mittensque; et non audistis, neque inclinastis aures vestras ut audiretis, cum diceret: Revertimini unusquisque a via sua mala, et a pessimis cogitationibus vestris; et habitabitis in terra quam dedit Dominus vobis et patribus vestris, a sæculo et usque in sæculum; et nolite ire post deos alienos, ut serviatis eis adoretisque eos, neque me ad iracundiam provocetis in operibus manuum vestrarum, et non affligam vos. Et non audistis me, dicit Dominus.

Et aliquanto post [XVIII.]: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.

Item post aliquantum [Thren. III.]: Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini. Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius et tacebit; quia levavit super se [2]. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis; quia non repellet in sempiternum Dominus.

DE LIBRO EZECHIELIS.

[CAP. III.] Cum autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me dicens: Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium, Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur a via sua impia, et vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab impietate sua, et a via sua impia; ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti. Sed et si conversus justus a justitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, ipse morietur, quia non annuntiasti ei. In peccato suo morietur, et non erunt in memoria justitiæ ejus quas fecit; sanginem vero ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiaveris justo, ut non peccet justus, et ille non peccaverit; vivens vivet, quia annuntiasti ei, et tu animam tuam liberasti.

Et post aliquantum [IX.]: Et dixit Dominus ad eum, Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem, et signa Tau super frontem virorum gementium et dolentium super cunctis abominationibus quæ fiunt in medio ejus. Et illis dixit audiente me, Transite per mediam civitatem sequentes eum, et percutite; non parcat oculus vester, neque misereamini: senem, adolescentulum, et virginem, et parvulum, et mulieres interficite usque ad internecionem. Omnem autem super quem videritis Tau, ne occidatis: et a sanctuario meo incipite.

Et aliquanto post [XIII.]: Pro eo quod mœrere fecistis cor justi mendaciter, quem ego non contristavi, et confortastis manus impii, ut non reverteretur a via sua mala, et viveret.

Item post aliquantum [XVI.]: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius, et filiarum ejus; et manum egeno et pauperi non porrigebant: et elevatæ sunt, et fecerunt abominationes coram me; et abstuli eas, sicut vidisti.

Et post paululum [XVIII.]: Vir si fuerit justus, et fecerit judicium et justitiam; in montibus non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel; et uxorem proximi sui non violaverit, et ad mulierem menstruatam non accesserit; et hominem non contristaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit; panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento; ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit; ab iniquitate averterit manum suam, judicium verum fecerit inter virum et virum; in præceptis meis ambulaverit, et judicia mea custodierit, ut faciat veritatem: hic justus est; vita vivet, ait Dominus Deus. Quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem, et fecerit unum de istis; et hæc quidem omnia non facientem, sed in montibus comedentem, et uxorem proximi sui polluentem; egenum et pauperem contristantem, rapientem rapinas, pignus non reddentem; et ad idola levantem oculos suos, abominationes facientem; ad usuram dantem, et amplius accipientem:

[1] In sacris Bibliis, *somnia eorum*.
[2] Sic Mss. juxta Vulgatam in Bibliis non mendosis. At editi habebant, *elevavit se super se*.

numquid vivet? Non vivet : cum universa detestanda hæc fecerit, morte morietur; sanguis ejus in ipso erit. Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui quæ fecit, timuerit, et non fecerit simile eis; super montes non comederit, et oculos suos non levaverit ad idola domus Israel; et uxorem proximi sui non violaverit; et virum non contristaverit, pignus non retinuerit, et rapinam non rapuerit; panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento; a pauperis injuria averterit manum suam, usuram et superabundantiam non acceperit; judicia mea fecerit, et in præceptis meis ambulaverit: hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet. Pater ejus quia calumniatus est, et vim fecit fratri, et malum operatus est in medio populi sui; ecce mortuus est iniquitate sua. Et dicitis, Quare non portavit filius iniquitatem patris? Videlicet quia filius judicium et justitiam operatus est; omnia præcepta mea custodivit et fecit illa : vita vivet. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii. Justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, et custodierit universa præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam; vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor; in justitia sua quam operatus est vivet. Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? Si autem averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes quas operari solet impius; numquid vivet? Omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur. In prævaricatione sua qua prævaricatus est, et in peccato suo quod peccavit, in ipsis morietur. Et dixistis, Non est æqua via Domini. Audite ergo, domus Israel : Numquid via mea non est æqua, et non magis viæ vestræ pravæ sunt? Cum enim averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis : in injustitia quam operatus est morietur. Et cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, et fecerit judicium et justitiam, ipse animam suam vivificabit. Consideravit enim, et avertit se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est; vita vivet, et non morietur. Et dicunt filii Israel, Non est æqua via Domini. Numquid viæ meæ nont sunt æquæ, domus Israel, et non magis viæ vestræ pravæ? Idcirco unumquemique juxta vias suas judicabo, domus Israel, ait Dominus Deus. Convertimini, et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum : et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus : revertimini, et vivite [1].

Et aliquanto post [XXII.] : Ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te ad effundendum sanguinem. Patrem et matrem contumeliis affecerunt in te; advenam calumniati sunt in medio tui; pupillum et viduam contristaverunt apud te. Sanctuaria mea sprevistis, et sabbata mea polluistis [1]. Viri detractores fuerunt in te ad effundendum sanguinem; et super montes comederunt in te : scelus operati sunt in medio tui. Verecundiora patris discooperuerunt in te, immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te. Et unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem : et socer nurum suam polluit nefarie; frater sororem suam, filiam patris sui oppressit in te. Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem; usuram et superabundantiam accepisti, et avare proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus Deus. *Et post paululum :* Et factum est verbum Domini ad me dicens : Filii hominis, dic ei, Tu es terra immunda, et non compluta in die furoris. Conjuratio prophetarum in medio ejus. Sicut leo rugiens capiensque prædam, animam [2] devoraverunt, opes et pretium acceperunt, viduas ejus multiplicaverunt in medio illius. Sacerdotes ejus contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea : inter sanctum et profanum non habuerunt distantiam, et inter pollutum et immundum non intellexerunt. *Et post duos versus* : Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, et ad perdendas animas, et avare sectanda lucra. Prophetæ autem ejus liniebant eos absque temperamento, videntes vana, et divinantes mendacium, dicentes, Hæc dicit Dominus Deus; cum Dominus non sit locutus. Populi terræ calumniabantur calumniam, et rapiebant violenter, egenum et pauperem affligebant, et advenam opprimebant calumnia absque judicio. Et quæsivi de eis virum qui interponeret sepem, et staret oppositus contra me pro terra, ne disperderem eam; et non inveni. Et effudi super eos indignationem meam, et in igne iræ meæ consumpsi eos. Viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.

Et aliquanto post [XXXIII.] : Et factum est verbum Domini ad me dicens, Fili hominis, loquere ad filios populi tui, et dices ad eos, Terra cum induxero super eam gladium, et tulerit populus terræ virum unum de novissimis suis, et constituerit eum super se speculatorem; et ille viderit gladium venientem super terram, et cecinerit buccina, et annuntiaverit populo : audiens autem quisquis ille est sonitum buccinæ, et non se observaverit, veneritque gladius, et tulerit eum; sanguis ipsius super caput ejus erit. Sonitum buccinæ audivit, et non se observavit; sanguis ejus in ipso erit. Si autem se custodierit, animam suam salvabit. Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus non se custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam : ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem ejus de manu speculatoris requiram.

[1] Regius codex, *et vivetis*.

[1] Sic etiam apud Hieronymum et in Mss. Bibliis Corb. At in excusis Bibliis, *sprevisti, et sabbata mea polluisti.*

[2] Vulgata, *animas*; quanquam illa in Corb. Bibl. habet, *animam*.

Et tu, fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel : audiens ergo ex ore meo sermonem, annuntiabis eis ex me. Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris; non fueris locutus, ut se custodiat impius a via sua : ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem annuntiante te ad impium, ut a viis suis convertatur, et non fuerit conversus a via sua : ipse in iniquitate sua morietur; porro tu animam tuam liberasti. Tu ergo, fili hominis, dic ad domum Israel, Sic locuti estis dicentes, Iniquitates nostræ et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus; quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos, Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, sed ut revertatur [1] impius a via sua mala, et vivat : convertimini a viis vestris pessimis; et quare moriemini, domus Israel? Tu itaque, fili hominis, dic ad filios populi tui : Justitia justi non liberabit eum in quacumque die peccaverit; et impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua : et justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiamsi dixero justo quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem; omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio, Morte morieris, et egerit pœnitentiam a peccato suo, feceritque judicium et justitiam, pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injustum; vita vivet, et non morietur. Omnia peccata ejus quæ peccavit non imputabuntur ei. Judicium et justitiam fecit, vita vivet. Et dixerunt filii populi tui : Non est æqui ponderis via Domini. Et ipsorum via injusta est. Cum enim recesserit justus a justitia sua, feceritque iniquitates, morietur in eis. Et cum recesserit impius ab impietate sua, feceritque judicium et justitiam, vivet in eis. Et dicitis : Non est recta via Domini. Unumquemque juxta vias suas judicabo, de vobis domus Israel. *Et post quadraginta novem versus :* Et tu, fili hominis, fili populi tui qui [2] loquuntur de te juxta muros et in ostiis domorum, et dicunt unus ad alterum, vir ad proximum suum, dicentes, Venite, et audiamus qui sit sermo egrediens a Domino. Et veniunt ad te, quasi si ingrediatur populus; et sedent coram te, populus meus, et audiunt sermones tuos, et non faciunt eos : quia in canticum oris sui vertunt illos, et avaritiam suam sequitur cor eorum. Et es eis quasi carmen musicum [3], quod suavi dulcique sono canitur; et audiunt verba tua, et non faciunt ea [4]. Et cum venerit quod prædictum est; ecce enim venit; tunc scient quod prophetes fuerit inter eos.

[XXXIV.] : Et factum est verbum Domini ad me dicens, Fili hominis, propheta de pastoribus Israel; propheta, et dices pastoribus, Hæc dicit Dominus Deus, Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis, et lanis operiebamini, et quod crassum erat occidebatis [1], gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis; et quod ægrotum, non sanastis; quod fractum est, non alligastis; et quod abjectum est, non reduxistis; quod perierat, non quæsistis : sed cum austeritate imperabatis eis et cum potentia. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset pastor : et factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersæ sunt; et erraverunt greges mei in cunctis montibus, et in universo colle excelso; et super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei. Et non erat qui requireret : non erat, inquam, qui requireret. Propterea, pastores, audite verbum Domini : Vivo ego, dicit Dominus Deus, quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam [2], et oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor (neque enim quæsierunt pastores gregem meum; sed pascebant pastores semetipsos, et greges meos non pascebant) : propterea, pastores, audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ipse super pastores, requiram gregem meum de manu eorum, et cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos; et liberabo gregem meum de ore eorum, et non erit eis ultra in escam. *Et post aliquantum :* Vos autem, greges mei, hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego judico inter pecus et pecus arietum et hircorum [3]. Nonne satis vobis erat pascua bona depasci? Insuper et reliquias pascuarum vestrarum conculcastis pedibus vestris; et cum purissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis : et oves meæ his quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur; et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad eos [4] : Ecce ego ipse judico inter pecus pingue et macilentum; pro eo quod lateribus et humeris impingebatis, et cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras.

Et post aliquantum [XLV.] : Hæc dicit Dominus Deus, Sufficiat vobis, principes Israel; iniquitatem et rapinas intermittite, et judicium, et justitiam facite, et separate confinia vestra a populo meo, dicit Dominus Deus. Statera justa et ephi justum erit vobis et beatus justus.

Ista de libris posuimus, quos et Judæi canonicos habent, in quibus eorum invenimus aliqua quæ huic operi convenirent. Sed non sunt omittendi et hi quos quidem ante Salvatoris adventum constat esse conscriptos, sed eos non receptos a Judæis recipit tamen ejusdem Salvatoris Ecclesia. In his sunt duo qui Salomonis a pluribus appellantur, propter quamdam, sicut existimo, eloquii similitudinem. Nam Salomonis non esse, nihil dubitant quique doctiores. Nec tamen ejus qui Sapientiæ

[1] In Vulgata, *convertatur :* pauloque post ingeminato verbo dicitur, *Convertimini, Convertimini a viis*, etc.
[2] In omnibus Mss. deest pronomen, *qui*.
[3] Regius codex, *carmen musicorum*.
[4] Mss., *et audient verba tua, et non facient*.

[1] Mss., *comedebatis*.
[2] Regius codex, *greges mei dati sunt in rapinam*.
[3] Mss., *arietem et hircum*.
[4] Sic etiam apud Hieronymum et in Mss. Bibliis Corb. At in prelo editis habet Vulgata, *ad vos*.

dicitur, quisnam sit auctor apparet (*a*). *Illum vero alterum quem vocamus Ecclesiasticum, quod Jesus quidam scripserit, qui cognominatur Sirach, constat inter eos qui eumdem librum totum legerunt. De libro ergo Sapientiæ ista huic operi congruere visa sunt.*

DE LIBRO SAPIENTIÆ.

[Cap. I.] Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum. Quoniam invenitur ab his qui non tentant illum; apparet autem eis qui fidem habent in illum. Perversæ enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Sanctus enim Spiritus disciplinæ effugiet fictum; et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu; et corripietur a superveniente iniquitate. Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non liberabit maledictum [1] a labiis suis; quoniam renum illius testis est Deus, et cordis ejus scrutator est verus, et linguæ illius auditor. Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere, sed nec præteriet illum corripiens judicium. In cogitationibus enim impii interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Dominum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam auris zeli audit omnia, et tumultus murmurationum non abscondetur. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest; et a detractione parcite linguæ: quoniam responsum obscurum [2] in vacuum non ibit. Os autem quod mentitur, occidit animam.

Et paulo post [III.]: Qui confidunt in illum, intelligent veritatem; et fideles in dilectione acquiescent illi: quia donum et pax est electis illius. Impii autem secundum quæ cogitaverunt, correptionem habebunt, qui neglexerunt justitiam [3], et a Domino recesserunt. Sapientiam enim et disciplinam qui abjicit, infelix est. *Et post sex versus:* Quoniam felix sterilis et incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto; habebit fructum in respectione animarum [4]: et spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Dominum nequissima.

Et post aliquantum [VI.]: Audite ergo, reges, et intelligite; discite, judices, finium terræ justitiam [5]. Præbete aures, vos qui continetis multitudines, et placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur [1]. Quoniam cum essetis ministri regni ipsius, non recte judicastis, neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende et cito apparebit vobis; quoniam judicium durissimum, his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Dominus, nec reverebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et æqualiter illi cura est de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatus. Ad vos autem, mali reges [2], sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis. Qui enim custodierint justitiam juste [3], justificabuntur; et qui didicerint ista, invenient quid respondeant. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, et habebitis disciplinam. Clara est enim, et quæ nunquam marcescat sapientia; et facile videtur ab his qui diligunt eam; et invenitur ab his qui quærunt illam. Præoccupat qui se concupiscunt, ut illis se priorem ostendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam inveniet foribus suis. Cogitare enim de illa sensus est consummatus; et qui vigilaverit pro illa, cito erit securus. Quoniam dignos se ipsa circumit quærens, et in viis ostendet se illis hilariter, et in omni providentia occurrit illis. Initium enim illius verissima est disciplinæ concupiscentia. Cura ergo disciplinæ dilectio est; et dilectio custoditio legum illius est: custoditio autem legum confirmatio [4] incorruptionis est; incorruptio autem facit esse proximum Deo. Concupiscentia itaque sapientiæ deducit ad regnum perpetuum. Si ergo delectamini sedibus et stemmatibus, reges populi, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis.

Et paulo post [VIII.]: Et si justitiam quis diligit, labores hujus magnas habent virtutes. Sobrietatem enim et sapientiam docet, et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil in vita hominibus.

Nunc jam de libro qui Ecclesiasticus dicitur, ponenda sunt quæ videntur. De quo hic etiam ea dixisse deputer, quæ de Proverbiorum libro sum prælocutus; quamvis in isto Ecclesiastico plura repererim huic operi necessaria.

DE ECCLESIASTICO.

[Cap. I.] Timor Domini scientiæ religiositas. Religiositas custodiet et justificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit. Timenti Dominum bene erit, et in diebus consummationis illius benedicetur. Plenitudo sapientiæ est timere Deum, et plenitudo a fructibus illius. *Et post duos versus:* Corona sapientiæ timor Domini. *Et post quatuor versus:* Radix sapientiæ est timere Dominum: rami enim illius longævi. In thesauris sapientiæ intellectus est, et scientiæ reli-

[1] Sacra Biblia, *maledicum.*
[2] Vulgata, *sermo obscurus.*
[3] In Vulgata, *qui neglexerunt justum:* in græco, *oi amelesantes tou dikaiou.*
[4] Carnutensis codex juxta Vulgatam in editis et in Corb. Mss. Bibliis, *animarum sanctarum.* Abest, *sanctarum*, a græco.
[5] Vox, *justitiam* nec in Vulgata, nec in græco reperitur.

(*a*) De hujus libri auctore non sic loquebatur Augustinus in lib. 2 de Doctrina Christiana, cap. 8, n. 13, sed cum speculum istud concinnaret, jam deposuerat opinionem primam qua illic sapientiæ librum ab Jesu Sirach scriptum fuisse asseruerat. Confer lib. 2 Retract., c. 4, necnon annotationem in prædictum locum, lib. 2 de Doctrina Christiana.

[1] Sic Mss., juxta Vulgatam. At editi ferebant, *et in cogitationibus scrutabitur.*
[2] Abest vox, *mali*, a Vulgata. Porro in græc. pro voce, *reges*, legitur, *turannoi.*
[3] In Vulgata, *justa juste:* in græco, *hosiôs ta hosia.*
[4] Sic in editis et Mss. juxta græc., *bebaiôsis.* At in Vulgata legitur, *consummatio.*

giositas : exsecratio autem peccatoribus sapientia. Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est, non potest justificari [1]. Iracundia enim animositatis illius, subversio illius est. Sapiens [2] usque in tempus sustinebit patiens, et postea redditio jucunditatis. Bonus sensus usque in tempus abscondet verba illius, et labia multorum enarrabunt sensum illius. Concupiscens sapientiam, serva justitiam; et Deus præbebit illam tibi. Sapientia enim et disciplina timor Domini; et quod beneplacitum est illi, fides et mansuetudo, et adimplebit thesauros tuos [3]. Non sis incredibilis timori Domini, et ne accesseris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, et non scandalizeris labiis tuis. Attende in illis, ne forte cadas, et adducas animæ tuæ confusionem; et revelet Deus abscondita tua, et in medio synagogæ elidat te. Quoniam accessisti maligne ad Dominum, et cor tuum plenum est dolo et fallacia.

[II.] : Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore et justitia, et præpara animam tuam ad tentationem; et deprime cor tuum, et sustine. Declina aurem tuam, et excipe verba intellectus, et ne festines in tempus [4] obductionis. Sustine sustentationem Dei, conjungere Deo, et sustine, ut crescat in novissimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe; et in dolore sustine, et in humilitate tua patientiam habe. Quoniam in igne probatur aurum et argentum; homines vero receptibiles [5] in camino humiliationis. Crede Deo, et recuperabit te; et dirige viam tuam, et spera in illum. Serva timorem illius, et in illo veterasce. Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus; et non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi, et non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum, et in oblectatione [6] veniet vobis misericordia. Qui timetis Deum, diligite illum, et illuminabuntur corda vestra. Respicite, filii, nationes hominum, et scitote : quis speravit in Domino, et confusus est [7]? permansit in mandatis ejus, et derelictus est? et quis illum invocavit, et despexit illum? Quoniam pius et misericors est Deus, et remittet in tempore tribulationis peccata omnibus exquirentibus se in veritate. Væ duplici corde [8], et labiis scelestis, et manibus malefacientibus, et peccatori terram ingredienti duabus viis. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo; ideo non proteguntur ab eo. Væ his qui perdiderunt sustinentiam, qui dereliquerunt vias rectas, et diverterunt in vias pravas. Et quid facietis, cum inspicere cœperit Deus? Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius; et qui diligunt illum, conservabunt viam illius. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt illi; et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, et in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, et patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes, Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in Dei manus, et non in manus hominum. Secundum enim magnitudinem illius, sic et misericordia ipsius cum ipso.

[III.] Filii sapientiæ, ecclesia justorum; et natio illorum, obedientia et dilectio. Judicium patris audite, filii dilecti [1], et sic facite, ut salvi sitis. *Et post duos versus :* Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, et continebit se ab illis; in oratione dierum exaudietur. Et sicut qui thesaurizat, ita et qui honorificat matrem suam. Qui honorificat patrem, jucundabitur in filiis. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore; et qui obaudit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Deum, honorat parentes; et quasi dominis serviet his qui se genuerunt. In opere et sermone et omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a Domino [2]. *Et post tres versus :* Ne glorieris in contumelia patris tui. *Et post tres versus :* Fili, suscipe senectam patris tui, et ne contristes eum in vita illius. Et si defecerit sensu, veniam da, et ne spernas eum in tua virtute. *Et post quatuor versus :* Quam malæ famæ est, qui derelinquit patrem! et est maledictus a Deo, qui exasperat matrem. Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. Quanto magnus es, humilia te in omnibus; et coram Deo invenies gratiam : quoniam magna potentia Dei solius, et ab humilibus honoratur. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris : sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper; et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non enim est tibi necessarium ea quæ abscondita sunt [3], videre oculis tuis. *Et post tres versus :* Multos enim implanavit [4] suspicio eorum, et in vanitate detinuit sensus illorum. Cor durum male habebit in novissimo; et qui amat periculum, in illo peribit. Cor ingrediens duas vias, non habebit successus; et pravicordius [5] in illis scandalizabitur. Cor nequam gravabitur in doloribus; et peccator adjiciet ad peccandum. *Et post duos versus :* Cor sapiens intelligitur in sapientia; et auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Sapiens cor et intelligibile abstinebit se a peccatis, et in operibus justitiæ successus habebit. Ignem ardentem exstinguit aqua; et eleemosyna resistit peccatis :

[1] Vulgata, *non poterit.*

[2] Vox *Sapiens* abest a sacris Bibliis.

[3] Regius codex, *et adimplebit sermones tuos.* Vulgata, *et adimplebit thesauros illius.*

[4] Vulgata, *in tempore :* juxta græcum, *en kairô.*

[5] Mss., *acceptabiles.*

[6] Vulgata, *in oblectationem :* juxta græcum, *eis euphrosunên.*

[7] Sic editi et Mss. juxta græc. At Vulgata, *quia nullus speravit*, etc... *quis enim permansit*, etc.

[8] Vulgata : *Et remittet in die tribulationis peccata, et protector est omnibus exquirentibus se*, etc. Græcus vero textus sic sonat : *Et remittit peccata, et salvat in tempore tribulationis. Væ cordibus timidis.*

[1] In Bibliis excusis deest vox, *dilecti :* habetur in antiquis Bibl. Corbeiensibus.

[2] Vulgata juxta græcum, *ab eo.* In Bibliis tamen scriptis Corb. habetur, *a Deo.*

[3] Mss., *necessarium scrutari ea quæ abscondita sunt :* et omittunt, *videre oculis tuis.*

[4] Pulchre respondet græco, *pollous gar eplanèsen.* Vulgata vero habet, *Multos quoque supplantavit.* Quanquam Vulgatæ auctor in hoc ipso libro, cap. 15, v. 12, verbum *eplanèsen* vertit, *implanavit :* id est, decepit, in errorem induxit.

[5] Ms. Regius, *pravi cordis;* juxta Vulgatam in excusis, quæ tamen in antiquis Corb. Bibl. habet, *pravicordius.*

et Deus prospector ejus [1] qui reddit gratiam, meminit in posterum [2]; et in tempore casus tui invenies firmamentum.

[IV.] Fili, eleemosynam pauperis ne fraudes, et oculos tuos ne transvertas a paupere. Animam esurientem ne despexeris, et non exasperes pauperem in inopia sua. Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti. Rogationem contribulati ne abjicias, et non avertas faciem tuam ab egeno. Ab inope non auferas oculos tuos propter iram, et non derelinquas quærentibus tibi retro maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius. Exaudiet autem eum, qui fecit illum. Congregationi pauperum affabilem te facito, et presbytero humilia animam tuam, et magnato humilia caput tuum. Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, et redde debitum tuum, et responde illi pacifica in mansuetudine. Libera eum qui injuriam patitur, de manu superbi; et non acide feras in anima tua. In judicando esto misericors, pupillis ut pater, et pro viro matri illorum; et eris velut filius Altissimi obaudiens, et miserebitur tui magis quam mater. Sapientia filiis suis vitam inspiravit, et suscipit inquirentes se et præibit in via justitiæ. Et qui illam diligit, diligit vitam; et qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus [3]. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt, et quo introibit benedicet Deus. Qui serviunt ei, obsequentes erunt sancto; et eos qui diligunt illam, diligit Deus. Qui audit illam, judicat [4] gentes; et qui intuetur illam, permanebit confidens. Si crediderit ei, hæreditabit illam, et erunt in confirmatione creaturæ illorum. Quoniam in tentatione ambulat cum eo, et in primis eligit eum. Timorem et metum et probationem inducet super illum, et cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ; donec tentet illum in cogitationibus illius, et credat animæ illius. Et firmabit illum, et iter adducet [5] directum ad illum, et lætificabit illum; et denudabit abscondita sua illi, et thesaurizabit super illum scientiam et intellectum justitiæ. Si autem oberraverit, derelinquet illum, et tradet eum in manus inimici sui. Fili, conserva tempus, et devita a malo. Pro anima tua non confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam. Non accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. Non reverearis proximum tuum in casu suo, nec retineas verbum in tempore [6] salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore ejus. In lingua

[1] Sequimur Er. Lugd. Ven. Lov. In B., *tui ejus*. M.

[2] Vulgata, *Meminit ejus in posterum*. Abest, *ejus*, a græco et a latinis Bibliis Corb. Continuo post in omnibus Bibliis legitur, *et in tempore casus sui inveniet firmamentum*.

[3] Regius codex, *complebuntur dulcore ejus*. Græcus textus, *emplesthesontai euphrosunes*.

[4] Vulgata nunc, *judicabit* : et paulo infra, *in confirmatione creaturæ illius*. At in antiquis Corb. Bibl. convenit uterque locus cum hoc Speculo.

[5] Mss., *et jam adducet*. Græc., *kai palin epanexei kat' eutheian pros auton, et rursus redbit recta ad illum*.

[6] Editi, *in tempus*. At Mss., *in tempore*, juxta Vulgatam; quæ in subsequenti versiculo, pro, *et doctrina in verbis veritatis*, præfert, *et doctrina in verbo sensati*. Græcus vero textus, *en remati glossês, in verbo linguæ*.

enim agnoscitur sapientia et sensus, et scientia et doctrina in verbis veritatis, et firmamentum in operibus justitiæ. Non contradicas veritati ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere. Non confundaris confiteri peccata tua, et ne subjicias te homini pro peccato. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii [1]. In justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia; et Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Noli citatus esse in lingua tua, et inutilis et remissus in operibus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, evertens domesticos tuos, et opprimens subjectos tibi. Non sit porrecta manus tua ad capiendum, et ad dandum collecta.

[V.] Noli attendere ad possessiones iniquas, et ne dixeris, Est mihi sufficiens vita. Nihil enim proderit in tempore vindictæ et obductionis. Non sequaris concupiscentiam cordis [2], et ne dixeris, Quomodo potui? aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Et ne dixeris, Peccavi, et quid accidit mihi triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiatu peccatorum [3] noli esse sine metu; neque adjicias peccatum super peccatum : et ne dicas, Miseratio Dei magna est; multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim et ira ab illo cito proximat, et in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. Noli anxius esse in divitiis injustis : nihil enim proderunt tibi in die obductionis et vindictæ. Non ventiles te in omni vento, et non eas in omni via [4]. Sic enim peccator probatur duplici lingua. Esto firmus in via Dei, et in veritate sensus tui et scientia; et prosequatur te verbum pacis et justitiæ. Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, ut intelligas; et cum sapientia feras [5] responsum verum. Si est tibi intellectus, responde proximo : sin autem, sit manus tua super os tuum; ne capiaris verbo indisciplinato, et confundaris. Honor et gloria in sermone sensati : lingua vero imprudentis subversio est ipsius. Non appelleris susurro in vita tua, et in lingua tua ne capiaris, et confundaris. Super furem enim est confusio, et pœnitentia, et denotatio pessima super bilinguem : susurratori autem odium, et inimicitia, et contumelia. Justifica pusillum, et magnum similiter.

[VI.] Noli fieri pro amico inimicus proximo : improperium enim et contumeliam malus hæreditabit, et omnis peccator invidus et bilinguis. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus; ne forte elidatur virtus tua per stultitiam. *Et post septem versus :* Multi pacifici sint tibi; et consiliarius sit tibi unus de

[1] Sic Mss. juxta græc. et Vulgat. At editi habebant, *fulminis*.

[2] Vulgata : *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiam cordis tui*.

[3] In latinis Bibliis, *De propitiato peccato*. In græco textu, *peri exilasmou, De propitiatu*; omissa voce, *peccatorum*.

[4] Sic editi et Mss. juxta græc. At Vulgata habet, *in omnem ventum..... in omnem viam*.

[5] Regius codex, *fer*. Græcus, *phtheggou*. Vulgata, *proferas*.

mille. Si possides amicum, in tentatione posside eum; et non facile credas illi temetipsum [1]. Est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis: et est amicus qui egreditur [2] ad inimicitiam: et est amicus qui odium et rixam et convicia denudabit. Est autem amicus socius mensæ, et non permanebit in die necessitatis. Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, et in domesticis tuis fiducialiter aget. Si humiliaverit se contra te, et a facie tua absconderit se, unanimem habebis amicitiam bonam. Ab inimicis tuis separare; et ab amicis tuis attende. Amicus fidelis protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum. Amico fideli nulla est comparatio, et non est digna ponderatio auri et argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis, medicamentum vitæ et immortalitatis; et qui metuunt Dominum, inveniunt illum. Qui timet Deum, æque habebit amicitiam bonam; quoniam secundum illum erit amicus illius. Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. Quasi is qui arat et seminat, accede ad illam, et sustine bonos fructus illius. In opere enim illius exiguum laborabis, et cito edes de generationibus illius. Quam aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, et non permanebit in illa excors [3]. Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, et non demorabuntur projicere illam. *Et post duos versus:* Quibus autem agnita est, permanet [4] usque ad conspectum Dei. Audi, fili, et accipe consilium intellectus, et ne abjicias consilium meum. Injice pedem tuum in compedes illius, et in torquem ejus collum tuum. Subjice humerum tuum, et porta illam, et ne acedieris vinculis ejus. In omni animo tuo accede ad illam, et in omni virtute tua serva vias ejus. Investiga illam, et manifestabitur tibi; et continens factus ne dereliqueris eam: in novissimis enim invenies requiem in ea, et convertetur tibi in oblectationem; et erunt tibi compedes in protectionem fortitudinis et bases virtutis, et torques illius in stolam gloriæ. *Et post quatuor versus:* Fili, si attenderis mihi, disces [5]; et si accommodaveris animam tuam, sapiens eris. Et si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam; et si dilexeris audire, sapiens eris. In multitudine presbyterorum prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbia laudis ne effugiant te. Et si videris sensatum, evigila ad illum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus. Cogitatum habe in præceptis Dei, et in mandatis illius maxime assiduus esto; et ipse dabit cor tibi, et concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.

[VII.] Noli facere mala, et non te apprehendent. Discede ab iniquo, et deficient mala abs te. Non semines mala in sulcis injustitiæ, et non metes ea in septuplum. Noli quærere ab homine [6] ducatum, neque a rege cathedram honoris. Non te justifices ante Deum; quoniam agnitor cordis ipse est: et penes regem noli velle videri sapiens. Noli quærere fieri judex, nisi si vales virtute irrumpere iniquitates [1]; ne forte extremiscas faciem potentis, et ponas scandalum in agilitate tua [2]. Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum: neque alliges duplicia peccata; nec enim in uno eris immunis. Noli esse pusillanimis in anima tua. Exorare, et facere eleemosynam non despicias. Ne dicas, In multitudine munerum meorum respiciet Dominus, et offerente me Deo altissimo, suscipiet munera mea. Non irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim qui humiliat et exaltat Deus [3]. Noli arare mendacium adversus fratrem tuum, neque in amicum similiter facias. Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona [4]. Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum. *Et post duodecim versus:* Non lædas servum operantem in veritate, neque mercenarium dantem animam suam. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum libertate, neque inopem relinquas illum. *Et post duos versus:* Filii tibi sunt? erudi illos, et curva illos a pueritia illorum. Pecora tibi sunt? attende illis [5]. Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam, et grande opus feceris; et homini sensato da illam. Mulier si est tibi secundum animam tuam, non projicias illam; et odibili non credas te in toto corde. Honora patrem tuum, et gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento enim quoniam nisi per illos natus non fuisses [6]; et retribue illis, quomodo et illi tibi. In tota anima tua time Deum, et sacerdotes illius sanctifica. In omni virtute dilige Deum [7], qui te fecit; et ministros ejus non derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua; et honorifica sacerdotes. *Et post sex versus:* Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur benedictio [8] tua. Gratia datus [9] in conspectu omnis viventis, et a mortuo non prohibeas gratiam. Non desis plorantibus in consolatione [10], et cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis. In omnibus operibus tuis memorare novis-

[1] Vox, *temetipsum*, abest a sacris Bibliis.
[2] Vulgata, *qui convertitur.*
[3] Mss., *permanet.*
[4] Editi, *permanent.* At Mss. juxta Vulgatam, *permanet.*
[5] In editis, *disces eam.* Abest, *eam*, a Mss. hujus libri, necnon a sincerioribus Bibliis.
[6] Sic etiam in antiquis Corb. Bibliis. Nunc autem Vulgata in excusis habet, *a Domino;* juxta Græc.. *para Kuriou.*

[1] In prius editis, *virtutem irrumpere iniquitatis.* Emendavimus ad Mss. qui cum Vulgata concordant.
[2] Habebat sic Vulgata in antiquis Corb. et aliis plerisque Bibliis: sed substitutum est, *in æquitate tua;* juxta græc. *en euthutêthi sou.*
[3] Vulgata, *et exaltat circumspector Deus.*
[4] Regius Ms., *non bona;* prætermisso, *est:* sic etiam Biblia Corb. Porro in græco legitur, *ouk eis agathon, non in bonum.*
[5] Redintegrandus iste locus ad Vulgatam, in qua versiculus 24 est, *Pecora tibi sunt? attende illis, et si sunt utilia, perseverent apud te.* Tum sequitur v. 25, *Filii tibi sunt?* etc.
[6] Vox *natus*, abest a Mss. Speculi, et ab antiquis Bibliis Corbeiensibus.
[7] Sacra Biblia, *dilige eum qui te fecit.*
[8] Vulgata, *propitiatio et benedictio.* Abest, *propitiatio*, a græco textu.
[9] Vulgata, *dati:* ac paulo post, *et mortuo*, prætermissa præpositione *a*, cum qua his locis convenit Regius codex Speculi.
[10] Codices Mss. hujus operis, *in rogatione.*

sima tua, et in æternum non peccabis.

[VIII.] Non litiges cum homine potente; ne forte incidas in manus illius. Non contendas cum homine locuplete, ne forte contra concitet litem tibi [1]. Multos enim perdidit aurum; et usque ad cor regum extendit, et convertit. Non litiges cum homine linguoso, et non strues [2] in ignem illius ligna. *Et post duos versus:* Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei: memento quoniam omnes sumus in correptione. Ne spernas hominem in sua senecta: etenim ex nobis senescunt. Noli de mortuo inimico tuo gaudere [3], sciens quoniam omnes morimur, et in gaudium nolumus venire. Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, et in proverbiis illorum conversare. Ab ipsis enim disces doctrinam intellectus [4], et servire magnatis sine querela. Non te prætereat narratio seniorum; et ipsi enim didicerunt a patribus suis. Quoniam ab ipsis disces intellectum, et in tempore necessitatis responsum [5]. *Et post sexdecim versus:* Cum fatuis ne consilium habeas: non enim poterunt diligere nisi quæ ipsis placent. Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim quid pariet.

Et post duos versus [IX.]: Non zeles mulierem sinus tui. *Et post septem versus:* Virginem ne concupiscas [6], ne forte scandalizeris in decore ejus. Non des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te et hæreditatem tuam. *Et post duos versus:* Averte faciem tuam a muliere compta, et non circumspicias speciem alienam. *Et post duodecim versus:* Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit similis illi. Vinum novum amicus novus: veterascet, et cum suavitate bibes illud. Non zeles gloriam et opes peccatoris: non enim scis quæ futura sit ipsius subversio. Non placeat tibi injuria injustorum [7]. *Et post duos versus:* Longe abesto ab homine potestatem habente occidendi, et non suspicaberis timorem mortis. Et si accesseris ad illum, noli aliquid committere; ne forte auferat vitam tuam. *Et post quatuor versus:* Et cum sapientibus et prudentibus tracta. Viri justi sint tibi convivæ; et in timore Dei sit gloriatio tibi.

Et post quinquaginta tres versus [8] [X.]: Semen hominum honorabitur hoc quod timet Deum: semen autem hoc exhonorabitur hominum, quod præterit mandata Domini. In medio fratrum illorum rector in honore; et qui timent Dominum, erunt in oculis illius. Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est. Non despicias hominem justum pauperem, et non magnificaveris [1] virum peccatorem divitem. Magnus, et judex, et potens est in honore, et non est major illo qui timet Deum. Servo sensato liberi servient: vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus. *Et post quinque versus:* Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum.

Et post sex versus [XI.]: Sapientia humiliati exaltabit caput ipsius, et in medio magnatorum consedere illum faciet. Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo. Brevis in volatilibus est apis, et initium dulcoris habet fructus illius. In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris. *Et post sex versus:* Priusquam interroges, non vituperes quemquam; et cum interrogaveris, corripe juste. Priusquam audias, ne respondeas verbum; et in medio seniorum [2] ne adjicias loqui. De re ea quæ te non molestat, ne certaveris; et in judicio peccatorum ne consistas. Fili, ne in multis sint actus tui; et si dives fueris, non eris immunis a delicto. Si enim secutus fueris, non apprehendes; et non effugies, si præcucurreris. *Et post viginti versus:* Ne manseris in operibus peccatorum: fide autem in Deo, et mane in loco tuo. *Et post aliquot versus:* Ante mortem ne laudes hominem quemquam. *Et post unum versum:* Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim insidiæ dolosi sunt. Sicut enim eructant præcordia infantium [3], et sicut perdix inducitur in foveam, et ut caprea in laqueum, sic et cor superborum; et sicut prospector videns casum proximi sui. Bona enim in mala convertens insidiatur, et in electis imponet maculam. Ab scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis. Homo vero peccator sanguini insidiatur. Attende tibi a pestifero; fabricat enim mala: ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum. Admitte ad te alienigenam, et subvertet te in torpore [4], et alienabit te a tuis propriis.

[XII.] Si benefeceris, scito cui benefeceris, et erit gratia in bonis tuis multa. Benefac justo, et invenies retributionem magnam; et si non ab ipso, certe a Deo. Non est eis bene qui assidui sunt in malis, et eleemosynas non danti; quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus. Da misericordi, et ne susceperis peccatorem. Benefac humili, et ne dederis impio. Prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit: nam duplicia mala invenies in omnibus bonis [5]; quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam. *Et post*

[1] Sic in Mss. At in editis legebatur, *contra te consistat litem:* in Vulgata, *contra te constituat.*

[2] Regius cod., *et non struas:* juxta græc. *kai mê epistoibasês.*

[3] Abest, *inimico tuo,* a græco textu, necnon a Regio Ms. Speculi: at iste codex postea sic habet, *et in gaudium inimicorum nolumus venire.*

[4] Vulgata in excusis, *disces sapientiam et doctrinam intellectus:* at in antiquis Corb. Bibliis convenit hic cum Augustini Speculo et cum græco.

[5] Sacra Biblia, *dare responsum.*

[6] Vulgata, *ne conspicias.* Græc. *mê katamanthane.*

[7] Sic Carnutensis codex juxta Vulgatam. At editi habebant *hic, justorum.*

[8] Ita Regius Ms. Carnutensis vero, *Et post* LIV *versus.*

[1] Editi, *non magnificare:* emendavimus ad Reg. Ms., *non magnificaveris;* quanquam idem codex paulo ante habet, *Ne despicere.* Concinnius Vulgata, *noli despicere;* tumque, *noli magnificare.*

[2] Legendum ut in Bibliis Sixti auctoritate correctis, *sermonum;* juxta Græc. *logôn.* Paulo post pro, *ne certaveris,* Mss. hujus libri pariter cum Vulgata præferunt, *ne certeris.*

[3] Vulgata in excusis, *fœtentium:* in antiquis Corb. Bibliis, *fœtantium.*

[4] Sacra Biblia, *in turbine.*

[5] Regius codex, *in hominibus non bonis:* Vulgata juxta græcum post, *in omnibus bonis,* addit, *quæcumque feceris illi;* quod tamen abest a Corb. Bibliis.

quatuor versus : Non credas inimico tuo in æternum : sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius. Et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum [1], et custodi te ab illo. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam ; ne conversus stet in loco tuo [2] : ne forte conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam, et in novissimo agnoscas verba mea, et in sermonibus meis stimuleris. Quis miseribetur incantatori a serpente percusso, et omnibus qui appropiant bestiis? Sic et qui comitatur cum viro iniquo, et obvolutus est in peccatis ejus : una hora tecum permanebit ; si autem declinaveris, non supportabit. In labiis suis indulcat inimicus, et in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam. In oculis suis lacrymatur inimicus ; et si invenerit tempus, non satiabitur sanguine. Si incurrerint mala tibi, invenies eum illic priorem. In oculis suis lacrymatur inimicus, et quasi adjuvans suffodiet plantas tuas. Caput suum movebit, et plaudebit [3] manu ; et multa susurrans commutabit vultum suum.

Et post sexaginta et unum versus [XIII.] : Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia : et nequissima paupertas in ore impii.

Et post tres versus [XIV.] : Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti. Felix qui non habuit animi sui tristitiam, et non excidit ab spe sua. Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia ; et homini livido ad quid aurum? *Et post quatuordecim versus :* Fili, si habes, benefac tecum, et Deo dignas obligationes offer. Memor esto quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi : testamentum enim hujus mundi morte morietur. Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigens da pauperi. *Et post sexdecim versus :* Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur [4], et in sensu suo cogitabit circumspectionem Dei : Qui excogitat vias illius in corde suo, et in absconditis illius intelligens.

Et post viginti quinque versus [XV.] : Homines stulti non apprehendent illam ; et homines sensati obviabunt illi. Homines stulti non videbunt illam ; longe enim abest a superbia et dolo. Viri mendaces non erunt memores illius ; et viri veraces invenientur in illa, et successum habebunt usque ad inspectionem Dei. Non est speciosa laus in ore peccatoris ; quoniam a Deo profecta est sapientia. Sapientiæ enim Dei astabit laus ; et in ore fideli abundabit, et dominator eam illi dabit. Non dixeris, Per Deum abest ; quæ enim odit ne feceris. Non dicas, Ille me implanavit : non enim necessarii sunt illi homines impii. Omne exsecramentum erroris odit Deus, et non erit amabile timentibus illum. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua : si volueris servare mandata, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam et ignem ; ad quod voles porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum ; quod placuerit ei, dabitur illi. Quoniam multa sapientia Dei, et fortis in potentia, videns omnes sine intermissione. Oculi Dei ad timentes eum, et ipse agnoscet omnem operam hominis. Nemini mandavit impie agere ; et nemini dedit spatium peccandi. Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium et inutilium.

[XVI.] Et ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur : non oblecteris super ipsos, si non est timor Dei cum illis. Non credas vitæ illorum, et ne respexeris in labores illorum. Melior est enim unus timens Deum, quam mille filii impii : et utile mori sine filiis, quam relinquere filios impios. *Et post viginti et unum versus :* Non dicas, A Deo abscondar, et ex summo quis mei memorabitur?

Et paulo post [XVII.] Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, et omnes iniquitates eorum in conspectu Dei. Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso, et gratiam hominis quasi pupillam conservabit : et postea resurget, et retribuet illis retributionem unicuique in caput illorum, et convertet in interiores partes terræ. Pœnitentibus autem dedit viam justitiæ, et confirmavit deficientes sustinere, et destinavit illis sortem veritatis. Convertere ad Deum, et relinque peccata tua : precare ante faciem, et minue offendiculum [1]. Revertere ad Deum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito exsecrationem. *Et post novem versus :* Quam magna misericordia Dei, et propitiatio illius convertentibus ad se! Nec enim omnia possunt esse in hominibus ; quoniam non est immortalis filius hominis.

Et post triginta versus [XVIII.] Miseretur excipientium doctrinam miserationis, et qui festinant in judiciis ejus. Fili, in bonis non des querelam, et in omni dato non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit ros? Sic et verbum melius quam datum. Nonne ecce verbum supra datum bonum? et utraque [2] cum homine justificato. Stultus acriter improperabit, et datus indisciplinati tabescere facit oculos. Ante judicium para justitiam tibi, et antequam loquaris disce. Et ante languorem adhibe medicinam, et ante judicium interroga teipsum ; et in conspectu Dei invenies propitiationem. Ante languorem humilia te, et in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam. Non impediaris orare semper, et non verearis usque ad mortem justificari ; quoniam merces Dei

[1] Sic Regius codex juxta Vulgatam. Editi vero, *abjice animum tuum :* uti etiam habet Bibliorum codex Corbeiensis.

[2] Ex Vulgata in excusis expunctum est illud, *ne conversus stet in loco tuo :* quod in omnibus exemplaribus hujus operis et in antiquis Corb. Bibl. reperitur ; positum forte pro eo quod in græco legitur, *mê anatrepsas se stê epi ton topon sou.*

[3] Sic etiam olim Bibl. Corb. Nunc autem Vulgata, *plaudet.*

[4] Abest, *sua*, a Regio codice : abest etiam, *suo*, post vocem, *sensu.*

[1] Consonat græcum. At Vulgata præfert, *precare ante faciem Domini, et minue offendicula :* Regius Ms., *ante faciem ejus.* In subsequenti versiculo idem codex cum Carnutensi, *Refer te ad Deum.* Favet græc. *epanage.*

[2] Ita Mss. et Corb. Bibl. juxta græc. At editi cum Vulgata, *sed utraque.*

manet in æternum. Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. *Et post sex versus :* Homo sapiens, in omnibus metuet, et in diebus delictorum attendet ab inertia. *Et post quinque versus :* Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis. Ne oblecteris in turbis, nec immodicis delecteris.

Et post quinque versus [XIX.] : Et qui spernit modica, paulatim decidet. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguunt sensatos. *Et post aliquot versus :* Qui credit cito, levis corde est, et minorabitur; et qui delinquit in animam suam, insuper habebitur. *Et post duos versus :* Et qui odit loquacitatem, exstinguit malitiam. *Et post octo versus :* Audisti verbum adversus proximum; commoriatur in te, fidens quoniam non te disrumpet. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in ore [1] stulti. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, et dicat, Non feci; aut si fecit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit; et si dixerit, ne forte iteret. Corripe amicum; sæpe enim fit commissio : et non omni verbo credas. Est qui labitur in lingua sua, sed non ex animo. Quis est enim qui non deliquerit in lingua sua? Corripe proximum antequam comminneris; et da locum timori Altissimi : quia omnis sapientia timor Dei, et in illa timere Deum. *Et post quinque versus :* Melior est homo qui deficit sapientia, et deficiens sensu in timore, quam qui abundat sensu, et transgreditur legem Altissimi.

Et post sexdecim versus [XX.] : Quam bonum est arguere quam irasci! *Et post aliquot versus :* Et qui potestatem sibi assumit injuste, odietur. *Et post octo versus :* Sapiens in verbis seipsum amabilem facit. *Et post sexdecim versus :* Lapsus falsæ linguæ quasi qui de pavimento cadens, sic casus malorum festinanter veniet. Homo acharis quasi fabula vana, in ore disciplinatorum [2] assidua erit. Ex ore fatui reprobabitur parabola : non enim illam dicit in tempore suo. *Et post duos versus :* Est qui perdit animam suam præ confusione, et ab imprudenti persona perdet eam; personæ autem acceptione perdet se. Est qui præ confusione promittit amico, et lucratus est eum inimicum gratis. Opprobrium nequam in homine mendacium, et in ore indisciplinatorum assidue erit. Potior fur, quam assiduitas viri mendacis : perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium sine honore, et confusio illius cum ipso [3] sine intermissione. Sapiens in verbis producet seipsum. *Et post quatuor versus :* Xenia et dona excæcant oculos judicum, et quasi mutus in ore avertit correptiones eorum. Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque? Melior est in hominibus qui abscondit insipientiam suam, quam qui abscondit sapientiam suam.

[1] Vulgata, *in corde*.
[2] Sacra Biblia, *indisciplinatorum*.
[3] Legendum juxta Vulgatam, *et confusio illorum cum ipsis;* vel in priore parte vers. castigandum est juxta græc.: *Mos hominis mendacis.*

[XXI.] Fili, peccasti; ne adjicias iterum :sed et de præteritis deprecare, ut tibi remittantur. Quasi a facie colubri fuge peccata; et si accesseris ad illa suscipient te. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum : quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas; plagæ illius non est sanitas. *Et post quatuor versus :* Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris; et qui timet Deum, convertetur ad cor suum. *Et post quinque versus :* Via peccantium complantata [1] lapidibus; et in fine illorum inferi et tenebræ et pœnæ. Qui custodit justitiam, continebit sensum ejus.Consummatio timoris Dei,sapientia et sensus. *Et post aliquos versus :* Verbum sapiens quodcumque audierit scius, laudabit, et ad se adjiciet : audiet luxuriosus, et displicebit illi, et projiciet illud post dorsum suum. Narratio fatui quasi sarcina in via : nam in labiis sensati invenietur gratia. Os prudentis quæritur in Ecclesia, et verba illius cogitabunt in cordibus suis. *Et post duos versus :* Compedes in pedibus stulto doctrina, et quasi vincula manuum supra manum dexteram. Fatuus in risu exaltat vocem suam : vir autem sapiens vix tacite ridebit. Ornamentum aureum prudenti doctrina, et quasi brachiale in brachio dextro. *Et post octo versus :* In ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur; et qui manserit [2], odiosus erit : tacitus et sensatus honorabitur.

[XXII.] In lapide luteo lapidatus est piger,et omnes loquentur super aspernationem illius. *Et post quatuor versus :* Filia prudens hæreditas viro suo : nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris. Patrem et virum confundit quæ audax est, et ab impiis non minorabitur; ab utrisque autem inhonorabitur. Musica in luctu, importuna narratio : flagella et doctrina, in omni tempore sapientia. Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam. Qui narrat verbum non attendenti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto; et in fine dicit [3], Quis est hic? Super mortuum plora; deficit enim lux ejus : et super fatuum plora; deficit enim ei sensus. Modicum plora super mortuum, quoniam requievit; nequissimi enim nequissima vita super mortem fatui. Luctus mortui septem diebus : fatui autem et impii, omnes dies vitæ illorum. *Et post viginti et unum versus :* Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa : sic et qui conviciatur amico, dissolvet amicitiam. Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes; est enim regressus. Ad amicum si aperueris os triste, non timeas : est enim concordatio;

[1] In verioribus Bibliis, *complanata :* ubi vox, *complanata*, pro græco, *hômalismenê*.
[2] Sic etiam in antiquis Corb. Bibliis. At nunc in excusis Vulgata præfert, *et qui cum eo manserit*.
[3] Editi juxta Vulgatam, *qui narrat stulto sapientiam et in fine narrationis dicit*. At Mss. carent vocibus, *sapientiam et narrationis :* quæ etiam a græco absunt.

excepto convicio, et improperio, et superbia, et mysterii revelatione, et plaga dolosa ; in his omnibus effugiet amicus. *Et post decem versus :* Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut ne cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me.

[XXIII.] Domine pater, et dominator vitæ meæ, non relinquas me, et ne sinas me cadere in illis. Quis superponet in cogitatu meo flagella, et in corde meo doctrinam sapientiæ, ut ignorationibus eorum non parcant mihi, et non appareant delicta illorum ; ne adincrescant ignorantiæ meæ, et multiplicentur delicta mea, et peccata mea abundent, et incidam in conspectu adversariorum, et gaudeat inimicus meus ? Domine pater, et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et omne desiderium averte a me [1]. Aufer a me ventris concupiscentias ; et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me ; et animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me. Doctrinam oris audite, filii ; et qui custodierit illam, non periet labiis suis, nec scandalizabitur in operibus nequissimis. In vanitate sua apprehenditur peccator, et superbus et maledicus scandalizabitur in illis. Jurationi non assuescat os tuum ; multus enim casus in illa. Nominatio vero Dei non sit in ore tuo assidua, et nominibus sanctorum non admiscearis ; quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim servus interrogatus assidue, a livore non minuitur ; sic omnis jurans et nominans in toto, a peccato non purgabitur. Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. Et si frustraverit [2], delictum illius super ipsum erit ; et si dissimulaverit, delinquit dupliciter. Et si in vacuum juraverit, non justificabitur : replebitur enim retributione [3] domus illius. *Et post quatuor versus :* Indisciplinationi non assuescat [4] os tuum : est enim in illa verbum peccati. Memento patris et matris tuæ ; in medio enim magnatorum consistis : ne forte obliviscatur te Deus in conspectu illorum, et assiduitate tua infatuatus improperium patiaris, et maluisses non nasci, et diem nativitatis tuæ maledicas. Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non erudietur. Duo genera abundant in peccatis, et tertium adducit iram et perditionem. Anima calida quasi ignis ardens non exstinguetur, donec aliquid glutiat ; et homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem. *Et post duos versus :* Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, et dicens, Quis me videt ? tenebræ circumdant me, et parietes cooperiunt me, et nemo circumspicit me ; quem verear ? delictorum meorum non memorabitur Altissimus, et non intelliget, quoniam non videt oculus illius : quoniam expellet [1] a se timorem Dei hujusmodi hominis timor, et oculi hominum timentes illum. Et non cognovit quoniam oculi Domini plus multo lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum et profundum abyssi, et hominum corda intuentes in absconditas partes.

Et paulo post [XXV.] : Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo invenies in senectute tua ? Quam speciosum canitiei judicium, et presbyteris cognoscere consilium ! Quam speciosa veteranis sapientia, et gloriosis intellectus et consilium ! Corona senum multa peritia, et gloria illorum timor Dei. *Et post decem versus :* Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus cui donatum est habere timorem Dei. Qui timet illum [2], cui assimilabitur ? *Et post viginti versus :* Ne respicias mulieris speciem, et non concupiscas mulierem in specie.

Et post triginta tres versus [XXVI.] : Mulier ebriosa ira magna ; et contumelia, et turpitudo illius non contegetur. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum et in palpebris illius agnoscetur. In filia non avertente se [3], firma custodiam, ne inventa occasione utatur se [4]. Ab omni irreverentia oculorum [5] cave ; et ne mireris si te neglexerit. *Et post quatuor versus :* Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, et ossa illius impinguabit disciplina illius. Datus Dei mulier sensata et tacita : non est immutatio eruditæ animæ. Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ. *Et post duodecim versus :* Et qui transgreditur a justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rhomphæam.

Et post quatuor versus [XXVII.] : Et qui quærit locupletari, avertit oculum suum. *Et post tres versus :* Conteretur [6] delictum. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua. Sicut in pertusura [7] cribri remanebit pulvis, sic aporia hominis in cogitatu illius. Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu hominis cordis. Ante sermonem non collaudes virum : hæc enim tentatio est hominum. Si sequaris justitiam, apprehendes illam, et indues quasi poderem honoris ; et habitabis cum ea, et proteget te in sempiternum, et in die agnitionis invenies firmamentum. Volatilia ad sibi similia conveniunt, et veritas ad eos qui operantur illam revertetur. Leo venationi insidiatur semper, sic peccata operantibus iniquitatem. Homo sanctus in sapientia manet sicut sol : nam stultus sicut luna im-

[1] In editis, *desiderium pravum averte a me.* Abest vox, *pravum*, a Mss. et a sacris Bibliis.

[2] Editi, *Et si frustraverit fratrem.* Abest, *fratrem*, a græco et a Vulgata, necnon a Regio Ms. qui codex pro, *frustraverit*, habet, *frustra juraverit.*

[3] Hic in editis additur, *pessima*, quo verbo Mss. et sacra Biblia carent.

[4] Carnutensis codex, *Indisciplinate non assuescat.* Regius, *Indisciplinatæ jurationi vel loquelæ.* Græcus denum textus in quibusdam Bibl. sonat, *Indisciplinationi temerariæ ;* in aliis, *Intemperantiæ juramenti.*

[1] Regius codex : *Et non intelligit quoniam videt*, etc. Vulgata : *Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit a se*, etc.

[2] Sacra Biblia, *Qui tenet illum.*

[3] Editi, *non advertente se :* Mss. cum Vulgata, *non avertente se.*

[4] Er. Lugd. Ven. Lov. habent, *abutatur se.* M.

[5] Vulgata, *oculorum ejus.* Attamen abest, *ejus*, a Corb. Bibliis.

[6] Carnut. codex, *Convertetur.* Vulgata, *Conteretur cum delinquente delictum.*

[7] Mss., *in pertunsura*, sive *pertusura.* Vulgata, *in percussura.*

mutatur. In medio insensatorum serva verbum tempori : in medio autem cogitantium assiduus esto. Narratio peccantium odiosa, et risus eorum in delictis peccati. Loquela multum jurans horripilationem capiti statuet, et irreverentia ipsius obturatio aurium. Effusio sanguinis in rixa superborum, et maledictio illorum auditus gravis. Qui denudat arcana amici, perdit fidem, et non inveniet amicum ad animum suum. Dilige proximum, et conjungere fide cum illo : quod si denudaveris abscondita illius, non persequaris post eum. Sicut enim homo qui perdit amicum suum, sic qui perdit amicitiam proximi sui. Et sicut qui dimittit avem de manu sua, sic reliquisti [1] proximum tuum, et non eum capies. Non illum sequaris, quoniam longe abest. Effugit enim quasi caprea de laqueo; quoniam vulnerata est anima ejus ; et ultra eum non poteris colligare. Et maledicti est concordatio : denudare autem amici mysteria, desperatio est animæ infelicis. Annuens oculis fabricat iniqua, et nemo eum abjiciet. In conspectu oculorum tuorum condulcabit os suum, et super sermones tuos admirabitur : novissime autem pervertet os suum, et in verbis tuis dabit scandalum. Multa odivi, et non coæquavi ei; et Dominus odiet illum. *Et post duos versus :* Qui foveam fodit, decidet in illam; et qui statuit lapidem proximo, offendet in eo; et qui laqueum alii parat, peribit in illo. Facienti nequissimum consilium, super illum devolvetur; et non agnoscet unde adveniet illi. Illusio, et improperium superborum, et vindicta sicut leo insidiabitur illi. Laqueo peribunt qui oblectantur casu justorum.

Et post tres versus [XXVIII.] : Qui vindicari vult, a Deo inveniet vindictam, et peccata illius servans servabit. Relinque proximo tuo nocenti te, et tunc deprecanti tibi peccata solventur. Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam! In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur! Ipse cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo! Quis exorabit pro delictis illius? Memento novissimorum, et desine inimicari: tabitudo enim, et mors imminet in mandatis Dei. Memorare timorem Dei, et non irascaris proximo. Memorare testamenti Altissimi, et despice ignorantiam proximi. Abstine te a lite, et minues peccata. Homo enim iracundus incendit litem; et vir peccator turbabit amicos, et in medio pacem habentium immittit inimicitiam. *Et post quatuor versus :* Certamen festinatum incendit ignem, et lis festinans effundit sanguinem, et lingua testificans adducit mortem. Si sufflaveris [2], quasi ignis exardebit; et si exspueris super illam, exstinguetur : et utraque ex ore proficiscuntur. Susurro et bilinguis maledictus : multos enim turbavit pacem habentes. Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos a gente in gentem. Civitates muratas divitum destruxit, et domos magnatorum effodit. Virtutes populorum concidit, et gentes fortes dissolvit. Lingua tertia mulieres viratas ejecit [3], et privavit illas de laboribus suis. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum in quo requiescat. *Et post aliquot versus* [1] : Verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos; et attende ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem.

[XXIX.] :Qui facit misericordiam, fenerat proximo; et qui prævalet manu, mandata servat. Fenera proximo tibi in tempore necessitatis illius; et iterum redde proximo tuo in tempore suo. Confirma verbum, et fideliter age cum illo; et in omni tempore invenies quod tibi necessarium est. Multi quasi inventionem æstimaverunt fenus, et præstiterunt molestiam iis qui se adjuverunt. *Et post tredecim versus :* Verumtamen super humilem animo fortior esto, et pro eleemosyna non trahas illum. Propter mandatum assume pauperem, et propter inopiam illius ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam tuam propter fratrem et amicum, et non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi; et proderit tibi magis quam aurum. Conclude eleemosynam in corde pauperis; et hæc pro te exorabit ab omni malo: super scutum potentis et super lanceam adversus inimicum tuum pugnabit. Vir bonus fidem facit pro proximo suo; et qui perdiderit confusionem, derelinquet sibi [2]. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam. Repromissorem fugit peccator et immundus. Bona repromissoris sibi ascribit peccator, et ingratus sensu derelinquet liberantem se. Vir repromittit de proximo suo, et cum perdiderit reverentiam, derelinquetur ab eo. Repromissio nequissima multos perdidit diligentes [3], et commovit illos quasi fluctus maris. Viros potentes gyrans migrare fecit, et vagati sunt in gentibus alienis. Peccator transgrediens mandata Domini, incidet in promissionem nequam. *Et post unum versum :* Recupera proximum secundum virtutem tuam, et attende tibi ne incidas.

Et post sexdecim versus [XXX.] : Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo [4]. Qui docet filium suum, laudabitur in illo. *Et post decem versus :* Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadit præceps. Lacta filium, et paventem te faciet; lude cum illo, et contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas, et in novissimo obstupescant dentes tui. Non des illi potestatem in juventute, et ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute, et tunde latera ejus dum infans est; ne forte induret, et non credat tibi, et erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, et operare in illo, ne in turpitudine illius confundaris [5]. Melior est pauper sanus et fortis viribus, quam dives imbecillus et flagellatus malitia. Salus animæ in sanctitate justitiæ melior est omni auro et argento; et corpus validum,

[1] Regius Ms., *Sic qui reliquisti.*
[2] Vulgata, *Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis,* etc.
[3] Duo MSS., *mulieres fortes ejecit.*

[1] Regius Ms. *Et post* XXXIII *versus.*
[2] Carnutensis codex, *derelinquet tibi.* Sed alii melius, *derelinquet sibi;* subaudi, proximum. Nam græcus textus ita sonat : *Et qui perdidit verecundiam, derelinquet illum.*
[3] Legendum ut in sacris Bibliis, *dirigentes.*
[4] In Vulgata post, *novissimo suo*, additur, *et non palpet proximorum ostia :* quod a græco abest.
[5] Vulgata, *ne in turpitudinem illius offendas.*

quam census immensus. Non est census super censum salutis corporis; et non est oblectatio super cordis gaudium. Melior est mors quam vita amara, et requies æterna quam languor perseverans. Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulcro. *Et post quinque versus :* Tristitiam non des animæ tuæ, et non affligas temetipsum in consilio tuo. Jucunditas cordis hæc est vita hominis, et thesaurus sine defectione sanctitatis, et exsultatio viri est longævitas. Miserere animæ tuæ placens Deo, et contine; et congrega cor tuum in sanctitate ejus, et tristitiam longe expelle a te. Multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa. Zelus et iracundia minuent dies, et ante tempus senectam adducit cogitatus.

Et post decem versus [XXXI.] : Qui aurum diligit, non justificabitur; et qui insequitur consumptionem, replebitur ex ea. Multi dati sunt in auri casus[1], et facta est in specie illius perditio illorum. Lignum offensionis est aurum sacrificantium : væ illis qui sectantur illud, et omnis imprudens deperiet[2] in illo. Beatus dives qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Quis[3] probatus est in illo, et perfectus est? et erit illi gloria æterna. Qui potuit transgredi, et non est transgressus; et facere mala, et non fecit : ideo stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit Ecclesia sanctorum. *Et post aliquot versus :* Utere quasi homo frugi, iis quæ tibi apponuntur, ut non, cum manducas multum, odio habearis. Cessa prior disciplinæ causa, et noli nimius esse, ne forte offendas. Etsi in medio multorum sedisti, prior illis non extendas manum tuam, nec prior poscas bibere. Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum. *Et post aliquot versus :* Diligentes in vino noli provocare; multos enim exterminavit vinum.

Et post viginti sex versus [XXXII.] : Loquere major natu; decet enim te primum verbum diligenti scientiam[4]; et non impedias musicam. Ubi auditus non est, effundas sermonem; et importune noli extolli in sapientia tua. *Et post quinque versus :* Adolescens, loquere in tua causa, vix cum necesse fuerit[5]. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, et audi tacens simul et quærens. In medio magnatorum loqui non præsumas[6]; et ubi sunt senes, non multum loquaris. Ante grandinem præibit coruscatio, et ante verecundiam præibit gratia, et pro reverentia accedet tibi bona gratia[1]. Præcurre autem prior in domum tuam, et illic avocare, et illic lude, et age conceptiones tuas, et non in delictis et verbo superbo. Et super his omnibus benedicito Deum, qui fecit te, et inebriantem te ab omnibus bonis suis. Qui timet Deum, excipiet doctrinam ejus; et qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem. Qui quærit legem, replebitur ab ea; et qui insidiose agit, scandalizabitur in ea. Qui timent Dominum, invenient judicium justum, et justitiam quasi lumen accendent. Peccator homo devitabit correptionem, et secundum voluntatem suam inveniet comparationem. Vir consilii non disperdet intelligentiam. *Et post quatuor versus :* Fili, sine consilio nihil facias; et post factum non pœnitebis. *Et post paucos versus :* Qui credit Deo, attendet mandatis; et qui confidit in illo, non minorabitur.

[XXXIII.] Timenti Dominum non occurrent mala : sed in tentatione Deus illum conservabit, et liberabit a malis. Sapiens non odit mandata et justitias; et non illidetur quasi navis in procella. Homo sensatus credit legi Dei, et lex illi fidelis. Qui interrogationem manifestat, parabit verbum.

Et post paululum [XXXIV.] : Vana spes, et mendacium viro insensato; et somnia extollunt imprudentes. Et quasi qui apprehendit umbram, et sequitur ventum; sic et qui attendit ad visa mendacia. Hoc secundum hoc visio somniorum, ante faciem hominis similitudo hominis. Ab immundo quid mundabitur? et a mendace quid verum dicetur? Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia male facientium, vanitas est. Et sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio : ne dederis in illis cor tuum. Multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis. Sine mendacio consummabitur verbum, et sapientia in ore fidelis contemplabitur[2]. *Et post quinque versus :* Multa vidi enarrando[3], et plurimas verborum consuetudines. Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa, et liberatus sum gratia Dei. Spiritus timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicentur[4]. Spes enim illorum in salvantem illos; et oculi Dei in diligentes se. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, et non pavebit; quoniam ipse est spes ejus. Timentis Dominum, beata est anima. Ad quem respicit? et quis est fortitudo ejus? Oculi Domini super timentes eum : protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris et umbraculum meridianum[5]; deprecatio offensionis et adjutorium casus; exaltans animam et illuminans oculos, dans sanitatem et vitam et benedictionem. Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, et non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum. Dominus solus sustinen-

[1] Græc., *èis ptôma charin chrusiou, in casum propter aurum.*

[2] Regius codex, *decipietur.*

[3] Consonat græc. *tis edokimasthê.* At Vulgata præfert, *Qui probatus est.*

[4] Regius Ms., *dilige scientiam.* Carnutensis, *diligentis scientiam.* Vulgata, *diligenti scientia.* Denique græc. sonat, *in diligenti scientia.*

[5] Regius codex caret his verbis, *cum necesse fuerit :* quæ a Vulgata quidem absunt, sed non a græco textu.

[6] Regius codex et sacra Biblia carent verbo, *loqui*

[1] In Vulgata, versiculus 15 capitis 5 sic incipit : *Et hora surgendi non te trices; præcurre autem,* etc.

[2] Vulgata : *Consummabitur verbum legis, et sapientia in ore fidelis complanabitur.* Mss. codices Speculi, *in ore fideli.*

[3] Legendum, *vidi in errando :* sive uti in sacris Bibliis *vidi errando.*

[4] Vulgata, *benedicetur.*

[5] Vulgata, *meridiani.*

tibus se in via veritatis et justitiæ. Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis indigentium, vita pauperis est; qui defraudat illum, homo sanguinum est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, et qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Unus ædificans et unus destruens, quid prodest illis nisi labor? Unus orans, et unus maledicens, cujus vocem exaudiet Deus? Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficiet lavatio illius? Sic homo qui jejunat in peccatis suis, et iterum eadem facit, quid proficit humiliando se? orationem ejus quis exaudiet?

[xxxv.] Qui conservat legem, multiplicat orationem. Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate; et propitiationem litare sacrificii super injustitias, et deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia. *Et post paucos versus :* Non apparebis in conspectu Dei vacuus. Hæc enim omnia propter mandata Domini fiunt. Oblatio justi impinguat altare, et odor suavitatis est in conspectu Altissimi. Sacrificium justi acceptum est, et memoriam ejus non obliviscetur Dominus. Bono animo gloriam redde Deo, et non minuas primitias manuum tuarum. In omni dato hilarem fac vultum tuum, et in exsultatione sanctifica decimas tuas. Da Altissimo secundum datum ejus, et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum; quoniam Dominus retribuens est, et septies reddet tantum tibi. Noli offerre munera prava; non enim suscipiet illa. Noli respicere sacrificium injustum; quoniam Dominus judex est, et non est apud illum gloria personæ. Non accipiet Dominus personam in pauperem, et precationem læsi exaudiet. Non despiciet preces pupilli, nec viduæ, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacryma ad maxillam descendit, et exclamatio a maxilla ascendit propter illud quod descendit super illam [1]? *Et post quatuor versus :* Oratio humiliantis se, nubes penetrabit.

Et post aliquantum [xxxvii.] : Cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei, cujus anima est secundum animam tuam. *Et post quinque versus :* Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam. *Et post viginti et unum versus :* Fili, in vita tua tenta animam tuam; et si fuerit nequam, non des illi potestatem. Non enim omnibus omnia expediunt, et non omni animæ omne genus placet. Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam.

Et post quatuor versus [xxxviii.] : Honora medicum propter necessitatem; etenim illum creavit Altissimus. A Deo enim est medela, et a rege accipiet donationem. Disciplina medici exaltabit caput ipsius, et in conspectu magnatorum collaudabitur. Altissimus creavit de terra medicinam [1], et vir prudens non abhorrebit illam. Nonne a ligno indulcata est aqua amara? Ad agnitionem hominum virtus illius, et dedit homini scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis. In his curans mitigavit dolorem ipsorum [2]. *Et post quatuor versus :* Fili, in tua infirmitate non desperes; sed ora Dominum, et ipse curabit te. Averte a delicto, et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum. *Et post unum versum :* Et impingua oblationem, et da locum medico; etenim illum Dominus creavit : et non discedat a te; quoniam opera ejus sunt necessaria. Est enim quando in manus illorum incurras : ipsi vero Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum et sanitatem propter conversationem illorum [3]. *Et post unum versum :* Fili, in mortuum produc lacrymas, et quasi dira passus incipe plorare. Et secundum judicium contege corpus illius, et non despicias sepulturam illius. Propter delaturam amare fer luctum illius una die, et consolare propter tristitiam; et fac luctum secundum meritum ejus uno die vel duobus, propter detractionem. A tristitia enim festinat mors, et cooperiet virtutem, et tristitia cordis flectet cervicem. *Et post unum versum :* Non dederis in tristitiam cor tuum. *Et post novem versus :* Sapientia scribæ in tempore vacuitatis, et qui minoratur actu sapientiam percipiet.

Et paulo post [xxxix.] : In voce dicito, Obaudite me, divini fructus aquarum, et quasi rosa plantata super rivum fructificate [4]. Quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores quasi lilium, date odorem, et frondete in gratiam, et collaudate canticum, et benedicite Dominum in operibus suis. Date magnificentiam nomini ejus, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum, in canticis labiorum et citharis; et sic dicetis in confessione : Opera Domini universa bona valde. In verbo ejus stetit aqua sicut congeries, et in sermone oris ejus sicut exceptoria aquarum. Quoniam in præcepto ipsius placor fit, et non est minoratio in salute illius. Opera omnis carnis coram illo, et non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A sæculo et usque in sæculum respiciet [5]; et nihil est mirabile in conspectu ejus. Non est dicere, Quid est hoc? aut quid est illud? omnia enim in tempore suo quærentur.

Et paulo post [xl.] : Gratia sicut paradisus in benedictionibus, et misericordia in sæculum permanet. *Et post duodecim versus :* Fratres in adjutorium in tempore tribulationis, et super eos misericordia liberabit.

Et post paululum [xli.] : Sapientia enim abscondita, et thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque? Melior est homo qui abscondit stultitiam suam, quam homo qui abscondit sapientiam suam.

Et aliquando post [lxiii.] : Benedicentes Dominum,

[1] Sacra Biblia : *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, et exclamatio ejus super deducentem eas?*

[1] In sacris Bibliis, *medicamenta,*

[2] Vulgata : *Mitigabit dolorem, et unguentarius ipsorum.* Præterea in v. 9, pro, *non desperes*, habet, *ne despicias teipsum.*

[3] Mss., *propter conversionem illorum.*

[4] In Vulgata habetur : *Dicit, Obaudite me, divini fructus et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.*

[5] Vulgata, *respicit.*

exaltate illum quantum potestis; major est omni laude Exaltantes eum replemini virtute.

Et post multa [LI.] : Appropiate ad me, indocti, et congregamini in domum disciplinæ. Quid adhuc retardatis? et quid adhuc dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer. Aperui os meum, et locutus sum : Comparate vobis sine argento sapientiam [1], et collum vestrum subjicite jugo, et suscipiet anima vestra disciplinam. In proximo enim est invenire eam. Videte oculis vestris, quoniam modice laboravi, et inveni mihi multam requiem. Assumite disciplinam in multo numero argenti, et copiosum aurum possidete in ea. Lætetur anima vestra in misericordia ejus, et non confundemini in laude ipsius. Operamini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

De libro Tobiæ ista ponenda credidimus.

DE TOBIÆ LIBRO.

[Cap. IV.] Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus. Memor enim esse debes, quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo. *Et post duos versus :* Omnibus autem diebus vitæ tuæ Deum in mente habe, et cave ne aliquando peccato consentias, et prætermittas præcepta Dei tui. Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum fuerit, etiam exiguum libenter impertire stude. Præmium enim tibi bonum thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, et non patitur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus, qui faciunt eam. Attende tibi, fili, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Superbiam autem nunquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas : in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quicumque aliquid tibi operatus fuerit, statim mercedem ei restitue; et merces mercenarii apud te omnino non maneat. Quod ab alio odis fieri tibi, vide ne alteri tu aliquando facias. Panem tuum cum esurientibus egenis comede, et de vestimentis tuis nudos tege. *Et post duos versus :* Consilium semper a sapiente perquire. Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo, ut vias tuas dirigat, et omnia consilia tua in ipso permaneant. *Et post septem versus* [2] : Noli timere, fili mi : pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene.

Et post multa [XII.] : Tunc Raphael dixit eis occulte : Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini illi, quoniam fecit vobiscum misericordiam suam. Etenim sacramentum regis abscondere bonum est : opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quam thesauros auri recondere. Quoniam eleemosyna a morte liberat, et ipsa est quæ purgat peccata, et facit invenire vitam æternam. Qui autem faciunt peccatum et iniquitatem, hostes sunt animæ suæ.

Et paulo post [XIV.] : Audite ergo, filii mei, patrem vestrum : Servite Domino in veritate et inquirite ut faciatis quæ sunt placita illi; et filiis vestris mandate, ut faciant justitias et eleemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore, in veritate et in tota virtute sua.

Jam nunc quoniam non omnes libri canonici Veterisque Testamenti [1] *huic operi nostro necessaria dederunt; neque ii qui dederunt ex omnibus suis locis conveniebat ut darent, sed ex eis tantum ubi apertiora morum bonorum præcepta comperimus; sive ubi utilia jubentur, sive ubi contraria prohibentur : ad sacras Litteras evangelicas et apostolicas transeamus. Caput in canone Testamenti Novi notissima et præclarissima quatuor Evangelia tenuerunt, in quorum primo, quod secundum Matthæum est, ea quæ nobis sunt ad hoc opus, quod suscepimus, congrua, videamus.*

DE EVANGELIO SECUNDUM MATTHÆUM.

[Cap. V.] Videns autem Dominus turbas, ascendit in montem : et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et aperiens os suum docebat eos, dicens : Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites; quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes; quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde; quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici; quoniam filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines [2], et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me : gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis; sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos. Vos estis sal terræ : quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita : neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio; sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Nolite putare quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas : non veni solvere, sed adimplere. Amen dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum, aut unus apex non præteribit a Lege donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Dico autem vobis, quoniam nisi abundaverit justitia vestra plus quam

[1] Vox, *sapientiam*, abest a Mss. necnon a sacris Bibliis.
[2] Regius Ms.: *Et post* VIII *versus.*

[1] In Regio codice, *veteresque huic operi :* prætermissa voce, *Testamenti.*
[2] Vox, *homines*, abest a Carnutensi codice necnon a sacris Bibliis.

Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Audistis quia dictum est antiquis, Non occides : qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, Reus erit judicio : qui autem dixerit fratri suo, Racha ; reus erit concilio : qui autem dixerit, Fatue ; reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te ; relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres [1] munus tuum. Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo ; ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde donec reddas novissimum quadrantem. Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Expedit enim tibi ut unum pereat membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur [2] in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te. Expedit enim tibi ut unum pereat membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum est autem, Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii. Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat. Item audistis quia dictum est antiquis, Non perjurabis : reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est ; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est ; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis ; neque per caput tuum juraveris ; quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est, est ; Non, non : quod autem his abundantius est, a malo est. Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo ; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram : et ei qui vult tecum in judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et quicumque te angariaverit ire mille passus, vade cum illo alia duo. Qui petit a te, da ei : et volentem [3] mutuari a te, ne avertaris. Audistis quia dictum est [4], Diliges proximum tuum, et odies inimicum tuum. Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderunt, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos : ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super malos et bonos, et pluit super justos et injustos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.

[VI.] Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in absconso : et Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare ; ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cum oraveris [1], intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum in absconso : et Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici : putant enim quia in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis, scit enim Pater vester quid opus sit vobis [2], antequam petatis eum. Sic ergo orabitis : Pater noster qui es in cœlis ; sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Panem nostrum supersubstantialem [3] da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem : sed libera nos a malo. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra. Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, et lava faciem tuam ; ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo qui est in absconso : et Pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. Lucerna corporis tui est oculus [4]. Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit : si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget ; aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et

[1] Regius codex, *offer* ; juxta græcum, *prosphere*.

[2] Mss., *eat*.

[3] Sic editi et Mss. codices hujus operis ; juxta græcum, *tòn théionta apò soû daneisasthai*. At Vulgata, *volenti mutuari a te*. Postea vero Regius codex pro, *ne avertaris*, habet [illegible].

[4] [illegible] hic, *antiquis* : quæ vox a Mss. abest et a sacris Bibliis.

[1] In Ms. Carnutensi et antiquis Corb. Bibl., *cum orabis*. Hoc eodem versiculo post, *ostio*, additur, *tuo*, in Corb. Bibl. et in græco.

[2] Regius codex, *quibus opus sit vobis*. Græc., *hôn chreian echete*.

[3] Editi, *quotidianum*. At Mss. cum sacris Bibliis, *supersubstantialem*.

[4] Sic omnes codices hujus Speculi. At Vulgata : *Lucerna corporis tui est oculus tuus*. Græca autem littera non sonat aliud quam : *Lucerna corporis est oculus*.

mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester cœlestis pascit illa : nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. Si autem fenum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos modicæ fidei [1]? Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt : scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi : sufficit diei malitia sua.

[VII.] Nolite judicare, ut non judicemini. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo, Sine ejiciam festucam de oculo tuo : et ecce trabes est in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo; et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos. Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Aut quis ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester, qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite eis : hæc est enim Lex et Prophetæ. Intrate per angustam portam; quia lata porta et spatiosa via, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via, quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor, fructus malos facit. Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in tuo nomine dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos : discedite a me qui operamini iniquitatem. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram : et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt [1] in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat supra petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam supra arenam : et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina ejus magna.

Et paulo post [X.] : Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam : dignus est enim operarius cibo suo. In quamcumque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit, et ibi manete donec exeatis. Intrantes autem in domum, salutate eam dicentes, Pax huic domui [2]. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super illam : si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertetur. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras, de domo vel de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum, et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et ad præsides et reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini; sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient. Et eritis odio omnibus hominibus [3] propter nomen meum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis [4] civitates Israel, donec veniat Filius hominis. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister

[1] Sic Mss. juxta Vulgatam. At editi, *minimæ fidei*

[1] Mss., *inciderunt*. Græc., *prosépeson*.

[2] Sic editi juxta Vulgatam. At Mss. carent his verbis, *dicentes, Pax huic domui*; quæ nec in græco textu habeatur, nec apud Hieronymum. Quin imò cum Hieronymus eum in locum dicit, « Occulte salutationem hebræi ac syri sermonis « expressit; » significat salutationis formulam explicite prolatam a Matthæo non fuisse, sed tantum implicite, eo videlicet quod subsequitur, *veniet pax vestra super eam*. Sed exprimitur a Luca, cap. 10, v. 5.

[3] vox, *hominibus*, abest a Regio codice, necnon a græco textu, et a Vulgata : sed exstat tamen in vetustis Corb. Bibliis.

[4] Regius codex, *mensurabilis*

ejus; et servo, sicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus? Ne ergo timueritis eos. Nil enim opertum est quod non revelabitur, et occultum quod non scietur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicate super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem et capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus meliores estis vos. Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam; et inimici hominis, domestici ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet illam; et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Qui recipit vos, me recipit; et qui me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Et paulo post [xi.]: Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus, dicunt: Cecinimus vobis, et non saltastis; lamentavimus, et non planxistis. Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens; et dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, et bibens; et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis. *Et post paululum:* Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis; et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve est.

Item post paululum [xii.]: Si autem sciretis quid est, Misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. *Et post paululum:* Qui non est mecum, contra me est; et qui non congregat mecum, spargit. Ideo dico vobis, omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor cognoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona [1]; et malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.

Et post aliquantum [xv.]: Audite, et intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. *Et paulo post:* Respondens autem Petrus, dixit ei, Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit, Adhuc et vos sine intellectû estis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur: quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem? De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ Hæc sunt quæ coinquinant hominem: non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

Item post aliquantum [xvi.]: Tunc dixit Jesus discipulis suis, Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

Item aliquanto post [xviii.]: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Væ mundo a scandalis! Necesse est enim ut veniant scandala: verumtamen væ homini per quem scandalum venit! Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, et projice abs te. Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum [2], quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te. Bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico autem vobis, quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est. Venit enim Filius hominis sal-

[1] Vulgata non habet, *cordis sui:* licet græcus textus ferat, *tês kardias*, addito in quibusdam codicibus *autoû*, ut apud Chrysostomum.

[2] In editis omissum fuerat, *vel claudum;* quod hic in Mss uti et in sacris Bibl. reperitur.

vare quod perierat. *Et paulo post* : Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum : si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos; ut in ore duorum testium, vel trium, stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ : si autem et Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo ; et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit : Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus : Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis : et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus qui debebat decem millia talenta; cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus venumdari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi. Procidens autem servus ille orabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, et tenens suffocabat eum dicens : Redde quod debes. Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Ille autem noluit ; sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde ; et venerunt, et narraverunt domino suo omnia, quæ facta fuerant. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me ; nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Et iratus dominus ejus, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Et paulo post [XIX.] : Et accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes eum, et dicentes : Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? Qui respondens ait eis : Non legistis quia qui fecit [1] ab initio, masculum et feminam fecit eos ; et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ ; et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Dicunt illi : Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere? Ait illis : Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras ; ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur ; et qui dimissam duxerit, mœchatur. Dicunt illi discipuli ejus : Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit : Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt ; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus ; et sunt eunuchi qui seipsos eunuchizaverunt propter regnum cœlorum : qui potest capere, capiat. Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret : discipuli autem increpabant eos. Jesus vero ait eis : Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire. Talium est enim regnum cœlorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. Et ecce unus accedens ait illi : Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei : Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Si autem vis ingredi ad vitam, serva mandata. Dicit ei : Quæ? Jesus autem dixit : Non homicidium facies, Non adulterabis, Non facies furtum, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum et matrem, et, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dicit illi adolescens : Omnia hæc custodivi [1], quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus : Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo ; et veni, sequere me. Cum autem audisset verbum adolescens, abiit tristis : erat enim habens multas possessiones. Jesus autem dixit discipulis suis : Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis : Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum. Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes : Quis ergo potest salvus esse? Aspiciens autem Jesus, dixit illis : Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt. Tunc respondens Petrus dixit ei : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

Et paulo post [XX.] : Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis.

Et aliquanto post [XXII.] : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo. *Et alibi* : Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum. In

[1] Editi, *quia qui fecit hominem*. At Mss. carent voce, *hominem*; quam addere non solet Augustinus, uti jam a nobis observatum fuit : quanquam vero hæc vox nunc in Vulgata exstet, abest tamen ab antiquis Corb. Bibliis, et a græco.

[1] Vulgata in excusis addit, *a juventute mea* : quod hic loci non habet Augustini Speculum, neque vetusta Corb. Biblia, nec textus græcus.

his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetæ.

Et post paucos versus [XXIII.]: Tunc Jesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt. Alligant autem onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere. Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus rabbi. Vos autem nolite vocari rabbi: unus est enim magister vester; omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vobis vocare super terram: unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. Nec vocemini magistri; quia magister vester unus est Christus. Qui major est vestrum, erit minister vester. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur. *Et paulo post:* Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentham et anethum et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt Legis; judicium, et misericordiam, et fidem. Hæc oportuit facere, et illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod de foris est calicis et paropsidis; intus autem pleni sunt rapina, et omni immunditia [1]. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat et id quod de foris est mundum. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia ædificatis sepulcra Prophetarum, et ornatis monumenta justorum; et dicitis, Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum qui Prophetas occiderunt: et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? Ideo [2], ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas; et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem: ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam.

Et paulo post [XXIV.]: Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. ***Et post aliquantum:*** Estote parati, quia nescitis qua hora [1] Filius hominis venturus est. Quis putas est fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suus supra familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo, Moram facit Dominus meus venire; et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriis: veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat; et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis: illic erit fletus et stridor dentium.

Et post paululum [XXV.]: Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. ***Item post paululum:*** Cum autem venerit filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo; tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis; et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet rex iis qui a dextris ejus erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: nudus, et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me. Tunc respondebunt ei justi dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te; sitientem, et dedimus tibi potum? Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te; aut nudum, et cooperuimus? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te? Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet et iis qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi potum: hospes fui, et non collegistis me: nudus, et non cooperuistis me: infirmus, et in carcere, et non visitastis me. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et sitientem, et hospitem, aut nudum, aut infirmum, vel in carcere, et non ministravimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.

Et post aliquantum [XXVI.]: Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem.

DE EVANGELIO SECUNDUM MARCUM.

[CAP. VII.] Advocans iterum turbam, dicebat illis: Audite me omnes, et intelligite. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare; sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem. Si quis habet aures audiendi, au-

[1] Regius Ms., *plena sunt rapina*, etc. Græc., *gémousin ex arpagês.* Vulgata, *pleni estis rapina et immunditia:* prætermisso, *omni*, quod nec in græco legitur.

[2] Editi, *ideo dico vobis*. At Mss. et sacra Biblia carent, *dico vobis*.

[1] Sacra Biblia, *quia qua nescitis hora.*

diu. Et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli ejus parabolam. Et ait illis : Sic et vos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare [1]; quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem [2], et in secessum exit, purgans omnes escas? Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem. Ab intus enim de corde hominum exeunt [3] cogitationes malæ, procedunt adulteria, fornicationes, homicidia, furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus, blasphemiæ, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, et communicant hominem.

Et alio loco [VIII.] : Convocata turba cum discipulis suis, dixit eis : Si quis vult me sequi [4], deneget seipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem perdiderit animam suam propter me et Evangelium, salvam eam faciet. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum faciat animæ suæ? aut quid dabit homo commutationem pro anima sua? Qui enim me confusus fuerit et mea verba in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundet eum [5] in gloria Patris sui cum Angelis suis.

Et alibi [IX.] : Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum; quem cum complexus esset, ait illis : Quisquis unum ex hujusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit; et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum qui me misit. *Et paulo post :* Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ [6] in nomine meo, quia christi estis; amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur. *Et post paululum :* Habete in vobis salem, et pacem habete inter vos.

Et paulo post [X.] : Et accedentes Pharisæi interrogabant eum, Si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum. At ille respondens, dixit eis : Quid vobis præcepit Moyses? Qui dixerunt : Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere. Quibus respondens Jesus ait : Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud; ab initio autem creaturæ masculum et feminam fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. Et dicit illis : Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam; et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur. *Et post quatuor versus :* Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos. Talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis, quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos. Et cum egressus esset in viam, præcurrens [1] quidam genu flexo ante eum, rogabat eum : Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit ei : Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus. Præcepta nosti? Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum et matrem. At ille respondens, ait illi : Magister, hæc omnia servavi a juventute mea. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum; et dixit illi : Unum tibi deest : vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me. Qui contristatus in verbo, abiit mœrens : erat enim habens multas possessiones. Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis : Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens, ait illis : Filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire! Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur, dicentes ad seipsos : Et quis potest salvus fieri? Et intuens illos Jesus, ait : Apud homines impossibile est, sed non apud Deum : omnia enim possibilia sunt apud Deum. Et cœpit Petrus ei dicere : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Respondens Jesus ait : Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut matrem, aut patrem, aut filios, aut agros propter me et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc; domus, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus; et in sæculo futuro vitam æternam. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. *Et paulo post :* Scitis quia ii qui videntur principari Gentibus, dominantur eis, et principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis : sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister; et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis.

Et aliquanto post [XI.] : Et respondens Jesus, ait eis : Habete fidem Dei; amen dico vobis, quicumque dixerit huic monti, Tollere et mittere in mare; et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, Fiat, fiet ei. Propterea dico vobis : Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et venient [2] vobis. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem; ut et Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in cœlis est, dimittet vobis peccata vestra.

[1] Ven., *coinquinare;* et paulo post, *coinquinant.* M.
[2] Vulgata, *sed in ventrem vadit.*
[3] Verbum, *exeunt*, abest a Vulgata : sed exstat in codicibus hujus speculi, e quibus Regius Ms. post, *cogitationes malæ*, prosequitur, *inde procedunt.*
[4] Regius codex juxta græcum, *post me sequi :* sic etiam antiqua Corb. Biblia.
[5] Vulgata, *confundetur eum.*
[6] In editis addebatur, *frigidæ :* quod abest a Mss. et a sacris Bibliis.

[1] Vulgata, *procurrens.* Græc., *prosdramôn, accurrens.*
[2] Vulgata, *et evenient.*

Item post aliquantum [XII.] : Respondens autem Jesus, dixit illis : Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo. *Et alio loco :* Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, et videns quia bene illis responderit, interrogavit eum, quod esset primum omnium mandatum. Jesus autem respondit ei, Quia primum omnium mandatum est, Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est ; et, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua : hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi : Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est. Et ait illi Scriba : Bene, magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum ; et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine : et diligere proximum tanquam seipsum, majus est omnibus holocaustomatibus et sacrificiis. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi : Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare. *Et paulo post :* Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro, et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in cœnis : qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis, hi accipiunt [1] prolixius judicium. Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium : et multi divites jactabant multa. Cum venisset autem una vidua pauper, misit duo minuta, quod est quadrans : et convocans discipulos, ait illis, Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt ; hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum.

Et paulo post. [XIII] : Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini, sed quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquimini. Non enim estis vos loquentes, sed Spiritus sanctus. *Et post paululum:* Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit. *Et alio in loco :* Videte, vigilate, et orate ; nescitis enim quando tempus sit. Sicut homo qui peregre profectus, reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet. Vigilate ergo : nescitis enim quando dominus domus veniat; sero, an media nocte, an galli cantu, an mane : ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, Vigilate.

DE EVANGELIO SECUNDUM LUCAM.

[Cap. II.] Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Et aliquanto post [III.] : Et interrogabant eum turbæ, dicentes, Quid ergo faciemus? Respondens autem, dicebat illis : Qui habet duas tunicas, det non habenti ; et qui habet escas, similiter faciat. Venerunt autem et publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum : Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos : Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciatis. Interrogabant autem eum et milites, dicentes : Quid faciemus et nos? Et ait illis : Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris.

Et post aliquantum [VI.] : Beati pauperes ; quia vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis ; quia saturabimini. Beati qui nunc fletis ; quia ridebitis. Beati eritis, cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter Filium hominis. Gaudete in illa die, et exsultate ; ecce enim merces vestra multa est in cœlo : secundum enim hæc faciebant Prophetis patres eorum. Verumtamen væ vobis divitibus quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui saturati estis ; quia esurietis. Væ vobis qui ridetis nunc ; quia lugebitis, et flebitis. Væ cum benedixerint vobis ; omnes homines [1] : secundum hæc faciebant pseudoprophetis patres eorum. Sed vobis dico, qui auditis : Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui vos oderunt. Benedicite maledicentibus vobis. Orate pro calumniantibus vos. Et qui te percutit in maxillam, præbe et alteram ; et ab eo qui aufert tibi vestimentum tuum, etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te, tribue ; et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas. Et prout vultis ut faciant vobis homines, facite illis similiter. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam et peccatores diligentes se diligunt. Et si benefeceritis iis qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis iis a quibus speratis recipere, quæ gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fenerant, ut recipiant æqualia. Verumtamen diligite inimicos vestros ; benefacite, et mutuum date nihil inde sperantes : et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi ; quia ipse benignus est super ingratos et malos. Estote ergo misericordes, sicut et Pater vester misericors est. Nolite judicare, et non judicabimini. Nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittemini. Date, et dabitur vobis. Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis et similitudinem : Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus super magistrum : perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo, Frater, sine ejiciam festucam de oculo tuo ; ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui. Non est enim arbor bona quæ facit fructus ma-

[1] Vulgata, *accipient.*

[1] Vox, *omnes*, abest nunc a Vulgata ; sed exstabat in antiquis Corb. Bibliis, et in græco.

los, neque arbor mala faciens fructum bonum [1]. Unaquæque arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvas. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia cordis os loquitur. Quid autem vocatis me, Domine, Domine; et non facitis quæ dico? Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum supra petram. Inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere; fundata enim erat super petram. Qui autem audit, et non facit, similis est homini ædificanti domum suam supra terram sine fundamento: in quam illisus est fluvius, et continuo cecidit, et facta est ruina domus illius magna.

Et post aliquantum [VII.]: Cui ergo similes dicam homines generationis hujus? et cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus: Cantavimus vobis tibiis [2], et non saltastis; lamentavimus, et non plorastis. Venit enim Joannes Baptista neque manducans panem, neque bibens vinum; et dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans, et bibens; et dicitis: Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum et peccatorum. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

Item post aliquantum [VIII.]: Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam sunt, ii sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Nam qui supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum; et hi radices non habent, quia [3] ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, ii sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, ii sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit; sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. Non enim est occultum quod non manifestetur, nec absconditum quod non cognoscatur, et in palam veniat. Videte ergo quomodo audistis [4]. Qui enim habet dabitur illi; et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

Et post aliquantum [IX.]: Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. *Item post aliquantum:* Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie [1] et sequatur me. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam. Nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui fiat [2]? Nam qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum. *Et alio loco:* Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset. At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendens puerum statuit eum secus se, et ait illis: Quincumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit; et quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter omnes vos, hic major est. *Et post aliquantum:* Ait autem ad alterum, Sequere me. Ille autem dixit: Domine, permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum. Dixitque ei Jesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, annuntia regnum Dei. Et ait alter: Sequar te, Domine; sed primum permitte mihi renuntiare iis qui [3] domi sunt. Ait ad illum Jesus: Nemo mittens manum suam in aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.

Et post paululum [X.]: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem domo manete edentes et bibentes quæ apud illos sunt; dignus enim est operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæcumque apponuntur vobis; et curate infirmos qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei. In quamcumque civitatem intraveritis, et non receperint vos, exeuntes in plateas ejus dicite: Etiam pulverem qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos; tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit quam illi civitati. *Et post paululum:* Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. *Et post paululum:* Ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum, et dicens: Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est?

[1] Regius codex, *fructus bonos.*
[2] In Regio ms. deest hic, *tibiis:* neque additur ista vox Matth. 11, v. 17: cum tamen græcum, *êulêsamen*, quod verbum utroque loco habetur, non sit simpliciter, *cecinimus*, sed, *cecinimus tibiis.*
[3] In sacris Bibliis, *qui ad tempus.*
[4] Vulgata in excusis, *audiatis.* In antiquis autem Corb. Bibliis, *auditis.*

[1] In Mss. Regio et Carnutensi non additur, *quotidie.*
[2] Vulgata, *faciat.*
[3] Sic etiam in Corb. Bibliis habebat Vulgata; licet nunc in excusis ferat, *his quæ domi sunt;* neutro genere, non masculino.

quomodo legis? Ille respondens dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut teipsum. *Et paulo post :* Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter. *Et post paululum :* Martha, Martha, sollicita es et turbaris erga plurima : porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Item post paululum [xi.] : Cum oratis, *inquit*, dicite, Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie [1]. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. Et ait ad illos : Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum : et ille de intus respondens, dicat : Noli mihi molestus esse : jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili; non possum surgere et dare tibi. Et ille si perseveraverit pulsans, dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit; propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego vobis dico : Petite et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? aut piscem, numquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem? Si ergo, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se. *Et paulo post :* Factum est autem cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At ille dixit : Imo beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. *Et paulo post :* Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se : et ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait Dominus ad illum : Nunc vos, Pharisæi, quod de foris est calicis et catini, mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod de foris est, etiam quod intus est fecit? Verumtamen quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et præteritis judicium et charitatem Dei. Hæc autem oportuit facere, et illa non omittere. Væ vobis, Pharisæi, quia diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro. Væ vobis, quia estis ut monumenta quæ non parent, et homines ambulantes supra nesciunt. Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi : Magister, hæc dicens, etiam nobis contumeliam facis. At ille ait : Etiam vobis legisperitis væ; quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt [1], et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas.

Et alio loco [xii.] : Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. *Et paulo post :* Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab iis qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis. Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam : ita dico vobis, hunc timete. Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo? Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere; multis passeribus pluris estis. Dico autem vobis : Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur in illo [2] coram Angelis Dei; qui autem negaverit me coram hominibus, denegabitur coram Angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi : ei autem qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur. Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus, et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis : Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora, quæ oporteat dicere. Ait autem ei quidam de turba : Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. At ille dixit ei : Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem supra vos? Dixitque ad illos : Videte, et cavete ab omni avaritia; quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens : Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit; et cogitabat intra se, dicens, Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit, Hoc faciam : destruam horrea mea, et majora faciam, et illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, et bona mea; et dicam animæ meæ, Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem parasti cujus erunt? Sic est omnis qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives. Dixitque ad discipulos suos : Ideo dico vobis, nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis; neque corpori, quid vestiamini. Anima plus est quam esca, et corpus quam vestimentum. Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt; quibus non est cellarium, neque horreum; et Deus pascit illos : quanto magis vos pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis? Considerate lilia [3] quomodo crescunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, nec Salomon in omni

[1] In vetustis Corb. Bibliis, *quotidie*; juxta græc., *to kath' êméran.*

[1] Regius codex hic, *quæ portari non possunt.* Sic etiam antiqua Corb. Biblia. Græcus vero textus, *dusbastacta* : id est, difficilia portatu.

[2] Ita codices omnes hujus Speculi; juxta græcum, *homologêsei en autô*, qui etiam proxime ante habet, *hos an homologêsê en emoi.*

[3] Editi, *lilia agri.* Abest, *agri*, a Regio Ms. necnon a sacris Bibliis, quæ eadem voce etiam in subsequenti versiculo carent.

gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. Si autem fenum agri quod hodie in agro est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos pusillæ fidei? Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis; et nolite in sublime tolli. Hæc enim omnia gentes mundi inquirunt: Pater autem vester scit quoniam his indigetis. Verumtamen quærite regnum Dei [1], et hæc omnia adjicientur vobis. Nolite timere, pusillus grex; quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis; quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester, ibi et cor vestrum erit. *Et post paululum :* Et vos estote parati; quia qua hora non putatis Filius hominis veniet [2]. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit ita facientem. Vere dico vobis, supra omnia quæ possidet, constituet illum. Quod si dixerit servus ille in corde suo, Moram facit dominus meus venire, et cœperit percutere pueros et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari: veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo; et cui commendaverunt multum, plus repetunt ab eo. *Item paulo post :* Hypocritæ, faciem terræ et cœli nostis probare; hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem et a vobis ipsis non judicatis quod justum est?

Et aliquanto post [XIII.]: Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt.

Et alio loco [XIV.]: Dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco; ne forte honoratior te sit invitatus ab eo, et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi, Da huic locum; et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco; ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi, Amice, ascende superius: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Dicebat autem et ei qui se invitaverat: Cum facis prandium vel cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites; ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, cæcos; et beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in retributione [1] justorum. *Et paulo post :* Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; ne posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui vident incipiant illudere ei, dicentes quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare? Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Et post aliquantum [XVI.]: Et ego vobis dico, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis; quod vestrum est quis dabit vobis [2]? Nemo servus potest duobus dominis servire: aut enim unum odiet, et alterum diliget; aut uni adhærebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et mammonæ. Audiebant autem hæc omnia Pharisæi, qui erant avari; et deridebant illum. Et ait illis: Vos estis qui justificatis vos coram hominibus; Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. *Et post paucos versus :* Omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, mœchatur.

Et post paululum [XVII.]: Impossibile est ut non veniant scandala; væ autem illi per quem veniunt! Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis. Attendite vobis: si peccaverit frater tuus, increpa illum; et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi.

Et alio loco [XVIII.]: Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum ut orarent; unus Pharisæus, et alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri ho-

[1] Vulgata habet nunc, *quærite primum regnum Dei et justitiam ejus :* at in antiquis Corb. Bibl. carebat his verbis, *primum, et justitiam ejus ;* quæ a græco etiam textu absunt, et ab omnibus codicibus hujus speculi.

[2] In Mss. et in antiquis Corb. Bibliis, *venit*. In græco, *erchetai*.

[1] Vulgata, *in resurrectione*. Græc., *en tê anastasei*.

[2] Locus ex sacris Bibliis redintegrandus hunc in modum: *Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis; quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis; quod vestrum est, quis dabit vobis?*

minum, raptores, injusti, adulteri, veluti etiam hic Publicanus : jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Et Publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare; sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. Jesus autem convocans illos, dixit : Sinite pueros venire ad me, et nolite eos vetare. Talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis, quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. Et interrogavit eum quidam princeps, dicens : Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo? Dixit autem Jesus : Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus. Mandata nosti? Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum et matrem. Qui ait : Hæc omnia custodivi a juventute mea. Quo audito, Jesus ait ei, Adhuc tibi unum deest : omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me. His ille auditis, contristatus est; quia dives erat valde. Videns autem illum Jesus tristem factum, dixit : Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. Et dixerunt qui audiebant : Et quis potest salvus fieri? ait illis : Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Qui dixit eis : Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei, et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam.

Et alibi [XIX.] : Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait Jesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod et ipse filius est Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat.

Et post aliquantum [XX.] : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, Deo. *Et alio loco :* Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis : Attendite a Scribis, qui ambulare volunt in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis; qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem : hi accipient damnationem majorem.

[XXI.] Respiciens autem vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium divites : vidit autem et quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo; et dixit, Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quam omnes misit. Nam et omnes hi ex abundanti sibi miserunt in munera Dei : hæc autem ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit. *Item alio loco :* Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis; et eritis odio omnibus propter nomen meum : et capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Et post aliquantum :* Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra a crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa. Tanquam enim laqueus superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere omnia ista, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis.

Item post aliquantum [XXII.] : Facta est autem contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis : Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut junior [1]; et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat. *Et alio in loco :* Orate ne intretis in tentationem.

DE EVANGELIO SECUNDUM JOANNEM.

[Cap. V.] Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quæ a solo Deo est non quæritis?

Et post aliquantum [VIII.] : Dixit autem Jesus, Nec ego te condemnabo. Vade, et amplius jam noli peccare. *Et paulo post* : Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. *Et post paululum :* Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati. *Et alibi :* Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, non videbit mortem in æternum.

Et post aliquantum [XII.] : Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. *Et alio loco :* Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.

Et alibi [XIII.] : Vos vocatis me, Magister, et Domine; et bene dicitis, sum etenim : si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. *Et paulo post* : Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

Et paulo post [XIV.] : Si diligitis me, mandata mea servate. *Et post paululum :* Qui habet mandata mea

[1] Editi cum Vulgata, *sicut minor*. At Mss., *sicut junior* : sicque etiam in antiquis Corb. Bibliis; juxta græcum, *hôs ô neôteros*.

et servat ea, ille est qui diligit me : qui autem diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. *Et post tres versus* [1] : Si quis diligit me, sermonem meum servabit ; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat.

Et paulo post [xv.] : Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite ; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, et arescet ; et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint ; quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos : manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea : sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam quis ponat pro amicis suis. *Et paulo post :* Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.

Hæc de quatuor Evangeliis in hoc opere ponenda existimavi : ubi intelligi potest, tres evangelistas, Matthæum scilicet et Marcum et Lucam, ideo nobis plura dedisse præcepta vivendi ; quia eam maxime secuti sunt partem, quæ activa dicitur. Quia vero Joannes contemplativam magis tenuit, ideo cum ejus evangelium superemineat cæteris, multo pauciora tamen in eo morum præcepta comperimus. Hinc jam de illo libro cui titulum dederunt, Actus Apostolorum, commemorabimus quæ invenimus omnino paucissima. Eo quippe rerum gestarum continetur historia, quibus ædificatur fides, magisque ibi exempla quam præcepta conscripta sunt.

DE LIBRO ACTUUM APOSTOLORUM.

[Cap. xv.] *Jacobus ergo loquens :* Propter quod, *inquit*, ego judico non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Dominum ; sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulacrorum, et fornicatione, et suffocatis, et sanguine. *Et paulo post :* Visum est enim Spiritui sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria ; ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis. Valete.

Et post multa, cum Paulus apostolus præpositis Ecclesiæ, quos congregaverat [2], *loqueretur* [xx.] : Attendite, *inquit*, vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. *Et paulo post idem ad eosdem :* Argentum, aut aurum [1], aut vestem nullius concupivi, ipsi scitis ; quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et iis qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare quam accipere.

Et alio loco, cum Jacobus et qui cum eo erant, Paulo apostolo loquerentur, dixerunt ei [xxi.] : Vides, frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt ; et omnes æmulatores sunt Legis. Audierunt autem de te, quia discessionem doceas a Moyse eorum, qui per Gentes sunt, Judæorum, dicens non debere eos circumcidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est? Utique oportet convenire multitudinem ; audient enim te supervenisse : hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor votum habentes super se ; his assumptis, sanctifica te cum illis, et impende in illis ut radant capita : et scient omnes quia quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens Legem. De iis autem qui crediderunt ex Gentibus, nos scripsimus, judicantes ut abstineant se ab idolis immolato, et sanguine, et suffocato, et fornicatione.

Hæc de libro Actuum Apostolorum, nostro huic operi congruentia, quæ hic poneremus, satis esse comperimus. Ubi videmus Apostolos, eis qui ex Gentibus crediderunt, nulla voluisse onera veteris Legis imponere, quantum attinet ad corporalis abstinentiam voluptatis ; nisi ut observarent ab his tribus, id est, ab eis quæ idolis immolarentur, et a sanguine, et a fornicatione. Unde nonnulli putant tria tantum crimina esse mortifera, idololatriam, et homicidium, et fornicationem ; ubi utique et adulterium, et omnis præter uxorem concubitus intelligitur, quasi non sint mortifera crimina quæcumque alia sunt præter hæc tria, quæ a regno Dei separant, aut inaniter et fallaciter dictum sit, Neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici [2], neque rapaces regnum Dei possidebunt (I *Cor.* vi, 10). *Sed oportet nos repressa disputatione nostra, ad Epistolas apostolicas jam venire, et videre etiam in ipsis quid huic operi convenienter aptetur.*

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

[Cap. i.] Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est, Justus autem ex fide vivit [3]. Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum, qui veritatem [4] in injustitia detinent : quia quod notum est Dei, manifestum est in illis ; Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quo-

[1] Regius codex : *Et post* iii *versus.*
[2] Regius Ms., *quos consecraverat.*

[1] Sic etiam in Corb. Bibliis : at in Bibliis excusis, *et aurum.*
[2] In editis, *malefici.* At in Regio Ms. ut in sacris Bibliis, *maledici.*
[3] Græce est hic et Habac. cap. 2, v. 4, *zêsetai, vivet.*
[4] Hic in Vulgata additur, *Dei;* quæ tamen vox abest a græco.

que ejus virtus et divinitas; ut sint inexcusabiles : quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt : et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium; et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. Similiter autem et masculi relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes; et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia; tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt; repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia; plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate; susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte; non solum qui ea faciunt, sed et qui consentiunt facientibus.

[II.] Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas [1]. Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. Existimas autem hoc, o homo, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quod tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis? Ignoras [2] quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera ejus : his quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam et honorem et incorruptionem quærentibus, vitam æternam; his autem, qui ex contentione [3], et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum et Græci. Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco. *Et post paululum :* Non enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur. *Item paulo post :* Qui ergo alium doces, teipsum non doces : qui prædicas non furandum, furaris, qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis; qui in Lege gloriaris, per prævaricationem Legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est.

Et aliquanto post [V.] : Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum : per quem et accessum habemus fide in gratia ista [1], in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Et alio loco [VI.] : Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato : sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes, et membra vestra arma justitiæ Deo. *Et post paululum :* Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.

Et alio loco [VIII.] : Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. *Et post paululum :* Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatiamur, ut et conglorificemur. *Et post paululum :* Si autem quod non videmus, speramus; per patientiam exspectamus. *Et post paucos versus* Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Et paulo post :* Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Sicut scriptum est, Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus ut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus [2], neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

Et alio loco [X.] : Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura, Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi et Græci. Nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Et alio loco [XI.] : Tu autem fide sta [3] : noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non

[1] Am. et Er., *qui judices.* Græc., *ho krinôn.*
[2] In vetustis Corb. Bibliis participium est, *ignorans :* juxta græcum, *agnoôn.*
[3] Vulgata in excusis, *quærunt vitam æternam; his autem qui sunt ex contentione :* at illa in antiquis Corb. Bibliis, nihil differt ab hoc Speculo.

[1] In sacris Bibliis, *per fidem in gratiam istam.*
[2] Hic sacra Biblia addunt, *neque virtutes.*
[3] Vulgata, *stas.* Græc., *estêcas.*

pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem et severitatem Dei : in eos quidem qui ceciderunt, severitatem ; in te autem bonitatem [1], si permanseris in bonitate.

Et paulo post [XII.] : Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Et nolite conformari huic sæculo ; sed reformamini in novitate sensus vestri : ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et placens, et perfecta. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes ; sive prophetiam secundum rationem fidei ; sive ministerium, in ministrando ; sive qui docet, in doctrina ; qui exhortatur, in exhortando ; qui tribuit, in simplicitate ; qui præest, in sollicitudine ; qui miseretur, in hilaritate : dilectio sine simulatione, odientes malum, adhærentes bono ; charitatem [2] fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes ; sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorum communicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos, benedicite, et nolite maledicere. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Idipsum invicem sentientes. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. Nulli malum pro malo reddentes : providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non vosmetipsos defendentes, charissimi ; sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

[XIII.] Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt [3]. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem ? Bonum fac, et habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Ideo necessitate subjecti estote, non solum propter iram, sed et propter conscientiam. Ideo enim et tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. Reddite omnibus debita ; cui tributum, tributum ; cui vectigal, vectigal ; cui timorem, timorem ; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, Legem implevit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo Legis est dilectio. Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis : sicut in die, honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione ; sed induimini Dominum Jesum Christum. Et carnis curam ne feceritis in desideriis.

[XIV.] Infirmum autem in fide [1] assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit manducare omnia : qui autem infirmus est, olera manducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat : et qui non manducat, manducantem non judicet ; Deus enim illum assumpsit. Tu quis es qui judices alienum servum ? Suo domino stat, aut cadit : stabit autem ; potens est enim Deus statuere illum. Nam alius judicat diem inter diem, alius judicat omnem diem. Unusquisque in suo sensu abundet. Qui sapit diem, Domino sapit : et qui manducat, Domino manducat ; gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus : sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus et mortuus est, et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. Tu autem, quid judicas fratrem tuum ? aut tu quare spernis fratrem tuum ? Omnes enim stabimus ante tribunal Dei [2]. Scriptum est enim, Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, et omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius invicem judicemus. Sed hoc magis judicate, ne ponatis offendiculum fratribus vel scandalum. Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. Non enim est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium in Spiritu sancto. Qui enim in hoc servit Christo, placet Deo,

[1] In Vulgata, post, *bonitatem*, additur, *Dei* : quod a græco abest.

[2] Sic olim habuit Vulgata : at nunc emendatius, *charitate*. Item aliquanto infra, loco, *mihi vindictam*, habet, *mihi vindicta*.

[3] In sacris Bibliis, *ordinatæ sunt* : subaudi potestates.

[1] Editi habebant, *in fidem*. At Mss. juxta Vulgatam, *in fide*. Præpositio, *in*, abest a græco.

[2] Vulgata in excusis, *ante tribunal Christi* : at illa cum hoc speculo concordat in antiquis Corb. Bibliis ; in quibus etiam subsequenti versiculo habet, *mihi flectet* ; juxta græcum, *emoi campsei*.

et probatus est hominibus. Itaque quæ pacis sunt, sectemur, et quæ ædificationis sunt in invicem [1]. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem munda sunt; sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum : neque in quo frater tuus offenditur [2], aut scandalizatur, aut infirmatur. Tu fidem habes [3] penes temetipsum? habe coram Deo. Beatus qui non judicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est; quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

[xv.] Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. Unusquisque nostrum [4] proximo suo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus non sibi placuit, sed, sicut scriptum est, Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. Quæcumque autem scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. *Et aliquanto post :* Probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem. Placuit enim eis, et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent et in carnalibus ministrare eis. *Et post paucos versus :* Obsecro igitur vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Spiritus [5], ut ad juvetis me in orationibus pro me ad Deum.

Et paulo post [xvi.] : Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt; et declinate ab eis. Hujusmodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis : sed volo vos sapientes esse in bono, et simplices in malo.

DE EPISTOLA B. PAULI AD CORINTHIOS.

[Cap. I.] Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloes, quia contentiones inter vos sunt. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit, Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ, ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? *Et post paululum :* Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est sapientia nobis a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio : ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Et alio loco [III.] : Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicit, Ego quidem sum Pauli; alius autem, Ego Apollo : nonne homines estis? *Et post paululum :* Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est quod estis vos. Nemo se seducat : si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. Sapientia enim hujus mundi stultitia est apud Deum.

Et post paucos versus [IV.] : Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo. Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo propter vos; ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? *Et post paululum :* Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris. Maledicimur, et benedicimus : persecutionem patimur, et sustinemus : blasphemamur, et obsecramus. Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium peripsema usque adhuc. Non ut confundam vos hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo.

Item post paululum [V.] : Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi satanæ [1] in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini fornicariis : non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus; alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. Nunc autem scripsi vobis, non commisceri, si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens,

[1] In editis et in Vulgata post, *invicem,* additur, *custodiamus :* quod verbum abest a Mss. et ab antiquis Corb. Bibl., nec est in græco.

[2] In Carnutensi Speculi codice et in Corb. Bibliis, *offendit.* In græco, *proscoptei :* id est, impingit.

[3] Er. Lugd. Ven. Lov. ferunt : *Tu fidem quam habes.* M.

[4] Sic Speculi codices, juxta græc., *hêmôn.* At Vulgata, *vestrum.*

[5] Vulgata, *sancti Spiritus.* Abest, *sancti,* a Speculi codicibus, et a græco.

[1] Am. Er. et Ms. Regius omittunt. *satanæ*

aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum ejusmodi nec cibum sumere. Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? Nonne de iis qui intus sunt, vos judicatis? Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.

[VI.] Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles? Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. *Et post paululum :* Nescitis quoniam corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim, inquit, duo in carne una. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis quoniam membra vestra templum est Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo; et non estis vestri? Empti enim estis pretio magno : glorificate et portate Dominum in corpore vestro.

[VII.] De quibus autem scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere : propter fornicationem[1] autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Volo autem omnes homines[2] esse sicut meipsum : sed unusquisque proprium habet donum ex Deo; alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis si sic maneant, sicut et ego. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri. His autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. Nam cæteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier[1] habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis in muliere fideli; et sanctificata est mulier infidelis in viro fideli. Alioquin filii vestri immundi essent : nunc autem sancti sunt. Quod si infidelis discedit, discedat. Non est enim servituti subjectus frater aut soror in ejusmodi : in pace autem vocavit nos Deus. Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies? aut unde scis, vir, si mulierem salvam facies? nisi unicuique sicut divisit Dominus. Unumquemque sicut vocavit Deus ita ambulet; sicut in omnibus Ecclesiis doceo. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et præputium nihil est : sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Servus vocatus es? non sit sibi curæ : sed et si potes liber fieri, magis utere. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini : similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. Pretio empti estis; nolite fieri servi hominum. Unusquisque in quo vocatus est, frater[2], in hoc permaneat apud Deum. De virginibus autem præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti : et si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres : tempus breve est; reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes[3]; et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori; et divisus est. Et mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico : non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi[4]. Si quis autem turpem se vi-

[1] Regius codex, *propter fornicationes*; juxta græcum.
[2] Sic etiam in antiquis Corb. Bibliis, juxta græc. At Vulgata nunc loco, *homines*, habet *vos*.

[1] Hic in Vulgata additur, *fidelis :* quod tamen verbum abest a Corb. Bibliis et a græco.
[2] In sacris Bibliis, *fratres*.
[3] Hoc loco desiderantur isthæc verba, *et qui emunt, tanquam non possidentes*.
[4] In Regio Speculi codice, *observandi :* quod verbum in plerisque Bibliis ante Sixti correctionem habebatur : porro in Corbeiensibus legitur, *Domino observandi;* forte pro, *Domino observiendi*. In græco est, *allà pròs tò euschêmòn*,

deri existimat super virginem suam, quod sit superadulta, et ita oportet fieri; quod vult faciat; non peccat, si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habet suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo servare virginem suam, bene facit. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult, nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. Puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.

[VIII.] De iis autem quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat: charitas vero ædificat. Si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo. *Et post paululum:* Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant; et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si non manducaverimus, deficiemus; neque si manducaverimus, abundabimus. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum qui habet scientiam, in idolio recumbentem; nonne conscientia ejus cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

Et post pauca [IX.]: Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas? aut solus ego et Barnabas non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem hæc dico? an et Lex hæc non dicit? Scriptum est enim in Lege Moysi, Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos hoc utique dicit? Nam propter nos utique scripta sunt: quoniam debet in spe qui arat arare, et qui triturat in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt, non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: et qui altario deserviunt, cum altario participantur [1]. Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum usus sum. Non scripsi autem hæc, ut ita fiant in me. Bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. Nam et si evangelizavero, non est mihi gloria: necessitas enim mihi incumbit; væ enim mihi est, si non evangelizavero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem invitus, dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium Christi [2], ut non abutar potestate mea in Evangelio. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer: iis qui sub Lege sunt, quasi sub Lege essem, cum ipse non essem sub Lege, sed sub gratia [3], ut eos qui sub Lege erant lucrifacerem: iis qui sine Lege erant tanquam sine Lege essem, cum sine Lege Dei non essem, sed in Lege essem Christi, ut lucrifacerem eos qui sine Lege erant. Factus sum infirmis ut infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem [4]. Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar. Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

[X.] Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt. *Et post paucos versus:* Sed non in pluribus eorum bene placitum est Deo: nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est, Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet cum tentatione

kai euprosedron tô Kuriô aperispastôs: quod Hieronymus in primo libro adversus Jovinianum vertit, *sed ad id quod honestum est, et intente facit servire Domino absque ulla distractione;* quanquam græcam proprietatem latino sermone non explicari dicit.

[1] Consonant antiqua Corb. Biblia. At Vulgata nunc, *participant.*

[2] In græco quoque exstat vox, *Christi:* non tamen in Vulgata.

[3] Græcus textus caret hisce verbis, *cum ipse non essem sub Lege, sed sub gratia.* Vulgata vero nonnisi istis, *sed sub gratia:* quæ pariter cum antecedentibus ascita videntur ex Epistola ad Rom., cap. 6, vv. 14 et 15.

[4] Vulgata, *facerem salvos.*

etiam proventum, ut possitis sustinere. Propter quod, charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura. *Et paulo post :* Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. *Et paulo post :* Si quis autem dixerit, Hoc immolatum est idolis; nolite manducare, propter illum qui indicavit, et propter conscientiam. Conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Utquid enim libertas mea judicatur ab alia conscientia? Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago? Sive ergo manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei : sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.

[XI.] Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. *Et post paululum :* Omnis vir orans aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum. *Et post aliquantum :* Hoc autem præcipio non laudans, quod non in melius, sed in deterius convenitis. Primum quidem convenientibus vobis in ecclesiam, audio scissuras inter vos esse, et ex parte credo. Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum; et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? laudo vos? In hoc non laudo. *Et post aliquos versus :* Itaque quicumque manducaverit panem [1], vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis. Cætera autem cum venero, disponam.

Et alio loco [XII.] : Sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem; ut non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : sive glorietur [1] unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, gubernationes, opitulationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? Æmulamini autem charismata meliora : et adhuc excellentiorem vobis viam demonstro.

[XIII.] Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit. *Et post aliquos versus :* Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc : major autem his est charitas.

[XIV.] Sectamini autem charitatem. *Et paulo post :* Quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis. *Item post paululum :* Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote. *Et alio loco :* Quid ergo est, fratres? Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet? omnia ad ædificationem fiant. *Et post aliquos versus :* Mulieres in ecclesiis taceant : non enim permittitur illis loqui, sed subditas esse, sicut et Lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. An a vobis verbum Dei processit, aut in vos solos devenit?

Et post paululum [XV.] : Nolite seduci : corrumpunt mores bonos colloquia mala. Evigilate, justi [2], et nolite peccare. Ignorantiam enim Dei quidam habent : ad reverentiam vobis loquor. *Et post paululum :* Itaque, fratres mei dilecti, estote stabiles et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.

[XVI.] De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi in Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se ponat, recondens quod ei bene placuerit : ut non cum ve-

[1] Vulgata, juxta græcum, *panem hunc.*

[1] Carnutensis codex, *glorificantur;* juxta græc., *docsazetai*. id est, gloria afficitur.

[2] Græc., *Ecnèpsate dicaios evigilate juste.*

iero, tunc collectæ fiant. Cum autem præsens fuero, quos probaveritis, per epistolas hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. Quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos cum Macedoniam pertransiero. Nam Macedoniam pertransibo. Apud vos autem forsitan remanebo, vel etiam hiemabo, ut vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos modo in transitu videre : spero autem me aliquantum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. Ostium enim mihi apertum est magnum et evidens, et adversarii multi. Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos. *Et post paululum :* Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini. Omnia vestra in charitate fiant.

DE EPISTOLA II B. PAULI AD CORINTHIOS.

[Cap. I.] Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate [1] et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in mundo.

Et post paululum [II.] : Si quis autem contristavit me [2], non me contristavit; sed ex parte, ut non onerem, omnes vos. Sufficit illi qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ fit a pluribus; ita ut e contrario magis donetis et consolemini, ne forte abundantiore tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. Ideo enim scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. Cui autem aliquid donastis, et ego. Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi; ut non circumveniamur a satana : non enim ignoramus cogitationes ejus.

Et alio loco [IV.] : Ideo habentes hanc administrationem [3], juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus; sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. *Et post paucos versus :* Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum. *Et paulo post :* Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur [4]; dejicimur, sed non perimus : semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur. Semper enim nos qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis. Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi propter quod locutus sum, et nos credimus propter quod et loquimur. *Et post sex versus :* Propter quod non deficimus; sed licet is qui foris est homo noster corrumpatur, tamen is qui intus est renovatur de die in diem. Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate [1] æternum gloriæ pondus operatur in nobis : non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt.

Et post paululum [VI.] : Adjuvantes [2] autem adhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim, Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum : sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei; per arma justitiæ, a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam; ut seductores et veraces, sicut qui ignoti et cogniti; quasi morientes, et ecce vivimus; ut castigati et non mortificati; quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. *Et post paucos versus :* Dilatamini et vos. Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Dominus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis; et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens.

[VII.] Has igitur habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. *Et post paululum :* Quoniam et si contristavi vos in epistola, non me pœnitet : et si pœniteret, videns quod epistola illa etsi ad horam vos contristavit, nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam

[1] In Biblus Sixti V jussu recognitis, post, *in simplicitate*, additur, *cordis :* sed hæc vox aberat ab antiquis Corb. et a græco, necnon ab omnibus codicibus hujus Speculi.

[2] Hoc loco, *me*, non est in Regio codice, nec in græco; fuitque demum expunctum e Vulgata, quæ illud in vetustis Bibliis Corb. et in aliis plerisque addebat.

[3] Vulgata nunc in editis, *habentes administrationem ;* prætermissa voce, *hanc*. At in antiquis Corb. Bibl. ferebat, *habentes hanc ministrationem ;* juxta græcum, *tên diaconian tautên.*

[4] Apud Lov. interpositum hic fuerat ex Gemblacensi codice, *humiliamur, sed non confundimur ;* quod nec in Mss. nostris aliisve editionibus Speculi, nec in sacris Bibliis nisi forte quibusdam interpolatis, reperiebatur.

[1] Regius codex et Corb. Biblia, *supra modum in sublimitatem ;* juxta græcum, *kath' uperbolên eis uperbolên.*

[2] Regius codex, *adjurantes.*

in salutem stabilem operatur. Sæculi autem tristitia mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem?

Et post paucos versus [VIII.] : Notam autem vobis facimus, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ, quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum [1], et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum. Quia secundum virtutem (testimonium illis reddo), et supra virtutem voluntarii fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, et communicationem ministerii quod fit in sanctos : et non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt, primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei; ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita et perficiat in vobis [2] etiam gratiam istam. Sed sicut in omnibus abundatis fide, et sermone, et scientia, et omni sollicitudine, insuper et charitate vestra in nos, ut et in hac gratia abundetis : non quasi imperans dico, sed per aliorum sollicitudinem etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans [3]. Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut inopia illius vos divites essetis. Et consilium in hoc do. Hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed et velle cœpistis ab anno priori. Nunc vero et facto perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet. Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio; sed ex æqualitate, in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est : Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit. Gratias autem Deo, qui dedit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi : quoniam exhortationem quidem suscepit, sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Misimus autem cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias. Non solum autem, sed et ordinatus ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ, in hac gratia [4], quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam et destinatam voluntatem nostram : devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis [5]. Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.

[1] Vulgata nunc habet, *ipsorum fuit;* sed carebat, *fuit*, in Corb. Bibliis et in græco, necnon in codicibus hujus Speculi.

[2] Regius codex, *perficiat in vos :* pauloque post, *sollicitudine et charitate vestra in nobis*; prætermisso, *insuper :* quibus locis ad græc. quadrat.

[3] Am. et Er hic, *ingenuum bonum comprobans*. In græco unum tantum verbum est *gnêsion :* quod *ingenuitatem*, sive *sinceritatem* significat.

[4] Sic etiam Corb. Biblia ferebant. At nunc in Vulgata legitur, *in hanc gratiam*. In græco, *sùn tê chariti tautê*.

[5] Hic in editis addebatur, *in Domini gloriam;* quod a Mss. et a sacris Bibliis abest. Paulo infra, pro : *Et post aliquos versus*, habet Regius codex; *Et post novem versus*.

Et post aliquos versus [IX.] : Nam de ministerio quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. Scio enim promptum animum vestrum, pro quo de vobis glorior apud Macedones; quoniam Achaia parata est ab anno præterito, et vestra æmulatio provocavit plurimos. Misi autem fratres, ut ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte : ut, quemadmodum dixi, parati sitis; ne cum venerint mecum Macedones, et invenerint vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicam vos) in hac substantia. Necessarium ergo existimavi rogare fratres, ut præveniant ad vos, et præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse, sic quasi benedictionem, non quasi avaritiam. Hoc autem dico : qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum [1]. Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ; ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo : quoniam ministerium hujus officii, non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino, per probationem ministerii hujus; glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ [2], et simplicitate communicationis in illos et in omnes; et ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Gratias ago Deo [3]. super inenarrabili dono ejus.

Et alio loco [X.] : Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est; sed quem Deus commendat.

Et post aliquantum [XI.] : Ministri Christi sunt? et ego [4] : ut minus sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter : a Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci; nocte et die in profundo maris fui : in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus : in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate : præter illa quæ extrinsecus sunt, instan-

[1] Sic Mss. cum antiquis Corb. Bibliis. At editi habebant sicuti nunc Vulgata, *in sæculum sæculi :* quamvis in græco sit tantum, *eis tôn aiôna*.

[2] Hic in sacris Bibliis additur, *in Evangelium Christi*.

[3] Vulgata, *Gratias Deo :* prætermisso, *ago*. Græc. autem, *Charis de tô Theô*.

[4] Redundat, *et ego :* quod quidem in Vulgata etiam hic repetebatur; sed merito per Bibliorum castigatores expunctum fuit, cum id textus græcus non habeat.

tia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.

Et post paululum [XII.]: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis multis pro Christo [1]. Cum enim infirmor, tunc potens sum. *Et post aliquos versus:* Ecce tertio paratus sum venire ad vos, et non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens, minus diligar. *Et post aliquos versus:* Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo inveniam vos, et ego inveniar a vobis qualem non vultis: ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos; ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia [2] et impudicitia quam gesserunt.

Et alio loco [XIII.]: Oremus autem Deum, ut nihil mali faciatis: non ut nos probati pareamus, sed ut vos quod justum est faciatis [3]. *Et post sex versus:* De cætero, fratres, gaudete, perficimini, exhortamini, idipsum sapite, pacem habete; et Deus dilectionis et pacis erit vobiscum.

DE EPISTOLA B. PAULI AD GALATAS.

[Cap. I.] Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

Et post aliquantum [V.]: Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per dilectionem operatur. *Et alio loco:* Vos autem in libertatem vocati estis [4], fratres: tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem spiritus servite invicem [5]. Omnis enim Lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini. Dico autem [6]: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub Lege. Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immunditia [7], luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt [1]. Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas [2], fides, modestia, continentia. Adversus hujusmodi non est lex. Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

[VI.] Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit; ipse se seducit. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum habebit gloriam, et non in altero. Unusquisque enim onus suum portabit. Communicet autem is qui catechizatur verbum [3], ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare: Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu et metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

DE EPISTOLA B. PAULI AD EPHESIOS.

[Cap. IV.] Obsecro itaque vos, fratres, ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. *Et alio loco:* Hoc itaque dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut et Gentes ambulant, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum: qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis et avaritiæ [4]. Vos autem non ita didicistis Christum: si tamen illum audistis, et in ipso docti estis, sicut est veritas in Jesu. Deponite [5] vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria

[1] Sacra Biblia non addunt, *multis*.
[2] Hic sacra Biblia interponunt, *et fornicatione*.
[3] Vulgata, *quod bonum est*. Græc., *tò calon*.
[4] Sic Mss. hujus Speculi, juxta Vulgatam. At editi, *in libertate*. In græco est, *ep' eleutheria*.
[5] Vox, *spiritus*, abest a vetustis Corb. Bibliis et a Græco.
[6] Editi post, *Dico autem*, addunt, *in Christo*: quod nec in Mss. est, nec in sacris Bibliis nisi forte interpolatis,
[7] In Vulgata inseritur hic, *impudicitia*: quæ vox a vetustis Corb. Bibliis abest. Reperitur quidem apud Hieronymum, sed sub alia voce, [illegible]. In græco autem [illegible] primum, [illegible]; tum, *fornicatio*: deinde alia ut hic recensentur omisso nomine, *impudicitiæ*.

[1] Vulgata, *non consequentur*, Græc., *ou clêronomêsousin*.
[2] In Vulgata superadduntur duo vocabula, scilicet hoc loco, *mansuetudo*; postremo, *castitas*: sicque fructus Spiritus fiunt duodecim. At in vetustis Corb. Bibliis non sunt plus undecim, quia omittitur, *mansuetudo*: In græco autem non plus novem, quia absunt, *patientia* et *castitas*, neque vocabulis, *mansuetudo* ac *modestia*, respondet nisi unum *praotês*.
[3] Sic etiam in Corb. Bibliis juxta græcum, *tòn logon*. At in Vulgata nunc est auferendi casu, *catechizatur verbo*.
[4] Pro, *et avaritiæ*, habet nunc Vulgata, *in avaritiam*: Corb. Biblia, *in avaritia*; juxta græcum, *en pleonecsia*.
[5] Vulgata, *deponere*: quanquam illa in Corb. Bibliis habuit a prima manu, *deponite*. Porro in græco est, *apothesthai humas*, *deposuisse vos*: et consequenter *ananeousthai*, *renovatos fuisse*, *endusasthai*, *induisse*: ubi Vulgata infinitis in imperativa mutatis præfert, *renovamini induite*.

erroris. Renovamini autem spiritu mentis vestræ; et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra. Irascimini, et nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus ad ædificationem opportunitatis [1], ut det gratiam audientibus. Et nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis [2]. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis, cum omni malitia. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

[V.] Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino: ut filii lucis ambulate (fructus enim lucis est in omni bonitatę et justitia et veritate), probantes quid sit beneplacitum Deo. Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere. Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifestantur. Omne enim quod manifestatur, lumen est. Propter quod dicit: Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit tibi Christus [3]. Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus; quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini Spiritu sancto [4], loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri, subjecti invicem in timore Christi. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse Salvator corporis ejus [1]. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo [2]: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi; sed ut sit sancta et immaculata. Ita et viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor autem timeat virum.

[VI.] Filii, obedite parentibus vestris in Domino. Hoc enim justum est. Honora patrem tuum et matrem, quod est primum mandatum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longævus super terram. Et, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate eos in disciplina et correptione Domini. Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate servientes ut Domino, et non hominibus: scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas; scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud eum. De cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quia non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die mala, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere; et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, et in ipso

[1] Vulgata, *ad ædificationem fidei*. At codices omnes hujus Speculi, *ad ædificationem opportunitatis*; juxta Hieronymum, qui hunc in locum id observat: « Pro eo, ait, quod « nos posuimus *ad ædificationem opportunitatis*, hoc est « quod dicitur græce, *tês chreias*, in latinis codicibus pro« pter euphoniam mutavit interpres, et posuit, *ad ædifica« tionem fidei*. »

[2] Vulgata, *in diem redemptionis*: suffragante græco, *eis êméran*.

[3] Loco, *tibi*, in Vulgata est, *te*: licet græce legatur, *epiphausei soi o Xristos, illucescet*; sive uti Hieronymus interpretatur, *orietur tibi Christus*.

[4] Sic etiam Vulgata in excusis. At in antiquis Corb. Bibliis non additur, *sancto*: quod pariter Hieronymus græco inhærens prætermittit.

[1] Pronomen, *ejus*, abest a Mss. hujus Speculi, nec in græco reperitur, nec apud Hieronymum.

[2] Sic etiam apud Hieronymum, non addita voce, *vitæ*: quæ quidem vox, post, *in verbo*, legitur nunc in Vulgata, non autem in textu græco.

vigilantes in omni instantia et obsecratione, pro omnibus sanctis; et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Evangelii, propter quod legatione fungor in catena [1], ita ut in ipso audeam prout oportet me loqui.

DE EPISTOLA B. PAULI AD PHILIPPENSES.

[Cap. I.] Quia in nullo confundar, sed in omni fiducia, sicut semper, et nunc magnificabitur Christus in corpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum. Quod si vivere in carne, hic mihi fructus operis est; et quid eligam, ignoro. Coarctor enim e duobus: desiderium habens dissolvi et cum Christo esse, multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos. *Et post sex versus :* Tantum digne Evangelio Christi conversamini, ut sive cum venero et videro vos, sive absens audiam de vobis, quia statis in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii. Et in nullo terreamini ab adversariis, quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis: et hoc a Deo. Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini: idem certamen habentes, quale et vidistis in me, et nunc audistis de me.

[II.] Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera et miserationes [2], implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes. Non quæ sua sunt singuli considerantes; sed ea quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo; humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Itaque, charissimi mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mei tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle, et perficere, pro bona voluntate. Omnia autem facite sine murmurationibus et hæsitationibus, ut sitis sine querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione in medio nationis pravæ et perversæ; inter quos lucetis sicut luminaria in mundo: verbum vitæ continentes ad gloriam mihi in diem Christi [3]; quia non in vacuum cucurri, neque in vacuum laboravi. Sed et si immolor supra sacrificium et ministerium fidei vestræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis. Idipsum autem et vos gaudete, et congratulamini mihi. Spero autem in Domino Jesu Timotheum cito mittere ad vos, ut et ego bono animo sim, cognoscens quæ circa vos sunt. Neminem enim habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit. Omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Jesu Christi. Experimentum autem ejus cognoscite, quoniam sicut patri filius, mecum servivit in Evangelio. Hunc igitur spero me mittere, mox ut videro quæ circa me sunt. Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito. Necessarium autem existimavi Epaphroditum fratrem et cooperatorem et commilitonem meum, vestrum autem apostolum, et ministrum necessitatis meæ, mittere ad vos: quoniam quidem omnes vos desiderabat, et mœstus erat propter quod audistis illum infirmatum. Nam et infirmatus est usque ad mortem, sed Deus misertus est ejus: non solum autem ejus, verum etiam et mei, ne tristitiam super tristitiam haberem. Festinantius ergo misi illum, ut viso eo iterum gaudeatis, et ego sine tristitia sim. Excipite itaque illum cum omni gaudio in Domino; et ejusmodi cum honore habetote: quoniam propter opus Christi usque ad mortem accessit, tradens animam suam, ut impleret quod vobis deerat erga meum obsequium.

Et paulo post [III.]: Fratres, ego me non arbitror apprehendisse: unum autem, quæ quidem retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens me, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti, hoc sentiamus; et si quid aliter sapitis, et hoc vobis Deus revelabit: verumtamen ad id [1] quod pervenimus, ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula. Imitatores mei estote, fratres; et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem et flens dico, inimicos crucis Christi: quorum finis interitus; quorum Deus venter, et gloria in confusione ipsorum; qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cœlis est.

Et post tredecim versus [IV.]: Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus enim prope est. Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu. De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus [2], hæc cogitate: quæ et didicistis, et accepistis, et audi-

[1] Editi, *in catena ista, ita ut*. At Regius codex et sacra Biblia carent pronomine, *ista*.
[2] Vulgata, *viscera miserationis*. Græc. *splagchna kaì oiktirmoi*.
[3] Consonat græcus textus. At Vulgata præfert, *ad gloriam meam in die Christi*.

[1] Abest, *id*, a sacris Bibliis; neque in illis particula, *et*, post verbum, *sapiamus*, reperitur.
[2] Apud Lov. additum fuerat hic, *disciplinæ*, juxta Vulgatam: sed Am. Er. et Regius codex vocem istam cum græco prætereunt.

stis, et vidistis in me, hæc agite; et Deus pacis erit vobiscum. Gavisus sum autem in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire, sicut et sentiebatis : occupati autem eratis. Non quasi propter penuriam dico. Ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio et humiliari; scio et abundare : ubique et in omnibus institutus sum, et satiari, et esurire, et abundare, et penuriam pati : omnia possum in eo qui me confortat. Verumtamen bene fecistis communicantes tribulationi meæ. Scitis autem et vos, Philippenses, quod in principio Evangelii, quando profectus sum a Macedonia, nulla mihi Ecclesia communicavit in ratione dati et accepti, nisi vos soli : quia et in Thessalonicam et semel et bis in usum mihi misistis. Non quia quæro datum, sed requiro fructum abundantem in rationem vestram [1]. Habeo autem omnia, et abundo. Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo.

DE EPISTOLA I B. PAULI AD THESSALONICENSES.

[Cap. II.] Ipsi scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit : sed ante passi multa [2] et contumeliis affecti, sicut scitis, in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine. Exhortatio enim nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo : sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur; non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis : neque in occasione avaritiæ, Deus testis est : neque quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis. Cum possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli : sed facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos. Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras; quoniam charissimi nobis facti estis. Memores enim facti estis, fratres, laboris nostri et fatigationis : nocte et die laborantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei. Vos testes estis et Deus, quam sancte, et juste, et sine querela vobis, qui credidistis, affuimus : sicut scitis, qualiter unumquemque vestrum, tanquam pater filios suos, deprecantes vos, et consolantes, testificati sumus ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam. Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione; quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. Vos enim imitatores facti estis, fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu; quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis.

Et alio loco [IV.] : De cætero ergo, fratres, rogamus vos, et obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo vos oporteat ambulare, et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederimus vobis per Dominum Jesum. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione; ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes quæ ignorant Deum; et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum : quoniam vindex est Deus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, et testificati sumus. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum : qui etiam dedit Spiritum suum sanctum in vobis. De charitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis : ipsi enim vos a Deo didicistis ut diligatis invicem. Etenim facitis illud in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis; et operam detis, ut quieti sitis; et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis : ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis. Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent.

Et post aliquos versus [V.] : Igitur non dormiamus, sicut et cæteri : sed vigilemus et sobrii simus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrii simus; induti loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis. Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis, per Dominum nostrum Jesum Christum : qui mortuus est pro nobis, ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus. Propter quod consolamini invicem, et ædificate alterutrum, sicut et facitis. Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate, propter opus illorum; pacem habete cum eis. Rogamus autem vos, fratres; corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat : sed semper quod bonum est sectamini in invicem, et in omnes. Semper gaudete; sine intermissione orate; in omnibus gratias agite. Hæc enim voluntas Dei est in Christo Jesu, in omnibus vobis. Spiritum nolite exstinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate : quod bonum est tenete. Ab omni specie mala abstinete vos.

DE EPISTOLA II B. PAULI AD THESSALONICENSES.

[Cap. I.] Gratias agere debemus Deo semper pro vobis, fratres, ita ut dignum est; quoniam supercrescit fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem : ita ut nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra et fide in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei, ut digni

[1] Editi antea juxta Vulgatam, *in ratione vestra*. At Mss. juxta græcum et antiqua Biblia, *in rationem vestram*.
[2] Vox, *multa*, a sacris Bibliis abest.

habeamini regno Dei, pro quo et patimini. Si tamen justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos tribulant; et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum, in revelatione Domini Jesu de cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis, dantis vindictam iis qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. Qui pœnas dabunt in interitum [1] æternas, a facie Domini, et a gloria virtutis ejus, cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, quia creditum est testimonium nostrum super vos in die illo. In quo etiam oramus semper pro vobis, ut dignetur vocatione vos sua Deus noster, et impleat omnem voluntatem bonitatis [2], et opus fidei in virtute: ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo, secundum gratiam Dei nostri, et Domini Jesu Christi.

Et alio loco [III.]: Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis. Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo; sed in labore et fatigatione, nocte ac die operantes, ne quem vestrum gravaremus. Non quasi non habuerimus potestatem; sed ut nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet. Audivimus enim inter vos quosdam ambulare inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes. Iis autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent. Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes. Quod si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum illo, ut confundatur. Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.

DE EPISTOLA B. PAULI AD COLOSSENSES.

[Cap. III.] Igitur, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus: propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis. In quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam; turpem sermonem de ore vestro ne emiseritis [3]. Nolite mentiri invicem; exspoliantes vos veterem hominem cum actibus ejus, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem Dei, secundum imaginem ejus, qui creavit eum: ubi non est Gentilis et Judæus, circumcisio et præputium, Barbarus et Scytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus. Induite ergo vos sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam; supportantes invicem, et donantes vobis ipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos facite [1]. Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis: et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore; et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes et commonentes vosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino. Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. Filii, obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum est in Domino. Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed in simplicitate cordis, timentes Dominum. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus; scientes quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis. Domino Christo servite. Qui enim facit injuriam, recipiet id quod inique gessit; et non est personarum acceptio apud Deum.

[IV.] Domini, quod justum est et æquum, servis præstate; scientes quoniam et vos Dominum habetis in cœlo. Orationi instate, vigilantes in ea cum gratiarum actione: orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi, propter quod etiam vinctus sum, ut manifestem illud ita ut oportet me loqui. In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt, tempus redimentes. Sermo vester semper in gratia sale conditus sit, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.

DE EPISTOLA I B. PAULI AD TIMOTHEUM.

[Cap. I.] Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Scimus autem quoniam bona est lex, si quis ea legitime utatur: scientes hoc [2], quia justo lex non est posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, parricidis et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris; et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

[1] Sic Mss. At editi, *dabunt interitus*. Vulgata, *dabunt in interitu*.

[2] In editis addebatur, *suæ*: quæ vox abest a Mss. et a sacris Bibliis.

[3] Regius speculi codex et sacra Biblia carent his verbis, *ne emiseritis*: itemque voce *Dei*, quæ hic in v. 10, post, *in agnitionem*, legitur.

[1] Verbum, *facite*, abest a Regio codice et a sacris Bibliis.

[2] Vulgata, *sciens hoc*. Græc., *eidós*.

Et post paululum [II.] : Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus : pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt ; ut quietam et tranquillam vitam agamus, in omni pietate et castitate. *Item post paululum :* Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa ; sed, quod decet mulieres, promittentes pietàtem per opera bona. Mulier in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.

Et post aliquot versus [III.] : Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem : non vinolentum, non percussorem, sed modestum ; non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate. Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit ? Non neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli. Oportet autem et illum testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et laqueum diaboli. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes. Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsunt [1] et suis domibus. Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt [2], et multam fiduciam in fide quæ est in Christo Jesu.

Et post duodecim versus [IV.] : Spiritus autem manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem. Quia omnis creatura Dei bona, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem. Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, nutritus verbis fidei et bonæ doctrinæ quam assecutus es. Ineptas autem et aniles fabulas devita. Exerce teipsum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est : pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ. Fidelis sermo et omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime fidelium. Præcipe hæc, et doce. Nemo adolescentiam tuam contemnat : sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Dum venio, attende lectioni, exhortationi, doctrinæ. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus [1]. Attende tibi et doctrinæ, insta in illis : hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

[V.] Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem ; juvenes, ut fratres ; anus, ut matres ; juvenculas, ut sorores, in omni castitate. Viduas honora, quæ vere viduæ sunt. Si qua autem vidua filios aut nepotes habet ; discant [2] primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus : hoc enim acceptum est coram Deo. Quæ autem vere vidua est et desolata, speret in Deum, et instat [3] obsecrationibus et orationibus nocte et die. Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt ; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Simul autem et otiosæ discunt circumire domos ; non solum otiosæ, sed et verbosæ, loquentes quæ non oportet. Volo autem juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Jam enim quædam conversæ sunt retro post satanam. Si quis fidelis [4] habet viduas, subministret illis, ut non gravetur Ecclesia, ut iis quæ vere viduæ sunt sufficiat. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur : maxime qui laborant in verbo et doctrina. Dicit enim Scriptura, Non infrenabis [5] os bovi trituranti ; et, Dignus est operarius mercede sua. Adversum presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus et tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant. Testor coram Deo et Christo Jesu et electis Angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. Noli adhuc aquam bibere, sed vino modico utere, propter stomachum tuum, et fre-

[1] Vulgata, *præsint*. Sic etiam Lugd. M.
[2] Vulgata, *acquirent*. At codices hujus Speculi, *acquirunt ;* suffragante græco, *peripoioûntai*.

[1] Regius codex, *manifestus sit in omnibus ;* juxta græcum, *en pâsin*.
[2] Sic omnes codices Speculi ; juxta græcum, *manthanétôsan*. At Vulgata, *discat*, numero singulari.
[3] Vulgata, *speret et instet*. Græca scriptura, *êlpiken kaì prosménei*, *speravit et instat :* hinc Regius codex, littera *v* per librarios, ut sæpe sæpius contingit, mutata in *b*, habet, *sperabit*.
[4] In vetustis Corb. Bibliis : *si quis fidelis vel si qua fidelis ;* juxta græcum, *ei tis pistos ê pistê*.
[5] Sic etiam Corb. Bibl. At nunc Vulgata, *non alligabis*.

quentes tuas infirmitates. Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium : quosdam autem et subsequuntur. Similiter et facta bona manifesta sunt; et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

[VI.] Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos habeant [1], ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt; sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt : hæc doce, et exhortare. Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus [2], nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui privati sunt veritate; existimantium quæstum esse pietatem. Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium quia nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge : sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certamen fidei; apprehende vitam æternam, in qua [3] vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri Jesu Christi. *Et post paucos versus :* Divitibus hujus sæculi præcipe, non superbe sapere neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum; bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Gratia tecum. Amen.

DE EPISTOLA II B. PAULI AD TIMOTHEUM.

[Cap. I.] Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis et dilectionis et sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus; sed collabora Evangelio secundum virtutem Dei. *Et post paucos versus :* Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide et dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.

[1] Vulgata, *arbitrentur.*
[2] Legendum cum Vulgata, *superbus est;* vel, *superbit :* juxta græcum, *tetuphôtai.*
[3] Græca scriptura, *eis ên, in quam.*

Et paulo post [II.] : Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu; et quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere. Labora sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit. Nam et qui certat in agone, non coronatur nisi legitime certaverit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere. Intellige quæ dico : dabit enim tibi Dominus intellectum in omnibus. Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum Evangelium meum; in quo laboro usque ad vincula, quasi male operans : sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cœlesti. Fidelis sermo : Nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus [1], et conregnabimus; si negabimus, et ille negabit nos; si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest. Hæc commone, testificans coram Deo. Noli verbis contendere, in nihil utile, nisi ad subversionem audientium. Sollicite autem cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem [2], recte tractantem verbum veritatis. Profana autem et vaniloquia devita : multum proficient [3] ad impietatem; et sermo eorum ut cancer serpit. *Et post sex versus :* Cognovit Dominus qui sunt ejus; et discedant ab iniquitate omnes qui invocant [4] nomen Domini. In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia; et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo mundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino ad omne opus bonum paratum. Juvenilia autem desideria fuge : sectare vero justitiam, fidem, charitatem, pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens quod generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt [5] : nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.

[III.] Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa; et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi,

[1] Carnutensis codex et Corb. Biblia, *si sustinemus.* Paulo post, loco, *si negabimus,* habet Regius codex, juxta Vulgatam, *si negaverimus.*
[2] Mss., *operarium irreprehensibilem.* Paulo infra Regius Ms. et editio Er., *et inaniloquia devita.* Sic etiam Corb. Biblia.
[3] Huic lectioni suffragatur græcus textus. At Vulgata præfert, *multum enim proficiunt.*
[4] Sacra Biblia, *et discedat ab iniquitate omnis qui nominat*
[5] Vulgata, *resistunt veritati.* Vox tamen, *veritati,* abest a græco et a codicibus hujus operis, excepto Ms. Gemblacensi.

voluptatum amatores magis quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes : et hos devita. Ex iis enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis ; semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. *Et post octo versus :* Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconio, Lystris ; quales persecutiones sustinui, et ex omnibus me eripuit Dominus. Et omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Mali autem homines et seductores proficient in pejus, errantes, et in errorem mittentes. Tu vero permane in iis quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris. Et quoniam ab infantia sacras Litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata, est utilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum [1], ad erudiendum in justitia : ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

[IV.] Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos, et per adventum ipsius et regnum ejus, prædica verbum, insta opportune, importune ; argue, obsecra, increpa in omni patientia, et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus ; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple [2]. Ego enim jam delibor, et tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex ; non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus.

DE EPISTOLA B. PAULI AD TITUM.

[Cap. I.] Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego tibi disposui. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem ; non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum [3] : sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. *Et post aliquos versus :* Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide, non intendentes Judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium se a veritate. Omnia munda mundis : coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum : sed inquinatæ sunt et mens eorum, et conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant ; cum sint abominati et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.

[II.] Tu autem loquere quæ decent sanam doctrinam. Senes, ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non vino multo servientes, bene docentes, ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios diligant, prudentes, castas [1], domus curam habentes, benignas, subditas suis viris, ut non blasphemetur verbum Dei. Juvenes similiter hortare ut sobrii sint. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate. Verbum sanum, irreprehensibile : ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis [2]. Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam salvatoris nostri Dei ornent in omnibus. Apparuit enim gratia Dei salvatoris [3] omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

[III.] Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse : neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. *Et post paucos versus :* Fidelis sermo est ; et de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona et utilia hominibus. Stultas autem quæstiones, et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita : sunt enim inutiles et vanæ. Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devita, sciens quia subversus est qui ejusmodi est, et delinquit proprio judicio condemnatus.

DE EPISTOLA B. PAULI AD PHILEMONEM.

Gaudium enim magnum habui et consolationem in charitate tua, quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater. *Et paulo post :* Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii : sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.

DE EPISTOLA AD HEBRÆOS

[Cap. III.] Videte, fratres, ne forte sit in aliquo ve-

[1] In Vulgata, *ad corripiendum :* in græco, *pròs epanorthôsin, ad correctionem.*
[2] Nihil supra in græcis Bibliis : at in latinis additur, *sobrius esto.*
[3] Regius codex, *non turpe lucrum sectantem.*

[1] Vulgata addit, *sobrias :* cui verbo nihil hic in græco respondet.
[2] Regius codex, *de vobis ;* juxta græcum.
[3] Vulgata, *salvatoris nostri :* abest, *nostri,* a codicibus Speculi, et a græco textu. Imo in græco cum articulo feminino est nominandi casu *ê sôtêrios,* quo gratia ipsa salutaris seu salutifera signatur.

strum cor malum incredulitatis, discedendi a Deo vivo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus; si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus, dum dicitur, Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in exacerbatione.

Et post paucos versus [IV.] : Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse. Etenim et nobis nuntiatum est, quemadmodum et illis: sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus [1] fidei ex iis quæ audierunt. *Et alio loco :* Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei, teneamus confessionem. *Et post tres versus :* Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

Et paulo post [VI.] : Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius; qui ministrastis sanctis, et ministratis. Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei [2] usque in finem: ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide et patientia hæreditabunt promissiones. *Et post septem versus :* Homines enim per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum.

Et post aliquantum [X.] : Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem (fidelis enim est qui repromisit), et consideremus invicem in provocationem charitatis et bonorum operum : non deserentes collectionem nostram, sicut est consuetudinis quibusdam; sed consolantes, et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur hostia pro peccatis. Terribilis namque quædam exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios. Irritam quis faciens Legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus moritur testibus: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit, Mihi vindictam, et ego reddam [3]; et iterum, Quia judicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum. Et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socii taliter conversantium effecti. Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulumque, qui venturus est veniet, et non tardabit. Justus autem meus ex fide vivit [1]: quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.

[1] In Bibliorum codice Corbeiensi, necnon in Complutensi editione legitur, *non admixtis ;* ut istud participium non ad sermonem, sed ad illos quibus sermo non profuit, referatur : cui lectioni suffragantur græca quædam exemplaria. Confer Theophilacti Commentarios.

[2] Lov., *fidei :* refragantibus editis aliis et Mss. qui cum sacris Bibliis habent, *spei.*

[3] Vulgata : *Mihi vindicta, et ego retribuam.*

Et aliquanto post [XII.] : Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus et circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum : qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversum peccatum repugnantes: et obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur dicens, Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseverate; tanquam filiis vobis offert se Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes; ergo adulteri, et non filii estis. Deinde patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, et verebamur: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum; et vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos; hic autem ad id quod utile est, in recipiendo sanctificationem ejus. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ. Propter quod remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris; ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi: ne quis fornicator, aut profanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua.

Et alio loco [XIII.] : Charitas fraternitatis maneat in vobis, et hospitalitatem nolite oblivisci. Per hanc enim placuerunt [2] quidam, angelis hospitio receptis. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti, et laborantium, tanquam et ipsi in corpore manentes. Honorabile connubium in omnibus, et torus immaculatus : fornicatores enim et adulteros judicabit Deus. Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus. Ipse enim dixit, Non te deseram neque derelinquam : ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adjutor est, non timebo quid

[1] In græco hic et Habac. cap. 2, v. 4, legitur : *dzêsetai, vivet.*

[2] Vulgata in Bibliis non mendosis, *latuerunt.*

faciat mihi homo. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei : quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Jesus Christus heri et hodie, ipse et in sæcula. Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus. Obedite præpositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri : ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes; hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis. Confidimus autem, quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari.

DE EPISTOLA I PETRI.

[Cap. I.] Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus, ut probatio vestræ fidei multo pretiosior sit auro, quod per ignem probatur. *Et alio loco:* Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfecte sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelatione [1] Jesu Christi : quasi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum eum qui vocavit vos sanctum, ut et ipsi in omni conversatione sancti sitis; quoniam scriptum est, Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum. Et si Patrem invocatis eum, qui sine acceptione personarum judicat secundum uniuscujusque opus, in timore incolatus vestri tempore conversamini. *Et post aliquos versus:* Animas vestras castificantes in obedientia charitatis, in fraternitatis amore, simplici ex corde invicem diligite attentius, renati [2].

Et post paucos versus [II.] : Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, sicut modo geniti infantes rationabile sine dolo lac concupiscite. *Et post paululum:* Charissimi, obsecro vos tanquam advenas et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Conversationem vestram inter Gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum in die visitationis. Subjecti estote omni humanæ ordinationi [3] propter Deum; sive regi, quasi præcellenti; sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam : quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate. Servi, subditi estote in omni timore dominis vestris; non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis. Hæc est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens injuste. Quæ enim gloria est [1], si peccantes et colaphizati suffertis? Sed si bene facientes patimini, et patienter sustinetis; hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis : quia et Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste [2]. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus, hujus [3] livore sanati estis. Eratis enim sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad pastorem et episcopum animarum vestrarum.

Et alio loco [III.] : Similiter et mulieres subditæ sint viris suis, ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram. Quarum sit non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus : sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti ac modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando et sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectæ propriis viris : sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. Cujus estis filiæ bene facientes, et non timentes ullam perturbationem. Viri similiter cohabitantes, secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam et cohæredibus gratiæ vitæ, ut non impediantur orationes vestræ. In fide autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti [4], humiles : non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes; quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. Qui enim vult vitam diligere, et videre dies bonos, coerceat linguam suam a malo, et labia ejus ne loquantur dolum. Declinet autem a malo, et faciat bonum; inquirat pacem, et sequatur eam. Quia oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala. Et quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne ti-

[1] Sic etiam in antiquis Corb. Bibl. juxta græcum, *en apocalupsei.* At in excusis Vulgata habet, *in revelationem.*
[2] Regius codex omittit, *renati.*
[3] Interpres videtur legisse, *taxei*, pro *ctisei*, quod est, *creaturæ.*

[1] Sic Mss. cum sacris Bibliis. At editi, *gratia est.* In altera parte ejusdem versiculi Vulgata non habet, *patimini, et.*
[2] In græco est, *tô crinonti dicaiôs, judicanti juste.*
[3] Vulgata, *cujus.* Græcus, *oû.*
[4] Verbum, *modesti*, abest a Regio codice et a Corb. Bibliis : neque in græco textu pro his duobus, *modesti, humiles*, aliud est quam, *philophrones.*

mueritis, ut non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe: sed cum modestia et timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem. Melius est enim benefacientes, si velit Dei voluntas, pati, quam malefacientes.

Et post aliquos versus [IV.]: Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini: quia qui passus est in carne, desiit a peccatis, ut jam non hominum desideriis, sed voluntati Dei, quod reliquum est in carne vivat temporis. Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, ebrietatibus [1], et illicitis idolorum cultibus. *Et post aliquos versus:* Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus. Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Hospitales invicem, sine murmuratione. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus, per Jesum Christum Dominum, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Charissimi, nolite peregrinari [2] in fervore, qui ad tentationem vobis fit; nolite pavere quasi aliquid novi vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exsultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis [3]: quoniam quod est honoris, gloriæ, et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus, super vos requiescet. Nemo autem vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine; quoniam tempus est ut incipiat judicium de domo [4] Dei. Si autem primum a vobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio? et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? Itaque et ii qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

[V.] Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum, qui et ejus quæ in futuro revelanda est gloriæ communicator, pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed formæ facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam. Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate; quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis. Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum; quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrii estote, vigilate: quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Cui resistite fortes in fide, scientes eamdem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

1 Redundat vox, *ebrietatibus*, nec est in sincerioribus Bibliis.

2 Mss. pro, *nolite peregrinari*, habent, *nolite mirari:* quod non minus quadrat ad græcum, *mè xenidzesthe*, id est, ne commoveamini ut fit re nova et insolita. Nam et paulo post, *ôs xénou*, vertit interpres, *quasi novi aliquid;* quibus verbis quod hic præmittitur, *nolite pavere*, abest a sacris Bibliis.

3 Regius codex græco consentiens non addit, *eritis*.

4 Vulgata, *a domo*. Græc., *apo tou oikou*.

DE EPISTOLA II PETRI.

[Cap. I.] Per quem [1] maxima nobis et pretiosa promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, fugientes ejus quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem; in virtute autem, scientiam; in scientia autem, abstinentiam; in abstinentia autem, patientiam; in patientia autem, pietatem; in pietate autem, fraternitatis amorem; in amore autem fraternitatis, charitatem. Hæc enim vobis cum adsint [2] et superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione [3]. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.

Et post paululum [II.]: Sicut et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, et eum qui emit eos, Deum negabunt [4], superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus judicium jam olim non cessat, et perditio eorum non dormitat. *Et alio loco:* Novit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos. Magis autem eos qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt: audaces, sibi placentes, sectas non metuunt introducere [5], blasphemantes. Ubi angeli forti-

1 Sic editi juxta Vulgatam: quæ tamen in Corb. Bibliis habebat, *per quam*. Et ita Speculum in Gemblacensi codice: at in Regio, *per quæ;* juxta græcum *di'ôn:* quanquam hoc possit ad præcedentes voces, *gloria et virtute* referri; et verti, *per quas*.

2 Editi, *si vobiscum adsint*. Sic etiam nunc Vulgata. At particula, *si*, aberat ab antiquis Corb. Bibl. et et Regio Ms. Speculi, neque necessaria est, dummodo non conjunctim legatur, *vobscum*. In græco sic est, *tauta gar humîn huparchonta*.

3 Regius codex et Corb. Biblia, favente græco, *cognitionem*.

4 Am. Er. et duo Mss. juxta Vulgatam, *negant*.

5 Regius codex et Corb. Biblia pro, *introducere*, habent, *facere:* sed neutrum verbum expressum est ex græco textu, qui nil aliud continet quam, *doxas ou tremousi*

tudine et virtute cum sint majores, non portant adversus se exsecrabile judicium. Hi vero velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem et perniciem, in iis quæ ignorant blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias, coinquinationes et maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum in avaritia habentes, maledictionis filii, derelinquentes rectam viam erraverunt. *Et post paucos versus :* Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ, eos qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis. A quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri salvatoris Jesu Christi, his rursus implicati superantur; facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Contigit enim illis illud veri proverbii : Canis reversus ad vomitum suum; et, Sus lota in volutabro luti.

Et post aliquantum [III.] : Cum hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet esse vos in sanctis conversationibus et pietatibus, exspectantes et properantes in adventum diei Dei. *Et paulo post :* Charissimi, hæc exspectantes satagite immaculati et inviolati inveniri in pace, et Domini nostri longanimitatem, salutem arbitramini. *Et alio loco :* Vos igitur, fratres, præscientes custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate. Crescite vero in gratia et in cognitione Domini nostri et salvatoris Jesu Christi. Ipsi gloria, et nunc et in diem æternitatis. Amen.

DE EPISTOLA JACOBI.

[Cap. I.] Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis; scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur : patientia autem opus perfectum habet, ut sitis perfecti et integri, in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat; et dabitur ei. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non enim æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. Vir duplex animo, inconstans in omnibus viis suis. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, dives autem in humilitate sua; quoniam sicut flos feni transiet. Exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fenum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit : ita et dives in itineribus suis marcescet. Beatus vir qui suffert tentationem; quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ [1], quam repromisit Deus diligentibus se. *Et post paululum :* Nolite itaque errare, fratres dilectissimi. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum. *Et post paucos versus :* Scitis, fratres mei dilectissimi : Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur. Propter quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. Estote autem factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo : consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis [2], et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem hæc est : visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

[II.] Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. *Et post aliquos versus :* Audite, fratres mei dilectissimi : nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni quod repromisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos? Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas, Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores. *Et post paucos versus :* Judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Superexsultat autem misericordia judicio [3].

Et post aliquantum [III.] : Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest etiam [4] freno circumducere totum corpus. *Et alio loco :* Linguam autem nullus hominum domare potest : inquie-

blasphêmoüntes, quod nonnullis ita sonat : *glorias*, id est, *dignitate præstantes viros, non verentur maledictis appetentes*; seu, *maledictis appetere*. Confer epistolam Judæ, v. 8, ubi in Vulgata legitur : *Dominationem autem spernunt, majestatem autem blasphemant :* in græco vero hæc ipsa verba sunt, *doxas de blasphêmoûsin*.

[1] Sic Mss. cum sacris Bibliis. At editi habebant, *accipiet vitam*.

[2] Carnutensis codex, *in lege perfectam libertatem*. At Vulgata versio suffragante græco habet, *in legem perfectam libertatis*. Hoc eodem versu particulæ *in ea*, post verbum *permanserit*, non adduntur in editis Am. et Er., neque in græco.

[3] Vulgata nunc : *Superexaltat autem misericordia judicium*. Codices vero hujus Speculi, necnon Corb. Biblia loco, *judicium*, habent, *judicio ;* nec male, si legatur *superexsultat*, uti passim in aliis August. libris; juxta græcum, *kaì catacauchâtai eleos criseôs*. Porro in Er. habetur hic, *superexsultet*.

[4] Editi, *potest enim*. At Mss. juxta Vulgatam, *potest etiam*. In græco est, *dunatòs chalinagôgêsai kaì holon tò sôma :* id est, *potens freno moderari et totum corpus*.

tum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum et Patrem, et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex ipso ore procedit benedictio, et maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. *Et post paucos versus :* Quis sapiens et disciplinatus inter vos, ostendat ex bona conversatione operam suam [1] in mansuetudine sapientiæ? Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sunt in cordibus vestris; nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, dijudicans sine simulatione [2]. Fructus autem justitiæ in pace seminatur facientibus pacem.

[IV.] Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris? *Item post paucos versus :* Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur. *Et paulo post :* Propter quod dicit : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Subditi ergo estote Deo : resistite autem diabolo, et fugiet a vobis. Appropinquate autem Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores; et purificate corda, duplices animo. Miseri estote, et lugete, et plorate. Risus vester convertatur in luctum, et gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos. Nolite detrahere alterutrum, fratres. *Et post paucos versus :* Unus est legislator et judex, qui potest perdere et liberare. Tu autem quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis, Hodie aut crastino ibimus in civitatem illam, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus; qui ignoratis quid erit in crastinum [3]. Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum parens; deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit; et, Si vixerimus, faciemus hoc aut illud. Nunc autem exsultatis in superbiis vestris : omnis exsultatio talis maligna est. Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.

[V.] Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus [4]. Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, qui fraudati sunt a vobis clamant [1]; et clamor ipsorum in aures Domini sabaoth introiit. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra. In die occisionis adduxistis [2], occidistis justum, et non restitit vobis. Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini. *Et paulo post :* Patientes estote et vos, confirmate corda vestra; quoniam adventus Domini appropinquavit. Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini. *Et alio loco :* Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum : sit autem sermo vester, Est est, Non non; ut non sub judicio decidatis. Tristatur aliquis vestrum? oret : æquo animo est? psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvabit infirmum, et allevabit [3] eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei. Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini. Multum enim valet deprecatio justi assidua. *Et post aliquot versus :* Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

DE EPISTOLA JOANNIS I.

[CAP. I.] Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus; mentimur, et veritatem non facimus : si autem in luce ambulamus, sicut et ipse in luce est; societatem habemus ad invicem, et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus; ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata nostra [4], et emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus quoniam non peccavimus; mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis.

[II.] Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis : sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et in hoc scimus quoniam cognovimus eum, si mandata ejus observemus. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. Qui autem servat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei perfecta est. In hoc scimus quoniam in ipso sumus; si in eo maneamus [5]. Qui dicit se in illo manere, debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare. *Et post aliquot versus :* Qui dicit se in luce esse, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc. Qui diligit fratrem

[1] Mss. duo cum Vulgata, *operationem suam.*

[2] Vulgata, *non judicans, sine simulatione.* Græca scriptura, *adiacritos kai anupocritos.*

[3] Vulgata, *quid sit in crastino :* in Corb. Bibliis, *quid pariat crastinum.*

[4] Regius Ms. et Editi Am. Er. omittunt *vobis iram :* quæ verba et a græco absunt.

[1] In Vulgata, *quæ fraudata est a vobis, clamat.*

[2] Legendum ut in emendatioribus Bibliis, *addixistis ;* juxta græc. *catedicasete*, id est, condemnastis.

[3] Sic etiam in vetustis Corb. Bibl. At in excusis habet nunc Vulgata, *alleviabit.*

[4] Non additur, *nostra*, in Regio codice, nec in textu græco.

[5] Sacra Biblia carent his verbis, *si in eo maneamus.*

suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est. Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat; quoniam tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. *Et paulo post :* Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt [1] : quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est; et mundus transit, et concupiscentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum [2]. *Et alio loco :* Omne mendacium non ex veritate est.

Et post paululum [III.] : Charissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est. Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit : et peccatum est iniquitas. Et scitis quoniam ille apparuit, ut peccata [3] tolleret, et peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat : et omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est. Qui facit peccatum, ex diabolo est : quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet : et non potest peccare; quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non diligit fratrem suum : quoniam hæc est annuntiatio quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum [4]. *Et post paucos versùs :* Nolite mirari, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte in vitam, quoniam diligimus fratres : qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam suam posuit : et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam mundi [5], et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo nec lingua, sed opere et veritate. In hoc cognoscimus, quoniam ex veritate sumus, et in conspectu ejus suademus corda nostra : quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia. Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo : quoniam mandata ejus custodimus, et ea quæ placita sunt coram eo, facimus. Et hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi, et diligamus alterutrum, sicut dedit mandatum nobis. Et qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo. Et in hoc scimus quoniam manet in nobis de Spiritu quem nobis dedit.

[IV.] Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt : quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei : omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichristus, de quo audistis quoniam venit; et nunc jam in mundo est. Vos ex Deo estis, filioli, et vicistis eos [1]; quoniam major est qui in vobis est, quam qui in mundo. Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. Nos ex Deo sumus : qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos. In hoc cognoscimus spiritum veritatis, et spiritum erroris. Charissimi, diligamus invicem : quoniam charitas ex Deo est; et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est. *Et paulo post :* Charissimi, si sic Deus dilexit nos, et nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et charitas ejus in nobis perfecta est. *Item paulo post :* Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognovimus, et credidimus charitati quam habet Deus in nobis. Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfecta est charitas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die judicii : quoniam sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem : quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perfectus in charitate [2]. Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit quoniam diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus ab eo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.

[V.] Omnis qui credit quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est : et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit et eum qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, et mandata ejus faciamus. Hæc est enim charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus : et mandata ejus gravia non sunt. Quoniam omne quod natum est ex Deo, vincit mundum. *Et post paululum :* Hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos : et scimus quoniam audit nos. *Et post tres versus :* Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat [3], et dabit ei vitam, peccantibus non ad mortem.

[1] Hic deest pars altera versiculi 15 : *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

[2] Additum in editis fuerat, *sicut et Deus manet in æternum* : quod a Speculi Mss. et a sacris Bibliis abest.

[3] In sacris Bibliis additur, *nostra.*

[4] Regius codex, *ut diligamus*; juxta græcum.

[5] Vulgata, *hujus mundi*, cum demonstrativo pronomine quod tamen abest etiam a Corb. Bibliis.

[1] Sic Speculi codices juxta græcum. At Vulgata, *vicistis eum.*

[2] Sic Mss. cum sacris Bibliis. At Editi negationem collocabant in priore membro propositionis : *Qui autem non timet, est perfectus in charitate.*

[3] Editio Am., *petet*; moxque cum cæteris hujus Speculi codicibus, *et dabit ei vitam peccantibus non ad mortem*; juxta græcum, *aitèsei, kai dòsei autò dzoèn, tois amarta-*

Est peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget quis [1]. Omnis iniquitas peccatum est, et est peccatum non ad mortem [2]. Scimus quoniam omnis qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat eum, et malignus non tangit eum. *Et alio loco :* Filioli, custodite vos a simulacris.

DE EPISTOLA JOANNIS II.

Non tanquam mandatum novum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum. Et hæc est charitas, ut ambulemus secundum mandata ejus. Hoc mandatum est, ut quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis. *Et post paucos versus :* Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet : qui permanet in doctrina, hic et Filium et Patrem habet. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.

DE EPISTOLA JOANNIS III.

Charissime, fideliter facis quidquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu Ecclesiæ : quos benefacies deducens [3] digne Deo. Pro nomine enim ejus profecti sunt, nihil accipientes a Gentibus. Nos ergo debemus suscipere hujusmodi, ut cooperatores simus veritatis. *Et post paululum :* Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui bene facit, ex Deo est : qui male facit, non vidit Deum.

DE EPISTOLA JUDÆ APOSTOLI.

Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc judicium, impii, Domini nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negantes. *Et paulo post :* Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes. *Et alio loco* : Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes; et os eorum loquitur blasphemiam [1], mirantes personas quæstus causa. Vos autem, charissimi, memores estote verborum quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietate [2]. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes. Vos autem, charissimi, superædificantes vosmetipsos sanctissimæ vestræ fidei, in Spiritu sancto orantes, ipsos vos in dilectione Dei servate, exspectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi, in vitam æternam. Et hos quidem arguite judicatos; illos vero salvate de igne rapientes : aliis autem misceremini in timore, odientes et eam quæ carnalis est, maculatam tunicam.

DE LIBRO APOCALYPSIS JOANNIS.

[Cap. II.] *Si homines, imo quia homines intelliguntur moneri, cum Angeli monentur, in omnibus eisdem præceptis discimus falsos fratres per patientiam sustinendos propter nomen Dei, et per pœnitentiam ad prima opera bona redeundum, et usque ad mortem persecutiones pro fide tolerandas, et in charitate serviendum* [3]

Circa autem finem libri, cum de sancta civitate loqueretur [XXI.] : Non intrabit, *inquit*, in eam aliquid coinquinatum, et faciens abominationem et mendacium.

Et alibi [XXII.] : Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et portis intrent civitatem. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Ego Jesus misi angelum meum testificari hæc vobis.

nousi mê pròs thanaton. At Vulgata habet nunc, *petat, et dabitur ei vita peccanti*, etc.; quanquam in antiquis Corb. Bibliis ferebat, *et dabit ei vitam peccanti*, etc.

[1] In Mss. non additur, *quis*; nec est in græco.

[2] Sic Speculi codices, excepto Regio Ms. qui pariter cum Vulgata caret hic negativa particula : hæc tamen in græco textu habetur, et in hunc sensum ducit glossa ordinaria.

[3] Huic lectioni astipulatur græca scriptura. At Vulgata latina in excusis præfert, *benefaciens deduces* : in Corb. Bibl., *benefaciens deducens*.

[1] Vulgata in excusis, *loquatur superba* : in Corb. Bibl., *loquitur superbiam* : Græce est, *lalei huperogca*.

[2] Corb. Biblia, pro *in impietate*, habent, *impietatum*; juxta græcum. Nunc tamen Vulgata fert, *in impietatibus*.

[3] Regius codex, *fervendum*.

ADMONITIO

IN LIBROS DE CONSENSU EVANGELISTARUM.

Hoc in opere S. Augustinus Evangelium a Paganorum calumniis defendendum suscipit. Ei quidem statim ab ipsa promulgatione multum apud populos omnes auctoritatis ac fidei cum patrata divinitus tot miracula, tum corporea specie illapsus, ut illud suo numine sanciret, Spiritus sanctus conciliarat; sed non defuere, a quibus impugnaretur. Primum enim tormentorum atque suppliciorum vim, qua dire in primos Christianos sævitum, sustinuit; deinde immanitates illas excepit doctrinæ pariter atque historiæ, quam afflatu divino sacri quatuor Scriptores de eo texuerant, criminatio : utrumque incassum. Enimvero, quemadmodum primis suis conatibus nihil aliud consecuti sunt evangelicæ veritatis adversarii, nisi ut illa certior exploratiorque redderetur, divino Spiritu martyribus, qui eam suo sanguine assererent, vires suggerente : sic idem ille Spiritus præstantissimorum virorum mentes ardore succendit, quo refutatis multa cum eruditionis laude Idololatrarum calumniis, majorem ei firmitudinem ac dignitatem compararent. Porro illud in primis crimini dabatur, inter se neutiquam consentire sacros historicos : « Hoc enim solent, » ait Augustinus, « quasi palmare suæ vanitatis

» objicere, quod ipsi Evangelistæ inter seipsos dissentiant » (*Lib.* 1, *cap.* 7, *n.* 10). Ethnicis quod ad certos locos succinebant Manichæi, quos, ut videre licet in libris contra Faustum, Evangeliis additos fuisse calumniabantur. Atqui Augustino non satis fuit ea conciliare de quibus litem movebant isti hæretici, contra quos potissimum Vetus Testamentum defendebat; verum, ut Novi quoque Testamenti propugnator merito jure audiret, quatuor Evangelistarum, tam in gestis recensendis, quam in ordine ipso narrationis summam concordiam demonstrare est aggressus.

Fieri sane non potuit quin ei lucubratio hæc magno staret. nunc illam in Tractatu 112 in Joannem, *n.* 1, laboriosas litteras vocat; ac rursus in Tractatu 117, n. 2, res ibi esse operosissime disputatas dicit. Scilicet destitutus erat iis adjumentis, quibus instructi fuere quotquot postea in idem illud argumentum desudarunt, qui tamen ipsi vestigiis ejus insistentes, vix quidquam alicujus momenti invenere, quod ille non dixisset. Hoc opus libris de Trinitate, quos jam inchoarat, intermissis, confecit labore continuo, ex libro 2 Retractationum, cap. 16, nec porro ante anni 399 exitum; cum in libro 1, cap. 27, testetur idola tum temporis legum ab imperatoribus latarum auctoritate confringi. Expressam enim legem hac de re nullam habemus iis superiorem, quæ anno 399 promulgatæ, atque exsecutioni demandatæ in Africa fuerunt (*De Civit. Dei*, lib. 18, cap. 54) : quibus nondum constitutis, evertendi simulacra, nisi ex eorum quorum erant, consensu, jus penes se haud quaquam esse fatebatur Augustinus (*Serm.* 62, *cap.* 11, *n.* 17).

Librum primum insumit iis revincendis, qui cum Christum viri longe sapientissimi loco haberent, aut verius, habere simularent, Evangelio fidem derogabant; eo scilicet prætextu, quod non ab ipso Christo scriptum esset, sed ab ejus discipulis, quos ei divinitatem affinxisse dicebant, neque ab illo accepisse doctrinam quam de deorum abdicando cultu ipsi prædicarunt. In libro secundo Matthæum Evangelistam usque ad cœnæ narrationem ex ordine considerat, cumque eo collatis Marco, Luca et Joanne, demonstrat perpetuam inter eos reperiri consensionem. Liber tertius est de eorumdem quatuor Evangelistarum a cœnæ narratione ad Evangelii finem concordia. Quartus denique de iis quæ peculiaria sunt Marco, Lucæ et Joanni. Opus in Corbeiensi codice ante 900 vel 1000 annos exarato inscribitur, « Aurelii Augustini episcopi de Concordia Evangelistarum : » sic et in aliis plerisque Mss. In iis omnibus autem libri quique, primo excepto, dividuntur in capitula, quorum lemmata in librorum fronte præfixa sunt.

Vide lib. 2, *cap.* 16, Retractationum, *col.* 636, *a verbis*, Per eosdem annos, *usque ad col.* 637, *verbis*, Divinas auctoritates. M.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
De Consensu
EVANGELISTARUM
LIBRI QUATUOR[a].

LIBER PRIMUS.

Dicto breviter de Evangelistarum auctoritate, numero, ordine ac varia scribendi ratione, Augustinus, priusquam de eorumdem consensu agat, illis hoc libro occurrit qui vel moventur cur Christus ipse nihil scripserit, vel fingunt scriptos ab ipso fuisse libros de magicis; quique adversus evangelicam doctrinam jactitant Christi discipulos non tantum magistro suo amplius tribuisse quam re vera erat, dicendo illum Deum; sed etiam deorum cultum prohibendo, non hoc docuisse quod ab ipso didicissent. Contra quos doctrinam Apostolorum ex Prophetarum eloquiis vindicat, ostendens Deum Israel solum colendum esse, qui solus a Romanis quod deos alios coli secum vetaret, ante non receptus, jam demum Romanum imperium suo nomini subjugavit, atque apud omnes gentes, uti per suos Prophetas futurum promiserat, idola comminuit per Evangelii prædicationem.

CAPUT PRIMUM. — *Evangeliorum auctoritas.*

1. Inter omnes divinas auctoritates, quæ sanctis Litteris continentur, Evangelium merito excellit. Quod enim Lex et Prophetæ futurum prænuntia-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

De Consensu Evangelistarum libri quatuor recogniti sunt de novo ad codices Mss. Vaticanæ bibliothecæ quatuor, Colbertinæ duos, Beccensis et Cisterciensis totidem, Ecclesiæ Laudunensis unum, item S. Genovefæ Parisiensis, Navarrici Collegii, et D. de S. George canon. comitis Lugdunensis unum, ad Corbeiensem optima manu et ante 900 aut 1000 annos descriptum, ad probæ notæ Albinensem, Audoenensem, Fiscannensem, Floriacensem, Fossatensem, Gemmeticensem, Germanensem, Pratellensem, Remigiensem, Silvæ-majorensem, Vindocinensem : ad variantes lectiones ex quinque Belgicis Lovaniensium Theologorum opera collectas : prætereaque ad antiquiores editiones Bad. seu Rat. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

(a) Scripti versus Christi annum 400.

verunt, hoc redditum[1] atque completum in Evangelio demonstratur. Cujus primi prædicatores Apostoli fuerunt, qui Dominum ipsum et Salvatorem nostrum Jesum Christum etiam præsentem in carne viderunt. Qui[2] non solum ea quæ ex ore ejus audita vel ab illo sub oculis suis operata, dicta et facta meminerant; verum etiam quæ priusquam illi per discipulatum adhæserant, in ejus nativitate, vel infantia, vel pueritia, divinitus gesta et digna memoria, sive ab ipso, sive a parentibus ejus, sive a quibuslibet aliis, certissimis indiciis et fidelissimis testimoniis requirere et cognoscere potuerunt, imposito sibi evangelizandi munere, generi humano annuntiare curarunt. Quorum quidam, hoc est Matthæus et Joannes, etiam scripta de illo, quæ scribenda visa sunt, libris singulis ediderunt.

2. Ac ne putaretur, quod attinet ad percipiendum et prædicandum Evangelium, interesse aliquid utrum illi annuntient, qui eumdem Dominum hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt, an ii qui ex illis fideliter comperta crediderunt; divina providentia procuratum est per Spiritum sanctum, ut quibusdam etiam ex illis qui primos Apostolos sequebantur, non solum annuntiandi, verum etiam scribendi Evangelium tribueretur auctoritas: hi sunt Marcus et Lucas. Cæteri autem homines, qui de Domini vel Apostolorum actibus aliqua scribere conati vel ausi sunt, non tales suis temporibus exstiterunt, ut eis fidem haberet Ecclesia, atque in auctoritatem canonicam sanctorum Librorum eorum scripta reciperet: nec solum quia illi non tales erant, quibus narrantibus credi oporteret; sed etiam quia scriptis suis quædam fallaciter indiderunt, quæ catholica atque apostolica regula fidei et sana doctrina condemnat.

CAPUT II. — *Ordo Evangelistarum, et scribendi ratio.*

3. Isti igitur quatuor Evangelistæ universo terrarum orbe notissimi, et ob hoc fortasse quatuor, quoniam quatuor sunt partes orbis terræ, per cujus universitatem Christi Ecclesiam dilatari, ipso sui numeri sacramento quodammodo declararunt, hoc ordine scripsisse perhibentur. Primum Matthæus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimo Joannes. Unde alius eis fuit ordo cognoscendi atque prædicandi, alius autem scribendi. Ad cognoscendum quippe atque prædicandum, primi utique fuerunt qui secuti Dominum in carne præsentem, dicentem audierunt, facientemque viderunt; atque ex ejus ore ad evangelizandum missi sunt. Sed in conscribendo Evangelio, quod divinitus ordinatum esse credendum est, ex numero eorum quos ante passionem Dominus elegit, primum atque ultimum locum duo tenuerunt; primum Matthæus, ultimum Joannes: ut reliqui duo qui ex illo numero non erant, sed tamen Christum in illis loquentem secuti erant, tanquam filii amplectendi, ac per hoc in loco medio constituti, utroque ab eis latere munirentur.

[1] Mss. quatuor, *revelatum.*
[2] Bad. Er. et plerique Mss., *cujus.*

4. Horum sane quatuor solus Matthæus hebræo scripsisse perhibetur eloquio, cæteri græco. Et quamvis singuli suum quemdam narrandi ordinem tenuisse videantur, non tamen unusquisque eorum velut alterius præcedentis ignarus voluisse scribere reperitur, vel ignorata prætermisisse quæ scripsisse alius invenitur; sed sicut unicuique inspiratum est, non superfluam cooperationem sui laboris adjunxit. Nam Matthæus suscepisse intelligitur incarnationem Domini secundum stirpem regiam, et pleraque secundum hominum præsentem vitam facta et dicta ejus. Marcus eum subsecutus, tanquam pedissequus et breviator ejus videtur. Cum solo quippe Joanne, nihil dixit; solus ipse, perpauca; cum solo Luca, pauciora; cum Matthæo vero, plurima; et multa pene totidem atque ipsis verbis, sive cum solo, sive cum cæteris consonante. Lucas autem circa sacerdotalem Domini stirpem atque personam magis occupatus apparet. Nam et ad ipsum David non regium stemma secutus ascendit, sed per eos qui reges non fuerunt, exiit ad Nathan filium David (*Luc.* III, 31), qui nec ipse rex fuit. Non sicut Matthæus, qui per Salomonem regem descendens (*Matth.* I, 6), cæteros etiam reges ex ordine persecutus est, servans in eis, de quo postea loquemur, mysticum numerum.

CAPUT III. — *Matthæus cum Marco ad regiam, Lucas ad sacerdotalem Christi personam intentionem retulit.*

5. Dominus enim Jesus Christus unus verus rex et unus verus sacerdos, illud ad regendos nos, istud ad expiandos, has duas personas apud Patres[1] singillatim commendatas suam figuram egisse declaravit, sive titulo illo qui cruci ejus superfixus erat, *Rex Judæorum;* unde arcano instinctu Pilatus respondit, *Quod scripsi scripsi* (*Joan.* XIX, 19-22): prædictum quippe erat in Psalmis, *Ne corrumpas tituli inscriptionem* (*Psal.* LXXIV, 1): sive quod ad personam sacerdotis attinet, in eo quod nos offerre atque accipere docuit; unde prophetiam[2] de se præmisit dicentem, *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Multisque aliis documentis divinarum Scripturarum rex et sacerdos Christus apparet. Hinc et ipse David, cujus non frustra crebrius filius dictus est, quam filius Abrahæ, et quem communiter tenuerunt Matthæus et Lucas, ille a quo per Salomonem descenderet, iste ad quem per Nathan ascenderet, quanquam aperte rex fuit, figuravit tamen et sacerdotis personam, quando panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus (I *Reg.* XXI, 6; *Matth.* XII, 3). Huc accedit quod solus etiam Lucas Mariam commemorat ab Angelo manifestatam cognatam fuisse Elisabeth[3], quæ uxor erat Zachariæ sacerdotis. De quo idem scripsit, quod eam de filiabus Aaron, hoc est de tribu sacerdotum habebat uxorem (*Luc.* I, 36, 5).

6. Cum ergo Matthæus circa regis, Lucas circa

[1] Editi, *apud antiquos Patres.* Abest, *antiquos,* a Mss.
[2] Mss. duo, *prophetam.*
[3] Sic editi Bad. et Er. suffragantibus Mss. omnibus. At Lov., *commemorat manifeste cognatam fuisse Elizabeth.*

sacerdotis personam gereret intentionem, utrique humanitatem Christi maxime commendarunt. Secundum hominem quippe Christus et rex et sacerdos effectus est, cui dedit Deus sedem David patris sui, ut regni ejus non esset finis (*Luc.* I, 32, 33), et esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5). Non autem habuit tanquam breviatorem conjunctum Lucas, sicut Marcum Matthæus. Et hoc fortasse non sine aliquo sacramento, quia regum est non esse sine comitum obsequio [1]: unde ille qui regiam personam Christi narrandam susceperat, habuit sibi tanquam comitem adjunctum, qui sua vestigia quodammodo sequeretur. Sacerdos autem quoniam in sancta sanctorum solus intrabat, propterea Lucas, cujus circa sacerdotium Christi erat intentio, non habuit tanquam socium subsequentem, qui suam narrationem quodammodo breviaret.

CAPUT IV. — *Joannes ipsius divinitatem exprimendam curavit.*

7. Tres tamen isti Evangelistæ in his rebus maxime diversati sunt, quas Christus per humanam carnem temporaliter gessit: porro autem Joannes ipsam maxime divinitatem Domini, qua Patri est æqualis, intendit, eamque præcipue suo Evangelio, quantum inter homines sufficere credidit, commendare curavit. Itaque longe a tribus istis superius fertur, ita ut hos videas quodammodo in terra cum Christo homine conversari; illum autem transcendisse nebulam, qua tegitur omnis terra, et pervenisse ad liquidum cœlum, unde acie mentis acutissima atque firmissima videret, in principio Verbum Deum apud Deum, per quem facta sunt omnia; et ipsum agnosceret carnem factum, ut habitaret in nobis (*Joan.* I, 1, 3, 14): quod acceperit carnem, non quod fuerit mutatus in carnem. Nisi enim carnis assumptio servata incommutabili divinitate facta esset, non diceretur, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30): neque enim Pater et caro unum sunt. Et hoc de seipso Domini testimonium solus idem Joannes commemoravit; et, *Qui me vidit, vidit et Patrem* [2]; et, *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Id.* XIV, 9, 10); et, *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus* (*Id.* XVII, 22); et, *Quæcumque Pater facit, hæc eadem et Filius facit similiter* (*Id.* V, 19); et si qua alia sunt, quæ Christi divinitatem, in qua æqualis est Patri, recte intelligentibus intiment, pene solus Joannes in Evangelio suo posuit: tanquam qui de pectore ipsius Domini, super quod discumbere in ejus convivio solitus erat (*Id.* XIII, 23), secretum divinitatis ejus uberius et quodammodo familiarius biberit.

CAPUT V. — *Virtutes duæ; circa contemplativam Joannes, circa activam Evangelistæ alii versantur.*

8. Proinde cum duæ virtutes propositæ sint animæ humanæ, una activa, altera contemplativa; illa qua itur, ista qua pervenitur; illa qua laboratur, ut cor mundetur ad videndum Deum; ista qua vacatur et videtur Deus: illa est in præceptis exercendæ vitæ hujus temporalis, ista in doctrina vitæ illius sempiternæ. Ac per hoc illa operatur, ista requiescit; quia illa est in purgatione peccatorum, ista in lumine [1] purgatorum. Ac per hoc in hac vita mortali, illa est in opere bonæ conversationis; ista vero magis in fide, et apud perpaucos per speculum in ænigmate, et ex parte in aliqua visione incommutabilis veritatis (I *Cor.* XIII, 12). Hæ duæ virtutes in duabus uxoribus Jacob figuratæ intelliguntur. De quibus adversus Faustum Manichæum pro modulo meo, quantum illi operi sufficere videbatur, disserui (*Lib.* 22, *cap.* 52). Lia quippe interpretatur, Laborans; Rachel autem, Visum principium [2]. Ex quo intelligi datur, si diligenter advertas, tres Evangelistas temporalia facta Domini et dicta quæ ad informandos mores vitæ præsentis maxime valerent, copiosius persecutos, circa illam activam virtutem fuisse versatos; Joannem vero facta Domini multo pauciora narrantem, dicta vero ejus, ea præsertim quæ Trinitatis unitatem et vitæ æternæ felicitatem insinuarent, diligentius et uberius conscribentem, in virtute contemplativa commendanda, suam intentionem prædicationemque tenuisse.

CAPUT VI. — *Quatuor animalia ex Apocalypsi de quatuor Evangelistis alii aliis aptius intellexerunt.*

9. Unde mihi videntur, qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid attendisse illi qui leonem in Matthæo, hominem in Marco, vitulum in Luca, aquilam in Joanne intellexerunt, quam illi qui hominem Matthæo, aquilam Marco, leonem Joanni tribuerunt. De principiis enim librorum quamdam conjecturam capere voluerunt, non de tota intentione Evangelistarum, quæ magis fuerat perscrutanda. Multo enim congruentius ille qui regiam Christi personam maxime commendavit, per leonem significatus accipitur: unde et in Apocalypsi cum ipsa tribu regia leo commemoratus est, ubi dictum est, *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* V, 5). Secundum Matthæum enim et Magi narrantur venisse ab Oriente ad regem quærendum et adorandum, qui eis per stellam natus apparuit: et ipse rex Herodes regem formidat infantem, atque ut eum possit occidere, tot parvulos necat (*Matth.* II, 1-18). Quod autem per vitulum Lucas significatus sit, propter maximam victimam sacerdotis, neutri dubitaverunt. Ibi enim a sacerdote Zacharia incipit sermo narrantis; ibi cognatio Mariæ et Elisabeth commemoratur (*Luc.* I, 5, 36); ibi sacramenta primi sacerdotii in infante Christo impleta narrantur (*Id.* II, 22-24): et quæcumque alia possunt diligenter adverti, quibus appareat Lucas intentionem circa sacerdotis personam habuisse. Marcus ergo, qui neque stirpem regiam, neque sacerdotalem vel cognationem vel consecrationem narrare voluit, et tamen in eis versatus ostenditur quæ homo Christus operatus est, tantum hominis figura in illis quatuor animalibus

[1] Mss. duo et editio Rat., id est, quæ Augustini Ratisponensis studio recognita est, habent, *sine comitatus obsequio.*

[2] Sic melioris notæ Mss. juxta græcum, *o eôrakôs emè, eôrake tòn patéra.* At editi: *Qui me videt, videt et Patrem.*

[1] Unus e Vaticanis Mss., *in illuminatione.*

[2] Editi excepto Rat., *visus principium.* At Mss., *visum principium*: sic etiam in lib. 22 contra Faustum, cap. 52, legitur; addita hacce interpretatione, *sive Verbum*, ait Augustinus, *ex quo videtur principium.*

significatus videtur. Hæc autem animalia tria sive leo, sive homo, sive vitulus, in terra gradiuntur : unde isti tres Evangelistæ in his maxime occupati sunt, quæ Christus in carne operatus est, et quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit. At vero Joannes super nubila infirmitatis humanæ velut aquila volat, et lucem incommutabilis veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur (a).

CAPUT VII. — *Causa suscepti operis de Evangelistarum consensu. Occurritur iis qui dicunt Christum nihil scripsisse, discipulos vero ejus Deum illum prædicando, mentitos fuisse.*

10. Has Domini sanctas quadrigas, quibus per orbem vectus subigit populos leni suo jugo et sarcinæ levi, quidam vel impia vanitate vel imperita temeritate calumniis appetunt, ut eis veracis narrationis derogent fidem, per quos christiana religio disseminata per mundum, tanta fertilitate provenit, ut homines infideles jam inter seipsos calumnias suas mussitare vix audeant, compressi fide Gentium et omnium devotione populorum. Verumtamen, quia nonnullos adhuc calumniosis disputationibus suis, vel retardant a fide ne credant, vel jam credentes, quantum potuerint, agitando perturbant; nonnulli autem fratres salva fide nosse desiderant quid talibus respondeant quæstionibus, vel ad profectum scientiæ suæ, vel ad illorum vaniloquia refellenda; inspirante atque adjuvante Domino Deo nostro (quod utinam et ipsorum saluti prosit), hoc opere demonstrare suscepimus errorem vel temeritatem eorum qui contra Evangelii quatuor libros, quos Evangelistæ quatuor singulos conscripserunt, satis argutas criminationes se proferre arbitrantur : quod ut fiat, quam non sibi adversentur iidem scriptores quatuor, ostendendum est. Hoc enim solent quasi palmare [1] suæ vanitatis objicere, quod ipsi Evangelistæ inter seipsos dissentiant.

11. Sed illud prius discutiendum est, quod solet nonnullos movere, cur ipse Dominus nihil scripserit, ut aliis de illo scribentibus necesse sit credere. Hoc enim dicunt illi vel maxime pagani, qui Dominum ipsum Jesum Christum culpare aut blasphemare non audent, eique tribuunt excellentissimam sapientiam, sed tamen tanquam homini : discipulos vero ejus dicunt magistro suo amplius tribuisse quam erat, ut eum Filium Dei dicerent, et Verbum Dei per quod facta sunt omnia, et ipsum ac Deum Patrem unum esse; ac si qua similia sunt in apostolicis Litteris, quibus eum cum Patre unum Deum colendum esse didicimus. Honorandum enim tanquam sapientissimum virum putant; colendum autem tanquam Deum negant.

12. Cum ergo quærunt quare ipse non scripserit, videntur parati fuisse hoc de illo credere, quod de se ipse scripsisset, non quod alii de illo pro suo arbitrio prædicassent. A quibus quæro, cur de quibusdam nobilissimis philosophis suis hoc crediderint, quod de illis eorum discipuli scriptum memoriæ reliquerunt, cum de se ipsi nihil scripsissent? Nam Pythagoras, quo in illa contemplativa virtute nihil tunc [1] habuit Græcia clarius, non tantum de se, sed nec de ulla re aliquid scripsisse perhibetur. Socrates autem, quem rursus in activa, qua mores informantur, omnibus prætulerunt, ita ut testimonio quoque Dei sui Apollinis omnium sapientissimum pronuntiatum esse non taceant, Æsopi fabulas pauculis versibus persecutus est, verba et numeros suos adhibens rebus alterius, usque adeo nihil scribere voluit, ut hoc se coactum imperio sui dæmonis fecisse dixerit, sicut nobilissimus discipulorum ejus Plato commemorat : in quo tamen opere maluit alienas quam suas exornare sententias. Quid igitur causæ est cur de istis hoc credant, quod de illis discipuli eorum litteris commendarunt, et de Christo nolint credere quod ejus de illo discipuli conscripserunt; præsertim cum ab eo cæteros homines sapientia superatos esse fateantur, quamvis eum fateri Deum nolint? An vero illi, quos isto multo inferiores fuisse non dubitant, veraces de se discipulos facere potuerunt, et iste non potuit? Quod si absurdissime dicitur, credant de illo quem sapientem fatentur, non quod ipsi volunt, sed quod apud eos legunt, qui ea quæ scripserunt, ab illo sapiente didicerunt.

CAPUT VIII. — *Si fama narrante Christus creditur sapientissimus, cur majori fama prædicante non credatur Deus.*

13. Deinde dicant, unde saltem quod sapientissimus fuerit, nosse vel audire potuerunt. Si fama disseminante, certiorne de illo nuntia fama est [2], quam discipuli ejus, quibus eum prædicantibus ipsa per totum mundum fama fragravit? Postremo famam præferant famæ, et ei famæ de illo credant quæ major est. Ea quippe fama, quæ de catholica Ecclesia, quam stupent toto orbe diffusam, mirabili claritate dispergitur, tenues istorum rumores incomparabiliter vincit : ea porro fama tam magna, tam celebris, ut eam timendo isti trepidas et tepidas contradictiunculas in sinu suo rodant, jam plus metuentes audiri, quam volentes credi, Filium Dei Unigenitum et Deum prædicat Christum [3], per quem facta sunt omnia : si ergo famam eligunt testem, cur non hanc eligunt, quæ tanta claritate præfulget? Si scripturam, cur non evangelicam, quæ tanta auctoritate præpollet? Nos certe hæc de diis eorum credimus, quæ habet et scriptura eorum antiquior, et fama celebrior. Quæ si adoranda sunt, cur ea rident in theatris? Si autem ridenda sunt, plus ridendum est cum adorantur in templis. Restat ut ipsi velint testes esse de Christo, qui sibi auferunt meritum sciendi quid loquantur, loquendo quod nesciunt. Aut si aliquos libros se habere dicunt, quos eum scripsisse asserant, prodant eos nobis. Profecto enim utilissimi et saluberrimi sunt,

[1] Editi, *palmam*. Melius aliquot Mss., *palmare*.
(a) Tract. 36 in Joan., n. 5.

[1] Particula, *tunc*, deest in sex Mss.
[2] Quatuordecim Mss., *de illo fama nuntiata est*.
[3] Er. et Lov., *tam celebris est, ut eam timendo*, etc. *quam nolentes credi Filium Dei unigenitum et Deum prædicari Christum* etc; dissentientibus Mss. prope omnibus et antiquiori editione Rat., quorum hic lectionem restituimus.

quos, ut ipsi fatentur, vir sapientissimus scripsit. Si autem timent eos proferre, utique mali sunt; porro si mali sunt, non eos sapientissimus scripsit: sapientissimum autem Christum fatentur; non ergo Christus tale aliquid scripsit.

CAPUT IX. — *Quidam fingunt Christum scripsisse libros de magicis.*

14. Ita vero isti desipiunt, ut illis libris quos eum scripsisse existimant, dicant contineri eas artes quibus eum putant illa fecisse miracula, quorum fama ubique percrebuit: quod existimando seipsos produnt quid diligant, et quid affectent; quandoquidem Christum propterea sapientissimum putant fuisse, quia nescio quæ illicita noverat, quæ non solum disciplina christiana, sed etiam ipsa terrenæ reipublicæ administratio jure condemnat. Et certe qui tales Christi libros se legisse affirmant, cur ipsi nulla talia faciunt, qualia illum de libris talibus fecisse mirantur?

CAPUT X. — *Eosdem libros Petro et Paulo inscriptos quidam delirant.*

15. Quid quod etiam divino judicio sic errant quidam eorum, qui talia Christum scripsisse vel credunt vel credi volunt, ut eosdem libros ad Petrum et Paulum dicant, tanquam epistolari titulo prænotatos. Et fieri potest ut sive inimici nominis Christi, sive qui ejusmodi exsecrabilibus artibus de tam glorioso nomine pondus auctoritatis dare se posse putaverunt, talia sub Christi et Apostolorum nomine scripserint: in qua fallacissima audacia sic excæcati sunt, ut etiam a pueris, qui adhuc pueriliter in gradu Lectorum christianas Litteras norunt, merito rideantur.

16. Cum enim vellent tale aliquid fingere Christum scripsisse ad discipulos suos, cogitaverunt ad quos potissimum scribere potuisse facile crederetur, tanquam ad illos qui ei familiarius adhæsissent, quibus illud quasi secretum digne committeretur: et occurrit eis Petrus et Paulus, credo quod pluribus locis simul eos cum illo pictos viderent; quia merita Petri et Pauli etiam propter eumdem passionis diem celebrius solemniter [1] Roma commendat. Sic omnino errare meruerunt, qui Christum et Apostolos ejus non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt: nec mirum si a pingentibus fingentes decepti sunt. Toto enim tempore quo Christus in carne mortali cum suis discipulis vixit, nondum erat Paulus discipulus ejus, quem post passionem suam, post resurrectionem, post ascensionem, post missum de cœlis Spiritum sanctum, post multorum Judæorum conversionem et mirabilem fidem, post lapidationem Stephani diaconi et martyris, cum adhuc Saulus appellaretur, et eos qui in Christum crediderant, graviter persequeretur, de cœlo vocavit, et suum discipulum atque apostolum fecit (*Act.* IX, 1-30). Quomodo igitur potuit libros, quos antequam moreretur eum scripsisse putari volunt, ad discipulos, tanquam familiarissimos, Petrum et Paulum scribere, cum Paulus nondum fuerit discipulus ejus?

[1] In tribus Mss., *celeberrimum solemniter*. Apud Er. et Lov., *celebrius et solemniter*; addito, *et*, quod abest ab aliis codicibus.

CAPUT XI. — *In eos qui somniant Christum magica arte populos ad se convertisse.*

17. Illud quoque attendant qui magicis artibus tanta eum potuisse, et nomen suum ad populos in se convertendos arte ipsa consecrasse delirant, utrum potuerit magicis artibus tantos Prophetas divino Spiritu, antequam in terra nasceretur, implere, qui de illo talia futura prælocuti sunt, qualia jam præterita in Evangelio legimus, et qualia in orbe terrarum præsentia nunc videmus. Neque enim, si magicis artibus fecit ut coleretur et mortuus, magus erat antequam natus: cui prophetando venturo gens una deputata est, cujus reipublicæ tota administratio prophetia esset illius regis venturi, et civitatem cœlestem ex omnibus gentibus condituri.

CAPUT XII. — *Judæorum Deus, illis subjugatis, ideo non fuit a Romanis receptus, quod is juberet se solum coli simulacris deletis.*

18. Proinde illius Hebrææ gentis ad prophetandum Christum, sicut dixi, deputatæ nullus alius deus erat, nisi Deus unus, Deus verus, qui fecit cœlum et terram et omnia quæ in eis sunt: quo offenso sæpe suis hostibus subdebantur; nunc etiam pro gravissimo scelere occisi Christi, ex ipsa Jerosolyma, quod erat regni eorum caput, penitus eradicati, et Romano imperio subjugati sunt. Solebant autem Romani deos gentium quas subjugabant, colendos propitiare [1], et eorum sacra suscipere. Hoc de Deo gentis Hebrææ, cum eam vel oppugnaverunt vel vicerunt, facere noluerunt. Credo quod videbant, si ejus Dei sacra reciperent, qui se solum, deletis etiam simulacris, coli juberet, dimittenda esse omnia quæ prius colenda susceperant, quorum religionibus imperium suum crevisse arbitrabantur. In quo eos plurimum fallacia dæmonum decipiebat: nam utique intelligere debebant, occulta Dei veri voluntate, penes quem rerum summa potestas est, sibi datum et auctum regnum, non illorum deorum favore; qui si aliquid in hac re potestatis habuissent, suos potius protexissent, ne a Romanis superarentur, aut ipsos eis Romanos edomitos subjugassent.

19. Neque enim possunt dicere pietatem ac mores suos a diis gentium quas vicerunt, dilectos et electos. Nunquam hoc dicent, si primordia sua recolant, facinorosorum asylum et Romuli fratricidium. Neque enim quando asylum constituerunt Remus et Romulus, ut quisquis cujuslibet sceleris reus eo confugisset, inultum haberet commissum, præcepta pœnitentiæ dederunt ad sanandas animas miserorum; ac non potius collectam timentium manum contra suas civitates, quarum leges timebant, mercede impunitatis armarunt: aut quando Romulus fratrem, qui nihil in eum mali perpetrarat, occidit, justitiam vindicandi, ac non principatum dominandi cogitavit. Itane istos mores dilexerunt dii, hostes suarum civitatum favendo hostibus earum? Quin potius nec illas deserendo presserunt, nec ad istos transeundo eos aliquid adjuverunt; quia non habent in potestate regnum dare et

[1] Mss. quinque, *colendo propitiare*.

auferre : sed Deus unus et verus hoc agit occulto judicio, non continuo beatos facturus, quibus terrenum regnum dederit; nec continuo miseros, quibus ademerit; sed beatos vel miseros propter aliud et aliunde faciens, temporalia regna atque terrena quibus voluerit, et quamdiu voluerit, secundum prædestinatum ordinem sæculorum, vel sinendo vel donando distribuit.

CAPUT XIII. — *Judæos cur Deus passus est subjugari.*

20. Unde nec illud possunt dicere : Cur ergo Deus Hebræorum, quem summum et verum Deum dicitis, non solum eis Romanos non subjugavit, sed nec ipsos Hebræos, ne a Romanis subjugarentur, adjuvit? Præcesserunt enim manifesta peccata eorum, propter quæ illis hoc eventurum Prophetæ tanto ante prædixerunt; et maxime quia impio furore Christum occiderunt, in quo peccato aliorum occultorum peccatorum meritis excæcati sunt : et quod illius passio esset Gentibus profutura, eadem prophetica contestatione prædictum est. Nec alia re magis claruit, illius gentis regnum, et templum, et sacerdotium, et sacrificium, et unctionem illam mysticam, quod χρῖσμα græce dicitur, unde Christi nomen elucet, et propter quam reges suos christos ipsa gens appellabat, non fuisse nisi prænuntiando Christo deputata, quam quod occisi Christi resurrectio posteaquam cœpit credentibus Gentibus prædicari, illa omnia cessaverunt, nescientibus Romanis per quorum victoriam, nescientibus Judæis per quorum subjugationem factum est ut illa cessarent.

CAPUT XIV. — *Deus Hebræorum victis illis se victum non esse ostendit idolorum eversione, et Gentium omnium ad ipsius cultum conversione.*

21. Rem sane mirabilem non advertunt pauci Pagani qui remanserunt, Deum Hebræorum offensum a victis, nec receptum a victoribus, nunc prædicari et coli ab omnibus gentibus. Ipse est enim Deus Israel, de quo tanto ante Propheta plebem Dei sic allocutus est : *Et qui eruit te, Deus Israel universæ terræ vocabitur* (*Isai.* LIV, 5). Hoc factum est per nomen Christi venientis ad homines ex semine ipsius Israel, qui nepos fuit Abrahæ, a quo gens cœpit Hebræorum (*a*) : nam et ipsi Israel dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ* (*Gen.* XXVIII, 14). Hinc ostenditur Deus Israel, Deus unus qui fecit cœlum et terram, et res humanas juste ac misericorditer curat, ita ut nec præcludat justitia misericordiam, nec impediat misericordia justitiam, quod non ipse sit victus in Hebræo populo suo, quia regnum sacerdotiumque ejus Romanis expugnandum delendumque permisit : quandoquidem per Christi Evangelium, veri regis et sacerdotis, quod illo regno et sacerdotio futurum præfiguravit, nunc ipse Deus Israel ubique delet idola gentium; quæ utique ne delerentur, recipere sacra ejus Romani noluerunt, sicut receperunt deorum aliarum gentium quas vicerunt. Ita et regnum sacerdotiumque propheticæ gentis abstulit, quia jam qui per eam promittebatur, advenerat; et Romanum imperium, a quo gens illa victa est, per Christum regem suo nomini subjugavit, atque ad evertenda idola, propter quorum honorem sacra ejus recepta non erant, christianæ fidei robore ac devotione convertit.

(*a*) II Retract. c. 16.

22. Puto quia hæc de se futura, ut per tot Prophetas, et per cujusdam etiam gentis regnum ac sacerdotium prænuntiarentur, non magicis artibus fecit Christus, antequam esset in hominibus natus. Nam et illius jam deleti regni populus ubique dispersus mirabili Dei providentia, quamvis sine ulla unctione regis sacerdotisque remanserit, in quo chrismate Christi nomen apparet, tenet tamen reliquias quarumdam observationum suarum : Romana autem sacra illa de idolorum cultu nec victus ac subjugatus accepit, ut Libros propheticos ad testimonium gerat Christi, ac sic de inimicorum codicibus probetur [1] veritas prophetati Christi. Quid ergo miseri adhuc Christum male laudando seipsos indicant [2]? Si aliqua magica sub ejus nomine scripta sunt, cum vehementer his artibus Christi doctrina inimica sit; hinc potius intelligant quantum sit illud nomen, quo addito etiam illi qui contra ejus præcepta vivunt, suas nefarias artes honorare conantur. Sicut enim diversis hominum erroribus multi etiam varias hæreses adversus veritatem sub ejus nomine condiderunt; ita sentiunt etiam inimici Christi, ad suadendum quod proferunt contra doctrinam Christi, nullum sibi esse pondus auctoritatis, si non habeat nomen Christi.

CAPUT XV. — *Pagani Christum laudare compulsi, in ejus discipulos contumeliosi.*

23. Quid quod isti vani Christi laudatores et christianæ religionis obliqui obtrectatores propterea non audent blasphemare Christum, quia quidam philosophi eorum, sicut in libris suis Porphyrius Siculus prodidit, consuluerunt deos suos quid de Christo responderent, illi autem oraculis suis Christum laudare compulsi sunt? Nec mirum, cum et in Evangelio legamus eum dæmones fuisse confessos (*Luc.* IV, 41) : scriptum est autem in Prophetis nostris, *Quoniam dii Gentium dæmonia* (*Psal.* XCV, 5). Ac per hoc isti ne contra deorum suorum responsa conentur, continent blasphemias a Christo, et eas in discipulos ejus effundunt : mihi autem videtur, quod illi dii Gentium, quos philosophi Paganorum consulere potuerunt, etiam si de discipulis Christi interrogarentur, ipsos quoque laudare cogerentur.

CAPUT XVI. — *Apostoli de subvertendis idolis nihil a Christo vel a Prophetis diversum docuerunt.*

24. Verumtamen isti ita disputant, quod hæc eversio templorum, et damnatio sacrificiorum, et confractio simulacrorum non per doctrinam Christi fiat, sed per discipulorum ejus, quos aliud quam ab illo didicerunt, docuisse contendunt; ita volentes christianam fidem, Christum honorantes laudantesque, convellere : quia utique per discipulos Christi et facta et dicta Christi annuntiata sunt, quibus constat reli-

[1] MSS. sex, *profertur veritas.*
[2] Editio Rat. et quinque MSS., *judicant.*

gio christiana, adhuc istis jam paucissimis, nec jam oppugnantibus, sed tamen adhuc mussitantibus inimica. Sed si nolunt credere Christum talia docuisse, Prophetas legant, qui non solum superstitiones idolorum everti præceperunt, verum etiam christianis temporibus hanc eversionem futuram prædixerunt. Qui si fefellerunt, cur tanta manifestatione completur? si verum dixerunt, cur tantæ divinitati resistitur?

CAPUT XVII. — *In Romanos qui Deum Israel solum rejecerunt.*

25. Veruntamen diligentius ab istis quærendum est, quemnam putent esse Deum Israel; cur eum colendum non receperint, sicut aliarum gentium deos, quas Romanum subegit imperium; præsertim cum eorum sententia sit, omnes deos colendos esse sapienti. Cur ergo a numero cæterorum iste rejectus est? Si plurimum valet, cur ab eis solus non colitur? si parum aut nihil valet, cur contritis eorum simulacris ab omnibus gentibus solus pene jam colitur? Nunquam hujus quæstionis vinculo eximi poterunt, qui cum majores et minores deos colant, quos deos putant, hunc Deum non colunt, qui prævaluit omnibus quos colunt. Si enim magnæ virtutis est, cur existimatus est improbandus? si parvæ nulliusve virtutis est, cur tantum potuit improbatus? Si bonus est, cur a cæteris bonis solus separatur? si malus est, cur a tot bonis unus non superatur? Si verax est, cur ejus præcepta respuuntur? si mendax est, cur ejus prædicta complentur?

CAPUT XVIII. — *Hebræorum Deus a Romanis non receptus, quia se solum coli voluerit.*

26. Postremo, quod volunt de illo sentiant. Numquid Romani etiam malos deos colendos non putant, qui Pallori et Febri fana fecerunt? qui et ἀγαθοὺς dæmonas invitandos [1], et κακοὺς dæmonas placandos monent? Quodlibet ergo de illo existiment, cur eum solum sibi nec advocandum nec propitiandum esse duxerunt? Quis est Deus iste vel ita ignotus, ut in tam multis diis solus adhuc non inveniatur; aut ita notus, ut a tam multis hominibus jam solus colatur? Nihil ergo restat ut dicant cur hujus Dei sacra recipere noluerint; nisi quia solum se coli voluerit, illos autem deos Gentium, quos isti jam colebant, coli prohibuerit. Sed hoc ipsum magis ab eis requirendum est, quemnam vel qualem putent esse istum Deum, qui noluerit coli deos alios, quibus isti templa et simulacra fecerunt; tantumque potuerit, ut plus valeret ejus voluntas ad eorum simulacra evertenda, quam illorum ad ejus sacra non recipienda. Certe sententia illius eorum philosophi proditur, quem sapientissimum omnium hominum etiam oraculo fuisse firmarunt. Socratis enim sententia est, unumquemque deum sic coli oportere, quomodo se ipse colendum esse præceperit. Proinde istis summa necessitas facta est non colendi Deum Hebræorum; quia si alio modo eum colere vellent, quam se colendum ipse dixisset, non utique illum colerent, sed quod ipsi finxissent: si autem illo modo vellent quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant, quos ille coli prohibebat. Ac per hoc respuerunt unius veri Dei cultum, ne multos falsos offenderent; magis arbitrantes sibi obfuturam fuisse istorum iracundiam, quam illius benevolentiam profuturam.

CAPUT XIX. — *Hunc esse verum Deum.*

27. Sed fuerit ista vana necessitas, et ridenda timiditas: nunc quærimus quid de isto Deo sentiant homines, quibus placet omnes deos colendos esse. Si enim iste colendus non est, quomodo coluntur omnes, cum iste non colitur? si autem colendus est, non omnes colendi sunt; quia nisi solus colatur, iste non colitur. An forte dicturi sunt istum non esse Deum, cum illos deos dicant, qui, sicut nos credimus, nihil possunt, nisi quod illius judicio permittuntur; non ut alicui prosint, sed ut nec lædere valeant, nisi eos quos ita lædendos esse ille judicat, qui omnia potest? Sicut autem ipsi coguntur fateri, minora certe quam ille potuerunt. Si enim dii sunt, quorum vates consulti ab hominibus, ut non dicam fefellerunt, proxima tamen privatis negotiis responderunt; quomodo non est Deus, cujus vates non solum ea quæ ad tempus consulebantur congrue responderunt, verum etiam unde non consulebantur de universo genere humano, atque omnibus gentibus ea tanto ante prædixerunt, quæ nunc et legimus et videmus? Si Deum dicunt, quo impleta Sibylla fata [1] cecinit Romanorum; quomodo non est Deus, qui et Romanos et omnes nationes in se unum Deum per Christi Evangelium credituras, et omnia patrum suorum simulacra eversuras, sicut prænuntiavit, exhibuit? Postremo, si illos deos dicunt, qui nunquam ausi sunt per vates suos contra istum Deum aliquid dicere; quomodo non est Deus qui per vates suos istorum simulacra non solum everti jussit, verum etiam in omnibus Gentibus eversum iri prædixit ab eis qui illis desertis se unum colere juberentur, et jussi famularentur?

CAPUT XX. — *Contra Deum Hebræorum nihil a Paganorum vatibus prædictum reperitur.*

28. Aut legant, si possunt, vel aliquam Sibyllarum, vel quemlibet aliorum vatum suorum prædixisse hoc futurum, ut Deus Hebræorum Deus Israel ab omnibus gentibus coleretur, et quod eum cultores aliorum deorum recte antea respuissent; futuras etiam litteras Prophetarum ejus in auctoritate ita sublimi [2], ut his obtemperans etiam imperium Romanorum juberet deleri simulacra; monuisse etiam ne talibus præceptis obtemperaretur: legant ista, si possunt, ex aliquibus libris vatum suorum. Omitto enim dicere quod ea quæ in illorum libris leguntur, pro nostra, hoc est, christiana religione testimonium dicunt, quod a sanctis Angelis, et ab ipsis nostris Prophetis audire potuerunt: sicut et præsentem in carne Christum etiam dæmonia coacta sunt confiteri. Sed hæc omitto, quæ cum proferimus, a nostris ficta esse contendunt:

[1] Editi, *imitandos*. At Mss., *invitandos*: quibus favet quod subsequitur, *cur eum solum sibi nec advocandum*.

[1] In septem Mss., *facta*.
[2] Sex Mss., *futurum... sublimari*.

ipsi omnino, ipsi urgendi sunt, ut proferant a vatibus deorum suorum contra Deum Hebræorum aliquid prophetatum; sicut nos tot et tanta de libris Prophetarum nostrorum contra deos eorum et jussa observamus, et prædicta recitamus, et facta monstramus. Quæ illi jam perpauci qui remanserunt, malunt dolere completa, quam illum Deum agnoscere, qui potuit prænuntiare complenda: cum in suis diis falsis, quæ sunt vera dæmonia, nihil aliud pro magno appetant, quam cum aliquid eorum responsis sibi futurum esse didicerint.

CAPUT XXI. — *Hic solus Deus colendus, qui cum alios coli prohibeat, coli non prohibetur ab aliis.*

29. Quæ cum ita sint, cur non potius miseri intelligunt illum esse Deum verum, quem sic vident a suorum deorum societate sejunctum, ut quem Deum fateri coguntur, qui omnes deos colendos esse profitentur, cum cæteris colere non sinantur? Cum ergo simul coli non possint, cur non ille eligitur, qui istos coli vetat, relictis istis qui illum coli non vetant? Aut si vetant, legatur. Quid enim magis populis eorum in templis eorum debuit recitari, ubi nihil unquam tale personuit? Et utique prohibitio tam multorum contra unum, quam unius contra tam multos, notior et potentior [1] esse deberet. Nam si hujus Dei cultus est impius, inutiles sunt dii, qui homines ab impietate non prohibent: si vero pius est hujus cultus, quoniam in illo præcipitur ne isti colantur, impius est cultus eorum. Si autem tam diffidenter istum coli prohibent, ut plus audiri timeant [2], quam prohibere audeant; hoc ipso quis non sapiat, quis non sentiat, illum esse potius eligendum, qui istos coli tam publice prohibet, qui eorum simulacra everti jussit, prædixit, evertit, quam istos, quos ut ille non colatur, jussisse nescimus, prædixisse non legimus, valuisse aliquid non videmus? Rogo, respondeant; quis est Deus iste, qui omnes Deos Gentium sic persequitur, qui omnia eorum sacra sic prodit, sic exstinguit?

CAPUT XXII. — *Opinio Gentium de Deo nostro.*

30. Quid interrogem homines qui evanuerunt cogitando quis iste sit? Alii dicunt, Saturnus est: credo propter sabbati sanctificationem, quia isti eum diem Saturno tribuerunt. Varro autem ipsorum, quo doctiorem apud se neminem inveniunt, Deum Judæorum Jovem putavit, nihil interesse censens quo nomine nuncupetur, dum eadem res intelligatur: credo illius summitate deterritus. Nam quia nihil superius solent colere Romani quam Jovem, quod Capitolium eorum satis aperteque testatur, eumque regem omnium deorum arbitrantur; cum animadverteret Judæos summum Deum colere, nihil aliud potuit suspicari quam Jovem. Sed sive qui Saturnum, sive qui Jovem Deum Judæorum putant, dicant quando Saturnus prohibere ausus est coli alterum Deum; nec ipsum Jovem, qui eum regno expulisse perhibetur, patrem filius. Qui si tanquam potentior et victor placuit cultoribus suis, Saturnum victum expulsumque non colant. Sed neque istum coli Jovis prohibuit; et quem vincere potuit, deum tamen esse permisit.

CAPUT XXIII. — *De Jove et Saturno quid nugati sint Pagani.*

31. Istæ, inquiunt, fabulæ sunt aut interpretandæ a sapientibus, aut ridendæ: nos autem Jovem colimus, de quo ait Maro,

> Jovis omnia plena;
> (*Eclog.* 3, *v.* 60.)

id est, omnia vivificantem spiritum. Merito ergo et Varro Jovem opinatus est coli a Judæis, quia dicit per prophetam, *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24). Quid illud quod idem poeta dicit æthera? quomodo accipiunt? Sic enim ait:

> Tum Pater omnipotens fecundis imbribus Æther,
> Conjugis in gremium lætæ descendit.
> (*Georg. lib.* 2, *vv.* 324, 325.)

Ætherem quippe non spiritum, sed corpus esse dicunt sublime, quo cœlum super aerem distenditur. An poetæ conceditur nunc secundum Platonicos, ut non corpus, sed spiritus, nunc secundum Stoicos loqui, ut corpus sit Deus? Quid igitur in Capitolio colunt? Si spiritum, si denique ipsum cœlum corporeum, quid illic facit scutum illud Jovis, quod appellant Ægida? Nempe origo nominis hujus ita redditur, quia Jovem a matre occultatum capra nutrivit: an et hoc poetæ mentiuntur? Numquid et Capitolia Romanorum, opera sunt poetarum? Quid sibi autem vult ista non poetica, sed plane mimica varietas, deos secundum philosophos in libris quærere, secundum poetas in templis adorare?

32. Sed numquid etiam ille Euhemerus poeta fuit, qui et ipsum Jovem et Saturnum patrem ejus, et Plutonem atque Neptunum fratres ejus, ita planissime homines fuisse prodit, ut eorum cultores gratias magis poetis agere debeant, quia non ad eos dehonestandos, sed potius ad exornandos multa finxerunt? quamvis et ipsum Euhemerum ab Ennio poeta in latinam linguam esse conversum Cicero commemoret (*Lib.* 1 *de Nat. Deor.*). Numquid et ipse Cicero poeta fuit, qui eum, cum quo in Tusculanis disputat, tanquam secretorum conscium admonet dicens: *Si vero scrutari vetera, et ex eis quæ Scriptores Græciæ prodiderunt, eruere coner, ipsi illi majorum gentium dii qui habentur, hinc a nobis profecti in cœlum reperientur. Quære quorum demonstrentur sepulcra in Græcia; reminiscere, quoniam es initiatus, quæ tradantur mysteriis: tum denique quam hoc late pateat intelliges* (*Tuscul.* 1). Hic certe istorum deos homines fuisse satis confitetur, in cœlum autem pervenisse benevole suspicatur: quanquam et hunc honorem opinionis ab hominibus eis esse delatum, non dubitavit publice dicere, cum de Romulo loqueretur: *Qui hanc urbem,* inquit, *condidit, Romulum ad deos immortales benevolentia famaque sustulimus* (*In Catilin. orat.* 3). Quid igitur mirum est, si hoc fecerunt antiquiores homines de Jove et Saturno et cæteris, quod Romani de Romulo. quod de-

[1] Mss. quinque, *potior*.
[2] Editi, *audere timeant*. Sed verius Mss., *audiri timeant*: scilicet dæmones verebantur ne Deus verus, si ejus cultum prohiberent, per eos ipsos innotesceret.

nique jam recentioribus temporibus etiam de Cæsare facere voluerunt? Quibus et Virgilius adulationem carminis addidit, dicens :

> Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.
> (*Eclog.* 9, *v.* 47.)

Videant ergo ne forte historica veritas sepulcra falsorum deorum ostendat in terra; vanitas autem poetica stellas eorum non figat, sed fingat in cœlo. Neque enim revera stella illa Jovis est, aut illa Saturni; sed post eorum mortem sideribus ab initio mundi conditis hæc nomina imposuerunt homines, qui illos mortuos, quasi deos habere voluerunt. De quibus quid tantum mali castitas, aut quid tantum boni voluptas commeruit, ut inter astra, quæ cum sole et luna circumeunt, Venus habeat stellam, et Minerva non habeat?

33. Sed fuerit et Cicero academicus incertior quam poetæ, qui sepulcra deorum commemorare ausus est, litterisque mandare : quamvis hoc non ex opinione propria præsumpserit, sed ex ipsorum sacrorum traditione commemoraverit. Numquid et Varro vel tanquam poeta fingit, vel tanquam Academicus dubie ponit, quod dicit talium deorum sacra ex cujusque eorum vita vel morte, qua inter homines vixerunt vel obierunt, esse composita? Numquid et Leon ille sacerdos Ægyptius, poeta vel academicus fuit, qui Macedoni Alexandro, diversam quidem a Græcorum opinione istorum deorum originem, verumtamen ita prodit, ut eos homines fuisse declaret?

34. Sed quid ad nos [1]? Dicant se Jovem, non hominem mortuum colere, nec homini mortuo Capitolium dedicasse, sed spiritui vivificanti omnia, quo mundus impletur, et scutum ejus in honorem nutricis ejus factum de pelle caprina, interpretentur ut volunt. Quid dicunt de Saturno? quem [2] Saturnum colunt? Nonne ille est qui primus ab Olympo venit,

> Arma Jovis fugiens, et regnis exsul ademptis.
> Qui genus indocile et dispersum montibus altis
> Composuit legesque dedit, Latiumque vocari
> Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris?
> (*Æneid. lib.* 8, *v.* 320-324.)

Nonne ipsum ejus simulacrum, quod cooperto capite fingitur, quasi latentem indicat? nonne ipse Italis ostendit agriculturam, quod falce demonstrat? Non, inquiunt : nam videris si fuit ille [3] homo et rex quidam, de quo ista narrantur; nos tamen Saturnum interpretamur Universum tempus, quod græcum etiam vocabulum ejus ostendit : vocatur enim χρόνος, quod aspiratione addita, etiam temporis nomen est; unde et latine Saturnus appellatur, quasi saturetur annis. Quid jam cum istis agendum sit, nescio, qui conantes in melius interpretari nomina et simulacra deorum suorum, fatentur majorem deum suum et patrem cæterorum tempus esse. Quid enim aliud indicant, quam omnes deos suos temporales esse, quorum patrem ipsum tempus constituunt?

35. Erubuerunt hinc philosophi eorum recentiores Platonici, qui jam christianis temporibus fuerunt; et Saturnum aliter interpretari conati sunt, dicentes appellatum χρόνον, velut a satietate intellectus, eo quod græce satietas χόρος, intellectus autem sive mens νοῦς dicitur : cui videtur suffragari et latinum nomen, quasi ex prima latina parte et græca posteriore compositum, ut diceretur Saturnus, tanquam satur esset, νοῦς. Viderunt enim quam esset absurdum, si filius temporis Jupiter haberetur, quem deum æternum vel putabant vel putari volebant. At vero secundum istam novellam interpretationem, quam veteres eorum si habuissent, mirum si Ciceronem Varronemque latuisset, Saturni filium Jovem dicunt, tanquam ab illa summa mente profluentem spiritum, quem volunt esse velut animam mundi hujus, omnia cœlestia et terrena corpora implentem. Unde illud Maronis est, quod paulo ante commemoravi, *Jovis omnia plena.* Numquid non, si possent isti, sicut ipsam interpretationem, ita etiam superstitionem hominum commutarent, et aut nulla simulacra, aut certe Saturno potius quam Jovi Capitolia constituerent? Neque enim ullam animam rationalem sapientem fieri disputant, nisi participatione summæ illius incommutabilisque sapientiæ; non solum cujusquam hominis animam, sed ipsius etiam mundi, quam dicunt Jovem. Nos vero, esse quamdam summam Dei sapientiam, cujus participatione fit sapiens quæcumque anima fit vere sapiens, non tantum concedimus, verum etiam maxime prædicamus. Utrum autem universa ista corporalis moles, quæ mundus appellatur, habeat quamdam animam, vel quasi animam suam, id est rationalem vitam, qua ita regatur sicut unumquodque animal, magna atque abdita quæstio est : nec affirmari debet ista opinio, nisi comperta quod vera sit; nec refelli, nisi comperta quod falsa sit. Quid autem hoc ad hominem, etiamsi semper eum lateat; quandoquidem nulla anima fit sapiens vel beata ex alia quacumque anima, sed ex illa sola summa atque incommutabili Dei sapientia?

36. Romani tamen, qui non Saturno, sed Jovi Capitolium condiderunt; vel aliæ nationes, quæ Jovem præcipue supra cæteros deos colendum esse putaverunt, non hoc quod isti senserunt : qui secundum istam suam novam opinionem, et summas arces [1], si quidquam in his rebus potestatis habuissent, Saturno potius dedicarent; et Mathematicos vel Genethliacos maxime delerent, qui Saturnum, quem sapientum effectorem isti dicerent, maleficum deum inter alia sidera constituerunt. Quæ opinio tantum contra illos in animis humanis prævaluit, ut nec nominare illum velint, senem potius quam Saturnum appellantes : tam timida superstitione, ut jam Carthaginenses pene vico suo nomen mutaverint, Vicum senis crebrius, quam Vicum Saturni appellantes.

CAPUT XXIV. — *Non omnes Deos colunt, qui Deum Israel rejiciunt; nec eum colunt, qui alios colunt.*

37. Notum est ergo, quid colere convincantur, et

[1] Editi : *Sed quid ad nos si dicant.* At a Mss. abest, *si.*
[2] Editi : *Qui Saturnum colunt.* Mss. vero, *quem.*
[3] Editi : *Nam tametsi fuerit ille.* Mss. vero : *Nam videris si fuit.*

[1] Er. et Lov., *artes :* dissentientibus Mss. et Rat.

quid colorare [1] conentur adoratores simulacrorum. Verum et ab istis novitiis Saturni interpretatoribus requirendum est, quid de Deo sentiant Hebræorum. Etiam ipsis enim placuit omnes deos cum gentibus colere, cum eos superbos puderet pro peccatorum suorum remissione humiliari sub Christo. Quid ergo sentiunt de Deo Israel? Quem si non colunt, non omnes deos colunt: si autem colunt, non colunt sicut se coli jussit, quia et alios colunt, quos coli ille prohibuit. Per eos enim vates ista prohibuit, per quos hæc ipsa quæ nunc a Christianis eorum simulacra patiuntur, futura prædixit. Sive enim Angeli ad illos Prophetas missi sint, qui eis Deum omnium creatorem unum verum Deum, cui universa subjecta sunt, et per sensibilium rerum congruam speciem figurate ostenderent, et quemadmodum se coli præciperet, indicarent; sive aliquorum in eis mentes per Spiritum sanctum ita sublimatæ sint, ut eo visu ea viderent, quo et ipsi Angeli vident: constat tamen eos illi Deo servisse, qui alios deos coli prohibuit; servisse autem fide pietatis in regno et sacerdotio reipublicæ suæ, et Christum venturum verum regem ac sacerdotem significantibus sacris.

CAPUT XXV. — *Dii falsi alios coli secum non prohibent. Deum Israel esse Deum verum convincitur ex operibus ejus et prædictis et impletis.*

38. Porro autem in diis Gentium (quos isti dum colere volunt, illum qui cum istis coli non potest, colere nolunt), dicant quid causæ est ut nullus eorum inveniatur qui alterum coli prohibeat, cum eos in diversis officiis muneribusque constituant, et rebus ad quemque proprie pertinentibus præsides esse velint. Si enim Jupiter non prohibet Saturnum coli, quia non est ille homo, qui illum hominem patrem de regno expulit, sed aut cœli corpus, aut spiritus implens cœlum et terram; et ideo non potest prohibere coli mentem supernam, ex qua dicitur emanasse: si ea ratione nec Saturnus Jovem coli prohibet, quia non ab eo rebellante superatus est, sicut ille a Jove nescio quo, cujus arma fugiens venit in Italiam; sed favet prima mens animæ a se genitæ: saltem Vulcanus prohiberet coli Martem uxoris adulterum, Hercules Junonem persecutricem suam. Quæ ista inter eos est tam fœda consensio, ut nec Diana virgo casta coli prohibeat, non dicam Venerem, sed Priapum? Nam si unus homo et venator et agricola esse voluerit, servus erit amborum: quibus tamen vel vicina templa fabricare erubescit. Sed interpretentur Dianam virtutem quam volunt, interpretentur et Priapum fecunditatis deum [2], ita sane ut in fetandis feminis pudeat Junonem talem habere adjutorem. Dicant quod placet; interpretentur quod sapiunt; dum tamen omnia eorum argumenta perturbet Deus Israel. Qui cum illos omnes coli prohibuerit, et a nullo eorum coli prohibitus sit, eorumque simulacris et sacris eversionem præceperit, prædixerit, fecerit; satis ostendit illos falsos atque fallaces, et se esse verum ac veracem Deum.

39. Istos autem jam paucos deorum multorum falsorumque cultores, quis non miretur nolle obtemperare illi, de quo cum ab eis quæritur quisnam sit Deus, quodlibet opinando respondent, Deum tamen esse negare non audent? quia si negent, operibus ejus et prædictis atque completis facillime convincuntur. Neque enim ea dico, quæ liberum sibi putant esse non credere, quia ipse in principio fecit cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt (*Gen.* I). Neque illa nimis antiqua, quod Enoch transtulit (*Id.* V, 24), quod impios diluvio delevit, quod Noe justum domumque ejus per lignum inde liberavit (*Id.* VII). Ab Abraham in hominibus facta ejus exordior. Huic enim facta est per angelicum oraculum manifesta promissio, quam nunc videmus impleri. Huic quippe dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes Gentes* (*Id.* XXII, 18): ex cujus semine populus Israel, unde virgo Maria quæ peperit Christum, in quo benedici omnes Gentes audeant jam negare si possunt. Hæc promissio facta est etiam ad Isaac filium Abrahæ (*Id.* XXVI, 4). Hæc et ad Jacob nepotem Abrahæ (*Id.* XXVIII, 14), qui etiam Israel appellatus est, ex quo universus ille populus et propagatus et nominatus est, ut hujus populi Deus appellaretur Deus Israel: non quod ipse non sit Deus omnium Gentium, sive nescientium, sive jam scientium; sed quia in isto populo voluit manifestius apparere virtutem promissorum suorum. Ille enim populus primo in Ægypto multiplicatus, et de illa servitute per Moysen in multis signis portentisque liberatus, debellatis plurimis Gentibus terram etiam promissionis accepit, in qua regnavit per reges suos de tribu Juda exortos. Qui Judas unus fuit ex duodecim filiis Israel nepotis Abrahæ; atque inde Judæi cognominati, multa ipso Deo adjuvante fecerunt, multa pro peccatis suis ipso flagellante perpessi sunt, donec veniret semen cui promissum est, in quo benedicerentur omnes gentes, et patrum suorum simulacra sponte confringerent.

CAPUT XXVI. — *Idololatria per Christi nomen et Christianorum fidem juxta prophetias eversa.*

40. Neque enim temporibus christianis, sed tanto ante prædictum est quod per Christianos impletur. Ipsi Judæi qui remanserunt inimici nominis Christi, de quorum etiam futura perfidia in illis propheticis Litteris tacitum non est, ipsi habent et legunt prophetam dicentem: *Domine Deus meus, et refugium meum in die malorum, ad te gentes venient ab extremo terræ, et dicent, Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra et non est in illis utilitas* (*Jerem.* XVI, 19). Ecce nunc fit, ecce nunc gentes ab extremo terræ veniunt ad Christum ista dicentes, et simulacra frangentes. Et hoc enim magnum est, quod Deus præstitit Ecclesiæ suæ ubique diffusæ, ut gens Judæa merito debellata et dispersa per terras, ne a nobis hæc composita putarentur, codices prophetiarum nostrarum ubique portaret [1]; et inimica fidei nostræ, testis fieret

[1] Sic in Mss. At in editis, *colere*.
[2] Lov., *fœditatis*. Editi autem alii et nostri Mss., *fecunditatis*.

[1] Editi: *Codices prophetarum nostrorum ubique portaret*. At plures Mss., *prophetiarum nostrarum*.

veritatis nostræ. Quomodo ergo discipuli Christi docuerunt quod a Christo non didicerunt, sicut stulti desipiendo jactitant, ut deorum gentilium et simulacrorum superstitio deleretur? Numquid et illas prophetias quæ nunc leguntur in codicibus inimicorum Christi, possunt dici finxisse discipuli Christi?

41. Quis enim hæc evertit, nisi Deus Israel? Ipsi enim populo dictum est per divinas voces factas ad Moysen: *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut.* VI, 4). *Non facies tibi idolum, neque cujusquam similitudinem, neque in cœlo sursum, neque in terra deorsum* (*Exod.* XX, 4). Ut autem etiam evertat ista, ubi potestatem acceperit, sic ei præcipitur: *Non adorabis deos illorum, sed neque servies eis; non facies secundum opera ipsorum, sed deponendo depones, et confringendo confringes simulacra eorum* (*Id.* XXIII, 24). Quis autem dicat Christum atque Christianos non pertinere ad Israel, cum Israel nepos fuerit Abrahæ, cui primo, et deinde Isaac filio ejus, et deinde ipsi Israel nepoti ejus dictum est, quod jam commemoravi, *In semine tuo benedicentur omnes Gentes?* Quod fieri jam videmus in Christo, cum inde exorta sit illa virgo, de qua propheta populi Israel et Dei Israel cecinit, dicens: *Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel.* Interpretatur autem Emmanuel, *Nobiscum Deus* (*Isai.* VII, 14; *Matth.* I, 23). Deus ergo Israel qui prohibuit alios deos coli, qui prohibuit idola fabricari, qui præcepit everti, qui per prophetam prædixit gentes ab extremo terræ dicturas, *Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, in quibus non est utilitas;* ipse per Christi nomen et Christianorum fidem istarum omnium superstitionum eversionem jussit, promisit, exhibuit. Frustra ergo miseri, quia blasphemare Christum etiam a diis suis, hoc est, a dæmonibus nomen Christi metuentibus prohibiti sunt, volunt ab eo doctrinam istam facere alienam, qua Christiani contra idola disputant, easque omnes falsas religiones ubi potuerint eradicant.

CAPUT XXVII. — *Urget idololatrarum reliquias, ut demum serviant vero Deo idola ubique subvertenti.*

42. De Deo Israel respondeant, quem docere ista et jubere, non tantum Christianorum, sed et Judæorum Libri testantur: de ipso consulant deos suos, qui Christum blasphemari prohibuerunt; de Deo Israel, si audent, aliqua contumeliosa respondeant. Sed quos consulant? aut ubi jam consulant? Libros suorum legant. Si Deum Israel Jovem putant, sicut Varro scripsit (ut interim secundum eorum opinionem loquar), cur ergo Jovi non credunt idola esse delenda? Si Saturnum putant [1], cur eum non colunt? Aut cur non sic colunt, quemadmodum se coli per eos vates præcepit, per quos ea quæ prædixit, implevit? Cur ei non credunt simulacra evertenda esse, et alios deos colendos non esse? Si nec Jovis [2], nec Saturnus est (quia si unus eorum esset, contra sacra Jovis et Saturni eorum tanta non diceret); quis ergo est, qui propter deos alios solus ab istis non colitur, et eversis diis aliis, tam evidenter efficit ut solus colatur, humiliata omni superba altitudine, quæ se adversus Christum erexerat pro idolis, persequens interficiensque Christianos? Nunc certe quærunt, ubi se abscondant, cum sacrificare volunt; vel ubi deos ipsos suos retrudant [1], ne a Christianis inveniantur atque frangantur. Unde hoc, nisi a timore legum atque regum, per quos Deus Israel suam exserit potestatem, jam subditos Christi nomini? sicut longe ante promisit, dicens per Prophetam: *Et adorabunt eum omnes reges terræ; omnes gentes servient illi* (*Psal.* LXXI, 11).

CAPUT XXVIII. — *Prædicta idolorum rejectio.*

43. Nempe jam completur quod per prophetam identidem canitur, quod remissurus esset impiam plebem suam (non quidem totam, quia multi et ex Israelitis crediderunt in Christum; nam inde erant et Apostoli ejus), et humiliaturus omnem superbum atque injuriosum, ut ipse solus exaltaretur, id est, solus altus et potens hominibus manifestaretur: donec projicerentur a credentibus idola, et a non credentibus absconderentur; cum ejus timore terra confringitur, id est, terreni homines timore franguntur, timendo legem vel ipsius, vel eorum qui credentes in eum, gentibusque regnantes, talia sacrilegia prohiberent.

44. Hæc enim, quæ ut facilius intelligerentur, breviter prælocutus sum, propheta sic dicit: *Et nunc tu, domus Jacob, venite, et ambulemus in luce Domini. Remisit enim plebem suam domum Israel; quoniam repleta est, sicut ab initio, regio eorum auguriis, sicut alienigenarum; et filii multi alienigenæ nati sunt illis. Repleta est enim regio eorum argento et auro, nec erat numerus thesaurorum illorum. Et repleta est terra equis, nec erat numerus curruum illorum. Et repleta est terra abominationibus operum manuum ipsorum, et adoraverunt ea quæ fecerunt digiti eorum. Et inclinavit se homo, et humiliavit se vir, et non remittam illis. Et nunc intrate in petras, et abscondite vos in terra a facie timoris Domini, et a majestate Virtutis ejus, cum surrexerit confringere terram. Oculi enim Domini excelsi, homo autem humilis; et humiliabitur altitudo hominum, et exaltabitur Dominus solus in illa die. Dies enim Domini sabaoth supra omnem injuriosum et superbum, et supra omnem altum et humiliatum* [2], *qui humiliabuntur; et supra omnem cedrum Libani excelsorum et elatorum, et supra omnem arborem Libani Basan, et super omnem montem, et super omnem collem altum, et super omnem navem maris, et super omne spectaculum navium decoris. Et humiliabitur, et cadet contumelia hominum,*

[1] Er. et Lov.: *Si Saturnum Deum putant.* Sed melius Rat. et Mss.: *Si Saturnum putant:* subaudi, Deum Israel.

[2] Lov., *Jupiter.* Alii editi et Mss., *Jovis;* pro nominandi casu, uti supra, n. 30.

[1] Rat. et Er., *recludant.*

[2] Legendum videtur, *et elatum;* cum in græco sit, *meteôron.* Paulo post in editis legebatur: *Et supra omnem cedrum Libani excelsam et elatam.* At in Mss. habetur, *excelsorum et elatorum:* juxta LXX, *tôn hupsêlôn kai meteôrôn;* qui sic prosequuntur, *kai epi pan dendron balanou Basan, et super omnem arborem glandis Basan:* ubi Augustinus pro *balanou*, legit *Libanou.* Hic denique post illa verba, *et super omnem collem altum,* omittitur versiculus 15: *Et super omnem turrim altam, et super omnem murum altum.*

et exaltabitur Dominus solus in illa die. Et manibus fabricata omnia abscondent in speluncis, et in scissuris petrarum, et in cavernis terræ a facie timoris Domini, et a majestate Virtutis ejus, cum exsurrexerit confringere terram. Illa enim die projiciet homo abominationes aureas et argenteas, quæ fecerunt ut adorarent supervacanea et noxia; ut intrent in foramina solidæ petræ, et in scissuras petrarum, a facie timoris Domini, et a majestate Virtutis ejus, cum exsurrexerit comminuere terram (*Isai.* II, 5-21).

CAPUT XXIX. — *Deum Israel quidni colant pagani, si eum vel præpositum elementorum esse opinantur.*

45. Quid dicunt de isto Deo sabaoth, quod interpretatur Deus virtutum vel exercituum; quia illi serviunt virtutes et exercitus Angelorum? quid dicunt de isto Deo Israel, quia Deus est illius populi, de quo venit semen, in quo benedicerentur omnes Gentes? Cur solum non colunt, qui omnes deos colendos esse contendunt? cur ei non credunt, qui alios deos falsos et ostendit, et evertit? Audivi quemdam eorum dicere, se legisse apud nescio quem philosophum, quod ex iis quæ Judæi in suis sacramentis agerent, intellexisset quem Deum colerent: « Præpositum, inquit, istorum elementorum, quibus iste visibilis et corporeus mundus exstructus est: » cum in Scripturis sanctis Prophetarum ejus aperte ostendatur, illum Deum colendum præceptum esse populo Israel, qui fecit cœlum et terram, et a quo est omnis vera sapientia. Sed quid opus est hinc diutius disputare, cum ad id quod ago sufficiat, quod illi qualibet præsumptione opinantur de illo Deo, quem Deum esse negare non possunt? Si enim præpositus est elementorum quibus mundus iste consistit, cur non ipse potius colitur, quam Neptunus, qui solius maris præpositus est? quam denique Silvanus, qui solorum agrorum atque silvarum? quam Sol, qui solius diei, vel etiam universi cœlestis caloris? quam Luna, quæ solius noctis, vel etiam humoris potestate præfulget? quam Juno, quæ solum aerem tenere perhibetur? Certe enim isti partium præpositi, quicumque sunt, necesse est ut sub illo sint, qui omnium elementorum et universæ hujus molis præposituram gerit. At iste illos omnes coli prohibet: cur ergo isti contra præceptum majoris illorum, non solum eos colere volunt, sed propter istos illum nolunt? Adhuc non inveniunt quid de isto Deo Israel constanter liquidoque pronuntient; nec unquam invenient, donec eum inveniant Deum solum verum, a quo creata sunt omnia.

CAPUT XXX. — *Deus Israel impletis prophetiis jam ubique innotuit.*

46. Proinde quidam Lucanus magnus eorum in carmine declamator, credo et ipse diu quærens, sive per suas cogitationes, sive per suorum libros, quisnam esset Judæorum Deus; et quia non pie quærebat, non inveniens; maluit tamen incertum Deum quem non inveniebat, quam nullum Deum dicere, cujus tam magna documenta sentiebat. Ait enim:

Et dedita sacris
Incerti Judæa Dei.
(*Lucanus, lib.* 2, *sub finem.*)

Et nondum Deus iste sanctus et verus Deus Israel, nondum per Christi nomen tanta in omnibus gentibus fecerat, quanta usque in hodiernum diem post Lucani tempora consecuta sunt. Nunc vero quis tam durus non flectatur? quis tam torpidus [1] non ignescat, cum impletur quod scriptum est, *quia non est qui se abscondat a calore ejus?* quando jam clarissima luce manifestantur quæ in eodem psalmo, unde versiculum istum commemoravi, tanto ante prædicta sunt? Cœlorum enim nomine Apostoli Christi significati sunt, quod in eis Deus præsideret, ut Evangelium annuntiarent. Jam ergo cœli enarraverunt gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiavit firmamentum. Dies diei eructavit verbum, et nox nocti annuntiavit scientiam. Jam non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Jam in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Jam in sole, hoc est in manifestatione, posuit tabernaculum suum, quod est Ecclesia ipsius. Quia, ut hoc faceret, ipse, sicut ibi sequitur, tanquam sponsus processit de thalamo suo, id est, conjugatum Verbum carni humanæ processit de utero virginali. Jam exsultavit ut gigas, et cucurrit viam. Jam a summo cœli facta est egressio ejus, et recursus ejus usque ad summum cœli. Et ideo rectissime sequitur versus, quem paulo ante commemoravi, *Et non est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII, 1-7). Et adhuc isti fragiles contradictiunculas garrientes eligunt isto igne, sicut stipula in cinerem verti, quam sicut aurum a sorde purgari: cum et deorum falsorum jam fallacia monumenta frustrata sint, et illius incerti Dei veracia promissa certa jam facta sint.

CAPUT XXXI. — *Prophetia de Christo impleta.*

47. Desinant ergo dicere mali laudatores Christi, qui nolunt esse christiani, quod Christus non docuerit deos eorum deseri, et simulacra confringi. Deus enim Israel, de quo prædictum est quod Deus universæ terræ vocabitur, et Deus universæ terræ jam vocatur; hoc per Prophetas futurum prædixit, hoc per Christum congruo tempore implevit. Certe enim si jam Deus Israel, Deus universæ terræ vocatur, necesse est ut fiat quod jussit, quando qui jussit, innotuit. Quia vero per Christum et in Christo innotuit, ut Ecclesia ejus per orbem diffunderetur, et per ipsam Deus Israel universæ terræ vocaretur, paulo superius apud eumdem prophetam legant qui volunt: imo et a me commemoretur. Neque enim ita longum est, ut oporteat prætermitti. Dicuntur enim multa de præsentia et humilitate et passione Christi, et corpore ejus, cui caput est, id est de Ecclesia ejus, cum appellatur tanquam sterilis quæ non pariebat. Per multos enim annos Ecclesia, quæ futura erat in omnibus Gentibus in filiis suis, hoc est in sanctis suis, non apparuit, nondum Christo annuntiato per Evangelistas, eis quibus non est annuntiatus per Prophetas: et dicitur plures filios desertæ futuros, quam ejus quæ

[1] Er. et Lov., *tepidus*. Rat. et Mss., *torpidus*.

habet virum; cujus viri nomine significata est Lex, vel Rex quem accepit primus populus Israel : nec acceperant gentes Legem eo tempore, quo propheta loquebatur; neque Rex Christianorum apparuerat adhuc Gentibus, ex quibus tamen Gentibus longe fertilior et numerosior sanctorum multitudo provenit. Ita ergo dicit Isaias, incipiens ab humilitate [1] Christi, et se postea convertens ad alloquendam Ecclesiam usque ad eum versum quem commemoravimus, ubi ait, *Et qui eruit te, ipse Deus Israel, universæ terræ vocabitur : Ecce*, inquit, *in intellectu erit* [2] *puer meus, et exaltabitur, et honorificabitur vehementer. Quomodo multi mirabuntur super te, sic tamen et inhonesta videbitur ab omnibus species tua, et honor tuus ab hominibus. Ita enim mirabuntur gentes multæ super eum, et continebunt reges os suum. Quoniam quibus non est nuntiatum de illo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent. Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Nuntiavimus coram illo, ut puer, ut radix in terra sitienti : non est species illi, neque honor. Et vidimus illum, et non habuit speciem neque decorem : sed vultus ejus abjectus et deformis, positio ejus ab omnibus hominibus; homo in plaga, et qui sciat ferre infirmitates, propter quod et avertit se facies ejus, injuriata est, nec magni æstimata est. Hic infirmitates nostras portat, et pro nobis in doloribus est. Et nos existimavimus illum in doloribus esse, et in plaga et in pœna. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, et infirmatus est propter iniquitates nostras. Eruditio pacis nostræ in eum, livore ejus sanati sumus. Omnes ut oves erravimus, et Dominus tradidit illum pro peccatis nostris. Et ipse quoniam male tractatus est, non aperuit os : ut ovis ad immolandum ductus est, et ut agnus ante eum qui se tonderet fuit sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate sublatum est judicium ejus. Generationem ejus quis enarrabit? Quoniam tolletur de terra vita ejus : ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem. Dabo ergo malos propter sepulturam ejus, et divites propter mortem ejus; ob hoc quod iniquitatem non fecerit, nec dolum in ore suo. Dominus vult purgare illum de plaga. Si dederitis vos ob delicta vestra animam vestram, videbitis semen longissimæ vitæ. Et vult Dominus auferre a doloribus animam ejus, ostendere illi lucem, et figurare per sensum, justificare justum bene servientem pluribus; et peccata illorum ipse sustinebit. Propterea ipse hæreditabit complures, et fortium partietur spolia. Propter quod tradita est ad mortem anima ejus, et inter iniquos æstimata est : et ipse peccata multorum sustinuit, et propter iniquitates eorum traditus est. Delectare, sterilis quæ non paris; exsulta et clama, quæ non parturis; quia multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum. Dixit enim Dominus, Dilata locum tabernaculi tui, et aulas* [3] *tuas confige; non est quod parcas : porrige longius funiculos, et palos validos constitue. Etiam atque etiam in dexteram atque sinistram partem extende. Semen enim tuum hæreditabit gentes, et civitates quæ desertæ erant, inhabitabis, non est quod metuas. Prævalebis enim, nec erubescas quod detestabilis fueris. Confusionem enim in perpetuum oblivisceris, ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor : quoniam ego Dominus qui facio te, Dominus nomen ei; et qui eruit te, ipse Deus Israel, universæ terræ vocabitur* (*Isai.* LII, 13- LIV, 5).

48. Quid contra hanc evidentiam expressionemque rerum et prædictarum et impletarum dici potest? Si de Christi divinitate discipulos ejus putant esse mentitos, numquid de Christi passione dubitabunt? Resurrexisse non solent credere : at illa omnia ab hominibus humana perpessum etiam libenter credunt, quia hominem tantummodo credi volunt. Ille itaque sicut ovis ad immolandum ductus, ille inter iniquos deputatus, ille vulneratus propter peccata nostra; cujus livore sanati sumus, cujus facies injuriata est, nec magni æstimata, palmis cæsa, et sputis illita, cujus deformis in cruce positio : ille ab iniquitatibus populi Israel ductus ad mortem; ille qui non habebat speciem neque decorem, quando colaphis percutiebatur, quando spinis coronabatur, quando pendens irridebatur; ille qui, sicut agnus coram tondente non habet vocem, sic non aperuit os suum, cum ei diceretur ab insultantibus, *Prophetiza nobis, Christe* (*Matth.* XXVI, XXVII; *Marc.* XIV, XV; *Luc.* XXII, XXIII, *et Joan.* XVIII, XIX) : nempe jam exaltatus est, jam honorificatus est vehementer. Nempe jam mirantur gentes multæ super eum. Jam continuerunt reges os suum, quo adversus Christianos leges sævissimas promulgabant. Nempe quibus non est nuntiatum de illo, jam vident, et qui non audierunt jam intelligunt (*Rom.* XV, 16-21). Quoniam gentes quibus non annuntiaverunt Prophetæ, magis ipsæ vident quam vera nuntiata sint per Prophetas. Et qui non audierunt ipsum Isaiam loquentem, jam in Litteris ejus de quo ista sit locutus, intelligunt. Nam et in ipsa gente Judæorum quis credidit auditui Prophetarum, aut brachium Domini, quod est Christus ipse, qui per eos annuntiabatur, cui revelatum est (*Joan.* XII, 37, 38, *et Rom.* X, 16); quando manibus suis ea scelera in Christo admittebant, quæ futura prædixerant Prophetæ quos habebant? Nempe jam hæreditate possidet multos, et fortium partitur spolia, cum ea quæ diabolus et dæmones possidebant, per ecclesiarum suarum fabricas, et quoslibet necessarios usus, illis expulsis proditisque distribuit.

CAPUT XXXII. — *Apostolorum contra idololatriam doctrina vindicatur ex prophetiis.*

49. Quid ergo ad hæc dicunt perversi laudatores Christi, et Christianorum obtrectatores? Numquid ut ista per Prophetas tanto ante prædicerentur, Christus magicis artibus fecit, aut discipuli ejus ista finxerunt. Numquid ut delectetur [1] Ecclesia diffusa per gentes quondam sterilis, nunc in pluribus filiis, quam illa Synagoga quæ Legem sive Regem tanquam virum ac-

[1] Sic editio Rat. suffragantibus Mss. At Er. et Lov., *ab humanitate*.
[2] Mss. septem, *intellectum intelliget*.
[3] Er. et Lov., *caulas*. Rat. vero et Mss. prope omnes habent, *aulas* : quibus consentiunt codices non pauci in Epist. 105, n. 15; quo tamen loco post editionem Lov. legitur, *aulæas*.

[1] In prius editis, *dilatetur*. At in Mss., *delectetur* : quo quidem alludit primum Augustinus ad illud, *Delectare sterilis*; explicaturus postea aliud Prophetæ dictum, *Dilata locum tabernaculi tui*.

ceperat : numquid ut sic dilatet locum tabernaculi sui omnes nationes et linguas occupans, ut longius quam Romani imperii jura tenduntur, usque in Persas et Indos aliasque barbaras gentes funiculos porrigat ; ut in dexteram per veros christianos, et in sinistram per fictos christianos in tam multis populis nomen ejus [illegible] ; ut semen ejus hæreditet gentes, ut civitates quæ a vero Dei cultu et a vera religione desertæ fuerant, jam nunc inhabitet ; ut non timuerit hominum minas et furias, quando in sanguine martyrum tanquam honore purpureo vestiebatur, ut prævaleret tam multis tamque vehementibus et potentibus persecutoribus suis ; ut non erubesceret quod detestabilis fuerit, quando magnum erat crimen fieri vel esse christianum ; ut confusionem in perpetuum obliviscatur, quia ubi abundaverat peccatum, superabundavit gratia (*Rom.* v, 20) ; ut ignominiæ viduitatis suæ memor non sit, quia paululum derelicta et opprobrio subjecta [1], tam eminenti gloria refloresceit : numquid postremo ut Dominus qui fecit eam, et a dominatu diaboli et dæmonum eruit eam, ipse Deus Israel universæ terræ jam vocetur, discipuli Christi finxerunt, quod Prophetæ, quorum Libri nunc in manibus inimicorum Christi habentur, tam longe antequam Christus filius hominis fieret, prædixerunt?

50. Hinc ergo intelligant, quod ne tardissimis quidem atque obtusissimis [2] obscurum dubiumve relinquitur : hinc, inquam, intelligant Christi perversi laudatores et christianæ religionis exsecratores, etiam Christi discipulos contra deos eorum ea didicisse atque docuisse quæ doctrina continet Christi ; quia Deus Israel, qui hæc omnia quæ isti colere volunt, abominanda atque evertenda in Libris Prophetarum præcepisse invenitur, ipse Deus universæ terræ, sicut tanto ante promisit, per Christum et Christi Ecclesiam jam vocatur. Si enim Christum mira dementia suspicantur deos eorum coluisse, ac per hos cum tanta potuisse ; numquid et Deus Israel deos eorum coluit, qui de se per omnes gentes colendo et de illis abominandis atque evertendis (*Deut.* VII, 5), per Christum quod promisit implevit? Ubi sunt dii eorum? ubi vaticinia fanaticorum, et divinationes pythonum? ubi auguria, vel auspicia, vel aruspicia, vel oracula dæmonum? Cur non profertur ex istiusmodi antiquis libris admonitum aliquid et prædictum contra christianam fidem, et contra Prophetarum nostrorum expressam jam in omnibus gentibus tam perspicuam veritatem ? Offendimus, inquiunt, deos nostros, et deseruerunt nos : ideo adversus nos Christiani prævaluerunt, et humanarum rerum felicitas defessa [3] ac deminuta dilabitur. Hoc sibi certe per Christianos fuisse eventurum, legant ex libris vatum suorum : sed ea legant, ubi si non Christus, quia eum deorum suorum volunt fuisse cultorem, saltem Deus Israel improbatus et detestatus sit, quem constat istorum eversorem. Sed nunquam hoc proferent, nisi quod modo forte confinxerint. Quod cum protulerint apparebit, eo ipse certe, quod tanta res tam ignota profertur, quæ utique debuit antequam hoc quod prædictum est, accidisset, in deorum templis [1] omnium gentium recitari, ut præstruerentur et præmonerentur qui nunc volunt [2] esse christiani.

[1] Sic optime vetus codex Corbeiensis; id enim respondet Prophetæ verbis ante allatis : *Ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor.* [*opprobriis objecta.*]

[2] In antiquis codicibus constanter scriptum est, *obtunsissimis.*

[3] Lov., *depressa.* Editi vero alii, suffragantibus Mss., *defessa.*

CAPUT XXXIII. — *In eos qui rerum humanarum felicitatem per christiana tempora deminutam esse conqueruntur.*

51. Deinde quod de felicitatis rerum humanarum deminutione per christiana tempora conqueruntur, si libros philosophorum suorum legant, ea reprehendentium, quæ nunc eis etiam recusantibus et murmurantibus subtrahuntur, tum vero magnam laudem reperient temporum christianorum. Quid enim eis minuitur felicitatis, nisi quod pessime luxurioseque abutebantur in magnam Creatoris injuriam? Nisi forte hinc sunt tempora mala, quia per omnes pene civitates cadunt theatra, caveæ turpitudinum et publicæ professiones flagitiorum [3] ; cadunt et fora vel mœnia, in quibus dæmonia colebantur. Unde enim cadunt, nisi inopia rerum, quarum lascivo et sacrilego usu constructa sunt? Nonne Cicero eorum cum Roscium quemdam laudaret histrionem, ita peritum dixit, ut solus esset dignus qui in scenam deberet intrare ; ita virum bonum, ut solus esset dignus qui eo non deberet accedere (*Cic. Orat. pro Roscio*)? quid aliud apertissime ostendens, nisi illam scenam esse tam turpem, ut tanto minus ibi esse homo debeat, quanto fuerit magis vir bonus? et tamen dii eorum tali dedecore placabantur, quale a viris bonis removendum esse censebat. Est etiam hinc ejusdem ipsius Ciceronis aperta confessio, ubi ait, sibi Floram matrem ludorum celebritate placandam (*Cic. in Verrem, act.* 5). In quibus ludis tanta exhiberi turpitudo consuevit, ut in eorum comparatione cæteri honesti sint, a quibus tamen etiam ipsis agendis viri boni prohibentur. Quæ ista est Flora mater, qualis dea est, quam celebrior et habenis effusioribus laxata conciliat et propitiat turpitudo? Quanto jam honestius in scenam Roscius intrabat, quam Cicero deam talem colebat? Si deminuta rerum copia, quæ in hæc celebranda funduntur, dii Gentium offenduntur, apparet quales sint qui talibus delectantur. Si autem ipsi irati ista minuunt, utilius irascuntur quam placantur. Quapropter, aut philosophos suos arguant, qui talia in luxuriosis hominibus reprehenderunt ; aut deos suos frangant, qui talia de suis cultoribus exegerunt : si tamen jam inveniunt vel quos frangant, vel quos abscondant : Christianorum vero temporibus defectum rerum secundarum quibus in turpia et noxia defluebant, blasphemando imputare desistant, ne magis nos unde amplius Christi potestas laudetur, admoneant.

[1] In editione Ratisponensi additur, *auribus.*

[2] Sic Rat. et aliquot Mss. At Lov. et Er., *nolunt.*

[3] Editi habebant, *flagitiosorum* : pro quo Mss., *flagitiorum.*

CAPUT XXXIV. — *Epilogus superiorum.*

52. Multa hinc dicerem, nisi me jam librum istum concludere, atque ad propositam intentionem redire, suscepti operis necessitas cogeret. Cum enim evangelicas quæstiones, ubi videntur quibusdam quatuor Evangelistæ non inter se constare, solvere aggrederer, ut potui expositis intentionibus singulorum, primo mihi discutiendum occurrit, quod nonnulli quærere solent, cur ipsius Christi nulla scripta proferamus. Ita enim volunt et ipsum credi nescio quid aliud scripsisse quod diligunt, nihilque sensisse contra deos suos, sed eos potius magico ritu coluisse : et discipulos ejus non solum de illo fuisse mentitos, dicendo illum Deum per quem facta sunt omnia, cum aliud nihil quam homo fuerit, quamvis excellentissimæ sapientiæ; verum etiam de diis eorum non hoc docuisse quod ab illo didicissent. Unde factum est ut eos de Deo Israel potius urgeremus, qui per Ecclesiam Christianorum ab omnibus gentibus colitur, et istorum sacrilegas vanitates ubique jam evertit, sicut per Prophetas suos tanto ante prædixit, et per Christi nomen, in quo benedici omnes gentes promiserat, ea quæ prædixit, implevit. Ex quo intelligere debent nec Christum aliud de diis eorum vel nosse vel docere potuisse, quam Deus Israel per Prophetas suos jussit atque prædixit, per quos ipsum Christum promisit et misit; in cujus nomine secundum pollicitationem quam Patribus fecit, cum benedicerentur omnes gentes, factum est ut et ipse Deus Israel, universæ terræ vocaretur : nec discipulos ejus a sui magistri doctrina deviasse, cum deos Gentium coli prohiberent, ne vel insensatis simulacris supplicaremus, vel societatem cum dæmoniis haberemus, vel creaturæ potius quam Creatori religionis obsequio serviremus.

CAPUT XXXV. — *Mediatoris mysterium antiquis per prophetiam, nobis per Evangelium prædicatur.*

53. Quapropter, cum sit ipse Christus Sapientia Dei, per quem creata sunt omnia, cumque nullæ mentes rationales sive Angelorum sive hominum, nisi participatione ipsius sapientes fiant, cui per Spiritum sanctum, per quem charitas in cordibus nostris diffunditur, inhæremus, quæ Trinitas unus Deus est; consultum est divina providentia mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus et occidentibus occupata tenebatur, ut eadem ipsa Dei Sapientia ad unitatem personæ suæ homine assumpto, in quo temporaliter nasceretur, viveret, moreretur, resurgeret, congrua saluti nostræ dicendo et faciendo, patiendo et sustinendo, fieret et deorsum hominibus exemplum redeundi, et eis qui sursum sunt Angelis exemplum manendi. Nisi enim et in animæ rationalis natura temporaliter aliquid oriretur, id est, inciperet esse quod non erat, nunquam ex vita pessima et stulta ad sapientem atque optimam perveniret. Ac per hoc, cum rebus æternis contemplantium veritas perfruatur, rebus autem ortis fides credentium debeatur, purgatur homo per rerum temporalium fidem, ut æternarum percipiat veritatem. Nam et quidam eorum nobilissimus philosophus Plato, in eo libro quem Timæum vocant, sic ait : « Quantum ad id quod ortum est æternitas valet, tantum ad fidem veritas. » Duo illa sursum sunt, æternitas et veritas : duo ista deorsum, quod ortum est, et fides. Ut ergo ab imis ad summa revocemur, atque id quod ortum est recipiat æternitatem, per fidem veniendum est ad veritatem. Et quia omnia quæ in contrarium pergunt, per aliquid medium reducuntur, et ab æterna justitia temporalis iniquitas nos alienabat; opus ergo erat media justitia temporali, quæ medietas, temporalis esset de imis, justa de summis [1], atque ita se nec abrumpens a summis, et contemperans imis, ima redderet summis. Ideo Christus mediator Dei et hominum dictus est, inter Deum immortalem et hominem mortalem Deus et homo (I *Tim.* II, 5), reconcilians hominem Deo, manens id quod erat, factus quod non erat. Ipse est nobis fides in rebus ortis, qui est veritas in æternis.

54. Hoc magnum et inenarrabile sacramentum, hoc regnum et sacerdotium antiquis per prophetiam revelabatur, posteris eorum per Evangelium prædicatur. Oportebat enim ut aliquando in omnibus gentibus redderetur, quod diu per unam gentem promittebatur. Proinde qui Prophetas ante descensionem suam præmisit, ipse et Apostolos post ascensionem suam misit. Omnibus autem discipulis suis per hominem quem assumpsit, tanquam membris sui corporis caput est. Itaque cum illi scripserunt quæ ille ostendit et dixit, nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit; quandoquidem membra ejus id operata sunt, quod dictante capite cognoverunt. Quidquid enim ille de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit. Hoc unitatis consortium et in diversis officiis concordium membrorum sub uno capite ministerium quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus discipulis Christi in Evangelio legerit, quam si ipsam manum Domini, quam in proprio corpore gestabat, scribentem conspexerit. Quamobrem illa potius jam videamus qualia sint, quæ putant Evangelistas sibimet ipsis scripsisse contraria (quod parum intelligentibus videri potest); ut his quæstionibus dissolutis, ex hoc quoque appareat, illius capitis membra, non solum idem sentiendo, verum etiam convenientia scribendo, in corporis ipsius unitate germanam servasse concordiam.

[1] Sic olim ferebat editio Ratisponensis; sed hanc germanam certe lectionem in posterioribus editionibus contra manuscriptorum fidem mutaverant ad hunc modum : *quæ medietas temporalis esset de imis mixta et summis.*

LIBER SECUNDUS.

In quo Matthæi Evangelium usque ad cœnæ narrationem ex ordine pertractat Augustinus, cumque eo comparat alia Marci, Lucæ et Joannis Evangelia, demonstrans perpetuam inter quatuor Evangelistas reperiri consensionem.

Prologus. — 1. Quoniam sermone non brevi et admodum necessario, quem libro uno complexi sumus, refutavimus eorum vanitatem, qui discipulos Christi Evangelium conscribentes, ideo contemnendos putant, quia ipsius Christi quem licet non ut Deum, tamen ut hominem sapientia longe præ cæteris excellentem honorandum esse non dubitant, nulla scripta proferuntur a nobis ; et eum talia scripsisse videri volunt, qualia perversi diligunt, non qualibus lectis et creditis a perversitate corrigi possunt : nunc jam videamus ea quæ quatuor Evangelistæ de Christo scripserunt, quemadmodum sibi atque inter se congruant ; ne quid ex hoc in fide christiana offendiculi patiantur, qui curiosiores quam capaciores sunt, quod non utcumque perlectis, sed quasi diligentius perscrutatis evangelicis Libris, inconvenientia quædam et repugnantia se deprehendisse existimantes, magis ea contentiose objectanda, quam prudenter consideranda esse arbitrantur.

CAPUT PRIMUM. — *Quare usque ad Joseph generatores Christi commemorentur, cum de illius semine Christus non sit natus, sed de Virgine Maria.*

2. Matthæus evangelista sic orsus est : *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham* (*Matth.* I, 1). Quo exordio suo satis ostendit, generationem Christi secundum carnem se suscepisse narrandam. Secundum hanc enim Christus filius hominis est, quod etiam se ipse sæpissime appellat (*Id.* VIII, 20, *et* IX, 6), commendans nobis quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis. Nam illa superna et æterna generatio, secundum quam Filius Dei unigenitus est ante omnem creaturam, quia omnia per ipsum facta sunt, ita ineffabilis est, ut de illa dictum a propheta intelligatur, *Generationem ejus quis enarrabit* (*Isai.* LIII, 8)? Exsequitur ergo humanam generationem Christi Matthæus, ab Abraham generatores commemorans, quos perducit ad Joseph virum Mariæ de qua natus est Jesus. Neque enim fas erat ut ob hoc eum a conjugio Mariæ separandum putaret, quod non ex ejus concubitu, sed virgo peperit Christum. Hoc enim exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentia, posse permanere vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu : præsertim quia nasci eis etiam filius potuit sine ullo complexu carnali, qui propter solos gignendos filios adhibendus est. Neque enim propterea non erat appellandus Joseph pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat, quandoquidem recte pater esset etiam ejus quem non ex sua conjuge procreatum, aliunde adoptasset.

3. Putabatur quidem Christus etiam aliter filius Joseph, tanquam ex ejus omnino carne progenitus ; sed ab eis hoc putabatur, quos Mariæ latebat virginitas. Nam Lucas ait : *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph* (*Luc.* III, 23). Qui tamen Lucas non ejus parentem solam Mariam, sed ambos parentes ejus appellare minime dubitavit, ubi ait : *Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ.* Sed ne quisquam hic parentes consanguineos potius Mariæ cum ipsa matre ejus intelligendos putet, quid ad illud respondebit, quod ipse item Lucas superius dixit. *Et erat pater ejus et mater mirantes super iis quæ dicebantur de illo* (*Id.* II, 40, 41, 33)? Cum igitur ipse narret, non ex concubitu Joseph, sed ex Maria virgine natum Christum ; unde eum patrem ejus appellat, nisi quia et virum Mariæ recte intelligimus sine commixtione carnis, ipsa copulatione conjugii ; et ob hoc etiam Christi patrem multo conjunctius, qui ex ejus conjuge natus sit, quam si esset aliunde adoptatus ? Unde manifestum est illud, quod ait, *Ut putabatur, filius Joseph*, propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrabantur

CAPUT II. — *Quomodo sit Christus filius David, cum ex Joseph filii David concubitu non sit natus.*

4. Ac per hoc, etiam si demonstrare aliquis posset, Mariam ex David nullam consanguinitatis originem ducere, sat erat secundum istam rationem accipere Christum filium David, qua ratione etiam Joseph pater ejus recte appellatus est : quanto magis, cum evidenter dicat apostolus Paulus, ex semine David secundum carnem Christum (*Rom.* I, 3), ipsam quoque Mariam de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse, dubitare utique non debemus. Cujus feminæ quoniam nec sacerdotale genus tacetur, insinuante Luca, quod cognata ejus esset Elisabeth, quam dicit de filiabus Aaron (*Luc.* I, 36, 5) ; firmissime tenendum est carnem Christi ex utroque genere propagatam, et regum scilicet et sacerdotum, in quibus personis apud illum populum Hebræorum etiam mystica unctio figurabatur, id est, chrisma, unde Christi nomen elucet, tanto ante etiam illa evidentissima significatione prænuntiatum.

CAPUT III. — *Quare alios progeneratores Christi Matthæus enumerat, alios Lucas.*

5. Quos autem movet, quod alios progeneratores Matthæus enumerat, descendens a David usque ad Joseph (*Matth.* I, 1-16), alios autem Lucas ascendens a Joseph usque ad David (*Luc.* III, 23-38), facile est, ut advertant duos patres habere potuisse Joseph, unum a quo genitus, alterum a quo fuerit adoptatus (*a*). Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam

(*a*) II Retract. cap. 16.

in illo populo Dei, ut sibi filios facerent quos non ipsi genuissent. Nam excepto quod filia Pharaonis Moysen adoptaverat (*Exod.* II, 10) (illa quippe alienigena fuit), ipse Jacob nepotes suos ex Joseph natos, verbis manifestissimis adoptavit dicens : *Nunc itaque filii tui duo*, *qui facti sunt tibi priusquam ad te venirem, mei sunt : Ephræm et Manasse*, *tanquam Ruben et Simeon erunt mihi. Natos autem si genueris postea, tibi erunt* (*Gen.* XLVIII, 5, 6). Unde etiam factum est ut duodecim tribus essent Israel, excepta tribu Levi, quæ templo serviebat ; cum ea quippe tredecim fuerunt, cum duodecim fuissent filii Jacob. Unde intelligitur Lucas patrem Joseph, non a quo genitus, sed a quo fuerat adoptatus, suscepisse in Evangelio suo, cujus progenitores sursum versus commemoraret, donec exiret ad David. Cum enim necesse sit, utroque evangelista vera narrante, et Matthæo scilicet et Luca, ut unus eorum ejus patris originem tenuerit qui genuerat, alter ejus qui adoptaverat Joseph, quem probabilius intelligimus adoptantis originem tenuisse, quam eum qui noluit Joseph genitum dicere ab illo cujus eum filium esse narrabat ? Commodius enim filius ejus dictus est, a quo fuerat adoptatus, quam diceretur ab illo genitus cujus carne non erat natus. Matthæus autem dicens, *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob*, atque ita in hoc verbo quod est, *genuit*, perseverans donec in ultimo diceret, *Jacob autem genuit Joseph ;* satis expressit ad eum patrem se perduxisse ordinem [1] generantium, a quo Joseph non adoptatus, sed genitus erat.

6. Quanquam si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus quam ab uno evangelista gignentem, ab altero adoptantem patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurde quisque dicitur non carne, sed charitate genuisse, quem filium sibi adoptaverit : aut vero etiam nos quibus dedit Deus potestatem filios ejus fieri, de natura atque substantia sua nos genuit, sicut unicum Filium, sed utique dilectione adoptavit. Quo verbo Apostolus sæpe uti non ob aliud intelligitur (*Rom.* VIII, 15, *et* II, 4), nisi ad discernendum Unigenitum ante omnem creaturam, per quem facta sunt omnia, qui solus de substantia Patris natus est, secundum æqualitatem divinitatis hoc omnino quod Pater : quem missum dicit ad suscipiendam carnem ex illo genere, quo et nos secundum naturam nostram sumus, ut illo participante mortalitatem nostram per dilectionem, nos efficeret participes divinitatis suæ per adoptionem. Ita enim dicit : *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege*, *ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus* [2] (*Galat.* IV, 4, 5). Et tamen dicimur etiam nati ex Deo, id est, accepta potestate ut filii ejus efficiamur, qui jam homines eramus : efficiamur autem per gratiam, non per naturam. Nam si per naturam filii essemus, nunquam aliud fuissemus. Cum enim dixisset Joannes, *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri*, *iis qui credunt in nomine ejus ;* secutus ait, *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Ita quos dixit accepta potestate factos Dei filios, quod illa adoptio significat quam Paulus commemorat, eosdem dixit natos ex Deo. Atque ut apertius ostenderet qua gratia factum sit, *Et Verbum*, inquit, *caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 12-14) : tanquam diceret, Quid mirum si filii Dei facti sunt cum caro essent, propter quos unicus caro factus est, cum Verbum esset ? Hac sane magna distantia, quia nos effecti filii Dei mutamur in melius, ille autem Filius Dei cum filius hominis factus esset, non est mutatus in deterius, sed assumpsit quod erat inferius. Dicit et Jacobus : *Voluntarie genuit nos verbo veritatis*, *ut simus initium aliquod creaturæ ejus* (*Jacobi* I, 18). Ne scilicet in eo quod ait, *genuit*, hoc nos fieri putaremus quod ipse est, ideo principatum quemdam in creatura nobis hac adoptione concessum satis ostendit.

7. Non ergo alienum esset a veritate, etiamsi Lucas ab illo esse Joseph genitum diceret, a quo fuerat adoptatus. Etiam sic quippe genuit eum, non ut homo esset, sed ut filius esset : sicut nos genuit Deus, ut filii ejus simus, quos fecerat ut homines essemus. Unicum autem genuit, non solum ut Filius esset, quod Pater non est ; sed etiam ut Deus esset, quod et Pater est. Sed plane si hoc verbo etiam Lucas uteretur, omni modo esset ambiguum quis eorum adoptantem, quis ex propria carne gignentem patrem commemorasset : quomodo etsi neuter eorum diceret, *genuit*, sed et iste eum filium illius, et ille illius diceret, nihilominus esset ambiguum quis eorum illum de quo natus, quis illum a quo adoptatus erat commemorasset. Nunc vero cum alter dicit, *Jacob genuit Joseph ;* alter , *Joseph qui fuit filius Heli :* etiam ipsa verborum differentia quid singuli suscepissent eleganter intimaverunt. Sed hoc facile sane , ut dixi, posset occurrere homini religioso , qui quodlibet aliud quærendum potius judicaret, quam evangelistam crederet esse mentitum ; facile, inquam, occurreret, ut videret quibus causis unus homo duos patres habere potuerit : hoc et illis calumniosis occurreret, nisi litigare quam considerare maluissent.

CAPUT IV. — *Quare quadraginta generationes*, *excepto ipso Christo, inveniuntur apud Matthæum, cum quatuordecim triplicet.*

8. Illud autem quod deinceps insinuandum est, revera ut adverti et videri posset, lectorem attentissimum et diligentissimum requirebat. Acute quippe animadversum est, Matthæum, qui regiam in Christo instituerat insinuare personam, excepto ipso Christo, quadraginta homines in generationum serie nominasse. Numerus autem iste illud tempus significat, quo in hoc sæculo et in hac terra regi nos oportet a Christo secundum disciplinam laboriosam, qua *flagellat Deus*, ut scriptum est, *omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6) : de qua dicit Apostolus, per tribulationem oportere nos intrare in regnum Dei (*Act.* XIV,

[1] Sic in Mss. At in editis, *originem.*
[2] Plerique et antiquiores Mss., *recipiamus.*

21). Quam significat etiam illa virga ferrea, de qua in Psalmo legitur, *Reges eos in virga ferrea;* cum superius dixisset, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Reguntur enim etiam boni in virga ferrea, de quibus dicitur, *Tempus est ut judicium incipiat a domo Domini; et si initium a nobis, qualis finis erit eis qui non credunt Dei Evangelio? et si justus vix salvus erit; peccator et impius ubi parebunt* (I *Petr.* IV, 17, 18)? Ad quos pertinet quod sequitur: *Tanquam vas figuli conteres eos* (*Psal.* II, 9). Reguntur enim boni per hanc disciplinam; mali vero comminuuntur: qui tanquam iidem ipsi commemorantur propter una atque eadem sacramenta [1], quæ habent communia mali cum bonis.

9. Quia ergo numerus iste laboriosi hujus temporis sacramentum est, quo sub disciplina regis Christi adversus diabolum dimicamus, etiam illud declarat, quod quadraginta dierum jejunium, hoc est humiliationem animæ, consecravit et Lex et Prophetæ per Moysen et Eliam, qui quadragenis diebus jejunaveverunt (*Exod.* XXXIV, 28, et III *Reg.* XIX, 8); et Evangelium per ipsius Domini jejunium, quibus diebus quadraginta etiam tentabatur a diabolo (*Matth.* IV, 1, 2), quid aliud quam per omne hujus sæculi tempus tentationem nostram in carne sua, quam de nostra mortalitate assumere dignatus est, præfigurans? Post resurrectionem quoque non amplius quam dies quadraginta cum discipulis in hac terra esse voluit (*Act.* I, 3), huic eorum vitæ adhuc humana conversatione commixtus, et cum illis alimenta mortalium, quamvis jam non moriturus, accipiens: ut per ipsos quadraginta dies significaret, se occulta præsentia quod promiserat impleturum, quando ait, *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Cur autem iste numerus hanc temporalem vitam terrenamque significet, illa interim causa de proximo occurrit, quamvis sit alia fortasse secretior, quod et tempora annorum quadripartitis vicibus currunt, et mundus ipse quatuor partibus terminatur, quas aliquando ventorum nomine Scriptura commemorat, ab Oriente et Occidente, Aquilone et Meridie (*Zach.* XIV, 4). Quadraginta autem, quater habent decem. Porro ipsa decem ab uno usque ad quatuor progrediente numero consummantur.

10. Ad hunc igitur mundum, et ad istam terrenam mortalemque vitam hominum, ad nos regendos in tentatione laborantes, venientem regem Christum Matthæus suscipiens, exorsus est ab Abraham, et enumeravit quadraginta homines. Ab ipsa enim gente Hebræorum, quæ a cæteris gentibus ut distingueretur, Deus de terra sua et de cognatione sua separavit Abraham (*Gen.* XII, 1, 2), Christus venit in carne; ut et hoc ad eum distinctius prophetandum et prænuntiandum maxime pertineret, quod promittebatur ex qua esset gente venturus. Cum enim quaterdenas generationes tribus distinxisset articulis, dicens ab Abraham usque ad David generationes esse quatuordecim, et a David usque ad transmigrationem Babyloniæ alias quatuordecim, totidemque alias usque ad nativitatem Christi (*Matth.* I, 17); non tamen eas duxit in summam ut diceret, Fiunt omnes quadraginta duæ. Unus quippe in illis progeneratoribus bis numeratur, id est Jechonias, a quo facta est quædam in extraneas gentes deflexio, quando in Babyloniam transmigratum est. Ubi autem ordo a rectitudine flectitur, atque ut eat in diversum, tanquam angulum facit; illud quod in angulo est, bis numeratur, in fine scilicet prioris ordinis, et in capite ipsius deflexionis. Et hoc ipsum jam præfigurabat Christum a circumcisione ad præputium, tanquam ab Jerusalem ad Babyloniam quodammodo migraturum, et hinc atque hinc utrisque in se credentibus tanquam lapidem angularem futurum. Hæc tunc in figura præparabat Deus rebus in veritate venturis. Nam et ipse Jechonias, ubi angulus iste præfiguratus est, interpretatur Præparatio Dei. Sic ergo jam non quadraginta duæ, quod faciunt ter quatuordecim, sed propter unum bis numeratum, quadraginta una generationes fiunt, si et ipsum Christum annumeremus, qui huic regendæ vitæ nostræ temporali atque terrenæ, tanquam numero quadragenario regaliter præsidet.

11. Quem ad istam mortalitatem nobiscum participandam quia descendentem voluit significare Matthæus, ideo et ipsas generationes ab Abraham usque ad Joseph et usque ad ipsius Christi nativitatem, descendendo commemoravit ab initio Evangelii sui: Lucas autem non ab initio Evangelii sui, sed a baptismo Christi, generationes enarrat, nec descendendo, sed ascendendo, tanquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans; ubi eum vox de cœlo declaravit, ubi testimonium Joannes ipsi perhibuit, dicens, *Ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29). Ascendendo autem transit et Abraham, et pervenit ad Deum, cui mundati et expiati reconciliamur. Merito et adoptionis originem ipse suscepit, quia per adoptionem efficimur filii Dei, credendo in filium Dei. Per carnalem vero generationem Filius Dei potius propter nos filius hominis factus est. Satis autem demonstravit non se ideo dixisse, Joseph filium Heli, quod de illo genitus, sed quod ab illo fuerat adoptatus; cum et ipsum Adam filium Dei dixit, cum sit factus a Deo, sed per gratiam quam postea peccando amisit, tanquam filius in paradiso constitutus sit.

12. Quapropter in generationibus Matthæi, significatur nostrorum susceptio peccatorum a Domino Christo: in generationibus autem Lucæ, significatur abolitio nostrorum peccatorum a Domino Christo. Ideo eas ille descendens enarrat, iste ascendens. Quod enim dicit Apostolus, *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati;* hæc est susceptio peccatorum: quod autem addit, *Ut de peccato damnaret peccatum in carne* (*Rom.* VIII, 3); hæc est expiatio peccatorum. Proinde Matthæus ab ipso David per Salomonem descendit, in cujus matre ille peccavit (II *Reg.* XI, 4): Lucas vero ad ipsum David per Nathan ascendit; per quem prophetam Deus peccatum illius

[1] Duo Mss. Vaticani, cæteris refragantibus, *propter unam fidem atque eadem sacramenta.*

expiavit (II *Reg.* XII, 1-14) (*a*). Ipse quoque numerus quem Lucas exsequitur, certissime prorsus abolitionem indicat peccatorum. Quia enim Christi aliqua iniquitas, qui nullam habuit, non est utique conjuncta iniquitatibus hominum, quas in sua carne suscepit; ideo numerus penes Matthæum, excepto Christo, est quadragenarius. Quia vero justitiæ suæ Patrisque nos expiatos ab omni peccato purgatosque conjungit, ut fiat quod ait Apostolus, *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* VI, 17); ideo in eo numero qui est penes Lucam, et ipse Christus a quo incipit enumeratio, et Deus ad quem pervenit, connumerantur, et fit numerus septuaginta septem, quo significatur omnium prorsus remissio et abolitio peccatorum. Quam etiam ipse Dominus per hujus numeri mysterium evidenter expressit, dicens remittendum esse peccanti, non solum septies, sed etiam septuagies septies (*Matth.* XVIII, 22).

13. Nec frustra iste numerus ad peccatorum omnium pertinet mundationem, si diligentius inquiratur. Denarius quippe tanquam justitiæ numerus in decem præceptis Legis ostenditur. Porro peccatum est Legis transgressio; et utique transgressio denarii numeri congruenter undenario figuratur: unde et vela cilicina jubentur in tabernaculo undecim fieri (*Exod.* XXVI, 7); quis autem dubitet ad peccati significationem cilicium pertinere? Ac per hoc quia universum tempus septenario dierum numero volvitur, convenienter undenario septies multiplicato ad numerum septuagesimum et septimum cuncta peccata perveniunt. In quo numero etiam fit plena remissio peccatorum, expiante nos carne sacerdotis nostri, a quo nunc iste numerus incipit; et reconciliante nos Deo, ad quem nunc iste numerus pervenit per Spiritum sanctum, qui in columbæ specie in hoc baptismo, ubi numerus iste commemoratur, apparuit (*Luc.* III, 22).

CAPUT V. — *Quomodo Matthæi ordini congruat ordo Lucæ in his quæ de conceptu et de infantia vel pueritia Christi alius prætermittit, alius commemorat.*

14. Post enumeratas generationes Matthæus ita sequitur: *Christi autem generatio sic erat. Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Hoc quemadmodum factum sit, quod hic prætermisit, Lucas exposuit post commemoratum conceptum Joannis, ita narrans: *In mense autem sexto missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit: Ave, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum vidisset* [1], *turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et Virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur sanctum* [1], *vocabitur Filius Dei:* et cætera, quæ ad id quod nunc agitur non pertinent. Hoc ergo Matthæus commemoravit dicens de Maria, *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto:* nec contrarium est quia Lucas exposuit id quod Matthæus prætermisit; cum de Spiritu sancto Mariam concepisse uterque testetur: sicut non est contrarium quia Matthæus deinceps connectit quod Lucas prætermittit. Sequitur enim, et dicit Matthæus: *Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens: Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut impleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem, Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabitur* [2] *nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini; et accepit conjugem suam: et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum; et vocavit nomen ejus Jesum. Cum ergo natus esset Jesus in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis*, et cætera.

15. De civitate Bethleem Matthæus Lucasque consentiunt: sed quomodo et qua causa ad eam venerint Joseph et Maria, Lucas exponit, Matthæus prætermittit. Contra, de Magis ab Oriente venientibus Lucas tacet, Matthæus dicit, ita contexens: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est;* et cætera, usque ad eum locum, ubi scriptum est de ipsis Magis quod *responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Hoc totum Lucas prætermittit, sicut Matthæus non narravit quod Lucas narrat, in præsepi positum Dominum; et quod pastoribus eum natum angelus nuntiaverit; et quod multitudo militiæ cœlestis facta est cum angelo laudantium Deum; et quod venerunt pastores, et viderunt verum esse quod eis angelus nuntiaverat; et quod die circumcisionis suæ nomen acceperit; et quæ post impletos dies purgationis Mariæ idem Lucas narrat, quod attulerint eum ad Jerusalem, et de Simeone vel

[1] Editi hic et infra, *audisset*. At plerique et melioris notæ Mss. constanter habent, *vidisset;* juxta græcum textum, *é dé idoûsa.*

(*a*) II Retract. cap. 16.

[1] In editis, *ex te sanctum.* Abest, *ex te*, a tribus Vaticanis Mss. et a Gallicanis plerisque, nec in græco textu habetur.

[2] Editi, *vocabitur.* At Mss., *vocabunt:* excepto Audoenensi, qui habet, *vocabis.* Sic in græcis exemplaribus varie legitur, *kalesousin* et *kaleseis.*

Anna, quæ dixerint de illo in templo, posteaquam cognoverunt eum impleti Spiritu sancto : omnia hæc tacet Matthæus.

16. Unde merito quæritur quando facta sint, sive quæ Matthæus prætermittit et Lucas dicit, sive quæ Lucas prætermittit et Matthæus dicit. Quandoquidem Matthæus, regressis in regionem suam Magis qui venerant ab Oriente, sequitur et narrat, Joseph ab angelo admonitum ut cum infante in Ægyptum fugeret, ne ab Herode necaretur; deinde Herodem illo non invento, a bimatu et infra pueros occidisse : defuncto autem Herode rediisse ab Ægypto, et audito quod Archelaus in Judæa regnaret pro Herode patre suo, habitasse cum puero in Galilææ civitate Nazareth : quæ omnia Lucas tacet. Nec ideo contrarium videri potest, quod vel hic dicit quæ ille prætermittit, vel ille commemorat quæ iste non dicit. Sed quæritur quando fieri potuerint quæ contexit Matthæus de profectione in Ægyptum atque inde regressione post Herodis mortem, ut jam in civitate Nazareth habitarent, quo eos Lucas, posteaquam perfecerunt in templo circa puerum omnia secundum Legem Domini, reversos esse commemorat. Hic proinde cognoscendum est quod deinceps ad cætera talia valeat, ne similiter moveant animumque conturbent, sic unumquemque Evangelistam contexere narrationem suam, ut tanquam nihil prætermittentis series digesta videatur : tacitis enim quæ non vult dicere, sic ea quæ vult dicere, illis quæ dicebat adjungit, ut ipsa continuo sequi videantur : sed cum alter ea dicit quæ alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat locum ubi ea potuerit, a quo prætermissa sunt, transilire, ut ea quæ dicere intenderat ita superioribus copularet, tanquam ipsa nullis interpositis sequerentur. Ac per hoc intelligitur Matthæus, ubi ait somnio admonitos Magos ne redirent ad Herodem, et per aliam viam regressos in regionem suam; illic prætermisisse quæ Lucas narravit gesta circa Dominum in templo, et dicta a Simeone et Anna : ubi rursus Lucas prætermittens profectionem in Ægyptum, quam narrat Matthæus, tanquam continuam contexuit regressionem ad civitatem Nazareth.

17. Si quis autem velit unam narrationem ex omnibus, quæ de Christi nativitate et infantia vel pueritia in utriusque narratione ab alterutro seu dicuntur seu prætermittuntur, ordinare sic potest : *Christi autem generatio sic erat* (*Matth.* I, 18). *Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia : et uxor illi de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela. Et non erat illis filius, eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus suis. Factum est autem cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret ingressus in templum Domini : et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Apparuit autem illi angelus Domini, stans a dextris altaris incensi : et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. Ait autem ad illum angelus : Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem : et erit gaudium tibi, et exsultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt : erit enim magnus coram Domino : et vinum et siceram non bibet; et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ : et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum : et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam. Et dixit Zacharias ad angelum : Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis. Et respondens angelus dixit ei : Ego sum Gabriel qui adsto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare : et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Et erat plebs exspectans Zachariam, et mirabantur quod tardaret ipse in templo. Egressus autem non poterat loqui ad illos, et cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, et permansit mutus. Et factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam. Post hos autem dies concepit Elisabeth uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens : Quia sic mihi fecit Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines. In mense autem sexto, missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam dixit : Ave, gratia plena; Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Quæ cum vidisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei : Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum : ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum : hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque et quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei : et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua ; et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis : quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus. Exsurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda : et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus; et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in*

auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo : et beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum. Et exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus in progenies et progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, memorari misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in sæcula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam (*Luc.* I, 5,56) : et *inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini in somnis apparuit ei dicens : Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. Exsurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam : et non cognoscebat eam* (*Matth.* I, 18-25). *Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini et cognati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris ejus Zachariam. Et respondens mater ejus, dixit : Nequaquam, sed vocabitur Joannes. Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri ejus quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens : Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. Apertum est autem illico os ejus et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum; et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes : Quid*[1] *putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater ejus impletus est Spiritu sancto, et prophetavit, dicens : Benedictus Dominus, Deus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, et memorari testamenti sui sancti. Jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis. Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati serviamus illi, in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus in remissionem peccatorum eorum. Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Illuminare iis qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu; et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Hæc descriptio prima facta est præside*[1] *Syriæ Syrino. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret : et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit; et reclinavit eum in præsepio; quia non erat eis locus in diversorio. Et pastores erant in eadem regione vigilantes et custodientes vigilias noctis supra gregem suum : et ecce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus : Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum : invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et factum est ut discesserunt ab eis angeli in cœlum, pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in præsepio. Videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt, et de iis quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum in omnibus quæ audierant et viderant, sicut dictum est ad illos. Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur* (*Luc.* I, 57, II, 21). Et *ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et Scribas populi,*

[1] Unus e Colbertinis Mss. : *Quis?* Alii codices, *Quid* : et sic in antiquis Corb. Bibliis; nempe quia græce est, *ti*, neutro genere concordans cum voce, *to paidion*, quæ puerum significat.

[1] In aliquot Mss. et editione Ratisponensi, *a præside*. Apud Er. et Lov., *sub præside*. Sed in pluribus et melioris notæ Mss. absque præpositione est, *præside;* id est, præsidem agente, juxta græc., *êgemoneuontos*.

sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei, In Bethleem Judææ : sic enim scriptum est per prophetam, Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda ; ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis. Et mittens eos in Bethleem dixit : Ite, et interrogate diligenter de puero ; et cum inveneritis renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt : et ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus : et procidentes adoraverunt eum ; et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam regressi sunt in regionem suam (*Matth.* II, 1-12). Qui cum recessissent, *posteaquam impleti sunt dies purgationis* matris *ejus, secundum Legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino : sicut scriptum est in Lege Domini, Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in Lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, exspectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo : et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini : et venit in Spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo, et ipse accepit eum in amplexus suos, et benedixit Deum, et dixit : Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. Et erant pater ejus et mater mirantes super his quæ dicebantur de illo. Et benedixit illos Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur ; et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua ; et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor, quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die. Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem Jerusalem*[1]. *Et ut perfecerunt omnia secundum Legem Domini* (*Luc.* II, 22-39), *ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi ; futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgens accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Ægyptum. Et erat ibi usque ad obitum Herodis : ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem, ex Ægypto vocavi filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde : et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus ejus, a bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus, Rachel plorans filios suos, et noluit consolari quia non sunt. Defuncto autem Herode, ecce apparuit angelus Domini in somnis Joseph in Ægypto, dicens : Surge et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. Qui surgens accepit puerum et matrem ejus, et venit in terram Israel. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire. Et admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ : et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas, Quoniam Nazaræus vocabitur* (*Matth.* II, 13-23). *Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis in Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem requirentes eum. Et factum est post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui audiebant eum, super prudentia et responsis ejus. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo*[1]. *Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines* (*Luc.* II, 40-52).

CAPUT VI. — *De ordine prædicationis Joannis Baptistæ inter omnes quatuor.*

18. Jam hinc de prædicatione Joannis narrari incipit, quam omnes quatuor commemorant. Nam et Matthæus post illa verba, quæ ultima ejus posui, ubi commemoravit ex propheta testimonium, *Quoniam Nazaræus vocabitur*, sequitur et adjungit : *In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ*, etc. (*Matth.* III, 1). Et Marcus qui nihil de nativitate vel infantia vel pueritia Domini narravit, hinc Evangelii sumpsit initium, id est, a Joannis prædicatione. Sic enim exorsus est : *Initium Evangelii Jesu*

[1] Editi, *redemptionem Israel*. At Mss. magno consensu ferunt, *redemptionem Jerusalem* : quibuscum etiam concordat vetustissimus Bibliorum codex Corbeiensis. Porro in græco textu est, *lutrôsin en Ierousalêm, redemptionem in Jerusalem*, addita præpositione *in*, quæ propter *m* præcedentis litteræ concursum facile exciderit librariorum incuria.

[1] Editi : *conferens in corde suo*. Abest *conferens* a Mss.

Christi filii Dei : sicut scriptum est in Isaia propheta, Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus. Fuit Joannes in deserto baptizans et prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, etc.(*Marc.* I, 1-4). Et Lucas post verba ubi ait, *Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines*, de Joannis prædicatione jam sequitur dicens : *Anno autem quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto*, etc. (*Luc.* III, 1, 2). Joannes quoque apostolus in Evangelistis quatuor eminentissimus, posteaquam dixit de Verbo Dei, qui est ipse Filius ante omnia sæcula creaturæ, quia omnia per ipsum facta sunt, intulit continuo de Joannis prædicatione ac testimonio dicens : *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes* (*Joan.* I, 6). Unde jam videndum est, de ipso Joanne Baptista quatuor Evangelistarum narrationes quemadmodum inter se non discordent : non ut hoc a nobis per omnia requiratur aut exigatur, quod modo fecimus de primordiis nati ex Maria Christi, quemadmodum inter se Matthæus Lucasque consentiant, ut ex utriusque narratione unam faceremus, demonstrantes tardioribus quemlibet eorum commemorando quod alter tacet, vel tacendo quod alter commemorat, non impedire intellectum veracis narrationis alterius ; ut hoc exemplo, sive ut a me factum est, sive alio modo commodius fieri possit, videat unusquisque et in cæteris talibus locis fieri posse quod hic factum esse perspexerit.

19. Jam ergo, ut dixi, videamus quatuor Evangelistarum de Baptista Joanne consensum. Matthæus ita sequitur : *In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ.* Marcus non dixit, *In diebus illis*; quia nullam seriem rerum ante præmiserat, in quarum rerum diebus intelligeretur dicere, si diceret, *In illis diebus.* Lucas autem per potestates terrenas signantius ipsa tempora expressit prædicationis vel baptismi Joannis dicens : *Anno autem quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto.* Nec tamen intelligere debemus hos dies, id est hoc tempus harum potestatum, significasse Matthæum cum diceret, *In diebus illis ;* sed in multo longioris temporis spatio voluisse accipi, quod ait, *In diebus illis.* Mox enim ut narravit reversum de Ægypto Christum mortuo Herode ; quod utique tempore infantiæ vel pueritiæ ejus factum est, ut possit constare quod Lucas de illo, cum duodecim annorum esset, gestum narravit in templo Jerusalem (*Luc.* II, 42-50) : cum ergo infantem vel puerum ex Ægypto revocatum commemorasset Matthæus, continuo intulit, *In diebus autem illis venit Joannes Baptista*, non utique tantummodo pueritiæ illius dies insinuans, sed omnes dies ab ejus nativitate usque ad tempus quo prædicare ac baptizare cœpit Joannes, quo jam tempore Christi juvenilis [1] ætas invenitur ; quia coævi erant ipse et Joannes, et triginta ferme annorum narratur fuisse cum ab illo baptizatus esset.

CAPUT VII. — *De duobus Herodibus.*

20. Sed plane de Herode solet movere nonnullos quod Lucas narravit, in diebus baptismi Joannis Herodem fuisse tetrarcham Galilææ, quando etiam Dominus juvenis baptizatus est (*Luc.* III, 1-21) ; Matthæus autem, mortuo Herode, dicit puerum Jesum ab Ægypto remeasse : quod utrumque verum esse non potest, nisi duo fuisse intelligantur Herodes. Quod cum fieri potuisse nemo nesciat, qua cæcitate insaniunt, qui procliviores sunt ad calumniandum evangelicæ veritati, quam paululum consideratiores, ut duos homines eodem vocabulo appellatos intelligant ? cujus rei exemplis plena sunt omnia. Nam iste posterior Herodes prioris Herodis filius fuisse perhibetur ; sicut Archelaus, quem Matthæus in Judææ regnum patri mortuo successisse commemorat (*Matth.* II, 19-22) ; sicut Philippus, quem fratrem tetrarchæ Herodis et ipsum Iturææ tetrarcham Lucas insinuat. Rex enim fuit Herodes ille qui quærebat animam pueri Christi ; Herodes autem alius filius ejus, non rex, sed tetrarcha dictus est, quod nomen græcum a parte regni quarta inditum resonat.

CAPUT VIII. — *Quomodo Matthæus dicat timuisse Joseph ire cum infante Christo in Jerusalem, propter Archelaum ; et non timuisse ire in Galilæam, ubi erat tetrarcha Herodes frater ejus.*

21. Nisi forte hinc rursus quispiam moveatur, cum Matthæus dixerit ideo timuisse Joseph cum puero redeunte ire in Judæam, quia pro patre suo Herode Archelaus filius ejus ibi regnabat ; quomodo potuerit ire in Galilæam, ubi alius filius ejus Herodes tetrarcha erat, sicut Lucas testatur. Quasi vero ipsa sint tempora, quibus tunc puero timebatur, quæ nunc Lucas commemoravit, quæ usque adeo mutata erant, ut in ipsa Judæa non jam rex esset Archelaus, sed Pontius Pilatus, qui non rex Judæorum, sed præses erat : cujus temporibus agentes sub Tiberio Cæsare filii majoris Herodis, non regnum habebant, sed tetrarchiam. Quod utique nondum factum erat, quando Joseph timens Archelaum in Judæa regnantem, se in Galilæam cum puero contulit, ubi et civitas ejus erat Nazareth.

CAPUT IX. — *Quomodo dicat Matthæus ideo isse in Galilæam Joseph cum infante Christo quia timuit Archelaum pro suo patre regnantem in Jerusalem ; cum Lucas dicat ideo isse in Galilæam, quia ibi erat Nazareth civitas eorum.*

22. An forte et hoc movet, quomodo dicat Matthæus, propterea cum puero Jesu parentes ejus isse in Galilæam, quia metu Archelai in Judæam ire noluerunt ; cum propterea magis isse in Galilæam videantur,

[1] Mss., *juvenalis ætas.* sic passim pro, *juvenilis.*

quia civitas eorum erat Nazareth Galilææ, sicut Lucas non tacuit? Sed intelligendum est, ubi angelus in somnis in Ægypto dixit ad Joseph, *Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel*, sic intellectum esse primo a Joseph, ut putaret jussum se esse pergere in Judæam; ipsa enim primitus intelligi potuit terra Israel : porro autem posteaquam comperit illic regnare filium Herodis Archelaum, noluit objicere se illi periculo, cum posset terra Israel etiam sic intelligi, ut et Galilæa illic deputaretur, quia et ipsam populus Israel incolebat. Quanquam et alio modo solvi possit hæc quæstio, quia potuit videri parentibus Christi cum puero, de quo talia per angelica responsa cognoverant, non esse habitandum nisi in Jerusalem, ubi erat templum Domini; et propterea redeuntes ex Ægypto, illuc eos ituros fuisse, et illic habitaturos, nisi Archelai præsentia terrerentur. Neque enim divinitus jubebantur ibi habitare, ut de Archelao quod timebant deberent contemnere.

CAPUT X. — *Quomodo Lucas dicit*, Ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni Paschæ *cum illo puero; cum dicat Matthæus quod metu Archelai timuerint illuc ire ab Ægypto redeuntes.*

23. An et hoc aliquis dicit : Quomodo ergo, sicut Lucas narrat, ibant parentes ejus per omnes annos pueritiæ Christi in Jerusalem, si Archelai timore illuc prohibebantur accedere? Hoc mihi dissolvere non esset difficile, nec si aliquis Evangelistarum expressisset, quamdiu ibi regnaret Archelaus. Fieri enim poterat ut per diem festum inter tam ingentem turbam latenter ascenderent, mox reversuri, ubi tamen aliis diebus habitare metuerent : ut nec solemnitate prætermissa essent irreligiosi, nec continua mansione conspicui. Cum vero etiam de regno Archelai quam fuerit diuturnum, omnes tacuerint, iste quoque intellectus patet, ut quod Lucas dicit per omnes annos eos ascendere solitos in Jerusalem (*Luc.* II, 41), tunc accipiamus factitatum, cum jam non timeretur Archelaus. Quod si Archelai regnum aliquanto diuturnius ulla præter Evangelium prodit historia, cui fides habenda videatur; illud quod superius dixi suffecerit, quod ita timebant parentes pueri habitationem in Jerusalem, ut tamen propter Dei timorem festivitatem solemnem non prætermitterent, in qua latere facillime possent : neque enim incredibile est, captatis temporibus opportunis vel dierum vel horarum, accedere homines ad ea loca in quibus esse formidant.

CAPUT XI. — *Quomodo potuerint, completis diebus purgationis matris Christi, sicut Lucas dicit, ascendere cum illo in templum ad peragenda solemnia, si secundum Matthæum jam Herodi, per Magos notum erat eum natum, pro quo, cum eum quæreret, tot occidit infantes.*

24. Hinc etiam illa solvitur quæstio, si aliquem movet, cum jam sollicitus esset ille major Herodes perculsus Magorum nuntio, quod rex Judæorum natus fuisset, quomodo potuerint completis diebus purgationis matris ejus tuto cum illo ascendere in templum, ut fierent circa eum secundum Legem Domini quæ Lucas commemorat. Quis enim non videat, etiam illum unum diem regem multis occupatum latere potuisse? Si autem illud verisimile non videtur, quod Herodes qui valde sollicitus exspectabat, quid sibi Magi de puero renuntiarent, post tam multos dies se sensit illusum, ut transacto tempore purgationis matris ejus, et peracta circa infantem solemnitate primogenitorum in templo Jerusalem, post etiam profectionem eorum in Ægyptum, in mentem illi venerit quærere animam pueri, et necare tot parvulos : si hoc ergo movet, omitto dicere quot et quantis occupationibus regia cura distendi potuerit, et per plurimos dies ab illa intentione vel averti omnino, vel impediri. Neque enim enumerari possunt causæ quibus hoc potuerit accidere; quas tamen multas et magnas esse potuisse nemo ita rerum humanarum inexpertus est, ut aut neget, aut dubitet. Cujus enim cogitationi non occurrat, quam multa alia terribiliora regi nuntiari potuerint seu vera seu falsa, ut qui regem infantem post aliquot annos sibi vel filiis suis adversaturum timuerat, aliquorum magis propinquantium periculorum terroribus agitatus, ab illa cura mentem abreptam in aliis proxime cavendis potius occuparet? Ut ergo hæc omittam, illud dico, posteaquam nihil Herodi Magi renuntiaverunt, eum credere potuisse, illos fallaci stellæ visione deceptos, posteaquam non invenerunt quem natum putaverant, erubuisse ad se redire, atque ita eum timore depulso ab inquirendo ac persequendo puero quievisse. Cum ergo post purgationem matris ejus in Jerusalem cum illo venissent, et ea gesta essent in templo, quæ a Luca narrantur (*Luc.* II, 22 39), quia verba Simeonis et Annæ de illo prophetantium, cum cœpissent ab eis qui audierant prædicari, ad pristinam intentionem revocatura erant animum regis, admonitus per somnium Joseph cum infante et matre ejus fugit in Ægyptum. Deinde vulgatis rebus, quæ in templo factæ dictæque fuerant, Herodes se a Magis sensit illusum; ac deinde ad Christi mortem cupiens pervenire, multos infantes, sicut Matthæus narrat, occidit (*Matth.* II, 3-16).

CAPUT XII. — *De verbis Joannis inter omnes quatuor.*

25. Matthæus vero de Joanne ita contexit : *In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum. Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem : Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus* (*Id.* III, 1-3). Marcus quoque et Lucas consentiunt hoc Isaiæ testimonium esse de Joanne (*Marc.* I, 3, *et Luc.* III, 4). Nam plura verba etiam consequentia ex eodem propheta Lucas commemoravit, cum de Baptista Joanne narraret. Joannes autem evangelista ipsum Joannem Baptistam de seipso idem testimonium Isaiæ protulisse commemorat (*Joan.* I, 23) : sicut nunc Matthæus dixit quædam Joannis verba, quæ alii non dixerunt. *Prædicans*, inquit, *in deserto Judææ, et dicens : Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum :* hæc verba Joannis alii prætermiserunt. Jam vero quod sequitur Matthæus et adjungit,

Hic est enim qui dictus est per prophetam Isaiam dicentem : Vox clamantis in deserto, Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus, ambigue positum est, nec elucet utrum ex persona sua idem Matthæus hoc commemoraverit, an adhuc verba ejusdem Joannis secutus adjunxerit, ut totum hoc Joannes dixisse intelligatur, *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum : hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam*, et cætera. Neque enim hoc movere debet quia non ait, Ego sum enim, qui dictus sum per Isaiam prophetam ; sed ait, *Hic est enim, qui dictus est*. Solet quippe esse talis locutio[1] et ipsorum Evangelistarum Matthæi et Joannis. Nam et Matthæus dixit, *Invenit hominem sedentem in telonio* (*Matth.* IX, 9) ; nec dixit, Invenit me : et Joannes, *Hic est*, inquit, *discipulus qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc ; et scimus quia verum est testimonium ejus* (*Joan.* XXI, 24) ; non dixit, Ego sum, aut, Verum est testimonium meum. Dominus autem ipse sæpissime dicit, Filius hominis (*Matth.* IX, 6, *et* XVI, 27), aut Filius Dei (*Joan.* V, 25) ; et non dicit, Ego : et, *Oportebat*, inquit, *Christum pati et resurgere a mortuis tertio die* (*Luc.* XXIV, 46) ; non ait, Oportebat me pati. Potuit ergo et Joannes Baptista, cum dixisset, *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum*, de seipso adjungere quæ sequuntur, *Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam*, etc., ut post verba ejus Matthæus ita narrationem contexat, *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum*, etc. Quod si ita est, non mirum si et interrogatus quid diceret de seipso, sicut narrat Joannes Evangelista, *Ego*, ait, *vox clamantis in deserto* (*Joan.* I, 23) ; sicut jam dixerat, præcipiens ut agerent pœnitentiam. De vestitu ergo ejus et victu ita Matthæus sequitur, dicens : *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos ejus. Esca autem ejus erat locustæ et mel silvestre.* Hoc et Marcus dicit pene totidem verbis, cæteri autem duo tacent.

26. Sequitur ergo Matthæus, et dicit : *Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur in Jordane ab eo, confitentes peccata sua. Videns autem multos Pharisæorum et Saducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis : Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a futura ira ? Facite ego fructum dignum pœnitentiæ : et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham ; dico enim vobis, quoniam potest Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Jam enim securis ad radicem arborum posita est : omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam : qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare ; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni : cujus ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inexstinguibili.* Hæc omnia dicit et Lucas, eadem pene verba Joannis exprimens. Et ubi aliquid varium est in verbis, ab eadem tamen sententia non receditur : velut cum dicit Matthæus Joannem dixisse, *Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham ;* ille autem, *Et ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham.* Iste, *Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam ;* ille interponit interrogationem turbarum, quid facerent, et eis respondentem Joannem de bonis operibus, tanquam de fructibus pœnitentiæ, quod Matthæus omisit : deinde in cordibus suis cogitantibus de illo utrum ipse esset Christus eum dicit respondisse, *Ego quidem aqua baptizo vos ;* non dixit, in pœnitentiam. Deinde Matthæus, *Qui autem*, inquit, *post me venturus est, fortior me est :* ille vero, *Venit autem*, inquit, *fortior me.* Item Matthæus, *Cujus non sum*, inquit, *dignus calceamenta portare :* ille autem, *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Quod et Marcus dicit, cum cætera taceat : nam post commemoratum habitum et victum ejus, secutus ait, *Et prædicabat dicens : Venit fortior me post me, cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.* De calceamentis ergo hoc a Luca distat, quod addidit, *procumbens.* De baptismo autem hoc ab utroque, quia non dixit, *et igni*, sed tantum, *in Spiritu sancto.* Sicut enim Matthæus, ita et Lucas dixit, et eodem ordine, *Ipse vos baptizabit in Spiritu et igni :* nisi quod Lucas non addidit, *sancto*, (*a*), sicut Matthæus dixit, *in Spiritu sancto et igni* (*Matth.* III, 3-12, *Marc.* I, 6-8, *et Luc.* III, 7-17). His tribus attestatur Joannes evangelista, cum dicit : *Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens, Hic erat quem dixi, Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat* (*Joan.* I, 15). Sic enim ostendit, tunc eum hoc dixisse, quando eum illi dixisse commemorant ; repetisse autem et commemorasse quod jam dixisset, cum ait, *Hic erat quem dixi, qui post me venit.*

27. Si ergo quæritur quæ verba potius Joannes Baptista dixerit, utrum quæ Matthæus, an quæ Lucas eum dixisse commemorat, an quæ Marcus in ipsis paucis quæ illum dixisse posuit, tacens cætera ; nullo modo hinc laborandum esse judicat, qui prudenter intelligit ipsas sententias esse necessarias cognoscendæ veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatæ. Quod enim alius alium verborum ordinem tenet, non est utique contrarium. Neque illud contrarium est, si alius dicit quod alius prætermittit. Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat vel brevius vel prolixius, eamdem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est.

28. Et in hoc satis apparet quod ad rem maxime pertinet, quoniam veritas Evangelii, verbo Dei, quod supra omnem creaturam æternum atque incommutabile permanet, per creaturam temporalibus signis et linguis hominum dispensato, summum culmen auctoritatis obtinuit ; non nos debere arbitrari mentiri quemquam, si pluribus rem quam audierunt vel viderunt reminiscentibus, non eodem modo atque eisdem verbis, eadem tamen res fuerit indicata ; aut sive mu-

[1] Sic Mss. et Rat. At Er. et Lov., *esse quasi de aliis locutio.*

(*a*) Nunc tamen Lucas in Bibliis græcis et in latinis habet additum, *sancto.*

tetur ordo verborum, sive alia pro aliis quæ tamen idem valeant verba proferantur; sive aliquid vel quod recordanti non occurrit, vel quod ex aliis quæ dicuntur possit intelligi, minus dicatur; sive aliorum quæ magis dicere statuit narrandorum gratia, ut congruus temporis modus sufficiat, aliquid sibi non totum explicandum, sed ex parte tangendum quisque suscipiat; sive ad illuminandam declarandamque sententiam, nihil quidem rerum, verborum tamen aliquid addat, cui auctoritas narrandi concessa est; sive rem bene tenens non assequatur, quamvis id conetur, memoriter etiam verba quæ audivit ad integrum enuntiare. Quisquis autem dicit Evangelistis certe per Spiritus sancti potentiam id debuisse concedi, ut nec in genere verborum, nec in ordine, nec in numero discreparent; non intelligit, quanto amplius Evangelistarum excellit auctoritas, tanto magis per eos fuisse firmandam cæterorum hominum vera loquentium securitatem : ut pluribus eamdem rem forte narrantibus, nullo modo quisquam eorum de mendacio recte arguatur, si ab altero ita discrepaverit, ut possit etiam Evangelistarum exemplo præcedente defendi. Cum enim fas non sit, Evangelistarum aliquem mentitum fuisse, vel existimare vel dicere; sic apparebit nec eum fuisse mentitum, cui recordanti tale aliquid acciderit, quale illis accidisse monstratur. Et quanto magis ad mores optimos pertinet cavere mendacium, tanto magis tam eminente auctoritate regi debebamus, ne putaremus esse mendacia, cum sic inter se variari aliquorum narrationes inveniremus, ut inter Evangelistas variatæ sunt. Simul etiam, quod ad doctrinam fidelem maxime pertinet, intelligeremus non tam verborum quam rerum quærendam vel amplectendam esse veritatem, quando eos qui non eadem locutione utuntur, cum rebus sententiisque non discrepant, in eadem veritate constitisse approbamus.

29. Quid ergo in his quæ de narrationibus Evangelistarum collata proposui, putandum est esse contrarium? An quod alius dixit, *cujus non sum dignus calceamenta portare;* alii vero, *corrigiam calceamenti solvere?* Non enim verbis, aut verborum ordine, aut aliquo genere locutionis, sed etiam re ipsa videtur aliud esse calceamenta portare, aliud corrigiam calceamenti solvere. Merito ergo quæri potest quid Joannes dixerit non se dignum esse; utrum calceamenta portare, an corrigiam calceamenti solvere. Si enim alterum horum dixit, ille verum videtur narrasse qui hoc potuit narrare quod dixit; qui autem aliud, etsi non est mentitus, certe vel oblitus, aliud pro alio dixisse putabitur. Omnem autem falsitatem abesse ab Evangelistis decet, non solum eam quæ mentiendo promitur, sed etiam eam quæ obliviscendo. Itaque si ad rem pertinet, aliquid aliud intelligere ex eo quod dictum est, *calceamenta portare;* et aliquid aliud ex eo quod dictum est, *corrigiam calceamenti solvere :* quid aliud accipiendum recte existimaveris, nisi Joannem utrumque dixisse, sive aliud alio tempore, sive contextim? Potuit enim sic dicere, Cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere, nec calceamenta portare; ut unus Evangelistarum hinc aliud, alii vero aliud, omnes tamen verum narraverint. Si autem nihil intendit Joannes, cum de calceamentis Domini diceret, nisi excellentiam ejus et humilitatem suam; quodlibet horum dixerit, sive de solvenda corrigia calceamentorum, sive de portandis calceamentis, eamdem tamen sententiam tenuit, quisquis etiam verbis suis per calceamentorum commemorationem eamdem significationem humilitatis expressit, unde ab eadem voluntate non aberravit. Utilis igitur modus et memoriæ maxime commendandus, cum de convenientia dicimus Evangelistarum, non esse mendacium, cum quisque etiam dicens aliquid aliud quod etiam ille non dixit de quo aliquid narrat, voluntatem tamen ejus hanc explicat, quam etiam ille qui ejus verba commemorat. Ita enim salubriter discimus, nihil aliud esse quærendum, quam quid velit ille qui loquitur.

CAPUT XIII. — *De baptizato Jesu.*

30. Sequitur ergo Matthæus, et dicit: *Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? Respondens autem Jesus, dixit ei: Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum.* Attestantur et cæteri venisse Jesum ad Joannem. Baptizatum autem tres commemorant : sed tacent quod Matthæus ait, dixisse Domino Joannem, vel Joanni Dominum respondisse (*Matth.* III, 13-15, *Marc.* I, 9; *Luc.* III, 21, *et Joan.* I, 32-34).

CAPUT XIV. — *De verbis vocis factæ de cœlo super baptizatum.*

31. Deinde sequitur Matthæus : *Baptizatus autem confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Hoc et alii duo, Marcus et Lucas, similiter narrant : sed de verbis vocis quæ de cœlo facta est, variant locutionem, salva tamen sententia. Quod enim Matthæus ait dictum, *Hic est Filius meus dilectus*, et alii duo dicunt, *Tu es Filius meus dilectus*, ad eamdem sententiam explicandam valet, sicut superius tractatum est. Vox enim cœlestis unum horum dixit, sed Evangelista ostendere voluit ad id valere quod dictum est, *Hic est Filius meus*, ut illis potius qui audiebant indicaretur quod ipse esset Filius Dei, atque ita dictum referre voluit, *Tu es Filius meus*, ac si diceretur illis, *Hic est Filius meus.* Non enim Christo indicabatur quod sciebat : sed audiebant qui aderant, propter quos etiam ipsa vox facta est. Jam vero quod alius dicit, *in quo mihi complacui;* alius, *in te complacui*, alius, *in te complacuit mihi* (*Matth.* III, 16, 17; *Marc.* I, 10, 11, *et Luc.* III, 22) : si quæris quid horum in illa voce sonuerit, quodlibet accipe, dummodo intelligas eos qui non eamdem locutionem retulerunt, eamdem retulisse sententiam. Quæ diversitas locutionum ad hoc etiam utilis est, ne uno modo dictum minus intelligatur, et aliter quam res se habet, interpretetur. Quod enim dictum est, *in quo mihi compla-*

cui, si velit quis ita intelligere, ut Deus in Filio sibi placuisse videatur; admonetur ex eo quod dictum est, *in te complacui*. Si rursus ex hoc uno intelligat quisque, in Filio Patrem placuisse hominibus; admonetur ex eo quod dictum est, *in te complacuit mihi*. Ex quo satis apparet, quilibet Evangelistarum cœlestis vocis etiam verba tenuerit, alios ad eamdem sententiam familiarius explicandam verba variasse: ut intelligatur hoc dictum esse ab omnibus, tanquam diceretur, In te placitum meum constitui, hoc est, per te gerere quod mihi placet. Illud vero quod nonnulli codices habent secundum Lucam, hoc illa voce sonuisse quod in Psalmo scriptum est, *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7); quanquam in antiquioribus codicibus græcis non inveniri perhibeatur, tamen si aliquibus fide dignis exemplaribus confirmari possit, quid aliud quam utrumque intelligendum est quolibet verborum ordine de cœlo sonuisse?

CAPUT XV. — *Quomodo secundum Joannem Evangelistam dicat Joannes Baptista, Ego non noveram eum; cum secundum alios inveniatur quod jam noverat eum.*

32. Quod autem secundum Joannem de columba dicitur, non quando factum est narratur, sed verba Joannis Baptistæ referuntur commemorantis quid viderit. In quo quæritur, quemadmodum dictum sit, *Et ego non noveram eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto* (*Joan* I, 33). Si enim tunc eum cognovit, cum columbam vidit descendentem super eum, quærendum est quomodo dixerit venienti ut baptizaretur, *Ego magis a te debeo baptizari* (*Matth.* III, 14): hoc enim ei dixit antequam columba descenderet. Ex quo apparet, quamvis eum jam nosset (nam etiam in utero matris exsultavit, cum ad Elisabeth Maria venisset (*Luc.* I, 41), aliquid tamen in eo quod nondum noverat, columbæ descensione didicisse, quod ipse scilicet baptizaret in Spiritu sancto propria quadam et divina potestate: ut nullus homo qui accepisset a Deo Baptismum, etiamsi aliquem baptizaret, posset dicere suum esse quod traderet, vel a se dari Spiritum sanctum.

CAPUT XVI. — *De tentato Jesu.*

33. Sequitur Matthæus, et dicit: *Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Scriptum est, Non in pane solo vivit homo* [1], *sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*, etc. usque ad id quod dictum est, *Tunc reliquit eum diabolus; et ecce Angeli accesserunt et ministrabant ei.* Totum hoc similiter Lucas narrat, etsi non eodem ordine. Unde incertum est quid prius factum sit, utrum regna terræ prius demonstrata sint ei, et postea in pinnam templi levatus sit; an hoc prius, et illud postea. Nihil tamen ad rem, dum omnia facta esse manifestum sit: et quod aliis verbis easdem sententias Lucas explicat, non semper commendandum est quam nihil depereat veritati. Marcus autem attestatur quidem eum in deserto a diabolo esse tentatum quadraginta diebus et noctibus; sed tacet quid ei dictum sit, quidve responderit. Item quod Lucas prætermisit, iste non tacuit, quod Angeli ministrabant illi (*Matth.* IV, 1-11, *Marc.* I, 12, 13, *et Luc.* IV, 1-13): Joannes vero totum istum locum prætermisit.

CAPUT XVII. — *De vocatione apostolorum piscantium.*

34. Sequitur narrans Matthæus, *Cum autem audisset quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam:* hoc et Marcus dicit, et Lucas (*Matth.* IV, 12; *Marc.* I, 14, *et Luc.* IV, 14); sed Lucas de Joanne tradito nihil hoc loco dicit. Joannes autem Evangelista, priusquam iret Jesus in Galilæam, dicit Petrum et Andream mansisse cum illo uno die, et tunc Petro nomen impositum, cum antea Simon vocaretur. Sequenti item die jam volentem exire in Galilæam, invenisse Philippum, et ei dixisse ut sequeretur eum: inde ventum est ut etiam de Nathanaele narraret. Die autem tertio in Galilæa constitutum, fecisse illud in Cana de aquæ in vinum conversione miraculum (*Joan.* I, 39-II, 11). Quæ omnia cæteri Evangelistæ prætermiserunt, id contexentes narrationibus suis, quod Jesus reversus in Galilæam sit: unde intelligitur fuisse interpositos aliquot dies, quibus illa de discipulis gesta sunt, quæ interponuntur a Joanne. Non est autem contrarium ei loco, ubi Matthæus narrat Dominum dixisse Petro, *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). Neque enim hoc nomen tunc accepisse intelligendus est, sed tunc potius, quando ei Joannes dictum esse commemorat, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (*Joan.* I, 42): ut eum hoc nomine appellaret postea Dominus dicens, *Tu es Petrus*. Non enim ait, Tu vocaberis Petrus, sed, *Tu es Petrus*; quod ei jam dictum erat antea, *Tu vocaberis*.

35. Deinde contexit narrationem Matthæus, et dicit: *Et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon et Nephtalim*, et cætera, quousque sermo terminetur, quem habuit in monte. In quo contextu narrationis attestatur ei Marcus de discipulorum vocatione, Petri et Andreæ, et paulo post Jacobi et Joannis. Sed cum Matthæus continuo conjungeret narrationem prolixi illius sermonis quem in monte habuit, posteaquam multos curavit, et eum multæ turbæ secutæ sunt, Marcus interposuit alia, quia docebat eos in synagoga, et stupebant super doctrina ejus. Tunc ipse dixit, quod et Matthæus post illum prolixum sermonem, quia *erat docens eos quasi potestatem habens, et non sicut Scribæ.* Narravit etiam de homine a quo expulsus est immundus spiritus; deinde de socru Petri. In his autem Lucas ei consentit (*Matth.* IV, 13, VII, 29, *Marc.* I, 16-31, *et Luc.* IV, 31-39): Matthæus vero de isto dæmonio ni-

[1] Editio Rat. et unus e Colb. Mss. *vivet homo*; in futuro, juxta græcum *zësetai*: favente hebræo textu Deut. cap. 8, v. 3.

hil narravit; de socru autem Petri non tacuit, sed postea (*Matth.* VIII, 14, 15).

36. In hoc autem loco, quem nunc consideramus, idem Matthæus post vocationem discipulorum, quibus piscantibus jussit ut eum sequerentur, narrat eum circuisse Galilæam, docentem in synagogis, et prædicantem Evangelium, et sanantem omnem languorem; et collectis ad eum turbis, ascendisse in montem, et usum fuisse illo sermone prolixo. Dat ergo locum intelligendi, tunc facta esse quæ Marcus post electionem eorumdem discipulorum narrat, cum circuiret Galilæam, et doceret in synagogis eorum: tunc etiam de socru Petri: sed eum postea commemorasse quod prætermiserat, quamvis non omnia prætermissa in narrationem revocaverit.

37. Sane potest movere, quomodo Joannes dicat, non in Galilæa, sed juxta Jordanem, primo Andream secutum esse Dominum cum alio, cujus nomen tacetur, deinde Petrum ab illo nomen accepisse, tertio Philippum vocatum ut eum sequeretur: cæteri autem tres Evangelistæ de piscatione vocatos eos dicant satis inter se convenienter, maxime Matthæus et Marcus. Nam Lucas Andream non nominat, qui tamen intelligitur in ea navi fuisse secundum Matthæi et Marci narrationem, qui breviter hoc perstringunt, quemadmodum gestum sit: quod Lucas apertius explicavit, commemorans ibi etiam miraculum super captura piscium, et quod ex ipsa navi Dominus prius fuerit locutus ad turbas. Hoc etiam videtur distare, quod tantum Petro a Domino dictum commemorat, *Ex hoc jam homines eris capiens;* quod illi ambobus fratribus dictum esse narrarunt. Sed potuit utique prius hoc Petro dici, cum de capta ingenti multitudine piscium miraretur, quod Lucas insinuavit; et ambobus postea, quod illi duo commemoraverunt. Illud ergo quod de Joanne diximus, diligenter considerandum est: non enim parva repugnantia putari potest, cum et locorum plurimum intersit, et temporis, et ipsius vocationis. Nam si juxta Jordanem, antequam Jesus isset in Galilæam, ad testimonium Joannis Baptistæ secuti sunt eum duo, quorum erat unus Andreas, qui fratrem suum Simonem continuo adduxit ad Jesum, quando et nomen ut Petrus vocaretur accepit; quomodo ab aliis Evangelistis dicitur quod eos in Galilæa piscantes invenerit, atque ad discipulatum vocaverit (*Matth.* IV, 13-23; *Marc.* I, 16-20; *Luc.* V, 1-11, *et Joan.* I, 35-44)? nisi quia intelligendum est, non sic eos vidisse tunc Dominum juxta Jordanem, ut ei jam inseparabiliter cohærerent, sed tantum cognovisse quis esset, eumque miratos ad propria remeasse.

38. Nam et in Cana Galilææ cum fecisset de aqua vinum, dicit idem Joannes, quod crediderint in eum discipuli ejus. Quod ita narrat: *Et die tertio nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus et discipuli ejus ad nuptias* (*Joan.* II, 1, 2). Qui utique si tunc in eum crediderunt, sicut paulo post dicit, nondum erant discipuli cum ad nuptias vocati sunt. Sed illo more locutionis hoc dictum est, quo loquimur, cum dicimus apostolum Paulum in Tarso Ciliciæ natum (*Act.* XXII, 3): neque enim tunc jam erat apostolus. Ita discipulos Christi invitatos ad nuptias cum audimus, non jam discipulos, sed qui futuri erant discipuli intelligere debemus. Jam enim utique discipuli Christi erant, quando ista narrata atque conscripta sunt; et ideo sic de illis locutus est temporum præteritorum narrator.

39. Quod autem dicit idem Joannes, *Post hoc descendit Capharnaum ipse, et mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus; et ibi manserunt non multis diebus* (*Joan.* II, 12); incertum est utrum jam illi adhæserant, etiam Petrus et Andreas et filii Zebedæi. Matthæus enim primo narrat quod venerit, et habitaverit in Capharnaum; et postea quod eos de navibus piscantes vocaverit: iste autem, quod cum illo Capharnaum venerint discipuli ejus. An forte Matthæus quod prætermiserat recapitulavit: quia non ait ipse, Post hoc ambulans juxta mare Galilææ, vidit duos fratres; sed sine ulla consequentis temporis differentia, *Ambulans autem*, inquit, *juxta mare Galilææ, vidit duos fratres*, et cætera? Proinde fieri potest ut postea narraverit, non quod postea factum erat, sed quod prius prætermiserat, ut cum illo intelligantur venisse Capharnaum, quo Joannes dicit et ipsum et matrem et discipulos ejus venisse. An potius alii discipuli fuerunt; sicut eum jam Philippus sequebatur, quem sic vocaverat, ut diceret ei, *Sequere me?* Quo enim ordine vocati sint omnes duodecim Apostoli, in Evangelistarum narrationibus non apparet, quandoquidem non tantum ordo vocationis, sed nec ipsa vocatio commemorata est omnium, sed tantum Philippi, et Petri, et Andreæ, et filiorum Zebedæi, et Matthæi publicani, qui etiam Levi vocabatur (*Matth.* IV, 18-22, *et* IX, 9; *Marc.* I, 16-20, *et* II, 14; *Luc.* V, 1-11, *et Joan.* I, 35-44) Singillatim tamen ab eo nomen et primus et solus Petrus accepit (*Joan.* I, 42). Nam filios Zebedæi non singillatim, sed simul ambos appellavit filios tonitrui (*Marc.* III, 17).

40. Sane animadvertendum est quod Scriptura evangelica et apostolica non solos illos duodecim appellat discipulos ejus, sed omnes qui in eum credentes, magisterio ejus ad regnum cœlorum erudiebantur. Ex quorum multitudine elegit duodecim, quos et Apostolos nominavit, sicut Lucas commemorat. Ipse quippe paulo post ait: *Et descendens cum illis stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis* (*Luc.* VI, 13-17). Non utique diceret turbam discipulorum, homines duodecim. Aliis quoque Scripturarum locis hoc evidenter apparet, discipulos ejus omnes appellatos qui ab eo discerent quod ad æternam vitam pertineret.

41. Quæri autem potest quomodo binos vocaverit de naviculis piscatores, primo Petrum et Andream; deinde progressus paululum, alios duos filios Zebedæi, sicut narrant Matthæus et Marcus: cum Lucas dicat ambas eorum naviculas impletas magna illa captura piscium, sociosque Petri commemoret Jacobum et Joannem filios Zebedæi vocatos ad adjuvandum, cum retia extrahere plena non possent, simulque mi-

ratos tantam multitudinem piscium, quæ capta erat: et cum Petro tantum dixisset, *Noli timere, ex hoc jam homines eris capiens;* simul cum tamen subductis ad terram navibus secutos fuisse. Unde intelligendum est hoc primo esse factum quod Lucas insinuat; nec tunc eos a Domino vocatos, sed tantum Petro fuisse prædictum quod homines esset capturus. Quod non ita dictum est, quasi jam pisces nunquam esset capturus: nam et post resurrectionem Domini legimus eos esse piscatos (*Joan.* XXI, 3). Dictum est ergo quod deinceps capturus esset homines; non dictum est quod jam non esset capturus pisces. Unde datur locus intelligere eos ad capturam piscium ex more remeasse, ut postea fieret quod Matthæus et Marcus narrant, quando eos binos vocavit, et ipse jussit ut eum sequerentur, primo duobus Petro et Andreæ, deinde aliis duobus filiis Zebedæi. Tunc enim non subductis ad terram navibus tanquam cura redeundi, sed ita eum secuti sunt, tanquam vocantem ac jubentem ut eum sequerentur.

CAPUT XVIII. — *De tempore secessionis ejus in Galilæam.*

42. Illud etiam requirendum est, quomodo Joannes evangelista, antequam Joannes Baptista missus esset in carcerem, dicit Jesum isse in Galilæam (Postea enim quam commemoravit, quod in Cana Galilææ fecit de aqua vinum, et descendit Capharnaum cum matre et discipulis, et ibi manserunt non multis diebus, dicit eum deinde ascendisse Jerosolymam propter Pascha; post hæc venisse in Judæam terram et discipulos ejus, et illic demoratum cum eis et baptizantem: ubi secutus ait, *Erat autem et Joannes baptizans in Ænon juxta Salim, quia aquæ multæ erant illic; et adveniebant, et baptizabantur: nondum enim missus erat in carcerem Joannes* [*Joan.* II, 13, *et* III, 22-24]); Matthæus autem dicat, *Cum autem audisset quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam* (*Matth.* IV, 12). Similiter et Marcus: *Posteaquam autem traditus est*, inquit, *Joannes, venit Jesus in Galilæam* (*Marc.* I, 14). Lucas etiam nihil quidem dicit de tradito Joanne, sed tamen et ipse post baptismum et tentationem Christi dicit eum isse in Galilæam, sicut illi duo. Nam ita contexit narrationem suam: *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam, et fama exiit per universam regionem de illo* (*Luc.* IV, 13, 14). Unde intelligitur hos tres evangelistas non Joanni evangelistæ contraria narrasse, sed prætermisisse primum Domini adventum in Galilæam posteaquam baptizatus est, quando illic aquam convertit in vinum; tunc enim nondum erat traditus Joannes: eum vero adventum ejus in Galilæam connexuisse narrationibus suis, qui post Joannem traditum factus est; de quo ejus reditu in Galilæam ipse Joannes evangelista sic loquitur: *Ut ergo cognovit Jesus quia audierunt Pharisæi quia Jesus plures discipulos facit et baptizat quam Joannes* (*quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus*), *reliquit Judæam, et abiit iterum in Galilæam* (*Joan.* IV, 1-3). Tunc ergo intelligimus jam fuisse traditum Joannem, Judæos vero audisse quod plures discipulos faceret et baptizaret, quam fecerat et baptizaverat Joannes.

CAPUT XIX. — *De illo sermone prolixo quem secundum Matthæum habuit in monte.*

43. Jam nunc de illo sermone prolixo, quem secundum Matthæum in monte habuit Dominus, videamus utrum ei cæteri Evangelistæ nihil adversari videantur. Marcus quippe non eum commemoravit omnino, nec aliquid ejus simile dixit, nisi quasdam sententias, non contextim, sed sparsim, quas Dominus locis aliis repetivit. Reliquit tamen locum in textu narrationis suæ, ubi intelligamus hunc dictum esse sermonem, sed ab eo prætermissum: *Et erat*, inquit, *prædicans in synagogis eorum, et omni Galilæa, et dæmonia ejiciens.* In hac prædicatione quam dicit eum habuisse in omni Galilæa, intelligitur etiam sermo iste habitus in monte, cujus commemorationem facit Matthæus. Namque idem Marcus ita sequitur, *Et venit ad eum leprosus deprecans eum, et genuflexo dixit: Si vis, potes me mundare* (*Marc.* I, 39, 40), et cætera de hoc leproso mundato talia connectit, ut ipse intelligatur, quem Matthæus commemorat tunc esse mundatum, quando post illum sermonem Dominus de monte descendit. Sic enim ait Matthæus: *Cum autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus, veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare* (*Matth.* VIII, 1, 2), et cætera.

44. Hujus leprosi etiam Lucas meminit (*Luc.* V, 12, 13), non sane hoc ordine, sed ut solent prætermissa recordari, vel posterius facta præoccupare, sicut divinitus suggerebantur, quæ antea cognita, postea recordando conscriberent. Verumtamen idem Lucas sermonem etiam ipse Domini prolixum narravit, ubi etiam sic exorsus est, ut in isto Matthæus. Hic enim dixit, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum:* et ille, *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei.* Deinde multa quæ sequuntur etiam in Lucæ narratione similia sunt. Et ad extremum sermonis ipsa conclusio prorsus eadem reperitur, de homine prudente, qui ædificat super petram, et de stulto qui ædificat super arenam: nisi quod ibi flumen tantum dicit illisum domui, non et pluviam et ventos, sicut Matthæus. Posset ergo facillime credi eumdem etiam ipse Domini interposuisse sermonem, aliquas autem prætermisisse sententias, quas Matthæus posuit: item alias posuisse, quas iste non dixit; quasdam etiam non iisdem verbis, custodita tamen veritatis integritate, similiter explicasse.

45. Posset hoc, sicut dixi, facillime credi, nisi moveret quod Matthæus in monte dicit hunc habitum esse sermonem a Domino sedente; Lucas autem in loco campestri a Domino stante. Hæc itaque diversitas facit videri alium fuisse illum, alium istum. Quid enim prohiberet Christum alibi quædam repetere quæ jam antea dixerat, aut iterum quædam facere quæ antea jam fecerat? Non sane istos duos sermones, quorum unum Matthæus, alterum Lucas inseruit, longa temporis distantia separari, hinc probabiliter

creditur, quod et ante et postea quædam similia vel eadem ambo narrarunt, ut non absurde sentiatur eorum narrationes hæc interponentium in eisdem locis et diebus esse versatas. Nam Matthæus hoc ita dicit : *Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, et Decapoli, et Jerosolymis, et Judæa et de trans Jordanem. Videns autem turbas ascendit in montem; et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et aperiens os suum docebat eos dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*, et cætera (*Matth.* IV, 25; VII, 29). Hic potest videri multas turbas vitare voluisse, et ob hoc ascendisse in montem, tanquam secedendo a turbis, ut solis suis discipulis loqueretur. Cui rei videtur attestari etiam Lucas, ita narrans : *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit : Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem ejus, Jacobum et Joannem, Philippum et Bartholomæum, Matthæum et Thomam, Jacobum Alphæi et Simonem qui vocatur Zelotes, Judam Jacobi et Judam Scarioth, qui fuit proditor. Et descendens cum illis stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis, ab omni Judæa, et Jerusalem, et maritima, et Tyri*[1], *et Sidonis, qui venerant ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes Et ipse elevatis oculis in discipulos suos dicebat : Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*, etc. (*Luc.* VI, 12 49). Hic potest intelligi cum in monte duodecim discipulos elegit ex pluribus, quos Apostolos nominavit, quod Matthæus prætermisit, tunc illum habuisse sermonem quem Matthæus interposuit, et Lucas tacuit, hoc est in monte; ac deinde cum descendisset, in loco campestri habuisse alterum similem, de quo Matthæus tacet, Lucas non tacet : et utrumque sermonem eodem modo esse conclusum.

46. Quod autem Matthæus isto sermone terminato sequitur et dicit, *Et factum est, cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus*, potest videri discipulorum turbas dixisse, ex quibus illos duodecim elegerat. Quod vero mox ait, *Cum autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ : et ecce leprosus veniens adorabat eum*, potest intelligi post utrumque sermonem factum fuisse, non solum quem Matthæus, verum etiam quem Lucas interponit. Neque enim apparet post descensionem de monte quantum temporis fuerit interpositum; sed hoc solum voluit significare Matthæus, post illam descensionem multas turbas fuisse cum Domino, quando leprosum mundavit, non quantum temporis interfuerit : præsertim cum eumdem leprosum Lucas jam in civitate posito Domino dicat esse mundatum, quod Matthæus dicere non curavit.

47. Quanquam etiam illud possit occurrere, in aliqua excelsiore parte montis primo cum solis discipulis Dominum fuisse, quando ex eis illos duodecim elegit : deinde cum eis descendisse, non de monte, sed de ipsa montis celsitudine in campestrem locum, id est, in aliquam æqualitatem, quæ in latere montis erat, et multas turbas capere poterat; atque ibi stetisse donec ad eum turbæ congregarentur : ac postea cum sedisset, accessisse propinquius discipulos ejus, atque ita illis cæterisque turbis præsentibus unum habuisse sermonem, quem Matthæus Lucasque narrarunt, diverso narrandi modo, sed eadem veritate rerum et sententiarum, quas ambo dixerunt. Jam enim præmonuimus, quod et nullo præmonente unicuique sponte videndum fuit, si quis prætermittat aliquid quod alius dicat, non esse contrarium; nec si alius alio modo aliquid dicat, dum eadem rerum sententiarumque veritas explicetur : ut quod Matthæus ait, *Cum autem descendisset de monte*, simul etiam de illo campestri loco qui in latere montis esse potuit, intelligatur. Deinde Matthæus de leproso mundato narrat, quod etiam Marcus et Lucas similiter.

CAPUT XX. — *Quomodo dicat Matthæus Centurionem ad eum accessisse pro puero suo, cum Lucas dicat quod amicos ad eum miserit.*

48. Post hæc Matthæus sequitur, et dicit : *Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad illum Centurio, rogans eum, et dicens : Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur*, et cætera, usque ad eum locum ubi ait, *Et sanatus est puer ex illa hora* (*Matth.* VIII, 5 13). Hoc de puero Centurionis etiam Lucas commemorat : non, sicut iste, post leprosum mundatum, quem ille postea recordatus commemoravit, sed post finem illius prolixioris sermonis, quod ita conjungit : *Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum : Centurionis autem cujusdam servus male habens erat moriturus, qui illi erat pretiosus*, etc., usque in eum locum quo sanatus est (*Luc.* VII, 1-10). Hic intelligendum est, cum implesset quidem omnia verba sua in aures plebis, intrasse Christum Capharnaum, hoc est, quia non antequam hæc verba terminasset intravit : sed non esse expressum post quantum temporis intervallum cum istos sermones terminasset intraverit Capharnaum. Ipso quippe intervallo leprosus ille mundatus est, quem loco suo Matthæus interponit, iste autem postea recordatur.

49. Jam ergo videamus utrum sibi de hoc servo Centurionis Matthæus Lucasque consentiant. Matthæus enim dicit : *Accessit ad eum Centurio, rogans eum et dicens : Puer meus jacet in domo paralyticus.* Cui videtur repugnare quod ait Lucas : *Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus. At illi cum venissent ad Jesum rogabant eum sollicite, dicentes ei : Quia dignus est, ut hoc illi præstes : diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis. Jesus autem ibat cum illis : et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos dicens : Domine, noli vexari : non enim dignus sum ut sub tectum meum in-*

[1] Nos cum editis, *et maritima et Tyri*. At aliquot Mss., *et maritima Tyri* : omisso, *et*, quod a græco etiam abest.

tres; propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te : sed dic verbo, et sanabitur puer meus. Si enim hoc ita gestum est, quomodo erit verum quod Matthæus narrat, *Accessit ad eum quidam Centurio*, cum ipse non accesserit, sed amicos miserit? nisi diligenter advertentes intelligamus Matthæum non omni modo deseruisse usitatum morem loquendi. Non solum enim dicere solemus accessisse aliquem, etiam antequam perveniat illuc quo dicitur accessisse; unde etiam dicimus, Parum accessit, vel multum accessit, eo quo appetit pervenire : verum etiam ipsam perventionem cujus adipiscendæ causa acceditur, dicimus plerumque factam, etsi eum ad quem pervenit, non videat ille qui pervenit, cum per amicum pervenit ad aliquem, cujus ei favor est necessarius. Quod ita tenuit consuetudo, ut jam etiam vulgo perventores appellentur, qui potentium quorumlibet tanquam inaccessibiles animos, per convenientium personarum interpositionem, ambitionis arte pertingunt. Si ergo ipsa perventio usitate dicitur per alios fieri, quanto magis accessus per alios fieri potest, qui plerumque infra perventionem remanet, quando potuerit quisque plurimum quidem accedere, sed tamen non potuerit pervenire? Non ergo absurde Matthæus, etiam quod vulgo possit intelligi, per alios facto accessu Centurionis ad Dominum, compendio dicere voluit, *Accessit ad eum Centurio.*

50. Veruntamen non negligenter intuenda est etiam sancti Evangelistæ altitudo mysticæ locutionis, secundum quam scriptum est in Psalmo, *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6) Proinde quia fidem Centurionis, qua vere acceditur ad Jesum, ipse ita laudavit ut diceret, *Non inveni tantam fidem in Israel;* ipsum potius accessisse ad Christum dicere voluit prudens Evangelista, quam illos per quos verba sua miserat. Porro autem Lucas ideo totum quemadmodum gestum esset aperuit, ut ex hoc intelligere cogeremur, quemadmodum eum accessisse dixerit alius qui mentiri non potuit. Sic enim et illa mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, quamvis fimbriam vestimenti ejus tenuerit, magis tamen tetigit Dominum, quam illæ turbæ a quibus premebatur (*Luc.* VIII, 42-48). Ut enim hæc quo magis credidit, eo magis tetigit Dominum; ita et Centurio quo magis credidit, eo magis accessit ad Dominum. Jam cætera in hoc capitulo quæ alter dicit, et alter prætermittit, superfluo pertractantur; cum ex illa regula primitus commendata nihil inveniantur habere contrarium.

CAPUT XXI. — *De socru Petri quo ordine narratum sit.*

51. Sequitur Matthæus et dicit : *Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem et febricitantem : et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris; et surrexit, et ministrabat eis* (*Matth.* VIII, 14, 15). Hoc quando factum sit, id est, post quid vel ante quid, non expressit Matthæus. Non enim post quod narratur, post hoc etiam factum necesse est intelligatur. Nimirum tamen iste hoc recoluisse intelligitur, quod prius omiserat. Nam id Marcus narrat (*Marc.* I, 29-31, antequam illud de leproso mundato commemoret, quod post sermonem in monte habitum, de quo ipse tacuit, videtur interposuisse. Itaque et Lucas post hoc factum narrat de socru Petri (*Luc.* IV, 38, 39.), post quod et Marcus, ante sermonem etiam ipse, quem prolixum interposuit, qui potest idem videri quem dicit habitum in monte Matthæus. Quid autem interest quis quo loco ponat, sive quod ex ordine inserit, sive quod omissum recolit, sive quod postea factum ante præoccupat; dum tamen non adversetur eadem vel alia narranti, nec sibi, nec alteri? Quia enim nullius in potestate est, quamvis optime fideliterque res cognitas, quo quisque ordine recordetur (quid enim prius posteriusve homini veniat in mentem, non est ut volumus, sed ut datur); satis probabile est quod unusquisque Evangelistarum eo se ordine credidit debuisse narrare, quo voluisset Deus ea ipsa quæ narrabat ejus recordationi suggerere, in eis duntaxat rebus, quarum ordo, sive ille, sive ille sit, nihil minuit auctoritati veritatique evangelicæ.

52. Cur autem Spiritus sanctus dividens propria unicuique prout vult (I *Cor.* XII, 11), et ideo mentes quoque sanctorum propter Libros in tanto auctoritatis culmine collocandos, in recolendo quæ scriberent sine dubio gubernans et regens, alium sic, alium vero sic narrationem suam ordinare permiserit, quisquis pia diligentia quæsiverit, divinitus adjutus poterit invenire. Hoc tamen non est hujus operis munus, quod nunc suscepimus, tantum ut demonstremus Evangelistas neque sibi neque inter se repugnare, quolibet ordine, vel easdem res, vel alias factorum dictorumque Christi unusquisque eorum potuerit volueritve narrare. Quapropter ubi ordo temporum non apparet, nihil nostra interesse debet, quem narrandi ordinem quilibet eorum tenuerit: ubi autem apparet, si quid moverit quod sibi aut alteri repugnare videatur, utique considerandum et enodandum est.

CAPUT XXII. — *De ordine rerum quas post hoc narrant utrum nil inter se dissentiant Matthæus, Marcus et Lucas.*

53. Sequitur ergo Matthæus dicens : *Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes : et ejiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit; ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem, Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes portavit* (*Matth.* VIII, 16-18). Hoc ad ejusdem diei tempus pertinere satis indicat, cum conjungit, *Vespere autem facto.* Sic et Marcus cum de ipsa socru Petri sanata dixisset, *Et ministrabat eis;* hoc idem subjecit: *Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, et dæmonia habentes; et erat omnis civitas congregata ad januam : et curavit multos qui vexabantur variis languoribus; et dæmonia multa ejiciebat; et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. Et diluculo valde surgens egressus est et abiit in desertum locum* (*Marc.* I, 31-35). Videtur hic ordinem tenuisse Marcus, ut post illud quod dictum est, *Vespere autem facto*, deinde diceret, *Et diluculo valde surgens.* Quamvis nec illud necesse sit, ubi dicitur, *Vespere autem facto*, ejusdem diei vesperum ac-

cipere; nec ubi dicitur, *diluculo*, ejusdem noctis diluculum : tamen utcumque videri potest hic rerum gestarum ordo servatus, propter digestum ordinem temporum. Lucas quoque cum de socru Petri narrasset, non ait ipse, *Vespere autem facto*; sed tamen quod idem significaret adjunxit, dicens : *Cum sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum : at ille singulis manus imponens curabat eos. Exibant etiam dæmonia a multis clamantia et dicentia, Quia tu es Filius Dei. Et increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. Facta autem die, egressus ibat in desertum locum* (*Luc* IV, 40-42). Et hic videmus eumdem prorsus ordinem temporum custoditum, quem comperimus apud Marcum. Matthæus autem qui videtur non ordine quo gestum est, sed quo prætermissum recolit, hoc de socru Petri commemorasse, posteaquam narravit quid ipso die, facto etiam vespere, gestum sit, jam non subjungit diluculum, sed ita narrat : *Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum.* Jam hoc aliud est, non illud quod Marcus et Lucas contexunt, qui post vesperum diluculum ponunt. Quod ergo hic dictum est, *Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum*, aliud eum recordatum interposuisse debemus accipere, quod die quodam cum vidisset Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum.

CAPUT XXIII. — *De illo qui ait Domino,* Sequar te quocumque ieris, *et aliis quæ juxta sunt, quo ordine narrentur a Matthæo et Luca.*

54. Deinde quod subjungit, *Et accedens unus Scriba ait illi : Magister, sequar te quocumque ieris*, usque ad illud ubi ait, *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos* (*Matth.* VIII, 19-22); hoc similiter narrat et Lucas. Sed ille post plura, nec ipse sane expresso ordine temporum, sed recordantis modo : utrum quod prius omisit, an quod posterius etiam factum quam sunt ea quæ sequuntur, præoccupavit, incertum est. Ita enim dicit : *Factum est autem ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum, Sequar te quocumque ieris.* Et respondit ei prorsus eadem quæ Matthæus commemorat. Quod autem Matthæus dicit tunc istud gestum esse, quando jussit ut irent trans fretum, Lucas vero, ambulantibus illis in via, non est contrarium; quia in via utique ambularunt, ut venirent ad fretum. Et de illo qui petit primum sepelire patrem suum, Matthæus et Lucas omnino consentiunt. Quod enim Matthæus primo ejusdem verba posuit hoc propter patrem suum petentis, et deinde Domini dicentis, *Sequere me*, Lucas autem primo Domini dicentis. *Sequere me*, et deinde illius hoc petentis, ad sententiam nihil interest. Commemoravit Lucas et alium dixisse, *Sequar te, Domine, sed primum permitte mihi renuntiare his qui domi sunt*[1]; de quo tacet Matthæus. Inde jam Lucas in aliud perrexit, non in illud quod ordine temporis sequebatur. *Post hæc autem*, inquit, *designavit Dominus et alios septuaginta duos* (*Luc.* IX, 57; X, 1). Post hæc quidem, manifeste; sed quanto temporis intervallo posthæc fecerit illud Dominus, non apparet. In ipso tamen intervallo fit quod deinceps Matthæus subjungit : nam idem Matthæus ordinem temporum adhuc tenet, ita narrans :

CAPUT XXIV. — *De transfretatione ejus, ubi dormivit in navicula, et de expulsis dæmoniis, quos permisit in porcos, quomodo ea quæ gesta vel dicta sunt, conveniant inter Matthæum, Marcum et Lucam.*

55. *Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus : et ecce motus magnus factus est in mari*; usque ad illud ubi ait : *Et venit in civitatem suam.* Ista duo facta continuatim quæ narrat Matthæus de tranquillato mari, posteaquam ventis imperavit Jesus a somno excitatus, et de illis qui habebant sævum dæmonium, ruptisque vinculis agebantur in desertum, similiter narrant Marcus et Lucas (*Matth.* VIII, 23-34, *Marc.* IV, 36; V, 17, *et Luc.* VIII, 22-37) : verbis aliis dictæ sunt ab alio atque alio quædam sententiæ, non tamen aliæ, velut illud quod cum dicit dixisse Matthæus, *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Marcus ita dicit, *Quid timidi estis? necdum habetis fidem?* id est, illam perfectam, velut granum sinapis : hoc ergo et ille ait, *modicæ fidei.* Lucas autem, *Ubi est fides vestra?* Et totum quidem dici potuit, *Quid timidi estis? Ubi est fides vestra? Modicæ fidei.* Unde aliud hic, aliud ille commemorat. Et illud quod excitantes eum dixerunt, Matthæus sic, *Domine, salva nos, perimus;* Marcus, *Magister, non ad te pertinet quia perimus?* Lucas, *Præceptor, perimus :* una eademque sententia est excitantium Dominum, volentiumque salvari; nec opus est quærere quid horum potius Christo dictum sit. Sive enim aliquid horum trium dixerint, sive alia verba quæ nullus Evangelistarum commemoravit, tantumdem tamen valentia ad eamdem sententiæ veritatem, quid ad rem interest? Quanquam et hoc fieri potuit, ut pluribus eum simul excitantibus, omnia hæc, aliud ab alio dicerentur. Item quod sedata tempestate dixerunt secundum Matthæum, *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* Secundum Marcum, *Quis putas est iste, quia et ventus et mare obediunt ei?* Secundum Lucam, *quis putas hic est, quia et ventis imperat et mari, et obediunt ei?* quis non videat unam esse sententiam? Tantumdem enim prorsus valet, *Quis putas est iste?* et, *Qualis est hic?* et ubi non est dictum, *imperat*, utique consequenter intelligitur, quia imperanti obeditur.

56. Quod vero Matthæus duos dicit fuisse, qui legionem illam dæmonum patiebantur, quæ in porcos ire permissa est, Marcus autem et Lucas unum commemorant : intelligas unum eorum fuisse personæ alicujus clarioris et famosioris, quem regio illa maxime dolebat, et pro cujus salute plurimum satagebat. Hoc volentes significare duo Evangelistæ, solum commemorandum judicaverunt, de quo facti hujus fama latius præclariusque fragraverat. Nec quod verba dæmonum diverse ab Evangelistis dicta sunt, habet aliquid scrupuli; cum vel ad unam redigi sententiam, vel omnia dicta possint intelligi. Nec quia pluraliter

[1] Sic Mss. et editio Ratisponensis, quibus consentit Augustini Speculum, et Corbeiensia Biblia. At. Er. et Lov. habent. *iis quæ domi sunt.*

apud Matthæum, apud illos autem singulariter loquitur; cum et ipsi narrent quod interrogatus quid vocaretur, legionem se esse respondit, eo quod multa essent dæmonia. Nec quod Marcus dixit circa montem fuisse gregem porcorum, Lucas autem in monte, quidquam repugnat. Grex enim porcorum tam magnus fuit, ut aliquid ejus esset in monte, aliquid circa montem. Erant enim duo millia porcorum, sicut Marcus expressit.

CAPUT XXV. — *De paralytico cui dixit*, Dimittuntur tibi peccata, *et*, Tolle grabatum tuum, *maxime utrum locus ubi hoc factum est, conveniat inter Matthæum et Marcum; quia Matthæus dicit in civitate sua, Marcus autem in Capharnaum.*

57. Hinc ergo sequitur Matthæus, adhuc temporum ordinem servans, atque ita narrationem contexit: *Et ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto*, etc., usque ad illud quod ait, *Videntes autem turbæ, timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit postestatem talem hominibus* (*Matth.* IX, 1-8). De hoc paralytico dixerunt etiam Marcus et Lucas. Quod ergo Matthæus dicit Dominum dixisse, *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua;* Lucas autem non dixit, *Fili*, sed, *homo*, ad sententiam Domini expressius insinuandam valet: quia homini dimittebantur peccata, qui hoc ipso quod homo erat, non posset dicere, Non peccavi; simul etiam ut ille qui homini dimittebat, intelligeretur Deus. Marcus autem hoc dixit quod et Matthæus; sed non dixit, *Confide.* Potuit quidem et ita dici: Confide, homo; dimittuntur tibi peccata, fili: aut, Confide, fili; dimittuntur tibi peccata, homo; aut quolibet verborum ordine congruenti.

58. Illud sane potest movere, quod de isto paralytico Matthæus ita narrat: *Et ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto:* Marcus autem non hoc in ejus civitate factum dicit, quæ utique Nazareth vocatur, sed in Capharnaum; quod ita narrat: *Et iterum intravit in Capharnaum post dies: et auditum est quod in domo esset; et convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam: et loquebatur eis verbum. Et venerunt ferentes ad eum paralyticum, qui a quatuor portabatur. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat, et patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus jacebat. Cum vidisset autem Jesus fidem illorum*, etc. (*Marc.* II, 1-12) Lucas autem non commemorat quo in loco factum sit, sed ita dicit: *Et factum est in una dierum, et ipse sedebat docens: et erant Pharisæi sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ et Judææ et Jerusalem: et virtus erat Domini ad sanandos eos. Et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus, et quærebant eum inferre, et ponere ante eum: et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, et per tegulas submiserunt illum cum lecto in medium ante Jesum. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua*, etc. (*Luc.* V, 17-26). Remanet igitur quæstio inter Marcum et Matthæum, quod Matthæus ita scribit, tanquam in civitate Domini factum sit, Marcus autem in Capharnaum. Quæ difficilius solveretur, si Matthæus etiam Nazareth nominaret: nunc vero cum potuerit ipsa Galilæa dici civitas Christi, quia in Galilæa erat Nazareth: sicut universum regnum in tot civitatibus constitutum, dicitur Romana civitas; cumque in tot gentibus constituta civitas sit, de qua scriptum est, *Gloriosissima dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal.* LXXXVI, 3); et cum ipse prior populus Dei in tot civitatibus habitans, etiam una domus dictus sit domus Israel (*Isai.* V, 7; *Jerem.* III, 20, *et Ezech.* III, 4): quis dubitaverit in civitate sua hoc fecisse Jesum, cum hoc fecerit in civitate Capharnaum civitate Galilææ, quo transfretando redierat de regione Gerasenorum, ut veniens in Galilæam, recte diceretur venisse in civitatem suam, in quocumque oppido esset Galilææ; præsertim quia et ipsa Capharnaum ita excellebat in Galilæa, ut tanquam metropolis haberetur? Quod si prorsus non liceret accipere civitatem Christi, vel ipsam Galilæam, in qua erat Nazareth, vel ipsam Capharnaum, quæ sicut caput Galilææ civitatibus eminebat; diceremus Matthæum prætermisisse quæ gesta sunt, posteaquam venit Jesus in civitatem suam, donec veniret Capharnaum, et hoc adjunxisse de sanato paralytico: sicut in multis ita faciunt, prætermittentes media, tanquam hoc continuo sequatur, quod sine ulla prætermissionis suæ significatione subjungunt.

CAPUT XXVI. — *De vocatione quoque Matthæi, utrum Marco et Lucæ qui dicunt Levin Alphæi, idem Matthæus congruat.*

59. Hinc ergo sequitur Matthæus, dicens: *Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, et ait illi, Sequere me: et surgens secutus est eum* (*Matth.* IX, 9). Hoc Marcus ita narrat, eumdem etiam ipse ordinem tenens post illius paralytici sanitatem: *Et egressus est*, inquit, *ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos. Et cum præteriret, vidit Levi* [1] *Alphæi sedentem ad telonium, et ait illi, Sequere me: et surgens secutus est eum* (*Marc.* II, 13, 14). Nil hic repugnat; ipse est enim Matthæus qui et Levi. Lucas etiam hoc post eumdem paralyticum sanatum ita subjungit: *Et post hæc exiit, et vidit publicanum nomine Levi sedentem ad telonium, et ait illi, Sequere me. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum* (*Luc.* V, 27, 28). Hinc autem probabilius videtur quod hæc prætermissa recordando Matthæus commemorat: quia utique ante illum sermonem habitum in monte, credendum est vocatum esse Matthæum. In eo quippe monte tunc Lucas commemorat omnes duodecim ex plurimis discipulis electos, quos et Apostolos nominavit (*Id.* VI, 13).

CAPUT XXVII. — *De convivio ubi objectum est e quod cum peccatoribus manducaret, et quod non jejunarent discipuli ejus, quod videtur alius alios di-*

[1] In plerisque Mss., *Levin Alphæi.* Sic etiam in veteribus Corbeiensibus Bibliis.

cere a quibus objectum sit, et de verbis eorum, responsisque Domini, utrum Matthæus, Marcus et Lucas congruant.

60. Sequitur itaque Matthæus, et dicit : *Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani et peccatores venientes, discumbebant cum Jesu, et discipulis ejus*, etc., usque ad illud ubi ait, *Sed vinum novum in utres novos mittunt, et ambo conservantur* (*Matth.* IX, 10-17). Hic Matthæus non expressit in cujus domo discumbebat Jesus cum publicanis et peccatoribus : unde posset videri non hoc ex ordine subjunxisse, sed quod alio tempore factum est recordatus interposuisse, nisi Marcus et Lucas qui hoc omnino similiter narrant, manifestarent in domo Levi, hoc est Matthæi, discubuisse Jesum, et dicta illa omnia quæ sequuntur. Ita enim Marcus hoc idem dicit, eumdem ordinem servans : *Et factum est, cum accumberet in domo illius, multi publicani et peccatores simul discumbebant cum Jesu* (*Marc.* II, 15-22). Cum ergo dicit, *in domo illius;* exprimit utique illum, de quo superius loquebatur, id est Levi. Sic et Lucas cum dixisset, *Ait illi, Sequere me : et relictis omnibus surgens secutus est eum;* continuo subjecit, *Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua; et erat turba multa publicanorum et aliorum, qui cum illis erant discumbentes* (*Luc.* V, 27-39). Manifestum est itaque in cujus domo ista gerebantur.

61. Jam ipsa verba videamus, vel quæ Domino dicta, vel quæ ab illo responsa omnes isti tres Evangelistæ posuerunt. Matthæus : *Et videntes*, inquit, *Pharisæi, dicebant discipulis ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester?* Totidem pene verbis hoc ait et Marcus : *Quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester?* Prætermissum est ergo a Matthæo quod iste addidit, *et bibit :* sed quid ad rem, cum plena sit sententia, insinuans pariter convivantes? Lucas autem aliquanto differentius hoc videtur commemorasse : *Et murmurabant*, inquit, *Pharisæi et Scribæ eorum, dicentes ad discipulos ejus : Quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis?* Non utique magistrum eorum nolens [1] illic intelligi; sed simul omnibus, et ipsi et discipulis ejus hoc objectum insinuans : non tamen ei dictum, sed illis, quod et de ipso et de illis acciperetur. Nam utique et ipse Lucas ita dicit Dominum respondisse, *Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam :* quod non eis respondisset, nisi quod dixerant, *manducatis et bibitis*, ad ipsum maxime pertineret. Propterea etiam Matthæus et Marcus de illo discipulis ejus hoc objectum esse narrarunt, quia et cum de discipulis dicebatur, magistro magis objiciebatur, quem sectando imitabantur. Una ergo sententia est, et tanto melius insinuata, quanto quibusdam verbis, manente veritate, variata. Item quod Matthæus refert Dominum respondisse, *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Euntes autem discite quid est, Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni vocare justos, sed peccatores;* Marcus quoque et Lucas eisdem pene verbis eamdem sententiam tenuerunt, nisi quod ambo non interponunt illud ex propheta testimonium, *Misericordiam volo, quam sacrificium.* Lucas autem cum dixisset, *Non veni vocare justos, sed peccatores*, addidit, *in pœnitentiam*: quod ad explanandam sententiam valet, ne quisquam peccatores ob hoc ipsum quod peccatores sunt, diligi arbitretur a Christo : cum et illa similitudo de ægrotis bene intimet quid velit Deus vocando peccatores, tanquam medicus ægros, utique ut ab iniquitate tanquam ab ægritudine salvi fiant; quod fit per pœnitentiam.

62. Item quod dicit Matthæus, *Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis, dicentes : Quare nos et Pharisæi jejunamus frequenter?* Marcus similiter intulit, dicens, *Et erant discipuli Joannis et Pharisæi jejunantes; et veniunt, et dicunt illi : Cur discipuli Joannis et Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant?* nisi quod iste putari potest addidisse Pharisæos, quod simul cum discipulis Joannis hoc dixerint, cum Matthæus tantum discipulos Joannis hoc dixisse perhibeat. Sed verba ipsa quæ illos dixisse apud Marcum legitur, magis indicant alios hoc dixisse de aliis; id est, convivas qui aderant venisse ad Jesum, quia jejunabant discipuli Joannis et Pharisæi, et hoc ei de illis dixisse : ut quod ait, *veniunt*, non de ipsis dixerit, de quibus interposuerat, *Et erant discipuli Joannis et Pharisæi jejunantes;* sed cum isti essent jejunantes, veniunt illi, quos hoc movet, et dicunt illi, *Cur discipuli Joannis et Pharisæorum jejunant, tui autem non jejunant?* Quod Lucas evidentius expressit, ita hoc idem intimans, cum dixisset quid eis responderit Dominus de vocatione peccatorum, tanquam ægrotorum : *At illi*, inquit, *dixerunt ad eum, Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, et obsecrationes faciunt, similiter et Pharisæorum, tui autem edunt et bibunt?* Ergo et hic, sicut Marcus, alios de aliis hoc dixisse narravit. Unde ergo Matthæus, *Tunc accesserunt ad eum discipuli Joannis dicentes : Quare nos et Pharisæi jejunamus?* nisi quia et ipsi aderant, et omnes certatim, ut quisque poterat, hoc objecerunt : quorum sententia diverso loquendi modo, sed tamen a veritate non alieno, a tribus Evangelistis insinuata est.

63. Item illud de sponsi filiis, quia non jejunabunt quamdiu cum eis est sponsus, similiter interposuerunt Matthæus et Marcus : nisi quod Marcus filios nuptiarum appellavit, quos ille sponsi; quod ad rem nihil interest. Filios quippe nuptiarum non tantum sponsi, sed etiam sponsæ intelligimus. Eadem ergo est aperta sententia, non altera adversa. Lucas autem non ait, Numquid possunt filii sponsi jejunare? sed ait, *Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare?* in quo et ipse ad aliud quiddam insinuandum, eamdem sententiam eleganter aperuit. Sic enim intelligitur eosdem ipsos qui loquebantur fuisse facturos, ut lugentes jejunarent filii sponsi, quoniam ipsi essent sponsum occisuri. Quod

[1] Sic Mss. cum Er. At Rat. et Lov. *volens ;* mendose.

autem dixit Matthæus, *lugere;* hoc Marcus et Lucas, *jejunare:* quia et ille postea, *tunc jejunabunt*, ait; non, tunc lugebunt. Verum illo verbo significavit de tali jejunio Dominum locutum, quod pertinet ad humilitatem tribulationis: ut illud alterum, quod pertinet ad gaudium mentis in spiritualia suspensæ, atque ob hoc alienatæ quodammodo a corporalibus cibis, posterioribus similitudinibus Dominus significasse intelligatur, de panno novo et de vino novo, id ostendens quod animalibus atque carnalibus circa corpus occupatis, et ob hoc veterem adhuc sensum trahentibus, hoc genus jejunii non congruat; quas similitudines et alii duo similiter explicarunt. Jam enim satis in promptu est nihil esse contrarium, si quid alius dicit, quod alius prætermittit, seu verbi, seu rei; dum vel ab eadem sententia non recedatur, vel quæ forte alia ponitur, alii non adversetur.

CAPUT XXVIII. — *De filia Archisynagogi resuscitata, et muliere quæ tetigit fimbriam vestimenti ejus: utrum ordo quo dicta sunt nihil cuiquam eorum adversetur, a quibus dicta sunt; et maxime de verbis Archisynagogi, quibus rogavit Dominum.*

64. Sequitur deinde Matthæus adhuc temporum ordinem servans: *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, et adorabat eum dicens: Filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet*, etc., usque ad illud ubi ait, *Et surrexit puella: et exiit fama hæc in universam terram illam* (*Matth.* IX, 18-26). Dicunt hoc et alii duo, Marcus et Lucas; sed ab isto ordine jam recedunt. Alibi enim hoc recordantur atque inserunt, id est, eo loco ubi redit transfretando a regione Gerasenorum, post expulsa et in porcos permissa dæmonia. Nam hoc Marcus ita conjungit post illud apud Gerasenos factum: *Et cum transcendisset*, inquit, *Jesus in navi rursus trans fretum, convenit turba multa ad illum: et erat circa mare. Et venit quidam de archisynagogis, nomine Jairus, et videns eum procidit ad pedes ejus*, etc. (*Marc.* V, 21-43). Ac per hoc intelligendum est, hoc quidem de archisynagogi filia factum esse, cum transcendisset Jesus in navi rursus trans fretum: sed quanto post, non apparet. Nisi enim fuisset intervallum, non esset quando fieret quod modo narravit Matthæus in convivio domus suæ: tanquam de alio quippe narravit, more Evangelistarum, quod de se ac domo suæ gestum erat: post quod factum nihil aliud continuo sequitur, quam hoc de archisynagogi filia. Sic ipse enim contexit ut ipse transitus aperte indicet hoc consequenter narrari, quod et consequenter factum est: quandoquidem cum superius commemorasset, quæ de panno novo et de vino novo Jesus dixerit, continuo subjecit, *Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit;* ac per hoc si hæc illo loquente accessit, nihil aliud factorum dictorumque ejus interpositum est. In narratione autem Marci, patet locus ubi interponi alia potuerunt, sicut jam ostendimus. Similiter et Lucas cum post narratum apud Gerasenos miraculum transit ad narrandum de archisynagogi filia, non sic transit ut renitatur Matthæo, qui post illas de panno et vino similitudines hoc gestum esse demonstrat, dicendo, *Hæc illo loquente.* Iste quippe cum terminasset quod apud Gerasenos factum narraverat, hoc modo transiit in aliud: *Factum est autem*, inquit, *cum rediisset Jesus, excepit illum turba: erant enim omnes exspectantes eum. Et ecce vir cui nomen Jairus, et ipse princeps synagogæ erat, et cecidit ad pedes Jesu*, etc. (*Luc.* VIII, 40-56.) Sic intelligitur, quod turba quidem illa continuo exceperit Dominum, quippe quem rediturum exspectabat: quod vero adjunxit, *Et ecce vir cui nomen erat Jairus*, non continuo factum accipiendum est, sed prius illud de convivio publicanorum, sicut narrat Matthæus; cui rei sic conjungit hoc, ut non possit aliud factum consequenter intelligi.

65. In hac ergo narratione, quam nunc considerandam suscepimus, de illa quidem quæ fluxum sanguinis patiebatur, omnes isti tres Evangelistæ sine ulla quæstione concordant. Neque enim interest ad rei veritatem, quod ab alio aliquid tacitum, ab alio dicitur; nec quod Marcus dicit, *Quis tetigit vestimenta mea?* et Lucas, *Quis me tetigit?* Alter enim dixit usitate, alter proprie, eamdem tamen uterque sententiam. Nam usitatius dicimus, Conscindis me, quam, Conscindis vestimenta mea; cum tamen in aperto sit quid velimus intelligi.

66. At vero cum Matthæus archisynagogum, non morituram, vel morientem, vel in extremo vitæ positam filiam suam narrat Domino nuntiasse, sed omnino defunctam; illi autem duo, morti jam proximam, nondum tamen mortuam, usque adeo ut dicant venisse postea qui mortuam nuntiarent, et ob hoc jam non debere vexari magistrum, tanquam sic veniret, ut manum imponendo mori non sineret, non ut qui posset mortuam suscitare: considerandum est, ne repugnare videatur, et intelligendum brevitatis causa Matthæum hoc potius dicere voluisse, rogatum esse Dominum ut faceret quod eum fecisse manifestum est, ut scilicet mortuam suscitaret: attendit enim non verba patris de filia sua, sed quod est potissimum, voluntatem; et talia verba posuit, qualis voluntas erat. Ita enim desperaverat, ut potius eam vellet reviviscere, non credens vivam posse inveniri, quam morientem reliquerat. Duo itaque posuerunt quid dixerit Jairus: Matthæus autem, quid voluerit atque cogitaverit. Utrumque ergo petitum est a Domino, ut vel morientem salvam faceret, vel mortuam suscitaret: sed cum instituisset Matthæus totum breviter dicere, hoc insinuavit patrem rogantem dixisse, quod et ipsum certum est voluisse, et Christum fecisse. Sane si illi duo vel quisquam eorum, patrem ipsum commemorasset dixisse, quod sui domo venientes dixerant, ut jam non convexaretur Jesus, quod puella mortua fuisset, repugnarent ejus cogitationi verba quæ posuit Matthæus: nunc vero et illud suis nuntiantibus, et prohibentibus ne jam magister veniret, non legitur quod ille consenserit. Ac per hoc et illud quod ei Dominus ait, *Noli timere, crede tantum, et salva erit*, non diffidentem reprehendit, sed credentem robustius confirmavit. Talis quippe in illo fides erat, qualis et

in illo qui ait, *Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* IX, 23).

67. Quæ cum ita sint per hujusmodi Evangelistarum locutiones varias, sed non contrarias, rem plane utilissimam discimus, et pernecessariam; nihil in cujusque verbis nos debere inspicere, nisi voluntatem, cui debent verba servire; nec mentiri quemquam, si aliis verbis dixerit quid ille voluerit, cujus verba non dicit: ne miseri aucupes vocum, apicibus quodammodo litterarum putent ligandam esse veritatem; cum utique non in verbis tantum, sed etiam in cæteris omnibus signis animorum, non sit nisi ipse animus inquirendus.

68. Quod autem nonnulli codices habent secundum Matthæum, *Non enim mortua est mulier, sed dormit*, cum eam Marcus et Lucas duodecim annorum puellam fuisse testentur; intelligas hebræo more locutum esse Matthæum. Nam et aliis Scripturarum locis hoc invenitur, non eas tantum quæ virum passæ fuerant, sed omnino feminas etiam intactas atque integras, mulieres appellari: sicut de ipsa Eva scriptum est, *Formavit eam in mulierem* (*Gen.* II, 22); et illud in libro Numerorum, ubi jubentur custodiri mulieres quæ nescierunt cubile masculi, id est virgines, ne interficiantur (*Num.* XXXI, 18): qua locutione etiam Paulus ipsum Christum ait *factum ex muliere* (*Galat.* IV, 4). Hoc enim melius intelligimus, quam ut illam duodecim annorum jam nuptam, vel virum expertam fuisse credamus.

CAPUT XXIX. — *De duobus cæcis et muto dæmonio, quæ solus Matthæus dicit.*

69. Sequitur Matthæus, et dicit: *Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci clamantes, et dicentes: Miserere nostri, fili David*, et cætera, usque ad illud ubi ait, *Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones* (*Matth.* IX, 27-34). Hoc de duobus cæcis et de muto dæmonio, solus Matthæus ponit. Illi enim duo cæci, de quibus et alii narrant (*Marc.* X, 46-52, et *Luc.* XVIII, 35-43), non sunt isti, sed tamen simile factum est: ita ut si ipse Matthæus non etiam illius facti meminisset (*Matth.* XX, 29-34), posset putari hoc quod nunc narrat, dictum fuisse etiam ab aliis duobus. Quod commendare memoriæ diligenter debemus, esse quædam facta similia; quod probatur, cum idem ipse evangelista utrumque commemorat: ut si quando talia singula apud singulos invenerimus, atque in eis contrarium, quod solvi non possit, occurrat nobis non hoc esse factum, sed aliud simile, vel similiter factum.

CAPUT XXX. — *Ubi turbarum misertus misit discipulos suos, dans eis postestatem sanitatum præstandarum, et eis multa mandavit, ordinans quemadmodum viverent: ubi quærendum est quomodo Matthæus Marco et Lucæ congruat maxime de virga quam secundum Matthæum dicit non ferendam, secundum Marcum autem solam ferendam; et de habitu calceamentorum atque vestium.*

70. Sane deinceps non apparet ordo rerum gestarum. Nam post hæc duo facta, de cæcis et muto dæmonio, ita sequitur: *Et circumibat Jesus civitates omnes et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans regnum Evangelii, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem. Videns autem turbas, misertus est eis; quia erant vexati, et jacentes, sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci: rogate ergo Dominum messis, ut ejiciat* [1] *operarios in messem suam. Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum*, et cætera, usque ad aliud ubi ait, *Amen dico vobis non perdet mercedem suam* (*Id.* IX, 35; X, 42). In hoc toto loco, quem nunc commemoramus, multa monuit discipulos suos: sed utrum cum ex ordine Matthæus subjunxerit, an ei ordo narrandi recordatio sua fuerit, sicut dictum est, non apparet. Hunc locum brevitur videtur perstrinxisse Marcus, et eum sic ingressus est, dicens: *Et circumibat castella in circuitu docens. Et convocavit duodecim, et cœpit eos mittere binos; et dabat illis potestatem spirituum immundorum*, et cætera, usque ad illud ubi ait, *Excutite pulverem de pedibus vestris, in testimonium illis* (*Marc.* VI, 6-11). Sed antequam hoc narraret Marcus, prius post resuscitatam filiam archisynagogi, illud narravit, ubi Dominum in patria sua mirabantur, unde illi esset tanta sapientia et virtutes, cum ejus cogitationem nossent: quod Matthæus post admonitionem istam discipulorum, et post alia multa commemorat (*Matth.* XIII, 54). Itaque incertum est, utrum hoc quod agitur in ejus patria, Matthæus omissum revocaverit; an Marcus recordatum anticipaverit; quisnam eorum ordinem rei gestæ, et quis recordationis suæ tenuerit. Lucas autem continuo post resurrectionem filiæ Jairi, subjungit hunc locum de potestate et admonitione discipulorum (*Luc.* IX, 1-6), tam breviter sane quam Marcus: neque ipse ita, ut hoc sequi etiam in rerum gestarum ordine appareat. In nominibus ergo discipulorum, Lucas, qui eos alio loco nominat [2], cum prius eliguntur in monte, a Matthæo non discrepat, nisi in nomine Judæ Jacobi (*Id.* VI, 14-16), quem Matthæus Thaddæum appellat; nonnulli autem codices habent Lebbæum [3]. Quis autem unquam prohibuerit duobus vel tribus nominibus hominem unum vocari?

71. Solet item quæri, quomodo Matthæus et Lucas commemoraverint dixisse Dominum discipulis ut nec virgam ferrent, cum dicat Marcus, *Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*; et sequatur etiam ipse, *non peram, non panem, neque in zona æs*: ut ostendat in eodem loco versari narrationem suam, in quo et illorum qui dixerunt nec virgam ferendam. Quod ita solvitur, ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est; et sub alia illam quæ secundum Matthæum et Lucam non est ferenda: sicut sub alia significatione

[1] Editi, *mittat*. Mss. vero, *ejiciat*. In græco est, *ekbalê*.

[2] Editio Ratisponensis et novemdecim Mss., *alio nomine nominat*.

[3] In quinque Mss., *Teidæum*: corrupte, ut patet ex græco textu qui Matth. cap. 10, v. 3, habet, *kai Lebbaios o epiklêtheis Thaddaios*, *et Lebbæus qui vocatur Thaddæus*.

intelligitur tentatio, de qua dictum est, *Deus neminem tentat* (*Jacobi*. I, 13); et sub alia de qua dictum est, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (*Deut*. XIII, 3); illa seductionis est, hæc probationis. Sicut judicium aliter accipitur, de quo dictum est, *Qui bene fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui male fecerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan*. V, 29); et aliter, de quo dictum est, *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal*. XLII, 1): illud enim judicium damnationis est, hoc discretionis.

72. Et multa alia sunt verba quæ non habent unam significationem, sed diversis locis congruenter posita, diverso modo intelliguntur, et aliquando cum expositione dicuntur: ut est illud, *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis* (I *Cor*. XIV, 20). Hoc enim breviter clausa sententia dici potuit, Nolite esse pueri, sed estote pueri. Et illud, *Si quis putat se sapientem esse in vobis in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens* (*Id*. III, 18): quid enim aliud dixit, quam, Non sit sapiens, ut sit sapiens? Aliquando autem clausæ ita dicuntur, ut exerceant inquirentem: ut est quod ait ad Galatas, *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi. Qui enim putat se esse aliquid, cum nihil sit, seipsum seducit. Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso habebit gloriam, et non in altero. Unusquisque enim proprium onus portabit* (*Galat*. VI, 2-5). Nisi oneris nomen sub diversis significationibus acceperis, procul dubio putabis eumdem sibi in loquendo esse contrarium, et hoc in una sententia tam vicine positis verbis: qui cum paulo ante diceret, *Alter alterius onera portate*; postea dixit, *Unusquisque proprium onus portabit*. Sed alia sunt onera participandæ infirmitatis, alia reddendæ rationis Deo de actibus nostris: illa cum fratribus sustentanda communicantur, hæc propria ab unoquoque portantur. Ita et virga intelligitur spiritualiter, de qua dicebat Apostolus, *In virga veniam ad vos* (I *Cor*. IV, 21)? et corporaliter, sive ad equum qua utimur sive ad aliquid aliud opus fuerit: ut interim omittam et alias hujus nominis figuratas significationes.

73. Utrumque ergo accipiendum est a Domino Apostolis dictum, et ut nec virgam ferrent, et ut nonnisi virgam ferrent. Cum enim secundum Matthæum diceret eis, *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*; continuo subjecit, *Dignus est enim operarius cibo suo*. Unde satis ostendit cur eos hæc possidere ac ferre noluerit: non quod necessaria non sint sustentationi hujus vitæ; sed quia sic eos mittebat, ut eis hæc deberi demonstraret ab illis ipsis quibus Evangelium credentibus annuntiarent, tanquam stipendia militantibus, tanquam fructum vineæ plantatoribus, tanquam lac gregis pastoribus. Unde Paulus dicit: *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, et de lacte gregis non percipit?* Hinc enim loquebatur de iis quæ necessaria sunt prædicatoribus Evangelii: unde paulo post dicit, *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metemus? Si alii potestatis vestræ participant, non magis nos? sed non sumus usi hac potestate*. Unde apparet hæc non ita præcepisse Dominum, tanquam Evangelistæ vivere aliunde non debeant, quam eis præbentibus quibus annuntiant Evangelium; alioquin contra hoc præceptum fecit idem apostolus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat, ne cuiquam gravis esset (I *Thess*. II, 9): sed potestatem dedisse, in qua scirent sibi ista deberi. Cum autem a Domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientiæ culpa est: cum autem potestas datur, licet cuique non uti, et tanquam de suo jure cedere. Hæc ergo Dominus loquens discipulis, id agebat, quod ipse Apostolus paulo post apertius ita explicat: *Nescitis quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt edunt? qui altari deserviunt, altari compartiuntur? Sic et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: ego autem nullius horum usus sum* (I *Cor*. IX, 7-15). Cum itaque dicit ita Dominum ordinasse, se autem usum non esse, utique ostendit utendi potestatem datam, non impositam serviendi necessitatem.

74. Hoc ergo ordinans Dominus, quod eum ordinasse dicit Apostolus, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere, illa Apostolis loquebatur, ut securi non possiderent, neque portarent huic vitæ necessaria, nec magna, nec minima. Ideo posuit, *nec virgam*, ostendens a fidelibus suis omnia deberi ministris suis, nulla superflua requirentibus. Ac per hoc addendo, *Dignus est enim operarius cibo suo*, prorsus aperuit et illustravit unde et quare hæc omnia loqueretur. Hanc ergo potestatem virgæ nomine significavit, cum dixit, *ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*. Potuit enim etiam sic breviter dici, Nihil necessariorum vobiscum feratis, nec virgam, nisi virgam tantum: ut illud quod dictum est *nec virgam*, intelligatur, ne minimas quidem res; quod vero adjunctum est, *nisi virgam tantum*, intelligatur, quia per potestatem a Domino acceptam, quæ virgæ nomine significata est, etiam quæ non portantur non deerunt. Utrumque ergo Dominus dixit, sed quia non utrumque unus evangelista commemoravit, putatur ille qui virgam sub alia significatione positam tollendam dixit, ei qui virgam rursus aliud significantem non tollendam dixit, esse contrarius; sed jam ratione reddita non putetur.

75. Sic et calceamenta cum dicit Matthæus in via non esse portanda, curam prohibet, qua ideo portanda cogitantur, ne desint. Hoc et de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum præter eam quam esset indutus, aliam portandam putaret, sollicitus ne opus esset, cum ex illa potestate posset accipere. Proinde Marcus dicendo calceari eos sandaliis vel soleis, aliquid hoc calceamentum mysticæ significationis habere admonet, ut pes neque tectus sit, neque nudus ad terram; id est, nec occultetur Evangelium, nec terrenis commodis innitatur. Et quod non portari vel haberi duas tunicas, sed expressius indui prohibet dicens, *Et ne induerentur duabus tunicis*; quid eos mo

net nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare?

76. Ita Dominum omnia dixisse, nullo modo dubitandum est, partim proprie, partim figurate : sed Evangelistas, alia istum, alia illum inseruisse scriptis suis; quædam vero eadem vel duos, vel tres eorum quilibet, vel omnes quatuor posuisse : nec sic tamen omnia esse conscripta, quæ ab illo seu dicta seu facta sunt. Quisquis autem putat non potuisse Dominum in uno sermone quædam figurate, quædam proprie ponere eloquia, cætera ejus inspiciat ; videbit quam hoc temere atque inerudite arbitretur. Potest enim iste (ut unum aliquid dicam quod animo interim occurrit), quoniam monet ut non sciat sinistra quod facit dextra (*Matth.* VI, 3), et ipsas eleemosynas, et quidquid illic aliud præcipit, figurate accipiendum putare.

77. Sane rursus admoneo, quod oportet meminisse lectorem, ne tali admonitione sæpissime indigeat, aliis atque aliis sermonum suorum locis Dominum multa iterasse quæ alibi jam dixerat ; ne forte ipsorum locorum ordo cum ex alio evangelista non convenerit, alicui eorum hinc putet esse contrarium ; cum intelligere debeat iterum alibi dici, quod jam alibi dictum erat : nec tantum de dictis, verum etiam de factis observari debere. Nihil enim prohibet hoc idem iterum factum credere : calumniari autem Evangelio, dum non credit iterum factum, quod iterum fieri non potuisse nemo convincit, sacrilegæ vanitatis est.

CAPUT XXXI. — *Ubi Joannes Baptista misit ad Dominum de carcere discipulos suos, quid Matthæus et Lucas dicunt.*

78. Sequitur Matthæus, et dicit : *Et factum est, cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, ut doceret, et prædicaret in civitatibus eorum. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* etc., usque ad illud ubi ait, *Et justificata est sapientia a filiis suis* (*Matth.* XI, 1-19). Hunc totum locum de Joanne Baptista, quod miserit ad Jesum, et cujusmodi responsum acceperint illi quos misit, et quidquid post eorum abscessum de Joanne Dominus dixit, interponit et Lucas (*Luc.* VII, 18-35) : non quidem ipso ordine, sed quis eorum recordationis suæ, quis rerum ipsarum hic ordinem teneat, non apparet.

CAPUT XXXII. — *Ubi exprobravit civitatibus quod non egerint pœnitentiam, quod et Lucas dicit : ubi quærendum est quemadmodum illi Matthæus ipso ordine congruat.*

79. Sequitur Matthæus, et dicit : *Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam*, etc., usque ad illud ubi ait, *Terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi* (*Matth.* XI, 20-24). Etiam hoc commemorat Lucas (*Luc.* X, 12-15), continuato cuidam sermoni Domini etiam hæc ex ipsius ore conjungens : unde magis videtur ipse hoc ordine illa commemorare, quo a Domino dicta sunt ; Matthæus autem suæ recordationis ordinem tenuisse : aut si illud quod idem Matthæus ait, *Tunc cœpit exorobrare civitatibus*, sic accipiendum putatur, ut punctum ipsum temporis voluisse credatur exprimere in eo quod dictum est, *Tunc*, non autem ipsum tempus aliquanto latius quo hæc multa gerebantur et dicebantur ; quisquis hoc credit, credat etiam hoc esse bis dictum. Cum enim et apud unum Evangelistam inveniantur quædam quæ bis dixerit Dominus ; sicut apud eumdem Lucam de non tollenda pera in via et similiter cæteris, duobus locis dictum a Domino invenitur (*Luc.* IX, 3, et X, 4) : quid mirum si et aliquid aliud bis dictum singillatim a singulis dicitur eodem ordine quo dictum est, et ideo diversus ordo apparet in singulis, quia et tunc quando et ille, et tunc quando iste commemorat, dictum est?

CAPUT XXXIII. — *Ubi vocat ad tollendum jugum et sarcinam suam, quemadmodum Matthæus a Luca non discrepet in narrandi ordine.*

80. Sequitur Matthæus : *In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus*, etc., usque ad illud ubi ait, *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (*Matth.* XI, 25-30). Hujus loci et Lucas meminit, sed ex parte. Non dicit enim ipse, *Venite ad me, omnes qui laboratis*, et alia quæ sequuntur. Semel autem hoc dictum a Domino, sed Lucam non totum quod dictum est commemorasse, credibile est. Matthæus enim dicit, *In illo tempore respondens Jesus dixit*, posteaquam exprobravit civitatibus : Lucas autem post illam exprobrationem civitatum interponit quædam, non tamen multa ; atque hoc ita subjungit, *In ipsa hora exsultavit Spiritu sancto, et dixit* (*Luc.* X, 21). Unde etiam si Matthæus non *In illo tempore* diceret, sed *In ipsa hora*, tam pauca interponit Lucas in medio, ut etiam eadem hora dictum non absurde videatur.

CAPUT XXXIV. — *Ubi discipuli spicas vellentes manducaverunt, quemadmodum inter se congruant Matthæus, Marcus et Lucas in narrandi ordine.*

81. Sequitur Matthæus, et dicit : *In illo tempore abiit Jesus sabbato per sata; discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, et manducare*, etc., usque ad illud ubi ait, *Dominus est enim Filius hominis etiam sabbati* (*Matth.* XII, 1-8). Hoc quoque sine ulla repugnantiæ quæstione commemoratur et a Marco et a Luca (*Marc.* II, 23-28, *et Luc.* VI, 1-5) : sed illi non dicunt, *In illo tempore*. Unde fortassis magis Matthæus rei gestæ hic ordinem tenuit, illi autem recordationis suæ : nisi latius accipiatur quod dictum est, *In illo tempore*, id est, quo hæc multa et diversa gerebantur.

CAPUT XXXV. — *De illo qui manum aridam cum haberet, sabbato curatus est, quemadmodum narratio Matthæi concordet cum Marco et Luca, vel rerum ordine, vel Domini et Judæorum verbis.*

82. Sequitur ergo Matthæus, ita narrans : *Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam*, et cætera, usque ad illud ubi ait, *Et restituta est sanitati sicut altera* (*Matth.* XII, 9-13). De isto sanato, qui manum habebat aridam, etiam Marcus et Lucas non tacent (*Marc.* III, 1-5, et *Luc.* VI, 6-10). Posset autem putari eo die factum et

de spicis et de isto sanato, quoniam et sabbatum hic commemoratur; nisi Lucas aperuisset alio sabbato factum esse de sanitate aridæ manus: Proinde quod ait Matthæus, *Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum*, non quidem venit nisi cum inde transisset, sed post quot dies in synagogam eorum venerit, posteaquam a segete illa transivit, an recta continuoque illuc ierit, non expressum est. Ac per hoc locus datur narrationi Lucæ, qui dicit alio sabbato hujus manum sanatam. Sed potest movere, quomodo Matthæus dixerit, quod ipsi interrogaverint Dominum, *Si licet sabbato curare*, volentes invenire accusandi occasionem; ipse vero illis de ove proposuerit similitudinem, dicens, *Quis erit ex vobis homo qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit, et levabit eam? Quanto melior est homo ove? Itaque licet sabbatis bene facere*; cum Marcus et Lucas illos potius a Domino interrogatos esse perhibeant, *Licet sabbato bene facere, an male? animam salvam facere, an perdere?* Itaque intelligendum est quod illi prius interrogaverint Dominum, *Si licet sabbato curare*: deinde quod intelligens cogitationes eorum, aditum accusandi quærentium, constituerit in medio illum quem fuerat sanaturus, et interrogaverit quæ Marcus et Lucas eum interrogasse commemorant; ac tunc illis tacentibus, proposuisse similitudinem de ove, et conclusisse quod liceat sabbato bene facere; postremo circumspectis eis cum ira, sicut Marcus dicit, contristatum super cæcitate cordis eorum, dixisse homini, *Extende manum tuam*.

CAPUT XXXVI. — *Considerandum utrum ab isto cujus arida manus sanata est, ita digrediantur hi tres Evangelistæ ut in nullo sibi adversentur ipso narrationis ordine.*

83. Sequitur Matthæus, ita contexens narrationem suam: *Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent. Jesus autem sciens, recessit inde; et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes: et præcepit eis ne manifestum eum facerent. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem*, et cætera, usque ad illud ubi ait, *Et in nomine ejus gentes sperabunt* (*Matth.* XII, 14-21). Hoc solus iste commemorat, illi duo in alia perrexerunt. Ordinem sane rei gestæ videtur Marcus aliquantulum tenuisse, qui dicit Jesum cognita maligna adversum se dispositione Judæorum, secessisse ad mare cum discipulis suis, et ad eum turbas confluxisse, et sanasse eum plurimos (*Marc.* III, 7-12). Unde autem cœperit in aliud ire, non quod ordine sequeretur, vix apparet: utrum ubi dicit convenisse ad eum turbas; potuit enim hoc jam et alio tempore: an ubi dicit, *ascendit in montem*. Quod et Lucas videtur commemorare dicens, *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare* (*Luc.* VI, 12): dicendo enim, *in illis diebus*, satis ostendit non continuo factum.

CAPUT XXXVII. — *De muto et cæco qui dæmonium habebat, quomodo Matthæus Lucasque consentiant.*

84. Matthæus ergo sequitur et dicit: *Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus; et curavit eum, ita ut loqueretur et videret* (*Matth.* XII, 22). Hoc non isto ordine, sed post alia multa Lucas commemorat, et mutum dicit tantum non etiam cæcum (*Luc.* XI, 14): sed non ex eo quod aliquid tacet, de alio dicere putandus est: ea enim sequentia etiam ipse contexit quæ Matthæus.

CAPUT XXXVIII. — *Ubi ei dictum est quod in Beelzebub ejicit dæmonia, quidquid ex ipsa occasione locutus est de blasphemia adversus Spiritum sanctum, et de duabus arboribus, utrum in nullo Matthæus a duobus aliis, maxime a Luca, dissentiat.*

85. Sequitur Matthæus, dicens: *Et stupebant omnes turbæ, et dicebant: Numquid hic est filius David? Pharisæi autem audientes dixerunt: Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. Jesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis: Omne regnum divisum contra se, desolabitur*, etc., usque ad illud ubi ait, *Ex verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis* (*Matth.* XII, 23-37). Marcus non ex occasione illius muti subjicit dictum de Jesu quod in Beelzebub ejiceret dæmonia; sed post alia quædam, quæ solus commemorat, hoc quoque subnectit, sive alio loco id recolens et adjungens, sive aliquid prætermittens, et deinde ad hunc ordinem rediens (*Marc.* III, 22-30). Lucas autem pene totidem verbis hoc dicit quod Matthæus (*Luc.* XI, 14-26): et quod digitum Dei appellat Spiritum Dei, ab eadem sententia non recedit; quin potius et aliquid docet, ut noverimus quemadmodum intelligamus ubicumque Scripturarum legerimus digitum Dei. In aliis autem quæ non hic dicunt Marcus et Lucas, nulla controversia est; nec in his quæ aliquanto aliter dicunt, quia eadem sententia est.

CAPUT XXXIX. — *Quod respondit petentibus signum, de Jona propheta et de Ninivitis, et de Regina Austri, et de spiritu immundo, qui cum exierit ab homine, redit et invenit domum mundatam, quomodo Matthæus Lucæ congruat.*

86. Sequitur Matthæus, et dicit: *Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Pharisæis dicentes: Magister, volumus a te signum videre*, etc., usque ad illud ubi ait, *Sic erit et generationi huic pessimæ* (*Matth.* XII, 38-45). Hæc etiam Lucas narrat eo quidem loco, sed aliquanto dispari ordine (*Luc.* XI, 16-37). Nam illud quod petierunt signum a Domino de cœlo, supra commemoravit post illud de muto miraculum: et non ibi retulit, quid eis ad hoc Dominus respondisset; sed postea cum turbæ concurrissent, dicit hoc fuisse responsum eis, quos dat intelligi superius a se commemoratos, quod de cœlo signum quærebant: et hoc annectit posteaquam interposuit de muliere quæ dixit Domino, *Beatus venter qui te portavit*. Hanc autem mulierem interponit, cum de sermone Domini commemorasset, quod spiritus immundus exiens ab homine, redit, et invenit mundatam domum. Post mulierem ergo illam, cum diceret responsum esse turbis de signo quod de cœlo quærebant, interposita similitudine Jonæ prophetæ, deinde continuato sermone ipsius Domini, commemorat dictum de regina

Austri, et de Ninivitis: ita aliquid potius commemoravit quod Matthæus tacuit, quam aliquid prætermisit eorum quæ hoc loco ille narravit. Quis autem non videat superfluo quæri, quo illa ordine Dominus dixerit; cum et hoc discere debeamus per Evangelistarum excellentissimam auctoritatem, non esse mendacium, si quisquam non hoc ordine cujusquam sermonem digesserit, quo ille a quo processit, cum ipsius ordinis nihil intersit ad rem, sive ita, sive ita sit? Et adhuc Lucas productiorem hunc Domini sermonem indicat, et in eo quædam commemorat, qualia Matthæus in sermone illo qui est habitus in monte (*Matth.* V-VII), quæ bis dicta intelligimus, et ibi scilicet, et hic. Terminato autem isto sermone, in aliud pergit Lucas: in quo utrum ordinem rerum gestarum servarit, incertum est. Ita enim connectit: *Et cum loqueretur, rogavit eum quidam Pharisæus ut pranderet apud se.* Non autem ait, Cum hæc loqueretur; sed, *cum loqueretur.* Nam si dixisset, Cum hæc loqueretur, necessario cogeret intelligere hoc ordine non tantum a se fuisse narrata, verum et a Domino gesta.

CAPUT XL. — *Ubi ei nuntiata est mater et fratres ejus, utrum a Marco et Luca ordo ipse non discrepet.*

87. Sequitur ergo Matthæus, et dicit: *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres stabant foris, quærentes loqui ei*, etc., usque ad illud ubi ait, *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater et soror et mater est* (*Matth.* XII, 46-50). Hoc sine dubio consequenter gestum intelligere debemus. Præmisit enim, cum ad hoc narrandum transiret, *Adhuc eo loquente ad turbas:* quid est autem, *Adhuc*, nisi illud quod loquebatur? Non enim dixit, Et eo loquente ad turbas, ecce mater ejus et fratres; sed, *Adhuc eo loquente*: quæ cum dicit, cogit intelligi, hæc loquente, quæ superius indicabat. Nam et Marcus post illud quod de blasphemia Spiritus sancti, quid Dominus dixerit retulit, *Et veniunt*, inquit, *mater ejus et fratres* (*Marc.* III, 31-35): prætermissis quibusdam, quæ in eodem textu sermonis Domini et Matthæus prolixius Marco, et Lucas prolixius Matthæo posuerunt. Lucas autem non hujus rei gestæ ordinem tenuit, sed præoccupavit hoc, et recordatum ante narravit. Denique hoc sic interposuit, ut solutum appareat a nexu et superiorum et posteriorum. Post commemoratas enim quasdam parabolas Domini, ita hoc de matre et fratribus ejus recordatum interposuit: *Venerunt autem ad illum*, inquit, *mater et fratres ejus: et non poterant ad eum adire præ turba*: non expressit quando ad eum venerint. Rursus cum et hinc transit, ita loquitur: *Factum est autem*, inquit, *in una dierum, et ipse ascendit in naviculam, et discipuli ejus* (*Luc.* VIII, 19-22). Et hic utique cum dicit, *Factum est in una dierum*, satis indicat, non necesse esse ut hæc dies intelligatur in qua hoc gestum est, vel illa quæ continuo sequitur. Nihil itaque habet repugnantiæ cum cæteris duobus quod Matthæus de matre et fratribus Domini narrat, neque in verbis Domini, neque in ipso ordine rerum gestarum.

CAPUT XLI. — *Quod ex navicula turbis locutus est de illo cujus in seminando aliud cecidit in via*, etc., *et de illo cui superseminata sunt zizania, et de grano sinapis, et de fermento; et quod in domo locutus est, de thesauro abscondito in agro, et de margarita, et de sagena missa in mare, et de proferente de thesauro nova et vetera, quomodo Marco et Lucæ Matthæus consentiat, vel in his quæ cum illo dixerunt, vel narrationis ordine.*

88. Sequitur Matthæus: *In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare: et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet: et omnis turba stabat in littore; et locutus est eis multa in parabolis dicens*, et cætera, usque ad illud ubi ait, *Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera* (*Matth.* XIII, 1-52). Post illud quod narratum est de matre et fratribus Domini, hoc continuo gestum esse, et eum ordinem Matthæum etiam in narrando tenuisse, ea res insinuat, quia cum illinc transiret, ita contexuit ut diceret, *In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare, et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ.* Cum enim dicit, *In illo die* (nisi forte dies, more Scripturarum, tempus significet), satis indicat aut hoc consequenter gestum, aut non multa interponi potuisse; maxime quia et Marcus eum ordinem tenet (*Marc.* IV, 1-34): Lucas autem post illud quod narrat de matre et fratribus Domini, in aliud transit, nec eo transitu connexionem aliquam facit, qua huic ordini repugnare videatur (*Luc.* VIII, 22). Omnium ergo horum quæ Matthæus Dominum locutum esse narravit, quæ cum illo dixerunt Marcus et Lucas, non habent repugnantiæ quæstionem; quæ autem ipse solus dixit, multo magis sine controversia sunt: nec in ipso ordine, quamvis aliquanto diversum alius alium teneat, partim gestarum rerum, partim recordationis suæ, video quid vel cui quisque adversetur.

CAPUT XLII. — *Quod venit in patriam suam, et mirabantur doctrinam, cum genus ejus contemnerent: quomodo consentiat Marco et Lucæ Matthæus, maxime utrum narrandi ordo nihil alteri adversetur.*

89. Sequitur ergo Matthæus: *Et factum est cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde: et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum* [1], etc., usque ad illud ubi ait, *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum* (*Matth.* XIII, 53-58). A superiore sermone parabolarum sic transit, ut non ostendat consequentis ordinis necessitatem: præsertim quia Marcus ab istis parabolis, non in quod iste, sed in aliud tendens, in quod et Lucas ita contexuit narrationem, ut credibilius ostendatur hoc esse potius consequenter gestum, quod ipsi duo continuanter adjungunt, de navi scilicet in

[1] Mss. tres, *in synagoga eorum*: juxta græcum textum.

qua dormiebat Jesus, et de illo miraculo expulsorum dæmoniorum apud Gerasenos (*Marc*, IV, 35; V, 17, *et Luc.* VIII, 22-37), quæ duo Matthæus jam superius recolens interposuit (*Matth.* VIII, 23-34). Nunc ergo quæ in patria sua Dominus dixerit vel ei dicta sint, videamus utrum cum aliis duobus Marco et Luca concordent. Nam Joannes longe in diversis et dissimilibus narrationis suæ locis vel dicta esse Domino talia (*Joan.* VI, 42), vel eum dixisse commemorat, qualia hoc loco tres cæteri meminerunt.

90. Et Marcus quidem eadem prope commemorat hic omnia quæ Matthæus, nisi quod Dominum fabrum et Mariæ filium dicit a civibus suis dictum (*Marc.* VI, 1-6), non, sicut Matthæus, fabri filium. Nec mirandum est, cum utrumque dici potuerit : eo enim et fabrum credebant, quo fabri filium. Lucas autem eamdem rem gestam latius indicat, et plura ibi commemorat; nec longe post baptismum et tentationem ejus hoc inserit, sine dubio præoccupans quod multis rebus interpositis postea gestum est : unde quisque possit advertere, quod huic tam magnæ quæstioni, quam de consensu Evangelistarum enodandam Deo adjuvante suscepimus, plurimum necessarium est, non nescientes aliquid eos prætermisisse, aut nescientes quemadmodum se ordo rerum gestarum haberet, alium potius ordinem suæ recordationis tenuisse; quod hinc evidentissime intelligi potest, quia Lucas antequam aliquid narraret Dominum fecisse Capharnaum, præoccupavit hunc locum, quem nunc consideramus, ubi cives ejus et potentiam virtutis in eo stupebant, et ignobilitatem generis contemnebant. Nam hoc eum dicit eis dixisse, *Utique dicetis mihi : Medice, cura teipsum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua;* cum secundum ejusdem ipsius Lucæ narrationem nihil adhuc legatur fecisse Capharnaum. Quod quia longum non est, et facillimum est et pernecessarium, totum inserimus, unde ad hoc narrandum et quomodo venerit. Posteaquam baptizatum et tentatum Dominum indicavit, ita sequitur : « Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam : et fama exiit per universam regionem de illo. Et ipse docebat in synagogis eorum, et magnificabatur ab omnibus. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus, et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et surrexit legere. Et traditus est illi liber prophetæ Isaiæ. Et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat : Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum et diem retributionis. Et cum plicasset librum, reddidit ministro, et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad illos, Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant, et mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant : Nonne hic est filius Joseph? Et ait illis, Utique dicetis mihi hanc similitudinem : Medice, cura teipsum. Quanta audivimus facta in Capharnaum, fac et hic in patria tua (*Luc.* IV, 13-23), et cætera, donec peragat totum ipsum narrationis suæ locum. Quid ergo evidentius, quam hoc eum scientem præoccupasse narrandum, cum utique jam magna ab illo in Capharnaum facta fuisse et ipse noverit, et ipse commemoret, quæ se nondum narrasse utique scit? Neque enim tantum ab ejus baptismo progressus est, ut oblitus putetur nondum se aliquid commemorasse de iis quæ in Capharnaum gesta fuerant : modo enim cœpit post baptismum aliquid narrare de Domino.

CAPUT XLIII. — *Quemadmodum inter se conveniant Matthæus, Marcus et Lucas de verbis Herodis cum audisset de mirabilibus Domini, vel de ipso narrationis ordine.*

91. Sequitur Matthæus : *In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, et ait pueris suis : Hic est Joannes Baptista; ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo* (*Matth.* XIV, 1, 2). Marcus hoc idem et eodem modo dicit, sed non eodem ordine (*Marc.* VI, 14-16). Nam posteaquam discipulos Dominus misit, dicens eis ne quid in via ferrent, nisi virgam tantum, terminato eo sermone, quantum ab illo commemoratum est, etiam hoc subjecit, nulla tamen facta necessitate, qua hoc etiam consequenter gestum esse intelligere cogeremur : sicut nec Matthæus; *In illo* enim *tempore* dixit, non, In illo die, vel hora : nisi quod Marcus non quod Herodes dixerit, sed, *Dicebant*, inquit, *quia Joannes Baptista surrexit a mortuis :* Matthæus vero de ipso Herode, *Ait*, inquit, *pueris suis.* Lucas etiam eum narrandi ordinem, quem Marcus, tenens, nec ipse sane etiam rerum gestarum eumdem ordinem fuisse credi cogens, ita hoc idem commemorat : *Audivit autem*, inquit, *Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, et hæsitabat, eo quod diceretur a quibusdam quia Joannes surrexit a mortuis; a quibusdam vero, quia Elias apparuit; ab aliis autem, quia propheta unus de antiquis surrexit. Et ait Herodes : Joannem ego decollavi; quis est autem iste de quo ego audio talia? Et quærebat videre eum* (*Luc.* IX, 7-9). In his verbis Lucas quoque Marco attestatur, ad hoc duntaxat quod alii dixerint, non Herodes, Joannem a mortuis surrexisse. Sed quia hæsitantem commemoravit Herodem, verbaque ejus ita postea posuit dicentis, *Joannem ego decollavi; quis est autem iste de quo audio ego talia?* intelligendum est aut eum post hanc hæsitationem confirmasse in animo suo quod ab aliis dicebatur, cum ait pueris suis, sicut Matthæus narrat, *Et ait pueris suis : Hic est Joannes Baptista; ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo :* aut ita pronuntianda sunt hæc verba, ut hæsitantem adhuc indicent. Si enim diceret, Numquidnam hic est, aut, Numquid forte hic est Joannes Baptista? non opus esset admonere aliquid de pronuntiatione, qua dubitans atque hæsitans intelligatur. Nunc quia illa verba desunt, utroque modo pronuntiari potest; ut aut confirmatum eum ex aliorum verbis, credentem dixisse

accipiamus; aut adhuc, sicut Lucas commemorat, hæsitantem: præsertim quia et Marcus, qui superius dixerat, ab aliis fuisse dictum quod Joannes a mortuis resurrexit, in extremo tamen ipsum Herodem dixisse non tacet, *Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit.* Quæ item verba duobus modis pronuntiari possunt, ut aut confirmantis, aut dubitantis intelligantur. Cum autem Lucas posteaquam hoc commemoravit, in aliud transeat; duo isti, Matthæus et Marcus ex hac occasione narrant quemadmodum sit ab Herode Joannes occisus.

CAPUT XLIV. — *De Joanne incluso, vel etiam occiso, quo ordine ab his tribus narretur.*

92. Sequitur ergo Matthæus, et dicit: *Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem propter Herodiadem, uxorem fratris sui*, etc., usque ad eum locum ubi ait, *Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus* [1], *et sepelierunt illud; et venientes nuntiaverunt Jesu* (*Matth.* XIV, 3-12). Marcus hoc similiter narrat (*Marc.* VI, 17-29): Lucas autem non eodem ordine id recordatur, sed circa ipsum baptismum quo Dominus baptizatus est. Unde hoc præoccupasse intelligitur et ipse ex occasione, ut ibi narraret quod multo post factum est. Cum enim commemorasset Joannis verba de Domino, quod ventilabrum in manu ejus, et mundabit aream suam, frumenta recondet in horreum suum, paleas autem comburet igni inexstinguibili: continuo subjecit, quod non continuo factum esse Joannes evangelista apertissime exponit, cum commemorat, posteaquam baptizatus esset Jesus, isse illum in Galilæam, quando fecit de aqua vinum; et inde post paucorum dierum in Capharnaum habitationem, rediisse ad Judæam terram, et ibi baptizasse multos circa Jordanem, antequam missus esset Joannes in carcerem (*Joan.* II, 1, 12, *et* III, 22-24). Quis autem non putet, qui minus [2] in his litteris eruditus est, tanquam post illa verba de ventilabro et de area mundata, continuo sit a Joanne offensus Herodes, et cum in carcerem miserit? Non autem hoc ordine ista narrata quo gesta sunt, et alibi jam probavimus, et hoc ipso loco non quilibet alius, sed idem Lucas hoc probat (*Luc.* III, 15-21). Si enim post verba illa continuo Joannes in carcerem missus est, quomodo post ipsam commemorationem Joannis in carcerem missi baptizatus est Jesus, secundum ipsius Lucæ narrationem? Proinde manifestum est, ex occasione recordatum præoccupasse, et ante multa quæ priusquam Joanni hoc fieret, gesta narraturus erat, hoc præoccupatum in sua narratione præmisisse. Sed nec illi duo Matthæus et Marcus eo rerum ordine de Joanne in carcerem misso in sua narratione posuerunt, quo factum apparet etiam in eorum scriptis: nam et ipsi dixerunt, tradito Joanne Dominum isse in Galilæam (*Matth.* IV, 12, *et Marc.* I, 14); et post multa quæ fecit in Galilæa, veniunt ad Herodis admonitionem vel hæsitationem, quod Joannes, quem decollavit, a mortuis resurrexit (*Matth.* XIV, 1, 2, *et Marc.* VI, 14-16), et ex hac occasione narrant omnia quæ de Joanne contigerunt incluso et occiso.

CAPUT XLV. — *Ad miraculum de quinque panibus quo ordine ab omnibus, et quemadmodum ventum sit.*

93. Sequitur ergo Matthæus, cum dixisset nuntiatum esse Christo quod Joannes occisus sit, et ita narrationem contexit: *Quod cum audisset*, inquit, *Jesus, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum. Et cum audissent turbæ secutæ sunt eum pedestres de civitatibus. Et exiens vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum* (*Matth.* XIV, 13, 14). Hoc continuo post Joannis passionem factum esse commemorat. Unde post hæc, facta sunt illa quæ primo narrata sunt, quibus motus Herodes dixit, *Joannem ego decollavi.* Illa enim posteriora debent intelligi, quæ ad Herodem pertulit fama, ut moveretur, et hæsitaret quisnam iste esse posset, de quo audiret talia, cum Joannem ipse occidisset. Marcus autem posteaquam passionem Joannis narravit, commemorat discipulos missos rediisse ad Jesum, et renuntiasse illi omnia quæ egerant et docuerant; et Dominum eis (quod ipse solus commemorat) dixisse ut requiescerent pusillum in deserto, et ascendisse cum eis in navem, et isse: et turbas hoc videntes prævenisse eos illuc; quarum misertum Dominum docuisse multa; et hora jam progrediente factum esse ut de quinque panibus et duobus piscibus omnes qui aderant pascerentur (*Marc.* VI, 30-44). Quod miraculum omnes quatuor Evangelistæ commemoraverunt. Lucas etiam qui jam longe supra de Joannis passione narraverat (*Luc.* III, 20), ex occasione qua diximus, nunc posteaquam commemoravit illam Herodis hæsitationem de Domino quisnam esset, hoc continuo subjungit quod Marcus, id est, rediisse ad illum Apostolos, et narrasse illi quæcumque fecerant, et assumptis eis secessisse in locum desertum, atque eo secutas turbas, et locutum esse de regno Dei, et eos qui cura indigebant sanasse: atque inde etiam ipse [1] die declinante commemorat miraculum de quinque panibus factum (*Id.* IX, 10-17).

94. At vero Joannes, qui multum ab eis tribus Evangelistis eo distat, quia magis in sermonibus quos Dominus habuit immoratur, quam in factis quæ mirabiliter fecit; posteaquam commemoravit eum relicta Judæa abiisse iterum in Galilæam, quod tunc intelligitur factum, cum et alii Evangelistæ dicunt eum Joanne tradito isse in Galilæam; posteaquam ergo id commemoravit Joannes, in transitu ejus per Samariam multa quæ locutus est ex occasione illius Samaritanæ quam invenit ad puteum, contexit narrationi suæ: et post duos dies dicit eum inde exiise in Galilæam, deinde venisse in Cana Galilææ, ubi fecerat de aqua vinum, et sanasse filium reguli cujusdam (*Joan.* IV, 3, 5, 43-54). Alia vero, quæ illum in Galilæa fecisse atque dixisse alii dixerunt, Joannes tacet: sed sane,

[1] Editi, *corpus ejus*. Abest. *ejus*, a Mss. et a græco.
[2] Editi, *nisi qui minus*, etc. Abest. *nisi*, a Mss. ut sit iste sensus, Quis autem, si minus in his litteris eruditus est, non putet.

[1] Er. et Lov. ferunt, *ipso die*. M.

quod illi tacuerunt, dicit ascendisse eum in die festo Jerosolymis, et fecisse ibi miraculum illud de homine qui triginta octo annos habebat in infirmitate, nec habebat hominem a quo in piscinam deponeretur, in qua variis valetudinibus affecti sanabantur; et ex hac occasione multa eum locutum fuisse commemorat. Post hæc eum dicit abiisse trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, et secutam multitudinem magnam: deinde abiisse in montem, et ibi sedisse cum discipulis suis, proximo Pascha die festo Judæorum: tum levatis oculis et visa multitudine maxima, pavisse eam de quinque panibus et duobus piscibus (*Joan.* V-VI, 13); quod et cæteri Evangelistæ dicunt. Ac per hoc, prætermisisse illum per quæ illi narrando ad hujus miraculi commemorationem venerunt, certum est: verumtamen tanquam ex alia narrationis via, cum et illi tacuissent quæ iste dixisset, ad hoc miraculum de quinque panibus occurrerunt sibi et illi tres qui pene pariter ambulabant, et iste qui sermonum Domini alta consectans, per alia quæ illi tacuerunt circumvolavit quodammodo, et eis ad miraculum de quinque panibus pariter commemorandum, non multo post ab eis rursus in altiora revolaturus occurrit.

CAPUT XLVI. — *In ipso de quinque panibus miraculo quemadmodum inter se omnes quatuor conveniant.*

95. Sequitur ergo Matthæus, et ad ipsum de quinque panibus factum narrationem suam ex ordine ita perducit: *Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: Desertus est locus, et hora jam præteriit; dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire; date illis vos manducare*, etc., usque ad illud ubi ait, *Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis* (*Matth.* XIV, 15-21). Hoc ergo miraculum quod omnes quatuor Evangelistæ commemorant (*Marc.* VI, 34-44, *et Luc.* IX, 12-17), et putantur inter se aliquid discrepare, considerandum atque tractandum est, ut ex hoc etiam ad cætera similia regulæ locutionum discantur, quibus tam diversis eadem tamen sententia retinetur, et eadem rerum veritas custoditur. Et inchoanda quidem est consideratio, non a Matthæo secundum ordinem Evangelistarum, sed a Joanne potius, a quo ita expressa est ista narratio, ut etiam nomina discipulorum diceret, cum quibus de hac re locutus est Dominus. Ita enim dicit: *Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dicit ad Philippum: Unde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum; ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces; sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Jesus: Facite homines discumbere. Erat autem fenum multum in loco: discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Accepit ergo panes Jesus, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter et ex piscibus quantum volebant. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducaverant* (*Joan.* VI, 5-13).

96. Non hic quæritur quod iste dixit, cujusmodi essent panes; hordeaceos enim fuisse non tacuit, quod cæteri tacuerunt: neque hoc quæritur, quod iste non dixit, fuisse ibi etiam præter quinque millia virorum, mulieres et parvulos, quod dicit Matthæus. Et omnino jam certum esse debet, et regulariter teneri in talibus quæstionibus, neminem moveri oportere, cum ab alio dicitur quod ab alio prætermittitur. Sed quæritur quomodo ea quæ dixerunt, vera sint omnia, ne narrationem alterius narrans aliud alter excludat. Si enim Dominus, secundum narrationem Joannis, prospectis turbis, quæsivit a Philippo, tentans eum, unde illis escæ dari possent; potest movere quomodo sit verum, quod alii narraverunt, prius dixisse Domino discipulos, ut dimitteret turbas, quo possent sibi alimenta emere de proximis locis: quibus ille respondit secundum Matthæum, *Non habent necesse ire; date eis vos manducare.* Cui etiam Marcus Lucasque consentiunt, tantum hoc prætermittentes quod ait, *Non habent necesse ire.* Intelligitur ergo post hæc verba Dominum inspexisse multitudinem, et dixisse Philippo quod Joannes commemorat, isti autem prætermiserunt. Deinde quod Philippus apud Joannem respondit, hoc Marcus a discipulis responsum esse commemorat, volens intelligi hoc ex ore cæterorum Philippum respondisse: quanquam et pluralem numerum pro singulari usitatissime ponere potuerunt. Quod ergo ait Philippus, *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat;* hoc est dicere, quod ait Marcus, *Euntes ememus ducentis denariis panes, et dabimus eis manducare.* Quod autem commemorat idem Marcus dixisse Dominum, *Quot panes habetis?* prætermiserunt cæteri. Quod autem Andreas apud Joannem de quinque panibus et duobus piscibus suggessit, hoc cæteri pluralem numerum pro singulari ponentes, ex discipulorum persona retulerunt. Et Lucas quidem responsionem Philippi et responsionem Andreæ in unam sententiam constrinxit: quod enim ait, *Non sunt nobis plus quam quinque panes et duo pisces*, Andreæ retulit responsionem: quod vero adjunxit, *Nisi forte nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas*, videtur ad responsionem Philippi pertinere; nisi quod de ducentis denariis tacuit: quanquam et in ipsius Andreæ sententia potest hoc intelligi. Cum enim dixisset, *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces;* adjunxit etiam ipse, *Sed hæc quid sunt inter tantos?* hoc est dicere, *Nisi forte nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas.*

97. Ex qua universa varietate verborum, rerum autem sententiarumque concordia, satis apparet, salubriter nos doceri, nihil quærendum in verbis nisi loquentium voluntatem: cui demonstrandæ invigilare

debent omnes veridici narratores, cum de homine, vel de angelo, vel de Deo aliquid narrant; horum enim voluntas verbis promi potest, ne de ipsa inter se aliquid discrepent.

98. Sane prætermittere non oportet hoc loco intentum et ad cætera, quæ talia forte occurrerint, facere lectorem, quia Lucas dixit quinquagenos jussos esse discumbere, Marcus vero et quinquagenos et centenos. Quod hic ideo non movet, quia unus partem dixit, alter totum : qui enim etiam de centenis retulit, hoc retulit quod ille prætermisit : nihil itaque contrarium est. Verumtamen si alius de quinquagenis tantum commemoraret, alius tantum de centenis, valde videretur esse contrarium; nec facile dignosceretur utrumque dictum esse, unum autem ab altero, alterum ab altero esse commemoratum : et tamen attentius consideratum inveniri debuisse quis non fateatur? Hoc ideo dixi, quia existunt sæpe aliqua ejusmodi, quæ parum intendentibus et temere judicantibus contraria videantur, et non sint.

CAPUT XLVII. — *Quod ambulavit super aquas, quomodo qui hoc dixerunt inter se conveniant; et quomodo ab illo loco digrediantur, ubi turbas de quinque panibus pavit.*

99. Sequitur Matthæus, et dicit : *Et dimissa turba ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi : navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus; erat enim contrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare. Et videntes eum supra mare ambulantem turbati sunt, dicentes : Quia phantasma est*, etc., usque ad illud ubi ait, *Venerunt et adoraverunt eum dicentes : Vere Filius Dei es* (*Matth.* XIV, 23-33). Marcus quoque hoc idem post narratum de quinque panibus miraculum ita sequitur : *Et cum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra. Et videns eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis*, etc. (*Marc.* VI, 47-54), similiter, nisi quod de Petro super aquas ambulante nihil dixit. Hoc autem ne moveat præcavendum est, quod Marcus dixit de Domino, cum ambularet super aquas, et volebat præterire eos. Quomodo enim hoc intelligere potuerunt, nisi quia in diversum ibat, eos volens tanquam alienos præterire, a quibus ita non agnoscebatur, ut phantasma putaretur? Quod ad mysticam significationem referri, quis usque adeo tardus est, ut nolit advertere? Sed tamen turbatis et exclamantibus subvenit, dicens, *Confidite, ego sum ; nolite timere.* Quomodo ergo eos volebat præterire, quos paventes ita confirmat, nisi quia illa voluntas prætereundi ad eliciendum illum clamorem valebat, cui subveniri oportebat!

100. Joannes etiam adhuc cum istis aliquantum immoratur. Nam post narratum de quinque panibus miraculum, ipse quoque hoc de laborante navicula, et de ambulatione Domini super aquas non tacet, ita contexens : *Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent, ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare : et cum ascendissent navem, venerunt trans mare in Capharnaum. Et tenebræ jam factæ erant, et non venerat ad eos Jesus. Mare autem vento magno flante exsurgebat*, etc. (*Joan.* VI, 15-21). Nihil hic contrarium videri potest, nisi quod Matthæus dimissis turbis eum dicit ascendisse in montem, ut illic solus oraret : Joannes autem, in monte fuisse, cum eisdem turbis quas de quinque panibus pavit [1]. Sed cum et ipse Joannes dicat post illud miraculum fugisse eum in montem, ne a turbis teneretur, quæ eum volebant regem facere; utique manifestum est quod de monte in planiora descenderant, quando illi panes turbis ministrati sunt. Et ideo non est contrarium quod ascendit rursus in montem, sicut et Matthæus et Joannes dicunt : nisi quod Matthæus dicit, *ascendit;* Joannes autem, *fugit :* quod esset contrarium, si fugiens non ascenderet. Nec illud repugnat quod Matthæus dixit, *ascendit in montem solus orare*; Joannes autem, *Cum cognovisset*, inquit, *quia venturi essent, ut facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Neque enim causæ orandi contraria est causa fugiendi : quandoquidem et hinc Dominus, transfigurans in se corpus humilitatis nostræ, ut conforme faceret corpori gloriæ suæ (*Philipp.* III, 21), id quoque docebat, hanc esse nobis magnam causam orandi, quando est causa fugiendi. Nec illud adversum est, quod Matthæus prius eum dixit jussisse discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas, ac deinde dimissis turbis ascendisse in montem solum orare; Joannes vero prius eum fugisse commemorat solum in montem, ac deinde, *Ut autem sero factum est*, inquit, *descenderunt discipuli ejus ad mare; et cum ascendissent navem*, etc. Quis enim non videat hoc recapitulando Joannem postea dixisse factum a discipulis, quod jam Jesus jusserat antequam fugisset in montem; sicut solet in sermone ad aliquid prætermissum rediri quodammodo? Sed quia ipse reditus, maxime in brevitate ac puncto temporis factus, non commemoratur; putant plerumque qui audiunt, hoc etiam postea factum esse quod postea dicitur. Sic etiam quos dixerat ascendisse navem, et venisse trans mare in Capharnaum, dicit ad eos in mari laborantes venisse Dominum ambulantem super aquas : quod utique prius in ipsa navigatione factum est, qua veniebant Capharnaum.

101. Lucas autem post narratum de quinque panibus miraculum pergit in aliud, et ab ordine isto digreditur. Neque enim aliquid de navicula illa commemorat, et de via Domini super aquas : sed cum dixisset : *Et manducaverunt omnes, et saturati sunt, et sublatum est quod superfuit illis fragmentorum cophini duodecim;* deinde subjunxit, *Et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo et discipuli, et interrogavit illos dicens : Quem me dicunt esse turbæ* (*Luc.* IX, 17, 18)? jam deinceps aliud narrans, non quod illi

[1] Sic in aliquot melioris notæ Mss. At in aliis duodecim Mss. habetur, *in monte fuisse, cum easdem turbas de quinque*, etc. In editis autem Er. et Lov., *in montem fugisse, cum easdem turbas de quinque*, etc.

tres, qui Dominum ambulantem super aquas venisse ad navigantes discipulos retulerunt. Nec ideo putari debet in illo monte, quo eum dixit Matthæus ascendisse, ut solus oraret, dixisse discipulis, *Quem me dicunt esse turbæ* (Lucas enim videtur in hoc congruere Matthæo, quia dixit, *cum solus esset orans;* cum ille dixisset, *ascendit in montem solus orare*)? sed omnino alibi, cum solus oraret, et essent cum illo discipuli, hoc interrogavit. Solum quippe Lucas fuisse dixit, non sine discipulis, sicut Matthæus et Joannes, quando ab illo discesserunt, ut præcederent eum trans mare. Iste namque apertissime adjunxit, *Erant cum illo et discipuli.* Proinde solum dixit, sine turbis, quæ cum illo non habitabant.

CAPUT XLVIII. — *Quomodo Matthæus et Marcus Joanni non adversentur in eo quod ab eis tribus narratur quid postcaquam transfretarunt factum sit.*

102. Sequitur Matthæus, dicens : *Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. Et cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam, et obtulerunt ei omnes male habentes : et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent; et quicumque tetigerunt, salvi facti sunt. Tunc accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ et Pharisæi dicentes : Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lavant manus suas, cum panem manducant*, etc., usque ad illud ubi ait, *Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem* (*Matth.* XIV, 34; XV, 20). Hæc et Marcus commemorat sine aliqua repugnantiæ quæstione (*Marc.* VII, 1-23) : quidquid enim diverso modo ab alio dicitur, ab eadem sententia non recedit. Joannes autem ab navicula, ad quam Dominus super mare ambulans venit, posteaquam exierunt in terram, more suo in sermonem Domini intentus, eum ex occasione panis multa præcipueque divina locutum esse commemorat; postque ipsum sermonem rursus in aliud atque aliud ejus narratio sublimiter fertur (*Joan.* VI, 22-72). Nec tamen in eo quod ab istis digreditur, aliquid ordini istorum, illius in alia transitus adversatur. Quid enim prohibet intelligere et illos esse sanatos a Domino, de quibus narrant Matthæus et Marcus; et illis qui cum secuti sunt trans mare, hæc eum locutum esse, quæ prædicat Joannes : quandoquidem Capharnaum, quo dicuntur secundum Joannem transfretasse, juxta stagnum est Genesar, ad quam terram secundum Matthæum dicuntur exisse?

CAPUT XLIX. — *De muliere Chananæa quæ dixit*, Et canes edunt de micis cadentibus de mensa dominorum suorum, *quomodo inter se Matthæus Lucasque consentiant.*

103. Sequitur itaque Matthæus post illum sermonem Domini, ubi de non lotis manibus cum Pharisæis egit, atque ita conserit narrationem, ordinem, quantum ipse transitus indicat, rerum etiam quæ consecutæ sunt servans : *Et egressus*, inquit, *inde Jesus secessit in partes Tyri et Sidonis. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa, clamavit dicens ei : Miserere mei, Domine, fili David; filia mea male a dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum*, etc., usque ad illud ubi ait, *O mulier, magna est fides tua; fiat sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora* (*Matth.* XV, 21-28). Hoc de muliere Chananæa etiam Marcus commemorat, eumdem rerum gestarum ordinem servans, nec afferens aliquam repugnantiæ quæstionem, nisi quod in domo dicit fuisse Dominum cum ad illum venit eadem mulier pro filia sua rogans (*Marc.* VII, 24-30). Matthæus autem posset quidem facile intelligi de domo tacuisse, eamdem tamen rem commemorasse : sed quoniam dicit discipulos Domino ita suggessisse, *Dimitte illam, quoniam clamat post nos;* nihil videtur aliud significare, quam post ambulantem Dominum mulierem illam deprecatorias voces emisisse. Quomodo ergo in domo, nisi quia intelligendum est dixisse quidem Marcum quod intraverit ubi erat Jesus, cum eum prædixisset fuisse in domo? Sed quia Matthæus ait, *Non respondit ei verbum;* dedit agnoscere, quod ambo tacuerunt, in eo silentio egressum fuisse Jesum de domo illa : atque ita cætera contexuntur, quæ jam in nullo discordant. Quod enim Marcus commemorat ei Dominum respondisse de pane filiorum non mittendo canibus, illis interpositis, dictum est, quæ Matthæus dicta non tacuit : id est, quia discipuli rogaverunt eum pro illa; et quia respondit non se esse missum nisi ad oves quæ perierunt domus Israel; et quia illa venit, id est, consecuta est, et adoravit eum dicens, *Domine, adjuva me :* tunc deinde dictum est quod Evangelistæ ambo commemorant.

CAPUT L. — *Cum de septem panibus pavit turbas, utrum inter se Matthæus Marcusque conveniant.*

104. Sequitur Matthæus ita narrans : *Et cum transisset inde Jesus, venit secus mare Galilææ; et ascendens in montem, sedebat ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, claudos, cæcos, debiles, et alios multos; et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos : ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes; et magnificabant Deum Israel. Jesus autem convocatis discipulis suis dixit : Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, et non habent quod manducent*, etc., usque ad illud ubi ait, *Erant autem qui manducaverunt quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres* (*Matth.* XV, 29-38). Hoc aliud miraculum de septem panibus et paucis pisciculis etiam Marcus commemorat eodem pene etiam ordine, nisi quia interponit quod nullus alius dicit, de surdo cui Dominus aures aperuit, spuens et dicens, *Effeta, quod est, adaperire* (*Marc.* VII, 31; VIII, 9).

105. Hoc sane non ab re fuerit admonere in hoc miraculo de septem panibus, quod duo evangelistæ Matthæus Marcusque posuerunt, quia si aliquis eorum id dixisset, qui de illis quinque panibus non dixisset, contrarius cæteris putaretur. Quis enim non existimaret unum idemque factum esse; non autem integre et veraciter, sive ab illo, sive ab aliis, sive ab omnibus fuisse narratum, sed aut illum pro quinque panibus septem dum falleretur commemorasse, aut illos pro septem quinque, aut utrosque mentitos, vel oblivione deceptos? Hoc et de duodecim cophinis, et de septem

sportis opinaretur quasi contrarium : hoc de quinque millibus, et de quatuor millibus eorum qui pascerentur. Sed quia illi qui miraculum de septem panibus narraverunt, nec illud de quinque tacuerunt, neminem movet, et utrumque factum omnes intelligunt. Hoc ideo diximus, ut sicubi simile invenitur factum a Domino, quod in aliquo alteri Evangelistæ ita repugnare videatur, ut omnino solvi non possit, nihil aliud intelligatur quam utrumque factum esse, et aliud ab alio commemoratum : sicut de centenis, et quinquagenis discumbentibus commendavimus; quia si non etiam illud utrumque apud unum inveniremus, contraria singulos dixisse putaremus (*a*).

CAPUT LI. — *Quod dicit Matthæus inde eum venisse in fines Magedan, quomodo congruat Marco; et in eo quod petentibus signum respondit iterum de Jona.*

106. Sequitur Matthæus, et dicit : *Et dimissa turba ascendit in naviculam et venit in fines Magedan*, etc. usque ad illud ubi ait, *Generatio mala et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ* (*Matth.* XV, 39; XVI, 4). Hoc jam et alibi dixit idem Matthæus (*Id.* XII, 39). Unde etiam atque etiam retinendum est, sæpius Dominum eadem dixisse; ut quod existente contrario solvi non potuerit, bis dictum intelligatur. Hunc sane ordinem etiam Marcus tenens, post illud de septem panibus miraculum, hoc idem subjicit quod Matthæus, nisi quod Dalmanutha, quod in quibusdam codicibus legitur, non dixit Matthæus, sed Magedan (*Marc.* VIII, 10-12). Non autem dubitandum est eumdem locum esse sub utroque nomine. Nam plerique codices non habent etiam secundum Marcum, nisi Magedan. Nec illud moveat, quod Marcus non dicit responsum esse quærentibus signum de cœlo, idem quod Matthæus de Jona, sed ait Dominum respondisse, *Signum non dabitur ei.* Intelligendum est enim quale petebant, hoc est, de cœlo : prætermisit autem dicere de Jona, quod Matthæus commemoravit.

CAPUT LII. — *De fermento Pharisæorum, quomodo cum Marco conveniat, vel re vel ordine.*

107. Sequitur Matthæus : *Et relictis illis abiit. Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis : Intuemini, et cavete a fermento Pharisæorum et Saducæorum*, etc., usque ad illud ubi ait, *Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum et Saducæorum* (*Matth.* XVI, 5-12). Hæc eadem etiam Marcus et eodem ordine digerit (*Marc.* VIII, 13-21).

CAPUT LIII. — *Cum interrogavit discipulos, quem illum dicerent homines, utrum nihil inter se repugnent Matthæus, Marcus et Lucas, rebus aut ordine.*

108. Sequitur Matthæus : *Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos dicens : Quem me* [1] *dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt : Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis*, etc., usque ad illud ubi ait, *Et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI, 13-19). Hoc eodem pene ordine Marcus narrat, sed interposuit primo de cæco illuminato, quod solus ipse commemorat, de illo qui dixit Domino, *Video homines sicut arbores ambulantes* (*Marc.* VIII, 22-29). Lucas autem post miraculum illud de quinque panibus hoc recordatur, atque inserit (*Luc.* IX, 18-20) : cujus recordationis ordo, sicut supra jam ostendimus, nihil repugnat ordini istorum. Sed potest illud movere, quod Lucas Dominum interrogasse discipulos suos, quem illum dicerent homines, tunc dixit, cum esset solus orans, et adessent etiam ipsi : porro autem Marcus in via dicit illos hoc ab eodem interrogatos. Sed eum movet, qui nunquam oravit in via [1].

109. Jam etiam dixisse me recolo, ne quis arbitretur quod hic Petrus nomen acceperit, ubi illi ait, *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* Non enim accepit hoc nomen, nisi ubi Joannes commemorat ei dictum esse, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (*Joan.* I, 42). Unde nec illo loco, ubi Marcus duodecim discipulos nominatim commemorans, dixit appellatos Jacobum et Joannem filios tonitrui, arbitrandum est nomen accepisse Petrum; quia dixit illic quod imposuerit ei nomen ut vocaretur Petrus (*Marc.* III, 16-19) : hoc enim recolendo dixit, non quod tunc factum sit.

CAPUT LIV. — *Ubi prænuntiavit discipulis passionem suam, quæ sit inter Matthæum, Marcum et Lucam convenientia.*

110. Sequitur Matthæus, et dicit : *Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus. Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus et Scribis*, etc., usque ad illud ubi ait, *Non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum* (*Matth.* XVI, 20-23). Hæc eodem ordine subnectunt Marcus et Lucas (*Marc.* VIII, 30-33, *et Luc.* IX, 21, 22) : sed Lucas de Petro, quod passioni Christi contradixerit, tacet.

CAPUT LV. — *Ubi subjungunt iidem tres quomodo præceperit Dominus ut post eum qui voluerit veniat quam secum concordent.*

111. Sequitur Matthæus : *Tunc Jesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*, etc., usque ad illud ubi ait, *Et tunc reddet unicuique secundum opus ejus* (*Matth.* XVI, 24-27). Hoc et Marcus subjungit eumdem ordinem servans : sed ipse non dicit de Filio hominis venturo cum Angelis suis, ut reddat unicuique secundum opus suum. Commemorat tamen etiam illud dixisse Dominum, *Qui enim me confusus fuerit, et mea verba, in generatione ista adultera et peccatrice, et Filius hominis confundetur eum cum venerit in gloria sua cum Angelis sanctis* (*Marc.* VIII, 34-38). Quod intelligi potest ad eamdem sententiam pertinere, qua dixit Matthæus, ut reddat unicuique secun-

[1] In editis exciderat, *me;* quod hic in optimæ notæ Mss. habetur, et in græco.

(*a*) Vide supra, cap. 46.

[1] Er. et Lov. : *Qui putat quod nunquam oravit in via.* At. Rat. Mss. non habent, *putat quod.*

dum opus suum. Lucas quoque eadem eodemque ordine annectit, non multum diverso verborum modo, eadem tamen sententiarum veritate simillimus[1] (*Luc.* IX, 23-26).

CAPUT LVI. — *Quod se Dominus tribus discipulis in monte ostendit cum Moyse et Elia, quomodo inter se congruant tres isti ordine et rebus, et maxime propter numerum dierum, quia Matthæus et Marcus dicunt post sex dies factum, quod Lucas post octo.*

112. Sequitur Matthæus : *Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo. Et post dies sex assumpsit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et duxit illos in montem excelsum seorsum*, etc., usque ad illud ubi ait, *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.* Hæc visio Domini in monte coram tribus discipulis, Petro, Jacobo et Joanne, ubi etiam de cœlo illi testimonium paternæ vocis perhibitum est, a tribus Evangelistis eodem ordine commemoratur, et ad easdem omnino sententias (*Matth.* XVI, 28 ; XVII, 9 ; *Marc.* VIII, 39 ; IX, 9, *et Luc.* IX, 27-36) : sed cætera secundum ea genera locutionum diversa, sine ulla sententiarum diversitate, quæ multis locis superius demonstravimus, videri a legentibus possunt.

113. Quod autem Marcus post sex dies factum dicit, sicut Matthæus, Lucas autem post octo, non contemnendi sunt, si quos movet, sed ratione reddita instruendi. Dies enim quando enuntiamus dicentes : Post tot dies ; aliquando non annumeramus eum in quo loquimur, et eum quo res ipsa futura est, quam prænuntiamus vel pollicemur, sed medios, post quos revera plenos atque integros illud futurum est. Hoc fecit Matthæus et Marcus ; excepto eo die quo hæc loquebatur Jesus, et illo quo exhibuit memoratam in monte visionem, medios dies intuentes dixerunt, *Post sex dies* : quod ille annumeratis finalibus, id est primo atque ultimo, dixit, *Post octo dies*, eo loquendi modo quo pars pro toto commemoratur.

114. Item quod Lucas ait de Moyse et Elia, *Et factum est, dum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum : Præceptor, bonum est nos hic esse*, et cætera, non debet putari contrarium ei quod Matthæus Marcusque ita conjunxerunt, Petrum hoc suggessisse quasi adhuc Moyses et Elias cum Domino loquerentur. Non enim expresserunt, quod tunc ; sed tacuerunt potius, quod iste addidit, illis discedentibus hoc Petrum de tribus tabernaculis faciendis Domino suggessisse. Addidit etiam Lucas, intrantibus illis in nubem, factam esse vocem de nube ; quod illi non dixerunt, sed nec contradixerunt.

CAPUT LVII. — *Ubi de adventu Eliæ locutus est eis, quæ sit convenientia inter Matthæum et Marcum.*

115. Sequitur Matthæus : *Et interrogaverunt eum discipuli dicentes : Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire? At ille respondens ait eis : Elias quidem venturus est, et restituet omnia : dico autem vobis quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt ; sic et Filius hominis passurus est ab eis. Tunc intellexerunt discipuli quia de Joanne Baptista dixisset eis* (*Matth.* XVII, 10-13). Hoc idem Marcus, etiam hunc ordinem servans, commemoravit et in nonnulla diversitate verborum, nusquam tamen ab ejusdem sententiæ veritate discessit (*Marc.* IX, 10-12) : sed ipse non addidit, intellexisse discipulos quod Joannem Dominus significasset, dicendo quod Elias jam venerit.

CAPUT LVIII. — *De illo qui ei obtulit filium suum, quem discipuli sanare non potuerant, quemadmodum tres isti consentiant etiam ordine narrationis.*

116. Sequitur Matthæus, et dicit : *Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutis ante eum, dicens : Domine, miserere filii mei, quia lunaticus est, et male patitur*, etc., usque ad illud ubi ait, *Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem et jejunium* (*Matth.* XVII, 14-20). Hoc et Marcus et Lucas eodem etiam ordine memorant, sine ulla repugnantiæ quæstione (*Marc.* IX, 16-28, *et Luc.* IX, 38-43).

CAPUT LIX. — *Ubi de passione sua cum eis dixisset, contristati sunt, quod tres ipsi eodem ordine commemorant.*

117. Sequitur Matthæus, dicens : *Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus : Filius hominis tradendus est in manus hominum; et occident eum, et tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer* (*Matth.* XVII, 21, 22). Hoc eodem ordine Marcus Lucasque commemorant (*Marc.* IX, 29-31, *et Luc.* IX, 44, 45).

CAPUT LX. — *Ubi de ore piscis solvit tributum, quod Matthæus solus dicit.*

118. Sequitur Matthæus, dicens : *Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, et dixerunt ei : Magister vester non solvit didrachma? Ait, Etiam*, etc., usque ad illud ubi ait, *Invenies staterem; illum sumens da eis pro me et te* (*Matth.* XVII, 23-26). Hoc solus iste commemorat, quo interposito eumdem ordinem sequitur, in quo cum eo etiam Marcus et Lucas pariter ambulant.

CAPUT LXI. — *De puero parvulo quem proposuit imitandum, de scandalis mundi, de membris corporis scandalizantibus, de angelis parvulorum qui vident faciem Patris, de una ove ex ovibus centum, de fratre corripiendo in secreto, de solvendis ligandisque peccatis, de concordia duorum et congregatione trium, de dimittendis peccatis usque septuagies septies, de servo cui dimissum est multum debitum, et ipse parvum non dimisit conservo, Matthæus quemadmodum cæteris non repugnat.*

119. Sequitur ergo idem Matthæus, et dicit : *In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : Quis, putas, major est in regno cœlorum? Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, usque ad illud ubi ait, *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris* (*Matth.* XVIII). Ex isto aliquanto prolixiore Domini sermone non omnia, sed quædam Marcus eumdem

[1] Rat. et duo Mss., *sententiam veritate simillimo.*

sequens ordinem posuit; quædam etiam ipse, quæ Matthæus non dicit, inseruit (*Marc.* IX, 33 49). Totus autem sermo quousque eum considerandum suscepimus, a Petro solo interpellatur, quærente quoties fratri debeat ignosci. Talia enim Dominus loquebatur, ut satis eluceat, etiam hoc quod Petrus interrogavit, eique responsum est, ad eumdem pertinere sermonem. Lucas autem, nisi illud de parvulo quem constituit ante discipulos imitandum, cum de sua magnitudine cogitarent, nihil hoc ordine servato commemorat (*Luc.* IX, 46-48). Si qua enim alia similiter dixit, quæ et in isto sermone sunt posita, alibi et ex aliis occasionibus dicta recoluit : sicut Joannes de remissione peccatorum, quod tenebuntur, si cui tenuerint; et dimittentur, si cui dimiserint, post resurrectionem a Domino dictum commemorat (*Joan.* XX, 23); cum Matthæus in hoc sermone Dominum hoc dixisse meminerit, quod et Petro antea dictum fuisse idem ipse testatur (*Matth.* XVI, 19). Eadem itaque sæpe ac pluribus locis Jesum dixisse, necubi moveamur, si ordo dictorum quibusdam repugnare putabitur, sicut jam toties commendavimus, meminisse debemus, ne hoc semper admonere necesse sit.

CAPUT LXII. — *Quando interrogatus est utrum liceat dimittere uxorem, quemadmodum inter se consentiant Matthæus et Marcus, maxime de ipsis interrogationibus vel Domini vel Judæorum atque responsis, in quibus videntur aliquantulum variare.*

120. Sequitur Matthæus, ita narrans : *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilæa, et venit in fines Judææ trans Jordanem : et secutæ sunt eum turbæ multæ, et curavit eos ibi. Et accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes eum, et dicentes : Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa*, etc., usque ad illud ubi ait, *Qui potest capere capiat* (*Id.* XIX, 1-12). Hoc et Marcus commemorat, eumdem ordinem tenens (*Marc.* X, 1-12). Sane videndum est, ne repugnare videatur, quod idem Marcus a Domino dicit interrogatos Pharisæos, quid eis Moyses præceperit, atque ita illos interroganti respondisse de permisso sibi libello repudii : cum Matthæus dixerit verbis Domini, quibus ostenderat ex Lege Deum conjunxisse masculum et feminam, et propterea non eos debere ab homine separari, illos retulisse responsionem, *Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, et dimittere?* Quibus iterum ait, *Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non sic fuit.* Nam et Marcus hanc Domini responsionem non tacet, sed posteaquam ei responderunt interroganti de libello repudii.

121. In quo ordine vel modo verborum hoc intelligere debemus, ad rei veritatem nihil interesse utrum Domino separationem prohibenti et sententiam suam de Lege firmanti, ipsi intulerint quæstionem de libello repudii per eumdem Moysen sibi permisso, per quem et illud scriptum est, quod Deus conjunxerit masculum et feminam (*Gen.* II, 24); an hoc idem illi de præcepto Moysi eos interroganti responderint. Nam et voluntas ejus ita se habebat, ut non eis redderet rationem cur illud Moyses permiserit, nisi prius ipsi hoc commemorassent; quæ voluntas ejus, ea quam Marcus posuit, interrogatione significata est : et illorum voluntas ipsa erat, ut de auctoritate Moysi, quoniam mandavit dari libellum repudii, tanquam concluderent eum separationem sine dubio vetaturum; hoc enim dicturi etiam tentantes accesserant. Quæ voluntas eorum sic expressa est per Matthæum, ut non eos esse commemoraret interrogatos, sed ultro intulisse de mandato Moysi, quo velut convincerent Dominum separationem conjugum prohibentem. Cum ergo voluntas loquentium, cui debent verba servire, ab Evangelista utroque monstrata sit, nihil interest quam diversus inter ambos fuerit narrandi modus, dum ab eadem veritate neuter abscederet.

122. Potest etiam hoc intelligi, quod, sicut dicit Marcus, prius eos de uxore dimittenda interrogantes Dominus vicissim interrogaret, quid eis præceperit Moyses : qui cum respondissent, Moysen permisisse libellum repudii scribere, et dimittere, respondit eis de ipsa Lege per Moysen data, quomodo Deus instituerit conjugium masculi et feminæ, dicens ea quæ ponit Matthæus, id est, *Non legistis quia qui fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos*, et cætera. Quibus auditis illi id quod ei primo interroganti responderant, repetiverunt, dicentes, *Quid ergo Moyses mandavit dari libellum repudii, et dimittere?* Tunc Jesus causam ostendit esse duritiam cordis ipsorum, quam Marcus brevitatis causa prius ponit, tanquam illi priori, quam Matthæus intermisit, eorum responsioni redditam; nihil deperire judicans veritati, quocumque loco eisdem ipsis verbis quæ bis dixerant redderetur, quoniam ipsis verbis eam reddiderat Dominus.

CAPUT LXIII. — *De parvulis quibus manus imposuit, de divite cui dixit*, Vende omnia tua; *de vinea quo conducti sunt operarii per horas diversas, quemadmodum Matthæus duobus aliis non repugnet.*

123. Sequitur Matthæus : *Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret : discipuli autem increpabant eos*, et cætera, usque ad illud ubi ait, *Multi enim sunt vocati, pauci autem electi* (*Matth.* XIX, 13; XX, 16). Hunc cum Matthæo Marcus ordinem tenuit (*Marc.* X, 13-31), sed de conductis operariis ad vineam solus Matthæus interponit. Lucas autem cum commemorasset illud quod eis dixit quærentibus inter se quisnam major esset, adjunxit de illo quem viderant ejicientem dæmonia, cum eum non sequeretur : inde jam digreditur ab istis duobus, ubi ait eum firmasse faciem suam ut iret in Jerusalem (*Luc.* IX, 46-51); ac post multa interposita occurrit eis rursus ad commemorandum istum divitem cui dicitur, *Vende omnia quæ habes* (*Id.* XVIII, 18 30); quem nunc isti commemorant ex ordine quo pariter eunt. Nam ibi etiam Lucas de istis parvulis, antequam divitis faciat mentionem, quemadmodum et isti, non prætermittit. De illo ergo divite qui quærit, quid boni faciat ut vitam æternam consequatur, potest videri distare aliquid quod secundum Matthæum dicitur, *Quid me interrogas de bono?* secundum illos autem, *Quid me dicis bonum?* Nam,

Quid me interrogas de bono? ad illud magis referri potest, quod ait ille quærens, *Quid boni faciam?* Ibi enim et bonum nominavit, et interrogatio est : *Magister* autem *bone*, nondum est interrogatio. Commodissime ergo intelligitur utrumque dictum, *Quid dicis me bonum ;* et, *interrogas me de bono ?*

CAPUT LXIV. — *Ubi secreto duodecim discipulis de passione sua prædixit, et mater filiorum Zebedæi cum filiis suis petiit ut unus eorum ad dexteram ejus, alter ad sinistram sederet, quomodo non repugnet Matthæus aliis duobus.*

124. Sequitur Matthæus, et dicit : *Et ascendens Jesus Jerosolymam assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis; et condemnabunt eum morte, et tradent eum Gentibus ad deludendum et flagellandum et crucifigendum; et tertia die resurget. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, et petens aliquid ab eo*, etc., usque ad illud ubi ait, *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis* (*Matth.* xx, 17-28). Hunc cum illo ordinem etiam Marcus tenet, filios Zebedæi perhibens dixisse quod ab eis, non per eos ipsos, sed per matrem dictum esse Matthæus expressit, cum illa eorum voluntatem attulisset ad Dominum. Unde magis ipsos quam illam dixisse quod dictum est, Marcus breviter intimavit. Denique et Dominus, et secundum Matthæum et secundum Marcum, ipsis potius quam matri respondit. Lucas autem posteaquam ex eodem ordine commemoravit, quæ de passione et de resurrectione sua duodecim discipulis prædixerit, prætermittit ea quæ isti commemorant, post quæ interposita occurrunt ei ad Jericho (*Luc.* xviii, 31-35). Quod autem dixerunt Matthæus et Marcus de principibus gentium, qui dominantur subjectis, non ita futurum inter illos, sed eum qui erit major etiam servum aliorum futurum : dicit tale aliquid et Lucas, sed non eo loco (*Id.* xxii, 24-27) ; et ordo ipse indicat, iterum esse eamdem sententiam a Domino dictam.

CAPUT LXV. — *De cæcis Jericho illuminatis, quemadmodum non adversetur Matthæus vel Marco, vel Lucæ.*

125. Sequitur Matthæus : *Et egredientibus eis ab Jericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt quia Jesus transiret, et clamaverunt, dicentes : Domine, miserere nostri, fili David*, etc., usque ad illud ubi ait, *Et confestim viderunt, et secuti sunt eum* (*Matth.* xx, 29-34). Hoc et Marcus commemorat, sed de uno cæco factum (*Marc.* x, 46 52). Quæ ita solvitur quæstio, ut illa soluta est de duobus, qui legionem dæmonum patiebantur in regione Gerasenorum (*Supra, cap.* 24, *n.* 56). Nam duorum etiam cæcorum, quos modo interposuit, unum fuisse notissimum et in illa civitate famosissimum, ex hoc etiam satis apparet, quod et nomen ejus et patris ejus Marcus commemoravit : quod in tot superius sanatis a Domino non facile occurrit, nisi cum Jairum archisynagogum etiam nomine expressit, cujus filiam resuscitavit Jesus (*Marc.* v, 22-43). In quo etiam magis iste sensus apparet, quia et ille archisynagogus utique in loco isto nobilis fuit. Procul dubio itaque Bartimæus iste Timæi filius ex aliqua magna felicitate dejectus, notissimæ et famosissimæ miseriæ fuit, quod non solum cæcus, verum etiam mendicus sedebat. Hinc est ergo quod ipsum solum voluit commemorare Marcus, cujus illuminatio tam claram famam huic miraculo comparavit, quam erat illius nota calamitas.

126. Lucas vero quamvis omnino eodem modo factum, tamen in alio cæco intelligendus est par commemorare miraculum, et ejusdem miraculi parem modum. Ille quippe hoc factum dicit, cum appropinquaret Jericho (*Luc.* xviii, 35-43) : at isti cum egrederetur ab Jericho. Sed nomen civitatis et facti similitudo putari suadet semel esse factum : sed Evangelistas in hoc sibi adversari, quod alius dicat, *Cum appropinquaret Jericho*, alii, *Cum egrederetur ab Jericho*, non sane hoc persuadet, nisi eis qui proclivius credi volunt mentiri Evangelium, quam duo similia similiterque miracula fecisse Jesum. Quid autem sit credibilius, et quid potius verum, et omnis fidelis filius Evangelii facillime videt ; et omnis contentiosus saltem cum admonitus fuerit, vel tacendo, vel etiamsi tacere noluerit, cogitando sibi ipse respondet.

CAPUT LXVI. — *De asinæ pullo, quomodo Matthæus cæteris congruat, qui solum pullum commemorant.*

127. Sequitur Matthæus, et dicit : *Et cum appropinquassent Jerosolymis, et venissent Bethphage ad montem Oliveti, tunc Jesus misit duos discipulos, dicens eis. Ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea*, etc., usque ad eum locum ubi ait, *Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis* (*Matth.* xxi, 1-9). Hoc etiam Marcus narrat eodem ordine custodito (*Marc.* xi, 1-10). Lucas autem in Jericho immoratur, quædam commemorans quæ isti prætermiserunt, de Zachæo principe Publicanorum, et quædam in parabolis dicta. Post hæc et ipse occurrit eis ad hujus pulli commemorationem, in quo sedit Jesus (*Luc.* xix, 1-38). Nec moveat quod Matthæus asinam dicit et pullum, cæteri autem de asina tacent. Imo etiam recordanda est illa regula, quam de quinquagenis et centenis discumbentibus, cum quinque panibus turbæ pascerentur, supra insinuavimus (*Supra, cap.* 46, *n.* 98) : qua insinuata, non deberet hoc jam permovere lectorem, nec si Matthæus ita de pullo tacuisset, quemadmodum illi de asina tacuerunt, ut maxime contrarium putaretur, quod unus asinam dixit, alii pullum asinæ ; quanto minus moveri oportet, quia unus ita commemoravit asinam, de qua cæteri tacuerunt, ut tamen pullum non taceret, de quo illi dixerunt ? Ubi ergo utrumque factum potest intelligi, nulla repugnantia est, nec si alius aliud, et aliud alius commemoret : quanto minus ubi alius unum, alius utrumque ?

128. Joannes quoque cum taceat quemadmodum Dominus discipulos suos ad hæc animalia sibi adducenda miserit, interponit tamen breviter hoc de pullo,

cum testimonio etiam prophetæ, quod Matthæus adhibet (*Joan.* XII, 14, 15). In quo etiam testimonio prophetico aliquantum diversa Evangelistarum locutio ab ea quidem sententia non recedit: sed potest movere quod hoc Matthæus sic adhibet, ut asinam dicat commemorasse prophetam; non autem ita se habet, vel quod Joannes interponit, vel codices ecclesiastici interpretationis usitatæ. Cujus rei causa illa mihi videtur, quod Matthæus hebræa lingua perhibetur Evangelium conscripsisse. Manifestum est autem interpretationem illam quæ dicitur Septuaginta in nonnullis se aliter habere quam inveniunt in hebræo, qui eam linguam noverunt, et qui interpretati sunt singuli eosdem Libros hebræos. Hujus item distantiæ causa si quæratur, cur tanta auctoritas interpretationis Septuaginta multis in locis distet ab ea veritate quæ in hebræis codicibus invenitur; nihil occurrere probabilius existimo, quam illos Septuaginta eo spiritu interpretatos, quo et illa quæ interpretabantur dicta fuerant: quod ex ipsa eorum mirabili quæ prædicatur consensione firmatum est. Ergo et ipsi nonnulla in eloquio variando, et ab eadem voluntate Dei, cujus illa dicta erant, et cui verba servire debebant non recedendo, nihil aliud demonstrare voluerunt, quam hoc ipsum quod nunc in Evangelistarum quatuor concordi quadam diversitate miramur, qua nobis ostenditur non esse mendacium, si quisquam ita diverso modo aliquid narret, ut ab ejus voluntate cui consonandum et consentiendum est, non recedat. Quod nosse et moribus utile est, propter cavenda et judicanda mendacia; et ipsi fidei, ne putemus quasi consecratis sonis, ita muniri veritatem, tanquam Deus nobis quemadmodum ipsam rem, sic verba quæ propter illam sunt dicenda, commendet; cum potius ita res quæ dicenda est, sermonibus per quos dicenda est[1], præferatur, ut istos omnino quærere non deberemus, si eam sine his nosse possemus, sicut illam novit Deus, et in ipso Angeli ejus.

CAPUT LXVII. — *De expulsis templo vendentibus et ementibus, quemadmodum tres isti non repugnent Joanni qui hoc idem longe alibi dicit.*

129. Sequitur Matthæus, et dicit: *Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ. Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo*, etc., usque ad eum locum ubi ait, *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Hoc de turbis vendentium ejectis e templo, omnes commemorant, sed Joannes longe diverso ordine (*Matth.* XXI, 10-13; *Marc.* XI, 15-17; *Luc.* XIX, 45, 46; *et Joan.* II, 1-17). Nam post testimonium Baptistæ Joannis de Jesu, cum eum commemorasset isse in Galilæam, quando aquam convertit in vinum, inde post commemorationem paucorum in Capharnaum dierum, dicit eum ascendisse in Jerosolymam, cum esset Pascha Judæorum, et facto flagello de resticulis expulisse de templo vendentes. Unde manifestum est, non semel, sed iterum hoc esse a Domino factum: sed illud primum commemoratum a Joanne, hoc ultimum a cæteris tribus.

CAPUT LXVIII. — *De arefacta arbore ficulnea, et quæ juxta narrata sunt, quomodo non repugnet Matthæus cæteris, et maxime Marco de ordine narrationis.*

130. Sequitur Matthæus: *Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos. Videntes autem principes sacerdotum et Scribæ mirabilia quæ fecit, et pueros clamantes in templo et dicentes, Hosanna filio David; indignati sunt, et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dicit eis: Utique; nunquam legistis, quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit. Mane autem revertens in civitatem, esurivit: et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum; et ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum; et arefacta est continuo ficulnea. Et videntes discipuli mirati sunt dicentes: Quomodo continuo aruit? Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis, Tolle te, et jacta te in mare, fiet: et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis* (*Matth.* XXI, 14-22).

131. Hoc et Marcus consequenter dicit, sed non eumdem ordinem tenet. Primo enim quod eum Matthæus in templum dixit intrasse, et ejecisse vendentes et ementes, non commemorat Marcus, sed circumspectis omnibus, cum jam vespera esset, exisse dicit in Bethaniam cum duodecim; et alia die cum exirent a Bethania esuriisse, et arbori fici maledixisse: quod et Matthæus commemorat. Et subjungit idem Marcus, quod venerit Jerosolymam, et cum introisset in templum, ejecit vendentes et ementes, quasi altero die, non primo factum esset (*Marc.* XI, 11-17). Sed quia Matthæus ita connectit, *Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam*, unde mane revertentem in civitatem arbori maledixisse commemorat; probabilius creditur ipse potius tenuisse ordinem temporis de vendentibus et ementibus ejectis de templo. Cum enim dicit, *Et relictis illis, abiit foras;* quibus relictis intelligi poterit, nisi cum quibus superius loquebatur, indignantibus quod pueri clamarent, *Hosanna filio David?* Prætermisit ergo Marcus quod primo die factum est, cum intravit in templum; et recordatum interposuit, cum dixisset quod non invenerit aliquid in ficulnea præter folia, quod secundo die factum est, sicut ambo testantur. Miratos autem esse discipulos quod arbor aruerit, et eis Dominum respondisse de fide et de monte in mare transferendo, non ipso secundo die quo dixit arbori, *Jam non amplius in æternum quisquam ex te fructum manducet*, sed tertio die dicit. Ipso quippe die secundo commemoravit idem Marcus de templo ejectos vendentes, quod primo die factum prætermiserat. Ipso ergo secundo die dicit facta vespera egressum de civitate, et cum mane transirent, vidisse discipulos ficum aridam factam a radicibus, et

[1] In duodecim Mss. et in editione Ratisponensi: *Quæ discenda est, sermonibus per quos discenda est.*

recordatum Petrum dixisse ei, *Rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit* : tunc eum de potentia fidei respondisse. Matthæus autem tanquam secundo die hoc totum factum sit, id est, et dictum arbori, *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum;* et arefactam esse continuo; et videntibus hoc discipulis atque mirantibus illud de virtute fidei fuisse responsum. Unde intelligitur, Marcum quidem secundo die commemorasse quod primo die factum prætermiserat, de templo scilicet ejectos vendentes et ementes : Matthæus vero cum commemorasset quod altero die factum est, de arbore maledicta quando mane revertebatur a Bethania in civitatem, prætermisit ea quæ Marcus commemoravit, venisse illum in civitatem, et vespere exiisse, et mane cum transirent, discipulos arborem aridam fuisse miratos; et ei quod secundo die gestum erat, quo arbor maledicta est, adjunxit illud quod tertio die gestum est, ejus ariditatem miratos esse discipulos, et de potentia fidei a Domino audisse : sic ea conjungens, ut nisi ex Marci narratione cogamur intendere, ubi et quid Matthæus prætermiserit, non possit agnosci. Cum ergo dixisset Matthæus, *Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit. Mane autem revertens in civitatem, esurivit : et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea, nisi folia tantum; et ait illi : Nunquam abs te fructus nascatur in sempiternum; et arefacta est continuo ficulnea;* prætermissis cæteris ad eumdem diem pertinentibus, adjunxit statim, *Et videntes discipuli mirati sunt dicentes : Quomodo continuo aruit?* quod alio die viderunt, alio die mirati sunt. Intelligitur autem non tunc aruisse quando viderunt, sed continuo cum maledicta est. Neque enim arescentem, sed penitus arefactam viderunt, ac sic eam continuo in verbo Domini aruisse intellexerunt.

CAPUT LXIX. — *Cum Dominum interrogaverunt Judæi, in qua potestate ista faceret, quomodo inter se consentiant isti tres.*

132. Sequitur Matthæus, et dicit : *Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum et seniores populi dicentes : In qua potestate hæc facis? Et quis dedit tibi hanc potestatem? Respondens Jesus dixit illis : Interrogabo vos et ego unum sermonem; quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate hæc faciam. Baptismus Joannis unde erat?* etc., usque ad illud ubi ait, *Nec ego vobis dico in qua potestate hæc facio* (*Matth.* XXI, 23-27). Hoc totum et alii duo Marcus et Lucas totidem pene verbis explicaverunt (*Marc.* XI, 27-33, *et Luc.* XIX, 47; XX, 8) : nec in ordine inter se videntur aliquid discrepare, nisi unde superius locutus sum, quod prætermissis quibusdam Matthæus ad alterum diem pertinentibus ita contexit narrationem, ut nisi advertatur, possit putari ipsum in secundo die adhuc versari, Marcum autem in tertio. Lucas vero non quasi ex ordine dies persequens hoc subjunxit, sed cum commemorasset ejectos de templo ementes et vendentes, prætermisit quod exibat in Bethaniam, et regrediebatur in civitatem, et quod de ficulnea factum est, et quod mirantibus discipulis de fidei virtute responsum est : atque his prætermissis intulit dicens, *Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum et Scribæ et principes plebis quærebant illum predere : et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat audiens illum. Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo et evangelizante, convenerunt principes sacerdotum et Scribæ cum senioribus, et aiunt dicentes ad illum : Dic nobis in qua potestate hæc facis?* etc., quæ etiam duo illi commemorant. Unde apparet, nihil eis etiam ipso ordine repugnare, quando id quod dicit factum in una dierum, ea dies intelligitur, in qua id gestum illi etiam retulerunt.

CAPUT LXX. — *De duobus quibus imperaverit pater ut irent in vineam, et de vinea quæ locata est aliis agricolis, quomodo non adversetur Matthæus illis duobus; cum quibus eumdem ordinem tenet, et maxime in hac parabola quam omnes tres dicunt de vinea locata, propter responsionem eorum quibus dicebatur, ubi aliquantum videtur variare.*

133. Sequitur Matthæus : *Quid autem vobis videtur? Homo* [1] *habebat duos filios, et accedens ad primum dixit, Fili, vade, hodie operare in vinea mea : ille autem respondens, ait, Nolo; postea autem pœnitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum dixit similiter : at ille respondens, ait, Eo, Domine; et non iit,* etc., usque ad illud ubi ait, *Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur : super quem vero ceciderit, conteret eum* (*Matth.* XXI, 28-44). Marcus et Lucas non commemorant de duobus istis filiis, quibus imperatum est ut irent atque operarentur in vinea : sed quod post hoc narrat Matthæus de vinea quæ locata est agricolis, qui persecuti sunt servos missos ad se, et postea dilectum filium occiderunt, et ejecerunt extra vineam, etiam illi ambo non tacent, eodem ordine custodito (*Marc.* XII, 1-11, *et Luc.* XX, 9-18), id est, posteaquam de baptismo Joannis interrogati Judæi se nescire dixerunt, et respondit eis, *Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.*

134. Nullius ergo hic repugnantiæ quæstio nascitur, nisi quod Matthæus, cum dixisset quod Dominus interrogaverit Judæos, *Cum venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?* illos respondisse subjungit atque dixisse, *Malos male perdet, et vineam locabit aliis agricolis qui reddant ei fructum temporibus suis.* Quod Marcus non ab ipsis responsum esse commemorat, sed Dominum hoc consequenter locutum post interrogationem suam, ipsum sibi quodammodo respondisse : ita enim dicit, *Quid ergo faciet dominus vineæ? Veniet, et perdet colonos, et dabit vineam aliis.* Sed facile potest intelligi vel illorum vocem ita subjunctam, ut non interponeretur, Illi dixerunt, aut, Illi responderunt, sed tamen intelligeretur; aut ideo responsionem istam Domino potius attributam, quia cum verum dixerunt, etiam de illis hoc ipse respondit qui veritas est.

135. Sed illud magis movet, quod Lucas non solum

[1] Editi : *Homo quidam habebat.* Abest, *quidam,* a Mss. et a græco.

eos hoc respondisse non dicit, hæc etiam verba ipse quoque sicut Marcus Domino attribuens, verum etiam contrariam retulisse responsionem, dicentes, *Absit.* Ita enim narrat : *Quid ergo faciet illis dominus vineæ? Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis. Quo audito dixerunt illi : Absit. Ille autem aspiciens eos ait : Quid est ergo hoc quod scriptum est, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Quomodo ergo secundum Matthæum illi, quibus hæc loquebatur, dixerunt, *Malos male perdet, et vineam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis;* cum secundum Lucam talibus verbis contradixerint dicentes, *Absit?* Et revera quod secutus Dominus ait de lapide reprobato ab ædificantibus, et facto in caput anguli, ita illatum est, ut hoc testimonio convincerentur illi parabolæ contradicentes. Nam et ipse Matthæus hoc sic commemorat dictum, tanquam contradicentibus, cum ait, *Nunquam legistis in Scripturis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Quid est enim, *Nunquam legistis,* nisi quia hoc responderant, quod esset contrarium? Hoc et Marcus significat, qui hæc ipsa verba ita refert, *Nec Scripturam hanc legistis, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Quæ sententia secundum Lucam magis apparet loco suo dicta, post illorum contradictionem qua dixerunt, *Absit.* Tantumdem enim valet, sicut hoc etiam ipse ponit, *Quid est ergo hoc quod scriptum est, Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli?* Hanc enim sententiæ voluntatem intimat, sive *Nunquam legistis*, sive *Nec hoc legistis*, sive *Quid est ergo hoc quod scriptum est.*

136. Restat ergo ut intelligamus in plebe quæ audiebat, quosdam respondisse quod Matthæus commemorat dicens, *Aiunt illi : Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis;* quosdam vero illud quod Lucas non tacuit, hoc est, *Absit.* Iis ergo qui illud Domino responderant, illi alii responderunt, *Absit* : sed illorum responsio quibus isti retulerunt, *Absit*, propterea Domino tributa est et a Marco et a Luca, quia, sicut dixi, per eos veritas ipsa locuta est, sive per nescientes si mali erant, sicut per Caipham, qui nesciens quid dixerit, cum esset pontifex, prophetavit (*Joan.* XI, 49-51); sive per scientes ac jam intelligentes atque credentes. Ibi enim erat etiam illa multitudo, per quam jam erat impleta illa prophetia, cum venienti magna celebritate occurrentes acclamarent, *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Psal.* CXVII, 26; *Matth.* XXI, 9).

137. Nec moveat quod idem Matthæus principes sacerdotum et seniores populi dixit accessisse ad Dominum, et quæsivisse in qua potestate hæc faceret, et quis ei dederit hanc potestatem, quando eos de baptismo Joannis vicissim interrogavit unde esset, de cœlo an ex hominibus; quibus respondentibus quod nescirent, ait, *Nec ego vobis dico in qua potestate hæc facio.* Inde enim secutus est contextim loquendo, et ait : *Quid autem vobis videtur? Homo habebat duos filios*, etc., sine ulla cujusquam rei vel personæ interpositione, secundum Matthæum sermo contexitur, usque ad hoc quod de locata agricolis vinea commemoratur. Potest enim putari omnia cum principibus sacerdotum et senioribus populi locutum fuisse, a quibus fuerat de sua potestate interrogatus. Qui utique si tentantes et inimici quæsierant, non in eis possunt intelligi qui crediderant, atque illud clarum ex propheta testimonium Domino perhibuerant; qui etiam modo respondere potuissent, non nescientes, sed credentes, *Malos male perdet, et vineam locabit aliis agricolis.* Hoc omnino movere non debet, ut ideo putemus non fuisse credentes in illa multitudine, quæ tunc Domini parabolas audiebat. Tacuit namque idem Matthæus brevitatis causa, quod Lucas non tacet, parabolam istam scilicet non ad eos solos dictam, qui de potestate interrogaverant, sed ad plebem. Sic enim ait, *Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc : Homo plantavit vineam*, etc. In hac ergo plebe intelligendum est etiam illos esse potuisse, qui sic eum audirent, quomodo qui dixerant, *Benedictus qui venit in nomine Domini;* et ipsos vel ex ipsis fuisse qui responderunt, *Malos male perdet, et vineam locabit aliis agricolis.* Quorum responsionem non solum propterea Domino tribuerunt Marcus et Lucas, quod hoc ipse dixisset, quia veritas est [1], quæ etiam per malos atque nescientes sæpe loquitur, occulto quodam instinctu mentem hominis movens, non sanctitatis illius merito, sed jure propriæ potestatis : verum etiam quia tales esse potuerunt, ut non frustra in ipso corpore Domini jam sicut membra deputarentur, ut merito eorum vox illi tribueretur, cujus membra erant, quia jam baptizaverat plures quam Joannes (*Joan.* IV, 1), et habebat turbas discipulorum, sicut ipsi Evangelistæ sæpe testantur, et unde erant etiam illi quingenti fratres, quibus eum apostolus Paulus post resurrectionem præsentatum esse commemorat (I *Cor.* XV, 6) : præsertim quia et secundum eumdem Matthæum non ita dictum est, *Aiunt illi*, *Malos male perdet*, ut in eo quod positum est, *illi*, pluralis numerus accipiendus sit, tanquam eorum fuerit ista responsio, qui eum de sua potestate dolose interrogaverant; sed, *Aiunt illi*, dictum est, id est, illi ipsi Domino, singulari pronomine, non plurali, quod in codicibus græcis sine ullo scrupulo ambiguitatis apparet (*a*).

138. Est quidam sermo Domini apud evangelistam Joannem, ubi hoc quod dico, facilius possit intelligi. *Dicebat ergo*, inquit, *Jesus ad eos qui crediderunt ei, Judæos : Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis; et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. Et responderunt ei : Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam : quomodo tu dicis, Liberi eritis? Respondit eis Jesus : Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati : servus autem non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum : si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Scio quia filii Abrahæ estis, sed quæritis*

[1] Lov., *ipse dixisset qui veritas est.* Cæteri libri, *quia veritas est.*

(*a*) Græc., *autô.*

me interficere, quia sermo meus non capit in vobis (*Joan.* VIII, 31-37). Non utique illis diceret, *quæritis me interficere*, qui in eum jam crediderant, quibus dixerat, *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis :* sed quia hoc ad eos dixerat, qui jam in eum crediderant, ea vero multitudo præsens erat quæ plures habebat inimicos, etiam non exprimente Evangelista qui essent qui responderunt, ex hoc ipso quod responderunt, et quod deinde ab illo audire meruerunt, satis apparet quæ verba quibus sint tribuenda personis. Sicut ergo in hac multitudine secundum Joannem erant qui jam crediderant in Jesum, erant etiam qui eum occidere quærebant : sic in illa de qua nunc loquimur, erant qui dolose Dominum interrogaverant, in qua potestate illa faceret; erant etiam qui non dolose, sed fideliter acclamaverant, *Benedictus qui venit in nomine Domini :* ac per hoc erant qui dicerent, *Perdet illos, et vineam suam dabit aliis.* Quæ vox recte etiam ipsius Domini fuisse intelligitur, sive propter veritatem quæ ipse est [1], sive propter membrorum ejus cum suo capite unitatem. Erant etiam qui talia respondentibus dicerent, *Absit*, quia intelligebant in seipsos esse parabolam dictam.

CAPUT LXXI. — *De nuptiis filii Regis ad quas turbæ invitatæ sunt, quem Matthæus ordinem tenuerit, propter Lucam qui tale quiddam alibi dicit.*

139. Sequitur Matthæus : *Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret : et quærentes eum tenere, timuerunt turbas; quoniam sicut prophetam eum habebant. Et respondens Jesus dixit iterum in parabolis eis, dicens : Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire*, etc., usque ad illud ubi ait, *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi* (*Matth.* XXI, 45; XXII, 14). Parabolam istam de invitatis ad nuptias, solus Matthæus narrat : simile quiddam etiam Lucas commemorat; sed non est hoc, sicut et ordo ipse indicat, quamvis et illud nonnullam hujus similitudinem gerat (*Luc.* XIV, 16-24). Quod vero post illam parabolam de vinea et occiso filio patrisfamilias subnectit Matthæus, cognovisse Judæos quod in eos totum dictum fuerit, et insidias cœpisse moliri, hoc etiam Marcus Lucasque testantur eumdem ordinem retinentes (*Marc.* XII, 12, *et Luc.* XX, 19) : sed inde ipsi pergunt in aliud, ex hoc subjungentes quod et Matthæus post istam, quam solus interposuit de nuptiis parabolam, ex ordine inseruit.

CAPUT LXXII.— *De nummo Cæsari reddendo, cujus habeat imaginem, et de muliere quæ septem fratribus nupserat, quemadmodum tres isti concordent.*

140. Sequitur ergo Matthæus : *Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes : Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo ; non enim respicis personam hominum : dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet censum dari Cæsari, an non?* et cætera, usque ad illud ubi ait, *Et audientes turbæ mirabantur in doctrina ejus* (*Matth.* XXII, 15-33). Hæc duo Domini responsa, unum de nummo propter tributum reddendum Cæsari, alterum de resurrectione propter illam mulierem quæ septem sibimet succedentibus fratribus nupserat, Marcus et Lucas similiter narrant, nec in ordine aliquid discrepant (*Marc.* XII, 13-27, *et Luc.* XX, 20-40). Post parabolam quippe illam de conductoribus vineæ, et de Judæis in quos dicta est, insidias præparantibus, quæ omnes tres commemoraverunt, prætermittunt hi duo Marcus et Lucas parabolam de invitatis ad nuptias, quam solus Matthæus interposuit : et cum illo jam sequuntur, narrantes hæc duo, de tributo Cæsaris, et de muliere septem singillatim virorum, eodem prorsus ordine, sine aliqua repugnantiæ quæstione.

CAPUT LXXIII. — *De illo cui commendata sunt duo præcepta dilectionis Dei et proximi, qui ordo sit narrantium Matthæi et Marci, ne a Luca discrepare videantur.*

141. Sequitur ergo Matthæus, et dicit : *Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum; et interrogavit eum unus ex eis Legis doctor, tentans eum : Magister, quod est mandatum magnum in Lege? Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua : hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 34-40). Hoc et Marcus commemorat, eumdem ordinem servans (*Marc.* XII, 28-34). Nec moveat quod Matthæus dicit tentantem fuisse illum a quo Dominus interrogatus est; Marcus autem hoc tacet, et in fine ita concludit [1], quod ei Dominus sapienter respondenti dixerit, *Non longe es a regno Dei.* Fieri enim potest ut quamvis tentans accesserit, Domini tamen responsione correctus sit. Aut certe ipsam tentationem non accipiamus malam, tanquam decipere volentis inimicum; sed cautam potius, tanquam experiri amplius volentis ignotum. Neque enim frustra scriptum est, *Qui facile credit, levis corde est, et minorabitur* (*Eccli.* XIX, 4).

142. Lucas autem non hoc ordine, sed longe alibi tale aliquid interponit (*Luc.* X, 25-37) : utrum autem hoc recordetur, an alius ille sit cum quo similiter de duobus istis præceptis Dominus egerit, prorsus incertum est : hinc autem etiam recte videtur alius esse, non solum propter ordinis multam differentiam, sed quia etiam ipse dicitur respondisse Domino interroganti, et in sua responsione commemorasse duo ista præcepta; et cum ei dixisset Dominus, *Hoc fac, et vives*, ut illud faceret quod magnum esse in Lege ipse responderat, secutus Evangelista ait, *Ille autem volens se justificare dixit : Et quis est meus proximus?* Tunc Dominus narravit de illo qui descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones. Unde quia et tentans prædictus est, et duo præcepta ipse respondit, et post admonitionem Domini dicentis, *Hoc fac, et*

[1] In Mss. non additur, *quæ ipse est.*

[1] Editi : *Lucas autem hoc tacet, et in fine Marcus ita concludit :* mendose.

vives, non bonus commendatur cum dicitur de eo, *Ille autem volens se justificare;* iste autem quem pari ordine Matthæus Marcusque commemorant, tam bene commendatus est, ut ei diceret Dominus, *Non longe es a regno Dei :* probabilius creditur hunc alium esse, non illum.

CAPUT LXXIV. — *Quod Judæi interrogantur de Christo, cujus eis filius videatur, utrum non repugnet Matthæus aliis duobus; quia secundum istum dicitur,* Quid vobis videtur de Christo? cujus est filius? *cui responderunt*, David : *secundum illos autem*, Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David?

143. Sequitur Matthæus : *Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens : Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei : David. Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare* (*Matth.* XXII, 41-46). Hoc consequenter et eodem ordine Marcus quoque commemorat (*Marc.* XII, 35-37). Lucas etiam, tantummodo de illo tacet, qui interrogavit Dominum, quod esset mandatum primum in Lege : hoc autem prætermisso, eumdem etiam ipse ordinem servat; et hoc de Christo, quomodo sit filius David, quæsisse a Judæis Dominum pariter narrat (*Luc.* XX, 41-44). Nec interest ad sententiam, quod secundum Matthæum, cum interrogasset Jesus quid eis videretur de Christo, cujus esset filius, illi responderunt, *David*, tum demum intulit, quomodo eum David diceret Dominum; secundum illos autem duos, Marcum et Lucam, nec interrogati esse, nec respondisse inveniuntur. Intelligere enim debemus, post eorum responsionem sententiam ipsius Domini a duobus Evangelistis insinuatam, quomodo ab illo dicta sit, his audientibus quos volebat suo magisterio utiliter informare, et a Scribarum alienare doctrina : qui de Christo illud solum sapiebant, quod secundum carnem factus erat ex semine David, non eum autem intelligebant Deum, propter quod erat Dominus ipsius David. Ideo tanquam de illis errantibus Dominus ad istos sermonem faciens, quos volebat ab illorum errore liberari, secundum hos duos Evangelistas commemoratur : ut quod illis dictum est, *Quomodo dicitis*, sicut Matthæus narrat, sic accipiatur, non tanquam ad illos, sed tanquam de illis ad eos potius dictum sit, quos volebat instruere.

CAPUT LXXV. — *De Pharisæis sedentibus super cathedram Moysi, et dicentibus quæ non faciunt, cæterisque in eos dem Pharisæos a Domino dictis, utrum sermo Matthæi congruat aliis duobus, et maxime Lucæ, qui non hoc ordine, sed alibi similem commemorat.*

144. Sequitur Mathæus, ita narrationis ordinem tenens : *Tunc Jesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos, dicens : Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate et facite; secundum vero opera eorum nolite facere. Dicunt enim et non faciunt*, etc., usque ad illud ubi ait, *Non me videbitis amodo donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXIII). Similem sermonem habuisse Dominum adversus Pharisæos et Scribas Legisque doctores, Lucas quoque commemorat, sed in domo cujusdam Pharisæi, qui eum vocaverat ad convivium. Quod ut narraret, digressus erat a Matthæo, circa illum locum, ubi ambo commemoraverant quod dictum est a Domino, de signo Jonæ trium dierum et noctium, et de regina Austri, et de Ninivitis, et de spiritu immundo qui redit et invenit mundatam domum : post quem sermonem dicit Matthæus, *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, et fratres stabant foris, quærentes loqui ei* (*Id.* XII, 39-46); Lucas autem in eo sermone Domini, commemoratis etiam quibusdam quæ Matthæus dixisse Dominum prætermisit, ab ordine quem cum Matthæo tenuerat ita digreditur : *Et cum loqueretur*, inquit, *rogavit illum quidam Pharisæus ut pranderet apud se; et ingressus recubuit. Pharisæus autem cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Et ait Dominus ad illum : Nunc vos, Pharisæi, quod de foris est calicis et catini, mundatis.* Atque hinc jam cætera in eosdem Pharisæos et Scribas et Legis doctores talia dicit, qualia Matthæus hoc loco, quem nunc considerandum suscepimus (*Luc.* XI, 29-52). Quanquam ergo ita ista Matthæus commemoret, ut quamvis domum illius Pharisæi non nominet, non tamen locum exprimat ubi dicta sint, quo repugnet aliquid illi domui : tamen quia jam venerat Dominus in Jerusalem a Galilæa, et post ejus adventum ita superiora usque ad hunc sermonem contexuntur, ut probabiliter accipiantur in Jerusalem gesta, Lucas autem illud narrat, cum adhuc Dominus iter ageret in Jerusalem; videntur mihi similes duo esse sermones, quorum ille alterum, alterum iste narravit.

145. Sane considerandum est quomodo hic dictum sit, *Non me videbitis amodo donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini;* cum secundum eumdem Matthæum jam hoc dixerint (*Matth.* XXI, 9). Et Lucas enim dicit hoc esse responsum a Domino illis qui eum monuerant ut inde iret, quoniam vellet eum Herodes occidere. Ibi etiam adversus ipsam Jerusalem ea prorsus verba ab illo esse dicta commemorat, quæ hic Matthæus. Sic enim narratur secundum Lucam : *In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi : Exi, et vade hinc; quia Herodes vult te occidere. Et ait illis : Ite, dicite vulpi illi, Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia consummor* [1] : *veruntamen oportet me hodie et cras et sequenti ambulare, quia non capit prophetam perire extra Jerusalem. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat*

[1] Editi, *et tertia die consummor*. Abest *die* a Mss. et a græco.

cum dicetis, *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Luc.* XIII, 31-35). Narrationi quidem huic Lucæ non videtur adversari, quod turbæ dixerunt, Domino veniente ad Jerusalem, *Benedictus qui venit in nomine Domini :* secundum quippe Lucæ ordinem nondum illuc venerat, et nondum dictum erat. Sed quia non dicit quod inde tunc abscesserit, ut non veniret nisi eo tempore quo jam illud diceretur (perseverat quippe in itinere suo, donec veniat Jerusalem, atque illud quod ait, *Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia consummor*, mystice ab illo et figurate dicta intelliguntur; neque enim eo die passus est, qui est ab hoc die tertius, cum continuo dicat, *Oportet me hodie et cras et sequenti ambulare*), cogit profecto etiam illud mystice intelligi quod ait, *Non videbitis me*, *donec veniat cum dicetis*, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, de illo suo adventu, quo in claritate venturus est, hoc significans, ut illud quod ait, *Ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia consummor*, referatur ad corpus ejus, quod est Ecclesia. Expelluntur enim dæmonia, cum relictis paternis superstitionibus credunt in eum gentes : et perficiuntur sanitates, cum secundum ejus præcepta vivitur, posteaquam fuerit diabolo et huic sæculo renuntiatum, usque in finem resurrectionis, qua tanquam tertia consummabitur, hoc est ad plenitudinem angelicam per corporis etiam immortalitatem perficietur Ecclesia. Quapropter ordo iste Matthæi nequaquam putandus est in aliquid aliud esse digressus : sed Lucas magis intelligendus est, vel præoccupasse quæ gesta sunt in Jerusalem, et recordando interposuisse, antequam ejus narratio Dominum perduceret Jerusalem ; aut eidem civitati jam propinquantem talia respondisse monentibus ut caveret Herodem, qualia Matthæus eum dicit etiam turbis locutum, cum jam pervenisset in Jerusalem, atque illa omnia peracta essent quæ supra narrata sunt.

CAPUT LXXVI. — *Cum prænuntiavit templi eversionem*, *quomodo aliis duobus narrandi ordine congruat.*

146. Sequitur Matthæus, et dicit : *Et egressus Jesus de templo ibat : et accesserunt discipuli ejus*, *ut ostenderent ei ædificationes templi. Ipse autem respondens dixit illis*, *Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur* (*Matth.* XXIV, 1, 2). Marcus etiam commemorat hoc eodem pene ordine, post aliquantam digressionem, ad hoc factam, ut commemoraret de vidua, quæ misit duo minuta in gazophylacium (*Marc.* XII, 41; XIII, 2), quod cum eo Lucas solus commemorat. Nam etiam secundum Marcum, posteaquam illud Dominus egit cum Judæis, quomodo acciperent Christum filium David, ea narrantur quæ dicit de cavendis Pharisæis et hypocrisi eorum : quem locum Matthæus latissime persecutus est, et plura ibi dicta narravit : atque ideo post eumdem locum quem breviter perstrinxit Marcus, et copiose digessit Matthæus, nihil amplius Marcus intulit, sicut dixi, quam de illa vidua pauperrima et uberrima ; ac deinde subjungit ea quibus Matthæo iterum cohæreret, dicens de templi futura eversione. Lucas quoque post illud de Christo, quomodo esset filius David, pauca de cavenda hypocrisi Pharisæorum commemorat. Inde sicut Marcus pergit ad viduam, quæ duo minuta in gazophylacium misit. Deinde subjungit de templi futura eversione, quod Matthæus et Marcus [1] (*Luc.* XX, 46; XXI, 6).

CAPUT LXXVII. — *De sermone quem habuit in monte Oliveti*, *quærentibus discipulis quando erit consummatio*, *quemadmodum tres isti inter se congruant.*

147. Sequitur Matthæus dicens : *Sedente autem eo super montem Oliveti*, *accesserunt ad eum discipuli secreto*, *dicentes : Dic nobis quando hæc erunt*, *et quod signum adventus tui*, *et consummationis sæculi. Et respondens Jesus*, *dixit eis : Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes, Ego sum Christus*, *et multos seducent*, etc., usque ad illud ubi ait, *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*. Nunc jam istum prolixum sermonem Domini secundum tres Evangelistas, Matthæum, Marcum et Lucam consideremus. Eumdem quippe tenentes ordinem pariter ista contexunt (*Matth.* XXIV, 3 ; XXV, 46, *Marc.* XIII, 4-37, *et Luc.* XXI, 7-36). Dicunt quidem hic etiam aliqua singuli propria, in quibus nulla est repugnantiæ metuenda suspicio : de his autem quæ pariter dicunt, necubi sibimet adversari putentur, videndum est. Neque enim dici potest, si aliquid tale occurrerit, aliud esse atque alibi a Domino similiter dictum, quando eodem loco rerum ac temporum, omnium trium versatur narratio. Sane quod earumdem sententiarum a Domino dictarum, non eumdem omnes ordinem servant, nihil ad rem pertinet vel intelligendam vel insinuandam, dum ea quæ ab illo dicta referuntur, non sibimet adversentur.

148. Quod ergo Matthæus ait, *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus*, *et tunc veniet consummatio ;* etiam Marcus eodem ordine ita commemorat, *Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium :* non dixit, *et tunc veniet consummatio ;* sed hoc significat quod ait, *primum*, id est, *Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium :* quia illi de fine interrogaverant. Cum ergo dicit, *Primum oportet in omnes gentes prædicari Evangelium*, significat utique, *primum*, antequam veniat consummatio.

149. Item quod Matthæus ait, *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta*, *stantem in loco sancto*, *qui legit intelligat ;* hoc Marcus dicit ita, *Cum autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet*, *qui legit intelligat :* in qua mutatione verbi exposuit eamdem sententiam ; ideo quippe *ubi non debet,* quia in loco sancto non debet. Lucas autem non ait, *Cum autem videritis abominationem desolationis*, *stantem in loco sancto ;* aut, *ubi non debet :* sed ait, *Cum autem videritis circumdari ab*

[1] Post has voces, *quod Matthæus et Marcus,* addunt Mss., *secreto discipulis Dominum interrogantibus quod signum sui adventus esset.*

exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus. Tunc erit ergo abominatio desolationis in loco sancto.

150. Quod autem ait Matthæus, *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua; et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam;* totidem pene verbis hoc etiam Marcus commemorat. Lucas autem, *Tunc qui in Judæa sunt*, inquit, *fugiant in montes :* hoc sicut illi duo; cætera vero aliter. Sequitur enim, et dicit, *Et qui in medio ejus, discedant; et qui in regionibus, non intrent in eam : quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.* Satis diversum videtur quod illi duo dixerunt, *Et qui super tectum, non descendat tollere aliquid de domo sua;* et quod iste dicit, *Et qui in medio ejus, discedant :* nisi forte quia perturbatio magna erit tam magno instante periculo, illi quos inclusisset obsidio, quod significat dicendo, *qui in medio ejus*, in tecto erunt attoniti et volentes videre quid impendeat, vel qua evadendum sit. Sed quomodo ait, *discedant*, quando supra dixit, *cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem?* Nam illud quod sequitur, *Qui in regionibus, non intrent in eam*, videtur ad congruam pertinere admonitionem; et potest observari, ut qui extra sunt non in eam intrent : qui autem in medio sunt, quomodo discedant, ab exercitu jam civitate circumdata? An hoc est esse *in medio ejus*, quando jam ita periculum urgebit, ut temporaliter ad præsentem vitam tuendam non possit evadi; et quoniam tunc parata debet esse anima ac libera, nec carnalibus desideriis occupata et oppressa, hoc significat quod ab illis duobus dictum est, *in tecto*, vel *super tectum :* ut quod iste ait, *discedant*, id est non jam hujus vitæ desiderio capiantur, sed in aliam vitam migrare parati sint; hoc illi duo dixerint, *non descendat tollere aliquid de domo*, id est nullo affectu inclinetur in carnem tanquam aliquid inde commodi percepturus : et quod iste ait, *Qui in regionibus, non intrent in eam*, id est, qui jam bono cordis proposito extra illam facti sunt, non eam rursus carnali cupiditate desiderent; hoc illi dixerint, *Et qui in agro est, non revertatur retro tollere vestimentum suum*, tanquam iterum involvi curis quibus erat exutus?

151. Quod vero ait Matthæus, *Orate autem, ut non fiat fuga vestra hieme vel sabbato;* hinc Marcus partem dixit, partem tacuit : *Orate vero*, inquit, *ut hieme non fiant.* Lucas autem hoc non dixit, sed tamen dixit aliquid solus, quo mihi videatur hanc ipsam, quæ ab istis obscure posita est, illustrasse sententiam : ait enim, *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ, et superveniat in vos repentina dies illa : tanquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem orbis terræ. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt.* Hæc intelligitur fuga, quam Matthæus commemorat, quæ non debet fieri hieme vel sabbato. Ad hiemem autem pertinent curæ hujus vitæ, quas Lucas aperte posuit : ad sabbatum vero crapula et ebrietas. Curæ quippe tristes sunt velut hiems : crapula vero et ebrietas, carnali lætitia luxuriaque cor submergit atque obruit; quod malum sabbati nomine propterea significatum est, quia hæc erat jam, sicuti et nunc est Judæorum pessima consuetudo, illo die deliciis affluere, dum spirituale sabbatum ignorant. Aut si aliquid aliud in illis secundum Matthæum et Marcum verbis intelligendum est, aliquid aliud etiam Lucas dixerit, dum tamen nulla repugnantiæ quæstio moveatur. Neque enim nunc Evangelia exponenda suscepimus, sed a falsitatis vel fallaciæ calumniis defendenda. Alia vero quæ in hoc sermone Matthæus posuit communia cum Marco, nihil habent quæstionis : quæ autem cum Luca, non in hoc sermone Lucas ea posuit, cujus huic ordo concordat; sed alibi talia vel recordatur atque inserit præoccupando, ut prius commemoret quæ postea a Domino dicta sunt; vel bis a Domino dicta facit intelligi, et nunc secundum Matthæum, et tunc secundum ipsum.

CAPUT LXXVIII. — *Quod commemorant Matthæus et Marcus ante biduum futuræ Paschæ, et postea dicunt quod in Bethania fuit, quomodo non repugnet Joanni, qui cum ipsis narrat hoc idem quod factum est in Bethania, et dicit*, Ante sex dies Paschæ.

152. Sequitur Matthæus : *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis : Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur* (*Matth.* XXVI, 1, 2). Huic attestantur alii duo Marcus et Lucas, ab eodem ordine non recedentes (*Marc.* XIV, 1, *et Luc.* XXII, 1). Neque hoc tanquam a Domino dictum insinuant; hoc enim intimare prætermiserunt : ex sua tamen persona et Marcus dicit, *Erat autem Pascha et azyma post biduum;* et Lucas, *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* Sic ergo appropinquabat, ut esset post biduum, sicut alii duo apertius consonant. Joannes vero tribus quidem locis commemoravit ejusdem diei festi propinquitatem, cum alia quædam duobus superioribus locis narraret : tertio autem loco apparet ejus narratio circa ipsa versari tempora, ubi hoc etiam illi tres intimant, id est impendentis jam dominicæ passionis (*Joan.* XI, 55, XII, 1, *et* XIII, 1).

153. Sed hoc videri potest parum diligenter intuentibus esse contrarium, quod Matthæus et Marcus posteaquam dixerunt Pascha post biduum futurum, deinde commemoraverunt quod erat Jesus in Bethania, ubi de unguento illo pretioso dicitur : Joannes autem ante sex dies Paschæ dicit Jesum venisse in Bethaniam, de unguento eadem narraturus (*Id.* XII, 1). Quomodo ergo secundum illos duos, post biduum futurum erat Pascha, cum posteaquam id dixerunt, inveniantur cum Joanne in Bethania illud de unguento quod ipse narrantes, tunc autem ipse dicat post sex dies futurum Pascha? Sed qui ita moventur non intelligunt Matthæum et Marcum illud quod in Bethania de unguento factum erat recapitulando posuisse, non post illam de biduo prædicationem suam, sed ante jam factum cum adhuc sex dies

essent ad Pascha. Non enim quisquam eorum cum dixisset, post biduum futurum Pascha, sic adjunxit de illo facto in Bethania, ut diceret, Post hæc cum esset in Bethania : sed Matthæus quidem, *Cum autem esset*, inquit, *Jesus in Bethania;* Marcus autem, *Cum esset Bethaniæ :* quod utique intelligitur et antequam illa dicerentur quæ ante biduum Paschæ dicta sunt. Sicut ergo ex Joannis narratione colligitur, ante sex dies Paschæ venit in Bethaniam : ibi factum est illud convivium ubi de unguento pretioso fit commemoratio; inde venit Jerosolymam sedens super asellum; deinde postea geruntur ea quæ narrant post hunc adventum ejus Jerosolymis gesta. Ex illo ergo die quo venit in Bethaniam atque illud de unguento factum est, usque ad diem quo ista omnia gesta atque dicta sunt, intelligimus, etiam Evangelistis non commemorantibus, consumptum fuisse quatriduum, ut occurreret dies quem ante biduum Paschæ duo definierunt. Lucas autem cum ait, *Appropinquabat autem dies festus azymorum*, non expressit biduum : sed hanc propinquitatem, quam commemoravit, in ipso intervallo bidui debemus accipere. Joannes vero cum dicit, *Proximum erat Pascha Judæorum* (*Joan.* XI, 55), non hoc biduum vult intelligi, sed sex dies ante Pascha. Proinde, cum quædam post hoc dictum commemorasset, tunc jam volens ostendere quam proximum fuisse Pascha dixisset : *Jesus ergo ante sex dies*, inquit, *Paschæ, venit in Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit Jesus* (*Id.* XII, 1, 2). *Fecerunt autem ei cœnam ibi.* Hoc illud est quod commemorant recapitulantes Matthæus et Marcus, cum jam dixissent post biduum futurum Pascha. Recapitulando ergo ad illum diem redeunt in Bethaniam, qui erat ante sex dies Paschæ, et narrant quod Joannes de cœna et unguento : unde venturus erat Jerosolymam, et peractis illic quæ narrata sunt, perventurus ad diem qui erat ante biduum Paschæ, unde isti digressi sunt, ut recapitulando commemorarent quod ante in Bethania de unguento gestum est; cujus rei peracta narratione, illuc iterum redeunt, unde digressi fuerant, id est, ut jam sermo Domini narretur, quem habuit ante biduum Paschæ. Nam si tollamus de medio quod gestum in Bethania digredientes ab ordine recolendo et recapitulando narrarunt, et ipsum ordinem contexamus, ita sermo dirigitur secundum Matthæum dicente Domino : *Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Dicebant autem, Non in die festo; ne forte tumultus fieret in populo. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Judas Scarioth, ad principes sacerdotum* (*Matth.* XXVI, 2-14), etc. Inter illud enim quod dictum est, *Ne tumultus fieret in populo*, et illud quod dictum est, *Tunc abiit unus de duodecim, qui dicitur Judas*, interpositum est illud de Bethania, quod recapitulando dixerunt : quo nos prætermisso contexuimus narrationem, ut insinuaremus non repugnare ordinem temporum. Secundum Marcum autem, eodem Bethaniæ convivio, quod recapitulando et ipse interposuit, similiter prætermisso, ita se ordo narrationis tenet : *Erat autem Pascha et azyma post biduum; et quærebant summi sacerdotes et Scribæ quomodo cum dolo tenerent, et occiderent. Dicebant enim, Non in die festo; ne forte tumultus fieret populi. Et Judas Scariothes, unus ex duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum* (*Marc.* XIV, 1-10), etc. Etiam hic inter illud quod dictum est, *Ne forte tumultus fieret populi*, et illud quod adjunximus, *Et Judas Scariothes unus ex duodecim*, positum est illud de Bethania, quod recapitulando dixerunt. Lucas sane ipsam rem gestam in Bethania prætermisit. Hæc diximus propter sex dies ante Pascha, quos dixit Joannes, cum in Bethania rem gestam narraret; et biduum ante Pascha, quod Matthæus et Marcus dixerunt, cum post hoc a se dictum illud ipsum in Bethania quod Joannes, commemorarent.

CAPUT LXXIX. — *De cœna in Bethania ubi mulier unguento pretioso Dominum perfudit, quomodo inter se congruant Matthæus, Marcus et Joannes, et quomodo Lucæ non adversentur tale aliquid alio tempore commemoranti.*

154. Sequitur ergo Matthæus ab eo loco, ubi finem feceramus considerandæ narrationis, et dicit : *Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent. Dicebant autem, Non in die festo; ne forte tumultus fieret in populo. Cum autem esset Jesus in Bethania, in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis*, etc., usque ad illud ubi ait, *Dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus* (*Matth.* XXVI, 3-13). Nunc jam de muliere atque unguento pretioso quod in Bethania gestum est, consideremus. Lucas enim quamvis simile factum commemoret, nomenque conveniat ejus, apud quem convivabatur Dominus; nam et ipsum Simonem dicit : tamen quia non est contra naturam vel contra morem hominum, ut si potest unus homo habere nomina duo, multo magis possint et unum nomen habere homines duo; potius credibile est alium fuisse illum Simonem non leprosum, in cujus domo hoc in Bethania gerebatur. Nam nec Lucas in Bethania rem gestam dicit, quam narrat : et quamvis non commemoret civitatem aut castellum, ubi factum sit; tamen non videtur in eodem loco versari ejus narratio. Nihil itaque aliud intelligendum arbitror, nisi non quidem aliam fuisse mulierem, quæ peccatrix tunc accessit ad pedes Jesu, et osculata est, et lavit lacrymis, et tersit capillis, et unxit unguento; cui Dominus adhibita similitudine de duobus debitoribus, ait dimissa esse peccata multa, quoniam dilexit multum : sed eamdem Mariam bis hoc fecisse, semel scilicet quod Lucas narravit, cum primo accedens cum illa humilitate et lacrymis meruit peccatorum remissionem (*Luc.* VII, 36-50). Nam hoc et Joannes, quamvis non sicut Lucas quemadmodum factum esset narraverit, tamen ipsam Mariam commendans com-

memoravit, cum jam de Lazaro resuscitando cœpisset loqui, antequam veniret in Bethaniam. Quod ita ibi narrat : *Erat autem quidam*, inquit, *languens Lazarus a Bethania de castello Mariæ et Marthæ sororis ejus. Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur* (*Joan.* XI, 1, 2). Hoc dicens Joannes attestatur Lucæ, qui hoc in domo pharisæi cujusdam Simonis factum esse narravit. Jam itaque hoc Maria fecerat. Quod autem in Bethania rursus fecit, aliud est, quod ad Lucæ narrationem non pertinet, sed pariter narratur a tribus, Joanne scilicet (*Id.* XII, 1-8), Matthæo et Marco (*Marc.* XIV, 3-9).

155. Inter istos igitur tres, Matthæum, Marcum et Joannem, quemadmodum hoc conveniat attendamus, de quibus non est dubium quod eamdem rem narrent gestam in Bethania, ubi etiam discipuli, quod omnes tres commemorant, murmuraverunt adversus mulierem tanquam de perditione pretiosissimi unguenti. Quod ergo Matthæus et Marcus caput Domini unguento illo perfusum dicunt, Joannes autem pedes, regula illa ostenditur non esse contrarium, quam demonstravimus, cum de quinque panibus pasceret turbas. Ibi enim quia non defuit qui et quinquagenos, et centenos discubuisse commemoraret, cum alius quinquagenos dixerit, non potuit videri contrarium : potuisset autem si alius centenos tantum posuisset, sicut alius quinquagenos, et tamen debuit inveniri utrumque factum esse. Quo exemplo informari nos oportuit, sicut illic admonui, etiam ubi singuli Evangelistæ singula commemorant, utrumque factum intelligere (*Supra*, *cap.* 46, *n.* 98). Proinde et hic non solum caput, sed et pedes Domini accipiamus perfudisse mulierem. Nisi forte quoniam Marcus fracto alabastro perfusum caput commemorat, tam quisquam absurdus et calumniosus est, ut aliquid in vase fracto neget remanere potuisse, unde etiam pedes perfunderet. Sed cum iste contenderit sic esse fractum, ut nihil ibi residui fieret, nitens adversus veritatem Evangelii ; quanto melius et religiosius contendit alius non esse ita fractum, ut totum effunderet, nitens pro veritate Evangelii ? Ille autem calumniator si tam pertinaciter cæcus est, ut Evangelistarum concordiam de alabastro fracto frangere conetur, prius accipiat perfusos pedes antequam illud fractum esset, ut in integro remaneret, unde etiam caput perfunderetur, ubi fractura illa totum effunderet. A capite quippe nobis ordinate consuli agnoscimus, sed ordinate etiam nos a pedibus ad caput ascendimus.

156. Cætera facti hujus nullam mihi videntur habere quæstionem. Quod enim alii dicunt discipulos murmurasse de unguenti effusione pretiosi, Joannes autem Judam commemorat, et ideo quia fur erat ; manifestum puto esse discipulorum nomine eumdem Judam significatum, locutione illa quam de Philippo in quinque panibus insinuavimus, plurali numero pro singulari usurpato (*Ibid.*, *n.* 96). Potest etiam intelligi quod et alii discipuli aut senserint hoc, aut dixerint, aut eis Juda dicente persuasum sit, atque omnium voluntatem Matthæus et Marcus etiam verbis expresserint ; sed Judas propterea dixerit, quia fur erat, cæteri vero propter pauperum curam ; Joannem autem de solo illo id commemorare voluisse, cujus ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intimandam.

CAPUT LXXX. — *Ubi mittit discipulos ut præparent ei manducare Pascha, quomodo inter se congruant Matthæus, Marcus et Lucas.*

157. Sequitur Matthæus : *Tunc abiit unus de duodecim qui dicitur Judas Scarioth, ad principes sacerdotum, et ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam ? At illi constituerunt ei triginta argenteos*, etc., usque ad illud, ubi ait, *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha* (*Matth.* XXVI, 14-19). Nihil in hoc capitulo contrarium putari potest Marco et Lucæ, qui hoc idem similiter narrant (*Marc.* XIV, 10-16, *et Luc.* XXII, 3-13). Quod enim dicit Matthæus *Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei : Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis*, eum significat quem Marcus et Lucas dicunt patremfamilias vel dominum domus, in qua eis cœnaculum demonstratum est, ubi pararent Pascha : quod ergo interposuit Matthæus, *ad quemdam*, tanquam ex persona sua studio brevitatis illum compendio voluit insinuare. Si enim diceret dixisse Dominum, Ite in civitatem, et dicite ei, Magister dicit, Tempus meum prope est, apud te facio Pascha ; tanquam civitati dicendum esset, acciperetur. Ac per hoc non ex Domini, cujus mandatum narrabat, sed ex sua persona interposuit, ad quemdam jussisse Dominum ut irent, ne haberet necesse totum dicere, cum hoc illi ad insinuandam jubentis sententiam sufficere videretur. Nam neminem sic loqui, ut dicat, Ite ad quemdam, quis nesciat ? Si enim diceret, Ite ad quemcumque, aut, ad quemlibet ; posset esse integra locutio, sed non esset certus homo ad quem mitterentur (*a*) : cum eum certum ostendant, quamvis tacito ejus nomine, Marcus et Lucas. Sciebat quippe Dominus ad quem mitteret. Et ut eum etiam illi quos mittebat, invenire possent, præmonuit quod indicium sequerentur, de homine gestante aquæ lagenam vel amphoram, ut eum secuti, ad domum quam volebat, venirent. Cum itaque non hic posset dici, Ite ad quemlibet, quod integritas quidem locutionis admittit, sed hoc loco rei hujus quæ insinuabatur veritas non admittit ; quanto minus hic dici potuit, Ite ad quemdam, quod omnino nunquam recta locutione dici potest ? Sed plane discipulos a Domino, non ad quemlibet, sed ad quemdam hominem, id est, ad certum aliquem missos esse manifestum est. Quod nobis ex persona sua recte potuit Evangelista narrare, ut diceret, Misit eos ad quemdam, ut dicerent ei, Apud te facio Pascha. Potuit etiam sic, Misit eos ad quemdam dicens : Ite, dicite ei, Apud te facio Pascha. Ac per hoc cum verba Domini posuisset dicentis, *Ite in civitatem ;* interposuit ipse, *ad quemdam :* non quia hoc

(*a*) Hæc difficultas locum non habet in græco : *pròs tòn deina.*

Dominus dixerit, sed ut ipse nobis insinuaret tacito nomine fuisse quemdam in civitate, ad quem Domini discipuli mittebantur, ut præpararent Pascha. Ac sic post hanc ex persona sua interpositionem duorum verborum, sequitur ordinem verborum Domini dicentis, *Et dicite ei*, *Magister dicit.* Jam enim si quæras, Cui? recte respondetur, Illi cuidam homini, ad quem misisse insinuavit Evangelista, cum ex persona sua interposuisset, *ad quemdam :* minus quidem usitata locutio, sed tamen sic intellecta integerrima est; aut si habet aliquid proprietatis hebræa lingua, qua perhibetur scripsisse Matthæus, ut etiam totum ex persona Domini dictum locutionis integritate non careat, viderint qui noverunt. Sane ita posset etiam latine dici, si diceretur, Ite in civitatem ad quemdam, quem vobis demonstraverit homo qui vobis occurrerit lagenam aquæ portans : hoc modo jubenti sine ambiguitate posset obtemperari. Velut etiam si diceret, Ite in civitatem ad quemdam qui manet illo aut illo loco, in tali vel tali domo; cum expressione loci et designatione domus; posset intelligi, posset fieri. His autem atque hujusmodi cæteris tacitis indiciis qui dicit, Ite ad quemdam, et dicite ei, ideo non potest audiri, quia certum aliquem vult intelligi, cum dicit, ad quemdam, et non exprimit quomodo dignoscatur. Quod si ex persona Evangelistæ dictum illud interpositum acceperimus, erit quidem necessitate brevitatis subobscura locutio, sed tamen integra. Quod vero Marcus lagenam dicit, quam Lucas amphoram; ille vasis genus, ille modum significavit : uterque tamen veritatem sententiæ custodivit.

158. Sequitur Matthæus : *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis; et edentibus illis dixit : Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere : Numquid ego sum, Domine?* etc., usque ad illud ubi ait, *Respondens autem Judas qui tradidit eum, dixit : Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi : Tu dixisti* (*Matth.* XXVI, 20-25). In his quæ consideranda nunc proposuimus, nihil afferunt quæstionis etiam cæteri Evangelistæ, qui talia commemorant (*Marc.* XIV, 17-21*; Luc.* XXII, 14-23, *et Joan.* XIII, 21-27).

LIBER TERTIUS.

In quo Evangelistarum a cœnæ narratione ad Evangelii finem concordia, collato simul ordineque digesto singulorum contextu, demonstratur.

PROLOGUS. — 1. Jam quoniam omnium quatuor narratio in eo versatur loco, in quo necesse est eos usque in finem pariter ambulare, nec multum digredi ab invicem, sicubi forte alius aliquid commemorat, quod alius prætermittit; videtur mihi expeditius nos demonstrare posse omnium Evangelistarum convenientiam, si ab hoc jam loco omnium omnia contexamus, et in unam narrationem faciemque [1] digeramus. Sic ergo arbitror commodius faciliusque id quod suscepimus explicari, ut aggrediamur narrationem omnia commemorantes, cum eorum Evangelistarum attestatione, qui ex his omnibus [2] quisque quod potuit aut quod voluit commemoravit : ut tamen ab omnibus hæc omnia dicerentur, quæ demonstrandum est in nullo sibi esse contraria.

CAPUT PRIMUM. — *De cœna Domini et de expresso traditore ejus, quemadmodum inter se quatuor conveniant.*

2. Hinc igitur incipiamus secundum Matthæum : *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite, et comedite; hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI, 26). Hæc et Marcus Lucasque commemorant (*Marc.* XIV, 17-22, *et Luc.* XXII, 14-23). Quod enim Lucas de calice bis commemoravit, prius antequam panem daret, deinde posteaquam panem dedit; illud quod superius dixit, præoccupavit ut solet; illud vero quod ordine suo posuit, non commemoraverat superius : utrumque autem conjunctum hanc sententiam facit, quæ et illorum est. Joannes autem de corpore et sanguine Domini hoc loco nihil dixit, sed plane alibi multo uberius hinc Dominum locutum esse testatur [1] (*Joan.* VI, 32-64). Nunc vero cum Dominum a cœna surrexisse et pedes discipulorum lavisse commemorasset, reddita etiam ratione cur eis hoc fecerit, in qua Dominus adhuc clause significaverat per testimonium Scripturæ, ab eo se tradi qui manducaret ejus panem; venit ad hunc locum, quem tres cæteri pariter insinuant : *Cum hæc dixisset*, inquit, *Jesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit : Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Aspiciebant ergo*, sicut idem ipse Joannes subnectit, *ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret* (*Id.* XIII, 2-32). *Et contristati*, sicut Matthæus et Marcus dicunt, *cœperunt ei singillatim dicere : Numquid ego sum? At ipse respondens ait*, sicut Matthæus sequitur, *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Et sequitur idem Matthæus ita subnectens : *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo : væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur! bonum erat ei si natus non fuisset homo ille :* in his et Marcus hoc etiam ordine consonat. Deinde Matthæus subjungit : *Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit : Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi : Tu dixisti.* Etiam hic non expressum est, utrum ipse esset. Potest enim adhuc intelligi, tanquam, Non ego dixi : potuit etiam hoc sic dici a Juda et a Domino responderi, ut non omnes adverterent.

[1] Apud Rat. et Er., *seriemque.*
[2] Sic Mss. At editi Er. et Lov., *cum eorumdem Evangelistarum attestatione quid ex his,* etc.

[1] Mss. optimæ notæ Corbeiensis et Remigiensis, præter alios paucos, omittunt, *hinc Dominum locutum esse testatur :* at habent tamen cum cæteris verba illa, *sed plane alibi multo uberius.*

3. Deinde sequitur Matthæus et inserit mysterium corporis et sanguinis a Domino discipulis datum, sicut et Marcus et Lucas. Sed cum tradidisset calicem, rursus de traditore suo locutus est, quod Lucas persequitur dicens : *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa : et quidem Filius hominis secundum quod definitum est vadit; verumtamen væ homini illi per quem tradetur!* Hic jam intelligendum est illud consequi quod Joannes narrat, isti autem prætermiserunt; sicut Joannes quædam prætermisit quæ illi dixerunt. Cum ergo post traditum calicem dixisset Dominus, quod a Luca positum est, *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa*, etc., conjungitur illud secundum Joannem : « Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus : innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei : Quis est de quo dicit? Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei : Domine, quis est? Respondit Jesus : Ille cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Scarioth. Et post buccellam, tunc introiit in illum satanas. »

4. Hic videndum est, ne non solum Lucæ, qui jam dixerat intrasse satanam in cor Judæ, quando pactus est tunc cum Judæis, ut eum accepta pecunia traderet, sed etiam sibi ipse Joannes repugnare videatur, qui jam dixerat superius, antequam istam buccellam acciperet. *Et cœna facta, cum jam diabolus immisisset in cor ut traderet eum Judas.* Quomodo enim intrat in cor, nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationibus iniquorum [1]? Sed nunc intelligere debemus a diabolo Judam plenius esse possessum : sicut contra in bono, illi qui jam acceperant Spiritum sanctum, quando eis post resurrectionem insufflavit dicens, *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* xx, 22); postea cum, cum desuper missus esset die Pentecostes, utique plenius acceperunt. Post buccellam ergo tunc introiit in eum satanas : « Et, » sicut contextim Joannes ipse commemorat, « dicit ei Jesus : Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quia dixit ei Jesus [2], Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum; aut egenis ut aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiit continuo. Erat autem nox. Cum ergo exisset, dicit Jesus : Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo : et si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso, et continuo clarificabit eum. »

CAPUT II. — *De prædicta negatione Petri, quemadmodum ostendantur nihil inter se repugnare.*

5. « Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me; et, sicut dixi Judæis, quo ego vado vos non potestis venire : et vobis dico modo. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Dicit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis? Respondit Jesus : Quo ego vado non potes me modo sequi; sequeris autem postea. Dicit ei Petrus : Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam. Respondit Jesus : Animam tuam pro me pones? amen, amen dico tibi, non cantabit gallus donec ter me neges » (*Joan.* XIII, 33-38). Hoc de prædicta negatione sua Petro non solus Joannes, ex cujus Evangelio modo ista interposui, sed et cæteri tres commemorant (*Matth.* XXVI, 30-35; *Marc.* XIV, 26-31, *et Luc.* XXII, 31-34). Non sane omnes ex una eademque occasione sermonis ad eam commemorandam veniunt : nam Matthæus et Marcus pari prorsus ordine et eodem narrationis suæ loco eam subnectunt ambo, posteaquam Dominus egressus est ex illa domo, ubi manducaverant Pascha; Lucas vero et Joannes, antequam inde esset egressus. Sed facile possemus intelligere aut illos duos eam recapitulando posuisse, aut istos præoccupando; nisi magis moveret quod tam diversa, non tantum verba, sed etiam sententias Domini præmittunt, quibus permotus Petrus illam præsumptionem proferret, vel cum Domino vel pro Domino moriendi, ut magis cogant intelligi ter eum expressisse præsumptionem suam diversis locis sermonis Christi, et ter illi a Domino responsum quod cum esset ante galli cantum ter negaturus.

6. Neque enim incredibile est, aliquantum disjunctis intervallis temporis Petrum commotum esse ad præsumendum, sicut ad negandum; vel ei Dominum aliquid ter similiter respondisse : quandoquidem etiam contextim, nullis aliis interpositis rebus aut verbis, post resurrectionem ter illum interrogaverit utrum eum amet, et ei ter hoc idem respondenti etiam ipse mandatum de pascendis ovibus suis unum idemque ter præceperit (*Joan.* XXI, 15-17). Hoc autem esse credibilius, quod ter ostenderit præsumptionem suam Petrus, et de trina sua negatione ter a Domino audierit, ex ipsis Evangelistarum verbis, quæ a Domino dicta diverse ac diversa commemorant, sic probatur. Ecce meminerimus quod nunc interposui ex Evangelio Joannis; hoc certe dixerat : « Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me; et, sicut dixi Judæis, quo ego vado vos non potestis venire : et vobis dico modo. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Dicit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis? » Nempe hic manifestum est, ex illis verbis motum esse Petrum ut diceret, *Domine, quo vadis?* quia dicentem audierat, *Quo ego vado vos non potestis venire.* Respondit Jesus eidem Petro : *Quo ego vado non potes me sequi modo; sequeris autem postea.* Tunc ille : *Quare non possum*, inquit, *sequi te modo? animam meam pro te ponam.* Huic præsumptioni respondit Dominus futuram ejus negationem. Lucas autem cum commemorasset dixisse Dominum, *Simon, ecce satanas expetivit vos ut*

[1] Sic Mss. Editi autem, *persuasiones cogitationum iniquarum.*
[2] Mss. prope omnes, *dicit ei Jesus.* Duo e Vat. et Rat., *dixerit.* Græc., *légei.*

cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua ; et tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos ; tunc subjecit Petrum respondisse, *Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. Et ille dixit : Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.* Quam hoc aliud sit, aliud illud unde Petrus ad præsumendum permotus sit, quis non videat? At vero Matthæus, *Et hymno dicto*, inquit, *exierunt in montem Oliveti. Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Sic prorsus et Marcus. Quid habent etiam hæc verba vel sententiæ simile illis [1], vel quibus secundum Joannem, vel quibus secundum Lucam, Petrus retulit præsumptionem suam? Et hic ergo ita sequitur : *Respondens autem Petrus, ait illi : Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus : Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt.*

7. Hæc pene ipsis verbis etiam Marcus commemorat, nisi quod non generaliter, sed distinctius, quemadmodum futurum esset, expressit dictum a Domino, *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus.* Cum itaque omnes dicant prædixisse Dominum quod eum Petrus esset negaturus antequam gallus cantaret, non autem omnes dicant quoties gallus cantaret, Marcus hoc solus narravit expressius. Unde nonnullis videtur non congruere cæteris, quia parum attendunt, et maxime eorum obnubilatur intentio, cum adversus Evangelium animo induuntur hostili. Tota enim Petri negatio, trina negatio est. In eadem namque permansit trepidatione animi, propositoque mendacii, donec admonitus quid ei prædictum sit, amaro fletu et cordis dolore sanaretur. Hæc autem tota, id est trina negatio, si post primum galli cantum inciperet, falsum dixisse viderentur tres : quorum Matthæus dixit, *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis ;* Lucas autem, *Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me ;* Joannes autem, *Amen, amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.* Diversis enim verbis et verborum ordine eamdem explicaverunt sententiam dixisse Dominum, quod antequam gallus cantaret, ter eum Petrus esset negaturus. Rursus si totam trinam negationem ante peregisset, quam cantare gallus inciperet, superfluo dixisse Marcus deprehenderetur ex persona Domini, *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus bis vocem dederit, ter me negaturus es.* Quid enim attinebat dicere, *priusquam bis*, quando, si ante primum galli cantum tota illa trina negatio compleretur, simul et ante secundum, et ante tertium, et ante omnes galli cantus ejusdem noctis completa inveniretur, quæ ante ipsum primum completa probaretur? Sed quia ante primum galli cantum cœpta est illa trina negatio, attenderunt illi tres, non quando eam completurus esset Petrus, sed quanta [1] futura esset, et quando cœptura ; id est, quia trina, et quia ante galli cantum : quanquam in animo ejus, et ante primum galli cantum tota possit intelligi. Quamvis enim verbis negantis ante primum cœpta, ante secundum autem galli cantum peracta sit tota illa trina negatio ; tamen affectione animi et timore Petri ante primum tota concepta est [2]. Nec interest quantis morarum intervallis trina voce enuntiata sit, cum cor ejus etiam ante primum galli cantum tota possederit, tam magna scilicet formidine imbibita, ut posset Dominum, non solum semel, sed iterum et tertio interrogatus negare, ut rectius diligentiusque attendentibus [3], quomodo jam mœchatus est mulierem in corde suo qui eam viderit ad concupiscendum (*Matth.* v, 28); sic Petrus quandocumque verbis ederet timorem, quem tam vehementem animo conceperat, ut perdurare posset usque ad tertiam Domini negationem, tota trina negatio ei tempori deputanda est, quando eum trinæ negationi sufficiens timor invasit : ex quo etiam si post primum galli cantum inciperent, pulsato interrogationibus pectore, verba illa negationis erumpere, nec sic absurde atque mendaciter ante galli cantum ter negasse diceretur, quando ante galli cantum tantus timor obsederat mentem, qui cum [4] posset usque ad tertiam negationem perducere. Multo minus igitur movere debet, quia trina negatio etiam trinis negantis vocibus ante galli cantum cœpta, etsi non ante primum galli cantum peracta est. Tanquam si alicui diceretur, Hac nocte, antequam gallus cantet, ad me scribes epistolam, in qua mihi ter conviciaberis : non utique si eam ante omnem galli cantum scribere inciperet, et post primum galli cantum finiret, ideo dicendum erat falsum fuisse prædictum. Marcus ergo de ipsarum vocum intervallis planius elocutus est, qui dixit ex persona Domini, *Priusquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus.* Ita gestum esse apparebit, cum ad eumdem locum narrationis evangelicæ venerimus, ut etiam illic ostendatur Evangelistas sibi congruere.

8. Si autem quæruntur ipsa omnino verba quæ Petro Dominus dixerit; neque inveniri possunt, et superfluo quæruntur; cum sententia ejus, propter quam cognoscendam verba proferuntur, etiam in diversis Evangelistarum verbis possit esse notissima. Sive ergo diversis sermonum Domini locis commotus Petrus singillatim ter enuntiaverit præsumptionem suam, et ter ei Dominus suam negationem prædixerit, sicut probabilius indagatur; sive aliquo narrandi ordine possint omnium Evangelistarum commemorationes in unum redigi, quibus demonstretur semel Dominum prædixisse Petro præsumenti quod eum negaturus

[1] Sic legendum cum Mss. et editione Ratisponensi; non autem uti apud Er. et Lov., *qui habet etiam hæc verba vel sententiam similem.*

[1] Lov., *quando.* Sed melius editi alii et Mss., *quanta.*
[2] Ita Mss. et Rat. At Er. et Lov., *cœpta est.*
[3] In sex Mss. additum hic est, *videtur.*
[4] In Mss. prope omnibus et Rat., *eam.*

esset; nulla hic Evangelistarum repugnantia deprehendi poterit, sicut nulla est.

CAPUT III. — *De his quæ dicta sunt a Domino donec exiret de domo ubi cœnaverant, quemadmodum nihil discrepare monstrentur.*

9. Nunc ergo quantum possumus, ipsum ex omnibus ordinem jam sequamur. Cum itaque secundum Joannem hoc Petro prædictum esset, sequitur idem Joannes, et conserit Domini sermonem, dicentis : *Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite: in domo Patris mei mansiones multæ sunt*, etc. Sermonis ejus præclara maximeque sublimia diu narrat, donec contextim veniat ad illum locum, ubi ait Dominus : *Pater juste, et* [1] *mundus te non cognovit; ego autem te cognovi : et ii cognoverunt quia tu me misisti; et notum eis feci nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis* (*Joan.* XIV-XVII). Cum autem *facta* esset *contentio inter eos, quis eorum videretur esse major*, sicut Lucas commemorat, *dixit eis : Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut junior* [2]; *et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat : vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel. Ait autem Dominus Simoni*, sicut Lucas ipse subjungit, *Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Qui dixit ei : Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. Et ille dixit : Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis : Quando misi vos sine sacculo et perâ et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt : Nihil. Dixit ergo eis : Sed nunc qui habet sacculum, tollat; similiter et peram : et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me, Et cum injustis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt : Domine, ecce gladii duo hic. At ille dixit eis : Satis est* (*Luc.* XXII, 24-38). *Et hymno dicto*, sicut Matthæus Marcusque commemorant, *exierunt in montem Oliveti. Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus, ait illi : Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus : Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt* (*Matth.* XXVI, 30-35). Hæc secundum Matthæum inseruimus : sed et Marci pene ipsa et totidem verba sunt (*Marc.* XIV, 26-31), nisi quia distat illud quod de galli cantu jam supra enodavimus.

CAPUT IV. — *De his quæ gesta sunt in illo prædio vel horto, quo ex illa domo post cœnam venerunt, quomodo trium, id est Matthæi, Marci et Lucæ consonantia demonstretur, quoniam Joannes de hoc tacet.*

10. Contexit ergo narrationem Matthæus, et dicit : *Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani* (*Matth.* XXVI, 36-46). Hoc dicit et Marcus (*Marc.* XIV, 32-42); hoc et Lucas non expresse nominato prædio, cum ait : *Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum : secuti sunt autem illum et discipuli. Et cum pervenisset ad locum dixit illis : Orate ne intretis in tentationem* (*Luc.* XXII, 39-46). Iste locus est, cujus nomen illi dixerunt Gethsemani. Ibi fuisse intelligimus hortum, quem commemorat Joannes, ita narrans : « Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus » (*Joan.* XVIII, 1). Deinde, secundum Matthæum, « dixit discipulis : Sedete hic, donec vadam illuc et orem. Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse. Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic et vigilate mecum. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens : Mi Pater, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad discipulos, et invenit eos dormientes; et dicit Petro : Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundo abiit et oravit, dicens : Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, et invenit eos dormientes : erant enim oculi eorum gravati. Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eumdem sermonem dicens. Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis : Dormite jam, et requiescite : ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus; ecce appropinquavit qui me tradet. »

11. Hæc etiam Marcus, eoque prorsus modo atque ordine conserit, aliquando brevius quasdam constringens sententias, et aliquid magis aperiens. Nam videtur hic sermo secundum Matthæum tanquam sibi ipsi contrarius, quod post tertiam orationem venit ad discipulos suos et dicit illis, *Dormite jam, et requiescite : ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus; ecce appropinquavit qui me tradet.* Quomodo enim supra, *Dormite jam, et requiescite*, cum connectat, *ecce ap-*

[1] In editis omissa erat particula, *et*; quæ hic in melioris notæ Mss. habetur, necnon in antiquis Corbeiensibus Bibliis [illegible] græco.

[2] [illegible], *sicut minor*. At Mss., *sicut junior* : sic etiam antiqua Corbeiensia Biblia et Augustini Speculum; juxta græc. *os o neoteros*.

propinquavit hora; et ideo dicat, *Surgite, eamus?* Qua velut repugnantia commoti qui legunt, conantur ita pronuntiare quod dictum est, *Dormite jam, et requiescite,* tanquam ab exprobrante, non a permittente sit dictum. Quod recte fieret, si esset necesse: cum vero Marcus ita hoc commemoraverit, ut cum dixisset, *Dormite jam, et requiescite,* adjungeret, *sufficit;* et deinde inferret, *Venit hora; ecce tradetur Filius hominis:* utique intelligitur post illud quod eis dictum est, *Dormite jam, et requiescite,* siluisse Dominum aliquantum, ut hoc fieret quod permiserat; et tunc intulisse, *ecce appropinquavit hora.* Ideo post illa verba secundum Marcum positum est, *sufficit,* id est, quod requievistis jam sufficit. Sed quia commemorata non est ipsa interpositio silentii Domini, propterea coarctat intellectum, ut in illis verbis alia pronuntiatio requiratur.

12. Lucas autem prætermisit quoties oraverit: dixit sane quod isti tacuerunt, et orantem ab angelo confortatum, et prolixius orantis sudorem fuisse sanguineum, et guttas decurrentes in terram. Cum ergo dicit, *Et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos,* non expressit quota oratione: nihilo tamen illis duobus repugnat. Joannes vero posteaquam in hortum ingressum dicit cum discipulis suis, non commemorat quid illic egerit, donec ejus traditor cum Judæis ad eum comprehendendum veniret.

13. Tres igitur isti eamdem rem ita narraverunt, sicut etiam unus homo ter posset [1] cum aliquanta varietate, nulla tamen adversitate. Lucas enim, quantum ab eis progressus, id est avulsus fuerit ut oraret, manifestius aperuit, dicens, *quantum jactus est lapidis.* Porro autem Marcus primo ex verbis suis idem narravit rogasse Dominum, *ut si fieri posset, transiret ab eo illa hora,* id est passionis, quam calicis nomine mox significavit. Deinde verba ipsa Domini sic enuntiavit: *Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt; transfer calicem hunc a me.* Quibus verbis si adjungas quod illi duo dixerunt, et quod ipse etiam Marcus ex persona sua pariter supra posuit, ita sententia manifestatur, *Pater, si fieri potest, omnia* enim *tibi possibilia sunt, transfer calicem istum a me;* ne quis eum putaret Patris minuisse potestatem, cum ait, *si fieri potest:* non enim dixit, Si facere potes; sed, *si fieri potest:* fieri autem potest quod ille voluerit. Sic itaque dictum est, *si fieri potest,* ac si diceretur, *si vis.* Manifestavit enim Marcus quo intellectu accipiendum sit, *si fieri potest,* quando ait, *omnia tibi possibilia sunt.* Et quod commemoraverunt eum dixisse, *Verum non quod ego volo, sed quod tu* (quod tantumdem valet, quantum si et ita dicatur, *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*), satis ostendit non ex impossibilitate, sed ex voluntate Patris dictum esse, *si fieri potest:* præsertim quia Lucas et hoc ipsum planius intimavit: non enim ait, *si fieri potest;* sed, *si vis.* Cui apertiori sententiæ apertius jungitur quod Marcus posuit, ut ita dicatur: *Si vis, omnia* enim *tibi possibilia sunt, transfer a me calicem istum.*

14. Quod autem ipse Marcus, non solum *Pater,* sed *Abba, Pater,* eum dixisse commemorat, hoc est *Abba* hebraice, quod est latine *Pater.* Et fortasse Dominus propter aliquod sacramentum utrumque dixerit, volens ostendere illam se tristitiam in persona sui corporis, id est Ecclesiæ, suscepisse, cui factus est angularis lapis, venienti ad eum partim ex Hebræis, ad quos pertinet quod ait, *Abba;* partim ex Gentibus, ad quas pertinet quod ait, *Pater* (*Ephes.* II, 11-22). Etiam Paulus apostolus non prætermittens hoc sacramentum, *In quo clamamus,* inquit, *Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 15): et iterum ait, *Misit Deus Spiritum suum in corda vestra, clamantem Abba, Pater* (*Galat.* IV, 6). Oportuit enim ut bonus magister et verus salvator infirmioribus compatiens, in se ipso demonstraret non debere suos martyres desperare, si qua forte cordibus eorum irreperet sub tempus passionis ex humana fragilitate tristitia, cum eam vincerent, voluntati suæ præponendo voluntatem Dei, quia ille scit quid expediat quibus consulit. De qua tota re non nunc tempus est ut uberius disseratur: agitur enim modo de convenientia Evangelistarum, in quorum diversitate verborum salubriter discimus non aliud in verbis ad audiendam veritatem, quam sententiam loquentis esse requirendam. Hoc est enim *Pater,* quod *Abba, Pater:* sed ad sacramentum intimandum, planius est *Abba, Pater;* ad unitatem significandam, sufficit *Pater.* Et Dominum quidem *Abba, Pater,* dixisse credendum est: sed tamen non eluceret sententia, nisi aliis dicentibus *Pater,* demonstraretur sic esse illas duas Ecclesias ex Judæis et Græcis, ut etiam una sit. Ex illo ergo intellectu dictum est, *Abba, Pater,* quo idem Dominus alibi ait, *Habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovili;* Gentes utique significans, cum haberet oves etiam in populo Israel. Sed quia secutus adjecit, *Oportet me et eas adducere, ut sit unus grex et unus pastor* (*Joan.* X, 16); quantum valet ad Israelitas et Gentes, *Abba, Pater,* tantum ad unum gregem, solum *Pater.*

CAPUT V. — *De his quæ in ejus apprehensione facta et dicta omnes commemorant, quomodo inter se nihil appareat dissentire.*

15. *Adhuc* ergo *ipso loquente,* sicut dicunt Matthæus et Marcus, *ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, a principibus* [1] *sacerdotum et senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave, rabbi. Et osculatus est eum* (*Matth.* XXVI, 47-56, *et Marc.* XIV, 43-50). Dixitque illi primo, quod ait Lucas, *Juda, osculo Filium hominis tradis* (*Luc.* XXII, 47-53)? deinde quod Matthæus, *Amice, ad quid venisti?* Deinde dixit, quod Joannes commemorat: *Quem quæritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis: ut ergo dixit eis, Ego sum,*

[1] Hic in editis additum fuerat, *loqui:* superfluo, cum optime subaudiatur, narrare.

[1] Editi, *missi a principibus.* Abest vox, *missi,* a melioris notæ Mss., nec est in græco.

abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Iterum ergo eos interrogavit : Quem quæritis? Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum. Respondit Jesus : Dixi vobis quia ego sum : si ergo me quæritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo quem dixit, Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex ipsis quemquam (*Joan.* XVIII, 2-11).

16. *Videntes autem*, sicut Lucas dicit, *ii qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio? Et percussit unus ex ipsis*, quod omnes quatuor dicunt, *servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam ejus*, sicut Lucas et Joannes dicunt, *dexteram*. Qui autem percussit, secundum Joannem Petrus erat : quem percussit autem, Malchus vocabatur. Deinde quod Lucas dicit, *Respondens Jesus ait : Sinite usque huc*; et adjunxit quod Matthæus commemorat, *Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?* His verbis adjungi potest quod illum eo loco dixisse Joannes commemorat, *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis bibam illum?* Tunc, sicut Lucas dicit, tetigit auriculam illius qui percussus erat, et sanavit eum.

17. Nec moveat quasi contrarium sit quod Lucas dixit, interrogantibus discipulis si percuterent in gladio, Dominum respondisse, *Sinite usque huc* : quasi post illam percussionem ita dictum fuerit, ut placuerit ei usque huc factum, sed amplius fieri noluerit; cum in verbis quæ Matthæus posuit, intelligatur potius totum factum quo usus est gladio Petrus, Domino displicuisse. Illud enim verius est, quod cum eum interrogassent dicentes, *Domine, si percutimus in gladio?* tunc respondit, *Sinite usque huc* : id est, non vos moveat quod futurum est; permittendi sunt huc usque progredi, hoc est, ut me apprehendant, et impleantur quæ de me scripta sunt. Sed inter moras verborum interrogantium Dominum et illius respondentis, Petrus defensionis aviditate et majori pro Domino commotione percussit : sed non potuerunt etiam simul dici, quæ simul fieri potuerunt. Non enim diceret, *Respondens autem Jesus*, nisi illorum interrogationi responderet, non facto Petri. Nam de facto Petri quid judicaverit, Matthæus solus dixit. Ubi etiam non dixit Matthæus, Respondit Jesus Petro, Converte gladium tuum; sed dixit. *Tunc ait illi Jesus, Converte gladium tuum* : quod post factum apparet dixisse Dominum. Illud vero quod Lucas posuit, *Respondens autem Jesus ait, Sinite usque huc*, illis qui interrogaverant responsum esse accipiendum est : sed quia, ut diximus, inter verba interrogantium et respondentis Domini, facta est uno ictu percussio, hoc ordine judicavit esse narrandum, ut etiam inter verba interrogationis et responsionis eam insereret. Non est ergo contrarium hoc ei quod dixit Matthæus, *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*, id est, qui usi fuerint gladio. Videri autem posset contrarium, si Dominus ex illa responsione, saltem usque ad unum, nec ipsum lethale vulnus, usum tamen gladii spontaneum approbasse demonstraretur. Quanquam etiam Petro dictum totum congruenter intelligi possit, ut sic connectatur et quod Lucas et quod Matthæus retulit, quemadmodum supra commemoravi, *Sinite usque huc*; et, *converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*, etc. Quomodo autem sit intelligendum, *Sinite usque huc*, jam exposui : et si aliter melius potest, ita sit; dum tamen Evangelistarum veritas constet.

18. Postea sequitur Matthæus, et commemorat eum in illa hora dixisse turbis : *Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis.* Tunc addidit etiam verba quæ Lucas ponit : *Sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. Hoc autem totum factum est*, sicut Matthæus dicit, *ut implerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt*; sicut et Marcus dicit. *Sequebatur autem illum unus adolescens amictus sindone*, sicut idem Marcus commemorat; *et cum tenuissent eum, rejecta sindone nudus profugit ab eis.*

CAPUT VI. — *De his quæ gesta sunt cum duceretur Dominus ad domum principis sacerdotum, et quæ in ipsa domo cum nocte perductus esset, et maxime de Petri negatione, quemadmodum inter se omnes congruant.*

19. *At illi tenentes Jesum duxerunt ad Caipham, principem sacerdotum, ubi Scribæ et seniores convenerant*, sicut Matthæus dicit (*Matth.* XXVI, 57-75). Sed primo ad Annam ductus est, socerum Caiphæ, sicut Joannes dicit (*Joan.* XVIII, 12-27). Marcus autem et Lucas nomen non dicunt pontificis (*Marc.* XIV, 53-72, *et Luc.* XXII, 54-62). Ductus est autem ligatus, cum adessent in illa turba tribunus et cohors et ministri Judæorum, sicut Joannes commemorat. *Petrus autem sequebatur eum a longe usque in atrium principis sacerdotum : et ingressus intro sedebat cum ministris, ut videret finem*, sicut dicit Matthæus. *Et calefaciebat se ad ignem*, sicut in eo loco narrationis dicit Marcus. Hoc et Lucas commemorat, quod *Petrus sequebatur a longe : accenso autem igne in medio atrio, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum*. Et Joannes dicit, quod *sequebatur Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille* alius *erat notus pontifici, et introiit cum Jesu in atrium pontificis*, sicut Joannes dicit. *Petrus autem stabat ad ostium foris*, secundum eumdem Joannem. *Exiit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ, et introduxit Petrum*, sicut idem Joannes dicit. Sic enim factum est, ut intus esset et Petrus in atrio, sicut et alii dicunt.

20. *Principes autem sacerdotum et omne consilium*, sicut Matthæus dicit, *quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent : et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Convenientia* enim *testimonia non erant*, sicut Marcus dicit, cum eumdem locum commemoraret. *Novissime autem venerunt duo falsi testes*, sicut dicit Matthæus, *et dixerunt : Hic dixit, Possum destruere templum Dei, et post*

triduum reædificare[1] *illud.* Alios etiam Marcus commemorat dixisse, *Nos audivimus eum dicentem, Ego dissolvam templum hoc manu factum, et post triduum aliud non manu factum ædificabo : et* ideo *non erat conveniens testimonium illorum*, sicut idem Marcus ibidem dicit. *Et surgens princeps sacerdotum, ait illi : Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus : Tu dixisti ;* hæc Matthæus. Marcus autem eadem aliis verbis dicit, nisi quod tacet quod eum adjuraverit princeps sacerdotum : sed tantum valere ostendit quod ei dicit Jesus, *Tu dixisti*, quantum si diceret, *Ego sum.* Sequitur enim, ut ait idem Marcus : *Jesus autem dixit illi, Ego sum. Et videbitis Filium hominis a dextris sedentem virtutis, et venientem cum nubibus cœli.* Hoc dicit etiam Matthæus, sed non dicit respondisse Jesum, *Ego sum. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens : Blasphemavit; quid adhuc egemus testibus?* quod Matthæus commemorat, et sequitur, *Ecce nunc audistis blasphemiam. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt : Reus est mortis.* Hoc etiam testatur et Marcus. Et sequitur Matthæus : *Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt. Alii autem palmas in faciem ei dederunt, dicentes : Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit?* Hoc dicit et Marcus : commemorat etiam quod ei faciem velaverunt. De his quoque Lucas attestatur.

21. Hæc intelligitur passus Dominus usque ad mane in domo principis sacerdotum, quo prius adductus est, ubi etiam Petrus tentatus est. Sed de Petri tentatione, quæ inter has Domini contumelias facta est, non eodem ordine omnes narrant : nam ipsas primo commemorant Matthæus et Marcus, deinde Petri tentationem; Lucas vero explicat prius tentationem Petri, tum demum has Domini contumelias : Joannes autem incipit Petri tentationem dicere, et interponit quædam de contumeliis Domini, et adjungit quod inde missus est ad Caipham pontificem ; et inde recapitulat, ut explicet quam cœperat tentationem Petri in domo, quo primo adductus est, et redit ad ordinem, ubi ostendat quemadmodum ductus sit Dominus ad Caipham.

22. Sic ergo Matthæus sequitur : *Petrus vero sedebat foris in atrio, et accessit ad eum una ancilla dicens : Et tu cum Jesu Galilæo eras? At ille negavit coram omnibus dicens : Nescio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit illum alia ancilla, et ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento, Quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro : Vere et tu ex illis es; nam et loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari et jurare, quia non novisset hominem : et continuo gallus cantavit :* hæc dicit Matthæus. Intelligitur autem quod posteaquam exiit foras, cum jam semel negasset, gallus cantavit primus, quod Matthæus tacet, et Marcus dicit.

23. Non autem foris ante januam iterum negavit, sed cum rediisset ad focum : quando autem redierit, non opus erat commemorare. Marcus ergo sic illud narrat: *Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus, Quia hic ex illis est. At ille iterum negavit.* Hæc vero ancilla non eadem, sed alia est, sicut dicit Matthæus. Sane hoc quoque intelligitur, quia in secunda negatione a duobus compellatus est : et ab ancilla scilicet, quam commemorant Matthæus et Marcus; et ab alio, quem commemorat Lucas. Sic enim hoc narrat Lucas : *Petrus vero sequebatur a longe. Accenso autem igne in medio atrio, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat. At ille negavit eum, dicens : Mulier, non novi illum. Et post pusillum alius videns eum, dixit : Et tu de illis es.* Hoc ergo quod Lucas ait, *Et post pusillum*, jam egressus erat Petrus januam, et primus gallus cantaverat; jamque redierat, ut quemadmodum dicit Joannes, ad focum stans iterum negaret. Joannes enim in prima negatione Petri, non solum de primo galli cantu tacet, sicut cæteri, excepto Marco; sed etiam quod sedentem ad ignem cognoverit ancilla, non commemorat. Hoc enim tantum ait, *Dicit ergo Petro ancilla ostiaria : Numquid et tu de discipulis es hominis istius? Dicit ille : Non sum.* Deinde interponit quæ gesta sunt cum Jesu in eadem domo, quæ commemoranda arbitratus est, ita narrans : *Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat; et calefaciebant se : erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se.* Hic ergo jam intelligitur exiisse foras Petrum, et rediisse : primo enim sedebat ad ignem ; et postea jam rediens, stare cœperat.

24. Sed forte ait aliquis : Nondum exierat, surrexerat autem exiturus. Hoc potest dicere qui putat foris ante januam secundo interrogatum negasse. Videamus ergo Joannis sequentia : *Pontifex ergo*, inquit, *interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil : quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis : ecce ii sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes pontifici? Respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo ; si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.* Hic sane ostenditur quod Annas pontifex erat : nondum enim missus erat ad Caipham, cum jam illi diceretur, *Sic respondes pontifici?* Et hos duos, Annam et Caipham pontifices, commemorat etiam Lucas in initio Evangelii sui (*Luc.* III, 2). His dictis Joannes redit ad quod cœperat de negatione Petri, id est, ad eamdem domum, ubi gesta sunt quæ narravit, et unde ad Caipham missus est Jesus, ad quem ab initio ducebatur, sicut dixit Matthæus. Commemoravit autem ista Joannes quæ interposuit recapitulans de Petro, et ad eam narrationem rediens, ita dicit, ut compleat trinam negationem : *Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei*,

[1] Plerique Mss., *ædificare :* juxta græc., *oicodomêsai.*

Numquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, et dixit : Non sum. Hoc igitur loco invenimus, et non ante januam, sed ad focum stantem, secundo negasse Petrum : quod fieri non posset, nisi jam rediisset, posteaquam foras exierat. Neque enim jam exierat, et foris eum vidit altera ancilla : sed cum exierat, eum vidit, id est, cum surgeret ut exiret, animadvertit eum, et dixit his qui erant ibi, id est, qui simul erant ad ignem intus in atrio, *Et hic erat cum Jesu Nazareno.* Ille autem qui foras exierat, hoc audito, rediens juravit illis contra nitentibus, *Quia non novi hominem.* Nam et Marcus sic ait de eadem ancilla : *Et cœpit dicere circumstantibus, Quia hic ex illis est.* Dicebat enim non illi, sed his qui illo exeunte ibi remanserant, sic tamen ut ille audiret : unde rediens, et rursus ad ignem stans, resistebat negando verbis eorum. Deinde in eo quod Joannes ait, *Dixerunt, Numquid et tu ex discipulis ejus es?* quod redeunti et stanti dictum intelligimus, quod quoque confirmatur, non illam tantum alteram ancillam, quam commemorant in hac secunda negatione Matthæus et Marcus, sed et alium quem commemorat Lucas, cum Petro id egisse; unde Joannes dicit, *Dixerunt ergo ei.* Quapropter sive posteaquam illo exeunte dixit ancilla his qui secum erant in atrio, *quia hic ex illis est*, hoc audito ille regressus est, ut se quasi purgaret negando : sive, quod est credibilius, non audivit quid de illo dictum fuerit, cum foras exiret, et posteaquam rediit, dixerunt ei ancilla, et ille alius quem Lucas commemorat, *Numquid et tu ex discipulis ejus es? et dixit, Non sum :* pertinacius insistente illo de quo Lucas ait, atque dicente, *Et tu de illis es;* cui Petrus ait, *O homo, non sum.* Liquido tamen colligitur, collatis de hac re omnibus Evangelistarum testimoniis, non ante januam secundo Petrum negasse, sed intus in atrio ad ignem. Matthæum autem et Marcum, qui commemoraverunt exiisse eum foras, regressum ejus brevitatis causa tacuisse.

25. Nunc jam de tertia negatione inspiciamus eorum congruentiam, quam Matthæum solum jam explicasse meminerimus. Sequitur ergo Marcus et dicit : *Et post pusillum rursus qui adstabant, dicebant Petro : Vere ex illis es; nam et Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare et jurare, Quia nescio hominem istum quem dicitis. Et statim iterum gallus cantavit.* Lucas autem ita secutus, hoc idem narrat : *Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens : Vere et hic cum illo erat; nam et Galilæus est. Et ait Petrus : Homo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente, cantavit gallus.* Joannes secutus de tertia Petri negatione, ita explicat : *Dicit unus ex servis pontificis, cognatus ejus cujus abscidit Petrus auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negavit Petrus, et statim gallus cantavit.* Quod igitur Matthæus et Marcus dicunt, *post pusillum*, quantum esset hoc temporis, manifestat Lucas dicendo, *Et intervallo facto quasi horæ unius :* de hoc autem intervallo tacet Joannes. Item quod Matthæus et Marcus non singulari, sed plurali numero enuntiant eos qui cum Petro agebant, cum Lucas unum dicat, Joannes quoque unum, eumque cognatum ejus, cujus abscidit Petrus auriculam; facile est intelligere, aut pluralem numerum pro singulari, usitata locutione usurpasse Matthæum et Marcum; aut quod unus maxime tanquam sciens, et qui eum viderat, affirmabat, cæteri autem secuti ejus fidem, Petrum simul urgebant : unde duos Evangelistas compendio pluralem numerum posuisse; alios autem duos eum solum significare voluisse, qui præcipuus in hoc erat. Jam vero illud quod Matthæus ipsi Petro dictum fuisse asserit, *Vere et tu ex illis es; nam et loquela tua manifestum te facit;* sicut Joannes eidem Petro dictum asseverat, *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* Marcus autem inter se illos de Petro locutos dicit, *Vere ex illis est; nam et Galilæus est* (*a*); sicut et Lucas, non Petro, sed de Petro dicit, *Alius quidam affirmabat dicens : Vere et hic cum illo erat; nam et Galilæus est :* aut sententiam intelligimus tenuisse eos qui compellatum dicunt Petrum; tantumdem enim valuit quod de illo coram illo dicebatur, quantum si illi diceretur : aut utroque modo actum, et alios illum, alios alium modum commemorasse. Galli autem cantum post tertiam negationem secundum intelligimus, sicut Marcus expressit.

26. Sequitur ergo Matthæus, ita dicens : *Et recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat, Priusquam gallus cantet, ter me negabis : et egressus foras, flevit amare.* Marcus autem ita dicit : *Recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Jesus, Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis : et cœpit flere.* Lucas autem sic ait : *Et conversus Dominus respexit Petrum : et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat, Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis : et egressus foras, Petrus flevit amare.* Joannes de recordatione et fletu Petri tacet. Sane in eo quod ait Lucas, quod *conversus Dominus respexit Petrum;* quomodo accipiendum sit, diligentius considerandum est. Quamvis enim dicantur etiam interiora atria, tamen in exteriore atrio fuit Petrus inter servos, qui simul se ad ignem calefaciebant : non est autem credibile quod ibi audiebatur Dominus a Judæis, ut corporalis fieret illa respectio. Namque cum dixisset Matthæus, *Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ei dederunt, dicentes : Prophetiza nobis, Christe; quis est qui te percussit?* Secutus est dicens, *Petrus vero sedebat foris in atrio;* quod non diceret, nisi illa cum Domino intus agerentur : et quantum colligitur in narratione Marci, non solum in interioribus, sed etiam in superioribus domus agebantur. Nam posteaquam Marcus talia narravit, secutus ait, *Et cum esset Petrus in atrio deorsum.* Sicut ergo eo quod Matthæus ait, *Petrus vero sedebat foris in atrio*, ostendit quod illa intus agerentur : sic eo quod dixit Marcus, *Et cum esset Petrus in atrio deorsum*, ostendit non solum in interioribus, sed etiam in superioribus gesta

(*a*) Forte legendum, *Marcus autem in quibusdam codicibus inter se illos*, etc. Nam paulo supra non secus ac in sacris Bibliis habetur hunc ipsum Marci locum retulit Aug. in hæc verba, *dicebant Petro, Vere ex illis es*, etc., quibus illa non de Petro inter se, sed ipsi Petro locuti narrantur.

quæ dixerat. Quomodo ergo respexit Petrum Dominus facie corporali? Quapropter mihi videtur illa respectio divinitus facta, ut ei veniret in mentem quoties jam negasset, et quid ei Dominus prædixisset, atque ita misericorditer Domino respiciente pœniteret eum, et salubriter fleret : sicut quotidie dicimus, Domine, respice me; et, Respexit eum Dominus, qui de aliquo periculo vel labore divina misericordia liberatus est : et sicut dictum est, *Respice, et exaudi me* (*Psal.* XII, 4); et *Convertere, Domine, et libera animam meam* (*Psal.* VI, 5) : ita dictum arbitror, *Conversus Dominus respexit Petrum*, *et recordatus est Petrus verbi Domini.* Denique cum frequentius soleant in narrationibus suis ponere Jesum quam Dominum, modo Lucas Dominum posuit dicens, *Conversus Dominus respexit Petrum*, *et recordatus est Petrus verbi Domini;* Matthæus autem et Marcus, quia de ista respectione tacuerunt, non verbi Domini, sed verbi Jesu eum recordatum esse dixerunt : ut etiam ex hoc intelligamus illam respectionem a Jesu, non humanis oculis, sed divinitus factam.

CAPUT VII. — *De his quæ mane gesta sunt, priusquam Pilato traderetur, quomodo Evangelistæ inter se non discrepent; et de testimonio Jeremiæ quod Matthæus propter Domini pretium interposuit, cum hoc in ejusdem prophetæ Scriptura non inveniatur.*

27. Sequitur ergo Matthæus, et dicit : *Mane autem facto*, *consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum*, *ut eum morti traderent : et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi* (*Matth.* XXVII, 1-10). Marcus similiter : *Et confestim mane*, inquit, *consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus et Scribis et universo concilio, vincientes Jesum duxerunt et tradiderunt Pilato* (*Marc.* XV, 1). Lucas autem posteaquam complevit narrando Petri negationem, recapitulavit quæ cum Domino gesta sunt, jam ut apparet, circa mane, atque ita contexuit narrationem : *Et viri qui tenebant illum*, *illudebant ei*, *cædentes; et velaverunt eum*, *et percutiebant faciem ejus*, *et interrogabant eum*, *dicentes : Prophetiza; quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et ut factus est dies*, *convenerunt seniores plebis et principes sacerdotum et Scribæ; et duxerunt illum in concilium suum, dicentes : Si tu es Christus*, *dic nobis. Et ait illis : Si vobis dixero*, *non credetis mihi ; si autem et interrogavero*, *non respondebitis mihi*, *neque dimittetis : ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei? Qui ait : Vos dicitis*, *quia ego sum. At illi dixerunt : Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus de ore ejus. Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt eum ad Pilatum* (*Luc.* XXII, 63; XXIII, 1). Hæc omnia narravit Lucas; ubi intelligitur quod etiam Matthæus et Marcus narraverunt, quod interrogatus sit Dominus utrum ipse esset Filius Dei, et quod dixerit, *Dico vobis*, *amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis*[1], *et venientem in nubibus cœli*, jam lucescente die gestum, quando Lucas dicit, *Et ut factus est dies :* atque ita narrat similia, etsi quid etiam ipse commemorat quod illi tacuerunt. Nocte autem intelligimus per falsos testes actum esse cum Domino, quod breviter commemoraverunt Matthæus et Marcus, Lucas tacuit, qui enarravit quæ circa mane sunt gesta. Nam et illi, id est Matthæus et Marcus, contexuerunt narrationem in iis quæ cum Domino acta sunt usque ad mane : sed postea redierunt ad narrandam Petri negationem; qua terminata redierunt ad mane, ut inde cætera contexerent, quousque perducerent[1] quæ cum Domino acta erant, sed nondum commemoraverant quod mane factum esset (*Matth.* XXVI, 59-75, *et Marc.* XIV, 55-72). Joannes quoque, cum ea quæ cum Domino gesta sunt ex quanta parte visum est, et Petri negationem totam commemorasset, *Adducunt ergo*, inquit, *Jesum ad Caipham in prætorium. Erat autem mane* (*Joan.* XVIII, 28) : ubi intelligimus aut aliquam fuisse causam quæ coegerit Caipham esse in prætorio, nec esse præsentem cum alii principes sacerdotum haberent de Domino quæstionem; aut in domo ejus fuisse prætorium (*a*) : tamen ad ipsum ab initio ducebatur, ad quem in extremo perductus est. Sed quia jam tanquam convictum reum adducebant, Caiphæ autem jam antea visum fuerat ut Jesus moreretur, nulla mora interposita est quin occidendus Pilato traderetur. Quæ igitur per Pilatum cum Domino gesta sunt, ita Matthæus narrat.

28. Ac primum excurrit inde, ut commemoret exitum Judæ traditoris, quem solus narravit, ita dicens : *Tunc videns Judas*, *qui eum tradidit*, *quia damnatus esset*, *pœnitentia ductus*, *retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus*, *dicens : Peccavi*, *tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo*, *recessit; et abiens*, *laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum acceptis argenteis*, *dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam*, *quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito*, *emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum : propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach*, *hoc est*, *Ager sanguinis*, *usque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati*, *quem appretiaverunt filii Israel*[2], *et dederunt eos in agrum figuli*, *sicut constituit mihi Dominus.*

29. Si quis autem movetur quod hoc testimonium non invenitur in Scriptura Jeremiæ prophetæ, et ideo putat fidei Evangelistæ aliquid derogandum; primo noverit non omnes codices Evangeliorum habere quod per Jeremiam dictum sit, sed tantummodo per prophetam. Possumus ergo dicere his potius codicibus

[1] Editi, *virtutis Dei.* Attamen vocem, *Dei*, hoc loco, non videmus in Mss., nec eam in antiquis Corbeiensibus Bibliis repræsentat versio Vulgata seu Matth. cap. 26, v. 64; seu Marc. cap. 14, v. 62, quibus locis abest etiam a textu græco.

[1] In septem Mss., *perduxerant.*

[2] In sacris Bibliis, *a filiis Israel.*

(*a*) Hujus lectionis difficultatem, ab exemplari scilicet profectam non sincero, quandoquidem in sacris Bibliis non *ad Caipham*, sed *a Caipha*, græc., *apo tou Kaipha* legimus, expedire conatur iterum in Joan. Tract. 114.

esse credendum, qui Jeremiæ nomen non habent; dictum est enim hoc per prophetam, sed Zachariam: unde putatur, codices esse mendosos qui habent nomen Jeremiæ, quia vel Zachariæ habere debuerunt, vel nullius, sicut quidam, sed tantum *per prophetam dicentem*, qui utique intelligitur Zacharias. Sed utatur ista defensione, cui placet: mihi autem cur non placeat, hæc causa est, quia et plures codices habent Jeremiæ nomen; et qui diligentius in græcis exemplaribus Evangelium consideraverunt, in antiquioribus græcis ita se perhibent invenisse: et nulla fuit causa cur adderetur hoc nomen, ut mendositas fieret; cur autem de nonnullis codicibus tolleretur, fuit utique causa, ut hoc audax imperitia faceret, cum turbaretur quæstione, quod hoc testimonium apud Jeremiam non inveniretur.

30. Quid ergo intelligendum est, nisi hoc actum esse secretiore consilio providentiæ Dei, qua mentes Evangelistarum sunt gubernatæ? Potuit enim fieri ut animo Matthæi Evangelium conscribentis pro Zacharia Jeremias occurreret, ut fieri solet, quod tamen sine ulla dubitatione emendaret, saltem ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in carne vivente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret recordationi suæ, quæ sancto Spiritu regebatur, non frustra occurrisse aliud pro alio nomen prophetæ, nisi quia ita Dominus hoc scribi constituit. Cur autem ita constituerit Dominus, prima illa causa utilissima debet facillime cogitari, etiam sic esse insinuatum ita omnes sanctos Prophetas uno spiritu locutos mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit, quam si omnium omnia Prophetarum uno unius hominis ore dicerentur: et ideo indubitanter accipi debere quæcumque per eos Spiritus sanctus dixit, et singula esse omnium, et omnia singulorum. Cum igitur, et quæ dicta sunt per Jeremiam tam sint Zachariæ quam Jeremiæ, et quæ dicta sunt per Zachariam tam sint Jeremiæ quam Zachariæ; quid opus erat ut emendaret Matthæus, cum aliud pro alio sibi nomen occurrens a se scriptum relegisset; ac non potius sequens auctoritatem Spiritus sancti, a quo mentem suam regi plus nobis ille utique sentiebat, ita hoc scriptum relinqueret, sicut eum admonendo constituerat ei Dominus, ad informandos nos tantam verborum suorum inter Prophetas esse concordiam, ut non absurde, imo congruentissime etiam Jeremiæ deputaremus quod per Zachariam dictum reperiremus? Si enim hodie quisquam volens alicujus verba indicare, dicat nomen alterius a quo dicta non sint [1], qui tamen sit amicissimus et familiaritate conjunctissimus illi cujus verba dicere voluit; et continuo recordatus alium pro alio se dixisse, ita se colligat atque corrigat, ut tamen dicat, Bene dixi; quid aliud intuens, nisi tantam inter ambos esse concordiam, inter illum scilicet cujus verba dicere voluit, et alium cujus ei nomen pro illius nomine occurrit, ut tale sit hoc istum dixisse, quale si ille dixisset? quanto magis hoc de Prophetis sanctis intelligendum et maxime commendandum fuit, ut omnium libros tanquam unius unum librum acciperemus, in quo nulla rerum discrepantia crederetur, sicut nulla inveniretur, et in quo major esset constantia veritatis, quam si omnia illa unus homo quamlibet doctissimus loqueretur? Quod ergo hinc argumentum sumere conantur vel infideles vel imperiti homines, quasi ad ostendendam dissonantiam sanctorum Evangelistarum, hoc potius debent assumere fideles et docti ad ostendendam unitatem sanctorum etiam Prophetarum.

31. Est et alia causa, quæ mihi videtur alio tempore diligentius pertractanda, ne amplius sermonem protendamus, quam hujus operis terminandi necessitas flagitat, cur hoc nomen Jeremiæ in testimonio Zachariæ sic manere permissum, vel potius sancti Spiritus auctoritate præceptum sit. Est apud Jeremiam, quod emerit agrum a filio fratris sui, et dederit ei argentum; non quidem sub hoc nomine pretii quod positum est apud Zachariam, triginta argenteis; verumtamen agri emptio non est apud Zachariam: quod autem prophetiam de triginta argenteis ad hoc interpretatus sit Evangelista, quod modo de Domino completum est, ut hoc esset pretium ejus, manifestum est; sed ad hoc pertinere etiam illud de agro empto quod Jeremias dixit, hinc potuit mystice significari, ut non hic Zachariæ nomen poneretur, qui dixit triginta argenteis, sed Jeremiæ, qui dixit de agro empto; ut lecto Evangelio atque invento nomine Jeremiæ, lecto autem Jeremia et non invento testimonio de triginta argenteis, invento tamen agro empto, admoneatur lector utrumque conferre, et inde sensum enucleare prophetiæ, quomodo pertineat ad hoc quod in Domino impletum est. Nam illud quod subjecit huic testimonio Matthæus cum ait, *Quem appretiaverunt filii Israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus*, nec apud Zachariam nec apud Jeremiam reperitur. Unde magis ex persona ipsius Evangelistæ accipiendum est eleganter et mystice insertum, quia hoc ex Domini revelatione cognoverit ad hanc rem, quæ de Christi pretio facta est, hujusmodi pertinere prophetiam. Liber quippe empti agri apud Jeremiam jubetur mitti in vas fictile (*Jerem.* XXXII, 9-44), et emitur hic de pretio Domini ager figuli, et hoc ad sepulturam peregrinorum, tanquam ad permansionem quietis eorum qui in hoc sæculo peregrinantes consepeliuntur Christo per Baptismum. Nam et illam emptionem agri hoc significare Jeremiæ dixit Dominus, quia erit permansio de captivitate liberatorum in illa terra. Hæc tanquam delineanda [1] arbitratus sum, cum admonerem quid in his propheticis testimoniis in unum redactis et evangelicæ narrationi collatis, diligentius attentiusque requiratur. Hæc interposuit Matthæus de Juda traditore.

CAPUT VIII. — *De his quæ apud Pilatum gesta sunt, quomodo inter se nihil dissentiant.*

32. Deinde sequitur, et dicit: « Jesus autem stetit ante præsidem, et interrogavit eum præses, dicens:

[1] In Mss. prope omnibus, *alterius a quo dicta sint.*

[1] In quatuor Mss., *delibanda.*

Tu es rex Judæorum? Dicit ei Jesus : Tu dicis. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer. Per diem autem solemnem consueverat præses dimittere populo unum vinctum quem voluissent : habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis dixit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis; Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad illum uxor ejus dicens : Nihil tibi et justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent. Respondens autem præses ait illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt : Barabbam. Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes : Crucifigatur. Ait illis præses : Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes : Crucifigatur. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus; vos videritis. Et respondens universus populus, dixit : Sanguis ejus super nos et super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbam; Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. » Hæc narravit Matthæus per Pilatum gesta de Domino (*Matth.* XXVII, 11-26).

33. Marcus quoque pene iisdem verbis et rebus concinit. Verba autem Pilati, quibus respondit populo petenti ut solemniter unus vinctus dimitteretur, ita refert : *Pilatus autem respondit eis, et dixit : Vultis dimittam vobis regem Judæorum?* Matthæus autem sic ait : *Congregatis ergo illis, dixit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis; Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?* Nulla quæstio est, quod tacet ipsos petiisse ut aliquis eis dimitteretur : sed quæri potest quæ verba Pilatus dixerit; utrum quæ a Matthæo, an quæ a Marco referuntur. Aliud enim videtur esse, *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jesum qui dicitur Christus?* aliud, *Vultis dimittam vobis regem Judæorum?* Sed quia christos reges dicebant, et qui dixit illum an illum, manifestum est eum quæsisse an vellent sibi dimitti regem Judæorum, id est Christum; nihil interest sententiæ, quod hic tacuit Marcus de Barabba, hoc solum volens dicere quod ad Dominum pertinebat; quandoquidem in eorum responsione satis et ipse ostendit, quem sibi dimitti voluerint : *Pontifices,* inquit, *concitaverunt turbam ut magis Barabbam dimitteret eis :* sequitur autem, et dicit, *Pilatus autem iterum respondens, ait illis : Quid ergo vultis faciam regi Judæorum?* Unde jam satis apparet, quod id Marcus velit ostendere, dicendo *regem Judæorum*, quod Matthæus dicendo *Christum*. Non enim dicebantur christi reges, nisi Judæorum : namque in eo etiam loco Matthæus ait, *Dicit illis Pilatus, Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus?* Ergo sequitur Marcus, *At illi iterum clamaverunt, Crucifige eum :* quod ille ait, *Dicunt omnes, Crucifigatur.* Et sequitur Marcus, *Pilatus vero dicebat eis, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, Crucifige eum.* Hoc Matthæus non dixit : sed quoniam dixit, *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret;* dixit etiam eum lavisse manus coram populo, ut innocentem se a sanguine justi significaret; quod item et Marcus et alii tacent : satis ostendit etiam Matthæus egisse præsidem cum populo, ut dimitteretur. Quod breviter significavit Marcus in eo quod refert Pilatum dixisse, *Quid enim mali fecit?* Deinde sic etiam ipse concludit, quæ per Pilatum cum Domino gesta sunt : *Pilatus autem,* inquit, *volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur :* hæc apud præsidem gesta narravit Marcus (*Marc.* XV, 2-15).

34. Lucas apud Pilatum gesta sic narrat : *Cœperunt autem accusare illum, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse.* Hoc illi duo Evangelistæ non dixerunt, cum tamen dicerent quod eum accusabant. Ergo iste etiam ipsa crimina quæ falsa objecerunt, aperuit. Tacuit autem quod ei dixit Pilatus, *Non respondes quidquam? Vide in quantis te accusant :* sed plane sequitur, et dicit quod etiam illi dixerunt, *Pilatus autem interrogavit eum, dicens : Tu es rex Judæorum? At ille respondens ait : Tu dicis.* Hoc autem Matthæus et Marcus commemoraverunt, antequam dicerent compellatum Jesum quod eis accusantibus non responderet. Nihil autem interest veritatis, quo ordine Lucas ista retulerit : quemadmodum nihil interest si alius aliquid tacet, quod alius commemorat; quemadmodum in consequentibus dicit : *Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas : Nihil invenio causæ in hoc homine. At illi invalescebant, dicentes : Commovet populum, docens per universam Judæam, et incipiens a Galilæa usque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset; et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat in illis diebus. Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde : erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audiret multa de illo; et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem illum multis sermonibus : at ipse illi nihil respondebat. Stabant etiam principes sacerdotum et Scribæ, constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die : nam antea inimici erant ad invicem.* Hæc omnia, id est, quod a Pilato ad Herodem Dominus missus est, et quæ ibi gesta sunt, Lucas solus indicat; etiamsi aliquid ibi ait simile, quod in aliis narrationum locis apud alios possit inveniri : cæteri autem ea tantum dicere voluerunt quæ apud Pilatum gesta sunt, quousque Dominus crucifigendus traderetur. Rediens ergo Lucas ad ea quæ apud præsidem gerebantur, unde digressus erat, ut narraret quod apud Herodem actum

est, ita sequitur : *Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum et magistratibus et plebe, dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his in quibus eum accusatis.* Hic intelligimus eum prætermisisse quemadmodum a Domino quæsierit, quid accusatoribus responderet. *Sed neque Herodes*, inquit : *nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum. Exclamavit autem simul universa turba dicens, Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam : qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad illos, volens dimittere Jesum. At illi succlamabant dicentes : Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum, et dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur, et invalescebant voces eorum.* Matthæus huic conatui Pilati, quo sæpius cum eis egit, volens ut dimitteretur Jesus, paucissimis verbis satis attestatus est, ubi ait, *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret :* quod non diceret nisi multum ille nisus esset; quamvis tacuerit, quoties hoc efficere tentaverit, ut erueret Jesum furori eorum. Et Lucas itaque ita concludit quod actum est apud præsidem : *Et Pilatus*, inquit, *adjudicavit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant ; Jesum vero tradidit voluntati eorum* (*Luc.* XXIII, 2-25).

35. Nunc eadem secundum Joannem consideremus, id est, quæ per Pilatum facta sunt. *Et ipsi*, inquit, *non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed manducarent Pascha. Exiit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Hoc videndum est, ne contrarium sit ei quod Lucas dicit, certa in eum dicta esse crimina; et dicit quæ dicta sint : *Cœperunt autem*, inquit, *accusare illum, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse.* Quod vero nunc secundum Joannem commemoravi, videntur Judæi noluisse dicere crimina, cum dixisset eis Pilatus, *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Responderunt enim, *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum :* videlicet ut eorum auctoritatem secutus, quid ei objiceretur desineret quærere; sed ob hoc tantum nocentem crederet, quod sibi ab eis tradi meruisset. Ergo intelligere debemus, et hoc dictum esse, et illud quod Lucas commemoravit. Multa enim dicta, et multa responsa sunt, unde cuique eorum quantum visum est decerpsit, et in narratione sua posuit quod satis esse judicavit. Nam et ipse Joannes dicit quædam quæ objecta sunt, quæ suis locis videbimus. Itaque sequitur : *Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi, Nobis non licet interficere quemquam : ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua esset morte moriturus. Introiit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei : Tu es rex Judæorum? Et respondit Jesus, A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?* Et hoc videretur non convenire illi quod ab aliis commemoratum est, *Respondit Jesus, Tu dicis;* nisi in consequentibus ostenderet et illud dictum esse. Unde ostendit ea quæ nunc dicit, a cæteris potius Evangelistis tacita quam a Domino dicta non esse. Attende ergo cætera : *Respondit*, inquit, *Pilatus : Numquid ego Judæus sum? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti? Respondit Jesus : Regnum meum non est de mundo hoc : si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu? Respondit Jesus : Tu dicis, quia rex sum ego.* Ecce quando ventum est ad id quod alii Evangelistæ commemoraverunt. Sequitur ergo, item dicente adhuc Domino, quod cæteri tacuerunt. « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiit ad Judæos, et dicit eis : Ego nullam invenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha : vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum? Clamaverunt rursum omnes, dicentes, Non hunc, sed Barabbam : erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum : et veniebant ad eum, et dicebant, Ave rex Judæorum; et dabant ei alapas. Exiit iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia in eo nullam causam invenio. Exiit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum, et dicit eis : Ecce homo. Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes : Crucifige, crucifige[1]. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Judæi : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. » Hoc potest congruere ei quod Lucas commemorat in accusatione Judæorum dictum, « Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, » ut adjungatur, « Quia Filium Dei se fecit. » Sequitur itaque Joannes, et dicit : « Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit : et ingressus est prætorium iterum, et dicit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus : Non haberes potestatem adver-

[1] In editis additur, *eum :* quæ vox a Mss. abest et a vetustis Corbeiensibus Bibliis, nec reperitur in græco. Itaque itaque, et alias quasdam particulas, præsertim quod eas repetita eadem sententia non constanter nec ubique haberent editi, antiquorum exemplarium auctoritate removimus.

sus me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet. Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. » Huic potest congruere quod Lucas in eadem accusatione Judæorum ita narrat : cum dixissent, *Invenimus eum subvertentem gentem nostram;* adjecit, *et prohibentem tributa dari Cæsari, et dicentem se Christum regem esse.* Ex quo solvitur illa quæstio, qua putari poterat Joannes dixisse nullum a Judæis Domino crimen objectum, quando responderunt et dixerunt ei, *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Sequitur ergo Joannes, et dicit : « Pilatus ergo cum audivisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceve Paschæ hora quasi sexta, et dicit Judæis : Ecce rex vester. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur : » hæc narravit Joannes per Pilatum gesta (*Joan.* XVIII, 28; XIX, 16).

CAPUT IX. — *De illusione qua illusus est a cohorte Pilati, quomodo non dissonent tres qui hoc dicunt, Matthæus, Marcus et Joannes.*

36. Consequens est jam, ut ipsam Domini passionem secundum quatuor Evangelistarum testimonia videamus, quam Matthæus sic incipit : « Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem; et exeuntes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei; et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus : et genu flexo ante eum illudebant, dicentes : Ave, rex Judæorum » (*Matth.* XXVII, 27-31). Hoc Marcus in eodem loco narrationis ita dicit : « Milites autem duxerunt eum intro in atrium prætorii, et convocant totam cohortem; et induunt eum purpuram, et imponunt ei plectentes spineam coronam : et cœperunt salutare eum, Ave, rex Judæorum : et percutiebant caput ejus arundine, et conspuebant eum; et ponentes genua, adorabant eum» (*Marc.* XV, 16-20). Intelligitur itaque quod Matthæus ait, « Chlamydem coccineam circumdederunt ei, » hoc Marcum dixisse, indutum purpuram. Pro regia enim purpura, chlamys illa coccinea ab illudentibus adhibita erat : et est rubra quædam purpura cocco simillima. Potest etiam fieri, ut purpuram etiam Marcus commemoraverit, quam chlamys habebat, quamvis esset coccinea. Lucas hoc prætermisit. Joannes autem antequam diceret quod eum Pilatus crucifigendum tradiderit, commemoravit hoc dicens : « Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum : et veniebant ad eum, et dicebant, Ave, rex Judæorum; et dabant ei alapas » (*Joan.* XIX, 1-3). Unde apparet Matthæum et Marcum recapitulando istud commemorasse, non quod tunc factum sit, cum eum Pilatus jam crucifigendum tradidisset : Joannes enim apud Pilatum dicit hæc gesta satis evidenter; unde isti quod prætertierant recoluerunt. Ad hoc pertinet etiam quod consequenter dicit Matthæus : « Et exspuentes in eum acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus : et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent. » Hoc quod exuerunt chlamydem, et induerunt eum vestimentis ejus, in fine factum intelligitur, cum jam duceretur. Marcus hoc ita dicit : *Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpuram, et induerunt eum vestimentis suis.*

CAPUT X. — *Quomodo non repugnet quod Matthæus, Marcus et Lucas angariatum dicunt, qui portaret ejus crucem; cum Joannes dicat quod eam Jesus ipse portaverit.*

37. Sequitur ergo Matthæus : « Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem; hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus » (*Matth.* XXVII, 32). Marcus quoque : « Et educunt illum, » inquit, « ut crucifigerent eum. Et angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem ejus » (*Marc.* XV, 20, 21). Hoc Lucas ita dicit : « Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem venientem de villa, et imposuerunt illi crucem portare post Jesum » (*Luc.* XXIII, 26). Joannes autem sic narrat : « Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt : et bajulans sibi crucem exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum, hebraice Golgotha, ubi eum crucifixerunt » (*Joan.* XIX, 16-18). Unde intelligitur quod ipse sibi portabat crucem, cum exiret in locum memoratum. Simon autem ille in itinere angariatus est, de quo tres commemorant, cui postea data est crux portanda usque ad locum. Ita utrumque factum invenimus; primo id quod Joannes dixit, deinde quod cæteri tres.

CAPUT XI. — *De potu quem dederunt ei priusquam commemorata esset ejus crucifixio, quomodo conveniat inter Matthæum et Marcum.*

38. Sequitur itaque Matthæus : *Et venerunt*, inquit, *in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus :* de hoc loco apertissime consentiunt. Deinde adjungit idem Matthæus : *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, et cum gustasset, noluit bibere* (*Matth.* XXVII, 33, 34). Hoc Marcus ita narrat : *Et dabant ei bibere vinum myrrhatum; et non accepit* (*Marc.* XV, 23). Hoc intelligendum est Matthæum dixisse, *cum felle mixtum :* fel quippe pro amaritudine posuit; myrrhatum enim vinum amarissimum est : quanquam fieri possit ut et fel et myrrha vinum amarissimum redderent. Quod ergo ait Marcus, *non accepit;* intelligitur, non accepit ut biberet. Gustavit autem, sicut Matthæus testis est; ut quod idem Matthæus ait, *noluit bibere*, hoc Marcus dixerit, *non accepit;* tacuerit autem quod gustaverit.

CAPUT XII. — *De divisione vestimentorum ejus, quomodo inter se omnes conveniant.*

39. Sequitur Matthæus : « Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus sortem mittentes (a); et sedentes, servabant eum » (*Matth.* XXVII, 35, 36). Hoc idem Marcus sic : « Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret » (*Marc.* XV, 24). Hoc Lucas sic ait : « Dividentes vero vestimenta ejus miserunt sortes; et stabat populus spectans » (*Luc.* XXIII, 34, 35). Breviter a tribus dictum est; Joannes autem distinctius hoc explicat quemadmodum gestum sit : « Milites ergo, » inquit, « cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit : ut Scriptura impleretur dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem » (*Joan.* XIX, 23, 24).

CAPUT XIII. — *De hora dominicæ passionis, quemadmodum non inter se dissentiant Marcus et Joannes, propter tertiam et sextam.*

40. Sequitur Matthæus : *Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Hic est Jesus rex Judæorum* (*Matth.* XXVII, 37). Marcus autem priusquam hoc dixisset, *Erat autem*, inquit, *hora tertia, et crucifixerunt eum* (*Marc.* XV, 25); hoc enim subjungit cum de vestium divisione dixisset : quæ res diligentissime consideranda est, ne magnum faciat errorem. Sunt enim qui arbitrentur hora quidem tertia Dominum crucifixum; a sexta autem hora tenebras factas usque ad nonam, ut consumptæ intelligantur tres horæ ex quo crucifixus est, usque ad tenebras factas. Et posset quidem hoc rectissime intelligi, nisi Joannes diceret, hora quasi sexta Pilatum sedisse pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. Sequitur enim : *Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis : Ecce rex vester. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dixit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur* (*Joan.* XIX, 13-16). Si igitur hora quasi sexta Pilato sedente pro tribunali traditus est crucifigendus Judæis, quomodo hora tertia crucifixus est, sicut verba Marci non intelligentes quidam putaverunt?

41. Prius enim qua hora crucifigi potuerit videamus; deinde videbimus cur hora tertia crucifixum dixerit Marcus. Hora erat quasi sexta cum traditus est crucifigendus a Pilato sedente, ut dictum est, pro tribunali. Non enim jam plena sexta erat, sed quasi sexta, id est, peracta quinta aliquid etiam de sexta esse cœperat. Nunquam autem isti dicerent, Quinta et quadrans, aut quinta et triens, aut quinta et semis, aut aliquid hujusmodi. Habent enim istum morem Scripturæ, ut a parte totum ponant, maxime in temporibus : sicut de octo illis diebus, post quos eum dicunt ascendisse in montem (*Luc.* IX, 28), quorum medios intuentes Matthæus et Marcus dixerunt, *Post dies sex* (*Matth.* XVII, 1, *et Marc.* IX, 1). Præsertim quia tam moderate idem Joannes locutus est, ut non diceret, sexta; sed, *quasi sexta* : quod si ita non diceret, sed tantummodo sextam diceret, possemus nos ita intelligere, quemadmodum loqui solent Scripturæ, sicut dixi, a parte totum, ut peracta quinta et inchoata sexta gererentur hæc quæ narrata sunt in crucifixione Domini nostri, donec completa sexta illo pendente fierent tenebræ, quibus tres Evangelistæ attestantur, Matthæus, Marcus et Lucas (*Matth.* XXVII, 45; *Marc.* XV, 33, *et Luc.* XXIII, 44).

42. Quæramus jam consequenter, cur dixerit Marcus, cum commemorasset quod crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortes super eis quis quid tolleret, et secutus adjunxerit, *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum.* Jam certe dixerat, *Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus* (*Marc.* XV, 24) : sic etiam cæteri attestantur, quod eo crucifixo vestimenta divisa sunt. Si ejus rei gestæ tempus voluit commemorare Marcus, sufficeret dicere, *Erat autem hora tertia* : utquid adjunxit, *et crucifixerunt eum*, nisi quia voluit aliquid recapitulando significare, quod quæsitum inveniretur, cum Scriptura ipsa illis temporibus legeretur, quibus universæ Ecclesiæ notum erat qua hora Dominus ligno suspensus sit, unde posset hujus vel error corrigi, vel mendacium refutari? Sed quia sciebat a militibus suspensum Dominum, non a Judæis, sicut Joannes apertissime dicit (*Joan.* XIX, 23), occulte ostendere voluit eos magis crucifixisse qui clamaverunt ut crucifigeretur, quam illos qui ministerium principi suo secundum suum officium præbuerunt. Intelligitur ergo fuisse hora tertia cum clamaverunt Judæi ut Dominus crucifigeretur, et veracissime demonstratur tunc eos crucifixisse quando clamaverunt : maxime quia nolebant videri se hoc fecisse, et propter ea eum Pilato tradiderant, quod eorum verba satis indicant, secundum Joannem. Cum enim dixisset eis Pilatus, « Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? responderunt, et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi ; nobis non licet interficere quemquam » (*Id.* XVIII, 29-31). Quod ergo maxime videri fecisse nolebant, hoc eos hora fecisse tertia Marcus ostendit; verissime judicans magis fuisse Domini necatricem linguam Judæorum, quam militum manus.

43. Quisquis autem dixerit non fuisse horam tertiam, cum hoc Judæi primitus clamaverunt, insanissime se ostendit inimicum Evangelii; nisi forte aliter potuerit eamdem dissolvere quæstionem : non enim habet unde convincat non fuisse tunc horam tertiam; et ideo veridico Evangelistæ potius credendum, quam contentiosis suspicionibus hominum. Unde, inquis, probas horam tertiam fuisse? Respondeo, Quia credo

(a) Hic Augustinus silentio præterit verba illa versionis Vulgatæ, *ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem, Diviserunt sibi vestimenta mea*, etc., quæ in antiquis libris non exstare, et secundum Hieronymum de Matthæi textu non esse observavit jam pridem Nicolaus de Lira : habentur tamen in vetust. Corb. Bibliis.

Evangelistis : quibus et tu si credis, ostende quemadmodum et hora sexta et hora tertia potuerit Dominus crucifigi? De sexta enim, ut fateamur, narratione Joannis urgemur; tertiam Marcus commemorat : quibus si uterque nostrum credit, ostende tu aliter quemadmodum fieri utrumque potuerit; libentissime requiescam. Non enim sententiam meam, sed Evangelii diligo veritatem. Atque utinam etiam plures ab aliis inveniantur hujus exitus quæstionis : quod donec fiat, utere mecum isto si placet. Si enim nullus alius exitus potuerit inveniri, solus iste sufficiet : si autem potuerit, cum demonstratus fuerit, eligemus. Tantum non putes consequens esse ut quilibet omnium quatuor Evangelistarum mentitus sit, aut in tanto et tam sancto culmine auctoritatis erraverit.

44. Si autem quis dixerit se inde convincere non fuisse horam tertiam, cum illud Judæi clamaverunt, quia posteaquam dixit idem Marcus, *Pilatus autem iterum respondens ait illis : Quid ergo vultis faciam regi Judæorum? At illi iterum clamaverunt : Crucifige eum;* non interponitur aliquid morarum ab eodem Marco in ejus narratione, et continuo ad id pervenitur, ut traderetur ad crucem Dominus a Pilato, quod Joannes hora quasi sexta factum esse commemorat : intelligat qui hoc dicit, multa prætermissa esse, quæ in medio gesta sunt, cum Pilatus ageret quærens quomodo eum a Judæis eriperet, et adversus eorum insanissimam voluntatem quibuscumque modis potuit, instantissime niteretur. Matthæus enim ait, *Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes : Crucifigatur :* tunc fuisse dicimus horam tertiam. Quod autem Matthæus sequitur, et narrat, *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret;* et in conatibus Pilati ad eripiendum Dominum, et in tumultu Judæorum contra nitentium, consumptum tempus duarum horarum intelligimus, et cœptam fuisse sextam, qua nondum terminata gesta sunt quæ ab eo tempore quo Pilatus Dominum tradidit, usque ad tenebras factas narrantur. Quod autem Matthæus supra commemorat, *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad illum uxor ejus dicens : Nihil tibi et justo illi; multa enim passa sum hodie per visum propter eum* (*Matth.* XXVII, 22, 23, 24, 19); postea sederat pro tribunali Pilatus, sed inter illa quæ prius gesta narrabat, recordatus Matthæus quod de Pilati uxore dixit, voluit hoc ibi interponere, ut præstrueret qua maxime causa Pilatus nec novissime volebat eum tradere Judæis.

45. Lucas autem narrat, cum dixisset Pilatus, *Emendatum ergo illum dimittam*, exclamasse universam turbam, *Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam :* sed fortasse nondum dixerant, *Crucifige. Iterum autem Pilatus*, secundum eumdem Lucam, *locutus est ad illos volens dimittere Jesum : at illi succlamabant dicentes, Crucifige, crucifige illum :* tunc intelligitur fuisse hora tertia. Quod ergo sequitur Lucas, et dicit, *Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum, et dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur; et invalescebant voces eorum* (*Luc.* XXIII, 16-23); satis etiam ipse significat magnum tumultum fuisse; et post quantum morarum illis tertio dixerit, *Quid enim mali fecit?* licet intelligere quantum indagandæ veritati satis est : et postea quod ait, *Instabant vocibus magnis, et invalescebant voces eorum*, quis non videat ideo factum, quia videbant Pilatum nolle eis tradere Dominum? Et quia hoc magnopere nolebat, non utique in momento temporis cessit, sed vel duæ horæ et aliquid amplius in illa cunctatione transierunt.

46. Joannem quoque interroga, et vide quanta fuerit Pilati illa cunctatio et recusatio tam fœdi ministerii : idem namque multo explicatius ea narrat [1], quamvis nec ipse utique dicat omnia, in quibus duæ horæ et de sexta aliquid prælerfluxit. Tunc cum flagellasset Jesum, et a militibus veste illusoria, multisque illusionibus male tractari permisisset (credo ut hoc modo saltem eorum furorem mitigaret, ne usque ad mortem sævire pertenderent), « Exiit iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco eum vobis foras, ut cognoscatis quia in eo nullam causam invenio. Exiit ergo Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum. Et dicit eis : Ecce homo; » ut illa velut ignominiosa specie visa placarentur. Sed adjungit, et dicit : « Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes : Crucifige, crucifige : » tunc horam tertiam fuisse dicimus. Attende quæ sequantur : « Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Judæi : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori; quia Filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit : et ingressus est prætorium iterum, et dicit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet. Exinde Pilatus quærebat dimittere eum. » In hoc igitur quod quærebat Pilatus dimittere eum, quantum temporis putamus fuisse consumptum, quanta prætermissa quæ vel a Pilato dicebantur, vel a Judæis contradicebantur, quousque dicerent Judæi unde ille commoveretur, et cederet? Ita enim sequitur : « Judæi autem clamabant dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus ergo cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta. » Ab illa ergo voce Judæorum qua primo dixerunt, *Crucifige*, cum esset hora tertia, usque ad hoc quo sedit pro tribunali, per medias moras cunctationis Pilati et tumultuantium Judæorum, duæ horæ prælerierant, et peracta quinta jam de sexta aliquid cœperat. *Dicit* ergo *Judæis : Ecce*

[1] Codices plures, *explicatius enarrat, quamvis*. Et infra, pro : *Tunc cum flagellasset*, MSS. magno consensu habent : *Tamen cum flagellasset*.

rex vester. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Sed neque jam commotus Pilatus timore calumniæ facile cedebat. Tunc enim uxor ejus ad eum miserat sedentem pro tribunali : quod præoccupavit Matthæus, qui hoc solus commemoravit antequam ad eum locum narrationis veniret, ut ibi hoc poneret, ubi opportunum judicavit. Tentans itaque adhuc Pilatus, ne quid proficeret, dixit eis : *Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur* (*Joan.* XIX, 4-16). Et dum pergit, et dum crucifigitur cum duobus latronibus, dum vestes ejus dividuntur, et in sortem illa tunica mittitur [1], atque inter hæc variis conviciis illuditur (simul enim cum illa gererentur, etiam convicia jaciebantur), completa est hora sexta, et factæ sunt tenebræ, quas Matthæus, Marcus et Lucas commemorant.

47. Jam itaque corruat impia pertinacia, et credat Dominum Jesum Christum, et tertia hora crucifixum lingua Judæorum, et sexta manibus militum : quia in tumultu Judæorum, et Pilati æstibus, duæ atque amplius horæ præterierunt a voce qua dixerunt, *Crucifige.* Sed ipse Marcus, qui maxime brevitatis sectator est, breviter voluit intimare Pilati voluntatem et conatum pro Domini vita. Cum enim dixisset, *At illi iterum clamaverunt, Crucifige eum,* ubi ostendit quod jam clamaverant, cum vellent sibi dimitti Barabbam : adjunxit, *Pilatus vero dicebat eis, Quid enim mali fecit* (*Marc.* XV, 13, 14)? Hoc modo breviter insinuavit quid diu gestum est. Memor tamen etiam ipse quod vellet intelligi, non ait, Pilatus vero dixit eis; sed ait, *Pilatus vero dicebat eis, Quid enim mali fecit?* Quia si diceret, dixit; quasi semel dictum intelligeremus : quia vero ait, *dicebat;* satis intimavit intelligentibus, multis modis et sæpe dictum esse, quousque inciperet hora sexta. Cogitemus ergo quam breviter hoc dixerit Marcus in comparatione Matthæi, quam breviter Matthæus in comparatione Lucæ, quam breviter Lucas in comparatione Joannis, cum tamen alia atque alia quisque commemoraret; quam denique breviter ipse Joannes in comparatione rerum quæ gestæ sunt, et morarum cum illa gererentur : et sine insania resistendi credamus duas horas et quiddam in illo intervallo transire potuisse.

48. Quisquis autem dixerit potuisse Marcum, si ita esset, eo tempore dicere fuisse horam tertiam, quo erat hora tertia, cum vox Judæorum de crucifigendo Domino sonuisset, dicere etiam quod eum tunc ipsi crucifixerint; nimis superbe leges narratoribus veritatis imponit. Sic enim potest dicere, si hæc ipse narraret, eo modo eodemque ordine ab omnibus debuisse narrari, quo ipse narravit. Dignetur ergo consilio Marci evangelistæ superari consilium suum, qui eo loco id ponendum judicavit, quo loco divina inspiratione suggestum est. Recordationes enim eorum ejus manu gubernatæ sunt, qui gubernat aquam, sicut scriptum est, qualiter illi placuerit. Fluitat enim humana memoria per varias cogitationes, nec in cujusquam potestate est quid et quando ei veniat in mentem. Cum ergo illi sancti et veraces viri quasi fortuita recordationum suarum propter narrationis ordinem occultæ Dei potestati, cui nihil fortuitum est, commisissent, non oportet quemquam hominum dicere longe abjectum ab oculis Dei et longe peregrinantem, Hoc loco poni debuit, quod valde ignorat cur eo loco Deus poni voluerit. *Quia et si obvelatum est evangelium nostrum,* ait Apostolus, *in iis qui pereunt obvelatum est* (II *Cor.* IV, 3). Et cum dixisset, *Aliis quidem sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem;* subjecit statim, *Et ad hæc quis idoneus* (*Id.* II, 16)? id est, quis idoneus intelligere quam juste fiat? Quod idem Dominus dicit : *Ego veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Ipsa est enim altitudo divitiarum scientiæ et sapientiæ Dei, qua fit ex eadem massa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; et dicitur carni et sanguini, *O homo tu quis es qui respondeas Deo* (*Rom.* IX, 21, 20)? Quis ergo et in hac re cognoscit intellectum Domini, aut quis consiliarius illi fuit (*Id.* XI, 33, 34), ubi sic gubernavit corda reminiscentium Evangelistarum, et in Ecclesiæ fastigio tanto auctoritatis culmine sublimavit, ut per hæc ipsa quæ in eis contraria videri possunt, multi excæcarentur, digne traditi in concupiscentias cordis sui, et in reprobum sensum (*Id.* I, 24, 28); et multi exercerentur ad elimandum pium intellectum secundum occultam Omnipotentis justitiam? Dicit enim propheta Domino : *Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ; vir imprudens non cognoscet, et stultus non intelliget hæc* (*Psal.* XCI, 6, 7).

49. Peto autem, et admoneo eos qui hæc legunt, per nos adjuvante Domino elaborata, ut hujus sermonis quem hoc loco interponendum arbitratus sum, in omni simili quæstionum difficultate meminerint, ne sæpius eadem repetenda sint. Facile autem videbit qui sine impietatis duritia voluerit attendere, quam opportuno loco Marcus hoc de tertia hora posuerit, ut ibi quisque recordetur qua hora Judæi crucifixerint Dominum, qui volebant in Romanos vel principes vel milites transferre ipsum facinus, ubi factum ministrorum militum commemoratum est. Ait enim, *Et crucifigentes eum diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret :* qui hoc [1], nisi milites, sicut Joannes manifestat? Ergo ne quisquam cogitationem tanti criminis, aversus a Judæis, in milites illos converteret, *Erat autem,* inquit, *hora tertia et crucifixerunt eum;* ut illi eum potius crucifixisse inveniantur, quos hora tertia ut crucifigeretur clamare potuisse, diligens inquisitor inveniet, cum adverterit hoc quod a militibus factum est, hora sexta factum esse.

50. Quanquam non desint qui parasceves, quam Joannes commemoravit dicens, *Erat autem parasceve Paschæ, hora fere sexta,* horam diei tertiam velint intelligi, qua sedit Pilatus pro tribunali : ut eadem tertia completa videatur, quando crucifixus est; atque illo jam pendente in ligno, aliæ tres horæ peractæ sint, et reddiderit spiritum : ut ab ea hora qua de-

[1] Mss. duo, *et sors in illam tunicam mittitur.*

[1] In editis additur, *fecerunt :* quod abest a Mss.

functus est, id est diei sexta, tenebræ fierent usque ad nonam. Dicunt enim, die quidem illo quem dies sabbati sequebatur, parasceven fuisse Paschæ Judæorum, quod ab eodem sabbato jam inciperent Azyma: sed tamen verum Pascha, quod jam in passione Domini gerebatur, non Judæorum, sed Christianorum, cœpisse præparari, id est, parasceven habere, ab hora noctis nona, in eo quod Dominus a Judæis occidendus præparabatur. Parasceve quippe interpretatur præparatio. Ab illa ergo nona noctis hora usque ad ejus crucifixionem occurrit hora parasceves sexta secundum Joannem, et hora diei tertia secundum Marcum: ut non Marcus horam illam recordatam recapitulando commemoraverit, qua clamaverunt Judæi, *Crucifige, crucifige;* sed eam prorsus horam tertiam dixerit, qua Dominus est fixus in ligno. Quis fidelis non huic faveat solutioni quæstionis, si modo possit aliquis articulus conjici ab hora nona noctis, unde cœpisse parasceven Paschæ nostri, id est præparationem mortis Christi, congruenter intelligamus? Si enim dicamus eam cœpisse quando a Judæis apprehensus est Dominus; adhuc noctis primæ partes erant: si quando ad domum perductus est soceri Caiphæ, ubi et auditus est a principibus sacerdotum; adhuc gallus non cantaverat, quod ex Petri negatione colligimus, quæ, cum jam audiretur, facta est: si autem quando Pilato traditus est; jam mane fuisse apertissime scriptum est. Restat ergo ut intelligamus tunc cœpisse istam parasceven Paschæ, id est præparationem mortis Domini, quando responderunt omnes principes sacerdotum apud quos primo audiebatur, et dixerunt, *Reus est mortis;* quod apud Matthæum et Marcum invenitur (*Matth.* XXVI, 66, *et Marc.* XIV, 64): ut recapitulando intelligantur de Petri negatione postea dixisse quod antea factum erat. Non enim absurde conjicitur, tempore eo, quando, ut dixi, reum mortis pronuntiaverunt, horam nonam noctis esse potuisse: ex qua hora usque ad horam qua sedit Pilatus pro tribunali, quasi hora sexta fuit, non diei, sed parasceves, id est præparationis immolationis Domini, quod verum Pascha est: ut plena sexta ejusdem parasceves, quæ plena diei tertia occurrebat, Dominus suspenderetur in ligno. Sive ergo hoc potius intelligendum eligatur, sive Marcus tertiam horam recoluerit, eamque maxime ad condemnationem Judæorum in Domini crucifixione commemorare voluerit, qua intelliguntur clamare potuisse ut crucifigeretur, ut ipsos potius crucifixisse acciperemus, quam eos quorum manibus in ligno suspensus est; sicut ille Centurio magis accessit ad Dominum, quam illi amici quos misit (*a*): procul dubio quæstio soluta est de hora Dominicæ passionis, quæ maxime solet et contentiosorum concitare impudentiam, et infirmorum imperitiam perturbare.

CAPUT XIV. — *De duobus latronibus cum illo crucifixis, quomodo omnes concordent.*

51. Sequitur Matthæus, et dicit: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, et unus a sinistris* (*Matth.* XXVII, 38). Et Marcus similiter et Lucas (*Marc.* XV, 27, *et Luc.* XXIII, 33). Nec Joannes aliquam facit quæstionem, quamvis latrones eos non dixerit: ait enim, *Et cum eo alios duos, hinc et hinc, medium autem Jesum* (*Joan.* XIX, 18). Esset autem contrarium, si cum illi dixissent latrones, iste diceret innocentes.

CAPUT XV. — *De his qui Domino insultaverunt, quomodo inter se consonent Matthæus, Marcus et Lucas.*

52. Sequitur Matthæus, et dicit: *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Qui* [1] *destruis templum, et in triduo illud reædificas, salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de cruce.* Huic Marcus pene ad eadem verba consonat. Sequitur deinde Matthæus, et dicit: *Similiter et principes sacerdotum illudentes cum Scribis et senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei: confidit in Deum, liberet nunc eum si vult; dixit enim, Quia Filius Dei sum* (*Matth.* XXVII, 39-43). Marcus et Lucas, quamvis alia verba dicant, ad eamdem tamen sententiam concinunt, cum alius prætermittit, quod alius commemorat (*Marc.* XV, 29-32, *et Luc.* XXIII, 35-37). De principibus enim sacerdotum quod insultaverint Domino crucifixo pariter non tacent; quamvis seniores tacuit Marcus: Lucas autem quia principes dixit, nec addidit sacerdotum, magis nomine generali omnes primates complexus est, ut ibi possint intelligi et Scribæ et seniores.

CAPUT XVI. — *De latronum insultatione, quomodo non repugnent Matthæus et Marcus Lucæ, qui dixit unum eorum insultasse, alium credidisse.*

53. Sequitur Matthæus, et dicit: « Idipsum autem et latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei » (*Matth.* XXVII, 44). Nec Marcus discrepat, hoc idem dicens aliis verbis (*Marc.* XV, 32). Lucas autem potest putari repugnare, nisi genus locutionis satis usitatum non obliviscamur. Ait enim Lucas: « Unus autem de iis qui pendebant latronibus blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos. » Et sequitur idem ipse, atque ita contexit: « Respondens autem alter, increpabat illum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso » (*Luc.* XXIII, 39-43). Quomodo ergo, sicut Matthæus dicit, « Latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei »; vel, sicut Marcus dicit, « Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei: » quandoquidem unus eorum conviciatus est, secundum Lucæ testimonium, alter et compescuit eum, et in Dominum credidit? nisi intelligamus Matthæum et Marcum breviter perstringentes hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse: sicut in Epistola ad Hebræos legimus pluraliter dictum, *Clause-*

(*a*) Vid. supra, lib. 2, cap. 20.

[1] Editi, *vah! qui.* At veteres Mss. et textus græcus carent particula, *vah.*

runt ora leonum, cum solus Daniel significari intelligatur; et pluraliter dictum, *Secti sunt* (*Hebr.* XI, 33-37), cum de solo Isaia tradatur. In Psalmo etiam quod dictum est, *Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum*, etc., pluralem numerum pro singulari positum, in Actibus Apostolorum exponitur: nam reges propter Herodem, principes propter Pilatum intellexerunt, qui testimonium ejusdem psalmi adhibuerunt (*Psal.* II, 2; *Act.* IV, 26, 27). Sed quia et Pagani solent calumniari Evangelio, videant quemadmodum locuti sint auctores eorum, Phædras, Medeas et Clytemnestras, cum singulæ fuerint. Quid autem usitatius, verbi gratia, quam ut dicat aliquis, Et rustici mihi insultant; etiam si unus insultet? Tunc enim esset contrarium quod Lucas de uno manifestavit, si illi dixissent ambos latrones conviciatos Domino; ita enim non posset sub numero plurali unus intelligi: cum vero dictum est, *latrones*, vel, *qui cum eo crucifixi erant*, nec additum est, ambo; non solum si ambo fecissent, posset hoc dici, sed etiam quia unus hoc fecit, potuit usitato locutionis modo per pluralem numerum significari.

CAPUT XVII. — *De potu aceti, quomodo inter se omnes consentiant.*

54. Sequitur Matthæus et dicit: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam* (*Matth.* XXVII, 45-49). Hoc et duo alii contestantur (*Marc.* XV, 33-36, *et Luc.* XXIII, 44, 45): addidit autem Lucas etiam unde factæ sint tenebræ, id est solem obscuratum. Sequitur Matthæus: *Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est, Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes et audientes, dicebant: Eliam vocat iste.* Marcus pene ad eadem verba, ad eamdem tamen sententiam non pene, sed omnino consentit. Sequitur Matthæus: *Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere.* Sic et Marcus dicit: *Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.* Quod quidem de Elia, non ipsum qui obtulit spongiam cum aceto, sed cæteros dixisse Matthæus narravit: ait enim, *Cæteri vero dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum;* unde intelligimus et illum et cæteros hoc dixisse. Lucas autem antequam de latronis insultatione narraret, hoc de aceto ita commemoravit: *Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes illi, et dicentes: Si tu es rex Judæorum, salvum te fac* (*Luc.* XXIII, 36, 37). Semel complecti voluit quod a militibus factum et dictum est. Ubi movere non debet, quod non unum eorum dixit acetum obtulisse: genus enim locutionis tenuit, de quo supra tractavimus, pluralem pro singulari ponens (*Superiori cap.* 16). Hoc autem de aceto etiam Joannes commemoravit, ubi ait: *Postea sciens Jesus quia jam omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas autem positum erat aceto plenum: illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus* (*Joan* XIX, 28, 29). Sed quod apud eumdem Joannem invenitur dixisse, *Sitio*, et quia vas ibi erat aceto plenum, non mirum est si cæteri tacuerunt.

CAPUT XVIII. — *De vocibus Domini quas continuo moriturus emisit, quomodo non repugnent Matthæus et Marcus Lucæ, et ipsi tres Joanni.*

55. Sequitur Matthæus: *Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum* (*Matth.* XXVII, 50). Marcus similiter: *Jesus autem emissa voce magna, exspiravit* (*Marc.* XV, 37). Lucas autem quid ipsa voce magna dixerit, declaravit; dixit enim: *Et clamans voce magna Jesus, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; et hæc dicens exspiravit* (*Luc.* XXIII, 46). Joannes vero sicut tacuit illam vocem primam, *Eli, Eli*, quam Matthæus et Marcus retulerunt; tacuit etiam istam quam Lucas solus indicavit, illi autem duo nomine vocis magnæ significaverunt, id est, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: quod eum voce magna dixisse et ipse Lucas similiter attestatus est, ut intelligeremus hanc fuisse vocem magnam, quam Matthæus et Marcus commemoraverunt. Sed dixit Joannes quod nullus illorum trium, eum dixisse, *Consummatum est*, cum acetum accepisset: quod eum ante ipsam vocem magnam dixisse intelligimus. Hæc sunt enim verba Joannis: *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit, Consummatum est; et inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* XIX, 30). Inter illud quod ait, *Consummatum est*, et illud quod ait, *et inclinato capite tradidit spiritum*, emissa est illa vox magna quam tacuit iste, cæteri autem tres commemoraverunt. Hoc enim apparet esse ordinis, ut ante diceret, *Consummatum est*, cum perfectum in illo esset quod de illo prophetatum erat, et tanquam ad hoc exspectaret, qui utique cum vellet moreretur, deinde commendans tradidit spiritum. Sed quovis ordine quilibet arbitretur dici potuisse, hoc magnopere cavendum est, ne cui videatur quisquam Evangelistarum alteri repugnare, si vel tacuit quod alius dixit, vel dixit quod alius tacuit.

CAPUT XIX. — *De scissione veli quomodo non dissentiant Matthæus et Marcus a Luca, quo ordine factum sit.*

56. Sequitur Matthæus: *Et ecce velum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum* (*Matth.* XXVII, 51). Et Marcus sic: *Et velum templi scissum est in duo, a sursum usque deorsum* (*Marc.* XV, 38). Lucas autem similiter hoc ait: *Et velum templi scissum est medium* (*Luc.* XXIII, 45); sed non eodem ordine. Volens enim miraculum miraculo adjungere, cum dixisset, *Sol obscuratus est*, continuo subjungendum existimavit, *Et velum templi scissum est medium*: præoccupans videlicet quod exspirante Domino factum est, ut deinde recapitulans exsequeretur et de potu aceti, et de illa voce magna, et de ipsa morte, quæ ante scissionem veli post tenebras facta intelliguntur. Matthæus enim, qui cum dixisset, *Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum*, continuo subjecit, *Et ecce velum templi scissum est*, satis expressit

tunc esse scissum, cum Jesus emisisset spiritum. Si autem non addidisset, *Et ecce*, sed simpliciter dixisset, *Et velum templi scissum est;* incertum esset utrum ipse et Marcus hoc recapitulando commemorassent, Lucas autem ordinem tenuisset; an Lucas recapitulasset quod illi ordine posuissent.

CAPUT XX. — *De admiratione Centurionis et eorum qui cum illo erant, quomodo inter se consentiant Matthæus, Marcus et Lucas.*

57. Sequitur Matthæus : « Et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt; et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. » Hæc quæ solus dixit, non est metuendum ne cuiquam cæterorum repugnare videantur. Sequitur idem ipse : « Centurio autem et qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terræ motu et iis quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes : Vere Filius Dei erat iste » (*Matth.* XXVII, 51 54). Marcus sic : « Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait : Vere homo hic Filius Dei erat » (*Marc.* XV, 39). Lucas sic : « Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum dicens : Vere hic homo justus erat » (*Luc.* XXIII, 47). Non est contrarium quod Matthæus viso terræ motu dicit admiratum Centurionem, et eos qui cum illo erant, cum Lucas dicat hoc eum admiratum, quod emissa illa voce exspirasset, ostendens quam in potestate habuerit quando moreretur : in eo quippe quod idem Matthæus non solum dixit, *viso terræ motu*, sed etiam addidit, *et iis quæ facta erant;* integrum locum fuisse demonstravit Lucæ, ut diceret Centurionem ipsam Domini mortem fuisse miratum ; quia et hæc inter illa est, quæ tunc mirabiliter facta erant. Quanquam etsi Matthæus illud non addidisset, intelligendum erat, cum multa miranda facta fuerint, et omnia Centurio et qui cum eo erant, mirari potuerint, liberum fuisse narrantibus quid quisque illum miratum commemorare voluisset : nec eos ibi repugnare, cum alius illud, alius illud diceret fuisse miratum; quando omnia fuerat ille miratus. Quod autem alius ait Centurionem dixisse, *Vere Filius Dei erat iste*, alius autem, *Vere homo hic Filius Dei erat*; non movebit eum cui non exciderunt tam multa superius similiter dicta et exposita : ad unam quippe sententiam utraque verba concurrunt; nec quod alius tacuit, *homo*, alius dixit, ullo modo contrarium est. Magis quod Lucas non ait Centurionem dixisse, *Filius Dei erat*, sed, *justus erat*, potest putari diversum : sed vel utrumque dictum a Centurione intelligere debemus, et aliud illos, aliud istum commemorasse; vel fortasse Lucam exprimere voluisse sententiam Centurionis, quomodo dixerit Jesum Filium Dei. Forte enim non eum Unigenitum æqualem Patri Centurio intellexerat; sed ideo Filium Dei dixerat, quia justum crediderat, sicut multi justi dicti sunt filii Dei. Quod autem etiam ipse Lucas dixit, *Videns autem Centurio quod factum erat*, in eo genere inclusit omnia quæ in illa hora mirabiliter facta erant, tanquam unum mirabile factum commemorans, cujus quasi membra et partes erant omnia illa miracula. Jam vero quod Matthæus addidit eos qui cum Centurione erant, alii autem hoc tacuerunt; cui non appareat ex notissima regula non esse contrarium, cum alius dicit quod alius tacet? Et quod Matthæus dixit, *timuerunt valde;* Lucas autem non dixit, timuit, sed, *glorificavit Deum;* quis non eum intelligat timendo glorificasse?

CAPUT XXI. — *De mulieribus quæ ibi stabant, quomodo Matthæus, Marcus et Lucas, qui dixerunt eas a longe stetisse, non repugnent Joanni, qui nominavit unam earum juxta crucem stetisse.*

58. Sequitur Matthæus : « Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei; inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi » (*Matth.* XXVII, 55 *et* 56). Marcus sic : « Erant autem et mulieres de longe aspicientes; inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris et Joseph mater, et Salome; et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, et ministrabant ei, et aliæ multæ quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam » (*Marc.* XV, 40, 41). Inter hos nihil video quod contrarium possit putari : quid enim interest ad veritatem, quod quasdam mulieres pariter, quasdam singuli nominaverunt? Lucas quoque ita narrationem contexit : *Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres quæ secutæ fuerant eum a Galilæa, hæc videntes* (*Luc.* XXIII, 48, 49). Unde superioribus duobus de mulierum præsentia satis consentit, quamvis nullam earum nominatim exprimat; de turba etiam quæ simul aderat, et videntes quæ fiebant tundebant pectora sua, et revertebantur, consentit Matthæo, quamvis seorsum annexuerit, *Centurio autem et qui cum eo erant :* quapropter tantummodo de notis ejus qui stabant a longe solus invenitur dixisse. Nam et Joannes commemoravit de præsentia feminarum antequam Dominus emisisset spiritum, ita narrans : *Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ : Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua* (*Joan.* XIX, 25-27). Qua in re nisi apertissime Matthæus quoque et Marcus Mariam Magdalenen nominassent, possemus dicere, alias a longe, alias juxta crucem fuisse ; nullus enim eorum, præter Joannem, matrem Domini commemoravit : nunc ergo quomodo intelligitur eadem Maria Magdalene, et a longe stetisse cum aliis mulieribus, sicut Matthæus et Marcus dicunt, et juxta crucem fuisse, sicut Joannes dicit; nisi quia in tanto intervallo erant, ut et juxta dici possent, quia in conspectu ejus præsto aderant, et a longe in comparatione turbæ propinquius circumstantis cum Centurione et militibus. Possumus etiam intelligere, quod illæ quæ simul aderant cum matre Domini, postquam

eam discipulo commendavit, abire jam cœperant, ut a densitate turbæ se exuerent, et cætera quæ facta sunt longius intuerentur; ut cæteri Evangelistæ qui post mortem Domini eas commemoraverunt, jam longe stantes commemorarent.

CAPUT XXII. — *De Joseph qui corpus Domini petiit a Pilato, quomodo omnes consentiant, et quomodo a seipso Joannes non dissentiat.*

59. Sequitur Matthæus : « Cum sero autem factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathia, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu; hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu : tunc Pilatus jussit reddi corpus » (*Matth.* XXVII, 57, 58). Marcus sic : « Et cum jam sero esset factum, quia erat parasceve, quod est ante sabbatum, venit Joseph ab Arimathia, nobilis decurio, qui et ipse erat exspectans regnum Dei; et audacter introiit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset : et accersito Centurione interrogavit eum si jam mortuus esset; et cum cognovisset a Centurione, donavit corpus Joseph » (*Marc.* XV, 42-45). Lucas sic : « Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus et justus (hic non consenserat consilio et actibus eorum), ab Arimathia civitate Judææ, qui exspectabat et ipse regnum Dei; hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu » (*Luc.* XXIII, 50-52). Joannes autem posteaquam narravit de cruribus fractis eorum qui cum Domino crucifixi erant, et de latere Domini lancea percusso, quod totum solus dixit, subjungit consentiens cæteris, ita narrans : *Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathia, eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum, ut tolleret corpus Jesu : et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu* (*Joan.* XIX, 38). In hoc nihil exstat in quo aliquis eorum alicui repugnare videatur. Sed aliquis forsitan quærat quomodo a semetipso Joannes ipse non discrepet, contestans cum cæteris quod Joseph petierit corpus Jesu, et solus dicens quod occultus fuisset discipulus Domini propter metum Judæorum : merito enim movet, cur ille qui propter timorem occultus discipulus erat, ausus sit petere corpus ejus, quod nullus eorum qui eum palam sequebantur, auderet. Sed intelligendum est, istum fiducia dignitatis hoc fecisse, qua præditus poterat familiariter intrare ad Pilatum : in extremo autem illo officio funeri exhibendo minus curasse de Judæis, quamvis soleret in Domino audiendo eorum inimicitias devitare.

CAPUT XXIII. — *De sepultura ejus, quomodo tres a Joanne non dissentiant.*

60. Sequitur Matthæus : « Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda, et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra : et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit » (*Matth.* XXVII, 59, 60). Marcus sic : « Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum involvit sindone, et posuit eum in monumento quod erat excisum de petra; et advolvit lapidem ad ostium monumenti » (*Marc.* XV, 46). Lucas sic : « Et depositum involvit in sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat » (*Luc.* XXIII, 53). Ex his tribus nulla quæstio dissensionis oriri potest : Joannes autem sepulturam Domini, non a solo Joseph, sed a Nicodemo quoque curatam fuisse commemorat. Consequenter enim a Nicodemo incipiens, ita narrat : « Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum. » Deinde sequitur adjungens ipsum Joseph, et dicit : « Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos Judæis est sepelire. Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus; et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat : ibi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum » (*Joan.* XIX, 39-42). Neque hic aliquid repugnat recte intelligentibus. Neque enim illi qui de Nicodemo tacuerunt, affirmaverunt a solo Joseph Dominum sepultum, quamvis solius commemorationem fecerint; aut quia illi una sindone a Joseph involutum dixerunt, propterea prohibuerunt intelligi et alia lintea potuisse afferri a Nicodemo et superaddi, ut verum narraret Joannes, quod non uno linteo, sed linteis involutus sit : quamvis et propter sudarium quod capiti adhibebatur, et institas quibus corpus totum alligatum est, quia omnia de lino erant, etiamsi una sindon ibi fuit, verissime dici potuit, *ligaverunt eum linteis.* Lintea quippe generaliter dicuntur quæ lino texuntur.

CAPUT XXIV. — *De his quæ circa tempus resurrectionis Domini facta sunt, quemadmodum omnes non inter se dissentiant.*

61. Sequitur Matthæus : « Erat autem ibi Maria Magdalene et altera Maria sedentes contra sepulcrum » (*Matth.* XXVII, 61). Quod Marcus ita dicit : « Maria autem Magdalene et Maria Joseph aspiciebant ubi poneretur » (*Marc.* XV, 47). Unde nihil eos ex hoc dissentire manifestum est.

62. Sequitur Matthæus : « Altera autem die, quæ est post parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi ad Pilatum, dicentes : Domine, recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc vivens, Post tres dies resurgam : jube ergo custodiri sepulcrum usque in diem tertium; ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi, Surrexit a mortuis; et erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus : Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus » (*Matth.* XXVII, 62-66). Hoc solus Matthæus narrat, nullo aliorum narrante aliquid quod huic videatur esse contrarium.

63. Deinde sequitur idem Matthæus, et dicit : « Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primam sabbati [1], venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo, et

[1] Editi, *in prima sabbati.* At optimæ notæ Mss. Corbeiensis, Floriacensis, etc., constanter habent, *in primam.* Textus græcus, *eis mian sabbatôn, in unam sabbatorum.*

accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. Respondens autem angelus dixit mulieribus : Nolite timere, vos : scio enim quod Jesum qui crucifixus est, quæritis ; non est hic, surrexit enim sicut dixit : venite, et videte locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite discipulis ejus quia surrexit; et ecce præcedit[1] vos in Galilæam; ibi eum videbitis : ecce dixi vobis » (*Matth.* XXVIII, 1-15). Huic Marcus consonat (*Marc.* XVI, 1-11). Sed potest movere quomodo secundum Matthæum angelus super lapidem sedebat revolutum a monumento : Marcus enim introeuntes eas in monumentum dicit vidisse juvenem sedentem in dextris coopertum stola candida, et obstupuisse : nisi intelligamus aut Matthæum tacuisse de illo angelo, quem intrantes viderunt ; Marcum vero de illo tacuisse, quem foris viderunt sedentem super lapidem : ut duos viderint, et a duobus singillatim audierint quæ dixerunt angeli de Jesu, prius ab illo quem foris viderunt sedentem super lapidem, deinde ab illo quem viderunt intrantes in monumentum, sedentem a dextris ; quo ut intrarent, illius qui foris sedebat verbis exhortatæ sunt dicentis, *Venite, et videte locum ubi positus erat Dominus :* quo venientes, ut dictum est, et intrantes viderunt eum de quo Matthæus tacet, Marcus autem loquitur, sedentem a dextris, a quo talia similiter audierunt. Aut certe intrantes in monumentum in aliqua septa maceriæ debemus accipere, qua communitum locum tunc fuisse credibile est in aliquo spatio ante petram, qua excisa locus factus fuerat sepulturæ : ut ipsum viderint in eodem spatio sedentem a dextris, quem dicit Matthæus sedentem super lapidem, quem terræ motu ab ostio monumenti revolverat, id est a loco sepulcri, quod effossum erat in petra.

64. Item quæri potest, quemadmodum Marcus dicat, *At illæ exeuntes fugerunt de monumento ; invaserat enim eas tremor et pavor : et nemini quidquam dixerunt; timebant enim ;* cum dicat Matthæus, *Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus :* nisi intelligamus ipsorum angelorum nemini ausas fuisse aliquid dicere, id est, respondere ad ea quæ ab illis audierant, aut certe custodibus quos jacentes viderunt. Nam illud gaudium quod Matthæus commemorat, non repugnat timori de quo Marcus dicit : debuimus enim utrumque in illarum animo factum intelligere, etiamsi ipse Matthæus de timore non diceret ; cum vero et ipse dicat, *Exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno*, nihil ex hac re quæstionis remanere permittit.

65. De hora quoque ipsa qua venerunt mulieres ad monumentum, non contemnenda exoritur quæstio. Cum enim Matthæus dicat, *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primam sabbati, venit Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum :* quid est quod dicit Marcus, *Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, oriente jam sole?* In quo quidem a cæteris duobus, id est, Luca et Joanne non discrepat. Quod enim dicit Lucas, *valde diluculo ;* et Joannes, *mane cum adhuc tenebræ essent :* hoc intelligitur Marcus dicere, *valde mane, oriente jam sole*, id est cum cœlum ab orientis parte jam albesceret ; quod non fit utique nisi solis orientis vicinitate : ejus enim est ille fulgor qui nomine auroræ appellari solet. Ideo non repugnat illi qui ait, *cum adhuc tenebræ essent.* Die quippe surgente, aliquæ reliquiæ tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux. Nec sic accipiendum est quod ait, *valde mane*, tanquam sol ipse videretur jam super terras : sed potius sicut dicere solemus eis quibus volumus significare temperius aliquid faciendum. Cum enim dixerimus, Mane, ne putent jam sole supra terram conspicuo nos dicere, ad hoc plerumque addimus, Valde mane ; ut illud quod etiam albescente vocatur, intelligant : quanquam et hoc usitatum sit, ut post galli cantum sæpe repetitum, cum conjectare homines cœperint diem jam propinquare, dicant, Jam mane est ; et cum post hoc verbum attenderint, et jam oriente, id est jam de proximo adveniente in has partes sole, cœlum rubescere vel albescere viderint, addant qui dicebant, Mane est, et dicant, Valde mane est. Quid autem interest, dum sive illo sive isto modo nihil aliud intelligamus a Marco appellatum *mane*, nisi quod Lucas appellavit *diluculo ;* et hoc *valde mane*, quod ille *valde diluculo*, et quod Joannes *mane cum adhuc tenebræ essent ; sole* autem *jam oriente*, id est ; ortu suo jam cœlum illuminare incipiente ? Quomodo ergo his tribus congruat Matthæus, qui nec diluculo, nec mane, sed *vespere* ait *sabbati, quæ lucescit in primam sabbati*, attentius indagandum est. A parte quippe prima noctis, quod est vesper, ipsam noctem voluit significare Matthæus, cujus noctis fine venerunt mulieres ad monumentum. Ea vero causa intelligitur eamdem noctem sic appellasse, quia jam a vespere licebat afferre aromata, transacto utique sabbato. Ergo quoniam sabbato impediebantur, ut non ante facerent, ab eo tempore nominavit noctem, ex quo eis licere cœpit ut facerent, quocumque vellent tempore ejusdem noctis. Sic itaque dictum est, *vespere sabbati*, ac si diceretur, nocte sabbati, id est nocte quæ sequitur diem sabbati : quod ipsa verba ejus satis indicant. Sic enim ait : *Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primam sabbati :* quod fieri non potest, si tantummodo primam noctis particulam, id est solum initium noctis, intellexerimus dicto vespere significatam ; neque enim ipsum initium lucescit in primam sabbati, sed ipsa nox quæ luce incipit terminari. Nam terminus primæ partis noctis, secundæ partis initium est ; lux autem terminus totius noctis est : unde non potest dici vesper lucescens in primam sabbati, nisi nomine vesperi nox ipsa intelligatur quam lux terminat. Et usitatus loquendi modus divinæ Scripturæ est, a parte totum significare[1] : a vespere ergo noctem significavit, cujus extremum est diluculum. Diluculo enim venerunt illæ mulieres ad

[1] Vulgata versio, *præcedet :* pauloque post, *ecce prædixi vobis.* At editi et Mss. codices hujus operis ferunt, *præcedit :* tum ex iis plerique Mss. *ecce dixi vobis ;* juxta græcum, *prougei*, et *eipon.*

[1] In B. deest vox, *significare.* Er. et Lov. secuti sumus. M.

monumentum; ac per hoc ea nocte venerunt, quæ significata est nomine vesperi. Tota enim significata est eo nomine, ut dixi; et ideo quacumque ejus noctis parte venissent, ea utique nocte venissent: cum ergo venerunt parte ejus noctis extrema, ea procul dubio nocte venerunt. Vespere autem quæ lucescit in primam sabbati, non potest nisi tota ipsa nox intelligi: eo igitur vespere venerunt, quæ ipsa nocte venerunt; ipsa autem nocte venerunt, quæ noctis ipsius quamvis extrema parte venerunt.

66. Nam et ipsum triduum, quo Dominus mortuus est et resurrexit, nisi isto loquendi modo, quo a parte totum dici solet, recte intelligi non potest [1]. Ipse quippe ait, *Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (*Matth.* XII, 40). Computantur [2] autem tempora, sive ex quo tradidit spiritum, sive ex quo sepultus est, et non occurrit ad liquidum; nisi medium diem, hoc est sabbatum totum diem accipiamus, id est cum sua nocte, illos autem qui eum in medio posuerunt, id est parasceven et primam sabbati, quem diem dominicum dicimus, a parte totum intelligamus. Quid enim juvat quod quidam his angustiis coarctati, et istum locutionis modum, id est a parte totum, in sanctarum Scripturarum solvendis quæstionibus plurimum valere nescientes, noctem voluerunt annumerare tres illas horas a sexta usque ad nonam quibus sol obscuratus est, et diem tres horas alias quibus iterum terris est redditus, id est a nona usque ad ejus occasum? Sequitur enim nox futuri sabbati, qua cum suo die computata, erunt jam duæ noctes et duo dies; porro autem post sabbatum sequitur nox primæ sabbati [3], id est illucescentis diei dominici, in qua tunc Dominus resurrexit: erunt ergo duæ noctes et duo dies, et una nox, etiamsi tota posset intelligi, nec ostenderemus quod illud diluculum pars ejus extrema sit; quapropter nec annumeratis illis sex horis, quarum tribus sol contenebratus est, et tribus eluxit, constabit ratio trium dierum et trium noctium. Restat ergo ut illo Scripturarum usitatissimo loquendi modo, quo a parte totum intelligitur, inveniamus extremum diem [4] tempus parasceves, quo crucifixus et sepultus est Dominus, et ex ipsa extrema parte totum diem cum sua nocte, qui jam peractus fuerat, accipiamus: medium vero, id est sabbati diem, non a parte, sed integre totum: tertium rursus a parte sua prima, id est a nocte totum cum suo diurno tempore; ac sic erit triduum: quemadmodum illi octo dies post quos ascendit in montem, quorum medios integros attendentes Matthæus et Marcus dixerunt, *Post sex dies*; quod Lucas dixit, *Post octo dies* (*a*).

67. Nunc jam cætera videamus, quemadmodum Matthæo congruant. Lucas enim apertissime duos angelos dicit visos fuisse a mulieribus, quæ venerunt ad monumentum, quorum singulos intellexeramus commemoratos a duobus; unum a Matthæo, id est, illum qui extra monumentum sedebat in lapide; alterum a Marco, id est illum qui intra monumentum sedebat a dextris. Sed Lucas ita narrat: *Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum ipso venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus; et revertentes paraverunt aromata et unguenta: et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum: Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata; et invenerunt lapidem revolutum a monumento; et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu: et factum est dum mente consternatæ essent de isto, et ecce duo viri [1] steterunt secus illas in veste fulgenti. Cum timerent autem et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viventem cum mortuis? non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus, et regressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus* (*Luc.* XXIII, 54; XXIV, 12). Quomodo ergo singuli visi sunt sedentes, unus secundum Matthæum foris super lapidem; et alter secundum Marcum intus a dextris; cum secundum Lucam duo steterint secus illas, quamvis similia dixerint? Possumus quidem adhuc intelligere unum angelum visum a mulieribus, et secundum Matthæum, et secundum Marcum, sicut supra diximus: ut eas ingressas in monumentum sic accipiamus, in aliquod scilicet spatium quod erat aliqua maceria communitum, ut intrari posset ante illum saxeum sepulcri locum, atque ibi vidisse angelum sedentem supra lapidem revolutum a monumento, sicut dicit Matthæus, ut hoc sit sedentem a dextris, quod dicit Marcus; deinde intus ab eis, dum inspicerent locum in quo jacebat corpus Domini, visos alios duos angelos stantes, sicut dicit Lucas, similia locutos ad earum exhortandum animum et ædificandam fidem.

68. Sed videamus et illa quæ Joannes dicit, utrum vel quemadmodum his congruant. Sic ergo narrat Joannes: « Una autem sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, et vidit lapidem sublatum a monumento. Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum quem amabat Jesus, et dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum: et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introiit in monumentum; et

[1] Hic in editis interponebatur: *Hinc magna redditur ratio verbi Domini*: quod abest a Mss.
[2] Er. et Lov., *computentur*: et inferius, *nisi ad medium diem*. M.
[3] Editi, *primi sabbati*: et paulo post, *diei dominicæ*.
[4] Unus e Vatic. Mss., *primum diem*.
(*a*) Supra, lib. 2, cap. 56, n. 115.

[1] Sic Editi. At Mss., *et ecce*; juxta græcum.

vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Tunc ergo introiit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, et vidit, et credidit. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oporteret eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans : dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum; et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus est, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa dicit ei : Rabboni, quod dicitur Magister. Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, et dic eis, Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, et Deum meum et Deum vestrum. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi » (*Joan.* xx, 1-18). In hac Joannis narratione dies vel tempus quo ventum est ad monumentum, cum cæteris convenit; illud etiam quod duo angeli visi sunt, concordat cum Luca : sed quod ille stantes dicit angelos visos, iste autem sedentes, et cætera quæ illi non dicunt, quomodo hic possint intelligi non discrepare a cæteris, et quo ordine gesta sint, nisi diligenter considerentur, repugnantia possunt videri.

69. Quapropter hæc omnia quæ circa tempus resurrectionis Domini facta sunt, secundum omnium Evangelistarum testimonia in una quadam narratione, quantum nos Dominus adjuverit, quemadmodum geri potuerint, ordinemus. Prima sabbati diluculo, sicut omnes consentiunt, ventum est ad monumentum. Jam factum erat quod solus Matthæus commemorat de terræ motu et lapide revoluto conterritisque custodibus, ita ut in parte aliqua velut mortui jacerent. Venit autem, sicut Joannes dicit, Maria Magdalene, sine dubio cæteris mulieribus [1], quæ Domino ministraverant, plurimum dilectione ferventior, ut non immerito Joannes solam commemoraret, tacitis eis quæ cum illa fuerunt, sicut alii testantur. Venit ergo, et ut vidit lapidem sublatum a monumento, antequam aliquid diligentius inspiceret, non dubitans ablatum inde esse corpus Jesu, cucurrit, sicut dicit idem Joannes, et nuntiavit Petro atque ipsi Joanni. Ipse est enim discipulus quem amabat Jesus. At illi currere cœperunt ad monumentum, et præveniens Joannes inclinavit se, et vidit posita linteamina, nec intravit : Petrus autem consecutus intravit in monumentum, et vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum. Deinde et Joannes intravit, et vidit similiter, et credidit quod Maria dixerat, sublatum esse Dominum de monumento. « Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans, » id est ante illum saxei sepulcri locum, sed tamen intra illud spatium quo jam ingressæ fuerant : hortus quippe illic erat, sicut idem Joannes commemorat (*Id.* xix, 41). Tunc viderunt angelum sedentem a dextris super lapidem revolutum a monumento, de quo angelo narrant Matthæus et Marcus. « Tunc eis dixit, Nolite timere, vos : scio enim quod Jesum qui crucifixus est quæritis; non est hic, surrexit enim sicut dixit : venite et videte locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite discipulis ejus, quia surrexit; et ecce præcedit vos in Galilæam, ibi eum videbitis; ecce dixi vobis » : quibus similia Marcus quoque non tacuit. Ad hæc verba Maria dum fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos, sicut dicit Joannes, in albis sedentes; unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. « Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Hic intelligendi sunt surrexisse angeli, ut etiam stantes viderentur, sicut eos Lucas visos fuisse commemorat, et dixisse secundum eumdem Lucam timentibus mulieribus et vultum in terram declinantibus, « Quid quæritis viventem cum mortuis? non est hic, sed surrexit : recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens, Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus. Post hæc conversa est retrorsum Maria, et vidit Jesum stantem, sicut dicit Joannes, et non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulanus est, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa dicit ei : Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Jesus : Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, et dic eis, Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum et Deum meum et Deum vestrum. » Tunc egressa est a monumento, hoc est ab illo loco ubi erat horti spatium ante lapidem effossum : et cum illa aliæ, quas secundum Marcum invaserat tremor et pavor; et nemini quidquam dicebant. Tunc jam, secundum Matthæum, « ecce Jesus occurrit illis dicens : Avete. Illæ autem accesserunt et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. » Sic enim colligimus et angelorum allocutionem bis numero eas habuisse venientes ad monumentum, et ipsius Domini : semel scilicet illic quando Maria hortulanum putavit; et nunc iterum cum eis occurrit in via, ut eas ipsa repetitione firmaret, atque a timore recrearet. « Tunc ergo ait illis : Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam; ibi me videbunt. Venit ergo Maria Magda-

[1] Editi, *cum cæteris mulieribus*. At Mss. carent particula, *cum*.

lene annuntians discipulis quia vidit Dominum, et hæc ei dixit » : non solum ipsa, sed et aliæ, quas Lucas commemorat, « quæ nuntiaverunt hæc discipulis undecim, et cæteris omnibus. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non credebant illis. » His et Marcus attestatur. Nam posteaquam commemoravit eas trementes et paventes exiisse a monumento, et nemini quidquam dixisse, adjunxit quod resurgens Dominus apparuerit mane prima sabbati, primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia; et quia illa vadens nuntiavit iis qui cum eo fuerant lugentibus et flentibus; et quia illi audientes quod viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt. Sane Matthæus etiam illud inseruit, abscedentibus mulieribus quæ illa omnia viderant et audierant, venisse etiam quosdam in civitatem de illis custodibus qui jacuerant velut mortui, et nuntiasse principibus sacerdotum omnia quæ facta erant, hoc est quæ etiam illi sentire potuerunt : illos vero congregatos cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dedisse militibus, ut dicerent quod discipuli ejus venissent, eumque furati essent illis dormientibus; pollicentes etiam securitatem a præside qui eos custodes dederat : et illos accepta pecunia fecisse sicut erant edocti, divulgatumque esse verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem.

CAPUT XXV. — *In eo quod se postea discipulis manifestavit, quomodo sibi omnes Evangelistæ non adversentur, collatis testimoniis et de apostolo Paulo et de Actibus Apostolorum.*

70. Jam post resurrectionem quemadmodum apparuerit Dominus discipulis, considerandum est, non solum ut elucescat etiam ex hac re convenientia quatuor Evangelistarum (*Matth.* XXVIII, *Marc.* XVI, *Luc.* XXIV, *et Joan.* XX, XXI), verum etiam ut cum Paulo apostolo consonent, qui de hac re in prima ad Corinthios Epistola ita loquitur : *Tradidi enim vobis in primis quod et accepi, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris, secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas : et quia apparuit Cephæ, postea duodecim*[1], *deinde apparuit plus quam quingentis fratribus simul, ex quibus plures manent usque adhuc, quidam autem dormierunt; postea apparuit Jacobo, deinde Apostolis omnibus; novissime*[2] *autem omnium quasi abortivo apparuit et mihi* (I *Cor.* XV, 3-8). Hunc autem ordinem nullus Evangelistarum tenuit : unde considerandum est utrum ordo quem illi tenuerunt, huic non adversetur : nam nec ille omnia, nec isti omnia dixerunt; quæ autem dixerunt omnes utrum nihil inter se repugnent tantum videndum est. Lucas enim solus quatuor Evangelistarum, non dicit a mulieribus visum Dominum, sed tantummodo angelos : Matthæus autem dicit quod eis occurrerit redeuntibus a monumento : Marcus quoque dicit primo visum esse Mariæ Magdalenæ, sicut et Joannes; sed quomodo sit ei visus non dicit, quod explicatur a Joanne. Lucas autem non solum tacet, ut dixi, eum apparuisse mulieribus, sed etiam duos, quorum unus fuit Cleophas, talia dicit locutos cum illo antequam agnoscerent eum, tanquam mulieres nihil se aliud quam angelos vidisse nuntiaverint, qui dicebant eum vivere. Ita enim narrat : *Ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emaus; et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant : et factum est dum loquerentur, et secum quærerent, et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis; oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Et respondens unus cui nomen Cleophas, dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit : Quæ? Et dixerunt : De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo; et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel : et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quo hæc facta sunt. Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, et non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non viderunt.*[1] Hæc secundum Lucam ita narrant, ut meminisse ac recolere potuerunt quod a mulieribus dictum erat, vel a discipulis qui cucurrerant ad monumentum, quando eis nuntiatum est quod ablatum inde sit corpus ejus. Et ipse quidem Lucas Petrum tantum dicit cucurrisse ad monumentum, et procumbentem vidisse linteamina sola posita, et abiisse secum mirantem quod factum fuerat. Hoc autem de Petro commemorat, priusquam narret de his duobus quos invenit in via, posteaquam narravit de mulieribus quæ viderant angelos, et ab eis audierant quod resurrexisset Jesus, tanquam tunc Petrus ad monumentum cucurrerit. Sed intelligitur hoc Lucas recapitulando posuisse de Petro. Tunc enim cucurrit Petrus ad monumentum, quando et Joannes, cum tantummodo a mulieribus, præcipue a Maria Magdalene nuntiatum eis fuerat de corpore ablato; tunc autem illa nuntiaverat, quando vidit lapidem avulsum a monumento : et postea facta sunt hæc de visione angelorum, atque ipsius Domini, qui bis numero apparuerat mulieribus; semel ad monumentum, et iterum occurrens revertentibus a monumento. Hoc autem antequam duobus illis in via visus fuisset, quorum erat unus Cleophas. Namque et Cleophas loquens cum Domino quem nondum agnoscebat, non Petrum dixit isse ad monumentum; sed, *abierunt quidam ex nostris*, inquit, *ad monumentum, et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt* : quod et ipse recapitu-

[1] Editi, *undecim.*, At Mss. *duodecim*; juxta græc., *tois dôdeca*.

[2] In decem Mss., *novissimo* : his infra, n. 85, consentiebant editi.

[1] In prius excusis, *non invenerunt*. At in Gallicanis et Vaticanis Mss., *non viderunt* : favente græco, *ouk eidon*.

lando intelligitur dixisse, illud scilicet quod primo mulieres nuntiaverant Petro et Joanni de ablato corpore Domini. Ac per hoc cum ipse Lucas Petrum dixerit cucurrisse ad monumentum, et Cleopham dixisse ipse retulerit quod quidam eorum ierant ad monumentum, intelligitur attestari Joanni, quod duo ierint ad monumentum; sed Petrum solum primo commemoravit, quia illi primitus Maria nuntiaverat. Item potest movere quod Petrum non intrantem, sed procumbentem dicit idem Lucas vidisse sola linteamina, et discessisse mirantem; cum Joannes dicat se potius ita vidisse, hoc est discipulum illum quem diligebat Jesus, non intrasse in monumentum, quo prior venerat, sed cum se inclinasset vidisse posita linteamina : sed et seipsum postea dicit intrasse. Ita et Petrus intelligendus est primo procumbens vidisse, quod Lucas commemorat, Joannes tacet; post autem ingressus, sed ingressus tamen antequam Joannes intraret, ut omnes verum dixisse sine ulla repugnantia reperiantur.

71. Ordo ergo rerum qui esse potuit, quemadmodum Dominus, excepto quod jam mulieribus locutus erat, etiam maribus discipulis visus fuerit, secundum testimonia non solum quatuor Evangelistarum, sed etiam Pauli apostoli, contexendus et demonstrandus est. Omnium ergo virorum primo apparuisse intelligitur Petro, ex his duntaxat omnibus quos Evangelistæ quatuor et Paulus apostolus commemoraverunt. Cæterum si apparuit alicui eorum prius quam Petro, quod omnes tacuerunt, quis vel dicere audeat vel negare? Neque enim et Paulus dixit, Apparuit primo Cephæ; sed, *Apparuit*, inquit, *Cephæ, postea duodecim, deinde apparuit plus quam quingentis fratribus simul*. Sic autem non apparet quibus duodecim, quemadmodum nec quibus quingentis. Fieri enim potest ut de turba discipulorum fuerint isti duodecim nescio qui. Nam illos quos Apostolos nominavit, non jam duodecim, sed undecim diceret, sicut nonnulli etiam codices habent; quod credo perturbatos homines emendasse, putantes de illis duodecim Apostolis dictum, qui jam Juda exstincto undecim erant. Sed sive illi codices verius habeant qui undecim habent, sive alios quosdam duodecim discipulos Paulus velit intelligi [1], sive sacratum illum numerum [2] etiam in undecim stare voluerit; quia duodenarius in eis numerus ita mysticus erat, ut non posset in locum Judæ nisi alius, id est Matthias, ad conservandum sacramentum ejusdem numeri subrogari (*Act.* I, 26); quodlibet ergo eorum sit, nihil inde existit quod veritati vel istorum alicui veracissimo narratori repugnare videatur : probabiliter tamen creditur posteaquam Petro apparuit, deinde apparuisse istis duobus, quorum erat unus Cleophas, de quibus Lucas totum narrat, Marcus autem breviter ita perstringit : *Post hæc autem*, inquit, *duobus ex eis ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam*. Castellum quippe illud non absurde accipimus etiam villam potuisse appellari; quod nunc jam appellatur ipsa Bethleem, quæ civitas antea vocitata est; quamvis nunc sit honoris amplioris, nomine Domini, qui in illa natus est, sic per Ecclesias omnium gentium diffamato. Et in codicibus quidem græcis magis agrum invenimus (*a*) quam villam : agri autem nomine non castella tantum, verum etiam municipia et coloniæ solent vocari extra civitatem, quæ caput et quasi mater est cæterarum, unde metropolis appellatur.

72. Quod autem ait Marcus, eis in alia effigie Dominum apparuisse; hoc Lucas dicit, quod eorum oculi tenebantur ne agnoscerent eum. Oculis quippe eorum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est usque ad fractionem panis, certi mysterii causa, ut eis in illo alia ostenderetur effigies, et sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent, sicut Luca narrante monstratur. Pro merito quippe mentis eorum, adhuc ignorantis quod oportebat Christum mori et resurgere, simile aliquid eorum oculi passi sunt, non veritate fallente, sed ipsis veritatem percipere non valentibus, et aliud quam res est opinantibus; ne quisquam se Christum agnovisse arbitretur, si ejus corporis particeps non est, id est Ecclesiæ, cujus unitatem in sacramento panis commendat Apostolus, dicens, *Unus panis, unum corpus multi sumus* (I *Cor.* X, 17) : ut cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, et agnoscerent eum; aperirentur utique ad ejus cognitionem, remoto scilicet impedimento, quo tenebantur ne eum agnoscerent. Neque enim clausis oculis ambulabant; sed inerat aliquid quo non sinerentur agnoscere quod videbant : quod scilicet et caligo et aliquis humor efficere solet. Non quia Dominus non poterat transformare carnem suam, ut alia revera esset effigies, non quam solebant illi contueri; quandoquidem et ante passionem suam transformatus est in monte, ut facies ejus clauresceret sicut sol (*Matth.* XVII, 2) : quale vult enim corpus de qualicumque corpore verum de vero facit, qui de aqua vera verum vinum fecit (*Joan.* II, 7-11); sed non ita fecerat, cum apparuit illis duobus in alia effigie. Non enim sicut erat apparuit eis [1], quorum oculi tenebantur ne agnoscerent eum. Non autem incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a satana fuisse, ne agnosceretur Jesus : sed tamen a Christo est facta permissio usque ad sacramentum panis; ut unitate corporis ejus participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.

73. Nam ipsos esse istos de quibus et Marcus narrat, credendum est; quia dicit ipsos euntes nuntiasse cæteris : sicut Lucas dicit eos surgentes eadem hora,

[1] Mss., *sive alios quosdam duodecim apostolus Paulus velit intelligi*.

[2] Quinque Mss., *sive sacramentum illius numeri*.

[1] Editi : *Non enim aliter quam erat, sed sicut erat apparuit eis*. At Mss. carent his vocibus, *aliter quam erat sed*; quæ imprudenter additæ fuerant, non probe intellecto verbo, *apparuit*, quod hic pro, *visus est*, ponit Augustinus; et Christum, quando illis duobus in alia effigie visus fuit, non propterea transformata sua carne effigiem aliam revera præ se tulisse probat hac ratione, quia si videntium oculi tenebantur ne eum agnoscerent, sequitur ut non in ipsa quam præ se ferebat effigie visus eis fuerit.

(*a*) Εἰς ἀγρόν.

regressos esse Jerusalem, et invenisse congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant, dicentes quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni; et tunc etiam ipsos narrasse quæ gesta erant in via, et quomodo eum cognoverint in fractione panis. Jam ergo erat fama quod resurrexerat Jesus, ab illis mulieribus facta, et a Simone Petro, cui jam apparuerat: hoc enim isti duo invenerunt loquentes ad quos in Jerusalem venerunt. Fieri itaque potest ut timore prius in via noluerint dicere quod eum audierant resurrexisse, quando tantummodo angelos dixerunt visos esse mulieribus: ignorantes enim cum quo loquerentur, merito possent esse solliciti ne quid passim de Christi resurrectione jactantes in manus inciderent Judæorum. Quod autem ait Marcus, *Annuntiaverunt cæteris, nec illis crediderunt*; cum Lucas dicat, quod jam inde loquebantur vere resurrexisse Dominum, et Simoni apparuisse: quid intelligendum est, nisi aliquos ibi fuisse qui hoc nollent credere? Cui autem non eluceat prætermisisse Marcum quæ Lucas narrando explicavit, hoc est, quæ cum illis locutus fuerit Jesus antequam agnoscerent eum, et quomodo eum in fractione panis agnoverint? Quandoquidem mox ut dixit eis apparuisse in alia effigie euntibus in villam, continuo conjunxit, *Et illi euntes nuntiaverunt cæteris, nec illis crediderunt*: quasi possent nuntiare quem non agnoverant; aut possent agnoscere, quibus alia effigies ejus apparuerat. Quomodo ergo eum agnoverint, ut nuntiare possent, Marcus sine dubio prætermisit. Quod ideo memoriæ commendandum est, ut assuescamus advertere Evangelistarum morem ita prætermittentium quæ non commemorant, et conjungentium quæ commemorant, ut eis qui usum in hac consideratione non habent, non aliunde maxime error oriatur, quo putent eos non sibi congruere.

74. Lucas ergo sequitur, et dicit: « Dum hæc autem loquuntur, Jesus stetit in medio eorum, et dicit eis: Pax vobis; ego sum, nolite timere. Conturbati vero et conterriti existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes meos, quia ipse ego sum: palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. » Hanc ostensionem Domini post resurrectionem intelligitur et Joannes commemorare, sic loquens: « Cum esset ergo sero die illo una sabbatorum, et fores essent clausæ ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dicit eis: Pax vobis. Et hoc cum dixisset, ostendit eis manus et latus. » Ac per hoc his verbis Joannis possunt conjungi ea quæ Lucas dicit, idem autem Joannes prætermittit. Ita enim Lucas sequitur: « Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. » His item verbis possunt adjungi quæ Lucas tacet, dicit autem Joannes: « Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis; sicut misit me Pater et ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum detinueritis, detenta sunt. » His rursus adjungamus quæ Joannes prætermisit, Lucas commemorat: « Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia; et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem: vos autem estis testes horum. Et ego mitto [1] promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtutem ex alto. » Ecce quomodo commemoravit et Lucas promissionem Spiritus sancti, quam non invenimus a Domino factam, nisi in Evangelio Joannis (*Joan.* XIV, 26, *et* XV, 26). Quod non prætereunter advertendum est, ut meminerimus quemadmodum sibi Evangelistæ invicem attestantur de quibusdam etiam quæ ipsi non dicunt, et tamen dicta noverunt. Post hæc Lucas quæ gesta sunt omnia prætermittit, nec omnino commemorat, nisi quando Jesus ascendit in cœlum: atque id tamen ita conjungit quasi hoc sequatur hæc verba quæ dixit, cum hoc gestum sit una sabbatorum, quo die Dominus resurrexit; illud autem quadragesimo die, sicut idem ipse Lucas in Apostolorum Actibus narrat (*Act.* I, 2-9). Quod autem dicit Joannes, non cum illis fuisse tunc apostolum Thomam, cum secundum Lucam duo illi, quorum erat unus Cleophas, regressi Jerusalem, invenerint congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant; procul dubio intelligendum est quod inde Thomas exierit, antequam eis Dominus hæc loquentibus appareret.

75. Hinc jam Joannes aliam commemorat sui demonstrationem a Domino discipulis factam post dies octo, ubi erat et Thomas qui prius eum non viderat. « Et post dies octo, » inquit, « iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis: venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas et dixit ei: Dominus meus et Deus meus. Dicit ei Jesus: Quia vidisti me, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt. » Hanc secundam Domini visionem erga discipulos factam, id est quam secundo loco Joannes commemorat, apud Marcum possemus agnoscere, breviter eam sicuti assolet perstringentem, nisi moveret quod ibi ait, *Novissime recumbentibus illis undecim apparuit*: non ideo quia Joannes tacuit recumbentes, potuit enim hoc prætermittere; sed quia iste dixit, *Novissime*, quasi ultra jam non eis apparuerit; cum adhuc Joannes tertiam sit ejus narraturus demonstra-

[1] Sic Mss. juxta græc., *apostellô*. At editi habent futuro tempore, *mittam*.

tionem ad mare Tiberiadis : deinde quod dicit idem Marcus, Exprobrans illis *incredulitatem illorum, et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderant :* illis videlicet duobus, quibus in villam euntibus apparuit, posteaquam resurrexit; et Petro, cui primitus eum apparuisse apud Lucam investigatum est; fortasse et Mariæ Magdalenæ, et aliis mulieribus quæ cum illa erant, quando eis et ad monumentum apparuit, et inde redeuntibus in itinere occurrit. Nam ita contexit narrationem idem Marcus, cum commemorasset breviter de duobus illis, quibus apparuit in villam euntibus, quod nuntiassent cæteris, nec illis creditum esset : *Novissime,* inquit, *recumbentibus illis undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderant.* Quomodo ergo *novissime,* quasi jam ultra eum non viderint? Novissimum quippe illud est, quo Dominum Apostoli in terra viderunt, quando ascendit in cœlum; quod factum est quadragesimo die post ejus resurrectionem. Numquidnam tunc exprobraturus erat quod non credidissent eis qui eum viderant resurrexisse, quando jam et ipsi post resurrectionem toties eum viderant, et maxime ipso die resurrectionis ejus, id est una sabbati jam circa noctem, sicut Lucas Joannesque commemorant? Remanet igitur ut intelligamus eumdem diem resurrectionis ejus, id est unam sabbati, quando eum post diluculum vidit Maria et aliæ cum illa mulieres, quando etiam Petrus, quando et illi duo quorum unus erat Cleophas, quos videtur etiam idem Marcus commemorare, quando jam circa noctem illi undecim (præter Thomam) et qui cum eis erant, quando eis et isti quod viderant narraverunt, nunc etiam Marcum more suo breviter commemorare voluisse; et ideo dixisse, *Novissime*, quia ipso die hoc novissimum fuit, jam incipiente nocturno tempore, posteaquam illi de castello, ubi eum in fractione panis agnoverant, redierunt in Jerusalem, et invenerunt, sicut dicit Lucas, illos undecim, et eos qui cum illis erant, jam colloquentes de resurrectione Domini, et quod visus fuerit Petro : quibus et ipsi narraverunt quod in via gestum erat, et quomodo eum cognoverint in fractione panis. Sed erant ibi utique non credentes : unde verum est quod Marcus dicit, *Nec illis crediderunt.* His ergo jam, sicut Marcus dicit, discumbentibus, et adhuc inde, sicut Lucas dicit, loquentibus, stetit in medio eorum Dominus, et ait illis, *Pax vobis*, sicut Lucas et Joannes : fores autem clausæ erant, cum ad eos intravit, quod solus Joannes commemorat. Verbis itaque Domini quæ tunc eum locutum esse discipulis Lucas Joannesque dixerunt, interponitur et illa exprobratio de qua Marcus dicit, quod non crediderint eis qui eum resurrexisse viderant.

76. Sed hoc rursus movet, quomodo discumbentibus undecim dicit Dominum apparuisse Marcus, si illud tempus est diei dominici jam noctis initio, quod Lucas Joannesque meminerunt. Aperte quippe Joannes dicit non cum eis tunc fuisse apostolum Thomam, quem credimus exiisse inde antequam Dominus ad eos intraret, posteaquam illi duo redeuntes de castello cum ipsis undecim collocuti sunt, sicut apud Lucam invenitur. Sed Lucas in sua narratione dat locum quo possit intelligi, dum hæc loquerentur, prius inde exiisse Thomam, et postea Dominum intrasse. Marcus autem qui dicit, *Novissime recumbentibus illis undecim apparuit,* etiam Thomam illic fuisse cogit fateri. Nisi forte, quamvis uno absente, undecim tamen voluit appellare, quia eadem tunc apostolica societas hoc numero nuncupabatur, antequam Matthias in locum Judæ subrogaretur. Aut si hoc durum est sic accipere, illud ergo accipiamus, post multas demonstrationes ejus quibus per dies quadraginta discipulis præsentatus est, eum etiam novissime recumbentibus illis undecim apparuisse, id est ipso quadragesimo die : et quoniam jam erat ab eis ascensurus in cœlum, hoc eis illo die maxime exprobrare voluisse, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderant, antequam ipsi eum viderent; cum utique post ascensionem suam prædicantibus illis Evangelium, etiam gentes quod non viderunt fuerant credituræ. Post illam quippe exprobrationem, secutus ait idem Marcus : *Et dixit eis : Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ : qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Hoc ergo prædicaturi, quoniam qui non crediderit condemnabitur, cum id utique non crediderit quod non vidit; nonne ipsi primitus fuerant objurgandi, quod antequam Dominum vidissent, non crediderunt eis quibus prius apparuisset?

77. Hanc autem novissimam fuisse corporaliter in terra repræsentationem Domini Apostolis etiam illud admonet ut credamus, quod ita sequitur idem Marcus : *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis; serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægrotos manus imponent, et bene habebunt.* Deinde subjungit : *Et Dominus quidem postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedit a dextris Dei. Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Cum ergo dicit, *Et Dominus quidem postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum;* satis videtur ostendere novissimum eum illis in terra hunc eum habuisse sermonem : quamvis non omnimodo ad id coarctare videatur. Non enim ait, Postquam hæc locutus est eis; sed, *postquam locutus est eis :* unde admittit, si necessitas cogeret, non istam fuisse novissimam locutionem, nec istum fuisse novissimum diem quo eis in terra præsens fuit, sed ad omnia quæ cum eis omnibus illis diebus locutus est, posse pertinere quod dictum est, *postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum.* Sed quia ea quæ supra diximus, magis suadent hunc novissimum diem fuisse, quam ut intelligantur undecim qui Thoma absente decem fuerunt; ideo post hanc locutionem quam Marcus commemorat, adjunctis etiam consequenter illis verbis, vel discipulorum vel ipsius, quæ commemorantur in Actibus Apostolorum (*Act.* I, 4-8), credendum est assumptum Dominum in cœlum, qua-

dragesimo scilicet die post diem resurrectionis ejus.

78. Joannes autem, quamvis fateatur multa se prætermisisse quæ fecit Jesus, voluit tamen etiam tertiam ejus repræsentationem discipulis post resurrectionem factam commemorare ad mare Tiberiadis, septem scilicet discipulis, Petro, Thomæ, Nathanaeli, filiis Zebedæi, et aliis duobus quos nominatim non expressit, cum piscarentur; quando jussu ejus retia mittentes in dextram partem, extraxerunt magnos pisces centum quinquaginta tres; quando etiam Petrum ter interrogavit utrum ab illo amaretur, et ei pascendas commendavit oves suas, et de ejus ipsius passione prædixit, et de ipso Joanne ait, *Sic*[1] *eum volo manere donec veniam.* Ad hoc Joannes Evangelium suum terminavit.

79. Jam nunc quærendum est quando primum visus sit a discipulis in Galilæa; quia et hoc quod tertio narrat Joannes, in Galilæa factum est ad mare Tiberiadis: quod facile videt qui recolit illud miraculum de quinque panibus, quod ita narrare incipit idem Joannes: *Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est, Tiberiadis* (*Joan.* VI, 1). Ubi autem putari potest primum a discipulis post resurrectionem videri debuisse, nisi in Galilæa? si recolantur verba illius angeli qui secundum Matthæum venientibus ad monumentum mulieribus ita loquitur, *Nolite timere, vos: scio enim quod Jesum qui crucifixus est quæritis; non est hic, surrexit enim sicut dixit: venite, et videte locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite discipulis ejus quia surrexit; et ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis: ecce dixi vobis*: item secundum Marcum, sive ipse sit angelus sive alius, *Nolite*, inquit, *expavescere: Jesum quæritis Nazarenum crucifixum; surrexit, non est hic: ecce locus ubi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis ejus et Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis sicut dixit vobis?* Hæc verba ita videntur sonare, quod Jesus non erat se demonstraturus post resurrectionem discipulis, nisi in Galilæa. Quam demonstrationem nec ipse Marcus commemoravit, qui eum dixit mane prima sabbati apparuisse primo Mariæ Magdalenæ, et illam nuntiasse discipulis, his qui cum eo fuerant lugentibus et flentibus; illos autem non credidisse: post hæc deinde duobus ex his apparuisse euntibus in villam, et illos cæteris nuntiasse; quod factum est, sicut Lucas et Joannes coattestantur, in Jerusalem, eodem ipso die resurrectionis, jam noctis initio: deinde venit ad illam ejus manifestationem, quam novissimam dicit, recumbentibus illis undecim: post hanc dicit eum assumptum in cœlum; quod factum scimus in monte Oliveti, non longe ab Jerusalem: nusquam igitur commemorat Marcus completum quod ab angelo prænuntiatum esse testatur. Matthæus vero nihil aliud dicit, nec ullum alium locum omnino commemorat, vel ante vel postea, ubi discipuli, posteaquam resurrexit, viderint Dominum, nisi in Galilæa secundum angeli prædictionem. Denique cum insinuasset quid ab angelo mulieribus dictum sit, et illis abeuntibus subjecisset quid de corruptis ad mentiendum custodibus gestum sit; continuo tanquam nihil aliud sequeretur (quia et revera sic erat dictum ab angelo, *Surrexit, et ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis*, ut nihil aliud sequi debuisse videatur), *Undecim autem*, inquit, *discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus: et videntes eum, adoraverunt; quidam autem dubitaverunt. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ita Matthæus clausit Evangelium suum.

80. Ac per hoc, si aliorum consideratæ narrationes ad diligentiorem inquisitionem non compellerent, nihil aliud arbitraremur nisi Dominum post resurrectionem nusquam præter in Galilæa primum esse a discipulis visum. Item, si Marcus de illa prænuntiatione angeli tacuisset, posset cuiquam putari Matthæus ideo dixisse discipulos abiisse in Galilæam in montem, atque ibi adorasse Dominum, ut impletum videretur quod ipse per angelum mandatum ac prænuntiatum esse narraverat. Nunc autem et Lucas et Joannes satis dilucide manifestantes ipso die resurrectionis ejus visum esse Dominum in Jerusalem a discipulis suis, unde ita longe est Galilæa, ut uno die ab eis utroque loco videri non posset; et Marcus illam quidem prædictionem angeli similiter narrans, in Galilæa vero visum a discipulis Dominum post resurrectionem nusquam commemorans: vehementer cogunt quærere quemadmodum dictum sit, *Ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis.* Nam et ipse Matthæus si omnino non diceret undecim discipulos abiisse in montem in Galilæam, ubi constituerat eis Jesus, et illic eum vidisse atque adorasse, nihil ex hac prædictione completum ad litteram putaremus, sed totum figurata significatione prædictum: sicut illud secundum Lucam, *Ecce hodie et cras ejicio dæmonia, et sanitates perficio, et tertia consummor;* quod ad litteram certum est non esse completum (*a*). Item si angelus dixisset, Præcedit vos in Galilæam; ibi primum eum videbitis; aut, ibi tantum eum videbitis; aut, nonnisi ibi eum videbitis; cæteris Evangelistis Matthæus sine dubio repugnaret: cum vero dictum est, *Ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis;* nec expressum est quando id futurum esset, utrum quamprimum antequam alibi ab eis visus esset; an posteaquam eum alicubi etiam præterquam in Galilæa vidissent: idque ipsum quod discipulos Matthæus dicit isse in Galilæam in montem, non exprimit diem, nec narrandi ordinem ita contexit, ut necessitatem ingerat nihil aliud intelligendi, quam hoc primitus factum: non adversatur quidem narrationibus cæterorum, et dat eis intelligendis atque accipiendis locum; verumtamen quod

[1] Lov., *si;* juxta textum græcum *eam.* At Rat. Er. et omnes Mss., *sic*: atque Augustinum ita legisse patet infra, lib. 4, n. 20.

(*a*) Vide supra, lib. 2, cap. 75, n. 145.

Dominus non ubi primum se demonstraturus erat, sed in Galilæa, ubi necessario postea visus est, se videndum mandavit, et per angelum dicentem, *Ecce præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis;* et per seipsum dicens, *ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilæam; ibi me videbunt;* quemvis fidelem facit intentum ad quærendum in quo mysterio dictum intelligatur.

81. Sed prius considerandum est quando etiam corporaliter in Galilæa videri potuerit, dicente Matthæo : *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus : et videntes eum adoraverunt; quidam autem dubitaverunt.* Quia enim non ipso die quo resurrexit manifestum est : nam in Jerusalem visum esse eo die initio noctis Lucas et Joannes apertissime consonant ; Marcus autem non aperte. Quando ergo viderunt Dominum in Galilæa? non secundum id quod dicit Joannes, ad mare Tiberiadis; tunc enim septem fuerunt, et piscantes inventi sunt : sed secundum id quod dicit Matthæus, ubi erant undecim in monte, quo eos secundum prædictionem angeli Jesus præcesserat. Nam ita narrare apparet, quod illic eum repererint, quia utique secundum constitutum præcesserat. Non ergo ipso die quo resurrexit, neque in consequentibus octo diebus, post quos dicit Joannes discipulis apparuisse Dominum, ubi eum primo vidit Thomas, qui eum non viderat die resurrectionis ejus. Nam utique si intra eosdem octo dies eum in monte Galilææ jam illi undecim viderant, quomodo post octo dies eum primum vidit Thomas, qui in illis undecim fuerat? Nisi quis dicat non illos undecim qui jam tunc Apostoli vocabantur, sed discipulos illic undecim fuisse, ex multo numero discipulorum. Soli quippe adhuc vocabantur Apostoli illi undecim, sed non soli erant discipuli. Potest ergo fieri ut non omnes, sed aliqui eorum ibi fuerint; alii vero discipuli cum eis, ita ut undecim complerentur : ac sic non ibi fuisse Thomam, qui post illos dies octo primo Dominum vidit. Marcus quippe quando illos undecim memoravit, non utcumque undecim, sed *illis*, inquit, *undecim apparuit*. Lucas etiam, *Regressi sunt*, inquit, *Jerusalem, et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant.* Et iste ostendit illos undecim, hoc est, Apostolos fuisse. Nam cum adjunxit, *et eos qui cum ipsis erant;* satis utique declaravit eminentius illos undecim appellatos cum quibus erant cæteri : ac per hoc illi intelliguntur qui jam vocabantur Apostoli. Hoc proinde fieri potuit, ut ex numero Apostolorum et aliorum discipulorum, undecim discipuli complerentur, qui viderint intra illos octo dies in Galilææ monte Jesum.

82. Sed occurrit aliud quod obsistat : Joannes enim quando commemoravit non in monte ab undecim, sed ad mare Tiberiadis a septem piscantibus visum esse Dominum, *Hoc jam tertio*, inquit, *manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis.* Si autem acceperimus intra illos octo dies, antequam Thomas eum vidisset, ab undecim quibusque discipulis Dominum visum; non erit hoc ad mare Tiberiadis tertio manifestatum esse, sed quarto. Quod quidem cavendum est, ne quis existimet tertio Joannem dixisse, tanquam tres solæ factæ fuerint manifestationes ejus : sed hoc intelligendus est ad numerum dierum retulisse, non ad numerum ipsarum manifestationum ; nec continuorum dierum, sed per intervalla, sicut idem ipse testatur. Nam primo ipso die resurrectionis suæ, excepto quod a mulieribus visus est, id est quod in Evangelio claret, ter se manifestavit; semel Petro, iterum duobus illis quorum unus erat Cleophas, tertio plurimis jam inde colloquentibus noctis exordio : sed hoc totum Joannes ad unum diem referens semel computat; iterum autem, hoc est alio die, quando eum vidit et Thomas; tertio vero ad mare Tiberiadis, hoc est tertio die manifestationis ejus, non tertia manifestatione. Ac per hoc post hæc omnia cogimur intelligere factum esse, quod eum in monte Galilææ secundum Matthæum discipuli undecim viderunt, quo eos secundum constitutum præcesserat, ut impleretur etiam ad litteram quod et per angelum et per seipsum prædixerat.

83. Invenimus itaque apud quatuor Evangelistas decies commemoratum Dominum visum esse ab hominibus post resurrectionem. Semel, ad monumentum mulieribus (*Joan.* xx, 14). Iterum, eisdem regredientibus a monumento in itinere (*Matth.* xxviii, 9). Tertio, Petro (*Luc.* xxiv, 35). Quarto, duobus euntibus in castellum (*Ibid.* 15). Quinto, pluribus in Jerusalem ubi non erat Thomas (*Joan.* xx, 19-24). Sexto, ubi eum vidit Thomas (*Ibid.* 26). Septimo, ad mare Tiberiadis (*Id.* xxi, 1). Octavo, in monte Galilææ, secundum Matthæum (*Matth.* xxviii, 16, 17). Nono, quod dicit Marcus, *Novissime recumbentibus*, quia jam non erant in terra cum illo convivaturi (*Marc.* xvi, 14). Decimo, in ipso die, non jam in terra, sed elevatum in nube, cum in cœlum ascenderet ; quod Marcus et Lucas commemorant : Marcus quidem post illud, quod eis discumbentibus apparuit, ita continuans ut diceret : *Et Dominus quidem postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum* (*Ibid.* 19) : Lucas autem prætermissis omnibus quæ per quadraginta dies agi ab illo cum discipulis potuerunt, illi primo diei resurrectionis ejus quando in Jerusalem pluribus apparuit, conjungit tacite novissimum diem quo ascendit in cœlum, ita narrans : *Eduxit autem illos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis benedixit eis : et factum est, cum benediceret eis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum* (*Luc.* xxiv, 50, 51). Viderunt ergo eum præter quod in terra viderant, etiam dum ferretur in cœlum. Toties ergo in evangelicis Libris commemoratus est ab hominibus visus, antequam ascendisset in cœlum; in terra scilicet novies, et in aere semel ascendens.

84. Sed non omnia scripta sunt, sicut Joannes fatetur (*Joan.* xxi, 25). Crebra enim erat ejus cum illis conversatio per dies quadraginta, priusquam ascendisset in cœlum (*Act.* i, 3) : non tamen eis per omnes quadraginta dies continuos apparuerat. Nam post diem primum resurrectionis ejus, alios octo dies intervenisse dicit Joannes, post quos eis rursus apparuit. Tertio autem ad mare Tiberiadis, fortassis continuo conse-

quenti die; nihil enim repugnat : et deinde quando voluit, constituens eis, quod et ante prædixerat, ut eos in Galilææ montem præcederet : atque omnino per illos quadraginta dies quoties voluit, quibus voluit, quemadmodum voluit; sicut Petrus dicit, quando eum Cornelio et iis qui cum illo fuerant, prædicabat, *Qui simul*, inquit, *manducavimus et bibimus cum illo, posteaquam resurrexit a mortuis, per dies quadraginta* (*Act.* x, 41) : non quod quotidie per dies quadraginta cum illo manducassent et bibissent; nam erit contrarium Joanni, qui octo illos dies interposuit quibus eis visus non est, ut tertio manifestaretur ad mare Tiberiadis. Inde jam etiamsi quotidie illis visus et cum illis convivatus est, nihil repugnat. Et fortasse ideo dictum est, *per quadraginta dies*, qui quater deni sunt in mysterio vel totius mundi vel totius temporalis sæculi, quia et illi primi decem dies, in quibus erant illi octo dies, a parte totum possunt more Scripturarum non dissone computari.

85. Conferatur ergo et quod ait apostolus Paulus, utrum nihil afferat quæstionis : *Resurrexit*, inquit, *tertio die secundum Scripturas, et apparuit Cephæ*. Non dixit, Primo apparuit Cephæ; nam esset contrarium, quod primo mulieribus apparuisse in Evangelio legitur. *Postea*, inquit, *duodecim* [1]: quibuslibet, qua hora libet, ipso tamen resurrectionis die. Deinde *apparuit plusquam quingentis fratribus simul :* sive isti cum illis undecim erant congregati clausis ostiis propter metum Judæorum, unde cum exiisset Thomas, venit ad eos Jesus; sive post octo illos dies quando libet; nihil habet adversi. *Postea*, inquit, *apparuit Jacobo :* non tunc autem primum accipere debemus visum esse Jacobo, sed aliqua propria manifestatione singulariter. *Deinde Apostolis omnibus :* nec illis tunc primum, sed jam ut familiarius conversaretur cum eis usque ad diem ascensionis suæ. *Novissime autem omnium*, inquit, *quasi abortivo apparuit et mihi* (I *Cor.* xv, 4-8) : sed hoc jam de cœlo post non parvum tempus ascensionis suæ.

86. Nunc jam videamus quod distuleramus, cujus mysterii gratia secundum Matthæum et Marcum resurgens ita mandaverit, *Præcedam vos in Galilæam; ibi me videbitis* (*Matth.* xxvi, 32, xxviii, 7, *et Marc.* xiv, 28, xvi, 7) : quod et si completum est, tamen post multa completum est, cum sic mandatum sit (quanquam sine præjudicio necessitatis), ut aut hoc solum, aut hoc primum exspectaretur fieri debuisse. Procul dubio ergo quoniam vox est ista non Evangelistæ narrantis quod ita factum sit, sed angeli ex mandato Domini et ipsius postea Domini, Evangelistæ autem narrantis, sed quod ita ab angelo et a Domino dictum sit, prophetice dictum accipiendum est. Galilæa namque interpretatur vel Transmigratio, vel Revelatio. Prius itaque secundum transmigrationis significationem, quid aliud occurrit intelligendum, *Præcedit vos in Galilæam; ibi eum videbitis;* nisi quia Christi gratia de populo Israel transmigratura erat ad Gentes? Quibus Apostoli prædicantes Evangelium nullo modo crederentur, nisi eis ipse Dominus viam in cordibus hominum præpararet : et hoc intelligitur, *Præcedit vos in Galilæam.* Quod autem gaudentes mirarentur disruptis et evictis difficultatibus, aperiri sibi ostium in Domino per illuminationem fidelium; hoc intelligitur, *ibi eum videbitis*, id est, ibi ejus membra invenietis, ibi vivum corpus ejus in iis qui vos susceperint agnoscetis. Secundum illud autem quod Galilæa interpretatur Revelatio, non jam in forma servi intelligendum est, sed in illa in qua æqualis est Patri (*Philipp.* ii, 6, 7) : quam promisit apud Joannem dilectoribus suis, cum diceret, *Et ego diligam eum, et ostendam me ipsum illi* (*Joan.* xiv, 21). Non utique secundum id quod jam videbant, et quod etiam resurgens cum cicatricibus, non solum videndum, sed etiam tangendum postmodum ostendit : sed secundum illam ineffabilem lucem, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, secundum quam lucet in tenebris, et tenebræ eum non comprehendunt (*Id.* i, 9, 5). Illuc nos præcessit, unde ad nos veniens non recessit, et quo nos præcedens non deseruit. Illa erit revelatio tanquam vera Galilæa, cum similes ei erimus; ibi eum videbimus sicuti est (I *Joan.* iii, 2). Ipsa erit etiam beatior transmigratio ex isto sæculo in illam æternitatem, si ejus præcepta sic amplectamur, ut ad ejus dexteram segregari mereamur. Tunc enim ibunt sinistri in combustionem æternam, justi autem in vitam æternam (*Matth.* xxv, 33, 46). Hinc illuc transmigrabunt, et ibi eum videbunt, quomodo non vident impii. Tolletur enim impius, ut non videat claritatem Domini (*Isai.* xxvi, 10) : et impii lumen non videbunt. *Hæc est autem*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* xvii, 3); sicut in illa æternitate cognoscetur, quo servos perducet per formam servi, ut liberi contemplentur formam Domini.

[1] Lov., *undecim*. At Mss. in hoc Apostoli testimonio habent constanter, *duodecim ;* consentientibus hic loci editionibus Rat. et Er., licet iidem Mss. codices paulo post ferant, *cum illis undecim.*

LIBER QUARTUS.

De iis quæ peculiaria sunt Marci, Lucæ et Joannis.

PROLOGUS.—1. Nunc quoniam Matthæi narrationem contextim considerantes, et ei tres alios conferentes usque in finem, in nullo eos vel sibi vel inter se repugnare docuimus, Marcum similiter videamus; ut exceptis iis quæ cum Matthæo dixit, de quibus jam quod disserendum videbatur absolvimus, cætera ejus inspecta atque collata, nulli eorum repugnare monstrentur usque ad cœnam Domini. Nam inde jam omnia omnium quatuor quemadmodum sibi conveniant usque in finem considerata tractavimus.

CAPUT PRIMUM. — *In Evangelio Marci, exceptis his quæ cum Matthæo dixit, quomodo nulla repugnantia*

demonstretur ab initio usque ad illud ubi ait, Et ingrediuntur Capharnaum, et statim sabbatis docebat eos : *quod cum Luca dicit.*

2. Sic ergo incipit Marcus : *Initium Evangelii Jesu Christi Filii Dei sicut scriptum est in Isaia propheta*, etc., usque ad illud ubi ait, *Et ingrediuntur Capharnaum, et statim sabbatis ingressus synagogam docebat eos* (*Marc.* I, 1-21). In hac tota contextione omnia superiora cum Matthæo considerata sunt : hoc autem Marcus quia ingressus Capharnaum in synagogam eorum docebat eos sabbatis, cum Luca dixit (*Luc.* IV, 31) ; sed nihil habet quæstionis.

CAPUT II. — *De homine a quo spiritus immundus ejectus est convexans eum, quomodo Lucæ qui hoc cum eo dixit, non repugnet.*

3. Sequitur Marcus, et dicit : *Et stupebant super doctrina ejus : erat enim docens eos quasi potestatem habens, et non sicut Scribæ. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo, et exclamavit, dicens : Quid nobis et tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos*, etc., usque ad eum locum ubi ait, *Et erat prædicans in synagogis eorum, et in omni Galilæa, et dæmonia ejiciens* (*Marc.* I, 22-39). Et in hoc toto loco quamvis sint quædam, quæ cum solo Luca dixit, tamen jam tractata sunt, cum Matthæi narrationem continuam teneremus ; quia in ipsum ordinem sic incurrerant, ut ea prætermittenda non arbitrarer. Sed Lucas de spiritu immundo ait quod sic exierit ab homine, ut nihil ei noceret : Marcus autem, *Et discerpens eum*, inquit, *spiritus immundus, exclamans voce magna, exit ab eo.* Potest ergo videri contrarium : quomodo enim *discerpens*, vel, sicut aliqui codices habent, *convexans eum*, cui nihil nocuit secundum Lucam ? Sed et ipse Lucas, *Et cum projecisset illum*, inquit, *dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque ei nocuit* (*Luc.* IV, 33-35). Unde intelligitur hoc dixisse Marcum, *convexans eum*, quod Lucas dixit, *cum projecisset eum in medium :* ut quod secutus ait, *nihilque ei nocuit*, hoc intelligatur, quia illa jactatio membrorum atque vexatio non eum debilitavit, sicut solent exire dæmonia, etiam quibusdam membris amota vexatione elisis [1].

CAPUT III. — *De nomine Petri, quomodo etiam atque etiam commendetur, non repugnare Joanni, qui dixit quando hoc nomen accepit.*

4. Sequitur idem Marcus : *Et venit ad eum leprosus deprecans eum, et genu flexo dixit : Si vis, potes me mundare*, etc., usque ad illud ubi ait, *Et clamabant dicentes : Tu es filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum* (*Marc.* I, 40 ; III, 12). Huic quod ultimum posuimus simile aliquid et Lucas dicit, sed sine aliqua repugnantiæ quæstione (*Luc.* IV, 41). Sequitur Marcus : *Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse, et venerunt ad eum : et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos prædicare ; et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi dæmonia. Et imposuit Simoni nomen Petrus*, etc., usque ad illud ubi ait, *Et abiit, et cœpit prædicare in Decapoli quanta sibi fecisset Jesus, et omnes mirabantur* (*Marc.* III ; V, 20). De nominibus discipulorum jam et antea me locutum scio, cum Matthæi sequerer ordinem (*Supra, lib.* 2, c. 17 et 53) ; et hic rursus admoneo, ne quisquam putet nunc accepisse nomen Simonem, ut Petrus vocaretur, et sit contrarium Joanni qui longe ante illi dictum esse commemorat, *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (*Joan.* I, 42) : ipsa enim verba Domini commemoravit, quibus ei nomen imposuit ; Marcus autem hoc loco id recapitulando commemoravit, cum ait, *Et imposuit Simoni nomen Petrus.* Cum enim vellet nomina duodecim Apostolorum enumerare, et necesse haberet Petrum dicere, breviter insinuare voluit quod non hoc antea vocaretur, sed hoc ei Dominus nomen imposuerit, non tunc, sed quando Joannes ipsa verba Domini posuit. Cætera nihil cuiquam repugnant, et antea jam pertractata sunt.

CAPUT IV. — *Quod dixit*, Quanto magis eis præcipiebat ut tacerent, tanto magis plus dicebant, *quomodo non repugnet præscientiæ ipsius, quæ in Evangelio commendatur.*

5. Sequitur Marcus : *Et cum transcendisset Jesus in navi rursus trans fretum, convenit turba multa ad illum, et erat circa mare*, etc., usque ad illud ubi ait, *Et convenientes Apostoli ad Jesum, renuntiaverunt illi omnia quæ egerant et docuerant* (*Marc.* V, 21 ; VI, 30). Hoc ultimum dixit cum Luca, nihilo discordans (*Luc.* IX, 10) : cætera jam ante tractata sunt. Sequitur Marcus : *Et ait illis : venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum*, etc., usque ad illud ubi ait, *Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, et eo amplius admirabantur, dicentes : Bene omnia fecit ; et surdos fecit audire, et mutos loqui* (*Marc.* VI, 31, VII, 37). In his cum Luca Marcus nihil est quod repugnare videatur : et superiora omnia jam consideravimus, quando eos Matthæo conferebamus. Sed cavendum est ne quisquam arbitretur, hoc quod in ultimo ex Evangelio Marci posui, repugnare omnibus qui eum aliis ejus plerisque factis et dictis ostendunt scisse quid ageretur in hominibus, id est, quod eum cogitationes et voluntates eorum latere non poterant : sicut apertissime Joannes dicit, *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine* (*Joan.* II, 24-25). Sed quid mirum si præsentes hominum voluntates videbat, qui etiam futuram [1] Petro prænuntiavit, quam tunc utique non habebat, quando pro illo vel cum illo paratum se mori præsumebat (*Matth.* XXVI, 33-35)? Quæ cum ita sint, quomodo huic ejus tantæ scientiæ et præscientiæ non est contrarium quod Marcus dicit, *Præcepit illis ne cui dicerent : quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant?* Si enim sciebat eos, sicut ille qui notas habebat et præsentes et futuras hominum

[1] Mss. septem, *membris amputatis aut evulsis.* Alii, *aut elisis.*

[1] Editi, *futuram negationem.* At Mss. non addunt, *negationem*, cujus loco subaudiendum est, *voluntatem.*

voluntates, tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat; utquid hoc præcipiebat? Nisi quia pigris volebat ostendere, quanto studiosius [illegible] ferventius eum prædicare debeant, [illegible] prædicat, quando illi qui prohibebantur [illegible] non poterant.

CAPUT V. — *De quo suggessit Joannes, quod in nomine ejus ejiceret dæmonia non sociatus discipulis, et dixit,* Nolite prohibere eos: qui enim contra vos non est, pro vobis est; *quomodo non repugnet illi sententiæ ubi ait,* Qui non est mecum, adversus me est.

6. Sequitur Marcus: « In illis diebus iterum cum turba multa esset[1], nec haberent quod manducarent, » etc., usque ad illud ubi ait, « Respondit illi Joannes dicens: Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nobiscum, et prohibuimus eum. Jesus autem ait: Nolite prohibere eum: nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me; qui enim non est adversum vos, pro vobis est» (*Marc.* VIII, 1; IX, 39). Hoc Lucas similiter narrat (*Luc.* IX, 49, 50), nisi quod ipse non dicit, « Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me: » nulla est ergo inter eos quæstio cujusquam repugnantiæ. Sed videndum est ne hoc illi sententiæ Domini putetur contrarium ubi ait, *Qui mecum non est, adversus me est; et qui mecum non colligit, spargit* (*Matth.* XII, 30, *et Luc.* XI, 23). Quomodo enim iste non erat adversus eum, qui cum illo non erat, de quo Joannes suggessit quod cum illis eum non sequebatur, si adversus illum est qui non est cum illo? aut si adversus illum erat, quomodo dicit discipulis, *Nolite prohibere: qui enim non est adversus vos, pro vobis est?* An hoc interesse aliquis dicet, quia hic discipulis ait, *Qui non est adversus vos, pro vobis est;* ibi autem de seipso locutus est, *Qui mecum non est, adversus me est?* Quasi vero possit cum illo non esse qui discipulis ejus tanquam membris ejus sociatur: alioquin quomodo verum erit, *Qui vos recipit, me recipit* (*Matth.* X, 40); et, *Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Id.* XXV, 40)? aut potest etiam non esse adversus eum, qui fuerit adversus discipulos ejus? Nam ubi erit illud, *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16); et, *Quando uni ex minimis meis non fecistis, neque mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 45); et, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? cum discipulos ejus persequeretur? Sed nimirum hoc vult intelligi, in tantum cum illo non esse aliquem, in quantum est adversus illum; et in tantum adversus illum non esse, in quantum cum illo est. Exempli gratia, sicut iste ipse qui in nomine Christi virtutes faciebat et in societate discipulorum Christi non erat, in quantum operabatur virtutes in illius nomine, in tantum cum ipsis erat, et adversus eos non erat; in quantum vero eorum societati non adhærebat, in tantum cum ipsis non erat, et adversus eos erat. Sed quia illi hoc eum facere prohibuerant, in quo cum ipsis erat, dixit eis Dominus, *Nolite prohibere.* Illud enim prohibere debuerant, quod extra eorum erat societatem, ut illi unitatem Ecclesiæ suaderent; non illud in quo cum illis erat, nomen scilicet Magistri et Domini eorum in dæmoniorum expulsione commendans. Sicut catholica Ecclesia facit, non improbans in hæreticis Sacramenta communia; in his enim nobiscum sunt, et adversus nos non sunt: sed improbat et prohibet divisionem ac separationem, vel aliquam adversam paci veritatique sententiam; in hoc enim adversus nos sunt, quia in hoc nobiscum non sunt, et nobiscum non colligunt, et ideo spargunt.

CAPUT VI. — *Quod in occasione hujus qui in nomine Christi ejiciebat dæmonia, quamvis cum discipulis non sequeretur, Marcus amplius quam Lucas Dominum dixisse narravit, quomodo ostendatur ad hoc ipsum pertinere quod illum in nomine suo virtutem facientem vetuit prohiberi.*

7. Sequitur Marcus et dicit: « Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur. Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur, » etc., usque ad illud ubi ait, « Habete in vobis salem, et pacem habete inter vos » (*Marc.* IX, 40-49). Hæc Marcus Dominum locutum, posteaquam illum qui in nomine ejus ejiciebat dæmonia et cum discipulis non eum sequebatur, vetuit prohiberi, contextim commemorat; aliqua ponens quæ nullus alius Evangelistarum posuit, aliqua vero quæ Matthæus quoque posuit, et aliqua itidem quæ et Matthæus et Lucas: sed illi ex aliis occasionibus, et alio rerum ordine, non hoc loco ubi de illo suggestum est, qui cum discipulis Christi non eum sequebatur, et dæmonia in ejus nomine ejiciebat. Unde mihi videtur etiam hoc loco Dominus secundum Marci fidem ideo dixisse quæ aliis etiam locis dixit, quia satis pertinebant ad hanc ipsam ejus sententiam, qua vetuit prohiberi virtutes in nomine suo fieri, etiam ab illo qui cum discipulis eum non sequebatur. Sic enim contexit: *Qui enim non est adversum vos, pro vobis est: quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Unde ostendit etiam illum de quo Joannes suggesserat, et unde iste ejus sermo exortus est, quod non ita separabatur a societate discipulorum, ut eam tanquam hæreticus improbaret: sed sicut solent homines nondum audere Christi suscipere Sacramenta, et tamen nomini favere christiano, ita ut Christianos etiam suscipiant, et non ob aliud eis, nisi quia christiani sunt, obsequantur, de qualibus dicit, quod non perdunt mercedem suam. Non quia jam tuti atque securi sibi debent videri ex hac benevolentia, quam erga Christianos habent, etiamsi Christi baptismo non

[1] In editis addebatur, *cum Jesu*; quod a Mss. et a sacris Bibliis abest.

abluantur, nec unitati ejus incorporentur: sed quia ita jam Dei misericordia gubernantur, ut ad ea[1] quoque perveniant, atque ita securi de hoc sæculo abscedant. Qui profecto, et priusquam Christianorum numero socientur, utiliores sunt, quam ii qui cum jam christiani appellentur, et christianis Sacramentis imbuti sint, talia suadent, ut quibus ea persuaserint secum in æternam pœnam pertrahant: quos membrorum corporalium nomine tanquam manum vel oculum scandalizantem jubet erui a corpore, hoc est ab ipsa unitatis societate, ut sine his potius veniatur ad vitam, quam cum eis eatur in gehennam. Hoc ipso autem separantur a quibus separantur, quod eis mala suadentibus, hoc est scandalizantibus non consentitur. Et si quidem omnibus bonis, cum quibus eis societas est[2], etiam de hac perversitate innotescunt, ab omnium penitus societate, atque ab ipsa divinorum Sacramentorum participatione separantur: si autem quibusdam ita noti sunt, pluribus autem ista eorum est ignota perversitas; ita tolerandi sunt, sicut ante ventilationem palea toleratur in area, ut neque illis ad iniquitatis communionem consentiatur, neque propter illos bonorum societas deseratur: hoc faciunt qui habent in seipsis salem, et pacem habent inter se.

CAPUT VII. — *Hinc usque ad cœnam Domini unde omnia omnium considerari cœperunt, nullam de Marco quæstionem esse tractatam.*

8. Sequitur Marcus: *Et inde exsurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem, et conveniunt iterum turbæ ad eum, et sicut consueverat iterum docebat illos*, etc., usque ad illud ubi ait, *Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt: hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit, totum victum suum* (*Marc.* x, 1; xii, 44). In hac tota contextione omnia superiora considerata sunt, ne quid viderentur habere contrarium, quando cum Matthæi ordine cæteros conferebamus: hoc autem de vidua paupercula quæ duo minuta misit in gazophylacium, duo soli dicunt, Marcus et Lucas (*Luc.* xxi, 1-4), sed sine ulla quæstione concordant. Hinc jam usque ad cœnam Domini, unde omnium omnia considerata tractavimus, non dicit et Marcus quod cogat cum aliquo comparari, ad inquirendum ne quid repugnare videatur.

CAPUT VIII. — *De Lucæ Evangelio, quomodo principium ejus congruat principio libri Actuum Apostolorum.*

9. Nunc ergo deinceps Lucæ Evangelium ex ordine pertractemus, exceptis eis quæ habet cum Matthæo Marcoque communia; quoniam illa jam omnia pertractata sunt. Sic ergo incipit Lucas: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis: visum est et mihi assecuto a principio omnibus[3] diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem* (*Luc.* i, 1-4). Hoc principium ad Evangelii narrationem nondum pertinet. Admonet autem ut noverimus eumdem Lucam etiam illum librum scripsisse, qui Actus Apostolorum vocatur, non solum quia Theophili nomen etiam illic inest; nam posset fieri, ut et alius aliquis Theophilus esset, et si idem ipse esset, ab alio ad illum aliquid scriberetur, sicut a Luca Evangelium: sed quia et ibi ita exorsus est ut diceret, *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jesus facere et docere, usque in diem quo Apostolis quos elegit[1] per Spiritum sanctum mandans jussit prædicare Evangelium* (*Act.* i, 1 *et* 2); dedit intelligi quod jam scripserit Evangelii librum unum ex quatuor, quorum est in Ecclesia sublimis auctoritas. Nec ideo quia dixit de omnibus se fecisse sermonem, quæ cœpit Jesus facere et docere usque in diem quo mandavit Apostolis, putari debet omnia scripsisse in Evangelio suo quæ Jesus cum Apostolis in terra versatus fecit et dixit; ne sit contrarium Joanni, qui ait multa alia fecisse Jesum, quæ si scriberentur, mundum totum non potuisse capere illos libros (*Joan.* xxi, 25): cum etiam constet ab aliis evangelistis non pauca narrata, quæ Lucas ipse narrando non attigit. De omnibus ergo fecit sermonem, eligendo de omnibus unde faceret sermonem, quæ judicavit apta et congrua sufficere officio dispensationis suæ. Et quod dicit multos conatos *ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum*, videtur significare nonnullos, qui non potuerunt hoc susceptum munus implere: ideo autem dicit sibi *visum esse ex ordine diligenter scribere, quoniam multi conati sunt;* sed eos debemus accipere, quorum in Ecclesia nulla exstat auctoritas, quia id quod conati sunt, implere minime potuerunt. Iste autem non solum usque ad resurrectionem assumptionemque Domini perduxit narrationem suam, ut in quatuor auctoribus evangelicæ Scripturæ dignum labore suo haberet locum: verum etiam deinceps quæ per Apostolos gesta sunt, quæ sufficere credidit ad ædificandam fidem legentium vel audientium, ita scripsit, ut solus ejus liber fide dignus haberetur in Ecclesia de Apostolorum actibus narrantis, reprobatis omnibus qui non ea fide qua oportuit, facta dictaque Apostolorum ausi sunt scribere. Eo quippe tempore scripserunt Marcus et Lucas, quo non solum ab Ecclesia Christi, verum etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari potuerunt.

CAPUT IX. — *Quomodo ostendatur, quod de piscibus captis Lucas commemoravit non pertinere ad illud quod videtur simile Joannes narrasse post Domini resurrectionem, atque inde jam usque ad cœnam Domini, unde omnium omnia usque in finem considerata sunt, nullam etiam ex Evangelio Lucæ tractatam esse quæstionem.*

10. Sic ergo narrare Lucas incipit Evangelium: *Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia; et uxor illi de filiabus*

[1] Editi, *ad eam.* At Mss., *ad ea.*
[2] In plerisque Mss., *notitia est.*
[3] Mss. quatuor, *omnia.* Cæteri cum editis habent, *omnibus*: sic etiam antiqua Corbeiensia Biblia; juxta græcum, *pâsin.*

[1] Ita in aliquot Mss. At in editis, *quo Apostolos elegit.*

Aaron, et nomen ejus Elisabeth, etc., usque ad eum locum ubi ait, *Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam* (*Luc*. I, 5 ; v. 4). Hoc totum non habet ullam repugnantiæ quæstionem. Joannes quidem videtur simile aliquid dicere, sed illud longe aliud est, quod factum est post resurrectionem Domini ad mare Tiberiadis (*Joan*. XXI, 1-11). Ibi enim non solum ipsum tempus valde diversum est, sed etiam res ipsa plurimum distat. Nam retia illic in dexteram partem missa, centum quinquaginta tres pisces ceperunt; magnos quidem : sed pertinuit ad Evangelistam dicere, quod cum tam magni essent, retia non sunt disrupta, respicientem scilicet ad hoc factum, quod Lucas commemorat, ubi præ multitudine piscium retia rumpebantur. Jam cætera similia Joanni Lucas non dixit, nisi circa Domini passionem et resurrectionem : qui totus locus a cœna ipsius usque ad finem sic a nobis tractatus est, ut omnium collatis testimoniis nihil eos dissentire doceremus.

CAPUT X. — *De Joanne evangelista, quid a cæteris tribus distet.*

11. Joannes est reliquus, qui jam non restat cui conferatur. Quidquid enim singuli dixerunt, quæ ab aliis non dicta sunt, difficile est ut habeant aliquam repugnantiæ quæstionem. Ac per hoc liquido constat tres istos, Matthæum scilicet, Marcum et Lucam, maxime circa humanitatem Domini nostri Jesu Christi esse versatos, secundum quam et rex et sacerdos est. Et ideo Marcus, qui in illo mysterio quatuor animalium (*Apoc*. IV, 6, 7), hominis videtur demonstrare personam, vel Matthæi magis comes videtur, quia cum illo plura dicit propter regiam personam quæ incomitata esse non solet, quod in primo libro commemoravi (*Lib*. 1, *cap*. 3) ; vel quod probabilius intelligitur, cum ambobus incedit. Nam quamvis Matthæo in pluribus, tamen in aliis nonnullis Lucæ magis congruit : ut hoc ipso demonstretur ad leonem et ad vitulum, hoc est, et ad regalem quam Matthæus, et ad sacerdotalem quam Lucas insinuat personam, id quod Christus homo est, pertinere, quam figuram Marcus gerit pertinens ad utrumque. Divinitas vero Christi qua æqualis est Patri, secundum quod Verbum est et Deus apud Deum, et Verbum caro factum ut habitaret in nobis (*Joan*. I, 11-4), secundum quod ipse et Pater unum sunt (*Id*. X, 30), a Joanne maxime commendanda suscepta est ; qui sicut aquila in his quæ Christus sublimius locutus est, immoratur, nec in terram quodammodo nisi raro descendit. Denique quamvis matrem Christi se nosse plane testetur, tamen nec in ejus nativitate cum Matthæo et Luca aliquid dicit, nec ejus baptismum cum tribus commemorat, sed tantummodo ibi testimonium Joannis alte sublimiterque commendans, relictis eis pergit cum illo ad nuptias in Cana Galilææ : ubi quamvis ipse Evangelista matrem ejus fuisse commemoret, ille tamen dicit, *Quid mihi et tibi est, mulier* (*Id*. II, 1-11)? non repellens de qua suscepit carnem, sed suam tunc maxime insinuans divinitatem, aquam conversurus in vinum : quæ divinitas illam etiam feminam fecerat, non in illa facta erat.

12. Inde post paucos dies factos in Capharnaum, redit ad templum, ubi eum commemorat dixisse de templo corporis sui, *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* (*Ibid*., 12-22) : ubi maxime insinuat non solum quia Deus erat in templo Verbum caro factum ; verum etiam, quia eamdem carnem ipse resuscitavit, non utique nisi secundum id quod unum est cum Patre, nec separabiliter operatur : cum cæteris locis fortassis omnibus Scriptura non dicat, nisi quod Deus illum suscitaverit ; nec alicubi sic expressum est, quod cum Deus resuscitarit Christum, etiam ipse se resuscitavit, quia cum Patre unus Deus est, sicut hoc loco ubi ait, *Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud.*

13. Inde cum illo Nicodemo quam magna, quam divina locutus est ! Inde rursus pergit ad testimonium Joannis, et commendat amicum sponsi non gaudere nisi propter vocem sponsi. Ubi admonet animam humanam non de seipsa sibi lucere, nec beari, nisi incommutabilis participatione sapientiæ. Inde ad mulierem Samaritanam, ubi commemoratur aqua unde qui biberit non sitiet in æternum. Inde rursus in Cana Galilææ, ubi fecerat de aqua vinum : ubi eum commemorat dixisse regulo, cujus filius infirmabatur, *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis* (*Id*. III, 1-IV, 54) ; usque adeo super omnia mutabilia volens mentem credentis attollere, ut nec ipsa miracula, quæ quamvis divinitus de mutabilitate corporum fiunt, a fidelibus quæri velit.

14. Inde Jerosolymam redit ; fit sanus triginta octo annorum languidus. Ex hac occasione quæ dicuntur ! quam diu dicuntur ! Ibi dictum est, *Quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo :* ubi satis ostenditur quam non usitate, sicut solent sancti homines dicere, dixerit patrem suum Deum, sed quod ei sit æqualis insinuans : quippe paulo superius dixerat eis de sabbato calumniantibus, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Ibi exarserunt, non quia patrem suum diceret Deum ; sed quod ei æqualis vellet intelligi, dicendo, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* : consequens esse ostendens, ut quoniam Pater operatur, et Filius operetur ; quia Pater sine Filio non operatur. Ibi enim et paulo post ait, jam illis ob hoc irascentibus, *Quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit* (*Id*. V).

15. Inde tandem descendit Joannes ad illos tres cum eodem Domino in terra gradientes, ut quinque millia hominum panibus quinque pascantur : ubi tamen solus commemorat quod cum vellent eum regem facere, solus fugit in montem. Qua in re nihil mihi aliud videtur animam rationalem commonere voluisse, nisi eo se nostræ menti rationique regnare, quo est in excelsis, nulla cum hominibus communione naturæ, solus, quia unicus Patri : hoc autem mysterium deorsum repentes carnales homines fugit, quia

valde sublime est; unde illos et ipse fugit in montem, qui regnum ejus terreno animo requirebant; unde et alibi dicit, *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII, 36) : neque etiam hoc nisi Joannes ipse commemorat, volatu quodammodo æthereo supereminens terris, et gaudens luce solis justitiæ. Ab illo itidem monte post miraculum de quinque panibus factum, cum iisdem tribus paululum remoratus, donec mare transissent, quando ambulavit super aquas, continuo rursus se in verbum Domini attollit, quam magnum, quam prolixum, quam diu supernum et excelsum, ex occasione panis exortum, cum dixisset turbis, *Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia signa vidistis, sed quia edistis de panibus, et satiati estis : operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam :* et inde jam talia diutissime atque excelsissime. Tunc ab ista verbi celsitudine ceciderunt, qui post eum deinceps non ambulaverunt; cui sane inhæserunt, qui potuerunt intelligere, *Spiritus est qui vivificat, caro autem nihil prodest* (*Id.* VI) : quia utique et per carnem spiritus prodest [1]; et solus spiritus prodest; caro autem sine spiritu nihil prodest.

16. Deinde suis fratribus, id est cognatis carnis suæ, suggerentibus ut ascendat ad diem festum, quo possit innotescere multitudini; quanta altitudine respondit, *Tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt!* Hoc est ergo, *Tempus vestrum semper est paratum*, quia vos diem istum concupiscitis, de quo propheta dicit, *Ego autem non laboravi subsequens te, Domine : et diem hominis non concupivi; tu scis* (*Jerem.* XVII, 16) : hoc est volare ad lucem Verbi, et concupiscere illum diem quem videre concupivit Abraham, et vidit, et gavisus est (*Joan.* VIII, 56). Inde jam ad diem festum cum ascendisset in templum, quæ illum Joannes locutum esse commemorat, quam mirabilia, quam divina, quam excelsa! quod ipsi venire non possent quo esset iturus; quod et ipsum nossent, et unde esset scirent; et esset verus qui eum miserit, quem illi nescirent : tanquam diceret, Et unde sim scitis, et unde sim nescitis. Quo quid aliud voluit intelligi, nisi secundum carnem notum se illis esse potuisse, et gentem, et patriam [2]; secundum divinitatem autem incognitum? Ibi etiam de dono Spiritus sancti locutus, ostendit quis esset, quando munus altissimum dare potuisset (*Id.* VII).

17. Rursus illuc de Oliveti monte regredientem, quæ et quanta narrat locutum, post veniam illi adulteræ datam, quæ velut lapidanda oblata illi a tentatoribus fuerat; quando digito scribebat in terra, tanquam illos tales in terra scribendos significaret, non in cœlo, ubi monuit discipulos se scriptos esse gauderent (*Luc.* X, 20); aut quod se humiliando, quod capitis inclinatione monstrabat, signa in terra faceret; aut quod jam tempus esset ut in terra quæ fructum daret, non in lapide sterili, sicut antea, lex ejus conscriberetur! Ergo post hæc lucem mundi se dixit, et qui eum sequeretur non ambulaturum in tenebris, sed habiturum lucem vitæ. Dixit etiam se esse principium, quod et loqueretur eis. Quo nomine utique se distinxit ab illa luce quam fecit, tanquam lux per quam facta sunt omnia : ut illud quod se dixerat lucem mundi, non sic acciperetur quemadmodum discipulis ait, *Vos estis lux mundi.* Illi enim tanquam lucerna, quæ non est ponenda sub modio, sed super candelabrum (*Matth.* V, 14, 15), sicut et de Joanne Baptista, *Ille erat*, inquit, *lucerna ardens et lucens* (*Joan.* V, 35) : sed ipse sicut principium, de quo dictum est, *Nos omnes de plenitudine ejus accepimus* (*Id.* I 16). Ibi dixit se Filium esse veritatem [1], quæ nisi liberaverit, nemo erit liber (*Id.* VIII, 1-36).

18. Inde posteaquam illuminavit a nativitate cæcum, ex ipsa occasione in prolixo ejus sermone demoratur Joannes, de ovibus, et pastore, et janua, et de potestate ponendi animam suam et iterum sumendi eam, in quo excellentissimam potestatem suæ divinitatis ostendit. Inde cum Encænia in Jerosolymis fierent, commemorat ei dixisse Judæos : *Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam.* Atque inde sumpta opportunitate sermonis, quæ etiam sublimia dixerit, narrat. Ibi dixit, *Ego et Pater unum sumus.* Inde jam resuscitatum ab eo Lazarum prædicat, ubi dixit, *Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.* In quibus verbis quid nisi altitudinem divinitatis ejus agnoscimus, cujus in æternum participatione vivemus? Inde iterum Joannes occurrit in Bethania Matthæo et Marco (*Matth.* XXVI, 6-13, *et Marc.* XIV, 3-9), ubi factum est illud de unguento pretioso, quo pedes ejus a Maria caputque perfusum est (*Joan.* IX, 1-XII, 8) : atque hinc deinceps usque ad passionem et resurrectionem Domini cum tribus Evangelistis Joannes graditur, sed in locis eisdem narratione versante.

19. Cæterum quod ad sermones Domini attinet, non cessat se attollere in ea quæ ille ab hinc etiam sublimiter diuturneque locutus est. Nam et quando eum voluerunt videre Gentiles per Philippum et Andream, habuit excelsum sermonem, quem aliorum Evangelistarum nullus inseruit : ibi præclara iterum de luce illuminante et lucis filios faciente commemorat (*Id.* XII, 20-50). Deinde in ipsa cœna, de qua Evangelistarum nullus tacuit, quam multa et quam excelsa verba ejus Joannes commemorat, quæ alii tacuerunt! non solum de commendatione humilitatis, quando pedes discipulorum lavit; sed cum expressus per buccellam traditor ejus exiisset, remanentibus cum illo undecim, in sermone ipsius mirabiliter stupendo maximeque diuturno idem Joannes immoratus est, ubi dixit, *Qui vidit me, vidit et Patrem :* ubi multa

[1] Sic in septemdecim Mss. At in editis, *et carni spiritus prodest.*

[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *et gente et patria.* M.

[1] Ita omnes Mss. et Er. At Lov., *veritatis.* Rat., *et veritatem.*

locutus est de Spiritu sancto paracleto quem missurus eis erat; et de sua clarificatione quam habuit apud Patrem priusquam mundus esset; et quod unum nos faceret in se, sicut ipse et Pater unum sunt; non ut ipse et Pater et nos unum, sed nos unum sicut ipsi unum: multaque alia mireque sublimia, de quibus disserere sicut dignum est, etiamsi essemus idonei, in hoc tamen opere non id nos suscepisse quis non advertat (*Joan.* XIII XVII)? quod alibi fortasse reddendum est, hic certe non est expetendum. Commendare quippe volumus amatoribus verbi Dei et studiosis sanctæ veritatis, quamvis ejusdem Christi qui verus et verax est, annuntiator atque prædicator Joannes in Evangelio suo fuerit, cujus et cæteri tres qui scripserunt Evangelium, et cæteri Apostoli qui non quidem ipsam narrationem scribendam susceperunt, in ea tamen prædicatione sui officii munus impleverunt: longe tamen hunc in Christi altiora subvectum ab ipso initio libri sui, raro fuisse cum cæteris, id est, primo circa Jordanem propter testimonium Joannis Baptistæ; inde trans mare Tiberiadis, quando turbas de quinque panibus pavit, et super aquas ambulavit; tertio in Bethania, ubi unguento pretioso fidelis feminæ devotione perfusus est; donec inde illis occurreret ad passionis tempus, quod cum eis erat necessario narraturus: ubi tamen ipsam Dominicam cœnam, de qua nullus eorum tacuit, multo opulentius tanquam de cellario Dominici pectoris, ubi discumbere solebat, exhibuit. Ipsum deinde Pilatum verbis altioribus percutit, dicens regnum suum non esse de hoc mundo, regemque se natum, et ad hoc venisse in hunc mundum, ut testimonium perhibeat veritati (*Id.* XVIII, 36 *et* 37). Mariam quoque post resurrectionem mystica altitudine vitans [1], *Noli me*, inquit, *tangere: nondum enim ascendi ad Patrem* (*Id.* XX, 17). Discipulis etiam insufflando dedit Spiritum sanctum (*Ibid.* 22), ne ipse Spiritus qui Trinitati consubstantialis et coæternus est, tantummodo Patris esse, non etiam Filii Spiritus putaretur.

20. Postremo suas oves Petro se amanti, eumque amorem ter confitenti commendans, dicit eumdem Joannem sic se velle manere donec veniat (*Id.* XXI, 15 *et* 23): ubi etiam mihi videtur alto docuisse mysterio, istam ipsam [2] Joannis evangelicam dispensationem, qua in lucem liquidissimam Verbi sublimiter fertur, ubi Trinitatis æqualitas et incommutabilitas videri potest, et qua maxime proprietate distet a cæteris homo cujus susceptione Verbum caro factum est, perspicue cerni cognoscique non posse, nisi cum ipse Dominus venerit: ideo sic manebit donec veniat; manebit autem nunc in fide credentium, tunc autem facie ad faciem contemplandum erit (I *Cor.* XIII, 12), cum apparuerit vita nostra, et nos cum ipso apparebimus in gloria (*Coloss.* III, 4). Quisquis autem arbitratur homini vitam istam mortalem adhuc agenti posse contingere, ut demoto atque discusso omni nubilo phantasiarum corporalium atque carnalium, serenissima incommutabilis veritatis luce potiatur, et mente penitus a consuetudine vitæ hujus alienata illi constanter et indeclinabiliter hæreat; nec quid quærat, nec quis quærat intelligit: credat ergo potius sublimi auctoritati minimeque fallaci, quamdiu sumus in corpore peregrinari nos a Domino, et ambulare per fidem, nondum per speciem (II *Cor.* V, 6, 7); ac sic perseveranter retinens atque custodiens fidem, spem et charitatem, intendat in speciem ex pignore quod accepimus sancti Spiritus, qui nos docebit omnem veritatem (*Joan.* XVI, 13), cum Deus qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra per inhabitantem Spiritum ejus in nobis (*Rom.* VIII, 10, 11). Prius autem quam vivificetur hoc quod mortuum est propter peccatum, procul dubio corruptibile est, et aggravat animam (*Sap.* IX, 15); et si quando adjuta excedit hanc nebulam, qua tegitur omnis terra (*Eccli.* XXIV, 6), id est, hanc carnalem caliginem, qua tegitur omnis vita terrena, tanquam rapida coruscatione perstringitur, et in suam infirmitatem redit, vivente desiderio quo rursus erigatur, nec sufficiente munditia qua figatur. Et quanto quisque hoc magis potest, tanto major est: quanto autem minus, tanto minor. Si autem nihil adhuc tale mens hominis experta est, in qua tamen habitat Christus per fidem, instare debet minuendis finiendisque cupiditatibus hujus sæculi, moralis virtutis actione, tanquam in comitatu trium illorum Evangelistarum cum mediatore Christo ambulans: eumque qui Filius Dei semper est, propter nos filium hominis factum, ut sempiterna virtus ejus et divinitas nostræ infirmitati et mortalitati contemperata de nostro nobis in se atque ad se faceret viam, cum magnæ spei lætitia fideliter teneat. Ne peccet, a rege Christo regatur; si forte peccaverit, ab eodem sacerdote Christo expietur: atque ita in actione bonæ conversationis et vitæ nutritus [1], pennis geminæ dilectionis tanquam duabus alis validis evectus a terris, ab eodem ipso Christo Verbo illuminetur, Verbo quod in principio erat, et Verbum apud Deum erat, et Verbum Deus erat (*Joan.* I, 1); etsi per speculum et in ænigmate, longe tamen sublimius ab omni similitudine corporali. Quapropter, quamvis in illis tribus activæ, in Joannis autem Evangelio dona contemplativæ virtutis eluceant eis qui hæc dignoscere sunt idonei; tamen et hoc Joannis, quoniam ex parte est, sic manebit donec veniat quod perfectum est (I *Cor.* XIII, 12, 9, 10). Et alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum (*Id.* XII, 8); alius diem Domino sapit (*Rom.* XIV, 6), alius de pectore Domini liquidius aliquid bibit, alius levatus usque ad tertium cœlum, ineffabilia verba audit (II *Cor.* XII, 2-4): omnes tamen, quamdiu sunt in corpore, peregrinantur a Domino (*Id.* V, 6); et omnibus bonæ spei fidelibus in libro vitæ scriptis servatur quod dictum est, *Et ego diligam eum*,

[1] Er. Lov. et Mss., *visitans*. Sed melius editio Bat., *vitans*.
[2] Duo Mss., *secretam ipsam*. Paulo post Mss. tres et Bat., *verbi sublimitate fertur*.

[1] In septem Mss. probæ notæ et apud Eugypium, ***nutritis** pennis*.

et ostendam meipsum illi (*Joan.* XIV, 21). Verumtamen in hac peregrinatione quantum in rei hujus intelligentia vel scientia quisque profecerit, tanto magis caveat diabolica vitia, superbiam et invidentiam. Meminerit hoc ipsum Evangelium Joannis quam multo amplius erigit ad contemplationem veritatis, tam multo amplius præcipere de dulcedine charitatis : et quia illud præceptum verissimum ac saluberrimum est, *Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus* (*Eccli.* III, 20); qui evangelista Christum longe cæteris altius commendat, apud eum discipulis pedes lavat (*Joan.* XIII, 5).

ADMONITIO

IN SUBSEQUENTES LIBROS DE SERMONE DOMINI IN MONTE.

Ad Christi annum 393, sive 394, pertinet hoc opus, ab Augustino presbyterii sui tempore elaboratum. Quippe in primo Retractationum libro, cap. 19, post recensitam illam, quam in Hippone-regiensi anni 393 concilio habuit de Fide et Symbolo disputationem, recordatus Augustinus libri sui de Genesi ad litteram imperfecti, neque alia quam quæ ex ante laudato concilio sumi possit, ætatis assignata nota, facit proximo loco mentionem hujus operis in isthæc verba : *Per idem tempus de Sermone Domini in monte secundum Matthæum duo volumina scripsi.*

Porro uno volumine explicat primam ejusdem sermonis partem contentam Matthæi capite quinto : altero, posteriorem in sequentibus capitibus sexto et septimo comprehensam. Cur autem ex toto Evangelio istum in primis sermonem tractandum susceperit, eam videtur in operis initio subindicare causam, quod ipsum nempe *omnibus præceptis quibus christiana vita informatur, perfectum esse* intellexisset. Quæ quidem præcepta omnia, ea qua referuntur apud Matthæum serie sic exponit, ut illa ad priores septem sententias de Beatis in ipsius sermonis exordio pronuntiatas pertinere, iisque ex ordine respondere demonstret.

Pollentius plurimis post annis hoc opus evolvens, aliquot difficultates de uxore quæ a viro suo discessisset, offendit, easque sancto Doctori proposuit, quas ille priore de Adulterinis Conjugiis libro enodavit.

Vide *librum* 1, *cap.* 19, Retractationum, *col.* 614, *a verbis*, Per idem tempus de Sermone Domini, *usque ad col.* 617, *verbis*, Quem locutus est Dominus. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE SERMONE DOMINI IN MONTE

SECUNDUM MATTHÆUM

LIBRI DUO [a].

LIBER PRIMUS.

Explicatur prior pars sermonis a Domino in monte habiti, contenta Matthæi capite quinto.

CAPUT PRIMUM. 1. Sermonem quem locutus est Dominus noster Jesus Christus in monte, sicut in Evangelio secundum Matthæum legimus, si quis pie sobrieque consideraverit, puto quod inveniet in eo, quantum ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ christianæ modum : quod polliceri non temere audemus, sed ex ipsis ejusdem Domini verbis conjicientes. Nam sic ipse sermo concluditur, ut appareat in eo præcepta esse omnia quæ ad informandam vitam pertinent. Sic enim dicit : « Omnis ergo qui au-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

His castigandis libris adhibuimus Mss. Albinensem, Arnulfensem, Cisterciensem, Colbertinum, Corbeiensem, Floriacensem, Gemmeticensem, Lyrensem, Michaelinum, Pratellensem, Sagiensem, Vindocinensem, Vaticanos duos, Beccenses totidem, et Lovaniensium Theologorum variantes lectiones ex sex Belgicis : necnon supra laudatas editiones Er. et Lov., quibus hic accessit editio Joannis Amerbachii perfecta Basileæ, an. 1506, et altera Jacobi Mareschallii Lugdun. an. 1520 Consuluimus insuper Eugypii abbatis excerpta in Mss. Corbeiensi ac Germanensi, et Flori collectionem in alio Corbeiensi.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess., *t.* 1, *memoratas.* M.

(a) Scripti circiter Christi, annum 393.

dit verba mea hæc et facit ea, similabo eum viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram: descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et offenderunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, similabo eum viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam: descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et offenderunt in domum illam, et cecidit; et facta est ruina ejus magna. » Cum ergo non dixit, *qui audit verba mea* tantum, sed addidit dicens, *qui audit verba mea hæc;* satis, ut arbitror, significavit, hæc verba quæ in monte locutus est, tam perfecte instruere vitam eorum qui voluerint secundum ea vivere, ut merito comparentur ædificanti super petram. Hoc dixi, ut appareat istum sermonem omnibus præceptis quibus christiana vita informatur, esse perfectum: nam de hoc capitulo diligentius suo loco tractabitur.

2. Hujus igitur sermonis initium sic assumitur: *Cum vidisset autem turbas multas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus; et aperiens os suum docebat eos, dicens.* Si quæritur quid significet mons, bene intelligitur significare majora præcepta justitiæ; quia minora erant quæ Judæis data sunt. Unus tamen Deus per sanctos Prophetas et famulos suos, secundum ordinatissimam distributionem temporum, dedit minora præcepta populo quem adhuc timore alligari oportebat; et per Filium suum, majora populo quem charitate jam liberari convenerat. Cum autem minora minoribus, majora majoribus dantur, ab eo dantur qui solus novit congruentem suis temporibus generi humano exhibere medicinam. Nec mirum est quod dantur præcepta majora propter regnum cœlorum [1], et minora data sunt propter regnum terrenum, ab eodem uno Deo qui fecit cœlum et terram. De hac ergo justitia quæ major est, per prophetam dicitur, *Justitia tua sicut montes Dei* (*Psal.* XXXV, 7): et hoc bene significat, quod ab uno magistro solo docendis tantis rebus idoneo, docetur in monte. Sedens autem docet, quod pertinet ad dignitatem magisterii: et accedunt ad eum discipuli ejus, ut audiendis illius verbis hi essent etiam corpore viciniores, qui præceptis adimplendis etiam animo propinquabant. *Et aperiens os suum, docebat eos, dicens.* Ista circumlocutio qua scribitur, *Et aperiens os suum*, fortassis ipsa mora commendat aliquanto longiorem futurum esse sermonem: nisi forte non vacet quod nunc eum dictum est aperuisse os suum, quod ipse in Lege veteri aperire soleret ora Prophetarum.

3. Quid ergo dicit? *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Legimus scriptum de appetitione rerum temporalium, *Omnia vanitas et præsumptio spiritus* (*Eccle.* I, 14, *sec.* LXX); præsumptio autem spiritus, audaciam et superbiam significat: vulgo etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur; et recte, quandoquidem spiritus etiam ventus vocatur. Unde scriptum est, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis* [2] (*Psal.* CXLVIII, 8). Quis vero nesciat superbos inflatos dici, tanquam vento distentos? Unde est etiam illud Apostoli: *Scientia inflat, charitas vero ædificat* (I *Cor.* VIII, 1). Quapropter recte hic intelliguntur *pauperes spiritu*, humiles et timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum [1]. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem; siquidem perventura est ad summam sapientiam: *Initium autem sapientiæ timor Domini* (*Eccli.* I, 16); quoniam et e contrario, *Initium omnis peccati superbia inscribitur* (*Id.* X, 15). Superbi ergo appetant et diligant regna terrarum: *Beati* autem *pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

CAPUT II. — 4. *Beati mites; quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram:* illam credo terram, de qua in Psalmo dicitur, *Spes mea es tu, portio mea in terra viventium* (*Psal.* CXLI, 6). Significat enim quamdam soliditatem et stabilitatem hæreditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum, tanquam loco suo requiescit, sicut corpus in terra; et inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra: ipsa est requies et vita sanctorum. Mites autem sunt qui cedunt improbitatibus, et non resistunt malo, sed vincunt in bono malum (*Rom.* XII, 21). Rixentur ergo immites, et dimicent pro terrenis et temporalibus rebus: *Beati* autem *mites; quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram,* de qua pelli non possint.

5. *Beati lugentes; quoniam ipsi consolabuntur.* Luctus est tristitia de amissione charorum: conversi autem ad Deum, ea quæ in hoc mundo chara amplectebantur, amittunt: non enim gaudent his rebus, quibus ante gaudebant; et donec fiat in illis amor æternorum [2], nonnulla mœstitia sauciantur: consolabuntur ergo Spiritu sancto, qui maxime propterea paracletus nominatur, id est consolator, ut temporalem amittentes æterna lætitia perfruantur.

6. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* Jam istos amatores dicit veri et inconcussi boni. Illo ergo cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus dicit, *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei*, quod est justitia: et illa aqua, de qua quisquis *biberit*, ut idem dicit, *fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV, 34, 14).

7. *Beati misericordes; quoniam ipsorum miserebitur* [3]. Beatos esse dicit qui subveniunt miseris, quoniam eis ita rependitur, ut de miseria liberentur.

8. *Beati mundi corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* Quam ergo stulti sunt qui Deum istis exterioribus oculis quærunt, cum corde videatur, sicut alibi scriptum est, *Et in simplicitate cordis quærite illum* (*Sap.* I, 1). Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor: et quemadmodum lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis; ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud quo videri potest.

[1] Septem Mss., *propter regnum terrarum.*
[2] Sic Mss. At editi, excepto Mar., *spiritus procellarum.*

[1] Lov. cum quatuor Mss., *inflatum spiritum.* Cæteri codices, *inflantem.*
[2] In Corbeiensi codice, *dilecdo æternorum.* Paulo infra in editis legebatur, *ut temporali amittentes:* in duobus Belgicis Mss., *ut temporalem amittentes luctum.* Sed melius in uno Vat. et decem Gallicanis, *ut temporalem amittentes:* subaudi, lætitiam.
[3] Editi, *miserebitur Deus.* Abest vox, *Deus*, a Mss. et ab Evangelio.

9. *Beati pacifici; quoniam ipsi filii Dei vocabuntur* In pace perfectio est, ubi nihil repugnat; et ideo filii Dei pacifici, quoniam nihil resistit Deo [1], et utique filii similitudinem patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes et subjicientes rationi, id est menti et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei : in quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod est in homine præcipuum et excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia; atque idipsum quòd excellit in homine, id est mens et ratio, subjiciatur potiori, quod est ipsa veritas unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se ipse subjiciat. Et hæc est pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis (*Luc.* II, 14); hæc vita consummati perfectique sapientis. De hujusmodi regno pacatissimo et ordinatissimo missus est foras princeps hujus sæculi, qui perversis inordinatisque dominatur. Hac pace intrinsecus constituta atque firmata, quascumque persecutiones ille qui foras missus est, forinsecus concitaverit, auget gloriam quæ secundum Deum est; non aliquid in illo ædificio labefactans, sed deficientibus machinis suis innotescere faciens quanta firmitas intus exstructa sit. Ideo sequitur : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam ; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

CAPUT III. — 10. Sunt autem omnes istæ octo sententiæ. Jam enim cætera compellans loquitur ad illos qui aderant, dicens : *Beati eritis, cum vobis maledicent, et persequentur vos.* Superiores autem sententias generaliter dirigebat : non enim dixit, *Beati pauperes spiritu*, quoniam vestrum est regnum cœlorum; sed, *quoniam ipsorum est*, inquit, *regnum cœlorum :* neque, *Beati mites*, quoniam vos possidebitis terram; sed, *quoniam ipsi possidebunt terram.* Et ita cæteras usque ad octavam sententiam, ubi ait : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Inde jam incipit loqui præsentes compellans, cum et illa quæ supra dicta sunt, ad eos etiam pertinerent, qui præsentes audiebant; et hæc postea quæ videntur præsentibus specialiter dici, pertineant etiam ad illos qui absentes vel post futuri erant. Quapropter iste sententiarum numerus diligenter considerandus est. Incipit enim beatitudo ab humilitate : *Beati pauperes spiritu*, id est, non inflati, dum se divinæ auctoritati subdit anima, timens post hanc vitam ne pergat ad pœnas, etiamsi forte in hac vita sibi beata esse videatur. Inde venit ad divinarum Scripturarum cognitionem, ubi oportet eam se mitem præbere pietate, ne id quod imperitis videtur absurdum vituperare audeat, et pervicacibus concertationibus efficiatur indocilis. Inde jam incipit scire quibus nodis sæculi hujus per carnalem consuetudinem ac peccata teneatur : itaque in hoc tertio gradu, in quo scientia est, lugetur amissio summi boni, quia inhæretur extremis. In quarto autem gradu labor est, ubi vehementer incumbitur ut sese animus avellat ab eis quibus pestifera dulcedine innexus est : hic ergo esuritur et sititur justitia, et multum necessaria est [1] fortitudo; quia non relinquitur sine dolore quod cum delectatione retinetur. Quinto autem gradu perseverantibus in labore datur evadendi consilium; quia nisi quisque adjuvetur a superiore, nullo modo sibi est idoneus ut sese tantis miseriarum implicamentis expediat : est autem justum consilium, ut qui se a potentiore adjuvari vult, adjuvet infirmiorem in quo est ipse potentior : itaque *Beati misericordes; quia ipsorum miserebitur.* Sexto gradu est cordis munditia, de bona conscientia bonorum operum valens ad contemplandum summum illud bonum, quod solo puro et sereno intellectu cerni potest. Postremo est septima ipsa sapientia, id est contemplatio veritatis, pacificans totum hominem, et suscipiens similitudinem Dei, quæ ita concluditur : *Beati pacifici; quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* Octava tanquam ad caput redit; quia consummatum perfectumque ostendit et probat : itaque in prima et in octava nominatum est regnum cœlorum, *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum;* et, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum :* cum jam dicitur, *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius* (*Rom.* VIII, 35)? Septem sunt ergo quæ perficiunt : nam octava clarificat, et quod perfectum est demonstrat, ut per hos gradus perficiantur et cæteri, tanquam a capite rursum exordiens.

CAPUT IV. — 11. Videtur ergo mihi etiam septiformis operatio Spiritus sancti, de qua Isaias loquitur (*Isai.* XI, 2, 3), his gradibus sententiisque congruere. Sed interest ordinis : nam ibi enumeratio ab excellentioribus cœpit, hic vero ab inferioribus. Ibi namque incipit a sapientia, et desinit ad timorem Dei : sed *initium sapientiæ timor Domini* est. Quapropter si gradatim tanquam ascendentes numeremus, primus ibi est timor Dei, secunda pietas, tertia scientia, quarta fortitudo, quintum consilium, sextus intellectus, septima sapientia. Timor Dei congruit humilibus, de quibus hic dicitur, *Beati pauperes spiritu*, id est non inflati, non superbi : quibus Apostolus dicit, *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* XI, 20); id est, noli extolli. Pietas congruit mitibus : qui enim pie quærit, honorat sanctam Scripturam, et non reprehendit quod nondum intelligit, et propterea non resistit, quod est mitem esse : unde hic dicitur, *Beati mites.* Scientia congruit lugentibus, qui jam cognoverunt in Scripturis quibus malis vincti teneantur, quæ tanquam bona et utilia ignorantes appetiverunt : de quibus hic dicitur, *Beati qui lugent.* Fortitudo congruit esurientibus et sitientibus : laborant enim desiderantes gaudium de veris bonis, et amorem a terrenis et corporalibus avertere cupientes : de quibus hic dicitur, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Consilium congruit misericordibus : hoc enim unum remedium est de tantis

[1] Sic Am. Er. et omnes Mss. At Lov., *nihil in istis resistit Deo.*

[1] In decem Mss., non interponitur, *est.*

malis evadendi, ut dimittamus, sicut nobis dimitti volumus; et adjuvemus in quo possumus alios, sicut nos in quo non possumus cupimus adjuvari : de quibus hic dicitur, *Beati misericordes*. Intellectus congruit mundis corde, tanquam purgato oculo, quo cerni possit quod corporeus oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*Isai.* LXIV, 4; *et* I *Cor.* II, 9) : de quibus hic dicitur, *Beati mundi corde*. Sapientia congruit pacificis, in quibus jam ordinata sunt omnia, nullusque motus adversus rationem rebellis est, sed cuncta obtemperant spiritui hominis, cum et ipse obtemperet Deo (*a*) : de quibus hic dicitur, *Beati pacifici*.

12. Unum autem præmium quod est regnum cœlorum, pro his gradibus varie nominatum est. In primo, sicut oportebat, positum est regnum cœlorum, quod est perfecta summaque sapientia animæ rationalis. Sic itaque dictum est, *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum :* tanquam diceretur, *Initium sapientiæ timor Domini.* Mitibus hæreditas data est, tanquam testamentum patris cum pietate quærentibus : *Beati mites; quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Lugentibus consolatio, tanquam scientibus quid amiserint, et quibus mersi sint : *Beati qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur.* Esurientibus et sitientibus saturitas, tanquam refectio laborantibus fortiterque certantibus ad salutem : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* Misericordibus misericordia, tanquam vero et optimo consilio utentibus, ut hoc eis exhibeatur a potentiore, quod invalidioribus exhibent. *Beati misericordes; quoniam ipsorum miserebitur.* Mundis corde facultas videndi Deum, tanquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus. *Beati mundi corde; quoniam ipsi Deum videbunt.* Pacificis Dei similitudo, tanquam perfecte sapientibus formatisque ad imaginem Dei per regenerationem renovati hominis : *Beati pacifici; quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* Et ista quidem in hac vita possunt compleri, sicut completa esse in Apostolis credimus (*b*). Nam illa omnimoda in angelicam formam mutatio, quæ post hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi potest. *Beati* ergo *qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Hæc octava sententia, quæ ad caput redit, perfectumque hominem declarat, significatur fortasse et circumcisione octavo die in Veteri Testamento; et Domini resurrectione post sabbatum, qui est utique octavus, idemque primus dies; et celebratione octavarum feriarum, quas in regeneratione novi hominis celebramus; et numero ipso Pentecostes. Nam septenario numero septies multiplicato, quo fiunt quadraginta novem, quasi octavus additur, ut quinquaginta compleantur et tanquam redeatur ad caput : quo die missus est Spiritus sanctus, quo in regnum cœlorum ducimur, et hæreditatem accipimus, et consolamur; et pascimur, et misericordiam consequimur, et mundamur, et pacificamur; atque ita perfecti, omnes extrinsecus illatas molestias pro veritate et justitia sustinemus.

CAPUT V. — 13. *Beati eritis*, inquit, *cum vobis maledicent, et persequentur vos, et dicent omne malum adversum vos, mentientes, propter me. Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.* Animadvertat quisquis delicias hujus sæculi et facultates rerum temporalium quærit in nomine christiano, intrinsecus esse beatitudinem nostram; sicut de anima ecclesiastica ore prophetico dicitur : *Omnis pulchritudo filiæ regis intrinsecus* (*Psal.* XLIV, 14) : nam extrinsecus maledicta et persecutiones et detractiones promittuntur : de quibus tamen magna merces est in cœlis, quæ sentitur in corde patientium, eorum qui jam possunt dicere, « Gloriamur in tribulationibus; scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis » (*Rom.* V, 3-5). Non enim ista perpeti fructuosum est, sed ista pro Christi nomine non solum æquo animo, sed etiam cum exsultatione tolerare. Nam multi hæretici, nomine christiano animas decipientes, multa talia patiuntur : sed ideo excluduntur ab ista mercede, quia non dictum est tantum, *Beati qui persecutionem patiuntur;* sed additum est, *propter justitiam :* ubi autem sana fides non est, non potest esse justitia; quia justus ex fide vivit (*Habac.* II, 4, *et Rom.* I, 17). Neque schismatici aliquid sibi ex ista mercede promittant; quia similiter ubi charitas non est, non potest esse justitia : dilectio enim proximi malum non operatur (*Rom.* XIII, 10), quam si haberent, non dilaniarent corpus Christi, quod est Ecclesia (*Coloss.* I, 24).

14. Quæri autem potest quid intersit quod ait, *Cum vobis maledicent*, et, *Omne malum dicent adversum vos;* cum maledicere, hoc sit, malum dicere. Sed aliter maledictum jactatur cum contumelia coram illo cui maledicitur, sicut Domino nostro dictum est, *Nonne verum dicimus, quia Samaritanus es, et dæmonium habes* (*Joan.* VIII, 48)? aliter cum absentis fama læditur, sicut de illo item scribitur, *Alii dicebant, Quia propheta est : alii autem dicebant, Non, sed seducit populum* (*Id.* VII, 12). Persequi autem, est vim inferre, vel insidiis appetere : quod fecit qui eum tradidit, et qui eum crucifixerunt. Sane quod etiam hoc non est nude positum, ut diceretur, *Et dicent omne malum adversum vos*, sed additum est, *mentientes;* additum etiam, *propter me :* propter eos additum puto, qui volunt de persecutionibus et de famæ suæ turpitudine gloriari; et ideo dicere ad se pertinere Christum, quia multa de illis dicuntur mala; cum et vera dicantur, quando de illorum errore dicuntur : et si aliquando etiam nonnulla falsa jactantur, quod temeritate hominum plerumque accidit, non tamen propter Christum ista patiuntur. Non enim Christum sequitur, qui non secundum veram fidem et catholicam disciplinam Christianus vocatur.

15. *Gaudete*, inquit, *et exsultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.* Non hic cœlos dici puto su-

(*a*) I Retract. cap. 19, n. 1.
(*b*) Ibid., n. 2.

periores partes hujus visibilis mundi. Non enim merces nostra, quæ inconcussa et æterna esse debet, in rebus volubilibus et temporalibus collocanda est. Sed *in cœlis* dictum puto, in spiritualibus firmamentis, ubi habitat sempiterna justitia : in quorum comparatione terra dicitur anima iniqua, cui peccanti dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). De his cœlis dicit Apostolus : *Quoniam conversatio nostra in cœlis est* (*Philipp.* III, 20). Sentiunt ergo jam istam mercedem, qui gaudent spiritualibus bonis : sed tunc ex omni parte perficietur, cum etiam hoc mortale induerit immortalitatem. *Ita enim persecuti sunt*, inquit, *et Prophetas qui ante vos fuerunt.* Nunc persecutionem generaliter posuit, et in maledictis et in dilaceratione famæ; et bene exemplo adhortatus est, quia vera dicentes solent persecutionem pati : nec tamen ideo Prophetæ antiqui timore persecutionis a veritatis prædicatione defecerunt.

CAPUT VI. — 16. Rectissime itaque sequitur, *Vos estis sal terræ :* ostendens fatuos esse judicandos, qui temporalium bonorum vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes, amittunt æterna, quæ nec dari possunt ab hominibus, nec auferri. *Itaque si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* id est, si vos per quos condiendi sunt quodammodo populi, metu persecutionum temporalium amiseritis regna cœlorum; qui erunt homines per quos a vobis error auferatur, cum vos elegerit Deus, per quos errorem auferat cæterorum? Ergo *ad nihilum valet* sal infatuatum, *nisi ut mittatur foras, et calcetur ab hominibus.* Non itaque calcatur ab hominibus qui patitur persecutionem, sed qui persecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non potest nisi inferior : sed inferior non est qui quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen fixus in cœlo est.

17. *Vos estis lumen mundi.* Quomodo dixit superius *sal terræ*, sic nunc dicit *lumen mundi.* Nam neque superius ista terra accipienda est, quam pedibus corporeis calcamus, sed homines qui in terra habitant, vel etiam peccatores, quorum condiendis et exstinguendis putoribus apostolicum salem Dominus misit. Et hic mundum non cœlum et terram, sed homines qui sunt in mundo vel diligunt mundum, oportet intelligi, quibus illuminandis Apostoli missi sunt. *Non potest civitas abscondi super montem constituta :* id est, fundata super insignem magnamque justitiam, quam significat etiam ipse mons in quo disputat Dominus. *Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio.* Quid putamus? ita esse dictum *sub modio*, ut occultatio tantum lucernæ accipienda sit, tanquam si diceret, Nemo accendit lucernam, et occultat illam? an aliquid etiam modius significat, ut hoc sit ponere lucernam sub modio, superiora facere corporis commoda, quam prædicationem veritatis; ut ideo quisque veritatem non prædicet, dum timet ne aliquid in rebus corporalibus et temporalibus molestiæ patiatur? Et bene modius dicitur, sive propter retributionem mensuræ, quia ea quisque recipit quæ gessit in corpore, *ut illic*, inquit Apostolus, *recipiat unusquisque quæ gessit in corpore* (II *Cor.* V, 10) : et tanquam de hoc modio corporis alio loco dicitur, *In qua enim mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis* (*Matth.* VII, 2) : sive quoniam temporalia bona, quæ in corpore peraguntur, certa dierum mensura et inchoantur et transeunt, quam fortasse significat modius; æterna vero et spiritualia nullo tali fine coercentur (*a*) : *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum* (*Joan.* III, 34). Sub modio ergo lucernam ponit, quisquis lucem bonæ doctrinæ commodis temporalibus obscurat et tegit. *Sed super candelabrum.* Super candelabrum autem, qui corpus suum ministerio Dei subjicit, ut superior sit prædicatio veritatis, et inferior servitus corporis : per ipsam tamen corporis servitutem excelsior luceat doctrina, quæ per officia corporalia, id est per vocem et linguam et cæteros corporis motus in bonis operibus insinuatur discentibus. Super candelabrum ergo ponit lucernam, cum dicit Apostolus, *Non sic pugno tanquam aerem cædens; sed castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte aliis prædicans ipse reprobus inveniar* (I *Cor.* IX, 26, 27). Quod vero ait, *Ut luceat omnibus qui in domo sunt*, domum puto dictam habitationem hominum, id est ipsum mundum, propter id quod superius ait, *Vos estis lumen mundi :* aut si domum quisque vult accipere Ecclesiam, nec hoc est absurdum.

CAPUT VII. — 18. *Sic luceat*, inquit, *lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* Si tantummodo diceret, *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra;* finem constituisse videretur in laudibus hominum, quas quærunt hypocritæ, et qui ambiunt ad honores, et captant inanissimam gloriam. Contra quos dicitur, « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem » (*Galat.* I, 10) : et per prophetam, « Qui hominibus placent, confusi sunt, quia Deus nihili fecit illos; » et iterum, « Deus confregit ossa hominibus placentium » (*Psal.* LII, 6) : et rursum Apostolus, « Non efficiamur inanis gloriæ cupidi » (*Galat.* V, 26); et ipse iterum, « Probet autem se homo, et tunc in semetipso habebit gloriam, et non in altero » (*Id.* VI, 4). Non ergo tantum dixit, « ut videant bona facta vestra; » sed addidit, « et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est : » ut hoc ipsum quod homo per bona opera placet hominibus, non ibi finem constituat ut hominibus placeat; sed referat hoc ad laudem Dei, et propterea placeat hominibus ut in illo glorificetur Deus. Hoc enim laudantibus expedit, ut non hominem, sed Deum honorent : sicut in ipso homine qui portabatur [1], Dominus ostendit, ubi admiratæ turbæ paralytico sanato virtutes ejus, sicut in Evangelio scriptum est, « Timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus » (*Matth.* IX, 8). Cujus imitator apostolus Paulus dicit : « Tantum au-

[1] In undecim MSS. et in editis AM. et ER., *quem portabat.* Apud Mar., *quem portabant.*

(*a*) I Retract. cap. 19, n. 3.

tem audientes erant quoniam qui aliquando nos persequebatur, nunc evangelizat fidem quam aliquando vastabat; et in me glorificabant Deum» (*Galat.* I, 23, 24).

19. Posteaquam ergo cohortatus est audientes ut se præpararent ad omnia sustinenda pro veritate atque justitia, et ut non absconderent bonum quod accepturi erant, sed ea benevolentia discerent, ut cæteros docerent, non ad laudem suam, sed ad gloriam Dei bona sua opera referentes; incipit eos jam informare et docere quid doceant, tanquam si quærerent dicentes : Ecce volumus et omnia sustinere pro tuo nomine, et doctrinam tuam non abscondere; sed quid est hoc ipsum quod vetas abscondi, et pro quo jubes omnia tolerari? numquid alia dicturus es contra ea quæ in Lege scripta sunt? Non, inquit. *Nolite* enim *putare, quoniam veni solvere Legem aut Prophetas : non veni solvere, sed implere.*

CAPUT VIII. — 20. In hac sententia sensus duplex est; secundum utrumque tractandum est. Nam qui dicit, *Non veni solvere Legem, sed implere;* aut addendo dicit quod minus habet, aut faciendo quod habet : illud ergo prius consideremus, quod primo posui. Nam qui addit quod minus habet, non utique solvit quod invenit, sed magis perficiendo confirmat : et ideo sequitur, et dicit, *Amen dico vobis, donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non transiet a Lege, donec omnia fiant.* Dum enim fiunt etiam illa quæ adduntur ad perfectionem, multo magis fiunt illa quæ præmissa sunt ad inchoationem. Quod autem ait, *Iota unum, aut unus apex non transiet a Lege*, nihil potest aliud intelligi nisi vehemens expressio perfectionis (*a*), quando per litteras singulas demonstrata est : inter quas litteras iota minor est cæteris, quia uno ductu fit; apex autem est etiam ipsius aliqua in summo particula. Quibus verbis ostendit in Lege ad effectum etiam minima quæque perduci. Deinde subjicit : *Qui enim solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Mandata ergo minima significantur per unum iota et unum apicem. Qui ergo *solverit et docuerit sic*, id est, secundum id quod solvit, non secundum id quod invenit et legit, *minimus vocabitur in regno cœlorum :* et fortasse ideo non erit in regno cœlorum, ubi nisi magni esse non possunt. *Qui autem fecerit et docuerit sic* (*b*), hoc est, qui non solverit, et docuerit sic, secundum id quod non solvit, *magnus vocabitur in regno cœlorum.* Qui vero magnus vocabitur in regno cœlorum, sequitur ut etiam sit in regno cœlorum, quo magni admittuntur : ad hoc enim pertinet quod sequitur.

CAPUT IX. — 21. *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum :* id est, nisi non solum illa minima Legis præcepta impleveritis quæ inchoant hominem, sed etiam ista quæ a me adduntur, qui non veni solvere Legem, sed implere, non intrabitis in regnum cœlorum (*c*). Sed dicis mihi : Si de illis mandatis minimis cum superius loqueretur, dixit minimum vocari in regno cœlorum quisquis unum eorum solverit, et secundum suam solutionem docuerit; magnum autem vocari quisquis ea fecerit, et sic docuerit, et ex eo jam in regno cœlorum futurum esse quia magnus est : quid opus est addi præceptis Legis minimis, si jam in regno cœlorum potest esse, quia magnus est quisquis ea fecerit, et sic docuerit? Quapropter sic est accipienda illa sententia, *Qui autem fecerit et docuerit sic, magnus vocabitur in regno cœlorum :* id est, non secundum illa minima, sed secundum ea quæ ego dicturus sum. Quæ sunt autem ista? Ut abundet justitia, inquit, vestra super Scribarum et Pharisæorum; quia nisi abundaverit, non intrabitis in regnum cœlorum. Ergo qui solverit illa minima, et sic docuerit, minimus vocabitur : qui autem fecerit illa minima, et sic docuerit, non jam magnus habendus est et idoneus regno cœlorum; sed tamen non tam minimus quam ille qui solvit : ut autem sit magnus atque illi regno aptus, facere debet et docere, sicut Christus nunc docet, id est, ut abundet justitia ejus super Scribarum et Pharisæorum. Justitia Pharisæorum est, ut non occidant; justitia eorum qui intraturi sunt in regnum Dei, ut non irascantur sine causa : minimum est ergo non occidere; et qui illud solverit, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem illud impleverit ut non occidat, non continuo magnus erit et idoneus regno cœlorum, sed tamen ascendit aliquem gradum; perficietur autem, si nec irascatur sine causa : quod si perfecerit, multo remotior erit ab homicidio. Quapropter qui docet ut non irascamur, non solvit Legem ne occidamus, sed implet potius, ut et foris dum non occidimus, et in corde dum non irascimur, innocentiam custodiamus.

22. *Audistis* ergo, inquit, *quia dictum est antiquis, Non occides : qui autem occiderit, judicio reus erit. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio : qui autem dixerit fratri suo, Racha, reus erit concilio : qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quid interest inter reum judicio, et reum concilio, et reum gehennæ ignis? Nam hoc postremum gravissimum sonat, et admonet quosdam gradus factos a levioribus ad graviora, donec ad gehennam ignis veniretur. Et ideo si levius est reum esse judicio quam reum esse concilio; item levius est reum esse concilio, quam esse reum gehennæ ignis; oportet levius esse intelligatur irasci sine causa fratri, quam dicere *Racha*, et rursus levius esse dicere *Racha*, quam dicere *Fatue.* Non enim reatus ipse haberet gradus, nisi gradatim etiam peccata commemorarentur.

23. Unum autem hic verbum obscurum positum est, quia nec græcum nec latinum est *Racha :* cætera vero in sermone nostro usitata sunt. Nonnulli autem de græco trahere voluerunt interpretationem hujus vocis, putantes pannosum dici *Racha*, quoniam græce pannus ῥάκος dicitur : a quibus tamen cum quæritur

(*a*) I Retract. cap. 19, n. 3.
(*b*) In græco legebat *outô*, pro *outos*.
(*c*) I Retract. cap. 19, n. 4.

quid dicatur græce pannosus, non responderet *Racha;* deinde posset latinus interpres ubi posuit *Racha*, pannosum ponere, nec uti verbo quod et in latina lingua nullum sit, et in græca inusitatum. Probabilius est ergo quod audivi a quodam Hebræo, cum id interrogassem : dixit enim esse vocem non significantem aliquid, sed indignantis animi motum exprimentem. Has interjectiones grammatici vocant particulas orationis significantes commoti animi affectum : velut cum dicitur a dolente, Heu ; vel ab irascente, Hem. Quæ voces quarumque linguarum sunt propriæ, nec in aliam linguam facile transferuntur : quæ causa utique coegit tam græcum interpretem quam latinum vocem ipsam ponere, cum quomodo eam interpretaretur non inveniret.

24. Gradus itaque sunt in istis peccatis, ut primo quisque irascatur, et eum motum retineat corde conceptum : jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriatur ille cui irascitur ; plus est utique quam si surgens ira silentio premeretur : si vero non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum quo jam certam ejus vituperationem in quem profertur, designet et notet, quis dubitet amplius hoc esse, quam si solus indignationis sonus ederetur? Itaque in primo unum est, id est, ira sola; in secundo duo, et ira, et vox quæ iram significat; in tertio tria, et ira, et vox quæ iram significat : et in voce ipsa, certæ vituperationis expressio. Vide nunc etiam tres reatus, judicii, concilii, gehennæ ignis. Nam in judicio adhuc defensioni datur locus : in concilio autem quanquam et judicium esse soleat, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad concilium pertinere sententiæ prolatio ; quando non jam cum ipso reo agitur, utrum damnandus sit, sed inter se qui judicant conferunt quo supplicio damnari oporteat quem constat esse damnandum : gehenna vero ignis, nec damnationem habet dubiam, sicut judicium ; nec damnati pœnam, sicut concilium ; in gehenna quippe ignis certa est et damnatio et pœna damnati. Videntur ergo aliqui gradus in peccatis et in reatu : sed quibus modis invisibiliter exhibeantur [1] meritis animarum, quis potest dicere? Audiendum est itaque quantum intersit inter justitiam Pharisæorum, et istam majorem quæ in regnum cœlorum introducit, quod cum sit gravius occidere quam verbo irrogare convicium, ibi occisio reum facit judicio, hic autem ira facit reum judicio, quod trium illorum peccatorum levissimum est : quia illic quæstionem homicidii inter homines agitabant; hic autem omnia divino judicio dimittuntur, ubi finis damnatorum est gehenna ignis. Quisquis autem dixerit quod graviore supplicio in majore justitia punitur homicidium, si gehenna ignis punitur convicium, cogit intelligi esse differentias gehennarum.

25. Sane in tribus istis sententiis subauditio verborum intuenda est. Habet enim prima sententia omnia verba necessaria, ut nihil subaudiatur : *Qui irascitur*, inquit, *fratri suo sine causa, reus erit judicio*. In secunda vero cum ait, *Qui autem dixerit fratri suo, Racha*, subauditur, sine causa, et ita jungitur, *reus erit concilio* (a). Jam in tertia ubi ait, *Qui autem dixerit, Fatue*, duo subaudiuntur, et fratri suo, et sine causa. Hoc est unde defenditur, quod Apostolus Galatas vocat stultos (*Galat.* III, 1), quos etiam fratres nominat : non enim id facit sine causa. Ideo autem hic frater subaudiendus est, quia de inimico postea dicitur quomodo etiam ipse tractandus sit majore justitia.

CAPUT X. — 26. Deinde hic sequitur : *Si ergo obtuleris munus tuum ad altare, et illic recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te; relinque ibi munus tuum ante altare, et vade, prius reconciliare fratri tuo* [1] : *et tunc veniens offer munus tuum.* Hinc utique apparet de fratre dictum superius ; quoniam sententia quæ sequitur, ea conjunctione connectitur ut superiori attestetur : non enim ait, Si autem obtuleris munus tuum ad altare ; sed ait, *Si ergo obtuleris munus tuum ad altare.* Nam si irasci fas non est fratri suo sine causa, aut dicere *Racha*, aut dicere *Fatue;* multo minus fas est animo tenere aliquid ut in odium indignatio convertatur. Quo pertinet etiam quod alio loco dicitur, *Non occidat sol super iracundiam vestram* (*Ephes.* IV, 26). Jubemur ergo illaturi munus ad altare, si recordati fuerimus aliquid adversum nos habere fratrem, munus ante altare relinquere, et pergere ac reconciliari fratri, deinde venire et munus offerre. Quod si accipiatur ad litteram, fortassis aliquis credat ita fieri oportere, si præsens frater sit, non enim diutius differri potest, cum munus tuum relinquere ante altare jubearis : si vero de absente, et, quod fieri potest, etiam trans mare constituto aliquid tale veniat in mentem, absurdum est credere ante altare munus relinquendum, quod post terras et maria pererrata offeras Deo. Et ideo prorsus intro ad spiritualia refugere cogimur, ut hoc quod dictum est sine absurditate possit intelligi.

27. Altare itaque spiritualiter in interiore Dei templo ipsam fidem accipere possumus, cujus signum est altare visibile. Quodlibet enim munus offerimus Deo, sive prophetiam, sive doctrinam, sive orationem, sive hymnum, sive psalmum, et si quid tale aliud spiritualium donorum animo occurrit, acceptum esse non potest Deo, nisi fidei sinceritate fulciatur, et ei fixe atque immobiliter tanquam [2] imponatur, ut possit integrum atque illibatum esse quod loquimur. Nam multi hæretici non habentes altare, id est veram fidem, blasphemias pro laude dixerunt ; terrenis videlicet opinionibus aggravati, votum suum tanquam in terram projicientes. Sed debet esse sana etiam offerentis intentio. Et propterea cum tale aliquid oblaturi sumus in corde nostro, id est in interiore Dei templo; *Templum enim Dei sanctum est*, inquit, *quod estis vos* (I *Cor.* III, 17); et,

[1] Lov., *exhibeantur pœnæ.* Abest, *pœnæ*, ab aliis editis, et a Mss.

[1] Am. Er. et plures Mss., *reconciliari fratri tuo.* At Lov., *reconciliare.* Optime, suffragante græco, *diallagêthi.*
[2] Hic Lov. addit, *altari;* qua voce carent cæteri codices.
(a) I Retract. cap. 19, n. 4.

In interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris (*Ephes.* III, 17) : si in mentem venerit quod aliquid habeat adversum nos frater, id est, si nos eum in aliquo læsimus ; tunc enim ipse habet adversum nos : nam nos adversus illum habemus, si ille nos læsit : ubi non opus est pergere ad reconciliationem ; non enim veniam postulabis ab eo qui tibi fecit injuriam, sed tantum dimittes, sicut tibi dimitti a Domino cupis, quod ipse commiseris : pergendum est ergo ad reconciliationem, cum in mentem venerit quod nos forte fratrem in aliquo læsimus ; pergendum autem non pedibus corporis, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri, ad quem chara cogitatione cucurreris, in conspectu ejus cui munus oblaturus es. Ita enim etiam si præsens sit, poteris eum non simulato animo lenire, atque in gratiam revocare veniam postulando, si hoc prius coram Deo feceris, pergens ad eum non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu ; atque inde veniens, id est, intentionem revocans ad id quod agere cœperas, offeres munus tuum.

28. Quis autem hoc facit, ut fratri suo vel non irascatur sine causa, vel *Racha* non dicat sine causa, vel eum fatuum non appellet sine causa, quod totum superbissime admittitur; vel forte si in aliquo horum lapsus fuerit, quod est unum remedium, supplici animo veniam deprecetur; nisi quisquis inanis jactantiæ spiritu non inflatur [1]? *Beati* ergo *pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Nunc jam videamus quod sequitur.

CAPUT XI. — 29. *Esto*, inquit, *adversario tuo benevolus cito dum es in via cum eo; ne forte te tradat adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Judicem intelligo : *Pater enim non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22). Ministrum intelligo: *Et Angeli*, inquit, *ministrabant ei* (*Matth.* IV, 11) : et cum Angelis suis venturum credimus ad judicandos vivos et mortuos. Carcerem intelligo; pœnas videlicet tenebrarum, quas alio loco exteriores vocat (*Id.* VIII, 12) : credo propterea quod intrinsecus sit in ipsa mente, vel etiam si quid secretius cogitari potest, gaudium divinorum præmiorum ; de quo dicitur servo bene merito, *Intra in gaudium Domini tui* (*Id.* XXV, 23) : quemadmodum etiam in hac ordinatione reipublicæ, vel a secretario, vel a prætorio judicis extra mittitur qui in carcerem truditur.

30. De solvendo autem novissimo quadrante, potest non absurde intelligi aut pro eo positum quod nihil relinquitur impunitum ; sicut loquentes etiam dicimus, Usque ad fæcem, cum volumus exprimere aliquid ita exactum, ut nihil relinqueretur : vel ut significarentur nomine quadrantis novissimi, terrena peccata. Quarta enim pars distinctorum membrorum hujus mundi, et ea novissima, terra invenitur, ut incipias a cœlo, secundum aerem numeres, aquam tertiam, quartam terram. Potest ergo convenienter videri dictum, *Donec solvas novissimum quadrantem*, donec luas terrena peccata : hoc enim et peccator audivit, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). *Donec solvas* autem quod dictum est, miror si non eam significat pœnam quæ vocatur æterna. Unde enim solvitur illud debitum, ubi jam non datur pœnitendi et correctius vivendi locus? Ita enim fortasse hic positum est, *Donec solvas*, quomodo in illo ubi dictum est, *Sede ad dexteram meam, donec ponam omnes inimicos tuos sub pedibus tuis* (*Psal.* CIX, 1); non enim cum fuerint inimici sub pedibus positi, desinet ille sedere ad dexteram : aut illud Apostoli, *Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis* (I *Cor.* XV, 25); non enim cum positi fuerint, desinet regnare. Quemadmodum ergo ibi intelligitur, de quo dictum est, *Oportet eum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus suis*, semper regnaturum, quoniam semper illi erunt sub pedibus : ita hic accipi potest, de quo dictum est, *Non exies inde, donec solvas novissimum quadrantem*, semper non exiturum esse ; quia semper solvit novissimum quadrantem, dum sempiternas pœnas terrenorum peccatorum luit. Neque ita hoc dixerim, ut diligentiorem tractationem videar ademisse de pœnis peccatorum, quomodo in Scripturis dicantur æternæ : quanquam quolibet modo vitandæ sunt potius quam sciendæ.

31. Sed videamus jam quis sit ipse adversarius, cui jubemur esse benevoli cito, cum sumus cum illo in via. Aut enim diabolus est, aut homo, aut caro, aut Deus, aut præceptum ejus. Sed diabolo non video quomodo jubeamur benevoli esse, id est concordes aut consentientes. Namque alii quod græce positum est εὐνοῶν, interpretati sunt *concors*, alii *consentiens* : sed neque benevolentiam diabolo jubemur exhibere ; ubi enim benevolentia, ibi amicitia : neque quisquam dixerit amicitiam cum diabolo esse faciendam ; neque concordare cum illo expedit, cui semel renuntiando bellum indiximus, et quo victo coronabimur ; neque consentire illi jam oportet, cui si nunquam consensissemus, nunquam in istas incidissemus miserias. De homine autem, quanquam jubeamur cum omnibus, quantum in nobis est, pacem habere, ubi utique et benevolentia, et concordia, et consensio potest intelligi ; non video tamen quomodo accipiam ab homine nos judici tradi, ubi Christum judicem intelligo, *ante* cujus *tribunal omnes oportet exhiberi*, sicut dicit Apostolus (II *Cor.* v, 10) : quomodo ergo judici traditurus est, qui ante judicem pariter exhibebitur? Aut si propterea traditur quisque judici, quia hominem læsit, quamvis illo non tradente qui læsus est; multo commodius accipitur a lege ipsa reum tradi judici, contra quam fecit, cum hominem læderet. Quia et si occidendo quis nocuerit homini, non erit jam tempus quo concordet cum eo; quia jam non est cum illo in via, id est in hac vita : nec tamen ideo non sanabitur pœnitendo, et ad illius misericordiam cum sacrificio tribulati cordis refugiendo qui donat peccata conver-

[1] Lov., *deprecetur ; quod quisquis non fecerit, inanis jactantiæ spiritu inflatur*. Sed liquidior est nostra lectio, et a cæteris libris probata.

sis ad se, et qui plus gaudet de uno pœnitente, quam de nonaginta novem justis (*Luc.* xv, 7). Carni vero multo minus video quomodo benevoli vel concordes vel consentientes esse jubeamur. Magis enim peccatores amant carnem suam, et concordant cum illa, et consentiunt ei : qui vero eam servituti subjiciunt, non ipsi ei consentiunt, sed eam sibi consentire cogunt.

32. Fortasse ergo jubemur Deo consentire, et illi esse benevoli, ut ei reconciliemur, a quo peccando aversi sumus, ut adversarius noster dici possit. Quibus enim resistit, recte dicitur eorum adversarius : *Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jacobi* iv, 6); et, *Initium omnis peccati superbia; initium autem superbiæ hominis, apostatare a Deo* (*Eccli.* x, 15, 14) : et Apostolus dicit, *Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius* (*Rom.* v, 10). Ex quo intelligi potest, nullam naturam malam inimicam Deo esse, quandoquidem ipsi reconciliantur qui inimici fuerunt. Quisquis ergo in hac via, id est in hac vita, non fuerit reconciliatus Deo per mortem Filii ejus, tradetur judici ab illo; quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* : atque ita cætera quæ in hoc capitulo scripta sunt consequuntur, de quibus jam tractavimus. Unum solum est quod huic intellectui difficultatem facit, quomodo possit recte dici in via nos esse cum Deo, si hoc loco ipse accipiendus est adversarius impiorum, cui jubemur cito reconciliari : nisi forte quia ipse ubique est, nos etiam cum in hac via sumus, cum illo utique sumus. *Si enim ascendero in cœlum*, inquit, *tu ibi es; si descendero in infernum, ades; si recipiam pennas meas in directum, et habitabo in novissima*[1] *maris; etenim illuc manus tua deducet me, et continebit me dextera tua* (*Psal.* cxxxviii, 8-10). Aut si non placet impios dici esse cum Deo, quanquam nusquam non præsto sit Deus; quemadmodum non dicimus cæcos esse cum luce, tametsi oculos eorum lux circumfundat; unum reliquum est, ut hic adversarium præceptum Dei, intelligamus. Quid enim sic adversatur peccare volentibus quam præceptum Dei, id est lex ejus et Scriptura divina, quæ data est nobis ad hanc vitam, ut sit nobiscum in via, cui non oportet contradicere, ne nos tradat judici; sed ei oportet consentire cito? Non enim quisquam novit quando de hac vita exeat. Quis autem consentit Scripturæ divinæ, nisi qui legit vel audit pie, deferens ei culmen auctoritatis, ut quod intelligit, non propter hoc oderit quod peccatis suis adversari sentit; sed magis diligat correptionem suam, et gaudeat quod morbis suis, donec sanentur, non parcitur : quod vero aut obscurum, aut absurdum illi sonat, non inde concitet contradictionum certamina, sed oret ut intelligat; benevolentiam tamen et reverentiam tantæ auctoritati exhibendam esse meminerit? Sed quis hoc facit, nisi quisquis ad testamentum patris aperiendum et cognoscendum, non litium minitatione acerbus, sed pietate mitis accesserit? *Beati ergo mites; quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram.* Videamus sequentia.

CAPUT XII.—33. *Audistis quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Justitia ergo minor est, non mœchari corporum conjunctione : justitia vero major regni Dei, non mœchari in corde. Quisquis autem non mœchatur in corde, multo facilius custodit ne mœchetur in corpore. Illud ergo confirmavit qui hoc præcepit : non enim venit Legem solvere, sed implere. Sane considerandum est quod non dixit, *Omnis* qui concupiverit mulierem; sed, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, id est, hoc fine et hoc animo attenderit ut eam concupiscat : quod jam non est titillari delectatione carnis, sed plene[1] consentire libidini; ita ut non refrenetur illicitus appetitus, sed si facultas data fuerit, satietur.

34. Nam tria sunt quibus impletur peccatum; suggestione, delectatione, et consensione. Suggestio, sive per memoriam fit, sive per corporis sensus, cum aliquid videmus, vel audimus, vel olfacimus, vel gustamus, vel tangimus. Quo si frui delectaverit, delectatio illicita refrenanda est. Velut cum jejunamus et visis cibis palati appetitus assurgit, non fit nisi delectatione : sed huic tamen non consentimus, et eam[2] dominantis rationis jure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit, notum Deo in corde nostro, etiamsi facto non innotescat hominibus. Ita ergo sunt isti gradus, quasi a serpente suggestio fiat, id est, lubrico et volubili, hoc est temporali corporum[3] motu; quia et si qua talia phantasmata intus versantur in anima, de corpore forinsecus tracta sunt; et si quis occultus præter istos quinque sensus motus corporis animam tangit, est etiam ipse temporalis et lubricus; et ideo quanto illabitur occultius ut cogitationem contingat, tanto convenientius serpenti comparatur. Tria ergo hæc, ut dicere cœperam, similia sunt illi gestæ rei quæ in Genesi scripta est, ut quasi a serpente fiat suggestio et quædam suasio; in appetitu autem carnali, tanquam in Eva, delectatio; in ratione vero, tanquam in viro, consensio : quibus peractis, tanquam de paradiso, hoc est, de beatissima luce justitiæ in mortem homo expellitur (*Gen.* iii, 1); justissime omnino. Non enim cogit qui suadet. Et omnes naturæ in ordine suo gradibus suis pulchræ sunt : sed de superioribus in quibus rationalis animus ordinatus est, ad inferiora non est declinandum. Nec quisquam hoc facere cogitur; et ideo si fecerit, justa Dei lege punitur[4] : non enim hoc committit invitus. Verumtamen delectatio ante consuetudinem[5] vel nulla est, vel tam tenuis ut prope nulla sit : cui consentire ma-

[1] Am. Er. et Lov., *in novissimo*. At Mss. necnon editio Mar., *in novissima*; juxta græcum LXX, *eis ta eschata.*

[1] In omnibus prope Mss., *plane*.
[2] Editi Mar. et Lov., cæteris libris refragantibus, *si eam.*
[3] Mss. decem, *corporalium.*
[4] Sic Mss. et Mar. At Am. Er. et Lov., *sine justa defensione punitur.*
[5] Sic Am. Er. et Mss., uno tantum excepto. At Mar. et Lov., *ante consensionem.*

gnum peccatum est, cum illicita est. Cum autem quisque consenserit, committit peccatum in corde. Si autem etiam in factum processerit, videtur satiari et exstingui cupiditas : sed postea cum suggestio repetitur, major accenditur delectatio ; quæ tamen adhuc multo minor est quam illa quæ assiduis factis in consuetudinem vertit. Hanc enim vincere difficillimum est : et tamen etiam ipsam consuetudinem, si se quisque non deserat, et christianam militiam non reformidet, illo duce atque adjutore superabit ; ac sic in pristinam pacem [1] atque ordinem et vir Christo, et mulier viro subjicitur (*I Cor.* XI, 3, *et Ephes.* V, 23).

35. Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione ; ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tanquam tres mortes : una quasi in domo, id est cum in corde consentitur libidini ; altera jam prolata quasi extra portam, cum in factum procedit assensio ; tertia, cum vi consuetudinis malæ tanquam mole terrena premitur animus, quasi in sepulcro jam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum resuscitasse, quisquis Evangelium legit, agnoscit. Et fortasse considerat quas differentias habeat etiam ipsa vox resuscitantis, cum alibi dicit, *Puella surge* (*Matth.* IX, 25) ; alibi, *Juvenis, tibi dico, surge* (*Luc.* VII, 14) ; alibi, *Infremuit spiritu, et flevit, et rursus fremuit*, et post deinde *voce magna clamavit, Lazare veni foras* (*Joan.* XI, 33-44).

36. Quapropter, nomine mœchantium qui hoc capitulo commemorantur, omnem carnalem et libidinosam concupiscentiam oportet intelligi. Cum enim tam assidue idololatriam Scriptura fornicationem dicat, Paulus autem apostolus avaritiam idololatriæ nomine appellet (*Coloss.* III, 5, *et Ephes.* V, 5) ; quis dubitet omnem malam concupiscentiam recte fornicationem vocari, quando anima neglecta superiore lege qua regitur, inferiorum naturarum turpi voluptate, quasi mercede, prostituta corrumpitur ? Et ideo quisquis carnalem delectationem adversus rectam voluntatem suam rebellare sentit per consuetudinem peccatorum, cujus indomitæ [2] violentia trahitur in captivitatem, recolat quantum potest qualem pacem peccando amiserit, et exclamet, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? Gratia Dei per Jesum Christum* (*Rom.* VII, 24, 25). Ita enim cum se infelicem exclamat, lugendo implorat consolatoris auxilium. Nec parvus est ad beatitudinem accessus, cognitio infelicitatis suæ : et ideo, *Beati* etiam *lugentes ; quoniam ipsi consolabuntur.*

CAPUT XIII. — 37. Deinde sequitur, et dicit : *Si autem oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam.* Hic vero magna opus est fortitudine ad membra præcidenda. Quidquid enim est quod significat *oculus*, sine dubio tale est quod vehementer diligitur. Solet enim et ab eis qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam, ita dici, Diligo eum ut oculos meos, aut etiam plus quam oculos meos. Quod autem additum est, *dexter*, fortasse ad augendam vim dilectionis valet. Quanquam enim ad videndum isti oculi corporis communiter intendantur, et si ambo intendantur, æqualiter possint ; amplius tamen formidant homines dextrum amittere. Ut iste sit sensus : Quidquid illud est quod ita diligis, ut pro dextro oculo habeas, si scandalizat te, id est, si tibi impedimento est ad veram beatitudinem, erue illud, et projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum horum, quæ ita diligis ut tanquam membra tibi hæreant, quam totum corpus tuum eat in gehennam.

38. Sed quoniam sequitur de manu dextera, et similiter dicitur, *Si dextera manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam;* cogit quærere diligentius quid dixerit oculum. In qua quæstione nihil mihi occurrit congruentius, quam dilectissimum amicum ; nam hoc est utique quod membrum recte possumus appellare, quod vehementer diligimus : et hunc consiliarium ; quia oculus est, tanquam demonstrans iter ; et in rebus divinis, quia dexter est : ut sinister sit dilectus quidem consiliarius, sed in rebus terrenis, ad necessitatem corporis pertinentibus ; de quo scandalizante superfluum erat dicere, quandoquidem nec dextro parcendum sit. In rebus autem divinis consiliarius scandalizans est, si in aliquam perniciosam hæresim nomine religionis atque doctrinæ conatur inducere. Ergo et dextera manus accipiatur dilectus adjutor et minister in divinis operibus : nam quemadmodum in oculo contemplatio, sic in manu recte actio intelligitur ; ut sinistra manus intelligatur in operibus quæ huic vitæ et corpori sunt necessaria.

CAPUT XIV. — 39. *Dictum est autem, Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii.* Hæc justitia minor est Pharisæorum, cui non est contrarium quod Dominus dicit, *Ego autem dico vobis, Quicumque dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari ; et qui solutam a viro duxerit, mœchatur.* Non enim qui præcepit dari libellum repudii, hoc præcepit, ut uxor dimittatur : sed, *Qui dimiserit*, inquit, *det illi libellum repudii ;* ut iracundiam temerariam projicientis uxorem libelli cogitatio temperaret. Qui ergo dimittendi moram quæsivit, significavit quantum potuit duris hominibus, se nolle discidium. Et ideo ipse Dominus alio loco de hoc interrogatus, ita respondit : *Hoc Moyses propter duritiam vestram fecit* (*Matth.* XIX, 8). Quantumvis enim durus esset qui vellet dimittere uxorem, cum cogitaret libello repudii dato jam sine periculo eam posse nubere alteri, facile placaretur. Dominus ergo ad illud confirmandum ut non facile uxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit : cæteras vero universas molestias, si quæ forte exstiterint, jubet pro fide conjugali et pro castitate fortiter sustineri ; et mœchum dicit etiam virum qui eam duxerit, quæ soluta

[1] Am. Er. et Lov., *potestatem.* Mss., consentiente Mar., *pacem.*
[2] In decem Mss., *indomita.*

est a viro. Cujus rei apostolus Paulus terminum ostendit, quia tamdiu observandum dicit, quamdiu vir ejus vivit : illo autem mortuo, dat nubendi licentiam (*Rom.* VII, 2, 3). Hanc enim etiam ipse regulam tenuit, et in ea non suum consilium, sicut in nonnullis monitis, sed præceptum Domini jubentis ostendit, cum ait : *Eis autem qui sunt in conjugio præcipio, non ego, sed Dominus, mulierem a viro non discedere ; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari : et vir uxorem non dimittat* (I *Cor.* VII, 10, 11). Credo, simili forma, ut si dimiserit non ducat aliam, aut reconcilietur uxori. Fieri enim potest ut dimittat uxorem causa fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Jamvero si nec illi nubere conceditur vivo viro a quo recessit, neque huic alteram ducere viva uxore quam dimisit; multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere. Beatiora sane conjugia judicanda sunt, quæ sive filiis procreatis, sive etiam ista terrena prole contempta, continentiam inter se pari consensu servare potuerint : quia neque contra illud præceptum fit, quo Dominus dimitti conjugem vetat; non enim dimittit, qui cum ea non carnaliter, sed spiritualiter vivit : et illud servatur, quod per Apostolum dicitur, *Reliquum est ut qui habent uxores, quasi non habentes sint* (*Ibid.* 29).

CAPUT XV. — 40. Illud magis solet sollicitare animum parvulorum, qui tamen secundum præcepta Christi jam vivere gestiunt, quod alio loco ipse Dominus dicit, *Quisquis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, insuper et animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 26). Videri enim potest contrarium minus intelligentibus, quod hic vetat dimitti uxorem, excepta causa fornicationis, alibi vero discipulum suum negat esse posse quemquam qui non oderit uxorem. Quod si propter concubitum diceret, non etiam patrem, et matrem, et fratres in eadem conditione poneret. Sed quam verum est quod *regnum cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud* (*Matth.* XI, 12) ! Quanta enim vi opus est, ut homo diligat inimicos, et oderit patrem, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres ! Utrumque enim jubet, qui ad regnum cœlorum vocat. Et quomodo hæc non sint contraria inter se, ipso duce ostendere facile est ; sed ea intellecta implere difficile : quanquam et hoc eodem ipso adjuvante facillimum. Regnum enim æternum quo discipulos suos, quos etiam fratres appellat, vocare dignatus est, non habet hujusmodi necessitudines temporales. *Non enim est Judæus, neque Græcus, neque masculus, neque femina, neque servus, neque liber ; sed omnia et in omnibus Christus* (*Galat.* III, 28, *et Coloss.* III, 11). Et ipse Dominus dicit : *In resurrectione enim neque nubent, neque uxores ducent ; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlis* (*Matth.* XXII, 30). Oportet ergo ut quisquis illius regni vitam jam hic meditari voluerit, oderit non ipsos homines, sed istas necessitudines temporales, quibus ista quæ transitura est vita fulcitur, quæ nascendo et moriendo peragitur : quod qui non odit, nondum amat illam vitam ubi nulla erit conditio nascendi atque moriendi, quæ copulat terrena conjugia.

41. Itaque si aliquem bene christianum, qui tamen habet uxorem, quamvis cum ea adhuc filios generet, interrogem, utrum in illo regno habere velit uxorem ; memor utique promissorum Dei et vitæ illius, ubi corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc induet immortalitatem (I *Cor.* XV, 53, 54) ; jam magno vel certe aliquo amore suspensus, cum exsecratione respondebit, se vehementer id nolle. Rursus si interrogem, utrum uxorem suam post resurrectionem accepta angelica immutatione [1] quæ sanctis promittitur, secum ibi vivere velit ; tam vehementer se id velle quam illud nolle respondebit. Sic invenitur bonus christianus diligere in una femina creaturam Dei, quam reformari et renovari desiderat ; odisse autem conjunctionem copulationemque corruptibilem atque mortalem : hoc est, diligere in ea quod homo est, odisse quod uxor est. Ita etiam diligit inimicum, non in quantum inimicus est, sed in quantum homo est ; ut hoc ei velit provenire quod sibi, id est, ut ad regnum cœlorum correctus renovatusque perveniat. Hoc et de patre et de matre et cæteris vinculis sanguinis intelligendum est, ut in eis oderimus quod genus humanum nascendo et moriendo sortitum est (*a*), diligamus autem quod nobiscum potest ad illa regna perduci, ubi nemo dicit, Pater meus ; sed omnes uni Deo, *Pater noster* : nec, Mater mea ; sed omnes illi Jerusalem, Mater nostra : nec Frater meus ; sed omnes de omnibus, Frater noster : conjugium vero cum illo simul nobis in unum redactis, quasi unius conjugis erit, qui nos de prostitutione hujus sæculi sui sanguinis effusione liberavit. Necesse est ergo ut oderit ea quæ transeunt discipulus Christi, in iis quos secum ad ea venire desiderat, quæ semper manebunt ; et tanto magis hæc in eis oderit, quanto magis eos diligit.

42. Potest igitur christianus cum conjuge concorditer vivere ; sive indigentiam carnalem cum ea supplens, quod secundum veniam, non secundum imperium [2] dicit Apostolus ; sive filiorum propagationem, quod jam nonnullo gradu potest esse laudabile ; sive fraternam societatem, sine ulla corporum commixtione, habens uxorem tanquam non habens, quod est in conjugio Christianorum excellentissimum atque sublime : ut tamen oderit in ea nomen temporalis necessitatis [3], et diligat spem sempiternæ beatitudinis. Odimus enim sine dubio, quod certe ut aliquando non sit optamus, sicut istam ipsam præsentis sæculi vitam, quam temporalem si non odissemus, non desideraremus futuram, quæ non est tempori obnoxia. Pro hac enim vita posita est anima, de qua ibi dictum est, *Qui non oderit insuper et animam suam, non potest esse meus discipulus* (*Luc.* XIV, 6). Huic namque vitæ cibus est necessarius iste corruptibilis, de quo ipse

[1] Sic Mss. et editi, præter Mar. et Lov., qui habent, *immortalitate.*

[2] In omnibus Mss., *non secundum debitum.*

[3] Am. Er. et Lov., *oderit in ea omnes temporales necessitates.* At Mss., *oderit in ea nomen temporalis necessitatis.* Sic etiam Mar. ubi pro *necessitatis*, legendum videtur, *necessitudinis.*

(*a*) I Retract., cap. 19, n. 5.

Dominus dicit, *Nonne anima plus est quam esca* (*Matth.* VI, 25)? id est, hæc vita cui necessaria est esca. Et quod dicit, ut animam suam ponat pro ovibus suis (*Joan.* X, 15); hanc utique vitam dicit, cum se pro nobis moriturum esse pronuntiat.

CAPUT XVI.—43. Exoritur hic altera quæstio, cum Dominus causa fornicationis permittat dimitti uxorem, quatenus hoc loco intelligenda sit fornicatio : utrum quousque intelligunt omnes, id est, ut eam fornicationem credamus dictam quæ in stupris committitur; an quemadmodum Scripturæ solent fornicationem vocare, sicut supra dictum est, omnem illicitam corruptionem, sicut est idololatria vel avaritia, et ex eo jam omnis transgressio legis propter illicitam concupiscentiam (*a*). Sed consulamus Apostolum, ne aliquid temere dicamus : *His qui sunt in conjugio*, inquit, *præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Potest enim fieri ut discedat ea causa qua Dominus permittit. Aut si feminæ licet virum dimittere etiam præter causam fornicationis, et non licet viro; quid respondebimus de hoc quod dixit posterius, *Et vir uxorem ne dimittat?* Quare non addidit, excepta causa fornicationis, quod Dominus permittit; nisi quia similem formam vult intelligi, ut si dimiserit (quod causa fornicationis permittitur), maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori? Non enim male reconciliaretur vir illi mulieri, quam cum lapidare nemo ausus esset, dixit ei Dominus : *Vade, et vide deinceps ne pecces* (*Id.* VIII, 11). Quia et qui dicit, Non licet dimittere uxorem, nisi causa fornicationis; cogit retinere uxorem, si causa fornicationis non fuerit; si autem fuerit, non cogit dimittere, sed permittit : sicut dicitur, Non liceat mulieri nubere alteri, nisi mortuo viro; si ante viri mortem nupserit, rea est : si post viri mortem non nupserit, non est rea; non enim jussa est nubere, sed permissa. Si ergo par forma est in isto jure conjugii inter virum et mulierem, usque adeo ut non tantum de femina, idem Apostolus dixerit, *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir;* sed etiam de illo non tacuerit dicens, *Similiter et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier;* si ergo similis forma est, non oportet intelligi licere mulieri virum dimittere, nisi causa fornicationis, sicut et viro.

44. Considerandum est itaque quatenus fornicationem intelligere debeamus, et consulendus, ut cœperamus, Apostolus. Sequitur enim et dicit, *Cæteris autem ego dico, non Dominus.* Hic primo videndum est quibus *cæteris;* dicebat enim superius ex Domini persona iis qui sunt in conjugio, nunc vero ex sua persona cæteris dicit : ergo fortasse iis qui non sunt in conjugio : sed non hoc sequitur. Ita enim subjungit : *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Ergo etiam nunc iis dicit qui sunt in conjugio. Quid sibi ergo vult quod ait, *cæteris :* nisi quia superius eis loquebatur, qui sic copulati erant, ut pariter in fide Christi essent; *cæteris* vero nunc dicit, id est eis qui sic copulati sunt, ut non ambo fideles sint? Sed quid eis dicit? *Si quis frater habet uxorem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam : et si qua mulier habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Si ergo non præcipit ex Domini persona, sed ex sua persona monet, ita est hoc bonum, ut si quis aliter fecerit, non sit præcepti transgressor : sicut de virginibus paulo post dicit, præceptum Domini se non habere, consilium autem dare; atque ita laudat virginitatem, ut arripiat eam qui voluerit, non tamen ut si non fecerit, contra præceptum fecisse judicetur. Aliud enim est quod jubetur, aliud quod monetur, aliud quod ignoscitur. Jubetur mulier a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari : aliter ergo non licet facere. Monetur autem vir fidelis, si habet uxorem infidelem consentientem secum habitare, non eam dimittere : licet ergo et dimittere; quia non est præceptum Domini, ne dimittat, sed consilium Apostoli : sicut monetur virgo non nubere; sed si nupserit, consilium quidem non tenebit, sed contra præceptum non faciet. Ignoscitur cum dicitur, *Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium.* Quapropter, si licet ut dimittatur conjux infidelis, quamvis melius sit non dimittere, et tamen non licet secundum præceptum Domini ut dimittatur conjux nisi causa fornicationis, fornicatio est etiam ipsa infidelitas.

45. Quid enim tu dicis, Apostole? Certe ut vir fidelis consentientem secum habitare mulierem infidelem non dimittat. Ita, inquit. Cum ergo hoc et Dominus præcipiat, ne dimittat vir uxorem, nisi causa fornicationis, quare hic dicis, *Ego dico, non Dominus?* Quia scilicet idololatria quam sequuntur infideles, et quælibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti : sed quia permisit, non jussit, dedit locum Apostolo monendi, ut qui voluerit non dimittat uxorem infidelem, quo sic fortasse possit fieri fidelis. *Sanctificatus est enim*, inquit, *vir infidelis in uxore* [1]; *et sanctificata est mulier infidelis in fratre.* Credo, jam provenerat ut nonnullæ feminæ per viros fideles, et viri per uxores fideles in fidem venirent; et quamvis non dicens nomina, exemplis tamen hortatus est, ad confirmandum consilium suum. Deinde sequitur : *Alioquin filii vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt* (I *Cor.* VII). Jam enim erant parvuli christiani, qui sive auctore uno ex parentibus, sive utroque consentiente sanctificati erant : quod non fieret, nisi uno credente dissociaretur conjugium, et non toleraretur infidelitas conjugis usque ad opportunitatem credendi. Hoc est ergo consilium ejus, cui credo dictum esse, *Si quid supererogaveris, rediens reddam tibi* (*Luc.* X, 35).

46. Porro si infidelitas fornicatio est, et idololatria infidelitas, et avaritia idololatria, non est dubitandum et avaritiam fornicationem esse. Quis ergo jam quam-

(*a*) I Retract. cap. 19, n. 6.

[1] Editi, *in uxore fideli :* et paulo post, *in fratre fideli.* At Mss. in utroque loco carent voce, *fideli :* quæ ab Apostoli græco textu abest; nec in latino erat, teste Augustino, infra, cap. 22

libet illicitam concupiscentiam potest recte a fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quæ in stupris cum alienis viris aut feminis committuntur, sed omnino quaslibet, quæ animam corpore male utentem a lege Dei aberrare faciunt, et perniciose turpiterque corrumpi, possit sine crimine et vir uxorem dimittere, et uxor virum: quia exceptam facit Dominus causam fornicationis; quam fornicationem, sicut supra consideratum est, generalem et universalem intelligere cogimur.

47. Cum autem ait, *excepta causa fornicationis;* non dixit cujus ipsorum, viri, an feminæ. Non enim tantum fornicantem uxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam quoque uxorem dimittit, a qua ipse cogitur fornicari, causa fornicationis utique dimittit. Velut si aliquem cogat uxor sacrificare idolis, qui talem dimittit, causa fornicationis dimittit, non tantum illius, sed et suæ: illius, quia fornicatur; suæ, ne fornicetur. Nihil autem iniquius, quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse convincitur fornicari. Occurrit enim illud, *In quo enim alterum judicas, temetipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas* (*Rom.* II, 1). Quapropter, quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus: quod similiter etiam de femina dixerim.

48. Quod autem dicit, *Quisquis solutam a viro duxerit, mœchatur;* quæri potest utrum quomodo mœchatur ille qui ducit, sic et illa quam ducit. Jubetur enim et illa manere innupta, aut viro reconciliari: sed si discesserit, inquit, a viro. Multum autem interest utrum dimittat, an dimittatur. Si enim ipsa virum dimiserit, et alteri nupserit; videtur cupiditate mutandi conjugii virum priorem reliquisse, quæ sine dubio adulterina cogitatio est. Si autem dimittatur a viro, cum quo esse cupiebat; mœchatur quidem qui eam duxerit, secundum Domini sententiam, sed utrum et ipsa tali crimine teneatur, incertum est. Quamvis multo minus inveniri possit quomodo cum vir et mulier pari consensu sibi misceantur, unus eorum mœchus sit, et non sit alter. Huc accedit, quia si mœchatur ille ducendo eam quæ soluta est a viro, quanquam non dimiserit, sed dimissa sit, ipsa eum facit mœchari, quod nihilominus Dominus vetat. Ex quo colligitur, sive dimissa fuerit, sive dimiserit, oportere illam manere innuptam, aut viro reconciliari.

49. Rursum quæritur utrum si uxoris permissu, sive sterilis, sive quæ concubitum pati non vult, adhibuerit sibi alteram vir, non alienam, neque a viro sejunctam, possit esse sine crimine fornicationis? Et in historia quidem Veteris Testamenti invenitur exemplum; sed nunc præcepta majora sunt, in quæ per illum gradum generatio humana pervenit: tractanda illa sunt ad distinguendas ætates dispensationis divinæ providentiæ, quæ humano generi ordinatissime subvenit; non autem ad vivendi regulas usurpandas[1]. Sed tamen utrum quod ait Apostolus, *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir; similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier;* possit in tantum valere, ut permittente uxore, quæ maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quæ nec aliena uxor sit, nec a viro disjuncta, concumbere: sed non ita est existimandum, ne hoc etiam femina, viro permittente, facere posse videatur, quod omnium sensus excludit.

50. Quanquam nonnullæ causæ possint existere, ubi et uxor, mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debere videatur: sicut Antiochiæ factum esse perhibetur ante quinquaginta ferme annos, Constantii temporibus (*a*). Nam Acyndinus tunc præfectus, qui etiam consul fuit, cum quemdam libræ auri debitorem fisci exigeret, nescio unde commotus, quod plerumque in istis potestatibus periculosum est, quibus quodlibet licet, aut potius putatur licere, comminatus est jurans et vehementer affirmans, quod si certo die quem constituerat, memoratum aurum non exsolveret, occideretur. Itaque cum ille teneretur immani custodia, nec se posset debito illo expedire, dies metuendus imminere et propinquare cœpit. Et forte habebat uxorem pulcherrimam, sed nullius pecuniæ qua subveniret viro: cujus mulieris pulchritudine cum quidam dives esset accensus, et cognovisset maritum ejus in illo discrimine constitutum, misit ad eam pollicens pro una nocte, si ei misceri vellet, se auri libram daturum. Tum illa quæ se sciret non habere sui corporis potestatem, sed virum suum, pertulit ad eum dicens paratam se esse pro marito id facere, si tamen ipse conjugalis corporis dominus, cui tota illa castitas deberetur, tanquam de re sua pro vita sua vellet id fieri. Egit ille gratias, et ut id fieret imperavit, nullo modo judicans adulterinum esse concubitum, quod et libido nulla et magna mariti charitas se jubente et volente flagitaret. Venit mulier ad villam illius divitis, fecit quod voluit impudicus: sed illa corpus nonnisi marito dedit, non concumbere, ut solet, sed vivere cupienti. Accepit aurum: sed ille qui dedit, fraude subtraxit quod dederat, et supposuit simile ligamentum cum terra. Quod ubi mulier jam domi suæ posita invenit, prosiluit in publicum eadem mariti charitate clamatura quod fecerat, qua facere coacta est: interpellat præfectum, fatetur omnia, quam fraudem passa esset ostendit. Tum vero præfectus primo se reum, quod suis minis ad id ventum esset, pronuntiat, tanquam in alium sententiam dicens, de Acyndini bonis auri libram fisco inferendam; illam vero mulierem dominam in eam terram, unde pro auro terram accepisset, induci. Nihil hinc in aliquam partem disputo; liceat cuique æstimare quod velit: non enim de divinis auctoritatibus deprompta historia est: sed tamen narrato facto, non ita respuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere viro jubente commissum est, quemadmodum antea, cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus. Sed in hoc Evangelii capitulo nihil fortius considerandum est, quam tantum malum

[1] In Corbeiensi codice, *ad vivendi regulam usurpanda.*

(*a*) Circiter Christi annum 343: quippe hoc scribebat sub an. 393.

esse fornicationis, ut cum tanto vinculo sibi conjugia constringantur, hæc una causa solutionis excepta sit: quæ sit autem fornicatio, jam tractatum est.

CAPUT XVII. — 51. *Iterum*, inquit, *audistis quia dictum est antiquis, Non pejerabis, reddes autem Domino jusjurandum tuum. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potes facere capillum unum album aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non: quod autem amplius est, a malo est.* Justitia Pharisæorum est, non pejerare: hanc confirmat qui vetat jurare, quod pertinet ad justitiam regni cœlorum. Sicut enim falsum loqui non potest qui non loquitur, sic pejerare non potest qui non jurat. Sed tamen quoniam jurat qui adhibet testem Deum, diligenter considerandum est hoc capitulum, ne contra præceptum Domini Apostolus fecisse videatur, qui sæpe hoc modo juravit, cum dicit, *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior* (*Galat.* I, 20): et iterum, *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quia non mentior* (II *Cor.* XI, 31). Tale est etiam illud, *Testis enim mihi est Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quomodo sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis* (*Rom.* I, 9, 10). Nisi forte quis dicat tunc habendam esse jurationem, cum per aliquid dicitur per quod juratur: ut non juraverit, quia non dixit, per Deum; sed dixit, *Testis est Deus.* Ridiculum est hoc putare: tamen propter contentiosos aut multum tardos [1], ne aliquid interesse quis putet, sciat etiam hoc modo jurasse Apostolum dicentem, *Quotidie morior, per vestram gloriam* (I *Cor.* XV, 31). Quod ne quis existimet ita dictum, tanquam si diceretur, Vestra gloria me facit quotidie mori; sicut dicitur, Per illius magisterium doctus factus est, id est, illius magisterio factum est ut perfecte doceretur: græca exemplaria dijudicant, in quibus scriptum est, Νὴ τὴν καύχησιν ὑμετέραν, quod nonnisi a jurante dicitur. Ita ergo intelligitur præcepisse Dominum ne juretur, ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, et assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur. Quapropter qui intelligit, non in bonis, sed in necessariis jurationem habendam, refrenet se quantum potest, ut non ea utatur, nisi necessitate, cum videt pigros esse homines ad credendum, quod eis utile est credere, nisi juratione firmentur [2]. Ad hoc itaque pertinet quod sic dicitur, *Sit autem sermo vester, Est, est; Non, non:* hoc bonum est, et appetendum. *Quod autem amplius est, a malo est;* id est, si jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades: quæ infirmitas utique malum est, unde nos quotidie liberari deprecamur, cum dicimus, *Libera nos a malo* (*Matth.* VI, 13). Itaque non dixit, Quod autem amplius est, malum est; tu enim non malum facis, qui bene uteris juratione, quæ etsi non bona, tamen necessaria est ut alteri persuadeas quod utiliter suades: sed *a malo est*, illius cujus infirmitate jurare cogeris. Sed nemo novit nisi qui expertus est, quam sit difficile et consuetudinem jurandi exstinguere, et nunquam temere facere quod nonnunquam facere necessitas cogit.

52. Quæri autem potest, cum diceretur, *Ego autem dico vobis non jurare omnino*, cur additum sit, *neque per cœlum, quia thronus Dei est*, et cætera, usque ad id quod dictum est, *neque per caput tuum.* Credo propterea, quia non putabant Judæi se teneri jurejurando, si per ista jurassent: et quoniam audierant, *Reddes autem Domino jusjurandum tuum;* non se putabant Domino debere jusjurandum, si per cœlum aut terram, aut per Jerosolymam, aut per caput suum jurarent: quod non vitio præcipientis, sed illis male intelligentibus, factum est. Itaque Dominus docet nihil esse tam vile in creaturis Dei, ut per hoc quisque pejerandum arbitretur; quando a summis usque ad ima divina providentia creata regantur, incipiens a throno Dei usque ad capillum album aut nigrum. *Neque per cœlum*, inquit, *quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est:* id est, cum juras per cœlum aut terram, non te arbitreris non debere Domino jusjurandum tuum; quia per eum jurare convinceris cujus cœlum thronus est, et cujus scabellum terra est. *Neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis:* melius quam si diceret, mea; cum tamen hoc dixisse intelligatur. Et quia ipse utique Dominus est, Domino jusjurandum debet, qui per Jerosolymam jurat. *Neque per caput tuum juraveris.* Quid enim poterat quisque magis ad se pertinere arbitrari, quam caput suum? Sed quomodo nostrum est, ubi potestatem faciendi unius capilli albi aut nigri non habemus? Ergo Deo debet jusjurandum ineffabiliter tenenti omnia, et ubique præsenti, quisquis etiam per caput suum jurare voluerit: et hic etiam cætera intelliguntur, quæ omnia utique dici non poterant; sicut illud commemoravimus dictum ab Apostolo, *Quotidie morior, per vestram gloriam.* Quam jurationem ut Domino se debere ostenderet, addidit, *quam habeo in Christo Jesu.*

53. Verumtamen propter carnales dico, non oportet opinari quod dictum est cœlum thronus Dei, et terra scabellum pedum ejus, quod sic habeat Deus collocata membra in cœlo et in terra, ut nos cum sedemus; sed illa sedes judicium significat: et quoniam in hoc universo mundi corpore maximam speciem cœlum habeat, et terra minimam; tanquam præsentior sit excellenti pulchritudini vis divina, minimam vero ordinet in extremis atque in infimis, sedere in cœlo dicitur terramque calcare. Spiritualiter autem sanctas animas cœli nomen significat; et terræ, peccatrices: et quoniam spiritualis omnia judicat, ipse autem a nemine judicatur (I *Cor.* II, 15), convenienter dicitur sedes Dei: peccator vero cui dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19); quia per justitiam meritis digna tribuentem, in infimis ordinatur, et qui

[1] In undecim MSS., *propter calumniosos aut multum tardiores.*

[2] In tribus MSS., *firmetur.*

in lege manere noluit, sub lege punitur [1], congruenter accipitur scabellum pedum ejus.

CAPUT XVIII. — 54. Sed jam ut istam quoque concludamus summam, quid laboriosius et operosius dici aut cogitari potest, ubi omnes nervos industriæ suæ animus fidelis exerceat, quam in vitiosa consuetudine superanda? præcidat membra impedientia regnum cœlorum, nec dolore frangatur: toleret in conjugali fide omnia, quæ quamvis sint molestissima, crimen tamen illicitæ corruptionis, id est, fornicationis non habent: veluti si uxorem quisque habeat, sive sterilem, sive deformem corpore, sive debilem membris, vel cæcam, vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, sive morbis et doloribus languoribusque confectam, et quidquid excepta fornicatione cogitari potest vehementer horribile, pro fide et societate sustineat; neque solum talem non abjiciat, sed etiam si non habeat, non ducat eam quæ soluta est a viro, pulchram, sanam, divitem, fecundam. Quæ si facere non licet, multo minus sibi licere arbitretur ad ullum alium illicitum concubitum accedere: fornicationemque sic fugiat, ut ab omni turpi corruptione sese extrahat. Verum loquatur, neque id jurationibus crebris, sed morum probitate commendet: rebellantes adversum se omnium malarum consuetudinum innumerabiles turbas, de quibus ut omnes intelligerentur, paucæ commemoratæ sunt, confugiens ad arcem christianæ militiæ, tanquam de loco superiore prosternat. Sed quis tantos labores inire audeat, nisi qui sic flagrat amore justitiæ, ut tanquam fame et siti vehementissime accensus, et nullam sibi vitam donec ea satietur existimans, vim faciat in regnum cœlorum? Non enim aliter esse poterit fortis ad toleranda omnia, quæ in præcidendis consuetudinibus laboriosa et ardua et omnino difficilia sæculi hujus amatores putant. *Beati* ergo *qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.*

55. Verum tamen in his laboribus cum quisque difficultatem patitur, et per dura et aspera gradum faciens circumvallatus variis tentationibus, et hinc atque hinc insurgere præteritæ vitæ moles [2] intuens, timet ne aggressa implere non possit, arripiat consilium, ut auxilium mereatur. Quod est autem aliud consilium, nisi ut infirmitatem aliorum ferat, et ei quantum potest opituletur, qui suæ divinitus desiderat subveniri? Consequenter itaque præcepta misericordiæ videamus. Mitis autem et misericors unum videntur: sed hoc interest, quod mitis, de quo superius tractatum est, pietate non contradicit divinis sententiis quæ in sua peccata proferuntur, neque illis Dei sermonibus quos nondum intelligit; sed nullum beneficium præstat ei cui non contradicit nec resistit: misericors autem ita non resistit, ut propter ejus correctionem id faciat, quem redderet resistendo pejorem.

CAPUT XIX. — 56. Sequitur ergo Dominus, et dicit: *Audistis quia dictum est, Oculum pro oculo, et dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere adversus malum: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram; et qui voluerit tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, remitte illi et vestimentum; et qui te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo. Omni petenti te da, et qui voluerit a te mutuari, ne aversatus fueris.* Pharisæorum justitia minor est non excedere in vindicta modum, ne plus rependat quisque quam accepit: et magnus hic gradus est. Nemo enim facile invenitur qui pugno accepto pugnum reddere velit; et uno a conviciante verbo audito, unum et quod tantumdem valeat referre contentus sit: sed sive ira perturbatus immoderatius vindicat; sive quia justum putat, eum qui læsit prior gravius lædi, quam læsus est qui non læserat. Talem animum magna ex parte refrenavit lex, in qua scriptum est, *Oculum pro oculo, et dentem pro dente:* quibus nominibus significatur modus, ut injuriam vindicta non transeat. Et hæc est pacis inchoatio: perfecta autem pax est, talem penitus nolle vindictam.

57. Inter illud ergo primum quod præter legem est ut majus malum pro minore malo reddatur, et hoc quod Dominus perficiendis discipulis dixit, ne pro malo ullum malum reddatur; medium quemdam locum tenet, ut tantum reddatur quantum acceptum est, per quod a summa discordia ad summam concordiam pro temporum distributione transitus factus est. Quisquis ergo malum infert prior studio lædendi et nocendi, vide quantum distet ab eo qui nec læsus rependit. Quisquis autem nulli prior male fecit, sed tamen læsus rependit gravius, vel voluntate vel facto, recessit aliquantum a summa iniquitate, et processit ad summam justitiam, et tamen nondum tenet quod lex quæ per Moysen data est imperavit. Qui ergo tantum reddit quantum accepit, jam donat aliquid: non enim tantam pœnam meretur nocens, quantam ille qui ab eo læsus innocens passus est. Hanc ergo inchoatam, non severam, sed misericordem justitiam ille perficit, qui legem venit implere, non solvere. Duos ergo adhuc gradus qui intersunt, intelligendos reliquit, et de ipso summo misericordiæ culmine dicere maluit. Nam est adhuc quod faciat, qui non implet istam magnitudinem præcepti, quæ pertinet ad regnum cœlorum; ut non reddat tantum, sed minus, velut pro duobus pugnis unum, aut pro evulso oculo aurem præcidat. Hinc ascendens qui omnino nihil rependerit, propinquat præcepto Domini, nec tamen adhuc ibi est. Parum enim adhuc videtur Domino, si pro malo quod acceperis, nihil rependas mali, nisi etiam amplius sis paratus accipere. Quapropter non ait, *Ego autem dico vobis*, non reddere malum pro malo; quanquam hoc etiam magnum præceptum sit: sed ait, *non resistere adversus malum;* ut non solum non rependas quod tibi fuerit irrogatum, sed etiam non resistas quo minus aliud irrogetur. Hoc est enim quod etiam consequenter exponit: *Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram:* non enim ait, Si quis te percusserit, noli tu percutere; sed, Para te adhuc percutienti. Quod ad misericordiam pertinere, hi maxime sentiunt, qui eis quos multum diligunt, tan-

[1] Arnulfensis codex, *sub lege ponitur.*

[2] Sic Mss. et Mar. At. Am. Er. et Lov., *vitæ molestias.*

quam filiis vel quibuslibet dilectissimis suis ægrotantibus serviunt vel parvulis vel phreneticis : a quibus multa sæpe patiuntur, et si eorum salus id exigit, præbent se etiam ut plura patiantur, donec vel ætatis vel morbi infirmitas transeat. Quos ergo Dominus medicus animarum, curandis proximis instruebat, quid eos aliud docere posset, nisi ut eorum quorum saluti consulere vellent, imbecillitates æquo animo tolerarent? Omnis namque improbitas ex imbecillitate animi venit : quia nihil innocentius est eo qui in virtute perfectus est.

58. Quæri autem potest quid sibi velit dextera maxilla. Sic enim in exemplaribus græcis, quibus major fides habenda est, invenitur : nam multa latina, maxillam tantum habent, non etiam dexteram. Facies est autem qua quisque cognoscitur : et legimus apud Apostolum, *Toleratis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit :* deinde continuo subjungit, *Secundum ignobilitatem dico* (II *Cor.* XI, 20, 21); ut exponat quid sit in faciem cædi, hoc est contemni atque despici. Quod quidem non ideo dicit Apostolus, ut illos non sustinerent; sed ut se magis qui eos sic diligeret, ut seipsum pro eis vellet impendi (*Id.* XII, 15). Sed quoniam facies non potest dici dextera et sinistra, et tamen nobilitas et secundum Deum et secundum hoc sæculum potest esse; ita distribuitur tanquam in dexteram maxillam et sinistram, ut in quocumque discipulo Christi contemptum fuerit quod christianus est, multo magis in se contemni paratus sit, si quos hujus sæculi honores habet. Sicut idem Apostolus, cum in eo persequerentur homines nomen christianum, si taceret de dignitate quam habebat in sæculo, non præbuerat alteram maxillam cædentibus dexteram. Non enim dicendo, *Civis Romanus sum* (*Act.* XXII, 25), non erat paratus hoc in se contemni quod pro minimo habebat, ab eis qui in illo nomen tam pretiosum et salutare contempserant. Numquid enim ideo minus postea vincula toleravit, quæ civibus Romanis non licebat imponi, aut quemquam de hac injuria voluit accusare? Et si qui ei propter civitatis Romanæ nomen pepercerunt, non tamen ille ideo non præbuit quod ferirent, cum eos a tanta perversitate corrigere cuperet patientia sua, quos videbat in se sinistras partes magis quam dexteras honorare. Illud est enim tantum attendendum, quo animo faceret omnia, quam benevole et clementer in eos a quibus ista patiebatur. Nam et pontificis jussu palma percussus, quod contumeliose visus est dicere, cum ait, *Percutiet te Deus, paries dealbate*, minus intelligentibus convicium sonat; intelligentibus vero prophetia est. Paries quippe dealbatus, hypocrisis est, id est simulatio sacerdotalem præferens dignitatem, et sub hoc nomine tanquam candido tegmine interiorem quasi luteam turpitudinem occultans. Nam quod humilitatis fuit, mirabiliter custodivit, cum ei diceretur, *Principi sacerdotum maledicis?* respondit, *Nescivi, fratres, quia princeps est sacerdotum; scriptum est enim, Principi populi tui non maledices* (*Act.* XXIII, 3-5). Ubi ostendit quanta tranquillitate illud dixisset, quod iratus dixisse videbatur, quod tam cito, tam mansuete respondit, quod ab indignantibus et perturbatis fieri non potest. Et in eo ipso intelligentibus verum dixit, *Nescivi quia princeps est sacerdotum :* tanquam si diceret, Ego alium scivi principem sacerdotum, pro cujus nomine ista sustineo, cui maledicere fas non est, et cui vos maledicitis, cum in me nihil aliud quam ejus odistis nomen. Sic ergo oportet non simulate ista jactare [1], sed in ipso corde esse ad omnia præparatum, ut possit canere illud propheticum : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (*Psal.* LVI, 8). Multi enim alteram maxillam præbere noverunt, diligere vero illum a quo feriuntur ignorant. At vero ipse Dominus, qui utique præcepta quæ docuit primus implevit, percutienti se in maxillam ministro sacerdotis non præbuit alteram; sed insuper dixit : *Si male locutus sum, exprobra de malo; si bene, quid me cædis* (*Joan.* XVIII, 23)? Non tamen ideo paratus corde non fuit, non solum in alteram maxillam cædi pro salute omnium, sed etiam toto corpore crucifigi.

59. Ergo et illud quod sequitur, *Et qui voluerit tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, remitte illi et vestimentum,* ad præparationem cordis, non ad ostentationem [2] operis præceptum recte intelligitur. Sed de tunica et vestimento quod dictum est, non in eis solis, sed in omnibus faciendum est, quæ aliquo jure temporaliter nostra esse dicimus. Si enim de necessariis hoc imperatum est, quanto magis superflua contemnere convenit? Verumtamen ea quæ nostra dixi, eo genere includenda sunt, quo Dominus ipse præscribit, dicens, *Si quis vult judicio tecum contendere, et tunicam tuam tollere.* Omnia ergo illa intelligantur, de quibus judicio nobiscum contendi potest, ita ut a nostro jure in jus illius transeant, qui contendit vel pro quo contendit; sicuti est vestis, domus, fundus, jumentum, et generaliter omnis pecunia. Quod utrum etiam de servis accipiendum sit magna quæstio est. Non enim christianum oportet sic possidere servum, quomodo equum aut argentum : quanquam fieri possit ut majore pretio valeat equus quam servus, et multo magis aliquid aureum vel argenteum. Sed ille servus, si rectius et honestius et ad Deum colendum accommodatius abs te domino educatur, aut regitur, quam ab illo potest qui eum cupit auferre; nescio utrum quisquam dicere audeat, ut vestimentum eum debere contemni. Hominem namque homo tanquam seipsum diligere debet, cui ab omnium Domino, sicut ea, quæ sequuntur ostendunt, etiam ut inimicos diligat imperatur.

60. Sane animadvertendum est omnem tunicam vestimentum esse, non omne vestimentum tunicam esse. Vestimenti ergo nomen plura significat quam nomen tunicæ. Et ideo sic dictum esse arbitror, *Et qui voluerit tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, remitte illi et vestimentum;* tanquam si diceret, Qui voluerit tunicam tuam tollere, remitte illi et si

[1] Duodecim Mss., *insultare*.
[2] Sic Mss.. At editi, *ostensionem*.

quid aliud indumenti habes. Ideo nonnulli *pallium* interpretati sunt, quod græce positum est ἱμάτιον.

61. *Et qui te angariaverit*, inquit, *mille passus, vade cum illo alia duo*. Et hoc utique non tam ut pedibus agas, quam ut animo sis paratus. Nam in ipsa christiana historia, in qua est auctoritas, nihil tale invenies factum esse a sanctis, vel ab ipso Domino, cum in homine quem suscipere dignatus est, vivendi nobis præberet exemplum; cum tamen omnibus fere locis eos invenias paratos fuisse æquo animo tolerare quidquid eis improbe fuisset ingestum. Sed verbi gratia dictum putamus, *Vade cum eo alia duo?* an tria compleri voluit, quo numero significatur perfectio; ut meminerit quisque cum hoc facit, perfectam se implere justitiam, misericorditer perferendo infirmitates eorum quos vult sanos fieri? Potest videri propterea etiam tribus exemplis hæc præcepta insinuasse: quorum primum est, si quis te percusserit in maxillam; secundum, si quis tunicam tollere voluerit; tertium, si quis mille passus angariaverit: in quo tertio exemplo simplo duplum additur, ut triplum compleatur. Qui numerus hoc loco si non, ut dictum est, significat perfectionem; illud accipiatur, quod in præcipiendo tanquam tolerabilius incipiens paulatim creverit, donec perveniret usque ad duplum aliud perferendum. Nam primo præberi voluit alteram maxillam, cum fuerit dextra percussa, ut minus perferre paratus sis quam pertulisti. Quidquid enim dextera significat, et charius est utique quam id quod sinistra significat, et qui in re chariore aliquid pertulit, si et in viliore perferat, minus est. Deinde illi qui tunicam vult tollere, jubet et vestimentum remitti: quod aut tantumdem est, aut non multo amplius; non tamen duplum. Tertio de mille passibus, quibus addenda dicit duo millia, usque ad duplum aliud perferas jubet: ita significans, sive aliquanto minus quam jam fuit, sive tantumdem, sive amplius quisque improbus in te esse voluerit, æquo animo tolerandum esse.

CAPUT XX. — 62. In his sane generibus trium exemplorum nullum genus injuriæ prætermissum esse video. Namque omnia in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera dividuntur: quorum alterum est quod restitui non potest; alterum quod potest. Sed in illo quod restitui non potest, vindictæ solatium quæri solet. Quid enim prodest quod percussus repercutis? Numquid propterea illud quod in corpore læsum est, restituitur in integrum? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat: sanum autem firmumque ista non juvant; quin potius misericorditer perferendam alterius infirmitatem judicat, quam alieno supplicio suam mitigandam, quæ nulla est.

63. Neque hic ea vindicta prohibetur, quæ ad correctionem valet: etiam ipsa enim pertinet ad misericordiam; nec impedit illud propositum, quo quisque paratus est ab eo quem correctum esse vult, plura perferre. Sed huic vindictæ referendæ non est idoneus, nisi qui odium quo solent flagrare qui se vindicare desiderant, dilectionis magnitudine superaverit [1]. Non enim metuendum est ne odisse parvulum filium parentes videantur, cum ab eis vapulat peccans, ne peccet ulterius. Et certe perfectio dilectionis ipsius Dei Patris imitatione nobis proponitur, cum in sequentibus dicitur, *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro eis qui vos persequuntur:* et tamen de ipso dicitur per prophetam, *Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Prov.* III, 12). Dicit et Dominus: *Servus qui nescit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit pauca; servus autem qui scit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit multa* (*Luc.* XII, 48, 47). Non ergo quæritur, nisi ut et ille vindicet, cui rerum ordine potestas data est; et ea voluntate vindicet, qua pater in parvulum filium, quem per ætatem odisse nondum potest. Hinc enim aptissimum exemplum ducitur, quo satis appareat posse peccatum amore potius vindicari, quam impunitum relinqui: ut illum in quem vindicat non pœna miserum, sed correctione beatum velit; paratus tamen, si opus sit, æquo animo plura tolerare ab eo illata, quem vult esse correctum, sive in eum habeat potestatem coercendi, sive non habeat.

64. Magni autem et sancti viri, qui jam optime scirent mortem istam quæ animam dissolvit a corpore, non esse formidandam, secundum eorum tamen animum qui illam timerent, nonnulla peccata morte punierunt, quod et viventibus utilis metus incuteretur, et illis qui morte puniebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum, quod augeri posset, si viverent. Non temere illi judicabant, quibus tale judicium donaverat Deus. Inde est quod Elias multos morte affecit, et propria manu (III *Reg.* XVIII, 40), et igne divinitus impetrato (IV *Reg.* I, 10): quod et alii multi magni et divini viri eodem spiritu consulendi rebus humanis non temere fecerunt. De quo Elia cum exemplum dedissent discipuli, Domino commemorantes quid ab eo factum sit, ut etiam ipsis daret potestatem petendi de cœlo ignem ad consumendum eos qui sibi hospitium non præberent; reprehendit in eis Dominus non exemplum prophetæ sancti, sed ignorantiam vindicandi, quæ adhuc erat in rudibus (*Luc.* IX, 52-56): animadvertens eos non amore correctionem, sed odio desiderare vindictam. Itaque posteaquam eos docuit quid esset diligere proximum tanquam seipsum, infuso etiam Spiritu sancto, quem decem diebus completis post ascensionem suam desuper, ut promiserat, misit (*Act.* II, 1-4), non defuerunt tales vindictæ, quamvis multo rarius quam in Veteri Testamento. Ibi enim ex majore parte servientes timore premebantur; hic autem maxime dilectione liberi nutriebantur. Nam et verbis apostoli Petri Ananias et uxor ejus, sicut in Actibus Apostolorum legimus, exanimes ceciderunt, nec resuscitati sunt, sed sepulti (*Id.* V, 1-10).

65. Sed si huic libro hæretici (*a*) qui adversantur Veteri Testamento, nolunt credere, Paulum apostolum quem nobiscum legunt, intueantur dicentem de quodam peccatore quem tradidit satanæ in interitum car-

[1] Octo Mss., *dilectionis mansuetudine superaverit*.

(*a*) Manichæi.

nis, *ut anima salva sit* (I *Cor.* v, 5). Et si nolunt hic mortem intelligere (fortasse enim incertum est), quamlibet vindictam per satanam factam ab Apostolo fateantur : quod non cum odio, sed amore fecisse manifestat illud adjectum, *ut anima salva sit.* Aut in illis libris quibus ipsi magnam tribuunt auctoritatem, animadvertant quod dicimus, ubi scriptum est apostolum Thomam imprecatum cuidam, a quo palma percussus esset, atrocissimæ mortis supplicium, anima tamen ejus commendata, ut in futuro ei sæculo parceretur : cujus a leone occisi, a cætero corpore discerptam manum canis intulit mensis in quibus convivabatur Apostolus. Cui scripturæ licet nobis non credere; non est enim in catholico canone : illi tamen eam et legunt, et tanquam incorruptissimam verissimamque honorant, qui adversus corporales vindictas quæ sunt in Veteri Testamento, nescio qua cæcitate acerrime sæviunt, quo animo et qua distributione temporum factæ sint omnino nescientes.

66. Tenebitur ergo in hoc injuriarum genere, quod per vindictam luitur, iste a Christianis modus[1], ut accepta injuria non surgat in odium, sed infirmitatis misericordia paratus sit animus plura perpeti; nec correctionem negligat, qua vel consilio, vel auctoritate, vel potestate uti potest. Aliud injuriarum genus est, quod in integrum restitui potest : cujus duæ species, una ad pecuniam, altera ad operam pertinet. Quapropter illius de tunica et vestimento, hujus de angaria mille passuum et duum millium exempla subjecta sunt : quia et reddi vestimentum potest; et quem adjuveris opera, potest te etiam ipse, si opus fuerit, adjuvare. Nisi forte ita potius distinguendum est, ut prius quod positum est de percussa maxilla, omnia significet quæ sic ingeruntur ab improbis, ut restitui non possint nisi vindicta : secundum quod positum est de vestimento omnia significet quæ possunt restitui sine vindicta; et ideo forte additum est, *Qui voluerit tecum judicio contendere*, quia quod per judicium aufertur, non ea vi putatur auferri, cui vindicta debeatur : tertium vero ex utroque confectum sit, ut et sine vindicta et cum vindicta possit restitui. Nam qui operam indebitam violenter exigit sine ullo judicio, sicut facit qui angariat hominem improbe, et cogit se illicite adjuvari ab invito, et pœnam improbitatis potest luere, et operam reddere, si hanc ille repetat qui improbum pertulit. In his ergo omnibus generibus injuriarum Dominus docet patientissimum et misericordissimum, et ad plura perferenda paratissimum animum christiani esse oportere.

67. Sed quoniam parum est non nocere, nisi etiam præstes beneficium quantum potes, consequenter adjungit, et dicit : *Omni petenti te da, et qui voluerit mutuari a te, ne aversatus fueris. Omni petenti*, inquit; non, omnia petenti : ut id des quod dare honeste et juste potes. Quid si enim pecuniam petat, qua innocentem conetur opprimere? quid si postremo stuprum petat? Sed ne multa persequar quæ sunt innumerabilia, id profecto dandum est quod nec tibi nec alteri noceat, quantum sciri aut credi ab homine potest : et cui juste negaveris quod petit, indicanda est ipsa justitia, ut non cum inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamvis non semper id quod petit dabis; et aliquando melius aliquid dabis, cum petentem injusta correxeris.

68. Quod autem, ait, *Qui voluerit a te mutuari, ne aversatus fueris;* ad animum referendum est. Hilarem enim datorem diligit Deus (II *Cor.* IX, 7). Mutuatur autem omnis qui accipit, etiam si non ipse soluturus est : cum enim misericordibus Deus plura restituat, omnis qui beneficium præstat, feneratur. Aut si non placet accipere mutuantem nisi eum qui accipit redditurus, intelligendum est Dominum duo ipsa genera præstandi esse complexum. Namque aut donamus quod damus benevole, aut reddituro commodamus. Et plerumque homines, qui proposito divino præmio donare parati sunt, ad dandum quod mutuum petitur pigri fiunt, quasi nihil recepturi a Deo, cum rem quæ datur, ille qui accipit exsolvat. Recte itaque ad hoc beneficii tribuendi genus nos divina hortatur auctoritas dicens, *Et qui voluerit a te mutuari, ne aversatus fueris :* id est, ne propterea voluntatem alienes ab eo qui petit, quia et pecunia tua vacabit[1], et Deus tibi non redditurus est, cum homo reddiderit; sed cum id ex præcepto Dei facis, apud illum qui hæc jubet, infructuosum esse non potest.

CAPUT XXI.—69. Deinde adjungit, et dicit : *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tuum, et oderis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, et orate pro eis qui vos persequuntur : ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri jubet super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et Publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et Ethnici hoc ipsum faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester qui in cœlis est, perfectus est.* Nam sine ista dilectione, qua etiam inimicos et persecutores nostros diligere jubemur, ea quæ superius dicta sunt implere quis potest? Perfectio autem misericordiæ, qua plurimum animæ laboranti consulitur, ultra dilectionem inimici porrigi non potest; et ideo sic clauditur : *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester qui in cœlis est, perfectus est.* Ita tamen ut Deus intelligatur perfectus tanquam Deus, et anima perfecta tanquam anima.

70. Gradum tamen esse aliquem in Pharisæorum justitia, quæ ad Legem veterem pertinet, hinc intelligitur, quod multi homines eos etiam a quibus diliguntur oderunt; sicut luxuriosi filii parentes coercitores luxuriæ suæ : ascendit ergo aliquem gradum qui proximum diligit, quamvis adhuc oderit inimicum. Ejus autem imperio, qui venit Legem implere, non solvere, perficiet benevolentiam et benignitatem, cum eam usque ad inimici dilectionem perduxerit. Nam ille gradus quamvis nonnullus sit, tam parvus est tamen,

[1] Mss. tres, *iste christianus modus.* Paulo post, in omnibus fere Mss., *surgat odium*, prætermissa præpositione, *in.*

[1] Sic Mss. At editi, *pecunia tua te vacuat.*

ut cum Publicanis etiam possit esse communis. Nec quod in Lege dictum est, *Oderis inimicum tuum*, vox jubentis justo accipienda est, sed permittentis infirmo.

71. Oritur hic sane nullo modo dissimulanda quæstio, quod huic præcepto Domini, quo nos hortatur diligere inimicos nostros, et benefacere his qui nos oderunt, et orare pro his qui nos persequuntur, multæ aliæ Scripturarum partes minus diligenter et sobrie considerantibus videntur adversæ; quia et in Prophetis inveniuntur multæ imprecationes adversus inimicos, quæ maledictiones putantur : sicut est illud, *Fiat mensa eorum in laqueum* (*Psal.* LXVIII, 23); et cætera quæ ibi dicuntur : et illud, *Fiant filii ejus pupilli, et uxor ejus vidua* (*Psal.* CVIII, 9); et quæ alia vel supra vel infra in eodem psalmo in personam Judæ per Prophetam dicuntur. Multa alia usquequaque in Scripturis reperiuntur, quæ videantur esse contraria et huic præcepto Domini, et illi apostolico, quo ait, *Benedicite, et nolite maledicere* (*Rom.* XII, 14) : cum et de Domino scriptum sit quod maledixerit civitatibus quæ verbum ejus non acceperunt (*Matth.* XI, 20-24, *et Luc.* X, 13-15); et memoratus Apostolus de quodam ita dixerit, *Reddet illi Dominus secundum opera illius* (II *Tim.* IV, 14).

72. Sed hæc facile solvuntur, quia et Propheta per imprecationem quid esset futurum cecinit, non optantis voto, sed spiritu prævidentis; ita et Dominus, ita et Apostolus : quanquam in horum etiam verbis non hoc invenitur quod optaverint, sed quod prædixerint. Non enim cum ait Dominus, *Væ tibi, Capharnaum*, aliud sonat nisi aliquid ei mali eventurum merito infidelitatis : quod futurum Dominus non malevolentia optabat, sed divinitate cernebat. Et Apostolus non ait, Reddat; sed, *Reddet illi Dominus secundum opera ejus :* quod verbum prænuntiantis est, non imprecantis. Sicut et de illa hypocrisi Judæorum, de qua jam dictum est, cui eversionem imminere cernebat, dixit, *Percutiet te Deus, paries dealbate* (*Supra, cap.* 19, n. 58). Prophetæ autem maxime solent figura imprecantis futura prædicere, sicut figura præteriti temporis ea quæ ventura erant sæpe cecinerunt : sicut est illud, *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania* (*Psal.* II, 1)? Non enim dixit, Quare frement gentes, et populi meditabuntur inania; cum ea non quasi jam transacta meminisset, sed ventura prospiceret. Tale etiam illud est, *Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestimentum meum miserunt sortem* (*Psal.* XXI, 19) : et hic enim non dixit, Divident sibi vestimenta mea, et super vestimentum meum mittent sortem. Nec tamen de his verbis quisquam calumniatur, nisi qui non sentit varietatem istam figurarum in loquendo nihil veritati rerum minuere, et plurimum addere affectibus animorum.

CAPUT XXII. — 73. Sed illud magis urget istam quæstionem, quod dicit apostolus Joannes, *Si quis scit peccare fratrem suum peccatum non ad mortem, postulabit, et dabit illi Dominus vitam qui peccat non ad mortem : est autem peccatum ad mortem; non pro illo dico ut roget* (I *Joan.* V, 16). Aperte enim ostendit esse quosdam fratres pro quibus orare non nobis præcipitur, cum Dominus etiam pro persecutoribus nostris orare jubeat. Nec ista quæstio solvi potest, nisi fateamur esse aliqua peccata in fratribus, quæ inimicorum persecutione graviora sint. Fratres autem Christianos significare, multis divinarum Scripturarum documentis probari potest. Manifestissimum tamen illud est, quod Apostolus ita ponit, *Sanctificatus est enim vir infidelis in uxore, et sanctificata est mulier infidelis in fratre.* Non enim addidit, nostro; sed manifestum existimavit, cum fratris nomine christianum intelligi voluit, qui infidelem haberet uxorem. Et ideo paulo post dicit, *Quod si infidelis discedit, discedat : non autem servituti subjectus est frater vel soror in hujusmodi* (I *Cor.* VII, 14, 15). Peccatum ergo fratris ad mortem puto esse, cum post agnitionem Dei per gratiam Domini nostri Jesu Christi quisque oppugnat fraternitatem, et adversus ipsam gratiam, qua reconciliatus est Deo, invidentiæ facibus agitatur (*a*). Peccatum autem non ad mortem est, si quisquam non amorem a fratre alienaverit, sed officia fraternitatis debita per aliquam infirmitatem animi non exhibuerit. Quapropter et Dominus in cruce ait, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34) : nondum enim gratiæ Spiritus sancti participes facti societatem sanctæ fraternitatis inierant. Et beatus Stephanus in Actibus Apostolorum orat pro eis a quibus lapidatur (*Act.* VII, 59); quia nondum Christo crediderant, neque adversus illam communem gratiam dimicabant. Et apostolus Paulus propterea, credo, non orat pro Alexandro, quia jam frater erat, et ad mortem, id est, invidentia fraternitatem oppugnando, peccaverat. Pro his autem qui non abruperant, amorem [1], sed timore succubuerant, orat ut eis ignoscatur. Sic enim dicit : *Alexander ærarius multa mihi mala ostendit; reddet illi Dominus secundum opera ejus : quem et tu devita; valde enim restitit nostris sermonibus.* Deinde subjungit pro quibus orat, ita dicens : *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt : non illis imputetur* (II *Tim.* IV, 14-16).

74. Ista differentia peccatorum Judam tradentem a Petro negante distinguit : non quia pœnitenti non sit ignoscendum, ne contra illam sententiam Domini veniamus, qua præcipit semper ignoscendum esse fratri petenti ut sibi frater ignoscat (*Luc.* XVII, 3) : sed quia illius peccati tanta labes est, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia et agnoscere et enuntiare cogatur. Cum enim dixisset Judas, *Peccavi, quod tradiderim sanguinem justum;* facilius tamen desperatione cucurrit ad laqueum (*Matth.* XXVII, 4, 5), quam humilitate veniam deprecatus est. Quapropter multum interest quali pœnitentiæ ignoscat Deus. Multi enim multo citius se fatentur peccasse, atque ita sibi succensent ut vehementer se peccasse nollent; sed ta-

[1] Post hæc, *non abruperant amorem*, in editis additur, *ad mortem :* quod abest a Mss.

(*a*) I Retract. cap. 19, n. 7.

men animum ad humiliandum et obterendum cor, implorandamque veniam non deponunt : quam mentis affectionem, propter peccati magnitudinem, jam de damnatione illos habere credendum est.

75. Et hoc est fortasse peccare in Spiritum sanctum, id est, per malitiam et invidiam, fraternam oppugnare charitatem post acceptam gratiam Spiritus sancti, quod peccatum Dominus neque hic, neque in futuro sæculo dimitti dicit. Unde quæri potest utrum in Spiritum sanctum Judæi peccaverint, quando dixerunt quod in Beelzebub principe dæmoniorum dæmonia Dominus expelleret : utrum hoc in ipsum Dominum dictum accipiamus, quia de se dicit alio loco, *Si enim patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus* (*Matth.* x, 25)? An quoniam de magna invidentia dixerant, ingrati tam præsentibus beneficiis, quamvis nondum christiani fuerint, tamen propter ipsam invidentiæ magnitudinem in Spiritum sanctum peccasse credendi sunt? Non enim hoc colligitur de verbis Domini. Quamvis enim eodem loco dixerit, « Quicumque enim dixerit verbum nequam adversus Filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit verbum adversus Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro ; » tamen videri potest ad hoc eos monuisse, ut accedant ad gratiam, et post acceptam gratiam non ita peccent, ut nunc peccaverunt. Nunc enim in Filium hominis dixerunt verbum nequam, et potest eis dimitti, si conversi fuerint, et ei crediderint, et Spiritum sanctum acceperint : quo accepto si fraternitati invidere, et gratiam quam acceperunt oppugnare voluerint, non eis dimitti, neque in hoc sæculo neque in futuro. Nam si eos sic haberet condemnatos, ut nulla spes illis reliqua esset, non adhuc monendos judicaret, cum addidit dicens : *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum : aut facite arborem malam, et fructum ejus malum* (*Id.* xii, 24-33).

76. Sic itaque accipiatur diligendos inimicos esse, et benefaciendum his qui nos oderunt, et orandum pro his qui nos persequuntur, ut pro quibusdam etiam fratrum peccatis intelligatur non præceptum esse ut oremus; ne per imperitiam nostram divina Scriptura (quod fieri non potest) a se dissentire videatur. Sed utrum sicut pro quibusdam non est orandum, ita etiam contra aliquos orandum sit, nondum satis apparuit. Generaliter enim dictum est, *Benedicite, et nolite maledicere* : et illud, *Nemini malum pro malo reddentes* (*Rom.* xii, 14, 17). Pro quo autem non oras, non etiam contra illum oras : potes enim videre certam ejus pœnam, et penitus desperatam salutem, et non quia odisti eum, ideo pro illo non oras; sed quia sentis nihil te posse proficere, et orationem tuam non vis repelli a justissimo judice. Sed quid agimus de his contra quos oratum a sanctis accepimus, non ut corrigerentur, nam hoc modo potius pro ipsis oratum est; sed ad illam ultimam damnationem : non sicut contra Domini traditorem per prophetam ; nam illa, ut dictum est, prædictio futurorum, non optatio supplicii fuit : nec sicut ab Apostolo contra Alexandrum; nam et inde jam satis dictum est : sed sicut in Apocalypsi Joannis legimus martyres orare ut vindicentur (*Apoc.* vi, 10); cum ille primus martyr ut lapidatoribus suis ignosceretur, oraverit.

77. Sed hinc non oportet moveri. Quis enim audeat affirmare, cum illi sancti candidati se vindicari petierint, utrum contra ipsos homines, an contra regnum peccati petierint? Nam ipsa est sincera et plena justitiæ et misericordiæ vindicta martyrum, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt. Ad cujus eversionem nititur Apostolus, dicens : *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore* (*Rom.* vi, 12). Destruitur autem et evertitur peccati regnum, partim correctione hominum, ut caro spiritui subjiciatur; partim damnatione perseverantium in peccato, ut ita justitia ordinentur, ut justis cum Christo regnantibus molesti esse non possint. Intuere apostolum Paulum; nonne tibi videtur in seipso Stephanum martyrem vindicare, cum dicit : *Non sic pugno, tanquam aerem cædens ; sed castigo corpus meum, et servituti subjicio* (I *Cor.* ix, 26, 27)? Nam hoc in se utique prosternebat, et debilitabat, et victum [1] ordinabat, unde Stephanum cæterosque Christianos fuerat persecutus. Quis ergo convincit martyres sanctos non talem suam vindictam a Domino esse deprecatos, cum etiam finem hujus sæculi, in quo tanta exitia pertulerunt, ad suam vindictam potuerint licenter optare? Quod qui orant, et pro inimicis suis orant qui sanabiles sunt, et contra illos non orant [2] qui insanabiles esse voluerunt : quia Deus quoque puniendo illos non est malevolus tortor, sed justissimus ordinator. Sine ulla ergo dubitatione diligamus inimicos nostros, benefaciamus his qui oderunt nos, et oremus pro eis qui nos persequuntur.

CAPUT XXIII. — 78. Quod autem consequenter positum est, *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est*, ex illa regula intelligendum est, qua et Joannes dicit, *Dedit illis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* i, 12). Unus enim naturaliter Filius est, qui nescit omnino peccare : nos autem potestate accepta efficimur filii, in quantum ea quæ ab illo præcipiuntur implemus. Unde apostolica disciplina adoptionem appellat, qua in æternam hæreditatem vocamur, ut cohæredes Christi esse possimus (*Rom.* viii, 17, *et Galat.* iv, 5). Filii ergo efficimur regeneratione spirituali, et adoptamur in regnum Dei, non tanquam alieni, sed tanquam ab illo facti et creati : ut unum sit beneficium, quo nos fecit esse per omnipotentiam suam, cum ante nihil essemus; alterum quo adoptavit, ut cum eo tanquam filii vita æterna pro nostra participatione frueremur. Itaque non ait, Facite ista, quia estis filii; sed, Facite ista, ut sitis filii.

79. Cum autem ad hoc nos vocat per ipsum Unigenitum, ad similitudinem suam nos vocat. Ille enim, sicut consequenter dicit, *solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos*. Sive solem suum non istum carneis oculis visibilem acci-

[1] Undecim Mss., *vinctum*.
[2] Mss. duo, *et contra illos orant* ; omissa negatione.

pias, sed illam sapientiam, de qua dicitur, *Candor est enim lucis æternæ* (*Sap.* VII, 26); de qua item dicitur, *Ortus est mihi justitiæ sol;* et iterum, *Vobis autem qui timetis nomen Domini, orietur sol justitiæ* (*Malach.* IV, 2): et etiam pluviam accipias irrigationem doctrinæ veritatis, quia bonis et malis apparuit, et bonis et malis evangelizatus est Christus. Sive istum solem mavis accipere non solum hominum, sed etiam pecorum corporeis oculis propalatum; et istam pluviam qua fructus gignuntur, qui ad refectionem corporis dati sunt: quod probabilius intelligi existimo: ut ille sol spiritualis non oriatur, nisi bonis et sanctis; quia hoc ipsum est, quod plangunt iniqui in illo libro qui Sapientia Salomonis inscribitur, *Et sol non ortus est nobis* (*Sap.* V, 6): et illa pluvia spiritualis non irriget nisi bonos; quia malos significavit vinea, de qua dictum est, *Mandabo nubibus meis ne pluant super eam* (*Isai.* V, 6). Sed sive hoc sive illud intelligas, magna Dei bonitate fit, quæ nobis imitanda præcipitur, si filii Dei esse volumus. Quantum enim hujus vitæ solatium afferat lux ista visibilis, et pluvia corporalis, quis tam ingratus est ut non sentiat? Quod solatium videmus et justis in hac vita et peccatoribus communiter exhiberi. Non autem ait, *qui facit solem oriri super bonos et malos;* sed addidit, *suum*, id est, quem ipse fecit atque constituit, et a nullo aliquid sumpsit ut faceret, sicut in Genesi de omnibus luminaribus scribitur (*Gen.* I, 16); qui proprie potest dicere sua esse omnia quæ de nihilo creavit: ut hinc admoneremur quanta liberalitate inimicis nostris ex præcepto ejus præstare debeamus quæ nos non creavimus, sed de muneribus ejus accepimus.

80. Quis autem potest vel paratus esse ab infirmis injurias sustinere, quantum eorum saluti prodest; et malle amplius iniquitatis alienæ perpeti, quam id quod perpessus est reddere; omni petenti a se aliquid, vel id quod petit, si habetur, et si recte dari potest, vel consilium bonum, vel benevolum dare animum, nec se avertere ab eo qui mutuari cupit; diligere inimicos, benefacere his qui se oderunt, orare pro eis qui se persequuntur? quis ergo hæc facit, nisi plene perfecteque misericors? Quo uno consilio miseria devitatur, opitulante illo qui ait, *Misericordiam volo magis quam sacrificium* (*Oseæ* VI, 6): *Beati* ergo *misericordes; quia ipsorum miserebitur.* Sed jam commode fieri puto, ut hic lector tam longo volumine fatigatus respiret aliquantum, et ad cætera se reficiat in alio libro consideranda.

LIBER SECUNDUS.

In posteriorem partem sermonis Domini in monte, contentam Matthæi capp. sexto et septimo.

CAPUT PRIMUM. — 1. Misericordiam, usque ad cujus tractationem liber primus terminum accepit, sequitur cordis mundatio, unde iste sumit exordium. Cordis autem mundatio est, tanquam oculi[1] quo videtur Deus; cujus simplicis habendi tantam curam esse oportet, quantam ejus rei dignitas flagitat, quæ tali oculo conspici potest. Huic autem oculo magna ex parte mundato difficile est non subrepere sordes aliquas de his rebus quæ ipsas bonas nostras actiones comitari solent, veluti est laus humana. Si quidem non recte vivere, perniciosum est: recte autem vivere, et nolle laudari, quid est aliud quam inimicum esse rebus humanis, quæ utique tanto sunt miseriores, quanto minus placet recta vita hominum? Si ergo inter quos vivis, te recte viventem non laudaverint, illi in errore sunt: si autem laudaverint, tu in periculo; nisi tam simplex cor habueris et mundum, ut ea quæ recte facis, non propter laudes hominum facias; magisque illis recta laudantibus gratuleris, quibus id quod bonum est placet, quam tibi ipsi; quia recte viveres, etiam si nemo laudaret: ipsamque laudem tuam tunc intelligas utilem esse laudantibus, si non teipsum in tua bona vita, sed Deum honorent, cujus sanctissimum templum est quisquis vivit bene; ut illud impleatur quod ait David, *In Domino laudabitur anima mea; audiant mites, et jucundentur* (*Psal.* XXXIII, 3). Pertinet ergo ad oculum mundum non intueri in recte faciendo laudes hominum, et ad eas referre quod recte facis, id est, propterea recte facere aliquid, ut hominibus placeas. Sic enim etiam simulare bonum libebit, si non attenditur nisi ut homo laudet; qui quoniam videre cor non potest, potest etiam falsa laudare. Quod qui faciunt, id est, qui bonitatem simulant, duplici corde sunt. Non ergo habet simplex, id est, mundum cor, nisi qui transcendit humanas laudes, et illum solum intuetur, cum recte vivit, et ei placere nititur, qui conscientiæ solus inspector est. De cujus conscientiæ puritate quidquid procedit, tanto est laudabilius, quanto humanas laudes minus desiderat.

2. *Cavete ergo*, inquit, *facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis:* id est, cavete hoc animo juste vivere, et ibi constituere bonum vestrum, ut vos videant homines. *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est:* non si ab hominibus videamini; sed si propterea juste vivatis, ut ab hominibus videamini. Nam ubi erit, quod in principio sermonis hujus dictum est, *Vos estis lumen mundi? Non potest civitas abscondi super montem constituta; neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra.* Sed non ibi constituit finem; addidit enim, *et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est* (*Matth.* V, 14-16). Hic autem, quia hoc reprehendit, si ibi sit finis recte factorum, id est, si propterea recte faciamus, ut tantum videamur ab hominibus; posteaquam dixit, *Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis*, nihil addidit. In quo apparet, non

[1] Sic Mss. At editi, *tanquam oculus.*

hoc eum prohibuisse ut recte fiat coram hominibus, sed ne ob id forte recte fiat coram hominibus, ut videamur ab eis, id est, ut hoc intueamur, et ibi finem nostri propositi collocemus.

3. Nam et Apostolus dicit, *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Galat.* I, 10); cum alio loco dicat, *Placete omnibus per omnia, sicut et ego omnibus per omnia placeo* (I *Cor.* X, 32, 33). Quod qui non intelligunt, contrarium putant; cum ille se dixerit non placere hominibus, quia non ideo recte faciebat ut placeret hominibus, sed ut Deo, ad cujus amorem corda hominum volebat convertere, eo ipso quo placebat hominibus. Itaque et non se placere hominibus recte dicebat, quia in eo ipso ut Deo placeret intuebatur: et placendum esse hominibus recte præcipiebat, non ut hoc appeteretur tanquam merces recte factorum; sed quia Deo placere non posset, qui non se iis quos salvos fieri vellet præberet imitandum: imitari autem illum qui sibi non placuerit, nullo pacto quisquam potest. Sicut ergo non absurde loqueretur, qui diceret, In hac opera qua navem quæro, non navem quæro, sed patriam: sic et Apostolus convenienter diceret, In hac opera, qua hominibus placeo, non hominibus, sed Deo placeo, quia non hoc appeto, sed ad id refero ut me imitentur, quos salvos fieri volo. Sicut dicit de oblatione quæ fit in sanctos, *Non quia quæro datum, sed inquiro fructum* (*Philpp.* IV, 17): id est, Quod quæro datum vestrum, non hoc quæro, sed fructum vestrum. Hoc enim indicio apparere poterat quantum profecissent in Deum, cum id libenter offerrent [1], quod non propter gaudium de muneribus, sed propter communionem charitatis ab eo quærebatur.

4. Quanquam et cum addit, et dicit, *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est*, nihil aliud demonstrat nisi id nos cavere oportere, ne humanam laudem pro nostrorum operum mercede quæramus, id est, ea nos beatos effici arbitremur.

CAPUT II. — 5. *Cum ergo facis eleemosynam*, inquit, *noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut glorificentur ab hominibus*. Noli, inquit, sic velle innotescere, ut hypocritæ. Manifestum est autem hypocritas non quod oculis prætendunt hominum, id etiam corde gestare. Sunt enim hypocritæ simulatores, tanquam pronuntiatores personarum alienarum, sicut in theatricis fabulis. Non enim qui agit partes Agamemnonis in tragœdia, verbi gratia, sive alicujus alterius ad historiam vel fabulam quæ agitur pertinentis, vere ipse est; sed simulat eum, et hypocrita dicitur. Sic in Ecclesia, vel in omni vita humana, quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est. Simulat enim justum, non exhibet; quia totum fructum in laude hominum ponit, quam possunt etiam simulantes percipere, dum fallunt eos quibus videntur boni, ab eisque laudantur. Sed tales ab inspectore cordis Deo mercedem non accipiunt, nisi fallaciæ supplicium: ab hominibus autem, inquit, *perceperunt mercedem suam;* rectissimeque his dicetur, Recedite a me, operarii dolosi; nomen meum habuistis, sed opera mea non fecistis. Illi ergo perceperunt mercedem suam, qui non ob aliud eleemosynam faciunt, nisi ut glorificentur ab hominibus: non si glorificentur ab hominibus, sed si ideo faciant ut glorificentur, sicut superius tractatum est. Laus enim humana non appeti a recte faciente, sed subsequi debet recte facientem: ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt quod laudant; non ut hic putet aliquid eos sibi prodesse, quem laudant.

6. *Te autem faciente eleemosynam, non sciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Si intellexeris sinistram infideles dici, videbitur nulla esse culpa, placere fidelibus velle: cum prorsus nihilominus in quorumlibet hominum laude fructum et finem boni operis constituere prohibeamur. Quod autem ad id pertinet ut te imitentur, quibus recte facta tua placuerint, non tantum fidelibus, sed etiam infidelibus exhibendum est, ut laudandis bonis operibus nostris Deum honorent, et veniant ad salutem. Si autem sinistram inimicum putaveris, ut nesciat inimicus tuus cum eleemosynam facis; cur ipse Dominus inimicis Judæis circumstantibus misericorditer sanavit homines? cur apostolus Petrus, sanato eo quem ad portam Speciosam, debilem miseratus est, etiam iras inimicorum in se atque in alios Christi discipulos pertulit (*Act.* III, IV)? Deinde si non oportet scire inimicum, cum eleemosynam facimus, quomodo cum ipso inimico faciemus, ut illud impleamus præceptum, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitierit, potum da illi* (*Prov.* XXV, 21)?

7. Tertia solet esse carnalium opinio, tam absurda et ridenda, ut non eam commemorarem, nisi expertus essem non paucos eo errore detineri, qui dicunt sinistræ nomine uxorem significari: ut quoniam in re familiari tenaciores pecuniarum solent esse feminæ, lateat eas cum aliquid misericorditer viri earum egenis impendunt propter domesticas lites. Quasi vero soli viri christiani sint, et non hoc præceptum etiam feminis datum sit. Cui ergo sinistræ jubetur femina occultare opus misericordiæ suæ? An etiam vir sinistra erit feminæ? quod absurdissime dicitur. Aut si quispiam putat invicem sibi sinistras esse; si ab altero ita erogetur aliquid de re familiari, ut sit contra alterius voluntatem, non erit christianum tale conjugium: sed necesse est ut quisquis eorum eleemosynam facere voluerit ex præcepto Dei, quemcumque adversum habuerit, inimicus sit præcepto Dei, et ideo inter infideles deputetur: præceptum est autem de talibus, ut bona sua conversatione ac moribus lucrifaciat uxorem maritus fidelis, vel maritum mulier fidelis; quapropter non sibi debent occultare bona opera sua, quibus invitandi sunt ad invicem, ut alter alterum possit ad christianæ fidei communionem invitare. Nec furta facienda sunt, ut promereatur Deus. Quod si occultandum est aliquid, quamdiu alterius infirmitas æquo animo id non potest sustinere, quod tamen non injuste atque illicite fit; non tamen ipsam nunc sinistram significari totius capituli consideratione facile apparet, in qua simul invenietur quam sinistram vocet.

8. *Cavete*, inquit, *facere justitiam vestram coram*

[1] Omnes Mss., *facerent*.

hominibus ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est. Generaliter hic justitiam nominavit, deinde particulariter exsequitur. Est enim pars aliqua justitiæ opus quod per eleemosynam fit, et ideo connectit dicendo, *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut glorificentur ab hominibus.* Ad hoc respicit quod superius ait, *Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis.* Quod autem sequitur, *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam*, ad illud respicit quod supra posuit, *Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est.* Deinde sequitur, *Te autem faciente eleemosynam.* Cum dicit, *Te autem*, quid aliud dicit, quam, Non quomodo illi? Quid ergo mihi jubet? *Te autem faciente*, inquit, *eleemosynam, non sciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Ergo illi sic faciunt, ut sciat sinistra eorum quid faciat dextera eorum. Quod igitur in illis culpatum est, hoc tu facere vetaris. In illis autem hoc culpatum est, quod ita faciunt ut laudes hominum quærant. Quapropter nihil consequentius sinistra videtur significare, quam ipsam delectationem laudis. Dextera autem significat intentionem implendi præcepta divina. Cum itaque conscientiæ facientis eleemosynam miscet se appetitio laudis humanæ, fit sinistra conscia operis dexteræ : *Nesciat* ergo *sinistra tua quid faciat dextera tua,* id est, non se misceat conscientiæ tuæ laudis humanæ appetitio, cum in eleemosyna facienda divinum præceptum contendis implere.

9. *Ut sit eleemosyna tua in abscondito.* Quid est, *in abscondito,* nisi in ipsa bona conscientia, quæ humanis oculis demonstrari non potest, nec verbis aperiri? Quandoquidem multi multa mentiuntur. Quapropter si dextera intrinsecus agit in abscondito, ad sinistram pertinent omnia exteriora, quæ sunt visibilia et temporalia. Sit ergo eleemosyna tua in ipsa conscientia tua, ubi multi eleemosynam faciunt bona voluntate, etiam si pecuniam, vel si quid aliud, quod inopi largiendum est, non habent. Multi autem foris faciunt, et intus non faciunt qui vel ambitione, vel alicujus rei temporalis gratia volunt misericordes videri, in quibus sola sinistra operari existimanda est. Item alii quasi medium inter utrosque locum tenent, ut et intentione quæ in Deum est eleemosynam faciant, et tamen inserat se huic optimæ voluntati nonnulla etiam laudis vel cujusce rei fragilis et temporalis cupiditas. Sed Dominus noster multo vehementius prohibet solam sinistram in nobis operari, quando etiam misceri eam vetat operibus dexteræ : ut scilicet non modo sola temporalium rerum cupiditate caveamus eleemosynam facere; sed nec ita in hoc opere attendamus Deum, ut sese misceat vel adjungat exteriorum appetitio commodorum. Agitur enim de corde mundando, quod nisi fuerit simplex, mundum non erit. Simplex autem quomodo erit si duobus dominis servit, nec una intentione rerum æternarum purificat aciem suam, sed eam mortalium quoque fragiliumque rerum amore obnubilat? *Sit ergo eleemosyna tua in abscondito; et Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi.* Rectissime omnino et verissime. Si enim præmium ab eo exspectas qui conscientiæ solus inspector est, sufficiat tibi ad promerendum præmium ipsa conscientia. Multa latina exemplaria sic habent, *Et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi palam :* sed quia in græcis, quæ priora sunt, non invenimus, *palam (a)*, non putavimus hinc esse aliquid disserendum.

CAPUT III.—10. *Et cum oratis*, inquit, *non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus.* Neque hic videri ab hominibus nefas est; sed ideo hæc agere ut videaris ab hominibus : et superfluo toties eadem dicuntur, cum sit jam una regula custodienda, qua cognitum est, non si hæc sciant homines, formidandum esse aut fugiendum; sed si hoc animo fiant, ut fructus in eis expetatur placendi hominibus. Servat etiam ipse Dominus eadem verba, cum adjungit similiter, *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam ;* hinc ostendens id se prohibere, ne ea merces appetatur, qua stulti gaudent cum laudantur ab hominibus.

11. *Vos autem cum oratis*, inquit, *introite in cubicula vestra.* Quæ sunt ista cubicula, nisi ipsa corda, quæ in Psalmo etiam significantur, cum dicitur, *Quæ dicitis in cordibus vestris, et in cubilibus vestris compungimini* (*Psal.* IV, 5)? *Et claudentes ostia orate*, ait, *Patrem vestrum in abscondito.* Parum est intrare in cubicula, si ostium pateat importunis, per quod ostium ea quæ foris sunt improbe se immergunt, et interiora nostra appetunt. Foris autem diximus esse omnia temporalia et visibilia, quæ per ostium, id est per carnalem sensum, in cogitationes nostras penetrant, et turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est, carnali sensui resistendum est, ut oratio spiritualis dirigatur ad Patrem, quæ fit in intimis cordis, ubi oratur Pater in abscondito. *Et Pater*, inquit, *vester qui videt in abscondito, reddet vobis.* Et hoc tali clausula terminandum fuit : non enim hoc monet nunc ut oremus, sed quomodo oremus; neque superius, ut faciamus eleemosynam, sed quo animo faciamus : quoniam de corde mundando, præcipit, quod non mundat, nisi una et simplex intentio in æternam vitam solo et puro amore sapientiæ.

12. *Orantes autem nolite*, ait, *multum loqui*, *sicut Ethnici : arbitrantur enim quod in multiloquio suo exaudiantur.* Sicut hypocritarum est præbere se spectandos in oratione, quorum fructus est placere hominibus; ita Ethnicorum, id est Gentilium, in multiloquio se putare exaudiri. Et revera omne multiloquium a Gentilibus venit, qui exercendæ linguæ potius quam mundando animo dant operam. Et hoc nugatorii studii genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur, arbitrantes sicut hominem judicem verbis adduci in sententiam. *Nolite itaque similes illis esse*, dicit unus et verus magister. *Scit enim Pater vester quid vobis necessarium sit*, *antequam petatis*

(*a*) Contra hodie in græcis invenitur, non in latinis.

ab eo. Si enim verba multa ad id proferuntur, ut instruatur et doceatur ignarus, quid eis opus est ad rerum omnium cognitorem, cui omnia quæ sunt, eo ipso quo sunt, loquuntur, seseque indicant facta; et ea quæ futura sunt ejus artem sapientiamque non latent, in qua sunt et quæ transierunt, et quæ transitura sunt, omnia præsentia, et non transeuntia?

13. Sed quoniam, quamvis pauca, tamen verba et ipse dicturus est quibus nos doceat orare; quæri potest cur vel his verbis paucis opus sit ad eum qui scit omnia antequam fiant, et novit, ut dictum est, quid nobis sit necessarium, antequam petamus ab eo? Hic primo respondetur, non verbis nos agere debere apud Deum, ut impetremus quod volumus, sed rebus quas animo gerimus, et intentione cogitationis, cum dilectione pura et simplici affectu: sed res ipsas verbis nos docuisse Dominum nostrum, quibus memoriæ mandatis eas ad tempus orandi recordemur.

14. Sed rursus quæri potest, sive rebus, sive verbis orandum sit, quid opus sit ipsa oratione, si Deus jam novit quid nobis necessarium sit: nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat et purgat, capaciusque efficit ad excipienda divina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur. Non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare suam lucem nobis, non visibilem, sed intelligibilem et spiritualem: sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamur in alia, et rerum temporalium cupiditate tenebramur. Fit ergo in oratione conversio cordis ad eum, qui semper dare paratus est, si nos capiamus quod dederit; et in ipsa conversione purgatio interioris oculi, cum excluduntur ea quæ temporaliter cupiebantur, ut acies cordis simplicis ferre possit simplicem lucem, divinitus [1] sine ullo occasu aut immutatione fulgentem: nec solum ferre, sed etiam manere in illa; non tantum sine molestia, sed etiam cum ineffabili gaudio, quo vere ac sinceriter beata vita perficitur.

CAPUT IV. — 15. Sed jam considerandum est quæ nos orare ille præceperit, per quem et discimus quid oremus, et consequimur quod oramus. *Sic itaque orate vos*, inquit: *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra: panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: et ne nos inferas in tentationem; sed libera nos a malo.* Cum in omni deprecatione benevolentia concilianda sit ejus quem deprecamur, deinde dicendum quid deprecemur; laude illius ad quem oratio dirigitur, solet benevolentia conciliari, et hoc in orationis principio poni solet: in quo Dominus noster nihil aliud nos dicere jussit, nisi, *Pater noster qui es in cœlis.* Multa enim dicta sunt in laudem Dei, quæ per omnes sanctas Scripturas varie lateque diffusa poterit quisque considerare, cum legit: nusquam tamen invenitur præceptum populo Israel ut diceret, *Pater noster*, aut ut oraret Patrem Deum; sed Dominus eis insinuatus est, tanquam servientibus, id est, secundum carnem adhuc viventibus. Hoc autem dico, cum mandata Legis acciperent, quæ observare jubebantur: nam Prophetæ sæpe ostendunt eumdem Dominum nostrum etiam Patrem eorum esse potuisse, si ab ejus mandatis non aberrarent: sicuti est illud, *Filios genui, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me* (*Isai.* I, 2); et illud, *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes* [1] (*Psal.* LXXXI, 6); et illud, *Si Dominus sum, ubi est timor meus? et si Pater sum, ubi est honor meus* (*Malach.* I, 6)? et alia permulta, ubi arguuntur Judæi, quia filii esse peccando noluerunt: exceptis eis quæ in prophetia dicuntur de futuro populo christiano, quod Patrem Deum esset habiturus, secundum illud evangelicum, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12): apostolus autem Paulus dicit, *Quamdiu hæres parvulus est, nihil distat a servo;* et spiritum adoptionis nos accepisse commemorat, *in quo clamamus, Abba, Pater* (*Rom.* VIII, 15-23, *et Galat.* IV, 1-6).

16. Et quoniam quod vocamur ad æternam hæreditatem, ut simus Christi cohæredes, et in adoptionem filiorum veniamus, non est meritorum nostrorum, sed gratiæ Dei; eamdem ipsam gratiam in orationis principio ponimus, cum dicimus, *Pater noster.* Quo nomine et charitas excitatur; quid enim charius filiis debet esse quam pater? et supplex affectus, cum homines dicunt Deo, *Pater noster:* et quædam impetrandi præsumptio, quæ petituri sumus; cum priusquam aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus, ut sinamur dicere, *Pater noster*, Deo. Quid enim jam non det filiis petentibus, cum hoc ipsum ante dederit, ut filii essent? Postremo quanta cura animum tangit, ut qui dicit, *Pater noster*, tanto Patre non sit indignus? Si enim quisquam plebeius senatorem grandioris ætatis ab eo ipso patrem vocare permittatur; sine dubio trepidabit, nec facile audebit, cogitans humilitatem generis sui, et opum indigentiam, et plebeiæ personæ vilitatem: quanto ergo magis trepidandum est appellare Patrem Deum, si tanta est labes, tantæque sordes in moribus, ut multo justius eas a sua conjunctione Deus expellat, quam ille senator cujusvis mendici egestatem? Quandoquidem ille hoc contemnit in mendico, quo et ipse potest rerum humanarum fragilitate devenire: Deus autem in sordidos mores nunquam cadit. Et gratias misericordiæ ipsius, qui hoc a nobis exigit, ut Pater noster sit; quod nullo sumptu, sed sola bona voluntate comparari potest. Admonentur etiam hic divites, vel genere nobiles secundum sæculum, cum christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes et ignobiles; quoniam simul dicunt Deo, *Pater noster:* quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se fratres esse cognoscant.

CAPUT V. — 17. Utatur ergo voce Novi Testamenti populus novus, ad æternam hæreditatem vocatus, et dicat, *Pater noster qui es in cœlis:* id est, in sanctis et justis. Non enim spatio locorum continetur Deus. Sunt enim cœli excellentia quidem mundi cor-

[1] Mss. Vaticani duo et unus Corbeiensis, *lucem divinitatis.*

[1] Mss. decem, *et filii Altissimi: vos autem sicut homines moriemini, et sicut unus ex principibus cadetis.*

pora, sed tamen corpora, quæ non possunt esse nisi in loco : sed si in cœlis tanquam in superioribus mundi partibus locus Dei esse creditur melioris meriti sunt aves, quarum vita est Deo vicinior. Non autem scriptum est, Prope est Dominus excelsis hominibus, aut eis qui in montibus habitant : sed scriptum est, *Prope est Dominus obtritis corde* (*Psal.* XXXIII, 19); quod magis pertinet ad humilitatem. Sed quemadmodum terra appellatus est peccator, cum ei dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19) : sic cœlum justus e contrario dici potest. Justis enim dicitur, *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I *Cor.* III, 17). Quapropter si in templo suo habitat Deus, et sancti templum ejus sunt; recte dicitur, *qui es in cœlis*, qui es in sanctis. Et accommodatissima ista similitudo est, ut spiritualiter tantum interesse videatur inter justos et peccatores, quantum corporaliter inter cœlum et terram.

18. Cujus rei significandæ gratia, cum ad orationem stamus, ad orientem convertimur, unde cœlum surgit : non tanquam ibi habitet et Deus, quasi cæteras mundi partes deseruerit [1] qui ubique præsens est, non locorum spatiis, sed majestatis potentia [2]; sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est ad Deum, cum ipsum corpus ejus quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est ad corpus cœleste convertitur. Convenit etiam gradibus religionis, et plurimum expedit, ut omnium sensibus et parvulorum et magnorum bene sentiatur de Deo. Et ideo qui visibilibus adhuc pulchritudinibus dediti sunt, nec possunt aliquid incorporeum cogitare, quoniam necesse est cœlum præferant terræ; tolerabilior est opinio eorum, si Deum quem adhuc corporaliter cogitant, in cœlo potius credant esse, quam in terra : ut cum aliquando cognoverint dignitatem animæ cœleste etiam corpus excedere, magis eum quærant in anima, quam in corpore etiam cœlesti; et cum cognoverint quantum distet inter peccatorum animas et justorum, sicut non audebant, cum adhuc carnaliter saperent, eum in terra collocare, sed in cœlo, sic postea meliori fide vel intelligentia magis eum in animis justorum quam in peccatorum requirant. Recte ergo intelligitur quod dictum est, *Pater noster qui es in cœlis*, in cordibus justorum esse dictum, tanquam in templo sancto suo. Simul etiam ut qui orat, in se quoque ipso velit habitare quem invocat : et cum hoc affectat, teneat justitiam; quo munere invitatur ad inhabitandum animum Deus.

19. Jam videamus quæ sint petenda. Dictum est enim quis sit qui petitur, et ubi habitet. Primum autem omnium quæ petuntur hoc est, *Sanctificetur nomen tuum*. Quod non sic petitur, quasi non sit sanctum nomen Dei, sed ut sanctum habeatur ab hominibus : id est, ita illis innotescat Deus, ut non existiment aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Neque enim quia dictum est, *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV, 1); sic intelligendum est quasi alibi minor sit Deus, alibi major : sed ibi magnum est nomen ejus, ubi pro suæ majestatis magnitudine nominatur. Ita ibi dicitur sanctum nomen ejus, ubi cum veneratione et offensionis timore nominatur. Et hoc est quod nunc agitur, dum Evangelium adhuc usque per diversas gentes innotescendo, commendat unius Dei nomen per administrationem Filii ejus.

CAPUT VI. — 20. Deinde sequitur, *Adveniat regnum tuum*. Sicut ipse Dominus in Evangelio docet, tunc futurum esse judicii diem, cum Evangelium prædicatum fuerit in omnibus gentibus (*Matth.* XXIV, 14): quæ res pertinet ad sanctificationem nominis Dei. Non enim et hic ita dictum est, *Adveniat regnum tuum*, quasi nunc Deus non regnet. Sed forte quis dicat, *Adveniat* dictum esse in terram. Quasi vero non etiam ipse nunc regnet in terra, semperque in ea regnaverit a constitutione mundi. *Adveniat* ergo accipiendum est, manifestetur hominibus. Quemadmodum enim etiam præsens lux absens est cæcis, et eis qui oculos claudunt; ita Dei regnum, quamvis nunquam discedat de terris, tamen absens est ignorantibus. Nulli autem licebit ignorare regnum Dei, cum ejus Unigenitus non solum intelligibiliter, sed etiam visibiliter in homine Dominico de cœlo venerit judicaturus vivos et mortuos (*a*). Post quod judicium, id est, cum discretio et separatio justorum ab injustis facta fuerit, ita inhabitabit justos Deus, ut non opus sit quemquam doceri per hominem, sed sint omnes, ut scriptum est, *docibiles Deo* (*Isai.* LIV, 13; *Joan.* VI, 45). Deinde beata vita omni ex parte perficietur in sanctis in æternum, sicuti nunc cœlestes Angeli sanctissimi atque beatissimi, solo Deo illustrante sapientes et beati sunt; quia et hoc promisit Dominus suis : *In resurrectione erunt*, inquit, *sicut Angeli in cœlis* (*Matth.* XXII, 30).

21. Et ideo post illam petitionem qua dicimus, *Adveniat regnum tuum*, sequitur, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra :* id est, sicut est in Angelis qui sunt in cœlis, voluntas tua, ut omnimodo tibi adhæreant teque perfruantur, nullo errore obnubilante sapientiam eorum, nulla miseria impediente beatitudinem eorum; ita fiat in sanctis tuis qui in terra sunt, et de terra, quod ad corpus attinet, facti sunt, et quamvis in cœlestem habitationem atque immutationem, tamen de terra assumendi sunt. Ad hoc respicit etiam illa Angelorum prædicatio, *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14) : ut cum præcesserit bona voluntas nostra, quæ vocantem sequitur, perficiatur in nobis voluntas Dei, sicuti est in cœlestibus Angelis; ut nulla adversitas resistat nostræ beatitudini, quod est pax. Item *Fiat voluntas tua*, recte intelligitur, obediatur præceptis tuis : *sicut in cœlo et in terra*, id est, sicut ab Angelis, ita ab hominibus. Nam fieri voluntatem Dei, cum obtemperatur præceptis ejus, ipse Dominus dicit, cum ait, *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui*

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. legunt, *non tanquam ibi sit Deus, et quasi cæteras mundi partes deseruerit.* M.

[2] Sic Mss. At editi, *majestate potentiæ*.

(*a*) I Retract. cap. 19, n. 8.

me misit (*Joan.* IV, 34); et sæpe, *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* VI, 38); et cum ait, *Ecce mater mea, et ecce fratres mei, et quicumque fecerit voluntatem Dei, hic mihi est frater, et mater, et soror* (*Matth.* XII, 49 *et* 50). Qui ergo faciunt voluntatem Dei, in illis utique fit voluntas Dei : non quia ipsi faciunt ut velit Deus; sed quia faciunt quod ille vult, id est, faciunt secundum voluntatem ejus.

22. Est etiam ille intellectus : *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, sicut in sanctis et justis, ita etiam in peccatoribus. Quod adhuc duobus modis accipi potest : sive ut oremus etiam pro inimicis nostris; (quid enim sunt aliud habendi, contra quorum voluntatem christianum et catholicum nomen augetur?) ut ita dictum sit, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, tanquam si diceretur, Faciant voluntatem tuam sicut justi, ita etiam peccatores, ut ad te convertantur : sive ita, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, ut sua cuique tribuantur; quod fiet extremo judicio, ut justis præmium, peccatoribus damnatio retribuatur, cum agni ab hædis separabuntur (*Id.* XXV, 33 46).

23. Ille etiam non absurdus, imo et fidei et spei nostræ convenientissimus intellectus est, ùt cœlum et terram accipiamus, spiritum et carnem. Et quoniam dicit Apostolus, *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (*Rom.* VII, 25); videmus factam voluntatem Dei in mente, id est, in spiritu : cum autem absorpta fuerit mors in victoriam, et mortale hoc induerit immortalitatem, quod fiet carnis resurrectione, atque illa immutatione quæ promittitur justis, secundum ejusdem apostoli prædicationem (I *Cor.* XV, 42, 55) : fiat voluntas Dei et in terra, sicut in cœlo : id est, ut quemadmodum spiritus non resistit Deo, sequens et faciens voluntatem ejus; ita et corpus non resistat spiritui vel animæ, quæ nunc corporis infirmitate vexatur, et in carnalem consuetudinem prona est : quod erit summæ pacis in vita æterna, ut non solum velle adjaceat nobis, sed etiam perficere bonum. *Nunc enim velle*, inquit, *adjacet mihi; perficere autem bonum non :* quia nondum in terra sicut in cœlo, id est, nondum in carne sicut in spiritu facta est voluntas Dei. Nam et in miseria nostra fit voluntas Dei, cum ea patimur per carnem, quæ nobis mortalitatis jure debentur, quam peccando meruit nostra natura : sed id orandum est, ut sicut in cœlo, ita et in terra fiat voluntas Dei; id est, ut quemadmodum corde condelectamur legi secundum interiorem hominem (*Rom.* VII, 18, 22), ita etiam corporis immutatione facta, huic nostræ delectationi nulla pars nostra terrenis doloribus seu voluptatibus adversetur.

24. Nec illud a veritate abhorret, ut accipiamus, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*, sicut in ipso Domino nostro Jesu Christo, ita et in Ecclesia : tanquam in viro qui Patris voluntatem implevit, ita et in femina quæ illi desponsata est. Cœlum enim et terra convenienter intelligitur, quasi vir et femina; quoniam terra cœlo fecundante fructifera est.

CAPUT VII. — 25. Quarta petitio est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Panis quotidianus, aut pro iis omnibus dictus est, quæ hujus vitæ necessitatem sustentant, de quo cum præciperet, ait, *Nolite cogitare de crastino;* ut ideo sit additum, *da nobis hodie :* aut pro Sacramento corporis Christi, quod quotidie accipimus : aut pro spirituali cibo, de quo idem Dominus dicit, *Operamini escam quæ non corrumpitur;* et illud, *Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi* (*Joan.* VI, 17, 41). Sed horum trium quid sit probabilius, considerari potest. Nam forte quispiam moveatur, cur oremus pro his adipiscendis quæ huic vitæ sunt necessaria, veluti est victus et tegumentum, cum ipse Dominus dicat, *Nolite solliciti esse quid edatis, vel quid induamini.* An potest quisque de ea re pro qua adipiscenda orat, non esse sollicitus; cum tanta intentione animi oratio dirigenda sit, ut ad hoc totum illud referatur quod de claudendis cubiculis dictum est, et illud quod ait, *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis?* Non ait utique, Quærite primum regnum Dei, et deinde ista quærite; sed, *hæc omnia*, inquit, *apponentur vobis*, scilicet etiam non quærentibus. Quomodo autem recte dicatur non quærere aliquis, quod ut accipiat intentissime Deum deprecatur, nescio utrum inveniri queat.

26. De Sacramento autem corporis Domini ut illi non moveant quæstionem, qui plurimi in orientalibus partibus, non quotidie cœnæ dominicæ communicant, cum iste panis quotidianus dictus sit : ut ergo illi taceant, neque de hac re suam sententiam defendant vel ipsa auctoritate ecclesiastica [1], quod sine scandalo ista faciunt, neque ab eis qui ecclesiis præsunt facere prohibentur, neque non obtemperantes damnantur; unde probatur non hunc in illis partibus intelligi quotidianum panem; nam magni peccati crimine arguerentur, qui ex eo non accipiunt quotidie : sed ut de istis, ut dictum est, nihil in aliquam partem disseramus, illud certe debet occurrere cogitantibus, regulam nos orandi a Domino accepisse, quam transgredi non oportet vel addendo aliquid, vel prætereundo. Quod cum ita sit, qûis est qui audeat dicere, semel tantum nos orare debere orationem dominicam; aut certe etiam si iterum vel tertio, usque ad eam tantum horam qua corpori Domini communicamus, postea vero non sic orandum per reliquas partes diei? Non enim jam dicere poterimus, *da nobis hodie*, quod jam accepimus : aut poterit quisque cogere, ut etiam ultima diei parte Sacramentum illud celebremus.

27. Restat igitur ut quotidianum panem accipiamus spiritualem, præcepta scilicet divina, quæ quotidie oportet meditari et operari. Nam de ipsis Dominus dicit, *Operamini escam quæ non corrumpitur.* Quotidianus autem iste cibus nunc dicitur, quamdiu ista vita temporalis per dies decedentes succedentesque peragitur. Et revera quamdiu nunc in superiora, nunc in inferiora, id est, nunc in spiritualia, nunc in car-

[1] Hic apud Lov. additur, *sint contenti :* quod abest a cæteris codicibus editis et Mss.

nalia animi affectus alternat, tanquam ei qui aliquando pascitur cibo, aliquando famem patitur; quotidie panis necessarius est, quo reficiatur esuriens, et relabens erigatur. Sicut itaque corpus nostrum in hac vita, ante illam scilicet immutationem, cibo reficitur, quia sentit dispendium : sic et animus, quoniam temporalibus affectibus quasi dispendium ab intentione Dei patitur, præceptorum cibo reficiatur. *Da nobis hodie* autem dictum est, quamdiu dicitur hodie, id est, in hac temporali vita. Sic enim cibo spirituali post hanc vitam saturabimur in æternum, ut non tunc dicatur quotidianus panis; quia ibi temporis volubilitas, quæ diebus dies succedere facit, unde appelletur quotidie, nulla erit. Ut autem dictum est, *Hodie si vocem ejus audieritis* (*Psal.* XCIV, 8); quod interpretatur Apostolus in Epistola quæ est ad Hebræos, Quamdiu dicitur hodie (*Hebr.* III, 13) : ita et hic accipiendum est, *Da nobis hodie.* Si quis autem etiam de victu corporis necessario, vel de Sacramento Dominici corporis istam sententiam vult accipere, oportet ut conjuncte accipiantur omnia tria; ut scilicet quotidianum panem simul petamus, et necessarium corpori, et sacratum visibilem, et invisibilem verbi Dei [1].

CAPUT VIII. — 28. Sequitur quinta petitio, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Debita, peccata dici manifestum est, vel illo quod ait idem Dominus, *Non exies inde donec reddas novissimum quadrantem* (*Matth.* v, 26); vel illo quo debitores appellavit qui ei nuntiati sunt exstincti, vel in ruina turris, vel quorum sanguinem Herodes sacrificio miscuit. Dixit enim putare homines quod illi ultra modum debitores essent, id est peccatores; et addidit, *Amen dico vobis, nisi pœnitentiam egeritis, similiter moriemini* (*Luc.* XIII, 1-5). Non hic ergo quisque urgetur pecuniam dimittere debitoribus, sed quæcumque in eum alius peccaverit. Nam pecuniam dimittere illo potius jubemur præcepto, quod superius dictum est, *Si quis tibi tunicam tollere voluerit, et judicio tecum contendere, remitte ei et vestimentum* (*Matth.* v, 40) : nec ibi necesse est omni pecuniario debitori dimittere debitum, sed ei qui reddere noluerit, in tantum ut velit etiam litigare; *Servum autem Domini*, ut ait Apostolus, *non oportet litigare* (II *Tim.* II, 24). Qui ergo vel sponte vel conventus pecuniam debitam reddere noluerit, dimittenda illi est. Duas enim ob res nolet reddere, vel quod non habeat, vel quod avarus sit reique alienæ cupidus : utrumque autem pertinet ad inopiam; nam illa inopia est rei familiaris, hæc animi. Quisquis itaque tali dimittit debitum, inopi dimittit, opusque christianum operatur, manente illa regula, ut in animo paratus sit amittere quod sibi debetur. Nam si modeste ac leniter omni modo egerit, ut sibi restituatur, non tam intendens fructum pecuniæ, quam ut hominem corrigat, cui sine dubio perniciosum est habere unde reddat, et non reddere; non solum non peccabit, sed proderit etiam plurimum, ne ille dum alienam pecuniam lucrum facere vult, damnum fidei patiatur; quod tanto est gravius, ut nulla sit comparatio. Ex quo intelligitur etiam in ista quinta petitione, qua dicimus, *Dimitte nobis debita nostra,* non de pecunia quidem dici; sed de omnibus quæ in nos quisque peccat, ac per hoc etiam de pecunia. Peccat namque in te, qui tibi pecuniam debitam, cum habeat unde reddat, recusat reddere. Quod peccatum si non dimiseris, non poteris dicere, *Dimitte nobis, sicut et nos dimittimus :* si autem ignoveris, vides etiam de pecunia dimittenda admoneri eum cui tali prece orare præcipitur.

29. Illud sane tractari potest, ut quoniam dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus,* tunc convincamur contra istam regulam fecisse, si eis non dimittamus, qui veniam petunt, quia et nos veniam petentibus nobis a benignissimo Patre dimitti volumus. Sed illo rursus præcepto, quo jubemur orare pro inimicis nostris (*Matth.* v, 44), non pro his jubemur qui veniam petunt. Jam enim qui tales sunt, non sunt inimici. Nullo modo autem quisquam vere dixerit orare se pro eo cui non ignoverit. Quapropter fatendum est omnia peccata dimittenda esse quæ in nos admittuntur, si volumus nobis a Patre dimitti quæ admittimus. Nam de vindicta superius, ut arbitror, satis disputatum est (*Supra, lib.* 1, *cc.* 19 *et* 20).

CAPUT IX.— 30. Sexta petitio est, *Et ne nos inferas in tentationem.* Nonnulli codices habent, *inducas*, quod tantumdem valere arbitror : nam ex uno græco quod dictum est, εἰσενέγκῃς, utrumque translatum est. Multi autem precando ita dicunt, *Ne nos patiaris induci in tentationem;* exponentes videlicet quomodo dictum sit, *inducas.* Non enim per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit, ordine occultissimo ac meritis. Causis etiam sæpe manifestis dignum judicat ille quem deserat, et in tentationem induci sinat. Aliud est autem induci in tentationem, aliud tentari. Nam sine tentatione probatus esse nullus potest, sive sibi ipsi, sicut scriptum est, *Qui non est tentatus, qualia scit* (*Eccli.* XXXIV, 9, 11)? sive alii, sicut Apostolus ait, *Et tentationem vestram in carne mea non sprevistis* (*Galat.* IV, 13, 14) : hinc enim eos firmos ipse cognovit, quod eis tribulationibus, quæ Apostolo secundum carnem acciderant, non sunt a charitate deflexi. Nam Deo noti sumus et ante omnes tentationes, qui scit omnia antequam fiant.

31. Quod itaque scriptum est, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (*Deut.* XIII, 3); illa locutione positum est, *Ut sciat,* pro eo quod est, ut scire vos faciat : sicut diem lætum dicimus, quod lætos faciat: frigus pigrum, quod pigros facit; et innumerabilia hujusmodi, quæ sive in consuetudine loquendi, sive in sermone doctorum, sive in Scripturis sanctis reperiuntur. Quod non intelligentes hæretici qui Veteri Testamento adversantur, velut ignorantiæ vitio notandum putant eum de quo dictum est, *Tentat vos Dominus Deus vester :* quasi in Evangelio de Domino scriptum non sit, *Hoc autem dicebat tentans eum,*

[1] Sic plerique Mss. At editi, *et sacramentum visibile et invisibile verbi Dei.*

nam ipse sciebat quid esset facturus (*Joan.* VI, 6). Si enim noverat cor ejus quem tentabat, quid est quod voluit videre tentando? Sed profecto illud factum est, ut ipse sibi notus fieret qui tentabatur, suamque desperationem condemnaret, saturatis turbis de pane Domini, qui eas non habere quod ederent existimaverat.

32. Non ergo hic oratur, ut non tentemur, sed ut non inferamur in tentationem: tanquam si quispiam cui necesse est igne examinari, non oret ut igne non contingatur, sed ut non exuratur. Vasa enim figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (*Eccli.* XXVII, 6). Joseph ergo tentatus est illecebra stupri, sed non est illatus in tentationem (*Gen.* XXXIX, 7-12): Susanna tentata est, nec ipsa inducta vel illata in tentationem (*Dan.* XIII, 19-24); multique alii utriusque sexus: sed Job maxime, cujus admirabilem stabilitatem in Deo Domino suo, cum illi hæretici hostes Veteris Testamenti ore sacrilego irridere voluerint, illud præ cæteris ventilant, quod satanas petierit eum tentandum (*Job* I, 11). Quærunt enim ab imperitis hominibus talia intelligere nequaquam valentibus, quomodo satanas cum Deo loqui potuerit: non intuentes (non enim possunt, cum superstitione et contentione cæcati sint) Deum non loci spatium mole corporis occupare; et sic alibi esse, alibi non esse, vel certe hic habere partem aliam, et alibi aliam: sed majestate ubique præsto esse, non per partes divisum, sed ubique perfectum. Quod si carnaliter intuentur quod dictum est, *Cœlum mihi thronus est, et terra scabellum pedum meorum* (*Isai.* LXVI, 1); cui loco et Dominus attestatur dicens, *Non juretis, neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus* (*Matth.* V, 34-35): quid mirum si in terra diabolus constitutus, ante pedes Dei stetit, et coram illo aliquid locutus est? Nam quando illi valent intelligere, nullam esse animam, quamvis perversam, quæ tamen ullo modo ratiocinari potest, in cujus conscientia non loquatur Deus? Quis enim scripsit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus? De qua lege Apostolus ait: *Cum enim Gentes, quæ Legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, hi Legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, contestante conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam excusantium, in die qua judicabit Dominus occulta hominum* (*Rom.* II, 14-16). Quapropter si omnis anima rationalis etiam cupiditate cæcata, tamen cum cogitat et ratiocinatur, quidquid in ea ratiocinatione verum est, non ei tribuendum est, sed ipsi lumini veritatis, a quo vel tenuiter pro sui capacitate illustratur, ut verum aliquid in ratiocinando sentiat; quid mirum si diaboli anima prava cupiditate perversa, quidquid tamen verum de justo viro cogitavit, cum eum tentare vellet, ipsius Dei voce, id est, ipsius veritatis voce audisse perhibetur? Quidquid autem falsum, illi cupiditati tribuitur, qua diaboli nomen accepit. Quanquam etiam per creaturam corporalem atque visibilem Deus plerumque locutus est seu bonis seu malis, tanquam omnium Dominus et rector, et pro cujusque rei meritis ordinator: sicut per Angelos, qui hominum quoque aspectibus apparuerunt; et per Prophetas dicentes, Hæc dicit Dominus. Quid ergo mirum, si quanquam non in ipsa cogitatione, per aliquam certe creaturam tali operi accommodatam Deus locutus cum diabolo dicitur?

33. Nec dignitatis esse arbitrentur, et quasi justitiæ meritum, quod cum illo Deus locutus est: quoniam locutus est cum anima angelica, quanquam stulta et cupida, tanquam si loqueretur cum anima humana stulta et cupida. Aut ipsi dicant quomodo locutus est cum illo divite, cujus cupiditatem stultissimam arguere voluit, dicens: *Stulte, hac nocte anima tua expostulatur a te; hæc quæ præparasti, cujus erunt* (*Luc.* XII, 20)? Certe hoc ipse Dominus in Evangelio dicit, cui hæretici isti, velint, nolint, colla submittunt. Si autem hoc moventur, quod tentandum justum satanas petit a Deo; non ego expono quare sit factum, sed ipsos cogo exponere quare sit dictum in Evangelio ab ipso Domino discipulis, *Ecce satanas petiit vos vexare quomodo triticum:* et Petro ait, *Ego autem postulavi ne deficiat fides tua* (*Id.* XXII, 31, 32). Cum autem hoc exponunt mihi, simul illud quod a me quærunt exponunt sibi. Si vero non valuerint hoc exponere, non audeant id quod in Evangelio sine offensione legunt [1], in aliquo libro cum temeritate culpare.

34. Fiunt igitur tentationes per satanam non potestate ejus, sed permissu Domini, ad homines aut pro suis peccatis puniendos, aut pro Domini misericordia probandos et exercendos. Et interest plurimum in qualem quisque tentationem incidat. Non enim in talem incidit Judas, qui vendidit Dominum, in qualem incidit Petrus, cum territus Dominum negavit. Sunt etiam tentationes humanæ, credo, cum bono quisque animo, secundum humanam tamen fragilitatem, in aliquo consilio labitur, aut irritatur in fratrem studio corrigendi, paulo tamen amplius quam christiana tranquillitas postulat: de quibus Apostolus dicit, *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana;* cum idem dicat, *Fidelis Deus, qui vos non sinat tentari supra quam potestis ferre; sed faciet cum tentatione etiam proventum, ut possitis tolerare* (I *Cor.* X, 13). In qua sententia satis ostendit non id nobis orandum esse ut non tentemur, sed ne in tentationem inducamur. Inducimur enim, si tales acciderint quas ferre non possumus. Sed cum tentationes periculosæ in quas inferri atque induci perniciosum est, aut prosperis rebus temporalibus, aut adversis oriantur, nemo frangitur adversarum molestia, qui prosperarum delectatione non capitur.

35. Ultima et septima petitio est, *Sed libera nos a malo.* Orandum est enim ut non solum non inducamur in malum, quo caremus, quod sexto loco petitur; sed ab illo etiam liberemur, quo jam inducti sumus. Quod cum factum fuerit, nihil remanebit formidolosum, nec omnino metuenda erit ulla tentatio. Quod tamen in hac vita quamdiu istam mortalitatem cir-

[1] Sic Mss. At editi, *sine offensione non intelligunt.*

cumferimus, in quam serpentina persuasione inducti sumus, non sperandum est posse fieri; sed tamen aliquando futurum sperandum est, et hæc est spes quæ non videtur: de qua cum loqueretur Apostolus, ait, *Spes autem quæ videtur, non est spes* (*Rom.* VIII, 24). Sed tamen sapientia, quæ in hac quoque vita concessa est, fidelibus servis Dei non est desperanda. Ea est autem, ut id quod Domino revelante fugiendum esse intellexerimus, cautissima vigilantia fugiamus; et id quod Domino revelante appetendum esse intellexerimus, flagrantissima charitate appetamus. Ita enim reliquo mortalitatis hujus onere ipsa morte deposito, ex omni hominis parte opportuno tempore perficietur beatitudo, quæ in hac vita inchoata est, et cui capessendæ atque obtinendæ aliquando nunc omnis conatus impenditur.

CAPUT X. — 36. Sed harum septem petitionum consideranda et commendanda distinctio est. Nam cum vita nostra temporaliter nunc agatur, atque speretur æterna, et cum æterna priora sint dignitate, quamvis temporalibus prius actis ad illa transeatur; trium primarum petitionum impetrationes quanquam in hac vita, quæ isto sæculo agitur, exordium capiant (nam et sanctificatio nominis Dei ab ipso humilitatis Domini adventu agi cœpit; et adventus regni ejus, quo in claritate venturus est, non jam finito sæculo, sed in fine sæculi manifestabitur; et perfectio voluntatis ejus, sicut in cœlo et in terra, sive justos et peccatores cœlum et terram intelligas, sive spiritum et carnem, sive Dominum et Ecclesiam, sive omnia simul, ipsa perfectione nostræ beatitudinis, et ideo sæculi terminatione complebitur), tamen omnia tria in æternum manebunt. Nam et sanctificatio nominis Dei sempiterna erit, et regni ejus nullus est finis, et perfectæ nostræ beatitudini æterna vita promittitur. Permanebunt ergo ista tria consummata atque cumulata in illa vita quæ nobis promittitur.

37. Reliqua vero quatuor quæ petimus, ad temporalem istam vitam pertinere mihi videntur. Quorum primum est, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hoc ipso enim quod dictus est quotidianus panis, sive spiritualis significetur, sive in Sacramento aut in victu isto visibilis, ad hoc tempus pertinet, quod appellavit *hodie:* non quia spiritualis cibus non est sempiternus; sed quia iste qui quotidianus dictus est in Scripturis, sive in strepitu sermonis, sive quibusque temporalibus signis exhibetur animæ: quæ omnia tunc utique non erunt, cum omnes erunt docibiles Deo (*Isai.* LIV, 13; *Joan.* VI, 45), et ipsam ineffabilem lucem veritatis non motu corporum significantes, sed puritate mentis haurientes. Nam fortasse et propterea panis dictus est, non potus, quia panis frangendo atque mandendo, in alimentum convertitur, sicut Scripturæ aperiendo et disserendo animam pascunt; potus vero paratus, sicuti est, transit in corpus: ut isto tempore panis sit veritas, cum quotidianus panis dicitur; tunc autem potus, cum nullo labore disputandi et sermocinandi, quasi frangendi atque mandendi, opus erit, sed solo haustu sinceræ et perspicuæ veritatis. Et peccata nunc nobis dimittuntur, et nunc dimittimus; quæ harum quatuor reliquarum secunda petitio est: tunc autem nulla erit venia peccatorum, quia nulla peccata. Et tentationes temporalem istam vitam infestant; non autem erunt, cum perfectum erit quod dictum est, *Abscondes eos in abscondito vultus tui* (*Psal.* XXX, 21). Et malum, a quo liberari optamus, et ipsa liberatio a malo ad hanc utique vitam pertinet, quam et justitia Dei mortalem meruimus, et unde ipsius misericordia liberamur.

CAPUT XI. — 38. Videtur etiam mihi septenarius iste numerus harum petitionum congruere illi septenario numero, ex quo totus iste sermo manavit. Si enim timor Dei est quo beati sunt pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; petamus ut sanctificetur in hominibus nomen Dei, timore casto permanente in sæcula sæculorum (*Psal.* XVIII, 10). Si pietas est qua beati sunt mites, quoniam ipsi hæreditate possidebunt terram; petamus ut veniat regnum ejus, sive in nos ipsos, ut mitescamus, nec ei resistamus; sive de cœlo in terras in claritate adventus Domini, quo nos gaudebimus, et laudabimur [1], dicente illo, *Venite, benedicti Patris mei, accipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 34). *In Domino* enim, inquit propheta, *laudabitur anima mea; audiant mites, et jucundentur* (*Psal.* XXXIII, 2). Si scientia est qua beati sunt qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur; oremus ut fiat voluntas ejus sicut in cœlo et in terra, quia cum corpus tanquam terra, spiritui tanquam cœlo, summa et tota pace consenserit, non lugebimus: nam nullus alius hujus temporis luctus est, nisi cum adversum se ista confligunt, et cogunt nos dicere, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ;* et luctum nostrum lacrymosa voce testari, *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis ejus* (*Rom.* VII, 23, 24)? Si fortitudo est qua beati sunt qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur; oremus ut panis noster quotidianus detur nobis hodie, quo fulti atque sustentati, ad plenissimam illam saturitatem venire possimus. Si consilium est quo beati sunt misericordes, quoniam ipsorum miserebitur; dimittamus debita debitoribus nostris, et oremus ut nobis nostra dimittantur. Si intellectus est quo beati sunt mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt; oremus non induci in tentationem, ne habeamus duplex cor, non appetendo simplex bonum, quo referamus omnia quæ operamur, sed simul temporalia et terrena [2] sectando. Tentationes enim de his rebus quæ graves et calamitosæ videntur hominibus, non in nos valent, si non valeant illæ quæ blanditiis earum rerum accidunt, quas homines bonas et lætandas putant. Si sapientia est qua beati sunt pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur (*Matth.* V, 3-9); oremus ut liberemur a malo: ipsa enim liberatio liberos nos faciet, id est filios Dei, ut spiritu adoptionis clamemus, *Abba,*

[1] Editi Mar. et Lov., *laudabimus.* Am. et Er., *lætabimur.* At Mss., *laudabimur.*
[2] Duo e Vatic. Mss., *temporalia et æterna.*

Pater (*Rom.* VIII, 15, *et Galat.* IV, 6).

39. Sane non negligenter prætereundum est quod ex omnibus iis sententiis, quibus nos orare Dominus præcepit, eam potissimum commendandam esse judicavit, quæ pertinet ad dimissionem peccatorum : in qua nos misericordes esse voluit, quod unum est consilium miserias evadendi. In nulla enim alia sententia sic oramus, ut quasi paciscamur cum Deo : dicimus enim, *Dimitte nobis sicut et nos dimittimus.* In qua pactione si mentimur, totius orationis nullus est fructus. Sic enim dicit : *Si enim dimiseritis hominibus delicta eorum, dimittet et vobis Pater vester qui in cœlis est. Si autem non dimiseritis hominibus, neque Pater vester dimittet vobis peccata vestra.*

CAPUT XII. — 40. Sequitur de jejunio præceptum, pertinens ad eamdem cordis mundationem, de qua nunc agitur. Nam et in hoc opere cavendum est ne subrepat aliqua ostentatio et appetitus laudis humanæ, qui duplicet cor, et non sinat mundum et simplex esse ad intelligendum Deum. « Cum autem jejunatis, inquit, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes : exterminant enim vultum suum, ut videantur hominibus jejunantes. Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam. Vos autem jejunantes ungite capita vestra, et facies vestras lavate, ne videamini hominibus jejunantes, sed Patri vestro qui est in abscondito : et Pater vester qui videt in abscondito, reddet vobis. » Manifestum est his præceptis omnem nostram intentionem in interiora gaudia dirigi, ne foris quærentes mercedem huic sæculo conformemur, et amittamus promissionem tanto solidioris atque firmioris, quanto interioris beatitudinis, qua nos elegit Deus conformes fieri imaginis Filii ejus (*Rom.* VIII, 29).

41. In hoc autem capitulo maxime animadvertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosis esse posse jactantiam ; et eo periculosiorem, quo sub nomine servitutis Dei decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis atque vestitus vel cæterarum rerum nitore præfulget, facile convincitur rebus ipsis, pomparum sæculi esse sectator, nec quemquam fallit dolosa imagine sanctitatis : qui autem in professione Christianitatis inusitato squalore ac sordibus intentos in se oculos hominum facit, cum id voluntate facit, non necessitate patitur, cæteris ejus operibus potest conjici utrum hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat ; quia et sub ovina pelle cavendos lupos Dominus præcepit ; sed *ex fructibus*, inquit, *eorum cognoscetis eos.* Cum enim cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa illis subtrahi vel negari, quæ isto velamine vel consecuti sunt, vel consequi cupiunt, tunc necesse est appareat utrum lupus in ovina pelle sit, an ovis in sua. Non enim propterea ornatu superfluo debet aspectus hominum mulcere christianus, quia illum parcum habitum ac necessarium etiam simulatores sæpius usurpant, ut incautos decipiant : quia et illæ oves non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegunt.

42. Quæri ergo solet quid sit quod ait, *Vos autem cum jejunatis, ungite capita vestra, et facies vestras lavate, ne videamini hominibus jejunantes.* Non enim quispiam recte præceperit, quamvis faciem quotidiana consuetudine lavemus, unctis etiam capitibus cum jejunamus, nos esse debere. Quod si turpissimum omnes fatentur, intelligendum est hoc præceptum ungendi caput, et faciem lavandi, ad interiorem hominem pertinere. Ungere ergo caput, ad lætitiam pertinet ; lavare autem faciem, ad munditiam : et ideo caput ungit qui lætatur interius mente atque ratione. Hoc enim recte accipimus caput, quod in anima præeminet, et quo cætera hominis regi et gubernari manifestum est. Et hoc facit qui non foris quærit lætitiam, ut de laudibus hominum carnaliter gaudeat. Caro enim quæ subjecta esse debet, nullo modo est totius naturæ humanæ caput. *Nemo* quidem *unquam carnem suam odio habuit*, sicut Apostolus dicit, cum de diligenda uxore præcipit (*Ephes.* V, 25-33) : sed caput mulieris vir, cui viro caput est Christus (I *Cor.* XI, 3). Interius ergo gaudeat in jejunio suo, eo ipso quo sic se jejunando avertit a voluptate sæculi ut sit subditus Christo, qui secundum hoc præceptum caput unctum habere desiderat. Ita enim et faciem lavabit, id est, cor mundabit, quo visurus est Deum, non interposito velamine propter infirmitatem contractam de sordibus ; sed firmus et stabilis, quoniam mundus et simplex. *Lavamini*, inquit, *mundi estote, auferte nequitias ab animis vestris, atque a conspectu oculorum meorum* (*Isai.* I, 16). Ab his igitur sordibus facies nostra lavanda est, quibus Dei aspectus offenditur. Nos enim revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformabimur (II *Cor.* III, 18).

43. Sæpe etiam cogitatio necessariarum rerum ad istam vitam pertinentium, sauciat et sordidat interiorem oculum nostrum ; et plerumque cor duplicat, ut ea quæ videmur cum hominibus recte facere, non eo corde faciamus quo Dominus præcipit, id est, non quia eos diligimus, sed quia commodum ab eis aliquod propter necessitatem præsentis vitæ adipisci volumus. Debemus autem benefacere illis propter salutem ipsorum æternam, non propter temporale commodum nostrum. Inclinet ergo Deus cor nostrum in testimonia sua, et non in emolumentum (*Psal.* CXVIII, 36). Finis enim præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta (I *Tim.* I, 5). Qui autem propter suam in hac vita necessitatem fratri consulit, non utique charitate consulit ; quia non illi, quem debet tanquam seipsum diligere, sed sibi consulit : vel potius nec sibi ; quandoquidem hinc sibi facit duplex cor, quo impeditur ad videndum Deum ; in qua sola visione beatitudo est certa atque perpetua.

CAPUT XIII. — 44. Recte ergo sequitur, et præcipit, qui mundando cordi nostro instat, dicens : « Nolite vobis condere thesauros in terra, ubi tinea et comestura exterminant [1], et ubi fures effodiunt et

[1] Sic habent Mss. et Mar., necnon Cyprianus in lib. 3, ad Quirinum. At Am. Er. et Lov., *ubi ærugo et tinea exterminant, et reliqua* : suppressis, ut solent, cæteris verbis scri-

furantur : thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea neque comestura exterminant, et ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum. » Ergo si in terra erit cor, id est, si eo corde quisque operetur aliquid, ut terrenum commodum adipiscatur, quomodo erit mundum, quod in terra volutatur? Si autem in cœlo, mundum erit, quia munda sunt quæcumque cœlestia. Sordescit enim aliquid, cum inferiori miscetur naturæ, quamvis in suo genere non sordidæ ; quia etiam de puro argento sordidatur aurum, si misceatur : ita et animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamvis ipsa terra in suo genere atque ordine munda sit. Cœlum autem hoc loco non corporeum acceperimus, quia omne corpus pro terra habendum est. Totum enim mundum debet contemnere, qui sibi thesaurizat in cœlo. In illo ergo cœlo de quo dictum est, *Cœlum cœli Domino* (*Psal.* CXIII, 16), id est in firmamento spirituali, non enim in eo quod transiet, constituere et collocare debemus thesaurum nostrum et cor nostrum, sed in eo quod semper manet : cœlum autem et terra transient (*Matth.* XXIV, 35).

45. Et hic manifestat de mundando corde se cuncta ista præcipere, cum dicit : « Lucerna corporis tui oculus tuus est. Si ergo oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, tenebræ quantæ? » Qui locus sic intelligendus est, ut noverimus omnia opera nostra tunc esse munda et placere in conspectu Dei, si fiant simplici corde, id est, intentione superna fine illo charitatis; quia et plenitudo legis charitas (*Rom.* XIII, 10). Oculum ergo hic accipere debemus ipsam intentionem qua facimus quidquid facimus : quæ si munda fuerit et recta, et illud aspiciens quod aspiciendum est; omnia opera nostra, quæ secundum eam operamur, necesse est bona sint. Quæ omnia opera totum corpus appellavit; quia et Apostolus membra nostra dicit quædam opera, quæ improbat, et mortificanda præcipit dicens, *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, avaritiam* (*Coloss.* III, 5), et cætera talia.

46. Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat, considerandum est. Hoc est enim lumen in nobis, quia hoc nobis manifestum est bono animo nos facere quod facimus : omne enim quod manifestatur, lumen est (*Ephes.* V, 13). Nam ipsa facta quæ ad hominum societatem a nobis procedunt, incertum habent exitum; et ideo tenebras eas vocavit. Non enim novi, cum pecuniam porrigo indigenti et petenti, quid inde aut facturus sit, aut passurus; et fieri potest ut vel faciat ex ea, vel propter eam patiatur aliquid mali, quod ego cum darem, non evenire voluerim, neque hoc animo dederim. Itaque si bono animo feci, quod mihi cum facerem, notum erat, et ideo lumen vocatur; illuminatur etiam factum meum, qualemcumque exitum habuerit : qui exitus quoniam incertus et ignotus est, tenebræ appellatæ sunt. Si autem malo animo feci, etiam ipsum lumen tenebræ sunt. Lumen enim dicitur, quia novit quisque quo animo faciat, etiam cum malo animo facit : sed ipsum lumen tenebræ sunt, quia non in superna dirigitur simplex intentio, sed ad inferiora declinatur, et duplici corde quasi umbram facit. *Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, tenebræ quantæ?* hoc est, Si ipsa cordis intentio, qua facis quod facis, quæ tibi nota est, sordidatur appetitu rerum terrenarum et temporalium, atque cæcatur; quanto magis ipsum factum, cujus incertus est exitus, sordidum et tenebrosum est? quia etsi bene alicui proveniat, quod tu non recta et munda intentione facis; quomodo tu feceris, tibi imputatur, non quomodo illi provenerit.

CAPUT XIV. — 47. Quod autem sequitur, et dicit, *Nemo potest duobus dominis servire*, ad hanc ipsam intentionem referendum est, quod consequenter exponit, dicens : *Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut alterum patietur, et alterum contemnet.* Quæ verba diligenter consideranda sunt : nam qui sint duo domini, deinceps ostendit, cum dicit, *Non potestis Deo servire et mammonæ.* Mammona apud Hebræos divitiæ appellari dicuntur. Congruit et punicum nomen : nam lucrum, punice mammon dicitur. Sed qui servit mammonæ, illi utique servit, qui rebus istis terrenis merito suæ perversitatis præpositus, magistratus hujus sæculi a Domino dicitur (*Joan.* XII, 31, *et* XIV, 30). *Aut* ergo hunc *odio habebit* homo, *et alterum diliget*, id est, Deum; *aut alterum patietur, et alterum contemnet.* Patitur enim durum et perniciosum dominum, quisquis servit mammonæ; sua enim cupiditate implicatus, subditur diabolo : et non eum diligit; quis enim est qui diligat diabolum? sed tamen patitur : sicut in majore aliqua domo, qui ancillæ alienæ conjunctus est, propter cupiditatem suam duram patitur servitutem, etiam si non diligat eum, cujus ancillam diligit.

48. *Alterum autem contemnet*, dixit; non, odio habebit. Nullius enim fere conscientia Deum odisse potest (*a*) : contemnit autem, id est non timet eum, quasi de ejus bonitate securus est. Ab hac negligentia et perniciosa securitate revocat Spiritus sanctus, cum per Prophetam dicit, *Fili, ne adjicias peccatum super peccatum, et dicas, Miseratio Dei magna est* (*Eccli.* V, 5, 6); et, *Ignoras quia patientia Dei ad pœnitentiam te invitat* (*Rom.* II, 4)? Cujus enim tanta misericordia commemorari potest, quam ejus qui omnia donat peccata conversis, et oleastrum facit participem pinguedinis olivæ? et cujus tanta severitas, quam ejus qui naturalibus ramis non pepercit, sed propter infidelitatem fregit illos (*Id.* XI, 17-24)? Sed quisquis vult diligere Deum, et cavere ne offendat, non se arbitretur duobus dominis posse servire, et intentionem cordis sui rectam ab omni duplicitate explicet : ita enim sentiet de Domino in bonitate, et in simplicitate

pturæ, quæ a nobis passim hoc in opere magna religione restituuntur ex Mss.

(*a*) I Retract. cap. 19, n. 8.

cordis quæret illum (*Sap.* I, 1).

CAPUT XV. — 49. *Ideo*, inquit, *dico vobis, non habere sollicitudinem animæ vestræ quid edatis, neque corpori vestro quid induatis.* Ne forte, quamvis jam superflua non quærantur, propter ipsa necessaria cor duplicetur, et ad ipsa conquirenda nostra detorqueatur intentio, cum aliquid quasi misericorditer operamur; id est, ut cum consulere alicui videri volumus, nostrum emolumentum ibi potius, quam illius utilitatem attendamus : et ideo nobis non videamur peccare, quia non superflua, sed necessaria sunt quæ consequi volumus. Dominus autem admonet ut meminerimus multo amplius nobis Deum dedisse, quod nos fecit et composuit ex anima et corpore, quam est alimentum atque tegumentum, quorum cura nos duplicare cor non vult. *Nonne*, inquit, *anima plus est quam esca ?* Ut tu intelligas eum qui dedit animam, multo facilius escam esse daturum. *Et corpus quam vestimentum*, id est, plus est : ut similiter intelligas, eum qui corpus dedit, multo facilius daturum esse vestimentum.

50. Quo loco quæri solet utrum ad animam cibus iste pertineat, cum anima incorporea sit, iste autem cibus corporeus. Sed animam hoc loco pro ista vita positam noverimus, cujus retinaculum est alimentum istud corporeum. Secundum hanc significationem dictum est etiam illud : *Qui amat animam suam, perdet illam* (*Joan.* XII, 25). Quod nisi de hac vita acceperimus, quam oportet pro regno Dei perdere, quod potuisse Martyres claruit, contrarium hoc præceptum erit illi sententiæ qua dictum est : « Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat » (*Matth.* XVI, 26) ?

51. « Respicite, inquit, volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea ; et Pater vester cœlestis pascit illa : nonne vos pluris estis illis ? » id est, carius vos valetis. Quia utique rationale animal, sicuti est homo, sublimius ordinatum est in rerum natura, quam irrationabilia, sicut sunt aves. « Quis autem, vestrum curans, inquit, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ? Et de vestimento quid solliciti estis ? id est, cujus potestate atque dominatu factum est ut ad hanc staturam corpus vestrum perduceretur, ejus providentia etiam vestiri potest ; non autem vestra cura factum esse ut ad hanc staturam veniret corpus vestrum, ex hoc intelligi potest, quod si curetis, et velitis adjicere unum cubitum huic staturæ, non potestis : illi ergo etiam tegendi corporis curam relinquite, cujus videtis cura factum esse ut tantæ staturæ corpus habeatis.

52. Dandum autem erat etiam documentum propter vestimentum, sicut datum est propter alimentum. Itaque sequitur, et dicit : « Considerate lilia agri quomodo crescunt ; non laborant neque nent : dico autem vobis quia nec Salomon in omni gloria sua sic vestitus est ut unum ex his. Si autem fenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis ergo vos, modicæ fidei ? » Sed ista documenta non sicut allegoriæ discutienda sunt, ut quæramus quid significent aves cœli, aut lilia agri ; posita sunt enim, ut de rebus minoribus majora persuaderentur : sicuti illud est de judice qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur, et tamen sæpe interpellanti viduæ cessit, ut ejus causam consideraret ; non propter pietatem aut humanitatem, sed ne tædium pateretur. Non enim ullo modo ille injustus judex personam Dei allegorice sustinet : sed tamen quantum Deus, qui bonus est et justus, curet deprecantes se, hinc conjici Dominus voluit, quod nec injustus homo eos qui illum assiduis precibus tundunt, vel propter tædium devitandum, potest contemnere (*Luc.* XVIII, 2-8).

CAPUT XVI. — 53. « Nolite ergo, inquit, solliciti esse, dicentes, Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur: hæc enim omnia Gentes quærunt. Scit enim Pater vester quia horum omnium indigetis. Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis. » Hic manifestissime ostendit non hæc esse appetenda, tanquam talia bona nostra, ut propter ipsa debeamus bene facere, si quid facimus, sed tamen esse necessaria. Quid enim intersit inter bonum quod appetendum est, et necessarium quod sumendum est, hac sententia declaravit, cum ait, « Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis. » Regnum ergo et justitia Dei bonum nostrum est, et hoc appetendum, et ibi finis constituendus, propter quod omnia faciamus quæcumque facimus. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non potest ; « Apponentur vobis hæc, » inquit, « sed vos regnum Dei et justitiam ejus primum quærite. » Cum enim dixit illud « primum, » significavit quia hoc posterius quærendum est, non tempore, sed dignitate : illud tanquam bonum nostrum, hoc tanquam necessarium nostrum; necessarium autem propter illud bonum.

54. Neque enim, verbi gratia, ideo debemus evangelizare, ut manducemus ; sed ideo manducare, ut evangelizemus : nam si propterea evangelizamus, ut manducemus, vilius habemus Evangelium quam cibum ; et erit jam bonum nostrum in manducando, necessarium autem in evangelizando. Quod etiam Apostolus prohibet, cum dicit licere sibi quidem, et permissum esse a Domino, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, id est, de Evangelio habeant ea quæ huic vitæ sunt necessaria ; sed tamen se non esse abusum hac potestate. Erant enim multi qui occasionem habere cupiebant acquirendi et vendendi Evangelium, quibus eam volens amputare Apostolus, manibus suis victum suum toleravit (*Act.* XX, 34). De his enim alio loco dicit, « Ut amputem occasionem, iis qui quærunt occasionem » (II *Cor.* XI, 12). Quanquam etiam si, ut cæteri boni apostoli, permissu Domini de Evangelio viveret, non ideo in eo victu constitueret finem evangelizandi, sed magis ipsius victus sui finem in Evangelio collocaret : id est, ut superius dixi, non ideo evangelizaret, ut perveniret ad cibum, et si qua sunt alia necessaria ; sed ideo ista sumeret, ut illud impleret, ne non volens, sed necessitate evangelizaret. Hoc enim improbat, cum dicit:

« Nescitis quoniam qui in templo operantur, quæ de templo sunt edunt; et qui altario deserviunt, altario compartiuntur : sic et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere : ego autem nullius horum usus sum. » Hinc ostendit permissum esse, non jussum; alioquin contra præceptum Domini fecisse tenebitur. Deinde sequitur, et dicit : « Non autem scripsi hæc, ut ita fiant in me. Bonum est mihi magis mori, quam gloriam meam quisquam inanem faciat. » Hoc dixit, quia jam statuerat, propter quosdam occasionem quærentes, manibus suis victum transigere. *Si enim evangelizavero*, inquit, *non est mihi gloria :* id est, si evangelizavero, ut ista fiant in me, id est, si propterea evangelizavero, ut ad illa perveniam, et finem Evangelii in cibo et potu et vestitu collocavero. Sed quare non est ei gloria? *Necessitas enim*, inquit, *mihi incumbit;* id est, ut ideo evangelizem, quia unde vivam non habeo, aut ut acquiram temporalem fructum de prædicatione æternorum : sic enim jam necessitas erit in Evangelio, non voluntas. *Væ enim mihi est*, inquit, *si non evangelizavero.* Sed quomodo debet evangelizare? Scilicet ut in ipso Evangelio et in regno Dei ponat mercedem : ita enim potest non coactus evangelizare, sed volens. *Si enim volens*, inquit, *hoc facio, mercedem habeo; si autem invitus, dispensatio mihi credita est* (I *Cor.* IX, 13-17) : id est, si coactus inopia earum rerum, quæ temporali vitæ sunt necessariæ, prædico Evangelium, alii per me habebunt mercedem Evangelii, qui Evangelium ipsum me prædicante diligent; ego autem non habebo, quia non ipsum Evangelium diligo, sed ejus pretium in illis temporalibus constitutum. Quod nefas est fieri, ut non tanquam filius ministret quisque Evangelium, sed tanquam servus cui dispensatio credita est; ut tanquam alienum eroget, nihil inde ipse accipiat præter cibaria, quæ non de participatione regni, sed ad sustentaculum miseræ servitutis dantur extrinsecus. Quanquam alio loco et dispensatorem se dicat. Potest enim et servus in filiorum numerum adoptatus, eam rem in qua cohæredis sortem meruit, fideliter dispensare participibus suis. Sed nunc ubi ait, *Si autem invitus, dispensatio mihi credita est;* talem dispensatorem intelligi voluit, qui alienum dispensat, unde ipse nihil accipiat.

55. Ergo quæcumque res propter aliud aliquid quæritur, sine dubio inferior est, quam id propter quod quæritur : et ideo illud primum est propter quod istam rem quæris, non ista res quam propter illud quæris. Quapropter si Evangelium et regnum Dei propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, et posterius regnum Dei; ita ut si non desit cibus, non quæramus regnum Dei : hoc est primum quærere cibum, et deinde regnum Dei, id est, hoc priore loco ponere, illud posteriore. Si autem ideo quæramus cibum, ut habeamus regnum Dei, facimus quod dictum est, *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis.*

CAPUT XVII. — 56. Quærentibus enim primum regnum et justitiam Dei, id est, hoc præponentibus cæteris rebus, ut propter hoc cætera quæramus, non debet subesse sollicitudo ne illa desint quæ huic vitæ propter regnum Dei sunt necessaria. Dixit enim superius, *Scit Pater vester quod horum omnium indigetis.* Et ideo cum dixisset, *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus*, non dixit, Deinde ista quærite; quamvis sint necessaria : sed ait, *hæc omnia apponentur vobis*, id est consequentur, si illa quæratis, sine ullo vestro impedimento : ne cum ista quæritis, illinc avertamini; aut ne duos fines constituatis, ut et regnum Dei propter se appetatis, et ista necessaria; sed hæc potius propter illud : ita vobis non deerunt. Quia duobus dominis servire non potestis. Duobus autem dominis servire conatur, qui et regnum Dei pro magno bono appetit, et hæc temporalia. Non poterit autem simplicem habere oculum, et uni Domino Deo servire, nisi quæcumque sunt cætera, si sunt necessaria, propter hoc unum assumat, id est propter regnum Dei. Sicut autem omnes militantes accipiunt annonam et stipendium, sic omnes evangelizantes accipiunt victum et tegumentum. Sed non omnes propter salutem reipublicæ militant, sed propter illa quæ accipiunt : sic et non omnes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc temporalia, quæ tanquam annonam et stipendia consequantur; aut et propter hoc, et propter illud. Sed supra jam dictum est, *Non potestis duobus dominis servire.* Ergo simplici corde tantummodo propter regnum Dei debemus operari bonum ad omnes; non autem in hac operatione, vel solam, vel cum regno Dei mercedem temporalium cogitare : quorum omnium temporalium nomine crastinum posuit, dicens, *Nolite cogitare de crastino* [1]. Non enim dicitur crastinus dies, nisi in tempore, ubi præterito succedit futurum. Ergo cum aliquid boni operamur, non temporalia, sed æterna cogitemus : tunc erit illud bonum et perfectum opus. *Crastinus enim dies*, inquit, *sollicitus erit sibi ipsi :* id est ut cum oportuerit sumas cibum vel potum, vel indumentum, cum ipsa scilicet necessitas urgere cœperit. Aderunt enim hæc, quia novit Pater noster quod horum omnium indigeamus. *Sufficit enim*, inquit, *diei malitia sua :* id est, sufficit quod ista sumere urgebit ipsa necessitas. Quam propterea malitiam nominatam arbitror, quia pœnalis est nobis : pertinet enim ad hanc fragilitatem et mortalitatem, quam peccando meruimus (*a*). Huic ergo pœnæ temporalis necessitatis noli addere aliquid gravius, ut non solum patiaris harum rerum indigentiam, sed etiam propter hanc explendam milites Deo.

57. Hoc autem loco vehementer cavendum est, ne forte cum viderimus aliquem servum Dei providere ne ista necessaria desint, vel sibi, vel eis quorum sibi cura commissa est, judicemus eum contra præceptum Domini facere, et de crastino esse sollicitum. Nam et ipse Dominus, cui ministrabant Angeli (*Matth.* IV, 11), tamen propter exemplum, ne quis postea scandalum pateretur, cum aliquem servorum ejus animadvertisset ista necessaria procurare, loculos

[1] In Mss. prope omnibus, *Nolite solliciti esse de crastino.*
(*a*) I Retract. cap. 19, n. 9.

habere dignatus est cum pecunia [1], unde usibus necessariis quidquid opus fuisset præberetur : quorum loculorum custos et fur, sicut scriptum est, Judas fuit, qui eum tradidit (*Joan.* xii, 6). Sicut et apostolus Paulus potest videri de crastino cogitasse, cum dixit : « De collectis autem in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite : secundum unam sabbati unusquisque vestrum apud se ponat thesaurizans, quod ei placuerit, ut non cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem advenero, quoscumque probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem : quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum ibunt. Veniam autem ad vos, cum Macedoniam transiero; nam Macedoniam pertransibo : apud vos autem forsitan remanebo, vel etiam hiemabo, ut vos me deducatis quocumque iero. Nolo enim vos nunc in transitu videre : spero enim me aliquod temporis manere apud vos, si permiserit Dominus. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten » (I *Cor.* xvi, 1-8). Item in Actibus Apostolorum scriptum est, ea quæ ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter imminentem famem. Sic enim legimus : « In illis autem diebus descenderunt ab Jerosolymis prophetæ Antiochiam, eratque magna exsultatio. Congregatis autem nobis, surgens unus ex illis nomine Agabus, significabat per Spiritum, famem magnam futuram in universo mundo, quæ et facta est sub Claudio Cæsare. Discentium [2] autem ut quisque abundabat, statuerunt unusquisque eorum in ministerium mittere presbyteris habitantibus in Judæa fratribus, qui et miserunt per manum Barnabæ et Sauli » (*Act.* xi, 27-30). Et quod naviganti eidem apostolo Paulo imposita sunt utensilia, quæ offerebantur (*Id.* xxviii, 10), non ad unum tantum diem videtur victus esse procuratus. Et quod idem scribit, *Qui furabatur, jam non furetur; magis autem laboret operans manibus suis bonum, ut habeat unde tribuere cui opus est* [3] (*Ephes.* iv, 28) : male intelligentibus non videtur servare præceptum Domini, quod ait, *Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea;* et, *Considerate lilia agri quomodo crescunt; non laborant neque nent;* cum istis præcipit ut laborent, operantes manibus suis, ita ut habeant quod etiam aliis possint tribuere. Et quod sæpe de seipso dicit, quod manibus suis operatus sit, ne quem gravaret (I *Thess.* ii, 9, et II *Thess.* iii, 8); et de illo scriptum est quod conjunxerit se Aquilæ propter artis similitudinem, ut simul operarentur unde victum transigerent (*Act.* xviii, 2, 3) : non videtur imitatus aves cœli et lilia agri. His et hujusmodi Scripturarum locis, satis apparet Dominum nostrum non hoc improbare, si quis humano more ista procuret; sed si quis propter ista Deo militet, ut in operibus suis non regnum Dei, sed istorum acquisitionem intueatur.

58. Ad hanc ergo regulam hoc totum præceptum redigitur, ut etiam in istorum provisione regnum Dei cogitemus, in militia vero regni Dei ista non cogitemus. Ita enim etiamsi aliquando defuerint, quod plerumque propter exercitationem nostram Deus sinit, non solum non debilitant propositum nostrum, sed etiam examinatum probatumque confirmant. « Gloriamur enim, inquit, in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem, spes vero non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis » (*Rom.* v, 3-5). In commemoratione autem tribulationum ac laborum suorum idem apostolus non tantum in carceribus et naufragiis, atque hujusmodi multis molestiis, sed etiam in fame et siti, in frigore et nuditate se laborasse commemorat (II *Cor.* xi, 23-27). Quod cum legimus, non æstimemus Domini promissa titubasse, ut famem ac sitim et nuditatem pateretur Apostolus, quærens regnum et justitiam Dei, cum dictum sit nobis, *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis :* quandoquidem ista sicut adjutoria novit ille medicus, cui semel nos totos commisimus, et a quo habemus promissionem vitæ præsentis et futuræ, quando apponat, quando detrahat, sicut nobis judicat expedire; quos et consolandos et exercendos in hac vita, et post hanc vitam in perpetua requie stabiliendos atque firmandos gubernat, ac dirigit. Non enim et homo, cum plerumque jumento suo cibaria detrahit, deserit illud cura sua, ac non potius curando hæc facit.

CAPUT XVIII. — 59. Et quoniam cum ista vel procurantur in futurum, vel si causa non est quare illa impendas, reservantur, incertum est quo animo fiat, cum possit simplici corde fieri, possit et duplici, opportune hoc loco subjecit : *Nolite judicare, ne judicetur de vobis : in quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri : sicut sunt stupra, vel blasphemiæ, vel furta, vel ebriositates, et si qua sunt talia, de quibus nobis judicare permittitur, dicente Apostolo, *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare? Nonne de iis qui intus sunt vos judicatis* (I *Cor.* v, 12)? De genere autem ciborum, quia possunt bono animo et simplici corde sine vitio concupiscentiæ quicumque humani cibi indifferenter sumi, prohibet idem apostolus judicari eos qui carnibus vescebantur et vinum bibebant, ab eis qui se ab hujusmodi alimentis temperabant : *Qui manducat*, inquit, *non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet.* Ibi etiam ait : *Tu quis es, qui judices alienum servum? domino suo stat, aut cadit* (*Rom.* xiv, 3, 4). De talibus enim rebus quæ possunt bono et simplici et magno animo fieri, quamvis possint etiam non bono, volebant illi cum homines essent, in occulta cordis ferre senten-

[1] Mss. octo, *quibus portabatur pecunia.*

[2] Am. Er. et Lov., *Descendentium.* Verius Mar. et Mss., *Discentium.*

[3] Sic Mss. juxta græcum textum Apostoli. At Am. Er. et Lov., *unde tribuat cui opus est quod bonum est.*

tiam, de quibus solus Deus judicat.

60. Ad hoc pertinet etiam illud quod alio loco dicit : *Nolite ante tempus quidquam judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis : et tunc laus erit unicuique a Deo* (I *Cor.* IV, 5). Sunt ergo quædam facta media, quæ ignoramus quo animo fiant, quia et bono et malo fieri possunt, de quibus temerarium est judicare, maxime ut condemnemus. Horum autem veniet tempus ut judicentur, cum *Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis.* Item alio loco dicit idem apostolus : *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium ; quædam autem et subsequuntur.* Manifesta ea dicit, de quibus clarum est quo animo fiant : hæc præcedunt ad judicium ; id est, quia si fuerit ista subsecutum judicium, non est temerarium. Subsequuntur autem illa quæ occulta sunt; quia nec ipsa latebunt tempore suo. Sic et de bonis factis intelligendum est. Nam ita subjungit : *Similiter et facta bona manifesta sunt ; et quæcumque aliter se habent, abscondi non possunt* (I *Tim.* V, 24, 25). De manifestis ergo judicemus ; de occultis vero Deo judicium relinquamus : quia et ipsa abscondi non possunt, sive mala sive bona, cum tempus advenerit quo manifestentur.

61. Duo sunt autem in quibus temerarium judicium cavere debemus ; cum incertum est quo animo quidque factum sit, vel cum incertum est qualis futurus sit qui nunc vel bonus vel malus apparet. Si ergo quispiam, verbi gratia, conquestus de stomacho jejunare noluit, et tu id non credens edacitatis id vitio tribueris, temere judicabis. Item si manifestam edacitatem ebriositatemque cognoveris, et ita reprehenderis quasi nunquam ille possit corrigi atque mutari, nihilominus temere judicabis. Non ergo reprehendamus ea quæ nescimus quo animo fiant ; neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem ; et vitabimus judicium de quo nunc dicitur, *Nolite judicare, ne judicetur de vobis.*

62. Potest autem movere quod ait, *In quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis ; et in qua mensura mensi fueritis, in ea remetietur vobis.* Numquid enim si nos judicio temerario judicaverimus, temere etiam de nobis Deus judicabit ? aut numquid si in mensura iniqua mensi fuerimus, et apud Deum iniqua mensura est unde nobis remetietur ? nam et mensuræ nomine ipsum judicium significatum arbitror. Nullo modo Deus vel temere judicat, vel iniqua mensura cuiquam rependit : sed hoc dictum est, quoniam temeritas qua punis alium, eadem ipsa te puniat necesse est. Nisi forte arbitrandum est quod iniquitas ei noceat aliquid in quem procedit, ei autem nihil a quo procedit : imo vero sæpe nihil nocet ei, qui patitur injuriam, ei autem qui facit necesse est ut noceat. Quid enim nocuit martyribus iniquitas persequentium? ipsis autem persecutoribus plurimum. Quia etsi aliqui eorum correcti sunt, eo tamen tempore quo persequebantur, excæcabat illos malitia eorum. Sic et temerarium judicium plerumque nihil nocet ei de quo temere judicatur ; ei autem qui temere judicat, ipsa temeritas necesse est ut noceat. Ista regula etiam illud dictum arbitror : *Omnis qui percusserit gladio, gladio morietur* (*Matth.* XXVI, 52). Quam multi enim gladio percutiunt, nec tamen gladio moriuntur, sicut neque ipse Petrus? Sed ne istum venia peccatorum talem evasisse pœnam quis putet, quanquam nihil absurdius, quam ut majorem putet gladii pœnam esse potuisse, quæ Petro non accidit, quam crucis quæ accidit : quid tamen de latronibus dicturus est, qui cum Domino crucifixi sunt ; quia et ille qui meruit veniam, posteaquam crucifixus est meruit (*Luc.* XXIII, 33-43), et alter omnino non meruit? An forte omnes quos occiderant, crucifixerant ; et propterea hoc etiam ipsi pati meruerunt? Ridiculum est hoc putare. Quid ergo aliud dictum est, *Omnis enim qui gladio percusserit, gladio morietur*, nisi quia ipso peccato anima moritur, quodcumque commiserit?

CAPUT XIX. — 63. Et quoniam de temerario et iniquo judicio nos hoc loco Dominus monet : vult enim ut simplici corde et in unum Deum intento faciamus quæcumque facimus ; et multa incertum est quo corde fiant, de quibus judicare temerarium est ; maxime autem hi temere judicant de incertis, et facile reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare atque corrigere ; quod vitium vel superbiæ est, vel invidentiæ : consequenter subjecit, et dicit, *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides?* Ut si forte, verbi gratia, ira ille peccavit, tu odio reprehendas : quantum autem inter festucam et trabem, quasi tantum inter iram distat et odium. Odium enim est ira inveterata, quasi quæ vetustate ipsa tantum robur acceperit, ut merito appelletur trabes. Fieri autem potest ut si irascaris homini, velis eum corrigi ; si autem oderis hominem, non potes eum velle corrigere.

64. *Quomodo enim dicis fratri tuo, Sine ejiciam festucam de oculo tuo, et ecce trabes est in oculo tuo? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui :* id est, primum abs te expelle odium, et deinde poteris jam eum quem diligis, emendare. Et bene ait, *Hypocrita.* Accusare enim vitia, officium est bonorum virorum et benevolorum : quod cum mali faciunt, alienas partes agunt ; sicut hypocritæ, qui tegunt sub persona quod sunt, et ostentant in persona quod non sunt. Hypocritarum ergo nomine simulatores acceperis. Et est vere multum cavendum et molestum simulatorum genus, qui cum omnium vitiorum accusationes odio et livore suscipiant, etiam consultores videri se volunt. Et ideo pie cauteque vigilandum est, ut, cum aliquem reprehendere vel objurgare nos necessitas coegerit, primum cogitemus utrum tale sit vitium, quod nunquam habuimus, vel quo jam caruimus : et si nunquam habuimus, cogitemus nos homines esse, et habere potuisse ; si vero habuimus, et non habemus, tangat memoriam communis infirmitas, ut illam reprehensionem aut objurgationem non odium, sed mi-

sericordia præcedat : ut sive ad correctionem ejus, propter quem id facimus, sive ad perversionem valuerit (nam incertus est exitus), nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos invenerimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque objurgemus : sed tamen congemiscamus; et non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter conandum [1] invitemus.

65. Nam et illud quod dicit Apostolus, « Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrifacerem; his qui sub Lege sunt, quasi sub Lege, cum non sim ipse sub Lege, ut eos qui sub Lege erant lucrifacerem; his qui sine Lege sunt, quasi sine Lege, cum sine lege Dei non sim, sed sim in lege Christi, ut lucrifacerem eos qui sine Lege sunt. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem : omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem : » non utique simulatione faciebat, quemadmodum quidam intelligi volunt, ut eorum detestanda simulatio tanti exempli auctoritate muniatur; sed hoc faciebat charitate; qua ejus infirmitatem, cui volebat subvenire, tanquam suam cogitabat. Hoc enim et præstruit dicendo : *Cum enim liber sim ex omnibus, me omnium servum feci, ut plures lucrifacerem* (I *Cor.* IX, 19-22). Quod ut intelligas non simulatione, sed charitate fieri, qua infirmis hominibus tanquam nos simus compatimur, ita monet alio loco, dicens : *Vos in libertatem vocati estis, fratres; tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem servite invicem* (*Galat.* V, 13). Quod fieri non potest, nisi alterius infirmitatem quisque habeat quasi suam, ut eam æquanimiter ferat, donec ab ea liberetur ille cujus curat salutem.

66. Raro ergo et in magna necessitate objurgationes adhibendæ sunt, ita tamen ut etiam in his ipsis non nobis, sed Deo ut serviatur instemus. Ipse est enim finis : ut nihil duplici corde faciamus, auferentes trabem de oculo nostro, invidentiæ, vel malitiæ, vel simulationis, ut videamus ejicere festucam de oculo fratris. Videbimus enim eam oculis columbæ, quales in sponsa Christi prædicantur (*Cant.* IV, 1), quam sibi elegit Deus gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam (*Ephes.* V, 27), id est mundam et simplicem (*a*).

CAPUT XX. — 67. Sed quoniam potest nonnullos Dei præceptis obtemperare cupientes nomen simplicitatis decipere, ut sic putent vitiosum esse aliquando verum occultare, quomodo vitiosum est aliquando falsum dicere, atque hoc modo aperiendo ea quæ hi quibus aperiuntur sustinere non possunt, amplius noceant quam si ea penitus semperque occultarent, rectissime subjungit : *Nolite sanctum dare canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos.* Quia et Dominus quamvis nihil mentitus sit, vera tamen aliqua occultare se ostendit, dicens : *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed adhuc non potestis illa portare* (*Joan.* XVI, 12). Et apostolus Paulus : *Non potui*, inquit, *vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; neque enim poteratis : sed neque nunc potestis; adhuc enim estis carnales* (I *Cor.* III, 1, 2).

68. In hoc autem præcepto quo prohibemur sanctum dare canibus, et mittere ante porcos margaritas nostras, diligenter quærendum est quid sit sanctum, quid margaritæ, quid canes, quid porci. Sanctum est, quod violare atque corrumpere nefas est : cujus utique sceleris conatus et voluntas tenetur rea, quamvis illud sanctum natura inviolabile atque incorruptibile maneat. Margaritæ autem, quæcumque spiritualia magni æstimanda sunt; et quia in abdito latent, tanquam de profundo eruuntur, et allegoriarum integumentis quasi apertis conchis inveniuntur. Licet itaque intelligi quod una eademque res et sanctum et margarita dici potest : sed sanctum ex eo quod non debet corrumpi, margarita ex eo quod non debet contemni. Conatur autem quisque corrumpere quod non vult esse integrum : contemnit vero quod vile ducit, et quasi infra se esse existimat; et ideo calcari dicitur quidquid contemnitur. Quapropter canes quoniam insiliunt ad dilacerandum, quod autem dilacerant integrum esse non sinunt; *Nolite*, inquit, *sanctum dare canibus* : quia etsi dilacerari et corrumpi non potest, et manet integrum atque inviolabile; illi tamen quid velint cogitandum est, qui acriter atque inimicissime resistunt, et quantum in ipsis est, si fieri possit, conantur perimere veritatem. Porci vero quamvis non ita ut canes morsu appetant, passim tamen calcando coinquinant : « Non *ergo* miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi disrumpant vos. » Canes ergo pro oppugnatoribus veritatis, porcos pro contemptoribus positos non incongrue accipimus.

69. Quod autem ait, *Conversi disrumpant vos*, non ait, ipsas margaritas disrumpant. Illas enim conculcando, etiam cum convertuntur ut adhuc aliquid audiant, disrumpunt tamen eum a quo jam missas margaritas conculcaverunt. Non enim facile inveneris quid gratum ei esse possit, qui margaritas calcaverit, id est, cum magno labore divina inventa contempserit. Qui autem tales docet quomodo non disrumpatur indignando et stomachando, non video. Utrumque autem animal immundum est, et canis et porcus. Cavendum est ergo ne quid aperiatur ei qui non capit : melius enim quærit quod clausum est, quam id quod apertum est aut infestat aut negligit. Neque vero alia causa reperitur cur ea quæ manifesta et magna sunt, non accipiant [1] præter odium et contemptum, quorum propter unum canes, propter alterum porci nominati sunt. Quæ tamen omnis immunditia rerum temporalium dilectione concipitur, id est, dilectione hujus sæculi, cui jubemur renuntiare ut mundi esse possimus. Qui ergo mundum et simplex cor habere appetit, non debet sibi reus videri, si aliquid occultat;

[1] Ita Mss. At editi excepto Mar., *cavendum*.
(*a*) I Retract. cap. 19, n. 9.

[1] Editi, *accipiantur*. At Mss., *accipiant* : subauditur, *illi*.

quod ille qui occultat, capere non potest. Nec ex eo arbitrandum est licere mentiri : non enim est consequens ut cum verum occultatur, falsum dicatur. Agendum ergo primum est ut impedimenta detrahantur, quibus efficitur ut non capiat; quia utique si propter sordes non capit, mundandus est vel verbo vel opere, quantum fieri a nobis potest.

70. Quod autem Dominus noster quædam dixisse invenitur, quæ multi qui aderant, vel resistendo vel contemnendo non acceperunt; non putandus est sanctum dedisse canibus, aut margaritas misisse ante porcos : non enim dedit eis qui capere non poterant, sed eis qui poterant, et simul aderant; quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat. Et cum eum tentatores interrogabant, respondebatque illis, ita ut quid contradicerent non haberent, quamvis venenis suis contabescerent potius, quam illius cibo saturarentur; alii tamen qui poterant capere, ex illorum occasione multa utiliter audiebant. Hoc dixi, ne quis forte, cum interroganti respondere non potuerit, hac sententia sibi excusatus videatur, si dicat nolle se sanctum dare canibus, vel ante porcos mittere margaritas. Qui enim novit quid respondeat, debet respondere, vel propter alios, quibus desperatio suboritur, si propositam quæstionem solvi non posse crediderint : et hoc de rebus utilibus, et ad instructionem salutis pertinentibus. Multa sunt enim quæ inquiri ab otiosis possunt, supervacua et inania, et plerumque noxia, de quibus tamen nonnihil dicendum est : sed hoc ipsum aperiendum et explicandum, cur inquiri talia non oporteat. De rebus ergo utilibus aliquando ad id respondendum est quod interrogamur : sicut Dominus fecit, cum eum Sadducæi de muliere interrogassent, quæ septem viros habuit, cujus eorum in resurrectione futura esset. Respondit enim quod in resurrectione neque uxores ducent, neque nubent, sed erunt sicut Angeli in cœlis. Aliquando autem ille qui interrogat, interrogandus est aliud, quod tamen si dixerit, ipse sibi ad id quod interrogavit, respondeat : si autem dicere noluerit, non videatur iis qui adsunt injustum, si et ipse quod interrogavit, non audiat. Nam et illi qui interrogaverunt tentantes, utrum reddendum esset tributum, interrogati sunt aliud, id est, cujus haberet nummus imaginem, qui ab ipsis prolatus est; et quia dixerunt quod interrogati erant, id est, Cæsaris imaginem habere nummum, ipsi sibi quodammodo responderunt id quod Dominum interrogaverant : itaque ille ex eorum responsione ita conclusit, *Reddite ergo Cæsari quod Cæsaris est, et Deo quod Dei est* (*Matth.* XXII, 15-34). Cum autem principes sacerdotum et seniores populi interrogassent in qua potestate illa faceret, interrogavit eos de baptismate Joannis; et cum nollent dicere, quod contra se videbant dici, de Joanne autem nihil mali dicere auderent propter circumstantes; *Nec ego vobis dicam,* inquit, *in qua potestate hæc facio* (*Id.* XXI, 23-27) : quod justissimum apparuit circumstantibus. Hoc enim se dixerunt nescire quod non nesciebant, sed dicere nolebant. Et revera justum erat ut qui sibi volebant responderi quod interrogaverant, prius ipsi facerent quod erga se fieri postulabant : quod si fecissent, ipsi sibi utique respondissent. Ipsi enim miserant ad Joannem quærentes quis esset; vel potius ipsi missi erant sacerdotes et levitæ, putantes quod ipse esset Christus, quod ille se negavit esse, et de Domino testimonium perhibuit (*Joan.* I, 19-27) : de quo testimonio si confiteri vellent, ipsi se docerent in qua potestate illa faceret Christus; quod quasi nescientes interrogaverant, ut calumniandi aditum reperirent.

CAPUT XXI. — 71. Cum igitur præceptum esset ne sanctum detur canibus, et margaritæ ante porcos mittantur, potuit auditor occurrere et dicere, conscius ignorantiæ atque infirmitatis suæ, et audiens præcipi sibi ne daret, quod seipsum nondum accepisse sentiebat : potuit ergo occurrere ac dicere, Quod sanctum me dare canibus, et quas margaritas me mittere ante porcos vetas, cum adhuc ea me habere non videam? opportunissime subjecit, dicens, « Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur. » Petitio pertinet ad impetrandam sanitatem firmitatemque animi, ut ea quæ præcipiuntur, implere possimus : inquisitio autem, ad inveniendam veritatem. Cum enim beata vita actione et cognitione compleatur, actio facultatem virium, contemplatio manifestationem rerum desiderat : horum ergo primum petendum, secundum quærendum est; ut illud detur, hoc inveniatur. Sed cognitio in hac vita, viæ prius quam ipsius possessionis [1] est : sed cum quisque veram viam invenerit, perveniet ad ipsam possessionem; quæ tamen pulsanti aperitur.

72. Ut ergo tria ista, id est, petitio, inquisitio, pulsatio, manifesta fiant, sub aliquo exemplo ponamus aliquem infirmis pedibus ambulare non posse : prius ergo sanandus et firmandus est ad ambulandum; et ad hoc pertinet, quod dixit, *Petite.* Quid autem prodest quod ambulare jam, vel etiam currere potest, si per devia itinera erraverit? secundum est ergo, ut inveniat viam quæ ducit eo quo vult pervenire : quam cum tenuerit, et pervenerit ad eum ipsum locum [2] ubi habitare vult, si clausum invenerit; neque ambulare potuisse, neque ambulasse ac pervenisse profuerit, nisi aperiatur : ad hoc ergo pertinet quod dictum est, *Pulsate* (*a*).

73. Magnam autem spem dedit et dat ille qui promittendo non decipit : ait enim, *Omnis qui petit, accipit; et qui quærit, invenit; et pulsanti aperietur.* Ergo perseverantia opus est, ut accipiamus quod petimus, et inveniamus quod quærimus, et quod pulsamus aperiatur. Quemadmodum autem egit de volatilibus cœli et de liliis agri, ne victum nobis vestitumque desperaremus adfuturum, ut spes a minoribus ad

[1] Er. et Lov., *possessio.* Sed melius Mss. et antiquiores editi, *possessionis est.*

[2] Editi et Mss., *tenuerit et peregerit, eum ipsum locum :* excepta sola editione Lov., quæ habet, *et pervenerit ad eum ipsum locum.*

(*a*) I Retract. cap. 19, n. 9.

majora consurgeret; ita et hoc loco, « Aut quis erit, ex vobis, inquit, homo, quem si petierit filius ejus panem, numquid lapidem porriget ei? aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? » Quomodo mali dant bona? Sed malos appellavit dilectores adhuc sæculi hujus et peccatores. Bona vero quæ dant, secundum eorum sensum bona dicenda sunt, quia hæc pro bonis habent. Quanquam et in rerum natura ista bona sint, sed temporalia et ad istam vitam infirmam pertinentia: et quisquis ea malus dat, non de suo dat; Domini est enim terra et plenitudo ejus (*Psal.* XXIII, 1) qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt (*Psal* CXLV, 6). Quantum ergo sperandum est daturum Deum nobis bona petentibus, nec nos posse decipi, ut accipiamus aliud pro alio, cum ab ipso petimus; quando etiam nos, cum simus mali, novimus id dare quod petimur? non enim decipimus filios nostros; et qualiacumque bona damus, non de nostro, sed de ipsius damus.

CAPUT XXII.—74. Firmitas autem et valentia quædam ambulandi per sapientiæ viam, in bonis moribus constituta est, qui perducuntur usque ad mundationem simplicitatemque cordis, de qua jam diu loquens ita concludit: *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines bona, ita et vos facite illis: hæc est enim Lex et Prophetæ* (*Matth.* VII, 12). In exemplaribus græcis sic invenimus, *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis.* Sed ad manifestationem sententiæ puto a latinis additum *bona.* Occurrebat enim quod si quisquam flagitiose aliquid erga se fieri velit, et ad hoc referat istam sententiam, veluti si velit aliquis provocari ut immoderate bibat et se ingurgitet poculis, et hoc prior illi faciat a quo sibi fieri cupit, ridiculum est hunc putare istam implevisse sententiam. Cum ergo hoc moveret, ut arbitror, additum est ad manifestationem rei unum verbum, ut posteaquam dictum est, *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines,* adderetur *bona.* Quod si deest exemplaribus græcis, etiam illa emendanda sunt: sed quis hoc audeat? Intelligendum est ergo plenam esse sententiam et omnino perfectam, etiam si hoc verbum non addatur. Id enim quod dictum est, *quæcumque vultis,* non usitate ac passim, sed proprie dictum accipi oportet. Voluntas namque non est nisi in bonis: nam in malis flagitiosisque factis cupiditas proprie dicitur, non voluntas. Non quia semper proprie loquuntur Scripturæ, sed ubi oportet ita omnino proprium verbum tenent, ut non aliud sinant intelligi.

75. Videtur autem hoc præceptum ad dilectionem proximi pertinere, non etiam ad Dei, cum alio loco duo præcepta esse dicat, in quibus *tota Lex pendet et Prophetæ*[1]. Nam si dixisset, Omnia quæcumque vultis fieri vobis, hæc et vos facite; hac una sententia utrumque illud præceptum complexus esset: cito enim diceretur, diligi se velle unumquemque, et a Deo, et ab hominibus: itaque cum hoc ei præciperetur, ut quod sibi fieri vellet, hoc faceret; id utique præciperetur, ut diligeret Deum et homines. Cum vero expressius de hominibus dictum est, *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita et vos facite illis;* nihil aliud dictum videtur, quam, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Sed non est negligenter attendendum quod hic subjecit, *Hæc est enim Lex et Prophetæ.* In his autem duobus præceptis, non tantum ait, Lex pendet et Prophetæ; sed etiam addidit, *tota Lex et Prophetæ*[1] (*Matth.* XXII, 37-40); pro eo quod est tota prophetia: quod cum hic non addidit, servavit locum alteri præcepto, quod ad dilectionem Dei pertinet. Hic autem quoniam præcepta simplicis cordis exsequitur, et erga eos metuendum est ne habeat quisque duplex cor, quibus occultari cor potest, id est erga homines; idipsum præcipiendum fuit. Nemo enim fere est qui velit quemquam duplici corde secum agere. Id autem fieri non potest, id est, ut simplici corde homo homini aliquid tribuat, nisi ita tribuat, ut nullum ab eo temporale commodum exspectet, et ea intentione faciat, de qua superius satis tractavimus, cum de oculo simplici loqueremur.

76. Mundatus ergo oculus simplexque redditus, aptus et idoneus erit ad intuendam et contemplandam interiorem lucem suam. Iste enim oculus cordis est. Hunc autem oculum talem habet ille qui finem bonorum operum suorum, ut vere bona opera sint, non in eo constituit ut hominibus placeat, sed etiam si provenerit ut eis placeat, ad eorum salutem potius hoc refert et ad gloriam Dei, non ad inanem jactantiam suam; neque propterea boni aliquid ad salutem proximi operatur, ut ex eo comparet ea quæ huic vitæ transigendæ sunt necessaria; neque temere animum hominis voluntatemque condemnat in eo facto in quo non apparet quo animo et voluntate sit factum; et quidquid officiorum exhibet homini, hac intentione exhibet qua sibi exhiberi vult, id est, ut non ab eo aliquid commodi temporalis exspectet: ita erit cor simplex et mundum in quo quæritur Deus. « Beati ergo mundi corde[2]; quoniam ipsi Deum videbunt » (*Id.* V, 8).

CAP. XXIII.—77. Sed hoc quia paucorum est, jam incipit de investiganda et possidenda sapientia loqui, quod est lignum vitæ: cui[3] utique investigandæ ac possidendæ, id est contemplandæ, talis oculus per omnia superiora perductus est, quo videri jam possit arcta via et angusta porta. Quod ergo deinceps dicit, « Introite per angustam portam; quia lata porta[4] et spatiosa via quæ ducit ad perditionem; et multi sunt qui introeunt per eam: quam angusta est porta, et arcta via quæ ducit ad vitam; et pauci sunt qui eam inveniunt! » non ideo dicit, quia jugum Domini asperum est, aut sarcina gravis; sed quia labores finire

[1] In editione Mar. et decem Mss., *et omnes Prophetæ.*

[1] Hoc loco rursum additur, *omnes,* in duobus Vaticanis Mss.

[2] Mss. plures hic et alibi, sed non constanter, *mundicordes.*

[3] Mss., *cujus.* Sic etiam Mar. et Am.

[4] Mar. et Mss., uno tantum excepto, *quam lata porta.*

pauci volunt [1], minus credentes clamanti, « Venite ad me, omnes qui laboratis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quoniam mitis sum et humilis corde: jugum enim meum lene est, et sarcina mea levis est» (*Matth.* XI, 28-30) (hinc autem iste sermo sumpsit exordium, de humilibus et mitibus corde): quod jugum lene et levem sarcinam multi respuunt, pauci subeunt; eoque fit arcta via [2] quæ ducit ad vitam, et angusta porta qua intratur in eam.

CAPUT XXIV.—78. Hic ergo illi qui promittunt sapientiam cognitionemque veritatis quam non habent, præcipue cavendi sunt; sicut sunt hæretici, qui se plerumque paucitate commendant. Et ideo cum dixisset paucos esse qui inveniunt angustam portam et arctam viam, ne se illi supponant nomine paucitatis, statim subjecit: « Cavete a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. » Sed isti non fallunt oculum simplicem, qui arborem dignoscere ex fructibus novit. Ait enim: « A fructibus eorum cognoscetis eos. » Deinde similitudines adjungit: « Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit; mala autem arbor malos fructus facit; non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. »

79. Quo loco illorum error maxime cavendus est, qui de his ipsis duabus arboribus duas naturas opinantur esse, quarum una sit Dei, altera vero neque Dei, neque ex Deo. De quo errore in aliis libris et jam disputatum est uberius, et si adhuc parum est, disputabitur: nunc autem, non eos adjuvare duas istas arbores, docendum est. Primum, quia de hominibus eum dicere tam clarum est, ut quisquis præcedentia et consequentia legerit, miretur eorum cæcitatem. Deinde attendunt quod dictum est, « Non potest arbor bona fructus malos facere; neque arbor mala fructus bonos facere, » et ideo putant neque animam malam fieri posse ut in melius commutetur, neque in deterius bonam; quasi dictum sit, Non potest arbor bona mala fieri, neque arbor mala bona fieri: sed dictum est, « Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere. » Arbor est quippe ipsa anima, id est, ipse homo, fructus vero opera hominis: non ergo potest malus homo bona operari, neque bonus mala. Malus ergo si vult bona operari, bonus primo fiat. Sic alio loco evidentius dicit ipse Dominus: « Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam. » Quod si duas naturas istorum his duabus arboribus figuraret, non diceret, *Facite*: quis enim hominum potest facere naturam? Deinde etiam ibi cum ipsarum duarum arborum mentionem fecisset, subjecit: « Hypocritæ, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali » (*Id.* XII, 33, 34)? Quamdiu ergo quisque malus est, non potest facere fructus bonos: si enim bonos fructus fecerit, jam malus non erit. Sic verissime dici potuit, Non potest esse nix calida: cum enim calida esse cœperit, non jam eam nivem, sed aquam vocamus. Potest ergo fieri ut quæ nix fuit, non sit; non autem potest fieri ut nix calida sit. Sic potest fieri ut qui malus fuit, non sit malus; non tamen fieri potest ut malus bene faciat. Qui etiamsi aliquando utilis est, non hoc ipse facit, sed fit de illo, divina providentia procurante, sicut de Pharisæis dictum est, « Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. » Hoc ipsum quod bona dicebant, et ea quæ dicebant, utiliter audiebantur et fiebant, non erat illorum: *Super cathedram* enim, inquit, *Moysi sedent* (*Id.* XXIII, 3, 2). Per divinam ergo providentiam legem Dei prædicantes, possent esse audientibus utiles, cum sibi non essent. De talibus alio loco per prophetam dictum est, « Seminastis triticum, et spinas metetis [1] (*Jerem.* XII, 13): quia bona præcipiunt, et mala faciunt. Non ergo qui eos audiebant et faciebant quæ ab eis dicebantur, de spinis legebant uvas; sed per spinas de vite legebant uvas: tanquam si manum aliquis per sepem mittat, aut certe de vite, quæ sepi fuerit involuta, uvam legat [2], non spinarum est fructus iste, sed vitis.

80. Rectissime sane quæritur quos fructus nos attendere voluerit, quibus cognoscere arborem possimus. Multi enim quædam in fructibus deputant, quæ ad vestitum ovium pertinent, et hoc modo a lupis decipiuntur: sicuti sunt vel jejunia, vel orationes, vel eleemosynæ; quæ omnia nisi fieri etiam ab hypocritis possent, non superius diceret, *Cavete justitiam vestram facere coram hominibus, ut videamini ab eis*. Qua sententia præposita, ipsa tria exsequitur, eleemosynam, orationem, jejunium. Multi enim multa pauperibus, non misericordia, sed ambitione largiuntur; et multi orant, vel potius videntur orare, non intuentes Deum, sed hominibus placere cupientes; et multi jejunant, et mirabilem abstinentiam prætendunt eis quibus ista difficilia videntur, et honore digna existimantur: et hujuscemodi dolis eos capiunt, dum aliud ostentant ad decipiendum, aliud exserunt ad deprædandum vel interficiendum eos qui sub isto vestitu ovino lupos videre non possunt. Hi ergo non sunt fructus de quibus cognosci arborem monet. Ista enim cum bono animo in veritate fiunt, propriæ sunt ovium vestes; cum autem malo in errore, non aliud quam lupos contegunt. Sed non ideo debent oves odisse vestimentum suum, quia plerumque illo se occultant lupi.

81. Qui sunt ergo fructus quibus inventis cognoscamus arborem malam, dicit Apostolus: « Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, sectæ [3], invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Et qui sunt fructus per quos cognoscamus arborem bonam, idem ipse consequenter dicit: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia* (*Galat.* V, 19-23). Sane sciendum est, hic *gaudium* proprie positum; mali enim homines non gaudere, sed gestire dicuntur proprie: sicut superius diximus voluntatem proprie positam, quam non habent mali, ubi dictum est, *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc et vos facite illis*. Ex ista proprietate verbi, qua gaudium non dicitur nisi in bonis, etiam propheta loquitur, dicens: *Non est gaudere impiis, dicit Dominus* (*Isai.* LVII, 21, *sec.* LXX). Ita quoque posita est *fides*, non quæcumque utique, sed vera fides: et cætera quæ hic posita sunt, habent quasdam imagines suas in malis hominibus et deceptoribus; ut omnino fallant, nisi quisque jam mundum oculum et simplicem habuerit, quo ista cognoscat. Optimo itaque ordine primo actum est de mundando oculo, et deinde dicta sunt quæ caverentur.

CAPUT XXV.— 82. Sed quoniam quamvis quisque oculo mundo sit, id est, simplici et sincero corde vivat, non potest tamen cor alterius intueri; quæcumque in factis vel dictis apparere non potuerint, tentationibus aperiuntur. Tentatio autem duplex est; aut in spe adipiscendi aliquod commodum temporale, aut in terrore amittendi. Et maxime cavendum est ne tendentes ad sapientiam, quæ in solo Christo inveniri potest, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ

[1] In B., *finiri pauci volunt*. Er. Lugd. Ven. et Lov. secuti sumus. M.

[2] Sic Mss. At editi, excepto Mar., habent, *quoniam jugum lene et levem sarcinam multi respuunt, pauci subeunt; eo quod sit arcta via*.

[1] Novem Mss., *Seminatis triticum, et spinas metitis*.

[2] Sic Er. In B., *aut certe de vite quæ sepi fuerit involuta, uvam legat*. M.

[3] Ex septem Mss. additur, *sectæ*; quæ vox in editis deerat.

et scientiæ absconditi (*Coloss* II, 3); cavendum ergo est, ne ipso Christi nomine ab hæreticis vel quibuslibet male intelligentibus et sæculi hujus amatoribus decipiamur. Nam ideo sequitur, et monet, dicens, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed is qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum* : ne putemus ad illos fructus jam pertinere, si quis Domino nostro dicat, *Domine, Domine*; et ex eo nobis arbor bona videatur. Sed illi sunt fructus, facere voluntatem Patris qui est in cœlis, cujus faciendæ seipsum exemplum præbere dignatus est.

83. Sed merito potest movere quomodo huic sententiæ conveniat illud Apostoli ubi ait, *Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu; et nemo potest dicere, Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3) : quia neque aliquos habentes Spiritum sanctum possumus dicere non introituros in regnum cœlorum, si perseveraverint usque in finem; neque illos qui dicunt, *Domine, Domine*, et tamen non intrant in regnum cœlorum, possumus dicere habere Spiritum sanctum. Quomodo ergo nemo dicit, *Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto*, nisi quia proprie Apostolus posuit verbum quod est, *dicit*, ut significet voluntatem atque intellectum dicentis? Dominus vero generaliter posuit verbum quod ait, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum*. Videtur enim dicere etiam ille qui nec vult, nec intelligit quod dicit : sed ille proprie dicit, qui voluntatem ac mentem suam sono vocis enuntiat. Sicut paulo ante quod dictum est *gaudium* in fructibus Spiritus [1], proprie dictum est; non eo modo quo alibi dicit idem apostolus, *Non gaudet super iniquitatem* (I *Cor.* XIII, 6) : quasi quisquam possit super iniquitatem gaudere : quia illa elatio est animi turbide [2] gestientis, non gaudium; nam hoc soli boni habent. Ergo dicere videntur etiam illi qui non hoc quod sonant et intellectu cernunt et voluntate agunt, sed voce tantum sonant : secundum quem modum Dominus ait, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum*. Vere autem ac proprie illi dicunt, a quorum voluntate ac mente non abhorret prolatio sermonis sui, secundum quam significationem dixit Apostolus : *Nemo potest dicere, Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto*.

84. Atque illud ad rem maxime pertinet, ne decipiamur tendentes ad contemplationem veritatis, non solum nomine Christi, per eos qui nomen habent et facta non habent, sed etiam quibusdam factis atque miraculis : qualia propter infideles cum fecerit Dominus, monuit tamen ne talibus decipiamur, arbitrantes ibi esse invisibilem sapientiam, ubi miraculum visibile viderimus. Adjungit ergo, et dicit : « Multi mihi dicent in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc dicam illis : Nunquam vos cognovi; recedite a me, qui operamini iniquitatem. » Non ergo cognoscet nisi eum qui operatur æquitatem. Nam et ipsos discipulos suos prohibuit gaudere de talibus, id est, quod dæmonia illis subjecta fuerint : *Sed gaudete*, inquit, *quia nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* X, 20); credo, in illa civitate Jerusalem quæ est in cœlis, in qua nonnisi justi sanctique regnabunt. *An nescitis*, ait Apostolus, *quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt* (I *Cor.* VI, 9)?

85. Sed fortasse quis dicat non posse iniquos visibilia illa miracula facere, et mentiri potius illos credat, qui dicturi sunt, *In nomine tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, et virtutes multas fecimus*. Legat ergo quanta fecerint resistentes famulo Dei Moysi magi Ægyptiorum (*Exod.* VII, VIII) : aut si hoc non vult legere, quia non in nomine Christi fecerunt, legat quæ ipse Dominus dicit de pseudoprophetis, ita loquens : « Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur etiam electi : ecce prædixi vobis » (*Matth.* XXIV, 23-25).

86. Quam ergo mundo et simplici oculo opus est, ut inveniatur via sapientiæ, cui tantæ malorum et perversorum hominum deceptiones erroresque obstrepunt, quos omnes evadere, hoc est venire ad certissimam pacem et immobilem stabilitatem sapientiæ! Vehementer enim metuendum est, ne studio altercandi et contendendi quisque non videat quod a paucis videri potest, ut parvus sit strepitus contradicentium, nisi etiam ipse sibi obstrepat. Quo pertinet etiam illud quod Apostolus dicit : « Servum autem Domini non oportet litigare; sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem, in modestia corripientem diversa sentientes : ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem (II *Tim.* II, 24, 25). Beati *ergo* pacifici; quoniam ipsi filii Dei vocabuntur » (*Matth.* V, 9).

87. Conclusio ergo hujus totius sermonis quam terribiliter inferatur, valde attendendum est : *Omnis ergo*, inquit, *qui audit verba mea hæc et facit ea, similis est viro sapienti qui ædificavit domum suam super petram*. Non enim quisque firmat quod audit vel percipit, nisi faciendo. Et si petra Christus est, sicut multa Scripturarum testimonia prædicant (I *Cor.* X, 4), ille ædificat in Christo, qui quod audit ab illo, facit. *Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et offenderunt in domum illam, et non cecidit* [1]; *fundata enim erat supra petram*. Non ergo iste metuit ullas caliginosas superstitiones; (quid enim aliud intelligitur pluvia, cum in mali alicujus significatione ponitur?) aut rumores hominum, quos ventis comparatos puto; aut vitæ hujus fluvium, carnalibus concupiscentiis tanquam fluentem super terram. Horum enim trium, qui prosperitatibus inducitur, adversitatibus frangitur; quorum nihil metuit qui fundatam habet domum super petram, id est, qui non solum audit præcepta Domini, sed etiam facit. Et his omnibus periculose subjacet qui audit et non facit : non enim habet stabile fundamentum; sed audiendo et non faciendo ruinam ædificat. Ait enim consequenter : « Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificat domum suam super arenam : descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et offenderunt in domum illam, et cecidit; et facta est ruina ejus magna. Et factum est cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus : erat enim docens eos, quasi potestatem habens, non quasi Scribæ eorum [2]. » Hoc est quod ante dixi per prophetam esse significatum in Psalmis, cum diceret : *Fiducialiter agam in eo : eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum* (*Psal.* XI, 6, 7). Propter quem numerum admonitus sum etiam præcepta ista ad septem illas referre sententias, quas in principio sermonis hujus posuit, de beatis cum diceret; et ad illas septem operationes Spiritus sancti, quas Isaias propheta commemorat (*Isai.* XI, 2, 3) : sed sive iste ordo in his considerandus sit, sive aliquis alius, facienda sunt quæ audivimus a Domino, si volumus ædificare super petram.

[1] Am. Er. et Lov. addunt, *sancti*; quod a Mar. et Mss. abest.

[2] Duo e Vaticanis Mss., *turpiter*.

[1] Sic Mss. At editi, excepto Mar., *non potuerunt illam movere*.

[2] Apud Am. Er. et Lov. additur, *et Pharisæi*. Id tamen hic nullo in Mss. reperimus, nec apud Mar. Est quidem in versione Vulgata, sed non exstat in textu græco.

EXPLICIT TOMI TERTII PARS PRIOR.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
QUÆSTIONUM EVANGELIORUM
LIBRI DUO [a].

De subsequente opere vide librum 2, *cap.* 12, Retractationum, *col.* 634, *a verbis,* Sunt quædam expositiones, *usque ad col.* 635, *verbis,* Non ita scriptum est. M.

Prologus.

Hoc opus non ita scriptum est, ac si Evangelium exponendum ex ordine susceptum esset a nobis : sed pro arbitrio et tempore consulentis, cum quo legebatur, si quid ei videbatur obscurum. Ideoque multa, et fortassis obscuriora prætermissa sunt ; quia jam ea noverat, qui ea quæ nondum noverat, inquirebat, nec teneri volebat festinationem suam in iis quæ antea jam sic acceperat, ut etiam assiduitate audiendi atque tractandi, memoriæ stabiliter firmeque mandaret. Nonnulla etiam hic non eodem ordine inveniuntur exposita, quo in Evangelio narrata sunt ; quoniam quædam festinatione dilata, cum tempus daretur, retractabantur, et eo loco scribebantur, qui vacuus in ordine jam expositarum rerum subsequebatur. Quod posteaquam comperi, ne quis forte quærens aliquid legere in hoc opere, quod eum in Evangelio movisset et ad quærendum excitasset, tædio perturbati ordinis offenderetur (quandoquidem ea quæ carptim, ut poterant, dictabantur, in unum collecta et contexta cognovi) ; feci ut ad ordinem numerorum præscriptis titulis, quod cuique opus esset, facile investigaret.

TITULI QUÆSTIONUM LIBRI PRIMI
IN EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM [b].

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Quæstionum Evangeliorum libri duo emendati sunt ad Mss. Victorinos duos, ad Sorbonicum, Vaticanum, Michaelinum Cisterciensem, Arnulfensem, Corbeiensem qui annos fere 900 præfert : ad lectiones variantes Lovaniensium ex tribus quatuorve codicibus : ad editos etiam Rat. Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

(*a*) Scripti versus Christi annum 400. Horum librorum ætatem colligimus non modo ex Retractationum serie, ubi locum habent inter opuscula circiter annum Christi 400 edita ; sed etiam ex illis Augustini verbis, lib. 2, quæst. 13 : « Jam clarificata, inquit, Ecclesia et liberato populo Gentium a dominatione dæmoniorum, in abditis agunt sacrilegos ritus suos « qui Christo credere noluerunt. » Quæ profecto verba significant id temporis non licuisse palam colere idola : quam in rem leges anno 399 dedit imperator Honorius.

(*b*) Quæstionum titulos ab Erasmo et Lovaniensibus immerito rejectos huc revocamus ex Mss. et antiquioribus editis.

LIBER PRIMUS.

Quæstiones in Evangelium secundum Matthæum.

QUÆST. I. [MATTH. c. XI, ỹ 27.] Cum diceret, *Nemo novit Filium nisi Pater*, non dixit, Et cui voluerit Pater revelare; quemadmodum cum diceret, *Nemo novit Patrem, nisi Filius*, addidit, *et cui voluerit Filius revelare*. Quod non ita intelligendum est, quasi Filius a nullo possit cognosci, nisi a Patre solo; Pater autem non solum a Filio, sed etiam ab eis quibus revelaverit Filius. Sic enim potius dictum est, ut intelligamus et Patrem et ipsum Filium per Filium revelari; quia ipse est menti nostræ lumen: ut quod postea intulit, *et cui voluerit Filius revelare*, non tantum Patrem, sed etiam Filium accipias: ad totum enim quod dixit, illatum est. Verbo enim suo ipse Pater declaratur: verbum autem non solum id quod per verbum declaratur, sed etiam seipsum declarat.

II. [Ib. XII, 1.] Quod discipuli Domini *cœperunt vellere spicas, et manducare*, quod nisi confricantes eas, facere non possent; hinc est, *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*: id est, quia quisque non transit in corpus Christi, nisi carnalibus exspoliatus fuerit indumentis; hinc est et, *Exuite vos veterem hominem* (*Coloss.* III, 5-9); hinc est et, *Circumcisione non manufacta in exspoliationem carnis* (*Coloss.* II, 11).

III. [Ib. XII, 20.] In lino fumigante [1] notandum quia et desertum lumine facit putorem.

IV. [Ib. XII, 22.] *Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus*: id est, qui non credit, et subditus est diabolo; qui non intelligit, et non confitetur ipsam fidem, de qua dictum est, *Ore autem confessio fit in salutem* (*Rom.* X, 10); vel qui non dat laudem Deo.

V. [Ib. XII, 27-29.] Quod dixit, *Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones*, etiam secundum vestram sententiam: *igitur pervenit in vos regnum Dei*; quia regnum diaboli stare non potest, quod adversum se divisum esse fatemini. Regnum Dei nunc dicit, quo damnantur impii, et a fidelibus de peccatis suis pœnitentiam nunc agentibus secernuntur. Fortem illum appellat, quia ipse tenebat, ne possent viribus suis ab

[1] In editis hæc quæstio sic incipit, *Arundinem quassatam Judæos dicit, propter quod et unum erant, et ab invicem discrepabant*: tum sequitur, *In lino fumigante*, etc. At in Mss. omnibus caret prima illa parte; adeoque in Quæstionum elencho prænotatur, non, de arundine quassata; sed hocce titulo, de lino fumigante.

illo se homines eruere, sed per gratiam Dei. Vasa ejus dicit omnes infideles. *Nisi prius alligaverit fortem: alligaverit* dixit, potestatem illi ademerit impediendi voluntatem fidelium a sequendo Christo, et obtinendo regno Dei.

VI. [Ib. XII, 34.] Progenies viperarum eos dicit, quia et diaboli filios appellat. In tantum enim quisque filius ejus est, in quantum eum peccando imitatur.

VII. [Ib. XII, 40.] *Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus.* Sextæ feriæ diei partem qua sepultus est cum præterita nocte, pro nocte et die accipias, hoc est pro toto die; sabbati noctem et diem; et noctem dominicam cum eodem die illucescente: ac per hoc accipiendo partem pro toto, habes triduum et tres noctes. Quod enim dicuntur decem menses prægnantis, novem sunt pleni; sed initium decimi pro toto accipitur. Et quod se Dominus ostendit in monte, post sex dies factum dicit unus evangelista (*Matth.* XVII, 1); alter vero post octo dies dicit (*Luc.* IX, 28), partem posteriorem primi diei in quo futurum hoc Dominus promisit, et partem priorem novissimi diei in quo completum est quod promisit, pro totis atque integris diebus annumerans: ut intelligas eum qui dixit, post sex dies, solos medios commemorasse, qui vere toti atque integri completi sunt. In Genesi enim a lumine incipit dies, et finit ad tenebras (*Gen.* I, 5), ad significandum lapsum hominis: nunc autem a tenebris ad lucem, sicut dictum est, *De tenebris lucem clarescere* (II *Cor.* IV, 6): quia a peccatis homo liberatus, pervenit ad lucem justitiæ

VIII. [Ib. XII, 43-45.] *Cum spiritus immundus exierit ab homine:* significat quosdam ita credituros, ut ferre non possint labores continentiæ, et ad sæculum redituri sint. Quod dictum est, *Assumit secum alios septem,* intelligitur quia cum quis ceciderit de justitia, etiam simulationem habebit. Cupiditas enim carnis expulsa per pœnitentiam a consuetis operibus, cum non invenerit in quibus delectationibus correquiescat, avidius redit, et rursus occupat mentem hominis, si cum pulsa esset [1], negligentia subsecuta est, ut non introduceretur tanquam habitator mundatæ domui sermo Dei per sanam doctrinam. Et quoniam non solum habebit illa septem vitia, quæ septem virtutibus spiritualibus [2] sunt contraria, sed etiam per hypocrisim se ipsas virtutes habere simulabit; propterea assumptis secum septem aliis nequioribus, hoc est, ipsa septenaria simulatione, redit illa concupiscentia, ut sint novissima hominis pejora quam erant prima.

IX. [Ib. XIII, 13, 23.] Quod dicit, *Aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum:* centesimum martyrum, propter satietatem [3] vitæ vel contemptum mortis: sexagesimum virginum, propter otium interius, quia non pugnant contra consuetudinem carnis; solet enim otium concedi sexagenariis post militiam, vel post actiones publicas: trigesimum conjugatorum, quia hæc est ætas præliantium; ipsi enim habent acriorem conflictum, ne libidinibus superentur.

X. [Ib. XIII, 25-30.] Omnis immunditia in segete, zizania dicuntur. Quod primo separata zizania dicuntur [1], quia tribulatione præcedente separabuntur impii a piis: quod per bonos Angelos intelligitur fieri; quia officia vindictæ possunt implere boni bono animo, quomodo rex [2], quomodo judex; officia vero misericordiæ mali implere non possunt.

XI. [Ib. XIII, 31.] Granum sinapis ob fervorem fidei, vel quod dicatur venena expellere, majus fit omnibus oleribus, id est dogmatibus. Dogmata autem sunt placita sectarum, id est, quod placuit singulis sectis.

XII. [Ib. XIII, 33.] *Fermentum quod accepit mulier, et abscondit in farinæ satis tribus:* mulierem, sapientiam dicit: fermentum, dilectionem; quod fervefacit et excitat. In farinæ autem satis tribus, vel tria illa in homine, *Ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente* (*Matth.* XII, 37); vel tria illa fructifera, *Centenum, sexagenum, tricenum* (*Id.* XIII, 8, 23); vel tria illa genera hominum, *Noe, Daniel et Job* (*Ezech.* XIV, 14).

XIII. [Ib. XIII, 44.] Thesaurum in agro absconditum, dixit duo Testamenta legis in Ecclesia, quæ quis cum ex parte intellectus attigerit, sentit illic magna latere: et *vadit* et *vendit omnia sua, et emit agrum illum,* id est, contemptu temporalium comparat sibi otium, ut sit dives cognitione Dei.

XIV. [Ib. XIII, 54.] Quod dixerunt Judæi, *Unde huic sapientia hæc et virtutes?* sapientia in his quæ loquebatur, virtutes in his quæ operabatur. Ideoque et Apostolus cum dixit *Christum Dei Virtutem, et Dei Sapientiam* (I *Cor.* I, 24); virtutem ad signa retulit propter Judæos, sapientiam autem ad doctrinam propter Græcos, id est Gentes.

XV. [Ib. XIV, 26-33.] Quod dixerunt discipuli phantasma esse, significat id quod dictum est, *Putas, inveniet fidem in terra* (*Luc.* XVIII, 8); quia quidam qui cesserint diabolo, de Christi adventu dubitabunt. Quod autem Petrus implorat a Domino auxilium, ne mergatur, significat quibusdam tribulationibus etiam post ultimam persecutionem purgandam esse Ecclesiam. Quod et Paulus significat dicens: *Salvus erit; sic tamen quasi per ignem* (I *Cor.* III, 15). Quod sequitur, ut adorantes omnes qui in navi erant, dicerent, *Vere Filius Dei es*, significat claritatem ejus tunc manifestam futuram, per speciem jam videntibus, qui per fidem nunc ambulant.

XVI. [Ib. XV, 5.] *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit;* id est, munus quod offers causa mei, ad te jam pertinebit: quibus verbis significant filii jam non sibi opus esse parentum pro se oblationes, quod ad eam ætatem pervenissent, ut possent jam ipsi offerre pro se. In hac ergo ætate constitutos, ut possent pa-

[1] Am. Er. et Lov. *sic cum expulsa esset justitia, negligentia subsecuta est.* Emendamus ad octo Mss. et ad editionem Ratisponensem.

[2] Mss. Corb. et Sanvictorini duo, *virtutum spiritibus.*

[3] Rat. Am. Er. et octo Mss., *sanctitatem.*

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. habent, *zizania dicitur. Quod primo separatur, zizania dicitur.* M.

[2] Sic Rat. et Ms. Cisterciensis. At alii codices, *lex.*

rentibus suis hoc dicere, cum hoc dixissent, negabant Pharisæi reos esse, si parentibus suis non præstarent honorem.

XVII. [Ib. xv, 13.] *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur :* id est, carnalis cupiditas, secundum quam sentientes offendebantur de prætermissis rerum signis, vel etiam traditionibus suis; et præcepta vitæ non curabant, quæ a cupiditate animum purgant.

XVIII. [Ib. viii, 13; xv, 28.] Quod et puerum Centurionis, et filiam Chananææ mulieris non veniens ad domos eorum, salvat; significat Gentes, ad quas non venit, salvas fore per verbum suum. Quod ipsis rogantibus filii sanantur, intelligenda est Ecclesiæ persona, quæ sibi est et mater et filii : nam simul omnes, quibus constat Ecclesia, mater dicitur; singuli autem iidem ipsi filii appellantur.

XIX. [Ib. xv, 30.] Quod turbæ obtulerunt Domino *mutos;* qui eum non laudant, vel non confitentur fidem : *cæcos;* qui non intelligunt, etiamsi obtemperant jubentibus : *surdos*; qui non obtemperant etiamsi intelligunt : *claudos;* qui præcepta non implent.

XX. [Ib. xvi, 2, 3.] Quod dixit Dominus, *Facto vespere dicitis, Serenum erit; rubicundum est enim cœlum ;* id est, sanguine passionis Christi, in primo adventu indulgentia peccatorum datur. *Et mane, Hodie tempestas; rubet enim cum tristitia cœlum ;* id est, quod secundo adventu igne præcedente venturus est. *Faciem ergo cœli judicare nostis; signa autem temporum non potestis?* Signa temporum dixit de adventu suo vel passione, cui simile est roseum cœlum vespere : et item de tribulatione ante adventum suum futura, cui simile est mane roseum cum tristitia cœlum.

XXI. [Ib. xvii, 11.] Quod dixit Dominus, *Elias quidem venturus est, et restituet omnia ;* id est, vel eos quos persecutio Antichristi conturbaverit; vel ut ipse restituat moriendo quæ debet.

XXII. [Ib. xvii, 14, 18.] Quod dixit, *Sæpe cadit in ignem, et aliquando in aquam* : ignem ad iram, quod alta petat : aquam ad voluptates carnis. Item quod dicunt discipuli, *Quare nos non potuimus ejicere eum?* ne illis miraculis faciendis extollerentur in superbiam, admoniti sunt potius per humilitatem fidei, quasi per sinapis granum, elationem terrenam, quæ montis nomine significata est, curare ut transiret.

XXIII. [Ib. xvii, 25.] Quod dixit, *Ergo liberi sunt filii :* in omni regno intelligendum est liberos esse filios, id est, non esse vectigales. Multo ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii regni illius sub quo sunt omnia regna terrena.

XXIV. [Ib. xviii, 6.] Quod Dominus dicit, *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis*, id est, ex humilibus, quales vult esse discipulos suos, non obtemperando, vel etiam contraveniendo, sicut de Alexandro ærario Apostolus dicit (II *Tim.* iv, 14.); *expedit ei ut mola asinaria suspendatur collo ejus, et præcipitetur in profundum maris :* id est, congruit ei cupiditas rerum temporalium, cui stulti et cæci colligantur, eum devinctum pondere suo deducat ad interitum.

XXV. [Ib. xviii, 24-31.] Quod *oblatus est Domino debitor decem millium talentorum, et jussit eum venumdari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi :* intelligendum est decem præceptorum Legis eum fuisse debitorem; et pro cupiditate atque operibus suis, tanquam uxore et filiis, pœnas solvere debuisse, quod est pretium ejus : pretium enim venditi, supplicium damnati intelligitur. Quod dixit, *Noluit ignoscere conservo suo, sed abiit et misit eum in carcerem*, et reliqua; intelligendum, tenuit contra eum hunc animum, ut supplicia illi vellet. Conservi autem qui narraverunt Domino quæ fiebant, potest intelligi Ecclesia, quæ et illum solvit, et illum ligat.

XXVI. [Ib. xix, 23, 25.] Quod ait Dominus, divitem non intrare in regnum Dei; et discipuli dicunt, *Quis potest salvus fieri?* cum pauci sint divites in comparatione multitudinis pauperum : intelligendum quod omnes qui talia cupiunt, in eorum numero haberi animadverterint.

XXVII. [Ib. xx, 17.] Quod Dominus seorsum se duobus discipulis passurum refert (*a*), ad confirmandum in posterum testimonium fecit : quia dixit, *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Matth.* xviii, 16). Ut enim neque vulgaretur quod dicebat, neque careret humani testimonii firmitate, paucioribus quam duobus dicere non potuit. Vel ad sacramentum charitatis ostendendum : minus enim quam inter duos charitas esse non potest. Erat autem ille non necessitate debiti propter peccatum suum, sed ad solvenda nostra peccata charitate passurus.

XXVIII. [Ib. xx, 29-34.] Ab Jericho egreditur Dominus; jam de ista terra resurrectione discedens. Sequuntur eum turbæ multæ; credunt in eum populi et gentes. Duo autem cæci sedentes juxta viam, significant de utroque populo quosdam jam cohærentes per fidem dispensationi temporali, secundum quam Christus via est; et desiderantes illuminari, id est, aliquid de Verbi æternitate intelligere, quod transeunte Jesu impetrare cupiebant, id est, per meritum fidei qua creditur Filius Dei et natus homo et passus propter nos. Per hanc enim dispensationem quasi transit Jesus, quia talis actio temporalis est. Oportebat autem ut tantum clamarent, donec resistentis sibi turbæ strepitum vincerent; id est, tam perseveranter animum intenderent orando atque pulsando, quousque consuetudinem desideriorum carnalium, quæ tanquam turba obstrepit cogitationi lucem veritatis æternæ videre conanti, vel ipsam hominum carnalium turbam studia spiritualia impedientem, fortissima intentione superarent. Itaque audiens Jesus qui ait, *Petenti dabitur et quærens inveniet, et pulsanti aperietur* (*Matth.* vii, 7), venientes ad se, ipso scilicet desiderii ardore pervenientes ad id quod desiderant, stans eos tangit, atque illuminat. Non enim sicut illa dispensatio temporalis, ita etiam Verbi æternitas transit, quæ in seipsa manens omnia innovat (Sap. vii, 27). Quapropter

(*a*) II Retract. cap. 12.

quia fides incarnationis temporalis ad æterna intelligenda nos præparat, transeunte Jesu admoniti sunt ut illuminarentur, et ab stante illuminati sunt. Temporalia enim transeunt, æterna stant.

XXIX. [Ib. xxi, 21.] Quod Dominus dicit discipulis suis, *Dicetis monti huic, Tolle et jacta te in mare*, de superbia dixit quæ ad sæculares pertinet : hoc sibi servus Dei dicere debet, ut eam a se repellat, quia ipsi non congruit. Vel quod per eorum fidem, quia per eos Evangelium prædicatum est, ipse Dominus qui mons appellatus est (*Isai.* ii, 2), ablatus est a Judæis, ut in Gentes tanquam in mare porro jaceretur.

XXX. [Ib. xxi, 44.] Quod Dominus dicit, *Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur : super quem vero ceciderit, conteret eum :* de his dicit quod cadent super eum, qui illum modo contemnunt, vel injuriis afficiunt; ideo nondum penitus intereunt, sed tamen confringuntur, ut non recte ambulent : super quos autem cadit, veniet illis desuper in judicio cum pœna perditionis; ideo dixit, *Conteret eos*, ut sint impii tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ (*Psal.* i, 4).

XXXI. [Ib. xxii, 2-9.] Quod Dominus dixit, *Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo;* nuptias dixit Verbum incarnatum, quia in ipso homine suscepto Ecclesia Deo copulata est. Quod dixit, *Tauri mei et altilia occisa sunt :* tauros dixit principes plebium ; altilia vero, omnia saginata. Quod dixit Dominus, *Ite ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias :* viæ intelliguntur dogmata Gentium ; quia ex omnibus illis ad nuptias venerunt, id est, Christo crediderunt.

XXXII. [Ib. xxii, 25.] Quod Sadducæi dicunt Domino, *Fuerunt apud nos septem fratres, et unus accepta uxore obiit, et secundus, et cæteri;* intelliguntur homines impii, qui fructum justitiæ non potuerunt afferre in terra per omnes septem mundi ætates, quibus ista terra consistit : postea enim et ipsa terra transiet, per quam omnes illi quasi septem mariti steriliter transierunt.

XXXIII. [Ib. xxii, 40.] Quod Dominus dicit, *In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ ; pendet* dixit, id est, illo refertur, ibi habet finem.

XXXIV. [Ib. xxiii, 17, 19.] Quod Dominus dixit, *Quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum?* et item dixit, *Quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum?* intelligendum templum et altare ipsum Christum ; aurum et donum, laudes et sacrificia precum, quæ in eo per eum offerimus. Non enim ille per hæc, sed ista per illum sanctificantur.

XXXV. [Ib. xxiii, 23 *et* 24.] Quod Dominus dixit, *Excolantes culicem*, refertur ad id quod dixit, decimare illos minuta quæque. *Camelum glutientes*, refertur ad id quod dixit, *Præteritis graviora Legis; misericordiam, et judicium, et fidem :* ut iste sit sensus, Minima observatis, maxima contemnitis. Ex hac enim perversitate etiam illud eis accidit, quo possunt hæc per allegoriam referri, ut dimitterent Barabbam (*Matth.* xxvii, 20), quia videlicet ipse non solveret sabbatum, quod magna diligentia carnaliter observabant ; occiderent autem Dominum spiritualiter sabbatum insinuantem per misericordiam et judicium et fidem, quæ illi maxime contemnebant. Nam et culicis nomine non absurde figuratur seditiosus homicida; quia hoc animal et strependo inquietat, et sanguine delectatur : et cameli nomine propter humiliantem se ad subeunda onera magnitudinem, intelligitur congruenter Dominus.

XXXVI. [Ib. xxiii, 37.] Quod dixit Dominus ad Jerusalem, *Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat filios suos sub alas, et noluisti?* hoc genus animantis magnum affectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate affecta et ipsa infirmetur; et quod difficilius in cæteris animantibus invenies, alis suis filios protegens, contra milvum pugnet : sic etiam mater nostra Sapientia Dei, per carnis susceptionem infirmata quodammodo (unde et Apostolus dicit, *Quod infirmum Dei, fortius est hominibus* (I *Cor.* i, 25), protegit infirmitatem nostram, et resistit diabolo, ne nos rapiat. In qua defensione, quod illa adversus milvum conatur affectu, hæc adversus diabolum perficit potestate.

XXXVII. [Ib. xxiv, 20]. Quod Dominus dixit, *Orate ne fiat fuga vestra hieme vel sabbato*, id est, ne impedimento aliquo detineamini : quia et hieme, imbribus vel frigore; et sabbato, in quo proficisci non licebat, impediebatur quis ab itinere. Vel aliud, ne in tristitia aut lætitia rerum temporalium quis inveniatur a die illa.

XXXVIII. [Ib. xxiv, 23-27.] Quod Dominus dicit, *Sicut enim fulgur exit ab oriente, et pervenit usque ad occidentem; ita erit et adventus Filii hominis ;* orientis et occidentis nomine totum orbem voluit significare, per quem futura erat Ecclesia, incipiente Evangelio ab Jerusalem (*Luc.* xxiv, 47), secundum illum sensum quo dixit, *Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus* (*Matth.* xxvi, 64). Convenienter enim Ecclesiam [1] nunc fulgur nominavit, quod maxime solet emicare de nubibus. Constituta ergo auctoritate Ecclesiæ per orbem terrarum clara atque manifesta, consequenter discipulos admonet, atque omnes fideles, et qui in eum credere voluerint, ne schismaticis atque hæreticis credant. Unumquodque enim schisma, et unaquæque hæresis, aut locum suum habet in orbe terrarum, partem aliquam tenens; aut obscuris atque occultis conventiculis curiositatem hominum decipit. Quo pertinet quod ait, *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic*, quod significat terrarum partes et provinciarum : *aut in penetralibus, aut in deserto*, quod significat obscura et occulta conventicula hæreticorum. Quod ergo dixit, ab oriente in occidentem perventurum adventum suum, contra illos valet qui per terrarum particulas nominantur, et dicunt apud se esse Christum. Quod autem ait, *Sicut fulgur*, contra illos valet, qui occulte congregant

[1] Tres Mss., *Convenienter enim etiam nunc fulgur*, etc. Alii totidem, *Convenienter etenim jam nunc fulgur*, etc.

tanquam in penetralibus, et paucos tanquam in deserto : ad manifestationem quippe claritatemque pertinet Ecclesiæ fulguris nomen, significans etiam noctem vel nubila sæculi hujus; tunc enim fulguris candor apparet.

XXXIX. [Ib. XXIV, 32.] Quod Dominus dixit, *Ab arbore autem fici discite similitudinem;* arborem fici genus humanum intellige, propter pruritum carnis. *Cum jam ramus ejus tener fuerit;* id est, cum filii hominum per fidem Christi ad spirituales fructus profecerint, et in eis honor adoptionis filiorum Dei eminuerit.

XL. [Ib. XXVI, 24.] Quod Dominus de Juda dixit, *Bonum erat illi non nasci*, utrum in hanc vitam? ut usitate locutus sit. Non enim potest bonum esse aliquid ei, qui non est. Et si quisquam contendit esse aliquam vitam ante istam, non Judæ tantum ut nasceretur, sed nulli expedire convincitur. An diabolo dicit non nasci ad peccatum? An etiam bonum illi erat ut Christo non nasceretur per vocationem, ne esset apostata?

XLI. [Ib. XXVI, 15.] Quod Dominus triginta argenteis venditus est, significat per Judam Judæos iniquos, qui sequentes carnalia et temporalia, quæ ad quinque sensus pertinent corporis, Christum habere noluerunt : quod quia sexta mundi ætate fecerunt, sexies quinos eos [1] tanquam pretium venditi Domini accepisse significatum est. De quo tempore talibus insultat propheta dicens, *Filii hominum, quousque graves corde? utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* (*Psal.* IV, 3)? ut si quinque ætatibus fuisset aliqua excusatio sequendæ vanitatis, vel sexta comprehenderent veritatem, quæ per Dominum nostrum prædicabatur, et demonstrabatur, sicut sexta die homo factus est ad imaginem Dei (*Gen.* I, 26). Quod quia noluerunt, habent sexies quini impressam imaginem principis sæculi, et non habent Christum per quem signatum est in nobis lumen vultus tui, Domine (*Psal.* IV, 7). Et quia eloquium Domini argentum est (*Psal.* XI, 7), illi autem etiam ipsam legem carnaliter intellexerunt, tanquam in argento impressam sæcularis principatus imaginem amisso Domino tenuerunt.

XLII. [Ib. XXIV, 28.] Quod Dominus dicit, *Ubi fuerit corpus, illo congregabuntur aquilæ;* id est in cœlum, quo hinc secum levavit corpus in homine suscepto : quod etiam cadaver ideo appellatum est, quia moriturus hæc loquebatur. *Illo congregabuntur aquilæ*, dictum est de spiritualibus, qui ejus passionem humilitatemque imitando, tanquam de ejus corpore saturantur. Corpus enim propter humilitatem pro nobis passionemque suscepit.

XLIII. [Ib. XXVI, 29.] Quod Dominus dicit sub tempus passionis discipulis, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*, vult intelligi hoc vetus esse, cum illud novum dicit. Quia ergo de propagine Adam, qui vetus homo appellatur, corpus susceperat, quod in passione morti traditurus erat (unde etiam per vini sacramentum commendat sanguinem suum), quid aliud novum vinum, nisi immortalitatem renovatorum corporum intelligere debemus? quod cum dicit, *Vobiscum bibam*, etiam ipsis resurrectionem corporum ad induendam immortalitatem promittit. *Vobiscum* enim non ad idem tempus, sed ad eamdem innovationem dictum accipiendum est. Nam et nos dicit Apostolus resurrexisse cum Christo (*Coloss.* II, 12), ut spes rei futuræ jam præsentem lætitiam afferat. Quod autem de hoc genimine vitis etiam illud novum esse dicit, significat eadem utique corpora resurrectura secundum innovationem cœlestem, quæ nunc secundum terrenam vetustatem moritura sunt. Si autem vitem de cujus vetustate hunc passionis calicem bibit, ipsos Judæos intellexeris, significatum est etiam ipsam gentem ad corpus Christi per novitatem vitæ accessuram, cum, ingressa plenitudine Gentium, omnis Israel salvus fiet (*Rom.* XI, 25).

XLIV. [Ib. XXVI, 67.] Quod dictum est, *Exspuerunt in faciem ejus*, significavit eos qui ejus præsentiam gratiæ respuunt. Item tanquam colaphis eum cædunt, qui honores suos ei præferunt : palmas in faciem ejus dant, qui perfidia cæcati eum non venisse affirmant, tanquam præsentiam ejus exterminantes et repellentes.

XLV. [Ib. XXVI, 69-74.] Quod Petrus necdum solidatus in fide, Deum ter negavit, videtur ipsa trina ejus negatio pravum errorem hæreticorum designasse. Nam error hæreticorum de Christo tribus generibus terminatur : aut enim de divinitate ejus, aut de humanitate, aut de utroque falluntur [1].

XLVI. [Ib. XXVI, 58.] Quod ad passionem euntem Dominum a longe sequebatur Petrus, significat Ecclesiam secuturam quidem, hoc est, imitaturam passionem Domini, sed longe differenter : Ecclesia enim pro se patitur, at ille pro Ecclesia.

XLVII. [Ib. XXVI, 39, 42, 44.] Sicut tentatio cupiditatis trina est, ita etiam tentatio timoris trina est. Cupiditati quæ in curiositate est, opponitur timor mortis : sicut enim in illa cognoscendarum rerum est aviditas, ita in ista metus amittendæ talis notitiæ. Cupiditati vero honorum vel laudis, opponitur timor ignominiæ et contumeliarum. Cupiditati autem voluptatis, opponitur timor doloris. Non absurde ergo intelligitur propter trinam tentationem passionis, ter Dominum orasse ut transiret calix; sed ita ut potius impleretur voluntas Patris.

[1] Editio Am., *sexies quini eos*, etc. Sic etiam plerique Mss. apud quos rursum paulo infra legebamus, *sexies quini*, ubi in editis habetur, *sexies quinque impressum*, etc.

[1] In Mss. quæstio quadragesima quinta incipit ab istis verbis, *Error hæreticorum :* nec præmittuntur illa, *Quod Petrus necdum solidatus*, etc., horum tamen loco in quibusdam codicibus ponitur, *De trina*, vel, *In trina Petri negatione.* Præterea in editis Rat. Am. et Er. ad istam quæstionem hæc subjiciuntur : *Notandum, quod Petrus semel ante primum galli cantum negavit Dominum, illos significasse qui Christum ante resurrectionem Deum esse non putaverunt, ejus morte turbati. Illud autem quod bis ante secundum galli cantum, eos qui nunc in illo vel secundum Deum, vel secundum hominem, vel secundum utrumque errant, et ideo veritatem negant ante Ecclesiæ resurrectionem: ut primus galli cantus intelligatur capitis resurrectio, hoc est ipsius Domini; secundus autem ipsius, sed in corpore universæ Ecclesiæ :* quæ absunt a cæteris codicibus, excepto uno Ms. Cisterciensi.

LIBER SECUNDUS.

Quæstiones in Evangelium secundum Lucam.

QUÆST. I. [LUC. *cap.* I, ℣ 13, 20.] Quod Zacharias orans pro populo, audit ab angelo, *Exaudita est oratio tua; ecce Elizabeth uxor tua concipiet et pariet filium, et vocabis nomen ejus Joannem*; primo hoc attendendum est, quia non est verisimile, ut cum pro populi peccatis vel salute vel redemptione ille offerret, si quidem populus eum exspectabat offerentem, quod potuerit relictis publicis votis homo senex, uxorem habens anum, pro accipiendis filiis orare: præsertim quia nemo orat accipere, quod se accepturum esse desperat; usque adeo autem ille jam se habiturum filios desperabat, ut hoc angelo promittenti non crederet. Ergo quod ei dicitur, *Exaudita est oratio tua*, pro populo intelligendum est: cujus populi quoniam salus et redemptio et peccatorum abolitio per Christum futura erat, ad hoc nuntiatur Zachariæ filius nasciturus, quia præcursor Christi destinabatur. Quod autem ei non credenti angelo, ab eodem angelo dicitur, *Et ecce eris tacens donec impleantur hæc in tempore suo,* intelligendum est significasse quod prophetia usque ad Joannem, tanquam a sono sileret intelligibili; quia non est intellecta, donec in Domino compleretur.

II. [Ib. V, 3-11.] Quod Dominus de navicula docet turbas, significavit hoc tempus, quando Dominus de auctoritate Ecclesiæ docet gentes. Quod Dominus *ascendens in navim, quæ erat Petri, rogat eum a terra reducere pusillum*, significat vel temperate utendum verbo ad turbas, ut nec terrena eis præcipiantur, nec sic a terrenis in profundiora sacramentorum recedatur, ut ea penitus non intelligant: vel prius in proximis regionibus gentibus prædicandum; ut quod dicit item Petro, *Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam*, ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum est, pertineat: sicuti Isaias dicit, *Tolle signum in gentes, ad eas quæ prope, et ad eas quæ longe* (*Isai.* LXII, 10, *et* LVII, 19). Ut quod etiam retia rumpebantur piscium copia, et naviculæ impletæ sunt, ita ut mergerentur, significet hominum carnalium multitudinem tantam futuram in Ecclesia, ut etiam disruptione pacis, exeuntibus inde hæresibus et schismatibus, tanta remaneret, et tanta esset futura illi amissio fidei et bonorum morum, ut Christo dicere videatur talis Ecclesia, *Exi a me, quia peccator homo sum*: tanquam turbis carnalium repleta, et eorum moribus pene submersa, regimen spiritualium, in quibus maxime Christi persona eminet, a se repellat quodammodo. Non enim hoc voce linguæ dicunt homines bonis ministris Dei, ut eos a se repellant: sed voce morum et actuum suorum suadent a se recedi, ne per bonos regantur; et eo vehementius, quo deferunt eis honorem, et tamen factis suis a se recedere admonent: ut honorificentiam eorum significaverit Petrus, cadens ad pedes Domini; mores autem in eo quod dixit, *Exi a me, Domine, quia peccator homo sum.* Quod tamen quia non fecit Dominus; non enim recessit ab eis, sed eos subductis navibus ad littus perduxit; significat in bonis et spiritualibus viris non esse oportere hanc voluntatem, ut peccatis turbarum commoti, quo quasi securius tranquilliusque vivant, munus ecclesiasticum deserant. Quod ergo *subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum* Petrus et Jacobus et Joannes, potest significare finem temporis, quo ab hujus mundi salo, qui Christo inhæserint, penitus recessuri sunt.

III. [Ib. V, 14.] Quod Dominus dicit leproso mundato: *Vade, ostende te sacerdoti, et offer munus pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis*; hic videtur approbare sacrificium, quod per Moysen præceptum est, cum id non receperit Ecclesia. Quod ideo jussisse intelligi potest, quia nondum esse cœperat sacrificium Sanctum sanctorum, quod corpus ejus est. Nondum enim in passione obtulerat holocaustum suum, quo sacrificio confirmato in credentibus populis, templum ipsum eversum est, ubi illa sacrificia offerri solebant. Hoc autem factum est secundum prophetiam Danielis (*Dan.* IX, 27). Non enim oportebat auferri significantia sacrificia, priusquam illud quod significabatur confirmatum esset contestatione Apostolorum prædicantium, et fide credentium populorum.

IV. [Ib. V, 18-25.] De paralytico: potest intelligi anima dissoluta membris, hoc est bonis operationibus, Christum quærere, id est, voluntatem Verbi Dei; impediri autem turbis, nisi tecta, id est, operta Scripturarum aperiat, ut per hæc ad notitiam Christi perveniat, hoc est, ad ejus humilitatem fidei pietate descendat. Hi autem a quibus deponitur, bonos in Ecclesia doctores possunt significare. Quod autem cum lecto deponitur, significat ab homine in ista carne adhuc constituto Christum debere cognosci. Quem tamen lectum sanus postea jubetur portare, et ire in domum suam, ut remissione peccatorum convalescentibus per spem bonam membris animæ, hoc corpus restaurare intelligatur: ut jam non in carnalibus gaudiis tanquam in lecto requiescat infirmitas animi; sed magis ipsa contineat affectiones carnales, et tendat ad requiem secretorum cordis sui.

V. [Ib. III, 23.] Non absurde quæstio proponitur, Quomodo potuerit duos patres habere Joseph. Nam Matthæus eum dicit genitum ab eo qui vocabatur Jacob (*Matth.* I, 16); Lucas vero filium esse dicit ejus qui vocabatur Heli. Neque hoc loco illud dici potest quod unus homo, sicut non solum apud Gentes, sed etiam apud Judæos accidere solere manifestum est, duo nomina habuerit. Cætera enim serie generatio-

num, qui hoc putat, facile refellitur. Quid enim de avis, atavis, proavis, cæterisque majoribus dicturus est, quorum diversa nomina singuli Evangelistæ in sua quisque narratione contexunt? Quid postremo de ipso numero; quandoquidem Lucas a Domino usque ad David quadraginta tres generationes enumerat, Matthæus autem a David usque ad Dominum viginti octo vel viginti septem? Certi enim sacramenti gratia usque ad transmigrationem, et ab ipsa item transmigratione unus bis numeratur. Quærendum igitur quomodo duos patres potuerit habere Joseph. Et mihi quidem in præsentia tres causæ occurrunt, quarum aliquam Evangelista secutus sit. Aut enim unus erat Joseph naturalis pater, et alter eum adoptaverat: aut more Judæorum, cum sine filiis unus decessisset, uxorem ejus propinquus accipiens, filium quem genuit propinquo mortuo deputavit (*Deut.* XXV, 5, 6); ut cum ab altero alteri genitus esset Joseph, convenienter duos patres habere diceretur. Aut unus Evangelista patrem ejus a quo genitus est, nominavit; alter vero vel avum maternum, vel aliquem de cognatis majoribus posuit, cui propter consanguinitatis vinculum, in filii loco Joseph non absurde constitueretur, ut inde jam usque ad David non eumdem quem Matthæus generationum ordinem texeret. In quibus causis illa videtur infirma, quam secundo loco posuimus: quia cum quisque apud Judæos defuncto fratre vel propinquo prolem de uxore ejus exsuscitat, illud quod nascitur nomen defuncti solet accipere (*a*). Ergo aut adoptio solvit istam quæstionem, aut origo majorum, aut aliqua alia causa, quæ nobis in præsentia non occurrit. Quapropter tanta est eorum dementia, qui facilius dilabuntur ad Evangelistarum aliquem de mendacio criminandum, quam causas quærant, cur diversa patrum nomina singuli commemoraverint, ut temere dicatur duas solas esse causas, quibus id recte fieri potuerit, cum tamen ad solvendam quæstionem vel unam invenire sufficiat.

VI. [Ib. III, 23-38.] Quid sibi velit quod septuaginta septem personæ secundum generationes, quas Lucas secutus est, inveniuntur, quæri potest. Nam et hujus numeri mentionem Dominus fecit, cum eum Petrus de dimittendis peccatis fratris interrogasset. Ait enim, non solum septies, sed septuagies septies esse dimittendum (*Matth.* XVIII, 22). Unde recte creditur commemoratione hujus numeri omnia peccata jussisse dimitti; quandoquidem ipse per quem peccata omnia dimissa sunt, septuagesima et septima generatione, secundum evangelistæ memorati testimonium, ad homines humaniter venire dignatus est. Convenientissime autem, cum sit etiam alia series generationum quam Matthæus explicat (*Id.* I, 1-17), hanc ille tenuit, qui baptizato Domino generationes ipsas per septuaginta et septem personas sursum versus enumerat. Nam et reditus est et tanquam ascensus ad Deum, cui post peccatorum abolitionem reconciliamur, expressus, cum sursum versus per illas generationes ascenditur. Et utique per Baptismum fit omnium remissio peccatorum, quæ illo numero significatur. Non enim in baptismo Domini ipsi Domino peccata dimissa sunt, sed ipsa ibi remissio peccatorum omnium, quæ misericordia ejus et potestate donata est hominibus, per illum baptismum Domini et per illum numerum generationum consecrata atque signata est. Nec temere Dominus et frustra septuagesima et septima generatione venit aboliturus omnia peccata, nisi quia in illo numero aliquid latet, quod ad significationem pertineat omnium peccatorum. Hoc autem in undenario et septenario considerandum est: qui numeri per se multiplicati, ad tantum perveniunt; nam undecies septem vel septies undecim, septuaginta et septem fiunt. Undecim autem transgressionem denarii significant: ac si in denario perfectio beatitudinis significatur, unde est etiam illud, quod omnes conducti ad vineam, denario remunerantur (*Id.* XX, 2-10), quod fit cum septenaria creatura Trinitati Creatoris adjungitur; manifestum est quod transgressio denarii peccatum significat per superbiam plus aliquid habere cupientis, et integritatem perfectionemque amittentis. Hoc autem septies propterea ducitur, ut motu hominis facta significetur illa transgressio. Ternario enim numero incorporea pars hominis significatur; unde est quod ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente jubemur diligere Deum (*Deut.* VI, 5, *et Matth.* XXII, 37): quaternario vero corpus; multis enim modis quadripartita invenitur natura corporis. Ex his ergo conjunctis homo constans, non absurde septenario numero significatur. Motus autem in numeris non exprimitur, cum dicimus, Unum, duo, tria, quatuor, etc.; sed cum dicimus, Semel, bis, ter, quater: quapropter, ut dixi, non septem et undecim, sed septies undecim, significatur transgressio, quæ motu facta est hominis peccantis, hoc est perfectionis suæ stabilitatem transgredientis cupiditate amplius aliquid habendi; ut tanto post per prophetam animæ diceretur, Sperabas, si a me discessisses, aliquid amplius te habituram? Ex quo vitio superbiæ omnia peccata silvescunt: quæ tamen dimittuntur, cum septuagies septies ignoscendum esse admonemur (*Matth.* XVIII, 22), ut intelligamus nullum peccatum excipi, quod pœnitenti et veniam deprecanti per Ecclesiam, cujus personam Petrus gestat, non dimittatur.

VII. [Ib. VI, 9.] Quod dicit Dominus Judæis, de eo qui habebat manum dexteram aridam, *Interrogabo vos si licet sabbato bene facere, an male; animam salvam facere, an perdere.* Quæritur, cum corpus curaverit, quare sic interrogaverit, *animam salvam facere, an perdere.* Vel quod illa miracula propter fidem faciebat, ubi salus est animæ: vel quod ipsa sanatio manus dexteræ, salutem animæ significabat, quæ a bonis operibus cessans, aridam quodammodo dexteram habere videbatur: vel animam pro homine posuit, sicut dici solet, Tot animæ ibi fuerunt.

VIII. [Ib. VI, 38.] Quod Dominus dicit, *Date, et dabitur vobis, mensuram bonam, confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum,* ex illa sententia accipi potest, qua dicit et alio loco, *Ut ipsi reci-*

(*a*) Retract. lib. 2, cap. 12.

piant vos in æterna tabernacula (*Luc.* XVI, 9) : ut plebi præceptum esse videatur, quod dictum est, *Date, et dabitur vobis.* Secundum quam sententiam dicit Apostolus, *Communicet qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis* (*Galat.* VI, 6). Non enim diceret, *dabunt in sinum vestrum*, nisi quia per illorum merita, quibus vel calicem aquæ frigidæ in nomine discipuli dederint, mercedem cœlestem recipere merebuntur (*Matth.* X, 42).

IX. [Ib. VI, 39.] Quod Dominus dicit, *Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?* fortasse hoc ideo subjunxerit, ne sperarent a Levitis se accepturos mensuram illam de qua dixit, *Dabunt in sinum vestrum*, quoniam ipsis dabant decimas. Quos cæcos dixit, quia Evangelium non tenerent; ut illam remunerationem per discipulos Domini potius plebs inciperet jam sperare : quos imitatores suos volens ostendere, addidit etiam, *Non est discipulus super magistrum.*

X. [Ib. VI, 47, 48.] Quod Dominus dicit, *Omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit : similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram;* fodere dixit, humilitate christiana omnia terrena exhaurire de corde suo, ne propter aliquid tale Deum colat. In altum autem fodere, donec ad petram perveniat : in tantum Christum gratis sequi, et gratis eum colere, ut non solum non propter superflua, sed nec propter illa quæ videntur huic vitæ necessaria, et quæ sine culpa a quovis justo sumi et haberi possunt, tamen temporalia atque terrena sunt, colendus Deus putetur.

XI. [Ib. VII, 32-35.] De pueris sedentibus in foro, et ad invicem clamantibus, converso ordine ad proposita respondit. Nam quod ait, *Lamentavimus, et non plorastis,* ad Joannem pertinet, cujus abstinentia a cibis et potu, luctum pœnitentiæ significabat. Quod autem ait, *Cantavimus tibiis, et non saltastis*, ad ipsum Dominum, qui utendo cum cæteris cibo et potu, lætitiam regni figurabat. At illi nec humiliari cum Joanne, nec cum Christo gaudere voluerunt; dicentes illum dæmonium habere, istum voracem et ebriosum, et amicum publicanorum et peccatorum. Quod autem subjungit, *Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis*, ostendit filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo, nec in manducando esse justitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, et temperantia per abundantiam non se corrumpendi, atque opportune sumendi vel non sumendi ea quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omnino quid alimentorum sumas, ut succurras necessitati corporis, dummodo congruas in generibus alimentorum his cum quibus tibi vivendum est. Neque quantum sumas, multum interest; cum videamus aliorum stomachum citius satiari, et eos tamen illi ipsi parvo quo satiantur, ardenter, et intolerabiliter, et omnino turpiter inhiare : alios autem plusculo quidem satiari, sed tolerabilius inopiam perpeti, et vel ante ora[1] positas épulas, si id in tempore aut opus sit, aut necesse sit, cum tranquillitate aspicere, neque tangere. Magis ergo interest, non quid vel quantum alimentorum pro congruentia hominum atque personæ suæ et pro suæ valetudinis necessitate quis capiat; sed quanta facilitate atque serenitate animi careat, cum his vel oportet vel etiam necesse est carere : ut illud in animo christiani compleatur quod Apostolus dicit, « Scio et minus habere, scio et abundare (in omnibus et in omnibus imbutus sum), et satiari et esurire, et abundare et penuriam pati : omnia possum in eo qui me confortat (*Philipp.* IV, 12, 13); et illud, « Neque si manducaverimus, abundabimus; neque si non manducaverimus, egebimus (I *Cor.* VIII, 8); et illud, » Non est enim regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax et gaudium. » Et quia solent homines multum gaudere de carnalibus epulis, addidit, *in Spiritu sancto* (*Rom.* XIV, 17). Justificatur ergo sapientia ab omnibus filiis suis, qui intelligunt utendis terrenis tempora opportuna esse debere; facilitatem vero carendi talibus, et amorem fruendi æternis, non variari oportere per tempora, sed perpetuo retineri.

XII. [Ib. VIII, 16.] Quod Dominus ait, *Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit; sed super candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen;* qui verbum Dei timore carnalium incommodorum abscondit, ipsam utique carnem præponit manifestationi veritatis, et ea quasi cooperit verbum, timendo prædicare : eam itaque vasis et lecti nomine appellavit, sub quo lucernam ponere ait eum qui hoc facit.

XIII. [Ib. VIII, 26-39.) Quod in regione Gerasenorum curavit Dominus eum in quo erat legio dæmoniorum, significatæ sunt Gentes quæ multis dæmonibus serviebant. Quod sine vestimento erat, non habebat fidem, etc. Quod in domo non habitabat, in conscientia sua non requiescebat. Quod in monumentis manebat, in mortuis operibus, hoc est peccatis, delectabatur. Quod autem compedibus ferreis et catenis ligabatur, significat graves et duras leges Gentium, quibus et in eorum republica peccata cohibentur. Quod etiam vinculis talibus disruptis agebatur a dæmonio in eremum, significat quod etiam ipsis transgressis legibus, ad ea scelera cupiditate ducebatur, quæ jam vulgarem consuetudinem excederent. Quod autem in porcos pascentes in montibus dæmonia ire permissa sunt, significat immundos et superbos homines, quibus dæmonia dominantur per idolorum cultus. Quod autem in stagnum præcipitati sunt, significat quod jam clarificata Ecclesia, et liberato populo Gentium a dominatione dæmoniorum, in abditis agunt sacrilegos ritus suos (*a*), qui Christo credere noluerunt, cæca et profunda curiositate submersi. Quod autem pastores porcorum fugientes, ista nuntiaverunt, significat quosdam etiam primates impiorum, quanquam christianam legem fugiant, potentiam tamen ejus per gentes stupendo et

[1] Rat. Am. et novem Mss., *ante horam.*

(*a*) Post Honorii leges contra idola datas anno 399. Vid. lib. 18 de Civit. Dei, cap. 54.

mirando prædicare. Quod Geraseni prodeunt videre quod factum est, et inveniunt hominem vestitum, et mente sana sedere ad pedes Jesu, et cognoscentes quid factum sit, rogant Jesum ut ab eis discederet, magno timore perculsi; significat multitudinem vetusta sua vita delectatam, honorare quidem, sed nolle pati christianam legem, dum dicunt quod eam implere non possint; admirantes tamen fidelem populum a pristina perdita conversatione sanatum. Quod ille cupit jam esse cum Christo, et dicitur ei, *Redi domum tuam, et enarra quanta tibi fecit Deus;* ex illa Apostoli sententia recte potest intelligi, cum ait, *Dissolvi et esse cum Christo, multo magis optimum; manere in carne, necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 23). Ut sic quisque intelligat post remissionem peccatorum redeundum sibi esse in conscientiam bonam, et serviendum Evangelio propter aliorum etiam salutem, ut deinde cum Christo requiescat: ne cum præpropere jam vult esse cum Christo, negligat ministerium prædicationis, fraternæ redemptioni accommodatum.

XIV. [Ib. x, 1.] De septuaginta duobus discipulis: sicut viginti quatuor horis totus orbis peragitur, atque a sole lustratur; ita mysterium [1] illustrandi orbis per Evangelium Trinitatis in septuaginta duobus discipulis intimatur. Viginti quatuor enim ter in septuaginta duobus ponimus. Quod autem binos mittit, sacramentum est charitatis: sive quia duo sunt charitatis præcepta, sive quia omnis charitas minus quam inter duos esse non potest.

XV. [Ib. XI, 35.] *Si lumen quod est in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ* (*Matth.* VI, 23)? Lumen dicit bonam intentionem mentis, qua operamur: tenebras autem ipsa opera appellat, sive quia ignoratur ab aliis quo animo illa faciamus, sive quia eorum exitum etiam ipsi nescimus, id est, quomodo exeant atque proveniant eis quibus nos ea bono animo impendimus. Plerumque enim beneficiis nostris male utendo corrumpuntur, quibus nos ea misericorditer benevola intentione præstamus.

XVI. [Ib. XI, 39.] *Nunc vos, Pharisæi, quod deforis est calicis et catini mundatis.* Hinc et deinceps quod dicit in Pharisæos et Legis doctores, hoc est quod superius dixit, *Obfirmaverat faciem in Jerusalem* (*Luc.* IX, 51), ut eis aperte vera diceret vitia et peccata eorum.

XVII. [Ib. XI, 20.] Ideo dicitur Spiritus sanctus digitus Dei, propter partitionem donorum quæ in eo dantur, unicuique propria, sive hominum, sive Angelorum. In nullis enim membris nostris magis apparet partitio, quam in digitis.

XVIII. [Ib. V, 33-38.] Jejunium aut in tribulatione est, aut in gaudio: in tribulatione, ad propitiandum Deum pro peccatis; in gaudio vero, cum tanto minus delectant carnalia, quanto spiritualium major sagina est. Cum ergo Dominus interrogatus esset cur discipuli ejus non jejunarent, de utroque jejunio respondit. Namque ad illud quod in tribulatione jejunari solet, pertinet quod ait, sponsi filios tunc jejunaturos, cum ab eis ablatus fuerit sponsus: tunc enim desolabuntur, et in mœrore ac luctu erunt, donec eis per Spiritum sanctum gaudia consolatoria retribuantur. Quo dono percepto, etiam jejunii alterum genus, quod fiet per lætitiam, jam renovati in vitam spiritualem convenientissime celebrabunt. Quod antequam accipiant, dicit eos tanquam vetera vestimenta, quibus inconvenienter novus pannus assuitur, id est aliqua particula doctrinæ, quæ ad novæ vitæ temperantiam pertinet; quia si hoc fiat, et ipsa doctrina quodammodo scinditur, cujus particula quæ ad jejunium ciborum valet, inopportune traditur, cum illa doceat generale jejunium, non a concupiscentia ciborum tantum, sed ab omni lætitia temporalium delectationum: cujus quasi pannum, id est partem aliquam, quæ ad cibos pertinet, dicit non oportere hominibus adhuc veteri consuetudini deditis impertiri; quia et illinc quasi conscissio videtur fieri, et ipsi vetustati non convenit. Dicit etiam similes eos esse veteribus utribus, quos vino novo, id est spiritualibus præceptis, facilius disrumpi, quam id continere dicit. Erant autem jam utres novi, cum post ascensum Domini, desiderio consolationis ejus orando et sperando innovabantur. Tunc enim acceperunt Spiritum, sanctum, quo impleti, cum omnium, qui de diversis gentibus aderant, linguis loquerentur, dicti sunt musto pleni (*Act.* II, 1-13). Novum enim vinum jam novis utribus venerat.

XIX. [Ib. X, 30-37.] *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho:* ipse Adam intelligitur in genere humano. *Jerusalem*, civitas pacis illa cœlestis, a cujus beatitudine lapsus est. *Jericho*, Luna interpretatur, et significat mortalitatem nostram, propter quod nascitur, crescit, senescit, et occidit. *Latrones*, diabolus et angeli ejus [1]: *qui eum spoliaverunt* immortalitate: *et plagis impositis*, peccata suadendo: *reliquerunt semivivum:* quia ex parte qua potest intelligere et cognoscere Deum, vivus est homo; ex parte qua peccatis contabescit et premitur, mortuus est, et ideo semivivus dicitur. Sacerdos autem et Levita qui eo viso prætererunt, sacerdotium et ministerium Veteris Testamenti significant, quæ non poterant prodesse ad salutem. Samaritanus, Custos interpretatur: et ideo ipse Dominus significatur hoc nomine. Alligatio vulnerum, est cohibitio peccatorum. Oleum, consolatio spei bonæ, propter indulgentiam datam ad reconciliationem pacis. Vinum, exhortatio ad operandum ferventissimo spiritu. Jumentum ejus, est caro in qua ad nos venire dignatus est. Imponi jumento, est in ipsam incarnationem Christi credere. Stabulum, est Ecclesia, ubi reficiuntur viatores de peregrinatione redeuntes in æternam patriam. Altera dies, est post resurrectionem Domini. Duo denarii, sunt vel duo præcepta charitatis, quam per Spiritum sanctum acceperunt Apostoli ad evangelizandum cæteris; vel promissio vitæ præsentis et futuræ. Secundum enim duas promissiones dictum est, *Accipiet in hoc sæculo septies tantum* [2], *et in sæculo*

[1] Rat. et Ms. Cisterciensis, *ministerium.*

[1] Sic octo Mss. At editi excepto Rat., *senescit. Et incidit in latrones, diabolum et angelos ejus.*

[2] Editi, *centies tantum.* At Mss. codices, suffragante Eugypio, *septies tantum.* Sic profecto Augustinus in opere super Epistolam ad Galatas, cap. 2, v. 6, etc. Forte pro græco, *eca-*

futuro vitam æternam consequetur (*Matth.* XIX, 29). Stabularius ergo est Apostolus. Quod supererogat, aut illud est consilium quod ait, *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (I *Cor.* VII, 25) : aut quod etiam manibus suis operatus est, ne infirmorum aliquem in novitate Evangelii gravaret, cum ei liceret pasci ex Evangelio (II *Thess.* III, 8, 9).

XX. [Ib. X, 38-42.] Quod *Martha excepit illum in domum suam*, significat Ecclesiam quæ nunc est, excipientem Dominum in cor suum. *Maria soror ejus quæ sedebat ad pedes Domini, et audiebat verbum ejus*, significat eamdem Ecclesiam, sed in futuro sæculo, ubi cessans ab opere ministerioque indigentiæ, sola sapientia perfruetur. Martha ergo occupata est circa multum ministerium; quia nunc talibus operibus exercetur Ecclesia. Quod autem queritur quod se soror ejus non adjuvet, occasio datur sententiæ Domini, qua ostendit istam Ecclesiam sollicitam esse et turbari circa plurima, cum sit unum necessarium, ad quod per ministerii hujus merita pervenitur. Mariam vero dicit optimam partem elegisse, quæ non auferetur ab ea : et ideo intelligitur optima, quia et per hanc ad illam tenditur, et non auferetur; illa vero ministerii, quamvis sit bona, tamen auferetur, quando indigentia, cui ministratur, transierit.

XXI. [Ib. XI, 5-8.] Amicus ad quem venitur media nocte ut accommodet tres panes, utique ad similitudinem ponitur, secundum quam quis Deum rogat in media tribulatione constitutus, ut ei tribuat intelligentiam Trinitatis, qua præsentis vitæ consoletur labores. Sed comparatio est a minore. Si enim amicus homo surgit de lecto, et dat, non amicitia, sed tædio compulsus; quanto magis Deus dat, qui sine tædio largissime donat quod petitur, sed ad hoc se peti vult, ut capaces donorum ejus fiant qui petunt? In tribus autem panibus etiam illud significatur, unius esse substantiæ Trinitatem. Amicus autem, quem dicit ille qui petit, venisse de via, et non se habere quod ponat ante illum, intelligitur hominis appetitus, qui debet obtemperare rationi. Serviebat autem consuetudini temporali, quam viam vocat, propter omnia per tempus transeuntia. Converso autem homine ad Deum, etiam ille appetitus a consuetudine revocatur : sed si non consolatur interius gaudium de doctrina spirituali, qua Creatoris Trinitas prædicatur, magnæ angustiæ sunt in homine, quem premit ærumna mortalis, cum ab iis quæ foris delectant, præcipitur abstinentia, et intus non est refectio de lætitia doctrinæ salutaris [1]; et ipsa angustia est media nox, qua cogitur vehementer instare petendo, ut accipiat tres panes. Quod autem ei dicitur de intus, jam ostium clausum esse, pueros quoque ejus cum eo in cubili esse, significat tempus famis verbi, cum intelligentia clauditur, et illi qui evangelicam sapientiam tanquam panem erogantes, per orbem terræ prædicaverunt, pueri patrisfamilias jam sunt in secreta quiete cum Domino : et tamen orando efficitur ut accipiat desiderans intellectum ab ipso Deo, etiamsi homo desit per quem sapientia prædicetur.

XXII. [Ib. XI, 12.] De pane, pisce, et ovo, quibus contraria posuit, lapidem, serpentem et scorpionem. Intelligitur panis charitas, propter majorem appetitum, et tam necessarium ut sine illa cætera nihil sint, sicut sine pane mensa inops [1]: cui contraria est cordis duritia, quam lapidi comparavit. Piscis autem intelligitur fides invisibilium, vel propter aquam Baptismi, vel quia de invisibilibus locis capitur; quod etiam fides hujus mundi fluctibus circumlatrata non frangitur, recte pisci comparatur : cui contrarium posuit serpentem, propter venena fallaciæ, quæ etiam primo homini male suadendo præseminavit. In ovo intelligitur spes; ovum enim nondum est fetus perfectus, sed fovendo speratur : cui contrarium posuit scorpionem, cujus aculeus venenatus retro timendus est; sicut spei contrarium est retro respicere, cum spes futurorum in ea quæ ante sunt, se extendat.

XXIII. [Ib. XI, 52.] De eo quod dicit Dominus Scribis vel doctoribus Judæorum, *Tulistis clavem scientiæ; ipsi non introistis, et eos qui intrabant, prohibuistis :* quod in Scriptura Dei humilitatem Christi nec ipsi intelligere [2], nec ab aliis intelligi volebant.

XXIV. [Ib. XII, 23.] Quod Dominus dicit discipulis: *Anima plus est quam esca, et corpus quam vestimentum*, et utique, si hoc tibi dedit quod plus est, quanto magis dabit quod minus est?

XXV. [Ib. XII, 35.] Quod Dominus dicit, *Sint lumbi vestri accincti;* propter continentiam ab amore rerum sæcularium : *lucernæ ardentes;* hoc ipsum ut vero fine et recta intentione faciatis.

XXVI. [Ib. XII, 42.] Quod Dominus dixit Petro, *Quis, putas, est fidelis dispensator et prudens, quem constituet Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram?* mensuram dicit propter modum capacitatis quorumque audientium.

XXVII. [Ib. XII, 54, 55.] Quod Dominus dicit, *Cum videritis nubem orientem ab occasu*, carnem suam a morte resurgentem significat : ex illo enim omnibus terris imber evangelicæ prædicationis infusus est. *Austrum flantem* ante æstus, tribulationes leviores ante judicium.

XXVIII. [Ib. XII, 26.] Quod Dominus dicit, *Si enim quod minimum est, non potestis*, cum de augenda corporis statura diceret; minimum est enim hoc, sed Deo, corpora operari.

XXIX. [Ib. XII, 29.] Cum diceret discipulis, non debere haberi sollicitudinem de cibis, ait, *Et nolite in sublime extolli.* Primo enim hæc ad necessitatem implendam homo quærit : cum autem hæc abundaverint, incipit et superbire de talibus. Tale est hoc ac si se vulneratus quis jactet quia habet multa emplastra in domo, cum hoc illi bonum esset ut vul-

tontaplasiona, quod exstat Matth. cap. 19, v. 29, et Marc. cap. 10, v. 30, legerat interpres, *heptaplasiona*.

[1] Duo Mss., *spiritualis*. Rat. et Ms. Cisterciensis, *salvatoris*.

[1] Lugd. Ven. Lov., *mensa est inops*. M.

[2] Sic plerique Mss. At editi, *quod in Scriptura de humanitate Christi dicitur, quam nec ipsi intelligere*.

nera non haberet, et ne uno quidem indigeret emplastro.

[Ib. XIV, 2, 5; XIII, 11-16.] (a) Congruenter hydropicum animali quod cecidit in puteum, comparavit; humore enim laborabat : sicut et illam mulierem quam decem et octo annis alligatam dixerat, et ab eadem alligatione solvebat, comparavit jumento quod solvitur, ut ad aquam ducatur. Hydropem autem recte comparamus diviti avaro : sicut enim ille quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius sitit; sic iste quanto est copiosior divitiis, quibus non bene utitur, tanto ardentius talia concupiscit. Illam vero ita morbo incurvatam, ut se erigere non posset, animæ [1] terrenis opinionibus debilitatæ atque oppressæ, ita ut divina cogitare non valeat.

XXX. [Ib. XIV, 21, 23.] Quod de civitate adducit invitatos ad cœnam, de ipsa gente Judæorum qui crediderunt significat, debiles peccatis, non habentes superbiam quasi justitiæ, quæ mendax primates eorum a gratia prohibebat. Quod autem de sepibus et viis alios adduci jussit, cum adhuc locus esset, Gentes significat, propter diversas vias sectarum et spinas peccatorum.

XXXI. [Ib. XIV, 28-33.] Sumptus ad turrem ædificandam, vires ad discipulatum Christi obtinendum : et decem millia præliaturi cum rege qui habebat viginti millia, simplicitatem christiani dimicaturi cum duplicitate diaboli, hoc est cum dolis et fallaciis ejus, in affectu constituit [2] renuntiantis omnibus quæ sunt ejus. Ita enim concludit : *Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ sunt ejus, non potest meus esse discipulus.* Inter quæ omnia etiam ipsa temporalis vita intelligatur necesse est, quam oportet sic possidere ad tempus, ut non te impediat ab æterna, qui eam fuerit minatus auferre. Sicut autem de turri non perfecta, per opprobrium deterruit dicentium, *Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare :* sic in rege cum quo dimicandum est, ipsam pacem accusavit, cum ait, *Adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea quæ sunt pacis;* significans etiam minas imminentium a diabolo tentationum, non sustinere homines qui non renuntiant omnibus quæ possident, et pacem cum eo facere consentiendo illi ad committenda peccata. Turrem quippe ædificare, et contra regem illum dimicare, esse discipulum Christi est : habere autem sumptus ad perficiendam turrem, et habere fortia decem millia contra viginti millia regis, renuntiare est omnibus quæ sunt ejus.

XXXII. [Ib. XIV, 34, 35, XV, 4-10.] Salem infatuatum, apostatam : Ovem perditam, omnes peccatores dixit, qui per pœnitentiam reconciliantur Deo. Quam humeris suis portat, quia humiliando se tales erexit. Ideo autem illas nonaginta novem dixit, quas reliquit in deserto, quia superbos significant, tanquam solitudinem gerentes in animo, dum solos se videri volunt, quibus ad perfectionem unitas deest. Cum enim quisque a vera unitate divellitur, superbia divellitur: suæ quippe potestatis esse cupiens, non sequitur unum, quod Deus est. Ideoque et in nonaginta novem ovibus et in novem drachmis ponit eorum significationem, qui de se præsumentes peccatoribus ad salutem redeuntibus se præponunt. Unum enim deest ad novem ut decem sint, et ad nonaginta novem ut centum sint. Et si per cæteros numeros hoc consideres. Nam et nongentis nonaginta novem, unum deest ut mille sint, et ad novem millia nongento nonaginta novem, unum deest ut decem millia sint. Variari ergo per brevitatem et magnitudinem numeri possunt, quibus unum deest ut perficiantur : ipsum vero unum sine varietate in se manens cum accesserit perficit, cui deputat omnes per pœnitentiam reconciliatos, quæ humilitate obtinetur.

XXXIII. [Ib. XV, 11-32.] Homo habens duos filios, Deus ad duos populos intelligitur, tanquam stirpes duas generis humani : unam eorum qui permanserunt in unius Dei cultu, alteram eorum qui usque ad colenda idola deseruerunt Deum. Ab ipso autem exordio creaturæ mortalium consideratio debet intendi. Major ergo filius ad cultum unius Dei pertinet. Minorem in regionem longinquam profectum esse dicit. Petiit enim ut sibi pars substantiæ quæ cum tangeret, daretur a patre, tanquam anima potestate sua delectata, id quod illi est vivere, intelligere, meminisse, ingenio alacri excellere : omnia ista divina sunt munera, quæ in potestatem accipiens per liberum arbitrium, quia divisit pater liberis substantiam, minor filius in regionem longinquam profectus est, male utendo naturalibus bonis, eo ipso quod patrem deseruit cupiditate fruendi creatura, relicto ipso Creatore.

Quod non post multos dies dixit factum, ut congregatis omnibus peregre proficisceretur in regionem longinquam : quia non multo post institutionem humani generis placuit animæ per liberum arbitrium ferre secum quamdam velut potentiam naturæ suæ, et deserere eum a quo condita est, præfidens viribus suis; quas vires tanto consumit citius, quanto eum deserit a quo datæ sunt. Itaque hanc vitam prodigam vocat, amantem fundere atque spatiari pompis exterioribus, intus inanescentem, cum ea quisque sequitur quæ ab illa procedunt, et relinquit eum qui sibi est interior. Regio itaque longinqua, oblivio Dei est. Fames autem in illa regione, est indigentia verbi veritatis. Unus civium regionis illius, aliquis aerius princeps ad militiam diaboli pertinens. Villa ejus, modus potestatis ejus. Porci, immundi spiritus qui sub ipso essent. Siliquæ quibus porcos pascebat, sæculares doctrinæ, sterili vanitate resonantes; de quibus laudes idolorum fabularumque ad deos Gentium

[1] Editi, refragantibus Mss. addunt hic, *assimilavit :* pro quo subaudiendum est, comparamus. Et mox Rat. Am. et Er. habent, *terrenis opinionibus vel operibus.*

[2] Sic Ven. et Lov. dant hunc locum : *vires sunt... ostendunt simplicitatem christiani populi... in affectu constituti.* Sic etiam Lugd., ea tamen discrepantia, quod uncis septæ sint hæ voces, *sunt*, *ostendunt*, *populi*. M.

(*a*) De reliqua parte hujus quæstionis nihil habet ipsius titulus in Elencho, supra, pag. 1324. Exstat tamen etiam apud Eugypium, cum titulo auctiore his verbis : « Et de hydropico, vel de muliere curvata. »

pertinentium vario sermone atque carminibus percrepant, quibus dæmonia delectantur : unde cum iste saturari cupiebat, aliquid solidum et rectum quod ad beatam vitam pertineret, invenire volebat in talibus, et non poterat. Hoc est enim quod ait, *Et nemo illi dabat.*

In se autem reversus, jam scilicet ab eis quæ forinsecus frustra illiciunt et seducunt, in conscientiæ interiora reducem faciens intentionem suam, *dixit, Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus?* Unde hoc scire poterat, in quo erat tanta oblivio Dei, sicut in omnibus idololatris fuit, nisi quia ista recogitatio jam resipiscentis est, cum Evangelium prædicaretur? Jam enim poterat talis animadvertere multos prædicare veritatem, inter quos quidam essent non ipsius amore veritatis ducti, sed cupiditate comparandorum sæcularium commodorum. De quibus dicebat Apostolus, esse quosdam qui Evangelium annuntiarent non caste (*Philipp.* I, 17), existimantes quæstum esse pietatem (I *Tim.* VI, 5). Non enim aliud annuntiabant, sicut hæretici; sed hoc quod apostolus Paulus, non eo tamen animo quo apostolus Paulus : unde et mercenarii recte appellantur, in eadem quidem domo eumdem panem verbi tractantes; non tamen in hæreditatem æternam vocati, sed temporali mercede conducti. De talibus dictum est, *Amen, dico vobis, perceperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 2). *Ego* ergo, inquit, *hic fame pereo.* Deinde ait, *Surgam*, quia jacebat : *et ibo*, quia longe aberat : *ad patrem meum*, quia sub principe porcorum erat. Cætera verba sunt pœnitentiam meditantis in confessione peccati, nondum tamen agentis. Non enim jam dicit patri, sed dicturum se esse promittit cum venerit. Intelligas igitur hoc nunc accipiendum esse venire ad patrem, in Ecclesia constitui per fidem, ubi jam possit esse peccatorum legitima et fructuosa confessio. Quid ergo patri dicturum se dicit? *Pater, peccavi in cœlum et coram te, et jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Utrum hoc est *Peccavi in cœlum*, quod est *Coram te;* ut cœlum appellaverit ipsam summitatem Patris : unde est etiam illud in Psalmo, *A summo cœlo egressio ejus* (*Psal.* XVIII, 7), cum ab ipso Patre vellet intelligi? An potius, *Peccavi in cœlum*, coram sanctis animis, in quibus est sedes Dei : *Coram te* autem, in ipso penetrali interiore conscientiæ?

Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset : antequam intelligeret Deum, sed tamen cum jam pie quæreret, *Vidit illum pater ipsius.* Impios enim et superbos convenienter non videre dicitur, tanquam ante oculos non habere : ante oculos enim haberi, nonnisi qui diliguntur, dici solent. *Et misericordia motus est : et accurrens cecidit super collum ejus.* Non enim Pater unigenitum Filium deseruit, in quo usque ad nostram longinquam etiam peregrinationem cucurrit atque descendit; quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (II *Cor.* V, 19) : et ipse Dominus ait, *Pater in me manens ipse facit opera sua* (*Joan.* XIV, 10). Quid est autem, super collum ejus cadere, nisi inclinare et humiliare in amplexum ejus brachium suum? *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isai.* LIII, 1)? quod est utique Dominus noster Jesus Christus. *Et osculatus est illum.* Consolari verbo gratiæ Dei ad spem indulgentiæ peccatorum, hoc est, post longa itinera remeantem mereri a patre osculum charitatis. Et incipit jam peccata constitutus in Ecclesia confiteri. Nec dicit omnia quæ dicturum se esse promiserat, sed usque ad illud, *Non sum dignus vocari filius tuus.* Hoc enim vult fieri per gratiam, quo se indignum esse per merita fatetur. Non addit quod in illa meditatione dixerat, *Fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Cum enim panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat : quod post osculum patris generosissime jam dedignatur.

Stola prima, est dignitas quam perdidit Adam. Servi qui eam proferunt, reconciliationis prædicatores. Annulus in manu, pignus Spiritus sancti propter gratiæ partitionem [1], quæ digito bene significatur. Calceamenta in pedes, præparatio evangelizandi ad non tangenda terrena. Vitulus saginatus, ipse idem Dominus, sed secundum carnem satiatus opprobriis. Quod autem imperat ut adducant eum, quid aliud, nisi ut prædicent eum, et annuntiando venire faciant in exhausta fame viscera filii esurientis? Nam etiam ut occidant eum jubet, hoc est, ut mortem ejus insinuent : tunc enim cuique occiditur, cum credit occisum. *Et epulemur*, inquit : hoc ad lætitiam valet, propter illa quæ consequenter dicit, *Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est.* Et istæ epulæ atque festivitas nunc celebrantur, per orbem terrarum Ecclesia dilatata atque diffusa. Vitulus enim ille in corpore et sanguine Dominico et offertur Patri, et pascit totam domum.

Cum interea major filius, populus Israel secundum carnem, non quidem profectus in longinquam regionem, sed tamen in domo non est. In agro autem est, id est, in ipsa hæreditaria opulentia Legis et Prophetarum terrena potius operatur, et in quibuscumque Israeliticis considerationibus [2]. Nam multi tales inventi sunt in eis, et sæpe inveniuntur. Veniens de agro domui propinquare cœpit, id est, labore servilis operis improbato, ex iisdem Scripturis Ecclesiæ libertatem consideravit. Audit symphoniam et chorum, scilicet Spiritu plenos [3] vocibus consonis Evangelium prædicare : quibus dictum est, *Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes* (I *Cor.* I, 10). Audit quoque concorditer conversantium animam et cor unum in laudes Dei. Vocat unum de servis, et interrogat quæ illa sint : sumit utique ad legendum aliquem Prophetarum, et in eo quærens, quodammodo interrogat unde ista festa in Ecclesia celebrantur, in qua se esse non videt. Respondet ei servus patris propheta : *Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia sal-*

[1] Lov., *participationem.* Alii codices, *partitionem :* melius, uti supra, quæst. 17.
[2] Sic Rat. et quatuor Mss. At Am. et Er., *Israelitis consideratoribus.* Lov., *Israelitis considerationibus.* Ms. Michaelinus *Israelitis consideratioribus.*
[3] Rat. et duo Mss., *Spiritu sancto plenos.*

vum illum recepit. In extremis enim terræ fuit frater tuus. Sed inde major exsultatio cantantium Domino canticum novum, quia laus ejus ab extremis terræ (*Isai.* XLII, 10); et propter eum qui absens erat, occisus est vir in plaga positus, et sciens ferre imbecillitatem (*Id.* LIII, 3); quia quibus non est narratum de eo, viderunt; et qui non audierunt, intellexerunt (*Id.* LII, 15).

Sed indignatur etiam nunc, et adhuc non vult introire. Cum ergo plenitudo Gentium intraverit, egredietur opportuno tempore pater ejus, ut et jam omnis Israel salvus fiat : cui ex parte cæcitas facta est velut absentia in agro, donec plenitudo filii minoris longe in idololatria Gentium constituti redux ad manducandum vitulum intraret (*Rom.* XI, 25). Erit enim quandoque aperta vocatio Judæorum in salutem Evangelii. Quam manifestationem vocationis, tanquam egressum patris appellat ad rogandum majorem filium.

Deinde quæ respondet idem major filius, duas quæstiones habent : quomodo videlicet accipiatur ille populus nunquam mandatum Dei præteriisse; et quem dicat hædum quem nunquam accepit, ut cum amicis suis epularetur. Sed de mandato non prætergresso facile illud occurrit, neque de omni mandato dictum esse, sed de uno maxime necessario, quo nullum Deum alium præter unum Creatorem omnium colere jussus est (*Exod.* XX, 3) : neque iste filius in omnibus Israelitis, sed in his intelligitur habere personam, qui nunquam ab uno Deo ad simulacra conversi sunt. Quanquam enim tanquam in agro positus iste filius terrena desideraret, ab uno tamen Deo ista desiderabat bona, quamvis communia cum pecoribus. Unde in Psalmo ex persona Synagogæ, quod interpretatur Asaph, convenienter accipitur dictum, *Quasi pecus factus sum ad te, et ego semper tecum* (*Psal.* LXXII, 23). Quod etiam patris ipsius testimonio comprobatur, cum dicit, *Tu mecum es semper.* Non enim quasi mentientem redarguit, sed secum perseverantiam ejus approbans, ad perfructionem potioris atque jucundioris exsultationis invitat.

Quis est ergo hædus quem nunquam accepit ad epulandum? Peccator profecto hædi nomine significari solet. Sed absit ut Antichristum intelligam. Non enim exitum invenio hujusce sententiæ. Multum enim absurdum est, eum cui dicitur, *Tu mecum es semper,* hoc a patre optasse, ut Antichristo crederet. Neque omnino in eis Judæorum, qui Antichristo credituri sunt, istum filium fas est intelligi. Quomodo autem epularetur ex illo hædo, si ipse esset Antichristus, qui ei non crederet? Aut si hoc est epulari ex hædi occisione, quod est de Antichristi perditione lætari, quomodo dicit filius quem recepit pater hoc sibi non fuisse concessum, cum omnes filii Dei de illius adversarii damnatione lætaturi sint? Nimirum ergo (quod in re obscurissima sine præjudicio diligentioris inquisitionis dixerim) ipsum Dominum sibi negatum ad epulandum conqueritur, dum eum peccatorem putat. Cum enim hædus est illi genti, id est, cum eum sabbati violatorem et profanatorem Legis existimat, jucundari epulis ejus non meruit : ut quod ait, *Nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer;* tale sit ac si diceret, eum qui mihi hædus videbatur, nunquam dedisti mihi ad epulandum, eo ipso mihi illum ipsum non concedens, quo mihi hædus videbatur. Quod autem dicit, *cum amicis meis,* aut ex persona principum cum plebe intelligitur, aut ex persona populi Jerosolymitani cum cæteris populis Juda. Meretrices autem cum quibus dissipasse substantiam suam filius junior accusatus est, recte intelliguntur superstitiones, relicto uno connubio legitimo verbi Dei, cum turba dæmoniorum cupiditate turpissima fornicari.

Quid deinde sibi vult quod cum pater diceret, *Tu mecum es semper,* quod jam tractatum est, addidit, *Et omnia mea tua sunt?* Qua in re primo cavendum est ne intelligas ita dictum, *omnia mea tua sunt,* quasi non sint et fratris, ut tanquam in terrena hæreditate, patiaris angustias, quomodo possint omnia esse majoris, si habet ibi etiam junior partem suam. Sic enim a perfectis et perpurgatis, ac jam immortalibus filiis habentur omnia, ut sint et omnium singula, et omnia singulorum. Ut enim cupiditas nihil sine angustia, ita nihil cum angustia charitas tenet. Sed quomodo omnia? Num et Angelos, ait aliquis, et Virtutes sublimes ac Potestates, atque universa cœlestia Dei ministeria Deus in possessionem tali filio subjecisse putandus est? Si possessionem sic accipias, ut ejus possessor ipse sit dominus; non utique omnia. Non enim domini erunt, sed consortes potius Angelorum, de quibus dictum est, *Erunt æquales Angelis Dei* (*Matth.* XXII, 30). Sin vero possessio sic intelligitur, quomodo recte dicimus possidere animas veritatem; non invenio cur non vere ac proprie accipere possimus omnia quæ dicta sunt omnia. Non enim illud ita loquimur, ut dominas veritatis dicamus animas, quam ab eis dicimus possideri. Aut si nomine possessionis ad hunc sensum impedimur, id quoque auferatur. Non enim ait pater, Omnia in possessionem tibi dabo, sive, Omnia mea possides vel possidebis; sed, *Omnia mea tua sunt.* Nec tamen ita sunt ejus, ut ipsius Dei. Quod enim est in nostra pecunia, potest familiæ nostræ vel alimentum esse vel ornamentum, vel aliquid hujusmodi. Et certe cum ipsum patrem recte ille posset suum dicere, non video quæ ipsius recte sua vocare non possit, diversis duntaxat modis. Cum enim beatitatem illam obtinuerimus, nostra erunt ad videndum superiora, nostra erunt ad convivendum æqualia, nostra erunt ad dominandum inferiora. Congaudeat ergo securissimus major frater, quia junior frater *mortuus erat, et revixit; perierat, et inventus est.*

XXXIV. [Ib. XVI, 1-9.] In villico quem Dominus ejiciebat de villicatu, et laudavit eum quod in futurum sibi prospexerit, non omnia debemus ad imitandum sumere. Non enim aut Domino nostro facienda est in aliquo fraus, ut de ipsa fraude eleemosynas faciamus : aut eos a quibus recipi volumus in tabernacula æterna, tanquam debitores Dei et Domini nostri fas

est intelligi; cum justi et sancti significentur hoc loco, qui eos introducant in tabernacula æterna, qui necessitatibus suis terrena bona communicaverint ; de quibus etiam dicit, quod si quis alicui eorum calicem aquæ frigidæ dederit tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam (*Matth.* x, 42) : sed etiam e contrario ducuntur istæ similitudines, ut intelligamus, si laudari potuit ille a Domino qui fraudem faciebat, quanto amplius placeant Domino Deo, qui secundum ejus præceptum illa opera faciunt ; sicut etiam de judice iniquitatis qui interpellabatur a vidua, comparationem duxit ad judicem Deum, cui nulla ex parte judex iniquus conferendus est (*Luc.* xviii, 2-8). Quod autem de centum cadis olei, quinquaginta scribi fecit a debitore ; et de centum coris tritici, octoginta ; ad nihil aliud valere arbitror, nisi ut ea quæ similiter atque in Levitas Judæi, quisque operatur in Christi Ecclesiam [1], abundet justitia ejus super Scribarum et Pharisæorum (*Matth.* v, 20), ut cum illi decimas darent, isti dimidias dent : sicut non de fructibus, sed de ipsis bonis suis fecit Zacchæus (*Luc.* xix, 8) ; aut certe duplicet decimam, ut duas decimas dando superet impendia Judæorum. Mammona vero iniquitatis ob hoc a Domino appellata est ista pecunia, quam possidemus ad tempus, quia Mammona divitiæ interpretantur, nec sunt istæ divitiæ nisi iniquis, qui in eis constituunt spem atque copiam beatitudinis suæ : a justis vero cum hæc possidentur, est quidem ista pecunia, sed non sunt illis divitiæ nisi cœlestes et spirituales, quibus indigentiam suam. spiritualiter supplentes exclusa egestate miseriæ, beatitudinis copia ditantur.

XXXV. [Ib. xvi, 12.] Quod dicit, *Si in alieno fideles non fuistis*, alienas appellat terrenas facultates ; quia nemo eas secum moriens aufert. Hoc est quod dicit David : *Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus ; quoniam non, cum morietur, accipiet omnia, neque simul descendet cum eo gloria ejus* (*Psal.* xlviii, 17, 18).

XXXVI. [Ib. xvi, 13.] Quod ait, *Aut unum odiet, et alterum diliget; aut uni adhærebit, et alterum contemnet*, non sine consideratione distinguenda sunt. Non enim passim aut quasi temere dicta sunt. Nemo enim interrogatus utrum diligat diabolum, respondet se diligere, sed potius odisse : Deum autem se diligere omnes fere proclamant. Ergo aut unum odiet, et alterum diliget, ut fieri debet : odiet scilicet diabolum, diliget Deum. Quod vero adjunxit, *Aut alteri adhærebit, et alterum contemnet :* adhærebit scilicet diabolo, cum quasi ejus præmia temporalia sectatur ; contemnet autem Deum. Non dixit, odiet, sed *contemnet :* sicut solent minas ejus postponere cupiditatibus suis, qui de bonitate ejus ad impunitatem sibi blandiuntur. Quibus per Salomonem dicitur : *Fili, ne adjicias peccatum super peccatum, et dicas, Miseratio Dei magna est* (*Eccli.* v, 5, 6).

[1] Ita melioris notæ Mss. necnon Rat. Am. et Er., nisi quod in his editionibus pro, *Ecclesiam*, legitur, *Ecclesia.* At apud Lov. habetur sic : *Quæ similiter in sacerdotes, atque in levitas Judæi, quisque operatur in Christi Ecclesia.*

XXXVII. [Ib. xvi, 16.] *Regnum cœlorum vim patitur, et qui vim faciunt, diripiunt illud* (*Matth.* xi, 12). Non solum ut quisque ista contemnat, sed etiam linguas deridentium se talia contemnentem : hac enim vi facta invadit quodammodo quasi prædator violentus regnum cœlorum. Hoc enim subjunxit Evangelista, cum dixisset derisum fuisse Jesum a Pharisæis, cum de contemnendis terrenis divitiis loqueretur.

XXXVIII. [Ib. xvi, 19-31.] *Homo quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide*, et cætera. Per allegoriam sic accipi possunt, ut in divite intelligantur superbi Judæorum, ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere (*Rom.* x, 3). Purpura et byssus, dignitas regni est. *Et auferetur*, inquit, *a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti justitiam* (*Matth.* xxi, 43). Epulatio splendida, jactantia Legis est, in qua gloriabantur plus ad pompam elationis abutentes ea, quam ad necessitatem salutis utentes. Mendicus autem nomine Lazarus, quod interpretatur Adjutus, significat indigentem, veluti gentilem aliquem aut publicanum, qui tanto magis adjuvatur, quanto minus de suarum copia facultatum præsumit. Tales erant duo qui orabant in templo ; unus publicanus, et alius pharisæus. Dives ergo dicit tanquam satiatus justitia, non inter illos beatos numerandus qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Id.* v, 6) : *Gratias tibi ago, quia non sum sicut publicanus iste.* Pauper autem qui se adjuvari desiderat, dicit : *Propitius esto mihi peccatori* (*Luc.* xviii, 10-13). Desiderat tamen saturari de micis quæ cadunt de mensa divitis jacens ad januam. Non enim admittebatur ad epulas ejus, qui nec bene illis utebatur, nec egenti dabat ; tanquam Scriba claves habens regni cœlorum, nec ipse intrans, nec alios intrare permittens (*Id.* xi, 52). Micæ cadentes de mensa divitis, sunt quædam verba Legis, quæ illi jactantes quasi projiciebant in terram, cum superbe populo loquerentur. Ulcera, sunt confessiones peccatorum, velut mali humores a visceribus intimis foras erumpentes. Canes qui ea lingebant, nequissimi homines amantes peccata, qui lata lingua etiam laudare non cessant opera mala, quæ in se alius gemens et confitens detestatur. Sinus Abrahæ, requies beatorum pauperum, quorum est regnum cœlorum, in quo post hanc vitam recipiuntur. Sepultura inferni, pœnarum profunditas, quæ superbos et immisericordes post hanc vitam vorat. Quos tamen Dominus in ista narratione dicit videre de longinquo atque sentire beatorum requiem, quo sane transire non possunt.

Quod autem linguam sibi vult refrigerari, cum in flamma utique totus arderet, significat quod scriptum est, *Mors et vita in manibus linguæ* (*Prov.* xviii, 21) : et quia *ore confessio fit ad salutem* (*Rom.* x, 10), quod per superbiam ille non fecit. Extremum autem digiti, vel minimam operationem misericordiæ significat, qua per Spiritum sanctum subvenitur. Cum autem ei dicitur, *Recepisti bona in vita tua*, illud tangitur, quia felicitatem dilexit sæculi, nec aliam vitam præter

istam in qua superbus tumebat, adamavit. Lazarum autem mala dicit recepisse, quia intellexit hujus vitæ mortalitatem, labores; dolores, et ærumnas, pœnas esse peccati : de quo scriptum est, *Eramus et nos naturaliter filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3); de quo iterum scriptum est, nec infantem cujus est unius diei vita super terram mundum esse a peccato (*Job* XIV, 4, *sec.* LXX), quia omnes utique in Adam morimur (I *Cor.* XV, 22), qui factus est transgressione mortalis.

Quod autem dicit, ad ea loca in quibus torquentur impii, justos, etiam si velint, non posse transire, quid aliud significat, nisi post hanc vitam ita receptis in carcere, ut non inde exeant donec reddant novissimum quadrantem (*Matth.* V, 26), per incommutabilitatem divinæ sententiæ, nullum auxilium misericordiæ posse præberi a justis, etiam si eam velint præbere? Quo admonet scilicet ut in hac vita homines subveniant quibus possunt, ne postea etiam si optime recepti fuerint, eis quos diligunt opitulari non valeant. Illud enim quod scriptum est, *Ut et ipsi recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI, 9), non de superbis et immisericordibus scriptum est, qualis iste dives fuisse demonstratur, quod recipi a sanctis in illa tabernacula mereantur; sed de his qui sibi amicos officiosissimis operibus misericordiæ fecerint: quanquam nec ipsos justi velut propria potestate quasi gratificando recipiant; sed promissione atque permissione illius qui eos consilio præmonuit ut sibi amicos facerent, et qui seipsum pasci, vestiri, hospitio recipi, visitari in unoquoque minorum suorum, liberatoris bonitate dignatus est. Quanquam illa receptio, utrum statim post istam vitam fiat, an in fine sæculi in resurrectione mortuorum atque ultima retributione judicii, non minima quæstio est : sed quandolibet fiat, certe de talibus qualis ille dives insinuatur, nulla Scriptura fieri pollicetur.

Quinque autem fratres quos habere se dicit in domo patris sui, Judæos significant. Appellati enim sunt quinque, quia sub Lege detinebantur quæ per Moysen data est, qui libros quinque conscripsit. Quod vero Lazarum petit mitti ad fratres suos, sensit se utique indignum qui testimonium perhibeat veritati : et quia non impetraverat paululum se refrigerari [1], multo minus credit relaxari se posse ab inferis ad prædicationem veritatis. Quod Abraham dicit, *Si volunt credere, habent Moysen et Prophetas*, non istos Evangelio præposuit; sed quia Evangelium, sicut dicit Apostolus, testimonium habet a Lege et Prophetis (*Rom.* III, 21), illis credendo posse eos significat ad Evangelium pervenire : sicut alio loco ipse Dominus dicit, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi : ille enim de me scripsit* (*Joan.* V, 46). Denique ad hoc pertinet quod etiam postea dicit, *Si Moysen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent :* quia eum prænuntiaverunt Moyses et Prophetæ qui surrexit a mortuis, hoc ipsum etiam de illo quod resurrecturus esset a mortuis, quibus non credendo utique nec Christo volunt credere. Multo minus ergo cuilibet possunt credere qui a mortuis resurrexerit, quando ei non credunt, cujus resurrectionem Moyses et Prophetæ prædicaverunt, quibus credere nolunt.

Aliter etiam intelligi potest ista narratio, ut per Lazarum Dominum significari accipiamus, jacentem ad januam illius divitis, quia se ad aures superbissimas Judæorum incarnationis humilitate dejecit : *cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis*, quærens ab eis vel minima opera justitiæ, quæ suæ mensæ, hoc est, suæ potestati per superbiam non usurparent; quæ opera misericordiæ atque humilitatis, quamvis minima et sine disciplina et perseverantia vitæ bonæ, saltem interdum vel casu facerent, sicut micæ de mensa cadere solent. Ulcera, passiones sunt Domini ex infirmitate carnis, quam pro nobis suscipere dignatus est. Canes ergo qui ea lingebant, Gentes sunt, quos homines peccatores et immundos dicebant Judæi, et tamen passiones Domini in Sacramentis corporis et sanguinis ejus, per totum jam orbem suavitate lambunt devotissima. Jam sinus Abrahæ intelligitur secretum Patris quo post passionem resurgens assumptus est Dominus : quo eum portatum ab Angelis ideo dictum puto, quia ipsam receptionem qua in secretum Patris abscessit, Angeli annuntiaverunt discipulis intuentibus. Dicendo enim, *Quid statis aspicientes in cœlum* (*Act.* I, 11)? quid aliud dixerunt, nisi nullo modo posse oculos hominum usque in illud penetrare secretum quo ibat Dominus, cum in conspectu discipulorum ferretur in cœlum? Jam cætera secundum superiorem expositionem accipi possunt : quia secretum Patris bene intelligitur, ubi etiam ante resurrectionem justorum animæ vivunt cum Deo. Tanto enim verius ubique est Deus, quanto nullo continetur loco, sicut et latroni dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43) : unde nunquam recessit Dei filius, quamvis ab hominibus per susceptam carnem in civitate Judæorum tanta pateretur.

XXXIX. [Ib. XVII, 5-10.] Quod dixerunt discipuli Domino, *Adauge nobis fidem*, potest quidem intelligi hanc fidem sibi eos augeri postulasse, qua creduntur ea quæ non videntur : sed tamen dicitur etiam fides rerum, quando non verbis, sed rebus ipsis præsentibus creditur; quod futurum est, cum jam per speciem manifestam se contemplandam præbebit sanctis ipsa Dei Sapientia per quam facta sunt omnia (*Psal.* CIII, 24). De qua fide rerum lucisque illius præsentatæ [1] forsitan Paulus apostolus dicit : « Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem » (*Rom.* I, 17). Dicit enim et alio loco : « Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur de gloria in gloriam, tanquam a Domini Spiritu » (II *Cor.* III, 18). Sicut enim hic ait, *de gloria in gloriam*; ita et ibi, *ex fide in fidem* : de gloria scilicet Evangelii, quo nunc credentes illuminantur, in gloriam ipsius incommutabilis et manifestæ

[1] Mss. *paululum sibi refrigerari.* Forte, *palatum sibi*, etc.

[1] Quatuor Mss. *præsentia.*

veritatis, qua tunc commutati perfruentur; ita ex fide verborum quibus nunc credimus quod nondum videmus, in fidem rerum qua in æternum quod nunc credimus, obtinebimus. Secundum sententiam hanc etiam illud dictum est a Joanne in Epistola ad Parthos: *Dilectissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Unde enim *nunc filii Dei sumus*, nisi quia potestatem dedit nobis filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus (*Joan.* I, 12), ut videamus in ænigmate (I *Cor.* XIII, 12)? unde autem tunc *similes ei erimus*, nisi quoniam, ut ipse ait, *videbimus eum sicuti est?* Quod etiam dictum est, *Tunc autem facie ad faciem.*

Illam ergo fidem præsentissimæ veritatis plerisque non intelligentibus videri potest Dominus noster, discipulis suis non ad id quod petiverant respondisse. Cum enim dixissent Domino, *Adauge nobis fidem*, ait illis: « Si haberetis fidem tanquam granum sinapis, diceretis huic arbori moro, Eradicare et transplantare in mare, et obediret vobis. » Deinde sequitur: « Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicet illi statim, Transi, recumbe; et non dicet ei, Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi donec manducem et bibam, et post hæc tu manducabis et bibes? Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ sibi imperaverat? Non puto. Sic et vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi supervacui sumus; quod debuimus facere fecimus. » Quid hæc pertineant ad id quod dictum est Domino, *Adauge nobis fidem*, difficile apparet, nisi intelligamus ex fide in fidem, id est, ex fide ista in qua ministratur Deo, in illam fidem eos significasse transferri ubi fruantur Deo. Augebitur enim fides, cum primo verbis prædicantibus, deinde rebus apparentibus credetur. Sed illa contemplatio summam quietem habet, quæ in æterno Dei regno tribuitur; summa vero quies illa, præmium est justorum laborum, qui in Ecclesiæ ministratione peraguntur. Et ideo, quamvis in agro aret servus aut pascat, hoc est, in vita sæculari vel terrena verset negotia, vel stultis hominibus tanquam pecoribus serviat; opus est ut post illos labores domum veniat, hoc est, Ecclesiæ societur; laboret etiam ibi ministrans Domino suo donec manducet et bibat (nam et esuriens ille quæsivit poma in arbore [*Matth.* XXI, 18, 19], et a Samaritana aquam sitiens postulavit [*Joan.* IV, 7]): manducet ergo et bibat confessionem et fidem gentium, ministrantibus, hoc est, evangelizantibus servis suis. Quo pertinet etiam illud quod de grano sinapis eis primo respondit, prius illos fidem habere debere præsenti vitæ necessariam, quæ minima videtur quamdiu thesaurus est in vasis fictilibus, sed vi maxima effervet et germinat. Dominus noster Jesus Christus, qui vult pasci ministerio servorum suorum, hoc est, in suum corpus quasi mactatos et manducatos transferre credentes, etiam hic pascit eos verbo fidei et sacramento passionis suæ. Non enim venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX, 28). Dicant ergo illi servi per sinapis granum arbori huic moro, hoc est, ipsi Evangelio crucis dominicæ, per poma sanguinea, tanquam vulnera in ligno pendentia, victum populis præbitura [1]; dicant ergo illi ut eradicetur de perfidia Judæorum, et in mare Gentium transferatur atque plantetur: hac enim domestica servitute esurienti et sitienti Domino ministrabunt. Tunc demum quærant escis incorruptibilibus in æternum divinæ Sapientiæ perfrui, cum dixerint, *Servi supervacui sumus, quod debuimus facere, fecimus*: nihil nobis operis restat; cursum consummavimus, agonem perfecimus, superest nobis corona justitiæ (II *Tim.* IV, 7, 8). Omnia enim dici possunt de illa ineffabili perfructione veritatis: et tanto magis omnia dici possunt, quanto minus digne dici aliquid potest. Nam et lux est illuminatorum, et requies exercitatorum, et patria redeuntium, et esca indigentium, et corona vincentium: et quæcumque bona temporaliter transeuntia per creaturæ partes error appetit infidelium, veriora in æternum manentia in Creatore omnium simul inventura est pietas filiorum.

XL. [Ib. XVII, 12-19.] In decem leprosis quos Dominus ita mundavit, cum ait, *Ite, ostendite vos sacerdotibus*, multa quæri possunt quæ merito quærentes movent. Non solum de numero quid sibi velint quod decem sunt, et quod unus ex illis solus gratias agit; hæc enim libere quæruntur, ut etiam non investigata, vel nihil vel non multum impediant intentionem legentis: sed illa potius, cur eos ad sacerdotes miserit, ut cum irent mundarentur. Nullum enim eorum quibus hæc corporalia beneficia præstitit, invenitur misisse ad sacerdotes, nisi leprosos. Nam et illum a lepra mundaverat cui dixit: *Vade, ostende te sacerdotibus, et offer pro te sacrificium quod præcepit Moyses, in testimonium illis* (*Luc.* V, 13, 14). Deinde qualis mundatio spiritualis possit intelligi eorum, quos ingratos exstitisse redarguit. Secundum corpus enim facile est videre posse hominem non habere lepram, et tamen animi esse non boni: secundum significationem autem hujus miraculi, conturbat considerantem, quomodo mundus dici possit ingratus.

Quærendum igitur est quid ipsa lepra significet. Non enim sanati, sed mundati dicuntur qui ea caruerunt: coloris quippe vitium est, non valetudinis aut integritatis sensuum atque membrorum. Leprosi ergo non absurde intelligi possunt, qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. Non enim vel abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem, et jactantia [2] sermonis ostentant. Nulla porro falsa doctrina est quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinate permixta, in una disputatione vel narratione hominis, tanquam in unius corporis colore apparentia, significant lepram, tanquam veris falsisque co-

[1] Rat. et Ms. Cisterciensis, *vinum populis præbitura*.
[2] Mss. nostri omnes, *jactantiam*: et paulo infra pro, *colorum fucis*, habent, *colorum locis*.

lorum fucis humana corpora variantem atque maculantem. Illi autem tam vitandi sunt Ecclesiæ, ut si fieri potest, longius remoti magno clamore Christum interpellent : sicut isti decem *steterunt a longe, et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri*. Nam et quod præceptorem vocant, quo nomine nescio utrum quisquam Dominum interpellaverit pro medicina corporali, satis puto significare lepram falsam esse doctrinam, quam bonus præceptor abstergit.

Sacerdotium vero Judæorum nemo fere fidelium dubitat figuram fuisse futuri sacerdotii regalis, quod est in Ecclesia, quo consecrantur omnes pertinentes ad corpus Christi, summi et veri principis sacerdotum. Nam nunc et omnes unguntur, quod tunc regibus tantum et sacerdotibus fiebat : et quod ait Petrus ad christianum populum scribens, *Regale sacerdotium* (I *Petr*. II,9); utrumque nomen illi populo convenire declaravit, quo illa unctio pertinebat. Cætera itaque vitia tanquam valetudinis et quasi membrorum animæ atque sensuum, per seipsum interius in conscientia et intellectu Dominus sanat et corrigit : doctrina vero vel imbuendi per Sacramenta, vel catechizandi per sermonem sonantem atque lectionem, ubi color quidam intelligitur verus atque sincerus, quia in promptu est et foris eminentissimus (non enim in occultis cogitationibus, sed in manifestis operationibus hæc aguntur), Ecclesiæ proprie contributa est. Itaque et Paulus voce Domini audita, *Quid me persequeris ?* et, *Ego sum Jesus, quem tu persequeris;* ad Ananiam tamen missus est, ut illo sacerdotio quod in Ecclesia constitutum est, sacramentum doctrinæ fidei perciperet, et verus ejus approbaretur color (*Act*. IX, 4-19). Non quia non potest per seipsum Dominus omnia facere ; nam quis alius hæc facit etiam in Ecclesia? sed ut ipsa societas congregatorum fidelium, approbando in invicem atque communicando veræ fidei doctrinam in omnibus quæ dicuntur verbis, vel signantur sacramentis, tanquam unam speciem veri coloris obducat. Ad hoc etiam pertinet quod idem dicit apostolus : « Deinde post annos quatuordecim ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem ; et exposui eis Evangelium quod prædico in gentibus, seorsum autem iis qui videbantur [1] : ne forte in vacuum curro, aut cucurri.» Et paulo post : « Cum cognovissent, inquit, gratiam quæ data est mihi Jacobus, Petrus et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi et Barnabæ societatis (*Galat*. II, 1, 2, 9). Ipsa enim collatio unam doctrinæ speciem exclusa omni varietate monstrabat : quod salubriter etiam Corinthios monet, dicens, *Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes* (I *Cor*. I, 10). Cornelius etiam cum eleemosynæ ejus acceptæ, et preces ejus auditæ illi ab angelo nuntientur, propter doctrinæ tamen Sacramentorumque unitatem ad Petrum jubetur mittere, tanquam illi et suis diceretur, *Ite, ostendite vos sacerdotibus*. Nam et cum irent, mundati sunt. Jam enim ad eos venerat Petrus, sed tamen ipsi nondum accepto Baptismatis sacramento, nondum spiritualiter ad sacerdotes pervenerant ; et tamen infusione Spiritus sancti, et admiratione linguarum eorum mundatio declarata est (*Act*. X, 44).

Quæ cum ita se habeant, jam facile est etiam illud videre, fieri posse ut quisque in Ecclesiæ societate doctrinam integram veramque assequatur, et omnia secundum catholicæ fidei regulam edisserat [1], distinguat a Creatore creaturam, eoque manifestetur varietate mendaciorum tanquam lepra caruisse : et tamen ingratus sit Deo et Domino mundatori suo; quia elatus superbia, gratiarum agendarum pia humilitate non sternitur, similisque efficitur illis de quibus dicit Apostolus, *Qui cum cognovissent Deum, non ut Deum magnificaverunt, aut gratias egerunt* (*Rom*. I, 21). Quod enim dicit eos Deum cognovisse, ostendit quidem a lepra fuisse mundatos, sed tamen statim accusat ingratos. Ideoque tales in novenario numero tanquam imperfecti remanebunt. Unum enim si addatur ad novem, quædam effigies unitatis impletur : quo fit tanta completio, ut ultra non progrediatur numerus, nisi rursus ad unum redeatur; et hæc per infinitatem numeri regula custodiatur. Novem itaque indigent uno, ut quadam unitatis forma coagulentur et decem sint : unum autem non eis indiget ut custodiat unitatem. Quamobrem, ut illi novem qui gratias non egerunt, reprobi effecti, a consortio unitatis exclusi sunt; ita unus ille qui gratias egit, unicæ Ecclesiæ significatione approbatus atque laudatus est. Et quia illi erant Judæi, amisisse per superbiam declarati sunt regnum cœlorum, ubi maxime unitas custoditur : iste vero qui erat Samaritanus, quod interpretatur Custos, illi a quo accepit tribuens quod accepit, et quodammodo cantans illud de Psalmo, *Fortitudinem meam ad te custodiam* (*Psal*. LVIII, 10); per gratiarum actionem regi subjectus, unitatem regni humili devotione servavit.

XLI. [Ib. XVII, 31.] Quid est quod dicit Dominus, *Qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, non descendat tollere illa? In tecto* est, qui excedens carnalia, tanquam in aura libera spiritualiter vivit. *Vasa ejus in domo*, sunt sensus carnales, quibus ad investigandam veritatem, quæ intellectu capitur, multi utentes penitus erraverunt. Hujus ergo spiritualis viri jam vasa ista vacant in domo; quia mente corpori supereminens per aciem intelligentiæ tanquam in tecto positus, perspicuitate sapientiæ veluti cœlo apertissimo fruitur. Caveat ergo iste, ne in die tribulationis rursus vita carnali, quæ per sensus corporis pascitur, delectatus, ad vasa hujusmodi tollenda descendat.

[1] Editi, *videbantur esse aliquid*. Mss. quatuor, *videntur*. Qui codices, aliique e Mss. non addunt, *esse aliquid* : quod etiam ab antiquis Corbeiensibus versionis Vulgatæ Bibliis abest; neque in græco textu Apostoli est nisi, *tois dokoûsi*, id est, juxta Augustini expositionem in Epistola ad Galatas, eis qui eminebant in Ecclesia.

[1] Tres probæ notæ Mss., *secundum catholicæ regulam edisserat ;* omisso, *fidei*. Alius, *secundum catholicam regulam edisserat*.

XLII. [Ib. XVII, 31.] Quid est quod dictum est, *Et qui in agro fuerit, similiter non redeat retro?* Qui operatur in Ecclesia, sicut Paulus et Apollo plantat et rigat (I *Cor.* III, 6), non respiciat spem sæcularem, cui renuntiavit.

XLIII. [Ib. XVII, 32.] Quid significavit uxor Loth? Eos qui in tribulatione retro respiciunt, et se ab spe divinæ promissionis avertunt. Et ideo statua salis facta est, ut admonendo homines ne hoc faciant, tanquam condiat cor eorum ne sint fatui.

XLIV. [Ib. XVII, 34, 35] Qui sunt *in illa nocte duo in lecto, et duæ molentes in unum, et duo in agro*, de quibus omnibus binis singuli assumentur, et singuli relinquentur? Tria genera hominum hic videntur significari : unum eorum qui otium et quietem eligunt, neque negotiis sæcularibus neque negotiis ecclesiasticis occupati; quæ illorum quies lecti nomine significata est : alterum eorum qui in plebibus constituti reguntur a doctioribus [1], agentes ea quæ sunt hujus sæculi; quos et feminarum nomine significavit, quia consiliis, ut dixi, peritorum, regi eis expedit; et molentes dixit, propter temporalium negotiorum orbem atque circuitum; quas tamen in unum molentes dixit, in quantum de ipsis rebus et negotiis suis præbent usibus Ecclesiæ : tertium eorum qui operantur in Ecclesiæ ministerio tanquam in agro Dei, de qua agricultura Apostolus loquitur (I *Cor.* III, 9, 9). In his ergo tribus generibus bina sunt rursus genera hominum in singulis, et pro robore suarum virium discernuntur. Cum enim omnes ad Ecclesiæ membra pertinere videantur, adveniente tamen tentatione tribulationis, et ex illis qui sunt in otio, et ex illis qui sunt in negotiis sæculi, et ex illis qui Deo ministrant in Ecclesia, aliqui permanent, aliqui cadunt : qui permanent assumuntur, qui cadunt relinquuntur. Ergo *unus assumetur, et unus relinquetur*, non quasi de duobus hominibus dictum est, sed de duobus generibus affectionum, in singulis generibus trium professionum. *In illa* ergo *nocte* dixit, in illa tribulatione.

Ad ipsa tria genera quæ assumuntur, pertinere arbitror etiam tria illa nomina virorum sanctorum, quos solos liberandos Ezechiel propheta pronuntiat, Noe, Daniel et Job (*Ezech.* XIV, 14). Videtur enim Noe pertinere ad eos per quos Ecclesia regitur; sicut per illum in aquis arca gubernata est (*Gen.* VII, 7), quæ figuram gestabat Ecclesiæ. Daniel autem, qui elegit cœlibem vitam, id est nuptias terrenas contempsit, ut, sicut dicit Apostolus, sine sollicitudine viveret, cogitans quæ sunt Dei (I *Cor.* VII, 32, 34), genus eorum significat qui sunt in otio, sed tamen fortissimi in tentationibus, ut possint assumi. Job autem quia uxorem et filios habuit, et amplas terrenarum rerum copias (*Job.* I, 1-3), ad illud genus pertinet, cui molendinum deputatum est, sed tamen ut sint fortissimi in tentationibus, sicut ille fuit; non enim aliter assumi poterunt. Nec puto esse alia genera hominum quibus constat Ecclesia, quam ista tria, habentia binas differentias, propter assumptionem et relictionem; quamvis in singulis multæ studiorum voluntatumque diversitates, ad concordiam tamen unitatemque concurrentes, possint inveniri.

XLV. [Ib. XVIII, 1-8.] Quid est quod ad semper orandum et non deficiendum, de judice iniquo voluit parabolam ponere, qui cum Deum non timeret, et hominem non revereretur, viduæ tamen assiduis interpellationibus cessit, ut eam vindicaret, ne sibi ab illa tædium fieret? Nam hoc est quod ait, *Ne veniens suggillet me.* Quoniam parabolas Dominus aut secundum similitudinem aliquam ponit; sicut de servo illo, cui dominus dimisit quod ratione reddita debere inventus est, et ipse conservo suo dilationem saltem dare noluit (*Matth.* XVIII, 23-35); et de feneratore, qui cum duobus debitoribus donasset quod debebant, ab eo plus dilectus est cui plus donavit (*Luc.* VII, 41-43); et de homine qui habebat duos filios, majorem in agro sibi propinquantem, minorem autem in longinquo luxuriantem (*Id.* XV, 11-32); et innumerabilia hujusmodi : de his enim, in quantum similia sunt, ducitur intellectus ejus rei, cui adhibentur, insinuandæ aut requirendæ [1]. Aut ex ipsa dissimilitudine aliquid probat, veluti est illud, *Quod si fenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, modicæ fidei* (*Matth.* VI, 30)? Ad hoc genus pertinet etiam illud quod de servo ait, cui dominus denuntiaverat ut a villicatu removeretur : fraudem quippe ille fecit domino suo, ut falsatis chirographis, debitoribus ejus, quantum commodum visum est, relaxaret. Neque ullo modo nos Dominus ut sibi fraudem faciamus hortatur : sed si qui fraudando sibi providit in posterum, laudatum eum dicit a domino; quanto majore alacritate sibi providere debent in æternam vitam, quibus ut juste operentur jubetur de mammona iniquitatis (*Luc.* XVI, 1)? quod suo loco expositum est (*Supra, quæst.* 34). Ad hoc genus pertinet et ille qui non propter amicitiam, sed ut tædio careret, jam dormiens excitatur, ut tres panes commodet amico suo. Si enim ille molestia compulsus dedit, quanto magis Deus, qui servos suos diligens, ut petamus hortatur, dabit bona petentibus se (*Matth.* VII, 7-11)? Itaque illud superius genus his verbis adjungi potest, Sicut illud, ita et illud : hoc autem posterius his verbis, Si illud, quanto magis illud? aut, Si non illud, quanto minus illud? sed alicubi obscure, alicubi aperte ista ponuntur. Hic ergo iniquus judex non ex similitudine, sed ex dissimilitudine adhibitus est, ut ostenderet Dominus quanto certiores esse debeant qui Deum perseveranter rogant, fontem justitiæ atque misericordiæ, vel si quid excellentius dici aut audiri potest, cum apud iniquissimum judicem usque ad effectum implendi desiderii valuerit perseverantia deprecantis.

Ipsa vero vidua potest habere similitudinem Ecclesiæ, quod desolata videtur donec veniat Dominus, qui tamen in secreto etiam nunc curam ejus gerit. Si au-

[1] Rat. et quinque Mss., *doctoribus*.

[1] Sic Mss. At editi, *cui adhibentur ad mysterium insinuandæ aut requirendæ veritatis.*

tem movet cur electi Dei se vindicari deprecentur, quod etiam in Apocalypsi Joannis de martyribus dicitur (*Apoc.* VI, 10), cum apertissime moneamur ut pro nostris inimicis et persecutoribus oremus (*Matth.* V, 44); intelligendum est eam vindictam esse justorum, ut omnes mali pereant: pereunt autem duobus modis; aut conversione ad justitiam, aut amissa per supplicium potestate, qua nunc adversus bonos, quamdiu hoc ipsum bonis expedit, vel temporaliter aliquid valent. Itaque etiamsi omnes homines converterentur ad Deum, inter quos sunt etiam inimici, pro quibus jubemur orare; diabolus tamen, qui operatur in filiis diffidentiæ (*Ephes.* II, 2), remaneret in sæculi fine damnandus: quem finem justi cum venire desiderant, quamvis pro inimicis suis orent, tamen non absurde vindictam desiderare dicuntur.

XLVI. [Ib. XIX, 12-27.] *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti:* ipse Dominus noster Jesus Christus intelligitur. Regio longinqua, Ecclesia Gentium usque ad fines terræ. Reverti tamen se dicit: abiit enim, ut plenitudo Gentium intraret; revertetur, ut omnis Israel salvus fiat (*Rom.* XI, 25). Per decem mnas, Legem significat propter Decalogum. Decem autem servos, quibus sub illa positis gratia prædicata est. Sic enim intelligendum est eis datas mnas ad usum, cum intellexerunt eam ipsam Legem remoto velamine ad Evangelium pertinere. Cives ejus qui post eum miserunt legationem, dicentes se nolle ut regnet sibi, Judæi sunt, qui etiam post resurrectionem ejus miserunt persecutores Apostolis [1], et prædicationem Evangelii respuerunt. Rediit autem accepto regno, quia in manifestissima et eminentissima claritate venturus est, qui eis humilis apparuit, cum diceret, *Regnum meum non est de hoc mundo* (*Joan.* XVIII, 36). Quod autem servi reddentes rationem ex eo quod acceperant, laudantur qui lucrati sunt, significat eos bonam reddere rationem, qui bene usi sunt eo quod acceperunt, ad augendas divitias Domini per eos qui credunt in eum. Quod qui facere nolunt, in illo significati sunt qui mnam suam in sudario servavit. Sunt enim homines hac sibi perversitate blandientes ut dicant: Sufficit ut de se unusquisque rationem reddat; quid opus est aliis prædicare aut ministrare, ut etiam de ipsis reddere rationem quisque cogatur, cum apud Dominum etiam illi sint inexcusabiles quibus Lex data non est, neque audito Evangelio dormierunt, quia per creaturam poterant cognoscere Creatorem, cujus invisibilia, a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur (*Rom.* I, 20)? Hoc est enim quasi metere ubi non seminavit; id est, etiam eos impietatis reos tenere, quibus verbum Legis aut Evangelii non ministratum est. Hoc autem veluti periculum judicii devitantes, pigro languore a verbi ministratione conquiescunt; et hoc est quasi in sudario ligare quod acceperunt. Mensam quo danda erat pecunia, professionem ipsam religionis accipimus, quæ tanquam publice proponitur ad usum necessarium saluti. Quod autem unus eorum qui bene usi sunt, decem acquisivit, et alter quinque, significat eos esse acquisitos in gregem Dei, a quibus ipsa Lex per gratiam intellecta est; sive quia Decalogo continetur, sive quia ille per quem lata est, libros quinque conscripsit: ad hoc pertinent et decem et quinque civitates, quibus eos præponit. Multiplicatio enim intelligentiæ in ipsa varietate, quæ de unoquoque præcepto vel de unoquoque libro pullulat, ad unum redacta, quasi civitatem facit viventium rationum æternarum. Est enim civitas, non quorumlibet animantium, sed rationalium multitudo, legis unius societate devincta. Quod autem ab illo qui uti noluit, aufertur quod acceperat, et ei datur qui decem habebat, significatur et illum posse amittere munus Dei, qui habens non habet, id est non utitur; et in eo augeri qui habens habet, hoc est bene utitur. Inimicos ergo suos quos jubet coram se interfici, significat impietatem Judæorum qui ad eum converti noluerunt.

XLVII. [Ib. XVIII, 25-27.] Quid est quod ait, *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei?* Divitem hic appellat cupidum rerum temporalium et de talibus superbientem. His divitibus contrarii sunt pauperes spiritu, quorum est regnum cœlorum (*Matth.* V, 3). Nam eo manifestatur omnes cupidos, etiamsi facultatibus hujus mundi careant, ad hoc genus divitum quod est reprehensum pertinere; quia postea dixerunt qui audiebant, *Et quis poterit salvus fieri?* cum incomparabiliter major turba sit pauperum: videlicet intelligentes in eo numero deputari etiam illos qui quanquam talia non habeant, tamen habendi cupiditate rapiuntur. Sensus est autem, facilius Christum pati pro dilectoribus sæculi, quam dilectores sæculi ad Christum posse converti. Cameli autem nomine se intelligi voluit, quia humiliatus onera sustulit. In quo enim manifestius intelligitur, quam in ipso, quod scriptum est, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccli.* III, 20)? Per acum autem, punctiones significat; per punctiones, dolores in passione susceptos: foramen ergo acus dicit angustias passionis. Quod autem ait, *Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum*, non ita accipiendum est, quod cupidi et superbi, qui nomine illius divitis significati sunt, in regnum cœlorum sint intraturi cum suis cupiditatibus et superbia: sed possibile est Deo, ut per verbum ejus, sicut et jam factum esse, et etiam quotidie fieri videmus, a cupiditate temporalium ad charitatem æternorum, et a perniciosa superbia ad humilitatem saluberrimam convertantur.

XLVIII. [Ib. XVIII, 35-43.] Possemus de propinquantibus ad Jericho sic intelligere, ut jam inde egressi, prope tamen adhuc essent ad eam civitatem: quod quidem minus usitate dicitur, sed tamen videri possit hoc dictum, quoniam Matthæus egredientibus eis ab Jericho dicit illuminatos duos cæcos qui juxta viam sedebant (*Matth.* XX, 29-34). De numero quippe nulla est quæstio, si alter Evangelistarum de uno ta-

[1] Rat. et duo Mss., *immiserunt persecutiones Apostolis:* moxque alii tres e Mss., *et prædicatores Evangelii*, etc.

cuit, unius reminiscens. Nam etiam Marcus unum commemorat, cum et ipse egredientibus eis ab Jericho dicat illuminatum, cujus et nomen dixit et patrem (*Marc.* x, 46-52) : ut intelligamus eum fuisse notissimum, alterum ignotum, ut merito ille notus etiam solus decenter commemoraretur. Sed quoniam quæ consequuntur in Evangelio secundum Lucam, apertissime ostendunt illud quod ipse narrat adhuc venientibus eis Jericho factum esse; nihil aliud restat intelligere, nisi bis esse factum hoc miraculum, semel in uno cæco, dum adhuc veniret in illam civitatem, et iterum in duobus cum inde egrederetur : ut illud unum Lucas, illud alterum Matthæus enarraret; neque hoc sine aliquo sacramento. Si enim Jericho Lunam, et ob hoc mortalitatem interpretamur, morti propinquans Dominus, Judæis solis lumen Evangelii jusserat prædicari, quos significavit ille unus cæcus quem Lucas commemorat : a morte autem resurgens atque discedens, et Judæis et Gentibus, quos duos populos significare videntur duo cæci commemorati a Matthæo.

[Ib. xix, 45, 46.] (*a*) Templum in Evangelio ipsum hominem intelliges, vel etiam adjuncto corpore ejus, quod est Ecclesia. Secundum autem illud quod est caput Ecclesiæ, dictum est, *Solvite templum hoc, et in triduo suscitabo illud.* Secundum id vero quod etiam adjuncta Ecclesia intelligitur templum, videtur dixisse, *Auferte ista hinc : scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam domum negotiationis*, vel *speluncam latronum* (*Joan.* ii, 19, 16). Significavit enim futuros in Ecclesia, qui sua negotia potius agerent, vel receptaculum ibi haberent ad occultanda scelera sua, quam ut charitatem Christi sequerentur, et peccatorum confessione accepta venia corrigerentur.

XLIX. [Ib. xx, 36.] Ad id quod dixit, *Non enim ultra incipiunt mori;* quia connubia propter filios, filii propter successionem, successio propter mortem : ubi ergo mors non est, neque connubia. Sicut enim nunc sermo noster decedentibus et succedentibus syllabis peragitur atque perficitur : ita et ipsi homines quorum sermo est, decedendo ac succedendo peragunt atque perficiunt ordinem hujus sæculi, qui temporalium rerum pulchritudine contexitur. In illa autem vita quoniam Verbum Dei quo fruemur, nulla decessione et successione syllabarum completur, sed omnia quæ habet semper manendo simul habet; ita participes ejus, quibus ipsum solum erit vita, neque moriendo sibi decedent, neque nascendo succedent.

L. [Ib. xxii, 40 *et* 41.] Quod dixit Dominus discipulis, *Orate ne intretis in tentationem : et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis :* tanquam hoc eos admonuerit, ut in eum dirigerent lapidem, id est, usque ad eum perducerent intentionem Legis, quæ scripta erat in lapide (*Exod.* xxxi, 18, *et* xxxiv, 4, 28). Usque ad illum enim potest pervenire ille lapis : quoniam finis Legis est Christus, ad justitiam omni credenti (*Rom.* x, 4).

LI. [Ib. xxiv, 28.] Quod scriptum est de Domino, *Finxit se longius ire*, non ad mendacium pertinet. Non enim omne quod fingimus mendacium est : sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium. Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia quæ a sapientibus et sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figurate dicta sunt, mendacia deputabuntur, quia secundum usitatum intellectum non subsistit veritas talibus dictis. Non enim homo qui habuit duos filios, quorum junior, accepta parte patrimonii sui, profectus est in regionem longinquam, et cætera quæ in illa narratione contexuntur (*Luc.* xv, 11-32), ita dicuntur tanquam vere fuerit quisquam homo qui hoc in filiis suis duobus aut passus sit, aut fecerit. Ficta sunt ergo ista ad rem quamdam significandam, tam longe lateque majorem, et tam incomparabiliter differentem, ut per illum fictum hominem Deus verus intelligatur. Sicut autem dicta, ita etiam facta finguntur sine mendacio ad aliquam rem significandam : unde est etiam illud ejusdem Domini, quod in fici arbore quæsivit fructum eo tempore quo illa poma nondum essent (*Marc.* xi, 13). Non enim dubium est illam inquisitionem non fuisse veram : quivis enim hominum sciret, si non divinitate, vel tempore, poma illam arborem non habere. Fictio igitur quæ ad aliquam veritatem refertur, figura est : quæ non refertur, mendacium est. Quid ergo significat quod se ire longius Dominus finxit, cum comitaretur discipulis, exponens eis sanctas Scripturas, utrum ipse esset ignorantibus? quid, putamus, nisi quia hospitalitatis officio ad suam cognitionem pervenire posse homines intimavit? ut cum longius ipse ab hominibus abscesserit super omnes cœlos, tamen ita cum eis sit qui hæc exhibent servis ejus, ut cum dicere cœperint, *Domine, quando te vidimus hospitem, et adduximus?* tanquam eum scilicet qui longe abscesserat : respondeat ille, *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv, 38, 40). Tenet ergo Christum ne longius ab illo eat, quisquis catechizatus verbo, in omnibus bonis ei qui se catechizat communicat; sicut Apostolus dicit, *Communicet qui catechizatur verbo* [1], *ei qui se catechizat, in omnibus bonis* (*Galat.* vi, 6) : et alio loco cum dixisset, *Necessitatibus sanctorum communicantes;* statim subjecit, *Hospitalitatem sectantes* (*Rom.* xii, 13). Et isti enim catechizati erant verbo, cum eis exponeret Scripturas, et quia hospitalitatem sectati sunt, eum quem in ipsa expositione Scripturarum non cognoverant, in panis fractione cognoscunt. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur (*Id.* ii, 13).

(*a*) Hanc in *templum* annotationem Augustinus in præfixo huic operi Quæstionum elencho non recenset. Apud Lov. incipit sic, « Templum in Evangelio ipsum Deum hominem factum intelliges : » at alii codices nec « Deum » addunt, nec « factum. »

[1] Sic Er. Lugd. Ven. Lov., et in aliis locis ipse Augustinus. In B., *verbum*. M.

[Ib. xxiii, 11.] (a) Quod Dominum in passione exuerunt veste propria, et induerunt fucata (*Matth.* xxvii, 28), significati sunt hi hæretici, qui eum aiunt non verum corpus habuisse, sed fictum.

(a) Isthæc annotatiuncula neque computatur in Elencho superius proposito, neque hic omnibus in Mss.; sed in plurimis tamen atque etiam in Corbeiensi antiquissimo reperitur. Abest ab editis Am. et Er. At apud Rat. necnon in Ms. Sorbonico pertinet ad subsequentem librum Quæstionum in Matthæum.

ADMONITIO

IN LIBRUM SEPTEMDECIM QUÆSTIONUM SUPER MATTHÆUM.

Ut hic exhibeatur inter Augustini germana opera, nec tamen ipsius, uti solet, Augustini nomine prænotetur iste alius Quæstionum in Matthæum liber, non temere fit neque frustra. Nempe stilum in primis et res congruere Augustino censent post Erasmum Lovanienses Theologi. Deinde fragmenta ejusdem libri quædam cum nomine Augustini profert Rabanus Maurus in lib. 4 Commentarii super Matthæi Evangelium, quem ipse circiter 840 Christi annum, collectis hinc inde veterum expositionibus, concinnabat. Denique in Indiculo operum Augustini Possidiano, qui per Joannem Ulimmerium ex Villariensi codice vulgatus est, recensentur pag. 5 Quæstiones Evangeliorum lib. 2; moxque, Annotationes aliquot in Matthæum lib. 1.

Attamen, quod merito moveat, hujus tertii libri nihil meminit Augustinus in Retractationibus, cumque libros Quæstionum in Evangelia duos tantummodo recognoscat, in eos redactas dicit, quas tum super Matthæum tum super Lucam quæstiones dictaverat: et monet postmodum, quæ de supra dictis Evangelistis loca exposita fuerint, prologum suum adjunctis atque annumeratis eisdem quæstionibus indicare. Habes retractationem t. 1, col. 634, et quæstionum omnium Elenchum sub Prologo per nos restitutum supra, hocce tomo, pag. 1321. Sic vero etiam in libri Quæstionum octoginta trium recognitione, omnes et singulas ex ordine quæstiones, ne una quidem omissa, recensere ipsum non piguit. Qua profecto diligentia cavebat S. Doctor ne ejus nomine quæstiones alias quaslibet reciperemus; neve librarii, quod in eo scripti genere liberius committebant, spurias appendices operibus ipsius assuerent.

Neque vero existimare licet tertium hunc librum Retractationibus posterius editum, ob idque in iis non recensitum fuisse. Quippe zizaniorum parabola hic exponitur longe secus quam soleret ab Augustino, ex tempore præsertim Carthaginensis Collationis, in qua Donatistæ, Catholicis reclamantibus, id vehementer affirmabant, quod in hujus libri quæstione 11, n. 1, dicitur, agrum ipsum, non Ecclesiam, sed mundum Domino interpretante intelligendum esse, ut videre est in Actis Collationis, part. 3, capp. 258, 265 et sequentibus. Qua de re Augustinus in lib. 70, cui titulus, Post collationem ad Donatistas, cap. 8: *Diu contenderunt*, inquit, *dicentes zizania, quæ cum tritico simul crescere usque ad messem permissa sunt, non in Ecclesia, sed in mundo esse, contra intellectum martyris Cypriani qui dixit, Etsi videntur in Ecclesia esse zizania, non tamen impediri debet aut fides aut charitas nostra.* Quid quod iste auctor in quæstione 12, n. 2, responsum illud patrisfamilias zizania ante messem evelli prohibentis, non modo non torquet in Donatistas more Augustini, sed interpretatur eo pacto ut in illos torqueri non valeat? quandoquidem de non auferendis ex hac vita hominibus sermonem haberi putat.

Accedit silentium Eugypii abbatis, qui olim, id est ineunte sexto sæculo, cum ex Augustini operibus amplissima collectaneorum volumina compararet, descripsit ex duobus præcedentibus libris quæstiones plures, scilicet ex primo saltem quatuor, ex secundo octodecim: nec tamen quidquam ex hoc tertio libro decerpsisse a nobis deprehenditur.

Quod veteres codices spectat, quidam duos priores libros continent sine tertio; nonnulli tertium hunc duobus illis proxime subjectum exhibent cum hocce titulo, *Incipiunt quæstiones Evangeliorum*, non addito nomine Augustini. Istius secundi generis exstat exemplar unum Corbeiense ante annos, ut videtur, nongentos scriptum: præter Cisterciensem codicem multo recentiorem, qui licet non eumdem titulum præferat, hoc tamen cum Corbeiensi convenit, quod prædictum librum non attribuit Augustino.

Ad extremum Indiculo Possidii in optimæ notæ Mss. diligenter explorato, id quod sola Ulimmeriana editio habet de subsequenti opere, nusquam reperimus.

QUÆSTIONUM
SEPTEMDECIM
IN EVANGELIUM SECUNDUM MATTH.
Liber unus.

Quæst. I. [Matth. *cap.* ii, ℣ 16.] Quod dictum est, occisos infantes a bimatu et infra, significatum est humiles habentes geminam charitatem, tanquam parvulos bimos posse mori pro Christo.

II. [Ib. x, 27.] *Quod dico vobis in tenebris*, id est, cum adhuc in timore carnali estis, quia in tenebris est timor; *dicite in lumine*, hoc est, in fiducia veritatis, accepto Spiritu sancto : *Et quod in aure auditis, prædicate super tecta*, id est, quod in secreto auditis, calcato carnis domicilio prædicate.

III. [Ib. x, 34-36.] *Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram; non veni pacem mittere, sed gladium : veni enim separare hominem adversus patrem suum.* Quia renuntiat quis diabolo, qui fuit filius ejus. *Et filiam adversus matrem suam :* plebem Dei adversus mundanam civitatem, hoc est perniciosam generis humani societatem, quam nunc Babylonia, nunc Ægypto, nunc Sodoma, nunc aliis atque aliis nominibus Scriptura significat. *Nurum adversus socrum :* Ecclesiam adversus Synagogam, quæ secundum carnem Christum peperit sponsum Ecclesiæ. Dividuntur autem gladio spiritus, quod est verbum Dei (*Ephes.* vi, 17). *Et inimici hominis domestici ejus :* cum quibus, antea consuetudine implicatus erat.

IV. [Ib. viii, 1-3.] Quod autem descendens de monte, posteaquam præcepta illic discipulis et multitudini dedit, *leprosum statim, extendens manum suam, curat;* significat eos qui de illis implendis dubitabant, suo auxilio ab hujusmodi varietate mundari.

V. [Ib. viii, 20.] Quod Dominus dixit scribæ qui eum sequi voluit, *Vulpes foveas habent, et volucres cœli tabernacula ; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*, intelligitur miraculis Domini commotus propter inanem jactantiam eum sequi voluisse, quam significant aves : finxisse autem discipuli obsequium, quæ fictio vulpium nomine significata est. Reclinatione vero capitis humilitatem suam significavit, quæ in illo simulatore ac superbo non habebat locum.

VI. [Ib. viii, 22.] *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Mortuos* hic non credentes dixit : *mortuos* autem *suos*, qui nihilominus sine fide de corpore exirent.

VII. [Ib. x, 14.] *Excutite pulverem de pedibus vestris :* aut ad contestationem laboris terreni, quem pro illis inaniter suscepissent; aut ut ostenderent usque adeo se ab ipsis nihil terrenum quærere, ut etiam pulverem de terra eorum sibi non paterentur adhærere.

VIII. [Ib. x, 16.] *Estote ergo prudentes sicut serpentes* : ad cavendum malum, in capite custodiendo, quod est Christus. Nam serpens totum corpus pro capite objicit persequenti : vel quod per angustias se coarctans veteri tunica exutus innovatur. Quod imitantur quibus dictum est, *Intrate per angustam portam* (*Matth.* vii, 13); cum vetere homine exuuntur. Nam si cavendum malum ita moneret, ut violenter resistendum esset malis, non supra dixisset, *Mitto vos sicut oves in medio luporum.* Simplices autem sicut columbas esse voluit, ad nulli nocendum. Nam hoc genus avis nullum omnino animalium necat ; non solum grandium, contra quæ vires non habet, sed etiam minutissimorum, quibus etiam perparvi passeres aluntur. Est autem omnibus irrationalibus animantibus una quædam inter se societas, sicut etiam rationalibus sua, id est hominibus, non solum secum, sed etiam cum Angelis. Discunt ergo ex similitudine columbarum nulli prorsus nocere ad societatem suam pertinenti participatione rationis.

IX. [Ib. xi, 25.] *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ.* Notandum confessionem poni in laude Dei. Non enim peccata Dominus confitebatur, quæ nulla habebat, præsertim quia eum exsultantem hoc dixisse alius evangelista commemorat (*Luc.* x, 21) : quanquam et verba ipsa quæ dicit non habeant dubitationem, quod in laude Dei dicantur. Ergo confessionem vocat Scriptura generaliter quidquid manifeste, sicut cernitur, enuntiatur. Nam et illud quod ait, *Si quis me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* (*Matth.* x, 32); vel sicut alibi est, *coram Angelis Dei* (*Luc.* xii, 8) : non utique peccata confitetur qui Christum confitetur. Quod si propterea putant aliqui confessionem vocari, quia pro crimine objiciatur Christi nomen tempore persecutionis ; numquid ita etiam Christus coram Patre vel coram Angelis hominem qui se confessus fuerit confitetur? Est etiam in Ecclesiastico ita positum, *Et hæc dicetis in confessione, Opera Domini universa, quoniam bona valde* (*Eccli.* xxxix, 20,

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Quæstionum septemdecim in Matth. liber ad eosdem codices collatus est ac præcedens opus Quæst. Evang., exceptis Michaelino et Arnulfensi, in quibus hic liber non reperitur.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retractationum, *t.* 1, *memoratas.* M.

21). Quo in loco indubitanter Dei laudes exaggerantur. Hæc dicta sunt propter imperitiam fratrum, qui cum legente lectore audiunt hoc verbum, pectora statim tundunt, non attendentes quo loco dicatur, quasi non possit nisi peccatorum esse confessio.

X. [Ib. XII, 1-8.] Notandum de eo quod illicite factum videretur Judæis, quod discipuli sabbato spicas evulsissent, unum exemplum datum regiæ potestatis de David, alterum sacerdotalis de iis qui per ministerium templi sabbatum violant: ut multo minus ad ipsum evulsarum sabbato spicarum crimen pertineat, qui verus rex et verus sacerdos est, et ideo Dominus sabbati.

XI. [Ib. XIII, 25-30, 36-43.] 1. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.* Cum negligentius agerent præpositi Ecclesiæ, aut cum dormitionem mortis acciperent Apostoli, venit diabolus et superseminavit eos quos malos filios Dominus interpretatur. Sed recte quæritur utrum hæretici sint, an male viventes catholici. Possunt enim dici filii mali etiam hæretici, quia ex eodem Evangelii semine et Christi nomine procreati, pravis opinionibus ad falsa dogmata convertuntur. Sed quod dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari qui unius communionis sunt: verumtamen quoniam Dominus agrum ipsum, non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est, bene intelliguntur hæretici, quia non societate unius Ecclesiæ vel unius fidei, sed societate solius nominis christiani in hoc mundo permiscentur bonis: ut illi qui in eadem fide mali sunt, palea potius quam zizania deputentur; quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento, radicemque communem. In illa plane sagena, qua concluduntur et mali et boni pisces (*Matth.* XIII, 47-50), non absurde mali catholici intelliguntur. Aliud est enim mare, quod magis mundum istum significat; aliud sagena, quæ unius fidei vel unius Ecclesiæ communionem videtur ostendere. Inter hæreticos et malos catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt, illi autem vera credentes non vivunt ita ut credunt.

2. Solet autem etiam quæri, schismatici quid ab hæreticis distent; et hoc inveniri quod schismaticos non fides diversa faciat, sed communionis disrupta societas. Sed utrum inter zizania numerandi sint, dubitari potest. Magis autem videntur spicis corruptis esse similiores, sicut scriptum est, *Vento autem corrumpetur filius iniquus* (*Sap.* IV, 4): vel paleis aristarum fractis, vel scissis et de segete abruptis. Quo enim altiores, id est, superbiores, eo fragiliores levioresque sunt. Nec tamen consequens est ut omnis hæreticus vel schismaticus corporaliter ab Ecclesia separetur. Si enim falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ quæ ad fidei pertinet ædificationem, ita ut non quærentis cunctatione temperatus sit, sed inconcusse credentis, nec omnino scientis opinione atque errore discordans, hæreticus est, et foris est animo, quamvis corporaliter intus videatur. Multos enim tales portat Ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiæ suæ, ut intentam multitudinem faciant: quod si fecerint, tunc pelluntur. Item, quicumque invident bonis, ita ut quærant occasiones excludendi eos, aut degradandi; vel crimina sua sic defendere parati sunt, si objecta vel prodita fuerint, ut etiam conventiculorum segregationes vel Ecclesiæ perturbationes cogitent excitare; jam schismatici sunt, et ab unitate corde discissi, etiamsi non inventis occasionibus aut occultatis factis suis Sacramento Ecclesiæ corporali conversatione socientur.

3. Quapropter illi soli catholici mali recte deputantur, qui quamvis vera credant quæ ad fidei doctrinam pertinent, et si quid forte nesciunt quærendum existiment, et salva pietate discutiant sine aliquo præjudicio ipsius veritatis, et bonos vel quos bonos putant ament atque honorent quantum possunt; tamen flagitiose atque facinorose vivunt, contra quam vivendum esse credunt. Tales enim etiamsi prodantur aut accusentur, pro disciplina Ecclesiæ salutisque suæ causa correpti, vel a communione suspensi, nullo modo sibi recedendum esse a communione catholica existimant, quocumque [1] permissi fuerint satisfactionis quærentes locum: et aliquando per pœnitentiam in frumenta mutantur, sive correpti, sive remoti, sive etiam verbo Dei nullo nominatim accusante aut increpante perterriti. Aliquando autem etiam sub nomine pœnitentium ita vivunt ut solent, aut non multo minus, quidam etiam amplius; nullo modo tamen a catholica unitate discedunt. Quibus ita viventibus si mors obrepserit, paleæ deputantur usque in finem. Hoc etiam ipsi credunt: nam si aliter credunt, et inconcusse tenent, jam inter hæreticos numerandi sunt, putantes omnibus Deum, etiam in magna iniquitate usque in finem vitæ perseverantibus, tantum quia Ecclesiæ unitatem, non sincera dilectione (nam bene viverent [2]), sed magis pœnarum timore tenuerunt, veniam daturum. Isti ergo non hoc credunt, vel non firmiter opinantur, etsi adhuc forsitan quærunt: sed magis eos decipit spes dilationis, dum se diutius victuros putant, et perditos mores aliquando in melius mutaturos. Contra quos dicitur: *Ne tardes converti ad Deum, neque differas de die in diem: subito enim veniet ira ejus, et in tempore vindictæ disperdet te* (*Eccli.* V, 8, 9). Illi enim convertuntur, qui recte vivere incipiunt; hoc est enim ad Deum redire: qui autem concupiscentias suas perseveranter sequuntur, dorsum quodammodo habent ad Deum, quamvis in unitate constituti sæpe illum retorto collo conentur aspicere. Ergo et isti, ut ait Propheta, *caro sunt, et spiritus ambulans et non revertens* (*Psal.* LXXVII, 39). Sed tamen, ut dictum est, propter eamdem fidem atque unitatem Ecclesiæ, neque inter zizania, quoniam illa extra radicata sunt, neque inter aristarum paleam, quæ se etiam frumentis audet aspera

[1] Sic Mss. At editi, *a communione catholicæ fidei existimant, quomodocumque*, etc.

[2] Rat. omittit, *nam bene viverent*: quod in plerisque Mss. reperitur. At Am. Er. et Lov. habent ejus loco, *nisi ut bene viverent.* Vaticanus codex, *ut bene viverent.*

dissensione et fragili elatione superimponere, sed quamvis subjectam frumentis, tamen inter paleam quæ ultima ventilatione separanda est, numerantur.

4. Boni autem catholici sunt, qui et fidem integram sequuntur et mores bonos: quod autem ad fidei doctrinam pertinet, ita quærunt, si quid quærendum habent, ut absit concertatio periculosa, vel quærenti, vel ei cum quo quæritur, vel eis qui disserentes audiunt. Ita autem docent, si quid docendum habent, ut usitata et confirmata securissime, et fidentissime, et lenissime, ut possunt, insinuent: inusitata vero, etiamsi veritatis manifestatione liquidissima percepeunt, quærendi potius quam præcipiendi aut affirmandi modo, propter audientis infirmitatem. Si enim tantum habet pondus aliquod verum, ut vires discentis excedat; suspendendum est ut extendat crescentem, non imponendum ut obterat parvulum. Inde est illud Domini: *Sed Filius hominis cum venerit, putas, inveniet fidem in terra* (*Luc.* XVIII, 8)? Aliquando autem et occultandum est, sed cum spe hortatoria, ut non faciat desperatio frigidiores, sed desiderium capaciores. Inde est illud ejusdem Domini: *Multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo* (*Joan.* XVI, 12). Quod vero ad mores pertinet, hoc bene et breviter dicitur: aut confligendum est cum amore temporalium bonorum, ut non vincat; aut etiam edomitus subditusque esse debet, ut cum surgere cœperit, facile reprimatur; aut ita exstinctus, ut se omnino nulla ex parte commoveat. Ex quo fit ut etiam ipsam mortem propter veritatem alii fortiter obeant, alii æquanimiter, alii libenter. Quæ tria genera fructus sunt fertilis terræ, triceni, et sexageni, et centeni (*Matth.* XIII, 8, 23). In horum aliquo genere inveniendus est tempore mortis suæ, si quis de hac vita recte cogitat emigrare.

5. Toleranda sunt autem non solum zizania usque ad messem, quæ cum diabolus aspersis pravis erroribus falsisque opinionibus superseminasset, hoc est, præcedente nomine Christi hæreses superjecisset, magis ipse latuit atque occultissimus factus est; hoc est enim, *Et abiit*: sed etiam palea usque ad ventilationem. Nec probatur fortius gravitas frumentorum, nisi paleæ perturbationibus, quas qui comprimere non potuerit veritate defensa, cesserit unitate servata. Quanquam in hac parabola Dominus, sicut in ejus expositione conclusit, non quædam, sed omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine significasse intelligitur.

XII. [Ib. XIII, 26-30.] 1. *Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania.* Cum enim spiritualis homo esse cœperit dijudicans omnia (I *Cor.* II, 15), tunc ei errores incipiunt apparere. Servi autem dixerunt ei: *Vis, imus, et colligimus ea?* Utrum ipsi sunt servi, quos paulo post messores appellat? an quia in expositione parabolæ messores dixit esse Angelos, nec quisquam facile dicere ausus fuerit Angelos nescisse quis zizania superseminaverit, et ea tunc apparuisse Angelis cum herba fructum fecisset; magis oportet intelligi homines ipsos fideles servorum nomine hoc loco significatos, quos etiam bonum semen dicit? Nec mirum si et bonum semen ipsi dicuntur, et servi patrisfamilias: sicut et de se ait, quod et ipse sit janua, ipse sit pastor (*Joan.* X, 7, 11). Ex diversis enim significationibus una res etiam plures et diversas similitudines recipit. Præsertim quia cum ad servos loqueretur, non ait, *In tempore messis* dicam vobis, *Colligite primum zizania;* sed *Dicam*, inquit, *messoribus.* Unde intelligitur colligendorum zizaniorum ad comburendum alia esse ministeria, nec quemquam Ecclesiæ filium debere arbitrari ad se hoc officium pertinere.

2. Cum igitur esse quisque spiritualis cœperit, cognoscit errores hæreticorum, et omnino dijudicat atque discernit quidquid audierit aut legerit abhorrere a regula veritatis: sed donec in eisdem spiritualibus perficiatur, et quodammodo maturescat in fructum quem herba dedit, potest eum movere, quare sub nomine christiano tam multæ hæreticorum exstiterint falsitates. Inde est quod servi dicunt, *Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania?* Deinde cum cognoverit hanc excogitasse fraudem diabolum, cum contra tanti nominis auctoritatem nihil se valere sentiret, ut fallacias suas eodem nomine obtegeret; potest ei suboriri voluntas, ut tales homines de rebus humanis auferat, si aliquam temporis habeat facultatem; sed utrum facere debeat, justitiam Dei consulit utrum hoc ei præcipiat, vel permittat, et hoc officium esse hominum velit: hinc est quod servi dicunt, *Vis, imus, et colligimus ea?* Quibus quia Veritas ipsa respondet, non ita hominem constitutum esse in hac vita, ut certus esse possit qualis quisque futurus sit postea, cujus in præsentia cernit errorem, vel quid etiam error ejus conferat ad provectum bonorum; non esse tales auferendos de hac vita, ne cum malos conatur interficere, bonos interficiat, quod forte futuri sunt; aut bonis obsit, quibus et inviti forte utiles sunt: sed tunc opportune fieri, cum jam in fine non restat vel tempus commutandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem ex occasione atque comparatione alieni erroris; tunc autem hoc non ab hominibus, sed ab Angelis fieri: inde est quod respondet paterfamilias, *Non; ne forte colligentes zizania, eradicetis simul et triticum: sed in tempore messis dicam messoribus*, et cætera. Atque hoc modo eos patientissimos et tranquillissimos reddit.

3. Quæri autem potest, quod ait, *Alligate fasciculos ad comburendum*, cur non unum fascem, aut unum acervum zizaniorum fieri dixit? Nisi forte propter varietatem hæreticorum, et non solum a tritico, verum etiam a seipsis discrepantium, ipsa uniuscujusque hæreseos propria conventicula, in quibus singillatim sua communione devincti sunt, nomine fasciculorum designavit: ut jam tunc incipiant alligari ad comburendum, cum a catholica communione segregati suas proprias quasi ecclesias habere cœperint; ut combustio earum sit in fine sæculi, modo alligatio fasciculorum. Sed si ita esset, non jam multæ resipiscendo, et in Catholicam remeando ab errore desci-

scerent. Quapropter et alligatio fasciculorum in fine futura est, ut non confuse, sed pro modo perversitatis suæ uniuscujusque erroris pertinacia puniatur.

4. *Ne forte colligentes zizania, eradicetis simul et triticum.* Utrum quia etiam boni cum adhuc infirmi sunt, opus habent in quibusdam malorum commixtione, sive ut per eos exerceantur, sive ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat, ut nitantur ad melius, quibus sublatis altitudo charitatis quasi evulsa marcescat, quod est eradicari? Nam sic ait Apostolus : *Ut in charitate radicati et fundati, possitis comprehendere* (*Ephes.* III, 17, 18). An forte ideo simul eradicatur triticum, cum auferuntur zizania, quia multi primo zizania sunt, et postea triticum fiunt? qui nisi patienter, cum mali sunt, tolerentur, ad laudabilem mutationem non perveniunt : itaque si evulsi fuerint, simul eradicatur et triticum, quod futuri essent, si eis parceretur.

XIII. [Ib. XIII, 45, 46.] *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit et vendidit omnia quæ habuit, et emit eam.* Quæstio est cur a numero plurali ad singularem transierit, ut cum quærat homo bonas margaritas, unam inveniat pretiosam, quam venditis omnibus quæ habet, emat. Aut ergo iste bonos homines quærens, cum quibus utiliter vivat, invenit unum præ omnibus sine peccato, mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Jesum (I *Tim.* II, 5) : aut præcepta quærens, quibus servatis cum hominibus recte converse tur, invenit dilectionem proximi, in quo uno dicit Apostolus omnia contineri; ut, *Non occides, non mœchaberis, non furaberis, non falsum testimonium dices, et si quod est aliud mandatum,* singulæ margaritæ sint, quæ *in hoc sermone recapitulantur, Diliges proximum tuum tanquam teipsum* (*Rom.* XIII, 8, 9). Aut bonos intellectus homo quærit, et invenit unum illud quo cuncti continentur, in principio Verbum, et Verbum apud Deum, et Verbum Deum (*Joan.* I, 1), lucidum candore veritatis, et solidum firmitate æternitatis, et undique sui simile pulchritudine divinitatis, qui Deus, penetrata carnis testudine, intelligendus est. Ille enim ad margaritam ipsam jam pervenerat, quæ in tegumentis mortalitatis, quasi concharum obstaculo, in profundo hujus sæculi, atque inter duritias saxeas Judæorum aliquando latuerat : ille ergo ad ipsam margaritam jam pervenerat, qui ait, *Et si noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (II *Cor.* v, 16). Nec ullus omnino intellectus margaritæ nomine dignus est, nisi ad quem discussis omnibus carnalibus tegminibus pervenitur, quibus sive per verba humana, sive per similitudines circumpositas operitur, ut purus et solidus et nusquam a se dissonans, certa ratione cernatur. Quos tamen omnes veros et firmos et perfectos intellectus unus ille continet, per quem facta sunt omnia, quod est Verbum Dei (*Joan.* I, 3). Quodlibet autem horum trium sit, vel si aliquid aliud occurrere potuerit, quod margaritæ unius et pretiosæ nomine bene significetur, pretium ejus est nos ipsi : qui ad eam possidendam non sumus liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis, quæ temporaliter possidentur. Venditis enim rebus nostris, nullum earum majus accipimus pretium, quam nos ipsos; quia talibus implicati, nostri non eramus : ut rursus nos ipsos pro illa margarita demus, non quia tanti valeamus [1], sed quia plus dare non possumus.

XIV. [Ib. XIII, 15.] 1. *Et oculos suos clauserunt, nequando oculis videant :* id est, ipsi causa fuerunt ut Deus eis oculos clauderet. Alius enim evangelista dicit, *Excæcavit oculos eorum.* Sed utrum ut nunquam videant? an vero ne vel sic aliquando videant, cæcitate sua sibi displicentes, et se dolentes, et ex hoc humiliati atque commoti ad confitenda peccata sua, et pie quærendum Dominum? Sic enim Marcus hoc dicit, *Nequando convertantur, et dimittantur eis peccata* (*Marc.* IV, 12). Ubi intelliguntur peccatis suis meruisse ut non intelligerent, et tamen hoc ipsum misericorditer eis factum, ut peccata sua cognoscerent, et conversi veniam mererentur. Quod autem Joannes hunc locum ita dicit, « Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et intelligant corde, et convertantur, et sanem eos » (*Joan.* XII, 39, 40); adversari videtur huic sententiæ, et omnino cogere ut quod hic dictum est, *Nequando oculis videant,* non accipiatur, Ne vel sic aliquando oculis videant, sed prorsus, Ut non videant : quandoquidem aperte ita dicit, *Ut oculis non videant.* Et quod ait, *Propterea non poterant credere,* satis ostendit non ideo factam illam excæcationem, ut ea commoti et dolentes se non intelligere, converterentur aliquando per pœnitentiam; non enim possent hoc facere, nisi prius crederent, ut credendo converterentur, conversione sanarentur, sanitate intelligerent : sed ideo potius excæcatos, ut non crederent. Dicit enim apertissime, *Propterea non poterant credere.*

2. Quod si ita est, quis non exsurgat in defensionem Judæorum, ut eos extra culpam fuisse proclamet, quod non crediderunt? Propterea enim non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum. Sed quoniam potius Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri aliis quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse : qua tamen excæcatione non potuerunt credere. Verba enim Joannis ista sunt : *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum.* Frustra itaque conamur intelligere, ideo fuisse cæcatos, ut converterentur [2], cum ideo converti non poterant, quia non credebant, et ideo credere non poterant, quia excæcati erant. An forte non absurde dicimus, quosdam Judæorum fuisse sanabiles; sed tanto tamen superbiæ tumore periclitatos, ut eis expedierit primo non credere, et ad hoc fuisse cæcatos, ut non intelligerent Dominum loquentem per parabo-

[1] Mss. plerique, *non quia tanto valet.*

[2] Am. Er. et Lov., *ut non converterentur.* Expungenda hinc negatio, quæ nec est in Mss., nec in antiqua editione Ratisponensi, nec apud Rabanum, qui hunc locum transtulit in lib. 4 Comment. super Matthæum.

las, quibus non intellectis, non in eum crederent, non credentes autem, cum cæteris desperatis crucifigerent eum; atque ita post ejus resurrectionem converterentur, quando jam de reatu mortis Domini amplius humiliati, vehementius diligerent a quo sibi tantum scelus dimissum esse gauderent : quoniam tanta erat eorum superbia, ut tali humiliatione esset dejicienda? Quod incongrue dictum esse quilibet arbitretur, si non ita contigisse in Actibus Apostolorum manifestissime legerit (*Act.* II, 37). Non ergo abhorret quod ait Joannes, *Propterea non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum ut non videant*, ab ea sententia qua intelligimus ideo excæcatos ut converterentur; hoc est, ideo eis per obscuritates parabolarum occultatas sententias Domini, ut post ejus resurrectionem salubriore pœnitentia resipiscerent : quia per obscuritatem sermonis excæcati, dicta Domini non intellexerunt, et ea non intelligendo, non in eum crediderunt, non credendo crucifixerunt eum; atque ita post ejus resurrectionem miraculis, quæ in ejus nomine fiebant, exterriti, majore criminis reatu compuncti sunt et prostrati ad pœnitentiam, deinde accepta indulgentia ad obedientiam, flagrantissima dilectione conversi.

3. Nam quibus non profuit illa cæcitas ad conversionem, quæ per linguam parabolarum fiebat, ita de illis propheta alio loco dicit, quod etiam Apostolus commemoravit cum de obscuritate linguarum ageret : *In aliis linguis, et in aliis labiis loquar populo huic, et nec sic me exaudient, dicit Dominus* (I *Cor.* XIV, 21; *Isai.* XXVIII, 11). Non enim diceretur, *Nec sic me exaudient*, nisi ad hoc fieret, ut vel sic exaudirent : id est, ut eis ad humilem confessionem, et sollicitam inquisitionem, et obedientem conversionem, et ferventem dilectionem valeret. Est vero etiam ista ratio medicinæ corporalis. Nam et pleraque medicamenta prius affligunt ut sanent, et ipsa collyria quæ ad oculos pertinent, si ea opus est intrinsecus infundi, nisi sensum videndi prius claudant et perturbent, prodesse non possunt.

4. Nec moveat quod idem propheta dicit, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX); quasi contrarium sit quod Joannes ait, *Propterea non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum*; id est, quia illæ parabolæ ita dicebantur, ut ab eis non possent intelligi. Dicit enim aliquis : Si ut intelligerent credere debebant, quomodo propterea non poterant credere, quia non intelligebant, hoc est, *quia excæcavit oculos eorum?* Sed quod ait Isaias, *Nisi credideritis*, *non intelligetis*, de illa intelligentia dictum est, in qua semper manebitur, rerum ineffabilium : cum autem dicitur quod credatur, nisi quod dicitur intelligatur, credi non potest. Intelligenda sunt ergo dicta, ut credantur quæ dici potuerunt : credenda autem quæ dici potuerunt, ut intelligantur quæ dici non possunt.

XV. [Ib. XIII, 34.] *Et sine parabolis non loquebatur eis.* Non quia nihil proprie locutus est, sed quia nullum fere sermonem explicavit, ubi non aliquid per parabolam significavit, quamvis in eo aliqua et proprie dixerit : ita ut sæpe inveniatur totus sermo ejus parabolis explicatus, totus autem proprie dictus nullus inveniatur. Explicatos autem sermones dico, quando ex aliqua occasione rerum incipit loqui quousque terminet quidquid ad ipsam rem pertinet, et transeat ad aliud. Nonnunquam sane alius evangelista contexit, quod alius diversis temporibus dictum indicat. Non enim omnimodo secundum rerum gestarum ordinem, sed secundum suæ quisque recordationis facultatem, narrationem quam exorsus est ordinavit.

XVI. [Ib. XIII, 51, 52, 44.] *Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.* Utrum ista conclusione exponere voluit quem dixerit thesaurum in agro absconditum : quoniam sanctæ Scripturæ intelliguntur, quæ nomine duorum Testamentorum, Novi et Veteris, concluduntur; quemadmodum apud alium evangelistam, gladium bis acutum tali conclusione videtur exponere (*Apoc.* I, 16)? An quia in parabolis ista locutus est; et cum quæsisset ab eis utrum intellexissent, responderunt se intellexisse; fortasse ista similitudine ultima patrisfamilias proferentis de thesauro suo nova et vetera, ostendere voluit eum doctum habendum esse in Ecclesia, qui etiam Scripturas veteres parabolis explicatas intellexerit, ab istis novis accipiens regulas? Quia et ista Dominus per parabolas enuntiavit, quamvis ipse Christus esset finis illorum; id est, ut in eo illa vetera complerentur : ut si ipse in quo illa complentur et manifestantur, per parabolas adhuc loquitur, donec ejus passio velum discindat, ut nihil sit occultum quod non reveletur; multo magis illa quæ ad commendandam tantam salutem tam longe de illo scripta sunt, parabolis operta esse noverimus : quæ cum Judæi ad litteram acciperent, noluerunt esse docti in regno cœlorum, neque transire ad Christum, ut auferretur velamen quod supra cor eorum positum est [1].

XVII. [Ib. XIII, 55 *et* 56.] 1. *Fratres ejus, Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas, et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? unde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo.* Fratres apud Judæos dici solere cognatos usque adeo probatur, ut non solum ex propinquo generationis gradu, sicut sunt filii fratrum et sororum, qui etiam apud nos usitatissime fratres dicuntur; sed etiam avunculus et sororis filius, sicut sibi erant Jacob et Laban, fratres appellati inveniantur (*Gen.* XXIX, 15). Non ergo mirum est dictos esse fratres Domini ex materno genere quoscumque cognatos; cum etiam ex cognatione Joseph dici potuerint fratres ejus ab eis, qui illum patrem Domini esse arbitrabantur (*a*).

2. Generalem justitiam non violat quis, nisi libidine transgressus fuerit aut placitum societatis humanæ,

[1] In editione Ratisponensi inseritur hic quæstio in illa verba Matth. cap. 24, v. 36 : *De die autem illo et hora nemo scit*, etc., sed quæ nihil differt ab ea quæ inter octoginta tres Quæstiones ordine est sexagesima.

(*a*) Hic terminatur opusculum in editis Rat. Am. Er. et in Mss. Vaticano, Sorbonico, Cisterciensi : nec reliqua vidimus, nisi apud Lov. et in Mss. Victorinis duobus ac uno Corbeiensi vetustissimo.

sicut est furtum, rapina, adulterium, incestus, et hujusmodi; aut naturam, sicut est contumelia, cædes, homicidium, concubitus masculorum vel pecorum; aut modum in concessis, sicut est superbum amplius verberare quam oportet, vel superfluum edere vel bibere amplius quam oportet, cum ipsa conjuge concumbere amplius quam oportet, et similia.

3. Bene intelligitur Spiritus sanctus ideo primum linguarum donum dedisse hominibus, quæ pacto et placito hominum institutæ sunt, et forinsecus per sensus corporis consuetudine audiendi discuntur, ut eis ostenderet quam facile posset sapientes facere per sapientiam Dei, quæ in eis interna est.

4. Item voluntas Verbi sempiterni stabilis est semper, quia simul habet omnia : nostra autem voluntas ideo non stat, quia non habet simul omnia; ideo modo hoc, modo illud volumus. Item sic fuerunt in illo Verbo omnia quæ facta sunt, et ipsa susceptio hominis sic ab eo præcognita est, quomodo si pictor velit pingere totam domum, et cogitet vel noverit locum ubi etiam se pingere debeat : totum in arte habet, et in præparatione, et in voluntate, quamvis certis et suis quæque temporibus explicet. Sic omnis creatura et ipse homo qui ejusdem Sapientiæ personam mystice et inenarrabili susceptione gestaturus erat, in ipsa sapientia tanquam Dei arte sempiterna semper erat, quamvis suis quæque temporibus efficiat, quæ pertendit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter atque in se manens innovat omnia (*Sap.* VIII, 1, *et* VII, 27).

5. Item quomodo quis velit velle mori, si sic velle mori pervenerat, qui jam habet sanam fidem et videt quo sibi perveniendum sit, ad hoc jam proficit, ut libenter de hac vita discedat. Non enim hoc est videre quo sibi perveniendum sit, quod est etiam amare illud, et ibi jam esse desiderare : quod in cujus animo effectum fuerit, necesse est ut libenter moriatur. Frustra itaque dicunt quidam, qui jam sanam fidem tenent, ideo se nolle mori ut proficiant, cum ipse profectus eorum in eo profectu sit, ut mori velint. Si ergo verum loqui volunt, non dicant, Ideo mori nolo, ut proficiam; sed, Ideo mori nolo, quia parum profeci. Itaque mori nolle fidelibus non consilium est ut proficiant, sed indicium quod parum profecerint. Proinde quod nolunt, ut perfecti sint; velint, et perfecti sunt.

ADMONITIO

DE SUBSEQUENTIBUS IN JOANNEM TRACTATIBUS.

Haud temere fecisse videbimur, si Augustini in Joannem Tractatus adscripserimus anno Christi supra quadringentesimum sexto decimo, aut proximo post tempori. Certe quidem hunc evangelistam cum exponeret, flagrabat etiam tum Catholicorum cum Donatistis pugna; quando in factiosis illis revincendis tam multus tamque vehemens inibi est S. Doctor : præterquam quod ad id usque temporis schismaticum eorum altare stabat Hippone : unde in Tractatu super ejusdem Joannis Epistolam (cui nimirum exponendæ Epistolæ, inchoata dudum ac intermissa paulisper Evangelii tractatione, dedit operam), in hæc verba conqueritur, *Quid faciunt in hac civitate duo altaria?* Quod licet in tempora etiam anteriora Carthaginensi Collatione, quæ cum Donatistis anno 411 habita fuit, referri queat; attamen quia per hos ipsos, de quibus agimus in Evangelium Tractatibus, non solum Prædestinationis fides, uti res maxime explorata, proponitur in Tractt. XLV, XLVIII, LXVIII, LXXXIII, CV, CXI, etc., sed etiam perstringuntur tacito nomine Pelagiani in Tractt. LIII, LXVII, LXXXI, LXXXVI, etc., hinc profecto intelligere licebat eosdem Tractatus non ante quadringentesimum et undecimum Christi annum, quo primum invehitur in Africam Pelagiana hæresis, editos fuisse. Sed aliud argumentum, quo fit ut in annum quadringentesimum decimum sextum a nobis remittantur, suppetit longe expressius ex Tract. CXX, ubi Nicodemum sæpius venisse ad Christum, ut ejus discipulus audiendo fieret, probat Augustinus hac ratione : *Quod certe*, ait, *modo in revelatione corporis beatissimi Stephani* (quæ videlicet anno quadringentesimo decimo quinto prope finito facta est) *fere omnibus gentibus declaratur.*

Diebus porro quibuslibet Tractatus sermonesve hanc in rem suos habebat. Primum, exempli gratia, die dominico, postridie secundum se pronuntiasse in hoc ipso Tract. II indicat. Habitus item fuit dominico die quadragesimus sextus, ex Tract. XLVII : pridie vero quadragesimus quintus, ex Tract. XLVI, dictus fuerat. Trigesimus quartus tresque sequentes, quatuor diebus continuis, ut ex cujusque exordio ac peroratione patet, habiti sunt, et quidem trigesimus septimus die dominico, ex Tract. XXXVIII. Sic octavus, nonus, et decimus : sic tandem isti quinque XIX, XX, XXI, XXII et XXIII, singuli singulis continenter diebus pronuntiati significantur. Hoc egisse Augustinum, ut e diebus habendæ concioni destinatis nullum præteriret, vel hinc intelligitur, quod unum hujuscemodi quadam occasione omissum diem in Tract. VIII, excusat, et in XLVI, prælecti de Evangelio loci tractationem diligentiorem in reddendi sermonis dies remittit. In XLVII, quem dominico die habuit, dicit sese per temporis, ut solet, angustias, quo minus orationem fusius prosequatur, minime prohiberi. Testatur contra nonnunquam, eo nolle se diebus solemnioribus sermonem producere, quod forte essent multi, qui potius solemnitatis causa quam sermonis audiendi desiderio convenissent : sic ad Tractatus VIII finem. Ex XLVI autem

aliisque eum intelligimus, quam Evangelii partem populo erat expositurus jubere solitum inter divina officia recitari : quam prælectam postea nitebatur explicare. Verum si quando hoc futurum fuisset æquo longius, residuum in aliud tempus differebat; ac tum quoque relegi Evangelium præcipiebat.

Cæterum exacta nondum hieme suam in Joannis Evangelium explanationem aggressus est Augustinus. Testatur quippe in Tract. VI, sese subveritum ne populus a frequentanda ecclesia frigoris vi deterreretur. In X, proximum significat tempus imminere, ut passionis ac resurrectionis Dominicæ solemnitas celebretur. In XI autem, ut adhortetur catechumenos, jam tempus exigere. Pridie ejus diei quo habuit XII, dicturum se de pace Ecclesiæ, vel quid egisset, vel quid adhuc agendum speraret, populo promiserat : sed præmittere solitam de lectione evangelica tractationem voluit, ac tum fidem suam liberare. Quid illud porro fuerit, quod de Ecclesiæ pace dicendum habebat, incompertum est; neque in ejusdem tractationis fine conscriptum fuit. Videtur ex XIII Tractatus exordio posse colligi, a diebus non ita paucis intermissum ab eo fuisse Joannis Evangelium : et reipsa illud per Paschalia festa, quæ in 2 diem aprilis anno 416 incidebant, interrupit, eo quod his diebus fixas et certas ex Evangelio lectiones oporteret in Ecclesia recitari, quibus substituere alias non licebat : sicuti sua in Expositionem Epistolæ Joannis præfatione docet. Nam interea temporis enarrandam hanc ipsam Epistolam suscepit : moxque ea pertractata rediit ad Evangelium. In cujus explicatione Tractatum XXVII, necdum in Laurentii martyris, quem ibidem laudat, celebritate excesserat : tametsi quinque Tractatus a XIX, uti jam observatum est, ad XXIII, diebus quinque continuis perfecisset.

Ex hoc opere decerpta quam multa reperies apud Bedam et Alcuinum super Joannem, apud Florum in Commentariis super Pauli Epistolas, Bedæ nomine vulgatis, etc., necnon sententias quasdam a veteribus confirmandæ catholicæ fidei causa prolatas ex variis Tractatibus : scilicet ex II, a Cassiano, lib. 7 de Incarnatione, cap. 27; ex LXXVIII, a Leone papa in Epistola ad Leonem Augustum olim 97, nunc 134, etc. Recordatur ejusdem operis Cassiodorus Senator in lib. Instit., cap. 7, Joannem copiosa et insigni expositione ab Augustino illustratum commendans. Possidius in Indiculo, cap. 6, sub his verbis : *Tractatus de Evangelio Joannis a capite usque ad finem, in codicibus sex.* Augustinus ipse in præfatione ad Tractatus super Epistolam Joannis : *Meminit*, inquit, *Sanctitas vestra Evangelium secundum Joannem ex ordine lectionum nos solere tractare.* Rursumque in lib. 15 de Trinitate, cap. 27, signat Tractatum in Joan. XCIX, cum ait : *De hac re in sermone quodam proferendo ad aures populi christiani diximus, dictumque conscripsimus.* Plura sane, si sat vixisset, dicturus in Retractationum libris peculiaribus, quos, uti ad Quodvultdeum, epist. 224, scribit, in Tractatus populares homiliasque a se habitas meditabatur.

Opus in vetustis codicibus inscribitur, quibusdam Tractatus, aliis Sermones, nonnullis Homiliæ in Joannem. Sed paulo amplior titulus est in Mss. Audoenensi, Gemmeticensi, et Pratellensi, hunc in modum : *Aurelii Augustini Doctoris Hippon. episc. Homiliæ in Evangelium Dom. Jesu secundum Joannem incipiunt, quas ipse colloquendo prius ad populum habuit, et inter loquendum a notariis exceptas, eo quo habitæ sunt ordine, verbum ex verbo postea dictavit.* Denique quod ad præfationem hic subjectam attinet, frustra eam quæras vel in Mss. vel in editis Am. et Bad. Hanc post Erasmum dederunt Lovanienses, qui tamen observant nec Augustini esse, nec in ullo Ms. exstare. Habetur paucis mutatis verbis apud Bedam et Alcuinum in Joannem

PRÆFATIO INCERTI AUCTORIS.

Omnibus divinæ Scripturæ paginis Evangelium excellit; quia quod Lex et Prophetæ futurum prædixerunt, hoc completum dicit Evangelium. Inter ipsos autem Evangeliorum scriptores Joannes eminet in divinorum mysteriorum profunditate, qui a tempore Dominicæ ascensionis per annos sexaginta quinque verbum Dei absque adminiculo scribendi, usque ad ultima Domitiani prædicavit tempora. Sed occiso Domitiano, cum permittente Nerva de exsilio rediisset Ephesum; compulsus ab episcopis Asiæ, de coæterna Patri divinitate Christi scripsit adversus hæreticos, qui eo absente irruperant in ejus Ecclesias, qui Christum ante Mariam fuisse negabant. Unde merito in figura quatuor animalium, aquilæ volanti comparatur : quæ volat altius cæteris avibus, et solis radios irreverberatis aspicit luminibus. Cæteri quippe evangelistæ, qui temporalem Christi nativitatem, et temporalia ejus facta quæ gessit in homine, sufficienter exponunt, et de divinitate pauca dixerunt, quasi animalia gressibilia cum Domino ambulant in terra : hic autem pauca de temporalibus ejus gestis edisserens, sed divinitatis potentiam sublimius contemplans, cum Domino ad cœlum volat. Qui enim supra pectus Domini in cœna recubuit, cœlestis haustum sapientiæ cæteris excellentius de ipso Dominici pectoris fonte potavit. Legerat siquidem Evangelia trium evangelistarum, et approbaverat fidem eorum et veritatem : in quibus deesse vidit aliqua gestarum rerum historiæ, et ea maxime quæ Dominus gessit primo prædicationis suæ tempore, scilicet antequam Joannes Baptista clauderetur in carcere. Hæc ergo quasi dimissa ab illis scribit Joannes, quæ fecit Jesus antequam Joannes clauderetur : sed maxime divinitatem Christi et Trinitatis mysterium commendare curavit. Tres siquidem alii evangelistæ dicta et facta Domini temporalia, quæ ad informandos mores vitæ præsentis maxime valent,

copiosius prosecuti, circa activam vitam sunt versati: in qua laboratur, ut cor mundetur ad videndum Deum: Joannes vero pauca Domini facta dicit: verba vero Domini quæ Trinitatis unitatem, et vitæ æternæ felicitatem insinuant, diligentius conscribit; et sic in contemplativa virtute commendanda, intentionem suam et prædicationem tenuit: in qua contemplativa vacatur ut Deus videatur. Iste siquidem est Joannes, quem Dominus de fluctivaga nuptiarum tempestate vocavit, et cui Matrem virginem virgini commendavit.

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
IN JOANNIS EVANGELIUM
TRACTATUS CXXIV (a).

TRACTATUS I.

In illud Joannis, In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, *etc.*, *usque ad id*, Et tenebræ eam non comprehenderunt. *Cap.* I, ℣. 1-5.

1. Intuens [1] quod modo audivimus ex lectione apostolica, quod animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (I *Cor.* II, 14), et cogitans, in hac præsenti turba Charitatis vestræ necesse esse ut multi sint animales, qui adhuc secundum carnem sapiant, nondumque se possint ad spiritualem intellectum erigere, hæsito vehementer, quomodo, ut Dominus dederit, possim dicere, vel pro modulo meo explicare quod lectum est ex Evangelio, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum:* hoc enim animalis homo non percipit. Quid ergo, fratres? silebimus hinc? Quare ergo legitur, si silebitur? aut quare auditur, si non exponitur? sed et quid exponitur, si non intelligitur? Itaque quoniam rursum esse non dubito in numero vestro quosdam, a quibus possit non solum expositum capi, sed et antequam exponatur, intelligi; non fraudabo eos qui possunt capere, dum timeo superfluus esse auribus eorum qui non possunt capere. Postremo aderit misericordia Dei, fortasse ut omnibus satis fiat, et capiat quisque quod potest: quia et qui loquitur, dicit quod potest. Nam dicere ut est, quis potest? Audeo dicere, fratres mei, forsitan nec ipse Joannes dixit ut est, sed et ipse ut potuit; quia de Deo homo dixit: et quidem inspiratus a Deo, sed tamen homo. Quia inspiratus, dixit aliquid: si non inspiratus esset, dixisset nihil: quia vero homo inspiratus, non totum quod est dixit; sed quod potuit homo, dixit.

2. Erat enim iste Joannes, fratres charissimi, de illis montibus, de quibus scriptum est: *Suscipiant montes pacem populo tuo, et colles justitiam* (*Psal.* LXXI, 3). Montes, excelsæ animæ sunt: colles, parvulæ animæ sunt. Sed ideo montes excipiunt pacem, ut colles possint excipere justitiam. Quæ est justitia, quam colles excipiunt? Fides, quia justus ex fide vivit (*Habac.* II, 4; *Rom.* I, 17). Non autem exciperent minores animæ fidem, nisi majores animæ, quæ montes dictæ sunt, ab ipsa Sapientia illustrarentur, ut possint parvulis trajicere quod possint parvuli capere, et vivere ex fide colles, quia montes pacem suscipiunt. Ab ipsis montibus dictum est Ecclesiæ, Pax vobiscum: et ipsi montes pacem annuntiando Ecclesiæ, non diviserunt se adversus eum a quo susceperunt pacem (*Joan.* XX, 19), ut veraciter, non ficte nuntiarent pacem.

3. Sunt enim alii montes naufragosi, quo quisque navim cum impulerit, solvitur. Facile est enim cum videtur terra a periclitantibus, quasi conari ad terram: sed aliquando videtur terra in monte, et saxa latent sub monte; et cum quisque conatur ad montem, incidit in saxa; et non ibi invenit portum, sed planctum. Sic fuerunt quidam montes, et magni apparuerunt inter homines; et fecerunt hæreses et schismata, et diviserunt Ecclesiam Dei: sed isti qui diviserunt Ecclesiam Dei, non erant illi montes de quibus dictum est, *Suscipiant montes pacem populo tuo.* Quomodo enim pacem susceperunt, qui unitatem diviserunt?

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Hos tractatus recognovimus ad Mss. Fossatensem optimæ notæ, descriptum jussu Ingilberti abbatis circiter annum 840, ad vetustissimos Germanenses duos, ad Corbeiensem, Remigiensem, Gemmeticensem, Floriacensem, Audoenensem, Becheronensem, Pratellensem, Vindocinenses duos, Carcassonensis Ecclesiæ unum, Abbatiæ de Cultura unum. Adhibuimus præterea variantes lectiones Belgicorum septem codicum per Lovanienses collectas: necnon antiquiores editiones Bad. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

[1] Mss. nostri magno consensu, *intuentes*; et infra, *et cogitantes*, plurali numero, pro, *intuens... et cogitans.*

(a) Habiti forte sub Christi annum 416.

4. Qui autem susceperunt pacem nuntiandam populo, contemplati sunt ipsam Sapientiam, quantum humanis cordibus potuit contingi quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* II, 9). Si in cor hominis non ascendit, quomodo ascendit in cor Joannis? An non erat homo Joannes? An forte nec in cor Joannis ascendit, sed cor Joannis in illam ascendit? Quod enim ascendit in cor hominis, de imo est ad hominem : quo autem ascendit cor hominis, sursum est ab homine. Etiam sic, fratres, dici potest quia si ascendit in cor Joannis, si aliquo modo potest dici, in tantum ascendit in cor Joannis, in quantum ipse Joannes non erat homo. Quid est, Non erat homo? In quantum cœperat esse angelus : quia omnes sancti, angeli; quia annuntiatores Dei. Ideo carnalibus et animalibus non valentibus percipere quæ sunt Dei, quid ait Apostolus? *Cum enim dicitis, Ego sum Pauli, ego Apollo, nonne homines estis* (*I Cor.* III, 4)? Quid eos volebat facere, quibus exprobrabat quia homines erant? Vultis nosse quid eos facere volebat? audite in Psalmis : *Ego dixi, Dii estis, et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Ad hoc ergo vocat nos Deus, ne simus homines. Sed tunc in melius non erimus homines, si prius nos homines esse agnoscamus, id est, ut ad illam celsitudinem ab humilitate surgamus : ne cum putamus nos aliquid esse, cum nihil simus, non solum non accipiamus quod non sumus, sed et amittamus quod sumus.

5. Ergo, fratres, de his montibus et Joannes erat, qui dixit, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Susceperat pacem mons iste, contemplabatur divinitatem Verbi. Qualis iste mons erat? quam excelsus? Transcenderat omnia cacumina terrarum, transcenderat omnes campos aeris, transcenderat omnes altitudines siderum, transcenderat omnes choros et legiones Angelorum. Nisi enim transcenderet ista omnia quæ creata sunt, non perveniret ad eum per quem facta sunt omnia. Non potestis cogitare quid transcenderit, nisi videatis quo pervenerit. Quæris de cœlo et terra? facta sunt. Quæris de his quæ sunt in cœlo et terra? Utique multo magis et ipsa facta sunt. Quæris de spiritualibus creaturis, de Angelis, Archangelis, Sedibus, Dominationibus, Virtutibus, Principatibus? et ipsa facta sunt. Nam cum enumeraret hæc omnia Psalmus, conclusit sic : *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII, 5). Si *dixit, et facta sunt*, per Verbum facta sunt : si autem per Verbum facta sunt, non potuit Joannis cor pervenire ad id quod ait, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* nisi transcendisset omnia quæ sunt facta per Verbum. Qualis ergo iste mons, quam sanctus, quam altus inter illos montes qui susceperunt pacem populo Dei, ut colles possent suscipere justitiam?

6. Videte ergo, fratres, ne forte de ipsis montibus est Joannes, de quibus paulo ante cantavimus, *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.* Ergo, fratres mei, si vultis intelligere, levate oculos vestros in montem istum; id est, erigite vos ad Evangelistam, erigite vos ad ejus sensum. Sed quia montes isti pacem suscipiunt, non potest autem esse in pace, qui spem ponit in homine; nolite sic erigere oculos in montem, ut putetis in homine spem vestram esse collocandam; et sic dicite, *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*, ut statim subjungatis, *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram* (*Psal.* CXX, 1, 2). Ergo levemus oculos in montes, unde veniet auxilium nobis : et tamen non ipsi montes sunt, in quibus spes nostra ponenda est; accipiunt enim montes quod nobis ministrent : ergo unde et montes accipiunt, ibi spes nostra ponenda est. Oculos nostros cum levamus ad Scripturas, quia per homines ministratæ sunt Scripturæ, levamus oculos nostros ad montes, unde auxilium veniet nobis : sed tamen quia ipsi homines erant qui scripserunt Scripturas, non de se lucebant; sed ille erat lumen verum (*Joan.* I, 9), qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Mons erat et ille Joannes Baptista, qui dixit, *Non sum ego Christus* (*Ibid.*, 20) : ne quisquam spem in montem ponens, caderet ab illo qui montes illustrat, et ipse confessus ait, *Quoniam de plenitudine ejus omnes accepimus* (*Ibid.* I, 16). Ita debes dicere, *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*, ne auxilium quod tibi venit, montibus imputes; sed sequaris, et dicas, *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram.*

7. Ergo, fratres, ad hoc ista monuerim, ut quando erexistis cor ad Scripturas, cum sonaret Evangelium, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, et cætera quæ lecta sunt, intelligatis vos levasse oculos ad montes. Nisi enim montes ista dicerent, unde omnino cogitaretis, non inveniretis. Ergo ex montibus venit vobis auxilium, ut hæc vel audiretis : sed nondum potestis intelligere quod audistis. Invocate auxilium a Domino, qui fecit cœlum et terram : quia montes sic potuerunt loqui, ut non possint ipsi illuminare; quia et ipsi illuminati sunt audiendo. Inde qui hæc dixit, accepit Joannes ille, fratres, qui discumbebat super pectus Domini (*Joan.* XIII, 25), et de pectore Domini bibebat quod propinaret nobis. Sed propinavit verba; intellectum autem inde debes capere, unde et ipse biberat qui tibi propinavit : ut leves oculos ad montes, unde auxilium veniet tibi, ut inde tanquam calicem, id est, verbum [1] propinatum acciperes; et tamen quia auxilium tuum a Domino, qui fecit cœlum et terram, inde impleres pectus, unde implevit ille : unde dixisti, *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram :* qui potest ergo, impleat. Fratres, hoc dixi [2] : levet quisque cor suum quomodo illud videt idoneum, et capiat quod dicitur. Sed forte hoc dicetis, quia ego vobis sum præsentior quam Deus. Absit. Multo est ille præsentior : nam ego oculis vestris appareo, ille conscientiis vestris præsidet. Ad me aures, ad illum cor, ut utrumque impleatis. Ecce oculos vestros et

[1] In plerisque Mss., *verbo*.
[2] Sic Mss. At editi, *ergo, Fratres, impleat hoc quod dixi.*

sensus istos corporis levatis ad nos; nec ad nos, non enim nos de illis montibus, sed ad ipsum Evangelium, ad ipsum Evangelistam: cor autem implendum ad Dominum. Et unusquisque sic levet, ut videat quid levet, et quo levet. Quid dixi, Quid levet, et quo levet? Quale cor levet, videat; quia ad Dominum levat: ne sarcina voluptatis carnalis prægravatum, ante cadat, quam fuerit sublevatum. Sed videt se quisque gestare onus carnis? det operam per continentiam, ut purget quod levet ad Deum. Beati enim mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* v, 8).

8. Nam ecce quid prodest, quia sonuerunt verba, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum?* Et nos diximus verba, cum loqueremur. Numquid tale Verbum erat apud Deum? Nonne ea quæ diximus, sonuerunt atque transierunt? Ergo et Dei Verbum sonuit et peractum est? Quomodo omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil? quomodo per illud regitur, quod per illud creatum est, si sonuit et transiit? Quale ergo Verbum quod et dicitur, et non transit? Intendat Charitas vestra: magna res est. Quotidie dicendo verba viluerunt nobis, quia sonando verba et transeundo viluerunt, et nihil aliud videntur quam verba. Est verbum et in ipso homine, quod manet intus: nam sonus procedit ex ore. Est verbum quod vere spiritualiter dicitur, illud quod intelligis de sono, non ipse sonus. Ecce verbum dico, cum dico, Deus. Quam breve est quod dixi, quatuor litteras, et duas syllabas! Numquidnam hoc totum est Deus, quatuor litteræ, et duæ syllabæ? An quantum hoc vile est, tantum charum est quod in eis intelligitur? Quid factum est in corde tuo, cum audisses, Deus? Quid factum est in corde meo, cum dicerem, Deus? Magna et summa quædam substantia cogitata est, quæ transcendat omnem mutabilem creaturam, carnalem et animalem. Et si dicam tibi, Deus commutabilis est, an incommutabilis? respondebis statim, Absit ut ego vel credam vel sentiam commutabilem Deum: incommutabilis est Deus. Anima tua quamvis parva, quamvis forte adhuc carnalis, non mihi potuit respondere nisi incommutabilem Deum; omnis autem creatura mutabilis: quomodo ergo potuisti scintillare in illud quod est super omnem creaturam, ut certus mihi responderes incommutabilem Deum? Quid est ergo illud in corde tuo, quando cogitas quamdam substantiam vivam, perpetuam, omnipotentem, infinitam, ubique præsentem, ubique totam, nusquam inclusam? Quando ista cogitas, hoc est verbum de Deo in corde tuo. Numquid autem hoc est sonus ille qui quatuor litteris constat, et duabus syllabis? Ergo quæcumque dicuntur et transeunt, soni sunt, litteræ sunt, syllabæ sunt. Hoc verbum transit, quod sonat: quod autem significavit sonus, et in cogitante est qui dixit, et in intelligente est qui audivit, manet hoc transeuntibus sonis.

9. Refer [1] animum ad illud verbum. Si tu potes habere verbum in corde tuo, tanquam consilium natum in mente tua, ut mens tua pariat consilium, et insit consilium quasi proles mentis tuæ, quasi filius cordis tui. Prius enim cor generat consilium, ut aliquam fabricam construas, aliquid amplum in terra moliaris; jam natum est consilium, et opus nondum completum est: vides tu, quid facturus es; sed alius non miratur, nisi cum feceris et construxeris molem, et fabricam illam ad exsculptionem perfectionemque perduxeris: attendunt homines mirabilem fabricam, et mirantur consilium fabricantis; stupent quod vident, et amant quod non vident: quis est qui potest videre consilium? Si ergo ex magna aliqua fabrica laudatur humanum consilium, vis videre quale consilium Dei est Dominus Jesus Christus, id est, Verbum Dei? Attende fabricam istam mundi; vide quæ sint facta per Verbum, et tunc cognosces quale sit Verbum. Attende hæc duo mundi corpora, cœlum et terram: quis explicat verbis ornatum cœli? quis explicat verbis fecunditatem terræ? quis digne collaudat temporum vices? quis digne collaudat seminum vim? Videtis quæ taceam, ne diu commemorando parum dicam forte, quam potestis cogitare [1]. Ex fabrica ergo ista animadvertite quale Verbum est per quod facta est: et non sola facta est. Omnia enim ista videntur, quia pertinent ad sensum corporis. Per illud Verbum et Angeli facti sunt; per illud Verbum et Archangeli facti sunt; Potestates, Sedes, Dominationes, Principatus; per illud Verbum facta sunt omnia: hinc cogitate quale Verbum est.

10. Respondet mihi modo forte nescio quis: Et quis hoc Verbum cogitat? Noli ergo tibi quasi vile aliquid formare, cum audis Verbum, et conjicere verba quæ audis quotidie, Ille talia verba dixit, talia verba locutus est, talia verba mihi narras: assidue enim dicendo nomina verborum, quasi viluerunt, verba. Et quando audis, *In principio erat Verbum,* ne vile aliquid putares, quale consuevisti cogitare, cum verba humana soleres audire, audi quid cogites: *Deus erat Verbum.*

11. Exeat nunc nescio quis infidelis Arianus, et dicat quia Verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si et Verbum Dei ipsum factum est, per quod aliud Verbum factum est? Si hoc dicis, quia est Verbum Verbi, per quod factum est illud, ipsum dico ego unicum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum per quod facta sunt omnia. Non enim per seipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia: crede ergo Evangelistæ. Poterat enim dicere, In principio fecit Deus Verbum: quomodo dixit Moyses, *In principio fecit Deus cœlum et terram;* et omnia sic enumerat, Dixit Deus, Fiat, et factum est (*Gen.* I). Si dixit, quis dixit? Utique Deus. Et quid factum est? Creatura aliqua. Inter dicentem Deum et factam creaturam quid est per quod factum est, nisi Verbum? quia dixit Deus, Fiat, et factum est. Hoc Verbum incommutabile: quamvis mutabilia per Verbum fiant, ipsum incommutabile est.

[1] Juxta Lov., *refert.* M.

[1] Unus Becheronensis codex, *et minus quam potestis cogitare.* Hinc cum aliis sexdecim Mss. omissa particula, *ex*, prosequitur sic: *Fabrica ergo ista animadversa, quale,* etc.

12. Noli ergo credere factum, per quod facta sunt omnia : ne non reficiaris per Verbum, per quod reficiuntur omnia. Jam enim factus es per Verbum, sed oportet te refici per Verbum : si autem mala fuerit fides tua de Verbo, non poteris refici per Verbum. Et si tibi contigit fieri per Verbum, ut per illud factus sis, per te deficis : si per te deficis, ille te reficiat qui te fecit : si per te deterior effeceris, ille te recreet qui te creavit. Quomodo te autem recreet per Verbum, si male aliquid sentias de Verbo? Evangelista dicit, *In principio erat Verbum ;* et tu dicis, In principio factum est Verbum. Ille, *Omnia per ipsum facta sunt*, dicit; et tu dicis quia et ipsum Verbum factum est. Poterat dicere Evangelista, In principio factum est Verbum : sed quid ait? *In principio erat Verbum.* Si erat, non est factum, ut ista omnia per ipsum fierent, et sine ipso nihil. Si ergo *erat in principio Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum :* si non potes cogitare quid sit, differ ut crescas. Ille cibus est, accipe lac ut nutriaris, ut sis validus ad capiendum cibum.

13. Sane, fratres, quod sequitur, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, videte ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est. Solent enim multi male intelligentes, *sine ipso factum est nihil*, putare aliquid esse nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est : et manifestum est, quia peccatum nihil est, et nihil fiunt homines cum peccant. Et idolum non per Verbum factum est : habet quidem formam quamdam humanam, sed ipse homo per Verbum factus est; nam forma hominis in idolo, non per Verbum facta est; et scriptum est, *Scimus quia nihil est idolum* (I *Cor.* VIII, 4). Ergo ista non sunt facta per Verbum ; sed quæcumque naturaliter facta sunt, quæcumque sunt in creaturis, omnia omnino quæ fixa in cœlo sunt, quæ fulgent desuper, quæ volitant sub cœlo, et quæ moventur in [1] universa natura rerum, omnis omnino creatura : dicam planius, dicam, fratres, ut intelligatis, ab angelo usque ad vermiculum. Quid præclarius angelo in creaturis? quid extremius vermiculo in creaturis? Per quem factus est angelus, per ipsum factus est et vermiculus : sed angelus dignus cœlo, vermiculus terra. Qui creavit, ipse disposuit. Si poneret vermiculum in cœlo, reprehenderes; si vellet Angelos nasci de putrescentibus carnibus, reprehenderes : et tamen prope hoc facit Deus, et non est reprehendendus. Nam omnes homines de carne nascentes, quid sunt nisi vermes? et de vermibus Angelos facit. Si enim ipse Dominus dicit, *Ego autem sum vermis, et non homo* (*Psal.* XXI, 7); quis dubitat hoc dicere quod scriptum est et in Job, *Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis* (*Job* XXV, 6)? Primo dixit, *homo putredo ;* et postea, *filius hominis vermis :* quia vermis de putredine nascitur, ideo *homo putredo*, et *filius hominis vermis.* Ecce quid fieri voluit propter te, illud quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Quare hoc factum est propter te? Ut sugeres, qui manducare non poteras. Omnino ergo, fratres, sic accipite, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Universa enim creatura per ipsum facta est, major, minor : per ipsum facta sunt supera, infera ; spiritualis, corporalis, per ipsum facta sunt. Nulla enim forma, nulla compages, nulla concordia partium, nulla qualiscumque substantia, quæ potest habere pondus, numerum, mensuram, nisi per illud Verbum est, et ab illo Verbo creatore, cui dictum est, *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti* (*Sap.* XI, 21).

14. Nemo ergo vos fallat, quando forte tædium patimini ad muscas [1]. Etenim aliqui derisi sunt a diabolo, et ad muscas capti sunt. Solent enim aucupes ponere in muscipula muscas, ut esurientes aves decipiant : sic et isti ad muscas a diabolo decepti sunt. Nam nescio quis tædium patiebatur ad muscas : invenit illum Manichæus tædio affectum ; et cum diceret se non posse pati muscas et odisse vehementer illas, statim ille, Quis fecit has? Et quia tædio affectus erat, et oderat illas, non ausus est dicere, Deus illas fecit : erat autem catholicus. Ille statim subjecit : Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Plane, ait ille, ego credo quia diabolus fecit muscas. Et ille statim : Si muscam diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis, apem quis fecit, quæ paulo amplior est musca? Non ausus ille est dicere quia Deus fecit apem, et muscam non fecit; quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam, a locusta ad lacertum, a lacerto ad avem, ab ave duxit ad pecus, inde ad bovem, inde ad elephantem, postremo ad hominem ; et persuasit homini quia non a Deo factus est homo. Ita ille miser cum tædium passus est ad muscas, musca factus est, quem diabolus possideret. Beelzebub quippe interpretari dicitur princeps muscarum : de quibus scriptum est, *Muscæ morituræ* [2] *exterminant oleum suavitatis* (*Eccle.* X, 1).

15. Quid igitur, fratres? quare ista dixi? Claudite aures cordis vestri adversus dolos inimici; intelligite quia Deus fecit omnia, et in suis gradibus collocavit. Quare autem patimur multa mala a creatura quam fecit Deus? Quia offendimus Deum? Numquid hæc Angeli patiuntur? Fortassis et nos in vita ista illa non timeremus. De pœna tua peccatum tuum accusa, non judicem. Nam propter superbiam instituit Deus istam creaturam minimam et abjectissimam [3], ut ipsa nos torqueret : ut cum superbus fuerit homo, et se jactaverit adversus Deum; et, cum sit mortalis, mortalem terruerit; et, cum sit homo, proximum hominem non agnoverit; cum se erexerit, pulicibus subdatur. Quid est quod te inflas humana superbia? Homo tibi dixit convicium, et tumuisti, et iratus es; pulicibus resiste

[1] Hic in plerisque Mss. non est præpositio, *in.*

[1] Editi, *patimini a muscis :* et paulo infra, *patiebatur a muscis;* item postea, *passus est a muscis.* At Mss. omnes constanter habent, *ad muscas :* scilicet phrasi quadam Afris usitata, uti merito visum est Lovaniensibus.

[2] Lov., *morientes :* cujus loco editi alii et Mss., *morituræ.*

[3] In plerisque Mss., *instituit ut ista creatura minima et abjectissima.*

ut dormias : cognosce qui sis. Nam ut noveritis, fratres, propter superbiam nostram domandam creata ista, quæ molesta nobis essent : populum Pharaonis superbum potuit Deus domare de ursis, de leonibus, de serpentibus; muscas et ranas illis immisit (*Exod.* VIII, 6, 24), ut rebus vilissimis superbia domaretur.

16. *Omnia* ergo, fratres, *omnia* omnino *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Sed quomodo per ipsum facta sunt omnia? *Quod factum est, in illo vita est.* Potest enim[1] sic dici, *Quod factum est in illo, vita est :* ergo totum vita est, si sic pronuntiaverimus. Quid enim non in illo factum est? Ipse est enim Sapientia Dei; et dicitur in Psalmo, *Omnia in Sapientia fecisti* (*Psal.* CIII, 24). Si ergo Christus est Sapientia Dei, et Psalmus dicit, *Omnia in Sapientia fecisti;* omnia sicut per illum facta, ita in illo facta sunt. Si ergo omnia in illo, fratres charissimi, et quod in illo factum est, vita est; ergo et terra vita est, ergo et lignum vita est. Dicimus quidem lignum vitam, sed secundum intellectum lignum crucis, unde accepimus vitam. Ergo et lapis vita est. Inhonestum est sic intelligere, ne rursum nobis subrepat eadem sordidissima secta Manichæorum, et dicat quia habet vitam lapis, et habet animam paries, et resticula habet animam, et lana et vestis. Solent enim deliranles dicere, et cum repressi fuerint[2] et repulsi, quasi de Scripturis proferunt dicentes : Utquid dictum est, *Quod factum est in illo, vita est?* Si enim omnia in ipso facta sunt, omnia vita sunt. Non te abducant : pronuntia sic, *Quod factum est;* hic subdistingue, et deinde infer, *in illo vita est.* Quid est hoc? Facta est terra, sed ipsa terra quæ facta est, non est vita : est autem in ipsa Sapientia spiritualiter ratio quædam qua terra facta est; hæc vita est.

17. Quomodo possum, dicam Charitati vestræ. Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam : si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferret? Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit quæ videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit. Ecce facta est in opere; numquid destitit esse in arte? Et illa in opere facta est, et illa manet quæ in arte est : nam potest illa arca putrescere, et iterum ex illa quæ in arte est, alia fabricari. Attendite ergo arcam in arte, et arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est; quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo, fratres charissimi, quia Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quæ fiunt per ipsam artem, non continuo vita sunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides; est in arte terra : cœlum vides; est in arte cœlum : solem et lunam vides; sunt et ista in arte : sed foris corpora sunt, in arte vita sunt. Videte, si quo modo potestis; magna enim res dicta est : et si non a me magno, aut non per me magnum, tamen a magno. Non enim a me parvulo dicta sunt hæc : sed ille non est parvulus ad quem respicio, ut dicam. Capiat quisque ut potest, in quantum potest : et qui non potest, nutriat cor, ut possit. Unde nutriat? De lacte nutriat, ut ad cibum perveniat. A Christo per carnem nato non recedat, donec perveniat ad Christum ab uno Patre natum, Verbum Deum apud Deum, per quod facta sunt omnia : quia illa vita est, quæ in illo est lux hominum[1].

18. Hoc enim sequitur, *Et vita erat lux hominum ;* et ex ipsa vita homines illuminantur. Pecora non illuminantur, quia pecora non habent rationales mentes quæ possint videre sapientiam. Homo autem factus est ad imaginem Dei, habet rationalem mentem per quam possit percipere sapientiam. Ergo illa vita per quam facta sunt omnia, ipsa vita lux est : et non quorumque animalium, sed lux hominum. Unde paulo post dicit, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ab illo lumine illuminatus est Joannes Baptista; ab ipso et ipse Joannes evangelista. Ex ipso lumine plenus erat qui dixit : *Non sum ego Christus; sed qui post me venit, cujus non sum ego dignus corrigiam calceamenti solvere* (*Joan.* I, 9, 20, 27). Ab illo lumine illuminatus erat qui dixit, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Ergo, illa vita lux est hominum.

19. Sed forte stulta corda adhuc capere istam lucem non possunt, quia peccatis suis aggravantur, ut eam videre non possint. Non ideo cogitent quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt : ipsi enim propter peccata tenebræ sunt. *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Ergo, fratres, quomodo homo positus in sole cæcus, præsens est illi sol, sed ipse soli absens est; sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius, cæcus est corde. Præsens est sapientia, sed cum cæco præsens est, oculis ejus absens est : non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est. Quid ergo faciat iste? Mundet unde possit videri Deus. Quomodo si propterea videre non posset, quia sordidos et saucios oculos haberet, irruente pulvere vel pituita vel fumo, diceret illi medicus : Purga de oculo tuo quidquid mali est, ut possis videre lucem oculorum tuorum. Pulvis, pituita, fumus, peccata et iniquitates sunt; tolle inde ista omnia, et videbis sapientiam quæ præsens est : quia Deus est ipsa sapientia; et dictum est, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8).

TRACTATUS II.

De eo quod scriptum est, Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes, *etc.*, *usque ad id*, plenum gratiæ et veritatis. *Cap.* 1, ỳ. 6-14.

1. Bonum est, fratres, ut textum divinarum Scripturarum, et maxime sancti Evangelii, nullum locum prætermittentes pertractemus, ut possumus; et pro nostra capacitate pascamur, et ministremus vobis unde et nos pascimur. Capitulum primum præterito

[1] Sic omnes Mss. et antiquiores editi. At Lov.: *Potest etiam.*
[2] Aliquot Mss., *et cum reprehensi fuerint.*

[1] Tres Mss., *quia illa vita quæ in illo est, lux hominum est.*

die dominico tractatum esse meminimus, id est, « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod factum est, in illo vita est; et vita erat lux hominum; et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. » Huc usque tractatum esse credo: recordamini omnes qui adfuistis; et qui non adfuistis, credite nobis, et his qui adesse voluerunt. Nunc ergo quia non possumus semper omnia replicare, propter eos qui hoc volunt audire quod sequitur, et oneri est illis si repetantur priora cum defraudatione posteriorum; dignentur et qui non aderant non præterita exigere, sed cum his qui aderant et nunc audire præsentia.

2. Sequitur, *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes.* Etenim ea quæ dicta sunt superius, fratres charissimi, de divinitate Christi dicta sunt ineffabili, et prope ineffabiliter. Quis enim capiet, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum?* Et ne vilescat tibi nomen Verbi, per consuetudinem quotidianorum verborum, *Et Deus erat Verbum.* Hoc Verbum idipsum est, unde hesterno die multum locuti sumus: et præstiterit Dominus, ut vel tantum loquendo aliquid ad corda vestra perduxerimus. *In principio erat Verbum.* Idipsum est, eodem modo est; sicut est, semper sic est; mutari non potest: hoc est est [1]. Quod nomen suum dixit famulo suo Moysi: *Ego sum qui sum;* et, *Misit me qui est* (*Exod.* III, 14). Quis ergo hoc capiet, cum videatis omnia mortalia mutabilia; cum videatis non solum corpora variari per qualitates, nascendo, crescendo, deficiendo, moriendo, sed etiam ipsas animas per affectum diversarum voluntatum distendi atque discindi: cum videatis homines et percipere posse sapientiam, si se illius luci et calori admoverint; et amittere posse sapientiam, si inde malo affectu recesserint? Cum videatis ergo ista omnia esse mutabilia; quid est quod est, nisi quod transcendit omnia quæ sic sunt ut non sint? Quis ergo hoc capiat? Aut quis, quomodocumque intenderit vires mentis suæ, ut attingat quomodo potest id quod est, ad id quod utcumque mente attigerit, possit pervenire? Sic est enim tanquam videat quisque de longe patriam, et mare interjaceat; videt quo eat, sed non habet qua eat. Sic ad illam stabilitatem nostram ubi quod est est, quia hoc solum semper sic est ut est, volumus pervenire; interjacet mare hujus sæculi qua imus, etsi jam videmus quo imus: nam multi nec quo eant vident. Ut ergo esset et qua iremus, venit inde ad quem ire volebamus. Et quid fecit? Instituit lignum quo mare transeamus. Nemo enim potest transire mare hujus sæculi, nisi cruce Christi portatus. Hanc crucem aliquando amplectitur et infirmus oculis [2]: et qui non videt longe quo eat, non ab illa recedat, et ipsa illum perducet.

3. Itaque, fratres mei, hoc insinuaverim cordibus vestris: si vultis pie et christiane vivere, hærete Christo secundum id quod pro nobis factus est, ut perveniatis ad eum secundum id quod est, et secundum id quod erat. Accessit, ut pro nobis hoc fieret [1]; quia hoc pro nobis factus est, ubi portentur infirmi, et mare sæculi transeant, et perveniant ad patriam; ubi jam navi non opus erit, quia nullum mare transitur. Melius est ergo non videre mente id quod est, et tamen a Christi cruce non recedere, quam videre illud mente, et crucem Christi contemnere. Bonum est super hoc et optimum, si fieri potest, ut et videatur quo eundum sit, et teneatur quo portetur qui pergit. Hoc potuerunt mentes magnæ montium, qui montes dicti sunt, quos maxime illustrat lumen justitiæ: potuerunt, et viderunt illud quod est. Nam videns Joannes dicebat, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Viderunt hoc, et ut pervenirent ad id quod videbant de longe, a cruce Christi non recesserunt, et humilitatem Christi non contempserunt. Parvuli vero qui hoc non possunt intelligere, non recedentes a cruce et passione et resurrectione Christi, in ipsa navi perducuntur ad id quod non vident, in qua navi perveniunt et illi qui vident.

4. At vero quidam philosophi hujus mundi exstiterunt, et inquisierunt Creatorem per creaturam: quia potest inveniri per creaturam, evidenter dicente Apostolo, *Invisibilia enim ejus, a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas, ut sint inexcusabiles.* Et sequitur, *Quia cum cognovissent Deum:* non dixit, Quia non cognoverunt; sed, *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum.* Unde obscuratum? Sequitur, et dicit apertius: *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* I, 20 22). Viderunt quo veniendum esset: sed ingrati ei qui illis præstitit quod viderunt, sibi voluerunt tribuere quod viderunt; et facti superbi amiserunt quod videbant, et conversi sunt inde ad idola et simulacra et ad culturas dæmoniorum, adorare creaturam, et contemnere Creatorem. Sed jam isti elisi ista fecerunt: ut autem eliderentur, superbierunt; cum autem superbirent, sapientes se esse dixerunt. Hi ergo de quibus dixit, *Qui cum cognovissent Deum*, viderunt hoc quod dicit Joannes, quia per Verbum Dei facta sunt omnia. Nam inveniuntur et ista in libris philosophorum: et quia unigenitum Filium habet Deus, per quem sunt omnia. Illud potuerunt videre quod est, sed viderunt de longe: noluerunt tenere humilitatem Christi, in qua navi securi pervenirent ad id quod longe videre potuerunt; et sorduit eis crux Christi. Mare transeundum est, et lignum contemnis? O sapientia superba! irrides crucifixum Christum; ipse est quem longe vidisti: *In principio erat Verbum,*

[1] Editi et Mss., *hoc est Deus est:* excepto codice Bech., a quo abest vox, *Deus.*

[2] Sic Mss. At editi, *et infirmus oculus*

[1] Ita editi. At Mss. interpungunt sic: *Et secundum id quod erat accessit, ut pro nobis hoc fieret;* additque hic Bech. codex: *quod non erat.*

et Verbum erat apud Deum. Sed quare crucifixus est? Quia lignum tibi humilitatis ejus necessarium erat. Superbia enim tumueras, et longe ab illa patria projectus eras; et fluctibus hujus sæculi interrupta est via, et qua transeatur ad patriam non est, nisi ligno porteris. Ingrate, irrides eum qui ad te venit ut redeas! Ipse factus est via, et hoc per mare: inde in mari ambulavit (*Matth.* XIV, 25), ut ostenderet esse in mari viam. Sed tu, qui quomodo ipse ambulare in mari non potes, navi portare, ligno portare: crede in crucifixum, et poteris pervenire. Propter te crucifixus est, ut humilitatem doceret; et quia si sic veniret ut Deus, non agnosceretur. Si enim sic veniret ut Deus, non veniret eis qui videre Deum non poterant. Non enim secundum id quod Deus est, aut venit, aut discedit; cum sit ubique præsens, et nullo loco contineatur. Sed secundum quid venit? Quod apparuit homo.

5. Quia ergo sic erat homo, ut lateret in illo Deus, missus est ante illum magnus homo, per cujus testimonium inveniretur plus quam homo. Et quis est hic? *Fuit homo.* Et quomodo posset iste verum de Deo dicere? *Missus a Deo.* Quid vocabatur? *Cui nomen erat Joannes.* Quare venit? *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* Qualis iste qui testimonium perhiberet de lumine? Magnum aliquid iste Joannes, ingens meritum, magna gratia, magna celsitudo! Mirare, plane mirare; sed tanquam montem. Mons autem in tenebris est, nisi luce vestiatur. Ergo tantum mirare Joannem, ut audias quod sequitur, *Non erat ille lumen:* ne cum montem putas lumen esse, naufragium in monte facias, non solatium invenias. Sed quid debes mirari? Montem tanquam montem. Erige autem te ad illum qui illuminat montem, qui ad hoc erectus est, ut prior radios excipiat, et oculis tuis nuntiet. Ergo, *non erat ille lumen.*

6. Quare igitur venit? *Sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Utquid hoc? *Ut omnes crederent per illum.* Et de quo lumine testimonium perhiberet? *Erat lux vera.* Quare additum est, *vera?* Quia et homo illuminatus dicitur lux; sed vera lux illa est quæ illuminat. Nam et oculi nostri dicuntur lumina; et tamen nisi aut per noctem lucerna accendatur, aut per diem sol exeat, lumina ista sine causa patent. Sic ergo et Joannes erat lux, sed non vera lux: quia non illuminatus, tenebræ; sed illuminatione factus est lux. Nisi autem illuminaretur, tenebræ erat, sicut omnes impii, quibus jam credentibus dixit Apostolus, *Fuistis aliquando tenebræ.* Modo autem quia crediderant, quid? *Nunc autem lux*, inquit, *in Domino* (*Ephes.* V, 8). Nisi adderet, *in Domino,* non intelligeremus. *Lux,* inquit, *in Domino:* tenebræ non in Domino eratis. *Fuistis enim aliquando tenebræ:* ibi non addidit, in Domino. Ergo tenebræ in vobis, lux in Domino. Sic et *ille non erat lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.*

7. Ubi autem est ipsa lux? *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Si omnem hominem venientem, et ipsum Joannem. Ipse ergo illuminabat, a quo se demonstrari volebat. Intelligat Charitas vestra: veniebat enim ad mentes infirmas, ad corda saucia, ad aciem animæ lippientis. Ad hoc venerat. Et unde posset anima videre quod perfecte est? Quomodo plerumque fit ut in aliquo corpore radiato cognoscatur ortus esse sol, quem oculis videre non possumus. Quia et qui saucios habent oculos, idonei sunt videre parietem illuminatum et illustratum a sole, vel montem vel arborem, aut aliquid hujusmodi idonei sunt videre; et in alio illustrato demonstratur illis ortus ille, cui videndo adhuc minus idoneam aciem gerunt. Sic ergo illi omnes ad quos Christus venerat, minus idonei erant eum videre: radiavit Joannem; et per illum confitentem se radiatum ac se illuminatum esse, non qui radiaret et illuminaret, cognitus est ille qui illuminat, cognitus est ille qui illustrat, cognitus est qui implet. Et quis est? *Qui illuminat,* inquit, *omnem hominem venientem in mundum.* Nam si illinc non recederet, non esset illuminandus: sed ideo hic illuminandus, quia illinc recessit, ubi homo semper poterat esse illuminatus.

8. Quid ergo? Si venit huc, ubi erat? *In hoc mundo erat.* Et hic erat, et huc venit: hic erat per divinitatem; huc venit per carnem: quia cum hic esset per divinitatem, ab stultis et cæcis et iniquis videri non poterat. Ipsi iniqui tenebræ sunt de quibus dictum est, *Lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 5). Ecce hic est et modo, et hic erat, et semper hic est; et nunquam recedit, nusquam recedit. Opus est ut habeas unde videas quod tibi nunquam recedit; opus est ut tu non recedas ab eo qui nusquam recedit; opus est ut tu non deseras, et non desereris. Noli cadere, et non tibi occidet. Si tu feceris casum, ille tibi facit occasum: si autem tu stas, præsens est tibi. Sed non stetisti: recordare unde cecideris, unde te dejecit qui prior te cecidit. Dejecit enim te, non vi, non impulsu, sed voluntate tua. Si enim malo non consentires, stares, illuminatus maneres. Modo autem quia jam cecidisti, et factus es saucius corde, unde videri illa lux potest[1], venit ad te talis qualem posses videre; et talem se hominem præbuit, ut ab homine quæreret testimonium. Ab homine quærit testimonium Deus, et Deus testem habet hominem; habet Deus testem hominem, sed propter hominem: tam infirmi sumus! Per lucernam quærimus diem: quia lucerna dictus est ipse Joannes, Domino dicente: *Ille erat lucerna ardens et lucens, et vos voluistis exsultare ad horam in lumine ejus; ego autem habeo testimonium majus Joanne* (*Id.* V, 35, 36.)

9. Ergo ostendit quia propter homines voluit per lucernam demonstrari ad fidem credentium, ut per ipsam lucernam inimici ejus confunderentur. Illi enim inimici qui illum tentabant, et dicebant, *Dic nobis, In qua potestate ista facis? Interrogabo vos et ego,* inquit, *unum sermonem: dicite mihi, baptismus Joannis unde est? de cœlo, an ab hominibus? Et turbati sunt, et dixe-*

[1] Editi, *non potest.* Abest, *non,* a Mss. Sensus Augustini est, videri illam lucem non oculo, sed corde.

runt apud semetipsos, Si dixerimus de cœlo; dicturus est nobis, Quare ergo non credidistis illi? (quia ille Christo perhibuerat testimonium, et dixerat, *Non sum ego Christus, sed ille* [*Joan.* I, 20 27]). *Si autem ex hominibus dixerimus esse, timemus populum ne lapidet nos; quia tanquam prophetam habebant Joannem.* Timentes lapidationem, sed plus timentes veritatis confessionem, responderunt mendacium veritati; et mentita est iniquitas sibi (*Psal.* XXVI, 12). Dixerunt enim: *Nescimus.* Et Dominus, quia ipsi contra se clauserant, negando se scire quod noverant, nec ipse illis aperuit, quia non pulsaverunt. Dictum est enim: *Pulsate, et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 7). Non solum autem illi non pulsaverunt, ut aperiretur; sed negando, ostium ipsum contra se obstruxerunt. Et ait eis Dominus: *Nec ego dico vobis in qua potestate ista facio* (*Matth.* XXI, 23-27, *Marc.* XI, 28-33, *et Luc.* XX, 2-8). Et confusi sunt per Joannem; impletumque in illis est, *Paravi lucernam Christo meo; inimicos ejus induam confusione* (*Psal.* CXXXI, 17, 18).

10. *In mundo erat, et mundus per eum factus est.* Ne putes quia sic erat in mundo, quomodo in mundo est terra, in mundo est cœlum, in mundo est sol, luna et stellæ, in mundo arbores, pecora, homines. Non sic iste in mundo erat. Sed quomodo erat? Quomodo artifex, regens quod fecit. Non enim sic fecit, quomodo facit faber. Forinsecus est arca quam facit, et illa in alio loco posita est, cum fabricatur; et quamvis juxta sit, ipse alio loco sedet qui fabricat, et extrinsecus est ad illud quod fabricat: Deus autem mundo infusus fabricat, ubique positus fabricat, et non recedit aliquo, non extrinsecus quasi versat molem quam fabricat. Præsentia majestatis facit quod facit; præsentia sua gubernat quod fecit. Sic ergo erat in mundo, quomodo per quem mundus factus est. *Per ipsum* enim *mundus factus est, et mundus eum non cognovit.*

11. Quid est, *mundus factus est per ipsum?* Cœlum, terra, mare et omnia quæ in eis sunt, mundus dicitur. Iterum alia significatione, dilectores mundi mundus dicuntur. *Mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Num enim cœli non cognoverunt Creatorem suum, aut Angeli non cognoverunt Creatorem suum, aut non cognoverunt Creatorem suum sidera, quem confitentur dæmonia? Omnia undique testimonium perhibuerunt. Sed qui non cognoverunt? Qui amando mundum dicti sunt mundus. Amando enim habitamus corde: amando autem, hoc appellari meruerunt quod ille ubi habitabant. Quomodo dicimus, Mala est illa domus; aut, Bona est illa domus: non in illa quam dicimus malam, parietes accusamus; aut in illa quam dicimus bonam, parietes laudamus: sed malam domum, inhabitantes malos; et bonam domum, inhabitantes bonos. Sic et mundum, qui inhabitant amando mundum. Qui sunt? Qui diligunt mundum: ipsi enim corde habitant in mundo. Nam qui non diligunt mundum, carne versantur in mundo; sed corde inhabitant cœlum, sicut Apostolus dicit: *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III, 20). Ergo *mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit.*

12. *In sua propria venit:* quia omnia ista per eum facta sunt. *Et sui eum non receperunt.* Qui sui? Homines quos fecit. Judæi quos primitus fecit super omnes gentes esse. Quia aliæ gentes idola adorabant, et dæmonibus serviebant; ille autem populus natus erat de semine Abrahæ: et ipsi maxime sui; quia et per carnem quam suscipere dignatus est, cognati. *In sua propria venit, et sui eum non receperunt.* Non receperunt omnino, nullus recepit? Nullus ergo salvus factus est? Nemo enim salvus fiet, nisi qui Christum receperit venientem.

13. Sed addidit: *Quotquot autem receperunt eum.* Quid eis præstitit? Magna benevolentia! Magna misericordia! Unicus natus est, et noluit manere unus. Multi homines cum filios non habuerint, peracta ætate adoptant sibi; et voluntate faciunt quod natura non potuerunt: hoc faciunt homines. Si autem aliquis habeat filium unicum, gaudet ad illum magis; quia solus omnia possessurus est, et non habebit qui cum eo dividat hæreditatem, ut pauperior remaneat. Non sic Deus: Unicum eumdem ipsum quem genuerat, et per quem cuncta creaverat, misit in hunc mundum, ut non esset unus, sed fratres haberet adoptatos. Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille Unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius. Ille enim venit Unigenitus solvere peccata, quibus peccatis implicabamur, ne adoptaret nos propter impedimentum eorum: quos sibi fratres facere volebat, ipse solvit, et fecit cohæredes. Sic enim dicit Apostolus, *Si autem filius, et hæres per Deum* (*Galat.* IV, 7): et iterum, *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi* (*Rom.* VIII, 17). Non timuit ille habere cohæredes; quia hæreditas ejus non fit angusta, si multi possederint. Illi ipsi certe illo possidente fiunt hæreditas ipsius, et ipse vicissim fit hæreditas ipsorum. Audi quomodo ipsi fiant hæreditas ipsius: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu; ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (*Psal.* II, 7, 8). Ille quomodo fit hæreditas eorum? Dicit in Psalmo: *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei* (*Psal.* XV, 5). Et nos illum possideamus, et ipse nos possideat: ille nos possideat, sicut Dominus; nos illum possideamus sicut salutem, nos possideamus sicut lucem. Quid ergo dedit his qui receperunt illum? *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus:* ut teneant lignum, et mare transeant.

14. Et quomodo illi nascuntur? Isti quia filii Dei fiunt et fratres Christi, utique nascuntur. Nam si non nascuntur, filii quomodo esse possunt? Sed filii hominum nascuntur ex carne et sanguine, et ex voluntate viri, et ex complexu conjugii. Illi autem quomodo ei nascuntur? *Qui non ex sanguinibus*: tanquam maris et feminæ. Sanguina [1] non est latinum: sed quia græce positum est pluraliter, maluit ille qui interpretabatur sic ponere, et quasi minus latine loqui secundum

[1] Codices aliquot, *sanguines*; a secunda manu.

grammaticos, et tamen explicare veritatem secundum auditum infirmorum. Si enim diceret sanguinem singulari numero, non explicaret quod volebat : ex sanguinibus enim homines nascuntur maris et feminæ. Dicamus ergo, non timeamus ferulas grammaticorum ; dum tamen ad veritatem solidam et certiorem perveniamus. Reprehendit qui intelligit, ingratus quia intellexit. *Non ex sanguinibus*, *neque ex voluntate carnis*, *neque ex voluntate viri*. Carnem pro femina posuit : quia de costa cum facta esset, Adam dixit, *Hoc nunc os de ossibus meis*, *et caro de carne mea* (*Gen.* II, 23) ; et Apostolus ait, *Qui diligit uxorem suam*, *seipsum diligit ; nemo enim unquam carnem suam odio habet* (*Ephes.* V, 28 *et* 29). Ponitur ergo caro pro uxore, quomodo et aliquando spiritus pro marito. Quare ? Quia ille regit, hæc regitur : ille imperare debet, ista servire. Nam ubi caro imperat, et spiritus servit, perversa domus est. Quid pejus domo, ubi femina habet imperium super virum ? Recta autem domus, ubi vir imperat, femina obtemperat. Rectus ergo ipse homo, ubi spiritus imperat, caro servit.

15. Hi ergo *non ex voluntate carnis*, *neque ex voluntate viri*, *sed ex Deo nati sunt*. Ut autem homines nascerentur ex Deo, primo ex ipsis natus est Deus. Christus enim Deus, et Christus natus ex hominibus. Non quæsivit quidem nisi matrem in terra, quia jam patrem habebat in cœlo : natus ex Deo, per quem efficeremur ; et natus ex femina, per quem reficeremur. Noli ergo mirari, o homo, quia efficeris filius per gratiam, quia nasceris ex Deo secundum Verbum ejus. Prius ipsum Verbum voluit nasci ex homine, ut tu securus nascereris ex Deo, et diceres tibi : Non sine causa Deus nasci ex homine voluit, nisi quia alicujus momenti me existimavit, ut immortalem me faceret, et pro me mortaliter nasceretur. Ideo cum dixisset, *ex Deo nati sunt ;* quasi ne miraremur, et exhorreremus tantam gratiam, ut nobis incredibile videretur quia homines ex Deo nati sunt, quasi securum te faciens, ait : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. Quid ergo miraris quia homines ex Deo nascuntur ? Attende ipsum Deum natum ex hominibus : *Et Verbum caro factum est*, *et habitavit in nobis*.

16. Quia vero *Verbum caro factum est*, *et habitavit in nobis*, ipsa nativitate collyrium fecit, unde tergerentur oculi cordis nostri, et possemus videre majestatem ejus per ejus humilitatem [1]. Ideo *factum est Verbum caro*, *et habitavit in nobis ;* sanavit oculos nostros : et quid sequitur ? *Et vidimus gloriam ejus*. Gloriam ejus nemo posset videre, nisi carnis humilitate sanaretur. Unde non poteramus videre? Intendat ergo Charitas vestra, et videte quod dico. Irruerat homini quasi pulvis in oculum, irruerat terra, sauciaverat oculum ; videre non poterat lucem : oculus iste sauciatus inungitur ; terra sauciatus erat, et terra illuc mittitur ut sanetur. Omnia enim collyria et medicamenta nihil sunt nisi de terra. De pulvere cæcatus es, de pulvere sanaris : ergo caro te cæcaverat, caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat consentiendo affectibus carnalibus ; inde fuerat oculus cordis cæcatus. *Verbum caro factum est :* medicus iste tibi fecit collyrium. Et quoniam sic venit ut de carne vitia carnis exstingueret, et de morte occideret mortem ; ideo factum est in te, ut quoniam *Verbum caro factum est*, tu possis dicere, *Et vidimus gloriam ejus*. Qualem gloriam ? Qualis factus est filius hominis ? Illa humilitas ipsius est, non gloria ipsius. Sed quo perducta est acies hominis, curata per carnem ? *Vidimus*, inquit, *gloriam ejus*, *gloriam quasi Unigeniti a Patre*, *plenum gratia et veritate*. De gratia et veritate alio loco uberius in ipso Evangelio, si Dominus dignatus fuerit donare, tractabimus. Hæc nunc sufficiant, et ædificamini in Christo, et confortamini in fide, et vigilate in bonis operibus : et a ligno nolite recedere, per quod possitis mare transire.

[1] In omnibus prope Mss., *per ejus humanitatem*.

TRACTATUS III

Ab eo quod scriptum est, Joannes testimonium perhibet de ipso, *etc.*, *usque ad id*, Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. *Cap.* I, ℣. 15-18.

1. Gratiam et veritatem Dei, qua plenus sanctis apparuit unigenitus Filius Dominus et Salvator noster Jesus Christus, distinguendam a Veteri Testamento, quoniam res est Novi Testamenti, suscepimus in nomine Domini, et vestræ Charitati promisimus. Adestote ergo intenti, ut et quantum capio, donet Deus, et quantum capitis, audiatis. Reliquum enim erit, ut si semen quod spargitur in cordibus vestris, non abstulerint aves, nec spinæ præfocaverint, nec æstus exusserit, accedente pluvia cohortationum quotidianarum, et cogitationibus vestris bonis quibus hoc agitur in corde, quod agitur in agro rastris, ut gleba frangatur, et semen operiatur et germinare possit : ut afferatis fructum [1], ad quem gaudeat et lætetur agricola (*Matth.* XIII, 3 23) Si autem pro semine bono et pro pluvia bona, non fructum, sed spinas attulerimus ; nec semen accusabitur, nec pluvia erit in crimine, sed spinis ignis debitus præparatur.

2. Homines sumus, quod puto non diu esse suadendum Charitati vestræ, christiani ; et si christiani, utique ipso nomine ad Christum pertinentes. Hujus signum in fronte gestamus : de quo non erubescimus, si et in corde gestemus. Signum ejus est humilitas ejus. Per stellam eum Magi cognoverunt (*Id.* II, 2); et erat hoc signum de Domino datum, cœleste atque præclarum : noluit stellam esse in fronte fidelium signum suum, sed crucem suam. Unde humiliatus, inde glorificatus : inde erexit humiles, quo humiliatus ipse descendit. Pertinemus ergo ad Evangelium [2], pertinemus ad Novum Testamentum. *Lex per Moysen data est*, *Gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est*. Interrogamus Apostolum, et dicit nobis quoniam non sumus sub Lege, sed sub Gratia (*Rom.* VI, 14). *Misit* ergo *Filium suum factum ex muliere*, *factum sub*

[1] Er. Lugd. et Ven. hic habent, *ut afferat fructum*. M.
[2] Plerique Mss.: *Pertinemus enim ad Evangelium*.

Lege, *ut eos qui sub Lege erant*, *redimeret*, *ut adoptionem filiorum reciperemus* (*Galat.* IV, 4, 5). Ecce ad hoc venit Christus, ut eos qui sub Lege erant redimeret : ut jam non simus sub Lege, sed sub Gratia. Quis ergo dedit Legem? Ille dedit Legem, qui dedit et Gratiam : sed Legem per servum misit, cum Gratia ipse descendit. Et unde facti erant homines sub Lege? Non implendo Legem. Qui enim legem implet, non est sub lege, sed cum lege : qui autem sub lege est, non sublevatur, sed premitur lege. Omnes itaque homines sub Lege constitutos, reos facit Lex; et ad hoc illis super caput est, ut ostendat peccata, non tollat. Lex ergo jubet, dator legis miseretur in eo quod jubet lex. Conantes homines implere viribus suis quod a lege præceptum est, ipsa sua temeraria et præcipiti præsumptione ceciderunt; et non sunt cum lege, sed sub lege facti sunt rei : et quoniam suis viribus implere non poterant legem, facti rei sub lege, imploraverunt liberatoris auxilium; et reatus legis fecit ægritudinem superbis. Ægritudo superborum, facta est confessio humilium : jam confitentur ægroti quia ægrotant; veniat medicus, et sanet ægrotos.

3. Medicus quis? Dominus noster Jesus Christus. Quis Dominus noster Jesus Christus? Ille qui visus est et ab eis a quibus crucifixus est. Ille qui apprehensus, colaphizatus, flagellatus, sputis illitus, spinis coronatus, in cruce suspensus, mortuus, lancea vulneratus, de cruce depositus, in sepulcro positus. Ille ipse Dominus noster Jesus Christus; ille ipse plane, et ipse est totus medicus vulnerum nostrorum, crucifixus ille cui insultatum est, quo pendente persecutores caput agitabant, et dicebant, *Si filius Dei est*, *descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 39, 40) : ipse est totus medicus noster, ipse plane. Quare ergo non ostendit insultantibus, quia ipse erat Filius Dei : ut si se permisit in crucem levari, saltem cum illi dicerent, *Si filius Dei est*, *descendat de cruce*; tunc descenderet, et ostenderet eis verum se esse Filium Dei, quem illi ausi fuerant irridere? Noluit. Quare noluit? numquid quia non potuit? Potuit plane. Quid est enim amplius, de cruce descendere, an de sepulcro resurgere? Sed pertulit insultantes : nam crux non ad potentiæ documentum [1], sed ad exemplum patientiæ suscepta est. Ibi vulnera tua curavit, ubi sua diu pertulit : ibi te a morte sempiterna sanavit, ubi temporaliter mori dignatus est. Et mortuus est, an in illo mors mortua est? Qualis mors, quæ mortem occidit?

4. Ipse est tamen Dominus noster Jesus Christus totus, qui videbatur, et tenebatur, et crucifigebatur? Num totus [2] hoc ipse est? Ipse est quidem, sed non totus illud quod viderunt Judæi; non hoc est totus Christus. Et quid est? *In principio erat Verbum.* In quo principio? *Et Verbum erat apud Deum.* Et quale Verbum? *Et Deus erat Verbum.* Numquid forte a Deo factum est hoc Verbum? Non. *Hoc* enim *erat in principio apud Deum.* Quid ergo? Alia quæ fecit Deus non similia sunt Verbo? Non : quia *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Quomodo per ipsum omnia sunt facta? Quia *quod factum est, in ipso vita erat :* et antequam fieret, vita erat. Quod factum est, non est vita : sed in arte, hoc est, in Sapientia Dei, antequam fieret, vita erat. Quod factum est, transiit : quod est in Sapientia, transire non potest. Vita ergo in illo erat, quod factum est. Et qualis vita? Quia et anima corporis vita est : corpus nostrum habet vitam suam; quam cum amiserit, mors est corporis : talis ergo erat illa vita? Non : sed *vita erat lux hominum.* Numquid lux pecorum? Nam ista lux et hominum et pecorum est. Est quædam lux hominum : unde distant homines a pecoribus videamus, et tunc intelligemus quid sit lux hominum. Non distas a pecore, nisi intellectu : noli aliunde gloriari. De viribus præsumis? a bestiis vinceris : de velocitate præsumis? a muscis vinceris : de pulchritudine præsumis? quanta pulchritudo est in pennis pavonis? Unde ergo melior es? Ex imagine Dei. Ubi imago Dei? In mente, in intellectu. Si ergo ideo melior pecore, quia habes mentem qua intelligas quod non potest pecus intelligere; inde autem homo, quia melior pecore; lux hominum est lux mentium. Lux mentium supra mentes est, et excedit omnes mentes. Hoc erat vita illa per quam facta sunt omnia.

5. Ubi erat? hic erat; an apud Patrem erat, et hic non erat? an quod verius est, et apud Patrem erat, et hic erat? Si ergo hic erat, quare non videbatur? Quia *lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* O homines, nolite esse tenebræ, nolite esse infideles, injusti, iniqui, rapaces, avari, amatores sæculi : hæ sunt enim tenebræ. Lux non est absens, sed vos absentes estis a luce. Cæcus in sole præsentem habet solem, sed absens est ipse soli. Nolite ergo esse tenebræ. Hæc est enim forte gratia, de qua dicturus sum, ut jam non simus tenebræ, et dicat nobis Apostolus : *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). Quia ergo non videbatur lux hominum, id est lux mentium, opus erat ut homo diceret de luce testimonium, non quidem tenebrosus, sed jam illuminatus. Nec tamen quia illuminatus, ideo ipsa lux; *sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Nam *non erat ille lux.* Et quæ erat lux? *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et ubi erat ista? *In hoc mundo erat.* Et quomodo *in hoc mundo erat?* numquid sicut ista lux solis, lunæ, lucernarum, sic et ista lux in mundo est? Non. Quia *mundus per eum factus est*, *et mundus eum non cognovit :* hoc est, *lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* Mundus enim tenebræ; quia dilectores mundi, mundus. Num enim creatura non agnovit Creatorem suum? Testimonium dedit cœlum de stella (*Matth.* II, 2); testimonium dedit mare, portavit ambulantem Dominum (*Id.* XIV, 26); testimonium dederunt venti, ad ejus jussum quieverunt (*Id.* VIII, 27); testimonium dedit terra, illo crucifixo contremuit (*Id.* XXVII, 51) : si omnia ista testimonium de-

[1] Mss. aliquot, probæ notæ, *ad impotentiæ documentum.*
[2] Sic plures Mss. At editi hic et infra, *totum.*

derunt, quomodo mundus eum non cognovit, nisi quia mundus dilectores mundi, corde habitantes mundum? Et malus mundus, quia mali habitatores mundi : sicut mala domus, non parietes, sed inhabitantes.

6. *In propria venit*, id est, in sua venit : *et sui eum non receperunt*. Quæ ergo spes est, nisi quia *quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri?* Si filii fiunt, nascuntur : si nascuntur, quomodo nascuntur? Non ex carne, *non ex sanguinibus, non ex voluntate carnis, non ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt*. Gaudeant ergo, quia ex Deo nati sunt; præsumant se pertinere ad Deum; accipiant documentum, quia ex Deo nati sunt : *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*. Si Verbum non erubuit nasci de homine, erubescunt homines nasci de Deo? Hoc autem quia fecit, curavit : quia curavit, videmus. Hoc enim quod *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, medicamentum nobis factum est, ut quia terra [1] cæcabamur, de terra sanaremur : et sanati quid videremus? *Et vidimus*, inquit, *gloriam ejus, gloriam tanquam Unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate* (*Joan*. I, 1-14).

7. *Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens, Hic erat quem dixi, Qui post me venit, ante me factus est*. Post me venit, et præcessit me. Quid est, *ante me factus est?* Præcessit me : non, factus est antequam factus essem ego; sed, antepositus est mihi : hoc est, *ante me factus est*. Quare ante te factus est, cum post te venerit? *Quia prior me erat*. Prior te, o Joannes? Quid magnum, si prior te? Bene, quia tu illi perhibes testimonium : audiamus ipsum dicentem, *Et ante Abraham ego sum* (*Joan*. VIII, 58). Sed et Abraham in medio genere humano ortus est; multi ante illum, multi post illum : audi vocem Patris ad Filium, *Ante luciferum genui te* (*Psal*. CIX, 3). Qui ante luciferum genitus est, omnes ipse illuminat. Dictus est enim quidam lucifer qui cecidit : erat enim angelus, et factus est diabolus; et dixit de illo Scriptura, *Lucifer qui mane oriebatur, cecidit* (*Isai*. XIV, 12). Unde lucifer? Quia illuminatus lucebat. Unde autem tenebrosus factus? Quia in veritate non stetit (*Joan*. VIII, 44). Ergo ille ante luciferum, ante omnem illuminatum : siquidem ante omnem illuminatum sit necesse est, a quo illuminantur omnes qui illuminari possunt.

8. Ideo hoc sequitur : *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Quid accepistis? *Et gratiam pro gratia*. Sic enim habent verba evangelica, collata cum exemplaribus græcis. Non ait, Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia; sed sic ait, *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia*, id est, accepimus : ut nescio quid nos voluerit intelligere de plenitudine ejus accepisse; et insuper gratiam pro gratia. Accepimus enim de plenitudine ejus, primo gratiam; et rursum accepimus gratiam, gratiam pro gratia. Quam gratiam primo accepimus? Fidem. In fide ambulantes, in gratia ambulamus. Unde enim hoc meruimus? quibus nostris præcedentibus meritis? Non se quisque compalpet [1], redeat in conscientiam suam, quærat latebras cogitationum suarum, redeat ad seriem factorum suorum : non attendat quid sit, si jam aliquid est; sed quid fuerit, ut esset aliquid; inveniet non se dignum fuisse nisi supplicio. Si ergo supplicio dignus fuisti, et venit ille qui non peccata puniret, sed peccata donaret; gratia tibi data est, non merces reddita. Unde vocatur gratia? Quia gratis datur. Non enim præcedentibus meritis emisti quod accepisti. Hanc ergo accepit gratiam primam peccator, ut ejus peccata dimitterentur. Quid meruit? Interroget justitiam; invenit pœnam : interroget misericordiam; invenit gratiam. Sed hoc et promiserat Deus per Prophetas : itaque cum venit dare quod promiserat; non solum gratiam dedit, sed et veritatem. Quomodo exhibita est veritas? Quia factum est quod promissum est.

9. Quid est ergo, *gratiam pro gratia?* Fide promeremur Deum; et qui digni non eramus quibus peccata dimitterentur, ex eo quia tantum donum indigni accepimus, gratia vocatur. Quid est gratia? gratis data. Quid est gratis data? Donata, non reddita. Si debebatur, merces reddita est, non gratia donata; si autem vere debebatur, bonus fuisti : si autem [2], ut verum est, malus fuisti, credidisti autem in eum qui justificat impium (*Rom*. IV, 5) (Quid est, qui justificat impium? Ex impio facit pium); cogita quid per legem tibi imminere debebat, et quid per gratiam consecutus sis. Consecutus autem istam gratiam fidei, eris justus ex fide (Justus enim ex fide vivit) (*Habac*. II, 4; *Rom*. I, 17); et promereberis Deum vivendo ex fide : cum promerueris Deum vivendo ex fide, accipies præmium immortalitatem, et vitam æternam. Et illa gratia est. Nam pro quo merito accipis vitam æternam? Pro gratia. Si enim fides gratia est, et vita æterna quasi merces est fidei : videtur quidem Deus vitam æternam tanquam debitam reddere (Cui debitam? Fideli, quia promeruit illam per fidem); sed quia ipsa fides gratia est, et vita æterna gratia est pro gratia.

10. Audi Paulum apostolum confitentem gratiam, et postea debitum expetentem. Confessio gratiæ quæ est in Paulo? *Qui prius fui blasphemus, et persecutor, et injuriosus : sed misericordiam*, inquit, *consecutus sum* (I *Tim* I, 13). Indignum se dixit qui consequeretur : consecutum tamen non per merita sua, sed per misericordiam Dei. Audi illum jam flagitantem debitum, qui primo indebitam susceperat gratiam : *Ego enim*, inquit, *jam immolor, et tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : de cætero reposita est mihi corona justitiæ*. Jam debitum flagitat, jam debitum exigit. Nam vide verba sequentia : *Quam mihi reddet Dominus in illa die, justus judex* (II *Tim*. IV, 6-8). Ut

[1] Mss. tres, *qui a terra*. Alii totidem, *quia a terra*. Unus, *quia de terra*.

[1] Ms. Fossatensis, *quisquam palpet*; a secunda manu.
[2] Editi interponebant hic, *non merito tuo*; quod abest a Mss.

ante susciperet gratiam, misericordem patrem opus habebat : ut præmium gratiæ, judicem justum. Qui non damnavit impium, damnabit fidelem? Et tamen si bene cogites, ipse dedit fidem primo, qua eum promeruisti : non enim de tuo promeruisti ut tibi aliquid deberetur. Quod ergo præmium immortalitatis postea tribuit, dona sua coronat, non merita tua. Ergo, fratres, *omnes de plenitudine ejus accepimus :* de plenitudine misericordiæ ejus, de abundantia bonitatis ejus accepimus. Quid? Remissionem peccatorum, ut justificaremur ex fide. Et insuper quid? *Et gratiam pro gratia;* id est, pro hac gratia in qua ex fide vivimus, recepturi sumus aliam : quid tamen nisi gratiam? Nam si dixero quia et hoc debetur, aliquid mihi assigno, quasi cui debeatur. Coronat autem in nobis Deus dona misericordiæ suæ : sed si in ea gratia quam primam accepimus, perseveranter ambulemus.

11. *Lex enim per Moysen data est :* quæ reos tenebat. Quid enim ait Apostolus? *Lex subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* v, 20). Hoc proderat superbis, ut abundaret delictum : multum enim sibi dabant, et quasi viribus suis multum assignabant ; et non poterant implere justitiam, nisi adjuvaret ille qui jusserat. Superbiam illorum volens domare Deus, dedit Legem, tanquam dicens : Ecce implete, ne putetis deesse jubentem. Non deest qui jubeat, sed deest qui impleat.

12. Si ergo deest qui impleat, unde non implet? Quia natus cum traduce peccati et mortis. De Adam natus, traxit secum quod ibi conceptum est. Cecidit primus homo; et omnes qui de illo nati sunt, de illo traxerunt concupiscentiam carnis. Oportebat ut nasceretur alius homo qui nullam traxit concupiscentiam. Homo, et homo : homo ad mortem, et homo ad vitam. Sic dicit Apostolus : *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Per quem hominem mors, et per quem hominem resurrectio mortuorum? Noli festinare : sequitur, et dicit : *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vivificabuntur* (I *Cor.* xv, 21, 22). Qui pertinent ad Adam? Omnes qui nati sunt de Adam. Qui ad Christum? Omnes qui nati sunt per Christum. Quare omnes in peccato? Quia nemo natus est præter Adam. Ut autem nascerentur ex Adam, necessitatis fuit ex damnatione : nasci per Christum, voluntatis est et gratiæ. Non coguntur homines nasci per Christum : non quia voluerunt, nati sunt ex Adam. Omnes tamen qui ex Adam, cum peccato peccatores : omnes qui per Christum, justificati et justi, non in se, sed in illo. Nam in se si interroges, Adam sunt : in illo si interroges, Christi sunt[1]. Quare? Quia ille caput Dominus noster Jesus Christus, non cum traduce peccati venit : sed tamen venit cum carne mortali.

13. Mors peccatorum pœna erat[2] : in Domino munus misericordiæ erat, non pœna peccati. Non enim aliquid habebat Dominus quare juste moreretur. Ipse ait, *Ecce venit princeps hujus mundi, et in me nihil invenit.* Quare ergo moreris? *Sed ut sciant omnes quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus hinc* (*Joan.* xiv, 30 *et* 31). Non habebat ille quare moreretur, et mortuus est : tu habes quare, et mori dedignaris? Dignare æquo animo pati per meritum tuum, quod ille pati dignatus est, ut te a sempiterna morte liberaret. Homo, et homo : sed ille, nonnisi homo; iste, Deus homo[1]. Ille homo peccati, iste justitiæ. Mortuus es in Adam, resurge in Christo : nam utrumque debetur tibi. Jam credidisti in Christum, reddes tamen quod debes de Adam. Sed non te in æternum tenebit vinculum peccati ; quia mortem tuam æternam occidit mors temporalis Domini tui. Ipsa est gratia, fratres mei, ipsa est et veritas, quia promissa et exhibita.

14. Non erat ista in Veteri Testamento, quia Lex minabatur, non opitulabatur ; jubebat, non sanabat ; languorem ostendebat, non auferebat : sed illi præparabat medico venturo cum gratia et veritate; tanquam ad aliquem quem curare vult medicus, mittat primo servum suum, ut ligatum illum inveniat. Sanus non erat, sanari nolebat, et ne sanaretur, sanum se esse jactabat : missa Lex est, ligavit eum ; invenit se reum, jam clamat de ligatura. Venit Dominus, curat amaris aliquantum et acribus medicamentis : dicit enim ægroto, Ferto; dicit, Tolera ; dicit, Noli diligere mundum, habeto patientiam, curet te ignis continentiæ, ferrum persecutionum tolerent vulnera tua. Expavescebas quamvis ligatus : liber ille et non ligatus bibit quod tibi dabat; prior passus est ut te consolaretur, tanquam dicens, Quod times pati pro te, prior patior pro te. Hæc est gratia, et magna gratia. Quis illam digne collaudat?

15. De humilitate Christi loquor, fratres mei. Majestatem Christi et divinitatem Christi quis loquitur? In explicando et dicendo ut quoquomodo humilitatem Christi loqueremur, non sufficimus, imo deficimus : totum cogitantibus committimus, non audientibus adimplemus. Cogitate humilitatem Christi. Sed quis nobis, inquis, eam explicat, nisi tu dicas? Ille intus dicat. Melius illud dicit qui intus habitat, quam qui foris clamat. Ipse vobis ostendat gratiam humilitatis suæ, qui cœpit habitare in cordibus vestris. Jamvero si in ejus humilitate explicanda et eroganda deficimus, majestatem ejus quis loquatur? Si *Verbum caro factum* conturbat nos, *In principio erat Verbum* quis explicabit? Tenete ergo, fratres, soliditatem istam.

16. *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Per servum Lex data est ; reos fecit : per Imperatorem indulgentia data est ; reos liberavit. *Lex per Moysen data est.* Non sibi aliquid amplius servus assignet, quam quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium tanquam fidelis in domo, sed tamen servus, agere secundum Legem potest, solvere a reatu Legis non potest. *Lex* ergo *per Moysen data est, Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

[1] Carcassonensis Ms., *Christus sunt.*

[2] Mss. quatuor : *Mors in Adam pœna peccatorum erat.*

[1] Editi, *Deus et homo.* Expungitur, *et*, auctoritate Mss.

17. Et ne forte aliquis dicat, Et Gratia et veritas non est facta per Moysen, qui vidit Deum? statim subjecit, *Deum nemo vidit unquam*. Et unde innotuit Moysi Deus? Quia revelavit servo suo Dominus. Quis Dominus? Ipse Christus, qui præmisit Legem per servum, ut veniret ipse cum Gratia et veritate. *Deum enim nemo vidit unquam*. Et unde illi servo quantum capere posset apparuit? Sed *unigenitus*, inquit, *Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Quid est, *in sinu Patris?* In secreto Patris. Non enim Deus habet sinum, sicut nos habemus in vestibus, aut cogitandus est sic sedere quomodo nos, aut forte cinctus est ut sinum haberet: sed quia sinus noster intus est, secretum Patris sinus Patris vocatur. In secreto Patris, qui Patrem novit, ipse enarravit. Nam *Deum nemo vidit unquam*. Ipse ergo venit, et narravit quidquid vidit. Quid vidit Moyses? Moyses vidit nubem, vidit angelum, vidit ignem: omnis illa creatura est; typum Domini sui gerebat, non ipsius Domini præsentiam exhibebat. Namque aperte habes in Lege, *Et loquebatur Moyses cum Domino, contra in contra sicut amicus cum amico suo*. Sequeris ipsam Scripturam, et invenis Moysen dicentem, *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifeste, ut videam te*. Et parum est quia dixit: responsum accepit, *Non potes videre faciem meam* (*Exod*. XXXIII, 11, 13, 20). Loquebatur ergo, fratres mei, cum Moyse angelus, portans typum Domini: et illa omnia quæ ibi per angelum facta sunt, futuram istam gratiam et veritatem promittebant. Qui bene scrutantur Legem, noverunt: et cum opportunum est, ut et nos aliquid inde dicamus, quantum Dominus revelat, non tacemus Charitati vestræ.

18. Illud autem sciatis, quia omnia quæ corporaliter visa sunt, non erant illa substantia Dei. Illa enim oculis carnis videmus: Dei substantia unde videtur? Evangelium interroga: *Beati mundo corde; quia ipsi Deum videbunt* (*Matth*. v, 8). Fuerunt homines (a) qui dicerent vanitate sui cordis decepti, Pater invisibilis est, Filius autem visibilis est. Unde visibilis? Si propter carnem, quia suscepit carnem; manifestum est. Illi enim qui carnem Christi viderunt, aliqui crediderunt, aliqui crucifixerunt: et qui crediderunt, illo crucifixo nutaverunt; et nisi ipsam post resurrectionem palparent, fides ad eos non revocaretur. Si ergo propter carnem visibilis Filius; et nos concedimus, et est catholica fides: si autem ante carnem sicut ipsi dicunt, id est, antequam incarnaretur; multum delirant, et multum errant. Facta enim sunt illa visibilia corporaliter per creaturam, in quibus typus ostenderetur: non utique substantia ipsa demonstrabatur et manifestabatur. Et hoc attendat Charitas vestra lene documentum [1]. Sapientia Dei videri oculis non potest. Fratres, si Christus Sapientia Dei, et Virtus Dei (I *Cor*. I, 24); si Christus Verbum Dei; verbum hominis oculis non videtur, Verbum Dei videri sic potest?

[1] Mss. plerique, *leve documentum*: forte pro, *breve documentum*.

(a) Ariani.

19. Expellite ergo de cordibus vestris carnales cogitationes, ut vere sitis sub gratia, ut ad Novum Testamentum pertineatis. Ideo vita æterna promittitur in Novo Testamento. Legite Vetus Testamentum, et videte quia carnali adhuc populo ea quidem præcipiebantur quæ nobis. Nam unum Deum colere, et nobis præcipitur. *Non accipies in vanum nomen Domini Dei tui*, et nobis præcipitur: quod est secundum præceptum. *Observa diem sabbati*, magis nobis præcipitur: quia spiritualiter observandum præcipitur. Judæi enim serviliter observant diem sabbati, ad luxuriam, ad ebrietatem. Quanto melius feminæ eorum lanam facerent, quam illo die in mænianis [1] saltarent? Absit, fratres, ut illos dicamus observare sabbatum. Spiritualiter observat sabbatum christianus, abstinens se ab opere servili. Quid est enim ab opere servili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan*. VIII, 34). Ergo et nobis præcipitur spiritualiter observatio sabbati. Jam illa omnia præcepta nobis magis præcipiuntur, et observanda sunt: *Non occides*, *Non mæchaberis*, *Non furaberis*, *Non falsum testimonium dices*, *Honora patrem et matrem*, *Non concupisces rem proximi tui*, *Non concupisces uxorem proximi tui* (*Exod*. XX, 3-17). Nonne ista omnia et nobis præcipiuntur? Sed quære mercedem, et invenies ibi dici: Ut expellantur hostes a facie tua, et accipiatis terram quam promisit Deus patribus vestris (*Levit*. XXVI, 1-13). Quia non poterant capere invisibilia, per visibilia tenebantur. Quare tenebantur? Ne penitus interirent, et ad idola laberentur. Nam fecerunt hoc, fratres mei, sicut legitur, obliti tanta miracula quæ fecit Deus coram oculis eorum. Mare discissum est; via facta est in mediis fluctibus; sequentes hostes eorum eisdem aquis operti sunt, per quas illi transierunt (*Exod*. XIV, 21-31): et cum Moyses homo Dei recessisset ab oculis eorum, idolum petierunt, et dixerunt: *Fac nobis deos qui nos præeant, quia ille homo dimisit nos*. Tota spes eorum in homine posita erat, non in Deo. Ecce mortuus est homo: numquid mortuus est Deus qui eruerat eos de terra Ægypti? Et cum fecissent sibi imaginem vituli, adoraverunt, et dixerunt, *Hi sunt dii tui, Israel, qui te liberaverunt de terra Ægypti* (*Id*. XXXII, 1-4). Quam cito obliti tam manifestam [2] gratiam! Quibus ergo modis teneretur populus talis, nisi promissis carnalibus?

20. Ea ibi jubentur in decalogo Legis quæ et nobis; sed non ea promittuntur quæ nobis. Nobis quid promittitur? Vita æterna. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan*. XVII, 3). Cognitio Dei promittitur: ipsa est gratia pro gratia. Fratres, modo credimus, non videmus: pro ista fide præmium erit, videre quod credimus. Noverant hoc Prophetæ, sed occultum erat antequam veniret. Nam quidam suspirans amator in Psalmis ait: *Unam petii a Domino, hanc requiram*.

[1] Editi, *neomeniis*: corrupte pro, *mænianis*, quod nostri omnes Mss. præferunt. Mæniana veteres vocant podiolos, seu domorum solaria.

[2] Editi, *magnificam*. Mss. omnes, *manifestam*.

Et quæris quid petat? Forte enim terram petit fluentem lacte et melle carnaliter, quamvis spiritualiter ista quærenda sit et petenda : aut forte subjectionem hostium suorum, aut mortem inimicorum, aut imperia et facultates hujus sæculi. Ardet enim amore, et multum suspirat, et æstuat, et anhelat. Videamus quid petat, *Unam petii a Domino, hanc requiram*. Quid est hoc quod requirit? *Ut inhabitem*, inquit, *in domo Domini, per omnes dies vitæ meæ* Et puta quia habitas in domo Domini, unde ibi erit gaudium tuum? *Ut contempler*, inquit, *delectationem Domini* (*Psal.* xxvi, 4).

21. Fratres mei, unde clamatis, unde exsultatis, unde amatis, nisi quia ibi est scintilla hujus charitatis? Quid desideratis, rogo vos? Videri potest oculis? tangi potest? pulchritudo aliqua est quæ oculos delectat? Nonne martyres amati sunt vehementer; et quando eos commemoramus, inardescimus amore? Quid in illis amamus, fratres? Membra laniata a feris? Quid fœdius, si oculos carnis interroges? quid pulchrius, si oculos cordis interroges? Quid tibi videtur adolescens pulcherrimus fur? Quomodo horrent oculi tui? Numquid oculi carnis horrent? Si ipsos interroges, nihil illo corpore compositius, nihil ordinatius [1]; et paritas membrorum, et coloris delectatio illicit oculos : et tamen cum audis quia fur est, fugis hominem animo. Vides ex alia parte senem curvum, baculo innitentem, vix se moventem, rugis undique exaratum : quid vides quod oculos delectet? Audis quia justus est; amas, amplecteris. Talia nobis præmia promissa sunt, fratres mei : tale aliquid amate, tali regno suspirate, talem patriam desiderate; si vultis pervenire ad id cum quo venit Dominus noster, id est, ad gratiam et veritatem. Si autem corporalia præmia concupieris a Deo, adhuc sub Lege es, et ideo ipsam Legem non implebis. Quando enim videris abundare ista temporalia in eis qui Deum offendunt, nutant gressus tui, et dicis tibi : Ecce ego colo Deum, quotidie ad ecclesiam curro, genua mihi trita sunt in orationibus; et assidue ægroto : homicidia faciunt homines, rapinas faciunt; exsultant et abundant, bene est illis Talia ergo quærebas a Deo? Certe ad gratiam pertinebas [2]. Si gratiam ideo tibi dedit Deus, quia gratis dedit, gratis ama. Noli ad præmium diligere Deum; ipse sit præmium tuum. Dicat anima tua, *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ, ut contempler delectationem Domini.* Noli timere ne fastidio deficias : talis erit illa delectatio pulchritudinis, ut semper tibi præsens sit, et nunquam satieris; imo semper satieris, et nunquam satieris. Si enim dixero quia non satiaberis, fames erit; si dixero quia satiaberis, fastidium timeo : ubi nec fastidium erit, nec fames, quid dicam nescio; sed Deus habet quod exhibeat non invenientibus quomodo dicant, et credentibus quod accipiant.

[1] Editi, *ornatius*. Sed melius Mss., *ordinatius*.
[2] Ms. Germanensis, *non pertinebas*.

TRACTATUS IV.

Ab eo quod scriptum est, Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes, *etc.*, *usque ad id*, Ipse est qui baptizat in Spiritu sancto, *etc. Cap.* I, ℣. 19-33.

1. Sæpissime audivit Sanctitas vestra, et optime nostis, quoniam Joannes Baptista quanto præclarior erat in natis mulierum, et quanto humilior ad cognoscendum Dominum, tanto meruit esse amicus sponsi; sponso zelans, non sibi; non suum honorem quærens, sed judicis sui, quem tanquam præco præibat. Itaque Prophetis præcedentibus prænuntiare de Christo futura concessum est; huic autem digito ostendere. Sicut enim ignorabatur Christus ab his qui Prophetis non crediderunt antequam veniret, sic ab eis ignorabatur et præsens. Venerat enim humiliter primo et occultus; tanto occultior, quanto humilior : populi autem spernentes per superbiam suam humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem suum, et fecerunt damnatorem suum.

2. Sed qui primo venit occultus, quia venit humilis, numquid deinceps non est venturus manifestus, quia excelsus? Audistis modo Psalmum : *Deus manifestus veniet, Deus noster et non silebit.* Siluit ut judicaretur, non silebit cum cœperit judicare. Non diceretur, *manifestus veniet*, nisi primo venisset occultus; nec diceretur, *non silebit*, nisi quia primo siluit. Quomodo siluit? Interroga Isaiam : *Sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram eo qui se tonderet* [1], *fuit sine voce, sic non aperuit os suum* (*Isai.* LIII, 7). *Veniet* autem *manifestus, et non silebit.* Quomodo *manifestus? ignis ante eum præibit, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX, 3). Tempestas illa tollere habet totam paleam de area, quæ modo trituratur; et ignis incendere quod tempestas abstulerit. Modo autem tacet : tacet judicio, sed non tacet præcepto. Si enim tacet Christus, quid sibi volunt hæc Evangelia? quid sibi volunt voces apostolicæ, quid cantica Psalmorum, quid eloquia Prophetarum? In his enim omnibus Christus non tacet. Sed tacet modo, ut non vindicet : non tacet, ut non moneat. Veniet autem præclarus in vindictam, et apparebit omnibus, et qui in eum non credunt. Modo vero quia et præsens occultus erat, oportebat ut contemneretur. Nisi enim contemneretur, non crucifigeretur : si non crucifigeretur, non funderet sanguinem, quo pretio nos redemit. Ut autem daret pretium pro nobis, crucifixus est; ut crucifigeretur, contemptus est; ut contemneretur, humilis apparuit.

3. Tamen quia quasi in nocte apparuit in corpore mortali, lucernam sibi accendit unde videretur. Ipsa lucerna Joannes erat (*Joan.* V, 35), de quo jam multa audivistis : et præsens lectio Evangelii, verba Joannis continet, primo, quod præcipuum est, confitentis quia non ipse erat Christus. Tanta autem excellentia erat in Joanne, ut posset credi Christus : et in eo probata est humilitas ejus, quia dixit se non esse,

[1] Editi, *tondet*. At MSS., *tonderet*.

cum posset credi esse. Ergo, *Hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum, Tu quis es?* Non autem mitterent, nisi moverentur excellentia auctoritatis ejus, quia ausus est baptizare. *Et confessus est, et non negavit.* Quid confessus est? *Et confessus est. Quia non sum ego Christus.*

4. *Et interrogaverunt eum, Quid ergo? Elias es tu?* Noverant enim quia præcessurus erat Elias Christum. Non enim alicui incognitum erat nomen Christi apud Judæos. Istum non putaverunt esse Christum : non omnino Christum non esse venturum. Cum sperarent venturum, sic offenderunt in præsentem, offenderunt tanquam in humilem lapidem. Lapis enim ille adhuc parvus erat, jam quidem præcisus de monte sine manibus : sicut dicit Daniel propheta, vidisse se lapidem præcisum de monte sine manibus. Sed quid sequitur? *Et crevit,* inquit, *lapis ille, et factus est mons magnus, et implevit universam faciem terræ* (*Dan.* II, 34, 35). Videat ergo Charitas vestra quod dico : Christus ante Judæos jam præcisus erat de monte. Montem regnum vult intelligi Judæorum. Sed regnum Judæorum non impleverat universam faciem terræ. Inde præcisus est ille lapis, quia inde natus est in præsentia Dominus. Et quare sine manibus? Quia sine opere virili Virgo peperit Christum. Jam ergo erat lapis ille præcisus sine manibus, ante oculos Judæorum : sed humilis erat. Non immerito; quia nondum creverat lapis ille, et impleverat orbem terrarum : quod ostendit in regno suo, quod est Ecclesia, qua implevit totam faciem terræ. Quia ergo nondum creverat, offenderunt in illum tanquam in lapidem : et factum est in eis quod scriptum est, *Qui ceciderit super lapidem istum, conquassabitur; et super quos ceciderit lapis ille, conteret eos* (*Luc.* XX, 18). Primo super humilem ceciderunt; excelsus super illos venturus est : sed ut eos venturus excelsus conterat, primo eos humilis quassavit. Offenderunt in eum, et quassati sunt; non contriti, sed quassati : veniet excelsus, et conteret eos. Sed ignoscendum est [1] Judæis, quia offenderunt in lapidem qui nondum creverat. Quales sunt illi qui in ipsum montem offenderunt? Jam de quibus dicam cognoscitis. Qui negant Ecclesiam toto orbe diffusam, non in humilem lapidem, sed in ipsum montem offendunt : quod factus est ille lapis dum cresceret. Cæci Judæi non viderunt humilem lapidem : quanta cæcitas est non videre montem?

5. Ergo viderunt humilem, et non cognoverunt. Demonstrabatur illis per lucernam. Nam primo ille, quo major nemo surrexerat in natis mulierum, dixit, *Non sum ego Christus.* Dictumque illi est, *Numquid tu es Elias? Respondit, non sum.* Christus enim præmittit ante se Eliam : et dixit, *Non sum,* et fecit nobis quæstionem. Timendum est enim ne minus intelligentes, contraria putent Joannem dixisse quam Christus dixit. Quodam enim loco, cum Dominus Jesus Christus in Evangelio quædam diceret de se, responderunt illi discipuli : *Quomodo ergo dicunt Scribæ,* id est periti Legis, *quia Eliam oportet primum venire?* Et ait Dominus : *Elias jam venit, et fecerunt ei quæ voluerunt; et si vultis scire, ipse est Joannes Baptista* (*Matth.* XVII, 10 13, *et* XI, 11-14). Dominus Jesus Christus dixit, *Elias jam venit, et ipse est Joannes Baptista :* Joannes autem interrogatus sic se confessus est Eliam non esse, quomodo nec Christum esse. Et utique sicut verum confessus est Christum se non esse, sic verum confessus est nec Eliam se esse. Quomodo ergo comparabimus dicta præconis cum dictis judicis? Absit ut præco mentiatur : hoc enim loquitur quod audit a judice. Quare ergo ille, *Non sum Elias :* et Dominus, *Ipse est Elias ?* Quia in eo Dominus Jesus Christus præfigurare voluit futurum adventum suum, et hoc dicere, quia in spiritu Eliæ erat Joannes. Et quod erat Joannes ad primum adventum, hoc erit Elias ad secundum adventum. Quomodo duo adventus judicis, sic duo præcones. Judex quidem ipse, præcones autem duo : non duo judices. Oportebat enim judicem primo venire judicandum. Misit ante se primum præconem, vocavit illum Eliam; quia hoc erit in secundo adventu Elias, quod in primo Joannes.

6. Namque intendat Charitas vestra quam verum dicam. Quando conceptus est Joannes, vel potius quando natus est, Spiritus sanctus hoc de illo homine implendum prophetavit : *Et erit,* inquit, *præcursor Altissimi, in spiritu et virtute Eliæ* (*Luc.* I, 17). Non ergo Elias, sed *in spiritu et virtute Eliæ.* Quid est, *in spiritu et virtute Eliæ?* In eodem Spiritu sancto vice Eliæ. Quare vice Eliæ? Quia quod Elias secundo, hoc Joannes primo adventui fuit. Recte ergo modo Joannes proprie respondit. Nam Dominus figurate, *Elias ipse est Joannes :* iste autem, ut dixi, proprie, *Non sum ego Elias.* Si figuram præcursionis advertas, Joannes ipse est Elias : quod enim ille ad primum adventum, hoc ille ad secundum erit. Si proprietatem personæ interroges, Joannes Joannes, Elias Elias; Dominus ergo ad præfigurationem recte, *Ipse est Elias :* Joannes autem recte ad proprietatem, *Non sum Elias.* Nec Joannes falsum, nec Dominus falsum : nec præco falsum, nec Judex falsum; sed si intelligas. Quis autem intelliget? Qui imitatus fuerit humilitatem præconis, et cognoverit celsitudinem judicis. Nihil enim humilius ipso præcone. Fratres mei, nullum tantum meritum Joannes habuit quam de ista humilitate, quod cum posset fallere homines, et putari Christus, et haberi pro Christo (tantæ enim gratiæ tantæque excellentiæ fuit), confessus est tamen aperte, et dixit, *Non sum ego Christus. Numquid tu Elias es?* Jam si diceret, Elias sum; ergo jam in secundo adventu adveniens Christus judicaret, non adhuc in primo judicaretur. Tanquam dicens, Venturus est et Elias; *Non sum,* inquit, *Elias.* Sed observate humilem, ante quem venit Joannes, ne sentiatis excelsum ante quem venturus est Elias. Nam et Dominus ita complevit : *Ipse est Joannes Baptista qui venturus est.* Ipsa præfiguratione venit iste, qua proprietate venturus est Elias. Tunc Elias per proprietatem Elias erit, nunc per similitudi-

[1] Vetus codex Remigiensis : *Si ignoscendum non est.*

nem Joannes erat. Modo Joannes per proprietatem Joannes, per similitudinem Elias est[1]. Ambo præcones sibi dederunt similitudines suas, et tenuerunt proprietates suas : unus autem Dominus judex, sive illo præcone præcedente, sive illo.

7. *Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu? Et dixit : Non. Et dixerunt ei : Propheta es tu ? Et respondit ? Non. Dixerunt ergo ei : Quis es tu ? ut responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de teipso? Ait : Ego vox clamantis in deserto.* Isaias illud dixit (*Isa.*, XL, 3) In Joanne prophetia ista impleta est, *Ego vox clamantis in deserto.* Quid clamantis? *Dirigite viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.* Non vobis videtur præconis esse dicere, Exite, facite viam? Nisi quod præco Exite dicit : Joannes dicit, Venite. A judice repellit præco, ad judicem vocat Joannes Imo vocat Joannes ad humilem, ne judex sentiatur excelsus. *Ego vox clamantis in deserto, dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta.* Non dixit, Ego sum Joannes, ego sum Elias, Ego sum propheta. Sed quid dixit? Hoc vocor, *Vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domino* : ego sum ipsa prophetia.

8. *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis :* id est, ex principibus Judæorum. *Et interrogaverunt, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?* Quasi audaciæ videbatur esse baptizare, quasi, In qua persona? Quærimus utrum tu sis Christus ; tu dicis te non esse : quærimus ne forte præcursor illius sis, quia novimus ante Christi adventum venturum esse Eliam ; negas te esse : quærimus ne forte aliquis multum præveniens præco es, id est propheta, et accepisti hanc potestatem ; nec prophetam te esse dicis. Et non erat propheta Joannes : major erat quam propheta. Dominus de illo tale testimonium dedit : *Quid existis in desertum videre ? Arundinem vento agitari.* Utique, Non vento agitari, subaudis; quia non hoc erat Joannes, quasi qui a vento moveretur : qui enim a vento movetur, circumflatur omni spiritu seductorio. *Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum?* Vestiebatur enim Joannes asperis, id est, tunica facta de pilis cameli. *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.* Non ergo existis videre hominem mollibus vestitum. *Sed quid existis videre? Prophetam? Ita dico vobis, major quam propheta hic* (*Matth.* XI, 7, 8, 9) : quia prophetæ longe ante prænuntiaverunt, Joannes præsentem demonstrabat.

9. *Quid ergo tu baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? Respondit eis Joannes, et dixit : Ego baptizo in aqua ; medius autem vestrum stetit quem vos nescitis.* Humilis enim non videbatur, et propterea lucerna accensa est. Videte quomodo dat locum, qui aliud posset putari. *Ipse est qui post me venit, qui ante me factus est.* Sicut jam diximus, id est, antepositus est mihi. *Cujus ego non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti ejus.* Quantum se abjecit? Et ideo multum elevatus est ; quoniam qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XIV, 11). Unde debet videre Sanctitas vestra, quia si Joannes sic se humiliavit, ut diceret, *Non sum ego dignus corrigiam solvere ;* quomodo habent humiliari, qui dicunt : Nos baptizamus, nos quod damus nostrum est, et quod nostrum est, sanctum est. Ille dicit, Non ego, sed ille : illi dicunt, Nos (*a*). Non est dignus Joannes solvere corrigiam calceamenti ejus : quod si dignum se diceret, quam humilis esset? Et si dignum se diceret, et sic diceret, Ille venit post me, qui ante me factus est, cujus tantummodo corrigiam calceamenti dignus sum solvere; multum se humiliasset. Quando autem nec ad hoc dignum se dicit, vere plenus Spiritu sancto erat, qui sic servus Dominum agnovit, et ex servo amicus fieri meruit.

10. *Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Nemo sibi arroget, et dicat quia ipse auferat peccatum mundi. Jam intendite[1], contra quos superbos intendebat digitum Joannes. Nondum erant nati hæretici, et jam ostendebantur : contra illos clamabat tunc a fluvio, contra quos modo clamat ex Evangelio. Venit Jesus ; et quid dicit ille? *Ecce Agnus Dei.* Si agnus innocens, et Joannes agnus. An non et ipse innocens? Sed quis innocens ? quantum innocens ? Omnes ex illa traduce veniunt et ex illa propagine, de qua cantat gemens David : *Ego in iniquitate conceptus sum, et in peccatis mater mea in utero me aluit* (*Psal.* L, 7). Solus ergo ille Agnus, qui non sic venit. Non enim in iniquitate conceptus est; quia non de mortalitate conceptus est : nec cum in peccatis mater ejus in utero aluit, quem virgo concepit, virgo peperit ; quia fide concepit, et fide suscepit. Ergo *ecce Agnus Dei.* Non habet iste traducem de Adam : carnem tantum sumpsit de Adam, peccatum non assumpsit. Qui non assumpsit de nostra massa peccatum, ipse est qui tollit nostrum peccatum. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*

11. Nostis quia quidam homines dicunt aliquando : Nos tollimus peccata hominibus, qui sancti sumus : si enim non fuerit sanctus qui baptizat, quomodo tollit peccatum alterius, cum sit homo ipse plenus peccato? Contra istas disputationes verba nostra non dicamus, hunc legamus : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Non sit præsumptio hominibus in homines : non transmigret passer in montes, in Domino confidat (*Psal.* X, 2) ; et si levat oculos in montes, unde veniet auxilium ei, intelligat quia auxilium ejus a Domino, qui fecit cœlum et terram (*Psal.* CXX, 1, 2). Tantæ excellentiæ Joannes, dicitur ei, Tu es Christus? Dicit, Non. Tu es Elias? Dicit, Non. Tu es propheta? Dicit, Non. Quare ergo baptizas? *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi : hic est de quo dixi, Post me venit vir qui ante me factus est, quia prior me erat. Post me venit,* quia posterius natus est :

[1] Sic omnes Mss. At editi : *Nunc per similitudinem Joannes Elias erat. Modo Joannes per proprietatem Joannes est, tunc per similitudinem Elias Joannes erit.*

[1] Sic Mss. prope omnes. At editi : *Auferat peccata. Unde jam intendite.*

(*a*) Donatistarum superbia.

ante me factus est, quia prælatus est mihi : *prior me erat*, *quia in principio erat Verbum*, *et Verbum erat apud Deum*, *et Deus erat Verbum*.

12. « Et ego nesciebam eum, dixit : sed ut manifestaretur Israeli, propterea veni ego in aqua baptizans. Et testimonium perhibuit Joannes, dicens, Quia vidi Spiritum de cœlo descendentem quasi columbam, et mansit super eum : et ego nesciebam eum, sed qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto : et ego vidi, et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei. » Intendat modicum Charitas vestra : Joannes quando didicit Christum ? Missus est enim ut baptizaret in aqua. Quæsitum est quare ? *Ut manifestaretur Israeli*, dixit. Quid profuit baptismus Joannis ? Fratres mei, si profuit aliquid, et modo maneret, et baptizarentur homines baptismo Joannis ; et sic venirent ad baptismum Christi. Sed quid ait ? *Ut manifestaretur Israeli :* id est, ipsi Israel, populo Israel ut manifestaretur Christus, venit baptizare in aqua. Accepit ministerium baptismatis Joannes, in aqua pœnitentiæ parare viam Domino, non existens Dominus : at ubi cognitus est Dominus, superfluo ei via parabatur ; quia cognoscentibus se ipse factus est via : itaque non duravit diu baptismus Joannis. Sed quomodo demonstratus est Dominus ? Humilis ; ut ideo acciperet baptisma Joannes, in quo baptizaretur ipse Dominus.

13. Et opus erat Domino baptizari ? Et ego interrogans cito respondeo : Opus erat Domino nasci ? opus erat Domino crucifigi ? opus erat Domino mori ? opus erat Domino sepeliri ? Si ergo tantam suscepit pro nobis humilitatem, baptismum non erat suscepturus ? Et quid profuit quia suscepit baptismum servi ? Ut tu non dedignareris suscipere baptismum Domini. Intendat Charitas vestra. Futuri erant aliqui in Ecclesia excelsioris gratiæ catechumeni. Fit enim aliquando ut videas catechumenum abstinentem ab omni concubitu, valefacientem sæculo, renuntiantem omnibus quæ possidebat, distribuentem pauperibus ; et catechumenus est, instructus etiam forte doctrina salutari supra multos fideles. Timendum est huic ne dicat apud semetipsum de Baptismate sancto quo peccata dimittuntur : Quid plus accepturus sum ? Ecce ego melior sum illo fideli et illo fideli : cogitans fideles aut conjugatos, aut forte idiotas, aut habentes et possidentes res suas, quas ipse distribuit jam pauperibus, et meliorem se esse arbitrans quam ille qui jam baptizatus est, dedignetur venire ad Baptismum, dicens, Hoc sum accepturus quod habet ille et ille ; et proponat sibi illos quos contemnit, et quasi sordeat illi hoc accipere quod acceperunt inferiores, quia jam videtur ipse sibi melior : et tamen omnia peccata super illum sunt, et nisi venerit ad salutarem Baptismum, ubi peccata solvuntur, cum omni excellentia sua non potest intrare in regnum cœlorum. Sed ut illam excellentiam invitaret Dominus ad baptismum suum, ut peccata illi dimitterentur, venit ipse ad baptismum servi sui ; et cum ipse non haberet quod ei dimitteretur, nec quod in illo lavaretur, suscepit a servo baptismum ; et tanquam allocutus est filium superbientem et extollentem se, ac dedignantem forte accipere cum idiotis unde ei possit salus venire, et quasi dicens : Quantum te extendis ? quantum extollis ? quanta est excellentia tua ? quanta gratia tua ? major potest esse quam mea ? si ego veni ad servum, tu dedignaris venire ad Dominum ? si ego suscepi baptismum servi, tu dedignaris a Domino baptizari ?

14. Nam ut noveritis, fratres mei, quia non ex necessitate alicujus vinculi peccati Dominus veniebat ad ipsum Joannem ; sicut dicunt alii evangelistæ, cum ad illum veniret baptizandus Dominus, ait ipse Joannes : *Tu ad me venis ? ego a te debeo baptizari.* Et quid ei ipse respondit ? *Sine modo ; impleatur omnis justitia* (*Matth.* III, 14, 15). Quid est, *impleatur omnis justitia ?* Mori veni pro hominibus, baptizari non habeo pro hominibus ? Quid est, *impleatur omnis justitia ?* Impleatur omnis humilitas. Quid ergo ? non erat suscepturus baptismum a bono servo, qui passionem suscepit a servis malis ? Intendite ergo. Baptizato Domino, si propterea baptizavit Joannes, ut in ejus baptismo Dominus ostenderet humilitatem, nemo alius baptizaretur baptismo Joannis ? Multi autem baptizati sunt baptismo Joannis ; baptizatus est Dominus baptismo Joannis, et cessavit baptismus Joannis : inde jam missus est in carcerem Joannes ; deinceps nemo baptizatus invenitur illo baptismate. Si ergo propterea venit et Joannes baptizans, ut Domini humilitas nobis demonstraretur, ut quia ille suscepit a servo, nos non dedignaremur suscipere a Domino ; Dominum solum Joannes baptizaret ? Sed si solum Dominum Joannes baptizaret, non deessent qui putarent sanctius fuisse baptisma Joannis quam Christi ; quasi baptismate Joannis solus Christus meruisset baptizari, baptismate autem Christi genus humanum. Intendat Charitas vestra. Baptismate Christi baptizati sumus, non tantum nos, sed et universus orbis terrarum, et baptizatur usque in finem. Quis nostrum potest ex aliqua parte comparari Christo, cujus se Joannes dixit indignum solvere corrigiam calceamenti ? Si ergo ille Christus tantæ excellentiæ homo Deus, solus baptizaretur baptismo Joannis, quid dicturi erant homines ? Qualem baptismum habuit Joannes? Magnum baptismum habuit, ineffabile sacramentum : vide, quia solus Christus meruit baptizari Joannis baptismo. Atque ita major videretur baptismus servi, quam baptismus Domini. Baptizati sunt et alii baptismo Joannis, ne melior baptismus videretur Joannis quam Christi ; baptizatus autem et Dominus, ut Domino suscipiente baptismum servi, non dedignarentur alii servi suscipere baptismum Domini : ad hoc ergo missus erat Joannes.

15. Sed noverat Christum, an non noverat ? Si non noverat, quare dicebat quando venit ad fluvium Christus : *Ego a te debeo baptizari ?* hoc est, Scio qui sis. Si ergo jam noverat, certe tunc cognovit quando vidit columbam descendentem. Manifestum est quia columba non descendit super Dominum, nisi postea-

quam ascendit ab aqua baptismi. Dominus baptizatus ascendit ab aqua, aperti sunt cœli, et vidit super eum columbam. Si ergo post baptismum descendit columba, et antequam baptizaretur Dominus, dixit illi Joannes, *Tu ad me venis? ego a te debeo baptizari?* ante, illum noverat, cui dixit, *Tu ad me venis? ego a te debeo baptizari?* quomodo ergo dixit, « Et ego nesciebam eum; sed qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto? » Non parva quæstio est, fratres mei. Si vidistis quæstionem, non parum vidistis: superest ut ipsius solutionem Dominus det. Tamen illud dico, si vidistis quæstionem, non est parum. Ecce positus est Joannes ante oculos vestros, stans ad fluvium Joannes Baptista; ecce venit Dominus adhuc baptizandus, nondum baptizatus: audi vocem Joannis, *Tu ad me venis? ego a te debeo baptizari;* ecce jam cognoscit Dominum, a quo vult baptizari. Baptizatus Dominus ascendit ab aqua, aperiuntur cœli, descendit Spiritus, modo illum cognoscit Joannes: si modo illum cognoscit, quid dixit antea, *Ego a te debeo baptizari?* Si autem non eum modo cognoscit, quia jam noverat eum, quid est quod dixit, « Non noveram eum; sed qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum sicut columbam, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto? »

16. Fratres, ista quæstio si hodie solvatur, gravat vos, non dubito, quia jam multa dicta sunt. Sciatis autem talem istam quæstionem esse, ut hæc sola perimat partem Donati. Ad hoc dixi Charitati vestræ, ut intentos vos facerem, similiter ut soleo; simul ut oretis pro nobis et vobis, ut et nobis det Dominus digna loqui, et vos digna capere mereamini. Interim hodie dignamini differre. Sed hoc breviter dico interim, donec solvatur: interrogate pacifice, sine rixa, sine contentione, sine altercationibus, sine inimicitiis; et vobiscum quærite, et alios interrogate, et dicite, Hanc quæstionem proposuit nobis hodie episcopus noster, aliquando si Dominus concesserit, soluturus eam. Sed sive solvatur sive non solvatur, putate me proposuisse quod me movet: moveor enim multum. Dicit Joannes, *Ego a te debeo baptizari;* tanquam Christo cognito. Si enim non noverat eum a quo volebat baptizari, temere dicebat, *Ego a te debeo baptizari.* Noverat ergo eum. Si noverat eum, quid est ergo quod dicit, *Non noveram eum; sed qui me misit baptizare in aqua, ipse mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, sicut columbam, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto?* Quid dicturi sumus? Quia non scimus quando venerit columba? Ne forte ibi lateant [1], legantur alii evangelistæ, qui planius illud dixerunt: et invenimus apertissime tunc descendisse columbam, cum Dominus ab aqua ascendit. Super baptizatum enim aperti sunt cœli, et vidit Spiritum descendentem (*Matth.* III, 16, *Marc.* I, 10, *et Luc.* III, 21 *et* 22). Si jam baptizatum cognovit, venienti ad baptisma quomodo dicit, *Ego a te debeo baptizari?* Hanc vobiscum interim ruminate, hanc vobiscum conferte, hanc vobiscum tractate. Præstet Dominus Deus noster ut antequam a me audiatis, alicui vestrum priori eam revelet. Tamen, fratres, hoc sciatis, quia per istius quæstionis solutionem, vocem pars Donati de Baptismi gratia, ubi nebulas obtendunt imperitis, et retia tendunt avibus volantibus, si frontem habeant, omnino non habebunt: omnino eorum ora claudentur.

[1] Editi, *lateat.* Mss., *lateant:* scilicet, Donatistæ.

TRACTATUS V.

Rursum in illud, Et ego nesciebam eum, *etc. Quid novi Joannes didicerit de Domino per columbam. Cap.* I, ℣. 33.

1. Sicut Dominus voluit, ad diem promissionis nostræ pervenimus: præstabit etiam hoc, ut ad ipsius promissionis redditionem pervenire possimus. Tunc enim ea quæ dicimus, et nobis et vobis si utilia sunt, ab ipso sunt: quæ autem ab homine sunt, mendacia sunt; sicut ipse dixit Dominus noster Jesus Christus, *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur* (*Joan.* VIII, 44). Nemo habet de suo, nisi mendacium et peccatum. Si quid autem homo habet veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, et in hac peregrinatione interim consolati, ne deficiamus in via, venire ad ejus requiem satietatemque possimus. Si ergo *qui loquitur mendacium, de suo loquitur;* qui loquitur veritatem, de Deo loquitur. Verax Joannes, veritas Christus; verax Joannes, sed omnis verax a veritate verax est: si ergo verax est Joannes, et verax esse homo non potest, nisi a veritate; a quo erat verax, nisi ab eo qui dixit, *Ego sum veritas* (*Id.* XIV, 6)? Non ergo, posset dicere, aut veritas contra veracem, aut verax contra veritatem. Veracem veritas misit; et ideo verax erat, quoniam a veritate missus erat. Si veritas Joannem miserat, Christus eum miserat. Sed quod Christus cum Patre facit, Pater facit: et quod Pater cum Christo facit, Christus facit. Nec seorsum Pater aliquid facit sine Filio; nec seorsum aliquid Filius sine Patre: inseparabilis charitas, inseparabilis unitas, inseparabilis majestas, inseparabilis potestas, secundum hæc verba quæ ipse posuit, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30). Quis ergo misit Joannem? Si dicamus, Pater, verum dicimus; si dicamus, Filius, verum dicimus: manifestius autem ut dicamus, Pater et Filius. Quem misit autem Pater et Filius, unus Deus misit; quia Filius dixit, *Ego et Pater unum sumus.* Quomodo ergo nesciebat eum a quo missus est? Dixit enim, *Ego nesciebam eum; sed qui me misit baptizare in aqua, ipse mihi dixit.* Interrogo Joannem, Qui te misit baptizare in aqua, quid tibi dixit? *Super quem videris Spiritum descendentem, sicut columbam, et manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto.* Hoc tibi, o Joannes, dixit qui te misit? Manifestum quia hoc. Quis ergo te misit? Forte Pater. Verus Deus Pater, et veritas Deus Filius: si Pater sine Filio te misit, Deus sine veritate te misit: si ideo autem verax es, quia verita

tem loqueris, et ex veritate loqueris; non te misit Pater sine Filio, sed simul te misit pater et Filius: si ergo et Filius te misit cum Patre, quomodo nesciebas eum a quo missus es? Quem videras in veritate, ipse te misit ut agnosceretur in carne, et dixit, *Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto.*

2. Hoc audivit Joannes, ut nosset eum quem non noverat, an ut plenius nosset quem jam noverat? Si enim omni ex parte non nosset, non venienti ad fluvium ut baptizaretur diceret, *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me* (*Matth.* III, 14)? noverat ergo. Quando autem columba descendit? Jam baptizato Domino, et ab aqua ascendente. At si ille qui eum misit, dixit, *Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto;* et non noverat eum, sed columba descendente cognovit eum; columba vero tunc descendit, quando Dominus ab aqua ascendit; tunc autem cognoverat Joannes Dominum, quando ad eum Dominus ad aquam veniebat: manifestatur nobis quia Joannes secundum aliquid noverat, secundum aliquid nondum noverat Dominum. Nisi autem hoc intellexerimus, mendax erat. Quomodo erat verax agnoscens, qui dicit, *Tu ad me venis* baptizari, et *ego a te debeo baptizari?* Verax est cum hoc dicit? Et quomodo rursus verax est cum dicit, *Ego non noveram eum; sed qui misit me baptizare in aqua, ipse mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto?* Innotuit per columbam Dominus, non ei qui se non noverat, sed ei qui in eo aliquid noverat, aliquid non noverat. Nostrum est ergo quærere quid in eo Joannes nondum noverat, et per columbam didicit.

3. Quare missus est Joannes baptizans? Jam memini me quantum potui dixisse Charitati vestræ. Si enim baptismus Joannis necessarius erat saluti nostræ; et modo debuit exerceri. Non enim modo non salvantur homines, aut non modo plures salvantur, aut alia tunc salus erat, et alia modo. Si mutatus est Christus, mutata est et salus: si salus in Christo est, et idem ipse Christus est, eadem nobis salus est. Sed quare missus est Joannes baptizans? Quia oportebat baptizari Christum. Quare oportebat baptizari Christum? Quare oportuit nasci Christum? quare oportuit crucifigi Christum (*a*)? Si enim viam humilitatis demonstraturus advenerat, et seipsum facturus ipsam humilitatis viam; in omnibus ab eo implenda erat humilitas. Auctoritatem dare baptismo suo hinc dignatus est, ut cognoscerent servi quanta alacritate deberent currere ad baptismum Domini, quando ipse non dedignatus est suscipere baptismum servi. Donatum enim erat hoc Joanni, ut ipsius baptismus diceretur.

4. Hoc attendat, et distinguat, et noverit Charitas vestra. Baptismus quem accepit Joannes, baptismus Joannis dictus est: solus tale donum accepit: nullus ante illum justorum, nullus post illum, ut acciperet baptismum, qui baptismus illius diceretur [1]. Accepit quidem; non enim a se posset aliquid: si enim a se quis loquitur, mendacium de suo loquitur. Et unde accepit, nisi a Domino Jesu Christo? Ab illo ut baptizare posset accepit, quem postea baptizavit. Nolite mirari: sic enim hoc fecit Christus in Joanne, quomodo quiddam fecit in matre. De Christo enim dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 3): si omnia per ipsum, et Maria per ipsum facta est, de qua postea natus est Christus. Intendat Charitas vestra, Quomodo creavit Mariam, et creatus est per Mariam; sic dedit baptismum Joanni, et baptizatus est a Joanne.

5. Ad hoc ergo accepit baptismum a Joanne, ut accipiens quod inferius erat ab inferiore, ad id quod superius erat hortaretur inferiores. Sed quare non solus ipse baptizatus est a Joanne, si ad hoc missus erat Joannes, per quem baptizaretur Christus, ut pararet viam Domino, id est ipsi Christo? Et hoc jam diximus; sed commemoramus, quia necessarium est præsenti quæstioni. Si solus Dominus noster Jesus Christus baptizatus esset baptismate Joannis: tenete quod dicimus; non tantum valeat sæculum, ut deleat e cordibus vestris quod ibi scripsit Spiritus Dei; non tantum valeant spinæ curarum, ut effocent semen quod seminatur in vobis: quare enim cogimur eadem repetere, nisi quia de memoria cordis vestri securi non sumus? si ergo solus Dominus baptizatus esset baptismo Joannis, non deessent qui sic eum haberent, ut putarent baptismum Joannis majorem esse, quam est baptismus Christi. Dicerent enim: Usque adeo illud baptisma majus est, ut solus Christus eo baptizari meruisset. Ergo ut daretur nobis a Domino exemplum humilitatis, ad percipiendam salutem baptismatis, Christus suscepit quod ei opus non erat, sed propter nos opus erat. Et rursus, ne hoc ipsum quod accepit a Joanne Christus, præponeretur baptismati Christi, permissi sunt et alii baptizari a Joanne. Sed qui baptizati sunt a Joanne, non eis suffecit: baptizati sunt enim baptismo Christi; quia non baptismus Christi erat baptismus Joannis. Qui accipiunt baptismum Christi, baptismum Joannis non quærunt: qui acceperunt baptismum Joannis, baptismum Christi quæsierunt. Ergo Christo suffecit baptismus Joannis. Quomodo non sufficeret, quando nec ipse erat necessarius? Illi enim nullus baptismus erat necessarius; sed ad hortandos nos ad baptismum suum, suscepit baptismum servi. Et ne præponeretur baptismus servi baptismo Domini, baptizati sunt alii baptismate conservi. Sed qui baptizati sunt baptismate conservi, oportebat ut baptizarentur baptismate Domini: qui autem baptizan-

(*a*) Interrogando respondet quæstioni, ut supra Tract. 4, n. 13.

[1] Er. et Lugd. sic legunt hunc locum: *Baptismum quod accepit Joannes, baptismum Joannis dictum est. Nullus ante illum justorum, nullus post illum ut acciperet baptismum, quod baptismum ipsius diceretur, accepit: solus tale donum accepit quidem.* Quibus suffragantur Ven. et Lov., ea tamen inter se discrepantia, ut Ven., *baptisma*, Lov. autem, *baptismum* ferant. M.

tur baptismate Domini, non opus habent baptismate conservi.

6. Quoniam ergo acceperat Joannes baptismum, qui proprie Joannis diceretur; Dominus autem Jesus Christus noluit baptismum suum alicui dare, non ut nemo baptizaretur baptismo Domini, sed ut semper ipse Dominus baptizaret : id actum est, ut et per ministros Dominus baptizaret, id est, ut quos ministri Domini baptizaturi erant, Dominus baptizaret, non illi. Aliud est enim baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille in cujus potestate datur; non qualis est ille per cujus ministerium datur. Talis erat baptismus Joannis, qualis Joannes : baptismus justus tanquam justi, tamen hominis; sed qui acceperat a Domino istam gratiam, et tantam gratiam, ut dignus esset præire judicem, et eum digito ostendere, et implere vocem prophetiæ illius, *Vox clamantis in deserto, parate viam Domino* (*Isai.* XL, 3). Tale autem baptisma Domini, qualis Dominus : ergo baptisma Domini divinum, quia Dominus Deus.

7. Potuit autem Dominus Jesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tanquam vice sua, et transferre a se baptizandi potestatem, et constituere in aliquo servo suo, et tantam vim dare baptismo translato in servum, quantam vim haberet baptismus datus a Domino. Hoc noluit ideo, ut in illo spes esset baptizatorum, a quo se baptizatos agnoscerent. Noluit ergo servum ponere spem in servo. Ideoque clamabat Apostolus, cum videret homines volentes ponere spem in seipso : *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis* (I *Cor.* I, 13)? Baptizavit ergo Paulus tanquam minister, non tanquam ipsa potestas : baptizavit autem Dominus tanquam potestas. Intendite. Et potuit hanc potestatem servis dare, et noluit. Si enim daret hanc potestatem servis, id est, ut ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi quot essent servi; ut quomodo dictum est baptisma Joannis, sic diceretur baptisma Petri, sic baptisma Pauli, sic baptisma Jacobi, baptisma Thomæ, Matthæi, Bartholomæi : illud enim baptisma Joannis dictum est. Sed forte aliquis resistit, et dicit : Proba nobis quia illud baptisma Joannis dictum est. Probabo, ipsa Veritate dicente, quando interrogavit Judæos, *Baptisma Joannis unde est? de cœlo, an ex hominibus* (*Matth.* XXI, 25)? Ergo ne tot baptismata dicerentur, quot essent servi qui baptizarent accepta potestate a Domino; sibi tenuit Dominus baptizandi potestatem, servis ministerium dedit. Dicit se servus baptizare; recte dicit, sicut Apostolus dicit, *Baptizavi autem et Stephanæ domum* (I *Cor.* I,16) : sed tanquam minister. Ideo si sit et malus, et contingat illi habere ministerium, et si eum homines non norunt, et Deus eum novit : permittit Deus baptizari per eum, qui sibi tenuit potestatem.

8. Hoc autem Joannes non noverat in Domino. Quia Dominus erat, noverat; quia ab ipso debebat baptizari, noverat : et confessus est quia veritas erat ille, et ille verax missus a veritate; hoc noverat. Sed quid in eo non noverat? Quia sibi retenturus erat baptismatis sui potestatem, et non eam transmissurus et translaturus in aliquem servum : sed sive baptizaret in ministerio servus bonus, sive baptizaret in ministerio servus malus, non sciret se ille qui baptizaretur baptizari, nisi ab illo qui sibi tenuit baptizandi potestatem. Et ut noveritis, fratres, quia hoc in illo non noverat Joannes, et hoc didicit per columbam : Dominum enim noverat, sed eum baptizandi sibi potestatem retenturum, et nulli servo eam daturum, nondum noverat; secundum hoc dixit, *Et ego nesciebam eum*. Et ut noveritis quia ibi hoc didicit, attendite sequentia : *Sed qui misit me baptizare in aqua, ipse mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem, quasi columbam, et manentem super eum, ipse est.* Quid ipse est? Dominus. Sed jam noverat Dominum. Ergo putate huc usque dixisse Joannem, *Ego non noveram eum; sed qui me misit baptizare in aqua, ipse mihi dixit.* Quærimus quid dixerit? Sequitur, *Super quem videris Spiritum descendentem, quasi columbam, et manentem super eum.* Non dico sequentia; interim attendite : *Super quem videris Spiritum descendentem, tanquam columbam, et manentem super eum, ipse est.* Sed quid ipse est? quid me voluit per columbam docere qui me misit? Quia ipse erat Dominus? Jam noveram a quo missus eram : jam noveram eum cui dixi, *Tu ad me venis baptizari? ego a te debeo baptizari* : usque adeo ergo noveram Dominum, ut ego ab eo vellem baptizari, non ut a me ipse baptizaretur : et tunc mihi dixit, *Sine modo; impleatur omnis justitia* (*Matth.* III, 14, 15); pati veni, baptizari non venio? *impleatur omnis justitia*, ait mihi Deus meus; impleatur omnis justitia, doceam plenam humilitatem : novi superbientes in futuro populo meo, novi aliquos in aliqua excellentiori gratia futuros homines, ut cum viderint idiotas aliquos baptizari, illi quia meliores sibi videntur, sive continentia, sive eleemosynis, sive doctrina, dedignentur isti fortasse accipere quod illi inferiores acceperunt; oportet ut sanem eos, ut non dedignentur venire ad baptisma Domini, quia ego veni ad baptisma servi.

9. Jam ergo hoc noverat Joannes, et noverat Dominum. Quid ergo docuit columba? quid voluit per columbam, id est, per Spiritum sanctum sic venientem docere, qui miserat eum, cui ait, *Super quem videris Spiritum descendentem, tanquam columbam, et manentem super eum, ipse est?* Quis ipse est? Dominus. Novi. Sed numquid hoc jam noveras, quia Dominus iste baptizandi habens potestatem, eam potestatem nulli servo daturus est, sed sibi eam retenturus est, ut omnis qui baptizatur per servi ministerium, non imputet servo, sed Domino? numquid hoc jam noveras? Non hoc noveram : adeo quid mihi dixit? *Super quem videris Spiritum descendentem tanquam columbam, et manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto.* Non ait, Ipse est Dominus; non ait, ipse est Christus; non ait, ipse est Deus; non ait, ipse est Jesus; non ait, ipse est qui natus est de vir-

gine Maria, posterior te, prior te: non ait hoc; jam enim hoc noverat Joannes. Sed quid non noverat? Tantam potestatem Baptismi ipsum Dominum habiturum et sibi retenturum, sive præsentem in terra, sive absentem corpore in cœlo et præsentem majestate, sibi retenturum Baptismi potestatem: ne Paulus diceret, Baptismus meus; ne Petrus diceret, Baptismus meus. Ideo videte, intendite voces Apostolorum. Nemo Apostolorum dixit, Baptismus meus. Quamvis unum omnium esset Evangelium, tamen invenis dixisse, Evangelium meum: non invenis dixisse, Baptisma meum.

10. Hoc ergo didicit Joannes, fratres mei. Quod didicit Joannes per columbam, discamus et nos. Non enim columba Joannem docuit, et Ecclesiam non docuit, cui Ecclesiæ dictum est, *Una est columba mea* (*Cant.* VI, 8). Columba doceat columbam; noverit columba quod Joannes didicit per columbam. Spiritus sanctus in specie columbæ descendit. Hoc autem quod discebat Joannes in columba, quare in columba didicit? Oportebat enim ut disceret: nec hoc forte oportebat, nisi ut per columbam disceret. Quid dicam de columba, fratres mei? aut quando mihi sufficit facultas vel cordis vel linguæ, dicere quomodo volo? Et forte non digne volo quomodo dicendum est; nec si tamen possum dicere quomodo volo: quanto minus quomodo dicendum est? Ego a meliore hoc audire vellem, non vobis dicere.

11. Discit Joannes eum quem noverat: sed in eo discit in quo eum non noverat; in quo noverat non discit. Et quid noverat? Dominum. Quid non noverat? Potestatem dominici baptismi in nullum hominem a Domino transituram, sed ministerium plane transiturum: potestatem a Domino in neminem, ministerium et in bonos et in malos. Non exhorreat columba ministerium malorum, respiciat Domini potestatem. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? Quid te impedit malitiosus præco, si est benevolus judex? Joannes didicit per columbam hoc. Quid est quod didicit? Ipse repetat: *Ipse mihi dixit*, inquit, *Super quem videris Spiritum descendentem, tanquam columbam, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto*. Non ergo te decipiant, o columba, seductores, qui dicunt, Nos baptizamus (*a*). Columba, agnosce quid docuit columba. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*. Per columbam discitur quia hic est; et tu ejus potestate putas te baptizari, cujus ministerio baptizaris? Si hoc putas, nondum es in corpore columbæ; et si non es in corpore columbæ, non mirandum quia simplicitatem non habes. Simplicitas enim maxime per columbam designatur.

12. Quare per simplicitatem columbæ didicit Joannes, quia *hic est qui baptizat in Spiritu sancto*, fratres mei, nisi quia columbæ non erant qui Ecclesiam dissipaverunt? Accipitres erant, milvi erant. Non laniat columba. Et vides illos invidiam nobis facere, quasi de persecutionibus quas passi sunt. Corporales quidem passi quasi persecutiones, cum essent flagella Domini manifeste dantis disciplinam ad tempus, ne damnet in æternum, si eam non cognoverint, seque correxerint. Illi vere persequuntur Ecclesiam, qui dolis persequuntur; illi gravius cor feriunt, qui linguæ gladio feriunt; illi acerbius sanguinem fundunt, qui Christum, quantum in ipsis est, in homine occidunt. Perterriti videntur quasi judicio potestatum. Quid tibi facit potestas, si bonus es? Si autem malus es, time potestatem: *Non enim frustra gladium portat*, dicit Apostolus (*Rom.* XIII, 4). Tuum gladium noli educere, quo percutis Christum. Christiane, quid tu persequeris in christiano? quid in te persecutus est imperator? Carnem persecutus est; tu in christiano spiritum persequeris. Non occidis tu carnem. Et tamen nec carni parcunt: quotquot potuerunt cædendo necaverunt; nec suis nec alienis pepercerunt. Notum est hoc omnibus. Invidiosa est potestas, quia legitima est: invidiose facit, qui jure facit: sine invidia facit, qui præter leges facit. Attendat unusquisque vestrum, fratres mei, quid habeat christianus. Quod homo est, commune cum multis: quod christianus est, secernitur a multis; et plus ad illum pertinet quod christianus, quam quod homo. Nam quod christianus, renovatur ad imaginem Dei, a quo homo factus est ad imaginem Dei, (*Col.* III, 10): quod autem homo, posset et malus, posset et paganus, posset [1] et idololatra. Hoc tu persequeris in christiano, quod melius habet: hoc enim illi vis auferre unde vivit. Vivit enim temporaliter secundum spiritum vitæ, quo corpus animatur; vivit autem ad æternitatem secundum Baptisma quod accepit a Domino: hoc illi vis tollere, quod accepit a Domino; hoc illi vis tollere unde vivit. Latrones eos quos volunt exspoliare, sic volunt, ut ipsi plus habeant, et illi nihil habeant: tu et tollis huic, et apud te non erit plus; non enim plus tibi fit, quia huic tollis. Sed vere hoc faciunt, quod hi qui tollunt animam; et alteri tollunt, et ipsi duas animas non habent.

13. Quid ergo vis auferre? Unde tibi displicet quem vis rebaptizare? Dare non potes quod jam habet, sed facis negare quod habet. Quid acerbius faciebat paganus, persecutor Ecclesiæ? Exserebantur gladii adversus martyres, emittebantur bestiæ, ignes admovebantur: utquid ista? Ut diceret qui ista patiebatur, Non sum christianus. Quid doces tu eum quem vis rebaptizare, nisi ut primo dicat, Non sum christianus? Ad quod aliquando persecutor proferebat flammam, ad hoc tu producis linguam: seducendo facis quod ille occidendo non fecit. Et quid est quod daturus es, et cui daturus es? Si tibi verum dicat, et non seductus a te mentiatur, dicturus est, Habeo. Interrogas, Habes Baptisma? Habeo, dicit. Quamdiu habeo dicit, inquis, non sum daturus. Et noli dare: quod enim vis dare, hærere in me non potest; quia quod accepi, auferri a me non potest. Sed tamen exspecta; videam quid me vis docere. Dic, inquit, primo, Non habeo. Sed hoc habeo: si dixero, Non habeo, mentior; quod enim habeo, habeo. Non habes, inquit. Doce quia non

(*a*) Donatistæ.

[1] *Possidet*, pro *posset*, ter legit Morel, Element. critic. pag. 241. M.

habeo. Malus tibi dedit. Si malus Christus, malus mihi dedit. Non, inquit, malus Christus : sed non tibi Christus dedit. Quis ergo mihi dedit? responde : ego me a Christo scio accepisse. Dedit tibi, inquit, sed traditor nescio quis, non Christus. Videro quis fuerit minister, videro quis fuerit præco; de officiali non disputo, judicem attendo : et forte quod objicis officiali, mentiris : sed nolo discutere; causam officialis sui cognoscat Dominus amborum : forte si exigam ut probes, non probas; imo mentiris : probatum est te probare non potuisse (*a*) : sed non ibi pono causam meam, ne cum studiose cœpero defendere homines innocentes, putes me spem meam vel in hominibus innocentibus posuisse : fuerint homines qualeslibet, ego a Christo accepi, ego a Christo baptizatus sum. Non, inquit, sed ille episcopus te baptizavit, et ille episcopus illis communicat. A Christo sum baptizatus, ego novi. Unde nosti? Docuit me columba quam vidit Joannes. O milve male, non me dilanias a visceribus columbæ : in columbæ membris numeror; quia quod columba docuit, hoc novi. Tu mihi dicis, Ille te baptizavit, aut ille te baptizavit; per columbam mihi et tibi dicitur, *Hic est qui baptizat :* cui credo, milvo, an columbæ?

14. Certe tu mihi dic, ut per illam lucernam confundaris, qua confusi sunt et priores inimici, pares [1] tui pharisæi, qui cum interrogarent Dominum, in qua potestate ista faceret : *Interrogabo et ego vos*, inquit, *istum sermonem*, *Dicite mihi*, *Baptisma Joannis unde est? de cœlo an ex hominibus?* Et illi qui præparabant jaculari dolos, irretiti sunt quæstione, cœperunt volvere apud semetipsos, et dicere, *Si dixerimus quia de cœlo est, dicturus est nobis*, *Quare non credidistis ei?* Joannes enim dixerat de Domino, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* I, 29). Quid ergo quæritis, in qua potestate facio? O lupi, in potestate Agni facio quod facio. Sed ut nossetis Agnum, quare non credidistis Joanni, qui dixit, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi?* Scientes ergo illi quid dixisset Joannes de Domino, dixerunt apud se, *Si dixerimus quia de cœlo est* baptismus Joannis, *dicet nobis, Quare ergo non credidistis ei? Si dixerimus quia ex hominibus est*, *lapidabimur a populo*; *quia prophetam habent Joannem.* Hinc timebant homines, hinc veritatem fateri confundebantur. Tenebræ tenebras responderunt, sed a luce superatæ sunt. Quid enim responderunt? *Nescimus :* quod sciebant, dixerunt, *nescimus.* Et Dominus, *nec ego vobis dico*, inquit, *in qua potestate ista facio* (*Matth.* XXI, 23-27). Et confusi sunt primi inimici. Unde? De lucerna. Quis erat lucerna? Joannes. Probamus quia lucerna erat? Probamus. Dominus enim dicit : *Ille erat lucerna ardens et lucens* (*Joan.* V, 35). Probamus quia et de ipso confusi sunt inimici? Psalmum audi : *Paravi*, inquit, *lucernam Christo meo; inimicos ejus induam confusione* (*Psal.* CXXXI, 17, 18).

15. Adhuc in hujus vitæ tenebris ad lucernam fidei ambulamus : teneamus et nos lucernam Joannem, confundamus et inde inimicos Christi; imo ipse confundat inimicos suos per lucernam suam. Interrogemus et nos quod Dominus Judæos, interrogemus et dicamus, Baptisma Joannis unde est? de cœlo, an ex hominibus? Quid dicturi sunt, videte, si non et ipsi tanquam inimici de lucerna confunduntur. Quid dicturi sunt? Si dixerint, Ex hominibus; et ipsi sui eos lapidabunt : si autem dixerint, De cœlo; dicamus eis, Quare ergo non credidistis ei? Dicunt fortasse, Credimus ei. Quomodo ergo dicitis quia vos baptizatis, et Joannes dicit, *Hic est qui baptizat?* Sed ministros, inquiunt, tanti judicis justos oportet esse, per quos baptizatur. Et ego dico, et omnes dicimus, quia justos oportet esse tanti judicis ministros : sint ministri justi, si volunt; si autem noluerint esse justi qui cathedram Moysi sedent [1], securum me fecit magister meus, de quo Spiritus ejus dixit, *Hic est qui baptizat.* Quomodo securum me fecit? *Scribæ*, inquit, *et Pharisæi cathedram Moysi sedent; quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite : dicunt enim, et non faciunt* (*Matth.* XXIII, 2, 3). Si fuerit minister justus, computo illum cum Paulo, computo illum cum Petro; cum istis computo justos ministros : quia vere justi ministri gloriam suam non quærunt; ministri enim sunt, pro judicibus haberi nolunt, spem in se poni exhorrescunt : ergo computo cum Paulo justum ministrum. Quid enim dicit Paulus? *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit : neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (*I Cor.* III, 6, 7). Qui vero fuerit superbus minister, cum zabulo [2] computatur : sed non contaminatur donum Christi, quod per illum fluit purum, quod per illum transit liquidum venit ad fertilem terram. Puta quia ipse lapideus est, quia ex aqua fructum ferre non potest : et per lapideum canalem transit aqua, transit aqua ad areolas [3]; in canali lapideo nihil generat, sed tamen hortis [4] plurimum fructum affert. Spiritualis enim virtus Sacramenti ita est ut lux : et ab illuminandis pura excipitur, et si per immundos transeat, non inquinatur. Sint plane ministri justi, et gloriam suam non quærant, sed illius cujus ministri sunt : non dicant, Baptisma meum est; quia non est ipsorum. Attendant ipsum Joannem. Ecce Joannes plenus erat Spiritu sancto; et baptismum de cœlo habebat, non ex hominibus : sed quatenus habebat? Ipse dixit, *Parate viam Domino* (*Joan.* I, 23). Ubi autem cognitus est Dominus, ipse factus est via; non jam opus erat baptismate Joannis, quo pararetur via Domino.

16 Tamen quid nobis solent dicere? Ecce post Joannem baptizatum est. Antequam enim bene ista quæstio tractaretur in Ecclesia catholica, multi in ea erraverunt, et magni et boni (*a*) : sed quia de membris columbæ erant, non se præciderunt, et factum est in eis quod dixit Apostolus, *Si quid aliter sapitis,*

[1] Unus Parcensis Ms., *patres.*
(*a*) Tangit causam Cæciliani. Confer epistolas 43, 88, 185, etc.

[1] Sic Lov. cum 5 Mss. ; at juxta Er. Lugd. Ven. legendum, *in cathedra Moysi sedent.* M.
[2] In pluribus Mss. loco, *zabuli*, est ubique nomen, *diaboli.*
[3] Er. Lugd. et Ven. habent, *per lapideum canalem transit aqua ad areolas.* M.
[4] In omnibus Mss., *hortus.*
(*a*) Cyprianum in primis subintelligit, cumque ipso Carthaginensem synodum, de qua in libb. de Baptismo contra Donatistas 6 et 7.

hoc quoque vobis Deus revelabit (*Philipp.* III, 15). Unde isti qui se separaverunt, indociles facti sunt. Quid ergo solent dicere? Ecce post Joannem baptizatum est; post hæreticos non baptizatur? Quia quidam qui habebant baptisma Joannis, jussi sunt a Paulo baptizari (*Act* XIX, 3-5): non enim habebant baptisma Christi. Quid ergo exaggeras meritum Joannis, et quasi abjicis infelicitatem hæreticorum? Et ego tibi concedo sceleratos esse hæreticos: sed hæretici baptisma Christi dederunt, quod baptisma non dedit Joannes.

17. Recurro ad Joannem, et dico: *Hic est qui baptizat.* Sic enim melior Joannes quam hæreticus, quomodo melior Joannes quam ebriosus, quomodo melior Joannes quam homicida. Si post deteriorem baptizare debemus, quia post meliorem baptizarunt Apostoli; quicumque apud ipsos baptizati fuerint ab ebrioso, non dico ab homicida, non dico a satellite alicujus scelerati (*a*), non dico a raptore rerum alienarum, non dico ab oppressore pupillorum, non a separatore conjugum; nihil horum dico: quod solemne est dico, quod quotidianum est dico, quo vocantur omnes dico, et in ista civitate, quando eis dicitur, Alogiemus [1], bene sit nobis, et tali die festo Januariarum non debes jejunare; ea dico levia, quotidiana: ab ebrioso homine cum baptizatur, quis est melior, Joannes an ebriosus? Responde, si potes, quod ebriosus tuus melior sit quam Joannes: nunquam hoc audebis. Ergo tu quia sobrius es, baptiza post ebriosum tuum. Si enim post Joannem baptizaverunt Apostoli, quanto magis debet post ebriosum sobrius baptizare? An dicis, In unitate mecum est ebriosus? Ergo Joannes amicus sponsi, non erat in unitate cum sponso?

18. Sed tibi ipsi dico, quisquis es: Tu es melior, an Joannes? Non audebis dicere: Ego sum melior quam Joannes. Ergo post te baptizent tui, si te fuerint meliores. Si enim post Joannem baptizatum est, erubesce quia post te non baptizatur. Dicturus es, Sed ego baptismum Christi habeo, et doceo. Aliquando ergo agnosce judicem, et noli præco superbus esse. Baptismum Christi das, ideo non post te baptizatur: post Joannem ideo baptizatum est, quia non Christi baptismum dabat, sed suum; quia sic acceperat ut ipsius esset. Non ergo tu melior quam Joannes: sed baptismus qui per te datur, melior quam Joannis. Ipse enim Christi est, iste autem Joannis. Et quod dabatur a Paulo, et quod dabatur a Petro, Christi est: et si datum est a Juda, Christi erat. Dedit Judas, et non baptizatum est post Judam; dedit Joannes, et baptizatum est post Joannem: quia si datus est a Juda baptismus, Christi erat; qui autem a Joanne datus est, Joannis erat. Non Judam Joanni, sed baptismum Christi etiam per Judæ manus datum, baptismo Joannis etiam per manus Joannis dato recte præponimus. Etenim dictum est de Domino antequam pateretur, quia baptizabat plures quam Joannes: deinde adjunctum est, *Quamvis ipse non baptizaret, sed discipuli ejus* (*Joan.* IV, 1, 2). Ipse, et non ipse: ipse potestate, illi ministerio; servitutem ad baptizandum illi admovebant, potestas baptizandi in Christo permanebat. Ergo baptizabant discipuli ejus, et ibi adhuc erat Judas inter discipulos ejus: quos ergo baptizavit Judas, non sunt iterum baptizati; et quos baptizavit Joannes, iterum baptizati sunt? Plane iterum, sed non iterato baptismo. Quos enim baptizavit Joannes, Joannes baptizavit: quos autem baptizavit Judas, Christus baptizavit. Sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam; quia columbam attendo, per quam mihi dicitur, *Hic est qui baptizat.*

19. Cæterum, fratres mei, delirum est dicere quia melioris meriti fuit, non dico Judas, sed quilibet hominum, quam ille de quo dictum est, *In natis mulierum nemo exsurrexit major Joanne Baptista* (*Matth.* XI, 11). Non ergo huic quisquam servus, sed baptisma Domini etiam per servum malum datum, baptismati etiam amici servi præponitur. Audi quales commemorat apostolus Paulus falsos fratres, invidia prædicantes verbum Dei, et quid de illis dicit: *Et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.* Christum enim annuntiabant, per invidiam quidem, sed tamen Christum (*Philipp.* I, 15-18). Non per quid, sed quem vide: per invidiam tibi prædicatur Chistus? vide Christum, vita invidiam. Noli imitari malum prædicatorem, sed imitare bonum qui [1] tibi prædicatur. Christus ergo a quibusdam per invidiam prædicabatur. Et quid est invidere? Horrendum malum. Ipso malo zabolus dejectus est, ipsum dejecit multum maligna pestis [2]: et habebant illam quidam Christi prædicatores, quos tamen prædicare permittit Apostolus. Quare? Quia Christum prædicabant. Qui autem invidet, odit; et qui odit, quid de illo dicitur? Audi apostolum Joannem: *Qui odit fratrem suum, homicida est* (I *Joan.* III, 15). Ecce post Joannem baptizatum est, post homicidam non baptizatum est; quia Joannes dedit baptismum suum, homicida dedit baptismum Christi. Quod Sacramentum tam sanctum est, ut nec homicida ministrante polluatur.

20. Non respuo Joannem, sed potius credo Joanni. Quid credo Joanni? Quod didicit per columbam. Quid didicit per columbam? *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Jam ergo, fratres, tenete hoc, et cordibus vestris infigite. Si enim hodie voluero plenius dicere quare per columbam, tempus non sufficit. Quia enim res discenda insinuata est Joanni per columbam, quam non noverat in Christo Joannes, quamvis jam nosset Christum, exposui quantum arbitror Sanctitati vestræ: sed quare hanc ipsam rem per columbam oportuit demonstrari, si breviter dici posset, dicerem: sed quia diu dicendum est, et onerare vos nolo, quomodo adjutus sum orationibus vestris, ut illud quod promisi,

[1] Bad. et Am., *alongemur.* Lov., *alogiemur.* Mss. aliquot probæ notæ, *alogiemus.* Verbum ductum est ab alogia, quæ dicitur, Augustino in epist. 36 ad Casulanum, n. 2, interpretante, «cum epulis indulgetur, ut a rationis tramite de-« vietur. »

(*a*) Respicit ad Thamugadensem episcop. Optatum, qui Gildonis satelles dictus est. Confer epist. 87, ad Emeritum.

[1] Editi, *quod.* At Mss., *qui*: recte, nam refertur ad Christum.

[2] In aliquot Mss., *ipso dejecit multos, maligna pestis est.*

implerem; adjuvante etiam atque etiam pia intentione et votis bonis, et illud apparebit vobis, quare Joannes quod didicit in Domino, quia *ipse est qui baptizat in Spiritu sancto*, et nulli servo suo translegavit potestatem baptizandi, non debuit discere nisi per columbam.

TRACTATUS VI.

In eumdem Evangelii locum. Quare Deus per columbæ speciem ostendere voluerit Spiritum sanctum. Cap. I, ỳ ỳ. 32, 33.

1. Fateor Sanctitati vestræ, timueram ne frigus hoc frigidos vos ad conveniendum faceret: sed quia ista celebritate et frequentia vestra, spiritu vos fervere demonstratis, non dubito quia etiam orastis pro me, ut debitum vobis exsolvam. Promiseram enim in nomine Christi disserere hodie, cum angustia temporis tunc impediret, ne id possemus explicare tractando, quare Deus per columbæ speciem ostendere voluerit Spiritum sanctum. Hoc ut explicetur, illuxit nobis dies hodiernus; et sentio audiendi cupiditate et pia devotione vos celebrius congregatos. Exspectationem vestram Deus impleat ex ore nostro. Amastis enim ut veniretis: sed amastis, quid? Si nos, et hoc bene; nam volumus amari a vobis, sed nolumus in nobis. Quia ergo in Christo vos amamus, in Christo nos redamate, et amor noster pro invicem gemat ad Deum: ipse enim gemitus columbæ est.

2. Si ergo gemitus columbæ est, quod omnes novimus, gemunt autem columbæ in amore; audite quid dicat Apostolus, et nolite mirari quia in columbæ specie voluit demonstrari Spiritus sanctus: *Quid enim oremus, sicut oportet*, inquit, *nescimus: sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII, 26). Quid ergo, fratres mei, hoc dicturi sumus, quia Spiritus gemit, ubi perfecta et æterna beatitudo est ei cum Patre et Filio? Spiritus enim sanctus Deus, sicut Dei Filius Deus, et Pater Deus. Ter dixi Deus, sed non dixi tres deos: magis enim Deus ter, quam dii tres; quia Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus: hoc optime nostis. Non ergo Spiritus sanctus in semetipso apud semetipsum in illa Trinitate, in illa beatitudine, in illa æternitate substantiæ gemit: sed in nobis gemit, quia gemere nos facit. Nec parva res est, quod nos docet Spiritus sanctus gemere: insinuat enim nobis quia peregrinamur, et docet nos in patriam suspirare, et ipso desiderio gemimus. Cui bene est in hoc sæculo, imo qui putat quod ei bene sit, qui lætitia rerum carnalium, et abundantia temporalium, et vana felicitate exsultat, habet vocem corvi: vox enim corvi clamosa est, non gemebunda. Qui autem novit in pressura se esse mortalitatis hujus, et peregrinari se a Domino (II *Cor.* v, 6), nondum tenere illam perpetuam quæ nobis promissa est beatitudinem, sed habere illam in spe, habiturus in re, cum Dominus venerit in manifestatione præclarus, qui prius in humilitate venit occultus; qui hoc novit, gemit. Et quamdiu propter hoc gemit, bene gemit: Spiritus illum docuit gemere, a columba didicit gemere. Multi enim gemunt in infelicitate terrena, vel quassati damnis, vel ægritudine corporis prægravati, vel carceribus inclusi, vel catenis colligati, vel fluctibus maris jactati, vel aliquibus inimicorum insidiis circumsepti gemunt: sed non columbæ gemitu gemunt, non amore Dei gemunt, non spiritu gemunt. Ideo tales cum ab ipsis pressuris fuerint liberati, exsultant in grandibus vocibus: ubi apparet quia corvi sunt, non columbæ. Merito de arca missus est corvus, et non est reversus; missa est columba; et reversa est: illas duas aves misit Noe (*Gen.* VIII, 6-9). Habebat ibi corvum, habebat et columbam; utrumque hoc genus arca illa continebat: et si arca figurabat Ecclesiam, videtis utique quia necesse est ut in isto diluvio sæculi utrumque genus contineat Ecclesia, et corvum, et columbam. Qui sunt corvi? Qui sua quærunt. Qui columbæ? Qui ea quæ Christi sunt quærunt (*Philipp.* II, 21).

3. Propterea ergo cum mitteret Spiritum sanctum, duobus modis eum ostendit visibiliter; per columbam, et per ignem: per columbam, super Dominum baptizatum; per ignem, super discipulos congregatos. Cum enim ascendisset Dominus in cœlum post resurrectionem, peractis cum discipulis suis quadraginta diebus, impleto die Pentecostes, misit eis Spiritum sanctum, sicut promiserat. Spiritus ergo tunc veniens implevit locum illum, factoque primo sonitu de cœlo tanquam ferretur flatus vehemens, sicut in Actibus Apostolorum legimus, *Visæ*, inquit, *illis sunt linguæ divisæ velut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum; et cœperunt linguis loqui, sicut Spiritus dabat eis pronuntiare* (*Act.* II, 1-4). Hac vidimus columbam super Dominum, hac linguas divisas super discipulos congregatos: ibi simplicitas, hic fervor ostenditur. Sunt enim qui dicuntur simplices, et pigri sunt: vocantur simplices, sunt autem segnes. Non talis erat Stephanus plenus Spiritu sancto: simplex erat, quia nemini nocebat; fervens erat, quia impios arguebat. Non enim tacuit Judæis: ejus [1] sunt verba illa flammantia, *Dura cervice, et non circumcisi corde et auribus, vos semper restitistis Spiritui sancto.* Magnus impetus: sed columba sine felle sævit. Nam ut noveritis quia sine felle sæviebat, illi auditis his verbis qui corvi erant, ad lapides statim adversus columbam cucurrerunt; cœpit Stephanus lapidari: et qui paulo ante fremens et fervens spiritu, tanquam in inimicos impetum fecerat, et tanquam violentus invectus erat in verbis igneis atque ita flammantibus, ut audistis, *Dura cervice, et non circumcisi corde et auribus:* ut qui ea verba audiret, putaret Stephanum, si ei liceret, statim illos velle consumi: venientibus in se lapidibus ex manibus eorum, genu fixo ait [2], *Domine, ne statuas illis hoc delictum* (*Act.* VII, 51, 59). Inhæserat unitati columbæ. Prior enim illud fecerat magister, super quem descendit columba; qui pendens in cruce ait, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Ergo ne Spiritu sanctificati dolum habeant, in columba demonstratum est: ne simplicitas frigida remaneat, in igne demonstratum est. Nec moveat,

[1] Sic legendum ex Mss. [*cujus.*]
[2] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *genu flexo ait.* M.

quia linguæ divisæ sunt. Distant enim linguæ, ideo divisis linguis apparuit. *Linguæ*, inquit, *divisæ velut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum*. Distant inter se linguæ, sed linguarum distantia [1] non sunt schismata. In linguis divisis noli dissipationem timere, unitatem cognosce in columba.

4. Sic ergo, sic oportebat demonstrari Spiritum sanctum venientem super Dominum, ut intelligat unusquisque, si habet Spiritum sanctum, simplicem se esse debere sicut columbam; habere cum fratribus veram pacem, quam significant oscula columbarum. Habent enim oscula et corvi, sed in corvis falsa pax, in columba vera pax. Non omnis ergo qui dicit, Pax vobiscum, quasi columba audiendus est. Unde ergo discernuntur oscula corvorum ab osculis columbarum? Osculantur corvi, sed laniant; a laniatu innocens est natura columbarum: ubi ergo laniatus, non est vera in osculis pax; illi habent veram pacem, qui Ecclesiam non laniaverunt. Nam corvi de morte pascuntur, hoc columba non habet; de frugibus terræ vivit, innocens ejus victus est: quod vere, fratres, mirandum est in columba. Sunt passeres brevissimi, vel muscas occidunt: nihil horum columba; non enim de morte pascitur. Qui laniaverunt Ecclesiam, de mortibus pascuntur. Potens est Deus, rogemus ut reviviscant qui devorantur ab eis et non sentiunt. Multi agnoscunt, quia reviviscunt; nam ad eorum adventum quotidie gratulamur in nomine Christi. Vos tantum sic estote simplices, ut sitis ferventes [2]; et fervor vester in linguis sit. Nolite tacere; ardentibus linguis loquentes, accendite frigidos.

5. Quid enim, fratres mei? quis non videat quod illi non vident? Nec mirum; quia qui inde reverti nolunt, sicut corvus qui de arca emissus est [3]. Quis enim non videat quod illi non vident? Et ipsi Spiritui sancto ingrati sunt. Ecce columba descendit super Dominum, et super Dominum baptizatum; et apparuit ibi sancta illa et vera Trinitas, quæ nobis unus Deus est. Ascendit enim Dominus ab aqua, sicut in Evangelio legimus: *Et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum descendentem velut columbam, et mansit super eum: et statim vox consecuta est, Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III, 16 *et* 17). Apparet manifestissima Trinitas, Pater in voce, Filius in homine, Spiritus in columba. In ista Trinitate quo missi sunt Apostoli, videamus quod videmus, et quod mirum est quia illi non vident: non enim vere non vident, sed ad id quod facies eorum ferit, oculos claudunt. Quo missi sunt discipuli, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ab illo de quo dictum est, *Hic est qui baptizat*. Dictum est enim ministris ab eo qui sibi tenuit hanc potestatem.

6. Hoc enim in illo vidit Joannes, et cognovit quod non noverat: non quia eum non noverat Filium Dei, aut eum non noverat Dominum, aut non noverat Christum, aut vero et hoc non noverat quia ipse baptizaturus esset in aqua et Spiritu sancto; nam et hoc noverat: sed quia ita ut sibi teneret ipsam potestatem, et in nullum ministrorum eam transferret, hoc est quod didicit in columba. Per hanc enim potestatem, quam Christus solus sibi tenuit, et in neminem ministrorum transfudit, quamvis per ministros suos baptizare dignatus sit, per hanc stat unitas Ecclesiæ, quæ significatur in columba, de qua dictum est: *Una est columba mea, una est matri suæ* (*Cant.* VI, 8). Si enim, ut jam dixi, fratres mei, transferretur potestas a Domino ad ministrum, tot baptismata essent, quot ministri essent, et jam non staret unitas Baptismi.

7. Intendite, fratres: antequam veniret Dominus noster Jesus Christus ad baptismum (nam post baptismum descendit columba in qua cognovit Joannes quiddam proprium, cum ei dictum esset, *Super quem videris Spiritum descendentem sicut columbam, et manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto*), noverat quia ipse baptizat in Spiritu sancto; sed quia tali proprietate, ut potestas ab eo non transiret in alterum, quamvis eo donante, hoc ibi didicit. Et unde probamus quia jam et hoc noverat Joannes, quia baptizaturus erat Dominus in Spiritu sancto; ut hoc intelligatur didicisse in columba, quod ita erat baptizaturus Dominus in Spiritu sancto, ut in neminem alium hominem potestas illa transiret? unde probamus? Columba jam baptizato Domino descendit: ante autem quam veniret Dominus ut baptizaretur a Joanne in Jordane, diximus quia noverat eum, illis vocibus ubi ait: *Tu ad me venis*, baptizari? *ego a te debeo baptizari*. Sed ecce Dominum noverat, noverat Filium Dei: unde probamus quod jam noverat quia ipse baptizaret in Spiritu sancto? Antequam veniret ad fluvium, cum multi ad Joannem concurrerent baptizari, ait illis, *Ego quidem baptizo vos in aqua: qui autem post me venit, major me est, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni* (*Matth.* III, 14, 11): jam et hoc noverat. Quid ergo per columbam didicit, ne mendax postea inveniatur (quod avertat a nobis Deus opinari); nisi quamdam proprietatem in Christo talem futuram, ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive justi, sive injusti, non tribueretur sanctitas Baptismi, nisi illi super quem descendit columba, de quo dictum est, *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto?* Petrus baptizet, hic est qui baptizat; Paulus baptizet, hic est qui baptizat; Judas baptizet, hic est qui baptizat.

8. Nam si pro diversitate meritorum Baptisma sanctum est, quia diversa sunt merita, diversa erunt baptismata; et tanto quisque aliquid melius putatur accipere, quanto a meliore videtur accepisse. Ipsi sancti, intelligite fratres, boni pertinentes ad columbam, pertinentes ad sortem civitatis illius Jerusalem, ipsi boni in Ecclesia, de quibus dicit Apostolus, *Novit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19); diversarum gratiarum sunt, non omnes paria merita habent: sunt alii aliis sanctiores, sunt alii aliis meliores. Quare ergo si unus ab illo, verbi gratia, justo sancto baptizetur,

[1] Editi, *distantiæ*. At Mss., *distantia*.
[2] Editi: *ut sitis prudentes et ferventes*. Abest a Mss., *prudentes et*.
[3] Er. et Lov.: *Nec mirum; quia inde reverti nolunt, sicut corvus qui de arca emissus est*. M.

alius ab alio inferioris meriti apud Deum, inferioris gradus, inferioris continentiæ, inferioris vitæ, unum tamen et par et æquale est quod acceperunt, nisi quia *hic est qui baptizat?* Quomodo ergo cum baptizat bonus et melior, non ideo iste bonum accepit, et ille melius; sed quamvis bonus et melior fuerint ministri, unum et æquale est quod acceperunt, non est melius in illo, et inferius in isto : sic et cum baptizat malus ex aliqua vel ignorantia Ecclesiæ, vel tolerantia (aut enim ignorantur mali, aut tolerantur, toleratur palea, quousque in ultimo ventiletur area), illud quod datum est, unum est, nec impar propter impares ministros; sed par et æquale, propter, *Hic est qui baptizat.*

9. Ergo, dilectissimi, videamus quod videre illi nolunt; non quod non videant, sed quod se videre doleant : quasi clausum sit contra illos. Quo missi sunt discipuli, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut baptizarent tanquam ministri? quo missi sunt? *Ite,* dixit, *baptizate gentes.* Audistis, fratres, quomodo venit illa hæreditas, *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8). Audistis quomodo a Sion prodiit lex, et verbum Domini ab Jerusalem (*Isai.* II, 3) : ibi enim audierunt discipuli, *Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Intenti facti sumus, cum audiremus, *Ite, baptizate gentes.* In cujus nomine? *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Iste unus Deus, quia non, in nominibus Patris et Filii et Spiritus sancti; sed, *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Ubi unum nomen audis, unus est Deus : sicut de semine Abrahæ dictum est, et exponit Paulus apostolus, *In semine tuo benedicentur omnes gentes : non dixit, In seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in uno, Et semine tuo, quod est Christus* (*Gen.* XXII, 18; *Gal.* III, 16). Sicut ergo quia ibi non dicit, in seminibus, docere te voluit Apostolus, quia unus est Christus : sic et hic cum dictum est, *in nomine*, non, in nominibus; quomodo ibi, *in semine*, non, in seminibus; probatur unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus.

10. Sed, Ecce, inquiunt discipuli ad Dominum, audivimus in quo nomine baptizemus, ministros nos fecisti, et dixisti nobis, *Ite, baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* : quo ibimus? Quo? non audistis? Ad hæreditatem meam. Interrogatis, Quo ibimus? Ad id quod emi sanguine meo. Quo ergo? Ad gentes, inquit. Putavi quia dixit, Ite, baptizate Afros in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Deo gratias : solvit Dominus quæstionem, docuit columba. Deo gratias : ad gentes Apostoli missi sunt; si ad gentes, ad omnes linguas. Hoc significavit Spiritus sanctus divisus in linguis, unitus in columba. Hac linguæ dividuntur [1], hac columba copulat. Linguæ gentium concordarunt, et una lingua Africæ discordavit? Quid evidentius, fratres mei? In columba unitas, in linguis gentium societas. Aliquando enim et linguæ per superbiam discordaverunt, et tunc sunt factæ linguæ ex una multæ. Post diluvium enim superbi quidam homines, velut adversus Deum se munire conantes, quasi aliquid esset excelsum Deo, aut aliquid tutum superbiæ, erexerunt turrim [1]; quasi ne diluvio, si postea fieret, delerentur. Audierant enim et recensuerant quia omnis iniquitas erat deleta diluvio : ab iniquitate temperare nolebant; altitudinem turris contra diluvium requirebant; ædificaverunt turrim excelsam. Vidit Deus superbiam ipsorum, et hunc errorem illis immitti fecit, ut non se cognoscerent loquentes; et factæ sunt diversæ linguæ per superbiam [2] (*Gen.* XI, 1-9). Si superbia fecit diversitates linguarum, humilitas Christi congregavit diversitates linguarum. Jam quod illa turris dissociaverat, Ecclesia colligit. De una lingua factæ sunt multæ; noli mirari, superbia hoc fecit : de multis linguis fit una; noli mirari, charitas hoc fecit. Quia etsi soni diversi linguarum sunt, in corde unus Deus invocatur, una pax custoditur. Unde debuit ergo, charissimi, demonstrari Spiritus sanctus, unitatem quamdam designans, nisi per columbam, ut pacatæ Ecclesiæ diceretur, *Una est columba mea?* Unde debuit humilitas, nisi per avem simplicem et gementem, non per avem superbam et exaltantem se sicut corvus?

11. Et forte dicent : Quia ergo columba, et una columba, præter unam columbam Baptismus esse non potest : ergo si apud te est columba, vel tu es columba, quando ad te venio, tu da mihi quod non habeo. Scitis hoc ipsorum esse : modo vobis apparebit non esse de voce columbæ, sed de clamore corvi. Nam paululum attendat Charitas vestra, et timete insidias : imo cavete, et excipite verba contradicentium respuenda, non transglutienda et visceribus danda. Facite inde quod fecit Dominus, quando illi obtulerunt amarum potum; gustavit, et respuit (*Matth.* XXVII, 34) : sic et vos, audite, et abjicite. Quid enim dicunt? videamus. Ecce, inquit, tu es columba, o Catholica, tibi dictum est, *Una est columba mea, una est matri suæ :* tibi certe dictum est. Exspecta, noli me interrogare : si mihi dictum est, proba primum; si mihi dictum est, cito volo audire. Inquit, Tibi dictum est. Respondeo voce Catholicæ, Mihi. Hoc autem, fratres, quod ore meo solius sonuit, sonuit, ut arbitror, et de cordibus vestris, et omnes pariter diximus, Ecclesiæ catholicæ dictum est, *Una est columba mea, una est matri suæ.* Præter ipsam columbam, inquit, Baptismus non est; ego præter ipsam columbam sum baptizatus; ergo non habeo Baptismum : si Baptismum non habeo, quare mihi non das quando ad te venio?

12. Et ego interrogo : interim sequestremus, cui dictum sit, *Una est columba mea, una est matri suæ;* adhuc quærimus : aut mihi dictum est, aut tibi dictum est; sequestremus cui dictum sit. Hoc ergo quæro, si columba est simplex, innocens, sine felle, pacata in osculis, non sæva in unguibus; quæro utrum ad hujus columbæ membra pertineant avari, raptores, subdoli, ebriosi, flagitiosi : membra sunt columbæ hujus? Ab-

[1] In quatuor Mss., *dividunt.*

[1] Sic Mss. At editi, *aut aliquid tutum, superbia erexerunt turrim.*

[2] Mss. prope omnes, *diversæ linguæ de superbia.*

sit, inquit. Et revera, fratres, quis hoc dixerit? Ut nihil aliud dicam, raptores solos si dicam, membra accipitris possunt esse, non membra columbæ : milvi rapiunt, accipitres rapiunt, corvi rapiunt; columbæ non rapiunt, non dilaniant : ergo raptores non sunt membra columbæ. Non apud vos fuit vel unus raptor? Quare manet Baptismus quem dedit accipiter, non columba? Quare non baptizatis apud vos ipsos post raptores et adulteros et ebriosos, post avaros apud vos ipsos? An isti omnes membra columbæ sunt? Sic dehonestatis columbam vestram, ut ei membra vulturina faciatis. Quid ergo, fratres, quid dicimus? Mali et boni sunt in Ecclesia catholica : ibi autem soli mali sunt. Sed forte inimico animo hoc dico : et hoc postea requiratur. Et ibi certe dicunt quia sunt boni et mali : nam si dixerint solos bonos se habere; credant illis sui, et subscribo. Non sunt apud nos, dicant, nisi sancti, justi, casti, sobrii; non adulteri, non feneratores, non fraudatores, non perjuri, non vinolenti : dicant; non enim attendo linguas ipsorum, sed tango corda ipsorum. Cum autem noti sint nobis et vobis et suis, sicut et vos et vobis in Catholica et illis noti estis; nec nos eos reprehendamus, nec illi se palpent. Nos fatemur in Ecclesia et bonos et malos esse, sed tanquam grana et paleam. Aliquando qui baptizatur a grano, palea est; et qui baptizatur a palea, granum est. Alioquin si qui baptizatur a grano, valet; et qui baptizatur a palea, non valet : falsum est, *Hic est qui baptizat*. Si autem verum est, *Hic est qui baptizat* : et quod ab illo datur, valet; et quomodo columba, baptizat. Non enim malus ille columba est, aut ad membra columbæ pertinet : nec hic potest dici in Catholica, nec apud illos, si illi dicunt, columbam esse Ecclesiam suam. Quid ergo intelligimus, fratres? Quoniam manifestum est, et omnibus notum, et si nolint convincuntur : quia et ibi quando dant mali, non post illos baptizatur; et hic quando dant mali, non post illos baptizatur. Columba non baptizat post corvum : corvus quare vult baptizare post columbam?

13. Intendat Charitas vestra : et quare designatum est nescio quid per columbam, ut baptizato Domino veniret columba, id est, Spiritus sanctus in specie columbæ, et maneret super eum, cum in adventu columbæ hoc cognosceret Joannes, propriam quamdam potestatem in Domino ad baptizandum? Quia per hanc propriam potestatem, sicut dixi, pax Ecclesiæ firmata est. Et potest fieri ut habeat aliquis Baptismum præter columbam : ut prosit ei Baptismus præter columbam, non potest. Intendat Charitas vestra, et intelligat quod dico : nam et ista circumventione sæpe seducunt fratres nostros qui pigri et frigidi sunt. Simus simpliciores et ferventiores. Ecce, inquiunt, ego accepi, an non accepi? Respondeo, Accepisti. Si ergo accepi, non est quod mihi des; securus sum, etiam testimonio tuo : et ego enim me dico accepisse, et tu me fateris accepisse; utriusque lingua securum me facit : quid ergo mihi promittis? quare me vis catholicum facere, quando non mihi aliquid daturus es amplius, et me jam accepisse fateris quod te habere dicis? Ego autem quando dico, Veni ad me, dico quia non habes tu, qui fateris quia habeo : quare dicis, Veni ad me?

14. Docet nos columba. Respondet enim de capite Domini, et dicit : Baptismum habes, charitatem autem qua gemo non habes. Quid est hoc, inquit, Baptismum habeo, charitatem non habeo? Sacramenta [1] habeo, et charitatem non? Noli clamare; ostende mihi quomodo habeat charitatem, qui dividit unitatem. Ego, inquit, habeo Baptismum. Habes, sed Baptismus ille sine charitate nihil tibi prodest; quia sine charitate tu nihil es. Nam Baptismus ille, etiam in illo qui nihil est, non est nihil : Baptisma quippe illud aliquid est, et magnum aliquid est; propter illum de quo dictum est, *Hic est qui baptizat*. Sed ne putares illud quod magnum est, tibi aliquid prodesse posse si non fueris in unitate, super baptizatum columba descendit, tanquam dicens : Si Baptismum habes, esto in columba, ne non tibi prosit quod habes. Veni ergo ad columbam, dicimus : non ut incipias habere quod non habebas, sed ut prodesse tibi incipiat quod habebas. Foris enim habebas Baptismum ad perniciem : intus si habueris, incipit prodesse ad salutem

15. Non enim tantum tibi non proderat Baptisma, et non etiam oberat. Et sancta possunt obesse : in bonis enim sancta ad salutem insunt; in malis ad judicium. Certe enim, fratres, novimus quid accipiamus, et utique sanctum est quod accipimus, et nemo dicit, non esse sanctum : et quid ait Apostolus? *Qui autem manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (I *Cor.* XI, 29). Non ait quia illa res mala est : sed quia ille malus, male accipiendo, ad judicium accipit bonum quod accipit. Num enim mala erat buccella quæ tradita est Judæ a Domino (*Joan.* XIII, 26)? Absit. Medicus non daret venenum : salutem medicus dedit; sed indigne accipiendo, ad perniciem accepit qui non pacatus accepit. Sic ergo et qui baptizatur. Habeo, inquit, mihi. Fateor, habes : observa quod habes; eo ipso quod habes damnaberis. Quare? Quia rem columbæ præter columbam habes. Si rem columbæ in columba habeas, securus habes. Puta te esse militarem : si characterem imperatoris tui intus habeas, securus militas; si extra habeas, non solum tibi ad militiam non prodest character ille, sed etiam pro desertore punieris. Veni ergo, veni, et noli dicere : Jam habeo, jam sufficit mihi. Veni; columba te vocat, gemendo te vocat. Fratres mei, vobis dico; gemendo vocate, non rixando : vocate orando, vocate invitando, vocate jejunando; de charitate [2] intelligant quia doletis illos. Non dubito, fratres mei, quia si videant dolorem vestrum, confundentur, et reviviscent. Veni ergo, veni : noli timere; time si non venis : imo non time, sed plange. Veni, gaudebis si veneris : gemes quidem in tribulationibus peregrinationis; sed gaudebis in spe. Veni ubi est columba, cui dictum est, *Una est columba mea, una*

[1] Editi, *sacramentum*. Mss., *sacramenta*.
[2] Editi, *vocate jejunando in charitate*. At Mss. habent, *de charitate*; et omittunt, *vocate jejunando*, exceptis paucis.

est matri suæ. Columbam unam vides super caput Christi, linguas non vides in toto orbe terrarum? Idem Spiritus per columbam, idem et per linguas : si per columbam idem Spiritus, et per linguas idem Spiritus, Spiritus sanctus orbi terrarum [1] datus est, a quo te præcidisti, ut clames cum corvo, non ut gemas cum columba. Veni ergo.

16. Sed sollicitus es forte, et dicis : Foris baptizatus, timeo ne inde sim reus, quia foris accepi. Jam cœpisti cognoscere quid gemendum sit : verum dicis, quia reus es; non quia accepisti, sed quia foris accepisti. Tene ergo quod accepisti, emenda quod foris accepisti : accepisti rem columbæ, præter columbam : duo sunt quæ audis; Accepisti, et, Præter columbam accepisti : quod accepisti, approbo; quia foris accepisti, improbo. Tene ergo quod accepisti; non mutatur, sed agnoscitur : character est Regis mei, non ero sacrilegus; corrigo desertorem, non immuto characterem.

17. Noli de Baptismate gloriari, quia dico, ipsum est; ecce dico, ipsum est; tota Catholica dicit, ipsum est : advertit columba, et agnoscit, et gemit, quia ipsum foris habes; videt ibi quod agnoscat, videt et quod corrigat. Ipsum est, veni. Gloriaris quia ipsum est, et non vis venire? Quid ergo mali, qui non pertinent ad columbam? Ait tibi columba : Et mali inter quos gemo, qui non pertinent ad membra mea, et necesse est ut inter illos gemam, nonne habent quod te habere gloriaris? nonne multi ebriosi habent Baptismum? nonne multi avari? nonne multi idololatræ, et quod est pejus, furtim? nonne Pagani ad idola eunt, vel ibant publice? nunc occulte Christiani sortilegos quærunt, mathematicos consulunt. Et isti habent Baptismum, sed columba gemit inter corvos. Quid ergo gaudes, quia habes? hoc habes quod habet et malus. habeto humilitatem, charitatem, pacem : habeto bonum quod nondum habes, ut prosit tibi bonum quod habes.

18. Nam quod habes, habuit et Simon magus : Actus Apostolorum testes sunt, ille liber canonicus omni anno in Ecclesia recitandus. Anniversaria solemnitate post passionem Domini nostis illum librum recitari, ubi scriptum est quomodo conversus sit Apostolus, et ex persecutore prædicator factus (*Act.* IX, 1-30) : ubi etiam die Pentecostes missus est Spiritus sanctus in linguis divisis velut ignis (*Id.* II, 1-4). Ibi legimus multos credidisse in Samaria per prædicationem Philippi : intelligitur autem sive unus ex Apostolis, sive ex diaconis; quia septem ibi diaconos legimus ordinatos, inter quos est etiam nomen Philippi (*Id.* VI, 3-6). Per Philippi ergo prædicationem crediderunt Samaritæ; Samaria cœpit abundare fidelibus : ibi erat iste Simon magus; per magicas factiones suas dementaverat populum, ut eum virtutem Dei putarent : commotus tamen signis quæ a Philippo fiebant, etiam ipse credidit; sed quomodo ipse crediderit, posteriora sequentia demonstraverunt : baptizatus est autem et Simon. Audierunt hoc Apostoli, qui erant Jerusalem; missi sunt ad illos Petrus et Joannes, invenerunt multos baptizatos : et quia nullus ipsorum adhuc acceperat Spiritum sanctum, sicut tunc descendebat, ad ostendendam significationem gentium crediturarum, ut linguis loquerentur in quos descendebat Spiritus sanctus; imposuerunt illis manus orantes pro eis, et acceperunt Spiritum sanctum. Simon ille, qui non erat in Ecclesia columba, sed corvus, quia ea quæ sua sunt quærebat, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II, 21); unde in Christianis potentiam magis amaverat quam justitiam, vidit per impositionem manuum Apostolorum dari Spiritum sanctum (non quia ipsi dabant, sed quia ipsis orantibus datus est), et ait Apostolis, *Quid vultis a me accipere pecuniæ, ut et per impositionem manuum mearum detur Spiritus sanctus?* Et ait illi Petrus, *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei putasti pecunia comparandum.* Cui dicit, *Pecunia tua tecum sit in perditionem?* Utique baptizato. Jam Baptisma habebat : sed columbæ visceribus non hærebat. Audi quia non hærebat; verba ipsa Petri apostoli adverte : sequitur enim, *Non est tibi pars neque sors in hac fide; in felle enim amaritudinis video te esse* (*Act.* VIII, 5-23). Columba fel non habet : Simon habebat; ideo separatus erat a columbæ visceribus. Baptisma illi quid proderat? Noli ergo de Baptismate gloriari, quasi ex ipso salus tibi sufficiat : noli irasci, depone fel, veni ad columbam; hic tibi proderit quod foris non solum non proderat, sed etiam oberat.

19. Neque dicas : Non venio, quia foris sum baptizatus. Ecce incipe habere charitatem, incipe habere fructum, inveniatur in te fructus, mittet [1] te columba intro. Invenimus hoc in Scriptura. Imputribilibus lignis arca fuerat fabricata (*Gen.* VI, 14) : imputribilia ligna sancti sunt, fideles pertinentes ad Christum. Quomodo enim in templo lapides vivi de quibus ædificatur templum, homines fideles dicti sunt; sic ligna imputribilia homines perseverantes in fide. In ipsa ergo arca ligna imputribilia erant; arca enim Ecclesia est : ibi baptizat columba; arca enim illa in aqua ferebatur : ligna imputribilia intus baptizata sunt. Invenimus quædam ligna foris baptizata, omnes arbores quæ erant in mundo. Ipsa tamen aqua erat, non erat altera : omnis de cœlo venerat, et de abyssis fontium : ipsa erat aqua in qua baptizata sunt ligna imputribilia quæ erant in arca, in qua baptizata sunt ligna foris. Missa est columba, et primo non invenit requiem pedibus suis : rediit ad arcam; plena enim erant aquis omnia, et maluit redire quam rebaptizari. Corvus autem ille emissus est antequam siccaret [2] aqua : rebaptizatus redire noluit; mortuus est in his aquis. Avertat Deus corvi illius mortem. Nam quare non est reversus, nisi quia aquis interceptus est? At vero columba non inveniens requiem pedibus suis, cum ei undique clamaret aqua, Veni, veni, hic tingere; quomodo clamant isti hæretici, Veni, veni, hic habes : non inveniens illa requiem pedibus

[1] Editi : *Spiritus sanctus per orbem terrarum.* At Mss., *orbi terrarum.*

[1] Editi, *mittat.* Mss., *mittet.*
[2] Sic in Mss. At in editis, *siccaretur.*

suis, reversa est ad arcam. Et misit illam Noe iterum, sicut vos mittit arca, ut loquamini illis : et quid fecit postea columba? Quia erant ligna foris baptizata, reportavit ad arcam ramum de oliva. Ramus ille et folia et fructum habebat (*Gen.* VIII, 6-11) : non sint in te sola verba, non sint in te sola folia; sit fructus, et redis ad arcam, non per teipsum, columba te revocat. Gemite foris, ut illos intro revocetis.

20. Etenim fructus iste olivæ, si discutiatur, invenies quid erat. Olivæ fructus, charitatem significat. Unde hoc probamus? Quomodo enim oleum a nullo humore premitur, sed disruptis omnibus exsilit et supereminet : sic et charitas non potest premi in ima; necesse est ut ad superna emineat[1]. Propterea de illa dicit Apostolus, *Adhuc supereminentiorem viam vobis demonstro*. Quia diximus de oleo, quia supereminet, ne forte non de charitate dixerit Apostolus, *Supereminentiorem viam vobis demonstro*, audiamus quid sequitur : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum tanquam æramentum sonans, aut cymbalum tinniens* (I *Cor.* XII, 31, XIII, 1). I nunc, Donate, et clama, Disertus sum : i nunc, et clama, Doctus sum. Quantum disertus? quantum doctus? numquid linguis Angelorum locutus es? Et tamen si linguis Angelorum loquereris, charitatem non habens, audirem æra sonantia et cymbala tinnientia. Soliditatem aliquam quæro, fructum in foliis inveniam : non sint sola verba, habeant olivam, redeant ad arcam.

21. Sed, inquies, habeo sacramentum. Verum dicis : Sacramentum divinum est; habes Baptisma, et ego confiteor. Sed quid dicit idem apostolus? *Si sciero omnia sacramenta, et habuero prophetiam et omnem fidem, ita ut montes transferam :* ne forte et hoc diceres, Credidi, sufficit mihi. Sed quid dicit Jacobus? *Et dæmones credunt, et contremiscunt* (*Jacobi* II, 19). Magna est fides, sed nihil prodest si non habeat charitatem. Confitebantur et dæmones Christum. Ergo credendo, sed non diligendo dicebant, *Quid nobis et tibi* (*Marc.* I, 24)? Fidem habebant, charitatem non habebant : ideo dæmones erant. Noli de fide gloriari; adhuc dæmonibus comparandus es. Noli dicere Christo[2], Mihi et tibi quid est? Unitas enim Christi tibi loquitur. Veni, cognosce pacem, redi ad viscera columbæ. Foris baptizatus es; habeto fructum, et redis ad arcam.

22. Et tu : Quid nos quæritis, si mali sumus? Ut boni sitis. Ideo vos quærimus, quia mali estis : nam si mali non essetis, invenissemus vos, non vos quæreremus. Qui bonus est, jam inventus est : qui malus est, adhuc quæritur. Ideo vos quærimus; redite ad arcam. Sed jam habeo Baptismum. *Si omnia sacramenta sciero, et habuero prophetiam et omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Fructum ibi videam, olivam ibi videam, et revocaris ad arcam.

23. Sed quid ais? Ecce nos multa mala patimur. Hæc si pro Christo pateremini, non pro honoribus vestris. Audite quod sequitur : jactant se enim aliquando, quia eleemosynas multas faciunt, dant pauperibus; quia patiuntur molestias : sed pro Donato, non pro Christo. Vide quomodo patiaris : nam si pro Donato pateris, pro superbo pateris; non es in columba, si pro Donato pateris. Non erat ille amicus sponsi : nam si amicus esset sponsi, gloriam sponsi quæreret, non suam (*Joan.* III, 29). Vide amicum sponsi dicentem, *Hic est qui baptizat.* Ille non erat amicus sponsi, pro quo pateris. Non habes vestem nuptialem; et si ad convivium venisti, foras habes mitti (*Matth.* XXII, 11-13); imo quia foras missus es, ideo miser es : redi aliquando, et noli gloriari. Audi quid dicat Apostolus : *Si distribuero omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam.* Ecce quod non habes. *Si tradidero*, inquit, *corpus meum ut ardeam*; et utique pro nomine Christi : sed quia sunt multi qui jactanter illud faciunt, non cum charitate, ideo, *Si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 2, 3). Charitate fecerunt martyres illi qui in tempore persecutionis passi sunt; charitate fecerunt : isti autem de tumore et de superbia faciunt; nam cum persecutor desit, seipsos præcipitant. Veni ergo, ut habeas charitatem. Sed nos habemus martyres. Quos martyres? Non sunt columbæ, ideo volare conati sunt, et de petra ceciderunt.

24. Omnia ergo, fratres mei, videtis, quia clamant adversus illos, omnes paginæ divinæ, omnis prophetia, totum Evangelium, omnes apostolicæ litteræ, omnis gemitus columbæ; et nondum evigilant, nondum expergiscuntur. Sed si columba sumus, gemamus, toleremus, speremus; aderit misericordia Dei, ut efferveat ignis Spiritus sancti in simplicitate vestra; et venient. Non est desperandum; orate, prædicate, diligite; prorsus potens est Dominus. Jam cœperunt cognoscere frontem suam : multi cognoverunt, multi erubuerunt; aderit Christus, ut cognoscant et cæteri. Et certe, fratres mei, vel palea sola ibi remaneat, omnia grana colligantur : quidquid ibi fructificavit, redeat ad arcam per columbam.

25. Modo deficientes ubique, quid nobis proponunt, non invenientes quid dicant? Villas nostras tulerunt, fundos nostros tulerunt. Proferunt testamenta hominum. Ecce ubi Gaius Seius donavit fundum Ecclesiæ, cui præerat Faustinus. Cujus episcopus erat Faustinus Ecclesiæ? quid est Ecclesia? Ecclesiæ, dixit, cui præerat Faustinus : sed non Ecclesiæ præerat Faustinus, sed parti præerat. Columba autem Ecclesia est. Quid clamas? Non devoravimus villas, columba illas habeat : quæratur quæ sit columba, et ipsa habeat. Nam nostis, fratres mei, quia villæ istæ non sunt Augustini : et si non nostis, et putatis me gaudere in possessione villarum, Deus novit, ipse scit quid ego de illis villis sentiam, vel quid ibi sufferam; novit gemitus meos, si mihi aliquid de columba impertire dignatus est. Ecce sunt villæ : quo jure defendis villas? divino an humano? Respondeant : Divinum jus in Scri-

[1] In omnibus fere Mss., *emicet*.
[2] Sic Mss. At editi : *Noli dicere christiano*.

pluris habemus, humanum jus in legibus regum. Unde quisque possidet quod possidet? nonne jure humano? Nam jure divino, Domini est terra et plenitudo ejus (*Psal.* XXIII, 1) : pauperes et divites Deus de uno limo fecit, et pauperes et divites una terra supportat. Jure tamen humano dicit, Hæc villa mea est, hæc domus mea, hic servus meus est. Jure ergo humano, jure imperatorum. Quare? Quia ipsa jura humana per imperatores et reges sæculi Deus distribuit generi humano. Vultis legamus leges imperatorum, et secundum ipsas agamus de villis? Si jure humâno vultis possidere, recitemus leges imperatorum : videamus si voluerunt aliquid ab hæreticis possideri. Sed quid mihi est imperator? Secundum jus ipsius possides terram. Aut tolle jura imperatorum, et quis audet dicere : Mea est illa villa, aut meus est ille servus, aut domus hæc mea est? Si autem ut teneantur ista ab hominibus, jura acceperunt regum, vultis recitemus leges, ut gaudeatis quia vel unum hortum habetis, et non imputetis nisi mansuetudini columbæ, quia vel ibi vobis permittitur permanere? Leguntur enim leges manifestæ, ubi præceperunt imperatores, eos qui præter Ecclesiæ catholicæ communionem usurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere.

26. Sed quid nobis et imperatori? Sed jam dixi, de jure humano agitur. Et tamen Apostolus voluit serviri regibus, voluit honorari reges, et dixit : *Regem reveremini* (I *Petr.* II, 17). Noli dicere : Quid mihi et regi? Quid tibi ergo et possessioni? Per jura regum possidentur possessiones. Dixisti, Quid mihi et regi? noli dicere possessiones tuas; quia ad ipsa jura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones. Sed de divino jure ago, ait. Ergo Evangelium recitemus; videamus quo usque Ecclesia catholica Christi est, super quem venit columba, quæ docuit, *Hic est qui baptizat.* Quomodo ergo jure divino possideat, qui dicit, Ego baptizo; cum dicat columba, *Hic est qui baptizat;* cum dicat Scriptura, *Una est columba mea, una est matri suæ?* Quare laniastis columbam? Imo laniastis viscera vestra : nam vobis laniatis, columba integra perseverat. Ergo, fratres mei, si ubique non habent quod dicant, ego dico quod faciant : veniant ad Catholicam, et nobiscum habebunt non solum terram, sed etiam illum qui fecit cœlum et terram.

TRACTATUS VII.

Ab eo quod scriptum est, Et ego vidi, et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei, *usque ad id,* Amen dico vobis, videbitis cœlum apertum, et Angelos ascendentes et descendentes super Filium hominis. *Cap.* I, ℣. 34-51.

1. Congaudemus frequentiæ vestræ, quia ultra quam sperare potuimus, alacriter convenistis. Hoc est quod nos lætificat, et consolatur in omnibus laboribus, et periculis vitæ hujus, amor vester in Deum, et pium studium, et certa spes, et fervor spiritus. Audistis cum Psalmus legeretur, quia inops et pauper clamat ad Deum in hoc sæculo (*Psal.* LXXIII, 21). Vox enim est, ut sæpius audistis, et meminisse debetis, non unius hominis, et tamen unius hominis : non unius, quia fideles multi; multa grana inter paleas gementia, diffusa toto orbe terrarum. unius autem, quia membra Christi omnes; ac per hoc unum corpus. Iste ergo populus inops et pauper, non novit gaudere de sæculo : et dolor ejus intus est, et gaudium ejus intus est, ubi non videt nisi ille qui exaudit gementem, et coronat sperantem. Lætitia sæculi, vanitas. Cum magna exspectatione speratur ut veniat, et non potest teneri cum venerit. Iste enim dies qui lætus est perditis hodie in ista civitate, cras utique non erit : nec iidem ipsi cras hoc erunt quod hodie sunt. Et transeunt omnia, et evolant omnia, et sicut fumus vanescunt : et væ qui amant talia! Omnis enim anima sequitur quod amat. Omnis caro fenum, et omnis honor carnis quasi flos feni; fenum aruit, flos decidit : Verbum autem Domini manet in æternum (*Isai.* XL, 6-8). Ecce quod ames, si vis manere in æternum. Sed dicere habebas : Unde possum apprehendere Verbum Dei? Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14).

2. Quapropter, charissimi, ad inopiam nostram et paupertatem nostram pertineat et quod illos dolemus qui sibi abundare videntur. Gaudium enim ipsorum quasi phreneticorum est. Quomodo autem phreneticus gaudet in insania plerumque, et ridet; et plangit illum qui sanus est : sic et nos, charissimi, si recepimus medicinam de cœlo venientem, quia et nos omnes phrenetici eramus, tanquam salvi facti, quia ea quæ diligebamus non diligimus, gemamus ad Deum de iis qui adhuc insaniunt. Potens est enim ut et ipsos salvos faciat. Et opus est ut respiciant se, et displiceant sibi. Spectare volunt [1], et spectare se non noverunt. Nam si aliquantum oculos ad se convertant, vident confusionem suam. Quod donec fiat, alia sint studia nostra, alia sint avocamenta animæ nostræ. Plus valet dolor noster, quam gaudium illorum. Quantum pertinet ad numerum fratrum, difficile est ut quisquam illa celebritate raptus fuerit ex viris : quantum autem ad sororum numerum, contristat nos, et hoc magis dolendum est, quia non ipsæ potius ad Ecclesiam currunt, quas debuit si non timor, certe verecundia de publico revocare. Viderit hoc qui videt, et aderit misericordia ejus, ut sanet omnes. Nos autem qui convenimus, pascamur epulis Dei, et sit gaudium nostrum sermo ipsius. Invitavit enim nos ad Evangelium suum : et ipse cibus noster est, quo nihil dulcius; sed si quis habet palatum sanum in corde.

3. Bene autem arbitror meminisse Charitatem vestram hoc Evangelium lectionibus congruis ex ordine recitari : et puto vobis non excidisse quæ jam tractata sunt, maxime recentiora de Joanne et columba. De Joanne scilicet, quid novum didicerit in Domino per columbam, qui jam noverat Dominum. Et hoc inventum est inspirante Spiritu Dei, quod jam quidem Joannes noverat Dominum; sed quod ipse Dominus ita esset baptizaturus, ut baptizandi pote-

[1] Mss., *spectari volunt.*

statem a se in neminem transfunderet, hoc didicit per columbam, quia dictum ei erat, *Super quem videris Spiritum descendentem velut columbam, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto* (*Joan.* I, 33). Quid est, *hic est?* Non alius, etsi per alium. Quare autem per columbam? Multa dicta sunt, nec possum, nec opus est omnia retexere : præcipue tamen propter pacem ; quia et ligna quæ baptizata sunt foris, quia fructum in eis invenit columba, ad arcam attulit : sicut meministis columbam emissam a Noe de arca, quæ diluvio natabat, et baptismo abluebatur, non mergebatur. Cum ergo esset emissa, attulit ramum olivæ : sed non sola folia habebat, habebat et fructum (*Gen.* VIII, 8-11). Itaque hoc optandum est fratribus nostris qui foris baptizantur, ut habeant fructum : non illos sinet columba foris, nisi ad arcam reduxerit. Fructus autem est totus charitas, sine qua nihil est homo, quidquid aliud habuerit. Et hoc uberrime ab Apostolo dictum commemoravimus et recensuimus. Ait enim : « Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens : et si habuero omnem scientiam, et sciam omnia sacramenta, et habeam omnem prophetiam, et habuero omnem fidem, » (fidem autem quomodo dixit omnem?) « ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Et si distribuero omnia mea pauperibus, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest » (I *Cor.* XIII, 1-3). Nullo modo autem possunt dicere se habere charitatem, qui dividunt unitatem. Hæc dicta sunt : sequentia videamus.

4. Perhibuit Joannes testimonium, quia vidit. Quale testimonium perhibuit? *Quia ipse est Filius Dei.* Oportebat ergo ut ille baptizaret qui est Filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii, ministri sunt Unici : Unicus habet potestatem, adoptati ministerium. Licet baptizet minister non pertinens ad numerum filiorum, quia male vivit et male agit, quid nos consolatur? *Hic est qui baptizat.*

5. *Altera die iterum stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo, et respiciens Jesum ambulantem dicit, Ecce Agnus Dei.* Utique singulariter iste Agnus : nam et discipuli dicti sunt agni, *Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum* (*Matth.* X, 16). Dicti sunt et ipsi lumen, *Vos estis lumen mundi* (*Id.* V, 14) : sed aliter ille de quo dictum est, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Sic et Agnus singulariter, solus sine macula, sine peccato ; non cujus maculæ abstersæ sint, sed cujus macula nulla fuerit. Quid enim? quia dicebat Joannes de Domino, *Ecce Agnus Dei*, ipse Joannes non erat agnus? non erat vir sanctus? non erat amicus sponsi? Ergo singulariter ille, Hic est Agnus Dei ; quia singulariter hujus Agni sanguine solo homines redimi potuerunt.

6. Fratres mei, si agnoscimus pretium nostrum quia sanguis est Agni ; qui sunt illi qui hodie celebrant festivitatem sanguinis, nescio cujus mulieris? et quam ingrati sunt? Raptum est aurum, dicunt, de aure mulieris, et cucurrit sanguis, et positum est aurum in trutina vel statera, et præponderavit multum de sanguine. Si pondus ad inclinandum aurum habuit sanguis mulieris, quale pondus habet ad inclinandum mundum sanguis Agni, per quem factus est mundus? Et quidem ille spiritus nescio quis, ut premeret pondus, placatus est sanguine. Immundi spiritus noverant venturum Jesum Christum, audierant ab Angelis, audierant ex Prophetis, et sperabant eum venturum. Nam si non sperabant, unde clamaverunt, *Quid nobis et tibi est? venisti ante tempus perdere nos? scimus qui sis, Sanctus Dei* (*Marc.* I, 24). Venturum sciebant, sed tempus ignorabant. Sed quid audistis in Psalmo de Jerusalem? *Quoniam beneplacitum habuerunt servi tui lapides ejus, et pulveris ejus miserebuntur : tu exsurgens*, inquit, *misereberis Sion, quoniam venit tempus ut miserearis ejus* (*Psal.* CI, 15. 14). Quando venit tempus ut misereretur Deus, venit Agnus. Qualis Agnus quem lupi timent? qualis Agnus est qui leonem occisus occidit? Dictus est enim diabolus leo circumiens et rugiens, quærens quem devoret (I *Petr.* V, 8) : sanguine Agni victus est leo. Ecce spectacula Christianorum. Et quod est amplius, illi oculis carnis vident vanitatem, nos cordis oculis veritatem. Ne putetis, fratres, quod sine spectaculis nos dimisit Dominus Deus noster : nam si nulla sunt spectacula, cur hodie convenistis? Ecce quod diximus, vidistis, et exclamastis : non exclamaretis, nisi vidissetis. Et magnum est hoc spectare per totum orbem terrarum, victum leonem sanguine Agni, educta de dentibus leonum membra Christi, et adjuncta corpori Christi. Ergo nescio quid simile imitatus est quidam spiritus, ut sanguine simulacrum suum emi vellet, quia noverat pretioso sanguine quandocumque redimendum esse genus humanum. Fingunt enim spiritus mali umbras quasdam honoris sibimetipsis, ut sic decipiant eos qui sequuntur Christum. Usque adeo, fratres mei, ut illi ipsi qui seducunt per ligaturas, per præcantationes, per machinamenta inimici, misceant præcantationibus suis nomen Christi : quia jam non possunt seducere Christianos, ut dent venenum, addunt mellis aliquid, ut per id quod dulce est, lateat quod amarum est, et bibatur ad perniciem. Usque adeo ut ego noverim aliquo tempore illius Pilleati sacerdotem solere dicere, Et ipse Pilleatus christianus est. Ut quid hoc, fratres, nisi quia aliter non possunt seduci Christiani?

7. Ne quæratis ergo alibi Christum, quam ubi se vobis voluit prædicari Christus ; et quomodo vobis voluit prædicari, sic illum tenete, sic in corde vestro scribite. Murus est adversus omnes impetus et adversus omnes insidias inimici. Nolite timere, nec tentat ille, nisi permissus fuerit : constat illum nihil facere, nisi permissus fuerit aut missus. Mittitur tanquam angelus malus a potestate dominante ; permittitur, quando aliquid petit : et hoc, fratres, non fit, nisi ut probentur justi, puniantur injusti. Quid ergo times? Ambula in Domino Deo tuo, certus esto : quod te

non vult pati, non pateris; quod te permiserit pati, flagellum corrigentis est, non pœna damnantis. Ad hæreditatem sempiternam erudimur, et flagellari dedignamur! Fratres mei, si recusaret quisquam puer colaphis aut flagellis cædi a patre suo, quomodo diceretur superbus, desperatus, ingratus paternæ disciplinæ? Et utquid erudit pater homo filium hominem? Ut possit non perdere temporalia quæ illi acquisivit, quæ illi collegit, quæ non vult eum perdere, quæ ipse qui relinquit, non potuit in sempiternum tenere. Non docet filium cum quo possideat, sed qui post eum possideat. Fratres mei, si filium docet pater successorem, et quem docet et ipsum similiter per illa omnia transiturum, qua et ille qui monebat transiturus est; quomodo vultis erudiat nos Pater noster, cui non successuri, sed ad quem accessuri sumus, et cum quo in æternum mansuri in hæreditate, quæ non marcescit, nec moritur, nec grandinem novit? Et ipse hæreditas et ipse Pater est. Hunc possidebimus, et erudiri non debemus? Sufferamus ergo eruditionem Patris. Non quando nobis dolet caput, curramus ad præcantatores [1], ad sortilegos et remedia vanitatis. Fratres mei, non vos plangam? Quotidie invenio ista; et quid faciam? Nondum persuadeo Christianis in Christo spem esse ponendam? Ecce, si cui factum est remedium, moriatur, (quam multi enim cum remediis mortui sunt? et quam multi sine remediis vixerunt?) qua fronte exiit anima ad Deum? Perdidit signum Christi, accepit signum diaboli. An forte dicat: Non perdidi signum Christi? Ergo signum Christi cum signo diaboli habuisti. Non vult Christus communionem, sed solus vult possidere quod emit. Tanti emit ut solus possideat: tu facis ei consortem diabolum, cui te per peccatum vendideras. Væ duplici corde (*Eccli.* II, 14)! qui in corde suo partem faciunt Deo, partem faciunt diabolo. Iratus Deus, quia fit ibi pars diabolo, discedit, et totum diabolus possidebit. Non frustra itaque Apostolus dicit: *Neque detis locum diabolo* (*Ephes.* IV, 27). Cognoscamus ergo Agnum, fratres, cognoscamus pretium nostrum.

8 *Stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo.* Ecce duo de discipulis Joannis: quia talis erat Joannes amicus sponsi, non quærebat gloriam suam, sed testimonium perhibebat veritati; numquid voluit apud se remanere discipulos suos, ut non sequerentur Dominum? Magis ipse ostendit discipulis suis quem sequerentur. Habebant enim illum tanquam Agnum: et ille, Quid me attenditis! ego non sum Agnus; *Ecce Agnus Dei:* de quo etiam superius dixerat, *Ecce Agnus Dei.* Et quid nobis prodest Agnus Dei? *Ecce*, ait, *qui tollit peccatum mundi.* Secuti sunt illum, hoc audito, duo qui erant cum Joanne.

9. Videamus sequentia. *Ecce Agnus Dei:* hoc Joannes. « Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum. Conversus autem Jesus, et videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt: Rabbi (quod dicitur interpretatum Magister), ubi habitas? » Non sic illum sequebantur quasi jam ut inhærerent illi: nam manifestum est quando illi inhæserunt, quia de navi eos vocavit. In his enim duobus erat Andreas, sicut modo audistis; Andreas autem frater Petri erat: et novimus in Evangelio quod Petrum et Andream Dominus de navi vocavit, dicens, *Venite post me, et faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). Et ex illo jam inhæserunt illi, ut non recederent. Modo ergo quod illum sequuntur isti duo, non quasi non recessuri sequuntur; sed videre voluerunt ubi habitaret, et facere quod scriptum est, *Limen ostiorum ejus exterat pes tuus; surge ad illum venire assidue et erudire præceptis ejus* (*Eccli.* VI, 36, 37). Ostendit eis ille ubi maneret: venerunt et fuerunt cum illo. Quam beatum diem duxerunt, quam beatam noctem! Quis est qui nobis dicat quæ audierint illi a Domino? Ædificemus et nosmetipsi in corde nostro, et faciamus domum quo veniat ille, et doceat nos; colloquatur nobis.

10. « Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, (quod interpretatum dicitur Magister), ubi habitas? Dicit eis: Venite, et videte. Et venerunt, et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima. » Nihilne arbitramur pertinuisse ad Evangelistam, dicere nobis quota hora erat? Potest fieri ut nihil ibi nos animadvertere, nihil quærere voluerit? Decima erat hora. Numerus iste legem significat, quia in decem præceptis data est lex. Venerat autem tempus ut impleretur lex per dilectionem; quia a Judæis non poterat impleri per timorem. Unde Dominus dicit: *Non veni solvere legem, sed implere* (*Matth.* V, 17). Merito ergo decima hora eum secuti sunt ad testimonium amici sponsi duo isti: et decima hora audivit, *Rabbi*, quod interpretatur Magister. Si decima hora *Rabbi* Dominus audivit, et decimus numerus ad legem pertinet; magister legis non est nisi dator legis. Nemo dicat quia alius dedit legem, et alius docet legem: ipse illam docet qui illam dedit; ipse est magister legis suæ, et docet illam. Et misericordia est in lingua ipsius, ideo misericorditer docet legem, sicut dictum est de sapientia, *Legem autem et misericordiam in lingua portat* (*Prov.* XXXI, 26). Noli timere, ne implere legem non possis, fuge ad misericordiam. Si multum est ad te legem implere, utere pacto illo, utere chirographo, utere precibus quas tibi constituit et composuit jurisperitus cœlestis.

11. Qui enim habent causam, et volunt supplicare imperatori, quærunt aliquem scholasticum jurisperitum, a quo sibi preces componantur; ne forte si aliter petierint quam oportet, non solum non impetrent quod petunt, sed et pœnam pro beneficio consequantur [1]. Cum ergo quærerent supplicare Apostoli, et non invenirent quomodo adirent imperatorem Deum, dixerunt Christo, *Domine, doce nos orare:* hoc est, Jurisperite noster, assessor, imo consessor Dei, compone nobis preces. Et docuit Dominus de libro juris cœlestis, docuit quomodo orarent: et in ipso quod docuit, posuit quamdam conditionem: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Luc.* XI

[1] In plerisque Mss., *præcantationes.*

[1] Plerique Mss., *mereantur.*

1-4). Si non secundum legem petieris, reus eris. Contremiscis imperatorem factus reus? offer sacrificium humilitatis, offer sacrificium misericordiæ, dic in precibus, Dimitte mihi, quoniam et ego dimitto. Sed si dicis, fac. Quid enim facturus es, quo iturus es, si mentitus fueris in precibus? Non quomodo dicitur in foro, carebis beneficio rescripti; sed nec rescriptum impetrabis. Juris enim forensis est ut qui in precibus mentitus fuerit, non illi prosit quod impetravit. Sed hoc inter homines, quia potest falli homo; potuit falli imperator, quando preces misisti: dixisti enim quod voluisti, et cui dixisti, nescit an verum sit; dimisit te adversario tuo convincendum, ut si ante judicem convictus fueris de mendacio, quia non potuit ille nisi præstare, nesciens an fueris mentitus, ibi carebis ipso beneficio rescripti, quo perduxisti rescriptum. Deus autem qui novit utrum mentiaris, an verum dicas, non facit ut in judicio tibi non prosit; sed nec impetrare te permittit, quia ausus es mentiri veritati.

12. Quid ergo facturus es? dic mihi. Implere legem ex omni parte, ita ut in nullo offendas, difficile est: reatus ergo certus est; remedio uti non vis? Ecce, fratres mei, quale remedium posuit Dominus contra ægritudines animæ. Quod ergo? Cum caput tibi dolet, laudamus si Evangelium ad caput tibi posueris, et non ad ligaturam cucurreris. Ad hoc enim perducta est infirmitas hominum, et ita plangendi sunt homines qui currunt ad ligaturas, ut gaudeamus quando videmus hominem in lecto suo constitutum, jactari febribus et doloribus, nec alicubi spem posuisse, nisi ut sibi Evangelium ad caput poneret: non quia ad hoc factum est, sed quia prælatum est Evangelium ligaturis. Si ergo ad caput ponitur ut quiescat dolor capitis, ad cor non ponitur ut sanetur a peccatis? Fiat ergo. Quid fiat? Ponatur ad cor, sanetur cor. Bonum est, bonum, ut de salute corporis non satagas, nisi ut a Deo illam petas. Si scit tibi prodesse, dabit illam: si non tibi dederit, non proderat habere illam. Quam multi ægrotant in lecto innocentes; et si sani fuerint, procedunt ad scelera committenda? Quam multis obest sanitas? Latro qui procedit ad faucem occidere hominem, quanto illi melius erat ut ægrotaret? Qui noctu surgit ad fodiendum parietem alienum, quanto illi melius si febribus jactaretur? Innocentius ægrotaret, scelerate sanus est. Novit ergo Deus quid nobis expediat: id agamus tantum, ut cor nostrum sanum sit a peccatis; et quando forte flagellamur in corpore, ipsum deprecemur. Rogavit eum Paulus apostolus, ut auferret stimulum carnis, et noluit auferre. Numquid perturbatus est? numquid contristatus dixit se desertum? Magis se dixit non desertum, quia non ablatum est quod volebat auferri, ut illa infirmitas sanaretur. Hoc enim invenit in voce medici: *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 8, 9). Unde ergo scis quod non vult te sanare Deus? Adhuc tibi expedit flagellari. Unde scis quam putre est quod secat medicus, agens ferrum per putria? Nonne novit modum, quid faciat, quo usque faciat? Numquid ululatus ejus qui secatur, retrahit manus medici artificiose secantis? Ille clamat; ille secat. Crudelis qui non audit clamantem, an potius misericors qui vulnus persequitur ut sanet ægrotum? Hæc, fratres mei, ideo dixi, ne quis quærat aliquid præter auxilium Dei, quando forte in aliqua correptione Domini sumus. Videte ne pereatis, videte ne ab Agno recedatis, et a leone devoremini.

13. Diximus ergo quare hora decima: sequentia videamus. *Erat Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus qui audierant ab Joanne, et secuti fuerant eum. Invenit hic Simonem fratrem suum, et dicit ei, Invenimus Messiam; quod est interpretatum Christus.* Messias hebraice, Christus græce est, latine Unctus. Ab unctione enim dicitur Christus. Χρῖσμα unctio est græce; ergo Christus, unctus. Ille singulariter unctus, præcipue unctus; unde omnes Christiani unguntur, ille præcipue. Quomodo in Psalmo dicit, audi: *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis, præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8). Participes enim ejus omnes sancti; sed ille singulariter Sanctus sanctorum, singulariter unctus, singulariter Christus.

14. *Et duxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum, Jesus dixit, Tu es Simon filius Joannis, tu vocaberis Cephas; quod interpretatur Petrus.* Non magnum quia Dominus dixit cujus filius esset iste. Quid magnum Domino? Omnia nomina sanctorum suorum sciebat, quos ante constitutionem mundi prædestinavit; et miraris quia dixit uni homini, Tu es filius illius, et tu vocaberis illud? Magnum quia mutavit ei nomen; et fecit de Simone Petrum? Petrus autem a petra, petra vero Ecclesia: ergo in Petri nomine figurata est Ecclesia. Et quis securus, nisi qui ædificat super petram? Et quid ait ipse Dominus? « Qui audit verba mea hæc et facit ea, similabo eum viro prudenti, ædificanti super petram » (non cedit tentationibus): « descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat super petram. Qui audit verba mea et non facit ea » (jam unusquisque nostrum timeat et caveat), « similabo eum viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam: descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et cecidit; et facta est ruina ejus magna » (*Matth.* VII, 24, 27). Quid prodest quia intrat Ecclesiam, qui vult super arenam ædificare? Audiendo enim et non faciendo, ædificat quidem, sed super arenam. Si enim nihil audit, nihil ædificat: si autem audit, ædificat. Sed quærimus, ubi. Si enim audit et facit, super petram: si audit et non facit, super arenam. Duo sunt genera ædificantium; aut super petram, aut super arenam. Quid ergo illi qui non audiunt? securi sunt? securos eos dicit, quia nihil ædificant? Nudi sunt sub pluvia, ante ventos, ante flumina: cum venerint ista, ante illos tollunt, quam domos dejiciant. Ergo una est securitas, et ædificare, et super petram ædificare. Si audire vis et non facere, ædificas; sed ruinam ædificas: cum autem venerit tentatio, dejicit domum, et cum ipsa ruina tua te tollit. Si autem non audis, nudus es, illis tentationibus tu ipse traheris. Audi ergo,

et fac; unum est remedium. Quanti forte hodie audiendo et non faciendo rapti sunt fluvio celebritatis hujus? Audiendo enim et non faciendo, venit fluvius ipsa celebritas anniversaria, impletus est torrens, transiturus est et siccaturus : sed væ illi quem tulerit! Illud ergo noverit Charitas vestra, quia nisi quis et audiat et faciat, non ædificat super petram, et non pertinet ad nomen tam magnum, quod sic commendavit Dominus. Intentum enim te fecit. Nam si hoc ante Petrus vocaretur, non ita videres mysterium petræ; et putares casu eum, sic vocari, non providentia Dei : ideo voluit eum aliud prius vocari, ut ex ipsa commutatione nominis, sacramenti vivacitas commendaretur.

15. *Et in crastinum voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum. Dicit ei : Sequere me. Erat autem de civitate Andreæ et Petri. Et invenit Philippus Nathanaelem :* jam vocatus a Domino Philippus. *Et dixit ei : Quem scripsit Moyses in Lege, et Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph.* Ejus filius dicebatur, cui desponsata erat mater ejus. Nam quod ea intacta conceptus et natus sit, bene noverunt omnes Christiani ex Evangelio. Hoc Philippus dixit Nathanaeli; addidit et locum, *a Nazareth. Et dixit ei Nathanael : A Nazareth potest aliquid boni esse.* Quid intelligitur, Fratres? Non quomodo aliqui pronuntiant : nam et sic solet pronuntiari, *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Sequitur enim vox Philippi, et dicit, *Veni, et vide.* Ambas autem pronuntiationes potest ista vox sequi, sive sic pronunties tanquam confirmans, *A Nazareth potest aliquid boni esse;* et ille, *Veni, et vide* : sive sic dubitans, et totum interrogans, *A Nazareth potest aliquid boni esse? Veni, et vide.* Cum ergo sive illo modo, sive isto pronuntietur, non repugnent verba sequentia; nostrum est quærere quid potius intelligamus in his verbis.

16. Qualis fuerit Nathanael iste, in sequentibus probamus. Audite qualis fuerit : Dominus ipse perhibet testimonium. Magnus Dominus cognitus testimonio Joannis : beatus Nathanael cognitus testimonio veritatis. Quia Dominus etsi testimonio Joannis non commendaretur, ipse sibi perhibebat testimonium; quia sufficit sibi ad testimonium suum veritas. Sed quia veritatem non poterant capere homines, per lucernam quærebant veritatem : et ideo Joannes per quem Dominus ostenderetur, missus est. Audi Dominum Nathanaeli testimonium perhibentem : *Et dixit ei Nathanael : A Nazareth potest aliquid boni esse. Dicit ei Philippus : Veni, et vide. Et vidit Jesus Nathanaelem venientem ad se, et dicit de eo : Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Magnum testimonium! hoc nec Andreæ dictum, nec Petro dictum, nec Philippo, quod dictum est de Nathanaele : *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.*

17. Quid ergo facimus, fratres? Deberet iste primus esse in Apostolis? Non solum primus non invenitur in Apostolis, sed nec medius, nec ultimus inter duodecim Nathanael est, cui tantum testimonium perhibuit Filius Dei, dicens, *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Quæritur causa? quantum Dominus intimat, probabiliter invenimus. Intelligere enim debemus ipsum Nathanaelem eruditum et peritum Legis fuisse : propterea noluit illum Dominus inter discipulos ponere; quia idiotas elegit, unde confunderet mundum. Audi Apostolum dicentem ista : « Videte enim, inquit, vocationem vestram, fratres, quia non multi potentes, non multi nobiles : sed infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt, ut ea quæ sunt evacuentur » (I *Cor.* I, 26-28). Si doctus eligeretur, fortasse ideo se diceret electum, quia doctrina ejus meruit eligi. Dominus noster Jesus Christus volens superborum frangere cervices, non quæsivit per oratorem piscatorem; sed de piscatore lucratus est imperatorem. Magnus Cyprianus orator, sed prior Petrus piscator, per quem postea crederet non tantum orator, sed et imperator. Nullus nobilis primo electus est, nullus doctus; quia infirma mundi elegit Deus, ut confunderet fortia. Erat ergo iste magnus et sine dolo : hoc solo non electus, ne cuiquam videretur Dominus doctos elegisse. Et ex ipsa doctrina Legis veniebat, quod cum audisset *a Nazareth :* scrutatus enim erat Scripturas, et sciebat quia inde erat expectandus Salvator, quod non facile alii Scribæ et Pharisæi noverant : iste ergo doctissimus Legis, cum audisset Philippum dicentem, *Invenimus Jesum, quem scripsit Moyses in Lege, et Prophetæ, a Nazareth, filium Joseph;* ille qui optime Scripturas noverat, audito nomine *Nazareth*, erectus est in spem, et dixit, *A Nazareth potest aliquid boni esse.*

18. Jam cætera de ipso videamus, *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Quid est, *in quo dolus non est?* Forte non habebat peccatum? forte non erat æger? forte illi medicus non erat necessarius? Absit. Nemo hic sic natus est, ut illo medico non egeret. Quid sibi ergo vult, *in quo dolus non est?* Aliquanto intentius quæramus; apparebit modo in nomine Domini. Dolum dicit Dominus; et omnis qui verba latina intelligit, scit quia dolus est, cum aliud agitur et aliud fingitur. Intendat Charitas vestra. Non dolus dolor est : propterea dico, quia multi fratres imperitiores latinitatis loquuntur sic, ut dicant, Dolus illum torquet, pro eo quod est dolor. Dolus fraus est, simulatio est. Quando aliquis aliquid in corde tegit, et aliud loquitur, dolus est, et tanquam duo corda habet : unum quasi sinum cordis habet, ubi videt veritatem; et alterum sinum, ubi concipit mendacium. Et ut noveritis hunc esse dolum, dictum est in Psalmis, *Labia dolosa.* Quid est, *Labia dolosa?* Sequitur, *In corde et corde locuti sunt mala* (*Psal.* XI, 3). Quid est, *In corde et corde;* nisi duplici corde? Si ergo dolus in isto non erat, sanabilem illum medicus judicavit, non sanum. Aliud est enim sanus, aliud sanabilis, aliud insanabilis : qui ægrotat cum spe, sanabilis dicitur; qui ægrotat cum desperatione, insanabilis; qui autem jam sanus est, non eget medico. Medicus ergo qui venerat sanare, vidit istum sanabilem, quia dolus in

illo non erat. Quomodo dolus in illo non erat? Si peccator est, fatetur se peccatorem. Si enim peccator est, et justum se dicit; dolus est in ore ipsius. Ergo in Nathanaele confessionem peccati laudavit, non judicavit non esse peccatorem.

19. Propterea cum Pharisæi qui sibi videbantur justi, reprehenderent Dominum quia miscebatur ægrotis medicus, et dicerent, *Ecce cum quibus manducat, cum publicanis et peccatoribus;* respondit medicus phreneticis, *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus: non veni vocare justos, sed peccatores* (*Matth.* IX, 11-13). Hoc est dicere, Quia vos justos dicitis, cum sitis peccatores, sanos vos judicatis [1], cum langueatis, medicinam repellitis, non sanitatem tenetis. Unde ille pharisæus qui vocaverat Dominum ad prandium, sanus sibi videbatur: ægrota autem illa mulier irrupit in domum, quo non erat invitata, et desiderio salutis facta impudens, accessit, non ad caput Domini, non ad manus, sed ad pedes; lavit eos lacrymis, tersit capillis, osculata est eos, unxit unguento, pacem fecit cum vestigiis Domini peccatrix. Reprehendit ille tanquam sanus medicum, ille pharisæus qui illic discumbebat; et ait apud se: *Hic si esset propheta, sciret quæ mulier illi pedes tetigisset.* Ideo autem suspicatus erat eum ignorasse, quia non illam repulit, quasi ne immundis manibus tangeretur: noverat autem ille, permisit se tangi, ut tactus ipse sanaret. Dominus videns cor Pharisæi, proposuit similitudinem: « Duo debitores erant cuidam feneratori; unus ei debebat quinquaginta denarios, alter quingentos: cum non haberent unde redderent, donavit ambobus; quis eum plus dilexit? Et ille: Credo, Domine, cui plus donavit. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides istam mulierem? Intravi in domum tuam, aquam mihi ad pedes non dedisti; illa autem lacrymis lavit pedes meos, et capillis suis tersit: osculum mihi non dedisti: illa non destitit pedes meos osculari: oleum mihi non dedisti; illa pedes meos unxit unguento. Propterea dico tibi; dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum: cui autem modicum dimittitur, modicum diligit » (*Luc.* VII, 36-47). Hoc est dicere, Plus ægrotas, sed sanum te putas: modicum putas tibi dimitti, cum plus debitor sis. Bene ista, quia dolus in illa non erat, meruit medicinam. Quid est, dolus in illa non erat? Confitebatur peccata. Hoc et laudat in Nathanaele, quod dolus in illo non erat: quia multi pharisæi qui abundabant peccatis, justos se dicebant, et dolum afferebant, per quem sanari non poterant.

20. Vidit ergo jam istum in quo dolus non erat, et ait: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael: Unde me nosti? Respondit Jesus, et dixit: Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te;* id est, sub arbore fici. *Respondit ei Nathanael, et ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel.* Aliquid magnum potuit Nathanael iste intelligere, in eo quod dictum est, *Cum esses sub fici arbore, vidi te, priusquam te Philippus vocaret.* Nam talem vocem protulit, *Tu es Filius Dei, tu es rex Israel;* qualem tanto post Petrus, quando ei Dominus ait, *Beatus es Simon Bar Jona, quia non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui est in cœlo* (*Matth.* XVI, 17). Et ibi nominavit petram, et laudavit firmamentum Ecclesiæ in ista fide. Hic jam dicit, *Tu es Filius Dei, tu es rex Israel.* Unde? Quia dictum est ei, *Antequam te Philippus vocaret, cum esses sub arbore fici, vidi te.*

21. Quærendum est, an aliquid significet ista arbor fici. Audite enim, fratres mei: Invenimus arborem fici maledictam, quia sola folia habuit, et fructum non habuit (*Id.* XXI, 19). In origine humani generis Adam et Eva cum peccassent, de foliis ficulneis succinctoria sibi fecerunt (*Gen.* III, 7): folia ergo ficulnea intelliguntur peccata. Erat autem Nathanael sub arbore fici, tanquam sub umbra mortis. Vidit eum Dominus, de quo dictum est, *Qui sedebant sub umbra mortis, lumen ortum est eis* (*Isai.* IX, 2). Quid ergo dictum est Nathanaeli? Dicis mihi, o Nathanael, *Unde me nosti?* Modo jam loqueris mecum, quia vocavit te Philippus. Jam quem vocavit per apostolum, ad Ecclesiam suam vidit pertinere. O tu Ecclesia, o tu Israel, in quo dolus non est; si es populus Israel in quo dolus non est, modo jam cognovisti Christum per Apostolos, quomodo Nathanael cognovit Christum per Philippum. Sed misericordia sua ante te vidit, quam tu eum cognosceres [1], cum sub peccato jaceres. Numquid enim nos prius quæsivimus Christum, et non ille nos quæsivit? Numquid nos venimus ægroti ad medicum, et non medicus ad ægrotos? Nonne ovis illa perierat, et relictis nonaginta novem pastor quæsivit illam et invenit, quam lætus in humeris reportavit? Nonne perierat drachma illa, et accendit mulier lucernam, et quæsivit in tota domo sua donec invenit? Et cum invenisset, *Collætamini mihi,* ait vicinis suis, *quia inveni drachmam quam perdideram* (*Luc.* XV, 4-10). Sic et nos sicut ovis perieramus, et sicut drachma perieramus: et pastor noster invenit ovem, sed quæsivit ovem; mulier invenit drachmam, sed quæsivit drachmam. Quæ est mulier? Caro Christi. Quæ est lucerna? *Paravi lucernam Christo meo* (*Psal.* CXXXI, 17). Ergo quæsiti sumus, ut inveniremur; inventi loquimur. Non superbiamus, quia antequam inveniremur, perieramus, si non quæreremur. Non ergo nobis dicant quos amamus, et volumus lucrari paci Ecclesiæ catholicæ: Quid nos vultis? quid nos quæritis, si peccatores sumus? Ideo vos quærimus, ne pereatis: quærimus, quia quæsiti sumus; invenire vos volumus, quia inventi sumus.

22. Itaque Nathanael cum dixisset, *Unde me nosti?* ait illi Dominus, *Priusquam te vocaret Philippus, cum esses sub arbore fici, vidi te.* O tu Israel sine dolo, quisquis es, o popule vivens ex fide, antequam te per Apostolos meos vocarem, cum esses sub umbra mortis, et tu me non videres, ego te vidi. Dominus deinde dicit ei: « Quia dixi tibi, Vidi te sub arbore fici, credis: majus his videbis. » Quid est hoc, « majus his videbis? Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbi-

[1] Mss., prædicatis.

[1] Mss. nostri omnes omittunt, *quam tu eum cognosceres.*

tis cœlum apertum, et Angelos ascendentes et descendentes super Filium hominis. » Fratres, nescio quid majus dixi, quam est, *sub arbore fici vidi te.* Plus enim est quod nos Dominus vocatos justificavit, quam quod vidit jacentes sub umbra mortis. Quid enim nobis proderat si ibi remansissemus, ubi nos vidit? Numquid non jaceremus? Quid est hoc majus? Quando vidimus Angelos ascendentes et descendentes super Filium hominis?

23. Jam aliquando de his ascendentibus et descendentibus Angelis dixeram; sed ne obliti fueritis, breviter dico tanquam commemorans : pluribus enim dicerem si non commemorarem, sed modo insinuarem. Scalas vidit Jacob per somnium, et in ipsis scalis vidit Angelos ascendentes et descendentes; et lapidem quem sibi posuerat ad caput, unxit (*Gen.* XXVIII, 12-18). Audistis quia Messias Christus est, audistis quia unctus Christus est. Non enim sic posuit lapidem unctum, ut veniret et adoraret : alioquin idololatria esset, non significatio Christi. Facta est ergo significatio, quo usque oportuit fieri significationem, et significatus est Christus. Lapis unctus, sed non in idolum. Lapis unctus : lapis quare? *Ecce pono in Sion lapidem electum, pretiosum, et qui crediderit in illum, non confundetur* (*Isai.* XXVIII, 16; I *Petr.* II, 6). Quare unctus? Quia Christus a chrismate. Quid autem vidit tunc in scalis? Ascendentes et descendentes Angelos. Sic est et Ecclesia, fratres : Angeli Dei, boni prædicatores, prædicantes Christum; hoc est, super Filium hominis ascendunt et descendunt. Quomodo ascendunt, et quomodo descendunt? Ex uno habemus exemplum : audi apostolum Paulum; quod in ipso invenerimus, hoc de cæteris veritatis prædicatoribus credamus. Vide Paulum ascendentem : « Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim raptum fuisse usque in tertium cœlum, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit : et audisse ineffabilia verba quæ non licet homini loqui » (II *Cor.* XII, 2-4). Ascendentem audistis, descendentem audite. « Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus : quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam » (I *Cor.* III, 1, 2). Ecce descendit qui ascenderat. Quære quo ascenderat. *Usque in tertium cœlum.* Quære quo descenderit. *Usque ad lac parvulis dandum.* Audi quia descendit : *Factus sum parvulus*, inquit, *in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos* (I *Thess.* II, 7). Videmus enim et nutrices et matres descendere ad parvulos : et si norunt latina verba dicere, decurtant illa, et quassant quodammodo linguam suam, ut possint de lingua diserta fieri blandimenta puerilia; quia si sic dicant, non audit infans, sed nec proficit infans. Et disertus aliquis pater, si sit tantus orator ut lingua illius fora concrepent, et tribunalia concutiantur; si habeat parvulum filium, cum ad domum redierit, seponit forensem eloquentiam quo ascenderat, et lingua puerili descendit ad parvulum. Audi uno loco ipsum Apostolum ascendentem et descendentem, in una sententia : « Sive enim, inquit, mente excessimus, Deo : sive temperantes sumus, vobis » (II *Cor.* V, 13). Quid est, « mente excessimus, Deo? » Ut illa videamus « quæ non licet homini loqui. » Quid est, « temperantes sumus, vobis? Numquid judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum » (I *Cor.* II, 2)? Si ipse Dominus ascendit et descendit; manifestum est quia et prædicatores ipsius ascendunt imitatione, descendunt prædicatione.

24. Et si aliquanto vos diutius tenuimus, consilii fuit ut importunæ horæ transirent : arbitramur jam illos [1] peregisse vanitatem suam. Nos autem, fratres, quando pasti sumus epulis salutaribus, quæ restant agamus, ut diem dominicum solemniter impleamus in gaudiis spiritualibus, et comparemus gaudia veritatis cum gaudiis vanitatis : et si horremus, doleamus; si dolemus, oremus; si oramus, exaudiamur; si exaudimur, et illos lucramur.

TRACTATUS VIII.

Ab eo Evangelii loco, Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ; *usque ad id*, Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. *Cap.* II, ℣. 1-4.

1. Miraculum quidem Domini nostri Jesu Christi, quo de aqua vinum fecit, non est mirum eis qui noverunt quia Deus fecit. Ipse enim fecit vinum illo die in nuptiis in sex illis hydriis, quas impleri aqua præcepit (*Joan.* II, 6-11), qui omni anno facit hoc in vitibus. Sicut enim quod miserunt ministri in hydrias, in vinum conversum est opere Domini; sic et quod nubes fundunt, in vinum convertitur ejusdem opere Domini. Illud autem non miramur, quia omni anno fit : assiduitate amisit admirationem. Nam et considerationem majorem invenit, quam id quod factum est in hydriis aquæ. Quis est enim qui considerat opera Dei, quibus regitur et administratur totus hic mundus, et non obstupescit obruiturque miraculis? Si consideret vim unius grani, cujuslibet seminis, magna quædam res est, horror est consideranti. Sed quia homines in aliud intenti perdiderunt considerationem operum Dei, in qua darent laudem quotidie Creatori; tanquam servavit sibi Deus inusitata quædam quæ faceret, ut tanquam dormientes homines, ad se colendum mirabilius excitaret. Mortuus resurrexit, mirati sunt homines : tot quotidie nascuntur, et nemo miratur. Si consideremus prudentius, majoris miraculi est esse qui non erat, quam reviviscere qui erat. Idem tamen Deus Pater Domini nostri Jesu Christi per Verbum suum facit omnia hæc, et regit qui creavit. Priora miracula fecit per Verbum suum Deum apud se : posteriora miracula fecit per ipsum Verbum suum, incarnatum, et propter nos hominem factum. Sicut miramur quæ facta sunt per hominem Jesum, miremur quæ facta sunt per Deum Jesum. Per Deum Jesum facta sunt cœlum et terra, mare, et omnis ornatus cœli, opulentia terræ, fecunditas maris; omnia hæc quæ oculis adjacent, per Jesum Deum facta sunt. Et videmus hæc, et si est in nobis Spiri-

[1] Mss. melioris notæ, *illas :* forte quod mulieres potissimum spectaret ista celebritas. Vide supra, nn. 2 et 6.

tus ipsius, sic nobis placent ut artifex laudetur : non ut ad opera conversi ab artifice avertamur, et faciem quodammodo ponentes ad ea quæ fecit, dorsum ponamus ad eum qui fecit.

2. Et hæc quidem videmus, et adjacent oculis : quid illa quæ non videmus, sicut sunt Angeli, Virtutes, Potestates, Dominationes, omnisque habitator fabricæ hujus supercœlestis, non adjacens oculis nostris? Quanquam sæpe et Angeli, quando oportuit, demonstraverunt se hominibus. Nonne Deus et per Verbum suum, id est, unicum Filium suum Dominum nostrum Jesum Christum fecit hæc omnia? Quid ipsa anima humana, quæ non videtur, et per opera quæ exhibet in carne, magnam præbet admirationem bene considerantibus, a quo facta est, nisi a Deo? et per quem facta est, nisi per Filium Dei? Nondum dico de anima hominis. Cujusvis pecoris anima quomodo regit molem suam! sensus omnes exserit, oculos ad videndum, aures ad audiendum, nares ad percipiendum odorem, oris judicium ad sapores discernendos, membra denique ipsa ad peragenda officia sua. Numquid hæc corpus, et non anima, id est, habitatrix corporis agit? Nec tamen videtur oculis, et ex his quæ agit, admirationem movet. Accedat jam consideratio tua etiam ad animam humanam, cui tribuit Deus intellectum cognoscendi Creatorem suum, dignoscendi et distinguendi inter bonum et malum, hoc est inter justum et injustum : quanta agit per corpus! Attendite universum orbem terrarum ordinatum in ipsa humana republica : quibus administrationibus, quibus ordinibus potestatum, conditionibus civitatum, legibus, moribus, artibus! Hoc totum per animam geritur, et hæc vis animæ non videtur. Cum subtrahitur corpori, cadaver jacet : cum autem adest corpori, primo condit quodammodo putores. Corruptibilis est enim omnis caro, in putredines defluit, nisi quodam condimento animæ teneatur. Sed hoc commune illi est cum pecoris anima : illa magis miranda quæ dixi, quæ ad mentem et intellectum pertinent; ubi etiam ad imaginem Creatoris sui renovatur, ad cujus imaginem factus est homo (*Coloss.* III, 10). Quid erit hæc vis animæ, cum et corpus hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* XV, 53, 54)? Si tanta potest per carnem corruptibilem, quid poterit per corpus spirituale post resurrectionem mortuorum? Hæc tamen anima, ut dixi, admirabilis naturæ atque substantiæ, invisibilis res est et intelligibilis : et hæc tamen per Jesum Deum facta est, quia ipse est Verbum Dei. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3).

3. Cum ergo tanta videamus facta per Deum Jesum, quid miramur aquam in vinum conversam per hominem Jesum? Neque enim sic factus est homo, ut perderet quod Deus erat : accessit illi homo, non amissus est Deus. Ipse ergo fecit hoc, qui illa omnia. Non itaque miremur quia Deus fecit; sed amemus quia inter nos fecit, et propter nostram reparationem fecit. Aliquid enim et in ipsis factis innuit nobis. Puto quia non sine causa venit ad nuptias. Excepto miraculo, aliquid in ipso facto mysterii et sacramenti latet. Pulsemus ut aperiat, et de vino invisibili inebriet nos : quia et nos aqua eramus, et vinum nos fecit, sapientes nos fecit; sapimus enim fidem ipsius, qui prius insipientes eramus. Et forte ad ipsam sapientiam pertinet, cum honore Dei, et cum laude majestatis ejus, et cum charitate potentissimæ misericordiæ ejus, intelligere quid sit gestum in hoc miraculo.

4. Dominus invitatus ad nuptias venit. Quid mirum si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum ad nuptias venit? Si enim non venit ad nuptias, non hic habet sponsam. Et quid est quod ait Apostolus, *Aptavi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo?* Quid est quod timet ne virginitas sponsæ Christi per astutiam diaboli corrumpatur? *Timeo*, inquit, *ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et vestræ mentes corrumpantur a simplicitate et castitate quæ est in Christo* (II *Cor.* XI, 2, 3). Habet ergo hic sponsam quam redemit sanguine suo, et cui pignus dedit Spiritum sanctum (*Id.* I, 22). Eruit eam de mancipatu diaboli : mortuus est propter delicta ejus, resurrexit propter justificationem ejus (*Rom.* IV, 25). Quis offeret tanta sponsæ suæ? Offerant homines quælibet ornamenta terrarum; aurum, argentum, lapides pretiosos, equos, mancipia, fundos, prædia : numquid aliquis offeret sanguinem suum? Si enim sanguinem suum sponsæ dederit, non erit qui ducat uxorem. Dominus autem securus moriens, dedit sanguinem suum pro ea quam resurgens haberet, quam sibi jam conjunxerat in utero Virginis. Verbum enim sponsus, et sponsa caro humana; et utrumque unus Filius Dei, et idem filius hominis : ubi factus est caput Ecclesiæ, ille uterus virginis Mariæ thalamus ejus, inde processit tanquam sponsus de thalamo suo, sicut Scriptura prædixit, *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII, 6); de thalamo processit velut sponsus, et invitatus venit ad nuptias.

5. Certi sacramenti gratia, videtur matrem de qua sponsus processit, non agnoscere, et dicere illi, *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.* Quid est hoc? ideone venit ad nuptias, ut doceret matres contemni? Utique ad cujus nuptias venerat, ideo ducebat uxorem, ut filios procrearet; et ab eis quos ut procrearet optabat, utique honorari cupiebat : ille ergo venerat ad nuptias, ut exhonoraret matrem, cum propter filios habendos, quibus reddere honorem parentibus imperat Deus, ipsæ nuptiæ celebrentur, et ducantur uxores? Procul dubio, fratres, latet ibi aliquid. Nam tanta res est, ut quidam, quos cavendos præmonuit Apostolus, sicut supra commemoravimus, dicens, *Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et vestræ mentes corrumpantur a simplicitate et castitate quæ est in Christo*, derogantes Evangelio, et dicentes quod Jesus non sit natus de Maria Virgine, hinc argumentum sumere conarentur erroris sui, ut dicerent, Quomodo erat mater ejus, cui dixit, *Quid mihi et tibi est, mulier?* Respondendum ergo est eis, et disserendum quare hoc dixerit Dominus; ne sibi

aliquid adversus sanam fidem insanientes invenisse videantur, unde sponsæ virginis castitas corrumpatur, id est, unde fides Ecclesiæ violetur. Revera enim, fratres, corrumpitur fides eorum qui præponunt mendacium veritati. Nam isti qui videntur sic honorare Christum, ut negent eum carnem habuisse, nihil aliud eum quam mendacem prædicant. Qui ergo mendacium ædificant in hominibus, quid ab eis expellunt, nisi veritatem? Immittunt diabolum, excludunt Christum; immittunt adulterum, excludunt sponsum: paranymphi scilicet, vel potius lenones serpentis. Ad hoc enim loquuntur ut serpens possideat, Christus excludatur. Quomodo possidet serpens? Quando possidet mendacium. Quando possidet falsitas, serpens possidet: quando possidet veritas, Christus possidet. Ipse enim dixit, *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6): de illo autem dixit, *Et in veritate non stetit*, *quia veritas non est in eo* (*Id.* VIII, 44). Sic est autem veritas Christus, ut totum verum accipias in Christo. Verum Verbum, Deus æqualis Patri, vera anima, vera caro, verus homo, verus Deus, vera nativitas, vera passio, vera mors, vera resurrectio. Si aliquid horum dixeris falsum, intrat putredo, de veneno serpentis nascuntur vermes mendaciorum, et nihil integrum remanebit.

6. Quid est ergo, inquit, quod ait Dominus, *Quid mihi et tibi est, mulier?* Forte in eo quod sequitur ostendit nobis Dominus quare hoc dixerit: *Nondum*, inquit, *venit hora mea*. Sic enim ait, *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea*. Et hoc cur dictum sit, requirendum est. Prius ergo hinc resistamus hæreticis. Quid dicit serpens veternosus, venenorum insibilator et inspirator antiquus? quid dicit? Non habuit matrem feminam Jesus. Unde probas? Quia dixit, inquit, *Quid mihi et tibi est, mulier?* Quis hoc narravit, ut credamus quia hoc dixit? quis hoc narravit? Nempe Joannes evangelista. At ipse Joannes evangelista dixit, *Et erat ibi mater Jesu*. Nam ita narravit: *Altera die nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat ibi mater Jesu. Venerat autem illuc invitatus ad nuptias cum discipulis suis.* Tenemus duas sententias ab Evangelista prolatas. *Erat ibi mater Jesu*, Evangelista dixit: quid dixerit matri suæ Jesus, ipse Evangelista dixit. Et quomodo dixit respondisse matri suæ Jesum, ut primo diceret, *Ait illi mater ejus*, videte, fratres, ut adversus linguam serpentis munitam virginitatem cordis habeatis. Illic in ipso Evangelio eo ipso evangelista narrante dicitur, *Erat ibi mater Jesu*; et, *Dixit illi mater ejus*. Quis hoc narravit? Joannes evangelista. Et quid respondit matri Jesus? *Quid mihi et tibi est, mulier?* Quis hoc narrat? Idem ipse Joannes evangelista. O Evangelista fidelissime et veracissime, tu mihi narras dixisse Jesum, *Quid mihi et tibi est, mulier?* cur ei apposuisti matrem quam non agnoscit? Nam tu dixisti quia *ibi erat mater Jesu*, et quia *dixit ei mater ejus*: cur non potius dixisti, Erat ibi Maria; et, Dixit ei Maria? Utrumque tu narras, et, *Dixit ei mater ejus*; et, *Respondit ei Jesus, Quid mihi et tibi est, mulier?* Quare hoc, nisi quia utrumque verum est? Illi autem in eo volunt credere Evangelistæ, quod narrat Jesum dixisse matri, *Quid mihi et tibi est, mulier?* et in eo nolunt credere Evangelistæ quod ait, *Erat ibi mater Jesu*; et, *Dixit ei mater ejus*. Quis est autem qui resistit serpenti et tenet veritatem, cujus virginitas cordis non corrumpitur astutia diaboli? Qui utrumque verum credit; et quia erat ibi mater Jesu, et quia illud respondit matri Jesus. Sed si nondum intelligit quemadmodum dixerit Jesus, *Quid mihi et tibi est*, *mulier?* interim credat quod dixerit, et quod matri dixerit. Sit primo pietas in credente, et erit fructus in intelligente.

7. Interrogo vos, o fideles Christiani, Erat ibi mater Jesu? respondete, Erat. Unde scitis? respondete, Hoc loquitur Evangelium. Quid respondit matri Jesus? respondete, *Quid mihi et tibi est*, *mulier? nondum venit hora mea*. Et hoc unde scitis? respondete, Hoc loquitur Evangelium. Nullus vobis corrumpat hanc fidem, si vultis sponso servare castam virginitatem. Si autem quæritur a vobis, cur hoc matri responderit; dicat qui intelligit: qui autem nondum intelligit, firmissime tamen credat, hoc respondisse, et tamen matri respondisse Jesum. Hac pietate merebitur etiam intelligere cur ita responderit, si orando pulset, et non rixando accedat ad ostium veritatis. Tantum caveat, ne dum se putat scire, aut erubescit nescire cur ita responderit, cogatur credere aut Evangelistam fuisse mentitum qui ait, *Erat ibi mater Jesu*: aut ipsum Christum falsa morte passum propter delicta nostra, et falsas cicatrices ostendisse propter justificationem nostram; falsumque dixisse, *Si manseritis in verbo meo*, *vere discipuli mei estis; et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* (*Joan.* VIII, 31, 32). Si enim falsa mater, falsa caro, falsa mors, falsa vulnera passionis, falsæ cicatrices resurrectionis; non veritas credentes in eum, sed potius falsitas liberabit. Imo vero falsitas cedat veritati, et confundantur omnes qui propterea se volunt videri veraces, quia Christum conantur demonstrare fallacem; et nolunt sibi dici, Non vobis credimus quia mentimini; cum ipsam veritatem dicant esse mentitam. Quibus tamen si dicamus, Unde nostis dixisse Christum, *Quid mihi et tibi est, mulier?* Evangelio se credidisse respondent. Cur non credunt Evangelio dicenti, *Erat ibi mater Jesu*; et, *Dixit ei mater ejus?* Aut si hoc mentitur Evangelium, quomodo ei creditur quod dixerit Jesus, *Quid mihi et tibi est*, *mulier?* Cur non potius miseri, et quod ita non extraneæ, sed matri Dominus responderit, fideliter credunt; et cur ita responderit, pie quærunt? Multum enim interest inter eum qui dicit, Volo scire quare Christus hoc matri responderit; et eum qui dicit, Scio quod hoc Christus non matri responderit. Aliud est intelligere velle quod clausum est, aliud nolle credere quod apertum est. Qui dicit, Scire volo cur ita Christus matri responderit, aperiri sibi vult Evangelium cui credit: qui autem dicit, Scio quod hoc Christus non matri responderit, ipsum Evangelium arguit de mendacio, ubi credidit quod Christus ita responderit.

8. Jam ergo si placet, fratres, illis repulsis, et in sua cæcitate errantibus semper, nisi humiliter sanentur, nos quæramus, quare Dominus noster sic matri responderit. Ille singulariter natus de Patre sine matre, de matre sine patre; sine matre Deus, sine patre homo; sine matre ante tempora, sine patre in fine temporum. Quod respondit, matri respondit: quia, *Erat ibi mater Jesu;* et, *Dixit ei mater ejus.* Hoc totum Evangelium loquitur. Illic novimus quia *erat ibi mater Jesu*, ubi novimus quod dixerit ei, *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.* Totum credamus, et quod nondum intelligimus requiramus. Et primum hoc videte, ne forte quomodo invenerunt Manichæi occasionem perfidiæ suæ, quia dixit Dominus, *Quid mihi et tibi est, mulier?* sic inveniant mathematici occasionem fallaciæ suæ, quia dixit, *Nondum venit hora mea.* Et si hoc secundum mathematicos dixit, sacrilegium fecimus incendendo codices eorum. Si autem recte fecimus, sicut Apostolorum temporibus factum est (*Act.* XIX, 19); non secundum eos dixit Dominus, *Nondum venit hora mea.* Dicunt enim vaniloqui et seducti seductores, Vides quia sub fato erat Christus, qui dicit, *Nondum venit hora mea.* Quibus ergo prius respondendum est; hæreticis, an mathematicis? Utrique enim a serpente illo veniunt, volentes corrumpere virginitatem cordis Ecclesiæ, quam habet in integra fide. Primo si placet, eis quos proposueramus, quibus quidem jam ex magna parte respondimus. Sed ne arbitrentur nos non habere quid dicamus de his verbis quæ Dominus matri respondit, vos magis adversus illos instruimus: nam illis refellendis, puto quod sufficiant quæ jam dicta sunt.

9. Cur ergo ait matri filius, *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea.* Dominus noster Jesus Christus, et Deus erat et homo: secundum quod Deus erat, matrem non habebat; secundum quod homo erat, habebat. Mater ergo erat carnis, mater humanitatis, mater infirmitatis quam suscepit propter nos. Miraculum autem quod facturus erat, secundum divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem; secundum quod Deus erat, non secundum quod infirmus natus erat. Sed infirmum Dei fortius est hominibus (I *Cor.* I, 25). Miraculum ergo exigebat mater; at ille tanquam non agnoscit viscera humana, operaturus facta divina; tanquam dicens, Quod de me facit miraculum, non tu genuisti, divinitatem meam non tu genuisti: sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te cognoscam, cum ipsa infirmitas pendebit in cruce: hoc est enim, *Nondum venit hora mea.* Tunc enim cognovit, qui utique semper noverat. Et antequam de illa natus esset, in prædestinatione noverat matrem; et antequam ipse Deus crearet, de qua ipse homo crearetur, noverat matrem: sed ad quamdam horam in mysterio non agnoscit; et ad quamdam horam quæ nondum venerat, in mysterio rursus agnoscit. Tunc enim agnovit, quando illud quod peperit moriebatur. Non enim moriebatur per quod facta erat Maria, sed moriebatur quod factum erat ex Maria: non moriebatur æternitas divinitatis, sed moriebatur infirmitas carnis. Illud ergo respondit, discernens in fide credentium, quis, qua venerit. Venit enim per matrem feminam, Deus et Dominus cœli et terræ. Secundum quod Dominus mundi, quod Dominus cœli et terræ, Dominus utique et Mariæ; secundum quod creator cœli et terræ, creator et Mariæ: secundum autem quod dictum est, *Factum ex muliere, factum sub Lege* (*Galat.* IV, 4), filius Mariæ. Ipse Dominus Mariæ, ipse filius Mariæ: ipse creator Mariæ, ipse creatus ex Maria. Noli mirari quia et filius et Dominus: sicut enim Mariæ, ita et David dictus est filius; et ideo David filius, quia Mariæ filius. Audi Apostolum aperte dicentem, *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3). Audi eum et Dominum David; dicat hoc ipse David: *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam* (*Psal.* CIX, 1). Et ipse Jesus hoc proposuit Judæis, et eos inde convicit (*Matth.* XXII, 45). Quomodo ergo David et filius et dominus; filius David secundum carnem, dominus David secundum divinitatem: sic Mariæ filius secundum carnem, et Mariæ dominus secundum majestatem. Quia ergo non erat illa mater divinitatis, et per divinitatem futurum erat miraculum quod petebat; respondit ei, *Quid mihi et tibi est, mulier?* sed ne putes quod te negem matrem, *Nondum venit hora mea:* ibi enim te agnoscam, cum pendere in cruce cœperit infirmitas cujus mater es. Probemus si verum est. Quando passus est Dominus, sicut idem evangelista dicit, qui noverat matrem Domini, et qui nobis insinuavit etiam in his nuptiis matrem Domini, ipse narrat: *Erat*, inquit, *illic circa crucem mater Jesu, et ait Jesus matri suæ, Mulier, ecce filius tuus: et ad discipulum, Ecce mater tua* (*Joan.* XIX, 25-27). Commendat matrem discipulo: commendat matrem prior matre moriturus, et ante matris mortem resurrecturus; commendat homo homini hominem. Hoc pepererat Maria. Illa hora jam venerat, de qua tunc dixerat, *Nondum venit hora mea.*

10. Quantum arbitror, fratres, responsum est hæreticis: mathematicis respondeamus. Et ipsi unde conantur convincere quia sub fato erat Jesus? Quia ipse ait, inquiunt, *Nondum venit hora mea.* Ergo illi credimus; et si dixisset, Horam non habeo, exclusisset mathematicos: sed ecce, inquiunt, ipse dixit, *Nondum venit hora mea.* Si ergo dixisset, Horam non habeo, exclusisset mathematicos, non esset unde calumniarentur: nunc vero quia dixit, *Nondum venit hora mea*, contra ipsius verba quid possumus dicere? Mirum est quod mathematici credendo verbis Christi, conantur convincere Christianos quod sub hora fatali vixerit Christus. Credant ergo Christo dicenti, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam: nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso, et iterum sumo eam* (*Id.* X, 18). Ergone ista potestas sub fato est? Ostendant hominem qui potestatem habeat quando moriatur, quamdiu vivat: omnino non ostendent. Credant ergo Deo dicenti, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam:* et quærant quare sit dictum, *Nondum venit hora mea;* nec ideo jam sub fato ponant conditorem cœli, crea-

torem atque ordinatorem siderum. Quia si esset fatum de sideribus, non poterat esse sub necessitate siderum, conditor siderum. Adde quia non solum Christus non habuit quod appellas fatum; sed nec tu, aut ego, aut ille, aut quisquam hominum.

11. Verumtamen seducti seducunt, et proponunt fallacias hominibus: tendunt ad capiendos homines, et hoc in plateis. Nam qui tendunt ad capiendas feras, vel in silvis atque in solitudine id agunt: quam infeliciter vani sunt homines, quibus capiendis in foro tenditur! Nummos accipiunt, cum se homines hominibus vendunt; dant isti nummos, ut se vanitatibus vendant. Intrant enim ad mathematicum, ut emant sibi dominos, quales mathematico dare placuerit; vel Saturnum, vel Jovem, vel Mercurium, vel si quid aliud sacrilegi nominis. Intravit liber, ut nummis datis servus exiret. Imo vero non intraret, si liber esset: sed intravit quo eum dominus error, et domina cupiditas traxit. Unde et Veritas dicit: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34).

12. Quare ergo dixit, *Nondum venit hora mea?* Magis quia in potestate habebat quando moreretur, nondum videbat esse opportunum ut illa potestate uteretur. Quomodo nos, fratres, verbi gratia, sic loquimur, Jam certa hora est, qua exeamus ut celebremus sacramenta? Si ante exeamus quam opus est, nonne perversi et præposteri sumus? Quia ergo non facimus, nisi quando opportunum est; propterea in his agendis, cum ita loquimur, fatum consideramus? Quid est ergo, *Nondum venit hora mea?* Quando ego scio opportunum me pati, quando passio mea utilis erit, nondum venit ipsa hora; tunc voluntate patiar: ut utrumque serves [1], et, *Nondum venit hora mea;* et, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam.* Venerat ergo habens in potestate quando moreretur. At si ante moreretur quam discipulos elegisset, certe præposterum esset: si esset homo qui non haberet in potestate horam suam, posset ante mori quam discipulos elegisset; et si forte moreretur jam electis eruditisque discipulis, præstaretur ei, non ipse hoc faceret. At vero qui venerat in manu habens quando iret, quando rediret, quo usque excurreret, cui paterent inferi, non tantum morienti, sed et resurgenti, ut nobis ostenderet spem immortalitatis Ecclesiæ suæ, in capite ostendit quod membra exspectare deberent. Resurget etiam in cæteris membris, qui resurrexit in capite. Hora ergo nondum venerat, opportunitas nondum erat. Vocandi erant discipuli, annuntiandum erat regnum cœlorum, faciendæ erant virtutes, commendanda erat divinitas Domini in miraculis, commendanda erat humanitas Domini in ipsa compassione mortalitatis. Ille enim qui esuriebat, quia homo erat, pavit quinque panibus tot millia, quia Deus erat: qui dormiebat, quia homo erat, ventis et fluctibus imperabat, quia Deus erat. Hæc omnia commendanda erant prius, ut esset quod scriberent Evangelistæ, quod prædicaretur Ecclesiæ. At ubi tantum fecit, quantum sufficere judicavit; venit hora non necessitatis, sed voluntatis, non conditionis, sed potestatis.

13. Quid ergo, fratres, quia illis et illis respondimus, nihil dicemus quid sibi velint hydriæ, quid aqua in vinum conversa, quid architriclinus, quid sponsus, quid mater Jesu in mysterio, quid ipsæ nuptiæ? Dicenda sunt omnia, sed onerandi non estis. Volui quidem in nomine Christi et hesterno die, quo solet sermo deberi Charitati vestræ, id agere vobiscum, sed non sum permissus necessitatibus quibusdam impedientibus. Si ergo placet Sanctitati vestræ, hoc quod ad mysterium pertinet hujus facti, in crastinum differamus, et non oneremus et vestram et nostram infirmitatem. Sunt forte hodie multi qui propter solemnitatem diei, non propter audiendum sermonem convenerunt. Crastino qui venient, veniant audituri; ut nec fraudemus studiosos, nec gravemus fastidiosos.

TRACTATUS IX.

In eamdem Evangelii lectionem. Quid mysterii sit in miraculo facto in nuptiis apud Cana Galilææ. Cap. II, ỳ. 1-11.

1. Adsit Dominus Deus noster, ut donet nobis reddere quod promisimus. Hesterno enim die, si meminit Sanctitas vestra, cum temporis excluderemur angustia, ne sermonem inchoatum impleremus, in hodiernum distulimus, ut ea quæ in hoc facto evangelicæ lectionis mystice in sacramentis posita essent, ipso adjuvante aperirentur. Non itaque opus est jam immorari diutius in commendando Dei miraculo. Ipse est enim Deus qui per universam creaturam quotidiana miracula facit, quæ hominibus non facilitate, sed assiduitate viluerunt: rara autem quæ facta sunt ab eodem Domino, id est a Verbo propter nos incarnato, majorem stuporem hominibus attulerunt: non quia majora erant, quam sunt ea quæ quotidie in creatura facit, sed quia ista quæ quotidie fiunt, tanquam naturali cursu peraguntur; illa vero efficacia potentiæ tanquam præsentis exhibita videntur oculis hominum. Diximus, sicut meministis, resurrexit unus mortuus, obstupuerunt homines; cum quotidie nasci qui non erant, nemo miretur. Sic aquam in vinum conversam quis non miretur, cum hoc annis omnibus Deus in vitibus faciat? Sed quia omnia quæ fecit Dominus Jesus, non solum valent ad excitanda corda nostra miraculis, sed etiam ad ædificanda in doctrina fidei; scrutari nos oportet quid sibi velint illa omnia, id est, quid significent. Horum enim omnium significationes, sicut recordamini, in hodiernum distulimus.

2. Quod Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit quod ipse fecit nuptias [1]. Futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere (I *Tim.* IV, 3), et dicentes quod malum essent nuptiæ, et quod diabolus eas fecisset: cum idem Dominus dicat in Evangelio, interrogatus utrum liceat homini dimittere uxorem suam ex qualibet causa, non licere excepta causa fornicationis. In qua responsione, si meministis, hoc ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 3-6).

[1] In aliquot Mss., *et utrumque verum est.*

[1] Mss. non addunt hic, *nuptias.*

Et qui bene eruditi sunt in fide catholica, noverunt quod Deus fecerit nuptias, et sicut conjunctio a Deo, ita divortium a diabolo sit. Sed propterea in causa fornicationis licet uxorem dimittere, quia ipsa esse uxor prior noluit, quæ fidem conjugalem marito non servavit. Nec illæ quæ virginitatem Deo vovent, quanquam ampliorem gradum honoris et sanctitatis in Ecclesia teneant, sine nuptiis sunt: nam et ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est Christus. Ac per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut conjugalis castitas firmaretur, et ostenderetur sacramentum nuptiarum: quia et illarum nuptiarum sponsus personam Domini figurabat, cui dictum est, *Servasti vinum bonum usque adhuc*. Bonum enim vinum Christus servavit usque adhuc, id est, Evangelium suum.

3. Jam enim incipiamus ipsa sacramentorum operta detegere, quantum ille donat in cujus nomine vobis promisimus. Erat prophetia antiquis temporibus, et a prophetiæ dispensatione nulla tempora cessaverunt: sed illa prophetia, quando in illa Christus non intelligebatur, aqua erat. In aqua enim vinum quodammodo latet. Dicit Apostolus quid intelligamus in ista aqua: « Usque ad hodiernum, inquit, diem, quamdiu legitur Moyses, idipsum velamen super cor eorum positum est; quod non revelatur [1], quia in Christo evacuatur. Et cum transieris [2], inquit, ad Dominum, auferetur velamen » (II *Cor.* III, 14-16). Velamen dicit adopertionem prophetiæ, ut non intelligeretur. Tollitur velamen, cum transieris ad Dominum: sic tollitur insipientia, cum transieris ad Dominum, et quod aqua erat, vinum tibi fit. Lege libros omnes propheticos, non intellecto Christo, quid tam insipidum et fatuum invenies? Intellige ibi Christum, non solum sapit quod legis, sed etiam inebriat; mutans mentem a corpore, ut præterita obliviscens, in ea quæ ante sunt extendaris (*Philipp.* III, 13).

4. Ergo prophetia ab antiquis temporibus, ex quo prorsus currit ordo nascentium in genere humano, de Christo non tacuit: sed occultum ibi erat; adhuc enim erat aqua. Unde probamus quod omnibus temporibus superioribus usque ad ætatem qua Dominus venit, prophetia de illo non defuit? Ipso Domino dicente. Cum enim resurrexisset a mortuis, invenit discipulos dubitantes de ipso quem secuti erant. Viderunt enim eum mortuum, et non speraverunt resurrecturum, et tota spes eorum concidit. Unde ille latro laudatus, ipso die meruit esse in paradiso? Quia in cruce fixus tunc confessus est Christum (*Luc.* XXIII, 40-43), quando de illo discipuli dubitaverunt. Ergo invenit eos nutantes, et quodammodo arguentes seipsos quod in illo redemptionem speraverant. Dolebant tamen eum sine culpa occisum, quia noverant innocentem. Et hoc ipsi post resurrectionem dixerunt, cum quosdam eorum tristes invenisset in via: « Tu solus peregrinaris in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa istis diebus? Ille autem dixit eis: Quæ? Illi autem dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in factis et dictis in conspectu Dei et universi populi, quomodo hunc tradiderunt sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et cruci eum fixerunt. Nos autem sperabamus, quia ipse erat qui redempturus esset Israel; et nunc tertius dies agitur hodie [1], ex quo hæc facta sunt. » Hæc atque alia cum dixisset unus ex duobus quos invenit in via euntes ad propinquum castellum; respondit ipse et ait: « O insensati et tardi corde ad credendum super omnia quæ locuti sunt Prophetæ! nonne hæc omnia oportebat pati Christum, et introire in claritatem suam? Et fuit incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretans illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant. » Item alio loco, cum etiam palpari se manibus discipulorum voluit, ut crederent quia in corpore resurrexerat: « Hi sunt, inquit, sermones, quos locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quia oporteret impleri omnia quæ scripta sunt in Lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc adaperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit illis: Quia sic scriptum est, pati Christum [2], et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiens ab Jerusalem. »

5. His ex Evangelio, quæ certe manifesta sunt, intellectis, patebunt illa omnia mysteria quæ in isto miraculo Domini latent. Videte quid ait, quia oportebat impleri in Christo quæ de illo scripta sunt. Ubi scripta sunt? *In Lege*, inquit, *et Prophetis, et Psalmis*. Nihil Scripturarum veterum prætermisit. Illa erat aqua; et ideo dicti sunt illi a Domino insensati, quia eis adhuc aqua sapiebat, non vinum. Quomodo autem fecit de aqua vinum? Cum aperuit eis sensum, et exposuit eis Scripturas, incipiens a Moyse per omnes Prophetas. Unde jam inebriati dicebant, *Nonne cor nostrum erat ardens in via, cum aperiret nobis Scripturas* (*Luc.* XXIV, 13-47)? Intellexerunt enim Christum in his Libris in quibus eum non noverant. Mutavit ergo aquam in vinum Dominus noster Jesus Christus, et sapit quod non sapiebat, inebriat quod non inebriabat. Si enim jussisset inde aquam effundi, et sic ipse mitteret vinum ex occultis creaturæ sinibus, unde fecit et panem quando saturavit tot millia: non enim quinque panes habebant quinque millium hominum saturitatem, aut saltem duodecim cophinos plenos (*Matth.* XIV, 17-21), sed omnipotentia Domini quasi fons panis erat; sic posset et effusa aqua vinum infundere: quod si fecisset, videretur Scripturas veteres improbasse. Cum autem ipsam aquam convertit in vinum, ostendit nobis quod et Scriptura vetus ab ipso est: nam jussu ipsius impletæ sunt hydriæ. A Domino quidem et illa Scriptura; sed nihil sapit, si

[1] Lov., *nunc revelatur*. At editi alii et Mss. habent, *non revelatur*; pro quo apud Apostolum legitur in Vulg., *manet non revelatum*.

[2] Vulgata, *conversus fuerit*. At Augustinus non hic solum, sed etiam libro 12 contra Faustum, cap. 4, et alibi scribit, *transieris*: forte græcum *epistrepsê* sumpsit interpres a verbo medio, secunda persona.

[1] Mss. plures, *tertium diem agit hodie*: juxta græc., *tritên tautên êmeran agei sêmeron*.

[2] Er. Lugd. Ven. Lov.: *Quia sic scriptum est, et sic oportebat pati Christum*. Abest a Mss., *et sic oportebat*, ut Lov. animadvertunt. M.

non ibi Christus intelligatur.

6. Intendite autem quod ipse ait, *Quæ scripta sunt in Lege, et Prophetis, et Psalmis de me.* Novimus autem Legem ex quibus temporibus narret, id est, ab exordio mundi : *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Inde usque ad hoc tempus quod nunc agimus, sexta ætas est, ut sæpe audistis et nostis. Nam prima ætas computatur ab Adam usque ad Noe : secunda a Noe usque ad Abraham : et sicut Matthæus Evangelista per ordinem sequitur et distinguit, tertia ab Abraham usque ad David : quarta a David usque ad transmigrationem in Babyloniam : quinta a transmigratione in Babyloniam usque ad Joannem Baptistam (*Matth.* I, 17) : sexta inde usque ad finem sæculi. Propterea et sexta die fecit Deus hominem ad imaginem suam (*Gen.* I, 27) : quia sexta ista ætate manifestatur per Evangelium reformatio mentis nostræ, secundum imaginem ejus qui creavit nos (*Coloss.* III, 10); et convertitur aqua in vinum, ut jam manifestatum Christum in Lege et Prophetis sapiamus. Ideo *erant ibi sex hydriæ*, quas jussit impleri aqua. Sex ergo illæ hydriæ, sex ætates significant, quibus non defuit prophetia. Illa ergo tempora sex, quasi articulis distributa atque distincta, quasi vasa essent inania, nisi a Christo implerentur. Quid dixi, tempora quæ inaniter currerent, nisi in eis Dominus Jesus prædicaretur? Impletæ sunt prophetiæ, plenæ sunt hydriæ : sed ut aqua in vinum convertatur, in illa tota prophetia Christus intelligatur.

7. Quid est ergo, *Capiebant metretas binas vel ternas*? Mysterium nobis maxime ista locutio commendat. Metretas enim dicit mensuras quasdam, tanquam si diceret urnas, amphoras, vel si quid hujusmodi. Nomen mensuræ est metreta, et a mensura accepit nomen ista mensura. Μέτρον enim mensuram dicunt Græci : inde appellatæ metretæ. *Capiebant ergo metretas binas vel ternas.* Quid dicimus, fratres? Si ternas tantum diceret, non curreret animus noster nisi ad mysterium Trinitatis. Sed forte nec sic debemus inde cito jam sensum avertere, quia dixit *binas vel ternas* : quia nominato Patre et Filio, consequenter et Spiritus sanctus intelligendus est. Spiritus enim sanctus non est Patris tantummodo, aut Filii tantummodo Spiritus; sed Patris et Filii Spiritus. Scriptum est enim, *Si quis dilexerit mundum, non est Spiritus*[1] *Patris in illo* (I *Joan.* II, 15) : item scriptum est, *Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9). Idem autem Spiritus Patris et Filii. Nominato itaque Patre et Filio, intelligitur et Spiritus sanctus; quia Spiritus est Patris et Filii. Cum autem nominatur Pater et Filius, tanquam duæ metretæ nominantur . cum autem ibi intelligitur Spiritus sanctus, tres metretæ. Ideo non dictum est, capientes metretas aliæ binas, aliæ ternas : sed ipsæ sex hydriæ *capiebant metretas binas vel ternas.* Tanquam diceret, Et quando dico binas, etiam Spiritum Patris et Filii cum his intelligi volo : et quando dico ternas, ipsam Trinitatem manifestius enuntio.

[1] Sic omnes codices. At Vulgata, *charitas* ; consentiente græco.

8. Quisquis itaque nominat Patrem et Filium, oportet ibi intelligat tanquam charitatem invicem Patris et Filii, quod est Spiritus sanctus. Fortassis enim discussæ Scripturæ : quod non sic dico, ut hodie docere possim, aut quasi aliud inveniri non possit : sed tamen fortasse scrutatæ Scripturæ indicant quod Spiritus sanctus charitas est. Et ne putetis vilem esse charitatem. Quomodo autem vilis est, quando omnia quæ dicuntur non vilia, chara dicuntur? Si ergo quæ non sunt vilia, chara sunt; quid est charius ipsa charitate? Sic autem commendatur charitas ab Apostolo, ut dicat : « Supereminentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens : et si sciero omnia sacramenta et omnem scientiam, et habuero prophetiam et omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum : et si distribuero omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest » (I *Cor.* XII, 31, XIII, 1-3). Quanta est ergo charitas, quæ si desit, frustra habentur cætera; si adsit, recte[1] habentur omnia? Tamen charitatem laudans apostolus Paulus copiosissime atque uberrime, minus de illa dixit quam quod ait breviter apostolus Joannes, cujus est hoc Evangelium. Neque enim dubitavit dicere, *Deus charitas est* (I *Joan.* IV, 16). Scriptum est etiam, *Quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Quis ergo nominet Patrem et Filium, et non ibi intelligat charitatem Patris et Filii? Quam cum habere cœperit, Spiritum sanctum habebit : quam si non habuerit, sine Spiritu sancto erit. Et quomodo corpus tuum sine spiritu, quod est anima tua, si fuerit, mortuum est; sic anima tua sine Spiritu sancto, id est, sine charitate si fuerit, mortua deputabitur. Ergo *metretas binas capiebant hydriæ*, quia in omnium temporum prophetia Pater et Filius prædicatur : sed ibi est et Spiritus sanctus; ideoque adjunctum est, *vel ternas. Ego et Pater*, inquit, *unum sumus* (*Joan.* X, 30) : sed absit ut desit Spiritus sanctus, ubi audimus, *Ego et Pater unum sumus.* Tamen quia Patrem et Filium nominavit, capiant *hydriæ binas metretas;* sed audi, *vel ternas : Ite, baptizate gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Itaque in eo quod dicuntur binæ, non exprimitur, sed intelligitur; in eo vero quod dicuntur vel ternæ, etiam exprimitur Trinitas.

9. Sed est et alius intellectus non prætermittendus, et ipsum dicam : eligat quisque quod placet; nos quod suggeritur non subtrahimus. Mensa enim Domini est, et non oportet ministrum fraudare convivas, præsertim sic esurientes, ut appareat aviditas vestra[2]. Prophetia quæ ab antiquis temporibus dispensatur, ad salutem omnium gentium pertinet. Ad solum quidem populum Israel missus est Moyses, et ei soli populo per eum Lex data est, et ipsi Prophetæ ex illo

[1] In Mss. omittitur, *recte*.
[2] Apud Er. Lugd. Ven. Lov., *et apparet aviditas vestra.* M.

populo fuerunt, et ipsa distributio temporum secundum eumdem populum distincta est; unde et hydriæ dicuntur *secundum purificationem Judæorum* : sed tamen quod illa prophetia etiam cæteris gentibus annuntiabatur, manifestum est; quandoquidem Christus in eo occultus erat, in quo benedicuntur omnes gentes, sicut promissum est Abrahæ dicente Domino, *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Nondum autem intelligebatur, quia nondum aqua conversa erat in vinum. Ergo omnibus gentibus dispensabatur prophetia. Quod ut emineat jucundius, de singulis ætatibus, tanquam de singulis hydriis, pro tempore quædam commemoremus.

10. In ipso exordio Adam et Eva parentes omnium gentium erant, non tantummodo Judæorum; et quidquid figurabatur in Adam de Christo, ad omnes utique gentes pertinebat, quibus salus est in Christo. Quid ergo potissimum dicemus de aqua primæ hydriæ, nisi quod Apostolus ait de Adam et Eva? Nemo enim me dicet prave intellexisse, quando intellectum non meum, sed Apostoli profero. Illud ergo unum quantum mysterium de Christo continet, quod commemorat Apostolus, dicens, *Et erunt duo in carne una : sacramentum hoc magnum est* (*Ephes.* III, 31 *et* 32)? Et ne quis magnitudinem istam sacramenti in singulis quibusque hominibus uxores habentibus intelligeret, *Ego autem*, inquit, *dico in Christo et in Ecclesia*. Quod est hoc sacramentum magnum, *Erunt duo in carne una?* Cum de Adam et Eva Scriptura Geneseos loqueretur, unde ventum est ad hæc verba, *Propterea relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24). Si ergo Christus adhæsit Ecclesiæ, ut essent duo in carne una, quomodo reliquit Patrem? quomodo matrem? Reliquit Patrem, quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (*Philipp.* II, 6, 7). Hoc est enim, reliquit Patrem, non quia deseruit et recessit a Patre; sed quia non ea in forma apparuit hominibus in qua æqualis est Patri. Quomodo reliquit matrem? Relinquendo synagogam Judæorum, de qua secundum carnem natus est; et inhærendo Ecclesiæ, quam ex omnibus gentibus congregavit. Ergo et prima hydria habebat prophetiam de Christo : sed quando ista quæ loquor non prædicabantur in populis, adhuc aqua erat, in vinum mutata nondum erat. Et quia illuminavit nos per Apostolum Dominus, ut ostenderet nobis quid ibi quæreremus in ipsa una sententia, *Erunt duo in carne una; sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia*; jam licet nobis ubique Christum quærere, et de omnibus hydriis vinum potare. Dormit Adam ut fiat Eva : moritur Christus ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ fit Eva de latere (*Gen.* II, 21) : mortuo Christo lancea percutitur latus (*Joan.* XIX, 34), ut profluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia. Cui non appareat quia in illis tunc factis futura figurata sunt, quandoquidem dicit Apostolus ipsum Adam formam futuri esse? *Qui est*, inquit, *forma futuri* (*Rom.* V, 14). Præfigurabantur omnia mystice. Neque enim vere non poterat Deus vigilanti costam educere, feminamque formare. An forte ne doleret latus quando costa detracta est, propter hoc oportebat ut ille dormiret? Quis est qui sic dormiat, ut ei ossa non evigilanti evellantur? An quia Deus evellebat, propterea homo non sentiebat? Poterat ergo et vigilanti sine dolore evellere, qui potuit dormienti. Sed procul dubio hydria prima implebatur : prophetia illius temporis de futuro isto tempore dispensabatur.

11. Christus etiam figuratus est in Noe, et in illa arca orbis terrarum. Quare enim in arca inclusa sunt omnia animalia (*Gen.* VII, 7-9), nisi ut significarentur omnes gentes? Non enim deerat Deo rursus creare omne genus animalium. Quando enim omnia non erant, nonne dixit, *Producat terra*, et produxit terra (*Id.* I, 24)? Unde ergo tunc fecit, inde reficeret; verbo fecit, verbo reficeret : nisi quia mysterium commendabat, et secundam hydriam propheticæ dispensationis implebat, ut per lignum liberaretur figura orbis terrarum; quia in ligno figenda erat vita orbis terrarum?

12. Jam in tertia hydria, ipsi Abrahæ, quod jam commemoravi, dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Et quis non videat cujus habebat figuram unicus ejus, qui sibi ad sacrificium, quo ipse immolandus ducebatur, ligna portabat? Portavit enim Dominus crucem suam, sicut Evangelium loquitur (*Joan.* XIX, 17). Hoc de tertia hydria commemorasse suffecerit.

13. De David autem, quid dicam quod ad omnes gentes pertinebat prophetia ejus; quando modo audivimus Psalmum, et difficile est ut dicatur psalmus ubi hoc non sonet? Sed certe, ut dixi, modo cantavimus, *Surge, Deus, judica terram; quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus* (*Psal.* LXXXI, 8). Et ideo Donatistæ tanquam projecti de nuptiis : sicut ille homo qui non habebat vestem nuptialem, invitatus est et venit, sed projectus est de numero vocatorum, quia non habebat vestem ad sponsi gloriam; qui enim suam gloriam quærit, non Christi, non habet vestem nuptialem : non enim volunt consonare voci illius qui amicus erat sponsi, et ait, *Hic est qui baptizat* (*Joan.* I, 33). Nec immerito illi qui non habebat vestem nuptialem, hoc per increpationem objectum est, quod non erat : *Amice, quid huc venisti?* Et sicut ille obmutuit (*Matth.* XXII, 11-13), ita et isti. Quid enim prodest strepitus oris, muto corde? Noverunt quippe intus apud semetipsos non se habere quod dicant. Intus obmutuerunt, foris perstrepunt. Audiunt, velint nolint, etiam apud se cantari, *Surge, Deus, judica terram; quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus :* et non communicando omnibus gentibus, quid aliud quam se exhæredatos esse cognoscunt?

14. Quod ergo dicebam, fratres, quia ad omnes gentes pertinet prophetia : volo enim alium sensum ostendere in eo quod dictum est, *Capientes metretas binas vel ternas :* ad omnes, inquam, gentes pertinet prophetia; modo commemoravimus demonstratum in

Adam, *qui est forma futuri*. Quis autem nesciat quod de illo exortæ sunt omnes gentes; et in ejus vocabulo quatuor litteris, quatuor orbis terrarum partes per græcas appellationes demonstrantur? Si enim græce dicantur, Oriens, Occidens, Aquilo, Meridies, sicut eas plerisque locis sancta Scriptura commemorat; in capitibus verborum invenis Adam: dicuntur enim græce quatuor memoratæ mundi partes ἀνατολή, δύσις, ἄρκτος, μεσημβρία. Ista quatuor nomina si tanquam versus quatuor sub invicem scribas, in eorum capitibus Adam legitur. Hoc in Noe propter arcam figuratum est, in qua erant omnia animalia, quæ significabant omnes gentes: hoc in Abraham, cui apertius dictum est, *In semine tuo benedicentur omnes gentes:* hoc in David, de cujus Psalmis, ut alia omittam, modo cantavimus, *Surge, Deus, judica terram; quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus*. Cui enim Deo dicitur, *Surge*, nisi ei qui dormivit? *Surge, Deus, judica terram*. Tanquam diceretur, Dormisti, judicatus a terra; surge, ut judices terram. Et quo pertinet illa prophetia, *Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus?*

15. Jam vero in quinta ætate, tanquam in quinta hydria, Daniel vidit lapidem præcisum de monte sine manibus, et fregisse omnia regna terrarum; et crevisse illum lapidem, et factum esse montem magnum, ita ut impleret universam faciem terræ (*Dan.* II, 34, 35). Quid apertius, fratres mei? Lapis de monte præciditur: ipse est lapis quem reprobaverunt ædificantes, et factus est in caput anguli (*Psal.* CXVII, 22). De quo monte præciditur, nisi de regno Judæorum, unde Dominus noster Jesus Christus secundum carnem natus est? Et præciditur sine manibus, sine opere humano; quia sine amplexu maritali de virgine exortus est. Mons ille unde præcisus est, non impleverat universam faciem terræ: non enim tenuerat regnum Judæorum omnes gentes. At vero regnum Christi, universum orbem terrarum cernimus occupare.

16. Jam ad sextam ætatem pertinet Joannes Baptista, quo nemo exsurrexit major in natis mulierum: de quo dictum est, *Major quam propheta* (*Matth.* XI, 11, 9). Quomodo et ipse ostendit, quia omnibus gentibus missus est Christus? Quando Judæi venerunt ad eum ut baptizarentur, et ne superbirent de nomine Abraham, *Generatio*, inquit, *viperarum, quis ostendit vobis fugere ab ira ventura? facite ergo fructum dignum pœnitentiæ;* id est, humiles estote: superbis enim loquebatur. Unde autem erant superbi? De genere carnis, non de fructu imitationis patris Abraham. Quid eis ait? *Nolite dicere, Patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Id.* III, 7-9). Lapides dicens omnes gentes, non propter firmitatem, sicut lapis dictus est quem reprobaverunt ædificantes; sed propter stoliditatem et duritiam stultitiæ, quia eis quos adorabant similes facti erant: adorabant enim insensata simulacra, pariter insensati. Unde insensati? Quoniam in Psalmo dicitur, *Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis* (*Psal.* CXIII, 8). Ideo cum cœperint homines Deum adorare, quid audiunt? *Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V, 45). Quapropter si ei fit homo similis quem adorat; quid est, *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ?* Nos ipsos interrogemus, et videmus quia factum est. Nos enim de gentibus venimus; de gentibus autem non veniremus, nisi Deus de lapidibus suscitasset filios Abrahæ. Facti sumus filii Abrahæ imitando fidem, non nascendo per carnem. Sicut enim illi degenerando exhæredati; sic nos imitando adoptati. Ergo, fratres, ad omnes gentes pertinebat etiam ista sextæ hydriæ prophetia; et ideo de omnibus dictum est, *Capientes metretas binas vel ternas.*

17. Sed quomodo ostendimus omnes gentes pertinere ad binas vel ternas metretas? Æstimantis enim fuit quodammodo, ut ipsas diceret binas, quas dixerat ternas, ad commendandum scilicet sacramentum. Quomodo sunt binæ metretæ? Circumcisio et præputium. Hos duos populos Scriptura commemorat, et nullum prætermittit hominum genus, quando dicit, *Circumcisio et præputium* (*Coloss.* III, 11); in duobus istis nominibus habes omnes gentes: binæ metretæ sunt. His duobus parietibus de diverso venientibus ad pacem in seipso faciendam, lapis angularis factus est Christus (*Ephes.* II, 14-20). Ostendamus et ternas metretas in eisdem ipsis omnibus gentibus. Tres erant filii Noe (*Gen.* V, 31), per quos reparatum est genus humanum. Unde Dominus ait: *Simile est regnum cœlorum fermento, quod accepit mulier et abscondit in farinæ mensuris tribus, quoadusque fermentaretur totum* (*Luc.* XIII, 21). Quæ est ista mulier, nisi caro Domini? Quod est fermentum, nisi Evangelium? Quæ sunt tres mensuræ, nisi omnes gentes, propter tres filios Noe? Ergo *sex hydriæ capientes binas vel ternas metretas*, sex sunt ætates temporum, capientes prophetiam pertinentem ad omnes gentes, sive in duobus generibus hominum, id est, Judæis et Græcis, sicut sæpe Apostolus commemorat (*Rom.* II, 9; I *Cor.* I, 24, *etc.*); sive in tribus, propter Noe tres filios, significatas. Figurata est enim prophetia pertingens usque ad omnes gentes. Nam in eo quod pertingit, dicta est metreta, sicut dicit Apostolus, *Accepimus mensuram pertingendi usque ad vos* (II *Cor.* X, 13). Gentibus enim evangelizans, hoc ait, *mensuram pertingendi usque ad vos.*

TRACTATUS X.

Ab eo Evangelii loco, Post hæc descendit ad Capharnaum ipse et mater ejus, *etc.*, *usque ad id*, Ille autem dicebat de templo corporis sui. *Cap.* II, ℣. 12-21.

1. In Psalmo audistis gemitum pauperis, cujus membra per totam terram tribulationes patiuntur usque in finem sæculi. Satis agite, fratres mei, esse in his membris et de his membris: nam tribulatio tota transitura est. Væ gaudentibus (*Luc.* VI, 25)! Veritas dicit: *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V, 5). Deus homo factus est: quid futurus est homo, propter quem Deus factus est homo? Hæc spes

consoletur nos in omni tribulatione et tentatione hujus vitæ. Non enim cessat inimicus persequi; et si non aperte sævit, insidiis agit. Quid enim agit[1]? *Et super iram dolose agebant* (*Psal.* XXXIV, 20). Inde dictus est leo et draco. Sed quid dicitur Christo? *Et conculcabis leonem et draconem* (*Psal.* XC, 13). Leo propter apertam iram, draco propter occultas insidias. Draco ejecit Adam de paradiso, idem ipse leo persecutus est Ecclesiam, dicente Petro, *Quia adversarius vester diabolus sicut leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (I *Petr.* V, 8). Non tibi sævitiam suam perdidisse diabolus videatur: quando blanditur, tunc magis cavendus est. Sed inter has omnes insidias et ejus tentationes, quid faciemus, nisi quod ibi audivimus, *Ego autem, cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam.* Est qui exaudiat, ne dubitetis orare: qui autem exaudit, intus manet. Non in montem aliquem oculos dirigatis, non faciem in stellas aut solem aut lunam levetis. Non tunc exaudiri vos arbitremini, quando super mare oratis: imo detestamini tales orationes. Munda tantum cubiculum cordis: ubi fueris, ubicumque oraveris, intus est qui exaudiat, intus in secreto, quem sinum vocat cum ait, *Et oratio mea in sinu meo convertetur* (*Psal.* XXXIV, 13). Qui te exaudit, non est præter te. Non longe vadas, nec te extollas, ut quasi attingas illum manibus. Magis si te extuleris, cades: si te humiliaveris, ipse appropinquabit. Hic Dominus Deus noster Verbum Dei, Verbum caro factum, Filius Patris, Filius Dei, Filius hominis: excelsus ut nos faceret, humilis ut nos reficeret, ambulans inter homines, patiens humana, abscondens divina.

2. *Descendit*, ut dicit Evangelista, *in Capharnaum, ipse et mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus, et ibi manserunt non multis diebus.* Ecce habet matrem, habet fratres, habet et discipulos: inde fratres, unde matrem. Fratres enim Scriptura nostra, non eos solos appellare consuevit, qui nascuntur ex eodem viro et femina, aut ex eodem utero, aut ex eodem patre, quamvis diversis matribus; aut certe ex eodem gradu, velut compatrueles aut consobrinos: non solum hos fratres novit dicere Scriptura nostra. Quomodo loquitur, sic intelligenda est. Habet linguam suam: quicumque hanc linguam nescit, turbatur, et dicit, Unde fratres Domino? Num enim Maria iterum peperit? Absit. Inde cœpit dignitas virginum. Illa femina mater esse potuit, mulier esse non potuit. Dicta est autem mulier secundum femineum sexum, non secundum corruptionem integritatis: et hoc ex lingua ipsius Scripturæ. Nam et Eva statim facta de latere viri sui, nondum contacta a viro suo, nostis quia mulier appellata est: *Et formavit eam in mulierem* (*Gen.* II, 22). Unde ergo fratres? Cognati Mariæ fratres Domini, de quolibet gradu cognati. Unde probamus? Ex ipsa Scriptura. Frater Abrahæ dictus est Lot (*Id.* XIII, 8, et XIV, 14); filius erat fratris ipsius. Lege, et invenies quia Abraham patruus erat Lot (*Id.* XI, 27, 31), et dicti sunt fratres. Unde, nisi quia cognati? Item Jacob Laban Syrum habebat avunculum: frater enim erat Laban matris Jacob, id est Rebeccæ uxoris Isaac (*Id.* XXVIII, 2). Lege Scripturam, et invenies quia fratres dicuntur avunculus et sororis filius (*Id.* XXIX, 12-15). Qua regula cognita, invenies omnes consanguineos Mariæ fratres esse Christi.

3. Sed illi discipuli magis erant fratres; quia et illi cognati fratres non essent, si discipuli non essent: et sine causa fratres, si magistrum non agnoscerent fratrem. Nam quodam loco cum ei nuntiati essent mater et fratres ejus foris stantes, ille autem cum discipulis suis loquebatur, ait: *Quæ mihi mater, vel qui fratres? Et extendens manum super discipulos suos, dixit, Hi sunt fratres mei:* et, *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ille mihi mater, et frater, et soror est* (*Matth.* XII, 46-50). Ergo et Maria, quia fecit voluntatem Patris. Hoc in ea magnificavit Dominus, quia fecit voluntatem Patris, non quia caro genuit carnem. Intendat Charitas vestra. Propterea cum Dominus in turba admirabilis videretur, faciens signa et prodigia, et ostendens quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt: *Felix venter qui te portavit.* Et ille: *Imo felices qui audiunt verbum Dei, et custodiunt* (*Luc.* XI, 27, 28). Hoc est dicere, Et mater mea quam appellastis felicem, inde felix quia verbum Dei custodit: non quia in illa Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14); sed quia custodit ipsum Verbum Dei per quod facta est, et quod in illa caro factum est. Homines non gaudeant prole temporali, exsultent si spiritu junguntur Deo. Hæc diximus propter id quod ait Evangelista, quia cum matre sua et fratribus suis et discipulis habitavit in Capharnaum paucis diebus.

4. Inde quid sequitur? *Et prope erat Pascha Judæorum, et ascendit Jerosolymam.* Aliam rem narrat, sicut se habebat recordatio annuntiantis. « Et invenit in templo vendentes boves et oves et columbas, et nummularios sedentes: et cum fecisset quasi flagellum de resticulis, omnes ejecit de templo; boves quoque et oves, et nummulariorum effudit æs, et mensas subvertit; et his qui columbas vendebant, dixit, Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. » Quid audivimus, fratres? Ecce templum illud figura adhuc erat, et ejicit inde Dominus omnes qui sua quærebant, qui ad nundinas venerant. Et quæ ibi vendebant illi? Quæ opus habebant homines in sacrificiis illius temporis. Novit enim Charitas vestra quod sacrificia illi populo pro ejus carnalitate et corde adhuc lapideo talia data sunt, quibus teneretur ne in idola deflueret; et immolabant ibi sacrificia, boves, oves et columbas: nostis, quia legistis. Non ergo magnum peccatum, si hoc vendebant in templo, quod emebatur ut offerretur in templo; et tamen ejecit inde illos. Quid, si ibi ebriosos inveniret, quid faceret Dominus; si vendentes ea quæ licita sunt, et contra justitiam non sunt (quæ enim honeste emuntur, non illicite venduntur), expulit tamen, et non est passus domum orationis fieri domum negotiationis? Si nego-

[1] Maxima pars Mss.: *Quid enim ait? Et super iram.*

tiationis domus non debet fieri domus Dei, potationis debet fieri? Nos autem quando ista dicimus, strident dentibus suis adversus nos : et consolatur nos psalmus quem audistis, *Striderunt super me dentibus suis*. Novimus et nos audire unde curemur, etsi ingeminantur flagella Christo, quia flagellatur sermo ipsius : *Congregata sunt*, inquit, *in me flagella, et nescierunt* [1]. Flagellatus est flagellis Judæorum, flagellatur blasphemiis falsorum christianorum : multiplicant flagella Domino suo, et nesciunt. Faciamus nos, quantum ipse adjuvat, *Ego autem, cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, et humiliabam in jejunio animam meam* (*Psal.* XXXIV, 15-16).

5. Dicimus tamen, fratres (non enim et ipse pepercit illis : qui flagellandus erat ab eis, prior illos flagellavit), signum quoddam nobis ostendit, quod fecit flagellum de resticulis, et inde indisciplinatos, negotiationem de Dei templo facientes, flagellavit. Etenim unusquisque in peccatis suis restem sibi texit. Propheta dicit, *Væ his qui trahunt peccata sicut restem longam!* (*Isai.* V, 18, *sec.* LXX). Quis facit restem longam? Qui peccato addit peccatum. Quomodo adduntur peccata peccatis? Cum peccata quæ facta sunt, cooperiuntur aliis peccatis. Furtum fecit, ne inveniatur quia [2] fecit, quærit mathematicum. Sufficeret furtum fecisse; quare vis adjungere peccatum peccato? ecce duo peccata. Cum ad mathematicum prohiberis accedere, blasphemas episcopum : ecce tria peccata. Cum audis, Mitte illum foras de Ecclesia ; dicis, Duco me ad partem Donati : ecce addis quartum. Crescit restis : time restem. Bonum est tibi ut hic inde cum flagellaris, corrigaris; ne in fine dicatur, *Ligate illi pedes et manus, et projicite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXII, 13). *Criniculis* enim *peccatorum suorum unusquisque constringitur* (*Prov.* V, 22). Illud Dominus dicit, illud alia Scriptura dicit ; sed utrumque Dominus dicit. De peccatis suis ligantur homines, et mittuntur in tenebras exteriores.

6. Qui sunt tamen qui vendunt boves? ut in figura quæramus mysterium facti. Qui sunt qui oves vendunt et columbas? Ipsi sunt qui sua quærunt in Ecclesia, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II, 21). Venale habent totum, qui nolunt redimi [3] : emi nolunt, et vendere volunt. Bonum est enim eis ut redimantur sanguine Christi, ut perveniant ad pacem Christi. Quid enim prodest acquirere in hoc sæculo quodlibet temporale et transitorium, sive sit pecunia, sive sit voluptas ventris et gutturis, sive sit honor in laude humana? Nonne omnia fumus et ventus? nonne omnia transeunt, currunt? Et væ his qui hæserint transeuntibus, quia simul transeunt. Nonne omnia fluvius præceps currens in mare? Et væ qui ceciderit, quia in mare trahetur. Ergo tenere debemus omnes affectus a talibus concupiscentiis. Fratres mei, qui talia quærunt, vendunt. Nam et Simon ille ideo volebat emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum (*Act.* VIII 18, 19) ; et putabat Apostolos mercatores tales esse, quales Dominus de templo flagello ejecit. Talis enim ipse erat, et quod venderet emere volebat : de illis erat qui columbas vendunt. Etenim in columba apparuit Spiritus sanctus (*Matth.* III, 16). Qui ergo vendunt columbas, fratres, qui sunt, nisi qui dicunt, Nos damus Spiritum sanctum? Quare enim hoc dicunt, et quo pretio vendunt? Pretio honoris sui. Accipiunt pretium cathedras temporales, ut videantur ipsi vendere columbas. Caveant a flagello de resticulis. Columba non est venalis : gratis datur, quia gratia vocatur. Ideo, fratres mei, quomodo videtis eos qui vendunt, propolarios [1], quisque quod vendit laudat : quot proposita fecerunt? Alterum propositum habet Carthagine Primianus, alterum habet Maximianus, alterum habet in Mauritania Rogatus, alterum habent in Numidia illi et illi, quos jam nec nominare sufficimus (*a*). Circuit ergo aliquis emere columbam, unusquisque ad propositum suum laudat quod vendit. Avertatur illius cor ab omni vendente, veniat ubi gratis accipitur. Nec sic erubescunt, fratres, quia per ipsas dissensiones suas amaras et malitiosas, cum sibi tribuunt quod non sunt, cum extolluntur putantes se aliquid esse cum nihil sint (*Galat.* VI, 3), tot partes de se fecerunt. Sed quid in eis impletum est quod nolunt corrigi, nisi quod audistis in Psalmo, *Discissi sunt, nec compuncti sunt?*

7. Qui ergo boves vendunt? Boves intelliguntur qui nobis Scripturas sanctas dispensaverunt. Boves erant Apostoli, boves erant Prophetæ. Unde dicit Apostolus : « Bovi trituranti os non infrenabis. Numquid de bobus pertinet ad Deum? An propter nos dicit? Propter nos enim dicit; quia debet in spe qui arat arare, et triturans in spe participandi » (*I Cor.* IX, 9, 10). Ergo illi boves reliquerunt nobis memoriam Scripturarum. Non enim de suo dispensaverunt, quia gloriam Domini quæsierunt. Quid enim audistis in ipso Psalmo? *Et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus* (*Psal.* XXXIV, 16, 27). Servus Dei, populus Dei, Ecclesia Dei. Qui volunt pacem Ecclesiæ ipsius, magnificent Dominum, non servum ; *et dicant semper, Magnificetur Dominus. Qui dicant? Qui volunt pacem servi ejus.* Ipsius populi, ipsius servi vox est illa evidens, quam in lamentationibus audistis in Psalmo, et movebamini cum audiretis, quia inde estis. Quod cantabatur ab uno, de omnibus cordibus resonabat. Felices qui se in illis vocibus tanquam in speculo

[1] Editi, *nesciebant*. Mss., *nescierunt*. At Vulgata, *ignoravi*.
[2] Lov., *qui*. Cæteri codices, *quia*.
[3] Mss., *quia nolunt redimi*.

[1] In tribus codicibus, *popularios*. Sed melius in cæteris, *propolarios*, id est, *propolas*; quam vocem origine græcam alii putant, ductam a verbo *polein*, vendere : Augustinus vero hic latinam omnino esse, et natam ex eo significat, quod venditor quisque merces ad propositum laudat.

(*a*) Capita indicat factionum aliquot, quibus Donatistæ inter se ipsi discindebantur, adeo ut factio quæque jactaret Baptismum integrum validumque nonnisi apud se reperiri. Qua de re Augustinus in lib. 1 de Baptismo contra Donatistas, cap. 6 : « Eadem, ait, pars Donati in multa minutissima frusta concissa est, quæ omnes minutæ particulæ « hanc unam multo grandiorem, in qua Primianus est, de « recepto Maximianistarum Baptismo reprehendunt, et sin« gulæ conantur asserere apud se tantummodo verum Ba« ptismum remansisse. » De Primiano et Maximiano consule Enarr. 2 in Psal. 36, serm. 2, n. 18-23 ; de Rogato, epist. 93, ad Vincentium.

cognoscebant. Qui ergo volunt pacem servi ejus, pacem populi ejus, pacem unius quam dicit *unicam*, et quam vult erui a leone, *Erue de manu canis unicam meam* (*Psal.* XXI, 21 *et* 22)? Qui dicunt semper, *Magnificetur Dominus*. Ergo boves illi Dominum magnificaverunt, non se. Videte bovem magnificantem Dominum suum, quia agnovit bos possessorem suum (*Isai.* I, 3) : attendite bovem timentem ne deseratur possessor bovis, et in bove præsumatur; quomodo expavescit eos qui volunt in illo ponere spem : « Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis » (I *Cor.* I, 13)? Quod dedi, non ego dedi : gratis accepistis, columba de cœlo descendit. « Ego, » inquit, « plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit : neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (*Id.* III, 6, 7). Et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus. »

8. Isti autem de Scripturis ipsis fallunt populos, ut accipiant ab ipsis honores et laudes, et non convertantur homines ad veritatem. Quia vero ipsis Scripturis fallunt populos, a quibus quærunt honores; vendunt boves, vendunt et oves, id est ipsas plebes. Et cui vendunt, nisi diabolo? Namque, fratres mei, si Christi unica Ecclesia est, et una est; quidquid inde præciditur, quis tollit, nisi leo ille rugiens et circumiens, quærens quem devoret (I *Petr.* V, 8)? Væ his qui præciduntur! nam illa integra permanebit. Novit enim Dominus qui sunt ejus (II *Tim.* II, 19). Tamen quantum in ipsis est, vendunt boves et oves, vendunt et columbas : observent flagellum peccatorum suorum. Certe quando aliquid tale patiuntur propter istas iniquitates suas, agnoscant quia Dominus fecit flagellum de resticulis, et ad hoc admonet eos ut mutent se, ut non sint negotiatores : nam si se non mutaverint, audient in fine, *Ligate illis manus et pedes, et projicite in tenebras exteriores*.

9. *Tunc scriptum esse, Zelus domus tuæ comedit me, recordati sunt discipuli* : quia zelo domus Dei ejecit istos de templo Dominus. Fratres, unusquisque christianus in membris Christi zelo domus Dei comedatur. Quis comeditur zelo domus Dei? Qui omnia quæ forte ibi videt perversa, satagit corrigi, cupit emendari[1], non quiescit : si emendare non potest, tolerat, gemit. Non excutitur de area granum, sustinet paleam; ut intret in horreum, cum palea fuerit separata. Tu ante horreum, si granum es, noli excuti de area; ne prius ab avibus colligaris, quam in horreum congregeris. Aves enim cœli aeriæ potestates exspectant aliquid rapere de area, et non rapiunt nisi quod inde fuerit excussum. Ergo zelus domus Dei comedat te : unumquemque christianum zelus domus Dei comedat, in qua domo Dei membrum est. Non enim magis est domus tua, quam domus ubi habes salutem sempiternam. Domum tuam intras propter requiem temporalem; domum Dei intras propter requiem sempiternam. Si ergo in domo tua ne quid perversum fiat satagis; in domo Dei ubi salus proposita est et requies sine fine, debes pati quantum in te est, si quid forte perversum videris? Verbi gratia, vides fratrem currere ad theatrum? prohibe, mone, contristare, si zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere et inebriari velle, et hoc velle in locis sanctis, quod nusquam decet? prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire; noli tamen quiescere. Amicus est? admoneatur leniter. Uxor est? severissime refrenetur. Ancilla est? etiam verberibus compescatur. Fac quidquid potes, pro persona quam portas; et perficis, *Zelus domus tuæ comedit me*. Si autem fueris frigidus, marcidus, ad te solum spectans, et quasi tibi sufficiens, et dicens in corde tuo, Quid mihi est curare aliena peccata? sufficit mihi anima mea; ipsam integram servem Deo : eia, non tibi venit in mentem servus ille qui abscondit talentum, et noluit erogare? Numquid enim accusatus est quia perdidit, et non quia sine lucro servavit (*Matth.* XXV, 25-30)? Sic ergo audite, fratres mei, ut non quiescatis. Ego vobis consilium daturus sum : det ille qui intus est; quia etsi per me dederit, ille dat. Nostis quid agatis unusquisque in domo sua cum amico, cum inquilino, cum cliente suo, cum majore, cum minore : quomodo dat Deus aditum, quomodo aperit januam verbo suo, nolite quiescere lucrari Christo; quia lucrati estis a Christo.

10. « Dixerunt illi Judæi : Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? » Et Dominus : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Judæi : Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu dicis, In tribus diebus excitabo illud? » Caro erant, carnalia sapiebant : ille vero loquebatur spiritualiter. Quis autem posset intelligere de quo templo dicebat? Sed non multum quærimus; per Evangelistam nobis aperuit, dixit de quo templo diceret : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Quadraginta et sex annis ædificatum est templum, et triduo suscitabis illud? Dicebat autem*, ait Evangelista, *de templo corporis sui*. Et manifestum est, occisum Dominum post triduum resurrexisse. Hoc modo omnibus nobis notum est : et si Judæis clausum est, quia foris stant; nobis tamen apertum est, quia novimus in quem credimus. Ipsius templi solutionem et reædificationem, anniversaria solemnitate celebraturi sumus : ad quam vos exhortamur, ut præparetis vos, si qui estis catechumeni, ut accipiatis gratiam; jam nunc tempus est, jam nunc parturiatur quod tunc nascatur. Ergo illud novimus.

11. Sed forte hoc exigitur a nobis, utrum habeat aliquod sacramentum quadraginta sex annis ædificatum templum. Sunt quidem multa quæ hinc dici possint; sed quod breviter dici potest et facile intelligi, hoc interim dicimus. Fratres, diximus jam, nisi fallor, hesterno die, Adam unum hominem fuisse, et ipsum esse totum genus humanum. Nam ita diximus, si meministis (*In superiori Tractatu*). Quasi fractus est, et sparsus colligitur, et quasi conflatur in unum societate atque concordia spirituali[1]. Et gemit unus

[1] Sic Mss. At editi, *satagit emendare, cupit corrigere*.

[1] Sic Mss. At editi, *in unam societatem atque concordiam*

pauper modo ipse Adam, sed in Christo innovatur : quia sine peccato venit Adam, ut peccatum Adam solveret in carne sua, et ut redintegraret sibi Adam imaginem [1] Dei. De Adam ergo caro Christi : de Adam ergo templum quod destruxerunt Judæi, et resuscitavit Dominus triduo. Resuscitavit enim carnem suam : videte, quia Deus erat æqualis Patri. Fratres mei, dicit Apostolus, *Qui eum excitavit a mortuis.* De quo dicit? De Patre : « Factus, » inquit, « obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus illum excitavit a mortuis [2], et dedit ei nomen quod est super omne nomen » (*Philipp.* II, 8, 9). Resuscitatus et exaltatus est Dominus. Resuscitavit eum, quis? Pater, cui dixit in Psalmis, *Excita me, et reddam illis.* (*Psal.* XL, 11). Ergo Pater eum resuscitavit. Non se ipse? Quid autem facit Pater sine Verbo? quid facit Pater sine Unico suo? Nam audi quia et ipse Deus erat : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.* Numquid dixit, Solvite templum, quod triduo Pater resuscitet? Sed quomodo cum Pater suscitat, et Filius suscitat; sic cum Filius suscitat, et Pater suscitat: quia Filius dixit, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan* X, 30).

12. Quid ergo sibi vult numerus quadragenarius senarius? Interim ipse Adam quia per totum orbem terrarum est, audistis jam hesterno die in quatuor litteris græcis quatuor verborum græcorum. Si enim ista verba quatuor scribas sub invicem, id est, nomina quatuor partium mundi, Orientis, Occidentis, Aquilonis et Meridiani, quod est totus orbis ; unde dicit Dominus a quatuor ventis collecturum se electos suos, cum venerit ad judicium (*Marc.* XIII, 27) : si enim facias ista quatuor nomina græca, ἀνατολή, quod est Oriens ; δύσις, quod est Occidens ; ἄρκτος, quod est Septentrio ; μεσημβρία, quod est Meridies : Anatole, dysis, arctos, mesembria, capita verborum Adam habent. Quomodo ergo ibi invenimus et quadragenarium senarium numerum? Quia caro Christi de Adam erat. Ad litteras numeros computant Græci. Quod nos facimus *a* litteram, ipsi lingua sua ponunt alpha α, et vocatur alpha α unum. Ubi autem in numeris scribunt beta β, quod est *b* ipsorum, vocatur in numeris duo. Ubi scribunt gamma γ, vocatur in numeris ipsorum tria. Ubi scribunt delta δ, vocatur in numeris ipsorum quatuor : et sic per omnes litteras numeros habent. *M*, quod nos dicimus, et illi dicunt my μ, quadraginta significat : dicunt enim my μ τεσσαράκοντα. Jam videte istæ litteræ quem numerum habeant; et ibi invenietis quadraginta sex annis ædificatum templum. Habet enim Adam alpha α, quod est unum : habet delta δ, quod sunt quatuor; habes quinque : habet iterum alpha α, quod est unum ; habes sex : habet et my μ, quod est quadraginta; habes quadraginta sex. Hæc, fratres mei, etiam ab anterioribus majoribus nostris dicta sunt, et inventus est iste numerus in litteris quadragenarius senarius (*a*). Et quia Dominus noster Jesus Christus de Adam corpus accepit, non de Adam peccatum traxit; templum corporeum inde sumpsit, non iniquitatem quæ de templo pellenda est : ipsam autem carnem quam traxit de Adam (Maria enim de Adam, et Domini caro de Maria), Judæi crucifixerunt; et ille resuscitaturus erat ipsam carnem in triduo, quam illi in cruce erant occisuri : illi solverunt templum quadraginta sex annis ædificatum, et ille in triduo resuscitavit illud.

13. Benedicimus Dominus Deo nostro, qui ad lætitiam spiritualem congregavit nos. Simus in humilitate cordis semper, et gaudium nostrum penes ipsum sit. Non de prosperitate aliqua hujus sæculi inflemur, sed noverimus felicitatem nostram non esse nisi cum ista transierint. Modo gaudium nostrum, fratres mei, in spe sit : nemo gaudeat quasi in re præsenti, ne hæreat in via. Totum gaudium de spe futura sit, totum desiderium vitæ æternæ sit. Omnia suspiria Christo anhelent : ille unus pulcherrimus, qui et fœdos dilexit ut pulchros faceret, desideretur ; ad illum unum curratur, illi ingemiscatur ; *et dicant semper, Magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.*

TRACTATUS XI.

Ab eo quod scriptum est, Cum autem esset Jerosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus ; *usque ad id,* Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei. *Cap.* II, ỷ. 23-25, *et cap.* III, ỷ. 1 5.

1. Opportune nobis Dominus procuravit hodierno die lectionis hujus ordinem : nam quia ex ordine Evangelium secundum Joannem considerare atque tractare suscepimus, credo quod adverterit Charitas vestra. Opportune ergo occurrit ut hodie audiretis ex Evangelio, quia *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non videbit regnum Dei.* Tempus est enim ut vos exhortemur, qui adhuc estis catechumeni : qui sic credidistis in Christum, ut adhuc vestra peccata portetis. Nullus autem regnum cœlorum videbit oneratus peccatis; quia nisi cui dimissa fuerint, non regnabit cum Christo : dimitti autem non possunt, nisi ei qui renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto. Sed omnia verba quemadmodum se habeant advertamus, ut hic inveniant qui pigri sunt, quanta sollicitudine sibi festinandum sit ad onus deponendum. Quia si ferrent aliquam sarcinam gravem, aut lapidis, aut ligni, aut alicujus etiam lucri, si frumentum portarent, si vinum, si pecuniam, currerent ut deponerent onera : portant sarcinam peccatorum, et pigri sunt currere. Currendum est ut deponatur hæc sarcina ; premit, et mergit.

2. Ecce audistis quia *cum esset* Dominus Jesus Christus *Jerosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus quæ faciebat. Multi crediderunt in nomine ejus :* et quid sequitur? *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis.* Quid sibi ergo hoc vult, Illi credebant *in nomine ejus;* et, *Ipse Jesus non credebat semetipsum eis?* An forte non crediderant ei, et fingebant se credidisse, et pro-

spiritualem.

[1] MS. Fossatensis, *in imaginem.*

[2] Tres Mss., *exaltavit a mortuis.*

(*a*) Vid. lib. de montibus Sina et Sion contra Judæos, inter Cypriani opera.

pterea Jesus non se credebat eis: Sed non diceret Evangelista *Multi crediderunt in nomine ejus*, nisi verum illis testimonium perhiberet. Magna ergo res, et mira res: credunt homines in Christum, et Christus non se credit hominibus. Præsertim quia Filius Dei est, utique volens passus est; et si nollet, nunquam pateretur; qui si nollet, nec nasceretur: si autem hoc solum vellet, ut nasceretur tantum, et non moreretur, et quidquid vellet, faceret; quia omnipotentis Patris Filius omnipotens est. Ex ipsis rebus probemus. Quia cum voluissent eum tenere, discessit ab eis; loquitur Evangelium: *Et cum voluissent eum de vertice montis præcipitare, discessit ab eis illæsus* (*Luc.* IV, 29, 30). Et quando venerunt ad eum comprehendendum, jam venditum a Juda traditore, cum ille putaret in potestate se habere, tradere magistrum et Dominum suum; et ibi ostendit Dominus voluntate se pati, non necessitate. Nam cum eum comprehendere Judæi voluissent, *dixit illis: Quem quæritis? At illi dixerunt: Jesum Nazarenum. Et ille: Ego sum. Hac voce audita, redierunt retro, et ceciderunt* (*Joan.* XVIII, 4-6). In eo quod eos respondens dejecit, ostendit potestatem; ut in eo quod ab eis comprehensus est, ostenderet voluntatem. Ergo quod passus est, misericordiæ fuit. Traditus est enim propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* IV, 25). Audi verba ipsius: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam a me, sed ego pono illam a meipso, ut iterum sumam eam* (*Joan.* X, 18). Cum ergo haberet tantam potestatem, cum eam dictis prædicaret, factis ostenderet; quid sibi vult quod non se credebat eis Jesus, quasi aliquid nolenti nocituris, aut aliquid nolenti facturis, præsertim quia jam crediderant in nomine ejus? Et de ipsis dicit Evangelista, *Crediderunt in nomine ejus*, de quibus dicit, *Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis*. Quare? *Quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine*. Plus noverat artifex quid esset in opere suo, quam ipsum opus quid esset in semetipso. Creator hominis noverat quid esset in homine, quod ipse creatus homo non noverat. Nonne hoc probamus de Petro, quia non noverat quid in ipso esset, quando dixit, *Tecum usque ad mortem?* Audi quia Dominus noverat quid esset in homine: Tu mecum usque ad mortem? *Amen, amen dico tibi, priusquam gallus cantet, ter me negabis* (*Matth.* XXVI, 33, 34, *et Luc.* XXII, 33, 34). Homo ergo nesciebat quid esset in se; sed Creator hominis noverat quid esset in homine. Crediderunt tamen in nomine ejus multi, et ipse Jesus non se credebat eis. Quid dicimus, fratres? Forte consequentia indicabunt nobis quid sibi vult mysterium verborum istorum. Quia crediderant in eum homines, manifestum est, verum est: nemo dubitat, Evangelium loquitur, verax Evangelista testatur. Item quia ipse Jesus non credebat semetipsum illis, et hoc manifestum est, et nullus christianus dubitat; quia et hoc Evangelium loquitur, et idem verax Evangelista testatur. Quare ergo crediderunt illi in nomine ejus, et Jesus non credebat semetipsum illis? Sequentia videamus.

3. *Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum: hic venit ad eum nocte, et dixit ei, Rabbi*. Jam hoc nostis, quia Rabbi magister dicitur. *Scimus quia a Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*. Ergo iste Nicodemus ex his erat qui crediderant in nomine ejus, videntes signa et prodigia quæ faciebat. Superius enim hoc dixit: *Cum autem esset Jerosolymis in Pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus*. Quare crediderunt? sequitur et dicit, *videntes signa ejus quæ faciebat*. Et de Nicodemo quid dicit? *Erat princeps Judæorum, nomine Nicodemus: hic venit ad eum nocte, et ait illi, Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister*. Et iste ergo crediderat in nomine ejus. Et ipse unde crediderat? Sequitur, *Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo*. Si ergo Nicodemus de illis multis erat qui crediderant in nomine ejus, jam in isto Nicodemo attendamus quare Jesus non se credebat eis. *Respondit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei*. Ipsis ergo se credit Jesus, qui nati fuerint denuo. Ecce illi crediderant in eum, et Jesus non se credebat eis. Tales sunt omnes catechumeni: ipsi jam credunt in nomine Christi, sed Jesus non se credit eis. Intendat et intelligat Charitas vestra. Si dixerimus catechumeno, Credis in Christum? respondet, Credo, et signat se: jam crucem Christi portat in fronte [1], et non erubescit de cruce Domini sui. Ecce credidit in nomine ejus. Interrogemus eum, Manducas carnem Filii hominis, et bibis sanguinem Filii hominis? nescit quid dicimus, quia Jesus non se credidit ei.

4. Cum ergo ex eo numero Nicodemus esset, venit ad Dominum: sed nocte venit; et hoc forte ad rem pertinet. Ad Dominum venit, et nocte venit: ad lucem venit, et in tenebris venit. Renati autem ex aqua et Spiritu, quid audiunt ab Apostolo? *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino: sicut filii lucis ambulate* (*Ephes.* V, 8): et iterum, *Nos autem qui diei sumus, sobrii simus* (I *Thess.* V, 8). Qui ergo renati sunt, noctis fuerunt, et diei sunt: tenebræ fuerunt, et lumen sunt. Jam credit se illis Jesus, et non nocte veniunt ad Jesum sicut Nicodemus, non in tenebris quærunt diem. Tales enim jam etiam profitentur: accessit ad illos Jesus, fecit in illis salutem: quia ipse dixit: *Nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam* (*Joan.* VI, 54). Et quod signum crucis habent in fronte catechumeni, jam de domo magna sunt; sed fiant ex servis filii. Non enim nihil sunt qui jam ad domum magnam pertinent. Quando autem manna manducavit populus Israel? Cum transisset mare rubrum. Mare autem rubrum quid significet, audi Apostolum: *Nolo autem vos ignorare, fratres, quia omnes*

[1] Sic plerique Mss. cum editis Bad. et Am. At Er. et Lov., *signat se cruce Christi, portat*, etc. Nonnulli e Mss., *portans*.

patres nostri sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt. Utquid per mare transierunt, quasi quæreres ab illo; secutus ait, *Et omnes per Moysen baptizati sunt in nube et in mari* (I *Cor.* x, 1, 2). Si ergo figura maris tantum valuit, species Baptismi quantum valebit? Si quod gestum est in figura, trajectum populum ad manna perduxit; quid exhibebit Christus in veritate baptismi sui, trajecto per eum populo suo? Per baptismum suum trajicit credentes, occisis omnibus peccatis, tanquam hostibus consequentibus, sicut in illo mari omnes Ægyptii perierunt. Quo trajicit, fratres mei? quo trajicit per Baptismum Jesus, cujus figuram tunc gerebat Moyses, qui per mare trajiciebat? quo trajicit [1]? Ad manna. Quod est manna? *Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de cœlo descendi* (*Joan.* vi, 51). Manna accipiunt fideles, jam trajecti per mare rubrum. Quare mare rubrum? jam mare, quare et rubrum? Significabat mare illud rubrum baptismum Christi. Unde rubet baptismus Christi, nisi Christi sanguine consecratus? Quo ergo perducit credentes et baptizatos? Ad manna. Ecce dico manna: notum est quid acceperint Judæi, populus iste Israel, notum est quid illis pluisset Deus de cœlo; et nesciunt catechumeni quid accipiant Christiani. Erubescant ergo, quia nesciunt; transeant per mare rubrum, manducent manna: ut quomodo crediderunt in nomine Jesu, sic se ipsis credat Jesus.

5. Ideo intendite, fratres mei, quid respondeat iste qui nocte venit ad Jesum. Quamvis ad Jesum venerit, tamen quia nocte venit, adhuc de tenebris carnis suæ loquitur. Non intelligit quod audit a Domino, non intelligit quod audit a luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Id.* i, 9). Jam ei Dominus dixit, *Nisi quis natus fuerit denuo, non videbit regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus : Quomodo potest homo nasci cum sit senex?* Spiritus ei loquitur [2], et ille carnem sapit. Carnem suam sapit, quia carnem Christi nondum sapit. Cum enim dixisset Dominus Jesus, *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam;* scandalizati sunt quidam qui eum sequebantur, et dixerunt apud semetipsos, *Durus est hic sermo; quis potest eum audire?* Putabant enim hoc dicere Jesum, quod eum possent concisum sicut agnum coquere, et manducare : abhorrentes a verbis ejus, recesserunt, et amplius eum non sunt secuti. Sic Evangelista loquitur : *Et Dominus ipse remansit cum duodecim : et illi ad eum, Domine, ecce illi dimiserunt te; et ille, Numquid et vos vultis abire* [3]? Ostendere volens quia ipse illis erat necessarius, non illi erant Christo necessarii. Ne quis terreat Christum, quando dicitur ut sit christianus; quasi beatior erit Christus, si tu fueris christianus. Bonum est tibi, ut sis christianus : nam si non fueris, malum Christo non erit. Audi vocem Psalmi : *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* xv, 2). Ideo *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Si fueris sine Deo, minor eris; si fueris cum Deo, major Deus non erit. Non ex te ille major, sed tu sine illo minor. Cresce ergo in illo, noli te subtrahere, ut quasi ille deficiat. Reficieris, si accesseris; deficies, si recesseris. Integer manet te accedente, integer manet et te cadente. Cum ergo dixisset discipulis, *Numquid et vos vultis abire?* respondit Petrus, petra illa, voce omnium, *Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* Bene sapuit in ore ipsius caro Domini. Dominus autem exposuit eis, et dixit, *Spiritus est qui vivificat :* cum dixisset, *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam;* ne carnaliter intelligerent, *Spiritus est*, inquit, *qui vivificat, caro autem nihil prodest : verba quæ locutus sum vobis, spiritus est et vita* (*Joan.* vi, 54-69).

6. Hunc spiritum et hanc vitam non sapiebat iste Nicodemus, qui nocte venerat ad Jesum. Ait ei Jesus : *Nisi quis natus fuerit denuo, non videbit regnum Dei.* Et ille carnem suam sapiens, in cujus ore nondum sapiebat caro Christi : *Quomodo*, inquit, *potest homo, cum sit senex, iterum nasci? Numquid potest in ventrem matris suæ iterum introire, et nasci?* Non noverat iste nisi unam nativitatem ex Adam et Eva; ex Deo et Ecclesia nondum noverat : non noverat nisi eos parentes qui generant ad mortem; nondum noverat eos parentes qui generant ad vitam : non noverat nisi eos parentes qui generant successuros; nondum noverat eos qui semper viventes generant permansuros. Cum ergo sint duæ nativitates, ille unam intelligebat. Una est de terra, alia de cœlo; una est de carne, alia de Spiritu; una est de mortalitate, alia de æternitate; una est de masculo et femina, alia de Deo et Ecclesia. Sed ipsæ duæ singulæ sunt; nec illa potest repeti, nec illa. Recte intellexit Nicodemus nativitatem carnis : sic et tu intellige nativitatem spiritus, quomodo intellexit Nicodemus nativitatem carnis. Quid Nicodemus intellexit? *Numquid potest homo denuo in ventrem matris suæ intrare, et nasci?* Sic, quicumque tibi dixerit ut spiritualiter iterum nascaris, responde quod dixit Nicodemus, *Numquid potest homo iterum in ventrem matris suæ intrare, et nasci?* Jam natus sum de Adam, non me potest iterum generare Adam : jam natus sum de Christo, non me potest iterum generare Christus. Quomodo uterus non potest repeti, sic nec Baptismus.

7. Qui nascitur de Ecclesia catholica, tanquam de Sara [1] nascitur, de libera nascitur : qui nascitur de hæresi, tanquam de ancilla nascitur, sed ex semine Abraham. Advertat Charitas vestra quam magnum sacramentum. Testatur Deus, et dicit, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob.* Non erant alii patriarchæ? non erat ante istos sanctus Noe, qui solus in toto genere humano cum tota domo sua meruit de diluvio liberari, in quo et in filiis ejus figurata est Ecclesia? Ligno portante evadunt diluvium (*Gen.* vii, 7). Deinde postea magni quos novimus, quos sancta Scri-

[1] Editi, *trajiciebat.* At Mss., *trajicit.*
[2] Quatuor Mss., *Christus ei loquitur.*
[3] Mss. hic et infra, *vultis ire.*

[1] In Mss. hic et alibi constanter, *Sarra*, cum duplici *rr.*

plura commendat, Moyses fidelis in tota domo ejus (*Num.* XII, 7). Et illi tres nominantur, quasi cum soli promeruerint, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob : hoc mihi nomen est in æternum* (*Exod.* III. 6, 15). Sacramentum grande! Potens est Dominus et ora nostra aperire, et corda vestra, ut dicere possimus sicut revelare dignatus est, et capere possitis sicut expedit vobis.

8. Tres ergo isti patriarchæ, Abraham, Isaac, et Jacob. Jam nostis filii Jacob quia duodecim fuerunt, et inde populus Israel : quia ipse Jacob Israel, et populus Israel tribus duodecim, pertinentes ad duodecim filios Israel. Abraham, Isaac, et Jacob, tres patres, et populus unus [1]. Tres patres tanquam in principio populi; tres patres in quibus figurabatur populus : et populus ipse prior, præsens populus. In populo enim Judæorum figuratus est populus Christianorum. Ibi figura, hic veritas, ibi umbra, hic corpus, dicente Apostolo, *Hæc autem in figura contingebant illis.* Vox est Apostoli : *Scripta sunt*, inquit, *propter nos, in quos finis sæculorum obvenit* (I *Cor.* X, 11). Recurrat nunc animus vester ad Abraham, Isaac, et Jacob. In istis tribus invenimus parere liberas, parere et ancillas : invenimus ibi partus liberarum, invenimus ibi et partus ancillarum. Ancilla nihil boni significat : *Ejice ancillam*, inquit, *et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Apostolus hoc commemorat; et in illis duobus filiis Abrahæ, dicit Apostolus fuisse figuram duorum Testamentorum, Veteris et Novi. Ad Vetus Testamentum pertinent dilectores temporalium, dilectores sæculi : ad Novum Testamentum dilectores vitæ æternæ. Ideo illa Jerusalem in terra, umbra erat cœlestis Jerusalem matris omnium nostrum, quæ est in cœlo : et hæc Apostoli verba sunt (*Gen.* XXI, 10; *Galat.* IV, 22-30). Et de ista civitate unde peregrinamur, multa nostis, multa jam audistis. Invenimus autem rem miram in istis partubus, id est in istis fetibus, in istis generationibus liberarum et ancillarum, quatuor scilicet genera hominum : in quibus quatuor generibus, completur figura futuri populi christiani, ut non sit mirum quod in illis tribus dictum est, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob.* In omnibus enim Christianis, fratres intendite, aut per malos nascuntur boni, aut per bonos nascuntur mali, aut per bonos boni, aut per malos mali : amplius istis quatuor generibus non potestis invenire. Quæ iterum repetam, advertite, retinete; excutite corda vestra, nolite pigri esse : capite, ne capiamini, quomodo quatuor genera sunt omnium Christianorum. Aut per bonos nascuntur boni, aut per malos nascuntur mali, aut per bonos mali, aut per malos boni. Puto quia planum est. Per bonos boni : si et qui baptizant, boni sunt; et qui baptizantur, recte credunt, et in membris Christi recte numerantur. Per malos mali : si et qui baptizant, mali sunt; et qui baptizantur, duplici corde accedunt ad Deum, et non tenent eos mores quos audiunt in Ecclesia, ut non ibi sint palea, sed frumentum. Quam enim multi sint, novit Charitas vestra. Per malos boni : aliquando baptizat adulter, et qui baptizatur justificatur. Per bonos mali : aliquando qui baptizant, sancti sunt; qui baptizantur, tenere viam Dei nolunt.

9. Puto, fratres, notum esse in Ecclesia, et quotidianis exemplis manifestari ea quæ dicimus : sed in prioribus nostris patribus ea consideremus, quia habuerunt et illi ista quatuor genera. Per bonos boni : Ananias Paulum baptizavit (*Act.* IX, 18). Quid per malos mali? Dicit Apostolus quosdam prædicatores Evangelii, quos dicit non caste annuntiare solere Evangelium, quos tolerat in societate christiana, et dicit, *Quid enim? dum omni modo, sive occasione, sive veritate Christus annuntietur, et in hoc gaudeo* (*Philipp.* I, 18). Numquid malevolus erat, et de alieno malo gaudebat? Sed quia et per malos verum prædicabatur, et per malorum ora Christus prædicabatur; si quos isti sui similes baptizabant, mali malos baptizabant : si quos isti baptizabant tales, quales admonet Dominus cum dicit, *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII, 3), mali bonos baptizabant. Boni malos baptizabant, quomodo a Philippo sancto Simon magus baptizatus est (*Act.* VIII, 13). Nota sunt ergo ista quatuor genera, fratres mei. Ecce iterum ea repeto, tenete illa, numerate illa, advertite illa; cavete quæ mala sunt, tenete quæ bona sunt. Per bonos boni nascuntur, cum per sanctos sancti baptizantur : per malos mali, cum et qui baptizant et qui baptizantur, inique et impie vivunt : per malos boni, cum mali sunt qui baptizant; et boni qui baptizantur : per bonos mali, cum boni sunt qui baptizant, et mali qui baptizantur.

10. Quomodo invenimus ista in tribus istis nominibus, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob?* Ancillas accipimus in malis, liberas accipimus in bonis : pariunt liberæ bonos; Sara peperit Isaac (*Gen.* XXI, 3) : pariunt ancillæ malos; Agar peperit Ismael (*Id.* XVI, 15). Habemus in uno Abraham et illud genus cum per bonos boni, et illud genus cum per malos mali. Per bonos mali ubi figurati sunt? Libera erat Rebecca uxor Isaac : legite, peperit geminos, unus erat bonus, alter malus. Habes aperte Scripturam dicentem Dei voce, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Malach.* I, 2, 3; *Rom.* IX, 13). Istos duos genuit Rebecca, Jacob et Esau : unus inde eligitur, alius reprobatur [1]; unus succedit in hæreditatem, alter exhæredatur. Non facit populum suum Deus de Esau; sed facit de Jacob. Semen unum, diversi qui concepti sunt : uterus unus, diversi qui nati sunt. Numquid non libera peperit Jacob, quæ libera peperit Esau? Luctabantur in ventre matris suæ, et dictum est Rebeccæ, cum ibi luctarentur, *Duo populi sunt in utero tuo* (*Gen.* XXV, 22-24). Duo homines, duo populi; bonus populus, malus populus : sed tamen in uno ventre luctantur. Quanti mali sunt in Ecclesia, et unus uterus portat, donec in fine discernantur : et

[1] In Mss. hic post vocem, *Jacob*, non additur, *tres patres*; neque, *unus*, post voces, *et populus.*

[1] Mss., *improbatur*.

boni adversus malos clamant, et mali adversus bonos reclamant, et in unius visceribus utrique luctantur. Numquid semper simul erunt? In fine exitur ad lucem, declaratur nativitas quæ hic in sacramento figuratur : et tunc apparebit, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

11. Jam ergo invenimus, fratres, et de bonis bonos, de libera Isaac : et de malis malos, de ancilla Ismael : et de bonis malos, Esau de Rebecca. De malis bonos ubi inveniemus? Restat Jacob, ut in tribus patriarchis quatuor generum istorum perfectio concludatur. Habuit uxores Jacob liberas, habuit et ancillas : pariunt liberæ, pariunt et ancillæ, et fiunt duodecim filii Israel (*Gen.* XXIX, XXX, XXXV). Si numeres omnes de quibus nati sunt, non omnes de liberis, non omnes de ancillis : sed tamen omnes ex uno semine. Quid ergo, fratres mei? numquid qui nati sunt de ancillis, non simul possederunt terram promissionis cum fratribus suis? Invenimus ibi bonos filios Jacob natos de ancillis, et bonos filios Jacob natos de liberis. Nihil illis obfuit nativitas de uteris ancillarum, quando in patre cognoverunt semen suum, et consequenter regnum cum fratribus tenuerunt. Quomodo ergo in filiis Jacob non obfuit illis qui nati sunt de ancillis, quominus tenerent regnum, et terram promissionis cum fratribus ex æquo acciperent; non illis obfuerunt natales ancillarum, sed prævaluit semen paternum : sic quicumque per malos baptizantur, tanquam de ancillis videntur nati; sed tamen quia ex semine verbi Dei, quod figuratur in Jacob, non contristentur, simul hæreditatem cum fratribus possidebunt. Securus ergo sit qui de semine bono nascitur; tantum non imitetur ancillam, si de ancilla nascitur. Ancillam malam superbientem non imiteris. Unde enim filii Jacob de ancillis nati, possederunt terram promissionis cum fratribus, Ismael autem de ancilla natus, expulsus est ab hæreditate? Unde, nisi quia ille superbus erat, illi humiles? Erexit ille cervicem, et voluit seducere fratrem suum, ludens cum illo.

12. Magnum ibi sacramentum. Ludebant simul Ismael et Isaac; vidit illos Sara ludentes, et ait Abrahæ : *Ejice ancillam et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.* Et cum contristatus esset Abraham, confirmavit ei Dominus dictum uxoris ejus. Jam hic manifestum est sacramentum, quia nescio quid futurum parturiebat illa res gesta. Ludentes vidit, et dicit : *Ejice ancillam et filium ejus.* Quid est hoc, fratres? Quid enim mali fecerat Ismael puero Isaac, quia ludebat cum illo? Sed illa lusio, illusio erat; illa lusio deceptionem significabat. Nam magnum sacramentum attendat Charitas vestra. Persecutionem illam vocat Apostolus; ipsam lusionem, ipsum lusum persecutionem vocat : ait enim, *Sed sicut tunc ille qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc;* id est, qui secundum carnem nati sunt, persequuntur eos qui secundum spiritum nati sunt. Qui sunt secundum carnem nati? Dilectores mundi, amatores sæculi. Qui sunt secundum spiritum nati? Amatores regni cœlorum, dilectores Christi, desiderantes vitam æternam, gratis colentes Deum. Ludunt, et dicit Apostolus persecutionem. Nam posteaquam dixit hæc verba Apostolus, *Et sicut tunc ille qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc;* secutus est, et ostendit de qua persecutione diceret : *Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gen.* XXI, 9-12; *Galat.* IV, 29, 30). Quærimus ubi hoc dicat Scriptura, ut videamus utrum aliqua persecutio præcesserit Ismaelis in Isaac : et invenimus hoc dictum esse a Sara, quando vidit pueros ludentes simul. Quam lusionem dicit Scriptura vidisse Saram, hanc persecutionem dicit Apostolus. Plus ergo vos persequuntur qui vos illudendo seducunt : Veni, veni; baptizare hic, hic habes verum baptismum. Noli ludere, unus est verus; ille lusus est : seduceris [1], et ista persecutio gravis tibi erit. Melius tibi erat ut Ismaelem tu lucrareris ad regnum; sed non vult Ismael, quia ludere vult. Tene tu hæreditatem patris, et audi : *Ejice ancillam et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac.*

13. Isti etiam audent dicere quia persecutionem solent pati a catholicis regibus, aut a catholicis principibus. Quam persecutionem tolerant? Afflictionem corporis : si tamen aliquando passi sunt, aut quomodo passi sunt, ipsi sciant, et conveniant conscientias suas; tamen afflictionem corporis passi sunt : persecutio quam faciunt gravior est. Cave quando vult ludere Ismael cum Isaac, quando tibi blanditur, quando offert alterum baptismum : responde, Habeo jam Baptismum. Si enim verus est iste baptismus, qui tibi vult dare alterum, illudere te vult. Cave animæ persecutorem. Nam si a principibus catholicis aliquid passa est pars Donati aliquando, secundum corpus passa est, non secundum illusionem spiritus. Audite et videte in ipsis veteribus factis, omnia futurarum rerum signa et indicia. Invenitur Sara afflixisse Agar ancillam : Sara libera est : posteaquam superbire cœpit ancilla, questa est Abrahæ Sara, et dixit, *Ejice ancillam; erexit adversum me cervicem suam.* Et quasi ab Abraham fieret, de Abraham questa est mulier. Abraham vero qui non in ancilla libidine abutendi tenebatur, sed officio generandi, quoniam Sara ei dederat unde prolem susciperet, ait ei : *Ecce ancilla tua, utere ea sicut vis.* Et afflixit eam graviter Sara, et fugit a facie ejus. Ecce libera afflixit ancillam, et non illam vocat persecutionem Apostolus; ludit servus cum domino, et persecutionem vocat : afflictio ista non vocatur persecutio, et lusio illa vocatur persecutio. Quid vobis videtur, fratres? Nonne intelligitis quid significatum sit? Sic ergo quando vult Deus concitare potestates adversus hæreticos, adversus schismaticos, adversus dissipatores Ecclesiæ, adversus exsufflatores Christi, adversus blasphematores Baptismi, non mirentur; quia Deus concitat, ut a Sara verberetur Agar. Cognoscat se Agar, ponat cervicem : quia cum humiliata discederet a domina sua, occurrit ei angelus, et dixit, *Quid est, Agar ancilla*

[1] In tribus MSS., *lusus est seducens.* In uno, *seductoris.*

Sarœ? cum conquesta esset de domina, quid audivit ab Angelo? *Revertere ad dominam tuam* (*Gen.* XVI, 5-9). Ad hoc ergo affligitur, ut revertatur. Atque utinam revertatur; quia proles ejus, sicut filii Jacob, cum fratribus hæreditatem tenebit.

14. Mirantur autem quia commoventur potestates christianæ adversus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Non ergo moverentur? Et quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat Charitas vestra quid dicam, quia pertinet hoc ad reges sæculi christianos, ut temporibus suis pacatam velint matrem suam Ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt. Legimus Danielis visiones et gesta prophetica. Tres pueri in igne laudaverunt Dominum : miratus est Nabuchodonosor rex laudantes Deum pueros, et circa eos ignem innocentem [1]; et cum admiratus esset, quid ait Nabuchodonosor rex, non vel Judæus vel circumcisus, ille qui statuam suam erexerat, et ad eam adorandam omnes coegerat; tamen laudibus trium puerorum commotus, ubi vidit majestatem Dei præsentis in igne, quid ait? « Et ego proponam decretum omnibus tribubus et linguis in omni terra. » Quale decretum? « Quicumque dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, et Abdenago, in interitum erunt, et domus eorum in perditionem » (*Dan.* III). Ecce quomodo sævit rex alienigena, ne blasphemetur Deus Israel, quia potuit tres pueros de igne liberare : et nolunt ut sæviant reges christiani, quia Christus exsufflatur, a quo non tres pueri, sed orbis terrarum cum ipsis regibus a gehennarum igne liberatur? Nam tres illi pueri, fratres mei, liberati sunt ab igne temporali. Numquid non ipse est Deus Machabæorum, qui et trium puerorum? Illos ab igne liberavit : illi in tormentis igneis corpore defecerunt, sed in legitimis mandatis animo permanserunt. Illi aperte liberati sunt, illi occulte coronati sunt (II *Machab.* VII). Plus est liberari de flamma gehennarum, quam de fornace potestatis humanæ. Si ergo Nabuchodonosor rex laudavit et prædicavit et gloriam dedit Deo, quia liberavit de igne tres pueros, et tantam gloriam dedit, ut decretum mitteret per regnum suum, *Quicumque dixerint blasphemiam in Deum Sidrac, Misac, et Abdenago, in interitum erunt, et domus eorum in perditionem:* quomodo isti reges non moveantur, qui non tres pueros attendunt liberatos de flamma, sed seipsos liberatos de gehenna, quando vident Christum, a quo liberati sunt, exsufflari in Christianis, quando audiunt dici christiano, Dic te non esse christianum? Talia facere volunt, et saltem talia pati nolunt.

15. Nam videte qualia faciunt, et qualia patiuntur. Occidunt animas, affliguntur in corpore : sempiternas mortes faciunt, et temporales se perpeti conqueruntur. Et tamen quas patiuntur? Proferunt nobis nescio quos in persecutione suos martyres. Ecce Marculus de petra præcipitatus est : ecce Donatus Bagaiensis in puteum missus est. Quando potestates Romanæ talia supplicia decreverunt, ut præcipitarentur homines? Quid autem respondent nostri? Quid sit gestum nescio : tamen quid tradunt nostri? Quia ipsi se præcipitaverunt, et potestates infamaverunt. Recordemur consuetudinem potestatum Romanarum, et videamus cui credendum sit. Dicunt nostri illos se præcipitasse : si non sunt ipsi discipuli ipsorum qui se modo de saxis nullo persequente præcipitant, non credamus : quid mirum, si fecerunt illi quod solent? Nam potestates Romanæ nunquam talibus suppliciis usæ sunt. Num enim non poterant occidere aperte? Sed illi qui se mortuos coli voluerunt, famosiorem mortem non invenerunt. Postremo quidquid illud est, non novi. Et si passa es, o pars Donati, corporalem afflictionem ab Ecclesia catholica, a Sara passa es Agar; *redi ad dominam tuam*. Locus quidem necessarius aliquanto diutius nos tenuit, ut textum totum evangelicæ lectionis exponere minime valeremus. Fratres, sufficiat interim Charitati vestræ, ne hæc quæ dicta sunt, dicendo alia, excludantur de cordibus vestris. Hæc tenete, talia dicite, flammantes illuc procedite, accendite frigidos.

TRACTATUS XII.

Ab eo Evangelii loco, Quod natum est de carne, caro est, *etc.*, *usque ad id*, Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta. *Cap.* III, ℣. 6 21.

1. Ex eo quod hesterno die intentam fecimus Charitatem vestram, intelligimus vos alacrius et numerosius convenisse : sed interim lectioni evangelicæ ex ordine sermonem debitum reddamus, si placet; deinde audiet Charitas vestra de pace Ecclesiæ vel quid egerimus, vel quid adhuc agendum speremus. Nunc ergo tota intentio cordis ad Evangelium feratur, nemo aliunde cogitet. Si enim qui totus adest, vix capit; qui se per cogitationes diversas dividit, nonne et quod ceperat fundit? Meminit autem Charitas vestra Dominico præterito, quantum Dominus adjuvare dignatus est, disseruisse nos de spirituali regeneratione (*In superiori Tractatu*) : quam lectionem vobis iterum legi fecimus, ut quæ tunc non dicta sunt, in Christi nomine adjuvantibus orationibus vestris impleamus.

2. Regeneratio spiritualis una est, sicut generatio carnalis una est. Et quod Nicodemus Domino ait, verum dixit, quia non potest homo cum sit senex, redire rursum in uterum matris suæ, et nasci. Ille quidem dixit, quia homo cum sit senex, hoc non potest, quasi, et si infans esset, posset. Omnino enim non potest, sive recens ab utero, sive annosa jam ætate, redire rursum in materna viscera, et nasci. Sed sicut ad nativitatem carnalem valent muliebria viscera ad semel pariendum; sic ad nativitatem spiritualem valent viscera Ecclesiæ, ut semel quisque baptizetur. Propterea ne quis forte dicat, Sed iste in hæresi natus est, et iste in schismate natus est; amputata sunt omnia, si meministis, quæ vobis disputata sunt de tribus patribus nostris, quorum Deus dici voluit, non quia soli erant, sed quia in solis expleta est integritas significandi populi futuri. Invenimus enim natum de

[1] Editi, *non nocentem*. Mss., *innocentem*.

ancilla exhæredatum, natum de libera hæredem : rursum invenimus natum de libera exhæredatum, natum de ancilla hæredem. Natus de ancilla exhæredatus Ismael (*Gen.* XXI, 10), natus de libera hæres Isaac (*Id.* XXV, 5); natus de libera exhæredatus Esau (*Id.* XXVII, 35), nati de ancillis hæredes filii Jacob (*Id.* XLIX). In illis itaque tribus patribus, omnis futuri populi figura perspecta est: nec immerito Deus inquit, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob : hoc mihi*, inquit, *nomen est in æternum* (*Exod.* III, 6, 15). Magis meminerimus quid promissum sit ipsi Abrahæ : hoc enim promissum est Isaac, hoc promissum est et Jacob. Quid invenimus? *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* XXII, 18). Credidit tunc unus quod nondum videbat : vident homines, et excæcantur. Completum est in gentibus quod promissum est uni : et separantur a communione gentium, qui et quod impletum est videre nolunt. Sed quid illis prodest quia videre nolunt? Vident, velint nolint; aperta veritas et clausos oculos ferit.

3. Responsum est Nicodemo, qui ex eis erat qui crediderant in Jesum, et ipse Jesus non se credebat eis. Quibusdam enim non se credebat, cum jam in illum credidissent. Sic habes scriptum : « Multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa quæ faciebat. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum illis. Non enim opus habebat ut quisquam testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine » (*Joan.* II, 23-25). Ecce jam illi credebant in Jesum, et ipse Jesus non se credebat eis. Quare? Quia nondum erant renati ex aqua et Spiritu. Inde hortati sumus, et hortamur fratres nostros catechumenos. Si enim interroges eos, jam crediderunt in Jesum : sed quia nondum carnem ejus et sanguinem accipiunt, nondum se illis credidit Jesus. Quid faciant, ut se illis credat Jesus? Renascantur ex aqua et Spiritu, proferat Ecclesia quos parturit. Concepti sunt, edantur in lucem : habent ubera quibus nutriantur, non timeant ne nati suffocentur, ab uberibus maternis non recedant.

4. Nullus potest homo redire in matris viscera, et iterum nasci. Sed de ancilla nescio quis natus est? Numquid tunc qui nati sunt de ancillis, redierunt in uterum liberarum, ut denuo nascerentur? Semen Abraham et in Ismael; et ut posset Abraham facere filium de ancilla, uxor auctor fuit. Natus est ex semine viri, et non utero, sed solo placito uxoris (*Gen.* XVI, 2-4). Numquid quia de ancilla, ideo exhæredatus? Si propterea exhæredatus quia de ancilla natus est, nulli ancillarum filii admitterentur ad hæreditatem. Filii Jacob admissi sunt ad hæreditatem : Ismael autem, non quia ex ancilla natus, exhæredatus, sed quia superbus matri, superbus in filium matris; mater enim ejus magis Sara quam Agar. Illius uterus accommodatus, illius voluntas accessit; non faceret Abraham quod Sara nollet : magis ergo ille filius Saræ. Sed quia superbus in fratrem, et superbus ludendo, quia deludendo; quid ait Sara? *Ejice ancillam et filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo Isaac* (*Gen.* XXI, 9, 10). Non ergo illum viscera ancillæ ejecerunt foras, sed cervix servilis. Et si liber superbus sit, servus est; et quod pejus est, malæ dominæ, ipsius superbiæ. Itaque, fratres mei, respondete homini non posse rursus nasci hominem; respondete securi non posse rursus nasci hominem. Quidquid iterum fit, illusio est; quidquid iterum fit, lusus est. Ismael ludit, foras mittatur. Animadvertit enim eos Sara ludentes, ait Scriptura, et dixit Abrahæ, *Ejice ancillam et filium ejus.* Displicuit Saræ lusus puerorum; aliquid novum vidit pueros ludere. Nonne optant hoc quæ filios habent, videre ludentes filios suos? Vidit illa, et improbavit. Nescio quid vidit in lusu : illusionem vidit in illo lusu, animadvertit servi superbiam; displicuit illi, ejecit foras. Nati de ancillis improbi mittuntur foras [1], et natus de libera mittitur foras Esau. Nemo ergo præsumat quia de bonis nascitur, nemo præsumat quia per sanctos baptizatur. Qui per sanctos baptizatur, adhuc caveat ne non sit Jacob, sed Esau. Hoc ergo, fratres, dixerim : melius est ab hominibus sua quærentibus et mundum diligentibus, quod significat nomen ancillæ, baptizari et spiritualiter hæreditatem quærere Christi, ut sit tanquam filius Jacob de ancilla, quam baptizari per sanctos et superbire, ut sit Esau foras mittendus, quamvis natus ex libera. Hæc, fratres, tenete. Non vos palpamus, nulla spes vestra in nobis sit : nec nobis blandimur, nec vobis; unusquisque suam sarcinam portat. Nostrum est dicere, ne male judicemur : vestrum est audire, et corde audire, ne exigatur quod damus; imo quando exigitur, lucrum inveniatur, non detrimentum.

5. Dicit Dominus Nicodemo, et exponit ei : *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Tu, inquit, carnalem generationem intelligis, cum dicis, *Numquid potest homo redire in viscera matris suæ?* ex aqua et Spiritu oportet ut nascatur propter regnum Dei. Si propter hæreditatem patris hominis temporalem nascitur, nascatur ex visceribus matris carnalis : si propter hæreditatem patris Dei sempiternam, nascatur ex visceribus Ecclesiæ. Generat per uxorem filium pater moriturus successurum : generat Deus de Ecclesia filios non successuros, sed secum mansuros. Et sequitur : *Quod natum est de carne, caro est : et quod natum est de Spiritu, spiritus est.* Spiritualiter ergo nascimur, et in spiritu nascimur verbo et sacramento. Adest Spiritus, ut nascamur : Spiritus invisibiliter adest unde nasceris, quia et tu invisibiliter nasceris. Sequitur enim, et dicit : *Non mireris quia dixi tibi, oportet vos nasci denuo : Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat.* Nemo videt Spiritum : et quomodo audimus vocem Spiritus? Sonat Psalmus, vox est Spiritus; sonat Evangelium, vox est Spiritus; sonat sermo divinus, vox est Spiritus. *Vocem ejus audis, et nescis unde ve-*

[1] Tres Mss.: *Nati de ancillis ad hæreditatem admittuntur filii Jacob, et natus de libera*, etc.

niat, et quo vadat. Sed si nascaris et tu de Spiritu, hoc eris, ut ille qui non est adhuc natus de Spiritu, non sciat de te unde venias, et quo eas. Hoc enim secutus ait: *Sic est et omnis qui natus est ex Spiritu.*

6. *Respondit Nicodemus, et dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri?* Et revera carnaliter, non intelligebat. In illo fiebat quod dixerat Dominus, vocem Spiritus audiebat, et nesciebat unde venerat et quo ibat. *Respondit Jesus, et dixit ei: Tu es magister in Israel, et hæc ignoras?* O fratres, quid, putamus Dominum huic magistro Judæorum quasi insultare voluisse? Noverat Dominus quid agebat, volebat illum nasci ex Spiritu. Nemo ex Spiritu nascitur, nisi humilis fuerit: quia ipsa humilitas facit nos nasci de Spiritu; quia prope est Dominus obtritis corde (*Psal.* XXXIII, 19). Ille magisterio inflatus erat, et alicujus momenti sibi esse videbatur, quia doctor erat Judæorum: deponit ei superbiam, ut possit nasci de Spiritu: insultat tanquam indocto; non quia superior vult videri Dominus. Quid magnum, Deus ad hominem, veritas ad mendacium? Major Christus quam Nicodemus dici debet, dici potest, cogitandum est? Si diceretur major Christus quam Angeli, ridendum erat: incomparabiliter enim major omni creatura, per quem facta est omnis creatura. Sed exagitat superbiam hominis, *Tu es magister in Israel, et hæc ignoras?* Tanquam dicens, Ecce nihil nosti, princeps superbus, nascere ex Spiritu: si enim natus fueris ex Spiritu, vias Dei tenebis, ut Christi humilitatem sequaris. Sic enim altus est super omnes Angelos, quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo: humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* (et ne mortis genus tibi aliquod placeat), *mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 6-8). Pendebat, et insultabatur ei. De cruce descendere poterat; sed differebat, ut de sepulcro resurgeret. Pertulit superbos servos Dominus; medicus ægrotos. Si hoc ille, quid illi quos oportet nasci ex Spiritu? si hoc ille verus magister in cœlo, non hominum tantum, sed et Angelorum. Si enim docti sunt Angeli, Verbo Dei docti sunt. Si Verbo Dei docti sunt, quærite unde docti sunt; et invenietis, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Tollitur homini cervix, sed aspera et dura, ut sit lenis cervix ad portandum jugum Christi, de quo dicitur, *Jugum meum lene est, et sarcina mea levis est* (*Matth.* XI, 30).

7. Et sequitur: *Si terrena dixi vobis, et non creditis; quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis?* Quæ terrena dixit, fratres? *Nisi quis natus fuerit denuo*, terrenum est? *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, et quo eat*, terrenum est? Si enim de isto vento diceret, sicut nonnulli intellexerunt (*a*), cum quæreretur ab eis quid terrenum dixerit Dominus, dum ait, *Si terrena dixi vobis, et non creditis; quomodo, si cœlestia dixero, credetis?* Cum ergo quæreretur a quibusdam, quid terrenum dixerit Dominus, angustias passi dixerunt, Quod ait, *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat, et quo eat*, de isto vento dixit. Quid enim nominavit terrenum? Loquebatur de generatione spirituali: secutus ait, *Sic est omnis qui natus est ex Spiritu.* Deinde, fratres, quis nostrum non videat, verbi gratia, austrum euntem de meridie ad aquilonem; aut alium ventum venientem ab oriente ad occidentem? quomodo ergo nescimus unde veniat et quo eat? Quid ergo dixit terrenum, quod non credebant homines? An illud quod de templo resuscitando dixerat? Corpus enim suum de terra acceperat, et ipsam terram de terreno corpore susceptam parabat suscitare. Non ei creditum est terram suscitaturo. *Si terrestria*, inquit, *dixi vobis et non creditis: quomodo, si cœlestia dixero, credetis?* Hoc est, si non creditis quia templum possum resuscitare dejectum a vobis; quomodo credetis quia per Spiritum possint homines regenerari?

8. Et sequitur: *Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Ecce hic erat, et in cœlo erat: hic erat carne, in cœlo erat divinitate; imo, ubique divinitate. Natus de matre, non recedens a Patre. Duæ nativitates Christi intelliguntur; una divina, altera humana: una per quam efficeremur, altera per quam reficeremur: ambæ mirabiles; illa sine matre, ista sine patre. Sed quia de Adam corpus acceperat, quia Maria de Adam, ipsumque corpus suscitaturus erat: terrenum quiddam dixerat, *Solvite templum hoc, et in tribus diebus suscitabo illud* (*Joan.* II, 19). Cœleste autem quiddam dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non videbit regnum Dei* (*Id.* III, 5). Eia, fratres, Deus voluit esse filius hominis, et homines voluit esse filios Dei. Ipse descendit propter nos, nos ascendamus propter ipsum. Solus enim descendit et ascendit, qui hoc ait, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Non ergo ascensuri sunt in cœlum quos facit filios Dei? Ascensuri plane: hæc nobis promissio est, *Erunt æquales Angelis Dei* (*Matth.* XXII, 30). Quomodo ergo nemo ascendit, nisi qui descendit? Quia unus descendit, unus ascendit. Quid de cæteris? quid intelligendum, nisi quia membra ejus erunt, ut unus ascendat? Propterea sequitur, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo.* Miraris quia et hic erat et in cœlo? Tales fecit discipulos suos. Paulum audi apostolum dicentem, *Nostra autem conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III, 20). Si homo Paulus apostolus ambulabat in carne in terra, et conversabatur in cœlo, Deus cœli et terræ non poterat esse et in cœlo et in terra?

9. Si ergo nemo, nisi ille, descendit et ascendit, quæ spes est cæteris? Ea spes est cæteris, quia ille propterea descendit ut in illo et cum illo unus [1] essent,

(*a*) De vento acceperunt Cyrillus, Chrysost. Theophylact. et auctor Quæst. Vet. et Nov. Test., q. 59. At Augustino consentit Amb., lib. 2 de Fide, cap. 3.

[1] Editi, *unum*. Mss., *unus*.

qui per illum ascensuri essent. *Non dicit, Et seminibus*, ait Apostolus, *tanquam in multis; sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus.* Et fidelibus ait : *Vos autem Christi; si autem Christi, ergo semen Abrahæ estis* (*Galat.* III, 16, 29). Quod dixit unum, hoc dixit omnes nos esse. Ideo in Psalmis aliquando plures cantant, ut ostendatur quia de pluribus fit unus ; aliquando unus cantat, ut ostendatur quid fiat de pluribus. Propterea unus sanabatur in illa piscina (*Joan.* V, 4); et quisquis alius descendebat, non sanabatur. Ergo iste unus commendat unitatem Ecclesiæ. Væ illis qui oderunt unitatem, et partes sibi faciunt in hominibus! Audiant illum qui volebat eos facere unum in uno ad unum : audiant illum dicentem, Nolite vos facere multos : *ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit : sed neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* III, 6, 7). Illi dicebant : *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ.* Et ille : *Divisus est Christus* (*Id.* I, 12,13)? In uno estote, unum estote, unus estote : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit.* Ecce volumus esse tui, dicebant Paulo. Et ille : Nolo sitis Pauli, sed ejus estote cujus est vobiscum Paulus.

10. Descendit enim et mortuus est, et ipsa morte liberavit nos a morte : morte occisus, mortem occidit. Et nostis, fratres, quia mors ista per diaboli invidiam intravit in mundum. *Deus mortem non fecit*, Scriptura loquitur; *nec lætatur*, inquit, *in perditione vivorum : creavit enim ut essent omnia* (*Sap.* I, 13, 14). Sed quid ibi ait? *Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*Id.* II, 24). Ad mortem a diabolo propinatam non veniret homo vi adductus : non enim cogendi potentiam diabolus habebat, sed persuadendi versutiam. Non consentires, nihil invexerat diabolus : consensio tua, o homo, te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati, ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes homines mortales : Jesus autem Filius Dei, Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, unicus æqualis Patri, mortalis factus est; quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 13, 14).

11. Ergo mortem suscepit, et mortem suspendit in cruce; et de ipsa morte liberantur mortales. Quod in figura factum est apud antiquos, commemorat illud Dominus : *Et sicut*, inquit, *Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Magnum sacramentum, et qui legerunt, noverunt. Deinde audiant vel qui non legerunt, vel qui forte lectum sive auditum obliti sunt. Prosternebatur in eremo populus Israel morsibus serpentum, fiebat magna strages multarum mortium[1] : plaga enim Dei erat corripientis, et flagellantis, ut erudiret. Demonstratum est ibi magnum sacramentum rei futuræ, ipse Dominus testatur in hac lectione, ut nemo possit aliud interpretari quam quod ipsa veritas de se indicat. Dictum est enim ad Moysen a Domino ut faceret æneum serpentem, et exaltaret in ligno in eremo, et admoneret populum Israel, ut si quis morsus esset a serpente, illum serpentem in ligno exaltatum attenderet. Factum est : mordebantur homines, intuebantur, et sanabantur (*Num.* XXI, 6-9). Quid sunt serpentes mordentes? Peccata de mortalitate carnis. Quis est serpens exaltatus? Mors Domini in cruce. Quia enim a serpente mors, per serpentis effigiem figurata est. Morsus serpentis lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens, ut nihil valeat serpens. Quid est hoc? Attenditur mors, ut nihil valeat mors. Sed cujus mors? Mors vitæ : si dici potest, Mors vitæ; imo quia dici potest, mirabiliter dicitur. Sed numquid non erit dicendum quod fuit faciendum? Ego dubitem dicere quod Dominus pro me dignatus est facere? Nonne vita Christus? et tamen in cruce Christus. Nonne vita Christus? et tamen mortuus Christus. Sed in morte Christi mors mortua est; quia vita mortua occidit mortem, plenitudo vitæ deglutivit mortem : absorpta est mors in Christi corpore. Sic et nos dicemus in resurrectione, quando jam triumphantes cantabimus, *Ubi est, mors, contentio tua? ubi est, mors, aculeus tuus* (I *Cor.* XV, 54, 55)? Interim modo, fratres, ut a peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur; quia *sicut Moyses*, inquit, *exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quomodo qui intuebantur illum serpentem, non peribant morsibus serpentum; sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur a morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur a morte ad vitam temporalem : hic autem ait, *ut habeant vitam æternam.* Hoc enim interest inter figuratam imaginem et rem ipsam : figura præstabat vitam temporalem; res ipsa cujus illa figura erat, præstat vitam æternam.

12. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici observare non vult. Venit Salvator ad mundum : quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso; ex te judicaberis. Et quid dicam, judicaberis? Vide quid ait : *Qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit* : quid dicturum speras[1] nisi, judicatur? *jam*, inquit, *judicatus est.* Nondum apparuit judicium, sed jam factum est judicium. Novit enim Dominus qui sunt ejus : novit qui permaneant ad coronam, qui permaneant ad flammam; novit in area sua triticum, novit paleam; novit segetem, novit zizania. Jam judicatus est qui non credit. Quare judicatus? *Quia non credidit*[2] *in nomine unigeniti Filii Dei.*

13. *Hoc est autem judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem : erant enim mala opera eorum.* Fratres mei, quorum opera bona invenit Dominus? Nullorum : omnium mala opera invenit. Quomodo ergo quidam fecerunt veritatem, et venerunt ad lucem? Et hoc enim sequitur : *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* Quomodo

[1] In Mss., *strages multorum mortuorum.*

[1] Mss. duodecim, *putas.* Alii tres, *sperabas.*
[2] Sic etiam legebatur in antiquis Corbeiensibus Bibliis, juxta græcum, *pepisteuken.* At nunc in Vulgata est, *credit.*

quidam opus bonum fecerunt, ut venirent ad lucem, id est ad Christum? et quomodo quidam dilexerunt tenebras? Si enim omnes peccatores invenit, et omnes a peccato sanat, et serpens ille in quo figurata est mors Domini, eos sanat qui morsi fuerant, et propter morsum serpentis erectus est serpens, id est mors Domini, propter mortales homines, quos invenit injustos; quomodo intelligitur, *Hoc est judicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem : erant enim mala opera eorum?* Quid est hoc? quorum enim erant bona opera? Nonne venisti ut justifices impios? Sed *dilexerunt*, inquit, *tenebras magis quam lucem*. Ibi posuit vim : multi enim dilexerunt peccata sua, multi confessi sunt peccata sua : quia qui confitetur peccata sua, et accusat peccata sua, jam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua : si et tu accusas, conjungeris Deo. Quasi duæ res sunt, homo et peccator. Quod audis homo, Deus fecit : quod audis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut Deus salvet quod fecit. Oportet ut oderis in te opus tuum, et ames in te opus Dei. Cum autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala opera tua. Initium operum bonorum, confessio est operum malorum. Facis veritatem, et venis ad lucem. Quid est, Facis veritatem? Non te palpas, non tibi blandiris, non te adulas[1]; non dicis, Justus sum, cum sis iniquus, et incipis facere veritatem. Venis autem ad lucem ut manifestentur opera tua, quia in Deo sunt facta; quia et hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi Deus tibi luceret, et ejus veritas tibi ostenderet. Sed qui et admonitus diligit peccata sua, odit admonentem lucem et fugit eam, ut non arguantur opera ejus mala quæ diligit. Qui autem facit veritatem, accusat in se mala sua; non sibi parcit, non sibi ignoscit, ut Deus ignoscat : quia quod vult ut Deus ignoscat, ipse agnoscit, et venit ad lucem; cui gratias agit, quod illi quid in se odisset ostenderit. Dicit Deo, *Averte faciem tuam a peccatis meis :* et qua fronte dicit, nisi iterum dicat, *Quoniam facinus meum ego cognosco, et peccatum meum coram me est semper* (*Psal.* L, 11, 5)? Sit ante te quod non vis esse ante Deum. Si autem post te feceris peccatum tuum, retorquet illud tibi Deus ante oculos tuos; et tunc retorquet, quando jam pœnitentiæ fructus nullus erit.

14. Currite, ne tenebræ vos comprehendant (*Joan.* XII, 35), fratres mei : evigilate ad salutem vestram, evigilate dum tempus est; nullus retardetur a templo Dei, nullus retardetur ab opere Domini, nullus avocetur ab oratione continua, nullus a solita devotione fraudetur. Evigilate ergo cum dies est : lucet dies, Christus est dies. Paratus est ignoscere, sed agnoscentibus; punire autem defendentes se, et justos se jactantes, et putantes se esse aliquid, cum nihil sint. In dilectione autem ejus et in misericordia ejus qui ambulat, etiam liberatus ab illis lethalibus et grandibus peccatis, qualia sunt facinora, homicidia, furta, adulteria; propter illa quæ minuta videntur esse peccata linguæ, aut cogitationum, aut immoderationis in rebus concessis, facit veritatem confessionis, et venit ad lucem in operibus bonis : quoniam minuta plura peccata si negligantur, occidunt. Minutæ sunt guttæ quæ flumina implent : minuta sunt grana arenæ; sed si multa arena imponatur, premit atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens : paulatim per sentinam intrat; sed diu intrando et non exhauriendo, mergit navim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere ne obruant peccata, gemendo, jejunando, tribuendo, ignoscendo? Iter autem hujus sæculi molestum est, plenum est tentationibus; in rebus prosperis ne extollat, in rebus adversis ne frangat. Qui tibi dedit felicitatem hujus sæculi, ad consolationem tuam dedit, non ad corruptionem. Rursus qui te flagellat in isto sæculo, ad emendationem, non ad damnationem facit. Ferto patrem erudientem, ne sentias judicem punientem. Hæc quotidie dicimus vobis, et sæpe dicenda sunt, quia bona et salutaria sunt.

[1] Sic Mss. At editi, *tibi adularis*.

TRACTATUS XIII.

Ab eo Evangelii loco, Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in Judæam terram, *etc., usque ad id,* Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. *Cap.* III, ℣. 22-29.

1. Ordo lectionis evangelicæ secundum Joannem, sicut potestis meminisse, qui curam geritis profectus vestri, ita sequitur, ut hæc quæ modo lecta est, hodie nobis tractanda proponatur. Ab ipso principio usque ad hodiernam lectionem, quæ supra dicta sunt, meministis jam esse tractata. Et si forte inde multa estis obliti, certe vel officium nostrum manet in vestra memoria. Quæ hinc audieritis de baptismo Joannis, etsi non tenetis omnia, audisse vos tamen credo quod teneatis : quæ dicta sunt etiam, quare Spiritus sanctus in columbæ specie apparuerit; et quomodo illa nodosissima quæstio soluta sit, quia nescio quid quod non noverat, didicit Joannes in Domino per columbam, cum jam eum nosset, quando venienti ut baptizaretur, ait, *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Quando ei Dominus respondit, *Sine modo, ut impleatur omnis justitia* (*Matth.* III, 14 et 15).

2. Nunc ergo ad eumdem Joannem cogit nos ordo lectionis reverti. Ipse est ille qui prophetatus est per Isaiam, *Vox clamantis in eremo, Parate viam Domino, rectas facite semitas ejus* (*Isa.* XL, 3). Tale testimonium reddidit Domino suo, et (quia ille dignatus est) amico suo : Dominusque ipsius et amicus ipsius perhibuit et ipse testimonium Joanni. Dixit enim de Joanne, *In natis mulierum non exsurrexit major Joanne Baptista*. Sed quia illi se præposuit, in hoc quod plus erat Joanne, Deus erat. *Qui autem minor est*, inquit, *in regno cœlorum, major est illo* (*Matth.* XI, 11). Minor nativitate, major potestate, major divinitate, majestate, claritate : tanquam *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Sic autem perhibuerat in superioribus lectionibus Joannes Domino testimonium, ut Filium Dei quidem diceret, Deum non diceret, nec tamen negaret : tacuerat Deum, non

rigaverat Deum, sed non omnino tacuit Deum : fortissis enim invenimus hoc in hodierna lectione. Dixerit Filium Dei : sed dicti sunt et homines filii Dei. Dixerat tantæ excellentiæ illum fuisse, ut non esset ipse dignus corrigiam calceamenti ejus solvere (*Joan.* I, 1, 34, 27). Jam magnitudo ista multum dat intelligi, cujus non erat dignus corrigiam calceamenti solvere, ille quo nemo surrexerat major in natis mulierum. Plus enim erat omnibus hominibus et Angelis. Nam angelum invenimus prohibuisse, ne homo illi ad pedes caderet. Cum enim quædam in Apocalypsi Angelus ostenderet Joanni, qui scripsit hoc Evangelium, conterritus magnitudine visionis Joannes cecidit ad pedes Angeli. Et ille : *Surge, vide ne feceris hoc; Deum adora*[1] *nam ego conservus tuus sum et fratrum tuorum* (*Apoc.* XXII, 8, 9). Cadere ergo sibi ad pedes hominem angelus prohibuit. Nonne manifestum est quia super omnes Angelos est, cui talis homo, quo major nemo surrexit in natis mulierum, dicit indignum se esse solvere corrigiam calceamenti?

3. Tamen aliquid evidentius dicat Joannes, quia Deus est Dominus noster Jesus Christus. Inveniamus hoc in præsenti lectione, quia forte et de illo cantavimus, *Regnavit Deus super omnem terram* : contra quod surdi sunt, qui putant eum in Africa sola regnare. Non enim non dictum est de Christo, cum dictum est, *Regnavit Deus super omnem terram*. Quis est enim alius rex noster, nisi Dominus noster Jesus Christus? Ipse est rex noster. Et quid audistis in ipso Psalmo, recenti versu modo cantato? *Psallite Deo nostro, psallite : psallite regi nostro, psallite.* Quem dixit Deum, ipsum dixit regem nostrum : *Psallite Deo nostro, psallite : psallite regi nostro, psallite intelligenter.* Ne in una parte velis intelligere cui psallis : *Quoniam rex omnis terræ Deus* (*Psal.* XLVI, 3, 7, 8). Et quomodo est omnis terræ rex, qui visus est in una parte terrarum, in Jerosolyma, in Judæa, ambulans inter homines, natus, sugens, crescens, manducans, bibens, vigilans, dormiens, fatigatus ad puteum sedens, comprehensus, flagellatus, sputis illitus, spinis coronatus, ligno suspensus, lancea percussus, mortuus, sepultus? quomodo ergo rex omnis terræ? Quod videbatur in loco, caro erat : oculis carneis caro apparebat; in carne mortali majestas immortalis occultabatur. Et quibus oculis majestas immortalis penetrata compage carnis poterit intueri? Est alius oculus, est interior oculus. Non enim nullos oculos habebat et Tobias, quando cæcus oculis corporeis filio dabat præcepta vitæ (*Tob.* IV). Ille patri manum tenebat, ut pedibus ambularet : ille filio consilium dabat, ut viam justitiæ teneret. Et hac oculos video, et hac oculos intelligo. Et meliores oculi dantis vitæ consilium, quam oculi tenentis manum. Tales oculos quærebat et Jesus, quando ait Philippo, *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?* Tales oculos quærebat, cum ait, *Philippe, qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV, 9). Isti oculi in intelligentia sunt, isti oculi in mente sunt. Ideo cum dixisset Psalmus, *Quoniam rex omnis terræ Deus;* subjecit statim, *Psallite intelligenter.* Quod enim dico, *Psallite Deo nostro, psallite;* Deum dico regem nostrum. Sed regem nostrum inter homines vidistis tanquam hominem, vidistis passum, crucifixum, mortuum : latebat aliquid in illa carne quam oculis carneis videre potuistis[1]. Quid ibi latebat? *Psallite intelligenter;* nolite oculis quærere quod mente conspicitur. *Psallite* lingua, quia inter vos caro; sed quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, reddite sonum carni, reddite Deo mentis obtutum. *Psallite intelligenter*, et videtis quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.*

4. Dicat et Joannes testimonium : *Post hæc venit Jesus et discipuli ejus in Judæam terram, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.* Baptizatus baptizabat. Non eo baptismo baptizabat quo baptizatus est. Dat baptismum Dominus baptizatus a servo, ostendens humilitatis viam, et perducens ad baptismum Domini, hoc est baptismum suum, præbendo humilitatis exemplum, quia ipse non respuit baptismum servi. Et in baptismo servi via præparabatur Domino, et baptizatus Dominus viam se fecit venientibus[2]. Ipsum audiamus : *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Si veritatem quæris, viam tene : nam ipsa est via quæ est veritas. Ipsa est quo is, ipsa est qua is; non per aliud is ad aliud, non per aliud venis ad Christum : per Christum ad Christum venis. Quomodo per Christum ad Christum? Per Christum hominem ad Christum Deum : per Verbum carnem factum, ad Verbum quod in principio erat Deus apud Deum; ab eo quod manducavit homo, ad illud quod quotidie manducant Angeli. Sic enim scriptum est, *Panem cœli dedit eis : panem Angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXVII, 24 *et* 25). Quis est panis Angelorum? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Quomodo panem Angelorum manducavit homo? *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 14).

5. Sed quia diximus manducare Angelos, fratres, ne putetis morsibus fieri. Nam si hoc intellexeritis, quasi dilaniatur Deus quem manducant Angeli. Quis dilaniat justitiam? Sed rursum mihi aliquis dicit : Et quis est qui manducat justitiam? Unde ergo, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* V, 6)? Cibus quem manducas per carnem, ut reficiaris tu, ille deficit; ut reparet te, consumitur : manduca justitiam, et tu reficeris, et illa integra perseverat. Quomodo videndo istam lucem corpoream reficiuntur isti oculi nostri, et res est corporea quæ videtur oculis corporeis. Multi enim cum fuerint diutius in tenebris, infirmatur acies ipsorum, quasi jejunio lucis. Fraudati oculi cibo suo (luce quippe pascuntur), defatigantur jejunio et debilitantur, ita ut ipsam lucem qua reficiuntur, videre non possint : et si diutius abfuerit, exstinguuntur, et tanquam moritur in eis ipsa acies lucis. Quid ergo? quia tot oculi quotidie ista luce pascuntur, minor fit? Et illi reficiuntur, et ipsa integra permanet. Si hoc potuit Deus

[1] Plerique Mss., *illum adora, hoc est Deum.*

[1] Sic Mss. At editi, *quod oculis carneis videre non potuistis.*

[2] Mss. quatuor, *viam fecit ad se venientibus.* Tres alii, *viam se fecit ad se venientibus.*

de luce corporea corporeis oculis exhibere; non exhibet mundis cordibus lucem illam infatigabilem, integram perseverantem, nulla ex parte deficientem? Quam lucem? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Videamus si lux est. *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* xxxv, 10). In terra aliud est fons, aliud lumen. Sitiens quæris fontem, et ut pervenias ad fontem, quæris lucem: et si dies non est, accendis lucernam, ut ad fontem pervenias. Fons ille, ipsa est lux; sitienti fons est, cæco lux est: aperiantur oculi ut videant lucem, aperiantur fauces cordis ut bibant fontem; quod bibis, hoc vides, hoc audis. Totum tibi fit Deus; quia horum quæ diligis, totum tibi est. Si visibilia attendis, nec panis est Deus, nec aqua est Deus, nec lux ista est Deus, nec vestis est Deus, nec domus est Deus. Omnia enim hæc visibilia sunt, et singula sunt: quod est panis, non hoc est aqua; et quod est vestis, non hoc est domus; et quod sunt ista, non hoc est Deus: visibilia enim sunt. Deus tibi totum est: si esuris, panis tibi est; si sitis, aqua tibi est; si in tenebris es, lumen tibi est, quia incorruptibilis manet; si nudus es, immortalitatis vestis tibi est, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* xv, 53, 54). Omnia possunt dici de Deo, et nihil digne dicitur de Deo. Nihil latius hac inopia. Quæris congruum nomen, non invenis; quæris quoquo modo dicere, omnia invenis. Quid simile, agnus et leo? De Christo utrumque dictum est: *Ecce agnus Dei* (*Joan.* I, 29). Quomodo leo? *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* v, 5).

6. Audiamus Joannem: *Baptizabat Jesus.* Diximus quia baptizabat Jesus. Quomodo Jesus? quomodo Dominus? quomodo Dei Filius? quomodo Verbum? Sed Verbum caro factum est. *Erat autem et Joannes baptizans in Ænon juxta Salim.* Lacus quidam *Ænon* [1]. Unde intelligitur quia lacus erat? *Quia aquæ multæ erant ibi, et veniebant, et baptizabantur. Nondum enim missus erat in carcerem Joannes.* Si meministis (ecce iterum dico), dixi quare baptizabat Joannes: quia oportebat ut Dominus baptizaretur. Et quare oportebat ut Dominus baptizaretur? Quia multi contempturi erant Baptismum, eo quod jam majore gratia præditi viderentur, quam viderent alios fideles. Verbi gratia, jam continenter vivens catechumenus, contemneret conjugatum, et diceret se meliorem quam ille sit fidelis. Ille catechumenus posset dicere in corde suo: Quid mihi opus est Baptismum accipere, ut hoc habeam quod et iste, quo jam melior sum? Ne ergo cervix ista præcipitaret quosdam de meritis justitiæ suæ plurimum elatos, baptizari voluit Dominus a servo; tanquam alloquens filios capitales: Quid vos extollitis? quid erigitis, quia habetis, ille prudentiam, ille doctrinam, ille castitatem, ille fortitudinem patientiæ? Numquid tantum habere potestis, quantum ego qui dedi? Et tamen ego baptizatus sum a servo, vos dedignamini a Domino. Hoc est, *Ut impleatur omnis justitia* (*Matth.* III, 15).

[1] In aliquot Mss., *Salim locus quidam, Ænon lacus.*

7. Sed dicet aliquis: Sufficiebat ergo ut baptizaret Dominum Joannes; quid opus erat ut alii baptizarentur a Joanne? Et hoc diximus, quia si solus Dominus baptizaretur a Joanne, non deesset ista cogitatio hominibus, quod meliorem habebat baptismum Joannes quam Dominus. Dicerent enim: Usque adeo magnus erat baptismus quem habuit Joannes, ut solus Christus illo fuerit dignus baptizari. Ergo ut ostenderetur melior baptismus quem daturus erat Dominus, et ille tanquam servi intelligeretur, ille tanquam Domini, baptizatus est Dominus, ut præberet humilitatis exemplum: non solus autem baptizatus est ab eo, ne baptismus Joannis melior baptismo Domini videretur. Ad hoc autem viam præbuit Dominus noster Jesus Christus, sicut audistis, fratres, ne quis arrogans quod habeat abundantiam alicujus gratiæ, dedignetur baptizari baptismo Domini. Quantumcumque enim catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum. Quomodo non caruit populus Israel populo Ægyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum (*Exod.* XIV); sic pressura peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem Baptismi venerit.

8. *Facta est ergo quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de purificatione.* Baptizabat Joannes, baptizabat Christus: moti sunt discipuli Joannis; concurrebatur ad Christum, veniebatur ad Joannem [1]. Qui enim veniebant ad Joannem, mittebat illos ad Jesum baptizari; non mittebantur ad Joannem, qui a Christo baptizabantur. Turbati sunt discipuli Joannis, et cœperunt quæstionem tractare cum Judæis, quomodo solet fieri. Intelligas dixisse Judæos majorem esse Christum, et ad ejus baptismum debere concurri. Illi nondum intelligentes, defendebant baptismum Joannis. Ventum est ad ipsum Joannem, ut solveret quæstionem. Intelligat Charitas vestra. Et hic utilitas ipsa humilitatis agnoscitur, et ostenditur utrum in ipsa quæstione cum errarent homines, gloriari apud se voluerit Joannes. Fortasse enim dixit: Verum dicitis, recte contenditis, baptismus meus est melior. Nam ut noveritis quod baptismus meus est melior, ipsum Christum ego baptizavi. Poterat hoc dicere Joannes, baptizato Christo. Quantum, se si vellet extendere, habebat ubi se extenderet? Sed melius noverat apud quem se humiliaret: quem se noverat nascendo antecedere, illi voluit confitendo cedere; salutem suam intelligebat in Christo esse. Jam dixerat superius, *Nos omnes de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* I, 16): et hoc confiteri Deum est. Quomodo enim omnes homines de plenitudine ejus accipiunt, nisi ille sit Deus? Nam si sic ille homo ut non Deus, de plenitudine Dei accipit etiam ipse, et sic non Deus est. Si autem omnes homines de plenitudine ejus accipiunt, ille est fons, illi bibentes. Qui bibunt fontem, et sitire possunt et bibere; fons nunquam sitit, fons se ipso non eget. Fonte egent homines; aridis visceribus, aridis faucibus currunt ad fontem ut reficiantur: fons fluit ut reficiat; ita Dominus Jesus.

[1] Duo Mss., *veniebatur a Joanne.*

9. Videamus ergo quid responderit Joannes : *Venerunt ad Joannem, et dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad illum* : hoc est, Quid dicis? non sunt prohibendi, ut ad te potius veniant? *Respondit, et dixit : Non potest homo quidquam accipere, nisi ei datum fuerit de cœlo.* De quo putatis hoc dixisse Joannem? De seipso : Quasi homo accepi, ait, de cœlo. Intendat Charitas vestra. *Non potest homo quidquam accipere, nisi fuerit ei datum de cœlo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim, Ego non sum Christus.* Tanquam dicens, quid vos fallitis? vos ipsi mihi quomodo proposuistis istam quæstionem? Quid mihi dixistis? *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti.* Nostis ergo quale testimonium illi perhibui : modo dicturus sum non esse illum quem dixi esse? Ergo quia [1] aliquid accepi de cœlo ut aliquid essem, inanem me vultis esse, ut loquar contra veritatem? *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit illi datum de cœlo. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim, Ego non sum Christus.* Non es tu Christus : sed quid, si major illo, quia tu illum baptizasti? *Missus sum* : ego præco sum, ille judex est.

10. Et audi testimonium multo vehementius, multo expressius. Videte quid nobiscum agitur; videte quid amare debeamus; videte quia aliquem hominem amare pro Christo, adulterium est. Quare hoc dico? Attendamus vocem Joannis : poterat in illo errari, poterat ipse putari qui non erat; respuit a se falsum honorem, ut teneat solidam veritatem. Videte quid dicat Christum, quid se : *Qui habet sponsam, sponsus est.* Casti estote, sponsum amate. Quid autem tu es, qui nobis dicis, *Qui habet sponsam, sponsus est? Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Aderit Dominus Deus noster pro motu cordis mei, multo enim gemitu plenum est, dicere quod doleo : sed obsecro vos per ipsum Christum, ut quod dicere non potuero, vos cogitetis; novi enim dolorem meum exprimi satis digne non posse. Multos enim adulteros video, qui sponsam tanto pretio emptam, amatam fœdam ut pulchra fieret, illo emptore, illo liberatore, illo decoratore, possidere volunt; et id agunt verbis suis, ut pro sponso amentur. De illo dictum est, *Hic est qui baptizat* (*Joan.* I, 33). Quis huc exit et dicit, Ego baptizo? quis huc exit et dicit, Ego quod dedero, hoc est sanctum? quis huc procedit qui dicit, Bonum est tibi ut nascaris ex me? Amicum sponsi audiamus, non adulteros sponsi : audiamus zelantem, sed non sibi.

11. Fratres, regredimini corde ad vestras domos, carnalia loquor, terrena loquor; humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ (*Rom.* VI, 19). Multi habetis conjuges, multi habere vultis, multi etsi non vultis, habuistis; multi qui omnino conjuges habere non vultis, de conjugibus patrum vestrorum nati estis : nullum cor est quod non iste tangat affectus; nullus in rebus humanis tam avius a genere humano est, qui quod dico non sentiat. Ponite aliquem peregre profectum, commendasse amico suo sponsam suam : Vide, quæso te, charus meus es, ne forte me absente pro me aliquis ametur. Qualis ergo ille, qui custodiens sponsam vel uxorem amici sui, dat quidem operam ut nullus alius ametur, sed si se amari pro amico voluerit, et uti voluerit commendata sibi, quam detestandus universo humano generi apparet? Videat illam aliquanto petulantius per fenestram attendere aut jocari cum aliquo, prohibet tanquam zelet : video zelantem, sed videam cui; utrum amico absenti, an sibi præsenti. Putate hoc Dominum nostrum Jesum Christum fecisse. Commendavit amico suo sponsam suam, peregre profectus est accipere regnum, sicut dicit ipse in Evangelio (*Luc.* XIX, 12), et tamen præsens est majestate. Fallatur amicus qui trans mare profectus est; et si fallitur, væ illi qui fallit! quid Deum fallere conantur, Deum intuentem omnium corda, et omnium secreta rimantem? Existit aliquis hæreticus, et dicit : Ego do, ego sanctifico, ego justifico, nolo eas ad illam sectam. Bene quidem zelat, sed vide cui. Non eas ad idola, bene zelat : non ad sortilegos, bene zelat. Videamus cui zelat : Ego quod do sanctum est, quia ego do; ego quem baptizo baptizatus est, quem non baptizo non est baptizatus. Audi amicum sponsi, disce zelare amico tuo : audi vocem illius, *Hic est qui baptizat.* Quare tibi vis arrogare quod tuum non est? Usque adeo absens est qui hic reliquit sponsam suam? Nescis quia ille qui a mortuis resurrexit, ad dexteram Patris sedet? Si contempserunt eum Judæi in ligno pendentem, tu contemnis in cœlo sedentem? Noverit Charitas vestra magnum dolorem me pati de hac re : sed, ut dixi, dimitto cætera cogitationibus vestris. Non enim dico, si loquar tota die; si plangam tota die, non sufficio : non dico, si habeam, sicut dicit propheta, *fontem lacrymarum* (*Jerem.* IX, 1); sed si convertar in lacrymas, et lacrymæ fiam [1], in linguas, et linguæ fiam, parum est.

12. Redeamus, videamus quid dicit iste : *Qui habet sponsam, sponsus est*; non est mea sponsa. Et non gaudes in nuptiis? Imo gaudeo, ait : *Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Non, inquit, gaudeo propter vocem meam, sed propter vocem sponsi gaudeo. Ego sum in audiendo, ille in dicendo : ego sum enim illuminandus, ille lumen; ego sum in aure, ille Verbum. Ergo amicus sponsi stat et audit eum. Quare stat? Quia non cadit. Quare non cadit? Quia humilis est. Vide stantem in solido : *Non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere* (*Joan.* I, 27). Bene te humilias, merito non cadis, merito stas, merito audis eum, et gaudio gaudes propter vocem sponsi. Sic et Apostolus amicus sponsi, zelat et ipse, non sibi, sed sponso. Audi vocem zelantis : *Zelo Dei vos zelo*, dixit; non meo, non mihi, sed zelo Dei. Unde? quomodo? quam zelas, vel cui zelas? *Desponsavi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Quid ergo times? quare zelas?

[1] In pluribus Mss., *ego qui.*

[1] Mss. prope omnes omittunt, *in lacrymas et lacrymæ fiam.*

Timeo, inquit, *ne sicut serpens seduxit Evam astutia sua, sic et vestri sensus corrumpantur a castitate quæ est in Christo* (II *Cor.* XI, 2, 3). Omnis Ecclesia virgo appellata est. Diversa esse membra Ecclesiæ, diversis donis pollere videtis atque gaudere : alii conjugati, aliæ conjugatæ, alii viduati uxores ultra non quærunt, aliæ viduatæ maritos ultra non quærunt, alii integritatem ab ineunte ætate conservant, aliæ virginitatem suam Deo voverunt ; diversa sunt munera, sed omnes isti una virgo est. Ubi est ista virginitas ? non enim in corpore[1]. Paucarum feminarum est, et si dici virginitas in viris potest, paucorum virorum sancta integritas etiam corporis est in Ecclesia, et honorabilius membrum est : alia autem membra non in corpore, sed omnia in mente servant virginitatem. Quæ est virginitas mentis ? Integra fides, solida spes, sincera charitas. Hanc virginitatem timebat ille, qui zelabat sponso, a serpente corrumpi. Sicut enim membrum corporis violatur in quodam loco, sic seductio linguæ violat virginitatem cordis. In mente non corrumpatur, quæ non vult sine causa tenere corporis virginitatem.

13. Quid ergo dicam, fratres ? Et hæretici habent virgines, et multæ sunt virgines hæreticorum. Videamus si sponsum amant, ut virginitas ista custodiatur. Cui custoditur ? *Christo*, inquit. Videamus si Christo, non Donato : videamus cui servetur ista virginitas ; cito probare poteritis. Ecce ostendo sponsum, quia ipse se ostendit : perhibet illi testimonium Joannes, *Hic est qui baptizat.* O tu virgo, si sponso huic servas virginitatem tuam, quare curris ad eum qui dicit, Ego baptizo ; cum amicus sponsi tui dicat, *Hic est qui baptizat ?* Deinde sponsus tuus totum orbem tenet ; quare tu in parte corrumperis ? Quis est sponsus ? *Quoniam rex omnis terræ Deus* (*Psal.* XLVI, 8). Ipse sponsus tuus totum tenet, quia totum emit. Vide quanti emerit, ut intelligas quid emerit : quod pretium dedit ? Sanguinem dedit. Ubi dedit, ubi fudit sanguinem suum ? In passione. Nonne sponso tuo cantas, aut cantare te fingis, quando emptus est totus orbis : *Foderunt manus meas et pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea : ipsi vero consideraverunt, et conspexerunt me ; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem ?* Sponsa es, agnosce vestem sponsi tui. Super quam vestem missa est sors ? Interroga Evangelium ; vide cui desponsata sis, vide a quo arrhas accipias. Interroga Evangelium ; vide quid tibi dicat in passione Domini. *Erat* ibi *tunica :* videamus qualis : *desuper texta.* Desuper texta tunica quid significat, nisi charitatem ? desuper texta tunica quid significat, nisi unitatem? Hanc tunicam attende, quam nec persecutores Christi diviserunt. Ait enim : *Dixerunt inter se, Non dividamus eam, sed sortem super eam mittamus* (*Joan.* XIX, 23, 24). Ecce unde audistis Psalmum. Vestem persecutores non consciderunt : christiani Ecclesiam dividunt.

14. Sed quid dicam, fratres ? Aperte videamus quid emerit. Ibi enim emit, ubi [1] pretium dedit. Pro quanto dedit ? Si pro Africa dedit, simus Donatistæ, et non appellemur Donatistæ, sed Christiani ; quia Christus solam Africam emit : quanquam et hic non soli Donatistæ. Sed non tacuit in commercio suo quid emerit. Fecit tabulas : Deo gratias, non nos fefellit. Opus est ut audiat illa sponsa, et ibi intelligat cui voverit virginitatem. Ibi in ipso psalmo ubi dictum est, *Foderunt manus meas et pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea ;* ubi passio Domini apertissime declaratur : qui psalmus omni anno legitur novissima hebdomada intento universo populo, imminente passione Christi, et apud nos, et apud illos psalmus iste legitur. Intendite, fratres, quid ibi emit ; recitentur tabulæ commerciales ; quid ibi emit, audite : *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ ; et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium : quoniam ipsius est regnum, et ipse dominabitur gentium* (*Psal.* XXI, 17-29). Ecce quid emit. Ecce *quoniam rex omnis terræ Deus* est sponsus tuus. Quid ergo ad pannos vis deduci talem divitem ? Agnosce : totum emit, et tu dicis, Partem hic habes. O si placeres sponso, o si non corrupta loquereris, et corrupta, quod pejus est, corde, non corpore ! Amas hominem pro Christo, amas dicentem, Ego baptizo : amicum sponsi non audis dicentem, *Hic est qui baptizat ;* non audis dicentem, *Qui habet sponsam, sponsus est.* Ego non habeo sponsam, dixit : sed quid sum ? *Amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi* (I *Cor.* XIII, 1).

15. Evidenter ergo, fratres mei, nihil prodest istis servare virginitatem, habere continentiam, eleemosynas dare ; omnia illa quæ laudantur in Ecclesia, nihil illis prosunt ; quia conscindunt unitatem, id est, tunicam illam charitatis. Quid faciunt ? Diserti sunt multi inter illos, magnæ linguæ, flumina linguarum. Numquid angelice loquuntur ? Audiant amicum sponsi zelantem sponso, non sibi : *Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum ut æramentum sonans, aut cymbalum tinniens* (I *Cor.* XIII, 1).

16. Sed quid dicunt ? Habemus Baptismum. Habes, sed non tuum. Aliud est habere, aliud dominari. Baptismum habes, quia accepisti ut baptizatus sis, accepisti tanquam illuminatus ; si tamen a te non tenebratus : et quando das, minister das, non possessor ; præco clamas, non judex. Per præconem loquitur judex, et in actis tamen non scribitur, Præco dixit ; sed, Judex dixit. Proinde vide si tuum est quod das, potestate. Si autem accepisti, confitere cum amico sponsi, *Non potest homo accipere quidquam, nisi datum fuerit ei de cœlo.* Confitere cum amico sponsi, *Qui habet sponsam, sponsus est ; amicus autem sponsi stat et audit eum.* Sed o si stares et audires eum, et non caderes ut audires te ! Audiendo enim eum, stares et audires : nam loqueris, et tibi caput inflas. Ego, inquit Ecclesia, si sponsa sum, si arrhas accepi, si pretio sanguinis illius redempta sum, audio vocem sponsi ; et vocem amici sponsi tunc audio, si sponso

[1] Sic aliquot Mss. At editi : *Non enim in corpore, in corpore paucarum feminarum est.* Et post loco, *sancta integritas*, habent, *sanctitas, integritas.*

[1] Er., *ibi.* M.

meo det gloriam, non sibi. Dicat amicus, *Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi stat et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Ecce habes Sacramenta, et ego concedo. Habes formam, sed sarmentum es de vite præcisum; tu formam ostendis, ego radicem quæro: de forma fructus non exit, nisi ubi est radix; ubi autem est radix, nisi in charitate? Et audi formam sarmentorum; Paulus loquatur: *Si sciam*, inquit, *omnia sacramenta, et habeam omnem prophetiam et omnem fidem* (et quantam fidem?), *ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (I *Cor.* XIII, 1, 2).

17. Nemo ergo vobis fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum; et Donatus oravit, et respondit ei Deus de cœlo. Primo, aut falluntur aut fallunt. Postremo, fac illum montes transferre: *Charitatem autem*, inquit, *non habeam, nihil sum.* Videamus utrum habuerit charitatem. Crederem, si non divisisset unitatem. Nam et contra istos, ut sic loquar, mirabiliarios cautum me fecit Deus meus, dicens: *In novissimis temporibus exsurgent pseudoprophetæ, facientes signa et prodigia, ut in errorem inducant, si fieri potest, etiam electos: ecce prædixi vobis* (*Marc.* XIII, 22, 23). Ergo cautos nos fecit sponsus, quia et miraculis decipi non debemus. Aliquando enim et desertor terret provincialem; sed utrum in castris sit, et aliquid illi prosit character ille in quo signatus est, hoc attendit qui terreri et seduci non vult. Teneamus ergo unitatem, fratres mei: præter unitatem, et qui facit miracula nihil est. In unitate enim erat populus Israel, et non faciebat miracula: præter unitatem erant magi Pharaonis, et faciebant similia Moysi (*Exod.* VII, 12, 22, *et* VIII, 7). Populus Israel, ut dixi, non faciebat: qui erant salvi apud Deum; qui faciebant, an qui non faciebant? Petrus apostolus resuscitavit mortuum (*Act.* IX, 40); Simon Magus fecit multa (*Id.* VIII, 10): erant ibi quidam christiani qui non poterant facere, nec quod faciebat Petrus, nec quod faciebat Simon; sed unde gaudebant? Quia nomina eorum erant scripta in cœlo. Nam et redeuntibus discipulis, Dominus noster Jesus Christus propter fidem gentium hoc ait. Dixerunt enim gloriantes ipsi discipuli, *Ecce, Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis subjecta sunt.* Bene quidem confessi sunt, detulerunt honorem nomini Christi; et tamen quid ait eis? *Nolite in hoc gloriari, quia dæmonia vobis subjecta sunt; sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* x, 17-20). Petrus dæmonia exclusit; nescio quæ anicula vidua, nescio quis homo qualiscumque laicus habens charitatem, tenens integritatem fidei, non facit hoc: Petrus in corpore oculus est, ille in corpore digitus; in eo tamen corpore est, in quo et Petrus; et si minus valet digitus quam oculus, non est tamen præcisus a corpore. Melius est esse digitum et esse in corpore, quam esse oculum et evelli de corpore.

18. Proinde, fratres mei, nemo vos fallat, nemo vos seducat: amate pacem Christi, qui pro vobis crucifixus est, cum Deus esset. Paulus dicit, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* III, 7). Et quisquam nostrum dicit quia aliquid est? Si dixerimus quia aliquid sumus, et non illi gloriam dederimus, adulteri sumus; nos amari volumus, non sponsum. Vos Christum diligite, et nos in illo, in quo et vos a nobis diligimini. Invicem se diligant membra, sed omnia sub capite vivant. Dolore quidem, fratres mei, multa coactus sum dicere, et parva dixi: lectionem finire non potui [1], aderit Dominus ut opportune finiatur. Nolui enim amplius onerare corda vestra, quæ volo vacare gemitibus, et orationibus pro his qui adhuc surdi sunt, et non intelligunt.

TRACTATUS XIV.

Ab eo Evangelii loco, Hoc ergo gaudium meum impletum est, *etc., usque ad id,* Qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. *Cap.* III, ℣. 29-36.

1. Lectio ista de sancto Evangelio excellentiam divinitatis Domini nostri Jesu Christi, et humilitatem hominis qui meruit dici amicus sponsi, nos docet; ut distinguamus quid intersit inter hominem hominem, et hominem Deum. Quia homo Deus Dominus noster Jesus Christus, Deus ante omnia sæcula, et homo in nostro sæculo: Deus de Patre, homo de Virgine, unus tamen atque idem Dominus et salvator Jesus Christus, Filius Dei, Deus et homo. Joannes vero excellentis gratiæ missus ante ipsum; illuminatus ab illo qui lumen est. De Joanne enim dictum est, *Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine* (*Joan.* I, 8). Potest quidem dici lumen, et bene dicitur et ipse lumen; sed illuminatum, non illuminans. Aliud est enim lumen quod illuminat, et aliud lumen quod illuminatur: nam et oculi nostri lumina dicuntur, et tamen in tenebris patent, et non vident. Lumen autem illuminans a seipso lumen est, et sibi lumen est, et non indiget alio lumine ut lucere possit, sed ipso indigent cætera ut luceant.

2. Confessus est ergo Joannes, sicut audistis, quia cum discipulos multos faceret Jesus, et perferretur ad eum veluti ut instigaretur; quasi invido enim narraverunt, Ecce ille facit plures discipulos quam tu: ille confessus est quid esset, et inde meruit ad ipsum pertinere, quia non est ausus se dicere quod est ille. Hoc ergo dixit Joannes, « Non potest homo accipere quidquam, nisi datum illi fuerit de cœlo. » Ergo Christus dat, homo accipit. « Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quod dixerim, Ego non sum Christus, sed quia missus sum ante illum. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi » (*Id.* III, 26-29). Non sibi gaudium fecit de se. Qui enim vult gaudere de se, tristis erit: qui autem de Deo vult gaudere, semper gaudebit; quia Deus sempiternus est. Vis habere gaudium sempiternum? Inhære illi qui sempiternus est. Talem se dixit Joannes. *Propter vocem sponsi gaudet amicus sponsi*, ait, non propter vocem suam: et *stat*, *et audit eum*. Si ergo cadit, non

[1] Sic Mss. At editi, *et pauca dixi: lectionem tamen finire non potui.*

audit eum : de illo enim quodam qui cecidit, dictum est, *Et in veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44) ; de diabolo dictum est. Ergo stare debet amicus sponsi et audire. Quid est stare? Permanere in gratia ejus quam accepit. Et audit vocem ad quam gaudeat. Sic erat Joannes : noverat unde gaudebat, non sibi arrogabat quod ipse non erat; sciebat illuminatum se, non illuminatorem. *Erat autem lumen verum*, ait Evangelista, *quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Id.* I, 9). Si ergo omnem hominem, et ipsum Joannem; quia et ipse de hominibus. Etenim quamvis nemo exsurrexerit major Joanne in natis mulierum (*Matth.* XI, 11), unus tamen et ipse ex his qui nati sunt ex mulieribus. Numquid comparandus est ei qui, quia voluit, natus est; et ideo novo partu, quia novus natus? Ambæ enim generationes Domini inusitatæ sunt, et divina et humana : divina non habet matrem, humana non habet patrem. Ergo unus de cæteris Joannes, sed tamen majoris gratiæ, ita ut in natis mulierum nemo exsurgeret major illo, tantam testificationem tribuit Domino nostro Jesu Christo, ut illum dicat sponsum, se amicum sponsi, non dignum tamen solvere corrigiam calceamenti ipsius. Hinc audivit jam multa Charitas vestra : quod sequitur videamus; aliquantum enim spissum est ad intelligendum. Sed quoniam dicit ipse Joannes, quia *non potest homo accipere quidquam, nisi datum illi fuerit de cœlo;* quidquid non intellexerimus, rogemus eum qui dat de cœlo : quia homines sumus, et non possumus accipere quidquam, nisi ille dederit qui homo non est.

3. Hoc ergo sequitur, et dicit Joannes, *Hoc ergo gaudium meum impletum est.* Quod est gaudium ipsius? Ut gaudeat ad vocem sponsi. Impletum est in me, habeo gratiam meam, plus mihi non assumo, ne et quod accepi amittam. Quod est hoc gaudium? *Gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Intelligat ergo homo non se gaudere debere de sapientia sua, sed de sapientia quam accepit a Deo. Nihil plus quærat, et non amittit quod invenit. Multi enim ideo facti sunt insipientes, quia dixerunt se esse sapientes. Arguit illos Apostolus, et dicit de ipsis : « Quia quod notum est Dei, ait, manifestum est illis : Deus enim illis manifestavit. » De quibusdam ingratis, impiis, audite quid dicat : « Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ejus, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus ac divinitas, ut sint ipsi inexcusabiles. » Quare « inexcusabiles? Quia cognoscentes Deum ; » non dixit, quia non cognoverunt; « cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum : dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt » (*Rom.* I, 19-22). Si enim Deum cognoverant, simul cognoverant quia non eos fecerat sapientes nisi Deus. Non ergo sibi tribuerent quod a se non habebant, sed ei a quo acceperant. Non autem agendo gratias insipientes facti sunt. Ergo Deus quod dederat gratis, tulit ingratis. Noluit esse hoc Joannes, gratus esse voluit : confessus est accepisse se, et gaudere se dixit propter vocem sponsi, et ait, *Hoc ergo gaudium meum impletum est.*

4. *Illum oportet crescere, me autem minui.* Quid est hoc? Illum oportet exaltari, me autem humiliari. Quomodo crescit Jesus? quomodo crescit Deus? Perfectus non crescit. Deus autem nec crescit, nec minuitur. Si enim crescit, perfectus non est : si minuitur, Deus non est. Jesus autem Deus quomodo crescit? Si ad ætatem, quia dignatus est esse homo, et fuit puer; et cum sit Verbum Dei, infans in præsepi jacuit, et cum ipse matrem suam condiderit, lac infantiæ de matre suxit : quia crevit ergo Jesus ætate carnis, ideo forte dictum est, *Illum oportet crescere, me autem minui.* Sed quare et hoc? Joannes et Jesus, quod ad carnem pertinet, coævi erant : sex menses inter se habebant (*Luc.* I, 36), pariter creverant; et si diutius ante mortem Dominus noster Jesus Christus vellet hic esse, et ipsum Joannem hic secum esse, quomodo pariter creverant, ita pariter senescere poterant : quare ergo, *Illum oportet crescere, me autem minui?* Primo, quia jam et Dominus triginta annorum erat (*Id.* III, 23) : numquid juvenis, si jam triginta annorum sit, adhuc crescit? Jam ab ipsa ætate vergere incipiunt homines, et declinare ad graviorem ætatem, et inde ad senectutem. Sed et si pueri essent ambo, non diceret, *Illum oportet crescere, me autem minui;* sed diceret, Simul nos oportet crescere. Nunc autem triginta annorum ille, triginta et ille : sex menses qui intererant, nullam distinguunt ætatem; magis illud invenit lectio quam aspectio.

5. Quid ergo est, *Illum oportet crescere, me autem minui?* Magnum hoc sacramentum! intelligat Charitas vestra. Antequam veniret Dominus Jesus, homines gloriabantur de se : venit ille homo, ut minueretur hominis gloria, et augeretur gloria Dei. Etenim venit ille sine peccato, et invenit omnes cum peccato. Si sic venit ille ut dimitteret peccata, Deus largiatur, homo confiteatur. Etenim confessio hominis, humilitas hominis : miseratio Dei, altitudo Dei. Si ergo venit ille dimittere homini peccata, agnoscat homo humilitatem suam, et Deus faciat misericordiam suam. *Illum oportet crescere, me autem minui :* hoc est, illum oportet dare, me autem accipere; illum oportet glorificari, me autem confiteri. Intelligat homo gradum suum, et confiteatur Deo, et audiat Apostolum dicentem homini superbienti et elato, extollere se volenti : *Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (I *Cor.* IV, 7)? Intelligat ergo homo quia accepit, qui volebat suum dicere quod non est ejus, et minuatur : bonum est enim illi ut Deus in illo glorificetur. Ipse in se minuatur, ut in Deo augeatur. Hæc testimonia et hanc veritatem, etiam passionibus suis significaverunt Christus et Joannes. Nam Joannes capite minutus, Christus in cruce exaltatus; ut et ibi appareret quid est, *Illum oportet crescere, me autem minui.* Deinde natus est Christus cum jam inciperent crescere dies, natus est Joannes quando cœperunt minui dies. At-

testata est ipsa creatura et ipsæ passiones verbis Joannis dicentis, *Illum oportet crescere, me autem minui.* Crescat ergo in nobis gloria Dei, et minuatur gloria nostra, ut in Deo crescat et nostra. Hoc enim dicit Apostolus, hoc dicit Scriptura sancta : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 31, *et Jerem.* IX, 23, 24). In te vis gloriari? crescere vis : sed malo tuo male crescis. Qui enim male crescit, juste minuitur. Crescat ergo Deus qui semper perfectus est, crescat in te. Quanto enim magis intelligis Deum, et quanto magis capis, videtur in te crescere Deus : in se autem non crescit, sed semper perfectus est. Intelligebas heri modicum, intelligis hodie amplius, intelliges cras multo amplius : lumen ipsum Dei crescit in te; ita velut Deus crescit, qui semper perfectus manet. Quemadmodum si curarentur alicujus oculi ex pristina cæcitate, et inciperet videre paululum lucis, et alia die plus videret, et tertia die amplius, videretur illi lux crescere : lux tamen perfecta est, sive ipse videat, sive non videat. Sic est et interior homo : proficit quidem in Deo [1], et Deus in illo videtur crescere; ipse tamen minuitur, ut a gloria sua decidat, et in gloriam Dei surgat.

6. Et distincte jam et manifeste apparet quod modo audivimus. *Qui de sursum venit, supra omnes est.* Vide quid dicat de Christo. Quid de se? *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de sursum venit, supra omnes est;* Christus est : *Qui* autem *est de terra, de terra est, et de terra loquitur;* Joannes est. Et hoc est totum, Joannes de terra est, et de terra loquitur? totum testimonium quod perhibet de Christo, de terra loquitur? non voces Dei audiuntur a Joanne, ubi testimonium perhibet de Christo? Quomodo ergo de terra loquitur? Sed de homine dicebat. Quantum ad ipsum hominem pertinet, de terra est, et de terra loquitur : si autem aliqua loquitur divina, illuminatus est a Deo. Nam si non esset illuminatus, terra terram loqueretur. Ergo seorsum est gratia Dei, seorsum natura hominis. Modo naturam hominis interroga : nascitur et crescit, usitata ista hominum discit. Quid novit nisi terram de terra? Humana loquitur, humana novit, humana sapit; carnalis carnaliter æstimat, carnaliter suspicatur : ecce est totus homo. Veniat gratia Dei, illuminet tenebras illius, sicut dicit, *Tu illuminabis lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas* (*Psal.* XVII, 29); assumat mentem humanam, convertat [2] ad lucem suam : incipit jam dicere, quod Apostolus dicit, *Non ego autem, sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* XV, 10); et, *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus* (*Galat.* II, 20). Hoc est, *Illum oportet crescere, me autem minui.* Ergo Joannes, quod ad Joannem pertinet, de terra est, et de terra loquitur : si quid divinum audisti a Joanne, illuminantis est, non recipientis.

7. *Qui de cœlo venit, supra omnes est; et quod vidit et audivit, hoc testificatur; et testimonium ejus nemo accipit. De cœlo venit, supra omnes est,* Dominus noster Jesus Christus : de quo superius dictum est, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13). Est autem super omnes; *et quod vidit et audivit, hoc loquitur.* Habet enim et Patrem ipse Filius Dei; habet et Patrem, et audit a Patre. Et quod audit a Patre quid est? quis hoc explicat? Quando lingua mea, quando cor meum sufficere potest, vel cor ad intelligendum, vel lingua ad proferendum, quid est quod Filius audivit a Patre? Forte Filius Verbum Patris audivit? Imo Filius Verbum Patris est. Videtis quemadmodum hic fatigetur omnis conatus humanus; videtis quemadmodum hic deficiat omnis conjectura pectoris nostri, et omnis intentio mentis caligantis. Audio dicentem Scripturam quia Filius hoc loquitur, quod audit a Patre; et rursus audio dicentem Scripturam quia ipse Filius Verbum Patris est : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Nos loquimur verba volantia et transeuntia : mox ut sonuerit ore tuo verbum tuum, transit; peragit strepitum suum et transit in silentium. Numquid potes sequi sonum tuum, et tenere ut stet? Cogitatio tamen tua manet, et de ipsa cogitatione manente dicis multa verba transeuntia. Quid dicimus, fratres? Deus cum loqueretur, adhibuit vocem, adhibuit sonos, adhibuit syllabas? Si adhibuit ista, qua lingua locutus est? Hebræa, an græca, an latina? ibi necessariæ linguæ, ubi distinctio gentium. Ibi autem nemo potest dicere, illa lingua, vel illa lingua locutum esse Deum. Cor tuum attende. Quando concipis verbum quod dicas : dicam enim, si potero, quod in nobis attendamus, non unde illud comprehendamus : quando ergo concipis verbum quod proferas, rem vis dicere, et ipsa rei conceptio in corde tuo jam verbum est; nondum processit, sed jam natum est in corde, et manet ut procedat : attendis autem ad quem procedat, cum quo loquaris; si Latinus est, vocem latinam quæris; si Græcus est, verba græca meditaris; si Punicus est, attendis si nosti linguam punicam; pro diversitate auditorum diversas linguas adhibes, ut proferas verbum conceptum : illud autem quod corde conceperas, nulla lingua tenebatur. Cum ergo Deus loquens, linguam non quæreret, et genus locutionis [1] non assumeret, quomodo auditus est a Filio, cum ipsum Filium sit locutus Deus? Quomodo enim tu verbum quod loqueris, in corde habes, et apud te est, et ipsa conceptio spiritualis est (nam sicut anima tua spiritus est; ita et verbum quod concepisti, spiritus est; nondum enim accepit sonum ut per syllabas dividatur, sed manet in conceptione cordis et in speculo mentis [2]) : sic Deus edidit Verbum, hoc est, genuit Filium. Et tu quidem ex tempore gignis verbum etiam in corde : Deus sine tempore genuit Filium, per quem creavit omnia tempora. Cum ergo Verbum Dei Filius sit, Filius autem locutus est nobis, non ver-

[1] Vindocinensis Ms., *in Deum.*
[2] Editi, *convertatur.* Melius Mss., *convertat;* scilicet, *gratia.*

[1] In omnibus Mss., *elocutionis.*
[2] Plerique Mss., *in spectaculo mentis.*

bum suum, sed Verbum Patris, se nobis loqui voluit, qui Verbum Patris loquebatur. Hoc ergo quomodo decuit, et oportuit, dixit Joannes : quomodo potuimus, nos exposuimus. Cui ad cor nondum pervenit dignus de tanta re intellectus, habet quo se convertat, habet quo pulset, habet a quo quærat, habet a quo petat, habet a quo accipiat.

8. *Qui de cœlo venit, supra omnes est : et quod vidit et audivit, hoc testatur; et testimonium ejus nemo accipit.* Si nemo, utquid venit? Quorumdam ergo nemo. Est quidam populus præparatus ad iram Dei, damnandus cum diabolo : horum nemo accipit testimonium Christi. Nam si omnino nemo, nullus homo; quid est quod sequitur, *Qui autem accepit testimonium ejus, signavit quia Deus verax est?* Certe ergo non nemo, si tu ipse dicis, *Qui accepit testimonium ejus, signavit quia Deus verax est.* Responderet ergo fortasse Joannes interrogatus, et diceret, Novi quid dixerim, *nemo*. Est enim quidam populus natus ad iram Dei, et ad hoc præcognitus. Qui sint enim credituri, et qui non sint credituri, novit Deus; qui sint perseveraturi in eo quod crediderunt, et qui sint lapsuri, novit Deus: et numerati sunt Deo omnes futuri in vitam æternam; et novit jam illum populum distinctum. Et si ipse novit, et Prophetis dedit nosse per Spiritum suum, dedit et Joanni. Attendebat ergo Joannes, non oculo suo; nam quantum ad ipsum pertinet, terra est, et de terra loquitur : sed in ea gratia Spiritus, quam accepit a Deo, vidit quemdam populum impium, infidelem; attendens illum in infidelitate sua, ait, *Testimonium ejus qui venit de cœlo, nemo accipit.* Quorum nemo? Eorum qui ad sinistram futuri sunt, eorum quibus dicetur, *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus.* Qui ergo accipiunt? Illi qui ad dexteram futuri sunt, illi quibus dicetur, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi* (*Matth.* XXV, 41, 34). Attendit ergo in spiritu divisionem, in genere autem humano commixtionem; et quod nondum locis separatum est, separavit intellectu, separavit cordis aspectu; et vidit duos populos, fidelium et infidelium : attendit infideles, et ait, *Qui de cœlo venit, supra omnes est : et quod vidit et audivit, hoc testatur* [1]; *et testimonium ejus nemo accipit.* Deinde transtulit se a sinistra, et aspexit ad dexteram, et secutus ait, *Qui accepit testimonium ejus, signavit quia Deus verax est.* Quid est, *signavit quia Deus verax est*, nisi, homo mendax est, et Deus verax est? Quia nemo hominum potest dicere quod veritatis est, nisi illuminetur ab eo qui mentiri non potest. Deus ergo verax, Christus autem Deus. Vis probare? Accipe testimonium ejus, et invenis : *Qui enim accepit testimonium ejus, signavit quia Deus verax est.* Quis? Ipse qui de cœlo venit et supra omnes est, Deus verax est. Sed si nondum illum intelligis Deum, nondum accepisti testimonium ejus : accipe, et signas, præsumenter intelligis, definienter agnoscis quia Deus verax est.

9. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Ipse est Deus verax, et misit illum Deus : Deus misit Deum. Junge ambos, unus Deus, Deus verax missus a Deo. De singulis interroga, Deus : et de ambobus interroga, Deus. Non singuli Deus [1] et ambo dii, sed singulus quisque Deus et ambo Deus. Tanta enim ibi est charitas Spiritus sancti, tanta pax unitatis, ut de singulis cum interrogatur, Deus tibi respondeatur; de Trinitate cum interrogatur, Deus tibi respondeatur. Si enim spiritus hominis quando inhæret Deo unus spiritus est, aperte Apostolo dicente, *Qui adhæret Domino, unus spiritus est* (I *Cor.* VI, 17); quanto magis Filius æqualis adhærens Patri simul cum illo unus Deus est? Audite alterum testimonium. Nostis quam multi crediderunt, quando omnia quæ habebant, ad pedes Apostolorum vendita posuerunt, ut distribueretur unicuique sicut opus erat : et de illa congregatione sanctorum quid dicit Scriptura? *Erat illis anima una et cor unum in Domino* (*Act.* IV, 32). Si charitas de tot animis fecit animam unam, et de tot cordibus fecit cor unum, quanta est charitas inter Patrem et Filium? Major utique potest esse quam inter illos homines quibus erat cor unum. Si ergo multorum fratrum cor unum propter charitatem, et multorum fratrum anima una propter charitatem; Deus Pater et Deus Filius, dicturus es quia duo sunt? Si duo dii sunt, non est ibi summa charitas. Si enim hic tanta charitas est, ut animam tuam et animam amici tui unam animam faciat; quomodo ibi non est unus Deus Pater et Filius? Absit ut hoc sentiat fides non ficta. Prorsus quantum excellat charitas illa, hinc intelligite. Multæ animæ sunt multorum hominum, et si se diligunt, una anima est; sed possunt dici et multæ animæ, possunt in hominibus, quia non est tanta conjunctio : ibi autem, unum Deum licet dicas; duos aut tres deos non licet dicas. Hinc tibi commendatur supereminentia et summitas charitatis tanta, ut major esse non possit.

10. *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur.* Hoc utique de Christo dicebat, ut se ab illo distingueret. Quid enim? ipsum Joannem nonne Deus misit? An non ipse dixit, *Missus sum ante eum* (*Joan.* III, 28), et, *Qui me misit baptizare in aqua* (*Id.* I, 33) : et de illo dictum est, *Ecce mitto angelum meum ante te, et præparabit viam tuam?* Nonne et ipse verba Dei loquitur, de quo etiam dictum est quod sit amplius quam propheta (*Malach.* III, 1; *Matth.* XI, 10, 9)? Si ergo et ipsum Deus misit, et verba Dei loquitur; quomodo ad distinctionem, de Christo eum dixisse accipimus, *Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur?* Sed vide quid adjungat : *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum.* Quid est hoc, *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum?* Invenimus quia ad mensuram dat Deus Spiritum. Audi Apostolum dicentem, *Secundum mensuram donationis Christi* (*Ephes.* IV, 7). Hominibus ad mensuram dat, unico Filio non dat ad mensuram. Quomodo hominibus ad mensuram? *Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ; alii sermo scientiæ secundum eumdem spiritum; alii fides in eodem spiritu,*

[1] Mss., *loquitur* : et post, loco, *transtulit*, habent, *tulit*.

[1] Sic omnes Mss. At editi : *Non singuli dii.*

alii prophetia, alii dijudicatio spirituum, alii genera linguarum, alii donatio curationum. Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetæ? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes? numquid omnes dona habent sanitatum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur (I *Cor.* XII, 8, 9, 10, 29, 30)? Aliud habet iste, aliud ille; et quod habet ille, non habet iste: mensura est, divisio quædam donorum est. Ergo hominibus ad mensuram datur, et concordia ibi unum corpus facit. Quomodo aliud accipit manus ut operetur, aliud oculus ut videat, aliud auris ut audiat, aliud pes ut ambulet; anima tamen una est quæ agit omnia, in manu ut operetur, in pede ut ambulet, in aure ut audiat, in oculo ut videat: sic sunt etiam diversa dona fidelium, tanquam membris ad mensuram cuique propriam distributa. Sed Christus qui dat, non ad mensuram accipit.

11. Audi enim adhuc quid sequitur; quia de Filio dixerat, *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum: Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.* Adjecit, *Omnia dedit in manu ejus*, ut nosses et hic qua distinctione [1] dictum sit, *Pater diligit Filium.* Quare enim? Pater non diligit Joannem? et tamen non omnia dedit in manu ejus. Pater non diligit Paulum? et tamen non omnia dedit in manu ejus. *Pater diligit Filium:* sed quomodo Pater Filium, non quomodo dominus servum; quomodo Unicum, non quomodo adoptatum. Itaque *omnia dedit in manu ejus.* Quid est, *omnia?* Ut tantus sit Filius, quantus est Pater. Ad æqualitatem enim sibi genuit eum, cui rapina non esset in forma Dei esse æqualem Deo (*Philipp.* II, 6). *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus.* Ergo cum ad nos dignatus est mittere Filium, non putemus aliquid minus nobis missum quam est Pater. Pater mittens Filium, se alterum misit.

12. Namque putantes adhuc discipuli quia Pater aliquid majus est quam Filius, videntes carnem et non intelligentes divinitatem, dixerunt ei: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Tanquam dicerent, Jam novimus te, et benedicimus te, quia novimus te: gratias enim tibi agimus, quia ostendisti te nobis; sed Patrem nondum novimus: propterea cor nostrum ardet, et satagit concupiscentia quadam sancta videndi Patris tui qui te misit; ipsum nobis ostende, et nihil amplius a te desiderabimus: sufficit enim nobis cum ille fuerit demonstratus, quo major esse nemo potest. Bona concupiscentia, bonum desiderium; sed parvus intellectus. Attendens enim ipse Dominus Jesus parvos magna quærentes, et se ipsum magnum inter parvos, et parvum inter parvos, ait Philippo qui hoc dixerat, uni ex discipulis: *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me, Philippe?* Posset hic Philippus respondere, Cognovimus te; sed numquid diximus tibi, Ostende nobis te? Te cognovimus, sed Patrem quærimus. Subjecit statim: *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 8, 9). Si ergo æqualis Patri missus est, non eum æstimemus ex infirmitate carnis, sed cogitemus majestatem indutam carne, non oppressam carne. Manens enim Deus apud Patrem, apud homines factus est homo, ut tu per illum qui ad te factus est homo, fieres talis qualis capit Deum. Non enim homo poterat capere Deum: videre poterat homo hominem, capere Deum non poterat. Unde non poterat capere Deum? Quia oculum cordis unde caperet, non habebat. Erat ergo aliquid intus saucium, et aliquid foris sanum: corporis oculos habebat sanos, cordis oculos habebat saucios. Factus est ille homo ad corporis oculum; ut credens in eum qui videri corporaliter potuit, curareris [1] ad eum ipsum videndum quem spiritualiter videre non poteras. *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me, Philippe? Qui me vidit, vidit et Patrem.* Quare illi non illum videbant? Ecce videbant illum, et Patrem non videbant: videbant carnem, sed majestas latebat. Quod videbant discipuli qui amaverunt, viderunt et Judæi qui crucifixerunt. Intus ergo erat totus ille, et sic intus in carne, ut apud Patrem maneret: non enim deseruit Patrem quando venit ad carnem.

13. Carnalis cogitatio non capit quod dico: differat intellectum, et incipiat a fide; audiat quod sequitur: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Non dixit, ira Dei venit ad eum; sed, *ira Dei manet super eum.* Omnes qui nascuntur mortales, habent secum iram Dei. Quam iram Dei? Quam accepit primus Adam. Si enim peccavit primus homo, et audivit, *Morte morieris* (*Gen.* II, 17); factus est mortalis ille, et cœpimus nasci mortales; cum ira Dei nati sumus. Venit inde Filius non habens peccatum, et indutus est carne, indutus est mortalitate. Si ille nobiscum communicavit iram Dei, nos pigri sumus cum illo communicare gratiam Dei? Qui ergo non vult credere in Filium, *ira Dei manet super eum.* Quæ ira Dei? De qua dicit Apostolus, *Fuimus et nos natura filii iræ sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3). Omnes ergo filii iræ; quia de maledicto mortis venientes. Crede in Christum factum pro te mortalem, ut illum capias immortalem: quando enim ceperis ejus immortalitatem, nec tu eris mortalis. Vivebat, moriebaris: mortuus est, ut vivas. Attulit gratiam Dei, abstulit iram Dei. Deus vicit mortem, ne mors vinceret hominem [2].

TRACTATUS XV.

Ab eo Evangelii loco, Ut ergo cognovit Jesus quia audierunt Pharisæi, quia Jesus plures discipulos facit, *etc., usque ad id,* Et scimus quia hic est vere Salvator mundi. *Cap.* IV, ℣. 1-42.

1. Non rude est auribus Charitatis vestræ, evangelistam Joannem velut aquilam volare altius, caliginemque terræ transcendere, et lucem veritatis firmioribus oculis intueri. Multa enim jam ex Evangelio ejus per ministerium nostrum Domino adjuvante tractata sunt: ex ordine autem sequitur hæc lectio, quæ

[1] Remigiensis Ms., *quia ad distinctionem.*

[1] Editi, *curreres.* Consentiunt Mss., exceptis duobus qui ferunt, *curareris.*

[2] Sic aliquot optimæ notæ Mss. At editi, *bibit mortem, ne mors biberet hominem.*

hodie recitata est. Ea quæ dicturus sum Domino donante multi sic audituri estis, ut magis recognoscatis quam discatis. Non ideo tamen pigra debet esse intentio, quia non est cognitio, sed recognitio. Hoc lectum est, et hanc lectionem tractandam gestamus in manibus, quod Dominus Jesus ad puteum Jacob loquebatur cum Samaritana muliere. Dicta enim ibi sunt magna mysteria, et magnarum similitudines rerum; pascentes animam esurientem, reficientes languentem.

2. Dominus enim hæc « cum audisset, cognovisse Pharisæos quod plures discipulos faceret quam Joannes, et plures baptizaret (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus), reliquit Judæam terram, et abiit iterum in Galilæam. » Hinc diutius disputandum non est, ne immorantes in manifestis, angustias temporis patiamur ad obscura scrutanda et aperienda. Utique Dominus si sciret Pharisæos ita de se cognovisse, quod plures discipulos faceret, et quod plures baptizaret, ut hoc eis ad salutem valeret sequendi eum, ut et ipsi essent discipuli, et ipsi vellent ab eo baptizari; magis non relinqueret Judæam terram, sed propter illos maneret ibi: quia vero cognovit eorum scientiam, simul cognovit et invidentiam, quia non hoc propterea didicerunt ut sequerentur, sed ut persequerentur; abiit inde. Poterat quidem ille et præsens ab his non teneri, si nollet; non occidi, si nollet; quia potuit et non nasci, si nollet: sed quia in omni re quam gessit ut homo, hominibus in se credituris præbebat exemplum (quia unusquisque servus Dei non peccat, si secesserit in alium locum, videns furorem forte persequentium se, aut quærentium in malum animam suam; videretur autem sibi servus Dei peccare si faceret, nisi in faciendo Dominus præcessisset), fecit hoc ille magister bonus ut doceret, non quod timeret.

3. Fortassis etiam hoc moveat, cur dictum sit, *Baptizabat Jesus plures quam Joannes;* et posteaquam dictum est, *Baptizabat*, subjectum est, *Quanquam Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus.* Quid ergo? falsum dictum erat, et correctum est, cum additum est, *Quanquam Jesus non baptizabat, sed discipuli ejus?* An utrumque verum est, quia et Jesus baptizabat, et non baptizabat? Baptizabat enim, quia ipse mundabat; non baptizabat, quia non ipse tingebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adjutorium majestatis. Quando enim cessaret a baptizando, quamdiu non cessat a mundando? De quo dictum est ab eodem Joanne, per Joannis Baptistæ personam dicentis, *Hic est qui baptizat* (*Joan.* I, 33). Ergo Jesus adhuc baptizat; et quo usque baptizandi sumus, Jesus baptizat. Securus homo accedat ad inferiorem ministrum; habet enim superiorem magistrum.

4. Sed forte ait aliquis: Baptizat quidem Christus in spiritu, non in corpore. Quasi vero alterius dono quam illius, quisquam etiam sacramento corporalis et visibilis Baptismatis imbuatur. Vis nosse quia ipse baptizat, non solum spiritu, sed etiam aqua? Audi Apostolum: « Sicut Christus, inquit, dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi » (*Ephes.* v, 25-27). Mundans eam. Unde? *Lavacro aquæ in verbo.* Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquæ in verbo. Tolle aquam, non est baptismus: tolle verbum, non est baptismus.

5. Jam ergo his præjactis, per quæ venit ad collocutionem cum illa muliere, videamus quæ restant plena mysteriis, et gravida sacramentis. « Oportebat autem, inquit, eum transire per Samariam. Venit ergo in civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, juxta prædium quod dedit Jacob filio suo Joseph. Erat autem ibi fons Jacob. » Puteus erat: sed omnis puteus fons, non omnis fons puteus: Ubi enim aqua de terra manat, et usui præbetur haurientibus, fons dicitur: sed si in promptu et superficie sit, fons tantum dicitur; si autem in alto et profundo sit, ita puteus vocatur, ut fontis nomen non amittat.

6. *Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Hora erat quasi sexta.* Jam incipiunt mysteria. Non enim frustra fatigatur Jesus; non enim frustra fatigatur Virtus Dei; non enim frustra fatigatur, per quem fatigati recreantur; non enim frustra fatigatur, quo deserente fatigamur, quo præsente firmamur. Fatigatur tamen Jesus; et fatigatur ab itinere, et sedet, et juxta puteum sedet, et hora sexta fatigatus sedet. Omnia ista innuunt aliquid, indicare volunt aliquid; intentos nos faciunt, ut pulsemus hortantur. Ipse ergo aperiat et nobis et vobis, qui dignatus est ita hortari ut diceret, *Pulsate, et aperietur vobis* (*Matth.* VII, 7). Tibi fatigatus est ab itinere Jesus. Invenimus Virtutem[1] Jesum, et invenimus infirmum Jesum; fortem et infirmum Jesum: fortem, quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum.* Vis videre quam iste Filius Dei fortis sit? *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil;* et sine labore facta sunt. Quid ergo illo fortius, per quem sine labore facta sunt omnia? Infirmum vis nosse? *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 3, 14). Fortitudo Christi te creavit, infirmitas Christi te recreavit. Fortitudo Christi fecit ut quod non erat esset: infirmitas Christi fecit ut quod erat non periret. Condidit nos fortitudine sua, quæsivit nos infirmitate sua.

7. Nutrit ergo ipse infirmus infirmos, tanquam gallina pullos suos; huic enim se similem fecit: *Quoties volui*, inquit ad Jerusalem, *congregare filios tuos sub alas, tanquam gallina pullos suos, et noluisti* (*Matth.* XXIII, 37)? Videtis autem, fratres, quemadmodum gallina infirmetur cum pullis suis. Nulla alia avis quod sit mater agnoscitur. Videmus nidificare passeres quoslibet ante oculos nostros; hirundines, ciconias, columbas quotidie videmus nidificare; quos nisi quando in nidis videmus, parentes esse non agnoscimus. Gallina vero sic infirmatur in pullis suis, ut etiamsi ipsi pulli non sequantur, filios non videas,

[1] Mss. quatuor, *fortem.*

matrem tamen agnoscas. Ita fit alis demissis, plumis hispida, voce rauca, omnibus membris demissa et abjecta, ut quemadmodum dixi, etiamsi filios non videas, matrem tamen intelligas. Sic ergo infirmus Jesus, fatigatus ab itinere. Iter ipsius est caro pro nobis assumpta. Quomodo enim iter habet qui ubique est, qui nusquam deest? Quo it, aut unde it, nisi quia non ad nos veniret, nisi formam visibilis carnis assumeret? Quia ergo venire ad nos eo modo dignatus est, ut in forma servi assumpta carne appareret, ipsa carnis assumptio est iter ipsius. Ideo *fatigatus ab itinere* quid est aliud, quam fatigatus in Carne? Infirmus in carne Jesus : sed noli tu infirmari; in illius infirmitate tu fortis esto, quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (I *Cor.* I, 25).

8. Sub hac rerum imagine Adam qui erat forma futuri (*Rom.* V, 14), præbuit nobis magnum indicium sacramenti; imo Deus in illo præbuit. Nam et dormiens meruit accipere uxorem, et de costa ejus facta est ei uxor (*Gen.* II, 21) : quoniam de Christo in cruce dormiente futura erat Ecclesia de latere ejus, de latere scilicet dormientis; quia et de latere in cruce pendentis lancea percusso (*Joan.* XIX, 34) Sacramenta Ecclesiæ profluxerunt. Sed quare hoc dicere volui, fratres? Quia infirmitas Christi nos facit fortes. Magna ibi imago præcessit. Potuit Deus carnem detrahere homini unde faceret feminam, et magis videtur quasi congruere potuisse. Fiebat enim sexus infirmior, et magis de carne infirmitas fieri debuit quam de osse : ossa enim in carne firmiora sunt. Non detraxit carnem unde faceret mulierem; sed detraxit os, et detracto osse formata est mulier, et in locum ossis caro adimpleta est. Poterat pro osse os reddere, poterat ad faciendam mulierem non costam, sed carnem detrahere. Quid igitur significavit? Facta est mulier in costa tanquam fortis : factus est Adam in carne tanquam infirmus. Christus est et Ecclesia, illius infirmitas nostra est fortitudo.

9. Quare ergo hora sexta? Quia ætate sæculi sexta. Computa in Evangelio tanquam unam horam, unam ætatem ab Adam usque ad Noe; secundam a Noe usque ad Abraham; tertiam ab Abraham usque ad David; quartam a David usque ad transmigrationem Babyloniæ; quintam a transmigratione Babyloniæ usque ad baptismum Joannis : inde sexta agitur. Quid miraris? Venit Jesus, et humiliando se venit ad puteum. Fatigatus venit, quia infirmam carnem portavit. Hora sexta, quia ætate sæculi sexta. Ad puteum, quia ad profunditatem hujus habitationis nostræ. Unde dicitur in Psalmis, *De profundis clamavi ad te, Domine* (*Psal.* CXXIX, 1). Sedit, ut dixi, quia humiliatus est [1].

10. *Et venit mulier.* Forma Ecclesiæ, non jam justificatæ, sed jam justificandæ; nam hoc agit sermo. Venit ignara, invenit eum, et agitur cum illa. Videamus quid, videamus quare : *Venit mulier de Samaria haurire aquam.* Samaritani ad Judæorum gentem non pertinebant : alienigenæ enim fuerunt, quamvis vicinas terras incolerent. Longum est originem Samaritanorum retexere, ne nos multa teneant, et necessaria non loquamur : sufficit ergo ut Samaritanos inter alienigenas deputemus. Et ne hoc audacius me arbitremini dixisse quam verius, audite ipsum Dominum Jesum, quid dixerit de illo Samaritano, uno de decem leprosis quos mundaverat, qui solus rediit ut gratias ageret : *Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? non erat alius qui daret gloriam Deo, nisi alienigena iste* (*Luc.* XVII, 17, 18). Pertinet ad imaginem rei, quod ab alienigenis venit ista mulier, quæ typum gerebat Ecclesiæ : ventura enim erat Ecclesia de Gentibus, alienigena a genere Judæorum. Audiamus ergo in illa nos, et in illa agnoscamus nos, et in illa gratias Deo agamus pro nobis. Illa enim figura erat, non veritas; quia et ipsa præmisit figuram, et facta est veritas. Nam credidit in eum, qui de illa figuram nobis prætendebat. *Venit* ergo *haurire aquam.* Simpliciter venerat haurire aquam, sicut solent vel viri vel feminæ.

11. « Dicit ei Jesus : Da mihi bibere. Discipuli enim ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana : Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Judæi Samaritanis. » Videtis alienigenas : omnino vasculis eorum Judæi non utebantur. Et quia ferebat secum mulier vasculum unde aquam hauriret, eo mirata est, quia Judæus petebat ab ea bibere, quod non solebant facere Judæi. Ille autem qui bibere quærebat, fidem ipsius mulieris sitiebat.

12. Denique audi quis petat bibere. *Respondit Jesus, et dixit ei : Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* Petit bibere, et promittit bibere. Eget quasi accepturus, et affluit tanquam satiaturus. *Si scires*, inquit, *donum Dei.* Donum Dei est Spiritus sanctus. Sed adhuc mulieri tecte loquitur, et paulatim intrat in cor. Fortassis jam docet. Quid enim ista hortatione suavius et benignius? *Si scires donum Dei, et scires quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan peteres, et daret tibi aquam vivam :* huc usque suspendit. Viva aqua dicitur vulgo illa quæ de fonte exit. Illa enim quæ colligitur de pluvia in lacunas aut cisternas, aqua viva non dicitur. Et si de fonte manaverit, et in loco aliquo collecta steterit, nec ad se illud unde manabat admiserit, sed interrupto [1] meatu, tanquam a fontis tramite separata fuerit; non dicitur aqua viva : sed illa aqua viva dicitur, quæ manans excipitur. Talis aqua erat in illo fonte. Quid ergo promittebat quod petebat?

13. Tamen mulier suspensa ait : *Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est.* Videte quomodo intellexerit aquam vivam, aquam scilicet quæ erat in illo fonte. Tu mihi vis dare aquam vivam, et ego fero unde hauriam, et tu non fers. Aqua viva hic est, quomodo mihi daturus es? Aliud intelligens et carnaliter sapiens quodammodo pulsat, ut aperiat magister quod

[1] Sic Mss. cum Bad. et Am. At Er. et Lov., *humilis venit.*

[1] Mss., *inrupto;* sive, *irrupto.*

clausum est. Pulsabat ignorantia, non studio; adhuc miseranda, non dum instruenda.

14. Dicit aliquid evidentius Dominus de illa aqua viva. Dixerat enim mulier, *Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus?* De hac aqua viva dare mihi non potes, quoniam hauritorium non habes: forte alium fontem promittis? Patre nostro melior potes esse, qui hunc puteum fodit, et ipse cum suis usus est eo? Dominus ergo dicat quid dixerit aquam vivam. « Respondit Jesus, et dixit ei: Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Apertius locutus est Dominus, *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Qui biberit de aqua ista, non sitiet in æternum.* Quid evidentius, quia non aquam visibilem, sed invisibilem promittebat? quid evidentius, quia non carnaliter, sed spiritualiter loquebatur?

15. Adhuc tamen illa mulier carnem sapit: delectata est non sitire, et putabat hoc secundum carnem promissum sibi esse a Domino. Quod quidem fiet, sed in resurrectione mortuorum. Jam hoc volebat illa. Dederat enim Deus aliquando servo suo Eliæ, ut per quadraginta dies nec esuriret, nec sitiret. (III *Reg.* XIX, 8). Qui hoc potuit dare per quadraginta dies, non potuit dare semper? Suspirabat tamen illa, nolens indigere, nolens laborare. Assidue venire ad illum fontem, onerari pondere, quo indigentia suppleretur; et finito quod hauserat, rursus redire cogebatur: et quotidianus ei fuit iste labor; quia indigentia illa reficiebatur, non exstinguebatur. Delectata ergo tali munere, rogat ut ei aquam vivam daret.

16. Verumtamen non prætereamus, quoniam Dominus spirituale aliquid promittebat. Quid est, *Qui biberit de aqua hac, sitiet iterum?* Et verum est secundum hanc aquam; et verum est secundum quod significabat illa aqua. Etenim aqua in puteo, voluptas sæculi est in profunditate tenebrosa: hinc eam hauriunt homines hydria cupiditatum. Cupiditatem quippe proni submittunt, ut ad voluptatem haustam de profundo perveniant; et fruuntur voluptate, præcedente et præmissa cupiditate. Nam qui non præmiserit cupiditatem, pervenire non potest ad voluptatem. Pone ergo hydriam, cupiditatem; et aquam de profundo, voluptatem: cum pervenerit quisque ad voluptatem sæculi hujus, cibus est, potus est, lavacrum est, spectaculum est, concubitus est; numquid non iterum sitiet? Ergo *de hac aqua qui biberit, iterum,* inquit, *sitiet:* si autem acceperit a me aquam, *non sitiet in æternum. Satiabimur,* inquit, *in bonis domus tuæ* (*Psal.* LXIV, 5). De qua ergo aqua daturus est, nisi de illa de qua dictum est, *Apud te est fons vitæ?* Nam quomodo sitient qui *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ* (*Psal.* XXXV, 10, 9)?

17. Promittebat ergo saginam quamdam et satietatem Spiritus sancti: et illa nondum intelligebat; et non intelligens, quid respondebat? *Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Ad laborem indigentia cogebat, et laborem infirmitas recusabat. Utinam audiret, *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam* (*Matth.* XI, 28). Hoc enim ei dicebat Jesus, ut jam non laboraret: sed illa nondum intelligebat.

18. Denique volens ut intelligeret, *dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum, et veni huc.* Quid est, *Voca virum tuum?* Per virum suum ei volebat aquam illam dare? An quia non intelligebat, per virum suum eam volebat docere? Forte quomodo ait Apostolus de mulieribus, *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent?* Sed ibi dicitur, *domi viros suos interrogent,* ubi non est Jesus qui doceat: denique dicitur mulieribus quas prohibebat Apostolus loqui in Ecclesia (I *Cor.* XIV, 35, 34). Cum vero ipse Dominus aderat, et præsens præsenti loquebatur? quid opus erat ut per virum ejus ei loqueretur? Numquid per virum suum loquebatur Mariæ sedenti ad pedes suos, et excipienti verbum suum, quando Martha circa multum ministerium etiam de sororis suæ felicitate occupatissima murmurabat? (*Luc.* X, 39, 40). Ergo, fratres mei, audiamus et intelligamus quod ait Dominus, *Voca virum tuum,* mulieri. Forte enim et animæ nostræ dicit, *Voca virum tuum.* Quæramus et de viro animæ. Cur jam non ipse Jesus vir animæ verus est? Adsit intellectus, quoniam quod dicturi sumus, vix capitur nisi ab intentis: adsit ergo intellectus ut capiatur, et ipse intellectus erit fortasse vir animæ.

19. Videns ergo Jesus quia mulier non intelligebat, et volens eam intelligere, *Voca,* inquit, *virum tuum.* Ideo enim nescis quod dico, quia intellectus tuus non adest: loquor ego secundum spiritum, tu audis secundum carnem. Quæ loquor, nec ad voluptatem aurium pertinent, nec ad oculos, nec ad olfactum, nec ad gustum, nec ad tactum; mente sola capiuntur, intellectu solo hauriuntur: ille intellectus non tibi adest, quomodo capis quod dico? *Voca virum tuum,* præsenta intellectum tuum. Quid tibi est enim animam habere? Non est magnum, nam et pecus habet. Unde tu melior? Quia intellectum habes, quod pecus non habet. Quid est ergo, *Voca virum tuum?* Non me capis, non me intelligis: de dono Dei tibi loquor, tu autem carnem cogitas; secundum carnem sitire non vis, ego spiritum alloquor: absens est intellectus tuus, *Voca virum tuum.* Noli esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (*Psal.* XXXI, 9). Ergo, fratres mei, animam habere, et intellectum non habere, hoc est, non adhibere, nec secundum eum vivere, bestialis est vita. Est enim in nobis quiddam bestiale quo in carne vivimus, sed intellectu regendum est. Motus enim animæ secundum carnem se moventis, et in delicias carnales immoderate diffluere cupientis, regit desuper intellectus. Qui debet dici vir? qui regit, an qui regitur? Procul dubio cum ordinata vita est, intellectus animam regit, ad ipsam animam pertinens. Non enim aliquid aliud est quam anima, sed aliquid animæ est intellectus: quomodo non aliquid aliud quam caro est oculus, sed aliquid carnis est oculus. Cum autem car-

nis aliquid sit oculus, solus tamen luce perfruitur: cætera autem membra carnalia luce perfundi possunt, lucem sentire non possunt; solus ea oculus et perfunditur et perfruitur. Sic in anima nostra quiddam est quod intellectus vocatur. Hoc ipsum animæ quod intellectus et mens dicitur, illuminatur luce superiore. Jam superior illa lux, qua mens humana illuminatur, Deus est; *Erat enim verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan.* I, 9). Talis lux Christus erat, talis lux cum muliere loquebatur: et illa intellectu non aderat, qui illa luce illuminaretur, nec tantum perfunderetur, verum etiam frueretur. Ergo Dominus tanquam diceret, Illustrare volo, et non adest quem; *Voca*, inquit, *virum tuum:* adhibe intellectum per quem docearis, quo regaris. Ergo constitue animam excepto intellectu tanquam feminam: intellectum autem habere, tanquam virum. Sed iste vir non bene regit feminam suam, nisi cum a superiore regitur. Caput enim mulieris vir, caput autem viri Christus (I *Cor.* XI, 3). Loquebatur caput viri cum femina, et non aderat vir. Et tanquam diceret Dominus, Adhibe caput tuum ut ille suscipiat caput suum: ergo *voca virum tuum, et veni huc;* id est, adesto, præsens esto: velut enim absens es, dum non intelligis præsentis vocem veritatis; præsens esto, sed noli sola; cum viro tuo adesto.

20. Et adhuc illa nondum advocato illo viro, non intelligit, adhuc carnem sapit; absens est enim vir: *Non habeo*, inquit, *virum*. Et Dominus sequitur, et mysteria loquitur. Intelligas revera istam mulierem non habuisse tunc virum; sed coutebatur nescio quo non legitimo viro, adultero magis quam viro. *Et Dominus ei: Bene dixisti, Quia non habeo virum.* Unde ergo tu dixisti, *Voca virum tuum?* Et audi quia bene novit Dominus eam non habere virum, *Dicit ei*, etc. Ne forte putaret mulier ideo dixisse Dominum, *Bene dixisti, Quia non habeo virum*, quod hoc a muliere didicerit, non quod ipse istud divinitate cognoverit, audi aliquid quod non dixisti: *Quinque enim viros habuisti, et iste quem habes, non est vir tuus, hoc vere dixisti.*

21. Iterum cogit de istis quinque viris subtilius aliquid perscrutari. Multi quippe intellexerunt, non quidem absurde, nec usquequaque improbabiliter, quinque viros mulieris hujus, quinque libros Moysi (*a*). Utebantur enim eis Samaritani, et sub eadem Lege erant: nam inde illis et circumcisio inerat. Sed quoniam angustat nos quod sequitur, *Et nunc quem habes, non est vir tuus;* videtur mihi facilius nos posse accipere quinque viros priores animæ, quinque sensus corporis esse. Quando enim quisque nascitur, antequam uti possit mente atque ratione, non regitur nisi sensibus carnis. Anima in puero parvulo, quod auditur, quod videtur, quod olet, quod sapit, quod tactu sentitur, hoc appetit aut fugit. Appetit quidquid mulcet, fugit quidquid offendit hos quinque sensus. Hos enim quinque sensus mulcet voluptas, offendit dolor. Secundum hos quinque sensus, tanquam quinque viros, prius vivit anima; quia istis regitur. Quare autem viri dicti sunt? Quia legitimi. A Deo quippe facti, et a Deo donati animæ. Infirma est adhuc quæ istis quinque sensibus regitur, et sub istis quinque viris agit: at ubi venerit ad annos exserendæ rationis, si eam susceperit optima disciplina et doctrina sapientiæ; quinque illis viris ad regendum non succedit, nisi vir verus legitimus et illis melior, et qui melius regat, et qui ad æternitatem regat, ad æternitatem excolat, ad æternitatem instruat. Nam nisi quinque sensus non ad æternitatem nos regunt, sed ad ista temporalia vel appetenda vel fugienda. Ubi vero intellectus sapientia imbutus regere cœperit animam, scit jam non solum fugere foveam, et ambulare in æquali quod oculi ostendunt animæ infirmæ: nec tantum canoras voces suaviter audire, dissonasque repellere; vel blandis odoribus delectari, putoresque respuere; aut dulcedine capi, et amaritudine offendi; aut lenibus mulceri, et asperis lædi. Ista enim omnia infirmæ animæ sunt necessaria. Quid ergo regiminis adhibetur per illum intellectum? Non alba et nigra discreturus est, sed justa et injusta, bona et mala, utilia et inutilia, castitatem et impudicitiam, hanc ut amet, istam ut vitet; charitatem et odium, in hac ut sit, in illo ut non sit.

22. Hic vir quinque illis viris in ista muliere non successerat. Ubi enim non succedit ille, error dominatur. Nam cum cœperit anima capax esse rationis, aut a sapiente mente regitur, aut ab errore: sed error non regit, sed perdit. Post istos ergo quinque sensus mulier illa adhuc errabat, et error eam ventilabat. Error autem iste non erat legitimus vir, sed adulter: ideo ei Dominus, ait, *Bene dixisti, Quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti:* quinque te sensus carnis primo rexerunt; venisti ad ætatem utendæ rationis, nec ad sapientiam pervenisti, sed in errorem incidisti. Ergo post illos quinque viros, *iste quem habes, non est tuus vir.* Et quid erat, si vir non erat, nisi adulter? *Voca* itaque non adulterum, sed *virum tuum;* ut intellectu me capias, non errore de me aliquid falsum sentias. Adhuc enim errabat mulier, quæ aquam illam cogitabat; cum jam Dominus de Spiritu sancto loqueretur. Quare errabat, nisi quia adulterum, non virum habebat? Tolle ergo hinc istum adulterum qui te corrumpit, et *vade, voca virum tuum.* Voca, et veni, ut intelligas me.

23. *Dicit ei mulier: Domine, video quia propheta es tu.* Cœpit venire vir, nondum plene venit. Prophetam Dominum putabat. Erat quidem et propheta: nam de seipso ait, *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua* (*Luc.* IV, 24). Item de illo dictum est ad Moysen, *Prophetam eis suscitabo de fratribus eorum, similem tui* (*Deut.* XVIII, 18). Similem scilicet ad formam carnis, non ad eminentiam majestatis. Ergo invenimus Dominum Jesum dictum prophetam. Proinde jam non multum errat mulier ista. *Video*, inquit, *quia propheta es tu.* Incipit vocare virum, adulterum excludere: *Video quia propheta es tu.* Et incipit quærere quod illam solet movere. Contentio quippe fuerat inter Samaritanos et Judæos, quia Judæi in templo a Salo-

(*a*) Sic intellexit Ambrosius in Luc., capp. 14 et 20. At Origeni cum Augustino visum est significari sensus corporis.

monte fabricato adorabant Deum; Samaritani longe inde positi, non in eo adorabant. Ideo Judæi meliores se esse jactabant, quia in templo adorabat Deum. *Non enim coutuntur Judæi Samaritanis :* quia dicebant eis, Quomodo vos jactatis, et ideo vos meliores nobis esse perhibetis, quia templum habetis quod nos non habemus? Numquid patres nostri qui Deo placuerunt in illo templo adoraverunt? nonne in monte isto adoraverunt, ubi nos sumus? Melius ergo nos, inquiunt, in hoc monte Deum rogamus, ubi patres nostri rogaverunt. Contendebant utrique ignari, quia virum non habentes : illi pro templo, illi pro monte inflabantur adversus invicem.

24. Dominus tamen modo quid docet mulierem, tanquam cujus vir cœperit præsens esse? *Dicit ei mulier : Domine, video quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Jerosolymis est locus ubi*[1] *adorare oportet. Dicit ei Jesus : Mulier, crede mihi.* Veniet enim Ecclesia, sicut dictum est in Canticis canticorum, *veniet et pertransiet ab initio fidei* (*Cant.* IV, 8, *sec.* LXX). Veniet ut pertranseat, et pertransire non potest nisi *ab initio fidei.* Merito jam præsente viro audit, *Mulier, crede mihi.* Jam enim est in te qui credat, quia præsens est vir tuus. Cœpisti adesse intellectu, quando me prophetam appellasti. *Mulier, crede mihi :* quia nisi credideritis, non intelligetis (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX). Ergo, *Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus; quia salus ex Judæis est. Sed veniet hora.* Quando? *Et nunc est.* Quæ ergo hora? *Quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate;* non in monte isto, non in templo, sed in spiritu et veritate. *Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum.* Quare Pater tales quærit qui adorent eum, non in monte, non in templo, sed in spiritu et veritate? *Spiritus est Deus.* Si corpus esset Deus, oportebat eum adorari in monte, quia corporeus est mons; oportebat eum adorari in templo, quia corporeum est templum. *Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*

25. Audivimus, et manifestum est; foras ieramus, intro missi sumus. O si invenirem, dicebas, montem aliquem altum et solitarium! credo enim quia in alto est Deus, magis me exaudit ex alto. Quia in monte es, propinquum te Deo putas, et cito te exaudiri, quasi de proximo clamantem? In excelsis habitat, sed *humilia respicit. Prope est Dominus.* Quibus? forte altis? *His qui obtriverunt cor* (*Psal.* XXXIII, 19). Mira res est: et in altis habitat, et humilibus propinquat : *humilia respicit, excelsa autem a longe cognoscit* (*Psal.* CXXXVII, 6); superbos longe videt, eo illis minus propinquat, quo sibi videntur altiores. Quærebas ergo montem? descende ut attingas. Sed ascendere vis? ascende : noli montem quærere. *Ascensiones*, inquit, *in corde ejus* (hoc Psalmus dicit), *in convalle plorationis* (*Psal.* LXXXIII, 6, 7). Convallis humilitatem habet. Ergo intus age totum. Et si forte quæris aliquem locum altum, aliquem locum sanctum, intus exhibe te templum Deo. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos (I *Cor.* III, 17). In templo vis orare? in te ora. Sed prius esto templum Dei, quia ille in templo suo exaudiet orantem.

26. *Venit ergo hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nos adoramus quod scimus, vos adoratis quod nescitis; quoniam salus ex Judæis est.* Multum dedit Judæis : sed noli istos reprobos accipere. Parietem illum accipe cui adjunctus est alius, ut pacati in lapide angulari, quod est Christus, copulentur. Unus enim paries a Judæis, unus a Gentibus : longe a se isti parietes, sed donec in angulo conjungantur. Alienigenæ autem hospites erant, et peregrini a testamentis Dei (*Ephes.* II, 12-22). Secundum hoc ergo dictum est, *Nos adoramus quod scimus.* Ex persona quidem Judæorum dictum est, sed non omnium Judæorum, non reproborum Judæorum : sed de qualibus fuerunt Apostoli, quales fuerunt Prophetæ, quales fuerunt illi omnes sancti, qui omnia sua vendiderunt, et pretia rerum suarum ad pedes Apostolorum posuerunt (*Act.* IV, 34, 35). Non enim repulit Deus plebem suam quam præscivit (*Rom.* XI, 2).

27. Audivit hoc mulier ista, et addidit. Jamdudum prophetam dixerat; vidit talia dicere eum cum quo loquebatur, quæ jam plus essent ad prophetam[1]; et quid respondit, videte : *Dicit ei mulier, Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus : cum ergo venerit ille, omnia nobis demonstrabit.* Quid est hoc? Modo, inquit, de templo contendunt Judæi, et nos de monte contendimus : cum ille venerit, et montem spernet, et templum evertet; docebit nos iste omnia, ut in spiritu et veritate noverimus adorare. Sciebat quis eam posset docere, sed jam docentem nondum agnoscebat. Jam ergo digna erat cui manifestaretur. Messias autem unctus est; unctus græce Christus est; hebraice Messias est : unde et punice, Messe dicitur unge. Cognatæ quippe sunt linguæ istæ et vicinæ, hebraica, punica, et syra.

28. Ergo *dicit ei mulier, Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus : cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Jesus : Ego sum qui loquor tecum.* Vocavit virum suum, factus est vir ejus caput mulieris, factus est Christus caput viri (I *Cor.* XI, 3). Jam mulier ordinatur in fide, et regitur bene victura. Postcaquam audivit hoc, *Ego sum qui loquor tecum*, jam ultra quid diceret; quando Christus Dominus manifestare se voluit mulieri, cui dixerat, *Crede mihi?*

29. *Et continuo venerunt discipuli ejus, et mirabantur quia cum muliere loquebatur.* Quia quærebat perditam, qui venerat quærere quod perierat, hoc illi mirabantur. Bonum enim mirabantur, non malum suspicabantur. *Nemo tamen dixit : Quid quæris aut quid loqueris cum ea?*

30. *Reliquit ergo hydriam suam mulier.* Audito, *Ego sum qui loquor tecum*, et recepto in cor Christo Domino, quid faceret, nisi jam hydriam dimitteret, et evangelizare curreret? Projecit cupiditatem, et oro-

[1] In Mss. omittitur, *est locus ubi.*

[1] In sex Mss., *plus esset a propheta.*

peravit annuntiare veritatem. Discant qui volunt evangelizare, projiciant hydriam ad puteum. Recordamini quid superius dixerim de hydria : vas erat unde aqua hauriebatur, græco nomine appellatur hydria, quoniam græce ὕδωρ aqua dicitur; tanquam si aquarium diceretur. Projecit ergo hydriam, quæ jam non usui, sed oneri fuit : avida quippe desiderabat aqua illa satiari. Ut nuntiaret Christum, onere abjecto, *cucurrit ad civitatem, et dicit illis hominibus : Venite, et videte hominem qui mihi dixit omnia quæcumque feci.* Pedetentim, ne illi quasi irascerentur, et indignarentur, et persequerentur. *Venite, et videte hominem qui dixit mihi omnia quæcumque feci : numquid ipse est Christus? Exierunt de civitate, et veniebant ad eum.*

31. *Et interea rogabant eum discipuli dicentes : Rabbi, manduca.* Ierant enim emere cibos et venerant. *Ille autem dixit : Ego habeo cibum manducare quem vos non scitis. Dicebant ergo discipuli ad invicem : Numquid aliquis attulit ei manducare?* Quid mirum si mulier illa non intelligebat aquam? ecce discipuli nondum intelligunt escam. Audivit autem cogitationes illorum, et jam instruit ut magister; non per circuitum, sicut illam cujus adhuc virum requirebat, sed jam aperte : *Meus*, inquit, *cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Ergo et potus ipse erat in illa muliere, ut faceret voluntatem ejus, qui miserat eum. Ideo dicebat, *Sitio, da mihi bibere;* scilicet ut fidem in ea operaretur, et fidem ejus biberet, et eam in corpus suum trajiceret : corpus enim ejus Ecclesia. Ipse *est* ergo, inquit, *cibus meus ut faciam voluntatem ejus qui me misit.*

32. *Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit?* In opus fervebat, et operarios mittere disponebat. Vos quatuor menses computatis usque ad messem; ego vobis aliam messem albam et paratam ostendo. *Ecce dico vobis, levate oculos vestros, et videte quia jam albæ sunt regiones ad messem.* Ergo messores missurus est. *In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui metit, alius qui seminat : ut et qui seminat simul gaudeat et qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis : alii laboraverunt, et vos in laborem eorum introistis.* Quid ergo? messores misit, non seminatores? Quo messores? Ubi jam alii laboraverunt. Nam ubi jam laboratum erat, utique seminatum erat; et quod seminatum erat, jam maturum erat factum, falcem et trituram desiderabat. Quo ergo erant messores mittendi? Ubi jam Prophetæ prædicaverant; ipsi enim seminatores. Nam si ipsi non seminatores, unde ad illam mulierem pervenerat, *Scio quia Messias veniet?* Jam ista mulier fructus maturus erat, et erant albæ messes, et falcem quærebant. *Misi vos* ergo : quo? *Metere quod non seminastis : alii seminaverunt, et vos in labores eorum introistis.* Qui laboraverunt? Ipse Abraham, Isaac, et Jacob. Legite labores eorum : in omnibus laboribus eorum prophetia Christi; et ideo seminatores. Moyses et cæteri Patriarchæ et omnes Prophetæ, quanta pertulerunt in illo frigore quando seminabant? Ergo jam in Judæa messis parata erat. Merito ibi tanquam matura seges fuit, quando tot hominum millia pretia rerum suarum afferebant, et ad pedes Apostolorum ponentes, expeditis humeris a sarcinis sæcularibus, Christum Dominum sequebantur : vere matura messis. Quid inde factum est? De ipsa messe ejecta sunt pauca grana, et seminaverunt orbem terrarum, et surgit alia messis quæ in fine sæculi metenda est. De ista messe dicitur, *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (*Psal.* CXXV, 5). Ad istam ergo messem non Apostoli, sed Angeli mittentur : *Messores*, inquit, *Angeli sunt* (*Matth.* XIII, 39). Ista ergo messis crescit inter zizania, et exspectat purgari in fine. Illa vero messis jam matura erat, quo prius missi sunt discipuli, ubi Prophetæ laboraverunt. Sed tamen, fratres, videte quid dictum sit : *Simul gaudeat et qui seminat et qui metit.* Dispares [1] temporis labores habuerunt : sed gaudio pariter perfruentur, mercedem simul accepturi sunt vitam æternam.

33. *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritani, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. Cum venissent autem ad eum Samaritani, rogaverunt ut apud eos maneret, et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter sermonem ejus : et mulieri dicebant : Quia jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim nos audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi.* Et hoc paululum animadvertendum est, quia lectio terminata est. Mulier primum nuntiavit, et ad mulieris testimonimum crediderunt Samaritani, et rogaverunt eum ut apud eos maneret, et mansit ibi biduo, et plures crediderunt : et cum credidissent, dicebant mulieri, *Non jam propter verbum tuum credimus, sed ipsi cognovimus, et scimus quia vere hic est Salvator mundi;* primo per famam [2], postea per præsentiam. Sic agitur hodie cum eis qui foris sunt, et nondum sunt christiani : Christus nuntiatur per christianos amicos; tanquam illa muliere, hoc est Ecclesia annuntiante, ad Christum veniunt, credunt per istam famam; manet apud eos biduo, hoc est, dat illis duo præcepta charitatis; et multo plures et firmius in eum credunt, quoniam vere ipse est Salvator mundi.

TRACTATUS XVI.

Ab eo Evangelii loco, Post duos autem dies exiit inde, et abiit in Galilæam; *usque ad id*, Et credidit ipse, et domus ejus tota. *Cap.* IV, ỷ. 43-53.

1. Hodierna evangelica lectio, hesterni diei sequitur lectionem, quæ nobis ad disputandum proponitur. In qua quidem sensus non sunt investigatione difficiles, sed digni prædicatione, digni admiratione et laudatione. Proinde locum istum Evangelii cum commendatione commemoremus potius, quam cum difficultate tractemus. *Abiit* enim Jesus post biduum quod fecerat in Samaria *in Galilæam* ubi nutritus erat. Secutus autem Evangelista ait : *Ipse enim Jesus testimonium perhibuit quia propheta in patria sua honorem non habet.*

[1] In tribus Mss., *Disparis*
[2] Lov., *per feminam :* dissentientibus editis aliis et Mss.

Non propterea post biduum discessit Jesus de Samaria, quia honorem in Samaria non habebat : non enim Samaria patria ipsius erat, sed Galilæa. Cum ergo istam deseruisset tam cito, et ad Galilæam venisset ubi nutritus erat; quomodo attestatur *quia propheta in patria sua honorem non habet?* Magis videtur attestari potuisse quod propheta in patria sua honorem non haberet, si contemneret pergere in Galilæam, et in Samaria remansisset.

2. Intendat ergo Charitas vestra insinuatum nobis non modicum sacramentum, suggerente Domino et donante quod loquar. Quæstionem propositam cognovistis, solutionem ejus exquirite. Sed repetamus propositionem, ut solutionem desiderabilem faciamus. Movet nos cur Evangelista dixerit, *Ipse enim Jesus testimonium perhibuit quod propheta in patria sua honorem non habet.* Hoc permoti retexímus verba superiora, ut inveniamus cur hoc Evangelista dicere voluerit; et invenimus superiora verba ejus ita narrantis, quoniam post biduum profectus est de Samaria in Galilæam. Propter hoc ergo dixisti, o Evangelista, testimonium perhibuisse Jesum quod propheta in patria sua honorem non haberet; quia post biduum reliquit Samariam, et properavit venire in Galilæam? Imo vero quasi videor mihi congruentius intelligere, quia si honorem in patria sua Jesus non haberet, non ad eamdem relicta Samaria festinaret. Sed ni fallor, imo quia verum est, et non fallor, melius enim quam ego, vidit Evangelista quid diceret, melius me veritatem videbat, qui eam de pectore Domini bibebat. Ipse est enim Joannes evangelista, qui inter omnes discipulos super pectus Domini discumbebat; et quem Dominus charitatem debens omnibus, tamen præ cæteris diligebat (*Joan.* XIII, 25, *et* XXI, 20). Ergo ille falleretur, et ego recta sentirem? Imo si pie sapio, obedienter audiam quod dixit, ut merear sentire quod sensit.

3. Accipite itaque, charissimi, quid hic sentiam, sine præjudicio, si vos melius aliquid senseritis. Magistrum enim unum omnes habemus, et in una schola condiscipuli sumus. Hoc ergo sentio, et videte si non aut verum est, aut propinquat veritati quod sentio. In Samaria biduum fecit, et crediderunt in eum Samaritani : tot dies in Galilæa fecit, et non in eum crediderunt Galilæi. Retexite vel recolite memoria hesterni diei et lectionem et sermonem. Venit in Samariam, ubi eum primo mulier illa prædicaverat, cum qua ad puteum Jacob locutus erat magna mysteria : eo viso Samaritani et audito crediderunt in eum propter verbum mulieris, et firmius crediderunt propter verbum ejus, et plures crediderunt : sic scriptum est. Ibi facto biduo (quo numero dierum mystice commendatus est duorum numerus præceptorum, in quibus duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ [*Matth.* XXII, 37-40], sicut hesterno die nos commendasse meministis), pergit in Galilæam, et venit in civitatem Canam Galilææ, ubi aquam vinum fecit. Ibi autem quando aquam in vinum convertit, sicut scribit ipse Joannes, crediderunt in eum discipuli ejus (*Joan.* II, 1-11) : et utique plena erat domus turbis convivantium. Factum est tam magnum miraculum, et non in eum crediderunt nisi discipuli ejus. Hanc civitatem Galilææ modo repetivit. *Et ecce quidam regulus, cujus filius infirmabatur, venit ad eum, et rogare cœpit ut descenderet*, ad illam civitatem vel domum, *et sanaret filium ejus; incipiebat enim mori.* Qui rogabat, non credebat? Quid a me exspectas audire? Dominum interroga quid de illo senserit. Rogatus enim talia respondit : *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Arguit hominem in fide tepidum, aut frigidum, aut omnino nullius fidei : sed tentare cupientem de sanitate filii sui, qualis esset Christus, quis esset, quantum posset. Verba enim rogantis audivimus, cor diffidentis non videmus : sed ille pronuntiavit, qui et verba audivit et cor inspexit. Denique et ipse Evangelista testimonio narrationis suæ ostendit quia nondum crediderat, qui venire ad domum suam Dominum cupiebat, ad sanandum filium ejus. Nam posteaquam ei nuntiatum est sanum esse filium ejus, et invenit ea hora sanatum, qua hora Dominus dixerat, *Vade, filius tuus vivit; et credidit*, inquit, *ipse, et domus ejus tota.* Si ergo propterea credidit ipse et domus ejus tota, quia nuntiatus est ei filius ejus sanus, et comparavit horam nuntiantium horæ prænuntiantis; quando rogabat, nondum credebat. Samaritani nullum signum exspectaverant, verbo ejus tantummodo crediderant : cives autem ejus audire meruerunt, *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis;* et ibi tamen facto tanto miraculo, non credidit nisi ipse et domus ejus. Ad solum sermonem crediderunt plures Samaritani : ad illud miraculum sola illa domus credidit, ubi factum est. Quid igitur, fratres, quid nobis commendat Dominus? Tunc Galilæa Judææ patria erat Domini, quia ibi nutritus est : nunc vero quia portendit aliquid res illa; non enim sine causa dicta sunt prodigia, nisi quia aliquid portendunt : prodigium enim appellatum est quasi porrodicium [1], quod porro dicat, porro significet, et aliquid futurum esse portendat : quia ergo aliquid illa omnia portendebant, aliquid illa omnia prædicebant, faciamus modo nos patriam Domini nostri Jesu Christi secundum carnem (non enim habuit patriam in terra, nisi secundum carnem, quam accepit in terra); faciamus ergo patriam Domini populum Judæorum. Ecce in patria sua honorem non habet. Modo attende Judæorum turbas, attende jam gentem illam dispersam toto orbe terrarum, et evulsam radicibus suis; attende ramos fractos, concisos, dispersos, aridos, quibus fractis inseri meruit oleaster (*Rom.* XI, 17) : vide turbam Judæorum, quid dicit modo? Quem colitis, quem adoratis, frater noster erat. Et nos respondeamus, *Propheta in patria sua honorem non habet.* Denique illi ambulantem Dominum Jesum in terra, facientemque miracula; cæcos illuminantem, surdis aures aperientem, mutorum ora solventem, paralyticorum membra stringentem, super mare ambulantem, ventis imperantem et fluctibus, mortuos suscitantem; tanta signa facientem viderunt, et vix

[1] In plerisque Mss., *prodicium.*

inde pauci crediderunt. Populo Dei loquor : tam multi credidimus, quæ signa vidimus? Illud ergo quod factum est tunc, hoc quod nunc agitur portendebat. Judæi fuerunt vel sunt similes Galilæis; nos similes illis Samaritanis. Evangelium audivimus, Evangelio consensimus, per Evangelium in Christum credidimus; nulla signa vidimus, nulla exigimus.

4. Quamvis enim unus ex duodecim electis et sanctis, tamen Israelita fuit, de gente scilicet Domini, Thomas ille, qui in loca vulnerum digitos cupiebat mittere. Sic eum arguit Dominus quomodo istum regulum. Huic dixit, *Nisi signa et prodigia videritis non creditis :* illi autem dixit, *Quia vidisti, credidisti.* Ad Galilæos venerat, post Samaritanos qui sermoni ejus crediderant, apud quos nulla miracula fecerat, quos firmos in fide securus cito dimiserat, quia divinitatis præsentia non dimiserat. Ergo quando dicebat Dominus Thomæ, *Veni, mitte manum tuam, et noli esse incredulus, sed fidelis;* et cum ille exclamaret, tactis vulnerum locis, et diceret, *Dominus meus, et Deus meus :* increpatur et dicitur ei, *Quia vidisti, credidisti.* Quare, nisi *quia propheta in patria sua honorem non habet?* Quia vero apud alienigenas propheta iste honorem habet, quid sequitur? *Beati qui non viderunt et crediderunt* [1] (*Joan.* xx, 25-29). Prædicti sumus nos; et quod Dominus ante laudavit, et in nobis implere dignatus est. Viderunt qui crucifixerunt, palpaverunt, et sic pauci crediderunt : nos non vidimus, non contrectavimus, audivimus, credidimus. Fiat in nobis, perficiatur in nobis beatitudo quam promisit; et hic, quia patriæ ipsius prælati sumus; et in futuro sæculo, quia pro ramis fractis inserti sumus.

5. Hos enim ramos se fracturum esse monstrabat, et hunc oleastrum inserturum, quando commotus Centurionis fide, qui ei dixit, « Non sum dignus ut sub tectum meum intres; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus : nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic, Vade, et vadit; et huic, Veni, et venit; et servo meo, Fac hoc, et facit. Conversus ad eos qui se sequebantur, dixit, Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. » Quare non invenit tantam fidem in Israel? Quia *propheta in patria sua honorem non habet.* Numquid non et illi centurioni poterat dicere Dominus, quod dixit huic regulo, *Vade, puer tuus vivit?* Videte distinctionem : regulus iste Dominum ad domum suam descendere cupiebat; ille centurio indignum se esse dicebat. Illi dicebatur, *Ego venio* [2] *et curabo eum;* huic dictum est, *Vade, filius tuus vivit.* Illi præsentiam promittebat; hunc verbo sanabat. Iste tamen præsentiam ejus extorquebat; ille se præsentia ejus indignum esse dicebat. Hic cessum est elationi; illic concessum est humilitati. Tanquam huic diceret, *Vade, filius tuus vivit*, noli mihi tædium facere. *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis :* præsentiam meam vis in domo tua, possum et verbo jubere; noli tu de signis credere : centurio alienigena credidit me verbo posse facere, et antequem facerem credidit; vos, *nisi signa et prodigia videritis, non creditis.* Ergo si ita est, frangantur superbi rami, humilis inseratur oleaster : maneat tamen radix, illis præcisis, istis receptis. Ubi manet radix? In Patriarchis. Etenim patria Christi populus Israel, quia ex eis venit secundum carnem : sed hujus arboris radix, Abraham, Isaac, et Jacob, patriarchæ sancti. Et ubi isti? In requie apud Deum, in honore magno : ut in Abrahæ sinum adjutus [1] ille pauper post corporis exitum levaretur, et in Abrahæ sinu de longinquo a superbo divite videretur (*Luc.* xvi, 22, 23). Ergo radix manet, radix laudatur : sed rami superbi et præcidi et arescere meruerunt; oleaster autem humilis illorum præcisione invenit locum.

6. Audi ergo quemadmodum præcidantur rami naturales, quemadmodum inseratur oleaster, ex ipso centurione, quem propter comparationem hujus reguli commemorandum putavi. *Amen,* inquit, *dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel : propterea dico vobis, quia multi ab oriente et occidente.* Quam late terram occupaverat oleaster! Amara silva mundus hic fuit : sed propter humilitatem, propter *Non sum dignus ut sub tectum meum intres, Multi ab oriente et occidente venient.* Et puta quia venient : quid de illis fiet? Si enim venient, jam præcisi sunt de silva : ubi inserendi sunt, ne arescant? *Et recumbent,* inquit, *cum Abraham, et Isaac, et Jacob.* In quo convivio; ne forte non invites ad semper vivendum, sed ad multum bibendum? *Recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob.* Ubi? *In regno,* inquit, *cœlorum.* Et quid erit de illis qui venerunt de stirpe Abrahæ? quid fiet de ramis quibus arbor plena erat? Quid, nisi quia præcidentur, ut isti inserantur? Doce quia præcidentur : *Filii autem regni ibunt in tenebras exteriores* (*Matth.* viii, 5-12).

7. Habeat ergo apud nos honorem Propheta, quia non habuit honorem in patria sua. Non habuit honorem in patria, in qua conditus est; habeat honorem in patria quam condidit. In illa enim conditus est conditor omnium, conditus in illa est secundum formam servi. Nam ipsam civitatem in qua conditus est, ipsam Sion, ipsam Judæorum gentem, ipsam Jerusalem, ipse condidit cum esset apud Patrem Verbum Dei : *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* De illo ergo homine de quo hodie audivimus, unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* ii, 5), etiam Psalmus prælocutus est, dicens, *Mater Sion, dicet homo.* Quidam homo, mediator Dei et hominum homo, Mater Sion dicit. Quare Mater Sion dicit? Quia inde accepit carnem, inde virgo Maria, de cujus utero servi forma suscepta est, in qua dignatus est apparere humillimus. Mater Sion dicit homo, et homo iste qui dicit Mater Sion, factus est in ea, *homo factus est in ea.* Nam Deus erat

[1] Mss., *qui non vident et credunt.*
[2] Lov., *Ego veniam.* Cæteri libri, *Ego venio.*

[1] Editi Am. Bad. et Er., *justus.* Vindocinensis Ms., *ad justos.* At Mss. alii cum Lov., *adjutus :* quod nomen ipsum Lazari est interpretatum.

ante eam, et homo factus est in ea. Qui homo factus est in ea, *ipse fundavit eam Altissimus* (*Psal.* LXXXVI, 5), non humillimus. *Homo factus est in ea* humillimus; quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : ipse fundavit eam Altissimus;* quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum; et Deus erat Verbum : omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1, 3, 14). Quia vero condidit istam patriam, hic habeat honorem. Repulit eum patria in qua generatus est; suscipiat eum patria quam regeneravit.

TRACTATUS XVII.

Ab eo quod scriptum est, Post hæc erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam ; *usque ad id,* Quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. *Cap.* V, ℣. 1-18.

1. Mirum non esse debet a Deo factum miraculum : mirum enim esset si homo fecisset. Magis gaudere quam mirari [1] debemus, quia Dominus noster et salvator Jesus Christus homo factus est, quam quod divina inter homines Deus fecit. Plus est enim ad salutem nostram quod factus est propter homines, quam quod fecit inter homines : et plus est quod vitia sanavit animarum, quam quod sanavit languores corporum moriturorum. Sed quia ipsa anima non eum noverat a quo sananda erat, et oculos habebat in carne unde facta corporalia videret, nondum habebat sanos in corde, unde Deum latentem cognosceret; fecit quod videre poterat, ut sanaretur unde videre non poterat. Ingressus est locum ubi jacebat magna multitudo languentium, cæcorum, claudorum, aridorum; et cum esset medicus et animarum et corporum, et qui venisset sanare omnes animas crediturorum, de illis languentibus unum elegit quem sanaret, ut unitatem significaret. Si mediocri corde, et quasi humano captu et ingenio consideremus facientem, et quod ad potestatem pertinet, non magnum aliquid perfecit; et quod ad benignitatem, parum [2] fecit. Tot jacebant, et unus curatus est, cum posset uno verbo omnes erigere. Quid ergo intelligendum est, nisi quia potestas illa et bonitas illa magis agebat quid animæ in factis ejus pro salute sempiterna intelligerent, quam quid pro temporali salute corpora mererentur? Corporum enim salus quæ vera exspectatur a Domino, erit in fine in resurrectione mortuorum : tunc quod vivet, non morietur; tunc quod sanabitur, non ægrotabit; tunc quod satiabitur, non esuriet aut sitiet; tunc quod renovabitur, non veterascet. Nunc vero in illis factis Domini et salvatoris nostri Jesu Christi, et cæcorum aperti oculi, morte clausi sunt; et paralyticorum membra constricta, morte dissoluta sunt; et quidquid sanatum est temporaliter in membris mortalibus, in fine defecit : anima vero quæ credidit; ad vitam æternam transitum fecit. Animæ ergo crediture, cujus peccata dimittere venerat, ad cujus languores sanandos se humiliaverat, de hoc languido sanato magnum signum dedit. Cujus rei et cujus signi profundum sacramentum, quantum Dominus donare dignatur, attentis vobis et orando adjuvantibus infirmitatem nostram, loquar ut potero. Quidquid autem non possum, supplebit in vobis ipse, quo adjuvante facio quod possum.

2. De hac piscina quæ quinque porticibus cingebatur, in quibus jacebat magna multitudo languentium, assidue nos tractasse memini; et rem dicturus sum quam mecum plures recognoscant potius quam cognoscant. Verum nihil est ab re, etiam nota repetere, ut et qui non noverant instruantur; et qui noverant confirmentur. Proinde tanquam nota breviter perstringenda sunt, non otiose inculcanda. Piscina illa et aqua illa populum mihi videtur significasse Judæorum. Significari enim populos nomine aquarum, aperte nobis indicat Apocalypsis Joannis : ubi ei cum ostenderentur aquæ multæ, et interrogasset quid essent, responsum accepit, populos esse (*Apoc.* XVII, 15). Aqua ergo illa, id est populus ille, quinque libris Moysi, tanquam quinque porticibus claudebatur. Sed illi libri prodebant languidos, non sanabant. Lex enim peccatores convincebat, non absolvebat. Ideo littera sine gratia reos faciebat, quos confitentes gratia liberabat. Nam hoc dicit Apostolus : *Si enim data esset lex quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia.* Quare ergo data est Lex? Sequitur, et dicit : *Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* (*Galat.* III, 21, 22). Quid evidentius? Nonne verba hæc exposuerunt nobis et quinque porticus, et languentium multitudinem? Quinque porticus Lex est. Quare quinque porticus non sanabant languentes? Quia *si data esset lex quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia.* Quare ergo continebant quos non sanabant? Quia *conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.*

3. Quid ergo fiebat ut in aqua illa turbata sanarentur, qui in porticibus sanari non poterant? Subito enim videbatur aqua turbata, et a quo turbabatur, non videbatur. Credas hoc angelica virtute fieri solere, non tamen sine significante aliquo sacramento. Post aquam turbatam mittebat se unus qui poterat, et sanabatur solus : post illum quisquis se mitteret, frustra faceret. Quid sibi ergo hoc vult, nisi quia venit unus Christus ad populum Judæorum; et faciendo magna, docendo utilia, turbavit peccatores, turbavit aquam præsentia sua, et excitavit ad passionem suam? Sed latens turbavit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I *Cor.* II, 8). Descendere ergo in aquam turbatam, hoc est humiliter credere in Domini passionem. Ibi sanabatur unus, significans unitatem; postea quisquis veniret, non sanabatur : quia quisquis præter unitatem fuerit, sanari non poterit.

4. Videamus ergo quid voluerit significare in illo

[1] Sic editi et Mss. ferunt. Forte librariorum lapsu, pro, *et admirari,* sive uti olim scribebant, *et ammirari,* substitutum fuit, *quam mirari.*
[2] In Mss., *parvum.*

uno, quem etiam ipse servans unitatis mysterium, sicut prælocutus sum, de tot languentibus unum sanare dignatus est. Invenit in annis ejus numerum quemdam languoris : *Triginta octo annos habebat in infirmitate.* Hic numerus quomodo magis ad languorem pertineat, quam ad sanitatem, paulo diligentius exponendum est. Intentos vos volo; aderit Dominus, ut congrue loquar, et sufficienter audiatis. Quadragenarius numerus sacratus nobis in quadam perfectione commendatur. Notum esse arbitror Charitati vestræ : testantur sæpissime divinæ Scripturæ. Jejunium hoc numero consecratum est : bene nostis. Nam et Moyses quadraginta diebus jejunavit (*Exod.* XXXIV, 28), et Elias totidem (III *Reg.* XIX, 8), et ipse Dominus noster et salvator Jesus Christus hunc jejunii numerum implevit (*Matth.* IV, 2). Per Moysen significatur Lex, per Eliam significantur Prophetæ, per Dominum significatur Evangelium. Ideo in illo monte tres apparuerunt, ubi se discipulis ostendit in claritate vultus et vestis suæ. Apparuit enim medius inter Moysen et Eliam (*Id.* XVII, 1-3), tanquam Evangelium testimonium haberet a Lege et Prophetis (*Rom.* III, 21). Sive ergo in Lege, sive in Prophetis, sive in Evangelio, quadragenarius numerus nobis in jejunio commendatur. Jejunium autem magnum et generale est, abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus sæculi quod est perfectum jejunium : *ut abnegantes impietatem et sæculares cupiditates, temperanter, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo.* Huic jejunio quam mercedem addit Apostolus? Sequitur, et dicit : *Exspectantes illam beatam spem, et manifestationem gloriæ beati Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi* (*Tit.* II, 12, 13). In hoc ergo sæculo quasi Quadragesimam abstinentiæ celebramus, cum bene vivimus, cum ab iniquitatibus et ab illicitis voluptatibus abstinemus. Sed quia hæc abstinentia sine mercede non erit, exspectamus *beatam illam spem, et revelationem gloriæ magni Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi.* In illa spe, cum fuerit de spe facta res, accepturi sumus mercedem denarium. Ipsa enim merces redditur operariis in vinea laborantibus secundum Evangelium (*Matth.* XX, 9, 10), quod vos credo reminisci : neque enim omnia commemoranda sunt, tanquam rudibus et imperitis. Denarius ergo qui accepit nomen a numero decem, redditur, et conjunctus quadragenario fit quinquagenarius : unde cum labore celebramus Quadragesimam ante Pascha; cum lætitia vero, tanquam accepta mercede, Quinquagesimam post Pascha. Nam huic tanquam salutari labori boni operis, qui pertinet ad quadragenarium numerum, additur quietis et felicitatis denarius, ut quinquagenarius fiat.

5. Significavit hoc et ipse Dominus Jesus multo apertius, quando post resurrectionem quadraginta diebus conversatus est in terra cum discipulis suis (*Act.* I, 3); quadragesimo autem die cum ascendisset in cœlum, peractis decem diebus misit mercedem Spiritus sancti (*Id.* II, 1-4). Significata sunt ista, et quibusdam significationibus res ipsæ præventæ sunt. Significationibus pascimur, ut ad res ipsas perdurantes pervenire possimus. Operarii enim sumus, et adhuc in vinea laboramus : finito die, finito opere, merces restituetur. Sed quis operarius perdurat ad accipiendam mercedem, nisi qui pascitur cum laborat? Non enim et tu operario tuo mercedem solam daturus es : non etiam afferes illi unde vires reparet in labore? Pascis utique cui mercedem daturus es. Proinde et nos Dominus in istis Scripturarum significationibus laborantes pascit. Nam si ista intelligendorum sacramentorum lætitia subtrahatur a nobis, deficimus in labore, et non erit qui perveniat ad mercedem.

6. Quomodo ergo quadragenario numero perficitur opus? Fortasse ideo, quia Lex in decem præceptis data est, et per totum mundum prædicanda erat Lex : qui totus mundus quatuor partibus commendatur, Oriente et Occidente, Meridie et Aquilone, unde denarius per quatuor multiplicatus, ad quadragenarium pervenit. Vel quia per Evangelium quod quatuor libros habet, impletur Lex : quia in Evangelio dictum est, *Non veni solvere Legem, sed adimplere* (*Matth.* V, 17). Sive ergo illa, sive ista causa, sive alia aliqua probabiliore, quæ nos latet, doctiores non latet; certum est tamen quadragenario numero significari quamdam perfectionem in operibus bonis, quæ maxime opera bona exercentur in abstinentia quadam ab illicitis cupiditatibus [1] sæculi, hoc est, generali jejunio. Audi et Apostolum dicentem, *Plenitudo Legis charitas* (*Rom.* XIII, 10). Charitas unde? Per gratiam Dei, per Spiritum sanctum. Non enim haberemus illam ex nobis, quasi facientes illam nobis. Dei donum est, et magnum donum : *Quoniam charitas Dei*, inquit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Id.* V, 5). Charitas ergo implet Legem, et verissime dictum est, *Plenitudo Legis charitas.* Quæramus hanc charitatem, quemadmodum [2] commendatur a Domino. Mementote quid proposuerim : numerum triginta octo annorum in illo languido volo exponere, quare numerus ille trigesimus octavus languoris sit potius quam sanitatis. Ergo, ut dicebam, charitas implet Legem. Ad plenitudinem Legis in omnibus operibus pertinet quadragenarius numerus : in charitate autem duo præcepta nobis commendantur. Intuemini, obsecro, et figite memoriæ quod dico; ne sitis contemptores verbi, ne fiat anima vestra via, ubi grana jacta non germinent : *Et venient*, inquit, *volatilia cœli, et colligent ea* (*Marc.* IV, 4). Percipite, et recondite in cordibus vestris. Charitatis præcepta duo sunt a Domino commendata : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua*; et, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 37-40). Merito et illa vidua omnes facultates suas, duo minuta misit in dona Dei (*Luc.* XXI, 2-4) : merito et pro illo languido a latronibus

[1] Mss., *voluptatibus.*
[2] Lov., *quæ admodum.* Cæteri libri, *quemadmodum.*

sauciato, stabularius duos nummos accepit unde sanaretur (*Luc.* x, 35) : merito apud Samaritanos biduum fecit Jesus, ut eos charitate firmaret (*Joan* iv, 40). Binario ergo isto numero cum aliquid boni significatur maxime bipartita charitas commendatur. Si ergo quadragenarius numerus habet perfectionem Legis et Lex non impletur nisi in gemino præcepto charitatis; quid miraris quia languebat qui ad quadraginta, duo minus habebat?

7. Videamus proinde jam quo sacramento iste languidus curetur a Domino. Venit enim ipse Dominus, charitatis doctor, charitate plenus, *brevians*, sicut de illo prædictum est, *verbum super terram* (*Isai.* x, 23, *et* xxviii, 22; *Rom.* ix, 28) : et ostendit in duobus præceptis charitatis pendere Legem et Prophetas. Inde ergo pependit Moyses quadragenario suo, inde Elias cum suo, hunc numerum attulit Dominus in testimonio suo. Curatur iste languidus a præsente Domino; sed prius quid ei dicit? *Vis sanus fieri?* Respondit ille hominem se non habere, a quo in piscinam mittatur. Vere necessarius erat illi homo ad sanitatem, sed homo ille qui et Deus est. *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (I *Tim.* ii, 5). Venit ergo homo qui erat necessarius : quare sanitas differretur? *Surge*, inquit, *tolle grabatum tuum, et ambula.* Tria dixit, *Surge, tolle grabatum tuum, et ambula.* Sed *Surge*, non operis imperium fuit, sed operatio sanitatis. Sano autem duo imperavit, *Tolle grabatum tuum, et ambula.* Rogo vos, cur non sufficeret, *Ambula?* aut certe cur non sufficeret, *Surge?* Neque enim ille cum sanus surrexisset, in loco remansisset. Nonne ad hoc surrexisset ut abiisset? Movet ergo me etiam quod duo præcepit, qui illum jacentem duobus minus invenit : tanquam enim duo quædam jubendo, quod minus erat implevit.

8. Quomodo ergo inveniamus in his duobus Domini jussis, duo illa præcepta significata charitatis? *Tolle*, inquit, *grabatum tuum, et ambula.* Quæ sunt illa duo præcepta, fratres, recolite mecum. Notissima enim esse debent, nec modo tantum venire in mentem cum commemorantur a nobis, sed deleri nunquam debent de cordibus vestris. Semper omnino cogitate diligendum esse Deum et proximum : *Deum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente ;* et *proximum tanquam seipsum.* Hæc semper cogitanda, hæc meditanda, hæc retinenda, hæc agenda, hæc implenda sunt. Dei dilectio prior est ordine præcipiendi; proximi autem dilectio prior est ordine faciendi. Neque enim qui tibi præciperet dilectionem istam in duobus præceptis, prius tibi commendaret proximum, et postea Deum; sed prius Deum, postea proximum. Tu autem quia Deum nondum vides, diligendo proximum promereris quem videas ; diligendo proximum purgas oculum ad videndum Deum, evidenter Joanne dicente, *Si fratrem quem vides non diligis, Deum quem non vides quomodo diligere poteris* (I *Joan.* iv, 20)? Ecce dicitur tibi, Dilige Deum. Si dicas mihi, Ostende mihi quem diligam; quid respondebo, nisi quod ait ipse Joannes, *Deum nemo vidit unquam* (*Joan.* i, 18)? Et ne te alienum omnino a Deo videndo esse arbitreris : *Deus*, inquit, *charitas est ; et qui manet in charitate, in Deo manet* (I *Joan.* iv, 16). Dilige ergo proximum : et intuere in te unde diligis proximum; ibi videbis, ut poteris, Deum. Incipe ergo diligere proximum. *Frange esurienti panem tuum, et egenum sine tecto induc in domum tuam : si videris nudum, vesti, et domesticos seminis tui ne despexeris.* Faciens autem ista quid consequeris? *Tunc erumpet velut matutina lux tua* (*Isai.* lviii, 7, 8). Lux tua Deus tuus est, tibi *matutina*, quia post noctem sæculi tibi veniet : nam ille nec oritur, nec occidit; quia semper manet. Erit tibi matutinus redeunti, qui tibi occasum feceral pereunti. Ergo, *Tolle grabatum tuum*, mihi videtur dixisse, Dilige proximum tuum.

9. Sed clausum est adhuc, et expositione indiget, quantum arbitror, quare in tollendo grabato dilectio proximi commendetur : nisi forte hoc nos offendit, quod per grabatum, rem quamdam stolidam et insensatam, proximus commendatur. Non irascatur proximus, si commendatur nobis per rem quæ sine anima et sine sensu est. Ipse Dominus et salvator noster Jesus Christus lapis angularis dictus est, ut duos conderet in se (*Ephes.* ii, 14-20). Dictus est et petra, unde aqua profluxit : *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* x, 4). Quid ergo mirum, si Petra Christus, lignum proximus? Non tamen qualecumque lignum : quomodo nec illa qualiscumque petra, sed unde aqua profluxerat sitientibus; nec qualiscumque lapis, sed angularis, qui in semetipso copulavit duos parietes e diverso venientes. Sic nec qualecumque lignum proximum acceperis, sed grabatum. Quid ergo in grabato, obsecro te? quid, nisi quia ille languidus grabato portabatur? Sanus autem grabatum portat. Quid dictum est ab Apostolo? *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* vi, 2). Lex ergo Christi charitas est, nec charitas impletur nisi invicem onera nostra portemus. *Sufferentes*, inquit, *invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* iv, 2, 3). Cum esses languidus, portabat te proximus tuus; sanus factus es, porta proximum tuum : *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Sic adimplebis, o homo, quod tibi deerat. *Tolle ergo grabatum tuum.* Sed cum tuleris, noli remanere, *ambula.* Diligendo proximum, et curam habendo de proximo tuo, iter agis. Quo iter agis, nisi ad Dominum Deum, ad eum quem diligere debemus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente? Ad Dominum enim nondum pervenimus, sed proximum nobiscum habemus. Porta ergo eum, cum quo ambulas; ut ad eum pervenias, cum quo manere desideras. *Tolle* ergo *grabatum tuum, et ambula.*

10. Fecit hoc ille, et scandalizati sunt Judæi. Videbant enim hominem die sabbati portantem grabatum suum, nec calumniabantur Domino quod sanum eum fecerat sabbato, ut eis respondere posset quia si cujusquam eorum jumentum in puteum cecidisset, utique die sabbati erueret illud, et salvaret jumentum suum (*Luc.* xiv, 5) : non itaque jam illi objiciebant

quod die sabbati sanus factus esset homo; sed quod portabat grabatum suum. Si sanitas non erat differenda, numquid et opus fuerat imperandum? *Non licet tibi*, inquiunt, *facere quod facis, tollere grabatum tuum.* Et ille auctorem sanitatis suæ objiciebat calumniatoribus: *Qui*, inquit, *me fecit sanum, ipse mihi dixit, Tolle grabatum tuum, et ambula.* Non acciperem jussionem a quo receperam sanitatem? Et illi: *Quis est ille homo qui tibi dixit, Tolle grabatum tuum, et ambula?*

11. *Sed qui sanus erat factus nesciebat quis esset*, a quo hoc audierat. *Jesus autem*, cum hoc fecisset, et jussisset, *declinaverat ab eo in turba.* Videte quemadmodum et hoc impleatur. Portamus proximum, et ambulamus, ad Deum; sed eum ad quem ambulamus, nondum videmus: ideo et ille nondum noverat Jesum. Sacramentum hoc commendatum est, quia in eum credimus quem nondum videmus: et ut non videatur, declinat in turba. Difficile est in turba videre Christum: solitudo quædam necessaria est menti nostræ; quadam solitudine intentionis videtur Deus. Turba strepitum habet; visio ista secretum desiderat. *Tolle grabatum tuum*, porta portatus proximum tuum; *et ambula*, ut pervenias. Noli Jesum quærere in turba, non est tanquam unus de turba: prævenit omnem turbam. Prior ascendit de mari piscis ille magnus, et in cœlis sedet interpellans pro nobis: tanquam sacerdos magnus, unus intravit in interiora veli; turba foris stat. Ambula tu, qui portas proximum tuum; si didicisti portare, qui solebas portari. Denique modo nondum nosti Jesum, nondum vides Jesum: quid postea sequitur? Quoniam non destitit ille tollendo grabatum suum, et ambulando, *Vidit eum postea Jesus in templo.* In turba non eum vidit, in templo vidit. Dominus quidem Jesus et in turba eum videbat, et in templo: ille autem languidus Jesum in turba non cognoscit, in templo cognoscit. Pervenit ergo ille ad Dominum; vidit eum in templo, vidit eum in loco sacrato, in loco sancto. Et quid ab eo audit? *Ecce jam sanus factus es; noli peccare, ne quid tibi deterius contingat.*

12. Tunc ille, posteaquam vidit Jesum, et cognovit Jesum auctorem sanitatis suæ, non fuit piger in evangelizando quem viderat: *Abiit, et nuntiavit Judæis quia Jesus esset qui eum sanum fecerat.* Ille annuntiabat, et illi insaniebant: ille salutem suam prædicabat, illi salutem suam non quærebant.

13. *Persequebantur Judæi Dominum Jesum, quia hæc faciebat in sabbato.* Quid ergo Dominus modo respondit Judæis, audiamus. De sanis factis hominibus sabbato, dixi quid soleat respondere, quia jumenta sua non contemnebant sabbato, vel liberando vel alendo. De portato grabato quid respondit? Manifestum opus corporale factum erat ante oculos Judæorum: non sanitas corporis, sed operatio corporis; quæ non videbatur ita necessaria, quemadmodum sanitas. Aperte ergo Dominus dicat sacramentum sabbati, et signum observandi unius diei ad tempus datum esse Judæis; impletionem vero ipsam sacramenti in illo venisse. *Pater meus*, inquit, *usque modo operatur, et ego operor.* Misit in eos magnum tumultum; adventu Domini turbatur aqua, sed qui turbat, latet. Tamen sanandus est turbata aqua æger unus magnus, passo Domino totus mundus.

14. Videamus ergo responsionem Veritatis: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor.* Falsum ergo dixit Scriptura quia *Deus requievit ab omnibus operibus suis in die septimo* (*Gen.* II, 2)? et contra hanc Scripturam per Moysen ministratam, loquitur Dominus Jesus, cum ipse dicat Judæis, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi: de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46)? Videte ergo ne aliquid voluit significare Moyses, quod *Deus requievit in die septimo.* Non enim defecerat Deus operando creaturam suam, et indigebat requie sicut homo. Quomodo defecerat qui verbo fecerat? Tamen et illud verum est, quia *requievit Deus ab operibus suis in die septimo;* et hoc verum est quod ait Jesus, *Pater meus usque modo operatur.* Sed quis explicet verbis, homo hominibus, infirmus infirmis, indoctus discere cupientibus, et forte si quid sapit, promere et explicare non valens hominibus, difficile forte capientibus, etiam si explicari possit quod capitur? Quis, inquam, fratres mei, explicet verbis quomodo Deus et quietus operetur, et operans quiescat? Obsecro vos, ut hoc vobis proficientibus differatis; visio enim ista templum Dei quærit, sanctum locum quærit: portate proximum et ambulate; ibi eum videbitis, ubi verba hominum non quæratis.

15. Hoc forte potius dicere valemus, quia et in eo quod *Deus in die septimo requievit*, ipsum Dominum et salvatorem nostrum Jesum Christum, qui hæc loquebatur et dicebat, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, magno sacramento significavit. Quia et Dominus Jesus utique Deus. Ipse est enim Verbum Dei, et audistis quia *in principio erat Verbum;* et non qualecumque Verbum, sed *Deus erat Verbum*, et *omnia per ipsum facta sunt* (*Id.* I, 1, 3): forte significatus est requieturus in die septimo ab omnibus operibus suis. Legite enim Evangelium, et videte quanta operatus sit Jesus. Operatus est salutem nostram in cruce, ut implerentur in eo omnia prædicta Prophetarum: coronatus est spinis, suspensus est ligno; dixit, *Sitio*, accepit acetum in spongia, ut impleretur quod dictum est, *Et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 22). At ubi impleta sunt omnia opera ejus, sexta sabbati inclinato capite reddidit spiritum, et in sepulcro sabbato requievit ab omnibus operibus suis (*Joan.* XIX). Ergo tanquam diceret Judæis, Quid exspectatis ut non operer sabbato? Sabbati dies vobis ad significationem meam præceptus est. Opera Dei attenditis; ego ibi eram cum fierent, per me facta sunt omnia, ego novi: *Pater meus usque modo operatur.* Operatus est Pater lucem; sed dixit ut fieret lux (*Gen.* I, 3): si dixit, Verbo operatus est; Verbum ejus ego eram, ego sum: per me factus est mundus in illis operibus, per me regitur mundus in istis operibus. Pater meus et tunc operatus est cum fecit mundum, et usque nunc operatur cum regit mundum: ergo et per me fecit cum

fecit, et per me regit cum regit. Dixit hæc, sed quibus? Surdis, cæcis, claudis, languidis, medicum non agnoscentibus, et tanquam in phrenesi mente perdita occidere volentibus.

16. Proinde quid secutus Evangelista dixit? *Hinc ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum.* Non quomodocumque : sed quid? *Æqualem se faciens Deo.* Nam omnes dicimus Deo, *Pater noster qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9) : legimus et Judæos dixisse, *Cum tu sis pater noster* (*Isai.* LXIII, 16 *et* LXIV, 8). Ergo non hinc irascebantur, quia patrem suum dicebat Deum; sed quod longe alio modo quam homines. Ecce intelligunt Judæi quod non intelligunt Ariani. Ariani quippe inæqualem Patri Filium dicunt, et inde hæresis est pulsa de Ecclesia [1]. Ecce ipsi cæci, ipsi interfectores Christi, intellexerunt tamen verba Christi. Non eum intellexerunt esse Christum, nec eum intellexerunt Filium Dei : sed tamen intellexerunt in illis verbis, quia talis commendaretur Filius Dei, qui æqualis esset Deo. Quis erat nesciebant; talem tamen prædicari agnoscebant, quia *patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Non erat ergo æqualis Deo? Non ipse se faciebat æqualem, sed ille illum genuerat æqualem. Si se ipse faceret æqualem Deo, caderet per rapinam. Qui enim se voluit æqualem facere Deo cum non esset, cecidit (*Isai.* XIV, 14, 15), et ex angelo factus est diabolus : et hanc superbiam homini propinavit, unde ipse dejectus est. Nam hoc dixit homini, cui stanti lapsus invidit, *Gustate, et eritis sicut dii* (*Gen.* III, 5) : id est, usurpatione rapite quod facti non estis; quia et ego rapiendo dejectus sum. Non hoc prodebat, sed hoc suadebat. Christus autem æqualis Patri natus erat, non factus : natus de substantia Patris. Unde illum sic commendat Apostolus : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Quid est, *non rapinam arbitratus est?* Non usurpavit æqualitatem Dei; sed erat in illa, in qua natus erat. Et nos ad æqualem Deum quomodo perveniremus? *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 6, 7). Non ergo se exinanivit amittens quod erat, sed accipiens quod non erat. Hanc formam servi contemnentes Judæi, Dominum Christum æqualem Patri intelligere non poterant; quamvis eum hoc de se dicere minime dubitabant, et ideo sæviebant : et adhuc tamen eos ille perferebat, et sanitatem sævientium requirebat.

TRACTATUS XVIII.

In eum Evangelii locum, Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem : quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit. *Cap.* V, ℣. 19.

1. Joannes evangelista inter consortes et comparticipes suos alios evangelistas, hoc præcipuum et proprium donum accepit a Domino (super cujus pectus in convivio discumbebat (*Joan.* XIII, 25), ut per hoc significaret quia secreta altiora de intimo ejus corde potabat), ut ea diceret de Filio Dei quæ parvulorum mentes fortassis intentas excitare possint; implere autem nondum capaces non possint : grandiusculis autem quibusque mentibus et ad ætatem quamdam interius virilem pervenientibus, dat aliquid verbis his, quo et exerceantur, et pascantur. Audistis cum legeretur, et unde sermo iste venerit meministis. Hesterno enim die lectum est, quod *propterea volebant Jesum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed etiam patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (*Id.* V, 18). Quod Judæis displicebat, hoc ipsi Patri placebat. Hoc sine dubio placet etiam eis qui honorificant Filium, sicut honorificant Patrem; quia si eis non placeat, displicebunt. Non enim Deus erit major, quia placet tibi; sed tu minor, si displicet tibi. Adversus hanc autem eorum calumniam, venientem vel de ignorantia, vel de malitia, loquitur Dominus non omnino quod capiant, sed unde agitentur et conturbentur, et fortasse vel conturbati medicum quærant. Dicebat autem quæ scriberentur, ut etiam a nobis postea legerentur. Viderimus ergo quid in Judæorum cordibus factum sit, cum hæc audirent : quid in nobis fiat cum hæc audimus, amplius cogitemus. Neque enim natæ sunt hæreses, et quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene; et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur. Itaque, charissimi, valde caute hæc audire debemus, ad quæ capienda parvuli sumus; et corde pio et cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanitatis, ut quod secundum fidem qua imbuti sumus, intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus : quod autem secundum sanam fidei regulam intelligere nondum potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus; hoc est, ut etiam si quid sit nescimus, bonum tamen et verum esse minime dubitemus. Et ego, fratres, qui suscepi loqui vobis, cogitandus sum a vobis qui susceperim, et quæ susceperim : suscepi enim tractanda divina homo, spiritualia carnalis, æterna mortalis. Etiam a me, charissimi, longe sit vana præsumptio, si volo sanus in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis (I *Tim.* III, 15) : pro modulo meo capio quod vobis appono; ubi aperitur, pascor vobiscum; ubi clauditur, pulso vobiscum.

2. Commoti sunt ergo Judæi, et indignati sunt; merito quidem, quod audebat homo æqualem se facere Deo : sed ideo immerito, quia in homine non intelligebant Deum. Carnem videbant, Deum nesciebant : habitaculum cernebant, habitatorem ignorabant. Caro illa templum erat, Deus inhabitabat intus. Non ergo Jesus carnem æquabat Patri, non formam servi Domino comparabat; non quod factum est propter nos, sed quod erat quando fecit nos.

[1] Sic vetus codex Carcassonensis, et melius : nam infra, Tract. 25, n. 6, ubi sermo est de Apollinaristis, sic loquitur : « Fuerunt enim quidam hæretici, et pulsi sunt ab Ecclesia ; » et hoc loquendi modo passim utitur. [*et inde hæresis pulsat Ecclesiam*].

Quis namque sit Christus, Catholicis loquor, nostis, quia bene credidistis : non Verbum tantum, nec caro tantum; sed Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis. Recenseo de Verbo quod nostis : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* : hic æqualitas cum Patre. Sed *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1-14) : hac carne major est Pater. Ita Pater et æqualis, et major : æqualis Verbo, major carne; æqualis ei per quem fecit nos, major eo qui factus est propter nos. Ad hanc regulam sanam catholicam, quam præcipue nosse debetis, quam tenete qui nostis, a qua prorsus fides vestra labi non debet, quæ nullis hominum argumentis extorquenda est cordi vestro, dirigamus ea quæ intelligimus; et quæ forte non intelligimus, dirigenda ad hanc regulam quandoque differamus, cum idonei fuerimus. Novimus ergo æqualem Patri Filium Dei, quia novimus in principio Deum Verbum. Quid ergo *Judæi volebant eum interficere? Quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* : videntes carnem, non videntes Verbum. Loquatur ergo et contra eos Verbum per carnem, et interior habitator sonet per habitaculum suum; ut qui potest, noverit quis intus habitet.

3. Quid ergo eis dicit? *Respondit itaque Jesus, et dixit eis*, commotis quod æqualem se faceret Deo, *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ad hæc quid responderint Judæi, scriptum non est : et fortasse tacuerunt. Quidam tamen, qui christianos se haberi volunt, non tacent, et quodammodo ex his verbis concipiunt quædam dicenda contra nos : quæ contemnenda non sunt, et propter ipsos et propter nos. Ariani quippe hæretici dicentes, non per carnem, sed ante carnem, Filium ipsum qui suscepit carnem, minorem esse quam Pater est, et non esse ejusdem substantiæ cujus Pater est, capiunt ex his verbis ansam calumniæ, et respondent nobis : Videtis quia Dominus Jesus, cum animadverteret Judæos ex hoc moveri, quod Patri Deo æqualem se faceret, talia verba subjunxit, ut se æqualem non esse monstraret. Movebat enim Judæos, aiunt, adversus Christum, quia æqualem se faciebat Deo; et volens eos corrigere ab hoc motu Christus, et eis demonstrare Filium non esse æqualem Patri, id est, æqualem Deo, ait, quasi dicens, Quid irascimini? quid indignamini? Non sum æqualis, quia *non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Qui enim *non potest*, inquiunt, *facere a se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, utique minor est, non æqualis.

4. In hac regula cordis sui distorta et prava, hæreticus audiat nos nondum objurgantes, sed adhuc quasi quærentes, et explicet nobis quod sentit. Puto enim, o quisquis ille es (faciamus enim eum tanquam præsentem adesse), tenes nobiscum quia *in principio erat Verbum.* Teneo, inquit. Et quia *Verbum erat apud Deum?* Et hoc, inquit, teneo. Sequere ergo, et hoc fortius tene, quia *Deus erat Verbum.* Et hoc, inquit, teneo : sed ille Deus major, ille Deus minor. Jam nescio quid paganum redolet : cum christiano me loqui arbitrabar. Si est Deus major, et est Deus minor; duos deos colimus, non unum Deum. Quare, inquit? et tu non duos deos dicis æquales sibi? Hoc ego non dico : æqualitatem enim istam sic intelligo, ut ibi intelligam etiam individuam charitatem; et si individuam charitatem[1], perfectam unitatem. Si enim charitas quam misit hominibus Deus, de multis hominum cordibus facit cor unum, et multas hominum animas facit animam unam, sicut de credentibus seseque invicem diligentibus scriptum est in Actibus Apostolorum, *Erat illis anima una, et cor unum in Deum* (*Act.* IV, 32) : si ergo anima mea et anima tua, cum idem sapimus nosque diligimus, fit anima una : quanto magis Pater Deus et Filius Deus in fonte dilectionis Deus unus est?

5. Verum ad hæc verba, quibus commotum est cor tuum, intende, et recole mecum quod de Verbo requirebamus. Jam tenemus, *Deus erat Verbum* : adjungo aliud, quia cum dixisset, *Hoc erat in principio apud Deum*, continuo subjecit Evangelista, *Omnia per ipsum facta sunt.* Nunc te quærendo exagito, nunc te contra te moveo, et te contra te interpello : tene tantum memoriter ista de Verbo, quia *Deus erat Verbum*, et *omnia per ipsum facta sunt.* Audi jam verba quibus commotus es, ut minorem diceres Filium, nempe quia dixit, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ita, inquit. Expone hoc mihi paululum : sic, quantum opinor, intelligis, quoniam quædam facit Pater, Filius autem attendit quemadmodum faciat Pater, ut possit et ipse ea facere quæ viderit Patrem facientem. Duos quasi fabros constituisti : ita Patrem et Filium, ut etiam magistrum et discipulum, quomodo solent patres fabri docere filios suos artem suam. Ecce descendo ad carnalem sensum tuum, ita interim cogito ut tu : videamus si cogitatio hæc nostra inveniat exitum secundum illa quæ jam de Verbo pariter locuti sumus pariterque sentimus, quia *Deus Verbum*, et *omnia per ipsum facta sunt.* Pone igitur Patrem tanquam fabrum, quædam opera facientem, Filium autem tanquam discipulum, qui *non potest facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* : intendit enim quodammodo in manus Patris, ut quomodo viderit eum fabricare, sic et ipse tale aliquid fabricet in operibus suis. Sed Pater iste omnia illa quæ facit, et vult ut attendat eum Filius et talia et ipse faciat; per quem facit[2]? Eia nunc est ut adsis sententiæ tuæ priori, quam mecum recensuisti mecumque tenuisti, quia *in principio Verbum*, et *apud Deum Verbum*, et *Deus Verbum*, et *omnia per ipsum facta sunt.* Tu ergo cum mecum tenueris quia per Verbum facta sunt omnia; rursum carnali sapore et puerili motu facis tibi in animo Deum facientem, et Verbum attendentem, ut cum fecerit Deus, faciat et Verbum. Quid enim facit Deus præter Verbum? Si enim facit, non omnia per Verbum facta sunt; perdi-

[1] Duodecim Mss., *et sic individuam charitatem.*
[2] Lov. sic habent hunc locum : *sed Pater iste omnia illa quæ facit, vult ut attendat eum Filius et talia et ipse faciat, per quem facit.* M.

disti quod tenebas : si autem omnia per Verbum facta sunt, corrige quod male intelligebas. Fecit Pater, et non fecit nisi per Verbum : quomodo attendit Verbum, ut videat Patrem facientem sine Verbo, quod similiter faciat Verbum? Quidquid fecit Pater, per Verbum fecit : aut falsum est, *Omnia per ipsum facta sunt*. Sed verum est, *Omnia per ipsum facta sunt*. Parum fortasse tibi videbatur? *Et sine ipso factum est nihil.*

6. Recede ergo ab ista carnis prudentia, et quæramus quemadmodum dictum sit, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Quæramus, si digni sumus qui apprehendamus. Fateor enim, magna res est, ardua omnino, videre Patrem facientem per Filium, non singula opera facientem Patrem et Filium[1] sed quodlibet opus Patrem per Filium, ut nulla opera fiant vel a Patre sine Filio, vel a Filio sine Patre : quia *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Quibus in fundamento fidei firmissime constitutis, jam quale est videre, quia *non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem?* Quæris, ut opinor, nosse Filium facientem; quære prius nosse Filium videntem. Certe enim quid ait? *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Intende quod dixit, *nisi quod viderit Patrem facientem.* Præcedit visio, et sequitur effectio : videt enim ut faciat. Tu quid quæris jam nosse quomodo faciat, dum nondum scias quomodo videat? Quid curris ad id quod posterius est, relicto quod prius est? Videntem se dixit et facientem; non, facientem et videntem : quia *non potest a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Vis ut explicem tibi quomodo faciat? Tu mihi explica quomodo videat. Si hoc tu explicare non potes, nec ego illud : si hoc tu percipere nondum es idoneus, nec ego illud. Uterque ergo nostrum quærat, uterque pulset, ut uterque accipere mereatur. Quid quasi doctus calumniaris indocto? Ego ad faciendum, tu ad videndum, ambo indocti a magistro quæramus, non in schola ejus pueriliter litigemus. Tamen simul jam didicimus quia *omnia per ipsum facta sunt.* Ergo manifestum est quia non alia opera facit Pater, quæ videat Filius, ut ipse faciat similia : sed eadem opera facit Pater per Filium, quia omnia per Verbum facta sunt. Jam quomodo faciat Deus quis novit? Non dico quomodo fecerit mundum, sed quomodo fecerit oculum tuum, cui carnaliter inhærens, visibilia invisibilibus comparas. Talia enim de Deo cogitas, qualia his oculis videre consuesti. Si autem istis oculis videri posset Deus, non diceret, *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Ergo habes oculum corporis ad videndum fabrum, sed nondum habes oculum cordis ad videndum Deum : ideo quod soles videre in fabro, transferre vis ad Deum. Pone in terra terrena, sursum cor.

7. Quid ergo, charissimi? explicaturi sumus nos quod interrogavimus, quomodo videat Verbum, quomodo Pater videatur a Verbo, quid sit videre Verbi? Non sum tam audax, tam temerarius, ut hoc explicare pollicear et me et vos : utcumque suspicor modulum vestrum, novi tamen meum. Si ergo placet, non diutius immoremur, percurramus lectionem, et videamus verbis Domini turbari corda carnalia; ad hoc turbari, ne in eo quod tenent remaneant. Extorqueatur tanquam pueris ludicrum nescio quid, quo se malo avocant, ut possint inseri utiliora grandioribus, ut possint proficere qui repebant in terra. Surge, quære, suspira, anhela desiderio, et ad clausa pulsa. Si autem nondum desideramus, nondum inhiamus, nondum suspiramus, margaritas quibuscumque projecturi sumus, aut margaritas qualescumque nos ipsi inventuri sumus. Moverim ergo, charissimi, desiderium in corde vestro. Mores perducunt ad intelligentiam : genus vitæ perducit ad genus vitæ. Alia vita terrena, alia vita cœlestis; alia vita pecorum, alia vita hominum, alia vita Angelorum. Vita pecorum terrenis voluptatibus æstuat, sola terrena conquirit, in ea prona atque projecta est : vita Angelorum sola cœlestis : vita hominum media est inter Angelorum et pecorum. Si vivit homo secundum carnem, pecoribus comparatur : si vivit secundum spiritum, Angelis sociatur. Quando secundum spiritum vivis, quære etiam in ipsa angelica vita utrum parvus an grandis sis. Si enim adhuc parvus es, dicunt tibi Angeli : Cresce; nos panem manducamus, tu lacte nutrire, lacte fidei, ut pervenias ad cibum speciei. Si autem adhuc inhiatur sordidis voluptatibus, si adhuc fraudes cogitantur, si mendacia non vitantur, si mendacia perjuriis cumulantur; tam immundum cor audet dicere, Explica mihi quomodo videt Verbum; etiam si possim, etiam si ego jam videam? Porro autem si forte ego non sum in his moribus, et tamen ab ista visione longe sum; quantum ille qui nondum isto superno desiderio rapitur, terrenis desideriis prægravatus? Multum interest inter aversantem et desiderantem : et iterum multum interest inter desiderantem et fruentem. Vivis ut pecora, aversaris : Angeli perfruuntur. Tu autem si non vivis ut pecora, jam non aversaris : desideras aliquid, et non capis; inchoasti ipso desiderio vitam Angelorum. Crescat in te, et perficiatur in te; et capias hoc non a me, sed ab illo qui et me fecit et te.

8. Tamen non utcumque nos dimisit et Dominus, qui voluit intelligi quia in eo quod dixit, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*, non alia opera Pater facit quæ videat Filius, et alia Filius cum viderit Patrem facientem; sed eadem opera ipse et Pater et Filius. Secutus enim ait : *Quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Non cum ille fecerit, alia Filius similiter facit; sed *quæcumque ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Si hæc facit Filius quæ fecerit Pater, per Filium facit Pater : si per Filium facit quæ facit Pater, non alia Pater, alia Filius facit; sed eadem opera sunt Patris et Filii. Et quomodo eadem facit et Filius? Et eadem et *similiter*. Ne forte eadem sed dissimiliter : *Eadem*, inquit, *et similiter.* Et quomodo posset eadem non similiter? Accipite exemplum, quod puto ad vos non sit grande : cum scribimus litteras, facit eas primo cor nostrum, et deinde manus

[1] Plerique Mss., *non singula opera faciente Patre et Filio.*

nostra. Certe unde omnes acclamastis, nisi quia cognovistis? Certum est quod dixi, et manifestum omnibus nobis. Litteræ fiunt primo a corde nostro, deinde a corpore nostro; manus servit imperanti cordi, easdem litteras facit et cor et manus: numquid alias cor, alias manus? Easdem quidem facit manus, sed non similiter: cor enim nostrum facit eas intelligibiliter, manus autem visibiliter. Ecce quomodo fiunt eadem dissimiliter. Unde parum fuit Domino dicere, *Quæcumque Pater fecerit, hæc et Filius facit*, nisi adderet, *et similiter*. Quid si enim hoc modo intelligeres quomodo quæcumque cor facit, hæc et manus facit, sed non similiter? Hic vero addidit, *hæc et Filius similiter facit*. Si et hæc facit, et similiter facit, expergiscere, stringatur Judæus, credat Christianus, convincatur hæreticus; æqualis est Patri Filius.

9. *Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit* (*Joan.* v, 20). Ecce est illud, *demonstrat. Demonstrat* quasi cui? Utique quasi videnti. Redimus ad id quod explicare non possumus, quomodo Verbum videat. Ecce homo factus est per Verbum; sed homo habet oculos, habet aures, habet manus, diversa membra in corpore: per oculos potest videre, per aures potest audire, per manus operari; diversa membra, diversa membrorum officia. Non potest illud membrum quod potest alterum: tamen propter corporis unitatem, oculus et sibi et auri videt, et auris sibi et oculo audit. Numquid tale aliquid in Verbo arbitrandum est esse, quoniam omnia per ipsum? Et dixit Scriptura in Psalmo, *Intelligite, qui insipientes estis in populo; et stulti, aliquando sapite. Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat* (*Psal.* XCIII, 8, 9)? Si ergo finxit oculum Verbum, quia omnia per Verbum; si plantavit aurem Verbum, quia omnia per Verbum: non possumus dicere, Non audit Verbum, non videt Verbum; ne objurget nos Psalmus, et dicat, *Stulti, aliquando sapite*. Itaque si audit Verbum et videt Verbum, audit Filius et videt Filius: numquid tamen et in ipso diversis locis quæsituri sumus oculos et aures? Aliunde audit, aliunde videt; et auris ejus non potest quod oculus, et oculus non potest quod potest auris? An totus ille visus est, et totus auditus? Forte ita: imo non forte, sed vere ita; dum tamen et ipsum ejus videre, et ipsum ejus audire, longe alio modo quam nostrum sit. Et videre et audire simul in Verbo est, nec aliud est ibi audire, et aliud videre; sed auditus visus, et visus auditus.

10. Et nos qui aliter audimus, aliter videmus, hoc unde novimus? Redimus forte ad nos, si non sumus prævaricatores, quibus dictum est, *Redite, prævaricatores, ad cor* (*Isai.* XLVI, 8). Redite ad cor: quid itis a vobis, et peritis ex vobis? quid itis solitudinis vias? Erratis vagando; redite. Quo? Ad Dominum. Cito est [1]: primo redi ad cor tuum, exsul a te vagaris foris; teipsum non nosti, et quæris a quo factus es! Redi, redi ad cor, tolle te a corpore: corpus tuum habitatio tua est; cor tuum sentit etiam per corpus tuum: sed corpus tuum non quod cor tuum; dimitte et corpus tuum, redi ad cor tuum. In corpore tuo inveniebas alibi oculos, alibi aures: in corde tuo numquid hoc invenis? An in corde tuo non habes aures? De quibus ergo Dominus dicebat, *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Luc.* VIII, 8)? An in corde non habes oculos? Unde dicit Apostolus, *Illuminatos oculos cordis vestri* (*Ephes.* I, 18). Redi ad cor; vide ibi quid sentias forte de Deo, quia ibi est imago Dei. In interiore homine habitat Christus (*Id.* III, 16, 17), in interiore homine renovaris ad imaginem Dei, in imagine sua cognosce auctorem ejus. Vide quemadmodum omnes corporis sensus cordi intro nuntient quid senserint foris: vide quam multos ministros habeat unus interior imperator, et quid apud se etiam sine his ministris agat. Renuntiant oculi cordi alba et nigra; renuntiant aures eidem cordi canora et dissona; renuntiant nares eidem cordi odora et putentia; renuntiat gustus eidem cordi amara et dulcia; renuntiat tactus eidem cordi lenia et aspera: renuntiat et sibi ipsum cor justa et injusta. Cor tuum et videt et audit, et cætera sensibilia dijudicat; et quo non aspirant corporis sensus, justa et injusta, mala et bona discernit. Ostende mihi oculos, aures, nares cordis tui. Diversa sunt quæ ad cor tuum referuntur, et diversa ibi membra non inveniuntur. In carne tua alibi audis, alibi vides: in corde tuo ibi audis, ubi vides. Si hoc imago, quanto potentius ille cujus imago? Ergo et audit Filius, et videt Filius, et ipsa visio et auditio Filius: et hoc est illi audire quod esse, et hoc est illi videre quod esse. Tibi non hoc est videre quod esse: quia et si perdas visum, potes esse; et si perdas auditum, potes esse.

11. Putamusne pulsavimus? Erectum est aliquid in nobis quo vel tenuiter suspicemur unde lumen veniat nobis? Puto, fratres, quia cum loquimur ista, et cum meditamur, exercemus nos. Et cum exercemus nos in ipsis, et rursus quasi reflectimur pondere nostro ad ista consueta, tales sumus quales lippientes, cum producuntur ad videndum lumen, si forte antea visum omnino non habebant, et incipiunt eumdem visum per diligentiam medicorum utcumque reparare. Et cum probare vult medicus quantum salutis eis accesserit, tentat eis ostendere quod videre desiderabant, et non poterant cum cæci essent: et redeunte jam utcumque acie oculorum, producuntur ad lucem; et cum viderint, fulgore ipso reverberantur quodammodo, et respondent medico demonstranti, Jam jam vidi, sed videre non possum. Quid ergo facit medicus? Revocat ad solita, et addit collyrium, ut ad illud quod visum est, et videri non potuit, desiderium nutriat, et ex ipso desiderio curetur plenius; et si qua mordacia reparandæ sanitati adhibentur, fortiter ferat, ut amore illius lucis accensus dicat sibi: Quando erit ut illud firmis oculis videam, quod sauciis infirmisque non potui? Urget medicum, et rogat ut curet. Ergo, fratres, si forte tale aliquid factum est in cordibus vestris, si utcumque erexistis cor vestrum ad videndum Verbum, et ipsius luce reverberati ad solita recidistis; rogate medicum ut adhibeat collyria

[1] Lov., *ad Dominum cito*; omisso, *est*, quod cæteri codices habent.

mordacia, præcepta justitiæ. Est quod videas, sed non est unde videas. Non mihi antea credebas quia est quod videas : duce quadam ratione adductus es : propinquasti, intendisti, palpitasti, refugisti. Scis certe esse quod videas, sed idoneum non te esse qui videas. Ergo curare. Quæ sunt collyria ? Noli mentiri, noli perjurare, noli adulterare, noli furari, noli fraudare. Sed consuesti, et cum aliquo dolore a consuetudine revocaris : hoc est quod mordet, sed sanat. Nam dico tibi liberius, ex timore et meo et tuo : si curari destiteris, et esse idoneus ad perfruendum hac luce neglexeris, valetudine oculorum tuorum; tenebras amabis; et amando tenebras, in tenebris remanebis; et remanendo in tenebris, etiam in tenebras exteriores projicieris : ibi erit fletus et stridor dentium (*Matth.* XXII, 13). Si nihil in te faciebat amor lucis, faciat timor doloris.

12. Sufficienter me locutum arbitror, et lectionem tamen evangelicam non finivi : si dicam reliqua onerabo vos, et timeo ne etiam quod haustum est effundatur ; sufficiant ergo ista Charitati vestræ. Debitores sumus, non nunc, sed semper quamdiu vivimus ; quia propter vos vivimus. Verumtamen vitam nostram istam infirmam, laboriosam, periculosam, in hoc mundo cons lamini bene vivendo, nolite nos contristare et atterere malis moribus vestris. Cum enim offendimur mala vita vestra, si refugiamus a vobis, et separemus nos a vobis, et ad vos non accedamus; nonne conqueremini, et dicetis : Et si languebamus, curaretis ; et si infirmabamur, visitaretis? Ecce curamus, ecce visitamus sed non nobis fiat quomodo audistis ab Apostolo, *Timeo ne sine causa laboraverim in vos* [1] (*Galat.* IV, 11).

TRACTATUS XIX.

Ab eo quod scriptum est, Non potest a se Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem ; *usque ad id,* quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. *Cap.* V, ℣. 19-30.

1. Sermone pristino, quantum nostrum movit affectum et intelligendi paupertatem, locuti sumus, ex occasione verborum evangelicorum, ubi scriptum est, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem,* quid sit videre Filii, hoc est, videre Verbi, quia Filius Verbum : et quia per Verbum facta sunt omnia, quomodo possit intelligi quod videat Filius primo Patrem facientem, tunc demum et ipse faciat quæ facta conspexerit ; cum Pater nihil nisi per Filium fecerit. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Non tamen explicatum aliquid diximus ; sed quia nec explicatum aliquid intelleximus. Aliquando quippe sermo deficit, ubi etiam intellectus proficit ; quanto magis sermo patitur defectionem, quando intellectus non habet perfectionem? Nunc itaque, quantum Dominus donat, breviter percurramus lectionem, et vel hodie expleamus debitum pensum. Si quid forte remanserit vel temporis vel virium, retractabimus, si potuerimus (quantum et a nobis et apud vos fieri potest), quid sit videre Verbi, quid demonstrari Verbo. Omnia quippe dicta sunt hic, quæ si intelliguntur secundum humanum sensum carnaliter, nihil aliud nobis facit anima plena phantasmatis, nisi quasdam imagines velut duorum hominum Patris et Filii, unius ostendentis; alterius videntis; unius loquentis, alterius audientis : quæ omnia idola cordis sunt; quæ si jam dejecta sunt de templis suis, quanto magis dejicienda sunt de pectoribus christianis?

2. *Non potest*, inquit, *Filius a se facere quidquam nisi quod viderit Patrem facientem.* Verum est hoc, tenete hoc : dum tamen non amittatis quod in ipsius Evangelii exordio tenuistis, quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* et præcipue quia *omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1, 3). Quod nunc enim audistis, conjungite illi auditui, et utrumque concordet in cordibus vestris. Sic itaque *non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem,* ut tamen Pater ea quæ facit non faciat nisi per Filium, quia Filius est ejus Verbum : et « in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, » et « omnia per ipsum facta sunt. Quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit : » non alia, sed hæc; nec dissimiliter, sed similiter.

3. *Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Ad hoc quod supra dixit, *nisi quod viderit Patrem facientem,* videtur pertinere et quod *omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Sed si Pater demonstrat quæ facit, nec Filius potest facere nisi Pater demonstraverit, Paterque demonstrare non potest nisi fecerit; consequens erit ut non per Filium faciat omnia Pater : porro si fixum atque inconcussum tenemus quia per Filium omnia Pater facit, antequam faciat, demonstrat Filio. Nam si Pater cum fecerit demonstrat Filio, ut Filius demonstrata faciat quæ demonstrata jam facta sunt; aliquid procul dubio Pater sine Filio facit. Sed non facit Pater aliquid sine Filio, quia Filius Dei Verbum Dei est, et omnia per ipsum facta sunt. Remanet igitur fortasse ut quæ Pater facturus est, demonstret facienda, ut per Filium sint facta. Nam si Filius ea facit quæ Pater facta demonstrat; ea quæ Pater facta demonstrat, non utique per Filium fecit. Monstrari enim non possent Filio nisi facta ; facere Filius non posset, nisi monstrata : ergo sine Filio facta. Sed verum est, *Omnia per ipsum facta sunt :* ergo antequam facta, monstrata sunt. Sed hoc diximus differendum esse, quo redeundum sit percursa lectione, si, ut diximus, aliquid vel temporis vel virium nobis remanserit, ad ea quæ distulimus retractanda.

4. Amplius audite et difficilius : *Et majora his*, inquit, *demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Majora his :* quibus majora? Facile occurrit, iis quas modo audistis, curationibus languorum corporalium. De isto enim qui triginta et octo annos habebat in infirmitate, et Christi verbo sanatus est, nata est hujus occasio tota sermonis : et propter hoc Dominus dicere potuit, *Majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.* Sunt enim opera majora quam ista, et demonstrabit ea Pater Filio. Non demonstravit, tanquam de præterito ;

[1] Lov., *in vobis.* Editi alii et Mss., *in vos;* juxta græcum.

sed *demonstrabit*, de futuro, hoc est, demonstraturus est. Rursus difficilis oritur quæstio. Est enim aliquid apud Patrem quod Filio nondum demonstratum sit? est aliquid apud Patrem quod adhuc latebat Filium, quando ista Filius loquebatur? Si enim *demonstrabit*, hoc est, demonstraturus est; nondum demonstravit; et Filio tunc demonstraturus est, quando et istis: sequitur enim, *ut vos miremini.* Et hoc difficile est videre, quomodo tanquam temporaliter Filio coæterno aliqua demonstrat æternus Pater, omnia scienti quæ sunt apud Patrem.

5. Quæ sunt tamen illa majora? Hoc enim forte facile est intelligere. *Sicut enim Pater*, inquit, *suscitat mortuos, et vivificat; sic et Filius quos vult vivificat.* Majora ergo sunt opera mortuos suscitare, quam languidos sanare. Sed *sicut suscitat Pater mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Alios ergo Pater, alios Filius? Sed omnia per ipsum: ipsos itaque Filius, quos et Pater; quia non alia, nec aliter, sed *hæc et Filius similiter facit.* Ita plane intelligendum est, et ita tenendum: sed mementote quia *Filius quos vult vivificat.* Tenete hic ergo non solum potestatem Filii, verum etiam voluntatem. Et Filius quos vult vivificat, et Pater quos vult vivificat; et ipsos Filius quos et Pater: ac per hoc eadem Patris et Filii et potestas est et voluntas. Quid est ergo quod sequitur? *Neque enim Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem:* quod ita subjunxit, tanquam rationem reddens superioris sententiæ. Multum movet, intenti estote. Filius quos vult vivificat, Pater quos vult vivificat: Filius suscitat mortuos, sicut Pater suscitat mortuos. *Neque enim Pater judicat quemquam.* Si in judicio suscitandi sunt mortui, quomodo Pater suscitat mortuos, si non judicat quemquam? *Omne* quippe *judicium dedit Filio.* In illo autem judicio suscitantur mortui; et resurgunt alii ad vitam, alii ad pœnam: quod totum si Filius facit, Pater autem ideo non facit, quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, contrarium videbitur ei quod dictum est, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Simul ergo suscitant. Si simul suscitant, simul vivificant. Simul ergo judicant: quomodo itaque verum est, *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio?* Moveant interim propositæ quæstiones, præstabit Dominus ut solutæ delectent. Ita est, fratres; omnis quæstio nisi intentum fecerit proposita, non delectabit exposita. Sequatur ergo ipse Dominus, ne forte in iis quæ subnectit, aperiat se aliquantum. Subtexit enim nubilo lucem suam; et difficile est aquilæ more volare super omnem nebulam qua tegitur omnis terra (*Eccli.* xxiv, 6), et videre in verbis Domini sincerissimam lucem. Ne forte ergo calore radiorum suorum discutiat caliginem nostram, et aliquantum se in consequentibus aperire dignetur, dilatis istis sequentia videamus.

6. *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Hoc verum est et planum est. *Omne* quippe *judicium dedit Filio*, sicut supra dixit, *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Quid si inveniuntur qui Patrem honorificant, et non honorificant Filium? Non potest, inquit, fieri: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Non potest ergo dicere aliquis, Ego Patrem honorificabam, quia Filium non noveram. Si nondum Filium honorificabas, nec Patrem honorificabas. Quid est enim honorificare Patrem, nisi quod habeat Filium? Aliud est enim cum tibi commendatur Deus, quia Deus est; et aliud est cum tibi commendatur Deus, quia Pater est. Cum tibi quia Deus est commendatur, creator tibi commendatur, omnipotens tibi commendatur, spiritus quidam summus, æternus, invisibilis, incommutabilis tibi commendatur: cum vero tibi quia Pater est commendatur, nihil tibi aliud quam et Filius commendatur; quia Pater dici non potest, si Filium non habet; sicut nec Filius, si Patrem non habet. Sed ne forte Patrem quidem honorofices tanquam majorem, Filium vero tanquam minorem, ut dicas mihi, Honorifico Patrem, scio enim quod habeat Filium; et non erro in Patris nomine, non enim Patrem intelligo sine Filio, honorifico tamen et Filium tanquam minorem: corrigit te ipse Filius, et revocat te dicens, *ut omnes honorificent Filium*, non inferius, sed *sicut honorificant Patrem. Qui* ergo *non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Ego, inquis, majorem honorem volo dare Patri, minorem Filio. Ibi tollis honorem Patri, ubi minorem das Filio. Quid enim aliud tibi videtur ita sentienti, nisi quia Pater æqualem sibi Filium generare aut noluit, aut non potuit? Si noluit, invidit; si non potuit, defecit. Non ergo vides quia ita sentiendo, ubi majorem honorem vis dare Patri, ibi es contumeliosus in Patrem? Proinde sic honorifica Filium, quomodo honorificas Patrem, si vis honorificare et Patrem et Filium.

7. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam; et in judicium non venit, sed transiit*, non nunc transit, sed jam *transiit a morte in vitam.* Et hoc attendite, *Qui verbum meum audit*: et non dixit, Credit mihi; sed, *credit ei qui me misit.* Verbum ergo Filii audiat, ut Patri credat. Quare verbum audit tuum, et credit alteri? Nonne cum verbum alicujus audimus, eidem verbum proferenti credimus, loquenti nobis fidem accommodamus? Quid ergo voluit dicere, *Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me;* nisi, quia verbum ejus est in me? Et quid est, *audit verbum meum*, nisi, audit me? *Credit* autem *ei qui misit me:* quia cum illi credit, verbo ejus credit: cum autem verbo ejus credit, mihi credit; quia Verbum Patris ego sum. Pax ergo in Scripturis, et omnia disposita, nequaquam rixantia. Tu abjice litem cordis tui, intellige concordiam Scripturarum. Numquid contraria sibi diceret veritas?

8. *Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam; et in judicium non venit, sed transiit a morte in vitam.* Meministis quod superius posueramus, quia *sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Incipit jam ape-

vire se, et loqui de resurrectione mortuorum, et ecce jam resurgunt mortui. *Qui enim verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non veniet.* Proba quia resurrexit. Sed *transiit*, inquit, *a morte in vitam.* Qui transiit a morte ad vitam, nullo dubitante utique resurrexit. Non enim transiret de morte ad vitam, nisi primo esset in morte, et non esset in vita: cum autem transierit, erit in vita, et non erit in morte. Mortuus ergo erat, et revixit; perierat, et inventus est (*Luc.* XV, 32). Fit proinde jam quædam resurrectio, et transeunt homines a morte quadam ad quamdam vitam: a morte infidelitatis, ad vitam fidei; a morte falsitatis ad vitam veritatis; a morte iniquitatis, ad vitam justitiæ. Est ergo et ista quædam resurrectio mortuorum.

9. Aperiat illam plenius, et dilucescat nobis, ut cœpit. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est.* Nos exspectabamus in fine resurrectionem mortuorum; nam ita credidimus: imo non exspectabamus, sed plane exspectare debemus; neque enim falsum credimus in fine mortuos resurrecturos. Cum ergo vellet Dominus Jesus insinuare nobis quamdam resurrectionem mortuorum ante resurrectionem mortuorum; non sicut Lazari (*Joan.* XI, 43, 44), vel filii illius viduæ (*Luc.* VII, 14, 15), vel filiæ archisynagogi (*Marc.* V, 41, 42), qui resurrexerunt morituri (nam et ipsorum mortuorum quædam resurrectio facta est ante resurrectionem mortuorum): sed sicut hic dicit, *Habet*, inquit, *vitam æternam; et in judicium non venit, sed transiit a morte ad vitam.* Ad quam vitam? Ad æternam. Non ergo sicut corpus Lazari: transiit enim et ille a morte sepulcri ad vitam hominum, sed non æternam, iterum moriturus; resurrecturi autem in fine sæculi mortui, in vitam æternam transibunt. Cum ergo vellet Dominus noster Jesus Christus, magister cœlestis, Verbum Patris et Veritas, demonstrare nobis quamdam resurrectionem mortuorum in æternam vitam, ante resurrectionem mortuorum in æternam vitam: *Venit hora*, inquit. Tu procul dubio imbutus fide resurrectionis carnis, exspectabas horam illam finis sæculi, diem judicii, quam ne in isto loco exspectares, addidit, *et nunc est.* Quod ergo dicit, *Venit hora*, non dicit de illa hora novissima, ubi *in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei Dominus ipse descendet de cœlo, et mortui in Christo resurgent primo: deinde nos viventes qui reliqui sumus, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et ita semper cum Domino erimus* (I *Thess.* IV, 15 *et* 16). Veniet illa hora, sed non est nunc. Hora vero ista quæ sit, advertite: *Venit hora, et nunc est.* Quid in ea fit? Quid, nisi resurrectio mortuorum? Et qualis resurrectio? Ut qui resurgunt, in æternum vivant. Hoc erit et in novissima hora.

10. Quid igitur? quomodo intelligimus duas istas resurrectiones? Numquid forte qui nunc resurgunt, tunc non resurgent; ut aliorum fiat nunc resurrectio, aliorum tunc? Non est ita. Nam ista resurrectione, si recte credidimus, resurreximus; et nos ipsi qui jam resurreximus, alteram in fine resurrectionem exspectamus. Sed et nunc in æternam vitam resurreximus, si in fide ipsa perseveranter manemus; et tunc in æternam vitam resurgemus, quando Angelis coæquabimur (*Luc.* XX, 36). Ipse ergo distinguat, ipse aperiat quod loqui ausi sumus: quomodo fiat resurrectio ante resurrectionem, non aliorum et aliorum, sed eorumdem; nec talis qualis Lazari, sed in vitam æternam. Aperiet plane. Audite dilucescentem magistrum, et illabentem cordibus nostris solem nostrum; non quem desiderant oculi carnis, sed cui æstuant aperiri oculi cordis. Ipsum ergo audiamus: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui*, videte exprimi resurrectionem, *quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* Quare addidit, *Qui audierint vivent?* Possent enim audire nisi viverent? Sufficeret ergo, *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei.* Jam nos intelligeremus viventes eos; quando nisi viverent, audire non possent. Non, inquit, quia vivunt audiunt, sed audiendo reviviscunt: *audient, et qui audierint vivent.* Quid est ergo, *audient*; nisi, obaudient? Quantum enim pertinet ad auris auditum, non omnes qui audient vivent: multi enim audiunt et non credunt; audiendo et non credendo non obaudiunt: non obaudiendo non vivunt. Itaque hic, *qui audient*, nihil est aliud quam qui obaudient. Qui ergo obaudierint, vivent: certi sint, securi sint, vivent. Prædicatur Christus Verbum Dei, Filius Dei, per quem facta sunt omnia, certe (*a*) dispensationis gratia assumpta carne natus ex Virgine, infans in carne, juvenis in carne, patiens in carne, moriens in carne, resurgens in carne, ascendens in carne, promittens resurrectionem carni, promittens resurrectionem menti, menti ante carnem, carni post mentem. Qui audit et obaudit, vivet: qui audit et non obaudit, id est, audit et contemnit, audit et non credit, non vivet. Quare non vivet? Quia non audit. Quid est, non audit? Non obaudit. Ergo *qui audierint, vivent.*

11. Attende nunc quod dixeramus differendum, ut nunc, si fieri potuerit, aperiatur. Subjecit continuo de hac ipsa resurrectione, *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.* Quid est, *habet vitam Pater in semetipso?* Non alibi habet vitam, sed in semetipso. Vivere quippe suum in illo est; non aliunde, non alienum est: non quasi mutuatur vitam, nec quasi particeps fit vitæ, ejus vitæ quæ non est quod ipse; sed *habet vitam in semetipso*, ut ipsa vita sibi sit ipse. Si potuero adhuc modicum quid inde dicere, exemplis propositis ad intelligentiam vestram informandam, Domino adjuvante potero, et pietate intentionis vestræ. Vivit Deus, vivit et anima: sed vita Dei immutabilis est, vita animæ mutabilis est. Deus nec proficit, nec deficit; sed est ipse semper in se, est ita ut est: non aliter nunc, aliter postea, aliter antea. Animæ vero vita, valde aliter atque aliter: vivebat stulta, vivit sapiens; vivebat iniqua, vivit justa: nunc meminit, nunc obliviscitur; nunc discit, nunc discere non potest; nunc perdit quod didicerat, nunc percipit

(*a*) Seu *certæ*.

quod amiserat : mutabilis vita animæ. Et cum vivit anima in iniquitate, mors ejus est : cum autem fit justa, fit particeps alterius vitæ, quæ non est quod ipsa, erigendo se quippe ad Deum et inhærendo Deo, ex illo justificatur. Dictum est enim : *Credenti in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam* (*Rom.* IV, 5). Deficiendo ab illo fit iniqua, proficiendo ad illum fit justa. Nonne videtur tibi quasi aliquid frigidum igni admotum fervescere, remotum ab igne torpescere? nonne videtur tibi quiddam tenebrosum, admotum luci clarescere, remotum a luce nigrescere? Tale quiddam est anima, non tale aliquid Deus. Potest et homo dicere, habere se lucem nunc in oculis suis. Dicant ergo quasi quadam voce propria oculi tui si possunt : Habemus lucem in nobis ipsis. Contra dicitur : Non proprie dicitis habere vos lucem in vobis ipsis : habetis lucem, sed in cœlo ; habetis lucem, si forte nox est, sed in luna, in lucernis, non in vobis ipsis : nam clausi amittitis, quod aperti percipitis. Non in vobis ipsis habetis lucem : sole occidente tenete lucem, si potestis : nox est, et lumine nocturno perfruimini ; subducta lucerna tenete lucem : cum vero subtracta lucerna in tenebris remanetis, non lucem in vobis ipsis habetis. Hoc est ergo habere lucem in semetipso, non indigere luce ex altero. Ecce ubi, si quis intelligat, ostendit Filium æqualem Patri, ubi ait, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* : ut hoc solum intersit inter Patrem et Filium, quia Pater habet vitam in semetipso, quam nemo ei dedit ; Filius autem habet vitam in semetipso, quam Pater dedit.

12. Sed etiam hic oritur aliquod nubilum discutiendum. Non deficiamus, intenti simus : pascua mentis sunt, non fastidiamus, ut vivamus. Ecce, inquis, fateris ipse quod vitam Filio Pater dedit, ut habeat eam quidem in semetipso, sicut habet Pater vitam in semetipso, non indigens ille, non indigeat et iste ; ut sit ille vita, sit et iste ; et utrumque conjunctum una vita, non duæ ; quia unus Deus, non duo dii : et hoc ipsum sit esse vitam. Quomodo ergo dedit Filio vitam Pater? Non sic quasi ante fuerit Filius sine vita, atque ut viveret a Patre acceperit vitam : nam si hoc esset, non haberet vitam in semetipso. Ecce de anima loquebar. Est anima : etsi non sit sapiens, etsi non sit justa, anima est ; etsi non sit pia, anima est. Aliud illi ergo est esse animam, aliud vero esse sapientem, esse justam, esse piam. Est ergo aliquid quo nondum est sapiens, nondum justa, nondum pia ; non tamen nihil est, non tamen nulla vita est : nam ex operibus quibusdam suis ostendit se vitam [1], etsi non se ostendit sapientem, piam, justam. Nisi enim viveret, corpus non moveret ; pedibus gressum, manibus opus, oculis intuitum, auribus auditum non imperaret ; non aperiret os ad vocem, linguam ad distinctionem vocum non moveret. His itaque operibus vivere se ostendit, et esse aliquid quod sit corpore melius : sed numquid his operibus, sapientem, piam, justam se ostendit? Nonne ambulant, operantur, vident, audiunt, loquuntur et stulti, et impii, et injusti? Cum vero se erigit ad aliquid quod ipsa non est, et quod supra ipsam est, et a quo ipsa est, percipit sapientiam, justitiam, pietatem : sine quibus cum esset, mortua erat, nec vitam habebat qua ipsa viveret, sed qua corpus vivificaret. Aliud est enim in anima unde corpus vivificatur, aliud unde ipsa vivificatur. Melius quippe est quam corpus ; sed melius quam ipsa est Deus. Est ergo ipsa, etiamsi sit insipiens, injusta, impia, vita corporis. Quia vero vita ejus est Deus, quomodo cum ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum ; sic cum vita ejus Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, pietatem, justitiam, charitatem. Aliud est ergo quod præstatur corpori de anima ; aliud quod præstatur animæ de Deo : vivificat, et vivificatur ; mortua vivificat, si ipsa non vivificatur. Veniente itaque verbo et infuso audientibus, factisque illis non solum audientibus, sed etiam obedientibus, resurgit anima a morte sua ad vitam suam ; hoc est, ab iniquitate, ab insipientia, ab impietate ad Deum suum, qui est illi sapientia, justitia, claritas. Surgat ad illum, illuminetur ab illo. *Accedite*, inquit, *ad eum*. Et quid nobis erit? *Et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 5). Si ergo accedendo illuminamini, et recedendo tenebramini ; non erat in vobis lumen vestrum, sed in Deo vestro. Accedite, ut resurgatis : si recesseritis, moriemini. Si ergo accedendo vivitis, recedendo morimini ; non erat in vobis vita vestra. Ipsa est enim vita vestra, quæ est lux vestra. *Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV, 10).

13. Non ergo sicut anima aliquid aliud est antequam illuminetur, et fit melius cum illuminatur participatione melioris ; ita et Verbum Dei, Filius Dei, aliquid aliud erat antequam acciperet vitam, ut participando habeat vitam : sed vitam habet in semetipso ; ac per hoc ipse est ipsa vita. Quid ergo ait, *Dedit Filio vitam habere in semetipso?* Breviter dixerim, Genuit Filium. Neque enim erat sine vita, et accepit vitam ; sed nascendo vita est. Pater vita est non nascendo ; Filius vita est nascendo. Pater de nullo patre, Filius de Deo Patre. Pater quod est, a nullo est : quod autem Pater est, propter Filium est. Filius vero et quod Filius est, propter Patrem est ; et quod est, a Patre est. Hoc ergo dixit, *Vitam dedit Filio, ut haberet eam in semetipso* ; tanquam diceret, Pater qui est vita in semetipso, genuit Filium qui esset vita in semetipso. Pro eo enim quod est genuit, voluit intelligi *dedit*. Tanquam si cuiquam diceremus, Dedit tibi Deus esse. Cui dedit? Si alicui jam existenti dedit esse, non ei dedit esse ; quia erat, antequam ei daretur, qui posset accipere. Cum ergo audis, Dedit tibi esse, non eras qui acciperes, et existendo accepisti ut esses. Dedit structor domui huic ut esset. Sed quid ei dedit? Ut domus esset. Cui dedit? Huic domui. Quid ei dedit? Ut domus esset. Quomodo potuit dare domui ut domus esset? Etenim si domus erat ; cui daret, ut domus esset, quando jam domus erat? Quid est

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. pro, *vitam*, ferunt, *vivam*. M.

ergo, Dedit ei ut domus esset? Fecit ut domus esset. Quid ergo Filio dedit? Dedit ei ut Filius esset, genuit ut vita esset: hoc est, *Dedit ei habere vitam in semetipso*, ut esset vita non egens vita, ne participando intelligatur habere vitam. Si enim participando haberet vitam, posset et amittendo esse sine vita: hoc in Filio ne accipias, ne cogites, ne credas. Manet ergo Pater vita, manet et Filius vita: Pater vita in semetipso, non a Filio; Filius vita in semetipso, sed a Patre. A Patre genitus ut esset vita in semetipso: Pater vero non genitus vita in semetipso. Nec minorem Filium genuit, qui crescendo fieret æqualis. Non enim ad sui perfectionem adjutus est tempore, per quem perfectum creata sunt tempora. Ante omnia tempora Patri coæternus est. Non enim unquam Pater sine Filio: æternus autem Pater est; ergo coæternus et Filius. Quid tu, anima? Mortua eras, amiseras vitam, audi Patrem per Filium. Surge, recipe vitam; ut in eo recipias vitam quam non habes in te, qui habet vitam in semetipso. Vivificat ergo te Pater, et Filius; et agitur prima resurrectio, quando resurgis ad participandam vitam quod tu non es, et participando efficeris vivens. Resurge a morte tua in vitam tuam, qui est Deus tuus; et transi a morte in vitam æternam. Habet enim vitam æternam Pater in semetipso; et nisi Filium talem generaret, qui haberet vitam in semetipso, non sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vellet vivificaret.

14. Quid ergo de illa resurrectione corporis? Nam isti qui audiunt et vivunt, unde, nisi audiendo, vivunt? *Amicus* enim *sponsi stat et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi* (*Joan.* III, 29), non propter vocem suam; hoc est, participando, non existendo audiunt et vivunt: et omnes qui audiunt, vivunt; quia omnes qui obediunt, vivunt. Dic aliquid, Domine, etiam de resurrectione carnis. Fuerunt enim qui eam negarent, et dicerent quia ista sola est resurrectio quæ fit per fidem. Cujus resurrectionis modo Dominus fecit commemorationem, et inflammavit nos, quia quidam [1] *mortui audient vocem Filii Dei, et vivent.* Non eorum qui audierint alii morientur, et alii vivent; sed omnes *qui audierint vivent*, quia omnes qui obedierint vivent. Ecce videmus resurrectionem mentis: non ergo amittamus fidem de resurrectione carnis [2]. Et nisi tu, Domine Jesu, dixeris eam, quem opponemus contradictoribus? Omnes enim sectæ, quæ se aliquam religionem hominibus inserere [3] præsumpserunt, non negaverunt istam mentium resurrectionem: ne diceretur eis, Si non resurgit anima, quare mihi loqueris? quid in me facere vis? si non facis ex deteriore meliorem, quare loqueris? si non facis ex iniquo justum, quare loqueris? si autem facis ex iniquo justum, ex impio pium, ex stulto sapientem, fateris resurgere animam meam, si tibi obtemperavero, si tibi credidero. Volentes ergo sibi credi omnes qui instituerunt alicujus etiam falsæ religionis sectam, negare istam mentium resurrectionem non potuerunt; omnes de illa consenserunt: sed multi carnis resurrectionem negaverunt; dixerunt in fide jam factam esse resurrectionem. Talibus resistit Apostolus, dicens: *Ex quibus est Hymenæus et Philetus, qui circa veritatem aberraverunt, dicentes resurrectionem jam factam esse, et fidem quorumdam subverterunt* (II *Tim.* II, 17, 18). Jam factam esse resurrectionem dicebant, sed eo modo ut alia non speraretur: et reprehendebant homines qui sperabant resurrectionem carnis, velut jam resurrectio quæ promissa erat, credendo impleretur in mente. Reprehendit eos Apostolus. Cur eos reprehendit? Nonne hoc dicebant quod modo Dominus loquebatur, *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent?* Sed de vita mentium loquor adhuc, ait tibi Jesus: nondum loquor de vita corporum; sed loquor de vita vitæ corporum, id est, de animarum, in quibus est vita corporum: nam scio esse corpora in monumentis jacentia, scio et corpora vestra in monumentis futura; nondum de illa resurrectione loquor: de ista loquor, in ista resurgite, ne ad pœnam in illa resurgatis. Sed ut noveritis quia de illa loquor, quid addo? *Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Hæc vita quod Pater est, quod Filius est, ad quid pertinet? ad animam, an ad corpus? Non enim vitam illam sapientiæ sentit corpus, sed mens rationalis. Nam nec omnis anima potest sentire sapientiam. Habet enim et pecus animam; sed pecoris anima non potest sentire sapientiam. Ergo anima humana potest sentire istam vitam quam habet Pater in semetipso, et dedit Filio vitam habere in semetipso; quia illud est *verum lumen quod illuminat*, non omnem animam, sed *omnem hominem venientem in hunc mundum.* Cum ergo ipsi menti loquor, audiat, id est obediat, et vivat.

15. Noli itaque, Domine, tacere de resurrectione carnis; ne non eam credant homines, et remaneamus nos argumentatores, non prædicatores. Ergo *sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso.* Intelligant qui audiunt, credant ut intelligant, obediant ut vivant. Audiant adhuc aliud, ne hic finitam esse resurrectionem putent. *Et dedit ei potestatem et judicium facere.* Quis? Pater. Cui dedit? Filio. Cui enim dedit habere vitam in semetipso, potestatem dedit ei et judicium facere. *Quia filius hominis est.* Iste enim Christus, et Filius Dei et filius hominis est. *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum.* Ecce quomodo dedit ei vitam habere in semetipso. Sed quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 9, 1, 2, 14), ex virgine Maria homo factus, filius hominis est. Proinde quia filius hominis est, quid accepit? Potestatem et judicium facere. Quod judicium? In fine sæculi: et ibi erit resurrectio mortuorum, sed corporum. Animas ergo suscitat Deus, per Christum Filium Dei: corpora sus-

[1] In quatuor Mss., *quidem.*
[2] Mss. magno consensu: *Non ergo amittamus de fide resurrectionem carnis.*
[3] Sic Mss. At editi: *Se aliqua religione hominibus inserere.*

citat Deus, per eumdem Christum filium hominis. *Dedit ei potestatem.* Hanc potestatem non haberet nisi acciperet, et esset homo sine potestate. Sed ipse est filius hominis, qui et Filius Dei. Hærendo enim ad unitatem personæ filius hominis Filio Dei, facta est una persona, eademque Filius Dei, quæ et filius hominis. Quid autem propter quid habeat, dignoscendum est. Filius hominis habet animam, habet corpus. Filius Dei, quod est Verbum Dei, habet hominem, tanquam anima corpus. Sicut anima habens corpus, non facit duas personas, sed unum hominem; sic Verbum habens hominem, non facit duas personas, sed unum Christum. Quid est homo? Anima rationalis habens corpus. Quid est Christus? Verbum Dei habens hominem. Video de quibus rebus loquar, et quis loquar, et quibus loquar.

16. Nunc audite de resurrectione corporum, non me, sed Dominum locuturum, propter eos qui resurrexerunt surgendo a morte, inhærendo vitæ. Cui vitæ? Quæ non novit mortem. Quare non novit mortem? Quia nescit mutabilitatem. Quare nescit mutabilitatem? Quia vita est in semetipso. *Et potestatem dedit ei et judicium facere, quia filius hominis est.* Quod judicium, quale judicium? *Nolite mirari hoc,* quia dixi, *Dedit ei potestatem et judicium facere. Quia venit hora.* Non addidit, *et nunc est :* ergo horam quamdam vult insinuare in fine sæculi. Hora nunc est ut resurgant mortui, hora erit in fine sæculi ut resurgant mortui : sed resurgant nunc in mente, tunc in carne; resurgant nunc in mente per Verbum Dei Filium Dei, resurgant tunc in carne per Verbum Dei carnem factum, filium hominis. Neque enim ad judicium vivorum et mortuorum Pater ipse venturus est : nec tamen recedit a Filio Pater. Quomodo ergo non ipse venturus est? Quia non ipse videbitur in judicio. *Videbunt in quem pupugerunt* (*Joan.* XIX, 37). Forma illa erit judex, quæ stetit sub judice; illa judicabit quæ judicata est : judicata est enim inique, judicabit juste. Veniet ergo forma servi, et ipsa apparebit. Etenim forma Dei quomodo appareret justis et iniquis? Nam si judicium non fieret nisi inter solos justos, appareret tanquam justis forma Dei : quia vero judicium futurum est justorum et iniquorum, nec licet ut iniqui videant Deum; *Beati* enim *mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8) : talis apparebit judex, qualis videri possit et ab eis quos coronaturus est, et ab eis quos damnaturus est. Forma ergo servi videbitur, occulta erit forma Dei. Occultus erit in servo Filius Dei, et apparebit filius hominis; quia *potestatem dedit ei et judicium facere, quia filius hominis est.* Et quia ipse solus apparebit in forma servi, Pater autem non apparebit, quia non est indutus forma servi; ideo superius ait, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Bene ergo dilatum est, ut ipse esset expositor qui propositor. Superius enim occultum erat; nunc jam, ut arbitror, manifestum est quia *dedit ei potestatem et judicium facere*, quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio :* quia judicium per illam formam futurum est, quam non habet Pater. Et quale judicium? *Nolite mirari hoc; quia venit hora :* non ea quæ nunc est, ut resurgant animæ; sed quæ futura est, ut resurgant corpora.

17. Expressius hoc dicat, ut calumniam hæreticus negator resurrectionis corporis non inveniat : quanquam jam intellectus elucescat. Cum superius dictum esset, *Venit hora;* addidit, *et nunc est :* modo autem, *Venit hora;* non addidit, *et nunc est.* Tamen omnes ansas, omnes claviculas calumniarum, omnes nodos laqueorum aperta veritate disrumpat. *Nolite mirari hoc; quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt.* Quid evidentius? quid expressius? Corpora sunt in monumentis : animæ non sunt in monumentis, nec justorum, nec iniquorum. Justi anima in sinu Abrahæ fuit, iniqui anima apud inferos torquebatur (*Luc.* XVI, 22-23) : in monumento, nec illa, nec illa. Superius quando ait, *Venit hora, et nunc est;* obsecro, intendite. Nostis, fratres, quia ad panem ventris cum labore pervenitur; quanto magis ad panem mentis? Cum labore statis, et auditis; sed nos cum majore stamus, et loquimur. Si laboramus propter vos, collaborare non debetis propter eosdem vos? Superius ergo cum diceret, *Venit hora*, et adderet, *et nunc est*, quid subjecit? *Quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* Non dixit, Omnes mortui audient, et qui audierint vivent : mortuos enim iniquos volebat intelligi. Et numquid omnes iniqui obaudiunt Evangelio? Aperte dicit Apostolus, *Sed non omnes obaudiunt Evangelio* (*Rom.* X, 16). Tamen qui audiunt, vivent; quia omnes qui obaudiunt Evangelio, transient ad vitam æternam per fidem : non tamen omnes obaudiunt, et hoc nunc est. At vero in fine, *omnes qui sunt in monumentis*, hoc est justi et injusti, *audient vocem ejus, et procedent.* Quomodo noluit dicere, *et vivent?* Omnes enim procedent, sed non omnes vivent. In eo quippe quod supra dixit, *Et qui audierint vivent;* in ipsa obauditione vitam æternam intelligi voluit et beatam, quam non omnes habebunt qui de monumentis procedent. Jam ergo et commemoratione monumentorum, et expressione processionis de monumentis, aperte intelligimus corporum resurrectionem.

18. *Audient omnes vocem ejus, et procedent.* Et ubi judicium, si omnes audient, et omnes procedent? Quasi totum confusum est; nihil video discretum. Certe accepisti potestatem judicandi, quia filius hominis es; ecce aderis in judicio, resurgent corpora : de ipso judicio dic aliquid, hoc est de discretione malorum et bonorum. Et hoc audi : *Qui bona fecerunt, in resurrectione vitæ; qui mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Superius cum de resurrectione mentium et animarum loqueretur, numquid fecit discretionem? Sed omnes qui audient, vivent; quia obaudiendo vivent. At vero resurgendo et procedendo de monumentis, non omnes ad vitam æternam ibunt, sed qui bene fecerunt : qui autem male, ad judicium. Hic enim judicium pro pœna posuit. Et erit diremptio, et non qualis modo est. Nam et modo separamur non locis, sed moribus, affectibus, desideriis, fide, spe,

charitate. Simul enim cum iniquis vivimus; sed non una vita est omnium : in occulto dirimimur, in occulto separamur; quomodo grana in area, non quomodo grana in horreo. Et separantur grana in area, et miscentur : separantur, cum a palea exspoliantur; miscentur, quia nondum ventilantur. Tunc aperta erit separatio, sicut morum, sic et vitæ; sicut sapientiæ, ita et corporum. Ibunt qui bene fecerunt, vivere cum Angelis Dei : qui male egerunt, torqueri cum diabolo et angelis ejus. Et transiet forma servi. Ad hoc enim se præsentaverat ut faceret judicium : post judicium perget hinc, ducet secum corpus cui caput est, et offeret regnum Deo (I *Cor.* xv, 24). Tunc plane videbitur forma illa Dei, quæ non potuit videri ab iniquis, quorum visioni forma servi exhibenda erat. Dicit et alibi sic : *Ibunt isti in ambustionem æternam* (de quibusdam sinistris); *justi autem in vitam æternam* (*Matth.* xxv, 46) ; de qua alio loco dicit, *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* xvii, 3). Tunc ibi apparebit *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* ii, 6) : tunc se ostendet quomodo se dilectoribus suis ostensurum promisit. *Qui enim diligit me*, ait, *mandata mea custodit; et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et ostendam meipsum illi.* Quibus loquebatur, præsens eis erat ; sed formam servi videbant; formam autem Dei non videbant. Per jumentum ad stabulum ducebantur curandi, sed sanati videbunt; quia *ostendam*, inquit, *meipsum illi.* Quomodo ostenditur æqualis Patri? Cum dicit Philippo, *Qui me videt, videt et Patrem meum* (*Joan.* xiv, 21, 9).

19. *Non possum ego a meipso facere quidquam : sicut audio judico, et judicium meum justum est.* Quia dicturi illi eramus, Tu judicabis, et Pater non judicabit, quia *omne judicium dedit Filio;* non ergo secundum Patrem judicabis : adjecit, *Non possum ego a meipso facere quidquam : sicut audio judico, et judicium meum justum est; quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Certe Filius quos vult vivificat. Non quærit voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illum. Non meam, non propriam; non meam, non filii hominis; non meam, quæ resistat Deo. Faciunt enim homines voluntatem suam, non Dei, quando faciunt quod volunt, non quod jubet Deus : quando autem ita faciunt quod volunt, ut tamen sequantur voluntatem Dei, non faciunt voluntatem suam, quamvis quod volunt faciant. Volens fac quod juberis; atque ita et hoc facies quod vis, et non voluntatem tuam facies, sed jubentis.

20. Quid ergo? *Sicut audio, ita judico.* Audit Filius, et demonstrat ei Pater, et videt Filius Patrem facientem. Et ista distuleramus paulo enucleatius pro viribus pertractare, si tempus nobis peracta lectione et vires remansissent. Si dicam me posse loqui adhuc, forte vos audire jam non potestis. Item forte aviditate audiendi dicitis, Possumus. Melius est ergo ut ego infirmitatem meam fatear, quia jam fatigatus loqui non possum, quam ut vobis jam bene satiatis, adhuc infundam quod non bene digeratis. Proinde hujus promissionis quam ad hodiernum tempus, si superesset, distuleram, tenete me adjuvante Domino in crastinum debitorem.

TRACTATUS XX.

Rursum in illud, Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem : quæcumque enim Pater facit, hæc eadem et Filius facit similiter. *Cap.* v, ỳ. 19.

1. Verba Domini nostri Jesu Christi, maxime quæ Joannes commemorat evangelista, qui non sine causa super pectus Domini discumbebat (*Joan.* xiii, 23), nisi ut secreta altioris sapientiæ ejus ebiberet, et quod amando biberat, evangelizando ructaret, ita secreta sunt et profunda intelligentiæ[1], ut omnes turbent qui perverso sunt corde, et omnes exerceant qui recto sunt corde. Proinde animadvertat Charitas vestra ad hæc pauca quæ lecta sunt. Videamus si quo modo possumus donante et adjuvante ipso qui verba sua nobis voluit recitari, quæ tunc audita atque conscripta sunt, ut modo legerentur, quid sibi velit quod eum audistis modo dicere, *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem : quæcumque enim Pater facit, hæc eadem et Filius facit similiter.*

2. Unde autem natus sit sermo iste, commemorandi estis propter superiora lectionis, ubi curaverat Dominus quemdam inter illos qui in quinque porticibus piscinæ illius Salomonis jacebant, cui dixerat, *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.* Hoc autem fecerat sabbatis : unde perturbati Judæi calumniabantur, quasi eversorem et prævaricatorem Legis. Tunc eis dixerat, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Id.* v, 8, 17). Illi enim carnaliter accipientes sabbati observationem, putabant Deum post laborem fabricati mundi usque ad hunc diem quasi dormire; et propterea sanctificasse illum diem, ex quo cœpit velut a laboribus requiescere. Est autem sacramentum sabbati antiquis patribus nostris præceptum (*Exod.* xx, 8-11), quod nos Christiani spiritualiter observamus, ut ab omni servili opere, id est ab omni peccato (quia Dominus dicit, *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* viii, 34), abstineamus nos, et habeamus quietem in corde nostro, id est tranquillitatem spiritualem. Et quamvis in hoc sæculo id conemur, ad eam tamen requiem perfectam non perveniemus, nisi cum de hac vita exierimus. Sed ideo dictum est Deum requievisse, quia jam creaturam nullam condebat postquam perfecta sunt omnia. Quietem vero propterea appellavit Scriptura, ut nos admoneret post bona opera requieturos. Sic enim scriptum habemus in Genesi, *Et fecit Deus omnia bona valde, et requievit Deus die septimo* (*Gen.* i, 31, *et* ii, 2) : ut tu homo cum attendis ipsum Deum post bona opera requievisse, non tibi speres requiem, nisi cum bona fueris operatus : et quemadmodum Deus posteaquam fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam sexto die, et in illo perfecit omnia

[1] Er. Lugd. et Ven. legunt, *profundæ intelligentiæ.* M.

opera sua bona valde, requievit septimo die; sic et tibi requiem non speres, nisi cum redieris ad similitudinem in qua factus es, quam peccando perdidisti. Non enim Deus laborasse dicendus est, qui dixit et facta sunt. Quis est qui post tantam operis facilitatem quasi post laborem velit requiescere? Si jussit et aliquis ei restitit, si jussit et non est factum, et ut fieret laboravit; merito dicatur post laborem requievisse: cum vero et in ipso libro Geneseos legamus, *Dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux: dixit Deus, Fiat firmamentum; et factum est firmamentum* (*Gen.* I, 3, 6, 7); et cætera in verbo ejus continuo facta: cui attestatur et Psalmus dicens, *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* XXXII, 9, *et* CXLVIII, 5): quomodo post mundum factum requiem quasi ut cessaret requirebat, qui in jubendo nunquam laboraverat? Ergo illa mystica sunt, et propterea ita posita, ut nobis requiem speremus post hanc vitam, sed si bona opera fecerimus. Ideo Dominus retundens impudentiam et errorem Judæorum, et ostendens eos non recte sapere de Deo, ait illis scandalizatis [1] quod sabbato operabatur hominum sanitatem, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor:* nolite ergo hoc putare quia sabbato ita requievit Pater meus, ut ex illo non operetur; sed sicut ipse nunc operatur, operor et ego. Sed sicut Pater sine labore, sic et Filius sine labore. *Dixit* Deus, *et facta sunt:* dixit Christus languenti, *Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam,* et factum est.

3. Catholica autem fides habet, quod Patris et Filii opera non sunt separabilia. Hoc est quod volo, si possum, loqui Charitati vestræ: sed secundum illa verba Domini, *Qui potest capere capiat* (*Matth.* XIX, 12). Qui autem capere non potest, non mihi adscribat, sed tarditati suæ; et convertat se ad illum qui cor aperit, ut infundat quod donat. Postremo et si quisquam propterea non intellexerit, quia non a me sic dictum est ut dici debuit, ignoscat humanæ fragilitati, et supplicet divinæ bonitati. Habemus enim intus magistrum Christum. Quidquid per aurem vestram, et os meum capere non potueritis, in corde vestro ad eum convertimini, qui et me docet quod loquor, et vobis quemadmodum dignatur distribuit. Qui novit quid det, et cui det, aderit petenti, et aperiet pulsanti. Et si forte non dederit, nemo se dicat desertum. Forte enim aliquid dare differt, sed neminem esurientem relinquit. Si enim non dat ad horam, exercet quærentem, non contemnit petentem. Videte ergo et attendite quid velim dicere, etsi forte non possim. Catholica fides hoc habet, firmata Spiritu Dei in sanctis ejus, contra omnem hæreticam pravitatem, quia Patris et Filii opera inseparabilia sunt. Quid est quod dixi? Quomodo ipse Pater et Filius inseparabiles sunt, sic et opera Patris et Filii inseparabilia sunt. Quomodo Pater et Filius inseparabiles sunt? Quia ipse dixit, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Quia Pater et Filius non sunt duo dii, sed unus Deus, Verbum et cujus est Verbum, unus et Unicus, Deus unus Pater et Filius charitate complexi, unusque charitatis Spiritus eorum est, ut fiat Trinitas Pater et Filius et Spiritus sanctus. Non ergo tantum Patris et Filii, sed et Spiritus sancti, sicut æqualitas et inseparabilitas personarum, ita etiam opera inseparabilia sunt. Adhuc planius dicam quid sit, opera inseparabilia sunt. Non dicit catholica fides quia fecit Deus Pater aliquid, et fecit Filius aliquid aliud: sed quod fecit Pater, hoc et Filius fecit, hoc et Spiritus sanctus fecit. Per Verbum enim facta sunt omnia: quando dixit et facta sunt, per Verbum facta sunt, per Christum facta sunt. *In principio* enim *erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1, 3). Si omnia per ipsum facta sunt; *dixit Deus, Fiat lux; et facta est lux:* in Verbo fecit, per Verbum fecit.

4. Ecce ergo nunc audivimus Evangelium, cum responderet stomachantibus Judæis, *quia non solum solvebat sabbatum, sed etiam patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (*Id.* V, 18): sic enim scriptum est in superiori capitulo. Cum ergo tali eorum erranti indignationi Dei Filius et Veritas responderet, ait, *Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Tanquam diceret, Quid scandalizati estis, quia Patrem meum dixi Deum, et quia æqualem me facio Deo? Ita sum æqualis, ut ille me genuerit: ita sum æqualis, ut non ille a me, sed ego ab illo sim. Hoc enim intelligitur in his verbis, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Hoc est, quidquid Filius habet ut faciat, a Patre habet ut faciat. Quare habet a Patre ut faciat? Quia a Patre habet ut Filius sit. Quare a Patre habet ut Filius sit? Quia a Patre habet ut possit, quia a Patre habet ut sit. Filio enim hoc est esse quod posse. Homini non ita est. Ex comparatione humanæ infirmitatis, longe infra jacentis, utcumque corda sustollite; et ne forte aliquis nostrum attingat secretum, et quasi coruscatione magnæ lucis horrescens, sapiat aliquid, ne insipiens remaneat: non tamen se totum sapere putet, ne superbiat, et quod sapuit amittat. Homo aliud est quod est, aliud quod potest. Aliquando enim et est homo, et non potest quod vult; aliquando autem sic est homo, ut possit quod vult: itaque aliud est esse ipsius, aliud posse ipsius. Si enim hoc esset esse ipsius, quod est posse ipsius; cum vellet posset. Deus autem cui non est alia substantia ut sit, et alia potestas ut possit, sed consubstantiale illi est quidquid ejus est, et quidquid est, quia Deus est [1], non alio modo est, et alio modo potest; sed esse et posse simul habet, quia velle et facere simul habet. Quia ergo potentia Filii de Patre est, ideo et substantia Filii de Patre est; et quia substantia Filii de Patre, ideo potentia Filii de Patre est. Non alia potentia est in Filio, et alia substantia: sed ipsa est potentia quæ et substantia; substantia ut sit, potentia ut possit. Ergo quia Filius de Patre est,

[1] Mss., *scandalizantibus*. Sic etiam infra constanter pro, *scandalizatis*.

[1] Mss. octo, *sed consubstantiale illi est quidquid ejus est, et quidquid ejus est quod est, quia Deus est*. Remigianus vero addit, *est*, hoc loco, *et quidquid ejus est, est quod est, quia Deus est*: nec minus recte.

ideo dixit, *Filius non potest a se facere quidquam.* Quia non est Filius a se, ideo non potest a se.

5. Videtur enim quasi minorem se fecisse, cum dixit, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Hic erigit cervicem hæretica vanitas, eorum scilicet qui dicunt Filium minorem esse quam Patrem, minoris potestatis, majestatis, possibilitatis, non intelligentes mysterium verborum Christi. Attendat autem Charitas vestra, et videte quemadmodum in carnali suo intellectu modo turbentur in ipsis verbis Christi. Hoc autem paulo ante prælocutus sum, quia omnia perversa corda perturbat, sicut pia corda exercet Verbum Dei, maxime quod per Joannem evangelistam dicitur. Alta enim per illum dicuntur, non qualiacumque, non quæ facile intelligantur. Ecce jam hæreticus si forte audit verba ista, erigit se, et dicit nobis : Ecce minor est Filius quam Pater, ecce audi verba Filii, qui dicit, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Exspecta, quemadmodum scriptum est, *Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas* (*Eccli.* v, 13). Puta enim me conturbatum esse his verbis, quoniam dico æqualem potestatem majestatemque esse Patris et Filii, cum audivi, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Turbatus his verbis quæro abs te, qui jam tibi videris intellexisse : Novimus in Evangelio Filium ambulasse super mare (*Matth.* xiv, 25) ; ubi Patrem vidit ambulasse super mare? Hic jam ille turbatur. Pone ergo quod intellexeras, et simul quæramus. Quid ergo facimus? Verba Domini audivimus, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ambulavit ipse super mare, Pater nunquam ambulavit super mare. Certe *non facit Filius quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.*

6. Redi ergo mecum ad id quod dicebam, ne forte sic intelligendum sit, ut de quæstione ambo exeamus. Nam ego secundum fidem catholicam video quomodo exeam sine offensione, sine scandalo : tu autem circumclusus, quæris qua exeas. Qua intraveras vide. Forte non intellexisti et hoc quod dixi, Qua intraveras vide : ipsum audi dicentem, *Ego sum janua* (*Joan.* x, 7). Non sine causa ergo quæris qua exeas, et non invenis, nisi quia non per januam intrasti, sed per maceriam cecidisti. Ergo quemadmodum potes, a ruina tua collige te, et intra per januam, ut sine offensione intres, et sine errore exeas. Per Christum veni, nec ex corde tuo afferas quod dicas ; sed quod ille ostendit, hoc loquere. Ecce fides catholica quemadmodum exit de ista propositione. Ambulavit Filius super mare, pedes carnis fluctibus imposuit ; caro ambulabat, et divinitas gubernabat : quando ergo caro ambulabat et divinitas gubernabat, Pater absens erat? Si absens erat, quomodo ipse Filius dicit, *Pater autem in me manens, ipse facit opera sua* (*Id.* xiv, 10)? Si ergo Pater in Filio manens, ipse facit opera sua ; ambulatio illa carnis supra mare, a Patre fiebat, per Filium fiebat. Ergo illa ambulatio opus est Patris et Filii inseparabile. Utrumque ibi operantem video : nec Pater Filium deseruit, nec Filius a Patre discessit. Ita quidquid facit Filius, non facit sine Patre ; quia quidquid facit Pater, non facit sine Filio.

7. Exitum est hinc. Videte quia recte nos dicimus inseparabilia esse opera Patris et Filii et Spiritus sancti. Nam quomodo tu intelligis, ecce fecit Deus lucem, et vidit Filius Patrem facientem lucem, secundum carnalem intellectum tuum, qui ideo vis minorem intelligere, quia dixit, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Fecit Deus Pater lucem ; quam lucem aliam fecit Filius? Fecit Deus Pater firmamentum, cœlum inter aquas et aquas, vidit eum Filius secundum intelligentiam tuam tardam et grossam : quia vidit Filius Patrem facientem firmamentum, et dixit, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem,* da mihi alterum firmamentum. An tu amisisti fundamentum? Superædificati autem supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo lapide angulari existente Christo Jesu, pacantur in Christo (*Ephes.* ii, 14-20) ; nec contendunt et errant in hæresi. Intelligimus ergo lucem factam a Deo Patre, sed per Filium ; firmamentum factum a Deo Patre, sed per Filium. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Excute intelligentiam tuam ; nec intelligentiam vocandam, sed plane stultitiam. Deus Pater fecit mundum : quem fecit Filius alterum mundum? da mihi mundum Filii. Iste in quo sumus, cujus est? dic nobis, a quo factus est? Si dixeris, A Filio ; non a Patre ; errasti a Patre : si dixeris, A Patre, non a Filio ; respondet tibi Evangelium, *Et mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit* (*Joan.* i, 3, 10). Agnosce ergo eum per quem factus est mundus, et noli esse inter illos qui eum qui fecit mundum non cognoverunt.

8. Inseparabilia sunt ergo opera Patris et Filii. Sed hoc est, *Non potest Filius a se quidquam facere,* quod esset si diceret, Non est Filius a se. Etenim si Filius est, natus est : si natus est, ab illo est de quo natus est. Sed tamen æqualem sibi genuit. Non enim defuit aliquid generanti, aut tempus quæsivit ut generaret, qui genuit coæternum ; aut matrem quæsivit ut generaret, qui de se protulit Verbum ; aut Pater generans ætate præcesserat Filium, ut minorem Filium generaret. Et forte dicit aliquis quia post multa sæcula in senecta sua Deus suscepit Filium. Sicut Pater sine senectute, sic et Filius sine incremento : nec ille senuit nec ille crevit ; sed æqualis æqualem genuit, æternus æternum. Quomodo, inquit aliquis, æternus æternum? Quomodo flamma temporalis generat lucem temporalem. Coæva est autem flamma generans luci quam generat, nec præcedit tempore flamma generans lucem generatam ; sed ex quo incipit flamma, ex illo incipit lux. Da mihi flammam sine luce, et do tibi Deum Patrem sine Filio. Hoc est ergo, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem ;* quia videre Filii, hoc est natum esse de Patre. Non alia visio ejus et alia substantia ejus : nec alia potentia ejus, alia substantia ejus. Totum quod est, de Patre est ; totum quod potest, de Patre est : quoniam quod potest et est, hoc unum est ; et de Patre totum est.

9. Sequitur et ipse in verbis suis, et male intelligentes conturbat, ut ad rectum intellectum revocet errantes. Cum dixisset, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* : ne forte carnalis subreperet intellectus, et averteret mentem, et faceret sibi homo quasi duos fabros, unum magistrum, alterum discipulum quasi attendentem ad magistrum, verbi gratia, facientem arcam ; ut quomodo ille fecit arcam, faciat et iste alteram arcam secundum visionem quam inspexit in magistro operante : sed ne tale aliquid sibi duplicaret in illa simplici divinitate intellectus carnalis, secutus ait, *Quæcumque enim Pater facit, hæc eadem et Filius facit similiter.* Non facit Pater alia, et alia Filius similia, sed eadem similiter. Non enim ait, Quæcumque facit Pater, facit et Filius alia similia : sed, *Quæcumque*, inquit, *Pater facit, hæc eadem et Filius facit similiter.* Quæ ille, hæc et ipse : mundum Pater, mundum Filius, mundum Spiritus sanctus. Si tres dii, tres mundi : si unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus mundus factus est a Patre per Filium in Spiritu sancto. Hæc ergo facit Filius, quæ facit et Pater, et non dissimiliter facit : et hæc facit, et similiter facit.

10. Jam dixerat, *hæc facit;* quare addidit, *similiter facit?* Ne alius pravus intellectus vel error in animo nasceretur. Vides enim hominis opus ; animus est in homine et corpus : animus imperat corpori, sed multum interest inter corpus et animum : corpus visibile est, animus invisibilis ; inter potentiam virtutemque animi, et cujusvis licet cœlestis corporis multum interest. Imperat tamen animus corpori suo, et facit corpus : et quod videtur animus facere, hoc facit et corpus. Videtur ergo corpus hoc idem facere quod animus, sed non similiter. Quomodo hoc idem facit, sed non similiter? Facit animus verbum apud se, jubet linguæ, et profert verbum quod fecit animus : fecit animus, fecit et lingua ; fecit dominus corporis, fecit et servus : sed ut faceret servus, a domino accepit quod faceret, et jubente domino fecit. Hoc idem ab utroque factum est : sed numquid similiter ? Quomodo non similiter, ait aliquis ? Ecce verbum quod fecit animus meus, manet in me : quod fecit lingua mea, percusso aere transiit, et non est. Cum dixeris verbum in animo tuo, et sonuerit per linguam tuam, redi ad animum tuum, et vide quia ibi est verbum quod fecisti. Numquid sicut mansit in animo tuo, mansit in lingua tua? Quod sonuit per linguam tuam, fecit lingua sonans, fecit animus cogitans : sed quod sonuit lingua, transiit; quod cogitavit animus, permanet. Hoc ergo fecit corpus, quod fecit animus ; sed non similiter. Fecit enim animus quod teneat animus ; fecit autem lingua quod sonat, et per aerem aurem verberat. Numquid sequeris syllabas, et facis ut maneant? Non ergo sic Pater et Filius ; sed hæc eadem facit, et similiter facit. Si fecit Deus cœlum quod manet, hoc fecit Filius cœlum quod manet. Si fecit Deus Pater hominem qui moritur, eumdem Filius hominem fecit qui moritur. Quæcumque fecit Pater stantia, hæc fecit et Filius stantia ; quia similiter fecit : et quæcumque fecit Pater temporalia, hæc eadem fecit Filius temporalia ; quia non solum ipsa fecit, sed et similiter fecit. Pater enim fecit per Filium, quia per Verbum fecit Pater omnia.

11. Quære in Patre et Filio separationem, non invenis : sed si assurrexisti, tunc non invenis; si aliquid supra mentem tuam tetigisti, tunc non invenis. Nam si in his versaris, quæ sibi errans animus facit ; cum imaginibus tuis loqueris, non cum Verbo Dei : fallunt te imagines tuæ. Transcende et corpus, et sape animum : transcende et animum, et sape Deum. Non tangis Deum, nisi et animum transieris : quanto minus tangis, si in carne manseris ? Illi ergo qui sapiunt carnem, quam longe sunt a sapiendo quod Deus est? quia non ibi essent, etiam si animum saperent. Recedit homo multum a Deo quando sapit carnaliter, et multum interest inter carnem et animum : plus tamen interest inter animum et Deum. Tu si in animo es, in medio es : si infra attendis, corpus est : si supra attendis, Deus est. Attolle te a corpore, transi etiam te. Vide enim quid dixit Psalmus, et admoneris quemadmodum sapiendus sit Deus : *Factæ sunt*, inquit, *mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, cum dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?* Tanquam Pagani dicant : Ecce dii nostri ; Deus vester ubi est? Ostendunt enim illi quod videtur; nos colimus quod non videtur. Et cui ostendamus? homini qui non habet unde videat? Nam utique si ipsi deos suos vident oculis ; habemus et nos alios oculos, unde videamus Deum nostrum. Ipsi oculi mundandi sunt a Deo nostro, ut videamus Deum nostrum : *Beati* enim *mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Ergo cum se conturbatum dixisset, cum dicitur illi quotidie, *Ubi est Deus tuus? Hæc memoratus sum*, inquit, *quia dicitur mihi quotidie, Ubi est Deus tuus?* et quasi volens apprehendere Deum suum, *Hæc memoratus sum*, inquit, *et effudi super me animam meam* (*Psal.* XLI, 4, 5). Ut ergo attingerem Deum meum, de quo mihi dicebatur, *Ubi est Deus tuus?* non effudi animam meam super carnem meam, sed super me : transcendi me, ut illum tangerem. Ille enim est super me, qui fecit me : nemo eum attingit, nisi qui transierit se.

12. Cogita corpus ; mortale est, terrenum est, fragile est, corruptibile est : abjice. Sed forte caro temporalis est. Alia corpora cogita, cœlestia corpora cogita ; majora, meliora, splendida sunt : attende et ipsa, volvuntur ab oriente ad occidentem, non stant ; videntur oculis, non solum ab homine, sed etiam a pecore : transi et ipsa. Et quomodo, inquies, transeo cœlestia corpora, cum ambulo in terra? Non carne transis, sed mente. Abjice et ipsa : quamvis luceant, corpora sunt ; quamvis de cœlo fulgeant, corpora sunt. Veni, quoniam forte non te putas habere quo eas, cum consideras ista omnia. Et ultra cœlestia corpora quo iturus sum, inquis, et quid mente transiturus sum? Considerasti ista omnia? Consideravi, inquis. Unde considerasti? Ipse considerator appareat. Ipse enim considerator istorum omnium, discriminator, distinctor et quodammodo appensor in libra sa-

pientiæ, animus est. Sine dubio melior est animus quo ista omnia cogitasti, quam ista omnia quæ cogitasti. Animus ergo iste spiritus est, non corpus: transi et ipsum. Compara ipsum animum primo, ut videas quo transeas; compara illum carni. Absit, ne digneris comparare. Compara illum fulgori solis, lunæ, stellarum: major fulgor est animi. Primo celeritatem animi ipsius vide. Vide si non vehementior scintilla est animi cogitantis, quam splendor solis lucentis. Solem orientem tu vides animo: motus ipsius quam tardus est ad animum tuum? Cito tu potuisti cogitare quod facturus est sol. Ab oriente ad occidentem venturus est, jam ex alia parte cras oritur. Ubi hoc fecit cogitatio tua, adhuc ille tardus est, et tu omnia peragrasti. Magna ergo res est animus. Sed quomodo dico, est? Transi et ipsum; quia et ipse animus mutabilis est, quamvis melior sit omni corpore. Modo novit, modo non novit; modo obliviscitur, modo recordatur; modo vult, modo non vult; modo peccat, modo justus est. Transi ergo omnem mutabilitatem; non solum omne quod videtur, sed et omne quod mutatur. Transisti enim carnem quæ videtur, transisti cœlum, solem, lunam, et stellas quæ videntur; transi et omne quod mutatur. Jam enim istis transactis veneras ad animum tuum, sed et ibi invenisti mutabilitatem animi tui. Numquid mutabilis est Deus? Transi ergo et animum tuum. Effunde super te animam tuam, ut contingas Deum, de quo tibi dicitur, *Ubi est Deus tuus?*

13. Ne putes te aliquid facturum quod homo non possit. Hoc fecit ipse Joannes evangelista. Transcendit carnem, transcendit terram quam calcabat, transcendit maria quæ videbat, transcendit aerem ubi alites volitant, transcendit solem, transcendit lunam, transcendit stellas, transcendit omnes spiritus qui non videntur, transcendit mentem suam ipsa ratione [1] animi sui. Transcendens ista omnia, super se effundens animam suam, quo pervenit? Quid vidit? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Si ergo separationem non vides in luce, quid separationem quæris in opere? Vide Deum, vide Verbum ejus inhærere Verbo dicenti [2]: quia ipse dicens non syllabis dicit; sed splendore sapientiæ fulgere, hoc est dicere. Quid dictum est de Sapientia ipsius? *Candor est lucis æternæ* (*Sap.* VII, 26). Attende candorem solis. In cœlo est, et expandit candorem per terras omnes, per maria omnia: et utique corporalis lux est. Si separas candorem solis a sole, separa Verbum a Patre. De sole loquor. Lucernæ una flammula tenuis, quæ uno flatu possit exstingui, spargit lucem suam super cuncta quæ subjacent. Vides lucem sparsam a flammula generatam, emissionem vides, separationem non vides. Intelligite ergo, fratres charissimi, Patrem et Filium et Spiritum sanctum inseparabiliter sibi cohærere, Trinitatem hanc unum Deum; et omnia opera unius Dei, hæc esse Patris, hæc esse Filii, hæc esse Spiritus sancti. Cætera quæ consequuntur, quæ pertinent ad sermonem ipsius Domini nostri Jesu Christi in Evangelio, quoniam et crastino die sermo debetur vobis, adestote ut audiatis.

[1] Unus codex, *ipsam ration m.* Alius, *ipsamque rationem.*
[2] Sic MSS. At editi, *vide verbum ejus: inhærere verbo dicenti.*

TRACTATUS XXI.

Ab eo quod scriptum est, Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit; *usque ad id,* Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. *Cap.* V, ℣. 20-23.

1. Hesterno die quantum Dominus donare dignatus est, qua potuimus facultate tractavimus, et qua potuimus capacitate intelleximus, quomodo inseparabilia sunt opera Patris et Filii; nec alia facit Pater, alia Filius, sed omnia Pater facit per Filium, tanquam per Verbum suum, de quo scriptum est, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Sequentia verba hodie videamus, et ab eodem Domino ejus misericordiam et deprecemur, et speremus, ut primum si dignum ipse judicat, intelligamus quod verum est: si autem hoc non potuerimus, non eamus in illud quod falsum est. Melius est enim nescire, quam errare: sed scire est melius quam nescire. Itaque ante omnia conari debemus ut sciamus: si potuerimus, Deo gratias; si autem non potuerimus interim pervenire ad veritatem, non eamus ad falsitatem. Quid enim simus, et quid tractemus, considerare debemus. Homines sumus carnem portantes, in hac vita ambulantes: et si jam de semine verbi Dei renati, tamen ita in Christo innovati, ut nondum penitus ab Adam exspoliati. Quod enim nostrum mortale et corruptibile aggravat animam (*Sap.* IX, 15), ex Adam esse apparet, et manifestum est: quod autem nostrum spirituale sublevat animam, de Dei dono et de misericordia ejus, qui Unicum suum misit communicare nobiscum mortem nostram, et ducere nos ad immortalitatem suam. Hunc habemus magistrum, ut non peccemus; et defensorem, si peccaverimus et confessi atque conversi fuerimus; et interpellatorem pro nobis, si quid boni a Domino desideraverimus; et datorem cum Patre, quia Deus unus est Pater et Filius. Sed loquebatur ista homo hominibus; Deus occultus, homo manifestus, ut manifestos homines faceret deos; et Filius Dei, factus hominis filius, ut hominum filios faceret filios Dei. Qua hoc arte sapientiæ suæ faciat, in ejus verbis agnoscimus. Loquitur enim parvulis parvus; sed ipse ita parvus ut et magnus; nos autem parvi, sed in illo magni; loquitur ergo tanquam fovens et nutriens lactentes, et amando crescentes.

2. Dixerat, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* V, 19). Intelleximus autem quia non seorsum aliquid Pater facit, quod cum viderit Filius, faciat et ipse aliquid tale inspecto opere Patris sui; sed quod dixit, *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem,* quia de Patre est totus Filius, et tota substantia et potentia ejus ex illo est qui genuit eum. Modo autem cum dixisset se hæc facere similiter quæ facit Pater, ut non intelligamus alia facere Patrem,

alia Filium, sed simili potentia facere Filium eadem ipsa quæ Pater facit, cum Pater facit per Filium; secutus ait quod hodie lectum audivimus, *Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Rursus mortalis cogitatio perturbatur. Demonstrat Pater Filio quæ ipse facit: ergo, ait aliquis, seorsum Pater facit, ut possit Filius videre quod facit. Rursus occurrunt humanæ cogitationi tanquam artifices duo, velut si faber doceat filium suum artem suam, et demonstret ei quidquid facit, ut possit etiam ipse facere: *Omnia*, inquit, *demonstrat ei quæ ipse facit.* Cum ergo Pater facit, Filius non facit, ut possit videre Filius quod Pater facit? Certe *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Hunc videmus quemdadmodum Pater demonstrat Filio quod facit; cum Pater nihil faciat, nisi quod per Filium facit. Quid fecit Pater? Mundum. Hunc factum mundum demonstravit Filio, ut et ipse tale aliquid faceret? Detur ergo mundus nobis quem fecit et Filius. Sed, et *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, et mundus per eum factus est* (*Joan.* I, 3, 10). Si factus per eum est mundus, et omnia per ipsum facta sunt, et nihil facit Pater quod non per Filium faciat; ubi demonstrat Filio Pater quod facit, nisi in ipso Filio per quem facit? Quis enim locus ubi demonstretur opus Patris Filio, quasi extra faciat et extra sedeat, et Filius attendat manum Patris quemadmodum faciat? Ubi est illa inseparabilis Trinitas? ubi est Verbum de quo dictum est quod ipse est Virtus et Sapientia Dei (I *Cor.* I, 24)? ubi quod de ipsa Sapientia Scriptura dicit, *Candor est enim lucis æternæ* (*Sap*, VII, 26)? ubi quod de illa iterum dicitur, *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Id.* VIII, 1)? Si quid facit Pater, per Filium facit; si per Sapientiam suam, et Virtutem suam facit: non extra illi ostendit quod videat, sed in ipso illi ostendit quod facit.

3. Quid videt Pater, vel potius quid videt Filius in Patre ut faciat et ipse? Possim forte dicere; sed da qui possit capere: aut forte possim cogitare, nec dicere; aut forte nec cogitare. Excedit enim nos illa divinitas tanquam Deus homines, tanquam immortalis mortales, tanquam æternus temporales. Inspiret et donet, de fonte illo vitæ nunc aliquid irrorare dignetur et distillare in sitim nostram, ne in hac eremo arescamus. Dicamus ei, Domine, cui didicimus dicere, Pater. Audemus enim hoc, quia ipse voluit ut auderemus: si tamen sic vivamus, ut non nobis dicat, *Si Pater sum, ubi est honor meus? si Dominus sum, ubi est timor meus* (*Malach.* I, 6)? Dicamus ergo illi, Pater noster. Cui dicimus, Pater noster? Patri Christi. Qui ergo Patri Christi dicit, Pater noster, quid dicit Christo, nisi, Frater noster? Non tamen sicut Christi Pater, ita et noster Pater: nunquam enim Christus ita nos conjunxit, ut nullam distinctionem faceret inter nos et se. Ille enim Filius æqualis Patri, ille æternus cum Patre, Patrique coæternus: nos autem facti per Filium, adoptati per Unicum. Proinde nunquam auditum est de ore Domini nostri Jesu Christi, cum ad discipulos loqueretur, dixisse illum de Deo summo Patre suo, Pater noster: sed aut, Pater meus, dixit; aut, Pater vester. Pater noster non dixit, usque adeo ut quodam loco poneret hæc duo: *Vado ad Deum meum*, inquit, *et Deum vestrum.* Quare non dixit, Deum nostrum? *Et Patrem meum* dixit, *et Patrem vestrum* (*Joan.* XX, 17); non dixit, Patrem nostrum. Sic jungit ut distinguat, sic distinguit ut non sejungat. Unum nos vult esse in se, unum autem Patrem et se.

4. Quantumcumque ergo intelligamus et quantumcumque videamus, etiam cum Angelis æquati fuerimus, non videbimus sicut videt Filius. Nos enim et quando non videmus, sumus aliquid. Et quid aliud sumus quando non videmus, nisi non videntes? Sumus tamen vel non videntes; et ut videamus, convertimus nos ad eum quem videamus; et fit in nobis visio quæ non erat, quando nos tamen eramus. Est enim homo non videns, et idem ipse cum viderit, dicitur homo videns. Non ergo hoc est illi videre, quod esse hominem: nam si hoc illi esset videre quod esse hominem, nunquam esset homo nisi videns. Cum vero est homo non videns, et quærit videre quod non videt; est qui quærat, et est qui se convertat ut videat: et cum se bene converterit et viderit, fit homo videns, qui prius erat homo non videns. Videre ergo accedit illi, et recedit ab illo: accedit illi cum se converterit, recedit ab illo cum se averterit. Numquid ita Filius? Absit. Nunquam fuit Filius non videns, et postea factus est videns: sed videre Patrem, hoc illi est esse Filium. Nos enim avertendo ad peccatum, amittimus illuminationem; et convertendo nos ad Deum, percipimus illuminationem. Aliud est enim lumen quo illuminamur, aliud nos qui illuminamur. Lumen autem ipsum quo illuminamur, nec avertitur a se, nec perdit lucem [1], quia lux est. Sic ergo demonstrat Pater rem quam facit Filio, ut in Patre videat omnia Filius, et in Patre sit omnia Filius. Videndo enim natus est, et nascendo videt. Sed non aliquando non erat natus, et postea natus est; sicut non aliquando non vidit, et postea vidit: sed in eo quod est illi videre, in eo est illi esse, in eo est illi natum esse, in eo est illi permanere, in eo est illi non mutari, in eo est illi sine initio et sine fine persistere. Non ergo carnaliter accipiamus quia sedet Pater, et facit opus, et demonstrat Filio; et videt Filius opus quod Pater facit, et facit illud in alio loco, aut ex alia materia. *Omnia* enim *per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Verbum Patris est Filius, nihil dixit Deus quod non dixit in Filio. Dicendo enim in Filio quod facturus erat per Filium, ipsum Filium genuit per quem faceret omnia.

5. *Et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.* Rursus hic turbat. Et quis est qui digne perscrutetur hoc tantum secretum? Sed jam quoniam nobis loqui dignatus est, ipse aperit. Neque enim vellet dicere quod nollet intelligi: quia dicere dignatus est, sine dubio excitavit audientiam; numquid quem excitavit ut audiret, excitatum deserit? Diximus, ut potuimus, non temporaliter scire Filium, nec aliud esse

[1] In decem Mss., *nec perdit lucere.*

Filii scientiam, aliud ipsum Filium; et aliud esse Filii visionem, et aliud ipsum Filium: sed ipsam visionem esse Filium, et ipsam scientiam vel sapientiam Patris esse Filium, eamque sapientiam et eam visionem æternam esse ab æterno, et ei a quo est coæternam [1]; nec ibi per tempus aliquid variari; nec aliquid nasci quod non erat; nec aliquid perire quod erat. Diximus, ut potuimus. Quid ergo hic modo facit tempus, ut diceret, *majora his demonstrabit ei opera?* id est demonstraturus est, hoc est demonstrabit. Aliud est demonstravit, aliud est demonstrabit: demonstravit, de præterito dicimus; demonstrabit, de futuro dicimus. Quid ergo hic agimus, fratres? Ecce quem dixeramus Patri coæternum, nihil in illo variari per tempus, nihil moveri per spatia vel momentorum vel locorum, manere semper cum Patre videntem, videntem Patrem et videndo existentem, rursus nobis tempora nominans, *demonstrabit ei*, inquit, *his majora*. Ergo demonstraturus est adhuc aliquid Filio, quod non novit Filius? Quid ergo facimus? quomodo hoc intelligimus? Ecce Dominus noster Jesus Christus sursum erat, deorsum est. Quando sursum erat? Quando dixit, *Quæcumque facit Pater, hæc eadem et Filius facit similiter.* Unde modo deorsum? *Majora his demonstrabit ei opera.* O Domine Jesu Christe, salvator noster, Verbum Dei per quod facta sunt omnia, quid tibi Pater demonstraturus est quod adhuc nescis? quid te latet Patris? quid te latet in Patre, quem non latet Pater? quæ opera tibi majora demonstraturus est? aut quibus operibus majora sunt quæ demonstraturus est? Cum enim dixit, *majora his*, debemus prius intelligere quibus majora.

6. Recordemur unde sermo iste processit. Quando curatus est ille qui triginta et octo annos habebat in infirmitate, et jussit eum salvum tollere grabatum suum, et ire in domum suam. Hinc enim Judæi commoti, cum quibus loquebatur: loquebatur verbis, et tacebat intellectu; quodammodo innuebat intelligentibus, celabat irascentibus: hinc ergo cum essent commoti Judæi, quia hoc sabbato Dominus faceret, dederunt occasionem sermoni huic. Non ergo sic audiamus hæc tanquam obliti quæ supra dicta sunt, sed respiciamus illum languidum triginta et octo annorum subito factum sanum, admirantibus Judæis et irascentibus. Quærebant tenebras magis de sabbato, quam lumen de miraculo. His ergo indignantibus loquens, ait hoc, *Majora his demonstrabit ei opera. His majora*: quibus? Quod vidistis hominem factum sanum, cujus languor duraverat usque ad triginta et octo annos, his majora Pater demonstraturus est Filio. Quæ sunt majora? Sequitur, et dicit: *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Plane majora sunt ista. Valde enim plus est ut resurgat mortuus, quam ut convalescat ægrotus: majora sunt ista. Sed quando ea Pater demonstraturus est Filio? Nescit enim ea Filius? et ille qui loquebatur, non noverat mortuos suscitare? adhuc habebat discere resuscitare mortuos, per quem facta sunt omnia? qui fecit ut viveremus, qui non eramus, adhuc habebat discere ut resuscitaremur? Quid est ergo quod vult dicere?

7. Descendit enim ad nos, et qui paulo ante loquebatur ut Deus, cœpit loqui ut homo. Ipse est tamen homo qui Deus, quia Deus factus est homo: sed factus quod non erat, non amittens quod erat. Ergo accessit homo Deo, ut esset homo qui erat Deus; non ut jam homo esset, et non esset Deus. Audiamus ergo eum et fratrem, qui [1] audiebamus conditorem: conditorem, quia Verbum in principio; fratrem, quia natum ex virgine Maria: conditorem ante Abraham, ante Adam, ante terram, ante cœlum, ante omnia corporalia et spiritualia; fratrem autem ex semine Abrahæ, ex tribu Juda, ex Virgine Israelitica. Si ergo novimus hunc, qui nobis loquitur, et Deum et hominem, intelligamus verba Dei et hominis: aliquando enim talia nobis dicit quæ pertineant ad majestatem, aliquando quæ pertineant ad humilitatem. Ipse enim excelsus, qui humilis ut nos humiles faciat excelsos [2]. Quid ergo ait? *Demonstrabit mihi Pater his majora, ut vos miremini.* Ergo nobis est demonstraturus, non illi. Cum ergo nobis sit demonstraturus Pater; propterea dixit, *ut vos miremini.* Exposuit enim quod voluit dicere, *Demonstrabit mihi Pater.* Quare non dixit, Demonstrabit vobis Pater; sed, *demonstrabit* Filio? Quia et nos membra sumus Filii; et nos membra tanquam quod discimus, ipse discit quodammodo in membris suis. Quomodo discit in nobis? Quomodo patitur in nobis. Unde probamus quia patitur in nobis? Ex illa voce de cœlo: *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Nonne ipse est qui judex in fine sæculi residebit, et justos ad dexteram ponens, iniquos autem ad sinistram, dicturus est, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum: esurivi enim, et dedistis mihi manducare?* cumque illi responderint, *Domine, quando te vidimus esurientem?* dicturus est eis, *Cum uni ex minimis meis dedistis, mihi dedistis* (*Matth.* XXV, 31-40). Qui ergo dixit, *Cum uni ex minimis meis dedistis, mihi dedistis;* et nunc interrogetur a nobis, et dicamus illi, Domine, quando eris [3] discens, cum tu doceas omnia? Statim enim nobis in fide nostra respondet, Cum unus ex minimis meis discit, ego disco.

8. Ergo gratulemur et agamus gratias, non solum nos christianos factos esse, sed Christum. Intelligitis, fratres, gratiam Dei super nos capitis? Admiramini, gaudete, Christus facti sumus. Si enim caput ille, nos membra; totus homo, ille et nos. Hoc est quod apostolus dicit Paulus: *Ut ultra jam non simus parvuli, jactati et circumdati omni vento doctrinæ.* Superius autem dixerat: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et in agnitionem Filii Dei, in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi* (*Ephes.* IV, 14, 13). Plenitudo ergo Christi, caput et membra. Quid est, caput et membra? Christus et Ecclesia. Arrogare-

[1] Mss, *ab æterno etiam cui est coæterna.*

[1] In duobus Mss., *quem.*

[2] Sic Bad. Am. Er. et septem Mss. At Lov., *qui humiles facit excelsos.*

[3] Lov., *esuris*; et infra, *intelligitis, fratres, gratiam Dei super nos? capitis, admiramini*, etc. Emendatur uterque locus ad editiones antiquiores et ad Mss.

mus enim nobis hoc superbe, nisi ipse dignaretur hoc promittere, qui per apostolum eumdem dicit : *Vos autem estis corpus Christi et membra* (I *Cor.* XII, 27).

9. Cum ergo ostendit Pater membris Christi, Christo ostendit. Fit quoddam miraculum magnum, sed tamen verum : ostenditur Christo quod noverat Christus, et ostenditur Christo per Christum. Res mira est et magna, sed Scriptura sic loquitur. Contradicturi sumus divinis eloquiis, et non potius intellecturi, et ex ipsius dono ei qui donavit gratias acturi? Quid est quod dixi, demonstratur Christo per Christum? Demonstratur membris per caput. Ecce vide illud in te : pone te clausis oculis velle aliquid tollere; nescit manus quo eat, et utique manus tua membrum tuum est, non enim a corpore tuo separata est; aperi oculos, videt jam manus quo eat, demonstrante capite membrum secutum est. Si ergo in te potuit inveniri tale aliquid, ut corpus tuum ostenderet corpori tuo, et per corpus tuum demonstraretur aliquid corpori tuo; noli mirari quia dictum est, demonstratur Christo per Christum. Demonstrat enim caput ut membra videant, et docet caput ut membra discant : unus tamen homo caput et membra. Noluit se separare, sed dignatus est agglutinari. Longe a nobis erat, et multum longe : quid tam longe, quam conditum et conditor? quid tam longe, quam Deus et homo? quid tam longe, quam justitia et iniquitas? quid tam longe, quam æternitas et mortalitas? Ecce quam longe erat Verbum in principio Deus apud Deum, per quem facta sunt omnia. Quomodo ergo factus est prope, ut esset quod nos, et nos in illo? *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14).

10. Hoc ergo est nobis demonstraturus : hoc demonstravit discipulis suis, qui eum in carne viderunt. Quid est hoc? *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat; sic et Filius quos vult vivificat.* Aliosne Pater, aliosne Filius? Certe omnia per ipsum facta sunt. Quid dicimus, fratres mei? Lazarum suscitavit Christus : quem mortuum suscitavit Pater, ut videret Christus quemadmodum Lazarum suscitaret? An quando resuscitavit Lazarum Christus, non eum resuscitavit Pater, et sine Patre fecit Filius solus? Legite ipsam lectionem, et videte quia Patrem ibi invocat ut resurgat Lazarus (*Id.* XI, 41-44). Sicut homo, invocat Patrem : sicut Deus, facit cum Patre. Ergo et Lazarus qui resurrexit, et a Patre et a Filio suscitatus est in dono et gratia Spiritus sancti; et illud mirabile opus Trinitas fecit. Non ergo sic intelligamus, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat*, ut alios a Patre resuscitari et vivificari, alios a Filio existimemus : sed eosdem quos Pater suscitat et vivificat, ipsos et Filius suscitat et vivificat; quia *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Et ut ostenderet habere se quamvis a Patre datam [1], tamen parem potestatem, ideo ait, *Sic et Filius quos vult vivificat*, ut ostenderet ibi voluntatem suam : et ne quis diceret, Suscitat Pater mortuos per Filium, sed ille tanquam potens, tanquam potestatem habens, iste tanquam ex aliena potestate, tanquam minister facit aliquid, sicut angelus; potestatem significavit ubi ait, *Sic et Filius quos vult vivificat* Non enim vult Pater aliud quam Filius; sed sicut illis una substantia, sic et una voluntas est.

11. Et qui sunt isti mortui quos vivificat Pater et Filius? An ipsi sunt de quibus diximus, Lazarus, vel filius illius viduæ (*Luc.* VII, 14, 15), vel filia archisynagogi (*Id.* VIII, 54, 55)? novimus enim istos a Christo Domino suscitatos. Aliud aliquid nobis vult insinuare, resurrectionem scilicet mortuorum, quam omnes exspectamus; non illam quam quidam habuerunt, ut crederent cæteri. Resurrexit enim Lazarus moriturus, resurgemus nos semper victuri. Talem resurrectionem Pater facit, an Filius? Imo vero Pater in Filio. Ergo Filius, et Pater in Filio. Unde probamus quia de ista dicit resurrectione? Cum dixisset, *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat;* ne intelligeremus illam mortuorum resurrectionem quam facit ad miraculum, non ad vitam æternam, secutus ait, *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Quid hoc est? De mortuorum resurrectione dicebat, quia *sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat :* unde continuo tanquam rationem subjecit de judicio, dicens, *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, nisi quia de illa resurrectione mortuorum dixerat, quæ futura est in judicio?

12. *Neque enim*, ait, *Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Paulo ante putabamus aliquid facere Patrem, quod non facit Filius; quando dicebat, *Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit :* tanquam Pater faciebat, et Filius videbat. Sic erat subrepens menti nostræ intellectus carnalis, quasi Pater faceret quod Filius non faceret; Filius autem videret Patrem demonstrantem quod fieret a Patre. Ergo velut Pater faciebat quod Filius non faciebat; modo jam videmus aliquid facere Filium, quod non facit Pater. Quomodo nos versat, et mentem nostram pertractat; huc atque illuc ducit, uno carnis loco remanere non sinit, ut versando exerceat, exercendo mundet, mundando capaces reddat, capaces factos impleat! Quid de nobis faciunt verba hæc? quid loquebatur? quid loquitur? Paulo ante dicebat quia demonstrat Filio Pater quidquid facit; videbam quasi Patrem facientem, Filium exspectantem : modo rursus video Filium facientem, Patrem vacantem; *Non enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Quando ergo Filius judicaturus est, Pater vacabit et non judicabit? Quid est hoc? quid intelligam? Domine, quid dicis? Verbum Deus es, homo sum. Dicis quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio?* Lego alio loco te dicentem, *Ego non judico quemquam; est qui quærat et judicet* (*Joan.* VIII, 15, 50) : de quo dicis, *Est qui quærat et judicet*,

[1] Ita Mss. quatuor. Alii plures cum editione Lovaniensi omittunt, *datam;* habentque, *tamen apud Patrem potestatem.* At apud Am. Bad. et Er. legitur sic, *datam tamen Patris potestatem.*

nisi de Patre? Ille quærit injurias tuas, ille judicat de injuriis tuis. Quomodo hic *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio?* Interrogemus et Petrum, audiamus eum loquentem in Epistola sua : *Christus pro nobis passus est*, inquit, *relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus : qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus ; qui cum malediceretur, non remaledicebat, cum injuriam acciperet, non minabatur, sed commendabat illi qui juste judicat* (I *Petr.* II, 21-23). Quomodo verum est quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio ?* Turbamur hic, turbati desudemus, desudantes purgemur. Conemur utcumque, donante ipso, penetrare alta secreta verborum istorum. Temere fortasse facimus, quia discutere et scrutari volumus verba Dei. Et quare dicta sunt, nisi ut sciantur? quare sonuerunt, nisi ut audiantur? quare audita sunt, nisi ut intelligantur? Confortet ergo nos, et donet nobis aliquid quantum ipse dignatur; et si nondum penetramus ad fontem, de rivulo bibamus. Ecce ipse Joannes nobis tanquam rivulus emanavit, perduxit ad nos de alto Verbum, humiliavit, et quodammodo stravit, ut non horreamus altum, sed accedamus ad humilem.

13. Omnino est quidam intellectus verus, fortis, si quo modo eum tenere possumus, quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Hoc enim dictum est, quia hominibus in judicio non apparebit nisi Filius. Pater occultus erit, Filius manifestus. In quo erit Filius manifestus? In forma qua ascendit. Nam in forma Dei cum Patre occultus est, in forma servi hominibus manifestus. *Non ergo Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*, sed manifestum : in quo manifesto judicio Filius judicabit, quia ipse judicandis apparebit. Evidentius nobis ostendit Scriptura quia ipse apparebit. Quadragesimo die post resurrectionem suam ascendit in cœlum, videntibus discipulis suis : et vox illis angelica, *Viri*, inquit, *Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Iste qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I, 3, 9, 10, 11). Quomodo eum videbant ire? In carne, quam tetigerunt, quam palpaverunt, cujus etiam cicatrices tangendo probaverunt, in illo corpore in quo cum eis intravit et exivit per quadraginta dies, manifestans se eis in veritate; non in aliqua falsitate : non phantasma, non umbra, non spiritus; sed quemadmodum ipse dixit non fallens, *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39). Est quidem illud jam corpus dignum cœlesti habitatione, non subjacens morti, non mutabile per ætates. Non enim sicut ad illam ætatem ab infantia creverat, sic ab ætate quæ juventus erat, vergit in senectutem : manet sicut ascendit, venturus ad eos quibus antequam veniat, verbum suum voluit prædicari. Sic ergo veniet in forma humana : hanc videbunt et impii, videbunt et ad dexteram positi, videbunt et ad sinistram separati; sicut scriptum est, *Videbunt in quem pupugerunt* (*Zach.* XII, 10; *Joan.* XIX, 37). Si videbunt in quem pupugerunt, corpus ipsum videbunt, quod lancea percusserunt : lancea non percutitur Verbum : hoc ergo impii videre poterunt, quod et vulnerare potuerunt. Latentem Deum in corpore non videbunt : post judicium videbitur ab his qui ad dexteram erunt. Hoc est ergo quod ait, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio :* quia manifestus ad judicium veniet Filius, in humano corpore apparens hominibus, dicens dextris, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum ;* dicens sinistris, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 34,41).

14. Ecce videbitur forma hominis a piis et impiis, a justis et ab injustis, a fidelibus et ab infidelibus, a gaudentibus et a plangentibus, a confisis et a confusis : ecce videbitur. Cum visa fuerit illa forma in judicio, et fuerit peractum judicium, ubi dictum est Patrem non judicare quemquam, sed omne judicium dedisse Filio, ob hoc, quia Filius apparebit in judicio in forma quam ex nobis accepit, quid postea futurum est? Quando videbitur forma Dei, quam sitiunt omnes fideles? quando videbitur illud quod erat in principio Verbum, Deus apud Deum, per quod facta sunt omnia? quando videbitur illa forma Dei, de qua dicit Apostolus, *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philipp.* II, 6)? Magna enim illa forma ubi adhuc æqualitas Patris et Filii cognoscitur : ineffabilis, incomprehensibilis, maxime parvulis. Quando videbitur? Ecce ad dexteram sunt justi, ad sinistram sunt injusti; omnes pariter hominem vident, Filium hominis vident, qui punctus est vident, qui crucifixus est vident, humiliatum vident, natum ex Virgine vident, Agnum de tribu Juda vident : Verbum Deum apud Deum quando videbunt? Ipse erit et tunc, sed forma servi apparebit. Forma servi servis demonstrabitur : forma Dei filiis servabitur. Fiant ergo servi filii; qui sunt ad dexteram, eant in æternam hæreditatem olim promissam, quam non videntes martyres crediderunt, pro cujus promissione sanguinem suum sine dubitatione fuderunt : eant illuc et videant ibi. Quando illuc ibunt? Dicat ipse Dominus : *Sic ibunt illi in ambustionem æternam, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* XXV, 46).

15. Ecce vitam æternam nominavit. Numquid hoc nobis dixit, quia ibi videbimus et cognoscemus Patrem et Filium? Quid, si vivemus in æternum, sed illum Patrem et Filium non videbimus? Audi alio loco ubi vitam æternam nominavit, et expressit quid sit vita æterna. Noli timere, non te fallo : non sine causa promisi dilectoribus meis dicens, *Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me : et qui me diligit, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et ostendam meipsum illi* (*Joan.* XIV, 21). Respondeamus Domino, et dicamus : Quid, Domine Deus noster, magnum? quid magnum? Nobis demonstraturus es teipsum? Quid enim, et Judæis te non demonstrasti? non te viderunt et qui crucifixerunt? Sed demonstrabis te in judicio, cum stabimus ad dexteram tuam : numquid et illi qui ad sinistram stabunt non te videbunt? Quid est quod demonstrabis nobis teipsum? Nunc enim non te videmus cum loqueris? Respondet,

Demonstrabo meipsum in forma Dei, videtis modo formam servi. Non te fraudabo, o homo fidelis; crede quia videbis. Amas, et non vides: amor ipse non te perducet ut videas? Ama, persevera in amando: non fraudabo, inquit, amorem tuum, qui mundavi cor tuum. Utquid enim mundavi cor tuum, nisi ut Deus a te possit videri? *Beati enim mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Sed hoc, inquit servus tanquam cum Domino disputans, non expressisti cum dixisti, *Ibunt justi in vitam æternam:* non dixisti, Ibunt ut videant me in forma Dei, videant Patrem cui æqualis sum. Alibi attende quid dixit: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* xvii, 3).

16. Et modo ergo [1] post commemoratum judicium, quod omne dedit Filio Pater non judicans quemquam, quid futurum est? Quid sequitur? *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Judæis honorificatur Pater [2], contemnitur Filius. Filius enim videbatur ut servus, Pater honorificabatur ut Deus. Apparebit et Filius æqualis Patri, *ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Modo ergo hoc habemus in fide. Nec dicat Judæus: Patrem honorifico; quid mihi est cum Filio? Respondeat illi, *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem.* Mentiris omnino, Filium blasphemas, et Patri facis injuriam. Pater enim Filium misit, tu contemnis quem misit: quomodo honorificas mittentem, qui blasphemas missum?

17. Ecce, inquit aliquis, missus est Filius; et major est Pater, quia misit. Recede a carne. Vetus homo suggerit vetustatem [3], tu in novo agnosce novitatem. Novus tibi a sæculo antiquus, perpetuus, æternus, revocet ad hoc intellectum. Minor est Filius, quia missus dictus est Filius? Missionem audio, non separationem. Sed hoc, inquit, videmus in rebus humanis, quia major est qui mittit, quam ille qui mittitur. Sed res humanæ fallunt hominem, res divinæ purgant. Noli attendere ad res humanas, ubi major videtur qui mittit, et minor qui mittitur: quanquam et ipsæ res humanæ dicunt contra te testimonium. Velut, verbi gratia, si quis uxorem velit petere, et per se non possit, amicum majorem mittit qui ei petat. Et sunt multa in quibus ipse major eligitur, qui mittatur a minore. Quid ergo jam calumniam vis facere, quia ille misit, ille missus est? Sol radium mittit, et non separat; luna splendorem mittit, et non separat; lucerna lumen fundit, et non separat: video ibi missionem [4], et nullam video separationem. Nam si de rebus humanis quæris exempla, o hæretica vanitas, quanquam, sicut paulo ante dixi, et ipsæ res humanæ in quibusdam exemplis coarguunt et convincunt te; tamen attende quam sit aliud in rebus humanis, unde vis ducere exempla ad res divinas. Homo qui mittit, manet ipse, et pergit ille qui mittitur: numquid pergit homo cum eo quem mittit? Pater autem qui misit Filium, non recessit a Filio. Ipsum Dominum audi dicentem, *Ecce veniet hora, ut unusquisque discedat ad sua, et me solum relinquatis: sed non solus sum, quia Pater mecum est* (*Joan.* xvi, 32). Quomodo eum misit cum quo venit? quomodo eum misit a quo non recessit? Alio loco dixit, *Pater autem in me manens facit opera sua.* (*Id.* xiv, 10). Ecce in illo est, ecce operatur. Non recessit a misso mittens, quia missus et mittens unum sunt.

[1] Mss. plures, *Et quomodo ergo post.* Alii vero, *Et quomodo? Ergo et post.*

[2] Sic legendum juxta Er. Lugd. et Ven., *Modo honorificant Patrem, et.* M.

[3] Sic tres Mss. Alii autem habent, *vetustate*; vel cum editis, *vetustati.* Paulo post in editis legitur, *novus tibi, sæculo antiquus*, absque præpositione, *a*, quæ tamen est in omnibus Mss. Denique infra Lov. habet, *revocet ab hoc intellectu:* refragantibus editis aliis et Mss.

[4] Mss., *emissionem.*

TRACTATUS XXII.

Ab eo quod scriptum est, Amen, amen dico vobis quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam; *usque ad id,* Quod non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit. *Cap.* v, ℣. 24-30.

1. Nudiustertiani et hesterni diei sermones redditos vobis sequitur hodierna evangelica lectio, quam ex ordine pertractemus, non pro ejus dignitate, sed pro viribus nostris: quia et vos non pro inundantis fontis largitate, sed pro vestro modulo capitis. Et nos non tantum dicimus in aures vestras, quantum ipse fons manat; sed quantum capere possumus, quod in vestros sensus trajiciamus, abundantius operante ipso in cordibus vestris, quam nobis in auribus vestris. Res enim magna tractatur, et non a magnis, imo multum parvis: spem tamen et fiduciam dat nobis, qui magnus propter nos factus est parvus. Si enim ab illo non exhortaremur, nec invitaremur ad eum intelligendum, sed desereret nos tanquam contemptibiles; quia capere non possumus divinitatem ipsius, si non caperet ipse mortalitatem nostram, et perveniret ad nos ut loqueretur nobis Evangelium; si quod in nobis abjectum et minimum est, noluisset communicare nobiscum; putaremus eum noluisse nobis dare magnum suum, qui suscepit parvum nostrum. Hæc dixi, ne quis vel nos reprehendat ista tractantes, quasi multum audaces; vel de se desperet quod possit capere dono Dei, quod illi dignatus est loqui Filius Dei. Ergo quod loqui nobis dignatus est, debemus credere, quia voluit ut intelligamus. Sed si non possumus, præstat intellectum rogatus, qui verbum præstitit non rogatus.

2. Ecce quæ verborum ista secreta sint, attendite. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam.* Ad vitam certe æternam omnes tendimus; et ait, *Qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam æternam.* Numquid ergo audire nos voluit verbum suum, et intelligere noluit? Quandoquidem si in audiendo et credendo vita æterna est, multo magis in intelligendo. Sed gradus pietatis est fides, fidei fructus intellectus, ut perveniamus ad vitam æternam, ubi non nobis legatur Evangelium; sed ille qui nobis modo Evangelium dispensavit, remotis omnibus lectionis paginis, et voce lectoris et tractatoris, appa-

reat omnibus suis purgato corde assistentibus, et in corpore immortali jam nunquam morituris, mundans eos, et illuminans viventes, et videntes quod *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* I, 1). Nunc ergo qui sumus attendamus, et quem audiamus cogitemus. Deus est Christus, et cum hominibus loquitur: capi se vult, faciat capaces; videri se vult, aperiat oculos. Non tamen sine causa loquitur nobis, nisi quia verum est quod promittit nobis.

3. *Verba mea*, inquit, *qui audit, et credit ei qui me misit, habet vitam æternam, et in judicium non veniet, sed transiit a morte ad vitam.* Ubi, quando venimus de morte ad vitam, ut non in judicium veniamus? In hac vita transitur a morte ad vitam; in hac vita quæ nondum est vita, hinc transitur a morte ad vitam. Quis est ille transitus? *Qui audit verba mea*, dixit, *et credit ei qui misit me.* Servans ista credis, et transis. Et est qui stando transit? Plane est: stat enim corpore, transit mente. Ubi erat, unde transiret, et quo transit? Transit a morte ad vitam. Vide unum hominem stantem, in quo agatur totum hoc quod dicitur. Stat, audit; forte non credebat, audiendo credit: paulo ante non credebat, modo credit; quasi de regione infidelitatis ad regionem fidei transitum fecit, moto corde, non moto corpore, moto in melius [1]: quia iterum qui deserunt fidem, moventur in deterius. Ecce in hac vita, quæ, sicut dixi, nondum est vita, transitur a morte ad vitam, ut in judicium non veniatur. Quare autem dixi quia nondum est vita? Si vita esset ista, non diceret Dominus cuidam, *Si vis venire ad vitam, serva mandata* (*Matth.* XIX, 17). Non enim ait illi, Si vis venire ad vitam æternam; non addidit æternam, sed tantum dixit, *vitam.* Ergo ista nec vita nominanda est, quia non est vera vita. Quæ est vera vita, nisi quæ est æterna vita? Audi Apostolum dicentem ad Timotheum: *Præcipe divitibus hujus sæculi, non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum; sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum: bene faciant, divites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent.* Utquid hoc? Audi quod sequitur: *Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam* (I *Tim.* VI, 17-19). Si debent sibi thesaurizare fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam; profecto ista in qua erant, falsa vita est. Nam utquid velis apprehendere veram, si jam tenes veram? Apprehendenda est vera? migrandum est a falsa. Et qua migrandum? quo? Audi, crede; et transitum facis a morte ad vitam, et in judicium non venis.

4. Quid est hoc, Et in judicium non venis? Et quis melior erit Paulo apostolo, qui ait: *Oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Christi, ut illic recipiat unusquisque quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum* (II *Cor.* V, 10)? Paulus dicit, *Oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Christi;* et tu tibi audes promittere quia in judicium non venies, Absit, inquis, ut ego mihi hoc promittere audeam: sed credo promittenti. Salvator loquitur, Veritas pollicetur, ipse dixit mihi, *Qui audit verba mea, et credit ei qui me misit, habet vitam æternam, et transitum facit de morte in vitam, et in judicium non veniet.* Ego ergo audivi verba Domini mei, credidi; jam infidelis cum essem, factus sum fidelis: sicut me monuit, transii a morte ad vitam, ad judicium non venio; non præsumptione mea, sed ipsius promissione. Paulus autem contra Christum loquitur, servus contra Dominum, discipulus contra magistrum, homo contra Deum, ut cum Dominus dicat quia *qui audit et credit, transit a morte ad vitam, et in judicium non veniet,* dicat Apostolus, *Oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi?* Aut si ad judicium non venit qui ad tribunal exhibetur, nescio quomodo intelligam.

5. Revelat ergo Dominus Deus noster, et per Scripturas suas admonet nos quomodo intelligatur, quando dicitur judicium. Hortor ergo ut attendatis. Aliquando judicium pœna dicitur: aliquando judicium discriminatio dicitur. Secundum illum modum quo dicitur judicium discriminatio, *oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi, ut illic recipiat homo quæ per corpus gessit, sive bonum sive malum:* ipsa est enim discriminatio, ut bonis bona, malis mala distribuantur. Nam si judicium semper in malo acciperetur, non diceret Psalmus, *Judica me, Deus.* Audit forte aliquis dicentem, *Judica me, Deus*, et miratur. Solet enim homo dicere, Ignoscat mihi Deus; Parce mihi, Deus: quis est qui dicat, *Judica me, Deus?* Et aliquando in Psalmo versus ipse in diapsalmate ponitur, qui præbeatur a lectore, et respondeatur a populo. Non forte alicui cor percutitur, et timet cantare Deo et dicere, *Judica me, Deus?* Et tamen cantat populus credens, nec putat se male optare quod didicit a divina lectione: et si parum intelligit, credit aliquid boni esse quod cantat. Et tamen et ipse Psalmus non dimisit hominem sine intellectu. Secutus enim, verbis posterioribus ostendit quale judicium diceret; quia non est damnationis, sed discretionis. Ait enim, *Judica me, Deus.* Quid est, *Judica me, Deus? Et discerne causam meam a gente non sancta.* Ergo secundum hoc judicium discretionis, *oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi.* Secundum judicium autem damnationis, *Qui audit verba mea,* inquit, *et credit ei qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non veniet, sed transitum facit a morte ad vitam.* Quid est, *in judicium non veniet?* In damnationem non veniet. Probemus de Scripturis quia dictum est judicium ubi pœna intelligitur: quanquam et in hac ipsa lectione paulo post audietis ipsum verbum judicii non positum nisi pro damnatione et pœna (*Infra*, n. 13). Tamen Apostolus dicit quodam loco, scribens ad eos qui Corpus quod fideles nostis, male tractabant; et propter quod male tractabant, corripiebantur flagello Domini: ait enim illis, *Propterea multi in vobis infirmi et ægroti dormiunt sufficienter* [1].

[1] Editi: *Transitum fecit, motu cordis, non motu corporis, motu in melius.* At Mss., *moto corde, non moto corpore, moto in melius.*

[1] Sic omnes codices, licet apud Apostolum sit, non *ikanôs,*

Multi enim propterea etiam moriebantur. Et secutus est, *Si enim nos ipsos judicaremus, a Domino non judicaremur*: hoc est, si nos ipsos corriperemus, a Domino non corriperemur. *Cum judicamur autem, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur* (I *Cor*. XI, 30-32). Sunt ergo secundum pœnam qui judicantur hic, ut parcatur illis ibi; sunt quibus parcitur hic, ut abundantius torqueantur ibi: sunt autem quibus distribuuntur ipsæ pœnæ sine flagello pœnæ, si flagello Dei correcti non fuerint; ut cum hic contempserint patrem verberantem, ibi sentiant judicem punientem. Ergo est judicium quo missurus est Deus, id est Filius Dei, in fine diabolum et angelos ejus, et omnes infideles et impios cum eo: ad hoc judicium non veniet, qui modo credens transitum facit a morte ad vitam.

6. Etenim ne putares credendo te non moriturum secundum carnem, et accipiendo carnaliter diceres tibi, Dominus meus mihi dixit, *Qui audit verba mea, et credit ei qui misit me, transiit a morte ad vitam*; ergo ego credidi, non sum moriturus: scias te mortem quam debes supplicio Adam, persoluturum: accepit enim ille, in quo tunc omnes fuimus, *Morte morieris* (*Gen*. II, 17); nec potest evacuari divina sententia. Sed cum persolveris mortem veteris hominis, suscipieris in vitam æternam novi hominis, et transitum facies a morte ad vitam. Modo interim fac transitum vitæ. Quæ est vita tua? Fides: *Justus ex fide vivit* (*Habac*. II, 4; *Rom*. I, 17). Infideles quid? Mortui sunt. Inter tales mortuos erat ille corpore, de quo dicit Dominus: *Dimitte mortuos, sepeliant mortuos suos* (*Matth*. VIII, 22). Ergo et in hac vita sunt mortui, sunt vivi, et quasi omnes vivunt. Qui sunt mortui? Qui non crediderunt. Qui sunt vivi? Qui crediderunt. Quid dicitur mortuis ab Apostolo? *Surge, qui dormis*. Sed somnum, inquit, dixit, non mortem. Audi sequentia: *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis*. Et quasi diceret, Quo ibo? *Et illuminabit te Christus* (*Ephes*. V, 14). Jam cum te credentem illuminaverit Christus, transitum facis a morte ad vitam: mane in eo quo transisti, et non venies ad judicium.

7. Exponit illud jam ipse, et sequitur: *Amen, amen dico vobis*. Ne forte quia dixit, *transiit a morte ad vitam*, intelligamus hoc in futura resurrectione, ostendere volens quomodo transit qui credit; et hoc esse transire de morte ad vitam, transire ab infidelitate ad fidem, ab injustitia ad justitiam, a superbia ad humilitatem, ab odio ad charitatem: nunc ait, *Amen, amen dico vobis, quia venit* [1] *hora, et nunc est*. Quid evidentius? Jam certe aperuit quod dicebat, quia modo fit quo nos Christus hortatur. *Venit hora*. Quæ hora? *Et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent*. Jam de his mortuis locuti sumus. Quid putamus, fratres mei? in ista turba quæ me audit, nulline sunt mortui? Qui enim credunt et secundum veram fidem agunt, vivunt et mortui non sunt: qui autem vel non credunt, vel sicut dæmones credunt, trementes (*Jacobi* II, 19) et male viventes, Filium Dei confitentes et charitatem non habentes, mortui potius deputandi sunt. Et tamen agitur adhuc hora ista. Non enim hora de qua locutus est Dominus, una erit hora de duodecim horis unius diei. Ex quo locutus est usque ad hoc tempus, et usque ad finem sæculi, ipsa una hora agitur, de qua dicit in Epistola sua Joannes, *Filioli, novissima hora est* (I *Joan*. II, 18). Ergo nunc est. Qui vivit, vivat: qui mortuus erat, vivat; audiat vocem Filii Dei qui mortuus jacebat, surgat, et vivat. Clamavit Dominus ad sepulcrum Lazari, et quatriduanus mortuus resurrexit. Qui putebat, in auras processit; sepultus erat, lapis superpositus erat, vox Salvatoris irrupit duritiam lapidis: et cor tuum ita durum est, ut nondum illa vox divina te rumpat! Surge in corde tuo, procede de sepulcro tuo. Etenim mortuus in corde tuo tanquam in sepulcro jacebas, et tanquam saxo malæ consuetudinis gravabaris. Surge, et procede. Quid est, Surge, et procede? Crede, et confitere. Qui enim credidit, surrexit; qui confitetur, processit. Quare processisse diximus confitentem? Quia antequam confiteretur, occultus erat; cum autem confitetur, procedit de tenebris ad lucem. Et cum confessus fuerit, quid dicitur ministris? Quod dictum est ad funus Lazari, *Solvite illum, et sinite abire* (*Joan*. XI, 38-44). Quomodo? Dictum est ministris Apostolis, *Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo* (*Matth*. XVIII, 18).

8. *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent*. Unde vivent? De vita. De qua vita? De Christo. Unde probamus quia de vita Christo? *Ego sum*, inquit, *via, veritas et vita* (*Joan*. XIV, 6). Ambulare vis? *ego sum via*. Falli non vis? *ego sum veritas*. Mori non vis? *ego sum vita*. Hoc dicit tibi Salvator tuus: Non est quo eas, nisi ad me; non est qua eas, nisi per me. Nunc ergo ista hora agitur, hoc et agitur plane, et omnino non cessatur. Surgunt homines qui mortui erant, transeunt ad vitam, ad vocem Filii Dei vivunt, de illo, perseverantes in fide ipsius. Habet enim Filius vitam, unde vivant credentes habet.

9. Et quomodo habet? Sicut habet Pater. Audi ipsum dicentem, *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso*. Fratres, ut potero dicam. Hæc sunt enim illa verba quæ parvum intellectum perturbant. Quare addidit, *in semetipso?* Sufficeret ut diceret, *Sicut enim Pater habet vitam, sic dedit et Filio habere vitam*. Addidit, *in semetipso*: habet enim in semetipso Pater vitam, habet et Filius in semetipso. Aliquid intelligere nos voluit, in eo quod ait, *in semetipso*. Et hic secretum in verbo hoc clausum est: pulsetur, ut aperiatur. O Domine, quid est quod dixisti? *In semetipso*, quare addidisti? Etenim Paulus apostolus quem vivere fecisti, non habebat vitam? Habebat, inquit. Quantum homines mortui ut reviviscant, et ad verbum tuum credendo transeant: cum transierint, non in te habebunt vitam?

sufficienter; sed *ichanoi, sufficientes*, sive *multi*.

[1] In hac voce versiculi 25, vix unum codicem reperias sibi ipsi consentientem: nam editi et Mss. alias habent, *veniet*; alias, *venit*. Sic postea etiam in 28 vers. ejusdem capitis 5 Joannis vocem istam, inconstanter permutant.

Habebunt; nam et ego paulo ante dixi, *Qui audit verba mea, et credit ei qui me misit, habet vitam æternam.* Ergo illi qui in te credunt, habent vitam: et non dixisti, in semetipsis. Cum autem de Patre loquereris, *Sicut Pater habet vitam in semetipso:* rursus, cum de te loquereris, dixisti, *sic et Filio dedit habere vitam in semetipso.* Sicut habet, sic dedit habere. Ubi habet? *In semetipso.* Ubi dedit habere? *In semetipso.* Paulus ubi habet? Non in semetipso, sed in Christo. Tu fidelis ubi habes? Non in temetipso, sed in Christo. Videamus si hoc dicit Apostolus: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II, 20). Vita nostra tanquam nostra, id est, de voluntate propria nostra, non erit nisi mala, peccatrix, iniqua: vita vero bona de Deo in nobis est, non a nobis; a Deo nobis datur, non a nobis. Christus autem in semetipso habet vitam sicut Pater, quia Verbum Dei. Non modo male vivit, et modo bene vivit: homo autem, modo male, modo bene. Qui male vivebat, in vita sua erat: qui bene vivit, ad vitam Christi transiit. Particeps factus vitæ, non eras quod accepisti, et eras qui acciperes: Filius autem Dei non quasi primo fuit sine vita, et accepit vitam. Si enim sic illam acciperet, non eam haberet in semetipso. Quid est enim, *in semetipso?* Ut ipsa vita ipse esset.

10. Adhuc aliud planius fortasse dicam. Lucernam quisque accendit: exempli gratia, lucerna (*a*) illa quantum pertinet ad flammulam quæ ibi lucet, ignis ille habet lucem in semetipso; oculi autem tui qui lucerna absente jacebant et nihil videbant, jam et ipsi habent lucem, sed non in semetipsis. Proinde si se a lucerna averterint, tenebrantur; si se converterint, illuminantur. At vero ille ignis quamdiu est, lucet: si volueris illi lucem tollere, simul et ipsum exstinguis; nam sine luce non potest remanere. Sed lux Christus inexstinguibilis et coæternus Patri, semper candens, semper lucens, semper fervens: nam si non ferveret, numquid diceretur in Psalmo, *Nec est qui se abscondat a calore ejus* (*Psal.* XVIII, 7)? Tu autem in peccato tuo frigidus eras, converteris ut fervescas: si recesseris, frigescis. In peccato tuo tenebrosus eras, converteris ut illumineris; si averteris te, obscuraberis. Proinde quia in te tenebræ eras, cum illuminaberis, non eris lumen, quamvis sis in lumine. Ait enim Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8). Cum dixisset, *nunc autem lux:* addidit, *in Domino.* In te ergo tenebræ, *lux in Domino.* Lux quare? Quia participatione lucis illius lux es. Si autem a luce qua illuminaris, recesseris, ad tenebras tuas redis. Non sic Christus, non sic Verbum Dei. Sed quomodo? *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso:* ut non participatione vivat, sed incommutabiliter vivat; et omnino ipse vita sit. *Sic dedit et Filio habere vitam.* Sicut habet, sic dedit. Quid interest? Quia ille dedit, iste accepit. Numquid jam erat quando accepit? Numquid intelligimus Christum aliquando fuisse sine luce, cum ipse sit Sapientia Patris, de qua dictum est, *Candor est lucis æternæ* (*Sap.* VII, 26)? Ergo quod dicitur, *dedit Filio*, tale est ac si diceretur, genuit filium: generando enim dedit. Quomodo dedit ut esset, sic dedit ut vita esset, et sic dedit ut in semetipso vita esset. Quid est, in semetipso vita esset? Non aliunde vita indigeret, sed ipse esset plenitudo vitæ, unde credentes alii viverent dum viverent. *Dedit* ergo *illi habere vitam in semetipso:* dedit tanquam cui? Tanquam Verbo suo, tanquam ei qui *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.*

11. Deinde quia homo factus, quid illi dedit? *Et potestatem dedit ei judicium facere, quoniam filius hominis est.* Secundum quod Filius Dei est, *sicut habet Pater vitam in semetipso, sic et dedit Filio vitam habere in semetipso*: secundum autem quod filius hominis est, *potestatem dedit ei judicium faciendi.* Hoc est quod hesterno die exposui Charitati vestræ, quia in judicio homo videbitur, Deus autem non videbitur: sed post judicium videbitur Deus ab his qui vicerint in judicio; ab impiis autem non videbitur Deus (*In superiori Tractatu*). Quia ergo homo videbitur in judicio forma illa, qua sic veniet sicut ascendit, ideo supra dixerat: *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V, 22.) Hoc etiam in isto loco repetit, cum dicit, *Et potestatem dedit ei judicium faciendi, quoniam filius hominis est.* Tanquam diceres tu, *Potestatem dedit ei judicium faciendi*, quare? Quando non habuit istam potestatem judicium faciendi? Quando *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum,* quando *omnia per ipsum facta sunt* (*Id.* I, 1, 3) numquid non habebat potestatem judicium faciendi? Sed secundum hoc dico, *Potestatem dedit ei judicium faciendi, quia filius hominis est:* secundum hoc accepit potestatem judicandi, *quia filius hominis est.* Nam secundum quod Dei Filius est, semper habuit hanc potestatem. Accepit qui crucifixus est. Qui fuit in morte, est in vita: Verbum Dei nunquam in morte, semper in vita.

12. Jam ergo de resurrectione forte aliquis nostrum dicebat: Ecce resurreximus; qui audit Christum, qui credit, et transit de morte ad vitam et in judicium non veniet; venit hora, et nunc est, ut qui audit vocem Filii Dei, vivat; mortuus erat, audivit, ecce resurgit: quid est quod dicitur postea resurrectio futura? Parce tibi, noli præcipitare sententiam, ne pergas post illam. Est quidem ista resurrectio quæ fit nunc: mortui erant infideles, mortui erant iniqui; vivunt justi, transeunt a morte infidelitatis ad vitam fidei: sed noli inde credere nullam futuram postea resurrectionem corporis, crede futuram et resurrectionem corporis. Audi enim quid sequatur post commendatam resurrectionem istam quæ fit per fidem, ne quis putaret istam solam esse, et incideret in illam desperationem et errorem hominum, qui pervertebant aliorum sensus, *dicentes resurrectionem jam factam esse*, de quibus dicit Apostolus, *Et fidem quorumdam pervertunt* (II *Tim.* II, 18). Credo enim quia talia verba illis dicebant: Ecce Do-

(*a*) Subobscure significat hunc sermonem se ad lucernam dixisse, cum eum tamen æstate habuerit, uti ex XXVII Tractatu in Laurentii martyris celebritate pronuntiato colligitur.

minus ubi ait, *Et qui credit in me, transiit a morte ad vitam*; jam facta est resurrectio in hominibus fidelibus qui fuerant infideles : quomodo altera dicitur resurrectio? Gratias Domino Deo nostro; fulcit nutantes, dirigit hæsitantes, confirmat dubitantes. Audi quid sequitur, quia non habes unde tibi facias caliginem mortis. Si credidisti, totum crede. Quid totum, inquis, credo? Audi quid dicit : *Nolite mirari hoc*, quia dedit potestatem Filio faciendi judicii. In fine dico, ait. Quomodo in fine? *Nolite mirari hoc; quia venit hora*. Hic non dixit, *et nunc est*. In illa resurrectione fidei quid dixit? *Venit hora, et nunc est*. In ista resurrectione quam commendat futuram corporum mortuorum, *Venit hora*, dixit; non dixit, *nunc est*; quia in fine sæculi ventura est.

13. Et unde, inquis, mihi probas quia de ipsa resurrectione dixit? Si patienter audias, tu ipse tibi modo probabis. Sequamur ergo : *Nolite mirari hoc; quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt*. Quid evidentius ista resurrectione? Jam dudum non dixerat, *qui in monumentis sunt*; sed, *mortui audient vocem Filii Dei; et qui audierint, vivent*. Non dixit, alii vivent, alii damnabuntur; quia omnes qui credunt vivent. De monumentis autem quid dicit? *Omnes qui sunt in monumentis, audient vocem ejus, et procedent*. Non dixit, *audient et vivent*. Si enim male vixerunt et jacebant in monumentis, ad mortem surgent, non ad vitam. Ergo videamus qui procedent. Licet paulo ante mortui audiendo et credendo vivebant, non ibi facta est discretio; non dictum est, Audient mortui vocem Filii Dei, et cum audierint, alii vivent, alii damnabuntur; sed, *Omnes qui audierint, vivent* : quia qui credunt vivent, qui habent charitatem vivent, et nemo morietur. De monumentis autem, *audient vocem, et procedent qui bene fecerunt, ad resurrectionem vitæ; qui male fecerunt, ad resurrectionem judicii*. Hoc est judicium, pœna illa de qua paulo ante dixerat, *Qui credit in me, transiit a morte ad vitam, et in judicium non veniet*.

14. *Non possum ego a meipso facere quidquam : sicut audio judico, et judicium meum justum est*. Si sicut audis judicas, a quo audis? Si a Patre, certe *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*. Quando tu quodammodo præco Patris, quod audis, hoc dicis [1]? Quod audio hoc dico, quia quod est Pater, hoc sum : dicere enim meum esse est; quia Verbum Patris sum. Hoc enim tibi dicit Christus. Inde de tuo. Quid est, *Sicut audio, ita judico*, nisi, Sicut sum? Quomodo enim audit Christus? Fratres, quæramus, rogo vos. Audit Christus a Patre? Quomodo illi dicit Pater? Utique si dicit illi, verba ad illum facit : omnis enim qui aliquid alicui dicit, verbo dicit. Quomodo Pater Filio dicit, quando Filius Verbum Patris est? Quidquid nobis Pater dicit, Verbo suo dicit : Verbum Patris Filius est, ipsi Verbo quo alio verbo dicit? Unus est Deus, unum Verbum habet, in uno Verbo omnia continet. Quid est ergo, *Sicut audio, ita judico?* Sicut de Patre sum, ita judico. Ergo *judicium meum justum est*. Nam si nihil facis ex te, o Domine Jesu, quomodo sentiunt carnales; si nihil facis ex te, quomodo paulo ante dixisti, *Sic et Filius quos vult vivificat?* Modo dicis, Ex me facio nihil. Sed quid commendat Filius, nisi quia de Patre est? Qui est de Patre, non est de se. Si de se Filius esset, non esset Filius : de Patre est. Pater ut sit non est de Filio, Filius ut sit de Patre est. Æqualis Patri; sed tamen iste de illo, non ille de isto.

15. *Quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Filius unicus dicit, *Non quæro voluntatem meam*; et homines volunt facere voluntatem suam! Ille tantum se humiliat qui æqualis est Patri; et tantum se extollit qui in imo jacet, et nisi ei manus porrigatur, non surgit! Faciamus ergo voluntatem Patris, voluntatem Filii [1], voluntatem Spiritus sancti; quia Trinitatis hujus una voluntas, una potestas, una majestas est. Ideo tamen dicit Filius, *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*; quia Christus non est de se, sed de Patre suo est. Quod autem habuit ut homo appareret, de creatura assumpsit quam ipse formavit.

TRACTATUS XXIII.

In illam lectionem Evangelii, Si ego testimonium perhibeo de me, *etc.*, *usque ad id*, Et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. *Tum etiam repetuntur superiores lectiones jam ante tractatæ, scilicet ab his verbis*, Amen, amen dico vobis, non potest Filius a se facere quidquam, *etc. Cap*. v, ỷ. 19-40.

1. Quodam loco in Evangelio Dominus ait, prudentem auditorem verbi sui similem esse debere homini qui volens ædificare, fodit altius, donec perveniat ad fundamentum stabilitatis petræ, et ibi securus constituat quod fabricat adversus impetum fluminis : ut cum venerit, repercutiatur potius firmitate ædificii, quam impulsu suo ruinam faciat illi domui (*Matth*. VII, 24, 25). Putemus Scripturam Dei tanquam agrum esse, ubi volumus aliquid ædificare. Non simus pigri, nec superficie contenti; fodiamus altius, donec perveniamus ad petram : *Petra autem erat Christus* (I *Cor*. x, 4).

2. Hodierna lectio de testimonio Domini nobis locuta est, quia non habeat necessarium ab hominibus testimonium, sed habeat majus quam sunt homines; atque id testimonium dixit quid sit : *Opera*, inquit, *quæ ego facio, testimonium perhibent de me*. Deinde adjunxit : *Et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater*. Ipsa quoque opera quæ facit, a Patre se accepisse dicit. Testimonium ergo perhibent opera, testimonium perhibet Pater. Nullumne testimonium perhibuit Joannes? Perhibuit plane, sed tanquam lucerna, non ad satiandos amicos, sed ad confundendos inimicos [2] : jam enim antea prædictum erat a persona Patris, *Paravi lucernam Christo meo : inimicos ejus induam confusione; super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea* (*Psal*. CXXXI, 17 *et* 18). Esto tanquam in nocte

[1] Er. Lugd. et Ven. plusculas hic ferunt differentias; sic enim legunt : *Quoniam tu quodammodo præco Patris, ut quod audis dicas*. M.

[1] In omnibus Mss., *voluntatem Christi*.

[2] In B., *non ad satiandos amicos, sed confundendos inimicos*. Locum hunc restituimus ex Er. et Lov., quorum lectio videtur concinnior. M.

positus, attendisti in lucernam, et miratus es lucernam, et exsultasti ad lumen lucernæ : sed illa lucerna dicit esse solem, in quo exsultare debeas; et quamvis ardeat in nocte, diem te jubet exspectare. Non ergo quia illius hominis testimonio non erat opus. Nam utquid mitteretur, si non erat opus? Sed ne in lucerna remaneat homo, et lumen lucernæ sufficere sibi arbitretur; ideo Dominus nec lucernam illam superfluam dicit fuisse, nec tamen te dicit in lucerna debere remanere. Dicit aliud testimonium Scriptura Dei : ibi utique Deus perhibuit testimonium Filio suo, et in illa Scriptura Judæi spem posuerant, in Lege scilicet Dei, ministrata sibi per Moysen famulum Dei. *Scrutamini*, inquit, *Scripturam, in qua vos putatis vitam æternam habere; ipsa testimonium perhibet de me : et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.* Quid vos putatis habere in Scriptura vitam æternam? Ipsam interrogate, cui perhibet testimonium; et intelligite quæ sit vita æterna. Et quia propter Moysen volebant repudiare Christum, tanquam adversarium institutis præceptisque Moysi; rursus eosdem ipse convincit tanquam de alia lucerna.

3. Omnes enim homines lucernæ, quia et accendi possunt et exstingui. Et lucernæ quidem cum sapiunt, lucent, et spiritu fervent : nam et si ardebant et exstinctæ sunt, etiam putent. Permanserunt enim servi Dei lucernæ bonæ ex oleo misericordiæ illius, non ex viribus suis. Gratia quippe Dei gratuita, illa oleum lucernarum est. *Plus enim illis omnibus laboravi*, ait quædam lucerna; et ne viribus suis ardere videretur, adjunxit, *Non ego autem, sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* xv, 10). Omnis ergo prophetia ante Domini adventum, lucerna est : de qua dicit Petrus apostolus, *Habemus certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis intendentes, quemadmodum lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (II *Petr.* I, 19). Lucernæ itaque Prophetæ, et omnis prophetia una magna lucerna. Quid Apostoli? non lucernæ etiam ipsi? Plane lucernæ. Solus enim ille non lucerna. Non enim accenditur et exstinguitur : quia *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso.* Lucernæ ergo et Apostoli; et gratias agunt, quia et accensi sunt lumine Veritatis, et fervent Spiritu charitatis, et suppetit illis oleum gratiæ Dei. Si non essent lucernæ, non diceret illis Dominus, *Vos estis lumen mundi.* Nam posteaquam dixit, *Vos estis lumen mundi*, ostendit ne tale lumen se putarent, quale dictum est, *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Tunc autem hoc de Domino dictum est, cum a Joanne distingueretur. De Joanne quippe Baptista dictum erat, *Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine* (*Joan.* I, 9, 8). Et ne diceres, Quomodo lumen non erat, de quo Christus dicit, quia *lucerna erat?* In comparatione alterius luminis non erat lumen. *Erat* enim *verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ergo cum et discipulis diceret, *Vos estis lumen mundi*, ne sibi aliquid tributum putarent, quod de solo Christo intelligendum esset, et ita lucernæ vento superbiæ exstinguerentur; cum dixisset, *Vos estis lumen mundi*, continuo subjunxit, *Non potest civitas abscondi supra montem constituta, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Sed quid, si Apostolos non dixit lucernam, sed accensores lucernæ quam ponerent super candelabrum? Audi quia ipsos dixit lucernam. *Sic luceat*, inquit, *lumen vestrum coram hominibus, ut videntes bona opera vestra glorificent*, non vos, sed *Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 14-16).

4. Ergo et Moyses perhibuit testimonium Christo, et Joannes perhibuit testimonium Christo, et cæteri Prophetæ et Apostoli perhibuerunt testimonium Christo. His omnibus testimoniis præponit testimonium operum suorum. Quia et per illos nonnisi Deus perhibuit testimonium Filio suo. Sed perhibet alio modo Deus testimonium Filio suo : per ipsum Filium suum indicat Deus Filium, indicat se per Filium. Ad hunc si potuerit homo pervenire, nec lucernis indigebit, et vere fodiendo altius, ædificium perducet ad petram.

5. Facilis est ergo, fratres, hodierna lectio : sed propter hesternum debitum (scio enim quid distulerim, non abstulerim, et Dominus dignatus est donare etiam hodie loqui ad vos), recordamini quid reposcere debeatis, si forte aliquo modo servata pietate et salubri humilitate, extendamus nos non adversus Deum, sed ad Deum; et levemus ad eum animam nostram, effundentes eam super nos, sicut ille in Psalmo, cui dicebatur, *Ubi est Deus tuus? Hæc*, inquit, *meditatus sum, et effudi super me animam meam* (*Psal.* XLI, 4 *et* 5). Levemus ergo animam ad Deum, non contra Deum; quia et hoc dictum est, *Ad te, Domine, levavi animam meam* (*Psal.* XXIV, 1). Et levemus adjuvante ipso; nam gravis est. Unde autem gravis est? Quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15). Ne forte ergo possimus sensum nostrum a multis colligere ad unum, et evulsum a multis relevare ad unum (quod quidem non poterimus, ut dixi, nisi adjuvet ille qui ad se vult levari animas nostras), et contingamus ex aliqua parte, quomodo Verbum Dei unicus Patri, coæternus et æqualis Patri, non faciat nisi quod viderit Patrem facientem, cum tamen Pater ipse non faciat aliquid nisi per Filium videntem. Videtur mihi quoniam Dominus Jesus in hoc loco magnum quiddam insinuare volens intentis, et infundere capacibus, incapaces autem excitare ad studium, ut nondum intelligentes bene vivendo capaces fiant, insinuavit nobis animam humanam et mentem rationalem, quæ inest homini, non inest pecori, non vegetari, non beatificari, non illuminari, nisi ab ipsa substantia Dei : eamque animam facere aliquid per corpus et de corpore, atque habere subjectum corpus, et per corporalia mulceri posse sensus corporis vel offendi, et propter hoc, id est propter consortium quoddam animæ et corporis in hac vita atque complexu, delectari animam lenitis, vel contristari offensis corporis sensibus; beatitudinem tamen ejus qua fit beata ipsa anima, non fieri nisi participatione illius

vitæ semper vivæ, incommutabilis, æternæque substantiæ, quæ Deus est : ut quomodo anima quæ inferior Deo est, id quod ipsa inferius est, hoc est corpus, facit vivere; sic eamdem animam non faciat beate vivere, nisi quod ipsa anima est superius. Superior enim anima quam corpus, et superior quam anima Deus. Præstat aliquid inferiori, præstatur illi a superiore. Serviat Domino suo, ne conculcetur a servo suo. Hæc est, fratres mei, religio christiana, quæ prædicatur per totum mundum, horrentibus inimicis; et ubi vincuntur, murmurantibus; ubi prævalent, sævientibus. Hæc est religio christiana, ut colatur unus Deus, non multi dii; quia non facit animam beatam nisi unus Deus. Participatione Dei fit beata. Non participatione sanctæ animæ fit beata infirma anima, nec participatione angeli fit beata sancta anima : sed si quærit beata esse infirma anima, quærat unde beata sit sancta anima. Non enim beatus efficeris ex angelo tu; sed unde angelus, inde et tu.

6. His præmissis atque firmissime constitutis, animam rationalem non beatificari nisi a Deo, corpus non vegetari nisi per animam, atque esse quamdam medietatem inter Deum et corpus, animam; intendite et recolite mecum, non hodiernam, de qua sufficienter locuti sumus, sed hesternam lectionem, quam ecce jam triduo versamus atque tractamus, et pro viribus fodimus, donec ad petram perveniamus. Verbum Christus, Verbum Dei Christus apud Deum, Verbum Christus et Deus Verbum, Christus et Deus et Verbum unus Deus. Illuc perge, anima, contemptis cæteris, vel etiam transcensis; illuc perge. Nihil potentius ista creatura, quæ mens dicitur rationalis, nihil hac creatura sublimius : quidquid supra istam est, jam Creator est. Dicebam autem quia Verbum Christus, et Verbum Dei Christus, et Deus Verbum Christus; sed non tantum Verbum Christus, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14) : ergo et Verbum et caro Christus. Cum enim *in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Et quid nos in imo, qui non poteramus infirmi et humi repentes attingere Deum, numquid relinquendi eramus? Absit. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 6,7). Non ergo formam Dei amittens. Factus est ergo homo qui erat Deus, accipiendo quod non erat, non amittendo quod erat : ita factus est homo Deus. Ibi habes aliquid propter infirmitatem tuam, ibi habes aliud propter perfectionem tuam. Erigat te Christus per id quod homo est, ducat te per id quod Deus homo est, perducat te ad id quod Deus est. Et tota prædicatio dispensatioque per Christum hæc est, fratres, et alia non est, ut resurgant animæ, resurgant et corpora. Utrumque quippe mortuum erat; corpus ex infirmitate, anima ex iniquitate. Quia utrumque mortuum erat, resurgat utrumque. Quid utrumque? Anima et corpus. Per quid ergo anima, nisi per Deum Christum? Per quid corpus, nisi per hominem Christum? Erat enim et in Christo anima humana, tota anima : non irrationale tantum animæ, sed etiam rationale quod mens dicitur. Fuerunt enim quidam hæretici, et pulsi sunt ab Ecclesia, qui putarent non habere mentem rationalem corpus Christi, sed quasi animam belluinam (*a*) : excepta quippe rationali mente, vita belluina est. Sed quia expulsi sunt, et veritate expulsi sunt; accipe totum Christum, Verbum, mentem rationalem, et carnem. Hoc totum Christus est. Resurgat anima tua ab iniquitate per id quod Deus est, resurgat corpus tuum a corruptione per id quod homo est. Proinde, charissimi, audite magnam lectionis hujus, quantum mihi videtur, profunditatem; et videte quemadmodum loquatur hic Christus, nihil aliud quam quare venerit Christus, ut resurgant animæ ab iniquitate, resurgant corpora a corruptione. Jam dixi animæ per quid resurgant, per ipsam substantiam Dei; corpora per quid resurgant, per dispensationem humanam Domini nostri Jesu Christi.

7. *Amen, amen dico vobis, non potest a se Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem : quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.* Cœlum, terram, mare, quæ in cœlo, quæ in terra, quæ in mari, visibilia, invisibilia, animalia in terris, fruteta in agris, natantia in aquis, in aere volantia, in cœlo lucentia; præter hæc omnia, Angelos, Virtutes, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates : *omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 3). Numquid Deus omnia hæc fecit, et demonstravit ea facta Filio, ut et ipse faceret alterum mundum his omnibus plenum? Non utique. Sed quid? *Quæcumque enim ille fecerit, hæc*, non alia, sed *hæc et Filius*, nec dissimiliter, sed *similiter facit. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Demonstrat Pater Filio ut animæ suscitentur, quia per Patrem et Filium animæ suscitantur : nec possunt vivere animæ, nisi earum vita sit Deus. Si ergo non possunt vivere animæ, nisi earum vita sit Deus, sicut ipsæ sunt vita corporum; quod demonstrat Pater Filio, id est quod facit, per Filium facit. Non enim faciendo demonstrat Filio, sed demonstrando facit per Filium. Videt enim Filius Patrem demonstrantem antequam aliquid fiat, et ex demonstratione Patris et visione Filii fit quod fit a Patre per Filium. Sic animæ suscitantur, si potuerint videre istam unitatis conjunctionem, Patrem demonstrantem, Filium videntem, et per Patris demonstrationem et Filii visionem fieri creaturam : atque id fieri per Patris demonstrationem et Filii visionem, quod nec Pater sit nec Filius, sed infra Patrem et Filium, quidquid fit a Patre per Filium. Quis hoc videt?

8. Ecce iterum ad carnales sensus, ecce rursus humiliamus nos, et descendimus ad vos, si tamen aliquid aliquando ascenderamus a vobis. Vis demonstrare aliquid filio tuo, ut faciat quod facis : facturus es tu, et sic demonstraturus. Quod igitur facturus es ut demonstres filio, non utique facis per filium : sed tu solus facis quod ipse factum videat, et aliud tale similiter faciat. Non est hoc ibi : quid pergis ad similitudinem tuam, et deles in te similitudinem Dei? Ibi omnino non est hoc. Inveni aliquid, quomodo demonstres filio tuo quod facis, antequam facis; ut cum de-

(*a*) Apollinaristæ.

monstraveris, per filium facias hoc quod facis. Jam forte quasi occurrit tibi : Ecce, inquis, cogito facere domum, et volo ut per filium meum fabricetur : antequam eam ipse fabricem, ostendo filio meo quod facere volo; et facit ipse, atque ego per ipsum, cui ostendi voluntatem meam. Recessisti quidem a pristina similitudine, sed adhuc jaces in magna dissimilitudine. Ecce enim antequam facias domum, indicas filio tuo, et demonstras quid facere velis ; ut te demonstrante antequam facias, faciat ipse quod demonstraveris, et tu per ipsum : sed verba dicturus es filio tuo, inter te et ipsum verba cursura sunt ; et inter demonstrantem et videntem, vel loquentem et audientem sonus articulatus volat, qui non est quod tu, non est quod ipse. Sonus quippe ille qui exit de ore tuo, et verberato aere tangit aurem filii tui, et impleto sensu audiendi perducit ad cor cogitationem tuam ; sonus ergo ille, non est ipse tu, non est ipse filius tuus. Signum datum est ab animo tuo animo filii tui, quod signum non sit nec animus tuus, nec animus filii tui, sed aliud aliquid. Itane putamus Patrem locutum esse cum Filio? Fuerunt verba inter Deum et Verbum? quomodo istud est? An quidquid vellet Pater dicere Filio, si verbo vellet dicere, ipse Filius est Verbum Patris [1], numquid per verbum loqueretur ad Verbum? An quia Filius magnum Verbum, minora verba cursura erant inter Patrem et Filium? Sonus aliquis et quasi creatura quædam temporalis atque volatica, exitura erat ex ore Patris, et percussura aurem Filii? Numquid habet Deus corpus, ut quasi ex ejus labiis hoc procedat; et habet aures corporis Verbum, in quas sonus veniat? Remove omnia corporalia, simplicitatem vide, si simplex es. Quomodo autem eris simplex? Si te non mundo implicaveris, sed ex mundo explicaveris : explicando enim te simplex eris. Et vide si potes quod dico, aut si non potes, crede quod non vides. Dicis filio tuo, verbo dicis ; verbum quod sonat, nec tu es, nec filius tuus.

9. Habeo, inquis, aliud quo ostendam : ita enim est eruditus filius meus, ut nec loquente me audiat, sed nutu ostendo ei quod faciat. Ecce nutu ostende quod vis, certe animus tuus vult ostendere quod in se habet. Unde facis nutum? De corpore, scilicet, labiis, vultu, superciliis, oculis, manibus. Hæc omnia non sunt quod animus tuus; etiam ista media sunt : intellectum est aliquid per hæc signa, quæ non sunt quod animus tuus, nec quod animus filii tui : sed hoc totum quod corpore agis, infra animum tuum est, et infra animum filii tui ; nec potest cognoscere animum tuum filius tuus, nisi dederis ei signa de corpore. Quid igitur facio? Non est hoc ibi, simplicitas ibi est. Pater ostendit Filio quod facit, et ostendendo Filium gignit. Video quid dixerim : sed quia video et quibus dixerim, fiat in vobis intellectus iste quandoque. Nunc si non potestis comprehendere quid sit Deus, vel hoc comprehendite quid non sit Deus : multum profeceritis, si non aliud quam est, de Deo senseritis. Nondum potes pervenire ad quid sit, perveni ad quid non sit. Non est Deus corpus, non terra, non cœlum, non luna, non sol, non stellæ, non corporalia ista. Si enim non cœlestia, quanto minus terrena? Tolle omne corpus. Adhuc audi aliud : non est Deus mutabilis spiritus. Nam fateor, et fatendum est, quia Evangelium loquitur, *Deus spiritus est*. Sed transi omnem mutabilem spiritum, transi spiritum qui modo scit, modo nescit, modo meminit, et obliviscitur ; vult quod nolebat, non vult quod volebat ; sive patiatur jam istas mutabilitates, sive pati possit : transi hæc omnia. Non invenis in Deo aliquid mutabilitatis, non aliquid quod aliter nunc sit, aliter paulo ante fuerit. Nam ubi invenis aliter et aliter, facta est ibi quædam mors : mors enim est, non esse quod fuit. Immortalis dicitur anima : est quidem, quia vivit semper anima, et est in illa quædam vita permanens, sed mutabilis vita. Secundum mutabilitatem vitæ hujus et mortalis dici potest : quia si vivebat sapienter, et desipit, mortua est in deterius ; si vivebat insipienter, et sapit, mortua est in melius. Nam esse mortem in deterius, esse mortem in melius Scriptura nos docet. Utique in deterius mortui erant, de quibus dicitur, *Sine mortuos, sepeliant mortuos suos* (*Matth.* VIII, 22) ; et, *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus* (*Ephes.* V, 14); et de hac lectione, *Quando mortui audient, et qui audierint vivent*. In deterius mortui erant, ideo reviviscunt. Reviviscendo moriuntur in melius, quia et reviviscendo non erunt quod erant : non esse autem quod erat, mors est. Sed forte, si in melius est, non appellatur mors? Appellavit illam mortem Apostolus : *Si autem mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc velut viventes de hoc mundo decernitis* (*Coloss.* II, 20)? et iterum, *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Id.* III, 3). Mori nos vult ut vivamus, quia viximus ut moreremur. Quidquid ergo et a meliore in deterius, et a deteriore in melius moritur, non est hoc Deus : quia neque in melius ire potest summa bonitas, neque in deterius vera æternitas. Vera enim æternitas est, ubi temporis nihil est. Erat autem modo hoc, et modo illud? jam tempus admissum est, æternum non est. Nam ut noveritis quia non sic Deus quomodo anima : certe immortalis est anima ; quid ergo est quod ait Apostolus de Deo, *Qui solus habet immortalitatem* (I *Tim.* VI, 16) ; nisi quia hoc aperte dixit, Solus habet incommutabilitatem, quia solus habet veram æternitatem? Ergo ibi nulla mutabilitas.

10. Agnosce in te aliquid, quod volo dicere, intus, intus in te; non in te quasi in corpore tuo, nam et ibi potest dici in te. In te est enim sanitas, in te quælibet ætas, sed secundum corpus; in te est manus, pes tuus : sed aliud est in te intus, aliud in te tanquam in veste tua. Sed relinque foris et vestem tuam et carnem tuam, descende in te, adi secretarium tuum,

[1] Edd. habent hic nonnullas lectionum varietates, quæ potissimum e punctationis diversitate nascuntur. Legunt Er. Lug. et Ven., *fuerunt verba inter Deum et Verbum, quomodo istud est? An quidquam vellet Pater dicere Filio? Si..... Patris. Numquid*. Lov.: *An quidquam vellet Pater dicere Filio? Si vellet verba dicere, ipse Filius est Verbum Patris. Numquid*, etc. M.

mentem tuam, et ibi vide quod volo dicere, si potueris. Si enim tu ipse a te longe es, Deo propinquare unde potes? Dicebam de Deo; et intellecturum te arbitrabaris : de anima dico, de te dico; intellige, ibi te probabo. Non enim valde longe pergo in exempla, quando de mente tua volo aliquam similitudinem dare ad Deum tuum; quia utique non in corpore, sed in ipsa mente factus est homo ad imaginem Dei. In similitudine sua Deum quæramus, in imagine sua Creatorem agnoscamus. Ibi intus, si potuerimus, inveniamus hoc quod dicimus; quomodo demonstret Pater Filio, et Filius videat quod demonstrat Pater, antequam fiat aliquid a Patre per Filium. Sed cum dixero et intellexeris, nec sic putes jam illud aliquid tale esse, ut serves ibi pietatem, quam volo a te servari, et præcipue moneo : id est, ut si non vales comprehendere Deus quid sit, parum non tibi putes esse scire quid non sit.

11. Ecce in mente tua video aliqua duo, memoriam tuam et cogitationem tuam, id est, quasi aciem quamdam et obtutum animæ tuæ. Vides aliquid, et per oculos percipis, et commendas memoriæ : ibi est intus quod memoriæ commendasti, in abdito reconditum quasi in horreo, quasi in thesauro, quasi in secretario quodam et penetrali interiore. Cogitas aliunde, intentio tua alibi est; illud quod vidisti in memoria tua est, et non videtur a te, quia cogitatio tua in aliud intenditur. Modo probo, scientibus loquor : Carthaginem nomino, omnes modo intus quicumque eam nostis, vidistis Carthaginem. Numquid tot sunt Carthagines quot animæ vestræ? Omnes vidistis per nomen hoc : per quatuor has syllabas notas vobis, erumpentes ex ore meo, tactæ sunt aures vestræ, tactus est sensus animæ per corpus, et ab alia intentione reflexus est animus ad id quod ibi erat, et vidit Carthaginem. Numquid tunc est ibi Carthago facta? Jam ibi erat, sed latebat. Quare ibi latebat? Quia animus tuus in aliud attendebat : cum vero reflexa est cogitatio tua ad id quod erat in memoria, inde formata est, et visio quædam animi facta est. Antea non erat visio, sed erat memoria : reflexa cogitatione ad memoriam, facta est visio. Demonstravit ergo memoria tua cogitationi tuæ Carthaginem, et quod in illa erat antequam intenderes, conversæ ad se intentioni cogitationis ostendit. Ecce facta est a memoria demonstratio, facta est in cogitatione visio; et nulla verba in medio cucurrerunt, nullum ex corpore signum datum est : nec innuisti, nec scripsisti, nec sonuisti; et tamen cogitatio vidit quod memoria demonstravit. Ejusdem autem substantiæ est, et quæ demonstravit, et cui demonstravit. Sed Carthaginem ut haberet memoria tua, per oculos hausta est imago hæc : vidisti enim quod in memoria reconderes. Sic arborem quam meministi vidisti, sic montem, sic fluvium, sic amici faciem, sic inimici, sic patris, matris, fratris, sororis, filii, vicini; sic litterarum in codice conscriptarum, sic ipsius codicis, sic hujus basilicæ : omnia ista vidisti, et visa quia jam erant, memoriæ commendasti; et tanquam posuisti illic quæ videres cogitando cum velles, etiam cum ab istis corporis oculis abfuissent. Vidisti enim Carthaginem cum esses Carthagini, accepit speciem per oculos anima tua; hæc species recondita est in memoria tua, et servasti aliquid intus homo apud Carthaginem constitutus, quod posses apud te videre etiam cum ibi non esses. Hæc omnia forinsecus accepisti. Pater quæ demonstrat Filio, non accipit extrinsecus : intus totum agitur; quia nihil creaturarum esset extrinsecus, nisi hoc Pater fecisset per Filium. Creatura omnis a Deo facta est; antequam fieret non erat. Non ergo facta visa est et retenta memoriter, ut eam Pater Filio tanquam memoria cogitationi monstraret : sed faciendam Pater monstravit, faciendam Filius vidit, et eam Pater demonstrando fecit, quia per Filium videntem fecit. Et ideo movere non debet, quia dictum est, *nisi quod viderit Patrem facientem :* non dictum est, demonstrantem. Per hoc enim significatum est, id esse Patri facere, quod est demonstrare; ut ex hoc intelligatur per Filium videntem omnia facere. Nec illa demonstratio, nec illa visio temporalis est. Quia enim per Filium fiunt omnia tempora, non utique aliquo tempore possent ei demonstrari facienda. Sic autem demonstratio Patris Filii visionem gignit, quemadmodum Pater Filium gignit. Demonstratio quippe generat visionem, non visio demonstrationem. Quod si purius et perfectius intueri valeremus, fortasse inveniremus nec aliud esse Patrem, aliud ejus demonstrationem; nec aliud Filium, aliud ejus visionem. Sed si vix hoc cepimus, vix explicare potuimus, quomodo memoria quod cepit extrinsecus, ostendat cogitationi; quanto minus capere aut explicare poterimus, quomodo Pater Deus demonstrat Filio quod non habet aliunde, vel quod non est aliud quam ipse? Parvuli sumus; loquor vobis quid non sit D us, non ostendo quid sit : ergo ut capiamus quid sit, quid faciemus? Numquid a me, numquid per me poteritis? Dicam hoc parvulis, et vobis et mihi : est per quem possimus; modo cantavimus, modo audivimus, *Jacta in Dominum curam tuam, et ipse te enutriet* (*Psal.* LIV, 23). Ideo enim non potes, o homo, quia parvulus es : si parvulus es, nutriendus es : nutritus, grandis eris; et quod parvulus non poteras, grandis videbis : sed ut nutriaris, *Jacta in Dominum curam tuam, et ipse te enutriet*

12. Modo ergo percurramus breviter quæ restant, et videte hic quæ commendavi, quomodo Dominus insinuet. *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit.* Ipse suscitat animas, sed per Filium, ut fruantur animæ suscitatæ substantia Dei, hoc est Patris et Filii. *Et majora his demonstrabit ei opera.* Quibus majora? Sanitatibus corporum. Jam et antea tractavimus (*In Tractatu* 19, *nn.* 4, 5, *et Tract.* 21, *n.* 5-10), nec immorari debemus. Major est enim resurrectio corporis in æternum, quam hæc quæ ad tempus facta est in illo languido sanitas corporis. *Et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. Demonstrabit*, quasi temporaliter : ergo quasi homini facto in tempore, quia Verbum Deus non est factus,

per quem omnia facta sunt tempora: sed homo factus Christus in tempore. Apparet quo Consule, quo die conceptum de Spiritu sancto virgo Maria peperit Christum : ergo homo factus est in tempore, per quem Deum facta sunt tempora. Ideo tanquam in tempore demonstrabit ei opera majora, id est, resurrectionem corporum, ut vos miremini factam per Filium resurrectionem corporum.

13. Deinde redit ad illam resurrectionem animarum : *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat*, sed secundum spiritum. Vivificat Pater, vivificat Filius; quos vult Pater, quos vult Filius : sed ipsos Pater quos Filius; quia omnia per ipsum facta sunt. *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* De resurrectione animarum dictum est hoc : quid de resurrectione corporum? Redit, et dicit, *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Resurrectio animarum fit per substantiam Patris et Filii æternam et incommutabilem : resurrectio vero corporum fit per dispensationem humanitatis Filii temporalem, non Patri coæternam. Ideo cum commemoraret judicium, ubi fieret resurrectio corporum, *Non enim Pater*, inquit, *judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio :* de resurrectione autem animarum, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Illud ergo simul Pater et Filius : hoc autem de resurrectione corporum, *Non judicat Pater quemquam, sed omne judicium dedit Filio. Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Hoc redditum est resurrectioni animarum. *Ut omnes honorificent Filium.* Quomodo? *Sicut honorificant Patrem.* Animarum enim resurrectionem sic operatur Filius, quomodo Pater : sic vivificat Filius, quomodo Pater. Ergo in animarum resurrectione *omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Quid de honorificatione propter resurrectionem corporis? *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.* Non dixit, sicut; sed, *honorificat*, et *honorificat*. Honoratur enim homo Christus, sed non sicut Pater Deus. Quare? Quia secundum hoc dixit, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Quando autem honorificatur Filius, sicut honorificatur Pater? Cum *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum*, et *omnia per ipsum facta sunt* (*Id.* I, 1, 3). Et ideo in hac honorificatione secunda quid ait? *Qui non honorificat Filium, nec honorificat Patrem qui misit illum.* Non est missus Filius, nisi quia factus est homo.

14. *Amen, amen dico vobis.* Iterum redit ad resurrectionem animarum, ut assidue dicentem capiamus : quia velut volantem sermonem sequi non poteramus; ecce immoratur nobiscum sermo Dei, ecce quasi habitat cum infirmitatibus nostris : redit rursum ad commendationem resurrectionis animarum. *Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui me misit, habet vitam æternam :* sed tanquam ex Patre. *Quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me*, ex Patre *habet vitam æternam*, credendo in eum qui misit illum. *Et in judicium non veniet, sed transiit a morte ad vitam :* sed ex Patre vivificatur, cui credit. Quid, tu non vivificas? Vide quia *et Filius quos vult vivificat. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint vivent.* Hic non dixit, Credent ei qui misit me, et ideo vivent; sed audiendo vocem Filii Dei, *qui audierint*, hoc est obaudierint Filio Dei, *vivent.* Ergo et ex Patre vivent, cum credent Patri; et ex Filio vivent, cum audient vocem Filii Dei. Quare et ex Patre vivent et ex Filio vivent? *Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso.*

15. Implevit de resurrectione animarum; restat evidentius dicere de resurrectione corporum. *Et potestatem dedit ei et judicium facere :* non solum animas per fidem et sapientiam suscitare, sed et judicium facere. Quare autem hæc? *Quia filius hominis est.* Facit ergo aliquid Pater per Filium hominis, quod non facit ex substantia sua cui æqualis est Filius; sicut ipsum nasci, sicut ipsum crucifigi, sicut ipsum mori, sicut ipsum resurgere : non enim aliquid horum Patri contigit. Sic et resuscitationem corporum. Nam resuscitationem animarum ex substantia sua Pater facit per substantiam Filii [1], qua illi æqualis est; animæ quippe fiunt participes illius incommutabilis lucis, non corpora : resuscitationem autem corporum Pater facit per filium hominis. *Et potestatem* enim *dedit ei et judicium facere, quia filius hominis est :* secundum illud quod supra dixit, *Neque enim Pater judicat quemquam.* Et ut ostendat quia de resurrectione corporum hoc dixit : *Nolite mirari hoc, quia venit hora.* Non *nunc est*, sed *venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt* (jam hoc et hesterno die satiatissime audistis [*In superiori Tractatu, n.* 13]), *audient vocem ejus et procedent.* Et ubi? In judicium : *Qui bene fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui male egerunt, in resurrectionem judicii.* Et tu hoc facis solus, quia omne judicium Filio Pater dedit, et non judicat quemquam? Ego, inquit, facio. Sed quomodo facis? *Non possum a me facere quidquam : sicut audio judico, et judicium meum justum est.* Cum ageretur de resurrectione animarum, non dicebat, *Audio*; sed, *video*. *Audio* enim, tanquam præcipientis Patris imperium. Jam ergo sicut homo, sicut quo major est Pater; jam ex forma servi, non ex forma Dei, *sicut audio, judico; et judicium meum justum est.* Unde est judicium justum hominis? Fratres mei, attendite : *Quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.*

TRACTATUS XXIV.

Ab eo quod scriptum est, Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis; *usque ad id*, Hic est vere propheta qui venit in mundum. *Cap.* VI, ℣. 1-14.

1. Miracula quæ fecit Dominus noster Jesus Christus, sunt quidem divina opera, et ad intelligendum

[1] In undecim Mss., *ex substantia sua Pater, ex substantia sua Filius, qua illi*, etc., omisso verbo, *facit.*

Deum de visibilibus admonent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia quæ videri oculis possit, et miracula ejus quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt, ita ut pene nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano; secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quædam, quæ faceret opportuno tempore præter usitatum cursum ordinemque naturæ, ut non majora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerant. Majus enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus : et tamen hæc nemo miratur : illud mirantur homines non quia majus est, sed quia rarum est. Quis enim et nunc pascit universum mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat? Fecit ergo quomodo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes. Potestas enim erat in manibus Christi : panes autem illi quinque, quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit multiplicata. Hoc ergo admotum est sensibus, quo erigeretur mens, et exhibitum oculis ubi exerceretur intellectus, ut invisibilem Deum per visibilia opera miraremur, et erecti ad fidem et purgati per fidem, etiam ipsum invisibiliter videre cuperemus, quem de rebus visibilibus invisibilem nosceremus.

2. Nec tamen sufficit hæc intueri in miraculis Christi. Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo : habent enim si intelligantur, linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi, verbum nobis est. Hoc ergo miraculum, sicut audivimus quam magnum sit, quæramus etiam quam profundum sit : non tantum ejus superficie delectemur, sed etiam altitudinem perscrutemur. Habet enim aliquid intus, hoc quod miramur foris. Vidimus, spectavimus magnum quiddam, præclarum quiddam, et omnino divinum, quod fieri nisi a Deo non possit : laudavimus de facto factorem. Sed quemadmodum si litteras pulchras alicubi inspiceremus, non nobis sufficeret laudare scriptoris articulum, quoniam eas pariles, æquales decorasque fecit, nisi etiam legeremus quid nobis per illas indicaverit : ita factum hoc qui tantum inspicit, delectatur pulchritudine facti ut admiretur artificem; qui autem intelligit, quasi legit. Aliter enim videtur pictura, aliter videntur litteræ. Picturam cum videris, hoc est totum vidisse, laudasse : litteras cum videris, non hoc est totum; quoniam commoneris et legere. Etenim dicis, cum videris litteras, si forte non eas nosti legere, Quid putamus esse quod hic scriptum est? Interrogas quid sit, cum jam videas aliquid. Aliud tibi demonstraturus est, a quo quæris agnoscere quod vidisti. Alios ille oculos habet, alios tu. Nonne similiter apices videtis? Sed non similiter signa cognoscitis. Tu ergo vides et laudas : ille videt, laudat, legit et intelligit. Quia ergo vidimus, quia laudavimus, legamus et intelligamus.

3. Dominus in monte : multo magis intelligamus quia Dominus in monte Verbum est in alto. Proinde non quasi humiliter jacet quod in monte factum est; nec transeunter prætereundum est, sed suspiciendum. Turbas vidit, esurientes agnovit, misericorditer pavit : non solum pro bonitate, verum etiam pro potestate. Quid enim sola prodesset bonitas, ubi non erat panis, unde turba esuriens pasceretur? Nisi bonitati adesset potestas, jejuna illa turba et esuriens remaneret. Denique et discipuli qui erant cum Domino in fame, et ipsi turbas volebant pascere, ut non remanerent inanes, sed unde pascerent non habebant. Interrogavit Dominus unde emerentur panes ad turbas pascendas. Et ait Scriptura, *Hoc autem dicebat tentans eum :* discipulum scilicet Philippum, quem interrogaverat. *Ipse enim sciebat quid esset facturus.* Cui ergo bono tentabat, nisi quia ignorantiam discipuli demonstrabat? Et forte in demonstratione ignorantiæ discipuli aliquid significavit. Apparebit ergo, cum ipsum sacramentum de quinque panibus cœperit nobis loqui, et quid significet indicare : ibi enim videbimus quare Dominus in hoc facto ignorantiam discipuli voluit interrogando quod sciebat, ostendere. Nam interrogamus aliquando quod nescimus, audire volentes ut discamus; aliquando interrogamus quod scimus, scire volentes utrum et ille sciat quem interrogamus : utrumque hoc noverat Dominus; et quod interrogabat sciebat, quid enim esset facturus ipse noverat; et hoc nescire Philippum sciebat similiter. Quare itaque interrogabat, nisi quia illius ignorantiam demonstrabat? Et hoc quare fecerit, ut dixi, postea intelligemus.

4. *Andreas ait : Est hic puer quidam qui habet quinque panes, et duos pisces; sed hæc quid sunt ad tantos?* Cum dixisset Philippus interrogatus, ducentorum denariorum panes non sufficere, quibus tanta illa turba reficeretur, erat ibi quidam puer portans quinque panes hordeaceos et duos pisces. *Et ait Jesus : Facite homines discumbere. Erat autem ibi fenum multum, et discubuerunt ferme quinque millia hominum. Accepit autem Dominus Jesus panes, gratias egit,* jussit, fracti sunt panes, positi ante discumbentes. Non jam quinque panes, sed quod adjecerat, qui creaverat quod auctum erat. *Et de piscibus quantum sufficiebat.* Parum est turbam illam fuisse satiatam, etiam fragmenta resederunt : et ipsa colligi jussa sunt, ne perirent; *et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum.*

5. Breviter ut curramus, quinque panes intelliguntur quinque libri Moysi : merito non triticei, sed hordeacei; quia ad Vetus Testamentum pertinent. Nostis autem hordeum ita creatum, ut ad medullam ejus vix perveniatur : vestitur enim eadem medulla tegmine paleæ, et ipsa palea tenax et inhærens, ut cum labore exuatur. Talis est littera Veteris Testamenti, vestita tegminibus carnalium sacramentorum : sed si ad ejus medullam perveniatur, pascit et satiat. Ferebat ergo puer quidam quinque panes et duos pisces. Si quæramus quis fuerit puer iste, forte populus Israel erat : sensu puerili portabat, nec man-

durabat. Illa enim quæ portabat, clausa onerabant, aperta pascebant. Duo autem pisces, videntur nobis significare duas illas in Veteri Testamento sublimes personas, quæ ungebantur ad populum sanctificandum et regendum, sacerdotis et regis. Et ipse in mysterio venit aliquando, qui per illas significabatur : venit aliquando qui per medullam hordei ostendebatur, per paleam vero hordei occultabatur. Venit ipse unus utramque personam in se portans, sacerdotis et regis : sacerdotis per victimam, quam seipsum obtulit pro nobis Deo; regis, quia regimur ab eo : et aperiuntur quæ clausa portabantur. Gratias illi; implevit per se quod per Vetus Testamentum promittebatur. Et frangi jussit panes : frangendo multiplicati sunt. Nihil verius. Quinque enim illi libri Moysi, quam multos libros, cum exponuntur, tanquam frangendo, id est disserendo, fecerunt? Sed quia in illo hordeo ignorantia primi populi tegebatur, de quo primo populo dictum est, *Quamdiu legitur Moyses, velamen supra corda eorum positum est* (II *Cor.* III, 15): nondum enim ablatum erat velamen, quia nondum venerat Christus; nondum velum templi fuerat illo in cruce pendente conscissum : quia ergo ignorantia populi erat in Lege, propterea illa Domini tentatio ignorantiam discipuli demonstrabat.

6. Nihil igitur vacat, omnia innuunt, sed intellectorem requirunt : nam et iste numerus pasti populi, populum significabat sub Lege constitutum. Cur enim quinque millia erant, nisi quia sub Lege erant, quæ Lex quinque libris Moysi explicatur? Unde et quinque illis porticibus languidi prodebantur, non sanabantur. Ille autem ibi curavit languidum (*Joan.* v, 2-9), qui et hic turbas de quinque panibus pavit. Nam et super fenum discumbebant : carnaliter ergo sapiebant, et in carnalibus quiescebant. Omnis enim caro fenum (*Isai.* XL, 6). Quæ sunt autem illa fragmenta, nisi quæ populus non potuit manducare? Intelliguntur ergo quædam secretiora intelligentiæ, quæ multitudo non potest capere. Quid ergo restat, nisi ut secretiora intelligentiæ, quæ non potest capere multitudo, illis credantur qui idonei sunt et alios docere, sicut erant Apostoli? Unde duodecim cophini impleti sunt. Factum est hoc et mirabiliter, quia magnum factum est; et utiliter, quia spirituale factum est. Qui tunc viderunt, admirati sunt : nos autem non miramur cum audimus. Factum est enim ut illi viderent, scriptum est autem ut nos audiremus. Quod in illis oculi valuerunt, hoc in nobis fides. Cernimus quippe animo, quod oculis non potuimus : et prælati sumus illis, quoniam de nobis dictum est, *Beati qui non vident, et credunt* (*Joan.* XX, 29). Addo autem quia forte et intelleximus quod illa turba non intellexit. Et vere nos pasti sumus, qui ad medullam hordei pervenire potuimus.

7. Denique homines illi qui viderunt hoc, quid putaverunt? *Illi*, inquit, *homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant, Quia hic est vere propheta.* Forte adhuc ideo Christum prophetam putabant, quia super fenum discubuerant. Erat autem ille Dominus Prophetarum, impletor Prophetarum, sanctificator Prophetarum, sed et propheta : nam et Moysi dictum est, *Suscitabo eis prophetam similem tui.* Similem secundum carnem, non secundum majestatem. Et de ipso Christo illam Domini promissionem habere intellectum, aperte in Actibus Apostolorum exponitur et legitur (*Deut.* XVIII, 18; *Act.* VII, 37). Et ipse Dominus de se ait, *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua* (*Joan.* IV, 44). Propheta Dominus, et Verbum Dei Dominus, et nullus propheta sine Verbo Dei prophetat : cum Prophetis Verbum Dei, et propheta Verbum Dei. Meruerunt priora tempora Prophetas afflatos, et impletos Verbo Dei : meruimus nos prophetam ipsum Verbum Dei. Sic autem propheta Christus, Dominus Prophetarum; sicut angelus Christus, Dominus Angelorum. Nam et ipse dictus est magni consilii Angelus (*Isai.* IX, 6, *sec.* LXX). Verumtamen alibi quid dicit propheta? Quia non legatus neque angelus, sed ipse veniens salvos faciet eos (*Id.* XXXV, 4) : id est, ad salvos eos faciendos non mittet legatum, non mittet angelum, sed veniet ipse. Quis veniet? Ipse angelus. Certe non per angelum, nisi quia iste sic angelus, ut etiam Dominus Angelorum. Etenim Angeli latine nuntii sunt. Si Christus nihil annuntiaret, angelus non diceretur : si Christus nihil prophetaret, propheta non diceretur. Exhortatus est nos ad fidem, et ad capessendam vitam æternam : aliquid præsens annuntiavit, aliquid futurum prædixit : ex eo quod præsens annuntiavit, angelus erat; ex eo quod futurum prædixit, propheta erat : ex eo quod Verbum Dei caro factum est, et Angelorum et Prophetarum Dominus erat.

TRACTATUS XXV.

Ab eo quod scriptum est, Jesus ergo cum cognovisset quod venissent ut raperent eum; *usque ad id*, Et ego resuscitabo eum in novissimo die. *Cap.* VI, ℣. 15-44.

1. Hesternam ex Evangelio lectionem, ista est hodierna quæ sequitur, unde hodiernus sermo debetur. Facto illo miraculo, ubi quinque millia hominum de quinque panibus pavit Jesus, cum admiratæ essent turbæ, et eum magnum Prophetam dicerent qui venit in mundum, sequitur hoc : *Jesus ergo cum cognovisset quia venerant ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Datur ergo intelligi quod Dominus cum sederet in monte cum discipulis suis, et videret turbas ad se venientes, descenderat de monte, et circa inferiora loca turbas paverat. Nam quomodo fieri potest ut rursus illuc fugeret, nisi ante de monte descenderet? Significat ergo aliquid, quod Dominus de alto descendit ad pascendas turbas. Pavit, et ascendit.

2. Quare autem ascendit, cum cognovisset quod eum vellent rapere et regem facere? Quid enim? non erat rex, qui timebat fieri rex? Erat omnino : nec talis rex qui ab hominibus fieret, sed talis qui hominibus regnum daret. Numquid forte et hic aliquid significat nobis Jesus, cujus facta verba sunt? Ergo in hoc quod voluerunt eum rapere et regem facere,

et propter hoc fugit in montem ipse solus, hoc in illo factum tacet, nihil loquitur, nihil significat? An forte hoc erat rapere eum, prævenire velle tempus regni ejus? Etenim venerat modo, non jam regnare, quomodo regnaturus est in eo quod dicimus, *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* VI, 10). Semper quidem ille cum Patre regnat secundum quod est Filius Dei, Verbum Dei, Verbum per quod facta sunt omnia. Prædixerunt autem Prophetæ regnum ejus, etiam secundum id quod homo factus est Christus, et fecit fideles suos Christianos. Erit ergo regnum Christianorum quod modo colligitur, quod modo comparatur, quod modo emitur sanguine Christi: erit aliquando manifestum regnum ejus, quando aperta erit claritas sanctorum ejus post judicium ab eo factum; quod judicium supra ipse dixit quod filius hominis facturus sit (*Joan.* V, 22). De quo regno etiam Apostolus dixit: *Cum tradiderit regnum Deo et Patri* (I *Cor.* XV, 24). Unde etiam ipse ait: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab initio mundi* (*Matth.* XXV, 34). Discipuli autem et turbæ credentes in eum, putaverunt illum sic venisse ut jam regnaret: hoc est velle rapere et regem facere, prævenire velle tempus ejus, quod ipse apud se occultabat, ut opportune proderet, et opportune in fine sæculi declararet.

3. Nam ut noveritis quia regem eum volebant facere, id est, antevenire, et jam habere manifestum Christi regnum, quem primo oportebat judicari, et deinde judicare: ubi crucifixus est, et illi qui in eum sperabant, spem resurrectionis ejus perdiderant, resurgens a mortuis invenit inde duos cum desperatione sibi sermocinantes, et cum gemitu quæ gesta fuerant colloquentes; et apparens eis velut incognitus, cum oculi eorum tenerentur ne ab eis agnosceretur, sermonem tractantibus miscuit: at illi narrantes ei unde sermocinarentur, dixerunt quia ille magnus propheta in factis et dictis occisus esset a principibus sacerdotum; *Et nos*, inquiunt, *sperabamus quia ipse esset redempturus Israel* (*Luc.* XXIV, 13-21). Recte sperabatis, verum sperabatis: in illo est redemptio Israel. Sed quid festinatis? Rapere vultis. Illud etiam indicat nobis hunc sensum, quia cum ab eo quærerent discipuli de fine, dixerunt ei: *Si hoc in tempore præsentaberis*[1], *et quando regnum Israel?* Jam enim esse cupiebant, jam volebant; hoc est rapere velle, et regem facere. Sed ait discipulis, quia adhuc solus ascensurus erat: *Non*, inquit, *est vestrum scire tempora vel momenta*[2], *quæ Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem ex alto, Spiritum sanctum supervenientem*[3] *in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque in fines terræ* (*Act.* I, 6-8). Vultis ut jam exhibeam regnum; prius colligam quod exhibeam: altitudinem amatis, et altitudinem adipiscemini; sed per humilitatem me sequimini. Sic de illo etiam prædictum est, *Et congregatio populorum circumdabit te, et propter hanc in altum regredere* (*Psal.* VII, 8); id est, ut circumdet te congregatio populorum, ut multos colligas, regredere in altum. Sic fecit; pavit, et ascendit.

4. Quare autem dictum est, *fugit?* Neque enim vere si nollet teneretur, si nollet raperetur, qui si nollet nec agnosceretur. Nam ut noveritis hoc mystice factum, non ex necessitate, sed ex significante dispositione, modo in consequenti videbitis; quia eisdem turbis quæ eum quærebant apparuit, et cum eis loquens multa eis dixit, multa de pane cœlesti disputavit: nonne cum ipsis de pane disputans erat, a quibus ne teneretur aufugerat? Non ergo et tunc poterat agere ut non ab eis comprehenderetur, quemadmodum postea quando cum eis loquebatur? Aliquid ergo significavit fugiendo. Quid est, *fugit?* Non potuit intelligi altitudo ejus. Quidquid enim non intellexeris, Fugit me, dicis. Ergo *fugit iterum in montem ipse solus.* Primogenitus a mortuis (*Coloss.* I, 18) ascendens super omnes cœlos, et interpellans pro nobis (*Rom.* VIII, 34).

5. Interea illo sursum posito solo sacerdote magno, (qui intravit in interiora veli, foris populo constituto hunc enim sacerdos ille in Lege veteri significavit, qui hoc semel in anno faciebat [*Hebr.* IX, 12,]): illo ergo sursum posito, discipuli in navicula quid patiebantur? Nam illo in altis constituto, navicula illa Ecclesiam præsignabat. Si non hoc primo in Ecclesia intelligimus, quod illa navicula patiebatur; non erant illa significantia, sed simpliciter transeuntia: si autem videmus exprimi in Ecclesia veritatem illarum significationum; manifestum est quia facta Christi genera sunt locutionum. *Ut autem sero factum est*, inquit, *descenderunt discipuli ejus ad mare: et cum ascendissent naviculam, venerunt trans mare in Capharnaum.* Cito dixit finitum quod postea factum est. *Venerunt trans mare in Capharnaum.* Et redit, ut exponat quomodo venerunt, quia per stagnum navigantes transierunt. Et dum navigarent ad eum locum quo eos venisse jam dixit, recapitulando exponit quid acciderit: *Tenebræ jam factæ erant, et non venerat ad eos Jesus.* Merito tenebræ, quia lux non venerat: *Tenebræ jam factæ erant, et non venerat ad eos Jesus.* Quantum accedit finis mundi, crescunt errores, crebrescunt terrores, crescit iniquitas, crescit infidelitas: lux denique quæ charitas apud Joannem ipsum evangelistam satis aperteque demonstratur, ita ut diceret, *Qui odit fratrem suum, in tenebris est* (I *Joan.* II, 11), creberrime exstinguitur: crescunt istæ tenebræ odiorum fraternorum, quotidie crescunt; et nondum venit Jesus. Unde apparet quia crescunt? *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Crescunt tenebræ, et nondum venit Jesus. Crescentibus tenebris, refrigescente charitate, abundante iniquitate, ipsi sunt fluctus navem turbantes: tempestates et venti, clamo-

[1] In editis: *Si in hoc tempore præsentabis.* Sed legendum ut in Mss., *Si hoc in tempore præsentaberis.* Sic enim infra Tract. 10 in Epist. Joan., n. 9. Unde in Tract. 101 in Evangelium Joan., n. 4: « interrogatus, ait, quando præsentaretur » [*si hoc in tempore præsentabis*].

[2] Mss., *scire tempora quæ Pater posuit*; omisso, uti solent, *vel momenta.*

[3] Duo Mss.: *Spiritu sancto superveniente.*

res sunt maledicorum. Inde charitas refrigescit, inde fluctus augentur, et turbatur navis.

6. *Vento magno flante mare exsurgebat.* Tenebræ crescebant, intelligentia minuebatur, iniquitas augebatur. *Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta.* Interea ambulabant, promovebant, nec venti illi et tempestates et fluctus et tenebræ id agebant, ut vel navis non promoveretur, vel soluta mergeretur : sed inter illa omnia mala ibat. Etenim quia abundavit iniquitas, et refrigescit charitas multorum, crescunt fluctus, augentur tenebræ, sævit ventus : sed tamen navis ambulat. *Qui* enim *perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 12, 13). Nec ipse stadiorum numerus contemnendus est. Neque enim vere posset nihil significare quod dictum est, *Cum remigassent stadia viginti quinque aut triginta, tunc ad eos venit Jesus.* Sufficeret *viginti quinque*, sufficeret *triginta*, maxime quia æstimantis erat, non affirmantis. Numquid periclitaretur veritas in æstimante, si diceret stadia ferme triginta, aut stadia ferme viginti quinque? Sed ex viginti quinque fecit triginta. Quæramus numerum vigesimum quintum. Unde constat, unde fit? De quinario. Quinarius ille numerus ad Legem pertinet. Ipsi sunt quinque libri Moysi, ipsæ sunt quinque porticus illæ languidos continentes, ipsi quinque panes quinque millia hominum pascentes. Ergo Legem significat numerus vigesimus quintus : quoniam quinque per quinque, id est, quinquies quini, faciunt viginti quinque, quadratum quinarium. Sed huic Legi antequam Evangelium veniret, deerat perfectio. Perfectio autem in senario numero comprehenditur. Propterea sex diebus Deus mundum perfecit (*Gen.* I), et quinque ipsa per sex multiplicantur, ut Lex per Evangelium adimpleatur, ut fiant sexies quini triginta. Ad eos ergo qui implent Legem, venit Jesus. Et venit, quomodo? Calcans fluctus; omnes tumores mundi sub pedibus habens, omnes celsitudines sæculi premens. Hoc agitur quantum additur tempori, et quantum accedit ætas sæculi. Augentur in isto mundo tribulationes, augentur mala, augentur contritiones, exaggerantur hæc omnia : Jesus transit, calcans fluctus.

7. Et tamen tantæ sunt tribulationes, ut etiam ipsi qui crediderunt in Jesum, et qui conantur perseverare usque in finem, expavescant ne deficiant : Christo fluctus calcante, sæculi ambitiones et altitudines deprimente, expavescit christianus. Nonne hæc illi prædicta sunt? Merito et Jesu in fluctibus ambulante, *timuerunt :* quomodo Christiani quamvis habentes spem in futuro sæculo, quando viderint deprimi altitudinem sæculi hujus, plerumque conturbantur de contritione rerum humanarum. Aperiunt Evangelium, aperiunt Scripturas; et inveniunt ibi ista omnia prædicta; quia hoc Dominus facit. Deprimit celsitudines sæculi, ut ab humilibus glorificetur. De quorum altitudine prædictum est, *Civitates firmissimas destrues;* et, *Inimici defecerunt frameæ in finem, et civitates destruxisti* (*Psal.* IX, 7). Quid ergo timetis, Christiani? Christus loquitur : *Ego sum, nolite timere.* Quid hæc expavescitis? Quid timetis? Ego ista prædixi, ego facio, necesse est ut fiant. *Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo eum accipere in navim*, agnoscentes ac gaudentes, securi facti. *Et statim fuit navis ad terram in quam ibant.* Factus est finis ad terram : de humido ad solidum, de turbato ad firmum, de itinere ad finem.

8. *Altera die turba quæ stabat trans mare*, unde illi venerant, *vidit quia navicula non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis in navem, sed soli discipuli ejus abiissent : aliæ vero supervenerunt naves a Tiberiade, juxta locum ubi manducaverunt panem, gratias agentes Domino. Cum ergo vidissent turbæ quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum quærentes Jesum.* Insinuatum tamen est illis tam magnum miraculum. Viderunt enim quod discipuli soli ascendissent in navem, et quia alia navis non ibi erat. Venerunt autem inde et naves juxta locum illum ubi manducaverunt panem, in quibus eum turbæ secutæ sunt. Cum discipulis ergo non ascenderat, alia navis illic non erat : unde subito trans mare factus est Jesus, nisi quia super mare ambulavit, ut miraculum monstraret?

9. *Et cum invenissent eum turbæ.* Ecce præsentat [1] se turbis, a quibus se rapi timuerat, et in montem fugerat. Omnino confirmat et insinuat nobis in mysterio dicta esse illa omnia; et facta in magno sacramento, ut aliquid significarent. Ecce est ille qui in montem fugerat turbas : nonne cum ipsis turbis loquitur? Modo teneant, modo regem faciant. *Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei : Rabbi, quando huc venisti?*

10. Ille post miraculi sacramentum, et sermonem infert, ut si fieri potest, qui pasti sunt, pascantur, et quorum satiavit panibus ventres, satiet et sermonibus mentes; sed si capiunt. Et si non capiunt, sumatur quod non capiunt [2], ne fragmenta pereant. Loquatur ergo, et audiamus. *Respondit Jesus, et dixit : Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis.* Propter carnem me quæritis, non propter spiritum. Quam multi non quærunt Jesum, nisi ut illis faciat bene secundum tempus! Alius negotium habet, quærit intercessionem clericorum; alius premitur a potentiore, fugit ad ecclesiam; alius pro se vult interveniri apud eum apud quem parum valet : ille sic, ille sic; impletur quotidie talibus ecclesia. Vix quæritur Jesus propter Jesum. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Quæritis me propter aliud, quærite me propter me. Seipsum enim insinuat istum cibum, quod in consequentibus illucescit. *Quem Filius hominis dabit vobis.* Exspectabas, credo, iterum panes manducare, iterum discumbere,

[1] Juxta Er. Lugd. et Ven., *repræsentet.* M.

[2] Plerique Mss.: *Et si non capiunt, sumant quod capiunt.* Sed forte melius alii tres : *Et si non capiunt, sumant quæ capiunt.*

iterum saginari. Sed dixerat *cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* : quomodo dictum fuerat mulieri illi Samaritanæ, *Si scires qui petit a te bibere, tu forsitan postulasses ab eo, et daret tibi aquam vivam :* cum illa diceret, Unde tibi, quandoquidem non habes hauritorium, et puteus altus est? Samaritanæ respondit : *Si scires qui a te petit bibere, tu petisses ab eo, et daret tibi aquam, unde qui biberit, amplius non sitiet : nam de hac aqua qui biberit, sitiet iterum.* Et gavisa est illa, et voluit accipere, quasi non passura sitim corporis, quæ labore hauriendi fatigabatur; et sic inter hujusmodi sermocinationes pervenit ad potum spiritualem (*Joan.* IV, 5-26) : omnino isto modo et hic.

11. Hunc ergo *cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis : hunc enim Pater signavit Deus.* Istum filium hominis nolite sic accipere, quasi alios filios hominum, de quibus dictum est, *Filii autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt* (*Psal.* XXXV, 8). Iste filius hominis sequestratus quadam gratia Spiritus, et secundum carnem filius hominis, exceptus a numero hominum; filius hominis est. Iste filius hominis et Filius Dei est, iste homo etiam Deus est. Alio loco interrogans discipulos ait : *Quem me dicunt esse homines Filium hominis? Et illi : Alii Joannem, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Et ille : Vos vero quem me dicitis esse? Respondit Petrus : Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 13-16). Ille dixit se Filium hominis, et Petrus eum dixit Filium Dei vivi. Optime ille commemorabat quod misericorditer exhibuerat : ille commemorabat quod in claritate permanebat. Verbum Dei commendat humilitatem suam, homo agnoscit claritatem Domini sui. Et revera, fratres, puto quia justum est; humiliavit se propter nos, glorificemus illum nos : non enim filius hominis propter se est, sed propter nos. Ergo erat filius hominis illo modo, cum *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Ideo enim *hunc Deus Pater signavit.* Signare quid est, nisi proprium aliquid ponere? Hoc est enim signare, imponere aliquid quod non confundatur cum cæteris. Signare, est signum rei ponere. Cuicumque rei ponis signum, ideo ponis signum, ne confusa cum aliis, a te non possit agnosci. *Pater* ergo *eum signavit.* Quid est, *signavit?* Proprium quiddam illi dedit, ne cæteris compararetur hominibus. Ideo de illo dictum est, *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis, præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8). Ergo signare quid est? Exceptum habere : hoc est, *præ participibus tuis.* Itaque nolite, inquit, me contemnere, quia filius sum hominis; et quærite a me *cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Sic enim filius hominis sum, ut non sim unus ex vobis : sic sum filius hominis, ut Pater Deus me signaret. Quid est, signaret? Proprium aliquid mihi daret, quo non confunderer cum genere humano, sed per me liberaretur genus humanum.

12. *Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus ut operemur opera Dei?* Dixerat enim illis, *Operamini escam, non quæ perit, sed quæ permanet in vitam æternam. Quid faciemus,* inquiunt? quid observando, hoc præceptum implere poterimus? *Respondit Jesus, et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.* Hoc est ergo manducare *cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Utquid paras dentes et ventrem? crede, et manducasti. Discernitur quidem ab operibus fides, sicut Apostolus dicit, *justificari hominem per fidem sine operibus Legis* (*Rom.* III, 28) : et sunt opera quæ videntur bona, sine fide Christi; et non sunt bona, quia non referuntur ad eum finem ex quo sunt bona : *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Id.* X, 4). Ideo noluit discernere ab opere fidem, sed ipsam fidem dixit esse opus. Ipsa est enim fides quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V, 6). Nec dixit, Hoc est opus vestrum; sed, *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille :* ut qui gloriatur, in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31). Quia ergo invitabat eos ad fidem, illi adhuc quærebant signa quibus crederent. Vide si non Judæi signa petunt. Dixerunt ergo ei, *Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? quid operaris?* Parumne erat quod de quinque panibus pasti sunt? Sciebant hoc quidem, sed huic cibo manna de cœlo præferebant. Dominus autem Jesus talem se dicebat, ut Moysi præponeret. Non enim ausus est Moyses de se dicere quod daret *cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Aliquid plus iste promittebat quam Moyses. Per Moysen quippe promittebatur regnum, et terra fluens lac et mel, temporalis pax, abundantia filiorum, salus corporis, et cætera omnia, temporalia quidem, in figura tamen spiritualia : quia veteri homini in Vetere Testamento promittebantur. Attendebant ergo promissa per Moysen, et attendebant promissa per Christum. Ille plenum ventrem promittebat in terra, sed cibo qui perit : iste promittebat *cibum non qui perit, sed qui permanet in æternum.* Attendebant eum plus promittentem, et quasi nondum videbant majora facientem. Attendebant itaque qualia fecisset Moyses, et adhuc aliqua majora volebant fieri ab eo qui tam magna pollicebatur. Quid, inquiunt, facis, ut credamus tibi? Et ut noveris quia miracula illa huic miraculo comparabant, et ideo quasi minora ista judicabant quæ faciebat Jesus : *Patres,* inquiunt, *nostri manna manducaverunt in deserto.* Sed quid est manna? Forte contemnitis. *Sicut scriptum est, Dedit illis manna manducare.* Per Moysen patres nostri panem de cœlo acceperunt, et non eis dictum est a Moyse, *Operamini cibum non qui perit.* Tu promittis *cibum non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam,* et non talia opera operaris qualia Moyses. Panes hordeaceos ille non dedit, sed dedit manna de cœlo.

13. *Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dedit vobis panem de cœlo. Verus enim panis est qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo.* Verus ergo ille panis est qui dat vitam mundo; et ipse cibus est de quo paulo ante locutus sum, *Operamini cibum non qui*

perit, sed qui permanet in vitam æternam. Ergo et illud manna hoc significabat, et illa omnia signa mea erant. Signa mea dilexistis; qui significabatur, contemnitis? Non ergo Moyses dedit panem de cœlo: Deus dat panem. Sed quem panem? forte manna? Non, sed panem quem significavit manna, ipsum scilicet Dominum Jesum. *Pater meus dat vobis panem verum. Panis enim Dei est qui descendit de cœlo, et dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum: Domine; da nobis semper panem hunc.* Quomodo mulier illa Samaritana, cui dictum est, *Qui biberit de hac aqua, non sitiet unquam;* continuo illa secundum corpus accipiens, sed tamen carere indigentia volens, *Da mihi*, inquit, *Domine, de hac aqua:* sic et isti, *Domine, da nobis panem hunc,* qui nos reficiat, nec deficiat.

14. *Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquam. Qui venit ad me,* hoc est quod ait, *et qui credit in me;* et quod dixit, *non esuriet*, hoc intelligendum est, *non sitiet unquam.* Utroque enim illa significatur æterna satietas, ubi nulla est egestas. Panem de cœlo desideratis; ante vos habetis, et non manducatis. *Sed dixi vobis, quia et vidistis me, et non credidistis.* Sed non ideo ego populum perdidi. Numquid enim infidelitas vestra fidem Dei evacuavit (*Rom.* III, 3)? Vide enim quod sequitur: *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet; et eum qui venerit ad me, non ejiciam foras.* Quale est intus illud, unde non exitur foras? Magnum penetrale, et dulce secretum. O secretum sine tædio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum et dolorum! Nonne illud secretum est quo intrabit ille, cui dicturus est Dominus servo bene merito, *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 23)?

15. *Et eum qui veniet ad me, non ejiciam foras. Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ideo ergo eum qui veniet ad te, non ejicies foras, quia descendisti de cœlo, non facere voluntatem tuam, sed voluntatem ejus qui te misit? Magnum sacramentum! Obsecro vos, simul pulsemus; exeat ad nos aliquid quod nos pascat, secundum quod nos delectavit. Magnum illud et dulce secretum: *Qui veniet ad me.* Attende, attende, et appende: *Qui veniet ad me, non ejiciam foras.* Ergo, *qui veniet,* inquit, *non ejiciam foras.* Quare? *Quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ipsa est ergo causa quare non ejicias eum foras qui venit ad te, quia non voluntatem tuam facere descendisti de cœlo, sed voluntatem ejus qui te misit? Ipsa. Quid quærimus utrum ipsa sit? Ipsa est, ipse loquitur. Non enim nobis fas est aliud suspicari quam loquitur: *Qui venerit ad me, non ejiciam foras.* Et quasi quæreres, Quare? *Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Timeo ne foras propterea exierit anima a Deo, quia superba erat; imo non dubito. Scriptum est enim, *Initium omnis peccati superbia;* et, *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo.* Scriptum est, firmum est, verum est. Deinde quid de superbo dicitur mortali, accincto pannis carnis, prægravato pondere corporis corruptibilis, et tamen extollenti se, et obliviscenti qua pelle vestitus sit, quid ei dicit Scriptura? *Quid superbit terra et cinis? Quid superbit?* Dicat *quid superbit. Quoniam in vita sua projecit intima sua* (*Eccli.* X, 15, 14, 9 *et* 10). Quid est, *projecit*, nisi porro jecit? Hoc est exire foras. Etenim intrare intro, appetere intima; projicere intima, foras exire est. Intima projicit superbus, intima appetit humilis. Si superbia ejicimur, humilitate regredimur.

16. Caput omnium morborum superbia est, quia caput omnium peccatorum superbia. Medicus quando ægritudinem discutit, si curet quod per aliquam causam factum est, et ipsam causam qua factum est non curet, ad tempus videtur mederi, causa manente morbus repetitur. Verbi gratia, expressius hoc dicam: humor in corpore scabiem vel ulcera gignit; in corpore fit magna febris, et non parvus dolor: exhibentur quædam medicamenta quæ scabiem compescant et fervorem illum ulceris sedent; et adhibentur et proficiunt: vides hominem qui fuit ulcerosus et scabiosus, sanatum; sed quia humor ille non ejectus est, rursus ad ulcus reditur. Cognoscens hoc medicus, purgat humorem, detrahit causam, et nulla erunt ulcera. Unde abundat iniquitas? Per superbiam. Cura superbiam, et nulla erit iniquitas. Ut ergo causa omnium morborum curaretur, id est superbia, descendit et humilis factus est Filius Dei. Quid superbis, homo? Deus propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem, saltem imitare humilem Deum. Venit Filius Dei in homine, et humilis factus est: præcipitur tibi ut sis humilis, non tibi præcipitur ut ex homine fias pecus: ille Deus factus est homo; tu, homo, cognosce quia es homo: tota humilitas tua, ut cognoscas te. Ergo quia humilitatem docet Deus, dixit, *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus voluntatem qui misit me.* Hæc enim commendatio humilitatis est. Superbia quippe facit voluntatem suam; humilitas facit voluntatem Dei. Ideo *qui ad me venerit, non ejiciam foras.* Quare? *Quia non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Humilis veni, humilitatem docere veni, magister humilitatis veni: qui ad me venit, incorporatur mihi; qui ad me venit, humilis fit; qui mihi adhæret, humilis erit; quia non facit voluntatem suam, sed Dei; et ideo non ejicietur foras, quia cum superbus esset, projectus est foras.

17. Vide illa interiora commendari in Psalmo: *Filii autem hominum in protectione alarum tuarum sperabunt.* Vide quid sit ire intro, vide quid sit ad illius protectionem confugere, vide quid sit etiam sub verbera patris currere: flagellat enim omnem filium quem recipit. *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt.* Et quid est intus? *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ.* Cum miseris intro, intrantes in gaudium Domini sui; *inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ.* Non foris extra te, sed intus apud te, ibi est fons vitæ. *Et in lumine tuo vide-*

bimus lumen. Prætende misericordiam tuam scientibus te, et justitiam tuam his qui recto sunt corde. Qui sequuntur voluntatem Domini sui, non quærentes sua, sed quæ Domini Jesu Christi, ipsi sunt recti corde, ipsis non commoventur pedes. *Bonus* enim *Deus Israel rectis corde. Mei autem*, inquit ille, *pene commoti sunt pedes.* Quare? *Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens* (*Psal.* LXXII, 1-3). Ergo quibus bonus est Deus, nisi rectis corde? Nam mihi torto corde displicuit Deus. Quare displicuit? Quia dedit felicitatem malis : et ideo nutaverunt mihi pedes, quasi sine causa servissem Deo. Ideo ergo mei pene commoti sunt pedes, quia non fui rectus corde. Quid est ergo rectus corde? Sequens voluntatem Dei. Felix est ille, laborat ille : ille male vivit et felix est, ille juste vivit et laborat. Non indignetur juste vivens et laborans; intus habet quod felix ille non habet : non ergo tristetur, non maceretur, non deficiat. Felix ille habet ipse aurum in arca, iste Deum in conscientia. Compara nunc aurum et Deum, arcam et conscientiam. Ille illud habet quod perit, et ibi habet unde perit; iste Deum habet, qui perire non potest, et ibi habet unde auferri non potest : sed si sit rectus corde; tunc enim intrat, et non exit. Ideo ille quid dicebat? *Quoniam apud te est fons vitæ :* non apud nos. Ideo intrare debemus ut vivamus, non quasi nobis sufficere ut pereamus, non quasi de nostro velle satiari ut arescamus : sed os ad ipsum fontem ponere, ubi aqua non deficit. Quia voluit suo consilio vivere Adam, et lapsus est per eum qui ante ceciderat per superbiam, qui ei calicem ipsius superbiæ propinavit. Quia ergo *apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen;* intus bibamus, intus videamus. Quare enim inde exitum est? Audi quare : *Non veniat mihi pes superbiæ.* Ergo ille exiit, cui venit pes superbiæ. Ostende quia ideo exiit. *Et manus peccatorum non moveant me :* propter pedem superbiæ. Quare hoc dicis? *Ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem.* Ubi ceciderunt? In ipsa superbia. *Expulsi sunt, nec potuerunt stare* (*Psal.* XXXV, 8-13). Si ergo superbia expulit eos qui non potuerunt stare; humilitas intromittit, qui possint in perpetuum stare. Ideo etenim ille qui dixit, *Exsultabunt ossa humiliata;* prædixit, *Auditui meo dabis exsultationem et lætitiam* (*Psal.* L, 10). Quid est, *auditui meo?* Audiendo te felix sum, de voce tua felix sum; intus bibendo felix sum. Ideo non cado, ideo *exsultabunt ossa humiliata :* ideo *amicus sponsi stat, et audit eum* (*Joan.* III, 29); ideo stat, quia audit. De interiore fonte bibit, ideo stat. Illi qui noluerunt de interiore bibere, *ibi ceciderunt; expulsi sunt, nec potuerunt stare.*

18. Doctor itaque humilitatis venit non facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illum. Veniamus ad eum, intremus ad eum, incorporemur ei, ut nec nos faciamus voluntatem nostram, sed voluntatem Dei : et non nos ejiciet foras, quia membra ejus sumus, quia caput nostrum esse voluit docendo humilitatem. Ad extremum, ipsum audite concionantem : *Venite ad me, qui laboratis et onerati estis : tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde;* et cum hoc didiceritis, *invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI, 28 *et* 29), unde non ejiciamini foras : *quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me;* humilitatem doceo, ad me venire non potest nisi humilis. Non mittit foras nisi superbia : quomodo exit foras qui servat humilitatem, et non labitur a veritate? Dicta sunt quanta dici potuerunt de abscondito sensu, fratres : satis enim hic latet sensus, et nescio utrum congruis verbis a me sit depromptus et exsculptus, quare ideo non ejiciat foras qui venit ad illum, quia non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum.

19. *Hæc est autem*, inquit, *voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Ipse illi datus est, qui servat humilitatem; hunc accipit : qui non servat humilitatem, longe est a magistro humilitatis. *Ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo. Sic non est voluntas in conspectu Patris vestri, ut pereat unus de pusillis istis.* De tumentibus potest perire, de pusillis nihil perit : quia *nisi fueritis sicut pusillus iste, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Id.* XVIII, 14, 4). *Omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo; sed resuscitabo illud in novissimo die.* Videte quemadmodum et hic geminam illam resurrectionem delineet. *Qui venit ad me*, modo resurgit humilis factus in membris meis : sed et *resuscitabo eum in novissimo die*, secundum carnem. *Hæc est enim voluntas Patris mei qui misit me, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Superius dixit, *Qui audit verbum meum, et credit ei qui misit me :* modo autem, *Qui videt Filium, et credit in eum.* Non dixit, Videt Filium, et credit in Patrem : hoc est enim credere in Filium, quod et in Patrem. Quia *sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.* V, 24, 26). *Ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam :* credendo et transeundo ad vitam, tanquam prima illa resurrectione. Et quia non est sola, *et resuscitabo ego eum*, inquit, *in novissimo die.*

TRACTATUS XXVI.

Ab eo quod scriptum est, Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset, Ego sum panis qui de cœlo descendi; *usque ad id,* Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. *Cap.* VI, ℣. 41-59.

1. Cum Dominus noster Jesus Christus, sicut in Evangelio cum legeretur, audivimus, panem se esse dixisset, qui de cœlo descendit, murmuraverunt Judæi, et dixerunt, *Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo hic dicit, Quia descendi de cœlo?* Isti a pane de cœlo longe erant, nec eum esurire noverant. Fauces cordis languidas habebant, auribus apertis surdi erant, videbant et cæci stabant. Panis quippe iste interioris hominis quærit esuriem : unde alio loco dicit, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*

(*Matth.* v, 6). Justitiam vero nobis esse Christum Paulus apostolus dicit (*I Cor.* I, 30). Ac per hoc qui esurit hunc panem, esuriat justitiam; sed justitiam quæ de cœlo descendit, justitiam quam dat Deus, non quam sibi facit homo. Si enim nullam sibi homo faceret justitiam, non diceret idem apostolus de Judæis, *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* x, 3). Inde erant isti qui panem de cœlo descendentem non intelligebant, quia sua justitia saturati, justitiam Dei non esuriebant. Quid est hoc, justitia Dei et justitia hominis? Justitia Dei hic dicitur, non qua justus est Deus, sed quam dat homini Deus, ut justus sit homo per Deum. Quæ autem erat illorum justitia? Qua de suis viribus præsumebant, et quasi impletores Legis seipsos ex sua virtute dicebant. Nemo autem implet Legem, nisi quem adjuverit gratia, id est panis qui de cœlo descendit. *Legis* enim *plenitudo*, compendio ut ait Apostolus, *charitas est* (*Id.* XIII, 10) : charitas non nummi, sed Dei; charitas non terræ, non cœli, sed ejus qui fecit cœlum et terram. Unde ista charitas homini? Ipsum audiamus : *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Id.* v, 5). Daturus ergo Dominus Spiritum sanctum, dixit se panem qui de cœlo descendit, hortans ut credamus in eum. Credere enim in eum, hoc est manducare panem vivum. Qui credit, manducat : invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur. Infans intus est, novus intus est : ubi novellatur, ibi satiatur.

2. Quid ergo talibus murmurantibus respondit Jesus? *Nolite murmurare ad invicem.* Tanquam dicens, Scio quare non esuriatis, et istum panem non intelligatis neque quæratis. *Nolite murmurare ad invicem : nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Magna gratiæ commendatio ! Nemo venit nisi tractus. Quem trahat et quem non trahat, quare illum trahat et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare. Semel accipe, et intellige : nondum traheris[1]? ora ut traharis. Quid hic dicimus, fratres? Si trahimur ad Christum, ergo inviti credimus; ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. Intrare quisquam ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere Sacramentum potest nolens : credere non potest nisi volens. Si corpore crederetur, fieret in nolentibus : sed non corpore creditur. Apostolum audi : *Corde creditur ad justitiam.* Et quid sequitur? *Ore autem confessio fit ad salutem* (*Id.* x, 10). De radice cordis surgit ista confessio. Aliquando audis confitentem, et nescis credentem[2]. Sed nec debes vocare confitentem, quem judicas non credentem. Hoc est enim confiteri, dicere quod habes in corde : si autem aliud in corde habes, aliud dicis; loqueris, non confiteris. Cum ergo in Christum corde credatur, quod nemo utique facit invitus, qui autem trahitur, tanquam invitus cogi videtur; quomodo istam solvimus quæstionem, *Nemo venit ad me nisi Pater qui misit me, traxerit eum?*

3. Si trahitur, ait aliquis, invitus venit. Si invitus venit, nec credit; si non credit, nec venit. Non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo : nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus. Ideo illa mulier quæ fimbriam tetigit, magis tetigit quam turba quæ pressit. Ideo Dominus dixit, *Quis me tetigit?* (*Luc.* VIII, 44-46). Et mirantes discipuli, dixerunt : *Turbæ te comprimunt, et dicis, Quis me tetigit?* Et ille repetivit : *Tetigit me aliquis.* Illa tangit, turba premit. Quid est *tetigit*, nisi credidit? Unde et mulieri illi post resurrectionem dixit volenti se mittere ad pedes ejus : *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem* (*Joan.* xx, 17). Quod vides, hoc solum me esse putas; noli me tangere. Quid est? Hoc solum me esse putas quod tibi appareo, noli sic credere : hoc est, *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem;* tibi non ascendi, nam inde nunquam recessi. In terra non tangebat stantem, quomodo tangeret ad Patrem ascendentem? Sic tamen, sic se tangi voluit : sic tangitur ab eis a quibus bene tangitur, ascendens ad Patrem, manens cum Patre, æqualis Patri.

4. Inde et hic si advertis, *Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit.* Noli te cogitare invitum trahi[1] : trahitur animus et amore. Nec timere debemus ne ab hominibus qui verba perpendunt, et a rebus maxime divinis intelligendis longe remoti sunt, in hoc Scripturarum sanctarum evangelico verbo forsitan reprehendamur, et dicatur nobis, Quomodo voluntate credo, si trahor? Ego dico : parum est voluntate, etiam voluptate traheris. Quid est trahi voluptate? *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui* (*Psal.* XXXVI, 4). Est quædam voluptas cordis, cui panis dulcis est ille cœlestis. Porro si poetæ dicere licuit, « Trahit sua « quemque voluptas » (*Virg. Eclog.* 2); non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio : quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est? An vero habent corporis sensus voluptates suas, et animus deseritur a voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, unde dicitur, *Filii autem hominum, sub tegmine alarum tuarum sperabunt : inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV, 8-10)? Da amantem, et sentit quod dico. Da desiderantem, da esurientem[2], da in ista solitudine peregrinantem atque sitientem, et fontem æternæ patriæ suspirantem : da talem, et scit quid dicam. Si autem frigido loquor, nescit quid loquor. Tales erant isti qui invicem murmurabant. *Pater*, inquit, *quem traxerit, venit ad me.*

5. Quid est autem, *Pater quem traxerit;* cum ipse Christus trahat? Quare voluit dicere, *Pater quem tra-*

[1] Editi, *non traheris.* Mss., *nondum traheris.*
[2] Am Bad. et Er. addunt, *vocas confitentem, et nescis credentem.*

[1] Mss. plures : *Nolite cogitare invitum trahi invitum.*
[2] Plerique Mss., *da ferventem.* Pauloque post omnes, omisso, *nescit*, habent ita : *Si autem frigido loquor, quid loquor ?*

xerit? Si trahendi sumus, ab illo trahamur cui dicit quædam quæ diligit, *Post odorem unguentorum tuorum curremus* (*Cant.* I, 3). Sed quid intelligi voluit, advertamus, fratres, et quantum possumus capiamus. Trahit Pater ad Filium eos qui propterea credunt in Filium, quia eum cogitant Patrem habere Deum : Deus enim Pater æqualem sibi genuit Filium : ut qui cogitat, atque in fide sua sentit et ruminat æqualem esse Patri eum in quem credidit, ipsum trahit Pater ad Filium. Arius credidit creaturam, non eum traxit Pater; quia non considerat Patrem, qui Filium non credit æqualem. Quid dicis, o Ari? quid, hæretice, loqueris? quid est Christus? Non, inquit, Deus verus ; sed quem fecit Deus verus. Non te traxit Pater; non enim intellexisti Patrem, cujus Filium negas : aliud cogitas, non est ipse Filius; nec a Patre traheris, nec ad Filium traheris : aliud est enim Filius, aliud quod tu dicis. Photinus dixit : Homo solum est Christus, non est et Deus. Qui sic credit, non Pater eum traxit. Quem Pater traxit, *Tu es*, inquit, *Christus Filius Dei vivi*. Non sicut propheta, non sicut Joannes, non sicut aliquis magnus justus ; sed sicut unicus, sicut æqualis, *tu es Christus Filius Dei vivi*. Vide quia tractus est, et a Patre tractus est. *Beatus es Simon Bar-Jona, quia non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI, 16, 17). Ista revelatio, ipsa est attractio. Ramum viridem ostendis ovi, et trahis illam. Nuces puero demonstrantur, et trahitur : et quo currit [1] trahitur, amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista quæ inter delicias et voluptates terrenas revelantur amantibus, trahunt ; quoniam verum est, « Trahit sua quemque voluptas; » non trahit revelatus Christus a Patre? Quid enim fortius desiderat anima quam veritatem ? Quo avidas fauces habere debet, unde optare ut sanum sit intus palatum vera judicandi, nisi ut manducet et bibat sapientiam, justitiam, veritatem, æternitatem ?

6. Ubi autem hoc? Ibi melius, verius ibi, plenius ibi. Nam hic facilius possumus esurire, et hoc si bonam spem habemus, quam satiari : *Beati* enim, inquit, *qui esuriunt et sitiunt justitiam*, sed hic ; *quoniam saturabuntur* (*Id.* V, 6), sed ibi. Ideo cum dixisset, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, quid subjecit? *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Reddo illi quod amat, reddo quod sperat : videbit quod adhuc non videndo credidit ; manducabit quod esurit, saturabitur eo quod sitit. Ubi? In resurrectione mortuorum, quia *ego resuscitabo eum in novissimo die.*

7. *Scriptum est enim in Prophetis, Et erunt omnes docibiles Dei.* Quare hoc dixi, o Judæi? Pater vos non docuit ; quomodo potestis me agnoscere ? Omnes regni illius homines docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient. Et si ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruscat, intus revelatur. Quid faciunt homines forinsecus annuntiantes? quid facio ego modo cum loquor ? Strepitum verborum ingero auribus vestris. Nisi ergo revelet ille qui intus est, quid dico, aut quid loquor ? Exterior cultor arboris, interior est Creator. Qui plantat et qui rigat, extrinsecus operatur : hoc facimus nos. Sed *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat ; sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* III, 7) : hoc est, *Erunt omnes docibiles Dei.* Qui, *omnes? Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Videte quomodo trahit Pater : docendo delectat, non necessitatem imponendo. Ecce quomodo trahit. *Erunt omnes docibiles Dei* : trahere Dei est. *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me* : trahere Dei est.

8. Quid igitur, fratres? Si omnis qui audivit a Patre et didicit, ipse venit ad Christum, Christus nihil hic docuit? Quid quod Patrem magistrum homines non viderunt, Filium viderunt? Filius dicebat, sed Pater docebat. Ego cum homo sim, quem doceo? quem, fratres, nisi eum, qui audivit verbum meum? Si ego cum homo sim, illum doceo qui audit verbum meum ; illum docet et Pater, qui audit Verbum ejus : si illum docet Pater qui audit Verbum ejus ; quære quid sit Christus, et invenies Verbum ejus : *In principio erat Verbum.* Non, In principio fecit Deus Verbum ; quomodo, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1) : ecce quia non est creatura. Disce trahi ad Filium a Patre ; doceat te Pater, audi Verbum ejus. Quod Verbum ejus, inquis, audio? *In principio erat Verbum* ; non factum est, sed *erat* : *Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Quomodo homines in carne constituti audiant tale Verbum? Quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 14).

9. Exponit hoc et ipse, et ostendit nobis quid dixerit, *Qui audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Continuo subjecit quod cogitare possemus : *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Quid est quod ait? Ego vidi Patrem, vos non vidistis Patrem ; et tamen non venitis ad me, nisi trahamini a Patre. Quid est autem vos trahi a Patre, nisi discere a Patre? quid est discere a Patre, nisi audire a Patre? quid est audire a Patre, nisi audire Verbum Patris, id est me? Ne forte ergo cum dico vobis, *Omnis qui audivit a Patre et didicit*, dicatis apud vos, Sed nunquam vidimus Patrem ; quomodo discere potuimus a Patre? a meipso audite : *Non quia Patrem vidit quisquam, sed qui est a Deo, hic vidit Patrem.* Ego novi Patrem, ab illo sum : sed quomodo verbum ab illo cujus est verbum ; non quod sonat et transit, sed quod manet cum dicente, et trahit audientem.

10. Admoneat quod sequitur : *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam.* Revelare se voluit quid esset : nam compendio dicere potuit, Qui credit in me, habet me. Ipse enim Christus verus Deus est et vita æterna. Qui ergo credit in me, inquit, it in me ; et qui it in me, habet me [1]. Quid est autem habere me? Habere vitam æternam. Vita

[1] Aliquot Mss., *Et quod currit.*

[1] Vindocinensis Ms., *vivit in me, et qui vivit in me.* At Am. Bad. et Er. carent hac sententia : *Qui credit in me, inquit, it in me; et qui it in me, habet me* : quæ tamen exstat in cæteris codicibus.

æterna mortem assumpsit, vita æterna mori voluit; sed de tuo, non de suo: accepit a te, ubi moreretur pro te. Ab hominibus enim carnem assumpsit, sed non more hominum. Nam Patrem habens in cœlo, matrem elegit in terra: et illic natus sine matre, et hic sine Patre. Assumpsit ergo vita mortem, ut vita occideret mortem. Nam *qui in me credit*, inquit, *habet vitam æternam*: non quod patet, sed quod latet. Vita enim æterna *Verbum: in principio erat apud Deum, et Deus erat Verbum; et vita erat lux hominum* (*Ibid.* 2, 4). Ipse vita æterna, dedit et carni susceptæ vitam æternam. Mori venit, sed die tertio resurrexit. Inter Verbum suscipiens, et carnem resurgentem, mors media consumpta est.

11. *Ego sum*, inquit, *panis vitæ*. Et unde illi superbiebant? *Patres vestri*, inquit, *manducaverunt in deserto manna, et mortui sunt.* Quid est unde superbitis? *Manducaverunt manna, et mortui sunt.* Quare manducaverunt, et mortui sunt? Quia quod videbant, credebant: quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum [1]. Nam quantum pertinet, fratres mei, ad mortem istam visibilem et corporalem, numquid nos non morimur qui manducamus panem de cœlo descendentem? Sic sunt mortui et illi, quemadmodum nos sumus morituri; quantum attinet, ut dixi, ad mortem hujus corporis visibilem atque carnalem. Quantum autem pertinet ad illam mortem, de qua terret Dominus, qua mortui sunt patres istorum; manducavit manna et Moyses, manducavit manna et Aaron, manducavit manna et Phinees, manducaverunt ibi multi qui Domino placuerunt, et mortui non sunt. Quare? Quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. Nam et nos hodie accipimus visibilem cibum: sed aliud est Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Quam multi de altari accipiunt et moriuntur, et accipiendo moriuntur? Unde dicit Apostolus, *Judicium sibi manducat et bibit* (I *Cor.* XI, 29). Non enim buccella Dominica venenum fuit Judæ [2]. Et tamen accepit, et cum accepit, in eum inimicus intravit: non quia malum accepit, sed quia bonum male malus accepit. Videte ergo, fratres, panem cœlestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite quid dicatis: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est, non venenum. Sed vide si dimittis: nam si non dimittis, mentiris, et ei mentiris, quem non fallis. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes. Novit ille quid agat [3]. Intus te videt, intus te examinat, intus inspicit, intus judicat, intus aut damnat, aut coronat. Patres autem istorum [1], id est, mali patres malorum, infideles patres infidelium, murmuratores patres murmuratorum. Nam de nulla re magis Dominum offendisse ille populus dictus est, quam contra Deum murmurando. Ideo et Dominus eos volens ostendere talium filios, hinc ad eos cœpit: *Quid murmuratis in invicem*, murmuratores, filii murmuratorum? *Patres vestri manna manducaverunt, et mortui sunt*: non quia malum erat manna, sed quia male manducaverunt.

12. *Hic est panis qui de cœlo descendit.* Hunc panem significavit manna, hunc panem significavit altare Dei [2]. Sacramenta illa fuerunt: in signis diversa sunt; in re quæ significatur paria sunt. Apostolum audi: *Nolo enim vos*, inquit, *ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moysen* [3] *baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt.* Spiritualem utique eamdem; nam corporalem alteram, quia illi manna, nos aliud: spiritualem vero, quam nos. Sed patres nostri, non patres illorum: quibus nos similes sumus, non quibus illi similes fuerunt. Et adjungit: *Et omnes eumdem potum spiritualem biberunt.* Aliud illi, aliud nos; sed specie visibili, quod tamen hoc idem significaret virtute spirituali [4]. Quomodo enim *eumdem potum? Bibebant*, inquit, *de spirituali sequente petra: petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 1-4). Inde panis, inde potus. Petra Christus in signo, verus Christus in Verbo et in carne. Et quomodo biberunt? Percussa est petra de virga bis (*Num.* XX, 11): gemina percussio, duo ligna crucis significat. *Hic est* ergo *panis de cœlo descendens, ut si quis manducaverit ex ipso, non moriatur.* Sed quod pertinet ad virtutem Sacramenti, non quod pertinet ad visibile Sacramentum: qui manducat intus, non foris; qui manducat in corde, non qui premit dente.

13. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Ideo vivus, quia de cœlo descendi. De cœlo descendit et manna: sed manna umbra erat, iste veritas est. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Hoc quando caperet caro, quod dixit panem, carnem? Vocatur caro, quod non capit caro: et ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc ad se multum esse dixerunt, hoc non posse fieri putaverunt. *Caro mea est*, inquit, *pro mundi vita.* Norunt fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligunt. Fiant corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De spiritu Christi non vivit, nisi corpus Christi [5]. Intelligite, fra-

[1] Hic in decem Mss. additur, *et infidelium filiorum infideles patres.*

[2] Sic Bad. Am. et omnes Mss. At Er. et Lov., *Num buccella Dominica venenum fuit Judæ?* Vide supra, Tract. 6, n. 15.

[3] Er. et Lov., *agas*: refragantibus editis aliis et Mss.

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov. pro, *autem*, ferunt, *ergo.* M.

[2] Mss. plerique, *significat altare Dei.*

[3] Editi, *per Moysen.* Aliquot Mss., *in Moyse.* Alii plerique, *in Moysen*, juxta græcum, *eis tôn Mousên*: id est, Chrysostomo interprete, *tharrésantes tô Mousei* scilicet Moysi fidentes Israelitæ, sub nube et per mare iter ingressi sunt, ipso præeunte: ac sic nos, qui in Christum credentes baptizamur præsignarunt.

[4] Sic Er. Lugd. et Ven., *sed specie visibili quidem tamen hoc idem significante virtute spirituali.* M.

[5] Omnes Mss., *de spiritu Christi non vivit, nisi sit corpus Christi.*

tres mei, quid dixerim. Homo es, et spiritum habes, et corpus habes. Spiritum dico quæ anima vocatur, qua constat quod homo es : constas enim ex anima et corpore. Habes itaque spiritum invisibilem, corpus visibile. Dic mihi quid ex quo vivat : spiritus tuus vivit ex corpore tuo, an corpus tuum ex spiritu tuo? Respondet omnis qui vivit : qui autem hoc non potest respondere, nescio si vivit : quid respondet omnis qui vivit? Corpus utique meum vivit de spiritu meo. Vis ergo et tu vivere de Spiritu Christi? In corpore esto Christi. Numquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? Meum vivit de spiritu meo, et tuum de tuo. Non potest vivere corpus Christi, nisi de Spiritu Christi. Inde est quod exponens nobis apostolus Paulus hunc panem, *Unus panis*, inquit, *unum corpus multi sumus* (I *Cor*. x, 17). O Sacramentum pietatis! o signum unitatis! o vinculum charitatis! Qui vult vivere, habet ubi vivat, habet unde vivat. Accedat, credat, [1]; incorporetur, ut vivificetur. Non abhoreat a compage membrorum, non sit putre membrum quod resecari mereatur, non sit distortum de quo erubescatur : sit pulchrum, sit aptum, sit sanum; hæreat corpori, vivat Deo de Deo : nunc laboret in terra, ut postea regnet in cœlo.

14. *Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes : Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum?* Litigabant utique ad invicem, quoniam panem concordiæ non intelligebant, nec sumere volebant : nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem; quoniam *unus panis, unum corpus multi sumus*. Et per hunc *facit Deus unius modi habitare in domo* (*Psal*. LXVII, 7).

15. Quod autem ad invicem litigantes quærunt, quomodo possit Dominus carnem suam dare ad manducandum, non statim audiunt : sed adhuc eis dicitur, *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quomodo quidem edatur, et quisnam modus sit manducandi istum panem, ignoratis; verumtamen *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hæc non utique cadaveribus, sed viventibus loquebatur. Unde, ne istam vitam intelligentes et de hac re litigarent, secutus adjunxit, *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Hanc ergo non habet, qui istum panem non manducat, nec istum sanguinem bibit : nam temporalem vitam sine illo habere homines possunt, æternam vero omnino non possunt. Qui ergo non manducat ejus carnem, nec bibit ejus sanguinem, non habet in se vitam : et qui manducat ejus carnem, et bibit ejus sanguinem, habet vitam. Ad utrumque autem respondet quod dixit, *æternam*. Non ita est in hac esca, quam sustentandæ hujus temporalis vitæ causa sumimus. Nam qui eam non sumpserit, non vivet : nec tamen qui eam sumpserit, vivet. Fieri enim potest ut senio, vel morbo, vel aliquo casu, plurimi et qui eam sumpserint moriantur. In hoc vero cibo et potu, id est corpore et sanguine Domini, non ita est. Nam et qui eam non sumit, non habet vitam : et qui eam sumit, habet vitam, et hanc utique æternam. Hunc itaque cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est sancta Ecclesia in prædestinatis et vocatis, et justificatis, et glorificatis sanctis, et fidelibus ejus. Quorum primum jam factum est, id est, prædestinatio : secundum et tertium factum est, et fit, et fiet, id est, vocatio et justificatio : quartum vero nunc in spe est, in re autem futurum est, id est, glorificatio. Hujus rei Sacramentum, id est, unitatis corporis et sanguinis Christi alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica mensa præparatur, et de mensa dominica sumitur; quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium : res vero ipsa cujus sacramentum est, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicumque ejus particeps fuerit.

16. Ne autem putarent sic in isto cibo et potu promitti vitam æternam, ut qui eam sumerent, jam nec corpore morerentur; huic cogitationi dignatus est occurrere. Nam cum dixisset, *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam;* continuo subjecit, *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Ut habeat interim secundum spiritum vitam æternam in requie, quæ sanctorum spiritus suscipit : quod autem ad corpus attinet, nec ejus vita æterna fraudetur, sed in resurrectione mortuorum novissimo die.

17. *Caro enim mea*, inquit, *vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.* Cum enim cibo et potu id appetant homines, ut non esuriant, neque sitiant; hoc veraciter non præstat nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur, immortales et incorruptibiles facit [1], id est societas ipsa sanctorum, ubi pax erit et unitas plena atque perfecta. Propterea quippe, sicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confit : aliud in unum ex multis acinis confluit (*a*).

18. Denique jam exponit quomodo id fiat quod loquitur, et quid sit manducare corpus ejus, et sanguinem bibere. *Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.* Hoc est ergo manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere, et illum manentem in se habere. Ac per hoc qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio nec manducat [spiritualiter] carnem ejus, nec bibit ejus sanguinem, [licet carnaliter et visibiliter premat dentibus Sacramentum corporis et sanguinis Christi :] sed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium sibi manducat et bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta, quæ aliquis non digne sumit, nisi qui mundus est; de quibus dicitur, *Beati mundo corde*

[1] Mss. decem, *credat, vivat in Deo, de Deo; incorporetur*, etc.

[1] Mss., *faciat.*

(*a*) Ita Cyprianus ad Cæcilium, epist. 63, et ad Magnum, epist. 76.

quoniam ipsi Deum videbunt[1] (*Matth.* v, 8).

19. *Sicut*, inquit, *misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me.* Non ait : Sicut manduco Patrem, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Non enim Filius participatione Patris fit melior, qui est natus æqualis; sicut participatione Filii per unitatem corporis ejus et sanguinis, quod illa manducatio potatioque significat, nos efficimur[2] meliores. Vivimus ergo nos propter ipsum, manducantes eum; id est, ipsum accipientes æternam vitam, quam non habebamus ex nobis : vivit autem ipse propter Patrem, missus ab eo; quia semetipsum exinanivit, factus obediens usque ad mortem crucis (*Philipp.* II, 8). Si enim secundum id accipimus, *Vivo propter Patrem*, quod alibi ait, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28); sicut et nos vivimus propter ipsum, qui major est nobis : hoc ex eo quod missus est, factum est. Missio quippe ejus exinanitio suimetipsius est, et formæ servilis acceptio : quod recte intelligitur, servata etiam Filii cum Patre æqualitate naturæ. Major enim est Pater homine filio, sed æqualem habet Deum Filium : cum idem ipse sit et Deus et homo, Dei Filius et hominis filius, unus Christus Jesus. In quam sententiam si recte accipiuntur hæc verba, ita dixit, *Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me* : ac si diceret, Ut ego vivam propter Patrem, id est, ad illum tanquam majorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me misit; ut autem quisque vivat propter me, participatio facit qua manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille erectus vivit propter me. Si autem ita dictum est, *Vivo propter Patrem*, quia ipse de illo, non ille de ipso est; sine detrimento æqualitatis dictum est. Nec tamen dicendo, *et qui manducat me, et ipse vivet propter me*, eamdem suam et nostram æqualitatem significavit; sed gratiam mediatoris ostendit.

20. *Hic est panis qui de cœlo descendit* : ut illum manducando vivamus, quia æternam vitam ex nobis habere non possumus. *Non sicut*, inquit, *manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt : qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quod ergo illi mortui sunt, ita vult intelligi, ut non vivant in æternum. Nam temporaliter et hi profecto morientur, qui Christum manducant : sed vivunt in æternum, quia Christus est vita æterna.

TRACTATUS XXVII.

Ab eo quod scriptum est, Hæc dixit in synagoga docens sabbato in Capharnaum : *usque ad id*, Ille enim traditurus erat eum, cum esset unus ex duodecim. *Cap.* VI, ℣. 60-72.

1. Verba Domini ex Evangelio, quæ sermonem pristinum consequuntur, audivimus. Hinc sermo debetur auribus et mentibus vestris, et hodierno diei non importunus est : est enim de corpore Domini, quod dicebat se dare ad manducandum propter æternam vitam. Exposuit autem modum attributionis hujus et doni sui, quomodo daret carnem suam manducare, dicens, *Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo* (*Joan.* VI, 57). Signum quia manducavit et bibit hoc est, si manet et manetur, si habitat et inhabitatur, si hæret ut non deseratur[1]. Hoc ergo nos docuit et admonuit mysticis verbis, ut simus in ejus corpore sub ipso capite in membris ejus, edentes carnem ejus, non relinquentes unitatem ejus. Sed qui aderant plures non intelligendo scandalizati sunt : non enim cogitabant hæc audiendo, nisi carnem, quod ipsi erant. Apostolus autem dicit, et verum dicit, *Sapere secundum carnem, mors est* (*Rom.* VIII, 6). Carnem suam dat nobis Dominus manducare, et *sapere secundum carnem mors est*; cum de carne sua dicat, quia ibi est vita æterna. Ergo nec carnem debemus sapere secundum carnem, sicut in his verbis :

2. *Multi itaque audientes*; non ex inimicis, sed *ex dicipulis ejus, dixerunt : Durus est hic sermo; quis potest eum audire?* Si discipuli durum habuerunt istum sermonem, quid inimici? Et tamen sic oportebat ut diceretur, quod non ab omnibus intelligeretur. Secretum Dei intentos debet facere, non adversos. Isti autem cito defecerunt, talia loquente Domino Jesu : non crediderunt aliquid magnum dicentem, et verbis illis aliquam gratiam cooperientem; sed prout voluerunt ita intellexerunt, et more hominum, quia poterat Jesus, aut hoc disponebat Jesus, carnem quia indutum erat Verbum, veluti concisam distribuere credentibus in se. *Durus est*, inquiunt, *hic sermo; quis potest eum audire?*

3. *Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de eo discipuli ejus.* Sic enim apud se ista dixerunt, ut ab illo non audirentur; sed ille qui eos noverat in seipsis, audiens apud semetipsum, respondit, et ait, *Hoc vos scandalizat* : quia dixi, Carnem meam do vobis manducare, et sanguinem meum bibere, hoc vos nempe scandalizat. *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Quid est hoc? Hinc solvit quod illos moverat? hinc aperuit unde fuerant scandalizati? Hinc plane, si intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum corpus suum; ille autem dixit se ascensurum in cœlum, utique integrum. *Cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius*; certe vel tunc videbitis quia non eo modo quo putatis, erogat corpus suum; certe vel tunc intelligetis quia gratia ejus non consumitur morsibus.

4. Et ait : *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Hoc antequam exponamus, ut Dominus donat, illud non negligenter prætereundum est, quod ait, *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Filius enim hominis Christus, ex virgine Maria. Ergo filius hominis hic cœpit esse in terra, ubi

[1] Sic editi quidam : at [illegible] habent hoc modo : *Nec manducat carnem ejus, nec bibit* [illegible], *etiamsi tantæ rei sacramentum ad* [illegible] *et bibat.* [illegible], *inquit*, [illegible] versus cæteris, [illegible] nullo etiam e suis Mss. contineri testantur Lovanienses : habentur ipsa in Bedæ et Alcuini Commentariis super Joannem.

[2] In omnibus fere Mss., *nos efficit.*

[1] Fr. legit, *et non deseretur.* M.

carnem assumpsit ex terra. Unde prophetice dictum erat, *Veritas de terra orta est* (*Psalm.* LXXXIV, 12). Quid sibi ergo vult quod ait, *Cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* Nulla enim esset quæstio si ita dixisset, *Si videritis Filium Dei ascendentem ubi erat prius?* cum vero Filium hominis dixit ascendentem ubi erat prius, numquid Filius hominis in cœlo erat prius, quando in terra esse cœpit? Hic quidem dixit, *ubi erat prius*, quasi tunc non ibi esset quando hæc loquebatur. Alio autem loco ait, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13): non dixit, erat, sed, *Filius*, inquit, *hominis qui est in cœlo*. In terra loquebatur, et in cœlo se esse dicebat. Et non ita dixit: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius Dei, qui est in cœlo. Quo pertinet, nisi ut intelligamus, quod etiam pristino sermone commendavi Charitati vestræ, unam personam esse Christum Deum et hominem, non duas; ne fides nostra non sit Trinitas, sed quaternitas? Christus ergo unus est: Verbum, anima et caro unus Christus: Filius Dei et filius hominis unus Christus. Filius Dei semper, filius hominis ex tempore; tamen unus Christus secundum unitatem personæ. In cœlo erat, quando in terra loquebatur. Sic erat filius hominis in cœlo, quomodo Filius Dei erat in terra; Filius Dei in terra in suscepta carne, filius hominis in cœlo in unitate personæ.

5. Quid est ergo quod adjungit, *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam?* Dicamus ei (patitur enim nos non contradicentes, sed nosse cupientes): O Domine, magister bone, quomodo *caro non prodest quidquam*, cum tu dixeris, *Nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam?* An vita non prodest quidquam? et propter quid sumus quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? quid est ergo, *non prodest quidquam caro?* Non prodest quidquam, sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Proinde sic dictum est, *Caro non prodest quidquam*; quomodo dictum est, *Scientia inflat*. Jam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est, *Scientia inflat?* Sola, sine charitate: ideo adjunxit, *Charitas vero ædificat* (I *Cor.* VIII, 1). Adde ergo scientiæ charitatem, et utilis erit scientia; non per se, sed per charitatem. Sic etiam nunc, *caro non prodest quidquam*, sed sola caro: accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, et prodest plurimum. Nam si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? Sed per carnem Spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit; quod habebat attende, non quod erat. Apostoli missi sunt; numquid caro ipsorum nihil nobis profuit? Si caro Apostolorum nobis profuit, caro Domini potuit nihil prodesse? Unde enim ad nos sonus verbi, nisi per vocem carnis? unde stilus, unde conscriptio? Ista omnia opera carnis sunt, sed agitante spiritu tanquam organum suum. *Spiritus* ergo *est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam*: sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do ad manducandum carnem meam.

6. Proinde, *Verba*, inquit, *quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita est*. Diximus enim, fratres, hoc Dominum commendasse in manducatione carnis suæ et potatione sanguinis sui, ut in illo maneamus, et ipse in nobis. Manemus autem in illo, cum sumus membra ejus: manet autem ipse in nobis, cum sumus templum ejus. Ut autem simus membra ejus, unitas nos compaginat. Ut compaginet unitas, quæ facit nisi charitas? Et charitas Dei unde? Apostolum interroga: *Charitas*, inquit, *Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Ergo *Spiritus est qui vivificat*: spiritus enim facit viva membra. Nec viva membra spiritus facit, nisi quæ in corpore quod vegetat ipse spiritus, invenerit. Nam spiritus qui est in te, o homo, quo constas ut homo sis, numquid vivificat membrum quod separatum invenerit a carne tua? Spiritum tuum dico animam tuam: anima tua non vivificat nisi membra quæ sunt in carne tua; unum si tollas, jam non vivificatur ex anima tua, quia unitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur ut amemus unitatem, et timeamus separationem. Nihil enim sic debet formidare christianus, quam separari a corpore Christi. Si enim separatur a corpore Christi, non est membrum ejus; si non est membrum ejus, non vegetatur Spiritu ejus: *Quisquis autem*, inquit Apostolus, *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Id.* VIII, 9). *Spiritus* ergo *est qui vivificat, caro autem non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Quid est, *spiritus et vita sunt?* Spiritualiter intelligenda sunt. Intellexisti spiritualiter? *spiritus et vita sunt*. Intellexisti carnaliter? etiam sic illa *spiritus et vita sunt*, sed tibi non sunt.

7. *Sed sunt quidam*, inquit, *in vobis qui non credunt*. Non dixit, Sunt quidam in vobis qui non intelligunt; sed causam dixit, quare non intelligant. *Sunt enim quidam in vobis qui non credunt*; et ideo non intelligunt, quia non credunt. Propheta enim dixit, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX). Per fidem copulamur, per intellectum vivificamur. Prius hæreamus per fidem, ut sit quod vivificetur per intellectum. Nam qui non hæret, resistit; qui resistit, non credit. Nam qui resistit, quomodo vivificatur? Adversarius est radio lucis, quo penetrandus est: non avertit aciem, sed claudit mentem. *Sunt* ergo *quidam qui non credunt*. Credant et aperiant, aperiant et illuminabuntur. *Sciebat enim ab initio Jesus qui essent credentes, et quis traditurus esset eum*. Ibi enim erat et Judas. Nam quidam scandalizati sunt: ille autem mansit ad insidiandum, non ad intelligendum. Et quia ideo manserat, non de illo tacuit Dominus. Non illum expressit, sed nec siluit; ut omnes timerent, quamvis unus periret. Sed posteaquam dixit et distinxit credentes a non credentibus, expressit causam quare non credant: *Propterea dixi vobis*, inquit, *quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo*. Ergo et credere datur nobis: non enim nihil est credere. Si autem magnum

aliquid est, gaude quia credidisti, sed noli extolli : quid enim habes quod non accepisti (I *Cor*. IV, 7)?

8. *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulaverunt. Abierunt retro*, sed post satanam, non post Christum. Nam aliquando Dominus Christus Petrum appellavit satanam, magis quia volebat præcedere Dominum suum, et consilium dare ne moreretur ille, qui venerat ut moreretur, ne nos in æternum moreremur; et ait illi : *Redi post me, satanas; non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominis sunt* (*Matth*. XVI, 23). Non illum repulit retro ire post satanam, et appellavit satanam; sed fecit post se ire, ut non esset satanas ambulando post Dominum. Isti autem sic redierunt retro, quomodo de quibusdam feminis dicit Apostolus : *Quædam enim conversæ sunt retro post satanam* (I *Tim*. V, 15). Ulterius cum illo non ambulaverunt. Ecce præcisi a corpore vitam perdiderunt, quia forte in corpore nec fuerunt. Inter non credentes et ipsi deputandi sunt, quamvis discipuli dicerentur. Abierunt retro, non pauci, sed multi. Hoc forte factum est ad consolationem, quoniam aliquando contingit ut dicat homo verum, et quod dicit, non capiatur, atque illi qui audiunt, scandalizentur et discedant. Pœnitet autem hominem dixisse quod verum est : dicit enim apud se homo, Non debui sic dicere, non hoc dicere debui. Ecce Domino contigit; dixit, et perdidit multos, remansit ad paucos. Sed non turbabatur ipse, quia ab initio noverat et qui credentes essent, et qui non credentes : nos si nobis contingat, perturbamur. Solatium in Domino inveniamus, et tamen caute verba dicamus.

9. Atque ille ad paucos qui remanserant : *Dixit ergo Jesus duodecim*; id est illis duodecim qui remanserunt : *Numquid et vos*, inquit, *vultis ire?* Non discessit nec Judas. Sed quare manebat, Domino jam apparebat; nobis postea manifestatus est. Respondit Petrus pro omnibus, unus pro multis, unitas pro universis : *Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus?* Repellis nos a te, da nobis alterum te. *Ad quem ibimus?* Si a te recedimus, ad quem ibimus? *Verba vitæ æternæ habes*. Videte quemadmodum Petrus, dante Deo, recreante Spiritu sancto, intellexit. Unde, nisi quia credidit? *Verba vitæ æternæ habes*. Vitam enim æternam habes in ministratione corporis et sanguinis tui. *Et nos credidimus, et cognovimus*. Non cognovimus, et credidimus, sed *credidimus, et cognovimus*. Credidimus enim ut cognosceremus : nam si prius cognoscere, et deinde credere vellemus, nec cognoscere nec credere valeremus. Quid credidimus, et quid cognovimus? *Quia tu es Christus Filius Dei*; id est, quia ipsa vita æterna tu es, et non das in carne et sanguine tuo nisi quod es.

10. Ait ergo Dominus Jesus : *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est?* Ergo, *Undecim elegi* diceret : an eligitur et diabolus, et in electis est diabolus? Electi in laude solent dici : an electus est et iste, de quo nolente et nesciente magnum aliquid boni fieret? Hoc est proprium Dei; contrarium iniquis. Sicut enim iniqui male utuntur bonis operibus Dei; sic contra Deus bene utitur malis operibus hominum iniquorum. Quam bonum est membra corporis ita esse, quemadmodum disponi non possunt nisi ab artifice Deo! Petulantia tamen quam male utitur oculis? Fallacia quam male utitur lingua? Falsus testis nonne lingua sua et animam suam prius trucidat, et alterum lædere se perempto conatur? Male utitur lingua, nec ideo malum est lingua : opus Dei est lingua, sed bono opere Dei male utitur illa nequitia. Quomodo utuntur pedibus qui currunt ad scelera? quomodo utuntur manibus homicidæ? et illis adjacentibus forinsecus bonis creaturis Dei quam male utuntur mali? Auro judicia corrumpunt, innocentes opprimunt. Luce ista mali male utuntur : male vivendo enim etiam ipsam lucem qua vident, ad ministerium scelerum suorum usurpant. Iens enim ut faciat aliquid mali malus, lucere sibi vult ne offendat, qui jam intus offendit et cecidit : quod timet in corpore, jam incurrit in corde. Omnibus ergo bonis Dei, ne per singula currere longum sit, male utitur malus : contra, malis hominum malorum bene utitur bonus. Et quid tam bonum quam unus Deus? Quandoquidem ipse Dominus dixit, *Nemo bonus nisi unus Deus* (*Marc*. X, 18). Quanto ergo ille melior, tanto melius utitur et malis nostris. Quid Juda pejus? Inter omnes adhærentes Magistro, inter duodecim, loculi illi commissi sunt, et dispensatio pauperum distributa : ingratus tanto beneficio, honori tanto, accepit pecuniam, perdidit justitiam : tradidit vitam mortuus; quem ut discipulus secutus, ut inimicus persecutus est. Totum hoc malum Judæ; sed malo ejus bene usus est Dominus. Tradi se pertulit ut redimeret nos. Ecce malum Judæ in bonum conversum est. Satanas quantos martyres persecutus est? Si satanas persequendo cessaret, hodie tam gloriosam coronam sancti Laurentii non celebraremus. Si ergo ipsius diaboli malis operibus bene utitur Deus : quod facit malus, male utendo, sibi nocet; non bonitati Dei contradicit. Artifex illo utitur; et magnus artifex, si illo uti non nosset, nec eum esse permitteret. Ergo *unus ex vobis diabolus est*, ait, cum ego vos duodecim elegerim. Potest et sic intelligi quod ait, *duodecim elegi*, quia sacratus est numerus. Non enim quia periit inde unus, ideo illius numeri honor demptus est : nam in locum pereuntis, alius subrogatus est (*Act*. I, 26). Mansit numerus consecratus, numerus duodenarius; quia per universum mundum, hoc est per quatuor cardines mundi, Trinitatem fuerant annuntiaturi. Ideo ter quaterni [1]. Se ergo exterminavit Judas, non duodenarium numerum violavit : ipse deseruit præceptorem, nam Deus illi apposuit successorem.

11. Hoc totum quod Dominus de carne et de sanguine suo locutus est, et quod in ejus distributionis gratia vitam nobis promisit æternam, et quod hinc voluit intelligi manducatores et potatores carnis et sanguinis sui, ut in illo maneant et ipse in illis, et

[1] Editi hactenus, *Ideo et quaterni*, emendantur hic ad Mss.

quod non intellexerunt qui non crediderunt, et quod spiritualia carnaliter sapiendo scandalizati sunt, et quod eis scandalizatis et pereuntibus, consolationi Dominus adfuit [1] discipulis qui remanserant, ad quos probandos interrogavit, *Numquid et vos vultis ire?* ut responsio permansionis eorum innotesceret nobis; nam ille noverat quia manebant : hoc ergo totum ad hoc nobis valeat, dilectissimi, ut carnem Christi et sanguinem Christi non edamus tantum in Sacramento, quod et multi mali; sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus, ut ejus spiritu vegetemur, et non scandalizemur, etiam si multi modo nobiscum manducant et bibunt temporaliter Sacramenta, qui habebunt in fine æterna tormenta. Modo enim corpus Christi mixtum est tanquam in area : sed novit Dominus qui sunt ejus (*II Tim.* II, 19). Si tu nosti quid trituras, quia ibi est latens massa, nec consumit trituratio quod purgatura est ventilatio; certi sumus, fratres, quia omnes qui sumus in corpore Domini, et manemus in illo, ut et ipse maneat in nobis, in hoc sæculo necesse habemus usque in finem inter malos vivere. Non inter illos dico malos, qui blasphemant Christum : rari enim jam inveniuntur qui lingua blasphemant, sed multi qui vita. Necesse est ergo ut inter illos usque in finem vivamus.

12. Sed quid est quod ait, *Qui manet in me, et ego in illo* (*Joan.* VI, 57, *et* XV, 5)? Quid, nisi quod martyres audiebant, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV, 13)? Quomodo mansit in illo sanctus Laurentius, cujus hodie festa celebramus? Mansit usque ad tentationem, mansit usque ad tyrannicam interrogationem, mansit usque ad acerrimam comminationem, mansit usque ad peremptionem : parum est, usque ad immanem excruciationem mansit. Non enim occisus est cito, sed cruciatus est in igne : diu vivere permissus est; imo non diu vivere permissus est, sed tarde mori compulsus est. In illa ergo longa morte, in illis tormentis, quia bene manducaverat et bene biberat, tanquam illa esca saginatus et illo calice ebrius, tormenta non sensit. Ibi enim erat qui dixit, *Spiritus est qui vivificat.* Caro enim ardebat, sed spiritus animam vegetabat. Non cessit, et in regnum successit. Dixerat autem illi Xystus martyr sanctus, cujus diem quinto ab hinc retro die celebravimus : « Noli mœrere, fili. » Episcopus enim erat ille, iste diaconus. « Noli mœrere inquit; sequeris me post triduum. » Triduum autem dixit medium inter diem passionis sancti Xysti, et diem hodiernæ passionis sancti Laurentii. Triduum est medium. O consolatio! non ait, Noli mœrere, fili; desinet persecutio, et securus eris : sed, Noli mœrere; quo ego præcedo, tu sequeris; nec consecutio tua differtur : triduum medium erit, et mecum eris. Accepit oraculum, vicit diabolum, pervenit ad triumphum.

[1] Sic Mss. Editi vero, *consolatio Domini adfuit.*

TRACTATUS XXVIII.

Ab eo loco Evangelii, Et post hæc ambulabat Jesus in Galilæam; *usque ad id.* Nemo tamen palam loquebatur de eo, propter metum Judæorum. *Cap.* VII, ℣. 1-13.

1. In isto Evangelii capitulo, fratres, Dominus noster Jesus Christus secundum hominem se plurimum commendavit fidei nostræ. Etenim semper hoc agit dictis et factis suis, ut Deus credatur et homo : Deus qui nos fecit, homo qui nos quæsivit; Deus cum Patre semper, homo nobiscum ex tempore. Non enim quæreret quem fecerat, nisi fieret ipse quod fecerat. Verum hoc mementote, et de cordibus vestris nolite dimittere, sic esse Christum hominem factum, ut non destiterit Deus esse. Manens Deus accepit hominem, qui fecit hominem. Quando ergo latuit ut homo, non potentiam perdidisse putandus est, sed exemplum infirmitati præbuisse. Ille enim quando voluit detentus est, quando voluit occisus est. Sed quoniam futura erant membra ejus, id est fideles ejus, qui non haberent illam potestatem quam habebat ipse Deus noster; quod latebat, quod se tanquam ne occideretur occultabat, hoc indicabat factura esse membra sua, in quibus utique membris suis ipse erat. Non enim Christus in capite et non in corpore, sed Christus totus in capite et in corpore. Quod ergo membra ejus, ipse : quod autem ipse, non continuo membra ejus. Nam si non ipse essent membra ejus, non diceret : *Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Non enim Saulus ipsum, sed membra ejus, id est fideles ejus, in terra persequebatur. Noluit tamen dicere, sanctos meos, servos meos; postremo honorabilius, fratres meos : sed, *Me*, hoc est membra mea, quibus ego sum caput.

2. His prædictis, puto nos in hoc capitulo quod modo lectum est, non esse laboraturos : sæpe enim significatum est in capite, quod futurum erat in corpore. *Post hæc*, inquit, *ambulabat Jesus in Galilæam : non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant eum Judæi interficere.* Hoc est quod dixi; infirmitati nostræ præbebat exemplum. Non ipse perdiderat potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem. Futurum enim erat, ut dixi, ut aliquis fidelis ejus absconderet se, ne a persecutoribus inveniretur; et ne illi pro crimine objiceretur latibulum, præcessit in capite quod in membro confirmaretur. Sic enim dictum est, *Nolebat ambulare in Judæam, quia quærebant eum Judæi occidere* : quasi non posset Christus et ambulare inter Judæos, et non occidi a Judæis. Hic enim potentiam, quando voluit, demonstravit : nam cum eum jam passurum tenere vellent, *ait illis, Quem quæritis? Responderunt : Jesum. Et ille : Ego sum;* non se occultans, sed manifestans. Ad eam tamen manifestationem illi non substiterunt, sed *redeuntes retro ceciderunt* (*Joan* XVIII, 4-6). Et tamen quia pati venerat, surrexerunt, tenuerunt, ad judicem adduxerunt, et occiderunt. Sed quid fecerunt? Quod ait quædam Scriptura, *Terra tradita est in manus impii*

(*Job* IX, 24) : caro data est in potestatem Judæis. Et hoc propterea, ut quasi sacculus conscinderetur, unde nostrum pretium manaret.

3. *Erat autem in proximo dies festus Judæorum Scenopegia.* Quid sit Scenopegia, Scripturas qui legunt, noverunt. Faciebant die festo tabernacula, ad similitudinem tabernaculorum in quibus habitaverant cum ex Ægypto educti peregrinarentur in eremo. Iste erat dies festus, magna solemnitas. Celebrabant hoc Judæi, velut reminiscentes beneficia Domini, qui occisuri erant Dominum. Hoc ergo die festo (quia plures erant dies festi; sic enim appellabatur apud Judæos dies festus, ut non esset dies unus, sed plures) locuti sunt *fratres ejus* ad Dominum Christum. *Fratres ejus* sic accipite, sicut nostis : non enim novum est quod auditis. Consanguinei virginis Mariæ, fratres Domini dicebantur. Erat enim consuetudinis Scripturarum, appellare fratres quoslibet consanguineos et cognationis propinquos, et extra usum nostrum, non quo more nos loquimur. Nam quis dicat fratres avunculum et filium sororis? Scriptura tamen etiam hujusmodi cognationes fratres appellat. Nam Abraham et Lot fratres sunt dicti, cum esset Abraham patruus Lot (*Gen.* XI 27, 31, XIII, 8, *et* XIV, 14) : et Laban et Jacob fratres sunt dicti, cum esset Laban avunculus Jacob (*Id.* XXVIII, 2, *et* XXIX, 10, 15). Cum ergo auditis fratres Domini, Mariæ cogitate consanguinitatem, non iterum parientis ullam propaginem. Sicut enim in sepulcro ubi positum est corpus Domini, nec antea nec postea mortuus jacuit; sic uterus Mariæ nec antea nec postea quidquam mortale concepit.

4. Diximus fratres qui fuerint; audiamus quid dixerint. *Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ tu facis.* Opera Domini discipulos non latebant, sed istos latebant. Isti enim fratres, id est consanguinei, Christum consanguineum habere potuerunt, credere autem in eum ipsa propinquitate fastidierunt. Dictum est in Evangelio : non enim hoc nos audemus opinari, modo audistis. Addunt, et monent : *Nemo enim in occulto quid facit, et quærit ipse in palam esse : si hæc facis, manifesta teipsum mundo.* Et continuo : *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Quare in eum non credebant? Quia humanam gloriam requirebant. Nam et quod eum videntur monere fratres, gloriæ ipsius consulunt : Facis mirabilia, innotesce; id est, appare omnibus, ut laudari possis ab omnibus. Loquebatur caro carni : sed caro sine Deo, carni cum Deo. Loquebatur enim prudentia carnis Verbo quod caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I, 14).

5. Quid ad hæc, Dominus? *Dicit ergo eis Jesus : Tempus meum nondum venit, tempus autem vestrum semper est paratum.* Quid est hoc? Nondum venerat tempus Christi? Quare ergo Christus venerat, si tempus ejus nondum venerat? Nonne audivimus Apostolum dicentem, *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* (*Galat.* IV, 4)? Si ergo in plenitudine temporis missus est : quando debuit missus est, quando oportuit venit : quid est, *Tempus meum nondum venit?* Intelligite, fratres, quo animo illi loquebantur, qui quasi fratrem suum monere videbantur. Dabant ei consilium consequendæ gloriæ, veluti sæculariter et terreno affectu monentes, ne esset ignobilis et latitaret : quod ergo ait Dominus, *Tempus meum nondum venit*, illis respondit qui ei consilium de gloria dabant, Tempus gloriæ meæ nondum venit. Videte quam profundum sit : de gloria illi admonebant, sed ille voluit altitudinem humilitate præcedere, et ad ipsam celsitudinem per humilitatem viam sternere. Nam et illi discipuli utique gloriam requirebant, qui volebant sedere unus ad dexteram ejus, et alter ad sinistram : attendebant quo, et non videbant qua; Dominus eos, ut ordinate venirent ad patriam, revocavit ad viam. Excelsa est enim patria, humilis via. Patria est vita Christi, via est mors Christi : patria est mansio Christi, via est passio Christi. Qui recusat viam, quid quærit patriam? Denique et illis hoc respondit, quærentibus altitudinem : *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum* (*Matth.* XX, 21, 22)? Ecce qua venitur ad celsitudinem quam desideratis. Calicem quippe commemorabat humilitatis atque passionis.

6. Ergo et hic, *Tempus meum nondum venit; tempus autem vestrum*, id est, mundi gloria, *semper est paratum.* Hoc est tempus de quo in prophetia [1] loquitur Christus, id est, corpus Christi : *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo* (*Psal.* LXXIV, 3). Modo enim non est tempus judicandi, sed iniquos tolerandi. Ferat igitur modo corpus Christi, et toleret iniquitatem male viventium. Habeat tamen justitiam modo, antequam habeat judicium : per justitiam enim perveniet ad judicium. Tolerantibus quippe membris iniquitatem sæculi hujus quid Scriptura sancta dicit in Psalmo? *Non repellet Dominus plebem suam.* Laborat quippe plebs ejus inter indignos, inter iniquos, inter blasphemantes, inter murmurantes, detrahentes, insectantes, et si liceat, perimentes. Laborat quidem; sed *non repellet Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non derelinquet, quoadusque justitia convertatur in judicium* [2] (*Psal.* XCIII, 14, 15). *Quoadusque justitia* quæ modo est in sanctis ejus, *convertatur in judicium;* cum implebitur quod eis dictum est, *Sedebitis super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). Habebat justitiam Apostolus, sed nondum illud judicium de quo dicit, *Nescitis quoniam angelos judicabimus* (I *Cor.* VI, 3)? Sit ergo modo tempus juste vivendi, postea erit tempus eos qui male vixerint, judicandi. *Quoadusque justitia*, inquit, *convertatur in judicium.* Hoc erit tempus judicii, de quo Dominus modo dixit, *Tempus meum nondum venit.* Erit enim tempus gloriæ, ut qui venit in humilitate, veniat in altitudine. Qui venit judicandus, veniet judicaturus : qui venit occidi a mortuis, veniet judicare de vivis et mortuis. *Deus*, inquit Psalmus, *manifestus veniet, Deus noster et non silebit* (*Psal.* XLIX, 3). Quid est, *manifestus veniet?* Quia venit occultus. Tunc non silebit : nam quando venit occultus

[1] Plerique Mss., *de quo in propheta loquitur.*
[2] Mss., hoc loco et paulo inferius, *ad judicium.*

sicut ovis ad immolandum ductus est, et sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum (*Isai.* LIII, 7). Veniet et non silebit. *Tacui*, inquit, *numquid semper tacebo* (*Id.* XLII, 14, *sec.* LXX)?

7. Modo autem quid necessarium est eis qui habent justitiam? Quod in illo ipso psalmo legitur, *Quoadusque justitia convertatur in judicium; et qui habent eam, omnes recti corde.* Quæritis fortasse qui sunt recti corde? Illos invenimus in Scriptura rectos corde, qui mala sæculi tolerant, et non accusant Deum. Videte, fratres; rara avis est ista quam loquor [1]. Nescio quo enim modo quando evenit homini aliquid mali, Deum currit accusare, qui deberet se. Quando boni aliquid agis, te laudas: quando mali aliquid pateris, Deum accusas. Hoc est ergo cor tortum, non rectum. Ab ista distortione et pravitate si corrigaris, convertetur in contrarium quod faciebas. Antea enim quid faciebas? Laudabas te in bonis Dei, accusabas Deum in malis tuis: converso corde et directo, laudabis Deum in bonis suis, accusabis te in malis tuis. Isti sunt recti corde. Denique ille nondum recto corde, cui displicebat felicitas malorum et labor bonorum, ait correctus: *Quam bonus Deus Israel rectis corde! Mei autem*, quando non eram recto corde, *pene commoti sunt pedes, paulo minus effusi sunt gressus mei.* Quare? *Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum intuens* (*Psal.* LXXII, 1-3). Vidi, inquit, malos felices, et displicuit mihi Deus: hoc enim volebam, ut non permitteret Deus malos esse felices. Intelligat homo: nunquam hoc permittit Deus; sed ideo malus felix putatur, quia quid sit felicitas ignoratur. Simus ergo recti corde: tempus gloriæ nostræ nondum venit. Dicatur amatoribus hujus sæculi, quales erant fratres Domini, *Tempus vestrum semper est paratum; tempus* nostrum *nondum venit.* Audeamus enim hoc dicere et nos. Et quoniam corpus Domini nostri Jesu Christi sumus, quoniam membra ejus sumus, quoniam caput nostrum gratanter agnoscimus, dicamus prorsus; quoniam propter nos et ipse hoc dignatus est dicere. Quando nobis insultant amatores hujus sæculi, dicamus eis, *Tempus vestrum semper est paratum; tempus* nostrum *nondum venit.* Nobis enim dixit Apostolus, *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Quando veniet tempus nostrum? *Cum Christus*, inquit, *apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 3, 4).

8. Quid deinde addit? *Non potest mundus odisse vos.* Quid est hoc, nisi, Non potest mundus odisse amatores suos, falsos testes? Bona enim dicitis quæ mala sunt, et mala quæ bona sunt. *Me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera ejus mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc.* Quid est *hunc?* Ubi gloriam humanam quæritis. Quid est *hunc?* Ubi extendere vultis carnalia gaudia, non æterna cogitare. *Ego non ascendo ad diem festum hunc, quia meum tempus nondum impletum est.* In die festo hoc gloriam vos humanam quæritis; meum vero tempus, id est gloriæ meæ, nondum venit. Ipse erit dies festus meus, non diebus istis præcurrens et transiens, sed permanens in æternum: ipsa erit festivitas, gaudium sine fine, æternitas sine labe, serenitas sine nube. *Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum; non manifeste, sed quasi in occulto.* Ideo *non ad diem festum hunc*, quia non gloriari temporaliter, sed aliquid docere salubriter, corrigere homines, de die festo æterno admonere, amorem ab hoc sæculo avertere, et in Deum convertere cupiebat. Quid est autem, *quasi latenter ascendit ad diem festum?* Non vacat et hoc Domini [1]. Videtur mihi, fratres, etiam hinc, quod quasi latenter ascendit, aliquid significare voluisse: nam consequentia docebunt sic eum ascendisse mediato die festo, id est mediatis illis diebus, ut etiam palam doceret. Sed *quasi latenter* dixit, ne se ostenderet hominibus. Non vacat quod latenter ascendit Christus ad diem festum, quia ipse latebat in illo die festo. Adhuc etiam ego quod dixi, in latibulo est. Manifestetur ergo, tollatur velum, et appareat quod erat secretum.

9. Omnia quæ dicta sunt antiquo populo Israel in multiplici scriptura sanctæ Legis, quæ agerent sive in sacrificiis, sive in sacerdotiis, sive in diebus festis, et omnino in quibuslibet rebus quibus Deum colebant, quæcumque illis dicta et præcepta sunt, umbræ fuerunt futurorum. Quorum futurorum? Quæ implentur in Christo. Unde dicit Apostolus, *Quotquot enim promissiones Dei, in illo etiam* (II *Cor.* I, 20): id est, in illo impletæ sunt. Deinde dicit alio loco: *Omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem propter nos, in quos finis sæculorum obvenit* (I *Cor.* X, 11). Dixit et alibi: *Finis enim Legis Christus est* (*Rom.*, X, 4). Item alio loco: *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quod est umbra futurorum* (*Coloss.* II, 16, 17). Si ergo omnia illa umbræ fuerunt futurorum; et Scenopegia umbra erat futurorum. Hic ergo dies festus, quæramus cujus futuri umbra erat. Exposui quid erat Scenopegia: celebratio erat tabernaculorum, propterea quia populus de Ægypto liberatus tendens per desertum ad terram promissionis, in tabernaculis habitavit. Quid sit animadvertamus, et nos erimus; nos, inquam, qui membra Christi sumus, si sumus [3]: illo autem dignante sumus, non nobis promerentibus. Attendamus ergo nos, fratres: educti sumus de Ægypto, ubi diabolo tanquam Pharaoni serviebamus: ubi lutea opera in terrenis desideriis agebamus, et in eis multum laborabamus. Etenim nobis Christus quasi lateres facientibus clamavit: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis* (*Matth.* XI, 28). Hinc educti per Baptismum tanquam per mare Rubrum, ideo rubrum, quia Christi sanguine consecratum, mortuis omnibus inimicis nostris qui nos insectabantur, id

[1] Er. Lugd. Ven. sic habent hunc locum: *Rara causa est ista quam loquor.* M.

[1] Er. et Lugd. ferunt, *non vacat et hoc ab intellectu. Videtur*, etc. M.

[2] Sic Er., *in illo est.* M.

[3] Er. Lugd. Ven. ita legunt, *qui membra Christi sumus. Si sumus, illo autem.* M.

est, deletis omnibus peccatis nostris, trajecti sumus. Modo ergo antequam ad patriam perveniamus, id est, æternum regnum veniamus, in deserto in tabernaculis sumus. Qui ista agnoscunt, in tabernaculis sunt: futurum enim erat ut quidam hoc agnoscerent. Ille enim est in tabernaculis, qui se esse in mundo intelligit peregrinum. Ille se intelligit peregrinantem, qui se videt patriæ suspirantem. Cum autem corpus Christi est in tabernaculis, Christus est in tabernaculis. Sed tunc non evidenter, sed latenter. Adhuc enim umbra lucem obscurabat: veniente luce, umbra remota est. Christus erat in occulto, in Scenopegia Christus erat, sed latens Christus. Modo jam cum manifestata sunt ista, agnoscimus nos iter agere in eremo: si enim agnoscamus, in eremo sumus. Quid est in eremo? In deserto. Quare in deserto? Quia in isto mundo, ubi sititur in via inaquosa. Sed sitiamus, ut saturemur. Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* v, 6). Et sitis nostra de petra impletur in eremo: *Petra* enim *erat Christus*, et virga percussa est, ut aqua manaret. Ut autem manaret, bis percussa est (I *Cor.* x, 4; *Num.* xx, 11); quia duo ligna sunt crucis. Omnia ergo hæc quæ fiebant in figura, manifestantur in nobis. Et non vacat quod de Domino dictum est, *Ascendit ad diem festum, non manifeste, sed tanquam in occulto.* Figuratum enim erat ipsum in occulto, quia in ipso die festo Christus latebat; quia ipse dies festus, Christi membra peregrinatura significabat.

10. *Judæi ergo quærebant eum in die festo:* antequam ascenderet. Priores enim fratres ascenderunt, et non tunc ascendit ille, quando illi putabant et volebant: ut etiam hoc impleretur quod ait, *Non ad hunc*, id est, ad quem vos vultis, primum vel secundum diem. Ascendit autem postea, ut Evangelium loquitur, *mediato die festo;* id est, cum jam illius diei festi tot dies præteriissent quod remansissent. Ipsam enim festivitatem, quantum intelligendum est, diebus pluribus celebrabant.

11. *Dicebant ergo: Ubi est ille? Et murmur multum de eo erat in turba.* Unde murmur? De contentione. Quæ fuit contentio? *Quidam enim dicebant, Quia bonus est; alii autem, Non, sed seducit turbas.* De omnibus servis ejus intelligendum: hoc dicitur modo. Quicumque enim eminuerit in aliqua gratia spirituali, profecto alii dicunt [1], *Bonus est;* alii, *Non, sed seducit turbas.* Unde hoc? Quia *vita nostra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* iii, 3). Ideo licet dicere hominibus per hiemem, Mortua est ista arbor, verbi gratia, arbor fici, arbor piri, et hujusmodi pomorum, similis est aridæ; et quamdiu hiems est, non apparet. Æstas probat, judicium probat. Æstas nostra, revelatio Christi est: *Deus manifestus veniet, Deus noster et non silebit* (*Psal.* xlix, 3); *ignis ante eum præibit:* iste ignis *inflammabit inimicos ejus* (*Psal.* xcvi, 3); aridas arbores ignis comprehendet. Tunc enim aridæ apparebunt, quando eis dicetur, *Esurivi, et non dedistis mihi manducare:* in alia vero parte, hoc est in dextera, apparebit fecunditas fructuum, dignitasque foliorum; viriditas, æternitas erit. Illis ergo tanquam aridis dicetur, *Ite in ignem æternum* (*Matth.* xxv, 42, 41). *Ecce enim*, inquit, *securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (*Id.* iii, 10). Dicant ergo de te, si proficis in Christo, dicant homines, *Seducit turbas.* De ipso, de toto corpore Christi hoc dicitur. Cogita corpus Christi adhuc in mundo, cogita corpus Christi adhuc in area; vide quemadmodum blasphemetur a palea. Simul quidem triturantur; sed paleæ conteruntur, frumenta purgantur. Quod dictum est ergo de Domino, valet ad consolationem, de quocumque hoc dictum fuerit christiano.

12. *Nemo tamen palam loquebatur de illo, propter metum Judæorum.* Sed qui non loquebantur de illo propter metum Judæorum? Utique qui dicebant, *Bonus est:* non qui dicebant, *Seducit turbas.* Qui dicebant, *Seducit turbas*, sonitus eorum audiebatur tanquam aridorum foliorum. *Seducit turbas*, clarius sonabant; *Bonus est*, pressius susurrabant. Modo autem, fratres, quamvis nondum venerit illa gloria Christi, quæ nos æternos factura est; modo tamen ita crescit Ecclesia ejus, ita eam dignatus est per cuncta diffundere, ut jam susurretur, *Seducit turbas;* et clarius personet, *Bonus est.*

TRACTATUS XXIX.

In illud Evangelii, Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum; *usque ad id*, Qui misit illum, hic verax est, et injustitia in illo non est. *Cap.* vii, ℣. 14-18.

1. Quod sequitur de Evangelio et hodie lectum est, consequenter et nos videamus; et quod Dominus donaverit, hinc dicamus. Hesterno die huc usque lectum erat, quia licet non vidissent Dominum Jesum in templo per diem festum, loquebantur tamen de illo: *Et alii dicebant, Bonus est; alii autem, Non, sed seducit turbas* (*Joan.* vii, 12). Dictum enim hoc est ad eorum solatium, qui postea prædicantes verbum Dei, futuri erant ut seductores et veraces (II *Cor.* vi, 8). Si enim seducere decipere est; nec Christus seductor, nec Apostoli ejus; nec quisquam seductor debet esse christianus: si autem seducere, aliunde aliquem ad aliud persuadendo ducere est, quærendum est unde et quo: si a malo ad bonum, bonus seductor est; si a bono ad malum, malus seductor est. In hanc ergo partem qua seducuntur homines de malo ad bonum, utinam omnes seductores et vocemur et simus!

2. *Ascendit* ergo postea Dominus ad diem festum, *mediante die festo, et docebat. Et mirabantur Judæi dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Ille qui latebat, docebat; et palam loquebatur, et non tenebatur. Illud enim ut lateret, erat causa exempli, hoc potestatis. Sed cum doceret, *mirabantur Judæi.* Omnes quidem, quantum arbitror, mirabantur; sed non omnes convertebantur. Et unde admiratio? Quia multi noverant ubi natus, quemad-

[1] Juxta Er. Lugd. Ven. legendum est, *in aliqua gratia spirituali profectu, alii dicunt.* M.

modum fuerit educatus; nunquam eum viderant litteras discentem, audiebant autem de Lege disputantem, Legis testimonia proferentem, quæ nemo posset proferre nisi legisset, nemo legere nisi litteras didicisset: et ideo mirabantur. Eorum autem admiratio Magistro facta est insinuandæ altius veritatis occasio. Ex eorum quippe admiratione et verbis, dixit Dominus profundum aliquid, et diligentius inspici et discuti dignum. Propter quod intentam facio Charitatem vestram, non solum ad audiendum pro vobis, sed etiam ad orandum pro nobis.

3. Quid ergo Dominus respondit eis admirantibus quomodo sciret litteras quas non didicerat? *Mea*, inquit, *doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Hæc est profunditas prima: videtur enim paucis verbis quasi contraria locutus. Non enim ait, Ista doctrina non est mea; sed, *Mea doctrina non est mea.* Si non tua, quomodo tua? Si tua, quomodo non tua? Tu enim dicis utrumque: et, *mea doctrina*; et, *non mea.* Nam si dixisset, Ista doctrina non est mea, nulla esset quæstio. Nunc vero, fratres, primitus intendite quæstionem, et sic ordine exspectate solutionem. Nam qui non videt quæstionem quæ proponitur, quomodo intelligit quod exponitur? Hoc est ergo in quæstione, quod ait, *mea non mea*: hoc videtur esse contrarium, quomodo *mea*, quomodo *non mea.* Si ergo intueamur diligenter quod ipse in exordio dicit sanctus Evangelista, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum* (*Joan.* I, 1); inde pendet hujus solutio quæstionis. Quæ est ergo doctrina Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus: et suam doctrinam dixit, seipsum; et non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum quam tu? et quid tam non tuum quam tu, si alicujus est quod es?

4. Verbum ergo et Deus est, et doctrinæ stabilis Verbum est, non sonabilis per syllabas et volatilis, sed manentis cum Patre, ad quam [1] convertamur manentem, sonis transeuntibus admoniti. Non enim nos ita admonet quod transit, ut ad transitoria vocet. Admonemur ut diligamus Deum. Totum hoc quod dixi, syllabæ fuerunt; percussum aerem verberaverunt, ut ad sensum [2] vestrarum aurium pervenirent, sonando transierunt: non tamen illud quod vos admonui, transire debet; quia ille quem vos diligere admonui, non transit; et cum transeuntibus syllabis admoniti, conversi ad eum fueritis, nec vos transibitis, sed cum manente manebitis. Hoc est ergo in doctrina magnum, altum et æternum quod manet; quo vocant [3] omnia quæ temporaliter transeunt, quando bene significant, nec mendaciter proferuntur. Omnia quippe signa quæ proferimus sonis, aliquid significant quod non est sonus. Non enim duæ breves syllabæ Deus est, et duas breves syllabas colimus, et duas breves syllabas adoramus, et ad duas breves syllabas pervenire desideramus: quæ pene ante desinunt sonare, quam cœperint; nec in eis secundo locus est, nisi prima transierit. Manet ergo aliquid magnum quod dicitur Deus, quamvis non maneat sonus cum dicitur Deus. Sic intendite doctrinam Christi, et pervenietis ad Verbum Dei: cum autem perveneritis ad Verbum Dei, intendite, *Deus erat Verbum;* et videbitis verum dictum esse, *mea doctrina:* intendite etiam cujus est Verbum; et videbitis recte dictum esse, *non est mea.*

5. Breviter ergo dico Charitati vestræ; hoc videtur mihi dixisse Dominus Jesus Christus, *Mea doctrina non est mea*, ac si diceret, Ego non sum a meipso. Quamvis enim Filium Patri dicamus et credamus æqualem, nec ullam in eis esse naturæ substantiæque distantiam, nec inter generantem atque generatum aliquod interfuisse temporis intervallum; tamen hoc servato et custodito ista dicimus, quod ille Pater est, ille Filius. Pater autem non est, si non habeat Filium; et Filius non est, si non habeat Patrem: sed tamen Filius Deus de Patre; Pater autem Deus, sed non de Filio. Pater Filii, non Deus de Filio: ille autem Filius Patris, et Deus de Patre. Dominus enim Christus dicitur Lumen ex Lumine. Lumen ergo quod non ex lumine, et Lumen æquale quod ex Lumine, simul unum Lumen, non duo lumina.

6. Si intelleximus, Deo gratias: si quis autem parum intellexit, fecit homo quo usque potuit, cætera videat unde speret. Forinsecus ut operarii possumus plantare et rigare, sed Dei est incrementum dare (I *Cor.* III, 6). *Mea*, inquit, *doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Audiat consilium, qui dicit, Nondum intellexi. Magna quippe res et profunda cum fuisset dicta, vidit utique ipse Dominus Christus hoc tam profundum non omnes intellecturos, et in consequenti dedit consilium. Intelligere vis? crede. Deus enim per prophetam dixit: *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX). Ad hoc pertinet quod etiam hic Dominus secutus adjunxit: *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a meipso loquar.* Quid est hoc, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere?* Sed ego dixeram, Si quis crediderit; et hoc consilium dederam. Si non intellexisti, inquam, crede. Intellectus enim merces est fidei. Ergo noli quærere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas; quoniam *nisi credideritis, non intelligetis.* Cum ergo ad possibilitatem intelligendi consilium dederim obedientiam credendi, et dixerim Dominum Jesum Christum hoc ipsum adjunxisse in consequenti sententia, invenimus eum dixisse, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina.* Quid est, *cognoscet?* Hoc est intelliget. Quod est autem, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere*, hoc est credere. Sed quia *cognoscet*, hoc est intelliget, omnes intelligunt: quia vero quod ait, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere*, hoc pertinet ad credere, ut diligentius intelligatur, opus est nobis ipso Domino nostro expositore, ut indicet nobis utrum revera ad credere pertineat facere voluntatem Patris ejus. Quis nesciat

[1] Lov., *ad quem:* refragantibus editis aliis et Mss.
[2] Mss., *ut ad sonum.*
[3] Sic Mss. At editi Am. Bad. Er., *quod vocant.* Lov., *quo vocantur.*

hoc esse facere voluntatem Dei, operari opus ejus, id est, quod illi placet? Ipse autem Dominus aperte alio loco dicit : *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem ille misit* (*Joan.* VI, 29). *Ut credatis in eum;* non, ut credatis ei. Sed si creditis in eum, creditis ei : non autem continuo qui credit ei, credit in eum. Nam et dæmones credebant ei, et non credebant in eum. Rursus etiam de Apostolis ipsius possumus dicere, Credimus Paulo; sed non, Credimus in Paulum : Credimus Petro; sed non, Credimus in Petrum. *Credenti* enim *in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam* (*Rom.* IV, 5). Quid est ergo credere in eum? Credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et ejus membris incorporari. Ipsa est ergo fides quam de nobis exigit Deus : et non invenit quod exigat, nisi donaverit quod inveniat. Quæ fides, nisi quam definivit alio loco Apostolus plenissime dicens : *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* V, 6)? Non qualiscumque fides, sed *fides quæ per dilectionem operatur :* hæc in te sit, et intelliges de doctrina. Quid enim intelliges? Quia *doctrina* ista *non est mea, sed ejus qui misit me :* id est, intelliges quia Christus Filius Dei, qui est doctrina Patris, non est ex seipso, sed Filius est Patris.

7. Sabellianam hæresim sententia ista dissolvit. Sabelliani enim dicere ausi sunt ipsum esse Filium qui est et Pater; duo esse nomina, sed unam rem. Si duo essent nomina, et res una, non diceretur, *Mea doctrina non est mea.* Utique si tua doctrina non est tua, o Domine, cujus est, nisi alius sit cujus sit? Quod dixisti, Sabelliani non intelligunt : non enim Trinitatem viderunt, sed sui cordis errorem secuti sunt. Nos cultores Trinitatis et unitatis Patris et Filii et Spiritus sancti, et unius Dei, intelligamus de doctrina Christi, quoniam non est ejus [1]. Et ideo dixit non se a seipso loqui, quoniam Christus Patris est Filius, et Pater Christi est Pater, et Filius de Deo Patre Deus est : Pater autem Deus, non de Filio Deo Deus est.

8. *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.* Hoc erit ille qui vocatur Antichristus, *extollens se,* sicut Apostolus ait, *supra omne quod dicitur Deus, et quod colitur* (II *Thess.* II, 4). Ipsum quippe annuntians Dominus gloriam suam quæsiturum, non gloriam Patris, ait ad Judæos : *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me : alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis* (*Joan.* V, 43). Significavit eos Antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quæsiturus est, inflatus, non solidus; et ideo non stabilis, sed utique ruinosus. Dominus autem noster Jesus Christus magnum exemplum nobis præbuit humilitatis : nempe æqualis est Patri, nempe *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* nempe ipse dixit, et verissime dixit, *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui vidit me, vidit et Patrem* (*Id.* XIV, 9); nempe ipse dixit, et verissime dixit, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30). Si ergo ille cum Patre unum, æqualis Patri, Deus de Deo, Deus apud Deum, coæternus, immortalis, pariter incommutabilis, pariter sine tempore, pariter creator et dispositor temporum; tamen quia venit in tempore, et formam servi accepit, et habitu est inventus ut homo (*Philipp.* II, 7), quærit gloriam Patris, non suam : quid tu, homo, facere debes, qui quando aliquid boni facis, gloriam tuam quæris; quando autem aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris? Intende tibi; creatura es, agnosce Creatorem : servus es, ne contemnas Dominum : adoptatus es, sed non meritis tuis; quære ejus gloriam, a quo habes hanc gratiam, homo adoptatus, cujus gloriam quæsivit qui est ab illo unicus natus. *Qui autem quærit gloriam ejus qui misit illum, hic verax est, et injustitia in illo non est.* In Antichristo autem injustitia est, et verax non est; quia gloriam suam quæsiturus est, non ejus a quo missus est : non enim est missus, sed venire permissus. Omnes ergo pertinentes ad corpus Christi, ne inducamur in laqueos Antichristi, non quæramus gloriam nostram. Sed si ille quæsivit gloriam ejus qui eum misit, quanto magis nos ejus qui nos fecit?

TRACTATUS XXX.

Ab eo loco, Nonne Moyses dedit vobis Legem, et nemo ex vobis facit Legem? *usque ad id,* Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. *Cap.* VII, ℣. 19-24.

1. Evangelii sancti lectionem, de qua pridem Charitati vestræ locuti sumus, ista quæ modo lecta est, hodierna consequitur. Dominum loquentem audiebant et discipuli et Judæi; veritatem loquentem audiebant, et veraces et mendaces; charitatem loquentem audiebant et amici et inimici; bonum loquentem audiebant et boni et mali. Illi audiebant, sed ille discernebat; et quibus sermo prodesset et profuturus esset, videbat et prævidebat. In illis enim qui tunc erant videbat, in nobis qui futuri eramus prævidebat. Nos itaque sic audiamus Evangelium, quasi præsentem Dominum; nec dicamus, O illi felices qui eum videre potuerunt! quia multi in eis qui viderunt, et occiderunt; multi autem in nobis qui non viderunt, et crediderunt. Quod enim pretiosum sonabat de ore Domini, et propter nos scriptum est, et nobis servatum, et propter nos recitatum [1], et recitabitur etiam propter posteros nostros, et donec sæculum finiatur. Sursum est Dominus : sed etiam hic est veritas Dominus. Corpus enim Domini [2] in quo resurrexit, uno loco esse potest : veritas ejus ubique diffusa est. Dominum ergo audiamus, et quod ipse donaverit de verbis ejus, et nos dicamus.

2. *Nonne Moyses,* inquit, *dedit vobis Legem, et nemo ex vobis facit Legem? Quid me quæritis interficere?* Ideo enim quæritis me interficere, quia nemo ex vobis

[1] Juxta Er. Lugd. Ven. Lov., *quomodo non est ejus.* M.

[1] Er. Lugd. et Ven. ferunt, *recitatur.* M.

[2] Nonnulli codices omittunt, *Domini :* at postea in verbis istis, *uno loco esse potest,* editi et Mss. quos considerare nobis licuit, omnes conveniunt : tametsi Ivo Decr., p. 2, c. 8; Gratianus, de Consecr. dist. 2, c. *Prima quidem;* Magister, 4 sent., dist. 10, c. 1; postque illos Thomas Aquinas, 3 p., q. 75, a. 1, sic sententiam hanc referant, *uno loco esse oportet.*

facit Legem : nam si Legem faceretis, in ipsis litteris Christum agnosceretis, et præsentem non occideretis. Et illi responderunt [1] : *Respondit ei turba.* Respondit quasi turba non pertinentia ad ordinem, sed ad perturbationem : denique turba turbata videte quid responderit : *Dæmonium habes; quis te quærit occidere?* Quasi non pejus fuerit dicere, *Dæmonium habes*, quam eum occidere. Ei quippe dictum est quod dæmonium haberet, qui dæmones expellebat. Quid possit aliud dicere turba turbulenta? quid possit aliud olere cœnum commotum? Turba turbata est; unde? A veritate. Turbam lippitudinis turbavit claritas lucis. Oculi enim non habentes sanitatem, non possunt ferre luminis claritatem.

3. Dominus autem non plane turbatus, sed in sua veritate tranquillus, non reddidit malum pro malo, nec maledictum pro maledicto (I *Petr.* III, 9). Quibus si diceret, Dæmonium habetis vos; verum utique diceret. Non enim talia illi veritati dicerent, nisi eos diaboli falsitas irritaret. Quid ergo respondit? Audiamus tranquille, et tranquillum bibamus : *Unum opus feci, et omnes miramini.* Tanquam dicens, Quid si omnia opera mea videretis? Ipsius enim opera erant quæ in mundo videbant, et ipsum qui fecit omnia non videbant : fecit unam rem, et turbati sunt, quia salvum fecit hominem sabbato. Quasi vero si quisquam ægrotus sabbato sineeraret [2], alius illum sanum fecisset quam ille, qui eos scandalizavit, quia unum hominem salvum fecit sabbato. Quis enim alius alios salvos fecit quam ipsa salus; qui illam salutem quam dedit huic homini, dat et jumentis? Salus enim corporalis erat. Salus carnis et reparatur, et moritur; et cum reparatur, mors differtur, non aufertur. Tamen, fratres, etiam ipsa salus a Domino est, per quemlibet detur : quocumque curante et ministrante impertiatur, ab illo datur a quo est omnis salus, cui dicitur in Psalmo, *Homines et jumenta salvos facies, Domine; sicut multiplicasti misericordiam tuam, Deus.* Quia enim Deus es, multiplicata misericordia tua pervenit etiam ad salutem carnis humanæ, pervenit etiam ad salutem mutorum animalium : sed qui das salutem carnis hominibus jumentisque communem, numquid nulla salus est quam servas hominibus? Est certe alia quæ non solum communis non est hominibus et jumentis, sed nec ipsis hominibus communis est bonis et malis. Denique cum ibi de ista salute dixisset, quam communiter accipiunt pecora et homines; propter illam salutem quam sperare debent homines, sed boni homines, secutus adjunxit, *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt : inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV, 7-10). Hæc est salus quæ ad bonos pertinet, quos appellavit filios hominum; cum supra dixisset, *Homines et jumenta salvos facies, Domine.* Quid enim? illi homines non erant filii hominum, ut cum dixisset, *Homines*, sequeretur et diceret, *Filii autem hominum*; quasi aliud erant *homines*, et aliud *filii hominum?* Non tamen arbitror sine aliqua significatione distinctionis hoc dixisse Spiritum sanctum. *Homines* ad primum Adam, *filii hominum* ad Christum. Forte enim *homines* pertinent ad primum hominem : *filii* autem *hominum* pertinent ad Filium hominis.

4. *Unum opus feci, et omnes miramini.* Et continuo subjungit : *Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem.* Bene factum est ut acciperetis circumcisionem a Moyse. *Non quia ex Moyse est, sed ex Patribus.* Abraham quippe primus accepit circumcisionem a Domino (*Gen.* XVII, 10). *Et in sabbato circumciditis.* Convicit vos Moyses. In Lege accepistis ut circumcidatis octavo die (*Levit.* XII, 3); accepistis in Lege ut vacetis septimo die (*Exod.* XX, 10) : si octavus dies illius qui natus est occurret ad diem septimum sabbati, quid facietis? Vacabitis, ut servetis sabbatum; an circumcidetis, ut impleatis sacramentum diei octavi? Sed novi, inquit, quid faciatis. *Circumciditis hominem.* Quare? Quia circumcisio pertinet ad aliquod signaculum salutis, et non debent homines sabbato vacare a salute. Ergo nec *mihi irascamini, quia salvum feci totum hominem sabbato : si circumcisionem*, inquit, *accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi* (aliquid enim per Moysen in illa constitutione circumcisionis salubriter institutum est), mihi operanti salutem in sabbato quare indignamini?

5. Forte enim illa circumcisio ipsum Dominum significabat, cui isti curanti et sananti indignabantur. Jussa est enim adhiberi octavo die circumcisio : et quid est circumcisio, nisi carnis exspoliatio? Significat ergo ista circumcisio exspoliationem a corde cupiditatum carnalium. Non ergo sine causa data est, et in eo membro jussa fieri; quoniam per illud membrum procreatur creatura mortalium. Et per unum hominem mors, sicut per unum hominem resurrectio mortuorum (I *Cor.* XV, 21) : et per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors (*Rom.* V, 12). Ideo quisque cum præputio nascitur, quia omnis homo cum vitio propaginis nascitur : et non mundat Deus sive a vitio cum quo nascimur, sive a vitiis quæ male vivendo addimus, nisi per cultellum petrinum, Dominum Christum. Petra enim erat Christus (I *Cor.* X, 4). Cultellis enim petrinis circumcidebant, et petræ nomine Christum figurabant : et præsentem non agnoscebant, sed insuper eum occidere cupiebant. Quare autem octavo die, nisi quia post septimum sabbati Dominus die dominico resurrexit? Ergo resurrectio Christi, quæ facta est tertio quidem die passionis, sed octavo die in diebus hebdomadis, ipsa nos circumcidit. Audi circumcisos vera petra, Apostolo admonente : *Si ergo resurrexistis cum Christo; quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Coloss.* III,

[1] Apud Er. Lugd. Ven. omittuntur verba, *et non habent;* sed additur continuo : *Respondit enim turba.* Lov. lectio ab illa differt solum eo quod ferant, *respondit ei*, pro, *respondit enim.* M.

[2] In tribus Mss., *ægrotum sabbato sinceraret :* in cæteris, *ægrotus sabbato sinceraret;* id est seipso, neque medici accedente opera, sanus fieret. — Er. fert, *ægrotus sanaretur*, ubi Lugd. Ven. legunt, *ægrotum sanaret.* M.

1, 2). Circumcisis loquitur : Resurrexit Christus, abstulit vobis desideria carnalia, abstulit concupiscentias malas, abstulit superfluum cum quo nati eratis, et multo pejus quod male vivendo addideratis; circumcisi per petram quare adhuc sapitis terram? Et ad extremum quia Legem dedit Moyses, et circumciditis hominem sabbato, intelligite hoc significari opus bonum, quod ego feci totum hominem salvum sabbato; quia et curatus est ut sanus esset in corpore, et credidit ut sanus esset in anima.

6. *Nolite judicare personaliter, sed rectum judicium judicate.* Quid est hoc? Modo qui per legem Moysi circumciditis sabbato, non irascimini Moysi; et quia ego die sabbati salvum feci hominem, irascimini mihi. Personaliter judicatis, veritatem attendite. Ego non me præfero Moysi, ait Dominus, qui erat et ipsius Moysi Dominus. Sic attendite quomodo homines nos duos, tanquam ambos homines : judicate inter nos, sed verum judicium judicate; nolite me honorato illum damnare, sed illo intellecto me honorate. Hoc enim eis alio loco dixit : *Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* v, 46). Sed hoc loco noluit hoc dicere, tanquam se et Moyse ante illos constitutis. Propter legem Moysi circumciditis, quando etiam sabbatum occurrerit; et ego sanitatum faciendarum beneficentiam non vultis ut exhibeam per sabbatum? Quia Dominus circumcisionis et Dominus sabbati, salutis est auctor : et servilia opera prohibiti estis facere sabbato; si vere intelligatis servilia opera, non peccatis Qui enim facit peccatum, servus est peccati (*Id.* viii, 34). Numquid servile opus est, hominem sanare per sabbatum? Manducatis et bibitis (ut aliquid dicam ex admonitione Domini nostri Jesu Christi, et ex verbis ejus); utique quare manducatis et bibitis in sabbato, nisi quia pertinet ad salutem quod facitis? Per hoc ostenditis opera salutis non esse ullo modo die sabbati omittenda. Ergo *nolite personaliter judicare, sed rectum judicium judicate.* Attendite me quomodo hominem, attendite Moysen quomodo hominem : si secundum veritatem judicetis, neque Moysen, neque me condemnabitis; et veritate cognita me cognoscetis, quia ego sum veritas (*Id.* xiv, 6).

7. Hoc vitium, fratres, quod Dominus notavit hoc loco, evadere in hoc sæculo magni laboris est, non personaliter judicare, sed rectum judicium retinere. Admonuit quidem Dominus Judæos, sed monuit et nos : illos convicit, nos instruxit; illos redarguit, nos exacuit. Non putemus hoc nobis non ideo dictum, quia tunc ibi non fuimus. Scriptum est, legitur, cum recitaretur audivimus; sed tanquam Judæis dictum audivimus : non nos ponamus post nos, et quasi intueamur inimicos reprehendere, et ipsi nos faciamus quod in nobis veritas ipsa reprehendat. Judæi quidem personaliter judicabant, sed ideo non pertinent ad Novum Testamentum, ideo non habent in Christo regnum cœlorum, ideo non junguntur sanctorum societati Angelorum : terrena quærebant a Domino; terra enim promissionis, victoria ab inimicis, fecunditas pariendi, multiplicatio filiorum, abundantia fructuum, quæ illis omnia a Deo quidem vero et bono, tamen ut e malibus promissa sunt, omnia hæc fecerunt illis Vetus Testamentum. Quid est Vetus Testamentum? Quasi hæreditas pertinens ad hominem veterem. Nos innovati sumus, homo novus facti sumus; quia et ille homo novus venit. Quid tam novum quam nasci de virgine? Quia ergo non erat quid [1] in illo innovaret præceptum, quia nullum habebat peccatum; novus partus est datus. In illo partus novus, in nobis homo novus. Quid est homo novus? A vetustate innovatus. Ad quam rem innovatus? Ad desideranda cœlestia, ad concupiscenda sempiterna, ad patriam quæ sursum est et hostem non timet, desiderandam, ubi non perdimus amicum, non timemus inimicum; ubi vivimus cum bono affectu, sine ullo defectu; ubi nemo nascitur, quia nemo moritur; ubi nemo jam proficit, et nemo deficit; ubi non esuritur, et non sititur, sed satietas est immortalitas, et cibus veritas. Hæc habentes promissa, et ad Novum Testamentum pertinentes, et novæ hæreditatis facti hæredes, et ipsius Domini cohæredes, aliam spem valde habemus : non personaliter judicemus, sed rectum judicium teneamus.

8. Quis est qui non judicat personaliter? Qui diligit æqualiter. Dilectio æqualis facit non acceptari personas. Non cum homines diverso modo pro suis gradibus honoramus, tunc timendum est ne personas accipiamus. Sed quando inter duos judicamus, et aliquando inter necessarios, fit nonnunquam judicium inter patrem et filium; queritur pater de malo filio, aut queritur filius de duro patre : servamus honorificentiam patri, quæ debetur a filio; non æquamus filium patri in honore; sed præponimus, si bonam causam habet : filium æquemus patri in veritate; et sic tribuemus honorem debitum, ut non perdat æquitas meritum. Ita verbis Domini proficimus, et ut proficiamus gratia illius adjuvamur.

TRACTATUS XXXI.

Ab eo loco, Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis, Nonne hic est quem quærebant Judæi interficere; *usque ad id*, Quæretis me, et non invenietis; et ubi sum ego, vos non potestis venire. *Cap.* vii, ℣. 25-36.

1. Meminit Charitas vestra pristinis sermonibus et lectum esse in Evangelio, et a nobis ut potuimus disputatum, quod Dominus Jesus ideo velut occulte ascendit ad diem festum, non quia timebat ne teneretur, cujus potestas erat ne teneretur; sed ut significaret etiam in ipso die festo qui celebrabatur a Judæis, se occultari, et suum esse mysterium : hodierna ergo lectione apparuit potestas, quæ putabatur timiditas; loquebatur enim palam in die festo, ita ut mirarentur turbæ, et dicerent quod audivimus, cum lectio legeretur, *Nonne hic est quem quærebant interficere? Et ecce palam loquitur, et nihil illi dicunt : numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?* Qui noverant qua sævitia quærebatur, mirabantur qua potentia non tenebatur. Deinde non plene intelligentes illius

[1] Juxta Er. Lugd. Ven. Lov., *quod*. M.

potentiam, putaverunt principum esse scientiam, quod ipsi cognoverant eumdem esse Christum : ideo pepercerunt ei, quem tantopere occidendum quærebant.

2. Deinde illi ipsi apud seipsos, qui dixerant, *Numquid cognoverunt principes quia hic est Christus?* fecerunt sibi quæstionem qua eis videretur non ipse esse Christus : adjungentes enim dixerunt, *Sed istum novimus unde sit; Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.* Hæc opinio apud Judæos unde nata fuerit, quod *Christus cum venerit, nemo scit unde sit* (non enim inaniter nata est); si considerémus Scripturas, invenimus, fratres, quoniam sanctæ Scripturæ dixerunt de Christo, *quoniam Nazaræus vocabitur* (*Matth.* II, 23). Ergo prædixerunt unde sit. Rursus si locum nativitatis ejus quæramus, tanquam inde sit ubi natus est; nec hoc latebat Judæos, propter Scripturas quæ ista prædixerunt. Nam cum eum visa stella Magi quærerent adorare, venerunt ad Herodem, et dixerunt quid quærerent et quid vellent : ille autem convocatis eis qui Legem sciebant, quæsivit ab eis ubi Christus nasceretur : illi dixerunt, *In Bethlehem Judæ;* et testimonium etiam propheticum protulerunt (*Matth.* II, 1-6). Si ergo Prophetæ prædixerant et locum unde erat origo carnis ejus, et locum ubi eum peperit mater ejus; unde nata est ista opinio apud Judæos, quam modo audivimus, *Christus cum venerit, nemo scit unde sit*, nisi quia utrumque prædicaverant et prænuntiaverant Scripturæ? Secundum hominem prædixerant Scripturæ unde esset : secundum Deum latebat impios, et quærebat pios. Ad hoc enim et isti dixerunt, *Christus cum venerit, nemo scit unde sit;* quia hanc illis opinionem generaverat quod per Isaiam dictum est, *Generationem autem ejus quis enarrabit* (*Isai.* LIII, 8)? Denique et ipse Dominus ad utrumque respondit, et quia noverant eum unde esset, et quia non noverant; ut attestaretur prophetiæ sanctæ quæ de illo ante prædicta est, et secundum humanitatem infirmitatis, et secundum divinitatem majestatis.

3. Audite ergo Verbum Domini, fratres, videte quemadmodum confirmavit eis et quod dixerunt, « Istum novimus unde sit; » et quod dixerunt, « Christus cum venerit, nemo scit unde sit. Clamabat ergo docens in templo Jesus : Et me scitis, et unde sim scitis; et a meipso non veni, sed est verus qui me misit, quem vos nescitis. » Hoc est dicere, Et me scitis, et me nescitis : hoc est dicere, Et unde sim scitis, et unde sim nescitis. Unde sim scitis, Jesus a Nazareth, cujus etiam parentes nostis. Solus enim in hac causa latebat virginis partus, cui tamen testis erat maritus : ipse enim hoc poterat fideliter indicare, qui posset maritaliter et zelare [1]. Hoc ergo excepto virginis partu, totum noverant in Jesu quod ad hominem pertinet : facies ipsius nota erat, patria ipsius nota erat, genus ipsius notum erat, ubi natus est sciebatur. Recte ergo dixit, *Et me nostis, et unde sim scitis*, secundum carnem et effigiem hominis quam gerebat : secundum autem divinitatem, *Et a me ipso non veni*, *sed est verus qui me misit, quem vos nescitis;* sed ut eum sciatis, credite in eum quem misit, et scietis. *Deum enim nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (*Joan.* I, 18) : et, *Patrem non cognoscit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27).

4. Denique cum dixisset, *Sed est verus qui misit me, quem vos nescitis;* ut ostenderet eis unde possent scire quod nesciebant, subjecit, *Ego scio eum.* Ergo a me quærite, ut sciatis eum. Quare autem scio eum? *Quia ab ipso sum, et ipse me misit.* Magnifice utrumque monstravit. *Ab ipso*, inquit, *sum;* quia Filius de Patre, et quidquid est Filius, de illo est cujus est Filius. Ideo Dominum Jesum dicimus Deum de Deo; Patrem non dicimus Deum de Deo, sed tantum Deum : et dicimus Dominum Jesum Lumen de Lumine; Patrem non dicimus Lumen de Lumine, sed tantum Lumen. Ad hoc ergo pertinet, quod dixit, *Ab ipso sum.* Quod autem videtis me in carne, *ipse me misit.* Ubi audis, *ipse me misit*, noli intelligere naturæ dissimilitudinem, sed generantis auctoritatem.

5. *Quærebant ergo eum apprehendere, et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus :* hoc est, quia nolebat. Quid est enim, *nondum venerat hora ejus?* Non enim Dominus sub fato natus est. Hoc nec de te credendum est, nedum de illo [1] per quem factus es. Si tua hora voluntas est illius; illius hora quæ est, nisi voluntas sua? Non ergo horam dixit qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. Tempus enim exspectabat quo moreretur, quia et tempus exspectavit quo nasceretur. De hoc tempore Apostolus loquens, ait : *Cum autem venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* (*Galat.* IV, 4). Ideo multi dicunt : Quare non ante venit Christus? Quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo per quem facta sunt tempora : sciebat enim quando venire deberet. Primo per multam seriem temporum et annorum prædicendus fuit; non enim aliquid parvum venturum fuit : diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quanto major judex veniebat, tanto præconum longior series præcedebat. Denique ubi venit plenitudo temporis, venit et ille qui nos liberaret a tempore. Liberati enim a tempore, venturi sumus ad æternitatem illam, ubi non est tempus : nec dicitur ibi, Quando veniet hora; dies est enim sempiternus, qui nec præceditur hesterno, nec excluditur crastino. In hoc autem sæculo volvuntur dies, et alii transeunt, et alii veniunt; nullus manet : et momenta quibus loquimur, invicem se expellunt, nec stat prima syllaba, ut sonare possit secunda. Ex quo loquimur aliquantum senuimus, et sine ulla dubitatione senior sum modo quam mane : ita nihil stat, nihil fixum manet in tempore. Amare itaque debemus per quem facta sunt tempora, ut liberemur a tempore, et figamur in æternitate, ubi jam nulla est mutabilitas temporum. Magna igitur misericordia Domini nostri Jesu Christi, factum esse eum propter nos in tempore, per quem facta sunt tempora; factum esse in-

[1] Sic Mss. cum editis Am. et Bad. At Er. et Lov. habent, *qui potuit maritaliter et celare.*

[1] Er. Lugd. Ven. et Lov. sic, *quanto minus de illo.* M.

ter omnia, per quem facta sunt omnia : factum esse quod fecit. Factus est enim quod fecerat; factus est enim homo qui hominem fecerat, ne periret quod fecerat. Secundum hanc dispensationem jam venerat hora nativitatis, et natus erat : sed nondum venerat hora passionis, ideo nondum passus erat[1].

6. Denique ut noveritis non necessitatem, sed potestatem morientis (a) : propter nonnullos hoc loquor, qui cum audierint, *nondum venit hora ejus*, ædificantur ad credenda fata, et fiunt corda eorum fatua : ut ergo noveritis potestatem morientis, ipsam passionem recolite, crucifixum intuemini. Dixit in ligno pendens, *Sitio*. Illi hoc audito, in arundine per spongiam obtulerunt ei acetum in cruce : accepit, et ait, *Perfectum est;* et inclinato capite, reddidit spiritum. Videtis potestatem morientis, quia hoc exspectabat, donec omnia complerentur quæ de illo prædicta fuerant ante mortem futura. Dixerat enim propheta : *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 22). Exspectabat ut hæc omnia complerentur : posteaquam completa sunt, dixit, *Perfectum est;* et abscessit potestate, quia non venerat necessitate. Ideo quidam plus mirati sunt istam potestatem morientis, quam potentiam miracula facientis. Ventum est enim ad crucem, ut corpora deponerentur de ligno, quoniam sabbatum illucescebat; et inventi sunt latrones viventes. Supplicium quippe crucis ideo durius erat, quia diutius cruciabat, et omnes crucifixi longa morte necabantur. Illi autem, ne remanerent in ligno, cruribus fractis coacti sunt mori, ut possent inde deponi. Dominus autem inventus est mortuus (*Joan.* XIX, 28-33), et admirati sunt homines : et qui eum vivum contempserunt, mortuum sic admirati sunt, ut dicerent quidam, *Vere Filius Dei est hic* (*Matth.* XXVII, 54). Unde est et illud, fratres, ubi ait quærentibus se, *Ego sum;* et illi retro redeuntes omnes ceciderunt (*Joan.* XVIII, 6). Erat ergo in illo potestas summa. Nec hora cogebatur mori; sed horam exspectabat, qua opportune fieret voluntas, non qua inviti impleretur necessitas.

7. *De turba autem multi crediderunt in eum.* Humiles et pauperes salvos faciebat Dominus. Principes insaniebant; et ideo medicum non solum non agnoscebant, sed etiam occidere cupiebant. Erat quædam turba quæ suam ægritudinem cito vidit, et illius medicinam sine dilatione cognovit. Videte quid sibi dixerit turba ipsa commota miraculis : *Numquid Christus cum venerit, plura signa facturus est?* Utique si duo non erunt, hic est. Crediderunt ergo in eum dicentes ista.

8. Principes vero illi audita multitudinis fide, et eo murmure quo Christus glorificabatur, *miserunt ministros, ut apprehenderent eum.* Quem apprehenderent? Adhuc nolentem? Quia ergo non poterant apprehendere nolentem, missi sunt ut audirent docentem. Quid docentem? *Dicit ergo Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* Quod modo vultis facere, facturi estis, sed non modo; quia modo nolo. Quare adhuc modo nolo? Quia *adhuc modicum tempus vobiscum sum : et tunc vado ad eum qui me misit.* Implere debeo dispensationem meam, et sic pervenire ad passionem meam.

9. *Quæretis me, et non invenietis; et ubi sum ego, vos non potestis venire.* Hic jam resurrectionem suam prædixit : noluerunt enim agnoscere præsentem, et postea quæsierunt, cum viderunt in eum multitudinem jam credentem. Magna enim signa facta sunt, etiam cum Dominus resurrexit, et ascendit in cœlum. Tunc per discipulos facta sunt magna; sed ille per illos, qui et per seipsum : ipse quippe illis dixerat, *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). Quando claudus ille qui sedebat ad portam, ad vocem Petri surrexit, et suis pedibus ambulavit, ita ut homines mirarentur, sic eos allocutus est Petrus, quia non in sua potestate ista fecit, sed in virtute illius quem ipsi occiderunt (*Act.* III, 2 16). Multi compuncti dixerunt : *Quid faciemus* (*Id.* II, 37)? Viderunt enim se ingenti crimine impietatis astrictos, quando illum occiderunt, quem venerari et adorare debuerunt : et hoc putabant esse inexpiabile. Magnum enim facinus erat, cujus consideratio illos faceret desperare : sed non debebant desperare, pro quibus in cruce pendens Dominus est dignatus orare. Dixerat enim : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Videbat quosdam suos inter multos alienos; illis jam petebat veniam, a quibus adhuc accipiebat injuriam. Non enim attendebat quod ab ipsis moriebatur, sed quia pro ipsis moriebatur. Multum est quod illis concessum est, et ab ipsis, et pro ipsis; ut nemo de sui peccati dimissione desperet, quando illi veniam meruerunt, qui Christum occiderunt. Mortuus est Christus pro nobis; sed numquid a nobis? At vero illi viderunt Christum suo scelere morientem; et crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem. Quousque biberent sanguinem quem fuderant, de sua salute desperaverunt. Ergo hoc dixit, *Quæretis me, et non invenietis; et ubi sum ego, vos non potestis venire :* quia quæsituri illum erant post resurrectionem compuncti. Nec dixit, ubi ero; sed, *ubi sum.* Semper enim ibi erat Christus, quo fuerat rediturus : sic enim venit, ut non recederet. Unde alio loco ait, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13) : non dixit, qui fuit in cœlo. In terra loquebatur, et in cœlo se esse dicebat. Sic venit, ut inde non abscederet : sic rediit, ut nos non derelinqueret. Quid miramini? Deus hoc facit. Homo enim secundum corpus in loco est, et de loco migrat; et cum ad alium locum venerit, in eo loco unde venit non erit : Deus autem implet omnia, et ubique totus est; non secundum spatia tenetur locis. Erat tamen Dominus Christus secundum visibilem carnem in terra, secundum invisibilem majestatem in cœlo et in terra : ideo ait, *Ubi ego sum, vos non potestis venire.* Nec dixit, non poteritis; sed, *non potestis :* tales enim tunc erant qui non possent. Nam ut sciatis non hoc ad desperationem dictum, et discipulis suis dixit tale aliquid, *Quo*

[1] Editi : *ideo non passurus erat.* At Mss., *passus.*
(a) Confer Tract. 37, n. 8-10.

ego vado, vos non potestis venire (*Joan.* XIII, 33) ; cum pro illis orans dixerit, *Pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum* (*Id.* XVII, 24). Denique hoc Petro exposuit, et ait illi : *Quo ego vado, non potes me sequi modo; sequeris autem postea* (*Id.* XIII, 36).

10. *Dixerunt ergo Judæi*, non ad ipsum; sed, *ad seipsos : Quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, et docturus Gentes?* Non enim sciebant quod dixerunt; sed quia ille voluit, prophetaverunt. Iturus enim erat Dominus ad Gentes, non præsentia corporis sui, sed tamen pedibus suis. Qui erant pedes ejus? Quos pedes conculcare volebat persequendo Saulus, quando ei caput clamavit : « Saule, Saule, quid me persequeris» (*Act.* IX, 4)? «Quis est hic sermo, quem dixit : Quæretis me, et non invenietis; et ubi ego sum, vos non potestis venire? » Unde hoc dixit Dominus, nescierunt, et tamen aliquid quod futurum erat, nescientes prænuntiaverunt. Dixit enim hoc Dominus, quia locum, si tamen dicendus est locus, id est sinum Patris unde nunquam discedit unigenitus Filius, non illi noverant; nec cogitare idonei erant ubi erat Christus, unde non recessit Christus; quo rediturus erat Christus, ubi manebat Christus. Unde hoc cordi humano cogitare, nedum lingua explicare [1]? Hoc ergo illi nullo modo intellexerunt; et tamen ex hac occasione salutem nostram prædixerunt, quod Dominus iturus esset ad dispersionem Gentium, et impleturus quod legebant et non intelligebant, *Populus quem non cognovi, servivit mihi, in obauditu auris obaudivit mihi* (*Psal.* XVII, 45). Illi non audierunt in quorum oculis fuit; illi audierunt in quorum auribus sonuit.

11. Illius enim Ecclesiæ venturæ de Gentibus typum gerebat mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur : tangebat, et non videbatur; nesciebatur, et sanabatur. Figura quippe erat, quod Dominus interrogavit, *Quis me tetigit?* Quasi ignorans ignoratam sanavit (*Luc.* VIII, 43-48) : sic fecit et Gentibus. Non eum didicimus in carne, et meruimus carnem ejus manducare, et in carne ejus membra esse. Quare? Quia misit ad nos. Quos? Præcones suos, discipulos suos, servos suos, redemptos suos quos creavit, sed quos et redemit fratres suos : totum parum dixi : membra sua, s ipsum; misit enim ad nos membra sua, et fecit nos membra sua. Tamen secundum speciem corporis quam Judæi viderunt et contempserunt, non apud nos fuit Christus : quia et hoc de illo dictum erat, sicut et Apostolus dicit, *Dico enim Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum.* Ad illos debuit venire, a quorum patribus et quorum patribus est promissus: ideo et ipse sic ait, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Sed quid dicit Apostolus in sequenti? *Gentes autem super misericordia glorificare Deum* (*Rom.* XV, 8, 9). Quid et ipse Dominus? *Habeo alias oves quæ non sunt ex hoc ovili* (*Joan.* X, 16). Qui dixerat, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel;* quomodo habet alias oves ad quas non est missus, nisi quia significavit præsentiam corporalem non se missum exhibere nisi solis Judæis, qui viderunt et occiderunt? Et multi tamen inde et antea et postea crediderunt. Messis prima de cruce ventilata est, ut esset semen unde alia messis consurgeret. Nunc vero cum fama Evangelii et bono ejus odore excitati credunt fideles ejus per omnes gentes, erit exspectatio gentium, quando veniat qui jam venit (*Gen.* XLIX, 10); quando ab omnibus videatur, qui tunc a quibusdam visus non est, a quibusdam visus est; quando veniat judicaturus qui venit judicandus; quando veniat discreturus, qui venit ut non discerneretur. Non enim ab impiis Christus est discretus, sed cum impiis judicatus : de illo enim dictum est, *Inter iniquos reputatus est* (*Isai.* LIII, 12). Latro evasit : Christus damnatus est (*Marc.* XV, 15; *Joan.* XVIII, 40). Accepit in dulgentiam criminosus, damnatus est qui omnium crimina confitentium relaxavit. Tamen et ipsa crux, si attendas, tribunal fuit : in medio enim judice constituto, unus latro qui credidit liberatus (*Luc.* XXIII, 43); alter qui insultavit damnatus est. Jam significabat quod facturus est de vivis et mortuis; alios positurus ad dexteram, alios ad sinistram : similis ille latro futuris ad sinistram, similis alter futuris ad dexteram. Judicabatur, et judicium minabatur.

TRACTATUS XXXII.

Ab eo loco, In novissimo autem die festivitatis stabat Jesus et clamabat, dicens, Si quis sitit, veniat ad me, et bibat; *usque ad id,* Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus. *Cap.* VII, ℣. 37-39.

1. Inter dissensiones et dubitationes Judæorum de Domino Jesu Christo, inter cætera quæ dixit, quibus alii confunderentur, alii docerentur; *novissimo* illius *festivitatis die* (tunc enim ista agebantur), quæ appellatur Scenopegia, id est tabernaculorum constructio, de qua festivitate jam antea meminit Charitas vestra fuisse dissertum, vocat Dominus Jesus Christus, et hoc non utcumque loquendo, sed clamando, ut qui sitit veniat ad eum. Si sitimus, veniamus; et non pedibus, sed affectibus; nec migrando, sed amando veniamus. Quanquam secundum interiorem hominem, et qui amat migrat. Et aliud est migrare corpore, aliud corde : migrat corpore qui motu corporis mutat locum; migrat corde, qui motu cordis mutat affectum. Si aliud amas, aliud amabas, non ibi es ubi eras.

2. Clamat ergo nobis Dominus : *Stabat* enim, *et clamabat, Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Quid hoc esset, quando Evangelista exposuit, immorari non debemus. Unde enim dixerit Dominus, *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat*, et, *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ;* consequenter exposuit Evangelista, dicens : *Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.* Est ergo sitis interior et ven-

[1] Er., *lingua.* Juxta Lugd. Ven. Lov., *linguæ.* M.

ter interior, quia est homo interior. Et ille quidem interior invisibilis, exterior autem visibilis : sed melior interior quam exterior. Et quod non videtur, hoc plus amatur : constat enim plus amari hominem interiorem quam exteriorem. Unde hoc constat? Unusquisque in seipso probet. Quamvis enim qui male vivunt, animos suos corpori addicant; vivere tamen volunt, quod non est nisi animi, magisque seipsos indicant qui regunt, quam illa quæ reguntur. Regunt enim animi, reguntur corpora. Gaudet quisque voluptate, et capit de corpore voluptatem : sed separa animum, nihil restat in corpore quod gaudeat; et si de corpore gaudet, animus gaudet. Si gaudet de domo sua, de se non debet gaudere? et si habet animus unde oblectetur extrinsecus, sine deliciis manet intrinsecus? Omnino constat plus amare hominem animam suam quam corpus suum. Sed et in alio homine plus amat homo animam quam corpus. Quid enim amatur in amico, ubi est amor sincerior et castior? Quid amatur in amico; animus, an corpus? Si fides amatur, animus amatur : si benevolentia amatur, benevolentiæ sedes animus est : si hoc amas in altero, quia et ipse amat te, animum amas; quia non caro, sed animus amat. Ideo enim amas, quia te amat : quære unde te amet, et vide quid ames. Plus ergo amatur, et non videtur.

3. Aliquid etiam volo dicere, ubi magis appareat Dilectioni vestræ quantum ametur animus, et quemadmodum corpori præponatur. Illi ipsi lascivi amatores, qui pulchritudine corporum delectantur, et forma membrorum accenduntur, tunc amant amplius quando amantur. Nam si amet et sentiat quia odio habetur, magis irascitur quam diligit. Quare magis irascitur quam diligit? Quia non ei redditur quod impendit. Si ergo ipsi corporum amatores redamari se volunt, et hoc eos magis delectat si amentur; quales sunt amatores animorum? Et si magni sunt amatores animorum, quales sunt amatores Dei, qui pulchros animos facit? Sicut enim animus facit decus in corpore, sic Deus in animo. Non enim facit corpori unde ametur nisi animus : qui cum migraverit, cadaver horrescis; et quantumcumque pulchra illa membra dilexeris, sepelire festinas. Decus ergo corporis, animus : decus animi, Deus.

4. Clamat ergo Dominus ut veniamus et bibamus, si intus sitiamus; et dicit quia cum biberimus, flumina aquæ vivæ fluent de ventre nostro. Venter interioris hominis conscientia cordis est. Bibito ergo isto liquore vivescit purgata conscientia; et hauriens, fontem habebit; etiam ipsa fons erit. Quid est fons, et quid est fluvius qui manat de ventre interioris hominis? Benevolentia, qua vult consulere proximo. Si enim putet quia quod bibit soli ipsi debet sufficere; non fluit aqua viva de ventre ejus : si autem proximo festinat consulere; ideo non siccat, quia manat. Videbimus nunc quid sit quod bibunt, qui credunt in Domino; quia utique Christiani sumus, et si credimus, bibimus. Et unusquisque in seipso debet agnoscere si bibit, et si vivit ex eo quod bibit : non enim nos deserit fons, si non deseramus fontem.

5. Exposuit Evangelista, ut dixi, unde Dominus clamasset, ad qualem potum invitasset, quid bibentibus propinasset, dicens, *Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*. Quem dicit Spiritum, nisi sanctum Spiritum? Nam unusquisque homo habet in se proprium spiritum, de quo loquebar cum animum commendarem. Animus enim cujusque, proprius est spiritus ejus : de quo dicit Paulus apostolus, *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* deinde adjunxit, *Sic et quæ Dei sunt, nemo scit, nisi Spiritus Dei* (I *Cor*. II, 11). Nostra nemo scit, nisi spiritus noster. Non enim novi quid cogitas, aut tu quid cogito : ipsa enim sunt propria nostra, quæ interius cogitamus; et cogitationum uniuscujusque hominis ipsius spiritus testis est. *Sic et quæ Dei sunt, nemo scit, nisi Spiritus Dei.* Nos cum spiritu nostro, Deus cum suo : ita tamen ut Deus cum suo Spiritu sciat etiam quid agatur in nobis; nos autem sine ejus Spiritu scire non possumus quid agatur in Deo. Deus autem scit in nobis et quod ipsi nescimus in nobis. Nam infirmitatem suam Petrus nesciebat, quando a Domino quod ter esset negaturus audiebat (*Matth*. XXVI, 33-35), et æger se ignorabat; medicus ægrum sciebat. Sunt ergo quædam quæ Deus novit in nobis, nescientibus nobis. Tamen quantum ad homines pertinet, nemo sic se novit quomodo ipse homo : alius nescit quid in illo agatur, sed spiritus ejus novit. Accepto autem Spiritu Dei, discimus et quid agatur in Deo : non totum, quia non accepimus totum. De pignore multa novimus : pignus enim accepimus, et hujus pignoris plenitudo postea dabitur. Interim in hac peregrinatione pignus nos consoletur, quia qui nos dignatus est oppignerare, multum paratus est dare. Si talis est arrha, quid est cujus est arrha?

6. Sed quid est quod ait, *Non enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus?* In evidenti est intellectus. Non enim non erat Spiritus Dei, qui erat apud Deum; sed nondum erat in eis qui crediderant in Jesum. Ita enim disposuit Dominus Jesus non eis dare Spiritum istum de quo loquimur, nisi post resurrectionem suam; et hoc non sine causa. Et forte si quæramus, annuet ut inveniamus; et si pulsemus, aperiet ut intremus. Pietas pulsat, non manus : quanquam pulsat et manus, si ab operibus misericordiæ non cesset manus. Quæ igitur causa est cur Dominus Jesus Christus statuerit nonnisi cum esset glorificatus, dare Spiritum sanctum? Quod antequam dicamus ut possumus, prius quærendum est, ne quem forte moveat, quomodo nondum erat Spiritus in hominibus sanctis, cum de ipso Domino recens nato legatur in Evangelio, quod eum in Spiritu sancto agnoverit Simeon, agnoverit etiam Anna vidua prophetissa (*Luc*. II, 25-38); agnoverit Joannes ipse, qui eum baptizavit (*Joan*. I, 26-34) : impletus Spiritu sancto Zacharias multa dixit (*Luc*. I, 67-79); Spiritum sanctum ipsa Maria, ut Dominum concipe-

ret, accepit (*Luc.* 35). Multa ergo indicia præcedentia Spiritus sancti habemus, antequam Dominus glorificaretur resurrectione carnis suæ. Non enim alium spiritum etiam Prophetæ habuerunt, qui Christum venturum prænuntiaverunt. Sed modus quidam futurus erat dationis hujus, qui omnino antea non apparuerat : de ipso hic dicitur. Nusquam enim legimus antea congregatos homines accepto Spiritu sancto, linguis omnium gentium locutos fuisse. Post resurrectionem autem suam, primum quando apparuit discipulis suis, dixit illis : *Accipite Spiritum sanctum.* De hoc ergo dictum est, *Non erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Et insufflavit in faciem eorum* (*Joan.* xx, 22), qui flatu primum hominem vivificavit, et de limo erexit, quo flatu animam membris dedit (*Gen.* II, 7); significans eum se esse qui insufflavit in faciem eorum, ut a luto exsurgerent, et luteis operibus renuntiarent. Tunc primum post resurrectionem suam Dominus, quam dicit Evangelista glorificationem, dedit discipulis suis Spiritum sanctum. Deinde commoratus cum eis quadraginta dies, ut liber Actuum Apostolorum demonstrat, ipsis videntibus, et videndo deducentibus, ascendit in cœlum (*Act.* I, 3 *et* 9). Ibi peractis decem diebus, die Pentecostes misit desuper Spiritum sanctum. Quo, sicut dixi, qui fuerant in uno loco congregati, accepto impleti, omnium gentium linguis locuti sunt (*Id.* II, 1-6).

7. Quid ergo, fratres, quia modo qui baptizatur in Christo, et credit in Christum, non loquitur omnium gentium linguis, non est credendus accepisse Spiritum sanctum? Absit ut ista perfidia tentetur cor nostrum. Certi sumus omnem hominem accipere : sed quantum vas fidei attulerit ad fontem, tantum implet. Cum ergo et modo accipiatur, dixerit aliquis, quare nemo loquitur linguis omnium gentium? Quia jam ipsa Ecclesia linguis omnium gentium loquitur. Antea in una gente erat Ecclesia, ubi omnium linguis loquebatur. Loquendo linguis omnium, significabat futurum ut crescendo per gentes, loqueretur linguis omnium. In hac Ecclesia qui non est, nec modo accipit Spiritum sanctum. Præcisus enim et divisus ab unitate membrorum, quæ unitas linguis omnium loquitur, renuntiet sibi; non habet [1]. Nam si habet, det signum quod tunc dabatur. Quid est, det signum quod tunc dabatur? Loquatur omnibus linguis. Respondet mihi : Quid enim, tu loqueris omnibus linguis? Loquor plane, quia omnis lingua mea est, id est, ejus corporis cujus membrum sum. Diffusa Ecclesia per gentes loquitur omnibus linguis; Ecclesia est corpus Christi, in hoc corpore membrum es : cum ergo membrum sis ejus corporis quod loquitur omnibus linguis, crede te loqui omnibus linguis. Unitas enim membrorum charitate concordat; et ipsa unitas loquitur quomodo tunc unus homo loquebatur.

8. Accipimus ergo et nos Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam, si charitate compaginamur, si catholico nomine et fide gaudemus. Credamus, fratres; quantum quisque amat Ecclesiam Christi, tantum habet Spiritum sanctum. Datus est enim Spiritus, sicut Apostolus dicit, *ad manifestationem.* Quam manifestationem? Sicut ipse idem dicit, *Quia alii datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii donatio curationum in uno Spiritu, alii operatio virtutum in eodem Spiritu.* Multa enim dantur ad manifestationem, sed tu forsitan eorum omnium quæ dixi nihil habes. Si amas, non nihil habes : si enim amas unitatem, etiam tibi habet quisquis in illa habet aliquid. Tolle invidiam, et tuum est quod habeo : tollam invidiam, et meum est quod habes. Livor separat, sanitas jungit. Oculus solus videt in corpore : sed numquid soli sibi oculus videt? Et manui videt, et pedi videt, et cæteris membris videt : non enim si aliquis ictus in pedem veniat, avertit se oculus inde ut non præcaveat. Rursus sola manus operatur in corpore; sed numquid sibi soli operatur? Et oculo operatur : nam si ictus aliquis veniens non eat in manum, sed tantum in faciem, numquid dicit manus, Non me moveo, quia non tendit ad me? Sic pes ambulando omnibus membris militat : membra cætera tacent, et lingua omnibus loquitur. Habemus ergo Spiritum sanctum, si amamus Ecclesiam : amamus autem, si in ejus compage et charitate consistimus. Nam ipse Apostolus cum dixisset diversa dona dari diversis hominibus, tanquam officia quorumque membrorum, *Adhuc,* inquit, *supereminentiorem viam vobis demonstro,* et cœpit loqui de charitate. Præposuit eam linguis hominum et Angelorum, præposuit miraculis fidei, præposuit scientiæ et prophetiæ, præposuit etiam illi magno operi misericordiæ, quo sua quæ possidet distribuit quisque pauperibus; et ad extremum præposuit eam etiam corporis passioni : his omnibus tam magnis rebus præposuit charitatem (I *Cor.* XII, 7-XIII, 3). Ipsam habeto, et cuncta habebis : quia sine illa nihil proderit, quidquid habere potueris. Quia vero ad Spiritum sanctum pertinet charitas de qua loquimur (quæstio enim modo in Evangelio de Spiritu sancto retractatur), audi Apostolum dicentem, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5).

9. Quare ergo Dominus Spiritum, cujus maxima beneficia sunt in nobis, quia charitas Dei per ipsum diffusa est in cordibus nostris, post resurrectionem suam dare voluit? quid significavit? Ut in resurrectione nostra charitas nostra flagret, et ab amore sæculi separet, ut tota currat in Deum. Hic enim nascimur et morimur, hoc non amemus : charitate migremus, charitate sursum habitemus, charitate illa qua diligimus Deum. Nihil aliud in hac vitæ nostræ peregrinatione meditemur, nisi quia et hic non semper erimus, et ibi nobis locum bene vivendo præparabimus, unde nunquam migremus. Dominus enim noster Jesus Christus, posteaquam resurrexit, *jam non moritur; mors illi ultra,* sicut Apostolus dicit, *non dominabitur* (*Id.* VI, 9). Ecce quod amemus. Si vi-

[1] In plerisque Mss., *renuntiet si non habet.*

vimus, si in ipsum credimus qui resurrexit; dabit nobis, non quod hic amant homines qui Deum non amant, aut tanto plus amant, quanto illum minus amant; tanto autem hoc minus amant, quanto illum plus amant. Sed videamus quid nobis promisit : non divitias terrenas et temporales, non honores et potestates in sæculo isto; videtis enim omnia hæc dari et hominibus malis, ne magnipendantur a bonis. Non ipsam postremo corporis sanitatem : non quia ipse illam non dat, sed quia, ut videtis, et pecoribus dat. Non vitam longam. Quid est enim longum quod aliquando finitur? Non pro magno nobis credentibus promisit longævitatem, aut decrepitam senectutem; quam omnes optant antequam veniat, omnes de illa cum venerit murmurant. Non pulchritudinem corporis, quam vel corporis morbus, vel ipsa senectus quæ optatur exterminat. Vult esse pulcher, et vult esse senex : ista duo desideria sibi invicem concordare non possunt : si senex eris, pulcher non eris : quando senectus venerit, pulchritudo fugiet; et in uno habitare non possunt vigor pulchritudinis, et gemitus senectutis. Omnia ergo ista non nobis promisit, qui dixit, *Qui credit in me, veniat, et bibat; et flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Vitam æternam promisit, ubi nihil timeamus, ubi non conturbemur, unde non migremus, ubi non moriamur; ubi nec decessor plangatur, nec successor speretur. Quia ergo tale est quod nobis promisit amantibus, et Spiritus sancti charitate ferventibus; ideo ipsum Spiritum noluit dare, nisi cum esset glorificatus : ut in suo corpore ostenderet vitam, quam modo non habemus, sed in resurrectione speramus.

TRACTATUS XXXIII.

Ab eo loco Evangelii, Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones ejus, *etc., usque ad id,* Nec ego te condemnabo; vade, et amplius noli peccare. *Cap.* VII, ℣. 40-53, et cap. VIII, ℣. 1-11.

1. Meminit Charitas vestra, sermone pristino ex occasione lectionis evangelicæ locutos nos esse vobis de Spiritu sancto. Ad hunc potandum cum Dominus invitasset credentes in se, loquens inter eos qui illum tenere cogitabant, et interficere cupiebant nec valebant, quia ille nolebat : cum ergo hæc locutus esset, nata est de illo in turba dissensio, aliis putantibus quod ipse esset Christus, aliis dicentibus quia de Galilæa non exsurget Christus. Qui vero missi fuerant, ut eum tenerent, redierunt immunes a crimine, et pleni admiratione. Nam et testimonium perhibuerunt divinæ doctrinæ ejus, cum dicerent a quibus missi fuerant, *Quare non adduxistis eum?* Responderunt enim nunquam se audisse hominem sic locutum : *Non enim quisquam sic loquitur homo.* Ille autem sic locutus est, quia Deus erat et homo. Tamen Pharisæi testimonium eorum repellentes, dixerunt eis : *Numquid et vos seducti estis?* Videmus enim delectatos vos esse sermonibus illius. *Numquid aliquis de principibus credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc quæ non novit Legem, maledicti sunt.* Qui non noverant Legem, ipsi credebant in eum qui miserat Legem; et eum qui miserat Legem, contemnebant illi qui docebant Legem : ut impleretur quod dixerat ipse Dominus, *Ego veni ut non videntes videant, et videntes cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Cæci enim facti sunt Pharisæi doctores, illuminati sunt populi nescientes Legem, et in auctorem Legis credentes.

2. *Nicodemus* tamen *unus ex Pharisæis, qui ad Dominum nocte venerat,* et ipse non quidem incredulus, sed timidus; nam ideo nocte venerat ad lucem, quia illuminari volebat, et sciri timebat : respondit Judæis, *Numquid Lex nostra judicat hominem, nisi audierit ab ipso prius et cognoverit quid faciat?* Volebant enim illi perverse ante esse damnatores quam cognitores. Sciebat enim Nicodemus, vel potius credebat, quia si tantummodo eum vellent patienter audire, forte similes fierent illis qui missi sunt tenere, et maluerunt credere. *Illi responderunt,* ex præjudicio cordis sui, quod et illis : *Numquid et tu Galilæus es?* Id est, quasi a Galilæo seductus. Dominus enim Galilæus dicebatur, quoniam de Nazareth civitate erant parentes ejus. Secundum Mariam dixi parentes, non secundum virile semen : non enim quæsivit in terra nisi matrem, qui jam habebat desuper Patrem. Nam utraque ejus nativitas mirabilis fuit; divina sine matre, humana sine patre. Quid ergo illi quasi Legis doctores ad Nicodemum dixerunt? *Scrutare Scripturas, et vide quia propheta a Galilæa non surgit.* Sed Dominus Prophetarum inde surrexit. *Reversi sunt,* inquit Evangelista, *unusquisque in domum suam.*

3. *Inde Jesus perrexit in montem :* in montem autem *Oliveti,* in montem fructuosum, in montem unguenti, in montem chrismatis. Ubi enim decebat docere Christum, nisi in monte Oliveti? Christi enim nomen a chrismate dictum est : χρίσμα autem græce, latine unctio nuncupatur. Ideo autem nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit. *Et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos.* Et non tenebatur, quia nondum pati dignabatur.

4. Nunc jam attendite, ubi ab inimicis tentata sit Domini mansuetudo. « Adducunt autem illi Scribæ et Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, et statuerunt eam in medio; et dixerunt ei : Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In Lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare : tu ergo quid dicis? Hæc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. » Unde accusare? Numquid ipsum in aliquo facinore deprehenderant, aut illa mulier ad eum aliquo modo pertinuisse dicebatur? Quid est ergo, *tentantes eum, ut possent accusare eum?* Intelligimus, fratres, admirabilem mansuetudinem in Domino præeminuisse. Animadverterunt eum nimium esse mitem, nimium esse mansuetum : de illo quippe fuerat ante prædictum, *Accingere gladio tuo circa femur tuum, potentissime; specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna : propter veritatem et mansuetudinem et justitiam.* (*Psal.* XLIV, 4 et 5). Ergo attulit veritatem ut doctor, mansue-

tudinem ut liberator, justitiam ut cognitor. Propter hæc eum esse regnaturum in Spiritu sancto propheta prædixerat (*Isai.* XI). Cum loqueretur, veritas agnoscebatur : cum adversus inimicos non moveretur, mansuetudo laudabatur. Cum ergo de duobus istis, id est de veritate et mansuetudine ejus, inimici livore et invidia torquerentur; in tertio, id est justitia, scandalum posuerunt. Quare? Quia Lex jusserat adulteros lapidari; et utique Lex quod injustum erat jubere non poterat : si quis aliud diceret quam Lex jusserat, injustus deprehenderetur. Dixerunt ergo apud semetipsos : Verax putatur, mansuetus videtur; de justitia illi quærenda calumnia est. Offeramus ei mulierem in adulterio deprehensam, dicamus quid de illa in Lege præceptum sit : si eam jusserit lapidari, mansuetudinem non habebit : si eam dimitti censuerit, justitiam non tenebit. Ut autem mansuetudinem, inquiunt, non perdat, in qua jam populis amabilis factus est, sine dubio eam dimitti debere dicturus est. Hinc nos invenimus accusandi occasionem, et reum facimus tanquam Legis prævaricatorem : dicentes ei, Hostis es Legis, contra Moysen respondes, imo contra eum qui per Moysen Legem dedit; reus es mortis, cum illa et tu ipse lapidandus. Posset his verbis atque his sententiis inflammari invidia, fervere accusatio, flagitari damnatio. Sed cui hoc? Perversitas rectitudini, falsitas veritati, corruptum cor cordi recto, stultitia sapientiæ. Quando illi laqueos præpararent, in quos non prius ipsi caput injicerent? Ecce Dominus in respondendo et justitiam servaturus est, et a mansuetudine non recessurus. Non est captus cui tendebatur, sed potius capti sunt qui tendebant; quia in eum qui eos posset de laqueis eruere, non credebant.

5. Quid ergo respondit Dominus Jesus? quid respondit veritas? quid respondit sapientia? quid respondit ipsa cui calumnia parabatur justitia? Non dixit, Non lapidetur; ne contra Legem dicere videretur. Absit autem ut diceret, Lapidetur : venit enim non perdere quod invenerat, sed quærere quod perierat (*Luc.* XIX, 10). Quid ergo respondit? Videte quam plenum sit justitia, plenum mansuetudine et veritate! *Qui sine peccato est vestrum*, inquit, *prior in illam lapidem mittat.* O responsio sapientiæ! Quomodo eos intromisit in se? Foris enim calumniabantur, seipsos intrinsecus non perscrutabantur : adulteram videbant, se non perspiciebant. Prævaricatores Legis Legem impleri cupiebant, et hoc calumniando; non vere, tanquam adulteria castitate damnando. Audistis, Judæi; audistis, Pharisæi; audistis, Legis doctores, Legis custodem, sed nondum intellexistis Legislatorem. Quid vobis aliud significat, cum digito scribit in terra? Digito enim Dei Lex scripta est; sed propter duros in lapide scripta est (*Exod.* XXXI, 18). Nunc jam Dominus in terra scribebat, quia fructum quærebat. Audistis ergo, Impleatur Lex, lapidetur adultera : sed numquid in illa punienda, Lex implenda est a puniendis? Consideret se unusquisque vestrum, intret in semetipsum, ascendat tribunal mentis suæ, constituat se ante conscientiam suam, cogat se confiteri. Scit enim qui sit[1] : quia nemo scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est (I *Cor.* II, 11). Unusquisque in se intendens, peccatorem se invenit. Ita plane. Ergo aut istam dimittite, aut simul cum illa pœnam Legis excipite. Si diceret, Non lapidetur adultera; injustus convinceretur : si diceret, Lapidetur; mansuetus non videretur : dicat quod dicere debet, et mansuetus et justus, *Qui sine peccato est vestrum, prior in illam lapidem mittat.* Hæc vox justitiæ est : Puniatur peccatrix, sed non a peccatoribus; impleatur Lex, sed non a prævaricatoribus Legis. Hæc vox omnino justitiæ est : qua justitia illi tanquam trabali telo percussi, sese inspicientes et reos invenientes, *unus post unum omnes recesserunt.* Relicti sunt duo, misera et misericordia. Dominus autem cum eos illo telo justitiæ percussisset, nec dignatus est cadentes attendere, sed averso ab eis obtutu, *rursum digito scribebat in terra.*

6. Relicta autem sola illa muliere, omnibusque abeuntibus, levavit oculos suos ad mulierem. Audivimus vocem justitiæ, audiamus et mansuetudinis. Plus enim, credo, territa erat illa mulier cum audisset a Domino dictum, *Qui sine peccato est vestrum, prior in illam lapidem mittat.* Illi ergo attendentes se, et abscessu ipso confessi de se, reliquerant mulierem cum grandi peccato, ei qui erat sine peccato. Et quia illa hoc audierat, *Qui sine peccato est, prior in illam lapidem mittat;* ab illo se sperabat puniendam, in quo peccatum inveniri non poterat. Ille autem qui adversarios ejus repulerat lingua justitiæ, levans in eam oculos mansuetudinis, interrogavit eam : *Nemo te condemnavit?* Respondit illa : *Domine, nemo.* Et ille : *Nec ego te condemnabo;* a quo te forte damnari timuisti, quia in me peccatum non invenisti. *Nec ego te damnabo.* Quid est, Domine? Faves ergo peccatis? Non plane ita. Attende quod sequitur : *Vade, deinceps jam noli peccare.* Ergo et Dominus damnavit, sed peccatum, non hominem. Nam si peccatorum fautor esset, diceret, Nec ego te damnabo; vade, vive ut vis : de mea liberatione esto secura; ego quantumcumque peccaveris, te ab omni pœna etiam gehennæ et inferni tortoribus liberabo. Non hoc dixit.

7. Intendant ergo qui amant in Domino mansuetudinem, et timeant veritatem. Etenim *dulcis et rectus Dominus* (*Psal.* XXIV, 8). Amas quod dulcis est, time quod rectus est. Tanquam mansuetus dixit, *Tacui :* sed tanquam justus, *Numquid semper tacebo* (*Isai.* XLII, 14, *sec.* LXX)? *Misericors et miserator Dominus.* Ita plane. Adhuc adde, *longanimis;* adhuc adde, *et multum misericors :* sed time quod est in novissimo, *et verax* (*Psal.* LXXXV, 15). Quos enim modo sustinet peccantes, judicaturus est contemnentes. *An divitias longanimitatis et mansuetudinis ejus contemnis, ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui et cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ et revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua* (*Rom.* II, 4-6). Mansuetus Dominus, longanimis Do-

[1] Apud Er., *quis sit.* M.

minus, misericors Dominus : sed et justus Dominus, et verax Dominus. Largitur tibi spatium correctionis : sed tu plus amas dilationem quam emendationem. Malus fuisti heri? hodie bonus esto. Et hodiernum diem in malitia peregisti? vel cras mutare. Semper exspectas, et de misericordia Dei tibi plurimum polliceris : quasi ille qui tibi per pœnitentiam [1] promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam prolixiorem vitam. Unde scis quid pariat crastinus dies? Recte dicis in corde tuo : Quando me correxero, Deus mihi omnia peccata dimittet. Negare non possumus quod correctis atque conversis indulgentiam Deus promisit. Nam in quo propheta mihi legis quia promisit correcto indulgentiam, non mihi legis quia promisit tibi Deus longam vitam.

8. Ex utroque igitur homines periclitantur, et sperando et desperando, contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperando qui decipitur? Qui dicit [2], Bonus est Deus, misericors est Deus, faciam quod mihi placet, quod libet; laxem habenas cupiditatibus meis, impleam desideria animæ meæ. Quare hoc? Quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus. Spe isti periclitantur. Desperatione autem, qui cum inciderint in gravia peccata, putantes sibi non posse jam ignosci pœnitentibus, et statuentes se ad damnationem sine dubio destinatos, dicunt apud seipsos, Jam damnandi sumus [3], quare non quod volumus facimus? animo gladiatorum ferro destinatorum. Ideo molesti sunt desperati : jam enim quod timeant non habent, et vehementer timendi sunt. Istos desperatio necat, spes illos. Inter spem et desperationem fluctuat animus. Metuendum est ne te occidat spes, et cum multum speras de misericordia, incidas in judicium : metuendum est rursus ne te occidat desperatio, et cum putas jam tibi non ignosci quæ gravia commisisti, non agas pœnitentiam, et incurras in judicem Sapientiam, quæ dicit, *Et ego vestræ perditioni superridebo* (*Prov.* I, 26). Quid ergo agit Dominus cum periclitantibus utroque morbo? Illis qui spe periclitantur, hoc dicit : *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te* (*Eccli*. V, 8, 9). Illis qui desperatione periclitantur, quid dicit? *In quacumque die iniquus conversus fuerit, omnes iniquitates ejus obliviscar* (*Ezech.* XVIII, 21, 22, 27). Propter illos ergo qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum : propter illos qui spe periclitantur et dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Quando veniat ultimus dies, nescis. Ingratus es, quia hodiernum habes, in quo corrigaris? Sic ergo ad istam mulierem, *Nec ego te damnabo*; sed facta secura de præterito, cave futura. *Nec ego te damnabo* : delevi quod commisisti, observa quod præcepi, ut invenias quod promisi.

[1] Sic Ms. Carcassonensis. Cæteri libri, *per patientiam.*
[2] In B. : *Sperando decipitur, qui decipitur, qui dicit.* Er. Lugd. Ven. et Lov. secuti sumus. M.
[3] In duobus Mss., *jam damnati sumus.*

TRACTATUS XXXIV.

In illud, Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. *Cap.* VIII, ℣. 12.

1. Quod modo audivimus et intenti accepimus, cum sanctum Evangelium legeretur, non dubito quod omnes etiam intelligere conati sumus : et quisque nostrum de re tam magna quæ lecta est, pro suo modulo cepit quod potuit; et posito pane verbi, nemo est qui se queratur nihil gustasse. Sed iterum non dubito, quia difficile quisquam est qui totum intellexerit. Tamen etiamsi est qui omnia verba Domini nostri Jesu Christi modo ex Evangelio recitata satis intelligat; toleret ministerium nostrum, quousque, si possimus, illo adjuvante tractando faciamus ut vel omnes vel multi intelligant, quod se pauci intellexisse lætantur.

2. Quod ait Dominus, *Ego sum lux mundi*, clarum puto esse eis qui habent oculos, unde hujus lucis participes fiant : qui autem non habent oculos nisi in sola carne, mirantur quod dictum est a Domino Jesu Christo, *Ego sum lux mundi*. Et forte non desit qui dicat apud semetipsum : Numquid forte Dominus Christus est sol iste, qui ortu et occasu peragit diem? Non enim defuerunt hæretici qui ista senserunt. Manichæi solem istum oculis carnis visibilem expositum et publicum non tantum hominibus, sed etiam pecoribus ad videndum, Christum Dominum esse putaverunt. Sed catholicæ Ecclesiæ recta fides improbat tale commentum, et diabolicam doctrinam esse cognoscit : nec solum agnoscit credendo, sed in quibus potest convincit etiam disputando. Improbemus itaque hujusmodi errorem, quem sancta ab initio anathematizavit Ecclesia. Non arbitremur Dominum Jesum Christum hunc esse solem quem videmus oriri ab oriente, occidere in occidente; cujus cursui nox succedit, cujus radii nube obumbrantur, qui certa de loco in locum motione commigrat : non est hoc Dominus Christus. Non est Dominus Christus sol factus, sed per quem sol factus est. Omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I, 3).

3. Est ergo lux quæ fecit hanc lucem : hanc amemus, hanc intelligere cupiamus, ipsam sitiamus; ut ad ipsam duce ipsa aliquando veniamus, et in illa ita vivamus, ut nunquam omnino moriamur. Ista enim lux est, de qua prophetia olim præmissa ita in Psalmo cecinit : *Homines et jumenta salvos facies, Domine; sicut multiplicata est misericordia tua, Deus.* Psalmi sancti ista verba sunt : advertite quid de tali luce antiquus sanctorum hominum Dei sermo præmiserit. *Homines*, inquit, *et jumenta salvos facies, Domine; sicut multiplicata est misericordia tua, Deus.* Quoniam enim Deus es, et habes multiplicem misericordiam; pervenit eadem multiplicitas misericordiæ tuæ, non solum ad homines quos creasti ad imaginem tuam, sed etiam ad pecora quæ hominibus subdidisti. A quo enim salus hominis, ab illo salus et pecoris. Non erubescas hoc sentire de Domino Deo tuo : imo præsumas et fidas, et caveas ne aliter sentias. Qui salvum

facit te, ipse salvum facit equum tuum, ipse ovem tuam; ad minima omnino veniamus, ipse gallinam tuam: Domini est salus (*Psal.* III,9), et ista Deus salvat. Movet te, interrogas; miror quid dubitas. Dedignabitur salvare, qui dignatus est creare? Domini est salus Angelorum, hominum, pecorum; Domini est salus. Sicut nemo est a seipso, ita nemo salvus est a seipso. Proinde verissime Psalmus atque optime ait, *Homines et jumenta salvos facies, Domine.* Quare? *Sicut multiplicata est misericordia tua, Deus.* Tu enim es Deus, tu creasti, tu salvas: tu dedisti esse, tu das sanum esse.

4. Si ergo sicut multiplicata est misericordia Dei, ab illo homines et jumenta salvantur; nonne homines habent aliquid aliud quod eis Deus præstet creator, quod jumentis non præstat? Nullane discretio est inter animal factum ad imaginem Dei, et animal subditum imagini Dei? Est plane: præter salutem istam communem nobis cum animantibus mutis, est quod nobis præstet Deus, illis autem non præstat. Quid est hoc? Sequere in eodem psalmo: *Filii autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt.* Habentes modo salutem communem cum pecoribus suis, *Filii hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt.* Aliam habent salutem in re, aliam in spe. Salus ista quæ in præsenti est, hominibus pecoribusque communis est: sed est alia quam sperant homines; et accipiunt qui sperant, non accipiunt qui desperant. *Filii* enim *hominum sub tegmine*, inquit, *alarum tuarum sperabunt.* Qui autem perseveranter sperant, a te proteguntur, ne de spe a diabolo dejiciantur: *sub tegmine alarum tuarum sperabunt.* Si ergo sperabunt, quid sperabunt, nisi quod pecora non habebunt? *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quale vinum est, unde inebriari laudabile est? quale vinum est, quod non turbat, sed dirigit mentem? quale vinum est, quod facit perpetuo sanum, non inebriando facit insanum? *Inebriabuntur.* Unde? *Ab ubertate domus tuæ; et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Unde? *Quoniam apud te fons vitæ.* Ipse fons vitæ ambulabat in terra, ipse dicebat, *Qui sitit, veniat ad me* (*Joan.* VII, 37). Ecce fons. Sed nos de lumine loqui cœperamus, et propositam ex Evangelio quæstionem de lumine tractabamus. Lectum est enim nobis dicente Domino, *Ego sum lux mundi.* Inde quæstio, ne quis carnaliter sapiens solem istum intelligendum putaret: venimus inde ad Psalmum, quo considerato, invenimus interim Dominum fontem vitæ. Bibe et vive. *Apud te*, inquit, *fons vitæ:* ideo sub umbraculo alarum tuarum sperant filii hominum, inebriari isto fonte quærentes. Sed de lumine dicebamus. Sequere ergo: nam Propheta cum dixisset, *Apud te fons vitæ*, secutus adjunxit, *In lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* XXXV, 8, 10); Deum de Deo, lumen de lumine. Per hoc lumen factum est solis lumen: et lumen quod fecit solem, sub quo fecit et nos, factum est sub sole propter nos. Factum est, inquam, propter nos sub sole lumen quod fecit solem. Noli contemnere nubem carnis: nube tegitur, non ut obscuretur, sed ut temperetur.

5. Loquens ergo per nubem carnis lumen indeficiens, lumen sapientiæ, ait hominibus, *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulabit in tenebris; sed habebit lumen vitæ.* Quomodo te abstulit ab oculis carnis, et revocavit ad oculos cordis? Non enim sufficit dicere, *Qui me sequitur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen;* addidit enim, *vitæ;* sicut ibi dictum est, *Quoniam apud te fons vitæ.* Videte itaque, fratres mei, quomodo verba Domini cum illius psalmi veritate concordant: et ibi lumen positum est cum fonte vitæ, et a Domino dictum est *lumen vitæ.* In istis autem usibus corporalibus aliud est lumen, aliud fons: fontem fauces quærunt, lumen oculi: quando sitimus quærimus fontem; quando in tenebris sumus, quærimus lumen; et si forte nocte sitiamus, lumen accendimus ut ad fontem veniamus. Non sic apud Deum: quod lumen est, hoc est fons; qui tibi lucet ut videas, ipse tibi manat ut bibas.

6. Videtis ergo, fratres mei, videtis, si intus videtis, quale hoc lumen est de quo Dominus dicit, *Qui me sequitur, non ambulabit in tenebris.* Sequere istum solem, videamus si non ambulabis in tenebris. Ecce oriundo exit ad te: ille cursu suo ad occidentem pergit; tibi forte ad orientem profectio est: nisi tu in contrariam partem pergas, non qua ille tendit, sequendo eum profecto errabis, et pro oriente occidentem tenebis. Tu eum in terra si sequaris, errabis: nauta si eum in mari sequatur, errabit. Postremo videtur tibi sequendum esse solem, et tendis etiam ipse ad occidentem, quo et ille tendit: videamus cum occiderit, si non ambulabis in tenebris. Vide quemadmodum etsi nolueris eum tu deserere, ipse te deseret, servitutis suæ necessitate peragens diem. Dominus autem noster Jesus Christus interim et cum per carnis nubem non omnibus apparebat, per sapientiæ potestatem omnia tenebat. Deus tuus ubique totus est: si non ab illo facias casum, nunquam a te ipse facit occasum.

7. Qui ergo *me*, inquit, *sequitur, non ambulabit in tenebris; sed habebit lumen vitæ.* Quod promisit, futuri temporis verbo posuit: non enim ait, habet; sed, *habebit*, inquit, *lumen vitæ.* Nec ait tamen, qui sequetur me; sed, *qui sequitur me.* In eo quod facere debemus, præsens tempus posuit: quod autem promisit facientibus, futuri temporis verbo significavit. *Qui sequitur habebit.* Modo sequitur, post habebit: modo sequitur per fidem, post habebit per speciem. *Quamdiu* enim *sumus in corpore*, ait Apostolus, *peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem* (II *Cor.* v, 6, 7). Quando per speciem? Cum habuerimus lumen vitæ, cum ad illam visionem venerimus, quando nox ista transierit. De illo quippe die qui exorturus est, dictum est, *Mane astabo tibi, et contemplabor* (*Psal.* v, 5). Quid est, *mane?* Transacta nocte sæculi hujus, transactis terroribus tentationum, superato illo leone qui nocte rugiens circuit, quem devoret quærens (I *Petr.* v, 8). *Mane astabo*

tibi, et contemplabor. Nunc vero quid putamus, fratres huic tempori congruere, nisi quod rursus in Psalmo dicitur, *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI, 7)? Per singulas noctes, inquit, flebo: desiderio lucis ardebo. Videt Dominus desiderium meum; quoniam dicit illi alter psalmus, *Ante te est omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus* (*Psal.* XXXVII, 10). Desideras aurum? videri potes; quærens enim aurum manifestus eris hominibus. Desideras frumentum? interrogas qui habeat; cui et cupiens pervenire ad id quod desideras, indicas. Desideras Deum? quis videt, nisi Deus? A quo enim petis Deum, sicut panem, sicut aquam, sicut aurum, sicut argentum, sicut frumentum? A quo petis Deum, nisi a Deo? Ipse petitur a seipso, qui promittit seipsum. Extendat anima cupiditatem suam; et sinu capaciore quærat comprehendere quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (I *Cor.* II, 9). Desiderari potest, concupisci potest, suspirari in illud potest: digne cogitari, et verbis explicari non potest.

8. Ergo, fratres mei, quoniam Dominus breviter ait, *Ego sum lux mundi; qui me sequitur, non ambulabit in tenebris; sed habebit lumen vitæ:* quibus verbis aliud est quod jussit, aliud quod promisit: faciamus quod jussit, ne impudenti fronte desideremus, quod promisit; ne dicat nobis in judicio suo, Fecisti enim quod jussi, ut expetas quod promisi? Quid ergo jussisti, Domine Deus noster? Dicit tibi, Ut sequereris me. Consilium vitæ petiisti. Cujus vitæ, nisi de qua dictum est, *Apud te fons vitæ?* Audivit quidam, *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me*. Tristis abscessit, non est secutus: quæsivit magistrum bonum, interpellavit doctorem, et contempsit docentem: tristis abscessit, ligatus cupiditatibus suis; tristis abscessit, habens grandem sarcinam avaritiæ super humeros suos (*Matth.* XIX, 16-22). Laborabat, æstuabat; et qui ab illo sarcinam deponere voluit, non est sequendus putatus, sed deserendus. Postea vero quam Dominus per Evangelium clamavit, *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam; tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Id.* XI, 28 *et* 29): quam multi fecerunt audito Evangelio, quod ex ore ipsius auditum dives ille non fecit? Ergo modo faciamus, sequamur Dominum; solvamus compedes quibus impedimur sequi. Et quis idoneus solvere tales nodos, nisi ille adjuvet cui dictum est, *Disrupisti vincula mea* (*Psal.* CXV, 16)? De quo alius psalmus dicit, *Dominus solvit compeditos, Dominus erigit elisos* (*Ps.* CXLV, 8).

9. Et quid sequuntur soluti et erecti, nisi lumen a quo audiunt, *Ego sum lumen mundi: qui me sequitur, non ambulabit in tenebris?* quia Dominus illuminat cæcos. Illuminamur ergo modo, fratres, habentes collyrium fidei. Præcessit enim ejus saliva cum terra, unde inungeretur qui cæcus est natus (*Joan.* IX, 6). Et nos de Adam cæci nati sumus, et illo illuminante opus habemus. Miscuit salivam cum terra: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Miscuit salivam cum terra; ideo prædictum est, *Veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV, 12): ipse autem dixit, *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan.* XIV, 6). Veritate perfruemur, cum viderimus facie ad faciem; quia et hoc promittitur nobis. Nam quis auderet sperare quod Deus non dignatus esset vel polliceri vel dare? Videbimus facie ad faciem. Apostolus dicit: *Nunc scio ex parte, nunc in ænigmate per speculum, tunc autem facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 12). Et Joannes apostolus in Epistola sua: *Dilectissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Hæc est magna promissio; si amas, sequere. Amo, inquis; sed qua sequor? Si dixisset tibi Dominus Deus tuus, Ego sum veritas et vita; desiderans veritatem, concupiscens vitam, viam qua ad hæc pervenire posses profecto quæreres, et diceres tibi: Magna res veritas, magna res vita; si esset quomodo illuc perveniret anima mea! Quæris qua? audi eum dicentem primo, *Ego sum via.* Antequam diceret tibi quo, præmisit qua: *Ego sum*, inquit, *via*. Quo via? *Et veritas et vita.* Primo dixit qua venias, postea dixit quo venias. Ego sum via, ego sum veritas, ego vita. Manens apud Patrem, veritas et vita: induens se carnem, factus est via. Non tibi dicitur, Labora quærendo viam, ut pervenias ad veritatem et vitam; non hoc tibi dicitur. Piger, surge; via ipsa ad te venit, et te de somno dormientem excitavit, si tamen excitavit: surge, et ambula. Forte conaris ambulare, et non potes, quia dolent pedes. Unde dolent pedes? an jubente avaritia per aspera cucurrerunt? Sed Dei Verbum sanavit et claudos. Ecce, inquis, sanos habeo pedes, sed ipsam viam non video. Illuminavit et cæcos.

10. Hoc totum per fidem, quamdiu peregrinamur a Domino, manentes in corpore: cum autem perambulaverimus viam, et ad ipsam patriam venerimus, quid erit nobis lætius? quid erit nobis beatius? Quia nihil pacatius: nihil enim adversus hominem rebellabit. Nunc vero, fratres, difficile sine rixa sumus. Ad concordiam quidem vocati sumus, jubemur pacem habere inter nos; ad hoc conandum est, omnibusque nitendum viribus, ut aliquando veniamus ad perfectissimam pacem: modo autem litigamus plerumque cum eis quibus consulere volumus. Ille errat, tu vis ducere ad viam; resistit tibi, litigas: resistit paganus, disputas contra errores idolorum et dæmoniorum: resistit hæreticus, disputas contra alias doctrinas dæmoniorum: malus catholicus non vult bene vivere, corripis etiam interiorem fratrem tuum: tecum manet in domo, et perditas vias quærit; æstuas quomodo corrigas, ut de illo bonam rationem Domino amborum reddas. Quantæ undique rixarum necessitates? Plerumque homo tædio affectus, dicit apud semetipsum: Quid mihi est pati contradictores, pati eos qui reddunt mala pro bonis? Ego volo consulere, illi volunt perire: consumo vitam meam litigando; pacem non habeo: inimicos insuper facio, quos amicos habere deberem, si bene-

volentiam consulentis attenderent: quid mihi est ista p rpeti? redeam ad me, mecum ero, Deum meum invocabo. Redi ad teipsum, ibi invenis rixam: si cœpisti Deum sequi, ibi invenis rixam. Quam rixam, inquis, invenio? Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem (*Galat.* v, 17). Ecce tu ipse es, ecce tu solus es, ecce tecum es, ecce alium nullum hominem pateris: sed vides aliam legem in membris tuis, repugnantem legi mentis tuæ, et captivantem te in lege peccati, quæ est in membris tuis. Exclama ergo, et a rixa interiore clama ad Deum, ut tibi pacificet te: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* (*Rom.* vii, 23-25). Quia *qui me*, inquit, *sequitur, non ambulabit in tenebris; sed habebit lumen vitæ.* Finita tota rixa, immortalitas consequetur, quia *novissima inimica destruetur mors.* Et qualis pax erit? *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem* (I *Cor.* xv, 26, 53). Quo ut veniamus, quia tunc erit in re, nunc sequamur in spe eum qui dixit, *Ego sum lux mundi: qui me sequitur, non ambulabit in tenebris; sed habebit lumen vitæ.*

TRACTATUS XXXV.

Ab eo quod legitur, Dixerunt ergo Pharisæi, Tu de teipso testimonium perhibes, *etc., usque ad id,* Verum est testimonium meum, quia scio unde veni, et quo vado. *Cap.* viii, ℣. 13, 14.

1. De verbis Domini nostri Jesu Christi, ubi ait, *Ego sum lux mundi: qui me sequitur, non ambulabit in tenebris; sed habebit lumen vitæ* (*Joan.* viii, 12), hesterno die qui adfuistis, diu disputatum esse meministis: et si adhuc velimus de illo lumine disputare, diu loqui possumus; nam non possumus explicare compendio. Itaque, fratres mei, sequamur Christum lumen mundi, ne ambulemus in tenebris. Tenebræ metuendæ sunt, morum, non oculorum: et si oculorum, non exteriorum, sed interiorum, unde discernitur non album et nigrum, sed justum et injustum.

2. Cum hæc ergo dixisset Dominus noster Jesus Christus, responderunt Judæi: *Tu de te testimonium dicis; testimonium tuum non est verum.* Antequam veniret Dominus noster Jesus Christus, multas ante se lucernas propheticas accendit et misit. De his etiam erat Joannes Baptista, cui tam magnum ipsum lumen, quod est Dominus Christus, perhibuit testimonium, quale nulli hominum: ait enim, *In natis mulierum non surrexit major Joanne Baptista* (*Matth.* xi, 11). Hic tamen, quo nemo erat major in natis mulierum, dicit de Domino Jesu Christo: *Ego quidem baptizo vos in aqua; qui autem venit, fortior me est, cujus non sum dignus calceamentum solvere* (*Joan.* i, 26, 27). Videte quemadmodum se lucerna diei submittat. Lucernam vero ipsum Joannem fuisse Dominus ipse testatur: *Ille erat,* inquit, *lucerna ardens et lucens; et vos voluistis ad horam exsultare in lumine ejus* (*Id.* v, 35). Quando autem dixerunt Judæi Domino, *Dic nobis, in qua potestate ista facis?* sciens Dominus quia Joannem Baptistam pro magno haberent, et quod ipse quem pro magno habebant, eis de Domino testimonium perhibuisset, respondit eis: Interrogabo et ego vos unum sermonem: dicite mihi, Baptismus Joannis unde est? de cœlo, an ex hominibus? Turbati illi intra semetipsos cogitabant, quia si dicerent, Ab hominibus, lapidari possent a turba, quæ Joannem prophetam esse credebat: si dicerent, De cœlo, responderet eis, Ille quem confitemini de cœlo habuisse prophetiam, mihi testimonium perhibuit, et ab illo audistis in qua ego ista faciam potestate. Viderunt ergo, quodlibet horum respondissent, in laqueum se casuros; et dixerunt, *Nescimus.* Et Dominus eis: *Nec ego dico vobis, in qua potestate ista facio* (*Matth.* xxi, 23-27). Non vobis dico quod scio, quia non vultis fateri quod scitis. Justissime utique repulsi, confusi abscesserunt: et impletum est quod in Psalmo per Prophetam dicit Deus Pater, *Paravi lucernam Christo meo,* id est, ipsum Joannem; *inimicos ejus induam confusione* (*Psal.* cxxxi, 17, 18).

3. Habebat ergo Dominus Jesus Christus testimonium Prophetarum ante se præmissorum, præconum judicem præcedentium; habebat testimonium a Joanne: sed ipse majus [1] testimonium erat, quod sibi perhibebat. Illi autem infirmis oculis lucernas quærebant, quia diem ferre non poterant: nam Joannes idem ipse apostolus, cujus Evangelium in manibus habemus, in ipsius Evangelii sui capite ait de Joanne, « Erat homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes: hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per eum. Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum. » Si *omnem,* ergo et Joannem. Unde dicit et ipse Joannes. *Nos omnes de plenitudine ejus accepimus* (*Joan.* i, 6-9, 16). Discernite ergo ista, ut proficiat mens vestra in fide Christi; ne semper infantes sitis ubera quærentes, et a cibo solido resilientes. Debetis apud matrem sanctam Ecclesiam Christi nutriri et ablactari, et ad escas solidiores accedere, mente, non ventre. Hoc ergo discernite, aliud esse lumen quod illuminat, aliud esse quod illuminatur. Nam et oculi nostri lumina dicuntur; et unusquisque ita jurat, tangens oculos suos, per lumina sua, Sic vivant lumina mea: usitata juratio est. Quæ lumina si lumina sunt, desit lumen in cubiculo tuo clauso, pateant et luceant tibi: non utique possunt. Quomodo ergo ista in facie quæ habemus, et lumina nuncupamus, et quando sana sunt, et quando patent, indigent extrinsecus adjutorio luminis; quo ablato aut non illato, sana sunt, aperta sunt, nec tamen vident: sic mens nostra, qui est oculus animæ, nisi veritatis lumine radietur, et ab illo qui illuminat nec illuminatur, mirabiliter illustretur, nec ad sapientiam nec ad justitiam poterit pervenire. Ipsa est enim via nostra juste vivere. Quomodo autem non offendat in via, cui non lucet lumen? Ac per hoc in tali via videre opus est, in tali via videre magnum est. Nam Tobias in facie oculos clausos habebat, et filius patri manum

[1] Lov, *ipsum majus.* At Am. Bad. et Er., *ipse.* Sic etiam Mss. e quibus plerique loco *majus,* habent, *magis.*

dabat; pater filio viam præcipiendo monstrabat (*Tob.* II, 11, IV).

4. Responderunt ergo Judæi, *Tu de te testimonium dicis; testimonium tuum non est verum.* Videamus quid audiant: audiamus et nos, sed non sicut illi. Illi contemnentes, nos credentes: illi occidere Christum volentes, nos per Christum vivere cupientes. Interim ista distantia distinguat aures mentesque nostras, et audiamus quid Judæis responderit Dominus. *Respondit Jesus, et dixit eis: Etsi ego de me testimonium perhibeo, verum est testimonium meum; quia scio unde veni, et quo vado.* Lumen et alia demonstrat et seipsum. Accendis lucernam, verbi gratia, ut quæras tunicam, et præstat tibi ardens lucerna ut invenias tunicam: numquid accendis lucernam ut videas ardentem lucernam? Lucerna quippe ardens idonea est et alia quæ tenebris operiebantur nudare, et seipsam tuis oculis demonstrare. Sic et Dominus Christus et inter fideles suos, et inimicos Judæos, tanquam inter lucem et tenebras distinguebat; tanquam inter illos quos radio fidei perfundebat, et illos quorum clausos oculos circumfundebat. Nam etiam sol iste et videntis faciem illustrat, et cæci: ambo pariter stantes, et faciem ad solem habentes illustrantur in carne, sed non ambo illuminantur in acie; videt ille, ille non videt; ambobus sol præsens est, sed præsenti soli unus est absens. Sic et Sapientia Dei, Verbum Dei, Dominus Jesus Christus ubique præsens est; quia ubique est veritas, ubique est sapientia. Intelligit quis in oriente justitiam; intelligit alius in occidente justitiam: numquid alia est justitia quam ille intelligit, alia quam iste? Separati sunt corpore, et in uno habent acies mentium suarum. Quam video justitiam hic constitutus, si justitia est, ipsam videt justus nescio quot mansionibus a me carne sejunctus, et in illius justitiæ luce conjunctus. Ergo testimonium sibi perhibet lux: aperit sanos oculos, et sibi ipsa testis est, ut cognoscatur lux. Sed quid agimus de infidelibus? numquid illis non est præsens? Est præsens et illis sed quibus eam videant, oculos non habent cordis. Audi de illis ex Evangelio ipso prolatam sententiam: *Et lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 5). Ergo ait Dominus, et verum ait, *Etsi ego de me testimonium perhibeo, verum est testimonium meum; quia scio unde veni, et quo vado.* Patrem volebat intelligi; Patri gloriam dabat Filius. Æqualis glorificat eum a quo est missus: quantum debet homo glorificare eum a quo est creatus?

5. *Scio unde veni, et quo vado.* Iste qui in præsentia vobis loquitur, habet quod non deseruit, sed tamen venit: non enim veniendo inde discessit, aut redeundo nos dereliquit. Quid miramini? Deus est. Non potest hoc fieri ab homine; non potest hoc fieri ab ipso sole. Quando pergit ad occidentem, deserit orientem, et donec oriturus redeat ad orientem, non est in oriente: Dominus autem noster Jesus Christus et venit, et ibi est; et redit, et hic est. Audi ipsum Evangelistam alio loco dicentem, et si potes, cape; si non potes, crede; *Deum*, inquit, *nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (*Joan.* I, 18). Non dixit, Fuit in sinu Patris, quasi veniendo deseruerit sinum Patris. Hic loquebatur, et ibi se esse dicebat: qui et hinc discessurus, quid dixit? *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20).

6. Ergo verum est testimonium luminis, sive se ostendat, sive alia; quia sine lumine non potes videre lumen, et sine lumine non potes videre quodlibet aliud quod non est lumen. Si idoneum est lumen ad demonstranda ea quæ non sunt lumina, numquid in se deficit? numquid se non aperit, sine quo alia patere non possunt? Locutus est Propheta verum; sed unde haberet, nisi de fonte veritatis hauriret? Locutus est Joannes verum; sed unde locutus est, ipsum interroga: *Nos omnes*, inquit, *de plenitudine ejus accepimus.* Ergo idoneus est Dominus noster Jesus Christus qui sibi perhibeat testimonium. Sed plane, fratres mei, in nocte hujus sæculi audiamus et prophetiam intente: modo enim ad fragilitatem nostram nocturnasque cordis nostri intimas tenebras humilis voluit venire Dominus noster. Homo venit contemnendus et honorandus, venit negandus et confitendus; contemnendus et negandus a Judæis, honorandus et confitendus a nobis: judicandus et judicaturus; judicandus injuste, judicaturus juste. Talis ergo venit, ut oporteret ei lucernam testimonium perhibere. Nam quid opus erat ut Joannes tanquam lucerna perhiberet testimonium diei, si dies ipse ab infirmitate nostra posset videri? Sed non poteramus: infirmus factus est infirmis, per infirmitatem sanavit infirmitatem; per mortalem carnem, carnis abstulit mortem; de corpore suo collyrium fecit luminibus nostris. Quia ergo Dominus venit, et in nocte sæculi adhuc sumus, oportet ut et prophetias audiamus.

7. Nam de prophetia convincimus contradicentes Paganos. Quis est Christus, dicit Paganus? Cui respondemus: Quem prænuntiaverunt Prophetæ. Et ille: Qui Prophetæ? Recitamus Isaiam, Danielem, Jeremiam, alios sanctos Prophetas; dicimus quam longe ante illum venerint, quanto tempore adventum ejus præcesserint. Hoc ergo respondemus: Prævenerunt eum Prophetæ, prædixerunt eum esse venturum. Respondet aliquis eorum: Qui Prophetæ? Nos recitamus, qui nobis quotidie recitantur. Et ille: Qui sunt hi Prophetæ? Nos respondemus: Qui et prædixerunt ea quæ fieri videmus. Et ille: Vos, inquit, vobis ista finxistis, vidistis ea fieri, et quasi ventura prædicta essent, in libris quibus voluistis conscripsistis. Hic contra inimicos Paganos occurrit nobis aliorum testimonium inimicorum. Proferimus codices a Judæis, et respondemus: Nempe et vos et illi, fidei nostræ estis inimici. Ideo sparsi sunt per gentes, ut alios ex aliis convincamus inimicis. Codex Isaiæ proferatur a Judæis, videamus si non ibi lego, « Sicut ovis ad immolandum ductus est, et sicut agnus coram tondente fuit sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est; livore ejus sanati sumus: omnes ut oves erravimus, et ipse traditus est pro peccatis nostris » (*Isai.* LIII, 5-8).

Ecce lucerna una. Alia proferatur, Psalmus aperiatur, etiam inde prædicta passio Christi recitetur. « Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea : ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestimentum meum miserunt sortem. Apud te laus mea; in Ecclesia magna confitebor tibi. Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ : et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium; quia Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium » (*Psal.* xxi, 17-29). Erubescat unus inimicus, quia codicem mihi ministrat alius inimicus. Sed ecce de codicibus prolatis ab uno inimico alterum vici : et ipse qui mihi codicem protulit, non relinquatur; ab illo proferatur, unde et ipse vincatur. Lego alium prophetam, et invenio Dominum loquentem ad Judæos : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, nec accipiam sacrificium* [1] *de manibus vestris : quoniam ab ortu solis usque ad occasum, sacrificium mundum offertur nomini meo* (*Malach.* I, 10 *et* 11). Non venis, Judæe, ad sacrificium mundum; convinco te immundum.

8. Ecce et lucernæ perhibent testimonium diei propter infirmitatem nostram, quia diei claritatem tolerare et videre non possumus. Nam et nos ipsi Christiani in comparatione quidem infidelium lux jam sumus; unde dicit Apostolus, *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino, sicut filii lucis ambulate* (*Ephes.* v, 8) : et alibi dixit, *Nox præcessit, dies autem appropinquavit : abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamus nos arma lucis; sicut in die honeste ambulemus* (*Rom.* XIII, 12, 13). Tamen quia in comparatione illius lucis ad quam venturi sumus, adhuc nox est etiam dies in quo sumus, audi Petrum apostolum : delatam dicit Domino Christo vocem de magnifica potestate, *Tu es Filius meus dilectus, in quo bene sensi. Hanc vocem,* inquit, *nos de cœlo audivimus delatam, cum essemus cum illo in monte sancto.* Sed quia nos non ibi fuimus, et istam vocem de cœlo tunc non audivimus; ait ad nos ipse Petrus, *Et habemus certiorem propheticum sermonem.* Non audistis vocem de cœlo delatam, sed certiorem habetis propheticum sermonem. Prævidens enim Dominus Jesus Christus impios quosdam futuros, qui miraculis ejus calumniarentur, magicis artibus ea tribuendo, Prophetas ante præmisit. Numquid enim, si magus erat et magicis artibus fecit ut coleretur et mortuus, magus erat antequam natus? Prophetas audi, o homo mortue, et vermescendo calumniose, Prophetas audi : lego, audi qui ante Dominum venerunt. *Habemus*, inquit apostolus Petrus, *certiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, sicut lucernæ in obscuro loco, donec dies lucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris* (II *Petr.* I, 17-19).

9. Quando ergo Dominus noster Jesus Christus venerit, et, sicut dicit etiam apostolus Paulus, illuminaverit occulta tenebrarum, et manifestaverit cogitationes cordis, ut laus sit unicuique a Deo (I *Cor.* IV, 5); tunc præsente tali die lucernæ non erunt necessariæ : non legetur nobis Propheta, non aperietur codex Apostoli, non requiremus testimonium Joannis, non ipso indigebimus Evangelio. Ergo omnes Scripturæ tollentur de medio, quæ nobis in hujus sæculi nocte tanquam lucernæ accendebantur, ne in tenebris remaneremus : istis omnibus sublatis, ne quasi nobis luceant indigentibus, et ipsis hominibus Dei, per quos hæc ministrata sunt, nobiscum lumen illud verum clarumque videntibus, remotis ergo his adjumentis quid videbimus? unde pascetur mens nostra? unde obtutus ille lætabitur? unde erit illud gaudium quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (I *Cor.* II, 9)? quid videbimus? Obsecro vos, amate mecum, currite credendo mecum : patriam supernam desideremus, supernæ patriæ suspiremus, peregrinos nos esse hic sentiamus. Quid tunc videbimus? Dicat nunc Evangelium : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Unde tibi ros inspersus est, ad fontem venies : unde radius per obliqua et per anfractuosa tibi ad cor tenebrosum missus est, nudam ipsam lucem videbis, cui videndæ ferendæque mundaris. *Dilectissimi*, quod et hesterno commemoravi, Joannes ipse dicit, *filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus : scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Sentio vestros affectus attolli mecum in superna : sed corpus quod corrumpitur, aggravat animam; et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15). Depositurus sum et ego codicem istum, discessuri estis et vos quisque ad sua. Bene nobis fuit in luce communi, bene gavisi sumus, bene exsultavimus : sed cum ab invicem recedimus, ab illo non recedamus.

TRACTATUS XXXVI.

Ab eo quod scriptum est, Vos secundum carnem judicatis; ego non judico quemquam; *usque ad id,* Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. *Cap.* VIII, ℣. 15-18.

1. In quatuor Evangeliis, vel potius quatuor libris unius Evangelii, sanctus Joannes apostolus, non immerito secundum intelligentiam spiritualem aquilæ comparatus, altius multoque sublimius aliis tribus erexit prædicationem suam; et in ejus erectione etiam corda nostra erigi voluit. Nam cæteri tres evangelistæ, tanquam cum homine Domino in terra ambulabant, de divinitate ejus pauca dixerunt : istum autem quasi piguerit in terra ambulare, sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se, non solum super terram et super omnem ambitum aeris et cœli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum, et pervenit ad eum per quem facta sunt omnia, dicendo, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 1-3). Huic tantæ sublimitati principii etiam cætera congrua prædicavit, et de Domini divinitate, quomodo nullus alius,

[1] Magno consensu Mss., *sacrificia.*

est locutus. Hoc ructabat quod biberat. Non enim sine causa de illo in isto ipso Evangelio narratur, quia et in convivio super pectus Domini discumbebat (*Joan.* XIII, 23). De illo ergo pectore in secreto bibebat : sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit, ut perveniat ad omnes gentes non solum incarnatio Filii Dei, et passio, et resurrectio; sed etiam quid erat ante incarnationem Unicus Patri, Verbum Patris, coæternus generanti, æqualis ei a quo missus est; sed in ipsa missione minor factus, quo major esset Pater.

2. Quidquid ergo humiliter positum audistis de Domino Jesu Christo, susceptæ carnis dispensationem cogitate; qualis factus est propter nos, non qualis erat ut faceret nos : quidquid autem sublime et supra omnes creaturas excelsum atque divinum, et Patri æquale atque coæternum de illo audieritis in Evangelio poni, vel legeritis, scitote vos hoc legere quod ad formam Dei pertinet, non quod ad formam servi. Quia si istam regulam tenueritis qui capere potestis; non autem omnes capere potestis, sed omnes credere debetis : si ergo hanc regulam tenueritis, adversus calumnias tenebrarum hæreticarum, tanquam in lumine ambulantes, securi pugnabitis. Non enim defuerunt qui sola evangelica testimonia legendo sectarentur, quæ de humilitate Christi posita sunt, qui adversus ea testimonia quæ divinitatem ejus locuta sunt, surdi fuerunt : ideo surdi, ut male verbosi. Item quidam illa sola attendentes quæ de Domini sublimitate dicta sunt, etiam ipsi misericordiam ejus, qua homo factus est propter nos, et si legerunt, non crediderunt, et ab hominibus inducta, atque falsa esse putaverunt; contendentes Deum tantummodo fuisse Dominum nostrum Christum, non etiam hominem. Alii sic, alii sic; utrique in errore. Catholica autem fides ex utroque verum tenens quod tenet, et prædicans quod credit, et Deum Christum intellexit, et hominem credidit : utrumque enim scriptum est, et utrumque verum est. Si Deum tantum dixeris Christum, medicinam negas qua sanatus es : si hominem tantum dixeris Christum, potentiam negas qua creatus es. Utrumque igitur tene, anima fidelis et cor catholicum, utrumque tene, utrumque crede, utrumque fideliter confitere. Et Deus Christus est, et homo Christus. Qualis Deus Christus? Æqualis Patri, unum cum Patre. Qualis homo Christus? De virgine natus, trahens de homine mortalitatem, non trahens iniquitatem.

3. Isti ergo Judæi videbant hominem, nec intelligebant nec credebant Deum : atque inter cætera audistis jam quemadmodum ei dixerint, *Tu de te testimonium dicis; testimonium tuum non est verum* (*Id.* VIII, 13). Audistis etiam quid ille responderit, cum hesterno die lectum esset, et pro nostris viribus disputatum. Hodie verba ejus hæc lecta sunt, *Vos secundum carnem judicatis.* Ideo, inquit, mihi dicitis, *Tu de te testimonium dicis ; testimonium tuum non est verum*, quia *secundum carnem judicatis ;* quia Deum non intelligitis, et hominem videtis, et hominem persequendo, Deum latentem offenditis. Ergo *secundum carnem judicatis.* Ideo vobis arrogans videor, quia ego de me testimonium perhibeo. Omnis enim homo, quando de se vult perhibere testimonium laudabile, arrogans et superbus videtur. Ideo scriptum est, *Non te laudet os tuum, sed laudet te os proximi tui* (*Prov.* XXVII, 2). Sed hoc homini dictum est. Infirmi enim sumus, et apud infirmos loquimur. Verum dicere et mentiri possumus : etsi verum dicere debemus, et mentiri tamen possumus cum volumus. Lux mentiri non potest : absit ut in lucis divinæ splendore tenebræ mendacii reperiantur. Loquebatur ille tanquam lux, loquebatur tanquam veritas; sed lux in tenebris lucebat, et tenebræ eam non comprehenderunt : ideo secundum carnem judicabant. *Vos*, inquit, *secundum carnem judicatis.*

4. *Ego non judico quemquam.* Non ergo judicat quemquam Dominus Jesus Christus? Nonne ipse est quem confitemur resurrexisse tertia die, ascendisse in cœlum, ibi sedere ad dexteram Patris, inde esse venturum ad judicandos vivos et mortuos? Nonne ipsa est fides nostra, de qua dicit Apostolus, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X, 10)? Ergo quando ista confitemur, contra Dominum loquimur? Nos dicimus venturum judicem vivorum et mortuorum; ipse autem dicit, *Ego non judico quemquam.* Quæstio ista duobus modis solvi potest; ut aut hoc intelligamus, *non judico quemquam*, id est, modo : sicut dicit alio loco, *Ego non veni ut judicem mundum, sed ut salvum faciam mundum* (*Joan.* XII, 47); non judicium suum negando, sed differendo. Aut certe quia dixerat, *Vos secundum carnem judicatis;* ita subjunxit, *Ego non judico quemquam*, ut subaudias, secundum carnem. Nullus ergo nobis contra fidem quam tenemus et annuntiamus de judice Christo, scrupulus dubitationis in corde remaneat. Venit Christus, sed primo salvare, postea judicare : eos judicando in pœnam, qui salvari noluerunt; eos perducendo ad vitam, qui credendo salutem non respuerunt. Prima ergo dispensatio Domini nostri Jesu Christi medicinalis est, non judicialis : nam si primo venisset judicaturus, neminem invenisset cui præmia justitiæ redderet. Quia ergo vidit omnes peccatores, et omnino neminem esse immunem a morte peccati; prius erat ejus misericordia prærogando, et post exserendum judicium : quia de illo cantaverat Psalmus, *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1). Non enim judicium ait et misericordiam ; nam si primo esset judicium, nulla esset misericordia : sed primo misericordia, postea judicium. Quæ est primo misericordia? Creator hominis, homo esse dignatus est : factus est quod fecerat, ne periret quem fecerat. Quid huic misericordiæ addi potest? Et tamen addidit. Parum fuit ei hominem fieri; sed etiam[1] ab hominibus reprobari : parum erat reprobari; et exhonorari : parum erat exhonorari; et occidi : sed et hoc parum est; morte crucis. Nam et cum ejus obedientiam usque ad mortem factam commendaret Apostolus, parum illi fuit dicere, *Factus*

[1] Lugd. Ven. Lov. legunt, *sed voluit etiam.* In B., ad marginem annotatur, *supple*, ADDIDIT. M.

obediens usque ad mortem : non enim qualemcumque mortem, sed addidit, *mortem autem crucis* (*Philipp.* II, 8). Illa morte pejus nihil fuit inter omnia genera mortium. Denique ubi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, a cruce nominatus. Pendentes enim in ligno crucifixi, clavis ad lignum pedibus manibusque confixi, producta morte necabantur. Non enim crucifigi hoc erat occidi : sed diu vivebatur in cruce ; non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citius finiretur. Mori voluit pro nobis : parum dicimus, crucifigi dignatus est, usque ad mortem crucis obediens factus. Elegit extremum et pessimum genus mortis, qui omnem fuerat ablaturus mortem : de morte pessima occidit omnem mortem. Pessima enim erat non intelligentibus Judæis; nam a Domino electa erat. Ipsam enim crucem suam signum habiturus erat, ipsam crucem de diabolo superato tanquam tropæum in frontibus fidelium positurus, ut diceret Apostolus : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14). Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil est nunc in fronte gloriosius. Quid servat fideli suo, qui talem honorem dedit supplicio suo? Denique modo in pœnis reorum non est apud Romanos : ubi enim Domini crux honorata est, putatum est quod et reus honoraretur, si crucifigeretur. Qui ergo ideo venit, neminem judicavit : et malos passus est. Pertulit injustum judicium, ut ageret justum. Sed in eo quod pertulit injustum, misericordiæ fuit. Denique ita humilis factus ut veniret ad crucem, distulit quidem potentiam, sed publicavit misericordiam. Unde distulit potentiam? Quia de cruce noluit descendere, qui potuit de sepulcro resurgere. Unde publicavit misericordiam? Quia pendens in cruce dixit : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Sive ergo propter hoc, quia non venerat judicare mundum, sed salvare mundum, dixit, *Ego non judico quemquam :* sive quemadmodum commemoravi, quoniam dixerat, *Vos secundum carnem judicatis*, addidit, *Ego non judico quemquam*, ut intelligamus Christum non secundum carnem judicare, sicut ab hominibus judicatus est.

5. Nam ut agnoscatis jam et judicem Christum, audite quod sequitur : *Et si judico ego, judicium meum verum est.* Ecce habes et judicem, sed agnosce salvatorem, ne sentias judicem. Quare autem dixit judicium suum verum esse? *Quia solus*, inquit, *non sum, sed ego et qui misit me Pater.* Dixi vobis, fratres, quia Joannes iste evangelista sanctus multum alte volat : vix est eum mente comprehendere. Mysterium autem altius volantis opus est ut commemorem Charitatem vestram. Et apud Ezechielem prophetam, et in Apocalypsi ipsius Joannis, cujus est hoc Evangelium, commemoratur animal quadruplex, habens quatuor personas; hominis, vituli, leonis, aquilæ (*Ezech.* I, 5-10; *Apoc.* IV, 6, 7). Qui ante nos Scripturarum sanctarum mysteria tractaverunt, plerique in hoc animali, vel potius in his animalibus quatuor Evangelistas intellexerunt. Leonem pro rege positum, quoniam videtur leo rex esse quodammodo bestiarum, propter potentiam et terribilem fortitudinem. Hæc persona tributa est Matthæo, quia in generationibus Domini regiam seriem prosecutus est, quemadmodum esset Dominus per stirpem regiam de semine David regis. Lucas autem quoniam cœpit a sacerdotio Zachariæ sacerdotis, faciens mentionem patris Joannis Baptistæ, vitulo deputatus est; quia magna victima vitulus erat in sacrificio sacerdotum. Marco homo Christus merito assignatus est, quia neque de regia potestate aliquid dixit, neque de sacerdotali cœpit, sed tantum ab homine Christo exorsus est. Hi omnes prope de terrenis, id est de iis quæ in terra gessit Dominus noster Jesus Christus, non recesserunt : de divinitate ejus perpauca locuti sunt, tanquam in terra cum illo ambulantes. Restat aquila : ipse est Joannes, sublimium prædicator, et lucis internæ atque æternæ fixis oculis contemplator. Dicuntur enim et pulli aquilarum a parentibus sic probari, patris scilicet ungue suspendi, et radiis solis opponi : qui firme contemplatus fuerit, filius agnoscitur; si acie palpitaverit, tanquam adulterinus ab ungue dimittitur. Jam ergo videte quam sublimia loqui debuit, qui est aquilæ comparatus : et tamen etiam nos humi repentes, infirmi et vix ullius momenti inter homines, audemus tractare ista, et ista exponere; et putamus nos aut capere posse cum cogitamus, aut capi dum dicimus.

6. Quare ista dixi? Forte enim post hæc verba quisquam mihi juste dicat : Pone ergo codicem. Quod excedit mensuram tuam, quid sumis in manum tuam? quid ei committis linguam tuam? Ad hoc respondeo : Multi hæretici abundant, et ad hoc eos Deus abundare permisit, ne semper lacte nutriamur, et in bruta infantia remaneamus. Quia enim non intellexerunt quomodo commendaretur divinitas Christi, sapuerunt sicut voluerunt : non autem recte sapiendo, fidelibus catholicis quæstiones molestissimas intulerunt; cœperunt exagitari et fluctuare corda fidelium. Jam tunc necessitas facta est spiritualibus viris, qui aliquid secundum divinitatem Domini nostri Jesu Christi, non solum legerant in Evangelio, sed etiam intellexerant, ut contra arma diaboli Christi arma proferrent : et de Christi divinitate adversus falsos fallacesque doctores, quantis possent viribus, apertissima conflictatione pugnarent; ne cum ipsi tacerent, alii perirent. Quicumque enim senserunt Dominum nostrum Jesum Christum, aut diversæ substantiæ esse quam Pater est, aut tantum esse Christum solum, ut ipse sit Pater, ipse sit Filius, ipse sit Spiritus sanctus : quicumque etiam sentire voluerunt hominem fuisse solum, non Deum factum hominem, aut ita Deum ut in sua divinitate mutabilem, aut ita Deum ut non et hominem; a fide naufragaverunt, et de portu Ecclesiæ projecti sunt, ne inquietudine sua naves secum positas frangerent. Quæ res coegit ut etiam nos minimi, et quantum ad nos pertinet prorsus indigni, quantum autem ad illius misericordiam in aliquo dispensatorum ejus nu-

mero constituti, non vobis taceamus quod aut intelligatis, mecumque gaudeatis; aut si intelligere nondum valetis, credendo securi in portu maneatis.

7. Dicam ergo; capiat qui potest, credat qui non potest: tamen dicam quod ait Dominus, *Vos secundum carnem judicatis; ego non judico quemquam*, aut modo, aut secundum carnem. *Sed et si ego judico, judicium meum verum est*. Quare judicium tuum verum est? *Quia solus non sum*, inquit, *sed ego et qui misit me Pater*. Quid ergo, Domine Jesu? Si solus esses, falsum esset judicium tuum; et ideo verum judicas, quia solus non es, sed tu et qui te misit Pater? Quid responsurus sum? Ipse respondeat: *Verum est*, inquit, *judicium meum*. Quare? *Quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater*. Si tecum est, quomodo te misit? Et te misit, et tecum est? Itane et missus non recessisti? itane et ad nos venisti, et ibi mansisti? Quomodo istud creditur? quomodo capitur? Ad hæc duo respondeo: Quomodo capitur, recte dicis; quomodo creditur, non recte dicis. Imo ideo bene creditur, quia non cito capitur: nam si cito caperetur, non opus erat ut crederetur; quia videretur. Ideo credis, quia non capis; sed credendo fis idoneus ut capias. Nam si non credis, nunquam capies; quia minus idoneus remanebis. Fides ergo mundet te, ut intellectus impleat te. *Verum est*, inquit, *judicium meum; quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater*. Ergo, Domine Deus noster Jesu Christe, missio tua incarnatio tua est. Sic video, sic intelligo: postremo sic credo, ne arrogantiæ sit dicere, Sic intelligo. Prorsus et hic est Dominus noster Jesus Christus; imo hic erat secundum carnem, modo hic est secundum divinitatem: et cum Patre erat, et a Patre non recesserat. Quod ergo dicitur missus venisse ad nos, incarnatio ipsius commendatur, quia Pater non est incarnatus.

8. Nam Sabelliani dicti sunt quidam hæretici, qui vocantur et Patripassiani, qui dicunt ipsum Patrem passum fuisse. Noli tu, catholice: si enim fueris patripassianus, non eris sanus. Ergo intellige missionem Filii nominatam incarnationem Filii: Patrem autem incarnatum esse non credas, sed a Filio incarnato Patrem recessisse non credas. Ille carnem portabat, ille cum Filio erat. Si in cœlo Pater, in terra Filius; quomodo Pater cum Filio erat? Quia et Pater et Filius ubique erant: non enim in cœlo sic est Deus, ut non sit in terra. Audi illum qui volebat fugere judicium Dei, et non inveniebat qua: *Quo abibo*, inquit, *a spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si ascendero in cœlum, tu ibi es*. De terra erat quæstio; audi quid sequitur: *Si descendero ad infernum, ades* (*Psal.* CXXXVIII, 7, 8). Si ergo et in inferno dicitur quod adsit, quid rerum remanet ubi non sit? Vox enim Dei est apud prophetam, *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24). Ubique ergo est, qui nullo clauditur loco. Noli ab illo averti, et tecum est. Si vis ad eum pervenire, noli piger esse amare: non enim pedibus, sed affectibus curris. Uno loco manens venis, si credis et diligis. Ergo ubique est: si ubique est, quomodo cum Filio non est? Itane cum Filio non est, qui, si credis, et tecum est?

9. Unde ergo verum est judicium ejus, nisi quia verus est Filius? Hoc enim dixit, *Et si judico, verum est judicium meum; quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater*. Tanquam diceret, *Verum est judicium meum*, quia Filius Dei sum. Unde probas quia Filius Dei es? *Quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater*. Erubesce, Sabelliane, audis Filium, audis Patrem. Pater, Pater est; Filius, Filius est. Non dixit, Ego sum Pater, et ego ipse sum Filius; sed, *solus non sum*, inquit. Quare solus non es? Quia mecum est Pater. *Ego sum, et qui misit me Pater*: audis, *Ego sum, et qui me misit*. Ne perdas personam, distingue personas. Distingue intelligentia, noli separare perfidia; ne iterum quasi fugiens Charybdim, in Scyllam incurras. Vorabat enim te gurges impietatis Sabellianorum, ut diceres ipsum esse Patrem qui est Filius: modo didicisti, *Solus non sum, sed ego et qui misit me Pater*. Agnoscis quia Pater, Pater est; et Filius, Filius est. Bene agnoscis: sed noli dicere, Pater major est, Filius minor est; noli dicere, Pater aurum est, Filius argentum est. Una substantia est, una divinitas, una coæternitas, perfecta æqualitas, dissimilitudo nulla. Nam si tantummodo alterum credideris esse Christum, non eum qui Pater est, in aliquo tamen distantem secundum naturam esse putaveris; a Charybdi quidem evasisti, sed in Scyllæis scopulis naufragasti. In medio naviga, utrumque periculosum latus evita. Pater, Pater est; Filius, Filius est. Jam dicis, Pater, Pater est; Filius, Filius est: bene periculum absorbentis gurgitis evasisti; quid vis ire in alteram partem, ut dicas, Aliud est Pater, Filius aliud? Alius est, recte dicis; aliud, non recte. Alius enim est Filius, quia non est ipse qui Pater; et alius Pater, quia non ipse qui Filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est et Pater et Filius. Quid est, hoc ipsum est? Unus Deus est. Audisti, *Quia non sum solus, sed ego et qui misit me Pater*; audi quomodo credas Patrem et Filium, audi ipsum Filium: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Non dixit, Pater ego sum; aut, Ego et Pater unus est [1]; sed cum dicit, *Ego et Pater unum sumus*: utrumque audi, et *unum*, et *sumus*, et a Charybdi et a Scylla liberaberis. In duobus istis verbis quod dixit, *unum*, liberat te ab Ario: quod dixit, *sumus*, liberat te a Sabellio. Si *unum*, non ergo diversum; si *sumus*, ergo et Pater et Filius. *Sumus* enim, non diceret de uno; sed et *unum* non diceret de diverso. Ergo ideo *verum est*, inquit, *judicium meum*, breviter ut audias, quia Filius Dei sum. Sed sic tibi persuadeo, inquit, quia Filius Dei sum, ut intelligas quia mecum est Pater: non sic sum Filius ut ipsum deseruerim; non ita hic sum, ut cum ipso non sim; non ita ibi ille est, ut mecum non sit: formam servi accepi (*Philipp.* II, 7,) sed formam Dei non amisi; *Solus* ergo, inquit,

[1] Editi, *unum est*: et paulo infra, *unum non diceret de diversis*. At Mss. omnes habent, *unus est*, et postea, *de diverso*: quibus codicibus id favet quod in Tract. 37, n. 6, legitur: « Non ergo diversum, quia unum: non unus, quia « sumus. »

non sum, sed ego et qui misit me Pater.

10. Dixerat de judicio; de testimonio vult dicere. *In Lege*, inquit, *vestra scriptum est quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui de me testimonium perhibeo, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater.* Exposuit illis et Legem, si ingrati non essent. Magna enim quæstio est, fratres mei, et valde mihi videtur in mysterio res esse constituta, ubi Deus dixit, *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Deut.* XIX, 15; *Matth.* XVIII, 16). Veritas quæritur per duos testes? Ita plane, sic se habet humani generis consuetudo : sed tamen fieri potest ut et duo mentiantur. Susanna casta duobus falsis testibus urgebatur : numquid quia duo erant, ideo falsi testes non erant? De duobus dicimus aut de tribus? universus populus mentitus est contra Christum (*Luc.* XXIII, 1). Si ergo populus constans ex magna hominum multitudine, falsus testis inventus est; quomodo accipiendum est, *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum :* nisi quia hoc modo per mysterium Trinitas commendata est, in qua est perpetua stabilitas veritatis? Vis habere bonam causam? Habeto duos vel tres testes, Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Denique quando Susanna casta femina fidelisque conjux duobus falsis testibus urgebatur, Trinitas illi in conscientia atque in occulto suffragabatur : illa Trinitas de occulto unum testem Danielem excitavit, et duos convicit (*Dan.* XIII, 36-62). Ergo quia in Lege vestra scriptum est, duorum hominum testimonium verum esse, accipite nostrum testimonium, ne sentiatis judicium. *Ego* enim, inquit, *non judico quemquam*, sed *testimonium perhibeo de me :* differo judicium, non differo testimonium.

11. Eligamus nobis, fratres, contra linguas hominum, contra infirmas suspiciones generis humani Deum judicem, Deum testem. Non enim dedignatur testis esse qui judex est, aut promovetur cum fit judex; quoniam qui testis est, ipse judex erit. Quare ipse testis? Quia non quærit alium unde cognoscat qui sis. Quare ipse judex? Quia ipse habet potestatem mortificandi et vivificandi, damnandi et absolvendi, in gehennas præcipitandi et in cœlos levandi, diabolo conjungendi et cum Angelis coronandi. Cum ergo ipse habeat hanc potestatem, judex est. Quia vero ut te cognoscat non quærit alium testem; qui tunc judicabit te, modo videt te : non est unde illum fallas, cum cœperit judicare. Non enim adhibes tibi aliquos falsos testes, qui judicem illum possint circumvenire, quando te cœperit judicare. Deus hoc tibi dicit : Quando contemnebas, ego videbam; et quando non credebas, sententiam meam non frustrabam : differebam, non auferebam. Noluisti audire quod præcepi, senties quod prædixi. Si autem audias quæ præcepi, non mala senties quæ prædixi, sed bona percipies quæ promisi.

12. Ne aliquem sane moveat quod ait, *Verum est judicium meum; quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater;* cum alibi dixerit, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* V, 22). Jam in eisdem verbis Evangelii disputavimus, et nunc admonemus, non hoc ideo dictum, quia Pater non erit cum Filio judicante; sed quoniam bonis et malis in judicio solus Filius apparebit, in ea forma in qua passus est, et resurrexit, et ascendit in cœlum. Discipulis quippe tunc conspicientibus ascendentem, vox angelica sonuit, *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I, 11) : id est, in forma hominis in qua judicatus est judicabit, ut etiam illud propheticum impleatur, *Videbunt in quem pupugerunt* (*Zach.* XII, 10; *Joan.* XIX, 37). Cum vero euntibus justis in vitam æternam, videbimus eum sicuti est; non erit illud judicium vivorum et mortuorum, sed præmium tantummodo vivorum.

13. Item ne moveat quod ait, *In Lege vestra scriptum est quia duorum hominum testimonium verum est*, et ideo quisquam existimet non fuisse illam legem Dei, quia non dictum est, In lege Dei : sciat ita dictum esse, *In Lege vestra*, tanquam diceret, in Lege quæ vobis est data; a quo, nisi a Deo? Sicut dicimus, *Panem nostrum quotidianum :* et tamen dicimus, *Da nobis hodie* (*Matth.* VI, 11).

TRACTATUS XXXVII.

Ab eo quod scriptum est, Dicebant ergo, Ubi est pater tuus? *usque ad id*, Et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus. *Cap.* VIII, ℣. 19, 20.

1. Quod in sancto Evangelio breviter dicitur, non breviter oportet exponi, ut quod auditur, intelligatur. Verba enim Domini pauca, sed magna sunt; non numero æstimanda, sed pondere : nec ideo contemnenda, quia pauca; sed ideo quærenda, quia magna. Qui adfuistis hesterno die, audistis, ut potuimus disputavimus ex eo quod ait Dominus, *Vos secundum carnem judicatis; ego non judico quemquam. Sed et si judico ego, judicium meum verum est; quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater. In lege vestra scriptum est quod duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de me, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater* (*Joan.* VIII, 15-18). Ex his verbis hesterno, ut dixi, die redditus est sermo auribus et mentibus vestris. Hæc cum Dominus dixisset; illi qui audierunt, *Vos secundum carnem judicatis*, manifestaverunt quod audierunt. Responderunt enim Domino loquenti de Deo Patre suo, et dixerunt, *Ubi est pater tuus?* Patrem Christi carnaliter acceperunt, quia verba Christi secundum carnem judicaverunt. Erat autem qui loquebatur in aperto caro, in occulto Verbum : homo manifestus, Deus occultus. Videbant indumentum, et contemnebant indutum : contemnebant, quia nesciebant; nesciebant, quia non videbant; non videbant, quia cæci erant; cæci erant, quia non credebant.

2. Videamus ergo et ad hæc Dominus quid responderit. *Ubi est*, inquiunt, *pater tuus?* Audivimus enim te dicere, *Solus non sum, sed ego et qui misit me Pater :* nos solum te videmus, patrem tuum tecum non videmus; quomodo te dicis solum non esse, sed cum patre tuo esse? aut ostende nobis tecum esse patrem

tuum. Et Dominus : Numquid me videtis, ut Patrem ostendam vobis? Hoc enim sequitur, hoc suis verbis ipse respondit, quorum verborum expositionem nos ante præmisimus. Videte enim quid dixerit, *Neque me scitis, neque Patrem meum. Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.* Dicitis ergo, *Ubi est Pater tuus?* quasi jam me sciatis; quasi totum hoc sim quod videtis. Ergo quia me non nostis, ideo vobis Patrem meum non ostendo. Me quippe hominem putatis, ideo Patrem meum hominem quæritis, quia secundum carnem judicatis. Quia vero secundum quod videtis aliud sum, et aliud secundum quod non videtis; Patrem autem meum loquor occultus occultum : prius est ut me noveritis; tunc et Patrem meum scietis.

3. *Si enim me sciretis, et Patrem meum forsitan sciretis.* Ille qui omnia scit, quando dicit *forsitan*, non dubitat, sed increpat. Attende enim quomodo increpative dicatur ipsum *forsitan*, quod videtur esse verbum dubitationis. Sed dubitationis verbum est quando dicitur ab homine, ideo dubitante quia nesciente : cum vero dicitur a Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas. Homines enim de his rebus quas certas habent, aliquando increpative dubitant, id est, verbum dubitationis ponunt, cum corde non dubitent : velut si indigneris servo tuo et dicas, Contemnis me; considera, forsitan dominus tuus sum. Hinc et Apostolus ad quosdam contemptores suos loquens ait : *Puto autem, et ego Spiritum Dei habeo* (I *Cor.* VII, 40). Qui dicit, *puto*, dubitare videtur : sed ille increpabat, non dubitabat. Et ipse Dominus Christus alio loco increpans infidelitatem futuram generis humani : *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis, putas, inveniet fidem in terra* (*Luc.* XVIII, 8)?

4. Jam, quantum existimo, intellexistis quomodo sit positum *forsitan :* ne quis verborum appensor et syllabarum examinator, veluti latine loqui sciens, reprehendat verbum quod dixit Dei Verbum; et reprehendendo Dei Verbum, non eloquens, sed mutus remaneat. Quis enim loquitur sic, quomodo loquitur Verbum quod erat in principio apud Deum? Noli verba ista considerare, et ex his verbis assuetis illud Verbum metiri velle quod Deus est. Audis enim Verbum et contemnis; audi Deum et time : *In principio erat Verbum.* Tu revocas ad usum sermocinationis tuæ, et dicis apud te, Quid est verbum? quid magnum est verbum? sonat et transit; verberato aere aurem percutit, postea non erit. Audi adhuc, *Verbum erat apud Deum :* manebat, non sonando transibat. Adhuc forte contemnis : *Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Apud teipsum, o homo, cum est in corde tuo verbum, aliud est quam sonus : sed verbum quod est apud te, ut transeat ad me, sonum quasi vehiculum quærit. Assumit ergo sonum, imponit se quodammodo in vehiculum, transcurrit aerem, venit ad me, nec recedit a te. Sonus autem ut veniret ad me, recessit a te, nec perstitit apud me. Verbum ergo quod erat in corde tuo, numquid sono prætereunte præteriit? Quod cogitabas dixisti; et ut ad me perveniret quod apud te latebat, syllabas sonuisti : sonus syllabarum perduxit ad aurem meam cogitationem tuam; per aurem meam descendit in cor meum cogitatio tua, sonus medius transvolavit : verbum vero illud quod assumpsit sonum, antequam sonares, erat apud te; quia sonuisti, est apud me, et non recessit a te. Hoc attende, quisquis es examinator sonorum. Verbum Dei contemnis, qui verbum hominis non comprehendis!

5. Scit ergo omnia per quem facta sunt omnia, et tamen dubitando increpat : *Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.* Increpat infideles. Nam talem sententiam dixit discipulis : sed ibi non est verbum dubitationis, quia non fuit causa increpandæ infidelitatis, Nam quod modo dixit Judæis, *Si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis :* dixit et discipulis quando eum Philippus interrogavit, imo postulavit et ait, *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis :* quasi diceret, Et ipsi te jam novimus, apparuisti nobis, vidimus te, dignatus es eligere nos, secuti sumus te, mirabilia tua vidimus, verba salutis audivimus, præcepta suscepimus, promissa speramus; multum nobis conferre præsentia tua ipse dignatus es : sed tamen cum te noverimus, quia Patrem nondum novimus, inflammamur desiderio illius videndi quem nondum novimus : ac per hoc quia te novimus, sed non nobis sufficit, donec et Patrem noverimus; ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Et Dominus ut scirent non se nosse quod se putabant jam nosse : *Tanto tempore vobiscum sum, et me nescitis? Philippe, qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 8, 9). Numquid habet ista sententia verbum dubitationis? numquid dixit, Qui me vidit, forsitan vidit et Patrem? Quare? Quia fidelis audiebat, non fidei persecutor : ideo non erat Dominus increpator, sed doctor. *Qui me vidit, vidit et Patrem;* et hic, *Si me sciretis, et Patrem meum sciretis :* tollamus verbum quo notata est infidelitas audientium, et ipsa sententia est.

6. Jam hesterno die commendavimus Charitati vestræ, et diximus sententias Joannis evangelistæ, quibus nobis narrat quod a Domino didicit, nec discutiendas fuisse si fieri posset, nisi hæreticorum commenta compellerent. Breviter ergo hesterno die, insinuavimus Charitati vestræ, esse hæreticos qui vocantur Patripassiani, vel a suo auctore Sabelliani : hi dicunt ipsum esse Patrem qui est Filius; nomina diversa, unam vero esse personam. Cum vult, Pater est, inquiunt; cum vult, Filius : tamen unus est. Item sunt alii hæretici qui vocantur Ariani. Confitentur quidem unicum Patris Filium Dominum nostrum Jesum Christum, illum Patrem Filii, istum Filium Patris; eum qui Pater est non esse Filium, eum qui Filius est non esse Patrem : confitentur generationem, sed negant æqualitatem. Nos, id est, catholica fides veniens de doctrina Apostolorum, plantata in nobis, per seriem successionis accepta, sana ad posteros transmittenda, inter utrosque, id est, inter utrumque errorem tenuit veritatem. In errore Sabellianorum unus est solus, ipse est Pater qui Filius : in errore

Arianorum, alius est quidem Pater, alius Filius; sed ipse Filius non solum alius, sed etiam aliud est : tu in medio quid? Exclusisti sabellianum, exclude et arianum. Pater, Pater est; Filius, Filius est : alius, non aliud; quia *ego et Pater*, inquit, *unum sumus* (*Joan.* x, 30); sicut etiam hesterno die, quantum potui, commendavi. Cum audit, *sumus*, abscedat confusus sabellianus; cum audit, *unum*, abscedat confusus arianus : gubernet catholicus inter utrumque fidei suæ navigium, quoniam cavendum est in utroque naufragium. Dic ergo tu, quod dicit Evangelium, *Ego et Pater unum sumus*. Non ergo diversum, quia *unum*; non unus, quia *sumus*.

7. Paulo ante dixit, *Judicium meum verum est; quia solus non sum, sed ego et qui misit me Pater* : tanquam diceret, Ideo judicium meum est verum, quia Filius Dei sum, quia verum loquor, quia ipsa veritas ego sum. Isti carnaliter intelligentes, dixerunt, *Ubi est pater tuus?* Modo audi, ariane : *Neque me scitis, neque Patrem meum; quia si me sciretis, et Patrem meum sciretis*. Quid est, *si me sciretis et Patrem, meum sciretis*, nisi, *ego et Pater unum sumus?* Quando vides aliquem alicui similem : intendat Charitas vestra, quotidiana locutio est; non sit vobis arduum quod esse advertitis usitatum : quando ergo vides aliquem alicui similem, et nosti tu cui similis sit, admirans dicis, Quomodo iste homo similis est illi homini! Hoc non diceres, nisi duo essent. Hic ille qui eum ignorat, cui tu istum similem dicis : Itane, inquit, similis est? Et tu ad eum : Quid enim, tu illum non nosti? At ille : Non novi, inquit. Jam tu, ut illum quem nescit, ei notum facias ex præsente quem cernit, respondes et dicis : Hunc vidisti, illum vidisti. Non utique quia hoc dixisti, unum esse asseverasti, et duos negasti : sed propter similitudinem tale dedisti responsum, Istum nosti et illum nosti; valde enim similis est, et nihil distat omnino. Hinc et Dominus, *Si me*, inquit, *sciretis*, *et Patrem meum sciretis*, non quia Pater est Filius, sed quia Patri similis Filius. Erubescat arianus. Gratias Domino quia et ipse arianus recessit ab errore sabelliano, et non est patripassianus : non dicit ipsum Patrem indutum carne venisse ad homines, ipsum esse passum, ipsum resurrexisse, et quodammodo ad se ascendisse; hoc non dicit : agnoscit mecum Patrem, Patrem esse; et Filium, Filium esse. Sed, o frater, evasisti illud naufragium, quare tendis in alterum? Pater, Pater est; Filius, Filius est : quare dicis dissimilem? quare diversum? quare aliam substantiam? Si dissimilis esset, numquid diceret discipulis suis, *Qui me vidit, vidit et Patrem?* numquid diceret Judæis, *Si me sciretis, et Patrem meum sciretis?* Unde hoc verum esset, nisi et illud verum, *Ego et Pater unum sumus?*

8. *Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio docens in templo* : magna fiducia, sine timore. Non enim pateretur quod nollet, qui nec nasceretur si nollet. Denique quid sequitur? *Et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus*. Hoc item nonnulli cum audiunt, sub fato fuisse Dominum Christum credunt, et dicunt : Ecce Christus habebat fatum. O si cor tuum non esset fatuum, non crederes fatum! Si fatum, sicut nonnulli intellexerunt, a fando dictum est, id est a loquendo; Verbum Dei quomodo habet fatum, quando in ipso Verbo omnia sunt quæ condita sunt? Non enim aliquid Deus constituit quod ante nescivit; in Verbo ipsius erat quod factum est. Mundus factus est; et factus est, et ibi erat. Quomodo et factus est, et ibi erat? Quia domus quam ædificat structor, prius in arte erat; et ibi melius erat, sine vetustate, sine ruina : tamen ut ostendat artem, fabricat domum; et processit quodammodo domus ex domo; et si domus ruat, ars manet. Ita apud Dei Verbum erant omnia quæ condita sunt; quia omnia in sapientia fecit Deus (*Psal.* CIII, 24), et cuncta nota fecit : non enim quia fecit didicit, sed quia noverat fecit. Nobis quia facta sunt, nota sunt; illi nisi nota essent, facta non essent. Præcessit ergo Verbum. Et quid ante Verbum Dei? Nihil omnino. Nam si esset aliquid ante, non dictum esset, *In principio erat Verbum;* sed, In principio factum est Verbum. Denique de mundo quid ait Moyses? *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Fecit quod non erat : si ergo fecit quod non erat, ante quid erat? *In principio erat Verbum*. Et unde cœlum et terra? *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1, 3). Tu ergo ponis Christum sub fato? Ubi sunt fata? In cœlo, inquis, in ordine et conversionibus siderum. Quomodo ergo fatum habet, per quem factum est cœlum et sidera; cum tua voluntas, si recte sapias, transcendat et sidera? An quia nosti Christi carnem fuisse sub cœlo, ideo putas et potestatem Christi subditam cœlo?

9. Audi, stulte : *Nondum venerat hora ejus*, non qua cogeretur mori, sed qua dignaretur occidi. Noverat enim ipse quando deberet mori : intendit omnia quæ prædicta sunt de illo, et exspectabat finiri omnia quæ prædicta sunt ante ejus passionem futura; ut cum impleta essent, tunc veniret et passio, dispositionis ordine, non fatali necessitate. Denique audite, ut probetis : inter cætera quæ de illo prophetata sunt, scriptum est etiam, *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 22). Quomodo facta sint, in Evangelio novimus. Prius dederunt fel; accepit, gustavit, et despuit : postea in cruce pendens, ut omnia prædicta complerentur, ait, *Sitio :* acceperunt spongiam aceto plenam, in arundine ligaverunt, et admoverunt pendenti; accepit ille et ait, *Perfectum est*. Quid est, *Perfectum est?* Impleta sunt omnia quæ ante passionem meam fuerant prophetata : ergo adhuc quid hic facio? Denique posteaquam dixit, *Perfectum est, inclinato capite tradidit spiritum* (*Joan.* XIX, 28 30). Numquid illi latrones juxta confixi, quando voluerunt, exspiraverunt? Tenebantur vinculis carnis, quia non erant creatores carnis : clavis confixi diu cruciabantur, quia infirmitati non dominabantur. Dominus autem quando voluit, carnem in utero virginali accepit; quando voluit, ad homines processit; quamdiu voluit, inter homines vixit; quando voluit, a carne discessit : hoc est potestatis, non necessitatis. Hanc ergo horam

ille exspectabat, non fatalem, sed opportunam et voluntariam: ut prius omnia complerentur, quæ ante passionem ipsius compleri oportebat. Nam quomodo sub fati necessitate positus erat, qui alio loco dixit: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam: nemo tollit eam a me, sed ego ipse pono eam a me, et iterum sumo eam* (*Joan.* X, 18)? Ostendit hanc potestatem, quando eum Judæi quærebant. *Quem quæritis*, inquit? Et illi: *Jesum*. Et ille: *Ego sum*. Qua voce audita, *redierunt retro et ceciderunt* (*Id.* XVIII, 4-6).

10. Dicit aliquis, Si hæc in illo potestas erat, quare, cum Judæi insultarent pendenti et dicerent, *Si Filius Dei est, descendat de cruce* (*Matth.* XXVII, 40), non descendit, ut eis suam potestatem descendendo monstraret? Quia patientiam docebat, ideo potentiam differebat. Si enim quasi commotus ad eorum verba descenderet, victus conviciorum dolore putaretur. Prorsus non descendit, fixus permansit, quando vellet abscessurus. Nam quid ei magnum fuit de cruce descendere, qui potuit de sepulcro resurgere? Intelligamus ergo nos quibus hoc ministratum est, potentiam Domini nostri Jesu Christi occultam tunc, manifestam futuram in judicio: de quo dictum est, *Deus manifestus veniet, Deus noster et non silebit* (*Psal.* XLIX, 3). Quid est, *manifestus veniet?* Quia venit occultus, veniet manifestus Deus noster, hoc est Christus. *Et non silebit:* quid est, *non silebit?* Quia primo siluit. Ubi siluit? Quando judicatus est; ut etiam hoc impleretur, quod et propheta prædixerat, *Sicut ovis ad immolandum ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum* (*Isai.* LIII, 7). Si ergo pati nollet, non pateretur; si non pateretur, sanguis ille non funderetur; si sanguis ille non funderetur, mundus non redimeretur. Agamus itaque gratias et potestati divinitatis, et miserationi infirmitatis ejus: et de occulta potentia quam Judæi non noverant, unde illis modo dictum est, *Neque me nostis, neque Patrem meum;* et de carne suscepta quam Judæi noverant, et cujus patriam sciebant; unde illis alio loco dixit, *Et me nostis, et unde sim nostis* (*Joan.* VII, 28). Utrumque noverimus in Christo; et unde æqualis est Patri, et unde illo major est Pater. Illud Verbum est, illud caro, illud Deus est, illud homo: sed unus est Christus Deus et homo.

TRACTATUS XXXVIII.

Ab eo quod scriptum est, Dixit ergo eis Jesus: Ego vado, et quæretis me; *usque ad id*, Dixit eis Jesus: Principium, quia et loquor vobis. *Cap.* VIII, ℣. 21-25.

1. Lectio sancti Evangelii quæ præcessit hodiernam, ita concluserat, quia *locutus est docens in gazophylacio Dominus*, quæ voluit, et quæ audistis: *et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora ejus* (*Joan.* VIII, 20). Hinc disputatum est dominico die, quod ipse donare dignatus est. Intimavimus Charitati vestræ quare dictum sit, *Nondum venerat hora ejus;* nec positum Christum sub aliqua necessitate fatali ulla impietas auderet improbe suspicari. Nondum enim venerat hora qua ex ordine suo, secundum ea quæ prædicta sunt de illo, non mori cogeretur invitus, sed occideretur paratus.

2. Modo autem de ipsa passione sua, quæ posita erat non in ejus necessitate, sed potestate, locutus est Judæis dicens: *Ego vado*. Christo enim Domino mors profectio fuit illo unde venerat, et unde non discesserat. *Ego*, inquit, *vado*, *et quæretis me:* non desiderio, sed odio. Nam illum posteaquam abscessit ab oculis hominum, inquisierunt et qui oderant et qui amabant: illi persequendo, illi habere cupiendo. In Psalmis ait ipse Dominus per prophetam, *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam* (*Psal.* CXLI, 5): et iterum ait alio loco in Psalmo, *Confundantur et revereantur requirentes animam meam* (*Psal.* XXXIX, 15). Culpavit qui non requirerent, damnavit qui requirerent. Malum est enim non quærere animam Christi, sed quomodo eam quæsierunt discipuli; et malum est quærere animam Christi, sed quomodo eam Judæi quæsierunt: illi enim ut haberent, isti ut perderent. Denique isti quia sic quærebant more malo, corde perverso, quid secutus adjunxit? *Quæretis me, et*, ne putetis quia bene me quæretis, *in peccato vestro moriemini*. Hoc est Christum male quærere, in peccato suo mori: hoc est illum odisse, per quem posset solum salvus esse. Cum enim homines quorum spes in Deo est, non debeant mala reddere nec[1] pro malis, reddebant isti mala pro bonis. Prænuntiavit ergo illis Dominus, dixitque sententiam præscius, quod in suo peccato morerentur. Deinde adjungit: *Quo ego vado, vos non potestis venire*. Hoc et discipulis alio loco dixit; nec tamen eis dixit, *In peccato vestro moriemini*. Quid autem dixit? Quod et istis: *Quo ego vado, vos venire non potestis* (*Joan.* XIII, 33). Non abstulit spem, sed prædixit dilationem. Quando enim hoc discipulis Dominus loquebatur, tunc non poterant venire quo ille ibat, sed postea venturi erant: isti autem nunquam, quibus præscius dixit, *In peccato vestro moriemini*.

3. His autem auditis verbis, quomodo solent carnea cogitantes, et secundum carnem judicantes, et totum carnaliter audientes atque sapientes, dixerunt: *Numquid interficiet semetipsum; quia dixit, Quo ego vado, vos non potestis venire?* Stulta verba, et omnino insipientiæ plena. Quid enim? non poterant illo venire quo ille perrexisset, si interficeret semetipsum? Numquid ipsi non erant morituri? Quid est ergo, *Numquid interficiet semetipsum; quia dixit, Quo ego vado, vos non potestis venire?* Si de morte hominis diceret, quis homo non moritur? Ergo *quo ego vado* dixit, non cum[2] itur ad mortem, sed quo ibat ipse post mortem. Illi itaque non intelligentes, ista responderunt.

4. Et Dominus ad eos qui terram sapiebant, quid ait? *Et dicebat eis: Vos de deorsum estis.* Ideo terram sapitis, quia sicut serpentes terram manducatis. Quid

[1] Abest, *nec*, ab omnibus Mss.
[2] Aliquot Mss., *non quo*.

est, terram manducatis? Terrenis pascimini, terrenis delectamini, terrenis inhiatis, sursum cor non habetis. *Vos de deorsum estis : ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis : ego non sum de hoc mundo*. Quomodo enim erat de mundo, per quem factus est mundus? Omnes de mundo post mundum; quia prius mundus, et sic homo de mundo : prius autem Christus, deinde mundus; quoniam ante mundum Christus, ante Christum nihil : quia *in principio erat Verbum; omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1, 3). Sic ergo erat ille de supernis. De quibus supernis? De aere? Absit : ibi et aves volitant. De cœlo quod videmus? Et hoc absit; ibi et stellæ et sol et luna circumeunt. De Angelis? Neque hoc intelligatis : per illum et Angeli facti sunt, per quem omnia facta sunt. De quibus ergo supernis Christus? Ab ipso Patre. Nihil illo Deo superius, qui Verbum genuit æquale sibi, coæternum sibi, unigenitum, sine tempore, per quem conderet tempora. Sic ergo accipe Christum de supernis, ut excedas cogitatione tua omne quod factum est; universam omnino creaturam, omne corpus, omnem conditum spiritum, omnem rem quoquo modo mutabilem : totum excede, sicut excessit Joannes, ut contingeret, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

5. *Ego* ergo, inquit, *de supernis sum. Vos de hoc mundo estis : ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris.* Exposuit nobis, fratres, quid intelligi voluerit, *Vos de hoc mundo estis.* Ideo quippe dixit, *Vos de hoc mundo estis*, quia peccatores erant, quia iniqui erant, quia infideles erant, quia terrena sapiebant. Nam quid vobis videtur de sanctis Apostolis? Quantum intererat inter Judæos et Apostolos? Quantum inter tenebras et lucem, quantum inter fidem et infidelitatem, quantum inter pietatem et impietatem, quantum inter spem et desperationem, quantum inter charitatem et cupiditatem : multum ergo intererat. Quid ergo? quia tantum intererat, Apostoli de mundo non erant? Si cogites quomodo nati sint, et unde venerint; quia omnes ex Adam venerant, de hoc mundo erant. Sed quid eis ait ipse Dominus? *Ego vos de mundo elegi* [1] (*Id.* XV, 19). Qui ergo de mundo erant, facti sunt non de mundo, et pertinere cœperunt ad eum per quem factus est mundus. Isti autem remanserunt esse de mundo, quibus dictum est, *Moriemini in peccatis vestris.*

6. Nemo ergo dicat, fratres, De hoc mundo non sum. Quisquis es homo, de hoc mundo es : sed venit ad te qui fecit mundum, et liberavit te de hoc mundo. Si delectat te mundus, semper vis esse immundus; si autem jam non te delectat hic mundus, jam tu es mundus. Verumtamen si per aliquam infirmitatem adhuc te delectat mundus, habitet in te qui mundat, et eris mundus. Si autem fueris mundus, non remanebis in mundo; nec audies quod audierunt Judæi, *Moriemini in peccatis vestris.* Omnes enim cum peccato nati sumus; omnes vivendo ad id quod nati eramus addidimus, magisque de mundo facti sumus, quam tunc quando de parentibus nostris nati sumus. Et ubi essemus, si ille non veniret, qui non habebat omnino peccatum [1], ut solveret omne peccatum? In quem Judæi quia non credebant, merito audierunt, *Moriemini in peccatis vestris* : quia non habere peccatum nullo modo potuistis, qui cum peccato nati estis; sed tamen si in me, inquit, credideritis, cum peccato quidem nati estis, sed in peccato vestro morituri non estis. Tota ergo infelicitas Judæorum ipsa erat, non, peccatum habere, sed in peccatis mori. Hoc est quod debet fugere omnis christianus : propter hoc ad Baptismum curritur; propter hoc qui ægritudine vel aliunde periclitantur, sibi desiderant subveniri; propter hoc etiam sugens parvulus a matre piis manibus ad Ecclesiam fertur, ne sine Baptismo exeat, et in peccato quo natus est moriatur. Infelicissima conditio, misera sors istorum, qui de ore veridico audierunt, *In peccatis vestris moriemini.*

7. Unde tamen hoc eis contingat, exponit : *Si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Credo, fratres, in illa multitudine quæ Dominum audiebat, et eos fuisse qui credituri erant. Quasi autem in omnes processerat severissima illa sententia, *In peccato vestro moriemini*; ac per hoc et illis qui credituri erant, spes erat ablata : illi sæviebant, illi timebant; imo non timebant, sed jam desperabant. Revocavit eos in spem; adjunxit enim, *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Ergo si credideritis quia ego sum, non moriemini in peccatis vestris. Reddita est spes desperantibus, excitatio facta est dormientibus, cordibus evigilaverunt : inde plurimi crediderunt, sicut Evangelii ipsius consequentia testantur. Erant enim illic membra Christi, quæ nondum adhæserant corpori Christi : et in illo populo a quo crucifixus est, a quo in ligno suspensus est, a quo pendens irrisus est, a quo lancea vulneratus est, a quo felle et aceto potatus est, erant membra Christi, pro quibus dixit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Quid autem converso non ignoscitur, si fusus Christi sanguis ignoscitur? Quis homicida desperet, si in spem redditus est a quo etiam Christus occisus est? Crediderunt inde multi; donatus est eis sanguis Christi, ut magis eum biberent quo liberarentur, quam rei de illo effuso tenerentur : quis desperet? Et si in cruce latro salvatus est, ante paululum homicida, post paululum accusatus, convictus, damnatus, suspensus, liberatus; noli mirari. Ubi convictus, ibi damnatus : sed ibi liberatus, ubi mutatus (*Luc.* XXIII, 34-43). In hoc ergo populo cui Dominus loquebatur, erant qui in peccato suo fuerant morituri : erant etiam qui in ipsum qui loquebatur, fuerant credituri, et ab omni peccato liberandi.

8. Tamen hoc attende quod ait Dominus Christus : *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Quid est, *Si non credideritis quia ego sum? Ego sum*, quid? Nihil addidit; et quia nihil addidit, multum est quod commendavit. Exspecta-

[1] Mss., *Ego vos de hoc mundo elegi.*

[1] Mss., *qui non habebat peccatum*; prætermisso, *omnino.*

batur enim ut diceret quid esset, nec tamen dixit. Quid exspectabatur ut diceret? Forte, *Nisi credideritis quia ego sum* Christus; *nisi credideritis quia ego sum* Dei Filius; *nisi credideritis quia ego sum* Verbum Patris; *nisi credideritis quia ego sum* conditor mundi; *nisi credideritis quia ego sum* hominis formator et reformator, creator et recreator, factor et refactor: *nisi* hoc *credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.* Multum est quod ait ipsum, *Ego sum* [1]: quia sic dixerat et Deus Moysi, *Ego sum qui sum.* Quis digne eloquatur quid sit, *sum?* Mittebat Deus per angelum suum, servum suum Moysen ad liberandum ex Ægypto populum suum (legistis quod audistis, et nostis; commemoro tamen); mittebat trementem; excusantem, sed obedientem. Cum ergo excusaret, ait Deo, quem loqui in angelo intelligebat: Si dixerit mihi populus, Et quis est Deus qui misit te, quid eis dicam? Et Dominus ad eum, *Ego sum qui sum:* et repetivit, *Dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos.* Non ait et ibi, Ego sum Deus; aut, Ego sum mundi fabricator; aut, Ego sum omnium rerum creator; aut, Ego sum ipsius populi liberandi propagator: sed hoc tantum, *Ego sum qui sum;* et, *Dices filiis Israel, Qui est;* non addidit, Qui est Deus vester, qui est Deus patrum vestrorum, sed tantum hoc dixit, *Qui est, misit me ad vos.* Forte multum erat et ad ipsum Moysen, sicut multum est et ad nos, et multo magis ad nos, intelligere quid dictum sit, *Ego sum qui sum;* et, *Qui est, misit me ad vos.* Et si forte caperet Moyses, illi ad quos mittebatur quando caperent? Distulit ergo Dominus quod capere homo non posset, et addidit quod capere posset: adjunxit enim et ait, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III, 13-15). Hoc potes capere: Nam *Ego sum qui sum*, quæ mens potest capere?

9. Quid ergo nos? audebimusne aliquid dicere ex hoc quod dictum est, *Ego sum qui sum:* vel potius ex hoc quod Dominum dicere audistis, *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris?* Itane his viribus meis tantillis et pene nullis, audebo disputare quid sit quod ait Dominus Christus, *Nisi credideritis quia ego sum?* Audebo ipsum Dominum interrogare: audite me interrogantem potius quam disputantem, magis quærentem quam præsumentem, potius discentem quam docentem, et certe in me vel per me etiam vos interrogate. Præsto est etiam ipse Dominus qui ubique est, audiat interrogandi affectum, et intelligendi præstet effectum. Nam ego quibus verbis, et si forte aliquid capio, perducere possum quod capio ad corda vestra? Quisnam sufficit sonus? quæ suppetit eloquentia? quæ vires intelligendi? quæ facultas proferendi?

10. Dicam ergo Domino nostro Jesu Christo, dicam, et audiat me [2]. Credo præsentem, omnino non dubito; ipse enim dixit, *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). O Domine Deus noster, quid est quod aisti, *Nisi credideritis quia ego sum?* Quid enim non est eorum quæ fecisti? Numquid cœlum non est? numquid terra non est? numquid non sunt ea quæ in terra et in cœlo sunt? numquid homo ipse cui loqueris non est? numquid angelus quem mittis non est? Si omnia sunt hæc quæ per te facta sunt, quid est quod tibi proprium quiddam tenuisti ipsum esse, quod aliis non dedisti, ut tu solus esses? Nam quomodo audio, *Ego sum qui sum;* quasi alia non sint? et quomodo audio, *Nisi credideritis quia ego sum?* Illi enim non erant qui audiebant? Et si peccatores erant, homines erant. Quid ergo facio? Quid sit ipsum esse, dicat cordi, intus dicat, intus loquatur; homo interior audiat, mens capiat vere esse: est enim semper eodem modo esse. (Res enim aliqua, quælibet omnino: quasi cœpi disputare, et destiti quærere; forte quod audivi volo loqui, auditui meo det exsultationem et vestro cum loquor): res enim quælibet, prorsus qualicumque excellentia, si mutabilis est, non vere est; non enim est ibi verum esse, ubi est et non esse. Quidquid enim mutari potest, mutatum non est quod erat: si non est quod erat, mors quædam ibi facta est; peremptum est aliquid ibi quod erat, et non est. Nigredo mortua est in capite albescentis senis, pulchritudo mortua est in corpore fessi et incurvi senis, mortuæ sunt vires in corpore languentis, mortua est statio in corpore ambulantis, mortua est ambulatio in corpore stantis, mortua est ambulatio et statio in corpore jacentis, mortua est locutio in lingua tacentis: quidquid mutatur et est quod non erat, video ibi quamdam vitam in eo quod est, et mortem in eo quod fuit. Denique de mortuo cum dicitur, Ubi est homo ille? respondetur, Fuit. O veritas quæ vere es! Nam in omnibus actionibus et motibus nostris, et in omni prorsus agitatione creaturæ duo tempora invenio, præteritum et futurum. Præsens quæro, nihil stat: quod dixi, jam non est; quod dicturus sum, nondum est: quod feci, jam non est; quod facturus sum, nondum est: quod vixi, jam non est; quod victurus sum, nondum est. Præteritum et futurum invenio in omni motu rerum: in veritate quæ manet, præteritum et futurum non invenio, sed solum præsens, et hoc incorruptibiliter, quod in creatura non est. Discute rerum mutationes, invenies Fuit et Erit: cogita Deum, invenies Est, ubi Fuit et Erit esse non possit. Ut ergo et tu sis, transcende tempus. Sed quis transcendet viribus suis? Levet illuc ille qui Patri dixit, *Volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum.* Hoc itaque promittens ne moriamur in peccatis nostris, nihil aliud Dominus Jesus Christus mihi videtur his verbis dixisse, *Nisi credideritis quia ego sum:* prorsus nihil aliud mihi videtur his verbis dixisse quam hoc, *Nisi credideritis quia ego* Deus *sum, moriemini in peccatis vestris.* Bene, Deo gratias, quia dixit, *Nisi credideritis:* non dixit, Nisi ceperitis. Quis enim hoc capiat? Aut vere, quia ausus sum dicere, et visi estis intelligere [1], aliquid de tanta inef-

[1] Sic Er. Lugd. Ven. Lov.: *Multum est quod ait ipse, Ego sum.* M.

[2] Apud Er. Lugd. et Ven., *audiet me.* M.

[1] Lov., *et nisi.* At editi alii et Mss., *visi.*

fabilitate cepistis? Si ergo non capis, fides te liberat. Ideo et Dominus non ait, Nisi ceperitis quia ego sum; sed quod poterant dixit, *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris.*

11. Et illi semper terrena sapientes et semper secundum carnem audientes et respondentes, quid ei dixerunt? *Tu quis es?* Non enim cum dixisti, *Nisi credideritis quia ego sum,* addidisti quid esses. Quis es, ut credamus? Et ille, *Principium.* Ecce quod est esse. Principium mutari non potest : principium in se manet, et innovat omnia ; principium est, cui dictum est, *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28). *Principium*, ait, *quia* [1] *et loquor vobis.* Principium me credite, ne moriamini in peccatis vestris. Tanquam enim in eo quod dixerunt, *Tu quis es?* nihil aliud dixerint quam, Quid te esse credimus? respondit, *Principium ;* id est, Principium me credite. In græco namque eloquio discernitur, quod non potest in latino. Apud græcos enim feminini generis est principium, sicut apud nos lex generis feminini est, quæ apud illos est masculini : sicut sapientia et apud nos et apud illos generis feminini est. Consuetudo locutionis ideo per diversas linguas variat genera vocabulorum, quia in ipsis rebus non invenis sexum. Non enim sapientia vere femina est, cum Christus sit Dei Sapientia (I *Cor.* I, 24), et Christus appelletur genere masculino, sapientia feminino. Cum ergo dicerent Judæi, *Tu quis es?* ille qui sciebat esse ibi quosdam credituros, et ideo dixisse, *Tu quis es?* ut scirent quid illum credere deberent, respondit, *Principium :* non tanquam diceret, Principium sum ; sed tanquam diceret, Principium me credite. Quod in sermone græco, ut dixi, evidenter apparet, ubi feminini generis est principium (*a*). Velut si vellet dicere se esse veritatem, et dicentibus, *Tu quis es?* responderet, Veritatem ; cum videatur ad id quod dictum est, *Tu quis es?* respondere debuisse, Veritas ; id est, Veritas sum. Sed altius respondit, cum videret eos ita dixisse, *Tu quis es?* ac si dicerent, Quoniam abs te audivimus, *Nisi credideritis quia ego sum,* quid te esse credemus? ad hoc respondit, *Principium :* tanquam diceret, Principium me credite. Et addidit, *quia et loquor vobis :* id est, quia humilis propter vos factus, ad ista verba descendi. Nam si principium sicuti est, ita maneret apud Patrem, ut non acciperet formam servi et homo loqueretur hominibus ; quomodo ei crederent, cum infirma corda intelligibile Verbum sine voce sensibili audire non possent? Ergo, inquit, credite me esse principium ; quia, ut credatis, non solum sum, sed et loquor vobis. Sed de hac re jam multum est loqui vobis : placeat itaque Charitati vestræ ut quod restat, illo adjuvante servemus, crastino reddituri.

TRACTATUS XXXIX.

Ab eo quod scriptum est, Multa habeo de vobis loqui et judicare ; *usque ad id,* Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum. *Cap.* VIII, ℣. 26, 27.

1. Verba Domini nostri Jesu Christi quæ habuit cum Judæis, ita moderans loquelam suam, ut cæci non viderent, et fideles oculos aperirent, quæ hodie de sancto Evangelio recitata sunt, ista sunt : *Dicebant ergo Judæi, Tu quis es?* Quia dixerat supra Dominus, *Nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris* (*Joan.* VIII, 25, 24). Ad hoc ergo illi, *Tu quis es?* veluti quærentes nosse in quem deberent credere, ne in suo peccato morerentur. Respondit dicentibus, *Tu quis es?* et ait, *Principium, quia et loquor vobis.* Si se dixit Dominus esse principium, quæri potest utrum et Pater principium sit. Si enim Filius principium est qui habet Patrem, quanto facilius intelligendus est Deus Pater esse principium, qui habet quidem Filium cui Pater sit, sed non habet de quo sit? Filius enim Patris est Filius, et Pater utique Filii Pater est : sed Deus de Deo Filius dicitur, lumen de lumine Filius dicitur : Pater dicitur lumen, sed non de lumine ; Pater dicitur Deus, sed non de Deo. Si ergo Deus de Deo, lumen de lumine principium est ; quanto facilius intelligitur principium lumen de quo lumen, et Deus de quo Deus? Videtur itaque absurdum, charissimi, ut Filium dicamus principium, et Patrem principium non dicamus.

2. Sed quid agemus? numquid duo erunt principia? Cavendum est hoc dicere. Quid ergo? si et Pater principium et Filius principium, quomodo non duo principia? Quomodo dicimus Patrem Deum et Filium Deum, nec tamen dicimus duos deos. Nefas est enim dicere duos deos, nefas est dicere tres deos : et tamen qui Pater est, non est Filius; qui Filius est, non est Pater : Spiritus autem sanctus Patris et Filii Spiritus, nec Pater est nec Filius. Quamvis ergo, sicut aures catholicæ sunt eruditæ in gremio matris Ecclesiæ, nec ille qui est Pater sit Filius, nec ille qui est Filius sit Pater, nec Spiritus sanctus Patris et Filii sit vel Filius vel Pater, tres deos tamen esse non dicimus : quamvis de singulis si quæratur, necesse est de quocumque interrogati fuerimus, Deum esse fateamur.

3. Et absurda ista videntur hominibus solita trahentibus ad insolita, visibilia ad invisibilia, creaturam comparantibus Creatori. Interrogant enim nos aliquando infideles et dicunt : Patrem quem dicitis, Deum dicitis? Respondemus : Deum. Filium quem dicitis, Deum dicitis? Respondemus : Deum. Spiritum sanctum quem dicitis, Deum dicitis? Respondemus : Deum. Ergo, inquiunt, Pater et Filius et Spiritus sanctus tres sunt dii? Respondemus : Non. Turbantur, quia non illuminantur : cor clausum habent, quia clavim fidei non habent. Nos ergo, fratres, fide præcedente, quæ sanat oculum cordis nostri, quod intelligimus, sine obscuritate capiamus; quod non intelligimus, sine dubitatione credamus : a fundamento fidei non recedamus, ut ad culmen perfectionis veniamus. Deus est Pater, Deus est Filius Deus est Spiritus sanctus : et tamen Pater non est qui Filius, nec Filius est qui Pater, nec Spiritus sanctus Patris et Filii Spiritus aut Pater est

[1] Editi, *qui.* At plerique Mss., *quia :* juxta græcum, *oti.*

(*a*) In græco est *tên archên :* quod nonnullis adverbii sonum hic habet, ut Latinis *principio* et *primum :* sic certe sonabat Chrysostomo. At interpretationi Augustini favet Ambrosius, Bernardus, etc.

aut Filius. Trinitas unus Deus : Trinitas una æternitas, una potestas, una majestas; tres [1], sed non dii. Non mihi calumniator respondeat : Quid ergo tres? Si enim tres, ait, oportet dicas quid tres. Respondeo : Pater et Filius et Spiritus sanctus. Ecce, inquit, tres dixisti; sed quid tres exprime. Imo tu numera : nam ego compleo tres, cum dico, Pater et Filius et Spiritus sanctus. Id enim quod Pater ad se est, Deus est; quod ad Filium est, Pater est : quod Filius ad seipsum est, Deus est; quod ad Patrem est, Filius est.

4. Ista quæ dico potestis de similitudinibus agnoscere quotidianis. Homo et alter homo, si ille sit pater, ille filius; quod homo est, ad seipsum est; quod pater est, ad filium est : et filius quod homo est, ad seipsum est; quod autem filius est, ad patrem est. Pater enim nomen est dictum ad aliquid, et filius ad aliquid : sed isti duo homines sunt. At vero Pater Deus ad aliquid est Pater, id est ad Filium; et Filius Deus ad aliquid est Filius, id est ad Patrem : sed non quomodo illi duo homines sunt, sic isti duo dii. Quare hoc non ita est ibi? Quia illud aliud, hoc autem aliud est : quia illa divinitas est. Est ibi aliquid ineffabile, quod verbis explicari non possit, ut et numerus sit, et numerus non sit. Videte enim si non quasi apparet numerus, Pater et Filius et Spiritus sanctus Trinitas. Si tres, quid tres? Deficit numerus. Ita Deus nec recedit a numero, nec capitur numero. Quia tres sunt, tanquam est numerus : si quæris quid tres, non est numerus. Unde dictum est, *Magnus Dominus noster et magna virtus ejus, et sapientiæ ejus non est numerus* (*Psal.* XIV, 6, 5). Ubi cogitare cœperis, incipis numerare : ubi numeraveris, quid numeraveris non potes respondere. Pater, Pater est; Filius, Filius est; Spiritus sanctus, Spiritus sanctus est : quid sunt isti tres, Pater et Filius et Spiritus sanctus? Non tres dii? Non. Non tres omnipotentes? Non. Non tres mundi creatores? Non. Ergo omnipotens Pater? Omnipotens plane. Ergo et Filius non omnipotens? Plane et Filius omnipotens? Ergo et Spiritus sanctus non omnipotens? Et ipse omnipotens. Tres ergo omnipotentes? Non; sed unus omnipotens. Hoc solo numerum insinuant quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt. Quia enim Deus Pater ad se est Deus simul cum Filio et Spiritu sancto, non sunt tres dii; quia ad se est omnipotens simul cum Filio et Spiritu sancto, non sunt tres omnipotentes : quia vero non ad se est Pater, sed ad Filium; nec Filius ad se est, sed ad Patrem; nec Spiritus ad se, in eo quod dicitur Spiritus Patris et Filii; non est quid dicam tres, nisi Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum Deum, unum omnipotentem. Ergo unum principium.

5. Accipite aliquid de Scripturis sanctis, unde hoc quod dicitur utcumque capiatis. Posteaquam Dominus noster Jesus Christus resurrexit, et cum voluit ascendit in cœlum, decem diebus illic impletis misit inde Spiritum sanctum : quo impleti qui aderant in conclavi uno, omnium gentium linguis cœperunt loqui. Miraculo exterriti Domini interfectores, compuncti doluerunt, dolentes mutati sunt, mutati crediderunt : accesserunt corpori Domini, id est numero fidelium, tria millia hominum. Item alio facto quodam miraculo, accesserunt alia quinque millia; facta est plebs una non parva : in qua omnes accepto Spiritu sancto, quo amor spiritualis accensus est, charitate ipsa et fervore spiritus in unum redacti, cœperunt in ipsa societatis unitate vendere omnia quæ habebant, et pretia ponere ad pedes Apostolorum, ut distribueretur unicuique, sicut cuique opus erat. Et hoc de illis Scriptura dicit, quod *erat eis anima una et cor unum in Deum* (*Act.* II-IV). Attendite ergo, fratres, et hinc agnoscite mysterium Trinitatis, quomodo dicamus, Et Pater est, et Filius est, et Spiritus sanctus est, et tamen unus Deus est. Ecce illi tot millia erant, et cor unum erat; ecce tot millia erant, et una anima erat. Sed ubi? In Deo. Quanto magis ipse Deus? Numquid erro in verbo, quando dico duos homines duas animas, aut tres homines tres animas, aut multos homines multas animas? Recte utique dico. Accedant ad Deum, una anima est omnium. Si accedentes ad Deum, multæ animæ per charitatem una anima est, et multa corda unum cor; quid agit ipse fons charitatis in Patre et Filio? Nonne ibi magis Trinitas unus est Deus? Inde enim nobis charitas venit, de ipso Spiritu sancto, sicut dicit Apostolus : *charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Si ergo *charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, multas animas facit unam animam, et multa corda facit unum cor; quanto magis Pater et Filius et Spiritus sanctus, Deus unus, lumen unum, unumque principium?

6. Audiamus ergo principium quod loquitur nobis. *Multa*, inquit, *habeo loqui de vobis et judicare*. Meministis quod ait, *Ego non judico quemquam* (*Joan.* VIII, 15) : ecce modo dicit, *Multa habeo de vobis loqui et judicare*. Sed aliud est, *non judico*; aliud, *habeo judicare*. *Non judico*, dixit ad præsens; venerat enim ut salvaret mundum, non ut judicaret mundum (*Id.* XII, 47) : quod autem dicit, *Multa habeo de vobis loqui et judicare*, judicium futurum dicit. Ideo enim ascendit, ut veniat judicare vivos et mortuos. Nemo justius judicabit, quam qui injuste judicatus est. *Multa*, inquit, *habeo de vobis loqui et judicare : sed qui me misit, verax est*. Videte quemadmodum Patri det gloriam æqualis Filius. Exemplum enim nobis præbet, et tanquam in cordibus nostris loquitur : O homo fidelis, si Evangelium meum audis, dicit tibi Dominus Deus tuus, ubi ego in principio Verbum Deus apud Deum, æqualis Patri, coæternus gignenti, do gloriam ei cujus sum Filius; quomodo tu superbus es adversus eum cujus servus es?

7. *Multa habeo*, inquit, *de vobis loqui et judicare : sed qui me misit, verax est* : tanquam diceret, Ideo verum judico, quia Filius veracis veritas sum. Pater verax, Filius veritas, quid putamus esse amplius? Co-

[1] Editi, *tres personæ*. At Mss. omnes carent voce, *personæ* : eamque expungi Lovanienses in Castigationibus tomi noni præceperant.

gitemus si possimus, quid est amplius, verax an veritas. De quibusdam quæramus. Pius homo plus est, an pietas? Sed plus est ipsa pietas : pius enim a pietate, non pietas a pio. Potest enim esse pietas, etsi ille qui pius erat, factus est impius. Ipse perdidit pietatem, pietati nihil abstulit. Quid item pulcher et pulchritudo? Plus est pulchritudo quam pulcher : pulchritudo enim facit pulchrum, non pulcher facit pulchritudinem? Castus et castitas? Castitas plane plus est quam castus. Si enim castitas non esset, unde esset iste castus, non haberet : si autem noluerit esse castus, castitas integra perseverat. Si ergo plus pietas quam pius, plus pulchritudo quam pulcher, plus castitas quam castus; numquid dicturi sumus plus veritas quam verax? Si hoc dixerimus, Filium incipiemus dicere Patre majorem. Ait enim apertissime ipse Dominus : *Ego sum, via et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Ergo si Filius veritas; Pater quid, nisi quod ait ipsa veritas, *Qui me misit, verax est?* Filius veritas, Pater verax : quid plus sit quæro, sed æqualitatem invenio. Verax enim Pater non ab ea veritate verax est cujus partem cepit, sed quam totam genuit.

8. Video planius esse dicendum. Et certe ne vos diu teneam, hodie huc usque tractetur : cum finiero quod volo dicere, adjuvante Deo, sermo claudatur. Hoc ideo dixi, ut intentos vos facerem. Omnis anima quoniam res est mutabilis, et quamvis magna creatura, tamen creatura; quamvis corpore melior, tamen facta : omnis ergo anima quoniam mutabilis est, hoc est, modo credit, modo non credit; modo vult, modo non vult; modo adultera est, modo casta; modo bona, modo mala; mutabilis est : Deus autem hoc est quod est; ideo proprium nomen sibi tenuit, *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14). Hoc est Filius, dicendo, *Nisi credideritis quia ego sum :* ad hoc pertinet et, *Tu quis es? Principium* (*Joan.* VIII, 24, 25). Deus igitur incommutabilis est, anima mutabilis. Quando capit anima ex Deo unde sit bona, participando fit bona : quomodo tuus oculus participando videt. Nam lumine subtracto non videt, cujus particeps factus videt. Quia ergo anima participando fit bona, si mutata cœperit esse mala, bonitas manet cujus erat particeps bona. Bonitatis enim cujusdam particeps facta est cum bona esset; qua mutata in pejus, integra bonitas permanet. Si recedat anima et mala fiat, non minuitur bonitas; si revertatur et bona fiat, non crescit bonitas. Factus est oculus tuus particeps lucis hujus, et vides : clausus est? hanc lucem non minuisti : apertus est? hanc lucem non auxisti. Hac data similitudine, fratres, intelligite quia si pia est anima, est pietas apud Deum, cujus fit particeps anima; si est casta anima, est castitas apud Deum, cujus est particeps anima; si est bona anima, est bonitas apud Deum, cujus est particeps anima; si est verax anima, est veritas apud Deum, cujus est particeps anima. Cujus particeps si non fuerit anima, omnis homo mendax (*Psal.* CXV, 11) : si omnis homo mendax, nullus homo de suo verax. Pater autem verax, de suo est verax; quia genuit veritatem. Aliud est, Verax est homo iste, quia jam percepit veritatem; aliud est, Verax Deus, quia genuit veritatem. Ecce quomodo verax est Deus, non participando, sed generando veritatem. Video vos intellexisse et gaudeo : sufficiat vobis hodie; cætera quando Domino placuerit, sicut donaverit, exponemus.

TRACTATUS XL.

Ab eo loco, Dixit ergo eis Jesus : Cum exaltaveritis Filium hominis; *usque ad id,* Et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos. *Cap.* VIII, ỷ. 28-32.

1. De sancto Evangelio secundum Joannem, quod gestare nos videtis in manibus, jam multa audivit Charitas vestra, quæ Deo donante sicut potuimus disputavimus, commendantes vobis maxime istum evangelistam de Domini divinitate, secundum quam æqualis est Patri et Filius unicus Dei, loqui elegisse, et propterea aquilæ comparatum : nulla quippe avis volare altius perhibetur. Proinde quæ ex ordine subsequuntur, sicut ea Dominus tractare donaverit, intentissime audite.

2. Locuti sumus vobis de præcedenti lectione, insinuantes quomodo intelligatur Pater verax, Filius veritas. Cum autem dixisset Dominus Jesus, *Verax est qui me misit* (*Joan.* VIII, 26), non intellexerunt Judæi quod de Patre illis diceret. Et ait illis quod modo cum legeretur audistis : *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Quid est hoc? Nihil enim aliud videtur dixisse, nisi eos post passionem suam cognituros quis esset. Procul dubio ergo videbat ibi aliquos, quos ipse noverat, quos ipse cum cæteris sanctis suis ante constitutionem mundi præsciendo elegerat, post passionem suam esse credituros. Ipsi sunt illi quos assidue commendamus, et ad imitationem cum magna exhortatione proponimus. Misso enim desuper Spiritu sancto post Domini passionem et resurrectionem et ascensionem, cum miracula fierent in ejus nomine, quem tanquam mortuum persequentes Judæi contempserant, compuncti sunt corde; et qui sævientes occiderunt, mutati crediderunt; et quem sanguinem sæviendo fuderunt, credendo biberunt : illa tria millia, et illa quinque millia Judæorum (*Act.* II, 37, 41, *et* IV, 4), quos ibi videbat, quando dicebat, *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Tanquam dicens, Differo cognitionem vestram, ut impleam passionem meam : ordine vestro [1] cognoscetis qui sim. Non quia omnes tunc erant credituri ex iis qui audiebant, id est, post passionem Domini : nam paulo post dicit, *Hæc eo loquente, multi crediderunt in eum,* et nondum exaltatus erat Filius hominis. Exaltationem quippe dicit passionis, non glorificationis; crucis, non cœli : quia et ibi exaltatus est, quando pependit in ligno. Sed illa exaltatio humiliatio fuit. Tunc enim factus est obediens usque ad mortem crucis (*Philipp.* II, 8). Hoc oportebat impleri per eorum manus qui postea fuerant credituri, quibus dicit, *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Quare hoc,

[1] Editi, *verso.* Mss., *vestro.*

nisi ut nemo desperaret in quocumque scelere male sibi conscius, quando videbat eis donari homicidium qui occiderant Christum?

3. Hos ergo in illa turba agnoscens Dominus, dixit, *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Jam nostis quid sit *sum;* nec assidue repetendum est, ne pariat res tanta fastidium. Recolite illud, *Ego sum qui sum*, et *Qui est, misit me* (*Exod.* III, 14); et agnoscetis, quid dictum sit, *Tunc scietis quia ego sum :* sed et, Pater est, et Spiritus sanctus est. Ad ipsum esse pertinet tota Trinitas. Sed quia Dominus sicut Filius loquebatur, ne forte in eo quod dixit, *Tunc cognoscetis quia ego sum*, subintraret error Sabellianorum, hoc est Patripassianorum, quem vobis errorem commendavi non tenendum, sed cavendum, eorum scilicet qui dixerunt, Ipse est Pater, ipse est Filius; duo sunt nomina, sed res una : propter istum ergo cavendum errorem cum dixisset Dominus, *Tunc cognoscetis quia ego sum;* ne ipse intelligeretur Pater, continuo subjunxit, *Et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Jam gaudere cœperat sabellianus, erroris sui occasione comperta : statim ut se tanquam in obscuro extulit, sequentis sententiæ luce confusus est. Putaveras eum esse Patrem, quia dixit, *Ego sum :* audi quia Filius est, *Et a meipso facio nihil.* Quid est, *A meipso facio nihil?* A meipso non sum. Filius enim de Patre est Deus; Pater autem non est de Filio Deus : Filius est Deus de Deo; Pater autem Deus, sed non de Deo : Filius est lumen de lumine; Pater autem lumen, sed non de lumine : Filius est, sed est de quo est; Pater autem est, sed non est de quo est.

4. Quod ergo addidit, *Sicut docuit me Pater, hæc loquor;* nemini vestrum obrepat cogitatio carnalis, fratres mei. Non enim potest humana infirmitas cogitare, nisi quod consuevit facere vel audire. Nolite ergo vobis quasi duos homines ante oculos ponere, unum patrem, alterum filium, et loquentem patrem ad filium : sicut facis tu, quando verba aliqua dicis filio tuo, monens eum et instruens eum quomodo loquatur, ut quæcumque audivit a te, commendet memoriæ; cum commendaverit memoriæ, proferat et lingua, distinguat per sonos, inferat auribus alienis quod percepit in suis. Nolite ita cogitare, ne in corde vestro idola fabricetis. Humanam formam, humanorum lineamenta membrorum, figuram carnis humanæ, sensus istos conspicuos, staturam motusque corporis, linguæ officium, distinctiones sonorum, nolite in illa Trinitate cogitare, nisi quod pertinet ad formam servi, quam accepit unigenitus Filius, cum Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis (*Joan.* I, 14). Ibi non te prohibeo, humana infirmitas, cogitare quod nosti; imo etiam compello. Si fides in te vera est, talem Christum cogita : sed ex Maria virgine, non de Deo Patre talem cogita. Infans fuit, crevit ut homo, ambulavit ut homo, esurivit, sitivit ut homo, dormivit ut homo, postremo passus ut homo, suspensus in ligno, occisus, sepultus ut homo; in eadem forma resurrexit, in eadem forma ante oculos discipulorum ascendit in cœlum, in eadem forma venturus est ad judicium. Angelorum enim vox est in Evangelio expressa : *Sic veniet quomodo eum vidistis euntem in cœlum* (*Act.* I, 11). Quando ergo de forma servi cogitas in Christo, humanam effigiem cogita, si est in te fides : quando autem cogitas, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1), pereat de corde tuo omnis humana figuratio : pellatur de cogitationibus tuis quidquid fine corporeo terminatur, quidquid loci spatio continetur, vel quantalibet mole diffunditur; de corde tuo figmentum tale dispereat. Cogita, si potes, pulchritudinem sapientiæ, occurrat tibi pulchritudo justitiæ. Forma est? statura est? color est? Nihil horum est, et tamen est : nam si non esset, nec amaretur, nec merito laudaretur, nec amata nec laudata corde moribusque teneretur : nunc vero fiunt homines sapientes; unde fierent, nisi esset sapientia? Porro autem, o homo, si sapientiam tuam videre carnis oculis non potes, nec tali imaginatione cogitare quali corporalia cogitantur, sapientiæ Dei audes ingerere humani corporis formam?

5. Quid ergo dicimus, fratres? Quomodo locutus est Pater Filio, quoniam Filius ait, *Sicut docuit me Pater, hæc loquor?* Locutus est illi? Quando docuit Pater Filium, verba fecit, quomodo tu, quando doces filium tuum, verba facis? Quomodo facit verba Verbo? Quæ verba multa fierent unico Verbo? Verbum enim Patris aures habuit ad os Patris? Carnalia sunt ista, pereant de cordibus vestris. Hoc enim dico, ecce si intellexistis quod ego dixi, ego certe locutus sum, et mea verba sonuerunt, sonisque aures pepulerunt, et per sensum auditus vestri ad cor sententiam perduxerunt, si intellexistis. Facite aliquem audisse latinæ linguæ hominem, tantummodo audisse, nec tamen intellexisse quod dixi : quantum ad strepitum pertinet emissum ex ore meo, sic ejus ille particeps factus est qui non intellexit, quomodo et vos; eum sonum audivit, eædem syllabæ aures ejus percusserunt; sed in corde ipsius nihil genuerunt. Quare? Quia non intellexit. Vos autem si intellexistis unde intellexistis? Ego ad aurem sonui; numquid ego in corde lumen accendi? Procul dubio si verum est quod dixi, et hoc verum non solum audistis, verum etiam intellexistis; duæ res ibi factæ sunt, discernite illas, auditus et intellectus. Auditus per me factus est, intellectus per quem? Ego ad aurem dixi ut audiretis, ad cor vestrum quis dixit ut intelligeretis? Sine dubio aliquis et ad cor vestrum aliquid dixit, ut non solum strepitus iste verborum percuteret aurem vestram, sed etiam in cor vestrum aliquid descenderet veritatis : dixit aliquis et ad cor vestrum, sed non eum videtis; si intellexistis, fratres, dictum est et cordi vestro. Munus Dei est intelligentia. Quis hoc dixit in corde vestro, si intellexistis? Cui dicit Psalmus, *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua* (*Psal.* CXVIII, 73). Verbi gratia, episcopus locutus est. Quid locutus est, aliquis ait? Respondes quid locutus sit, et addis : Verum dixit. Tunc alius qui non intel-

lexit : Quid dixit, inquit, aut quid est quod laudas? Ambo me audierunt, ambobus ego dixi; sed uni ipsorum Deus dixit. Si parva magnis comparare conceditur, quoniam nos ad eum quid sumus? tamen nescio quid incorporaliter et spiritualiter facit in nobis Deus, quod nec sonus est qui aurem percutiat, nec color qui oculis discernatur, nec odor est qui naribus capiatur, nec sapor qui faucibus judicetur, nec durum et molle quod tangendo sentiatur : tamen aliquid est quod sentire facile est, explicare impossibile est. Si ergo Deus, ut dicere cœperam, loquitur in cordibus nostris sine sono, quomodo loquitur Filio suo? Sic ergo, fratres, sic cogitate, quantum potestis, ut dixi, si licet parva magnis modo aliquo comparare; sic cogitate. Incorporaliter Pater locutus est Filio, quia incorporaliter Pater genuit Filium. Nec eum sic docuit quasi indoctum genuerit : sed hoc est eum docuisse, quod est scientem genuisse; et hoc est, *docuit me Pater*, quod est, scientem me genuit Pater. Si enim, quod pauci intelligunt, simplex est natura veritatis; hoc est Filio esse quod nosse. Ab illo ergo habet ut noverit, a quo habet ut sit : non ut prius ab illo esset, et ab illo postea nosset; sed quemadmodum illi gignendo dedit ut esset, sic gignendo dedit ut nosset : quia simplici, ut dictum est, naturæ veritatis esse et nosse non est aliud atque aliud, sed hoc ipsum.

6. Dixit ergo ista Judæis, et addidit : *Et qui me misit mecum est.* Jam hoc et ante dixerat, sed rem magnam assidue commemorat : *misit me*, et *mecum est.* Si ergo tecum est, o Domine, non unus ab alio missus est, sed ambo venistis. Et tamen cum ambo simul sint, unus missus est, alter misit : quoniam missio incarnatio est, et ipsa incarnatio Filii tantum est, non et Patris. Misit itaque Pater Filium, sed non recessit a Filio. Non enim quo misit Filium, non ibi erat Pater. Ubi enim non est qui fecit omnia? ubi non est qui dixit, *Cœlum et terram ego impleo* (*Jerem.* XXIII, 24)? Sed forte Pater ubique, et Filius non ubique est? Evangelistam audi : *In hoc mundo erat, et mundus per eum factus est* (*Joan.* I, 10). Ergo, inquit, *qui misit me*, cujus auctoritate tanquam paterna incarnatus sum, *mecum est, non me reliquit.* Quare non me reliquit? *Non me reliquit*, inquit, *solum quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Ipsa est æqualitas *semper*, non ex quodam initio et deinceps, sed sine initio, sine fine. Dei enim generatio non habet initium temporis, quia per genitum facta sunt tempora.

7. *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.* Utinam et me loquente multi qui aliud sapiebant intelligant, et credant in eum. Quidam enim fortasse sunt in ista multitudine ariani. Non audeo suspicari esse sabellianos qui ipsum Patrem dicunt esse qui Filius est : hæresis quippe ista nimis antiqua est, et paulatim eviscerata. Arianorum autem adhuc videtur habere aliquas motiones quasi cadaveris putrescentis; aut certe, ut multum, quasi hominis animam agentis : oportet inde reliquos liberari, sicut inde multi liberati sunt. Et quidem ista civitas eos non habebat; sed posteaquam multi peregrini advenerunt, nonnulli et ipsi venerunt. Ecce hæc Domino loquente multi Judæi crediderunt in eum; ecce et me loquente Ariani credant, non in me, sed mecum.

8. *Dicebat ergo Dominus ad eos qui crediderant in eum Judæos : Si vos manseritis in verbo meo.* Ideo *manseritis*, quia initiati estis, quia et ibi esse cœpistis. *Si manseritis*, hoc est in fide quæ in vobis esse credentibus cœpit; quo pervenietis? Vide quale initium, quo perducit. Amasti fundamentum, culmen attende, et ex ista humilitate aliam celsitudinem quære. Fides enim humilitatem habet : cognitio et immortalitas et æternitas non habet humilitatem, sed celsitudinem; erectionem, nullam defectionem, æternam stabilitatem, nullam ab inimico expugnationem, nullum deficiendi timorem. Magnum est quod incipit a fide; sed contemnitur. Fundamentum solet etiam in ædificio ab imperitis contemni. Fossa fit grandis, lapides quoquo modo passim mittuntur; nulla ibi expolitio, nulla pulchritudo apparet : quomodo nec in arboris radice, non apparet aliqua pulchritudo; totum tamen quidquid te delectat in arbore, de radice surrexit. Sed vides radicem, et non delectaris; vides arborem et miraris. Stulte, quod miraris, inde surrexit quo non delectaris. Parum aliquid videtur fides credentium, non habes stateram unde appendas. Audi ergo quo perveniat, et vide quanta sit : sicut et ipse Dominus alio loco dicit, *Si habueritis fidem sicut granum sinapis* (*Matth.* XVII, 19). Quid humilius, quid vehementius? quid minutius, quid ferventius? Ergo et *vos*, ait, *si manseritis in verbo meo*, in quo credidistis, quo perducemini? *Vere discipuli mei eritis.* Et quid nobis prodest? *Et cognoscetis veritatem.*

9. Quid promittit credentibus, fratres? *Et cognoscetis veritatem.* Quid enim? non illam cognoverant, quando Dominus loquebatur? si non cognoverant, quomodo crediderunt? Non quia cognoverunt crediderunt, sed ut cognoscerent crediderunt. Credimus enim ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. Quod enim cognituri sumus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*Isai.* LXIV, 4; I *Cor.* II, 9). Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? Fides ergo est, quod non vides credere; veritas, quod credidisti videre : sicut ipse quodam loco ait. Ideo Dominus prius ad faciendam fidem ambulavit in terra. Homo erat, humilis factus erat; ab omnibus videbatur, nec ab omnibus cognoscebatur; a multis reprobabatur, a turba occidebatur, a paucis dolebatur : sed tamen et ab eis a quibus dolebatur, nondum sicut erat agnoscebatur. Totum hoc quasi initium est lineamentorum fidei et structuræ futuræ. Quod Dominus ipse attendens quodam loco ait, *Qui diligit me, mandata mea custodit; et qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et ostendam meipsum illi* (*Joan.* XIV, 21). Quem qui audiebant, utique jam videbant; eis tamen, si diligebant, videndum se promittebat. Sic et hic, *Cognoscetis veritatem.* Quid enim? quod dixisti non est veritas? Veritas est, sed adhuc creditur, nondum videtur. Si maneatur in eo quod creditur, pervenitur ad id quod videatur. Inde

Joannes ipse sanctus evangelista in Epistola sua : *Dilectissimi*, inquit, *filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus*. Jam sumus, et aliquid erimus. Quid plus erimus quam sumus? Audi : *Nondum apparuit quid erimus : scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus*. Unde? *Quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan*. III, 2). Magna promissio; sed merces est fidei. Quæris mercedem, opus præcedat. Si credis, mercedem exige fidei; si autem non credis, fidei mercedem qua fronte quæris? *Si ergo manseritis in verbo meo, vere discipuli mei eritis* : ut contemplemini ipsam veritatem sicuti est; non per verba sonantia, sed per lucem splendentem, cum satiaverit nos [1], quod legitur in Psalmo, *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal*. IV, 7). Moneta Dei sumus, nummus a thesauro oberravimus. Errore detritum est quod in nobis fuerat impressum; venit qui reformet, quia ipse formaverat : quærit et ipse nummum suum; sicut Cæsar nummum suum; ideo ait, *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt* (*Matth*. XXII, 21) : Cæsari nummos, Deo vos ipsos. Tunc ergo exprimetur veritas in nobis.

10. Quid dicam Charitati vestræ? O si cor esset qualitercumque suspirans in illam ineffabilem gloriam! O si peregrinationem nostram in gemitu sentiremus, et sæculum non amaremus, et ad eum qui nos vocavit, pia mente perpetuo pulsaremus! Desiderium, sinus cordis est; capiamus, si desiderium quantum possumus extendamus. Hoc nobiscum agit Scriptura divina, hoc congregatio populorum, hoc celebratio sacramentorum, hoc baptismus sanctus, hoc cantica laudis Dei, hoc ipsa nostra disputatio, ut hoc desiderium non solum seminetur et germinet, verum etiam in modum tantæ capacitatis augeatur, ut idoneum sit sumere quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Sed amate mecum. Non amat multum nummum, qui amat Deum. Et ego palpavi infirmitatem, non ausus sum dicere, Non amat nummum; sed, non multum amat nummum : quasi amandus sit nummus, sed non multum. O si Deum digne amemus, nummos omnino non amabimus! Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, non irritamentum cupiditatis; quo utaris ad necessitatem, non quo fruaris ad delectationem. Deum ama, si aliquid in te egit quod audis et laudas. Utere mundo, non te capiat mundus. Quod intrasti [2], iter agis, exiturus venisti, non remansurus : iter agis, stabulum est hæc vita. Utere nummo, quomodo viator in stabulo utitur mensa, calice, urceo, lectulo, dimissurus, non permansurus. Si tales fueritis, erigite cor qui potestis, et audite me : si tales fueritis, ad ejus promissa venietis. Non enim multum est ad vos, quia magna est manus ejus qui vos vocavit. Vocavit, invocetur; dicatur illi : Vocasti nos, invocamus te; ecce audivimus vocantem, audi invocantes : perduc quo promisisti, perfice quod inchoasti; noli deserere munera tua, noli deserere agrum tuum, germina tua intrent in horreum. Abundant tentationes in mundo [1]; sed major est qui fecit mundum : abundant tentationes; sed non deficit qui in illo spem ponit, in quo defectus nullus est.

11. Ad hoc hortatus sum ista, fratres, quia libertas de qua loquitur Dominus noster Jesus Christus, non hujus temporis est. Videte quid adjunxit : *Vere discipuli mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos*. Quid est, *liberabit vos?* Liberos vos faciet. Denique Judæi carnales, et secundum carnem judicantes, non hi qui crediderant, sed in illa turba qui erant qui non credebant, injuriam sibi factam putaverunt, quia dixit eis, *Veritas liberabit vos*. Indignati sunt servos se esse significatos. Et vere servi erant : et exponit illis quæ sit servitus, et quæ sit futura libertas quam ipse promittit. Sed de hac libertate et de illa servitute nimis longum est ut hodie disputemus.

[1] Sic omnes Mss. At editi, *cum signaverit nos*.

[2] Duo Mss., *mundus quem intrasti*. Alii totidem, *quo intrasti*.

[1] Editi : *abundant tempestates in mundo*. At Mss., *abundant tentationes*.

TRACTATUS XLI.

Rursum in illud, Dicebat autem Jesus ad eos qui crediderunt; *usque ad id*, Si ergo vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. *Cap*. VIII, ℣. 31-36.

1. Quod de lectione pristina sequitur, et de sancto Evangelio hodie nobis recitatum est, tunc distuli dicere, quoniam multa jam dixeram, et de libertate in quam nos vocat gratia Salvatoris, non prætereunter neque negligenter fuerat disserendum : hinc hodie, Domino adjuvante, statuimus loqui vobis. Quibus enim loquebatur Dominus Jesus Christus, Judæi erant, ex magna quidem parte inimici, sed etiam amici ex quadam parte jam facti, et futuri : nam quosdam ibi videbat, sicuti jam diximus, qui post ejus passionem fuerant credituri. Hos intuens dixerat : *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum* (*Joan*. VIII, 28). Erant ibi etiam qui hæc loquente illo continuo crediderunt; ipsis locutus est quod audivimus hodie : *Dicebat ergo Jesus ad eos qui crediderant ei, Judæos : Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei eritis*. Manendo eritis : quia enim nunc credentes estis, manendo videntes eritis. Ideo sequitur, *Et cognoscetis veritatem*. Veritas incommutabilis est. Veritas panis est, mentes reficit nec deficit : mutat vescentem, non ipsa in vescentem mutatur. Ipsa est veritas Verbum Dei, Deus apud Deum unigenitus Filius. Hæc Veritas carne induta est propter nos, ut de Maria virgine nasceretur, et impleretur prophetia, *Veritas de terra orta est* (*Psal*. LXXXIV, 12). Hæc ergo Veritas cum Judæis loqueretur, latebat in carne : latebat autem non ut negaretur, sed ut differretur; differretur, ut in carne pateretur; in carne autem pateretur, ut caro peccati redimeretur. Stans itaque conspicuus secundum infirmitatem carnis Dominus noster Jesus Christus, et secundum majestatem divinitatis occultus, dixit ad eos qui ei, cum hæc loqueretur, crediderant, *Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei eritis*. Qui enim perseve-

raverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* x, 22). *Et cognoscetis veritatem*, quæ modò vos latet, et loquitur vobis. *Et veritas liberabit vos.* Hoc verbum Dominus a libertate posuit, *liberabit vos.* Nihil est enim aliud proprie liberat, nisi liberum facit. Quomodo salvat nihil est aliud quam salvum facit; quomodo sanat nihil est aliud quam sanum facit; ditat nihil est aliud quam ditem, id est, divitem facit: sic liberat nihil est aliud quam liberum facit. Hoc in verbo græco planius est (*a*). Nam in latina consuetudine plerumque dicimus hominem liberari, quod ad libertatem non pertinet, sed tantum ad salutem: sicut quisquam dicitur liberari ab infirmitate; usitate dicitur, non tamen proprie. Sic autem posuit Dominus hoc verbum, ut diceret, *Et veritas liberabit vos*, ut in græca lingua nemo dubitet eum de libertate dixisse.

2. Denique et Judæi sic intellexerunt, *et responderunt ei:* non illi qui jam crediderant, sed illi qui in turba erant nondum credentes: *responderunt ei, Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam; quomodo tu dicis, Liberi eritis?* Non autem dixerat Dominus, *Liberi eritis;* sed, *Veritas liberabit vos.* In quo tamen verbo illi, quia, sicut dixi, patet in græco, non intellexerunt nisi libertatem; et extulerunt se quod semen essent Abrahæ, et dixerunt, *Semen Abrahæ sumus; et nemini servivimus unquam; quomodo tu dicis, Liberi eritis?* O pellis inflata! Non est ista magnitudo, sed tumor. Et hoc ipsum secundum hujus temporis libertatem quomodo verum dixistis, *Nemini servivimus unquam?* Joseph non est venumdatus (*Gen.* xxxvii, 28)? Prophetæ sancti in captivitatem non sunt ducti (IV *Reg.* xxiv)? Deinde, nonne ipse ille est populus qui in Ægypto lateres faciebat, et regibus duris non saltem in auro et argento, sed in luto serviebat (*Exod.* i, 14)? Si nemini servistis unquam, o ingrati, quid est quod assidue vobis imputat Deus quod vos de domo servitutis liberavit (*Id.* xiii, 3; *Deut.* v, 6, *etc.*)? An forte patres vestri servierunt, vos autem qui loquimini, nemini unquam servistis? Quomodo ergo solvebatis jam tributa Romanis, unde et ipsi Veritati laqueum quasi captionis proposuistis, ut diceretis, *Licet reddere tributum Cæsari?* ut si dixisset, Licet; teneretis eum quasi male optasset libertati seminis Abrahæ: si autem diceret, Non licet; calumniaremini apud reges terræ, quod prohiberet regibus tributa persolvi. Merito prolato nummo victi estis, et captioni vestræ vos ipsi estis respondere compulsi. Ibi enim vobis dictum est, *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt;* cum vos ipsi respondissetis quod nummus haberet imaginem Cæsaris (*Matth.* xxii, 15-21). Quia sicut quærit Cæsar in nummo imaginem suam, sic Deus quærit in homine suam. Hæc ergo respondit Judæis. Movet enim me, fratres, hominum vana superbia, quia etiam de ipsa, quam carnaliter intelligebant, sua libertate mentiti sunt dicentes, *Nemini servivimus unquam.*

3. Dominus autem quid responderit, hoc potius et intentius audiamus, ne et nos ipsi servi inveniamur. *Respondit enim eis Jesus: Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Servus est, utinam hominis et non peccati. Quis non sub his verbis contremiscat? Præstet nobis Dominus Deus noster, id est et mihi et vobis, ut pro sententia loquar de hac libertate appetenda, et de illa servitute vitanda. *Amen, amen dico vobis*, Veritas dicit: et quale est Domini Dei nostri dicere, *Amen, amen dico vobis?* Multum commendat quod ita pronuntiat; quodammodo, si dici fas est, juratio ejus est, *Amen, amen dico vobis. Amen* quippe interpretatur, Verum: et tamen non est interpretatum, cum potuisset dici, Verum dico vobis. Nec græcus hoc interpres ausus est facere, nec latinus: nam hoc verbum quod est *Amen*, nec græcum est nec latinum, sed hebræum. Sic mansit, non est interpretatum, ut honorem haberet velamento secreti: non ut esset negatum, sed ne vilesceret nudatum. Nec semel tamen, sed bis a Domino dictum est, *Amen, amen dico vobis.* Jam quantum hoc commendatum sit, ex ipsa geminatione cognoscite.

4. Quid est ergo commendatum? Verum, verum dico vobis, Veritas dicit; quæ utique etsi non diceret, Verum dico, mentiri omnino non posset: tamen commendat, inculcat; dormientes quodammodo excitat, intentos facit, contemni non vult. Quid dicens? *Amen, amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* O miserabilis servitus! Plerumque homines cum dominos malos patiuntur, venales se petunt; non quærentes dominum non habere, sed saltem mutare; servus peccati quid faciat? quem interpellet? apud quem interpellet? apud quem se venalem petat? Deinde servus hominis aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit: servus peccati quo fugit? Secum se trahit quocumque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est quo eat, sequitur se; imo non recedit a se: peccatum enim quod facit, intus est. Fecit peccatum, ut aliquam corporalem caperet voluptatem: voluptas transit, peccatum manet; præteriit quod delectabat, remansit quod pungat. Mala servitus! Aliquando fugiunt homines ad Ecclesiam, et plerumque eos patimur tanquam indisciplinatos: volentes carere dominis [1], qui nolunt carere peccatis. Aliquando autem etiam illicito jugo et improbo subjecti fugiunt ad Ecclesiam, quia retinentur ingenui ad servitutem, et interpellatur episcopus: et nisi curet operam impendere, ne ingenuitas opprimatur, immisericors deputatur. Ad Christum omnes fugiamus, contra peccatum Deum liberatorem interpellemus: venales nos petamus, ut ejus sanguine redimamur. Dicit enim Dominus, *Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini* (*Isai.* lii, 3). Sine pretio, sed vestro; quia meo. Hoc Dominus dicit: ipse enim pretium dedit, non argentum, sed sanguinem suum. Nam nos et servi et egeni remanseramus.

5. Liberat ergo ab hac servitute solus Dominus:

(*a*) Græc., *eleutherôsei.*

[1] Fr. Lugd. et Ven. sic habent hunc locum: *Quanquam indisciplinatos, nolentes carere divinis.* M.

qui illam non habuit, ipse de illa liberat; solus enim in hac carne venit sine peccato. Nam quos videtis in manibus matrum parvulos ferri, nondum ambulant, et jam sunt compediti; traxerunt enim de Adam quod solvatur a Christo. Pertinet etiam ad ipsos, cum baptizantur, ista gratia quam Dominus pollicetur; quia de peccato solus liberare potest, qui venit sine peccato, et factus est sacrificium pro peccato. Audistis enim cum Apostolus legeretur : *Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo;* id est, tanquam vos Christus obsecret. Quid? *Reconciliari Deo.* Si exhortatur et obsecrat Apostolus ut reconciliemur Deo, inimici eramus Deo. Nemo enim reconciliatur nisi ex inimicitiis. Inimicos autem nos non natura, sed peccata fecerunt. Unde inimici illius, inde servi peccati. Non habet Deus liberos inimicos; necesse est servi sint : et servi remanebunt nisi ab illo liberentur, cui peccando inimici esse voluerunt. *Obsecramus* ergo, inquit, *pro Christo, reconciliari Deo.* Quomodo autem reconciliamur, nisi solvatur quod inter nos et ipsum separat? Ait enim per prophetam : *Non gravavit aurem ne audiat, sed peccata vestra separant inter vos et Deum* (*Isa.* LIX, 1, 2). Quia ergo non reconciliamur nisi ablato quod in medio est, et posito quod in medio sit. Est enim medium separans, sed contra est mediator reconcilians; medium separans est peccatum, mediator reconcilians est Dominus Jesus Christus : *Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5). Ut ergo tollatur maceria separans quod est peccatum, venit ille mediator, et factus est sacrificium sacerdos ipse. Et quia sacrificium factus est pro peccato, offerens seipsum in holocaustum in cruce passionis suæ, sequitur Apostolus et dicit, cum dixisset, *Obsecramus pro Christo, reconciliari Deo :* quasi diceremus, quomodo poterimus reconciliari? *Eum,* inquit, id est ipsum Christum, *qui non noverat peccatum, peccatum pro nobis fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso* (II *Cor.* V, 20, 21). *Eum* ipsum, inquit, Christum Deum, *qui non noverat peccatum.* Venit enim in carne, hoc est in similitudine carnis peccati (*Rom.* VIII, 3), non tamen in carne peccati, non habens ullum omnino peccatum : et ideo factus est verum sacrificium pro peccato, quia nullum habebat ipse peccatum.

6. Sed forte de sensu meo dixi, quia *peccatum* sacrificium est pro peccato. Qui legerunt, agnoscant; qui non legerunt, non sint pigri : non sint, inquam, pigri ad legendum, ut veraces sint ad judicandum. Cum de sacrificiis enim præciperet Deus offerendis pro peccato, in quibus sacrificiis non erat expiatio peccatorum, sed umbra futurorum, eadem ipsa sacrificia, easdem ipsas hostias, easdem ipsas victimas, eadem ipsa animalia quæ admovebantur mactanda pro peccatis, in quorum sanguine sanguis ille figurabatur, peccata Lex appellat : usque adeo ut in quibusdam locis scriptum sit ita, ut sacerdotes immolaturi ponerent manus suas super caput peccati, id est, super caput victimæ immolandæ pro peccato. Tale ergo *peccatum*, id est, sacrificium pro peccato, factus est Dominus noster Jesus Christus, *qui non noverat peccatum.*

7. Merito liberat ab hac servitute peccati ille qui dicit in Psalmis : *Factus sum tanquam homo sine adjutorio, inter mortuos liber* (*Psal.* LXXXVII, 5, 6). Solus enim liber, quia non habebat peccatum. Ipse enim dicit in Evangelio : *Ecce venit princeps hujus mundi,* diabolum significans venturum in Judæis persecutoribus; *ecce,* inquit, *venit, et in me nihil inveniet* (*Joan.* XIV, 30, 31). Non quomodo in eis quos occidit etiam justos, invenit qualecumque peccatum, in me nihil inveniet. Et tanquam ei diceretur, si nihil in te inveniet, quare te occidet? Subjecit, et ait : *Sed ut sciant omnes quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus hinc.* Non, inquit, mortem mei peccati necessitate persolvo, sed in eo quod morior, voluntatem Patris mei facio : plusque ibi facio quam patior, quia si nollem, nec passus essem. Habes illum alio loco dicentem, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* (*Id.* X, 18). Ecce vere in mortuis liber.

8. Cum ergo omnis qui facit peccatum, servus sit peccati, quæ sit spes nobis libertatis, audite. *Servus autem,* inquit, *non manet in domo in æternum.* Ecclesia est domus, servus peccator est. Intrant multi in Ecclesiam peccatores. Non ergo dixit, *Servus* non est in domo; sed, *non manet in domo in æternum.* Si ergo nullus ibi servus erit, quis ibi erit? *Cum* enim *rex justus sederit in throno*, sicut Scriptura loquitur, *quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato* (*Prov.* XX, 8, 9)? Multum nos terruit, o fratres mei, dicendo, *Servus non manet in domo in æternum.* Adjungit autem, et dicit, *Filius autem manet in æternum.* Ergo solus in domo sua erit Christus? nullus illi populus cohærebit? Cui erit caput, si non erit corpus? An forte totum hoc Filius, caput et corpus? Non enim sine causa et terruit, et spem dedit : terruit, ne peccatum amaremus; spem dedit, ne de peccati solutione diffideremus : *Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, servus est peccati. Servus autem non manet in domo in æternum.* Quæ ergo nobis spes est, qui non sumus sine peccato? Audi spem tuam; *Filius manet in æternum. Si ergo vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis.* Hæc spes nostra est, fratres, ut a libero liberemur, et liberando servos nos faciat : servi enim eramus cupiditatis, liberati servi efficimur charitatis. Hoc et Apostolus dicit : *Vos autem fratres in libertatem vocati estis; tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem servite invicem* (*Galat.* V, 13). Non ergo dicat christianus : Liber sum, in libertatem vocatus sum : servus eram, sed redemptus sum, et ipsa redemptione liber effectus sum, faciam quod volo; nemo me prohibeat a voluntate mea, si liber sum. Sed si ista voluntate peccatum facis, servus es peccati. Noli ergo libertate abuti ad libere peccandum, sed utere ad non peccandum. Erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia. Eris liber, si fueris servus; liber peccati, servus justitiæ;

dicente Apostolo, *Cum servi essetis peccati, liberi eratis justitiæ : nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (*Rom.* VI, 20, 22). Hoc conemur, id agamus.

9. Prima libertas est carere criminibus. Intendite, fratres mei, intendite; ne forte possim perducere vobis ad sensum et qualis modo sit, et qualis futura sit ista libertas. Quemlibet valde justum discutias in hac vita, quamvis jam sit dignus justi vocabulo, non est tamen sine peccato : audi ipsum sanctum Joannem, cujus et hoc Evangelium est, in Epistola sua dicentem, *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). Solus hoc dicere potuit in mortuis liber, de solo dici potuit qui non noverat peccatum; de solo dici potuit : etenim expertus est omnia secundum similitudinem sine peccato (*Hebr.* IV, 15). Solus dicere potuit, *Ecce veniet princeps mundi, et in me nihil inveniet.* Quemcumque alium licet justum discusseris, non omnimodo est sine peccato. Nec qualis erat Job, cui Dominus tale testimonium perhibebat, ut diabolus invideret, et postularet tentandum, tentans superaretur, ut ille probaretur (*Job.* I, II). Ideo autem ille probatus est, non quia latebat Deum coronandus, sed ut innotesceret hominibus imitandus. Etiam ipse Job quid dicit? *Quis enim mundus? Nec infans, cujus est unius diei vita super terram* (*Id.* XIV, 4, *sec.* LXX). Sed plane multi justi dicti sunt sine querela, quod intelligitur sine crimine : nulla enim querela justa est de his in rebus humanis, qui non habent crimen. Crimen autem est peccatum grave, accusatione et damnatione dignissimum. Non ergo Deus quædam peccata damnat, quædam justificat et laudat : nulla laudat, odit omnia. Quomodo odit medicus ægritudinem ægroti, et id agit curando ut ægritudo pellatur, æger levetur : sic Deus gratia sua hoc in nobis agit, ut peccatum consumatur, homo liberetur. Sed quando consumitur, inquies? Si minuitur, quare non consumitur? Minuitur autem in vita proficientium, quod in vita consumitur perfectorum.

10. Prima est ergo libertas, carere criminibus. Ideo et apostolus Paulus quando elegit ordinandos vel presbyteros vel diaconos, et quicumque ordinandus est ad præposituram Ecclesiæ, non ait, Si quis sine peccato est; hoc enim si diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur : sed ait, *Si quis sine crimine est* (I *Tim.* III, 10, *et Tit.* I, 6), sicuti est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium, et cætera hujusmodi. Cum cœperit ea non habere homo (debet autem non habere omnis christianus homo), incipit caput erigere ad libertatem : sed ista inchoata est, non perfecta libertas. Quare, inquit aliquis, non est perfecta libertas? Quia « video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ : non enim quod volo ago, *ait*, sed quod odi illud facio » (*Galat.* V, 17). « Caro, *inquit*, concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non ea quæ vultis illa faciatis. » Ex parte libertas, ex parte servitus : nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum æternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Quidquid peccatum est a nobis, antea deletum est in Baptismo. Numquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hic viveremus. Quis autem audeat hoc dicere nisi superbus, nisi misericordia liberatoris indignus, nisi qui seipsum vult decipere, et in quo veritas non est? Ergo ex eo quod remansit aliquid infirmitatis, audeo dicere, ex qua parte servimus Deo, liberi sumus : ex qua parte servimus legi peccati, adhuc servi sumus. Unde dicit Apostolus quod dicere cœperamus : *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Ecce unde liberi, unde condelectamur legi Dei : libertas enim delectat. Nam quamdiu timore facis quod justum est, non Deus te delectat[1]. Quamdiu adhuc servus facis, te non delectat : delectet te, et liber es. Noli timere pœnam, sed ama justitiam. Nondum potes amare justitiam? time vel pœnam, ut pervenias ad amandam justitiam.

11. Ergo jam ille ex parte superiore liberum se esse sentiebat, unde dicebat, *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Delectat me lex, delectat me quod jubet lex, delectat me ipsa justitia. *Video autem aliam legem in membris meis :* hæc est quæ remansit infirmitas : *repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ex hac parte sentit captivitatem, ubi non est impleta justitia : nam ubi condelectatur legi Dei, non captivus, sed legis amicus est; et ideo liber, quod amicus. Quid ergo ex eo quod restat? Quid, nisi respiciamus ad illum qui dixit, *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis?* Denique et ipse qui loquebatur, ad illum respexit : « Infelix ego homo, quis me liberabit, *inquit*, de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. *Ergo* si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis. » Denique ita conclusit : « Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati » (*Rom.* VII, 19-25). *Ipse ego*, inquit : non enim duo sumus inter nos contrarii de diversis principiis venientes; sed *ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati*, quamdiu languor obluctatur saluti.

12. Sed si carne servis legi peccati, fac quod ait ipse Apostolus : *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato* (*Rom.* VI, 12, 13). Non ait, Non sit; sed, *Non regnet.* Quamdiu peccatum necesse est esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur, non fiat quod jubet. Surgit ira? noli dare iræ linguam ad maledicendum; noli dare iræ manum aut pedem ad feriendum. Non surgeret ira ista irrationabilis, nisi peccatum esset in membris : sed tolle illi regnum, non habeat arma unde contra te pugnet; discet etiam non surgere, cum arma cœperit non invenire. *Non exhibeatis membra*

[1] Unus e Mss. omittit, *Deus.* Forte legendum, *nondum te delectat.* Mox veteres codices Fossatensis et Carcassonensis prosequuntur sic : *Quamdiu te non delectat, adhuc servus facis.*

vestra arma iniquitatis peccato; alioquin toti captivi eritis, et non erit dicere, *Mente servio legi Dei.* Mens enim si teneat arma, membra non moventur in ministerium furentis peccati. Teneat arcem imperator interior, quia sub majore imperatore juvandus assistit; frenet iram, coerceat concupiscentiam. Inest tamen quod frenetur, inest quod coerceatur, inest quod teneatur. Quid autem volebat ille justus mente serviens legi Dei, nisi ut omnino non esset quod frenaretur? Et hoc debet conari omnis qui tendit ad perfectionem, ut et ipsa concupiscentia cui non dantur ad obediendum membra, quotidie in proficiente minuatur. *Velle,* inquit, *adjacet mihi, perficere autem bonum non* (*Rom.* VII, 18). Numquid dixit, Non mihi adjacet facere bonum? Si hoc dixisset, spes nulla esset. Non ait, Non mihi adjacet facere, sed, *Non mihi adjacet perficere.* Quæ est enim perfectio boni, nisi consumptio et finis mali? Quæ est autem consumptio mali, nisi quod Lex dicit, *Non concupisces* (*Exod.* XX, 17)? Omnino non concupiscere perfectio boni est, quia consumptio mali est. Hoc dicebat ille, *Perficere bonum non mihi adjacet;* quia non poterat facere ut non concupisceret: faciebat tantum ut concupiscentiam refrenaret, ut concupiscentiæ non consentiret, et concupiscentiæ membra ad satellitium non præberet. *Perficere* ergo, inquit, *bonum non mihi adjacet:* non possum implere quod dictum est, *Non concupisces.* Quid ergo opus est? Ut impleas, *Post concupiscentias tuas non eas* (*Eccli.* XVIII, 30). Hoc age interim quamdiu insunt illicitæ concupiscentiæ in carne tua, *Post concupiscentias tuas non eas.* Mane in servitute Dei, in libertate Christi; mente servi legi Dei tui. Noli te dare concupiscentiis tuis: sequendo eas, vires eis addis; dando eis vires quomodo vincis, quando contra te inimicos nutris viribus tuis?

13. Quæ igitur libertas plena atque perfecta in illo Domino Jesu qui dixit, *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis;* quando plena et perfecta libertas erit? Quando nullæ inimicitiæ, quando «novissima inimica destruetur mors. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem: cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est, Absorpta est mors in victoriam. Ubi est, mors, contentio tua?» (I *Cor.* XV, 26, 53, 54, 55)? Quid est, *Ubi est, mors, contentio tua? Caro* concupiscebat *adversus spiritum, et spiritus adversus carnem,* sed quando peccati caro vigebat. *Ubi est, mors, contentio tua?* Jam vivemus, jam non moriemur, in illo qui pro nobis mortuus est et resurrexit: *ut qui vivunt,* inquit, *jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est et resurrexit* (II *Cor.* V, 15). Precemur medicum saucii, portemur in stabulum curandi. Ille est enim qui promittit sanitatem, qui miseratus est in via semivivum a latronibus derelictum[1]: infudit oleum et vinum, curavit vulnera, levavit in jumentum, perduxit in stabulum, stabulario commendavit. Cui stabulario? Forte illi qui dixit, *Pro Christo legatione fungimur* (*Ibid.* 20). Dedit etiam duos nummos, qui impenderentur saucio curando (*Luc.* X, 30-35): forte ipsa sunt duo præcepta, in quibus tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 37-40). Ergo, fratres, et Ecclesia hoc tempore, in qua saucius sanatur, stabulum est viatoris: sed ipsi Ecclesiæ sursum est hæreditas possessoris.

[1] Mss., *miseratus est in via semivivo a latronibus derelicto.*

TRACTATUS XLII.

Ab eo quod scriptum est, Scio quia filii Abrahæ estis, sed quæritis me interficere; *usque ad id,* Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. *Cap.* VIII, ℣. 37-47.

1. Dominus noster etiam in forma servi non servus, sed in forma etiam servi Dominus (fuit quippe illa carnis forma servilis, sed quamvis esset similitudo carnis peccati [*Rom.* VIII, 3], non erat caro peccati), libertatem promisit credentibus in se: Judæi vero tanquam de sua libertate superbientes, dedignati sunt fieri liberi, cum essent servi peccati. Ideo autem se liberos esse dixerunt, quia semen erant Abrahæ. Quid ergo eis ad hæc responderit Dominus, hodierna lectio cum recitaretur, audivimus. *Scio,* inquit, *quia filii Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.* Agnosco vos, inquit: *filii Abrahæ estis, sed quæritis me interficere.* Agnosco carnis originem, non cordis fidem. *Filii Abrahæ estis,* sed secundum carnem. Ideo, inquit, *quæritis me occidere: sermo* enim *meus non capit in vobis.* Si sermo meus caperetur, caperet; si caperemini, intra retia fidei tanquam pisces concluderemini. Quid est ergo, *non capit in vobis?* Non capit cor vestrum, quia non recipitur a corde vestro. Sic enim est sermo Dei, et sic esse debet fidelibus, tanquam pisci hamus; tunc capit quando capitur. Nec fit injuria illis qui capiuntur: ad salutem quippe, non ad perniciem capiuntur. Unde Dominus discipulis suis ait: *Venite post me, et faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). Non ergo isti erant tales: et tamen filii Abrahæ erant; filii hominis Dei, homines iniqui. Trahebant enim carnis genus, sed degeneres facti erant, non imitando fidem illius cujus filii erant.

2. Audistis certe Dominum dicentem, *Scio quia filii Abrahæ estis;* audite quid dicat postea: *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor; et vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.* Jam dixerat, *Scio quia filii Abrahæ estis.* Quid autem faciunt? Quod eis dixit, *Quæritis me occidere.* Hoc apud Abraham nunquam viderunt. Dominus autem Patrem Deum vult intelligi cum dicit, *Quæ vidi apud Patrem meum, loquor.* Veritatem vidi, veritatem loquor, quia Veritas sum. Si enim Dominus veritatem loquitur quam vidit apud Patrem; se vidit, se loquitur: quia ipse est Veritas Patris, quam vidit apud Patrem; ipse est enim Verbum, quod Verbum erat apud Deum. Isti ergo malum quod faciunt, quod Dominus objurgat et corripit, ubi viderunt? Apud patrem suum. Cum audierimus in consequentibus apertius dictum quis sit eorum pater, tunc intelligemus qualia viderint apud talem patrem: adhuc enim non nominat patrem ipsorum. Paulo superius Abraham commemoravit, sed carnis origine, non vitæ similitudine: dicturus est alterum patrem illorum, qui nec

genuit eos, nec creavit ut homines essent; sed tamen filii erant ejus in quantum mali erant, non in quantum homines erant; in quo imitati, non quod creati.

3. *Responderunt, et dixerunt ei : Pater noster Abraham est :* quasi, Quid tu dicturus es contra Abraham? aut, Si aliquid potes, aude reprehendere Abraham. Non quia Dominus non audebat reprehendere Abraham; sed talis erat Abraham qui non reprehenderetur a Domino, sed potius laudaretur : tamen isti videbantur eum provocare, ut aliquid mali diceret de Abraham, et esset occasio faciendi quod cogitabant. *Pater noster Abraham est.*

4. Audiamus quomodo eis responderit Dominus, cum illorum damnatione laudans Abraham, *Dicit eis Jesus : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo : hoc Abraham non fecit.* Ecce ille laudatus, isti damnati. Abraham non erat homicida. Non dico, inquit, Ego Dominus sum Abrahæ : quod si dicerem, verum dicerem. Nam dixit alio loco, *Ante Abraham ego sum* (*Joan.* VIII, 58) : tunc eum illi lapidare voluerunt : non dixit hoc. Interim quod videtis, quod aspicitis, quod me solum putatis, homo sum : hominem dicentem vobis quod audivit a Deo, quare vultis occidere, nisi quia non estis filii Abrahæ? Et tamen superius ait, *Scio quia filii Abrahæ estis.* Non negat eorum originem, sed facta condemnat : caro eorum ex illo erat, sed vita non erat.

5. Nos autem, charissimi, numquid de genere venimus Abrahæ, aut ullo modo Abraham pater noster fuit secundum carnem? Originem de carne ejus caro Judæorum ducit, non caro Christianorum : nos de aliis gentibus venimus; et tamen imitando, Abrahæ filii facti sumus. Audi Apostolum : *Abrahæ dictæ sunt promissiones et semini ejus. Non dicit,* inquit, *Et seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes* (*Galat.* III, 16, 29). Nos ergo facti sumus semen Abrahæ gratia Dei. Non de carne Abrahæ fecit illi cohæredes Deus. Illos exhæredavit, istos adoptavit : et de arbore illa olivæ, cujus radix est in Patriarchis, ramos naturales superbos amputavit, humilem oleastrum inseruit (*Rom.* XI, 17). Ideo cum venirent ad Joannem baptizandi Judæi, erupit in illos, et ait illis, *Generatio viperarum.* Maxime quippe de altitudine originis gloriabantur : ille autem generationem eos dixit viperarum; non saltem hominum, sed viperarum. Hominum formam videbat, sed venenum agnoscebat. Venerant tamen mutandi [1], quia utique baptizandi : et ait illis, *Generatio viperarum, quis vobis ostendit fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Et nolite dicere intra vos ipsos, Patrem habemus Abraham : potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ* (*Matth.* III, 7-9). Si fructus dignos pœnitentiæ non feceritis, nolite vobis de illa stirpe blandiri : potens est Deus et vos damnare, et Abraham filiis non fraudare. Habet enim unde excitet filios Abrahæ; fient filii qui fidem fuerint imitati : *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Nos sumus : in parentibus nostris lapides eramus, quando pro Deo lapides colebamus; de talibus lapidibus familiam Deus fecit Abrahæ.

6. Quid se ergo extollit inanis et vana jactatio? Filii Abrahæ gloriari jam desinunt : audierunt quod audire debuerunt, *Si filii Abrahæ estis*, factis probate, non verbis. *Quæritis me occidere hominem :* interim non dico Filium Dei, non dico Deum, non dico Verbum, quia non moritur Verbum; hoc dico quod videtis, quia et quod videtis potestis occidere, et quem non videtis offendere. *Hoc* ergo *Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri.* Et adhuc non dicit quis est iste pater eorum.

7. Modo illi quid responderunt. Cœperunt enim utcumque cognoscere, non de carnis generatione Dominum loqui, sed de vitæ institutione. Et quia consuetudo Scripturarum est, quas legebant, fornicationem spiritualiter appellare, cum diis multis et falsis anima tanquam prostituta subjicitur, ad hoc responderunt : *Dixerunt itaque ei, Nos ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus Deum.* Jam viluit Abraham. Repulsi enim sunt, quomodo repelli debuerunt ore veridico; quia talis erat Abraham, cujus facta non imitabantur, et de illius genere gloriabantur. Et mutaverunt responsionem; credo, dicentes apud semetipsos : Quotiescumque nominaverimus Abraham, dicturus est nobis, Quare non imitamini eum, de cujus genere gloriamini? Nos sanctum, justum, innocentem, tantum virum imitari non possumus : Deum dicamus patrem nostrum, videamus quid nobis dicturus est.

8. Prorsus falsitas invenit quod diceret, et non inveniret veritas quid responderet? Audiamus quid dicant, audiamus quid audiant : *Unum*, inquiunt, *patrem habemus Deum. Dixit ergo eis Jesus : Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me : ego enim ex Deo processi et veni. Neque enim a meipso veni, sed ille me misit.* Dicitis Deum patrem, agnoscite me vel fratrem. Verumtamen erexit intelligentibus cor, et illud tetigit quod solet dicere, *Non a meipso veni, ille me misit, a Deo processi et veni.* Mementote quid soleamus dicere, Ab illo venit; et a quo venit, cum illo venit. Christi ergo missio, est incarnatio. Quod vero de Deo processit Verbum, æterna processio est : non habet tempus, per quem factum est tempus. Nemo dicat in corde suo : Antequam esset Verbum, quomodo erat Deus? Nunquam dicas : Antequam esset Verbum Dei. Nunquam Deus sine Verbo fuit; quia Verbum est manens, non transiens; Deus, non sonus; per quem factum est cœlum et terra, non quod præteriit cum iis quæ facta sunt super terram. Ergo ab illo processit ut Deus, ut æqualis, ut Filius unicus, ut Verbum Patris : et venit ad nos, quia Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis (*Joan.* I, 14). Adventus ejus, humanitas ejus : mansio ejus, divinitas ejus : divinitas ejus quo imus, humanitas ejus qua imus. Nisi nobis fieret qua iremus, nunquam ad illum manentem perveniremus.

9. *Quare*, inquit, *loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.* Ideo non

[1] Sic in omnibus Mss. At in editis, *mundandi*.

poterant cognoscere, quia non poterant audire. Sed unde audire non poterant, nisi quia corrigi credendo nolebant? Et hoc unde? *Vos a patre diabolo estis.* Quamdiu patrem commemoratis? Quamdiu patres mutatis, modo Abraham, modo Deum? Audite a Filio Dei, cujus sitis filii : *A patre diabolo estis.*

10. Hic jam cavenda est hæresis Manichæorum, quæ dicit esse quamdam naturam mali et quamdam gentem tenebrarum cum principibus suis, quæ ausa est pugnare contra Deum : illum vero Deum, ne debellaret gens adversa regnum ejus, misisse contra eam tanquam viscera sua principes de luce sua; eamque gentem fuisse debellatam, unde diabolus originem ducit. Hinc dicunt ducere originem carnem nostram; et secundum hoc putant dictum a Domino, *Vos a patre diabolo estis*, quod essent illi velut natura mali, ducentes originem de gente contraria tenebrarum. Sic errant, sic excæcantur, sic seipsos faciunt gentem tenebrarum, credendo quod falsum est contra eum a quo creati sunt. Bona est enim omnis natura; sed vitiata est hominis natura per voluntatem malam. Quod fecit Deus non potest esse malum, si ipse homo non sit sibi malus : sed plane Creator, Creator est; creatura, creatura est; æquari creatura non potest Creatori. Discernite eum qui fecit, ab eo quod fecit. Æquari non potest fabro scamnum, æquari non potest columna structori; et tamen faber si scamnum fecit, lignum ipse non creavit. Dominus autem Deus noster quia omnipotens est, et Verbo fecit quod fecit : omnia quæ fecit non habuit unde faceret, et tamen fecit. Facta sunt enim quia voluit, facta sunt quia dixit : sed facta factori comparari non possunt. Quæris quod compares, Filium unicum agnosce. Unde ergo Judæi filii diaboli? Imitando, non nascendo. Audite Scripturæ sanctæ consuetudinem. Propheta dicit ad ipsos Judæos : *Pater tuus Amorrhæus, et mater tua Cethæa* (*Ezech.* XVI, 3). Amorrhæi gens erat quædam, unde originem Judæi non ducebant : Cethæi et ipsi gentem suam habebant, omnino alienam a genere Judæorum. Sed quia erant impii Amorrhæi et Cethæi, Judæi autem imitati sunt impietates illorum; invenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectando pariter damnarentur. Quæritis autem fortasse, unde ipse diabolus? Inde utique unde et cæteri Angeli. Sed cæteri Angeli in sua obedientia persliterunt : ille inobediendo et superbiendo lapsus est angelus, et factus est diabolus.

11. Sed modo audite quid dicat Dominus, *Vos*, inquit, *a patre diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere.* Ecce unde filii ejus; quia talia desideratis, non quia de illo nati estis. Quæ sunt illius desideria? *Ille homicida erat ab initio.* Ecce quod est, *desideria patris vestri facere vultis : Quæritis me occidere, hominem qui veritatem vobis dico.* Et ille invidit homini, et occidit hominem. Diabolus enim cum invideret homini, serpente indutus locutus est mulieri, et de muliere venenavit et virum. Mortui sunt diabolum audiendo (*Gen.* III, 1), quem non audissent, si Dominum audire voluissent : positus enim homo inter eum qui creavit, et eum qui lapsus est, obtemperare debuit Creatori, non deceptori. Ergo *ille homicida erat ab initio.* Videte genus homicidii, fratres. Homicida dicitur diabolus, non gladio armatus, non ferro accinctus; ad hominem venit, verbum malum seminavit, et occidit. Noli ergo putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades : si fratri tuo mala persuades, occidis. Et ut scias quia occidis, audi Psalmum : *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum machæra acuta* (*Psal.* LVI, 5). Vos ergo *desideria patris vestri vultis facere :* ideo sævitis in carnem, quia non potestis in mentem. *Ille homicida erat ab initio :* utique in primo homine. Ex illo ille homicida, ex quo potuit fieri homicidium: ex illo potuit fieri homicidium, ex quo factus est homo. Non enim posset occidi homo, nisi prius fieret homo. *Homicida* ergo *ille ab initio.* Et unde homicida? *Et in veritate non stetit.* Ergo in veritate fuit, sed non stando cecidit. Et quare *in veritate non stetit? Quia veritas non est in eo.* Non quomodo in Christo, sic est veritas, ut Christus ipse sit veritas. Si ergo iste in veritate stetisset, in Christo stetisset, sed *in veritate non stetit, quia veritas non est in eo.*

12. *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur; quia mendax est, et pater ejus.* Quid est hoc? Audistis verba Evangelii, intenti accepistis : ecce repeto, ut agnoscatis quid exigatis. De diabolo Dominus ea dicebat quæ de diabolo dici a Domino debuerunt. *Ille homicida erat ab initio*, verum est; nam primum hominem occidit : *et in veritate non stetit;* quia de veritate lapsus est. *Cum loquitur mendacium*, utique ipse diabolus, *de propriis loquitur; quia mendax est, et pater ejus.* In his verbis quidam patrem diabolum habere putaverunt, et quæsierunt quis esset diaboli pater. Hic vero detestabilis error Manichæorum invenit adhuc qua deciperet imperitos. Solent enim dicere : Puta diabolus angelus fuit, et lapsus est; ab illo cœpit peccatum, sicut dicitis : Pater ejus quis erat? Nos contra : Quis enim nostrum aliquando dixit diabolum habere patrem? Et illi contra : Dominus dicit, Evangelium loquitur, de diabolo dicens, ait, *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit; quia veritas non est in eo : cum loquitur mendacium, de propriis loquitur; quia mendax est, et pater ejus.*

13. Audi, intellige; non te longe mitto, in ipsis verbis intellige. Diabolum Dominus dixit patrem mendacii. Quid est hoc? Audi quid sit, replica modo ipsa verba, et intellige. Non omnis enim qui mentitur, pater mendacii sui est. Si enim ab alio mendacium accepisti, et dixisti; tu quidem mentitus es proferendo mendacium : sed pater mendacii ipsius non es, quia ab altero accepisti mendacium. Diabolus autem a seipso mendax fuit; mendacium suum ipse genuit, a nemine audivit. Quomodo Deus Pater genuit Filium veritatem; sic diabolus lapsus genuit quasi filium mendacium. His auditis, replica nunc et recole verba Domini : mens catholica, quid audieris adverte, quid dicat attende. *Ille :* quis? Diabo-

lus · *homicida erat ab initio.* Agnoscimus, occidit Adam. *Et in veritate non stetit.* Agnoscimus, quia de veritate lapsus est. *Quia veritas non est in eo.* Verum est; recedendo a veritate [1] non habet veritatem. *Cum loquitur mendacium, de propriis loquitur.* Non aliunde accipit unde loquatur. *Cum loquitur mendacium, de propriis loquitur; quia mendax est, et pater ejus.* Et mendax est, et pater mendacii. Nam tu forte mendax es, quia mendacium loqueris : sed non es pater ejus. Si enim quod dicis a diabolo accepisti, et diabolo credidisti; mendax es, pater mendacii non es : ille vero quia non aliunde accepit mendacium, quo mendacio tanquam veneno serpens hominem occideret, pater est mendacii; sicut Deus Pater est veritatis. Recedite a patre mendacii, currite ad Patrem veritatis; amplectimini veritatem, ut accipiatis libertatem.

14. Illi ergo Judæi apud patrem suum viderunt quod loquebantur : quid, nisi mendacium? Dominus autem apud Patrem suum vidit quod loqueretur : quid, nisi seipsum? quid, nisi Verbum Patris? quid, nisi veritatem Patris æternam, et Patri coæternam? *Ille ergo homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas non est in eo : cum loquitur mendacium, de propriis loquitur; quia mendax est.* Et non solum mendax est, sed *et pater ejus* est : id est, ipsius mendacii quod loquitur, pater est, quia ipse genuit mendacium suum. *Ego autem quia veritatem dico, non creditis mihi. Quis ex vobis arguit me de peccato;* quomodo ego arguo et vos et patrem vestrum? *Si veritatem dico quare vos non creditis mihi;* nisi quia filii diaboli estis?

15. *Qui est ex Deo, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Iterum nolite attendere naturam, sed vitium. Sic sunt isti ex Deo, et non sunt ex Deo : natura ex Deo, vitio non ex Deo. Obsecro vos, attendite; in Evangelio habetis unde sanemini contra errores venenosos et nefarios hæreticorum. Quoniam et de his verbis solent Manichæi dicere, Ecce quia duæ naturæ sunt, una bona, et altera mala; Dominus dicit : quid dicit Dominus? *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Dicit hæc Dominus. Quid ergo, inquit, tu ad ista dicis? Audi quæ dicam. Et ex Deo sunt, et ex Deo non sunt; natura ex Deo sunt, vitio non sunt ex Deo : natura enim bona quæ ex Deo est, peccavit voluntate, credendo quod diabolus persuasit, et vitiata est; ideo medicum quærit, quia sana non est. Ecce quod dico. Sed impossibile tibi videtur ut ex Deo sint, et ex Deo non sint : audi quia non est impossibile. Sic sunt ex Deo, et non sunt ex Deo, quomodo et filii Abrahæ sunt, et non sunt filii Abrahæ. Hic habetis; non est quod dicatis. Ipsum Dominum audi, ipse illis dixit, *Scio quia filii Abrahæ estis.* Numquid Dominus mentiretur? Absit. Ergo verum est quod Dominus dixit? Verum est. Verum est ergo quod illi Abrahæ filii erant. Verum est. Audi ipsum negantem. Qui dixit, *Filii Abrahæ estis,* ipse illos negavit filios Abrahæ : *Si filii Abrahæ estis, facta Abrahæ facite. Nunc autem quæritis me occidere, hominem qui veritatem vobis dico, quam audivi a Deo : hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris vestri,* id est diaboli. Quomodo ergo et filii Abrahæ erant, et filii Abrahæ non erant? Utrumque in illis ostendit : et filii Abrahæ erant, propter originem carnis; et non erant filii Abrahæ, propter vitium diabolicæ persuasionis. Sic et Dominum et Deum nostrum attendite : et ex illo erant, et ex illo non erant. Quomodo ex illo erant? Quia ipse creavit hominem de quo nati erant. Quomodo ex illo erant? Quia ipse est conditor naturæ, ipse est creator carnis et animæ. Quomodo ergo ex illo non erant? Quia vitiosi a seipsis facti erant. Ex illo non erant, quia imitando diabolum, filii diaboli facti erant.

16. Venit ergo Dominus Deus ad hominem peccatorem. Duo nomina audisti, et hominem, et peccatorem. Quod homo est, ex Deo est : quod peccator est, non est ex Deo. A natura vitium secernatur : agnoscatur natura, unde Creator laudetur; agnoscatur vitium, propter quod medicus invocetur. Quod ergo ait Dominus, *Qui est ex Deo, verba Dei audit : propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis;* non naturarum merita discrevit, aut præter suam animam et carnem, aliquam naturam in hominibus quæ peccato vitiata non esset, invenit : sed quoniam præscierat qui fuerant credituri, ipsos dixit ex Deo, quoniam regenerationis adoptione renascerentur ex Deo. Ad hos pertinet, *Qui est ex Deo, verba Dei audit.* Quod vero sequitur, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis;* eis dictum est, qui non solum peccato vitiosi erant (nam hoc malum commune erat omnibus), sed etiam præcogniti quod non fuerant credituri, ea fide qua sola possent a peccatorum obligatione liberari. Quapropter præsciebat illos quibus talia dicebat, in eo permansuros quod ex diabolo erant, id est, in suis peccatis atque impietate morituros, in qua ei similes erant; nec venturos ad regenerationem in qua essent filii Dei, hoc est ex Deo nati, a quo eran homines creati. Secundum hanc prædestinationem locutus est Dominus : non quod aliquem hominum invenerit, qui vel secundum regenerationem jam esset ex Deo, vel secundum naturam jam non esset ex Deo

TRACTATUS XLIII.

Ab eo quod scriptum est, Responderunt igitur Judæi et dixerunt ei; *usque ad id,* Tulerunt ergo lapides Judæi ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se, et exivit de templo. *Cap.* VIII, ℣. 48-59.

1. In ista lectione sancti Evangelii, quæ hodie recitata est, a potentia discimus patientiam. Quid enim sumus servi ad Dominum, peccatores ad justum, creatura ad Creatorem? Tamen quomodo si quid mali sumus, a nobis sumus; ita quidquid boni sumus, ab illo, et per illum sumus. Et nihil sic quærit homo quomodo potentiam : habet Dominum Christum magnam potentiam : sed prius ejus imitetur patientiam, ut perveniat ad potentiam. Quis nostrum patienter

[1] Er. Lugd. et Ven., *quia recedendo a veritate.* Lovanienses vocem, *quia,* uncis includunt. M.

audiret si alicui diceretur, *Dæmonium habes?* Quod dictum est ei qui non solum homines salvabat, sed etiam dæmonibus imperabat.

2. Hoc enim cum dixissent Judæi, *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es, et dæmonium habes?* horum duorum sibi objectorum unum negavit, alterum non negavit. Respondit enim, et ait : *Ego dæmonium non habeo.* Non dixit, Samaritanus non sum : et utique duo fuerant objecta. Quamvis maledictum maledicto non reddiderit, quamvis convicium non convicio refutaverit; pertinuit tamen ad eum negare unam rem, alteram non negare. Non frustra, fratres. Samaritanus enim interpretatur Custos. Noverat se ille nostrum esse custodem. *Non* enim *dormit neque dormitat qui custodit Israel* (*Psal.* CXX, 4) : et, *Nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilabunt qui custodiunt* (*Psal.* CXXVI, 1). Est ergo ille custos noster, qui creator noster. Num enim pertinuit ad eum ut redimeremur, et non pertineret ut servaremur? Denique ut plenius noveritis mysterium quare se Samaritanum negare non debuit, parabolam illam notissimam attendite, ubi homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui eum graviter vulnerantes, semivivum in via reliquerunt. Transiit sacerdos, neglexit eum : transiit Levites, et ipse præteriit : transiit quidam Samaritanus, ipse est custos noster; ipse accessit ad saucium, ipse impendit misericordiam, eique se præstitit proximum, quem non deputavit alienum (*Luc.* x, 30 37). Ad hoc ergo solum quod dæmonium non haberet, non autem se Samaritanum non esse, respondit.

3. Deinde post tale convicium, hoc solum dixit de gloria sua : *Sed honorifico*, inquit, *Patrem meum, et vos inhonorastis me.* Hoc est, Ego me non honorifico, ne vobis arrogans videar, habeo quem honorificem; sed si vos me agnosceretis, sicut ego honorifico Patrem, sic et vos honorificaretis me : ego facio quod debeo, vos non facitis quod debetis.

4. *Ego autem*, inquit, *non quæro gloriam meam; est qui quærat et judicet.* Quem vult intelligi, nisi Patrem? Quomodo ergo alio loco dicit, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22); et hic dicit, *Non quæro gloriam meam; est qui quærat et judicet?* Si ergo judicat Pater, quomodo non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio?

5. Hanc quæstionem ut solvamus, attendite; simili locutione solvi potest. Scriptum habes, *Deus neminem tentat* (*Jacobi* I, 13); et iterum scriptum habes, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (*Deut.* XIII, 3). Nempe quæstio est, videtis. Quomodo enim *Deus neminem tentat*, et quomodo *tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum?* Item scriptum est, *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem* (I *Joan.* IV. 18); et alio loco scriptum est, *Timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* XVIII, 10). Et ipsa quæstio est. Quomodo enim, *perfecta charitas foras mittit timorem*, si *timor Domini castus* permanet *in sæculum sæculi?*

6. Intelligimus ergo duas esse tentationes; unam quæ decipit, alteram quæ probat : secundum eam quæ decipit, *Deus neminem tentat;* secundum eam quæ probat, *tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum.* Sed iterum et hic alia nascitur quæstio, quomodo *tentat ut sciat*, quem latere nihil potest antequam tentet. Non ergo Deus nescit : sed dictum est, *ut sciat*, quod est, ut scire vos faciat. Locutiones tales et in sermonibus nostris sunt, et in auctoribus eloquentiæ reperiuntur. De sermone nostro aliquid dicam. Fossa cæca dicitur, non quia ipsa oculos perdidit, sed quia latendo non videntes facit. Aliquid et de illis auctoribus dicam. Tristes lupinos ait quidam (*Virg. Georg. lib.* 1, *v.* 75), hoc est amaros : non quia ipsi sunt tristes, sed quia gustati contristant, hoc est, tristes faciunt. Sunt ergo et in Scripturis locutiones ejusmodi. Qui in talibus quæstionibus cognoscendis laborant, in solvendis talibus quæstionibus non laborant. Ergo *tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat :* quid est, *ut sciat?* Ut scire vos faciat, *si diligitis eum.* Job latebat se, sed Deum non latebat; admisit tentatorem, et fecit eum sui cognitorem.

7. Quid de duobus timoribus? Est timor servilis, et est timor castus; est timor ne patiaris pœnam, est alius timor ne amittas justitiam. Timor ille ne patiaris pœnam, servilis est. Quid magnum est timere pœnam? Hoc et nequissimus servus, hoc et crudelissimus latro. Non est magnum timere pœnam, sed magnum est amare justitiam. Qui ergo amat justitiam, nihil timet? Timet plane : non ne incidat in pœnam, sed ne amittat justitiam. Fratres mei, credite, et conjicite ex eo quod amatis. Amat aliquis vestrum pecuniam. Putas, invenio aliquem qui non amet? Ex hoc tamen ipso quod amat, intelligat quod dico. Timet damnum : quare timet damnum? Quia pecuniam diligit. Quantum amat pecuniam, tantum timet ne perdat pecuniam. Ergo invenitur aliquis amator justitiæ, qui plus in corde damnum pertimescat, qui plus timeat exspoliari justitia, quam tu pecunia. Ipse est timor castus, ipse permanet in sæculum sæculi : non eum tollit charitas, nec foras mittit, sed magis complectitur, et comitem tenet simul et possidet. Venimus enim ad Dominum, ut videamus facie ad faciem : ibi timor castus nos servat; timor enim ille non perturbat, sed confirmat. Timet mulier adultera ne vir ejus veniat, timet et casta ne vir ejus abscedat.

8. Ergo sicut secundum aliam tentationem, *Deus neminem tentat;* secundum aliam vero, *tentat vos Dominus Deus vester :* et secundum alium timorem, *timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem;* secundum vero alium timorem, *timor Domini castus* permanet *in sæculum sæculi :* sic et hoc loco, secundum alterum judicium, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio;* secundum vero alterum judicium, *Ego*, inquit, *non quæro gloriam meam; est qui quærat et judicet.*

9. Et de ipso verbo quæstio ista solvatur. Habes in Evangelio commemoratum pœnale judicium : *Qui non credit, jam judicatus est* (*Joan.* III, 18); et alio

loco, *Veniet hora quando ii qui sunt in monumentis audient vocem ejus, et procedent qui bene fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui male egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* v, 28, 29). Videte quemadmodum judicium pro damnatione et pœna posuit. Et tamen si semper judicium pro damnatione acciperetur, numquid audiremus in Psalmo, *Judica me, Deus?* Ibi judicium secundum afflictionem, hic judicium secundum discretionem positum est. Quomodo secundum discretionem? Quomodo exponit ipse qui ait, *Judica me, Deus.* Lege enim et vide quid sequitur. Quid est, *Judica me, Deus? et discerne causam meam,* inquit, *de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1). Quod ergo dictum est, *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta;* secundum hoc ait modo Dominus Christus, *Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat et judicet.* Quomodo *est qui quærat et judicet?* Est Pater qui gloriam meam a vestra gloria discernat et separet. Vos enim secundum hoc sæculum gloriamini: ego non secundum hoc sæculum glorior, qui Patri dico, *Pater, glorifica me ea gloria quam habui apud te, antequam mundus esset* (*Joan.* XVII, 5). Quid est, *ea gloria?* Ab humana inflatione discreta. Secundum hoc judicat Pater. Quid est, judicat? Discernit. Quid discernit? Gloriam Filii sui a gloria hominum; quia ideo dictum est, *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8). Non enim quia homo factus est, jam comparandus est nobis. Nos homines cum peccato, ille sine peccato: nos homines trahentes de Adam et mortem et delictum; ille de Virgine carnem mortalem, nullam iniquitatem. Denique nos nec quia volumus nati sumus, nec quamdiu volumus vivimus, nec quomodo volumus morimur: ille antequam nasceretur elegit de qua nasceretur, natus fecit ut a Magis adoraretur, crevit infans, et miraculis se Deum ostendebat, et infirmitate hominem præferebat. Postremo elegit et genus mortis, hoc est, ut in cruce penderet, et ipsam crucem in frontibus fidelium figeret: ut dicat christianus, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Galat.* VI, 14). In ipsa cruce quando voluit, corpus dimisit, et abscessit: in ipso sepulcro quamdiu voluit, jacuit; quando voluit, tanquam de lecto surrexit. Ergo, fratres, secundum ipsam formam servi, (nam illud quis digne loquitur, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum?*) secundum ipsam, inquam, formam servi multum interest inter gloriam Christi, et gloriam hominum cæterorum. De ipsa gloria dicebat, quando quod dæmonium haberet audiebat, *Ego non quæro gloriam meam; est qui quærat et judicet.*

10. Tu autem de te, Domine, quid dicis? *Amen, amen dico vobis; si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Vos, inquit, dicitis, *Dæmonium habes;* ego vos ad vitam voco: servate sermonem meum, et non moriemini. Illi audiebant, *Mortem non videbit in æternum, qui sermonem meum servaverit;* et irascebantur, quia jam mortui erant illa morte quæ vitanda erat. *Dixerunt ergo Judæi: Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est et Prophetæ, et tu dicis, Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum.* Videte locutionem Scripturarum: *Mortem non videbit,* id est, *gustabit. Mortem videbit, mortem gustabit.* Quis videt? quis gustat? Quos oculos habet homo, ut videat quando moritur? Quando veniendo mors ipsos oculos claudit ne aliquid videant; quomodo dicitur, *non videbit mortem?* Item quo palato, quibus faucibus mors gustatur, ut quid sapiat dignoscatur? Quando totum sensum tollit, quid in palato remanebit? Sed *videbit* dictum est et *gustabit*, pro eo quod est, experietur.

11. Hæc Dominus, parum est si dicam, morituris, loquebatur moriturus: quia *et Domini exitus mortis* (*Psal.* LXVII, 21), sicut loquitur Psalmus. Cum ergo et morituris loqueretur, et moriturus loqueretur, quid sibi vult quod ait, *Qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum;* nisi quia videbat Dominus aliam mortem, de qua nos liberare venerat, mortem secundam, mortem æternam, mortem gehennarum, mortem damnationis cum diabolo et angelis ejus? Ipsa est vera mors: nam ista migratio est. Quid est ista mors? Relictio corporis, depositio sarcinæ gravis: sed si alia sarcina non portetur, qua homo in gehennas præcipitetur. De ipsa ergo morte Dominus dixit, *Mortem non videbit in æternum, qui sermonem meum servaverit.*

12. Non expavescamus istam mortem, sed illam timeamus. Quod est autem gravius, multi perverse timendo istam, inciderunt in illam. Dictum est aliquibus, Adorate idola; quod si non feceritis, interficiemini: aut quemadmodum ille Nabuchodonosor dixit, *Si non feceritis, mittemini in caminum ignis ardentis.* Multi timuerunt et adoraverunt; nolentes mori mortui sunt: timendo mortem quæ non evaditur, inciderunt in mortem quam evadere feliciter possent, si istam quæ non evaditur, infeliciter non timerent. Natus es homo, moriturus es. Qua ibis, ut non moriaris? quid facies ut non moriaris? Ut Dominus tuus necessitate moriturum consolaretur, voluntate mori dignatus est. Quando vides Christum mortuum, dedignaris mori? Ergo moriturus es: qua evadas hoc, non habes. Hodie sit, cras sit; futurum est, debitum est reddendum. Quid ergo agit homo timens, fugiens, occultans se ne inveniatur ab inimico? Numquid agit ut non moriatur? Sed ut paulo serius moriatur. Non accipit debiti securitatem, sed postulat dilationem. Quantumlibet diu differatur, veniet quod differtur. Illam mortem timeamus quam timuerunt tres viri, quando dixerunt regi, *Potens est Deus etiam de ista flamma liberare nos; sed et si non* (*Dan.* III, 15, 17, 18). Ibi fuit timor illius mortis [1], quam modo Dominus comminatur, quando dixerunt, Sed et si noluerit aperte liberare, potest in occulto coronare. Unde et ipse Dominus facturus martyres, et caput martyrum futurus ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, et postea non habent quid faciant.* Quomodo *non habent*

[1] Juxta Er. Lugd. et Ven. legendum, *liberare nos, et si ibi non fuit timor illius mortis.* M.

quid faciant? Quid si eum occiderint, corpus bestiis lacerandum et diripiendum alitibus projiciant? videtur adhuc sævitia habere quod faciat. Sed cui facit? Qui migravit. Inest corpus, sed nullus est sensus : habitatio jacet, habitator abscessit. Ergo postea *non habent quid faciant :* non sentienti enim nihil faciunt. *Sed eum timete qui habet potestatem et corpus et animam occidere in gehenna ignis* (*Matth.* x, 28, *et Luc.* xii, 4, 5). Ecce de qua morte loquebatur, cum diceret, *Qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* Servemus ergo, fratres, sermonem ipsius in fide; perventuri ad speciem, cum acceperimus plenissimam libertatem.

13. Isti autem indignantes mortui, et morti sempiternæ prædestinati, respondebant conviciose, et dicebant : *Modo cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est et Prophetæ.* Sed ista morte quam Dominus vult intelligi, nec Abraham mortuus est, nec Prophetæ. Illi enim mortui sunt, et vivunt : isti vivebant, et mortui erant. Nam respondens quodam loco Sadducæis moventibus quæstionem de resurrectione, hoc ait ipse Dominus : *De resurrectione autem mortuorum non legistis,* quomodo ait Dominus de rubo ad Moysen, *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed vivorum* (*Matth.* xxii, 31 *et* 32; *Exod.* iii, 6). Si ergo illi vivunt, laboremus sic vivere, ut cum illis vivere possimus [1] cum mortui fuerimus. *Quem teipsum facis,* inquiunt, ut dicas, *Mortem non videbit in æternum, qui sermonem meum servaverit;* cum scias et Abraham mortuum et prophetas?

14. *Respondit Jesus : Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est : est Pater meus qui glorificat me.* Hoc ait propter illud quod dixerunt, *Quem teipsum facis?* Refert enim gloriam suam ad Patrem, de quo est quod Deus est. Aliquando Ariani et de isto verbo calumniantur fidei nostræ, et dicunt : Ecce major est Pater, quia utique glorificat Filium. Hæretice, non legisti et ipsum Filium dicentem quod glorificet Patrem suum (*Joan.* xvii, 4)? Si et ille Filium glorificat, et Filius Patrem glorificat : pone pervicaciam, agnosce æqualitatem, corrige perversitatem.

15. *Est* ergo, inquit, *Pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, Quia Deus noster est, et non cognovistis eum.* Videte, fratres mei, quemadmodum ostendat ipsum Deum Patrem esse Christi, qui annuntiatus est et Judæis. Propterea dico, quia rursus quidam hæretici dicunt Deum annuntiatum in Veteri Testamento, non esse Patrem Christi; sed nescio quem principem malorum angelorum. Manichæi sunt qui ista dicunt, Marcionitæ sunt qui ista dicunt. Sunt et alii fortasse hæretici, quos commemorare vel non opus est, vel a me omnes recoli in præsentia non possunt : non defuerunt tamen qui hoc dicerent. Itaque attendite, ut habeatis quid dicatis et contra ipsos. Eum dicit Patrem suum Dominus Christus, quem illi dicebant Deum suum, et non cognoverunt : si enim ipsum cognovissent, ejus Filium recepissent. *Ego autem,* inquit, *novi eum.* Secundum carnem judicantibus potuit et hinc arrogans videri, quia dixit, *Ego novi eum.* Sed videte quid sequatur : *Si dixero quia non novi eum, ero similis vobis mendax.* Ergo arrogantia non ita caveatur, ut veritas relinquatur. *Sed scio eum, et sermonem ejus servo.* Sermonem Patris tanquam Filius loquebatur; et ipse erat Verbum Patris, quod hominibus loquebatur.

16. *Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum; et vidit, et gavisus est.* Magnum testimonium perhibet Abrahæ, semen Abrahæ, creator Abrahæ : *Abraham exsultavit,* inquit, *ut videret diem meum.* Non timuit, sed *exsultavit ut videret.* Erat enim in illo charitas quæ foras mittit timorem (I *Joan.* iv, 18). Non ait, Exsultavit, quia vidit; sed, *exsultavit ut videret.* Credens utique exsultavit sperando, ut videret intelligendo. *Et vidit,* Et quid potuit plus dicere, vel quid debuit plus dicere Dominus Jesus Christus? *Et vidit,* inquit, *et gavisus est.* Quis explicat hoc gaudium, fratres mei? Si gavisi sunt illi quibus Dominus oculos carnis aperuit, quale gaudium fuit videntis cordis oculis [1] lucem ineffabilem, Verbum manens, splendorem piis mentibus refulgentem, sapientiam indeficientem, apud Patrem manentem Deum, et aliquando in carne venturum, nec de Patris gremio recessurum? Totum hoc vidit Abraham. Nam quod ait, *diem meum,* incertum potest esse unde dixerit; utrum diem Domini temporalem quo erat venturus in carne, an diem Domini qui nescit ortum, nescit occasum. Sed ego non dubito patrem Abraham totum scisse. Et ubi inveniam? An sufficere nobis debet testimonium Domini nostri Jesu Christi? Putemus nos invenire non posse, quia forte difficile est, quomodo manifestum sit quod Abraham *exsultavit ut videret diem* Christi, *et vidit, et gavisus est.* Et si nos non invenimus, numquid mentiri veritas posset? Credamus veritati, et de Abrahæ meritis minime dubitemus. Tamen audite unum locum, qui mihi interim occurrit. Pater Abraham quando misit servum suum, ut peteret uxorem filio suo Isaac, hoc eum sacramento obstrinxit, ut fideliter quod jubebatur impleret, et sciret etiam ipse quid faceret. Magna enim res agebatur, quando Abrahæ semini conjugium quærebatur. Sed ut hoc cognosceret servus quod noverat Abraham, quia nepotes non carnaliter desiderabat, nec de genere suo aliquid carnale sapiebat; ait servo suo quem mittebat : *Pone manum sub femore meo, et jura per Deum cœli* (*Gen.* xxiv, 2-4). Quid vult Deus cœli ad femur Abrahæ? Jam intelligitis sacramentum : per femur, genus. Ergo quæ fuit illa juratio, nisi quia significabatur de genere Abrahæ venturum in carne Deum cœli? Stulti reprehendunt Abraham, quia dixit, *Mitte manum sub femore meo.* Qui reprehendunt carnem Christi, reprehendunt factum Abrahæ. Nos autem, fratres, si agnoscimus carnem Christi venerandam, illud femur non contemnamus, sed in prophetia dictum accipiamus. Etenim propheta erat Abraham. Cujus propheta? Seminis sui et Do-

[1] Am. Bad. Er. et plures Mss., *et cum illis vivere :* omisso, *possimus.*

[1] Sic Mss. At editi, *videntibus cordis oculis.* Quamquam vox, *oculis*, abest a Bad. et Mss. nonnullis.

mini sui. Semen suum significavit dicendo, *Mitte manum sub femore meo :* Dominum suum significavit addendo, *et jura per Deum cœli.*

17. Irati Judæi responderunt : *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti!* Et Dominus : *Amen, amen dico vobis; antequam Abraham fieret, ego sum.* Appende verba, et cognosce mysterium. *Antequam Abraham fieret.* Intellige, *fieret* ad humanam facturam, *sum* vero ad divinam pertinere substantiam. *Fieret,* quia creatura est Abraham. Non dixit, Antequam Abraham esset, ego eram; sed, *Antequam Abraham fieret,* qui nisi per me non fieret, *ego sum.* Neque hoc dixit, Antequam Abraham fieret, ego factus sum, *In principio* enim *fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I. 1) : nam *in principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1). *Antequam fieret Abraham, ego sum.* Agnoscite Creatorem, discernite creaturam. Qui loquebatur, semen Abrahæ factus erat; et ut Abraham fieret, ante Abraham ipse erat.

18. Hinc jam velut Abrahæ apertissimo convicio commoti sunt acrius. Blasphemasse quippe illis visus est Dominus Christus, quoniam dixit, *Antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum.* Tanta duritia quo curreret, nisi ad similes? *Jesus autem,* tanquam homo, tanquam in forma servi, tanquam humilis, tanquam passurus, tanquam moriturus, tanquam nos suo sanguine redempturus : non tanquam ille qui est, non tanquam in principio Verbum, et Verbum apud Deum. Nam cum illi lapides tulerunt ut mitterent in eum, quid magnum erat ut eos continuo dehiscens terra sorberet, et pro lapidibus inferos invenirent? Non erat magnum Deo : sed magis erat commendanda patientia, quam exserenda potentia. *Abscondit se* ergo ab eis, ne lapidaretur. Tanquam homo a lapidibus fugit : sed væ illis a quorum lapideis cordibus Deus fugit!

TRACTATUS XLIV.

Ab eo quod scriptum est, Et præteriens vidit hominem cæcum a nativitate; *usque ad id,* Nunc vero dicitis, Quia videmus : peccatum vestrum manet. *Cap.* IX.

1. De homine quem Dominus Jesus illuminavit, qui cæcus natus fuit, prolixa lectio recitata est : quam si universam pertractare conemur, pro sui dignitate, sicut valemus, singula considerantes, non sufficit dies. Proinde peto et admoneo Charitatem vestram, ut in iis quæ aperta sunt, sermonem nostrum non requiratis : nam nimis longum erit in singulis immorari. Breviter ergo cæci hujus illuminati commendo mysterium. Ea quippe quæ fecit Dominus noster Jesus Christus stupenda atque miranda, et opera et verba sunt : opera, quia facta sunt; verba, quia signa sunt. Si ergo quid significet hoc quod factum est cogitemus, genus humanum est iste cæcus : hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus, non solum mortis, sed etiam iniquitatis. Si enim cæcitas est infidelitas, et illuminatio fides; quem fidelem quando venit Christus invenit? Quandoquidem Apostolus natus in gente Prophetarum dicit : *Fuimus et nos aliquando natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3). Si *filii iræ,* filii vindictæ, filii pœnæ, filii gehennæ. Quomodo *natura,* nisi quia peccante primo homine, vitium pro natura inolevit? Si vitium pro natura inolevit, secundum mentem omnis homo cæcus natus est. Si enim videt, non opus habet ductore; si opus habet ductore et illuminatore, cæcus est ergo a nativitate.

2. Venit Dominus : quid fecit? Magnum mysterium commendavit. *Exspuit in terram,* de saliva sua lutum fecit : quia Verbum caro factum est (*Joan.* I, 14). Et inunxit oculos cæci. Inunctus erat, et nondum videbat. Misit illum ad piscinam quæ vocatur Siloe. Pertinuit autem ad Evangelistam commendare nobis nomen hujus piscinæ; et ait, *Quod interpretatur Missus.* Jam quis sit missus agnoscitis : nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus. Lavit ergo oculos in ea piscina quæ interpretatur Missus, baptizatus est in Christo. Si ergo quando eum in seipso quodammodo baptizavit, tunc illuminavit; quando inunxit, fortasse catechumenum fecit. Potest quidem aliter atque aliter tanti sacramenti exponi profunditas et pertractari [1] : sed hoc sufficiat Charitati vestræ; audistis grande mysterium. Interroga hominem, Christianus es? Respondet tibi, Non sum, si Paganus est aut Judæus. Si autem dixerit, Sum; adhuc quæris ab eo, Catechumenus, an fidelis? Si responderit, Catechumenus; inunctus est, nondum lotus. Sed unde inunctus? Quære, et respondet; quære ab illo in quem credat : eo ipso quo catechumenus est, dicit, In Christum. Ecce modo loquor et fidelibus et catechumenis. Quid dixi de sputo et luto? Quia Verbum caro factum est. Hoc et catechumeni audiunt : sed non eis sufficit ad quod inuncti sunt; festinent ad lavacrum, si lumen inquirunt.

3. Jam ergo propter quasdam in hac ipsa lectione quæstiones, verba Domini et ipsius universæ lectionis percurramus potius quam tractemus. *Exiens vidit hominem cæcum :* non utcumque cæcum, sed, *a nativitate. Et interrogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi.* Scitis *Rabbi* quia magister est. Magistrum appellabant, quia discere desiderabant : quæstionem quippe Domino proposuerunt tanquam magistro, *Quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit Jesus : Neque hic peccavit, neque parentes ejus,* ut cæcus nasceretur. Quid est quod dixit? Si nullus homo sine peccato, numquid parentes hujus cæci sine peccato erant? Numquid ipse vel sine originali peccato natus erat, vel vivendo nihil addiderat? An quia oculos clausos habebat, concupiscentiæ minime vigilabant [2]? Quanta mala committunt cæci! A quo malo abstinet mens mala, etiam clausis oculis? Non poterat videre, sed noverat cogitare, et forte concupiscere aliquid quod cæcus non posset implere, sed in corde judicari a cordis perscrutatore. Si ergo et parentes ejus habuerunt peccatum, et iste habuit peccatum; quare Dominus dixit, *Neque hic peccavit, neque parentes ejus :* nisi ad rem de qua interrogatus est, *ut cæcus nasceretur?* Habebant enim peccatum parentes

[1] In plerisque Mss., *aliter atque aliter ratio tanti sacramenti exponi et pertractari profunditas.*
[2] Sic omnes prope Mss. At editi, *vigilabat.*

ejus, sed non ipso peccato factum est ut cæcus nasceretur. Si ergo non peccato factum est parentum ut cæcus nasceretur, quare cæcus natus est? Audi magistrum docentem : quærit credentem, ut faciat intelligentem. Ipse causam dicit quare ille cæcus sit natus : *Neque hic peccavit*, inquit, *neque parentes ejus : sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

4. Deinde quid sequitur? *Me oportet operari opera ejus qui misit me.* Ecce est ille missus in quo faciem lavit cæcus. Et videte quid dixerit, *Me oportet operari opera ejus qui misit me, donec dies est.* Memento te quomodo universam gloriam illi dat de quo est : quia ille habet filium qui de illo sit, ipse non habet de quo sit. Sed quare dixisti, Domine, *donec dies est*? Audi quare. *Venit* [1] *nox quando nemo potest operari.* Nec tu, Domine? Itane tantum valebit nox illa, ut nec tu possis in ea operari, cujus opus nox est? Puto enim, Domine Jesu, imo non puto, sed credo atque confirmo te ibi fuisse, quando dixit Deus, *Fiat lux; et facta est lux* (*Gen.* I, 3). Si enim Verbo fecit, per te fecit : et ideo dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). *Divisit Deus inter lucem et tenebras; lucem vocavit diem, et tenebras vocavit noctem* (*Gen.* I, 4, 5).

5. Quæ est illa nox, quæ cum venerit, nemo poterit operari? Audi quid sit dies, et tunc intelliges quæ sit nox. Unde sumus audituri quisnam sit dies iste? Ipse dicat : *Quamdiu in hoc mundo sum, lux sum mundi.* Ecce ipse est dies. Lavet oculos cæcus in die, ut videat diem. *Quamdiu*, inquit, *in mundo sum, lux sum mundi.* Ergo nescio quæ nox erit, quando ibi Christus non erit; ideo nemo poterit operari. Restat inquirere, fratres mei, patienter accipite inquirentem me : vobiscum quæro, vobiscum inveniam a quo quæro. Constat, expressum ac definitum est, diem commemorasse Dominum hoc loco seipsum, id est lumen mundi : *Quamdiu*, inquit, *sum in hoc mundo, lux sum mundi.* Ergo ipse operatur. Quamdiu est autem in hoc mundo? Putamus eum, fratres, fuisse hic tunc, et modo non hic esse? Si ergo hoc putamus, jam ergo post ascensum Domini facta est nox ista metuenda, ubi nemo possit operari : si post ascensum Domini facta est nox ista, unde Apostoli tanta operati sunt? Numquid ista nox erat, quando Spiritus sanctus veniens, et omnes qui in uno loco erant adimplens, dedit eis loqui omnium gentium linguis (*Act.* II, 1-6)? Numquid nox erat quando claudus ille ad verbum Petri salvus effectus est, imo ad verbum Domini habitantis in Petro (*Id.* III, 6-8)? Numquid nox erat quando transeuntibus discipulis ægri cum lectulis ponebantur, ut vel umbra transeuntium tangerentur (*Id.* V, 15)? Dominus autem cum hic esset, neminem transiens umbra sua salvum fecit : sed ipse discipulis dixerat, *Majora horum facietis* (*Joan.* XIV, 12). Dixerat quidem Dominus, *Majora horum facietis :* sed non se extollat caro et sanguis; audiat dicentem, *Sine me nihil potestis facere* (*Id.* XV, 5).

6. Quid igitur? quid dicemus de nocte ista? Quando erit, quando nemo poterit operari? Nox ista impiorum erit : nox ista eorum erit quibus in fine dicetur, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.* Sed nox dicta est, non flamma, non ignis. Audi quia et nox est. De quodam servo dicit, *Ligate illi manus et pedes, et projicite eum in tenebras exteriores* (*Matth.* XXII, 13). Operetur ergo homo dum vivit, ne illa nocte præveniatur, ubi nemo possit operari. Modo est ut operetur fides per dilectionem : et si modo operamur, hic est dies, hic est Christus. Audi promittentem, et ne arbitreris absentem. Ipse dixit, *Ecce ego vobiscum sum.* Quamdiu? Non sit in nobis sollicitudo qui vivimus : si fieri posset, de hac etiam voce posteros qui futuri sunt, securissimos faceremus. *Ecce*, inquit, *ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Id.* XXVIII, 20). Dies iste qui circuitu solis hujus impletur, paucas horas habet. dies præsentiæ Christi usque in consummationem sæculi extenditur. Post resurrectionem vero vivorum et mortuorum, cum positis ad dexteram dixerit, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum;* positis autem ad sinistram dixerit, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Id.* XXV, 34, 41) : ibi erit nox ubi nemo potest operari, sed recipere quod operatus est. Aliud est tempus operationis, aliud receptionis : reddet enim Dominus unicuique secundum opera sua (*Id.* XVI, 27). Cum vivis, fac, si facturus es : erit enim tunc nox valida, quæ involvat impios. Sed et modo omnis infidelis, quando moritur, illa nocte suscipitur : non est ut illic aliquid operetur. In illa nocte dives ardebat, et stillam aquæ de digito pauperis requirebat : dolebat, angebatur, fatebatur, nec ei subveniebatur; et conatus est benefacere. Ait enim Abrahæ : *Pater Abraham, mitte Lazarum ad fratres meos, ut dicat illis quid hic agatur, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum* (*Luc.* XVI, 24-28). O infelix! quando vivebas, tunc erat tempus operandi; modo jam in nocte es, in qua nemo possit operari.

7. « Hæc cum dixisset, exspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus, et dixit ei : Vade, et lava in natatoria Siloe » (quod interpretatur Missus). « Abiit ergo, et lavit, et venit videns. » Hæc quia manifesta sunt, transeamus.

8. « Itaque vicini, et qui videbant eum prius quia mendicus erat, dicebant : Nonne hic est qui sedebat, et mendicabat? Alii dicebant, Quia hic est : alii, Nequaquam, sed similis est ejus. » Aperti oculi vultum mutaverant. « Ille dicebat, Quia ego sum. » Vox grata, ne damnaretur ingrata. « Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt oculi tui? Respondit : Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit, et unxit oculos meos, et dixit mihi, Vade ad natatoriam Siloe, et lava. Et abii, et lavi, et vidi. » Ecce annuntiator factus est gratiæ; ecce evangelizat, confitetur videns. Cæcus ille confitebatur, et cor impiorum frangebatur [1]; quia non habebant in corde, quod jam ille habebat in facie. *Dixerunt ei : Ubi est ille qui tibi aperuit oculos? Ait : Nescio.* In his verbis animus ipsius adhuc inuncto similis

[1] Mss. plerique, *Veniet.*

[1] In duobus Mss., *stringebatur.*

erat, nondum videnti. Sic ponamus, fratres, tanquam illam inunctionem in animo habuerit. Prædicat, et nescit quem prædicat.

9. « Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat. Erat autem sabbatum quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus. Iterum ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis : Lutum posuit mihi super oculos, et lavi, et video. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam. » Non omnes, sed quidam : jam enim inungebantur quidam. Quid ergo dicebant, nec videntes, nec inuncti? *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.* Ipse potius custodiebat, qui sine peccato erat. Sabbatum enim spirituale[1] hoc est, non habere peccatum. Denique, fratres, hoc admonet Deus, quando commendat sabbatum : *Omne opus servile non facietis* (*Levit.* XXIII, 8). Hæc sunt verba Dei sabbatum commendantis : *Omne opus servile non facietis.* Jam superiores lectiones interrogate, quid sit opus servile (*Tract.* 20, *n.* 2); et Dominum audite, *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII, 34). Sed isti nec videntes, ut dixi, nec inuncti, sabbatum carnaliter observabant, spiritualiter violabant. *Alii dicebant : Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* Ecce sunt inuncti. *Et schisma erat in eis.* Dies ille diviserat inter lucem et tenebras. *Dicunt ergo cæco iterum : Tu quid dicis de eo qui aperuit oculos tuos?* Quid de illo sentis? quid existimas? quid judicas? Quærebant quemadmodum homini calumniarentur, ut de synagoga pelleretur, sed a Christo inveniretur. Sed ille constanter quod sentiebat expressit. Ait enim : *Quia propheta est.* Adhuc quidem inunctus in corde, nondum Dei Filium confitetur, nec mentitur tamen. Ipse enim Dominus de seipso ait : *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua* (*Matth.* XIII, 57).

10. « Non crediderunt ergo Judæi de illo quia cæcus fuisset et vidisset, donec vocarent parentes ejus qui viderat : » id est, qui cæcus fuerat, et viderat. « Et interrogaverunt eos, dicentes : Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes ejus, et dixerunt : Scimus quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est : quomodo autem nunc videat nescimus; aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus. Et dixerunt : Ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur. » Filius quidem noster est, sed juste cogeremur loqui pro infante, quia ipse pro se loqui non posset : olim loquitur, modo videt; cæcum a nativitate novimus, loquentem olim scimus, videntem modo videmus : ipsum interrogate, ut instruamini; quid nobis calumniamini? *Hæc dixerunt parentes ejus, quia timebant Judæos. Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur Christum, extra synagogam fieret.* Jam non erat malum fieri extra synagogam. Illi expellebant, sed Christus excipiebat. *Propterea parentes ejus dixerunt, Quia ætatem habet, ipsum interrogate.*

11. *Vocaverunt ergo rursum hominem qui fuerat cæcus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo.* Quid est, *Da gloriam Deo?* Nega quod accepisti. Hoc plane non est gloriam Deo dare, sed Deum potius blasphemare. *Da,* inquiunt, *gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo ille : Si peccator est, nescio; unum scio, quia cæcus cum essem, modo video. Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?* Et ille jam stomachans adversus duritiam Judæorum, et ex cæco videns, non ferens cæcos, *respondit eis : Dixi jam vobis, et audistis; quid iterum vultis audire? Numquid et vos vultis discipuli ejus fieri?* Quid est, *Numquid et vos,* nisi, quia ego jam sum? *Numquid et vos vultis?* Jam video, sed non invideo.

12. *Maledixerunt ei, et dixerunt : Tu discipulus ejus sis.* Tale maledictum super nos, et super filios nostros. Maledictum enim est, si cor discutias, non si verba perpendas. *Nos autem Moysi discipuli sumus : nos scimus quia Moysi locutus est Deus, istum autem nescimus unde sit.* Utinam sciretis *quia Moysi locutus est Deus;* sciretis quia per Moysen prædicatus est Deus. Habetis enim Dominum dicentem, *Si crederetis Moysi, crederetis et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46). Itane sequimini servum, et dorsum ponitis contra Dominum? Sed nec servum sequimini; nam per illum ad Dominum duceremini.

13. *Respondit ille homo, et dixit eis : In hoc mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit oculos meos. Scimus autem quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Adhuc inunctus loquitur. Nam et peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores Deus non exaudiret, frustra ille Publicanus oculos in terram demittens et pectus suum percutiens diceret, *Domine, propitius esto mihi peccatori.* Et ista confessio meruit justificationem, quomodo iste cæcus illuminationem. *A sæculo non est auditum quia aperuit quis oculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Libere, constanter, veraciter. Hæc enim quæ facta sunt a Domino, a quo fierent nisi a Deo? Aut quando a discipulis talia fierent, nisi in eis Dominus habitaret?

14. *Responderunt, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus. Totus* quid est? Cum oculis clausis. Sed qui aperuit oculos, salvat et totum : ipse dabit ad dexteram resurrectionem, qui in facie dedit illuminationem[1]. *In peccatis totus natus es, et tu doces nos? Et ejecerunt eum foras.* Ipsi illum magistrum fecerunt, ipsi ut discerent toties interrogaverunt, et ingrati docentem projecerunt.

15. Sed quod dixi jam dudum, fratres, illi pellunt, excipit Dominus : magis enim quia expulsus est, christianus factus est. *Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras, et cum invenisset eum dixit ei : Tu credis in Filium Dei?* Modo lavat faciem cordis. *Respondit ille, et ait,* quasi adhuc inunctus, *Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est.* Missus est ille, iste lavans faciem in Siloe, quod interpretatur Missus. Denique jam facie lota cordis et mundata conscientia, agnoscens eum non filium hominis tantum, quod ante crediderat, sed jam

[1] In aliquot Mss., *spiritualiter.*

[1] Omnes Mss., *in faciem dedit illuminationem.*

Filium Dei qui carnem susceperat, *ait : Credo, Domine*. Parum est, *Credo*; vis videre qualem credat? *Procidens adoravit eum.*

16. *Et dixit ei Jesus*. Modo dies ille est, inter lucem et tenebras discernens. *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant*. Quid est hoc, Domine? Magnam quæstionem fessis intulisti : sed erige vires nostras, ut possimus intelligere quod dixisti. Venisti *ut qui non vident, videant* : recte, quia lumen es; recte, quia dies es; recte, quia de tenebris liberas : hoc omnis anima accipit, omnis intelligit. Quid est hoc quod sequitur, *Et qui vident, cæci fiant?* Ergone quia venisti, cæci fient qui videbant? Audi quid sequitur, et fortassis intelliges.

17. Commoti sunt ergo verbis istis *quidam ex Pharisæis, et dixerunt ei : Numquid et nos cæci sumus?* Audi jam quid est quod movebat, *Et qui vident, cæci fiant. Dixit eis Jesus : Si cæci essetis, non haberetis peccatum*. Cum sit cæcitas ipsa peccatum. *Si cæci essetis*, id est, si vos cæcos adverteretis, si vos cæcos diceretis, et ad medicum curreretis; *si* ergo ita *cæci essetis, non haberetis peccatum* : quia veni ego auferre peccatum. *Nunc vero dicitis, Quia videmus : peccatum vestrum manet*. Quare? Quia dicendo, *Videmus*, medicum non quæritis, in cæcitate vestra remanetis. Hoc est ergo quod paulo ante non intellexeramus quod ait, *Ego veni, ut qui non vident, videant* : quid est, *ut qui non vident, videant?* Qui se non videre confitentur, et medicum quærunt, ut videant. *Et qui vident, cæci fiant* : quid est, *qui vident, cæci fiant?* Qui se putant videre, et medicum non quærunt, in sua cæcitate permaneant. Ergo istam discretionem vocavit judicium, cum ait, *In judicium veni in hunc mundum*, quo discernit causam credentium et confitentium a superbis, se videre putantibus, et ideo gravius excæcatis; tanquam dixerit ei peccator confitens et medicum quærens, *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1) : illorum scilicet qui dicunt, *Videmus*, et eorum peccatum manet. Non autem illud judicium jam intulit mundo, quo de vivis et mortuis in fine sæculi judicabit. Secundum hoc enim dixerat, *Ego non judico quemquam* (*Joan.* VIII, 15) : quoniam prius venit, *non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (*Id.* III, 17).

TRACTATUS XLV.

Ab eo quod scriptum est, Amen, amen dico vobis; qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro; *usque ad id*, Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. *Cap.* X, ỳ. 1-10.

1. De illuminato illo qui natus est cæcus, sermo ad Judæos Domini exortus est. Huic itaque lectioni hodiernam esse contextam, scire debuit et commoneri Charitas vestra. Cum enim Dominus dixisset, *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant*; quod eo tempore, quando lectum est, ut potuimus exposuimus : quidam ex Pharisæis dixerunt, *Numquid et nos cæci sumus?* Quibus respondit : *Si cæci essetis, non haberetis peccatum; nunc autem dicitis, Quia videmus : peccatum vestrum manet* (*Joan.* IX, 39-41). His verbis subjunxit ea quæ hodie cum recitarentur, audivimus.

2. *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro.* Dixerunt enim se cæcos non esse : videre autem tunc possent, si oves Christi essent. Unde sibi usurpabant lumen qui furebant contra diem? Propter illorum ergo vanam et superbam et insanabilem arrogantiam Dominus Jesus ista contexuit : in quibus salubriter nos, si advertamus, admonuit. Multi enim sunt qui secundum quamdam vitæ hujus consuetudinem dicuntur boni homines, boni viri, bonæ feminæ, innocentes, et quasi observantes ea quæ in lege præcepta sunt; deferentes honorem parentibus suis, non mœchantes, non homicidium perpetrantes, non furtum facientes, non falsum testimonium adversus quemquam perhibentes, et cætera quæ lege mandata sunt velut observantes, christiani non sunt : et plerumque se jactant quomodo isti, *Numquid et nos cæci sumus?* Quia vero ista omnia quæ faciunt, et nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt, Dominus de grege suo, et de ostio quo intratur ad ovile, similitudinem proposuit in hodierna lectione. Dicant ergo Pagani : Bene vivimus. Si per ostium non intrant, quid prodest eis unde gloriantur? Ad hoc enim debet unicuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper vivere : nam cui non datur semper vivere, quid prodest bene vivere? Quia nec bene vivere dicendi sunt, qui finem bene vivendi vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera et certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam, quod est Christus; et per januam intret in ovile.

3. Quærunt ergo plerumque tales homines etiam persuadere hominibus ut bene vivant, et christiani non sint. Per aliam partem volunt ascendere, rapere et occidere; non ut pastor, conservare atque salvare. Fuerunt ergo quidam philosophi, de virtutibus et vitiis subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes; qui etiam dicere auderent hominibus, Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beate vivere. Sed non intrarant per ostium : perdere volebant, mactare et occidere.

4. Quid de istis dicam? Ecce ipsi Pharisæi legebant, et in eo quod legebant, Christum sonabant, venturum sperabant, et præsentem non agnoscebant : jactabant se etiam ipsi inter videntes, hoc est inter sapientes, et negabant Christum, et non intrabant per ostium. Ergo et ipsi, si quos forte seducerent, mactandos et occidendos, non liberandos seducerent. Et hos dimittamus : videamus illos si forte ipsi intrant per ostium, qui ipsius Christi nomine gloriantur.

5. Innumerabiles enim sunt, qui se videntes non solum jactant, sed a Christo illuminatos videri volunt :

sunt autem hæretici. Forte ipsi per januam intraverunt? Absit. Sabellius dicit, Qui Filius est, ipse est Pater: sed si Filius, non est Pater. Non intrat per ostium, qui Filium dicit Patrem. Arius dicit: Aliud est Pater, aliud est Filius. Recte diceret, si diceret Alius; non, aliud. Quando enim dicit, Aliud, ei contradicit a quo audit, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30) Nec ipse ergo per ostium intrat: prædicat enim Christum qualem sibi fingit, non qualem veritas dicit. Nomen habes, rem non habes. Alicujus rei nomen est Christus: tene ipsam rem, si vis prodesse tibi nomen. Alius nescio unde, sicut Photinus: Christus homo est, inquit; Deus non est. Nec ipse intrat per ostium, quia Christus et homo et Deus est. Et quid opus est multa percurrere, et multa vana hæresum enumerare? Hoc tenete, ovile Christi esse catholicam Ecclesiam. Quicumque vult intrare ad ovile, per ostium intret, Christum verum prædicet. Non solum Christum verum prædicet, sed Christi gloriam quærat, non suam: nam multi quærendo gloriam suam, oves Christi sparserunt potius quam congregaverunt. Humilis est enim janua Christus Dominus: qui intrat per hanc januam, oportet humiliet se, ut sano capite possit intrare. Qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult ascendere: qui autem per maceriam ascendit, ideo exaltatur ut cadat.

6. Tecte tamen adhuc loquitur Dominus Jesus, nondum intelligitur: nominat ostium, nominat ovile, nominat oves; commendat hæc omnia, sed nondum exponit. Legamus ergo, quia venturus est ad ea verba in quibus nobis aliqua quæ dixit dignetur exponere: ex quorum expositione dabit nobis fortasse etiam illa quæ non exposuit, intelligere. Pascit enim manifestis, exercet obscuris. *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde.* Væ misero, quia casurus est! Sit ergo humilis, per ostium intret: plano pede veniat, et non offendet. *Ille*, inquit, *fur est et latro.* Oves suas vult dicere oves alienas: ad hoc suas, id est, furto ablatas, non ut salvet, sed ut occidat. Ergo fur est, quia quod alienum est, suum dicit; latro, quia et quod est furatus, occidit. *Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium: huic ostiarius aperit.* De ostiario isto tunc quæramus, quando ab ipso Domino audierimus quod sit ostium, et qui sit pastor. *Et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim.* Habet enim nomina earum scripta in libro vitæ. *Proprias oves vocat nominatim.* Hinc dicit Apostolus: *Novit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19) *Et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo; quia non noverunt vocem alienorum.* Tecta sunt hæc, plena quæstionibus, gravida sacramentis. Sequamur ergo et audiamus magistrum ex his obscuris aliquid aperientem; et per id quod aperit, nos forte intrare facientem.

7. *Hoc proverbium dixit illis Jesus; illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis.* Forte nec nos. Quid ergo interest inter illos et nos, antequam ista verba agnoscamus et nos? Quia nos pulsamus ut aperiatur nobis; illi autem Christum negando nolebant intrare servandi, sed foris remanere perdendi. Quod ergo nos audimus hæc pie, quod antequam illa intelligamus, credimus vera esse atque divina, magna ab istis diversitate distamus. Cum enim duo audiunt verba Evangelii, unus impius, alter pius, et alia sunt ut forte ambo non intelligant, unus dicit, Nihil dixit; alius dicit, Verum dixit, et bonum est quod dixit, sed nos non intelligimus: iste quia credit jam pulsat, et dignus est cui aperiatur, si pulsare persistat; ille vero adhuc audit, *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX). Quare ista commendo? Quia etiam cum verba hæc obscura, sicut possum, exposuero, aut quia valde sunt abdita, vel ego eorum non apprehendero intelligentiam, vel explicandi quod intelligo non habuero facultatem, vel tam fuerit quisque tardus, ut etiam exponentem non sequatur; non de se desperet: maneat in fide, ambulet in via, audiat Apostolum dicentem, *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit: verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus* (*Philipp.* III, 15).

8. Incipiamus ergo audire exponentem, quem audivimus proponentem. *Dixit ergo iterum eis Jesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium.* Ecce ipsum ostium quod clausum posuerat, aperuit. Ipse est ostium. Agnovimus, intremus, aut nos intrasse gaudeamus. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones.* Quid est hoc, Domine, *Omnes quotquot venerunt?* Quid enim? tu non venisti? Sed intellige: *Omnes quotquot venerunt* dixi, utique præter me. Recolamus ergo. Ante adventum ipsius venerunt Prophetæ; numquid fures et latrones fuerunt? Absit. Non præter illum venerunt, quia cum illo venerunt. Venturus præcones mittebat, sed eorum corda quos miserat, possidebat. Vultis nosse quia cum illo venerunt, qui est ipse semper? Carnem quippe accepit ex tempore. Quid est ergo semper? *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Cum illo ergo venerunt, qui cum verbo Dei venerunt. *Ego sum*, inquit, *via et veritas et vita* (*Id.* XIV, 6). Si ipse est veritas, cum illo venerunt qui veraces fuerunt. Quotquot ergo præter illum, *fures et latrones*; id est, ad furandum et occidendum.

9. *Sed non audierunt eos oves.* Major hæc quæstio est, *non audierunt eos oves.* Ante adventum Domini nostri Jesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt justi, sic in eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit. Tempora variata sunt, non fides. Quia et ipsa verba pro tempore variantur, cum varie declinantur: alium sonum habet, Venturus est; alium sonum habet, Venit: mutatus est sonus, venturus est, et venit: eadem tamen fides utrosque conjungit, et eos qui venturum esse, et eos qui eum venisse crediderunt. Diversis quidem temporibus, sed utrosque per unum fidei ostium, hoc est per Christum, videmus ingressos. Nos credimus Dominum Jesum Christum natum ex Virgine, venisse in carne, passum esse, resurrexisse, in cœlum ascendisse: totum hoc, sicut verba auditis præteriti temporis, impletum esse jam credimus. In ejus sunt fidei socie-

tate nobiscum et illi patres, qui crediderant de Virgine nasciturum, passurum, resurrecturum, in cœlum ascensurum : illos enim ostendit Apostolus ubi ait, *Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est, Credidi, propter quod locutus sum ; et nos credimus, propter quod et loquimur* (II *Cor.* IV, 13). Propheta dixit, *Credidi, propter quod locutus sum* (*Psal.* CXV, 10) : Apostolus dicit, *Et nos credimus, propter quod et loquimur.* Ut scias autem quod una sit fides, audi dicentem, *Habentes eumdem spiritum fidei, et nos credimus.* Sic et alio loco, *Nolo enim vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moysen baptizati sunt, in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt.* Mare Rubrum significat Baptismum ; Moyses ductor per mare Rubrum significat Christum ; populus transiens significat fideles ; mors Ægyptiorum significat abolitionem peccatorum. In signis diversis eadem fides : sic in signis diversis, quomodo in verbis diversis ; quia verba sonos mutant per tempora, et utique nihil aliud sunt verba quam signa. Significando enim verba sunt : tolle significationem verbo, strepitus inanis est. Significata ergo sunt omnia. Numquid non eadem credebant, per quos hæc signa ministrabantur, per quos eadem quæ credimus, prophetata prænuntiabantur ? Utique credebant : sed illi ventura esse, nos autem venisse. Ideo et sic ait, *Eumdem potum spiritualem biberunt.* Spiritualem eumdem, nam corporalem non eumdem. Quid enim illi bibebant ? *Bibebant enim de spirituali sequente petra : petra autem erat Christus* (I *Cor.* x, 1-4). Videte ergo, fide manente, signa variata. Ibi petra Christus, nobis Christus quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno sacramento ejusdem Christi biberunt aquam profluentem de petra ; nos quid bibamus norunt fideles. Si speciem visibilem intendas, aliud est : si intelligibilem significationem, eumdem potum spiritualem biberunt. Quotquot ergo illo tempore crediderunt vel Abrahæ, vel Isaac, vel Jacob, vel Moysi, vel aliis Patriarchis, aliisque Prophetis Christum prænuntiantibus, oves erant, et Christum audierunt : non alienam vocem, sed ipsius audierunt. Judex fuerat in præcone. Quia et quando judex loquitur per præconem, exceptor non facit, Præco dixit ; sed, Judex dixit. Alii sunt ergo quos non audierunt oves, in quibus non erat vox Christi, errantes, falsa dicentes, inania garrientes, vana fingentes, miseros seducentes.

10. Quid est ergo quod dixi, Major hæc est quæstio ? Quid habet obscurum et ad intelligendum difficile ? Audite, obsecro. Ecce Dominus ipse Jesus Christus venit, prædicavit : utique multo magis vox pastoris erat, expressa ipso ore pastoris. Si enim per Prophetas vox pastoris erat, quanto magis vocem pastoris proferebat lingua ipsa pastoris ? Non omnes audierunt. Sed quid putamus ? qui audierunt, oves erant ? Ecce audivit Judas, et lupus erat : sequebatur, sed pelle ovina tectus pastori insidiabatur. Aliqui vero eorum qui Christum crucifixerunt, non audiebant, et oves erant : ipsos enim videbat in turba, quando dicebat, *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum* (*Joan.* VIII, 28). Quomodo enim ista solvitur quæstio ? Audiunt non oves, et non audiunt oves ; sequuntur vocem pastoris quidam lupi, et ei quædam contradicunt oves ; postremo pastorem occidunt oves. Solvitur quæstio : respondet enim aliquis, et dicit, Sed quando non audiebant, oves nondum erant, tunc lupi erant ; vox audita eos mutavit, et ex lupis oves fecit : quando ergo factæ sunt oves, audierunt, et pastorem invenerunt, pastoremque secutæ sunt ; pastoris promissa speraverunt, quia jussa fecerunt.

11. Soluta est utcumque ista quæstio, et cuiquam forte sufficiat. Me autem adhuc movet, et quid me moveat communico vobiscum, ut quodammodo quærens vobiscum, revelante illo vobiscum merear invenire. Quid ergo me moveat, accipite. Per Ezechielem prophetam Dominus objurgat pastores, et dicit inter cætera de ovibus, *Errantem ovem non revocastis* (*Ezech.* XXXIV, 4). Et *errantem* dicit, et *ovem* appellat. Si quando errabat ovis erat, cujus vocem ut erraret audiebat ? Procul dubio enim non erraret, si vocem pastoris audiret : sed ideo erravit, quia vocem audivit alieni ; vocem furis et latronis audivit. Certe latronum vocem non audiunt oves : *Qui venerunt*, inquit, et intelligimus, Præter me ; id est, *Qui venerunt* præter me, *fures sunt et latrones, et non audierunt eos oves.* Domine, si non audierunt eos oves, quomodo errant oves ? Si oves non audiunt nisi te ; tu autem veritas es : quisquis veritatem audit, non utique errat. Illi autem errant, et oves appellantur. Nam si in errore ipso oves non appellarentur, non diceretur per Ezechielem, *Errantem ovem non revocastis.* Quomodo et errat, et ovis est ? Vocem alieni audivit ? Certe *non audierunt eos oves.* Deinde modo multi colliguntur ad ovile Christi, et ex hæreticis fiunt catholici ; a furibus tolluntur, pastori redduntur : et aliquando murmurant, tædium patiuntur ad revocantem, et non intelligunt jugulantem ; verumtamen etiam cum renitentes venerint quæ oves sunt, agnoscunt vocem pastoris, et se venisse lætantur, et errasse erubescunt. Quando ergo in illo errore tanquam in veritate gloriabantur, et utique non audiebant vocem pastoris, et alienum ideo sequebantur, oves erant an non erant? Si oves erant, quomodo alienos oves non audiunt ? si oves non erant, quare objurgantur illi quibus dicitur, *Errantem ovem non revocastis?* In ipsis etiam jam factis catholicis Christianis, bonæ spei fidelibus, aliquando mala contingunt ; seducuntur in errorem, et post errorem revocantur : quando seducti sunt in errorem, et rebaptizati sunt, aut post ovilis dominici societatem rursus in errorem pristinum revoluti sunt, oves erant an non erant ? Utique catholici erant. Si catholici fideles erant, oves erant. Si oves erant, quomodo vocem alieni audire potuerunt, cum Dominus dicat, *non audierunt eos oves?*

12. Audistis, fratres, altitudinem quæstionis. Dico ergo : *Novit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19). Novit præscitos, novit prædestinatos : de illo quippe dicitur,

« Quos autem præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, ipsos et vocavit; et quos vocavit, ipsos et justificavit; quos autem justificavit, ipsos et glorificavit. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Adde adhuc: Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non et cum illo omnia nobis donavit? » Sed quibus nobis? Præscitis, prædestinatis, justificatis, glorificatis: de quibus sequitur, *Quis accusabit adversus electos Dei* (*Rom.* VIII, 29-33)? *Novit ergo Dominus qui sunt ejus*; ipsæ sunt oves. Aliquando se ipsæ nesciunt, sed pastor novit eas, secundum istam prædestinationem, secundum istam Dei præscientiam, secundum electionem ovium, ante constitutionem mundi: nam et hoc dicit Apostolus, *Sicut elegit nos in ipso ante constitutionem mundi* (*Ephes.* I, 4). Secundum istam ergo præscientiam Dei et prædestinationem, quam multæ oves foris, quam multi lupi intus; et quam multæ oves intus, et quam multi lupi foris! Quid est quod dixi, quam multæ oves foris? Quam multi modo luxuriantur, casti futuri; quam multi blasphemant Christum, credituri in Christum; quam multi se inebriant, futuri sobrii; quam multi rapiunt res alienas, donaturi suas! verumtamen modo vocem alienam audiunt, alienos sequuntur. Item quam multi intus laudant, blasphematuri; casti sunt, fornicaturi; sobrii sunt, se vino postea sepulturi; stant, casuri! non sunt oves. (De prædestinatis enim loquimur; de his loquimur quos novit Dominus, qui sunt ejus.) Et tamen ipsi quamdiu recte sapiunt, Christi vocem audiunt. Ecce audiunt ipsi, non audiunt illi: et tamen secundum prædestinationem non oves isti, oves illi.

13. Adhuc manet quæstio, quæ mihi interim nunc videtur ita posse dissolvi. Est aliqua vox, est, inquam, vox aliqua pastoris, in qua oves non audiunt alienos, in qua non oves non audiunt Christum. Quæ est ista vox! *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22). Hanc vocem non negligit proprius, non audit alienus: nam et ille hoc ei prædicat, ut perseveret apud ipsum usque in finem, sed non apud eum perseverando non audit hanc vocem. Venit ad Christum, audivit alia et alia verba, illa et illa, omnia vera, sana omnia: inter quæ omnia est et illa vox, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Istam qui audierit, ovis est. Sed audiebat illam nescio quis, et desipuit, refriguit, audivit alienam: si prædestinatus est, ad tempus erravit, in æternum non periit; redit ut audiat quod neglexit, faciat quod audivit. Si enim de his est qui prædestinati sunt, et errorem ipsius Deus præscivit, et conversionem futuram; si aberravit, redit ut audiat illam vocem pastoris, et sequatur dicentem, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Bona vox, fratres, vera, pastoralis, ipsa est vox salutis in tabernaculis justorum (*Psal.* CXVII, 15). Nam facile est audire Christum, facile est laudare Evangelium, facile acclamare disputatori: perseverare usque in finem, hoc est ovium vocem pastoris audientium. Tentatio accidit, persevera usque in finem: quia tentatio non perseverat usque in finem[1]. Usque in quem finem perseverabis? Quousque finias viam. Quamdiu enim non audis Christum, adversarius tuus est in ista via, hoc est in ista mortali vita. Sed quid dicit? *Concorda cum adversario tuo cito, dum es cum eo in via* (*Matth.* V, 25). Audisti, credidisti, concordasti. Si adversabaris, concorda. Si tibi præstitum est concordare, noli ulterius litigare. Quando enim finiatur via nescis, sed tamen scit ille. Si ovis es, et si perseveraveris usque in finem, salvus eris: ac per hoc istam vocem non contemnunt sui, non audiunt alieni. Ut potui, ut ipse donavit, profundam multum quæstionem aut exposui vobis, aut tractavi vobiscum. Si qui minus intellexerunt, maneat pietas, et revelabitur veritas: qui autem intellexerunt, non se extollant quasi celeriores super tardiores, ne extollendo se exorbitent, et facilius perveniant tardiores. Omnes autem perducat cui dicimus: *Deduc me, Domine, in via tua, et ambulabo in veritate tua* (*Psal.* LXXXV, 11).

14. Per hoc ergo quod exposuit Dominus, quia ipse est ostium, intremus ad ea quæ proposuit, nec exposuit. Et pastor quidem quisnam sit, quamvis non dixerit in ista lectione quæ hodie recitata est, tamen in ea quæ sequitur apertissime dicit: *Ego sum pastor bonus.* Quod etsi non diceret, quem alium præter ipsum intelligere deberemus in eis verbis, ubi ait: « Qui intrat per ostium, pastor est ovium. Huic ostiarius aperit: et oves vocem ejus audiunt; et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: et oves eum sequuntur, quia sciunt vocem ejus? » Quis enim alius oves proprias vocat nominatim, et educit eas hinc ad vitam æternam, nisi qui novit nomina prædestinatorum? Unde ait discipulis suis, *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X, 20): hinc enim vocat eas nominatim. Et quis alius eas emittit, nisi qui earum peccata dimittit, ut eum sequi duris liberatæ vinculis possint! Et quis eas præcessit quo eum sequantur, nisi qui surgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9): et cum hic conspicuus esset in carne ait, « Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum » (*Joan* XVII, 24)? Unde illud est quod ait: « Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur; et ingredietur, et egredietur; et pascua inveniet. » In hoc evidenter ostendit, non solum pastorem, sed etiam oves intrare per ostium.

15. Sed quid est, *ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet!* Ingredi quippe in Ecclesiam per ostium Christum, valde bonum est: exire autem de Ecclesia, sicut ait iste ipse Joannes evangelista in Epistola sua, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis* (*Joan.* II, 19); non est utique bonum. Talis ergo egressus non posset a bono pastore laudari; ut diceret, *et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet*. Est ergo aliquis non solum ingressus, verum etiam egressus bonus per ostium bonum, quod est Christus. Sed quis est iste laudabilis

[1] Isthæc sententia, *quia tentatio non perseverat usque in finem*, abest a plerisque Mss.

et beatus egressus! Possem quidem dicere ingredi nos, quando interius aliquid cogitamus; egredi autem, quando exterius aliquid operamur: et quoniam, sicut dicit Apostolus, per fidem habitat Christus in cordibus nostris (*Ephes.* III, 17), ingredi per Christum esse secundum ipsam fidem cogitare; egredi autem per Christum, secundum ipsam fidem etiam foris, id est, coram hominibus operari. Unde et in Psalmo legitur, *Exiet homo ad opus suum* (*Psal.* CIII, 23): et ipse Dominus dicit, *Luceant opera vestra coram hominibus* (*Matth.* V, 16). Sed plus me delectat quod ipsa veritas tanquam pastor bonus, et ideo bonus doctor, quodammodo nos admonuit, quemadmodum intelligere debeamus quod ait, « ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet; » cum secutus adjunxit, « Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat: ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. » Videtur enim mihi dixisse, Ut vitam habeant ingredientes, et abundantius habeant egredientes. Non autem potest quisque per ostium, id est per Christum, egredi ad vitam æternam, quæ erit in specie, nisi per ipsum ostium, hoc est per eumdem Christum in Ecclesiam ejus, quod est ovile ejus, intraverit ad vitam temporalem, quæ est in fide. Ideo ait, *Ego veni, ut vitam habeant*, hoc est fidem, quæ per dilectionem operatur (*Galat.* V, 6); per quam fidem in ovile ingrediuntur ut vivant, quia justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17): *et abundantius habeant*, qui perseverando usque in finem, per illud ostium, id est, per fidem Christi egrediuntur, quoniam veri fideles moriuntur; et abundantius habebunt vitam, veniendo quo pastor ille præcessit, ubi nunquam deinde moriantur. Quamvis ergo et hic in ipso ovili non desunt pascua, quoniam ad utrumque possumus intelligere quod dictum est, *et pascua inveniet*, id est, et ad ingressum et ad egressum: tamen tunc vera pascua invenient, ubi saturentur qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V, 6); qualia pascua invenit cui dictum est, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Quomodo autem ipse sit ostium, ipse pastor, ut per seipsum quodammodo etiam ipse ingredi et egredi intelligatur, et quisnam sit ostiarius, longum est hodie quærere, et disserendo sicut ipse donaverit explicare.

TRACTATUS XLVI.

Ab eo quod scriptum est, Ego sum pastor bonus, *etc., usque ad id,* Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. *Cap.* X, ℣. 11-13.

1. Loquens Dominus Jesus ovibus suis, et præsentibus, et futuris quæ tunc aderant; quia erant ubi jam oves ejus erant, quæ futuræ erant ejus oves[1]: item præsentibus et futuris, et illis et nobis, et quotquot etiam post nos fuerint oves ejus, quis ad eas missus esset, ostendit. Omnes ergo audiunt vocem pastoris sui dicentis, *Ego sum pastor bonus.* Non adderet, *bonus*, nisi essent pastores mali. Sed pastores mali, ipsi sunt fures et latrones: aut certe, ut multum, mercenarii. Omnes enim hic personas quas posuit, requirere, distinguere, nosse debemus. Aperuit enim jam duas res Dominus, quas quodammodo clausas proposuerat: jam scimus quia ostium ipse est, scimus quia pastor ipse est. Fures et latrones qui sint, in hesterna lectione patefactum est; hodie autem audivimus mercenarium, audivimus et lupum: heri nominatus est et ostiarius. In bonis ergo ostium est, ostiarius, pastor et oves: in malis fures et latrones, mercenarii, lupus.

2. Ostium Dominum Christum accipimus, pastorem ipsum: ostiarium quem? Hæc enim duo ipse exposuit; ostiarium nobis reliquit quærendum. Et quid ait de ostiario? *Huic*, inquit, *ostiarius aperit.* Cui aperit? Pastori. Quid aperit pastori? Ostium. Et quis est ipsum ostium? Ipse pastor. Numquid, si Dominus Christus non exposuisset, non ipse dixisset, *Ego sum pastor*, et, *Ego sum ostium* (*Joan.* X, 3, 9), auderet quisquam nostrum dicere quod ipse Christus sit et pastor et ostium? Si enim diceret, *Ego sum pastor*, et non diceret, *Ego sum ostium;* quæsituri eramus quid esset ostium; et forte aliud putantes ante ostium remansuri. Gratia illius et misericordia nobis exposuit pastorem, seipsum dixit; exposuit ostium, seipsum dixit: ostiarium quærendum nobis reliquit. Quem nos dicturi sumus ostiarium? Quemlibet invenerimus, cavendum est ne major existimetur quam ipsum ostium; quia ostiarius in domibus hominum major est ostio. Ostiarius enim ostio, non ostium præponitur ostiario; quia ostiarius ostium, non ostium custodit ostiarium. Non audeo dicere aliquem ostio majorem; audivi enim jam quid sit ostium: non me latet, non sum dimissus conjecturæ meæ, non mihi humana est relaxata suspicio; Deus dixit, veritas dixit, mutari non potest quod immutabilis dixit.

3. Dicam ergo in hujus profunditate quæstionis quid mihi videatur: eligat unusquisque quod placet; pie tamen sentiat, sicut scriptum est, *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum* (*Sap.* I, 1). Ostiarium forte ipsum Dominum debemus accipere. Multo sunt enim inter se diversa in rebus humanis pastor et ostium, quam ostiarius et ostium; et tamen Dominus et pastorem se dixit, et ostium. Cur ergo non intelligamus ipsum et ostiarium? Si enim consideremus proprietates, Dominus Christus nec pastor est, sicut consuevimus nosse et videre pastores; nec ostium est, non enim eum faber fecit: si autem secundum aliquam similitudinem, et ostium et pastor est; audeo dicere, et ovis est: ovis nempe sub pastore est, tamen ille et pastor est et ovis. Ubi est pastor? Ecce hic habes, lege Evangelium: *Ego sum pastor bonus.* Ubi est ovis? Interroga prophetam: *Sicut ovis ad immolandum ductus est* (*Isai.* LIII, 7). Interroga amicum sponsi: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi* (*Joan.* I, 29). Adhuc aliquid secundum istas similitudines mirabilius sum dicturus. Et agnus enim et ovis et pastor inter se amica sunt; contra leones autem a pastoribus oves custodiri solent: et tamen de Christo, cum sit ovis et pastor, legimus dictum, *Vicit leo de tribu Juda* (*Apoc.* V, 5),

[1] Ed. Lugd. Ven. et Lov. habent, *erant ibi jam oves ejus, eruntque quæ futuræ erant ejus oves.* M.

Hæc omnia, fratres, secundum similitudines accipite, non secundum proprietates. Solemus videre pastores sedere supra petram, et inde commissa sibi pecora custodire: utique melior pastor quam petra, super quam sedet pastor; et tamen Christus et pastor et petra. Totum hoc secundum similitudinem. Proprietatem autem si quæras a me; *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Si quæras a me proprietatem; Filius unicus de Patre in æternum ab æterno genitus, æqualis gignenti, per quem facta sunt omnia, cum Patre incommutabilis, et accepta forma hominis non mutatus, ex incarnatione homo, filius hominis et Filius Dei. Hoc totum quod dixi, non similitudo, sed res est.

4. Non ergo pigeat nos, fratres, secundum quasdam similitudines ipsum accipere ostium, ipsum ostiarium. Quid est enim ostium? Qua intramus. Quis est ostiarius? Qui aperit. Quis ergo se aperit, nisi qui seipsum exponit? Ecce Dominus dixerat ostium, non intelleximus; quando non intelleximus, clausum erat: qui aperuit, ipse est ostiarius. Nulla est ergo necessitas aliquid aliud quærere, nulla necessitas: sed fortasse est voluntas. Si est voluntas, noli exorbitare, noli a Trinitate discedere. Si personam aliam quæris ostiarii, Spiritus sanctus occurrat: non enim dedignabitur ostiarius esse Spiritus sanctus, quando ipsum ostium esse dignatus est Filius. Vide ostiarium forte Spiritum sanctum: ipse Dominus discipulis suis de Spiritu sancto dicit, *Ipse vos docebit omnem veritatem* (*Id.* XVI, 13). Ostium quid est? Christus. Quid est Christus? Veritas. Quis aperit ostium, nisi qui docet omnem veritatem?

5. De mercenario autem quid dicimus? Non in bonis hic commemoratus est. *Pastor bonus*, ait, *animam suam dat pro ovibus. Mercenarius, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit; et lupus rapit, et dispergit oves.* Non hic bonam personam mercenarius gerit, et tamen in aliquo utilis est: nec mercenarius diceretur, nisi acciperet a conducente mercedem. Quis est ergo iste mercenarius, et culpabilis et necessarius? Hic vero, fratres, luceat nobis ipse Dominus, ut et mercenarios intelligamus, et mercenarii non simus. Quis est ergo mercenarius? Sunt in Ecclesia quidam præpositi, de quibus Paulus apostolus dicit: *Sua quærentes, non quæ Jesu Christi.* Quid est, *sua quærentes?* Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes; temporalia commoda consectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur a præposito, et propter hæc servitur Deo; quisquis est talis, mercenarius est, inter filios se non computet. De talibus enim et Dominus dicit: *Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 5). Audi de Timotheo sancto quid dicat apostolus Paulus: « Spero autem in Domino Jesu Timotheum cito mittere vobis, ut et ego bono animo sim, cum cognovero quæ circa vos sint: neminem enim habeo unanimem [1], qui germane de vobis sollicitus sit. Omnes enim sua quærunt, non quæ Jesu Christi » (*Philipp.* II, 19-21). Inter mercenarios pastor ingemuit: Quæsivit aliquem qui sinceriter diligeret gregem Christi, et circa se in eis qui cum illo eo tempore fuerant, non invenit. Non enim in Ecclesia Christi tunc præter Paulum apostolum et Timotheum nemo erat qui germane de grege sollicitus esset: sed contigerat ut eo tempore quo Timotheum misit, circa se alium de filiis non haberet; sed soli mercenarii cum illo essent, *sua quærentes, non quæ Jesu Christi.* Et tamen ipse germane de grege sollicitus, maluit filium mittere, et inter mercenarios remanere. Invenimus et mercenarios, non eos discutit nisi Dominus; qui cor inspicit, ipse discutit: tamen aliquando intelliguntur a nobis. Non enim frustra dixit ipse Dominus etiam de lupis: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 16). Multos interrogant tentationes, et tunc apparent cogitationes: multi autem latent. Habeat [1] ovile Domini præpositos, et filios et mercenarios. Præpositi autem qui filii sunt, pastores sunt. Si pastores sunt, quomodo unus pastor, nisi quia sunt illi omnes unius membra pastoris, cujus sunt oves propriæ? Nam et ipsi membra sunt ipsius unius ovis; quia *sicut ovis ad immolandum ductus est.*

6. Audite autem, quia et mercenarii necessarii sunt. Multi quippe in Ecclesia commoda terrena sectantes, Christum tamen prædicant, et per eos vox Christi auditur: et sequuntur oves, non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. Audite mercenarios ab ipso Domino demonstratos: *Scribæ*, inquit, *et Pharisæi cathedram Moysi sedent: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite* (*Id.* XXIII, 2). Quid aliud dixit, nisi, Per mercenarios vocem pastoris audite? Sedendo enim cathedram Moysi legem Dei docent: ergo per illos Deus docet. Sua vero illi si velint docere, nolite audire, nolite facere. Certe enim tales sua quærunt, non quæ Jesu Christi: nullus tamen mercenarius ausus est dicere populo Christi, Tua quære, non quæ Jesu Christi. Quod enim facit male, non prædicat de cathedra Christi: inde lædit unde mala facit, non unde bona dicit. Botrum carpe, spinam cave. Bene, quia intellexistis; sed propter tardiores dicam hoc idem planius. Quomodo dixi, Botrum carpe, spinam cave; cum Dominus dicat, *Numquid colligunt de spinis uvam, aut de tribulis ficum* (*Id.* VII, 16)? Verum est omnino; et tamen etiam verum ego dixi, Botrum carpe, spinam cave. Quia botrus aliquando de radice vitis exortus, pendet in sepe, crescit palmes, inseritur spinis, et portat fructum spina non suum. Non enim spinam vitis attulit, sed spinis palmes incubuit. Noli interrogare nisi radices. Quære radicem spinæ, extra invenis a vite: quære originem uvæ, vitis hanc protulit ex radice. Cathedra ergo Moysi vitis erat: Pharisæorum mores spinæ erant. Doctrina vera per malos, palmes in sepe, botrus inter spinas. Caute lege [2], ne dum quæris fru-

[1] Sic Mss. Editi vero, *tam unanimem.*

[1] Editi, *habet.* At Mss., *habeat:* quo significatur necessaria Ecclesiæ etiam mercenariorum opera.

[2] Sic Mss. At editi: *Botrum inter spinas caute lege*, .

ctum, laceres manum: et cum audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem. *Quæ dicunt facite*, legite uvas: *quæ autem faciunt, facere nolite*, cavete spinas. Etiam per mercenarios vocem pastoris audite, sed nolite esse mercenarii, cum sitis membra pastoris. Ipse autem Paulus sanctus apostolus, qui dixit, «Neminem habeo qui germane de vobis sollicitus sit; omnes enim sua quærunt, non quæ Jesu Christi;» alio loco inter mercenarios filiosque distinguens, videte quid dixerit: «Quidam per invidiam et contentionem; quidam vero et per bonam voluntatem Christum prædicant: quidam ex charitate, scientes quia in defensionem Evangelii positus sum; quidam vero et per contumaciam Christum annuntiant, non caste, existimantes tribulationem suscitari vinculis meis.» Isti mercenarii erant, Paulo apostolo invidebant. Quare invidebant, nisi quia temporalia requirebant? Sed quid adjungat, attendite: *Quid enim? Dum omni modo, sive occasione, sive veritate Christus annuntietur; et in hoc gaudeo, sed et gaudebo* (*Philipp.* I, 15-18). Veritas est Christus: veritas a mercenariis occasione annuntietur, veritas a filiis veritate annuntietur: filii æternam hæreditatem Patris patienter exspectant, mercenarii temporalem mercedem conducentis festinanter exoptant: mihi humana gloria, cui mercenarios invidere video, minuatur; et tamen per linguas et mercenariorum et filiorum divina Christi gloria diffametur, cum *sive occasione, sive veritate Christus annuntietur*.

7. Vidimus qui sit etiam mercenarius. Quis est lupus, nisi diabolus? Et quid dictum est de mercenario? *Cum viderit lupum venientem, fugit; quia non sunt ejus oves propriæ, nec ei cura est de ovibus*. Numquid talis erat apostolus Paulus? Absit. Numquid talis Petrus? Absit. Numquid tales cæteri Apostoli, excepto Juda filio perditionis? Absit. Pastores ergo illi? Plane pastores. Et unde unus pastor? Jam dixi, pastores, quia membra pastoris. Illo capite gaudebant, sub illo capite concordabant, uno spiritu in unius corporis compage vivebant: ac per hoc omnes ad unum pastorem pertinebant. Si ergo pastores, non mercenarii, quare fugiebant quando persecutionem patiebantur? Expone nobis, o Domine. Vidi in Epistola fugientem Paulum: per murum in sporta submissus est, ut manus persequentis evaderet (II *Cor.* XI, 33). Non ergo illi cura fuit de ovibus, quas lupo veniente deserebat? Fuit plane, sed eas pastori in cœlo sedenti orationibus commendabat: se autem utilitati earum fugiendo servabat, sicut quodam loco ait, *Manere in carne necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 24). Ab ipso namque pastore omnes audierant, *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* X, 23). Hanc nobis quæstionem Dominus dignetur exponere. Domine, tu dixisti eis quos fideles pastores esse utique volebas, quos tua membra esse formabas, *Si vos persecuti fuerint, fugite*. Injuriam ergo illis facis, quando reprehendis mercenarios, qui vident lupum venientem et fugiunt. Rogamus indices nobis quid habeat altitudo quæstionis: pulsemus, aderit qui aperiat se ostiarius ostii, quod est ipse.

8. Quis est mercenarius, qui videt lupum venientem et fugit? Qui sua quærit, non quæ Jesu Christi: peccantem non libere audet arguere (I *Tim.* V, 20). Ecce nescio quis peccavit, graviter peccavit; increpandus est, excommunicandus est: sed excommunicatus, inimicus erit, insidiabitur, nocebit cum potuerit. Jam ille qui sua quærit, non quæ Jesu Christi, ne perdat quod sectatur, humanæ amicitiæ commoditatem, et inimicitiarum humanarum incurrat molestiam, tacet, non corripit. Ecce lupus ovi guttur apprehendit: diabolus fideli adulterium persuasit; tu taces, non increpas: o mercenarie, lupum venientem vidisti, et fugisti. Respondet forte et dicit: Ecce hic sum, non fugi. Fugisti, quia tacuisti; tacuisti, quia timuisti. Fuga animi, timor est. Corpore stetisti, spiritu fugisti: quod ille non faciebat qui dicebat, *Etsi corpore absens sum, spiritu vobiscum sum* (*Coloss.* II, 5). Quomodo enim spiritu fugiebat, qui etiam corpore absens, fornicatores litteris arguebat? Affectiones nostræ motus animorum sunt. Lætitia, animi diffusio; tristitia, animi contractio: cupiditas, animi progressio; timor, animi fuga est. Diffunderis enim animo, cum delectaris; contraheris animo, cum molestaris: progrederis animo, cum appetis; fugis animo, cum metuis. Ecce unde ille mercenarius viso lupo dicitur fugere. Quare? *Quia non est ei cura de ovibus*. Quare *non est ei cura de ovibus? Quia mercenarius est*. Quid est, *mercenarius est?* Temporalem mercedem quærens, et in domo in æternum non habitabit [1]. Sunt hic adhuc quærenda, et discutienda vobiscum, sed onerare vos non est consilii. Dominica enim cibaria conservis ministramus; in pascuis dominicis oves pascimus, et simul pascimur. Sicut non est negandum quod necessarium est, sic non est cor infirmum pabuli multitudine prægravandum. Non sit ergo molestum Charitati vestræ, quia omnia quæ hic adhuc discutienda arbitror, hodie non discutio: sed iterum nobis [2] in nomine Domini diebus reddendi sermonis eadem lectio recitabitur, et diligentius, illo adjuvante, tractabitur.

TRACTATUS XLVII.

Ab eo quod scriptum est, Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, *etc.*, *usque ad id*, Numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire? *Cap.* X, ℣. 14-21.

1. Qui sermonem Dei nostri non solum libenter, sed etiam diligenter auditis, promissionis nostræ procul dubio meministis. Ipsa quippe lectio evangelica et hodie lecta est, quæ lecta fuerat proximo dominico die: propterea quoniam in quibusdam necessitatibus immorati, non potuimus omnia discutere quæ vestris sensibus debebamus. Proinde quæ jam dicta atque tractata sunt, hodie non quærimus; ne adhuc eadem repetendo, ad illa quæ nondum dicta sunt pervenire minime permittamur. Nostis jam in nomine Domini qui sit bonus pastor, et quemadmodum pastores boni membra sint ejus, et ideo pastor sit unus:

[1] Ita Er. Lugd. Ven. et Lov., *quærit, et in domo in æternum non manebit*. M.
[2] Mss., *vobis*.

nostis qui sit mercenarius ferendus; quis lupus, et fures, et latrones cavendi; quæ sint oves, quod sit ostium quo et oves ingrediuntur et pastor; quomodo sit intelligendus ostiarius : nostis etiam quoniam quisquis non per ostium intraverit, fur est et latro, nec venit nisi ut furetur, et occidat, et perdat. Hæc omnia dicta, sufficienter, quantum existimo, pertractata sunt. Hodie debemus dicere, quantum adjuvat Dominus (quoniam ipse Jesus Christus salvator noster et pastorem se esse dixit, et ostium, et pastorem bonum dixit intrare per ostium), quomodò ipse per seipsum intret. Si enim nemo pastor bonus est, nisi qui per ostium intrat, et ipse est præcipue pastor bonus, et ipse est ostium; intelligere non possum, nisi et ipsum per seipsum ad oves suas intrare, et vocem suam illis dare ut sequantur eum, easque intrantes et exeuntes pascua invenire, quod est vita æterna.

2. Cito ergo dico. Ego quærens intrare ad vos, id est ad cor vestrum, Christum prædico : si aliud prædicem, per aliam partem conabor ascendere. Christus itaque mihi janua est ad vos : per Christum intro, non ad parietes vestros, sed ad corda vestra. Per Christum intro, Christum in me libenter audistis. Quare Christum in me libenter audistis? Quia oves Christi estis, sanguine Christi comparati estis. Agnoscitis pretium vestrum : quod non a me datur, sed per me prædicatur. Ille quippe emit, qui pretiosum sanguinem fudit : pretiosus sanguis est illius sine peccato. Fecit tamen ipse etiam suorum sanguinem pretiosum, pro quibus dedit sanguinis pretium : nam si suorum sanguinem non faceret pretiosum, non diceretur, *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* cxv, 15). Itaque etiam quod ait, *Pastor bonus animam suam ponit pro ovibus*, non ipse unus hoc fecit · et tamen si illi qui fecerunt membra ejus sunt, idem ipse unus hoc fecit. Ipse enim potuit facere sine illis; ipsi sine illo unde potuerunt, cum ipse dixerit, *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5)? Hinc autem ostendimus quod et alii fecerint, quia ipse apostolus Joannes, qui hoc quod audistis Evangelium prædicavit, in Epistola sua dixit : *Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere* (I *Joan.* III, 16). *Debemus*, dixit; debitores nos fecit qui primus exhibuit. Ideo quodam loco scriptum est : *Si sederis cœnare ad mensam potentis, sapienter intellige quæ apponuntur tibi : et mitte manum tuam, sciens quia talia te oportet præparare* (*Prov.* XXIII, 1, 2, *sec.* LXX). Mensa potentis quæ sit, nostis; ibi est corpus et sanguis Christi : qui accedit ad talem mensam, præparet talia. Et quid est, præparet talia? *Quomodo ipse pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus*, ad ædificandam plebem et asserendam fidem [1], *animas pro fratribus ponere*. Ideo Petro quem facere volebat pastorem bonum, non in ipso Petro, sed in corpore suo ait : *Petre, amas me? pasce oves meas.* Hoc semel, hoc iterum, hoc tertio usque ad ejus tristitiam. Et cum tantum interrogasset Dominus, quantum interrogandum esse judicavit, ut ter confiteretur qui ter negaverat, et ei suas oves pascendas tertio commendasset; ait illi, *Cum junior esses, cingebas te, et ambulabas ubi volebas : cum autem senueris, extendes manus tuas, et alter te cinget, et ducet quo tu non vis.* Et exposuit Evangelista quid Dominus dixerit : *Hoc autem* inquit, *dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum* (*Joan.* XXI, 15-19). Ad hoc ergo pertinet, *Pasce oves meas* : ut ponas animam tuam pro ovibus meis.

3. Jam illud quod ait, *Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem*, quis nescit? Ipse enim agnoscit Patrem per se, nos per illum. Quia ipse per se agnoscit, novimus : quia et nos per illum, etiam hoc novimus; quia et hoc per illum novimus. Ipse enim dixit : *Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris; ipse enarravit* (*Id.* I, 18). Ergo et nos per ipsum, quibus enarravit. Item alibi ait : *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quisquam novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27). Sicut ergo ipse per se novit Patrem, nos autem per illum novimus Patrem; sic intrat in ovile per semetipsum, et nos per ipsum. Ostium dicebamus per Christum nos habere ad vos; quare? Quia Christum prædicamus. Nos Christum prædicamus; et ideo per ostium intramus. Christus autem Christum prædicat, quia seipsum prædicat; et ideo pastor per seipsum intrat. Lumen cum alia monstrat quæ videntur in lumine, numquid aliquo alio indiget ut monstretur? Lumen ergo et alia demonstrat et seipsum. Quæcumque intelligimus, intellectu intelligimus; et ipsum intellectum unde, nisi intellectu, intelligimus? Numquid sic oculo carnis et alia vides et ipsum? Quamvis enim videant homines oculis suis, non tamen vident oculos suos. Oculus carnis alia videt, se non potest : intellectus autem et alia intelligit, et seipsum. Quomodo intellectus videt se, sic et Christus prædicat se. Si prædicat se, et prædicando intrat ad te, per se intrat ad te. Et ad Patrem ipse est ostium; quia non est qua veniatur ad Patrem, nisi per ipsum. Unus enim Deus et unus mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5). Verbo multa dicuntur : hæc ipsa quæ dixi, utique verbo dixi. Si velim dicere et ipsum verbum, unde dico, nisi verbo? Ac per hoc per verbum et alia dicuntur, quæ non sunt quod verbum; et ipsum verbum dici non potest, nisi per verbum. Adjuvante Domino exemplis abundavimus. Tenete ergo quomodo Dominus Jesus Christus et ostium sit, et pastor : ostium pandendo se, pastor intrando per se. Et quidem, fratres, quod pastor est, dedit et membris suis : nam et Petrus pastor, et Paulus pastor, et cæteri Apostoli pastores, et boni episcopi pastores. Ostium vero nemo nostrum se dicit; hoc sibi ipse proprium tenuit, qua intrent oves. Denique Paulus apostolus boni pastoris implebat officium, quando Christum prædicabat, quia per ostium intrabat. At ubi oves indisciplinatæ cœperunt facere schismata, et alia ostia sibi ponere, non qua intrarent ut congregarentur, sed qua errarent ut dividerentur,

[1] Mss. plerique non habent, *ad ædificandam plebem et asserendam fidem.*

dicentes, alii, *Ego sum Pauli;* alii, *Ego sum Cephæ;* alii, *Ego Apollo;* alii, *Ego Christi :* expavescens ad eos qui dixerant, *Ego sum Pauli*, tanquam clamans ad oves, Miseræ, qua itis? non sum ostium : *Numquid Paulus*, inquit, *pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis* (I *Cor.* I, 12, 13)? Qui vero dicebant, *Ego sum Christi*, invenerant ostium.

4. De uno autem ovili et uno pastore, jam quidem assidue soletis audire : multum enim commendavimus unum ovile, prædicantes unitatem, ut per Christum omnes oves ingrederentur, et Donatum nulla sequeretur. Verumtamen unde hoc proprie dixerit Dominus, satis apparet. Loquebatur enim apud Judæos, missus autem fuerat ad ipsos Judæos, non propter quosdam immani odio pertinaces et perseverantes in tenebris, sed propter quosdam in ipsa gente quas dicit oves suas : de quibus ait, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Noverat etiam eos in turba furentium, et prævidebat in pace credentium. Quid est ergo, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel;* nisi quia præsentiam suam corporalem non exhibuit nisi populo Israel? Ad Gentes non perrexit ipse, sed misit : ad populum vero Israel et misit, et venit ipse; ut qui contemnebant, majus judicium sumerent, quia et præsentia est illis exhibita. Ipse Dominus ibi fuit, ibi matrem elegit; ibi concipi, ibi nasci, ibi sanguinem fundere voluit; ibi sunt [1] vestigia ejus, modo adorantur, ubi novissime stetit, unde ascendit in cœlum : ad Gentes autem misit.

5. Sed forte aliquis arbitratur, quoniam non ipse ad nos venit, sed misit ad nos, non nos audisse vocem ipsius, sed vocem eorum quos misit. Absit; pellatur ista cogitatio de cordibus vestris : et in his quos misit ipse erat. Ipsum Paulum audi quem misit; ad Gentes enim præcipue Paulum misit apostolum : et ait ipse Paulus terrens non de se, sed de illo, *An vultis accipere experimentum ejus qui in me loquitur Christi* (II *Cor.* XIII, 3)? Audite et ipsum Dominum. *Et alias oves habeo*, id est, in Gentibus : *quæ non sunt de hoc ovili*, id est de populo Israel : *oportet me et illas adducere.* Ergo et per suos non alter adducit. Adhuc audi : *Vocem meam audient.* Ecce et per suos ipse loquitur, et per eos quos mittit vox ejus auditur. *Ut sit unum ovile et unus pastor.* Duobus istis gregibus tanquam duobus parietibus, factus est lapis angularis (*Ephes.* II, 11-22). Ergo et ostium est, et lapis angularis : omnia per similitudinem, nihil horum proprie.

6. Jam enim dixi, et commendavi vehementer, et qui capiunt sapiunt, imo qui sapiunt capiunt; et qui nondum intellectu sapiunt, fide teneant quod intelligere nondum possunt. Per similitudinem Christus multa est quæ per proprietatem non est. Per similitudinem et Petra est Christus, et ostium est Christus, et lapis angularis est Christus, et pastor est Christus, et agnus est Christus, et leo est Christus. Quam multa per similitudines, et alia, quæ commemorare longum est! Si autem proprietates discutias rerum quas videre consuesti; nec petra est, quia durus et sine sensu non est; nec ostium est, quia faber eum non fecit; nec lapis angularis est, quia non est ab structore compositus; nec pastor est, quia custos ovium quadrupedum non est; nec leo est, quia fera non est; nec agnus est, quia pecus non est. Omnia ergo ista per similitudinem. Quid ergo proprie? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Quid de homine qui apparuit? *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 1, 14).

7. Audi et cætera. *Propterea me Pater diligit*, inquit; *quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.* Quid ait? *Propterea me Pater diligit :* quia morior ut resurgam (*a*). Cum magno enim pondere dictum est, *ego : Quia ego pono*, inquit, *pono animam meam*, *ego pono.* Quid est, *ego pono?* Ego illam pono : non glorientur Judæi; sævire potuerunt, potestatem habere non potuerunt : sæviant quantum possunt; si ego noluero animam meam ponere, quid sæviendo facturi sunt? Una responsione prostrati sunt : quando eis dictum est, *Quem quæritis?* dixerunt, *Jesum;* et ait eis, *Ego sum : redierunt retro, et ceciderunt* (*Id.* XVIII, 4-6). Qui ceciderunt ad unam vocem Christi morituri, quid facient sub voce judicaturi? *Ego*, *ego*, inquam, *pono animam meam*, *ut iterum sumam eam.* Non glorientur Judæi, quasi prævaluerint; ipse posuit animam suam. *Ego dormivi*, dicit. Nostis Psalmum : *Ego dormivi*, *et somnum cepi; et exsurrexi*, *quoniam Dominus suscipiet me* (*Psal.* III, 6). Modo Psalmus ipse lectus est, modo audivimus : *Ego dormivi*, *et somnum cepi; et exsurrexi*, *quoniam Dominus suscipiet me.* Quid est, *Ego dormivi?* Quia volui, dormivi. Quid est, *dormivi?* Mortuus sum. Nonne dormivit, qui quando voluit, de sepulcro tanquam de lecto surrexit? Sed amat dare gloriam Patri, ut nos ædificet gloriam dare Creatori. Nam quod addidit, *exsurrexi*, *quoniam Dominus suscipiet me*; putatis hic quasi virtutem ejus defecisse, ut per potestatem suam mori potuerit, per potestatem suam resurgere non potuerit? Sic enim videntur sonare verba non intentius intellecta, *Ego dormivi;* id est, quia volui, dormivi. *Et exsurrexi :* quare? *Quia Dominus suscipiet me.* Quid enim, tu a teipso resurgere non valeres? Si non valeres, non diceres, *Potestatem habeo ponendi animam meam*, *et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Audi alio loco in Evangelio, quia non solum Pater suscitavit Filium, sed etiam Filius seipsum. *Solvite*, inquit, *templum hoc, et in triduo suscitabo illud.* Et Evangelista : *Hoc autem*, inquit, *dicebat de templo corporis sui* (*Joan.* II, 19, 21). Hoc enim suscitabatur quod moriebatur. Nam Verbum non est mortuum, anima illa non est mortua. Si nec tua moritur, Domini moreretur?

8. Unde scio, inquis, si mea non moritur? A te non occidatur, et non moritur. Quomodo, inquis, ego

[1] Lovanienses monent omitti, hic *sunt*, in duobus e suis Mss.; at in nostris omnibus reperitur. Porro de Christi vestigiis in Oliveti monte humo impressis mentio fit etiam in libro de Locis Hebraicis inter Hieronymi opera, et apud Bedam de nominibus locorum in Actis Apostolorum. Item in Sulpitii Severi historia sacra, lib. 2.

(*a*) Forte hic aut superest aut deest nonnihil.

possum occidere animam meam? Ut alia peccata interim taceam, *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). Quomodo, inquis, securus sum, quia non moritur? Ipsum Dominum audi dantem servo securitatem : *Nolite timere eos qui occidunt corpus, et postea non habent quid faciant.* Sed plane quid ait? *Eum timete qui habet potestatem et corpus et animam occidere in gehenna* (*Matth.* x, 28, *et Luc.* XII, 4, 5). Ecce quia moritur, ecce quia non moritur. Quid est mori ipsius? quid est mori carni tuæ? Mori carni tuæ, est amittere vitam suam : mori animæ tuæ, est amittere vitam suam. Vita carnis tuæ, anima tua : vita animæ tuæ, Deus tuus. Quomodo moritur caro amissa anima, quæ vita est ejus; sic moritur anima amisso Deo, qui vita est ejus. Certe ergo immortalis est anima. Plane immortalis, quia vivit et mortua. Quod enim de vidua deliciosa dixit Apostolus, etiam de anima, si Deum suum amiserit, dici potest, *Vivens mortua est* (I *Tim.* v, 6).

9. Quomodo ergo ponit animam suam Dominus? Fratres, quæramus hoc paulo attentius. Non nos arctat hora quæ solet die dominico [1] : vacat nobis, hoc lucrentur qui ad verbum Dei etiam die hodierna conveniunt. *Pono*, inquit, *animam meam.* Quis ponit? quam ponit [2]? Quid est Christus? Verbum et homo. Nec sic homo ut sola caro : sed quia homo, constat ex carne et anima, totus autem homo in Christo. Non enim partem deteriorem suscepisset, et partem meliorem deseruisset : pars quippe hominis melior est anima quam corpus. Quia ergo totus homo in Christo, quid est Christus? Verbum, inquam, et homo. Quid est Verbum et homo? Verbum, anima et caro. Tenete hoc, quia non defuerunt hæretici et in ista sententia, pulsi quidem jam olim a veritate catholica : sed tamen ut fures et latrones non intrantes per ostium, insidiari ovili non desinunt. Apollinaristæ hæretici dicti sunt, qui ausi sunt dogmatizare quod Christus non sit nisi Verbum et caro : animam humanam non eum assumpsisse contendunt. Nam et aliqui eorum fuisse in Christo animam, negare non potuerunt. Videte absurditatem et insaniam non ferendam. Animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt : dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt hominis. Sed illi abstulerunt Christo rationem, non tenendo rationem. Absit hoc a nobis, in fide catholica nutritis atque fundatis. Ex hac ergo occasione admonuerim Charitatem vestram, ut quomodo superioribus lectionibus satis vos instruximus adversus Sabellianos et Arianos; Sabellianos qui dicunt, Ipse est Pater qui Filius; Arianos qui dicunt, Aliud est Pater, aliud est Filius, quasi non sint ejusdem substantiæ Pater et Filius : instruximus etiam, quantum meministis, et meminisse debetis, contra hæreticos Photinianos, qui

[1] Apud Er. Lugd. et Ven. hic additur, *Christus* : Apud Lov. vox, *Christus*, uncis includitur. M.

[2] Sic verba interpungere visum est : non uti in prius editis, *Non nos arctat hora quæ solet, die dominico vacat nobis.* Quod enim proxime subjicitur, *hoc lucrentur qui ad verbum Dei etiam die hodierna conveniunt*, satis indicat sermonem alio præter dominicum die fuisse habitum.

solum hominem Christum sine Deo esse dixerunt [1]; contra Manichæos, qui solum sine homine Deum : ex hac occasione de anima instruamus vos et contra Apollinaristas, qui dicunt Dominum nostrum Jesum Christum non habuisse animam humanam, id est animam rationalem, animam intelligentem, animam, inquam, in qua distamus a pecore, quod homines sumus.

10. Quomodo ergo hic dixit Dominus, *Potestatem habeo ponendi animam meam?* Quis ponit animam, et iterum sumit eam? Christus ex eo quod Verbum est, ponit animam, et sumit eam iterum? An ex eo quod anima humana est, ipsa se ponit, et iterum ipsa se sumit? An ex eo quod caro est, caro animam ponit, et iterum sumit? Tria proposui, omnia pertractemus, et hoc eligamus quod conveniat regulæ veritatis. Si enim dixerimus, quia Verbum Dei posuit animam suam, et iterum sumpsit eam; metuendum est ne subintret prava cogitatio, et dicatur nobis : Ergo aliquando anima illa separata est a Verbo, et aliquando Verbum illud, ex quo suscepit animam illam, fuit sine anima. Video enim fuisse sine anima humana Verbum, sed cum in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Ex quo enim Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis (*Joan.* I, 1, 14), et susceptus est a Verbo homo, id est totus homo, anima et caro; quid fecit passio, quid fecit mors, nisi corpus ab anima separavit? Animam vero a Verbo non separavit. Si enim mortuus est Dominus, imo quia mortuus est Dominus; mortuus est enim pro nobis in cruce; sine dubio caro ipsius exspiravit animam : ad tempus exiguum anima deseruit carnem, sed redeunte anima resurrecturam. A Verbo autem animam separatam esse non dico. Latronis animæ dixit : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Fidelem latronis animam non deserebat, et deserebat suam? Absit : sed illius ut Dominus custodivit, suam vero inseparabiliter habuit. Si autem dixerimus quia ipsa se anima posuit, et iterum ipsa se sumpsit, absurdissimus sensus est : non enim quæ a Verbo non erat separata, a seipsa poterat separari.

11. Dicamus ergo et quod verum est, et quod facile intelligi potest. Ecce homo quilibet non constans ex Verbo et anima et carne, sed ex anima et carne : de isto homine interrogemus quomodo ponat animam suam quicumque homo. An forte nullus homo ponit animam suam? Potes mihi dicere : Nullus homo habet potestatem ponere animam suam, et iterum sumere eam. Ponere animam suam nisi posset homo, non diceret Joannes apostolus, *Sicut Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere* (I *Joan.* III, 16). Ergo et nobis licet (si et nos impleamur virtute ipsius, quia sine illo nihil facere possumus) ponere pro fratribus animas nostras. Quando martyr quilibet sanctus posuit pro fratribus animam suam, quis posuit, et quam posuit? Hoc si intellexerimus, ibi videbimus quemadmodum a Christo dictum sit, *Potestatem habeo ponendi animam meam.*

[1] Omnes Mss., *Christum esse dixerunt* : nec habent, *sine Deo.*

O homo, paratus es pro Christo mori? Paratus, inquit. Dicam hoc aliis verbis. Paratus es pro Christo animam tuam ponere? Et ad ista verba sic mihi respondet, Paratus sum; quomodo mihi responderat cum dicerem, Paratus es mori. Hoc ergo est ponere animam, quod est mori. Sed pro quo ibi est certamen? Omnes enim homines quando moriuntur, ponunt animam; sed non omnes pro Christo ponunt. Et nemo habet potestatem sumere quod posuerit: Christus autem et pro nobis posuit, et quando voluit, posuit; et quando voluit, sumpsit. Ponere ergo animam, mori est. Sic et apostolus Petrus Domino dixit, *Animam meam pro te ponam* (*Joan.* XIII, 37): id est, pro te moriar. Carni hoc tribue: caro ponit animam suam, et caro iterum sumit eam; non tamen sua potestate caro, sed potestate inhabitantis carnem: caro ergo ponit animam suam exspirando. Vide ipsum Dominum in cruce; *Sitio* dixit: illi qui aderant tinxerunt spongiam in aceto, alligaverunt arundini, et apposuerunt ori ejus; quod cum accepisset, ait, *Perfectum est*: quid est, *Perfectum est?* Impleta sunt omnia quæ ante mortem futura de me fuerant prophetata. Et quia potestatem habebat quando vellet ponendi animam suam; posteaquam dixit, *Perfectum est*, quid ait Evangelista? *Et inclinato capite tradidit Spiritum* (*Id.* XIX, 28-30). Hoc est ponere animam. Modo hic attendat Charitas vestra. *Inclinato capite tradidit spiritum.* Quis tradidit? quem tradidit? Spiritum tradidit, caro illum tradidit. Quid est, caro illum tradidit? Caro illum emisit, caro illum exspiravit. Ideo enim dicitur exspirare, extra spiritum fieri. Quomodo est exsulare, extra solum fieri; exorbitare, extra orbitam fieri: sic exspirare, extra spiritum fieri; qui spiritus anima est. Cum ergo exit anima a carne, et remanet caro sine anima, tunc homo ponere animam dicitur. Quando Christus animam posuit? Quando Verbum voluit. Principatus enim in Verbo erat; ibi potestas erat quando poneret caro animam, et quando sumeret.

12. Si ergo caro animam posuit, quomodo Christus animam posuit? Non enim caro Christus? Ita plane, et caro Christus, et anima Christus, et Verbum Christus: nec tamen tria hæc tres Christi, sed unus Christus. Hominem interroga, et, de teipso fac gradum ad ea quæ supra te sunt, et si nondum intelligenda, saltem credenda. Quomodo est enim unus homo anima et corpus; sic unus Christus Verbum et homo. Videte quid dixerim, et intelligite. Anima et corpus duæ res sunt, sed unus homo: Verbum et homo duæ res sunt, sed unus Christus. Ergo de homine quære. Ubi est Paulus apostolus modo? Si quis respondeat, In requie cum Christo; verum dicit. Item si quis respondeat, Romæ in sepulcro; et ipse verum dicit. Illud mihi de anima, hoc de ejus carne respondet. Nec tamen ideo duos dicimus apostolos Paulos; unum qui requiescit in Christo, alium qui positus est in sepulcro: quamvis apostolum Paulum dicamus vivere in Christo, eumdemque apostolum Paulum dicamus mortuum jacere in sepulcro. Moritur aliquis, dicimus, Bonus homo, fidelis homo, in pace est cum Domino: et continuo, Eamus ad exsequias ipsius, et sepeliamus illum. Eum sepulturus es quem jam dixeras in pace esse cum Deo: cum aliud sit anima quæ immortaliter viget, aliud corpus quod corruptibiliter jacet. Sed ex quo consortium carnis et animæ hominis nomen accepit, jam et singulum atque separatum, utrumlibet eorum nomen hominis tenuit.

13. Nemo ergo titubet, quando audit Dominum dixisse, *Pono animam meam, et iterum sumo eam.* Ponit eam caro, sed ex potestate Verbi: sumit eam caro, sed ex potestate Verbi. Et ipse Dominus Christus dictus est sola caro. Quomodo, inquit, probas? Audeo dicere, et sola caro Christi dictus est Christus. Credimus certe non in solum Deum Patrem, sed et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum: modo totum dixi, in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Totum ibi intellige, et Verbum, et animam, et carnem. Sed utique confiteris etiam illud quod habet eadem fides, in eum Christum te credere qui crucifixus est et sepultus. Ergo etiam sepultum Christum esse non negas: et tamen sola caro sepulta est. Si enim erat ibi anima, non erat mortuus: si autem vera mors erat, ut ejus vera sit resurrectio, sine anima fuerat in sepulcro; et tamen sepultus est Christus. Ergo Christus erat etiam sine anima caro, quia non est sepulta nisi caro. Disce hoc etiam in apostolicis verbis. *Hoc sentite*, inquit, *in vobis, quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Quis, nisi Christus Jesus, quantum attinet ad id quod est Verbum, Deus apud Deum? Vide autem quod sequitur: *Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens; in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Et hoc quis, nisi idem ipse Christus Jesus? Sed hic jam omnia sunt, et Verbum in forma Dei, quæ accepit formam servi; et anima et caro in forma servi, quæ accepta est a forma Dei. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* (*Philipp.* II, 6-8). Jam in morte sola caro est a Judæis occisa. Si enim discipulis dixit, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* X, 28); numquid in ipso potuerunt plus quam corpus occidere? Et tamen carne occisa Christus occisus est. Ita cum caro animam posuit, Christus animam posuit; et cum caro, ut resurgeret, animam sumpsit, Christus animam sumpsit. Nec tamen potestate carnis hoc factum est; sed ejus qui et animam et carnem, ubi hæc adimplerentur, assumpsit.

14. *Hoc*, inquit, *mandatum accepi a Patre meo.* Verbum non verbo [1] accepit mandatum, sed in Verbo unigenito Patris est omne mandatum. Cum autem dicitur Filius a Patre accipere quod substantialiter habet, quomodo dictum est, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* V, 26), cum Filius ipse sit vita; non potestas minuitur, sed generatio ejus ostenditur. Quoniam Pater non quasi ei filio qui imperfectus est natus, aliquid addidit; sed ei quem perfectum genuit, omnia

[1] Editi, *non a verbo.* Mss. vero carent præpositione *a.*

gignendo dedit. Ita illi dedit suam æqualitatem, quem non genuit inæqualem. Sed hæc loquente Domino, quoniam lux lucebat in tenebris, et tenebræ eam non comprehendebant(*Joan.*I, 5), *Dissensio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis : Dæmonium habet, et insanit; quid eum auditis?* Istæ fuerunt densissimæ tenebræ. *Alii dicebant : Hæc verba non sunt dæmonium habentis ; numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* Jam istorum oculi cœperant aperiri.

TRACTATUS XLVIII.

Ab eo loco, Facta sunt Encænia in Jerosolymis; *usque ad id*, Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant : et multi crediderunt in eum. *Cap.* x, ỹ. 22-42.

1. Quod jam commendavi Dilectioni vestræ, stabiliter meminisse debetis, sanctum Joannem evangelistam nolle nos semper lacte nutriri, sed solido cibo vesci. Quisquis autem ad sumendum solidum cibum verbi Dei adhuc minus idoneus est, lacte fidei nutriatur, et verbum quod intelligere non potest, credere non cunctetur. Fides enim meritum est, intellectus præmium. In ipso labore intentionis desudat acies mentis nostræ, ut ponat sordiculas nebulæ humanæ, et serenetur ad Verbum Dei. Non ergo recusetur labor, si adest amor : nostis enim quoniam qui amat non laborat. Omnis enim labor non amantibus gravis est. Si tantos labores cum avaris portat cupiditas, nobiscum non portat charitas?

2. Evangelium intendite : *Facta sunt autem Encænia in Jerosolymis.* Encænia festivitas erat dedicationis templi. Græce enim καινὸν dicitur novum quandocumque novum aliquid fuerit dedicatum, Encænia vocantur[1]. Jam et usus habet hoc verbum : si quis nova tunica induatur, encæniare dicitur. Illum enim diem quo templum dedicatum est, Judæi solemniter celebrabant : ipse dies festus agebatur, cum ea quæ lecta sunt, locutus est Dominus.

3. *Hiems erat. Et ambulabat Jesus in templo in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Judæi, et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* Non veritatem desiderabant, sed calumniam præparabant. *Hiems erat*, et frigidi erant : ad illum enim divinum ignem accedere pigri erant. Sed accedere est credere : qui credit, accedit; qui negat, recedit. Non movetur anima pedibus, sed affectibus. Friguerant a diligendi charitate, et ardebant nocendi cupiditate. Longe aberant, et ibi erant : non accedebant credendo, et premebant persequendo. Quærebant audire a Domino, Ego sum Christus : et fortasse de Christo secundum hominem sapiebant. Prædicaverunt Prophetæ Christum : sed divinitatem Christi et in Prophetis et in ipso Evangelio nec hæretici intelligunt; quanto minus Judæi, quamdiu velamen est super cor eorum (II *Cor.* III, 15)? Denique quodam loco sciens Dominus Jesus eos de Christo secundum hominem sapere, non secundum Deum, secundum id quod homo erat, non secundum id quod Deus etiam assumpto homine permanebat, ait illis : *Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est?* Responderunt secundum opinationem suam : *David.* Sic enim legerant, et hoc solum tenebant : quia divinitatem ejus legebant, sed non intelligebant. Dominus autem ut eos suspenderet ad quærendam ejus divinitatem, cujus contemnebant infirmitatem, respondit eis : *Quomodo ergo David in spiritu dicit eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis? Si ergo David in spiritu dicit eum Dominum, quomodo filius ejus est* (*Matth.* XXII, 42-45)? Non negavit, sed interrogavit. Ne quis hoc cum audierit, putet quod Dominus Jesus negaverit se filium esse David. Filium David Dominus Christus si se negaret, cæcos sic eum invocantes non illuminaret. Transibat enim aliquando, et duo cæci sedentes juxta viam clamaverunt : *Miserere nostri, fili David.* Qua voce audita, misertus est; stetit, sanavit, lumen dedit (*Id.* XX, 30-34); quia nomen agnovit. Dicit et apostolus Paulus, *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem* (*Rom.* I, 3) : et ad Timotheum, *Memor esto Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David secundum Evangelium meum* (II *Tim.* II, 8). Quia de semine David originem Maria virgo ducebat, inde Dominus de semine David.

4. Hoc pro magno Judæi a Christo quærebant, ut si diceret, Ego sum Christus, secundum quod illi solum sapiebant de semine David, calumniarentur quod sibi arrogaret regiam potestatem. Plus est quod eis respondit : illi de filio David volebant calumniari, ille Filium Dei se esse respondit. Et quomodo? Audite : *Respondit eis Jesus : Loquor vobis, et non creditis; opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me : sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.* Jam supra (*in Tract.* 45) didicistis quæ sint oves : estote oves. Oves credendo sunt, oves pastorem sequendo sunt, oves redemptorem non contemnendo sunt, oves per ostium intrando sunt, oves exeundo et pascua inveniendo sunt, oves vita æterna perfruendo sunt. Quomodo ergo istis dixit, *Non estis ex ovibus meis?* Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.

5. *Oves meæ vocem meam audiunt, et cognosco eas, et sequuntur me : et ego vitam æternam do eis.* Ecce sunt pascua. Si recolitis, superius dixerat, *Et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet.* Ingressi sumus credendo, egredimur moriendo. Sed quomodo per ostium fidei ingressi sumus, sic fideles de corpore exeamus : sic enim per ipsum ostium egredimur, ut pascua invenire possimus. Bona pascua, vita æterna dicitur : ibi nulla herba arescit, totum viret, totum viget. Solet quædam herba dici semper viva[1] : ibi solum vivere invenitur. *Vitam æternam*, inquit, *dabo eis*, ovibus meis. Vos calumnias propterea quæritis, quia de vita præsenti cogitatis.

[1] Mss., *Encœnia vocatur.*

[1] In Mss., *semper vivit* : dicitur Græcis, *aeizôn*, siva *aeizôon.*

6. *Et non peribunt in æternum :* subaudis, tanquam eis dixerit, Vos peribitis in æternum, quia non estis ex ovibus meis. *Non rapiet eas quisquam de manu mea.* Intentius accipite : *Pater meus quod dedit mihi, majus est omnibus.* Quid potest lupus? quid potest fur et latro? Non perdunt nisi ad interitum prædestinatos. De illis autem ovibus, de quibus dicit Apostolus, *Novit Dominus qui sunt ejus* (II *Tim.* II, 19); et, *Quos præscivit, ipsos et prædestinavit; quos autem prædestinavit, ipsos et vocavit; quos autem vocavit, illos et justificavit; quos autem justificavit, ipsos et glorificavit* (*Rom.* VIII, 29, 30) : de ovibus istis nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Securus est de numero earum, qui pro eis novit quod dedit. Et hoc est quod ait, *Non rapiet eas quisquam de manu mea :* et item ad Patrem, *Pater meus quod dedit mihi, majus est omnibus.* Quid dedit Filio Pater majus omnibus? Ut ipse illi esset unigenitus Filius. Quid est ergo, *dedit?* jam erat cui daret, an gignendo dedit? Nam si erat cui daret ut Filius esset, aliquando erat, et Filius non erat : Absit ut aliquando Dominus Christus fuerit, et Filius non fuerit. De nobis hoc dici potest : aliquando filii hominum eramus, filii Dei non eramus. Nos enim filios Dei gratia fecit, illum natura, quia ita natus est. Et non est ut dicas, Non erat antequam natus erat : nunquam enim non natus erat, qui Patri coæternus erat. Qui sapit capiat; qui non capit credat[1], nutriatur, et capiet. Verbum Dei semper cum Patre, et semper Verbum : et quia Verbum, ideo Filius. Semper ergo Filius, et semper æqualis Non enim crescendo, sed nascendo æqualis est, qui semper natus est de Patre Filius, de Deo Deus, de æterno coæternus. Pater autem non de Filio Deus : Filius de Patre Deus; ideo Pater Filio gignendo dedit ut Deus esset, gignendo dedit ut sibi coæternus esset, gignendo dedit ut æqualis esset. Hoc est quod majus est omnibus. Quomodo vita Filius, et habens vitam Filius? Quod habet hoc est : tu aliud es, aliud habes. Verbi gratia, habes sapientiam; numquid tu es ipsa sapientia? Denique quia non es tu ipse quod habes, si amiseris quod habes, redis[2] ut non habeas : et aliquando resumis, aliquando amittis. Quomodo oculus noster non in seipso habet inseparabiliter lucem; aperitur et capit, clauditur et amittit. Non sic est Deus Dei Filius, non sic est Verbum Patris : non sic est Verbum quod non sonando transit, sed nascendo manet. Sic habet sapientiam, ut ipse sit sapientia, faciatque sapientes; sic habet vitam, ut sit ipse vita, faciatque viventes. Hoc est quod majus est omnibus. Attendit Joannes ipse evangelista cœlum et terram, volens dicere de Filio Dei; attendit, et transcendit. Cogitavit supra cœlum millia exercitus Angelorum, cogitavit et transcendit universam, sicut aquila nubes, sic sua mente creaturam : transcendit magna omnia, pervenit ad illud quod majus est omnibus; et dixit, *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Sed quia ille cujus est Verbum non est de Verbo, Verbum autem de illo est cujus est Verbum; ideo ait, *Quod dedit mihi Pater*, id est, ut sim Verbum ejus, ut sim unigenitus Filius ejus, ut sim splendor lucis ejus, *majus est omnibus.* Ideo, *Nemo rapit*, inquit, *oves meas de manu mea. Nemo potest rapere de manu Patris mei.*

7. *De manu mea*, et *de manu Patris mei :* quid est hoc, *Nemo rapit de manu mea*, et, *Nemo rapit de manu Patris mei?* Utrum una manus est Patris et Filii, an forte ipse Filius manus est Patris sui? Si manum intelligamus potestatem, una est Patris et Filii potestas; quia una est divinitas : si autem manum intelligamus, sicut dictum est per prophetam, *Et brachium Domini cui revelatum est* (*Isa.* LIII, 1)? manus Patris ipse est Filius. Quod non ita dictum est, tanquam Deus habeat humanam formam, et quasi corporis membra; sed quod per ipsum facta sunt omnia. Nam solent et homines dicere manus suas esse alios homines, per quos faciunt quod volunt. Aliquando et ipsum opus hominis, manus hominis dicitur quod fit per manum : sicut dicitur quisque agnoscere manum suam, cum id quod scripsit agnoscit. Cum ergo multis modis etiam hominis dicatur manus, qui proprie manum habet in sui corporis membris; quanto magis non uno modo intelligendum est cum legitur manus Dei, cui forma corporis nulla est? Ac per hoc melius hoc loco manum Patris et Filii intelligimus potestatem Patris et Filii; ne forte cum hic manum Patris ipsum Filium dictum acceperimus, incipiat carnalis cogitatio etiam ipsius Filii quærere Filium, quem similiter credat Christi manum. Ergo, *Nemo rapit de manu Patris mei;* hoc est, Nemo rapit mihi.

8. Sed ne forte adhuc titubes, audi quid sequitur : *Ego et Pater unum sumus.* Huc usque Judæi tolerare potuerunt : audierunt, *Ego et Pater unum sumus*, et non pertulerunt; et more suo duri, ad lapides cucurrerunt. *Tulerunt lapides, ut lapidarent eum.* Dominus quia non patiebatur quod nolebat pati, et non est passus nisi quod voluit pati, adhuc eos lapidare cupientes alloquitur. « Sustulerunt lapides Judæi, ut lapidarent illum. Respondit eis Jesus : Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Et illi responderunt : De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. » Ad illud hoc responderunt quod dixerat, *Ego et Pater unum sumus.* Ecce Judæi intellexerunt quod non intelligunt Ariani. Ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici, *Ego et Pater unum sumus*, nisi ubi æqualitas est Patris et Filii.

9. Dominus autem videte quid responderit tardis. Vidit eos non ferre splendorem veritatis, et eum temperavit in verbis. *Nonne scriptum est in Lege vestra*, id est, vobis data, *quia ego dixi, Dii estis?* Deus dicit per Prophetam in Psalmo hominibus : *Ego dixi, Dii estis* (*Psal.* LXXXI, 6). Et Legem appellavit Dominus generaliter omnes illas Scripturas : quamvis alibi specialiter dicat Legem, a Prophetis eam distinguens; sicuti est, *Lex et Prophetæ usque ad Joannem* (*Luc.* XVI, 16); et, *In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ*

[1] Omnes Mss., *qui non sapit credat.*
[2] Sic Mss. At editi, *reddis.*

(*Matth.* XXII, 40). Aliquando autem in tria distribuit easdem Scripturas, ubi ait : *Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, et Prophetis, et Psalmis de me* (*Luc.* XXIV, 44). Nunc vero Psalmos etiam Legis nomine nuncupavit, ubi scriptum est : *Ego dixi, Dii estis. Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptura : quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas; quia dixi, Filius Dei sum?* Si sermo Dei factus est ad homines ut dicerentur dii, ipsum Verbum Dei quod est apud Deum, quomodo non est Deus? Si per sermonem Dei fiunt homines dii, si participando fiunt dii, unde participant non est Deus? Si lumina illuminata dii sunt, lumen quod illuminat non est Deus? Si calefacti quodammodo igne salutari dii efficiuntur, unde calefiunt non est Deus? Accedis ad lumen et illuminaris, et inter filios Dei numeraris; si recedis a lumine, obscuraris, et in tenebris computaris : illud tamen lumen nec accedit ad se, quia non recedit a se. Si ergo vos deos facit sermo Dei, quomodo non est Deus Verbum Dei? Pater ergo sanctificavit Filium suum, et misit in mundum. Forte aliquis dicat : Si Pater eum sanctificavit, ergo aliquando non erat sanctus? Sic sanctificavit, quomodo genuit. Ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit. Nam si quod sanctificatur, ante non erat sanctum ; quomodo dicimus Deo Patri, *Sanctificetur nomen tuum* (*Matth.* VI, 9).

10. *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere : si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia in me est Pater, et ego in illo.* Non sic dicit Filius, *in me est Pater, et ego in illo*, quomodo possunt homines dicere. Si enim bene cogitemus, in Deo sumus; et si bene vivamus, Deus in nobis est : fideles participantes ejus gratiam, illuminati ab ipso, in illo sumus, et ipse in nobis. Sed non sic unigenitus Filius : ille in Patre, et Pater in illo, tanquam æqualis in eo cui est æqualis. Denique nos aliquando possumus dicere, In Deo sumus, et Deus in nobis : Ego et Deus unum sumus, numquid possumus dicere? In Deo es, quia Deus te continet; Deus est in te, quia templum Dei factus es : sed numquid quia in Deo es, et Deus est in te, potes dicere, Qui me videt, Deum videt : quomodo Unigenitus dixit, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9); et, *Ego et Pater unum sumus?* Agnosce proprium Domini, et munus servi. Proprium Domini, est æqualitas Patris : munus servi, est participatio Salvatoris.

11. *Quærebant ergo eum apprehendere.* Utinam apprehenderent, sed credendo et intelligendo, non sæviendo et occidendo. Nam modo, fratres mei, quando talia loquor, infirmus fortia, parvus magna, fragilis solida, et vos tanquam ex eadem massa unde sum et ego, et ego [1] ipse qui vobis loquor, simul omnes apprehendere volumus Christum. Quid est apprehendere? Intellexisti, apprehendisti. Sed non sic Judæi : tu apprehendisti ut habeas, illi apprehendere volebant ut non haberent. Et quia sic volebant apprehendere, quid eis fecit? *Exiit de manibus eorum.* Non eum apprehenderunt, quia manus fidei non habuerunt. Verbum caro factum est : sed non erat Verbo magnum, ejicere carnem suam de manibus carnis. Mente Verbum apprehendere, hoc est Christum recte apprehendere.

12. *Et abiit iterum trans Jordanem, in eum locum ubi Joannes baptizans primum, et mansit ibi. Et multi venerunt ad eum, et dicebant : Quia Joannes quidem signum fecit nullum.* Meministis vobis dictum de Joanne, quia lucerna erat, et diei testimonium perhibebat (*Joan.* V, 35, 33). Quid ergo isti apud se dixerunt, *Joannes signum fecit nullum?* Nullum, inquiunt, miraculum ostendit Joannes : non dæmonia fugavit, non expulit febrem, non cæcos illuminavit, non mortuos suscitavit, non tot millia hominum de quinque vel septem panibus pavit, non supra mare ambulavit, non ventis et fluctibus imperavit; nihil horum fecit Joannes : et totum quidquid dicebat, huic testimonium perhibebat. Per lucernam veniamus ad diem. *Joannes nullum signum fecit. Omnia autem quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant.* Ecce qui apprehenderunt, non quomodo Judæi. Judæi volebant apprehendere discedentem, apprehenderunt isti permanentem. Denique quid sequitur? *Et multi crediderunt in eum.*

TRACTATUS XLIX.

Ab eo quod legitur, Erat autem quidam languens, Lazarus; *usque ad id,* Abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. *Cap.* XI, ℣. 1-54.

1. Inter omnia miracula quæ fecit Dominus noster Jesus Christus, Lazari resurrectio præcipue prædicatur. Sed si attendamus quis fecerit, delectari debemus potius quam mirari. Ille suscitavit hominem, qui fecit hominem : ipse enim est Unicus Patris, per quem, sicut nostis, facta sunt omnia. Si ergo per illum facta sunt omnia, quid mirum est si resurrexit unus per illum, cum tot quotidie nascantur per illum? Plus est homines creare quam resuscitare. Dignatus est tamen et creare et resuscitare; creare omnes, resuscitare quosdam. Nam cum multa fecisset Dominus Jesus, non omnia scripta sunt; sicut idem ipse sanctus Joannes evangelista testatur multa Dominum Christum et dixisse et fecisse quæ scripta non sunt (*Joan.* XX, 30) : electa sunt autem quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur. Audisti enim quia Dominus Jesus mortuum suscitavit : sufficit tibi ut scias quia si vellet, omnes mortuos suscitaret. Et hoc quidem sibi ad finem sæculi reservavit. Nam quem audistis magno miraculo quatriduanum mortuum suscitasse de sepulcro, *veniet hora,* sicut ipse ait, *quando omnes qui sunt in monumentis, audient vocem ejus et procedent.* Resuscitavit putentem, sed tamen in cadavere putente adhuc erat forma membrorum ; ille in novissimo die ad unam vocem cineres est restituturus in carnem. Sed oportebat ut modo aliqua faceret, quibus datis velut suæ virtutis indiciis credamus in eum, et ad illam resurrectionem præ-

[1] Er. Lugd. Ven. semel ferunt, *et ego.* M.

pareamur, quæ erit ad vitam, non ad judicium. Ita quippe ait : *Veniet hora quando omnes qui in monumentis sunt, audient vocem* ejus : *et procedent qui bene fecerunt, ad resurrectionem vitæ ; qui male egerunt, ad resurrectionem judicii* (*Joan.* v, 28, 29).

2. Tres tamen mortuos a Domino resuscitatos in Evangelio legimus, et forte non frustra. Domini quippe facta non sunt tantummodo facta, sed signa. Si ergo signa sunt, præter id quod mira sunt, aliquid profecto significant : quorum factorum significationem invenire, aliquanto est operosius, quam ea legere vel audire. Admirantes audiebamus, tanquam magni miraculi spectaculo ante nostros oculos constituto, cum Evangelium legeretur, quemadmodum revixerit Lazarus. Si attendamus mirabiliora opera Christi, omnis qui credit, resurgit (*a*) : si attendamus omnes, et intelligamus detestabiliores mortes, omnis qui peccat moritur. Sed mortem carnis omnis homo timet, mortem animæ pauci. Pro morte carnis quæ sine dubio quandoque ventura est, curant omnes ne veniat : inde est quod laborant. Laborat ne moriatur homo moriturus, et non laborat ne peccet homo in æternum victurus. Et cum laborat ne moriatur, sine causa laborat ; id enim agit ut multum mors differatur, non ut evadatur : si autem peccare nolit, non laborabit, et vivet in æternum. O si possemus excitare homines, et cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis ! Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus ? Gladio impendente cervicibus, prodiderunt homines quidquid sibi, unde viverent, reservabant. Quis non continuo prodidit ne perculeretur ? Et post proditionem fortasse percussus est. Quis non, ut viveret, continuo perdere voluit unde viveret, eligens vitam mendicantem quam celerem mortem ? Cui dictum est, Naviga ne moriaris ; et distulit ? Cui dictum est, Labora ne moriaris ; et piger fuit ? Levia Deus jubet, ut in æternum vivamus ; et obedire negligimus. Non tibi Deus dicit, Perde quidquid habes, ut vivas exiguo tempore in labore sollicitus ; sed, Da pauperi unde habes, ut vivas semper sine labore securus. Accusant nos amatores vitæ temporalis, quam nec cum volunt, nec quamdiu volunt habent : et nos invicem non accusamus, tam pigri, tam tepidi ad capessendam vitam æternam, quam si voluerimus habebimus, cum habuerimus non amittemus ; hanc autem mortem quam timemus, etiamsi noluerimus, habebimus.

3. Si ergo Dominus magna sua gratia, et magna sua misericordia animas suscitat, ne moriamur in æternum ; bene intelligimus tres illos mortuos quos in corporibus suscitavit, aliquid significare et figurare de resurrectionibus animarum quæ fiunt per fidem : resuscitavit filiam archisynagogi adhuc in domo jacentem (*Marc.* v, 41, 42) ; resuscitavit juvenem filium viduæ extra portas civitatis elatum (*Luc.* VII, 14, 15) ; resuscitavit Lazarum sepultum quatriduanum. Intueatur quisque animam suam : si peccat, moritur ; peccatum, mors est animæ. Sed aliquando in cogitatione peccatur. Delectavit quod malum est, consensisti, peccasti ; consensio illa occidit te : sed intus est mors, quia cogitatum malum nondum processit in factum. Talem animam resuscitare se significans Dominus, resuscitavit illam puellam quæ nondum erat foras elata, sed in domo mortua jacebat, quasi peccatum latebat. Si autem non solum malæ delectationi consensisti, sed etiam ipsum malum fecisti ; quasi mortuum extra portam extulisti : jam foris es, et mortuus elatus es. Tamen et ipsum Dominus resuscitavit, et reddidit viduæ matri suæ. Si peccasti, pœniteat te : et resuscitat te Dominus, et reddet Ecclesiæ matri tuæ. Tertius mortuus est Lazarus. Est genus mortis immane, mala consuetudo appellatur. Aliud est enim peccare, aliud peccandi consuetudinem facere. Qui peccat et continuo corrigitur, cito reviviscit : quia nondum est implicatus consuetudine, non est sepultus. Qui autem peccare consuevit, sepultus est, et bene de illo dicitur, *fetet* : incipit enim habere pessimam famam, tanquam odorem teterrimum. Tales sunt omnes assueti sceleribus, perditi moribus. Dicis ei, Noli facere. Quando te audit quem terra sic premit, et tabe corrumpitur, et mole consuetudinis prægravatur ? Nec ad ipsum tamen resuscitandum minor fuit virtus Christi. Novimus, vidimus, quotidie videmus homines, pessima consuetudine permutata vivere melius, quam vivunt qui reprehendebant. Detestabaris hominem : ecce ipsa soror Lazari (si tamen ipsa est quæ pedes Domini unxit unguento, et tersit capillis suis quos laverat lacrymis) melius suscitata est quam frater ejus : de magna malæ consuetudinis mole est liberata. Erat enim famosa peccatrix : et de illa dictum est, *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* 37-47). Videmus multos, novimus multos : nemo desperet, nemo de se præsumat. Et desperare malum est, et de se præsumere. Sic noli desperare, ut eligas de quo debeas præsumere.

4. Ergo et Lazarum Dominus suscitavit. Audistis qualem, id est, quid significet Lazari resurrectio. Legamus itaque jam ; et quoniam multa in hac lectione manifesta sunt, expositionem in singulis non quæramus, ut necessaria pertractemus. *Erat autem quidam languens, Lazarus a Bethania, de castello Mariæ et Marthæ sororum ejus* [1]. In superiore lectione meministis quod Dominus exiit de manibus eorum qui lapidare illum voluerant, et discessit trans Jordanem ubi Joannes baptizabat (*Joan.* x, 39, 40). Ibi ergo Domino constituto, infirmabatur in Bethania Lazarus, quod castellum erat proximum Jerosolymis.

5. *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores ejus ad eum, dicentes.* Jam intelligimus quo miserunt, ubi erat Do-

(*a*) Forte legendum sic : *mirabiliore opere Christi omnis qui credit resurgit.* Et infra : *detestabiliore morte omnis qui peccat moritur.*

[1] In omnibus Mss. omittitur, *sororum ejus.*
(*a*) Conf. lib. 1, de Sermone Domini in monte, n. 35.

minus : quoniam absens erat, trans Jordanem scilicet. Miserunt ad Dominum, nuntiantes quod ægrotaret frater earum : ut si dignaretur veniret, et eum ab ægritudine liberaret. Ille distulit sanare, ut posset resuscitare. Quid ergo renuntiaverunt sorores ejus? *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Non dixerunt, Veni : amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere, Veni, et sana : non ausæ sunt dicere, Ibi jube, et hic fiet. Cur enim non et istæ, si fides illius Centurionis inde laudatur? Ait enim : *Non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus* (*Matth.* VIII, 8, 10). Nihil horum istæ, sed tantummodo, *Domine, ecce quem amas infirmatur.* Sufficit ut noveris; non enim amas, et deseris. Dicit aliquis : Quomodo per Lazarum peccator significabatur, et a Domino sic amabatur? Audiat eum dicentem, *Non veni vocare justos, sed peccatores* (*Id.* IX, 13). Si enim peccatores Deus non amaret, de cœlo ad terras non descenderet.

6. *Audiens autem Jesus, dixit eis : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei.* Talis glorificatio ipsius non ipsum auxit, sed nobis profuit. Hoc ergo ait, *non est ad mortem,* quia et ipsa mors non erat ad mortem; sed potius ad miraculum, quo facto crederent homines in Christum, et vitarent veram mortem. Sane videte quemadmodum tanquam ex obliquo Dominus Deum se dixit, propter quosdam qui negant Filium Deum esse. Nam sunt hæretici qui hoc negant, quod Filius Dei sit Deus. Ecce audiant : *Infirmitas hæc,* inquit, *non est ad mortem, sed pro gloria Dei.* Qua gloria? cujus Dei? Audi quod sequitur : *Ut glorificetur Filius Dei. Infirmitas ergo hæc,* inquit, *non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Per quam? Per illam infirmitatem.

7. *Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.* Ille languens, illæ tristes, omnes dilecti : sed diligebat eos et languentium salvator, imo etiam mortuorum suscitator, et tristium consolator. *Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.* Nuntiaverunt ergo illi; mansit illic ille : tamdiu tempus ductum est, quousque quatriduum compleretur. Non frustra, nisi quia forte, imo quia certe et ipse numerus dierum intimat aliquod sacramentum. *Deinde post hæc dicit iterum discipulis suis, Eamus in Judæam :* ubi pene fuerat lapidatus, qui propterea inde discessisse videbatur, ne lapidaretur. Discessit enim ut homo; sed in redeundo quasi oblitus infirmitatem, ostendit potestatem. *Eamus,* inquit, *in Judæam.*

8. Deinde hoc dicto, videte quemadmodum discipuli territi fuerint. *Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, et iterum vadis illuc? Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt horæ diei?* Quid sibi vult ista responsio? Illi dixerunt, *Modo te lapidare volebant Judæi, et iterum illuc vadis,* ut te lapident? Et Dominus, *Nonne duodecim horæ sunt diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt : si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.* De die quidem locutus est, sed in nostra intelligentia quasi adhuc nox est. Invocemus diem, ut expellat noctem, et cor lumine illustret. Quid enim Dominus dicere voluit? Quantum mihi videtur, quantum sublucet altitudo profunditasque sententiæ, redarguere voluit illorum dubitationem et infidelitatem. Voluerunt enim consilium dare Domino ne moreretur, qui venerat mori, ne ipsi morerentur. Sic etiam quodam alio loco Petrus sanctus diligens Dominum, sed adhuc non plene intelligens cur venisset, timuit ne moreretur, et vitæ displicuit, id est, ipsi Domino : nam cum indicaret discipulis quod esset Jerosolymis passurus a Judæis [1], respondit Petrus inter cæteros, et ait, *Absit a te, Domine, propitius tibi esto, non fiet istud.* Et continuo Dominus, *Redi post me, satanas, non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum.* Et paulo ante confitens Filium Dei laudem meruerat : audierat enim, *Beatus es, Simon Bar Jona, quia non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est* (*Matth.* XVI, 16-23). Cui dixerat, *Beatus es;* illi dicit, *Redi retro, satanas :* quia beatus a se non erat, Sed unde? *Quia non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui in cœlis est.* Ecce unde beatus, non de tuo, sed de meo. Non quia Pater ego, sed quia omnia quæ habet Pater, mea sunt (*Joan.* XVI, 15). Si beatus de ipsius Domini; satanas de cujus? Ibi dicit : rationem quippe reddidit beatitudinis, ut diceret, *Non caro et sanguis tibi revelavit* hoc, *sed Pater meus qui in cœlis est :* hæc est causa beatitudinis tuæ. Quod vero dixi, *Redi post me, satanas,* audi etiam hujus rei causam : *Non enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominis.* Nemo ergo se palpet; de suo satanas est, de Dei beatus est. Quid est enim de suo, nisi de peccato suo? Tolle peccatum, quod est tuum? Justitia, inquit, de meo est [2]. Quid enim habes quod non accepisti (I *Cor.* IV, 7)? Cum ergo vellent dare consilium homines Deo, discipuli magistro, servi Domino, ægroti medico; corripuit eos, et ait, *Nonne duodecim horæ sunt diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit.* Me sequimini, si non vultis offendere : nolite mihi consilium dare, quos a me consilium oportet accipere. Quo ergo pertinet, *Nonne duodecim horæ sunt diei?* Quia ut diem se esse ostenderet, duodecim discipulos elegit. Si ego sum, inquit, dies, et vos horæ, numquid horæ diei consilium dant? Horæ diem sequuntur, non dies horas. Si ergo illi horæ, quid ibi Judas? Et ipse inter duodecim horas? Si hora erat, lucebat; si lucebat, quomodo diem ad mortem tradebat? Sed Dominus in hoc verbo non ipsum Judam, sed successorem ipsius prævidebat. Juda enim cadente successit Matthias, et duodenarius numerus mansit (*Act.* I, 26). Non ergo frustra duodecim discipulos elegit Dominus, nisi quia ipse spiritualis est dies. Sequantur ergo horæ diem, prædicent horæ diem, horæ illustrentur a die, horæ

[1] in sex Mss., *quid esset passurus.*

[2] Hæc est Er. punctuatio in hunc locum : *Tolle peccatum quod est tuum, justitia, inquit, de meo est.* Lov. post *tuum,* duo puncta interponunt. M.

illuminentur a die, et per horarum prædicationem credat mundus in diem. Hoc ergo ait de compendio, Me sequimini, si non vultis offendere.

9. *Et post hoc dicit eis : Lazarus amicus noster dormit ; sed vado, ut a somno excitem eum.* Verum dixit. Sororibus mortuus erat, Domino dormiebat. Hominibus mortuus erat, qui eum suscitare non poterant : nam Dominus tanta eum facilitate excitabat de sepulcro, quanta tu non excitas dormientem de lecto. Ergo secundum potentiam suam dixit dormientem : quia et alii mortui dicti sunt in Scripturis sæpe dormientes, sicut Apostolus dicit, *De dormientibus autem nolo vos ignorare, fratres, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent* (I *Thess.* IV, 12). Ideo et ipse dormientes appellavit, quia resurrecturos prænuntiavit. Dormit ergo omnis mortuus, et bonus et malus. Sed quomodo interest in ipsis qui quotidie dormiunt et exsurgunt, quid quisque videat in somnis : alii sentiunt læta somnia, alii torquentia, ita ut evigilans dormire timeat, ne ad ipsa iterum redeat : sic unusquisque hominum cum causa sua dormit, cum causa sua surgit. Et interest quali custodia quisque recipiatur, ad judicem postea producendus. Nam et receptiones in custodia pro meritis causarum adhibentur : alios jubentur custodire lictores, humanum et mite officium atque civile ; alii traduntur optionibus [1] ; alii mittuntur in carcerem : et in ipso carcere non omnes, sed pro meritis graviorum causarum in ima carceris contruduntur. Sicut ergo diversæ custodiæ agentium in officio ; sic diversæ custodiæ mortuorum, et diversa merita resurgentium. Receptus est pauper, receptus est dives : sed ille in sinum Abrahæ ; ille ubi sitiret, et guttam non inveniret (*Luc.* XVI, 22-24).

10. Habent ergo omnes animæ, ut ex hac occasione instruam Charitatem vestram, habent omnes animæ, cum de sæculo exierint, diversas receptiones suas. Habent gaudium bonæ, malæ tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora ; quando cum corpore torquebuntur. Recepti sunt in pace sancti Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, boni fideles ; omnes tamen adhuc in fine accepturi sunt quod promisit Deus : promissa enim est resurrectio etiam carnis, mortis consumptio, vita æterna cum Angelis. Hoc omnes simul accepturi sumus : nam requiem quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque cum moritur. Priores acceperunt Patriarchæ : videte ex quo requiescunt : posteriores Prophetæ, recentius Apostoli, multo recentiores sancti Martyres, quotidie boni fideles. Et alii in ista requie jam diu sunt [2], alii non tam diu, alii paucioribus annis, alii nec recenti tempore. Cum vero ab hoc somno evigilabunt, simul omnes quod promissum est accepturi sunt.

11. *Lazarus amicus noster dormit ; sed vado, ut a somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli :* quomodo intellexerunt, sic responderunt : *Domine, si dormit, salvus erit.* Solet enim esse somnus ægrotantium salutis indicium. *Dixerat autem Jesus de morte ejus ; illi autem putaverunt quod de dormitione somni diceret. Tunc ergo dixit eis Jesus manifeste.* Subobscure enim dixerat, *dormit :* ait ergo manifeste, *Lazarus mortuus est : et gaudeo propter vos, ut credatis ; quia non eram ibi.* Et scio quia mortuus est, et non ibi eram : æger enim, non mortuus, fuerat nuntiatus. Sed quid lateret eum qui creaverat, et ad cujus manus anima morientis exierat ? Hoc est quod ait, *Gaudeo propter vos, ut credatis ; quia non ibi eram :* ut jam inciperent admirari, quia Dominus potuit dicere mortuum, quod nec viderat nec audierat. Ubi sane meminisse debemus quod adhuc etiam ipsorum discipulorum qui in eum jam crediderant, miraculis ædificabatur fides : non ut ea quæ non erat, esse inciperet, sed ut ea quæ jam esse cœperat, cresceret ; quamvis tali verbo usus sit, quasi tunc credere inciperent. Non enim ait, *Gaudeo propter vos*, ut fides vestra augeatur, sive firmetur ; sed ait, *ut credatis :* quod intelligendum est, ut amplius robustiusque credatis.

12. *Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos, et moriamur cum illo. Venit itaque Jesus, et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem.* De quatuor diebus multa quidem dici possunt, sicut se habent obscura Scripturarum, quæ pro diversitate intelligentium, multos sensus pariunt. Dicamus et nos quid nobis videatur significare mortuus quatriduanus. Quomodo enim in illo cæco intelligimus quodammodo humanum genus, sic forte et in isto mortuo multos intellecturi sumus : diversis enim modis una res significari potest. Homo quando nascitur, jam cum morte nascitur ; quia de Adam peccatum trahit. Unde dicit Apostolus : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors ; et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom.* V, 12). Ecce habes unum diem mortis, quod homo trahit de mortis propagine. Deinde crescit, incipit accedere ad rationales annos, ut legem sapiat naturalem, quam omnes habent in corde fixam : Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. Numquid hoc de paginis discitur [1], et non in natura ipsa quodammodo legitur ? Furtum vis pati ? Utique non vis. Ecce lex in corde tuo : Quod non vis pati, facere noli. Et hanc legem transgrediuntur homines : ecce alter dies mortis. Data est Lex etiam divinitus per famulum Dei Moysen : dictum est illic, *Non occides ; Non mœchaberis ; Non falsum testimonium dices ; Honora patrem et matrem ; Non concupisces rem proximi tui ; Non concupisces uxorem proximi tui* (*Exod.* XX, 12-17). Ecce

[1] In Mss. per *b* scribitur *obtionibus :* corrupte ; nam optiones Varro Isidorus aliique putant ab optando dictos, qui nimirum electi essent decurionum administri et adjutores in re militari. Iique variis præterea muniis præficiebantur : unde sunt optiones fabricæ, et officii sive carceris, quo postremo significatu hic nominantur ; necnon in Comment. super Ephes. cap. 4, inter Ambrosii opera, his verbis : « Neque Paulus et Silas tempus distulerunt, quo optionem « carceris baptizarent. »

[2] Sic plures Mss. At editi, *tamdiu sunt ;* et paulo infra, *alii recenti tempore*, omisso *nec ;* pro quo aliquot Mss. habent, *in*.

[1] Juxta Er. Lugd. et Ven.: *Numquid hoc de Paganis dicitur.* M.

Lex scripta est, et ipsa contemnitur : ecce tertius dies mortis. Quid restat? Venit et Evangelium, prædicatur regnum cœlorum, diffamatur ubique Christus, minatur gehennam, vitam promittit æternam, et ipsa contemnitur. Transgrediuntur homines Evangelium : ecce quartus dies mortis. Merito jam putet. Numquid et talibus est neganda misericordia? Absit : etiam ad tales Dominus excitandos non dedignatur accedere.

13. *Multi autem ex Judæis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Martha ergo ut audivit quia Jesus venit, occurrit illi : Maria autem domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus ; sed et nunc scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.* Non dixit. Sed et modo rogo te ut resuscites fratrem meum. Unde enim sciebat, si fratri ejus resurgere utile fuerit? Hoc tantum dixit, Scio quia potes, si vis facis : utrum enim facias, judicii tui est, non præsumptionis meæ. *Sed et nunc scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus.*

14. *Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus.* Hoc ambiguum fuit. Non enim ait, Modo resuscito fratrem tuum ; sed, *Resurget frater tuus. Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione, in novissima die.* De illa resurrectione secura sum, de hac incerta sum. *Dicit ei Jesus : Ego sum resurrectio.* Dicis, Resurget frater meus in novissima die : verum est; sed per quem tunc resurget, potest et modo, quia *Ego sum*, inquit, *resurrectio et vita.* Audite, fratres, audite quid dicat. Certe tota exspectatio erat circumstantium ut revivisceret Lazarus, unus mortuus quatriduanus : audiamus, et resurgamus. Quam multi sunt in hoc populo, quos premit consuetudinis moles! Forte audiunt me quidam, quibus dicitur, *Nolite inebriari vino in quo est luxuria* (*Ephes.* v, 18) : dicunt, Non possumus. Forte audiunt me aliqui immundi, lasciviis et flagitiis inquinati, quibus dicitur, Nolite hoc facere, ne pereatis : et respondent, Non possumus tolli a consuetudine nostra. O Domine, istos resuscita. *Ego sum*, inquit, *resurrectio et vita.* Ideo resurrectio, quia vita.

15. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet : et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.* Quid est hoc? *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit*, sicut Lazarus mortuus est, *vivet ;* quia non est Deus mortuorum, sed vivorum. De olim mortuis patribus, hoc est de Abraham, et Isaac, et Jacob, tale responsum Judæis dedit : *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, non est Deus mortuorum, sed vivorum : omnes enim illi vivunt* (*Matth.* XXII, 32, *et Luc.* XX, 37, 38). Crede ergo; et si mortuus fueris, vives : si autem non credis; et cum vivis, mortuus es. Probemus et hoc, quia si non credis, etsi vivis, mortuus es. Cuidam Dominus differenti sequi eum, et dicenti, *Eam prius sepelire patrem meum : Sine*, inquit, *mortuos sepelire mortuos suos; tu veni, sequere me* (*Matth.* VIII, 21, 22). Erat ibi mortuus sepeliendus, erant ibi et mortui mortuum sepulturi : ille mortuus in carne, illi in anima. Unde mors in anima? Quia non est fides. Unde mors in corpore? Quia non est ibi anima. Ergo animæ tuæ anima fides est. *Qui credit in me*, inquit, *etiamsi mortuus fuerit* in carne, *vivet* in anima ; donec resurgat et caro nunquam postea moritura. Hoc est, *Qui credit in me*, licet moriatur, *vivet. Et omnis qui vivit* in carne *et credit in me*, etsi morietur ad tempus propter mortem carnis, *non morietur in æternum* propter vitam spiritus, et immortalitatem resurrectionis. Hoc est quod ait, *Et omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi : Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei, qui in mundum venisti.* Quando hoc credidi, credidi quia tu es resurrectio, credidi quia tu es vita; credidi quia qui credit in te, etsi moriatur, vivet; et qui vivit et credit in te, non morietur in æternum.

16. *Et cum hæc dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te.* Advertendum est quemadmodum suppressam vocem silentium nuncupavit. Nam quomodo siluit, quæ dixit, *Magister adest, et vocat te?* Advertendum etiam quemadmodum Evangelista non dixerit ubi vel quando vel quomodo Mariam Dominus vocaverit, ut hoc in verbis Marthæ potius intelligeretur, narrationis brevitate servata.

17. *Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum. Nondum enim venerat Jesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha. Judæi igitur qui erant cum illa in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam dicentes : quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.* Quare pertinuit hoc ad Evangelistam narrare? Ut videamus quæ occasio fecerit ut plures ibi essent quando Lazarus resuscitatus est. Putantes enim Judæi propterea illam festinare, ut doloris sui solatium lacrymis quæreret, secuti sunt eam; ut tam grande miraculum quatriduani mortui resurgentis, testes plurimos inveniret.

18. *Maria autem cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dixit ei : Domine, si fuisses hic, frater meus non esset mortuus. Jesus ergo ut vidit eam plorantem, et Judæos qui cum illa erant plorantes, fremuit spiritu, et turbavit semetipsum, et dixit : Ubi posuistis eum?* Nescio quid nobis insinuavit fremendo spiritu, et turbando seipsum. Quis enim eum posset, nisi se ipse, turbare? Itaque, fratres mei, primo hic attendite potestatem, et sic inquirite significationem. Turbaris tu nolens; turbatus est Christus, quia voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit; dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit; contristatus est Jesus, verum est, sed quia voluit; mortuus est Jesus, verum est, sed quia voluit : in illius potestate erat sic vel sic affici, vel non affici. Verbum enim animam suscepit et carnem, totius hominis sibi coaptans in personæ unitate naturam. Nam et anima Apostoli Verbo illustrata est, anima Petri Verbo illustrata est, anima Pauli, aliorum Apostolorum, sanctorum Prophetarum Verbo illustratæ sunt animæ : sed de nulla dictum est, *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14); de nulla dictum est, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30). Anima et

caro Christi cum Verbo Dei una persona est, unus Christus est. Ac per hoc ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas[1] : hoc est, *turbavit semetipsum.*

19. Dixi potestatem, attendite significationem. Magnus reus est, quem mortis quatriduum et illa significat sepultura. Quid est ergo quod turbat semetipsum Christus, nisi ut significet tibi quomodo turbari tu debeas, cum tanta mole peccati gravaris et premeris? Attendisti enim te, vidisti te reum, computasti tibi : Illud feci, et pepercit mihi Deus; illud commisi, et distulit me; Evangelium audivi, et contempsi; baptizatus sum, et iterum ad eadem revolutus sum : quid facio? quo eo? unde evado? Quando ista dicis, jam fremit Christus; quia fides fremit. In voce frementis apparet spes resurgentis. Si[2] ipsa fides intus, ibi est Christus fremens : si fides in nobis, Christus in nobis. Quid enim aliud ait Apostolus : *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (*Ephes.* III, 17)? Ergo fides tua de Christo, Christus est in corde tuo. Hinc est illud quod dormiebat in navi : et cum periclitarentur discipuli, jam imminente naufragio accesserunt ad eum, et excitaverunt eum : surrexit Christus, imperavit ventis et fluctibus, et facta est tranquillitas magna (*Matth.* VIII, 24-26). Sic et tu : intrant venti cor tuum, utique ubi navigas, ubi hanc vitam tanquam procellosum et periculosum pelagus transis; intrant venti, movent fluctus, turbant navim. Qui sunt venti? Audisti convicium, irasceris; convicium ventus est, iracundia fluctus est : periclitaris, disponis respondere, disponis maledictum maledicto reddere, jam navis propinquat naufragio; excita Christum dormientem. Ideo enim fluctuas, et mala pro malis reddere præparas, quia Christus dormit in navi. In corde enim tuo somnus Christi, oblivio fidei. Nam si excites Christum, id est recolas fidem, quid tibi dicit tanquam vigilans Christus in corde tuo? Ego audivi, *Dæmonium habes* (*Joan.* VII, 20), et pro eis oravi : audit Dominus, et patitur; audit servus, et indignatur! Sed vindicari vis. Quid enim? ego jam sum vindicatus? Cum tibi hæc loquitur fides tua, quasi imperatur ventis et fluctibus, et fit tranquillitas magna. Quomodo ergo hoc est excitare Christum in navi, excitare fidem; sic in corde hominis quem premit magna moles et consuetudo peccati, in corde hominis transgressoris etiam sancti Evangelii, contemptoris pœnarum æternarum, fremat Christus, increpet se homo. Audi adhuc : flevit Christus, fleat se homo. Quare enim flevit Christus, nisi quia flere hominem docuit? Quare fremuit et turbavit semetipsum, nisi quia fides hominis sibi merito displicentis fremere quodammodo debet in accusatione malorum operum, ut violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi?

20. *Et dixit : Ubi posuistis eum?* Scisti quia mortuus sit, et ubi sit sepultus ignoras? Et ista significatio est, quia sic perditum hominem quasi nescit Deus. Non ausus sum dicere, Nescit : quid enim ille nescit? Sed quasi nescit. Unde hoc probamus? Dominum audi dicturum in judicio, *Non novi vos; discedite a me* (*Matth.* VII, 23). Quid est, *Non novi vos?* Non vos video in luce mea, non vos video in illa justitia quam novi. Sic et hic tanquam nesciens talem peccatorem, dixit, *Ubi posuistis eum?* Talis est vox Dei in paradiso posteaquam homo peccavit, *Adam, ubi es* (*Gen.* III, 9)? *Dicunt ei : Domine, veni, et vide.* Quid est, *vide?* Miserere. Videt enim Dominus, quando miseretur. Unde illi dicitur, *Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea* (*Psal.* XXIV 18).

21. *Lacrymatus est Jesus. Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum.* Quid est, *amabat eum? Non veni vocare justos, sed peccatores in pœnitentiam* (*Matth.* IX, 13). *Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere ut et hic non moreretur?* Qui noluit facere ut non moreretur, plus est quod facturus est, ut mortuus suscitetur.

22. *Jesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum.* Fremat et in te, si disponis reviviscere. Omni homini dicitur, qui premitur pessima consuetudine : *Venit ad monumentum. Erat autem spelunca, et lapis superpositus erat ei.* Mortuus sub lapide, reus sub lege. Scitis enim quia Lex quæ data est Judæis, in lapide scripta est (*Exod.* XXXI, 18). Omnes autem rei sub lege sunt : bene viventes cum lege sunt. Justo lex posita non est (I *Tim.* I, 9). Quid est ergo, *Lapidem removete?* Gratiam prædicate. Apostolus enim Paulus ministrum se dicit Novi Testamenti, non litteræ, sed spiritus[1] : *nam littera*, inquit, *occidit, spiritus vivificat* (II *Cor.* III, 6). Littera occidens, quasi lapis est premens. *Removete*, inquit, *lapidem.* Removete Legis pondus; gratiam prædicate. *Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia. Sed conclusit omnia Scriptura sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus* (*Galat.* III, 21 *et* 22). Ergo *removete lapidem.*

23. *Dicit ei Martha, soror ejus qui mortuus fuerat : Domine, jam fetet; quatriduanus enim est. Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?* Quid est, *videbis gloriam Dei?* Quia et putentem et quatriduanum resuscitat. *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23) : et, *Ubi abundavit peccatum, superabundavit et gratia* (*Id.* V, 20).

24. *Tulerunt ergo lapidem. Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit : Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me : ego autem sciebam quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, magna voce clamavit.* Fremuit, lacrymavit, voce magna clamavit. Quam difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit! Sed tamen surgit : occulta gratia intus vivificatur; surgit post vocem magnam. Quid est factum? *Voce magna clamavit : Lazare, veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus et pedes institis[2]; et facies illius sudario erat ligata.* Quomodo processit li-

[1] In uno Ms. et apud Alcuinum, *turbatur infirmitas.*
[2] Particula, *si*, abest a Mss. plerisque.

[1] Editi, *non littera, sed spiritu.* At Mss., *non litteræ, sed spiritus*, genitivo casu, juxta græcum, *ou grammatos, allà pneumatos.*
[2] Abest a Mss., *institis.*

gatis pedibus miraris, et non miraris quia surrexit quatriduanus? In utroque potentia Domini erat, non vires mortui. Processit, et adhuc ligatus est: adhuc involutus, tamen jam foras processit. Quid significat? Quando contemnis, mortuus jaces; et si tanta quanta dixi contemnis, sepultus jaces: quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere, nisi ab occultis velut exeundo manifestari? Sed ut confitearis, Deus facit magna voce clamando, id est, magna gratia vocando. Ideo cùm processisset mortuus adhuc ligatus, confitens et adhuc reus; ut solverentur peccata ejus, ministris hoc dixit Dominus: *Solvite illum, et sinite abire.* Quid est, *Solvite, et sinite abire?* Quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo (*Matth.* XVI, 19).

25. *Multi ergo ex Judæis qui venerant ad Mariam et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum: quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus.* Non omnes ex Judæis qui convenerant ad Mariam, crediderunt, sed tamen multi. *Quidam vero ex eis*, sive ex Judæis qui convenerant, sive ex eis qui crediderant, *abierunt ad Pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus:* sive annuntiando, ut et ipsi crederent; sive potius prodendo, ut sævirent. Sed quomodolibet et a quibuslibet, ad Pharisæos ista perlata sunt.

26. *Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant: Quid facimus?* Nec tamen dicebant, Credamus. Plus enim perditi homines cogitabant quomodo nocerent ut perderent, quam quomodo sibi consulerent ne perirent: et tamen timebant, et quasi consulebant. *Dicebant* enim: *Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani, et tollent nostrum locum et gentem.* Temporalia perdere timuerunt, et vitam æternam non cogitaverunt; ac sic utrumque amiserunt. Nam et Romani post Domini passionem et glorificationem, tulerunt eis et locum et gentem, expugnando et transferendo: et illud eos sequitur quod alibi dictum est, *Filii autem regni hujus ibunt in tenebras exteriores* (*Id.* VIII, 12). Hoc autem timuerunt, ne si omnes in Christum crederent, nemo remaneret qui adversus Romanos civitatem Dei templumque defenderet; quoniam contra ipsum templum, et contra suas paternas leges doctrinam Christi esse sentiebant.

27. *Unus autem ex ipsis Caiphas, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit nobis* [1] *ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit.* Hic docemur etiam per homines malos prophetiæ Spiritum futura prædicere: quod tamen Evangelista divino tribuit sacramento, quia pontifex fuit, id est, summus sacerdos. Potest autem movere quomodo dicatur pontifex anni illius, cum Deus unum constituerit summum sacerdotem, cui mortuo unus succederet. Sed intelligendum est, per ambitiones et contentiones inter Judæos postea constitutum ut plures essent, et per annos singulos vicibus ministrarent. Nam et de Zacharia hoc dicitur: *Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum, secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut incensum poneret, ingressus in templum Domini* (*Luc.* I, 8, 9). Hinc apparet plures eos fuisse, et vices suas habuisse: nam incensum non licebat ponere nisi summo sacerdoti (*Exod.* XXX, 7). Et forte etiam unum annum plures administrabant, quibus alio anno alii succedebant, ex quibus sorte exibat quis, ut incensum poneret. Quid est ergo quod prophetavit Caiphas? *Quia Jesus moriturus erat pro gente; et non tantum pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.* Hoc Evangelista addidit: nam Caiphas de sola gente Judæorum prophetavit, in qua erant oves de quibus ait ipse Dominus, *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* XV, 24). Sed noverat Evangelista esse alias oves, quæ non erant de hoc ovili, quas oportebat adduci, ut esset unum ovile et unus pastor (*Joan.* X, 16). Hæc autem secundum prædestinationem dicta sunt: nam neque oves ejus, nec filii Dei adhuc erant, qui nondum crediderant.

28. *Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. Jesus ergo jam non palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis.* Non quia potentia ejus defecerat, in qua utique si vellet, et palam Judæis conversaretur, et nihil ei facerent; sed in hominis infirmitate vivendi exemplum discipulis demonstrabat, in quo appareret non esse peccatum, si fideles ejus qui sunt membra ejus, oculis persequentium se subtraherent, et furorem sceleratorum latendo potius devitarent, quam se offerendo magis accenderent.

[1] Editi, *vobis*. Mss. vero, *nobis*; favente græco, *êmin*.

TRACTATUS L.

Ab eo loco, Proximum erat Pascha Judæorum; *usque ad id*, Multi propter illum abibant, et credebant in Jesum. *Cap.* XI, ℣℣. 55, 56, *et cap.* XII, ℣. 1-11.

1. Hesternam lectionem sancti Evangelii, de qua locuti sumus quod Dominus dedit, hodierna sequitur, de qua locuturi sumus quod Dominus dabit. Quædam in Scripturis tam manifesta sunt, ut potius auditorem quam expositorem desiderent: in eis nos immorari non oportet, ut necessariis in quibus immorandum est, tempus sufficiat.

2. *Proximum ergo erat Pascha Judæorum.* Illum diem festum Judæi cruentum habere Domini sanguine voluerunt. Illo die festo occisus est Agnus, qui nobis eumdem diem festum suo sanguine consecravit. Consilium erat inter Judæos de occidendo Jesu: ille qui de cœlo venerat pati, propinquare voluit loco passionis, quia imminebat hora passionis. *Ascenderunt ergo multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos.* Hoc faciebant Judæi secundum præceptum Domini, per sanctum Moysen in Lege mandatum, ut die festo quod Pascha erat, omnes undique convenirent, et illius diei celebratione sanctificarentur. Sed illa celebratio umbra erat futuri. Quia

est, umbra futuri? Prophetia Christi venturi, prophetia pro nobis illo die passuri : ut transiret umbra, et lux veniret; ut transiret significatio, et veritas teneretur. Habebant ergo Judæi Pascha in umbra, nos in luce. Quid enim opus erat ut eis Dominus præciperet per ipsum festum diem ovem occidere, nisi quia ille erat de quo prophetatum est, *Sicut ovis ad immolandum ductus est* (*Isai.* LIII, 7). Sanguine occisi pecoris Judæorum postes signati sunt; sanguine Christi frontes nostræ signantur. Et illa signatio, quia erat significatio, dicta est a domibus signatis exterminatorem prohibere (*Exod.* XII, 22, 23) : signum Christi a nobis repellit exterminatorem, si cor nostrum recipiat Salvatorem. Quare hoc dixi? Quia multi postes habent signatos, et intus non manet habitator : facile habent in fronte signum Christi, et corde non recipiunt verbum Christi. Ideo dixi, fratres, quod repeto, signum Christi a nobis repellit exterminatorem, si cor nostrum habeat Christum habitatorem. Hæc dixi, ne quis forte cogitaret quid sibi vellent ista festa Judæorum. Venit ergo Dominus tanquam ad victimam, ut verum Pascha nos haberemus, cum ejus passionem tanquam ovis immolationem celebraremus.

3. *Quærebant ergo Jesum :* sed male. Beati enim qui quærunt Jesum, sed bene. Illi quærebant Jesum, ut nec ipsi haberent eum, nec nos : sed ab ipsis abscedentem suscepimus nos. Reprehenduntur qui quærunt, laudantur qui quærunt : animus enim quærentis aut laudem invenit, aut damnationem. Habes enim et in Psalmis, *Confundantur et revereantur, qui quærunt animam meam* (*Psal.* XXXIX, 15) : isti sunt qui male quærebant. Alio autem loco dicit : *Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam* (*Psal.* CXLI, 5). Culpantur qui quærebant, culpantur qui non quærebant. Ergo quæramus Christum ut habeamus; quæramus ut teneamus, sed non ut occidamus : nam et illi ideo quærebant [1] ut tenerent, sed ut cito non haberent. *Quærebant ergo, et loquebantur inter se : Quid putatis, quia non venit ad diem festum?*

4. *Dederant autem pontifices et Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.* Nos indicemus modo Judæis, ubi sit Christus. Utinam velint audire et appprehendere quicumque sunt ex semine illorum, qui dederant mandatum ut indicaretur eis ubi esset Christus. Veniant ad Ecclesiam, audiant ubi sit Christus, et apprehendant eum. A nobis audiant, ex Evangelio audiant. Occisus est a parentibus eorum, sepultus est, resurrexit, a discipulis agnitus, ante oculos eorum ascendit in cœlum, ibi sedet ad dexteram Patris; qui judicatus est, venturus est judex : audiant, et teneant. Respondent : Quomodo tenebo absentem [2]; quomodo in cœlum manum mittam, ut ibi sedentem teneam? Fidem mitte, et tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne, tu tene corde : quoniam Christus absens etiam præsens est. Nisi præsens esset, a nobis ipsis teneri non posset. Sed quoniam verum est, quod ait, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20); et abiit, et hic est; et rediit, et nos non deserit : corpus enim suum intulit cœlo, majestatem non abstulit mundo.

[1] Sic Mss. At editi, *non ideo quærebant.*
[2] Editi : *Quem tenebo absentem?* Aliquot Mss.: *Quomodo tenebo?*

5. *Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi fuerat Lazarus mortuus, quem suscitavit Jesus. Fecerunt autem ei ibi cœnam, et Martha ministrabat : Lazarus vero unus erat ex discumbentibus.* Ne putarent homines phantasma esse factum, quia mortuus resurrexit, unus erat ex recumbentibus; vivebat, loquebatur, epulabatur : veritas ostendebatur, infidelitas Judæorum confundebatur. Discumbebat ergo Dominus cum Lazaro et cæteris, ministrabat Martha una ex sororibus Lazari.

6. *Maria* vero, altera soror Lazari, *accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, unxit pedes Jesu, et extersit capillis suis pedes ejus, et domus impleta est ex odore unguenti.* Factum audivimus, mysterium requiramus. Quæcumque anima fidelis vis esse, cum Maria unge pedes Domini pretioso unguento. Unguentum illud justitia fuit, ideo libra fuit : erat autem unguentum nardi pistici pretiosi. Quod ait, *pistici*, locum aliquem credere debemus, unde hoc erat unguentum pretiosum : nec tamen hoc vacat, et sacramento optime consonat. Πίστις græce, fides dicitur. Quærebas operari justitiam : justus ex fide vivit (*Rom.* I, 17). Unge pedes Jesu : bene vivendo dominica sectare vestigia. Capillis terge : si habes superflua, da pauperibus, et Domini pedes tersisti; capilli enim superflua corporis videntur. Habes quod agas de superfluis tuis : tibi superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria. Forte in terra Domini pedes indigent. De quibus enim nisi de membris suis in fine dicturus est, *Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40)? Superflua vestra impendistis, sed pedibus meis obsecuti estis.

7. *Domus* autem *impleta est odore;* mundus impletus est fama bona : nam odor bonus, fama bona est. Qui male vivunt et christiani vocantur, injuriam Christo faciunt : de qualibus dictum est quod per eos *nomen Domini blasphematur* (*Rom.* II, 24). Si per tales nomen Dei blasphematur, per bonos nomen Domini laudatur. Audi Apostolum : *Christi bonus odor sumus*, inquit, *in omni loco.* Dicitur et in Canticis canticorum. *Unguentum effusum nomen tuum* (*Cant.* I, 2). Ad Apostolum revoca intentionem : *Christi*, inquit, *bonus odor sumus in omni loco, et in his qui salvi fiunt, et in his qui pereunt; aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem : et ad hæc quis idoneus* (II *Cor.* II, 14-16)? Occasionem nobis præbet præsens lectio sancti Evangelii de odore isto ita loqui, ut et a nobis sufficienter dicatur, et a vobis diligenter audiatur, Apostolo ipso ita dicente, *Et ad hæc quis idoneus?* Ergo ut inde nos conemur loqui, numquid idonei sumus, aut vos audire hæc idonei estis? Nos quidem idonei non sumus; sed idoneus est ille qui per nos dignetur [1] dicere quod vobis prosit audire. Ecce Apo-

[1] In quatuor Mss., *dignatur.*

stolus *bonus odor* est, sicut dicit ipse : sed ipse bonus odor *aliis* est *odor vitæ in vitam, aliis autem odor mortis in mortem;* tamen bonus odor. Numquid enim ait, Aliis sumus bonus odor ad vitam, aliis malus odor ad mortem? Bonum odorem se dixit, non malum; et eumdem bonum odorem aliis ad vitam dixit, aliis ad mortem. Felices qui bono odore vivunt : quid autem infelicius illis qui bono odore moriuntur?

8. Et quis est, ait aliquis, quem bonus odor occidit? Hoc est quod ait Apostolus, *Et ad hæc quis idoneus?* Quomodo ea facit Deus miris modis, ut bono odore et boni vivant, et mali moriantur; quomodo sit, quantum Dominus inspirare dignatur [1] (nam fortasse ibi lateat [2] altior intellectus, qui a me non potest penetrari); tamen quo usque penetrare potui, vobis non debet denegari. Paulum apostolum bene agentem, bene viventem, justitiam verbo prædicantem, opere demonstrantem, doctorem mirabilem, fidelem dispensatorem, fama usquequaque disseminabat : quidam diligebant, quidam invidebant. Nam ipse quodam loco ait de quibusdam, quod non caste, sed per invidiam Christum annuntiarent; *existimantes*, inquit, *tribulationem suscitare vinculis meis.* Sed quid ait? *Sive occasione, sive veritate Christus annuntietur* (*Philipp.* I, 17, 18). Annuntiant qui me amant, annuntiant qui mihi invident; illi bono odore vivunt, et illi bono odore moriuntur : tamen utrisque prædicantibus nomen Christi annuntietur, odore optimo mundus impleatur. Amasti bene agentem, vixisti bono odore : invidisti bene agenti, mortuus es bono odore. Numquid quia mori voluisti, ideo odorem illum malum esse fecisti? Noli invidere, et non te occidet bonus odor.

9. Denique audi et hic ex unguento isto, quomodo aliis erat odor bonus in vitam, aliis odor bonus in mortem. Posteaquam hoc fecit religiosa Maria ad Domini obsequium, continuo *unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui eum erat traditurus, dixit : Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis?* Væ tibi, miser! bonus odor occidit te. Quare enim hoc dixerit, Evangelista sanctus aperuit. Putaremus autem et nos, si mens ipsius nobis per Evangelium non proderetur, pauperum cura hoc illum dicere potuisse. Non ita est. Sed quid? Audi testem veracem : *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad illum; sed quia fur erat, et loculos habens, et ea quæ mittebantur portabat.* Portabat, an exportabat? Sed ministerio portabat, furto exportabat (*a*).

10. Ecce audite quia Judas iste non tunc perversus factus est, quando a Judæis corruptus Dominum tradidit. Plerique enim incuriosi Evangelii, existimant tunc periisse Judam, quando accepit a Judæis pecuniam ut Dominum traderet. Non tunc periit, jam fur erat, et Dominum perditus sequebatur; quia non corde, sed corpore sequebatur. Duodenarium numerum Apostolorum implebat, apostolicam beatitudinem non habebat, ad imaginem fuerat duodecimus : quo decedente, et alio succedente, et suppleta est apostolica veritas, et numeri permansit integritas (*Act.* I, 26). Quid ergo voluit Dominus noster Jesus Christus, fratres mei, admonere Ecclesiam suam, quando unum perditum inter duodecim habere voluit, nisi ut malos toleremus, nec corpus Christi dividamus? Ecce inter sanctos est Judas, ecce fur est Judas, et, ne contemnas, fur et sacrilegus, non qualiscumque fur : fur loculorum, sed dominicorum; loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro, qualiscumque furti et peculatus; peculatus enim dicitur furtum de re publica; et non sic judicatur furtum rei privatæ quomodo publicæ : quanto vehementius judicandus est fur sacrilegus, qui ausus fuerit non undecumque tollere, sed de Ecclesia tollere? Qui aliquid de Ecclesia furatur, Judæ perdito comparatur. Talis erat iste Judas, et tamen cum sanctis discipulis undecim intrabat et exibat. Ad ipsam dominicam cœnam pariter accessit : conversari cum eis potuit, eos inquinare non potuit. De uno pane et Petrus et Judas accepit, et tamen quæ pars fideli cum infideli? Petrus enim accepit ad vitam, Judas ad mortem. Quomodo enim ille odor bonus, sic ille cibus bonus. Sicut ergo odor bonus, ita et cibus bonus, bonos vivificat, malos mortificat. *Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (I *Cor.* XI, 29) : *judicium sibi*, non tibi. Si judicium sibi, non tibi; tolera malum bonus, ut venias ad præmia bonorum, ne mittaris in pœnam malorum.

11. Exemplum Domini accipite conversantis in terra. Quare habuit loculos cui Angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat? Quare furem admisit, nisi ut ejus Ecclesia fures patienter toleret? Sed ille qui consueverat de loculis pecuniam tollere, non dubitavit accepta pecunia ipsum Dominum vendere. Videamus quid ad ista Dominus respondeat. Videte, fratres : non illi ait, Propter furta tua dicis ista. Furem noverat, nec prodebat; sed potius tolerabat, et ad perferendos malos in Ecclesia nobis exemplum patientiæ demonstrabat. *Dixit ergo ei Jesus : Sine illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud.* Moriturum se denuntiavit.

12. Sed quid est quod sequitur? *Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Intelligimus quidem, *Pauperes semper habebitis:* quod dixit, verum est. Quando Ecclesia sine pauperibus? *Me autem non semper habebitis*, quid sibi vult? Quomodo intelligendum est, *Me autem non semper habebitis?* Nolite expavescere; Judæ dictum est. Quare ergo non dixit, habebis; sed, *habebitis?* Quia non unus est Judas. Unus malus corpus malorum significat; quomodo Petrus corpus bonorum, imo corpus Ecclesiæ, sed in bonis [1]. Nam si in Petro non esset

[2] Hic in editis additur, *ostendam;* quod abest a Mss.
[1] *Latet*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. M.
(*a*) Epist. 108, c. 3, n. 8.

[1] Quinque probæ notæ Mss., *corpus bonorum, corpus Ecclesiæ, imo corpus Ecclesiam, sed in bonis.* Favent alii duo qui habent : *Corpus Ecclesiæ, imo corpus Ecclesia, sed,* etc. Bad. et Am., *corpus Ecclesiæ, imo corpus Ecclesiæ, sed in bonis.*

Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret Dominus, *Tibi dabo claves regni cœlorum : quæcumque solveris in terra, soluta erunt et in cœlo ; et quæcumque ligaveris in terra, ligata erunt et in cœlo* (*Matth.* XVI, 19). Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem et in Ecclesia fit, ut quæ in terra ligantur, in cœlo ligentur, et quæ solvuntur in terra, solvantur in cœlo : quia cum excommunicat Ecclesia, in cœlo ligatur excommunicatus; cum reconciliatur ab Ecclesia, in cœlo solvitur reconciliatus : si hoc ergo in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit. Si in Petri persona significati sunt in Ecclesia boni, in Judæ persona significati sunt in Ecclesia mali; ipsis dictum est, *Me autem non semper habebitis.* Quid est enim, *non semper?* Et quid est, semper? Si bonus es, si ad corpus pertines, quod significat Petrus; habes Christum et in præsenti et in futuro : in præsenti per fidem, in præsenti per signum, in præsenti per Baptismatis sacramentum, in præsenti per altaris cibum et potum. Habes Christum in præsenti, sed habebis semper; quia cum hinc exieris, ad illum venies qui dixit latroni, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43). Si autem male versaris, videris habere in præsenti Christum, quia intras Ecclesiam, signas te signo Christi, baptizaris baptismo Christi, misces te membris Christi, accedis ad altare Christi : in præsenti habes Christum, sed male vivendo non semper habebis.

13. Potest et sic intelligi : *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Accipiant hoc et boni, sed non sint solliciti : loquebatur enim de præsentia corporis sui. Nam secundum majestatem suam, secundum providentiam, secundum ineffabilem et invisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est, *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Secundum carnem vero quam Verbum assumpsit, secundum id quod de Virgine natus est, secundum id quod a Judæis prehensus est, quod ligno confixus, quod de cruce depositus, quod linteis involutus, quod in sepulcro conditus, quod in resurrectione manifestatus, *non semper habebitis vobiscum.* Quare? Quoniam conversatus est secundum corporis præsentiam quadraginta diebus cum discipulis suis, et eis deducentibus videndo non sequendo, ascendit in cœlum (*Act.* I, 3, 9, 10), et non est hic. Ibi est enim, sedet ad dexteram Patris : et hic est, non enim recessit præsentia majestatis. Aliter : secundum præsentiam majestatis semper habemus Christum; secundum præsentiam carnis, recte dictum est discipulis, *Me autem non semper habebitis.* Habuit enim illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus : modo fide tenet, oculis non videt. Ergo sive ita dictum est, *Me autem non semper habebitis*, quæstio sicut arbitror jam nulla est, quæ duobus modis soluta est.

14. Cætera quæ pauca remanent, audiamus : *Cognovit ergo turba multa ex Judæis quia illic est; et venerunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit Jesus a mortuis.* Curiositas eos adduxit, non charitas : venerunt, et viderunt. Audite mirabile consilium vanitatis. Viso Lazaro resuscitato, quia tantum miraculum Domini tanta erat evidentia diffamatum, tanta manifestatione declaratum, ut non possent vel occultare quod factum est, vel negare, quid invenerunt videte. *Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent; quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum.* O stulta cogitatio, et cæca sævitia! Dominus Christus qui suscitare potuit mortuum, non posset occisum? Quando Lazaro inferebatis necem, numquid auferebatis Domino potestatem? Si aliud vobis videtur mortuus, aliud occisus; ecce Dominus utrumque fecit, et Lazarum mortuum, et seipsum suscitavit occisum.

TRACTATUS LI.

Ab eo quod scriptum est, In crastinum autem turba multa quæ venerat ad diem festum, *etc.*, *usque ad id*, Si quis mihi ministraverit, honorificabit illum Pater meus. *Cap.* XII, ỹ. 12-26.

1. Posteaquam Dominus quatriduanum mortuum suscitavit, stupentibus Judæis, et aliis eorum videndo credentibus, aliis invidendo pereuntibus, propter odorem bonum, qui est aliis ad vitam, aliis ad mortem (II *Cor.* II, 15); posteaquam discubuit in domo cum recumbente Lazaro, qui fuerat mortuus suscitatus, post unguentum effusum super pedes ejus, unde domus odore completa est; posteaquam vanam sævitiam, et stultissimum et dementissimum scelus Judæi etiam de occidendo Lazaro corde perdito conceperunt; de quibus omnibus ut potuimus, quod Dominus dedit, superioribus sermonibus locuti sumus : nunc intendat Charitas vestra, ante Domini passionem quantus fructus apparuerit prædicationis ejus, et quantus grex ovium ex his quæ perierant domus Israel, vocem pastoris audierit.

2. Sic enim loquitur Evangelium, quod modo cum recitaretur, audistis : *In crastinum autem turba multa quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam, acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant, Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel.* Rami palmarum laudes sunt, significantes victoriam; quia erat Dominus mortem moriendo superaturus, et tropæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus. Vox autem obsecrantis est, Hosanna, sicut nonnulli dicunt qui hebræam linguam noverunt, magis affectum indicans, quam rem aliquam significans : sicut sunt in lingua latina quas interjectiones vocant, velut cum dolentes dicimus, Heu! vel cum delectamur, Vah! dicimus; vel cum miramur, dicimus, O rem magnam! tunc enim, O, nihil significat, nisi mirantis affectum. Quod ideo credendum est ita esse, quia neque Græcus, neque Latinus hoc interpretari potuit : sicut illud, *Qui dixerit fratri suo, Racha* (*Matth.* V, 22). Nam et hæc interjectio esse perhibetur, affectum indignantis ostendens.

3. *Benedictus* autem *qui venit in nomine Domini,*

rex Israel, sic potius accipiendum est, ut in nomine Domini, in nomine Dei Patris intelligatur : quamvis possit intelligi etiam in nomine suo, quia et ipse Dominus est. Unde et alibi scriptum est, *Pluit Dominus a Domino* (*Gen* XIX, 24). Sed verba ejus melius nostrum dirigunt intellectum, qui ait : *Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me : alius veniet in nomine suo, hunc suscipietis* (*Joan.* V, 43). Humilitatis enim magister est Christus, qui humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philipp.* II, 8). Non itaque amittit divinitatem, quando nos docet humilitatem : in illa est Patri æqualis, in hac nobis similis : per quod Patri est æqualis, nos ut essemus creavit ; per quod nobis est similis, ne periremus redemit.

4. Has ei laudes turba dicebat, *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel*. Quam crucem mentis invidentia principum Judæorum perpeti poterat, quando regem suum Christum tanta multitudo clamabat? Sed quid fuit Domino regem esse Israel ? Quid magnum fuit regi sæculorum, regem fieri hominum? Non enim rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos : sed rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantesque perducat. Dei ergo Filius æqualis Patri, Verbum per quod facta sunt omnia, quod rex esse voluit Israel, dignatio est, non promotio; miserationis indicium est, non potestatis augmentum [1]. Qui enim appellatus est in terra rex Judæorum, in cœlis est Dominus Angelorum.

5. *Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum*. Hic breviter dictum est : nam quemadmodum sit factum, apud alios evangelistas plenissime legitur (*Matth.* XXI, 1-16 ; *Marc.* XI, 1-11, *et Luc.* XIX, 29-48). Adhibetur autem huic facto propheticum testimonium, ut appareret quod maligni principes Judæorum eum non intelligebant, in quo implebantur quæ legebant. *Invenit* ergo *Jesus asellum, et sedit super eum : sicut scriptum est, Noli timere, filia Sion : ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ*. In illo ergo populo erat filia Sion : ipsa est Jerusalem quæ Sion. In illo, inquam, populo reprobo et cæco, erat tamen filia Sion, cui diceretur, *Noli timere : ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ*. Hæc filia Sion cui divinitus ista dicuntur, in illis erat ovibus quæ vocem pastoris audiebant ; in illa erat multitudine quæ Dominum venientem tanta devotione laudabat, tanto agmine deducebat. Ei dictum est, *Noli timere* : illum agnosce qui a te laudatur, et noli trepidare cum patitur ; quia ille sanguis funditur, per quem tuum delictum deleatur, et vita reddatur. Sed pullum asinæ in quo nemo sederat (hoc enim apud alios evangelistas invenitur) intelligimus populum Gentium, qui Legem Domini non acceperat. Asinam vero (quia utrumque jumentum Domino adductum est) plebem ejus quæ veniebat ex populo Israel, non indomitam plane, sed quæ præsepe Domini agnovit.

6. *Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum : sed quando glorificatus est Jesus*, id est, quando virtutem suæ resurrectionis ostendit : *tunc recordati sunt quia hæc scripta erant de eo, et hæc fecerunt ei*, id est, non alia fecerunt ei, quam illa quæ erant scripta de eo. Recolentes quippe secundum Scripturam, quæ ante passionem Domini, vel in passione Domini completa sunt, ibi et hoc invenerunt quod secundum eloquia Prophetarum in pullo asinæ sederit.

7. *Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. Propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos : Videtis quia nihil proficimus ? ecce mundus totus post eum abiit*. Turba turbavit turbam. Quid autem invides, cæca turba, quia post eum abit mundus, per quem factus est mundus?

8. « Erant autem Gentiles quidam, ex iis qui ascenderant ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, et rogabant eum, dicentes : Domine, volumus Jesum videre. Venit Philippus, et dicit Andreæ : Andreas rursum et Philippus dicunt Jesu. » Audiamus quid Dominus ad ista responderit. Ecce volunt eum Judæi occidere, Gentiles videre : sed etiam illi ex Judæis erant qui clamabant, *Benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israel*. Ecce illi ex circumcisione, illi ex præputio, velut parietes duo de diverso venientes, et in unam fidem Christi pacis osculo concurrentes : audiamus ergo vocem lapidis angularis. *Jesus autem*, inquit, *respondit eis dicens : Venit hora ut glorificetur Filius hominis*. Hic quisquam forsitan putat ideo se dixisse glorificatum, quia Gentiles eum volebant videre. Non ita est. Sed videbat ipsos Gentiles post passionem et resurrectionem suam in omnibus gentibus credituros : quia, sicut dicit Apostolus, *Cæcitas ex parte in Israel* [1] *facta est donec plenitudo Gentium intraret* (*Rom.* XI, 25). Ex occasione igitur istorum Gentilium qui eum videre cupiebant, annuntiat futuram plenitudinem Gentium ; et promittit jam jamque adesse horam glorificationis suæ, qua facta in cœlis, Gentes fuerant credituræ. Unde prædictum est, *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua* (*Psal.* CVII, 6). Hæc est Gentium plenitudo, de qua dicit Apostolus, *Cæcitas ex parte in Israel facta est, donec plenitudo Gentium intraret*.

9. Sed altitudinem glorificationis oportuit ut præcederet humilitas passionis : ideo secutus adjunxit, *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Se autem dicebat. Ipsum erat granum mortificandum et multiplicandum . mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum.

10. Jamvero exhortans ad passionis suæ sectanda vestigia : *Qui amat*, inquit, *animam suam, perdet eam*. Quod duobus modis intelligi potest : *Qui amat*,

[1] Lov., *argumentum*. Editi alii et Mss , *augmentum*.

[1] Aliquot Mss., *ex parte Israel*, sine præpositione, *in* ; quæ et abest a græco textu Apostoli.

perdet, id est, Si amas, perde; si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo: *Qui amat animam suam, perdet eam*. Noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. Hoc autem quod posterius dixi, magis habere videtur evangelicus sensus: sequitur enim, *Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam*. Ergo quod supra dictum est, *Qui amat*, subintelligitur, in hoc mundo; ipse utique perdet: *qui autem odit*, utique in hoc mundo; in vitam æternam ipse custodiet. Magna et mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor ut pereat, odium ne pereat! Si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Sed vide ne tibi subrepat ut teipsum velis interimere, sic intelligendo quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi, et in seipsis crudeliores et sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis præfocant, præcipitio collidunt, et pereunt. Hoc Christus non docuit, imo etiam diabolo præcipitium suggerenti respondit: *Redi retro, satanas; scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Matth.* IV, 7). Petro autem dixit, significans qua morte glorificaturus erat Deum: *Cum esses junior, cingebas te, et ibas quo volebas; cum autem senueris, alter te cinget, et feret quo tu non vis* (*Joan.* XXI, 18, 19). Ubi satis expressit, non a seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi. Cum ergo causæ articulus venerit, ut hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum homo cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore; ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere: ibi oderit in hoc mundo animam suam, ut in vitam æternam custodiat eam.

11. *Si quis mihi ministrat, me sequatur*. Quid est, *me sequatur*; nisi, me imitetur? *Christus enim pro nobis passus est*, ait apostolus Petrus, *relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (I *Petr.* II, 21). Ecce quod dictum est, *Si quis mihi ministrat, me sequatur*. Quo fructu? qua mercede? quo præmio? *Et ubi sum*, inquit, *ego, illic et minister meus erit*. Gratis ametur, ut operis [1] quo ministratur illi, pretium sit esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo, aut quando esse male poterit cum illo? Audi evidentius. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*. Quo honore, nisi ut sit cum Filio ejus? Quod enim superius ait, *Ubi ego sum, illic et minister meus erit*; hoc intelligitur exposuisse cum dicit, *honorificabit eum Pater meus*. Nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quam ut sit ubi est Unicus; non æqualis factus divinitati, sed consociatus æternitati?

12. Quid sit autem ministrare Christo, cui operi merces tanta proponitur, hoc potius debemus inquirere. Si enim hoc putaverimus esse Christo ministrare, ea quæ sunt corpori necessaria præparare, aut cœnanti cibum coquere vel apponere, vel poculum dare potumque miscere; fecerunt hoc illi qui potuerunt eum in corpore habere præsentem, sicut Martha et Maria, quando et Lazarus unus erat ex recumbentibus. Sed eo modo Christo etiam Judas perditus ministravit; nam et loculos ipse habebat: et quamvis ex eis quæ mittebantur sceleratissime furaretur, per illum tamen etiam necessaria parabantur (*Joan.* XII, 2, 6). Hinc est illud quod cum ei diceret Dominus, *Quod facis, fac celeriter*; arbitrati sunt quidam, quod eum jusserit propter diem festum necessaria præparare, vel indigentibus aliquid dare (*Id.* XIII, 27, 29). Nullo modo igitur de hujuscemodi ministris diceret Dominus, *Ubi sum ego, ibi erit et minister meus*; et, *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*: quoniam Judam talia ministrantem, reprobatum potius quam honoratum videmus. Utquid ergo alibi quærimus quid sit ministrare Christo, et non potius in istis ipsis verbis agnoscimus? Cum enim dixit, *Si quis mihi ministrat, me sequatur*; hoc intelligi voluit, ac si diceret, Si quis me non sequitur, non mihi ministrat. Ministrant ergo Jesu Christo, qui non sua quærunt, sed quæ Jesu Christi (*Philipp.* II, 21). Hoc est enim, *me sequatur*, vias ambulet meas, non suas: sicut alibi scriptum est, *Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ambulavit ille, et ipse ambulare* (I *Joan.* II, 6). Debet etiam, si porrigit esurienti panem, de misericordia facere, non de jactantia; non aliud ibi quærere quam opus bonum, nesciente sinistra quid faciat dextera (*Matth.* VI, 3), id est, ut alienetur intentio cupiditatis ab opere charitatis. Qui sic ministrat, Christo ministrat; recteque illi dicetur, *Cum uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti* (*Id.* XXV, 40). Nec tantum ea quæ ad misericordiam pertinent corporalem, sed omnia bona opera propter Christum faciens (tunc erunt enim bona, quoniam *finis Legis Christus, ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4), minister est Christi usque ad illud opus magnæ charitatis, quod est animam suam pro fratribus ponere: hoc est enim et pro Christo ponere. Quia et hoc propter sua membra dicturus est: Cum pro istis fecisti, pro me fecisti. De tali quippe opere etiam se ministrum facere et appellare dignatus est, ubi ait: *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et animam suam ponere pro multis* (*Matth.* XX, 28). Hinc est ergo unusquisque minister Christi, unde est minister et Christus. Sic ministrantem Christo honorificabit Pater ejus, honore illo magno, ut sit cum Filio ejus, nec unquam deficiat felicitas ejus.

13. Cum ergo auditis, fratres, Dominum dicentem, *Ubi ego sum, illic et minister meus erit*; nolite tantummodo bonos episcopos et clericos cogitare. Etiam vos pro modo vestro ministrate Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque ejus quibus potueritis prædicando; ut unusquisque etiam paterfamilias hoc nomine agnoscat paternum affectum suæ familiæ se debere. Pro Christo et pro vita æterna, suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat; impendat benevolentiam, exerceat disciplinam: ita in domo sua ecclesiasticum et quodammodo episcopale implebit officium, ministrans Christo ut in æternum

[1] Plerique Mss., *et operis*.

sit cum ipso. Nam et illam maximam passionis ministrationem multi ex vestro numero ministrarunt: multi non episcopi neque clerici, juvenes et virgines, seniores cum junioribus, multi conjugati et conjugatæ, multi patres matresque familias Christo ministrantes, etiam animas suas in ejus martyrio posuerunt, et honorificante Patre coronas gloriosissimas receperunt.

TRACTATUS LII.

Ab eo quod scriptum est, Nunc anima mea turbata est; et quid dicam? *usque ad id*, Hæc locutus est Jesus, et abiit, et abscondit se ab eis. *Cap.* XII, ℣. 27-36.

1. Postquam Dominus Jesus Christus verbis lectionis hesternæ ministros suos ut seipsum sequerentur hortatus est, cum ita prædixisset passionem suam, quod nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert: ubi excitavit eos, qui eum ad regnum cœlorum sequi vellent, ut animam suam odissent in hoc mundo, si eam in vitam æternam custodire cogitarent: ad nostram rursus infirmitatem suum temperavit affectum, et ait, unde lectio cœpit hodierna, *Nunc anima mea turbata est*. Unde turbata est, Domine, anima tua? Nempe paulo ante dixisti, *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Ergo anima tua in hoc mundo amatur, ideo turbatur veniente hora qua ex hoc mundo egrediatur? Quis hoc de anima Domini audeat affirmare? Sed nos in se transtulit, nos in se suscepit caput nostrum, membrorum suorum suscepit affectum: et ideo non est ab aliquo turbatum; sed sicut de illo dictum est, cum Lazarum suscitaret, *turbavit semetipsum* (*Joan.* XI, 33). Oportebat enim ut unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sicut nos excitavit ad summa, ita nobiscum pateretur et infima [1].

2. Audio superius dicentem, *Venit hora ut glorificetur Filius hominis: si mortificatum fuerit granum, multum fructum affert*. Audio, *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Nec permittor tantummodo mirari, sed jubeor imitari. Deinde sequentibus verbis, *Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, ibi et minister meus erit*; mundum contemnere accendor, et in conspectu meo nihil est vitæ hujus totus, quantumlibet fuerit prolixus, vapor; præ amore æternorum temporalia mihi cuncta vilescunt: et rursus ipsum Dominum meum, qui me illis verbis ab infirmitate mea rapuit ad firmitatem suam, audio dicentem, *Nunc anima mea turbata est*. Quid est hoc? Quomodo sequi jubes animam meam, si turbari video animam tuam? quomodo sufferam quod grave tanta firmitas sentit? quale fundamentum quæram, si petra succumbit? Sed videor mihi audire in cogitatione mea respondentem mihi Dominum, et quodammodo dicentem: Magis sequeris, quia sic me interpono ut sufferas: audisti ad te vocem fortitudinis meæ, audi in me vocem infirmitatis tuæ: vires suggero ut curras, nec reprimo quod acceleras; sed transfero in me quod trepidas, et substerno qua transeas. O Domine mediator, Deus supra nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam! nam quod tu tantus tuæ charitatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo qui suæ infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando pereant consolaris.

3. Denique homo qui sequi vult, audiat qua sequatur. Accessit forte hora terribilis, proponitur optio aut faciendæ iniquitatis, aut subeundæ passionis; turbatur anima infirma, propter quam sponte turbata est anima invicta: præpone tuæ voluntati voluntatem Dei. Attende enim quid deinde subjungat creator tuus et magister tuus, qui te fecit, et ut te doceret factus est et ipse quod fecit: homo enim factus est qui hominem fecit; sed Deus incommutabilis mansit, et hominem in melius commutavit. Audi ergo quid inde subjungat, cum dixisset, *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam*, inquit? *Pater, salvifica me ex hac hora: sed propterea veni in hanc horam. Pater, clarifica nomen tuum*. Docuit te quid cogites, docuit quid dicas, quem invoces, in quo speres, cujus voluntatem certam atque divinam tuæ voluntati humanæ infirmæque præponas. Non ideo tibi videatur ex alto deficere, quia te vult ab imo proficere. Nam et tentari dignatus est a diabolo, a quo utique si nollet non tentaretur, quemadmodum si nollet non pateretur: et ea respondit diabolo, quæ tu in tentationibus debeas respondere (*Matth.* IV, 1-10). Et ille quidem tentatus est, sed non periclitatus; ut doceret te in tentatione periclitantem tentatori respondere, et post tentatorem non ire, sed de periculo tentationis exire. Sicut autem hic dixit, *Nunc anima mea turbata est*, ita etiam ubi dicit, *Tristis est anima mea usque ad mortem*; et, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste:* hominis suscepit infirmitatem [1], ut doceat sic contristatum et conturbatum quod sequitur dicere, *Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater* (*Id.* XXVI, 38 *et* 39). Sic enim homo ab humanis in divina dirigitur, cum voluntati humanæ voluntas divina præponitur. Quid est autem, *Clarifica tuum nomen;* nisi, in sua passione et resurrectione? Quid est ergo aliud, nisi ut Pater clarificet Filium, qui clarificat suum nomen etiam in similibus passionibus servorum suorum? Unde scriptum est de Petro, quod ideo de illo dixerit, *Alter te cinget, et feret quo tu non vis;* quia significare voluit, *qua morte glorificaturus erat Deum* (*Joan.* XXI, 18, 19). Ergo et in illo Deus clarificavit nomen suum, quia sic etiam in membris suis clarificat Christum.

4. *Venit ergo vox de cœlo*, *Et clarificavi, et iterum clarificabo. Et clarificavi*, antequam facerem mundum: *et iterum clarificabo*, cum resurget a mortuis, et ascendet in cœlum. Et aliter intelligi potest. *Et clarificavi*, cum de Virgine natus est, cum virtutes opera-

[1] In omnibus prope Mss., *pateretur et infirma*.

[1] Sic Mss. At editi, *ostendit hominis suscepti infirmitatem*.

tus est, cum cœlo indice per stellam a Magis adoratus est, cum a sanctis Spiritu sancto plenis agnitus est, cum descendente Spiritu in specie columbæ declaratus, cum voce de cœlo sonante monstratus, cum in monte transfiguratus, cum miracula multa fecit, cum multos sanavit atque mundavit, cum de paucissimis panibus tantam multitudinem pavit, cum ventis et fluctibus imperavit, cum mortuos suscitavit: *et iterum clarificabo*, cum resurget a mortuis, cum mors ei ultra non dominabitur, cum exaltabitur super cœlos Deus, et super omnem terram gloria ejus.

5. *Turba ergo quæ stabat, et audierat, dicebat tonitruum factum esse: alii dicebant, Angelus ei locutus est. Respondit Jesus, et dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.* Hic ostendit illa voce non sibi indicatum quod jam sciebat, sed eis quibus indicari oportebat. Sicut autem illa vox non propter eum, sed propter alios divinitate facta est; sic anima ejus, non propter eum, sed propter alios voluntate turbata est.

6. Attende cætera. *Nunc*, inquit, *judicium est mundi.* Quid ergo exspectandum est in fine sæculi? Sed in fine quod exspectatur judicium, erit judicandorum vivorum et mortuorum, judicium erit præmiorum pœnarumque æternarum. Quale ergo nunc judicium est? Jam in superioribus lectionibus quantum potui, commonui Charitatem vestram, dici etiam judicium non damnationis, sed discretionis: unde scriptum est, *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1). Multa autem sunt judicia Dei: unde dicitur in Psalmo, *Judicia tua abyssus multa* (*Psal.* XXXV, 7). Dicit etiam Apostolus, *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus* (*Rom.* XI, 33)! Ex quibus judiciis etiam hoc est quod hic ait Dominus, *Nunc judicium est mundi;* servato illo judicio in fine, ubi novissime vivi et mortui judicandi sunt. Possidebat ergo diabolus genus humanum, et reos suppliciorum tenebat chirographo peccatorum; dominabatur in cordibus infidelium, ad creaturam colendam, deserto Creatore, deceptos captivosque pertrahebat: per Christi autem fidem, quæ morte ejus et resurrectione firmata est, per ejus sanguinem, qui in remissionem fusus est peccatorum, millia credentium a dominatu liberantur diaboli, Christi corpori copulantur, et sub tanto capite uno ejus Spiritu fidelia membra vegetantur. Hoc vocabat judicium, hanc discretionem, hanc a suis redemptis diaboli expulsionem.

7. Denique attende quid dicat. Quasi quæreremus quid esset quod ait, *Nunc judicium est mundi*, secutus exposuit: ait enim, *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Audivimus quale dixerit esse judicium. Non ergo illud quod in fine venturum est, ubi vivi et mortui judicandi sunt, aliis ad dexteram, aliis ad sinistram separatis; sed judicium quo *princeps hujus mundi ejicietur foras.* Quomodo ergo intus erat, et quo eum ejiciendum dixit foras? Numquidnam in mundo erat, et extra mundum missus est foras? Si enim de illo judicio diceret, quod in fine venturum est, posset aliquis opinari ignem æternum, quo mittendus est diabolus cum angelis suis, et omnibus qui sunt ex parte ejus; non natura, sed vitio; non quia creavit aut genuit, sed quia persuasit et tenuit: posset ergo aliquis opinari illum ignem æternum extra mundum esse, et hoc esse dictum, *ejicietur foras.* Quia vero ait, *Nunc judicium est mundi;* et exponens quid dixerit, *Nunc*, inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras:* hoc intelligendum est quod nunc fit, non quod tanto post futurum est in novissimo die. Prædicebat ergo Dominus quod sciebat, post passionem et glorificationem suam per universum mundum multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat; cui quando ex fide renuntiant, ejicitur foras.

8. Sed dicit aliquis: Numquid de cordibus Patriarcharum et Prophetarum, veterumque justorum non ejectus est foras? Ejectus est plane. Quomodo ergo dictum est, *nunc ejicietur foras?* Quomodo putamus, nisi quia tunc quod in hominibus paucissimis factum est, nunc in multis magnisque populis jam mox futurum esse prædictum est? Sic et illud quod dictum est, *Spiritus autem nondum erat datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus* (*Joan.* VII, 39), potest similem habere quæstionem, et similem solutionem. Non enim sine Spiritu sancto futura prænuntiaverunt Prophetæ; aut non etiam Dominum infantem in Spiritu sancto Simeon senex et Anna vidua cognoverunt (*Luc.* II, 25-38); et Zacharias et Elizabeth, qui de illo nondum nato, sed jam concepto, tanta per Spiritum sanctum prædixerunt (*Id.* I, 41-45, 67-79). Sed *Spiritus nondum erat datus;* id est, illa abundantia gratiæ spiritualis, qua congregati linguis omnium loquerentur (*Act.* II, 4-6), ac sic in linguis omnium gentium futura prænuntiaretur Ecclesia: qua gratia spirituali populi congregarentur, qua longe lateque peccata dimitterentur, et millia millium Deo reconciliarentur.

9. Quid ergo, ait quispiam, quia diabolus de credentium cordibus ejicietur foras, jam fidelium neminem tentat? Imo vero tentare non cessat. Sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare: nam et munitissimam civitatem aliquando hostis oppugnat, nec expugnat. Et si aliqua tela ejus missa perveniunt, admonet Apostolus unde non lædant; commemorat loricam et scutum fidei (I *Thess.* V, 8). Et si aliquando vulnerat, adest qui sanat. Quia sicut pugnantibus dictum est, *Hæc scribo vobis, ut non peccetis:* ita qui vulnerantur, quod sequitur audiunt, *Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum; ipse est propitiatio peccatorum nostrorum* (I *Joan.* II, 1, 2). Quid enim oramus cum dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*, nisi ut vulnera nostra sanentur? Et quid aliud petimus cum dicimus, *Ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* VI, 12, 13), nisi ut ille qui insidiatur, vel certat extrinsecus, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude, nulla nos possit virtute superare? Quantaslibet tamen adversum nos erigat machinas, quando non tenet locum cordis ubi fides habitat, ejectus est foras. Sed nisi Dominus custodi-

erit civitatem, in vanum vigilabit qui custodit (*Psal.* CXXVI, 1). Nolite ergo de vobis ipsis præsumere, si non vultis foras ejectum diabolum intro iterum revocare.

10. Absit autem ut diabolum mundi principem ita dictum existimemus, ut eum cœlo et terræ dominari posse credamus. Sed mundus appellatur in malis hominibus, qui toto orbe terrarum diffusi sunt : sicut appellatur domus in his a quibus habitatur, secundum quod dicimus, Bona domus est, vel, mala domus est, non quando reprehendimus sive laudamus ædificium parietum atque tectorum, sed quando mores vel bonorum hominum vel malorum. Sic ergo dictum est, *Princeps hujus mundi :* id est, princeps malorum omnium qui habitant in mundo. Appellatur etiam mundus in bonis, qui similiter toto terrarum orbe diffusi sunt : inde dicit Apostolus, *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* V, 19). Hi sunt ex quorum cordibus princeps hujus mundi ejicitur foras.

11. Cum ergo dixisset, *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; Et ego,* inquit, *si exaltatus fuero a terra, omnia traham post me.* Quæ *omnia*, nisi ex quibus ille ejicitur foras? Non autem dixit, omnes, sed, *omnia :* non enim omnium est fides (II *Thess.* III, 2). Non itaque hoc ad universitatem hominum retulit, sed ad creaturæ integritatem; id est, spiritum, et animam, et corpus; et illud quo intelligimus, et illud quo vivimus, et illud quo visibiles et contrectabiles sumus. Qui enim dixit, *Capillus capitis vestri non peribit* (*Luc.* XXI, 18), omnia trahit post se. Aut si *omnia* ipsi homines intelligendi sunt, omnia prædestinata ad salutem possumus dicere : ex quibus omnibus ait nihil esse periturum, cum supra de suis ovibus loqueretur (*Joan.* X, 28). Aut certe omnia hominum genera, sive in linguis omnibus, sive in ætatibus omnibus, sive in gradibus honorum omnibus, sive in diversitatibus ingeniorum omnibus, sive in artium licitarum et utilium professionibus omnibus, et quidquid aliud dici potest secundum innumerabiles differentias quibus inter se præter sola peccata homines distant, ab excelsissimis usque ad humillimos, a rege usque ad mendicum; *omnia*, inquit, *traham post me :* ut sit caput eorum, et illi membra ejus. Sed *si exaltatus*, inquit, *fuero a terra;* hoc est, cum exaltatus fuero : non enim dubitat futurum esse quod venit implere. Hoc refertur ad illud quod superius ait, *Si autem mortuum fuerit granum, multum fructum affert.* Nam exaltationem suam quid aliud dixit quam in cruce passionem? Quod et ipse Evangelista non tacuit : subjunxit enim, et ait, *Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus?*

12. *Respondit ei turba : Nos audivimus ex Lege quia Christus manet in æternum; et quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Et quis est iste Filius hominis?* Memoriter tenuerunt quod Dominus dicebat assidue se esse Filium hominis. Nam hoc loco non ait, Si exaltatus fuerit a terra Filius hominis : sed superius dixerat, quod hesterno die lectum atque tractatum est, quando nuntiati sunt Gentiles illi, qui eum videre cupiebant. *Venit hora ut glorificetur Filius hominis* (*Joan.* XII, 25, 23). Hoc itaque isti animo retinentes, et quod nunc ait, *Cum exaltatus fuero a terra*, mortem crucis intelligentes, quæsierunt ab illo, et dixerunt : *Nos audivimus ex Lege quia Christus manet in æternum; et quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Quis est* enim *iste Filius hominis?* Si enim Christus est, inquiunt, manet in æternum : si manet in æternum, quomodo exaltabitur a terra : id est, quomodo crucis passione morietur? Hoc enim eum dixisse intelligebant, quod facere cogitabant. Non ergo eis verborum istorum obscuritatem aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia.

13. *Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum lumen in vobis est.* Hinc est quod intelligitis quia Christus manet in æternum. *Ergo ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant.* Ambulate, accedite, totum intelligite, et moriturum Christum, et victurum in æternum, et sanguinem fusurum quo redimat, et ascensurum in sublimia quo perducat. Tenebræ autem vos comprehendent, si eo modo credideritis Christi æternitatem, ut negetis in eo mortis humilitatem. *Et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Sic potest offendere in lapidem offensionis, et petram scandali, quod fuit Dominus cæcis Judæis : sicut credentibus lapis quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli (I *Petr.* II, 6-8). Hinc dedignati sunt credere in Christum, quia eorum impietas contempsit mortuum, risit occisum : et ipsa erat mors grani multiplicandi, et exaltatio trahentis post se omnia. *Dum lucem*, inquit, *habetis*, *credite in lucem*, *ut filii lucis sitis.* Cum aliquid veri auditum habetis, credite in veritatem, ut renascamini in veritate.

14. *Hæc locutus est Jesus, et abiit, et abscondit se ab eis.* Non ab eis qui credere et diligere cœperant, non ab eis qui cum ramis palmarum et laudibus obviam venerant : sed ab eis qui videbant et invidebant; quia nec videbant, sed in lapidem illum cæcitate offendebant. Cum autem abscondit se Jesus ab eis qui eum occidere cupiebant (quod sæpe propter oblivionem commonendi estis), nostræ infirmitati consuluit, non suæ potestati derogavit.

TRACTATUS LIII.

Ab eo quod scriptum est, Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum; *usque ad id*, Dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei. *Cap.* XII, ŷ. 37-43.

1. Prænuntiata Dominus Christus passione sua, et morte fructuosa in exaltatione crucis, ubi dixit se omnia tracturum esse post se, cum intellexissent Judæi quod de sua morte dixisset, et proposuissent ei quæstionem, quomodo diceret se esse moriturum, cum ex Lege audierint quod Christus manet in æternum; hortatus est eos, ut dum adhuc modicum lumen in eis esset, quo Christum æternum esse didicissent, ambularent, ut totum discerent, ne comprehenderentur a tenebris. Et cum hæc esset locutus, abscondit se ab eis. Hæc in superioribus dominicis lectionibus verbisque didicistis.

2. Deinde intulit Evangelista unde hodiernum capitulum recitatum est, et ait : *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum : ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur quem dixit, Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* Ubi satis ostendit brachium Domini ipsum Filium Dei nuncupatum ; non quod Deus Pater figura determinetur carnis humanæ, eique Filius tanquam membrum corporis hæreat : sed quia omnia per ipsum facta sunt, ideo brachium Domini dictum est. Sicut enim tuum brachium, per quod operaris ; sic Dei brachium dictum est ejus Verbum, quia per Verbum operatus est mundum. Cur enim homo ut aliquid operetur, brachium extendit, nisi quia non continuo fit quod dixerit? Si autem tanta potestate prævaleret, ut sine ullo motu corporis sui quod diceret fieret, brachium ejus verbum ejus esset [1]. Sed Dominus Jesus unigenitus Dei Patris Filius, sicut non est paterni corporis membrum, ita non est cogitabile vel sonabile ac transitorium verbum ; quia cum omnia per ipsum facta sunt, Dei Verbum erat.

3. Cum ergo audimus brachium Dei Patris esse Dei Filium, non nobis obstrepat consuetudo carnalis : sed quantum illo donante possumus, Virtutem Dei et Sapientiam cogitemus, per quam facta sunt omnia. Tale quippe brachium nec porrectum extenditur, nec collectum contrahitur. Non est enim ipse qui Pater, sed unum sunt ipse et Pater ; et æqualis Patri ubique totus est sicut Pater : ne aliqua pateat occasio detestabili errori eorum, qui dicunt solum esse Patrem, sed pro diversitate causarum ipsum dici Filium, ipsum dici Spiritum sanctum ; et in his verbis audeant [2] dicere, Ecce videtis quia solus est Pater, si brachium ejus est Filius ; non enim duæ, sed una persona est homo et brachium ejus. Non intelligentes neque advertentes, quomodo verba de rebus aliis ad res alias transferantur, propter aliquam similitudinem etiam in locutionibus quotidianis de visibilibus et notissimis rebus ; quanto magis ut nobis ineffabilia qualitercumque dicantur, quæ dici sicuti sunt, omnino non possunt? Nam et homo alterum hominem per quem solet agere quidquid agit, brachium suum appellat : et si ei auferatur, dolens dicit, Brachium perdidi ; et ei qui abstulerit, dicit Brachium meum mihi abstulisti. Intelligant ergo quomodo dictus sit Filius Patris brachium, per quod Pater operatus est omnia ; ne hoc non intelligendo, et in sui erroris tenebris permanendo, similes sint Judæis ipsis, de quibus dictum est, *Et brachium Domini cui revelatum est?*

4. Hic occurrit altera quæstio, de qua quidem ut competenter aliquid disputetur, et omnes ejus latebrosissimi sinus perscrutentur et excutiantur ut dignum est, nec mearum virium esse arbitror, nec angustiarum temporis, nec vestræ capacitatis. Tamen quia transire ad alia vestra expectatione non sinimur, nisi aliquid inde dicamus, accipite quod potuerimus : et ubi vestræ exspectationi non suffecerimus, ab illo incrementum poscite qui nos plantare posuit et rigare ; quia, sicut dicit Apostolus, *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* III, 7). Quidam ergo inter se mussitant, et ubi possunt aliquando proclamant, et turbulenta disceptatione contendunt, dicentes : Quid fecerunt Judæi, vel quæ culpa eorum fuit, si necesse erat *ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur quem dixit, Domine, quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est?* Quibus respondemus, Dominum præscium futurorum, per Prophetam prædixisse infidelitatem Judæorum ; prædixisse tamen, non fecisse. Non enim propterea quemquam Deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata jam novit. Ipsorum enim præscivit peccata, non sua ; non cujusquam alterius, sed ipsorum. Quapropter si ea quæ ille præscivit ipsorum, non sunt ipsorum ; non vere ille præscivit : sed quia illius præscientia falli non potest; sine dubio non alius, sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos esse præscivit. Fecerunt ergo peccatum Judæi, quod eos non compulit facere, cui peccatum non placet ; sed facturos esse prædixit, quem nihil latet. Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur ; et hoc facturi præviderentur ab eo qui novit quid sit quisque facturus, et quid ei sit pro ejus opere redditurus.

5. Sed et quæ sequuntur Evangelii verba plus urgeant, et profundiorem faciunt quæstionem : adjungit enim, et dicit, *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias : Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et intelligant corde, et convertantur, et sanem illos.* Dicitur enim nobis : Si non potuerunt credere, quod peccatum est hominis non facientis quod non potest facere? si autem non credendo peccaverunt, potuerunt ergo credere, et non fecerunt. Si ergo potuerunt, quomodo dicit Evangelium, *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum;* ut, quod est gravius, ad Deum referatur causa qua non crediderunt, quandoquidem ipse *excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum?* Non enim saltem hoc de diabolo dicitur, sed de Deo, quod ipsa prophetica Scriptura testatur. Nam si arbitremur hoc dictum de diabolo, quod *excæcavit oculos eorum, et cor induravit;* laborandum est quomodo illorum culpam, quia non crediderunt, possimus ostendere, de quibus dicitur, *non poterant credere.* Deinde quid respondebimus de alio prophetæ ipsius testimonio, quod posuit Paulus apostolus dicens : *Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus; electio autem consecuta est : cæteri vero excæcati sunt, sicut scriptum est, Dedit illis Deus spiritum compunctionis; oculos, ut non videant, et aures, ut non audiant, usque in hodiernum diem* (*Rom.* XI, 7, *Isai.* VI, 10).

6. Audistis, fratres, propositam quæstionem, nempe quam profunda sit cernitis : sed respondemus ut possumus. *Non poterant credere*, quia hoc Isaias propheta prædixit : hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præscivit. Quare autem non pote-

[1] Hic Er. et Lov. addunt, *quia verbum est cogitabile vel sonabile :* quod totum abest a Mss., præter paucos, qui cum Am. et Bad. habent, *quia verbum non est cogitabile vel sonabile.*

[2] Sic in Mss. At in editis, *audent.*

rant, si a me quæratur, cito respondeo, quia nolebant : malam quippe eorum voluntatem prævidit Deus, et per Prophetam prænuntiavit ille cui abscondi futura non possunt. Sed aliam causam, inquis, dicit Propheta non voluntatis eorum. Quam causam dicit Propheta? Quia *dedit illis Deus spiritum compunctionis; oculos, ut non videant, et aures, ut non audiant, et excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum*. Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excæcat, sic obdurat Deus, deserendo et non adjuvando: quod occulto judicio facere postest, iniquo non potest. Hoc omnino pietas religiosorum inconcussum debet inviolatumque servare; sicut Apostolus, cum eamdem ipsam tractaret difficillimam quæstionem, *Quid ergo dicemus*, inquit? *numquid iniquitas apud Deum? Absit* (*Rom.* IX, 14). Si ergo absit ut sit iniquitas apud Deum; sive quando adjuvat, misericorditer facit; sive quando non adjuvat, juste facit : quia omnia non temeritate, sed judicio facit. Porro si judicia sanctorum justa sunt, quanto magis sanctificantis et justificantis Dei? Justa ergo sunt, sed occulta. Ideo cum quæstiones hujusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic; quare ille Deo deserente excæcetur, ille Deo adjuvante illuminetur : non nobis judicium de judicio tanti judicis usurpemus, sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo, *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Id.* XI, 33)! Unde dictum est in Psalmo, *Judicia tua, sicut multa abyssus* (*Psal.* XXXV, 7).

7. Non ergo me, fratres, ad hanc penetrandam altitudinem, ad hanc abyssum discutiendam, ad inscrutabilia perscrutanda, expectatio vestræ Charitatis impingat. Agnosco modulum meum, sentire mihi videor etiam modulum vestrum. Altius est hoc incrementis meis, et fortius viribus meis; puto quia et vestris. Simul ergo audiamus admonentem Scripturam atque dicentem, *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris* (*Eccli.* III, 22). Non quia ista negata sunt nobis, cum Deus magister dicat, *Nihil est occultum quod non revelabitur* (*Matth.* X, 26) : sed si in quod pervenimus, in eo ambulemus, sicut dicit Apostolus, non solum quod nescimus et scire debemus, sed etiam si quid aliter sapimus, id quoque nobis Deus revelabit (*Philipp.* III, 15 *et* 16). Pervenimus autem in viam fidei, hanc perseverantissime teneamus : ipsa perducet ad cubiculum regis, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss.* II, 3). Non enim ipse Dominus Jesus Christus suis illis magnis et præcipue electis discipulis invidebat, quando dicebat, *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo* (*Joan.* XVI, 12). Ambulandum est, proficiendum est, crescendum est, ut sint corda nostra capacia earum rerum quas capere modo non possumus. Quod si nos ultimus dies proficientes invenerit, ibi discemus quod hic non potuimus.

8. Si quis autem istam quæstionem liquidius et melius novit se posse et confidit exponere, absit ut non sim paratior discere quam docere. Tantum ne audeat quisquam liberum arbitrium sic defendere, ut nobis orationem qua dicimus, *Ne nos inferas in tentationem*, conetur auferre : rursus, ne quisquam neget voluntatis arbitrium, et audeat excusare peccatum. Sed audiamus Dominum, et præcipientem, et opitulantem; et jubentem quid facere debeamus, et adjuvantem ut implere possimus. Nam et quosdam nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam; et quosdam nimia suæ voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt : Utquid rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? Isti dicunt : Utquid conamur bene vivere, quod in Dei est potestate? O Domine, o Pater qui es in cœlis, ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, *sed libera nos a malo* (*Matth.* VI, 13)! Audiamus Dominum dicentem, *Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua* (*Luc.* XXII, 32); ne sic existimemus fidem nostram esse in libero arbitrio, ut divino non egeat adjutorio. Audiamus et Evangelistam dicentem, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12); ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus : verumtamen in utroque illius beneficia cognoscamus. Nam et agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas; et orandum, ne succumbat infirmitas (*Galat.* V, 6). Ipsa est fides quæ per dilectionem operatur, sicut ejus mensuram Dominus cuique partitus est (*Rom.* XII, 3); ut qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur (I *Cor.* I, 31).

9. Non itaque mirum est quia non poterant credere, quorum voluntas sic superba erat, ut ignorantes Dei justitiam, suam vellent constituere : sicut dicit de illis Apostolus, *Justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 3). Quia enim non ex fide, sed tanquam ex operibus tumuerunt; ipso suo tumore cæcati, offenderunt in lapidem offensionis. Sic autem dictum est *non poterant*, ubi intelligendum est quod nolebant; quemadmodum dictum est de Domino Deo nostro, *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest* (II *Tim.* II, 13). De omnipotente dictum est, *non potest*. Sicut ergo quod Dominus *negare seipsum non potest*, laus est voluntatis divinæ; ita quod illi *non poterant credere*, culpa est voluntatis humanæ.

10. Ecce dico et ego, quod qui tam superbe sapiunt, ut suæ voluntatis viribus tantum existiment esse tribuendum, ut negent sibi esse necessarium divinum adjutorium ad bene vivendum, non possunt credere in Christum. Non enim aliquid prosunt syllabæ nominis Christi, et Sacramenta Christi, ubi resistitur fidei Christi. Fides autem Christi est, credere in eum qui justificat impium (*Rom.* IV, 5); credere in Mediatorem, sine quo interposito non reconciliamur Deo; credere in Salvatorem, qui venit quod perierat quærere atque salvare (*Luc.* XIX, 10); credere in eum qui dixit, *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5). Quia ergo ignorans Dei justitiam qua justificatur impius, suam vult constituere qua convincatur superbus, in hunc non potest credere. Hinc et illi *non poterant credere* : non quia mutari in melius homines non possunt; sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere. Hinc excæcantur, et indurantur; quia negando divinum

adjutorium, non adjuvantur. Hoc de Judæis qui excæcati et indurati sunt, Deus præscivit, atque in ejus Spiritu Propheta prædixit.

11. Quod vero addidit, *Et convertantur et sanem eos*: utrum subaudiendum sit, non, id est, non convertantur, connexa desuper sententia, ubi dictum est, *ut non videant oculis et intelligant corde*; quia et hic utique dictum est (a), ut non intelligant? et ipsa enim conversio de illius gratia est, cui dicitur, *Deus virtutum, converte nos* (*Psal.* LXXIX, 8). An forte et hoc de supernæ medicinæ misericordia factum intelligendum est, ut quoniam superbæ et perversæ voluntatis erant, et suam justitiam constituere volebant, ad hoc desererentur, ut excæcarentur; ad hoc excæcarentur, ut offenderent in lapidem offensionis, et impleretur facies eorum ignominia; atque ita humiliati quærerent nomen Domini, et non suam qua inflatur superbus, sed justitiam Dei qua justificatur impius? Hoc enim multis eorum profecit in bonum, qui de suo scelere compuncti, in Christum postea crediderunt: pro quibus et ipse oraverat dicens, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). De qua eorum ignorantia et Apostolus dicit, *Testimonium illis perhibeo quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam*: tunc enim et hoc subjunxit, atque ait, *Ignorantes enim Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 2, 3).

12. *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo.* Quid viderit Isaias, et hoc quomodo ad Dominum Christum pertineat, in libro ejus legendum et intelligendum est. Vidit enim non sicuti est, sed modo quodam significativo, sicut Prophetæ visio fuerat informanda. Nam vidit et Moyses, et tamen ei quem videbat dicebat, *Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum, manifeste ut videam te* (*Exod.* XXXIII, 13); quia non videbat sicuti est. Quando autem nobis hoc futurum sit, idem iste sanctus Joannes evangelista in Epistola sua dicit: *Dilectissimi, Filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus: scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Poterat dicere, *quoniam videbimus eum*, et non addere, *sicuti est*: sed quia sciebat a quibusdam patribus et prophetis visum, sed non sicuti est; ideo cum dixisset, *videbimus eum*, addidit, *sicuti est*. Nemo enim vos fallat, fratres, eorum qui dicunt invisibilem Patrem, et visibilem Filium. Hi enim hoc asserunt qui putant eum esse creaturam; nec intelligunt secundum quid dictum sit, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Prorsus in forma Dei in qua æqualis est Patri, etiam Filius invisibilis est: ut autem ab hominibus videretur, formam servi accepit, et in similitudine [1] hominum factus (*Philipp.* II, 7), visibilis factus est. Ostendit ergo se etiam, antequam susciperet carnem, oculis hominum, sicut voluit in subjecta sibi creatura, non sicuti est. Mundemus corda per fidem, ut illi ineffabili, et, ut ita dicam, invisibili visioni præparemur. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8).

13. *Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de synagoga non ejicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei.* Videte quemadmodum notaverit Evangelista et improbaverit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit: qui in hoc ingressu fidei si proficerent, amorem quoque humanæ gloriæ proficiendo superarent, quem superaverat Apostolus, dicens, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat.* VI, 14). Ad hoc enim et ipse Dominus crucem suam, ubi eum dementia superbæ impietatis irrisit, in eorum qui in illum crederent frontibus fixit, ubi est quodammodo sedes verecundiæ, ut de nomine ejus fides non erubescat, et magis Dei gloriam quam hominum diligat.

TRACTATUS LIV.

Ab eo quod ait Jesus, Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me; *usque ad id*, Quæ ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor. *Cap.* XII, ℣. 44-50.

1. Loquente Domino nostro Jesu Christo apud Judæos, et tanta miraculorum signa faciente, quidam crediderunt prædestinati in vitam æternam, quos etiam vocavit oves suas: quidam vero non crediderunt, nec poterant credere, eo quod occulto, nec tamen injusto judicio Dei fuerant excæcati et indurati, deserente illo qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacobi* IV, 6). Eorum autem qui crediderunt, alii usque adeo confitebantur, ut palmarum ramis acceptis venienti occurrerent, in eadem laudis confessione lætantes: alii vero ex principibus non audebant confiteri, ut de synagoga non ejicerentur; quos notavit Evangelista dicens, quod *dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei* (*Joan.* XII, 43). Eorum etiam qui non crediderunt, alii erant postea credituri, quos prævidebat, ubi ait, *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc agnoscetis quia ego sum* (*Id.* VIII, 28): alii vero in eadem infidelitate mansuri, quorum imitatrix est etiam ista gens Judæorum, quæ postmodum debellata, ad testimonium prophetiæ quæ de Christo scripta est, in toto pene orbe dispersa est.

2. His ita se habentibus, et sua jam propinquante passione, *Jesus clamavit, et dixit*; unde lectio cœpit hodierna: *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me: et qui videt me, videt eum qui misit me.* Jam dixerat quodam loco: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me* (*Id.* VII, 16). Ubi intelleximus eum doctrinam suam dixisse Verbum Patris quod est ipse; et hoc significasse dicendo, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit*, quod a seipso ipse non esset, sed haberet a quo esset (*Supra, Tract.* 29). Deus enim de Deo, Filius Patris: Pater autem non

[1] Editi, *in similitudinem*. At Mss., *in similitudine*; juxta græc., *en omoiômati*.

(a) Forte legendum, *dictum non est*: nisi sensus sit negationem affixam verbo *videant*, mente adjungi ad verbum *intelligant*. Et quidem Vulgata Evangelii versio in excusis habet, *et non intelligant corde*; sed in antiquis Corbeiensibus Bibliis, græco consentiens negationem hoc loco minime repetit.

Deus de Deo, sed Deus Pater Filii. Nunc autem quod ait, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me*, quomodo intellecturi sumus, nisi quia homo apparebat hominibus, cum lateret Deus? Et ne putarent hoc eum esse tantummodo quod videbant, talem ac tantum se volens credi, qualis et quantus est Pater, *Qui credit in me*, inquit, *non credit in me*, id est, in hoc quod videt; *sed in eum qui misit me*, id est, in Patrem. Sed qui credit in Patrem, necesse est eum credat esse Patrem; qui autem credit eum Patrem, necesse est ut credat eum habere Filium : ac per hoc qui credit in Patrem, necesse est ut credat in Filium. Sed ne quisquam hoc credat de unigenito Filio, quod de iis qui dicti sunt filii Dei secundum gratiam, non naturam, sicut ait Evangelista, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12); unde et illud est quod ipse Dominus commemoravit in Lege dictum, *Ego dixi, Dii estis, et filii excelsi omnes* (*Id.* x, 34) : propterea dixit, *Qui credit in me, non credit in me;* ne totum quod de Christo creditur, secundum hominem crederetur. Ille ergo, inquit, credit in me, qui non credit in me secundum id quod me videt, sed in eum qui me misit: ut cum credit in Patrem, credat eum habere Filium sibi æqualem, et tunc vere credat in me. Nam si putaverit eum non habere nisi filios secundum gratiam, qui sunt ejus utique creatura, non Verbum, sed facta per Verbum, nec habere Filium æqualem sibi atque coæternum, semper natum, pariter incommutabilem, ex nullo dissimilem atque imparem; non credit in Patrem qui eum misit, quia non est hoc Pater qui eum misit.

3. Et ideo cum dixisset, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me;* ne putaretur sic voluisse Patrem intelligi tanquam Patrem multorum filiorum per gratiam regeneratorum, non unici Verbi æqualis sibi, continuo subjecit, *Et qui videt me, videt eum qui misit me.* Numquid ait, Qui videt me, non videt me, sed eum qui misit me; sicut dixerat, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me?* Illud namque dixit, ne sicut videbatur, crederetur tantummodo filius hominis : hoc autem dixit, ut Patri crederetur æqualis. Qui credit in me, inquit, non credit in hoc quod videt me, sed credit in eum qui misit me. Aut cum credit in Patrem qui sibi æqualem genuit me; non quomodo me videt, sed sic credat in me, quomodo in eum qui misit me : usque adeo enim nihil distat inter eum et me, ut qui me videt videat eum qui me misit. Apostolos suos certe ipse Dominus Christus misit, quod eorum etiam nomen indicat : nam sicut græce angeli, latine nuntii vocantur, ita græce apostoli, latine missi appellantur. Nunquam tamen aliquis apostolorum dicere auderet, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me:* omnino enim non diceret, *Qui credit in me.* Credimus enim apostolo, sed non credimus in apostolum: non enim apostolus justificat impium. Credenti autem in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam (*Rom.* IV, 5). Posset dicere apostolus, Qui recipit me, recipit eum qui me misit; vel, Qui audit me, audit eum qui me misit : hoc enim eis ipse Dominus ait, *Qui vos recipit, me recipit, et qui recipit me, recipit eum qui me misit* (*Matth.* x, 40). Quia dominus honoratur in servo, et pater in filio : sed pater tanquam in filio, dominus tanquam in servo. Filius autem unigenitus recte dicere potuit, *Credite in Deum, et in me credite* (*Joan.* XIV, 1); et quod nunc ait, *Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me.* Non a se abstulit fidem credentis, sed noluit in forma servi remanere credentem : quoniam cum quisque credit in Patrem qui eum misit, profecto credit in Filium, sine quo Patrem non esse cognoscit; et ita credit ut credat æqualem, quoniam sequitur, *Et qui videt me, videt eum qui me misit.*

4. Attende cætera : *Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.* Dixit quodam loco discipulis suis, *Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi super montem constituta, neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt : sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 14-16) : non tamen eis dixit, Vos lux venistis in mundum, ut omnis qui credit in vos, in tenebris non maneat. Nusquam hoc legi posse confirmo. Lumina ergo sunt omnes sancti; sed credendo ab eo illuminantur, a quo si quis recesserit tenebrabitur. Lumen autem illud quo illuminantur, a se recedere non potest; quia incommutabile omnino est. Credimus ergo lumini illuminato, sicut prophetæ, sicut apostolo : sed ideo illi credimus, ut non in ipsum credamus quod illuminatur, sed cum illo credamus in illud lumen a quo illuminatur; ut et nos illuminemur, non ab illo, sed cum illo a quo ille. Cum autem dicit, *Ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat;* satis manifestat omnes se in tenebris invenisse : sed ne in eis tenebris maneant in quibus inventi sunt, debent credere in lucem quæ venit in mundum, quia per illam factus est mundus.

5. *Et si quis audierit*, inquit, *verba mea, et non custodierit, ego non judico eum.* Mementote quæ vos audisse in superioribus lectionibus novi; et qui obliti forte estis, recolite; et qui non adfuistis, sed adestis, audite quomodo dicit Filius, *Ego non judico eum;* cum dicat alio loco, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v, 22) : nisi quia intelligendum est, Modo non judico eum. Quare non judicat modo? Attende quid sequitur : *Non enim veni*, inquit, *ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum :* id est ut salvum faciam mundum. Nunc ergo est tempus misericordiæ, post erit judicii : quia, *Misericordiam*, inquit, *et judicium cantabo tibi, Domine* (*Psal.* C, 1).

6. Sed de ipso etiam futuro novissimo judicio videte quid dicat : *Qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui judicet eum : sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Non ait, Qui spernit me, et non accipit verba mea, ego non judico eum in novissimo die. Hoc enim si dixisset, non video quomodo posset non esse contrarium illi sententiæ

ubi ait, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Cum vero dixit, *Qui spernit me, et non accipit verba mea, habet qui judicet eum;* exspectantibus autem quisnam ille esset, secutus adjunxit, *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die:* satis manifestavit semetipsum judicaturum in novissimo die. Seipsum quippe locutus est, seipsum annuntiavit, seipsum januam posuit, qua ipse ad oves pastor intraret. Aliter itaque judicabuntur qui non audierunt, aliter qui audierunt et contempserunt. *Qui enim sine Lege peccaverunt*, ait Apostolus, *sine Lege et peribunt: et qui in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur* (*Rom.* II, 12).

7. *Quia ego*, inquit, *ex meipso non sum locutus.* Ideo se dicit non locutum ex seipso, quia non est ex seipso. Jam hoc sæpe diximus; jam hoc tanquam notissimum non docere sed admonere debemus. *Sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar.* Non laboraremus, si cum eis nos loqui sciremus, cum quibus superiora locuti sumus, et cum eis ipsis non omnibus, sed quæ audierunt memoria retinentibus: nunc vero quia fortasse aliqui adsunt qui non audierunt, eisque sunt similes qui obliti sunt quod audierunt, propter illos perferant moras nostras qui audita meminerunt. Quomodo dat mandatum Pater unico Filio? Quo verbo loquitur Verbo, cum sit ipse Filius unigenitum Verbum? Numquid per angelum, cum per ipsum creati sint Angeli? Numquid per nubem: quæ quando sonuit ad Filium, non propter ipsum sonuit, quod alibi dicit etiam ipse; sed propter alios quos oportebat ita audire? Numquid per sonum labiis emissum, qui non habet corpus; nec aliquo locorum intervallo Filius a Patre separatur, ut sit inter illos aer medius, quo percusso vox fiat et in aurem veniat? Absit ut talia de illa incorporea et ineffabili substantia suspicemur. Filius unicus est Verbum Patris, et Sapientia Patris; in illa sunt omnia mandata Patris. Neque enim Patris mandatum Filius aliquando nesciebat, ut eum necesse esset ex tempore habere quod antea non habebat. Ita enim a Patre quod habet accepit, ut nascendo acceperit, dederitque illi gignendo. Nam et vita est, et accepit vitam utique nascendo, non prius sine vita existendo. Quia et Pater habet vitam, et quod habet est: nec accepit tamen, quia non ex aliquo est. Filius autem accepit vitam, dante Patre a quo est: et ipse quod habet, est; habet enim vitam, et vita est. Ipsum audi loquentem: *Sicut habet*, inquit, *Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.* V, 26). Numquid existenti, et non habenti dedit? Sed eo dedit quo genuit, qui vitam genuit, et vita genuit vitam. Et quia parem genuit, non imparem vitam; ideo dictum est, *Sicut habet* ipse *vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso.* Vitam dedit, quia gignendo vitam, quid dedit, nisi esse vitam? Et quia æterna est ipsa nativitas, nunquam non fuit Filius qui est vita, nunquam fuit Filius sine vita; et sicut est nativitas æterna, sic est qui natus est vita æterna. Ita et mandatum non quod Filius non habebat, Pater dedit; sed, sicut dixi, in Sapientia Patris, quod est Verbum Patris, omnia mandata sunt Patris. Dicitur autem mandatum datum, quia non est a seipso cui dicitur datum: et hoc est dare Filio sine quo nunquam Filius fuit, quod est gignere Filium qui nunquam non fuit.

8. Sequitur autem: *Et scio quia mandatum ejus vita æterna est.* Si ergo vita æterna est ipse Filius, et vita æterna est mandatum Patris; quid aliud dictum est, quam, Ego sum mandatum Patris? Proinde et id quod adjungit, et dicit, *Quæ ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor;* non accipiamus, *dixit mihi*, quasi Pater verba locutus sit unico Verbo, aut egeat Dei verbis Dei Verbum. Dixit ergo Pater Filio, sicut dedit vitam Filio: non quod nesciebat vel non habebat, sed quod ipse Filius erat. Quid est autem, *sicut dixit mihi, sic loquor*, nisi, Verum loquor [1]? Ita ille dixit ut verax, ita ista loquitur ut veritas. Verax autem genuit veritatem. Quid ergo jam diceret veritati! Non enim imperfecta erat veritas, cui verum aliquid adderetur. Dixit ergo veritati, quia genuit veritatem. Porro ipsa veritas sic loquitur, ut ei dictum est: sed intelligentibus, quos docet ut nata est. Ut autem crederent homines quod intelligere nondum valent, ex ore carnis verba sonuerunt, et abierunt; transvolantes soni strepuerunt, peractis morulis temporum suorum: sed res ipsæ quarum signa sunt soni, trajectæ quodammodo in eorum memoriam qui audierunt, etiam ad nos per litteras quæ visibilia signa sunt, pervenerunt. Non sic loquitur veritas: intelligentibus mentibus intus loquitur, sine sono instruit, intelligibili luce perfundit. Qui ergo potest in ea videre [2] nativitatis ejus æternitatem, ipse illam sic audit loquentem, sicut ei dixit Pater quod loqueretur. Excitavit nos ad magnum desiderium interioris dulcedinis suæ: sed crescendo capimus, ambulando crescimus, proficiendo ambulamus [3], ut pervenire possimus.

TRACTATUS LV.

Ab eo loco, Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus; *usque ad id*, Et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat præcinctus. *Cap.* XIII, ỳ. 1-5.

1. Cœna Domini secundum Joannem, adjuvante ipso, debitis est explicanda tractatibus, et ut nobis posse donaverit, explananda. *Ante diem autem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Pascha, fratres, non sicut quidam existimant, græcum nomen est, sed hebræum: opportunissime tamen occurrit in hoc nomine quædam congruentia utrarumque linguarum. Quia enim pati græce πάσχειν dicitur, ideo Pascha passio putata est, velut hoc nomen a passione sit appellatum: in

[1] Sic duo Mss.; cæteri vero ut in editis, *verbum loquor.*
[2] Sic Mss. At Lov., *audire.* Editi alii, *credere.*
[3] Editi, *sed credendo capimus.* Mss., *sed crescendo:* et quinque ex his optativo modo habent, *capiamus... crescamus... ambulemus.*

sua vero lingua, hoc est in hebræa, Pascha transitus dicitur : propterea tunc primum Pascha celebravit populus Dei, quando ex Ægypto fugientes, Rubrum mare transierunt (*Exod.* XIV, 29). Nunc ergo figura illa prophetica in veritate completa est, cum sicut ovis ad immolandum ducitur Christus (*Isai.* LIII, 7), cujus sanguine illitis postibus nostris, id est, cujus signo crucis signatis frontibus nostris, a perditione hujus sæculi tanquam a captivitate vel interemptione Ægyptia liberamur (*Exod.* XII, 23); et agimus saluberrimum transitum, cum a diabolo transimus ad Christum, et ab isto instabili sæculo ad ejus fundatissimum regnum. Ideo quippe ad Deum permanentem transimus, ne cum mundo transeunte transeamus. De hac nobis collata gratia Deum laudans Apostolus dicit : *Qui eruit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis suæ* (*Coloss.* I, 13). Hoc itaque nomen, id est, Pascha, quod latine, ut dixi, transitus nuncupatur, velut interpretans nobis beatus Evangelista, *Ante diem*, inquit, *festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Ecce Pascha, ecce transitus. Unde, et quo? *De hoc* scilicet *mundo ad Patrem.* Spes membris in capite data est, quod essent illo transeunte sine dubio secutura. Quid ergo infideles, et ab hoc capite atque ab ejus corpore alieni? nonne et ipsi transeunt, quia non permanent? Transeunt plane et ipsi : sed aliud est transire de mundo, aliud est transire cum mundo; aliud ad Patrem, aliud ad hostem. Nam et Ægyptii transierunt; non tamen transierunt per mare ad regnum, sed in mari ad interitum.

2. *Sciens* ergo *Jesus quia venit hora ejus ut transiret ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Utique ut et ipsi de hoc mundo ubi erant, ad suum caput, quod hinc transisset, ejus dilectione transirent. Quid est enim, *in finem*, nisi, in Christum? *Finis enim Legis Christus*, ait Apostolus, *ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X, 4). Finis perficiens, non interficiens : finis quo usque eamus, non ubi pereamus. Sic omnino intelligendum est, *Pascha nostrum immolatus est Christus* (I *Cor.* V, 7). Ipse est finis noster, in illum est transitus noster. Nam video posse ista verba evangelica quodam humano modo etiam sic accipi, tanquam usque ad mortem Christus dilexerit suos, ut hoc videatur esse, *in finem dilexit eos.* Humana est hæc sententia, non divina : neque enim nos hucusque ille dilexit, qui semper et sine fine nos diligit. Absit ut dilectionem morte finierit, qui non est morte finitus. Etiam post mortem, quinque fratres suos dilexit dives ille superbus atque impius (*Luc.* XVI, 27, 28), et usque ad mortem nos dilexisse putandus est Christus? Absit, charissimi. Nequaquam ille nos diligendo usque ad mortem veniret, si dilectionem nostram morte finiret. Nisi forte ita sit intelligendum, *in finem dilexit eos* : Quia tantum dilexit eos, ut moreretur propter eos. Hoc enim testatus est dicens : *Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan.* XV, 13). Ita sane non prohibemus intelligi, *in finem dilexit*, id est, usque ad mortem illum dilectio ipsa perduxit.

3. « Et cœna, » inquit, « facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes [1] : sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exiit, et ad Deum vadit, surgit a cœna, et ponit vestimenta sua; et cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat præcinctus. » Non ita debemus intelligere cœnam factam veluti jam consummatam atque transactam [2] : adhuc enim cœnabatur, cum Dominus surrexit et pedes lavit discipulis suis. Nam postea recubuit, et buccellam suo traditori postea dedit, utique cœna nondum finita, hoc est, dum adhuc panis esset in mensa. *Cœna* ergo *facta*, dictum est, jam parata, et ad convivantium mensam usumque perducta.

4. Quod autem ait, *Cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes*; si quæris quid missum sit in cor Judæ : hoc utique, *ut traderet eum.* Missio ista, spiritualis suggestio est : non fit per aurem, sed per cogitationem; ac per hoc non corporaliter, sed spiritualiter. Neque enim spirituale quod dicitur, semper in laude accipiendum est. Novit Apostolus quædam spiritualia nequitiæ in cœlestibus, adversus quæ nobis colluctationem esse testatur (*Ephes.* VI, 12) : non autem essent etiam maligna spiritualia, si non essent etiam maligni spiritus. A spiritu enim spiritualia nominantur. Sed quomodo ista fiant, ut diabolicæ suggestiones immittantur, et humanis cogitationibus misceantur, ut eas tanquam suas deputet homo, unde scit homo? Nec dubitandum est etiam bonas suggestiones a bono spiritu ita latenter ac spiritualiter fieri : sed interest quibusnam earum mens humana consentiat, divino auxilio vel deserta per meritum, vel adjuta per gratiam. Factum ergo jam fuerat in corde Judæ per immissionem diabolicam, ut traderet discipulus magistrum, sed quem non didicerat Deum. Jam talis venerat ad convivium, explorator Pastoris, insidiator Salvatoris, venditor Redemptoris; jam talis venerat, et videbatur, et tolerabatur, et se ignorari arbitrabatur : quia in eo quem volebat fallere, fallebatur. At ille isto in ipso corde intus inspecto, nesciente scienter utebatur.

5. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Ergo et ipsum traditorem : nam si eum in manibus non haberet, non utique illo uteretur ut vellet. Proinde jam traditor traditus erat ei quem tradere cupiebat, atque ita malum tradendo faciebat, ut de illo tradito bonum fieret quod nesciebat. Sciebat enim Dominus quid faceret pro amicis, qui patienter utebatur inimicis : ac sic omnia dederat Pater in manus ejus, et in usum mala, et in effectum bona. *Sciens etiam quia a Deo exiit, et ad Deum vadit* : nec Deum, cum inde exiret; nec nos deserens, cum rediret.

6. Hæc ergo sciens, *surgit a cœna, et ponit vestimenta sua; et cum accepisset linteum, præcinxit se.*

[1] Mss., constanter habent : *Judas Simonis Scariotis.*
[2] Tredecim Mss., *jam consumptam atque transactam.*

Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat præcinctus. Debemus, dilectissimi, sensum Evangelistæ diligenter attendere. Locuturus quippe de tanta Domini humilitate, prius celsitudinem ejus voluit commendare. Ad hoc pertinet quod ait, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exiit, et ad Deum vadit.* Cum illi ergo omnia Pater dedisset in manus, ille discipulorum non manus, sed pedes lavit: et cum se sciret a Deo exiisse, et ad Deum pergere, non Dei Domini, sed hominis servi implevit officium. Ad hoc autem pertinet quod etiam de traditore ipsius, qui jam talis venerat, qui nec ab illo ignorabatur, præloqui voluit; ut hoc quoque ad maximum cumulum humilitatis accederet, quod etiam illi non dedignatus est pedes lavare, cujus manus jam prævidebat in scelere.

7. Quid autem mirum si surrexit a cœna, et posuit vestimenta sua, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit? Et quid mirum si præcinxit se linteo, qui formam servi accipiens habitu inventus est ut homo (*Philipp.* II, 6 *et* 7.)? Quid mirum si misit aquam in pelvim unde lavaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum? Quid mirum si linteo quo erat præcinctus, pedes quos laverat, tersit, qui carne qua erat indutus, Evangelistarum vestigia confirmavit? Et linteo quidem ut sé præcingeret, posuit vestimenta quæ habebat: ut autem formam servi acciperet quando semetipsum exinanivit, non quod habebat deposuit, sed quod non habebat accepit. Crucifigendus sane suis exspoliatus est vestimentis, et mortuus involutus est linteis: et tota illa ejus passio, nostra purgatio est. Passurus igitur exitia, præmisit obsequia; non solum eis pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem. Tanta est quippe humanæ humilitatis utilitas, ut eam suo commendaret exemplo etiam divina sublimitas: quia homo superbus in æternum periret, nisi illum Deus humilis inveniret. Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat (*Luc.* XIX, 10). Perierat autem superbiam deceptoris secutus, ergo humilitatem Redemptoris sequatur inventus.

TRACTATUS LVI.

Ab eo quod scriptum est, Venit ergo ad Simonem Petrum, *etc.*, *usque ad id*, Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. *Cap.* XIII, ℣. 6-10.

1. Cum lavaret pedes discipulorum Dominus, *Venit ad Simonem Petrum; et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes?* Quis enim non expavesceret lavari sibi pedes a Dei Filio? Quamvis itaque magnæ fuisset audaciæ contradicere servum Domino, hominem Deo: tamen hoc Petrus facere maluit, quam perpeti ut sibi pedes lavarentur a Domino et Deo. Nec putare debemus hoc Petrum inter cæteros formidasse atque recusasse, cum id alii ante ipsum libenter vel æquanimiter sibi fieri permisissent. Facilius quippe sic accipiuntur ista verba Evangelii, quia cum dictum esset, *Cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat præcinctus*; deinde subjunctum est, *Venit ergo ad Simonem Petrum*, quasi aliquibus jam lavisset, post eos venisset ad primum. Quis enim nesciat primum Apostolorum esse beatissimum Petrum? Sed non ita intelligendum est quod post aliquos ad illum venerit; sed quod ab illo cœperit. Quando ergo pedes discipulorum lavare cœpit, venit ad eum a quo cœpit, id est, ad Petrum: et tunc Petrus, quod etiam quilibet eorum expavisset, expavit, atque ait, *Domine, tu mihi lavas pedes?* Quid est, *tu?* quid est, *mihi?* Cogitanda sunt potius quam dicenda; ne forte quod ex his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua.

2. Sed *respondit Jesus, et dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.* Nec tamen ille dominici facti altitudine exterritus, permittit fieri quod cur fieret ignorabat; sed usque ad suos pedes humilem Christum adhuc non vult videre, non potest sustinere. *Non lavabis mihi*, inquit, *pedes in æternum.* Quid est, *in æternum?* Nunquam hoc feram, nunquam patiar, nunquam sinam: hoc quippe in æternum non fit, quod nunquam fit. Tum Salvator ægrum reluctantem, de ipsius salutis periculo exterrens: *Si non lavero te*, inquit, *non habebis partem mecum.* Ita dictum est, *Si non lavero te*, cum de solis pedibus ageretur; quomodo dici assolet, Calcas me, quando sola planta calcatur. At ille amore et timore perturbatus, et plus expavescens Christum sibi negari, quam usque ad suos pedes humiliari: *Domine*, ait, *non tantum pedes meos, sed et manus et caput.* Quandoquidem sic minaris, lavanda tibi membra mea, non solum ima non subtraho, verum etiam prima substerno. Ne mihi neges capiendam tecum partem, nullam tibi nego abluendam mei corporis partem

3. *Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non habet opus nisi pedes lavare, sed est mundus totus.* Hic moveatur fortassis quis, et dicat: Imo si mundus est totus, quid ei opus est vel pedes lavare? Dominus autem noverat quod dicebat, etiamsi nostra infirmitas ejus secreta non penetrat. Verumtamen quantum nos erudire et ex lege sua docere dignatur, pro captu meo, pro modulo meo, aliquid etiam ego de hujus quæstionis profunditate, illo adjuvante, respondeam: ac primum ipsam locutionem non sibi esse contrariam facillime ostendam. Quis enim non ita rectissime loqui possit, Mundus est totus, præter pedes? Elegantius autem loquitur si dicit, Mundus est totus, nisi pedes; quod tantumdem valet [1]. Hoc ergo ait Dominus, *Non habet opus nisi pedes lavare, sed est mundus totus.* Totus utique præter pedes, vel, nisi pedes, quos habet opus lavare.

4. Sed quid est hoc? quid sibi vult? quid hoc [2] necessarium est ut quæramus? Dominus dicit, veritas loquitur, quod opus habeat pedes lavare etiam ille qui lotus est. Quid, fratres mei, quid putatis? nisi

[1] Unus e Mss., *quos tantum lavet.*
[2] *Quid hic*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. M.

quia homo in sancto quidem Baptismo totus abluitur, non præter pedes, sed totus omnino : verumtamen cum in rebus humanis postea vivitur, utique terra calcatur. Ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur; et sic afficimur, ut si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus, et veritas in nobis non sit (I *Joan.* I, 8). Quotidie igitur pedes lavat nobis, qui interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34) : et quotidie nos opus habere ut pedes lavemus, id est, vias spiritualium gressuum dirigamus, in ipsa oratione dominica confitemur, cum dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). *Si enim confiteamur*, sicut scriptum est, *peccata nostra*, profecto ille qui lavit pedes discipulorum suorum, *fidelis est et justus qui dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate* (I *Joan.* I, 9), id est, usque ad pedes quibus conversamur in terra.

5. Proinde Ecclesia quam mundat Christus lavacro aquæ in verbo, non solum in illis est sine macula et ruga (*Ephes.* V, 26, 27), qui post lavacrum regenerationis continuo ex hujus vitæ contagione tolluntur, nec calcant terram ut opus habeant pedes lavare; verum etiam in iis quibus istam misericordiam præbens Dominus, fecit eos de sæculo isto lotis etiam pedibus emigrare. In his autem qui hic demorantur, etiamsi munda sit, quoniam juste vivunt; opus tamen habent pedes lavare, quoniam sine peccato utique non sunt. Propter hoc dicit in Cantico canticorum, *Lavi pedes meos; quomodo inquinabo illos* (*Cant.* V, 3)? Dicit enim hoc cum cogitur ad Christum venire, et terram calcare cum venit. Alia quæstio rursus exoritur. Nonne Christus sursum est? nonne ascendit in cœlum, et sedet ad dexteram Patris? nonne Apostolus clamat, et dicit, *Si ergo resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens, quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram* (*Coloss.* III, 1 *et* 2)? Quomodo ergo ut ad Christum eamus, terram calcare compellimur; cum potius nobis sursum cor habendum sit ad Dominum, ut cum illo esse possimus? Videtis, fratres, hodierni temporis angustias istam coarctare quæstionem. Quod et si vos forte minus videtis, ego utcumque video quantæ disputationis indigeat. Unde peto ut eam potius suspendi, quam vel negligentius vel angustius pertractari, non fraudata, sed dilata exspectatione patiamini. Aderit enim Dominus qui nos debitores facit, ut faciat etiam redditores.

TRACTATUS LVII.

Quonam modo Ecclesia timeat inquinare pedes, dum pergit ad Christum.

1. Non immemor mei debiti, jam reddendi tempus agnosco. Donet unde reddam, qui donavit ut debeam. Donavit enim dilectionem, de qua dictum est, *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis* (*Rom.* XIII, 8); donet etiam sermonem, quem video me debere dilectis. Exspectationem vestram ad hoc nempe distuleram, ut explicarem sicut possem, quemadmodum etiam per terram veniatur ad Christum; cum potius jubeamur quæ sursum sunt quærere, non quæ super terram (*Coloss.* III, 1, 2). Sursum enim Christus est sedens ad dexteram Patris : sed profecto et hic est; propter quod et Saulo in terra sævienti dicit, *Quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Ut autem hoc quærendum susciperemus, id tractabatur quod pedes Dominus discipulis lavit, cum jam ipsi discipuli loti essent, nec opus haberent, nisi pedes lavare. Ubi visum est intelligendum quod Baptismo quidem homo totus abluitur; sed dum isto postea vivit in sæculo, humanis affectibus terram velut pedibus calcans, ipsa scilicet conversatione vitæ hujus, contrahit unde dicat, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12). Ac sic etiam inde mundatur ab eo qui pedes lavit discipulis suis (*Joan.* XIII, 5), nec desinit interpellare pro nobis (*Rom.* VIII, 34). Hinc occurrerunt ex Cantico canticorum Ecclesiæ verba dicentis, *Lavi pedes meos; quomodo inquinabo eos?* cum vellet ire, et aperire ei qui venerat ad eam, et pulsaverat, sibique aperiri poposcerat, ille speciosus forma præ filiis hominum (*Psal.* XLIV, 3). Hinc quæstio nata est quam coarctare noluimus angustiis temporis, ideoque distulimus, quonam modo Ecclesia timeat inquinare pedes, dum pergit ad Christum, quos baptismate laverat Christi.

2. Sic enim ait : « Ego dormio, et cor meum vigilat; vox fratruelis mei pulsat ad januam. » Deinde dicit etiam ipse : « Aperi mihi, soror mea, proxima mea, columba mea, perfecta mea; quia caput meum repletum est rore, et crines mei noctis guttis. » Et respondet illa : « Exui me tunica mea; quomodo induam eam? Lavi pedes meos; quomodo inquinabo illos » (*Cant.* V, 2, 3)? O admirabile sacramentum! o grande mysterium! Ergone timet inquinare pedes, veniendo ad eum qui lavit suorum discipulorum pedes? Timet certe, quia per terram venit ad eum, qui etiam in terra est, quia suos hic constitutos non deserit. An non ipse ait, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20)? An non ipse ait, *Videbitis cœlos apertos, et Angelos Dei ascendentes et descendentes ad Filium hominis* (*Joan.* I, 51)? Si ascendunt ad eum propterea quia sursum est, quomodo ad eum descendunt, si non etiam hic est? Dicit ergo Ecclesia : *Lavi pedes meos; quomodo inquinabo eos?* In eis hoc dicit qui possunt omni fæce mundati dicere : *Cupio dissolvi et esse cum Christo, permanere autem in carne magis necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 23 *et* 24)? In eis hoc dicit qui prædicant Christum et aperiunt illi ostium, ut habitet per fidem in cordibus hominum (*Ephes.* III, 17). In his hoc dicit, cum deliberant utrum ministerium tale suscipiant, cui se minus idoneos existimant, ut sine culpa impleant, ne forte aliis prædicantes, ipsi reprobi fiant (I *Cor.* IX, 27). Tutius enim veritas auditur quam prædicatur : quoniam cum auditur, humilitas custoditur; cum autem prædicatur, vix non subrepit cuivis hominum quantulacumque jactantia, in qua utique inquinantur pedes.

3. Ergo, ut apostolus Jacobus dicit, *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum* (*Jacobi* I, 19). Dicit et alius homo Dei, *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exsultabunt ossa humiliata* (*Psal.* L, 10). Hoc est quod dixi, Cum veritas auditur, humilitas custoditur. Dicit et alius, *Amicus autem sponsi stat et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi* (*Joan.* III, 29). Fruamur auditu, sine strepitu nobis loquente intrinsecus veritate. Quanquam etiam cum forinsecus insonat per legentem, per annuntiantem, per prædicantem, per disputantem, per præcipientem, per consolantem, per exhortantem, per ipsum etiam cantantem atque psallentem; ipsi qui hæc agunt, inquinare pedes suos timeant, cum placere hominibus subrepente amore humanæ laudis affectant. Cæterum qui eos audit libenter et pie, non habet locum jactandi se in laboribus alienis; et non inflatis ossibus, sed humiliatis gaudio gaudet propter vocem dominicæ veritatis. Proinde in eis qui libenter et humiliter audire noverunt, et vitam quietam in studiis dulcibus et salubribus agunt, sancta delicietur Ecclesia, et dicat, *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Quid est, *Ego dormio, et cor meum vigilat*; nisi, ita quiesco ut audiam? Otium meum non impenditur nutriendæ desidiæ, sed percipiendæ sapientiæ. *Ego dormio, et cor meum vigilat* : vaco, et video quoniam tu es Dominus (*Psal.* XLV, 1) : quia *sapientia scribæ in tempore otii; et qui minoratur actu, ipse percipiet eam* (*Eccli.* XXXVIII, 25). *Ego dormio, et cor meum vigilat* : ego requiesco a negotiosis actibus, et animus meus divinis se intendit affectibus [1].

4. Sed in iis qui isto modo suaviter et humiliter requiescunt, dum otiose oblectatur Ecclesia, ecce pulsat ille qui ait : « Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicate super tecta » (*Matth.* X, 27). Vox ergo ejus pulsat ad januam, et dicit : « Aperi mihi, soror mea, proxima mea, columba mea, perfecta mea; quia caput meum repletum est rore, et crines mei noctis guttis. » Velut si diceret, Tu vacas, et contra me ostium clausum est [2] : tu studes otio paucorum, et abundante iniquitate refrigescit charitas multorum (*Id.* XXIV, 12). Nox quippe, iniquitas est : ros vero ejus et guttæ, hi sunt qui refrigescunt et cadunt, et faciunt refrigescere caput Christi, hoc est, ut non ametur Deus. Caput enim Christi Deus (I *Cor.* XI, 3). Sed portantur in crinibus, id est, in sacramentis visibilibus tolerantur : nequaquam interiora sensus attingunt. Pulsat ergo ut excutiat quietem sanctis otiosis, et clamat, *Aperi mihi*, de sanguine meo *soror mea*, de accessu meo *proxima mea*, de spiritu meo *columba mea*, de sermone meo quem plenius ex otio didicisti *perfecta mea*; aperi mihi, prædica me. Ad eos quippe qui clauserunt contra me, quomodo intrabo sine aperiente? quomodo enim audient sine prædicante (*Rom.* X, 14)?

5. Hinc fit ut etiam hi qui amant otium studiorum bonorum, et nolunt perpeti laboriosarum molestias actionum, eo quod minus idoneos ad hæc ministranda, et sine reprehensione agenda se sentiunt; mallent, si fieri posset, sanctos apostolos et prædicatores veritatis antiquos excitari adversus abundantiam iniquitatis, qua fervor friguit charitatis. Sed in eis qui jam de corpore exierunt, et carnis indumento exspoliati sunt (neque enim ab ea separati sunt), respondet Ecclesia, *Exui me tunica mea; quomodo induam eam?* Recipietur quidem illa tunica, et in eis qui jam exuti sunt, rursus vestietur carne Ecclesia : non tamen nunc quando fervefaciendi sunt frigidi, sed tunc quando resurrecturi sunt mortui. Passa ergo difficultatem propter inopiam prædicatorum, et recolens illa sua membra sana sermonibus, sancta moribus, sed jam exuta corporibus, ingemit et dicit Ecclesia, *Exui me tunica mea; quomodo induam eam?* Membra illa mea quæ Christo aperire evangelizando excellentissime potuerunt, quomodo ad corpora quibus exuta sunt, redire nunc possunt?

6. Deinde respiciens ad eos qui prædicare, et populos acquirere ac regere, ac sic Christo aperire utcumque possunt, sed in his difficultatibus actionum peccare metuunt, *Lavi*, inquit, *pedes meos; quomodo inquinabo illos?* Quisquis enim in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Et quis est perfectus? quis est qui non offendit in tanta abundantia iniquitatis, tanto frigore charitatis? *Lavi pedes meos; quomodo inquinabo eos?* Quandoquidem lego, et audio, *Nolite multi magistri fieri, fratres, quoniam majus judicium sumitis: in multis enim offendimus omnes* (*Jacobi.* III, 1, 2). *Lavi pedes meos; quomodo inquinabo eos?* Sed ecce surgo, et aperio. Christe, lava eos, *Dimitte nobis debita nostra*, quoniam non est exstincta charitas nostra : quia *et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Quando te audimus, exsultant tecum in cœlestibus ossa humiliata (*Psal.* L, 10). Sed quando te prædicamus, terram calcamus ut tibi aperiamus : et ideo si reprehendimur, perturbamur; si laudamur, inflamur. Lava pedes nostros ante mundatos, sed cum ad aperiendum tibi per terram pergimus, inquinatos. Hæc vobis hodie satis sint, dilectissimi. Si quid secus quam oportuit dicentes fortassis offendimus, vel laudibus vestris immoderatius quam oportuit elevati sumus; impetrate mundationem pedibus nostris, Deo placentibus orationibus vestris.

TRACTATUS LVIII.

Ab eo quod Dominus dicit, Et vos mundi estis, sed non omnes; *usque ad id*, Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. *Cap.* XIII, ỹ. 10-15.

1. Jam illa verba Evangelii, ubi Dominus lavans pedes discipulis suis, ait, *Qui lotus est semel, non habet necessitatem nisi pedes lavare, sed est mundus totus* (*Joan.* XIII, 10), Dilectioni vestræ, ut Dominus donare dignatus est, exposuimus : nunc quod sequitur videamus. *Et vos*, inquit, *mundi estis, sed non omnes.* Hoc quid sit ne quæreremus, ipse Evangelista patefecit, adjungens : *Sciebat enim quisnam esset qui*

[1] Tres Mss., *affatibus.*
[2] Mss., *et contra me clausum est;* omissa voce, *ostium.*

traderet eum; propterea dixit : Non estis mundi omnes. Quid hoc apertius ? Proinde ad sequentia transeamus.

2. *Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua; cum recubuisset iterum, dixit eis : Scitis quid fecerim vobis?* Nunc est ut beato Petro reddatur illa promissio : dilatus enim fuerat, quando expavescenti, et dicenti, *Non lavabis mihi pedes in æternum*, responsum est ei, *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea* (*Ibid.* 8, 7). Ecce est ipsum postea; jam tempus est ut dicatur quod paulo ante dilatum est. Memor itaque Dominus se promisisse jam dudum scientiam facti sui tam inopinati, tam mirabilis, tam expavescendi, et nisi ipse vehementer terruisset, nullo modo sinendi, ut magister non tantum ipsorum, sed Angelorum, et Dominus non tantum ipsorum, sed rerum omnium, lavaret pedes discipulorum et servorum suorum : hujus ergo tanti facti quoniam promiserat scientiam dicens, *Scies autem postea;* quid sit quod fecit, docere nunc incipit.

3. *Vos*, inquit, *vocatis me, Magister, et Domine : et bene dicitis; sum etenim. Bene dicitis*, quia verum dicitis; sum quippe quod dicitis. Homini præceptum est, *Non te laudet os tuum, sed laudet te os proximi tui* (*Prov.* XXVII, 2). Periculosum est enim sibi placere, cui cavendum est superbire. Ille autem qui super omnia est, quantumcumque se laudet, non se extollit excelsus : nec potest recte dici arrogans Deus. Nobis namque expedit eum nosse, non illi : nec eum quisque cognoscit, si non se indicet ipse qui novit. Si ergo non se laudando quasi arrogantiam vitare voluerit, nobis sapientiam denegabit. Et magistrum quidem quod se esse dicit, nemo reprehenderet, etiam qui eum nihil esse aliud quam hominem crederet; quoniam id profitetur quod et ipsi homines in quibuslibet artibus usque adeo sine arrogantia profitentur, ut professores vocentur. Quod vero dominum et ipse se dicit discipulorum suorum, cum sint illi etiam secundum sæculum ingenui, quis ferat in homine? Sed Deus loquitur. Nulla est hic elatio tantæ celsitudinis, nullum mendacium veritatis : nobis subjacere illi utile est celsitudini, nobis servire utile est veritati. Quod se Dominum dicit, non illi vitium est, sed nobis beneficium. Cujusdam sæcularis auctoris verba laudantur, quia dixit, « Cum omnis arrogantia odiosa est, « tum illa ingenii et eloquentiæ multo molestissima » (*Cic. in Q. Cæcilium*) : et tamen idem ipse cum de sua eloquentia loqueretur, « Dicerem, inquit, per« fectam, si ita judicarem ; nec in veritate crimen ar« rogantiæ pertimescerem » (*Id. in Oratore*). Si igitur ille homo eloquentissimus in veritate arrogantiam non timeret, quomodo arrogantiam ipsa veritas timet? Dicat se Dominum qui Dominus est, dicat verum qui veritas est; ne non discam ego quod utile est, dum tacet ille quod est. Beatissimus Paulus, non utique unigenitus Dei Filius, sed unigeniti Dei Filii servus et apostolus; non veritas, sed particeps veritatis; ait libere et constanter, *Et si voluero gloriari, non ero insipiens; veritatem enim dico* (II *Cor.* XII, 6). Neque enim in seipso, sed in ipsa veritate quæ superior est ipso, et humiliter et veraciter gloriaretur : quoniam et ipse præcepit ut qui gloriatur in Domino glorietur(I *Cor.* I, 31). Itane non timeret insipientiam, si gloriari vellet amator sapientiæ; et in gloria sua timeret insipientiam ipsa sapientia? Non timuit arrogantiam qui dixit, *In Domino laudabitur anima mea* (*Psal.* XXXIII, 3); et in laude sua timeret arrogantiam potestas Domini, in qua laudatur anima servi? *Vos*, inquit, *vocatis me, Magister, et Domine : et bene dicitis; sum etenim.* Ideo bene dicitis, quia sum : nam si non essem quod dicitis, male diceretis, etiamsi me laudaretis. Quomodo ergo negaret veritas, quod dicunt discipuli veritatis? quomodo quod dicunt qui didicerunt, negaret ipsa unde didicerunt? Quomodo fons negat quod bibens prædicat? quomodo lux occultat quod videns indicat?

4. « Si ergo, inquit, ego lavi pedes vestros Dominus et Magister, debetis et vos alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, et vos ita faciatis. » Hoc est, beate Petre, quod nesciebas, quando fieri non sinebas. Hoc tibi postea sciendum promisit, quando ut sineres terruit te Magister tuus et Dominus tuus, lavans pedes tuos. Didicimus, fratres, humilitatem ab Excelso; faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit Excelsus. Magna est hæc commendatio humilitatis : et faciunt sibi hoc invicem fratres, etiam opere ipso visibili, cum se invicem hospitio recipiunt; est enim apud plerosque consuetudo hujus humilitatis, usque ad factum quo cernatur expressa. Unde Apostolus cum viduam bene meritam commendaret, *Si hospitio*, inquit, *recepit, si sanctorum pedes lavit* (I *Tim.* V, 10). Et apud sanctos ubicumque hæc consuetudo non est, quod manu non faciunt, corde faciunt, si in illorum numero sunt quibus dicitur in hymno beatorum trium virorum, *Benedicite, sancti et humiles corde, Domino* (*Dan.* III, 87). Multo autem est melius, et sine controversia verius, ut etiam manibus fiat; nec dedignetur quod fecit Christus, facere christianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel excitatur, vel si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus.

5. Sed excepto isto morali intellectu, ita nos hujus dominici facti altitudinem commendasse meminimus, quod lavando pedes jam lotorum atque mundorum discipulorum, significaverit Dominus propter humanos quibus in terra versamur affectus, ut quamtumlibet profecerimus in apprehensione justitiæ, sciamus nos sine peccato non esse : quod subinde abluit interpellando pro nobis, cum oramus Patrem qui in cœlis est, ut debita nostra dimittat nobis, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (*Matth.* VI, 12). Quomodo ergo ad hunc intellectum poterit pertinere hoc quod ipse postea docuit, ubi sui facti exposuit rationem dicens, « Si ergo ego lavi vestros pedes Dominus et Magister, debetis et vos alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego vobis feci, ita et vos faciatis! » Numquid dicere possumus quod etiam frater fratrem a delicti poterit contagione mundare? Imo vero id etiam nos esse admoni-

tos in hujus dominici operis altitudine noverimus, ut confessi invicem delicta nostra oremus pro nobis, sicut et Christus interpellat pro nobis (*Rom.* VIII, 34). Audiamus Apostolum Jacobum hoc ipsum evidentissime præcipientem et dicentem, *Confitemini invicem delicta vestra, et orate pro vobis (Jacobi* V, 16). Quia et ad hoc Dominus nobis dedit exemplum. Si enim ille qui nullum peccatum nec habet, nec habuit, nec habebit, orat pro peccatis nostris; quanto magis nos invicem pro nostris orare debemus? Et si dimittit nobis ille cui non habemus quod dimittamus; quanto magis dimittere nobis debemus invicem, qui sine peccato hic vivere non valemus? Quid enim videtur in hac altitudine sacramenti Dominus significare, cum dicit, « Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis; » nisi quod apertissime dicit Apostolus, « Donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos » (*Coloss.* III, 13)! Invicem itaque nobis delicta donemus, et pro nostris delictis invicem oremus, atque ita quodammodo invicem pedes nostros lavemus. Nostrum est, donante ipso, ministerium charitatis et humilitatis adhibere: illius est exaudire, ac nos ab omni peccatorum contaminatione mundare per Christum, et in Christo; ut quod aliis etiam dimittimus, hoc est in terra solvimus, solvatur in cœlo.

TRACTATUS LIX.

Ab eo quod Dominus dicit, Amen, amen dico vobis; non est servus major domino suo; *usque ad id*, Qui autem me accipit, accipit eum qui misit me. *Cap.* XIII, ℣. 16-20.

1. Audivimus in sancto Evangelio loquentem Dominum atque dicentem, « Amen, amen dico vobis; non est servus major domino suo, neque apostolus major eo qui misit illum: si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. » Hoc ideo dixit, quia laverat discipulorum pedes, magister humilitatis et verbo et exemplo: sed poterimus ea quæ sunt operosius disserenda ipso adjuvante disserere, si non in eis quæ manifesta sunt immoremur. Cum ergo hæc Dominus præmisisset, adjunxit, « Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim: sed ut impleatur Scriptura, Qui manducat panem mecum, levabit super me calcaneum suum. » Hoc quid est aliud nisi, conculcabit me? Notum est de quo loquatur; Judas ille traditor ejus attingitur. Ergo ipsum non elegerat, unde ab eis quos elegit, isto sermone secernit. Quod ergo dico, inquit, *Beati eritis si feceritis ea, non de omnibus vobis dico:* est inter vos qui non erit beatus, neque faciet ea. *Ego scio quos elegerim.* Quos, nisi eos qui beati erunt faciendo quæ præcepit, ac facienda monstravit, qui efficere beatos potest? Non est, inquit, traditor Judas electus. Quid est ergo quod alio loco dicit, *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI, 71)? An et ipse ad aliquid est electus, ad quod utique erat necessarius; non autem ad beatitudinem, de qua modo ait, *Beati eritis si feceritis ea?* Hoc non de omnibus dicit: scit enim quos ad societatem beatitudinis hujus elegerit. Non est ex eis iste qui panem illius sic edebat, ut super eum levaret calcaneum. Illi manducabant panem Dominum, ille panem Domini contra Dominum: illi vitam, ille pœnam. « Qui enim manducat indigne » ait Apostolus, « judicium sibi manducat » (I *Cor.* XI, 29). « Amodo, » inquit, « dico vobis, priusquam fiat; ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum: » id est, ego sum de quo illa Scriptura præcessit, ubi dictum est, *Qui manducat mecum panem, levabit super me calcaneum.*

2. Deinde sequitur, et dicit: *Amen, amen dico vobis; qui accipit si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.* Tantumne distare intelligi voluit inter eum quem mittit et seipsum, quantum inter seipsum et Patrem Deum? Hoc si isto modo acceperimus, nescio quos gradus, quod absit, Arianorum more faciemus. Illi quippe cum audiunt hæc evangelica verba, seu legunt, statim ad illos gradus sui dogmatis currunt, quibus non ascendunt ad vitam, sed præcipitantur in mortem. Continuo quippe dicunt: Quantum apostolus Filii distat a Filio, quamvis dixerit, *Qui accipit si quem misero, me accipit*; tantum et Filius distat a Patre, quamvis dixerit, *Qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.* Sed si hoc dicis, oblitus es, hæretice, gradus tuos. Si enim tanto intervallo propter hæc Domini verba Filium a Patre, quantum apostolum distinguis a Filio, ubi positurus es Spiritum sanctum? Excidítne tibi, eum vos ponere solere post Filium? Erit ergo ipse inter apostolum et Filium; et multo amplius distabit Filius ab apostolo quam Pater a Filio. An forte, ut inter Filium et apostolum, atque inter Patrem et Filium maneat paribus intervallis ista distinctio, æqualis erit Spiritus sanctus Filio? Sed nec hoc vultis. Ubi ergo eum posituri estis, si quanta Filium Patri, tanta apostolum Filio discretione supponitis? Cohibete itaque vestræ præsumptionis audaciam; et in his verbis nolite quærere quantam Filii et apostoli, tantam Patris Filiique distantiam. Ipsum Filium audite potius dicentem, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Ubi veritas vobis inter Genitorem et Unigenitum nullam distantiæ suspicionem reliquit, ubi gradus vestros Christus elisit, ubi scalas vestras petra confregit.

3. Sed hæreticorum calumnia refutata, quonam modo nos accepturi sumus hæc dominica verba, *Qui accipit si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit?* Si enim voluerimus intelligere ideo dictum, *Qui me accipit, accipit eum qui me misit*, quod unius naturæ sint Pater et Filius; consequens videbitur ex eorumdem verborum regula, qua dictum est, *Qui accipit si quem misero, me accipit*, ut unius naturæ sit Filius et apostolus. Posset quidem non inconvenienter et hoc intelligi, quoniam geminæ est ille gigas substantiæ, qui exsultavit ad currendam viam (*Psal.* XVIII, 6): Verbum enim caro factum est (*Joan.* I, 14), hoc est, Deus homo factus est. Proinde ita dixisse posset videri, *Qui accipit si quem misero, me accipit* secundum hominem: *Qui au-*

tem me secundum Deum *accipit, accipit eum qui me misit.* Sed cum ista dicebat, non ab illo naturæ unitas; sed in eo qui mittitur, mittentis commendabatur auctoritas. Sic itaque cum qui missus est unusquisque accipiat, ut in illo eum qui misit attendat. Si ergo attendas Christum in Petro, invenies discipuli præceptorem; si autem attendas Patrem in Filio, invenies Unigeniti Genitorem : ac sic in eo qui missus est, sine ullo accipis errore mittentem. Ea quæ sequuntur in Evangelio, non sunt temporis brevitate coarctanda. Et ideo sermo iste, charissimi, velut ovium sanctarum cibus, si sufficit, salubriter capiatur; si exiguus est, desiderabiliter ruminetur.

TRACTATUS LX.

In illud, Cum hæc dixisset Jesus turbatus est spiritu. *Cap.* XIII, ℣. 21.

1. Non parva, fratres, ex Evangelio beati Joannis nobis proponitur quæstio, ubi ait : *Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit : Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Hincne turbatus est Jesus, non carne, sed spiritu, quia dicturus fuerat, *Unus ex vobis tradet me?* Numquidnam illi hoc tunc primum venit in mentem, vel tunc primum ei subito revelatum est, eumque repentina tanti mali novitas turbavit? Nonne hinc paulo ante loquebatur dicens, *Qui manducat mecum panem, levabit super me calcaneum?* Nonne etiam jam superius dixerat, *Et vos mundi estis, sed non omnes?* Ubi Evangelista subjunxit, *Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum* (*Joan.* XIII, 18, 10, 11): quem jam et ante significaverat dicens, *Nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est* (*Id.* VI, 71)? Quid est ergo quod nunc *turbatus est spiritu*, cum *protestatus est, et dixit : Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me?* An quia eum jam fuerat expressurus, ut non lateret in cæteris, sed discerneretur a cæteris, ideo *turbatus est spiritu?* An quia ipse traditor jam fuerat exiturus, ut Judæos, quibus Dominus ab eo traderetur, adduceret, turbavit eum imminens passio, et periculum proximum, et traditoris impendens manus, cujus fuerat præcognitus animus? Tale quippe hoc est quod Jesus *turbatus est spiritu*, quale etiam illud quod ait, *Nunc anima mea turbata est; et quid dicam? Pater, salva me ex hora hac; sed propterea veni in horam hanc* (*Id.* XII, 27). Sicut ergo tunc ejus anima turbata est hora propinquante passionis; ita etiam nunc exituro Juda atque venturo, et propinquante tanto scelere traditoris, *turbatus est spiritu.*

2. Turbatus est ergo potestatem habens ponendi animam suam, et potestatem habens iterum sumendi eam (*Id.* X, 18). Turbatur tam ingens potestas, turbatur petræ firmitas : an potius in eo nostra turbatur infirmitas? Ita vero : nihil indignum credant servi de Domino suo, sed agnoscant se membra in capite suo. Qui mortuus est pro nobis, turbatus est idem ipse pro nobis. Qui ergo potestate mortuus est, potestate turbatus est : qui transfiguravit corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriæ suæ (*Philipp.* III, 21), transfiguravit etiam in se affectum infirmitatis nostræ, compatiens nobis affectu animæ suæ. Proinde quando turbatur magnus, fortis, certus, invictus, non ei timeamus quasi deficiat; non perit, sed nos quærit. Nos, inquam, nos omnino sic quærit : nos ipsos in illius perturbatione videamus, ut quando turbamur, non desperatione pereamus. Quando turbatur qui non turbaretur nisi volens, eum consolatur qui turbatur et nolens.

3. Pereant argumenta philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi (*I Cor.* I, 20); et Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt (*Psal.* XCIII, 11). Turbetur plane animus christianus, non miseria, sed misericordia : timeat ne pereant homines Christo, contristetur cum perit aliquis Christo; concupiscat acquiri homines Christo, lætetur cum acquiruntur homines Christo : timeat et sibi ne pereat Christo, contristetur peregrinari se a Christo; concupiscat regnare cum Christo, lætetur dum sperat se regnaturum esse cum Christo. Istæ sunt certe quatuor quas perturbationes vocant, timor et tristitia, amor et lætitia. Habeant eas justis de causis animi christiani, nec philosophorum Stoicorum, vel quorumcumque similium consentiatur errori : qui profecto quemadmodum vanitatem existimant veritatem, sic stuporem deputant sanitatem; ignorantes sic hominis animum, quemadmodum corporis membrum, desperatius ægrotare, quando et doloris amiserit sensum.

4. Sed dicit aliquis : Numquid animus christiani debet etiam morte impendente turbari? Ubi est enim quod ait Apostolus, concupiscentiam se habere dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23); si illud quod concupiscit, potest eum turbare cum venerit? Facile est quidem istis ad hæc respondere, qui et ipsam lætitiam perturbationem vocant. Quid si enim propterea morte imminente turbatur, quia morte imminente lætatur? Sed hoc, inquiunt, gaudium, non lætitia nominanda est. Quid est hoc, nisi easdem res sentire, et rerum nomina velle mutare? Verum nos sacris Litteris accommodemus auditum, et secundum ipsas potius istam quæstionem Domino adjuvante solvamus : nec quoniam scriptum est, *Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu*, dicamus eum lætitia fuisse turbatum; ne verbis suis nos ipse convincat ubi dicit, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38.) Tale aliquid etiam hic intelligendum est, quando suo traditore jam tunc solo exituro, et cum suis sociis continuo redituro, *Jesus turbatus est spiritu.*

5. Firmissimi quidem sunt christiani, si qui sunt, qui nequaquam morte imminente turbantur : sed numquid Christo firmiores? Quis hoc insanissimus dixerit? Quid est ergo quod ille turbatus est, nisi quia infirmos in suo corpore, hoc est in sua Ecclesia, suæ infirmitatis voluntaria similitudine consolatus est : ut si qui suorum adhuc morte imminente tur-

bantur in spiritu, ipsum intueantur, ne hoc ipso se putantes reprobos, pejore desperationis morte sorbeantur? Quantum itaque bonum de participatione divinitatis ejus exspectare et sperare debemus, cujus nos et perturbatio tranquillat, et infirmitas firmat? Sive ergo isto loco ipsum Judam pereuntem miserando turbatus est, sive sua morte propinquante turbatus est : non est tamen ullo modo dubitandum, non eum animi infirmitate, sed potestate turbatum; ne nobis desperatio salutis oriatur, quando non potestate, sed infirmitate turbamur. Carnis quippe ille gerebat infirmitatem, quæ infirmitas resurrectione consumpta est. Sed qui non solum homo, verum etiam Deus erat, ineffabili distantia universum genus humanum animi fortitudine superabat. Non ergo aliquo est cogente turbatus, sed turbavit semetipsum; quod de illo evidenter expressum est, quando Lazarum suscitavit : nam ibi scriptum est quod turbaverit semetipsum (*Joan.* XI, 33), ut hoc intelligatur et ubi non scriptum legitur, et tamen eum legitur fuisse turbatum. Affectum quippe humanum, quando oportuisse judicavit, in seipso potestate commovit, qui hominem totum potestate suscepit.

TRACTATUS LXI.

Ab eo quod Dominus ait, Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me; *usque ad id*, Ille est cui ego tinctum panem porrexero. *Cap.* XIII, ℣. 21-26.

1. Hoc Evangelii capitulum, fratres, ita nobis exponendum hac lectione propositum est, ut jam etiam de traditore Domini per panem tinctum eique porrectum satis evidenter expresso aliquid dicere debeamus. Et de illo quidem, quod eum jam demonstraturus Jesus turbatus est spiritu, præterito sermone disserui : sed fortassis quod ibi non dixi, etiam hoc nobis Dominus significare sua perturbatione dignatus est, quod scilicet falsos fratres, et dominici agri illa zizania ita necesse est usque ad messis tempus inter frumenta tolerari (*Matth.* XIII, 29, 30), ut quando ex eis aliqua separari etiam ante messem urgens causa compellit, fieri sine Ecclesiæ perturbatione non possit. Hanc perturbationem sanctorum suorum per schismaticos et hæreticos futuram, quodammodo prænuntians Dominus, præfiguravit in seipso, cum exituro Juda homine malo, et commixtionem frumenti, in qua diu fuerat toleratus, separatione apertissima relicturo, turbatus est non carne, sed spiritu. Spirituales enim ejus in hujusmodi scandalis non perversitate, sed charitate turbantur; ne forte in separatione aliquorum zizaniorum, simul aliquod eradicetur et triticum.

2. *Turbatus* itaque *est Jesus spiritu, et protestatus est, et dixit : Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Unus ex vobis*, numero, non merito; specie, non virtute; commixtione corporali, non vinculo spirituali; carnis adjunctione, non cordis socius unitate : proinde non qui ex vobis est, sed qui ex vobis exiturus est. Nam quomodo erit verum quod protestatus est Dominus, et dixit, *Unus ex vobis;* si verum est quod ait idem ipse in Epistola sua, cujus est hoc Evangelium, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis : nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum* (I *Joan.* II, 19)? Non erat igitur ex illis Judas : mansisset enim cum illis, si esset ex illis. Quid est ergo, *Unus ex vobis tradet me;* nisi, unus ex vobis exiturus est, qui me tradet? Quia et ille qui ait, *Si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum;* jam dixerat, *Ex nobis exierunt.* Ac per hoc utrumque verum est, et *ex nobis*, et *non ex nobis :* secundum aliud *ex nobis*, secundum aliud *non ex nobis;* secundum communionem Sacramentorum *ex nobis*, secundum suorum proprietatem criminum, *non ex nobis.*

3. *Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret.* Sic quippe in eis erat erga Magistrum suum pia charitas, ut tamen eos humana alterum de altero stimularet infirmitas. Nota quidem sibi erat cujusque conscientia; verumtamen quia proximi erat ignota, ita sibi unusquisque erat certus, ut incerti essent et in cæteris singuli, et in singulis cæteri.

4. *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.* Quid dixerit, *in sinu*, paulo post ait, ubi dicit, *supra pectus Jesu.* Ipse est Joannes cujus est hoc Evangelium, sicut postea manifestat (*Joan.* XXI, 20-24). Erat enim eorum hæc consuetudo qui sacras Litteras nobis ministrarunt, ut quando ab aliquo eorum divina narrabatur historia, cum ad seipsum veniret, tanquam de alio loqueretur; et sic se insereret ordini narrationis suæ, tanquam rerum gestarum scriptor, non tanquam sui ipsius prædicator. Nam et hoc sanctus Matthæus fecit, qui cum in textu narrationis suæ venisset ad seipsum, *Vidit*, inquit, *in telonio sedentem quemdam publicanum, nomine Matthæum, et ait illi, Sequere me* (*Matth.* IX, 9) : non ait, Vidit me, et dixit mihi. Hoc fecit et beatus Moyses, ita de seipso tanquam de alio cuncta narravit, et ait : *Dixit Dominus ad Moysen* (*Exod.* VI, 1). Inusitatius apostolus Paulus, non in historia, ubi rerum gestarum suscipitur explicanda narratio, sed in Epistola hoc fecit. Nam utique de seipso ait : *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim* (*sive in corpore, sive extra corpus, nescio; Deus scit*), *raptum hujusmodi usque in tertium cœlum* (II *Cor.* XII, 2). Quocirca quod etiam hic beatus Evangelista non ait, Eram recumbens in sinu Jesu, sed ait, *Erat recumbens unus ex discipulis;* nostrorum auctorum consuetudinem agnoscamus potius quam miremur. Quid enim deperit veritati, quando et res ipsa dicitur, et modo quodam dicendi jactantia devitatur? Hoc quippe narrabat quod ad ejus laudem maximam pertinebat.

5. Quid est autem, *quem diligebat Jesus?* Quasi alios non diligeret, de quibus idem ipse Joannes superius ait, *In finem dilexit eos* (*Joan.* XIII, 1). Et ipse Dominus, *Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Id.* XV, 13). Et quis enumeret omnia divinarum testimonia paginarum, quibus Dominus Jesus, non illius neque eorum quæ tunc erant tantum, sed etiam post futurorum mem-

brorum suorum, et totius Ecclesiæ suæ dilector ostenditur? Sed profecto latet hic aliquid, et pertinet ad sinum in quo recumbebat qui ista dicebat. Per sinum quippe quid significatur aliud quam secretum? Sed alius est opportunior locus, ubi nobis Dominus aliquid donet de hoc secreto, quantum sufficiat, dicere.

6. *Innuit ergo Simon Petrus, et dicit ei.* Notanda locutio est, dici aliquid non sonando, sed tantummodo innuendo : *Innuit*, inquit, *et dicit;* utique innuendo dicit. Si enim cogitando aliquid dicitur, sicut Scriptura loquitur, *Dixerunt apud semetipsos* (*Sap.* II, 1); quanto magis innuendo, ubi jam foras qualibuscumque signis promitur quod fuerat corde conceptum? Quid ergo dixit innuendo? Quid, nisi quod sequitur? *Quis est de quo dicit?* Hæc verba Petrus innuit; quia non sono vocis, sed motu corporis dixit. *Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu.* Hic est utique pectoris sinus, sapientiæ secretum. *Dicit ei : Domine, quis est? Respondit Jesus : Ille est cui ego tinctum panem porrexero. Et cum tinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ. Et post panem, tunc introivit in illum satanas.* Expressus est traditor, nudatæ sunt latebræ tenebrarum. Bonum est quod accepit, sed malo suo accepit, quia male bonum malus accepit. Verum de isto pane tincto qui porrectus est ficto, et de his quæ sequuntur, multa dicenda sunt : quibus necessarium est plus temporis, quam nunc habemus jam in istius fine sermonis.

TRACTATUS LXII.

Ab eo quod scriptum est, Et cum tinxisset panem, dedit Judæ; *usque ad id,* Nunc clarificatus est Filius hominis. *Cap.* XIII, ℣. 26-31.

1. Scio, charissimi, moveri posse nonnullos, sive pios ut requirant, sive impios ut reprehendant, quod posteaquam panem tinctum traditori suo Dominus dedit, intraverit in illum satanas. Sic enim scriptum est : *Et cum tinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ; et post panem tunc introivit in illum satanas.* Dicunt enim : Itane hoc meruit panis Christi porrectus de mensa Christi, ut post illum intraret in ejus discipulum satanas? Quibus respondemus, hinc nos potius doceri quam sit cavendum male accipere bonum. Multum quippe interest, non quid accipiat, sed quis accipiat; nec quale sit quod datur, sed qualis sit ipse cui datur. Nam et bona obsunt, et mala prosunt, sicut fuerint quibus dantur. *Peccatum*, inquit Apostolus, *ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem* (*Rom.* VII, 13). Ecce per bonum factum est malum, dum male accipitur bonum. Itemque ipse ait, « In magnitudine revelationum mearum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut auferret eum a me, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur » (II *Cor.* XII, 7-9). Ecce per malum factum est bonum, dum bene accipitur malum. Quid ergo miraris si datus est Judæ panis Christi, per quem manciparetur diabolo; cum videas e contrario datum Paulo angelum diaboli, per quem perficeretur in Christo? Ita et malo bonum obfuit, et malum bono profuit. Recordamini unde sit scriptum, *Quicumque manducaverit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini* (I *Cor.* XI, 27). Et de his erat sermo, cum hoc Apostolus diceret, qui Domini corpus velut alium cibum quemlibet indiscrete negligenterque sumebant. Hic ergo si corripitur qui non dijudicat, hoc est, non discernit a cæteris cibis Dominicum corpus; quo modo damnatur [1] qui ad ejus mensam fingens amicum, accedit inimicus? Si reprehensione tangitur negligentia convivantis, qua pœna percutitur venditor invitantis? Quid erat autem panis traditori datus, nisi demonstratio cui gratiæ fuisset ingratus?

2. Intravit ergo post hunc panem satanas in Domini traditorem, ut sibi jam traditum plenius possideret, in quem prius intraverat ut deciperet. Neque enim non in illo erat quando perrexit ad Judæos, et de pretio tradendi Domini pactus est, cum hæc apertissime Lucas evangelista testetur et dicat : *Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim; et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum* (*Luc.* XXII, 3 *et* 4). Ecce ubi ostenditur quod jam intraverat satanas in Judam. Prius ergo intraverat, immittendo in cor ejus cogitationem qua traderet Christum : talis enim jam venerat ad cœnandum. Nunc autem post panem intravit in eum, non ut adhuc alienum tentaret, sed ut proprium possideret.

3. Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Christi corpus accepit. Intelligendum est enim quod jam omnibus eis distribuerat Dominus Sacramentum corporis et sanguinis sui, ubi et ipse Judas erat, sicut sanctus Lucas evidentissime narrat (*Ibid.*, 19-21) : ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis apertissime Dominus per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem, fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem [2]. Non enim omnia quæ tinguntur, abluuntur; sed ut inficiantur, nonnulla tinguntur. Si autem bonum aliquid hic significat tinctio, eidem bono ingratum non immerito est secuta damnatio.

4. Adhuc tamen Judæ possesso, non a Domino, sed a diabolo, cum homini ingrato intrasset panis in ventrem, hostis in mentem : adhuc, inquam, tanti mali jam corde concepti plenus restabat effectus, cujus jam præcesserat damnandus affectus. Itaque cum Dominus panis vivus panem mortuo tradidisset, et panem tradendo panis traditorem ostendisset : *Quod facis*, inquit, *fac citius.* Non præcepit facinus; sed prædixit Judæ malum, nobis bonum. Quid enim Judæ pejus, et quid nobis melius quam traditus Christus, ab illo adversus illum, pro nobis præter illum? *Quod facis, fac citius.* O verbum libentius parati, quam irati! o verbum non tam pœnam exprimens prodito-

[1] Sic omnes Mss. At Editi, *quomodo non damnatur.*
[2] Mss. plerique, *factionem* : minus bene, ut patet ex Tract. 61, n. 6.

ris, quam mercedem significans Redemptoris! Dixit enim, *Quod facis, fac citius*, non tam in perniciem perfidi sæviendo, quam ad salutem fidelium festinando; quia traditus est propter delicta nostra (*Rom.* IV, 25), et dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea (*Ephes.* V, 25). Unde et de seipso dicit Apostolus: *Qui dilexit me, et tradidit seipsum pro me* (*Galat.* II, 20). Nisi ergo se traderet Christus, nemo traderet Christum. Quid habet Judas, nisi peccatum? Neque enim in tradendo Christo salutem nostram cogitavit, propter quam traditus est Christus, sed cogitavit pecuniæ lucrum, et invenit animæ detrimentum. Accepit mercedem quam voluit, sed nolenti est data quam meruit. Tradidit Judas Christum, tradidit Christus seipsum: ille agebat negotium suæ venditionis, iste nostræ redemptionis. *Quod facis, fac citius*, non quia tu potes, sed quia hoc vult qui totum potest.

5. *Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quia dicit ei Jesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum; aut egenis ut aliquid daret.* Habebat ergo et Dominus loculos, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus et aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta, ubi intelligeremus quod præcepit non cogitandum esse de crastino (*Matth.* VI, 34), non ad hoc fuisse præceptum, ut nihil pecuniæ servetur a sanctis; sed ne Deo pro ista serviatur, et propter inopiæ timorem justitia deseratur. Nam et Apostolus in posterum providens, ait: *Si quis fidelis habet viduas, sufficienter tribuat eis, ut non gravetur Ecclesia, quo veris viduis sufficere possit* (I *Tim.* V, 16).

6. *Cum ergo accepisset ille buccellam, exiit continuo. Erat autem nox.* Et ipse qui exivit, erat nox. *Cum ergo exisset* nox, *ait Jesus: Nunc clarificatus est Filius hominis.* Dies ergo diei eructavit verbum, id est, Christus discipulis fidelibus, ut audirent eum, et amarent sequendo; et nox nocti annuntiavit scientiam (*Psal.* XVIII, 3), id est, Judas Judæis infidelibus, ut venirent ad eum, et apprehenderent persequendo. Sed jam hinc in sermonem Domini, qui factus est ad pios, antequam teneretur ab impiis, intentior flagitatur auditor; et ideo eum præcipitare non debet, sed differre potius disputator.

TRACTATUS LXIII.

De eo quod Dominus ait, Nunc clarificatus est Filius hominis; *usque ad id*, Et continuo clarificabit eum. *Cap.* XIII, ŷ ŷ. 31, 32.

1. Intendamus mentis obtutum, et adjuvante Domino, Deum requiramus. Divini cantici vox est, *Quærite Deum, et vivet anima vestra* (*Psal.* LXVIII, 33). Quæramus inveniendum, quæramus inventum. Ut inveniendus quæratur, occultus est; ut inventus quæratur, immensus est. Unde alibi dicitur, *Quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV, 4). Satiat enim quærentem in quantum capit; et invenientem capaciorem facit ut rursus quærat impleri [1], ubi plus capere cœperit. Non ergo ita dictum est, *Quærite faciem ejus semper*, quemadmodum de quibusdam. *Semper discentes, et ad scientiam veritatis nunquam pervenientes* (II *Tim.* III, 7); sed potius sicut ille ait, *Cum consummaverit homo, tunc incipit* (*Eccli.* XVIII, 6): donec ad illam vitam veniamus, ubi sic impleamur, ut capaciores non efficiamur, quia ita perfecti erimus, ut jam non proficiamus. Tunc enim ostendetur nobis quod sufficit nobis. Hic autem semper quæramus, et fructus inventionis non sit finis inquisitionis. Neque enim propterea non semper, quia hic tantum; sed ideo hic semper dicimus esse quærendum, ne aliquando hic putemus ab inquisitione cessandum. Nam et de quibus dictum est, *Semper discentes, et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes*; hic sunt utique semper discentes; cum vero de hac vita exierint, jam non erunt discentes, sed, erroris sui mercedem recipientes. Sic enim dictum est, *Semper discentes, et ad veritatis scientiam nunquam pervenientes*; tanquam diceretur, Semper ambulantes, et ad viam nunquam pervenientes. Nos autem semper ambulemus in via, donec eo veniamus quo ducit via; nusquam in ea remaneamus, donec perducat ubi maneamus: atque ita, et quærendo tendimus, et inveniendo ad aliquid pervenimus, et ad id quod restat quærendo et inveniendo transimus, quo usque ibi fiat finis quærendi, ubi perfectioni non superest intentio proficiendi. Hæc prælocutio, dilectissimi, intentam fecerit Charitatem vestram ad istum Domini sermonem, quem ad discipulos habuit ante passionem: profundus est enim, et utique ubi multum laboraturus est disputator, non remissus debet esse auditor.

2. Quid ergo ait Dominus posteaquam Judas exiit, ut citius faceret quod erat facturus, hoc est, Dominum traditurus? Quid ait dies, cum exisset nox? Quid ait Redemptor, cum exisset venditor? *Nunc*, inquit, *clarificatus est Filius hominis.* Quare *nunc?* Numquid quia exiit qui tradat, quia imminent qui teneant et occident? Itane *nunc clarificatus est*, quia prope est ut humilietur amplius: cui jam impendet ut alligetur, ut judicetur, ut condemnetur, ut irrideatur, ut crucifigatur, ut interimatur? Hæccine est clarificatio, an potius humiliatio? Nonne quando miracula faciebat, ait tamen de illo iste Joannes, *Spiritus non erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus* (*Joan.* VII, 39)? Tunc ergo nondum erat glorificatus, cum mortuos suscitaret; et nunc est glorificatus, cum mortuis propinquaret? nondum erat glorificatus faciens divina, et glorificatus est passurus humana? Mirum, si hoc Deus ille magister significabat et docebat his verbis. Altius est perscrutandum Altissimi dictum, qui se aliquantum manifestat ut inveniamus, et iterum occultat ut inquiramus, et de inventis ad invenienda tanquam passibus innitamur. Video hic aliquid quod præfiguret magnum aliquid. Exiit Judas, et clarificatus est Jesus; exiit filius perditionis, et clarificatus est Filius hominis. Ille quippe exierat, propter quem dictum erat eis, *Et vos mundi estis, sed non omnes* (*Id.* XIII, 10). Exeunte itaque immundo, omnes mundi remanserunt, et cum suo mundatore

[1] Sic aliquot Mss. At Editi, *implere.*

manserunt. Tale aliquid erit cum victus a Christo transierit hic mundus, et nemo in populo Christi remanebit immundus ; cum zizaniis a tritico separatis, justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui (*Matth.* XIII, 43). Hoc futurum prævidens Dominus, et nunc significatum esse contestans, discedente Juda tanquam zizaniis separatis, remanentibus tanquam tritico Apostolis sanctis, *Nunc*, inquit, *clarificatus est Filius hominis :* tanquam diceret, Ecce in illa mea clarificatione quod erit, ubi malorum nullus erit, ubi bonorum nullus perit. Sic autem non est dictum, Nunc significata est clarificatio Filii hominis; sed dictum est, *Nunc clarificatus est Filius hominis :* quemadmodum non est dictum, Petra significabat Christum; sed, *Petra erat Christus* (I *Cor.* x, 4). Nec dictum est, Bonum semen significabat filios regni, aut, zizania significabant filios maligni, sed dictum est, *Bonum semen hi sunt filii regni; zizania autem, filii maligni* (*Matth.* XIII, 38). Sicut ergo solet loqui Scriptura, res significantes tanquam illas quæ significantur appellans ; ita locutus est Dominus dicens, *Nunc clarificatus est Filius hominis :* posteaquam separato inde nequissimo, et secum remanentibus sanctis, significata est glorificatio ejus, quando separatis iniquis manebit in æternitate cum sanctis.

3. Cum autem dixisset, *Nunc clarificatus est Filius hominis ;* adjunxit, *Et Deus clarificatus est in eo.* Ipsa est enim clarificatio Filii hominis, ut Deus clarificetur in eo. Si enim non ipse in seipso, sed Deus in illo clarificatur, tunc illum Deus in se clarificat. Denique tanquam ista exponens, adjungit, et dicit : *Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso.* Hoc est, *Si Deus clarificatus est in eo,* quia non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit illum ; *et Deus clarificabit eum in semetipso*, ut natura humana in qua est filius hominis, quæ a Verbo æterno suscepta est, etiam immortali æternitate donetur. *Et continuo,* inquit, *clarificabit eum.* Resurrectionem scilicet suam, non sicut nostram in fine sæculi, sed continuo futuram hac attestatione prædicens. Ipsa est enim clarificatio, de qua Evangelista jam dixerat, quod paulo ante commemoravi, quia propterea nondum Spiritus datus erat illo novo modo in eis, quibus fuerat eo modo post resurrectionem credentibus dandus, quia Jesus nondum fuerat clarificatus : id est, nondum fuerat mortalitas immortalitate vestita, et in æternam virtutem temporalis infirmitas commutata [1]. Potest et de ista clarificatione dictum videri, *Nunc clarificatus est Filius hominis;* ut quod ait *nunc*, non ad imminentem passionem, sed ad vicinam resurrectionem pertinere credatur, tanquam fuerit factum quod erat tam proxime jam futurum. Hodie Dilectioni vestræ ista suffecerint; cum donaverit Dominus , de consequentibus disseremus.

TRACTATUS LXIV.

In id quod Dominus dicit, Filioli, adhuc modicum vobiscum sum : quæretis me, et sicut dixi Judæis, quo ego vado, vos non potestis venire ; et vobis dico modo. *Cap.* XIII, ℣ 33.

1. Advertenda est, charissimi, dominicorum verborum ordinata connexio. Cum enim superius dixisset, posteaquam Judas egressus est, et ab illa sanctorum etiam corporali conversatione sejunctus est, *Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo :* quod sive futurum regnum significans dixit, quando mali separabuntur a bonis, sive quod ejus resurrectio tunc futura esset, id est, differenda non esset, sicut in finem sæculi nostra differtur : ac deinde addidisset, *Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso, et continuo clarificabit eum,* quod sine ulla ambiguitate de sua resurrectione continuo futura testatus est : adjecit, atque ait, *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.* Ne putarent ergo quod sic eum clarificaturus esset Deus, ut non eis conjungeretur ulterius ea conversatione qua in terra est ; *Adhuc modicum,* inquit, *vobiscum sum :* tanquam diceret, Continuo quidem resurrectione clarificabor ; non tamen continuo ascensurus in cœlum, sed *adhuc modicum vobiscum sum.* Sicut enim scriptum est in Actibus Apostolorum, fecit cum eis post resurrectionem quadraginta dies intrans et exiens, manducans et bibens (*Act.* I, 3) : non quidem habens esuriendi ac sitiendi egestatem, sed usque ad ista carnis insinuans veritatem, quæ cibandi ac potandi jam non habebat necessitatem, sed potestatem. Hos ergo quadraginta dies significavit dicendo, *Adhuc modicum vobiscum sum*, an aliquid aliud ? Potest enim et sic intelligi, *Adhuc modicum vobiscum sum,* Adhuc, sicut vos, in hac infirmitate carnis etiam ipse sum, donec scilicet moreretur atque resurgeret : quia posteaquam resurrexit, cum illis quidem fuit diebus, ut dictum est, quadraginta exhibitione corporalis præsentiæ ; sed non cum illis fuit consortio infirmitatis humanæ.

2. Est et alia divina præsentia sensibus ignota mortalibus, de qua item dicit : *Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Hoc certe non est, *Adhuc modicum vobiscum sum :* non enim modicum est usque ad consummationem sæculi. Aut si et hoc modicum est (volat enim ætas, et in oculis Dei mille anni sicut dies unus, aut sicut vigilia in nocte [*Psal.* LXXXIX, 4], non tamen hoc significare voluisse credendus est nunc, quandoquidem secutus adjunxit, *Quæretis me, et sicut dixi Judæis, quo ego vado, vos non potestis venire.* Utique post hoc modicum quo vobiscum sum, *Quæretis me*, *et quo ego vado, vos non potestis venire.* Numquid post consummationem sæculi, quo ipse vadit, venire non poterunt ? Et ubi est quod aliquanto post in hoc ipso sermone dicturus est : *Pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum* (*Joan.* XVII, 24) ? Non ergo de illa sua cum suis præsentia, qua cum illis est usque ad consummationem sæculi, nunc locutus est, ubi ait, *Adhuc modicum vobiscum sum :* sed vel de infirmitate mortali, qua cum illis erat usque ad passionem suam; aut de præsentia corporali, qua

[1] Plerique Mss. omittunt, *et in æternam virtutem temporalis infirmitas commutata.*

cum illis futurus erat usque ad ascensionem suam. Quodlibet horum quis eligat, cum fide non litigat.

3. Ne cui autem videatur abhorrere iste sensus a vero, quo dicimus Dominum mortalis carnis communione, in qua cum discipulis usque ad passionem fuit, significare potuisse dicendo, *Adhuc modicum vobiscum sum;* apud alium quoque evangelistam post resurrectionem verba ejus attendat, ubi ait, *Hæc locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum* (*Luc.* XXIV, 44) : quasi tunc non erat cum ipsis simul assistentibus, videntibus, tangentibus, colloquentibus. Quid est ergo, *cum adhuc essem vobiscum*, nisi, cum adhuc essem in carne mortali, in qua estis et vos? Tunc enim quidem in eadem carne resuscitatus erat; sed cum illis in eadem mortalitate jam non erat. Quapropter sicut ibi jam immortalitate carnis indutus veraciter ait, *cum adhuc essem vobiscum;* ubi nihil aliud intelligere possumus, nisi, cum adhuc essem in carnis mortalitate vobiscum : ita et hic non absurde dixisse intelligitur, *Adhuc modicum vobiscum sum*, tanquam diceret, adhuc modicum sicut vos estis, mortalis sum ego. Ergo sequentia videamus.

4. *Quæretis me, et sicut dixi Judæis, quo ego vado, vos non potestis venire, et vobis dico modo.* Hoc est, modo non potestis Judæis autem cum hoc diceret, non addidit *modo.* Isti itaque venire non poterant tunc quo ille ibat, sed poterant postea : nam hoc apostolo Petro apertissime paulo post ait. Cum enim dixisset ille, *Domine, quo vadis?* respondit ei, *Quo ego vado, non potes me modo sequi; sequeris autem postea*(*Joan.* XIII, 36). Sed hoc quid sit, non negligenter est prætereundum. Quo enim sequi tunc non poterant discipuli Dominum, sed postea poterant? Si dixerimus ad mortem : homini nato quod invenitur tempus, quo ad moriendum non sit idoneus; quandoquidem talis est in corpore corruptibili hominum sors, ut non sit in ea facilior vita quam mors? Non igitur adhuc minus idonei erant sequi Dominum ad mortem, sed minus idonei erant sequi Dominum ad vitam quæ non habet mortem. Illo quippe ibat Dominus, ut surgens a mortuis jam non moreretur, et mors ei ultra non dominaretur (*Rom.* VI, 9). Moriturum quippe Dominum pro justitia quomodo jam fuerant secuturi, adhuc martyrio non maturi? Aut iturum Dominum ad immortalitatem carnis, quomodo jam fuerant secuturi, quandolibet morituri, sed in sæculi fine resurrecturi? Aut iturum Dominum ad sinum Patris, nec relicturum eos, unde nec recessit cum venisset ad eos, quomodo jam fuerant secuturi; cum esse nemo possit in illa felicitate nisi perfectus in charitate? Ideoque docens quomodo idonei esse possint pergere quo ille antecedebat, *Mandatum*, inquit, *novum do vobis, ut diligatis invicem* (*Joan.* XIII, 34). Hi sunt gressus quibus sequendus est Christus : sed de his sermo uberior in aliud tempus est differendus.

TRACTATUS LXV.

In id quod Dominus ait, Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos invicem diligatis : in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis in invicem. *Cap.* XIII, ỳ ỳ. 34, 35.

1. Dominus Jesus mandatum novum se discipulis suis dare testatur, ut diligant invicem : *Mandatum*, inquit, *novum do vobis*, *ut diligatis invicem.* Nonne jam erat hoc mandatum in antiqua Dei lege, ubi scriptum est, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum* (*Levit.* XIX, 18)? Cur ergo novum appellatur a Domino, quod tam vetus esse convincitur? An ideo est mandatum novum, quia exuto vetere induit nos hominem novum? Innovat quippe audientem, vel potius obedientem, non omnis, sed ista dilectio quam Dominus ut a carnali dilectione distingueret, addidit, *sicut dilexi vos.* Nam diligunt invicem mariti et uxores, parentes et filii, et quæcumque alia inter se homines necessitudo humana devinxerit : ut taceamus de dilectione culpabili atque damnabili, qua diligunt invicem adulteri et adulteræ, scortatores et meretrices, et quoscumque alios non humana necessitudo, sed humanæ vitæ noxia turpitudo conjungit. Mandatum ergo novum dedit nobis Christus, ut diligamus invicem, sicut et ipse dilexit nos. Dilectio ista nos innovat, ut simus homines novi, hæredes Testamenti Novi, cantatores cantici novi. Hæc dilectio, fratres charissimi, antiquos etiam tunc justos, tunc Patriarchas et Prophetas, sicut postea beatos Apostolos innovavit : ipsa et nunc innovat gentes, et ex universo genere humano quod diffunditur toto orbe terrarum, facit et colligit populum novum, corpus novæ nuptæ Filii Dei unigeniti sponsæ, de qua dicitur in Cantico canticorum, *Quæ est ista quæ ascendit dealbata* (*Cant.* VIII, 5, *sec.* LXX)? utique dealbata, quia innovata; unde nisi mandato novo? Propter quod pro invicem sollicita sunt membra in ea; et si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, et si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra (I *Cor.* XII, 25, 26). Audiunt enim, atque custodiunt, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis :* non sicut se diligunt qui corrumpunt, nec sicut se diligunt homines, quoniam homines sunt; sed sicut se diligunt, quoniam dii sunt et filii Altissimi omnes, ut sint Filio ejus unico fratres, ea dilectione invicem diligentes, qua ipse dilexit eos, perducturus eos ad illum finem qui sufficiat eis, ubi satietur in bonis desiderium eorum (*Psal.* CII, 5). Tunc enim aliquid desiderio non deerit, quando omnia in omnibus Deus erit (I *Cor.* XV, 28). Talis finis non habet finem. Nemo ibi moritur, quo nemo pervenit, nisi huic sæculo moriatur, non morte omnium, qua corpus ab anima deseritur; sed morte electorum, qua etiam cum in carne mortali adhuc manetur, cor sursum ponitur. De quali morte dicebat Apostolus, *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III, 3). Hinc fortasse dictum est, *Valida est sicut mors dilectio* (*Cant.* VIII, 6). Hac enim dilectione fit ut in isto adhuc corruptibili corpore constituti moriamur huic sæculo, et vita nostra abscondatur cum Christo in Deo : imo ipsa dilectio est mors nostra sæculo, et

vita cum Deo. Si enim mors est quando de corpore anima exit, quomodo non est mors quando de mundo amor noster exit? Valida est ergo sicut mors dilectio. Quid ea validius, qua vincitur mundus?

2. Nolite itaque, fratres mei, putare in hoc quod ait Dominus, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis*, illud majus prætermissum esse mandatum, quo præcipitur ut diligamus Dominum Deum nostrum ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente: tanquam enim hoc prætermisso videtur dictum, *ut diligatis invicem*, velut hoc ad illud alterum non pertineat, quo dictum est, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum. In his* enim *duobus præceptis*, inquit, *tota Lex pendet, et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 37-40). Sed bene intelligentibus utrumque invenitur in singulis. Nam et qui diligit Deum, non eum potest contemnere præcipientem ut diligat proximum; et qui sancte ac spiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus, *sicut dilexi vos.* Quid enim nisi Deum dilexit in nobis? Non quod habebamus, sed ut haberemus: ut perducat nos, sicut paulo ante dixi, ubi sit Deus omnia in omnibus. Sic etiam medicus recte dicitur ægros diligere: et quid in eis nisi salutem diligit, quam cupit utique revocare, non morbum, quem venit expellere? Sic ergo et nos invicem diligamus, ut quantum possumus, invicem ad habendum in nobis Deum cura dilectionis attrahamus. Hanc dilectionem nobis donat ipse qui ait, *Sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem.* Ad hoc ergo nos dilexit, ut et nos diligamus invicem; hoc nobis conferens diligendo nos, ut mutua dilectione constringamur inter nos, et tam dulci vinculo connexis membris corpus tanti capitis simus.

3. *In hoc cognoscent*, inquit, *omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis in invicem:* tanquam diceret, Alia munera mea habent vobiscum etiam non mei, non solum naturam, vitam, sensum, rationem, et eam salutem quæ hominibus pecoribusque communis est; verum etiam linguas, Sacramenta, prophetiam, scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, et traditionem corporis sui ut ardeant: sed quoniam charitatem non habent, ut cymbala concrepant, nihil sunt, nihil illis prodest (I *Cor.* XIII, 1-3). Non ergo in illis quamvis bonis muneribus meis, quæ habere possunt etiam non discipuli mei; sed *in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis in invicem.* O sponsa Christi pulchra inter mulieres! o dealbata ascendens, et incumbens super fratruelem tuum! quoniam cujus lumine illustraris ut candeas, ejus adjutorio fulciris ne cadas: o quam bene cantatur tibi in illo Cantico canticorum velut epithalamio tuo, *Quia charitas in deliciis tuis* (*Cant.* VII, 6, *sec.* LXX)! Ipsa non comperdit cum impiis animam tuam; ipsa discernit causam tuam, et sicut mors valida est, et in deliciis tuis est. Quam mirandi generis mors est, cui parum fuit non esse in pœnis, nisi esset insuper in deliciis! Sed hic jam iste sermo claudatur: ab alio exordio tractanda sunt quæ sequuntur.

TRACTATUS LXVI.

De eo quod sequitur, Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? *usque ad id*, Amen, amen dico tibi; non cantabit gallus, donec ter me neges. *Cap.* XIII, ℣ 36-38.

1. Cum Dominus Jesus sanctam dilectionem qua se invicem diligerent, discipulis commendaret, *Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis?* Sic utique hoc dixit Magistro discipulus, et Domino servus, tanquam sequi paratus. Propterea quippe Dominus, qui ejus animum vidit quare hoc interrogaverit, sic ei respondit: *Quo ego vado, non potes me modo sequi:* tanquam diceret, Propter quod interrogas, non potes modo. Non ait, non potes; sed *non potes modo:* dilationem intulit, non spem tulit: et eamdem spem quam non tulit, sed potius dedit, sequenti voce firmavit, addendo atque dicendo, *Sequeris autem postea.* Quid festinas, Petre? Nondum te suo spiritu solidavit petra. Noli extolli præsumendo, *non potes modo:* noli dejici desperando, *sequeris postea.* Sed adhuc ille quid dicit? *Quare te non possum sequi modo? Animam meam pro te ponam.* Quid in animo ejus esset cupiditatis, videbat; quid virium, non videbat. Voluntatem suam jactabat infirmus, sed inspiciebat valetudinem medicus; iste promittebat, ille prænoscebat: qui nesciebat, audebat; qui præsciebat, docebat. Quantum sibi assumpserat Petrus intuendo quid vellet, ignorando quid posset? quantum sibi assumpserat, ut cum venisset Dominus animam suam ponere pro amicis suis, ac per hoc et pro ipso, ille hoc Domino offerre confideret: et nondum pro se posita anima Christi, animam suam polliceretur se positurum esse pro Christo? *Respondit* ergo *Jesus, Animam tuam pro me pones?* Itane facies pro me, quod nondum ego pro te? *Animam tuam pro me pones?* Præire potes, qui sequi non potes? Quid tantum præsumis? quid de te sentis? quid esse te credis? Audi quid sis: *Amen, amen dico tibi; non cantabit gallus, donec ter me neges.* Ecce quomodo tibi cito apparebis, qui magna loqueris, et te parvulum nescis. Qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Qui te jam putas mori posse pro me, prius vive pro te: nam timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. Quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum.

2. An apostolus Petrus, sicut eum quidam favore perverso excusare nituntur (*Ambros. in Luc.* XXII), Christum non negavit, quia interrogatus ab ancilla hominem se nescire respondit, sicut alii evangelistæ contestantur expressius? Quasi vero qui hominem Christum negat, non Christum negat; et hoc in eo negat quod factus est propter nos, ne periret quod fecerat nos. Ergo qui ita confitetur Christum Deum, ut hominem neget, non pro illo mortuus est Christus; quia secundum hominem mortuus est Christus. Qui negat hominem Christum, non reconciliatur per me-

diatorem Deo. Unus enim Deus, et unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5). Qui negat hominem Christum, non justificatur; quia sicut per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita et per obedientiam unius hominis, justi constituentur multi (*Rom.* v, 19). Qui negat hominem Christum, non resurget in resurrectionem vitæ; quia per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum : sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur (I *Cor.* xv, 21 *et* 22). Per quid autem caput est Ecclesiæ, nisi per hominem, quod Verbum caro factum est? id est, Dei Patris Unigenitus Deus homo factus est. Quomodo est igitur in corpore Christi, qui negat hominem Christum? Qui enim caput negat, quomodo est membrum? Sed quid multis immorer, cum ipse Dominus abstulerit omnes humanæ argumentationis ambages? Non enim ait, Non cantabit gallus donec hominem neges; aut, sicut loqui familiariore cum hominibus dignatione consuevit, Non cantabit gallus donec Filium hominis ter neges : sed ait, *donec me ter neges.* Quid est, *me*, nisi quod erat? et quid nisi Christus erat? Quidquid ergo ejus negavit, ipsum negavit, Christum negavit, Dominum Deum suum negavit. Quia et ille condiscipulus ejus Thomas, quando exclamavit, *Dominus meus et Deus meus*, non Verbum, sed carnem tetigit; non incorpoream Dei naturam, sed hominis corpus curiosis manibus contrectavit (*Joan.* xx, 27, 28). Hominem itaque tetigit, et tamen Deum cognovit. Si ergo quod iste tetigit, hoc Petrus negavit; quod iste exclamavit, hoc Petrus offendit. *Non cantabit gallus, donec ter me neges.* Dicas licet, *Nescio hominem;* dicas licet, *Homo, nescio quid dicis;* dicas licet, *Non sum ex discipulis ejus* (*Matth.* XXVI, 34, 69-74, *et Luc.* XXII, 55-60) : me negabis. Si, quod dubitare nefas est, Christus hoc dixit, verumque prædixit, procul dubio Petrus Christum negavit. Non accusemus Christum cum defendimus Petrum. Peccatum agnoscat infirmitas; nam mendacium non habet veritas. Agnovit quippe peccatum suum infirmitas Petri, prorsus agnovit; et quantum mali Christum negando commiserit, plorando monstravit. Ipse suos redarguit defensores, et unde eos convincat, producit lacrymas testes. Neque nos cum ista dicimus, primum Apostolorum accusare delectat : sed hunc intuendo admoneri nos oportet, ne homo quisquam de humanis viribus fidat. Nam quid aliud pertinuit ad doctorem salvatoremque nostrum, nisi ut nobis nequaquam de se quemquam præsumere debere, in ipso primo Apostolorum demonstraret exemplo? In anima itaque Petri contigit quod offerebat in corpore. Non tamen pro Domino, ut temere præsumebat, præcessit, sed aliter quam putabat. Namque ante mortem et resurrectionem Domini, et mortuus est negando, et revixit plorando : sed mortuus est, quia superbe ipse præsumpsit; revixit autem, quia benigne ille respexit.

TRACTATUS LXVII.

De eo quod Dominus dicit, Non turbetur cor vestrum; *usque ad id*, Iterum venio, et accipiam vos ad meipsum. *Cap.* XIV, ỳ 1-3.

1. Erigenda est nobis, fratres, ad Deum major intentio, ut verba sancti Evangelii, quæ modo in nostris auribus sonuerunt, etiam mente capere utcumque possimus. Ait enim Dominus Jesus : *Non turbetur cor vestrum. Credite*[1] *in Deum, et in me credite.* Ne mortem tanquam homines timerent, et ideo turbarentur, consolatur eos, etiam se Deum esse contestans. *Credite*, inquit, *in Deum, et in me credite.* Consequens est enim ut si in Deum creditis, et in me credere debeatis : quod non esset consequens, si Christus non esset Deus. *Credite in Deum, et in* eum *credite* cui natura est, non rapina, esse æqualem Deo : semetipsum enim exinanivit; non tamen formam Dei amittens, sed formam servi accipiens (*Philipp.* II, 6, 7). Mortem metuitis huic formæ servi; *non turbetur cor vestrum*, suscitabit illam forma Dei.

2. Sed quid est quod sequitur, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, nisi quia et sibi metuebant? Unde audire debuerunt, *Non turbetur cor vestrum.* Quis enim eorum non metueret, cum Petro dictum esset fidentiori atque promptiori, *Non cantabit gallus donec ter me neges* (*Joan.* XIII, 38)? Tanquam ergo essent ab illo perituri, merito turbabantur : sed cum audiunt, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt : si quo minus, dixissem vobis quia vado parare vobis locum;* a perturbatione recreantur, certi ac fidentes etiam post pericula tentationum se apud Deum cum Christo esse mansuros. Quia etsi alius est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio justior, alius alio sanctior; *in domo Patris mansiones multæ sunt;* nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. Denarius quidem ille æqualis est omnibus, quem paterfamilias eis qui operati sunt in vinea jubet dari omnibus, non in eo discernens qui minus et qui amplius laborarunt (*Matth.* xx, 9) : quo utique denario vita significatur æterna, ubi amplius alio nemo vivit, quoniam vivendi non est diversa in æternitate mensura. Sed multæ mansiones, diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates. Alia est enim gloria solis, alia gloria lunæ, alia gloria stellarum : stella enim ab stella differt in gloria; sic et resurrectio mortuorum. Tanquam stellæ sancti diversas mansiones diversæ claritatis[2], tanquam in cœlo, sortiuntur in regno; sed propter unum denarium nullus separatur a regno : atque ita Deus erit omnia in omnibus (I *Cor.* xv, 41, 42, 28), ut quoniam Deus Charitas est (I *Joan.* IV, 8), per charitatem fiat ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis.

3. Proinde respuendi sunt a corde christiano, qui

[1] Pauciores Mss., *Creditis*, juxta Vulgatam : porro græcum verbum, quod in hoc versiculo bis ponitur, *pisteuete*, anceps est, significans *creditis*, vel *credite.*

[2] Sic Mss. At editi, *diversas claritates.*

putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum cœlorum erit aliquid, ubi maneant beati innocentes qui sine Baptismo ex hac vita emigrarunt, quia sine illo in regnum cœlorum intrare non poterunt. Hæc fides non est fides, quoniam non est vera et catholica fides. Itane tandem stulti homines, et carnalibus cogitationibus excæcati, cum reprobandi essetis, si mansionem non dico Petri et Pauli vel cujuslibet Apostolorum, sed cujuscumque parvuli baptizati a regno cœlorum separaretis; non vos putatis esse reprobandos, qui domum Dei Patris inde separatis? Non enim ait Dominus, In universo mundo, aut, in universa creatura, aut, in vita vel beatitudine sempiterna mansiones multæ sunt; sed, *In domo*, inquit, *Patris mei mansiones multæ sunt.* Nonne ista est domus ubi ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis (II *Cor.* v, 1)? Nonne ista est domus de qua cantamus Domino, *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5)? Ergone vos non domum cujusque baptizati fratris, sed domum ipsius Dei Patris, cui omnes fratres dicimus, *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9), a regno separare cœlorum, aut eam sic dividere audebitis, ut aliquæ mansiones ejus sint in regno cœlorum, aliquæ autem extra regnum cœlorum? Absit, absit ut qui volunt habitare in regno cœlorum, in hac stultitia velint habitare vobiscum: absit, inquam, ut cum omnis domus regnantium filiorum non sit alibi nisi in regno, ipsius regiæ domus pars aliqua non sit in regno.

4. *Et si abiero*, inquit, *et præparavero vobis locum; iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego et vos sitis. Et quo ego vado scitis, et viam scitis.* O Domine Jesu, quomodo vadis parare locum, si jam multæ mansiones sunt in domo Patris tui, ubi tecum habitabunt tui! Aut si accipis eos ad teipsum, quomodo iterum venis qui non recedis? Ista, charissimi, si breviter explicare conemur, quantum videtur hodierno satis esse sermoni, coarctata utique non clarebunt, et erit ipsa brevitas altera obscuritas: proinde hoc debitum differamus, quod opportunius vobis Patrefamilias nostro largiente reddamus.

TRACTATUS LXVIII.

In eamdem lectionem.

1. Deberi vobis, fratres charissimi, jamque esse reddendum quod distuleramus, agnoscimus, quomodo intelligi possint non esse inter se ista duo contraria, quod cum dixisset Dominus, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt: si quo minus, dixissem vobis quia vado parare vobis locum;* ubi satis ostendit ideo se hoc illis dixisse, quia jam ibi sunt mansiones multæ, et non est opus aliquam præparare: rursus dicit, *Et si abiero, et præparavero vobis locum; iterum venio, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum et vos sitis.* Quomodo vadit, et parat locum, si jam multæ mansiones sunt? Si quo minus, dixisset, *Vado parare.* Aut si adhuc parandus est, cur non merito dixisset, *Vado parare?* An istæ mansiones et sunt, et parandæ sunt? Si quo minus enim essent, dixisset, *Vado parare.* Et tamen quia ita sunt ut parandæ sint, non eas vadit parare sicut sunt: sed si abierit et paraverit sicut futuræ sunt, iterum veniens accipiet suos ad seipsum, ut ubi est ipse, sint etiam ipsi. Quomodo ergo mansiones in domo Patris non aliæ, sed ipsæ, et sine dubio jam sunt sicut parandæ non sunt, et nondum sunt sicut parandæ sunt? Quomodo putamus, nisi quomodo etiam propheta prædicat Deum, quia fecit quæ futura sunt? Non enim ait, Qui facturus est quæ futura sunt, sed, *Qui fecit quæ futura sunt* (*Isai.* XLV, 11, *sec.* LXX). Ergo et fecit ea, et facturus est ea. Nam neque facta sunt, si ipse non fecit: neque futura sunt, si ipse non fecerit. Fecit ergo ea prædestinando, facturus est operando. Sicut discipulos quando elegerit, satis indicat Evangelium; tunc utique quando eos vocavit (*Luc.* VI, 13): et tamen ait Apostolus, *Elegit nos ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I, 4): prædestinando utique, non vocando. *Quos autem prædestinavit, illos et vocavit* (*Rom.* VIII, 30): elegit prædestinando ante mundi constitutionem, elegit vocando ante mundi consummationem. Sic et mansiones præparavit et præparat; nec alias, sed quas præparavit, has præparat, qui fecit quæ futura sunt: quas præparavit prædestinando, præparat operando. Jam ergo sunt in prædestinatione: si quo minus, dixisset, Ibo et parabo, id est, prædestinabo. Sed quia nondum sunt in operatione, *Et si abiero*, inquit, *et præparavero vobis locum; iterum venio, et accipiam vos ad meipsum.*

2. Parat autem quodammodo mansiones, mansionibus parando mansores. Quippe cum dixerit, *In domo Patris mei mansiones multæ sunt;* quid putamus esse domum Dei, nisi templum Dei? Quod autem sit, interrogetur Apostolus, et respondeat: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I *Cor.* III, 17). Hoc est etiam regnum Dei, quod Filius traditurus est Patri: unde dicit idem apostolus, *Initium Christus, deinde qui sunt Christi in præsentia ejus: deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri* (*Id.* XV, 23 *et* 24); id est, quos redemit sanguine suo, tradiderit contemplando etiam Patri suo. Hoc est regnum cœlorum, de quo dicitur, *Simile est regnum cœlorum homini seminanti bonum semen in agro suo. Bonum autem semen, hi sunt filii regni:* qui etsi nunc habent permixta zizania, mittet in fine rex ipse Angelos suos, *et colligent de regno ejus omnia scandala. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris sui* (*Matth.* XIII, 24, 38-43). Regnum fulgebit in regno, cum regno venerit regnum, quod nunc oramus, et dicimus, *Veniat regnum tuum* (*Id.* VI, 10). Nunc ergo jam regnum vocatur, sed adhuc convocatur: si enim regnum non vocaretur, *Colligent de regno ejus omnia scandala*, non diceretur. Sed nondum regnat hoc regnum. Proinde sic jam est regnum, ut cum de illo collecta fuerint omnia scandala, tunc perveniat ad regnum; ut non solum regni nomen, sed etiam regnandi habeat potestatem. Huic quippe regno ad dexteram stanti, in fine dicetur, *Venite, benedicti Patris mei, percipite*

regnum (*Matth.* xxv, 34) : id est, qui regnum eratis et non regnabatis, venite, regnate ; ut quod in spe fueratis, etiam in re esse possitis. Hæc ergo domus Dei, hoc templum Dei, hoc regnum Dei, regnumque cœlorum adhuc ædificatur, adhuc fabricatur [1], adhuc paratur, adhuc congregatur. In illo erunt mansiones, sicut eas adhuc parat Dominus : in illo jam sunt, sicut prædestinavit jam Dominus.

3. Sed quid est quod ut præpararet abiit, cum profecto nos ipsos præpararet [2], quod non faciet si reliquerit? Agnosco, Domine, ut possum : nimirum illud significas, quia ut parentur istæ mansiones, vivere debet justus ex fide (*Rom.* I, 17). Qui enim a Domino peregrinatur, opus habet ex fide vivere ; quia per hanc ad speciem contemplandam paratur (II *Cor.* v, 6-8). *Beati* enim *mundo corde*, *quia ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8) : et, *Fide mundat corda eorum* (*Act.* xv, 9). Illud in Evangelio, hoc in Apostolorum Actibus legitur. Fides autem, qua eorum qui Deum visuri sunt, quamdiu peregrinantur, corda mundantur, quod non videt credit : nam si vides, non est fides. Credenti colligitur meritum, videnti redditur præmium. Eat ergo Dominus et paret locum ; eat ne videatur, lateat ut credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide vivatur. Creditus desideretur, ut desideratus habeatur : desiderium dilectionis, præparatio est mansionis. Ita, Domine, para quod paras : nos enim tibi paras, et te nobis paras ; quoniam locum paras, et tibi in nobis, et in te nobis. Tu enim dixisti, *Manete in me*, *et ego in vobis* (*Joan.* xv, 4). Quantum quisque fuerit particeps tui, alius minus, alius amplius, hæc erit diversitas præmiorum pro diversitate meritorum : hæc erit multitudo mansionum pro disparilitate mansorum ; sed tamen omnium in æternitate vivorum, et sine fine beatorum. Quid est quod vadis? quid est quod venis? Si bene te intelligo, nec unde vadis nec unde venis, recedis : vadis latendo, venis apparendo. Sed nisi maneas regendo, ut proficiamus bene vivendo ; quomodo parabitur locus ubi possimus manere perfruendo? Hæc de verbis quæ recitata sunt evangelicis, satis dicta sint, quo usque ait Dominus, *Iterum venio*, *et accipiam vos ad meipsum.* Quid autem sit quod sequitur, *Ut ubi ego sum*, *et vos sitis. Et quo ego vado scitis*, *et viam scitis ;* post interrogationem quæ sequitur a discipulo factam, tanquam per eum et nos interrogemus, melius audiemus opportuniusque tractabimus.

TRACTATUS LXIX.

In id quod Dominus dicit, Et quo ego vado scitis, et viam scitis ; *usque ad id*, Nemo venit ad Patrem, nisi per me. *Cap.* XIV, ℣. 4-6.

1. Nunc est dilectissimi, ut quantum valemus, intelligamus de verbis Domini posterioribus priora, et consequentibus præcedentia, in eo quod audistis apostolo Thomæ interroganti esse responsum. Dixerat enim superius Dominus, cum de mansionibus loqueretur, quas et esse dixit in domo Patris sui, et ire se ut præparet eas ; ubi intelleximus et esse jam mansiones ipsas in prædestinatione, et præparari eas cum eorum qui ibi mansuri sunt, per fidem corda mundantur, quoniam ipsa Dei domus ipsi sunt ; et quid est aliud manere in domo Dei, quam esse in populo Dei, cum idem populus est in Deo, et Deus in eo? hoc ut præpararet, Dominus abiit ; ut credendo in eum qui non videtur, ea quæ in specie semper futura est, nunc per fidem mansio præparetur : propter hoc ergo dixerat, *Et si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum et vos sitis. Et quo ego vado scitis, et viam scitis.* Ad hæc *dicit ei Thomas : Domine, nescimus quo vadis ; et quomodo possumus viam scire?* Utrumque illos Dominus dixerat scire, utrumque dicit iste nescire, et locum quo itur, et viam qua itur. Sed nescit ille mentiri : ergo isti sciebant, et scire se nesciebant. Convincat eos jam scire, quod se putant adhuc usque nescire. *Dicit ei Jesus : Ego sum via, et veritas, et vita.* Quid est, fratres? Ecce audivimus discipulum interrogantem, audivimus et magistrum docentem, et nondum capimus, etiam post vocem sonantem, sententiam latitantem. Sed quid non possumus capere? Numquid poterant ei dicere Apostoli ejus cum quibus loquebatur, Nescimus te? Proinde si eum sciebant, et via ipse est, viam sciebant : si eum sciebant, et veritas ipse est, veritatem sciebant : si eum sciebant, et vita ipse est, vitam sciebant. Ecce scire convicti sunt quod se scire nesciebant.

2. Quid igitur et nos in isto sermone non cepimus? Quid putatis, fratres mei, nisi quia dixit, *Et quo vado scitis, et viam scitis?* Et ecce cognovimus quod sciebant viam, quia sciebant ipsum qui est via : sed via est qua itur ; numquid via est et quo itur? Utrumque autem illos dixerat scire, et quo vadit, et viam. Opus ergo erat ut diceret, *Ego sum via,* ut ostenderet eos qui eum scirent, viam scire quam putaverant se nescire : quid autem opus erat ut diceret, *Ego sum via, et veritas, et vita*, cum via cognita qua iret, restaret nosse quo iret ; nisi quia ibat ad veritatem, ibat ad vitam? Ibat ergo ad seipsum, per seipsum. Et nos quo imus, nisi ad ipsum? et qua imus, nisi per ipsum? Ipse igitur ad seipsum per seipsum ; nos ad ipsum per ipsum : imo vero et ad Patrem et ipse et nos. Nam et de seipso alibi dicit, *Ad Patrem vado* (*Joan.* XVI, 10) : et hoc loco propter nos, *Nemo*, inquit, *venit ad Patrem, nisi per me.* Ac per hoc et ipse per se ipsum et ad seipsum et ad Patrem, et nos per ipsum et ad ipsum et ad Patrem. Quis hæc capit, nisi qui spiritualiter sapit? Et quantum est quod hic capit, etiamsi spiritualiter sapit? Fratres, quid a me ista vobis vultis exponi? Cogitate quam excelsa sint. Videtis quid sim, video quid sitis : in omnibus nobis corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* IX, 15). Putamusne possumus dicere, *Ad te levavi animam meam, qui habitas in cœlo* (*Psal.* CXXII, 1)? Sed sub tanto pondere ubi ingemiscimus gravati,

[1] Abest a plerisque Mss., *adhuc fabricatur.*
[2] *Præparet,* juxta Er. Lugd. et Ven. M.

quomodo levabo animam meam, nisi mecum levet qui posuit pro me suam? Dicam ergo quod possum, capiat vestrum qui potest. Quo donante dico, eo donante capit qui capit, et eo donante credit qui nondum capit. *Nisi enim credideritis*, inquit propheta, *non intelligetis* (*Isai.* VII, 9, *sec.* LXX).

3. Dic mihi, Domine meus, quid dicam servis tuis conservis meis? Thomas apostolus ut te interrogaret, habuit te ante se; nec tamen intelligeret te, nisi haberet in se: ego interrogo te, quia te scio esse super me; interrogo autem inquantum possum super me effundere animam meam, ubi non sonantem et tamen docentem audiam te. Dic mihi, obsecro, quomodo vadis ad te? Numquidnam ut venires ad nos, reliqueras te: maxime quia non a teipso venisti, sed Pater te misit? Scio quidem quod te exinanisti; sed quia formam servi accepisti (*Philipp.* II, 7), non quia formam Dei vel ad quam redires demisisti, vel quam reciperes amisisti: et tamen venisti, et non solum usque ad carnales oculos, verum etiam usque ad manus hominum pervenisti. Quomodo, nisi in carne? Per hanc venisti manens ubi eras, per hanc redisti non relinquens quo veneras. Si ergo per hanc venisti et redisti; per hanc procul dubio non solum nobis es qua veniremus ad te, verum etiam tibi qua venires et redires, via fuisti. Cum vero ad vitam, quod es ipse, isti; eamdem profecto carnem tuam de morte ad vitam duxisti. Aliud quippe Dei Verbum est, aliud homo: sed Verbum caro factum est, id est homo. Non itaque alia Verbi, alia est hominis persona, quoniam utrumque est Christus una persona: ac per hoc quemadmodum caro cum mortua est, Christus est mortuus; et cum caro sepulta est, Christus est sepultus (sic enim corde credimus ad justitiam, sic ore confessionem facimus ad salutem [*Rom.* X, 10]); ita cum caro a morte venit ad vitam, Christus venit ad vitam. Et quia Verbum Dei Christus est, Christus est vita. Ita miro quodam et ineffabili modo, qui nunquam demisit vel amisit seipsum, venit ad seipsum. Venerat autem, ut dictum est, per carnem Deus ad homines, veritas ad mendaces: Deus enim verax, omnis autem homo mendax (*Id.* III, 4). Cum itaque ab hominibus abstulit, atque illuc ubi nemo mentitur, carnem suam levavit; idem ipse, quia Verbum caro factum est, per seipsum, id est per carnem, ad veritatem, quod est ipse, remeavit. Quam quidem veritatem, quamvis inter mendaces, et in morte servavit: aliquando enim Christus fuit mortuus, sed nunquam fuit falsus.

4. Accipite quamvis diversum et longe impar exemplum, tamen utcumque ad intelligendum Deum, ex his quæ propius subjecta sunt Deo. Ecce ego ipse, quantum attinet ad animum meum, cum hoc sim quod estis et vos, si taceo, apud meipsum sum: si autem loquor vobis quod intelligatis, quodammodo ad vos procedo, nec me relinquo, sed et ad vos accedo, et non recedo unde procedo. Cum autem tacuero, quodammodo ad me redeo; et quodammodo vobiscum maneo, si tenueritis quod audistis in sermone quem dico. Si hoc potest imago quam fecit Deus, quid potest non a Deo facta, sed ex Deo nata imago Dei Deus: cujus illud, quo ad nos egressus est, et in quo a nobis regressus est, corpus, non sicut meus elapsus est sonus, sed manet ibi ubi jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur (*Rom.* VI, 9)? Multa de his evangelicis verbis adhuc dici fortasse poterant et debebant: sed non sunt corda vestra spiritualibus cibis quamlibet suavibus oneranda; maxime quia spiritus promptus est, caro autem infirma (*Matth.* XXVI, 41).

TRACTATUS LXX.

De eo quod Dominus ait, Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis; *usque ad id,* Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est? *Cap.* XIV, ℣. 7-10.

1. Verba sancti Evangelii, fratres, ita recte intelliguntur, si cum superioribus reperiuntur habere concordiam: convenire enim debent præcedentia consequentibus, quando veritas loquitur. Superius dixerat Dominus, « Et si abiero, et præparavero vobis locum; iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis: » deinde addiderat, « Et quo ego vado scitis, et viam scitis; » nihilque aliud ostendit esse quod dixit, nisi quia ipsum sciebant. Quid ergo esset ire ad seipsum per seipsum, quod etiam discipulis præstat ut eant ad ipsum per ipsum, ut potuimus pristino sermone jam diximus. Quod itaque ait, *Ut ubi ego sum, et vos sitis*, ubi erant futuri nisi in ipso? Ac per hoc est etiam ipse in seipso, et ideo ibi illi ubi et ipse, id est, in ipso. Ipse est igitur vita æterna in qua futuri sumus, cum acceperit nos ad se: et ipsa vita æterna quod ipse est in ipso est, ut ubi est ipse, et nos simus, hoc est, in ipso. *Sicut enim habet Pater vitam in semetipso*, et utique non aliud est vita quam habet, nisi quod est ipse qui hanc habet: *sic dedit Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* V, 26), cum ipse sit eadem vita quam habet in semetipso. Numquid autem nos vita quod est ipse, hoc erimus, cum in illa vita, hoc est in ipso esse cœperimus? Non utique, quia ipse existendo vita habet vitam, et ipse est quod habet, et quod vita est in ipso, ipse est in seipso: nos autem non ipsa vita, sed ipsius vitæ participes sumus, atque ita ibi erimus, ut in nobis ipsis non quod ipse est esse possimus, sed nos ipsi non vita, ipsum habeamus vitam, qui seipsum habet vitam, eo quod ipse sit vita. Denique ipse et in seipso est immutabiliter, et in Patre inseparabiliter: nos vero cum in nobis ipsis esse voluissemus, ad nos ipsos turbati sumus; unde illa vox est, *Ad meipsum turbata est anima mea* (*Psal* XLI, 7): atque in deterius commutati, neque id quod fuimus, manere potuimus. Cum autem per ipsum venimus ad Patrem, sicut ait, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*; manentes in illo, nec a Patre nos quisquam poterit separare, nec ab illo.

2. Connectens itaque consequentia præcedentibus: *Si cognovistis me* [1], inquit, *et Patrem meum utique co-*

[1] Hic in Mss. erat, *si cognovistis me;* altero hujus versiculi loco, *utique cognoscetis:* sed nunc plures a secunda manu habent utrobique, *cognovissetis.*

gnovistis Hoc est quod ait : *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Deinde subjungit : *Et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum.* Sed Philippus unus ex Apostolis, quid audierit non intelligens : *Domine*, inquit, *ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Cui Dominus : *Tanto*, inquit, *tempore vobiscum sum, et non cognovistis me, Philippe? Qui videt me, videt et Patrem.* Ecce increpat quod tanto tempore cum ipsis erat, et non cognoscebatur. Nonne ipse dixerat, *Et quo ego vado scitis, et viam scitis;* et se nescire dicentes, eos hæc scire convicerat, addendo atque dicendo, *Ego sum via, veritas et vita?* Quomodo nunc dicit, *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me?* cum profecto, et quo iret, et viam scirent, non ob aliud nisi quod ipsum utique scirent? Sed facile ista solvitur quæstio, si dicamus quod eum aliqui eorum sciebant, aliqui nesciebant, atque in his qui nesciebant et Philippus erat : ut quod ait, *Et quo ego vado scitis, et viam scitis*, illis dixisse intelligatur qui sciebant; non Philippo cui dictum est, *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me, Philippe?* His ergo qui Filium jam noverant, etiam illud de Patre dictum est, *Et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum :* dictum est enim propter omnimodam similitudinem quæ illi cum Patre est, ut ideo amodo dicerentur nosse Patrem, quia noverant similem Filium. Ergo jam sciebant Filium, etsi non omnes, certe quidam eorum quibus dicitur, *Et quo vado scitis, et viam scitis :* ipse est enim via. Sed Patrem nesciebant, ideo audiunt, *Si cognovistis me, et Patrem meum cognovistis :* per me utique et illum. Alius enim ego sum, alius ille. Sed ne putarent dissimilem, *Et amodo*, inquit, *cognoscetis eum, et vidistis eum.* Viderunt enim ejus simillimum Filium, sed admonendi fuerant talem esse etiam Patrem quem nondum videbant, qualis est Filius quem videbant. Et ad hoc valet quod postea Philippo dicitur, *Qui videt me, videt et Patrem.* Non quod ipse esset Pater et Filius, quod in Sabellianis, qui vocantur etiam Patripassiani, catholica fides damnat : sed quod tam similes sint Pater et Filius, ut qui unum noverit, ambos noverit. Solemus enim de simillimis duobus ita loqui eis qui unum illorum vident, et qualis est alius volunt nosse, ut dicamus : Vidistis istum, illum vidistis. Sic ergo dictum est, *Qui me videt, videt et Patrem :* non utique ut ipse sit Pater qui Filius, sed quod a Patris similitudine in nullo prorsus discrepet Filius. Nam nisi duo essent Pater et Filius, non dictum esset, *Si cognovistis me, et Patrem meum cognovistis.* Utique enim, quia *nemo*, inquit, *venit ad Patrem, nisi per me; si cognovistis me, et Patrem meum cognovistis :* quoniam ego per quem venitur ad Patrem, perducam vos ad eum, ut ipsum etiam cognoscatis. Sed quoniam illi sum omnino simillimus, *amodo cognoscetis eum*, cum cognoscitis me : *et vidistis eum*, si oculis cordis vidistis me.

3. Quid ergo est quod dicis, Philippe, *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis? Tanto*, inquit, *tempore vobiscum sum, et non cognovistis me, Philippe? Qui videt me, videt et Patrem.* Quod si ad te multum est hoc videre, saltem quod non vides hoc crede. *Quomodo* enim *dicis*, inquit, *Ostende nobis Patrem?* Si me vidisti qui omnimodo similis sum, vidisti illum cui similis sum. Quod si videre non potes, *non* saltem *credis quia ego in Patre, et Pater in me est?* Poterat hic dicere Philippus : Video quidem te, et credo simillimum esse Patri; sed numquid arguendus et objurgandus est qui cum similem videt, etiam illum cui similis est vult videre? Similem quidem novi, sed adhuc alterum sine altero novi; non mihi sufficit, nisi et illum cujus est iste similis noverim. *Ostende* itaque *nobis Patrem, et sufficit nobis.* Sed ideo magister discipulum arguebat, quoniam cor postulantis videbat. Tanquam enim melior esset Pater quam Filius, ita Philippus Patrem nosse cupiebat : et ideo nec Filium sciebat, quo melius esse aliquid credebat. Ad hunc sensum corrigendum dictum est, *Qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem?* Video quomodo tu dicas : non alterum quæris videre similem, sed illum putas esse meliorem. *Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est?* Cur in similibus distantiam cupis cernere? cur inseparabiles separatim desideras nosse? Deinde non ad solum Philippum, sed ad eos pluraliter loquitur, quæ non sunt in angustias coarctanda, ut adjuvante ipso diligentius exponantur.

TRACTATUS LXXI.

In id quod Dominus dicit, Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor; *usque ad id*, Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. *Cap.* XIV, ỷ 10-14.

1. Audite auribus, accipite mentibus, dilectissimi, loquentibus quidem nobis, sed ipso docente qui non recedit a nobis. Dominus dicit, quod modo cum legeretur audistis, *Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor : Pater autem in me manens ipse facit opera.* Ergo et verba opera sunt? Plane ita est. Nam profecto qui proximum loquendo ædificat, bonum opus operatur. Sed quid est, *a meipso non loquor*, nisi, a meipso non sum qui loquor? Ei quippe tribuit quod facit, de quo est ipse qui facit. Pater enim Deus non est de aliquo, Filius autem Deus est quidem Patri æqualis, sed de Patre Deo. Ideo ille Deus, sed non de Deo; et lumen, sed non de lumine : iste vero Deus de Deo, lumen de lumine.

2. Nam in his duabus sententiis, una qua dictum est, *Non a meipso loquor :* alia qua dictum est, *Pater autem in me manens, ipse facit opera :* singulas tenentes, diversi nobis adversantur hæretici, qui non ex una parte, sed in contraria conantes, a via veritatis exorbitant. Ariani quippe dicunt : Ecce inæqualis est Patri Filius, a seipso non loquitur. Dicunt Sabelliani contra, id est Patripassiani : Ecce qui Pater est ipse et Filius; quid enim est, *Pater in me manens, ipse facit opera*, nisi, in me maneo ego qui facio? Contraria dicitis : sed non eo modo sicut est falsum contrarium vero, sed sicut sunt inter se duo falsa contraria. Errando in diversa istis, in medio est via quam relinquistis [1]. Inter vos ipsos longiore intervallo separati

[1] Er. Lugd. et Ven. sic habent hunc locum : *In diversa itis, in medio est via quam relinquitis.* M.

estis, quam ab ipsa via cujus desertores estis. Vos hinc, vos autem illinc, huc venite : alteri ad alteros transire nolite, sed hinc atque illinc ad nos veniendo, invicem vos invenite. Sabelliani, agnoscite quem prætermittitis; Ariani, æquate quem subditis, et in via vera nobiscum ambulabitis. Est enim quod invicem ex vobis alteri ex alteris admoneri utrique debeatis. Audi, sabelliane : usque adeo non ipse Pater, sed alter est Filius, ut eum arianus inæqualem asserat Patri. Audi, ariane : usque adeo Filius æqualis est Patri, ut sabellianus eumdem esse dicat et Patrem. Tu adde quem tollis, tu adimple quem minuis, et nobiscum ambo consistitis : quia nec tu tollis, nec tu minuis eum qui et alter est a Patre, ut convincas sabellianum, et æqualis Patri, ut convincas arianum. Utrisque enim clamat, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Quod ait, *unum*, audiant Ariani; quod ait, *sumus*, audiant Sabelliani : et nec illi æqualem, nec illi alterum negando sint vani. Si ergo quoniam dixit, *Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor*, propterea putatur usque adeo imparis potestatis, ut non quod ipse vult faciat; audiatur quod dixit, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Item si quoniam dixit, *Pater in me manens, ipse facit opera*, propterea putatur non alius esse Pater, alius ipse; audiatur quod dixit, *Quæcumque Pater facit, hæc et Filius similiter facit* (*Id.* v, 21, 19); et intelligatur non bis unus, sed duo unum. Verum quia sic æqualis alter alteri, ut tamen alter ex altero, ideo non loquitur a semetipso, quia non est a seipso : et ideo Pater in illo manens facit opera ipse, quia per quem et cum quo facit, non est nisi ab ipso. Denique adjungit, et dicit : *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite.* Antea solus Philippus arguebatur, nunc autem non ibi eum solum fuisse qui esset arguendus ostenditur. *Propter opera*, inquit, *ipsa credite quia ego in Patre, et Pater in me est :* neque enim si separati essemus, inseparabiliter operari ulla ratione possemus.

3. Sed quid est quod sequitur, « Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet; quia ego ad Patrem vado : et quæcumque petieritis in nomine meo, hæc faciam. Ut glorificetur Pater in Filio, si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. » Ergo et illa majora opera seipsum facturum esse promisit. Non se extollat servus supra Dominum, et discipulus supra magistrum (*Id.* XIII, 16) : majora quam ipse facit, dicit eos esse facturos; sed in eis vel per eos se faciente, non ipsis tanquam ex seipsis. Ei quippe cantatur, *Diligam te, Domine, virtus mea* (*Psal.* XVII, 2). Sed quæ sunt tandem ista majora? An forte quod ægros ipsis transeuntibus, etiam eorum umbra sanabat (*Act.* v, 15)? Majus est enim ut sanet umbra quam fimbria (*Matth.* XIV, 36). Illud per se, hoc per ipsos; sed tamen utrumque ipse. Verumtamen quando ista dicebat, verborum suorum opera commendabat : sic enim dixerat, *Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor; Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Quæ opera tunc dicebat, nisi verba quæ loquebatur? Audiebant et credebant illi, et eorumdem verborum fructus erat fides illorum : verumtamen evangelizantibus discipulis, non tam pauci quam illi erant, sed gentes etiam crediderunt; hæc sunt sine dubitatione majora. Nec tamen ait, Majora horum facietis, ut solos Apostolos ea putaremus esse facturos; sed, *Qui credit in me*, inquit, *opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.* Itane quicumque credit in Christum, facit quæ Christus, vel majora quam Christus? Non prætereunter ista tractanda sunt, nec debent festinatione præcipitari; sed ea cogit concludendus jam sermo iste differri.

TRACTATUS LXXII.

In eamdem lectionem.

1. Quid sibi velit, et quomodo accipiendum sit quod Dominus ait, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet*, non est facile comprehendere : et cum hoc ad intelligendum difficillimum sit, adjecit aliud difficilius, *Et majora horum faciet.* Quid est hoc? Qui faceret opera quæ Christus fecit, non inveniebamus; qui etiam majora faciet, inventuri sumus? Sed dixeramus sermone pristino quia majus fuit umbræ suæ transitu, quod discipuli fecerunt (*Act.* v, 15), quam fimbriæ suæ tactu, quod ipse Dominus fecit (*Matth.* XIV, 36), sanare languentes; et quia plures Apostolis, quam ipso per os proprium prædicante Domino crediderunt : ut hæc viderentur opera intelligenda esse majora : non quo major esset Magistro discipulus, vel Domino servus, vel adoptatus Unigenito, vel homo Deo; sed quod per illos ipse dignaretur eadem majora facere, qui dicit illis alio loco, *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv, 5). Ipse quippe, ut alia omittam, quæ sunt innumerabilia, sine ipsis fecit eos, sine ipsis fecit hunc mundum; et quia homo etiam ipse fieri dignatus est, sine ipsis fecit et seipsum. Quid autem illi sine ipso, nisi peccatum? Denique et hic id quod de hac re poterat nos movere, mox abstulit : cum enim dixisset, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet;* continuo secutus adjunxit, *Quia ego ad Patrem vado, et quæcumque petieritis, in nomine meo, hæc faciam.* Qui dixerat *faciet*, post ait *faciam;* tanquam diceret , Non vobis impossibile hoc videatur : non enim poterit esse major me qui credit in me, sed ego facturus sum et tunc majora quam nunc; majora per eum qui credit in me, quam præter eum per me : ego tamen ipse præter eum, ego ipse per eum : sed quando præter eum, non faciet ipse; quando autem per eum, quamvis non per semetipsum, faciet et ipse. Porro autem majora facere per eum quam præter eum, non est defectio, sed dignatio. Quid enim retribuant servi Domino, pro omnibus quæ retribuit eis (*Psal.* cxv, 12)? Quandoquidem inter cætera bona etiam hoc eis donare dignatus est, ut majora faceret per illos quam præter illos. Nonne ab ore illius dives ille tristis abscessit, quando vitæ æternæ consilium quæsivit (*Matth.* XIX, 16-22)? Audivit, abjecit : et tamen postea quod ab illo auditum non fecit

unus, fecerunt multi, cum loqueretur per discipulos magister bonus; contemptibilis ei quem divitem per seipsum monuit, amabilis eis quos ex divitibus pauperes per pauperes fecit. Ecce majora fecit prædicatus a credentibus, quam locutus audientibus.

2. Verum hoc adhuc movet, quod hæc majora per Apostolos fecit : non autem ipsos tantum significans ait, Opera quæ ego facio et vos facietis, et majora horum facietis : sed omnes ad suam familiam pertinentes intelligi volens, *Qui credit in me*, inquit, *opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.* Si ergo qui credit faciet, non credit utique qui non faciet : sicuti est, *Qui diligit me, mandata mea custodit* (*Joan.* XIV, 21); unde profecto qui non custodit, non diligit. Item alio loco, *Qui audit*, inquit, *verba mea hæc et facit ea, similabo eum viro prudenti qui ædificat domum suam supra petram* (*Matth.* VII, 24) : qui ergo non est similis huic viro prudenti, procul dubio aut verba hæc audit et non facit, aut omnino nec audit. *Qui credit*, inquit, *in me, licet moriatur, vivet* (*Joan.* XI, 25) : qui ergo non vivet, non utique credit. Tale etiam hoc est, *Qui credit in me, faciet* : non utique credit qui non faciet. Quid est hoc, fratres? Numquid inter credentes in Christum non est computandus, qui non fecerit opera majora quam Christus? Durum est, absurdum est, ferri non potest : non toleratur nisi intelligatur. Apostolum igitur audiamus : *Credenti*, inquit, *in eum qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam* (*Rom.* IV, 5). In hoc opere faciamus opera Christi, quia et ipsum credere in Christum, opus est Christi. Hoc operatur in nobis, non utique sine nobis. Audi ergo jam, et intellige, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet* : prius ego facio, deinde et ipse faciet; quia facio ut faciat. Quæ opera, nisi ut ex impio justus fiat?

3. *Et majora horum faciet.* Quorum, obsecro? Numquidnam omnium operum Christi majora facit, qui cum timore et tremore suam ipsius salutem operatur (*Philipp.* II, 12)? Quod utique in illo, sed non sine illo Christus operatur. Prorsus majus hoc esse dixerim, quam est cœlum et terra, et quæcumque cernuntur in cœlo et in terra. Et cœlum enim et terra transibit (*Matth.* XXIV, 35); prædestinatorum autem, id est eorum quos præscit, salus et justificatio permanebit. In illis tantum opera Dei, in his autem etiam est imago Dei. Sed et in cœlis, Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, Archangeli, Angeli opera sunt Christi; numquid etiam his operibus majora facit, qui operante in se Christo, cooperatur æternam salutem ac justificationem suam? Non hic audeo præcipitare sententiam : intelligat qui potest, judicet qui potest, utrum majus sit justos creare quam impios justificare. Certe enim si æqualis est utrumque potentiæ, hoc majoris est misericordiæ. *Hoc est* enim *magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est in gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (I *Tim.* III, 16). Sed omnia opera Christi intelligere ubi ait, *Majora horum faciet*, nulla nos necessitas cogit. *Horum* enim forsitan dixit, quæ in illa hora faciebat : tunc autem verba fidei faciebat, et de his operibus fuerat prælocutus dicens, *Verba quæ ego loquor vobis, a meipso non loquor : Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Tunc igitur verba ejus erant opera ejus. Et utique minus est verba justitiæ prædicare, quod fecit præter nos, quam impios justificare, quod ita facit in nobis, ut faciamus et nos. Restat inquirere, quomodo accipiendum sit, *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Propter multa enim quæ petunt fideles ejus, nec accipiunt, non parva hinc exoritur quæstio : sed quoniam sermo iste jam claudendus est, ei considerandæ atque tractandæ tribuatur saltem parva dilatio.

TRACTATUS LXXIII.

Item in eamdem lectionem.

1. Magnam spem Dominus suis promisit sperantibus[1], dicens : *Quia ego ad Patrem vado, et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Sic ergo perrexit ad Patrem, ut non relinqueret indigentes, sed exaudiret petentes. Sed quid est, *quodcumque petieritis*, cum videamus plerumque fideles ejus petere, et non accipere? An forte propterea quia male petunt? Nam hoc exprobravit apostolus Jacobus dicens : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis* (*Jacobi* IV, 3). Male ergo usurus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit. Proinde si hoc ab illo petitur unde homo læditur exauditus, magis metuendum est ne quod posset non dare propitius, det iratus. An non videmus Israelitas malo suo impetrasse quod culpabili concupiscentia petierunt? Concupierant enim carnibus vesci (*Num.* XI, 32), quibus pluebatur manna de cœlo. Fastidiebant quippe quod habebant; et quod non habebant, impudenter petebant : quasi non melius peterent, non ut cibus qui deerat indecenti desiderio præstaretur, sed ut ille qui aderat sanato fastidio sumeretur. Quando enim nos delectant mala, et non delectant bona, rogare debemus potius Deum ut delectent bona, quam ut concedantur mala. Non quia malum est carne vesci, cum de hac re loquens Apostolus dicat, *Omnis creatura Dei bona est, et nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione accipitur* (I *Tim.* IV, 4) : sed quia sicut item ipse ait, *Malum est homini qui per offensionem manducat* (*Rom.* XIV, 20); et si hominis offensionem, quanto magis Dei? Cujus in Israelitis non parva erat offensio, repudiare quod dabat sapientia, et petere id quod inhiabat concupiscentia : quamvis illi nec peterent, sed quia deerat murmurarent. Sed ut sciremus non Dei creaturam esse culpabilem, sed inobedientiam contumacem et inordinatam cupiditatem; non propter porcum, sed propter pomum mortem primus homo invenit (*Gen.* III, 6), et Esau primatus suos non propter gallinam, sed propter lenticulam perdidit (*Id.* XXV, 34).

2. Quomodo ergo intelligendum est, *Quodcumque petieritis, hoc faciam*, si Deus aliqua petentibus fidelibus etiam consulendo non facit? An forte solis Apo-

[1] In tribus Mss., *orantibus.*

stolis dictum debemus accipere? Absit. Unde enim ad hoc venit ut diceret, superius dixerat, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, faciet, et majora horum faciet :* de qua re pristino sermone tractavimus. Et ne quisquam hoc sibi tribueret, ut etiam illa opera majora seipsum facere ostenderet, adjecit, atque ait : *Quia ego ad Patrem vado; et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Numquid in eum soli Apostoli crediderunt? Ad eos itaque loquebatur dicendo, *Qui credit in me*, in quibus eo donante etiam nos sumus, qui utique non quodcumque petierimus accipimus. Ipsos quoque beatissimos si cogitemus Apostolos, invenimus eum qui plus omnibus laboravit, non autem ipse, sed gratia Dei cum ipso (I *Cor.* xv, 10), ter Dominum rogasse ut ab eo discederet angelus satanæ, nec tamen quod rogaverat accepisse (II *Cor.* xii, 8). Quid dicemus, charissimi[1]? Putabimusne hoc promissum ubi ait, *Quodcumque petieritis, hoc faciam*, nec Apostolis fuisse ab illo completum? Et cui tandem quod promittit implebit, si Apostolos suos in sua promissione fraudavit?

3. Evigila igitur, homo fidelis, et vigilanter audi quod illic positum est, *in nomine meo :* ipsum enim *quodcumque*, non ait, petieritis utcumque; sed, *in nomine meo*. Qui promisit ergo tam magnum beneficium, quid vocatur? Utique Christus Jesus : Christus significat regem, Jesus significat Salvatorem : non utique nos salvos faciet, quicumque rex, sed rex Salvator; ac per hoc quodcumque petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine Salvatoris. Et tamen ipse Salvator est, non solum quando facit quod petimus, verum etiam quando non facit; quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo potius se exhibet Salvatorem. Novit enim medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat ægrotus; et ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem. Quapropter quando volumus ut faciat quodcumque petimus, non utcumque, sed in nomine ejus petamus, hoc est in nomine Salvatoris petamus. Non ergo contra nostram salutem petamus : quod si fecerit, non ut Salvator facit, quod est nomen ejus fidelibus ejus. Est quippe impiis et damnator, qui dignatur fidelibus esse Salvator. Qui ergo credit in eum, quodcumque petierit in eo nomine, quod est illis qui credunt in eum, hoc facit; quoniam hoc sicut Salvator facit. Si autem qui in eum credit, aliquid per ignorantiam contra suam salutem petit, non in nomine Salvatoris petit; quia Salvator ejus non erit, si quod ejus salutem impedit, fecerit. Unde tunc expedit potius ut non faciendo propter quod invocatur, faciat quod vocatur. Propterea non solum Salvator, sed etiam magister bonus, ut faciat quodcumque petierimus, in ipsa oratione quam nobis dedit, docuit quid petamus; ut etiam sic intelligamus non petere nos in nomine magistri, quod petimus præter regulam ipsius magisterii.

4. Sane quædam quamvis in nomine ejus petamus, id est secundum Salvatorem et secundum magistrum petamus; non tunc quando petimus facit, sed tamen facit. Neque enim quia et illud petimus ut veniat regnum Dei, propterea non facit quod petimus, quia non statim cum illo in æternitate regnamus : differtur enim quod petimus, non negatur. Verumtamen orantes tanquam seminantes non deficiamus; tempore enim proprio metemus (*Galat.* vi, 9). Et simul petamus quando bene petimus, ut non faciat quod non bene petimus; quia et ad hoc pertinet quod in eadem oratione dominica dicimus, *Ne nos inferas in tentationem* (*Matth.* vi, 9-13). Neque enim parva est tentatio, si contra tuam sit causam tua postulatio. Non autem negligenter audiendum est, quod Dominus, ne quisquam eum putaret quod se promisit facere petentibus, sine Patre esse facturum, cum dixisset, *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam*, continuo subjecit, *Ut glorificetur Pater in Filio, si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Nullo modo igitur sine Patre hoc Filius facit, quandoquidem ut in illo Pater glorificetur, propterea facit. Facit ergo Pater in Filio, ut Filius glorificetur in Patre : et facit Filius in Patre, ut Pater glorificetur in Filio; quoniam unum sunt Pater et Filius.

TRACTATUS LXXIV

De eo quod ait, Si diligitis me, mandata mea servate; *usque ad id*, Apud vos manebit, et in vobis erit. *Cap.* xiv, ỳ. 15-17.

1. Audivimus, fratres, cum Evangelium legeretur, Dominum dicentem : *Si diligitis me, mandata mea servate : et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.* Multa sunt, quæ in istis paucis verbis Domini requirantur; sed multum est ad nos vel omnia quæ hic quærenda sunt quærere, vel omnia quæ hic quærimus invenire. Verumtamen quantum nobis Dominus donare dignatur, pro nostra et vestra capacitate, quid dicere debeamus, et quid audire debeatis, attendentes, per nos, charissimi, quod possumus sumite, et ab illo quod non possumus poscite. Spiritum paracletum Christus promisit Apostolis; quo autem modo promiserit, advertamus. *Si diligitis me*, inquit, *mandata mea servate : et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Hic est utique in Trinitate Spiritus sanctus, quem Patri et Filio consubstantialem et coæternum fides catholica confitetur : ipse est de quo dicit Apostolus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* v, 5). Quomodo ergo Dominus dicit, *Si diligitis me, mandata mea servate : et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis;* cum hoc dicat de Spiritu sancto, quem nisi habeamus, nec diligere Deum possumus, nec ejus mandata servare? Quomodo diligimus ut eum accipiamus, quem nisi habeamus, diligere non vale-

[1] In B., *quid dicimus, carissimi?* Er. Lugd. Ven. Lov. secutisumus. M.

mus? aut quomodo mandata servabimus ut eum accipiamus, quem nisi habeamus, mandata servare non possumus? An forte præcedit in nobis charitas, qua diligimus Christum, ut diligendo Christum ejusque mandata faciendo, mereamur accipere Spiritum sanctum, ut charitas non Christi, quæ jam præcesserat, sed Dei Patris diffundatur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis? Perversa est ista sententia. Qui enim se Filium diligere credit, et Patrem non diligit; profecto nec Filium diligit, sed quod sibi ipse confinxit. Deinde apostolica vox est, *Nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3) : et quis Dominum Jesum, nisi qui eum diligit, dicit, si eo modo dicit quo Apostolus intelligi voluit? Multi enim voce dicunt, corde autem et factis negant : sicut de talibus ait, *Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Si negatur factis, procul dubio etiam dicitur factis. *Nemo* itaque *dicit, Dominus Jesus*, animo, verbo, facto, corde, ore, opere, *nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto*; et nemo sic dicit, nisi qui diligit. Jam itaque Apostoli dicebant, *Dominus Jesus :* et si eo modo dicebant, ut non ficte dicerent, ore confitentes, corde et factis negantes; prorsus si veraciter hoc dicebant, procul dubio diligebant. Quomodo igitur diligebant, nisi in Spiritu sancto? Et tamen eis prius imperatur ut diligant eum, et ejus mandata conservent, ut accipiant Spiritum sanctum : quem nisi haberent, profecto diligere et mandata servare non possent.

2. Restat ergo ut intelligamus Spiritum sanctum habere qui diligit, et habendo mereri ut plus habeat, et plus habendo plus diligat. Jam itaque habebant Spiritum discipuli, quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant : nec tamen eum adhuc habebant, sicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo, et non habebant, qui quantum habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minus, dandus erat eis amplius. Habebant occulte, accepturi fuerant manifeste; quia et hoc ad majus donum sancti Spiritus pertinebat, ut eis innotesceret quod habebant. De quo munere loquens Apostolus ait : *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (I *Cor.* II, 12). Nam et ipsam manifestam impertitionem Spiritus sancti non semel, sed bis numero Dominus egit. Mox enim ut resurrexit a mortuis, insufflans ait : *Accipite Spiritum sanctum* (*Joan.* XX, 22). Numquid igitur quia tunc dedit, ideo non misit etiam postea quem promisit? Aut non idem ipse est Spiritus sanctus, qui et tunc est insufflatus ab ipso, et postea ab ipso missus e cœlo (*Act.* II, 4)? Quapropter cur ipsa quæ facta est evidenter donatio ejus, bis facta fuerit, alia quæstio est : fortassis enim propter duo præcepta dilectionis, hoc est proximi et Dei, ut commendaretur ad Spiritum sanctum pertinere dilectio, hæc ejus gemina est in manifestatione facta donatio. Et si alia causa quærenda est, non nunc ejus inquisitione in longiorem quam oportet modum sermo iste mittendus est : dum tamen constet, sine Spiritu sancto Christum nos diligere et mandata ejus servare non posse; et id nos posse atque agere tanto minus, quanto illum percipimus minus; tanto autem amplius, quanto illum percipimus amplius. Proinde non solum non habenti, verum etiam habenti, non incassum promittitur : non habenti quidem, ut habeatur; habenti autem, ut amplius habeatur. Nam nisi ab alio minus, ab alio amplius haberetur, sanctus Elisæus sancto Eliæ non diceret : *Spiritus qui est in te, duplo sit in me* [1] (IV *Reg.* II, 9).

3. Quando autem ait Joannes Baptista, *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum* (*Joan.* III, 34), de ipso Dei Filio loquebatur, cui non est datus Spiritus ad mensuram; quia in illo inhabitat omnis plenitudo divinitatis (*Coloss.* II, 9). Neque enim sine gratia Spiritus sancti est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5) : nam et ipse dicit de se fuisse propheticum illud impletum, *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me* (*Luc.* IV, 18-21). Quod enim est Unigenitus æqualis Patri, non est gratiæ, sed naturæ : quod autem in unitatem personæ Unigeniti assumptus est homo, gratiæ est, non naturæ, confitente Evangelio atque dicente, *Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo* (*Id.* II, 40). Cæteris autem ad mensuram datur, et datus additur, donec unicuique pro modo suæ perfectionis propria mensura compleatur. Unde et monet Apostolus, *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiam; unicuique sicut Deus partitus est mensuram fidei* (*Rom.* XII, 3). Neque enim ipse dividitur Spiritus, sed dona per Spiritum : nam divisiones donationum sunt, idem autem Spiritus (I *Cor.* XII, 4).

4. Quod vero ait, *Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis*, ostendit et seipsum esse paracletum. Paracletus enim latine dicitur advocatus : et dictum est de Christo, *Advocatum habemus ad Patrem, Jesum Christum justum* (I *Joan.* II, 1). Sic autem mundum dixit non posse accipere Spiritum sanctum, sicut etiam dictum est, *Prudentia carnis inimica est in Deum : legi enim Dei non est subjecta; nec enim potest* (*Rom.* VIII, 7); velut si dicamus, Injustitia justa esse non potest. Mundum quippe ait hoc loco, mundi significans dilectores, quæ dilectio non est a Patre (I *Joan.* II, 16). Et ideo dilectioni hujus mundi, de qua satis agimus [2] ut minuatur et consumatur in nobis, contraria est dilectio Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis. *Mundus* ergo eum *accipere non potest, quia non videt eum, neque scit eum.* Non enim habet invisibiles oculos mundana dilectio, per quos videri Spiritus sanctus, nisi invisibiliter non potest.

5. *Vos autem*, inquit, *cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit.* Erit in eis ut maneat, non manebit ut sit : prius est enim esse alicubi, quam manere. Sed ne putarent quod dictum est, *apud vos manebit*, ita dictum quemadmodum apud hominem

[1] Editi, *duplex sit in me.* At Mss., *duplo.*
[2] *Satagimus*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. M.

hospes visibiliter manere consuevit; exposuit quid dixerit, *apud vos manebit*, cum adjunxit et dixit, *in vobis erit.* Ergo invisibiliter videtur: nec si non sit in nobis, potest esse in nobis ejus scientia. Sic enim a nobis videtur in nobis et nostra conscientia: nam faciem videmus alterius, nostram videre non possumus; conscientiam vero nostram videmus, alterius non videmus. Sed conscientia nunquam est, nisi in nobis: Spiritus autem sanctus potest esse etiam sine nobis; datur quippe ut sit et in nobis. Sed videri et sciri quemadmodum videndus et sciendus est, non potest a nobis, si non sit in nobis.

TRACTATUS LXXV.

De eo quod ait Jesus, Non relinquam vos orphanos; *usque ad id*, Et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. *Cap.* XIV, ỳ 18-21.

1. Post promissionem Spiritus sancti, ne quisquam putaret quod ita eum Dominus daturus fuerat velut pro seipso, ut non et ipse cum eis esset futurus, adjecit atque ait: *Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos.* Orphani, pupilli sunt. Illud enim græcum ejusdem rei nomen est, hoc latinum: nam et in psalmo ubi legimus, *Pupillo tu eris adjutor* (*Psal.* IX, 14), græcus habet *orphano.* Quamvis ergo nos Filius Dei suo Patri adoptaverit filios, et eumdem Patrem nos voluerit habere per gratiam, qui ejus Pater est per naturam; tamen etiam ipse circa nos paternum affectum quodammodo demonstrat, cum dicit, *Non relinquam vos orphanos; veniam ad vos.* Hinc est quod etiam sponsi filios nos appellat, ubi dicit: *Veniet hora ut auferatur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt filii sponsi* (*Matth.* IX, 15). Quis autem sponsus, nisi Dominus Christus?

2. Deinde sequitur, et dicit: *Adhuc modicum, et mundus me jam non videt.* Quid enim? tunc eum videbat mundus; quandoquidem mundi nomine vult intelligi eos de quibus superius est locutus, dicens de Spiritu sancto, *Quem mundus accipere non potest, quia non videt eum, neque cognoscit eum?* Videbat eum plane mundus carneis oculis in carne conspicuum, non autem videbat quod in carne Verbum latebat: videbat hominem, non videbat Deum; videbat indumentum, non videbat indutum. Sed quoniam post resurrectionem etiam ipsam carnem suam, quam non solum videndam, verum etiam contrectandam demonstravit suis, noluit demonstrare non suis; hinc fortasse intelligendum est esse dictum, *Adhuc modicum, et mundus me jam non videt: vos autem videbitis me; quia ego vivo, et vos vivetis.*

3. Quid est, *quia ego vivo, et vos vivetis?* Cur de præsenti se dixit vivere, illos autem de futuro esse victuros, nisi quia vitam etiam carnis utique resurgentis, qualis in ipso præcedebat, et illis est pollicitus secuturam? Et quia ipsius mox futura erat resurrectio, præsentis posuit temporis verbum propter significandam celeritatem: illorum autem quoniam sæculi differtur in finem, non ait, vivitis; sed, *vivetis.* Duas ergo resurrectiones, suam scilicet mox futuram, et nostram in sæculi fine venturam, duobus verbis præsentis temporis et futuri, eleganter breviterque promisit. *Quia ego*, inquit, *vivo, et vos vivetis:* quia ille vivit, ideo et nos vivemus. Per hominem quippe mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur (I *Cor.* XV, 21 *et* 22). Quoniam nemo ad mortem nisi per illum, nemo ad vitam nisi per Christum. Quia non [1] viximus, mortui sumus: quia vivit ipse, vivemus nos. Mortui sumus illi, quando viximus nobis: quia vero mortuus ille pro nobis, et sibi vivit et nobis. Quia enim vivit ille, et nos vivemus. Nam sicut per nos mortem habere potuimus, non sic et vitam per nos habere possumus.

4. *In illo die*, inquit, *vos cognoscetis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis.* In quo die, nisi de quo ait, *et vos vivetis?* Tunc enim erit ut possimus videre quod credimus. Nam et nunc est in nobis, et nos in illo: sed hoc nunc credimus, tunc etiam cognoscemus; quamvis et nunc credendo noverimus, sed tunc contemplando noscemus. Quamdiu enim sumus in corpore quale nunc est, id est corruptibile quod aggravat animam, peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem (II *Cor.* V, 6). Tunc ergo per speciem, quoniam videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2). Nam si etiam nunc Christus in nobis non esset, non diceret Apostolus: *Si autem Christus in vobis, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam* (*Rom.* VIII, 10). Quia vero et nos etiam nunc in illo sumus, satis ostendit, ubi dicit: *Ego sum vitis, vos palmites* (*Joan.* XV, 5). In illo ergo die, quando vivemus ea vita qua mors absorbebitur, cognoscemus quia ipse in Patre, et nos in ipso, et ipse in nobis; quia tunc perficietur hoc ipsum quod et nunc inchoatum est jam per ipsum, ut sit in nobis et nos in ipso.

5. *Qui habet*, inquit, *mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me.* Qui habet in memoria, et servat in vita; qui habet in sermonibus, et servat in moribus; qui habet audiendo, et servat faciendo; aut qui habet faciendo, et servat perseverando; *ipse est*, inquit, *qui diligit me.* Opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio. *Et qui diligit me*, inquit, *diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Quid est, *diligam?* tanquam tunc dilecturus sit, et nunc non diligat? Absit. Quomodo enim nos Pater sine Filio, aut Filius sine Patre diligeret? Quomodo cum inseparabiliter operentur, separabiliter diligunt? Sed ad hoc dixit, *diligam eum*, ad quod sequitur, *et manifestabo ei meipsum. Diligam, et manifestabo;* id est, ad hoc diligam, ut manifestem. Nunc enim ad hoc dilexit, ut credamus, et mandatum fidei teneamus; tunc ad hoc diliget, ut videamus, et ipsam visionem [2] mercedem fidei capiamus: quia et nos nunc diligimus, credendo quod videbimus; tunc autem diligemus, videndo quod credimus.

[1] Editi, *Quia nobis.* Mss. plerique, *Quia nos.*
[2] Sic Mss. At editi, *ipsa visione:* et infra, *credendo quod non videmus.*

TRACTATUS LXXVI.

De eo quod sequitur, Dicit ei Judas, non ille Iscariotes, *etc., usque ad id,* Sermo quem audistis non est meus, sed ejus qui misit me, Patris. *Cap.* XIV, ℣. 22-24.

1. Interrogantibus discipulis et eis magistro respondente Jesu, etiam nos tanquam cum illis discimus, quando sanctum Evangelium vel legimus vel audimus. Quia ergo dixerat Dominus, *Adhuc modicum, et mundus me jam non videt, vos autem videbitis me ;* interrogavit eum de hoc ipso Judas, non ille traditor ejus qui Iscariotes cognominatus est, sed cujus Epistola inter Scripturas canonicas legitur : *Domine, quid factum est, quia nobis manifestaturus es teipsum, et non mundo ?* Simus cum ipsis tanquam interrogantes discipuli, communemque magistrum audiamus et nos. Judas enim sanctus, non immundus, nec insectator Domini, sed sectator, causam quæsivit quare se non mundo, sed suis manifestaturus esset Jesus ; quare adhuc modicum et mundus non videret eum, ipsi autem viderent eum.

2. *Respondit Jesus, et dixit ei : Si quis diligit me, sermonem meum servabit : et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Ecce exposita est causa quare se suis manifestaturus est, non alienis, quos mundi nomine appellat ; et ipsa est causa quod hi diligant, illi non diligant. Ipsa causa est de qua sacer insonat Psalmus, *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta* (*Psal.* XLII, 1). Qui enim diligunt [1], quia diligunt, eliguntur : qui vero non diligunt, si linguis hominum loquantur et Angelorum, fiunt æramentum sonans et cymbalum tinniens; et si habuerint prophetiam, et scierint omnia sacramenta, et omnem scientiam, et habuerint omnem fidem ut montes transferant, nihil sunt ; et si distribuerint omnem substantiam suam, et tradiderint corpus suum ut ardeant, nihil eis prodest (1 *Cor.* XIII, 1-3). Dilectio sanctos discernit a mundo, quæ facit unanimes habitare in domo (*Psal.* LXVII, 7). In qua domo facit Pater et Filius mansionem ; qui donant et ipsam dilectionem, quibus donent in fine etiam ipsam suam manifestationem : de qua discipulus magistrum interrogavit, ut non solum illi qui tunc audiebant per os ejus, sed etiam nos per Evangelium ejus hoc nosse possemus. Quæsierat enim de Christi manifestatione, et audivit de dilectione atque mansione. Est ergo quædam Dei manifestatio interior, quam prorsus impii non noverunt, quibus Dei Patris et Spiritus sancti manifestatio nulla est : Filii vero potuit esse, sed in carne ; quæ nec talis est qualis illa, nec semper illis adesse potest qualiscumque sit, sed ad modicum tempus ; et hoc ad judicium, non ad gaudium ; ad supplicium, non ad præmium.

3. Nunc est ergo ut intelligamus, quantum aperire ipse dignatur, quomodo dictum sit, *Adhuc modicum, et mundus me jam non videt, vos autem videbitis me.* Verum est quidem quod post paululum etiam corpus suum in quo poterant eum et impii videre, oculis eorum fuerat subtracturus ; quandoquidem post resurrectionem nemo illorum vidit eum. Sed quoniam dictum est testantibus Angelis, *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I, 11) ; nec aliud credimus quam eum in eodem corpore ad judicium vivorum et mortuorum esse venturum : procul dubio tunc eum videbit mundus, quo nomine significati sunt a regno ejus alieni. Ac per hoc longe melius intelligitur jam illud tempus significare voluisse, in eo quod ait, *Adhuc modicum, et mundus me jam non videt,* quando in fine sæculi auferetur ab oculis damnatorum, ut illi eum de cætero videant, apud quos diligentes eum facit Pater atque ipse mansionem. *Modicum* autem dixit, quia et id quod prolixum videtur hominibus, brevissimum est ante oculos Dei : de hoc quippe modico iste ipse Joannes evangelista, *Filioli,* inquit, *novissima hora est* (1 *Joan.* II, 18).

4. Ne quis porro existimet Patrem tantummodo et Filium sine Spiritu sancto apud dilectores suos facere mansionem, recolat quod superius de Spiritu sancto dictum est, *Quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum : vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit* (*Joan.* XIV, 17). Ecce facit in sanctis cum Patre et Filio sanctus etiam Spiritus mansionem ; intus utique, tanquam Deus in templo suo. Deus Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, veniunt ad nos, dum venimus ad eos : veniunt subveniendo, venimus obediendo ; veniunt illuminando, venimus intuendo ; veniunt implendo, venimus capiendo : ut sit nobis eorum non extraria visio, sed interna ; et in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna. Sic mundo non se Filius manifestat : mundus enim dictus est hoc loco, de quibus continuo subjunxit, *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Hi sunt qui Patrem et Spiritum sanctum nunquam vident : Filium autem non ut beatificentur, sed ut judicentur, ad modicum vident ; nec ipsum in forma Dei, ubi est cum Patre et Spiritu sancto pariter invisibilis ; sed in forma hominis, ubi esse voluit mundo patiendo contemptibilis, judicando terribilis.

5. Quod vero adjunxit, *Et sermo quem audistis non est meus, sed ejus qui misit me, Patris ;* non miremur, non paveamus : non est minor Patre, sed non est nisi a Patre ; non est impar ipso, sed non est a seipso. Neque enim mentitus est dicendo, *Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Ecce suos dixit esse sermones ; numquid sibi ipse est contrarius, ubi rursus dixit, *Et sermo quem audistis non est meus?* Et fortasse propter aliquam distinctionem, ubi suos dixit, dixit pluraliter, hoc est *sermones;* ubi autem *sermonem,* hoc est Verbum, non suum dixit esse, sed Patris, seipsum intelligi voluit. In principio enim erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum(*Joan.* I, 1). Non utique suum, sed Patris est Verbum : quomodo nec sua imago, sed Patris ; nec suus Filius idem ipse, sed Patris. Recte igitur tribuit auctori quidquid facit æqualis, a quo habet hoc ipsum quod illi est indifferenter æqualis.

[1] Decem MSS., *Qui enim diliguntur,*

TRACTATUS LXXVII.

De eo quod sequitur, Hæc locutus sum vobis apud vos manens; *usque ad id,* Pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis. *Cap.* XIV, ỹ. 25-27.

1. In præcedenti lectione sancti Evangelii, quam sequitur ista quæ modo recitata est, Dominus Jesus dixerat se et Patrem ad dilectores suos esse venturos, et apud eos mansionem esse facturos. Jamvero et superius dixerat de Spiritu sancto, *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit* (*Joan.* XIV, 17) : unde intelleximus in sanctis tanquam in templo suo simul manere Trinitatem Deum. Nunc autem dicit : *Hæc locutus sum vobis apud vos manens.* Illa itaque mansio alia est, quam promisit futuram; hæc vero alia, quam præsentem esse testatur. Illa spiritualis est, atque intrinsecus mentibus redditur : hæc corporalis forinsecus oculis atque auribus exhibetur. Illa in æternum beatificat liberatos; hæc in tempore visitat liberandos. Secundum illam Dominus a suis dilectoribus non recedit; secundum hanc it et recedit[1]. *Hæc,* inquit, *locutus sum vobis, apud vos manens :* utique præsentia corporali, qua cum illis visibilis loquebatur.

2. *Paracletus autem,* inquit, *Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et commemorabit vos omnia quæcumque dixero vobis.* Numquidnam dicit Filius, et docet Spiritus sanctus, ut dicente Filio verba capiamus, docente autem Spiritu sancto eadem verba intelligamus? Quasi dicat Filius sine Spiritu sancto, aut Spiritus sanctus doceat sine Filio : aut vero non et Filius doceat et Spiritus sanctus dicat, et cum Deus aliquid dicit et docet, Trinitas ipsa dicat et doceat? Sed quoniam Trinitas est, oportebat ejus singulas insinuare personas, eamque nos distincte audire, inseparabiliter intelligere. Audi Patrem dicentem ubi legis, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu* (*Psal.* II, 7) : audi et docentem ubi legis, *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me* (*Joan.* VI, 45). Filium vero dicentem modo audisti; de se quippe ait, *Quæcumque dixero vobis :* quem si et docentem vis nosse, magistrum recole, *Unus est,* inquit, *Magister vester Christus* (*Matth.* XXIII, 10). Spiritum porro sanctum, quem modo audisti docentem ubi dictum est, *Ipse vos docebit omnia,* audi etiam dicentem, ubi legis in Actibus Apostolorum, beato Petro dixisse Spiritum sanctum, *Vade cum illis, quia ego misi eos* (*Act.* X, 20). Omnis igitur et dicit et docet Trinitas : sed nisi etiam singillatim commendaretur, eam nullo modo humana capere utique posset infirmitas. Cum ergo omnino sit inseparabilis, nunquam Trinitas esse sciretur, si semper inseparabiliter diceretur : nam et cum dicimus Patrem et Filium et Spiritum sanctum, non eos utique dicimus simul, cum ipsi non possint esse non simul. Quod vero addidit, *commemorabit vos,* intelligere debemus etiam, quod jubemur non oblivisci saluberrimos monitus ad gratiam pertinere, quam nos commemorat Spiritus.

[1] Lov. *redit.* Cæteri codices, *recedit.*

3. *Pacem,* inquit, *relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Hoc est quod legimus apud prophetam, *Pacem super pacem :* pacem nobis relinquit iturus, pacem suam nobis dabit in fine venturus. Pacem nobis relinquit in hoc sæculo, pacem suam nobis dabit in futuro sæculo. Pacem suam nobis relinquit, in qua manentes hostem vincimus : pacem suam nobis dabit, quando sine hoste regnabimus. Pacem relinquit nobis, ut etiam hic invicem diligamus : pacem suam nobis dabit, ubi nunquam dissentire possimus. Pacem relinquit nobis, ne de occultis nostris invicem judicemus, cum in hoc sumus mundo : pacem suam dabit nobis, cum manifestabit cogitationes cordis, et tunc laus erit unicuique a Deo (I *Cor.* IV, 5). In illo tamen atque ab illo nobis est pax, sive quam nobis relinquit iturus ad Patrem, sive quam nobis dabit nos perducturus ad Patrem. Quid autem nobis relinquit ascendens a nobis, nisi seipsum, dum non recedit a nobis? Ipse est enim pax nostra; qui fecit utraque unum (*Ephes.* II, 14). Pax ergo ipse nobis est, et cum credimus quia est, et cum videmus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2). Si enim quamdiu sumus in corpore corruptibili quod aggravat animam, cum per fidem ambulamus, non per speciem, non deserit peregrinantes a se (II *Cor.* V, 6, 7); quanto magis cum ad ipsam speciem venerimus, nos implebit ex se?

4. Sed quid est quod ubi ait, *Pacem relinquo vobis,* non addidit *meam;* ubi vero ait, *do vobis,* ibi dixit *meam?* Utrum subaudiendum est *meam,* et ubi dictum non est, quia potest referri ad utrumque etiam quod semel dictum est? An forte et hic aliquid latet quod petendum est et quærendum, et ad quod pulsantibus aperiendum? Quid si enim pacem suam eam voluit intelligi qualem habet ipse? Pax vero ista quam nobis relinquit in hoc sæculo, nostra est potius dicenda quam ipsius. Illi quippe nihil repugnat in seipso, qui nullum habet omnino peccatum : nos autem talem pacem nunc habemus, in qua adhuc dicamus, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI, 12). Est ergo nobis pax aliqua, quoniam condelectamur legi Dei secundum interiorem hominem : sed non est plena, quia videmus aliam legem in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ (*Rom.* VII, 22 *et* 23). Itemque inter nos ipsos est nobis pax, quia invicem nobis credimus quod invicem diligamus : sed nec ipsa plena est, quia cogitationes cordis nostri invicem non videmus; et quædam de nobis quæ non sunt in nobis, vel in melius invicem vel in deterius opinamur. Itaque ista etiamsi ab illo nobis relicta est, pax nostra est : nisi enim ab illo, non haberemus et talem; sed ipse non habet talem. Si tenuerimus usque in finem qualem accepimus, qualem habet habebimus, ubi nihil nobis repugnet ex nobis, et nihil nos invicem lateat in cordibus nostris. Nec ignoro ista Domini verba etiam sic accipi posse, ut ejusdem sententiæ repetitio videatur, *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis :* ut quod dixerat, *pacem,* hoc repetierit dicens, *pacem meam;* et quod dixerat, *relinquo vobis,* hoc repetierit dicens, *do vobis.* Ut volet

quisque accipiat : me tamen delectat, credo et vos, fratres mei dilecti, sic tenere istam pacem, ubi adversarium concorditer vincimus, ut desideremus pacem, ubi adversarium non habebimus.

5. Quod vero Dominus adjunxit, atque ait, *Non quomodo mundus dat, ego do vobis*; quid est aliud, nisi, non quomodo homines dant qui diligunt mundum, ita do vobis? Qui propterea dant sibi pacem, ut sine molestia litium atque bellorum, non Deo, sed amico suo mundo perfruantur : et quando justis dant pacem ut non eos persequantur, pax non potest esse vera, ubi non est vera concordia; quia disjuncta sunt corda. Quomodo enim consors dicitur, qui sortem jungit; ita ille concors dicendus est, qui corda jungit. Nos ergo, charissimi, quibus Christus pacem relinquit, et pacem suam nobis dat, non sicut mundus, sed sicut ille per quem factus est mundus, ut concordes simus; jungamus invicem corda, et cor unum sursum habeamus, ne corrumpatur in terra.

TRACTATUS LXXVIII.

In id quod Dominus dicit, Non turbetur cor vestrum, neque formidet, *etc. Cap.* XIV, ỳ ỳ. 27, 28.

1. Accepimus, fratres, verba Domini dicentis ad discipulos suos : *Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis, Vado, et venio ad vos : si diligeretis me, gauderetis utique, quia ego vado ad Patrem; quia Pater major me est.* Hinc ergo turbari et formidare poterat cor illorum, quod ibat ab eis, quamvis venturus ad eos : ne forsitan gregem lupus hoc intervallo invaderet, pastoris absentia. Sed a quibus homo abscedebat, Deus non derelinquebat : et idem ipse Christus homo et Deus. Ergo et ibat per id quod homo erat, et manebat per id quod Deus erat : ibat per id quod uno loco erat, manebat per id quod ubique erat. Cur itaque turbaretur et formidaret cor, quando ita deserebat oculos, ut non desereret cor? Quamvis Deus etiam qui nullo continetur loco, discedat ab eorum cordibus, qui eum relinquunt moribus, non pedibus; et veniat ad eos qui convertuntur ad eum non facie, sed fide, et accedunt ad eum mente, non carne. Ut autem intelligerent secundum id quod homo erat eum dixisse, *Vado et venio ad vos*; adjecit, atque ait, *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ego vado ad Patrem; quia Pater major me est.* Per quod ergo Filius non est æqualis Patri, per hoc iturus erat ad Patrem, a quo venturus est vivos judicaturus et mortuos : per illud autem in quo æqualis est gignenti Unigenitus, nunquam recedit a Patre; sed cum illo est ubique totus pari divinitate, quam nullus continet locus. *Cum* enim *in forma Dei esset*, sicut Apostolus loquitur, *non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Quomodo enim rapina posset esse natura quæ non erat usurpata, sed nata? *Semetipsum autem exinanivit, formam servi accipiens* (*Philipp.* II, 6, 7) : non ergo amittens illam, sed accipiens istam. Eo modo se exinaniens, quo hic minor apparebat quam apud Patrem manebat. Forma quippe servi accessit, non forma Dei recessit : hæc est assumpta, non illa consumpta. Propter hanc dicit, *Pater major me est* : propter illam vero, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30).

2. Hoc attendat arianus, et attentione sit sanus : ne contentione sit vanus, aut, quod est pejus, insanus. Hæc est enim forma servi, in qua Dei Filius minor est, non Patre solo, sed etiam Spiritu sancto : neque id tantum, sed etiam seipso; quia idem ipse in forma Dei major est seipso. Neque enim homo Christus non dicitur Filius Dei, quod etiam sola caro ejus in sepulcro meruit appellari. Nam quid aliud confitemur, cum dicimus credere nos in unigenitum Dei Filium, qui sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus? Et quid ejus nisi caro sepulta est sine anima? Ac per hoc cum credimus in Dei Filium qui sepultus est, profecto Filium Dei dicimus et carnem quæ sola sepulta est. Ipse ergo Christus Filius Dei, æqualis Patri in forma Dei, quia semetipsum exinanivit, non formam Dei amittens, sed formam servi accipiens, major est et seipso; quia major est forma Dei quæ amissa non est, quam servi quæ accepta est. Quid itaque mirum, vel quid indignum, si secundum hanc formam servi loquens, ait Dei Filius, *Pater major me est;* et secundum Dei formam loquens, ait idem ipse Dei Filius, *Ego et Pater unum sumus?* Unum sunt enim, secundum id quod *Deus erat Verbum* : major est Pater, secundum id quod *Verbum caro fatum est* (*Id.* I, 1, 14). Dicam etiam quod Ariani et Eunomiani negare non possunt : secundum hanc formam servi puer Christus etiam parentibus suis minor erat, quando parvus majoribus, sicut scriptum est, *subditus erat* (*Luc.* II, 51). Quid igitur, hæretice, cum Christus Deus sit et homo, loquitur ut homo, et calumniaris Deo? Ille in se naturam commendat humanam; tu in illo audes deformare divinam? Infidelis, ingrate, ideone tu minuis eum qui fecit te, quia dicit ille quid factus sit propter te? Æqualis enim Patri, Filius per quem factus est homo, ut minor esset Patre, factus est homo : quod nisi fieret, quid esset homo?

3. Dicat plane Dominus et Magister noster, *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est.* Cum discipulis audiamus verba doctoris, non cum alienis sequamur astutiam deceptoris. Agnoscamus geminam substantiam Christi; divinam scilicet qua æqualis est Patri, humanam qua major est Pater. Utrumque autem simul non duo, sed unus est Christus; ne sit quaternitas, non Trinitas Deus. Sicut enim unus est homo anima rationalis et caro, sic unus est Christus Deus et homo : ac per hoc Christus, est Deus anima rationalis et caro. Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Jesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Jesus, sed in forma servi. Item de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Jesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo jacuit in sepulcro? Christus Jesus, sed in carne sola. Dicitur ergo et in his singulis Christus. Verum hæc omnia non duo, vel tres, sed unus est Christus. Ideo ergo

dixit, *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem;* quia naturæ humanæ gratulandum est, eo quod sic assumpta est a Verbo unigenito, ut immortalis constitueretur in cœlo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram Patris. Hoc enim modo se iturum dixit ad Patrem. Nam profecto ad illum ibat qui cum illo erat. Sed hoc erat ire ad eum et recedere a nobis, mutare atque immortale facere quod mortale suscepit ex nobis, et levare in cœlum per quod fuit in terra pro nobis. Quis non hinc gaudeat, qui sic diligit Christum, ut et suam naturam jam immortalem gratuletur in Christo, atque id se speret futurum esse per Christum?

TRACTATUS LXXIX.

De eo quod ait, Et nunc dixi vobis priusquam fiat, *etc.*, *usque ad id*, Surgite, eamus hinc. *Cap.* XIV, ℣ ℣. 29-31.

1. Dominus et salvator noster Jesus Christus dixerat discipulis suis: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater major me est.* Quod ex forma servi eum dixisse, non ex forma Dei in qua æqualis est Patri, novit fides quæ religiosis est mentibus fixa, non calumniosis et dementibus ficta. Deinde subjunxit: *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.* Quid est hoc, cum magis homo credere debeat antequam fiat id quod credendum est? Hæc est enim laus fidei, si quod creditur non videtur. Nam quid magnum est si creditur quod videtur, secundum illam ejusdem Domini sententiam, quando discipulum arguit dicens: *Quia vidisti, credidisti, beati qui non vident et credunt* (*Joan.* XX, 29)? Et nescio utrum credere dicendus est quisque quod videt; nam ipsa fides in Epistola quæ scribitur ad Hebræos, ita est definita: *Est autem fides sperantium*[1] *substantia, convictio rerum quæ non videntur* (*Hebr.* XI, 1). Quapropter si fides est rerum quæ creduntur, eademque fides earum est quæ non videntur; quid sibi vult quod Dominus ait, *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis?* Nonne potius dicendum fuit, Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut credatis, quod cum factum fuerit, videatis? Nam et ille cui dictum est, *Quia vidisti, credidisti*, non hoc credidit quod vidit; sed aliud vidit, aliud credidit: vidit enim hominem, credidit Deum. Cernebat quippe atque tangebat carnem viventem, quam viderat morientem; et credebat Deum in carne ipsa latentem. Credebat ergo mente quod non videbat, per hoc quod sensibus corporis apparebat. Sed etsi dicuntur credi quæ videntur, sicut dicit unusquisque oculis suis se credidisse: non tamen ipsa est quæ in nobis ædificatur fides; sed ex rebus quæ videntur, agitur in nobis ut ea credantur quæ non videntur. Quocirca, dilectissimi, unde nunc mihi sermo est, quod Dominus ait, *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis;* illud utique dicit, *cum factum fuerit*, quod eum visuri erant post mortem viventem, et ad Patrem ascendentem: quo viso illud fuerant credituri, quod ipse esset Christus Filius Dei vivi, qui potuit hoc facere cum prædixisset, et prædicere ante quam faceret: credituri autem hoc non fide nova, sed aucta; aut certe cum mortuus esset defecta, cum resurrexisset refecta. Neque enim eum Dei Filium non et ante credebant; sed cum in illo factum esset quod ante prædixit, fides illa quæ tunc quando illis loquebatur fuit parva, et cum moreretur pene jam nulla, et revixit et crevit.

2. Deinde quid dicit? *Jam non multa loquar vobiscum: venit enim princeps mundi hujus:* quis, nisi diabolus? *Et in me non habet quidquam:* nullum scilicet omnino peccatum. Sic enim ostendit non creaturarum, sed peccatorum, principem diabolum, quos nunc nomine mundi hujus appellat. Et quotiescumque mundi nomen in mali significatione ponitur, non ostendit nisi mundi istius amatores; de quibus alibi scriptum est, *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituetur* (*Jacobi* IV, 4). Absit ergo ut sic intelligatur diabolus princeps mundi, tanquam gerat universi mundi, id est, cœli et terræ, atque omnium quæ in eis sunt principatum: de quali mundo dictum est, cum de Christo Verbo sermo esset, *Et mundus per eum factus est* (*Joan.* I, 10). Universus itaque mundus a summis cœlis usque ad infimam terram creatori est subditus, non desertori; redemptori, non interemptori; liberatori, non captivatori; doctori, non deceptori. Quemadmodum autem sit intelligendus princeps mundi diabolus, evidentius aperuit Paulus apostolus, qui cum dixisset, *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, id est, adversus homines; subjecit, atque ait, *sed adversus principes et potestates et rectores mundi tenebrarum harum* (*Ephes.* VI, 12). Sequenti enim verbo exposuit quid dixisset, *mundi*, cum subjecit, *tenebrarum harum:* ne quisquam mundi nomine intelligeret universam creaturam, cujus nullo modo sunt rectores angeli desertores. *Tenebrarum*, inquit, *harum*, id est, mundi istius amatorum: ex quibus tamen electi sunt, non per suum meritum, sed per Dei gratiam, quibus dicit, *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Id.* V, 8). Omnes enim fuerunt sub rectoribus tenebrarum harum, id est, hominum impiorum, tanquam tenebræ sub tenebris: sed *gratias Deo, qui eruit nos*, sicut dicit idem apostolus, *de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis suæ* (*Coloss.* I, 12, 13). In quo princeps hujus mundi, hoc est tenebrarum harum, non habebat quidquam; quia neque cum peccato Deus venerat, nec ejus carnem de peccati propagine Virgo pepererat. Et tanquam ei diceretur, Cur ergo moreris, si non habes peccatum cui debeatur mortis supplicium? continuo subjecit, *Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite, eamus hinc.* Discumbens enim discumbentibus loquebatur. *Eamus* autem dixit, quo, nisi ad illum locum unde fuerat tradendus ad mortem, qui nullum habebat meritum mortis? Sed habebat ut moreretur mandatum Patris, tanquam ille de quo prædictum erat, *Quæ non rapui, tunc exsolvebam* (*Psal.* LXVIII, 5);

[1] Tres Mss., *sperandorum*. Am. et Bad., *sperandarum*. Er. Lov. et plerique Mss., *sperantium*. Sic rursus variant infra, Tract. 98.

mortem sine debito soluturus, et nos a morte debita redempturus. Rapuerat autem Adam peccatum, quando manum in arborem præsumptione deceptus extendit, ut incommunicabile nomen inconcessæ divinitatis invaderet, quam Filio Dei natura contulerat, non rapina.

TRACTATUS LXXX.

De eo quod dicit, Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est; *usque ad id,* Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. *Cap.* xv, ℣. 1-3.

1. Iste locus evangelicus, fratres, ubi se dicit Dominus vitem, et discipulos suos palmites, secundum hoc dicit quod est caput Ecclesiæ, nosque membra ejus, mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5). Unius quippe naturæ sunt vitis et palmites : propter quod cum esset Deus, cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus et nos homines palmites esse possemus. Quid ergo est, *Ego sum vitis vera?* Numquid ut adderet *vera,* hoc ad eam vitem retulit, unde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis, per similitudinem, non per proprietatem ; quemadmodum dicitur ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, et cætera hujusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducuntur istæ similitudines, non proprietates. Sed cum dicit, *Ego sum vitis vera,* ab illa se utique discernit cui dicitur, *Quomodo conversa es in amaritudinem, vitis aliena* (*Jerem.* II, 21)? Nam quo pacto est vitis vera, quæ exspectata est ut faceret uvam, fecit autem spinas (*Isai.* v, 4)?

2. *Ego sum,* inquit, *vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum : et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Numquid unum sunt agricola et vitis? Secundum hoc ergo vitis Christus, secundum quod ait, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28) : secundum autem id quod ait, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* X, 30), et ipse agricola est. Nec talis quales sunt, qui extrinsecus operando exhibent ministerium; sed talis ut det etiam intrinsecus incrementum. *Nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Sed utique Deus est Christus, quia Deus erat Verbum; unde ipse et Pater unum sunt : et si Verbum caro factum est (*Id.* I, 1, 14) quod non erat, manet quod erat. Denique cum de Patre tanquam de agricola dixisset quod infructuosos palmites tollat, fructuosos autem purget ut plus afferant fructum; continuo etiam seipsum mundatorem palmitum ostendens, *Jam vos,* inquit, *mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.* Ecce et ipse mundator est palmitum, quod est agricolæ, non vitis officium : qui etiam palmites operarios suos fecit. Nam etsi non dant incrementum, impendunt tamen aliquod adjumentum; sed non de suo : *Quia sine me,* inquit, *nihil potestis facere.* Audi etiam ipsos confitentes : *Quid autem est Apollo? quid autem Paulus? Ministri per quos* (δι' ὧν) *credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit.* Et hoc ergo *sicut unicuique Dominus dedit :* non itaque de suo. Jamvero quod sequitur, *sed Deus incrementum dedit* (I *Cor.* III, 5-7); non per illos, sed per seipsum facit : excedit hoc humanam humilitatem, excedit angelicam sublimitatem, nec omnino pertinet nisi ad agricolam Trinitatem. *Jam vos mundi estis,* mundi scilicet atque mundandi. Neque enim nisi mundi essent, fructum ferre potuissent : et tamen omnem qui fert fructum, purgat agricola, ut fructum plus afferat. Fert fructum, quia mundus est; atque ut plus afferat, purgatur adhuc. Quis enim est in hac vita sic mundus, ut non sit magis magisque mundandus? Ubi « si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est : si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis peccata, et mundet nos ab omni iniquitate » (I *Joan.* 1, 8, 9) : mundet utique mundos, hoc est fructuosos, ut tanto sint fructuosiores, quanto fuerint mundiores.

3. *Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis.* Quare non ait, mundi estis propter Baptismum quo loti estis, sed ait, *propter verbum quod locutus sum vobis;* nisi quia et in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam et hoc utique dixerat, quando pedes discipulis lavit : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus* (*Joan.* XIII, 10). Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo : non quia dicitur, sed quia creditur? Nam et in ipso verbo, aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. *Hoc est verbum fidei quod prædicamus,* ait Apostolus, *quia si confessus fueris in ore tuo quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x, 8-10). Unde in Actibus Apostolorum legitur, *Fide mundans corda eorum* (*Act.* xv, 9) : et in Epistola sua beatus Petrus, *Sic et vos,* inquit, *Baptisma salvos facit; non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio* (I *Petr.* III, 21). *Hoc est verbum fidei quod prædicamus :* quo sine dubio ut mundare possit, consecratur et Baptismus. Christus quippe nobiscum vitis, cum Patre agricola, *dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea.* Lege Apostolum, et vide quid adjungat : *Ut eam sanctificaret,* inquit, *mundans eam lavacro aquæ in verbo* (*Ephes.* v, 25-26). Mundatio igitur nequaquam fluxo et labili tribueretur elemento, nisi adderetur, *in verbo.* Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem [1], offerentem, benedicentem, tingentem, etiam tantillum mundet infantem; quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam, et ore confiteri ad salutem. Totum hoc fit per verbum, de quo Dominus ait, *Jam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis.*

[1] Lov., *per ipsam credentem.* Editi alii, *per ipsum credentem;* consentientibus Mss., qui carent voce, *offerentem.*

TRACTATUS LXXXI.

De eo quod ait, Manete in me, et ego in vobis; *usque ad id*, Quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis. *Cap.* xv, ℣. 4-7.

1. Vitem se dixit esse Jesus, et discipulos suos palmites, et agricolam Patrem: unde jampridem sicut potuimus disputatum est. In hac autem lectione, cum adhuc de seipso qui est vitis, et de suis palmitibus, hoc est discipulis loqueretur: *Manete*, inquit, *in me, et ego in vobis.* Non eo modo illi in ipso, sicut ipse in illis. Utrumque autem prodest non ipsi, sed illis. Ita quippe in vite sunt palmites, ut viti non conferant, sed inde accipiant unde vivant: ita vero vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ac per hoc et manentem in se habere Christum, et manere in Christo, discipulis prodest utrumque, non Christo. Nam præciso palmite, potest de viva radice alius pullulare; qui autem præcisus est, sine radice non potest vivere.

2. Denique adjungit et dicit: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis.* Magna gratiæ commendatio, fratres mei: corda instruit humilium, ora obstruit superborum. Ecce cui, si audent, respondeant, qui ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti (*Rom.* x, 3). Ecce cui respondeant sibi placentes, et ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non putantes. Nonne huic resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem (II *Tim.* III, 8), qui respondent et loquuntur iniquitatem, dicentes: A Deo habemus quod homines sumus, a nobis ipsis autem quod justi sumus? Quid dicitis, qui vos ipsos decipitis, non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrii, ex alto elationis per inania præsumptionis, in profunda submersionis? Nempe vox vestra est, quod homo ex semetipso facit justitiam: hoc est altum elationis vestræ. Sed veritas contradicit, et dicit, *Palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite.* Ite nunc per abrupta, et non habentes ubi figamini, ventosa loquacitate jactamini. Hæc sunt inania præsumptionis vestræ. Sed quid vos sequatur videte, et si est in vobis ullus sensus, horrete. Qui enim a semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est; qui in vite non est, in Christo non est; qui in Christo non est, christianus non est. Hæc sunt profunda submersionis vestræ.

3. Etiam atque etiam considerate quid adhuc veritas adjungat et dicat: *Ego sum*, inquit, *vitis, vos palmites. Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset, *hic fert fructum multum*, non ait, quia sine me parum potestis facere; sed, *nihil potestis facere.* Sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Quia etsi parum attulerit palmes, eum purgat agricola ut plus afferat: tamen nisi in vite manserit et vixerit de radice, quantumlibet fructum a semetipso non potest ferre. Quamvis autem Christus vitis non esset, nisi homo esset; tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset. Verum quia ita sine ista gratia non potest vivi, ut et mors in potestate sit liberi arbitrii: *Si quis in me*, inquit, *non manserit, mittetur foras sicut palmes; et arescet; et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.* Ligna itaque vitis tanto sunt contemptibiliora si in vite non manserint, quanto gloriosiora si manserint: denique, sicut de his etiam per Ezechielem prophetam Dominus dicit, præcisa nullis agricolarum usibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur (*Ezech.* xv, 5). Unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis; si in vite non est, in igne erit: ut ergo in igne non sit, in vite sit.

4. *Si manseritis in me*, inquit, *et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.* Manendo quippe in Christo, quid velle possunt nisi quod convenit Christo? Quid velle possunt manendo in Salvatore, nisi quod non est alienum a salute? Aliud quippe volumus quia sumus in Christo, et aliud volumus quia sumus adhuc in hoc sæculo. De mansione namque hujus sæculi nobis aliquando subrepit, ut hoc petamus quod nobis non expedire nescimus. Sed absit ut fiat nobis, si manemus in Christo, qui non facit quando petimus, nisi quod expedit nobis. Manentes ergo in eo, cum verba ejus in nobis manent, quodcumque voluerimus petemus, et fiet nobis. Quia si petimus et non fiet, non hoc petimus quod habet mansio in eo, nec quod habent verba ejus quæ manent in nobis; sed quod habet cupiditas et infirmitas carnis, quæ non est in eo, et in qua non manent verba ejus. Nam utique ad verba ejus pertinet oratio illa quam docuit, ubi dicimus, *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9). Ab hujus orationis verbis et sensibus non recedamus petitionibus nostris, et quidquid petierimus, fiet nobis. Tunc enim dicenda sunt verba ejus in nobis manere, quando facimus quæ præcepit, et diligimus quæ promisit: quando autem verba ejus manent in memoria, nec inveniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice. Ad hanc differentiam valet quod scriptum est, *Et memoria retinentibus mandata ejus, ut faciant ea* (*Psal.* CII, 18). Multi enim memoria retinent, ut contemnant, vel etiam derideant et oppugnent ea. In his verba Christi non manent, qui attingunt quodammodo, non cohærent: et ideo illis non erunt in beneficium, sed in testimonium. Et quia sic insunt eis ut non maneant in eis, ad hoc tenentur ab eis, ut judicentur ex eis.

TRACTATUS LXXXII.

De eo quod Dominus dicit, In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis; *usque ad id*, Et maneo in ejus dilectione. *Cap.* xv, ℣. 8-10.

1. Magis magisque Salvator gratiam qua salvamur discipulis loquendo commendans: *In hoc*, inquit, *clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli.* Sive *glorificatus* sive *clari-*

ficatus dicatur, ex uno græco verbo utrumque translatum est, quod est δοξάζειν Δόξα enim quæ græce dicitur, latine gloria est. Quod ideo commemorandum existimavi, quia dicit Apostolus, *Si Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum* (*Rom.* IV, 2). Hæc est ad Deum gloria qua glorificatur non homo, sed Deus, si non ex operibus, sed ex fide justificatur, ut ex Deo illi sit quod etiam bene operatur: quoniam palmes, sicut jam superius dixi, non potest ferre fructum a semetipso (*Tract.* 81, n. 2). Si enim in hoc clarificatus est Deus Pater ut fructum plurimum afferamus, et efficiamur Christi discipuli; non hoc gloriæ nostræ tribuamus, tanquam hoc ex nobis ipsis habeamus. Ejus est enim hæc gratia, et ideo in hoc non nostra, sed ejus est gloria. Unde et alibi cum dixisset, *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant opera vestra bona;* ne a semetipsis putarent esse bona opera sua, mox addidit, *Et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16). In hoc enim glorificatur Pater ut fructum plurimum afferamus, et efficiamur Christi discipuli. A quo efficimur, nisi ab illo cujus misericordia prævenit nos? Ipsius enim figmentum sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis (*Ephes.* II, 10).

2. *Sicut dilexit me Pater*, inquit, *et ego dilexi vos: manete in dilectione mea.* Ecce unde sunt nobis opera bona. Nam unde nobis essent, nisi quia fides per dilectionem operatur (*Galat.* v, 6)? Unde autem diligeremus, nisi prius diligeremur? Apertissime hoc in Epistola sua idem iste evangelista dixit: *Nos diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos* (I *Joan.* IV, 19). Quod autem ait, *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos;* non æqualitatem naturæ ostendit nostræ et suæ, sicut est Patris et ipsius, sed gratiam qua mediator Dei et hominum est homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5). Mediator quippe monstratur, cum dicit, *me Pater, et ego vos* [1]. Nam Pater utique diligit et nos, sed in ipso; quia in hoc glorificatur Pater, ut fructum afferamus in vite, hoc est in Filio, et efficiamur ejus discipuli.

3. *Manete*, inquit, *in dilectione mea.* Quomodo manebimus? Audi quid sequitur: *Si præcepta mea*, inquit, *servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Dilectio facit præcepta servari, an præcepta servata faciunt dilectionem? Sed quis ambigat quod dilectio præcedit? Unde enim præcepta servet non habet, qui non diligit. Quod ergo ait, *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea,* ostendit non unde dilectio generetur, sed unde monstretur. Tanquam diceret, Nolite vos putare manere in dilectione mea, si non servatis præcepta mea: si enim servaveritis, manebitis. Hoc est, hinc apparebit quod in dilectione mea manebitis, si præcepta mea servabitis. Ut nemo se fallat, dicendo quod eum diligat, si ejus præcepta non servat. Nam in tantum eum diligimus, in quantum ejus præcepta servamus: in quantum autem minus servamus, minus diligimus. Quamvis quod ait, *Manete in dilectione mea*, non apparet quam dixerit dilectionem, utrum qua eum diligimus, an qua ipse diligit nos: sed ex verbo superiore dignoscitur. Dixerat quippe, *Et ego dilexi vos;* cui verbo continuo subjunxit, *Manete in dilectione mea:* illa ergo qua dilexit nos. Quid est ergo, *Manete in dilectione mea,* nisi, manete in gratia mea? Et quid est, *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea*, nisi, ex hoc scietis quod in dilectione mea qua vos diligo, manebitis, si præcepta mea servabitis? Non ergo ut nos diligat, prius ejus præcepta servamus; sed nisi nos diligat, præcepta ejus servare non possumus. Hæc est gratia quæ humilibus patet, superbos latet.

4. Sed quid illud est quod adjungit: *Sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione?* Utique etiam hic hanc dilectionem Patris intelligi voluit, qua eum diligit Pater. Ita quippe dixerat, *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos;* atque his verbis illa subjunxit, *Manete in dilectione mea*, illa procul dubio qua dilexi vos. Ergo quod ait etiam de Patre, *Maneo in ejus dilectione*, illa scilicet accipienda est qua dilexit eum Pater. Sed numquid et hic gratia intelligenda est, qua Pater diligit Filium, sicut gratia est qua nos diligit Filius: cum simus nos filii gratia, non natura; Unigenitus autem natura, non gratia? An hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est? Ita sane. Nam dicendo, *Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos*, gratiam mediatoris ostendit. Mediator autem Dei et hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est Christus Jesus. Et profecto secundum id quod homo est, de illo legitur, *Et Jesus proficiebat sapientia et ætate, et gratia apud Deum et homines* (*Luc.* II, 52). Secundum hoc igitur recte possumus dicere, quod cum ad naturam Dei non pertineat humana natura, ad personam tamen unigeniti Filii Dei per gratiam pertinet humana natura; et tantam gratiam, ut nulla sit major, nulla prorsus æqualis. Neque enim illam susceptionem hominis ulla merita præcesserunt, sed ab illa susceptione merita ejus cuncta cœperunt. Manet ergo Filius in dilectione qua eum dilexit Pater, et ideo servavit præcepta ejus. Quid est enim et ille homo, nisi quod Deus susceptor est ejus (*Psal.* III, 4), Deus enim erat Verbum, Unigenitus gignenti coæternus: sed ut mediator daretur nobis, per ineffabilem gratiam Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 1, 14).

TRACTATUS LXXXIII.

In hæc verba, Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. *Cap.* XV, ℣℣. 11, 12.

1. Audistis, charissimi, Dominum dicentem discipulis suis, *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.* Quid est gaudium Christi in nobis, nisi quod dignatur gaudere de nobis? Et quid est gaudium nostrum quod dicit implendum, nisi ejus habere consortium? Propter quod beato Petro dixerat, *Si non lavero te, non habebis partem mecum* (*Id.* XIII, 8). Gaudium ergo ejus in

[1] Er. Lugd. et Ven., sic ferunt: *Sic dilexit me Pater, et ego dilexi vos.* M.

nobis, gratia est quam præstitit nobis : ipsa est[1] et gaudium nostrum. Sed de hac ille etiam ex æternitate gaudebat, quando nos elegit ante constitutionem mundi (*Ephes.* I, 4). Nec recte possumus dicere quod gaudium ejus plenum non erat : non enim Deus imperfecte aliquando gaudebat. Sed illud ejus gaudium in nobis non erat : quia nec nos in quibus esse posset jam eramus; nec quando esse cœpimus, cum illo esse cœpimus. In ipso autem semper erat, qui nos suos futuros certissima suæ præscientiæ veritate gaudebat. Proinde gaudium jam ipse perfectum de nobis habebat, quando nos præsciendo et prædestinando gaudebat : neque enim ullus in illo ejus gaudio metus esse poterat, ne forte non fieret quod se facturum esse præsciebat. Sed neque cum id facere cœpit, quod se facturum esse præscivit, gaudium ejus, quo beatus est, crevit; alioqui beatior factus est, quia nos fecit. Absit hoc, fratres : Dei beatitudo quia nec minor fuerat sine nobis, non fit major ex nobis. Gaudium igitur ejus de salute nostra, quod in illo semper fuit cum præscivit et prædestinavit nos, cœpit esse in nobis quando vocavit nos; et hoc gaudium merito nostrum dicimus, quo et nos beati futuri sumus : sed hoc gaudium nostrum crescit et proficit, et ad suam perfectionem perseverando pertendit. Ergo inchoatur in fide renascentium, implebitur in præmio resurgentium. Ecce unde dictum existimo, *Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur : in vobis sit* meum; *impleatur* vestrum. Semper enim erat meum plenum, et antequam vocaremini, cum vocandi a me præsciremini; sed fit et in vobis, cum hoc efficimini quod præscivi de vobis. *Impleatur* autem *vestrum :* quia beati eritis, quod nondum estis; sicut creati estis qui non fuistis.

2. *Hoc est*, inquit, *præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Sive dicatur præceptum, sive mandatum, ex uno verbo græco utrumque interpretatur, quod est ἐντολή. Jamvero istam sententiam et antea dixerat, de qua me vobis, ut potui, disputasse meminisse debetis (*Supra, Tract.* 65). Ibi enim sic ait, *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem* (*Joan.* XIII, 34). Hujus itaque mandati repetitio, commendatio est : nisi quod ibi, *Mandatum*, inquit, *novum do vobis;* hic autem, *Hoc est*, inquit, *mandatum meum :* ibi, tanquam non fuerit ante tale mandatum; hic, tanquam non sit aliud ejus mandatum. Sed ibi dictum est *novum*, ne in vetustate nostra perseveremus : hic dictum est *meum*, ne contemnendum putemus.

3. Quod autem hic ita dixit, *Hoc est mandatum meum*, velut non sit aliud, quid putamus, fratres mei? Numquidnam solum ejus de ista dilectione mandatum est, qua diligimus invicem? Nonne est et aliud majus, ut diligamus Deum? Aut vero de sola Deus nobis dilectione mandavit, ut alia non requiramus? Tria certe commendat Apostolus dicens : *Manent autem fides, spes, charitas, tria hæc : major autem horum charitas* (I *Cor.* XIII, 13). Et si in charitate, hoc est in dilectione concluduntur duo illa præcepta; *major* tamen dicta est esse, non sola. De fide igitur nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe, quis potest cuncta colligere, quis enumerando sufficere? Sed intueamur quod ait idem apostolus, *Plenitudo Legis charitas* (*Rom.* XIII, 10). Ubi ergo charitas est, quid est quod possit deesse? ubi autem non est, quid est quod possit prodesse? Dæmon credit (*Jacobi* II, 19), nec diligit : nemo diligit, qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest sperare veniam qui non diligit : nemo autem potest desperare qui diligit. Itaque ubi dilectio est, ibi necessario fides et spes : et ubi dilectio proximi, ibi necessario etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit Deum, quomodo diligit proximum tanquam seipsum; quandoquidem non diligit et seipsum? Est quippe impius et iniquus; qui autem diligit iniquitatem, non plane diligit, sed odit animam suam (*Psal.* X, 6). Hoc ergo præceptum Domini teneamus, ut nos invicem diligamus; et quidquid aliud præcepit, faciemus[1] : quoniam quidquid est aliud hic habemus. Discernitur quippe ista dilectio ab illa dilectione qua se invicem diligunt homines sicut homines : nam ut discerneretur, adjunctum est, *sicut dilexi vos.* Utquid enim diligit nos Christus, nisi ut regnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo et nos invicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus a cæteris, qui non ad hoc se invicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligunt, ipsi se diligunt : ergo ut se diligant, Deum diligunt. Non est hæc dilectio in omnibus hominibus : pauci se propterea diligunt, ut sit Deus omnia in omnibus (I *Cor.* XV, 28).

TRACTATUS LXXXIV.

In illud, Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Cap.* XV, ℣. 13.

1. Plenitudinem dilectionis qua nos invicem diligere debemus, fratres charissimi, definivit Dominus dicens : *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quia ergo superius dixerat, *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos;* quibus verbis addidit quod nunc audistis, *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis :* fit ex hoc consequens, quod idem iste evangelista Joannes in Epistola sua dicit, *Ut quemadmodum Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos* debeamus *pro fratribus animas ponere* (I *Joan.* III, 16); diligentes utique invicem sicut ipse dilexit nos, qui pro nobis animam suam posuit. Nimirum hoc est quod legitur in Proverbiis Salomonis : *Si sederis cœnare ad mensam potentis, considerans intellige quæ apponuntur tibi; et sic mitte manum tuam, sciens quia talia te oportet præparare* (*Prov.* XXIII, 1 *et* 2). Nam quæ mensa est potentis, nisi unde sumitur corpus et sanguis ejus qui animam suam posuit pro nobis? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid est considerare et intelligere quæ apponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam cogitare? Et quid est sic mittere ma-

[1] Editi, *ipse est.* At Mss., *ipsa est.*

[1] Ita Lov. Editi vero alii et plerique Mss., *faciamus.*

num, ut scias quia talia te oportet præparare, nisi quod jam dixi, quia sicut pro nobis Christus animam suam posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere? Sicut enim ait etiam apostolus Petrus, *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (I *Petr.* II, 21). Hoc est talia præparare. Hoc beati martyres ardenti dilectione fecerunt : quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in convivio quo et ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet, ut quemadmodum ipsi, et nos talia præparemus. Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus; quia impleverunt ipsi charitatem qua Dominus dixit non posse esse majorem. Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensa pariter acceperunt.

2. Neque hoc ita dictum sit, quasi propterea Domino Christo pares esse possimus, si pro illo usque ad sanguinem martyrium duxerimus. Ille potestatem habuit ponendi animam suam, et iterum sumendi eam (*Joan.* x, 18); nos autem nec quantum volumus vivimus, et morimur etiamsi nolumus : ille moriens mox in se occidit mortem; nos in ejus morte liberamur a morte : illius caro non vidit corruptionem (*Act.* II, 31); nostra post corruptionem, in fine sæculi per illum induetur incorruptionem[1] : ille nobis non indiguit ut nos salvos faceret; nos sine illo nihil possumus facere : ille se nobis palmitibus præbuit vitem; nos habere præter illum non possumus vitam. Postremo etsi fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remissionem nullius sanguis martyris funditur, quod fecit ille pro nobis : neque in hoc quid imitaremur, sed quid gratularemur contulit nobis. Quatenus ergo martyres pro fratribus sanguinem suum fuderunt, hactenus talia exhibuerunt, qualia de mensa dominica perceperunt[2]. In cæteris enim quæ dixi, quamvis nec omnia dicere potui, martyr Christi longe impar est Christo. Quod si quisquam se, non dico potentiæ Christi, sed innocentiæ comparabit; non dicam et alienum se putando sanare, sed suum saltem nullum habere peccatum : etiam sic avidior est quam ratio salutis exposcit, multum est ad illum, non capit tantum. Et bene quod ista Proverbiorum sententia commonetur, quæ continuo subjungit atque dicit, *Quod si avidior es, noli concupiscere cibos ejus; satius est enim ut nihil inde sumas, quam ut tibi plus quam oportet assumas. Hæc enim*, inquit, *vitam habent fallacem*, hoc est hypocrisim. Dicendo enim se sine peccato esse, justum non potest exhibere, sed fingere Ideo dictum est, *Hæc enim habent vitam fallacem.* Unus est solus qui et carnem hominis habere, et peccatum potuit non habere. Merito quod sequitur, nobis præcipitur, ac tali verbo atque proverbio humana infirmitas convenitur, eique dicitur : *Noli extendere te, cum sis pauper, contra divitem.* Dives est enim qui nec hæreditario nec proprio unquam debito obnoxius, et ipse justus est, et alios justificat Christus. Noli contra eum te extendere, in tantum pauper, ut remissionis peccatorum appareas quotidianus in oratione mendicus. *Tuo autem consilio*, inquit, *abstine te.* Unde, nisi a præsumptione fallaci? Ille quippe quia non tantum est homo, sed etiam Deus, ideo nunquam reus. *Si enim direxeris oculum tuum ad illum, nusquam parebit. Oculum tuum*, oculum videlicet humanum quo cernis humana, *si direxeris ad illum, nusquam parebit*; quia videri non potest, quemadmodum videre tu potes. *Parabit enim sibi pennas sicut aquilæ, et vadet in domum præpositi sui* (*Prov.* XXIII, 3-5) : unde ad nos utique venit, nec tales qualis venit invenit. Diligamus ergo invicem, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis (*Galat.* II, 20). *Majorem quippe hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Eumque sic imitemur pia obedientia, ut ei nos comparare nulla præsumamus audacia.

TRACTATUS LXXXV.

De eo quod dicit, Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. Jam non dico vos servos; quia servus nescit quid faciat dominus ejus. *Cap.* XV, ℣℣. 14, 15.

1. Cum Dominus Jesus commendasset charitatem quam exhibuit nobis moriendo pro nobis, atque dixisset, *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis : Vos*, inquit, *amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Magna dignatio! cum servus bonus esse non possit, nisi præcepta domini sui fecerit; hinc amicos suos voluit intelligi, unde servi boni possunt probari. Sed, ut dixi, ista dignatio est, ut dominus quos novit servos suos, dignetur dicere amicos suos. Nam ut sciatis ad servorum officium pertinere præcepta domini sui facere, alio loco servos utique objurgat dicens : *Quid autem vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico* (*Luc.* VI, 46)? Cum ergo dicitis, inquit, Domine; jussa faciendo, quid dicatis ostendite. Nonne servo obedienti ipse dicturus est, *Euge, serve bone, quia in paucis fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 21)? Potest igitur esse servus et amicus, qui servus est bonus.

2. Sed quod sequitur attendamus. *Jam non dico vos servos; quia servus nescit quid faciat dominus ejus.* Quomodo ergo intellecturi sumus, et servum et amicum esse servum bonum, cum dicat, *Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus ejus?* Ita nomen constituit amici, ut auferat servi; non ut in uno utrumque maneat, sed ut alterum altero decedente succedat. Quid est hoc? Itane cum præcepta Domini fecerimus, servi non erimus? Itane tunc servi non erimus, quando boni servi fuerimus? Et quis contradicere potest veritati quæ ait, *Jam non dico vos servos?* Et cur hoc dixerit, docet : *Quia servus*, in-

[1] *Incorruptione*, juxta Er. Lugd. et Ven. M.
[2] Hic sex Mss. addunt, *imitari quis morientem potuit, nemo autem potuit redimentem.* Id tres alii referunt proxime ante hæc verba, *quod si quisquam.*

quit, *nescit quid faciat dominus ejus.* Numquidnam servo bono et probato dominus ejus non etiam secreta sua committit? Quid est ergo quod ait, *Servus nescit quid faciat dominus ejus?* Verum, esto, *nescit quid faciat;* numquid nescit etiam quid præcipiat? Nam et si hoc nescit, quomodo servit? Aut quomodo servus est, qui non servit? Et tamen Dominus loquitur, *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dico vos servos.* O rem mirabilem! Cum servire non possimus, nisi præcepta Domini fecerimus, quomodo præcepta faciendo servi non erimus? Si servus non ero præcepta faciendo, et nisi præcepta fecero, servire non potero; ergo serviendo servus non ero.

3. Intelligamus, fratres, intelligamus, et hoc in nobis Dominus faciat ut intelligamus, faciat etiam ut intellecta faciamus. Hoc autem si scimus, profecto scimus quod facit Dominus, quia nos ipsos tales non facit nisi Dominus, et per hoc ad ejus amicitiam pertinemus. Sicut enim duo sunt timores, qui faciunt duo genera timentium; sic duæ sunt servitutes, quæ faciunt duo genera servorum. Est timor quem perfecta charitas foras mittit (I *Joan.* IV, 18), et est alius timor castus permanens in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10). Illum timorem qui non est in charitate, attendebat Apostolus, cum dicebat : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore* (*Rom.* VIII, 15). Illum autem timorem castum attendebat, cum dicebat : *Noli altum sapere, sed time* (*Id.* XI, 20). In illo timore quem foras charitas mittit, est etiam servitus simul foras cum ipso timore mittenda : utrumque enim junxit Apostolus, hoc est servitutem et timorem, dicendo, *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.* Ad hanc servitutem servum pertinentem intuebatur et Dominus dicens, *Jam non dico vos servos; quia servus nescit quid faciat dominus ejus.* Non utique ille servus pertinens ad timorem castum, cui dicitur, *Euge, serve bone, intra in gaudium Domini tui :* sed ille servus pertinens ad timorem foras a charitate mittendum, de quo alibi dicit, *Servus non manet in domo in æternum; filius autem manet in æternum* (*Joan.* VIII, 35). Quoniam itaque dedit nobis potestatem filios Dei fieri (*Id.* I, 12), non servi, sed filii simus : ut miro quodam et ineffabili, sed tamen vero modo, servi non servi esse possimus; servi scilicet timore casto, ad quem pertinet servus intrans in gaudium domini sui; non servi autem timore foras mittendo, ad quem pertinet servus non manens in domo in æternum. Ut autem tales servi non servi simus, Dominum facere sciamus [1]. Hoc autem servus ille nescit, qui nescit [2] quid faciat Dominus ejus; et cum aliquid boni facit, sic extollitur quasi hoc ipse faciat, non Dominus ejus; et in se, non in Domino gloriatur, cum se ipse deceperit, quia sic gloriatur, quasi non acceperit (I *Cor.* IV, 7). Nos autem, charissimi, ut amici Domini esse possimus, quid noster Dominus faciat sciamus. Non solum enim homines, verum etiam justos ipse facit nos, et non ipsi nos. Et ut hoc sciamus, quis nisi ipse facit? *Non enim spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (I *Cor.* II, 12). Ab ipso quidquid boni est, donatur. Ergo quia et hoc bonum est, ab ipso utique donatur ut sciatur a quo bonum omne donetur; ut omnino de omnibus bonis, qui gloriatur, in Domino glorietur (*Id.* I, 31). Quod vero sequitur, *Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*, ita est profundum, ut nullo modo sit isto sermone coarctandum, sed in alium differendum.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. sic legendum putant : *Dominum facere scimus.* M.

[2] In plerisque Mss. non habetur, *qui nescit.*

TRACTATUS LXXXVI.

De eo quod Dominus ait, Vos autem dixi amicos; *usque ad id*, Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. *Cap.* XV, ỳ ỳ. 15, 16.

1. Merito quæritur quomodo accipiendum sit quod ait Dominus, *Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Quis enim audeat affirmare vel credere ullum hominum scire omnia quæcumque a Patre audivit unigenitus Filius; quando ne hoc quidem quisquam capit, quomodo a Patre audiat ullum verbum, cum ipse sit Patris unicum Verbum? Quid, quod aliquanto post, in hoc ipso tamen sermone, quem post cœnam ante passionem ad discipulos habuit, *Multa*, inquit, *habeo vobis dicere; sed non potestis illa portare modo* (*Joan.* XVI, 12)? Quo igitur pacto intellecturi sumus omnia eum nota fecisse discipulis, quæcumque audivit a Patre, cum propterea quædam multa non dicat, quia scit eos modo portare non posse? Sed nimirum quod facturus est, fecisse se dicit, qui ea quæ futura sunt fecit (*Isai.* XLV, 11). Sicut enim dicit per prophetam, *Foderunt manus meas et pedes meos* (*Psal.* XXI, 18); nec ait, fossuri sunt; velut præterita dicens, et ea tamen futura prædicens : ita et hoc loco ait omnia se nota fecisse discipulis, quæ se novit nota esse facturum in illa plenitudine scientiæ, de qua dicit Apostolus, *Cum autem venerit quod perfectum est, quod ex parte est evacuabitur.* Ibi quippe dicit : *Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum; et nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (I *Cor.* XIII, 10, 12). Nam et ipse Apostolus salvos nos dicit esse factos per lavacrum regenerationis (*Tit.* III, 5): qui tamen alio loco, *Spe*, inquit, *salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24 *et* 25). Unde etiam ejus coapostolus Petrus : *In quem modo*, inquit, *non videntes creditis; quem cum videritis, exsultabitis gaudio inenarrabili et honorato, percipientes mercedem fidei, salutem animarum vestrarum* (I *Petr.* I, 8 *et* 9). Si ergo nunc tempus est fidei, salus autem animarum merces est fidei; quis dubitet in fide, quæ per dilectionem operatur (*Gal.* V, 6), peragendum diem, atque in fine diei recipiendam esse mercedem, non solum redemptionem corporis nostri, de qua dicit apostolus Paulus

(*Rom.* VIII, 23); verum etiam salutem animarum nostrarum, de qua dicit Apostolus Petrus? Utriusque enim rei felicitas isto tempore atque in hac mortalitate in spe potius habetur, quam in re tenetur. Verum hoc interest, quod exterior noster homo, id est corpus, adhuc corrumpitur; interior autem, id est anima, jam renovatur de die in diem (II *Cor.* IV, 16). Itaque sicut immortalitatem carnis et salutem animarum futuram exspectamus, quamvis jam pignore accepto salvi facti esse dicamur; ita omnium notitiam quæcumque Unigenitus audivit a Patre, futuram sperare debemus, quamvis hoc jam se fecisse dixerit Christus.

2. *Non vos me elegistis*, inquit, *sed ego vos elegi.* Hæc est illa ineffabilis gratia. Quid enim eramus quando Christum nondum elegeramus, et ideo non diligebamus? Nam qui eum non elegit, quomodo diligit? Numquid jam in nobis erat quod in Psalmo canitur: *Elegi abjectus esse in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum* (*Psal.* LXXXIII, 11)? Non utique. Quid ergo eramus, nisi iniqui et perditi? Neque enim jam credideramus in eum, ut eligeret nos: nam si jam credentes elegit, electus elegit [1]. Cur ergo diceret, *Non vos me elegistis*, nisi quia misericordia ejus prævenit nos (*Psal.* LVIII, 11)? Hic certe vacat vana illorum ratiocinatio, qui præscientiam Dei defendunt contra gratiam Dei, et ideo dicunt nos electos ante mundi constitutionem (*Ephes.* I, 4), quia præscivit nos Deus futuros bonos, non seipsum nos facturum bonos. Non hoc dicit, qui dicit, *Non vos me elegistis.* Quoniam si propterea nos elegisset, quia bonos futuros esse nos præsciverat; simul etiam præscisset quod eum non fuissemus prius electuri. Non enim aliter esse possemus boni: nisi forte dicendus est bonus qui non elegit bonum. Quid ergo elegit in non bonis? Non enim electi sunt quia boni fuerunt, qui boni non essent nisi electi essent. Alioquin gratia jam non est gratia, si præcessisse contendimus merita. Hæc quippe electio gratiæ est, de qua dicit Apostolus: *Sic ergo et in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Unde subjungit: *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia* (*Rom.* XI, 5, 6). Audi, ingrate, audi: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Non est ut dicas, Ideo electus sum, quia jam credebam. Si enim credebas in eum, jam elegeras eum. Sed audi: *Non vos me elegistis.* Non est ut dicas, Antequam crederem, jam bona operabar, ideo electus sum. Quid enim est boni operis ante fidem, cum dicat Apostolus, *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Id.* XIV, 23)? Quid ergo dicturi sumus audiendo, *Non vos me elegistis;* nisi quia mali eramus et electi sumus, ut boni per gratiam nos eligentis essemus? Non est enim gratia, si præcesserant merita: est autem gratia; hæc igitur non invenit, sed efficit merita.

[1] Libri omnes, *electos elegit;* excepto uno Remigiensi Ms., qui habet, *electus elegit:* hanc vero lectionem conjectura assecuti fuerant Lovanienses.

3. Et videte, charissimi, quemadmodum non eligat bonos, sed quos elegit, faciat bonos. *Ego*, inquit, *elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Nonne iste est fructus de quo jam dixerat, *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV, 5)? Elegit ergo, et posuit ut eamus, et fructum afferamus: nullum itaque fructum unde nos eligeret habebamus. *Ut eatis*, inquit, *et fructum afferatis.* Imus ut afferamus, et ipse est via qua imus, in qua nos posuit ut eamus. Proinde in omnibus misericordia ejus prævenit nos. *Et fructus*, inquit, *vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Maneat ergo dilectio; ipse est enim fructus noster. Quæ dilectio nunc est in desiderio, nondum in saturitate: et ipso desiderio quodcumque petierimus in nomine unigeniti Filii, dat nobis Pater. Quod autem accipere salvandis non expedit nobis, non existimemus nos petere in nomine Salvatoris: sed hoc petimus in nomine Salvatoris, quod pertinet ad rationem salutis.

TRACTATUS LXXXVII.

De eo quod dicit Jesus, Hæc mando vobis, ut diligatis invicem; *usque ad id,* Sed ego elegi vos de mundo; propterea odit vos mundus. *Cap.* XV, ℣. 17-19.

1. In lectione evangelica quæ hanc antecedit, dixerat Dominus: *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* De quibus verbis jam nos quod Dominus dedit, disseruisse meministis. Hic autem dicit, sequenti scilicet lectione, quam modo cum recitaretur, audistis: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Ac per hoc intelligere debemus hunc esse fructum nostrum de quo ait, *Ego vos elegi ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* Et quod adjunxit, *Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis:* tunc utique dabit nobis, si diligamus invicem; cum et hoc ipsum ipse dederit nobis, qui nos elegit non habentes fructum, quia non eum nos elegeramus; et posuit nos ut fructum afferamus, hoc est, invicem diligamus: quem fructum sine illo habere non possumus, sicut palmites facere sine vite nihil possunt. Charitas ergo est fructus noster, quam definit Apostolus, *de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta* (I *Tim.* I, 5). Hac diligimus invicem, hac diligimus Deum. Neque enim vera dilectione diligeremus invicem, nisi diligentes Deum. Diligit enim unusquisque proximum tanquam seipsum, si diligit Deum: nam si non diligit Deum, non diligit seipsum. In his enim duobus præceptis charitatis tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII, 40): hic est fructus noster. De fructu itaque nobis mandans, *Hæc mando*, inquit, *vobis, ut diligatis invicem.* Unde et apostolus Paulus, cum contra opera carnis commendare fructum spiritus vellet, a capite hoc posuit, *Fructus*, inquit, *spiritus charitas est:* ac deinde cætera tanquam ex isto capite exorta et religata contexuit, quæ sunt, *gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia* (*Galat.* V, 22). Quis autem bene gaudet, qui bonum non diligit unde gaudet? Quis pacem veram, nisi cum illo potest

habere quem veraciter diligit? Quis est longanimis in bono perseveranter manendo [1], nisi ferveat diligendo? Quis est benignus, nisi diligat cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligendo efficiatur? Quis salubriter fidelis, nisi ea fide quæ per dilectionem operatur? Quis utiliter mansuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet unde turpatur, nisi diligat unde honestatur? Merito itaque magister bonus dilectionem sic sæpe commendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, et quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus.

2. Pro hac autem dilectione patienter debemus etiam mundi odia sustinere. Necesse est enim ut nos oderit, quos cernit nolle quod diligit. Sed plurimum nos de seipso Dominus consolatur, qui cum dixisset, *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem;* adjecit, atque ait, *Si mundus vos odit, scitote quoniam me priorem vobis odio habuit.* Cur ergo se membrum supra verticem extollit? Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite. *Si de mundo,* inquit, *essetis, mundus quod suum erat diligeret.* Universæ utique hoc dicit Ecclesiæ, quam plerumque etiam ipsam mundi nomine appellat: sicut est illud, *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* v, 19). Itemque illud: *Non venit Filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (*Joan.* III, 16). Et in Epistola sua Joannes ait: *Advocatum habemus ad Patrem, Jesum Christum justum, et ipse propitiator est peccatorum nostrorum; non tantum nostrorum, sed etiam totius mundi* (I *Joan.* II, 1 *et* 2). Totus ergo mundus Ecclesia est, et totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum.

3. Sed iste mundus quem Deus in Christo reconciliat sibi, et qui per Christum salvatur, et cui per Christum peccatum omne donatur, de mundo electus est inimico, damnato, contaminato. Ex ea quippe massa quæ tota in Adam periit, fiunt vasa misericordiæ, in quibus est mundus pertinens ad reconciliationem: quem mundus odit, ex eadem massa pertinens ad vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem (*Rom.* IX, 21-23). Denique cum dixisset, *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret;* continuo subjecit, *Quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Ergo et ipsi inde erant, unde ut non essent, electi sunt inde, non meritis suis, quorum nulla bona præcesserant opera; non natura, quæ tota fuerat per liberum arbitrium in ipsa radice vitiata: sed gratuita, hoc est vera gratia. Qui enim de mundo mundum elegit, fecit quod eligeret, non invenit: quia *reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia,* inquit, *jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia* (*Rom.* XI, 5 *et* 6).

4. Si autem quæratur quomodo se diligat mundus perditionis, qui odit mundum redemptionis; diligit se utique falsa dilectione, non vera. Proinde falso se diligit, et vere odit. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam (*Psal.* x, 6). Sed diligere se dicitur, quoniam iniquitatem qua iniquus est diligit: et rursus odisse se dicitur, quoniam quod ei nocet, hoc diligit. Odit ergo in se naturam, diligit vitium: odit quod factus est per Dei bonitatem, diligit quod in eo factum est per liberam voluntatem. Unde nos quoque illum diligere et prohibemur, si recte intelligimus, et jubemur: prohibemur scilicet, ubi nobis dicitur, *Nolite diligere mundum* (I *Joan.* II, 15); jubemur autem, ubi nobis dicitur, *Diligite inimicos vestros* (*Luc.* VI, 27). Ipsi sunt mundus qui nos odit. Ergo et prohibemur diligere in illo quod ipse diligit in seipso; et jubemur diligere in illo quod ipse odit in seipso, Dei scilicet opificium, et diversas bonitatis suæ consolationes. Vitium quippe in illo diligere prohibemur, jubemurque diligere naturam, cum ipse in se diligat vitium, oderitque naturam: ut nos eum et diligamus et oderimus recte, cum se ipse diligat oderitque perverse.

[1] Germanensis Ms., *perseveranter tenendo.*

TRACTATUS LXXXVIII.

De eo quod ait Jesus, Mementote sermonis mei, *etc., usque ad id,* Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me. *Cap.* XV, ℣ ℣. 20, 21.

1. Exhortans Dominus servos suos ad mundi odia perferenda patienter, nullum majus eis et melius quam de seipso proponit exemplum: quoniam, sicut dicit apostolus Petrus, *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (I *Petr.* II, 21). Quod utique si facimus, ipso adjuvante facimus, qui dixit, *Sine me nihil potestis facere.* Denique quibus jam dixerat, *Si odit vos mundus, scitote quia me priorem vobis odio habuit:* et nunc in eo quod audistis, cum legeretur Evangelium, *Mementote,* inquit, *sermonis mei quem ego dixi vobis, Non est servus major domino suo: si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.* Dicendo autem, *Non est servus major domino suo,* nonne evidenter ostendit quemadmodum intelligere debeamus quod superius dixerat, *Jam non dico vos servos* (*Joan.* XV, 5; XVIII, 15)? Ecce enim eos servos dicit. Nam quid est aliud, *Non est servus major domino suo: si me persecuti sunt, et vos persequentur?* Manifestum est igitur illum servum (*a*), qui non manet in domo in æternum (*Id.* VIII, 35), illum pertinentem ad timorem quem foras charitas mittit (I *Joan.* IV, 18), esse intelligendum, ubi dictum est, *Jam non dico vos servos:* hic autem ubi dicitur, *Non est servus major domino suo: si me persecuti sunt, et vos persequentur,* illum significari servum pertinentem ad timorem castum, qui permanet in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10). Hic enim servus est auditurus, *Euge, serve bone, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 21).

2. *Sed hæc,* inquit, *omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.* Quæ *omnia facient,* nisi quæ dixit, odio habebunt scilicet, et perse-

(*a*) Vid. supra, Tract. 85, n. 3.

quentur, sermonemque contemnent? Quoniam si sermonem non servarent eorum, nec tamen odissent eos, neque persequerentur; vel etiamsi odissent, nec tamen persequerentur: non omnia facerent. *Hæc* autem *omnia facient vobis propter nomen meum*, quid est aliud dicere, quam, me in vobis odio habebunt, me in vobis persequentur, et sermonem vestrum, quia meus est, ideo non servabunt? *Hæc* enim *omnia facient vobis propter nomen meum :* non vestrum, sed *meum*. Tanto igitur miseriores qui propter hoc nomen ista faciunt, quanto beatiores qui propter hoc nomen ista patiuntur : sicut ipse alio loco dicit, *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* v, 10). Hoc est enim propter me, vel *propter nomen meum :* quia, sicut Apostolus docet, *Factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio; ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino glorietur* (I *Cor.* I, 30 *et* 31). Faciunt quippe ista mali malis; sed non propter justitiam : et ideo miseri utrique, et qui faciunt, et qui patiuntur. Faciunt et boni malis : ubi etsi faciunt isti propter justitiam, non tamen illi propter justitiam patiuntur.

3. Sed dicit aliquis : Si mali quando persequuntur bonos propter nomen Christi, propter justitiam boni patiuntur, profecto propter justitiam hæc eis mali faciunt; quod si ita est, ergo et quando boni malos propter justitiam persequuntur, propter justitiam etiam mali patiuntur. Si enim possunt mali persecutionem facere bonis propter nomen Christi, cur non possunt mali persecutionem pati a bonis propter nomen Christi; et quid est, nisi propter justitiam? Nam si non propter quod boni faciunt, propter hoc mali patiuntur; quia faciunt boni propter justitiam, patiuntur mali propter injustitiam : nec mali ergo propter hoc possunt facere propter quod boni patiuntur, quia faciunt mali propter injustitiam, patiuntur boni propter justitiam. Quomodo ergo erit verum, *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum;* cum illi non propter nomen Christi faciant, id est, non propter justitiam, sed propter iniquitatem suam? Hæc quæstio ita solvitur, si eo modo intelligamus dictum, *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum,* ut totum referatur ad justos; tanquam dictum sit, Hæc omnia patiemini ab eis propter nomen meum : ut hoc sit, *facient vobis*, quod est, patiemini ab eis. Si autem *propter nomen meum* sic accipitur, tanquam diceret, propter nomen meum quod in vobis oderunt; ita potest accipi, et propter justitiam quam in vobis oderunt[1] : ac per hoc boni cum persecutionem faciunt malis, possunt recte dici et propter justitiam facere, quam diligendo persequuntur malos; et propter iniquitatem, quam oderunt in ipsis malis : ita ergo et ipsi mali possunt dici pati, et propter iniquitatem quæ in illis punitur, et propter justitiam quæ in eorum pœna exercetur.

4. Item quæri potest, si etiam mali faciunt persecutionem malis; sicut impii reges et judices, cum essent persecutores piorum, utique et homicidas, et adulteros, et quoscumque maleficos, quos contra leges publicas fecisse cognoscerent, puniebant; quomodo intelligendum est quod ait Dominus, *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret* (*Joan.* xv, 19). Neque enim quos punit diligit mundus, a quo videmus supra dicta scelerum genera plerumque puniri : nisi quia mundus est in eis a quibus talia scelera puniuntur, et mundus est in eis a quibus talia scelera diliguntur. Mundus itaque ille qui intelligitur in malis atque impiis, et odit quod suum est, ex ea parte hominum qua sceleratis nocet; et diligit quod suum est, ex ea parte hominum qua eisdem ipsis consceleratis favet. Ergo, *Hæc omnia facient vobis propter nomen meum,* vel ita dictum est, propter quod vos patimini; vel ita, propter quod et ipsi faciunt : quia et hoc in vobis dum persequuntur, oderunt. Et addidit : *Quia nesciunt eum qui misit me.* Hoc secundum eam scientiam dictum intelligendum est, de qua et alibi scriptum est, *Scire autem te, sensus est consummatus* (*Sap.* VI, 16). Hac quippe scientia qui sciunt Patrem a quo missus est Christus, nullo modo persequuntur eos quos colligit Christus; quia et ipsi cum eis colliguntur a Christo.

TRACTATUS LXXXIX.

De eo quod dicit Dominus, Si non venissem, et locutus eis fuissem; *usque ad id*, Qui me odit, et Patrem meum odit. *Cap.* xv, ỳ ỳ. 22, 23.

1. Superius dixerat Dominus ad discipulos suos : *Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt : sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.* De quibus autem hoc dixerit si quæramus, invenimus eum ad hæc verba venisse ab eo quod dixerat, *Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit :* nunc vero quod addidit, *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent,* Judæos ostendit expressius. De his ergo et illa dicebat; nam hoc indicat verborum ipsa contextio. De his enim dicit, *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent,* de quibus dicebat, *Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt : sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me :* his enim verbis et ista subjungit, *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Judæi ergo persecuti sunt Christum, quod evidentissime indicat Evangelium; Judæis locutus est Christus, non aliis gentibus : in eis ergo voluit intelligi mundum, qui odit Christum et discipulos ejus; imo vero non in eis solis, sed hos quoque ad eumdem mundum pertinere monstravit. Quid est ergo, *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent?* Numquid sine peccato erant Judæi, antequam Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum, quasi sub generali nomine vult intelligi. Hoc est enim peccatum quo tenentur cuncta peccata, quod

[1] Mss. plerique carent hisce verbis : *Ita potest accipi, et propter justitiam quam in vobis oderunt.*

unusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata : hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit ut credatur in eum. Hoc peccatum, si non venisset, non utique haberent. Adventus quippe ejus quantum credentibus salutaris, tantum non credentibus exitiabilis factus est : tanquam et ipse caput et princeps Apostolorum, quod de se ipsi dixerunt, exstiterit *quibusdam quidem odor vitæ in vitam, quibusdam vero odor mortis in mortem* (II *Cor.* II, 16).

2. Sed quod adjunxit, atque ait, *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, potest movere quærentes, utrum hi ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo. Si enim non habent, cur hic dictum est propterea istos non habere, quia venit et locutus est eis? Si autem habent, utrum ad hoc habeant ut a pœnis alienentur, an ut mitius puniantur? Ad hæc inquisita pro meo captu, Domino donante, respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, et quibus non est locutus. Sed non in eo sunt numero hi ad quos in discipulis venit, et quibus per discipulos est locutus, quod et nunc facit : nam per Ecclesiam suam venit ad Gentes, et per Ecclesiam loquitur Gentibus. Ad hoc enim pertinet quod ait, *Qui vos recipit, me recipit* (*Matth.* X, 40) : et, *Qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16). *An vultis*, inquit apostolus Paulus, *experimentum accipere ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3) ?

3. Restat inquirere utrum hi qui priusquam Christus in Ecclesia veniret ad Gentes, et priusquam Evangelium ejus audirent, vitæ hujus fine præventi sunt, seu præveniuntur, possint habere hanc excusationem? Possunt plane, sed non ideo possunt effugere damnationem. *Quicumque enim sine Lege peccaverunt, sine Lege et peribunt : et quicumque in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur* (*Rom.* II, 12). Quæ quidem Apostoli verba, quoniam id quod ait, *peribunt*, terribilius sonat quam quod ait, *judicabuntur;* non solum nihil adjuvare hanc excusationem videntur ostendere, verum etiam plus gravare. Qui enim se quia non audierunt, excusabunt, *sine Lege peribunt.*

4. Sed utrum hi qui cum audirent, contempserunt, vel etiam restiterunt, nec tantum contradicendo, sed et eos a quibus audierunt odiis persequendo, in eis deputandi sunt de quibus aliquid levius videtur sonuisse quod dictum est, *per Legem judicabuntur*, merito quæritur. Sed si aliud est perire sine Lege, aliud judicari per Legem, et illud est gravius, hoc autem levius; procul dubio non sunt isti in hac pœna leviore ponendi, quia neque in Lege peccaverunt, sed omnino Legem Christi accipere noluerunt, et eam quantum ad ipsos attinet, omnino nullam esse voluerunt. Illi autem peccant in Lege, qui sunt in Lege, id est, qui eam suscipiunt, eamque sanctam, et mandatum sanctum et justum et bonum fatentur (*Id.* VII, 12); sed infirmitate non implent quod ab ea rectissime præcipi dubitare non possunt. Illi sunt qui aliquo modo forsitan possunt ab eorum, qui sine Lege sunt, perditione discerni : si tamen quod Apostolus ait, *per Legem judicabuntur*, sic accipiendum est tanquam dixerit, non peribunt; quod mirum si ita est. Neque enim de infidelibus et fidelibus erat sermo ut hoc diceret, sed de Gentibus et Judæis : qui certe utrique nisi in eo Salvatore salventur, qui venit quærere quod perierat (*Luc.* XIX, 10), ad perditionem sine dubio pertinebunt. Quamvis dici possit, alios gravius, alios levius perituros, id est, alios graviores, alios leviores pœnas in sua perditione passuros. Ille enim perire Deo dicitur, quisquis ab illa beatitudine quam dat sanctis suis, per supplicium separatur : tanta est autem suppliciorum, quanta est diversitas peccatorum; quæ quomodo se habeat, altius judicat sapientia divina, quam conjectura scrutatur aut effatur humana. Isti certe ad quos venit, et quibus locutus est Christus, non habent de magno infidelitatis peccato illam excusationem, qua possint dicere, Non vidimus, non audivimus : sive non acceptaretur ista excusatio ab illo cujus inscrutabilia sunt judicia, sive acceptaretur, et si non ut ab omni damnatione liberarentur, certe ut aliquanto lenius damnarentur.

5. *Qui me odit*, inquit, *et Patrem meum odit.* Hic nobis fortasse dicatur : Quis potest odisse quem nescit? Et utique antequam diceret, *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent*, dixerat discipulis suis, *Hæc facient vobis, quia nesciunt eum qui misit me.* Quomodo ergo nesciunt et oderunt? Si enim non quod est ipse, sed nescio quid aliud de illo opinantur; non utique ipsum, sed illud inveniuntur odisse quod fingunt, aut errando potius suspicantur. Et tamen nisi possent homines odisse quod nesciunt, non veritas utrumque dixisset, quia ejus Patrem et nesciunt et oderunt. Sed quomodo id fieri possit, si adjuvante Domino per nos demonstrari potest; quia hæc disputatio est jam claudenda, nunc non potest.

TRACTATUS XC.

In illud, Qui me odit, et Patrem meum odit. *Cap.* XV, ỳ. 23.

1. Audistis Dominum dicentem, *Qui me odit, et Patrem meum odit;* qui superius dixerat, *Hæc facient vobis, quia nesciunt eum qui misit me.* Non itaque dissimulanda nascitur quæstio, quomodo possint odisse quem nesciunt. Si enim Deum non quod est ipse, sed nescio quid aliud eum suspicantur aut credunt, et hoc oderunt; utique non ipsum oderunt, sed quod sua mendaci suspicione vel vana credulitate concipiunt : si autem quod est, hoc de illo sentiunt, quomodo eum nescire dicuntur? Et de hominibus quidem fieri potest ut eos sæpe quos nunquam vidimus, diligamus; ac per hoc nec illud a contrario impossibile est, ut eos quos nunquam vidimus, oderimus. Fama quippe de aliquo sermocinante seu bene seu male, fit non immerito ut amemus vel oderimus ignotum. Sed si fama sit verax, quomodo est de quo vera didicimus, dicendus ignotus? An quia ejus faciem non vidimus? Quam cum et ipse non videat, nulli tamen

potest notior esse quam sibi. Non igitur in ejus facie corporali nobis intimatur cujusque notitia. Sed tunc nobis ad cognitionem patet, quando ejus mores et vita non latet. Alioquin nec seipsum nosse quisquam potest, qui videre faciem suam non potest. Sed utique tanto certius quam notus est aliis ipse se novit, quanto certius interiore conspectu potest videre quod sapit, videre quod cupit, videre quod vivit: quæ cum aperiuntur et nobis, tunc vere fit cognitus nobis. Hæc itaque quoniam plerumque ad nos de absentibus vel etiam mortuis, sive fama, sive litteris perferuntur; hinc fit ut sæpe quos nunquam facie corporis vidimus (non tamen quos omnino nescimus), vel oderimus homines, vel amemus.

2. Sed plerumque in eis nostra credulitas fallitur; quia nonnunquam et historia, et multo magis fama mentitur. Pertinet autem ad nos ne perniciosa opinione fallamur, ut quia non possumus hominum indagare conscientiam, de ipsis rebus habeamus veram certamque sententiam [1]. Hoc est, ut si ille vel ille homo utrum sit impudicus pudicusve nescimus, oderimus tamen impudicitiam, et pudicitiam diligamus: et si illum vel illum injustum esse justumve nescimus, amemus tamen justitiam, et injustitiam detestemur; non quas nobis ipsi errando confingimus, sed quas fideliter, hanc appetendam, illamque vitandam in Dei veritate conspicimus: ut cum de ipsis rebus quod appetendum est appetimus, quod devitandum est devitamus, ignoscatur nobis quod de occultis hominum aliquando, imo assidue non vera sentimus. Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine qua duci ista non potest vita, ita ut Apostolus diceret, *Tentatio vos non apprehendat nisi humana* (I *Cor.* x, 13). Quid enim tam humanum quam non posse inspicere cor humanum; et ideo non ejus latebras perscrutari, sed plerumque aliud quam id quod ibi agitur suspicari? Quanquam et in his rerum tenebris humanarum, hoc est cogitationum alienarum, etsi suspiciones intelligere non possumus, quia homines sumus; judicia tamen, id est, definitas firmasque sententias continere debemus, nec ante tempus quidquam judicare, donec veniat Dominus, et illuminet abscondita tenebrarum, et manifestet cogitationes cordis; et tunc laus erit unicuique a Deo (*Id.* iv, 5). Quando ergo non erratur in rebus, ut recta sit improbatio vitiorum virtutumque probatio; profecto si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio.

3. Per has autem humanorum cordium tenebras, res multum miranda et multum dolenda contingit, ut eum nonnunquam quem injustum putamus, et tamen justus est et justitiam in eo nescientes diligimus, devitemus, aversemur, a nostro prohibeamus accessu, communem cum illo vitam victumque habere nolimus; eumque etiam, si disciplinæ imponendæ necessitas cogit, sive ne aliis noceat, sive ut fiat ipse correctior, asperitate salubri persequamur; et hominem bonum tanquam malum affligamus, quem nescientes amamus. Hoc fit, si quis, verbi gratia, cum sit pudicus, a nobis creditur impudicus. Sine dubio enim si pudicum diligo, hoc est ipse quod diligo: ergo etiam ipsum diligo, et nescio. Et si impudicum odi, non ergo ipsum odi; quia non est quod odi: et tamen dilecto meo, cum quo semper in charitate pudicitiæ habitat anima mea, facio ignarus injuriam, non errans in discretione virtutum atque vitiorum, sed in cordium tenebris humanorum. Proinde sicut fieri potest ut homo bonus hominem bonum oderit nesciens, vel potius diligat nesciens (ipsum enim diligit cum bonum diligit, quia id quod est ille, hoc iste diligit); oderit autem nesciens non ipsum, sed quod putat esse ipsum: ita fieri potest ut etiam homo injustus hominem oderit justum, et dum æstimat se sui similem injustum diligere, nesciens diligat justum; et tamen dum eum credit injustum, diligat non ipsum, sed quod putat esse ipsum. Quemadmodum autem hominem, sic et Deum. Denique si interrogarentur Judæi, utrum diligerent Deum; quid se aliud quam diligere responderent, nec ex animo mentientes, sed errando potius opinantes? Quomodo enim diligerent Patrem veritatis, qui haberent odio veritatem? Nolunt enim sua facta damnari, et hoc habet veritas ut talia facta damnentur: tantum igitur oderunt veritatem, quantum oderunt suas pœnas, quas talibus irrogat veritas. Nesciunt autem illam esse veritatem, quæ tales quales ipsi sunt damnat: oderunt ergo quam nesciunt; et cum illam oderunt, profecto et eum de quo nata est nisi odisse non possunt. Ac per hoc quia veritatem qua judicante damnantur, de Patre Deo natam nesciunt; utique etiam ipsum et nesciunt, et oderunt. O miseros homines, qui cum esse volunt mali, nolunt esse veritatem qua damnantur mali! Nolunt enim eam esse quod est, cum seipsos debeant nolle esse quod sunt; ut ipsa manente mutentur, ne ipsa judicante damnentur.

TRACTATUS XCI.

In hæc verba, Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit; *usque ad id,* Quia odio habuerunt me gratis. *Cap.* xv, ỳ ỳ. 24, 25.

1. Dixerat Dominus: *Qui me odit, et Patrem meum odit.* Utique enim qui odit veritatem, necesse est oderit et a quo veritas nata est: unde jam quantum datum est, locuti sumus. Deinde addidit unde nobis nunc loquendum est: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Peccatum illud scilicet magnum, de quo et superius ait, *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent.* Hoc est peccatum quo in eum loquentem et operantem non crediderunt. Neque enim nullum habebant peccatum, antequam loqueretur eis et operaretur in eis; sed hoc peccatum quo in eum non crediderunt, ideo sic commemoratur, quia ipso peccato tenentur et cætera. Hoc enim si non haberent, et in eum crederent, dimitterentur et cætera.

2. Sed quid est hoc quod cum dixisset, *Si opera non fecissem in eis,* mox addidit, *quæ nemo alius fecit?* Nulla quippe in operibus Christi videntur esse majora quam suscitatio mortuorum; quod scimus etiam anti-

[1] Mss. octo, *scientiam.*

quos fecisse Prophetas. Fecit enim Elias (III *Reg.* xvii, 21, 22), fecit Elisæus et cum in hac carne viveret (IV *Reg.* iv, 35), et cum in suo monumento sepultus jaceret. Nam quidam portantes mortuum, cum irruentibus hostibus eo refugissent, eumque ibi posuissent, continuo resurrexit (*Id.* xiii, 21). Fecit tamen aliqua Christus, quæ nemo alius fecit : quod quinque millia hominum de quinque, et quatuor millia de septem panibus pavit (*Matth.* xiv, 15-21, *et* xv, 32-38); quod super aquas ambulavit, et Petro ut hoc faceret præstitit (*Id.* xiv, 25 *et* 29); quod aquam mutavit in vinum (*Joan.* ii, 9); quod aperuit oculos cæci nati (*Id.* ix, 7), et alia multa quæ commemorare longum est. Sed respondetur nobis, et alios fecisse quæ ipse non fecit, et quæ nemo alius fecit. Quis enim nisi Moyses Ægyptios plagis tot tantisque percussit (*Exod.* vii-xii), diviso mari populum duxit (*Id.* xiv, 21-29), manna de cœlo esurientibus impetravit (*Id.* xvi,) aquam de Petra sitientibus fudit (*Id.* xvii, 6)? Quis nisi Jesus Nave populo transituro Jordanis fluenta divisit (*Josue* iii), et currentem solem emissa ad Deum oratione frenavit et fixit (*Id.* x, 12-14)? Quis præter Samson propter suam sitim maxilla mortui asini exundante satiatus est *Judic.* xv, 19)? Quis præter Eliam curru igneo in alta subvectus est (IV *Reg.* ii, 11)? Quis præter Elisæum, quod paulo ante commemoravi, sepulto suo cadavere, cadaver alterius reddidit vitæ? Quis præter Danielem inter ora inclusorum secum leonum esurientium vixit innocuus (*Dan.* vi, 22)? Quis præter tres viros, Ananiam, Azariam, Misaelem, in flammis ardentibus et non urentibus deambulavit illæsus (*Id.* iii, 93)?

3. Prætereo cætera, quoniam hæc satis esse arbitror, quibus demonstretur et aliquos sanctos quædam opera miranda fecisse, quæ nemo alius fecit. Sed qui tam multa vitia et malas valetudines vexationesque mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur antiquorum. Ut enim taceantur quos jubendo, sicut occurrebant, salvos singulos fecit; Marcus evangelista quodam loco ait : *Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, et dæmonia habentes; et erat omnis civitas ad januam congregata: et curavit multos qui vexabantur variis languoribus, et dæmonia multa ejiciebat* (*Marc.* i, 32-34). Id autem cum commemorasset Matthæus, etiam testimonium propheticum addidit dicens : *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem, Ipse infirmitates nostras accepit, et ægritudines portavit* (*Matth.* viii, 17). Item alio loco dicit Marcus : *Et quocumque introibat in vicos, vel in villas, aut in civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent; et quotquot tangebant eum, salvi fiebant* (*Marc.* vi, 56). Hæc nemo alius fecit in eis. Sic enim intelligendum est quod ait, *in eis*, non inter eos vel coram eis; sed prorsus *in eis*, quia sanavit eos. Hæc quippe intelligi voluit quæ non solum facerent admirationem, verum etiam manifestam conferrent salutem; pro quibus beneficiis utique amorem, non odium retribuere debuerunt. Omnia quidem cæterorum miracula superat, quod est natus ex virgine, matrisque integritatem solus potuit nec conceptus violare nec natus : sed hoc nec coram eis factum est, nec in eis. Ad cognoscendam quippe hujus miraculi veritatem, non communi cum eis aspectu, sed discreto ab eis discipulatu Apostoli pervenerunt. Jamvero illud quod die tertia in carne in qua occisus fuerat, de sepulcro se reddidit vivum, et nunquam deinde moriturus cum illa ascendit in cœlum, superat etiam cuncta quæ fecit : sed neque hoc factum est in Judæis, neque coram eis; et nondum hoc fecerat, quando dicebat, *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit.*

4. Nimirum ergo sunt illa quæ in eorum valetudinibus tanta miracula salutis ostendit, quanta in illis antea nemo donavit : hæc enim viderunt, et hoc eis exprobrans adjungit, et dicit, *Nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum : sed ut adimpleatur sermo qui in Lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis.* Eorum Legem dicit, non ab ipsis inventam, sed ipsis datam : sicut dicimus, *Panem nostrum quotidianum*; quem tamen a Deo petimus, addendo, *da nobis* (*Matth.* vi, 11). Gratis autem odit, qui nullum ex odio commodum quærit, vel incommodum fugit : sic oderunt Dominum impii; sic diligunt justi, hoc est gratis, ut alia præter illum non exspectent bona, quoniam ipse erit in omnibus omnia. Quisquis vero altius attenderit Christum dicentem, *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit* (sed hæc et si Pater aut Spiritus sanctus fecit, nemo alius fecit, quia totius Trinitatis una substantia est), inveniet ipsum fecisse, si quando quispiam Dei homo tale aliquid fecit. Potest quippe in seipso cuncta per seipsum; nemo autem potest aliquid sine ipso. Christus namque cum Patre et Spiritu sancto, non sunt tres dii, sed unus Deus, de quo scriptum est, *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus* (*Psal.* lxxi, 18). Nemo ergo alius fecit quæcumque opera in eis fecit; quoniam quisquis alius homo aliquid eorum fecit, ipso faciente fecit. Hæc autem ipse, non illis facientibus, fecit.

TRACTATUS XCII.

In hæc verba, Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, *etc. Cap.* xv, ℣ ℣. 26, 27.

1. Dominus Jesus in sermone quem locutus est discipulis suis post cœnam, proximus passioni, tanquam iturus et relicturus eos præsentia corporali, cum omnibus autem suis usque in consummationem sæculi futurus præsentia spirituali, exhortatus est eos ad perferendas persecutiones impiorum, quos mundi nomine nuncupavit : ex quo tamen mundo etiam ipsos discipulos se elegisse dixit, ut scirent se Dei gratia esse quod sunt, suis autem vitiis fuisse quod fuerunt. Deinde persecutores et suos et ipsorum Judæos evidenter expressit, ut omnino appareret etiam ipsos mundi damnabilis appellatione conclusos, qui persequitur sanctos[1]. Cumque de illis diceret quod ignorarent eum a quo missus est, et tamen odissent

[1] Quinque Mss., *qui persequuntur sanctos.*

et Filium et Patrem, hoc est, et eum qui missus est, et eum a quo missus est, de quibus omnibus in aliis sermonibus jam disseruimus; ad hoc pervenit ubi ait, *Ut adimpleatur sermo qui in Lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis.* Deinde tanquam consequenter adjunxit, unde modo disputare suscepimus : « Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me; et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. » Quid hoc pertinet ad illud quod dixerat, « Nunc autem et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum : sed ut impleatur sermo qui in Lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis? » An quia Paracletus quando venit, Spiritus veritatis, eos qui viderunt et oderunt, testimonio manifestiore convicit? Imo vero etiam aliquos ex illis qui viderunt, et adhuc oderant, ad fidem quæ per dilectionem operatur (*Galat.* v, 6), sui manifestatione convertit. Hoc ut ita intelligamus, ita factum esse recolimus. Venit enim die Pentecostes Spiritus sanctus in centum viginti homines congregatos, in quibus et Apostoli omnes erant, qui illo adimpleti cum linguis omnium gentium loquerentur, plures ex his qui oderant[1], tanto miraculo stupefacti (quandoquidem viderunt loquente Petro tam magnum atque divinum testimonium perhiberi de Christo, ut ille qui occisus ab eis inter mortuos deputabatur, resurrexisse et vivere probaretur), compuncti corde conversi sunt; et tanti sanguinis tam impie atque immaniter fusi indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine quem fuderunt (*Act.* II, 2). Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delere quo fusus est. Hoc ergo intuens Dominus dicebat, *Odio habuerunt me gratis : cum autem venerit Paracletus, ille testimonium perhibebit de me :* tanquam diceret, Odio me habuerunt, et occiderunt videntes; sed tale de me Paracletus testimonium perhibebit, ut eos faciat in me credere non videntes.

2. *Et vos*, inquit, *testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.* Perhibebit Spiritus sanctus, perhibebitis et vos. Quia enim ab initio mecum estis, potestis prædicare quod nostis : quod ut modo non faciatis, illius Spiritus plenitudo nondum adest vobis. *Ille ergo testimonium perhibebit de me, et vos perhibebitis :* dabit enim vobis fiduciam testimonium perhibendi charitas Dei diffusa in cordibus vestris per Spiritum sanctum qui dabitur vobis (*Rom.* v, 5). Quæ utique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum testimonium perhibere; sed contra suam pollicitationem timore magno compulsus est ter negare (*Matth.* XXVI, 69-74). Timor autem iste non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem (I *Joan.* IV, 18). Denique ante passionem Domini, servilis timor ejus interrogatus est a femina servitutis; post resurrectionem vero Domini liberalis ejus amor ab ipso Principe libertatis (*Joan.* XXI, 15) : et ideo ibi turbabatur, hic tranquillabatur; ibi quem dilexerat negabat, hic quem negaverat diligebat. Sed adhuc etiam tunc amor ipse infirmus fuerat et angustus, donec eum roboraret et dilataret Spiritus sanctus. Qui posteaquam illi est abundantia gratiæ largioris infusus, sic ad perhibendum de Christo testimonium quondam ejus frigidum pectus accendit, atque illa prius trepida quæ veritatem suppresserant, ora reseravit, ut cum omnes in quos venerat Spiritus sanctus, linguis omnium gentium loquerentur, Judæorum circumstantibus turbis, solus ad testimonium de Christo perhibendum præ cæteris promptius emicaret, ejusque interfectores de illius resurrectione confunderet. Si quem delectat tam suaviter sanctum[1] tale spectaculum intueri, Actus Apostolorum legat (*Act.* II-V.) : ibi beatum Petrum quem negantem doluerat, stupeat prædicantem; ibi linguam illam videat ad fiduciam a diffidentia, et ad libertatem a servitute translatam, tot linguas inimicorum convertere ad Christi confessionem, quarum non valendo unam ferre, versa fuerat in negationem. Quid plura? Tantus in illo fulgor gratiæ, tanta Spiritus sancti plenitudo apparebat, tanta de ore prædicantis pretiosissimæ veritatis pondera procedebant, ut ingentis multitudinis adversarios interfectores Christi Judæos faceret pro illo paratos mori, a quibus cum illo formidabat occidi. Hoc fecit Spiritus sanctus tunc missus, ante promissus. Ista Dominus magna atque miranda sua beneficia prævidebat, quando dicebat, « Et viderunt, et oderunt et me et Patrem meum : ut adimpleatur sermo qui in Lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis. Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me; et vos testimonium perhibebitis. » Ille quippe testimonium perhibens et testes fortissimos faciens, abstulit Christi amicis timorem, et inimicorum odium convertit in amorem.

TRACTATUS XCIII.

De eo quod Dominus dicit, Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini; *usque ad id,* Sed hæc locutus sum vobis, ut, cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis. *Cap.* XVI, ŷ. 1-4.

1. In his quæ præcedunt hoc Evangelii capitulum, Dominus discipulos suos ad inimicorum odia perferenda confirmans, suo quoque præparavit exemplo, ut cum imitando fierent fortiores : addens et promittens eis quod venturus esset Spiritus sanctus, qui de illo testimonium perhiberet, et adjiciens quod et ipsi fierent testes ejus, hoc utique in eis operante Spiritu sancto. Sic enim ait : *Ille testimonium perhibebit de me, et vos testimonium perhibebitis.* Utique quia ille perhibebit, etiam vos perhibebitis : ille in cordibus vestris, vos in vocibus vestris; ille inspirando, vos sonando : ut possit impleri, *In omnem terram exivit sonus eorum* (*Psal.* XVIII, 5). Parum quippe fuerat eos adhortari exemplo suo, nisi impleret Spiritu suo. Denique apostolus Petrus cum jam verba ejus audisset, ubi dixerat, *Non est servus major domino suo : si me*

[1] Mss., *aderant.*

[1] In tribus Mss., *sapidum.*

persecuti sunt, et vos persequentur (*Joan.* XV, 20); et hoc in illo jam videret impleri, in quo patientiam Domini sui, si exemplum sufficeret, debuit imitari: succubuit et negavit, non utique ferens quod illum ferre cernebat. Cum vere accepit donum Spiritus sancti, quem negaverat prædicavit; et quem confiteri timuerat, non timuit profiteri. Prius enim exemplo quidem fuerat edoctus, ut quod fieri convenerat nosset; sed nondum fuerat virtute fultus, ut quod noverat faceret: instructus erat ut staret, sed non erat firmatus ne caderet. Quod posteaquam per Spiritum sanctum factum est, annuntiavit usque ad mortem, quem negaverat timens mortem. Ideo Dominus in hoc consequenti capitulo, de quo nunc vobis loquendum est, *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, ut non scandalizemini*. Canitur quippe in Psalmo, *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum* (*Psal.* CXVIII, 165). Merito itaque promisso Spiritu sancto, quo in eis operante fierent testes ejus, subjunxit, *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini*. Cum enim charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom.* V, 5), fit pax multa diligentibus legem Dei, ut non sit illis scandalum.

2. Deinde quid passuri essent, jam exprimens ait: *Extra synagogas facient vos*. Quid autem mali erat Apostolis expelli de synagogis Judaicis, quasi non inde fuerant se separaturi, etiamsi eos nullus expelleret? Sed nimirum hoc voluit denuntiare, quia Judæi Christum non fuerant recepturi, a quo isti non fuerant recessuri; et ideo futurum erat ut foras mitterentur cum illo, ab eis qui esse nollent in illo, hi qui esse non possent sine illo. Nam profecto, quia non erat ullus alius populus Dei quam illud semen Abrahæ, si agnoscerent et reciperent Christum, tanquam rami naturales in olea permanerent (*Id.* XI, 17); nec aliæ fierent Ecclesiæ Christi, aliæ Synagogæ Judæorum: eædem [1] quippe essent, si in eodem esse voluissent. Quod quia noluerunt, quid restabat nisi ut remanentes extra Christum, extra synagogas facerent eos qui non relinquerent Christum? Accepto quippe Spiritu sancto testes ejus effecti, non utique tales essent, de quibus dicitur: *Multi principes Judæorum crediderunt in eum; sed propter metum Judæorum, ne pellerentur de synagogis, non audebant confiteri eum: dilexerunt enim gloriam hominum magis quam Dei* (*Joan.* XII, 42 *et* 43). Crediderunt ergo in eum, sed non sic quomodo eos volebat credere, qui dicebat: *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem exspectantes, et gloriam quæ a solo Deo est non quærentes* (*Id.* V, 44)? Discipulis ergo sic in eum credentibus, ut impleti Spiritu sancto, hoc est dono gratiæ Dei, non sint de numero eorum qui *ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti* (*Rom.* X, 3); nec de illorum de quibus dictum est, *Dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei*: illa congruit prophetia, quæ de ipsis invenitur impleta, *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in tua justitia exaltabuntur; quoniam gloria virtutis eorum tu es* (*Psal.* LXXXVIII, 16-18). Merito eis dicitur, *Extra synagogas facient vos*: illi scilicet qui *zelum Dei habent, sed non secundum scientiam; propter quod ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere* (*Rom.* X, 2 *et* 3), eos expellunt [1] qui non in sua, sed in Dei justitia exaltantur, nec expulsi ab hominibus erubescunt, quoniam gloria virtutis eorum ipse est.

3. Denique cum hoc eis dixisset, adjecit: *Sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo: et hæc facient vobis, quia non cognoverunt Patrem neque me*. Hoc est, non cognoverunt Deum nec ejus Filium, cui se in vobis occidendis præstare arbitrantur obsequium. Quæ verba Dominus ita subjecit, tanquam ex hoc consolaretur suos, qui de synagogis Judaicis pellerentur. Prænuntians enim quæ mala essent pro ejus testimonio perpessuri, *Extra synagogas*, inquit, *facient vos*. Nec ait, Et venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Quid ergo ait? *Sed venit hora*: quemadmodum diceret, si aliquid boni post mala ista prædiceret. Quid sibi ergo vult, *Extra synagogas facient vos: sed venit hora?* Tanquam hoc dicturus fuisset: Separabunt illi quidem vos, sed ego vos colligam; aut, Separabunt quidem illi vos, sed venit hora lætitiæ vestræ. Quid ergo ibi facit hoc verbum quod ait, *Sed venit hora*, quasi consolationem eis promitteret post tribulationem; cum magis dicere debuisse videatur indicativo modo, Et venit hora? Sed non ait, Et venit, cum tribulationem super tribulationem, non consolationem post tribulationem venturam illis esse prædiceret. An forte sic eos illa de synagogis separatio fuerat turbatura, ut mori mallent, quam in hac vita sine Judæorum congregationibus immorari? Absit ut sic turbarentur, qui Dei, non hominum gloriam requirebant. Quid ergo est, *Extra synogogas facient vos: sed venit hora*; cum potius dicere debuisse videatur, Et venit hora, *ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo?* Neque enim saltem dictum est, Sed venit hora ut interficiant vos, quasi ut eis mors pro consolatione illius separationis accideret [2]; sed, *Venit*, inquit, *hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo*. Prorsus non mihi videtur aliud significare voluisse, nisi ut intelligerent atque gauderent tam multos se Christo acquisituros, cum de Judæorum congregationibus pellerentur, ut eos non sufficeret [3] pellere, sed non sinerent vivere, ne omnes ad nomen Christi sua prædicatione converterent, et ab observatione Judaismi, tanquam divinæ veritatis, averterent. Hoc enim de Judæis dictum debemus accipere, de quibus dixerat, *Extra synagogas facient vos*. Nam testes, id est martyres Christi, etiamsi occisi sunt a Gentilibus; non tamen illi arbitrati sunt Deo, sed diis suis falsis obsequium se præstare, cum hæc facerent. Judæorum autem omnis qui occidit prædicatores Christi, Deo se præstare pu-

[1] Aliquot Mss., *eadem*.

[1] Sic Er. Lugd. et Ven. In B., *et eos expellunt*, addita vocula, *et*, qua carent editi quibus adstipulamur. M.
[2] Mss., *accederet*.
[3] In editis, *non sufficerent*. In decem Mss., *non sufficeret*.

tavit obsequium; credens quod desererent Deum Israel, quicumque converterentur ad Christum. Ut enim et ipsum Christum occiderent, ista ratione commoti sunt : nam eorum de hac re etiam verba conscripta sunt. *Videtis quia totus mundus post eum abiit* (*Joan.* XII, 19) : *si dimiserimus eum vivere, venient Romani, et tollent nobis et locum et gentem.* Et quod Caiphas dixit : *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat* (*Id.* XI, 48, 50). Et in hoc ergo sermone suos discipulos suo erexit exemplo, quibus dixerat, *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (*Id.* XV, 20); ut quemadmodum illum occidendo, Deo se præstitisse obsequium putaverunt, sic etiam illos.

4. Iste itaque sensus est in his verbis : *Extra synagogas facient vos;* sed nolite solitudinem formidare : separati quippe a congregatione eorum, tam multos in nomine meo congregabitis, ut illi metuentes ne templum quod erat apud eos, et omnia Legis veteris sacramenta deserantur, interficiant vos; sic fundentes sanguinem vestrum, ut Deo se præstare arbitrentur obsequium. Ecce est illud quod de his dixit Apostolus, *Zelum Dei habent, sed non secundum scientiam* (*Rom.* X, 2) : obsequium se putant præstare Deo, interficiendo famulos Dei. O error horrendus! Itane ut placeas Deo, percutis placentem Deo; et templum Dei vivum te feriente prosternitur, ne Dei templum lapideum deseratur? O exsecrabilis cæcitas! Sed ex parte in Israel facta est, ut plenitudo Gentium intraret : ex parte, inquam, facta est, non ex toto. Non enim omnes, sed aliqui ex ramis fracti sunt, ut insereretur oleaster (*Id.* XI, 25, 17). Nam Spiritu sancto implente discipulos Christi, cum linguis omnium gentium loquerentur, cum per eos divina miracula frequentarentur, et divina eloquia spargerentur, etiam occisus ita dilectus est Christus, ut ejus discipuli expulsi a congregationibus Judæorum, ex ipsis quoque Judæis ingentem multitudinem congregarent, et nullam solitudinem formidarent (*Act.* II-IV). Hinc ergo accensi cæteri reprobi et cæci, zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam, et obsequium se præstare Deo credentes, occidebant eos. Sed pro illis occisus colligebat eos; qui de his futuris, antequam occideretur, instruxerat eos, ne ignaros atque imparatos animos mala inopinata et improvisa, quamvis cito transitura, turbarent, sed præcognita et patienter accepta ad bona sempiterna perducerent. Hanc enim fuisse causam ut hæc eis prænuntiaret, etiam ipse demonstravit adjungens : *Sed hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.* Hora eorum hora tenebrosa, hora nocturna. Sed in die mandavit Dominus misericordiam suam, et in nocte declaravit (*Psal.* XLI, 9) : quando nox Judæorum separatum a se diem Christianorum nulla confusione fuscavit; et quando carnem occidere potuit, fidem tenebrare non potuit.

TRACTATUS XCIV.

De eo quod dicit Jesus, Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram ; *usque ad id*, Si autem abiero, mittam eum ad vos. *Cap.* XVI, ℣. 5-7.

1. Cum Dominus Jesus prædixisset discipulis suis persecutiones quas passuri fuerant post ejus abscessum, subjunxit, atque ait : *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram : nunc autem vado ad eum qui me misit.* Ubi primum videndum est, utrum eis futuras non prædixerit ante passiones. Sed alii tres evangelistæ satis eum prædixisse ista demonstrant, antequam ventum esset ad cœnam (*Matth.* XXIV, 9; *Marc.* XIII, 9-13, *et Luc.* XXI, 12-17) : qua peracta secundum Joannem ista locutus est, ubi ait, *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.* An forte hinc ista solvitur quæstio, quia et illi eum narrant passioni proximum fuisse cum hæc diceret? Non ergo ab initio quando cum illis erat, quia jam discessurus, jamque ad Patrem perrecturus hæc dixit : et ideo etiam secundum illos evangelistas verum est quod hic dictum est, *Hæc autem vobis ab initio non dixi.* Sed quid agimus de fide Evangelii secundum Matthæum, qui hæc eis a Domino non solum cum jam esset Pascha cum discipulis cœnaturus imminente passione, verum et ab initio denuntiata esse commemorat, ubi primum nominatim duodecim exprimuntur Apostoli, et ad opera divina mittuntur (*Matth.* X, 17)? Quid sibi ergo vult quod hic ait, *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram:* nisi quia ea quæ hic dicit de Spiritu sancto, quod sit venturus ad eos et testimonium perhibiturus, quando mala illa passuri sunt, hæc ab initio eis non dixit, quia cum ipsis erat?

2. Consolator ergo ille vel advocatus (utrumque enim interpretatur quod est græce paracletus), Christo abscedente fuerat necessarius; et ideo de illo non dixerat ab initio quando cum illis erat, quia ejus præsentia consolabantur : abscessurus autem oportebat ut diceret illum esse venturum, per quem futurum erat ut charitate diffusa in cordibus suis verbum Dei cum fiducia prædicarent; et illo intrinsecus apud eos testimonium perhibente de Christo, ipsi quoque testimonium perhiberent; neque scandalizarentur cum inimici Judæi absque synagogis facerent eos, et interficerent arbitrantes obsequium se præstare Deo : quoniam charitas omnia tolerat (I *Cor.* XIII, 7), quæ diffundenda erat in cordibus eorum per Spiritus sancti donum (*Rom.* V, 5). Hinc ergo iste totus ducitur sensus, quia facturus eos erat martyres suos, id est testes suos per Spiritum sanctum; ut illo in eis operante, persecutionum quæcumque aspera tolerarent, nec frigescerent a charitate prædicandi, illo divino igne succensi. *Hæc* ergo, inquit, *locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis* (*Joan.* XVI, 4). Hæc scilicet locutus sum vobis, non tantum quia passuri estis ista; sed quia cum venerit paracletus ille, testimonium perhibebit de me, ne ista timendo taceatis, unde fiet ut etiam vos testimonium perhibeatis. *Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram*, et ego vos consolabar mea corporali præsentia, exhibita humanis sensibus ve-

stris, quam parvuli capere poteratis.

3. *Nunc autem vado ad eum qui me misit : et nemo,* inquit, *ex vobis interrogat me, Quo vadis?* Significat sic se iturum ut nullus interrogaret, quod palam fieri visu corporis cernerent : nam superius interrogaverant eum quo esset iturus, et responderat eis se iturum quo ipsi tunc venire non possent (*Joan.* XIII, 36). Nunc vero ita se promittit iturum, ut nullus eorum quo vadit interroget. Nubes enim suscepit eum quando ascendit ab eis; et euntem in cœlum non verbis quæsierunt, sed oculis deduxerunt (*Act.* I, 9-11).

4. *Sed quia hæc locutus sum vobis*, inquit, *tristitia implevit cor vestrum.* Videbat utique quid illa sua verba in eorum cordibus agerent : spiritualem quippe nondum interius habentes consolationem, quam per Spiritum sanctum fuerant habituri, id quod exterius in Christo videbant, amittere metuebant; et quia se amissuros esse illum vera denuntiantem [1] dubitare non poterant, contristabatur humanus affectus, quia carnalis desolabatur aspectus. Noverat autem ille quid eis potius expediret, quia visus interior ipse est utique melior, quo eos consolaturus fuerat Spiritus sanctus; non cernentium corporibus ingesturus corpus humanum, sed seipsum credentium pectoribus infusurus. Denique adjungit, *Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos* : tanquam diceret, Expedit vobis ut hæc forma servi auferatur a vobis : caro quidem factum Verbum habito in vobis; sed nolo me carnaliter adhuc diligatis, et isto lacte contenti semper infantes esse cupiatis. *Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Si alimenta tenera quibus vos alui, non subtraxero, solidum cibum non esurietis; si carni carnaliter hæseritis, capaces Spiritus non eritis. Nam quid est, *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos?* Numquid hic positus, eum non poterat mittere? Quis hoc dixerit? Neque enim ubi ille erat, iste inde recesserat; et sic venerat a Patre, ut non maneret in Patre. Postremo, quomodo eum etiam hic constitutus non poterat mittere, quem scimus super eum baptizatum venisse atque mansisse (*Joan.* I, 32); imo vero a quo scimus eum nunquam separabilem fuisse? Quid est ergo, *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos;* nisi, non potestis capere Spiritum, quamdiu secundum carnem persistitis nosse Christum? Unde ille qui jam acceperat Spiritum : *Etsi noveramus,* inquit, *secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus* (II *Cor.* V, 16). Etiam ipsam quippe carnem Christi non secundum carnem novit, qui Verbum carnem factum spiritualiter novit. Hoc nimirum significare voluit magister bonus dicendo, *Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos.*

5. Christo autem discedente corporaliter, non solum Spiritus sanctus, sed et Pater et Filius illis adfuit spiritualiter. Nam si ab eis sic abscessit Christus, ut pro illo, non cum illo in eis esset Spiritus sanctus; ubi est ejus promissio dicentis, *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20); et, *Veniemus ad eum* ego et Pater, *et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23) : cum et Spiritum sanctum ita se promiserit esse missurum, ut cum eis esset in æternum? Ac per hoc cum ex carnalibus vel animalibus essent spirituales futuri, profecto et Patrem et Filium et Spiritum sanctum capacius fuerant habituri. In nullo autem credendus est esse Pater sine Filio et Spiritu sancto, aut Pater et Filius sine Spiritu sancto, aut Filius sine Patre et Spiritu sancto, aut sine Patre et Filio Spiritus sanctus, aut Pater et Spiritus sanctus sine Filio : sed ubi eorum quilibet unus, ibi Trinitas Deus unus. Oportebat autem ita insinuari Trinitatem, ut quamvis nulla esset diversitas substantiarum, singillatim tamen commendaretur distinctio personarum; ubi eis qui recte intelligunt, nunquam videri potest separatio naturarum.

6. Quod autem sequitur, *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio : de peccato quidem, quia non credunt in me; de justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me; de judicio autem, quia princeps hujus mundi judicatus est* (*Id.* XVI, 8-11) : tanquam solum sit peccatum non credere in Christum, et tanquam ipsa sit justitia non videre Christum, et tanquam ipsum sit judicium quod princeps hujus mundi, hoc est diabolus judicatus est : valde latebrosum est, nec isto sermone coarctandum, ne fiat obscurius brevitate; sed alio potius quantum Dominus adjuverit explicandum.

[1] Undecim Mss., *illo vera denuntiante.*

TRACTATUS XCV.

In hæc verba superioris lectionis, Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, *etc. Cap.* XVI, ỳ. 8-11.

1. Promittens Dominus missurum se Spiritum sanctum, *Cum venerit*, inquit, *ille arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.* Quid est hoc? Numquidnam Dominus Christus non arguit mundum de peccato, cum ait : *Si non venissem, et locutus eis fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo?* Sed ne quis forte dicat hoc ad Judæos proprie pertinere, non ad mundum; nonne ait alio loco : *Si de mundo essetis, mundus quod suum esset diligeret* (*Id.* XV, 22, 19)? Numquid non arguit de justitia, ubi ait : *Pater juste, mundus te non cognovit* (*Joan.* XVII, 25)? Numquid non arguit de judicio, ubi se ait sinistris esse dicturum : *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41)? Et multa alia reperiuntur in sancto Evangelio, ubi de his Christus arguit mundum. Quid est ergo quod tanquam proprie tribuit hoc Spiritui sancto? An forte, quia Christus in Judæorum tantum gente locutus est, mundum non videtur arguisse, ut ille intelligatur argui qui audit arguentem? Spiritus autem sanctus in discipulis ejus toto orbe diffusis, non unam gentem intelligitur arguisse, sed mundum. Nam hoc illis ait ascensurus in cœlum : *Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate : sed*

accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in tota Judæa, et in Samaria, et usque in fines terræ (*Act.* I, 7 *et* 8). Hoc est [illegible] mundum. Sed quis audeat dicere quod per [illegible] Christi arguit mundum Spiritus sanctus, et non arguat ipse Christus; cum clamet Apostolus, *An vultis experimentum accipere ejus qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII, 3)? Quos itaque arguit Spiritus sanctus, arguit utique et Christus. Sed quantum mihi videtur, quia per Spiritum sanctum diffundenda erat charitas in cordibus eorum (*Rom.* V, 5), quæ foras mittit timorem (I *Joan.* IV, 18), quo impediri possent ne arguere mundum qui persecutionibus fremebat, auderent; propterea dixit, *Ille arguet mundum:* tanquam diceret, Ille diffundet in cordibus vestris charitatem; sic enim timore depulso, arguendi habebitis libertatem. Sæpe autem diximus inseparabilia opera esse Trinitatis (*Supra*, *Tract.* 20); sed singillatim commendandas fuisse personas, ut non solum sine separatione, verum etiam sine confusione et unitas intelligatur et Trinitas.

2. Exponit deinde quid dixerit *de peccato, et de justitia et de judicio. De peccato quidem*, inquit, *quia non crediderunt in me.* Hoc enim peccatum quasi solum sit, præ cæteris posuit; quia hoc manente cætera detinentur, et hoc discedente cætera remittuntur. *De justitia vero*, inquit, *quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* Hic primo videndum est, si recte quisque arguitur de peccato, quomodo recte arguatur et de justitia. Numquid enim si arguendus est peccator propterea quia peccator est, arguendum putabit quisquam et justum propterea quia justus est? Absit. Nam et si aliquando justus arguitur, ideo recte arguitur, quia, sicut scriptum est, *Non est justus in terra qui faciet bonum, et non peccabit.* Quocirca etiam cum justus arguitur, de peccato arguitur, non de justitia. Quoniam et in illo quod legimus divinitus dictum, *Noli effici justus multum* (*Eccle.* VII, 21, 17); non est notata justitia sapientis, sed superbia præsumentis. Qui ergo fit *multum justus*, ipso nimio fit injustus. Multum enim se facit justum, qui dicit se non habere peccatum; aut qui se putat non gratia Dei, sed sua voluntate sufficiente effici justum: nec recte vivendo justus est, sed potius inflatus, putando se esse quod non est. Quo pacto igitur mundus arguendus est de justitia, nisi de justitia credentium? Arguitur itaque de peccato, quia in Christum non credit; et arguitur de justitia eorum qui credunt. Ipsa quippe fidelium comparatio, infidelium est vituperatio. Hoc et ipsa expositio satis indicat. Volens enim aperire quid dixerit, *De justitia vero*, inquit, *quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* Non ait, Et jam non videbunt me; de quibus dixerat, *quia non crediderunt in me.* Sed peccatum quid vocaret exponens, de illis locutus est dicens, *quia non crediderunt in me:* exponens autem quam diceret justitiam, de qua mundus arguitur, ad ipsos quibus loquebatur, se convertit, atque ait, *Quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* Quapropter mundus de peccato quidem suo, de justitia vero arguitur aliena, sicut arguuntur de lumine tenebræ: *Omnia enim quæ arguuntur*, ait Apostolus, *a lumine manifestantur* (*Ephes.* V, 13). Quantum enim malum sit eorum qui non credunt, non solum per seipsum, verum etiam ex bono potest eorum apparere qui credunt. Et quoniam ista vox infidelium esse consuevit, Quomodo credimus quod non videmus? ideo credentium justitiam sic oportuit definiri, *Quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me.* Beati enim qui non vident, et credunt (*Joan.* XX, 29). Nam et qui viderunt Christum, non in eo laudata est fides eorum, quia credebant quod videbant, id est Filium hominis; sed quia credebant, quod non videbant, id est Filium Dei. Cum vero et ipsa forma servi subtracta eorum esset aspectibus, tum vero ex omni parte impletum est, *Justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17; *Habac.* II, 4, *et Hebr.* XI, 1). *Est* enim *fides*, sicut in Epistola quæ ad Hebræos est definitur, *sperantium substantia, convictio rerum quæ non videntur.*

3. Sed quid est, *Jam non videbitis me?* Non enim ait, Ad Patrem vado, et non videbitis me; ut temporis intervallum quo non videbitur, significasse intelligeretur, sive breve, sive longum, tamen utique terminatum: sed dicendo, *Jam non videbitis me*, velut nunquam eos de cætero visuros Christum, veritas prænuntiavit. Hæccine justitia est nunquam Christum videre, et in eum tamen credere; cum propterea laudetur fides ex qua justus vivit, quoniam credit, quem modo non videt Christum, se aliquando esse visurum? Postremo secundum hanc justitiam, numquid dicturi sumus Paulum apostolum non fuisse justum, confitentem se Christum vidisse post ascensionem ejus in cœlum (I *Cor.* XV, 8), de quo utique jam tempore dixerat, *Jam non videbitis me?* Numquid secundum hanc justitiam justus non erat gloriosissimus Stephanus, qui cum lapidaretur, ait: *Ecce video cœlum apertum, et Filium hominis stantem ad dexteram Dei* (*Act.* VII, 55)? Quid ergo est, *Ad Patrem vado, et jam non videbitis me;* nisi, quomodo sum, cum vobiscum sum? Tunc enim adhuc erat mortalis in similitudine carnis peccati (*Rom.* VIII, 3), qui esurire poterat ac sitire, fatigari atque dormire: hunc ergo Christum, id est talem Christum, cum transisset de hoc mundo ad Patrem, non erant jam visuri; et ipsa est justitia fidei, de qua dicit Apostolus, *Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (II *Cor.* V, 16). Erit itaque, inquit, vestra justitia, qua mundus arguetur, *quia vado ad Patrem, et jam non videbitis me:* quoniam in eum quem non videbitis credetis in me: et quando me videbitis, quod tunc ero, non videbitis me quod sum vobiscum modo; non videbitis humilem, sed excelsum; non videbitis mortalem, sed sempiternum; non videbitis judicandum, sed judicaturum [1]: et de hac fide vestra, id est justitia vestra, arguet Spiritus sanctus incredulum mundum.

4. Arguet etiam *de judicio*, *quia princeps hujus mundi judicatus est.* Quis est iste, nisi de quo ait alio loco, *Ecce venit princeps mundi, et in me nihil inveniet* (*Joan.* XIV, 30); id est, nihil juris sui, nihil quod ad

[1] MSS., *judicatorem.*

eum pertineat, nullum scilicet omnino peccatum? Per hoc enim est diabolus princeps mundi. Non enim cœli et terræ et omnium quæ in eis sunt, est diabolus princeps, qua significatione intelligitur mundus, ubi dictum est, *Et mundus per eum factus est* : sed mundi est diabolus princeps, de quo mundo ibi continuo subjungit atque ait, *Et mundus eum non cognovit* (*Joan.* I, 10), hoc est homines infideles, quibus toto orbe terrarum mundus est plenus : inter quos gemit fidelis mundus, quem de mundo elegit, per quem factus est mundus; de quo ipse dicit, *Non venit Filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (*Id.* III, 17). Mundus eo judicante damnatur, mundus eo subveniente salvatur : quoniam sicut arbor foliis et pomis, sicut area paleis et frumentis, ita infidelibus et fidelibus plenus est mundus. Princeps ergo mundi hujus, hoc est princeps tenebrarum harum, id est infidelium; de quibus eruitur mundus, quibus dicitur, *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v, 8) : princeps mundi hujus de quo alibi dicit, *Nunc princeps mundi hujus missus est foras* (*Joan.* XII, 31), utique judicatus est; quoniam judicio ignis æterni irrevocabiliter destinatus est. Et de hoc itaque judicio quo princeps judicatus est mundi, arguitur a Spiritu sancto mundus; quoniam cum suo principe judicatur, quem superbus atque impius imitatur [1]. *Si enim Deus*, sicut dicit apostolus Petrus, *peccantibus angelis non pepercit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradidit in judicio puniendos servari* (II *Petr.* II, 4); quomodo non a Spiritu sancto de hoc judicio mundus arguitur, quando in Spiritu sancto hæc loquitur Apostolus? Credant itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suæ, quo peccata omnia detinentur : transeant in numerum fidelium, ne arguantur de justitia eorum, quos justificatos non imitantur : caveant futurum judicium, ne cum mundi principe judicentur, quem judicatum imitantur. Etenim ne sibi existimet parci superbia dura mortalium, de superborum supplicio terrenda est angelorum.

TRACTATUS XCVI.

In hæc verba, Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo : cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Cap.* XVI, ŷ ŷ. 12, 13.

1. In isto sancti Evangelii capitulo, ubi Dominus ait discipulis suis, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, prius quærendum illud occurrit, quomodo superius dixerit, *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* xv, 15) et hic dicat, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*. Verum illud quomodo dixerit, quod nondum fecerat tanquam fecerit, sicut ea quæ futura sunt, Deum fecisse propheta testatur dicens, *Qui fecit quæ futura sunt* (*Isai.* XLV, 11, *sec.* LXX), jam cum ipsa verba tractaremus, ut potuimus, exposuimus. Nunc ergo quæ ista sint quæ Apostoli tunc portare non poterant, vultis forsitan scire. Sed quis nostrum audeat eorum se dicere jam capacem, quæ illi capere non valebant? Ac per hoc nec a me exspectanda sunt ut dicantur, quæ forte non caperem, si mihi ab alio dicerentur; nec vos ea portare possetis, etiamsi ego tantus essem, ut a me ista quæ vobis altiora sunt audiretis. Et fieri quidem potest ut sint in vobis aliqui ad ea capienda jam idonei, quæ alii capere nondum valent; et si non omnia de quibus magister Deus ille dicebat, *Adhuc multa habeo vobis dicere*, tamen eorum fortasse nonnulla : sed quænam sint ista quæ ipse non dixit, temerarium est velle præsumere ac dicere. Nam et mori pro Christo nondum erant idonei tunc Apostoli, quibus dicebat, *Non potestis me sequi modo;* unde primus eorum Petrus, qui hoc jam se posse præsumpserat, aliud expertus est quam putabat (*Joan.* XIII, 36-38) : et tamen postea et viri et mulieres, pueri et puellæ, juvenes et virgines, seniores cum junioribus innumerabiles martyrio coronati sunt; et posse inventæ sunt oves, quod tunc quando ista Dominus loquebatur, nondum poterant portare pastores. Numquid ergo debuit illis ovibus dici in illo tentationis articulo, quo certare usque ad mortem pro veritate oportebat, et pro Christi nomine vel doctrina sanguinem fundere; numquid, inquam, debuit eis dici, Quis vestrum audeat idoneum martyrio se putare, cui Petrus idoneus nondum fuerat, quando eum os ad os ipse Dominus instruebat? Sic itaque dixerit aliquis non debere dici populis christianis, audire cupientibus quæ sint de quibus Dominus tunc dicebat, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, Si Apostoli nondum poterant, multo minus vos potestis : quia forte sic multi possunt audire, quod tunc nondum poterat Petrus, sicut multi possunt martyrio coronari, quod tunc nondum poterat Petrus : præsertim jam misso Spiritu sancto, qui tunc nondum erat missus, de quo continuo subjunxit, atque ait, *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem;* sic utique demonstrans illos ideo quæ habebat dicere, portare non posse, quia nondum ad eos venerat Spiritus sanctus.

2. Ecce concedamus ut ita sit, multos ea modo portare posse jam misso Spiritu sancto, quæ tunc eo nondum misso non poterant portare discipuli : numquid ideo scimus quæ sint quæ dicere noluit, quæ tunc sciremus si ab eo dicta legeremus vel audiremus? Aliud est enim scire utrum a nobis vel a vobis portari possint; aliud autem scire quæ sint, sive portari possint, sive non possint. Quæ cum ipse tacuerit, quis nostrum dicat, Ista vel illa sunt? Aut si dicere audeat, unde probat? Quis enim est tam vanus aut temerarius, qui cum dixerit etiam vera quibus voluerit, quæ voluerit, sine ullo testimonio divino affirmet ea esse quæ tunc Dominus dicere noluit? Quis hoc nostrum faciat, et non maximam culpam temeritatis incurrat, in quo nec prophetica nec apostolica excellit auctoritas? Nam profecto si eorum aliquid legissemus in Libris canonica auctoritate firmatis, qui post

[1] Lov., *superbum atque impium imitatur*. Nos hic ut in editis aliis et Mss.

ascensionem Domini scripti sunt, parum fuerat hoc legisse, nisi illic id etiam legeretur, hoc ex eis esse quæ tunc Dominus noluit discipulis dicere, quia non poterant illa portare. Tanquam si, verbi gratia, ego dicerem, illud quod legimus in hujus Evangelii capite, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum* (*Joan.* I, 1, 2), et alia quæ sequuntur, quoniam postea scripta sunt, nec ea Dominum Jesum dixisse narratum est, cum hic esset in carne, sed hæc unus ex Apostolis ejus, ac Spiritu ejus [1] sibi revelante conscripsit, ex his esse quæ noluit tunc Dominus dicere, quia ea discipuli portare non poterant; quis me audiat tam temere ista dicentem? Si autem ubi hoc legimus, ibi hoc etiam legeremus, quis non tanto apostolo crederet?

3. Sed id quoque mihi videtur absurdissime dici, ea tunc non potuisse portare discipulos, quæ de invisibilibus et altissimis rebus invenimus in apostolicis Litteris, quæ postmodum scriptæ sunt, nec ea Dominum quando cum illis visibiliter erat, dixisse narratur. Cur enim ea tunc ferre non poterant, quæ nunc in eorum Libris quis non legat, quis non ferat, etiamsi non intelligat? Nonnulla quidem homines infideles in Scripturis sanctis et non intelligunt cum legunt vel audiunt, et lecta vel audita ferre non possunt: sicut Pagani, quod per eum qui crucifixus est, factus est mundus; sicut Judæi, quod Filius Dei sit, qui eo modo quo ipsi celebrant sabbatum solvit; sicut Sabelliani, quia Trinitas est Pater et Filius et Spiritus sanctus; sicut Ariani, quia æqualis est Patri Filius, et Patri ac Filio Spiritus sanctus; sicut Photiniani, quia non homo tantum similis nobis, sed etiam Deus Deo Patri æqualis est Christus; sicut Manichæi, quod Christus Jesus per quem liberandi [2] sumus, nasci in carne et de carne dignatus est: et cæteri omnes perversarum ac diversarum sectarum homines, utique ferre non possunt, quidquid in Scripturis sanctis et in fide catholica reperitur, quod contra eorum proferatur errores; sicut nos ferre non possumus sacrilegas eorum vanitates et insanias mendaces. Quid est enim ferre non posse, nisi æquo animo non habere? Sed omnia quæ post ascensionem Domini canonica veritate atque auctoritate conscripta sunt, quis fidelis vel etiam catechumenus, antequam Spiritum sanctum baptizatus accipiat, non æquo animo legit atque audit, etiamsi nondum sicut oportet intelligit? Quomodo ergo aliquid eorum quæ post ascensionem Domini scripta sunt, non possent ferre discipuli, etiam nondum sibi misso Spiritu sancto, cum omnia nunc ferant catechumeni nondum accepto Spiritu sancto? Quia etsi non eis fidelium sacramenta produntur, non ideo fit quod ea ferre non possunt; sed ut ab eis tanto ardentius concupiscantur, quanto eis honorabilius occultantur.

4. Quapropter, charissimi, non a nobis exspectetis audire quæ tunc noluit Dominus discipulis dicere, quia nondum poterant illa portare: sed potius in charitate proficite, quæ diffunditur in cordibus vestris per Spiritum sanctum qui datus est vobis (*Rom.* v, 5); ut spiritu ferventes et spiritualia diligentes, spiritualem lucem spiritualemque vocem, quam carnales homines ferre non possunt, non aliquo signo corporalibus oculis apparente, nec aliquo sono corporalibus auribus instrepente, sed interiore conspectu et auditu nosse possitis. Non enim diligitur quod penitus ignoratur. Sed cum diligitur quod ex quantulacumque parte cognoscitur, ipsa efficitur dilectione ut melius et plenius cognoscatur. Si ergo in charitate proficiatis, quam diffundit in cordibus Spiritus sanctus, *docebit vos omnem veritatem*: vel, sicut alii codices habent, *deducet vos in omni veritate* (*a*): unde dictum est, *Deduc me, Domine, in via tua, et ambulabo in veritate tua* (*Psal.* LXXXV, 11). Sic fiet ut non a doctoribus exterioribus illa discatis, quæ noluit Dominus tunc dicere, sed sitis omnes docibiles Deo (*Joan.* VI, 45); ut ea ipsa quæ per lectiones atque sermones extrinsecus adhibitos didicistis et credidistis de natura Dei non corporea, nec loco aliquo inclusa, nec per infinita spatia locorum quasi mole distenta, sed ubique tota et perfecta et infinita, sine nitoribus colorum, sine figuris lineamentorum, sine notis litterarum, sine serie syllabarum, ipsa mente conspicere valeatis. Ecce dixi aliquid quod forte inde sit, et tamen accepistis; et non solum ferre potuistis, verum etiam libenter audistis. Sed ille magister interior, qui cum adhuc discipulis exterius loqueretur, ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, si vellet nobis id quod de incorporea Dei natura dixi, intrinsecus ita dicere, sicut sanctis Angelis dicit, qui semper vident faciem Patris (*Matth.* XVIII, 10); nondum ea portare possemus. Proinde quod ait, *Docebit vos omnem veritatem*, vel, *deducet vos in omni veritate*, non arbitror in hac vita in cujusquam mente posse compleri (quis enim vivens in hoc corpore quod corrumpitur et aggravat animam [*Sap.* IX, 15], possit omnem cognoscere veritatem; cum dicat Apostolus, *Ex parte scimus?*); sed quia per Spiritum sanctum fit, unde nunc pignus accepimus (II *Cor.* I, 22), ut ad ipsam quoque plenitudinem veniamus: de qua idem dicit apostolus, *Tunc autem facie ad faciem*; et, *Nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (I *Cor.* XIII, 9, 12): non quod in hac vita scit totum, quod usque ad illam perfectionem futurum nobis Dominus promisit per charitatem Spiritus, dicens, *Docebit vos omnem veritatem*; vel, *deducet vos in omni veritate*.

5. Quæ cum ita sint, dilectissimi, moneo vos in charitate Christi, ut seductores caveatis impuros et obscœnæ turpitudinis sectas, de quibus ait Apostolus, *Quæ autem occulte fiunt ab istis, turpe est et dicere* (*Ephes.* V, 12): ne cum horrendas immunditias docere cœperint, quas humanæ aures qualescumque sint, portare non possunt, dicant ipsa esse quæ Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*; et per Spiritum sanctum asserant fieri ut possint illa immunda et nefanda portari.

[1] Editi, *ipso ac Spiritu ejus*. Abest, *ipso*, a Mss.
[2] In editis, *liberati*. At in Mss., *liberandi*.

(*a*) Græc., *odégései*.

Alia sunt mala quæ portare non potest qualiscumque pudor humanus; et alia sunt bona quæ portare non potest parvus sensus humanus: ista fiunt in corporibus impudicis, illa remota sunt a corporibus universis; hoc impura carne committitur, illud pura mente vix cernitur. « Renovamini ergo spiritu mentis vestræ » (*Ephes.* IV, 23), « et intelligite quæ sit voluntas Dei, quod bonum est et beneplacitum et perfectum » (*Rom.* XII, 2): « ut in charitate radicati et fundati, possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, altitudo et profundum; cognoscere etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei » (*Ephes.* III, 17-19). Isto enim modo vos docebit Spiritus sanctus omnem veritatem, cum magis magisque diffundet in cordibus vestris charitatem.

TRACTATUS XCVII.

In eamdem lectionem.

1. Spiritus sanctus quem promisit Dominus se discipulis suis esse missurum, qui eos doceret omnem veritatem, quam tunc quando cum eis loquebatur, portare non poterant: de quo Spiritu sancto, sicut dicit Apostolus, nunc *pignus* accepimus (II *Cor.* I, 22), quo verbo intelligeremus ejus plenitudinem nobis in vita alia reservari: ipse ergo Spiritus sanctus et nunc docet fideles, quanta quisque potest capere spiritualia; et eorum pectora desiderio majore succendit, si quisque in ea charitate proficiat, qua et diligat cognita, et cognoscenda desideret: ita ut ea quoque ipsa quæ nunc quomodocumque cognoscit, nondum se scire sciat, sicut scienda sunt in ea vita quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (I *Cor.* II, 9). Quo sciendi modo, si nunc ea vellet interior magister dicere, id est, nostræ menti aperire atque monstrare; humana infirmitas portare non posset. Unde me vestra Dilectio meminit jam locutum, cum sancti Evangelii verba tractaremus, ubi Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.* Non ut in his Domini verbis nescio quæ secreta nimis abdita suspicemur, quæ cum dici a docente possint, portari a discente non possint: sed ea ipsa quæ in doctrina religionis in quorumlibet hominum notitia legimus et scribimus, audimus et dicimus, si vellet eo modo nobis Christus dicere, sicut ea dicit Angelis sanctis in seipso unigenito Patris Verbo, Patrique coæterno; quinam portare homines possent, etiam si jam essent spirituales, quales adhuc Apostoli non fuerunt, quando ista eis Dominus loquebatur, qualesque postea veniente sancto Spiritu facti sunt? Nam utique quidquid de creatura sciri potest, minus est ipso Creatore, qui summus et verus et immutabilis est Deus. Et quis eum tacet? Ubi non a legentibus, disputantibus, quærentibus, respondentibus, laudantibus, cantantibus, quoquomodo sermocinantibus, postremo ab ipsis etiam blasphemantibus nominatur? Et cum eum nemo taceat, quis est qui eum sicut intelligendus est capiat, cum de oribus et auribus hominum non recedat? Quis est cujus acies ad eum mentis accedat? Quis est qui cum Trinitatem esse scisset, nisi ipse sic innotescere voluisset? Et quis hominum jam istam sileat Trinitatem: et tamen quis hominum sicut Angeli sapiat Trinitatem? Ea ipsa ergo quæ de Dei æternitate, veritate, sanctitate, in promptu et palam sine cessatione dicuntur, ab aliis bene, ab aliis male intelliguntur: imo ab aliis intelliguntur, ab aliis non intelliguntur. Qui enim male intelligit, non intelligit. Ab eis ipsis autem a quibus bene intelliguntur, ab aliis minus, ab aliis amplius mentis vivacitate cernuntur, et a nullo hominum sicut ab Angelis capiuntur. In ipsa ergo mente, hoc est in interiore homine, quodammodo crescitur, non solum ut ad cibum a lacte transeatur, verum etiam ut amplius atque amplius cibus ipse sumatur. Non autem crescitur spatiosa mole, sed intelligentia luminosa; quia et ipse cibus intelligibilis lux est. Ut ergo crescatis, eumque capiatis, et quanto magis crescitis, tanto magis magisque capiatis; non ab eo doctore qui vestris auribus sonat, hoc est, forinsecus operando plantat et rigat, sed ab eo qui dat incrementum (I *Cor.* III, 6), petere ac sperare debetis.

2. Proinde, sicut præterito sermone commonui, cavete, maxime qui parvuli estis et adhuc alimentis lacteis indigetis, ne hominibus sub hac occasione deceptis ac deceptoribus, quia Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, aurem curiosam præbeatis ad incognita scienda, cum mentes invalidas habeatis ad vera et falsa dijudicanda: maxime propter obscœnissimas turpitudines, quas docuit satanas animas instabiles atque carnales, ad hoc Deo sinente, ut ejus ubique sint tremenda judicia, et in comparatione impuræ nequitiæ dulcescat purissima disciplina; atque ut illi det honorem, timorem autem vel pudorem sibi, qui in illa mala vel illo regente non cecidit, vel illo inde levante surrexit. Cavete timendo et orando, ne irruatis in illud ænigma Salomonis, ubi *mulier insipiens et audax, inops panis effecta*, convocat prætereuntes dicens, *Panes occultos libenter attingite, et aquæ furtivæ dulcedinem* (*Prov.* IX, 13-17). Hæc enim mulier vanitas est impiorum, cum sint insipientissimi, aliquid se scire opinantium, sicut de ista muliere dictum est, *inops panis effecta.* Quæ cum sit inops panis, promittit panes; id est, cum sit ignara veritatis, promittit scientiam veritatis. Occultos tamen panes promittit, quos dicit libenter attingi, et aquæ furtivæ dulcedinem; ut ea scilicet libentius et dulcius audiantur et agantur, quæ palam in Ecclesia dici credique prohibentur. Ipsa quippe occultatione condiunt quodammodo nefarii doctores sua venena curiosis; ut ideo se existiment aliquid discere magnum, quia meruit habere secretum, et suavius hauriant insipientiam, quam putant scientiam, cujus prohibitam quodammodo furantur audientiam.

3. Hinc et nefarios ritus suos hominibus sacrilega curiositate deceptis vel decipiendis magicarum artium doctrina commendat. Hinc illæ illicitæ divinationes inspectis pecudum visceribus occisorum, aut vocibus et volatibus avium, aut signis multiformibus dæmo-

num, insusurrantur auribus hominum periturorum per colloquia perditorum. Propter hæc illicita atque punienda secreta, mulier illa non solum *insipiens*, verum *audax* etiam nuncupatur. Sed hæc non solum a re ipsa, verum et a nomine nostræ religionis aliena sunt. Quid quod mulier hæc insipiens et audax, sub christiano vocabulo tot scelestas hæreses condidit, tot nefandas fabulas finxit? Utinam tales quales in theatris sive cantantur, sive saltantur, sive mimica scurrilitate ridentur; et non quasdam tales, quales adversus Deum fingere potuisse sic illam doleamus insipientiam, ut miremur audaciam. Omnes autem insipientissimi hæretici, qui se christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maxime exhorret sensus humanus, occasione evangelicæ sententiæ colorare conantur, ubi Dominus ait, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo:* quasi hæc ipsa sint quæ tunc discipuli portare non poterant, et ea docuerit Spiritus sanctus, quæ palam docere atque prædicare, quantalibet feratur audacia, spiritus erubescit immundus.

4. Hos Apostolus in Spiritu sancto prævidens [1] ait: « Erit enim tempus quo sanam doctrinam non sustinebunt, sed secundum desideria sua magistros sibi coacervabunt prurientes auditu: et a veritate quidem auditum suum avertent, ad fabulas autem convertentur » (II *Tim.* IV, 3, 4). Illa enim secreti furtique commemoratio qua dicitur, *Panes occultos libenter attingite, et aquæ furtivæ dulcedinem*, pruritum facit audientibus in auribus spiritualiter fornicantibus, sicut pruritu quodam libidinis etiam in carne corrumpitur integritas castitatis. Audite itaque Apostolum talia prævidentem, et ea vitanda salubriter admonentem: *Profanas*, inquit, *verborum novitates evita: multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum sicut cancer serpit* (*Id.* II, 16, 17). Et non ait, verborum novitates; sed addidit, *profanas*. Sunt enim et doctrinæ religionis congruentes verborum novitates, sicut ipsum nomen Christianorum quando dici cœperit, scriptum est. In Antiochia enim primum post ascensionem Domini appellati sunt discipuli Christiani, sicut legitur in Actibus Apostolorum (*Act.* XI, 26): et xenodochia et monasteria postea sunt appellata novis nominibus, res tamen ipsæ et ante nomina sua erant, et religionis veritate firmantur, qua etiam contra improbos defenduntur. Adversus impietatem quoque Arianorum hæreticorum novum nomen Patris Homousion condiderunt: sed non rem novam tali nomine signaverunt; hoc enim vocatur Homousion, quod est, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30), unius videlicet ejusdemque substantiæ. Nam si omnis novitas profana esset, nec a Domino diceretur, *Mandatum novum do vobis* (*Id.* XIII, 34); nec Testamentum appellaretur Novum, nec cantaretur in universa terra Canticum novum. Sed profanæ sunt verborum novitates, ubi dicit *mulier insipiens et audax: Panes occultos libenter attingite, et aquæ furtivæ dulcedinem.* Ab hac pollicitatione falsæ scientiæ prohibet etiam illo loco Apostolus ubi dicit: « O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et contradictiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt » (I *Tim.* VI, 20). Nihil enim sic amant isti quam scientiam promittere; et fidem rerum verarum quas credere parvuli præcipiuntur, velut imperitiam deridere.

5. Dicet aliquis: Nihilne spirituales viri habent in doctrina, quod carnalibus taceant, et spiritualibus eloquantur? Si respondero, Non habent, continuo mihi dicetur ex Epistola ad Corinthios apostoli Pauli: « Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis: sed nec adhuc quidem potestis; adhuc enim estis carnales » (I *Cor.* III, 1 *et* 2); et illud, « Sapientiam loquimur inter perfectos; » et illud, « Spiritualibus spiritualia comparantes: animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei; stultitia enim est illi » (*Id.* II, 6, 13 *et* 14). Hoc totum quale sit, ne rursus propter hæc verba Apostoli profanis vocum novitatibus secreta quærantur, et ea quæ debet castorum spiritus corpusque vitare, dicatur carnales sustinere non posse, sermone alio si Dominus donaverit, disputandum est, ut jam istum aliquando claudamus.

TRACTATUS XCVIII.

In eamdem lectionem.

1. Ex verbis Domini nostri, ubi dicit, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*, exortam difficilem quæstionem me recolo distulisse, ut inde otiosius tractaretur [1], quia illum modus competens compellebat finire sermonem. Nunc ergo quoniam tempus est promissa reddendi, pertractetur ut Dominus ipse donaverit, qui cordi nostro ut proponeretur ingessit. Hæc est autem quæstio: utrum spirituales homines habeant aliquid in doctrina, quod carnalibus taceant, et spiritualibus dicant. Quia si dixerimus, Non habent; respondebitur nobis, Quid est ergo quod dicebat Apostolus scribens ad Corinthios: « Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis: sed nec adhuc quidem potestis; adhuc enim estis carnales » (I *Cor.* III, 1 *et* 2)? Si autem dixerimus, Habent; timendum et cavendum est, ne sub hac occasione in occultis nefaria doceantur, et spiritualium nomine, velut ea quæ carnales capere non possunt, non solum excusatione dealbanda, verum etiam prædicatione laudanda videantur.

2. Primum ergo scire debet Charitas vestra, quod ipse Christus crucifixus [2], quo velut lacte parvulos aluisse se dicit Apostolus; ipsa vero caro ejus, in qua facta est vera mors ejus et vulnera vera confixi, sanguisque percussi, non eo modo a carnalibus quo ab spiritualibus cogitatur, et illis est lac, istis cibus; quia et si non audiunt amplius, intelligunt amplius. Non

[1] Sic. Er. Lugd. et Ven.: *Hoc Apostolus... prævidens*. M.

[1] Omnes prope Mss., *ut de spatio tractaretur.*
[2] Editi, *quod ipse Christus est crucifixus*. Male additur, *est*, quo Mss carent.

enim æqualiter mente percipitur, etiam quod in fide pariter ab utrisque recipitur. Ita fit ut prædicatus ab Apostolis Christus crucifixus, et Judæis esset scandalum, et Gentibus stultitia, et ipsis vocatis Judæis et Græcis Dei Virtus et Dei Sapientia (I *Cor.* I, 23, 24) : sed carnalibus parvulis id tantum credendo tenentibus, spiritualibus autem capacioribus id etiam intelligendo cernentibus; illis ergo tanquam lacteus potus, istis tanquam solidus cibus : non quia hoc illi aliter in populis, isti aliter in cubiculis cognoverunt; sed quod eodem modo utrique cum palam diceretur audiebant, pro suo modo quique capiebant. Cum enim Christus propterea sit crucifixus, ut in remissionem peccatorum sanguinem funderet, qua ejus Unigeniti passione divina gratia commendatur, ut nemo in homine glorietur; quomodo intelligebant Christum crucifixum qui adhuc dicebant, *Ego sum Pauli* (*Ibid.*, 12)? Numquid quomodo ipse Paulus qui dicebat, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Galat.* VI, 14)? De ipso itaque Christo crucifixo, et ipse cibum pro sua capacitate sumebat, et illos lacte pro eorum infirmitate nutriebat. Denique illa quæ scripsit ad Corinthios, aliter utique ab ipsis parvulis, aliter a capacioribus posse intelligi sciens, ait : *Si quis est inter vos propheta aut spiritualis, agnoscat quæ scribo vobis, quia Domini est mandatum : si quis autem ignorat, ignorabitur* (I *Cor.* XIV, 37, 38). Solidam profecto voluit esse scientiam spiritualium, ubi non sola fides accommodaretur, sed certa cognitio teneretur; ac per hoc illi ea ipsa credebant, quæ spirituales insuper agnoscebant. *Ignorabitur* autem, ait, qui *ignorat;* quia nondum ei revelatum est, ut quod credit sciat. Quod cum fit in hominis mente, ipse dicitur cognosci a Deo; quia Deus illum cognoscentem facit, sicut alibi ait : *Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo* (*Galat.* IV, 9). Neque enim tunc cognoverat eos Deus, præcognitos et electos ante mundi constitutionem (*Eph.* I, 4); sed tunc eos seipsum cognoscere fecerat.

3. Hoc igitur primitus cognito, quod ea ipsa quæ simul audiunt spirituales atque carnales, pro suo quique modulo capiunt; illi ut parvuli, isti ut majores, illi ut lactis alimentum, isti ut cibi solidamentum : nulla videtur esse necessitas, ut aliqua secreta doctrinæ taceantur, et abscondantur fidelibus parvulis, seorsum dicenda majoribus, hoc est intelligentioribus; et hoc ideo faciendum putetur, quia dixit Apostolus, *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Hoc ipsum enim quod non judicavit se scire in eis nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum (I *Cor.* II, 2), ipsis non potuit loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus; quia id sicut spirituales capere non valebant. Quicumque autem spirituales inter eos erant, idem quod illi tanquam carnales audiebant, spirituali ipsi intellectu capiebant : ut sic intelligatur quod ait, *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus,* ac si diceret, Non potuistis quasi spirituales, sed quasi carnales capere quod loquebar. *Animalis* enim *homo,* id est, qui secundum hominem sapit, animalis dictus ab anima, carnalis a carne, quia ex anima et carne constat totus homo, *non percipit quæ sunt Spiritus Dei* (I *Cor.* II, 14), id est, quid gratiæ credentibus crux conferat Christi; et putat hoc illa cruce actum esse tantummodo, ut nobis usque ad mortem pro veritate certantibus imitandum præberetur exemplum. Nam si scirent hujusmodi homines, qui nolunt esse nisi homines, quemadmodum Christus crucifixus *factus* sit *nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio, ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur in Domino glorietur* (*Id.* I, 30, 31) : procul dubio non gloriarentur in homine, nec carnaliter dicerent, *Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo; ego vero Cephæ :* sed spiritualiter, *Ego sum Christi* (*Ibid.* 12).

4. Verum illud adhuc quæstionem facit, quod in Epistola ad Hebræos legitur : « Cum jam deberetis tempore ipso esse doctores, iterum doctrina indigetis, quæ sint elementa sermonum Dei; et facti estis opus habentes lacte, non solido cibo. Omnis enim qui lactatur, inexpertus est verbum justitiæ; infans est enim. Perfectorum est autem solidus cibus, eorum qui per habitum exercitatos habent sensus, ad separandum bonum a malo » (*Hebr.* V, 12-14). Hic enim videmus tanquam definitum esse quem perfectorum dicit solidum cibum; et hoc esse illud quod ad Corinthios scriptum est, *Sapientiam loquimur inter perfectos* (I *Cor.* II, 6). Quos autem perfectos voluerit hoc loco intelligi, subjecit atque ait, *Qui per habitum exercitatos habent sensus, ad separandum bonum a malo.* Hoc ergo qui invalida et inexercitata mente non possunt, profecto nisi fidei quodam lacte teneantur, ut et invisibilia quæ non vident, et intelligibilia quæ nondum intelligunt, credant, facile ad vanas et sacrilegas fabulas promissione scientiæ ducuntur : ut et bonum et malum nonnisi corporalibus imaginibus cogitent, et ipsum Deum nonnisi aliquod esse corpus existiment, et malum nisi substantiam putare non possint; cum sit potius ab immutabili substantia mutabilium substantiarum quidam defectus, quas fecit ex nihilo ipsa immutabilis et summa substantia, qui est Deus. Quod profecto quisquis non solum credit, verum etiam exercitatis interioribus animi sensibus intelligit, percipit, novit; non est jam metuendum ne seducatur ab eis qui malum putando esse substantiam quam non fecit Deus, mutabilem substantiam faciunt ipsum Deum, sicut Manichæi, vel si quæ aliæ pestes ita desipiunt.

5. Sed mente adhuc parvulis, quos dicit Apostolus carnales lacte nutriendos, omnis de hac re sermo, quo agitur ut non solum credatur, verum etiam intelligatur sciaturque quod dicitur, percipere talia non valentibus onerosus est, faciliusque illos premit quam pascit. Ex quo fit ut spirituales ista carnalibus non omnimodo taceant, propter catholicam fidem, quæ omnibus prædicanda est; nec tamen sic disserant, ut volentes ea perducere ad intelligentiam non capacem, facilius fastidiri faciant in veritate sermonem, quam in sermone percipi veritatem. Propterea dicit scribens ad Colossenses : *Et si corpore absens sum, spi-*

ritu vobiscum sum, gaudens et videns ordinationem vestram, et id quod deest[1] *fidei vestræ in Christo* (*Coloss.* II, 5). Et ad Thessalonicenses : *Nocte ac die*, inquit, *abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, et suppleamus quæ desunt fidei vestræ* (I *Thess.* III, 10). Intelligendi sunt utique ita primum catechizati, ut lacte alerentur, non solido cibo : cujus lactis ad Hebræos commemoratur ubertas eis quos volebat cibi soliditate jam pascere. Propter quod ait : « Ideoque remittentes initii Christi verbum, in consummationem respiciamus; non iterum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fidei in Deum, lavacri doctrinæ, et impositionis manuum, resurrectionis etiam mortuorum, et judicii æterni» (*Hebr.* VI, 1, 2). Hæc est lactis ubertas, sine quo non vivunt qui jam quidem ratione utuntur ut possint credere, sed bonum a malo, non credendo tantum, verum etiam intelligendo (quod pertinet ad solidum cibum) separare non possunt. Quod autem in lactis commemoratione posuit et doctrinam, ipsa est quæ per symbolum traditur et orationem dominicam.

6. Sed huic lacti absit ut sit contrarius cibus rerum spiritualium firma intelligentia capiendus, qui Colossensibus et Thessalonicensibus defuit, et supplendus, fuit. Quando enim suppletur quod defuit, non improbatur quod fuit. Nam et in ipsis quæ sumimus alimentis, usque adeo non est lacti contrarius solidus cibus, ut ipse lactescat, quo possit esse aptus infantibus, ad quos per matris vel nutricis pervenit carnem : sicut fecit etiam mater ipsa sapientia, quæ cum sit in excelsis Angelorum solidus cibus, dignata est quodammodo lactescere parvulis, cum Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 1, 14). Sed ipse homo Christus, qui vera carne, vera cruce, vera morte, vera resurrectione sincerum lac dicitur parvulorum, cum bene ab spiritualibus capitur, invenitur Dominus Angelorum. Proinde nec sic parvuli sunt lactandi, ut semper non intelligant Deum Christum; nec sic ablactandi, ut deserant hominem Christum. Quod alio modo idipsum ita dici potest : nec sic lactandi sunt, ut creatorem nunquam intelligant Christum; nec sic ablactandi, ut mediatorem unquam deserant Christum. In hoc quippe non convenit huic rei similitudo materni lactis et solidi cibi, sed potius fundamenti : quia et puer quando ablactatur, ut ab alimentis infantiæ jam recedat, inter solidos cibos non repetit ubera quæ sugebat; Christus autem crucifixus, et lac sugentibus, et cibus est proficientibus. Fundamenti vero ideo est aptior similitudo, quia ut perficiatur quod struitur, additur ædificium, non subtrahitur fundamentum.

7. Quæ cum ita sint, o quicumque estis, qui sine dubio multi estis parvuli in Christo, proficite ad solidum cibum mentis, non ventris. Proficite ad separandum bonum a malo, et magis magisque inhærete Mediatori, per quem liberamini a malo; quod non est a vobis loco separandum, sed in vobis potius est sanandum. Quisquis autem vobis dixerit, Nolite credere verum hominem Christum, aut non a vero Deo corpus cujuslibet hominis vel cujuslibet animantis creatum, aut non a vero Deo Vetus Testamentum datum, et si quid hujusmodi; hæc enim vobis prius ideo non dicebantur, quando lacte nutriebamini, quoniam ad vera capienda cor nondum habebatis idoneum : non vobis iste cibum præparat, sed venenum. Propter quod beatus Apostolus eos alloquens qui sibi jam videbantur esse perfecti, cum se imperfectum ipse dixisset, *Quotquot ergo*, inquit, *perfecti, hoc sapiamus : et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit*. Et ne forte incurrerent in seductores, qui eos vellent a fide avertere promittendo scientiam veritatis, et hoc putarent esse quod dixit Apostolus, *id quoque vobis Deus revelabit;* continuo subjunxit, *Verumtamen in quod pervenimus, in eo ambulemus* (*Philipp.* III, 15, 16). Si quid ergo intellexeris quod non sit contra regulam catholicæ fidei, ad quam, velut viam quæ te ducat ad patriam, pervenisti; et sic intellexeris, ut inde dubitare omnino non debeas : adde ædificium, noli tamen relinquere fundamentum. Sic debent majores docere aliquid parvulos, ut omnium Dominum Christum, et seipsis longe majores Prophetas et Apostolos non dicant aliquid fuisse mentitos. Non autem solum vaniloquos et mentis seductores fabulosa et falsa garrientes, et in eis vanitatibus velut altam scientiam promittentes contra regulam fidei, quam catholicam suscepistis, cavere debetis : verum etiam ipsos qui de ipsa divinæ immutabilitate naturæ, vel incorporea creatura, sive Creatore veraciter disputant, et quod dicunt, omnino documentis atque rationibus certissimis probant, et tamen ab uno Dei et hominum Mediatore conantur avertere, tanquam pestem insidiosiorem cæteris fugite. Tales enim sunt de quibus dicit Apostolus, *Quia cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt* (*Rom.* I, 21). Quid enim prodest habere intelligentiam veram de immutabili bono, ei qui non tenet per quem liberetur a malo? Prorsus admonitio beatissimi Apostoli de vestris cordibus non recedat : *Si quis vobis evangelizaverit præter quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* I, 9). Non ait, plus quam accepistis; sed, *præter quod accepistis*. Nam si illud diceret, sibi ipse præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat tollit : qui autem prætergreditur fidei regulam, non accedit in via, sed recedit de via.

8. Quod itaque ait Dominus, *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo;* adjicienda illis fuerant quæ nesciebant, non quæ didicerant evertenda. Et ille quidem, sicut in pristino sermone jam exposui, potuit hoc ita dicere, quia illa ipsa quæ docuerat, si vellet eis sic aperire, ut in illo concipiuntur ab Angelis; hoc infirmitas humana in qua adhuc erant, ferre non posset. Spiritualis autem homo quilibet potest alterum hominem docere quod novit, si proficiendo capaciorem faciat Spiritus sanctus, in quo et

[1] Pro, *tò stereôma, firmamentum*; legebat, *tò usterêma, id quod deest*. Sic etiam in epistola ad Paulinum, quæ nunc est 149.

ipse doctor aliquid amplius addiscere potuit, ut sint ambo docibiles Deo (*Joan.* vi, 45). Quanquam et inter ipsos spirituales sunt utique aliis alii capaciores atque meliores; ita ut quidam illorum ad ea pervenerit quæ non licet homini loqui. Qua occasione vani quidam Apocalypsim Pauli, quam sana non recipit Ecclesia, nescio quibus fabulis plenam, stultissima præsumptione finxerunt; dicentes hanc esse unde dixerat raptum se fuisse in tertium cœlum, et illic audisse ineffabilia verba *quæ non licet homini loqui* (II *Cor.* xii, 2, 4). Utcumque illorum tolerabilis esset audacia, si se audisse dixisset quæ adhuc non licet homini loqui: cum vero dixerit, *quæ non licet homini loqui;* isti qui sunt qui hæc audeant impudenter et infeliciter loqui? Sed jam istum sermonem hoc fine concludam; per quem vos esse cupio sapientes quidem in bono, integros autem a malo.

TRACTATUS XCIX.

In illud, Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur. *Cap.* xvi, ℣. 13.

1. Quid est quod Dominus ait de Spiritu sancto, cum eum venturum esse promitteret, et docturum discipulos ejus omnem veritatem, vel eos deducturum in omni veritate: *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur?* Simile est enim hoc ei quod de se ipse dixit, *Non possum a me facere quidquam: sicut audio, judico* (*Joan.* v, 30). Sed illud cum exponeremus, secundum hominem posse accipi diximus (*Supra, Tract.* xix-xxii): ut obedientiam suam qua factus est obediens usque ad mortem crucis (*Philipp.* ii, 8), prænuntiasse Filius videretur, et in judicio futuram [1], quo vivos et mortuos judicabit; quia hoc per id facturus est quod filius hominis est. Propter quod dixit, *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio:* quia in judicio non forma Dei qua æqualis est Patri, nec ab impiis videri potest, sed forma hominis apparebit, qua minoratus est etiam modico minus ab Angelis; quamvis jam in claritate, non in pristina sit humilitate venturus, conspicuus tamen futurus et bonis et malis. Hinc ait et illud: *Et potestatem dedit ei judicium facere, quoniam filius hominis est* (*Joan.* v, 22, 27). In quibus verbis ejus manifestatur non eam formam præsentandam esse judicio, in qua cum esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo; sed illam quam cum semetipsum exinanisset, accepit. Semetipsum enim exinanivit formam servi accipiens (*Philipp.* ii, 6, 7): in qua videtur etiam ad faciendum judicium obedientiam suam commendasse, cum dixit, *Non possum facere a meipso quidquam: sicut audio, judico.* Adam namque per cujus unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, non sicut audivit, judicavit; quia quod audivit prævaricavit, et a semetipso fecit malum quod fecit; quia non Dei voluntatem, sed suam fecit: iste autem per cujus unius hominis obedientiam justi constituuntur multi (*Rom.* v, 19), non solum obediens fuit usque ad mortem crucis, in qua est vivus judicatus a mortuis; sed obedientem se futurum promittens in ipso quoque judicio, quo est de vivis judicaturus et mortuis, *Non possum,* inquit, *a meipso facere quidquam: sicut audio, judico.* Sed numquid de Spiritu sancto quod dictum est, *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur,* secundum hominem vel secundum assumptionem cujusquam creaturæ dictum esse audebimus opinari? Solus quippe in Trinitate Filius formam servi accepit, quæ forma illi ad unitatem personæ coaptata est, id est, ut Filius Dei et filius hominis unus sit Jesus Christus; ne non Trinitas, sed quaternitas prædicetur a nobis, quod absit a nobis. Propter quam personam unam ex duabus substantiis divina humanaque constantem, aliquando secundum id quod Deus est loquitur, ut est illud quod ait, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30): aliquando secundum id quod homo est, sicuti est illud, *Quoniam Pater major me est* (*Id.* xiv, 28); secundum quod accepimus esse ab eo dictum et hoc unde nunc disputo, *Non possum a meipso facere quidquam: sicut audio, judico.* In persona vero Spiritus sancti quomodo accipiamus quod ait, *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur;* cum in ea non sit alia divinitatis, alia humanitatis, vel alterius creaturæ cujuscumque substantia, magna exoritur difficultas.

2. Illud enim quod sicut columba Spiritus sanctus apparuit specie corporali (*Matth.* iii, 16), visio fuit ad horam facta atque transacta: sicut etiam quando super discipulos venit, visæ sunt illis linguæ divisæ velut ignis, qui et insedit super unumquemque eorum (*Act.* ii, 3). Qui ergo dicit columbam ad unitatem personæ Spiritui sancto fuisse conjunctam, ut ex illa et Deo (quia Spiritus sanctus Deus est) una Spiritus sancti persona constaret; hoc etiam de illo igne compellitur dicere, ut intelligat nihil horum debere se dicere. Ista enim quæ de substantia Dei quoquo modo ut opus erat significanda, corporeis hominum sensibus sese intulerunt atque transierunt, ad horam divinitus facta sunt de creatura serviente, non de ipsa dominante natura, quæ in se manens quod vult movet, et quod vult immutabilis mutat. Sicut etiam vox illa de nube aures utique attigit corporales, eumque sensum corporis qui vocatur auditus (*Luc.* ix, 35); nec tamen ullo modo credendum est Verbum Dei, quod est unigenitus Filius, quoniam Verbum dicitur, syllabis sonisque finiri: quia nec omnes simul sonare possunt cum sermo fit, sed tanquam nascentes morientibus ordine suo soni quicumque succedunt, ut totum quod loquimur novissima syllaba compleatur. Absit ut sic loquatur Pater ad Filium, hoc est, Deus ad Verbum suum Deum. Sed hoc eorum est capere, quantum ab homine capi potest, ad quos non lac pertinet, sed solidus cibus. Cum igitur Spiritus sanctus nulla susceptione hominis sit homo factus, nulla susceptione angeli sit angelus factus, nulla susceptione cujusquam creaturæ creatura sit factus; quomodo de illo intelligendum est quod Dominus ait, *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur?* Ardua quæstio, nimis ardua. Ipse adsit Spiritus, ut saltem sicut eam cogitare possumus, sic eloqui possimus, ac sic ad intelligen-

[1] Er. Lugd. et Ven. ferunt, *et judicium futurum.* M.

tiam vestram pro mei moduli facultate perveniat.

3. Prius itaque nosse debetis, et intelligere qui potestis, credere autem qui intelligere nondum potestis, in ea substantia quæ Deus est, non quasi per corporis molem sensus locis propriis distributos, sicut in carne mortali quorumque animalium alibi est visus, alibi auditus, alibi gustus, alibi olfactus, per totum autem tactus. Absit hoc credere in illa incorporea immutabilique natura. Audire ergo ibi et videre, idipsum est. Dicitur et olfactus in Deo: unde dicit Apostolus, *Sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (*Ephes.* v, 2). Et gustus intelligi potest, secundum quem Deus et odit amaricantes, et nec frigidos nec calidos, sed tepidos evomit ex ore suo (*Apoc.* III, 16): et Deus Christus dicit, *Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* IV, 34). Est etiam tactus ille divinus, unde dicit sponsa de sponso: *Sinistra ejus sub capite meo, et dextera ejus complectetur me* (*Cant.* II, 6). Non sunt hæc in Deo per diversa corporis loca. Cum enim dicitur scire, ibi sunt omnia; et videre, et audire, et olfacere, et gustare, et tangere; sine ulla ejus mutatione substantiæ, sine ulla mole quæ in alia parte major, in alia minor: etiam in senibus puerili pectore cogitatur, quando Deus sic cogitatur.

4. Nec mireris quod ineffabilis Dei scientia, qua novit omnia, per varios humanæ locutionis modos, omnium istorum corporalium sensuum nominibus nuncupatur: cum et ipsa mens nostra, hoc est homo interior, cui uniformiter scienti per hos quinque veluti nuntios corporis diversa nuntiantur, quando immutabilem veritatem intelligit, eligit, diligit, et lumen videt de quo dicitur, *Erat lumen verum*; et verbum audit de quo dicitur, *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 9, 1); et odorem capit de quo dicitur, *Post odorem unguentorum tuorum curremus* (*Cant.* I, 3); et fontem bibit, de quo dicitur, *Apud te est fons vitæ* (*Psal.* XXXV, 10); et tactu fruitur, de quo dicitur, *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 28): nec aliud atque aliud, sed una intelligentia tot sensuum nominibus nuncupatur. Cum ergo de Spiritu sancto dicitur, *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur*; multo magis ibi simplex natura, ubi verissime simplex est, vel intelligenda est vel credenda, quæ longe alteque naturam nostræ mentis excedit. Mutabilis quippe est mens nostra, quæ percipit discendo quod nesciebat, et amittit dediscendo quod sciebat; et veri similitudine fallitur, ut pro vero approbet falsum, et obscuritate sua quasi quibusdam tenebris impeditur, ne perveniat ad verum. Et ideo non est ista substantia verissime simplex, cui non hoc est esse quod nosse: potest enim esse, nec nosse. At illa divina non potest, quia id quod habet est. Ac per hoc non sic habet scientiam, ut aliud illi sit scientia qua scit, aliud essentia qua est; sed utrumque unum. Nec utrumque dicendum est, quod simpliciter unum est. *Sicut habet Pater vitam in semetipso*, nec aliud est ipse quam vita quæ in ipso est; *et dedit Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* v, 26), hoc est, genuit Filium qui et ipse vita esset. Sic itaque debemus accipere quod de Spiritu sancto dictum est, *Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur*, ut intelligamus non eum esse a semetipso. Pater quippe solus de alio non est. Nam et Filius de Patre natus est, et Spiritus sanctus de Patre procedit: Pater autem nec natus est de alio, nec procedit. Nec ideo sane aliqua disparilitas in summa illa Trinitate cogitationi occurrat humanæ: nam et Filius ei de quo natus est, et Spiritus sanctus ei de quo procedit, æqualis est. Quid autem illic intersit inter procedere et nasci, et longum est quærendo disserere, et temerarium cum disserueris definire: quia hoc et menti utcumque comprehendere, et si quid forte mens inde comprehenderit, linguæ difficillimum est explicare, quantuslibet præsit doctor, quantuslibet adsit auditor. *Non* ergo *loquetur a semetipso*: quia non est a semetipso. *Sed quæcumque audiet, loquetur*: ab illo audiet a quo procedit. Audire illi scire est; scire vero esse, sicut superius disputatum est. Quia ergo non est a semetipso, sed ab illo a quo procedit; a quo illi est essentia, ab illo scientia: ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quam scientia.

5. Nec moveat quod verbum futuri temporis positum est. Non enim dictum est, quæcumque audivit, aut, quæcumque audit; sed, *quæcumque audiet, loquetur*. Illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia. In eo autem quod sempiternum est, sine initio et sine fine, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive præteriti, sive præsentis, sive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis et ineffabilis non recipiat Fuit et Erit, sed tantum Est: ipsa enim veraciter est, quia mutari non potest; et ideo illi tantum convenerat dicere, *Ego sum qui sum*; et, *Dices filiis Israel, Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14): tamen propter mutabilitatem temporum in quibus versatur nostra mortalitas et nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, et fuit, et erit, et est. Fuit, in præteritis sæculis, est in præsentibus, erit in futuris. Fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est. Neque enim, velut qui jam non sit, cum præteritis occidit; aut cum præsentibus, velut qui non maneat, labitur; aut cum futuris, velut qui non fuerat, orietur. Proinde cum secundum volumina temporum locutio humana variatur, qui per nulla deesse potuit aut potest aut poterit tempora, vera de illo dicuntur cujuslibet temporis verba. Semper itaque audit Spiritus sanctus, quia semper scit: ergo et scivit, et scit, et sciet; ac per hoc et audivit, et audit, et audiet: quia sicut jam diximus, hoc est illi audire quod scire, et scire illi hoc est quod esse. Ab illo igitur audivit, audit, et audiet a quo est: ab illo est a quo procedit.

6. Hic aliquis forsitan quærat utrum et a Filio procedat Spiritus sanctus. Filius enim solius Patris est Filius, et Pater solius Filii est Pater: Spiritus autem sanctus non est unius eorum Spiritus, sed amborum. Habes ipsum Dominum dicentem, *Non enim vos estis*

qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis (*Matth.* x, 20) : habes et Apostolum, *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra* (*Galat.* iv, 6). Numquid duo sunt, alius Patris, alius Filii? Absit. *Unum* enim *corpus*, ait, cum significaret Ecclesiam; moxque addidit, *et unus Spiritus.* Et vide quomodo illic impleat Trinitatem. *Sicut vocati estis*, inquit, *in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus;* hic utique Christum intelligi voluit : restat ut etiam Patrem nominet : sequitur ergo. *Una fides, unum Baptisma : unus Deus et Pater omnium, qui super omnes, et per omnes* [1], *et in omnibus nobis* (*Ephes.* iv, 4-6). Cum ergo sicut unus Pater, et unus Dominus, id est Filius, ita sit et unus Spiritus; profecto amborum est : quandoquidem dicit ipse Christus Jesus, *Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis;* et dicit Apostolus, *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Habes alio loco eumdem apostolum dicentem, *Si autem Spiritus ejus qui suscitavit Jesum ex mortuis, habitat in vobis;* hic utique Spiritum Patris intelligi voluit : de quo tamen alio loco dicit, *Quisquis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* viii, 11, 9). Et multa alia sunt testimonia quibus hoc evidenter ostenditur, et Patris et Filii esse Spiritum qui in Trinitate dicitur Spiritus sanctus.

7. Nec ob aliud existimo ipsum vocari proprie Spiritum : cum etiamsi de singulis interrogemur, non possimus nisi et Patrem et Filium spiritum dicere; quoniam spiritus est Deus (*Joan.* iv, 24), id est, non corpus est Deus, sed spiritus. Quod ergo communiter vocantur et singuli, hoc proprie vocari oportuit eum qui non est unus eorum, sed in quo communitas apparet amborum. Cur ergo non credamus quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus? Si enim non ab eo procederet, non post resurrectionem se repræsentans discipulis suis insufflasset dicens : *Accipite Spiritum sanctum* (*Id.* xx, 22). Quid enim aliud significavit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus sanctus et de ipso? Ad hoc pertinet etiam illud quod de muliere quæ fluxum sanguinis patiebatur, ait : *Tetigit me aliquis; ego enim sensi de me virtutem exiisse* (*Luc.* viii, 46). Nam virtutis nomine appellari etiam Spiritum sanctum, et eo loco clarum est, ubi angelus dicenti Mariæ, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* respondit, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Id.* i, 34, 35) : et ipse Dominus promittens eum discipulis, ait, *Vos autem sedete in civitate quousque induamini virtute ex alto* (*Id.* xxiv, 49); et iterum, *Accipietis*, inquit, *virtutem Spiritus sancti supervenientem in vos, et eritis mihi testes* (*Act.* i, 8). De hac virtute credendus est dicere evangelista, *Virtus de illo exibat, et sanabat omnes* (*Luc.* vi, 19).

8. Si ergo et de Patre et de Filio procedit Spiritus sanctus; cur Filius dixit, *De Patre procedit* (*Joan.* xv, 26)? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre et quod ipsius est, de quo et ipse est? Unde illud est quod ait, *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit* (*Joan.* vii, 16). Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic ait, *De Patre procedit*, ut non diceret, De me non procedit? A quo autem habet Filius ut sit Deus (est enim de Deo Deus), ab illo habet utique ut etiam de illo procedat Spiritus sanctus : ac per hoc Spiritus sanctus ut etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre.

9. Hic utcumque etiam illud intelligitur, quantum a talibus quales nos sumus, intelligi potest, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere Spiritus sanctus. Quoniam si et ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod absurdissimum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi patris et matris. Absit autem, ut inter Deum Patrem et Deum Filium tale aliquid suspicemur. Quia nec filius hominum simul et ex patre et ex matre procedit : sed cum in matrem procedit ex patre, non tunc procedit ex matre; et cum in hanc lucem procedit ex matre, non tunc procedit ex patre. Spiritus autem sanctus non de Patre procedit in Filium, et de Filio procedit ad sanctificandam creaturam; sed simul de utroque procedit : quamvis hoc Filio Pater dederit, ut quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat. Neque enim possumus dicere quod non sit vita Spiritus sanctus cum vita Pater, vita sit Filius. Ac per hoc sicut Pater cum habeat vitam in semetipso, dedit et Filio habere vitam in semetipso; sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut procedit et de ipso (*a*). Sequuntur autem verba Domini dicentis : *Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt : propterea dixi quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Sed quia iste jam prolixus est, in alium sunt differenda sermonem.

TRACTATUS C.

In ejusdem lectionis verba postrema. Cap. xvi, ℣. 13-15.

1. Cum promitteret Dominus venturum Spiritum sanctum, *Docebit vos*, inquit, *omnem veritatem;* vel, quod in nonnullis codicibus legitur, *Deducet vos in omni veritate. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur.* De quibus evangelicis verbis jam quod donavit Dominus disputavimus : nunc ea quæ sequuntur attendite. *Et quæ ventura sunt*, inquit, *annuntiabit vobis.* Neque hic est, quoniam planum est, immorandum : nihil enim habet quæstionis, cujus a nobis expositio flagitetur. Sed quod adjungit, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*, non negligenter est transeundum. Quod enim ait, *Ille me clarificabit*, potest intelligi, quia diffundendo in

[1] Editi, *per omnia.* At Mss., *per omnes :* nec nisi pauci addunt, *nobis*, in fine versiculi. Porro in græco est, *dià pantôn*, jincerti generis; et ad finem *humîn*, *vobis*, quia in voce consentiebat Vulgata in antiquis Corbeiensibus Bibliis.

(*a*) Hunc locum a n. 8 transtulit August. in 15 lib. de Trinitate, cap. 27.

cordibus credentium charitatem, spiritualesque faciendo, declaravit eis quomodo Filius Patri esset æqualis, quem secundum carnem prius tantummodo noverant, et hominem sicut homines cogitabant. Vel certe, quia per ipsam charitatem fiducia repleti [1], et timore depulso, annuntiaverunt hominibus Christum; ac sic fama ejus diffusa est toto orbe terrarum. Ut sic dixerit, *Ille me clarificabit*, tanquam diceret : Ille vobis auferet timorem, et dabit amorem, quo me ardentius prædicantes, gloriæ meæ per totum mundum dabitis odorem, commendabitis honorem. Quod enim facturi fuerant in Spiritu sancto, hoc eumdem Spiritum dixit esse facturum : quale est etiam illud, *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* x, 20). Verbum quippe græcum quod est δοξάσει, alius *clarificabit*, alius *glorificabit*, latini interpretes in sua quisque translatione posuerunt : quoniam ipsa quæ græce dicitur δόξα, unde dictum est verbum δοξάσει, et claritas interpretatur et gloria. Gloria namque fit quisque clarus, et claritate gloriosus ; ac per hoc quod utroque verbo significatur, idipsum est. Sicut autem definierunt antiqui latinæ linguæ clarissimi auctores, gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Quæ cum est in hoc mundo facta de Christo, non Christo credenda est magnum aliquid contulisse, sed mundo. Bonum enim laudare, non laudato, sed laudantibus prodest.

2. Est autem etiam falsa gloria, quando laudantes errore falluntur, sive in rebus, sive in hominibus, sive in utrisque. Nam in rebus falluntur, quando putant id bonum esse quod malum est : in hominibus autem, quando putant eum bonum esse qui malus est : in utrisque vero, quando et id quod est vitium, virtus putatur ; et ipse qui propter hoc laudatur, non habet quod putatur, sive sit bonus, sive sit malus. Donare quippe res suas histrionibus, vitium est immane, non virtus : et scitis de talibus quam sit frequens fama cum laude ; quia, sicut scriptum est, *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit, benedicitur* (*Psal.* IX, 3). Hic laudatores non falluntur in hominibus, sed in rebus : malum est enim quod bonum esse credunt. Illi autem qui hoc malo largitionis vitiosi sunt, tales utique sunt, quales eos hi qui laudant non suspicantur esse, sed cernunt. Porro si se quisquam justum fingat, et non sit, sed totum quidquid coram hominibus laudabiliter agere videtur, non agat propter Deum, hoc est propter veram justitiam, sed solam quærat et diligat ab hominibus gloriam ; illi autem apud quos frequens est ejus fama cum laude, non eum putent nisi propter Deum laudabiliter vivere, non falluntur in re, sed falluntur in homine. Quod enim bonum esse credunt, est bonum ; sed quem bonum esse credunt, non est bonus. Quod si putetur, verbi gratia, bonum artium peritia magicarum, et dum quisque patriam liberasse eisdem quas omnino nescit artibus creditur, frequentem cum laude famam, quæ gloria definita est, apud homines impios consequatur ; errant in utroque qui laudant : et in re scilicet, quia id quod malum est, bonum putant ; et in homine, quia non est quod putant. Quapropter falsa est in his tribus generibus gloria. Cum autem de aliquo per Deum et propter Deum justo, hoc est veraciter justo, causa ipsius justitiæ frequens est fama cum laude ; vera quidem gloria est ; non tamen ea credendum est beatificari justum, sed laudantibus gratulandum est, quia recte judicant, et diligunt justum. Quanto magis ergo Dominus Christus, non sibi, sed eis profuit gloria sua, quibus profuit morte sua ?

3. Sed non est vera ejus apud hæreticos gloria, apud quos tamen frequentem famam videtur habere cum laude. Non est hæc vera gloria, quia in utroque falluntur : nam et bonum putant esse quod bonum non est, et Christum putant esse quod Christus non est. Unigenitum enim Filium æqualem non esse gignenti, non est bonum : unigenitum Dei Filium hominem tantum esse, non Deum, non est bonum : Veritatis carnem non esse veram carnem, non est bonum. Horum trium quæ dixi, primum sentiunt Ariani, secundum Photiniani, tertium Manichæi. Sed quia et eorum nihil est bonum, et Christus nihil est eorum, in utroque falluntur : nec dant veram gloriam Christo, quamvis apud eos esse videatur cum laude frequens fama de Christo. Et omnes prorsus hæretici, quos commemorare nimis longum est, qui de Christo non recte sentiunt, ideo errant, quia et de bonis rebus ac malis non verum sentiunt. Pagani etiam quoniam sunt Christi plurimi laudatores, et ipsi in utroque falluntur, qui non secundum veritatem Dei, sed potius secundum suam suspicionem dicunt eum fuisse hominem magum. Christianos quippe velut imperitos vituperant, Christum autem velut magum laudant, ac sic produnt quod amant : Christum vero non amant ; quoniam quod non erat Christus, hoc amant. Ideo ergo in utroque falluntur, quia et magum esse malum est ; et magus non fuit Christus, quia bonus est. Quapropter quoniam de his nihil hoc loco dicendum est, qui Christum vituperant atque blasphemant ; quia de gloria ejus loquimur, qua est glorificatus in mundo : non eum glorificavit Spiritus sanctus vera gloria, nisi in Ecclesia sancta catholica. Alibi enim, id est, vel apud hæreticos, vel apud quosdam paganos, vera ejus in terris gloria non potest esse, et ubi videtur esse frequens de illo fama cum laude. Vera ergo ejus gloria in Ecclesia catholica sic a propheta cantatur : *Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua* (*Psal.* CVII, 6). Quia itaque post ejus exaltationem venturus erat Spiritus sanctus, et eum glorificaturus, hoc sacer Psalmus, hoc ipse Unigenitus promisit futurum, quod videmus impletum.

4. Quod autem ait, *De meo accipiet, et annuntiabit vobis*, catholicis audite auribus, catholicis percipite mentibus. Non enim propterea, sicut quidam hæretici putaverunt, minor est Filio Spiritus sanctus : quasi Filius accipiat a Patre, et Spiritus sanctus a Filio quibusdam gradibus naturarum. Absit hoc credere, absit hoc dicere, absit a christianis cordibus cogitare.

[1] Quatuor Mss., *quia per ipsum charitate ac fiducia repleti*.

Denique continuo solvit ipse quæstionem, et cur hoc dixerit, explanavit. *Omnia*, inquit, *quæcumque habet Pater, mea sunt : propterea dixi quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Quid vultis amplius? Ergo de Patre accipit Spiritus sanctus, unde accipit Filius; quia in hac Trinitate de Patre natus est Filius, de Patre procedit Spiritus sanctus. Qui autem de nullo natus sit, de nullo procedat, Pater solus est. Quomodo autem dixerit unigenitus Filius, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt* (quia utique non sic quemadmodum dictum est illi Filio non unigenito, sed ex duobus majori, *Tu mecum es semper, et omnia mea tua sunt* [*Luc.* XV, 31]); eo loco, si Dominus voluerit, diligenti consideratione tractabitur, ubi dicit Unigenitus Patri, *Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt* (*Joan.* XVII, 10): ut hic iste sermo claudatur; quoniam quæ sequuntur, aliud poscunt, quo disserantur, exordium.

TRACTATUS CI.

De eo quod Dominus dicit, Modicum et jam non videbitis me; *usque ad id*, Et in illo die me non rogabitis quidquam. *Cap.* XVI, ỳ. 16-23.

1. Hæc Domini verba ubi ait, *Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem*, ita obscura erant discipulis, antequam id quod dicit impletum esset, ut quærentes inter se quid esset quod diceret, omnino se faterentur nescire. Sequitur enim Evangelium : *Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem, Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me, et quia vado ad Patrem? Dicebant ergo, Quid est hoc quod dicit, Modicum? Nescimus quid loquitur.* Hoc enim est quod eos movebat, quia dixit, *Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me.* Nam in præcedentibus quia non dixerat, *Modicum*, sed dixerat, *Ad Patrem vado, et jam non videbitis me* (*Joan.* XVI, 10); tanquam aperte illis visus est locutus, nec inter se de hoc aliquid quæsierunt. Nunc ergo quod illis tunc obscurum fuit, et mox manifestatum est, jam nobis utique manifestum est : post paululum enim passus est, et non viderunt eum; rursus, post paululum resurrexit, et viderunt eum. Illud autem quod ait, *Jam non videbitis me*, quia isto verbo, id est, *jam*, hoc intelligi voluit quod eum ulterius non viderent, ibi exposuimus quomodo accipiendum sit, ubi dixit, *De justitia arguet mundum* Spiritus sanctus, *quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me* (*Supra, Tract.* 95): quia scilicet mortalem Christum ulterius non viderent.

2. *Cognovit autem Jesus*, sicut sequens Evangelista dicit, *quia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me. Amen, amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos; mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini, sed tristitia vestra in gaudium erit*[1]. Et hoc sic accipi potest, quia contristati sunt discipuli de morte Domini, et confestim de resurrectione lætati : mundus autem, quo nomine significati sunt inimici a quibus Christus occisus est, tunc utique lætati sunt occiso Christo, quando sunt discipuli contristati. Mundi quippe nomine, malitia potest mundi hujus intelligi, id est hominum mundi hujus amicorum. Unde Jacobus apostolus in Epistola sua dicit, *Quicumque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur* (*Jacobi* IV, 4): quibus inimicitiis Dei factum est ut nec ejus Unigenito parceretur.

3. Deinde subjungit, et dicit : *Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus; cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum : et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis; iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Nec ista similitudo ad intelligendum videtur esse difficilis; quoniam comparatio ejus in promptu est, eodem ipso exponente cur dicta sit. Parturitio quippe tristitiæ, partus autem gaudio comparatur; quod tunc majus esse consuevit, quando non puella, sed puer nascitur. Quod vero ait, *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis*, quia gaudium eorum est ipse Jesus, significatum est quod ait Apostolus, *Christus surgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur* (*Rom.* VI, 9).

4. Hucusque in isto Evangelii capitulo, unde hodie disputamus, velut facili intellectu omnia cucurrerunt : acrior necessaria est in his quæ sequuntur intentio. Quid est enim quod ait, *Et in illo die me non rogabitis quidquam?* Hoc verbum quod est rogare, non solum petere, verum etiam interrogare significat; et græcum Evangelium, unde hoc translatum est, tale habet verbum quod utrumque possit intelligi, ut hæc ambiguitas nec inde solvatur (*a*): quanquam etsi solveretur, non ideo nulla quæstio remaneret. Dominum etenim Christum, postquam resurrexit, et interrogatum legimus et rogatum. Nam interrogatus est a discipulis ascensurus in cœlum, quando præsentaretur, et quando regnum esset Israel (*Act.* I, 6): cum vero jam esset in cœlo, rogatus est a sancto Stephano, ut spiritum ejus acciperet (*Id.* VII, 58). Et quis audeat vel cogitare vel dicere, in cœlo sedentem Christum rogandum non esse, et in terra manentem rogatum fuisse? rogandum non esse immortalem, rogari debuisse mortalem? Imo, charissimi, rogemus eum, ut nodum quæstionis hujus ipse dissolvat, lucendo in cordibus nostris ad videnda quæ dicit.

5. Puto enim quod ait, *Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*, non ad illud tempus esse referendum quo resurrexit, eisque suam carnem cernendam tangendamque monstravit (*Joan.* XX, 27): sed potius ad illud unde jam dixerat, *Qui diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo meipsum illi* (*Id.* XIV, 21). Jam quippe resurrexerat, jam se illis in carne monstraverat, jam sedebat ad dexteram Patris, quando dicebat idem ipse apostolus Joannes, cujus est hoc Evangelium, in Epistola sua : *Dilectissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum manifestatum est quid*

[1] Sic Mss. At editi, *vertetur in gaudium.*

(*a*) Græc., *erôtesete.*

erimus : scimus quia cum manifestatum fuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2). Ista visio non vitæ hujus est, sed futuræ; non temporalis, sed æterna [1]. *Hæc est autem vita æterna*, dicente ipsa vita, *ut cognoscant te*, inquit, *unum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). De hac visione et cognitione dicit Apostolus : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem : nunc scio ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum* (I *Cor.* XIII, 12 *et* 13). Hunc totius laboris sui fructum Ecclesia nunc parturit desiderando, tunc est paritura cernendo; nunc parturit gemendo, tunc paritura lætando; nunc parturit orando, tunc paritura laudando. Et ideo masculum; quoniam ad istum fructum contemplationis cuncta officia referuntur actionis. Solus est enim liber; quia propter se appetitur, et non refertur ad aliud. Huic servit actio : ad hunc enim refertur quidquid bene agitur, quia propter hunc agitur; ipse autem non propter aliud, sed propter semetipsum tenetur et habetur. Ibi ergo finis qui sufficit nobis. Æternus igitur erit : neque enim nobis sufficit finis, nisi cujus nullus est finis. Hoc inspiratum erat Philippo quando dixit : *Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* In qua ostensione se promisit et Filius dicens : *Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV, 8, 10)? De hoc itaque quod sufficit nobis, rectissime audimus, *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.*

6. De hoc etiam quæ superius dicta sunt, melius existimo intelligi, *Modicum et jam non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me.* Modicum est enim hoc totum spatium quo præsens pervolat sæculum : unde dicit idem ipse evangelista in Epistola sua, *Novissima hora est* (I *Joan.* II, 18). Ideo namque addidit, *quia vado ad Patrem :* quod ad priorem sententiam referendum est, ubi ait, *Modicum et jam non videbitis me;* non ad posteriorem ubi ait, *et iterum modicum et videbitis me.* Eundo quippe ad Patrem, facturus erat ut eum non viderent. Ac per hoc non ideo dictum est, quia fuerat moriturus, et donec resurgeret, ab eorum aspectibus recessurus; sed quod esset iturus ad Patrem, quod fecit posteaquam resurrexit, et cum eis per quadraginta dies conversatus ascendit in cœlum (*Act.* I, 3, 9). Illis ergo ait, *Modicum et jam non videbitis me*, qui eum corporaliter tunc videbant, quia iturus erat ad Patrem, et eum deinceps mortalem visuri non erant, qualem cum ista loqueretur videbant. Quod vero addidit, *et iterum modicum et videbitis me*, universæ promisit Ecclesiæ : sicut universæ promisit, *Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Non tardat Dominus promissum : modicum, et videbimus eum, ubi jam nihil rogemus, nihil interrogemus; quia nihil desiderandum remanebit, nihil quærendum latebit. Hoc modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur : cum finitum fuerit, tunc sentiemus quam modicum fuerit. Non ergo sit gaudium nostrum quale habet mundus, de quo dictum est, *Mundus autem gaudebit :* nec tamen in hujus desiderii parturitione sine gaudio tristes simus, sed sicut ait Apostolus, *Spe gaudentes, in tribulatione patientes* (*Rom.* XII, 12); quia et ipsa parturiens, cui comparati sumus, plus gaudet de mox futura prole, quam tristis est de præsenti dolore. Sed hujus sermonis iste sit finis : habent enim quæstionem molestissimam quæ sequuntur, nec brevitate coarctanda sunt, ut possint commodius, si Dominus voluerit, explicari.

[1] Tres Mss., *non temporalis, sed æternæ.*

TRACTATUS CII.

De eo quod Dominus ait, Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; *usque ad id*, Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. *Cap.* XVI, ℣. 23-28.

1. Domini verba nunc ista tractanda sunt, *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Jam dictum est in superioribus hujus dominici sermonis partibus, propter eos qui nonnulla petunt a Patre in Christi nomine, nec accipiunt, non peti in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis (*Supra, Tract.* 73). Non enim sonum litterarum ac syllabarum, sed quod sonus ipse significat, et quod eo sono recte ac veraciter intelligitur, hoc accipiendus est dicere cum dicit, *in nomine meo.* Unde qui hoc sentit de Christo quod non est de unico Dei Filio sentiendum, non petit in ejus nomine, etiamsi non taceat litteris ac syllabis Christum; quoniam in ejus nomine petit, quem cogitat cum petit. Qui vero quod est de illo sentiendum sentit, ipse in ejus nomine petit; et accipit quod petit, si non contra suam salutem sempiternam petit. Accipit autem quando debet accipere. Quædam enim non negantur, sed ut congruo dentur tempore differuntur. Ita sane intelligendum est quod ait, *dabit vobis*, ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis : quia non utcumque dictum est, *dabit;* sed *dabit vobis.*

2. *Usque modo*, inquit, *non petistis quidquam in nomine meo. Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Hoc quod dicit gaudium plenum, profecto non carnale, sed spirituale gaudium est : et quando tantum erit, ut aliquid ei jam non sit addendum, procul dubio tunc erit plenum. Quidquid ergo petitur quod pertineat ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum, si divinam intelligimus gratiam, si vere beatam poscimus vitam. Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur : non quia nulla omnino res est, sed quia in tantæ rei comparatione quidquid aliud concupiscitur, nihil est. Neque enim prorsus nulla res est homo, de quo ait Apostolus : *Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit* (*Galat.* VI, 3). In comparatione quippe spiritualis hominis, qui scit gratia Dei se esse quod est, quisquis vana præsumit, nihil est. Etiam sic ergo recte intelligi potest, *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis;* ut hoc quod ait, *si quid*, non quodlibet intelligatur, sed aliquid quod non in beatæ vitæ com-

paratione sit nihil. Et quod sequitur, *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo*, duobus modis intelligi potest : vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est cognovistis; vel non petistis quidquam, quoniam in comparatione rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis. Ut igitur in ejus nomine non nihil, sed gaudium plenum petant (quoniam si aliquid aliud petunt, idem aliquid nihil est), exhortatur dicens, *Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum :* id est, hoc in nomine meo petite, ut gaudium vestrum sit plenum, et accipietis. Isto enim bono in petendo perseverantes sanctos suos nequaquam misericordia divina fraudabit.

3. *Hæc*, inquit, *in proverbiis locutus sum vobis : venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis.* Possem dicere hanc de qua loquitur horam, futurum oportere sæculum intelligi, ubi videbimus palam, quod beatus Paulus dicit, *facie ad faciem;* ut quod ait, *Hæc in proverbiis locutus sum vobis*, hoc sit quod ab eodem apostolo dictum est, *Videmus nunc per speculum in ænigmate* (I *Cor.* XIII, 12) : *annuntiabo* autem *vobis*, quia per Filium Pater videbitur, juxta illud quod alibi ait, *Neque Patrem quis cognoscit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27). Sed istum sensum videtur impedire quod sequitur : *Illo die in nomine meo petetis.* In futuro enim sæculo cum pervenerimus ad regnum, ubi similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2), quid petituri sumus, quando satiabitur in bonis desiderium nostrum (*Psal.* CII, 5)? Unde et in alio psalmo dicitur : *Satiabor cum manifestabitur gloria tua* (*Psal.* XVI, 15). Petitio namque alicujus est indigentiæ, quæ ibi nulla erit ubi hæc satietas erit.

4. Relinquitur itaque, quantum sapere valeo, ut intelligatur Jesus discipulos suos de carnalibus vel animalibus se spirituales promisisse facturum, quamvis nondum tales quales erimus, quando spirituale etiam corpus habebimus ; sed qualis erat qui dicebat, « Sapientiam loquimur inter perfectos » (I *Cor.* II, 6); et, « Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus » (*Id.* III, 1); et, « Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis; quæ et loquimur, non in sapientiæ humanæ doctis verbis, sed doctis Spiritus [1], spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei. » Non itaque percipiens quæ sunt Spiritus Dei homo animalis, sic audit quæcumque audit de Dei natura, ut aliud quam corpus cogitare non possit, quamlibet amplissimum vel immensum, quamlibet lucidum ac speciosum, corpus tamen : ideo proverbia illi sunt quæcumque dicta sapientiæ de incorporea immutabilique substantia ; non quod ea tanquam proverbia deputat, sed quia sic cogitat, quomodo qui proverbia solent audire neque intelligere. Cum vero spiritualis cœperit omnia dijudicare, ipse autem a nemine dijudicari (I *Cor.* II, 12-15), etiamsi in hac vita adhuc velut per speculum ex parte, perspicit tamen non ullo corporis sensu, non ulla imaginaria cogitatione quæ [1] capit aut fingit qualiumcumque similitudines corporum, sed mentis certissima intelligentia, Deum non corpus esse, sed spiritum : ita palam de Patre annuntiante Filio, ut ejusdem substantiæ conspiciatur et ipse qui annuntiat. Tunc in ejus nomine petunt qui petunt; quia in sono ejus nominis non aliud quam res ipsa est quæ hoc nomine vocatur, intelligunt, nec animi vanitate vel infirmitate confingunt tanquam in alio loco Patrem, in alio Filium ante Patrem stantem, et pro nobis rogantem, spatia sua quæque amborum occupantibus molibus, et Verbum ad eum cujus est Verbum facere verba pro nobis, intervallo interposito inter os loquentis et auriculas audientis; et alia talia quæ sibi animales, iidemque carnales in cordibus fabricantur. Quidquid enim tale spiritualibus de Deo cogitantibus ex corporum consuetudine occurrit, negando atque respuendo, tanquam importunas muscas, ab interioribus oculis abigunt; et sinceritati ejus lucis acquiescunt, qua teste ac judice has ipsas imagines corporum suis internis aspectibus irruentes, falsas omnino esse convincunt. Hi possunt utcumque cogitare Dominum nostrum Jesum Christum in quantum homo est, pro nobis interpellare Patrem; in quantum autem Deus est, nos exaudire cum Patre. Quod eum significasse arbitror ubi ait, *Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis.* Ad hoc quippe intuendum quomodo non rogat Patrem Filius, sed simul exaudiunt rogantes Pater et Filius, nonnisi spiritualis oculus mentis ascendit.

5. *Ipse enim Pater*, inquit, *amat vos, quia vos me amastis.* Ideo amat ille, quia nos amamus ; an potius, quia ille amat, ideo nos amamus? Ex Epistola sua evangelista idem ipse respondeat : *Nos diligimus*, inquit, *quia prior ipse dilexit nos* (I *Joan.* IV, 10). Hinc ergo factum est ut diligeremus, quia dilecti sumus. Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus dilexit. Displicentes amati sumus, ut esset in nobis unde placeremus. Non enim amaremus Filium, nisi amaremus et Patrem. Amat nos Pater, quia nos amamus Filium ; cum a Patre et Filio acceperimus ut et Patrem amemus et Filium : diffundit enim charitatem in cordibus nostris amborum Spiritus (*Rom.* V, 5), per quem Spiritum et Patrem amamus et Filium, et quem Spiritum cum Patre amamus et Filio. Amorem itaque nostrum pium quo colimus Deum, fecit Deus, et vidit quia bonum est, ideo quippe amavit ipse quod fecit. Sed in nobis non faceret quod amaret, nisi antequam id faceret, nos amaret.

6. *Et credidistis*, inquit, *quia a Deo exivi. Exivi a Patre et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Plane credidimus. Neque enim propterea debet incredibile videri, quia sic ad mundum

[1] Er., *docti Spiritu a spiritualibus.* Lugd. et Ven., *docti Spiritu spiritualibus.* M.

[1] Lov. non habent particulam, *quæ;* cum hæc tamen vox ad sensum requiratur, et reperiatur in Mss.

veniens exiit a Patre, ut non desereret Patrem; et sic vadit ad Patrem relicto mundo, ut non deserat mundum. Exiit enim a Patre, quia de Patre est : in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit quod de Virgine assumpsit. Reliquit mundum corporali discessione, perrexit ad Patrem hominis ascensione, nec mundum deseruit præsentiæ gubernatione.

TRACTATUS CIII.

De eo quod sequitur, Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loqueris; *usque ad id*, Sed confidite, ego vici mundum. *Cap*. XVI, ℣. 29-33.

1. Quales erant discipuli Christi, quando cum eis ante passionem loquebatur magna cum parvis, sed sicut oportebat ut magna dicerentur et parvis, quia nondum accepto Spiritu sancto, quemadmodum eum post ejus resurrectionem vel ipso insufflante, vel desuper acceperunt, humana magis quam divina sapiebant, multis judiciis per totum Evangelium declaratur : unde et hoc est quod in ista lectione dixerunt. Ait enim Evangelista : « Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis : nunc scimus quia nosti omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget; in hoc credimus quia a Deo existi. » Ipse Dominus paulo ante dixerat, « Hæc in proverbiis locutus sum vobis : venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis. » Quomodo ergo isti dicunt, *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis?* Numquid hora jam venerat, qua non jam in proverbiis se promiserat locuturum? Prorsus quod nondum illa hora venisset, continuatio verborum ejus ostendit, quæ ita sese habet : « Hæc, inquit, in proverbiis locutus sum vobis : venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis. Illo die in nomine meo petetis : et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia ego a Deo exivi. Exivi a Patre, et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem » (*Joan*. XVI, 25-28). Cum per hæc omnia verba adhuc illam promittat horam qua non jam in proverbiis loquetur, sed palam de Patre annuntiabit eis; in qua hora dicit eos in suo nomine petituros, nec se Patrem de illis rogaturum, eo quod ipse Pater amet eos, quia et ipsi amaverunt Christum, et crediderunt quod a Patre exierit et venerit in mundum, iterum relicturus mundum et iturus ad Patrem : cum ergo adhuc promittatur hora illa in qua sine proverbiis locuturus est, cur isti dicunt, *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis;* nisi quia illa quæ scit ipse non intelligentibus esse proverbia, illi usque adeo non intelligunt, ut nec saltem non se intelligere intelligant? Parvuli enim erant, et nondum spiritualiter dijudicabant, quæ de rebus non ad corpus, sed ad spiritum pertinentibus audiebant.

2. Denique de ipsa eorum ætate adhuc secundum interiorem hominem parva et infirma eos admonens, « Respondit eis Jesus : Modo creditis? Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis. Et non sum solus, quia Pater mecum est. » Paulo ante dixerat, « Relinquo mundum, et vado ad Patrem; » nunc dicit, « Pater mecum est. » Quis vadit ad eum qui cum illo est? Sed hoc intelligenti est verbum, non intelligenti proverbium : sic tamen quod modo a parvulis non intelligitur, utcumque sugitur; et eis etiam si non præbet, quia nondum eum capiunt, solidum cibum, saltem lacteum non denegat alimentum. Ex hoc alimento est, quod sciebant eum nosse omnia, nec opus ei esse ut eum quis interroget : quod quidem cur dixerint, quæri potest. Videtur enim potius fuisse dicendum, Non opus est tibi ut quemquam interroges; non, *ut quis te interroget*. Dixerunt quippe, *Scimus quia nosti omnia :* et utique qui novit omnia, magis a nescientibus interrogari solet, ut interrogantes audiant quod volunt, ab eo qui novit omnia; non ipse interrogare, tanquam volens aliquid scire, qui novit omnia. Quid sibi ergo vult, quod ei quem sciebant nosse omnia, cum dicere debuisse videantur, Non opus est tibi ut quemquam interroges, dicendum potius putaverunt, *Non opus est tibi ut quis te interroget?* Quid quod utrumque legimus factum, et interrogasse scilicet Dominum, et interrogatum fuisse? Sed hoc cito solvitur : quia hoc non ei, sed illis potius opus erat quos interrogabat, vel a quibus interrogabatur. Neque enim aliquos ille interrogabat, ut ab eis aliquid disceret, sed eos potius ut doceret. Et qui interrogabant eum, volentes ab eo aliquid discere, illis profecto id opus erat, ut scirent aliqua ab illo qui noverat omnia. Nimirum ergo propterea non opus erat ut eum quis interrogaret. Quoniam nos quando interrogamur ab eis qui volunt aliquid a nobis scire, ex ipsis interrogationibus eorum cognoscimus quid velint discere; opus est ergo nobis ab eis interrogari, quos docere aliquid volumus, ut inquisitiones eorum quibus respondendum est noverimus : illi autem ne id quidem opus erat, qui omnia noverat; nec opus habebat quod ab eo quisque scire vellet, per ejus interrogationem cognoscere, quia prius quam interrogaretur, interrogaturi noverat voluntatem. Sed ideo se patiebatur interrogari, ut vel eis qui tunc aderant, vel qui hæc sive dicta fuerant audituri, sive scripta lecturi, quales essent, a quibus interrogabatur, ostenderet; eoque modo nossemus vel quibus non circumveniretur fraudibus, vel quibus apud eum proficeretur accessibus. Prævidere autem cogitationes hominum, et ideo non opus habere ut eum quis interrogaret, magnum Deo non erat, sed magnum parvulis erat qui ei dicebant, *In hoc credimus quia a Deo existi.* Multo autem majus erat, ad quod intelligendum eos volebat extendi et crescere, quod cum illi dixissent, verumque dixissent, *a Deo existi*, ait ille, *Pater mecum est;* ne sic a Patre Filium cogitarent exisse, ut putarent etiam recessisse.

3. Deinde sermonem istum magnum prolixumque concludens : *Hæc*, inquit, *locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis*; *sed confidite, ego vici mundum.* Illud initium fuerat habi-

tura ista pressura, de quo superius ut eos ostenderet parvulos, quibus adhuc non intelligentibus et aliud pro alio sentientibus, proverbia quodammodo essent quæcumque magna et divina dixisset, ait, *Modo creditis? Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria.* Ecce initium pressuræ, sed non eo modo perseveraturæ. Quod enim adjunxit, *et me solum relinquatis*, non vult eos tales esse in consequenti pressura, quam post ejus ascensionem in mundo fuerant habituri, ut relinquant eum; sed ut in illo pacem habeant permanentes in eo. Non enim quando comprehensus est, tantummodo carne sua ejus carnem, verum etiam mente reliquerunt fidem. Ad hoc pertinet quod ait, *Modo creditis? Ecce venit hora, ut dispergamini in propria, et me relinquatis*: tanquam diceret, Tunc ita perturbabimini, ut etiam quod modo creditis, relinquatis. Venerunt enim ad tantam desperationem, et suæ pristinæ fidei, ut ita dixerim, mortem, quanta apparuit in illo Cleopha, qui post ejus resurrectionem cum illo se loqui nesciens, et quid ei contigerit narrans, *Nos*, inquit, *sperabamus quod ipse fuerat redempturus Israel* (*Luc.* XXIV, 21). Ecce quomodo eum reliquerant, deserendo etiam ipsam fidem qua in eum ante crediderant. In ea vero pressura quam post ejus glorificationem accepto Spiritu sancto pertulerunt, non eum reliquerunt: et quamvis fugerent de civitate in civitatem, ab ipso non refugerunt; sed ut habentes pressuram in mundo, in illo pacem tenerent, non ab ipso refugæ fuerunt, sed ipsum potius refugium habuerunt. Dato quippe illis Spiritu sancto, factum est in eis quod nunc dictum est eis, *Confidite, ego vici mundum.* Confiderunt, et vicerunt. In quo, nisi in illo? Non enim vicisset ille mundum, si ejus membra vinceret mundus. Unde ait Apostolus, *Gratias Deo, qui dat nobis victoriam*; continuoque subjecit, *per Dominum nostrum Jesum Christum* (I *Cor.* XV, 57): qui dixerat suis, *Confidite, ego vici mundum.*

TRACTATUS CIV.

In id quod sequitur, Hæc locutus est Jesus, et sublevatis oculis in cœlum dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius clarificet te. *Cap.* XVII, ℣. 1.

1. Ante ista quæ nunc sumus adjuvante Domino tractaturi, dixerat Jesus, *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis*: quæ non recentiora paulo superius ab eo dicta, sed omnia debemus accipere, sive quæcumque illis locutus est ex quo eos cœpit habere discipulos, sive certe ex quo post cœnam exorsus est hunc admirabilem prolixumque sermonem. Talem quippe commemoravit causam cur eis sit locutus, ut ad eum finem rectissime referantur vel omnia quæ locutus est eis, vel ea maxime quæ dixit jam pro eis moriturus, tanquam verba novissima, posteaquam de convivio sancto ille qui eum fuerat traditurus, egressus est. Hanc enim commendavit causam sermonis sui, ut in illo pacem haberent, propter quod totum agitur quod christiani sumus. Hæc enim pax finem temporis non habebit, sed omnis piæ nostræ intentionis actionisque finis ipsa erit. Propter hanc Sacramentis ejus imbuimur, propter hanc mirabilibus ejus operibus et sermonibus erudimur, propter hanc Spiritus ejus pignus accepimus, propter hanc in eum credimus et speramus, et ejus amore quantum donat accendimur: hac pace in pressuris omnibus consolamur, hac a pressuris omnibus liberamur: propter hanc omnem tribulationem fortiter sustinemus, ut in hac feliciter sine ulla tribulatione regnemus. Merito ad eam clausit verba, quæ parum intelligentibus discipulis erant proverbia; intellecturis ea quando eis dedisset promissum Spiritum sanctum, de quo superius ait: « Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis » (*Joan.* XIV, 25, 26). Hæc nimirum futura fuerat illa hora, qua se promiserat non jam in proverbiis locuturum, sed palam de Patre annuntiaturum. Eadem quippe ipsius verba, revelante Spiritu sancto, intelligentibus jam non erant futura proverbia. Neque enim loquente in eorum cordibus Spiritu sancto, taciturus erat unigenitus Filius, qui dixit in ea hora palam se illis annuntiaturum esse de Patre, quod eis utique jam intelligentibus non esset proverbium. Sed hoc quoque ipsum, quomodo simul loquantur in suorum spiritualium cordibus et Dei Filius et Spiritus sanctus, imo ipsa Trinitas quæ inseparabiliter operatur, intelligentibus est verbum, non intelligentibus autem proverbium.

2. Cum ergo dixisset propter quid omnia sit locutus, ut in illo scilicet pacem haberent, in mundo habentes pressuram, exhortatusque fuisset ut confiderent, quia ipse vicit mundum; eo qui erat ad illos sermone finito, deinde ad Patrem verba direxit, et orare jam cœpit. Sic enim Evangelista sequitur, dicens: *Hæc locutus est Jesus, et sublevatis oculis in cœlum dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum.* Poterat Dominus Unigenitus et coæternus Patri in forma servi et ex forma servi, si hoc opus esset, orare silentio; sed ita se Patri exhibere voluit precatorem, ut meminisset nostrum se esse doctorem. Proinde eam quam fecit orationem pro nobis, notam fecit et nobis; quoniam tanti magistri non solum ad ipsos sermocinatio, sed etiam pro ipsis ad Patrem oratio, discipulorum est ædificatio. Et si illorum qui hæc dicta aderant audituri, profecto et nostra qui fueramus conscripta lecturi. Quapropter hoc quod ait, *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum*, ostendit omne tempus, et quid quando faceret vel fieri sineret, ab illo esse dispositum qui tempori subditus non est; quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora. Non ergo credatur hæc hora fato urgente venisse, sed Deo potius ordinante. Nec siderea necessitas Christi connexuit passionem: absit enim ut sidera mori cogerent siderum conditorem. Non itaque Christum tempus ut moreretur impegit, sed tempus Christus quo moreretur

elegit : qui etiam tempus quo de Virgine natus est, cum Patre constituit, de quo sine tempore natus est. Secundum quam veram sanamque doctrinam, etiam Paulus apostolus, « Cum autem venit, » inquit, « plenitudo temporis, misit Deus Filium suum » (*Galat.* IV, 4); et Deus per Prophetam, « Tempore, » ait, « acceptabili exaudivi te, et in die salutis adjuvi te » (*Isai.* XLIX, 8); et rursus Apostolus, « Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis » (II *Cor.* VI, 2). Dicat ergo, *Pater, venit hora*, qui cum Patre disposuit omnes horas : tanquam dicens, *Pater*, quam propter homines et apud homines ad me clarificandum simul constituimus, *venit hora, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te.*

3. Clarificatum a Patre Filium nonnulli accipiunt, in hoc quod ei non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum (*Rom.* VIII, 32). Sed si passione clarificatus dicitur, quanto magis resurrectione? Nam in passione magis ejus humilitas quam claritas commendatur, Apostolo teste, qui dicit, « Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis » : deinde sequitur, et de ejus clarificatione jam dicit, « Propter quod et Deus illum exaltavit, et donavit ei nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. » Hæc est clarificatio Domini nostri Jesu Christi, quæ ab ejus resurrectione sumpsit exordium. Humilitas ergo ejus incipit in sermone Apostoli, ab eo loco ubi ait, *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens;* et pervenit usque, *ad mortem crucis.* Claritas vero ejus incipit ab eo loco ubi ait, *Propter quod et Deus exaltavit eum;* et pervenit usque, *in gloria est Dei Patris* (*Philipp.* II, 7-11). Nam et ipsum nomen, si inspiciantur codices græci, ex qua lingua Epistolæ apostolicæ translatæ sunt in latinam, quod hic legitur gloria, ibi legitur δόξα : unde verbum derivatum est in græco ut diceretur δόξασον, quod interpres latinus ait *clarifica*, cum posset etiam *glorifica* dicere, quod tantumdem valet. Et ideo posset etiam in Apostoli Epistola, ubi est gloria, claritas poni : quod si fieret tantumdem valeret. Ut autem non recedatur a verborum sonis, quemadmodum a claritate clarificatio, sic a gloria glorificatio derivatur. Ut ergo mediator Dei et hominum homo Christus Jesus resurrectione clarificaretur vel glorificaretur, prius humiliatus est passione : non enim a mortuis resurrexisset, si mortuus non fuisset. Humilitas, claritatis est meritum; claritas, humilitatis est præmium. Sed hoc factum est in forma servi; in forma vero Dei semper fuit, semper erit claritas : imo non fuit quasi jam non sit, nec erit quasi nondum sit; sed sine initio, sine fine semper est claritas. Quod ergo ait, *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum;* sic intelligendum est, tanquam dixerit, Venit hora seminandæ humilitatis, fructum non differas claritatis. Sed quid sibi vult quod sequitur, *Ut Filius tuus clarificet te?* Numquid etiam Deus Pater pertulit humilitatem carnis sive passionis, ex qua illum clarificari oporteret? Quomodo igitur eum clarificaturus erat Filius, cujus claritas sempiterna nec ex forma humana potuit videri minor, nec in divina posset esse amplior? Sed istam quæstionem in hunc sermonem nolo arctare, aut hinc eum facere longiorem.

TRACTATUS CV.

Ab eo quod Dominus ait, Ut Filius tuus clarificet te; *usque ad id,* Claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te. *Cap.* XVII, ỳ. 1-5.

1. Glorificatum a Patre Filium secundum formam servi, quam Pater suscitavit a mortuis, et ad suam dexteram collocavit, res ipsa indicat, et nullus ambigit christianus. Sed quoniam non tantum dixit, *Pater, clarifica Filium tuum*, sed addidit etiam, *ut Filius tuus clarificet te;* merito quæritur quomodo Patrem clarificaverit Filius, cum sempiterna claritas Patris nec diminuta fuerit in forma humana, nec augeri potuerit in sua perfectione divina. Sed in seipsa claritas Patris nec minui nec augeri potest; apud homines autem procul dubio minor erat, quando in Judæa tantummodo Deus notus erat (*Psal.* LXXV, 2) : nondum a solis ortu usque ad occasum laudabant pueri nomen Domini (*Psal.* CXII, 3, 1). Hoc autem quia per Evangelium Christi factum est, ut per Filium Pater innotesceret gentibus; profecto Patrem clarificavit et Filius. Si autem tantummodo mortuus fuisset Filius, nec resurrexisset, procul dubio nec a Patre clarificatus esset, nec Patrem clarificasset : nunc autem resurrectione clarificatus a Patre, resurrectionis suæ prædicatione clarificat Patrem. Hoc quippe aperit ordo ipse verborum : *Clarifica*, inquit, *Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te;* tanquam diceret, Resuscita me, ut innotescas toti orbi per me.

2. Deinde magis magisque pandens quomodo clarificet Patrem Filius : *Sicut dedisti*, inquit, *ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Omnem carnem dixit omnem hominem, a parte totum significans; quemadmodum rursus a parte superiore significatus est homo totus, ubi ait Apostolus, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (*Rom.* XIII, 1). Quid enim dixit, *Omnis anima*, nisi, omnis homo? Et hoc autem quod potestas Christo a Patre data est omnis carnis, secundum hominem intelligendum est : nam secundum Deum omnia per ipsum facta sunt (*Joan.* I, 3), et in ipso condita sunt omnia in cœlo et in terra, visibilia et invisibilia (*Coloss.* I, 16). *Sicut* ergo *dedisti ei potestatem*, inquit, *omnis carnis*, ita te glorificet Filius tuus, id est, notum te faciat omni carni quam dedisti ei. Sic enim dedisti, *ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.*

3. *Hæc est autem*, inquit, *vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Ordo verborum est, *ut te et quem misisti Jesum Christum cognoscant solum verum Deum.* Consequenter enim et Spiritus sanctus intelligitur, quia Spiritus est Patris et Filii, tanquam charitas substantialis et consubstantialis amborum. Quoniam non duo dii Pater et Filius, nec tres dii Pater et Filius et Spiritus sanctus; sed ipsa Trinitas unus solus verus Deus. Nec

idem tamen Pater qui Filius, nec idem Filius qui Pater, nec idem Spiritus sanctus qui Pater et Filius; quoniam tres sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus; sed ipsa Trinitas unus est Deus. Si ergo eo modo te glorificat Filius *sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, et sic dedisti, *ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam*, et, *hæc est vita æterna, ut cognoscant te;* sic te igitur Filius glorificat, ut omnibus quos dedisti ei, te cognitum faciat. Porro si cognitio Dei est vita æterna, tanto magis vivere tendimus, quanto magis in hac cognitione proficimus. Non autem moriemur in vita æterna : tunc ergo Dei cognitio perfecta erit, quando nulla mors erit. Summa tunc Dei clarificatio; quia summa gloria, quæ græce dicitur δόξα. Unde dictum est δόξασον, quod latini quidam interpretati sunt, clarifica; quidam, glorifica. A veteribus autem gloria, qua gloriosi homines dicuntur, ita est definita : Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. At si homo laudatur cum famæ creditur, quomodo Deus laudabitur quando ipse videbitur? Propter quod scriptum est, *Beati qui habitant in domo tua; in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII, 5). Ibi erit Dei sine fine laudatio, ubi erit Dei plena cognitio; et quia plena cognitio, ideo summa clarificatio vel glorificatio.

4. Sed prius hic clarificatur Deus, dum annuntiatus hominibus innotescit, et per fidem credentium prædicatur. Propter quod dicit, *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Non ait, jussisti; sed, *dedisti :* ubi commendatur evidens gratia. Quid enim habet quod non accepit, etiam in Unigenito humana natura? An non accepit, ut nihil mali, sed bona faceret omnia, quando in unitatem personæ suscepta est a Verbo, per quod facta sunt omnia? Sed quomodo consummavit opus quod accepit ut faciat, cum restet adhuc passionis experimentum, ubi martyribus suis maxime præbuit quod sequerentur exemplum; unde ait apostolus Petrus, *Christus passus est pro nobis relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (I *Petr.* II, 21) : nisi quia consummasse se dicit quod se consummaturum esse certissime novit? Sicut longe ante in prophetia præteriti temporis usus est verbis, quando post annos plurimos futurum fuerat quod dicebat : *Foderunt*, inquit, *manus meas et pedes, dinumeraverunt omnia ossa mea* (*Psal.* XXI, 17, 18); non ait, Fodient et dinumerabunt. Et in hoc ipso Evangelio, *Omnia,* inquit, *quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV, 15) : quibus ait postea, *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis illa portare modo* (*Id.* XVI, 12). Qui enim certis et immutabilibus causis omnia futura prædestinavit, quidquid facturus est fecit : nam et per prophetam dictum de illo est, *Qui fecit quæ futura sunt* (*Isai.* XLV, 11, *sec.* LXX).

5. Secundum hoc etiam quod sequitur dicit : *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Nam supra dixerat, *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te :* in quo verborum ordine ostenderat prius a Patre clarificandum Filium, ut Patrem clarificaret Filius. Modo autem dixit, *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam : et nunc clarifica me;* tanquam prior ipse Patrem clarificaverit, a quo deinde ut clarificetur exposcit. Ergo intelligendum est utroque verbo superius usum secundum id quod futurum erat, eoque ordine quo futurum erat, *Clarifica Filium, ut te clarificet Filius :* modo vero usum fuisse verbo præteriti temporis de re futura, ubi ait, *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam.* Deinde dicendo, *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum,* quasi posterius esset clarificandus a Patre, quem prius ipse clarificaverat; quid ostendit, nisi superius ubi ait, *Ego te clarificavi super terram*, ita locutum se fuisse, tanquam fecisset quod facturus esset; hic autem poposcisse ut Pater faceret, per quod illud Filius facturus esset, id est, ut Pater clarificaret Filium, per quam Filii clarificationem etiam Filius clarificaturus esset Patrem? Denique si de re quæ futura erat, ponamus etiam futuri temporis verbum, ubi pro tempore futuro posuit ipse præteritum, nulla sententiæ remanebit obscuritas : veluti si dixisset, Ego te clarificabo super terram, opus consummabo quod dedisti mihi ut faciam : et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum. Nempe ita planum est, sicut illud ubi ait, *Clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te :* et ipsa est omnino sententia, nisi quia et hic dictus est ejusdem clarificationis modus, ibi autem tacitus; tanquam illud isto exponeretur eis quos poterat permovere, quomodo Pater Filium, et maxime quomodo Patrem clarificaret et Filius. Dicendo enim clarificari a se Patrem super terram, se autem a Patre apud eumdem Patrem, modum profecto utriusque clarificationis ostendit. Ipse quippe Patrem clarificavit super terram, eum gentibus prædicando; Pater vero ipsum apud semetipsum, ad suam dexteram collocando. Sed ideo postea de clarificando Patre ubi ait, *Ego te clarificavi,* verbum præteriti temporis ponere maluit, ut monstraret in prædestinatione jam factum, et pro jam facto habendum quod certissime fuerat futurum; id est, ut a Patre apud Patrem glorificatus, Patrem super terram glorificaret et Filius.

6. Sed hanc prædestinationem in sua clarificatione manifestius aperuit, qua eum clarificavit Pater, in eo quod adjunxit, *Claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te.* Ordo verborum est, *quam habui apud te, priusquam mundus esset.* Ad hoc valet quod ait, *Et nunc clarifica me;* hoc est, sicut tunc, ita et nunc; sicut tunc prædestinatione, ita et nunc perfectione : fac in mundo, quod apud te jam fuerat ante mundum; fac in suo tempore, quod ante omnia tempora statuisti. Hoc quidam sic intelligendum putarunt, tanquam natura humana quæ suscepta est a Verbo, converteretur in Verbum, et homo mutaretur in Deum; imo, si diligentius quod opinati sunt cogitemus, homo periret in Deo. Non enim quisquam ex ista mutatione hominis vel duplicari Dei Verbum di-

cturus est, vel augeri, ut aut duo sint quod unum fuit, aut amplius sit quod minus fuit. Porro si natura humana in Verbum mutata atque conversa, Verbum Dei quantum erat et quod erat hoc erit, ubi est homo si non perit?

7. Sed ad hanc opinionem, quam veritati prorsus non video convenire, nihil nos urget, si Filio dicente, *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te*, intelligamus prædestinationem claritatis humanæ quæ in illo est naturæ, ex mortali immortalis apud Patrem futuræ; et hoc jam prædestinando factum fuisse antequam mundus esset, quod in mundo etiam suo tempore fieret. Si enim de nobis dixit Apostolus, *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* (*Ephes.* I, 4); cur abhorrere putatur a vero, si tunc Pater caput nostrum glorificavit, quando nos in ipso, ut membra ejus essemus, elegit? Sic enim nos electi, quomodo ipse clarificatus; quia priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5). Sed ille qui per ipsum in quantum Verbum ejus est, etiam *quæ futura sunt fecit*, et *vocat ea quæ non sunt, tanquam sint* (*Rom.* IV, 17); profecto secundum id quod mediator Dei et hominum homo est, ante mundi constitutionem pro nobis Deus Pater glorificavit ipsum, si tunc elegit etiam nos in ipso. Quid enim dicit Apostolus? « Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt. Quos enim præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii ejus, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus: quos autem prædestinavit, illos et vocavit » (*Id.* VIII, 28-30).

8. Nisi forte ipsum prædestinatum dicere formidabimus, quia de nobis tantum ut efficiamur conformes imaginis ejus, hoc dixisse videtur Apostolus. Quasi vero quisquam regulam fidei fideliter intuens, Filium Dei negaturus est prædestinatum, qui eum negare hominem non potest. Recte quippe dicitur non prædestinatus secundum id quod est Verbum Dei, Deus apud Deum. Utquid enim prædestinaretur, cum jam esset quod erat, sine initio, sine termino sempiternus? Illud autem prædestinandum erat, quod nondum erat, ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat ut fieret. Quisquis igitur Dei Filium prædestinatum negat, hunc eumdem filium hominis negat. Sed propter contentiosos etiam hinc audiamus Apostolum in suarum exordio Litterarum. Nam et in prima Epistolarum ejus, quæ est ad Romanos, et ipsius Epistolæ principium est, ubi legitur: *Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum* (*Id.* I, 1-4). Secundum hanc ergo prædestinationem etiam clarificatus est antequam mundus esset, ut esset claritas ejus ex resurrectione mortuorum apud Patrem, ad cujus dexteram sedet. Cum ergo videret illius prædestinatæ suæ clarificationis venisse jam tempus, ut et nunc fieret in redditione, quod fuerat in prædestinatione jam factum, oravit dicens, *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te*: tanquam diceret, Claritatem quam habui apud te, id est, illam claritatem quam habui apud te in prædestinatione tua, tempus est ut apud te habeam etiam vivens in dextera tua. Sed quoniam diu nos tenuit hujus discussio quæstionis, alio quæ sequuntur sermone tractanda sunt.

TRACTATUS CVI.

De eo quod Dominus dicit, Manifestavi nomen tuum hominibus; *usque ad id*, Et crediderunt quia tu me misisti. *Cap.* XVII, ℣. 6-8.

1. De his verbis Domini, sicut ipse donaverit, sermone isto disputaturi sumus, quæ ita se habent: *Manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo.* Quod si de his tantum dicit discipulis cum quibus cœnavit, et ad quos antequam orare inciperet, tam multa locutus est; non pertinet hoc ad illam clarificationem, sive ut alii interpretati sunt, glorificationem, de qua superius loquebatur, qua Filius clarificat vel glorificat Patrem. Quanta est enim vel qualis gloria, duodecim vel undecim potius innotuisse mortalibus? Si autem quod ait, *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*, omnes intelligi voluit, etiam qui in eum fuerant credituri, ad ejus magnam quæ futura erat ex omnibus gentibus Ecclesiam pertinentes, de qua in Psalmo canitur, *In Ecclesia magna confitebor tibi* (*Psal.* XXXIV, 18); est plane ista clarificatio qua Filius clarificat Patrem, cum ejus nomen notum facit omnibus gentibus, et tam multis generationibus hominum. Et tale est hoc quod ait, *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*, quale illud quod paulo ante dixerat, *Ego te clarificavi super terram* (*Joan.* XVII, 4); pro tempore futuro et illic et hic præteritum ponens, sicut qui sciret prædestinatum esse ut id fieret, et ideo fecisse dicens se quod erat sine ulla dubitatione facturus.

2. Sed de his qui jam erant discipuli ejus, non de omnibus qui in illum fuerant credituri eum dixisse quod dixit, *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo*, ea quæ sequuntur, credibilius esse demonstrant. Cum enim hoc dixisset, adjunxit: *Tui erant, et mihi eos dedisti, et sermonem tuum servaverunt: nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt; quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: et ipsi acceperunt, et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti.* Quanquam et hæc omnia de futuris omnibus fidelibus dici potuerunt spe jam perfecta [1], cum adhuc essent futura: sed ut de his solis quos tunc habebat discipulis hæc loqui intelligatur, illud magis urget quod paulo post ait, *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi custodivi, et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*,

[1] Sic tres Mss. At cæteri cum editis, *specie perfecta.*

ut Scriptura impleatur; Judam significans qui tradidit eum : ex isto quippe duodenario numero Apostolorum solus periit. Deinde subjungit : *Nunc autem ad te venio.* Unde manifestum est eum de corporali sua dixisse præsentia, *Cum essem cum eis, ego servabam eos,* veluti jam cum eis ea præsentia non esset. Eo modo enim significare voluit ascensionem suam mox futuram, de qua dixit, *Nunc autem ad te venio :* iturus utique ad dexteram Patris; unde venturus est ad vivos et mortuos judicandos præsentia itidem corporali, secundum fidei regulam sanamque doctrinam : nam præsentia spirituali cum eis erat utique futurus post ascensionem suam, et cum tota Ecclesia sua in hoc mundo usque in consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII, 20). Non itaque recte intelliguntur de quibus dixerit, *Cum essem cum eis, ego servabam illos,* nisi hi quos in se credentes servare jam cœperat præsentia corporali, et quos relicturus fuerat absentia corporali, ut eos cum Patre servaret præsentia spirituali. Post vero adjungit et cæteros suos, ubi dicit : *Non pro his autem rogo tantum, sed et pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Ubi manifestius ostendit quod non de omnibus ad eum pertinentibus superius loqueretur, ab eo loco ubi ait, *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi;* sed de his tantum qui eum, cum illa diceret, audiebant.

3. Ab ipso itaque orationis ejus exordio, ubi *sublevatis oculis in cœlum, dixit, Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te,* usque ad illud quod paulo post ait, *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te;* omnes suos volebat intelligi, quibus notum faciendo Patrem, clarificat eum. Cum enim dixisset, *ut Filius tuus clarificet te;* mox quemadmodum id fieret, demonstravit dicens, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternum : hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 1-20). Non enim potest cognitione hominum clarificari Pater, nisi et ille cognoscatur per quem clarificatur, id est, per quem populis innotescit. Hæc est glorificatio Patris, quæ non circa solos illos Apostolos facta est, sed circa omnes homines fit, quibus suis membris caput est Christus. Neque enim de solis Apostolis potest intelligi, *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam;* sed utique de omnibus quibus in eum credentibus vita æterna datur.

4. Jam nunc ergo videamus quid de illis, a quibus tunc audiebatur, discipulis suis dicat. *Manifestavi*, inquit, *nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.* Non ergo noverant Dei nomen, cum essent Judæi? Et ubi est quod legitur, *Notus in Judæa Deus; in Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV, 2)? Ergo *manifestavi nomen tuum hominibus* istis, *quos dedisti mihi de mundo,* qui me audiunt hæc dicentem : non illud nomen tuum quo vocaris Deus, sed illud quo vocaris Pater meus; quod nomen manifestari sine ipsius Filii manifestatione non posset. Nam quod Deus dicitur universæ creaturæ, etiam omnibus gentibus antequam in Christum crederent, non omni modo esse potuit hoc nomen ignotum. Hæc est enim vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi. Exceptis enim paucis in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum mundi hujus fatetur auctorem. In hoc ergo quod fecit hunc mundum cœlo terraque conspicuum, et antequam imbuerentur in fide Christi, notus omnibus gentibus Deus. In hoc autem quod non est injuriis suis cum diis falsis colendus, notus in Judæa Deus. In hoc vero quod Pater est hujus Christi, per quem tollit peccatum mundi, hoc nomen ejus prius occultum omnibus, nunc manifestavit eis quos dedit ei Pater ipse de mundo. Sed quomodo manifestavit, si nondum venit hora de qua superius dixerat, quod veniret hora *cum jam non in proverbiis*, inquit, *loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis* (*Joan.* XVI, 25)? An vero annuntiatio manifesta putabitur in proverbiis? Cur ergo dictum est, *Palam annuntiabo vobis,* nisi quia *in proverbiis* non est *palam?* quod autem non in proverbiis occultatur, sed verbis manifestatur, procul dubio palam dicitur. Quomodo ergo manifestavit quod nondum palam dixit? Proinde sic intelligendum est, pro tempore futuro præteritum positum, quemadmodum illud, *Omnia quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Id.* XV, 15) : quod nondum fecerat, sed loquebatur quasi fecisset, quod immobiliter esse præfixum sciebat ut faceret.

5. Quid est autem, *Quos dedisti mihi de mundo?* Dictum est enim de illis quod non essent de mundo. Sed hoc illis regeneratio præstitit, non generatio. Quid est etiam quod sequitur, *Tui erant et mihi eos dedisti?* An aliquando erant Patris, quando non erant unigeniti Filii ejus; et habuit aliquando Pater aliquid sine Filio? Absit. Verumtamen habuit aliquid aliquando Deus Filius, quod nondum habuit idem ipse homo Filius; quia nondum erat homo factus ex matre, quando tamen habebat universa cum Patre. Quapropter quod dixit, *Tui erant*, non inde se separavit Deus Filius, sine quo nihil unquam Pater habuit; sed solet ei tribuere omne quod potest, a quo est ipse qui potest. A quo enim habet ut sit, ab illo habet ut possit; et simul utrumque semper habuit, quia nunquam fuit et non potuit. Quocirca quidquid potuit Pater, semper cum illo Filius potuit; quoniam ille qui nunquam fuit et non potuit, nunquam sine Patre fuit, nunquam sine illo Pater fuit. Ac per hoc sicut Pater æternus omnipotens, ita Filius coæternus omnipotens; et si omnipotens, utique omnitenens. Id enim potius verbum e verbo interpretamur, si proprie volumus dicere, quod a Græcis dicitur παντοκράτωρ : quod nostri non sic interpretarentur, ut omnipotens dicerent, cum sit παντοκράτωρ omnitenens, nisi tantumdem valere sentirent. Quid ergo unquam habere potuit æternus omnitenens, quod non simul habuerit coæternus omnitenens? Quod itaque ait, *Et mihi eos dedisti,* hominem se accepisse hanc potestatem ut eos

haberet, ostendit; quoniam qui semper omnipotens fuit, non semper homo fuit. Quamobrem, cum Patri potius tribuisse videatur ut ab eo illos acceperit quoniam ex ipso est quidquid est de quo est; etiam ipse sibi eos dedit, hoc est, cum Patre Deus Christus, homini Christo quod cum Patre non est, homines dedit. Denique qui hoc loco dicit, *Tui erant, et mihi eos dedisti,* jam superius eisdem discipulis dixerat, *Ego vos de mundo elegi* (*Joan.* XV, 19). Conteratur hic cogitatio carnalis, atque dispereat. De mundo sibi a Patre dicit Filius datos homines quibus alio loco dicit, *Ego vos elegi de mundo.* Quos Deus Filius de mundo elegit cum Patre, idem ipse homo Filius de mundo eos accepit a Patre : non enim Pater illos Filio dedisset, nisi elegisset. Ac per hoc Filius sicut non inde separavit Patrem, quando dixit, *Ego vos de mundo elegi,* quoniam simul eos elegit et Pater : sic non inde separavit et se, quando dixit, *Tui erant*, quia et ipsius Filii pariter erant. Nunc autem homo idem ipse Filius accepit eos qui non erant ipsius, quia et formam servi accepit Deus idem quæ non erat ipsius.

6. Sequitur ac dicit, *Et sermonem tuum servaverunt: nunc cognoverunt quia omnia quæ dedisti mihi*, *abs te sunt :* id est, cognoverunt quia abs te sum. Simul enim Pater dedit omnia, cum genuit qui haberet omnia. *Quia verba*, inquit, *quæ dedisti mihi*, *dedi eis, et ipsi acceperunt :* id est, intellexerunt atque tenuerunt. Tunc enim verbum accipitur, quando mente percipitur. *Et cognoverunt*, inquit, *vere quia a te exivi*, *et crediderunt quia tu me misisti.* Et hic subaudiendum est, *vere :* quod enim dixit, *cognoverunt vere*, exponere voluit adjungendo, *et crediderunt.* Hoc itaque *crediderunt vere,* quod *cognoverunt vere :* id enim est *a te exivi,* quod est, *tu me misisti.* Cum ergo dixisset, *cognoverunt vere*, ne quisquam putaret istam cognitionem jam per speciem factam, non per fidem; exponendo addidit, *et crediderunt,* ut subaudiamus *vere,* et intelligamus hoc dictum esse, *cognoverunt vere*, quod est *crediderunt vere :* non eo modo quem significavit paulo ante, cum dixit, *Modo creditis? Venit hora*, *et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis* (*Id.* XVI, 31 *et* 32). Sed *crediderunt vere*, id est quomodo credendum est, inconcusse, firme, stabiliter, fortiter; non jam in propria redituri, et Christum relicturi. Adhuc ergo discipuli non erant tales, quales eos dicit verbis præteriti temporis, quasi jam essent, prænuntians quales futuri essent, accepto scilicet Spiritu sancto, qui eos, sicut promissum est, doceret omnia. Quem priusquam acciperent quomodo servaverunt ejus sermonem, quod de illis quasi fecerint, dixit; quando primus eorum ter eum negavit (*Matth.* XXVI, 69-74), cum ex ore ejus audisset quid futurum esset homini qui eum coram hominibus negavisset (*Id.* X, 33)? Dedit ergo eis verba sicut dixit, quæ dedit ei Pater : sed quando illa non foris in auribus, sed intus in cordibus spiritualiter acceperunt, tunc vere acceperunt, quia tunc vere cognoverunt; vere autem cognoverunt, quia vere crediderunt.

7. Ipsi autem Filio quomodo Pater ea verba dederit, quibus verbis homo poterit explicare? Facilior sane quæstio videtur, si secundum id quod filius est hominis, accepisse a Patre illa verba credatur. Quanquam natus ex Virgine quando et quomodo ea didicerit, quis enarrabit; quando etiam ipsam quæ de Virgine facta est, generationem ejus quis enarrabit? Si vero secundum id quod est de Patre genitus Patrique coæternus, accepisse a Patre ista verba cogitatur, nihil ibi temporis cogitetur quasi prius fuerit qui ea non habuerit, atque ut haberet quæ non habebat acceperit; quoniam quidquid Deus Pater Deo Filio dedit, gignendo dedit. Ita enim dedit Filio Pater, sine quibus Filius esse non posset, sicut ei dedit ut esset. Nam quomodo aliter Verbo verba daret aliqua, in quo ineffabiliter dixit omnia? Sed jam quæ sequuntur, alio sunt exspectanda sermone.

TRACTATUS CVII.

De eo quod dicit Jesus, Ego pro eis rogo, *etc., usque ad id,* Ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. *Cap.* XVII, ℣. 9-13.

1. Cum de his quos jam discipulos habebat, Dominus loqueretur ad Patrem, inter alia etiam dixit hoc : *Ego pro eis rogo : non pro mundo rogo, sea pro his quos dedisti mihi.* Mundum vult modo intelligi, qui vivunt secundum concupiscentiam mundi, et non sunt in ea sorte gratiæ, ut ab illo eligantur ex mundo. Non itaque pro mundo, sed pro his quos ei Pater dedit, rogare se dicit : per hoc enim quod eos illi Pater jam dedit, factum est ut non pertineant ad eum mundum pro quo non rogat.

2. Deinde subjungit, *Quia tui sunt.* Neque enim quia Pater eos Filio dedit, amisit ipse quos dedit : cum adhuc Filius sequatur, et dicat, *Et mea omnia tua sunt, et tua mea.* Ubi satis apparet quomodo unigeniti Filii sint omnia quæ sunt Patris; per hoc utique quod etiam ipse Deus est, et de Patre Patri est natus æqualis : non quomodo dictum est uni ex duobus filiis, majori scilicet, *Tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt* (*Luc.* XV, 31). Illud enim dictum est de his omnibus creaturis quæ infra creaturam sanctam rationalem sunt, quæ utique subduntur Ecclesiæ; in qua universa Ecclesia et illi duo intelliguntur filii major et minor, cum omnibus Angelis sanctis, quibus erimus æquales in regno Christi et Dei (*Matth.* XXII, 30) : hoc autem ita dictum est, *Et mea omnia tua sunt, et tua mea*, ut hic sit etiam ipsa creatura rationalis, quæ non nisi Deo subditur, ut ei quæ infra illam sunt cuncta subdantur. Hæc ergo cum sit Dei Patris, non simul esset et Filii, nisi Patri esset æqualis : de ipsa quippe agebat, cum diceret, *Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi : quia tui sunt, et mea omnia tua sunt, et tua mea.* Nec fas est ut sancti, de quibus hæc locutus est, cujusquam sint, nisi ejus a quo creati et sanctificati sunt : ac per hoc et omnia quæ ipsorum sunt, necesse est ut ejus sint cujus et ipsi sunt. Ergo cum et Patris et Filii sunt, æquales eos esse demonstrant, quorum æqualiter sunt. Illud autem quod ait, cum de Spiritu sancto lo-

quereretur, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt; propterea dixi quia de meo accipiet et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI, 15); de his dixit quæ ad ipsam Patris pertinent divinitatem, in quibus illi est æqualis, omnia quæ habet habendo. Neque enim Spiritus sanctus de creatura quæ Patri est subdita et Filio, fuerat accepturus quod ait, *de meo accipiet;* sed utique de Patre de quo procedit Spiritus, de quo est natus et Filius.

3. *Et clarificatus sum*, inquit, *in eis.* Nunc suam clarificationem tanquam facta sit dicit, cum adhuc esset futura: superius autem a Patre poscebat ut fieret. Sed utrum ipsa sit clarificatio, de qua dixerat, *Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus esset, apud te* (*Joan.* XVII, 1, 5); utique requirendum est. Si enim *apud te*, quomodo *in eis?* An cum hoc ipsum innotescit eis, ac per ipsos omnibus qui credunt eis testibus suis? Possumus plane sic intelligere dixisse Dominum de Apostolis, quod clarificatus sit in eis: dicendo enim esse jam factum, ostendit jam fuisse prædestinatum, et certum haberi voluit quod esset futurum.

4. *Et jam*, inquit, *non sum in mundo, et hi in mundo sunt.* Si horam prorsus illam qua loquebatur attendas, utrique adhuc in mundo erant; et ipse scilicet, et illi de quibus hoc dicebat: non enim secundum provectum cordis et vitæ id accipere possumus vel debemus, ut illi propterea adhuc esse dicantur in mundo, quod mundana adhuc sapiant; ille autem jam non esse in mundo, sapiendo divina. Positum est hic enim verbum unum, quod nos ita intelligere omnino non sinat: quia non ait, Et non sum in mundo; sed, *Jam non sum in mundo:* per hoc ostendens fuisse se in mundo, jam non esse. Numquid ergo fas est ut eum credamus aliquando mundana sapuisse, et ab hoc errore liberatum jam illa non sapere? Quis tam impio sensu se induerit? Restat igitur ut secundum id quod ipse etiam in mundo prius erat, in mundo se dixerit jam non esse; profecto præsentia corporali, a mundo scilicet absentiam suam jam cito futuram, illorum autem tardius, per hoc ostendens, quod se jam non hic esse, illos autem hic esse dixit, cum et ipse hic et illi adhuc essent. Sic enim est locutus, homo congruens hominibus, ut mos loquendi sese habet humanus. An non quotidie dicimus, Jam non est hic, de aliquo quantocius abituro? Et maxime hoc de morituris solet dici. Quanquam et ipse Dominus tanquam prævidens quid lecturos movere posset adjecit, *Et ego ad te venio:* sic exponens quodammodo cur dixerit, *Jam non sum in mundo.*

5. Commendat ergo eos Patri, quos corporali absentia relicturus est, dicens: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi.* Nempe sicut homo Deum rogat pro discipulis suis, quos accepit a Deo. Sed attende quod sequitur: *Ut sint,* inquit, *unum sicut et nos.* Non ait, Ut nobiscum sint unum, aut, simus unum ipsi et nos, sicut unum sumus nos; sed ait, *Ut sint unum sicut et nos.* Ipsi utique in natura sua sint unum, sicut et nos in nostra unum sumus. Quod procul dubio verum non diceret, nisi secundum hoc diceret, quod ejusdem naturæ Deus est cujus et Pater, secundum quod alibi dixit, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30): non secundum id quod etiam homo est; nam secundum hoc, *Pater major me est* (*Id.* XIV, 28), dixit. Sed quoniam una eademque persona est Deus et homo, intelligimus hominem in eo quod rogat: intelligimus autem Deum in eo quod unum sunt et ipse et ille quem rogat. Sed est adhuc in consequentibus locus ubi de hac re diligentius disputandum est.

6. Hic autem sequitur: *Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo.* Me, inquit, veniente ad te, serva eos in nomine tuo, in quo eos quando cum eis eram, et ipse servabam. In nomine Patris servabat discipulos suos Filius homo, cum eis humana præsentia constitutus: sed etiam Pater in nomine Filii servabat quos in nomine Filii petentes exaudiebat. His quippe idem Filius dixerat: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Id.* XVI, 23). Neque hoc tam carnaliter debemus accipere, velut vicissim nos servent Pater et Filius, amborum in nobis custodiendis alternante custodia, quasi succedat alius quando discesserit alius: simul enim nos custodiunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, qui est unus verus et beatus Deus. Sed Scriptura nos non levat, nisi descendat ad nos: sicut Verbum caro factum descendit ut levaret, non cecidit ut jaceret. Si descendentem cognovimus, cum levante surgamus; et intelligamus, cum ita loquitur, personas eum distinguere, non separare naturas. Quando ergo servabat discipulos suos Filius præsentia corporali, non exspectabat Pater ad custodiendum succedere Filio discedenti; sed eos ambo servabant potentia spirituali: et quando ab eis abstulit Filius præsentiam corporalem, tenuit cum Patre custodiam spiritualem. Quia et custodiendos quando Filius homo accepit, custodiæ paternæ non eos abstulit: et cum Pater Filio custodiendos dedit, non dedit sine ipso cui dedit; sed dedit homini Filio, non sine Deo eodem ipso utique Filio.

7. Sequitur ergo Filius, et dicit: *Quos dedisti mihi, custodivi: et nemo ex his periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* Filius perditionis dictus est traditor Christi, perditioni prædestinatus, secundum Scripturam quæ de illo in psalmo centesimo octavo maxime prophetatur.

8. *Nunc autem*, inquit, *ad te venio; et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.* Ecce in mundo se loqui dicit, qui paulo ante dixerat, *Jam non sum in mundo:* quod cur dixerit, ibi exposuimus, imo ipsum id exposuisse docuimus. Ergo et quia nondum abierat, hic adhuc erat; et quia mox fuerat abiturus, hic quodammodo jam non erat. Quod sit autem hoc gaudium de quo ait, *ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis*, jam superius expressum est, ubi ait, *Ut sint unum sicut et nos.* Hoc gaudium suum, id est, a se in eos collatum, in eis

dicit implendum; propter quod locutum se dixit in mundo. Hæc est pax illa et beatitudo in futuro sæculo, propter quam consequendam temperanter et juste et pie vivendum est in hoc sæculo.

TRACTATUS CVIII.

De eo quod ait Jesus, Ego dedi eis sermonem tuum; *usque ad id*, Ut sint et ipsi sanctificati in veritate. (*Cap.* XVII, ℣. 14 19).

1. Loquens adhuc Dominus ad Patrem, et orans pro discipulis suis, dicit: *Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit.* Nondum id experti fuerant passionibus suis, quæ illos postea sunt secutæ; sed more suo dicit ista, verbis præteriti temporis futura prænuntians. Deinde causam subjiciens cur eos oderit mundus: *Quia non sunt*, inquit, *de mundo, sicut et ego non sum de mundo.* Hoc eis regeneratione collatum est: nam generatione de mundo erant, propter quod jam eis dixerat, *Ego vos de mundo elegi* (*Joan.* XV, 19). Donatum est ergo eis ut sicut ipse, nec ipsi essent de mundo, eos ipso liberante de mundo. Ipse autem de mundo nunquam fuit: quia etiam secundum formam servi de Spiritu sancto ipse natus est, de quo illi renati. Nam si propterea illi jam non de mundo, quia renati sunt de Spiritu sancto; propterea ille nunquam de mundo, quia natus est de Spiritu sancto.

2. *Non rogo*, inquit, *ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex malo.* Adhuc enim necessarium habebant, quamvis jam non essent de mundo, esse tamen in mundo. Repetit eamdem sententiam: *De mundo*, inquit, *non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate.* Sic enim servantur ex malo, quod superius oravit ut fieret. Quæri autem potest quomodo de mundo jam non erant, si sanctificati in veritate nondum erant; aut si jam erant, cur poscat ut sint. An quia et sanctificati in eadem proficiunt sanctitate, fiuntque sanctiores; neque hoc sine adjutorio gratiæ Dei, sed illo eorum sanctificante provectum, qui sanctificavit incœptum? Unde et Apostolus dicit: *Qui in vobis opus bonum cœpit, perficiet usque in diem Christi Jesu* (*Philipp.* I, 6). Sanctificantur itaque in veritate hæredes Testamenti Novi, cujus veritatis umbræ fuerant sanctificationes Veteris Testamenti: et cum sanctificantur in veritate, utique sanctificantur in Christo, qui veraciter dixit, *Ego sum via, et veritas, et vita* (*Joan.* XIV, 6). Item quando ait, *Veritas liberabit vos*, paulo post exponens quid dixerit, *Si vos*, inquit, *Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* (*Id.* VIII, 32, 36); ut ostenderet hoc se prius dixisse veritatem, quod postmodum Filium. Quid ergo aliud et hoc loco dixit, *Sanctifica eos in veritate*, nisi, sanctifica eos in me?

3. Denique sequitur, et hoc apertius insinuare non desinit: *Sermo*, inquit, *tuus veritas est.* Quid aliud dixit, quam, *Ego veritas sum?* Græcum quippe Evangelium λόγος habet, quod etiam ibi legitur, ubi dictum est, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.* Et utique Verbum ipsum novimus unigenitum Dei Filium, quod *caro factum est, et habitavit in nobis* (*Id.* I, 1, 14). Unde et hic poni potuit, et in quibusdam codicibus positum est, *Verbum tuum veritas est;* sicut in quibusdam codicibus etiam ibi scriptum est *In principio erat sermo.* In græco autem sine ulla varietate, et ibi et hic λόγος est. Sanctificat itaque Pater in veritate, id est, in Verbo suo, in Unigenito suo, suos hæredes ejusque cohæredes.

4. Sed nunc adhuc de Apostolis loquitur; nam secutus adjungit, *Sicut me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.* Quos misit, nisi Apostolos suos? Nam et ipsum nomen Apostolorum, quoniam græcum est, nihil nisi missos significat in latino. Misit ergo Deus Filium suum non in carne peccati, sed in similitudine carnis peccati (*Rom.* VIII, 3); et misit Filius ejus eos quos natos in carne peccati sanctificavit a labe peccati.

5. Sed quoniam per hoc quod mediator Dei et hominum homo Christus Jesus factus est caput Ecclesiæ, illi membra sunt ejus; ideo ait quod sequitur, *Et pro eis ego sanctifico meipsum.* Quid est enim, *Et pro eis ego sanctifico meipsum*, nisi, eos in meipso sanctifico, cum et ipsi sint ego? Quoniam de quibus hoc ait, ut dixi, membra sunt ejus, et unus est Christus caput et corpus: docente Apostolo atque dicente de semine Abrahæ, *Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis;* cum dixisset superius, *Non dicit, Et seminibus tanquam in multis; sed tanquam in uno, Et semini tuo, quod est Christus* (*Galat.* III, 29, 16). Si ergo semen Abrahæ, hoc est Christus, quid aliud dictum est quibus dictum est, *Ergo semen Abrahæ estis*, nisi, ergo Christus estis? Inde est quod alio loco idem ipse apostolus ait: *Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt pressurarum Christi, in carne mea* (*Coloss.* I, 24). Non dixit, pressurarum mearum, sed, *Christi:* quia membrum erat Christi; et in persecutionibus suis, quales Christum in suo toto corpore pati oportebat, etiam ipse pressuras ejus pro sua portione adimplebat. Quod ut etiam hoc loco certum sit, attende sequentia. Cum enim dixisset, *Et pro eis ego sanctifico meipsum*, ut intelligeremus hoc eum dixisse, quod eos sanctificaret in se, mox addidit, *Ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Quod quid est aliud quam, in me, secundum id quod veritas est Verbum illud in principio Deus? In quo et ipse filius hominis sanctificatus est ab initio creationis suæ, quando Verbum factum est caro; quia una persona facta est Verbum et homo. Tunc ergo sanctificavit se in se, hoc est, hominem se in Verbo se; quia unus Christus Verbum et homo, sanctificans hominem in Verbo. Propter sua vero membra, *Et pro eis*, inquit, *ego*, id est, quod prosit etiam ipsis, quia et ipsi sunt ego; sicut mihi profuit in me, quia homo sum sine ipsis: *Et ego sanctifico meipsum*, hoc est, ipsos in me tanquam meipsum sanctifico ego, quoniam in me etiam ipsi sunt ego. *Ut sint et ipsi sanctificati in veritate.* Quid est *et ipsi*, nisi, quemadmodum ego; *in veritate*, quod ipse sum ego? Deinde jam non solum de Apostolis, sed etiam de

suis cæteris membris incipit dicere : quod donante ipso, alio sermone tractandum est.

TRACTATUS CIX.

In illud, Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me. *Cap.* XVII, ℣. 20.

1. Dominus Jesus jam sua propinquante passione, cum orasset pro discipulis suis, quos et Apostolos nominavit, cum quibus cœnaverat ultimam cœnam, de qua traditor ejus per buccellam manifestatus exierat, et cum quibus post ejus egressum antequam pro eis oraret, multa jam fuerat locutus; adjunxit et cæteros qui in eum fuerant credituri, et ait ad Patrem, *Non pro his autem rogo tantum*, id est pro discipulis qui cum illo tunc erant : *sed et pro eis*, inquit, *qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Ubi omnes suos intelligi voluit, non solum qui tunc erant in carne, sed etiam qui futuri erant. Quotquot enim postea crediderunt in eum, per verbum Apostolorum sine dubio crediderunt, et donec veniat, credituri sunt : ipsis enim dixerat, *Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis* (*Joan.* XV, 27) ; et per hos Evangelium ministratum est, et antequam scriberetur, et utique quisquis in Christum credit, Evangelio credit. Non itaque hi tantum intelligendi sunt, quos ait in se credituros per verbum eorum, qui ipsos, cum in carne viverent, Apostolos audierunt ; sed et post obitum eorum, et nos longe post nati, per verbum eorum credidimus in Christum. Quoniam ipsi qui cum illo tunc fuerunt, quod ab illo audierunt, cæteris prædicaverunt : atque ita verbum eorum, ut etiam nos crederemus, ad nos usque pervenit, ubicumque est ejus Ecclesia ; et perventurum est ad posteros, quicumque, ubicumque postea in eum credituri sunt.

2. Potest itaque videri Jesus in hac oratione non orasse pro quibusdam suis, nisi diligenter scrutemur in eadem oratione verba ejus. Si enim pro eis prius oravit, sicut jam ostendimus, qui cum illo tunc erant, postea vero etiam pro eis qui per verbum eorum in illum fuerant credituri ; potest dici non orasse pro illis qui neque tunc erant cum illo quando ista dicebat, neque per verbum eorum postea, sed in eum sive per ipsos, sive quomodolibet, tamen ante crediderant. Numquid enim cum illo tunc erat Nathanael? Numquid Joseph ille ab Arimathia, qui corpus ejus a Pilato petiit, quem jam discipulum ejus fuisse iste ipse Joannes evangelista testatur (*Joan.* XIX, 38)? Numquid Maria mater ejus, et aliæ feminæ, quas ejus discipulas in Evangelio jam tunc fuisse didicimus? Numquid cum illo tunc erant de quibus sæpe dicit idem Joannes evangelista, *Multi crediderunt in eum* (*Id.* II, 23, IV, 39, VII, 31, VIII, 30, *et* X, 42)? Nam unde erat multitudo illa eorum qui cum ramis partim præcedebant, partim sequebantur insidentem jumento, dicentes, *Benedictus qui venit in nomine Domini;* et cum eis pueri, de quibus ipse ait fuisse prædictum, *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Matth.* XXI, 7, 16 ; *Psal.* VIII, 3)? Unde quingenti fratres, quibus simul post resurrectionem non apparuisset (I *Cor.* XV, 6), nisi in eum ante credidissent? Unde illi centum et novem, qui cum istis undecim centum et viginti erant, quando simul congregati post ejus ascensum exspectaverunt, et acceperunt promissum Spiritum sanctum (*Act.* I, 15, *et* II, 4)? Unde erant isti omnes, nisi ex illis de quibus dictum est, *Multi crediderunt in eum ?* Non ergo pro eis tunc oravit Salvator, quoniam pro eis oravit qui cum illo tunc erant, et pro aliis qui per verbum eorum in eum non jam crediderant, sed fuerant credituri. Isti autem nec cum illo tunc erant, et in eum jam ante crediderant. Omitto dicere de Simeone sene, qui in infantulum credidit; de Anna prophetissa (*Luc.* II, 25-38) ; de Zacharia et Elisabeth, qui cum prophetaverunt antequam de Virgine nasceretur (*Id.* I, 41-45, 67-79) ; de filio eorum Joanne præcursore ejus, amico sponsi, qui eum et in sancto Spiritu agnovit, et absentem prædicavit, et aliis agnoscendum cum præsens esset ostendit (*Joan.* I, 19-36, et III, 26-36) : hos omitto, quoniam responderi potest orandum pro talibus mortuis non fuisse, qui cum magnis suis meritis hinc abierant, et recepti quiescebant; hoc enim et de antiquis justis similiter respondetur. Quis enim eorum a damnatione totius massæ perditionis, quæ per unum hominem facta est, salvus esse potuisset, nisi in unum Mediatorem Dei et hominum in carne venturum revelante Spiritu credidisset? Sed numquid ei pro Apostolis orandum fuit, et pro tam multis qui in hac vita adhuc erant, nec cum illo tunc erant, et jam ante crediderant, orandum non fuit? Quis hoc dixerit?

3. Intelligendum est igitur, quod nondum in eum sic crediderant, quomodo in se credi volebat : quandoquidem et ipse Petrus, cui confitenti et dicenti, *Tu es Christus Filius Dei vivi*, tam magnum testimonium perhibuerat, magis eum mori nolebat, quam mortuum resurrecturum esse credebat; unde mox ab eo appellatus est satanas (*Matth.* XVI, 16, 23). Fideliores itaque reperiuntur, qui defuncti jam fuerant, et resurrecturum Christum revelante Spiritu non utique dubitabant, quam illi qui cum credidissent ipsum redempturum Israel, visa ejus morte spem totam quam de illo habuerant perdiderunt. Nihil itaque melius credimus, quam post ejus resurrectionem impertito Spiritu sancto, et doctis et confirmatis Apostolis, eisque in Ecclesia primitus doctoribus constitutis, per eorum verbum sic alios credidisse quemadmodum in Christum credi oportebat, id est, ut fidem resurrectionis ejus tenerent. Ac per hoc et illos omnes qui jam in eum credidisse videbantur, ad eorum numerum pertinuisse pro quibus oravit, dicens, *Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.*

4. Sed restat nobis ad istam quæstionem adhuc solvendam beatus Apostolus, et latro ille crudelis in scelere, fidelis in cruce. Paulus quippe apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum se dicit factum Apostolum : et de ipso suo evangelio loquens ait, *Neque enim ab homine ego accepi illud, neque didici; sed per revelationem Jesu*

Christi (*Galat.* I, 1, 12). Quomodo igitur erat in eis de quibus dictum est, *credituri sunt per verbum eorum in me?* Latro vero ille tunc credidit, quando in ipsis doctoribus fides quæ fuerat qualiscumque defecit. Nec ipse itaque per eorum verbum credidit in Christum Jesum : et tamen sic credidit, ut quem videbat crucifixum, confiteretur non solum resurrecturum, verum etiam regnaturum, dicendo, *Memento mei, cum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII, 42).

5. Proinde relinquitur, ut si Dominus Jesus hac oratione pro suis omnibus quicumque in hac vita, quæ tentatio est super terram (*Job* VII, 1), vel tunc erant, vel futuri erant, orasse credendus est, sic intelligamus quod dictum est, *per verbum eorum*, ut ipsum verbum fidei quod prædicaverunt in mundo, hic significatum esse credamus; dictum autem esse verbum eorum, quoniam ab ipsis est primitus ac præcipue prædicatum. Jam enim ab ipsis prædicabatur in terra, quando per revelationem Jesu Christi ipsum verbum eorum Paulus accepit. Unde et contulit cum eis Evangelium, ne forte in vacuum cucurrisset aut curreret; et dexteras ei dederunt : quia et in illo, quamvis non per eos illi datum, tamen verbum suum, quod jam prædicabant, et in quo fundati fuerant, invenerunt (*Galat.* II, 2, 9). De quo verbo resurrectionis Christi idem dicit apostolus, « Sive ego, sive illi, sic prædicamus, et sic credidistis » (I *Cor.* XV, 11); et iterum, « Hoc est, » inquit, « verbum fidei quod prædicamus, quia si confessus fueris in ore tuo quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris » (*Rom.* x, 8 *et* 9). Et in Actibus Apostolorum legitur quod in Christo Deus definierit fidem omnibus, suscitans eum a mortuis (*Act.* XVII, 31). Hoc verbum fidei, quia principaliter ac primitus per Apostolos, qui ei cohæserant, prædicatum est, ideo verbum eorum dictum est. Neque enim propterea non est verbum Dei, quia dictum est verbum eorum; cum dicat idem apostolus Thessalonicenses excepisse a se, *non ut verbum hominum, sed, sicut est, vere verbum Dei* (I *Thess.* II, 13). Ideo ergo Dei, quia Deus id donavit; eorum vero verbum dictum est, quia hoc prædicandum illis Deus primitus ac præcipue commendavit. Ac per hoc etiam ille latro in sua fide verbum eorum habebat : quod eorum propterea dictum erat, quoniam prædicandum ad eorum officium primitus ac præcipue pertinebat. Denique cum murmur factum esset de ministerio mensarum a viduis Græcorum, antequam Paulus credidisset in Christum; responderunt Apostoli, qui Domino ante cohæserant : *Non est bonum nos relinquere verbum Dei, et ministrare mensis* (*Act.* VI, 1-4). Tunc ordinandos diaconos providerunt, ne ipsi a prædicandi verbi avocarentur officio. Unde merito dictum est verbum eorum, quod est verbum fidei, per quod omnes in Christum, undecumque id audierint, crediderunt, vel audituri et credituri sunt. Ergo illa oratione pro omnibus quos redemit, sive tunc in carne viventes, sive postea futuros, Redemptor noster oravit, cum rogans pro Apostolis qui cum illo tunc erant, adjunxit etiam illos qui per eorum verbum in eum fuerant credituri. Quid autem adjunctis illis deinde dicat, alia est disputatione tractandum.

TRACTATUS CX.

De eo quod sequitur, Ut omnes unum sint, *etc.*, *usque ad id*, Et dilexisti eos, sicut et me dilexisti. *Cap.* XVII, ℣. 21-23.

1. Cum Dominus Jesus orasset pro discipulis suis quos tunc secum habebat, atque adjunxisset suos alios, dicens, *Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me;* velut quæreremus, quid vel quare pro illis rogaret, continuo subintulit, dicens : *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Et superius cum adhuc pro solis discipulis, quos secum habebat, oraret : *Pater sancte*, inquit, *serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos* (*Joan.* XVII, 11). Hoc ergo nunc etiam et pro nobis rogavit, quod tunc pro illis, ut omnes, hoc est et nos et illi, unum simus. Ubi diligenter advertendum est non dixisse Dominum, ut omnes unum simus; sed, *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te* (subintelligitur, unum sumus; quod apertius dicitur postea) : quia et prius dixerat de discipulis qui cum illo erant, *Ut sint unum sicut et nos.* Quamobrem ita est Pater in Filio, et Filius in Patre, ut unum sint, quia unius substantiæ sunt : nos vero esse quidem in eis possumus, unum tamen cum eis esse non possumus; quia unius substantiæ nos et ipsi non sumus, in quantum Filius cum Patre Deus est. Nam in quantum homo est, ejusdem substantiæ est cujus et nos sumus. Sed nunc illud potius voluit commendare, quod alio loco ait, *Ego et Pater unum sumus* (*Id.* x, 30) ; ubi eamdem Patris et suam significavit esse naturam. Ac per hoc et cum in nobis sunt Pater et Filius, vel etiam Spiritus sanctus, non debemus eos putare naturæ unius esse nobiscum. Sic itaque sunt in nobis, vel nos in illis, ut illi unum sint in natura sua, nos unum in nostra. Sunt quippe ipsi in nobis, tanquam Deus in templo suo : sumus autem nos in illis, tanquam creatura in Creatore suo.

2. Deinde cum dixisset, *Ut et ipsi in nobis unum sint*, adjunxit, *Ut mundus credat quia tu me misisti.* Quid est hoc? Numquidnam tunc crediturus est mundus, quando in Patre et Filio unum omnes erimus? Nonne ista est pax illa perpetua, et potius fidei merces quam fides? Unum enim erimus, non ut credamus, sed quia credidimus. Sed etsi in hac vita propter ipsam communem fidem, omnes qui in unum credimus, unum sumus, juxta illud Apostoli, *Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* (*Galat.* III, 28) ; etiam sic non ut credamus, sed quia credimus, unum sumus. Quid est ergo, *Omnes unum sint, ut mundus credat?* Ipsi quippe *omnes* mundus est credens. Neque enim alii sunt qui unum erunt, et alius est mundus propterea crediturus, quia illi unum erunt; cum procul dubio de his dicat, *Ut omnes unum sint*, de quibus dixerat, *Non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri*

sunt per verbum eorum in me, continuo subjungens, *Ut omnes unum sint*. Isti autem *omnes* quid est, nisi mundus, non hostilis utique, sed fidelis? Nam ecce qui dixerat, *Non pro mundo rogo* (*Joan*. XVII, 9), pro mundo rogat ut credat. Quoniam est mundus de quo scriptum est: *Ne cum hoc mundo damnemur* (I *Cor*. XI, 32). Pro isto mundo non rogat: neque enim quo sit prædestinatus, ignorat. Et est mundus de quo scriptum est, *Non enim venit Filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (*Joan*. III, 17): unde et Apostolus, *Deus*, inquit, *erat in Christo, mundum reconcilians sibi* (II *Cor*. V, 19). Pro isto mundo rogat, dicens, *Ut mundus credat quia tu me misisti*. Per hanc enim fidem mundus reconciliatur Deo, cum credit in Christum qui est missus a Deo. Quomodo ergo intellecturi sumus quod ait, *Ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti*: nisi quia non in eo causam posuit ut credat mundus, quia illi unum sunt, tanquam ideo credat quod eos esse unum videt; cum ipse mundus sint omnes, qui credendo unum fiunt: sed orando dixit, *Ut mundus credat*; sicut orando dixit, *Ut omnes unum sint*; orando dixit, *Ut et ipsi in nobis unum sint?* Hoc est enim *omnes unum sint*, quod est *mundus credat*: quoniam credendo unum fiunt; perfecte unum, qui cum natura essent unum, dissentiendo ab uno non erant unum. Denique si verbum quod ait, *rogo*, tertio subaudiamus, vel potius quo plenius fiat, ubique ponamus; erit hujus expositio sententiæ manifestior: Rogo *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te*: rogo *ut et ipsi in nobis unum sint*: rogo *ut mundus credat quia tu me misisti*. Ideo quippe addidit, quod dixit, *in nobis*, ut quod unum efficimur fidelissima charitate, gratiæ Dei noverimus tribuendum esse, non nobis: sicut Apostolus cum dixisset, *Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux*, inquit; et ne sibi hoc tribuerent, adjecit, *in Domino* (*Ephes*. V, 8).

3. Deinde Salvator noster rogando Patrem, se hominem demonstrabat: nunc demonstrans et seipsum, quoniam cum Patre Deus est, facere quod rogat, *Et ego*, inquit, *claritatem quam dedisti mihi, dedi illis*. Quam claritatem, nisi immortalitatem, quam natura humana in illo fuerat acceptura? Nam nec ipse adhuc acceperat eam, sed more suo propter immobilitatem prædestinationis, præteriti temporis verbis futura significat, quod nunc clarificandus, hoc est suscitandus a Patre, et ipse sit nos ad eam claritatem suscitaturus in fine. Simile est hoc ei quod alibi dicit, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat*. Et *quos*, nisi eosdem quos Pater? *Quæcumque enim* Pater *facit*, non alia, sed *hæc et Filius*; nec aliter, sed *similiter facit* (*Joan*. V, 21, 19). Ac per hoc suscitavit et seipsum etiam ipse. Nam inde est, *Solvite templum hoc*, inquit, *et in triduo resuscitabo illud* (*Id*. II, 19). Proinde immortalitatis claritatem, quam sibi a Patre datam dicit, etiam ipse sibi dedisse intelligendus est, etsi non dicit. Ideo quippe sæpius solum Patrem facere dicit quod et ipse facit cum Patre, ut quidquid est ei tribuat de quo est. Sed et aliquando etiam tacito Patre, se dicit facere quod facit cum Patre: ut intelligamus ita Filium non esse a Patris opere separandum, quando se tacito Patrem dicit aliquid operari; quemadmodum nec Pater ab opere Filii separatur, quando ipso tacito Filius operari dicitur, quod nihilominus pariter operantur. Cum ergo tacet Filius in opere Patris operationem suam, humilitatem commendat, ut sit nobis salubrior: cum vero vicissim in opere suo tacet operationem Patris, parilitatem suam commendat, ne credatur inferior. Isto igitur modo et hoc loco nec se facit alienum a Patris opere, quamvis dixerit, *Claritatem quam dedisti mihi*; quia et ipse dedit eam sibi: nec Patrem facit alienum ab opere suo, quamvis dixerit, *dedi eis*; quia et Pater illam dedit eis. Inseparabilia namque sunt opera non solum Patris et Filii, verum etiam Spiritus sancti. Sicut autem ex eo quod Patrem pro suis omnibus rogavit, hoc fieri voluit, *Ut omnes unum sint*: ita ex hoc etiam suo beneficio quod ait, *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis*, id fieri nihilominus voluit; nam continuo subjunxit, *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus*.

4. Deinde addidit: *Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum*. Ubi se mediatorem inter Deum et homines breviter intimavit. Neque enim hoc ita dictum est, tanquam Pater non sit in nobis, aut nos in Patre non simus; cum et alio loco dixerit, *Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan*. XIV, 23): et hic paulo ante non dixerit, *Ego in eis et tu in me*, quod dixit modo; aut, Ipsi in me et ego in te; sed, *Tu in me et ego in te, et ipsi in nobis*. Quod ergo nunc ait, *Ego in eis et tu in me*, ita dictum est ex persona Mediatoris, sicut illud quod Apostolus ait, *Vos Christi, Christus vero Dei* (I *Cor*. III, 23). Quod vero addidit, *Ut sint consummati in unum*, ostendit eo perduci reconciliationem, quæ fit per Mediatorem, ut perfecta beatitudine, cui jam nihil possit adjici, perfruamur. Unde id quod sequitur, *Ut cognoscat mundus quia tu me misisti*, non sic accipiendum puto, tanquam iterum dixerit, *Ut credat mundus*: aliquando enim et cognoscere pro eo quod est credere ponitur, ut est quod ait aliquanto superius, *Et cognoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti* (*Joan*. XVII, 8). Hoc dixit posterius *crediderunt*, quod prius dixerat *cognoverunt*. Sed hic quandoquidem de consummatione loquitur, talis est intelligenda cognitio, qualis erit per speciem, non qualis nunc est per fidem Nam videtur ordo esse servatus in eo quod paulo ante dixit, *Ut credat mundus*; hic autem, *Ut cognoscat mundus*. Ibi enim quamvis dixerit, *Ut omnes unum sint*, et *in nobis unum sint*, non ait tamen, *Sint consummati in unum*; atque ita subnexuit, *Ut credat mundus quia tu me misisti*: hic vero, *Ut sint*, inquit, *consummati in unum*; ac deinde non addidit, *Ut credat mundus*; sed, *Ut cognoscat mundus quia tu me misisti*. Quamdiu enim credimus quod non videmus, nondum sumus ita consummati, quemadmodum erimus cum meruerimus videre quod credimus. Rectissime igitur ibi, *Ut credat mundus*; hic, *Ut cognoscat mundus*: tamen et ibi

et hic, *quia tu me misisti*; ut noverimus quantum pertinet ad Patris et Filii inseparabilem charitatem, hoc nos modo credere quod tendimus credendo cognoscere. Si autem diceret, Ut cognoscant quia tu me misisti: tantumdem valeret quantum hoc quod ait, *Ut cognoscat mundus*. Ipsi sunt enim mundus, non permanens inimicus, qualis est mundus damnationi prædestinatus; sed ex inimico amicus effectus, propter quem *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Ideo dixit, *Ego in eis et tu in me:* tanquam diceret, Ego in eis ad quos misisti me; et tu in me, mundum reconcilians tibi per me.

5. Propterea sequitur etiam illud quod ait, *Et dilexisti eos sicut et me dilexisti*. In Filio quippe nos Pater diligit, quia in ipso nos elegit ante constitutionem mundi (*Ephes.* I, 4). Qui enim diligit Unigenitum, profecto diligit et membra ejus quæ adoptavit in eum per eum. Nec ideo pares sumus unigenito Filio per quem creati et recreati [1] sumus; quia dictum est, *Dilexisti eos sicut et me*. Neque enim semper æqualitatem significat, qui dicit, Sicut illud, ita et illud: sed aliquando tantum, Quia est illud, est et illud; aut, Quia est illud, ut sit et illud. Quis enim dixerit eo prorsus modo in mundum a Christo Apostolos missos, quomodo est ipse missus a Patre? Ut enim alias taceam differentias, quas commemorare longum est, missi sunt certe illi cum jam homines essent; missus est autem ipse ut homo esset: et tamen superius ait, *Sicut me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum* (*Joan.* XVII, 18); tanquam diceret, Quia misisti me, misi eos. Ita et hoc loco, *Dilexisti eos*, inquit, *sicut me dilexisti;* quod nihil aliud est quam, Dilexisti eos, quoniam et me dilexisti. Non enim membra Filii non diligeret qui diligit Filium; aut alia causa est diligendi membra ejus, nisi quia diligit eum. Sed diligit Filium secundum divinitatem, quia genuit illum æqualem sibi; diligit eum etiam secundum id quod homo est, quia ipsum unigenitum Verbum caro factum est, et propter Verbum est ei chara Verbi caro: nos autem diligit, quoniam sumus ejus membra quem diligit; et hoc ut essemus, propter hoc nos dilexit antequam essemus.

6. Quapropter incomprehensibilis est dilectio qua diligit Deus, neque mutabilis. Non enim ex quo ei reconciliati sumus per sanguinem Filii ejus, nos cœpit diligere; sed ante mundi constitutionem dilexit nos, ut cum ejus Unigenito etiam nos filii ejus essemus, priusquam omnino aliquid essemus. Quod ergo reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus, non sic audiatur, non sic accipiatur, quasi ideo nos reconciliaverit ei Filius, ut jam inciperet amare quos oderat: sicut reconciliatur inimicus inimico, ut deinde sint amici, et invicem diligant qui oderant invicem: sed jam nos diligenti reconciliati sumus ei, cum quo propter peccatum inimicitias habebamus. Quod utrum verum dicam, attestetur Apostolus: *Commendat*, inquit, *dilectionem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est* (*Rom.* V, 8, 9). Habebat itaque ille erga nos charitatem, etiam cum inimicitias adversum eum exercentes operaremur iniquitatem: et tamen ei verissime dictum est, *Odisti, Domine, omnes qui operantur iniquitatem* (*Psal.* V, 7). Proinde miro et divino modo et quando nos oderat, diligebat: oderat enim nos, quales ipse non fecerat; et quia iniquitas nostra opus ejus non omni ex parte consumpserat, noverat simul in unoquoque nostrum et odisse quod feceramus, et amare quod fecerat. Et hoc quidem in omnibus intelligi potest de illo, cui veraciter dicitur, *Nihil odisti eorum quæ fecisti* (*Sap.* XI, 25). Non enim quodcumque odisset esse voluisset, aut omnino esset quod omnipotens esse noluisset, nisi et in eo quod odit, esset etiam quod amaret. Merito quippe odit, et velut a regula suæ artis alienum improbat vitium: amat tamen suum etiam in vitiosis vel sanatione beneficium, vel damnatione judicium [2]. Ita Deus, et nihil odit eorum quæ fecit: naturarum enim, non vitiorum conditor, mala quæ odit, ipse non fecit; et de malis eisdem vel sanando ea per misericordiam, vel ordinando per judicium, bona sunt ipsa quæ facit. Cum igitur eorum quæ fecit nihil oderit, quis digne possit eloqui, quantum diligat membra Unigeniti sui; et quanto amplius ipsum Unigenitum, in quo condita sunt omnia visibilia et invisibilia, quæ in suis generibus ordinata ordinatissime diligit? Membra quippe Unigeniti ad Angelorum sanctorum æqualitatem gratiæ suæ largitate perducit: Unigenitus autem cum sit Dominus omnium, procul dubio est Dominus Angelorum, natura qua Deus est, non Angelis, sed Patri potius æqualis; gratia vero qua homo est, quomodo non excedit excellentiam cujuslibet angeli, cum sit una persona carnis et Verbi?

7. Quanquam non desint qui etiam nos Angelis præferant; quia pro nobis, inquiunt, non pro Angelis mortuus est Christus. Id quid est aliud, quam de impietate velle gloriari? Etenim *Christus*, sicut ait Apostolus, *juxta tempus pro impiis mortuus est* (*Rom.* V, 6). Hic ergo non meritum nostrum, sed Dei misericordia commendatur. Nam quale est ideo se velle laudari, quia vitio suo tam detestabiliter ægrotavit, ut non posset aliter quam medici morte sanari? Non est hæc nostrorum gloria meritorum, sed medicina morborum. An ideo nos præferimus Angelis, quia cum et angeli peccaverint, nihil eis tale unde sanarentur impensum est? Quasi aliquid eis vel parvum fuerit impensum, et nobis amplius. Quod si et hoc factum esset, adhuc quæri posset utrum ideo fuisset factum, quod steteramus excellentius, an quod desperatius jacebamus. Cum vero noverimus bonorum omnium Creatorem reparandis angelis malis nihil gratiæ contulisse, cur non potius intelligimus quod tanto damnabilior eorum judicata sit culpa, quanto erat natura sublimior? Tanto enim minus quam nos

[1] In editis, *reconciliati*. At in MSS., *recreati*.

[2] Sic MSS. Editi vero: *sanationis beneficium, vel damnationis judicium*.

peccare debuerunt, quanto meliores nobis fuerunt. Nunc autem in offendendo Creatorem tanto exsecrabilius beneficio ejus ingrati exstiterunt, quanto beneficentius sunt creati; nec eis satis fuit desertores esse illius, nisi et nostri fierent deceptores. Hoc itaque nobis magnum bonum conferet, qui dilexit nos sicut dilexit Christum, ut propter ipsum cujus membra nos esse voluit, æquales Angelis sanctis simus (*Luc.* xx, 36), quibus et natura inferiores conditi sumus, et peccato indigniores facti, qui eorum fieri qualescumque socii deberemus.

TRACTATUS CXI.

De eo quod Dominus dicit, Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum; *usque ad id*, Ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis. *Cap.* XVII, ℣. 24-26.

1. In magnam spem Dominus Jesus suos erigit, qua major omnino esse non possit. Audite, et estote in spe gaudentes, propter quod vita ista non amanda, sed toleranda sit, ut esse possitis in ejus tribulatione patientes (*Rom.* XII, 12). Audite, inquam, et quo spes nostra levetur attendite. Christus Jesus dicit, Filius Dei unigenitus qui Patri coæternus et æqualis est, dicit; qui propter nos homo factus est, sed sicut omnis homo mendax (*Psal* CXV, 11) non factus est, dicit; via, vita, veritas dicit (*Joan.* XIV, 6); qui mundum vicit (*Id.* XVI, 33), de his quibus vicit, dicit. Audite, credite, sperate, desiderate quod dicit: *Pater*, inquit, *quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum.* Qui sunt isti quos ait a Patre datos sibi? Nonne illi de quibus alio loco dicit, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (*Id.* VI, 44)? Jam quomodo ea quæ fieri dicit a Patre, faciat et ipse cum Patre, si quid in hoc Evangelio profecimus, novimus. Ipsi sunt ergo quos a Patre accepit, quos et ipse elegit de mundo, atque elegit ut jam non sint de mundo, sicut non est et ipse de mundo: ut sint tamen etiam ipsi mundus credens et cognoscens quod Christus a Deo Patre sit missus, ut mundus ex mundo liberaretur, ne mundus Deo reconciliandus cum mundo inimicissimo damnaretur. Sic enim ait in hujus orationis exordio: *Dedisti ei potestatem omnis carnis*, id est omnis hominis, *ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam* (*Id.* XVII, 2). Ubi ostendit potestatem se quidem omnis hominis accepisse, ut liberet quos voluerit, damnet quos voluerit, qui vivos et mortuos judicabit; sed eos sibi esse datos, quibus omnibus det vitam æternam. Sic enim ait: *Ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* Proinde non ei dati sunt, quibus vitam non dabit æternam: quamvis et ipsorum potestas data sit, cui potestas data est omnis carnis, id est omnis hominis. Ita mundus reconciliatus ex inimico liberabitur mundo, cum in illum exserit potestatem suam, ut eum in mortem mittat æternam: hunc autem facit suum, cui vitam donet æternam. Quapropter omnibus prorsus ovibus suis bonus pastor, omnibus membris suis magnum caput promisit hoc præmium, ut ubi ipse est, et nos cum illo simus: nec poterit nisi fieri quod omnipotenti Patri se velle dixit omnipotens Filius. Ibi est enim et Spiritus sanctus pariter æternus, pariter Deus, Spiritus unus duorum, et substantia voluntatis amborum. Nam illud quod dixisse legitur propinquante passione, *Verum non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater* (*Matth.* XXVI, 39), quasi alia Patris, alia Filii sit voluntas aut fuerit, sonus est nostræ infirmitatis, quamvis fidelis, quam in se caput nostrum transfiguravit, quando etiam peccata nostra portavit. Unam vero esse Patris et Filii voluntatem, quorum etiam Spiritus unus est, quo adjuncto cognoscimus Trinitatem, etsi intelligere nondum permittit infirmitas, credat pietas.

2. Sed quoniam quibus promiserit et quam firma sit ipsa promissio, pro sermonis brevitate jam diximus; hoc ipsum quantum valemus, quid sit quod dignatus est promittere videamus, *quos dedisti mihi*, inquit, *volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum.* Quantum attinet ad creaturam in qua factus est ex semine David secundum carnem (*Rom.* I, 3), nec ipse adhuc erat ubi futurus erat: sed eo modo dicere potuit, *ubi ego sum*, quo intelligeremus quod cito fuerat ascensurus in cœlum, ut jam ibi esse se diceret ubi fuerat mox futurus. Potuit et in illo modo, quo ante jam dixerat loquens ad Nicodemum, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui in cœlo est* (*Joan.* III, 13). Nam et ibi non dixit, Erit; sed, *est*, propter unitatem personæ, in qua et Deus homo est, et homo Deus. In cœlo ergo nos futuros esse promisit: illo enim forma servi levata est, quam sumpsit ex Virgine, et ad Patris dexteram collocata. Propter spem tanti hujus boni et Apostolus ait: *Deus autem qui dives est in misericordia, propter multam dilectionem qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cujus gratia sumus salvi facti; et simul excitavit, et simul sedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu* (*Ephes.* II, 4-6). Hoc ergo potest intelligi dixisse Dominus, *Ut ubi ego sum, et illi sint mecum.* Et ipse quidem de se dixit quod ibi jam esset; de nobis autem velle se dixit ut essemus ibi cum illo, non quod jam essemus ostendit. Apostolus autem quod Dominus velle se dixit ut fieret, tanquam factum fuerit est locutus. Non enim ait, Excitaturus est, et in cœlestibus sedere facturus; sed, *excitavit, et sedere in cœlestibus fecit:* quia non inaniter sed fideliter jam deputat factum quod futurum esse non dubitat. Quod vero attinet ad formam Dei in qua æqualis est Patri, si secundum eam velimus intelligere quod dictum est, *Volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum;* abscedat ab animo omnis imaginum corporalium cogitatio: quidquid menti occurrerit longum, latum, crassum, qualibet luce corporea coloratum, per quælibet locorum spatia vel finita, vel infinita diffusum, ab his omnibus, quantum potest, aciem suæ contemplationis vel intentionis avertat. Et non inquiratur æqualis Patri Filius ubi sit, quoniam nemo invenit ubi non sit. Sed qui vult quærere, quærat potius ut cum illo sit; non ubique sicut ille, sed ubicumque esse potuerit. Qui enim homini pœnaliter pendenti, et salubriter confitenti ait, *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43);

secundum id quod homo erat, anima ejus ipso die futura fuerat in inferno, caro in sepulcro; secundum autem id quod Deus erat, utique et in paradiso erat. Et ideo latronis anima a pristinis facinoribus absoluta, et illius munere jam beata, quamvis ubique sicut ille esse non poterat; tamen etiam ipso die cum illo in paradiso esse poterat, unde ille qui ubique semper est, non recesserat. Propterea nimirum non ei satis fuit dicere, *Volo ut ubi ego sum, et illi sint*; sed addidit, *mecum*. Esse enim cum illo, magnum bonum est. Nam et miseri esse possunt ubi est ille, quoniam quicumque ubicumque fuerint, est et ille: sed beati soli sunt cum illo, quia beati esse non poterunt nisi ex illo. Annon Deo veraciter dictum est, *Si ascendero in cœlum, tu ibi es; et si descendero in infernum, ades* (*Psal.* CXXXVIII, 8)? aut vero Christus non est Dei Sapientia, quæ *attingit ubique propter suam munditiam* (*Sap.* VII, 24)? Sed lux lucet in tenebris, nec eam tenebræ comprehendunt (*Joan.* I, 5). Ac per hoc, ut de re visibili, quamvis longe dissimili, qualecumque sumamus exemplum, sicut cæcus etiamsi ibi sit ubi lux est, non est tamen ipse cum luce, sed absens est a præsente; ita infidelis atque impius, aut etiamsi fidelis et pius, nondum tamen ad intuendum lumen sapientiæ idoneus, etiamsi esse nusquam possit ubi non sit et Christus, non est tamen ipse cum Christo, duntaxat per speciem. Nam hominem pie fidelem, non est dubitandum cum Christo esse per fidem: propter quod dicit, *Qui non est mecum, adversum me est* (*Matth.* XII, 30). Sed cum Patri Deo dicebat, *Quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum*; de specie illa omnino dicebat, in qua videbimus eum sicuti est (I *Joan.* III, 2).

3. Nemo serenissimum sensum nubilosa contradictione perturbet; consequentia perhibeant testimonium præcedentibus verbis. Nempe cum dixisset, *Volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum*, continuo secutus adjunxit, *Ut videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Ut videant*, dixit; non, ut credant. Fidei merces est ista, non fides. Si enim fides in Epistola ad Hebræos recte definita est, *Convictio rerum quæ non videntur* (*Hebr.* XI, 1); cur non merces fidei definiatur, Visio rerum quæ creditæ sperabantur? Cum viderimus enim claritatem quam dedit Pater Filio, etiamsi eam dici hoc loco intelligamus, non quam Pater æquali Filio gignens eum dedit, sed quam facto hominis filio [1] dedit ei post mortem crucis: quando ergo videbimus illam Filii claritatem, profecto tunc fiet judicium vivorum atque mortuorum, tunc tolletur impius, ne videat claritatem Domini (*Isai.* XXVI, 10); quam, nisi illam qua Deus est? Beati enim mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V, 8): nec mundicordes sunt impii, propterea non videbunt. Tunc ibunt ipsi in supplicium æternum; sic enim tolletur impius ne videat claritatem Domini: justi autem ibunt in vitam æternam (*Id.* XXV, 46). Et quæ est vita æterna? *Ut cognoscant*, inquit, *te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3): non utique sicut eum cognoverunt qui licet non mundicordes, tamen in forma servi clarificata judicantem videre potuerunt; sed sicut cognoscendus est a mundis corde solus verus Deus, cum Patre et Spiritu sancto Filius, quia ipsa Trinitas est solus verus Deus. Si ergo secundum id quod Filius Dei Deus est Patri æqualis atque coæternus; accipiamus hoc dictum, *Volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum*, in Patre cum Christo erimus; sed ille sicut ille, nos sicut nos, ubicumque corpore fuerimus. Si enim loca dicenda sunt, et quibus non corpora continentur, et locus est cuique rei ubi est; locus Christi æternus ubi semper est, ipse Pater est, et locus Patris Filius est; quia, *Ego*, inquit, *in Patre, et Pater in me est* (*Id.* XIV, 10); et in hac oratione, *Sicut tu Pater*, inquit, *in me, et ego in te*: et locus noster ipsi sunt, quia sequitur, *Ut et ipsi in nobis unum sint* (*Id.* XVII, 21): et nos locus Dei sumus, quoniam templum ejus sumus; sicut orat pro nobis qui mortuus est pro nobis, vivitque pro nobis, ut in ipsis unum simus; quia *factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion* (*Psal.* LXXV, 3), quæ nos sumus. Sed quis idoneus loca ista, vel quæ sunt in locis istis, sine spatiosis capacitatibus et sine corporeis molibus cogitare? Non parum tamen proficitur, si saltem quidquid tale oculo cordis occurrit, negatur, respuitur, improbatur: et lux quædam in qua ista neganda, respuenda, improbanda cernuntur, sicut potuerit, cogitatur; et quam sit certa cognoscitur, et amatur, ut inde surgatur, atque ad interiora tendatur: quæ cum penetrare mens invalida, et minus quam illa sunt, pura, nequiverit; non sine amoris gemitu et desiderii lacrymis inde pellatur; et patienter ferat quamdiu fide mundatur, atque ut illic habitare valeat, sanctis moribus præparatur [1].

4. Quomodo ergo non erimus cum Christo ubi est, quando in Patre cum illo erimus in quo est? Neque hinc Apostolus nobis, quamvis nondum rem tenentibus, sed tamen spem gerentibus, tacuit. Ait enim: *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis*, inquit, *et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*. Ecce interim fide ac spe vita nostra ubi Christus est, cum illo est; quia cum Christo in Deo est. Ecce velut jam factum est quod oravit ut fieret, dicens, *Volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum*: sed nunc per fidem. Quando autem fiet per speciem? *Cum Christus*, inquit, *apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (*Coloss.* III, 1-4). Tunc apparebimus quod tunc erimus; quia tunc apparebit non inaniter nos id credidisse ac sperasse antequam essemus Faciet hoc cui Filius cum dixisset [2], *Ut videant claritatem meam quam dedisti mihi*, continuo subjunxit, *Quia dilexisti me ante constitutionem mundi*. In illo enim dilexit et

[1] Er. Lugd. et Ven., *facto homini filio*. M.

[1] *Præparetur*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. M.

[2] Plerique editi hic inter se discrepant. Sic legit Er.: *Faciat hoc Filius qui cum dixisset*. Lov., *antequam essemus facti: cui Filius cum dixisset*. Lugd. et Ven., *quod antequam essemus. Fecit cui Filius cum dixisset*. M.

nos ante constitutionem mundi, et tunc prædestinavit quod in fine facturus est mundi.

5. *Pater*, inquit, *juste*, *mundus te non cognovit*. Quia justus es, ideo te non cognovit. Mundus quippe ille damnationi prædestinatus merito non cognovit : mundus vero quem per Christum reconciliavit sibi, non merito, sed gratia cognovit. Quid est enim eum cognoscere, nisi vita æterna? quam mundo damnato utique non dedit, reconciliato dedit. Propterea itaque mundus non cognovit, quia justus es, et meritis ejus, ut non cognosceret, tribuisti : et propterea mundus reconciliatus cognovit, quia misericors es, et ut cognosceret non ei merito, sed gratia subvenisti. Denique sequitur, *Ego autem te cognovi*. Ipse fons gratiæ est Deus natura, homo autem de Spiritu sancto et Virgine ineffabili gratia : denique propter ipsum, quia gratia Dei per Jesum Christum est Dominum nostrum, *Et hi cognoverunt*, inquit, *quia tu me misisti*. Ipse est mundus reconciliatus. Sed quia tu me misisti, ideo cognoverunt : ergo gratia cognoverunt.

6. *Et notum feci eis*, inquit, *nomen tuum*, *et notum faciam*. Notum feci per fidem, notum faciam per speciem : notum feci cum fine peregrinantibus, notum faciam sine fine regnantibus. *Ut dilectio*, inquit, *quam dilexisti me*, *in ipsis sit*, *et ego in ipsis*. Non est usitata locutio, *dilectio quam dilexisti me*, *in ipsis sit*, *et ego in ipsis :* usitate quippe diceretur, dilectio qua dilexisti me. De græco quidem ista translata est : sed sunt similes et latinæ; sicut dicimus, Fidelem servitutem servivit, strenuam militiam militavit; cum dici debuisse videatur, Fideli servitute servivit, strenua militia militavit. Qualis autem ista locutio est, *dilectio quam dilexisti me;* tali et Apostolus usus est, *Bonum certamen certavi* (II *Tim*. IV, 7) : non ait, bono certamine, quod usitatius et tanquam rectius diceretur. Quomodo autem dilectio quam dilexit Pater Filium, est et in nobis, nisi quia membra ejus sumus, et in illo diligimur, cum ipse diligitur totus, id est caput et corpus? Ideo subjunxit, *et ego in ipsis;* tanquam diceret, quoniam ego sum et in ipsis. Aliter enim est in nobis tanquam in templo suo; aliter autem quia et nos ipse sumus, cum secundum id quod ut caput nostrum esset, homo factus est, corpus ejus sumus. Finita est Salvatoris oratio, incipit passio : ergo et iste sermo finiatur, ut de passione quod ipse donaverit, aliis sermonibus disputetur.

TRACTATUS CXII.

In id quod sequitur, Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis, *etc.; usque ad id*, Comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum. *Cap*. XVIII, ỷ. 1-12.

1. Terminato magno prolixoque sermone quem post cœnam Dominus, fundendo pro nobis proximus sanguini, ad discipulos habuit qui cum illo tunc erant, adjuncta oratione quam direxit ad Patrem, deinceps ejus passionem Joannes evangelista sic orsus est : « Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus. Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum; quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. » Hoc quod narrat ingressum Dominum cum discipulis suis in hortum, non continuo factum est, cum ejus illa finita esset oratio, de cujus verbis ait, *Hæc cum dixisset Jesus :* sed alia quædam sunt interposita quæ ab isto prætermissa apud alios evangelistas leguntur; sicut apud hunc inveniuntur multa quæ illi similiter in sua narratione tacuerunt. Quomodo autem inter se omnes conveniant, nec veritati quæ per alium promitur, ab alio repugnetur, quisquis nosse desiderat, non in his sermonibus, sed in aliis laboriosis litteris quærat (*a*); nec stando et audiendo, sed potius sedendo et legendo, vel legenti aurem mentemque intentissimam præbendo, illa condiscat. Credat tamen antequam sciat, sive id etiam scire in hac vita possit, sive per aliqua impedimenta non possit, nihil ab aliquo evangelista esse conscriptum, quantum ad hos attinet quos in auctoritatem canonicam recepit Ecclesia, quod vel ipsius vel alterius non minus veraci narrationi possit esse contrarium. Nunc itaque hujus beati Joannis narrationem, ut suscepimus tractandam, sine aliorum comparatione videamus, in eis quæ manifesta sunt non immorantes; ut hoc ubi opus est, causa poscente faciamus. Non ergo sic accipiamus quod ait, *Hæc cum dixisset Jesus*, *egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron*, *ubi erat hortus*, *in quem introivit ipse et discipuli ejus*, tanquam continuo post illa verba in illum hortum fuerit ingressus : sed ad hoc valeat quod dictum est, *Hæc cum dixisset Jesus*, ut non eum ante opinemur ingressum, quam illa verba finiret.

2. *Sciebat*, inquit, *et Judas*, *qui tradebat eum*, *locum*. Ordo verborum est, *Sciebat locum qui tradebat eum*. *Quia frequenter*, inquit, *Jesus convenerat illuc cum discipulis suis*. Ibi ergo lupus ovina pelle contectus, et inter oves alto Patrisfamilias consilio toleratus, didicit ubi ad tempus exiguum dispergeret gregem, insidiis appetendo pastorem. *Judas ergo*, inquit, *cum accepisset cohortem*, *et a principibus et Pharisæis ministros*, *venit illuc cum laternis et facibus et armis*. Cohors non Judæorum, sed militum fuit. A præside itaque intelligatur accepta, tanquam ad tenendum reum, servato ordine legitimæ potestatis, ut nullus tenentibus auderet obsistere : quanquam et manus tanta fuerat congregata, et sic armata veniebat, ut vel terreret vel etiam repugnaret, si quisquam Christum defendere auderet. Ita quippe ejus abscondebatur potestas, et obtendebatur infirmitas, ut hæc inimicis necessaria viderentur adversus eum, in quem nihil valuisset nisi quod ipse voluisset; bene utens bonus malis, et faciens bona de malis, ad faciendos bonos ex malis et discernendos bonos a malis.

3. « Jesus itaque, » sicut Evangelista secutus adjungit, « sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, et dicit eis : Quem quæritis? Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego sum. Stabat

(*a*) Mittit ad suos libros de Consensu Evangelistarum.

autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. » Ubi nunc militum cohors, et ministri principum ac Pharisæorum? ubi terror et munimen armorum? Nempe una vox dicentis, *Ego sum*, tantam turbam odiis ferocem armisque terribilem, sine telo ullo percussit, repulit, stravit. Deus enim latebat in carne; et sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut laternis et facibus quæreretur occidendus a tenebris. *Ego sum*, dicit; et impios dejicit. Quid judicaturus faciet, qui judicandus hoc fecit? Quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit? Et nunc ubique per Evangelium, *Ego sum*, dicit Christus; et a Judæis exspectatur Antichristus, ut retro redeant, et in terram cadant, quoniam deserentes cœlestia, terrena desiderant. Certe ad comprehendendum Jesum persecutores cum traditore venerunt, quem quærebant invenerunt, audierunt *Ego sum*: quare non comprehenderunt, sed abierunt retro, et ceciderunt, nisi quia hoc voluit, qui potuit quidquid voluit? Verum si nunquam se ab eis permitteret apprehendi, non quidem illi facerent propter quod venerant, sed nec ipse faceret propter quod venerat. Eum quippe illi occidendum quærebant sæviendo; sed quærebat nos et ipse moriendo. Proinde quia tenere volentibus, nec valentibus, ostendit potestatem suam; jam teneant eum, ut faciat de nescientibus voluntatem suam.

4. « Iterum ergo eos interrogavit: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo quem dixit, Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Si me, » inquit, « quæritis, sinite hos abire. » Inimicos videt[1], et hoc faciunt quod jubet; sinunt eos abire, quos non vult perire. Numquid autem non erant postea morituri? Cur ergo si tunc morerentur, perderet eos, nisi quia nondum sic in eum credebant, quomodo credunt quicumque non pereunt?

5. *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, et percussit servum principis sacerdotum, et abscidit ejus auriculam dexteram. Erat autem nomen servo Malchus.* Solus hic evangelista etiam nomen hujus servi expressit: sicut Lucas solus, quod ejus auriculam Dominus tetigerit, et sanaverit eum (*Luc.* XXII, 51). Malchus autem interpretatur Regnaturus. Quid ergo auris pro Domino amputata et a Domino sanata significat, nisi auditum amputata vetustate renovatum, ut sit in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ (*Rom.* VII, 6)? Quod cui præstitum fuerit a Christo, quis dubitet regnaturum esse cum Christo? Quod autem servus inventus est, et hoc ad illam pertinet vetustatem quæ in servitutem generat, quod est Agar (*Galat.* IV, 24). Sed cum accessit sanitas, figurata est et libertas. Factum tamen Petri Dominus improbavit, et progredi ultra prohibuit dicens: *Mitte gladium in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* In suo quippe facto ille discipulus magistrum defendere voluit, non quod significandum est cogitavit. Et ille igitur ad patientiam commonendus fuit, et hoc ad intelligentiam conscribendum. Quod autem a Patre sibi dicit datum calicem passionis, profecto illud est quod ait Apostolus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum* (*Rom.* VIII, 31, 32). Verum auctor calicis hujus est etiam ipse qui bibit. Unde idem apostolus item dicit: *Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis* (*Ephes.* V, 2).

6. *Cohors autem et tribunus et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum.* Comprehenderunt ad quem non accesserunt: quoniam dies ille, illi vero tenebræ permanserunt; nec audierunt, *Accedite ad eum et illuminamini* (*Psal.* XXXIII, 6). Si enim sic accederent, non eum manibus occidendum, sed recipiendum corde comprehenderent. Nunc autem quando eum illo modo comprehenderunt, tunc ab illo longius recesserunt: et ligaverunt eum a quo solvi potius velle debuerunt. Et erant fortassis in eis qui tunc imposuerunt Christo vincula sua, atque ab eo postea liberati dixerunt, *Disrupisti vincula mea* (*Psal.* CXV, 16). Hæc hodie satis sint; tractabuntur, Deo volente, sermone alio quæ sequuntur.

TRACTATUS CXIII.

Ab eo quod legitur, Et adduxerunt eum ad Annam primum; *usque ad id,* Iterum ergo negavit Petrus, et statim gallus cantavit. *Cap.* XVIII, ℣. 13-27.

1. Posteaquam persecutores tradente Juda comprehensum Dominum ligaverunt, qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis (*Ephes.* V, 2), et cui Pater non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum (*Rom.* VIII, 32); ut intelligatur Judas, non laudabilis utilitate traditionis hujus, sed sceleris voluntate damnabilis: *Adduxerunt eum*, sicut Joannes evangelista narrat, *ad Annam primum.* Nec tacet causam cur ita factum sit: *Erat enim*, inquit, *socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem*, inquit, *Caiphas qui consilium dedit Judæis, Quia expedit unum hominem mori pro populo.* Merito et Matthæus cum id brevius narrare voluisset, eum ad Caipham ductum fuisse commemorat (*Matth.* XXVI, 57); quia et ad Annam prius ideo ductus est, quod socer ejus fuerit: ubi intelligendum est hoc eumdem Caipham fieri voluisse.

2. *Sequebatur autem*, inquit, *Jesum Simon Petrus, et alius discipulus.* Quisnam iste sit discipulus, non temere affirmandum est, quia tacetur. Solet autem se idem Joannes ita significare, et addere, *quem diligebat Jesus* (*Joan.* XIII, 23, *et* XIX, 26). Fortassis ergo et hic ipse est: quisquis tamen sit, sequentia videamus. « Discipulus autem ille, » inquit, « erat notus pontifici, et introivit cum Jesu in atrium pontificis: Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiit ergo alius discipulus qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ et introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit

[1] Thomas Aquinas in Catena legit hic, *Inimicos jubet*, nec admodum inconcinne. M.

ille : Non sum. » Ecce columna firmissima ad unius auræ impulsum tota contremuit. Ubi[1] est illa promittentis audacia, et de se plurimum præfidentis? Ubi sunt verba illa, quando ait, *Quare non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam* (*Joan.* XIII, 37)? Hoccine est sequi magistrum, se negare discipulum? siccine pro Domino anima ponitur, ut hoc ne fiat, vox ancillæ formidetur? Sed quid mirum si Deus vera prædixit, homo autem falsa præsumpsit? Sane in ista quæ jam cœpta est negatione apostoli Petri, debemus advertere non solum ab eo negari Christum, qui dicit eum non esse Christum; sed ab illo etiam qui cum sit, negat se esse christianum. Dominus enim non ait Petro, Discipulum meum te negabis; sed, *me negabis* (*Matth.* XXVI, 34). Negavit ergo ipsum, cum se negavit ejus esse discipulum. Quid autem aliud isto modo quam se negavit esse Christianum? Quamvis enim discipuli Christi nondum appellarentur hoc nomine : post ascensionem quippe ejus in Antiochia primum cœperunt appellari discipuli Christiani (*Act.* XI, 26) : jam tamen erat res ipsa illo postea vocabulo nuncupanda, jam erant discipuli qui postea appellati sunt Christiani; et hoc commune nomen, sicut communem fidem, etiam ad posteros transmiserunt. Qui ergo se Christi negavit esse discipulum, ipsam rem negavit, cujus nomen est vocari christianum. Quam multi postea, non dico senes et anus, in quibus hujus vitæ satietas facilius potuit mortem pro Christi confessione contemnere; nec solum juventus utriusque sexus, de qua ætate convenienter videtur exigi fortitudo; sed etiam pueri puellæque potuerunt, et innumerabilis societas sanctorum martyrum in regnum cœlorum fortiter et violenter intravit, quod tunc iste non potuit, qui claves regni ejus accepit (*Matth.* XVI, 19)? Ecce unde dictum est, *Sinite hos abire*, quando se pro nobis tradidit, qui suo sanguine nos redemit; ut impleretur sermo quem dixit, *Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Utique enim Petrus si negato Christo hinc iret, quid aliud quam periret?

3. *Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se.* Non hiems erat, sed tamen frigus erat : quod solet etiam æquinoctio verno aliquando contingere. « Erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis ejus, et de doctrina ejus. Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga[2] et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil : quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis : ecce hi sciunt quæ dixerim ego. » Non prætereunda nascitur quæstio, quomodo dixerit Dominus Jesus, *Ego palam locutus sum mundo;* et maxime illud quod ait, *In occulto locutus sum nihil.* Nonne in hoc ipso recentiore sermone, quem post cœnam discipulis est locutus, ait illis : *Hæc in proverbiis locutus sum vobis : venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre meo annuntiabo vobis* (*Joan.* XVI, 25)? Si ergo ipsis conjunctioribus discipulis suis non loquebatur palam, sed horam promittebat quando palam erat locuturus, quomodo palam locutus est mundo? Deinde illis ipsis suis, sicut aliorum quoque evangelistarum testatur auctoritas, in eorum comparatione qui discipuli ejus non erant, multo utique manifestius loquebatur, quando cum solis erat, remotus a turbis : tunc enim eis et parabolas aperiebat, quas clausas proferebat ad alios. Quid est ergo, *In occulto locutus sum nihil?* Sed intelligendum est ita eum dixisse, *Palam locutus sum mundo;* ac si dixisset, Multi me audierunt. Ipsum autem *palam* modo quodam erat palam, modo autem quodam non erat palam. Palam quippe erat, quia multi audiebant; et rursum non erat palam, quia non intelligebant. Et quod seorsum discipulis loquebatur, non in occulto utique loquebatur. Quis namque in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur; cum scriptum sit, *In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum* (*Deut.* XIX, 15) : præsertim si hoc loquitur paucis, quod per eos velit innotescere multis; sicut ipse Dominus ait illis, quos adhuc paucos habebat, *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicate super tecta* (*Matth.* X, 27)? Ergo et hoc ipsum quod ab ipso dici videbatur occulte, quodammodo non dicebatur in occulto : quia non ita dicebatur, ut ab eis quibus dictum fuerat, taceretur; sed ita potius, ut usquequaque prædicaretur. Sic ergo dici potest aliquid et palam simul et non palam, vel in occulto simul et non in occulto, quomodo dictum est, *Ut videntes videant, et non videant* (*Marc.* IV, 12). Quomodo enim *videant*, nisi quia palam, non in occulto; et quomodo idem ipsi rursus *non videant*, nisi quia non palam, sed in occulto? Ea tamen ipsa quæ audierant et non intellexerant, talia erant, ut non possent juste ac veraciter criminari : et quotiescumque interrogando tentarunt, ut invenirent unde accusarent eum, sic eis respondit, ut omnes eorum retunderentur doli, et calumniæ frustrarentur. Ideo dicebat, *Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sum ipsis : ecce hi sciunt quæ dixerim ego.*

4. *Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes pontifici? Respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis?* Quid ista responsione verius, mansuetius, justius? Ejus est enim de quo prophetica vox præcesserat, *Intende, et prospere procede, et regna; propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam* (*Psal.* XLIV, 5). Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percussit, aut cœlesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut aliqua hujusmodi qualibet pœna, vel etiam graviore puniri? Quid enim horum per potentiam jubere non potuisset per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset qua vincitur mundus? Hic dicet aliquis : Cur non fecit quod ipse præcepit (*Matth.* V, 39)? percutienti enim non

[1] Hæc verba, *columna firmissima ad unius auræ impulsum tota contremuit. Ubi*, non exstant in Mss.
[2] Mss., *in synagogis*.

sic respondere, sed maxillam debuit alteram præbere [1]. Quid quod et veraciter, mansuete, justeque respondit, et non solum alteram maxillam iterum percussuro, sed totum corpus figendum præparavit in ligno? Et hinc potius demonstravit, quod demonstrandum fuit, sua scilicet magna illa præcepta patientiæ non ostentatione corporis, sed cordis præparatione facienda. Fieri enim potest ut alteram maxillam visibiliter præbeat homo et iratus. Quanto ergo melius et respondet vera placatus, et ad perferenda graviora tranquillo animo fit paratus? Beatus est enim qui in omnibus quæ injuste pro justitia patitur, potest veraciter dicere, *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum :* hinc fit quippe quod sequitur, *Cantabo et psallam* (*Psal.* LVI, 8); quod Paulus et Barnabas (*a*) etiam in vinculis durissimis facere potuerunt.

5. Sed ad narrationis evangelicæ sequentia redeamus. *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.* Ad illum, sicut Matthæus dicit, ab initio ducebatur, quoniam ipse erat illius anni princeps sacerdotum. Alternos quippe intelligendi sunt agere solere annos ambo pontifices, id est principes sacerdotum, qui erant illo tempore Annas et Caiphas, quos Lucas evangelista commemorat, narrans quo tempore cœperit Domini præcursor Joannes prædicare regnum cœlorum, et congregare discipulos. Sic enim dicit: *Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha, factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto* (*Luc.* III, 2), et cætera. Proinde isti ambo pontifices vicissim suos annos agebant : et erat annus Caiphæ quando passus est Christus. Ideo secundum Matthæum cum comprehensus esset, ad eum ductus est : sed prius ad Annam secundum Joannem venerunt cum illo; non quia collega, sed quia socer ejus erat. Et credendum est secundum voluntatem Caiphæ id esse factum, vel etiam domos eorum ita fuisse positas, ut non deberet Annas a transeuntibus præteriri.

6. Sed cum dixisset Evangelista quod eum ligatum miserit Annas ad Caipham, reversus est ad locum narrationis, ubi reliquerat Petrum, ut explicaret quod in domo Annæ de trina ejus negatione contigerat. *Erat autem*, inquit, *Simon Petrus stans et calefaciens se.* Hoc recapitulat quod ante jam dixerat : deinde quæ secuta sunt jungit. *Dixerunt ergo ei : Numquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, et dixit : Non sum.* Jam semel negaverat; ecce iterum. Deinde ut tertia negatio compleatur, *Dicit unus ex servis pontificis, cognatus ejus cujus abscidit Petrus auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negavit Petrus, et statim gallus cantavit.* Ecce medici completa est prædictio, ægroti convicta præsumptio. Non enim factum est quod iste dixerat, *Animam meam pro te ponam;* sed factum est quod ille prædixerat, *Ter me negabis* (*Joan.* XIII, 38). Sed trina Petri negatione completa, jam et iste sermo compleatur, ut deinceps quæ de Domino apud Pontium Pilatum præsidem gesta sunt, ab alio consideremus exordio.

[1] Decem Mss., *præparare.*

(*a*) Fortasse legendum *Silas*, ex Act. XVI, 25.

TRACTATUS CXIV.

Ab eo loco, Adducunt ergo Jesum ad Caipham in prætorium; *usque ad id*, Ut sermo Jesu impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus. *Cap.* XVIII, ℣. 28-32.

1. Quæ cum Domino vel de Domino nostro Jesu Christo apud Pontium Pilatum præsidem gesta sint, quantum Joannes evangelista indicat, deinde videamus. Redit enim ad locum narrationis suæ ubi eam reliquerat, ut explicaret Petri negationem. Jam quippe dixerat, *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem* (*Joan.* XVIII, 24) : atque inde regressus ubi dimiserat Petrum calefacientem se ad ignem in atrio, posteaquam totam ejus negationem, quæ ter facta est, terminavit, *Adducunt ergo Jesum*, inquit, *ad Caipham* [1] *in prætorium.* Ad Caipham quippe ab Anna collega et socero ejus dixerat missum. Sed si ad Caipham, cur in prætorium? Quod nihil aliud vult intelligi, quam ubi præses Pilatus habitabat. Aut igitur aliqua urgente causa de domo Annæ, quo ad audiendum Jesum ambo convenerant, Caiphas perrexerat ad prætorium præsidis, et socero suo Jesum reliquerat audiendum : aut in domo Caiphæ prætorium Pilatus acceperat, et tanta domus erat, ut seorsum habitantem dominum suum, seorsum judicem ferret.

2. *Erat autem mane, et ipsi*, id est qui ducebant Jesum : *non introierunt in prætorium*, hoc est in eam partem domus quam Pilatus tenebat, si ipsa erat domus Caiphæ. Cur autem non introierunt in prætorium, exponens causam, *Ut non contaminarentur*, inquit, *sed ut manducarent Pascha.* Dies enim agere cœperant azymorum : quibus diebus contaminatio illis erat in alienigenæ habitaculum intrare. O impia cæcitas! Habitaculo videlicet contaminarentur alieno, et non contaminarentur scelere proprio? Alienigenæ judicis prætorio contaminari timebant, et fratris innocentis sanguine non timebant : ut hoc solum interim dicam, ubi rea malorum conscientia tenebatur. Nam quod etiam Dominus erat, qui eorum impietate ducebatur ad mortem, et vitæ dator occidebatur; non eorum conscientiæ, sed ignorantiæ deputetur.

3. *Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt, et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Interrogentur atque respondeant ab immundis spiritibus liberati, languidi sanati, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui resurgentes, et quod omnia superat, stulti sapientes, utrum sit malefactor Jesus. Sed ista dicebant, de quibus per prophetam jam ipse prædixerat, *Retribuebant mihi mala pro bonis* (*Psal.* XXXIV, 12).

[1] Sic etiam in libro tertio de Consensu Evangelistarum, cap. 7. At in sacris Bibliis habetur nunc, *apo tou Caipha, a Caipha.*

4. *Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum Legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam.* Quid est quod loquitur insana crudelitas? An non interficiebant, quem interficiendum offerebant? An forte crux non interficit? Sic desipiunt, qui non sectantur, sed insectantur sapientiam. Quid est autem, *Nobis non licet interficere quemquam?* Si malefactor est, cur non licet? Nonne Lex eis præcepit, ne malefactoribus, præsertim (qualem istum putabant) a suo Deo seductoribus parcant (*Deut.* XIII, 5)? Sed intelligendum est eos dixisse non sibi licere interficere quemquam, propter diei festi sanctitatem, quem celebrare jam cœperant; propter quem de ingressu etiam prætorii contaminari metuebant. Itane obduruistis, falsi Israelitæ? itane omnem sensum nimia malitia perdidistis, ut ideo vos a sanguine innocentis impollutos esse credatis, quia eum fundendum alteri tradidistis? Numquid et Pilatus illum, qui potestati ejus a vobis ingeritur occidendus, suis est manibus occisurus? Si non eum voluistis occidi, si non insidiati estis, si non vobis tradendum pecunia comparastis, si non comprehendistis, vinxistis, adduxistis, si non occidendum manibus obtulistis, vocibus poposcistis, non eum a vobis interfectum esse jactate. Si autem illis omnibus vestris præcedentibus factis, etiam *Crucifige, crucifige,* clamastis (*Joan.* XIX, 6); audite quod contra vos etiam propheta clamat : *Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum machæra acuta* (*Psal.* LVI, 5). Ecce quibus armis, quibus sagittis, qua machæra justum interfecistis, quando vobis interficere quemquam non licere dixistis. Hinc est quod ad comprehendendum Jesum, cum sacerdotum non venissent principes, sed misissent; Lucas tamen evangelista in eodem narrationis suæ loco ait : *Dixit autem,* inquit, *Jesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum, et magistratus templi, et seniores : Quasi ad latronem existis* (*Luc.* XXII, 52), et cætera. Sicut ergo principes sacerdotum non per seipsos, sed per eos quos miserant ad comprehendendum Jesum, quid aliud quam ipsi in suæ jussionis potestate venerunt? sic omnes qui crucifigendum Christum impiis vocibus clamaverunt, non quidem per seipsos eum, sed tamen ipsi per illum qui eorum clamore ad hoc nefas impulsus est, occiderunt.

5. Quod vero Joannes evangelista subjungit, *Ut sermo Jesu impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus :* si mortem crucis hic velimus accipere, tanquam ideo dixerint Judæi, *Nobis non licet interficere quemquam,* quia interfici aliud est, aliud crucifigi; non video quomodo id possit consequenter intelligi, cum hoc ad Pilati verba responderint, quibus eis dixerat, *Accipite eum vos, et secundum Legem vestram judicate eum.* Numquid ergo eum non poterant accipere, et ipsi eum crucifigere, si per tale genus supplicii interfectionem cujusquam vitare cupiebant? Quis autem non videat quam sit absurdum eis licere quemquam crucifigere, quibus non licet quemquam interficere? Quid quod ipse Dominus eamdem mortem suam, id est mortem crucis, etiam interfectionem vocat, sicut legimus apud Marcum, ubi ait : « Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum et Scribis, et damnabunt eum morte, et tradent eum Gentibus; et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum, et tertia die resurget » (*Marc.* X, 33, 34)? Nimirum ergo ista dicendo significavit Dominus qua esset morte moriturus : non quod hic mortem crucis vellet intelligi, sed quod eum Judæi fuissent Gentibus tradituri, hoc est Romanis. Nam Pilatus Romanus erat, eumque in Judæam Romani præsidem miserant. Ut ergo iste sermo Jesu impleretur, id est, ut eum sibi traditum Gentes interficerent, quod Jesus futurum esse prædixerat; ideo Pilatus qui judex Romanus erat, cum vellet eum reddere Judæis, ut secundum Legem suam judicarent eum, noluerunt eum accipere dicentes, *Nobis non licet interficere quemquam.* Ac sic impletus est sermo Jesu, quem de sua morte prædixit, ut eum a Judæis traditum interficerent Gentes; minore scelere quam Judæi, qui se isto modo ab ejus interfectione velut alienos facere voluerunt, non ut eorum innocentia, sed ut dementia monstraretur.

TRACTATUS CXV.

De eo quod dicitur, Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus; *usque ad id,* Erat autem Barabbas latro. *Cap.* XVIII, ỷ. 33-40.

1. Quid Pilatus dixerit Christo, quidve Pilato ille responderit, isto sermone considerandum atque tractandum est. Cum enim dictum esset Judæis, « Accipite eum vos, et secundum Legem vestram judicate eum » atque illi respondissent, « Nobis non licet occidere quemquam; introivit iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei : Tu es rex Judæorum? Et respondit Jesus : A temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? » Sciebat utique Dominus et quod ipse interrogavit, et quod ille responsurus fuit; sed tamen dici voluit, non ut ipse sciret, sed ut scriberetur quod nos voluit ut sciremus. « Respondit Pilatus : Numquid ego Judæus sum? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti? Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis : nunc autem regnum meum non est hinc. » Hoc est quod bonus magister scire nos voluit : sed prius nobis demonstranda fuerat vana hominum de regno ejus opinio, sive Gentium, sive Judæorum, a quibus id Pilatus audierat : quasi propterea morte fuisset plectendus, quod illicitum affectaverit regnum; vel quoniam solent regnaturis invidere regnantes, et videlicet cavendum erat ne ejus regnum sive Romanis, sive Judæis esset adversum. Poterat autem Dominus quod ait, *Regnum meum non est de hoc mundo,* etc., ad primam interrogationem præsidis respondere, ubi ei dixit, *Tu es rex Judæorum?* sed eum vicissim interrogans utrum hoc a semetipso diceret, an audisset ab aliis, illo respondente ostendere voluit hoc sibi apud illum fuisse a Judæis velut crimen objectum : patefaciens nobis co-

gitationes hominum, quas ipse noverat, quoniam vanæ sunt (*Psal.* XCIII, 11); eisque post responsionem Pilati, jam Judæis et Gentibus opportunius aptiusque respondens, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quod si interroganti Pilato continuo respondisset; non etiam Judæis, sed solis Gentibus hoc de se opinantibus respondisse videretur. Nunc vero quoniam respondit Pilatus, *Numquid ego Judæus sum? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi;* abstulit a se suspicionem, qua posset putari a semetipso dixisse quod Jesum regem dixerat esse Judæorum, id se a Judæis audisse demonstrans. Deinde dicendo, *Quid fecisti?* satis ostendit illud ei pro crimine objectum : tanquam diceret, Si regem te negas, quid fecisti ut69 traderéris mihi? Quasi mirum non esset si puniendus judici traderetur, qui se diceret regem : si autem hoc non diceret, quærendum ab illo esset quid aliud forte fecisset, unde tradi judici dignus esset.

2. Audite ergo, Judæi et Gentes; audi, circumcisio; audi, præputium; audite, omnia regna terrena : Non impedio dominationem vestram in hoc mundo, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Nolite metuere metu vanissimo quo Herodes ille major, cum Christus natus nuntiaretur, expavit, et tot infantes ut ad eum mors perveniret, occidit (*Matth.* II, 3, 16), timendo magis quam irascendo crudelior, *Regnum*, inquit, *meum non est de hoc mundo.* Quid vultis amplius? Venite ad regnum quod non est de hoc mundo; venite credendo, et nolite sævire metuendo. Dicit quidem in prophetia de Deo Patre, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* (*Psal.* II, 6); sed Sion illa et mons ille non est de hoc mundo. Quod est enim ejus regnum nisi credentes in eum, quibus dicit, *De mundo non estis, sicut et ego non sum de mundo?* Quamvis eos esse vellet in mundo : propter quod de illis dixit ad Patrem, *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos ex malo* (*Joan.* XVII, 16, 15). Unde et hic non ait, *Regnum meum non est* in hoc mundo; sed, *non est de hoc mundo.* Et cum hoc probaret dicens, *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis :* non ait, *Nunc autem regnum meum* non est hic; sed, *non est hinc.* Hic est enim regnum ejus usque in finem sæculi, habens inter se commixta zizania usque ad messem; messis enim finis est sæculi, quando messores venient, id est Angeli, et colligent de regno ejus omnia scandala (*Matth.* XIII, 38-41); quod utique non fieret, si regnum ejus non esset hic. Sed tamen non est hinc; quia peregrinatur in mundo : regno suo quippe dicit, *De mundo non estis, sed ego vos elegi de mundo* (*Joan.* XV, 19). Erant ergo de mundo, quando regnum ejus non erant, sed ad mundi principem pertinebant. De mundo est ergo quidquid hominum a vero quidem Deo creatum, sed ex Adam vitiata atque damnata stirpe generatum est : factum est autem regnum non jam de mundo, quidquid inde in Christo regeneratum est. Sic enim nos Deus eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii charitatis suæ (*Coloss.* I, 13) : de quo regno dicit, *Regnum meum non est de hoc mundo;* vel, *Regnum meum non est hinc.*

3. *Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu? Respondit Jesus : Tu dicis quia rex sum ego.* Non quia regem se timuit confiteri; sed *Tu dicis* ita libratum est, ut neque se regem neget (rex est enim cujus regnum non est de hoc mundo), neque regem talem se esse fateatur, cujus regnum putetur esse de hoc mundo. Talem quippe ille sentiebat qui dixerat, *Ergo rex es tu?* cui responsum est, *Tu dicis quia rex sum ego.* Dictum est enim, *Tu dicis*, ac si dictum esset, carnalis carnaliter dicis.

4. Deinde subjungit : *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Non est producenda hujus pronominis syllaba, quod ait, *In hoc natus sum*, tanquam dixerit, In hac re natus sum : sed corripienda, tanquam dixerit, Ad hanc rem natus sum, vel ad hoc natus sum; sicut ait, *Ad hoc veni in mundum.* In græco namque Evangelio nihil est hujus locutionis ambiguum (*a*). Unde manifestum est eum temporalem nativitatem suam hic commemorasse, qua incarnatus venit in mundum; non illam sine initio qua Deus erat, per quem Pater condidit mundum. In hoc ergo se dixit natum, id est propter hoc natum, et ad hoc venisse in mundum, utique nascendo de Virgine, ut testimonium perhibeat veritati. Sed quia non omnium est fides (II *Thess.* III, 2), adjunxit, atque ait : *Omnis qui est ex veritate, audit meam vocem.* Audit utique interioribus auribus, id est, obaudit meæ voci : quod tantumdem valeret si diceret, Credit mihi. Cum itaque Christus testimonium perhibet veritati, profecto testimonium perhibet sibi : ejus quippe vox est, *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6) : et dixit alio quoque loco, *Ego testimonium perhibeo de me* (*Id.* VIII, 18). Quod vero ait, *Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam,* gratiam commendavit qua secundum propositum vocat. De quo proposito dicit Apostolus, *Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum Dei vocati sunt* (*Rom.* VIII, 28); propositum scilicet vocantis, non vocatorum : quod alibi apertius ita positum est, *Collabora Evangelio secundum virtutem Dei, salvos nos facientis et vocantis vocatione sua sancta; non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum et gratiam* (II *Tim.* I, 8, 9). Nam si naturam cogitemus in qua creati sumus, cum omnes veritas creaverit, quis non est ex veritate? Sed non omnes sunt quibus ut audiant veritatem, hoc est ut obaudiant veritati, et credant in veritatem, ex ipsa veritate præstatur; nullis procul dubio præcedentibus meritis, ne gratia non sit gratia. Si enim dixisset, Omnis qui audit meam vocem, ex veritate est; ideo dictus ex veritate putaretur, quia obtemperat veritati : non autem hoc ait; sed ait, *Omnis qui est ex veritate, audit meam vocem.* Ac per hoc non ideo est ex veritate, quia ejus audit vocem; sed ideo audit, quia ex veritate est, id est, quia hoc illi donum ex veritate collatum est. Quod quid est aliud, quam

(*a*) Græc., *eis touto.*

donante Christo credit in Christum?

5. *Dixit ei Pilatus : Quid est veritas?* Nec exspectavit audire responsum; sed *cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, et dixit eis : Ego nullam invenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha; vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum?* Credo cum dixisset Pilatus, *Quid est veritas?* in mentem illi venisse continuo consuetudinem Judæorum, qua solebat eis dimitti unus in Pascha : et ideo non exspectavit ut responderet ei Jesus quid est veritas, ne mora fieret, cum recoluisset morem quo posset eis per Pascha dimitti; quod eum valde voluisse manifestum est. Avelli tamen ex ejus corde non potuit Jesum regem esse Judæorum, tanquam hoc ibi, sicut in titulo, ipsa veritas fixerit, de qua quid esset interrogavit. Sed hoc audito, *Clamaverunt rursum omnes dicentes : Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.* Non reprehendimus, o Judæi, quod per Pascha liberatis nocentem, sed quod occiditis innocentem : quod tamen nisi fieret, verum Pascha non fieret. Sed umbra veritatis a Judæis errantibus tenebatur, et mirabili dispensatione divinæ sapientiæ per homines fallaces ejusdem umbræ veritas implebatur; quia ut verum Pascha fieret, Christus velut ovis immolabatur. Hinc ea sequuntur quæ injuriosa Christo Pilatus et cohors ejus ingessit; sed alia disputatione tractanda sunt.

TRACTATUS CXVI.

In id quod sequitur, Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit; *usque ad id,* Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. *Cap.* XIX, ℣. 1-16.

1. Cum Judæi clamassent, non Jesum sibi a Pilato dimitti velle per Pascha, sed Barabbam latronem; non salvatorem, sed interfectorem; non datorem vitæ, sed ademptorem : *Tunc apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit.* Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi ut ejus injuriis Judæi satiati sufficere sibi existimarent, et usque ad ejus mortem sævire desisterent. Ad hoc pertinet quod idem præses cohortem suam etiam permisit facere quæ sequuntur; aut fortassis et jussit, quamvis hoc Evangelista tacuerit. Dixit enim quid deinde fecerint milites; Pilatum tamen id jussisse non dixit. *Et milites,* inquit, *plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum et dicebant : Ave, rex Judæorum. Et dabant ei alapas.* Sic implebantur quæ de se prædixerat Christus : sic martyres informabantur ad omnia quæ persecutores libuisset facere, perferenda; sic paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia; sic regnum quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat; sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria.

2. *Exiit iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco eum foras, ut cognoscatis quia in eo nullam causam invenio. Exiit ergo Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum. Et dicit eis : Ecce homo.* Hinc apparet non ignorante Pilato hæc a militibus facta, sive jusserit ea, sive permiserit; illa scilicet causa, quam supra diximus, ut hæc ejus ludibria inimici libentissime biberent, et ulterius sanguinem non sitirent. Egreditur ad eos Jesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum, non clarus imperio, sed plenus opprobrio; et dicitur eis, *Ecce homo :* si regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis; flagellatus est, spinis coronatus est, ludibriosa veste amictus est, amaris conviciis illusus est, alapis cæsus est; fervet ignominia, frigescat invidia. Sed non frigescit, inardescit potius et increscit.

3. « Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes : Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite; ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Judæi : Nos Legem habemus, et secundum Legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. » Ecce altera major invidia. Parva quippe illa videbatur, velut affectatæ illicito ausu, regiæ potestatis : et tamen neutrum sibi Jesus mendaciter usurpavit; sed utrumque verum est, et unigenitus est Dei Filius, et rex ab eo constitutus super Sion montem sanctum ejus : et utrumque nunc demonstraretur, nisi quanto erat potentior, tanto mallet esse patientior.

4. *Cum ergo audisset Pilatus hoc verbum, magis timuit; et ingressus est prætorium iterum, et dicit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei.* Hoc silentium Domini nostri Jesu Christi non semel factum, collatis omnium Evangelistarum narrationibus reperitur, et apud principes sacerdotum, et apud Herodem, quo eum, sicut Lucas indicat, miserat Pilatus audiendum, et apud ipsum Pilatum (*Matth.* XXVI, 63, XXVII, 14; *Marc.* XIV, 61, XV, 5; *Luc.* XXIII, 7-9, *et Joan.* XIX, 9) : ut non frustra de illo prophetia præcesserit, *Sicut agnus coram tondente se fuit sine voce, sic non aperuit os suum* (*Isai.* LIII, 7); tunc utique quando interrogantibus non respondit. Quamvis enim quibusdam interrogationibus sæpe responderit; tamen propter illa in quibus noluit respondere, ad hoc data est de agno similitudo, ut in suo silentio non reus, sed innocens haberetur. Cum ergo judicaretur, ubicumque non aperuit os suum, sicut agnus non aperuit; id est, non sicut male sibi conscius qui de peccatis convincebatur suis, sed sicut mansuetus qui pro peccatis immolabatur alienis.

5. *Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus : Non haberes adversum me potestatem ullam, nisi tibi datum esset desuper : propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Ecce respondit, et tamen ubicumque non respondit, non sicut reus sive dolosus, sed sicut agnus, hoc est, sicut simplex atque innocens non aperuit os suum. Proinde ubi non respondebat, sicut ovis silebat; ubi respondebat, sicut pastor docebat. Discamus ergo quod dixit, quod et per Apostolum docuit, quia *non est potestas nisi a Deo* (*Rom.* XIII, 1); et quia plus peccat qui potestati innocentem occidendum livore tradit,

quam potestas ipsa si eum timore alterius majoris potestatis occidit. Talem quippe Pilato Deus dederat potestatem, ut etiam esset sub Cæsaris potestate. Quapropter *non haberes*, inquit, *adversum me potestatem ullam*, id est, quantulamcumque habes, *nisi* hoc ipsum quidquid est, *tibi esset datum desuper*. Sed quoniam scio quantum sit; non enim tantum est, ut tibi omni modo liberum sit : *propterea qui tradidit me tibi, majus peccatum habet*. Ille quippe me tuæ potestati tradidit invidendo, tu vero eamdem potestatem in me exserturus es metuendo. Nec timendo quidem, præsertim innocentem, homo hominem debet occidere : sed tamen id zelando facere multo magis malum est, quam timendo. Et ideo non ait verax magister, *Qui me tradidit tibi*, ipse habet peccatum; tanquam ille non haberet : sed ait, *majus habet peccatum;* ut etiam se habere intelligeret. Neque enim propterea illud nullum est, quia hoc majus est.

6. *Exinde quærebat Pilatus dimittere eum.* Quid est hoc quod dictum est, *exinde*, quasi antea non quærebat? Lege superiora, et invenies jamdudum eum quærere dimittere Jesum. *Exinde* itaque intelligendum est, Propter hoc, id est, ex hac causa, ne haberet peccatum occidendo innocentem sibi traditum, quamvis minus peccans quam Judæi, qui eum illi tradiderant occidendum. *Exinde* ergo, id est, ideo ne hoc peccatum faceret, non nunc primum, sed ab initio *quærebat eum dimittere.*

7. *Judæi autem clamabant dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Majorem timorem se ingerere putaverunt Pilato, terrendo de Cæsare, ut occideret Christum, quam superius ubi dixerunt, *Nos Legem habemus, et secundum Legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Eorum Legem quippe ille non timuit, ut occideret [1] : sed magis Filium Dei timuit, ne occideret. Nunc vero non sic potuit contemnere Cæsarem auctorem potestatis suæ, quæmadmodum Legem gentis alienæ.

8. Adhuc tamen Evangelista sequitur, et dicit : *Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta.* Qua hora sit Dominus crucifixus, propter evangelistæ alterius testimonium qui dixit, *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum* (*Marc.* xv, 25), quoniam magna disceptatio solet oboriri; cum ad ipsum locum ubi crucifixus narratur ventum fuerit, ut potuerimus, si Dominus voluerit, disseremus (*a*). Cum ergo pro tribunali sedisset Pilatus, *Dicit Judæis : Ecce rex vester. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dixit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam?* Adhuc terrorem quem de Cæsare ingesserant, superare conatur, de ignominia eorum volens eos frangere dicendo, *Regem vestrum crucifigam?* quos de ignominia Christi mitigare non potuit : sed timore mox vincitur.

[1] Plerique Mss., *timuit occidere.* Unus. *timuit offendere.*
(*a*) Vid. infra, Tract. 117, n. 1 2.

9. *Responderunt* enim *pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur.* Apertissime quippe contra Cæsarem venire videretur, si regem se non habere nisi Cæsarem profitentibus, alium regem vellet ingerere dimittendo impunitum, quem propter hos ausus ei tradiderant occidendum. *Tradidit ergo eis illum ut crucifigeretur.* Sed numquid aliud et ante cupiebat quando dicebat, *Accipite eum vos, et crucifigite;* vel etiam superius, *Accipite eum vos, et secundum Legem vestram judicate eum?* Cur autem illi tantopere noluerunt, dicentes, *Nobis non licet interficere quemquam* (*Joan.* XVIII, 31); et omni modo instantes, ut non ab eis, sed a præside occideretur, et ideo eum occidendum accipere recusantes, si nunc eum accipiunt occidendum? Aut si hoc non fit, cur dictum est, *Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur?* An aliquid interest? Plane interest. Non est enim dictum, *Tunc ergo tradidit eis illum* ut crucifigerent eum; sed, *ut crucifigeretur*, id est, ut judicio ac potestate præsidis crucifigeretur. Sed ideo illis traditum dixit Evangelista, ut eos crimini implicatos, a quo alieni esse conabantur, ostenderet : non enim faceret hoc Pilatus, nisi ut id quod eos cupere cernebat, impleret. Quod autem sequitur, *Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt*, potest ad milites jam referri apparitores præsidis. Nam postea evidentius dicitur, *Milites ergo cum crucifixissent eum* (*Joan.* XIV, 23) : quamvis evangelista etiamsi totum Judæis tribuit, merito facit; ipsi enim susceperunt quod avidissime flagitaverunt, et ipsi fecerunt quidquid ut fieret extorserunt. Sed hæc sequentia alio sermone tractanda sunt.

TRACTATUS CXVII.

De eo quod sequitur, Et bajulans sibi crucem, exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum; *usque ad id*, Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi. *Cap.* XIX, ℣. 17-22.

1. Judicante atque damnante Pilato pro tribunali, Dominum Jesum Christum hora quasi sexta susceperunt, et eduxerunt. *Et bajulans sibi crucem, exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum, hebraice Golgotha, ubi crucifixerunt eum.* Quid est ergo quod Marcus evangelista dicit, *Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum* (*Marc.* xv, 25); nisi quia hora tertia crucifixus est Dominus linguis Judæorum, hora sexta manibus militum? Ut intelligamus horam quintam jam fuisse transactam, et aliquid de sexta cœptum quando sedit pro tribunali Pilatus, quæ dicta est a Joanne hora quasi sexta : et cum duceretur, et ligno cum duobus latronibus configeretur, et juxta ejus crucem gererentur quæ gesta narrantur, hora sexta integra compleretur; ex qua hora usque ad nonam sole obscurato, tenebras factas trium evangelistarum, Matthæi, Marci et Lucæ contestatur auctoritas (*Matth.* XXVII, 45; *Marc.* xv, 33, *et Luc.* XXIII, 44). Sed quoniam Judæi facinus interfecti Christi a se in Romanos, id est, in Pilatum et ejus milites transferre conati sunt; propterea Marcus suppressa ea hora qua Christus a mili-

tibus crucifixus est, quæ agi sexta jam cœperat, tertiam potius horam recordatus expressit, qua hora intelliguntur apud Pilatum clamare potuisse, *Crucifige, crucifige* (*Joan.* XIX, 6): ut non illi tantum reperiantur crucifixisse Jesum, id est, milites qui eum ligno sexta hora suspenderunt; verum etiam Judæi, qui ut crucifigeretur, hora tertia clamaverunt.

2. Est et alia hujus solutio quæstionis, ut non hic accipiatur hora sexta diei, quia nec Joannes ait, Erat autem hora diei quasi sexta, aut hora quasi sexta; sed ait, *Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta* (*Ibid.* 14). Parasceve autem latine Præparatio est: sed isto verbo græco libentius utuntur Judæi in hujusmodi observationibus, etiam qui magis latine quam græce loquuntur. Erat ergo præparatio Paschæ. *Pascha* vero *nostrum*, sicut dicit Apostolus, *immolatus est Christus* (I *Cor.* v, 7): cujus Paschæ præparationem si ab hora noctis nona computemus (tunc enim videntur principes sacerdotum pronuntiasse immolationem Domini, dicentes, *Reus est mortis* [*Matth.* XXVI, 66]; cum adhuc in domo pontificis audiretur: unde congruenter accipitur inde cœpisse præparationem veri Paschæ, cujus umbra erat Pascha Judæorum, id est, immolationis Christi, ex quo a sacerdotibus pronuntiatus est immolandus), profecto ab ea noctis hora, quæ tunc nona fuisse conjicitur, usque ad horam diei tertiam qua crucifixum esse Christum Marcus evangelista testatur, sex horæ sunt, tres nocturnæ et tres diurnæ. Unde in hac parasceve Paschæ, id est præparatione immolationis Christi, quæ ab hora noctis nona cœperat, quasi sexta agebatur hora; id est, peracta quinta jam sexta currere cœperat, quando Pilatus tribunal ascendit: adhuc enim erat ipsa præparatio, quæ ab hora noctis nona cœperat, donec fieret quæ præparabatur Christi immolatio: quæ facta est hora tertia secundum Marcum, non præparationis, sed diei; eademque sexta non diei, sed præparationis, sex utique horis a noctis nona usque ad diei tertiam computatis. Harum duarum solutionum istius difficilis quæstionis, eligat quisque quam volet. Melius autem quid eligat judicabit, qui de Consensu Evangelistarum quæ operosissime disputata sunt, legerit (*Lib.* 3 *de Consensu Evangelist.*, *cap.* 13, *n.* 40-50). Quod si et aliæ solutiones ejus potuerint inveniri, cumulatius evangelicæ veritatis constantia defendetur adversus calumnias infidelis atque impiæ vanitatis. Nunc ad narrationem Joannis evangelistæ post ista breviter tractata redeamus.

3. *Susceperunt autem*, inquit, *Jesum*, *et eduxerunt: et bajulans sibi crucem, exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum*, *hebraice Golgotha*, *ubi crucifixerunt eum.* Ibat ergo ad locum ubi fuerat crucifigendus, portans crucem suam Jesus. Grande spectaculum: sed si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium: si spectet impietas, grande ignominiæ documentum; si pietas, grande fidei munimentum: si spectet impietas, ridet regem pro virga regni lignum sui portare supplicii; si pietas, videt regem bajulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum: in eo spernendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda sanctorum. Dicturo enim Paulo, *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Galat.* VI, 14), ipsam crucem suam suo gestans humero commendabat; et lucernæ arsuræ quæ sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat (*Matth*, v, 15). *Bajulans* ergo *sibi crucem*, *exiit in eum qui dicitur Calvariæ locum*, *hebraice Golgotha: ubi eum crucifixerunt; et cum eo alios duos hinc et hinc*, *medium autem Jesum.* Isti duo latrones erant, sicut aliorum evangelistarum narratione didicimus, cum quibus crucifixus et inter quos fixus est Christus (*Id.* XXVII, 38, *Marc.* XV, 27, *et Luc.* XXIII, 33): de quo præmissa dixerat prophetia, *Et inter iniquos deputatus est* (*Isai.* LIII, 12).

4. « Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem: erat autem scriptum, Jesus Nazarenus Rex Judæorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Judæorum, quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum hebraice, græce et latine: Rex Judæorum. » Hæ quippe tres linguæ ibi præ cæteris eminebant: hebræa, propter Judæos in Dei Lege gloriantes; græca, propter Gentium sapientes; latina, propter Romanos multis ac pene omnibus jam tunc gentibus imperantes.

5. *Dicebant ergo Pilato pontifices Judæorum: Noli scribere, Rex Judæorum; sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.* O ineffabilem vim divinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium! Nonne occulta vox quædam Pilato intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat, quod tanto ante in Psalmorum litteris prophetatum est, *Ne corrumpas tituli inscriptionem* (*Tit. Psal.* LVI, LVII)? Ecce tituli inscriptionem non corrumpit; quod scripsit, scripsit. Sed etiam pontifices qui hoc corrumpi volebant, quid dicebant? *Noli scribere*, inquiunt, *Rex Judæorum; sed quia ipse dixit, Rex sum Judæorum.* Quid loquimini, insani? Quid fieri contradicitis, quod mutare nullo pacto potestis? Numquid enim propterea non erit verum, quia Jesus ait, *Rex sum Judæorum?* Si corrumpi non potest quod Pilatus scripsit, corrumpi potest quod veritas dixit? Sed Judæorum tantum rex est Christus, an et Gentium? Imo et Gentium. Cum enim dixisset in prophetia, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*, *prædicans præceptum Domini;* ne propter montem Sion solis Judæis eum regem quisquam diceret constitutum, continuo subjecit, *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, *et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 6-8). Unde et ipse jam per os proprium loquens apud Judæos: *Habeo*, inquit, *alias oves quæ non sunt de hoc ovili: oportet me et ipsas adducere*, *et vocem meam audient*, *et erit unus grex et unus pastor* (*Joan.* X, 16). Cur ergo magnum volumus intelligi in hoc titulo sacramentum, in quo scriptum erat, *Rex Judæorum*, si rex est Christus et Gentium? Quia scilicet oleaster factus est par-

ticeps pinguedinis oleæ, non olea particeps facta est amaritudinis oleastri (*Rom.* XI, 17). Nam in eo quod de Christo veraciter scriptus est titulus, *Rex Judæorum*, qui sunt intelligendi Judæi, nisi semen Abrahæ, filii promissionis, qui sunt etiam filii Dei? Quoniam *non qui filii carnis*, ait Apostolus, *hi filii Dei; sed qui filii promissionis, deputantur in semine* (*Id.* IX, 7, 8). Et Gentes erant quibus dicebat, *Si autem vos Christi, ergo Abrahæ semen estis, secundum promissionem hæredes* (*Galat.* III, 29). Rex ergo Judæorum Christus, sed Judæorum circumcisione cordis, spiritu, non littera; quorum laus non ex hominibus, sed ex Deo est (*Rom.* II, 29); pertinentium ad Jerusalem liberam matrem nostram æternam in cœlis, Saram spiritualem, ancillam et filios ejus [1] de domo libertatis ejicientem (*Galat.* IV, 22-31). Ideo enim Pilatus quod scripsit, scripsit; quia Dominus quod dixit, dixit.

TRACTATUS CXVIII.

In hæc verba, Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, *etc. Cap.* XIX, ℣℣. 23, 24.

1. Ea quæ gesta sunt juxta crucem Domini, cum jam crucifixus esset, isto, quantum adjuvat, sermone tractemus. « Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes; unicuique militi partem, et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum: dixerunt ergo ad invicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem. » Factum est quod voluerunt Judæi: non ipsi, sed milites qui parebant Pilato, judicante ipso, crucifixerunt Jesum; et tamen si voluntates, si insidias, si operam, si traditionem, postremo si extorquentes clamores eorum cogitemus, magis utique Judæi crucifixerunt Jesum.

2. Sed de partitione et sortitione vestimentorum ejus non est prætereunter loquendum. Quamvis enim omnes Evangelistæ quatuor hujus rei meminerint, cæteri tamen brevius quam Joannes: et clause illi, iste vero apertissime. Nam Matthæus ait: *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes* (*Matth.* XXVII, 35). Marcus: *Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret* (*Marc.* XV, 24). Lucas: *Dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes* (*Luc.* XXIII, 34). Joannes autem et quot partes de vestimentis ejus fecerint, dixit, id est, quatuor, ut singulas tollerent. Unde apparet quatuor fuisse milites qui in eo crucifigendo præsidi paruerunt. Manifeste quippe ait, *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam*; subaudiendum est, acceperunt: ut iste sit sensus, Acceperunt vestimenta ejus, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem; acceperunt et tunicam. Et sic locutus est, ut de cæteris vestimentis nullam sortem missam esse videamus; sed de tunica quam simul cum cæteris acceperunt, sed non similiter diviserunt. De hac enim sequitur exponens, *Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.* Cur autem de illa sortem miserunt narrans: *Dixerunt ergo*, inquit, *ad invicem, Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit.* Apparet itaque in aliis vestibus æquales eos habuisse partes, ut sortiri necesse non fuerit: in illa vero una non eos habere potuisse singulas partes, nisi scinderetur, ut pannos ejus inutiliter tollerent; quod ne facerent, ad unum eam pervenire sortitione maluerunt. Hujus evangelistæ narrationi consonat etiam propheticum testimonium, quod et ipse continuo subjungens, *Ut scriptura*, inquit, *impleretur dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi, et super vestem meam miserunt sortem.* Non enim, ait, sortiti; sed, *partiti*: nec ait, sortientes partiti sunt; sed in cæteris vestimentis sortem omnino non nominans, postea dixit, *et in vestem meam miserunt sortem*, propter illam reliquam tunicam. De qua re dicam quod ipse donaverit, cum prius eam quæ oboriri potest, tanquam Evangelistæ inter se discrepent, calumniam propulsavero, demonstrans nullius cæterorum verba narrationi Joannis esse contraria.

3. Matthæus enim dicendo, *Diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes*, ad totam divisionem vestimentorum voluit intelligi etiam tunicam pertinere, de qua sortem miserunt; quia utique omnes vestes dividendo, in quibus et illa fuit, de ipsa sortiti sunt. Tale est etiam quod ait Lucas, *Dividentes vestimenta ejus, miserunt sortes*: dividentes enim venerunt ad tunicam, de qua facta est sortitio, ut inter eos universa vestimentorum ejus divisio compleretur. Quid autem interest utrum dicatur, *Dividentes miserunt sortes*, quod ait Lucas; an, *Diviserunt, sortem mittentes*, quod ait Matthæus: nisi quod Lucas dicendo *sortes*, pluralem pro singulari numero posuit; quæ locutio Scripturis sanctis insolita non est: quamvis nonnulli codices *sortem* reperiantur habere (*a*), non *sortes*? Marcus itaque solus videtur aliquam intulisse quæstionem: dicendo enim, *Mittentes sortem super eis, quis quid tolleret*, tanquam super omnibus vestimentis, non super sola tunica sors missa sit, locutus videtur. Sed etiam hic brevitas obscuritatem facit: sic enim dictum est, *Mittentes sortem super eis*, ac si diceretur, Mittentes sortem cum dividerentur: quod et factum est. Omnium quippe vestimentorum ejus divisio completa non esset, nisi sorte claruisset quis etiam illam tunicam tolleret, ut sic contentio dividentium finiretur, vel nulla potius oriretur. Quod ergo ait, *Quis quid tolleret*, quandoquidem hoc sorti deputatur, non ad omnia quæ divisa sunt vestimenta referendum est; sors enim missa est, quis illam tunicam tolleret: de qua quoniam narrare prætermisit qualis fuerit, et quemadmodum æqualibus factis partibus sola remanserit, quæ ne conscinderetur, veniret in sortem; propterea positum est quod ait, *Quis quid tolleret*, id est, quis eam tolleret: tanquam si totum ita dice-

[1] Sic omnes Mss. Editi vero habent, *et filium ejus.*

(*a*) Sic hodie in græco, *clêron*.

retur, Diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis tunicam quæ partibus æqualibus superfuerat, tolleret.

4. Quærat forte aliquis, quid significet in tot partes vestimentorum facta divisio, et de tunica illa sortitio. Quadripartita vestis Domini Jesu Christi, quadripartitam figuravit ejus Ecclesiam, toto scilicet, qui quatuor partibus constat, terrarum orbe diffusam, et omnibus eisdem partibus æqualiter, id est concorditer distributam. Propter quod alibi dicit missurum se Angelos suos, ut colligant electos ejus a quatuor ventis (*Matth.* XXIV, 31): quod quid est, nisi a quatuor partibus mundi, Oriente, Occidente, Aquilone et Meridie? Tunica vero illa sortita, omnium partium significat unitatem, quæ charitatis vinculo continetur. De charitate autem locuturus Apostolus, *Supereminentem*, inquit, *viam vobis demonstro* (I *Cor.* XII, 31): et alio loco ait, *Cognoscere etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi* (*Ephes.* III, 19); itemque alibi, *Super omnia autem hæc charitatem, quæ est vinculum perfectionis* (*Coloss.* III, 14). Si ergo charitas et supereminentiorem habet viam, et supereminet scientiæ, et super omnia præcepta est; merito vestis qua significatur, desuper contexta perhibetur. Inconsutilis autem, ne aliquando dissuatur: et ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit. Sicut in Apostolis cum esset etiam ipse numerus duodenarius, id est quadripartitus in ternos, et omnes essent interrogati, solus Petrus respondit, *Tu es Christus Filius Dei vivi*; et ei dicitur, *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI, 15, 16, 19), tanquam ligandi et solvendi solus acceperit potestatem: cum et illud unus pro omnibus dixerit, et hoc cum omnibus tanquam personam gerens ipsius unitatis acceperit: ideo unus pro omnibus, quia unitas est in omnibus. Unde et hic cum dixisset, *desuper contexta*; addidit, *per totum*. Quod si referamus ad id quod significat, nemo ejus est expers qui pertinere invenitur ad totum: a quo toto, cut græca indicat lingua, catholica vocatur Ecclesia (*a*). In sorte autem quid, nisi Dei gratia commendata est? Sic quippe in uno ad omnes pervenit, cum sors omnibus placuit, quia et Dei gratia in unitate ad omnes pervenit: et cum sors mittitur, non personæ cujusque vel meritis, sed occulto judicio Dei ceditur.

5. Nec ideo ista non aliquid boni significasse quis dixerit, quia per malos facta sunt, non scilicet per eos qui Christum secuti, sed qui sunt persecuti. Quid enim de ipsa cruce dicturi sumus, quæ certe similiter ab inimicis atque impiis Christo facta et impacta est? Et tamen ea significari recte intelligitur quod ait Apostolus, *Quæ sit latitudo, et longitudo, et altitudo, et profundum* (*Ephes.* III, 18). Lata est quippe in ransverso ligno, quo extenduntur pendentis manus; et significat opera bona, in latitudine charitatis: longa est a transverso ligno usque ad terram, ubi dorsum pedesque figuntur; et significat perseverantiam in longitudine temporis usque in finem: alta est in cacumine, quo transversum lignum sursum versus exceditur; et significat supernum finem, quo cuncta opera referuntur; quoniam cuncta quæ latitudine ac longitudine bene ac perseveranter fiunt, propter altitudinem divinorum facienda sunt præmiorum: profunda est in ea parte qua in terra figitur; ibi quippe et occulta est, nec videri potest, sed cuncta ejus apparentia et eminentia inde consurgunt; sicut bona nostra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi ac dijudicari non potest, universa procedunt. Sed etsi crux Christi hoc solum significet quod ait Apostolus, *Qui autem Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis* (*Galat.* V, 24), quam magnum bonum est? Nec tamen facit hoc, nisi concupiscens adversus carnem spiritus bonus, cum illam crucem Christi fecerit inimicus, id est spiritus malus. Postremo quid est, quod omnes noverunt, Signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni significatur; quando per crucem Christi, quam fecerunt mali, in celebratione Sacramentorum ejus bonum nobis omne signatur? Sed hæc hactenus: quæ autem sequuntur, alias, ut Deus opitulabitur, disserendo videbimus.

TRACTATUS CXIX.

Ab eo quod sequitur, Et milites quidem hæc fecerunt; *usque ad id*, Et inclinato capite tradidit spiritum. *Cap.* XIX, ℣. 24-30.

1. Crucifixo Domino, posteaquam divisio vestimentorum ejus etiam sorte missa completa est, quæ deinde narret Joannes evangelista videamus. « Et milites quidem, » inquit, « hæc fecerunt. Stabant autem juxta crucem Jesu, mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus matrem et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ, Mulier, ecce filius tuus: deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. » Hæc nimirum est illa hora de qua Jesus aquam conversurus in vinum, dixerat matri, *Quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea* (*Joan.* II, 4). Hanc itaque horam prædixerat quæ tunc nondum venerat, in qua deberet agnoscere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergo divina facturus, non divinitatis, sed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat: nunc autem humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano. Tunc enim qui Mariam creaverat, innotescebat virtute: nunc vero quod Maria pepererat, pendebat in cruce (*a*).

2. Moralis igitur insinuatur locus. Facit quod faciendum admonet, et exemplo suo suos instruxit præceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus: tanquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis. Ex hac sana doctrina didicerat Paulus apostolus

(*a*) Græc. *olon*, totum.

(*a*) Vid. supra, Tract. 8.

quod docebat, quando dicebat: *Si quis autem suis, et maxime domesticis non providet, fidem negavit, et est infideli deterior* (I *Tim.* v, 8). Quid autem tam cuique domesticum quam parentes filiis, aut parentibus filii? Hujus itaque saluberrimi præcepti ipse magister sanctorum de seipso constituebat exemplum, quando non ut famulæ Deus quam creaverat et regebat, sed ut matri homo de qua creatus fuerat et quam relinquebat, alterum pro se quodammodo filium providebat. Nam cur hoc fecerit, quod sequitur indicat: ait enim Evangelista, *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, de seipso dicens. Sic quippe commemorare se solet, quod eum diligebat Jesus: qui utique omnes, sed ipsum præ cæteris et familiarius diligebat, ita ut in convivio super pectus suum discumbere faceret (*Joan.* XIII, 23); credo ut istius Evangelii, quod per eum fuerat prædicaturus, divinam excellentiam hoc modo altius commendaret.

3. Sed in quæ sua Joannes matrem Domini accepit? Neque enim non ex eis erat qui dixerunt ei, *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.* Sed ibi quoque audierat, Quicumque ista dimiserit propter me, accipiet in hoc sæculo centies tantum (*Matth.* XIX, 27, 29). Habebat ergo ille discipulus centupliciter plura quam dimiserat, in quæ susciperet ejus matrem qui illa donaverat. Sed in ea societate beatus Joannes receperat centuplum, ubi nemo dicebat aliquid suum, sed erant illis omnia communia; sicut in Apostolorum Actibus scriptum est. Sic enim Apostoli erant, quasi nihil habentes, et omnia possidentes (II *Cor.* VI, 10). Quomodo ergo matrem magistri et Domini sui discipulus et famulus accepit in sua, ubi aliquid suum nemo dicebat? An quia paulo post in eodem libro legitur, *Quotquot enim possessores prædiorum vel domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, et ponebant ad pedes Apostolorum: distribuebatur autem unicuique prout opus erat* (*Act.* IV, 32-35), intelligendum est sic distributum fuisse huic discipulo quod opus erat, ut illic etiam beatæ Mariæ tanquam matris ejus portio poneretur; magisque sic debemus accipere quod dictum est, *Ex illa hora suscepit eam discipulus in sua*, ut ad ejus curam quidquid ei esset necessarium pertineret? Suscepit ergo eam in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat; sed officia, quæ propria dispensatione exsequenda curabat.

4. Deinde subjungit: « Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum; illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum. » Quis potest quæ facit, ita disponere, quomodo disposuit homo iste quæ passus est? Sed homo mediator Dei et hominum; homo de quo prædictum legitur, Et homo est, et quis agnoscet eum? quoniam homines per quos hæc fiebant, non agnoscebant hominem Deum. Homo namque apparebat qui Deus latebat; patiebatur hæc omnia qui apparebat, et idem ipse disponebat hæc omnia qui latebat. Vidit ergo quia consummata sunt omnia quæ oportebat ut fierent antequam acciperet acetum et traderet spiritum; atque ut hoc etiam consummaretur quod Scriptura prædixerat, *Et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII, 22), *Sitio*, inquit: tanquam diceret, Hoc minus fecistis, date quod estis. Judæi quippe ipsi erant acetum, degenerantes a vino Patriarcharum et Prophetarum; et tanquam de pleno vase, de iniquitate mundi hujus impleti, cor habentes velut spongiam, cavernosis quodammodo atque tortuosis latibulis fraudulentum. Hyssopum autem cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis, et pectus purgat, ipsius Christi humilitatem congruenter accipimus: quam circumdederunt, et se circumvenisse putaverunt. Unde est illud in psalmo, *Asperges me hyssopo, et mundabor* (*Psal.* L, 9). Christi namque humilitate mundamur; quia nisi humiliasset semetipsum, factus obediens usque ad mortem crucis (*Philipp.* II, 8), non utique sanguis ejus in peccatorum remissionem, hoc est, in nostram mundationem fuisset effusus.

5. Nec moveat quomodo spongia ori ejus potuerit admoveri, qui in cruce fuerat exaltatus a terra. Sicut enim apud alios evangelistas legitur, quod hic prætermisit, in arundine est factum (*Matth.* XXVII, 48, *et Marc.* XV, 36), ut in spongia talis potus ad crucis sublimia levaretur. Per arundinem vero Scriptura significabatur, quæ implebatur hoc facto. Sicut enim lingua dicitur vel græca vel latina, vel alia quælibet sonum significans, qui lingua promitur; sic arundo dici potest littera, quæ arundine scribitur. Sed sonos significantes vocis humanæ usitatissime dicimus linguas: Scripturam vero arundinem dici, quo minus est usitatum, eo magis est mystice figuratum. Faciebat ista populus impius, patiebatur ista misericors Christus. Qui faciebat, quid faceret nesciebat: qui patiebatur autem, non solum quid fieret et cur fieret sciebat, verum etiam de male facientibus bene ipse faciebat.

6. *Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est.* Quid, nisi quod prophetia tanto ante prædixerat? Deinde quia nihil remanserat quod antequam moreretur fieri adhuc oporteret, tanquam ille qui potestatem habebat ponendi animam suam, et iterum sumendi eam (*Joan.* X, 18), peractis omnibus quæ ut peragerentur exspectabat, *Inclinato capite tradidit spiritum.* Quis ita dormit quando voluerit, sicut Jesus mortuus est quando voluit? Quis ita vestem ponit quando voluerit, sicut se carne exuit quando voluit? Quis ita cum voluerit abit, quomodo cum voluit obiit? Quanta speranda vel timenda potestas est judicantis, si apparuit tanta morientis?

TRACTATUS CXX.

Ab eo quod sequitur, Judæi ergo, quoniam parasceve erat, *etc.; usque ad id*, Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportet eum a mortuis resurgere. *Cap.* XIX, ỷ. 31-42, *et cap.* XX, ỷ. 1-9.

1. Posteaquam Dominus Jesus, peractis omnibus quæ ante suam mortem peragi oportere præsciebat,

quando voluit tradidit spiritum, quæ deinde secuta sunt, Evangelista narrante videamus. « Judæi ergo, inquit, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. » Non crura tollerentur, sed hi quibus ideo frangebantur ut morerentur, et auferrentur ex ligno; ne pendentes in crucibus magnum diem festum sui diurni [1] cruciatus horrore fœdarent.

2. « Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.» Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret, Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed, *aperuit:* ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa salutare temperat poculum; hæc et lavacrum præstat, et potum. Hoc prænuntiabat quod Noe in latere arcæ ostium facere jussus est (*Gen.* VI, 16), qua intrarent animalia quæ non erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis (*Id.* II, 22), et appellata est vita materque vivorum (*Id.* III, 20). Magnum quippe significavit bonum, ante magnum prævaricationis malum [2]. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quod de latere dormientis effluxit. O mors unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? quid vulnere isto salubrius?

3. *Et qui vidit*, inquit, *testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus: et ille scit quia vera dicit, ut et vos credatis.* Non dixit, ut et vos sciatis; sed *ut credatis:* scit enim qui vidit, cujus credat testimonio qui non vidit. Magis autem ad fidem credere pertinet quam videre. Nam quid est aliud credere, quam fidem accommodare? *Facta sunt enim hæc*, inquit, *ut Scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit, Videbunt in quem confixerunt.* Duo testimonia de Scripturis reddidit singulis rebus quas factas fuisse narravit. Nam quia dixerat, *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura*, ad hoc pertinet testimonium, *Os non comminuetis ex eo:* quod præceptum est eis qui celebrare Pascha jussi sunt ovis immolatione in veteri Lege, quæ Dominicæ passionis umbra præcesserat. Unde *Pascha nostrum immolatus est Christus* (I *Cor.* V, 7): de quo et Isaias propheta prædixerat, *Sicut ovis ad immolandum ductus est* (*Isai.* LIII, 7). Item quia subjunxerat dicens, *Sed unus militum lancea latus ejus aperuit;* ad hoc pertinet alterum testimonium, *Videbunt in quem confixerunt:* ubi promissus est Christus, in ea qua crucifixus est carne venturus.

4. « Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathia (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum), ut tolleret corpus Jesu: et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu. Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum. » Non ita distinguendum est, ut dicamus, *primum ferens mixturam myrrhæ;* sed ut quod dictum est, *primum*, ad superiorem sensum pertineat. Venerat enim Nicodemus ad Jesum nocte primum, quod idem Joannes narravit in prioribus Evangelii sui partibus (*Joan.* III, 1, 2). Hic ergo intelligendum est ad Jesum, non tunc solum, sed tunc primum venisse Nicodemum; ventitasse autem postea ut fieret audiendo discipulus: quod certe modo in revelatione corporis beatissimi Stephani fere omnibus gentibus declaratur (*a*). *Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire.* Non mihi videtur Evangelista frustra dicere voluisse, *sicut mos est Judæis sepelire:* ita quippe, nisi fallor, admonuit in hujusmodi officiis quæ mortuis exhibentur, morem cujusque gentis esse servandum.

5. *Erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat.* Sicut in Mariæ virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est; ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est. « Ibi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum. » Acceleratam vult intelligi sepulturam, ne advesperasceret; quando jam propter parasceven, quam cœnam puram Judæi latine usitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.

6. *Una autem sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum; et vidit lapidem sublatum a monumento.* Una sabbati est, quem jam diem dominicum propter Domini resurrectionem mos Christianus appellat: quem Matthæus solus in Evangelistis primam sabbati nominavit (*Matth.* XXVIII, 1). *Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum quem amabat Jesus; et dicit eis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum.* Nonnulli codices etiam græci habent, *Tulerunt Dominum meum*, quod videri dictum potest propensiore charitatis vel famulatus affectu; sed hoc in pluribus codicibus quos in promptu habuimus, non invenimus.

7. *Exiit ergo Petrus et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum.* Advertenda hic et commendanda est recapitulatio, quomodo reditum est ad id

[1] Lov., *diuturni.* Alii codices, *diurni.*
[2] In tribus Mss., et apud Alcuinum, post hæc verba, *ante magnum prævaricationis malum*, additur, *in habitu jacentis et dormientis.*

(*a*) Eam revelationem, qua ipsius etiam Nicodemi corpus detectum fuit, ad anni 415 finem referunt, freti auctoritate Luciani presbyteri, in libello hac de re conscripto.

quod fuerat prætermissum; et tamen quasi hoc sequeretur adjunctum est. Cum enim jam dixisset, *venerunt ad monumentum*, regressus est ut narraret quomodo venerunt; atque ait, *currebant autem duo simul*, etc. Ubi ostendit quod præcurrens ad monumentum prior venerit alius ille discipulus, quem seipsum significat, sed tanquam de alio cuncta narrat [1].

8. « Et cum se inclinasset, inquit, vidit posita linteamina, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum; et vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. » Putamusne nihil ista significant? Nequaquam hoc putaverim. Sed ad alia festinamus, in quibus immorari quæstionis vel obscuritatis alicujus necessitate compellimur. Nam ista quæ per seipsa manifesta sunt, quid singula etiam significent, quærere sanctæ quidem deliciæ sunt, sed otiosorum, quod non sumus nos.

9. *Tunc ergo introiit, et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum.* Prior venit, et posterior intravit. Neque hoc utique vacat, sed mihi ad ista non vacat. *Et vidit*, inquit, *et credidit.* Hic nonnulli parum attendentes, putant hoc Joannem credidisse, quod Jesus resurrexit; sed quod sequitur, hoc non indicat. Quid sibi enim vult quod statim adjunxit, *Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportet eum a mortuis resurgere?* Non ergo eum credidit resurrexisse, quem nesciebat oportere resurgere. Quid ergo vidit? quid credidit? Vidit scilicet inane monumentum, et credidit quod dixerat mulier, eum de monumento esse sublatum. *Nondum enim sciebant Scripturam, quia oporteret eum a mortuis resurgere.* Et ideo quando id ab ipso Domino audiebant, quamvis apertissime diceretur; consuetudine audiendi ab illo parabolas, non intelligebant, et aliquid aliud eum significare credebant. Sed ea quæ sequuntur in sermonem alium differamus.

TRACTATUS CXXI.

De eo quod sequitur, Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli; *usque ad id*, Beati qui non viderunt et crediderunt. *Cap.* XX, ℣. 10-29.

1. Sublatum esse Dominum de monumento, discipulis ejus Petro et Joanni nuntiaverat Maria Magdalene: quo illi venientes, invenerunt sola linteamina, quibus corpus fuerat involutum; et quid aliud credere potuerunt, nisi quod dixerat, quod etiam ipsa crediderat? *Abierunt ergo iterum ad semetipsos discipuli:* id est, ubi habitabant, et unde ad monumentum cucurrerant. *Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Viris enim redeuntibus, infirmiorem sexum in eodem loco fortior figebat affectus. Et oculi qui Dominum quæsierant et non invenerant, lacrymis jam vacabant, amplius dolentes quod fuerat de monumento ablatus, quam quod fuerat in ligno occisus; quoniam magistri tanti, cujus eis vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat. Tenebat itaque ad monumentum jam dolor iste mulierem. *Cum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in monumentum.* Cur hoc fecerit nescio. Non enim nesciebat non ibi esse jam quem quærebat; quandoquidem inde sublatum et discipulis ipsa nuntiaverat; et illi ad monumentum venerant, et non solum intuendo, sed etiam intrando corpus Domini quæsierant, nec invenerant. Quid sibi ergo vult quod ista cum fleret, rursum in monumentum inclinata prospexit? Utrum quod nimium dolebat, nec suis nec illorum oculis facile putabat esse credendum? An potius divino instinctu in animo ejus effectum est ut prospiceret? Prospexit enim, *Et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.* Quid est quod unus ad caput, et ad pedes alter sedebat? An, quoniam qui græce Angeli dicuntur, latine sunt nuntii, isto modo Christi Evangelium velut a capite usque ad pedes, ab initio usque in finem significabant esse nuntiandum? *Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.* Angeli lacrymas prohibebant: ubi quid aliud quam futurum quodammodo gaudium nuntiabant? Ita enim dixerunt, *Quid ploras?* ac si dicerent, Noli plorare. At illa eos putans interrogasse nescientes, causas prodit lacrymarum. *Quia tulerunt*, inquit, *Dominum meum:* Dominum suum vocans corpus exanime Domini sui, a toto partem significans; sicut omnes confitemur Jesum Christum Filium Dei unicum Dominum nostrum, quod utique simul est et Verbum et anima et caro, crucifixum tamen et sepultum, cum sola ejus sepulta sit caro. *Et nescio*, inquit, *ubi posuerunt eum.* Hæc erat causa major doloris, quia nesciebat quo iret ad consolandum dolorem. Sed hora jam venerat qua id quod nuntiatum quodammodo fuerat ab angelis flere prohibentibus, gaudium succederet fletibus.

2. Denique « hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem, et non sciebat quia Jesus est. Dicit ei Jesus: Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Dicit ei Jesus: Maria. Conversa illa dicit ei, Rabboni; quod dicitur Magister. » Nemo calumnietur mulieri quod hortulanum dixerit dominum, et Jesum Magistrum. Ibi enim rogabat, hic agnoscebat: ibi honorabat hominem a quo beneficium postulabat; hic recolebat doctorem a quo discernere humana et divina discebat. Appellabat dominum cujus ancilla non erat, ut per eum perveniret ad Dominum cujus erat. Aliter ergo Dominum dixit, *Sustulerunt Dominum meum;* aliter autem, *Domine, si tu sustulisti eum.* Nam et Prophetæ appellaverunt dominos eos qui homines erant; sed aliter illum de quo scriptum est, *Dominus nomen ei* (*Psal.* LXVII, 5). Sed ista mulier quæ jam fuerat conversa retrorsum ut videret Jesum, quando eum putavit esse hortulanum, et cum illo utique loquebatur, quomodo rursus conversa dicitur, ut ei diceret, *Rab-*

[1] Er. Lugd. et Ven., *sed tanquam de alio, more sanctæ Scripturæ, cuncta narrat.* Verba, *more sanctæ Scripturæ*, ad textum non pertinere videntur, et apud Er. Guill. necnon apud Lov., uncis concluduntur. M.

boni; nisi quia tunc conversa corpore, quod non erat, putavit, nunc corde conversa, quod erat agnovit?

3. « Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, et dic eis, Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. » Est in his verbis quod breviter quidem, sed tamen attentius pertractare debemus. Jesus quippe mulierem quæ illum magistrum agnovit et appellavit, cum hæc ei responderet, fidem docebat : et hortulanus ille in ejus corde, tanquam in horto suo granum sinapis seminabat. Quid est ergo, *Noli me tangere?* Et tanquam hujus prohibitionis causa quæreretur, adjunxit, *nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Quid est hoc? Si stans in terra non tangitur, sedens in cœlo quomodo ab hominibus tangeretur? Qui certe antequam ascenderet, discipulis se tangendum obtulit dicens, sicut Lucas evangelista testatur, *Palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere* (*Luc.* XXIV, 39) : vel quando dixit discipulo Thomæ, *Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.* Quis autem tam sit absurdus, ut dicat eum a discipulis quidem antequam ad Patrem ascendisset, voluisse se tangi; a mulieribus autem noluisse, nisi cum ascendisset ad Patrem? Sed nec sic, qui vellet, desipere sineretur. Leguntur enim etiam feminæ post resurrectionem antequam ad Patrem ascenderet, tetigisse Jesum, in quibus erat etiam ipsa Maria Magdalene, narrante Matthæo quod occurrerit illis Jesus dicens, *Avete. Illæ autem accesserunt,* inquit, *et tenuerunt pedes ejus et adoraverunt eum* (*Matth.* XXVIII, 9). Hoc a Joanne prætermissum est, sed a Matthæo verum dictum. Restat ergo ut aliquod in his verbis lateat sacramentum; quod sive inveniamus, sive invenire minime valeamus, inesse tamen nullo modo dubitare debemus. Aut ergo sic dictum est, *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum,* ut in illa femina figuraretur Ecclesia de Gentibus, quæ in Christum non credidit, nisi cum ascendisset ad Patrem : aut sic in se credi voluit Jesus, hoc est, sic se spiritualiter tangi, quod ipse et Pater unum sint. Ejus quippe intimis sensibus quodammodo ascendit ad Patrem, qui sic in eo profecerit ut Patri agnoscat æqualem : aliter non recte tangitur, id est, aliter non recte in eum creditur. Poterat autem sic credere Maria, ut eum putaret imparem Patri, quod utique prohibetur cum ei dicitur, *Noli me tangere :* id est, Noli in me sic credere, quemadmodum adhuc sapis; noli tuum sensum huc usque pertendere quod pro te factus sum, nec transire ad illud per quod facta es. Quomodo enim non carnaliter adhuc in eum credebat, quem sicut hominem flebat? *Nondum enim ascendi,* inquit, *ad Patrem meum :* ibi me tanges, quando me credideris Patri non imparem Deum. *Vade autem ad fratres meos, et dic eis, Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum.* Non ait, Patrem nostrum : aliter ergo meum, aliter vestrum; natura meum, gratia vestrum. *Et Deum meum, et Deum vestrum.* Neque hic dixit, Deum nostrum : ergo et hic aliter meum, aliter vestrum; Deum meum sub quo et ego homo sum, Deum vestrum inter quos et ipsum mediator sum.

4. « Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, Quia vidi Dominum, et hæc dixit mihi. Cum esset ergo sero die illa una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dicit eis : Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. » Clavi enim manus fixerant, lancea latus ejus aperuerat : ubi ad dubitantium corda sananda, vulnerum sunt servata vestigia. Moli autem corporis ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt. Ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas matris inviolata permansit. *Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis.* Iteratio confirmatio est; ipse quippe dat per prophetam promissam pacem super pacem (*Isai.* XXVI, 3). *Sicut misit me Pater,* inquit, *et ego mitto vos.* Æqualem Patri Filium novimus, sed hic verba Mediatoris agnoscimus. Medium quippe se ostendit dicendo, Ille me, et ego vos. *Hoc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum.* Insufflando significavit Spiritum sanctum non Patris solius esse Spiritum, sed et suum. *Quorum remiseritis,* inquit, *peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ecclesiæ charitas quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit : eorum autem qui non sunt ejus participes, tenet. Ideo posteaquam dixit, *Accipite Spiritum sanctum;* hoc continuo de peccatorum remissione ac detentione subjecit.

5. « Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus : Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis. Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum; et noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas et dixit ei : Dominus meus et Deus meus. » Videbat tangebatque hominem, et confitebatur Deum quem non videbat neque tangebat; sed per hoc quod videbat atque tangebat, illud jam remota dubitatione credebat. *Dicit ei Jesus : Quia vidisti me, credidisti.* Non ait, tetigisti me; sed, *vidisti me :* quoniam generalis quodammodo sensus est visus. Nam et per alios quatuor sensus nominari solet : velut cum dicimus, Audi et vide quam bene sonet, olfac et vide quam bene oleat, gusta et vide quam bene sapiat, tange et vide quam bene caleat. Ubique sonuit, Vide, cum visus proprie non negetur ad oculos pertinere. Unde et hic ipse Dominus, *Infer,* inquit, *digitum tuum huc, et vide manus meas :* quid aliud ait quam, Tange et vide? Nec tamen oculos ille habebat in digito. Ergo sive

intuendo, sive etiam tangendo, *Quia vidisti me*, inquit, *credidisti*. Quamvis dici possit non ausum fuisse discipulum tangere, cum se offerret ille tangendum: non enim scriptum est, Et tetigit Thomas. Sed sive aspiciendo tantum, sive etiam tangendo viderit et crediderit, illud quod sequitur, magis gentium fidem prædicat atque commendat, *Beati qui non viderunt, et crediderunt*. Præteriti temporis usus est verbis, tanquam ille qui quod erat futurum, in sua noverat prædestinatione jam factum. Sed jam sermo iste a prolixitate cohibendus est: donabit Dominus ut de his quæ restant, alias disputemus.

TRACTATUS CXXII.

De eo quod sequitur, Multa quidem et alia signa fecit Jesus; *usque ad id*, Et cum tanti essent, non est scissum rete. *Cap.* XX, ℣℣. 30, 31, *et cap.* XXI, ℣. 1-11.

1. Post narrationem rei gestæ, in qua Thomas discipulus oblatis sibi tangendis in Christi carne vulnerum locis, vidit quod credere nolebat et credidit; interponit hæc evangelista Joannes, et dicit: « Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei; et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus. » Hoc capitulum velut libri hujus indicat finem: sed narratur hic deinde quemadmodum se manifestaverit Dominus ad mare Tiberiadis, et in captura piscium commendaverit Ecclesiæ sacramentum, qualis futura est ultima resurrectione mortuorum [1]. Ad hoc itaque commendandum valere arbitror, quod tanquam finis interpositus est libri, quod esset etiam secuturæ narrationis quasi proœmium, quod ei quodammodo faceret eminentiorem locum, quæ narratio incipit ita: « Postea manifestavit se iterum Jesus ad mare Tiberiadis; manifestavit autem sic. Erant simul Simon Petrus et Thomas qui dicitur Didymus, et Nathanael qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum. »

2. Quæri solet de hac piscatione discipulorum, cur redierint Petrus et filii Zebedæi ad id quod fuerunt priusquam a Domino vocarentur: erant enim piscatores quando eis dixit, *Venite post me, et faciam vos piscatores hominum* (*Matth.* IV, 19). Tunc eum quippe illi secuti sunt, ut magisterio ejus relictis omnibus adhærerent: in tantum ut cum ab eo dives ille tristis abscederet, cui dixerat, *Vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me*, diceret ei Petrus, *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te* (*Id.* XIX, 21, 22, 27). Quid est ergo quod nunc quasi Apostolatu relicto fiunt quod fuerunt, et quod dimiserant repetunt, tanquam obliti quod audierant, *Nemo ponens manum super aratrum, et respiciens retro, aptus est regno cœlorum* (*Luc.* IX, 62)? Quod si fecissent defuncto Jesu, priusquam resurrexisset a mortuis: quod quidem non poterant, quoniam dies quo crucifixus est, totos eos tenebat attentos, usque ad ejus sepulturam, quæ ante vesperam facta est; sequens autem dies erat sabbati, quando eis morem patrium servantibus, operari utique non licebat; tertio vero die Dominus resurrexit, eosque revocavit ad spem quam de illo non habere jam cœperant: tamen si tunc fecissent, putaremus eos illa quæ animos eorum occupaverat, desperatione fecisse. Nunc vero post eum sibi de sepulcro redditum vivum, post oblatam suis oculis et manibus, non solum videndam, verum etiam tangendam atque palpandam redivivæ carnis evidentissimam veritatem; post inspecta vulnerum loca, usque ad apostoli Thomæ confessionem, qui se aliter crediturum non esse prædixerat; post acceptum ejus insufflatione Spiritum sanctum, post verba in suas aures ejus ore prolata, *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX, 21-23): subito fiunt sicut fuerant, non hominum, sed piscium piscatores.

3. His ergo quos hoc movet respondendum est, non eos fuisse prohibitos arte sua, licita scilicet atque concessa, victum necessarium quærere, sui Apostolatus integritate servata, si quando unde viverent aliud non haberent. Nisi forte quispiam putare audebit aut dicere, apostolum Paulum non pertinuisse ad eorum perfectionem qui relictis omnibus Christum secuti sunt, quoniam ne quemquam eorum gravaret quibus Evangelium prædicabat, suum victum suis manibus transigebat (II *Thess.* III, 8): ubi magis impletum est quod ait, *Plus omnibus illis laboravi*; et adjunxit, *Non autem ego, sed gratia Dei mecum* (I *Cor.* XV, 10): ut hoc quoque appareat Dei gratiæ deputandum, quod et animo et corpore poterat usque adeo plus illis omnibus laborare, ut neque cessaret ab Evangelio prædicando, neque tamen ex Evangelio, sicut illi, sustentaret hanc vitam; cum id per tot gentes in quibus Christi nomen non fuerat prophetatum [1], multo latius atque fertilius seminaret. Ubi ostendit ex Evangelio vivendi, hoc est victum habendi, non necessitatem Apostolis impositam, sed potestatem datam. Quam potestatem commemorat idem apostolus dicens: « Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vestra carnalia metamus? Si alii potestatis vestræ participant, non magis nos? Sed non sumus, » inquit, « usi hac potestate. » Et paulo post: « Qui altari serviunt, » inquit, « altari compartiuntur; sic et Dominus ordinavit his qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere: ego autem nullo horum usus sum. » Satis igitur apertum est, non imperatum, sed in potestate Apostolis positum, ut aliunde non viverent nisi ex Evangelio, et ab eis quibus Evangelium prædicando spiritualia seminabant, carnalia meterent; hoc est, carnis hujus sustentaculum sumerent, et tanquam milites Christi stipendium debitum acciperent,

[1] Er. Lugd. et Ven., *resurrectio mortuorum*. M.

[1] Lov., *propagatum*. Sed Am. Bad. et Mss., *prophetatum*.

sicut a provincialibus Christi (*a*). Unde idem ipse miles egregius paulo superius de hac re dixerat, *Quis militat suis stipendiis unquam* (I *Cor.* IX, 11-15, 7)? Quod tamen ipse faciebat, quia plus illis omnibus laborabat. Si ergo beatus Paulus ut ea potestate, quam profecto cum cæteris Evangelii prædicatoribus habebat, non cum cæteris uteretur, sed suo stipendio militaret, ne gentes a nomine Christi penitus alienas doctrina ejus quasi venalis offenderet, aliter educatus, artem quam non noverat didicit, ut dum suis manibus transigitur doctor, nullus gravaretur auditor; quanto magis beatus Petrus, qui jam piscator fuerat, quod noverat fecit, si ad præsens illud tempus, aliud unde viveret, non invenit?

4. Sed respondebit quispiam : Et cur non invenit, cum Dominus promiserit dicens, *Quærite primum regnum et justitiam Dei, et hæc omnia apponentur vobis* (*Matth.* VI, 33)? Prorsus etiam sic Dominus quod promisit implevit. Nam quis alius pisces qui caperentur apposuit? qui non ob aliud credendus est eis ingessisse penuriam qua compellerentur ire piscatum, nisi dispositum volens exhibere miraculum : ut simul et prædicatores Evangelii sui pasceret, et ipsum Evangelium tanto sacramento quod erat de numero piscium commendaturus augeret. De qua re etiam nos quod ipse apposuerit, dicere jam debemus.

5. *Dicit* ergo *Simon Petrus : Vado piscari. Dicunt ei* qui cum illo erant : *Venimus et nos tecum. Et exierunt et ascenderunt in navem : et illa nocte nihil apprehenderunt. Mane autem jam facto stetit Jesus in littore; non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. Dicit ergo eis Jesus : Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei : Non. Dicit eis : Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Miserunt ergo, et jam non valebant illud trahere a multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Jesus, Petro : Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se, erat enim nudus, et misit se in mare. Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis), trahentes rete piscium. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem. Dicit eis Jesus : Afferte de piscibus quos apprehendistis nunc. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete.*

6. Hoc est magnum sacramentum in magno Joannis Evangelio; et ut vehementius commendaretur, loco ultimo scriptum. Quod ergo septem discipuli fuerunt in ista piscatione, Petrus, et Thomas, et Nathanael, et duo filii Zebedæi, et alii duo quorum nomina tacentur, isti suo septenario numero finem significant temporis. Universum quippe septem diebus volvitur tempus. Ad hoc pertinet quod mane facto Jesus stetit in littore; quia etiam littus finis est maris, et ideo finem significat sæculi. Eumdem finem sæculi ostendit et quod Petrus rete extraxit in terram, hoc est in littus. Quod ipse Dominus aperuit, ubi alio quodam loco de sagena in mare missa similitudinem dedit : *Et eam trahunt*, inquit, *ad littus*. Quod littus quid esset exponens, ait : *Sic erit in consummatione sæculi* (*Matth.* XIII, 48, 49).

7. Sed illa verbi est, non rei gestæ parabola : re autem gesta, sicut hoc loco qualiter in sæculi fine futura sit, ita Dominus alia piscatione significavit Ecclesiam qualiter nunc sit. Quod autem illud fecit in initio prædicationis suæ, hoc vero post resurrectionem suam, hinc ostendit illam capturam piscium, bonos et malos significare, quos nunc habet Ecclesia; istam vero tantummodo bonos, quos habebit in æternum, completa in fine hujus sæculi resurrectione mortuorum. Denique ibi Jesus non sicut hic in littore stabat, quando jussit pisces capi; sed *ascendens in unam navim quæ erat Simonis*, *rogavit eum ut a terra reduceret pusillum; et in ea sedens docebat turbas. Ut cessavit autem loqui*, *dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.* Et illic quod captum est piscium in naviculis fuit, non sicut hic rete extraxerunt in terram. His signis et si qua alia potuerint reperiri, ibi Ecclesia in hoc sæculo, hic vero in fine sæculi figurata est : ideo illud ante, hoc autem post resurrectionem Domini factum est; quia ibi nos Christus significavit vocatos, hic resuscitatos. Ibi retia non mittuntur in dexteram, ne solos significent bonos, nec in sinistram, ne solos malos; sed indifferenter, *Laxate*, inquit, *retia vestra in capturam*, ut permixtos intelligamus bonos et malos : hic autem, inquit, *Mittite in dexteram navigii rete*, ut significaret eos qui stabant ad dexteram, solos bonos. Ibi rete propter significanda schismata rumpebatur : hic vero quoniam tunc jam in illa summa pace sanctorum nulla erunt schismata, pertinuit ad Evangelistam dicere, *Et cum tanti essent*, id est, tam magni, *non est scissum rete;* tanquam illud respiceret ubi scissum est, et in illius mali comparatione commendaret hoc bonum. Ibi capta est multitudo piscium tanta, ut impleta duo navigia mergerentur (*Luc.* V, 3-7), id est, in submersionem premerentur : non enim mersa sunt, sed tamen periclitata. Unde enim existunt in Ecclesia, tanta quæ gemimus; nisi cum tantæ multitudini obsisti non potest, quæ ad submergendam propemodum disciplinam intrat cum moribus suis a sanctorum itinere penitus alienis? Hic autem miserunt rete in dexteram partem, *et jam non valebant illud trahere a multitudine piscium.* Quid est, *jam non valebant illud trahere*, nisi quia illi qui pertinent ad resurrectionem vitæ, id est ad dexteram, et intra christiani nominis retia defunguntur, nonnisi in littore, id est in fine sæculi cum resurrexerint, apparebunt? Ideo non valuerunt sic trahere retia, ut in navem refunderent quos ceperant pisces; sicut de illis omnibus factum est, quibus rete disruptum, et naviculæ pressæ sunt. Habet autem istos dextros Ecclesia post finem vitæ hujus in somno

(*a*) Milites itaque stipendium a provincialibus accipiebant : quo spectare videtur illud supra in Tract. 13, n. 17 : « Aliquando enim et desertor terret provincialem; sed « utrum in castris sit, et aliquid illi prosit character ille « in quo signatus est, hoc attendit qui terreri et seduci non « vult. »

pacis, velut in profundo latentes, donec ad littus rete perveniat quo trahebatur, quasi a cubitis ducentis. Quod autem illic duabus naviculis, propter circumcisionem et præputium; hoc isto loco ducentis cubitis existimo figuratum, propter utriusque generis electos, et circumcisionis et præputii, tanquam centum et centum; quia in summa centenarii numerus ad dexteram transit. Postremo in illa piscatione numerus piscium non exprimitur, tanquam illud ibi fiat quod prædictum est per prophetam, *Annuntiavi et locutus sum; multiplicati sunt super numerum* (*Psal.* XXXIX, 6): hic vero non sunt aliqui super numerum, sed certus est numerus centum quinquaginta tres; cujus numeri ratio Domino adjuvante reddenda est.

8. Si enim numerum constituamus qui Legem significet, quid erunt nisi decem? Decalogum quippe Legis, id est, decem notissima illa præcepta digito Dei duabus lapideis tabulis primum fuisse conscripta certissimum nobis est (*Deut.* IX, 10). Sed Lex quando non adjuvat gratia, prævaricatores facit, et tantummodo in littera est: propter hoc enim maxime ait Apostolus, *Littera occidit, spiritus autem vivificat* (II *Cor.* III, 6). Accedat ergo ad litteram spiritus, ne occidat littera quem non vivificat spiritus; sed ut operemur præcepta Legis, non viribus nostris, sed munere Salvatoris. Cum autem accedit ad Legem gratia, id est, ad litteram spiritus, quodammodo denario numero additur septenarius. Isto quippe numero, id est septenario, significari Spiritum sanctum, advertenda Litterarum sacrarum documenta testantur. Nempe enim sanctitas vel sanctificatio ad sanctum proprie pertinet Spiritum: unde cum et Pater spiritus sit, et Filius spiritus sit, quoniam Deus spiritus est (*Joan.* IV, 24); et Pater sanctus, et Filius sanctus sit: proprio tamen nomine amborum Spiritus vocatur Spiritus sanctus. Ubi ergo primum in Lege sonuit sanctificatio, nisi in die septimo? Non enim sanctificavit Deus diem primum, in quo fecit lucem; aut secundum, in quo firmamentum; aut tertium, in quo discrevit mare a terra, et terra herbam lignumque produxit; aut quartum, in quo sidera sunt creata; aut quintum, in quo animalia quæ in aquis vivunt et in aere volitant; aut sextum, in quo terrestris anima viva et ipse homo: sed sanctificavit diem septimum, in quo requievit ab operibus suis (*Gen.* I, *et* II, 3). Convenienter igitur septenario numero significatur Spiritus sanctus. Isaias etiam propheta, *Requiescet*, inquit, *in eo Spiritus Dei*: eumque deinceps commendans opere vel munere septenario, *Spiritus*, inquit, *sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et implebit illum spiritus timoris Dei* (*Isai.* XI, 2, 3). Quid in Apocalypsi? nonne septem spiritus Dei dicuntur (*Apoc.* III, 1), cum sit unus atque idem Spiritus, dividens propria unicuique prout vult (I *Cor.* XII, 11)? Sed operatio septenaria unius Spiritus sic appellata est ab eodem Spiritu, qui scribenti adfuit, ut septem spiritus dicerentur. Cum itaque Legis denario Spiritus sanctus per septenarium numerum accedit, fiunt decem et septem: qui numerus ab uno usque ad seipsum computatis omnibus crescens, ad centum quinquaginta tres pervenit. Ad unum enim si adjicias duo, fiunt utique tres; his si adjicias tres et quatuor, fiunt omnes decem; deinde si adjicias omnes numeros qui sequuntur usque ad decem et septem, ad supradictum numerum summa perducitur; id est, si ad decem, quo ab uno usque ad quatuor perveneras, addas quinque, fiunt quindecim: his addas sex, et fiunt viginti unum; his addas septem, et fiunt viginti octo; his addas octo et novem et decem, et fiunt quinquaginta quinque; his addas undecim et duodecim et tredecim, et fiunt nonaginta unum; his rursum quatuordecim et quindecim et sexdecim, et fiunt centum triginta sex: huic numero adde illum qui restat de quo agitur, id est decem et septem, et piscium numerus ille complebitur. Non ergo tantummodo centum quinquaginta tres sancti ad vitam resurrecturi significantur æternam, sed millia sanctorum ad gratiam Spiritus pertinentium: qua gratia cum Lege Dei tanquam cum adversario concordatur; ut vivificante Spiritu littera non occidat, sed quod per litteram jubetur, Spiritu adjuvante compleatur, et si quid minus fit, remittatur. Omnes ergo ad istam gratiam pertinentes, hoc numero figurantur, hoc est figurate significantur. Qui numerus ter habet etiam quinquagenarium numerum, et insuper ipsa tria propter mysterium Trinitatis: quinquagenarius autem multiplicatis septem per septem, et unius adjectione completur; nam septies septem fiunt quadraginta novem. Unus autem additur, ut eo significetur unum esse qui per septem propter operationem septenariam demonstratur: et novimus Spiritum sanctum post ascensionem Domini quinquagesimo die missum, quem discipuli jussi sunt exspectare promissum (*Act.* II, 2-4; I, 4).

9. Non igitur frustra dicti sunt hi pisces et tot et tanti, id est et centum quinquaginta tres et magni. Sic enim scriptum est: *Et traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.* Cum enim dixisset Dominus, *Non veni solvere Legem, sed implere*, daturus utique Spiritum per quem Lex posset impleri, tanquam septem additurus ad decem; paucissimis verbis interpositis ait, *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui autem fecerit et docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum.* Iste ergo poterit pertinere ad numerum piscium magnorum. Minimus autem ille qui solvit factis quod docet verbis, in tali Ecclesia potest esse, qualem significat piscium prima illa captura, habentem bonos et malos, quia et ipsa dicitur regnum cœlorum: propter quod ait, *Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere congreganti*[1] (*Matth.* XIII, 47). Ubi vult intelligi etiam bonos, et malos; quos dicit in littore, id est, in fine sæculi separandos. Denique ut ostenderet istos minimos reprobos esse, qui docent bona loquendo, quæ solvunt male vivendo, nec quasi minimos in vita æterna futuros, sed

[1] Editi, *et ex omni genere piscium congreganti.* Abest, *piscium*, a Mss. et a græco.

omnino ibi non futuros; cum dixisset, *Minimus vocabitur in regno cœlorum*, continuo subjecit, *Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* v, 17-20). Illi sunt certe, Scribæ et Pharisæi, qui cathedram Moysi sedent, et de quibus ait, *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite: dicunt enim et non faciunt* (*Id.* XXIII, 2, 3): docent sermonibus, quod solvunt moribus. Consequens est ergo, ut qui minimus est in regno cœlorum, qualis nunc est Ecclesia, non intret in regnum cœlorum, qualis tunc erit Ecclesia; quoniam docendo quod solvit, ad eorum societatem qui faciunt quod docent, non pertinebit: et ideo non erit in numero piscium magnorum; quoniam *qui fecerit et docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum*. Et quia hic magnus erit, ideo ibi erit, ubi minimus ille non erit. Usque adeo quippe ibi magni erunt, ut qui minor ibi est, major sit eo quo hic nemo major est (*Id.* XI, 11). Sed tamen qui hic magni sunt, id est, qui in regno cœlorum, ubi sagena congregat bonos et malos, faciunt bona quæ docent, ipsi erunt in illa regni cœlorum æternitate majores, quos isti ad dexteram et resurrectionem vitæ pertinentes indicant pisces. Sequitur de prandio Domini cum istis septem discipulis, et de his quæ post prandium locutus est, ac de ipsius Evangelii termino, ut Deus quod donaverit disseramus: sed hoc non est isto sermone coarctandum.

TRACTATUS CXXIII.

De eo quod dicit Jesus, Venite, prandete; *usque ad id*, Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. *Cap.* XXI, ℣. 12-19.

1. In eo quod tertio Dominus post resurrectionem manifestavit se discipulis suis, beati Joannis apostoli Evangelium terminatur: in quo jam pertractavimus, ut valuimus, partem priorem, usque ad eum locum ubi narratum est captos fuisse pisces centum quinquaginta tres a discipulis quibus se demonstravit, et cum magni essent, retia non esse disrupta. Deinde quæ sequuntur consideranda sunt, et quantum adjuvat Dominus, sicut res postulare videbitur, disserenda. Peracta quippe illa piscatione, *Dicit eis Jesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? scientes quia Dominus est.* Si ergo sciebant, quid opus erat ut interrogarent? si autem non opus erat, quare dictum est, *non audebant;* quasi opus esset, sed timore aliquo non auderent? Sensus ergo hic est: tanta erat evidentia veritatis, qua Jesus illis discipulis apparebat, ut eorum non solum negare, sed nec dubitare quidem ullus auderet; quoniam si quisquam dubitaret, utique interrogare deberet. Sic ergo dictum est, *Nemo audebat eum interrogare, Tu quis es?* ac si diceretur, Nemo audebat dubitare quod ipse esset.

2. *Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter.* Ecce dictum est etiam quid pranderent: de quo prandio aliquid suave ac salubre dicemus et nos, si pascat et nos. Superius narratum est quod isti discipuli, quando descenderunt in terram, *viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem.* Ubi non est intelligendum etiam superpositum panem fuisse prunis, sed tantum subaudiendum, Viderunt. Quod verbum si repetamus eo loco ubi subaudiendum est, ita totum dici potest: Viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem viderunt. Vel ita potius: Viderunt prunas positas, et piscem superpositum, viderunt et panem. Jubente etiam Domino attulerunt et de piscibus quos ipsi ceperant; quod eos fecisse quamvis a narrante non esset expressum, tamen Dominum jussisse non tacitum est. Ait enim: *Afferte de piscibus quos apprehendistis nunc* (*Joan.* XXI, 9, 10). Et utique jubente illo eos non fecisse quis credat? Hinc ergo fecit prandium Dominus illis septem discipulis suis, de pisce scilicet quem prunis superpositum viderant, huic adjungens ex illis quos ceperant, et de pane quem nihilominus eos vidisse narratum est. Piscis assus, Christus est passus. Ipse est et panis qui de cœlo descendit (*Id.* VI, 41). Huic incorporatur Ecclesia ad participandam beatitudinem sempiternam. Propter quod dictum est, *Afferte de piscibus quos apprehendistis nunc;* ut omnes qui hanc spem gerimus, per illum septenarium numerum discipulorum, per quem potest hoc loco nostra universitas intelligi figurata, tanto Sacramento nos communicare noscemus, et eidem beatitudini sociari. Hoc Domini prandium est cum discipulis suis, ad quod Joannes Evangelium suum, cum haberet de Christo alia multa quæ diceret, magna, ut existimo, et rerum magnarum contemplatione concludit. Hic enim Ecclesia qualis in solis bonis futura est, significatur per capturam centum quinquaginta trium piscium; et eis qui hæc credunt, sperant, diligunt, participatio tantæ beatitudinis per hoc prandium demonstratur.

3. *Hoc jam tertio*, inquit, *manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis.* Quod non ad ipsas demonstrationes, sed ad dies referre debemus (id est primo die, cum surrexit; et post dies octo, quando discipulus Thomas vidit et credidit, et hodie quando hoc de piscibus fecit; post quot autem dies id fecerit, dictum non est): nam ipso primo die non semel visus est, sicut Evangelistarum omnium testimonia collata demonstrant: sed, sicut dictum est, secundum dies numerandæ sunt manifestationes ejus, ut ista sit tertia; prima quippe habenda sit [1], eademque una propter unum diem, quotiescumque se et quibuscumque, die illo quo resurrexit, ostendit; secunda post dies octo, et hæc tertia, et deinde quoties voluit usque ad diem quadragesimum, quo ascendit in cœlum, quamvis non scripta sint omnia.

4. « Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me; et dicit ei: Domine, tu omnia scis,

[1] *Est*, juxta Er. Lugd. et Ven. M.

tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce oves meas. Amen, amen dico tibi; cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas : cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. » Hunc invenit exitum ille negator, et amator; præsumendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo probatus, patiendo coronatus : hunc invenit exitum, ut pro ejus nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moriturum perversa festinatione promiserat. Faciat ejus resurrectione firmatus, quod immature pollicebatur infirmus. Hoc enim oportebat, ut prius Christus pro Petri salute, deinde Petrus pro Christi prædicatione moreretur. Præposterum fuit quod audere cœperat humana temeritas, cum istum disposuisset ordinem veritas. Animam suam se positurum pro Christo Petrus putabat (*Joan.* XIII, 37), pro liberatore liberandus; cum Christus venisset animam suam positurus pro suis omnibus [1], in quibus erat et Petrus; quod ecce jam factum est. Nunc jam firmitas cordis ad suscipiendam mortem pro nomine Domini vera ipso donante sumatur, non falsa nobis errantibus præsumatur. Nunc est ut vitæ hujus non metuamus interitum; quia resurgente Domino vitæ alterius præcessit exemplum. Nunc est, Petre, ut mortem non timeas; quia vivit quem mortuum dolebas, et quem pro nobis mori carnali amore prohibebas (*Matth.* XVI, 21, 22). Ausus es prævenire ductorem, formidasti ejus persecutorem : jam pretio pro te fuso, nunc est ut sequaris emptorem, et sequaris omnino usque ad mortem crucis. Verba ejus audisti, quem jam veracem probasti; passurum te ipse prædixit, qui te prædixerat negaturum.

5. Sed prius Dominus quod sciebat interrogat, nec semel, sed iterum ac tertio, utrum Petrus eum diligat; nec aliud toties audit a Petro, quam se diligi; nec aliud toties commendat Petro, quam suas oves pasci. Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori, et plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quam vita præsens. Sit amoris officium, pascere dominicum gregem; si fuit timoris indicium, negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse non Christi, se convincuntur amare, non Christum; vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi et subveniendi et Deo placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata ista vox Christi, quos Apostolus gemit sua quærere, non quæ Jesu Christi (*Philipp.* II, 21). Nam quid est aliud, *Diligis me? pasce oves meas*, quam si diceretur, Si me diligis, non te pascere cogita : sed oves meas, sicut meas pasce, non sicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam; dominium meum, non tuum; lucra mea, non tua; ne sis in eorum societate qui pertinent ad tempora periculosa, seipsos amantes, et cætera quæ huic malorum initio connectuntur? Cum enim dixisset Apostolus, « Erunt enim homines seipsos amantes; » secutus adjunxit, « Amatores pecuniæ, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, irreligiosi, sine affectione, detractores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, procaces, cæcati, voluptatum amatores magis quam Dei; habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes » (II *Tim.* III, 1-5). Hæc omnia mala ab eo velut fonte manant, quod primum posuit, *seipsos amantes*. Merito dicitur Petro, *Diligis me?* et respondet, *Amo te;* eique refertur, *Pasce agnos meos :* et hoc iterum, hoc tertio. Ubi etiam demonstratur unum atque idem esse amorem et dilectionem : nam etiam Dominus novissime non ait, *Diligis me;* sed, *Amas me?* Non ergo nos, sed ipsum amemus; et in pascendis ovibus ejus ea quæ sunt ejus, non ea quæ sunt nostra quæramus. Nescio quo enim inexplicabili modo, quisquis seipsum, non Deum amat, non se amat; et quisquis Deum, non seipsum amat, ipse se amat. Qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se : non ergo se amat, qui ne vivat se amat. Cum vero ille diligitur de quo vivitur, non se diligendo magis diligit, qui propterea non se diligit, ut eum diligat de quo vivit. Non sint ergo *seipsos amantes* qui pascunt oves Christi, ne tanquam suas, sed tanquam ipsius eas pascant; et velint ex illis sua lucra conquirere, sicut *amatores pecuniæ;* vel eis dominari, sicut *elati;* vel gloriari de honoribus quos ab eis sumunt, sicut *superbi;* vel in tantum progredi ut etiam hæreses faciant, sicut *blasphemi :* nec cedant sanctis patribus, sicut *parentibus non obedientes;* et eis qui illos corrigere volunt quia perire nolunt, mala pro bonis reddant, sicut *ingrati :* interficiant animas et suas et alienas, sicut *scelesti;* materna Ecclesiæ viscera dissipent, sicut *irreligiosi;* non compatiantur infirmis, sicut *sine affectione;* famam sanctorum maculare conentur, sicut *detractores;* cupiditates pessimas non refrenent, sicut *incontinentes;* exerceant lites, sicut *immites;* nesciant subvenire, sicut *sine benignitate;* indicent inimicis piorum quæ occultanda cognoverint, sicut *proditores;* humanam verecundiam inverecunda exagitatione perturbent, sicut *procaces;* non intelligant neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant (I *Tim.* I, 7), sicut *cæcati;* lætitias carnales spiritualibus gaudiis anteponant, sic ut *voluptatum amatores magis quam Dei.* Hæc enim atque hujusmodi vitia, sive uni homini accidant omnia, sive his alia, illis alia dominentur, ex illa radice quodammodo pullulant, cum sunt homines *seipsos amantes*. Quod vitium maxime cavendum est eis qui pascunt oves Christi, ne sua quærant, non quæ Jesu Christi; et in usus cupiditatum suarum conferant, pro quibus sanguis fusus est Christi. Cujus amor in eo qui pascit oves ejus, in tam magnum debet spiritualem crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem, quo mori nolumus, et quando cum Christo vivere volumus. Nam et apostolus Paulus dicit se habere concupiscentiam dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* I, 23) : ingemiscit tamen gravatus, et non vult exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur mortale a vita (II *Cor.* V, 4). Et huic Dominus

[1] Duo Mss., *pro suis ovibus.*

dilectori suo, *Cum senueris*, inquit, *extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc enim ei dixit, significans qua morte clarificaturus erat Deum. Extendes*, inquit, *manus tuas*, hoc est crucifigeris. Ad hoc autem ut venias, *alius te cinget, et ducet*, non quo vis, sed *quo non vis*. Prius dixit quod fieret, et deinde quomodo fieret. Non enim crucifixus, sed utique crucifigendus quo nollet est ductus : nam crucifixus non quo nolebat abiit, sed potius quo volebat. Solutus quippe a corpore volebat esse cum Christo, sed si fieri posset, præter mortis molestiam vitam concupiscebat æternam : ad quam molestiam nolens ductus est, sed ab ea volens eductus est : nolens ad eam venit, sed volens eam vicit; et reliquit hunc infirmitatis affectum quo nemo vult mori, usque adeo naturalem, ut eum beato Petro nec senectus auferre potuerit, cui dictum est, *Cum senueris*, duceris *quo non vis*. Propter nos consolandos hunc etiam in se transfiguravit ipse Salvator, dicens, *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI, 39) : qui utique mori venerat, nec habebat mortis necessitatem, sed voluntatem, potestate positurus animam suam, et rursus eam potestate sumpturus. Sed molestia quantacumque sit mortis, debet eam vincere vis amoris, quo amatur ille qui cum sit vita nostra, etiam mortem voluit perferre pro nobis. Nam si nulla esset mortis vel parva molestia, non esset tam magna martyrum gloria. Sed si pastor bonus qui posuit animam suam pro ovibus suis (*Joan.* X, 18, 11), ex ipsis ovibus tam multos sibi martyres fecit; quanto magis debent usque ad mortem pro veritate certare, et usque ad sanguinem adversus peccatum, quibus oves ipsas pascendas, hoc est, docendas regendasque committit? Ac per hoc præcedente passionis ejus exemplo, quis non videat magis debere imitando pastori hærere pastores, si eum multæ etiam imitatæ sunt oves, sub quo pastore uno in grege uno, et pastores ipsi sunt oves? Omnes quippe fecit suas oves, pro quibus est omnibus passus; quia et ipse ut pro omnibus pateretur, ovis est factus.

TRACTATUS CXXIV.

Ab eo loco, Et cum hoc dixisset, dicit ei : Sequere me, *etc., usque in finem Evangelii. Cap.* XXI, ℣. 19-25).

1. Non parva quæstio est, cur apostolo Petro, quando se tertio manifestavit discipulis, dixerit Dominus, *Sequere me;* de apostolo autem Joanne, *Sic eum volo manere donec veniam; quid ad te?* Huic quæstioni, quantum Dominus ipse donaverit, sive pertractandæ, sive solvendæ sermonem novissimum hujus operis impendimus. Cum ergo prænuntiasset Dominus Petro, qua morte clarificaturus esset Deum, *dicit ei : Sequere me. Conversus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat Jesus, sequentem : qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit, Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dicit Jesu : Domine, hic autem quid? Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere donec veniam; quid ad te? Tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus, Non moritur; sed, Sic eum volo manere donec veniam; quid ad te?* Ecce quousque in hoc Evangelio extenditur quæstio, quæ sua profunditate non mediocriter mentem scrutantis exercet. Cur enim dicitur Petro, *Sequere me*, nec dicitur cæteris qui simul aderant? Et profecto eum sicut magistrum discipuli sequebantur. Sed si ad passionem intelligendum est, numquid solus pro christiana veritate passus est Petrus? Nonne ibi erat in illis septem alius filius Zebedæi frater Joannis, qui post ejus ascensionem, ab Herode manifestatur occisus (*Act.* XII, 2)? Verum aliquis dixerit, quoniam Jacobus non est crucifixus, merito dictum esse Petro, *Sequere me*, qui non solum mortem, sed etiam mortem crucis, sicut Christus, expertus est. Sit hoc, si nihil aliud quod sit convenientius potuerit inveniri. Cur ergo de Joanne dictum est, *Sic eum volo manere donec veniam; quid ad te?* et repetitum est, *Tu me sequere;* tanquam ille ideo non sequeretur, quoniam eum manere voluit donec veniat? Quis facile aliud dictum esse credat, quam quod fratres crediderant qui tunc erant, eo quod scilicet non esset discipulus ille moriturus, sed donec Jesus veniret, ista maneret in vita? Sed hanc opinionem Joannes ipse abstulit, non hoc dixisse Dominum aperta contradictione declarans. Cur enim subjungeret, *Non dixit Jesus, Non moritur*, nisi ne hominum cordibus quod falsum fuerat inhæreret?

2. Sed cui placet, adhuc resistat; et dicat verum esse quod ait Joannes, non dixisse Dominum quod discipulus ille non moritur, sed hoc tamen significatum esse talibus verbis, qualia eum dixisse narravit; et asserat apostolum Joannem vivere, atque in illo sepulcro ejus quod est apud Ephesum, dormire eum potius quam mortuum jacere contendat. Assumat in argumentum, quod illic terra sensim scatere, et quasi ebullire perhibetur; atque hoc ejus anhelitu fieri, sive constanter sive pertinaciter asseveret. Non enim possunt deesse qui credant, si non desunt qui etiam Moysen asserant vivere; quia scriptum est ejus sepulcrum non inveniri (*Deut.* XXXIV, 6), et apparuit cum Domino in monte, ubi et Elias fuit (*Matth.* XVII, 3), quem mortuum legimus non esse, sed raptum (IV *Reg.* II, 11). Quasi Moysi corpus non potuerit alicubi sic abscondi, ut prorsus homines lateret ubi esset, atque inde ad horam divinitus excitari, quando cum Christo Elias et ipse sunt visi : sicut ad horam multa sanctorum corpora surrexerunt, quando passus est Christus, et post ejus resurrectionem apparuerunt multis in sancta, sicut scriptum est, civitate (*Matth.* XXVII, 52, 53). Sed tamen, ut dicere cœperam, si quidam Moysen mortuum negant, quem Scriptura ipsa, ubi sepulcrum ejus nusquam inveniri legimus, mortuum tamen esse sine ulla ambiguitate testatur; quanto magis Joannes ex istorum occasione verborum ubi Dominus ait, *Sic eum volo manere donec venio*, creditur vivus dormire sub terra? Quem tradunt etiam (quod in quibusdam Scripturis quamvis

apocryphis reperitur), quando sibi fieri jussit sepulcrum, incolumem fuisse præsentem; eoque effosso et diligentissime præparato, ibi se tanquam in lectulo collocasse, statimque eum esse defunctum : ut autem isti putant, qui hæc verba Domini sic intelligunt, non defunctum, sed defuncto similem cubuisse; et cum mortuus putaretur, sepultum fuisse dormientem; et donec Christus veniat sic manere, suamque vitam scaturigine pulveris indicare : qui pulvis creditur, ut ab imo ad superficiem tumuli ascendat, flatu quiescentis impelli. Huic opinioni supervacaneum existimo reluctari. Viderint enim qui locum sciunt, utrum hoc ibi faciat vel patiatur terra quod dicitur; quia et revera non a levibus hominibus id audivimus.

3. Interim cedamus opinioni, quam certis documentis refellere non valemus, ne rursus aliud quod a nobis quæratur exsurgat, Cur super humatum mortuum ipsa humus quodammodo vivere ac spirare videatur. Sed numquid hinc tanta ista solvitur quæstio, si magno miraculo, qualia potest facere Omnipotens, tamdiu vivum corpus in sopore sub terra est, donec veniat terminus sæculi? Quin imo fit amplior et difficilior, cur discipulo Jesus, quem diligebat præ cæteris, in tantum ut super pectus ejus discumbere mereretur, pro magno munere longum in corpore donaverit somnum : cum beatum Petrum per ingentem martyrii gloriam, ab onere ipsius corporis solverit, eique concesserit quod apostolus Paulus se concupisse dixit, et scripsit, *Dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.* I, 23). Si autem quod magis creditur, ideo sanctus Joannes ait, non dixisse Dominum, *Non moritur*, ne illis verbis quæ dixit, hoc voluisse intelligi putaretur; corpusque ejus in sepulcro ejus exanime sicut aliorum mortuorum jacet : restat ut si vere ibi fit quod sparsit fama de terra, quæ subinde ablata succrescit, aut ideo fiat ut eo modo commendetur pretiosa mors ejus, quoniam non eam commendat martyrium (non enim eum pro fide Christi persecutor occidit), aut propter aliquid aliud quod nos latet. Manet tamen quæstio cur dixerit Dominus de homine morituro, *Sic eum volo manere donec veniam.*

4. Illud etiam in his duobus apostolis Petro et Joanne quem non moveat ad quærendum, cur Joannem plus dilexerit Dominus, cum ipsum Dominum plus dilexerit Petrus? Ubicumque enim se commemorat Joannes, ut nomine suo tacito ipse possit intelligi, hoc addit quod eum diligebat Jesus, quasi solum diligeret, ut hoc signo discerneretur a cæteris, quos utique omnes diligebat : quid ergo, nisi amplius se dilectum, cum hoc diceret, volebat intelligi? quod absit ut mendaciter diceret. Quod autem majus dare potuit Jesus majoris erga eum suæ dilectionis indicium, quam ut homo cum cæteris condiscipulis suis socius tantæ salutis, solus tamen discubuerit super pectus ipsius Salvatoris? Porro quod apostolus Petrus plus aliis dilexit Christum, possunt quidem documenta multa proferri : sed ut longe in alia non eamus, ipsius tertiæ manifestationis Domini paulo superiore lectione, quæ istam præcedit, satis evidenter apparet, ubi interrogans eum, dixit, *Diligis me plus his?* Quod utique sciebat, et tamen interrogabat, ut etiam nos qui legimus Evangelium, amorem Petri erga Dominum, et illo interrogante et isto respondente nossemus. Quod autem in eo quod respondit Petrus, *Amo te*, non addidit, plus his, hoc respondit quod de seipso sciebat. Non enim quantum ab alio quolibet diligeretur scire poterat, qui cor alterius videre non poterat. Sed tamen superioribus verbis dicendo, *Etiam, Domine, tu scis* (*Joan.* XXI, 15, 16), satis et ipse declaravit, scientem Dominum interrogasse quod interrogavit. Sciebat igitur Dominus non solum quod diligeret, verum etiam quod plus illis eum diligeret Petrus. Et tamen si proponamus quærentes, quis duorum sit melior, utrum qui plus, an qui minus diligit Christum; quis dubitabit respondere, eum qui plus diligit esse meliorem? Item si proponamus quis duorum sit melior, utrum quem minus, an quem plus diligit Christus; eum qui plus diligitur a Christo, meliorem procul dubio respondebimus. In illa ergo comparatione quam prius posui, Petrus Joanni; in hac vero altera, Joannes anteponitur Petro. Proinde tertiam sic proponimus : quis est duorum discipulorum melior, qui minus quam condiscipulus ejus diligit Christum, et plus quam condiscipulus ejus diligitur a Christo? an ille quem minus quam condiscipulum ejus diligit Christus, cum plus ipse quam suus condiscipulus diligat Christum? Hic plane cunctatur responsio, et augetur quæstio. Quantum autem ipse sapio, meliorem qui plus diligit Christum, feliciorem vero quem plus diligit Christus, facile responderem; si justitiam Liberatoris nostri minus eum diligentis a quo plus diligitur, et eum plus a quo minus diligitur, quemadmodum defenderem, perviderem.

5. Aggrediar igitur in ejus manifesta misericordia, cujus est occulta justitia, de solvenda quæstione tam ingenti, pro viribus quas ipse donaverit, disputare : hucusque enim proposita est, non exposita. Exponendæ vero ejus hoc sit exordium; ut meminerimus in hoc corruptibili corpore quod aggravat animam (*Sap.* IX, 15), vitam nos miseram vivere. Sed qui jam redempti per Mediatorem sumus, et Spiritum sanctum pignus accepimus, beatam vitam in spe habemus, etsi re ipsa nondum tenemus. Spes autem quæ videtur, non est spes : quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus (*Rom.* VIII, 24, 25). In malis autem quæ quisque patitur, non in bonis quibus fruitur, opus est patientia. Hanc itaque vitam de qua scriptum est, *Numquid non tentatio est vita humana super terram* (*Job* VII, 1)? in qua quotidie clamamus ad Dominum, *Libera nos a malo* (*Matth.* VI, 13), cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis : quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim pœna quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et pœna. Ac per hoc vel ad demonstrationem debitæ miseriæ, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitatio-

nem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna et quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. Hæc est istorum dierum, quos in hac mortalitate agimus malos, quamvis in ea diligamus videre dies bonos, flenda quidem, sed non reprehendenda conditio. Venit enim de ira Dei justa, de qua Scriptura loquens, *Homo*, inquit, *natus ex muliere, brevis vitæ, et plenus iræ* (*Job* XIV, 1) : cum ira Dei non sit ut hominis, id est perturbatio concitati animi, sed tranquilla justi supplicii constitutio. In hac ira sua Deus non continens, sicut scriptum est, miserationes suas (*Psal.* LXXVI, 10), præter alia solatia miserorum quæ generi humano præbere non cessat, in plenitudine temporis, quo ipse sciebat hoc esse faciendum, misit Filium suum unigenitum (*Galat.* IV, 4), per quem creavit universa, ut manens Deus fieret homo, et esset mediator Dei et hominum homo Christus Jesus (I *Tim.* II, 5) : in quem credentes, per lavacrum regenerationis soluto reatu omnium peccatorum, et originalis videlicet quod generatio trahit, contra quam maxime regeneratio est instituta, et cæterorum quæ male agendo contracta sunt, liberarentur a damnatione perpetua, et viverent in fide et spe et charitate, peregrinantes in hoc sæculo, atque in ejus tentationibus laboriosis et periculosis, consolationibus autem Dei et corporalibus et spiritualibus ambularent ad conspectum ejus, viam tenentes, quod eis factus est Christus. Et quia in ipso quoque ambulantes non sunt sine peccatis, quæ de hujus vitæ infirmitate subrepunt, dedit eleemosynarum remedia salutaria, quibus eorum adjuvaretur oratio, ubi eos dicere docuit, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* VI, 12). Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita ærumnosa : cujus Ecclesiæ Petrus apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus christianus, abundantiore gratia unus idemque primus apostolus : sed quando ei dictum est, *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*, universam significabat Ecclesiam, quæ in hoc sæculo diversis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempestatibus quatitur, et non cadit, quoniam fundata est super petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim a Petro petra, sed Petrus a petra; sicut non Christus a christiano, sed christianus a Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, quia dixerat Petrus, *Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Id.* XVI, 16-19). Super hanc ergo, inquit, petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus (I *Cor.* X, 4) : super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus (*Id.* III, 11). Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro, id est potestatem ligandi solvendique peccata. Quod est enim per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra; qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia. Hæc igitur Ecclesia quam significabat Petrus, quamdiu degit in malis, amando et sequendo Christum liberatur a malis. Magis autem sequitur in eis qui certant pro veritate usque ad mortem. Sed universitati dicitur, *Sequere me*, pro qua universitate passus est Christus : de quo dicit idem Petrus, *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (I *Petr.* II, 21). Ecce propter quod ei dictum est, *Sequere me.* Est autem alia vita immortalis, quæ non est in malis : ibi facie ad faciem videbimus, quod hic per speculum et in ænigmate videtur (I *Cor.* XIII, 12), quando multum in conspicienda veritate proficitur. Duas itaque vitas sibi divinitus prædicatas et commendatas novit Ecclesia, quarum est una in fide, altera in specie; una in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis; una in labore, altera in requie; una in via, altera in patria; una in opere actionis, altera in mercede contemplationis; una declinat a malo et facit bonum, altera nullum habet a quo declinet malum, et magnum habet quo fruatur bonum; una cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat; una fortis est in adversis, altera nihil sentit adversi; una carnales libidines frenat, altera spiritualibus delectationibus vacat; una est vincendi cura sollicita, altera victoriæ pace secura; una in tentationibus adjuvatur, altera sine ulla tentatione in ipso adjutore lætatur; una subvenit indigenti, altera ibi est ubi nullum invenit indigentem; una aliena peccata ut sua sibi ignoscantur ignoscit, altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci; una flagellatur malis, ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiæ caret omni malo, ut sine ulla tentatione superbiæ cohæreat summo bono; una bona et mala discernit, altera quæ sola bona sunt cernit : ergo una bona est, sed adhuc misera; altera melior et beata. Ista significata est per apostolum Petrum, illa per Joannem. Tota hic agitur ista usque in hujus sæculi finem, et illic invenit finem : differtur illa complenda post hujus sæculi finem, sed in futuro sæculo non habet finem. Ideo dicitur huic, *Sequere me* : de illo autem, *Sic eum volo manere donec veniam; quid a te? Tu me sequere.* Quid enim est hoc? Quantum sapio, quantum capio, quid est hoc, nisi, Tu me sequere per imitationem perferendi temporalia mala; ille maneat donec sempiterna venio redditurus bona? Quod apertius ita dici potest : Perfecta me sequatur actio, informata meæ passionis exemplo; inchoata vero contemplatio maneat donec venio, perficienda cum venero. Sequitur enim Christum, perveniens usque ad mortem pia plenitudo patientiæ : manet autem donec veniat Christus, tunc manifestanda plenitudo scientiæ. Hic quippe tolerantur mala hujus mundi in terra morientium, ibi videbuntur bona Domini in terra viventium. Quod enim ait, *Volo eum manere donec veniam*, non sic intelligendum est quasi dixerit, remanere vel permanere; sed, exspectare : quoniam

quod per eum significatur, non utique nunc, sed cum venerit Christus, implebitur. Quod autem per hunc significatur, cui dictum est, *Tu me sequere*, nisi nunc agatur, non pervenietur ad illud quod exspectatur. In hac autem activa vita quanto magis Christum diligimus, tanto facilius liberamur a malo. At ipse nos minus diligit quales nunc sumus; et hinc ideo liberat, ne semper tales simus. Ibi vero amplius nos diligit; quoniam quod ei displiceat, et quod a nobis auferat, non habebimus : nec ob aliud nos hic diligit, nisi ut sanet et transferat ab his quæ non diligit. Hic ergo minus, ubi non vult remaneamus : ibi amplius, quo vult transeamus, et unde non vult pereamus. Amet ergo eum Petrus, ut ab ista mortalitate liberemur : ametur ab eo Joannes, ut in illa immortalitate servemur.

6. Sed ista ratione illud ostenditur, cur amplius Joannem quam Petrum amaverit Christus, non cur amplius Petrus quam Joannes amaverit Christum. Neque enim, si plus nos diligit Christus in futuro sæculo, ubi cum illo sine fine vivemus, quam in isto unde eruimur, ut illic semper simus, propterea nos tunc eum minus dilecturi sumus quando meliores erimus; cum meliores utique nisi amplius eum diligendo, nullo modo esse possimus. Cur ergo Joannes minus eum diligebat quam Petrus, si eam vitam significabat, in qua est multo amplius diligendus, nisi quia propterea dictum est, *Volo eum manere*, id est exspectare, *donec veniam*, quoniam et ipsum amorem qui tunc multo amplior erit, nondum habemus, sed futurum exspectamus, ut cum ipse venerit, habeamus? Nam sicut in Epistola sua idem dicit apostolus, *Nondum apparuit quod erimus; scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Tunc ergo amplius quod videbimus, diligemus. Ipse autem Dominus illam quæ futura est vitam nostram, qualis in nobis futura sit sciens, prædestinatione plus amat, ut ad eam nos amando perducat. Quocirca quoniam universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal.* XXIV, 10), miseriam nostram præsentem novimus, quia sentimus; et ideo misericordiam Domini, quam nobis de miseria liberandis exhiberi volumus, plus amamus, eamque quotidie maxime pro peccatorum remissione poscimus et habemus : hoc per Petrum significatum est plus amantem, sed minus amatum; quia minus nos amat Christus miseros quam beatos. Veritatis autem contemplationem qualis tunc futura est, minus amamus, quia nondum novimus nec habemus : hæc per Joannem significata est minus amantem, atque ideo et ad ipsam, et ad ejus in nobis amorem, qualis ei debetur, implendum, donec veniat Dominus exspectantem; sed plus amatum, quia id quod per illum figuratum est, hoc efficit beatum.

7. Nemo tamen istos insignes apostolos separet. Et in eo quod significabat Petrus, ambo erant; et in eo quod significabat Joannes, ambo futuri erant. Significando sequebatur iste, manebat ille : credendo autem ambo mala præsentia hujus miseriæ tolerabant, ambo futura bona illius beatitudinis exspectabant. Nec ipsi soli, sed universa hoc facit sancta Ecclesia sponsa Christi, ab istis tentationibus eruenda, in illa felicitate servanda. Quas duas vitas Petrus et Joannes figuraverunt, singuli singulas : verum et in hac temporaliter ambulaverunt ambo per fidem, et illa in æternum fruentur ambo per speciem. Omnibus igitur sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus, propter hujus vitæ procellosissimæ gubernaculum, ad liganda et solvenda peccata claves regni cœlorum primus Apostolorum Petrus accepit : eisdemque omnibus sanctis propter vitæ illius secretissimæ quietissimum sinum, super pectus Christi Joannes evangelista discubuit. Quoniam nec iste solus, sed universa Ecclesia ligat solvitque peccata : nec ille in principio Verbum Deum apud Deum, et cætera de Christi divinitate, et de totius divinitatis trinitate atque unitate sublimia, quæ in illo regno facie ad faciem contemplanda, nunc autem donec veniat Dominus, in speculo atque in ænigmate contuenda sunt, quæ prædicando ructaret, de fonte Dominici pectoris solus bibit; sed ipse Dominus ipsum Evangelium pro sua cujusque capacitate omnibus suis bibendum toto terrarum orbe diffudit. Sunt qui senserint, et hi quidem non contemptibiles sacri eloquii tractatores, a Christo Joannem apostolum propterea plus amatum, quod neque uxorem duxerit, et ab ineunte pueritia castissimus vixerit (*Hieron. lib.* 1 *contra Jovinianum*). Hoc quidem in Scripturis canonicis non evidenter apparet : verumtamen id quoque multum adjuvat congruentiam hujusce sententiæ, quod illa vita per eum significata est, ubi non erunt nuptiæ.

8. *Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc; et scimus quia verum est testimonium ejus. Sunt autem*, inquit, *et alia multa quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere eos qui scribendi sunt libros.* Non spatio locorum credendum est mundum capere non posse, quæ in eo scribi quomodo possent, si scripta non ferret? sed capacitate legentium comprehendi fortasse non possent : quamvis salva rerum fide, plerumque verba excedere videantur fidem. Quod non fit quando aliquid quod erat obscurum vel dubium, causa et ratione reddita exponitur : sed quando id quod apertum est vel augetur, vel extenuatur, nec tamen a tramite significandæ veritatis erratur; quoniam sic verba rem quæ indicatur excedunt, ut voluntas loquentis nec fallentis appareat, qui novit quousque credatur, a quo ultra quam credendum est vel minuitur loquendo aliquid, vel augetur. Hunc loquendi modum græco nomine, non solum græcarum, verum etiam latinarum litterarum magistri hyperbolen vocant. Qui modus, sicut hoc loco, ita in nonnullis aliis divinis Litteris invenitur : ut est, *Posuerunt in cælum os suum* (*Psal.* LXXII, 9); et, *Verticem capilli perambulantium in delictis suis* (*Psal.* LXVII, 22); et multa hujusmodi, quæ Scripturis sanctis non desunt, sicut alii tropi, hoc est locutionum modi. De quibus operosius disputarem, nisi Evangelista terminante Evangelium suum, etiam ipse compellerer meum terminare sermonem.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

IN EPISTOLAM

JOANNIS AD PARTHOS

TRACTATUS DECEM [a].

Prologus.

Meminit Sanctitas vestra Evangelium secundum Joannem ex ordine lectionum nos solere tractare : sed quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum, quibus certas ex Evangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quæ ita sunt annuæ, ut aliæ esse non possint (*b*) ; ordo ille quem susceperamus, necessitate paululum intermissus est, non amissus. Cum autem cogitarem quid secundum hilaritatem præsentium dierum per hanc hebdomadam vobiscum de Scripturis agerem, quantum Dominus donare dignatur, quod posset in istis septem vel octo diebus finiri, occurrit mihi Epistola beati Joannis : ut cujus Evangelium paululum intermisimus, ejus Epistolam tractando ab eo non recedamus; præsertim quia in ipsa Epistola satis dulci omnibus quibus sanum est palatum cordis, ubi sapiat panis Dei, et satis memorabili in sancta Ecclesia Dei, maxime Charitas commendatur. Locutus est multa, et prope omnia de Charitate. Qui habet in se unde audiat, necesse est gaudeat ad quod audit. Sic enim illi erit lectio ista, tanquam oleum in flamma; si est ibi quod nutriatur, nutritur, et crescit, et permanet. Item quibusdam sic esse debet, tanquam flamma ad fomitem; ut si non ardebat, accedente sermone accendatur. In quibusdam enim nutritur quod est, in quibusdam accenditur si deest; ut omnes in una charitate gaudeamus. Ubi autem charitas, ibi pax; et ubi humilitas, ibi charitas. Jam ipsum audiamus; et ad ejus verba, quæ Dominus suggerit, etiam vobis ut bene intelligatis, loquamur.

TRACTATUS I.

De eo quod Joannes scribit, Quod erat ab initio, quod audivimus, et quod vidimus, *etc., usque ad id,* Quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus. *Cap.* I, *et cap.* II, ỹ. 1-11.

1. *Quod erat ab initio, quod audivimus, et quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ.* Quis est qui manibus tractat Verbum, nisi quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis?* Hoc autem Verbum quod caro factum est, ut manibus tractaretur, cœpit esse caro ex virgine Maria : sed non tunc cœpit Verbum, quia *quod erat ab initio* dixit. Videte si non attestatur Epistola sua Evangelio suo, ubi modo audistis, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* I, 14, 1). Forte de Verbo vitæ sic quisque accipiat quasi locutionem quamdam de Christo, non ipsum corpus Christi quod manibus tractatum est. Videte quid sequatur : *Et ipsa vita manifestata est.* Christus ergo Verbum vitæ. Et unde manifestata est? Erat enim ab initio; sed non erat manifestata hominibus : manifestata autem erat Angelis videntibus, et tanquam pane suo cibantibus. Sed quid ait Scriptura? *Panem Angelorum manducavit*

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

His Tractatibus castigandis subsidio fuerunt codices Mss., e Bigotiana bibliotheca duo, ex Michaelina et Germanensi totidem, ex Remigiana tres, unus ex Theodericensi vetustissimus et optimæ notæ, item unus ex Benigniana, Vindocinensi, Floriacensi, Vincentiana, unus Ecclesiæ Laudunensis, unus Abbatiæ S. Quintini Bellovacensis; alius Bellovacensis Ecclesiæ, qui ad calcem notatur scriptus anno Clotharii Regis duodecimo : tum etiam variantes lectiones, quas ex quinque Belgicis Mss. excerpserunt Lovanienses Doctores. Perlectæ demum fuerunt editiones Am. Bad. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

(*a*) Scripti circiter Christi annum 416.

(*b*) Id nempe etiam in Sermone 232, n. 1, et 239, n. 1, de Tempore, testatur usu receptum fuisse, ut Paschali solemnitate per septem vel octo dies historia Dominicæ resurrectionis recitaretur secundum omnes Evangelistas : nec eodem semper ordine, sed ita ut Lucæ Marcus nonnunquam postponeretur. Et vero Tractatus hic secundus, quem secundæ feriæ Paschæ assignat vetustissimus codex Theodericensis, ex ipsius initio intelligitur habitus ea die qua Lucas de illa duobus discipulis Emmaus euntibus Christi apparitione lectus fuerat. Pascha autem in 2 Aprilis incidebat anno illo 416, cui non temere adscribas hosce Tractatus : quippe quos cœpta jam ante in Joannis Evangelium Tractatione, eademque paulisper intermissa, pronuntiatos a se dicit Augustinus in Prologo. De his nulla mentio in Retractationum opere, quo nimirum solos ex opusculis suis libros recensuit, sperans aliud a se edendum opus in Epistolas et Tractatus populares, uti ad Quodvultdeum, Epist. 224, scribit. At in Possidii Indiculo, cap. 9, notantur his verbis : « De « Epistola Joannis ad Parthos Sermones decem. » In omnibus Mss. tribuuntur Augustino; sed in paucioribus Tractatus, in aliis Sermones, aut Homiliæ inscribuntur, addito in nonnullis titulo, De Charitate. In Mss. denique Prologus pars est primi Tractatus, nec ab ipso nota ulla vel tituli, ut in Excusis, interpositione disjungitur.

homo (*Psal.* LXXVII, 25). Ergo manifestata est ipsa vita in carne; quia in manifestatione posita est, ut res quæ solo corde videri potest, videretur et oculis, ut corda sanaret. Solo enim corde videtur Verbum: caro autem et oculis corporalibus videtur. Erat unde videremus carnem, sed non erat unde videremus Verbum: factum est Verbum caro, quam videre possemus, ut sanaretur in nobis unde Verbum videremus.

2. *Et vidimus, et testes sumus.* Forte aliqui fratrum nesciunt, qui græce non noverunt, quid sint *testes* græce: et usitatum nomen est omnibus et religiosum; quos enim testes latine dicimus, græce martyres sunt. Quis autem non audivit martyres, aut in cujus christiani ore non quotidie habitat nomen martyrum? Atque utinam sic habitet et in corde, ut passiones martyrum imitemur, non eos calcibus persequamur. Ergo hoc dixit, *Vidimus, et testes sumus:* Vidimus, et martyres sumus. Testimonium enim dicendo ex eo quod viderunt, et testimonium dicendo ex eo quod audierunt ab his qui viderunt, cum displiceret ipsum testimonium hominibus adversus quos dicebatur, passi sunt omnia quæ passi sunt martyres. Testes Dei sunt martyres. Deus testes habere voluit homines, ut et homines habeant testem Deum. *Vidimus*, inquit, *et testes sumus.* Ubi viderunt? In manifestatione. Quid est, in manifestatione? In sole, id est in hac luce. Unde autem potuit videri in sole qui fecit solem, nisi quia *in sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal.* XVIII, 6)? Ille ante solem qui fecit solem [1], ille ante luciferum, ante omnia sidera, ante omnes Angelos, verus creator (quia omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil [*Joan.* I, 3]), ut videretur oculis carneis qui solem vident; ipsum tabernaculum suum in sole posuit, id est carnem suam in manifestatione hujus lucis ostendit: et illius sponsi thalamus fuit uterus Virginis, quia in illo utero virginali conjuncti sunt duo, sponsus et sponsa, sponsus Verbum et sponsa caro; quia scriptum est, *Et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, 24); et Dominus dicit in Evangelio, *Igitur jam non duo, sed una caro* (*Matth.* XIX, 6). Et Isaias optime meminit unum esse ipsos duos: loquitur enim ex persona Christi, et dicit, *Sicut sponso imposuit mihi mitram, et sicut sponsam ornavit me ornamento* (*Isai.* LXI, 10). Unus videtur loqui, et sponsum se fecit et sponsam se fecit; quia *non duo, sed una caro:* quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Illi carni adjungitur Ecclesia, et fit Christus totus, caput et corpus.

3. *Et testes*, inquit, *sumus; et annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, et manifestata est in nobis:* hoc est, manifestata est inter nos; quod apertius diceretur, manifestata est nobis. *Quæ ergo vidimus et audivimus, nuntiamus vobis.* Intendat Charitas vestra: *Quæ ergo vidimus et audivimus, nuntiamus vobis.* Illi viderunt ipsum Dominum præsentem in carne, et audierunt verba ex ore Domini, et annuntiaverunt nobis. Et nos ergo audivimus, sed non vidimus. Minus ergo sumus felices quam illi qui viderunt et audierunt? Et quomodo adjungit, *Ut et vos societatem habeatis nobiscum?* Illi viderunt, nos non vidimus, et tamen socii sumus; quia fidem communem tenemus. Nam et quidam videndo non credidit, et palpare voluit, et sic credere, et ait: *Non credam nisi digitos meos misero in locum clavorum, et cicatrices ejus tetigero.* Et præbuit se ex tempore palpandum manibus hominum, qui semper se præbet videndum aspectibus Angelorum: et palpavit ille discipulus et exclamavit, *Dominus meus et Deus meus.* Quia tetigit hominem, confessus est Deum. Et Dominus consolans nos qui ipsum jam in cœlo sedentem manu contrectare non possumus, sed fide contingere, ait illi: *Quia vidisti, credidisti; beati qui non vident et credunt* (*Joan.* XX, 25-29). Nos descripti sumus, nos designati sumus. Fiat ergo in nobis beatitudo quam Dominus prædixit futuram: firme teneamus quod non videmus; quia illi nuntiant qui viderunt. *Ut et vos*, inquit, *societatem habeatis nobiscum.* Et quid magnum societatem habere cum hominibus? Noli contemnere; vide quid addat: *Et societas nostra sit cum Deo Patre, et Jesu Christo Filio ejus. Et hæc*, inquit, *scribimus vobis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Plenum gaudium dicit in ipsa societate, in ipsa charitate, in ipsa unitate.

4. *Et hæc est annuntiatio quam audivimus ab eo, et annuntiamus vobis.* Quid est hoc? Ipsi viderunt, contrectaverunt manibus Verbum vitæ: ab initio erat, ad tempus visibilis et palpabilis factus est unicus Filius Dei. Ad quam rem venit, vel quid nobis novum nuntiavit? Quid docere voluit? Quare fecit hoc quod fecit, ut Verbum caro fieret, ut Deus super omnia indigna ab hominibus pateretur, ut alapas eorum sustineret de manibus quas ipse formavit? Quid voluit docere? quid voluit ostendere? quid voluit annuntiare? Audiamus: nam sine fructu præcepti, auditio rei gestæ, quia natus est Christus, et quia passus est Christus, avocamentum mentis est, non firmamentum. Quid magnum audis? quo fructu audis [1], vide. Quid voluit docere? quid annuntiare? Audi: *Quia Deus lux est*, inquit, *et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Adhuc lucem quidem nominavit, sed obscura sunt verba: bonum est nobis ut ipsa lux quam nominavit, illustret corda nostra, et videamus quid dixit. Hoc est quod annuntiamus, *quia Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Quis enim auderet dicere quia in Deo sunt tenebræ? Aut quid est ipsa lux? aut quid sunt tenebræ? ne forte talia dicat, quæ ad oculos istos nostros pertineant. *Deus lux est:* ait nescio quis, Et sol lux est, et luna lux est, et lucerna lux est. Aliquid debet esse longe his majus, longe præstantius, longeque supereminentius. Quantum Deus a creatura, quantum conditor a conditione, quantum sapientia ab eo quod factum est per sapientiam, longe

[1] Tres Mss.: *Ille autem sol qui fecit solem.* Alii duo: *Jam autem ille sol qui fecit solem.*

[1] Lov., *audias.* Er.: *Quid magnum audis, quo fructu audias?* Vide quid. Lugd.: *Quid magnum audis, quo fructu audias?* Vide, etc. Ven.: *Quid magnum audis? quo fructu audias, vide, quid voluit docere?* M.

ultra omnia debet esse lux ista. Et forte vicini ei erimus, si quæ sit lux ista cognoverimus, et ad eam nos applicaverimus, ut ex ipsa illuminemur; quia in nobis tenebræ sumus, et ab illa illuminati possumus esse lux, et non confundi de illa, quia de nobis confundimur. Quis est qui de se confunditur? Qui se cognoscit peccatorem. Quis de illa non confunditur? Qui ab illa illuminatur. Quid est ab illa illuminari? Qui jam videt se peccatis tenebrari, et cupit ab illa illuminari, accedit ad illam: unde dicit Psalmus, *Accedite ad eum, et illuminamini; et vultus vestri non erubescent* (*Psal.* XXXIII, 6). Sed non erubesces de illa [1], si, quando tibi te fœdum ostenderit, displiceat tibi fœditas tua, ut percipias pulchritudinem illius. Hoc est quod vult docere.

5. Et fortasse præpropere illud nos dicimus? Ipse hoc manifestet in consequentibus. Mementote in principio sermonis nostri, quia Epistola ista charitatem commendat: *Deus lux est*, inquit, *et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Et quid superius dixerat? *Ut societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Deo Patre et Filio ejus Jesu Christo.* Porro si Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ, et societatem cum illo habere debemus; et a nobis pellendæ sunt tenebræ, ut fiat in nobis lux; nam tenebræ cum luce societatem habere non possunt: ideo vide quid sequatur: *Quod si dixerimus quia societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur.* Habes et apostolum Paulum dicentem, *Aut quæ societas luci ad tenebras* (II *Cor.* VI, 14)? Dicis te societatem habere cum Deo, et in tenebris ambulas; et *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ:* quomodo ergo est societas luci et tenebris? Jam ergo dicat sibi homo, Quid faciam? unde ero lux? In peccatis et in iniquitatibus vivo. Quasi subrepit quædam desperatio et tristitia. Salus nulla est, nisi in societate Dei. *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ.* Peccata autem tenebræ sunt, sicut dicit Apostolus diabolum et angelos ejus rectores tenebrarum harum esse (*Ephes.* VI, 12). Non diceret rectores tenebrarum, nisi rectores peccatorum, dominatores iniquorum. Quid ergo facimus, fratres mei? Societas cum Deo habenda est, alia spes vitæ æternæ nulla est; *Deus autem lux est, et tenebræ in eo sunt nullæ:* iniquitates autem tenebræ sunt; iniquitatibus premimur, ne societatem cum Deo habere possimus: quæ ergo spes? Nonne promiseram me aliquid locuturum istis diebus quod gaudium faciat? Quod si non exhibeo, tristitia est ista. *Deus lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ;* peccata tenebræ sunt: quid erit nobis? Audiamus ne forte consoletur, erigat, det spem, ne deficiamus in via. Currimus enim, et ad patriam currimus; et si nos perventuros desperamus, ipsa desperatione deficimus. Ille autem qui nos vult pervenire, ut conservet in patria, pascit in via. Audiamus ergo: *Quod si dixerimus quia societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus; mentimur, et non facimus veritatem.* Non dicamus quia societatem cum illo habemus, si in tenebris ambulamus. *Quod si in lumine ambulamus, sicut et ipse est in lumine; societatem habemus cum invicem.* In lumine ambulemus, sicut et ipse est in lumine, ut possimus societatem habere cum illo. Et quid facimus de peccatis? Audi quid sequitur: *Et sanguis Jesu Christi Filii ejus purgabit nos ab omni delicto.* Magnam securitatem dedit Deus. Merito Pascha celebramus, ubi fusus est sanguis Domini, quo purgamur ab omni delicto. Simus securi: cautionem contra nos servitutis diabolus tenebat, sed sanguine Christi deleta est. *Sanguis*, inquit, *Filii ejus purgabit nos ab omni delicto.* Quid est, *ab omni delicto?* Attendite: ecce jam in nomine Christi per sanguinem ejus [1], quem nunc confessi sunt isti qui appellantur infantes, mundata sunt omnia peccata ipsorum. Veteres intraverunt, novi exierunt. Quid est, veteres intraverunt, novi exierunt? Senes intraverunt, infantes exierunt. Senectus enim veternosa, vetusta vita: infantia autem regenerationis, nova vita. Sed quid facimus? Præterita peccata donata sunt, non tantum ipsis, sed et nobis; et post donationem et abolitionem omnium peccatorum vivendo in hoc sæculo inter tentationes, quædam forte contracta sunt. Ideo quod potest homo faciat; ipse confiteatur quod est, ut ab illo curetur qui semper est quod est: ipse enim semper erat et est [2]; nos non eramus et sumus.

6. Vide enim quid dicat: *Quod si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Ergo si te confessus fueris peccatorem, est in te veritas: nam ipsa veritas lux est. Nondum perfecte splenduit vita tua, quia insunt peccata; sed tamen jam illuminari cœpisti, quia inest confessio peccatorum. Vide enim quid sequatur: *Quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, ut dimittat nobis delicta nostra, et purget nos ex omni iniquitate.* Non tantum præterita, sed et si qua forte contraximus ex hac vita; quia non potest homo quamdiu carnem portat, nisi habere vel levia peccata. Sed ista levia quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis, quando appendis: expavesce, quando numeras. Levia multa faciunt unum grande: multæ guttæ implent flumen; multa grana faciunt massam. Et quæ spes est? Ante omnia confessio: ne quisquam se justum putet, et ante oculos Dei qui videt quod est, erigat cervicem homo qui non erat et est. Ante omnia ergo confessio, deinde dilectio: quia de charitate quid dictum est? *Charitas cooperit multitudinem peccatorum* (I *Petr.* IV, 8). Jam videamus si ipsam charitatem commendat, propter subrepentia delicta: quia sola charitas exstinguit delicta. Superbia exstinguit charitatem: humilitas ergo roborat charitatem; charitas exstinguit delicta. Humilitas pertinet ad confessionem, qua confitemur nos peccatores esse: ipsa est humilitas, non ut dicamus illud lingua; quasi

[1] Lov.: *Sed erubescis de illa.* At plures Mss., suffragante editione Bad.: *Sed non erubesces.*

[1] Editi, *per sanguinem crucis Domini, quem nunc confessi.* Nos cum aliquot Mss., *per sanguinem ejus, quem*, etc.

[2] Apud Lov., *ipse enim est et est.* In cæteris libris, *ipse enim semper erat et est.*

propter arrogantiam ne displiceamus hominibus, si nos justos esse dixerimus. Faciunt hoc impii et insani : Scio quidem quia justus sum, sed quid dicturus sum ante homines? si me justum dixero, quis ferat, quis toleret? apud Deum nota sit justitia mea : ego tamen dicam me peccatorem ; non quia sum , sed ne arrogantia odiosus inveniar. Dic hominibus quod es, dic Deo quod es. Quia si non dixeris Deo quod es, damnat Deus quod in te inveniet. Non vis ut ille damnet? tu damna. Vis ut ille ignoscat? tu agnosce, ut possis Deo dicere, *Averte faciem tuam a peccatis meis*. Dic illi etiam illa verba in ipso Psalmo, *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco* (*Psal.* L, 11, 5). *Quod si confessi fuerimus delicta nostra, fidelis est et justus, qui dimittat nobis delicta nostra, et purget nos ex omni iniquitate. Quod si dixerimus quia non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum ejus non est in nobis*. Si dixeris, Non peccavi ; illum facis mendacem, cum te vis facere veracem. Unde fieri potest ut Deus mendax sit, et homo verax ; cum contradicat Scriptura : *Omnis homo mendax, Deus solus verax* (*Rom.* III, 4)? Ergo Deus per seipsum verax, tu per Deum verax ; nam per te mendax.

7. Et ne forte impunitatem videretur dedisse peccatis, quia dixit, *Fidelis est et justus, qui mundet nos ab omni iniquitate ;* et dicerent jam sibi homines, Peccemus, securi faciamus quod volumus, purgat nos Christus, fidelis est et justus, purgat nos ab omni iniquitate : tollit tibi malam securitatem, et inserit utilem timorem. Male vis esse securus, sollicitus esto. Fidelis enim est et justus, ut dimittat nobis delicta nostra, si semper tibi displiceas, et muteris donec perficiaris. Ideo quid sequitur? *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis*. Sed forte subrepit de vita humana peccatum : quid ergo fiet? Quid? jam desperatio erit? Audi : *Et si quis*, inquit, *peccaverit, advocatum habemus ad Patrem, Jesum Christum justum ; et ipse propitiator est peccatorum nostrorum*. Ille est ergo advocatus; da operam tu ne pecces : si de infirmitate vitæ subrepserit peccatum, continuo vide, continuo displiceat, continuo damna ; et cum damnaveris, securus ad judicem venies. Ibi habes advocatum ; noli timere ne perdas causam confessionis tuæ. Si enim aliquando in hac vita committit se homo disertæ linguæ, et non perit ; committis te Verbo, et periturus es? *Clama, Advocatum habemus ad Patrem*.

8. Videte ipsum Joannem servantem humilitatem. Certe vir justus erat et magnus, qui de pectore Domini mysteriorum secreta bibebat ; ille, ille qui bibendo de pectore Domini divinitatem ructavit, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* I, 1) : ille talis vir non dixit, Advocatum habetis apud Patrem ; sed, *Si quis peccaverit, advocatum*, inquit, *habemus*. Non dixit, habetis ; nec, me habetis, dixit ; nec, ipsum Christum habetis, dixit : sed et Christum posuit, non se ; et *habemus* dixit, non, habetis. Maluit se ponere in numero peccatorum, ut haberet advocatum Christum, quam ponere se pro Christo advocatum, et inveniri inter damnandos superbos. Fratres, Jesum Christum justum, ipsum habemus advocatum ad Patrem ; ipse propitiatio est peccatorum nostrorum. Hoc qui tenuit, hæresim non fecit ; hoc qui tenuit, schisma non fecit. Unde enim facta sunt schismata? Cum dicunt homines, Nos justi sumus ; cum dicunt homines, Nos sanctificamus immundos, nos justificamus impios, nos petimus, nos impetramus. Joannes autem quid dixit? *Et si quis peccaverit, advocatum habemus ad Patrem, Jesum Christum justum*. Sed dicet aliquis : Ergo sancti non petunt pro nobis? ergo episcopi et præpositi non petunt pro populo? Sed attendite Scripturas, et videte quia et præpositi commendant se populo. Nam Apostolus dicit plebi, *Orantes simul et pro nobis* (*Coloss.* IV, 3). Orat Apostolus pro plebe, orat plebs pro Apostolo. Oramus pro vobis, fratres : sed et vos orate pro nobis. Invicem pro se omnia membra orent, caput pro omnibus interpellet. Propterea non mirum quia sequitur hic, et claudit ora dividentibus Ecclesiam Dei. Qui enim dixit[1], *Jesum Christum habemus justum, et ipse propitiatio est peccatorum nostrorum :* propter illos qui se divisuri erant, et dicturi, *Ecce hic est Christus, ecce illic* (*Matth.* XXIV, 23) ; et vellent ostendere eum in parte qui emit totum, et possidet totum ; continuo secutus est, *Non tantum nostrorum, sed et totius mundi*. Quid est hoc, fratres? Certe *invenimus eam in campis*[2] *saltuum* (*Psal.* CXXXI, 6), invenimus Ecclesiam in omnibus gentibus. Ecce Christus *propitiatio est peccatorum nostrorum ; non tantum nostrorum, sed et totius mundi*. Ecce habes Ecclesiam per totum mundum ; noli sequi falsos justificatores, et veros præcisores[3]. In illo monte esto qui implevit orbem terrarum (*Dan.* II, 35) : quia Christus *propitiatio est peccatorum nostrorum ; non tantum nostrorum, sed et totius mundi*, quem suo sanguine comparavit.

9. *Et in hoc*, inquit, *cognoscimus eum, si mandata ejus servaverimus*. Quæ mandata? *Qui dicit quia cognovit eum, et mandata ejus non servat ; mendax est, et in hoc veritas non est*. Sed adhuc quæris, Quæ mandata? *Qui autem*, inquit, *servaverit verbum ejus, vere in hoc perfecta est dilectio Dei*. Videamus ne ipsum mandatum dilectio vocetur. Quærebamus enim, quæ mandata, et ait, *Qui autem servaverit verbum ejus, vere in hoc perfecta est dilectio Dei*. Attende Evangelium, si non est hoc mandatum : *Mandatum*, inquit, *novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 34). *In hoc cognoscimus quia in ipso sumus, si in ipso perfecti fuerimus*[4]. Perfectos in dilectione vocat : quæ est perfectio dilectionis? Et inimicos diligere, et ad hoc diligere, ut sint fratres. Non enim dilectio nostra carnalis esse debet. Optare alicui salutem temporalem, bonum est ; sed et si desit, anima tuta sit. Optas alicui amico tuo vitam? bene facis. Gaudes de morte

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *quia dixit*. M.
[2] Quatuor Mss.: *Quid est hoc? Psalmum attende, Invenimus eam in campis.*
[3] Editi, *præcipitatores*. Mss., vero, *præcisores*.
[4] Istud, *si in ipso perfecti fuerimus*, habetur hic in omnibus codicibus ; sed abest a sacris Bibliis.

inimici tui? male facis. Sed forte et amico tuo vita illa quam optas inutilis est, et inimico tuo mors de qua gaudes utilis fuit. Incertum est utrum alicui sit utilis vita ista, an inutilis; vita vero quæ est apud Deum, sine dubio utilis est. Sic dilige inimicos tuos, ut fratres optes; sic dilige inimicos tuos, ut in societatem tuam vocentur. Sic enim dilexit ille qui in cruce pendens ait: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Neque enim dixit, Pater, vivant isti multo tempore; me quidem occidunt, sed ipsi vivant. Sed quid ait? *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Mortem sempiternam ab eis expellebat, prece misericordissima, et potentia præstantissima. Multi ex eis crediderunt, et dimissus est eis fusus sanguis Christi. Primo fuderunt cum sævirent, nunc biberunt cum crederent. *In hoc cognoscimus quia in ipso sumus, si in ipso perfecti fuerimus.* De ipsa perfectione diligendorum inimicorum Dominus admonens ait: *Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* (*Matth.* V, 48). *Qui ergo dicit se in ipso manere, debet sicut ipse ambulavit et ipse ambulare.* Quomodo, fratres? Quid nos monet? *Qui dicit se in ipso manere*, id est in Christo, *debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare.* Forte hoc nos monet, ut ambulemus in mari? Absit. Hoc ergo, ut ambulemus in via justitiæ. In qua via? Jam commemoravi. Fixus in cruce erat, et in ipsa via ambulabat: ipsa est via charitatis [1], *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Sic ergo, si didiceris orare pro inimico tuo, ambulas viam Domini.

10. *Dilectissimi, non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus quod habebatis ab initio.* Quod mandatum vetus dixit? *Quod habebatis*, inquit, *ab initio.* Ideo ergo vetus, quia jam illud audistis: alioquin contrarius erit Domino, ubi ait, *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis.* Sed mandatum vetus quare? Non quia ad veterem hominem pertinet. Sed quare? *Quod habebatis ab initio. Mandatum vetus, est verbum quod audistis.* Ideo ergo vetus, quia jam audistis. Et idipsum novum ostendit dicens, *Iterum mandatum novum scribo vobis.* Non alterum, sed idem ipsum quod dixit vetus, idem est et novum. Quare? *Quod est verum in ipso et in vobis.* Jam quare vetus, audistis; quia jam illud noveratis. Quare autem novum? *Quia tenebræ transierunt, et lux vera jam lucet.* Ecce unde novum: quia tenebræ ad veterem hominem, lux vero ad novum pertinet. Quid dicit apostolus Paulus? *Exuite vos veterem hominem, et induite novum* (*Coloss.* III, 9, 10). Et iterum quid dicit? *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* V, 8).

11. *Qui dicit se esse in lumine;* modo manifestat totum quod dixit: *Qui dicit se esse in lumine, et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.* Eia, fratres mei, quamdiu dicemus vobis, *Diligite inimicos* (*Matth.* V, 44)? Videte, quod pejus est, ne adhuc fratres oderitis. Si fratres solum amaretis, nondum essetis perfecti: si autem fratres oditis [1], quid estis? ubi estis? Respiciat unusquisque cor suum: non teneat odium contra fratrem pro aliquo verbo duro; pro contentione terræ, ne fiat terra. Quisquis enim odit fratrem suum, non dicat quia in lumine ambulat. Quid dixi? non dicat quia in Christo ambulat. *Qui dicit se esse in luce, et odit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc.* Nescio quis enim ex pagano factus est christianus; intendite: ecce in tenebris erat, quando paganus erat; modo jam christianus factus est; Deo gratias, omnes gratulantur: recitatur Apostolus gratulans. *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.* Adorabat idola, adorat Deum; adorabat quæ fecit, adorat qui eum fecit. Mutatus est; Deo gratias, omnes gratulantur Christiani. Quare? Quia jam adorator Patris et Filii et Spiritus sancti, et detestator dæmoniorum et idolorum est. Adhuc de isto Joannes sollicitus est, multis gratulantibus adhuc suspectus est. Fratres, maternam sollicitudinem libenter amplectamur. Non sine causa mater sollicita est de nobis, cum alii gaudent: matrem dico charitatem; ipsa enim habitabat in corde Joannis, cum ista diceret. Quare, nisi quia aliquid timet in nobis, et cum jam nobis homines gratulantur? Quid est quod timet? *Qui dicit se esse in lumine.* Quid est hoc? Qui jam dicit se esse christianum: *et fratrem suum odit, in tenebris est usque adhuc.* Quod exponere non est; sed quod gaudere si non fiat, aut quod plangere si fiat.

12. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est.* Obsecro per Christum; pascit nos Deus, refecturi sumus corpora in nomine Christi, et aliquantum refecta sunt, et reficienda sunt; mens nostra pascatur. Non quia diu dicturus sum, dico; nam ecce jam finitur lectio: sed ne forte ex tædio minus attente audiamus quod maxime necessarium est. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est.* Qui sunt qui patiuntur scandalum, aut faciunt? Qui scandalizantur in Christo et in Ecclesia. Qui in Christo scandalizantur, tanquam a sole uruntur; qui in Ecclesia, tanquam a luna. Dicit autem Psalmus: *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem* (*Psal.* CXX, 6): id est, Si tenueris charitatem, nec in Christo scandalum patieris, nec in Ecclesia; nec Christum relinques, nec Ecclesiam. Qui enim Ecclesiam relinquit, quomodo est in Christo, qui in membris Christi non est? quomodo est in Christo, qui in corpore Christi non est? Illi ergo patiuntur scandalum, qui relinquunt aut Christum aut Ecclesiam. Unde intelligimus quia inde dixit Psalmus, *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem*, quia ipsam ustionem scandalum vult intelligi? Primo ipsam similitudinem attende. Quomodo qui uritur dicit, Non tolero, non fero, et subducit se: sic qui quædam non ferunt in Ecclesia, et subtrahunt se vel nomini Christi vel Ecclesiæ, scandalum

[1] In quatuor Mss., *ipsa via est charitas.*

[1] Editi hic et in variis locis tractatuum, nunc *oditis*, nunc *oderitis* ferunt. Er., hic, *oditis*. Lov., *oderitis*, sed quatuor apud ipsos Mss., *oditis*, et unus Ms., *odistis*. Lugd. et Ven. *si autem auditis*. M.

patiuntur. Videte enim quomodo passi sunt scandalum tanquam a sole illi carnales, quibus prædicabat carnem suam Christus, et dicebat: *Qui non manducaverit carnem Filii hominis, et biberit ejus sanguinem, non habebit in se vitam.* Septuaginta ferme homines dixerunt, *Durus est hic sermo;* et recesserunt ab eo: et remanserunt duodecim. Omnes illos ussit sol, et recesserunt, non valentes ferre vim verbi. Remanserunt ergo duodecim. Et ne forte putarent homines quia ipsi præstant Christo credendo in Christum, et non ab ipso illis præstatur beneficium; cum duodecim remansissent, ait illis Dominus: *Numquid et vos vultis ire?* Ut noveritis quia vobis necessarius ego sum, non vos mihi. Illi autem quos non usserat sol, responderunt ex voce Petri: *Domine, verbum vitæ æternæ habes; quo ibimus* (*Joan.* VI, 54-69)? Quos autem urit Ecclesia tanquam luna per noctem? Qui schismata fecerunt. Audi ipsum verbum positum in Apostolo: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI, 29)? Quomodo ergo non est scandalum in eo qui diligit fratrem? Quia qui diligit fratrem, tolerat omnia propter unitatem; quia in unitate charitatis est fraterna dilectio. Offendit te nescio quis, sive malus, sive ut tu putas malus, sive ut tu fingis malus, et deseris tot bonos? Qualis dilectio fraterna est, qualis apparuit in istis (*a*)? Cum accusant Afros, deseruerunt orbem terrarum. Numquid in orbe terrarum sancti non erant? Aut inauditi a vobis damnari potuerunt? Sed o si diligeretis fratres, scandalum in vobis non esset. Audi Psalmum, quid dicat: *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est eis scandalum* (*Psal.* CXVIII, 165). Pacem multam dixit eis qui diligunt legem Dei, et ideo non eis esse scandalum. Illi ergo qui scandalum patiuntur, pacem perdunt. Et quos dixit non pati scandalum, aut non facere? Diligentes legem Dei. Ergo in charitate positi sunt. Sed dicit aliquis, *Legem* Dei dixit *diligentibus*, non fratres. Audi quid Dominus dicat: *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis.* Quid est lex, nisi mandatum? Quomodo autem non patiuntur scandalum, nisi dum sufferunt invicem? Sicut Paulus dicit, *Sufferentes invicem in dilectione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 2, 3). Et quia ipsa est lex Christi, eumdem audi apostolum commendantem ipsam legem: *Invicem*, inquit, *onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 2).

13. *Nam qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat.* Magna res, fratres; attendite, rogamus vos. *Qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat, et nescit quo eat; quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus.* Quid tam cæcum, quam isti qui oderunt fratres? Nam ut noveritis quia cæci sunt, in montem offenderunt. Eadem dico, ne vobis excidant. Nonne lapis iste qui præcisus est de monte sine manibus, Christus est de regno Judæorum sine opere maritali? Nonne ille lapis confregit omnia regna terrarum, id est, omnes dominationes idolorum et dæmoniorum? Nonne ille lapis crevit, et factus est mons magnus, et implevit universum orbem terrarum (*Dan.* II, 34, 35)? Numquid digito ostendimus istum montem, quomodo ostenditur hominibus tertia luna (*a*)? Verbi gratia, quando volunt homines videre lunam novam, dicunt, Ecce luna [1], ecce ubi est: et si sunt ibi qui non valeant intendere aciem, et dicant, Ubi? intenditur illis digitus ut videant. Aliquando dum erubescunt ne cæci putentur, dicunt se vidisse quod non viderunt. Numquid sic ostendimus Ecclesiam, fratres mei? Nonne aperta est? nonne manifesta? nonne tenuit omnes gentes? nonne impletur quod ante tot annos promissum est Abrahæ, in semine ejus benedici omnes gentes (*Gen.* XXII, 18)? Uni fideli promissum est, et millibus fidelium mundus impletus est. Ecce mons implens universam faciem terræ: ecce civitas de qua dictum est, *Non potest civitas abscondi super montem constituta* (*Matth.* V, 14). Illi autem offendunt in montem. Et cum eis dicitur, Ascendite; Non est mons, dicunt; et facilius illuc faciem impingunt, quam illic habitaculum quærunt. Isaias hesterna die lectus est; quisquis vestrum vigilabat, non oculis tantum, sed aure, nec aure corporis, sed aure cordis, advertit, *Erit in novissimis diebus manifestus mons domus Domini, paratus in cacumine montium.* Quid tam manifestum quam mons? Sed sunt et montes ignoti, quia in una parte terrarum positi sunt. Quis vestrum novit Olympum montem? quomodo ibi qui habitant, Giddabam [2] nostrum non norunt. In partibus sunt isti montes. Ille autem mons non sic, quia implevit universam faciem terræ; et de illo dicitur, *Paratus in cacumine montium.* Mons est super cacumina omnium montium. *Et congregabuntur*, inquit, *ad eum omnes gentes* (*Isai.* II, 2). Quis errat in hoc monte? Quis frangit faciem offendendo in illum? Quis ignorat civitatem super montem constitutam? Sed nolite mirari quia ignoratur ab istis qui oderunt fratres: quia in tenebris ambulant, et nesciunt quo eant; quia tenebræ excæcaverunt oculos eorum. Montem non vident: nolo mireris, oculos non habent. Unde oculos non habent? Quia tenebræ excæcaverunt eos. Unde probamus? Quia fratres oderunt, quia cum offenduntur in Afris, separant se ab orbe terrarum quia non tolerant pro pace Christi quos infamant (*b*), et tolerant pro parte Donati quos damnant (*c*).

TRACTATUS II.

Ab eo versiculo, Scribo vobis, filioli, quia remittuntur vobis peccata per nomen ejus; *usque ad istum,* Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut et ipse manet in æternum. *Cap.* II, ỳ. 12-17.

1. Omnia quæ leguntur de Scripturis sanctis, ad instructionem et salutem nostram, intente oportet audire. Maxime tamen memoriæ commendanda sunt, quæ adversus hæreticos valent plurimum; quorum

[1] Omnes fere Mss., *videre lunam novam: Ecce luna.* Nec habent, *dicunt.*
[2] sex Mss., *Gibbam.* Duo, *Gibam.* Tres, *Giblam.*

(*a*) Donatistis.

(*a*) Vid. in Joan. Evang. Tract. 4, n. 4.
(*b*) Scilicet Cæcilianum ejusque ordinatores. — (*c*) Scilicet Maximianistas. Vid. Epistolas 51, 108, etc.

insidiæ infirmiores quosque et negligentiores circumvenire non cessant. Mementote Dominum nostrum et salvatorem Jesum Christum, et mortuum esse pro nobis et resurrexisse ; mortuum scilicet propter delicta nostra, resurrexisse propter justificationem nostram (*Rom.* IV, 25). Sicut modo audistis quia discipulorum duorum quos invenit in via, tenebantur oculi ne eum agnoscerent : et invenit eos desperantes de redemptione quæ erat in Christo, et existimantes jam illum passum et mortuum fuisse, sicut hominem, nec tanquam Filium Dei putantes semper vivere ; et in carne ita mortuum ut non revivisceret, sed tanquam unum ex Prophetis : sicut verba eorum paulo ante qui intenti eratis, audistis. Tunc aperuit illis Scripturas, incipiens a Moyse per omnes Prophetas, ostendens eis omnia quæ passus erat prædicta fuisse ; ne illi magis moverentur, si resurrexisset Dominus, et magis ei non crederent, si de illo ista ante dicta non essent. Firmitas enim fidei in eo est, quia omnia quæ evenerunt in Christo, prædicta sunt. Discipuli ergo eum non agnoverunt, nisi in fractione panis. Et vere qui non sibi judicium manducat et bibit (I *Cor.* XI, 29), in fractione panis Christum agnoscit. Postea et illi undecim putabant se spiritum videre. Præbuit se palpandum, qui se præbuit crucifigendum; crucifigendum inimicis, palpandum amicis : medicus tamen omnium, et illorum impietatis, et istorum incredulitatis [1]. Namque audistis cum Actus Apostolorum legerentur, quot millia crediderunt ex interfectoribus Christi (*Act.* II, 41). Si crediderunt postea qui occiderant, non erant credituri qui paululum dubitabant ? Et ipsis tamen (quod maxime debetis animadvertere, et memoriæ vestræ mandare, quia contra insidiosos errorores Deus voluit ponere firmamentum in Scripturis, contra quas nullus audet loqui, qui quoquo modo se vult videri christianum) cum se palpandum præbuisset, non illi sufficit, nisi de Scripturis confirmaret cor credentium : prospiciebat enim nos futuros ; in quo quod palpemus nos non habemus, sed quod legamus habemus. Si enim propterea illi crediderunt, quia tenuerunt et palpaverunt ; nos quid faciemus ? Jam Christus ascendit in cœlum, non est venturus nisi in fine, ut judicet de vivis et mortuis : unde credituri sumus, nisi unde et ipsos palpantes voluit confirmari ? Aperuit enim illis Scripturas, et ostendit eis quia oportebat pati Christum, et impleri omnia quæ de illo scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis. Omnem veterem textum Scripturarum circumplexus est. Quidquid illarum Scripturarum est, Christum sonat ; sed si aures inveniat. Et aperuit eis sensum, ut intelligerent Scripturas. Unde et nobis hoc orandum est, ut ipse sensum nostrum aperiat.

2. Quid autem ostendit Dominus scriptum de se in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis ? quid ostendit ? Ipse dicat. Breviter hoc Evangelista posuit, ut nos nossemus quid in tanta latitudine Scripturarum credere et intelligere debeamus. Certe multæ sunt paginæ, et multi libri, hoc habent omnes quod dixit Dominus breviter discipulis suis. Quid est hoc ? Quia *oportebat pati Christum, et resurgere tertia die.* Habes jam de sponso, quia *oportebat Christum pati et resurgere.* Commendatus est nobis sponsus. De sponsa videamus quid dicat ; ut tu cum cognoveris sponsum et sponsam, non sine causa ad nuptias venias. Celebratio enim nuptiarum omnis celebratio : Ecclesiæ nuptiæ celebrantur. Ducturus est uxorem filius regis, et ipse filius regis rex : et qui frequentant, ipsi sunt sponsa. Non quomodo in nuptiis carnalibus alii frequentant nuptias, et alia nubit, in Ecclesia qui frequentant, si bene frequentant, sponsa fiunt. Omnis enim Ecclesia sponsa Christi est, cujus principium et primitiæ caro Christi est : ibi juncta est sponsa sponso in carne. Merito carnem ipsam cum commendaret [1], panem fregit ; et merito in fractione panis aperti sunt oculi discipulorum, et agnoverunt eum. Quid ergo dixit Dominus scriptum esse de se in Lege, et Prophetis, et Psalmis ? Quia *oportebat pati Christum.* Si non adderet, *et resurgere*, recte illi plangerent, quorum oculi tenebantur ; sed et *resurgere* prædictum est. Et utquid hoc ? quare oportebat pati Christum et resurgere ? Propter illum psalmum quem vobis maxime commendavimus, quarta sabbati, statione prima novissimæ hebdomadis. Quare oportebat Christum pati et resurgere ? Propterea [2] : *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus universæ patriæ gentium* (*Psal.* XXI, 28). Nam ut noveritis quia *oportebat pati Christum et resurgere;* et hic quid addidit, ut post commendationem sponsi commendaret et sponsam ? *Et prædicari*, inquit, *in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipiens ab Jerusalem* [3]. Audistis, fratres, tenete. Nemo dubitet de Ecclesia, quia per omnes gentes est ; nemo dubitet, quia ab Jerusalem cœpit, et omnes gentes implevit. Agnoscimus agrum ubi vitis plantata est : cum autem creverit, non agnoscimus, quia totum occupavit. Unde cœpit ? *Ab Jerusalem.* Quo pervenit ? Ad *omnes gentes.* Paucæ remanserunt, omnes tenebit. Interea dum omnes tenet, aliqua sarmenta inutilia visa sunt agricolæ præcidenda ; et fecerunt hæreses et schismata. Non vos inducant præcisa, ut præcidamini ; hortamini magis quæ præcisa sunt, ut iterum inserantur. Manifestum est Christum passum, resurrexisse, et ascendisse in cœlum : manifestata est et Ecclesia, quia prædicatur in nomine ejus pœnitentia et remissio peccatorum per omnes gentes. Unde cœpit ? *Incipiens ab Jerusalem.* Audit stultus, vanus, et quid amplius dicturus sum quam cæcus, qui tam magnum montem non videt ; qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudit ?

3. Cum eis dicimus, Si christiani catholici estis, communicate illi Ecclesiæ unde Evangelium toto orbe diffunditur ; illi Jerusalem communicate, quando eis dicimus, respondent nobis, Non communicamus illi

[1] Quatuor Mss., *et illorum impietates, et istorum incredulitates sanavit.*

[1] Sex Mss.: *Merito ut carnem ipsam commendaret*
[2] Er. Lugd. et Ven., *propter psalmum.* M.
[3] Er. Lugd., *incipientes.* M.

civitati ubi occisus est rex noster, ubi occisus est Dominus noster : quasi oderint civitatem ubi occisus est Dominus noster. Occiderunt Judæi quem invenerunt in terra, exsufflant isti eum qui sedet in cœlo. Qui sunt pejores, qui contempserunt quia hominem putabant, an qui Sacramenta ejus exsufflant, quem jam Deum confitentur? Sed oderunt videlicet civitatem in qua occisus est Dominus ipsorum. Pii homines et misericordes, multum dolent occisum esse Christum, et occidunt in hominibus Christum! At ille dilexit illam civitatem, et misertus est ejus : inde dixit incipere prædicationem suam, *Incipiens ab Jerusalem.* Ille ibi principium fecit prædicationis nominis sui : et tu exhorrescis communionem illius civitatis [1]? Non est mirum si præcisus odisti radicem. Quid ait ille discipulis suis? *Estote sedentes in civitate, quia ego mitto promissionem meam in vos* (*Luc.* XXIV, 13-49). Ecce quam civitatem oderunt. Forte amarent, si Judæi interfectores Christi in illa habitarent. Manifestum est enim omnes interfectores Christi, id est Judæos, expulsos esse de illa civitate. Quæ habebat sævientes in Christum, habet adorantes Christum. Propterea illam isti oderunt, quia Christiani in illa sunt. Ibi voluit sedere discipulos suos, et ibi illis mittere Spiritum sanctum. Ubi inchoata est Ecclesia, nisi ubi venit de cœlo Spiritus sanctus, et implevit uno loco sedentes centum viginti? Duodenarius ille numerus decuplatus erat. Sedebant centum viginti homines, et venit Spiritus sanctus, et implevit totum locum, et factus est sonus, quasi ferretur flatus vehemens, et linguæ divisæ sunt velut ignis. Audistis Actus Apostolorum, hodie lecta est ipsa lectio (*a*) : *Cœperunt linguis loqui quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare.* Et omnes qui aderant illic, de diversis gentibus venientes Judæi, agnoscebant unusquisque linguam suam; et mirabantur illos idiotas et imperitos subito didicisse non unam aut duas linguas, sed omnium omnino gentium (*Act.* I, 15, *et* II, 1, 12). Ubi ergo jam omnes linguæ sonabant, omnes linguæ crediture ostendebantur. Isti autem qui multum amant Christum, et ideo nolunt communicare civitati quæ interfecit Christum, sic honorant Christum, ut dicant illum remansisse ad duas linguas, latinam, et punicam, id est, afram. Solas duas linguas tenet Christus? Istæ enim duæ linguæ solæ sunt in parte Donati, plus non habent. Evigilemus, fratres, videamus potius donum Spiritus Dei, et credamus ante dictis de illo, et videamus impleta quæ ante dicta sunt in Psalmo : *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Et ne forte ipsæ linguæ venerunt ad unum locum, et non potius donum Christi venit ad omnes linguas, audi quid sequitur : *In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Quare hoc? *Quia in sole posuit tabernaculum suum* (*Psal.* XVIII, 4 6), id est, in manifesto. Tabernaculum ejus, caro ejus; tabernaculum ejus, Ecclesia ejus : in sole posita est, non est in nocte, sed in die. Sed quare illi non agnoscunt? Redite ad lectionem, ad quam heri finis factus est, et videte quare non agnoscunt : *Qui odit fratrem suum, in tenebris ambulat, et nescit quo eat; quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus.* Nos ergo sequentia videamus, et non simus in tenebris. Unde non erimus in tenebris? Si amemus fratres. Unde probatur quia amamus fraternitatem? Quia non scindimus unitatem, quia tenemus charitatem.

4. *Scribo vobis, filioli, quia remittuntur vobis peccata per nomen ejus.* Ideo filioli, quia dimissis peccatis nascimini. Sed per cujus nomen remittuntur peccata? Numquid per Augustini? Ergo nec per nomen Donati. Videris quis Augustinus, aut quis Donatus : nec per nomen Pauli, nec per nomen Petri. Nam dividentibus sibi Ecclesiam, et partes facere de unitate conantibus parturiens parvulos mater charitas in Apostolo, exponit viscera sua, conscindit quodammodo verbis ubera sua, plorat filios quos videt efferri, revocat ad unum nomen eos qui multa nomina sibi facere volebant, repellit ab amore suo ut Christus ametur, et dicit : *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis* (I *Cor.* I, 13)? Quid dicit? Nolo mei sitis, ut mecum sitis [1] : mecum estote; omnes illius sumus qui pro nobis mortuus est, qui pro nobis crucifixus est : unde et hic, *Dimittuntur vobis peccata per nomen ejus*, non per hominis alicujus.

5. *Scribo vobis, patres.* Quare primo filii? *Quia remittuntur vobis peccata per nomen ejus*, et regeneramini in novam vitam, ideo filii. Patres quare? *Quia cognovistis eum qui a principio est :* principium enim ad paternitatem pertinet. Novus Christus in carne, sed antiquus in divinitate. Quam antiquus putamus? quot annorum? Putamusne major quam mater sua? Major plane quam mater : omnia enim per ipsum facta sunt (*Joan.* I, 3). Si omnia, et ipsam matrem antiquus fecit, de qua nasceretur novus. Putamusne ante matrem solam? Et ante avos matris antiquus. Avus matris ipsius Abraham; et Dominus dicit, *Ante Abraham ego sum* (*Id.* VIII, 58). Ante Abraham dicimus? Cœlum et terra, antequam esset homo, facta sunt. Ante ista fuit Dominus, imo et est. Optime enim non ait, Ante Abraham ego fui; sed, *Ante Abraham ego sum.* Quod enim dicitur quia fuit, non est; et quod dicitur quia erit, nondum est : ille non novit nisi esse. Secundum quod Deus est, esse novit; fuisse et futurum esse non novit. Dies est ibi unus, sed sempiternus. Non ponunt illum diem in medio hesternus et crastinus : hesterno enim die finito, incipiens hodiernus venturo crastino finietur. Ille unus dies ibi est sine tenebris, sine nocte, sine spatiis, sine mensura, sine horis. Quod vis illum dic : si vis, dies est; si vis, annus est; si vis, anni sunt. Dictum est enim de ipso [2], *Et anni tui non deficient* (*Psal.* CI, 28). Quando autem dictus est dies? Quando dictum est Domino, *Ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7). Ab æterno Patre genitus, ex

[1] Editi : *exhorrescis communicationem illius civitatis.* Mss., *communionem.*

(*a*) Liber Act. Apost. anniversaria solemnitate post Passionem Domini recitabatur, ex Tract. 6 in Evang. Joan., n. 18.

[1] Er., *sed mecum sitis.* Lugd. et Ven., *sed ut mecum sitis.* M.

[2] In B., *de ipso die;* at Er. Lugd. Ven. et Lov. carent verbo, *die*, et merito. M.

æternitate genitus, in æternitate genitus : nullo initio, nullo termino, nullo spatio latitudinis ; quia est quod est, quia ipse est qui est. Hoc nomen suum dixit Moysi : *Dices eis, Qui est, misit me ad vos* (*Exod.* III, 14). Quid ergo ante Abraham? quid ante Noe? quid ante Adam? Audi Scripturam : *Ante luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3). Postremo ante cœlum et terram. Quare? Quia *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* (*Joan.* I, 3). Ideo patres agnoscite : patres enim fiunt agnoscendo quod est ab initio.

6. *Scribo vobis, juvenes.* Filii sunt, patres sunt, juvenes sunt; filii, quia nascuntur; patres, quia principium agnoscunt : juvenes quare? *Quia vicistis malignum.* In filiis nativitas, in patribus antiquitas, in juvenibus fortitudo. Si malignus a juvenibus vincitur, pugnat nobiscum. Pugnat, sed non expugnat. Quare? Quia nos sumus fortes, an quia ille est fortis in nobis, qui inter manus persequentium infirmus inventus est? Ille nos fortes fecit, qui persequentibus non restitit. Crucifixus est enim ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei (II *Cor.* XIII, 4).

7. *Scribo vobis, pueri.* Unde pueri? *Quia cognovistis Patrem. Scribo vobis, patres :* commendat hoc, et repetit (*a*), *Quia cognovistis eum qui a principio est.* Mementote vos patres esse : si obliviscimini eum qui a principio est, perdidistis paternitatem. *Scribo vobis, juvenes.* Etiam atque etiam considerate, quia juvenes estis : pugnate, ut vincatis ; vincite, ut coronemini ; humiles estote, ne cadatis in pugna. *Scribo vobis, juvenes, quia fortes estis, et verbum Dei in vobis manet, et vicistis malignum.*

8. Hæc omnia, fratres, quia cognovimus id quod a principio est, quia fortes sumus, quia cognovimus Patrem : omnia ista quasi cognitionem commendant, charitatem non commendant? Si cognovimus, amemus : nam cognitio sine charitate non salvos facit. Scientia inflat, charitas ædificat (I *Cor.* VIII, 1). Si confiteri vultis et non amare, incipitis dæmonibus similes esse. Confitebantur dæmones Filium Dei, et dicebant, *Quid nobis et tibi* (*Matth.* VIII, 29)? et repellebantur. Confitemini, et amplectimini. Illi enim timebant de iniquitatibus suis ; vos amate dimissorem iniquitatum vestrarum. Sed quomodo poterimus amare Deum, si amamus mundum? Parat nos ergo inhabitari charitate[1]. Duo sunt amores, mundi et Dei : si mundi amor habitet, non est qua intret amor Dei : recedat amor mundi, et habitet Dei ; melior accipiat locum. Amabas mundum, noli amare mundum : cum exhauseris cor tuum amore terreno, hauries amorem divinum ; et incipit habitare jam charitas, de qua nihil mali potest procedere. Audite ergo verba purgantis modo. Quasi agrum invenit corda hominum : sed quomodo invenit? Si silvam invenit, exstirpat ; si agrum purgatum invenit, plantat. Plantare ibi vult arborem, charitatem. Et quam silvam vult exstirpare? Amorem mundi. Audi exstirpatorem silvæ. *Nolite diligere mundum,* hoc enim sequitur, *neque ea quæ sunt in mundo. Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in ipso.*

9. Audistis quia *si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in ipso.* Ne quis dicat in corde suo falsum esse hoc, fratres : Deus dicit, per Apostolum Spiritus sanctus locutus est, nihil verius, *Si quis dilexerit mundum, dilectio Patris non est in ipso.* Vis habere dilectionem Patris, ut sis cohæres Filii? Noli diligere mundum. Exclude malum amorem mundi, ut implearis amore Dei. Vas es, sed adhuc plenus es ; funde quod habes, ut accipias quod non habes. Certe jam renati sunt ex aqua et Spiritu fratres nostri ; et nos ante aliquot annos renati sumus ex aqua et Spiritu. Bonum est nobis ut non diligamus mundum, ne remaneant in nobis Sacramenta ad damnationem, non firmamenta ad salutem. Firmamentum salutis est, habere radicem charitatis, habere virtutem pietatis, non formam solam. Bona forma, sancta forma : sed quid valet forma, si non teneat radicem? Sarmentum præcisum nonne in ignem mittitur? Habe formam, sed in radice. Quomodo autem radicamini, ut non eradicemini? Tenendo charitatem, sicut dicit apostolus Paulus, *In charitate radicati et fundati* (*Ephes.* III, 17). Quomodo ibi radicabitur charitas, inter tanta silvosa amoris mundi? Exstirpate silvas. Magnum semen posituri estis ; non sit in agro quod effocet semen. Hæc sunt verba exstirpantia quæ dixit : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ sunt in mundo. Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in eo.*

10. *Quia omne quod in mundo est, desiderium est carnis, et desiderium oculorum, et ambitio sæculi,* tria dixit, *quæ non sunt ex Patre, sed ex mundo sunt. Et mundus transit et desideria ejus : qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut et ipse manet in æternum.* Quare non amem quod fecit Deus[1]? Quid vis? utrum amare temporalia, et transire cum tempore ; an mundum non amare, et in æternum vivere cum Deo? Rerum temporalium fluvius trahit : sed tanquam circa fluvium arbor nata est Dominus noster Jesus Christus. Assumpsit carnem, mortuus est, resurrexit, ascendit in cœlum. Voluit se quodammodo circa fluvium temporalium plantare. Raperis in præceps? tene lignum. Volvit te amor mundi? tene Christum. Propter te factus est temporalis, ut tu fias æternus ; quia et ille sic factus est temporalis, ut maneret æternus. Accessit illi aliquid ex tempore, non decessit ex æternitate. Tu autem temporalis natus es, et per peccatum temporalis factus es : tu factus es temporalis per peccatum, ille factus est temporalis per misericordiam dimittendi peccata. Quantum interest, cum duo sunt in carcere, inter reum et visitatorem ipsius? Homo enim aliquando venit ad amicum suum, et intrat visitare eum, et ambo in carcere videntur ; sed multum distant et distincti sunt. Illum causa premit, illum humanitas adduxit. Sic in ista mortalitate, nos reatu tenebamur ; ille misericordia descendit : intravit ad captivum redemptor, non op-

[1] Er. : *Sed quomodo poterimus amare Deum, si amamus mundum? si amamus mundum, separat nos a charitate Dei.* Lugd., *si amamus mundum? si amamus mundum, separat nos a charitate Dei. Parat nos ergo inhabitare charitatem.* M.

(*a*) Non repetit in Vulgata, nec in græco.

[1] Am. Fad. et novem Mss. carent his verbis, *Quare non amem quod fecit Deus?*

pressor. Dominus pro nobis sanguinem suum fudit, redemit nos, mutavit spem nostram. Adhuc portamus mortalitatem carnis, et de futura immortalitate præsumimus : et in mari fluctuamus, sed anchoram spei in terra jam fiximus.

11. Sed non diligamus mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quæ enim in mundo sunt, *desiderium carnis est, et desiderium oculorum, et ambitio sæculi.* Tria sunt ista : ne quis forte dicat, Quæ in mundo sunt, Deus fecit, id est, cœlum et terram, mare, solem, lunam, stellas, omnia ornamenta cœlorum. Quæ sunt ornamenta maris? Omnia repentia. Quæ terræ? Animalia, arbores, volatilia. Ista sunt in mundo, Deus illa fecit. Quare ergo non amem quod Deus fecit? Spiritus Dei sit in te, ut videas quia hæc omnia bona sunt : sed væ tibi si amaveris condita, et deserueris conditorem. Pulchra sunt tibi; sed quanto est ille pulchrior qui ista formavit? Intendat Charitas vestra. Similitudinibus enim potestis instrui : ne subrepat vobis satanas, dicens quod solet dicere, Bene vobis sit in creatura Dei; quare illa fecit, nisi ut bene vobis sit? Et inebriantur, et pereunt, et obliviscuntur Creatorem suum: dum non temperanter, sed cupide utuntur creatis, Creator contemnitur. De talibus dicit Apostolus : *Coluerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula* (*Rom.* I, 25). Non te prohibet Deus amare ista, sed non diligere ad beatitudinem; sed approbare et laudare ut ames Creatorem. Quemadmodum, fratres, si sponsus faceret sponsæ suæ annulum, et illa acceptum annulum plus diligeret quam sponsum qui illi fecit annulum; nonne in ipso dono sponsi adultera anima deprehenderetur, quamvis hoc amaret quod dedit sponsus? Certe hoc amaret quod dedit sponsus : tamen si diceret, Sufficit mihi annulus iste, jam illius faciem nolo videre; qualis esset? Quis non detestaretur hanc amentiam? quis non adulterinum animum convinceret? Amas aurum pro viro, amas annulum pro sponso : si hoc est in te, ut ames annulum pro sponso tuo, et nolis videre sponsum tuum; ad hoc tibi arrham dedit, ut non te oppigneraret, sed averteret. Ad hoc utique arrham dat sponsus, ut in arrha sua ipse ametur. Ergo dedit tibi Deus omnia ista, ama illum qui fecit. Plus est quod tibi vult dare, id est, seipsum, qui ista fecit. Si autem amaveris hæc, quamvis illa Deus fecerit, et neglexeris Creatorem, et amaveris mundum; nonne tuus amor adulterinus deputabitur [1]?

12. Mundus enim appellatur non solum ista fabrica quam fecit Deus, cœlum et terra, mare, visibilia et invisibilia : sed habitatores mundi mundus vocantur, quomodo domus vocatur et parietes et inhabitantes. Et aliquando laudamus domum, et vituperamus inhabitantes. Dicimus enim, Bona domus; quia marmorata est et pulchre laqueata : et aliter dicimus, Bona domus; nemo ibi patitur injuriam, nullæ rapinæ, nullæ oppressiones ibi fiunt. Modo non parietes laudamus, sed inhabitatores parietum : domus tamen vocatur, sive illa, sive illa. Omnes enim dilectores mundi, quia dilectione inhabitant mundum; sicut cœlum inhabitant quorum sursum est cor, et ambulant carne in terra : omnes ergo dilectores mundi mundus vocantur. Ipsi non habent nisi ista tria, desiderium carnis, desiderium oculorum, et ambitionem sæculi. Desiderant enim manducare, bibere, concumbere, uti voluptatibus istis. Numquid non est in his modus? Aut quando dicitur, Nolite ista diligere, hoc dicitur, ut non manducetis, aut non bibatis, aut filios non procreetis? Non hoc dicitur. Sed sit modus propter Creatorem, ut non vos illigent ista dilectione; ne ad fruendum hoc ametis, quod ad utendum habere debetis. Non autem probamini, nisi quando vobis proponuntur duo, hoc aut illud : Justitiam vis, an lucra? Non habeo unde vivam, non habeo unde manducem, non habeo unde bibam. Sed quid, si non potes habere ista nisi per iniquitatem? Nonne melius amas quod non amittis, quam iniquitatem committis? Lucrum auri vides, damnum fidei non vides. Hoc ergo, ait nobis, *desiderium carnis est*, id est, desiderium earum rerum quæ pertinent ad carnem, sicut cibus et concubitus, et cætera hujusmodi.

13. *Et desiderium oculorum :* desiderium oculorum dicit omnem curiositatem. Jam quam late patet curiositas? Ipsa in spectaculis, in theatris, in sacramentis diaboli, in magicis artibus, in maleficiis ipsa est curiositas. Aliquando tentat etiam servos Dei, ut velint quasi miraculum facere, tentare utrum exaudiat illos Deus in miraculis; curiositas est, hoc est desiderium oculorum; non est a Patre. Si dedit Deus, fac; obtulit enim ut facias : non enim qui non fecerunt, ad regnum Dei non pertinebunt. Cum gauderent Apostoli quia dæmonia eis subjecta erant, quid eis dixit Dominus? *Nolite in hoc gaudere; sed gaudete quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Luc.* X, 20). Inde voluit gaudere Apostolos, unde gaudes et tu. Væ tibi enim, si nomen tuum non est scriptum in cœlo. Numquid væ tibi, si non suscitaveris mortuos? numquid væ tibi, si non ambulaveris in mari? numquid væ tibi, si non excluseris dæmonia? Si accepisti unde facias, utere humiliter, non superbe. Nam et de quibusdam pseudoprophetis dixit Dominus, quia facturi sunt signa et prodigia (*Matth.* XXIV, 24). Ergo non sit ambitio sæculi. Ambitio sæculi superbia est. Jactare se vult in honoribus; magnus sibi videtur homo, sive de divitiis, sive de aliqua potentia.

14. Tria sunt ista, et nihil invenis unde tentetur cupiditas humana, nisi aut desiderio carnis, aut desiderio oculorum, aut ambitione sæculi. Per ista tria tentatus est Dominus a diabolo. Desiderio carnis tentatus est, quando dictum est ei, *Si Filius Dei es, dic lapidibus istis ut panes fiant;* quando esurivit post jejunium. Sed quomodo repulit tentatorem, et docuit pugnare militem? Attende quid illi ait : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei.* Tentatus est et desiderio oculorum de miraculo, quando ei dixit : *Mitte te deorsum, quia scriptum est, Angelis suis mandavit de te, ut suscipiant te, ne quando offendas ad lapidem pedem*

[1] Mss., *et amaveris mundum, delinquis.* Am. Bad. Er., *et amaveris mundum, amittis Creatorem qui fecit mundum.*

tuum. Ille restitit tentatori : si enim faceret miraculum, non videretur nisi aut cessisse, aut curiositate fecisse : fecit enim quando voluit tanquam Deus, sed tanquam infirmos curans. Nam si tunc faceret, quasi tantummodo miraculum voluisse facere putaretur. Sed ne hoc homines sentirent, attende quid respondit; et quando tibi talis tentatio evenerit, dic illud et tu, *Redi post me, satanas; scriptum est enim, Non tentabis Dominum Deum tuum :* id est, Si hoc fecero. tentabo Deum. Hoc dixit, quod te voluit dicere. Quando tibi suggerit inimicus, Qualis homo, qualis christianus? modo vel unum miraculum fecisti, aut orationibus tuis mortui surrexerunt, aut febrientes sanasti? si vere esses alicujus momenti [1], faceres aliquod miraculum : responde et dic, *Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum :* non ergo tentabo Deum, quasi tunc pertineam ad Deum si fecero miraculum, et non pertineam si non fecero. Et ubi sunt verba ejus, *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo?* De ambitione sæculi quomodo tentatus est Dominus? Quando elevavit eum in excelsum, et dixit ei : *Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me.* De elatione regni terreni voluit tentare regem sæculorum [2] : sed Dominus qui fecit cœlum et terram, diabolum calcabat. Quid magnum, a Domino diabolum vinci? Quid ergo respondit diabolo, nisi quod te docuit ut respondeas? *Scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Matth.* IV, 1-10). Tenentes ista, non habebitis concupiscentiam mundi : non habendo concupiscentiam mundi, non vos subjugabit nec desiderium carnis, nec desiderium oculorum, nec ambitio sæculi; et facietis locum charitati venienti, ut diligatis Deum. Quia si fuerit ibi dilectio mundi, non ibi erit dilectio Dei. Tenete potius dilectionem Dei, ut quomodo Deus est æternus, sic et vos maneatis in æternum : quia talis est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? quid dicam? deus eris? Non audeo dicere ex me, Scripturas audiamus : *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6). Si ergo vultis esse dii et filii Altissimi, *nolite diligere mundum, nec ea quæ sunt in mundo. Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo. Quia omnia quæ sunt in mundo, desiderium carnis est, et desiderium oculorum, et ambitio sæculi, quæ non est ex Patre, sed ex mundo :* id est, ab hominibus dilectoribus mundi. *Et mundus transit, et desideria ejus : qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum, sicut et Deus manet in æternum.*

TRACTATUS III.

De eo quod sequitur, Pueri, novissima hora est; *usque ad id*, Unctio ipsius docet vos de omnibus. *Cap.* II, ℣. 18-27.

1. *Pueri, novissima hora est.* In hac lectione pueros alloquitur, ut festinent crescere, quia novissima hora est. Ætas corporis non est in voluntate. Ita nullus secundum carnem crescit quando vult; sicut nullus quando vult nascitur : ubi autem nativitas in voluntate est, et crementum in voluntate est. Nemo ex aqua et Spiritu nascitur nisi volens. Ergo si vult, crescit : si vult, decrescit. Quid est crescere? Proficere. Quid est decrescere? Deficere. Quisquis novit natum se esse, audiat quia puer est et infans; avide inhiet uberibus matris, et cito crescit. Est autem mater Ecclesia; et ubera ejus duo Testamenta Scripturarum divinarum. Hinc sugatur lac omnium sacramentorum temporaliter pro æterna salute nostra gestorum, ut nutritus atque roboratus perveniat ad manducandum cibum, quod est, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Lac nostrum Christus humilis est; cibus noster, idem ipse Christus æqualis Patri. Lacte te nutrit, ut pane pascat : nam corde contingere Jesum spiritualiter, hoc est cognoscere quia æqualis est Patri.

2. Propterea et Mariam prohibebat se tangere, et dicebat ei : *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem.* Quid est hoc? Discipulis se palpandum præbuit, et Mariæ contactum vitavit? Nonne ipse est qui dubitanti discipulo dixit, *Mitte digitos, et palpa cicatrices* (*Id.* XX, 17, 27)? Numquid jam ad Patrem ascenderat? Quare ergo Mariam prohibet, et dicit, *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem?* An hoc dicturi sumus, quod a viris se tangi non timuit, et a mulieribus tangi timuit? Contactus illius omnem carnem mundat. Quibus primo voluit manifestari, ab his se timuit contrectari? Nonne viris resurrectio ejus per feminas nuntiata est, ut contraria arte serpens vinceretur? Quia enim ille mortem primo homini per feminam nuntiavit; et viris vita per feminam nuntiata est. Quare ergo se tangi noluit, nisi quia contactum illum spiritualem intelligi voluit? Contactus spiritualis est de corde mundo. Ille attingit de corde mundo Christum, qui eum intelligit Patri coæqualem. Qui autem nondum intelligit divinitatem Christi, usque ad carnem venit, usque ad divinitatem non venit. Quid autem magnum est, usque illuc attingere, usque quo persecutores qui crucifixerunt? Illud est magnum, intelligere Verbum Deum apud Deum in principio, per quod facta sunt omnia : qualem se cognosci volebat, quando ait Philippo, *Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me, Philippe? Qui videt me, videt et Patrem* (*Joan.* XIV, 9).

3. Sed ne quis piger sit ad proficiendum, audiat : *Pueri, novissima hora est.* Proficite, currite, crescite, novissima hora est. Ipsa novissima hora diuturna est; tamen novissima est. Horam enim pro tempore posuit novissimo; quia in novissimis temporibus veniet Dominus noster Jesus Christus. Sed dicturi sunt aliqui : Quomodo novissimum tempus? quomodo novissima hora? certe prius veniet Antichristus, et tunc veniet dies judicii. Vidit Joannes cogitationes istas : ne quasi securi fierent, et ideo non esse horam novissimam putarent, quod venturus esset Antichristus, ait illis, *Et sicut audistis quod Antichristus sit venturus, nunc antichristi multi facti sunt.* Numquid posset habere multos antichristos, nisi hora novissima?

4. Quos dixit antichristos? Sequitur, et exponit *Unde cognoscimus quod novissima sit hora.* Unde? Quia

[1] Theodoricensis vetus codex, *meriti.*
[2] Tres Mss., *cœlorum.*

antichristi multi facti sunt. Ex nobis exierunt : videte antichristos. *Ex nobis exierunt* : ergo plangimus damnum. Audi consolationem : *Sed non erant ex nobis.* Omnes hæretici, omnes schismatici ex nobis exierunt, id est, ex Ecclesia exeunt; sed non exirent, si ex nobis essent. Antequam exirent ergo, non erant ex nobis. Si antequam exirent, non erant ex nobis; multi intus sunt, non exierunt, sed tamen antichristi sunt. Audemus hoc dicere : utquid, nisi ut unusquisque cum intus est, non sit antichristus? Descripturus enim et designaturus est antichristos; et videbimus eos nunc. Et interrogare debet unusquisque conscientiam suam, an sit antichristus. Latine enim Antichristus, contrarius est Christo. Non quomodo nonnulli intelligunt Antichristum ideo dictum, quod ante Christum venturus sit, id est, post eum venturus sit Christus : non sic dicitur, nec sic scribitur; sed Antichristus, id est, contrarius Christo. Jam quis sit contrarius Christo, nunc advertitis ipso exponente, et intelligitis non posse exire foras nisi antichristos; eos autem qui non sunt Christo contrarii, foras exire nullo modo posse. Qui enim non est Christo contrarius, in corpore ipsius hæret, et membrum computatur. Nunquam sibi sunt membra contraria. Corporis integritas universis membris constat. Et quid de concordia membrorum dicit Apostolus? *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; et si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra* (I *Cor.* XII, 26). Si ergo in glorificatione membri cætera membra congaudent, et in passione omnia membra patiuntur; concordia membrorum non habet antichristum. Et sunt qui intus sic sunt in corpore Domini nostri Jesu Christi; quandoquidem adhuc curatur corpus ipsius, et sanitas perfecta non erit nisi in resurrectione mortuorum : sic sunt in corpore Christi, quomodo humores mali. Quando evomuntur, tunc relevatur corpus : sic et mali quando exeunt, tunc Ecclesia relevatur. Et dicit quando eos evomit atque projicit corpus : Ex me exierunt humores isti, sed non erant ex me. Quid est, non erant ex me? Non de carne mea præcisi sunt, sed pectus mihi premebant cum inessent.

5. *Ex nobis exierunt; sed*, nolite tristes esse, *non erant ex nobis.* Unde probas? *Quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Hinc ergo videat Charitas vestra, quia multi qui non sunt ex nobis, accipiunt nobiscum Sacramenta, accipiunt nobiscum Baptismum, accipiunt nobiscum quod norunt fideles se accipere, Benedictionem, Eucharistiam [1], et quidquid in Sacramentis sanctis est; ipsius altaris communicationem accipiunt nobiscum, et non sunt ex nobis. Tentatio probat quia non sunt ex nobis. Quando illis tentatio venerit, velut occasione venti, volant foras; quia grana non erant. Omnes autem tunc volabunt, quod sæpe dicendum est, cum area dominica cœperit ventilari in die judicii. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis : quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum :* Nam vultis nosse, charissimi, quam certissime dicatur hoc, ut qui forte exierunt et redeunt, non sint antichristi, non sint contrarii Christo? Qui non sunt antichristi [1], non potest fieri ut remaneant foris. Sed de voluntate sua quisque aut antichristus, aut in Christo est. Aut in membris sumus, aut in humoribus malis. Qui se in melius commutat, in corpore membrum est : qui autem in malitia permanet, humor malus est; et quando exierit, relevabuntur qui premebantur. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis : quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum : sed ut manifestarentur, quod non omnes erant ex nobis.* Ideo addidit, *ut manifestarentur*, quia et intus cum sunt, non ex nobis sunt; non tamen manifesti sunt, sed exeundo manifestantur. *Et vos unctionem habetis a sancto, ut ipsi vobis manifesti sitis.* Unctio spiritualis ipse Spiritus sanctus est, cujus sacramentum est in unctione visibili. Hanc unctionem Christi dicit omnes qui habent, cognoscere malos et bonos; nec opus esse ut doceantur, quia ipsa unctio docet eos.

6. *Scribo vobis, non quod nescieritis veritatem; sed quia nostis eam, et quia omne mendacium non est ex veritate.* Ecce admoniti sumus quomodo cognoscamus Antichristum. Quid est Christus? Veritas. Ipse dixit, *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). *Omne* autem *mendacium non est ex veritate :* omnes igitur qui mentiuntur, nondum sunt ex Christo. Non dixit quoddam mendacium ex veritate, et quoddam mendacium non ex veritate. Sententiam attendite; ne vos palpetis, ne vos aduletis, ne vos decipiatis, ne vos illudatis : *Omne mendacium non est ex veritate.* Videamus ergo quomodo antichristi mentiuntur quia non est unum genus mendacii. *Quis est mendax, nisi is qui negat quod Jesus non est Christus?* Aliam significationem habet Jesus, aliam habet Christus : cum sit unus Jesus Christus salvator noster, Jesus tamen proprium nomen est illi. Quomodo Moyses proprio nomine appellatus est, quomodo Elias, quomodo Abraham; sic tanquam proprium nomen habet Dominus noster Jesus : Christus autem sacramenti nomen est. Quomodo si dicatur propheta, quomodo si dicatur sacerdos; sic Christus commendatur unctus, in quo esset redemptio totius populi Israel. Iste Christus sperabatur venturus a populo Judæorum; et quia humilis venit, non est agnitus; quia lapis parvus erat, offenderunt in illum, et fracti sunt. Sed crevit lapis, et factus est mons magnus (*Dan.* II, 35); et quid ait Scriptura? *Quicumque offenderit in lapidem istum, conquassabitur; et super quem venerit lapis iste, conteret eum* (*Luc.* XX, 18). Discernenda sunt verba : offendentem dixit conquassari; super quem autem venerit, conteri. Primo quia humilis venit, offenderunt in illum homines : quia excelsus venturus est ad judicium, super quem venerit, conteret eum. Sed illum non conteret venturus, quem non quassavit cum venit. Qui in humilem non offendit, non formidabit excelsum. Breviter audistis, fratres : qui in humilem non offendit, non formidabit excelsum. Omnibus enim malis lapis offensionis est Christus; quidquid dicit Christus, amarum est illis.

7. Etenim audite, et videte. Omnes certe qui exeunt

[1] In duobus Mss.: *Benedictionem Eucharistiæ.*

[1] In plerisque Mss. *ut qui forte exierunt, non sint antichristi. Redeant, et non sunt contrarii Christo : hoc sunt enim antichristi. Non potest fieri ut remaneant*, etc.

de Ecclesia, et ab unitate Ecclesiæ præciduntur, antichristi sunt : nemo dubitet; ipse enim designavit, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis : nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Quicumque ergo non manent nobiscum, sed exeunt ex nobis, manifestum est quod antichristi sunt. Et quomodo probantur antichristi? Ex mendacio. Et *quis est mendax, nisi qui negat quod Jesus non est Christus?* Interrogemus hæreticos : quem invenis hæreticum, qui negat quia Jesus non est Christus? Videat Charitas vestra magnum sacramentum. Attendite quid inspiraverit nobis Dominus Deus, et quid insinuare vobis velim. Ecce exierunt a nobis, et facti sunt Donatistæ : interrogamus eos utrum Jesus sit Christus; statim confitentur quia Jesus Christus est. Si ergo ille est antichristus qui negat Jesum esse Christum, nec nos possunt illi dicere antichristos, nec nos illos; quia et nos confitemur, et illi. Si ergo nec illi nos dicunt, nec nos illos; ergo nec illi a nobis exierunt, nec nos ab ipsis. Si ergo non a nobis exivimus, in unitate sumus : si in unitate sumus, quid faciunt in hac civitate duo altaria? quid faciunt divisæ domus, divisa conjugia? quid facit communis lectus, et divisus Christus? Admonet nos, vult nos fateri quod verum est. Aut ipsi a nobis exierunt, aut nos ab ipsis. Sed absit ut nos ab ipsis : habemus enim testamentum dominicæ hæreditatis, recitamus, et ibi nos invenimus, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II, 8). Tenemus hæreditatem Christi : illi eam non tenent; non communicant orbi terrarum, non communicant universitati redemptæ sanguine Domini. Habemus ipsum Dominum resurgentem a mortuis, qui se dubitantium manibus discipulorum præbuit palpandum. Et cum adhuc illi dubitarent, ait illis : *Oportebat Christum pati, et resurgere tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum.* Ubi? qua? quibus? *Per omnes gentes, incipiens ab Jerusalem* (*Luc.* XXIV, 46 *et* 47). Securi sumus de unitate hæreditatis. Quisquis huic hæreditati non communicat, foras exiit.

8. Sed non contristemur : *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis : nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Si ergo ex nobis exierunt, antichristi sunt; si antichristi sunt, mendaces sunt; si mendaces sunt, negant Jesum esse Christum. Iterum redimus ad difficultatem quæstionis. Singulos interroga, confitentur Jesum esse Christum. Coarctat nos angustus intellectus in hac Epistola. Videtis certe quæstionem; hæc quæstio et nos et ipsos turbat, si non intelligatur. Aut nos sumus antichristi, aut illi sunt antichristi : illi nos antichristos vocant, et dicunt quod exivimus ab eis; nos illos similiter : sed designavit hæc Epistola antichristos. Quicumque negat quod Jesus non sit Christus, ipse est antichristus. Jam ergo quæramus quis neget; et non attendamus ad linguam, sed ad facta. Si enim omnes interrogentur, omnes uno ore confitentur Jesum esse Christum. Quiescat paululum lingua, vitam interroga. Si invenerimus hoc, si ipsa Scriptura nobis dixerit quia negatio non tantum lingua fit, sed et factis; certe invenimus multos antichristos qui ore profitentur Christum, et moribus dissentiunt a Christo. Ubi invenimus hoc in Scriptura? Paulum audi apostolum : de talibus cum loqueretur, ait, *Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Invenimus et ipsos antichristos : quisquis factis negat Christum, antichristus est. Non audio quid sonet, sed video quid vivat. Opera loquuntur, et verba requirimus? Quis enim malus non bene vult loqui? Sed quid dicit talibus Dominus? *Hypocritæ, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali* (*Matth.* XII, 34)? Voces vestras ad aures meas profertis; ego cogitationes vestras inspicio : voluntatem malam ibi video, et falsos fructus ostenditis. Novi quid unde colligam; non colligo de tribulis ficus, non colligo de spinis uvas. Unaquæque enim arbor a fructu cognoscitur (*Id.* VII, 16). Magis mendax est antichristus qui ore profitetur Jesum esse Christum, et factis negat. Ideo mendax, quia aliud loquitur, aliud agit.

9. Jam ergo, fratres, si facta interroganda sunt, non solum multos invenimus antichristos foras exiisse; sed multos nondum manifestos, qui minime foras exierunt. Quotquot enim habet Ecclesia perjuros, fraudatores, maleficos, sortilegorum inquisitores, adulteros, ebriosos, fœneratores, mangones, et omnia quæ numerare non possumus; contraria sunt doctrinæ Christi, contraria sunt verbo Dei : Verbum autem Dei Christus est : quidquid contrarium est Verbo Dei, in Antichristo est. Antichristus enim contrarius est Christo. Et vultis nosse quam aperte resistant isti Christo? Aliquando evenit ut aliquid mali faciant, et incipiant corripi; quia Christum non audent blasphemare, ministros ejus blasphemant, a quibus corripiuntur : si autem ostenderis illis quia Christi verba dicis, non verba tua; conantur quantum possunt ut te convincant verba tua te dicere, non verba Christi : si autem manifestum fuerit quia verba Christi dicis, eunt et in Christum, incipiunt reprehendere Christum : Quomodo, inquiunt, et quare tales nos fecit? Nonne dicunt hoc quotidie homines convicti de factis suis? Prava voluntate perversi, artificem accusant. Clamat illis artifex de cœlo (quia ipse nos fecit, qui nos refecit) : Quid te feci? Ego hominem feci, non avaritiam; ego hominem feci, non latrocinium; ego hominem feci; non adulterium. Audisti quia laudant me opera mea. Ex ore trium puerorum ipse hymnus erat qui ab ignibus defendebat (*Dan.* III, 24-90). Laudant opera Domini Dominum; laudat cœlum, terra, mare; laudant omnia quæ sunt in cœlo; laudant Angeli, laudant stellæ, laudant luminaria; laudat quidquid natat, quidquid volat, quidquid ambulat, quidquid repit, laudant ista omnia Dominum. Numquid audisti quia laudat Dominum avaritia? numquid audisti quia laudat Dominum ebriositas; quia laudat luxuria, laudat nugacitas? Quidquid ibi non audis laudem dare Domino, non fecit Dominus. Corrige quod tu fecisti, ut salvetur quod in te Deus fecit. Si autem non vis, et amas et amplecteris peccata tua; contrarius es Christo. Intus sis, foris sis, antichristus es : intus sis, fo-

ris sis, palea es. Sed quare foris non es? Quia occasionem venti non invenisti.

10. Jam ista manifesta sunt, fratres. Ne quis dicat : Christum non colo, sed Deum colo Patrem ipsius. *Omnis qui negat Filium, nec Filium nec Patrem habet : et qui confitetur Filium, et Filium et Patrem habet.* Vos grana alloquitur ; et qui palea erant, audiant, et grana fiant. Unusquisque considerans conscientiam suam, si mundi amator est, mutetur ; fiat amator Christi, ne sit antichristus. Si quis ei dixerit quod antichristus sit, irascitur, injuriam sibi factam putat ; fortassis inscriptionem minatur, si audiat a litigante quod antichristus sit. Dicit ei Christus : Patiens esto ; si falsum audisti, gaude mecum, quia et ego falsa ab antichristis audio : si autem verum audisti, conveni conscientiam tuam ; et si audire times, esse plus time.

11. *Ergo vos quod ab initio audistis, in vobis maneat. Quod si in vobis manserit quod ab initio audistis; et vos in Filio et Patre manebitis. Hæc est pollicitatio quam ipse pollicitus est nobis.* Forte enim mercedem quæreres, et diceres : Ecce in me quod ab initio audivi custodio, obtempero ; pericula, labores, tentationes pro ista permansione sustineo : quo fructu ? qua mercede ? Quid mihi postea dabit, quia in hoc sæculo me video laborare inter tentationes? Non video hic requiem esse aliquam ; mortalitas ipsa aggravat animam, et corpus quod corrumpitur premit ad inferiora : sed tolero omnia, ut illud quod ab initio audivi, maneat in me ; et dicam Deo meo, *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVI, 4). Ad quam ergo mercedem? Audi, et noli deficere. Si deficiebas in laboribus, promissa mercede fortis esto. Quis est qui operetur in vinea, et recedat illi de corde quod accepturus est? Fac illum oblitum mercedem suam, deficiunt manus. Memoria promissæ mercedis perseverantem facit in opere : et homo promisit qui te potest fallere. Quanto fortior esse debes in agro Dei, quando promisit veritas, cui nec succedi potest, nec mori, nec fallere potest eum cui promissum est? Et quid est promissum? Videamus quid promisit. Aurum est, quod hic multum amant homines, an argentum? An possessiones, ad quas fundunt homines aurum, quamvis multum ament aurum? An amœna prædia, amplæ domus, multa mancipia, animalia numerosa? Non hæc est quædam merces ad quam nos hortatur, ut in labore duremus. Quid dicitur merces ista? Vita æterna. Audistis, et gavisi exclamastis : amate quod audistis, et liberamini a laboribus vestris in requiem vitæ æternæ. Ecce quid promittit Deus, vitam æternam. Ecce quid minatur Deus, ignem æternum. Quid illis ad dexteram constitutis? *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Ad sinistram quid? *Ite in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 34, 41). Illud nondum amas, vel hoc time.

12. Mementote ergo, fratres mei, quia vitam æternam nobis promisit Christus : *Hæc est*, inquit, *pollicitatio quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam. Hæc scripsi vobis de his qui vos seducunt.* Nemo vos seducat ad mortem ; promissionem vitæ æternæ desiderate. Quid potest mundus promittere? Quidquid libet promittat, fortassis crastina morituro promittit. Et qua fronte ad illum qui manet in æternum, exiturus es? Sed minatur mihi potens homo, ut aliquid mali faciam. Quid minatur? Carceres, catenas, ignes, tormenta, bestias : numquid ignem æternum? Exhorresce quod minatur Omnipotens, ama quod pollicetur Omnipotens ; et vilescit omnis mundus, sive promittens, sive terrens. *Hæc scripsi vobis de his qui vos seducunt; ut sciatis quia unctionem habetis, et unctio quam accepimus ab eo*[1], *permaneat in nobis.* Unctionis sacramentum est, virtus ipsa invisibilis, unctio invisibilis, Spiritus sanctus ; unctio invisibilis, charitas illa est quæ in quocumque fuerit, tanquam radix illi erit, quamvis ardente sole arescere non potest. Omne quod radicatum est, nutritur calore solis, non arescit.

13. *Et non habetis necessitatem ut aliquis vos doceat, quia unctio ipsius docet vos de omnibus.* Quid ergo nos facimus, fratres, quia docemus vos? Si unctio ejus docet vos de omnibus, quasi nos sine causa laboramus. Et utquid tantum clamamus? Dimittamus vos unctioni illius, et doceat vos unctio ipsius. Sed modo mihi facio quæstionem, et illi ipsi apostolo facio : dignetur audire parvulum quærentem a se ; ipsi Joanni dico, Unctionem habebant quibus loquebaris? Tu dixisti, *Quia unctio ipsius docet vos de omnibus.* Utquid talem Epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? quid instruebas? quid ædificabas? Jam hic videte magnum sacramentum, fratres : sonus verborum nostrorum aures percutit, magister intus est. Nolite putare quemquam aliquid discere ab homine. Admonere possumus per strepitum vocis nostræ ; si non sit intus qui doceat, inanis fit strepitus noster. Adeo, fratres, vultis nosse? Numquid non sermonem istum omnes audistis? Quam multi hinc indocti exituri sunt? Quantum ad me pertinet, omnibus locutus sum ; sed quibus unctio illa intus non loquitur, quos Spiritus sanctus intus non docet, indocti redeunt. Magisteria forinsecus, adjutoria quædam sunt, et admonitiones. Cathedram in cœlo habet qui corda docet. Propterea ait et ipse in Evangelio : *Nolite vobis dicere magistrum in terra; unus est magister vester Christus* (*Matth.* XXIII, 8, 9). Ipse vobis ergo intus loquatur, quando nemo hominum illic est ; quia etsi aliquis est a latere tuo, nullus est in corde tuo. Et non sit nullus in corde tuo[2] : Christus sit in corde tuo ; unctio ipsius sit in corde, ne sit in solitudine cor sitiens, et non habens fontes quibus irrigetur. Interior ergo magister est qui docet, Christus docet, inspiratio ipsius docet. Ubi illius inspiratio et unctio illius non est, forinsecus inaniter perstrepunt verba. Sic sunt ista verba, fratres, quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborem : forinsecus operatur, adhibet aquam et diligentiam culturæ ; quælibet forinsecus adhibeat, numquid poma format? numquid nuditatem lignorum vestit umbra

[1] Mss. duo, *et vos unctionem quam accepistis ab eo :* omisso, *ut sciatis quia unctionem habetis.*

[2] Tres Mss. : *Et non sit ullus in corde tuo.* Unus : *Et nullus in corde tuo.* Alius : *Et nullus sit in corde tuo.*

foliorum? numquid tale aliquid intrinsecus agit? Sed quis agit hoc? audite agricolam Apostolum, et videte quid sumus, et audite magistrum interiorem: *Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit: neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor.* III, 6, 7). Hoc ergo vobis dicimus: sive plantemus, sive rigemus loquendo, non sumus aliquid; sed ille qui incrementum dat Deus, id est, unctio illius quæ docet vos de omnibus.

TRACTATUS IV.

De eo quod sequitur, Et verax est, et non est mendax; *usque ad id*, in hoc manifestatus est Filius Dei, ut solvat opera diaboli. *Cap.* II, ℣. 27-29, *et cap.* III, ℣. 1-8.

1. Meministis, fratres, hesternam lectionem ad hoc terminatam, quia non habetis necessitatem ut quis doceat vos, sed ipsa unctio docet vos de omnibus. Hoc autem, sicut vos recordari certus sum, sic exposuimus vobis, quia nos qui forinsecus loquimur ad aures vestras, ita sumus quasi operarii, adhibentes culturam forinsecus ad arborem, sed incrementum dare non possumus, nec fructus formare: ille autem qui vos creavit, et redemit, et vocavit, per fidem et Spiritum suum habitans in vobis, nisi loquatur vobis intus, sine causa nos perstrepimus. Unde hoc apparet? Quia cum multi audiant, non omnibus persuadetur quod dicitur; sed illis solis quibus intus loquitur Deus. Illis autem intus loquitur, qui ei locum præbent: illi autem Deo locum præbent, qui diabolo locum non præbent. Habitare enim vult diabolus corda hominum, et loqui ibi omnia quæ valent ad seductionem. Sed quid ait Dominus Jesus? *Princeps hujus mundi missus est foras* (*Joan.* XII, 31). Unde missus est? numquid extra cœlum et terram? numquid extra fabricam mundi [1]? Sed extra corda credentium. Foras misso invasore, habitet redemptor [2]; quia ipse redemit qui creavit. Et diabolus jam forinsecus oppugnat, non vincit illum qui intus possidet. Forinsecus autem oppugnat, immittendo varias tentationes: sed ille non consentit cui Deus intus loquitur, et unctio quam audistis.

2. *Et verax est*, inquit, eadem unctio; id est, ipse Spiritus Domini qui docet homines, mentiri non potest, « Et non est mendax. Sicut docuit vos, permanete in ipsa [3]. Et nunc, filioli, manete in eo, ut cum manifestatus fuerit, habeamus fiduciam in conspectu ejus, ut non confundamur ab eo in adventu ejus. » Videtis [4], fratres; credimus in Jesum quem non vidimus: annuntiaverunt eum qui viderunt, qui contrectaverunt, qui verbum ex ore ipsius audierunt; et ut hæc persuaderent generi humano, ab illo missi sunt, non a seipsis ire ausi sunt. Et quo missi sunt? Audistis cum Evangelium legeretur, *Ite, prædicate Evangelium universæ creaturæ quæ sub cœlo est* (*Marc.* XVI, 15). Ubique ergo discipuli missi sunt, attestantibus signis et prodigiis ut crederetur illis, quia ea dicebant quæ viderant. Et credimus in eum quem non vidimus, et venturum eum exspectamus. Quicumque illum fide exspectant, cum venerit gaudebunt: qui sine fide sunt, cum venerit quod nunc non vident, erubescent. Et confusio illa non erit unius diei et transiet, quomodo solent confundi qui inveniuntur in aliqua culpa, et eis insultatur ab hominibus. Confusio illa traducet confusos ad sinistram, ut audiant, *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 31). Maneamus ergo in verbis ejus, ne confundamur cum venerit. Ipse enim dicit in Evangelio eis qui in eum crediderant: *Si permanseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis.* Et quasi dicerent, Quo fructu? *Et cognoscetis*, inquit, *veritatem, et veritas liberavit vos* (*Joan.* VIII, 31 *et* 32). Modo enim salus nostra in spe, nondum in re: non enim tenemus jam quod promissum est, sed venturum speramus. Fidelis autem est qui promisit; non te fallit: tantum tu noli deficere, sed exspecta promissionem. Non enim novit fallere veritas. Tu noli esse mendax, ut aliud profitearis, aliud agas: tu serva fidem, et servat ille pollicitationem. Si autem non tu servaveris fidem, tu te fraudasti, non ille qui promisit.

3. *Si scitis quia justus est, scitote quia omnis qui facit justitiam, ex ipso est natus.* Justitia modo nostra ex fide. Justitia perfecta non est nisi in Angelis; et vix in Angelis, si Deo comparentur: tamen si qua perfecta justitia animarum et spirituum est quos Deus creavit, in Angelis est sanctis, justis, bonis, nullo lapsu aversis, nulla superbia cadentibus, sed manentibus semper in contemplatione Verbi Dei, et nihil aliud dulce habentibus, nisi a quo creati sunt; in ipsis perfecta justitia est: in nobis autem ex fide cœpit esse secundum Spiritum. Audistis cum Psalmus legeretur, *Incipite Domino in confessione* (*Psal.* CXLVI, 7). *Incipite*, inquit: initium justitiæ nostræ, confessio est peccatorum. Cœpisti non defendere peccatum tuum, jam inchoasti justitiam: perficietur autem in te, quando nihil aliud facere delectabit, quando absorbebitur mors in victoriam (I *Cor.* XV, 54), quando nulla concupiscentia titillabit, quando non erit lucta cum carne et sanguine, quando erit corona victoriæ, triumphus de inimico; tunc erit perfecta justitia. Modo adhuc pugnamus: si pugnamus, in stadio sumus; ferimus, et ferimur: sed qui vincat, exspectatur. Ille autem vincit, qui et quod ferit, non de viribus suis præsumit, sed de hortatore [1] Deo. Solus diabolus adversum nos pugnat. Nos si cum Deo sumus, diabolum vincimus: nam et si tu solus cum diabolo pugnaveris, vinceris. Exercitatus hostis est: quot palmarum? Considerate quo dejecerit: ut mortales nasceremur, primo ipsam originem nostram de paradiso dejecit. Quid ergo faciendum est, quia ipse exercitatus est? Invocetur Omnipotens adversus exercitatum diabolum. Habitet in te qui non potest vinci, et securus vinces eum qui vincere solet. Sed quos? In quibus non habitat Deus. Nam, ut noveritis, fratres, contempsit

[1] Editi hic addunt, *Non*; quæ vox abest a Mss.
[2] Er. Lugd. et Ven., *habitat.* M.
[3] Mss. duo, *in ipso.*
[4] Er. Lugd. Lov. Ven., *Videte.* M.

[1] Mss. septem, *protectore.*

Adam in paradiso positus præceptum Dei, et erexit cervicem, veluti in potestate sua esse cupiens, et nolens subdi voluntati Dei, et lapsus est ab illa immortalitate, ab illa beatitudine (*Gen.* III, 6). Homo autem quidam jam exercitatus, natus mortalis, cum sederet in stercore putris vermibus, diabolum vicit : vicit et ipse Adam, et in Job ipse ; quia de genere ipsius, Job. Ergo Adam victus in paradiso, vicit in stercore. In paradiso cum esset, audivit persuasionem mulieris, quam illi immiserat diabolus : in stercore autem cum esset, ait Evæ, *Tanquam una ex insipientibus mulieribus locuta es* (*Job.* II, 10). Ibi aurem apposuit; hic responsum dedit : cum esset lætus, audivit ; cum esset flagellatus, vicit. Ideo videte quid sequitur, fratres, in Epistola ista ; quia hoc nobis commendat, ut diabolum quidem vincamus, sed non ex nobis. *Si scitis quia justus est*, ait, *scitote quia omnis qui facit justitiam, ex ipso est natus* : ex Deo, ex Christo. Et quia dixit, *Ex ipso est natus*, hortatur nos. Jam ergo quia nati ex illo sumus, perfecti sumus.

4. Audite : *Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur et simus*. Nam qui vocantur et non sunt, quid illis prodest nomen ubi res non est? Quam multi vocantur medici, qui curare non norunt? quam multi vocantur vigiles, qui tota nocte dormiunt? Sic multi vocantur christiani, et in rebus non inveniuntur ; quia hoc quod vocantur non sunt, id est in vita, in moribus, in fide, in spe, in charitate. Hic autem quid audistis, fratres? « Ecce qualem dilectionem dedit nobis Pater, ut filii Dei vocemur et simus. Propter hoc mundus non cognoscit nos, quia non cognovit eum, et nos non cognoscit mundus. » Totus mundus christianus, et totus mundus impius ; per totum enim mundum impii, et per totum mundum pii : illi illos non cognoscunt. Quomodo putamus quia non cognoscunt? Insultant bene viventibus. Attendite et videte, quia forte sunt et inter vos. Unusquisque vestrum qui jam pie vivit, qui contemnit sæcularia, qui non vult ire ad spectacula, qui non vult se inebriare quasi solemniter, et, quod est gravius, accedente patrocinio, sanctorum dierum fieri immundus ; qui ista facere noluerit, quomodo ei insultatur ab his qui faciunt? Numquid insultaretur ei si agnosceretur? Quare autem non agnoscitur? Mundus eum non agnoscit. Quis est mundus? Illi habitatores mundi, quomodo dicitur domus, habitatores ejus. Jam ista sæpe dicta sunt, et non ea vobis cum odio repetimus [1]. Jam cum auditis mundum in mala significatione, non intelligatis nisi dilectores mundi ; quia per dilectionem inhabitant, et per quod inhabitant, nomen habere meruerunt. Propter hoc mundus non cognovit nos, quia non cognovit eum. Ambulabat et ipse Dominus Jesus Christus, in carne erat Deus, latebat in infirmitate. Et unde non est cognitus? Quia omnia peccata arguebat in hominibus. Illi amando delectationes peccatorum, non agnoscebant Deum : amando quod febris suadebat, injuriam medico faciebant.

5. Quid ergo nos? Jam nati sumus ex ipso ; sed quia in spe sumus, *Dilectissimi*, inquit, *nunc filii Dei sumus*. Jam nunc? Quid est ergo quod exspectamus, si jam filii Dei sumus? *Et nondum*, inquit, *manifestatum est quid erimus*. Quid autem erimus aliud, quam filii Dei? Audite quid sequitur : « Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicut est. » Intelligat Charitas vestra. Magna res : « Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est. » Jam illud attendite quid vocatur *est*. Nostis quid vocatur. *Est* quod vocatur, et non solum vocatur, sed vere est, incommutabile est; semper manet, mutari nescit, nulla ex parte corrumpitur : nec proficit, quia perfectum est; nec deficit, quia æternum est. Et quid est hoc? *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Et quid est hoc? *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo* (*Philip.* II, 6). Hoc modo Christum in forma Dei, Verbum Dei, Unicum Patri, æqualem Patri, non possunt videre mali. Secundum id vero quod Verbum caro factum est, poterunt et mali : quia in die judicii videbunt et mali; quia sic veniet judicaturus quomodo venerat judicandus. In ipsa forma homo, sed Deus : nam maledictus omnis qui spem suam ponit in homine (*Jerem.* XVII, 5). Homo venit ut judicaretur, homo veniet ut judicet. Et si non videbitur, quid est quod scriptum est, *Videbunt in quem confixerunt* (*Joan.* XIX, 37)? De impiis enim dictum est quia videbunt, et confundentur. Quomodo non videbunt impii, quando alios ponet ad dexteram, alios ad sinistram? Ad dexteram positis dicet, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* : ad sinistram positis dicet, *Ite in ignem æternum* (*Matth.* XXV, 34, 41). Videbunt, sed formam servi : formam Dei non videbunt. Quare? Quia impii sunt; et ipse Dominus dicit, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Id.* V, 8). Ergo visuri sumus quamdam visionem, fratres, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (I *Cor.* II, 9) : visionem quamdam, visionem præcellentem omnes pulchritudines terrenas, auri, argenti, nemorum atque camporum, pulchritudinem maris et aeris, pulchritudinem solis et lunæ, pulchritudinem stellarum, pulchritudinem Angelorum, omnia superantem; quia ex ipsa pulchra sunt omnia.

6. Quid ergo nos erimus, quando hoc videbimus? Quid nobis promissum est? *Similes ei erimus ; quoniam videbimus eum sicuti est*. Quomodo potuit, lingua sonuit; cætera corde cogitentur. Quid enim vel ipse Joannes dixit ad comparationem ejus qui est, vel quid a nobis potest dici hominibus longe imparibus meritis ipsius? Redeamus ergo ad illam unctionem ipsius, redeamus ad illam unctionem quæ intus docet quod loqui non possumus, et quia modo videre non potestis, officium vestrum in desiderio sit. Tota vita christiani boni, sanctum desiderium est. Quod autem desideras, nondum vides · sed desiderando capax effice-

[1] Editi : *Et non ea vobiscum hodie repetimus*. Melius tres Mss., *vobis cum odio*. Sic enim infra, Tract. 7, n. 1 : « Nec timendum est, ait ne sæpe dicendo in odium veniat. »

ris, ut cum venerit quod videas, implearis. Sicuti enim si velis implere aliquem sinum, et nosti quam magnum est quod dabitur, extendis sinum vel sacci vel utris vel alicujus rei: nosti quantum missurus es, et vides quia angustus est sinus; extendendo facis capaciorem: sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animum, extendendo facit capacem. Desideremus ergo, fratres, quia implendi sumus. Videte Paulum extendentem sinum, ut possit capere quod venturum est. Ait enim: *Non quia jam acceperim, aut jam perfectus sim: fratres, ego me non arbitror apprehendisse.* Quid ergo agis in hac vita, si nondum apprehendisti? *Unum autem, quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ vocationis* (*Philipp.* III, 13, 14). Extentum se dixit, et secundum intentionem sequi se dixit. Minorem se sentiebat ad capiendum quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Hæc est vita nostra, ut desiderando exerceamur. Tantum autem nos exercet sanctum desiderium, quantum desideria nostra amputaverimus ab amore sæculi. Jam diximus aliquando, Exinani quod implendum est [1]. Bono implendus es, funde malum. Puta quia melle te vult implere Deus: si aceto plenus es, ubi mel pones? Fundendum est quod portabat vas: mundandum est ipsum vas; mundandum est, etsi cum labore, cum tritura, ut fiat aptum cuidam rei. Maledicamus, aurum dicamus, vinum dicamus; quidquid dicimus quod dici non potest, quidquid volumus dicere, Deus vocatur. Et quod dicimus Deus, quid diximus? Duæ istæ syllabæ sunt totum quod exspectamus? Quidquid ergo dicere valuimus, infra est: extendamus nos in eum, ut cum venerit, impleat. *Similes* enim *ei erimus; quoniam videbimus eum sicuti est.*

7. *Et omnis qui habet spem hanc in ipso.* Videtis quia in spe nos posuit. Videtis quemadmodum congruit apostolus Paulus coapostolo suo, *Spe salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si enim quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII, 24, 25). Ipsa patientia exercet desiderium. Mane tu, nam manet ille: et persevera in ambulando, ut pervenias; quia quo tendis, non migrabit. Videte: *Et omnis qui habet spem hanc in ipso, castificat semetipsum, sicut et ipse castus est.* Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, ut diceret, *castificat semetipsum.* Quis nos castificat nisi Deus? Sed Deus te nolentem non castificat. Ergo quod adjungis voluntatem tuam Deo, castificas teipsum. Castificas te, non de te, sed de illo qui venit ut inhabitet te. Tamen quia agis ibi aliquid voluntate, ideo et tibi aliquid tributum est. Ideo autem tibi tributum est, ut dicas sicut in Psalmo, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me* (*Psal.* XXVI, 9). Si dicis, *Adjutor meus esto,* aliquid agis: nam si nihil agis, quomodo ille adjuvat?

8. *Omnis qui facit peccatum, et iniquitatem facit.* Nemo dicat, Aliud est peccatum, aliud iniquitas: nemo dicat, Ego peccator homo sum, sed iniquus non sum. *Omnis* enim *qui facit peccatum, et iniquitatem facit. Peccatum est iniquitas.* Quid ergo facimus de peccatis nostris et iniquitatibus? Audi quid dicat: *Et scitis quia ille manifestatus est, ut peccatum auferat; et peccatum in ipso non est.* In quo non est peccatum, ipse venit auferre peccatum. Nam si esset et in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret. *Omnis qui in ipso manet, non peccat.* In quantum in ipso manet, in tantum non peccat. *Omnis qui peccat, non vidit eum, neque cognovit eum.* Magna ista quæstio: *Omnis qui peccat, non vidit eum, neque cognovit eum.* Non est mirum. Non eum vidimus, sed visuri sumus; non eum cognovimus, sed cognituri sumus: credimus in eum quem non cognovimus. An forte ex fide cognovimus, et specie nondum cognovimus? Sed in fide et vidimus et cognovimus. Si enim nondum videt fides, quare dicimur illuminati? Est illuminatio per fidem, est illuminatio per speciem. Modo cum peregrinamur, per fidem ambulamus, non per speciem (II *Cor.* V, 7). Ergo et justitia nostra per fidem est, non per speciem. Erit perfecta nostra justitia, cum videbimus per speciem. Modo non relinquamus eam justitiam quæ est ex fide, quoniam *justus ex fide vivit* (*Rom.* I, 17), sicut ait Apostolus. *Omnis qui manet in ipso, non peccat.* Nam *omnis qui peccat, non vidit eum, neque cognovit eum.* Non credit iste qui peccat: si autem credit, quantum ad fidem ejus pertinet, non peccat.

9. *Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est.* Numquid quando audivimus quia justi sumus, *sicut et ille*, æquales nos debemus putare Deo? Debetis nosse quid est, *sicut:* jamdudum enim dixit, *Castificat semetipsum, sicut ipse castus est.* Jam ergo par et æqualis est castitas nostra castitati Dei, et justitia nostra justitiæ Dei? Quis hoc dicat? Sed, *sicut*, non semper ad æqualitatem dici solet. Quomodo, verbi gratia, visa basilica ista ampla, si velit facere aliquis minorem, sed tamen proportione ad mensuras ejus, ut verbi gratia, si lata est ista simplum, et longa duplum; faciat et ille latam simplum, et longam duplum: videtur sic fecisse sicut est ista. Sed ista habet, verbi gratia, centum cubitos, illa triginta: et sic est, et impar est. Videtis quia non semper, *sicut*, ad parilitatem et æqualitatem refertur. Verbi gratia, videte quantum sit inter faciem hominis, et imaginem de speculo: facies in imagine, facies in corpore; imago in imitatione, corpus in veritate. Et quid dicimus? Nam sicut hic oculi, ita et ibi: sicut hic aures, ita et ibi aures sunt. Dispar est res; sed, *sicut*, ad similitudinem dicitur. Habemus ergo et nos imaginem Dei; sed non illam quam habet Filius æqualis Patri; tamen et nos pro modulo nostro si non sicut ille essemus, ex nulla parte similes diceremur. Ergo castificat nos sicut et ipse castus est; sed ille castus æternitate, nos casti fide: justi sumus sicut et ipse justus est; sed ipse in ipsa incommutabili perpetuitate, nos justi credendo in quem

[1] Sic legendum, suffragantibus Am. Bad. et octo Mss., nisi quod in omnibus codicibus deterior est vocum interpunctio [*Jam diximus aliquando exinaniri quod implendum est.*]

non videmus, ut aliquando videamus. Et cum perfecta fuerit justitia nostra, cum facti æquales Angelis fuerimus; nec tunc illi æquabitur. Quanto ergo modo ab illo longe est, quando nec tunc par erit?

10. *Qui facit peccatum, de diabolo est; quia ab initio diabolus peccat. De diabolo est*, nostis quid dicat : imitando diabolum. Nam neminem fecit diabolus, neminem genuit, neminem creavit : sed quicumque fuerit imitatus diabolum, quasi de illo natus, fit filius diaboli imitando, non proprie nascendo. Quomodo es filius Abrahæ? numquid Abraham te genuit? Quomodo Judæ, filii Abrahæ non imitantes fidem Abrahæ, facti sunt filii diaboli : de carne Abraham nati sunt, et fidem Abrahæ non sunt imitati. Si ergo qui inde nati sunt, exhæredati sunt, quia non sunt imitati; tu qui non de illo natus es, efficeris filius, et sic eris filius imitando. Et si diabolum fueris imitatus, quia ille superbus exstitit et impius adversus Deum, eris filius diaboli, imitando; non quia creavit te, aut genuit te.

11. *In hoc manifestatus est Filius Dei.* Eia, fratres, omnes peccatores ex diabolo nati sunt, in quantum peccatores. Adam a Deo factus est : sed quando consensit diabolo, ex diabolo natus est; et tales omnes genuit qualis erat. Cum ipsa concupiscentia nati sumus; et antequam nos debita nostra addamus, de illa damnatione nascimur. Nam si cum nullo peccato nascimur, quid est quod cum infantibus ad Baptismum curritur, ut solvantur? Ergo duas nativitates attendite, fratres, Adam et Christum [1] : duo sunt homines; sed unus ipsorum homo homo, alter ipsorum homo Deus. Per hominem hominem, peccatores sumus : per hominem Deum, justificamur. Nativitas illa dejecit ad mortem; ista nativitas erexit ad vitam : nativitas illa trahit secum peccatum; nativitas ista liberat a peccato. Ideo enim venit Christus homo, ut solveret peccata hominum. *In hoc manifestatus est Filius Dei, ut solvat opera diaboli.*

12. Cætera commendo Charitati vestræ, ne vos gravem. Ipsa enim quæstio est, in qua solvenda laboramus, quia peccatores nos dicimus : si enim quis dixerit se esse sine peccato, mendax est. Et in ipsius Epistola Joannis invenimus, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* Meminisse enim debetis priorum : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). Et rursus in consequentibus audis, *Qui natus est ex Deo, non peccat : Qui facit peccatum, non vidit eum, neque cognovit eum : Omnis qui facit peccatum, de diabolo est.* Ex Deo non est peccatum. Iterum terret nos. Quomodo nati sumus ex Deo, et quomodo nos fatemur peccatores? An dicturi sumus, quia de Deo nati non sumus? Et quid faciunt ista Sacramenta in infantibus? Quid dixit Joannes? *Qui natus est ex Deo, non peccat.* Ipse Joannes iterum dixit, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Magna quæstio est et angusta; et ad hanc solvendam intentam fecerim Charitatem vestram. In nomine Domini cras quod inde dederit, disseremus.

[1] Lov., *Adam et Christi.* At Am. Bad. et Mss. habent, *Adam et Christum.*

TRACTATUS V.

In id quod sequitur, Omnis qui natus est ex Deo, non facit peccatum; *usque ad id,* Non diligamus verbo tantum et lingua, sed opere et veritate. *Cap.* III, ℣. 9-18.

1. Intente audite, obsecro vos, quia res non minima versatur in medio : et non dubito quia hesterno die adfuistis intente, quod et hodie intentius convenistis. Est enim non parva quæstio, quomodo dicat in ista Epistola, *Qui natus est ex Deo, non peccat :* et quomodo in eadem Epistola superius dixit, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (I *Joan.* I, 8). Quid facturus est quem uterque sermo ex eadem Epistola in medio coarctavit? Si se confessus fuerit peccatorem, timet ne dicatur illi, Non ergo ex Deo natus es; quia scriptum est, *Qui natus est ex Deo, non peccat.* Si autem dixerit se justum, et non habere peccatum, accipit ex alia parte plagam ex ipsa Epistola, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Positus ergo homo in medio, quid dicat, et quid confiteatur, aut quid profiteatur, non invenit. Profiteri se esse sine peccato, periculosum est; et non solum periculosum, sed etiam mendosum : *Nos ipsos*, inquit, *seducimus, et veritas in nobis non est, si dixerimus quia peccatum non habemus.* Sed utinam non haberes, et diceres! verum enim diceres, nec in veritate promenda ullum iniquitatis vel vestigium formidares. Sed ideo male facis si dicis quia mendacium dicis : *Veritas*, inquit, *in nobis non est, si dixerimus quia peccatum non habemus.* Non ait, Non habuimus; ne forte de præterita vita dictum videretur. Habuit enim peccata homo iste; sed ex quo natus est ex Deo, cœpit non habere. Si ita esset, nulla nos angustaret quæstio. Diceremus enim : Fuimus peccatores, sed modo justificati sumus; habuimus peccatum, sed modo non habemus. Non hoc ait : sed quid ait? *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Post aliquantum rursus, *Qui natus est ex Deo*, inquit, *non peccat.* Numquid Joannes ipse non erat natus ex Deo? Si Joannes non erat natus ex Deo, de quo audistis quia supra pectus Domini recumbebat; aliquis sibi audet promittere regenerationem factam in se, quam ille habere non meruit, qui super pectus Domini recumbere meruit? Quem Dominus plus quam cæteros diligebat (*Joan.* XIII, 23), ipsum solum de Spiritu non genuerat?

2. Attendite nunc verba ista : adhuc angustias nostras commendo, ut per intentionem vestram, quæ oratio est et pro nobis et pro vobis, dilatet Deus, et det exitum; ne aliquis in verbo ejus inveniat occasionem perditionis suæ, quod verbum non est prædicatum et conscriptum, nisi ad medicinam et salutem. *Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, et iniquitatem facit.* Ne forte discernas : *Peccatum iniquitas est.* Ne

dicas, Peccator sum, sed iniquus non sum : *Peccatum iniquitas est. Et scitis quia in hoc ille manifestatus est, ut peccata auferat ; et peccatum in illo non est.* Et quid prodest nobis quia venit sine peccato? *Omnis qui non peccat, in ipso manet : et omnis qui peccat, non vidit eum, neque cognovit eum. Filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est, sicut et ille justus est.* Jam ista diximus, quia *sicut* secundum quamdam similitudinem, non secundum æqualitatem, dici solet. *Qui facit peccatum, de diabolo est; quia ab initio diabolus peccat.* Et hoc diximus, quia neminem creavit diabolus, neque genuit; sed imitatores ejus tanquam ex illo nascuntur. *In hoc manifestatus est Filius Dei, ut solvat opera diaboli* (*Joan.* III, 4-8). Ergo ut solvat peccata [1] ille qui non habet peccatum. Deinde sequitur : *Omnis qui natus est ex Deo, non facit peccatum, quia semen ejus in ipso manet; et non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Fortiter instrinxit. Fortassis secundum quoddam peccatum dixit, *non peccat*, non secundum omne peccatum : ut quod ait, *Qui natus est ex Deo, non peccat*, certum quoddam peccatum intelligas, quod non potest admittere homo qui ex Deo natus est : et tale peccatum est illud, ut si quisquam illud admiserit, confirmet cætera; si quis autem hoc non admiserit, solvat cætera. Quod est hoc peccatum? Facere contra mandatum. Quod est mandatum? *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (*Id.* XIII, 34). Intendite. Hoc mandatum Christi dilectio vocatur : per hanc dilectionem peccata solvuntur. Hæc si non teneatur, et grave peccatum est, et radix omnium peccatorum.

3. Intendite, fratres; protulimus aliquid in quo bene intelligentibus soluta est quæstio. Sed numquid cum celerioribus tantum ambulamus viam? Et qui tardius ambulant, non sunt relinquendi. Versemus hoc quibus possumus verbis, ut ad omnes perveniat. Puto enim, fratres, quia omnis homo sollicitus est pro anima sua, qui non sine causa intrat Ecclesiam, qui non temporalia quærit in Ecclesia, qui non propterea intrat ut transigat negotia sæcularia; sed ideo intrat, ut aliquid sibi æternum promissum teneat, quo perveniat : necesse est cogitet [2] quemadmodum ambulet in via, ne remaneat, ne retro eat, ne aberret, ne claudicando non perveniat. Qui ergo sollicitus est, tardus sit, velox sit, non recedat de via. Hoc ergo dixi, quia *qui natus est ex Deo, non peccat*, fortassis secundum quoddam peccatum voluit intelligi : nam erit contrarium illi loco, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Sic ergo potest solvi quæstio. Est quoddam peccatum quod non potest admittere ille qui natus est ex Deo; et quo non admisso solvuntur cætera, quo admisso confirmantur cætera. Quod est hoc peccatum? Facere contra mandatum Christi, contra testamentum novum. Quod est mandatum novum? *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis.* Qui facit contra charitatem et contra dilectionem fraternam, non audeat gloriari, et dicere natum se esse ex Deo : qui autem in dilectione fraterna constitutus est, certa sunt peccata quæ non potest admittere, et hoc maxime ne oderit fratrem. Et quid de cæteris peccatis facit, unde dictum est, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est?* Audiat securitatem de alio loco Scripturæ : *Charitas cooperit multitudinem peccatorum* (I *Petr.* IV, 8).

4. Charitatem ergo commendamus; charitatem commendat hæc Epistola. Post resurrectionem Dominus quid aliud interrogavit Petrum, nisi, *Amas me?* Et parum fuit semel interrogare; et iterum nihil aliud, et tertio nihil aliud. Cum jam tertio ille tædio afficeretur, quasi non sibi crederet, quomodo qui nesciret quid in illo ageretur; tamen et primo, et secundo, et tertio hoc interrogavit. Ter negavit timor, ter confessus est amor (*Joan.* XXI, 15-17). Ecce amat Petrus Dominum. Quid præstaturus Domino? Non enim et ipse non turbatus est in illo psalmo, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Qui enim dicebat hæc in Psalmo, attendebat quanta sibi essent præstita a Deo; et quærebat quid retribueret Deo, et non inveniebat. Quidquid enim retribuere volueris, ab ipso accepisti ut reddas. Et quid invenit ut retribuat? Quod, ut diximus, fratres, ab ipso acceperat, hoc invenit quod retribueret. *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo* (*Psal.* CXV, 12, 13). Quis enim illi dederat calicem salutarem, nisi ille cui volebat retribuere? Accipere autem calicem salutarem, et invocare nomen Domini, hoc est satiari charitate; et ita satiari, ut non solum non oderis fratrem, sed paratus sis mori pro fratre. Perfecta ista charitas est, ut paratus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dominus in se exhibuit, mortuus pro omnibus, orans pro eis a quibus crucifigebatur, et dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Sed si solus hoc fecit, non erat magister, si discipulos non habebat. Secuti discipuli hoc fecerunt. Lapidabatur Stephanus, et genu fixo ait : *Domine, ne statuas illis hoc delictum* (*Act.* VII, 59). Amabat a quibus occidebatur, quia et pro ipsis moriebatur. Audi et apostolum Paulum : *Et ipse*, inquit, *impendar pro animabus vestris* (II *Cor.* XII, 15). Inter illos enim erat pro quibus Stephanus deprecabatur, quando eorum manibus moriebatur. Perfecta ergo charitas hæc est. Si quis tantam habuerit charitatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo charitas. Sed numquid mox ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur : cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita roboratur; cum fuerit roborata, perficitur : cum ad perfectionem venerit, quid dicit? *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Optabam dissolvi et esse cum Christo; multo enim magis optimum : manere in carne necessarium propter vos* (*Philipp.* I, 21-24). Propter eos volebat vivere, pro quibus paratus erat mori.

5. Et ut noveritis quia ipsa est perfecta charitas, quam non violat, et in quam non peccat qui natus est ex Deo; hoc Dominus dicit Petro : *Petre, amas me?*

[1] Editi addunt hic vocem, *venit* ; quæ abest ab omnibus Mss.

[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *necesse est ergo cogitet.* M.

Et ille : *Amo*. Non ait, Si amas me, obsequere mihi. Quando enim erat Dominus in carne mortali, esurivit, sitivit : eo tempore quo esuriebat et sitiebat, susceptus est hospitio; ministrarunt illi qui habuerunt, de substantia sua, sicut legimus in Evangelio (*Luc.* VIII, 3). Suscepit eum hospitio Zacchæus : salvus factus est a morbo, suscepto medico. Quo morbo? Avaritiæ. Erat enim ditissimus, et princeps publicanorum. Attendite sanatum a morbo avaritiæ. *Dimidium*, inquit, *bonorum meorum do pauperibus; et si cui aliquid tuli, quadruplum reddam* (*Id.* XIX, 6-8). Ideo servavit alterum dimidium, non quo frueretur, sed unde debita solveret. Suscepit ergo tunc medicum hospitio, quia erat infirmitas carnis in Domino, cui hoc obsequium præberent homines : et hoc, quia voluit præstare obsequentibus; obsequentibus enim proderat, non illi. Cui enim Angeli ministrabant, horum obsequium requirebat? Nec Elias servus illius hoc necessarium habebat aliquando, cui panem et carnem per corvum mittebat; et tamen ut vidua religiosa benediceretur, mittitur servus Dei, pascitur a vidua quem Deus in secreto pascebat (III *Reg* XVII, 4-9). Verumtamen quanquam de his servis Dei sibi præstent, qui eorum indigentiam considerant, propter illam mercedem a Domino in Evangelio manifestissime positam, *Qui suscipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet; et qui suscipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet; et qui dederit calicem aquæ frigidæ uni ex his minimis tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam* (*Matth.* X, 41 *et* 42) : quamvis ergo sibi præstent qui hoc faciunt, tamen nec hoc poterat præberi ascensuro in cœlum. Quid illi poterat retribuere Petrus, qui amabat illum? Audi quid : *Pasce oves meas;* id est, Fac pro fratribus quod pro te feci. Omnes sanguine meo redemi : nolite dubitare mori pro veritatis confessione, ut cæteri vos imitentur.

6. Sed hæc, ut diximus, fratres, perfecta charitas est; qui natus est ex Deo, habet illam. Intendat Charitas vestra, videte quid dicam. Ecce accepit Sacramentum nativitatis homo baptizatus; Sacramentum habet, et magnum Sacramentum, divinum, sanctum, ineffabile. Considera quale : ut novum hominem faciat dimissione omnium peccatorum. Attendat tamen in cor, si perfectum est ibi, quod factum est in corpore : videat si habet charitatem, et tunc dicat, Natus sum ex Deo. Si autem non habet, characterem quidem impositum habet, sed desertor vagatur. Habeat charitatem; aliter non se dicat natum ex Deo. Sed habeo, inquit, sacramentum. Audi Apostolum : *Si sciam omnia sacramenta, et habeam omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (I *Cor.* XIII, 2).

7. Hoc, si meministis, commendavimus, cum istam Epistolam legere inciperemus, nihil in ea nobis sic commendari, quomodo charitatem. Et si videtur alia et alia dicere, illuc facit reditum; et ad ipsam charitatem omnia vult referre quæcumque dixerit. Videamus si et hic hoc facit. Attende : *Omnis qui natus est ex Deo, non facit peccatum.* Quærimus quod peccatum : quia si omne intellexeris, contrarius erit illi loco, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est.* Ergo dicat quod peccatum, doceat nos; ne forte ego temere dixerim peccatum hoc esse violationem charitatis, quia supra dixit, *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, et in tenebris ambulat, et nescit quo eat, quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus* (I *Joan.* II, 11). Sed forte dixit aliquid in posterioribus, et nominavit charitatem [1]. Videte quia circuitus ille verborum hunc habet finem, hunc habet exitum. *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat; quia semen ejus in ipso manet.* Semen Dei, id est, verbum Dei : unde dicit Apostolus, *Per Evangelium ego vos genui* (I *Cor.* IV, 15). *Et non potest peccare, quia ex Deo natus est.* Dicat hoc, videamus in quo non potest peccare. *In hoc manifestati sunt filii Dei et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est a Deo, et qui non diligit fratrem suum.* Certe jam manifestum est unde dicat, *Et qui non diligit*, inquit, *fratrem suum.* Dilectio ergo sola discernit inter filios Dei et filios diaboli. Signent se omnes signo crucis Christi; respondeant omnes, Amen; cantent omnes, Alleluia; baptizentur omnes, intrent Ecclesias, faciant parietes basilicarum : non discernuntur filii Dei a filiis diaboli, nisi charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex Deo : qui non habent, non sunt nati ex Deo. Magnum indicium, magna discretio. Quidquid vis habe; hoc solum non habeas, nihil tibi prodest : alia si non habeas, hoc habe, et implesti Legem. *Qui enim diligit alterum, Legem implevit*, ait Apostolus : et, *Plenitudo Legis charitas* (*Rom.* XIII, 8, 10). Puto istam margaritam esse illam quam homo negotiator quæsisse describitur in Evangelio, qui invenit unam margaritam, et vendidit omnia quæ habebat, et emit eam (*Matth.* XIII, 46). Hæc est margarita pretiosa, charitas, sine qua nihil tibi prodest quodcumque habueris : quam si solam habeas, sufficit tibi. Modo cum fide vides, tunc cum specie videbis. Si enim amamus cum non videmus, quomodo amplectemur cum viderimus? Sed ubi nos debemus exercere? In amore fraterno. Potes mihi dicere, Non vidi Deum; numquid potes mihi dicere, Non vidi hominem? Dilige fratrem. Si enim fratrem quem vides dilexeris, simul videbis et Deum; quia videbis ipsam charitatem, et intus inhabitat Deus.

8. *Qui non est justus, non est ex Deo; et qui non diligit fratrem suum. Quia hæc est annuntiatio :* vide quomodo confirmat : *Quia hæc est annuntiatio quam audivimus ab initio, ut diligamus invicem.* Manifestavit nobis inde se dicere : contra hoc mandatum quisquis facit, in peccato illo est scelerato, in quod incidunt qui non nascuntur ex Deo. *Non sicut Cain qui ex maligno erat, et occidit fratrem suum. Et cujus rei gratia occidit? Quia opera ejus maligna fuerunt, fratris vero ejus justa.* Ergo ubi est invidia, amor fraternus esse non potest. Intendat Charitas vestra. Qui invidet, non

[1] Quatuor Mss., *et non nominavit charitatem.*

amat. Peccatum diaboli est in illo; quia et diabolus invidendo dejecit. Cecidit enim, et invidit stanti. Non ideo voluit dejicere ut ipse staret, sed ne solus caderet. Tenete in animo ex hoc quod subjecit, invidiam non posse esse in charitate. Habes aperte cum laudaretur ipsa charitas, *Charitas non æmulatur* (I *Cor.* XIII, 4). Non fuit charitas in Cain; et nisi esset charitas in Abel, non acciperet Deus sacrificium ejus. Cum enim ambo obtulissent, ille de fructibus terræ, ille de fetibus ovium; quid putatis, fratres, quia Deus fructus terræ neglexit, et fetus ovium dilexit? Non intendit Deus ad manus [1]; sed in corde vidit: et quem vidit cum charitate offerre, ipsius sacrificium respexit; quem vidit cum invidia offerre, ab ipsius sacrificio oculos avertit. Opera ergo bona Abel non dicit nisi charitatem: opera mala Cain non dicit nisi odium fraternum. Parum est quia odit fratrem suum, et invidit operibus bonis; quia imitari noluit, necare voluit. Et hinc apparuit quia filius erat diaboli, et ille hinc apparuit justus Dei. Hinc ergo discernuntur homines, fratres mei. Nemo attendat linguas, sed facta et cor [2]. Si non bene faciat pro fratribus suis, ostendit quid in se habeat. Tentationibus probantur homines.

9. *Nolite mirari, fratres, si odit nos* [3] *mundus.* Numquid sæpe vobis dicendum est quid est mundus? Non cœlum, non terra, nec ista opera quæ Deus fecit; sed dilectores mundi. Ista sæpe dicendo quibusdam onerosus sum: sed usque adeo non frustra dico, ut aliqui interrogentur an dixerim, et non respondeant. Ergo vel inculcando hæreat aliquid in cordibus audientium. Quid est mundus? Mundus est, quando in malo ponitur, dilectores mundi: mundus quando in laude ponitur, cœlum et terra est, et quæ in his opera Dei; unde dicitur, *Et mundus per eum factus est* (*Joan.* I, 10). Item mundus est plenitudo terræ, sicut dixit ipse Joannes, *Non solum autem nostrorum peccatorum propitiator est, sed et totius mundi* (I *Joan.* II, 2). Mundi dicit omnium fidelium per orbem sparsorum. Mundus autem in malo, amatores mundi sunt. Qui amant mundum, fratrem amare non possunt.

10. *Si odit nos mundus: nos scimus.* Quid nos scimus? *Quia transivimus de morte ad vitam.* Unde scimus? *Quia diligimus fratres.* Nemo interroget hominem; redeat unusquisque ad cor suum: si ibi invenerit charitatem fraternam, securus sit, quia transiit a morte ad vitam. Jam in dextera est: non attendat quia modo gloria ejus occulta est; cum venerit Dominus, tunc apparebit in gloria. Viget enim, sed adhuc in hieme; viget radix, sed quasi aridi sunt rami: intus est medulla quæ viget, intus sunt folia arborum, intus fructus; sed æstatem exspectant. Ergo *nos scimus quia transivimus de morte ad vitam, quia diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Ne putetis, fratres, leve esse, odisse aut non diligere, audite quod sequitur: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est.* Jam ergo si contemnebat quisquam odium fraternum, numquid et homicidium in corde suo contempturus est? Non movet manus ad occidendum hominem, homicida jam tenetur a Domino; vivit ille, et iste jam interfector judicatur. *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.*

11. *In hoc cognoscimus dilectionem.* Perfectionem dilectionis dicit, perfectionem illam quam commendavimus. *In hoc cognoscimus dilectionem, quia ille pro nobis animam suam posuit: et nos debemus animas pro fratribus ponere.* Ecce unde veniebat, *Petre, amas me? pasce oves meas.* Nam ut noveritis quia sic ab eo pasci volebat oves suas, ut animam suam pro ovibus poneret; hoc illi continuo dixit, « Cum juvenis esses, præcingebas te, et ibas quo volebas; cum autem fueris senior, alius te præcinget, et tollet te quo tu non vis. Hoc autem dixit, » ait Evangelista, « significans qua morte clarificaturus erat Deum » (*Joan.* XXI, 15-19): ut cui dixerat, « Pasce oves meas, » doceret eum ponere animam pro ovibus suis.

12. Unde incipit charitas, fratres? Modicum attendite: quo perficiatur audistis; ipsum finem et modum ipsum et Dominus in Evangelio commendavit: *Majorem charitatem nemo habet*, ait, *quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Id.* XV, 13). Perfectionem ergo ejus ostendit in Evangelio, et hic commendata est ejus perfectio: sed interrogatis vos, et dicitis vobis, Quando possumus habere istam charitatem? Noli cito de te desperare: forte nata est, sed nondum perfecta est; nutri eam, ne effocetur. Sed dicturus es mihi, Et unde novi? Quo enim perficiatur audivimus; unde incipiat audiamus. Sequitur, et dicit: *Qui autem habuerit facultates mundi, et viderit fratrem suum esurientem, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo poterit dilectio Dei manere in eo?* Ecce unde incipit charitas. Si nondum es idoneus mori pro fratre, jam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Jam percutiat viscera tua charitas, ut non de jactantia facias, sed de intimo adipe misericordiæ; ut consideres illum in egestate positum. Si enim superflua non potes dare fratri tuo, animam tuam potes ponere pro fratre? Jacet pecunia in sinu tuo, quam tibi fures possunt auferre; et si illam non auferent fures, moriendo illam deseres, etiam si te illa viventem non deserat: quid inde facturus es? Esurit frater tuus, in necessitate positus est: fortassis suspenditur, a creditore angustatur; non habet ipse, habes tu: frater tuus est, simul empti estis, unum est pretium vestrum, ambo sanguine Christi redempti estis: vide si misereris, si habes facultates mundi. Quid ad me pertinet, forte dicis? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodo te gloriaris esse christianum? Nomen habes, et facta non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quisquam paganum, tu factis ostende te christianum. Nam si factis non ostendis te christianum, omnes te

[1] Am. Bad. Er. et quinque Mss., *ad munus.*
[2] Decem Mss., *sed facta. Cor si non bene faciat.*
[3] Sic Mss. At sacra Biblia, *homines, vos.*

christianum vocent, quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur? « Qui autem habuerit facultates mundi, et viderit fratrem suum egentem, et clauserit viscera sua ab eo; quomodo potest dilectio Dei manere in eo? » Et sequitur : « Filioli, non diligamus verbo tantum et lingua, sed opere et veritate. »

13. Puto manifestatum esse vobis magnum et necessarium secretum et sacramentum, fratres mei. Quid valeat charitas, omnis Scriptura commendat; sed nescio si alicubi amplius quam in ista Epistola commendetur. Rogamus vos et obsecramus in Domino, ut et illa quæ audistis memoria teneatis; et ad ea quæ adhuc dicenda sunt, donec finiatur ipsa Epistola, intenti veniatis, intenti audiatis. Aperite autem cor ad semina bona : exstirpate spinas, ne effocetur in vobis quod seminatur, sed potius crescat seges; et gaudeat agricola, et horreum vobis præparet tanquam frumentis, non ignem tanquam paleis.

TRACTATUS VI.

In illud, Et in hoc cognoscimus quia ex veritate sumus; *usque ad id*, Et hic est Antichristus de quo audistis, *etc. Cap.* III, ℣. 19-24, *et cap.* IV, ℣. 1-3.

1. Si meministis, fratres, hesterno nos clausisse sermonem ad istam sententiam, quæ sine dubio manere debuit et debet in corde vestro, quia ipsam novissimam audistis : « Filioli, non diligamus verbo tantum et lingua, sed opere et veritate. » Deinde sequitur : « Et in hoc cognoscimus quia ex veritate sumus, et coram ipso persuademus cordi nostro : quia si male senserit cor nostrum, major est Deus corde nostro, et novit omnia. » Dixerat, « Non diligamus verbo tantum et lingua, sed opere et veritate : » quæritur a nobis, in quo opere et in qua veritate agnoscitur qui diligit Deum, vel qui diligit fratrem suum. Jam superius dixerat quousque charitas perficiatur; quod et Dominus in Evangelio ait, *Majorem hac nemo habet charitatem, quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Joan.* XV, 13) : et iste hoc dixerat, *Sicut ille animam suam pro nobis posuit, debemus et nos animas pro fratribus ponere.* Hæc est perfectio charitatis; et major omnino non potest inveniri. Sed quia non in omnibus perfecta est, et desperare non debet in quo perfecta non est, si jam nata est quæ perficiatur : et utique si nata est, nutrienda est, et quibusdam suis nutrimentis ad perfectionem propriam perducenda. Quæsivimus inchoationem charitatis unde incipiat, et ibi continuo invenimus : *Si quis habet facultates mundi, et viderit fratrem suum egentem, et clauserit viscera sua adversus eum; quomodo dilectio Patris manet in illo* (I *Joan.* III, 16, 17)? Ergo hic incipit ista charitas, fratres, ut de suis superfluis tribuat egenti, in angustiis aliquibus constituto; ex eo quod sibi abundat secundum tempus, a tribulatione temporali liberet fratrem. Hinc exordium est charitatis. Hanc ita cœptam, si verbo Dei et spe futuræ vitæ nutrieris, pervenies ad illam perfectionem, ut paratus sis animam tuam ponere pro fratribus tuis.

2. Sed quia multa talia fiunt ab his qui alia quærunt, et qui fratres non amant; revocemur ad testimonium conscientiæ. Unde probamus quia talia multa fiunt ab his qui fratres non amant? Quam multi se in hæresibus et schismatibus martyres dicunt! Videntur sibi animam ponere pro fratribus suis. Si pro fratribus animam ponerent, non se ab universa fraternitate separarent. Item quam multi sunt qui jactantiæ causa multa tribuunt, multa donant; et non ibi quærunt nisi laudem humanam et gloriam popularem, plenam ventis, nulla stabilitate solidatam! Quia ergo sunt tales, ubi probanda erit charitas fraterna? quia voluit illam probari, et ait admonens : *Filioli, non diligamus verbo tantum et lingua, sed opere et veritate.* Quærimus, In quo opere, in qua veritate? Potest esse manifestius opus, quam tribuere pauperibus? Multi hoc jactantia faciunt, non dilectione. Potest esse majus opus, quam mori pro fratribus? Et hoc multi volunt putari se facere, jactantia nominis comparandi, non visceribus dilectionis. Restat ut ille diligat fratrem, qui ante Deum ubi solus videt, cordi suo persuadet, et interrogat cor suum an vere propter fratrum dilectionem hoc faciat; et perhibet illi testimonium oculus qui penetrat cor, quo homo attendere non potest. Ideo Paulus apostolus, quia paratus erat mori pro fratribus, et dicebat, *Ipse impendar pro animabus vestris* (II *Cor.* XII, 15) : tamen quia Deus hoc videbat in corde ipsius, non homines quibus loquebatur, ait illis, *Mihi autem minimum est ut a vobis dijudicer, aut ab humano die* (I *Cor.* IV, 3). Et ostendit etiam ipse quodam loco quia solent ista fieri inani jactantia, non firmamento charitatis : ait enim cum de ipsius charitatis commendatione loqueretur, *Si distribuero omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (*Id.* XIII, 3). Potest enim quisquam hoc facere sine charitate? Potest. Nam qui non habent charitatem, diviserunt unitatem (*a*). Quærite ibi, et videbitis multos multa tribuere pauperibus; videbitis alios paratos ad suscipiendam mortem, ita ut desistente persecutore, seipsos præcipitent : isti sine dubio sine charitate hoc faciunt. Revocemur ergo ad conscientiam, de qua dicit Apostolus : *Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (II *Cor.* I, 12). Revocemur ad conscientiam, de qua idem dicit : *Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semetipso gloriam habebit, et non in altero* (*Galat.* VI, 4). Opus ergo suum probet unusquisque nostrum, utrum de vena charitatis emanet, utrum de radice dilectionis rami bonorum operum pullulent. *Opus autem suum probet unusquisque*, ait, *et tunc in semetipso gloriam habebit, et non in altero :* non quando illi perhibet testimonium lingua aliena, sed quando perhibet conscientia propria.

3. Hoc ergo hic commendat. *In hoc cognoscimus quia ex veritate sumus*, quando opere et veritate, non verbis et lingua tantum diligimus : *et coram ipso persuademus cordi nostro*, Quid est, *coram ipso?* Ubi ipse videt. Unde ipse Dominus in Evangelio : *Cavete*, inquit, *facere justitiam vestram coram hominibus, ut vi-*

(*a*) Donatistæ.

deamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est. Et quid est, *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI, 1, 3): nisi quia dextera, pura conscientia est; sinistra, mundi cupiditas? Multi per cupiditatem mundi multa mira faciunt; sinistra operatur, non dextra. Dextra debet operari, et nesciente sinistra, ut nec misceat se cupiditas sæculi, quando aliquid boni dilectione operamur. Et ubi hoc cognoscimus? Ante Deum es, interroga cor tuum : vide quid fecisti, et quid ibi appetisti; salutem tuam, an laudem hominum ventosam. Intus vide : nam homo judicare non potest quem videre non potest. Si persuademus cordi nostro, coram ipso persuadeamus. *Quia si male sentiat cor nostrum*, id est, accuset nos intus, quia non eo animo facimus quod faciendum sit; *major est Deus corde nostro, et novit omnia.* Cor tuum abscondis ab homine; a Deo absconde si potes. Quomodo absconderes ab eo, cui dictum est a peccatore quodam timente et confitente : *Quo ibo a spiritu tuo? et a facie tua quo fugiam?* Quærebat qua fugeret, ut evaderet judicium Dei, et non inveniebat. Ubi enim non est Deus? *Si ascendero*, inquit, *in cœlum, ibi es : si descendero in infernum, ades* (*Psal.* CXXXVIII, 7, 8). Quo iturus es? quo fugies? Vis audire consilium? Si vis ab illo fugere, ad ipsum fuge. Ad ipsum fuge confitendo, non ab ipso latendo : latere enim non potes, sed confiteri potes. Dic illi, *Refugium meum es tu* (*Psal.* XXXI, 7); et nutriatur in te dilectio, quæ sola perducit ad vitam. Perhibeat tibi testimonium conscientia tua, quia ex Deo est. Si ex Deo est, noli illam velle ante homines jactare; quia nec laudes hominum te levant in cœlum, nec vituperationes inde te deponunt. Ille videat qui coronat; ille sit testis quo judice coronaris. *Major est Deus corde nostro, et novit omnia.*

4. *Dilectissimi, si cor non male senserit, fiduciam habemus ad Deum.* Quid est, *cor non male senserit?* Verum nobis responderit, quia diligimus, et germana dilectio est in nobis : non ficta, sed sincera; salutem fraternam quærens, nullum emolumentum exspectans a fratre, nisi salutem ipsius. *Fiduciam habemus ad Deum; et quidquid postulaverimus, accipiemus ab eo, quia mandata ejus servamus.* Ideo non in conspectu hominum, sed ubi ipse Deus videt in corde. *Fiduciam* ergo *habemus ad Deum; et quidquid postulaverimus, ab eo accipiemus :* sed, *quia mandata ejus servamus.* Quæ sunt mandata ejus? Numquid semper repetendum est? *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 34). Ipsam charitatem loquitur, ipsam commendat. Quisquis ergo habuerit charitatem fraternam, et coram Deo habuerit, ubi Deus videt, corque ejus interrogatum sub justo examine, non ei aliud responderit, quam germanam ibi esse radicem charitatis, unde boni fructus existant; habet fiduciam apud Deum, et quidquid postulaverit, ab eo accipiet, quia mandata ejus servat.

5. Occurrit quæstio quædam, quia non ille aut ille homo, aut tu aut ego, qui si petiero aliquid a Domino Deo nostro, et non accepero, facile de me potest dicere unusquisque, Non habet charitatem; et de quolibet homine hujus temporis facile dici potest; et sentiat quis quod vult homo de homine : majorem quæstionem non faciunt, nisi illi viri, quos sanctos constat fuisse cum scriberent, et modo esse cum Deo. Quis habet charitatem, si eam Paulus non habebat, qui dicebat, *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est; non angustamini in nobis* (*II Cor.* VI, 11, 12); qui dicebat, *Impendar pro animabus vestris* (*Id.* XII, 15) : et tanta gratia in illo erat, ut manifestaretur eum habere charitatem? Invenimus eum tamen petisse, et non accepisse. Quid dicimus, fratres? Quæstio est; intenti estote ad Deum. Magna et ista quæstio est. Quomodo de peccato ubi dictum est, *Qui natus est ex Deo, non peccat* (*I Joan.* III, 9); invenimus hoc esse peccatum violare charitatem, et hoc proprie designatum esse in hoc loco : sic et nunc quærimus quid dixerit. Si enim verba attendas, planum videtur; si exempla, obscurum est. Verbis his nihil est planius : « Et quidquid postulaverimus, accipiemus ab eo; quia mandata ejus servamus, et quæ placent illi, in conspectu ejus facimus. Quidquid postulaverimus, » ait, « accipiemus ab eo. » Angustavit vehementer. Quia et ibi angustaret, si diceret omne peccatum : sed ideo invenimus locum exponendi, quia de certo peccato dixit, non de omni; sed de quodam peccato, quod omnis qui ex Deo natus est, non facit : et invenimus ipsum quoddam peccatum violationem esse charitatis. Et habemus exemplum de Evangelio manifestum, quando ait Dominus, *Si non venissem, peccatum non haberent* (*Joan.* XV, 22). Quid ergo? ad innocentes Judæos venerat, quia sic loquitur? Ergo si ipse non veniret, peccatum non haberent? Præsentia ergo medici fecit ægrotum, febrem non abstulit? Quis hoc vel demens dicat? Ille non venit nisi curare et sanare ægrotos. Quare ergo dixit, *Si non venissem, peccatum non haberent*, nisi quia certum quoddam peccatum voluit intelligi? Quoddam enim peccatum non haberent Judæi. Quod peccatum? Quo in eum non crediderunt, quo præsentem contempserunt. Sicut ergo ibi peccatum dixit, et non est consequens ut omne peccatum intelligamus, sed certum peccatum : sic et hic non omne peccatum, ne contrarius sit illi loco ubi ait, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I, 8); sed certum quoddam peccatum, id est, violationem charitatis. Hic autem plus nos constrinxit : Si petierimus, dixit, si nos non accusaverit cor nostrum, et renuntiaverit in conspectu Dei quia vera dilectio est in nobis; *quidquid postulaverimus, ab eo accipiemus.*

6. Jam ergo dixi Charitati vestræ, fratres, nemo attendat ad nos. Quid enim sumus nos? Aut quid estis vos? Quid, nisi Ecclesia Dei, quæ nota est omnibus? Et si illi placet, in illa sumus; et qui dilectione in illa manemus, ibi perseveremus, si volumus ostendere dilectionem quam habemus. Verumtamen de apostolo Paulo quid mali sensuri sumus? Ipse non diligebat

fratres? Apud ipsum non erat testimonium conscientiæ ejus in conspectu Dei? Non erat in Paulo radix illa charitatis, unde omnes boni fructus procedebant? Quis hoc demens dixerit? Ubi ergo invenimus petisse Apostolum et non accepisse? Ait ipse : *In magnitudine revelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanæ, qui me colaphizet : propter quod ter Dominum rogavi ut auferret eum a me; et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 7-9). Ecce non est exauditus, ut auferretur ab illo angelus satanæ. Sed quare? Quia non ei proderat. Ergo exauditus est ad salutem, qui non est exauditus ad voluntatem. Noverit magnum sacramentum Charitas vestra; quod ideo commendamus vobis, ne excidat vobis in tentationibus vestris. Sancti ad salutem per omnia exaudiuntur, semper exaudiuntur ad salutem æternam : ipsam desiderant; quia secundum hanc semper exaudiuntur.

7. Sed discernamus exauditiones Dei. Invenimus enim quosdam non exauditos ad voluntatem, exauditos ad salutem : et rursus quosdam invenimus exauditos ad voluntatem, et non exauditos ad salutem. Hoc discernite, hoc tenete exemplum ejus qui non est exauditus ad voluntatem, sed exauditus ad salutem. Audi apostolum Paulum; nam ipsam exauditionem ad salutem ostendit illi Deus : *Sufficit tibi*, inquit, *gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Rogasti, clamasti, ter clamasti : ipsum semel quod clamasti audivi, non averti aures meas a te; novi quid faciam : tu vis auferri medicamentum quo ureris; ego novi infirmitatem qua gravaris. Ergo iste ad salutem exauditus est, ad voluntatem non est exauditus. Quos invenimus exauditos ad voluntatem, non exauditos ad salutem? Invenimus, putamus, aliquem nequam, aliquem impium exauditum a Deo ad voluntatem, non exauditum ad salutem? Si alicujus hominis exemplum posuero, forte dicturus es mihi : Tu illum dicis iniquum, nam justus erat; si justus non esset, a Deo non exaudiretur. Talem propositurus sum, de cujus iniquitate et impietate nemo dubitet. Diabolus ipse petiit Job, et accepit (*Job* I, 11, 12). Nonne et hic de diabolo audistis quia *qui facit peccatum, ex diabolo est* (I *Joan.* III, 8)? Non quia ille creavit, sed quia iste imitatur. Nonne de illo dictum est, *In veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44)? Nonne ipse est antiquus ille serpens qui per feminam venenum primo homini propinavit (*Gen.* III, 1-6)? Qui et ipsi Job feminam propterea servavit, per quam maritus non consolaretur, sed tentaretur (*Job* II, 9). Ipse diabolus petiit sanctum virum tentandum, et accepit : petiit Apostolus ut auferretur ab eo stimulus carnis, et non accepit. Sed Apostolus magis exauditus est quam diabolus. Apostolus enim est exauditus ad salutem, etsi non ad voluntatem : diabolus exauditus est ad voluntatem, sed ad damnationem. Ideo enim concessus est iste tentandus, ut eo probato esset ille cruciandus. Sed hoc, fratres, non tantum in veteribus Libris invenimus, sed et in Evangelio. Petierunt dæmones a Domino, cum eos excluderet ab homine, ut ire permitterentur in porcos. Non [1] eis posset dicere Dominus, ut nec illuc accederent? Non enim, si nollet, rebellaturi erant contra regem cœli et terræ. Certi tamen mysterii gratia et certa dispensatione dimisit dæmones in porcos (*Luc.* VIII, 32), ut ostenderet diabolum in eis dominari, qui vitam porcorum gerunt. Dæmones ergo exauditi sunt, Apostolus non est exauditus? An potius quod verius est dicamus, Imo Apostolus exauditus est, dæmones non sunt exauditi? Illorum voluntas facta est, hujus sanitas perfecta est.

8. Secundum hoc intelligere debemus quia Deus etsi voluntati nostræ non dat, saluti dat. Quid si enim hoc petieris quod tibi obest, et medicus novit quia obest tibi? Non enim non te exaudit medicus, quando forte tu frigidam aquam petis, et si prodest, statim dat; si non prodest, non dat. Non exaudivit, an potius ad sanitatem exaudivit, quia voluntati contradixit? Sit ergo in vobis charitas, fratres; sit in vobis, et securi estote : et quando non vobis datur quod petitis, exaudimini; sed nescitis. Multi dati sunt in manus suas malo suo : de quibus dicit Apostolus, *Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum* (*Rom.* I, 24). Petiit aliquis magnam pecuniam; accepit malo suo. Quando illam non habebat, parum timebat; habere illam cœpit, præda factus est potentiori. Nonne malo suo exauditus est, qui voluit habere unde a latrone quæreretur, quem pauperem nemo quærebat? Discite rogare Deum, ut medico committatis, quod ipse novit faciat. Tu morbum confitearis, ille medicamentum adhibeat. Tu tantum charitatem tene. Nam ille secare vult, urere vult; tu si clamas, et non exaudiris in sectione, in ustione et tribulatione, novit ille quousque putre est. Tu jam vis revocet manus, et ille vulneris sinum attendit; scit quo usque perveniat. Non te exaudit ad voluntatem, sed exaudit ad sanitatem. Certi ergo estote, fratres mei, quia quod ait Apostolus verum est : *Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus, quia ipse interpellat pro sanctis* (*Id.* VIII, 26, 27). Quid est, *Ipse Spiritus interpellat pro sanctis*, nisi, ipsa Charitas quæ in te per Spiritum facta est? Ideo enim dicit idem apostolus : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Id.* V, 5). Charitas ipsa gemit, charitas ipsa orat; contra hanc aures claudere non novit qui illam dedit. Securus esto, charitas roget; et ibi sunt aures Dei. Non fit quod vis, sed fit quod expedit. Ergo *quidquid postulaverimus*, inquit, *accipiemus ab eo.* Jam dixi, si ad salutem intelligas, nulla quæstio est : si non ad salutem, quæstio est, et magna, quæ te calumniatorem facit Paulo apostolo. *Quidquid postulaverimus, accipiemus ab eo; quia mandata ejus servamus, et quæ placent illi, in conspectu ejus facimus. In conspectu ejus*, intus ubi videt.

9. Et quæ illa mandata sunt? *Hoc est*, inquit, *mandatum illius, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, et diligamus invicem.* Videtis quia hoc est mandatum; videtis quia contra hoc mandatum qui facit, peccatum

[1] Er. Lugd. et Ven., *Nonne.* M.

facit, quo caret omnis qui natus est ex Deo. *Sicut dedit nobis mandatum* : ut diligamus invicem. *Et qui servaverit mandatum ejus* : videtis quia nihil aliud nobis præcipitur, nisi ut diligamus invicem : *Et qui servaverit mandatum ejus, in ipso manebit, et ipse in eo. Et in hoc cognoscimus quia manet in nobis de Spiritu quem dedit nobis.* Nonne manifestum est quia hoc agit Spiritus sanctus in homine, ut sit in illo dilectio et charitas? Nonne manifestum est quod ait apostolus Paulus : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis?* De charitate enim loquebatur, et dicebat quia in conspectu Dei debemus interrogare cor nostrum. *Quod si non male senserit cor nostrum* : id est, si confiteatur quia de dilectione fratris fit, quidquid fit in bono opere. Accessit etiam quod de mandato cum diceret, hoc ait : *Hoc est mandatum ejus, ut credamus nomini Filii ejus Jesu Christi, et diligamus invicem. Et qui facit mandatum ejus, in ipso manet, et ipse in eo. In hoc cognoscimus quia manet in nobis de Spiritu quem dedit nobis.* Si enim inveneris te habere charitatem, habes Spiritum Dei ad intelligendum : valde enim necessaria res est.

10. Primis temporibus cadebat super credentes Spiritus sanctus; et loquebantur linguis quas non didicerant, quomodo Spiritus dabat eis pronuntiare. Signa erant tempori opportuna. Oportebat enim ita significari in omnibus linguis Spiritum sanctum, quia Evangelium Dei per omnes linguas cursurum erat toto orbe terrarum. Significatum est illud, et transiit. Numquid modo quibus imponitur manus ut accipiant Spiritum sanctum, hoc exspectatur, ut linguis loquantur? Aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrum utrum linguis loquerentur; et cum videret eos linguis non loqui, ita perverso corde aliquis vestrum fuit ut diceret : Non acceperunt isti Spiritum sanctum; nam si accepissent, linguis loquerentur quemadmodum tunc factum est? Si ergo per hæc miracula non fiat modo testimonium præsentiæ Spiritus sancti; unde fit, unde cognoscit quisque accepisse se Spiritum sanctum? Interroget cor suum : si diligit fratrem, manet Spiritus Dei in illo. Videat, probet seipsum coram oculis Dei; videat si est in illo dilectio pacis et unitatis, dilectio Ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ. Non attendat eum solum diligere fratrem quem attendit ante se : multos enim non videmus fratres nostros, et in unitate Spiritus illis copulamur. Quid mirum quia nobiscum non sunt? In uno corpore sumus, unum caput habemus in cœlo. Fratres, oculi nostri non se vident, quasi non se norunt. An in charitate compaginis corporalis non norunt se? Nam, ut noveritis quia in conjunctione charitatis se norunt : quando ambo patent, non licet ut aliquid attendat dexter, quod non attendat sinister. Dirige radium dextrum sine altero, si potes. Simul coeunt, simul diriguntur; intentio una est, loca diversa sunt. Si ergo omnes qui tecum diligunt Deum, unam intentionem tecum habent, noli attendere quia corpore in loco separatus es; aciem cordis simul fixistis in lumine veritatis. Ergo si vis nosse quia accepisti Spiritum, interroga cor tuum; ne forte sacramentum habes, et virtutem sacramenti non habes[1]. Interroga cor tuum; si est ibi dilectio fratris, securus esto. Non potest esse dilectio sine Spiritu Dei : quia Paulus clamat, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

11. *Dilectissimi, nolite omni spiritui credere.* Quia dixerat, *In hoc cognoscimus quia manet in nobis de Spiritu quem dedit nobis.* Unde autem cognoscitur ipse Spiritus attendite : *Dilectissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Et quis est qui probat spiritus? Difficilem rem nobis proposuit, fratres mei : bonum est nobis ut dicat ipse unde discernamus. Dicturus est; ne formidetis : sed primo videte, attendite; videte hinc exprimi illud unde vani hæretici calumniantur. Attendite, videte quid ait, *Dilectissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* Spiritus sanctus nomine aquæ appellatus est in Evangelio, Domino clamante et dicente : *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat : qui credit in me, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus.* Evangelista autem exposuit unde diceret : secutus enim ait, *Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant qui in eum erant credituri.* Quare non multos baptizavit Dominus? Sed quid ait? *Spiritus autem nondum erat datus, quia Jesus nondum erat clarificatus* (*Joan.* VII, 37-39). Quia ergo illi Baptismum habebant, et Spiritum sanctum nondum acceperant, quem die Pentecostes misit Dominus de cœlo; ut daretur Spiritus, exspectabatur clarificatio Domini. Et antequam clarificaretur, et antequam mitteret eum, invitabat tamen homines ut se præpararent ad accipiendam aquam, de qua dixit, *Qui sitit, veniat et bibat*; et, *Qui credit in me, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus.* Quid est, *flumina aquæ vivæ?* quid est illa aqua? Nemo me interroget; Evangelium interroga. *Hoc autem dicebat*, ait, *de Spiritu quem accepturi erant hi qui in eum erant credituri.* Aliud est ergo aqua Sacramenti, aliud aqua quæ significat Spiritum Dei. Aqua Sacramenti visibilis est; aqua Spiritus invisibilis. Ista abluit corpus, et significat quod fit in anima : per illum Spiritum ipsa anima mundatur et saginatur. Ipse est Spiritus Dei, quem non possunt habere hæretici, et quicumque se ab Ecclesia præcidunt. Et quicumque non aperte præcidunt, sed per iniquitatem præcisi sunt, et intus tanquam paleæ volvuntur, et grana non sunt, non habent istum Spiritum. Iste Spiritus nomine aquæ a Domino significatus est : et audivimus ab hac Epistola, *Nolite omni spiritui credere*; et testantur verba illa Salomonis, *Ab aqua aliena abstine te.* Quid est aqua? Spiritus. Numquid semper aqua Spiritum significat? Non semper : sed quibusdam locis Spiritum significat, quibusdam locis Baptismum significat, quibusdam locis populos significat, quibusdam locis consilium significat. Habes quodam loco dictum, *Fons vitæ consilium, possidentibus eum* (*Prov.* XVI, 22). Ergo per diversa loca Scripturarum nomen aquæ diversa

[1] Er. Lugd. et Ven., *ne forte cum sacramentum habes virtutem sacramenti non habeas.* Lov. bis ferunt, *habeas.* M.

significat. Nunc tamen nomine aquæ Spiritum sanctum audistis, non ex interpretatione nostra, sed ex Evangelico testimonio, ubi ait : *Hoc autem dicebat de Spiritu quem erant accepturi hi qui in eum erant credituri.* Si ergo aquæ nomine significatur Spiritus sanctus, et dicit nobis Epistola ista, *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt;* intelligamus inde dictum esse, *Ab aqua aliena abstine te, et de fonte alieno ne biberis* (*Prov.* IX, 18, *sec.* LXX). Quid est, *de fonte alieno ne biberis?* Spiritui alieno ne credideris.

12. Restat ergo examen, unde probetur quia Spiritus Dei est. Posuit quidem signum, et hoc fortasse difficile; videamus tamen. Ad illam charitatem redituri sumus; ipsa est quæ nos docet, quia ipsa est unctio. Tamen hic quid ait? *Probate spiritus si ex Deo sunt : quia multi pseudoprophetæ exierunt in istum mundum.* Jam ibi sunt omnes hæretici et omnes schismatici. Quomodo ergo probo spiritum? Sequitur, *In hoc cognoscitur Spiritus Dei.* Erigite aures cordis. Laborabamus, et dicebamus, Quis novit? quis discernit? Ecce dicturus est signum. « In hoc cognoscitur Spiritus Dei : omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, non est ex Deo : et hic est antichristus, de quo audistis quod venturus sit; et nunc in isto mundo est. » Quasi eriguntur aures ad discernendos spiritus; et tale quiddam audivimus, unde nihilominus non discernamus. Quid enim ait? *Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est.* Ergo spiritus qui est apud hæreticos, ex Deo est; quia confitentur Jesum Christum in carne venisse? Jam hic erigunt se forte adversus nos, et dicunt : Vos non habetis spiritum ex Deo; sed nos confitemur Jesum Christum in carne venisse : iste autem illos negavit Spiritum Dei habere, qui non confitentur Jesum Christum in carne venisse. Quære ab Arianis; confitentur Jesum Christum in carne venisse : quære ab Eunomianis; confitentur Jesum Christum in carne venisse : quære a Macedonianis; confitentur Jesum Christum in carne venisse : interroga Cataphrygas; confitentur Jesum Christum in carne venisse : interroga Novatianos; confitentur Jesum Christum in carne venisse. Omnes ergo istæ hæreses Spiritum Dei habent? Non ergo pseudoprophetæ sunt? nulla est ergo ibi deceptio, nulla est ibi seductio? Certe antichristi sunt, qui ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis.

13. Quid ergo facimus? unde discernimus? Intendite; eamus simul corde, et pulsemus. Vigilat ipsa charitas, quia ipsa pulsatura est, ipsa apertura : modo intelligetis in nomine Domini nostri Jesu Christi. Jam superius audistis quia dictum est, *Qui negat Jesum Christum in carne venisse, hic est antichristus* (I *Joan.* II, 19, 22). Et ibi quæsivimus, quis neget; quia nec nos negamus, nec illi negant. Et invenimus quosdam factis negare (*Supra*, *Tract.* 3, *n.* 7-9); et adhibuimus testimonium de Apostolo, qui ait, *Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Sic ergo et modo quæramus in factis, non in lingua. Quis est spiritus qui non est ex Deo? *Qui negat Jesum Christum in carne venisse.* Et quis est spiritus qui est ex Deo? *Qui confitetur Jesum Christum in carne venisse.* Quis est qui confitetur Jesum Christum in carne venisse? Eia, fratres, opera attendamus, non strepitum linguæ. Quæramus quare venerit in carne Christus, et invenimus qui eum negant in carne venisse. Nam si linguas attendas, multas hæreses auditurus es confitentes Christum in carne venisse : sed convincit illos veritas. Quare venit Christus in carne? Nonne Deus erat? Nonne de illo scriptum est, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1)? Nonne ipse pascebat Angelos, et ipse pascit Angelos? Nonne sic huc venit, ut inde non recederet? Nonne sic ascendit, ut nos non dimitteret? Quare ergo venit in carne? Quia oportebat nobis ostendi spem resurrectionis. Deus erat, et in carne venit; Deus enim mori non poterat, caro mori poterat; ideo ergo venit in carne, ut moreretur pro nobis. Quemadmodum autem mortuus est pro nobis? *Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Id.* XV, 13). Charitas ergo illum adduxit ad carnem. Quisquis ergo non habet charitatem, negat Christum in carne venisse. Hic nunc jam interroga omnes hæreticos, Christus venit in carne? Venit; hoc credo, hoc confiteor. Imo hoc negas. Unde nego? audis quia hoc dico. Imo ego convinco quia negas. Dicis voce, negas corde; dicis verbis, negas factis. Quomodo, inquis, nego factis? Quia ideo venit in carne Christus, ut moreretur pro nobis. Ideo mortuus est pro nobis, quia charitatem multam docuit : *Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis.* Tu non habes charitatem; quia pro honore tuo dividis unitatem. Ergo hinc intelligite spiritum ex Deo. Pulsate, tangite vasa fictilia, ne forte crepuerint et male resonent : videte si integre sonant, videte si ibi est charitas. Tollis te ab unitate orbis terrarum, dividis Ecclesiam per schismata, dilanias corpus Christi. Ille venit in carne, ut colligat : tu ideo clamas, ut spargas. Ergo ipse est Spiritus Dei, qui dicit Jesum in carne venisse : qui dicit non lingua, sed factis; qui dicit non sonando, sed amando. Ille autem non est spiritus Dei, qui negat Jesum Christum in carne venisse : negat et ipse non lingua, sed vita; non verbis, sed factis. Manifestum est ergo unde cognoscamus fratres. Multi intus, quasi intus sunt; nemo autem foris, nisi vere foris.

14. Adeo ut noveritis quia ad facta retulit, *Et omnis spiritus*, ait, *qui solvit Christum, in carne venisse* [1], *non est ex Deo.* Solvere factis intelligitur. Quid tibi ostendit? qui negat; quia dixit, *solvit* [2]. Ille venit colligere, tu venis solvere. Distringere vis membra Christi. Quomodo non negas Christum in carne venisse, qui disrumpis Ecclesiam Dei, quam ille con-

[1] In Er. Lugd. et Ven. desunt verba, *in carne venisse;* licet Lov. ea in Mss. esse contendant. M.

[2] Er. Lugd. Ven. Lov. : *Quid tibi ostendit qui negat, quia dixit : solvit?* M.

gregavit? Contra Christum ergo venis; antichristus es. Intus sis, foris sis; antichristus es : sed quando intus es, lates; quando foris es, manifestaris. Solvis Jesum, et negas eum in carne venisse; non es ex Deo. Ideo dicit in Evangelio : *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic, minimus vocabitur in regno cœlorum.* Quid est, solvitur? quid est, docetur? Solvitur factis, et docetur quasi verbis. *Qui prædicas non furandum, furaris* (*Rom.* II, 21). Solvit ergo in facto qui furatur, et quasi docet sic; *minimus vocabitur in regno cœlorum*, id est, in Ecclesia hujus temporis. De illo dictum est, *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII, 3). *Qui autem fecerit, et sic docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum* (*Id.* V, 19). Ex eo quod dixit hic, *fecerit*, contra hoc ibi dixit, *solverit*, id est, non fecerit, et docuerit sic. Ille ergo solvit qui non facit. Quid nos docet, nisi ut facta interrogemus, non verba credamus? Obscuritas rerum multa nos cogit dicere : maxime ut illud quod Dominus revelare dignatur, etiam ad tardiores fratres perveniat; quia omnes Christi sanguine comparati sunt. Et vereor ne ipsa Epistola istis diebus, sicut promiseram, non finiatur : sed quod Domino placet, melius est servare reliquias, quam onerare corda nimio cibo.

TRACTATUS VII.

Ab eo quod sequitur, Jam vos ex Deo estis filioli; *usque ad id*, Deum nemo vidit unquam. *Cap.* IV, ỳ. 4-12.

1. Mundus iste omnibus fidelibus quærentibus patriam sic est, quomodo fuit eremus populo Israel. Errabant quidem adhuc, et patriam quærebant : sed duce Deo errare non poterant. Via illis fuit jussio Dei [1]. Nam ubi per quadraginta annos circumierunt, paucissimis mansionibus conficitur iter ipsum, et notum est omnibus. Tardabantur, quia exercebantur, non quia deserebantur. Quod ergo nobis promittit Deus, ineffabilis dulcedo est, et bonum, sicut Scriptura dicit, et sæpe nobis commemorantibus audistis, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*Isai.* LXIV, 4; I *Cor.* II, 9). Laboribus autem temporalibus exercemur, et tentationibus vitæ præsentis erudimur. Sed si non vultis in ista eremo siti mori, bibite charitatem. Fons est quem voluit Dominus hic ponere, ne deficiamus in via : et abundantius eum bibemus, cum ad patriam venerimus. Modo Evangelium lectum est; ut de ipsis verbis, quibus lectio terminata est dicam, quid aliud nisi de charitate audistis? Quandoquidem pactum fecimus cum Deo nostro in oratione, ut si volumus ut dimittat nobis peccata nostra, dimittamus et nos peccata quæ in nos fuerint commissa (*Matth.* VI, 12). Non autem dimittit nisi charitas. Tolle charitatem de corde; odium tenet, ignoscere non novit. Sit ibi charitas, secura ignoscit, quæ non angustatur. Epistola autem ista tota, quam suscepimus tractandam vobis, videte si aliud aliquid commendat quam ipsam unam charitatem. Nec timendum est ne sæpe dicendo in odium

[1] Sic in Mss. At in editis, *visio Dei.*

veniat. Quid enim amatur, si charitas in odium veniat? Qua charitate fit [1] ut cætera bene amentur, ipsa quomodo amanda est? Res ergo quæ nunquam debet de corde discedere, nec ab ore discedat.

2. *Jam vos*, inquit, *ex Deo estis filioli, et vicistis eum :* quem, nisi Antichristum? Superius enim dixerat, *Omnis qui solvit Jesum Christum et negat eum in carne venisse, non est ex Deo* (*Joan.* IV, 3). Exposuimus autem, si meministis, quia omnes negant Jesum Christum in carne venisse, qui violant charitatem. Jesus enim non opus erat ut veniret, nisi propter charitatem. Charitas enim nobis illa commendatur, quam et ipse in Evangelio commendat : *Majorem hac dilectionem nemo potest habere, quam ut animam suam ponat pro amicis suis* (*Id.* XV, 13). Quomodo poterat Filius Dei animam suam ponere pro nobis, nisi carne indueretur, ubi mori posset? Quisquis ergo violat charitatem, quodlibet dicat lingua, vita ipsius negat Christum in carne venisse; et iste est antichristus, ubicumque fuerit, quocumque intraverit. Sed quid dicit eis qui cives sunt illius patriæ cui suspiramus? *Vicistis eum.* Et unde vicerunt? *Quia major est qui est in vobis, quam qui in hoc mundo.* Ne victoriam suis viribus tribuerent, et arrogantia superbiæ vincerentur (quemcumque enim diabolus superbum fecerit, vincit), volens eos servare humilitatem, quid ait? *Vicistis eum.* Jam omnis homo qui audit, *Vicistis*, erigit caput, erigit cervicem, laudari se vult. Noli te extollere, vide quis in te vicit. Quare vicisti? *Quia major est qui est in vobis, quam qui in hoc mundo.* Esto humilis, porta Dominum tuum; esto jumentum sessoris tui. Bonum tibi est ut ipse regat, et ipse ducat. Nam si ipsum sessorem non habueris, cervicem erigere potes, calces potes mittere : sed væ tibi sine rectore; quia libertas ista in bestias te mittit comedendum.

3. *Hi de mundo sunt.* Qui? Antichristi. Jam audistis qui sint. Et si non estis, cognoscitis eos : quisquis autem hoc est, non cognoscit. *Hi de mundo sunt : ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit.* Qui sunt qui de mundo loquuntur? Attendite qui [2] contra charitatem. Ecce audistis Dominum dicentem, *Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis et Pater vester cœlestis peccata vestra : si autem non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra* (*Matth.* VI, 14, 15). Sententia est veritatis : aut si non veritas loquitur, contradic. Si christianus es, et credis Christo, ipse dixit, *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Sententia ista vera est, firma est. Jam audi homines de mundo loquentes. Et non te vindicaturus es, et dicturus est ille quia fecit tibi? Imo sentias quia cum viro habet [3]. Quotidie dicuntur ista. De mundo loquuntur qui ista dicunt; et mundus eos audit. Nec dicunt ista nisi qui diligunt mundum; neque audiuntur ista nisi ab his qui diligunt mundum. Et qui diligit mundum, et negligit charitatem, audistis quia negat Jesum in carne venisse. Aut si fecit illud in carne ipse Dominus? Si

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *Quia charitate fit.* M.
[2] Sic duo Mss. At alii cum editis omittunt, *qui.*
[3] Er., *rem habet.* Lov. verbum, *rem*, non in Mss. legi affirmant. M.

cum expalmaretur, voluit se vindicari? Si cum in cruce penderet, non dixit, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Si autem non minabatur qui potestatem habebat; tu quid minaris, quid sufflas [1] in potestate aliena constitutus? Ille quia voluit mortuus est, et non minabatur; tu nescis quando morieris, et minaris?

4. *Nos ex Deo sumus.* Videamus quare: videte si propter aliud quam propter charitatem. *Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non nos audit. Ex hoc cognoscimus spiritum veritatis et erroris.* Quia qui audit nos, spiritum habet veritatis: qui non audit nos, spiritum habet erroris. Videamus quid monet, et audiamus eum potius in spiritu veritatis monentem; non antichristos, non amatores mundi, non mundum: si ex Deo nati sumus, *Dilectissimi*, sequitur supra, videte quid: *Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non nos audit. Ex hoc cognoscitur spiritus veritatis et erroris.* Jam ergo intentos nos fecit: quia qui novit Deum, ipse audit; qui autem non novit, non audit: et hæc discretio est spiritus veritatis et erroris. Videamus quid moniturus est, in quo illum audire debeamus. *Dilectissimi, diligamus invicem.* Quare? quia homo monet? *Quia dilectio ex Deo est.* Multum commendavit dilectionem, quia dixit *ex Deo est:* plus dicturus est, intente audiamus. Modo dixit, *Dilectio ex Deo est: et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognovit Deum. Qui non diligit, non novit Deum.* Quare? *Quia Deus dilectio est.* Quid amplius dici potuit, fratres? Si nihil de laude dilectionis diceretur per omnes istas paginas hujus Epistolæ, si nihil omnino per cæteras paginas Scripturarum, et hoc solum unum audiremus de voce Spiritus Dei, *Quia Deus dilectio est;* nihil amplius quærere deberemus.

5. Jam videte quia facere contra dilectionem, facere contra Deum est. Nemo dicat: In hominem pecco, quando non diligo fratrem meum (intendite); et facile est peccatum in hominem, in Deum solum non peccem. Quomodo non peccas in Deum, quando in dilectionem peccas? *Deus dilectio est.* Numquid nos dicimus? Si nos diceremus, *Deus dilectio est;* forte scandalizaretur aliquis ex vobis, et diceret. Quid dixit? quid voluit dicere, quia *Deus dilectio est?* Dedit dilectionem Deus, donavit Deus dilectionem. *Ex Deo est dilectio: Deus dilectio est.* Ecce habetis, fratres, Scripturas Dei: canonica est ista Epistola; per omnes gentes recitatur, orbis terræ auctoritate retinetur, orbem terrarum ipsa ædificavit. Audis hic ab Spiritu Dei, *Deus dilectio est.* Jam si audes, fac contra Deum, et noli diligere fratrem tuum.

6. Quomodo ergo jamdudum, *Dilectio ex Deo est;* et modo, *Dilectio Deus est?* Est enim Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus: Filius, Deus ex Deo; Spiritus sanctus, Deus ex Deo; et hi tres unus Deus, non tres dii. Si Filius Deus, et Spiritus sanctus Deus, et ille diligit in quo habitat Spiritus sanctus: ergo dilectio Deus est; sed Deus quia ex Deo. Utrumque enim habes in Epistola; et, *Dilectio ex Deo est*, et, *Dilectio Deus est.* De solo Patre Scriptura non novit dicere quia ex Deo est. Cum autem audis, *ex Deo;* aut Filius intelligitur, aut Spiritus sanctus. Quia vero dicit Apostolus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* (*Rom.* V, 5); intelligamus in dilectione Spiritum sanctum esse. Ipse est enim Spiritus sanctus, quem non possunt accipere mali; ipse est ille fons de quo dicit Scriptura, *Fons aquæ tuæ sit tibi proprius, et nemo alienus communicet tibi* (*Prov.* V, 16, 17). Omnes enim qui non diligunt Deum, alieni sunt, antichristi sunt. Et quamvis intrent basilicas, non possunt numerari inter filios Dei; non ad illos pertinet fons ille vitæ. Habere Baptismum et malus potest; habere prophetiam et malus potest. Invenimus Saülem regem habuisse prophetiam: persequebatur sanctum David, et impletus est Spiritu prophetiæ, et prophetare cœpit (I *Reg.* XIX). Accipere Sacramentum corporis et sanguinis Domini et malus potest: nam de talibus dictum est, *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (I *Cor.* XI, 29). Habere nomen Christi et malus potest; id est, christianus vocari et malus potest: de quibus dictum est, *Polluebant nomen Dei sui* (*Ezech.* XXXVI, 20). Ergo habere sacramenta ista omnia et malus potest; habere autem charitatem, et malus esse, non potest. Hoc est ergo proprium donum; ipse est singularis fons. Ad hunc bibendum, vos hortatur Spiritus Dei; ad se bibendum vos hortatur Spiritus Dei.

7. *In hoc manifestata est dilectio Dei in nobis.* Ecce, ut diligamus Deum, hortationem habemus. Possemus illum diligere, nisi prior ille diligeret? Si pigri eramus ad amandum, non simus pigri ad redamandum. Prior amavit nos; nec sic nos amamus. Iniquos amavit, sed iniquitatem solvit: iniquos amavit, sed non ad iniquitatem congregavit. Ægrotos amavit, sed sanandos visitavit. *Deus* ergo *dilectio est. In hoc manifestata est dilectio Dei in nobis, quia Filium suum unigenitum misit in hunc mundum, ut vivamus per ipsum.* Quomodo ipse Dominus ait, *Majorem dilectionem nemo potest habere, quam ut animam suam ponat pro amicis suis;* et ibi probata est dilectio Christi in nos, quia mortuus est pro nobis. Dilectio Patris unde probata est in nos? Quia Filium suum unicum misit mori pro nobis: sic et Paulus apostolus dicit, *Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, quomodo non et cum illo omnia nobis donavit* (*Rom.* VIII, 32)? Ecce Christum tradidit Pater, tradidit Judas; numquid non quasi simile factum videtur? Traditor est Judas: ergo traditor est et Deus Pater? Absit, inquis. Non dico, sed Apostolus dicit: *Qui Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum.* Et Pater illum tradidit, et ipse se tradidit. Ait idem apostolus: *Qui me dilexit, et tradidit seipsum pro me* (*Galat.* II, 20). Si Pater tradidit Filium, et tradidit seipsum Filius, Judas quid fecit? Facta est traditio a Patre, facta est traditio a Filio, facta est traditio a Juda; una res facta est: sed quæ

[1] Lov., *inflaris.* At Mss. cum Am. et Er., *sufflas.*

res discernit Patrem tradentem Filium, seipsum Filium tradentem, et Judam discipulum tradentem magistrum suum? Quia hoc fecit Pater et Filius in charitate; fecit autem hoc Judas in proditione. Videtis quia non quid faciat homo, considerandum est; sed quo animo et voluntate faciat. In eodem facto invenimus Deum Patrem, in quo invenimus Judam; Patrem benedicimus, Judam detestamur. Quare Patrem benedicimus, Judam detestamur? Benedicimus charitatem, detestamur iniquitatem. Quantum enim præstitum est generi humano de tradito Christo? Numquid hoc cogitavit Judas ut traderet? Deus cogitavit salutem nostram qua redempti sumus; Judas cogitavit pretium quo vendidit Dominum. Filius ipse cogitavit pretium quod dedit pro nobis; Judas cogitavit pretium quod accepit ut venderet. Diversa ergo intentio diversa facta fecit. Cum sit una res, ex diversis eam intentionibus si metiamur, unum amandum, alterum damnandum; unum glorificandum, alterum detestandum invenimus. Tantum valet charitas. Videte quia sola discernit, videte quia facta hominum sola distinguit.

8. Hoc diximus in similibus factis. In diversis factis, invenimus sævientem hominem factum de charitate; et blandum factum de iniquitate. Puerum cædit pater, et mango blanditur. Si duas res proponas, plagas et blandimenta; quis non eligat blandimenta, et fugiat plagas? Si personas attendas, charitas cædit, blanditur iniquitas. Videte quid commendamus, quia non discernuntur facta hominum, nisi de radice charitatis. Nam multa fieri possunt quæ speciem habent bonam, et non procedunt de radice charitatis. Habent enim et spinæ flores: quædam vero videntur aspera, videntur truculenta; sed fiunt ad disciplinam dictante charitate. Semel ergo breve præceptum tibi præcipitur, Dilige, et quod vis fac: sive taceas, dilectione taceas; sive clames, dilectione clames [1]; sive emendes, dilectione emendes; sive parcas, dilectione parcas: radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum existere.

9. *In hoc est dilectio. In hoc manifestata est dilectio Dei in nobis, quia Deus Filium suum misit unigenitum in hunc mundum, ut vivamus per ipsum. In hoc est dilectio, non quia nos dileximus, sed quia ipse dilexit nos.* Non illum dileximus prius: nam ad hoc nos dilexit, ut diligamus eum. *Et misit Filium suum litatorem pro peccatis nostris:* litatorem, sacrificatorem. Sacrificavit [2] pro peccatis nostris. Ubi invenit hostiam? ubi invenit victimam quam puram volebat offerre? Aliud non invenit, seipsum obtulit. *Dilectissimi, si ita Deus dilexit nos, debemus et nos invicem diligere. Petre,* inquit, *amas me?* Et ille dixit: *Amo. Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 15-17).

10. *Deum nemo vidit unquam:* res est invisibilis; non oculo, sed corde quærendus est. Sed quemadmodum si solem istum videre vellemus, oculum corporis purgaremus, unde videri lux potest; volentes videre Deum, oculum quo Deus videri potest, purgemus. Ubi est iste oculus? Audi Evangelium: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8). Sed nemo sibi pro concupiscentia oculorum cogitet Deum. Facit enim sibi aut ingentem formam, aut magnitudinem aliquam inæstimabilem distendit per locos, velut lucem istam quam videt his oculis, auget per campos quantum potest; aut facit sibi aliquem quasi venerabilis formæ senem. Nihil horum cogites. Est quod cogites, si vis videre Deum: *Deus Dilectio est.* Qualem faciem habet dilectio? qualem formam habet? qualem staturam habet? quales pedes habet? quales manus habet? Nemo potest dicere. Habet tamen pedes; nam ipsi ducunt ad Ecclesiam: habet manus; nam ipsæ pauperi porrigunt: habet oculos; nam inde intelligitur ille qui eget: *Beatus,* inquit, *qui intelligit super egenum et pauperem* (*Psal.* XL, 2). Habet aures, de quibus dicit Dominus, *Qui habet aures audiendi, audiat* (*Luc.* VIII, 8). Non sunt membra distincta per locos, sed intellectu totum simul videt qui habet charitatem. Habita, et inhabitaberis; mane, et manebitur in te. Quid enim, fratres mei, quis amat quod non videt? Quare autem quando laudatur charitas, erigimini, acclamatis, laudatis? Quid vobis ostendi? aliquos colores protuli? aurum et argentum proposui? gemmas de thesauris effodi? Quid tale ostendi oculis vestris? numquid facies mea mutata est cum loquor? Carnem gero, in ipsa forma sum in qua processi, in ipsa forma estis in qua venistis; laudatur charitas, et clamatis. Certe nihil videtis. Sed quomodo vobis placet quando laudatis, sic vobis placeat ut in corde servetis. Intendite enim quid dicam, fratres; exhortor vos, quantum dat Dominus, ad magnum thesaurum. Si vobis ostenderetur aliquod vasculum anaglyphum, inauratum, operose factum, et illiceret oculos vestros, et duceret in se intentionem cordis vestri, et placeret vobis manus artificis, et pondus argenti, et splendor metalli; nonne unusquisque vestrum diceret, O si haberem vasculum istud? Et sine causa diceretis, in potestate enim vestra non erat. Aut si quisquam vellet habere, cogitaret illud de domo aliena furari. Laudatur charitas vobis; si placet, habete, possidete: non opus est ut furtum alicui faciatis, non opus est ut emere cogitetis; gratis constat. Tenete eam, amplectimini eam; dulcius illa nihil est. Si cum commemoratur talis est, cum habetur qualis est?

11. Si qui forte vultis servare charitatem, fratres, ante omnia ne putetis abjectam et desidiosam; nec quadam mansuetudine, imo non mansuetudine, sed remissione et negligentia servari charitatem. Non sic servatur. Non putes tunc te amare servum tuum, quando eum non cædis; aut tunc te amare filium tuum, quando ei non das disciplinam; aut tunc te amare vicinum tuum, quando eum non corripis: non est ista charitas, sed languor. Ferveat charitas ad corrigendum, ad emendandum: sed si sunt boni

[1] Plerique Mss.: *sive taces, dilectione taces; sive clamas, dilectione clamas.* Et sic constanter habent, *emendas, parcis.*

[2] Lov., *sacrificatorem significavit.* M.

mores, delectent; si sunt mali, emendentur, corrigantur. Noli in homine amare errorem, sed hominem: hominem enim Deus fecit, errorem ipse homo fecit. Ama illud quod Deus fecit, noli amare quod ipse homo fecit. Cum illud amas, illud tollis: cum illud diligis, illud emendas. Sed etsi sævis aliquando, propter correctionis dilectionem. Propterea de columba demonstrata est charitas, quæ venit super Dominum (*Matth.* III, 16). Species illa columbæ [1], in qua specie venit Spiritus sanctus quo nobis charitas infunderetur. Quare hoc? Fel columba non habet: tamen rostro et pennis pro nido pugnat, sine amaritudine sævit. Hoc facit et pater; quando filium castigat, ad disciplinam castigat. Sicut dixi, seductor ut vendat, cum amaritudine blanditur: pater ut corrigat, sine felle castigat. Tales estote ad omnes. Videte, fratres, magnum documentum, magnam regulam: Unusquisque habet filios, aut habere vult; aut si omnino decrevit filios non habere carnaliter, vel spiritualiter cupit habere: quis est qui non corrigit filium suum? quis est cui non det disciplinam pater (*Hebr.* XII, 7)? Et tamen sævire videtur. Amor sævit, charitas sævit: sævit quodam modo sine felle, more columbino, non corvino. Unde venit in mentem, fratres mei, dicere vobis quia illi violatores charitatis schisma fecerunt: quomodo oderunt ipsam charitatem, sic oderunt et columbam. Sed convincit illos columba: procedit de cœlo, aperiuntur cœli, et manet super caput Domini. Utquid hoc? Ut audiat, *Hic est qui baptizat* (*Joan.* I, 33). Recedite, prædones; recedite, invasores possessionis Christi. In possessionibus vestris, ubi dominari vultis, titulos potentis ausi estis infigere. Cognoscit ille titulos suos; vindicat sibi possessionem suam: non delet titulos, sed intrat et possidet. Sic ad Catholicam venienti, non deletur Baptismus, ne titulus imperatoris deleatur. Sed quid fit in Catholica? Agnoscitur titulus; intrat possessor sub titulis suis, quo intrabat prædo sub titulis alienis.

TRACTATUS VIII.

De eo quod sequitur, Si diligamus invicem, Deus in nobis manebit; *usque ad id*, Deus dilectio est; et qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus in eo. *Cap.* IV, ℣. 12-16.

1. Dilectio dulce verbum, sed dulcius factum. Semper de illa loqui non possumus. Multa enim agimus, et diversæ actiones distendunt nos, ut non vacet linguæ nostræ semper de dilectione loqui: nam nihil melius ageret lingua nostra. Sed de qua semper loqui non licet, semper eam custodire licet. Sicut nunc quod cantamus, Alleluia, numquid semper hoc facimus? Vix unius horæ non toto spatio, sed parva particula cantamus, Alleluia; et vacamus ad aliud [2]. Est autem Alleluia, sicut jam nostis, Laudate Deum. Qui Deum laudat lingua, non semper potest: qui moribus Deum laudat, semper potest. Opera misericordiæ, affectus charitatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, semper hæc tenenda sunt: sive cum in publico sumus, sive cum in domo, sive cum ante homines, sive cum in cubiculo, sive loquentes, sive tacentes, sive aliquid agentes, sive vacantes; semper hæc tenenda sunt; quia intus sunt omnes istæ virtutes quas nominavi. Quis autem sufficit omnes nominare? Quasi exercitus est imperatoris, qui sedet intus in mente tua. Quomodo enim imperator per exercitum suum agit quodque placet [1]; sic Dominus Jesus Christus incipiens habitare in interiore homine nostro, id est in mente per fidem (*Ephes.* III, 17), utitur istis virtutibus quasi ministris suis. Et per has virtutes quæ videri oculis non possunt, et tamen quando nominantur, laudantur: non autem laudarentur nisi amarentur, non amarentur nisi viderentur; et si utique non amarentur nisi viderentur, alio oculo videntur, id est, interiori cordis aspectu: per has virtutes invisibiles, moventur membra visibiliter: pedes ad ambulandum; sed quo? Quo moverit bona voluntas, quæ militat bono imperatori. Manus ad operandum; sed quid? Quod jusserit charitas, quæ inspirata est intus a Spiritu sancto. Membra ergo videntur cum moventur; qui jubet intus, non videtur. Et quis intus jubeat, prope ipse solus novit qui jubet, et ille intus cui jubetur.

2. Namque, fratres, audistis modo, cum Evangelium legeretur; certe si aurem ibi non tantum corporis, sed et cordis habuistis. Quid ait? *Cavete facere justitiam vestram coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Matth.* VI, 1). Numquid hoc voluit dicere, ut quæcumque bona facimus, abscondamus ab oculis hominum, et timeamus videri? Si times spectatores, non habebis imitatores: debes ergo videri. Sed non ad hoc debes facere ut videaris. Non ibi debet esse finis gaudii tui, non ibi terminus lætitiæ tuæ, ut putes te totum fructum consecutum esse boni operis tui, cum visus fueris atque laudatus. Nihil est hoc. Contemne te cum laudaris: ille in te laudetur, qui per te operatur. Noli ergo ad laudem tuam operari quod bonum agis, sed ad laudem illius a quo habes ut bonum agas. Abs te habes male agere, a Deo habes bene agere. Contra perversi homines videte quam præposteri sint. Quod faciunt bene, volunt sibi tribuere: si male faciunt, Deum volunt accusare. Converte hoc distortum nescio quid et præposterum, faciens illud quodammodo capite deorsum: quod susum [2], faciens jusum; quod deorsum, faciens sursum. Jusum vis facere Deum, et te susum? Præcipitaris, non elevaris: ille enim semper sursum est. Quid ergo? tu bene, et Deus male? Imo hoc dic, si vis verius dicere, Ego male, ille bene; et quod ego bene, ab illo bene: nam a me quidquid ago male. Ista confessio firmat cor, et facit

[illegible]

[1] Lov., *columbæ est.* M[illegible]

[2] In uno Ms., *et vocamur ad aliud.*

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. *quod ei placet.*

[2] Aliquot Mss. pro, *quod susum*; habent, *quod sursum*: et mox, *faciens deorsum*; pro, *faciens jusum.* Sic sonare barbaras illas voces constare ex antithesi poterat, necnon eo ex loco Tract. 10, n. 8: « Susum me honoras, jusum me calcas. »

dilectionis fundamentum. Nam si opera nostra abscondere debemus bona, ne videantur ab hominibus; ubi est illa sententia Domini in eo sermone quem habuit in monte? Ubi hoc dixit, ibi et illud paulo ante dixit: *Luceant opera vestra bona coram hominibus*. Et non ibi cessavit, non ibi finem fecit; sed addidit, *Et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16). Et Apostolus quid ait? *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ in Christo sunt: tantum autem audientes erant quia qui nos aliquando persequebatur, nunc evangelizat fidem quam aliquando vastabat; et in me magnificabant Deum* (*Galat.* I, 22-24). Videte quemadmodum et ipse, quia sic innotuit, finem non posuerit in laudem suam, sed in laudem Dei. Et quantum ad ipsum pertinet, vastator Ecclesiæ, persecutor invidus, malignus, ipse confitetur, non nos conviciamur. Amat Paulus dici a nobis peccata sua, ut glorificetur ille qui talem morbum sanavit. Magnitudinem enim vulneris manus medici secuit, et sanavit. Vox illa de cœlo prostravit persecutorem, et erexit prædicatorem; occidit Saulum, et vivificavit Paulum (*Act.* IX). Saül enim persecutor erat sancti viri (I *Reg.* XIX); inde nomen habebat iste quando persequebatur Christianos: postea de Saulo factus est Paulus (*Act.* XIII, 9). Quid est Paulus? Modicus. Ergo quando Saulus, superbus, elatus: quando Paulus, humilis, modicus. Ideo sic loquimur, Paulo post videbo te, id est, post modicum. Audi quia modicus factus est: *Ego enim sum minimus Apostolorum* (I *Cor.* XV, 9); et, *Mihi minimo omnium sanctorum*, dicit alio loco (*Ephes.* III, 8). Sic erat inter Apostolos tanquam fimbria vestimenti: sed tetigit Ecclesia Gentium tanquam fluxum patiens, et sanata est (*Matth.* IX, 20-22).

3. Ergo, fratres, hoc dixerim, hoc dico, hoc si possem non tacerem: opera modo illa sint in vobis, modo illa, pro tempore, pro horis, pro diebus. Numquid semper loqui? numquid semper tacere? numquid semper reficere corpus? numquid semper jejunare? numquid semper panem dare egenti? numquid semper nudum vestire? numquid semper ægrotos visitare? numquid semper discordantes concordare? numquid semper mortuos sepelire? Modo illud, modo illud. Inchoantur ista, et cessant: ille autem imperator, nec inchoatur, nec cessare debet. Charitas intus non intermittatur: officia charitatis pro tempore exhibeantur. *Charitas* ergo, sicut scriptum est, *fraterna permaneat* (*Hebr.* XIII, 1).

4. Fortassis autem moverit aliquos vestrum, ex quo istam Epistolam beati Joannis tractamus vobis, quare non commendaverit maxime nisi fraternam charitatem. *Qui diligit fratrem* (I *Joan.* II, 10), dicit; et, *Præceptum nobis est datum, ut diligamus invicem* (*Id.* III, 23). Assidue nominavit charitatem fraternam: Dei autem charitatem, id est qua debemus diligere Deum, non tam assidue nominavit; sed tamen non omnino tacuit. De inimici vero dilectione prorsus tacuit prope per totam ipsam Epistolam. Cum vehementer nobis prædicet, commendetque charitatem, non nobis dicit ut diligamus inimicos; sed dicit nobis ut fratres diligamus. Modo vero cum Evangelium legeretur, audivimus, *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt* (*Matth.* v, 46)? Quid est igitur quod pro magno nobis ad perfectionem quamdam fraternam dilectionem commendat Joannes apostolus; Dominus autem dicit non nobis sufficere ut fratres diligamus, sed debere nos extendere ipsam dilectionem, ut perveniamus ad inimicos? Qui usque ad inimicos pervenit, non transilit [1] fratres. Necesse est sicut ignis, prius occupet proxima, et sic se in longinquiora distendat. Propinquior est tibi frater quam nescio quis homo. Rursus tibi magis adhæret ille quem non noveras, qui tibi tamen non adversatur, quam inimicus qui etiam adversatur. Extende dilectionem in proximos, nec voces illam extensionem. Prope enim te diligis, qui eos diligis qui tibi adhærent. Extende ad ignotos, qui tibi nihil mali fecerunt. Transcende et ipsos; perveni, ut diligas inimicos. Hoc certe Dominus jubet. Quare iste tacuit de dilectione inimici?

5. Omnis dilectio, sive quæ carnalis dicitur, quæ non dilectio, sed magis amor dici solet (dilectionis enim nomen magis solet in melioribus rebus dici, in melioribus accipi): tamen omnis dilectio, fratres charissimi, utique benevolentiam quamdam habet erga eos qui diliguntur. Non enim sic debemus diligere homines, aut sic possumus diligere, vel amare; hoc enim verbo etiam usus est Dominus cum diceret, *Petre, amas me* (*Joan.* XXI, 17)? non sic debemus amare homines, quomodo audimus gulosos dicere, Amo turdos. Quæris quare? Ut occidat, et consumat. Et amare se dicit, et ad hoc illos amat ut non sint, ad hoc amat ut perimat. Et quidquid ad cibandum amamus, ad hoc amamus, ut illud consumatur, et nos reficiamur. Numquid sic amandi sunt homines, tanquam consumendi? Sed amicitia quædam benevolentiæ est [2], ut aliquando præstemus eis quos amamus. Quid, si non sit quod præstemus? Sola benevolentia sufficit amanti. Non enim optare debemus esse miseros, ut possimus exercere opera misericordiæ. Das panem esurienti: sed melius nemo esuriret, et nulli dares. Vestis nudum: utinam omnes vestiti essent, et non esset ista necessitas! Sepelis mortuum: utinam veniat aliquando illa vita ubi nemo moriatur! Concordas litigantes: utinam aliquando sit pax illa æterna Jerusalem, ubi nemo discordet! Hæc enim omnia officia necessitatum sunt. Tolle miseros; cessabunt opera misericordiæ. Opera misericordiæ cessabunt; numquid ardor charitatis exstinguetur? Germanius amas felicem hominem, cui non habes quod præstes; purior ille amor erit, multoque sincerior. Nam si præstiteris misero, fortassis extollere te cupis adversus eum, et eum tibi vis esse subjectum, qui auctor est tui beneficii [3]. Ille indiguit, tu impertitus es; quasi major videris quia tu præstitisti, quam

[1] Er., *transibit*. M.

[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *sed amicitia quadam benevolentiæ, ut*. M.

[3] Septem Mss., *quia auctor es tui beneficii*. Alii tres, *quia auctor es tu beneficii*.

ille cui præstitum est. Opta æqualem, ut ambo sub uno sitis cui nihil præstari potest.

6. Nam in hoc excessit modum superba anima, et quodammodo, avara fuit; quia *radix omnium malorum avaritia* (*Tim.* VI, 10). Et item dictum est, *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* X, 15). Et quærimus aliquando quomodo sibi concordent istæ duæ sententiæ: *Radix omnium malorum avaritia*; et, *Initium omnis peccati superbia.* Si initium omnis peccati superbia, radix omnium malorum superbia est. Certe radix omnium malorum avaritia est: invenimus et in superbia avaritiam esse; excessit enim modum homo. Quid est avarum esse? Progredi ultra quam sufficit. Adam superbia cecidit: *Initium omnis peccati superbia,* inquit. Numquid avaritia? Quid avarius illo, cui Deus sufficere non potuit? Ergo, fratres, legimus quemadmodum factus sit homo ad imaginem et similitudinem Dei: et quid de illo dixit Deus? *Et habeat potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum quæ repunt super terram* (*Gen.* I, 26). Numquid dixit, Habeat potestatem hominum? *Habeat potestatem,* ait: dedit potestatem naturalem. Quorum habeat potestatem? *Piscium maris, volatilium cœli, et omnium repentium quæ repunt super terram.* Quare hæc est naturalis potestas hominis in ista? Quia homo ex eo habet potestatem, ex quo factus est ad imaginem Dei. Ubi autem factus est ad imaginem Dei? In intellectu, in mente, in interiore homine; in eo quod intelligit veritatem, dijudicat justitiam et injustitiam, novit a quo factus est, potest intelligere creatorem suum, laudare creatorem suum. Habet hanc intelligentiam, qui habet prudentiam. Ideo multi cum per cupiditates malas detererent in se imaginem Dei, et ipsam quodammodo flammam intelligentiæ perversitate morum exstinguerent; clamabat illis Scriptura, *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9). Hoc est dicere, Præposui te equo et mulo; te ad imaginem meam feci, potestatem tibi super ista dedi. Quare? Quia non habent feræ rationalem mentem: tu autem rationali mente capis veritatem, intelligis quod supra te est; subdere ei qui supra te est, et infra te erunt illa quibus præpositus es. Quia vero per peccatum homo deseruit eum sub quo esse debuit, subditur eis supra quæ esse debuit.

7. Intendite quid dicam: Deus, homo, pecora: verbi gratia, supra te Deus; infra te pecora. Agnosce eum qui supra te est, ut agnoscant te quæ infra te sunt. Ideoque cum Daniel agnovisset supra se Deum, agnoverunt illum supra se leones (*Dan.* VI, 22). Si autem non agnoscis illum qui supra te est, superiorem contemnis, subderis inferiori. Propterea superbia Ægyptiorum unde domita est? De ranis et muscis (*Exod.* VIII). Poterat Deus et leones mittere, sed aliquis magnus leone terrendus est. Quanto illi erant superbiores, tanto de rebus contemptibilibus et abjectis fracta est eorum cervix mala. Sed Danielem agnoverunt leones, quia ille subditus Deo erat. Quid? martyres qui ad bestias pugnaverunt, et ferarum morsibus lacerati sunt, non erant sub Deo? Aut erant servi Dei tres viri, et non erant servi Dei Machabæi? Agnovit ignis servos Dei tres viros, quos non ussit, quorum nec vestimenta corrupit (*Dan.* III, 50); et non agnovit Machabæos? Agnovit Machabæos; agnovit, fratres et istos (II *Machab.* VII). Sed opus erat quodam flagello, permittente Domino, qui dixit in Scriptura, *Flagellat omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Putatis enim, fratres, quia ferrum transverberaret viscera Domini, nisi ipse permitteret; aut hæreret in ligno, nisi ipse voluisset? Non eum agnovit creatura sua? An exemplum patientiæ proposuit fidelibus suis? Ideo Deus quosdam liberavit visibiliter, quosdam non liberavit visibiliter: omnes tamen spiritualiter liberavit, spiritualiter neminem deseruit. Visibiliter quosdam visus est deseruisse, quosdam visus est eripuisse. Ideo quosdam eripuit, ne putes illum non potuisse eripere. Testimonium dedit quia potest, ut ubi non facit, secretiorem intelligas voluntatem, non suspiceris difficultatem. Sed quid, fratres? Cum evaserimus omnes istos mortalitatis laqueos, cum transierint tempora tentationis, cum sæculi hujus fluvius decucurrerit et receperimus illam stolam primam, immortalitatem illam quam peccando perdidimus, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, id est, caro ista induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* XV, 53, 54); jam perfectos filios Dei, ubi non opus est tentari, nec flagellari, agnoscet omnis creatura: subdita nobis erunt omnia, si nos hic subditi sumus Deo.

8. Sic ergo debet esse christianus, ut non glorietur super alios homines. Dedit enim tibi Deus esse super bestias, id est, meliorem esse quam bestias. Hoc naturale habes; semper melior eris quam bestia. Si vis melior esse quam alius homo, invidebis ei quando tibi esse videbis æqualem. Debes velle omnes homines æquales tibi esse; et si viceris aliquem per prudentiam, optare debes ut sit et ipse prudens. Quamdiu tardus est, discit a te; quamdiu indoctus est, indiget tui; et tu videris doctor, ille autem discens: tu ergo superior, quia doctor es; ille inferior, quia discens. Nisi illum optes æqualem, semper vis habere discentem. Si autem vis semper habere discentem, invidus eris doctor. Si invidus doctor, quomodo eris doctor? Rogo te, noli docere ipsum invidentiam tuam. Audi Apostolum dicentem de visceribus charitatis: *Vellem omnes homines esse sicut meipsum* (*Id.* VII, 7). Quomodo volebat omnes esse æquales? Ideo erat omnibus superior, quia charitate optabat omnes æquales. Excessit ergo homo modum; avarior voluit esse, ut supra homines esset, qui supra pecora factus est: et ipsa est superbia.

9. Et videte quanta opera faciat superbia; ponite in corde quam similia facit, et quasi paria charitati. Pascit esurientem charitas, pascit et superbia: charitas, ut Deus laudetur; superbia, ut ipsa laudetur. Vestit nudum charitas, vestit et superbia; jejunat charitas, jejunat et superbia; sepelit mortuos charitas, sepelit et superbia. Omnia opera bona quæ vult facere charitas et facit, agitat contra superbia, et quasi

ducit equos suos. Sed interior est charitas : tollit locum male agitatæ superbiæ; non male agitanti, sed male agitatæ. Væ homini cujus auriga superbia est, necesse est enim ut preceps eat. Ut autem non sit superbia quæ agitet facta bona, quis novit? quis videt? ubi est hoc? Opera videmus : pascit misericordia, pascit et superbia; hospitem suscipit misericordia, hospitem suscipit et superbia; intercedit pro paupere misericordia, intercedit et superbia. Quid est hoc? In operibus non discernimus. Audeo aliquid dicere, sed non ego; Paulus dixit : moritur charitas, id est, homo habens charitatem, confitetur nomen Christi, ducit martyrium; confitetur et superbia, ducit et martyrium. Ille habet charitatem, ille non habet charitatem. Sed audiat ab Apostolo ille qui non habet charitatem : *Si distribuero omnia mea pauperibus, et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (I *Cor.* XIII, 3). Ergo Scriptura divina intro nos revocat a jactatione hujus faciei forinsecus; et ab ista superficie quæ jactatur ante homines, revocat nos intro. Redi ad conscientiam tuam, ipsam interroga. Noli attendere quod floret foris, sed quæ radix est in terra. Radicata est cupiditas? species potest esse bonorum factorum, vere opera bona esse non possunt. Radicata est charitas? securus esto, nihil mali procedere potest. Blanditur superbus, sævit amor. Ille vestit, ille cædit. Ille enim vestit [1] ut placeat hominibus : ille cædit ut corrigat disciplina. Accipitur magis plaga charitatis, quam eleemosyna superbiæ. Redite ergo intro, fratres; et in omnibus quæcumque facitis, intuemini testem Deum. Videte, si ille videt, quo animo faciatis. Si cor vestrum non vos accusat, quia jactantiæ causa facitis; bene, securi estote. Nolite autem timere quando facitis bene, ne videat alter. Time ne propterea facias, ut tu lauderis : nam videat alter, ut Deus laudetur. Si enim abscondis ab oculis hominis; abscondis ab imitatione hominis, laudem subtrahis Deo. Duo sunt quibus eleemosynam facis : duo esuriunt; unus panem, alter justitiam. Inter duos istos famelicos, quia dictum est, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (*Matth.* v, 6) : inter duos istos famelicos, bonus operator constitutus es; si charitas de illo operatur, ambos miseratur, ambobus vult subvenire. Ille enim quærit quod manducet, ille quærit quod imitetur. Pascis istum, præbe [2] te isti ; ambobus dedisti eleemosynam : illum fecisti gratulatorem de fame interfecta; hunc fecisti imitatorem de exemplo proposito.

10. Miseremini ergo tanquam misericordes; quia in eo etiam quod diligitis inimicos, fratres diligitis. Ne putetis Joannem nihil de dilectione inimici præcepisse; quia de fraterna charitate non tacuit : fratres diligitis. Quomodo, inquis, fratres diligimus? Quæro quare diligas inimicum : quare illum diligis? Ut sanus sit in hac vita? quid, si non illi expedit? Ut dives sit? quid, si ipsis divitiis excæcabitur? Ut uxorem ducat? quid, si amaram vitam inde patietur? Ut filios habeat? quid, si mali erunt? Incerta sunt ergo ista quæ videris optare inimico tuo, quia diligis eum; incerta sunt. Opta illi ut habeat tecum vitam æternam; opta illi ut sit frater tuus. Si ergo hoc optas, diligendo inimicum, ut sit frater tuus; cum eum diligis, fratrem diligis. Non enim amas in illo quod est; sed quod vis ut sit. Dixeram aliquando Charitati vestræ, nisi fallor : Robur est ligni positum ante oculos; faber optimus vidit lignum non dolatum, de silva præcisum, adamavit : nescio quid inde vult facere. Non enim ad hoc amavit, ut semper sic maneat. In arte vidit quod futurum est, non in amore quod est; et amavit quod inde facturus est, non illud quod est. Sic et nos Deus amavit peccatores. Dicimus quia Deus amavit peccatores : ait enim, *Non est opus sanis medicus, sed male habentibus* (*Matth.* IX, 12). Numquid ad hoc amavit peccatores, ut peccatores remaneremus? Quasi lignum de silva vidit nos faber, et cogitavit ædificium quod inde facturus est, non silvam quod erat. Sic et tu respicis inimicum tuum adversantem, sævientem, mordentem verbis, exasperantem contumeliis, insectantem odiis; attendis ibi quia homo est. Vides ista omnia quæ adversa sunt ab homine facta; et vides in illo quod a Deo factus est. Quod autem homo factus est, a Deo factus est. Quod autem te odit, ipse fecit; quod invidet, ipse fecit. Et quid dicis in animo tuo? Domine, propitius illi esto, dimitte illi peccata; incute illi terrorem, muta illum. Non amas in illo quod est, sed quod vis ut sit. Ergo cum inimicum amas, fratrem amas. Quapropter perfecta dilectio, est inimici dilectio : quæ perfecta dilectio est in dilectione fraterna. Et nemo dicat quia aliquid minus nos monuit Joannes apostolus, et plus nos monuit Dominus Christus : Joannes nos monuit ut fratres diligamus; Christus nos admonuit ut etiam inimicos diligamus (*Id.* v, 44). Attende quare te monuit Christus ut diligas inimicos. Numquid ut semper remaneant inimici? Si ad hoc te monuit ut inimici remaneant, odis, non diligis. Attende quomodo ipse dilexit, id est, quia nolebat ut sic remanerent persecutores; ait, *Pater, ignosce illis, quia nesciunt qnid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34). Quibus voluit ignosci, mutari illos voluit : quos voluit mutari, ex inimicis fratres facere dignatus est, et vere sic fecit. Occisus est, sepultus est, resurrexit, in cœlum ascendit, Spiritum sanctum misit discipulis; cœperunt cum fiducia prædicare nomen ipsius, miracula faciebant in nomine crucifixi et occisi : viderunt illi interfectores Domini; et qui sanguinem ejus sæviendo fuderunt, credendo biberunt.

11. Hæc dixi, fratres, et longiuscule : tamen quia vehementius commendanda fuit Charitati vestræ ipsa charitas, ideo commendanda sic erat. Si enim charitas nulla est in vobis, nihil diximus. Si autem est in vobis, tanquam oleum in flammas adjecimus; et in quo non erat, forte verbis accensa est. In alio crevit quod erat; in alio cœpit esse quod non erat. Ad hoc ergo ista diximus, ne pigri sitis diligere inimicos. Sævit in te homo? ille sævit, tu precare; ille odit, tu miserere. Febris animæ ipsius te odit : sanus erit, et

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. sic exhibent hunc locum : *Blanditur superbia.... illa vestit.... illa enim vestit.* M

[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *præbes*. M.

gratias tibi aget. Quomodo medici diligunt ægrotos? Numquid ægrotos diligunt? Si ægrotos diligunt, volunt ut semper ægrotent. Ad hoc diligunt ægrotos, non ut ægroti remaneant, sed ut ex ægrotis sani fiant. Et quanta plerumque patiuntur a phreneticis? quales contumelias verborum? Plerumque et percutiuntur. Persequitur ille febrem, ignoscit homini : et quid dicam, fratres? amat inimicum suum? Imo odit inimicum suum morbum; ipsum enim odit, et amat hominem a quo percutitur : odit febrem. A quo enim percutitur? A morbo, ab ægrotatione, a febre. Illud tollit quod illi adversatur, ut remaneat illud unde gratuletur. Sic et tu : si odit te inimicus tuus, et injuste te odit; noveris quia cupiditas sæculi in illo regnat, propterea te odit. Si odisti illum et tu, contra reddis malum pro malo. Quid facit reddere malum pro malo [1]? Unum ægrotum flebam, qui te oderat; jam duos plango, si et tu odisti. Sed persequitur rem tuam; tollit tibi nescio quæ, quæ habes in terra : ideo illum odisti, quia angustias tibi facit in terra. Noli pati angustias, migra in cœlum sursum : cor ibi habebis ubi latitudo est, ut nullas angustias patiaris in spe vitæ æternæ. Attende quæ tibi tollit : nec ipsa tibi tolleret, nisi ille permitteret qui *flagellat omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Quodammodo ferramentum Dei est quo saneris, ipse inimicus tuus. Si novit Deus utile tibi esse ut exspoliet te, permittit illum; si novit tibi utile esse ut vapules, permittit illum, ut cædaris : de illo te curat, opta ut ille sanetur.

12. *Deum nemo vidit unquam.* Videte, dilectissimi : *Si diligamus invicem, Deus in nobis manebit, et dilectio ejus erit perfecta in nobis.* Incipe diligere, perficieris. Cœpisti diligere? cœpit in te Deus habitare; ama eum qui in te cœpit habitare, ut perfectius inhabitando faciat te perfectum. *In hoc cognoscimus quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quia de Spiritu suo dedit nobis.* Bene, Deo gratias. Cognoscimus quia habitat in nobis. Et hoc ipsum unde cognoscimus, quia cognovimus quia habitat in nobis? Quia hoc ipse Joannes dixit : *Quia de Spiritu suo dedit nobis.* Unde scimus *quia de Spiritu suo dedit nobis?* Hoc ipsum, quia de Spiritu suo dedit tibi, unde cognoscis? Interroga viscera tua : si plena sunt charitate, habes Spiritum Dei. Unde cognoscimus quia inde cognoscis habitare in te Spiritum Dei? Paulum interroga apostolum : *Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5).

13. *Et nos vidimus, et testes sumus, quia Pater misit Filium suum Salvatorem mundi.* Securi estote qui ægrotatis : talis medicus venit, et desperatis? Magni erant morbi, insanabilia erant vulnera, desperata erat ægritudo. Magnitudinem mali tui attendis, omnipotentiam medici non attendis? Tu desperatus es; sed ille omnipotens est : cujus testes isti sunt qui primo sanati, et annuntiantes medicum; et ipsi tamen plus spe sanati quam re. Nam sic dicit Apostolus : *Spe enim salvi facti sumus* (*Rom.* VIII, 24). Cœpimus ergo sanari in fide : perficietur autem salus nostra, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (I *Cor.* XV, 53, 54). Hæc spes est, nondum res. Sed qui gaudet in spe, tenebit et rem : qui autem spem non habet, ad rem non poterit pervenire.

14. *Quicumque confessus fuerit quod Jesus est Filius Dei, Deus in ipso manet, et ipse in Deo.* Jam non multis dicamus : *Qui confessus fuerit*, non verbo, sed facto; non lingua, sed vita. Nam multi confitentur verbis, sed factis negant. *Et nos cognovimus, et credidimus, quam dilectionem Deus habet in nobis.* Et iterum unde cognovisti? *Deus dilectio est.* Jam dixit illud superius, ecce iterum dicit. Amplius tibi non potuit dilectio commendari, quam ut diceretur Deus. Forte munus Dei contempturus eras. Et Deum contemnis? *Deus dilectio est. Et qui manet in dilectione, in Deo manet, et Deus in eo manet.* Vicissim in se habitant, qui continet et qui continetur. Habitas in Deo, sed ut contenearis : habitat in te Deus, sed ut te contineat, ne cadas. Ne forte sic te putes domum Dei fieri, quomodo domus tua portat carnem tuam : si subtrahat se domus in qua es, cadis; si autem tu te subtrahas, non cadit Deus. Integer est, cum eum deseris; integer, cum ad illum redieris. Tu sanaris, non illi aliquid præstabis; tu mundaris, tu reficeris, tu corrigeris. Ille medicamentum est non sano, regula est pravo, lux est tenebrato, habitatio est deserto. Omnia ergo tibi conferuntur. Vide ne putes Deo aliquid conferri, quando venis ad eum; nec mancipium saltem. Ergo non habebit Deus servos, si tu nolueris, et si omnes noluerint? Deus non indiget servis, sed servi Deo : ideo dicit Psalmus, *Dixi Domino, Deus meus es tu.* Ipse est verus Dominus. Et quid ait? *Quoniam bonorum meorum non eges* (*Psal.* XV, 2). Tu eges bono servi tui. Eget servus bono tuo, ut pascas illum : eges et tu bono servi tui, ut adjuvet te. Non tibi potes aquam implere, non tibi potes coquere, non tibi potes ante equum currere, jumentum tuum non potes curare. Vides quia indiges bono servi tui, obsequio illius indiges. Non es ergo verus dominus, quando indiges inferiore. Ille est verus Dominus qui nihil a nobis quærit; et væ nobis, si eum non quæramus. Nihil a nobis quærit; et quæsivit nos, cum eum non quæreremus. Ovis una erraverat; invenit eam, gaudens in humeris suis reportavit (*Luc.* XV, 4, 5). Et numquid ovis erat pastori necessaria, et non ovi potius pastor necessarius erat? Quanto libentius de charitate loquor, tanto minus volo finiri Epistolam istam. Nulla est ardentior ad commendandam charitatem. Nihil vobis dulcius prædicatur, nihil salubrius bibitur : sed si bene vivendo confirmetis in vobis munus Dei. Ne sitis ingrati tantæ gratiæ illius, qui cum haberet Unicum, noluit illum esse unum; sed ut fratres haberet, adoptavit illi, qui cum illo possiderent vitam æternam.

[1] Lov. *Quid facis reddere malum pro malo?* quæ voces absunt ab editione Erasmi Frobeniana, et apud Er. Guill. Lugd. et Ven. uncis includuntur. M.

TRACTATUS IX.

De eo quod sequitur, In hoc perfecta est dilectio in nobis; *usque ad id*, Et hoc mandatum habemus ab ipso, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. *Cap.* IV, ỳ. 17-21.

1. Meminit Charitas vestra, ex Epistola Joannis apostoli ultimam partem restare nobis tractandam, et exponendam vobis, quantum Dominus donat. Hujus ergo debiti nos memores sumus: exactionis autem vos memores esse debetis. Eadem quippe charitas quæ in ipsa Epistola maxime et prope sola commendatur, et nos facit fidelissimos debitores, et vos dulcissimos exactores. Ideo dixi dulcissimos exactores, quia ubi charitas non est, amarus exactor est: ubi autem charitas est, et qui exigit dulcis est; et a quo exigitur, etsi aliquem laborem suscipit, facit eumdem laborem prope nullum et levem ipsa charitas. Nonne videmus etiam in mutis animantibus et irrationalibus ubi non est spiritualis charitas, sed carnalis et naturalis, exigi tamen magno affectu de uberibus matris lac a parvulis? Et quamvis sugens impetum faciat in ubera; melius est tamen matri quam si non sugat, nec exigat quod charitate debetur. Sæpe videmus ubera vaccarum etiam a grandiusculis vitulis capite percuti, et prope ipso impetu levari matrum corpora, nec eos tamen calce repelli; sed et si desit filius qui sugat, mugitu vocari ad ubera. Si ergo est in nobis illa charitas spiritualis, de qua Apostolus dicit, *Factus sum parvulus in medio vestrum, tanquam nutrix fovens filios suos* (I *Thess.* II, 7); tunc vos diligimus quando exigitis. Pigros non amamus; quia languentibus formidamus. Intercesserunt autem, ut intermitteremus textum hujus Epistolæ, quædam pro diebus festis solemnia lectionum, quæ non potuerunt nisi legi, et ipsa tractari. Nunc ergo ad prætermissum ordinem redeamus; et quæ restant, intente accipiat Sanctitas vestra. Nescio utrum magnificentius nobis charitas commendari posset, quam ut diceretur, *Deus charitas est.* Brevis laus, et magna laus: brevis in sermone, et magna in intellectu. Quam cito dicitur, *Deus dilectio est!* Et hoc breve est: si numeres, unum est; si appendas, quantum est! *Deus dilectio est. Et qui manet*, inquit, *in dilectione, in Deo manet et Deus in illo manet* (I *Joan.* IV, 16). Sit tibi domus Deus, et esto domus Dei; mane in Deo, et maneat in te Deus. Manet in te Deus, ut te contineat: manes in Deo, ne cadas; quia sic de ipsa charitate dicit Apostolus, *Charitas nunquam cadit* (I *Cor.* XIII, 8). Quomodo cadit quem continet Deus?

2. *In hoc perfecta est dilectio in nobis, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo.* Dicit quomodo se probet unusquisque, quantum in illo profecerit charitas: vel potius quantum ipse in charitate profecerit. Nam si charitas Deus est, nec proficit nec deficit Deus: sic dicitur proficere in te charitas, quia tu in ea proficis. Interroga ergo quantum in charitate profeceris, et quid tibi respondeat cor tuum, ut noveris mensuram profectus tui. Promisit enim ostendere nobis in quo cognoscamus eum, et ait, *In hoc perfecta est in nobis dilectio.* Quære, in quo? *Ut fiduciam habeamus in die judicii.* Quisquis fiduciam habet in die judicii, perfecta est in illo charitas. Quid est habere fiduciam in die judicii? Non timere ne veniat dies judicii. Sunt homines qui non credunt diem judicii; isti fiduciam non possunt habere in die quam venturam esse non credunt. Prætermittamus istos: excitet illos Deus, ut vivant; de mortuis utquid loquimur? Non credunt futurum diem judicii, nec timent, nec desiderant quod non credunt. Cœpit aliquis credere diem judicii: si cœpit credere, cœpit et timere. Sed quia timet adhuc, nondum habet fiduciam in die judicii, nondum est in illo perfecta charitas. Numquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Quod initium video, inquis? Ipsum timorem. Audi Scripturam: *Initium sapientiæ timor Domini* (*Eccli.* I, 16). Cœpit ergo timere diem judicii: timendo corrigat se; vigilet adversus hostes suos, id est, adversus peccata sua; incipiat reviviscere interius, et mortificare membra sua quæ sunt super terram, sicut Apostolus dicit, *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram.* Spiritualia nequitiæ dicit membra super terram: nam sequitur et exponit, *Avaritiam, immunditiam* (*Coloss.* III, 5), et cætera quæ illic exsequitur. Quantum autem mortificat iste, qui timere cœpit diem judicii, membra sua super terram, tantum surgunt et corroborantur membra cœlestia. Membra autem cœlestia, omnia opera bona. Surgentibus cœlestibus membris, incipit desiderare quod timebat. Timebat enim ne veniret Christus, et inveniret impium quem damnaret; desiderat ut veniat, quia inventurus est pium quem coronet. Jam cum cœperit desiderare venientem Christum casta anima, quæ desiderat amplexus sponsi, renuntiat adultero; fit virgo interius ipsa fide, spe, et charitate. Habet jam fiduciam in die judicii: non contra se pugnat quando orat, et dicit, *Adveniat regnum tuum* (*Matth.* VI, 10). Qui enim timet ne veniat regnum Dei, timet ne exaudiatur. Quomodo orat, qui timet ne exaudiatur? Qui autem orat cum fiducia charitatis, optat jam ut veniat. De ipso desiderio dicebat quidam in Psalmo, *Et tu, Domine, usquequo? Convertere, Domine, et erue animam meam* (*Psal.* VI, 4, 5). Gemebat se differri. Sunt enim homines qui cum patientia moriuntur: sunt autem quidam perfecti qui cum patientia vivunt. Quid dixi? Qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter tolerat mortem: luctatur adversum se, ut sequatur voluntatem Dei; et hoc potius agit animo, quod eligit Deus, non quod eligit voluntas humana: et ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte; et adhibet patientiam et fortitudinem, ut æquo animo moriatur: iste patienter moritur. Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus, *dissolvi et esse cum Christo*, non patienter moritur; sed patienter vivit, delectabiliter moritur. Vide Apostolum patienter viventem, id est, cum patientia hic non amare vitam, sed tolerare. *Dissolvi*, inquit, *et esse cum Christo multo magis optimum: manere autem in carne necessarium propter vos* (*Philipp.* I,

23, 24). Ergo, fratres, date operam, intus agite vobiscum, ut desideretis diem judicii. Aliter non probatur perfecta charitas, nisi cum cœperit ille dies desiderari. Ille autem eum desiderat, qui fiduciam habet in illo: ille autem fiduciam habet in illo, cujus conscientia non trepidat in charitate perfecta atque sincera.

3. « In hoc perfecta est dilectio ejus in nobis, ut fiduciam habeamus in die judicii. » Quare habebimus fiduciam? « Quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. » Audisti causam fiduciæ tuæ: « Quia sicut ille est, inquit, et nos sumus in hoc mundo. » Nonne videtur aliquid impossibile dixisse? Numquid enim potest esse homo sicut Deus? Jam vobis exposui quia non semper ad æqualitatem dicitur, *sicut;* sed dicitur ad quamdam similitudinem. Quomodo enim dicis, Sicut aures habeo, ita habet et imago? Numquid omnino sic? Sed tamen dicis, *sicut.* Si ergo facti sumus ad imaginem Dei, quare non sicut Deus sumus? Non ad æqualitatem, sed pro modo nostro. Unde ergo nobis datur fiducia in die judicii? *Quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo.* Debemus hoc referre ad ipsam charitatem, et intelligere quid dictum sit. Dominus in Evangelio dicit, « Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt? » Quid ergo vult nos [1]? « Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus vos. » Si ergo jubet nos diligere inimicos nostros, unde nobis dat exemplum? De ipso Deo: ait enim, « Ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est. » Quomodo illud facit Deus? Diligit inimicos suos, « qui facit solem suum oriri super bonos et malos, et pluit super justos et injustos » (*Matth.* v, 44-46). Si ergo ad hanc perfectionem nos invitat Deus, ut diligamus inimicos nostros sicut et ipse dilexit suos; ea nobis fiducia est in die judicii, *quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo:* quia sicut ille diligit inimicos suos, faciendo solem suum oriri super bonos et malos, et pluendo super justos et injustos; ita nos quia inimicis nostris non possumus præstare solem et pluviam, præstamus lacrymas, cum pro illis oramus.

4. Jam ergo de ipsa fiducia videte quid dicat. Unde intelligitur perfecta charitas? *Timor non est in charitate.* Quid ergo dicimus de illo qui cœpit timere diem judicii? Si perfecta in illo esset charitas, non timeret. Perfecta enim charitas faceret perfectam justitiam, et non haberet quare timeret: imo haberet quare desideraret ut transeat iniquitas, et veniat regnum Dei. Ergo *timor non est in charitate.* Sed in qua charitate? Non in inchoata. In qua ergo? *Sed perfecta,* inquit, *charitas foras mittit timorem.* Ergo incipiat timor; *quia initium sapientiæ timor Domini.* Timor quasi locum præparat charitati. Cum autem cœperit charitas habitare, pellitur timor qui ei præparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit; et quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Major charitas, minor timor; minor charitas, major timor. Si autem nullus timor, non est qua intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur; seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret charitatem. Jam facta securitate in animo, quale gaudium nobis est vel in hoc, vel in futuro sæculo? Et in hoc sæculo quis nobis nocebit plenis charitate? Videte quomodo exsultet Apostolus de ipsa charitate. « Quis nos, » inquit, « separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius » (*Rom.* viii, 35)? Et Petrus dicit: « Et quis vobis nocere potest, si boni æmulatores fueritis » (I *Petr.* iii, 13)? « Timor non est in dilectione: sed perfecta dilectio foras mittit timorem; quia timor tormentum habet. » Torquet cor conscientia peccatorum, nondum facta est justificatio. Est ibi quod titillet, quod pungat. Ideo in Psalmo de ipsa perfectione justitiæ quid dicit? « Convertisti luctum meum in gaudium mihi: concidisti saccum meum, et cinxisti me lætitia; ut cantet tibi gloria mea, et non compungar » (*Psal.* xxix, 12, 13). Quid est, « non compungar? » Non sit quod stimulet conscientiam meam. Stimulat timor: sed noli timere; intrat charitas quæ sanat quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum; putredinem tollit, et quasi videtur vulnus augere. Ecce putredo quando erat in corpore, minus erat vulnus, sed periculosum: accedit ferramentum medici; minus dolebat illud vulnus, quam dolet modo cum secatur. Plus dolet cum curatur, quam si non curaretur; sed ideo plus dolet accedente medicina, ut nunquam doleat succedente salute. Occupet ergo cor tuum timor, ut inducat charitatem; succedat cicatrix [1] ferramento medici. Talis est medicus, ut nec cicatrices appareant: tu tantum subde te dexteræ ipsius. Nam si sine timore es, non poteris justificari. Sententia dicta est de Scripturis: *Nam qui sine timore est, non poterit justificari* (*Eccli.* i, 28). Opus est ergo ut intret timor primo, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas. « Qui autem timet, non est perfectus in dilectione. » Quare? « Quia timor tormentum habet, » quomodo sectio medici tormentum habet.

5. Est autem alia sententia, quæ videtur huic esse contraria, si non habeat intellectorem: dicitur enim quodam loco in Psalmo, *Timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi* (*Psal.* xviii, 10). Æternum quemdam timorem nobis ostendit, sed castum. Quod si ille æternum nobis timorem ostendit, numquid contradicit illi forte ista Epistola quæ dicit, *Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem?* Interrogemus ambo eloquia Dei. Spiritus unus est, etsi codices duo, etsi ora duo, etsi linguæ duæ. Hoc enim dictum est per Joannem, illud dictum est per David; sed nolite putare alium esse spiritum. Si unus flatus inflat duas tibias, non potest unus Spiritus implere duo corda, agitare duas lin-

[1] Ven. addit, *diligere.* M.

[1] Editi, *timor, et inducta charitate succedat cicatrix.* Mss. tres, *ut inducat charitatem; succedat.* Alii duo, *ut inducat charitatem, et succedat.*

guas? Sed si spiritu uno, id est uno flatu, impletæ duæ tibiæ consonant; impletæ duæ linguæ Spiritu Dei, dissonare possunt? Est ergo ibi quædam consonantia, est quædam concordia, sed auditorem desiderat. Ecce inspiravit et implevit duo corda, duo ora, movit duas linguas Spiritus Dei: et audivimus ex una lingua, «Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem;» audivimus ex alia, «Timor Domini castus, permanens in sæculum sæculi.» Quid est hoc? quasi dissonant? Non: excute aures, intende melodiam. Non sine causa hic addidit, *castus*, illic non addidit: nisi quia est timor alius qui dicitur castus, est autem alius qui non dicitur castus. Discernamus istos duos timores, et intelligamus consonantiam tibiarum. Quomodo intelligimus, vel quomodo discernimus? Attendat Charitas vestra. Sunt homines qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne æterno. Ipse est timor ille qui introducit charitatem: sed sic venit ut exeat. Si enim adhuc propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times. Non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo quod mala caves, corrigis te, et incipis bona desiderare. Cum bona desiderare cœperis, erit in te timor castus. Quis est timor castus? Ne amittas ipsa bona. Intendite. Aliud est timere Deum, ne mittat te in gehennam cum diabolo; aliud est timere Deum, ne recedat a te. Ille timor quo times ne in gehennam mittaris cum diabolo, nondum est castus; non enim venit ex amore Dei, sed ex timore pœnæ: cum autem times Deum, ne deserat te præsentia ejus; amplecteris eum, ipso frui desideras.

6. Non potest melius explanari quid intersit inter duos istos timores, unum quem foras mittit charitas, alterum castum qui permanet in sæculum sæculi, nisi ponas duas mulieres maritatas, quarum unam ita constituas volentem facere adulterium, delectari nequitia, sed timere ne damnetur a marito. Timet maritum, sed quia adhuc amat nequitiam, ideo timet maritum: huic non grata, sed onerosa est mariti præsentia; et si forte vivit nequiter, timet maritum ne veniat. Tales sunt qui timent ne veniat dies judicii. Fac alteram amare virum, debere illi castos amplexus, nulla se adulterii immunditia maculare; optat præsentiam viri. Et quomodo discernuntur duo isti timores? timet illa, timet et illa. Interroga; quasi unum tibi respondent: interroga illam, Times virum? respondet, Timeo. Interroga et illam si timeat virum; respondet, Timeo. Una vox est, sed diversus animus. Jam ergo interrogentur, Quare? Illa dicit, Timeo virum ne veniat: illa dicit, Timeo virum ne discedat. Illa dicit, Timeo ne damner: illa dicit, Timeo ne deserar. Pone hoc in animo Christianorum, et invenis [1] timorem quem foras mittit charitas, et alium timorem castum permanentem in sæculum sæculi.

7. Loquamur ergo his primo qui sic timent Deum, quomodo illa mulier quam delectat nequitia; timet enim virum ne damnet illam: talibus primo loquamur. O anima quæ sic times Deum, ne damnet te Deus, quomodo timet mulier quam delectat nequitia; timet virum, ne damnetur a viro: quomodo tibi displicet illa mulier, displice et tu tibi. Si forte habes uxorem, numquid vis ut sic timeat te uxor tua, ne damnetur abs te; ut delectet illam nequitia, sed pondere timoris tui reprimatur, non damnatione iniquitatis? Castam eam vis, ut te diligat, non ut te timeat. Exhibe te talem Deo, qualem vis habere uxorem. Et si nondum habes, et habere vis; talem vis habere. Et quid dicimus, fratres? Illa mulier quæ ideo timet virum, ne damnetur a viro, forte non facit adulterium, ne aliquo modo perveniat ad virum, et tollat illi lucem istam temporalem. Potest autem vir ille et falli; homo est enim, sicut et illa quæ potest fallere. Timet illa eum, extra cujus oculos potest esse: tu non times semper faciem supra te viri tui? *Vultus autem Domini super facientes mala* (*Psal.* XXXIII, 17). Captat illa absentiam viri sui, et incitatur forte delectatione adulterii; et dicit sibi tamen, Non faciam: absens est quidem ille, sed difficile est ut non ad illum quoquo modo perveniat. Temperat se ne perveniat ad hominem, qui potest et nescire, qui potest et falli, qui potest et bonam suspicari etiam malam, qui potest et castam suspicari quæ adultera est: tu non times oculos ejus quem fallere nemo potest? tu non times ejus præsentiam, qui averti a te non potest? Roga Deum ut intueatur te, et avertat faciem a peccatis tuis: *Averte faciem tuam a peccatis meis.* Sed unde mereris ut ille faciem suam avertat a peccatis tuis? Si tu non avertas faciem tuam a peccatis tuis. Ipsa enim vox dicit in Psalmo: *Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum coram me est semper* (*Psal.* L, 11, 5). Tu agnosce, et ille ignoscit.

8. Allocuti sumus eam quæ habet adhuc timorem non permanentem in sæculum sæculi, sed quem charitas excludit et foras mittit; alloquamur et illam quæ habet jam timorem castum, permanentem in sæculum sæculi. Putamus, invenimus illam, ut alloquamur illam? putas, est in hoc populo? putas, est in ista exedra? putas, est in hac terra? Non potest nisi esse, sed latet. Hiems est, intus est viriditas in radice. Forte invenimus aures [1] illius. Sed ubicumque est illa anima, utinam illam invenirem, et non aures suas præberet mihi, sed ego meas aures illi! Illa me doceret aliquid potius, quam a me disceret. Anima quædam sancta, ignea, et desiderans regnum Dei: hanc non ego alloquor, sed Deus ipse, et patienter viventem in hac terra ita consolatur: Jam vis veniam, et ego novi quia jam vis ut veniam: novi qualis es, ut secura exspectes adventum meum; novi quia molestia est tibi: sed magis exspecta, tolera; venio, et cito venio. Sed amanti tardum est. Audi eam cantantem tanquam lilium de medio spinarum: audi suspirantem, et dicentem, *Psallam et intelligam in via immaculata; quando venies ad me* (*Psal.* C, 1, 2)? Sed in via immaculata merito non timet; quia *perfecta charitas foras mittit timorem.* Et cum venerit ad ejus amplexum,

[1] *Invenisti*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. M.

[1] Er Lugd. Ven., *et aures.* M.

timet, sed securiter. Quid timet? Cavebit, et observabit se ab iniquitate sua, ne iterum peccet : non ne mittatur in ignem, sed ne ab illo deseratur. Et erit in illa, quid? *Timor castus, permanens in sæculum sæculi.* Audivimus duas tibias consonantes. Illa de timore dicit, et illa de timore : sed illa de timore quo timet anima ne damnetur, illa de timore quo timet anima ne deseratur. Ille est timor quem charitas excludit : ille est timor permanens in sæculum sæculi.

9. *Nos diligamus, quia ipse prior nos dilexit.* Nam unde diligeremus, nisi ille prior dilexisset nos? Diligendo amici facti sumus; sed inimicos ille dilexit, ut amici efficeremur. Prior dilexit nos, et donavit nobis ut diligeremus eum. Nondum diligebamus eum; diligendo pulchri efficimur. Quid facit homo deformis et distorta facie, si amet pulchram? Aut quid facit femina deformis et distorta et nigra, si amet pulchrum? Numquid amando poterit esse pulchra? Numquid et ille amando poterit esse formosus? Amat pulchram; et quando se in speculo videt, erubescit faciem suam levare ad illam formosam suam quam amat. Quid faciet ut pulcher sit? Exspectat ut veniat pulchritudo? Imo exspectando senectus additur, et turpiorem facit. Non est ergo quid agere, non est quomodo illi des consilium, nisi ut compescat se, et non audeat amare impar imparem : aut si forte amat et ducere uxorem optat, in illa castitatem amet, non carnis faciem. Anima vero nostra, fratres mei, fœda est per iniquitatem : amando Deum pulchra efficitur. Qualis amor est qui reddit pulchram amantem? Deus autem semper pulcher est, nunquam deformis, nunquam commutabilis. Amavit nos prior qui semper est pulcher; et quales amavit, nisi fœdos et deformes? Non ideo tamen ut fœdos dimitteret; sed ut mutaret, et ex deformibus pulchros faceret. Quomodo erimus pulchri? Amando eum qui semper est pulcher. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo; quia ipsa charitas est animæ pulchritudo. *Nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos.* Audi apostolum Paulum : *Ostendit autem Deus dilectionem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est* (*Rom.* v, 8, 9), justus pro injustis, pulcher pro fœdis. Quomodo invenimus pulchrum Jesum? *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis* (*Psal.* XLIV, 3). Unde? Item videte unde sit pulcher, *Speciosus forma præ filiis hominum;* quia *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Quia vero carnem suscepit, quasi fœditatem tuam suscepit, id est, mortalitatem tuam, ut aptaret se tibi, et congrueret tibi, et excitaret te ad amandam intus pulchritudinem. Unde ergo invenimus quia fœdus et deformis est Jesus, sicut invenimus quia pulcher et speciosus forma præ filiis hominum? Unde invenimus quia et deformis? Isaiam interroga : *Et vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem* (*Isai.* LIII, 2). Illæ sunt duæ tibiæ quasi diverse sonantes; sed unus Spiritus ambas inflat. Hac dicitur, *Speciosus forma præ filiis hominum :* hac dicitur in Isaia, *Vidimus eum, et non habebat speciem, neque decorem.* Uno Spiritu implentur ambæ tibiæ, non dissonant. Noli aures avertere, adhibe intellectum. Interrogemus Paulum apostolum, et exponat nobis consonantiam duarum tibiarum. Sonet nobis, *Speciosus forma præ filiis hominum : Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis Deo.* Ecce *speciosus forma præ filiis hominum.* Sonet nobis etiam, *Vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem : Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo* (*Philipp.* II, 6, 7). *Non habebat speciem neque decorem*, ut tibi daret speciem et decorem. Quam speciem? quem decorem? Dilectionem charitatis; ut amans curras, currens ames. Pulcher es jam : sed noli te attendere, ne perdas quod accepisti; illum attende, a quo factus es pulcher. Ideo sis pulcher, ut ille te amet. Tu autem totam intentionem tuam in illum dirige, ad illum curre, ejus amplexus pete, ab illo time discedere; ut sit in te timor castus, permanens in sæculum sæculi. *Nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos.*

10. *Si quis dixerit, Diligo Deum.* Quem Deum [1]? Quare diligimus? *Quia ipse prior dilexit nos*, et donavit nobis diligere. Dilexit impios, ut faceret pios; dilexit injustos, ut faceret justos; dilexit ægrotos, ut faceret sanos. Ergo et *nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos.* Interroga unumquemque, dicat tibi si diligat Deum. Clamat, confitetur, *Diligo*, ipse scit. Est aliud unde interrogetur. *Si quis dixerit*, inquit, *Diligo Deum, et fratrem suum odit, mendax est.* Unde probas quia mendax est? Audi : *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Quid ergo? qui diligit fratrem, diligit et Deum? Necesse est ut diligat Deum, necesse est ut diligat ipsam dilectionem. Numquid potest diligere fratrem, et non diligere dilectionem? Necesse est ut diligat dilectionem. Quid ergo, qui diligit dilectionem, ideo diligit Deum? Utique ideo. Diligendo dilectionem, Deum diligit. An oblitus es quod paulo ante dixisti, *Deus dilectio est* (*Joan.* IV, 8, 16)? Si Deus dilectio, quisquis diligit dilectionem, Deum diligit. Dilige ergo fratrem, et securus esto. Non potes dicere, Diligo fratrem, sed non diligo Deum. Quomodo mentiris si dicas, Diligo Deum, quando non diligis fratrem; sic falleris, quando dicis, Diligo fratrem, si putes quia non diligis Deum. Necesse est qui diligis fratrem, diligas ipsam dilectionem; *dilectio* autem *Deus est :* necesse est ergo ut Deum diligat quisquis diligit fratrem. Si autem non diligis fratrem quem vides, Deum quem non vides quomodo potes diligere? Quare non videt Deum? Quia non habet ipsam dilectionem. Ideo non videt Deum, quia non habet dilectionem; ideo non habet dilectionem, quia non diligit fratrem : propterea ergo non videt Deum, quia non habet dilectionem. Nam si habeat dilectionem, Deum videt; quia *Deus dilectio est :* et purgatur ille oculus magis magisque dilectione, ut videat illam incommu-

[1] Lov. : *Quem? Deum.* M.

tabilem substantiam; cujus præsentia semper gaudeat, qua perfruatur in æternum conjunctus Angelis. Sed currat modo, ut aliquando in patria lætetur. Non amet peregrinationem, non amet viam : totum amarum sit, præter illum qui vocat, quousque inhæreamus illi, et dicamus quod dictum est in Psalmo, *Perdidisti omnes quia fornicantur abs te.* Et qui sunt qui fornicantur? Qui discedunt, et amant mundum. Tu autem quid? Sequitur et dicit : *Mihi autem inhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 27, 28). Totum bonum meum est, Deo inhærere gratis. Nam si interroges, et dicas, Quare inhæres Deo? Et dicat, Ut donet mihi. Quid tibi donet? Cœlum ipse fecit, terram ipse fecit: quid tibi donaturus est? jam inhæres illi : inveni melius, et donat tibi.

11. *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus ab ipso, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Magnifice dicebas, *Diligo Deum;* et odis fratrem! O homicida, quomodo diligis Deum? Non audisti superius in ipsa Epistola, *Qui odit fratrem suum, homicida est?* Sed prorsus diligo Deum, quamvis oderim fratrem meum. Prorsus non diligis Deum, si odis fratrem. Et modo probo alio documento. Ipse dixit, *Dedit nobis præceptum, ut diligamus invicem* (I *Joan.* III, 15, 23) : quomodo diligis eum, cujus odisti præceptum? Quis est qui dicat, Diligo imperatorem, sed odi leges ejus? In hoc intelligit imperator si diligis eum, si observentur leges ejus per provincias. Lex imperatoris quæ est? *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (*Joan.* XIII, 34). Dicis ergo te diligere Christum; serva mandatum ejus, et fratrem dilige. Si autem fratrem non diligis; quomodo eum diligis, cujus mandatum contemnis? Fratres, ego non satior loquendo de charitate in nomine Christi. Quantum et vos habetis hujus rei avaritiam, tantum speramus quia crescit in vobis ipsa, et foras mittit timorem, ut remaneat ille timor castus permanens in sæculum sæculi. Toleremus mundum, toleremus tribulationes, toleremus scandala tentationum. Non recedamus a via; teneamus unitatem Ecclesiæ, teneamus Christum, teneamus charitatem. Non divellamur a membris sponsæ ipsius, non divellamur a fide, ut gloriemur in præsentia ipsius : et securi manebimus in eo, modo per fidem, tunc per speciem, cujus tantas arrhas habemus donum Spiritus sancti.

TRACTATUS X.

De eo quod Joannes scribit, Omnis qui credit quod Jesus sit Christus, ex Deo natus est; *usque ad id,* Hæc est enim dilectio Dei, ut præcepta ejus servemus. *Cap.* V, ℣. 1-13.

1. Meminisse vos credo, qui adfuistis hesterno die, ad quem locum in progressu hujus Epistolæ pervenerit nostra tractatio : id est, *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus ab ipso, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum.* Huc usque disputatum erat. Quæ sequuntur ergo ex ordine videamus. *Omnis qui credit quod Jesus sit Christus, ex Deo natus est.* Quis est qui non credit quod Jesus sit Christus? Qui non sic vivit quomodo præcepit Christus. Multi enim dicunt, Credo; sed fides sine operibus non salvat. Opus autem fidei ipsa dilectio est, dicente Paulo apostolo, *Et fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* V, 6). Opera quidem tua præter ita, antequam crederes, vel nulla erant; vel si bona videbantur, inania erant. Si enim nulla erant; sic eras quasi homo sine pedibus, aut vexatis pedibus ambulare non valens : si autem bona videbantur; antequam crederes, currebas quidem, sed præter viam currendo, errabas potius quam perveniebas. Est ergo nobis et currendum, et in via currendum. Qui præter viam currit, inaniter currit : imo ad laborem currit. Tanto plus errat, quanto præter viam currit. Quæ est via per quam currimus? Christus dixit, *Ego sum via.* Quæ patria, quo currimus? Christus dixit, *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Per illum curris, ad illum curris, in ipso requiescis. Sed ut curreremus per illum, extendit se usque ad nos : longe enim eramus, et longe peregrinabamur. Parum est quia longe peregrinabamur; et languidi nos movere non poteramus. Medicus venit ad ægrotos, via porrecta est ad peregrinos. Salvemur ab ipso, ambulemus per ipsum. Hoc est credere quia Jesus Christus est, quomodo credunt christiani, qui non solo nomine christiani sunt, sed et factis et vita : non quomodo credunt dæmones. Nam *et dæmones credunt, et contremiscunt,* sicut dicit Scriptura (*Jacobi* II, 19). Quid potuerunt plus credere dæmones, quam ut dicerent, *Scimus qui sis, Filius Dei?* Quod dixerunt dæmones, hoc dixit et Petrus. Cum Dominus quæreret quis esset, et quem illum dicerent homines, responderunt illi discipuli : *Alii dicunt te Joannem Baptistam, alii Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* Et ille : *Vos autem quem me esse dicitis?* Respondit Petrus, et ait : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et audivit a Domino : *Beatus es, Simon Bar Jona, quia non revelavit tibi caro et sanguis, sed Pater meus qui est in cœlis.* Videte quæ laudes prosequantur hanc fidem : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 13-18). Quid est, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam?* Super hanc fidem, super id quod dictum est, *Tu es Christus Filius Dei vivi. Super hanc petram,* inquit, *fundabo Ecclesiam meam.* Magna laus! Ergo dicit Petrus, *Tu es Christus Filius Dei vivi :* dicunt et dæmones, *Scimus qui sis, Filius Dei, sanctus Dei.* Hoc Petrus, hoc et dæmones : eadem verba, non idem animus. Et unde constat quia hoc Petrus cum dilectione dicebat? Quia fides christiani cum dilectione est; dæmonis autem sine dilectione. Quomodo sine dilectione? Hoc dicebat Petrus, ut Christum amplecteretur : hoc dicebant dæmones, ut Christus ab eis recederet. Nam antequam dicerent, *Scimus qui sis; tu es Filius Dei: Quid nobis et tibi est,* dixerunt? *Quid venisti ante tempus perdere nos* (*Matth.* VIII, 29, *et Marc.* I, 24)? Aliud est ergo confiteri Christum, ut teneas Christum,

aliud confiteri Christum, ut repellas a te Christum. Ergo videtis quia quomodo hic dicit, *Qui credit*, propria quædam fides est; non quomodo cum multis. Itaque, fratres, nemo hæreticorum dicat vobis, Et nos credimus. Ideo enim de dæmonibus exemplum proposui, ne gaudeatis ad verba credentium, sed exploretis facta viventium.

2. Videamus ergo quid est credere in Christum; quid, credere quia Jesus ipse est Christus. Sequitur, *Omnis qui credit quod Jesus sit Christus, ex Deo natus est.* Sed quid est credere illud? *Et omnis qui diligit qui genuit eum, diligit eum qui genitus est ab ipso.* Statim fidei conjunxit dilectionem; quia sine dilectione fides inanis est. Cum dilectione fides christiani, sine dilectione fides dæmonis: qui autem non credunt, pejores sunt quam dæmones, et tardiores quam dæmones. Nescio quis non vult credere in Christum; adhuc nec dæmones imitatur. Jam credit in Christum, sed odit Christum; habet confessionem fidei in timore pœnæ, non in amore coronæ: nam et illi puniri timebant. Adde huic fidei dilectionem, ut fiat fides qualem dicit Apostolus Paulus, *Fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat.* v, 6): invenisti christianum, invenisti civem Jerusalem, invenisti civem Angelorum, invenisti in via suspirantem peregrinum; adjunge te illi, comes tuus est, curre cum illo, si tamen et tu hoc es. *Omnis qui diligit qui genuit eum, diligit eum qui genitus est ab ipso.* Quis genuit? Pater. Quis est genitus? Filius. Quid ergo ait? Omnis qui diligit Patrem, diligit Filium.

3. *In hoc cognoscimus quia diligimus filios Dei.* Quid est hoc, fratres? Paulo ante de Filio Dei dicebat, non de filiis Dei: ecce unus positus est Christus contemplandus nobis, et dictum est nobis, *Omnis qui credit quod Jesus sit Christus, est ex Deo natus: et omnis qui diligit qui genuit eum*, id est, Patrem, *diligit eum qui genitus est ex ipso*, id est, Filium Dominum nostrum Jesum Christum. Et sequitur, *In hoc cognoscimus quia diligimus filios Dei*; quasi dicturus esset, In hoc cognoscimus quia diligimus Filium Dei: filios Dei dixit, qui Filium Dei paulo ante dicebat; quia filii Dei corpus sunt unici Filii Dei; et cum ille caput, nos membra, unus est Filius Dei. Ergo qui diligit filios Dei, Filium Dei diligit; et qui diligit Filium Dei, Patrem diligit: nec potest quisquam diligere Patrem, nisi diligat Filium; et qui diligit Filium, diligit et filios Dei. Quos filios Dei? Membra Filii Dei. Et diligendo fit et ipse membrum, et fit per dilectionem in compage corporis Christi; et erit unus Christus amans seipsum. Cum enim se invicem amant membra, corpus se amat. *Et si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; et si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Et quid secutus ait? *Vos autem estis corpus Christi et membra* (I *Cor.* xii, 26, 27). Dicebat paulo ante de dilectione fraterna, et ait, *Qui non diligit fratrem quem videt, Deum quem non videt quomodo poterit diligere* (I *Joan.* iv, 20)? Si autem diligis fratrem, forte fratrem diligis, et Christum non diligis? Quomodo, quando membra Christi diligis? Cum ergo membra Christi diligis, Christum diligis; cum Christum diligis, Filium Dei diligis; cum Filium Dei diligis, et Patrem diligis. Non potest ergo separari dilectio. Elige tibi quid diligas; sequuntur te cætera. Dicas, Deum solum diligo, Deum Patrem. Mentiris: si diligis, non solum diligis [1]; sed si diligis Patrem, diligis et Filium. Ecce, inquis, diligo Patrem, et diligo Filium: sed hoc solum, Patrem Deum et Filium Deum et Dominum nostrum Jesum Christum qui ascendit in cœlos, et sedet ad dexteram Patris, illud Verbum per quod facta sunt omnia, et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* i, 3, 14); hoc solum diligo. Mentiris: si enim diligis caput, diligis et membra; si autem membra non diligis, nec caput diligis. Non expavescis vocem capitis de cœlo clamantem pro membris, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* ix, 4)? Persecutorem suum vocavit persecutorem membrorum suorum: dilectorem suum vocavit dilectorem membrorum suorum. Jam quæ sunt membra ejus, nostis, fratres; ipsa est Ecclesia Dei. *In hoc cognoscimus quia diligimus filios Dei, quia Deum diligimus.* Et quomodo? Non aliud sunt filii Dei, aliud Deus? Sed qui Deum diligit, præcepta ejus diligit. Et quæ sunt præcepta Dei? *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis* (*Joan.* xiii, 34). Nemo se excuset per aliam dilectionem, ad aliam dilectionem; omnino sic se tenet ista dilectio: quomodo ipsa compaginata est in unum, sic omnes quæ ex illa pendent, unum facit, et quasi conflat illos ignis. Aurum est, conflatur massa, et fit unum aliquid: sed nisi fervor charitatis accendat, ex multis in unum conflari non potest. *Quia Deum diligimus, inde cognoscimus quia diligimus filios Dei.*

4. Et unde cognoscimus quia diligimus filios Dei? *Quia Deum diligimus, et præcepta ejus facimus.* Suspiramus hic ex difficultate faciendi præceptum Dei. Audi quid sequatur. Homo, quid laboras amando? Amando avaritiam [2]. Cum labore amatur quod amas: sine labore amatur Deus. Avaritia jussura est labores, pericula, trituras, tribulationes; et obtemperaturus es. Quo fine? Ut habeas unde impleas arcam, perdas securitatem. Securior forte eras antequam haberes, quam cum habere cœpisti. Ecce quid tibi jussit avaritia: implesti domum, timentur latrones; acquisisti aurum, perdidisti somnum. Ecce quid tibi jussit avaritia, Fac, et fecisti. Quid tibi jubet Deus? Dilige me. Aurum diligis, quæsiturus es aurum, et forte non inventurus: quisquis me quærit, cum illo sum. Amaturus es honorem, et forte non perventurus: quis me amavit, et non ad me pervenit? Dicit tibi Deus, Patronum tibi vis facere, aut amicum potentem; ambis per alium inferiorem. Me ama, dicit tibi Deus: non

[1] Varie legitur locus ille apud editos. Lugd. et Ven. sic eum exhibent: *Mentiris. Deum si diligis, non solum Deum diligis; sed si diligis Patrem, diligis et Filium.* Duo Mss. apud Lov., *mentiris. Si diligis, non solum Patrem diligis*, etc. M.

[2] Sic Lov.: *homo qui laboras amando avaritiam, cum labore.* Er. Lugd. Ven., *homo qui laborabas*, et cætera ut Lov. M.

ad me ambitur per aliquem ; ipse amor præsentem me tibi facit. Quid dulcius dilectione ista, fratres? Non sine causa modo audistis in Psalmo, fratres, *Narraverunt mihi injusti delectationes; sed non sicut lex tua, Domine* (*Psal.* CXVIII, 85). Quæ est lex Dei? Mandatum Dei. Quod est mandatum Dei? Novum illud mandatum, quod ideo novum dicitur, quia innovat : *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis.* Audi quia ipsa est lex Dei : Apostolus dicit, *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 2). Ipsa est consummatio omnium operum nostrorum, dilectio. Ibi est finis : propter hoc currimus; ad ipsam currimus; cum venerimus ad eam requiescemus.

5. Audistis in Psalmo, *Omnis consummationis vidi finem* (*Psal.* CXVIII, 96). Dixit, *Omnis consummationis vidi finem :* quid viderat iste? Putamus, ascenderat in verticem alicujus altissimi montis et acutissimi, et perspexerat, et viderat ambitum terræ et circulos orbis universi; et ideo dixit, *Omnis consummationis vidi finem?* Si hoc laudabile est, oculos carnis quæramus a Domino tam acutos, ut aliquem excelsissimum montem, qui est in terra, requiramus, de cujus cacumine videamus omnis consummationis finem. Noli ire longe : ecce dico tibi, ascende in montem, et vide finem. Christus mons est; veni ad Christum, vides inde finem omnis consummationis. Quis est iste finis? Paulum interroga : *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I *Tim.* I, 5); et alio loco, *Plenitudo autem legis charitas* (*Rom.* XIII, 10). Quid tam finitum et terminatum quam plenitudo? Etenim, fratres, finem ponit laudabiliter. Nolite putare consumptionem, sed consummationem. Aliter enim dicitur, Finivi panem; aliter Finivi tunicam. Finivi panem manducando; finivi tunicam intexendo. Et ibi finis sonat, et illic finis sonat : sed tamen panis finitur ut consumatur, tunica finitur ut consummetur; panis finitur ut non sit, tunica finitur ut perfecta sit. Ergo sic audite finem, et quando legitur Psalmus, et auditis, *In finem Psalmus David.* Assidue auditis hoc in Psalmis, et debetis nosse quod auditis. Quid est, *in finem? Finis enim Legis Christus est, ad justitiam omni credenti* (*Id.* X, 4). Et quid est, *finis Christus?* Quia Christus Deus, et finis præcepti charitas, et Deus charitas : quia Pater et Filius et Spiritus sanctus unum sunt. Ibi tibi finis est : alibi via est. Noli hærere in via, et non pervenire ad finem. Ad quidquid aliud veneris, transi usquequo pervenias ad finem. Quid est finis? *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 28). Adhæsisti Deo, finisti viam; permanebis in patria. Intendite. Pecuniam aliquis quærit; non sit tibi finis : transi [1] tanquam peregrinus. Quære ubi transeas, non ubi remaneas. Si autem amas, per avaritiam implicatus es : erit tibi avaritia catena pedum ; ultra progredi non potes. Transi ergo et hoc; quære finem. Salutem corporis quæris, adhuc noli ibi remanere. Quæ est enim ista salus corporis, quæ morte perimitur, quæ ægritudine debilitatur, frivola, mortalis, fluxa? Quære illam, ne impediat forte morbida valetudo opera tua bona. Ergo non est ibi finis; quia propter aliud quæritur. Quidquid propter aliud quæritur, non est ibi finis : quidquid propter se et gratis quæritur, ibi est finis. Quæris honores; forte ad aliquid agendum quæris, ut peragas aliquid, ut placeas Deo : noli ipsum honorem amare, ne ibi remaneas. Quæris laudem? Si Dei quæris, bene facis : si tuam quæris, male facis; remanes in via. Sed ecce amaris tu, laudaris : noli gratulari quando in te laudaris; laudare in Domino, ut cantes, *In Domino laudabitur anima mea* (*Psal.* XXXIII, 3). Sermonem aliquem bonum dicis, et laudatur sermo tuus? Non laudetur quasi tuus, non est ibi finis. Si ibi ponis finem, finiris : sed non finiris quasi perficiaris, sed finiris ut consumaris. Ergo non laudetur sermo tuus quasi abs te, quasi tuus. Sed quomodo laudetur? Quomodo dicit Psalmus, *In Deo laudabo sermonem, in Deo laudabo verbum.* Ex hoc fit ut fiat in te quod sequitur, *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo* (*Psal.* LV, 5, 11). Quando enim omnia tua in Deo laudantur, non timetur ne pereat laus tua; quia non deficit Deus. Ergo transi et ipsam.

6. Videte, fratres, quanta transimus, in quibus non est finis. His utimur quasi in via; quasi in mansionibus stabulorum reficimur, et transimus. Ubi ergo finis? *Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus;* hic dictum est [1], in hac Epistola. Adhuc ergo in via sumus; adhuc quocumque venerimus, transire debemus, usquequo perveniamus ad aliquem finem. *Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Iste finis; ibi perpetua laudatio, ibi semper Alleluia sine defectu. Ergo ipsum finem dixit in Psalmo, *Omnis consummationis vidi finem.* Et quasi diceretur illi, Quis est finis quem vidisti? *Latum mandatum tuum valde* (*Psal.* CXVIII, 96). Ipse est finis, latitudo mandati. Latitudo mandati charitas est; quia ubi est charitas, non sunt angustiæ. In ipsa latitudine erat Apostolus, cum diceret, *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii; cor nostrum dilatatum est : non angustamini in nobis* (II *Cor.* VI, 11-12). Ideo ergo *latum mandatum tuum valde.* Quod est latum mandatum? *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis.* Charitas ergo non angustatur. Vis non angustari in terra? In lato habita. Quidquid enim tibi fecerit homo, non te angustat; quia illud diligis quod non nocet homo : Deum diligis, fraternitatem diligis, legem Dei diligis, Ecclesiam Dei diligis; sempiterna erit. Laboras in terra, sed pervenies ad fructum promissum. Quis tibi tollit quod diligis? Si nemo tollit tibi quod diligis, securus dormis : imo securus vigilas, ne dormiendo perdas quod diligis. Non enim frustra dictum est, *Illumina oculos meos, ne quando obdormiam in morte* (*Psal.* XII, 4). Qui claudunt oculos contra charitatem, obdormiscunt in concupiscentiis delectationum carnalium. Evigila ergo. Delectationes enim sunt, manducare, bibere, luxuriari, ludere, venari : pompas istas vanas omnia mala sequuntur. Numquid nescimus quia dele-

[1] Er. Lugd. et Ven., *non sit ibi finis. Transit.* Lov., *non sit ibi finis Transi.* M.

[1] Er. Lugd. Ven. Lov., *hoc.* M.

ctationes sunt? Quis neget quia delectant? Sed plus diligitur lex Dei [1]. Clama contra tales suasores, *Narraverunt mihi injusti delectationes; sed non sicut lex tua, Domine.* Ista delectatio manet. Non solum manet quo venias, sed etiam revocat fugientem.

7. *Hæc est enim dilectio Dei, ut præcepta ejus servemus.* Jam audistis, *In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ.* Quomodo noluit te dividere per multas paginas? *In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ.* In quibus duobus præceptis? *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua;* et, *Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 37-40). Ecce de quibus præceptis narrat tota ista Epistola. Tenete ergo dilectionem, et securi estote. Quid times ne male facias alicui? Quis male facit ei quem diligit? Dilige, non potest fieri nisi bene facias. Sed forte corripis? Amor hoc facit, non sævitia. Sed forte cædis? Ad disciplinam facis; quia amor ipsius dilectionis non te permittit negligere indisciplinatum. Et fit quodammodo quasi diversus fructus et contrarius, ut aliquando odium blandiatur, et charitas sæviat. Nescio quis odit inimicum suum, et fingit illi amicitiam : videt illum facere aliquid mali, laudat : vult eum esse præcipitem, vult cæcum ire per abrupta cupiditatum suarum, unde forte non redeat; laudat, *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ* (*Psal.* IX, 3); adhibet illi unctionem adulationis suæ : ecce odit, et laudat. Alter videt amicum suum tale aliquid facere, revocat; si illum non audiat, profert verba etiam castigationis, objurgat, litigat : aliquando venitur ad hanc necessitatem ut litiget. Ecce odium blanditur, et charitas litigat. Noli attendere verba blandientis, et quasi sævitiam objurgantis; venam inspice, radicem unde procedant quære. Ille blanditur ut decipiat, iste litigat ut corrigat. Ergo non opus est, fratres, ut per nos distendatur cor vestrum; impetrate a Deo ut diligatis invicem. Omnes homines, etiam inimicos vestros diligatis : non quia sunt fratres, sed ut fratres sint; ut semper fraterno amore flagretis, sive in fratrem factum, sive in inimicum, ut frater fiat diligendo. Ubicumque fratrem diligitis, amicum diligitis. Jam tecum est, jam in unitate etiam catholica tibi conjunctus est. Si bene vivis, fratrem diligis factum ex inimico. Sed diligis aliquem [2] qui nondum credidit Christo, aut si credidit Christo, ut dæmones credit [3]; reprehendis vanitatem ipsius [4]. Tu dilige, et fraterno amore dilige : nondum est frater, sed ideo diligis ut sit frater. Ergo tota dilectio nostra fraterna est erga Christianos, erga omnia membra ejus. Disciplina charitatis, fratres mei, robur, flores, fructus, pulchritudo, amœnitas, pastus, potus, cibus, amplexus, sine satietate est. Si sic nos delectat peregrinos, in patria quomodo gaudebimus?

[1] Editi, *diligatur.* Novem Mss., *diligitur.* Alii duo, *delectat.*
[2] Er. Lugd. Ven., *si*, pro, *sed*, et paulo infra cum Lov., *tu diligis.* M.
[3] Er. Lugd. Ven. Lov., *credidit.* M.
[4] Aliquot Mss., *reprehendit unitatem ipsius.*

8. Curramus ergo, fratres mei, curramus, et diligamus Christum. Quem Christum? Jesum Christum. Quis est iste? Verbum Dei. Et quomodo venit ad ægrotos? *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Completum est ergo quod Scriptura prædixit, *Oportebat Christum pati, et resurgere tertia die a mortuis.* Corpus ipsius ubi jacet? Membra ipsius ubi laborant [1]? Ubi esse debes, ut sub capite sis? *Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipiens ab Jerusalem* (*Luc.* XXIV, 46, 47). Ibi diffundatur charitas tua. Dicit Christus et Psalmus, id est, Spiritus Dei, *Latum mandatum tuum valde;* et nescio quis ponit in Africa fines charitatis! Extende charitatem per totum orbem, si vis Christum amare; quia membra Christi per orbem jacent. Si amas partem, divisus es : si divisus es, in corpore non es : si in corpore non es, sub capite non es. Quid prodest quia credis, et blasphemas? Adoras illum in capite, blasphemas in corpore. Amat ille corpus suum. Si tu te præcidisti a corpore ipsius, caput non se præcidit a corpore suo. Sine causa me honoras, clamat tibi caput desuper; sine causa me honoras. Tanquam si velit tibi aliquis osculari caput, et calcare tibi pedes : forte caligis clavatis contereret pedes tuos [2], volens tibi tenere caput, et osculari; nonne inter verba honorantis clamares et diceres, Quid facis, homo? calcas me. Non diceres, Calcas caput meum; quia caput honorabat : sed plus clamaret caput pro membris calcatis, quam pro se, quia honorabatur. Nonne clamat ipsum caput, Nolo honorem tuum; calcare me noli? Jam tu dic, si potes, Quare te calcavi? dic illud capiti, Te osculari volui, amplecti volui. Sed non vides, o stulte, quia quod vis amplecti, per quamdam compagem unitatis pervenit ad id quod calcas? Susum me honoras, jusum me calcas. Plus dolet quod calcas, quam gaudet quod honoras; quia quod honoras, dolet pro eis quos calcas. Quomodo clamat lingua? Dolet mihi. Non dicit, Dolet pedi meo; sed, Dolet mihi, dicit. O lingua, quis te tetigit? quis percussit? quis stimulavit? quis pupugit? Nemo, sed conjuncta sum eis quæ calcantur. Quomodo vis non doleam, quando non sum separata?

9. Dominus ergo noster Jesus Christus ideo ascendens in cœlum die quadragesimo, commendavit corpus suum qua habebat jacere, quia vidit multos honoraturos se, quia ascendit in cœlum; et vidit quia honor ipsorum inutilis est, si conculcant membra ipsius in terra. Et ne quis erraret, et cum adoraret caput in cœlo, calcaret pedes in terra, dixit ubi essent membra ipsius. Ascensurus enim dixit verba novissima; post ipsa verba non est locutus in terra. Ascensurum caput in cœlum commendavit membra in terra, et discessit. Jam non invenis loqui Christum in terra : invenis illum loqui, sed de cœlo. Et de ipso cœlo quare? Quia membra calcabantur in terra. Persecutori enim Saulo dixit desuper, *Saule, Saule, quid me persequeris* (*Act.* IX, 4)? Ascendi in cœlum, sed adhuc in terra jaceo :

[1] Er., *Corpus ipsius ubi jacet, membra ipsius laborant.* M.
[2] Er. Lugd. Ven. Lov., *conteret pedes tuos.* M.

hic ad dexteram Patris sedeo; ibi adhuc esurio, sitio, et peregrinus sum. Quomodo ergo corpus commendavit in terra ascensurus? Cum interrogarent illum discipuli, *Domine, si hoc in tempore præsentaberis, et quando regnum Israel?* respondit iturus, *Non est vestrum scire tempus quod Pater posuit in sua potestate: sed accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientem in vos, et eritis mihi testes.* Videte qua diffundat corpus suum, videte ubi se calcari non vult: *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in totam Judæam, et Samariam, et usque in totam terram* (*Act.* I,6-8). Ecce qua jaceo qui ascendo. Ascendo enim, quia caput sum: jacet adhuc corpus meum. Qua jacet? Per totam terram. Cave ne percutias, cave ne violes, cave ne calces: novissima verba Christi sunt ista, ituri in cœlum. Considerate languentem in lecto hominem, in domo jacentem, et maceratum ægritudine, proximum morti, anhelantem, jam animam quodammodo inter dentes habentem, qui forte sollicitus de aliqua re chara sibi, quam multum diligit, veniat illi in mentem, et vocet hæredes suos et dicat, Rogo vos, facite hoc. Tenet quodammodo violenter animam, ne ante exeat quam illa verba firmentur. Cum illa verba novissima dictaverit, efflat animam: tollitur cadaver in sepulcrum. Hæredes ipsius quomodo meminerunt novissima verba morientis? Quomodo, si quis existat qui dicat eis, Nolite facere: quid ergo illi dicant? Ergo non facio quod mihi pater meus efflans animam novissime mandavit, quod ultimum sonuit in aures meas, proficiscente hinc patre meo? Quævis alia verba ipsius aliter possum habere, novissima verba me plus tenent: non eum vidi amplius, non audivi loquentem. Fratres, cogitate visceribus christianis, si hæredibus sunt tam dulcia, tam grata, tam magni ponderis verba ituri in sepulcrum; hæredibus Christi, qualia debent esse verba novissima, non redituri in sepulcrum, sed ascensuri in cœlum! Namque ille qui vixit et mortuus est, rapitur ad alia loca anima ipsius, corpus ipsius ponitur in terra: an fiant illa verba, an non fiant, non ad eum pertinet; jam aliud agit, aut aliud patitur: aut in sinu Abrahæ gaudet, aut in igne æterno aquæ modicum desiderat (*Luc.* XVI, 22, etc.); in sepulcro autem ipsius jacet cadaver sine sensu; et custodiuntur verba novissima morientis. Quid sibi sperant illi qui verba novissima sedentis in cœlo non custodiunt, videntis desuper an contemnantur, an non contemnantur? illius qui dixit, *Saule, Saule, quid me persequeris?* qui servat ad judicium quidquid videt pati membra sua?

10. Et quid nos fecimus, inquiunt? nos sumus passi persecutionem, non fecimus. Vos fecistis, o miseri: primo, quia divisistis Ecclesiam. Major est machæra linguæ quam ferri. Superba fuit ancilla Saræ Agar; et afflicta est a domina sua propter superbiam. Disciplina erat illa, non pœna. Ideo cum recessisset a domina sua, quid ei dixit angelus? *Revertere ad dominam tuam* (*Gen.* XVI, 4-9). Sic ergo carnalis anima, tanquam ancilla superba, si forte aliquas molestias passa es propter disciplinam, quid insanis? Redi ad dominam tuam, tene dominicam pacem. Ecce proferuntur Evangelia, legimus qua diffunditur Ecclesia: disputatur contra, et dicitur nobis, Traditores. Cujus rei traditores? Christus commendat Ecclesiam suam, et non credis: ego tibi crediturus sum maledicenti parentibus meis? Vis ut credam tibi de traditoribus? crede tu prius Christo. Quid est dignum? Christus Deus est, tu homo es: cui prius debet credi? Christus Ecclesiam suam toto orbe diffudit: ego dico, contemne; Evangelium loquitur, cave. Quid dicit Evangelium? *Oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis die tertia, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum.* Ubi remissio peccatorum, Ecclesia est. Quomodo Ecclesia? Illi enim dictum est, *Tibi dabo claves regni cœlorum: et quæ solveris in terra, soluta erunt et in cœlis; et quæ ligaveris in terra, ligata erunt et in cœlis* (*Matth.* XVI, 19). Qua diffunditur ista remissio peccatorum? *Per omnes gentes, incipiens ab Jerusalem* (*Luc.* XXIV, 47). Ecce crede Christo. Sed quia intelligis, si credideris Christo, non te habere quod dicas de traditoribus; tibi vis ut credam[1] parentibus meis maledicenti, quam tu credas Christo prædicenti (*a*).

[1] Plures e Mss., *ut credam et parentibus.* Et prope omnes pro, *prædicenti*, quod ultimum verbum est, habent, *vræ-dicanti.*

(*a*) Hic desinit Tractatus in omnibus codicibus.

DE SUBSEQUENTI OPERE,

Vide librum 1, *cap.* 23, Retractationum, *col.* 620, *a verbis*, Cum presbyter adhuc essem, *n.* 1, *usque ad col.* 622, *n.* 4, *verbis*, in Epistola Pauli ad Romanos. M

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

EXPOSITIO QUARUMDAM PROPOSITIONUM

EX

EPISTOLA AD ROMANOS.

Liber unus [a].

Sensus hi sunt in Epistola ad Romanos Pauli apostoli. Primo omnium ut quisque intelligat in hac Epistola quæstionem versari operum Legis et gratiæ.

PROPOSITIO PRIMA. [ROM. *cap.* I, ỳ. 4.] Quod autem ait, *Secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum*, id est, quia Spiritus donum acceperunt post ejus resurrectionem : mortuorum vero resurrectionem memorat, quia in ipso omnes crucifixi sumus, et resurreximus.

II. [Ib. I, 11.] Quod autem dicit, *Ut gratiam vobis spiritualem impertiar :* dilectionem scilicet Dei et proximi, ut per charitatem Christi Gentibus in Evangelium vocatis minime inviderent.

III. [Ib. I, 18.] Quod autem dicit, *Revelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem*, etc., ait et Salomon de sapientibus mundi : *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum; quomodo ipsius mundi Dominum et Creatorem non facilius invenerunt* (*Sap.* XIII, 9)? Sed quos arguit Salomon, non cognoverunt per creaturam Creatorem : quos autem arguit Apostolus, cognoverunt ; sed gratias non egerunt, et dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, et ad colenda simulacra deciderunt (*Rom.* I, 21-23). Nam sapientes Gentium quod invenirent Creatorem, manifeste idem apostolus, cum Atheniensibus loqueretur, ostendit. Cum enim dixisset, *Quia in ipso vivimus, et, movemur et sumus ;* addidit, *Sicut et quidam secundum vos dixerunt* (*Act.* XVII, 28). Hac autem intentione prius arguit impietatem Gentium, ut ex hac probet etiam ad gratiam posse pertingere conversos. Injustum est enim ut pœnam subeant impietatis, et præmium fidei non accipiant.

IV. [Ib. I, 21.] Quod autem dicit, *Cognoscentes Deum, non ut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*, hoc caput est peccati, de quo dictum est, *Initium omnis peccati superbia* (*Eccli.* X, 15). Qui si gratias egissent Deo, qui dederat hanc sapientiam, non sibi aliquid tribuissent cogitationibus suis. Quapropter in desideria cordis sui traditi sunt a Domino, ut facerent quæ non convenirent.

V. [Ib. I, 24.] Quod autem dicit, *Tradidit*, intelligitur, dimisit in desideria cordis eorum. Mercedem autem mutuam dicit recepisse de Deo, ut traderentur in desideria cordis sui.

VI. [Ib. I, 28, 29.] Quod autem demum dicit, *Tradidit illos Deus in reprobam mentem*, etc., *repletos*, ait, *omni iniquitate*, datur intelligi, ad nocendum pertinere ista quæ nunc dicit, id est facinora. Superius autem dicebat de corruptelis quæ flagitia nominantur, ex quibus ad facinora pervenitur ; quoniam quisque perniciosam dulcedinem flagitiorum sequens, dum impedientes personas removere conatur, pergit in facinus. Sic distinctus est etiam ille locus in Sapientia Salomonis, ubi cum enumerasset superiora flagitia, ait : *Circumveniamus pauperem justum, quoniam inutilis est nobis* (*Sap.* II, 12), etc.

VII-VIII. [Ib. I, 32 ; II, 1.] Quod autem dicit, *Non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*, significat quia quæcumque fecerunt, non inviti [1], sed cum ad mala facta consentiunt, etiam illa quæ fecerunt [2] approbant : et ideo de perfectis jam peccatis dicit [3], *Propterea inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas. Omnis* autem cum dicit, subintrat jam ut monstret non solum Gentilem, sed etiam Judæum qui

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Collata est (præsens Expositio) ad Mss. Victorinos duos, ad unum Vaticanum, ad Thuaneum, Corbeiensem, Germanensem, Colbertinum, Jolyensem, Navarricum, et unum Bernardinorum Parisiensis collegii ; ad variantes lectiones Lov. ex tribus Belgicis codicibus ; ad editiones Am. Er. et Lov. Quibus in editionibus observamus propositionum distinctionem haud esse idoneam, una videlicet atque eadem propositione in duas pluresve passim dissecta : nunc porro alia induci distinctio cum numericarum notarum mutatione non potuit, ne pareret confusionem.

Comparavimus præterea omnes editiones initio Retr. et Confess. *t.* 1, *memoratas*. M.

(*a*) Scriptus circiter Christi an. 394 : scilicet Augustino adhuc presbytero, ex lib. 1 Retract., cap. 23, n. 1.

[1] Editi : *non inviti fecerunt. Nam cum ad mala.* At omnes Mss., *non inviti, sed cum*, etc., excepto uno Victorino qui habet, *non inviti fecerunt, sed cum.*

[2] Editi : *illa quæ non fecerunt.* Abest, *non*, ab octo Mss.

[3] Editi, *jam peccatis dicit. Quod autem ait, Propterea.* At Mss. carent istis verbis, *Quod autem ait ;* quæ in editis initium sunt Propositionis octavæ. Sed contra in Mss. verba sequentia ad Propositionem septimam pertinent.

secundum Legem volebat judicare de Gentibus.

IX. [Ib. II, 5.] Quod autem dicit, *Thesaurizas tibi iram in die iræ*, iram Dei ubique loquitur pro vindicta. Idcirco ait *justi judicii Dei*. Notandum autem quia ira Dei ponitur et in Novo Testamento : quod cum in Vetere legunt homines qui Legi veteri adversantur (*a*), culpandam eam putant; cum Deus utique, sicuti nos, perturbationibus non subjaceat, dicente Salomone, *Tu autem, Domine virtutum, cum tranquillitate judicas* (*Sap*. XII, 18). Sed ira, ut dictum est, in vindictæ significatione ponitur.

X. [Ib. II, 15.] Quod autem dicit, *Contestante conscientia illorum*, secundum illud loquitur Joannis apostoli quo ait, *Dilectissimi, si cor nostrum nos reprehenderit, major est Deus conscientia nostra*, etc., (I *Joan.* III, 20).

XI. [Ib. II, 29.] Quod autem dicit, *Spiritu, non littera*, hoc est, ut secundum spiritum, non secundum quod habet littera, Lex intelligatur : quod utique contigit illis qui circumcisionem magis carnaliter quam spiritualiter acceperunt.

XII. [Ib. II, 29.] Quod autem dicit, *Cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo*, illi convenit quod ait, *Qui in secreto Judæus est.*

XIII-XVIII. [Ib. III, 20.] Quod autem dicit, *Quia non justificabitur in Lege omnis caro coram illo : per legem enim cognitio peccati*, et cætera similia, quæ quidam putant in contumeliam Legis objicienda, sollicite satis legenda sunt, ut neque lex ab Apostolo improbata videatur, neque homini arbitrium liberum sit ablatum. Itaque quatuor istos gradus hominis distinguamus; ante Legem, sub Lege, sub gratia, in pace. Ante Legem, sequimur concupiscentiam carnis : sub Lege, trahimur ab ea : sub gratia, nec sequimur eam, nec trahimur ab ea : in pace, nulla est concupiscentia carnis. Ante Legem ergo non pugnamus; quia non solum concupiscimus et peccamus, sed etiam approbamus peccata : sub Lege pugnamus, sed vincimur; fatemur enim mala esse quæ facimus, et fatendo mala esse, utique nolumus facere, sed quia nondum est gratia, superamur. In isto gradu ostenditur nobis quomodo jaceamus, et dum surgere volumus et cadimus, gravius affligimur. Inde hic dicitur, *Lex subintravit, ut abundaret delictum* (*Rom.* v, 20). Inde et quod nunc positum est, *Per Legem enim cognitio peccati*. Non enim ablatio peccati est; quia per solam gratiam aufertur peccatum. Bona est ergo Lex, quia ea vetat quæ vetanda sunt, et ea jubet quæ jubenda sunt. Sed cum quisque illam viribus suis se putat implere, non per gratiam Liberatoris sui, nihil ei prodest ista præsumptio : imo etiam tantum nocet, ut et vehementiori peccati desiderio rapiatur, et in peccatis etiam prævaricator inveniatur. *Ubi enim non est Lex, nec prævaricatio* (*Id.* IV, 15). Sic ergo jacens cum se quisque cognoverit per seipsum surgere non valere, imploret Liberatoris auxilium. Venit ergo gratia quæ donet peccata præterita, et conantem adjuvet, et tribuat charitatem justitiæ, et auferat metum. Quod cum fit, tametsi desideria quædam carnis, dum in hac vita sumus, adversus spiritum nostrum pugnant, ut eum ducant in peccatum; non tamen his desideriis consentiens spiritus, quoniam est fixus in gratia et charitate Dei, desinit peccare. Non enim in ipso desiderio pravo, sed in nostra consensione peccamus. Ad hoc valet quod dicit idem apostolus, *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus* (*Rom.* VI, 12). Hinc enim ostendit esse desideria, quibus non obediendo, peccatum in nobis regnare non sinimus. Sed quoniam ista desideria de carnis mortalitate nascuntur, quæ trahimus ex primo peccato primi hominis, unde carnaliter nascimur ; non finientur hæc, nisi resurrectione corporis immutationem illam, quæ nobis promittitur, meruerimus, ubi perfecta pax erit, cum in quarto gradu constituemur[1]. Ideo autem perfecta pax, quia nihil nobis resistet non resistentibus Deo. Hoc est quod dicit Apostolus, *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam. Si ergo Spiritus ejus qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Christum Jesum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis* (*Id.* VIII, 10, 11). Liberum ergo arbitrium perfecte fuit in primo homine, in nobis autem ante gratiam non est liberum arbitrium ut non peccemus, sed tantum ut peccare nolimus. Gratia vero efficit ut non tantum velimus recte facere, sed etiam possimus; non viribus nostris, sed Liberatoris auxilio, qui nobis etiam perfectam pacem in resurrectione tribuet, quæ pax perfecta bonam voluntatem consequitur. *Gloria* enim *in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14).

XIX. [Ib. III, 31.] Quod autem dicit, *Legem ergo evacuamus per fidem? Absit : sed Legem statuimus*, id est, firmamus. Sed quemadmodum firmanda erat Lex, nisi per justitiam? Justitiam autem quæ est per fidem; quia ea ipsa quæ non poterant impleri per Legem, per fidem impleta sunt.

XX. [Ib. IV, 2.] Quod autem ait, *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum;* hoc est, quia Abraham sine Lege dum non ex operibus Legis gloriam conquirit, quasi suis viribus Legem impleat, cum adhuc Lex ista data non esset, Dei illa gloria, non sua est. Non enim merito sui tanquam ex operibus, sed Dei gratia fide justificatus est.

XXI. [Ib. IV, 4.] Quod autem ait, *Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*, dixit quemadmodum homines hominibus reddant mercedem. Nam Deus per gratiam dedit, quia peccatoribus dedit, ut per fidem juste viverent, id est bene operarentur. Quod ergo bene operamur jam accepta gratia, non nobis, sed illi tribuendum est, qui per gratiam nos justificavit. Nam si debitam mercedem vellet reddere, pœnam redderet debitam peccatoribus.

XXII. [Ib. IV, 5.] Quod autem ait, *Qui justificat impium*, hoc est ex impio pium facit, ut de cætero in

(*a*) Manichæi.

[1] Am. et Er., *pax erit quam in quarto gradu constituimus.*

ipsa pietate permaneat atque justitia : quia ideo justificatus est ut justus sit, non ut peccare sibi licere arbitretur.

XXIII. [Ib. IV, 15.] Quod autem ait, *Lex enim iram operatur*, vindictam significat, et ad illum gradum pertinet, cum est quisque sub Lege.

XXIV. [Ib. IV, 17.] Quod autem ait, *Ante Deum cui credidit*, significavit fidem in interiore homine esse in conspectu Dei ; non in ostentatione hominum, sicuti est carnis circumcisio.

XXV. [Ib. IV, 20.] Quod autem ait de Abraham, *Dans gloriam Deo*, adversus illos positum est, qui gloriam suam de operibus Legis coram hominibus quærebant.

XXVI. [Ib. V, 3.] Quod autem ait, *Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus*, et cætera gradatim perducit usque ad charitatem Dei ; quam charitatem dum dicit nos habere per donum Spiritus, monstrat illa omnia quæ possemus nobis tribuere, Deo esse tribuenda, qui per Spiritum sanctum gratiam dare dignatus est.

XXVII-XXVIII. [Ib. V, 13.] Quod autem ait, *Usque ad Legem enim peccatum in mundo fuit*, intelligendum est quousque veniret gratia. Contra eos enim dictum est, qui arbitrantur per Legem auferri potuisse peccata. Dicit autem Apostolus manifestata esse peccata per Legem, non autem ablata, cum dicit, *Peccatum autem non deputabatur, cum Lex non esset.* Non enim ait, non erat; sed, *non deputabatur.* Neque cum Lex data est, ablatum est; sed deputari cœpit, id est, apparere. Non ergo putemus, *usque ad Legem*, ita dictum esse, quasi jam sub Lege non esset peccatum : sed sic dictum est, *usque ad Legem*, ut totum Legis tempus annumeres usque ad finem Legis, quod est Christus.

XXIX. [Ib. V, 14.] Quod autem ait, *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, et in iis qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ* [1], duobus modis distinguitur : aut, *In similitudinem prævaricationis Adæ regnavit mors;* quia et qui non peccaverunt, ex origine mortalitatis Adam, mortui sunt. Aut certe, *Regnavit mors et in his qui non in similitudinem prævaricationis Adæ peccaverunt*, sed ante Legem peccaverunt : ut illi peccasse intelligantur in similitudinem prævaricationis Adæ, qui Legem acceperunt ; quia et Adam accepta præcepti lege peccavit. Sane etiam id quod dictum est, *usque ad Moysen*, totum tempus Legis intelligendum est. *Forma* autem *futuri* dictus est Adam, sed a contrario : ut quomodo per illum mors, sic per Dominum nostrum vita.

[Ib. V, 15-19.] Quod autem ait, *Sed non sicut delictum, ita est et donatio*, duobus modis donatio præcellit : vel quod multo magis abundat gratia, quia utique in æternum per illam vivitur ; temporaliter autem per mortem Adæ mors regnavit : vel quod unius delicti condemnatione mors multorum facta est per Adam; per Dominum autem nostrum Jesum Christum multorum delictorum donatione data gratia in vitam æternam. Aliam vero differentiam sic explicat dicens : *Et non sicut per unum peccantem* [1] *ita est et donum. Nam judicium quidem ex uno in condemnationem : gratia autem ex multis delictis, ad justificationem. Ex uno* ergo quod dictum est, subauditur, delicto ; quia sequitur, *gratia autem ex multis delictis.* Ergo hæc differentia est, quod in Adam unum delictum damnatum est, a Domino autem multa donata sunt. Quod ergo sequitur, ambas istas differentias tenet, ut explicetur sic : *Si enim ob unius delictum mors regnavit per unum, multo magis qui abundantiam gratiæ et justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Quod ergo dixit, *Multo magis regnabunt*, ad vitam æternam pertinet : quod autem dixit, *Abundantiam gratiæ accipiunt*, ad donationem multorum pertinet delictorum. Post explicatas autem has differentias, redit ad formam unde cœperat, cujus ordinem suspenderat, cum diceret : *Sicut enim per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors* (*Rom.* V, 12). Ad quod nunc redit, cum dicit : *Itaque sicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem; ita et per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obedientiam justi constituentur multi.* Hæc est forma futuri Adam, de qua superius loqui cœperat, et ejus aliquas differentias interponens distulerat ordinem, ad quem nunc redeundo conclusit, dicens, *Itaque sicut per unius delictum in omnes homines*, etc.

XXX. [Ib. V, 20.] Quod autem ait, *Lex subintravit ut abundaret delictum*, ipso verbo satis significavit nescisse Judæos qua dispensatione Lex data sit. Non enim data est quæ posset vivificare ; quia gratia vivificat per fidem : sed data est Lex ad ostendendum quantis quamque arctis vinculis peccatorum constringerentur, qui de suis viribus ad implendam justitiam præsumebant. Sic abundavit peccatum, cum et concupiscentia ex prohibitione ardentior facta est, et peccantibus contra Legem prævaricationis crimen accessit. Quod intelligit qui secundum gradum in illis quatuor gradibus considerat (*a*).

XXXI. [Ib. VI, 1, 2.] Quod autem ait, *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo?* hinc ostendit de præteritis peccatis factum esse ut donarentur, et in eo superabundasse gratiam, ut præterita peccata dimitterentur [2]. Ergo quisquis adhuc quærit augmenta peccati, ut augmentum gratiæ sentiat, non intelligit se id agere, ut nihil in eo gratia operetur. Opus enim gratiæ est ut moriamur peccato.

[1] Ad isthæc verba, *in similitudinem prævaricationis Adæ*, apud Am. et Er. omittuntur versus circiter quadraginta, et lacuna his tribus impletur verbis, *hic minus habet*, quæ haud dubie e margine irrepserunt in textum. Atque inde contigit ut cum Propositione vigesima nona confunderetur altera quæ incipiebat ab istis verbis : *Quod autem ait, sed non sicut delictum*, etc.

[1] Sic Mss. juxta græcum, *di' henòs hamartêsantos*. At editi, *per unum peccatum.*

[2] Mss., *ut prævaricata peccata dimitterentur.*

(*a*) Supra, Prop. 13.

XXXII-XXXIV. [Ib. VI, 6.] Quod autem ait, *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut evacuaretur corpus peccati*, refertur ad illud quod per Moysen dictum est, *Maledictus omnis qui in ligno pependerit* (*Deut.* XXI, 23). Veteris enim hominis crucifixio significata est in cruce Domini, sicut novi hominis instauratio in resurrectione significata est. Manifestum est autem secundum eum nos agere veterem hominem, qui maledictus est : propter quem peccatum et de Domino dictum esse nemo ambigit, quod peccata nostra portavit (*Isai.* LIII, 11), et peccatum pro nobis fecit (II *Cor.* V, 21), et de peccato condemnavit peccatum (*Rom.* VIII, 3). Quid est autem evacuare corpus peccati? Ipse exposuit : *Ut ultra non serviamus peccato*. Et illud quod ait, *Si mortui sumus cum Christo*, hoc est, si crucifixi sumus cum Christo. Dicit enim alio loco : *Qui enim Christi Jesu sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (*Galat.* V, 24). Non ergo Domino maledixit Moyses, sed quid ostenderet ejus crucifixio prophetavit.

XXXV. [Ib. VI, 14.] Quod autem ait, *Peccatum enim in vobis non dominabitur : non enim estis sub Lege, sed sub gratia*, utique ad tertium illum gradum jam pertinet, ubi homo jam mente servit Legi Dei, quamvis carne serviat legi peccati (*Rom.* VII, 25). Non enim obaudit desiderio peccati, quamvis adhuc sollicitent concupiscentiæ, et provocent ad consensionem, donec vivificetur etiam corpus, et absorbeatur mors in victoriam (I *Cor.* XV, 54). Quia ergo non consentimus desideriis pravis, in gratia sumus, et non regnat peccatum in nostro mortali corpore : et omnino ex illo loco ubi ait, *Qui mortui sumus peccato, quomodo vivemus in eo* (*Rom.* VI, 12, 2)? eum describit, qui est sub gratia constitutus. Cui autem dominatur peccatum, quamvis velit peccato resistere, adhuc sub Lege est, nondum sub gratia.

XXXVI. [Ib. VII, 2.] Quod autem dicit, *Mulier enim sub viro, vivo marito, vincta est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, evacuata est a lege viri*, etc., animadvertendum est istam similitudinem in hoc differre ab ea re propter quam adhibita est, quod hic virum dicit mori, et mulier nubat cui volet, liberata utique a lege viri : ibi autem cum constituat animam quasi mulierem, virum autem quasi passiones peccatorum, quæ operantur in membris, ut fructum ferant morti, id est, ut tali conjugio proles digna nascatur; et Lex (*a*) quæ data est non ad auferendum peccatum, vel ad liberationem a peccato, sed ad ostendendum peccatum ante gratiam; per quod factum est ut sub Lege positi vehementiori desiderio peccandi raperentur, et amplius etiam prævaricatione peccarent : cum ergo et ibi tria sint, anima tanquam mulier, passiones peccatorum tanquam vir, et Lex tanquam lex viri, non ibi tamen peccatis mortuis, tanquam viro mortuo, liberari animam dicit; sed ipsam animam mori peccato, et liberari a Lege, ut sit alterius viri, id est Christi, cum mortua fuerit peccato, quamvis adhuc quasi vivente ipso peccato : quod fit cum adhuc manentibus in nobis desideriis et incitamentis quibusdam ad peccandum, non obedimus tamen, neque consentimus, mente servientes legi Dei; quia mortui sumus peccato. Morietur autem et peccatum, cum reformatio corporis in resurrectione facta fuerit, de qua post dicit, *Vivificabit et mortalia corpora vestra, propter Spiritum manentem in vobis* (*Rom.* VIII, 11).

XXXVII. [Ib. VII, 8, 13.] Quod autem dicit, *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam*, intelligendum est non omnem fuisse concupiscentiam, antequam prohibitione aucta esset. Augetur enim prohibitione concupiscentia, quando deest gratia liberantis : ideo nondum est omnis antequam prohibeatur; cum autem prohibita fuerit, desistente, ut diximus, gratia, tantum crescit concupiscentia, ut ita in suo genere omnis, id est consummata fiat, ut etiam contra Legem fiat, et prævaricatione crimen accumulet. Quod autem dicit, *Sine Lege enim peccatum mortuum est*, non quia non est, dixit *mortuum est*, sed quia latet : quod in consequentibus manifestat, cum dicit, *Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem*. Bona est enim Lex; sed sine gratia ostendit tantummodo peccata, non tollit.

XXXVIII. [Ib. VII, 9, 10.] Quod autem ait, *Ego autem vivebam aliquando sine Lege*, intelligendum est, vivere mihi videbar; quia ante mandatum latebat peccatum. Et quod ait, *Adveniente autem mandato, peccatum revixit; ego autem mortuus sum*, intelligendum est, peccatum apparere cœpit; ego autem mortuum me esse cognovi.

XXXIX. [Ib. VII, 11.] Quod autem ait, *Peccatum enim, occasione accepta per mandatum, fefellit me, et per illud occidit*, ideo dictum est, quia desiderii prohibiti fructus dulcior est. Unde etiam quæcumque peccata occulte fiunt, dulciora sunt : quamvis mortifera ista dulcedo sit. Inde est quod apud Salomonem fallacis doctrinæ imagine sedens mulier, et invitans ut ad se veniant insipientes, scribitur dicere : *Panes occultos libenter edite, et aquam furtivam dulcem bibite* (*Prov.* IX, 17). Ista dulcedo est occasio per mandatum inventa peccati : quæ cum appetitur, utique fallit, et in majores amaritudines vertit.

XL. [Ib. VII, 13.] Quod autem ait, *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit : sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem*, hic evidenter ostendit, quod superius dixerat, *Sine Lege enim peccatum mortuum est* (*Rom.* VII, 8), ideo dixisse, quia latet : quandoquidem nunc dicit, non illud bonum, id est, Legem factam sibi esse mortem, sed peccatum operatum esse mortem per bonum Legis, id est, ut appareret peccatum quod latebat sine Lege. Tunc enim se mortuum quisque cognoscit, cum illud quod recte præceptum esse confitetur, implere non potest; et prævaricationis crimine amplius peccat, quam si non prohiberetur. Hoc est quod in consequentibus dicit, *Ut fiat supra modum peccator aut peccatum* [1] *per mandatum :* quod ante mandatum mi-

(*a*) Forte, *et legem viri quasi legem quæ.*

[1] Editi, *peccator peccans*. Mss. vero, *peccator aut pecca-*

nus erat; quia ubi non est lex, nec prævaricatio.

XLI. [Ib. VII, 14.] Quod autem ait, *Scimus quia Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum*, satis ostendit non posse impleri Legem, nisi ab spiritualibus, quales facit gratia Dei (*a*). Similis enim quisque factus ipsi Legi, facile implet quod præcipit; nec erit sub illa, sed cum illa : is est autem qui jam non capitur temporalibus bonis, nec terretur temporalibus malis.

XLII. [Ib. VII, 14.] Quod autem ait, *Venumdatus sub peccato*, intelligendum est quod unusquisque peccando animam suam diabolo vendit, accepta tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. Unde et Dominus Redemptor noster dictus est, quia hoc modo quo dictum est, venditi eramus.

XLIII. [Ib. VII, 15, 13.] Quod autem ait, *Quod enim operor, ignoro*, potest videri minus intelligentibus, contrarium esse illi sententiæ qua dixit, *Peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Quomodo enim apparet, si ignoratur? Sed *ignoro*, sic dictum est hoc loco, ut intelligatur, non approbo. Quomodo enim tenebræ non videntur, sed lucis comparatione sentiuntur; hoc est autem sentire tenebras, quod est non videre : sic et peccatum, quia non illustratur luce justitiæ, non intelligendo dignoscitur, sicuti tenebras dictum est non videndo sentiri. Et ad hoc pertinet quod in Psalmo dicitur, *Delicta quis intelligit* (*Psal.* XVIII, 13)?

XLIV. [Ib. VII, 19, 20.] Quod autem ait, *Non enim quod volo, hoc ago; sed quod nolo, hoc facio. Si autem quod nolo, hoc facio, consentio Legi, quoniam bona est*, satis quidem Lex ab omni criminatione defenditur : sed cavendum, ne quis arbitretur his verbis auferri nobis liberum voluntatis arbitrium, quod non ita est. Nunc enim homo describitur sub Lege positus ante gratiam. Tunc enim peccatis vincitur, dum viribus suis juste vivere conatur sine adjutorio liberantis gratiæ Dei. In libero autem arbitrio habet ut credat Liberatori, et accipiat gratiam, ut jam illo qui eam donat liberante et adjuvante non peccet; atque ita desinat esse sub Lege, sed cum Lege vel in Lege, implens eam charitate Dei, quod timore non poterat.

XLV-XLVI. [Ib. VII, 23-25.] Quod autem ait, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis,* legem peccati dicit, qua quisque carnali consuetudine implicatus astringitur. Hanc repugnare ait legi mentis suæ, et se captivare sub lege peccati : unde intelligitur ille homo describi, qui nondum est sub gratia (*b*). Si enim repugnaret tantum consuetudo carnalis, et non captivaret, non esset damnatio. In eo enim est damnatio, quod obtemperamus et servimus desideriis pravis carnalibus. Si autem existant, et non desint talia desideria, non tamen his obediamus; non captivamur, et sub gratia jam sumus, de qua loquetur cum exclamaverit et imploraverit Liberatoris auxilium, ut possit per gratiam charitas, quod per Legem timor non poterat. Dixit enim, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et subjecit, *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Deinde incipit describere hominem sub gratia constitutum : qui tertius gradus est illorum quatuor quos superius distinximus (*Prop.*, 13). Ad hunc gradum jam pertinet quod statim subjungit, *Igitur ego ipse mente servio Legi Dei, carne autem legi peccati :* quia licet existentibus desideriis carnalibus, jam non servit consentiendo ad faciendum peccatum, qui sub gratia constitutus mente servit Legi Dei, carne autem legi peccati. Legem autem peccati dicit ex transgressione Adæ conditionem mortalem, qua mortales facti sumus. Ex hac enim labe carnis concupiscentia carnalis sollicitat, et secundum hanc dicit alio loco : *Fuimus et nos natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3).

XLVII. [Ib. VIII, 1.] Quod autem dicit, *Nulla ergo condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Jesu*, satis ostendit condemnationem non esse, si existant desideria carnalia, sed si eis ad peccandum non obediatur. Quod contingit his qui sub Lege constituti sunt, nondum sub gratia. Nam sub Lege constituti non solum repugnantem habent concupiscentiam, sed etiam captivi ducuntur, cum obtemperant ei. Non autem contingit his qui mente serviunt Legi Dei.

XLVIII. [Ib. VIII, 3, 4.] Quod autem ait, « Quod enim impossibile erat Legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum misit in similitudine carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, ut justitia Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum, » manifestissime docet, eadem ipsa præcepta Legis propterea non impleta, quamvis essent implenda, quoniam quibus data erat Lex ante gratiam, dediti erant carnalibus bonis, et ex his beatitudinem acquirere cupiebant, neque metuebant, nisi cum talibus bonis imminebat adversitas; et ideo cum illa temporalia bona turbarentur, facile recedebant a præceptis Legis. Infirmabatur ergo Lex non implendo quod præcipiebat; non sua culpa, sed per carnem, id est, eos homines qui carnalia bona appetendo non amabant Legis justitiam, sed ei temporalia commoda præponebant. Ideo Liberator noster Dominus Jesus Christus suscipiendo mortalem carnem, venit in similitudine carnis peccati. Carni enim peccati debita mors est. At vero illa mors Domini, dignationis fuit, non debiti : et tamen hoc quoque Apostolus peccatum vocat susceptionem mortalis carnis, quamvis non peccatricis, ideo quia immortalis tanquam peccatum facit cum moritur. Sed *de peccato*, inquit, *damnavit peccatum in carne.* Id enim egit mors Domini, ne mors timeretur, et ex eo jam non appeterentur temporalia bona, nec metuerentur temporalia mala, in quibus carnalis erat illa prudentia, in qua impleri Legis præcepta non poterant. Hac autem prudentia in homine Dominico destructa et ablata, justitia Legis impletur, cum secundnm carnem non ambulatur, sed secundum

tum. Sic alibi Augustinus quod forte in græco legeretur *ê hamartia.*

(*a*) I Retract. cap. 23, n. 1.

(*b*) Ibid.

spiritum. Unde verissime dictum est, *Non veni Legem solvere, sed implere* (*Matth.* v, 17). Plenitudo ergo Legis charitas (*Rom.* xiii, 10). Et charitas eorum est qui secundum spiritum ambulant. Hæc enim ad gratiam pertinet Spiritus sancti. Quando enim non erat charitas justitiæ, sed timor, Lex non implebatur.

XLIX. [Ib. viii, 7.] Quod autem ait, *Quia prudentia carnis inimica in Deum : Legi enim Dei non est subjecta; nec enim potest*, ostendit quid dixerit, *inimica* : ne quis putaret tanquam ex adverso principio aliquam naturam, quam non condidit Deus, inimicitias adversus Deum exercere. Inimicus ergo Dei dicitur, qui Legi ipsius non obtemperat, et hoc per carnis prudentiam, id est, cum appetit temporalia bona, et timet temporalia mala. Definitio enim prudentiæ in appetendis bonis et vitandis malis explicari solet. Quapropter recte appellat Apostolus carnis prudentiam, qua hæc appetuntur pro magnis bonis, quæ non perseverant cum homine; et ne hæc amittantur timetur, quæ quandoque amittenda sunt. Non potest autem talis prudentia Legi Dei obtemperare. Sed tunc obtemperatur Legi, cum hæc prudentia exstincta fuerit, ut ei succedat prudentia spiritus, qua nec in temporalibus bonis spes nostra est, neque in malis timor. Eadem namque animæ natura et prudentiam carnis habet, cum inferiora sectatur; et prudentiam spiritus, cum superiora eligit : quemadmodum eadem aquæ natura et frigore congelascit, et calore resolvitur. Sic ergo dictum est, *Legi Dei non est subjecta prudentia carnis; nec enim potest*; quomodo recte diceretur, nivem non posse calefieri; neque enim potest : sed cum adhibito calore solvitur, et calescit aqua, jam nemo potest eam nivem dicere.

L. [Ib. viii, 10.] Quod autem ait, *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter justitiam; Corpus mortuum* dicitur, mortale. Ex ipsius enim mortalitate indigentia rerum terrenarum sollicitat animam, et quædam desideria excitat, quibus ad peccandum non obtemperat qui jam mente servit Legi Dei.

LI. [Ib. viii, 11.] Quod autem ait, *Si Spiritus ejus qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra per inhabitantem Spiritum ejus in vobis*, jam quartum gradum demonstrat ex illis quatuor quos superius distinximus (*Prop.* 13). Sed gradus iste in hac vita non invenitur. Pertinet enim ad spem qua exspectamus redemptionem corporis nostri, quando corruptibile hoc induet incorruptionem, et mortale hoc induet immortalitatem (I *Cor.* xv, 53, 54). Ibi pax perfecta est, quia nihil molestiarum anima de corpore patitur jam vivificato, et in cœlestem qualitatem immutato.

LII. [Ib. viii, 15, 16.] Quod autem ait, *Non enim accepistis spiritum servitutis in timorem* [1], *sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*, evidentissime duorum Testamentorum distincta sunt tempora. Illud enim ad timorem pertinet, Novum autem ad charitatem. Sed quæritur quis sit spiritus servitutis? Nam spiritus adoptionis filiorum, utique Spiritus sanctus est. Spiritus ergo servitutis in timore, ille est qui potestatem habet mortis; quia ipso timore per totam vitam rei erant servitutis qui sub Lege agebant, non sub gratia. Nec mirum est quod eum acceperunt per divinam providentiam qui bona temporalia sectabantur, non quia ipsius est Lex et mandatum. Nam *Lex sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum* (*Rom.* vii, 12) : ille autem spiritus servitutis non utique bonus, quem accipiunt qui præcepta datæ Legis implere non possunt, dum serviunt desideriis carnalibus, nondum gratia Liberatoris assumpti in filiorum adoptionem. Quia et ipse spiritus servitutis non habet quemquam in potestate, nisi qui ei per ordinem divinæ providentiæ traditus fuerit, Dei justitia sua cuique tribuente. Quam potestatem acceperat Apostolus, cum dicit de quibusdam, *Quos tradidi satanæ ut discant non blasphemare* (I *Tim.* i, 20) : et iterum de alio, *Jam judicavi*, inquit, *tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut anima salva sit* (I *Cor.* v, 3, 5). Qui ergo nondum sub gratia sunt, et sub Lege constituti vincuntur peccatis ad obediendum desideriis carnalibus, et prævaricatione augent reatum criminum suorum, spiritum acceperunt servitutis, id est, spiritum ejus qui potestatem mortis habet. Nam si spiritum servitutis ipsum spiritum hominis intellexerimus, incipit et spiritus adoptionis ipse intelligi tanquam in melius commutatus. Sed quia spiritum adoptionis Spiritum sanctum accipimus, quem manifeste ostendit cum dicit, *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro;* restat ut spiritum servitutis illum intelligamus, cui serviunt peccatores : ut quemadmodum Spiritus sanctus a timore mortis vindicat, sic spiritus servitutis qui potestatem habet mortis, ejusdem mortis terrore reos teneat; ut se ad Liberatoris auxilium quisque convertat, etiam ipso diabolo invito, qui eum semper in potestate habere desiderat.

LIII. [Ib. viii, 19-23.] Quod autem ait, *Nam exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est non sponte*, etc., usque ad id quod ait, *Et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri*, sic intelligendum est, ut neque sensum dolendi et gemendi opinemur esse in arboribus et oleribus et lapidibus, et cæteris hujuscemodi creaturis; hic enim error Manichæorum est : neque Angelos sanctos vanitati subjectos esse arbitremur; et de his existimemus quod liberabuntur a servitute interitus, cum interituri utique non sint : sed omnem creaturam in ipso homine sine ulla calumnia cogitemus. Non enim creatura ulla esse potest, nisi aut spiritualis, quæ excellit in Angelis; aut animalis, quæ etiam in vita bestiarum satis apparet; aut corporalis, quæ videri aut tangi potest : omnis autem est etiam in homine; quia homo constat spiritu et anima et corpore. Ergo crea-

[1] Editi, *in timore*. At Mss., *in timorem*; juxta græcum *eis phobon*, cui consentit Vulgata in antiquis Corbeiensibus Bibliis.

tura revelationem filiorum Dei exspectat, quidquid nunc in homine laborat, et corruptioni subjacet, illam scilicet manifestationem de qua idem dicit apostolus : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo : cum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria* (*Coloss.* III, 3, 4). Dicit et Joannes : *Dilectissimi, nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus : scimus autem quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I *Joan.* III, 2). Hanc ergo revelationem filiorum Dei exspectat creatura quæ in homine nunc vanitati subjecta est, quamdiu dedita est temporalibus rebus, quæ transeunt tanquam umbra. Unde et in Psalmo dicitur : *Homo vanitati similis factus est; dies ejus velut umbra prætereunt* (*Psal.* CXLIII, 4). De qua vanitate etiam Salomon loquitur, cum dicit : *Vanitas vanitantium* [1], *et omnia vanitas : quæ abundantia homini in omni labore suo, quo ipse laborat sub sole* (*Eccle.* I, 2, 3)? De qua item David dicit : *Utquid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium* (*Psal.* IV, 3)? Non sponte autem dicit esse subjectam vanitati creaturam, quoniam pœnalis est ista subjectio. Non enim homo sicut sponte peccavit, sic etiam sponte damnatus est : quæ tamen damnatio non sine spe reparationis irrogata est naturæ nostræ. Et ideo, *Propter eum*, inquit, *qui subjecit in spe; quia et ipsa creatura liberabitur a servitute interitus, in libertatem gloriæ filiorum Dei;* id est, etiam ipsa quæ tantummodo creatura est, nondum per fidem aggregata numero filiorum Dei : sed tamen in eis qui credituri erant, videbat Apostolus quod dicit, quia *creatura liberabitur a servitute interitus*, ut interitui non serviat, cui serviunt omnes peccatores. Peccatori enim dictum est, *Morte morieris* (*Gen.* II, 17). *Liberabitur* autem *in libertatem gloriæ filiorum Dei*, id est, ut et ipsa perveniat [2] ad libertatem gloriæ filiorum Dei per fidem : quæ fides cum in ea non erat, tantummodo creatura dicebatur. Et ad ipsam refert quod sequitur : *Scimus enim quia creatura congemiscit et dolet usque adhuc.* Erant enim adhuc credituri qui etiam spiritu subjacebant laboriosis erroribus. Sed ne quis putaret de ipsorum labore tantum dictum esse, subjungit etiam de iis qui jam crediderant. Quanquam enim spiritu, hoc est, mente servirent Legi Dei, tamen quia carne servitur legi peccati (*Rom.* VII, 25), quamdiu molestias et sollicitationes mortalitatis nostræ patimur, ideo addidit, dicens : *Non solum autem ipsi, sed et nos primitias spiritus habentes, et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus.* Non solum ergo, inquit, ipsa quæ tantummodo creatura dicitur in hominibus qui nondum crediderunt, et ideo nondum in filiorum Dei numero constituti sunt, congemiscit et dolet : sed etiam nosmetipsi qui credimus, et spiritus primitias habemus, quia jam spiritu adhæremus Deo per fidem, et ideo non jam creatura, sed filii D i appellamur, tamen *et ipsi in nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem exspectantes, redemptionem corporis nostri.* Hæc enim adoptio, quæ jam facta est in iis qui crediderunt, spiritu non corpore facta est. Nondum enim etiam corpus reformatum est in cœlestem illam immutationem, sicut spiritus jam mutatus est reconciliatione fidei ab erroribus conversus ad Deum. Ergo etiam in iis qui crediderunt, exspectatur adhuc illa manifestatio quæ in corporis resurrectione proveniet : quæ pertinet ad quartum illum gradum, ubi ex toto perfecta pax erit, et quies æterna, nulla nobis ex aliqua parte corruptione resistente, aut sollicitante molestia (*a*).

LIV. [Ib. VIII, 26, 27.] Quod autem ait, *Similiter et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : quid enim oremus, sicut oportet, nescimus*, manifestum est eum de Spiritu sancto dicere; quod in consequentibus clarum est, ubi ait, *Quia secundum Deum interpellat pro sanctis.* Nos ergo *quid oremus, sicut oportet, nescimus*, duas ob res : quod et illud quod futurum speramus, et quo tendimus, nondum apparet; et in hac ipsa vita multa possunt nobis prospera videri quæ adversa sunt, et adversa quæ prospera. Nam et tribulatio quando accidit servo Dei ad probationem vel emendationem, videtur nonnunquam minus intelligentibus inutilis : sed si referatur ad illud quod dictum est, *Da nobis auxilium de tribulatione; et vana salus hominis* (*Psal.* LIX, 13), intelligitur quia plerumque de tribulatione nos adjuvat Deus; et frustra salus optatur, quæ aliquando adversa est, cum delectatione et amore hujus vitæ implicat animam. Inde est et illud : *Tribulationem et dolorem inveni, et nomen Domini invocavi* (*Psal.* CXIV, 3 *et* 4). Cum enim dicit, *inveni*, significat utilem : non enim recte gratulamur nos invenisse, nisi quod quærebamus. Ergo *quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Deus enim novit et quid nobis in hac vita expediat, et quid post hanc vitam daturus sit. *Sed ipse Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus.* Gemere dicit Spiritum, quod nos gemere faciat charitate, concitans desiderium futuræ vitæ : sicut dicit, *Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis eum* (*Deut.* XIII, 3), id est, ut scire vos faciat. Non enim Deum aliquid latet.

LV. [Ib. VIII, 28-30.] Quod autem ait, *Quos vocavit, ipsos et justificavit*, potest movere, et quæri utrum omnes qui vocati sunt, justificentur. Sed alibi legimus, *Multi vocati, pauci autem electi* (*Matth.* XXII, 14). Tamen quia ipsi quoque electi utique vocati sunt, manifestum est non justificatos nisi vocatos, quanquam non omnes vocatos, sed eos *qui secundum propositum vocati sunt*, sicut superius dixit. Propositum autem Dei accipiendum est, non ipsorum. Ipse autem exponit quid sit secundum propositum, cum dicit, *Quoniam quos ante præscivit, et prædestinavit conformes imaginis Filii ejus.* Non enim omnes qui vocati sunt, secundum propositum vocati sunt : hoc enim propositum ad præscientiam et ad prædestinationem Dei pertinet; nec prædestinavit aliquem, nisi quem præscivit crediturum et secuturum vocationem suam, quos et electos dicit. Multi enim non veniunt, cum

[1] Editi, *Vanitas vanitatum.* At Mss., *Vanitas vanitantium;* sicuti se aliquando legisse testatur Augustinus in lib. I Retractationum, cap. 7.

[2] Apud Am. et Er. omittitur, *id est etiam ipsa quæ tantummodo*, etc. usque ad illud, *id est ut et ipsa perveniat.*

(*a*) Vid. Prop. 13.

vocati fuerint : nemo autem venit qui vocatus non fuerit.

LVI. [Ib. VIII, 29.] Quod autem dicit, *Ut sit primogenitus in multis fratribus*, satis docet aliter intelligendum Dominum nostrum unigenitum, aliter primo genitum. Nam ubi Unigenitus dicitur, fratres non habet, et naturaliter est Filius Dei, Verbum in principio, per quod facta sunt omnia (*Joan.* I, 1, 3). Secundum susceptionem autem hominis et incarnationis dispensationem, per quam nos etiam non naturaliter filios in adoptionem filiorum vocare dignatus est, primogenitus dicitur cum adjunctione fratrum. Ubi enim primus dicitur, non utique solus, sed consecuturis fratribus in id quo ipse præcessit. Unde et alio loco primogenitum eum a mortuis dicit, ut sit ipse primatum tenens (*Coloss.* I, 18). Resurrectio enim mortuorum ut jam non moriantur, ante illum nulla : post illum autem multorum sanctorum est, quos fratres non confunditur appellare propter ipsam communicationem humanitatis.

LVII. [Ib. VIII, 35.] Quod autem dicit, *Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio?* etc., ex superiore sententia pendet, ubi ait, *Si tamen compatimur, ut et glorificemur : existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 17, 18). Ad ipsam enim hortationem omnis hujus loci intentio directa est, ne illi quibus loquitur persecutionibus frangerentur, si viverent secundum prudentiam carnis, qua temporalia bona appetuntur, et timentur temporalia mala.

LVIII. [Ib. VIII, 38.] Quod autem ait, *Certus sum enim*, et non dixit, Opinor enim; plena fide tenuit, *quod nec mors* ulla, *nec vita* temporalis promissa, nec cætera subsequentia possunt credentem a charitate Dei detorquere. Nemo ergo separat, nec qui minatur mortem; quia qui credit in Christo, licet moriatur, vivet : neque qui pollicetur vitam; quia ille dat vitam æternam. Nam temporalis vitæ pollicitatio, æternæ comparatione contemnenda est. *Neque Angelus* separat, quia *licet Angelus*, inquit, *de cœlo descendat, et annuntiet vobis præterquam quod accepistis, anathema sit* (*Galat.* I, 8, 9). *Neque principatus*, id est, contrarius, quia exuit se ipse hos principatus et potestates, triumphans eos in semetipso (*Coloss.* II, 15). *Neque præsentia neque futura*, id est, temporalia vel quæ delectant, vel quæ premunt, vel quæ spem dant, vel quæ incutiunt timorem. *Neque virtus :* et hic virtutem contrariam oportet intelligi, secundum quam dicit, *Nemo vasa fortis diripiet, nisi prius alligaverit fortem* (*Matth.* XII, 29). *Neque altitudo, neque profundum.* Plerumque enim inanis curiositas earum rerum quæ inveniri non possunt, aut frustra etiam inveniuntur sive in cœlo sive in abysso, separat a Deo, nisi charitas vincat, quæ ad certa spiritualia non vanitate rerum quæ foris sunt, sed veritate quæ intus, homines invitat [1]. *Neque creatura alia.* Quod duobus modis intelligi potest : aut visibilis creatura, quia et nos, id est anima, creatura sumus, sed invisibilis; ut hoc dixerit, quod nos non separat alia creatura, id est, amor corporum : aut certe quia nos non separat alia creatura a charitate Dei, ex eo quod nulla creatura est alia inter nos et Deum, quæ se opponat, et a complexu ejus excludat. Supra humanas enim mentes quæ rationales sunt, jam nulla creatura, sed Deus est.

LIX. [Ib. IX, 5.] Quod autem dicit, *Quorum patres et ex quibus Christus secundum carnem*, et adjecit, *Qui est super omnes Deus benedictus in sæcula*, plenissimam fidem commendat, quia Dominum nostrum et secundum susceptionem carnis filium hominis confitemur, et secundum æternitatem Verbum in principio Deum, benedictum super omnes in sæcula. Hujus autem confessionis Judæi quoniam partem tenuerunt refelluntur a Domino. Nam cum eos interrogasset, cujus filium dicerent esse Christum; responderunt, *David.* Hoc autem secundum carnem est. De divinitate vero ejus quod Deus est, nihil responderunt. Ideo Dominus ait eis, *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum* (*Matth.* XXII, 42, 43)? Ut intelligerent hoc se confessos esse tantum, quod Christus filius est David; hoc autem tacuisse, quod est Christus Dominus ipsius David. Illud enim est secundum susceptionem carnis, hoc secundum æternitatem divinitatis.

LX. [Ib. IX, 11-13.] Quod autem ait, « Nondum enim nascentium, neque agentium aliquid boni aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia major serviet minori, sicut srciptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui, » nonnullos movet, ut putent apostolum Paulum abstulisse liberum voluntatis arbitrium, quo promeremur Deum bono pietatis, vel malo impietatis offendimus. Dicunt enim quod ante opera aliqua, seu bona seu mala, duorum nondum nascentium Deus unum dilexerit, alterum odio habuerit. Sed respondemus, præscientia Dei factum esse, qua novit etiam de nondum natis, qualis quisque futurus sit. Sed ne quis dicat : Opera ergo elegit Deus in eo quem dilexit, quanquam nondum erant, quod ea futura præsciebat [1]; quod si opera elegit, quomodo dicit Apostolus non ex operibus factam electionem? Propterea ergo intelligendum est, opera bona per dilectionem fieri, dilectionem autem esse in nobis per donum Spiritus sancti, sicut idem apostolus dicit : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V, 5). Non ergo quisquam gloriari debet ex operibus tanquam suis, quæ per donum Dei habet, cum ipsa dilectio in eo bonum operetur. Quid ergo elegit Deus? Si enim cui vult donat Spiritum sanctum, per quem dilectio bonum operatur, quomodo elegit cui donet? Si enim nullo merito, non est electio; æquales enim omnes

[1] Quatuor Mss., *sed interno homine invitat.* Am. et Er., *sed interno volumine invitat.* Germanensis Ms., *sed intra hominem invitat.*

[1] In B., *quod erant futura præsciebat.* Er. Lugd. ven Lov. secuti sumus. M.

sunt ante meritum, nec potest in rebus omnino æqualibus electio nominari. Sed quoniam Spiritus sanctus non datur nisi credentibus, non quidem Deus elegit opera quæ ipse largitur, cum dat Spiritum sanctum, ut per charitatem bona operemur : sed tamen elegit fidem. Quia nisi quisque credat in eum, et in accipiendi voluntate permaneat, non accipit donum Dei, id est, Spiritum sanctum, per quem diffusa charitate bonum possit operari. Non ergo elegit Deus opera cujusquam in præscientia, quæ ipse daturus est; sed fidem elegit in præscientia : ut quem sibi crediturum esse præscivit, ipsum elegerit cui Spiritum sanctum daret, ut bona operando etiam vitam æternam consequeretur. Dicit enim idem apostolus, *Idem Deus qui operatur omnia in omnibus* (I *Cor.* XII, 6). Nusquam autem dictum est, Deus credit omnia in omnibus. Quod ergo credimus, nostrum est : quod autem bonum operamur, illius qui credentibus in se dat Spiritum sanctum (*a*). Hoc autem exemplum quibusdam Judæis objectum est, qui Christo crediderunt, et de operibus ante gratiam gloriabantur, et dicebant se ipsam Evangelii gratiam per sua bona opera præcedentia meruisse; cum bona opera in nullo esse possint, nisi qui acceperit gratiam. Est autem gratia ut vocatio peccatori prærogetur [1], cum ejus merita nulla, nisi ad damnationem præcesserint. Quod si vocatus vocantem secutus fuerit, quod est jam in libero arbitrio, merebitur et Spiritum sanctum, per quem bona possit operari; in quo permanens (quod nihilominus est in libero arbitrio) merebitur etiam vitam æternam, quæ nulla possit labe corrumpi.

LXI. [Ib. IX, 11-15.] Quod autem ait, *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero*, hinc ostenditur non esse iniquitatem apud Deum; quod possunt dicere quidam, cum audiunt, *Antequam nascerentur, Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Miserebor* enim, inquit, *cui misertus ero*. Primo enim misertus est nostri Deus, cum peccatores essemus ut vocaret nos. *Cui* ergo *misertus ero*, inquit, ut eum vocem, *miserebor* adhuc ejus cum crediderit. Quomodo autem adhuc, nisi ut det credenti et petenti Spiritum sanctum? Quo dato misericordiam præstabit cui misericors fuerit, id est, ut faciat eum misericordem, quo bona possit per dilectionem operari. Nemo ergo sibi audeat tribuere quod misericorditer operatur; quia Deus illi per Spiritum sanctum dedit dilectionem, sine qua nemo potest esse misericors. Non ergo elegit Deus bene operantes, sed credentes potius, ut ipse illos faciat bene operari. Nostrum enim est credere et velle, illius autem dare credentibus et volentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum, per quem charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, ut nos misericordes efficiat (*b*).

LXII. [Ib. IX, 15-21.] Quod autem ait, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, non tollit liberum voluntatis arbitrium; sed non sufficere dicit velle nostrum, nisi adjuvet Deus, misericordes nos efficiendo ad bene operandum per donum Spiritus sancti, ad hoc referens, quod superius dixit, *Miserebor cui misertus ero, et misericordiam præstabo cui misericors fuero*. Quia neque velle possumus, nisi vocemur; et cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra et cursus noster, nisi Deus et vires currentibus præbeat, et perducat quo vocat. Manifestum est ergo non volentis neque currentis, sed miserentis Dei esse, quod bonum operamur : quanquam ibi sit etiam voluntas nostra, quæ sola nihil posset. Unde sequitur etiam de Pharaonis supplicio testimonium, cum ait Scriptura de Pharaone, *Quia ad hoc te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra*. Sicut enim legimus in Exodo, obduratum est cor Pharaonis (*Exod.* X, 1), ut tam evidentibus signis non moveretur. Quod ergo tunc Pharao non obtemperabat præceptis Dei, jam de supplicio veniebat. Non autem quisquam potest dicere obdurationem illam cordis immerito accidisse Pharaoni, sed judicio Dei retribuentis incredulitati ejus debitam pœnam. Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priore infidelitate. Sicut enim in iis quos elegit Deus, non opera sed fides inchoat meritum, ut per munus Dei bene operentur : sic in his quos damnat, infidelitas et impietas inchoat pœnæ meritum, ut per ipsam pœnam etiam male operentur; sicut et superius idem dicit apostolus, *Et quoniam non probaverunt Deum in notitia habere, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt* (*Rom.* I, 28). Quapropter ita concludit Apostolus, *Ergo cui vult miseretur, et quem vult obdurat*. Cujus enim miseretur, facit eum bene operari; et quem obdurat, relinquit eum ut male operetur. Sed et illa misericordia præcedenti merito fidei tribuitur, et ista obduratio præcedenti impietati (*a*) : ut et bona per donum Dei operemur, et mala per supplicium; cum tamen homini non auferatur liberum voluntatis arbitrium, sive ad credendum Deo ut consequatur nos misericordia, sive ad impietatem ut consequatur supplicium. Qua conclusione illata, infert quæstionem tanquam a contradicente. Ait enim : *Dicis itaque mihi, Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit?* Cui sane inquisitioni sic respondet, ut intelligamus spiritualibus viris, et jam non secundum terrenum hominem viventibus, patere posse prima merita fidei et impietatis, quomodo Deus præscius eligat credituros, et damnet incredulos; nec illos ex operibus eligens, nec istos ex operibus damnans; sed illorum fidei præstans ut bene operentur, et istorum impietatem obdurans deserendo, ut male operentur. Qui quoniam intellectus, ut dixi, spiritualibus patet, a carnali autem

[1] Editi, *ut vocatio peccatoris prorogetur*. Melius Mss., *peccatori prærogetur*.

(*a*) I Retract. cap. 23, n. 2, et lib. 1 de Prædest. SS., c. 3, dicit se hic errasse.

(*b*) Ibid., n. 3.

(*a*) De hoc et superioribus locis vid. Retract. lib. 1, cap. 23, nn. 3, 4.

prudentia longe remotus est, sic refellit inquirentem, ut intelligat se deponere debere prius hominem luti, ut ista per spiritum investigare mereatur. Itaque, inquit, *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quare sic me fecisti? Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem conspersione vas facere, aliud quidem in honorem, aliud in contumeliam?* Quamdiu figmentum es, inquit, et ad massam luti pertines, nondum perductus ad spiritualia, ut sis spiritualis omnia judicans, et a nemine judiceris, cohibeas te oportet ab hujusmodi inquisitione, et non respondeas Deo. Cujus consilium quis scire cupiens, oportet ut prius in ejus amicitiam recipiatur : quod contingere nisi spiritualibus non potest, jam portantibus imaginem cœlestis hominis; *Jam* enim inquit, *non vos dicam servos, sed amicos : omnia enim quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* xv, 15). Quamdiu itaque vas fictile es, conterendum est hoc ipsum in te prius virga illa ferrea, de qua dictum est, *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli conteres eos* (*Psal.* II, 9) : ut corrupto exteriore homine, et interiore renovato, possis in charitate radicatus et fundatus comprehendere latitudinem, longitudinem, altitudinem, et profundum, cognoscere etiam supereminentem scientiam charitatis Dei (*Ephes.* III, 16-19). Nunc itaque cum ex eadem conspersione Deus alia vasa in honorem facit, alia in contumeliam, non est tuum discutere, quisquis secundum hanc conspersionem adhuc vivis, id est, terreno sensu et carnaliter sapis.

LXIII. [Ib. IX, 22.] Quod autem ait, *Attulit in multa patientia vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem*, hinc satis significavit obdurationem cordis quæ in Pharaone facta est, ex meritis venisse occultæ superioris impietatis : quam tamen patienter sustinuit Deus, donec ad illud tempus perduceretur, quo opportune in eum vindicta procederet, ad correctionem eorum quos ab errore instituerat liberare, et ad cultum suum pietate vocando perducere [1], precibus eorum et gemitibus opem præbens.

LXIV. [Ib. IX, 24, 25.] Quod autem ait, *Quos et vocavit nos, non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus : sicut et in Osee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam,* etc., totius hujus disputationis propositum ad hoc perducit, ut quoniam docuit misericordiæ Dei esse quod bene operamur, non tanquam ex operibus Judæi glorientur, qui cum Evangelium percepissent, tanquam meritis suis id tribuendum existimantes, nolebant Gentibus dari : a qua superbia jam debent desistere, intelligentes quoniam si non ex operibus, sed misericordia Dei vocamur ut credamus, et credentibus præstatur ut bene operemur, non est Gentibus ista invidenda misericordia (*a*), quasi prælato merito Judæorum, quod nullum est.

LXV. [Ib. IX, 27.] Quod autem dicit, *Isaias autem clamat pro Israel, Si fuerit numerus filiorum Israel quasi arena maris, reliquiæ salvæ fient*, ostendit quemadmodum sit Deus lapis angularis, utrumque parietem in se conjungens (*Ephes.* II, 20). Testimonium enim Osee prophetæ dictum est pro Gentibus, *Vocabo non plebem meam, plebem meam, et non dilectam, dilectam* (*Osee* II, 24); et Isaiæ testimonium dictum est pro Israel, Quoniam *reliquiæ salvæ fient* (*Isai.* X, 22), ut ipsæ deputentur in semen Abrahæ, quæ crediderunt in Christum : ita concordes ambos populos facit, secundum et Domini testimonium dicentis in Evangelio de Gentibus, *Habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovili, quas oportet me adducere; et erit unus grex, et unus pastor* (*Joan.* X, 16).

LXVI. [Ib. X, 1.] Quod autem ait, *Fratres, bona voluntas cordis mei et deprecatio ad Deum fit pro illis in salutem;* hinc jam incipit de spe Judæorum loqui, ne etiam Gentes superbire audeant adversus Judæos: Sicut enim Judæorum superbia refellenda erat tanquam ex operibus gloriantium; sic et Gentibus occurrendum est, ne tanquam Judæis prælati superbiant.

LXVII. [Ib. X, 8-10.] Quod autem dicit, « Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo; hoc est verbum fidei quod prædicamus : quia si confitearis in ore tuo quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit in salutem; » totus hic locus ad illud refertur quod superius dixit, *Verbum enim consummans et brevians faciet Dominus super terram* (*Rom.* IX, 28). Remotis enim innumerabilibus et multiplicibus sacramentis quibus Judaicus populus premebatur, per misericordiam Dei factum est ut brevitate confessionis fidei ad salutem perveniremus.

LXVIII. [Ib. X, 19.] Quod autem dicit, secundum testimonium Moysi, *Ego ad æmulationem vos perducam in non gentem; in gentem insipientem irritabo vos;* dicendo, *gentem insipientem*, exposuit quid dixerit, *in non gentem :* quasi quod nec gens dicenda sit quæ insipiens est. De cujus tamen fide irritandum dicit populum Judaicum, quia illi apprehenderunt quod isti respuerunt. Vel certe *in non gentem*, *in gentem insipientem;* quia cum esset gens insipiens omnis populus idola colens, tamen gentilitatem credendo deposuit. Unde illud etiam est : *Si igitur præputium justitias Legis custodiat, nonne præputium ejus in circumcisione deputabitur* (*Id.* II, 26)? Ut sit hic sensus : Ego in æmulationem vos adducam in eam quæ non gens facta est, deponendo gentilitatem per fidem Christi, cum fuisset gens insipiens colendo idola.

LXIX. [Ib. XI, 1.] Quod autem ait, *Numquid repulit Deus plebem suam? Absit. Nam et ego Israelita sum, ex semine Abraham, de tribu Benjamin*, ad hoc refertur quod superius dixit, *Non potest autem excidere verbum Dei. Non enim omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ; neque quia sunt semen Abraham, omnes filii; sed in Isaac vocabitur tibi semen :* ut de ipso scilicet populo Judæorum illi deputentur in semen, qui Domino crediderunt. De hoc item dicit superius, *Reliquiæ salvæ fient* (*Id.* IX, 6, 7, 27).

[1] Nostri omnes Mss., *et ad cultum suum pietatemque revocando perducere.*

(*a*) I Retract. cap. 23, n. 4.

LXX. [Ib. XI, 11.] Quod autem dicit, *Dico ergo, Numquid sic deliquerunt ut caderent? Absit. Sed illorum delicto salus Gentibus* [1], non ideo dicit, quia non ceciderunt; sed quia casus ipsorum non fuit inanis, quoniam ad salutem Gentium profecit. Non ergo ita deliquerunt ut caderent, id est, ut tantummodo caderent, quasi ad pœnam suam solum; sed ut hoc ipsum quod ceciderunt, prodesset Gentibus ad salutem. Deinde incipit ex hoc loco Judæorum populum commendare, etiam de ipso casu infidelitatis, ut non superbiant Gentes; quia etiam casus Judæorum tam pretiosus exstitit pro salute Gentium : sed magis debent cavere Gentes ne, dum, superbiunt, similiter cadant.

LXXI. [Ib. XII, 20, 14, 17.] Quod autem dixit, *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi : hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus*, multis videri potest repugnare illi sententiæ qua Dominus præcepit ut diligamus inimicos nostros, et oremus pro iis qui nos persequuntur (*Matt.* V, 44) : vel huic etiam quam idem apostolus superius dixit, *Benedicite persequentes vos; benedicite, et nolite maledicere;* et iterum, *Nulli malum pro malo reddentes.* Quomodo enim quisque diligit eum cui propterea cibum et potum dat, ut carbones ignis congerat super caput ejus, si carbones ignis hoc loco aliquam gravem pœnam significant? Quapropter intelligendum est ad hoc dictum esse, ut eum qui nos læserit provocemus ad pœnitentiam facti sui, cum ei nos benefacimus. Isti enim carbones ignis ad exustionem, id est contribulationem spiritus valent, qui est quasi caput animæ, in qua exuritur omnis malitia, cum homo in melius per pœnitentiam commutatur, ut sunt illi carbones, de quibus dicitur in Psalmis : *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam subdolam? Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus vastatoribus* (*Psal.* CXIX, 3, 4).

LXXII. [Ib. XIII, 1.] Quod autem ait, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo*, rectissime jam monet, ne quis ex eo quod a Domino suo in libertatem vocatus est, factusque christianus, extollatur in superbiam, et non arbitretur in hujus vitæ itinere servandum esse ordinem suum, et potestatibus sublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est, putet non se esse subdendum. Cum enim constemus ex anima et corpore, et quamdiu in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendæ hujus vitæ utamur; oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatibus, id est, hominibus res humanas cum aliquo honore administrantibus. Ex illa vero parte qua credimus Deo, et in regnum ejus vocamur, non nos oportet esse subditos cuiquam homini, idipsum in nobis evertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus est. Si quis ergo putat quoniam christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis quæ hæc curant potestatibus; in magno errore versatur. Item si quis sic se putat esse subdendum, ut etiam in suam fidem habere potestatem arbitretur eum qui temporalibus administrandis aliqua sublimitate præcellit; in majorem errorem labitur [1]. Sed modus iste servandus est, quem Dominus ipse præscribit, ut reddamus Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt (*Matth.* XXII, 21). Quanquam enim ad illud regnum vocemur ubi nulla erit potestas hujusmodi, in hoc tamen itinere dum agimus, donec perveniamus ad illud sæculum ubi fit evacuatio omnis principatus et potestatis, conditionem nostram pro ipso rerum humanarum ordine toleremus, nihil simulate facientes, et in eo ipso non tam hominibus quam Deo, qui hæc jubet, obtemperantes.

LXXIII. [Ib. XIII, 3, 4.] Quod autem ait, *Vis autem non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex illa*, potest movere aliquos, cum cogitaverint ab istis potestatibus persecutionem sæpe passos fuisse Christianos. Numquid ergo non faciebant bonum, quia non solum non sunt laudati ab istis potestatibus, sed etiam pœnis affecti et necati sunt? Consideranda ergo sunt verba Apostoli. Non enim ait, Bonum fac, et laudabit te potestas; sed ait, *Bonum fac, et habebis laudem ex illa.* Sive enim probet factum tuum bonum, sive persequatur, *laudem habebis ex illa;* vel cum eam in obsequium Dei lucratus fueris, vel cum ejus persecutione coronam merueris. Hoc etiam in consequentibus intelligitur, cum dicit, *Dei enim minister est tibi in bonum*, etiam si sibi in malum.

LXXIV. [Ib. XIII, 5.] Quod autem ait, *Ideoque necessitati* [2] *subditi estote*, ad hoc valet, ut intelligamus quia necesse est propter hanc vitam subditos nos esse oportere, non resistentes si quid illi auferre voluerint, in quod sibi potestas data est, de temporalibus rebus; quæ quoniam transeunt, ideo et ista subjectio non in bonis quasi permansuris, sed in necessariis huic tempori constituenda est. Tamen quoniam dixit, *Necessitati subditi estote;* ne quis non integro animo et pura dilectione subditus fieret hujusmodi potestatibus, addidit, dicens, *Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam :* id est, non solum ad iram evadendam [3], quod potest etiam simulate fieri; sed ut in tua conscientia certus sis, illius dilectione te facere, cui subditus fueris jussu Domini tui, *qui omnes vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (I *Tim.* II, 4). Et hoc enim cum diceret Apostolus, de ipsis potestatibus agebat. Hoc est quod servis alio loco suadet, *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes* (*Ephes.* VI, 6) : ut idipsum quod subduntur dominis suis, non eos oderint, aut fallaciis promereri desiderent.

LXXV. [Ib. XIII, 8, 10.] Quod autem dicit, *Qui enim diligit alterum* [4], *Legem implevit*, ostendit consumma-

[1] In editis additur, *est*, quod a Mss. et a græco abest : at Vaticanus Ms. ejus loco habet, *venit*.

[1] Isthæc sententia, *Item si quis.... in majorem errorem labitur*, quam Mss. omnes exhibent, omissa est apud Am. et Er.
[2] Am. Er. et sex Mss. hic et infra, *necessitate*.
[3] Omnes nostri Mss., *evacuandam*.
[4] Editi, *diligit proximum*. At Mss., *alterum*; juxta græc., *ton eteron*.

tionem Legis in dilectione positam, id est, in charitate. Unde et Dominus in illis duobus præceptis totam Legem pendere dicit, et omnes Prophetas, id est in dilectione Dei et proximi (*Matth.* XXII, 37 40.) Unde et ipse qui Legem venit implere, dilectionem donavit per Spiritum sanctum, ut quod antea timor implere non poterat, charitas postmodum impleret. Inde est et illud ejusdem apostoli, *Plenitudo autem Legis charitas :* et illud, *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I *Tim.* 1, 5).

LXXVI. [Ib. XIII, 11.] Quod autem ait, *Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere*, illuc spectat quod dictum est, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (II *Cor.* VI, 2). Tempus enim Evangelii significatur, et illa opportunitas salvos faciendi credentes in Deum.

LXXVII. [Ib. XIII, 14.] Quod autem ait, *Et carnis providentiam ne feceritis*[1] *in concupiscentiis*, ostendit non esse culpandam carnis providentiam, quando ea providentur quæ ad necessitatem salutis corporalis valent. Si autem ad superfluas delectationes atque luxurias, ut quisque in his gaudeat quæ carne cupit, recte reprehenditur, quia providentiam carnis in concupiscentiis facit. *Quoniam qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem* (*Galat.* VI, VIII), id est, qui delectationibus carnalibus gaudet.

LXXVIII. [Ib. XIV, 1-3.] Quod autem dicit, *Infirmum autem in fide recipite, non in dijudicationibus cogitationum*, hoc dicit, ut eum qui infirmus in fide est, recipiamus, et nostra firmitate infirmitatem ejus sustineamus, neque dijudicemus cogitationes ejus, id est, quasi ferre audeamus sententiam de alieno corde, quod non videmus. Ideo sequitur, et dicit, *Alius quidem credit manducare omnia : qui autem infirmus est, olus manducet.* Quia illo jam tempore multi jam firmi in fide, et scientes secundum sententiam Domini, non commaculare ea quæ in eos intrant, sed quæ exeunt (*Matth.* XV, 11-20), indifferenter sumebant cibos salva conscientia : quidam vero infirmiores abstinebant a carnibus et a vino, ne vel nescientes inciderent in ea quæ idolis sacrificabantur. Omnis enim tunc immolatitia caro in macello vendebatur, et de primitiis vini libabant Gentes simulacris suis, et quædam in ipsis torcularibus sacrificia faciebant. Jubet ergo Apostolus et his qui salva conscientia talibus alimentis utebantur, non spernere infirmitatem illorum qui se a talibus cibis et potu abstinebant : et illis infirmis, ne eos qui carnibus non abstinebant, et vinum bibebant, tanquam pollui judicarent. Ad hoc valet quod consequenter dicit, *Qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet.* Firmi enim infirmiores contumaciter contemnebant, et infirmi firmos temere judicabant.

LXXIX. [Ib. XIV, 4.] Quod autem dicit, *Tu quis es qui judices alienum servum?* ad hoc dicit, ut in his rebus quæ possunt et bono animo fieri et malo, judicium Deo dimittamus, nec audeamus de alterius corde, quod non videmus, ferre sententiam. In his vero rebus quæ ita comprehenduntur, ut eas bono et casto animo non posse fieri manifestum sit, non improbatur, si judicemus. Itaque hoc quod de cibis dicit, quia ignoratur quo animo fiat, non vult nos esse judices, sed Deum : de illo autem nefario stupro, ubi uxorem patris sui quidam habuerat, præcepit debere judicari (I *Cor.* V, 1). Non enim poterat ille dicere, bono animo se tam immane flagitium commisisse. Ergo quæcumque facta ita manifestantur, ut non possit dici, Bono animo feci, judicanda sunt a nobis; quæcumque autem ita fiunt, ut quo animo fiant incertum sit, non sunt judicanda, sed reservanda judicio Dei : sicut scriptum est, *Quæ occulta sunt, Deo; quæ autem palam sunt, vobis et filiis vestris erunt* (*Deut.* XXIX, 29).

LXXX. [Ib. XIV, 5, 6.] Quod autem ait, *Alius quidem judicat alternos dies, alius autem judicat omnem diem*, sequestrata interim meliore consideratione, non de duobus hominibus mihi videtur dictum, sed de homine et Deo. Qui enim alternos dies judicat, homo est : potest enim hodie aliud, cras aliud judicare : id est, ut quemcumque hodie malum convictum confessumve damnaverit, cras bonum inveniat cum se correxerit; contra, cum aliquem justum hodie laudaverit, cras inveniat depravatum. Qui autem judicat omnem diem, Deus est; quia non solum qualis quisque sit, sed etiam qualis omni die futurus sit, novit. Ergo, *Unusquisque in suo intellectu abundet*, inquit : id est, quantum humano intellectui, vel unicuique homini concessum est, tantum audeat judicare. *Qui sapit*, inquit, *diem, Domino sapit :* id est, quia hoc ipsum quod præsentem diem bene judicat, Domino sapit. Hoc est autem bene judicare ad diem, ut noveris non esse de correctione ejus desperandum in futurum, de cujus culpa manifesta in præsentia judicaveris.

LXXXI. [Ib. XIV, 22, 16.] Quod autem ait, *Beatus qui non judicat semetipsum in quo probat*, ad id potissimum referendum est, quod superius dixit, *Non ergo blasphemetur bonum nostrum.* Hoc est etiam quod nunc ait ante istam sententiam, *Tu fidem quam habes penes temetipsum, habe coram Deo :* ut quoniam bona est hæc fides qua credimus omnia munda mundis (*Tit.* 1, 15), et in ea fide nos probamus, bene utamur ipso bono nostro; ne forte cum ad offendiculum infirmorum fratrum eo bono abusi fuerimus, peccemus in fratres; et in eo ipso bono nos judicemus, cum scandalizamus infirmos, in quo bono nos probamus, cum ipsa fides nobis placet.

LXXXII. [Ib. XV, 8, 9.] Quod autem ait, *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum, Gentes autem super misericordia glorificare Deum*, ad hoc dicit, ut intelligant Gentes Dominum Christum ad Judæos esse missum, et non superbiant. Judæis enim repellentibus quod ad ipsos missum est,

[1] Vaticanus codex, *superfeceritis.* Cæteri Mss., *perfeceritis.*

factum est ut Gentibus Evangelium prædicaretur : quod et in Actibus Apostolorum manifestissime scribitur, cum dicunt Apostoli Judæis, *Vobis primum oportuit prædicari verbum ; sed quoniam indignos vos judicastis, ecce convertimus nos ad Gentes* (*Act.* XIII, 46). Secundum ipsa etiam Domini testimonia, cum dicit, *Non sum missus nisi ad oves perditas domus Israel*; et iterum, *Non est bonum panem filiorum mittere canibus* (*Matth.* XV, 24, 26). Quod Gentes si bene considerent, intelligunt ista sua fide, qua jam credunt omnia munda mundis, non se debere insultare his, si qui forte infirmi ex circumcisione fuerint[1] qui propter communicationem idolorum nullas omnino audeant carnes attingere.

LXXXIII. [Ib. XV, 16.] Quod autem dicit, *Ut minister sim Christi Jesu in Gentibus, consecrans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium acceptabilis, sanctificata in Spiritu sancto*, hoc intelligitur, ut offerantur Gentes Deo, tanquam acceptabile sacrificium, cum in Christum credentes per Evangelium sanctificantur : sicut et superius dicit, *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei*[2], *ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem* (*Rom.* XII, 1).

LXXXIV. [Ib. XVI, 17, 18.] Quod autem ait, *Obsecro vos, fratres, ut intendatis in eos qui dissensiones et scandala, præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt*, de his intelligitur dicere, de quibus et ad Timotheum scripsit, dicens : « Sicut rogavi te, ut sustineres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis et genealogiis interminatis, quæ quæstiones magis præstant quam ædificationem Dei, quæ est in fide »(I *Tim.* I, 3, 4); et ad Titum, « Sunt enim multi non subditi, vaniloqui et mentis seductores, qui maxime ex circumcisione sunt ; quos oportet refelli; qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia : dixit quidam ex ipsis proprius eorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri »(*Tit.* I, 10-12). Ad hoc enim refertur quod et hic ait, *Hi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri* : de quibus alio loco dicit, *Quorum Deus venter est* (*Philipp.* III, 19).

[1] Omnes Mss., *infirmi ex se fuerint.*
[2] Hic desinit opusculum in editis Am. et Er. omissa propositione octogesima quarta, quæ postrema est apud Lov. et apud omnes Mss.

De subsequenti opere, vide lib. 1, *cap.* 25, Retractationum, *a col.* 623, *verbis,* Epistolæ quoque ad Romanos, *usque ad col.* 624, *verbis,* scripsit ad Romanos. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

EPISTOLÆ AD ROMANOS

INCHOATA EXPOSITIO.

Liber unus (a).

In quo salutatio tantummodo expeditur, et disputatur de peccato in Spiritum sanctum.

1. In Epistola quam Paulus apostolus scripsit ad Romanos, quantum ex ejus textu intelligi potest, quæstionem habet talem : Utrum Judæis solis Evangelium Domini nostri Jesu Christi venerit propter merita operum Legis; an vero nullis operum meritis præcedentibus, omnibus Gentibus venerit justificatio fidei, quæ est in Christo Jesu, ut non quia justi erant homines, crederent; sed credendo justificati, deinceps juste vivere inciperent. Hoc ergo docere intendit, omnibus venisse gratiam Evangelii Domini nostri Jesu Christi. Quod propterea etiam gratiam vocari ostendit, quia non quasi debitum justitiæ redditum est, sed gratuito datum. Cœperant enim nonnulli qui ex Judæis crediderant, tumultuari adversus Gentes, et maxime adversus apostolum Paulum, quod incircumcisos et Legis veteris vinculis liberos admittebat ad Evangelii gratiam, prædicans eis ut in Christum crederent, nullo imposito carnalis circumcisionis jugo. Sed plane tanta moderatione, uti nec Judæos superbire permittat, tanquam de meritis operum Legis;

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

In Mss. nostris non reperta est (præsens Expositio) : sed multis mendis purgata nunc fuit ope manuscripti Vaticani; et recensita ad editiones Am. Er. et Lov.

Comparavimus præterea eas omnes editiones initio Retr. et Confess. *t.* 1, *memoratas.*

(*a*) Scriptus circiter Christi annum 394, scilicet Augustino adhuc presbytero, ex Retract., lib. 1, cc. 23, 25.

nec Gentes merito fidei adversus Judæos inflari, quod ipsi receperint Christum, quem illi crucifixerunt: tanquam enim, sicut alio loco dicit, pro ipso Domino legatione fungens (II *Cor.* v, 20), hoc est, pro lapide angulari (*Ephes.* II, 20), utrumque populum tam ex Judæis quam ex Gentibus connectit in Christo per vinculum gratiæ, utrisque auferens omnem superbiam meritorum, et justificandos utrosque per disciplinam humilitatis associans.

2. Itaque Epistolam sic exorsus est: *Paulus servus Jesu Christi vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei* (*Rom.* I, 1). Breviter in duobus verbis Ecclesiæ dignitatem a Synagogæ vetustate discernit. Ecclesia quippe ex vocatione appellata est, Synagoga vero ex congregatione. Convocari enim magis hominibus congruit, congregari autem magis pecoribus: unde greges proprie pecorum dici solent. Quanquam ergo plerisque Scripturarum locis ipsa Ecclesia grex Dei, et ovile Dei, et pecus Dei vocetur; tamen cum in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinent. Et apparet hujusmodi homines, non cibo sempiternæ veritatis, sed temporalium promissionum tanquam terreno pabulo esse contentos. *Paulus* ergo *servus Christi Jesu vocatus* est *apostolus*; quæ vocatio illum cooptavit Ecclesiæ. *In Evangelium* autem *Dei segregatus* est; unde nisi a grege Synagogæ, si verborum latinorum significatio omni modo cum græca interpretatione concordat?

3. Sane Evangelium Dei, in quod segregatum se esse commemorat, commendat auctoritate Prophetarum: ut quoniam credentes Christum, in quorum numerum vocatus est, Judæis præposuerat, a quibus se dixerat segregatum, Gentes rursus jam non superbire admoneat. Siquidem de populo Judæorum fuerunt Prophetæ, per quos Evangelium, cujus fide credentes justificantur, ante promissum esse testatur: *Segregatus* enim, inquit, *in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos* (*Rom.* I, 1, 2). Fuerunt enim et prophetæ non ipsius, in quibus etiam aliqua inveniuntur quæ de Christo audita cecinerunt, sicut etiam de Sybilla dicitur: quod non facile crederem, nisi quod poetarum quidam in Romana lingua nobilissimus antequam diceret ea de innovatione sæculi, quæ in Domini nostri Jesu Christi regnum satis concinere et convenire videantur, præposuit versum, dicens:

Ultima Cumei jam venit carminis ætas.
(*Virg. Eclog.* 4, *v.* 4.)

Cumæum autem carmen Sibyllinum esse nemo dubitaverit. Sciens ergo Apostolus ea in libris Gentium inveniri testimonia veritatis, quæ etiam in Actibus Apostolorum loquens Atheniensibus manifestissime ostendit (*Act.* XVII, 28), non solum ait, *per Prophetas suos*, ne quis a pseudoprophetis per quasdam veritatis confessiones in aliquam impietatem seduceretur; sed addidit etiam, *in Scripturis sanctis*: volens utique ostendere litteras Gentium superstitiosæ idololatriæ plenissimas, non ideo sanctas haberi oportere, quia in eis aliquid quod ad Christum pertinet invenitur.

4. Et ne quisquam etiam prophetas aliquos remotos atque alienos a gente Judæorum forte proferret, in quibus nullus simulacrorum cultus esset, quantum attinet ad simulacra quæ humana operatur manus: nam simulacris phantasmatum suorum sectatores suos omnis error illudit: ne quis tamen aliqua hujusmodi proferens, quia ibi Christi nomen ostentat, eas potius sanctas Scripturas esse asserat, non eas quæ populo Hebræorum sunt divinitus creditæ, satis opportune mihi videtur adjungere, cum dixisset, *in Scripturis sanctis*, quod adjecit, *de Filio suo, qui factus est ei ex semine David, secundum carnem* (*Rom.* I, 3). David enim certe rex Judæorum fuit. Oportebat autem ut ex illa gente orirentur Christi prænuntiatores Prophetæ, ex qua gente carnem assumpturus erat quem prænuntiabant. Occurrendum autem erat etiam illorum impietati, qui Dominum nostrum Jesum Christum secundum hominem tantummodo, quem suscepit, accipiunt; divinitatem autem in eo non intelligunt ab universæ creaturæ communione discretam: velut ipsi Judæi, qui Christum filium David tantummodo esse opinantur, ignorantes excellentiam qua Dominus est ipsius David, secundum id quod est Filius Dei. Unde illos in Evangelio redarguit per prophetiam, quæ ipsius David ore prolata est. Quærit enim ab eis, quem ipse David Dominum appellat, quomodo filius ejus sit (*Matth.* XXII, 42-45): cui deberent utique respondere quod secundum carnem filius esset David, secundum divinitatem autem Filius Dei et Dominus ipsius David. Quod Paulus apostolus quia jam didicerat, posteaquam dixit, *in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David*, addidit, *secundum carnem*: ne hoc solum et totum in Christo esse arbitrarentur, quod factus erat secundum carnem. Addendo ergo, *secundum carnem*, servavit divinitati dignitatem suam. Quæ non solum semini David, sed nec alicui angelicæ aut cujusvis excellentissimæ creaturæ generationi tribui potest; quandoquidem ipsum est Verbum Dei, per quod facta sunt omnia. Quod Verbum ex semine David caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I, 1, 3, 14), non mutatum et conversum in carnem; sed carne ut carnalibus congruenter appareret indutum. Quapropter Apostolus non solum eo verbo quod ait, *secundum carnem*, humanitatem a divinitate distinxit; sed etiam illo quo ait, *factus est*. Non est enim factus secundum id quod Verbum Dei est. Omnia enim per ipsum facta sunt; nec fieri cum omnibus posset per quem facta sunt omnia. Neque ante omnia factus est, ut per ipsum fierent omnia: ipso enim excepto, si ante illa jam factus esset, non essent illa omnia quæ per illum fierent; nec possent vere dici facta omnia per ipsum, in quibus ipse non esset, si ipse etiam factus esset. Et ideo Apostolus cum factum diceret Christum, addidit, *secundum carnem*; ut secundum Verbum quod est Filius Dei, non factum a Deo, sed natum esse monstraret.

5. Eumdem sane ipsum *qui secundum carnem factus est ex semine David, prædestinatum* dicit *Filium Dei, in virtute*: non secundum carnem, *sed secundum*

Spiritum; nec quemlibet spiritum, sed *Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum* (*Rom.* I, 4). In resurrectione enim virtus morientis apparet, ut diceretur *prædestinatus in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Deinde sanctificatio vitam novam fecit[1] quæ in Domini nostri resurrectione signata est. Unde idem apostolus alio loco dicit: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (*Coloss.* III, 1). Potest quidem etiam sic esse ordo verborum, ut non ad *Spiritum sanctificationis* adjungamus quod ait, *ex resurrectione mortuorum;* sed ad id quod ait, *prædestinatus est:* ut ordo sit, *qui prædestinatus est ex resurrectione mortuorum;* cui ordini interposita sint hæc, *Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis.* Et nimirum iste ordo certior et melior videtur, ut sit filius David in infirmitate secundum carnem, Filius autem Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis. *Factus est* ergo *ex semine David*, id est, filius David ex mortali corpore, propter quod et mortuus est. *Prædestinatus est* autem *Filius Dei*, et Dominus ipsius David, *ex resurrectione mortuorum.* In quantum enim mortuus est, ad id pertinet quod est filius David; in quantum autem resurrexit a mortuis, ad id quod est Filius Dei, et Dominus ipsius David: sicut alibi idem apostolus dicit, *Nam et si mortuus est ex infirmitate, sed vivit in virtute Dei* (II *Cor.* XIII, 4); ut infirmitas pertineat ad David, vita vero æterna ad virtutem Dei. Ideoque in his ipsis verbis Dominum suum designat cum David, dicens: *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis* (*Psal.* CIX, 1). Ex eo enim quod resurrexit a mortuis, sedet ad dexteram Patris. Prædestinatum ergo ex resurrectione mortuorum, ut sederet ad dexteram Patris, videns in Spiritu David, non auderet dicere filium suum, sed Dominum suum. Unde et consequenter Apostolus hic adjungit, *Jesu Christi Domini nostri*, posteaquam dixit, *ex resurrectione mortuorum;* tanquam admonens unde illum David Dominum suum potius quam filium esse testatus sit. Non autem ait eum *prædestinatum* a mortuis, sed *ex resurrectione mortuorum.* Non enim resurrectione ipsa sua Filius apparet Dei, propria illa et eminentissima dignitate qua etiam est caput Ecclesiæ, cum et cæteri mortui resurrecturi sint: sed Filius Dei prædestinatus est quodam principatu resurrectionis, quia ex resurrectione omnium mortuorum ipse prædestinatus est, id est, ut præ cæteris et ante cæteros resurgeret designatus. Ut quod hic positum est, *Filius Dei*, cum dixisset *prædestinatus est*, ad documentum valeat tantæ sublimitatis. Non enim sic prædestinari oportuit nisi Filium Dei, secundum quod est etiam caput Ecclesiæ: unde illum alio loco primogenitum ex mortuis appellat (*Coloss.* I, 18). Eum enim decebat venire ad judicium resurgentium, qui præcesserat ad exemplum: neque ad exemplum omnium resurgentium, sed ad exemplum eorum qui sic resurrecturi sunt, ut cum illo vivant et regnent in sempiternum; quorum etiam caput est, tanquam corporis sui. Ex ipsorum enim resurrectione etiam prædestinatus est, ut ipsis princeps fieret: cæterorum autem in sua conditione resurgentium non princeps, sed judex est. Non itaque ex illorum mortuorum resurrectione prædestinatus est, quos est damnaturus. Prædestinatum enim esse ex resurrectione mortuorum, ut præcederet resurrectionem mortuorum, vult intelligi Apostolus: hos autem præcessit, qui ad ipsum cœleste regnum, quo eos præcessit, secuturi sunt. Propter quod non ait, *Qui prædestinatus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum* Jesus Christus Dominus noster; sed, *ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri:* tanquam si diceret, Qui prædestinatus est Filius Dei ex resurrectione mortuorum suorum, hoc est, ad se pertinentium in vitam æternam; velut si interrogaretur, quorum mortuorum, et responderet, ipsius Jesu Christi Domini nostri. Ex resurrectione enim cæterorum mortuorum non est prædestinatus, quos non præcessit ad gloriam vitæ æternæ, non utique secuturos, quoniam ad pœnas suas impii resurrecturi sunt. Ergo ille tanquam Filius Dei unigenitus, etiam primogenitus ex mortuis *prædestinatus est, ex resurrectione mortuorum.* Quorum mortuorum, nisi *Domini nostri Jesu Christi?*

6. *Per quem accepimus*, inquit, *gratiam et apostolatum. Gratiam* cum omnibus fidelibus, *apostolatum* autem non cum omnibus. Et ideo si tantummodo apostolatum se diceret accepisse, ingratus exstitisset gratiæ, qua illi peccata dimissa sunt: tanquam enim meritis priorum operum accepisse apostolatum videretur. Optime itaque tenet ordinem causæ, ut nemo audeat dicere vitæ prioris meritis se ad Evangelium esse perductum: quando nec ipsi Apostoli, qui cæteris membris post caput corporis supereminent, accipere apostolatum proprie potuissent, nisi prius communiter cum cæteris gratiam, quæ peccatores sanat et justificat, accepissent. Quod autem subjungit, *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus;* ad hoc dicit apostolatum se accepisse, ut obediatur fidei pro nomine Domini nostri Jesu Christi, hoc est, ut credant omnes Christo, et signentur in ejus nomine qui salvi esse cupiunt. Quam salutem non solis Judæis, sicut nonnulli qui ex ipsis crediderant arbitrabantur, venisse jam ostendit, cum ait, *in omnibus gentibus: in quibus estis*, inquit, *et vos vocati Jesu Christi* (*Rom.* I, 5, 6), id est, ut et vos sitis ejus Jesu Christi, qui omnium gentium salus est, quanquam non in numero Judæorum, sed in numero cæterarum gentium sitis inventi.

7. Huc usque dixit ipse quis esset qui scribit Epistolam. Est enim qui scribit Epistolam, *Paulus servus Jesu Christi, vocatus apostolus, segregatus in Evangelium Dei.* Sed quia occurrebat, Quod Evangelium? respondit, *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo.* Item quia occurrebat, De quo Filio suo? respondit, *Qui factus est ei ex se-*

[1] Vaticanus Ms., *Deinde sanctificatio nostram vitam novam fecit*

mine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Domini nostri Jesu Christi. Et quasi diceretur, Quomodo tu ad eum pertines? respondit, *Per quem accepimus gratiam et apostolatum, ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus.* Item quasi diceretur, Quæ igitur causa est ut scribas ad nos? respondit, *In quibus estis et vos vocati Jesu Christi.* Nunc deinde adjungit ex more epistolæ quibus scribat : *Omnibus*, inquit, *qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis.* Etiam hic significavit benignitatem Dei potius quam meritum illorum. Non enim ait, diligentibus Deum; sed, *dilectis Dei.* Prior enim dilexit nos ante omnia merita, ut et nos eum dilecti diligeremus (I *Joan.* IV, 19). Unde etiam addidit, *vocatis sanctis.* Quanquam enim sibi quis tribuat quod vocanti obtemperat, nemo potest sibi tribuere quod vocatus est. *Vocatis* autem *sanctis*, non ita intelligendum est, tanquam ideo vocati sint, quia sancti erant; sed ideo sancti effecti, quia vocati sunt.

8. Restat ergo ut salutem dicat, ut compleatur usitatum epistolæ principium, tanquam ille illis salutem. Pro eo autem ac si diceret salutem, *Gratia*, inquit, *vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo* (*Rom.* I, 7). Non enim omnis gratia est a Deo. Nam et judices mali præbent gratiam in accipiendis personis aliqua cupiditate illecti, aut timore perterriti. Neque omnis pax Dei est, vel ab illo : unde ipse Dominus discernens ait, *Pacem meam do vobis;* adjungens etiam et dicens non se talem pacem dare, qualem dat hic mundus (*Joan.* XIV, 27). Gratia est ergo a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo, qua nobis peccata remittuntur, quibus adversabamur Deo [1]. Pax vero ipsa qua reconciliamur Deo. Cum enim per gratiam remissis peccatis absumptæ fuerint inimicitiæ, restat ut pace adhæreamus illi, a quo nos sola peccata dirimebant : sicut propheta dicit, *Non gravabit aurem, ut non audiat; sed peccata vestra inter vos et Deum separant* (*Isai.* LIX, 1 *et* 2). Quibus remissis per fidem Domini nostri Jesu Christi, nulla separatione interveniente pax erit.

9. Fortasse autem quisque miretur quomodo intelligenda sit justitia judicis Dei, cum gratiam præbet ignoscendo peccatis. Sed hoc plane justum est apud Deum; quia vere justum est ut ii quos peccatorum suorum pœnitet, eo tempore quo nondum pœnarum manifestus terror apparet, misericorditer separentur ab eis qui defensiones peccatorum suorum pertinaciter exquirentes, nulla pœnitentia corrigi volunt. Injustum est enim ut cum his illi ad consortium pœnale copulentur, qui vocantem Deum non spreverunt, et peccantes displicuerunt sibi, ut quemadmodum ille peccata eorum, sic etiam ipsi odissent sua. Ea enim demum est humanæ justitiæ disciplina, non in se amare nisi quod Dei est, et odisse quod proprium est; nec approbare peccata sua, nec in eis alium improbare, sed seipsum; nec putare satis sibi esse ut sua peccata displiceant, nisi etiam vigilantissima deinceps intentione vitentur; nec in eis vitandis vires suas existimare sufficere, nisi divinitus adjuvetur. Justum est ergo apud Deum ut ignoscatur talibus quæcumque antea commiserunt, ne, quod injustissimum est, cum eis qui tales non sunt confundantur atque misceantur. Quapropter et quia talibus non ignoscitur, justitia Dei est : et quia ignoscitur, gratia est. Justa est ergo gratia Dei, et grata justitia, cum in eo quoque etiam pœnitentiæ meritum gratia præcedat, quod neminem peccati sui pœniteret, nisi admonitione aliqua vocationis Dei.

10. Porro justitiæ divinæ tanta constantia est, ut cum pœna spiritualis et sempiterna pœnitenti fuerit relaxata, pressuræ tamen cruciatusque corporales, quibus etiam martyres exercitatos novimus; postremo mors ipsa, quam peccando meruit nostra natura, nulli relaxetur. Quod enim etiam justi homines et pii, tamen exsolvunt ista supplicia, de justo Dei judicio venire credendum est. Ipsa est quæ in sacris Scripturis etiam disciplina nominatur, quam nemo justorum effugere sinitur. Neminem quippe excepit, cum diceret: *Quem enim diligit Deus, corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Unde etiam ipse Job, qui propterea tam multa illa passus est, ut hominibus quis vir esset, et quantus Dei servus, eluceret, pœnas tamen corporis pro peccatis suis se exsolvere sæpe testatur. Petrus quoque apostolus exhortans fratres ad perferendas pro Christi nomine passiones, ita loquitur : « Nemo autem vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut curas alienas agens : si vero quasi christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine, quia tempus inchoationis judicii a domo Dei : si autem initium a nobis, quis finis eorum qui non credunt Evangelio Dei? et si justus quidem vix salvus fit, peccator et impius ubi parebunt » (I *Petr.* IV, 15-18)? Manifeste ostendit easdem ipsas passiones quas justi patiuntur, ad judicium Dei pertinere; quod inchoari dixit ex domo Dei, ut inde conjiciatur quantæ impiis futuræ serventur. Unde etiam ipse Paulus ad Thessalonicenses dicit : « Ita ut nos ipsi de vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro vestra patientia et fide in omnibus persecutionibus vestris, et pressuris quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei » (II *Thess.* I, 4, 5). Quod omnino ad illud respicit, quod ait Petrus tempus esse inchoationis judicii a domo Dei : et illud quod de propheta interposuit, *Et si justus vix salvus erit, peccator et impius ubi parebunt* (*Prov.* XI, 31)? Unde mihi videtur etiam illa quæ per Nathan prophetam regi David comminatus est Deus, quanquam statim ignoverit pœnitenti, propterea tamen accidisse omnia (II *Reg.* XII), ut demonstraretur illam veniam spiritualiter datam propter futurum judicium pœnarum, quod exspectat eos qui hoc tempore corrigi nolunt. Dicit enim et alibi Petrus : *Propter hoc enim et mortuis evangelizatum est, ut judicentur quidem secundum hominem in carne, vivant autem secundum Deum in spiritu* (I *Petr.* IV, 6). Hoc dixi, ut ostenderem quantum possem, et quantum opportuni-

[1] Vaticanus Ms., *aversabamur a Deo.*

tas præsentis loci Scripturarum sinit, non sic accipiendam gratiam et pacem Dei, cum dicitur, ut existiment homines a justitia Deum posse discedere. Nam et ipsam pacem cum promitteret Dominus, ait : *Hæc dixi, ut in me pacem habeatis, in mundo autem pressuram* (*Joan.* XVI, 33). Sed tribulationes et molestiæ cum per justitiam Dei redduntur peccatis, bonos et justos, et quibus jam plus peccata ipsa displicent quam ulla corporis pœna, non reflectunt ad peccandum, sed ab omni labe penitus purgant. Pax enim perfecta etiam corporis suo tempore dabitur [1], si nunc pacem quam Dominus per fidem dare dignatus est, inconcusse spiritus noster atque incommutabiliter teneat.

11. Quod autem Apostolus gratiam et pacem a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo dicit, non adjungens etiam Spiritum sanctum ; non mihi alia ratio videtur, nisi quia ipsum donum Dei Spiritum sanctum intelligamus : gratia porro et pax, quid aliud est quam donum Dei? Unde nullo modo dari hominibus gratia potest qua liberamur a peccatis, et pax qua reconciliamur Deo, nisi in Spiritu sancto. Et ideo ipsa Trinitas pariterque incommutabilis unitas in ista salutatione cognoscitur. Quod propterea maxime credo, quoniam excepta Epistola quam ad Hebræos scripsit, ubi principium salutatorium de industria dicitur omisisse, ne Judæi qui adversus eum pugnaciter oblatrabant, nomine ejus offensi vel inimico animo legerent, vel omnino legere non curarent, quod ad eorum salutem scripserat : unde nonnulli eam in canonem Scripturarum recipere timuerunt : sed quoquo modo se habeat ista quæstio, excepta hac Epistola, cæteræ omnes quæ nulla dubitante Ecclesia Pauli apostoli esse firmantur, talem continent salutationem ; nisi quod ad Timotheum in utraque interponit misericordiam. Nam ita scribit : *Gratia, misericordia, pax a Deo Patre, et Jesu Christo Domino nostro* (I *et* II *Tim.* I, 2). Quo enim familiarius, eo dulcius quodammodo scribens ad Timotheum, id verbum interposuit, quo plane aperitur atque ostenditur non meritis operum priorum, sed secundum misericordiam Dei nobis dari Spiritum sanctum, ut et peccatorum abolitio fiat, quibus sejungebamur a Deo ; et reconciliatio, ut illi inhæreamus.

12. Nec aliæ Apostolorum Epistolæ, quas usus ecclesiasticus recipit, parum nos admonent de ista Trinitate in principiis suis. Nam Petrus ita dicit, *Gratia vobis et pax adimpleatur :* deinde statim subjicit, *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi* (I *Petr.* I, 2 *et* 3). Ut per gratiam et pacem Spiritu sancto intellecto, Patris et Filii commemoratio animum de Trinitate commoneat. Et in alia sic ait : *Gratia vobis et pax multiplicetur in recognitione Dei et Christi Jesu Domini nostri* (II *Petr.* I, 2). Joannes autem nescio quam ob causam omisit tale principium ; sed plane Trinitatis commemorationem nec ipse neglexit, pro gratia et pace, societatem interponens : *Quod ergo vidimus*, inquit, *nuntiamus et vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et Filio ejus Jesu Christo* (I *Joan.* I, 3). In secunda vero illis quæ ad Timotheum sunt consonat, dicens, *Sit vobiscum gratia, misericordia, pax a Deo Patre et Jesu Christo Filio Patris* (II *Joan.* I, 3). In tertiæ principio de Trinitate penitus tacetur, credo, quod sit omnino brevissima. Sic enim incipit : *Senior Gaio dilectissimo, quem ego diligo in veritate* (III *Joan.* I, 1). Quam veritatem pro ipsa Trinitate positam puto. Judas nominato Deo Patre et Domino Jesu Christo, ad intelligendum Spiritum sanctum, hoc est donum Dei, tria verba ponit ; sic quippe incipit, *Judas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi, in Deo Patre dilectis, et Jesu Christo conservatis et vocatis, misericordia vobis, et pax et charitas adimpleatur* (*Judæ* I, 1). Gratia enim et pax sine misericordia et charitate intelligi non potest. Jacobus autem usitatissimum exordium fecit Epistolæ, ita scribens : *Jacobus Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem* (*Jacobi* I, 1). Credo, considerans salutem non esse nisi in dono Dei [1], ubi gratia et pax. Et quanquam ante hoc verbum nominaverit Deum et Dominum nostrum Jesum Christum ; tamen quia nulla gratia et nulla pace salvi fiunt homines, nisi quæ est a Deo Patre et Domino Jesu Christo, sicut Joannes in tertia veritatem, sic iste salutem pro ipsa Trinitate posuisse mihi videtur.

13. Quo loco prorsus non arbitror prætereundum, quod pater Valerius animadvertit admirans in quorumdam rusticanorum collocutione. Cum enim alter alteri dixisset, *Salus*, quæsivit ab eo qui et latine nosset et punice, quid esset *Salus :* responsum est, *Tria.* Tum ille agnoscens cum gaudio salutem nostram esse Trinitatem, convenientiam linguarum non fortuitu sic sonuisse arbitratus est, sed occultissima dispensatione divinæ providentiæ : ut cum latine nominatur *Salus*, a Punicis intelligantur *Tria ;* et cum Punici lingua sua *Tria* nominant, latine intelligatur *Salus.* Chananæa enim, hoc est, Punica mulier, de finibus Tyri et Sidonis egressa, quæ in Evangelio personam Gentium gerit, salutem petebat filiæ suæ, cui responsum est a Domino : *Non est bonum panem filiorum mittere canibus.* Quod crimen objectum illa non negans, tanquam de confessione peccatorum impetratura salutem filiæ, hoc est novæ vitæ suæ : *Ita*, inquit, *Domine, nam et canes edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum* (*Matth.* XV, 22-27). *Tria* enim mulieris lingua *Salus* vocantur : erat enim Chananæa. Unde interrogati rustici nostri quid sint, punice respondentes *Chanani*, corrupta scilicet, sicut in talibus solet, una littera, quid aliud respondent quam, Chananæi ? Petens itaque salutem, Trinitatem petebat : quia et Romana lingua, quæ in salutis nomine Trinitatem Punice sonat, caput Gentium inventa est in adventu Domini ; et diximus Chananæam mulierem, Gentium sustinere personam. Panem autem appellans Dominus id ipsum quod a muliere petebatur, quid aliud quam Trinitati attestatur? Namque alio loco eamdem Trinitatem in tribus panibus intelligendam

[1] Sic Vaticanus Ms. At editi, *roborabitur.*

[1] Vaticanus Ms., *in domo Dei.*

esse, apertissime docet. Sed hæc verborum consonantia, sive provenerit, sive provisa sit, non pugnaciter agendum est ut ei quisque consentiat, sed quantum interpretantis elegantiam hilaritas audientis admittit.

14. Illud sane magna intentione animi considerandum, et totis viribus pietatis amplectendum satis apparet, quoniam si gratia et pax ad implendam Trinitatis commemorationem sic ab Apostolo ponitur, ac si Spiritum sanctum nominasset; ille peccat in Spiritum sanctum, qui desperans, vel irridens atque contemnens prædicationem gratiæ per quam peccata diluuntur, et pacis per quam reconciliamur Deo, detrectat agere pœnitentiam de peccatis suis, et in eorum impia atque mortifera quadam suavitate perdurandum sibi esse decernit, et in finem usque perdurat. Quod ergo ait Dominus, dimitti homini, si verbum dixerit adversus Filium hominis : si autem verbum dixerit adversus Spiritum sanctum, non ei dimitti, neque hic, neque in futuro sæculo, sed reum esse æterni peccati, non negligenter audiendum est. Constituamus enim aliquem latinæ linguæ ignarum, cum illo audiente pronuntiatus fuerit ab aliquo Spiritus sanctus, quærere quid rerum significetur sub isto syllabarum sono; ab aliquo autem deceptore vel irrisore impio responderi aliquid aliud, quodlibet vile et abjectum, ut quærentem decipiat, sicuti a talibus fieri solet ridendi gratia; illum autem per ignorantiam contempsisse hoc nomen, dum nescit quid significet, et aliqua etiam in hoc convicia jactitasse : neminem esse arbitror tam vanum et inconsideratum, qui hunc hominem ullo crimine impietatis aspergat. At contra, si tacito nomine res ipsa verbis quibus potest ad quærentis intelligentiam perducatur, tum vero contumeliose in tantam sanctitatem vel verba vel facta protulerit, reus tenebitur. Quæ cum ita sint, manifestum esse arbitror, eum qui hoc nomine audito, aliam pro alia rem significari putaverit; et adversus eam rem quam significari hoc nomine credidit, verbum dixerit: non hunc sic peccare, ut adversus Spiritum sanctum verbum dixisse judicetur. Ita quoque, si quisquam quærens quid sit Spiritus sanctus, audiat ab imperito hunc esse Filium Dei per quem facta sunt omnia, qui etiam certa opportunitate temporis de Virgine natus sit, et occisus sit a Judæis, et resurrexerit, quibus auditis vel neget vel irrideat quæ dicta sunt : non eum sic teneri putandum est, ac si verbum adversus Spiritum sanctum dixerit; sed potius adversus Filium Dei, vel Filium hominis, sicut et vocari et esse dignatus est. Non enim quid sit imperito per vocem propositum, sed per rationem expositum, considerandum est. Quia ille cum maledicta proferret, ei utique maledicebat quem sibi enarratum in cogitatione intuebatur. Quodlibet autem vocaretur, utrum res ipsa veneranda, an neganda, vel vituperanda esset, hoc quæritur. Hoc modo etiam si quispiam quærat quis sit Jesus Christus; et ea quærenti respondeantur quæ non in Filium Dei, sed potius in Spiritum sanctum conveniunt, quibus auditis ille blasphemet : non utique adversus Filium, sed adversus Spiritum sanctum verbum dixisse tenebitur.

15. Sed si transitorie ac negligenter attenderimus quod dictum est, *Si quis verbum dixerit adversus Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro* (*Matth.* XII, 32); quis inveniri poterit cui veniam peccatorum dederit Deus? Nam et Pagani qui appellantur, etiam nunc totam nostram religionem, quia jam ferro et cædibus prohibentur, maledictis contumeliisque insectantur; et quidquid de ipsa Trinitate dicimus, negando et blasphemando contemnunt. Non enim excipiunt sibi Spiritum sanctum quem venerentur, ut in cætera sæviant; sed simul adversus omnia quæcumque sollicite [1] de trina Dei majestate loquimur, quanto possunt furore impietatis oblatrant. Nam neque de ipso Deo Patre digna sentiunt, quem partim penitus negant, partim sic fatentur, ut de illo falsa fingendo, non utique illum, sed sua figmenta venerentur. Multo magis ergo quod de Filio Dei, vel de Spiritu sancto dicimus, suo impio more deridere, quam nostra pia societate colere maluerunt. Quos tamen, quantum possumus, adhortamur ad Christum cognoscendum, et per ipsum Patrem Deum [2], summoque et vero Imperatori militandum esse suademus; eosque promissa impunitate præteritorum omnium peccatorum invitamus ad fidem. Qua in re satis judicamus, etiam si quid adversus Spiritum sanctum in sua sacrilega superstitione dixerunt, cum christiani facti fuerint, sine ulla caligine dubitationis ignosci. Judæi vero quales adversus Spiritum sanctum fuerint, testis est Stephanus, quem ipso Spiritu sancto plenum lapidaverunt, cum illa omnia quæ in eos dixit, ipse Spiritus dixerit. In quibus verbis apertissime dictum est Judæis, *Vos semper restitistis Spiritui sancto* (*Act.* VII, 51). In illo tamen numero Judæorum resistentium Spiritui sancto, et non ob aliud Stephanum vas ejus, nisi quod ipse eo plenus erat, lapidantium, etiam Paulus apostolus erat, in manibus omnium quorum vestimenta servabat : quod ipse sibi postea etiam pœnitendo increpitat, eo ipso Spiritu jam plenissimus, cui primo inanissimus resistebat, et paratus jam lapidari pro talibus dictis, qualium prædicatorem ipse lapidaverat. Quid Samaritani? nonne ita Spiritui sancto adversantur, ut ipsam prophetiam penitus conentur exstinguere, quæ per Spiritum sanctum ministrata est? Quorum tamen saluti et ipse Dominus attestatur, in eo qui de decem leprosis mundatis solus reversus est ut ageret gratias, cum esset Samaritanus (*Luc.* XVII, 15, 16); et in illa muliere, cum qua ad puteum sexta hora locutus est, vel eis qui per illam crediderunt (*Joan.* IV, 7-42). Post Domini autem ascensionem, sicut in Actibus Apostolorum scriptum est, quanta gratulatione sanctorum recipit Samaria verbum Dei? Simonem quoque magum arguens Petrus apostolus, quod tam male de Spiritu sancto senserit, ut eum venalem putans pecunia sibi emendum poposcerit; non tamen ita de illo desperavit, ut veniæ

[1] Vaticanus Ms., *quæcumque de trina :* omisso, *sollicite.*
[2] Vaticanus Ms., *et per ipsum Patri Deo summoque.*

locum nullum relinqueret : nam benigne etiam ut eum pœniteret admonuit (*Act.* VIII, 9-22). Ipsa denique catholicæ Ecclesiæ tam insignis auctoritas, quæ in eodem dono Spiritus sancti omnium sanctorum mater toto fecunda orbe diffunditur, cui unquam hæretico vel schismatico spem liberationis, si se corrigat, amputavit? cui placandi Dei aditum clausit? Nonne omnes ad ubera sua, quæ superbo fastidio reliquerunt, cum lacrymis revocat? Quis vero vel de principibus, vel de gregibus hæreticorum invenitur [1], qui non adversetur Spiritui sancto? Nisi forte quisquam tam perverse sentit, ut arbitretur eum teneri reum qui adversus Spiritum sanctum aliquid dixerit; eum vero qui adversus Spiritum sanctum multa fecerit, non teneri. Qui autem tanta evidentia contra Spiritum sanctum pugnant, quam illi qui adversus Ecclesiæ pacem superbissimis contentionibus sæviunt? Sed si de verbis quæstio est, quæro utrum nihil dicant adversus Spiritum sanctum, cum alii eum, quod ad ipsum proprie pertinet, omnino non esse asseverent; sed ita esse unum Deum, ut idem ipse Pater, idem ipse Filius, idem ipse Spiritus sanctus appelletur (*a*). Alii fateantur quidem esse Spiritum sanctum; sed æqualem Filio, vel omnino esse Deum negent (*b*). Alii unam quidem et eamdem Trinitatis substantiam esse fateantur, sed de ipsa divina substantia tam impie sentiant, ut eam commutabilem et corruptibilem putent; ipsumque Spiritum sanctum, quem Dominus discipulis se missurum esse promisit, non quinquagesimo die post ejus resurrectionem, sicut Apostolorum Acta testantur (*Id.* II, 1-4), sed post trecentos fere annos per hominem venisse confingant (*c*). Alii similiter adventum ejus, quem tenemus, negent; et eum prophetas in Phrygia, per quos tanto post loqueretur, elegisse contendant (*d*). Alii Sacramenta ejus exsufflent, et baptizatos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, denuo baptizare non dubitent (*e*). Sed ne pergam per singula, quæ sunt innumerabilia, his certe omnibus quos pro tempore breviter attigi, ad sponsam Christi redeuntibus, et errorem atque impietatem pœnitendo damnantibus, nulla catholica disciplina negandam Ecclesiæ pacem, et claudenda viscera misericordiæ judicavit.

16. Quod si quisquam tunc putat verbum dici adversus Spiritum sanctum, cum ab eo dicitur cui jam per Baptismum dimissa sunt peccata; attendat nec talibus per Ecclesiæ sanctitatem auferri pœnitentiæ locum. Si enim propterea credit non dari veniam ei, quia gratia fidei Sacramentisque fidelium jam perceptis non potest dici peccasse ignorantia : videat aliam causam esse, cum dicitur propterea non ignosci, quia non ignorantiæ tempore peccatum est; et aliam causam esse, cum dicitur propterea non ignosci, quia verbum dixit adversus Spiritum sanctum. Si enim sola ignorantia veniam meretur, et ignorantia non accipitur nisi antequam quisque fuerit baptizatus; non solum si adversus Spiritum sanctum, sed etiam si adversus Filium hominis post Baptismum dixerit verbum; et omnino si qua fornicatione, vel homicidio, vel ullo flagitio, aut facinore post Baptismum sese maculaverit, non potest pœnitendo curari. Quod qui senserunt exclusi sunt a communione catholica; satisque judicatum est eos in illa crudelitate, divinæ misericordiæ participes esse non posse. Si autem illud solum, quod adversus Spiritum sanctum dicitur, sine venia esse post acceptum Baptismum putatur : primo Dominus cum inde loqueretur, nullum tempus excepit, sed regulariter ait, *Qui dixerit verbum adversus Spiritum sanctum*, *non remittetur ei*, *neque in hoc sæculo*, *neque in futuro*. Deinde Simon, quem paulo ante commemoravi, jam Baptismum acceperat, cum Spiritum sanctum turpissimo mercatui subditum credidit : cui correpto a se Petrus tamen consilium pœnitendi dedit. Quid autem de iis qui cum Baptismi sacramenta pueri vel etiam infantes perceperint, postea negligenter educati, per ignorantiæ tenebras vitam turpissimam ducunt, nescientes omnino quid christiana disciplina jubeat aut vetet, quid polliceatur, et quid minetur, quid credendum, quid sperandum, quid diligendum sit; num audebimus peccata eorum propterea non ignorantiæ deputare, quia baptizati peccaverunt, cum omnino ignorantes, et omnino, quemadmodum dicitur, ubi caput haberent nescientes [1], in magno errore peccaverint?

17. Quod si eo tempore cum scientia quisque peccasse dicatur, quo scit malum esse quod facit, et tamen facit; cur hoc in Spiritum sanctum solum, non etiam in Dominum Jesum Christum irremissibile judicatur? Aut si hoc ipsum esse creditur peccare, vel verbum dicere adversus Spiritum sanctum, quodlibet peccatum cum scientia committere; ut quidquid homines ignorando peccant, in Filium peccare; quidquid autem scientes peccant, in Spiritum sanctum peccare judicentur : quæro quis nesciat malum esse, verbi gratia, corrumpere pudicitiam uxoris alienæ, vel eo ipso certe quod hoc in sua conjuge nollet perpeti; aut fraudare quemquam in negotio, aut circumvenire mendacio, aut opprimere testimonii falsitate, aut auferendæ rei ejus causa insidiari, et occidere quempiam; et si quid omnino est quod sibi ab altero fieri non vult, et si fieri senserit, toto corde indubitanter accusat? Aut si hæc ab ignorantibus fieri dicimus, quid invenimus in quo scientes homines peccare videantur? Restat ergo ut, si hoc est peccare in Spiritum sanctum, peccare cum scientia, illis peccatis quæ commemoravi negetur pœnitendi locus; quoniam peccato in Spiritum sanctum omnem spem veniæ Dominus amputavit : quod si regula christiana respuit, omnesque illos qui sic peccant, ad correctionem vitæ vocare non cessat; adhuc quærendum est quid sit peccare in Spiritum sanctum, cui peccato venia nulla conceditur.

[1] Editi, *de regibus hæreticorum inveniretur*. At Vaticanus Ms., *de gregibus hæreticorum inveniretur*.

(*a*) Sabelliani.
(*b*) Ariani.
(*c*) Manichæi.
(*d*) Cataphryges.
(*e*) Donatistæ.

[1] Ms. Vaticanus, *ubi caput haberetur, nescientes.*

18. An forte non est dicendus cum scientia peccare, qui peccatum ipsum malum esse novit, et tamen Deum voluntatemque ejus ignorans peccat? Hoc enim videtur ad Hebræos dicere, cum dicit : *Voluntarie enim peccantibus nobis postquam accepimus scientiam veritatis, non adhuc relinquitur pro peccatis sacrificium* (*Hebr.* x, 26). Parum enim erat, si tantummodo diceret, *Voluntarie peccantibus nobis*, nisi adderet, *postquam accepimus scientiam veritatis;* in qua utique Deus voluntasque ejus cognoscitur. Quæ scientia videtur congruere dominicæ illi sententiæ, cum ait : *Servus ignorans voluntatem domini sui, et faciens digna plagis, vapulabit pauca; servus autem sciens voluntatem domini sui, et faciens digna plagis, vapulabit multa* (*Luc.* xii, 47, 48). Ut hoc putemus dictum esse, quod dictum est, *vapulabit pauca*, tanquam si diceret, leviter emendatus ad veniam pertinebit; in eo vero quod dictum est, *vapulabit multa*, sempiternum supplicium intelligatur, quod minatur peccantibus in Spiritum sanctum, quibus dicit nunquam posse dimitti peccatum : ut hoc sit peccare in Spiritum sanctum, cognita Dei voluntate peccare. Quod si ita est, cogitari oportet et discuti prius quando cognoscatur voluntas Dei. Nonnulli enim et ante perceptum Baptismi sacramentum cognoverunt eam. Nam et Cornelius centurio voluntatem Dei utique apostolo Petro docente cognovit, et ipsum Spiritum sanctum manifestissimis coattestantibus signis, antequam baptizaretur, accepit : quanquam non ideo Sacramenta illa contempserit, sed multo certius baptizatus sit; ut etiam ipsa sacrosancta signacula, quorum res in eo præcesserat, ad perficiendam scientiam veritatis percipere nullo modo moraretur (*Act.* x). Multi autem nec post acceptum Baptismum curant cognoscere voluntatem Dei. Quapropter quisquis ante Baptismum cognita Dei voluntate peccaverit, non possumus dicere, aut ullo modo credere cum ad Baptismum accesserit, non ei dimitti omnia quæcumque peccavit. Huc accedit quod voluntas Dei in diligendo Deo et proximo breviter insinuetur credentibus, ita ut in his duobus præceptis tota Lex pendeat, et omnes Prophetæ (*Matth.* xxii, 37-40). Dilectionem autem proximi, id est, dilectionem hominis usque ad inimici dilectionem, nobis Dominus ipse commendat (*Matth.* v, 44) : et videmus quam multi jam baptizati, et vera esse ista fateantur, et tanquam Domini præcepta venerentur; cum autem perpessi fuerint alicujus inimicitias, ita rapiuntur animo ad ulciscendum, et tantis inardescunt facibus odiorum, ut nec prolato et recitato Evangelio placari possint : et talibus hominibus jam baptizatis Ecclesiæ plenæ sunt; quos tamen spirituales viri fraterne admonere non cessant, et in spiritu lenitatis instanter instruunt (*Galat.* vi, 1), ut hujusmodi tentationibus occurrere ac resistere parati sint, et magis diligant in Christi pace regnare, quam de inimici oppressione lætari. Quod inaniter fieret, si talium peccatorum nulla spes veniæ, nulla pœnitentiæ medicina remaneret. Et certe caveant qui hoc sentiunt, ne David patriarcham divina electione probatum atque laudatum, ignorasse affirment voluntatem Dei, cum alienæ conjugis amore perculsus, etiam maritum ejus decipiendum necandumque curavit : de quo tamen scelere cum esset primo sua, deinde prophetæ voce damnatus, pœnitendi humilitate, et peccati confessione liberatus est. Sed plane vapulavit multa (II *Reg.* xi, xii), et exemplo suo docuit intelligi, non ad sempiternam pœnam, sed ad severiorem disciplinam pertinere quod dictum est a Domino, *Qui autem novit voluntatem Domini sui, et facit digna plagis, vapulabit multa.*

19. Nam et illud ad Hebræos qui diligentius pertractant, sic intelligunt, ut non de sacrificio contribulati per pœnitentiam cordis accipiendum sit quod dictum est, *Non adhuc pro peccatis relinquitur sacrificium;* sed de sacrificio de quo tunc loquebatur Apostolus, id est, holocausto Dominicæ passionis, quod eo tempore offert quisque pro peccatis suis, quo ejusdem passionis fide dedicatur, et Christianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur : ut hoc significaverit Apostolus, non posse deinceps eum qui peccaverit, iterum baptizando purgari. Quo intellectu non intercluditur pœnitendi locus : ita sane, ut eos qui nondum baptizati sunt, nondum plenam scientiam veritatis accepisse fateamur. Ex quo conficitur ut omnis qui scientiam veritatis accepit, etiam baptizatus intelligatur. Non autem omnis baptizatus etiam scientiam veritatis accepit, propter quorumdam posteriorum provectum vel miserabilem negligentiam : et tamen illud sacrificium de quo loquebatur, id est, holocaustum Domini, quod tunc pro unoquoque offertur quodammodo, cum ejus nomine in baptizando signatur, iterum si peccaverit, offerri non potest. Non enim possunt denuo baptizari qui semel baptizati sunt, quamvis etiam post Baptismum per ignorantiam veritatis peccaverint. Ita fit ut quoniam sine Baptismo nemo recte dicitur accepisse scientiam veritatis, omnis qui accepit eam, non ei relinquatur pro peccatis sacrificium, hoc est, non possit denuo baptizari : nec tamen omnis qui non accepit per doctrinam scientiam veritatis, debeat arbitrari posse pro se illud offerri sacrificium, si jam oblatum est; id est, si jam ejusdem veritatis per Baptismum sacramenta percepit, non potest iterum baptizari. Tanquam si diceremus omnem hominem non esse quadrupedem, non ideo tamen omne animal quod homo non est, etiam quadrupes esse. Eos enim qui jam baptizati fuerint, curari melius dicimus per pœnitentiam, non renovari; quia renovatio in Baptismo est. Ubi quidem operatur pœnitentia, sed tanquam in fundamento. Manente itaque fundamento, recurari ædificium potest : si autem fundamentum iterare quis voluerit, totum ædificium subvertat necesse est. Propterea hoc dicit Hebræis, qui ex novo Testamento ad sacerdotium vetus declinasse videbantur : *Ideoque remittentes*, inquit, *initii Christi verbum, in consummationem respiciamus, non iterum jacientes fundamentum pœnitentiæ a mortuis operibus, et fidei in Deum, lavacri doctrinæ, impo-*

sitionis manus, *resurrectionis etiam mortuorum*, *et judicii æterni* (*Hebr.* VI, 1 et 2). Ista omnia in Baptismo traduntur, quæ negat esse repetenda, utique in consecrandis fidelibus. Nam in verbi Dei tractatione atque doctrina, non iterum tantum, sed sæpius dicenda sunt, sicut rerum de quibus disseritur opportunitas flagitat.

20. An vero jam illud occurret, ut non jam si quodlibet peccatum sciens admiserit, sed si proprie peccatum in Spiritum sanctum sciens admiserit, tunc non habere veniam judicetur? Quo loco quæri potest utrum scirent Judæi per Spiritum sanctum operari Dominum, quando eum in principe dæmoniorum dæmonia excludere blasphemabant (*Matth.* IX, 34)? Miror autem quomodo possent in illo Spiritum sanctum cognoscere, cum ipsum Dominum Filium Dei esse nescirent: in illa scilicet cæcitate, quæ *ex parte in Israel facta est*, *donec plenitudo Gentium intraret* (*Rom.* XI, 25). De qua opportunius suo loco, Domino adjuvante atque permittente, tractabitur. Deinde si dijudicatio spirituum illa intelligitur, qua quisque dijudicat utrum in quoquam Spiritus sanctus, an fallaciæ spiritus operetur; hæc autem dijudicatio certo quodam tempore per Spiritum sanctum fidelibus datur, sicut alio loco idem apostolus dicit (I *Cor.* XII, 10): quomodo poterant infideles Judæi sine isto munere dijudicare, utrum per Spiritum sanctum Dominus operaretur: et tamen in eis, ut justa pœna ferirentur, apertissima indicia malevolentiæ claruerunt, et cum falsos testes in eum compararunt (*Matth.* XXVI, 59-60), et submiserunt simulatores qui eum in verbo caperent (*Id.* XXII, 15-17); et cum tremenda mirabilia, quæ in ejus resurrectione facta sunt, eis renuntiarentur, famam falsam disseminare, ac veritatem abscondere, custodum corruptione conati sunt (*Id.* XXVIII, 13); et alia malitiosi et venenosi animi signa in eis, quantum evangelica narratio demonstrat, apparuerunt.

21. Unde jam velut incœpit elucere, eum peccare in Spiritum sanctum, qui operibus quæ per Spiritum sanctum fiunt, malevolo animo contradicit. Quanquam enim nesciat utrum ille sit Spiritus sanctus; tamen qui hoc animo est, ut ea opera quibus invidet, malit non esse Spiritus sancti; non quia mala sunt, sed quia invidet eis, quia ipsi bonitati est contrarius per malitiam suam; recte in Spiritum sanctum peccare judicatur. Verumtamen si ex eo quoque hominum numero, quibus Dominus illud crimen objicit, veniens ad fidem Christi, et pœnitendi cruciatibus edomita invidia salutem cum lacrymis poscens, sicut etiam nonnulli eorum fortasse fecerunt; quæro utrum quisquam tanto errore crudescat, ut aut neget eos ad Christi baptismum admitti oportuisse, aut frustra admissos esse contendat? Nam si quis per invidiam opera divina blasphemat, quoniam bonis Dei, hoc est donis Dei malitia sua resistit, in Spiritum sanctum peccare, et propterea spem veniæ non habere existimandus est: attendamus utrum ex eo numero fuerit apostolus Paulus. Dicit enim: *Qui prius fui blasphemus*, *et persecutor*, *et injuriosus*; *sed misericordiam consecutus sum*, *quia ignorans feci in incredulitate* (I *Tim.* I, 13). An forte ideo non pertinuit ad hoc genus criminis, quia non erat invidus? Audiamus quid alibi dicat: *Fuimus enim*, inquit, *et nos stulti aliquando et increduli*, *errantes*, *servientes voluptatibus et desideriis variis*, *in malitia et invidia agentes*, *abominabiles*, *invicem odio habentes* (*Tit.* III, 3).

22. Si ergo nec Paganis, nec Hebræis, nec hæreticis, aut schismaticis nondum baptizatis, ad baptismum Christi aditus clauditur, ubi condemnata vita priore in melius commutentur; quamvis Christianitati et Ecclesiæ Dei adversantes antequam christianis Sacramentis abluerentur, etiam Spiritui sancto quanta potuerunt infestatione restiterint: si etiam hominibus, qui usque ad Sacramentorum perceptionem veritatis scientiam perceperunt, et post hæc lapsi Spiritui sancto restiterunt, ad sanitatem redeuntibus, et pacem Dei pœnitendo quærentibus, auxilium misericordiæ non negatur: si denique de illis ipsis quibus blasphemiam in Spiritum sanctum ab eis prolatam Dominus objecit, si qui resipiscentes ad Dei gratiam confugerunt, sine ulla dubitatione sanati sunt: quid aliud restat, nisi ut peccatum in Spiritum sanctum, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro dimitti Dominus dicit, nullum intelligatur nisi perseverantia in nequitia et in malignitate, cum desperatione indulgentiæ Dei? Hoc est enim gratiæ illius et paci resistere, de quibus nobis sermo nunc ortus est. Nam hinc licet advertere, etiam ipsis Judæis, quorum blasphemiam Dominus arguit, non fuisse clausum corrigendi se et pœnitendi locum; quod idem Dominus in ea ipsa reprehensione ait illis: *Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, et fructum ejus malum* (*Matth.* XII, 31-33). Quod utique nulla ratione diceretur eis, si propter illam blasphemiam jam commutare animum in melius, et recte factorum fructus generare non possent, aut frustra etiam sine peccati sui dimissione generarent.

23. Ergo quia Dominus in Spiritu Dei expellebat dæmonia, cæterosque humanorum corporum morbos languoresque sanabat, non ob aliud nisi ut crederetur dicenti sibi, *Agite pœnitentiam; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Id.* III, 2). Invisibiliter enim peccata dimittuntur, cui dimissioni fidem miraculis comparabat: quod in illo paralytico manifestissime ostenditur. Cum enim primo ei donum visibile obtulisset, propter quod venerat; non enim jam venerat Filius hominis, ut judicaret sæculum, sed ut servaret sæculum (*Joan.* III, 17): cum ergo dixisset, *Dimissa sunt tibi peccata;* murmuratumque esset a Judæis indignantibus quod eis tantam potestatem sibi arrogasse videretur: *Quid est*, inquit, *facilius dicere*, *Dimissa sunt tibi peccata; an dicere*, *Surge et ambula? Ut sciatis autem quia potestatem habet Filius hominis dimittere peccata*, (*dicit paralytico*) *Tibi dico*, *surge*, *tolle grabatum tuum*, *et vade in domum tuam* (*Marc.* II, 5-11). Quo facto, et quibus dictis satis declaravit ideo se illa facere in corporibus, ut crederetur animas peccatorum dimissione liberare, id est, ut de potestate visibili potestas invisibilis mereretur fidem. Quia ergo in Spiritu Dei faciebat illa omnia, ut gratiam pacemque ho-

minibus largiretur; gratiam in remissione peccatorum, pacem in reconciliatione Dei (a), a quo separant sola peccata : cum dixissent Judæi quod in Beelzebub ejiceret dæmonia, misericorditer eos voluit admonere, ne verbum dicerent et blasphemiam in Spiritum sanctum (*Matth.* XII, 22-35), hoc est, ne gratiæ Dei pacique resisterent, quam per Spiritum sanctum donare Dominus venerat. Non quia jam hoc fecerant, quod sibi neque in hoc sæculo, neque in futuro dimitteretur; sed ne desperando de venia, aut quasi de sua justitia præsumendo, et pœnitentiam non agendo, aut perseverando in peccatis, hoc facerent : hoc modo enim dicerent verbum, hoc est blasphemiam in Spiritum sanctum, in quo Dominus signa illa propter largiendam gratiam pacemque faciebat, si perseverantia peccatorum ipsi gratiæ pacique resisterent. Verbum enim dicere, non ita videtur hic positum, ut tantummodo illud intelligatur quod per linguam fabricamus, sed quod corde conceptum, etiam opere exprimimus. Sicut enim non confitentur Deum, qui tantum oris sono confitentur, non etiam bonis operibus : nam de his dictum est, *Confitentur enim se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Ex quo manifestum est dici aliquid factis, sicut manifestum est negari aliquid factis. Et sicut illud quod ait Apostolus, *Nemo dicit, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3); non potest recte intelligi, nisi in factis dicere intelligatur. Non enim hoc in Spiritu sancto dicere putandi sunt, quibus ipse Dominus dicit, *Utquid mihi dicitis, Domine, Domine, et non facitis quæ dico vobis* (*Luc.* VI, 46)? et illud, *Non omnis qui mihi dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII, 21). Sic etiam qui hoc verbum, quod sine venia vult intelligi Dominus, in Spiritum sanctum dicit, hoc est, qui desperans de gratia et pace quam donat, in peccatis suis perseverandum sibi esse dicit, dicere intelligendus est factis : ut quomodo illi factis Dominum negant, sic isti factis dicant se in mala vita sua et perditis moribus perseveraturos, et ita faciant, hoc est perseverent. Quod si faciunt, quis jam miretur, aut quis non intelligat, et Dominum Jesum Christum per illam comminationem ad pœnitentiam vocasse Judæos, ut eis in se credentibus gratiam pacemque donaret; et huic gratiæ pacique resistentibus, et hoc modo verbum atque blasphemiam in Spiritum sanctum dicentibus, hoc est, in peccatis suis desperata atque impia mentis obstinatione perseverantibus, et adversus Deum sine humilitate confessionis atque pœnitentiæ superbientibus, neque in hoc sæculo, neque in futuro veniam posse concedi? Quæ si ita sunt, opportunitate tractandi de gratia et pace, quæ nobis est a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo, magna et difficillima eodem ipso Domino largiente quæstio dissoluta est. Quisquis autem adhuc de re tanta diligentiorem considerationem tractationemque desiderat, in Evangelii tractatione atque in verbis Evangelistarum sibi desideranda esse cognoscat : et meminerit nos nunc Epistolam Pauli apostoli ad Romanos suscepisse tractandam, cujus Epistolæ textum consequentem in aliis voluminibus, si Dominus voluerit, vestigabimus, ut hujus jam tandem iste sit modus.

(a) I Retract. cap. 23.

De subsequenti opere, vide lib. 1, *cap.* 24, Retractationum, *a col.* 622, *verbis,* Post hunc librum exposui, *usque ad col.* 623, *verbis,* Scripsit Apostolus. M.

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

EPISTOLÆ AD GALATAS

Expositionis liber unus(a).

PRÆFATIO.

1. Causa propter quam scribit Apostolus ad Galatas, hæc est, ut intelligant gratiam Dei id secum agere, ut sub Lege jam non sint. Cum enim prædicata eis esset Evangelii gratia, non defuerunt quidam ex circumcisione, quamvis Christiani nomine, nondum tamen tenentes ipsum gratiæ beneficium, et adhuc volentes esse sub oneribus Legis, quæ Dominus Deus imposuerat, non justitiæ servientibus, sed peccato, justam scilicet Legem injustis hominibus dando ad demonstranda peccata eorum, non auferenda : non enim aufert peccata nisi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur : sub hac ergo gratia jam Galatas constitutos, illi volebant constituere sub one-

ADMONITIO PP. BENEDICTINORUM.

Castigatus est (hic liber) ad eosdem codices cum Expositione Epistolæ ad Romanos : prætereaque ad alterum Thuaneum, ad Albinensem, Michaelinum et Sergiensem.

Comparavimus prætcrea eas omnes editiones initio Retr. et Confess. *t.* 1, *memoratas.* M.

(a) Scriptus circiter Christi annum 394 : scilicet Augustino adhuc presbytero, ex lib. 1 Retract., capp. 23 et 24.

ribus Legis, asseverantes nihil eis prodesse Evangelium, nisi circumciderentur, et cæteras carnales Judaici ritus observationes subirent. Et ideo Paulum apostolum suspectum habere cœperant, a quo illis Evangelium prædicatum erat, tanquam non tenentem disciplinam cæterorum Apostolorum, qui Gentes cogebant judaizare. Cesserat enim talium hominum scandalis apostolus Petrus, et in simulationem ductus erat, tanquam et ipse hoc sentiret, nihil prodesse Gentibus Evangelium, nisi onera Legis implerent : a qua simulatione idem apostolus Paulus eum revocat, sicut in hac ipsa Epistola docet (*Galat.* II, 14). Talis quidem quæstio est et in Epistola ad Romanos : verumtamen videtur aliquid interesse, quod ibi contentionem ipsam dirimit, litemque componit, quæ inter eos qui ex Judæis, et eos qui ex Gentibus crediderant, orta erat, cum illi tanquam ex meritis operum Legis sibi redditum Evangelii præmium arbitrarentur, quod præmium incircumcisis tanquam immeritis nolebant dari; illi contra Judæis se præferre gestirent, tanquam interfectoribus Domini : in hac vero Epistola ad eos scribit, qui jam commoti erant auctoritate illorum qui ex Judæis erant, et ad observationes Legis cogebant; cœperant enim eis credere, tanquam Paulus apostolus non vera prædicasset, quod eos circumcidi noluisset. Et ideo sic cœpit : *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gloriam Christi, in aliud Evangelium.* Hoc ergo exordio causæ quæstionem breviter insinuavit. Quanquam et ipsa salutatione, cum dicit se apostolum, *non ab hominibus, neque per hominem* (*Id.* I, 6, 1), quod in nulla alia epistola dixisse invenitur, satis ostendit, et illos qui talia persuadebant, non esse a Deo, sed ab hominibus; et cæteris Apostolis, quantum ad auctoritatem testimonii evangelici pertinet, imparem se haberi non oportere : quandoquidem non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem se apostolum noverit. Singula igitur ab ipso Epistolæ vestibulo, permittente Domino et adjuvante studium nostrum, sic consideranda et tractanda suscepimus.

2. [GALAT. *cap.* I, ℣ ℣. 1, 2.] *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit illum a mortuis; et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ.* Qui ab hominibus mittitur, mendax est; qui per hominem mittitur, potest esse verax, quia et Deus verax potest per hominem mittere : qui ergo neque ab hominibus, neque per hominem, sed per Deum mittitur, ab illo verax est, qui etiam per hominem missos veraces facit. Priores ergo Apostoli veraces, qui non ab hominibus, sed a Deo per hominem missi sunt, per Jesum Christum scilicet adhuc mortalem. Verax etiam novissimus Apostolus, qui per Jesum Christum totum jam Deum post resurrectionem ejus missus est (*a*). Priores sunt cæteri Apostoli per Christum adhuc ex parte hominem, id est mortalem : novissimus est Paulus apostolus, per Christum jam totum Deum, id est, omni ex parte immortalem. Sit ergo testimonii ejus æqualis auctoritas, in cujus honorem implet clarificatio Domini, si quid habebat ordo temporis minus. Ideo enim cum dixisset, *Et Deum Patrem*, addidit, *qui suscitavit illum a mortuis ;* ut etiam ex hoc modo breviter jam a clarificato missum se esse commemoraret.

3. [Ib. I, 3-5.] *Gratia vobis et pax a Deo Patre et Domino Jesu Christo.* Gratia Dei est qua nobis donantur peccata, ut reconciliemur Deo; pax autem, qua reconciliamur Deo. *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eximeret nos de præsenti sæculo maligno.* Sæculum præsens malignum propter malignos homines, qui in eo sunt, intelligendum est : sicut dicimus et malignam domum, propter malignos inhabitantes in ea. *Secundum voluntatem Dei et Patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen.* Quanto igitur magis homines non debent arroganter ad seipsos referre, si quid operantur boni; quando et ipse Dei Filius in Evangelio, non gloriam suam se quærere dixit (*Joan.* VIII, 50), neque voluntatem suam venisse facere, sed voluntatem ejus qui eum misit (*Id.* VI, 38)? Quam voluntatem gloriamque Patris nunc commemoravit Apostolus, ut ipse quoque Domini exemplo, a quo missus est, non se quærere gloriam suam significaret, nec facere voluntatem suam in prædicatione Evangelii, sicut paulo post dicit : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* (*Galat.* I, 10).

4. [Ib. I, 6-9.] *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gloriam Christi, in aliud Evangelium, quod non est aliud.* Evangelium enim si aliud est, præter id quod, sive per se, sive per aliquem Dominus dedit; jam nec Evangelium recte dici potest. Vigilanter autem, cum dixisset, *transferimini ab eo qui vos vocavit;* adjunxit, *in gloriam Christi,* quam volebant illi evacuare, quasi frustra venerit Christus, si jam circumcisio carnis atque hujusmodi opera Legis tantum valebant, ut per illa homines salvi fierent. *Nisi aliqui sunt conturbantes vos, et volentes convertere Evangelium Christi.* Non quemadmodum istos conturbant, ita etiam convertunt Evangelium Christi, quia manet firmissimum : sed tamen convertere volunt, qui ab spiritualibus ad carnalia revocant intentionem credentium. Illis enim ad ista conversis, manet Evangelium non conversum. Et ideo cum dixisset, *conturbantes vos,* non dixit, et convertentes, sed, *volentes*, inquit, *convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut angelus de cœlo vobis evangelizaverit præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Veritas propter seipsam diligenda est, non propter hominem, aut propter angelum, per quem annuntiatur. Qui enim propter annuntiatores diligit eam, potest etiam mendacia diligere, si qua forte ipsi sua protulerint. *Sicut prædiximus, et nunc iterum dico, si quis vobis evangelizaverit præterquam quod accepistis, anathema sit.* Aut præsens hoc prædixerat, aut quia iteravit quod dixit, propterea voluit dicere, *Sicut prædiximus.* Tamen ipsa iteratio saluberrime intentionem

(*a*) I Retract. cap. 24, n. 1.

movet ad firmitatem retinendi eam, quæ sic commendatur, fidem.

5. [Ib. I, 10.] *Modo ergo hominibus suadeo, an Deo? aut quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Nemo Deo suadet, quia manifesta sunt illi omnia : sed hominibus ille bene suadet, qui non se illis placere vult, sed ipsam quam suadet veritatem. Qui enim placet hominibus, non ab ipsis suam gloriam quærens, sed Dei, ut salvi fiant, non jam hominibus, sed Deo placet : aut certe jam cum et Deo placet simul et hominibus, non utique hominibus placet. Aliud est enim placere hominibus, aliud et Deo et hominibus. Item qui hominibus propter veritatem placet, non jam ipse illis, sed veritas placet. *Placerem* autem dixit quantum in seipso est, quantum ad ejus voluntatem attinet; ac si diceret, placere vellem. Non enim si hoc eo non agente placeat alicui, quasi propter seipsum, et non propter Deum atque Evangelium quod annuntiat, superbiæ ipsius potius, quam errori ejus cui perverse placet, tribuendum est. Iste itaque sensus est : Modo ergo hominibus suadeo, an Deo? aut quia hominibus suadeo, quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus quærerem placere, Christi servus non essem. Jubet enim ille servis suis ut discant ab ipso mites esse et humiles corde (*Matth.* XI, 29). Quod nullo modo potest qui propter seipsum, id est propter suam quasi privatam et propriam gloriam, placere hominibus quærit. Dicit autem et alibi, *Hominibus suademus, Deo autem manifestati sumus* (II *Cor.* V, 11); ut intelligas quod hic ait, *Hominibus suadeo, an Deo?* non utique Deo, sed hominibus suadendum. Non ergo moveat quod alibi dixit, *Sicut et ego omnibus per omnia placeo :* addidit enim, *Non quærens quod mihi prodest, sed quod multis, ut salvi fiant* (I *Cor.* X, 33). Nulli autem prodest, ut salvus fiat, si homo ei propter seipsum placeat : qui non placet utiliter, nisi cum propter Deum placet, id est, ut Deus placeat et glorificetur, cum dona ejus attenduntur in homine, aut per ministerium hominis accipiuntur; cum autem sic homo placet, non jam homo, sed Deus placet. Utrumque ergo recte dici potest; et, Ego placeo, et, non ego placeo. Si enim adsit bonus intellector, piusque pulsator, patebit utrumque, et nulla inter se repugnantia repellet intrantem.

6. [Ib. I, 11, 12.] *Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Evangelium quod secundum hominem est, mendacium est. Omnis enim homo mendax (*Psal.* CXV, 11) : quia quidquid veritatis invenitur in homine, non est ab homine, sed a Deo per hominem. Ideo jam quod secundum hominem est, nec Evangelium dicendum est : quale illi afferebant, qui in servitutem ex libertate attrahebant eos quos Deus ex servitute in libertatem vocabat.

7. [Ib. I, 13, 14.] « Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo, quia supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et vastabam illam; et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. » Si persequendo et vastando Ecclesiam Dei proficiebat in Judaismo, apparet contrarium esse Judaismum Ecclesiæ Dei; non per illam spiritualem Legem quam acceperunt Judæi, sed per carnalem conversationem servitutis ipsorum. Et si æmulator, id est, imitator paternarum suarum traditionum persequebatur Paulus Ecclesiam Dei, paternæ ipsius traditiones contrariæ sunt Ecclesiæ Dei, non autem Legis illius culpa est; Lex enim spiritualis est (*Rom.* VII, 14), nec carnaliter se cogit intelligi : sed illorum vitium est, qui et illa quæ acceperunt, carnaliter sentiunt, et multa etiam sua tradiderunt, dissolventes, sicut Dominus dicit, mandatum Dei, propter traditiones suas (*Matth.* XV, 3).

8. [Ib. I, 15-19.] *Cum autem placuit Deo, qui me segregavit de ventre matris meæ, et vocavit per gratiam suam, revelare Filium suum in me, ut annuntiarem eum in Gentibus, continuo non acquievi carni et sanguini.* Segregatur quodammodo de ventre matris, quisquis a carnalium parentum consuetudine cæca separatur : acquiescit autem carni et sanguini, quisquis carnalibus propinquis et consanguineis suis carnaliter suadentibus assentitur. *Neque veni in Jerosolymam ad præcessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum. Deinde post annos tres, ascendi Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud illum diebus quindecim.* Si cum evangelizasset Paulus in Arabia, postea vidit Petrum, non ideo ut per ipsum Petrum disceret Evangelium; nam ante eum utique vidisset : sed ut fraternam charitatem etiam corporali notitia cumularet. *Alium autem Apostolorum non vidi, nisi Jacobum fratrem Domini.* Jacobus Domini frater, vel ex filiis Joseph de alia uxore, vel ex cognatione Mariæ matris ejus debet intelligi.

9. [Ib. I, 20-24.] *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Qui dicit, *Ecce coram Deo, quia non mentior*, jurat utique. Et quid sanctius hac juratione? Sed non est contra præceptum juratio quæ *a malo est*, non jurantis, sed incredulitatis ejus cui jurare cogitur. Nam hinc intelligitur ita Dominum prohibuisse a jurando, ut quantum in ipso est quisque non juret : quod multi faciunt in ore habentes jurationem tanquam magnum aut suave aliquid. Nam utique Apostolus noverat præceptum Domini, et juravit tamen. Non enim audiendi sunt, qui has jurationes esse non putant. Quid enim facient de illa, *Quotidie morior, per gloriam vestram, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro* (I *Cor.* XV, 31)? quam græca exemplaria manifestissimam jurationem esse convincunt (*a*). Quantum ergo in ipso est, non jurat Apostolus : non enim appetit jurationem cupiditate aut delectatione jurandi. *Amplius est* enim quam, *Est, est; Non, non*; et ideo *a malo est* (*Matth.* V, 37), sed infirmitatis aut incredulitatis eorum qui non aliter

(*a*) Vid. lib. 1 de Serm. Dom. in monte, cap. 17, n. 51.

moventur ad fidem. *Deinde veni in partes Syriæ, et Ciliciæ. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ in Christo sunt.* Animadvertendum, non in sola Jerosolyma Judæos in Christum credidisse, nec tam paucos fuisse, ut Ecclesiis Gentium miscerentur; sed tam multos, ut ex illis Ecclesiæ fierent. *Tantum autem audientes erant quia qui aliquando nos persequebatur, nunc evangelizat fidem quam aliquando vastabat; et in me magnificabant Deum.* Hoc est quod dicebat, non se placere hominibus, utique per seipsum, sed ut in illo magnificaretur Deus : hoc est quod etiam Dominus dicit, *Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant bona facta vestra, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* v, 16).

10. [Ib. II, 1, 2.] *Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto etiam Tito.* Tanquam testimoniis pluribus agit, cum etiam istos nominat. *Ascendi autem secundum revelationem :* ne moveret eos quare vel tunc ascenderit, quo tam diu non ascenderat. Quapropter si ex revelatione ascendit, tunc proderat ut ascenderet. *Et exposui illis Evangelium quod prædico in Gentibus ; seorsum autem his qui videntur* [1]. Quod seorsum exposuit Evangelium eis qui eminebant in Ecclesia, cum jam illud exposuisset coram omnibus, non ideo factum est, quod aliqua falsa dixerat, ut seorsum paucioribus vera diceret : sed aliqua tacuerat, quæ adhuc parvuli portare non poterant; qualibus se ad Corinthios lac dicit dedisse, non escam (I *Cor.* III, 2). Falsum enim dicere nihil licet; aliquando autem aliquid veri tacere, utile est. Perfectionem ipsius opus erat ut scirent cæteri Apostoli. Non enim sequebatur ut, si fidelis esset, veramque et rectam teneret fidem, jam etiam apostolus esse deberet. Illud autem quod subjungit, *Ne forte in vacuum curro, aut cucurri*, non ad illos cum quibus seorsum contulit Evangelium, sed ad istos quibus scribit, quasi per interrogationem dictum intelligendum est; ut ex eo appareret non eum in vacuum currere aut cucurrisse, quia jam etiam attestatione cæterorum nihil ab Evangelii veritate dissentire approbatur.

11. [Ib. II, 3-5.] *Sed neque Titus qui mecum erat*, inquit, *cum esset Græcus, compulsus est circumcidi.* Quamvis Titus Græcus esset, et nulla eum consuetudo aut cognatio parentum circumcidi cogeret, sicut Timotheum, facile tamen etiam istum circumcidi permisisset Apostolus. Non enim tali circumcisione salutem docebat auferri, sed si in ea constitueretur spes salutis, hoc esse contra salutem ostendebat. Poterat ergo ut superfluam æquo animo tolerare, secundum sententiam quam alibi dixit : *Circumcisio nihil est, et præputium nihil est ; sed observatio mandatorum Dei* (I *Cor.* VII,19). *Propter subintroductos autem falsos fratres* non est compulsus Titus circumcidi : id est, non ei potuit extorqueri ut circumcideretur, quia illi *qui subintroierunt*, dicit, *proscultare libertatem* eorum, vehementer observabant, et cupiebant circumcidi Titum, ut jam circumcisionem, etiam ipsius Pauli attestatione et consensione, tanquam saluti necessariam prædicarent; et sic eos, ut ait, *in servitutem redigerent*, id est, sub onera Legis servilia revocarent. *Quibus se nec ad horam*, id est, nec ad tempus *cessisse* dicit *subjectioni, ut veritas Evanaelii vermaneret ad Gentes.*

12. [Ib. II, 6-9.] Denotabant autem suspectumque haberi volebant invidi apostolum Paulum, quod aliquando persecutor Ecclesiarum fuerit; et ideo dicit, *De his autem qui videntur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest.* Quia et qui videntur esse aliquid, carnalibus hominibus videntur esse aliquid : nam non sunt ipsi aliquid. Et si enim boni ministri Dei sunt, Christus in illis est aliquid, non ipsi per se. Nam si ipsi per se essent aliquid, semper fuissent aliquid. *Quales aliquando fuerint*, id est, quia et ipsi peccatores fuerunt, nihil sua dicit interesse : quia *Deus hominis personam non accipit*, id est, sine personarum acceptione omnes ad salutem vocavit, non reputans illis delicta eorum. Et ideo absentibus illis qui priores facti erant apostoli, Paulus a Domino perfectus est : ut quando cum eis contulit, nihil esset quod perfectioni ejus adderent; sed potius viderent eumdem Dominum Jesum Christum, qui sine personarum acceptione salvos facit, hoc dedisse Paulo ut ministraret Gentibus, quod etiam Petro dederat ut ministraret Judæis. Non ergo inventi sunt in aliquo dissentire ab illo, ut cum ille se perfectum Evangelium accepisse diceret, illi negarent, et aliquid vellent tanquam imperfecto addere : sed e contrario pro reprehensoribus imperfectionis, approbatores perfectionis fuerunt. *Et dederunt dexteras societatis*, id est, consenserunt in societatem, et paruerunt voluntati Domini, consentientes ut Paulus et Barnabas irent *ad Gentes, ipsi autem in circumcisionem*, quæ præputio, id est, Gentibus contraria videtur. Nam etiam sic potest intelligi, quod ait, *e contrario*, ut ordo iste sit : Mihi enim qui videntur aliquid, nihil apposuerunt [1], sed e contrario, ut nos quidem in Gentes iremus, quæ sunt contrariæ circumcisioni, ipsi autem in circumcisionem, consenserunt mihi et Barnabæ ; hoc est, *dexteras societatis nobis dederunt.*

13. Neque in contumeliam præcessorum ejus putet quis ab eo dictum, *Qui videntur esse aliquid*, *quales aliquando fuerint, nihil mea interest.* Et illi enim tanquam spirituales viri volebant resisti carnalibus, qui putabant aliquid ipsos esse, et non potius Christum in eis; multumque gaudebant, cum persuaderetur hominibus, et seipsos præcessores Pauli, sicut eumdem Paulum, ex peccatoribus justificatos esse a Domino, qui personam hominis non accipit : quia Dei gloriam quærebant, non suam. Sed quia carnales et superbi homines, si quid de vita ipsorum præterita dicitur, irascuntur, et in contumeliam accipiunt; ex

[1] Lovanienses codicis Amandiensis auctoritate reponunt, *his qui videbantur esse aliquid*. Cæteris tamen libris abest, *esse aliquid*, quo etiam in antiquis Corbeiensibus Bibliis caret Vulgata; atque hæc ibi habet, *his qui videbantur*, sicque tres Mss. hic : at alii octo, necnon Am. et Er., *his qui videntur*. Porro in græco est, *tois docousi*, id est eis qui eminent in Ecclesia, uti interpretatur Augustinus.

[1] Am. Er. et Mss. decem, *Mihi enim qui videntur, nihil apposuerunt ;* nec habent, *aliquid*.

animo suo conjiciunt Apostolos. Petrus autem et Jacobus et Joannes honoratiores in Apostolis erant, quia ipsis tribus se in monte Dominus ostendit in significatione regni sui, cum ante sex dies dixisset : *Sunt hic quidam de circumstantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno Patris sui* (*Matth.* XVI, 28). Nec ipsi erant columnæ, sed videbantur. Noverat enim Paulus sapientiam ædificasse sibi domum, et non tres columnas constituisse, sed septem (*Prov.* IX, 1) : qui numerus vel ad unitatem Ecclesiarum refertur (solet enim pro universo poni, sicut in Evangelio dictum est, *Accipiet in hoc sæculo septies* [*a*] *tantum* [*Matth.* XIX, 29]; ac si diceret, *Quasi nihil habentes, et omnia possidentes* [II *Cor.* VI, 10]. Unde etiam Joannes ad septem scribit Ecclesias [*Apoc.* I, 4], quæ utique universalis Ecclesiæ [1] personam gerunt); vel certe ad septenariam operationem Spiritus sancti magis refertur septenarius numerus columnarum, sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, et timoris Dei (*Isai.* XI, 2, 3), quibus operationibus domus Filii Dei, hoc est, Ecclesia continetur.

14. [Ib. II, 10.] Quod autem ait, *Tantum ut pauperum memores essemus, quod et studui hoc ipsum facere :* communis cura erat omnibus Apostolis de pauperibus sanctorum, qui erant in Judæa, qui rerum suarum venditarum pretia ad pedes Apostolorum posuerant (*Act.* IV, 35). Sic ergo ad Gentes missi sunt Paulus et Barnabas, ut Ecclesiæ Gentium quæ hoc non fecerant, ministrarent, hortatione ipsorum, eis qui hoc fecerant : sicut ad Romanos dicit, « Nunc autem pergam Jerusalem ministrare sanctis : placuit enim Macedoniæ et Achaiæ communionem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem. Placuit enim illis, et debitores eorum sunt. Si enim spiritualibus eorum communicaverunt Gentes, debent et in carnalibus ministrare eis (*Rom.* XV, 25-27).

15. [Ib. II, 11-16.] In nullam ergo simulationem Paulus lapsus erat, quia servabat ubique quod congruere videbat, sive Ecclesiis Gentium, sive Judæorum, ut nusquam auferret consuetudinem, quæ servata non impediebat ad obtinendum regnum Dei : tantum admonens ne quis in superfluis poneret spem salutis, etiam si consuetudinem in eis propter offensionem infirmorum custodire vellet. Sicut ad Corinthios dicit : « Circumcisus quis vocatus est? non adducat præputium. In præputio quis vocatus est? non circumcidatur. Circumcisio nihil est, et præputium nihil est; sed observatio mandatorum Dei. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat » (I *Cor.* VII, 18-20). Hoc enim ad eas consuetudines vel conditiones vitæ retulit, quæ nihil obsunt fidei bonisque moribus. Non enim si latro erat quisque cum vocatus est, debet in latrocinio permanere. Petrus autem cum venisset Antiochiam, objurgatus est a Paulo, non quia servabat consuetudinem Judæorum, in qua natus atque educatus erat (quanquam apud Gentes eam non servaret) : sed objurgatus est, quia Gentibus eam volebat imponere, cum vidisset quosdam venisse *ab Jacobo*, id est, a Judæa; nam Ecclesiæ Jerosolymitanæ Jacobus præfuit. Timens ergo eos qui adhuc putabant in illis observationibus salutem constitutam, segregabat se a Gentibus, et simulate illis consentiebat ad imponenda Gentibus illa onera servitutis : quod in ipsius objurgationis verbis satis apparet. Non enim ait, *Si tu, cum Judæus sis, Gentiliter, et non Judaice vivis*, quemadmodum rursus ad consuetudinem Judæorum reverteris? sed, *quemadmodum*, inquit, *Gentes cogis judaizare?* Quod autem hoc ei *coram omnibus* dixit, necessitas coegit, ut omnes illius objurgatione sanarentur. Non enim utile erat errorem qui palam noceret, in secreto emendare. Huc accedit quod firmitas et charitas Petri, cui ter a Domino dictum est, *Amas me? pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 15), objurgationem talem posterioris pastoris pro salute gregis libentissime sustinebat. Nam erat objurgatore suo ipse qui objurgabatur mirabilior, et ad imitandum difficilior. Facilius est enim videre quid in alio corrigas, atque id vituperando vel objurgando corrigere, quam videre quid in te corrigendum sit, libenterque corrigi, vel per teipsum, nedum per alium; adde posteriorem, adde *coram omnibus.* Valet autem hoc ad magnum humilitatis exemplum, quæ maxima est disciplina christiana : humilitate enim conservatur charitas. Nam nihil eam citius violat quam superbia. Et ideo Dominus non ait, Tollite jugum meum et discite a me quoniam quatriduana de sepulcris cadavera exsuscito, atque omnia dæmonia de corporibus hominum morbosque depello, et cætera hujus modi : sed, *Tollite*, inquit, *jugum meum, et discite a me quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Illa enim signa sunt rerum spiritualium : mitem autem esse et humilem charitatis conservatorem [1], res ipsæ spirituales sunt, ad quas per illa ducuntur, qui oculis corporis dediti fidem invisibilium, quia jam de notis usitatisque non possunt, de novis et repentinis visibilibus quærunt. Si ergo et illi qui cogebant Gentes judaizare, didicissent mites esse et humiles corde, quod a Domino Petrus didicerat; saltem correcto tanto viro ad imitandum invitarentur, nec putarent Evangelium Christi justitiæ suæ tanquam debitum redditum : *sed scientes quoniam non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Christi Jesu*, ut impleat opera Legis, adjuvante infirmitatem suam, non merito suo, sed gratia Dei; non exigerent de Gentibus carnales Legis observationes, sed per ipsam gratiam fidei, spiritualia opera Legis eos implere posse cognoscerent. Quoniam ex operibus Legis, cum suis viribus ea quisque tribuerit, non gratiæ miserantis Dei, non justificabitur omnis caro, id est, omnis homo, sive omnes carnaliter sentientes. Et ideo illi, qui cum jam essent sub Lege, Christo crediderunt, non quia justi erant, sed ut justificarentur, venerunt ad gratiam fidei.

[1] Am. et Er. consentientibus decem Mss., *quæ utique universalis Ecclesiæ.*

(*a*) Forte in græco erat, *heptaplasiona.*

[1] Ita Mss. At editi, *charitatis conservatio est. Res ipsæ*, etc.

16. [Ib. II, 15-18.] Peccatorum autem nomen Gentibus imposuerant Judæi, jam vetusta quadam superbia, tanquam ipsi justi essent, videndo stipulam in oculo alieno, et non trabem in suo. Secundum eorum morem locutus Apostolus ait, *Nos natura Judæi, et non ex Gentibus peccatores;* id est, quos appellant peccatores, cum sint et ipsi peccatores : *Nos* ergo, inquit, *natura Judæi*, cum Gentiles non essemus, quos ipsi peccatores appellant, tamen *et nos* peccatores *in Christo Jesu credidimus, ut justificemur per fidem Christi.* Non autem quærerent justificari, nisi essent peccatores. An forte quia in Christo voluerunt justificari, peccaverunt? quia, si jam justi erant, aliud quærendo utique peccaverunt : sed, si ita est, inquit, ergo *Christus peccati minister est.* Quod utique non possunt dicere, quia et ipsi qui nolebant nisi circumcisis Gentibus tradi Evangelium, in Christo crediderant. Et ideo quod dicit, *Absit*, non solus, sed cum ipsis dicit. Destruxit autem superbiam gloriantem de operibus Legis, quæ destrui et deberet et posset, ne gratia fidei videretur non necessaria, si opera Legis etiam sine illa justificare crederentur. Et ideo prævaricator est, si rursus illa ædificat, dicens quod opera Legis etiam sine gratia justificant, ut Christus peccati minister inveniatur. Posset ergo illi objici dicenti, *Si enim quæ destruxi, hæc eadem rursus ædifico, prævaricatorem meipsum constituo*, Quid ergo, quia fidem Christi oppugnabas antea, quam nunc ædificas, prævaricatorem te constituis? Sed illam non destruxit, quia destrui non potest. Hanc autem superbiam vere destruxerat, constanterque destruebat, quia destrui poterat. Et ideo non ille prævaricator est, qui rem veram cum conaretur destruere, et postea veram esse ac destrui non posse cognosceret, tenuit eam ut in ea ædificaretur : sed ille prævaricator est, qui cum destruxerit rem falsam, quia destrui potest, eam rursus ædificat.

17. [Ib. II, 19-21.] *Mortuum* autem se *Legi* dicit, ut jam sub Lege non esset, sed tamen *per Legem:* sive quia Judæus erat, et tanquam pædagogum Legem acceperat, sicut postea manifestat (*Galat.* III, 24). Hoc autem agitur per pædagogum, ut non sit necessarius pædagogus : sicut per ubera nutritur infans, ut jam uberibus non indigeat; et per navem pervenitur ad patriam, ut jam navi opus non sit. Sive per Legem spiritualiter intellectam Legi mortuus est, ne sub ea carnaliter viveret. Nam hoc modo per Legem Legi ut morerentur volebat, cum eis paulo post ait, *Dicite mihi, sub Lege volentes esse, Legem non legistis? Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit* (*Ib.* IV, 21, 22), etc., ut per eamdem Legem spiritualiter intellectam morerentur carnalibus observationibus Legis. Quod autem adjungit, *Ut Deo vivam;* Deo vivit qui sub Deo est; Legi autem, qui sub Lege est : sub Lege autem vivit, in quantum quisque peccator est, id est, in quantum a vetere homine non est mutatus; sua enim vita vivit, et ideo Lex supra illum est; quia qui eam non implet, infra illam est. Nam *justo Lex posita non est* (*I Tim.* I, 9), id est imposita, ut supra illum sit : in illa est enim potius quam sub illa; quia non sua vita vivit, cui coercendæ Lex imponitur. Ut enim sic dicam, ipsa quodammodo Lege vivit [1], qui cum dilectione justitiæ juste vivit, non proprio ac transitorio, sed communi ac stabili gaudens bono. Et ideo Paulo non erat Lex imponenda, qui dicit, *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Quis ergo audeat Christo Legem imponere, qui vivit in Paulo? Non enim audet quis dicere Christum non recte vivere, ut ei coercendo Lex imponenda sit. *Quod autem nunc vivo*, inquit, *in carne;* quia non posset dicere Christum adhuc mortaliter vivere, vita autem in carne mortalis est; *in fide*, inquit, *vivo Filii Dei :* ut etiam sic Christus vivat in credente, habitando in interiore homine per fidem (*Ephes.* III, 16, 17), ut postea per speciem impleat eum, cum absorptum fuerit mortale a vita (II *Cor.* V, 4). Ut autem ostenderet quod vivit in illo Christus, et quod in carne vivens in fide vivit Filii Dei, non meriti sui esse, sed gratiæ ipsius : *Qui me*, inquit, *dilexit, et tradidit seipsum pro me.* Pro quo utique, nisi pro peccatore, ut eum justificaret? Et dicit hoc qui Judæus natus et educatus erat, et abundantius æmulator exstiterat paternarum suarum traditionum. Ergo si et pro talibus se tradidit Christus, etiam ipsi peccatores erant. Non ergo meritis justitiæ suæ datum dicant, quod non opus erat justis dari. *Non enim veni vocare justos*, ait Dominus, *sed peccatores* (*Matth.* IX, 13) : ad hoc utique, ne sint peccatores. Si ergo Christus me dilexit, et tradidit seipsum pro me; *non irritam facio gratiam Dei*, ut dicam per Legem esse justitiam. *Nam si per Legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est :* id est, sine causa mortuus est, quando per Legem, id est per opera Legis quibus Judæi confidebant, posset esse justitia in hominibus. Gratis autem mortuum Christum nec illi dicunt quos refellit, quoniam Christianos se volebant haberi. Non ergo recte per illa Legis opera Christianos justificari suadebant.

18. [Ib. III, 1.] Quibus recte dicit, *O stulti Galatæ, quis vos fascinavit?* Quod non recte diceretur de his qui nunquam profecissent, sed de his qui ex profectu defecissent. *Ante quorum oculos Christus Jesus proscriptus est, crucifixus :* hoc est, quibus videntibus Christus Jesus hæreditatem suam possessionemque suam amisit; his utique auferentibus eam, Dominumque inde expellentibus, qui ex gratia fidei per quam Christus possidet Gentes, ad Legis opera eos qui crediderant revocabant, auferendo illi possessionem suam, id est, eos in quibus jure gratiæ fideique inhabitabat. Quod in ipsis Galatis accidisse vult videri Apostolus : nam ad hoc pertinet quod ait, *Ante quorum oculos.* Quid enim tam ante oculos eorum contigit, quam quod in ipsis contigit? Cum autem dixisset, *Jesus Christus proscriptus est*, addidit, *crucifixus :* ut hinc eos maxime moveret, cum considerarent quo pretio emerit possessionem, quam in eis amittebat; ut parum esset gratis eum mortuum, quod superius dixerat. Illud enim ita sonat, tanquam non pervenerit ad

[1] Sic aliquot Mss. At editi, *ipsam quodammodo legem vivit.*

possessionem, pro qua sanguinem dedit. Proscripto autem etiam quæ tenebat, auferuntur: sed hæc proscriptio non obest Christo, qui etiam sic per divinitatem Dominus est omnium; sed ipsi possessioni, quæ hujus gratiæ cultura caret.

19. Hinc jam incipit demonstrare quemadmodum gratia fidei sufficiat, ad justificandum sine operibus Legis; ne quis diceret non se quidem operibus Legis tantum totam hominis justificationem tribuere, sed neque tantum gratiæ fidei, ex utroque autem perfici salutem. Sed hæc quæstio ut diligenter tractetur, ne quis fallatur ambiguo, scire prius debet opera Legis bipartita esse. Nam partim in sacramentis, partim vero in moribus accipiuntur. Ad sacramenta pertinent, circumcisio carnis, sabbatum temporale, neomeniæ, sacrificia, atque omnes hujusmodi innumeræ observationes. Ad mores autem, *Non occides*, *Non mœchaberis*, *Non falsum testimonium dices* (*Exod.* xx, 13-16), et talia cætera. Numquidnam ergo Apostolus ita potest non curare utrum christianus homicida aut mœchus sit, an castus atque innocens; quemadmodum non curat utrum circumcisus carne, an præputiatus sit? Nunc ergo de his operibus maxime tractat, quæ sunt in sacramentis, quanquam et illa interdum se admiscere significet. Prope finem autem Epistolæ, de his separatim tractabit, quæ sunt in moribus : et illud breviter, hoc autem diutius. Hæc enim onera potius imponi (*a*) Gentibus quorum utilitas in intellectu est: nam hæc omnia exponuntur Christianis, ut quid valeant, tantum intelligant, non etiam facere cogantur. In observationibus autem, si non intelligantur, servitus sola est; qualis erat in populo Judæorum, et est usque adhuc: si autem et observentur illa, et intelligantur, non modo nihil obsunt, sed etiam prosunt aliquid, si tempori congruant; sicut ab ipso Moyse Prophetisque observata sunt, congruentibus illi populo, cui adhuc talis servitus utilis erat, ut sub timore custodiretur. Nihil enim tam pie terret animam, quam sacramentum non intellectum : intellectum autem, gaudium pium parit, et celebratur libere, si opus est tempori; si autem non est opus, cum suavitate spirituali tantummodo legitur, et tractatur. Omne autem sacramentum cum intelligitur, aut ad contemplationem veritatis refertur, aut ad bonos mores. Contemplatio veritatis in solius Dei dilectione fundata est: boni mores in dilectione Dei et proximi, in quibus duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* xxii, 37-40). Nunc igitur quemadmodum circumcisio carnis, et cætera hujusmodi Legis opera, ubi jam gratia fidei est, non sint necessaria, videamus.

20. [Ib. iii, 2-9.] *Hoc solum*, inquit, *volo discere a vobis : Ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Respondetur: Utique ex auditu fidei. Ab Apostolo enim prædicata est eis fides, in qua prædicatione utique adventum et præsentiam sancti Spiritus senserant: sicut illo tempore in novitate invitationis ad fidem etiam sensibilibus miraculis præsentia sancti Spiritus apparebat, sicut in Actibus Apostolorum legitur (*Act.* ii). Hoc autem factum erat apud Galatas antequam isti ad eos pervertendos et circumcidendos venissent. Iste ergo sensus est: Si in illis operibus Legis esset salus vestra, non vobis Spiritus sanctus nisi circumcisis daretur. Deinde intulit : *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.* Hoc est quod superius in exordio dixerat : *Nisi aliqui sunt conturbantes vos, et volentes convertere Evangelium Christi* (*Galat.* i, 7). Conturbatio enim ordini contraria est : ordo est autem a carnalibus ad spiritualia surgere, non ab spiritualibus ad carnalia cadere, sicut istis acciderat. Et hæc est Evangelii conversio retrorsus : quod quia bonum non est, non est Evangelium, cum hoc annuntiatur. Quod autem dicit, *Tanta passi estis ;* multa jam pro fide toleraverant, non timore, tanquam sub Lege positi, sed magis in ipsis passionibus charitate timorem vicerant : quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus eorum per Spiritum sanctum quem acceperunt (*Rom.* v, 5). *Sine causa* ergo, inquit, *tanta passi estis*, qui ex charitate, quæ in vobis tanta sustinuit, ad timorem relabi vultis. *Si tamen sine causa* tanta passi estis. Quod enim sine causa factum dicitur, superfluum est; superfluum autem nec prodest, nec nocet : hoc vero videndum est, ne ad perniciem valeat. Non enim hoc est non surgere, quod est cadere : quamvis isti nondum cecidissent, sed jam inclinarentur ut caderent. Nam utique adhuc in eis Spiritus sanctus operabatur, sicut consequenter dicit : *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et virtutes operatur in vobis, ex operibus Legis, an ex auditu fidei?* Respondetur, Utique ex auditu fidei, sicut superius tractatum est. Deinde adhibet exemplum patris Abraham, de quo in Epistola ad Romanos uberius apertiusque dissertum est (*Rom.* iv, 3). Hoc enim maxime in eo victoriosum est, quod antequam circumcideretur, deputata est fides ejus ad justitiam, et ad hoc rectissime refertur quod ei dictum est, Quia *benedicentur in te omnes gentes* (*Gen.* xxii, 18): imitatione utique fidei ejus, qua justificatus est etiam ante sacramentum circumcisionis, quod ad fidei signaculum accepit[1], et ante omnem servitutem Legis, quæ multo post data est.

21. [Ib. iii, 10-12.] Quod autem ait, *Quicumque enim ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt Legis ;* sub timore vult intelligi, non in libertate : ut scilicet corporali præsentique vindicta vindicaretur in eos qui non permanerent in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ut facerent ea ; huc quoque accederet, ut in ipsa corporum pœna etiam maledicti ignominiam formidarent. Ille autem justificatur apud Deum, qui eum gratis colit, non scilicet cupiditate appetendi aliquid ab ipso præter ipsum, aut timore amittendi. In ipso enim solo vera nostra beatitudo atque perfecta est; et quoniam invisibilis est oculis carneis, fide colitur, quamdiu in hac carne vivimus, sicut supra dixit, *Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei* (*Galat.* ii, 20) ; et ipsa est justitia. Quo pertinet quod dictum est, *Quia justus ex fide vivit.* Hinc enim

(*a*) Forte, *prohibet imponi*, aut, *potius exponit.*

[1] Mss. novem, *quod fidei signaculum accepit;* prætermisso, *ad.*

ostendere voluit quia in Lege nemo justificatur, quia scriptum est justum ex fide vivere. Quare intelligendum est in Lege, quod nunc ait *in operibus Legis*, dictum esse ; et hoc istis qui in circumcisione carnis et talibus observationibus continentur : in quibus qui vivit, ita in Lege est, ut sub Lege vivat. Sed Legem, ut dictum est, pro ipsis operibus Legis nunc posuit, quod in posterioribus manifestatur. Ait enim : *Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, vivet in illis.* Non ait, Qui fecerit eam, vivet in ea ; ut intelligas Legem in hoc loco pro ipsis operibus positam. Qui autem vivebant in his operibus, timebant utique ne, si non ea fecissent, lapidationem, vel crucem, vel aliquid hujusmodi paterentur. Ergo *qui fecerit ea,* inquit, *vivet in illis ;* id est, habebit præmium, ne ista morte puniatur. Non ergo apud Deum, cujus ex fide si quis in hac vita vixerit, cum hinc excesserit, tunc eum magis habebit præsentissimum præmium [1]. Non itaque ex fide vivit, quisquis præsentia quæ videntur, vel cupit, vel timet ; quia fides Dei ad invisibilia pertinet, quæ post dabuntur. Nam est ista quædam in operibus Legis justitia (quando sine suo præmio relicta non est), ut qui fecerit ea, vivat in eis. Unde et ad Romanos dicit : *Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum* (*Rom.* IV, 2). Aliud est ergo, non justificari ; aliud, non justificari apud Deum. Qui omnino non justificatur, nec illa servat quæ temporale habent præmium, nec illa quæ æternum : qui autem in operibus Legis justificatur, non apud Deum justificatur; quia temporalem inde exspectat visibilemque mercedem. Sed tamen est etiam ista, ut dixi, quædam, ut sic dicam, terrena carnalisque justitia : nam et ipse Apostolus eam justitiam vocat, cum alibi dicit, *Secundum justitiam quæ in Lege est, conversatus qui fuerim sine querela* (*Philipp.* III, 6).

22. [Ib. III, 13, 14.] Propterea Dominus Jesus Christus jam libertatem daturus credentibus, quædam earum observationum non servavit ad litteram. Unde etiam cum sabbato esurientes discipuli spicas evulsissent, respondit indignantibus, Dominum esse Filium hominis etiam sabbati (*Matth.* XII, 1-8). Itaque illa carnaliter non observando, carnalium conflagravit invidiam ; et suscepit quidem pœnam propositam illis, qui ea non observassent, sed ut credentes in se talis pœnæ timore liberaret : quo pertinet quod adjungit, *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum ; quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Quæ sententia spiritualiter intelligentibus sacramentum est libertatis : carnaliter autem sentientibus, si Judæi sunt, jugum est servitutis ; si pagani aut hæretici, velamentum est cæcitatis. Nam quod quidam nostri minus in Scripturis eruditi, sententiam istam nimis timentes, et Scripturas veteres debita pietate approbantes, non putant hoc de Domino esse dictum, sed de Juda traditore ejus : aiunt enim propterea non esse dictum, *Maledictus omnis*, qui figitur in ligno ; sed, *qui pendet in ligno ;* quia non hic Dominus significatus est, sed ille qui se laqueo suspendit : nimis errant, nec attendunt se contra Apostolum disputare, qui ait, *Christus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum ; quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Qui ergo pro nobis factus est maledictum, ipse utique pependit in ligno, id est, Christus, qui nos liberavit a maledicto Legis; ut non jam timore justificaremur in operibus Legis, sed fide apud Deum, quæ non per timorem, sed per dilectionem operatur. Spiritus enim sanctus, qui hoc per Moysen dixit, utrumque providit [1], ut et timore visibilis pœnæ custodirentur qui nondum poterant ex invisibilium fide vivere; et ipse timorem istum solveret suscipiendo quod timebatur, qui timore sublato donum dare poterat charitatis. Nec in hoc quod maledictus est appellatus qui pendet in ligno, contumelia in Dominum putanda est. Ex parte quippe mortali pependit in ligno : mortalitas autem unde sit, notum est credentibus ; ex pœna quippe est, et maledictione peccati [2] primi hominis, quam Dominus suscepit, et peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum (I *Petr.* II, 24). Si ergo diceretur, Mors maledicta est; nemo exhorresceret : quid autem nisi mors Domini pependit in ligno, ut mortem moriendo superaret? eadem igitur maledicta, quæ victa est. Item si diceretur, Peccatum maledictum est ; nemo miraretur : quid autem pependit in ligno, nisi peccatum veteris hominis, quod Dominus pro nobis in ipsa carnis mortalitate suscepit? Unde nec erubuit nec timuit Apostolus dicere, peccatum eum fecisse pro nobis, addens, *Ut de peccato condemnaret peccatum* (*Rom.* VIII, 3). Non enim et vetus homo noster simul crucifigeretur, sicut idem apostolus alibi dicit, nisi in illa morte Domini peccati nostri figura penderet, ut evacuaretur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato (*Id.* VI, 6). In cujus peccati et mortis figura, etiam Moyses in eremo super lignum exaltavit serpentem (*Num.* XXI, 9). Persuasione quippe serpentis homo in damnationem mortis cecidit. Itaque serpens ad significationem ipsius mortis, convenienter in ligno exaltatus est : in illa enim figura mors Domini pendebat in ligno. Quis autem abhorreret, si diceretur, Maledictus serpens qui pendet in ligno? Et tamen mortem carnis Domini præfigurans serpens pendebat in ligno, cui sacramento ipse Dominus attestatus est, dicens : *Sicut exaltavit Moyses serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis super terram* (*Joan.* III, 14). Non enim et hoc in contumeliam Domini Moysen fecisse aliquis dixerit, cum tantam in ea cruce salutem hominum esse cognosceret, ut non ob aliud ad ejus indicium serpentem illum erigere juberet, nisi ut eum intuentes qui morsi a serpentibus

[1] Lov., *habebit præstantissimum præmium.* Alii codices, *præsentissimum præmium.*

[1] Editi, *prævidit.* Melius Mss., *providit.*

[2] Editi : *Ex pœna quippe est et maledictio peccati.* Mss. duo, *et maledicto peccato.* Item duo, *maledicti peccati;* omissa particula, *et.* Nos cum aliis novem Mss., *et maledictione peccati.*

morituri erant, continuo sanarentur. Nec propter aliud ille serpens æneus factus erat, nisi ut permansuræ passionis Domini fidem significaret. Etiam vulgo quippe dicuntur ænea, quorum numerus manet. Si enim obliti essent homines, et obliteratum esset de memoria temporis, quod Christus pro hominibus mortuus est, vere morerentur : nunc autem tanquam ænea permanet crucis fides, ut cum alii moriantur, alii nascantur, ipsam tamen sublimem permanere inveniant, quam intuendo sanentur. Non igitur mirum si de maledicto vicit maledictum, qui vicit de morte mortem, et de peccato péccatum, de serpente serpentem. Maledicta autem mors, maledictum peccatum, maledictus serpens; et hæc omnia in cruce triumphata sunt. *Maledictus* igitur *omnis qui pendet in ligno*. Quia ergo non ex operibus Legis, sed ex fide justificat Christus credentes in se, timor maledictionis crucis ablatus est : charitas benedictionis Abrahæ propter exemplum fidei permanet ad Gentes. *Ut annuntiationem*, inquit, *spiritus per fidem accipiamus* : id est, ut non quod timetur in carne, sed quod spiritu diligitur, credituris annuntietur.

23. [Ib. III, 15-18.] Unde etiam testamenti humani mentionem facit, quod utique multo est infirmius quam divinum. *Tamen hominis confirmatum testamentum*, inquit, *nemo irritum facit, aut superordinat*. Quia cum testator mutat testamentum, non confirmatum mutat : testatoris enim morte confirmatur. Quod autem mors testatoris valet ad confirmandum testamentum ejus, quia consilium mutare jam non potest; hoc incommutabilitas promissionis Dei valet ad confirmandam hæreditatem Abrahæ, cujus fides deputata est ad justitiam (*Rom*. IV, 9). Et ideo semen Abrahæ, cui *dictæ sunt promissiones*, Christum dicit Apostolus, hoc est omnes Christianos fide imitantes Abraham : quod ad singularitatem redigit, commendando quod non dictum est, *Et seminibus*, sed, *Semini tuo* ; quia et una est fides, et non possunt similiter justificari qui vivunt ex operibus carnaliter, cum his qui vivunt ex fide spiritualiter. Vincuntur autem quod infert, Lex nondum data erat, nec posset post tot annos ita dari, ut antiquas Abrahæ promissiones irritas faceret. Si enim Lex justificat, non est justificatus Abraham, qui multum ante Legem fuit. Quod quia dicere non possunt, coguntur fateri non Legis operibus justificari hominem, sed fide. Simul etiam nos cogit intelligere, omnes antiquos qui justificati sunt, ex ipsa fide justificatos. Quod enim nos ex parte præteritum, id est, primum adventum Domini; ex parte futurum, id est, secundum adventum Domini credendo salvi efficimur : hoc totum illi, id est, utrumque adventum futurum credebant, revelante sibi Spiritu sancto, ut salvi fierent. Unde est etiam illud : *Abraham concupivit diem meum videre, et vidit, et gavisus est* (*Joan*. VIII, 56).

24. [Ib. III, 19, 20.] Sequitur quæstio satis necessaria : Si enim fides justificat, et priores sancti, qui apud Deum justificati sunt, per ipsam justificati sunt, quid opus erat Legem dari? Quam quæstionem tractandam sic intulit, interrogans, et dicens, *Quid ergo?* Hucusque enim interrogatio est : deinde infertur responsio, *Lex transgressionis gratia proposita est*, *donec veniret*, inquit, *semen cui promissum est*, *dispositum per Angelos in manu Mediatoris. Mediator autem unius non est*, *Deus vero unus est* (a). Mediatorem Jesum Christum secundum hominem dici, ex illa ejusdem apostoli sententia fit planius, cum ait : *Unus enim Deus*, *unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (I *Tim*. II, 5). Mediator ergo inter Deum et Deum esse non posset, quia unus est Deus : *mediator autem unius non est*, quia inter aliquos medius est. Angeli porro, qui non lapsi sunt a conspectu Dei, mediatore non opus habent, per quem reconcilientur. Item angeli qui nullo suadente spontanea prævaricatione sic lapsi sunt, per mediatorem non reconciliantur. Restat ergo ut qui mediatore superbo diabolo superbiam persuadente dejectus est, mediatore humili Christo humilitatem persuadente erigatur. Nam si Filius Dei in naturali æqualitate Patris manere vellet, nec se exinaniret, formam servi accipiens (*Philipp*. II, 7); non esset mediator Dei et hominum : quia ipsa Trinitas unus Deus est, eadem in tribus, Patre et Filio et Spiritu sancto, deitatis æternitate et æqualitate constante. Sic itaque unicus Filius Dei, mediator Dei et hominum factus est, cum Verbum Dei Deus apud Deum, et majestatem suam usque ad humana deposuit, et humilitatem humanam usque ad divina subvexit, ut mediator esset inter Deum et homines homo per Deum ultra homines. Ipse est enim speciosus forma præ filiis hominum, et unctus oleo exsultationis præ participibus suis (*Psal*. XLIV, 33). Sanati sunt ergo ab impietate superbiæ, ut reconciliarentur Deo, quicumque homines humilitatem Christi, et per revelationem antequam fieret, et per Evangelium posteaquam facta est, credendo dilexerunt, diligendo imitati sunt. Sed hæc justitia fidei, quia non pro merito data est hominibus, sed pro misericordia et gratia Dei, non erat popularis antequam Deus homo inter homines nasceretur. *Semen* autem *cui promissum est*, populum significat; non illos paucissimos qui revelationibus eam futuram cernentes, quamvis per eamdem salvi fierent, populum tamen salvum facere non poterant. Qui populus sane, si per totum orbem consideretur (nam de toto orbe Ecclesiam Jerusalem cœlestem congregat [1]), pauci sunt, quia via angusta paucorum est : in unum tamen congregati, quotquot existere potuerunt, ex quo Evangelium prædicatur, et quotquot poterunt usque in finem sæculi per omnes gentes, adjunctis sibi etiam illis, quamvis paucissimis, qui ex fide Domini, fide prophetica [2], ante ambos adventus ejus salutem gratiæ perceperunt, implent sanctorum beatissimum civitatis sempiternæ statum. Superbienti ergo populo Lex posita est, ut quoniam gratiam cha-

[1] Tres Mss., *Ecclesia Jerusalem cœlestem congregat*. Unus, *Ecclesia in Jerusalem cœlestem congregatur*.
[2] Sic Mss. At Lov., *ex fide Domini per prophetiam*.
(a) I Retract., cap. 24, n. 2.

ritatis nisi humiliatus accipere non posset, et sine hac gratia nullo modo præcepta Legis impleret, transgressione humiliaretur, ut quæreret gratiam, nec se suis meritis salvum fieri, quod superbum est, opinaretur; ut esset non in sua potestate et viribus justus, sed in manu Mediatoris justificantis impium. Per Angelos autem ministrata est omnis dispensatio Veteris Testamenti, agente in eis Spiritu sancto, et ipso Verbo veritatis, nondum incarnato, sed nunquam ab aliqua veridica administratione recedente. Quia per Angelos disposita est illa dispensatio Legis, cum aliquando suam, aliquando Dei personam, sicut Prophetarum etiam mos est, agerent; perque illam Legem morbos ostendentem, non auferentem, etiam prævaricationis crimine contrita est superbia: *dispositum est per Angelos semen in manu*[1] *Mediatoris*, ut ipse liberaret a peccatis, jam per transgressionem Legis coactos confiteri opus sibi esse gratiam et misericordiam Domini, ut sibi peccata dimitterentur, et in nova vita per eum, qui pro se sanguinem fudisset, reconciliarentur Deo.

25. [Ib. III, 21, 22.] In istis enim erat per transgressionem Legis confringenda superbia, qui gloriantes de patre Abraham, quasi naturalem se jactabant habere justitiam, et merita sua in circumcisione cæteris gentibus tanto perniciosius, quanto arrogantius præferebant. Gentes autem facillime etiam sine hujusmodi Legis transgressione humiliarentur. Homines enim nullam ex parentibus originem justitiæ se trahere prævidentes, simulacrorum etiam servos invenit evangelica gratia. Non enim, sicut istis dici poterat non fuisse illam justitiam parentum eorum in colendis idolis, quam esse arbitrabantur, ita etiam Judæis dici poterat falsam fuisse justitiam patris Abraham. Itaque illis dicitur: « Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ: et ne dixeritis vobis, Patrem habemus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham » (*Matth.* III, 8, 9). Istis autem dicitur: « Propter quod memores estis quia vos aliquando Gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea quæ dicitur circumcisio in carne manu facta, qui eratis illo tempore sine Christo, alienati a societate Israel, et peregrini testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo » (*Ephes.* II, 11, 12). « Denique illic infideles de oliva sua fracti, hic autem fideles de oleastro in olivam illorum inserti esse monstrantur (*Rom.* XI, 17). Illorum ergo erat de Legis transgressione atterenda superbia. Sicut ad Romanos cum Scripturarum verbis peccata eorum exaggerasset, *Scitis autem*, inquit, *quoniam quæcumque Lex dicit, his qui in Lege sunt loquitur, ut omne os obstruatur, et reus fiat omnis mundus Deo* (*Id.* III, 19): Judæi scilicet de transgressione Legis, et Gentes de impietate sine Lege. Unde et iterum ait: *Conclusit enim Deus omnia in incredulitatem, ut omnibus misereatur* (*Id.* XI, 32). Hoc et nunc dicit, refricans ipsam quæstionem · *Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset Lex quæ posset vivificare, omnino ex Lege esset justitia. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus.* Non ergo Lex data est ut peccatum auferret, sed ut sub peccato omnia concluderet. Lex enim ostendebat esse peccatum, quod illi per consuetudinem cæcati, possent putare justitiam: ut hoc modo humiliati, cognoscerent non in sua manu esse salutem suam, sed in manu Mediatoris. Maxime quippe humilitas revocat, unde nos dejecit superbia. Et ipsa humilitas est accommodata percipiendæ gratiæ Christi, qui singulare humilitatis exemplum est.

26. [Ib. III, 23.] Nec quisquam hic tam imperite dixerit: Cur ergo non profuit Judæis, quod per Angelos Legem ministrantes, in manu Mediatoris dispositi sunt? Profuit enim, quantum dici non potest. Quæ enim Gentium Ecclesiæ venditarum rerum suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt, quod tot millia hominum tam repente fecerunt (*Act.* IV, 34)? Nec turbæ infidelium considerandæ sunt: omnis enim area multis partibus ampliorem habet paleam, quam frumentum. Unde autem etiam illa ejusdem apostoli verba ad Romanos, nisi de sanctificatione Judæorum? *Quid ergo? numquid repulit Deus plebem suam? Absit. Nam et Ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit* (*Rom.* XI, 1, 2). Cum autem laudaret præ cæteris Ecclesiis Gentium Ecclesiam Thessalonicensium, similes eos factos ait Ecclesiis Judææ; quia multa a contribulibus suis pro fide passi erant, quomodo et illi a Judæis (I *Thess.* II, 14). Hinc est et illud, quod paulo ante commemoravi, quod ait ad Romanos: *Si enim spiritualibus eorum communicaverunt Gentes, debent et in carnalibus ministrare eis* (*Rom.* XV, 27). De ipsis ergo Judæis etiam consequenter dicit: *Prius autem quam veniret fides, sub Lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ postea revelata est.* Ut enim tam prope invenirentur, et tam de proximo ad Deum venditis suis rebus accederent, quod Dominus eis præcepit qui vellent esse perfecti (*Matth.* XIX, 21), Lege ipsa factum est, sub qua custodiebantur, *conclusi in eam fidem*, id est in adventum ejus fidei, *quæ postea revelata est:* conclusio enim eorum erat tum timor unius Dei. Et quod prævaricatores ipsius Legis inventi sunt, non ad perniciem, sed ad utilitatem valuit eis qui crediderunt: cognitio enim majoris ægritudinis, et desiderari medicum vehementius fecit, et diligi ardentius. Cui enim plurimum dimittitur, plurimum diligit (*Luc.* VII, 43, 47).

27. [Ib. III, 24-27.] *Itaque Lex*, inquit, *pædagogus noster fuit in Christo:* hoc est, quod ait, *Sub Lege custodiebamur conclusi* in ea (*Galat.* III, 23). *Posteaquam venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* Eos ergo nunc reprehendit, qui faciunt irritam gratiam Christi: quasi enim nondum venerit, qui vocaret in libertatem, sic adhuc volunt esse sub pædagogo. Quod autem filios Dei dicit esse omnes per fidem, quia induerunt Christum, quicumque in Christo baptizati sunt; ad

[1] Sic plures Mss. At editi, *per Angelos, sed in manu.*

hoc valet, ne Gentes de se desperarent, quia non custodiebantur sub pædagogo, et ideo se filios non putarent : sed per fidem induendo Christum, omnes fiunt filii; non natura, sicut unicus Filius, qui etiam Sapientia Dei est; neque præpotentia et singularitate [1] susceptionis ad habendam naturaliter et agendam personam Sapientiæ, sicut ipse Mediator unum cum ipsa suscipiente Sapientia sine interpositione alicujus mediatoris effectus : sed filii fiunt participatione sapientiæ, id præparante atque præstante Mediatoris fide : quam fidei gratiam nunc indumentum vocat, ut Christum induti sint, qui in eum crediderunt, et ideo filii Dei fratresque ejus Mediatoris effecti sunt.

28. [Ib. III, 28, 29.] In qua fide non est distantia Judæi, neque Græci, non servi neque liberi, non masculi et feminæ : in quantum enim omnes fideles sunt, omnes unum sunt in Christo Jesu. Et si hoc facit fides, per quam in hac vita juste ambulatur; quanto perfectius atque cumulatius id species ipsa factura est, cum videbimus facie ad faciem (I *Cor*. XIII, 12)? Nam nunc quamvis primitias habentes spiritus, qui vita est, propter justitiam fidei; tamen quia adhuc mortuum est corpus propter peccatum (*Rom*. VIII, 23, 10), differentia ista vel Gentium, vel conditionis, vel sexus, jam quidem ablata est ab unitate fidei, sed manet in conversatione mortali; ejusque ordinem in hujus vitæ itinere servandum esse, et Apostoli præcipiunt, qui etiam regulas saluberrimas tradunt, quemadmodum secum vivant pro differentia gentis Judæi et Græci; et pro differentia conditionis, domini et servi; et pro differentia sexus, viri et uxores [2], vel si qua talia cætera occurrunt : et ipse prior Dominus, qui ait, *Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, et Deo quæ Dei sunt* (*Matth*. XXII, 21). Alia sunt enim quæ servamus in unitate fidei sine ulla distantia, et alia in ordine vitæ hujus tanquam in via, ne nomen Dei et doctrina blasphemetur. Et hoc non solum propter iram, ut effugiamus offensionem hominum; sed etiam propter conscientiam, ut non simulate, quasi ad oculos hominum ista faciamus, sed pura dilectionis conscientia propter Deum, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire (I *Tim*. II, 4). *Omnes ergo*, inquit, *vos unum estis in Christo Jesu*. Et addidit, *Si autem*, ut hic subdistinguatur et subaudiatur, *vos unum estis in Christo Jesu*, ac deinde inferatur, *Ergo Abrahæ semen estis :* ut iste sit sensus, Omnes ergo vos unum estis in Christo Jesu; si autem vos unum estis in Christo Jesu, vos ergo Abrahæ semen estis. Superius enim dixerat, *Non dicit*, *Et seminibus*, *tanquam in multis; sed tanquam in uno*, *et semini tuo*, *quod est Christus* (*Galat*. III, 16). Hic ergo ostendit unum semen Christum, non tantum ipsum Mediatorem intelligendum esse, verum etiam Ecclesiam, cujus ille corporis caput est : ut omnes in Christo unum sint, et capiant secundum promissionem hæreditatem per fidem, in quam conclusus erat; id est, in cujus adventum tanquam sub pædagogo custodiebatur populus usque ad ætatis opportunitatem, qua in libertatem vocandi erant, qui in eodem populo secundum propositum vocati sunt, id est, qui in illa area frumentum inventi sunt.

29. [Ib. IV, 1-3.] Ad hoc enim adjungit : *Dico autem, Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium; sed sub procuratoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre : sic et nos cum essemus parvuli, sub elementis hujus mundi eramus servientes*. Quæri autem potest quomodo secundum hanc similitudinem sub elementis hujus mundi fuerint Judæi, cum illis per Legem quam acceperunt, unus Deus qui fecit cœlum et terram, colendus commendaretur. Sed potest esse alius exitus capituli hujus, ut cum superius Legem pædagogum fecerit (*Gal*. III, 24), sub quo erat ille populus Judæorum; nunc procuratores et actores dicat elementa mundi, sub quibus serviebant Gentes : ut filius ille parvulus, id est populus propter unam fidem ad unum semen Abrahæ pertinens, quoniam et de Judæis et de Gentibus congregatus est, partim fuerit sub pædagogo Legis, tempore pueritiæ suæ, id est ex ea parte qua de Judæis congregatus est; partim sub elementis hujus mundi, quibus tanquam procuratoribus et actoribus serviebat, ex ea parte qua de Gentibus congregatus est : ut quod immiscet Apostolus personam suam, non dicens, Cum essetis parvuli, sub elementis hujus mundi eratis; sed dicens, *Cum essemus parvuli*, *sub elementis hujus mundi eramus servientes*, non pertineat ad significationem Judæorum, ex quibus Paulus originem ducit, sed magis ad Gentium, hoc duntaxat loco : quoniam et eorum personæ decenter se potest annectere, quibus ad evangelizandum missus est.

30. [Ib. IV, 4, 5.] Deinde jam dicit, veniente plenitudine temporis Deum misisse Filium suum ad liberandum parvulum hæredem, servientem ex parte Legi, tanquam pædagogo, ex parte elementis hujus mundi, tanquam procuratoribus et actoribus : *Misit Deus*, inquit, *Filium suum factum ex muliere*. Mulierem pro femina posuit, more locutionis Hebræorum. Non enim quia de Eva dictum est, *Formavit eam in mulierem* (*Gen*. II, 22), jam passa erat concubitum viri, quod non scribitur passa, nisi cum dimissi essent de paradiso. *Factum* autem dixit, propter susceptionem creaturæ; quia qui nascuntur ex feminis, non tunc ex Deo nascuntur, sed tamen Deus illos facit; ut sic nasci possint, ut omnem creaturam. *Factum* autem *sub Lege* dixit, quia et circumcisus est, et hostia pro illo legitima oblata est (*Luc*. II, 21, 24). Nec mirum si et illa Legis opera sustinuit, ex quibus liberaret qui eis serviliter tenebantur; qui etiam mortem sustinuit, ut ex ea liberaret eos qui mortalitate tenebantur. *Ut adoptionem*, inquit, *filiorum recipiamus. Adoptionem* propterea dicit, ut distincte intelligamus unicum Dei Filium. Nos enim beneficio et dignatione misericordiæ ejus filii Dei sumus : ille natura est Filius, qui hoc est quod Pater. Nec dixit, accipiamus; sed, *recipiamus :* ut significaret hoc nos amisisse in Adam, ex quo mortales sumus. Hoc ergo quod ait, *Ut eos qui sub Lege*

[1] Sic Am. Er. et novem Mss. At Lov., *per potentiam et singularitatem*.
[2] Sic juxta Er. Lugd. Ven. In B., *uxoris*. M.

erant redimeret, et ad liberandum eum populum pertinet, qui parvulus sub pædagogo serviebat; et refertur ad id quod dixit, *factum sub Lege.* Illud autem quod ait, *ut adoptionem filiorum recipiamus*, refertur ad id quod dixit, *factum ex muliere.* Hinc enim adoptionem recipimus, quod ille Unicus non dedignatus est participationem naturæ nostræ, factus ex muliere, ut non solum Unigenitus esset ubi fratres non habet, sed etiam Primogenitus in multis fratribus fieret (*Rom.* VIII, 29). Duo enim proposuit, *factum ex muliere, factum sub Lege :* sed mutato ordine respondit.

31. [Ib. IV, 6.] Jam illum populum adjungens, qui parvulus sub procuratoribus et actoribus serviebat, id est, elementis hujus mundi, ne putarent se non esse filios, quia non erant sub pædagogo, *Quoniam autem filii estis*, inquit, *misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, clamantem, Abba, Pater.* Duo sunt verba quæ posuit, ut posteriore interpretaretur primum : nam hoc est, *Abba*, quod *Pater.* Eleganter autem intelligitur non frustra duarum linguarum verba posuisse idem significantia, propter universum populum, qui de Judæis et de Gentibus in unitatem fidei vocatus est : ut hebræum verbum ad Judæos, græcum ad gentes, utriusque tamen verbi eadem significatio ad ejusdem fidei spiritusque unitatem pertineat. Nam et ad Romanos, ubi similis quæstio de pace in Christo Judæorum Gentiumque tractatur, hoc dicit : *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater* (*Ibid.* 15). Recte autem de præsentia et de dono Spiritus sancti probare voluit Gentibus quod pertineant ad promissionem hæreditatis. Non enim evangelizatum est Gentibus, nisi post ascensum Domini et adventum Spiritus sancti. Cœperant enim jam Judæi credere, cum in terris adhuc Filius Dei mortalem hominem gereret, sicut in Evangelio scriptum est : ubi quanquam et Chananææ mulieris fidem ipse laudaverit (*Matth.* XV, 28), et illius Centurionis, de quo ait non se invenisse talem fidem in Israel (*Id.* VIII, 10); tamen proprie tunc Judæis esse evangelizatum, verbis ipsius Domini satis clarum est, cum ad ipsius Chananææ deprecationem dixit non se esse missum nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (*Id.* XV, 24) : et discipulos cum mitteret, ait, *In viam Gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne introieritis; sed ite primum ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Id.* X, 5, 6). Gentium autem aliud ovile appellavit, cum diceret, *Habeo alias oves quæ non sunt de hoc ovili;* quas tamen se adducturum ait, ut esset unus grex, et unus pastor (*Joan.* X, 16) : quando autem, nisi post clarificationem suam? Post resurrectionem autem etiam ad Gentes discipulos misit, cum eos interim Jerosolymæ manere jussisset, donec eis secundum promissionem suam Spiritum sanctum mitteret (*Act.* I, 4). Cum ergo dixisset Apostolus, *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum recipiamus* (*Galat.* IV, 4); restabat ut etiam Gentes, quæ non erant sub Lege, ad eamdem tamen adoptionem filiorum pertinere ostenderet : quod de sancti Spiritus dono, qui omnibus datus est, docet. Unde se etiam Petrus de baptizato incircumciso Centurione Cornelio defendit apud Judæos qui crediderant, dicens non se potuisse aquam negare illis quos jam Spiritum sanctum accepisse claruerat (*Act.* X, 47). Nam et ipso gravissimo documento etiam superius usus est Paulus, cum diceret, *Hoc solum volo discere a vobis : Ex operibus Legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Et paulo post, *Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et virtutes operatur in vobis : Ex operibus Legis, an ex auditu fidei* (*Galat.* III, 2, 5)? Sic et hic, *Quoniam*, inquit, *filii Dei estis, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater.*

32. [Ib. IV, 7, 8.] Deinde manifestissime ostendit de his etiam se dicere, qui ex Gentibus ad fidem venerant, ad quos etiam Epistolam scribit, *Itaque jam*, inquit, *non est servus, sed filius :* propter id quod dixerat, *Quamdiu hæres parvulus est, nihil differt a servo. Si autem filius*, inquit, *et hæres per Deum :* id est, per misericordiam Dei, non per promissiones patrum, de quibus carnaliter sicut Judæi natus non est; sed tamen filius Abrahæ secundum imitationem fidei, cujus fidei gratiam per misericordiam Domini meruit. *Sed tunc quidem*, inquit, *ignorantes Deum, his qui naturaliter non sunt dii servistis.* Nunc certe quia non Judæis scribit, sed Gentibus; nec ait, servivimus, sed, *servistis :* satis probabile est etiam superius de Gentibus dictum, quod sub elementis hujus mundi erant servientes, tanquam sub procuratoribus et actoribus (*Id.* IV, 1-3). Nam ipsa elementa utique non sunt naturaliter dii, « sive in cœlo, sive in terra : quemadmodum multi dii, et domini multi : sed nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in ipso; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum » (I *Cor.* VIII, 5, 6). Cum autem dicit, *His qui naturaliter non sunt dii, servistis*, satis demonstrat unum verum Deum natura esse Deum, quo nomine Trinitas fidelissimo et catholico gremio cordis accipitur. Eos autem qui natura non sunt dii, propterea superius procuratores actoresque appellat, quia nulla creatura est, sive quæ in veritate manet, dans gloriam Deo; sive quæ in veritate non stetit, quærens gloriam suam : nulla inquam creatura est, quæ non, velit nolit, divinæ providentiæ serviat; sed volens facit cum ea quod bonum est [1]; de illa vero quæ hoc non vult, fit quod justum est. Nam si etiam ipsi prævaricatores angeli, cum principe suo diabolo, non recte dicerentur procuratores vel actores divinæ providentiæ, non Dominus magistratum hujus mundi diabolum diceret; nec uteretur illo ad correptionem hominum ipsa potestas apostolica, eodem Paulo alibi dicente, *Quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare* (I *Tim.* I, 20) : et alio loco ad salutem; ait enim, « Ego quidem sicut absens corpore, præsens

[1] Lov., ex auctoritate trium manuscriptorum, *volens facit, cum de ea quod bonum est fit.* Ante vero in editis Am. et Er. legebatur, *volens facit cum ea* (subaudi, divina providentia) *quod bonum est :* quam lectionem firmant omnes nostri Mss. excepto Albinensi, qui habet, *volens facit, cum facit id quod bonum est.*

autem spiritu, jam judicavi quasi præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi congregatis vobis et meo spiritu, cum potentia Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini Jesu (I *Cor.* v, 3-5). Sed et magistratus sub statuto [1] imperatore non facit, nisi quantum illi permittitur; et procuratores actoresque hujus mundi nihil faciunt, nisi quantum Dominus sinit. Non enim latet eum aliquid, sicut hominem; aut in aliquo est minus potens, ut procuratores atque actores, qui sunt in ejus potestate, aliquid ipso sive non permittente, sive nesciente, in subjectis sibi pro suo gradu rebus efficiant. Non eis tamen rependitur, quod de ipsis juste fit, sed quo animo ipsi faciunt: quia neque liberam voluntatem rationali creaturæ suæ Deus negavit; et tamen potestatem, qua etiam injustos juste ordinat, sibi retinuit. Quem locum latius et uberius in libris aliis sæpe [2] tractavimus (*In libris de Libero Arbitrio*). Sive ergo solem et lunam et sidera et cœlum et terram, cæteraque hujusmodi Gentes colebant, sive dæmonia, recte sub procuratoribus et actoribus fuisse intelliguntur.

33. [Ib. IV, 9.] Verumtamen ea quæ sequuntur, jam quasi explicatam quæstionem rursus implicant. Cum enim per totam Epistolam non ab aliis ostendat sollicitatam fuisse Galatarum fidem, nisi ab eis qui ex circumcisione erant, et ad carnales observationes Legis, tanquam in eis salus esset, adducere cupiebant; hoc tantum loco ad eos loqui videtur, qui ad Gentilium superstitiones redire tentarent. Ait enim: « Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo, quomodo revertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus rursus ut antea servire vultis? » In eo enim quod dicit, *revertimini*, quando non circumcisis, sed Gentibus loquitur, sicut in tota Epistola apparet; non utique ad circumcisionem dicit eos reverti, in qua nunquam erant, sed *ad infirma*, inquit, *et egena elementa, quibus rursus ut antea servire vultis.* Quod de Gentibus intelligere cogimur: his enim supra dixerat, *Sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui natura non sunt dii, servistis* (*Galat.* IV, 8); ad quam servitutem reverti eos velle significat, cum ait, *Quomodo revertimini ad infirma et egena elementa, quibus rursus ut antea servire vultis?*

34. [Ib. IV, 10, 11.] Quod autem adjungit, *Dies observatis, et menses, et annos, et tempora: timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vos* [3], magis hanc sententiam confirmare videri potest. Vulgatissimus est enim error Gentilium iste, ut vel in agendis rebus, vel in exspectandis eventis vitæ ac negotiorum suorum, ab astrologis et Chaldæis notatos dies, et menses, et annos, et tempora observent. Fortasse tamen non opus est ut hoc de Gentilium errore intelligamus, ne intentionem causæ, quam ab exordio susceptam ad finem usque perducit, subito in aliud temere detorquere velle videamur; sed de his potius, de quibus cavendis eum agere per totam Epistolam apparet. Nam et Judæi serviliter observant dies, et menses, et annos, et tempora in carnali observatione sabbati et neomeniæ, et mense novorum, et septimo quoque anno quem vocant Sabbatum sabbatorum. Quæ quoniam erant umbræ futurorum, jam adveniente Christo in superstitione remanserunt, cum tanquam salutaria observarentur a nescientibus quo referenda sint: ut tanquam hoc dixerit Apostolus Gentibus, Quid prodest vos evasisse servitutem qua tenebamini, cum serviretis elementis mundi, quando rursus ad talia reditis, seducti ab eis qui nondum agnoscentes libertatis suæ tempus, inter cætera opera Legis quæ carnaliter sapiunt, etiam temporibus serviunt; quibus et vos rursus ut antea servire vultis, et observare cum eis dies, et menses, et annos, et tempora, quibus serviebatis et antequam Christo crederetis? Manifestum est enim, volumina temporum per elementa hujus mundi, hoc est, cœlum et terram et motus atque ordinem siderum administrari. Quæ *infirma* appellat, ex eo quod infirma et instabili specie variantur: *egena* vero, ex eo quod egent summa et stabili specie Creatoris, ut quomodo sunt, esse possint.

35. Ergo eligat lector utram volet sententiam, dummodo intelligat ad tantum periculum animæ pertinere superstitiosas temporum observationes, ut huic loco subjecerit Apostolus, *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vos.* Quod cum tanta celebritate atque auctoritate per orbem terrarum in Ecclesiis legatur, plena sunt conventicula nostra hominibus qui tempora rerum agendarum a mathematicis accipiunt. Jam vero ne aliquid inchoetur, aut ædificiorum, aut hujusmodi quorumlibet operum, diebus quos Ægyptiacos vocant, sæpe etiam nos monere non dubitant, nescientes, ut dicitur, ubi ambulant. Quod si locus iste de Judæorum superstitiosa observatione intelligendus est, quam spem habent, cum christianos se dici velint, ex ephemeridis vitam naufragam gubernantes, quando de divinis Libris, quos Deus adhuc carnali populo dedit, si more Judæorum tempora observarent, diceret eis Apostolus, *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vos?* Et tamen si deprehendatur quisquam vel catechumenus Judaico ritu sabbatum observans, tumultuatur Ecclesia. Nunc autem innumerabiles de numero fidelium cum magna confidentia in faciem nobis dicunt, Die post calendas non proficiscor. Et vix lente ista prohibemus arridentes, ne irascantur, et timentes ne quasi novum aliquid mirentur. Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus: usitata vero pro quibus abluendis Filii Dei sanguis effusus est, quamlibet magna sint, et omnino claudi contra se faciant regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur! atque utinam, o Domine, non omnia quæ non potuerimus prohibere, faciamus (*a*)!

[1] Am. Er. et decem Mss., *sub tanto.*
[2] Deest, *sæpe*, apud Am. Er. et septem Mss.
[3] Editi hic et infra, *in vobis.* At Mss., *in vos*, juxta græcum.

(*a*) Hunc locum, « Væ peccatis, » etc., transtulit in librum Enchiridii, cap. 80.

36. [Ib. IV, 9.] Sed jam videamus quæ sequuntur. Sane prætereramus quod dictum est, *Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo.* Videtur enim certe hoc loco etiam Apostolica locutio congruere velle infirmitati hominum; ne tantummodo in Veteris Testamenti libris usque ad terrenas hominum cogitationes modus divini eloquii descendisse videatur. Nam quoniam correxit quod dixerat, *cognoscentes Deum*, nihil nos movere debet : manifestum est enim quamdiu per fidem ambulamus, non per speciem (II *Cor.* V, 7), nondum nos cognovisse Deum; sed ea fide purgari, ut opportuno tempore cognoscere valeamus. Sed quod in ipsa correctione ait, *imo cogniti a Deo*, si proprie accipitur, putabitur Deus quasi ex tempore aliquid cognoscere, quod ante non noverat. Translate ergo dictum est, ut oculos Dei accipiamus ipsam dilectionem ejus, quam commendavit mittendo pro impiis occidendum unicum Filium : sic enim de iis qui diliguntur dicere solemus quod ante oculos habeantur. Hoc est ergo *cognoscentes Deum, imo cogniti a Deo*, quod et Joannes dixit, *Non quod nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos* [1] (I *Joan.* IV, 10).

37. [Ib. IV, 12-18.] Dicit autem, *Estote sicut et ego :* qui utique cum Judæus natus sim, jam ista carnalia spirituali dijudicatione contemno. *Quoniam et ego sicut vos :* id est, homo sum. Deinde opportune ac decenter facit eos recolere charitatem suam, ne tanquam inimicum illum deputent. Dicit enim, *Fratres, precor vos, nihil me læsistis :* tanquam si diceret, Ne ergo putetis quod ego lædere vos cupiam. *Scitis quia per infirmitatem carnis jam pridem evangelizavi vobis :* id est, cum persecutionem paterer. *Et tentationem vestram in carne mea non sprevistis, neque respuistis.* Tentati sunt enim, cum persecutionem pateretur Apostolus, utrum timore desererent eum, an charitate amplecterentur. Et *neque sprevistis*, inquit, tanquam utilem istam tentationem : *neque respuistis*, ut non susciperetis communionem periculi mei. *Sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum.* Deinde admirans, opus eorum spirituale commendat, ut hoc intuentes, in carnalem timorem non decidant. *Quæ ergo fuit*, inquit, *beatitudo vestra? Testimonium enim vobis perhibeo, quoniam si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi. Ergo inimicus factus sum vobis, verum vobis prædicans?* Respondetur utique, Non. Sed quid *verum prædicans*, nisi ut non circumcidantur? Et ideo vide quid adjungit, *Æmulantur vos non bene :* id est, invident vobis, qui vos carnales de spiritualibus volunt facere, hoc est, *æmulantur non bene. Sed excludere*, inquit, *vos volunt, ut illos æmulemini*, hoc est, imitemini : quomodo, nisi ut servitutis jugo attineamini, sicut ipsi attinentur? *Bonum autem* [2], ait, *æmulari in bono semper.* Vult enim ut semper ipsum imitentur : propter hoc addidit, *Et non solum cum præsens sum apud vos.* Cum enim præsenti oculos suos dare vellent, utique ipsum conabantur imitari, quem ita diligebant.

38. [Ib. IV, 19.] Ad hoc dicit etiam, *Filioli mei*, ut tanquam parentem utique imitentur, *Quos iterum*, inquit, *parturio, donec Christus formetur in vobis.* Magis hoc ex persona matris Ecclesiæ locutus est : nam et alibi dicit, *Factus sum parvulus in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos* (I *Thess.* II, 7). Formatur autem Christus in credente per fidem in interiore homine, vocato in libertatem gratiæ, miti et humili corde, non se jactante de operum meritis, quæ nulla sunt; sed ab ipsa gratia meritum aliquod inchoante, quem possit dicere minimum suum, id est, seipsum, ille qui ait [1], *Cum enim fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis* (*Matth.* XV, 25, 40). Formatur enim Christus in eo qui formam accipit Christi : formam autem accipit Christi, qui adhæret Christo dilectione spirituali. Ex hoc enim fit ut hujus imitatione sit quod ille, quantum gradu suo sinitur. *Qui enim dicit se in Christo manere*, ait Joannes, *debet quomodo ille ambulavit, et ipse ambulare* (I *Joan.* II, 6). Sed cum homines a matribus concipiantur ut formentur, jam formati autem parturiantur ut nascantur, potest movere quod dictum est, *Quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Nisi parturitionem hanc pro curarum angoribus positam intelligamus, quibus eos parturivit ut nascerentur in Christo; et iterum parturit propter pericula seductionis, quibus eos conturbari videt. Sollicitudo autem talium de illis curarum, qua se quodammodo parturire dicit, tamdiu esse poterit, donec perveniant in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non moveantur omni vento doctrinæ (*Ephes.* IV, 13, 14). Non ergo propter initium fidei, quo jam nati erant, sed propter robur et perfectionem dictum est, *Quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis.* Hanc parturitionem aliis verbis etiam alibi commendat, ubi dicit : *Incursus in me quotidianus, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (II *Cor.* XI, 28, 29)?

39. [Ib. IV, 20.] Quod vero subjecit, *Vellem autem nunc adesse apud vos, et mutare vocem meam, quia confundor in vobis ;* quid aliud intelligatur, nisi quia filios suos esse dixerat, parcens eis fortasse per litteras, ne severiore objurgatione commoti, facile in ejus odium traducerentur a deceptoribus illis, quibus absens non posset resistere. *Vellem* ergo, inquit, *nunc adesse apud vos, et mutare vocem meam*, id est, negare vos filios; *quia confundor in vobis.* Malos enim filios, ne de his erubescant, etiam parentes abdicare solent.

40. [Ib. IV, 21-31.] Deinde subjungit, *Dicite mihi, sub Lege volentes esse, Legem non audistis?* Et de duobus quidem filiis Abrahæ quod dicit, facile intelligitur : nam ipse interpretatur hanc allegoriam. Hos enim duos filios habebat Abraham, cum duo Testamenta significata sunt. Post mortem autem Saræ, quos de alia uxore genuit, non pertinent ad hanc significationem. Et ideo multi legentes Apostolum, librum autem Geneseos ignorantes, putant solos habuisse duos filios Abraham. Hos ergo solos commemorat Apostolus, quia solos adhuc habebat, cum hæc

[1] Lov., *prior dilexit nos.* M.
[2] Sic Mss. juxta græcum. At editi, *bonum autem est.*

[1] Duo Mss., *minimum suum eumdem ipsum ille qui ait.*

significarentur, quæ consequenter exponit : quod ille de ancilla, quæ Agar vocabatur, Vetus Testamentum significat, id est, populum Veteris Testamenti, propter jugum servile carnalium observationum, et promissa terrena, quibus irretiti, et quæ tantummodo sperantes de Deo, non admittuntur ad hæreditatem spiritualem cœlestis patrimonii. Non autem sufficit quod de libera uxore natus est Isaac, ad significandum populum hæredem Novi Testamenti; sed plus hic valet quod secundum promissionem natus est. Ille autem et de ancilla secundum carnem, et de libera nasci potuit secundum carnem, sicut de Cethura, quam postea duxit Abraham, non secundum promissionem, sed secundum carnem suscepit filios (*Gen.* XXV, 1, 2). Isaac enim mirabiliter natus est per repromissionem, cum ambo parentes senuissent. Quod si data per Apostolum fiducia, qua duos illos allegorice accipiendos apertissime ostendit, voluerit aliquis etiam Cethuræ filios in aliqua rerum figura futurarum inspicere (non enim frustra de talibus personis administratione Spiritus sancti hæc gesta conscripta sunt); inveniet fortasse hæreses et schismata significari. Qui filii de libera quidem, sicut isti de Ecclesia ; sed tamen secundum carnem nati sunt, non spiritualiter per repromissionem. Quod si ita est, nec ipsi ad hæreditatem inveniuntur pertinere, id est ad cœlestem Jerusalem, quam sterilem vocat Scriptura, quia diu filios in terra non genuit. Quæ deserta etiam dicta est, cœlestem justitiam [1] deserentibus hominibus terrena sectantibus, tanquam virum habente illa terrena Jerusalem, quia Legem acceperat. Et ideo cœlestem Jerusalem Sara significat, quæ diu deserta est a concubitu viri propter cognitam sterilitatem. Non enim tales homines, qualis erat Abraham, ad explendam libidinem utebantur feminis, sed ad successionem prolis. Accesserat autem sterilitati etiam senectus, ut ex omni desperatione divina promissio magnum meritum credentibus daret. Certus ergo de promissione Dei officio gignendi accessit ad ætatem jam gravem, quam in annis vigentioribus corporali copulatione deseruerat. Non enim ob aliud Apostolus, adjuncta earum mulierum figura, interpretatur quod per prophetam dictum est, *Quoniam multi filii desertæ, magis quam ejus quæ habet virum ;* cum et marito prior Sara sit mortua, neque inter eos ullum exstitisset divortium. Unde ergo illa deserta, aut illa habens virum, nisi quod Abraham propagandæ prolis operam ad Agar ancillæ fecunditatem ab uxoris Saræ sterilitate transtulerat? ipsa tamen permittente et ultro offerente, ut maritus ejus de ancilla susciperet filios. Antiqua enim justitiæ regula est, quam commendat ad Corinthios idem apostolus ; *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir ; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (I *Cor.* VII, 4), Et hujusmodi enim, debita, sicut cætera, in eorum quibus debentur potestate consistunt. Cui potestati qui fraudem non facit, ille castitatis conjugalis jura custodit. Senectus autem parentum Isaac ad eam significationem valet, quoniam Novi Testamenti populus quamvis sit novus, prædestinatio tamen ejus apud Deum, et ipsa Jerusalem cœlestis antiqua est. Unde et Joannes ad Parthos dicit [1] : *Scribo vobis, patres, quoniam cognovistis quod erat ab initio* (I *Joan.* II, 13). Carnales autem qui sunt in Ecclesia, ex quibus hæreses et schismata fiunt, ex Evangelio quidem occasionem nascendi acceperunt ; sed carnalis error quo concepti sunt, et quem secum trahunt, non refertur ad antiquitatem veritatis : et ideo de matre adolescentula, et de patre sene sine repromissione nati sunt. Quia et Dominus non nisi ob antiquitatem veritatis in Apocalypsi albo capite apparuit (*Apoc.* I, 14). Nati sunt ergo tales ex occasione antiquæ veritatis in novitio temporalique mendacio. Dicit ergo nos Apostolus secundum Isaac promissionis filios esse : et sic persecutionem passum Isaac ab Ismaele, quemadmodum hi qui spiritualiter vivere cœperant, a carnalibus Judæis persecutionem patiebantur; frustra tamen, cum secundum Scripturam ejiciatur ancilla et filius ejus, nec hæres esse possit cum filio liberæ. *Nos autem*, inquit, *fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ.* Ea enim libertas nunc maxime opponenda est servitutis jugo, quo in operibus Legis tenebantur, qui ad circumcisionem istos trahebant.

41. [Ib. V, 1-3.] Cum autem dicit, *State ergo*, significat eos nondum cecidisse : accommodatius enim diceret, Surgite. Sed quod addidit, *Et ne iterum servitutis jugo attineamini*, quandoquidem hic nullum aliud jugum potest intelligi, quo eos attineri nolit, nisi circumcisionis taliumque observationum Judaicarum ; ita enim et sequitur, *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit :* quomodo accepturi sumus quod ait, *ne iterum servitutis jugo attineamini ;* cum ad eos scribat qui Judæi nunquam fuerant ? Nam hoc agit utique, ne circumcidantur. Sed nimirum hic declaratur et confirmatur illa sententia de qua superius disputavimus. Quid enim aliud hoc loco Gentibus dicat, non invenio, nisi ut prosit illis quod a servitute superstitionis suæ per fidem Christi liberati sunt, ne iterum servi esse velint sub jugo observationum carnalium, quamvis sub Lege Dei, tamen carnalem populum serviliter alligantium. Christum autem nihil eis profuturum esse dicit, si circumcidantur : sed illo modo, quo eos isti volebant circumcidi, id est, ut in carnis circumcisione ponerent spem salutis. Non enim Timotheo non profuit Christus, quia Paulus ipse illum jam christianum juvenem circumcidit : fecit autem hoc propter scandalum suorum (*Act.* XVI, 3), nihil simulans omnino, sed ex illa indifferentia qua dicit, *Circumcisio nihil est, et præputium nihil est* (I *Cor.* VII, 19). Nihil enim obest illa circumcisio ei qui salutem in illa esse non credit. Secundum hanc sententiam etiam illud addidit, *Testificor autem omni homini circumcidenti se*, id est, tanquam salutarem istam circumcisionem appetenti, *quia debitor est universæ Legis faciendæ.* Quod ideo ait, ut vel terrore tam innumerabilium observationum, quæ

[1] Tres Mss., *cœlestibus justitiam deserentibus.*

[1] Ita sex Mss. At Lov., *ad patres.* Am. et Er., *ad parentes*

in Legis operibus scriptæ sunt, ne omnes implere cogerentur (quod nec ipsi Judæi, nec parentes eorum implere potuerunt, sicut Petrus in Actibus Apostolorum dicit [*Act.* xv, 10]), abstinerent se ab his, quibus eos isti subjugare cupiebant.

42. [Ib. v, 4-12.] *Evacuati*, inquit, *estis a Christo, qui in Lege justificamini.* Hæc est illa proscriptio qua Christum proscriptum superius dixerat (*Galat.* III, 1), ut cum isti evacuarentur a Christo, id est, Christus ab eis tanquam a possessione quam tenebat, abscedit, opera Legis in eam possessionem tanquam in vacuam inducantur. Quod quia non Christo, sed illis obest, addidit, *a gratia excidistis.* Cum enim hoc agat gratia Christi, ut illi qui debitores erant operum Legis, liberentur hoc debito; isti ingrati tantæ gratiæ, debitores esse volunt universæ Legis faciendæ. Nondum autem erat factum; sed quia voluntas moveri cœperat; ita plerisque locis loquitur quasi factum sit. *Nos enim*, inquit, *spiritu ex fide spem justitiæ expectamus.* In quo demonstrat ea pertinere ad fidem Christi, quæ spiritualiter exspectantur; non quæ carnaliter desiderantur, qualibus promissionibus servitus illa tenebatur: sicut alio loco dicit, *Non respicientibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt* (II *Cor.* IV, 18). Deinde subjunxit, *In Christo enim Jesu neque circumcisio quidquam valet, neque præputium;* ut illam indifferentiam declararet, nihilque perniciosum esse in hac circumcisione ostenderet, nisi ex illa salutem sperare. Nihil ergo valere dicit in Christo circumcisionem aut præputium, *sed fidem quæ per dilectionem operatur.* Et hic illud tetigit, quia sub Lege servitus per timorem operatur. *Currebatis bene*, inquit; *quis vos impedivit veritati non obedire?* Hoc est, quod superius ait, *Quis vos fascinavit* (*Galat.* III, 1)? *Suasio*, inquit, *vestra non ex eo est qui vocavit vos.* Hæc enim suasio carnalis est, ille autem in libertatem vocavit. Suasionem autem eorum dixit, quod eis suadebatur. Eos autem paucos, qui ad illos veniebant, ut ista suaderent, quia in comparatione multitudinis credentium Galatarum exigui numero erant, fermentum appellat. Recipient autem isti fermentum; et tota massa, id est, tota eorum Ecclesia in corruptione carnalis servitutis quodammodo fermentabitur, si tales suasores tanquam justos et fideles recipientes honoraverint. *Ego*, inquit, *confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis.* Hinc utique manifestum est, nondum illos fuisse pessessos a talibus. *Qui autem conturbat vos*, inquit, *portabit judicium, quicumque ille fuerit.* Hæc est illa conturbatio contraria ordini, ut de spiritualibus carnales fiant. Et quoniam intelligendum est fuisse quosdam qui cum vellent eis istam servitutem persuadere, et viderent eos Pauli apostoli auctoritate revocari, dicerent etiam ipsum Paulum id sentire, sed non eis facile aperire voluisse sententiam suam; opportunissime subjecit, *Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior?* Etiam ab ipsis enim patiebatur persecutionem, qui talia persuadere moliebantur, cum jam Evangelium suscepisse viderentur. Quos tangit alio loco, ubi ait, *Periculis in falsis fratribus* (II *Cor.* XI, 26); et hic in capite Epistolæ, ubi dicit, « Propter subintroductos autem falsos fratres, qui subintroierunt proscultare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent » (*Galat.* II, 4). Ergo si circumcisionem prædicabat, desinerent eum persequi. Qui tamen ne timerentur ab eis, quibus christiana libertas annuntiabatur; aut ne ab ipso Apostolo timeri putarentur, propterea superius libera plenus fiducia, nomen suum etiam professus est, dicens, *Ecce ego Paulus dico vobis, quia si circumcidamini. Christus vobis nihil proderit* (*Id.* v, 2): tanquam si diceret, Ecce me imitamini, ut non timeatis; aut in me causam refundite, si timetis. Quod autem dicit, *Ergo evacuatum est scandalum crucis*, sententiam illam repetit, *Si ex Lege justitia, ergo Christus gratis mortuus est* (*Id.* II, 21). Sed hic quoniam scandalum nominat, in memoriam revocat propterea maxime in Christo passos esse scandalum Judæos, quia istas carnales observationes, quas pro ipsa salute se habere arbitrabantur, eum sæpe animadvertebant præterire atque contemnere. Hoc ergo ita dixit, ac si diceret: Sine causa ergo Christum, cum ista contemneret, scandalizati Judæi crucifixerunt, si adhuc eis pro quibus crucifixus est, talia persuadentur. Et adjecit elegantissima ambiguitate quasi sub specie maledictionis benedictionem, dicens: *Utinam et abscidantur qui vos conturbant.* Non tantum, inquit, circumcidantur, sed et *abscidantur.* Sic enim fient spadones propter regnum cœlorum (*Matth.* XIX, 12), et carnalia seminare cessabunt.

43. [Ib. v, 13.] *Vos enim*, inquit, *in libertatem vocati estis, fratres.* Quia illa conturbatio a spiritualibus ad carnalia revocans in servitutem trahebat. Sed jam hinc opera illa Legis tractare incip t, de quibus eum supra dixeram in fine Epistolæ tractaturum (*Supra*, n. 19), quæ ad Novum quoque Testamentum pertinere nemo ambigit; sed alio fine, quo liberos ea facere decet, id est, charitatis æterna sperantis hinc præmia, et ex fide exspectantis. Non sicut Judæi, qui timore ista implere cogebantur, non illo casto permanente in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10), sed quo timebant præsenti vitæ suæ: et ideo quædam opera Legis implebant, quæ in sacramentis sunt; illa vero quæ ad bonos mores pertinent, omnino non poterant. Non enim implet ea nisi charitas. Quia et hominem si propterea non occidit aliquis, ne et ipse occidatur; non implet præceptum justitiæ: sed si ideo non occidit, quia injustum est, etiam si id possit facere impune, non solum apud homines, sed etiam apud Deum. Sicut David cum divinitus accepisset in potestatem regem Saül, impune utique occideret, nec hominibus in se vindicaturis, quia multum ab eis diligebatur idem David; nec Deo, qui hanc ipsam potestatem dedisse se dixerat, ut omnino ei faceret quod vellet (I *Reg.* XXIV, 4-8). Pepercit ergo diligens proximum tanquam seipsum, non solum persecutum, sed etiam persecuturum, qui eum corrigi quam interfici malebat: homo

in Veteri Testamento, sed non homo de Veteri Testamento, quem fides futuræ hæreditatis Christi revelata et credita [1] salvum faciebat, et ad imitandum vocabat. Ideo nunc dicit Apostolus, *In libertatem vocati estis, fratres; tantum ne libertatem in occasionem carnis detis:* id est, ne audito nomine libertatis, impune vobis peccandum esse arbitremini. *Sed per charitatem,* inquit, *servite invicem.* Qui enim per charitatem servit, libere servit, et sine miseria obtemperans Deo, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur.

44. [Ib. v, 14.] *Omnis enim Lex,* inquit, *in uno sermone impleta est, in eo quod diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Omnem ergo Legem nunc dicit ex his operibus quæ ad bonos mores pertinent : quia et illa quæ sunt in sacramentis, cum bene a liberis intelliguntur, nec carnaliter observantur a servis, ad illa duo præcepta referantur necesse est, dilectionis Dei et proximi. Recte itaque accipitur ad hoc pertinere quod etiam Dominus ait, *Non veni Legem solvere, sed implere* (*Matth.* v, 17) : quia erat ablaturus timorem carnalem; spiritualem autem charitatem daturus, qua sola Lex impleri potest. *Plenitudo* enim *Legis, charitas :* ut quoniam fides impetrat Spiritum sanctum, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus operantium justitiam (*Rom.* v, 5), nullo modo quisquam ante gratiam fidei de bonis operibus glorietur. Quapropter istos jactantes se de operibus Legis ita refellit Apostolus, dum ostendit opera vetusta sacramentorum umbras futurorum fuisse, quas jam adventu Domini libero hæredi necessarias non esse monstravit : opera vero ad bonos mores pertinentia non impleri nisi dilectione, per quam fides operatur (*Galat.* v, 6). Unde si opera Legis quædam post fidem superflua, quædam ante fidem nulla sunt; vivat justus ex fide (*Habac.* II, 4), ut et onus grave servitutis abjiciat, levi sarcina Christi vegetatus (*Matth.* XI, 30), et justitiæ metas non transgrediatur, leni jugo [2] charitatis obtemperans.

45. [Ib. v, 15, 16.] Quæri autem potest cur Apostolus et hic solam commemoravit proximi dilectionem, qua Legem dixit impleri; et ad Romanos cum in eadem quæstione versaretur, « Qui enim diligit alterum, inquit, Legem implevit : nam, Non adulterabis, Non homicidium facies, Non furaberis, Non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo autem Legis, charitas » (*Rom.* XIII, 8-10). Cum ergo nonnisi in duobus præceptis dilectionis Dei et proximi perfecta sit charitas, cur Apostolus et in hac et in illa Epistola solam proximi dilectionem commemorat; nisi quia de dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi facilius convincuntur eam non habere, dum inique cum hominibus agunt? Consequens est autem ut qui ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente Deum diligit, diligat et proximum tanquam seipsum; quia hoc jubet ille, quem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligit. Item diligere proximum, id est omnem hominem, tanquam seipsum, quis potest, nisi Deum diligat, cujus præcepto et dono dilectionem proximi possit implere? Cum ergo utrumque præceptum ita sit, ut neutrum sine altero possit teneri, etiam unum horum commemorare plerumque sufficit, cum agitur de operibus justitiæ : sed opportunius illud, de quo quisque facilius convincitur. Unde Joannes dicit : *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere* (I *Joan.* IV, 20)? Mentiebantur enim quidam dilectionem se Dei habere, et de odio fraterno eam non habere convincebantur : de quo judicare in quotidiana vita et moribus facile est. *Si autem mordetis,* inquit, *et comeditis invicem, videte ne ab invicem consumamini :* hoc enim maxime vitio contentionis et invidentiæ, perniciosæ disputationes inter eos nutriebantur, male de invicem loquendo, et quærendo quisque gloriam suam vanamque victoriam, quibus studiis consumitur societas populi, dum in partes discinditur. Quomodo autem ista vitare possunt, nisi spiritu ambulent, et concupiscentias carnis non perficiant? Primum enim et magnum munus est spiritus, humilitas, et mansuetudo. Unde illud quod jam commemoravi, Dominus clamat, *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* XI, 29) : et illud prophetæ, *Super quem requiescit Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea* (*Isai.* LXVI, 2)?

46. [Ib. v, 17.] Quod autem ait, *Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem : hæc enim invicem adversantur; ut non ea quæ vultis faciatis;* putant hic homines liberum voluntatis arbitrium negare Apostolum nos habere, nec intelligunt hoc eis dictum, si gratiam fidei susceptam tenere nolunt, per quam solam possunt spiritu ambulare, et concupiscentias carnis non perficere; si ergo nolunt eam tenere, non poterunt ea quæ volunt facere. Volunt enim operari opera justitiæ, quæ sunt in Lege, sed vincuntur concupiscentia carnis, quam sequendo deserunt gratiam fidei. Unde et ad Romanos dicit, *Prudentia carnis inimica in Deum : Legi enim Dei non est subjecta; neque enim potest* (*Rom.* VIII, 7). Cum enim charitas Legem impleat, prudentia vero carnis commoda temporalia consectando spirituali charitati adversetur; quomodo potest Legi Dei esse subjecta, id est, libenter atque obsequenter implere justitiam, eique non adversari; quando etiam dum conatur, vincatur necesse est, ubi invenerit majus commodum temporale de iniquitate se posse assequi, quam si custodiat æquitatem? Sicut enim prima hominis vita est ante Legem, cum nulla nequitia et malitia prohibetur, neque ulla ex parte pravis cupiditatibus resistit; quia non est qui prohibeat : sic secunda est sub Lege ante gratiam, quando prohibetur quidem et conatur a peccato abstinere se, sed vincitur; quia nondum justitiam propter Deum et propter ipsam justitiam diligit, sed eam sibi vult ad conquirendum

[1] Sic Mss. Editi vero, *et reddita.*
[2] Editi, *levi jugo.* Mss., *leni jugo.*

terrena servire. Itaque ubi viderit ex alia parte ipsam, ex alia commodum temporale, trahitur pondere temporalis cupiditatis, et relinquit justitiam : quam propterea tenere conabatur, ut haberet illud quod se nunc videt amittere, si illam tenuerit. Tertia est vita sub gratia, quando nihil temporalis commodi justitiæ præponitur : quod nisi charitate spirituali, quam Dominus exemplo suo docuit, et gratia donavit, fieri non potest. In hac enim vita etiamsi existant desideria carnis de mortalitate corporis, tamen mentem ad consensionem peccati non subjugant. Ita jam non regnat peccatum in nostro mortali corpore (*Rom.* VI, 12); quamvis non possit nisi inhabitare in eo, quamdiu mortale corpus est. Primo enim non regnat, cum mente servimus Legi Dei, quamvis carne legi peccati (*Id.* VII, 25), id est, pœnali consuetudini, cum ex illa existunt desideria, quibus tamen non obedimus. Postea vero ex omni parte exstinguitur. Quoniam si Spiritus Jesu habitat in nobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora nostra, propter Spiritum qui habitat in nobis (*Id.* VIII, 11). Nunc ergo implendus est gradus sub gratia, ut faciamus quod volumus spiritu, etiamsi carne non possumus; id est, non obediamus desideriis peccati ad præbenda illi membra nostra arma iniquitatis (*Id.* VI, 13), etiamsi non valemus efficere ut eadem desideria non existant : ut quamvis nondum simus in pace illa æterna ex omni hominis parte perfecta, jam tamen desinamus esse sub Lege, ubi prævaricationis rea mens tenetur, dum eam concupiscentia carnis in consensionem peccati captivam ducit; simus autem sub gratia, ubi nulla est condemnatio iis qui sunt in Christo Jesu (*Id.* VIII, 1); quia non certantem, sed victum pœna consequitur.

47. [Ib. v, 18.] Ordinatissime itaque subjungit, *Quod si spiritu ducimini, non adhuc estis sub Lege :* ut intelligamus eos esse sub Lege, quorum spiritus ita concupiscit adversus carnem, ut non ea quæ volunt faciant; id est, non se teneant invictos in charitate justitiæ, sed a concupiscente adversum se carne vincantur (*a*); non solum ea repugnante legi mentis eorum, sed etiam captivante illos sub lege peccati, quæ est in membris mortalibus (*Id.* VII, 23). Qui enim non ducuntur spiritu, sequitur ut carne ducantur. Non autem pati adversitatem carnis, sed duci a carne, damnatio est. Et ideo, *Quod si spiritu*, inquit, *ducimini, non adhuc estis sub Lege.* Nam et superius non ait, *Spiritu ambulate*, et concupiscentias carnis non habueritis; sed, *ne perfeceritis* (*Galat.* v, 16). Quippe non eas omnino habere, non jam certamen, sed certaminis præmium est, si obtinuerimus victoriam perseverando sub gratia. Commutatio enim corporis in immortalem statum sola carnis concupiscentias non habebit.

48. [Ib. v, 19-21.] Deinde incipit opera carnis enumerare, ut intelligant se, si ad operandum ista desideriis carnalibus consenserint, tunc duci carne, non spiritu. « Manifesta autem sunt, inquit, opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, animositates, æmulationes, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, et his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. » Agunt autem hæc qui cupiditatibus carnalibus consentientes facienda esse decernunt, etiam si ad implendum facultas non datur. Cæterum qui tanguntur hujusmodi motibus, et immobiles in majore charitate consistunt, non solum non eis exhibentes membra corporis ad male operandum, sed neque nutu consensionis ad exhibendum consentientes; non hæc agunt, et ideo regnum Dei possidebunt. Non enim jam regnat peccatum in eorum mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus; quamvis habitet in eorum mortali corpore peccatum, nondum exstincto impetu consuetudinis naturalis, qua mortaliter nati sumus, et propriæ vitæ nostræ, cum et nos ipsi peccando auximus quod ab origine peccati humani damnationisque trahebamus. Aliud est enim non peccare; aliud, non habere peccatum. Nam in quo peccatum non regnat, non peccat, id est, qui non obedit desideriis ejus : in quo autem non existunt omnino ista desideria, non solum non peccat, sed etiam non habet peccatum. Quod etiam si ex multis partibus in ista vita possit effici, ex omni tamen parte nonnisi in resurrectione carnis atque commutatione sperandum est. Potest autem movere quod ait, *Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt,* si quæratur ubi ista prædixerit; nam in hac Epistola non invenitur. Ergo aut præsens cum esset, hoc prædixerat; aut cognoverat pervenisse ad illos Epistolam quæ missa est ad Corinthios. Ibi enim sic ait : « Nolite errare; neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt » (I *Cor.* VI, 9, 10).

49. [Ib. v, 22, 23.] Hic ergo cum enumerasset opera carnis, quibus clausum est regnum Dei, subjecit etiam opera spiritus, quos spiritus fructus vocat. *Fructus autem spiritus est*, inquit, *charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia :* et addidit, *Adversus hujusmodi non est lex;* ut intelligamus illos sub Lege positos, in quibus ista non regnant. Nam in quibus hæc regnant, ipsi Lege legitime utuntur, quia non est illis Lex ad coercendum posita : major enim et præpollentior delectatio eorum justitia est. Sic enim ad Timotheum dicit : « Scimus enim quia bona est Lex, si quis ea legitime utatur : sciens hoc quia Lex justo posita non est; injustis autem, et non subditis, impiis et peccatoribus, et scelestis, et contaminatis, patricidis, et matricidis, homicidis, fornicatoribus, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur » (I *Tim.* I, 8-10) : subauditur, his Lex posita est. Regnant ergo spirituales isti fructus in homine, in quo peccata non regnant. Re-

(*a*) I Retract. cap. 24, n. 2.

gnant autem ista bona, si tantum delectant, ut ipsa teneant animum in tentationibus ne in peccati consensionem ruat. Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est : ut verbi gratia, occurrit forma speciosæ feminæ, et movet ad delectationem fornicationis : sed si plus delectat pulchritudo illa intima et sincera species castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi, secundum hanc vivimus, et secundum hanc operamur; ut non regnante in nobis peccato ad obediendum desideriis ejus, sed regnante justitia per charitatem cum magna delectatione faciamus quidquid in ea Deo placere cognoscimus. Quod autem de castitate et de fornicatione dixi, hoc de cæteris intelligi volui.

50. Neque moveat, vel quod non omnino ad eumdem numerum et ordinem opera carnis in hac Epistola enumeravit, atque in illa ad Corinthios : vel quod spiritualia bona pauciora, pluribus carnalibus vitiis opposuit; neque ita e contrario ut fornicationibus castitas, immunditiis munditia, atque ita cæteris cætera occurrerent. Non enim hoc suscepit ut doceret quot sint, sed in quo genere illa vitanda, illa vero expetenda sint; cum carnis et spiritus nominibus a pœna peccati atque peccato ad gratiam Domini atque justitiam nos converti oportere prædiceret : ne deserendo gratiam temporalem, qua pro nobis Dominus mortuus est, non perveniamus ad æternam quietem, in qua pro nobis Dominus vivit; neque intelligendo pœnam temporalem in qua nos Dominus mortalitate carnis [1] edomare dignatus est, in pœnam sempiternam incidamus, quæ perseveranti adversum Dominum superbiæ præparata est. Cum enim commemoratis multis operibus carnis, addidit, *et his similia;* satis ostendit non se ista examinatiore numero collocasse, sed liberiore sermone posuisse. Hoc etiam de spiritualibus fructibus fecit. Non enim ait, Adversus hæc *non est Lex :* sed, *Adversus hujusmodi;* hoc est, sive ista, sive etiam cætera hujusmodi.

51. Sed tamen diligenter considerantibus non hic omni modo carnalium spiritualiumque operum oppositio inordinata atque confusa est. Ob hoc autem latet, quia pauciora, vel singula quibusdam pluribus opponuntur. Nam ex eo quod carnalium vitiorum in capite posuit fornicationes, in capite autem virtutum spiritualium charitatem; quem non divinarum Litterarum studiosum faciat intentum ad perscrutanda cætera? Si enim fornicatio est amor a legitimo connubio solutus et vagus, explendæ libidinis consectando licentiam; quid tam legitime ad spiritualem fecunditatem conjungitur quam anima Deo? Cui quanto fixius inhæserit, tanto est incorruptior. Inhæret autem charitate. Recte igitur fornicationi opponitur charitas, in qua sola est custodia castitatis. Immunditiæ autem sunt omnes perturbationes de illa fornicatione conceptæ, quibus gaudium tranquillitatis opponitur. Idolorum autem servitus, ultima fornicatio est animæ, propter quam etiam bellum adversus Evangelium cum reconciliatis Deo furiosissimum gestum est, cujus reliquiæ quamvis tritæ diu, adhuc tamen recalent. Huic itaque pax contraria est, qua reconciliamur Deo, eademque pace etiam cum hominibus custodita, veneficiorum, inimicitiarum, contentionum, æmulationum, animositatum, dissensionumque vitia sanantur in nobis : ut autem in aliis, inter quos vivimus, justa moderatione tractentur, et ad sustinendum longanimitas, et ad curandum benignitas, et ad ignoscendum bonitas militat. Jam vero hæresibus fides, invidiæ mansuetudo, ebrietatibus et comessationibus continentia reluctatur.

52. Ne quis sane arbitretur hoc esse invidiam quod est æmulatio : vicina enim sunt, et propter ipsam vicinitatem plerumque utrumlibet horum pro altero, vel æmulatio pro invidia, vel invidia pro æmulatione ponitur. Sed quia utrumque hic locis suis dictum est, utique distinctionem de nobis flagitant. Nam æmulatio est dolor animi, cum alius pervenit ad rem quam duo pluresve appetebant, et nisi ab uno haberi non potest. Istam sanat pax, qua id appetimus, quod omnes qui appetunt, si assequantur, unum in eo fiunt. Invidia vero dolor animi est, cum indignus videtur aliquis assequi, etiam quod tu non appetebas. Hanc sanat mansuetudo, cum quisque ad judicium Dei revocans [1], non resistit voluntati ejus, et magis ei credit recte factum esse, quam sibi quod putabat indignum.

53. [Ib. v, 24.] *Crucifixerunt autem carnem suam cum passionibus et concupiscentiis*, sicut consequenter dicit, *qui sunt in Christo Jesu.* Unde autem crucifixerunt, nisi timore illo casto permanente in sæculum sæculi (*Psal.* XVIII, 10), quo cavemus offendere illum quem toto corde, tota anima, tota mente diligimus? Non enim hoc timore timet adultera, ne custodiatur a viro, quo timet casta ne deseratur : illi enim tristis est præsentia viri, huic absentia. Et ideo timor ille corruptus est, et transire non vult hoc sæculum : iste autem castus permanet in sæculum sæculi. De quo timore crucifigi optat propheta, cum dicit : *Confige clavis a timore tuo carnes meas* (*Psal.* CXVIII, 120). Ista crux est de qua Dominus dicit. *Tolle crucem tuam, et sequere me* (*Matth.* XVI, 24).

54. [Ib. v, 25.] *Si spiritu*, inquit, *vivimus*, *spiritu et sectemur.* Manifestum est certe secundum id nos vivere quod sectati fuerimus; sectabimur autem quod dilexerimus. Itaque si ex adverso existant duo, præceptum justitiæ, et consuetudo carnalis, et utrumque diligitur, id sectabimur quod amplius dilexerimus : si tantumdem utrumque diligitur, nihil horum sectabimur; sed aut timore, aut inviti trahemur in alterutram partem; aut si utrumque æqualiter etiam timemus, in periculo sine dubio remanebimus, fluctu dilectionis et timoris alternante quassati. Sed pax Christi vincat in cordibus nostris (*Coloss.* III, 15). Tunc enim orationes et gemitus, et in auxilium invocata dextera misericordiæ Dei, sacrificium contribulati cordis non despicit, charitatemque sui ampliorem commendatione periculi, de quo liberavit, exsuscitat. In eo au-

[1] Tres Mss., *in qua Dominus mortalitatem carnis.*

[1] Tres Mss., *se revocans.*

tem illi fallebantur, quod negare quidem non poterant, sectandum sibi esse Spiritum sanctum, assertorem ac ducem libertatis suæ; sed ad opera servilia carnaliter conversi, retrorsum se conari non intelligebant. Propterea non ait, *Si spiritu vivimus*, spiritum sectemur; sed, *spiritu sectemur*, inquit. Fatebantur enim Spiritui sancto servire oportere: et eum non spiritu suo, sed carne volebant sectari; non spiritualiter obtinentes gratiam Dei, sed in circumcisione carnali et cæteris hujusmodi spem constituentes salutis.

55. [Ib. v, 26.] *Non efficiamur*, inquit, *inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes, et invicem provocantes.* Prorsus magnifice et omnino divino ordine, posteaquam eos instruxit adversus illos a quibus in servitutem Legis seducebantur, hoc in eis cavet, ne instructiores facti, et volentes jam calumniis carnalium respondere, contentionibus studeant, et appetitu inanis gloriæ, Legis oneribus non servientes, vanis cupiditatibus serviant.

56. [Ib. vi, 1.] Nihil autem sic probat spiritualem virum, quam peccati alieni tractatio, cum liberationem ejus potius quam insultationem, potiusque auxilia quam convicia meditatur, et quantum facultas tribuitur suscipit. Et ideo dicit: *Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi.* Deinde ne sibi quisque videatur instruere, etiam cum proterve exagitat irridetque peccantem, aut superbe tanquam insanabilem detestatur, *in spiritu*, inquit, *mansuetudinis*, *intendens teipsum, ne et tu tenteris.* Nihil enim ad misericordiam sic inclinat, quam proprii periculi cogitatio. Ita eos nec deesse voluit fratrum correptioni, nec studere certamini. Multi enim homines cum a somno excitantur, litigare volunt; aut rursus dormire, cum litigare prohibentur. Pax igitur et dilectio, communis periculi cogitatione, in corde serventur [1]: modus autem sermonis, sive acrius, sive blandius proferatur, sicut salus ejus quem corrigis postulare videtur, moderandus est. Nam et alio loco dicit: *Servum autem Domini litigare non oportet; sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem.* Et ne quisquam ex eo putet cessandum sibi esse a correptione erroris alterius, vide quid adjungat: *In modestia*, inquit, *corripientem diversa sentientes* (II *Tim.* II, 24-25). Quomodo *in modestia*, quomodo *corripientem*, nisi cum lenitatem corde retinemus, et aliquam medicamenti acrimoniam verbo correptionis aspergimus? Nec aliter accipiendum video quod in eadem Epistola positum est: *Prædica verbum, insta opportune, importune; argue, hortare, increpa in omni longanimitate et doctrina* (*Id.* IV, 2). Importunitas enim opportunitati utique contraria est: neque omnino ullum medicamentum sanat, nisi quod opportune adhibueris. Quanquam ergo et sic possit distingui, *Insta opportune*, ut alius sit sensus, *Importune argue*, deinde cætera contexantur, *Hortare, increpa cum omni longanimitate et doctrina:* ut tunc opportunus sentiaris, cum instas ædificando; cum autem destruis arguendo, non cures etiamsi importunus videaris, si hoc est talibus importunum: ita duo quæ sequuntur, ad duo superiora possunt singillatim referri, *Hortare* cum *opportune* instas, *increpa* cum *importune* arguis; deinde cætera duo similiter, sed converso ordine, referuntur, *Cum omni longanimitate*, ad sustinendas indignationes eorum quos destruis; *et doctrina*, ad instruenda eorum studia quos ædificas: tamen etiamsi illo usitatiore modo distinguatur, *Insta opportune;* quod si hoc modo non proficis, *importune:* ita intelligendum est, ut tu opportunitatem omnino non deseras, et sic accipias quod dictum est, *importune*, ut illi videaris importunus, qui non libenter audit quæ dicuntur in eum; tu tamen scias hoc illi esse opportunum, et dilectionem curamque sanitatis ejus animo teneas mansueto, et modesto, et fraterno. Multi enim postea cogitantes quæ audierint, et quam justa audierint, ipsi se gravius et severius arguerunt; et quamvis perturbatiores a medico viderentur abscedere, paulatim verbi vigore in medullas penetrante, sanati sunt: quod non fieret, si semper exspectaremus periclitantem putrescentibus membris, quando eum liberet aut uri aut secari. Quod nec ipsi corporis medici attendunt, qui terrenæ mercedis intuitu curant. Quotus enim quisque reperitur, qui ferrum eorum aut ignem non ligatus expertus sit? cum et illi rariores sint qui volentes ligati fuerint. Plures enim resistentes, et mori se malle clamantes, quam illo curari modo, vix lingua ipsa eorum relicta libera omnibus membris constrinxerunt; neque ad suum, neque ad reluctantis, sed ad ipsius artis arbitrium: quorum tamen vocibus conviciisque dolentium nec commovetur curantis animus, nec quiescit manus. Medicinæ autem cœlestis ministri, aut per odiorum trabem cernere stipulam in oculo fratris volunt (*Matth.* VII, 3), aut tolerabilius mortem videre peccantis, quam verbum indignantis audire: quod non ita accidisset, si tam sanum animum curando alterius animo adhiberemus, quam sanis manibus illi medici aliena membra pertractant.

57. Nunquam itaque alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquido nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere. Quod si convicium, vel minæ, vel etiam persecutiones ejus quem argueris, laceraverint animum; si adhuc ille per te sanari posse videbitur, nihil respondeas donec saneris prior: ne forte carnalibus motibus tuis ad nocendum consentias, et exhibeas linguam tuam arma iniquitatis peccato (*Rom.* VI, 13) ad reddendum malum pro malo, aut maledictum pro maledicto (I *Petr.* III, 9). Quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis. Dilige, et dic quod voles: nullo modo maledictum erit quod specie maledicti sonuerit, si memineris senserisque te in gladio verbi Dei, liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. Quod si forte, ut plerumque accidit, dilectione quidem talem

[1] Am. Er., *et communis periculi cogitatio in corde reservetur.* Sic etiam Mss. uno tantum excepto.

suscipis actionem, et ad eam corde dilectionis accedis, sed inter agendum subrepserit aliquid, dum tibi resistitur, quod te auferat ab hominis vitio percutiendo, et ipsi homini faciat infestum; postea te lacrymis lavantem hujusmodi pulverem, multo salubrius meminisse oportebit, quam non debeamus super aliorum superbire peccata, quando in ipsa eorum objurgatione peccamus, cum facilius nos ira peccantis iratos, quam miseria misericordes facit.

58 [Ib. VI, 2.] *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis Legem Christi:* Legem utique charitatis. Si autem implet Legem qui diligit proximum, dilectioque proximi etiam in veteribus Scripturis maxime commendatur (*Levit.* XIX, 18); in qua dilectione dicit alio loco idem apostolus, recapitulari omnia mandata Legis (*Rom.* XIII, 8, 9): manifestum est etiam illam Scripturam, quæ priori populo data est, Legem Christi esse, quam venit implere charitate (*Matth.* V, 17), quæ non implebatur timore. Eadem igitur Scriptura et idem mandatum, cum bonis terrenis inhiantes premit servos, Testamentum Vetus; cum in bona æterna flagrantes erigit liberos, Testamentum Novum vocatur.

59. [Ib. VI, 3-5.] *Si enim aliquis*, inquit, *videtur esse aliquid, cum nihil sit, seipsum seducit.* Non enim eum seducunt laudatores ejus, sed ipse potius; quia cum sibi sit ipse præsentior quam illi, mavult se in illis quærere, quam in seipso. Sed quid dicit Apostolus? *Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in seipso tantum gloriam habebit, et non in altero*, id est, intus in conscientia sua: *et non in altero*, id est, cum eum alter laudat. *Unusquisque enim*, inquit, *proprium onus portabit.* Non ergo laudatores nostri minuunt onera conscientiæ nostræ: atque utinam non etiam accumulent, cum plerumque ne illis offensis laus nostra minuatur, aut objurgatione illos curare negligimus, aut jactanter eis aliquid nostrum ostentamus, potius quam constanter ostendimus. Omitto ea quæ fingunt et mentiuntur de se homines propter hominum laudes. Quid enim ista cæcitate tenebrosius, ad obtinendam inanissimam gloriam errorem hominis aucupari, et Deum testem in corde contemnere? Quasi vero ullo modo comparandus sit error illius qui te bonum putat, errori tuo qui homini de falso bono placere studes, de vero malo displices Deo.

60. [Ib. VI, 6.] Jam cætera planissima esse existimo. Nam et illud usitatum præceptum est, ut prædicatori verbi Dei præbeat necessaria, cui prædicatur. Ad bona enim opera hortandi erant, ut etiam egenti Christo ministrarent, staturi ad dexteram cum agnis; ut plus in eis operaretur dilectio fidei, quam Legis posset timor. Neque hoc quisquam majore fiducia debet præcipere, quam hic apostolus, qui manibus suis victum transigens (*Act.* XVIII, 3; XX, 34; I *Cor.* IV, 12; I *Thess.* II, 9; II *Thess.* III, 8), hæc in se nolebat fieri, ut majore pondere, propter eorum magis utilitatem qui hæc exhiberent, quam propter eorum quibus exhiberent ea, se monere omnibus demonstraret.

61. [Ib. VI, 7-10.] Quod autem deinde subjungit, *Nolite errare, Deus non subsannatur: quod enim seminaverit homo, hoc et metet;* novit inter quæ verba perditorum hominum laborent, qui constituuntur in fide rerum earum quas non vident. Vident enim seminationem operum suorum, sed messem non vident. Nec talis eis messis promittitur, qualis hic reddi solet; quia justus ex fide vivit (*Habac.* II, 4). *Quia qui seminaverit*, inquit, *in carne sua, ex carne metet corruptionem.* Hoc dicit de amatoribus voluptatum magis quam Dei. In carne enim sua seminat, qui omnia quæ facit, etiamsi bona videantur, propterea tamen facit, ut carnaliter ei bene sit. *Qui autem seminaverit in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Seminatio in spiritu est, ex fide cum charitate servire justitiæ, et non obaudire desideriis peccati, quamvis de mortali carne existentibus. Messis autem vitæ æternæ cum inimica novissima destruetur mors, et absorbebitur mortale a vita, et corruptibile hoc induet incorruptionem. In hoc ergo tertio gradu, quo sub gratia sumus, seminamus in lacrymis, cum existunt desideria de animali corpore; quibus non consentiendo renitimur, ut in gaudio metamus, cum etiam reformato corpore, ex nulla parte hominis, ulla nos sollicitabit molestia ullumve tentationis periculum. Nam etiam ipsum animale corpus deputatur in semine. *Seminatur* enim *corpus animale*, ait alio loco; ut ad messem pertineat quod adjunxit, *surget corpus spirituale* (I *Cor.* XV, 26, 44). Huic ergo sententiæ propheta concinit, dicens, *Qui seminat in lacrymis, in gaudio metet* (*Psal.* CXXV, 5). Bene autem seminare, id est, bene operari, facilius est, quam in eo perseverare. Fructus enim solet laborem consolari: messis autem nostra in fine promittitur; et ideo perseverantia opus est. *Qui* enim *perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22): et propheta clamat, *Sustine Dominum, viriliter age; et confortetur cor tuum, et sustine Dominum* (*Psal.* XXVI, 14). Quod nunc Apostolus ait, *Bonum autem facientes*, inquit, *non infirmemur: proprio enim tempore metemus infatigabiles. Itaque dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.* Quos eum credendum est, nisi Christianos significare? Omnibus enim pari dilectione vita æterna optanda est; sed non omnibus eadem possunt exhiberi dilectionis officia.

62. [Ib. VI, 11-14.] Deinde cum docuisset, opera ipsa Legis, quæ sunt salubria et ad bonos mores pertinent, dilectione fidei posse tantummodo impleri, non timore servili; redit ad illud unde tota causa agitur: *Vidistis*, inquit, *qualibus litteris vobis scripsi manu mea.* Cavet ne quisquam sub nomine Epistolæ ejus fallat incautos. *Qui volunt*, inquit, *placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut in cruce Christi persecutionem non patiantur.* Multum enim persequebantur Judæi eos qui videbantur deserere traditas hujusmodi observationes: quos ipse quam non timeat satis ostendit, cum tales litteras etiam sua manu scribere voluit. Docet ergo timorem adhuc in istis operari, tanquam sub Lege constitutis, qui ad circumcisionem Gentes cogerent. *Neque enim qui circumcisi sunt, hi Legem*

custodiunt. Illam enim dicit custoditionem Legis, non occidere, non mœchari, non falsum testimonium dicere; et si qua hujusmodi ad bonos mores pertinere manifestum est : quæ nisi charitate et spe bonorum æternorum, quæ per fidem accipiuntur, impleri non posse jam dictum est. *Sed volunt vos circumcidi*, inquit, *ut in vestra glorientur carne :* id est, ut non solum non patiantur persecutionem a Judæis, qui nullo modo ferebant incircumcisis Legem prodi, sed etiam glorientur apud eos, quod tam multos proselytos faciunt. Ut enim unum proselytum Judæi facerent, mare et terram eos circuire solere, Dominus dixit (*Matth.* XXIII, 15). *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Mundus mihi crucifixus est*, ait, ut me non teneat; *et ego mundo*, ut eum non teneam ; id est, ut neque mundus mihi nocere possit, neque ego de mundo aliquid cupiam. Qui autem in cruce Christi gloriatur, non vult placere in carne; quia persecutiones carnalium non timet, quas prior ut crucifigeretur ille sustinuit, ut vestigia sua sectantibus præberet exemplum.

63. [Ib. VI, 15, 16.] *Neque enim circumcisio aliquid est, neque præputium.* Servat usque in finem illam indifferentiam, ne quis eum putaret vel in Timothei circumcisione simulate aliquid egisse, vel in cujusquam agere, si forte aliqua talis causa extitisset. Ostendit enim non ipsam circumcisionem obesse aliquid credentibus, sed spem salutis in talibus observationibus constitutam. Nam et in Actibus Apostolorum hoc modo inveniuntur illi circumcisionem persuadere, ut aliter eos qui ex Gentibus crediderant, salvos fieri negent posse (*Act.* XV, 1). Non ergo ipsius operis, sed hujus erroris perniciem refellit Apostolus. *Neque circumcisio* ergo, *aliquid est, neque præputium, sed nova*, inquit, *creatura* Novam creaturam dicit vitam novam per fidem Jesu Christi : et notandum verbum est. Difficile enim inveneris creaturam vocari etiam eos, qui jam credendo in adoptionem filiorum venerunt. Dicit tamen et alio loco : *Si qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, ecce facta sunt omnia nova : omnia autem ex Deo* (II *Cor.* v, 17 *et* 18). Ubi autem dicit, *Et ipsa creatura liberabitur a servitute interitus ;* et postea dicit, *Non solum autem, sed et nos ipsi primitias Spiritus habentes* (*Rom.* VIII, 21, 23) : discernit eos qui crediderunt ab appellatione creaturæ quomodo eosdem aliquando homines, aliquando non homines dicit. Nam exprobrans objecit Corinthiis quodam loco, quod adhuc homines essent, ubi ait : *Nonne homines estis, et secundum hominem ambulatis* (I *Cor.* III, 3, 4)? Quomodo eumdem Dominum etiam post resurrectionem, alicubi non hominem appellat, sicut in principio hujus Epistolæ, cum ait, *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum* (*Galat.* I, 1); alicubi autem hominem, sicut illo loco ubi ait, *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5). *Et quicumque*, inquit, *hanc regulam sectantur, pax super illos et misericordia, et super Israel Dei :* id est, eos qui vere ad visionem Dei præparantur, non qui vocantur hoc nomine, et carnali cæcitate videre Dominum nolunt, quando gratiam ejus respuentes servi esse temporum cupiunt.

64. [Ib. VI, 17.] *De cætero*, inquit, *laborem nemo mihi præstet.* Non vult per turbulentas contentiones tædium sibi fieri de re, quantum satis erat, exposita, et in Epistola quam ad Romanos scripsit, et hac ipsa. *Ego enim stigmata Domini Jesu Christi in corpore meo porto :* id est, habeo alios conflictus et certamina cum carne mea, quæ in persecutionibus quas patior, mecum dimicant. Stigmata enim dicuntur notæ quædam pœnarum servilium : ut si quis, verbi gratia, servus in compedibus fuerit propter noxam, id est propter culpam, vel hujusmodi aliquid passus fuerit, stigmata habere dicatur; et ideo in jure manumissionis, inferioris est ordinis. Nunc ergo Apostolus stigmata voluit appellare, quasi notas pœnarum de persecutionibus quas patiebatur. Propter culpam enim persecutionis qua persecutus erat Ecclesias Christi, hæc sibi retribui cognoverat : sicut ab ipso Domino dictum est Ananiæ, cum idem illum Ananias tanquam persecutorem Christianorum formidaret, *Ego illi ostendam*, inquit, *quæ oporteat eum pati pro nomine meo* (*Act.* IX, 16). Verumtamen propter remissionem peccatorum, in qua baptizatus erat, omnes illæ tribulationes non ei valebant ad perniciem, sed ad coronam victoriæ proficiebant.

65. [Ib. VI, 18.] Conclusio Epistolæ tanquam subscriptio manifesta est; nam et in nonnullis aliis Epistolis ea utitur : *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.*



Appendix tertii tomi

OPERUM S. AUGUSTINI

COMPLECTENS ALIQUOT IN SCRIPTURAM TRACTATUS IPSI OLIM FALSO ADSCRIPTOS,

NIMIRUM :

DE MIRABILIBUS S. SCRIPTURÆ, LIBROS TRES.

DE BENEDICTIONIBUS PATRIARCHÆ JACOB.

QUÆSTIONES VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, olim in IV tomo exhibitas.

IN APOCALYPSIM JOANNIS EXPOSITIONEM, olim in IX tomo.

Alia quædam opuscula in tertii tomi Appendice antehac contenta, cum ad sacram Scripturam non pertineant, in alios tomos retulimus, scilicet : de Ecclesiasticis Dogmatibus, de Fide ad Petrum, de Spiritu et Anima, Quæstiunculas de Trinitate, in VIII tomum; et sententias Prosperi, in IX tomum.

ADMONITIO

IN PROXIME SUBJECTUM OPUSCULUM.

Hoc opusculum nec stilo, nec ingenio refert S. Augustinum, judicio Erasmi et Lovaniensium Theologorum. Id quod jam olim intellexerat S. Thomas, qui in parte 3, q. 45, a. 3, non vult hosce libros auctoritate pollere, falsoque adscribi Augustino dicit. In Mss. et superioribus editionibus, si tamen Erasmianam exceperis, præmittitur præfatio epistolari forma, e qua vel sola constare potest librorum istorum auctorem non esse Augustinum Hipponensem, sed alium quemdam cognominem, qui cum hic episcopis et presbyteris, maxime Carthaginensium, dedicet id operis; inferius tamen videtur se gente Anglum, sive Hibernum indicare, in lib. 1, cap. 7 : ubi quidpiam obiter observans de insulis, Hiberniam ex omnibus unam nominat; pauloque post æstum maris Ledonem ac Malinam appellat, verbis apud Anglos vicinosque accolas Britannici maris, præsertim ævo Bedæ, usu receptis. Tum in lib. 2, cap. 4, Manichæum quemdam Hiberniensium mortuum notat : quo insuper loco de cyclis disserens, ostendit liquido se post 660 Christi annum scripsisse hos libros; quos ab ipso non Carthaginensium, sed Cantuariensium, vel Cambrensium (si tamen vox jam in usu erat), vel Kilkennensium, etc., monasteriorum presbyteris nuncupatos fuisse suspicamur.

DE MIRABILIBUS SACRÆ SCRIPTURÆ

LIBRI TRES.

Venerandissimis urbium et monasteriorum Episcopis et Presbyteris, maxime Carthaginensium (a), AUGUSTINUS per omnia subjectus, optabilem in Christo salutem.

Beatissimi, dum adhuc viveret, Patris mei Eusebii ad hoc opus præcepto constrictus, adhortantibus etiam vobis Christianis, vel maxime venerandissimo magistro imperii auctoritate compellente, tres de Mirabilibus sanctæ Scripturæ Veteris ac Novi Testamenti libros, historica expositione, quanta potui brevitate, Domino annuente, composui : in quibus arrepti operis audacia jubentium auctoritate excusabitur. Me etenim quamvis illis quæ dicebantur imparem esse conspexeram, præcipientium tamen imperiis cedere, et in aliam partem declinare non audebam; certissime sciens quod major vindicta jussionum refugam inobedientem consequitur, quam præcepto obtemperantem cuicumque imperato imparem operi vituperantium accusatio comitatur. Plus namque periculi fugiens Jonas propheta in marinis fluctibus reperit (*Jonæ*, II, 1), quam accusationis, si quod jubebatur impleret, in sermonibus populi sui pateretur, quod metuit. Propheta quoque altaris Bethel, quoniam laboriosi itineris famem et sitim, ut sibi jussum fuerat, non perpetravit, inobedientiæ vindicta mortem ipsam paulo

(a) Fortasse, *Cantuariensium*.

post in via saturatus invenit (III *Reg.* XIII). Jeremias vero adhuc puer, nec litterarum doctrinam, nec virilis prudentiæ vigorem (quando a Domino missus est prophetare) habuit : sed quod præcepto obediverat, scientiam quam non habuerat, accipere promeruit (*Jerem.* I, 4-9). Unde ergo non meæ exiguæ facultatis penuriam, sed præcipientium providam aspicio auctoritatem. Quoniam si in me igniculum aliquem lucis non crederetis, nullo modo mihi tam præcipui operis ingeniosum laborem injungeretis. In his voluminibus talis dispositionis ratio intenditur, ut primus de Moysi Pentateucho, secundus de Prophetis (*a*), tertius de Novo Testamento prænotetur. Cuncti vero laboris hoc magnopere intentio procurat, ut in omnibus rebus, in quibus extra quotidianam administrationem aliquid factum videtur, non novam ibi Deum facere naturam, sed ipsam quam in principio condidit, gubernare ostendat. Præterea etiam in hoc opere curavimus, ut sepositis adhuc figurarum intellectibus, rerum tantummodo gestarum rationem et ordinem exponeremus. Quoniam in his locis de quibus historica narratione quædam tetigimus, multiplex sensuum intellectus habetur; et si de ipso per singula disputaremus, plurimos libros et longioris laborem operis legentibus præberemus. Sed hoc præcipue negligentius omittere idcirco rati sumus, quoniam quicumque auctores hæc loca explanare curaverunt, mystico allegoriarum intellectui, hoc est, figurali expositioni, quæ in his reperta est, adhæserunt. Hoc autem opus utrum intereat, an maneat, in vestro pendet arbitrio. Ab uno enim vestrum, id est, Bathano [1], post patrem Manchinanum [2] si quid intelligentiæ addidi, et ab altero, ut credo, saliva oris ejus vicem laborum causam suscepi. Ab omnibus vero legentibus generatim oratio nostra atque petitio deplorat, quatenus ea quæ dicta sunt antequam decursa intelligant, occasione aliqua non fastidiant.

(*a*) Vetus codex monasterii S. Audoeni Rotomagensis, *de Prophetiâ*.

[1] Audoenensis Ms., *Barbano*. Fortasse, *Baithano*, qui fuit Scotus episcopus, apud Bedam, lib. 2 Hist., cap. 19.

[2] Aud. Ms. *Manchianum*.

LIBER PRIMUS.

De Moysi Pentateucho.

CAPUT PRIMUM. — *De Deo Creatore et constitutione creaturarum.*

Cum omnipotentis Dei auxilio de mirabilibus rerum cupimus tractare sermonem, unde repetendum aptius et sumendum videtur exordium, quam ab ipso rerum omnium Creatore, de quo sæpe Scriptura attestatur dicens : *Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia, quorum non est numerus* (*Job.* IX, 10). Quorum omnium mirabilium velut principale quoddam fundamentum instituit, quando omnes quas condidit creaturas, ex nihilo fecit. Æternus ergo et omnipotens Creator rerum, trinus et individuus semper manens, sine ullo potentiæ suæ detrimento, solus sine tempore cunctas præcessit creaturas : ac deinde ut immensam bonitatem ac potentiam et benevolentiam, quas in se solo prius habuit, etiam per creaturas ostenderet ; ex informi materia, quam ipse prius ex nihilo condidit, cunctarum visibilium et invisibilium rerum, hoc est, sensibilium et insensibilium, intellectualium et intellectu carentium, species multiformes divisit. Quod, ut libri Geneseos auctoritas confirmat, per sex dierum alternationem effectum fuisse monstratur; ita ut in die sexto cuncta consummasse, quæ ad institutionem et instructionem pertinent creaturæ, firmissime declaretur. Sic enim scribitur : *Et consummavit Deus omnia opera sua in die sexto, et benedixit diem septimum, quod in ipso requievit ab omnibus operibus suis* (*Gen.* II, 2). Ex quo intelligitur, Deum in die sexto omnia perfecisse, ut in die septimo non a labore, sed ab opere videatur cessasse. Sed quod Dominus Jesus Judæis de sabbati requie quærentibus respondit, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* V, 17); illum quidem die sexto cuncta perfecisse et in septimo requievisse credimus, et usque modo operari non dubitamus. Sed quemadmodum tunc consummasse, et nunc operari idem Deus intelligitur, subtilius investigatur. In die enim sexto creaturæ, naturas perfecit, quas gubernare etiam nunc non desinit. Et in die septimo requievit ab opere creationis, qui nunquam cessat a gubernationis regimine. Tunc ergo creator, nunc gubernator Deus intelligendus est : ac per hoc etiamsi novi aliquid in creaturis exoriri videamus, non creare ibi novam naturam, sed gubernare olim creatam Deus putandus est. Sed ita potens est in gubernatione creaturæ qui condidit, ut veluti naturam novam creare videatur, cum ab abditis naturæ sinibus, quod in illa latebat, depromit. Illa igitur inusitata gubernatione, cum res per voluntatem potentiam gubernatoris ostendunt, quod per efficaciam quotidianæ administrationis non faciunt, in Scripturis mirabilia memorantur. Sed dum de his mirabilibus latius postmodum, quando ad eorum loca venerimus, disseremus; hoc fixum interim permaneat, quod consummatis naturarum creationibus, in die septimo Deus ab opere suo requievit, et nunc postmodum per omne tempus a creaturæ totius gubernatione non cessat. Sed quamvis per sex dierum alternationem omnis instituta fuisse creatura perhibetur; non tamen hæc dierum alternatio per spatium temporis intelligitur : sed in his operum vicissitudo declaratur. Post namque historiæ narrator divisit in sermone, quod Deus non divisit in operis perfectione. Simul enim cuncta quæ condidit, Deus creavit (*Eccli.* XVIII, 1), dum una voluntate multiplicem omnium specierum varietatem fieri disposuit, in qua voluntate una omnia simul sine tempore esse fecit, quæ ab ipso ortu suo per tempus dispensare non desinit.

CAPUT II. — *De rationabilium naturarum dissimili peccato.*

In hac ergo rerum omnium conditione primo spiritualis creatura invisibilis originaliter processit. Et deinde ne quod interius erat, hoc exterius non esset in Dei operibus, etiam corporalis et visibilis creatura fieri cœpit : in qua utique principali rerum universarum generalique divisione, duas rationales, unam in spirituali, alteram in corporali instituit creator naturas, Angelorum videlicet et hominum, quibus, prout naturarum differentia expetit, etiam habitationum loca distinxit. Cœlum namque Angelis, terram hominibus habitandam præstitit. Quibus institutis, utriusque naturæ peccatum, Angelorum scilicet et hominum consequitur. Sed mandati transgressio quæ in hominibus facta erat, libri Geneseos historia narratur. Quæstionem vero non minimam intuentibus præstat, qua causa Angelorum delictum Scripturæ testimoniis, qualiter factum est, reticetur. Quamvis namque sub persona Babylonici regis illius angelicæ ruinæ verba per prophetam declarentur, dicentem : *Sedebo in monte Testamenti, in lateribus aquilonis : ascendam super altitudinem nubium, et ædificabo thronum meum ad aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 13, 14) ; hæc de rege Babylonis historica expositione facillime possunt intelligi, nisi forte figurali expositione de corpore ad caput verba per allegoriam transferantur-

tur. Unde loco assumpta quæstio in hoc loco non dissolvitur, dum historialiter in ipso Evangelio causa ruinæ et sententia et vindicta non manifestatur. Nisi forte, ut cæteri existimant, originale illius peccatum in seductione hominis per serpentem esse aliquis dicat; per quam et sententiam animadversionis acceperat, dicente Domino, *Maledictus tu inter omnia animantia et bestias terræ; super pectus tuum gradieris, et terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ* (*Gen.* III, 14); sed absit hoc, ut sentiamus angelum posse suadere homini peccatum in terra, nisi prius ipse peccaret in cœlo, dicente Domino, *Vidi satanam sicut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X, 18); unde enim potuisset et ipse invidere felicitati humanæ, nisi prius amisisset beatitudinem propriam? Non solum ergo peccatum hominis præcessisse diabolica ruina credenda est, sed etiam perfectionem illam creaturarum quæ in die sexta facta est; de damnandis in novissimo die Domino pronuntiante, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Quando ergo præparatus est ille ignis, nisi in perfectione creaturarum omnium? Nisi forte dicamus post sexti diei perfectionem Deum aliquid creasse: quod absit, ne mendacem Scripturam, imo nosmetipsos faciamus. Cui ergo carcer in illa creaturarum conditione præparatus est, illius peccatum originaliter illas creaturas præcessit. Quoniam, ut Scriptura inquit, *Ipse ab initio mendax est, et in veritate non stetit* (*Joan.* VIII, 44). Restat ergo ut ruina angelica, qua causa a Domino tacita est, exponamus, dum illum creaturarum Dei principium angelum cecidisse non ambigamus. Angelicum vero vulnus verus medicus qualiter factum sit, indicare noluit, dum illud postea curare non destinavit. Et qualiter sit ejectus per sententiam vindictæ, reticuit, quem per pœnitentiam nullo modo revocavit. Peccatum vero hominis quomodo factum fuerit, profertur: ipsum namque quandoque promereri veniam non desperatur. Et qualiter ejectus sit homo, indicare Deus maluit, quem ad statum pristinum in novissimo iterum revocavit. Et quomodo animadversionis sententiam accepit, non occultavit, a quo aliquando per clementiæ suæ veniam satisfactionem accipere non recusavit. Hanc ergo differentiam in hominibus et Angelis Apostolus considerans ait: *Non enim Angelos, sed Abrahæ semen apprehendit Deus* (*Hebr.* II, 16). Cum enim Creator clemens et misericors in summa illa et incommutabili Dei Patris manens substantia, in servi formam semetipsum exinanire voluit (*Philipp.* II, 7), non angelicam naturam, sed humanam apprehendit. Sed et in hoc quæstio nascitur: cum Deus angelis peccantibus non pepercit, et tamen peccanti homini per assumptionem humanæ carnis veniam relaxavit; quare ergo inveniabili vindicta summus angelus est percussus, cum peccans et mandatum sui Conditoris homo transgrediens, veniabiliter postmodum ad pœnitentiam revocatus sit, Joanne, et Domino, et Petro clamantibus: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum* (*Luc.* III, 3; *Matth.* IV, 17; *Act.* II, 38)? Angelus ergo in summo honoris sui ordine constitutus, immutationem ad excellentiorem statum non habuit, nisi per contemplationem sui Creatoris confirmatus, in eo statu permaneret ubi conditus fuit: et idcirco prolapsus iterum revocari minime potuit, qui de sublimissimo sui ordinis statu proruit. Homo vero adhuc in terra positus, generandi officio destinatus, ciborumque esui deputatus, immutationem in sublimiorem et meliorem spiritualemque vitam sine morte reciperet, si quamdiu in hac conversatione positus esset, in mandati custodia permaneret. Hunc, antequam ad statum veniret sublimiorem, delictum præripuit: et ideo de inferiori illo suo ordine, id est, immortalitate sui corporis confestim ruit, dicente Domino, *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Clementia ergo Conditoris homo ad illam beatitudinem, ad quam peccans adhuc non pervenit, per passionem Domini revocatur; qui si inde cecidisset sicut angelus, nunquam iterum revocaretur: quoniam ad illum ordinem, id est, immortalitatem sui corporis nunquam iterum pervenit, nisi peracta omnium morte, illa beatitudo ad quam revocamur, per resurrectionem restauretur. Non ad illum tamen ordinem aut ad statum unde primus homo ceciderat, sed ad alium sublimiorem, quem speravit, restitutio fiet, dicente Domino, *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo* (*Matth.* XXII, 30). Præterea quoque ad cumulum diabolici peccati illud accidit, quod statim postquam peccavit, foveam desperationis incurrit. Si enim de suo delicto habere veniam non desperasset, nunquam consentienti sibi homini damnum salutis suæ procuraret. Qui enim de priori peccato habere veniam desiderat, nullo modo aliud augmentare præparat. Per hanc ergo non solum sibimetipsi foveam perditionis invenit, sed etiam per se peccanti homini causa perditionis exstitit. Hoc autem ad levandum hominis delictum occurrit, quod non solum per semeptipsum mandati transgressionem non reperit, sed serpentinæ suasioni consensit; verum etiam aliam creaturam rationabilem in Dei offensam non induxit: ac per hoc facilius pœnitentiæ januam adinvenit apertam; quam qui non ingressus fuerit, damno perpetuæ vitæ subjacebit. Qui vero per pœnitentiam peccata diluerit, angelicæ felicitatis consors in æternum erit.

CAPUT III. — *De Abel et Enoch primatum tenentibus in hominum justitia.*

Ut autem ab ipso humani generis post peccatum originale primordio homines quandoque promereri veniam Deus ostenderet, paucos homines elegit, quibus notitiam suæ amicitiæ demonstraret: quos processu temporis paulatim plures usque ad suæ præsentiæ visitaret adventum, quousque in adventu suo omne genus humanum per totum orbem illuminaret. Ex quibus paucis primus Abel totius humanæ justitiæ princeps, et secundus post eum Enoch, insignissimus ante diluvium eligitur, quibus summa justitiæ in initio ipso mundi et fine committitur. Unus enim statim in justitiæ suæ initio, in ipso etiam mundi principio sanguinis sui tripudio coronatus, martyrio arripitur (*Gen.* IV, 8). Alter adhuc sine morte (*Id.* V, 24), in testimonium novissimi temporis reservatur. Sed huic Abel Dominus Jesus Christus primatum justitiæ hominum commisit, ita inquiens, *A sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ* (*Matth.* XXIII, 35). In eo enim quod dicit, *A sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ*, et non addidit, *justi;* hæreditatem justitiæ Abel tenere Zachariam ostendit. Sicut etiam in genealogia Salvatoris scribitur, *Jesse autem genuit David regem, David autem rex genuit Salomonem* (*Id.* I, 5, 6), cui non additur, regem, cum Salomon patris regno teneret majus imperium. Sed ex hoc intelligitur patris sui David regnum Salomon hæreditario jure possidere, et ad David honorem regni plus pertinere, quod primus ex illa generatione regnum obtinuit; sicut et Abel in justitia hominum primatum tenuit, eo quod primus in terra justus fieri cœpit. Unde quasi hæreditario jure patrum succedunt, sic omnes justi vestigia Abel in cunctis justitiæ partibus capiunt. Sed ista investigatione recte incitatus aliquis fortasse interrogabit; Cur ergo, inquiens, dum Abel justitiæ primatum tenuit, non hunc Deus sine morte ad testimonium novissimi temporis reservavit, ut in mundi fine ipse doctor existeret veritatis, qui in principio erat auctor perfecti operis? Attamen huic responsioni congrue obviare poterit, qui justitiam in tribus partibus constare novit. Tota enim justitia hæc est, virginitas, sacerdotium, et martyrium. Quæ triplex justitia in Abel primo fuit, qui et munera Deo placita obtulit, prosapiam generis in sæculo non reliquit, et martyrii coronam sanguinis effusione promeruit. Si ergo longiori tempore, ut Enoch, Abel maneret; sine ulla dubitatione conjugium iniret. Quippe qui in tempore illius legis vive-

ret, quæ dixit, *Crescite, et multiplicamini, et implete terram* (*Gen.* I, 28). Et si illud mandatum expleret, pro certo nequaquam virgo esset. Et si illum Deus sine morte servaret, martyrii primatum nequaquam acciperet. Recte ergo competebat, ut qui primus in terra justus eligitur, in eo totius justitiæ forma servaretur, cuique primo in hominibus post delictum gestare figuram conceditur Salvatoris, qui virgo, et sacerdos, et martyr esse videtur. Enoch vero sine morte, per totius pene sæculi tempus remotus ab hominum conversatione custoditur, ut in eo qualiter hominum homines si non peccarent, generata prole commutarentur in vitam spiritualem sine morte, ostenderetur. Sed licet longo reservatus tempore adhuc vivat; mortis tamen debitum, quod omnes in Adam sumpsimus, vitare non poterit. Certe in hoc etiam illud occurrit, unde scribendi de mirabilibus occasio sumpta videtur, quare quasi contra naturam, ultra humani ævi metas, hujus vita tam longo admodum tempore distenditur. Attamen in hoc non nova natura uni homini gignitur: sed pristina et generalis omnium hominum gubernatur. Insitum enim omni homini in prima conditione Geneseos libri historiam considerantibus esse apparet, ut non solum longo tempore, sed etiam perpetuo viveret, nisi peccati aculeo mors naturæ metas exterminaret.

CAPUT IV. — *De eo quod terrena tantum animalia in diluvio mortificata sunt.*

Inde processu temporis, hominibus post originale peccatum per propria studia in Dei offensam procedentibus, et in oblivionem sui Conditoris decidentibus, cum per enorme peccatum, grandi corporis mole gigantes essent exorti, totius terræ facinus aquis diluere parat: et viro perfecto in genere suo reperto, Noe videlicet Lamech filio, mysterium consilii sui soli insinuat, eique arcam per longi temporis spatium fabricare commendat: ut vel ille per hoc factum morte imminente cum domo sua liberaretur, vel videntes imminens exitium pertimescentes ad delictorum pœnitudinem revocarentur (*Gen.* VI). Sed illo contumaciter et negligenter judicio contempto, ex insperato tempore Deus offensus, ad commune totius orbis excidium, aquis universa terræ spatia pariter obtexit: et exceptis quæ arca clauserat, cuncta quæ in terra tantum vivere possunt, homines et cætera animantia ab ipso cœlo aqua conducta delevit (*Id.* VII, 17-23). Sed universa quæ in aquis vivere possunt, plaga illa non tetigit; terrena tantum animalia mortificavit. Quo in loco astute quærentibus ac solutione indigens quæstio subvenit: Quamobrem terrena animalia humanæ vindictæ plus quam aquatica succumbunt, quorum nec plura peccaminum gesta subveniunt? In peccato tamen primi hominis, terra de qua gustaverat, statim male dicitur. Per divinum namque oraculum ita infertur, *Maledicta terra in opere tuo* (*Id.* III, 17), etc. Qua in re notandum, ipsa animalia quæ maledictam terram manducaverunt, expertia maledictionis esse non posse, præsertim cum terra cum suis animalibus maledicta erat. Iterum ergo alia adhuc quæstio surgit: Quare Deus etiam aquis in Adæ maledicto non maledixit? Cui facillime respondetur, quod non aquam contra interdictum Domini bibit, sed de terræ fructu homo comedit. Exceptis quoque his rationibus, aquis a maledicto Adæ Deus pepercit, quoniam per aquam diluere maledictionem illam paraverat, quod in diluvio est factum, et nunc per Baptismum indulgetur: nam in aqua et Spiritu sancto cuncta humana corporalia crimina simul et spiritualia purgantur. Aquatilia enim maledicto vindictæ non succumbunt, quia in maledictionis participatione non sunt. Ac per hoc et Dominus, cum mortis humanæ maledictum resurgendo deposuerat, non terrestrium, sed aquatilium carnem animalium comedebat, cum ad confirmationem resurrectionis coram discipulis piscis assi partem et favum mellis accipiens manducavit (*Luc.* XXIV, 42, 43).

CAPUT V. — *De animalibus quæ nec in terra tantum vivere, nec in aqua tantum possunt, quomodo diluvium evaserint.*

(*a*) De animalibus quoque quæ nec in terra tantum, nec in aqua tantum vivere possunt, quæstio vertitur, quomodo diluvium evaserunt, quales sunt lutri, vituli marini, et multa avium genera, quæ in aquis escarum suarum victum requirunt, sed in arena dormiunt, et nutriuntur, et requiescunt. Si ergo arca includerentur, sine aquarum adjumento vivere non possent: et si extra arcam remanerent, aquis universa tegentibus, ubi requiescerent quomodo haberent? De his ergo, ut supra dixi, quæstio vertitur, Utrum per virtutem suam utramvis earum naturam, donec diluvium transiret, Deus temperavit, ut aut in humore tantum, aut in arida tantum illis tunc vita esse potuerit. Sed qui Noe cum domo sua per arcam, non per virtutem servare voluerat, qualiter hoc per virtutem custodire vellet? An his alicubi scopulorum aliqua refugia esse poterant? Sed etiam illa quomodo subvenirent, dum omnes montes, quibus duodecim cubitis altior fuit, aqua tegeret (*Gen.* VII, 20)? An etiam in arcæ tecto foris requies his esse aliqua valebat, quod a trecentis cubitis longitudinis, et altitudinis triginta, et latitudinis quinquaginta cubitis in unum cubitum undique contractum, latum et stabile spatium faciebat, ut quod intus manentes, sine periculo conservaret, etiam per profundi periculum vagantibus [1] refugium foret?

CAPUT VI. — *De eruptione aquarum diluvii.*

De eruptione aquarum diluvii ita refertur: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt, et facta est pluvia quadraginta diebus et quadraginta noctibus* (*Gen.* VII, 11, 12). Postea subinfertur: *Clausi sunt fontes abyssi, et prohibitæ sunt pluviæ de cœlo* (*Id.* VIII, 2). Hujus rei difficultatem fixa sententia explanare, scientiæ nostræ parvitate prohibemur. Veruntamen in his magistrorum quid intentio potuit excogitare, indifferenti sermone proferamus, nulli ex diversis opinionibus certiorem tribuentes auctoritatem; de quibus narrationibus, de singulis electionibus arbitrium probandi seu reprobandi concedimus libertatem. Fluvii enim de fontibus utrum ante diluvium fuerunt, inquisitio profertur: de quibus nulla in principio creaturæ certa definitio, utrum facti an non facti sint ostenditur; nisi quod fons unus ascendens de terra, et divisus in quatuor capita, regiones irrigabat (*Id.* II, 6). Nisi forte de illo fonte cæteros per totum terræ spatium ubique ebullire etiam tunc aliquis dicat, propter quorum omnium singillatim assignationem originalis illius magni fontis commemoratio sufficeret. An etiam ante diluvium non erant, donec illa aquarum abundantissima eruptione universorum fontium venæ, ubi vel jam ante non fuerunt, quod etiam sæpe nunc fieri cernimus, erumperent? Attamen non de fontibus terræ, sed de fontibus abyssi dicitur, *Et rupti sunt fontes abyssi.* Sed hoc generaliter de fontibus potest sentiri. Unde enim terra potuisset habere, nisi subjacente abysso per occultos meatus fontium venas susciperet? Et idcirco abyssi fontes, etiam terræ fontes possunt nominari. Sed qui hoc ita sentiunt, quid dicent in eo quod paulo post, consummata quadraginta dierum inundatione, subinfertur: *Et clausi sunt fontes abyssi magnæ, et prohibitæ sunt pluviæ de cœlo?* Si fontes illi, qui nunc per terras fluunt, in diluvio aperti sunt, quomodo iterum clausi pronuntiantur? nisi non omnes fontes clausos esse denuntient, præter eos tantummodo, per quos exitus hujus aditus administrabatur. Verum etiam hoc pro tempore solummodo esse dictum confirmant. Fontes enim qui clausi erant, cum illa insolens eruptio prohiberetur, postea apertos fuisse sequens ratio pronuntiat, dum aquæ ibant et revertebantur (*Id.* VIII, 3). Quo enim revertebantur, nisi

[1] Ms. Aud., *navigantibus.*

(*a*) Exstat apud Alcuinum in lib. Quæstionum in Gen., quæst. 125.

unde venerant? Per fontes igitur apertos aquæ irruperant, qui post, ut cessaret eruptio, clausi erant. Sed cum iterum aqua revocaretur, etiam fontes, qui clausi fuerant, reserantur. Aquæ enim quæ clausis januis venire non poterant, quomodo retro, nisi apertis aditibus, reintrabant? De eo autem quod dicitur, *Et cataractæ cœli apertæ sunt, et facta est pluvia*, non minori diligentia indigens quæstio, diversis inquisitorum sententiis ventilata dignoscitur. Quibusdam namque placet, ut istæ cataractæ nubibus apertæ fuisse putentur, quæ sæpe cœli nomine per Scripturas divinas nuncupantur, quomodo est illud, *Et cœli dabunt imbrem, et terra dabit fructum suum* (*Jerem.* XIV, 22; *Psal.* LXXXIV, 13); et, *Panem cœli dedit eis* (*Psal.* LXXVII, 24); et, *Possint aves cœli habitare* (*Marc.* IV, 32); et, *Volucres cœli nidos habent ubi requiescunt* (*Luc.* IX, 58)? Cataractas ergo in cœlo, in nubibus videlicet factas ut pluvia veniret, illi prædicti æstimant, quemadmodum etiam nunc tale ministerium per nubes fieri totus mundus non ambigit. Sed tunc cataractas cœli apertas Scriptura sancta commemorat, quod solito plus, ingens effusio pluvialis facta erat. Cæteri vero istas cataractas in summo illo firmamento, quod ut divideret inter aquas et aquas, Deus in principio fecerat, factas prius esse dicunt: qui Deum illas aquas, quas supra firmamentum posuerat, ad tale ministerium præparasse dicunt: et in hac conditione et superioris et inferioris aquæ, sacri Baptismatis ministerium figurali expositione inspiciunt, dum per cœlestem pluviam, Spiritum sanctum; per abyssi undam, aquam Baptismatis intelligunt: ut sicut aqua superior et inferior, primæ vitæ mundi peccamina diluit: sic Spiritus sanctus et aqua, nostræ vitæ prioris delicta remittat. Sed dum in hoc opere intellectum potius rerum gestarum, quam figuralem expositionem assumpsimus, quod ad rem præsentem pertinet, prosequamur. Hi ergo qui firmamenti aquas ad diluvium venire ponunt, etiam ante diluvium pluvias in mundo fuisse non æstimant; occasione illius arcus, qui post diluvium in nubibus est constitutus, in hanc æstimationem ducti, ex ipsarum creaturarum natura investigantes, quod si ulla serena ante diluvium pluvia fieret, iris, id est, arcus ille in nubibus serenis appareret; qui per solem semper, et humectas serenasque nubes efficitur: et non a sole tantum fieri, sed etiam per lunam aliquoties in serenis nubibus videtur. Poterat ergo ipsa mundi nuper creati prima ætas sine ullis turbulenti aeris immutationibus et pluviis per matutinum et vespertinum rorem ali; ut in ipsa fortitudine sicut homines longævos et sanitate corporum alacres habuerit, ita et mundus ipse nullis adhuc perturbationibus agitatus aptos vescentibus ferens fructus consisteret: et a secunda ætate sicut turbulentis motibus, ita turbidis rerum tempestatibus vivere et vigere inciperet. Quemadmodum in terra Ægypti etiam nunc nequaquam nubium imbribus, sed terræ ipsius sudore, et aeris commoditate, et Nili fluminis incrementis fovetur. Sed hæc investigatio qualiter accipienda sit pro certo, eruditi et catholici viri videant.

CAPUT VII. — *De recessu aquarum diluvii.*

Item de recessu aquarum diluvii quid docti et ingeniosi magistri sentiunt, sine ulla nostræ auctoritatis præsumptione proferamus: ubi nodosa quæstio studiosis mentibus ostenditur: Si aliquem locum vacuum reliquerant, cum terræ spatium aquæ diluvii occupabant; et si nullum spatium tale habuerant, quando recesserant quid implebant? De qua inquisitione in illis aquis quæ de cataractis cœli defluxerunt, bina magistrorum æstimatio est. Aut enim, ut nonnulli æstimant, per easdem cataractas revocantur, et quemadmodum de mari aridæ nubes lymphaticos imbres consuescunt attrahere; ita et superni illius firmamenti spatium, aquas quas emiserat de nubibus, posset revocare. *Aquæ* enim, inquit Scriptura, *ibant et revertebantur*. Quo ergo ibant, nisi unde venerant? Si ergo de excelso illo firmamento, ut juxta quorumdam æstimationem diximus, aquæ desuper fluxissent, et spatium quod occupabant, dimiserunt, si illuc revocatæ sunt, quid mirum si eadem quæ deseruerant spatia complebant? Vel certe si de nubibus eadem nimborum copia fuisse monstrata conceditur, quid intelligentibus mentibus repugnat, si ad nubes iterum ipsa retrorsum verteretur; quemadmodum in quotidiana rerum administratione fieri cernitur, ut pluvia de nubibus emissa et resumpta videatur. Cæterum ii quoque qui ante diluvium pluviam esse non permittunt, de recessu aquarum aliter sentiunt. Ipsi enim cum aquarum diffusionem de firmamento factam pronuntiant, in nubes tamen tantummodo eas redire confirmant; et superfluum illud quod aqua desuper fluens præbuerat, etiam nunc per omne tempus turbulentos aeris motus, et hemisphærias diversas in nubibus gignit, quod reciprocis immutationibus idem aer nubilosus nunc in inferiores partes mundi, hoc est terram et mare dimittit, nunc de eisdem, mari scilicet et terra, recolligit: quomodo et in pectore humano halitus reciprocis mutationibus eodem modo quo dimittitur, iterum exigitur ut resumatur. In his autem quamlibet diversis opinionibus et magistrorum plurimis ambagibus, hoc animo fixum suscipimus, quod aquarum quodcumque desuper venerat, ut terra aquis nudaretur, ventus lambebat. Sic enim scribitur: *Immisit Dominus ventum super terram, et diminutæ sunt aquæ* (*Gen.* VIII, 1). Utrum vero in nubes ventus lymphata æquora collegerat, an illa superni firmamenti spatium resumpserat, pro certo eruditi viderint. Aquæ autem illæ quæ de abyssi fontibus disruptis largiter defluxerunt, per easdem vias unde venerant, rursum dominico jussu remeabant. Sed adhuc nobis communis quæstio in his renascitur, quæ in reliquis velut curata videbatur: Si, quando inundaverant, aliquod spatium relinquebant; et si non hoc habuerant, quando reversæ sunt quid implebant? Cæteri hanc quæstionem ita disserunt, quod mare tunc Dei jussu de suo modo consueto, per illorum fontium apertionem crescere, et ultra metas suas inundatione insolita per cuncta terræ spatia transundare poterat, et in se iterum quod amiserat resumere, vel etiam in spatium terræ deportare, quod ad inferiores aquas pertinebat: quæ terra semper superpositas lymphas nisi de fontibus absumere, et in semetipsam redigere consuescit, quoniam non contra consuetudinem videmus etiam perparvas res in majus crescere. Nec contra naturam terræ est, superpositos humores semper consumere, præsertim cum hoc Deus in potestate etiam sanctis suis tribuit, quemadmodum Eliæ et Elysæo (III *Reg.* XVIII, 44, 45; IV *Reg.* III, 20) dedit in nubecula[1]. Maria quoque extra terminos antiquos crescere consuescunt, et terrarum spatia diminuunt atque præscindunt, sicut et senes nostro adhuc tempore viventes, vidisse se confirmant. Unde etiam insulas quæ ab initio conditi orbis, ut multi affirmant, non fuerant, processu temporis faciunt, dum propinqua promontoria marinis finibus a continenti terra dividunt. Per quod intelligitur, quod illæ feræ quæ insularum orbibus includuntur, non humana diligentia devectæ, sed in illa divisione insularum a continenti terra repertæ esse probantur. Quis enim, verbi gratia, lupos, cervos, et silvaticos porcos, et vulpes, taxones, et lepusculos, et sesquivolos in Hiberniam deveheret? Vel qualiter si tunc domestica erant, manum portantis ita effugerant, ut omnia genera hæc per silvas nunc oberrare videantur? Sed nonnulli auctores genera hæc bestiarum et ferorum animalium, ipsam terram gignere dicunt, qui hæc animalia quæ in insulis includuntur, non ex arca, sed ex ipsa terra procreata esse existimant. Hanc vero putationem eorum de quibus diximus, de recessu aquarum diluvii, etsi aliquis acceptam et sufficientem esse crediderit, nostris tamen adhuc mentibus illa quæstio innodata residet. Quotidianis etenim inundationibus et recessibus Oceani, hæc semper quæstio renascitur. Quemadmodum hanc inundatio-

[1] Ms. Aud., *dedit in viduas*.

nem unde venit, aut quo recedit nescimus; ita etiam recessum diluvii ignoramus. Hæc namque quotidiana inundatio bis in die a tempore ad tempus, per horas viginti quatuor semper peragitur, et per alternas hebdomadas Ledonis et Malinæ vicissitudo commutatur (*a*). Sed Ledo sex horas inundationis, et totidem recessus habet; Malina vero grandis per quinque horas ebullit, et per septem horas littorum dorsa retegit. Quæ tantam concordiam cum luna ostendit, ut antequam luna nascatur, tribus diebus et duodecim horis semper incipiat; et post nascentis lunæ principia alios tres dies, et duodecim horas consuescit habere : similiter et ante plenilunium tribus diebus et duodecim horis incipit, et post totidem temporis cursus sui terminum consumit. Sex vero uniuscujusque temporis Malinas, veris scilicet et æstatis, autumni et hiemis, secundum lunarem supputationem, hoc est, simul omnes viginti quatuor unusquisque communis annus habet, exceptis videlicet embolismis, qui viginti et sex Malinas retinent : et uniuscujusque de prædictis temporibus mediæ duæ, videlicet æquinoctiales, et aliæ quando vel dies vel nox cursus sui terminum consumit, solito validior ac inundatione altior fieri consuescit. Interpositis vero spatiis iterum tantumdem semper Ledo intermittitur. At vero rationabilis hujus perseverantiæ inundatio, quo recedit, mentibus nostris occultata est : non minorem profectum nescientibus præparat scientia hominis. Nam qui veram sapientiam cupit, ad æternum regnum ubi nulla est ignorantia, festinare contendat, et interim cum insigni gentium magistro dicat : *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (I *Cor.* XIII, 9). Etenim omnes res, quas possidemus, ex parte vix novimus. Terræ namque superficies in qua laboramus, alimur, vivimus et sustentamur, nostris apparet obtutibus; sed tamen quomodo illa sustentatur, adhuc ignoramus. Sol in ministerium nostræ necessitatis per diem traditur, sed qualem in nocte profectum exsequitur, a nostra scientia occultatur. Lunæ quindecim diebus crescentis, et totidem tempore decrescentis, totius vicissitudinis causas quis intelligere sufficiat? Maris inundantis tumores considerare permittimur, sed recedentis illius intelligentia privamur. In nobismetipsis diem nostræ nativitatis scimus et memoramus; diem mortis quando veniet, cum certe ventura sit, nescimus. Res etiam corporales quas videmus, ex parte tantum considerare possumus. Ex parte ergo cognoscimus, quamdiu in hoc sæculo sumus. Sed si ad illam lucem Patris luminum venerimus, nihil in creaturis erit quod nesciamus. At vero ut nostrum sequamur propositum in isto diluvii tam magno in Dei creaturis miraculo, nihil contra naturam factum esse ostenditur, quoniam nihil quod Deus in creaturarum prima conditione non fecerat, superinductum esse videtur; nisi quod solito abundantior maris copia, et imbrium ducta congregatur. Nihil in his auctoritate firmaverim, ut in defensione alicujus contentiosus sim : sed si quid alterius ingenio forte meliori intelligentia horum succurrerit, hoc et meo ingeniolo forsitan complacebit. Ego enim quod in hoc magistrorum quorumcumque eruditio contulit, litterulis his intimavi, in quibus si quid vitiosum, et minus sanæ intentionis apparet; non illorum, sed mea titubavit intentio.

(*a*) Beda de Nat. temp., cap. 28 : « Æstus, ait, crescentes *Malinas*, decrescentes autem, placuit appellare *Ledones*; » perinde loquens ac si recens hunc in usum adhiberi cœpissent ea vocabula. Apud Marcellum Empiricum, qui in Gallia Theodosio seniore imperante vixit, *Ledunam* et *Malinam*, capp. 16 et 25, legere est; sed in significatu nonnihil diverso, uti observat V. CL. D. du Cange in Gloss. Cæterum Bedæ in prædicto lib. cap. 8, nostroque auctori hic, Ledo est æstus ille maris languidior qui per quatuor pene dies tam ante quam post secundam ultimamque lunæ quadraturam, mense unoquoque accidit; Malina vero æstus vehementior, contingens diebus aliis ad novilunium et ad plenilunium.

CAPUT VIII. — *De cursu solis et lunæ in diluvio.*

De terminis, de recursu solis et lunæ in diluvio, quamvis famosa plurimorum mentes quæstio pulsat; nihil in luminarium aut siderum consuetis ministrationibus diluvium commutasse, ipsius anni quo diluvium est factum, cursus manifestat. Noe enim secundi decimo septimo die mensis cum universis, quæ ad eum pertinebant, arcam intravit (*Gen.* VII, 11, 13). Post centum quinquaginta dies in mense septimo vigesimo septimo die mensis, in montibus Armeniæ eadem arca requievit. Prima die decimi cacumina montium apparuerunt. Et prima die mensis primi aquæ minutæ sunt. Atque evoluto anni circulo, mense secundo, vigesima septima die mensis arefacta terra conspicitur: qua die Domini jussu, Noe cum omni domo sua de arca egressus est (*Id.* VIII, 4-18). Ex quibus indiciis manifestissime ostenditur, quod in iis quæ ad anni circulum peragendum pertinebant, in luminarium ministrationibus dierum ac noctium plenitudine decursa, nihil decedere videtur. Si enim luminarium, solis scilicet et lunæ, cursus in aliquo titubaret; dierum ac noctium primitus vicissitudo, et deinde totius anni circulus impeditus appareret : dum vero nullo modo turbatus in se anni circulus revertitur, manifestum est quod in anno præcedente luminarium cursus non turbatur.

CAPUT IX. — *De dispersione linguarum.*

Jam generali totius orbis purgatione per aquam Deo gubernante perfecta, atque aquis iterum terra eodem jussu retecta, egressa de arca Noe solius tunc justi prosapia, totius mundi partes completura, cito succrevit (*Gen.* IX *et* X). Sed antequam in omnes terras essent divisi, impia cunctorum mentibus et superba cogitatio subrepsit, ut in commune magnificare nomen suum, non Dei creatoris, per excellentissimæ turris ad cœlum usque ædificationem decernerent, et in memoria posteritatis per omnes postea generationes, gubernationes, et totius sæculi tempus indelebili cunctorum præconio celebres forent. Sed hac temeritate et superba præsumptione rursus Deus offensus, per totius generis communem culpam individua omnium strage, quod in hominibus nuper erat expertus, præsertim cum nullus repertus est justus, qui residuus esset, totam funditus gentem delere noluit. Verumtamen cum illud usque tempus esset unius linguæ cunctus populus, universorum qui ad tale opus venerant, linguas in diversa verba divisit (*Id.* XI, 1-9), scilicet ut rectissimo justi arbitri judicio, qui alto Deum superbiæ tumore contempserant, in fragilissimo substantiæ suæ membro sermonis pœnam utique sentirent. Et hoc non in ipsis tantum patribus quod evenerat fiebat; sed per omnes filiorum propagines talis vindictæ conditio pertransibat : ut qui æternam sibi posteritatis famam quærerent, mansuram in illis posteritatibus ipsius præsumptionis per universa venturi sæculi tempora animadversionem invenirent. Postea quoque hæc linguarum divisio Dei dispensatione evenerat, ut divinarum Scripturarum mysterium usque ad maturum tempus unius electi ex multis populi lingua custodiret : donec præfinito tempore, quando universis gentibus sacramentum suæ dispensationis aperire voluit, Spiritum sanctum de excelso linguarum omnium scientiam afferentem, ejusdem sacramenti præordinatis ministris transmisit : qui Dei magnalia ad illud usque per unam linguam cantaverat, velut ad consecrationem omnium linguarum in ipso suo primo adventu per Apostolos prædicabat. Sic enim illi quos de universis gentibus, velut ad hujus rei comprobationem, in Jerusalem tunc temporis collegerat Deus, dicebant, *Audivimus eos linguis nostris loquentes magnalia Dei* (*Act.* II, 4-11). Sic apostolica humilitas Spiritus sancti munere colligebat, quod superbæ præsumptionis et vanæ gloriæ cupido dispersenat. Linguas autem illas septuaginta duas esse, plurimi auctores consentiunt, quia in ædificationem turris illius in terra Sennaar, quæ nunc est Babylon, tot patres congregatos fuisse dicunt.

Unde et Dominus septuaginta duos discipulos, exceptis illis primariis Apostolis, elegisse sermone Evangelii refertur, per quos postea in omnes gentes idem Evangelium prædicaretur (*Luc.* x, 1). In quorum præfiguratione etiam Moysi spiritus in septuaginta seniores distribuitur : et aliis duobus qui in castris resederant, Heldad videlicet et Medad, ejus spiritus prophetiæ donum condonatur (*Num.* xi, 24, 6). Quorum quasi hæreditarii successores, ad Ptolomæum Philadelphum Alexandriæ regem a pontificibus, Eleazaro scilicet et cæteris, qui eodem tempore Judæorum populo præerant, septuaginta sapientes, qui ex Israel stirpe descenderant, missi sunt, et Scripturas antiquæ legis in græcum eloquium transtulerunt. Harum vero omnium linguarum novi Testamenti tempore, tribus linguis, hebraicæ utique, græcæ et latinæ, principatus committitur; quia in eis crucis Christi titulus litteris hebraicis, græcis et latinis scriptus, Evangelica auctoritate perhibetur (*Joan.* xix, 20). At vero Deus in hoc contra naturam humani eloquii quam olim disposuit, nil dividendo et confundendo linguas hominum et sermones fecit; quando ejusdem loquelæ natura in hominibus permanet, nisi quod consuetudo diversa deviare ab alterutro linguas, non naturaliter, sed consuetudinarie docet. Latinus namque vel Græcus inter Barbaricos genitus vel nutritus, barbarice loquitur; versaque vice barbari filius a Græcis aut Latinis edoctus, venusto sermone fatur. Ex quo intelligitur Deum non naturam hominum mutasse, non novum in eis aliquid condidisse, sed dicendi tantum modos et formas in diversis generibus divisisse.

CAPUT X. — *De Sodomitica vindicta.*

Magno deinde temporis intervallo peracto, in confinio Arabiæ et Palæstinæ quinque positæ civitates, Sodoma, Gomorra, Adama, Seboim, et Segor, fecundissimi soli habitatione, et rerum omnium abundantia perfruentes, inconvenientis luxuriæ et cupidinis in contractione tritici convictæ, dominicæ vindictæ aditum præbuerunt; ita ut imbribus ignis et sulphuris superfusa tota cum habitatoribus suis et animantibus et urbibus, regio flagrans arderet (*Gen.* xix). Hoc namque modo conveniebat, ut qui communi studio Deum offenderant, communis vindictæ impetu eodem perirent : et qui contra consuetudinem hominum in turpis concupiscentiæ perpetratione exarserant, contra consuetam hominum mortem non terrena vindicta, sed cœlestium ignium infusione arderent : et qui peccatum suum non solum faciendo, sed etiam prædicando palam fecerant, infamem vitam famosa pœna consumerent. Quæ vindicta hactenus eorumdem terram non deseruit, dum quali pœnæ, qui talia agunt subjacebunt, ostendit. Inter istas vero duas primarias in sæculo pœnas, diluvii scilicet et Sodomitanam, talis differentia deprehenditur, quod aqua una terra, igni altera punita videatur : una cœli rore, et abyssi unda diluitur; altera igneo imbre, et sulphuris superfusione damnatur. Una anni circulo unius permanente, terra retegitur; per alteram terra et adhuc cessatione maceratur : in una naturale scelus in hominibus punitur, per alteram adinventio concupiscentiæ contra consuetudinem facta vindicatur. In ista vero Sodomitana pœna nil contra naturam Deus facere cernitur, cum desuper aereo ignito illo spatio, insoliti desiderii ardor inflammatur.

CAPUT XI. — *De uxore Loth in statuam salis mutata.*

De qua peccatorum plaga Loth Dei servus per Angelos eruitur; sed illius uxor ne retro respiceret jussa, dum respicit, in salis statuam solidatur (*Gen.*, xix, 17, 26), ut cujus visus non erat immunis ex culpæ consortio, mortem effugere non posset, quamvis propter justi contubernium eruta sit de incendio. Sed dum hoc assumpsimus, quod nihil in Dei creatura contra naturam sit, sed insita natura semper in omnibus gubernetur; qualiter, uxor Loth cum in salis statuam vertitur, humani corporis natura in hac mutatione gubernatur? Salis igitur naturam in humano corpore esse nullus ambigit, qui lacrymarum salsitudinem comprobavit; quæ a turbato felle, ut medici dicunt, egredientes, salis naturam, quam in recondito naturæ sinu concipiunt, de oculis fluentes, etiam saporis comprobatione ostendunt. Et non solum in lacrymis, sed etiam in phlegmate, et tussi expresso sputo pectoris sapitur, quod salis natura per humanum corpus inseratur. Potens ergo rerum gubernator, cum totum in partem vertere cupit, quod in modica parte latebat, per totum infundit. Atque hac ex causa, cum uxorem Loth in statuam salis vertere voluit, pars illa tenuissima salis quæ carni inerat, totum corpus infecit. Et ita factum est, ut qui sexto die omnes naturas constituere consummavit, nihil ex aliqua natura in aliam congessit, sed unamquamque in semetipsa gubernat, quam in prima conditione constituebat.

CAPUT XII. — *De Sara nonagenaria pariente filium.*

Eodem fere tempore Abrahæ illius ex multitudine gentium in Dei amicitiam electi, Sara sterilis uxor filium, Isaac nomine, jam nonagenaria peperit (*Gen.* xxi, 1, 2), cum illam usque ætatem per totum vitæ suæ spatium sterilis fuit. Sed hoc valde conveniebat, ut quoniam filius quem parturiebat, ipsam figuram Christi, qui ex sola Virgine sine aliqua humanæ voluptatis cupidine nasceretur, prætulit; illum non ætate qua solent feminæ parere, id est, a duodecimo anno usque ad quadragesimum nonum annum, sed ultra illius consuetudinis metas parturiret : ut scilicet ille infans non solum ultra quinquagesimum annum, desinente partus officio, sed etiam nonagesimo anno nasceretur, desinente voluptatis desiderio. Et hoc quamvis contra consuetudinem, non tamen adversus naturam factum est : quoniam et si contra consuetudinem est ut pariat anus, adversus tamen naturam non est ut in utero feminali nascatur quandoque filius.

CAPUT XIII. — *De puteo quem vidit Agar ejecta cum filio.*

Quo nascente filio et ablactato, ancilla Agar cum filio suo Ismael qui prior natus est ejicitur, quæ per desertum deficiente aqua, et siti moriente cum puero vadens lacrymatur. Sed angelo eam compellante et dicente, *Exaudivit Dominus vocem pueri*, aperti sunt oculi ejus, et vidit puteum in solitudine (*Gen.* xxi, 9-19). De quo puteo ita refertur, ut aut tunc erumpens jam e terra prodatur, aut si ibi ante fuerit, tunc Agar oculi, ut videret, quem ante non poterat, aperiantur.

CAPUT XIV. — *De ariete quem Abraham obtulit pro filio.*

Ut autem appareret etiam hominibus quam fidelis in Dei amicitia parmaneret Abraham, filium suum Isaac cum esset jam adultus, offerre sibi in holocaustum super unum montium, quem ei monstraverat, Deus præcepit. Qui obediens, ad locum quem ostenderat ei Deus, cito perrexit, et assuptum filium jam jamque immolare cœpit : sed clamante angelo, filio suo quidquam mali ne faceret, jam inter vepres hærentem cornibus arietem vidit, quem angelo jubente holocaustum pro filio statim obtulit (*Gen.* xxii, 1-13). Sed iste aries requiritur unde in solitudine fuit : utrum, ut quidam asserunt, hunc in illa hora terra protulit, quomodo et in principio pecora gignit? An etiam, ne illud opus post diem sextum condidisse de terra Deus dicatur, istum arietem detulisse angelum aliunde credimus, quo modo et Philippum angelus ab eunucho transtulit in Azotum (*Act.* viii, 39), et ad Danielem in Babylonem Habacuc transtulisse ad lacum leonum fertur angelus (*Dan.* xiv, 35).

CAPUT XV. — *De Jacob et Joseph; quare unus in terra repromissionis, alter in Ægypto sepelitur.*

Inde Isaac generante filios Jacob et Esau (*Gen.* xxv, 25), Jacob duodecim Patriarchas generante (*Id.* xxxv, 22-26), decem fratres invidentes Joseph vendiderunt in Ægyptum (*Id.* xxxvii, 28); qui in terra peregrinationis et captivitatis suæ salutem gentibus præstans ad quas pervenit, totius regni Ægyptiorum dispensationem, et dominium terræ Ægypti accepit, ita ut et patrem cum omni domo sua in Ægyptum

invitaverit : ubi cum annis sexdecim vixisset, die mortis jam instante, filium suum Joseph adjuravit, ut ad sepulcrum patrum suorum in terram repromissionis, in qua Abraham et Isaac cum Sara et Rebecca jacebant, ubi etiam Lia condita fuerat, illum deportaret. Quam adjurationem Joseph opere complevit : patrum enim suorum ad sepulcrum paternum corpus devexit (*Gen.* XLIX, L). Et tamen ille in Ægypto postea moriens, statim post mortem devehi ad paternum sepulcrum noluit; sed in Ægypto interim sepulturæ locum suscepit, et postea de ossibus suis pergenti de Ægypto populo mandavit, dicens : *Efferte ossa mea vobiscum hinc* (*Id.* L, 24). Quare ergo alter ad sepulcrum Abraham in terram repromissionis protinus portatur, alter adhuc in terra Ægypti quandoque deportandus sepelitur? Jacob namque nequaquam externæ gentis feminis, nisi iis quæ de Mesopotamia secum venerant, miscebatur; idcirco ad paternum sepulcrum integro corpore post mortem statim devehitur. Joseph vero Assenech Putifaris sacerdotis Heliopoleos filiam uxorem accipiens (*Id.* XLI, 45), externo sanguini fuerat mixtus, et ideo post mortem in extraneo terræ limo conditus est. Quare ergo postmodum ad terram repromissionis vehi voluit, dum primitus in Ægypto conditus fuit? Joseph ergo ut vir propheticus, prævidit quod Ægyptiorum gens idololatriæ dedita, ipsum qui terrenæ munificentiæ illis auctor fuisset, et ipsos de famis periculo liberasset, aliquando adorare vellet : quod et fecerunt. Nam bovis simulacrum juxta sepulcrum Joseph statuerunt, eo quod bos viro in agricultura cooperatur. Qua etiam causa filii Israel cum in deserto idolum adorare vellent, non aliam aliquam statuam quam vitulum, id est, bovem fecerunt : hac vel maxime causa quod ipse in Ægypto juxta sepulcrum Joseph adoraretur. Ne ergo Joseph Ægyptiorum idololatriæ succumberet, profectionem filiorum Israel prævidens, dixit, *Visitatione visitabit vos Deus; et efferte ossa mea hinc vobiscum.* Hanc ergo causam in hoc loco posui, non quod inter mirabilia deputaretur, sed ne tam magnum inter Abraham et Moysen, sine aliquo quod commemoratione dignum sit, spatium omitterem.

CAPUT XVI. — *De Moyse et rubo in Oreb.*

Post mortem autem Joseph, durissimæ servitutis jugo Ægyptiorum gens filios Israel cœpit opprimere, ita ut mares eorum parvulos, ne ultra modum gens succresceret, in flumine projicere, et diversa juberet morte mactare (*Exod.* I, 14, 22). Quo tempore Moyses Amræ filius, in illa tempestate generatus, Leviticæ stirpis vir, in ultionem suæ gentis surrexit : et videns virum Ægyptium Israelitam opprimentem, occidit. Quæ res ut Ægyptiorum regi qualiter facta esset, innotuit; ipse de Ægypto fugiens, per quadraginta annos in terra Madian oves pascens exsul fuit (*Id.* II, 11-15). Cui evoluto tempore promissionis, quæ facta est ad patres, minanti per pascua gregem in monte Oreb rubus ardens, et igne suo non comburi apparuit. Et cum talem visionem explorare cuperet, cur rubus non combureretur cum arderet, Dominus de medio rubi, Ego, inquit, sum Dominus Deus patrum tuorum. In Ægyptum mittam te, ut inde servitutis jugo oppressum solvas semen eorum (*Id.* III, 1-10). In hac horribili visione, hoc nostro operi primum occurrit, quomodo ignis videbatur ardere, et tamen illud in quo arserat, non comburi. Si ergo de ista materia ignis alimoniam sumpserat; quare illud unde creverat non consumebatur? Et si non de hac materia flamma, quæ videbatur, surrexerat; ut in rubo ostenderetur quid necesse erat? Cujusdam ergo virgulti consuetudo refertur, quod quanto plus arserit, non tantum non consumitur, sed ardendo purgatius redditur. De quo ligno sanctus Hieronymus in explanatione altaris lignei, quod in civitate per visionem Domini in Ezechiele ostenditur (*Ezech.* XLI, 22), refert quod quasi lini colorem habeat : attamen de hujus nomine reticuit, cum illius naturam indicavit. Si ergo in illius arboris rubo ignis ille Moysi ostensus arserat, quid mirum si nequaquam illud comburebatur? Servata ergo in utroque natura, igne scilicet et arbore, consideratur; dum et ignis naturaliter de arbore ardet, et arbor ardens igni naturaliter non consumitur. Vel certe in illo rubo non ille ignis arboris inimicus videbatur; sed potius ignis ille ibi fuit, de quo dicitur, *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem* (*Psal.* CIII, 4). Ignis ergo incorporeus in rubo declaratur, qui dum corporali homini ostensus est, necesse fuit ut aliqua corporea materia monstraretur.

CAPUT XVII. — *De duobus signis, id est manu in sinum conversa, et virga in colubrum mutata.*

Deinde pergenti in Ægyptum, bifarium condonatur signum, scilicet ut in tribus testibus, in se et in duobus signis, consisteret verbum. Nam virga quam Moyses adhuc ovium pastor manu portaverat, cum in terram projiceret, serpens fiebat : et manum illius in proprium sinum suum missam prima vice leprosam protulerat, et secunda vice in eumdem sinum conversa sana apparebat (*Exod.* IV, 1-7). Sed in manu aut in ligno contra naturam esse aliquid factum non apparet. Lepram enim et sanitatem insitam, ut alternatim sæpe probatur, carnis humanæ natura retinet. Sed crebra talis mutatio, ut in eodem momento sana manus et lepra candens, et rursum sana appareret, insignissimi miraculum signi intuentibus præbet. Virga igitur in anguem versa et rursus serpens in arborem mutatus, laborem naturæ inquisitoribus præparat. Nisi quia utrumque, virga scilicet et serpens, factum esse manifeste docetur ex terra. Quod ergo ex eadem materia oritur, gubernatoris Dei potentia vicissim in alterutrum mutatur. Sed si omnia, quæ de terra facta sunt, in alterutrum mutari vicissim conceduntur, hoc est, ut animal in arborem, panis in lapidem, homo in volucrem verti posse concedatur; nihil ex his firmiter possit intra suæ naturæ terminos permanere, et ridiculosis magorum fabulationibus dicentium in avium substantia majores suos sæcula pervolasse, assensum præstare videbimur; ac per hoc Deum in his non gubernatorem, sed mutatorem naturarum dicemus : quod absit, ne illum post primam naturarum omnium conditionem, aliquid novum, quod non propria natura retineat, facere credamus. Nihil enim sub sole novum. Nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est (*Eccle.* I, 10) : et ideo plurimi doctores plus dicunt illam veram virgam, quæ semper Moysi manibus comprehensa virgultum manebat, imaginarie tantum in serpentis formam aliquoties pro signo fuisse versam, præsertim cum ad nullos usus, nisi ad signi ostensionem necessaria esset. Si enim verus serpens fuisset, serpens semper post signa maneret. Etenim vera virga fuerat ex qua Moyses Ægyptum plagis flagellare cœperat; nunquam in serpentem mutata, semper virga permanserat. De qua mare dividitur (*Exod.* XIV, 21), et petræ in Oreb et in Cades percutiuntur (*Ibid.*, 17, 6; *Num.* XX, 11). Si ergo imaginarius serpens ille per signa tantum ostenditur, cur coram Pharaone cæteri magorum serpentes per eum devorantur (*Exod.* VII, 12)? Cui objectioni facile docti respondere poterunt, quod et ipsi serpentes, qui per eum devorantur, imaginarii fuerunt; et ideo divini signi imaginatio devorare poterat quod per magorum diabolicas incantationes imaginatum fiebat. Juxta ergo hanc æstimationem non in naturam serpentis virga vertitur, sed pro signo in similitudinem imaginarie commutatur. Nihil enim in arboris natura, quod facere serpentem possit invenitur : et idcirco nisi in hora signi, quæ erat virga naturaliter, serpens specialiter videtur [1].

CAPUT XVIII. — *De aqua in sanguinem versa.*

Pergens igitur in Ægyptum Moyses, cum coram Pharaone ut sibi Dominus imperaverat, signa faceret, et Dei sententiam, ut Israeliticum populum dimitte-

[1] Ms. Val., *virga specialiter semper videtur.* Optime.

ret, regi indicaret, et ipse rex Dei præcepto nullo modo consentiret, et jubente Domino decem plagis terram Ægypti flagellaret; primo percussas in sanguinem vertit aquas, ita ut omnes aquæ per totam Ægyptum mutatæ in sanguinem; animantibus quæ in ipsis erant, mortem præstarent, et per interitum sitis hominibus pœnale facerent exitium (*Exod.* VII, 20, 21). Hæc autem primitus vindicta Ægyptiis cum rege suo convenienter evenerat, ut qui Dei populi infantes in flumen jactari præceperant, ejusdem fluminis aqua in sanguinem versa exitium bibentibus inferret, et non bibentibus pœnam præstaret. At vero et hoc requirendum est, quod ad præsentis operis propositum respicit, quomodo Deus naturæ gubernator naturaliter aquam in sanguinem mutavit. Aqua igitur cuncti liquoris materia, quotidie per ipsarum rerum ministrationes in diversa mutatur, dum ad uniuscujusque naturæ pastum et refectionem indesinenter et naturaliter contrahitur. Cum enim per vitis arborem infunditur, in vini saporem et colorem mutatur: et cum olivæ ligni ad excelsas summitates ascendit, eadem aqua olei pinguedinem facit: et cum ab apibus in favos congeritur, mellis dulcedinem operatur: et cum per palmarum robora digeritur, dactylos gignit, et ad siceræ suavitatem expressa pervenit: et cum in animalium diversorum pastum deputatur, in sanguinis substantias diversas per eamdem carnem distinguitur. Nam et nutriendis fetibus, albi coloris et suavissimæ dulcedinis in uberibus lac præparat, et per cuncta reliquæ carnis membra rubicundum sanguinis colorem fuscat. Multa sunt præterea sanguinis genera per eamdem carnem, quæ usque ad viginti tria physiologi dinumerant, ex quibus urinam, semen, fel nigrum et rufum, salivas et lacrymas, et cætera esse denuntiant: hæc quotidianis administrationibus naturæ suæ per res varias aqua præparat. Quid ergo capacibus mentibus obstat, si illud quod per tempus longius facit, in momento per jussum potentissimi Gubernatoris naturaliter efficiatur? Aqua ergo in sanguinem versa, non contra naturam facit, sed quod aliis rebus per tempus efficeret, jubente Domino in semetipsa protinus operatur.

CAPUT XIX.— *De cæteris plagis Ægyptiorum.*

De cæteris vero plagis quibus Deus per Moysen et Moyses per Aaron, Pharaonem et terram ejus et servos ejus castigaverat, nil excessisse terminos naturæ, ipsa plagarum simplex narratio manifestat. Quoniam etsi tunc solito plures, semper tamen de aquis ranæ nascuntur; et sciniphes æstatis tempore calore solis de pulvere oriuntur; locustæ et muscæ solis fervore solidatæ undique conveniunt, et jumenta diversis causis morte solita vitæ suæ terminum peragunt: pulvis quoque conturbatus de terra sæpe aerem serenum obscurat, et vesicas, et postea ulcera in hominibus et jumentis infectis aer generat. Grando etiam et fulgura de congelantibus et vehementer turbatis nubibus ruunt, et absentia lucis oculorum obtutus, quantocumque lux recessit, tenebræ plus præpediunt. Mors quoque in Adam seminata primitus, omnibus filiis ejus dominatur, per quam tunc in Ægypto primogenita soboles cunctorum arctius damnatur. Sed quamvis hæc omnia in rerum naturis insita erant, Ægyptiis tamen plagali conditione, ad eorum perfidiam compescendam, et subito, et plus solito acciderunt. Quarum ordo plagarum sicut in differentia rerum, ita et ministrorum crevit. Primæ namque ex omnibus tres plagæ per Aaron efficiuntur. Qui primo cum percussisset aquam, in sanguinem statim vertitur. Et cum iterum extendisset eamdem virgam super aquam, ranarum inundatio replevit terram. Et cum tertio extendisset virgam super pulverem terræ, sciniphes ebulliunt (*Ibid.*, 20; VIII, 6-17): et per Aaron istæ tres plagæ fiunt. Et sequentes tres aliæ per verbum Moysi ministrantur. Nam illo jubente, locustæ et muscæ veniunt, et mors jumentorum consequitur. At vero tres aliæ non sermone tantummodo imperantur, sed per Moysi opus convocantur. Moyses enim sumptum de camino pulverem in cœlum sparsit, et vesicæ in hominibus et jumentis, et ulcera manantia ut pulvis in omni terra Ægypti nascuntur. Et postea assumens virgam in cœlum extendit, et grandinis fulgurumque insolens copia in terram ruit. Iterumque idem Moyses eamdem virgam in cœlum direxit, et tribus diebus totidemque noctibus permanentes tenebras crassitudine palpabiles, et admodum ferales super terram induxit (*Exod.* X, 13, 14; VIII, 24; IX, 6, 10, 23-25; X, 22). Ultima autem plaga neque per Aaron, neque per Moysen accidit, sed angelus Domini per Ægyptum transiens cuncta Ægyptiorum primogenita delevit (*Id.* XII, 29). Quoties ergo de terra vindicta colligitur, per Aaron velut inferioris ordinis ministrum; quæ vero de volatilibus et morte jumentorum, quæ et ipsa velut in terra volant, pœna contrahitur, per Moysi imperium agitur; quando autem de supernis nubibus castigatio convocatur, per extensionem in altum Mosaicæ manus conducitur. At vero quando humanæ mortis exitus a Deo dispensatur, non homini, sed angelo ministerium illud committitur: ut qui illud usque tempus per rerum, quas possidebant, flagella minus terrebantur; saltem per suæ insignissimæ partis detrimentum commune, quod sequebatur, interitum vererentur. Istarum quoque modus plagarum undique, hoc est, terra, aquis, animantibus, aere, igne, nubibus, cœlo et Angelis convenerat, ut ostenderetur quod contra Deo rebelles et contumaces sese pariter universus orbis armat. Sicut autem iis quos Deus punire voluit, omnis creatura irascitur; sic et illis quibus auxilium præbuit, omnis creatura suffragatur. Etenim hos ambos populos mare Rubrum divisit: ubi eorum alteri totius pressuræ finis, initium alteri cunctæ felicitatis fuit.

CAPUT XX. — *De recedente et siccato mari Rubro.*

Cum dimissum, tot plagis attriti, Israeliticum populum Ægyptii a se exire compulissent; mala rursus pœnitudine acti, cuncti cum rege suo exercitus pergunt, ut quos dimiserant, iterum ad servitutem retraherent. Tum Israel in angusto maris Rubri sinu coarctato, Moyse virgam super pelagus extendente, subito maris unda Rubritidis dividitur; et ingrediente populo pedibus siccis, hostibusque succedentibus, via dilatatur: immissoque vento, per totam noctem Deus mare divisum, etiam in siccum vertit, et inter ambos populos nubem, quæ divideret, tenebrosam, et noctem ipsam illuminantem columnam immisit. Nam et Pharaonis exercitus mare post Israel intravit: sed uni refugium, alteri laqueus fuit. Quapropter et illa nubes media Ægyptiis erat tenebrosa, ut per totam noctem præcedentibus conjungi non valerent; Israeli vero noctem ipsam illuminabat, ut profunda maris lucida via incederent. Orto autem diluculo, defensus utroque periculo, hostium et pelagi, totus Dei populus evasit ad rura deserti; cum totus, sine saltem nuntio evadente, Pharaonis cuneus, undis ad suas metas revertentibus, concidit in glarea profundi (*Exod.* XIV). In hoc tam insigni in Dei operibus miraculo, istud de præsenti actus nostri intentione exigitur, quomodo in siccato et recedente de littoribus mari ratio conservatur. Sed ipsum non tam difficulter, Deo auxiliante, nos invenire credimus, qui congelantibus undis stagnorum dorsa glacie superstrata sæpissime consideramus. Quod ergo venti et pluviarum desinente turbine aeris inferiores partes gelu obtinente, in aquis sæpe naturaliter efficitur, illud tunc Dei jussu per glacialem ventum subito urgente (*a*) pelago factum fuisse comprobatur. Sed sicut repente mare siccum Domino imperante redditur, ita eodem jubente liquefactum, in fluidas undas de sicco resolvitur. De recessu vero illius quotidiana administratione, jam ante prædiximus, quia per Oceani maris æstuaria indesinenter fieri videre solemus. Ex quo colligere

(*a*) Forte, *rigente*.

possumus, quod mare sicut naturaliter quotidie deserit littora, non contra naturam, quamvis longe aliter dissimili modo, Deo tunc gubernante, propria littora detexit.

CAPUT XXI.—*De carmine consono filiorum Israel.*

Considerantes igitur filii Israel validissimam potestatem, quam in sui liberatione Dominus fecit, Moyse præcinente consono carmine canticum Domino universi pariter decantabant (*Exod.* xv, 1-22). Ubi enormi satis admiratione accidit dignum miraculum, ut cuncti pariter senes cum pueris, et omnes ætates, eodem inspirati flamine, uno quasi ex ore, nulla præmonitione edocti, easdem concinenter litteras decantarent in unum. Sed naturæ inquisitor in hoc loco securus efficitur, ubi non consuetudine humani ingenii, sed divino Spiritu cantorum pectora et ora inspirantur. Sed in his tamen cantoribus nil idem Spiritus contra naturam effecisse dignoscitur, in quibus per ora et linguas halitus et vox ad verba movetur. Et quod per verbum et studium ipsi facere potuerant, consonum omnes carmen decantare in uno momento Dominus illis donavit. Et qui paulo ante profundum coram eis aperuerat, ipse postmodum in tale canticum eorum linguas et ingenia gubernabat.

CAPUT XXII. — *De aquis indulcatis in Marath.*

Inde per infecundæ avium digressi solitudinis, trium dierum continuo fatigati labore, querulosi ardore sitis, in Marath aquas amarissimas invenerunt; quarum salsitate prohibiti, suæ sitis habere solamen minime valuerunt. Sed Moysi a Domino lignum ostenditur, cujus tactu amara fluminis aqua indulcatur; ejusque dehinc dulci sapore populus sitis ardorem depotatus deposuit, quem illuc usque incessabiliter fervor fatigavit (*Exod.* xv, 23-25). Sed qualiter naturæ investigator naturaliter esse factum approbabit, quod amaræ aquæ in momento ligni attactu protinus indulcantur? Cujus ergo naturæ aut tantæ dulcedinis lignum fuisse videtur, quo semel intincta fluminis unda amarissima, suavis et sapida fit? Etenim si favum mellis aliquis nunc in amaram undam jecerit, nonne potius favus amarus, quam unda sapida erit? Ex quo intelligitur, non tunc lignum contra naturam aquam effecisse dulcem; sed præcepto conditoris et naturæ gubernatoris lympham mutavit in saporem. Nam et virga illa qua a Moyse mare Rubrum percutitur, et flumen et cœlum et terra flagellantur, quando terra Ægypti diversis plagis maceratur, non hanc in se naturæ virtutem habuit, cum eam Moyses vel Aaron ad hæc facienda elevavit, vel ut aquam fluminis in sanguinem verteret, vel etiam sciniphes de pulvere suscitaret, vel tenebras deduceret de cœlo. Si enim aliquis præter Moysen, et non cum Dei præcepto, mare iterum ex illa virga percussisset, pro certo ejus percussioni Thetis nequaquam cederet. Et si iterum aquas fortuitu percuteret, profecto illas nunquam in sanguinem mutaret. Sic et illam arborem per quam in Marath aqua salsa indulcatur, si in amarum liquorem aliquis intingeret, et non idem Deus ut primitus imperaret, pro certo non illam salsuginem in suavem saporem commutaret. Unde pervidendum est, quod non ideo Deus hæc ligna, vel etiam de fornace pulverem in his mirabilibus interesse præceperat, ut aliquid in illis per eorum naturam vel administrationem effectum fuisse quis credat. Sed per hæc futurorum mysteria præsignata esse instituit, ut quid in his nunc in Ecclesiæ provectibus ista faciant, sapiens doctor figurali expositione decernat. Dum autem lignum nihil in hoc naturaliter fecisse approbavimus, restat nunc ut quomodo per naturam factum sit, exponamus. Quodcumque ergo per studium quamvis longi temporis in re aliqua invenitur, non aliunde in eamdem per industriam ex aliena natura conducitur; sed cum in naturæ abdito recessu occultatur, prius hoc perplexi temporis industria, et alterius naturæ adjumentum reddit. Et quod per humanum seu etiam rerum effectum longo cultu efficitur; hoc Dei voluntate, cum necesse habet, ipsa natura operatur. Aquas igitur amaras, vel etiam ipsas salsissimas in dulcem saporem verti posse, frequenter nautæ comprobant, qui illas per humum optimæ terræ infusas, et hoc artificio etiam indulcatas, sæpe sitim temperant. Nubes quoque de marinis finibus vapores levant salsi liquoris, sed easdem dulces, quando pluunt, terrenis usibus ministrant. Quoniam salsuginis vitium quod in semetipsis aquæ insitum capiunt, per infusionem terræ aut nubium deponunt. Similiter quoque et dulces aquæ, cum eas homines per marinorum olerum cineres hauriunt, salsum et plusquam Oceani saporem reddunt. Hanc ergo immutationem insitam sibi naturaliter aquæ habent; sed celerius per præceptum Conditoris illam, quam per efficaciam humanæ diligentiæ et ipsarum rerum ministrationis exhibent. Per alterius enim rei adjumentum humana diligentia, vel ipsa cujusque rei ministratio, alicujus naturæ superficiem mutat; ipse vero creaturarum conditor et gubernator, naturam occultam, quæ per aliam rem manifestanda fieret, in re ipsa sola denudat. Sicut et nunc amara aqua dulcedinem quam in occulto suæ naturæ continuerat, per humum aut nubem ab amaritudine purgata, ostenderet; ita jussu gubernatoris potentissimi naturarum per se solam absque alterius rei juvamine exhibet.

CAPUT XXIII. — *De manna pluente de cœlo.*

Ingressi ergo solitudinem, hujus populi sexcenta ferme millia peditum pugnatorum, excepto purgamento exercitus, id est innumerabili et promiscuo vulgo quod de Ægypto conscenderat (*Exod.* XII, 37, 38), Deus per annos quadraginta manna, id est, cœlesti pane saturavit (*Id.* XVI, 14, *sqq.*). Denique de illo pane et Psalmista postmodum commemorans dixit, *Panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXVII, 25). Qui per noctem semper, excepta nocte sabbati, cum rore descendens, circa castrorum locum candorem nivis ostenderet. *Erat enim*, inquit Scriptura, *quasi semen coriandri, et coloris bdellii, album quasi nix* (*Num.* XI, 7). Hoc autem solis ortum sufferre non poterat, sed continuo liquefiebat; cum versa vice collectum et mola confractum, in coquendis panibus ignis ardorem sustentabat. Et si quis in mane alterius diei, residuum aliquid ex eo relinqueret, vermibus scatebat; cum tamen gomor mensura manna sanum post longa postmodum tempora plena Arca reservabat (*Exod.* XVI, 32). In quo et mirabili et necessario tunc signo, exceptis iis quæ ad figuralem expositionem pertinent, studiosis mentibus subveniunt, quæ suæ explanationis illuminationem Domini adjutorio exigunt. Primum enim utrum panis sit quæritur : et quomodo panis Angelorum vocatur : et si cibus ille nihil terrenæ naturæ habuisse describitur, quomodo adhuc in terra positi, et vitiis carnalibus subjecti ex eo homines sustentantur. Panis enim in Psalmistæ prædicto versiculo, ut prædiximus, cœlestis esse scribitur, qui de nubibus pariter cum pluvia tribuatur : quæ nubes, ut ante jam diximus, per Scripturas, cœlorum nomine vocitantur. Panis autem Angelorum cibus ille dicitur, non quod illo Angeli, qui cibo non egent, saturarentur, sed quod per Angelorum ministerium tale officium, sicut Lex et cætera populo præbebantur, quæ disposita per Angelos in manu Mediatoris tribuitur (*Galat.* III, 19). Qualiter ergo homines qualescumque sustentare potuisset, nisi terrenum aliquid in sua substantia haberet? Sed unde nubibus manna pluens terrenam substantiam habere monstrabitur, nisi forte aeris ipsius inferior pars terrenam aliquam naturam retinere ostendatur? Quomodo enim avium volantium corpora sufferre valuisset, si non terrenæ soliditatis aliquid aer contineret? Quapropter illa substantia et nubes fultæ terræ ipsius natura, etiam in nives et grandines congelascunt, qui pene duritiam lapidum contrahunt. Quid igitur hoc capacibus animis repugnat, si sicut nubes grandinis lapillos concipiunt, sic et mannæ grana gignere potuerunt; præsertim

cum ad terram veniens, veluti cum cognato rore, si illud sol ortus inveniret, quasi grando in terra liquescens deperiret? Atque ita fieri poterit, ut manna in terreni aeris hujus partibus genitum, terrenis hominibus præbuerit cibalem pastum. Ista etenim pars inferior aeris, terra etiam in Scriptura divina nominatur, dum in centesimo quadragesimo octavo psalmo, prophetali spiritu in Domini creatoris laudem omnes creaturæ incitantur. Sic namque consummatis his quæ ad superiorem ornatum cœli pertinent, cum ad partes aeris hujus inferiores venitur, taliter subinfertur: ***Laudate Dominum de terra***, etc., usque, *quæ faciunt **verbum ejus***. Ecce nunc crassiorem nubibus et vaporibus insertum aerem, terram Propheta nominavit, et antequam ad inferioris terræ, quæ postea subinferuntur, spatia perveniat. In illa ergo superiori parte terræ, ubi grando et nix gignitur, nascebatur manna, et in cibum inferioris terræ partis hominibus per Angelos administrabatur. Ex quo facile dignoscitur, non aliunde extra naturam quæsiisse, sed de terra Deus victum præparasse. Non quod Deus quotidie illis panem illum communem etiam in deserto præstare non posset, sed ut homo pastus de nubibus, sciret quia non in solo pane vivit, sed in omni verbo quod de Dei ore procedit (*Deut.* VIII, 3). Sicut enim naturæ imperavit, ut homo saturaretur pane, ita etiam de omni quacumque re, si ita illi jusserit, quomodo habebat et tunc de nubibus pluviam, victum habebit incolumem.

CAPUT XXIV. — *De petra percussa in Oreb.*

Idem quoque populus in deserto sitiens potamenti refocillationem postulavit. Unde Moyses princeps, Deo imperante, virga percussa petra in Oreb, aquam de petra produxit (*Exod.* XVII, 6). In hoc naturæ investigator in angustum redigitur, quomodo aquæ natura in duro lapide occultatur. De aqua vero in principio lapides factos, qualiter ignorat, qui crystalli naturam, nive per multum temporis congelante, in commutabilem lapidis duritiam procedere non ambigat? præsertim cum glebas non de terræ ipsius humo, sed de feni primitus incremento in summis arboribus vel scopulis sæpe consideramus, in quibus jam lapillos per pluviarum infusionem et ipsius feni in humum motionem genitos invenimus. Nonnullas quoque terras argillosas transfluentium aquarum assueto cursu superfusas in duritiam lapidum vidimus conversas: in quibus etiam duriores velut antiquioris ætatis lapides, quos ipsa humus prius in se habuerat, animadvertimus insertos. Qualiter jam nonnullis lapidibus quoque concavos ostreos, quos quando mollis humus fuerat, interpositos habebat, veluti suæ naturali duritiæ nunc insertos videmus. In cæteris quoque quos longe admodum ætatis mare ad terras projecit, superpositæ moræ nagarbæ [1] videntur, quas non de maris glarea elevatas, sed ex ipsa marini humoris qualitate, et eorum extrema corporum indurata cute admodum esse concretas, ipsa consideratione probamus. Plurima etiam marina reptilia testudinibus coætaneis induuntur, in quibus durities plusquam plurimorum lapidum videtur. Ex quibus omnibus manifestis approbationibus, lapides ex aqua tantum nunc, et nonnullos ex aqua et humo nunc genitos esse, doctus quisque non denegat; sicut et lacrymosi marmoris natura et consuetudo indicat. Satis etiam natura de liquore in lapidis duritiam concreta vertitur, et iterum in liquorem solvi contuetur. Lapis quoque, ut Job libri narrat historia, resolutus calore in æs convertitur (*Job* XXVIII, 2); quod non potest, nisi prius in liquoris naturam moveatur. Præterea quoque omne metallum quantæcumque duritiæ fuerit, quamvis liquidæ naturæ esse non pateat [2], igne resolutum liquescit. Dum ergo ex aquæ humore lapidum natura gigni comprobatur, quid obstat si Dei gubernatoris voluntate lapis in aquam versa vice mutetur, ut natura ad suam originem redire festinet, cum Deus aquam de petra populo suo præberi jubet?

CAPUT XXV. — *De filiis Moysi, quare ducatu Sacerdotum privati sunt.*

Post hæc quoque Moysi cognatus, cum Sephoram illius Moysi uxorem et duos filios ejus detulerat, ocius ipsi in occursum Moyses per desertum exire festinat. Cujus consilio quamvis gentilis, tamen cum ad castrorum locum venitur, tribuni et centuriones et quinquagenarii et decuriones in Dei populo constituuntur (*Exod.* XVIII, 5-7, 21, 22). Sed de Moysi filiis quæstio nascitur, cur patris sui in ducatu populi hæredes non sunt, sacerdotio saltem privantur, dum per Psalmistam dicitur, *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus* (*Psal.* XCVIII, 6). Hæc tamen quæstio rationem dando vincitur, cum filii Moysi de gentili matre peregrinationis causa generantur. Sic etenim de Moyse, cum primogenitum genuisset, refertur: *Et vocavit nomen ejus Gersan, dicens, Quia advena fui in terra aliena* (*Exod.* II, 22).

CAPUT XXVI. — *De jejunio quadraginta dierum.*

Interea invitatus Dei famine Moyses, quadraginta dies jejunavit, et liberato Dei populo de Ægyptiorum decem plagis, quinquagesimo die, ex quo in Ægypto Pascha celebratum est, decem mandatorum legem de monte Sinai in duabus lapideis tabulis detulit (*Exod.* XXIV, 12; XXXI, 18). Quas, cum offensus esset populi peccantis piaculo, ad montis radices confregit (*Exod.* XXXII, 19). Restauratisque totidem numeri ejusdem materiæ tabulis, rursus quadraginta diebus jejunus, Dei largitoris munere, eadem præcepta recipere meruit (*Id.* XXXIV, 28). Sed per hoc tempus contra consuetudinem humani moris, bis taliter, ut prædixi, nullo fatigatus inediæ labore, nullam terrenæ conversationis escam manducavit; quoniam divini sermonis consortio fultus, tam longam inediam sine esurie sustinere potuit.

CAPUT XXVII. — *De populo carnes postulante.*

Præterea carnium concupiscentia infidelis populi pars flagrans murmuravit, et mannæ cœlesti ollas carnium Ægyptiorum præposuit. Sed et Moysi cum esset intoleranda res visa, Dominus, *Populum*, inquit, *sanctifica crastino: ego enim illos mense integro carnibus saturabo.* Cui imbecillitate incitatus humana Moyses, *Sexcenta millia*, respondit, *peditum pugnatorum, excepto innumerabili vulgo hujus populi numerantur: numquid boum et ovium immensa multitudo cædetur, aut ad saturationem innumerabilis turbæ pisces maris in unum congregabuntur?* Et idcirco ut nihil de iis, quæ Moysi mens fragilis, utpote humana arripuit, in pastum populi cederet. *Ventus a Domino egrediens, arreptas trans mare coturnices, ad castrorum loca detulit, easque duobus cubitis in aere volantes circa castrorum loca, quantum una die confici potest.* Ortygometram inseruit (*a*): quam populus colligens, mense integro, id est, triginta diebus comedit. Sed incredulos murmurationis ultio consequitur. Nam in illo loco, priusquam populus egrederetur, qui concupierant, ira dominica mactati sepeliuntur (*Num.* XI). Certe in hoc nihil novum vel contra naturam a Domino contribuitur, qui olim creaturam avium conditam, et in abdito mundi quodam angulo reconditam, in necessitate populi sui præstare videtur. Quamvis in libro Sapientiæ scribitur, *Novam creaturam avium viderunt* (*Sap.* XIX, 11): nuper utique ostensam, non nuper creatam. Quod olim Deus cum cæteris creaturis in principio condidit, hoc in tempore necessitatis plebi suæ ministravit. Sed tamen idcirco coturnices ad tale ministerium, quæ prius cum manna contributæ nihil adversi edentibus contulerant, ista vice iterum detulit, ne quisquam putaret, quod esca avium sine murmurationis culpa mortem populo præstitit: quoniam et in hac vindicta sana conscientia comedentes incolumes servavit; et quando cum manna data est, toti multitudini nihil incommodi præbuit.

[1] Ms. Aud., *roccæ nagarba.*

[2] Ms. Aud., *quatenus liquidæ naturæ esse pateat.*

(*a*) *Ortygometra*, genus coturnicis insigni magnitudine.

CAPUT XXVIII. — *De Æthiopissa uxore Moysi, et lepra murmuratricis Mariæ.*

Postmodum propter Æthiopissam ejus uxorem, Aaron et Maria contra Moysen insolentia verba depromunt, quem omnium qui tunc in terra morabantur, mitissimum hominum Spiritus sancti dicta describunt. Sed cum tres tantum illos in tabernaculum vocasset, Aaron castigatus Dei sermone, oleo unctionis a vindicta defenditur; Mariæ vero lepræ candore corpus maceratur, quapropter etiam extra castra manere præcipitur. Sed orante pro ea Moyse, septimo die iterum revocatur sana (*Num.* XII). At vero de ista Moysi Æthiopissa conjuge duplex magistrorum invenitur intentio: utrum de Æthiopia cum esset in domo Pharaonis, de qua quadragenarius egreditur, acceperit, quæ per multos peregrinationis ejus dies illum exspectavit; an signorum tempore, cum post peregrinationem in Ægyptum reversus est, Æthiopissam uxorem sibi junxerat, quam de Æthiopia secum et per desertum ducebat; an æque de Sephora dicitur quod Æthiopissa sit, quando ad aquilonem maris Rubri, ubi prius Æthiopes fuerunt, Æthiopiam alteram esse in multis locis historiarum Scripturæ describunt. De qua in ecclesiastica historia scribitur quod ex parte Indiæ adhæret. Et in Chronicis Canonicis Eusebii refertur (*a*), quod Æthiopes ab Indo flumine consurgentes juxta Ægyptum consederunt. Ex quo intelligitur, quod terra illa in qua primitus Æthiopes habitaverunt, Æthiopia dicta esse potuerit; ex qua Æthiopia si Moyses uxorem suam acceperat, ideo Æthiopissa dicta fuerat.

CAPUT XXIX. — *De Chore et Dathan et Abiron.*

Chore quoque filius Issaar de tribu Levi, patruelis Moysi et Aaron; et Dathan, et Abiron filii Eliab; et Hon, filius Phelech de tribu Ruben, et præterea ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, qui tempore consilii per nomina vocitabantur, supercilioso superbiæ tumore contra Moysen et Aaron steterunt. Etenim Chore vindicare sibi sacerdotium voluerat, et reliqui alii de principatu populi contendebant. Sed illum qui ignem holocausti Deo non præcipiente offerre appetivit, holocausti tempore, cœlestis ignis cum his, qui ad eum pertinebant, absumpsit; et eos qui se in excelsum elevantes Dei ordinationi resistere cœperant, sub pedibus eorum terra dehiscens, aperto ore in infernum deglutiens, voravit (*Num.* XVI, 1-36). In quibus manifeste ostenditur, quod tantumdem sensibiles et insensibiles creaturæ Dei dicto obediunt; dum quemadmodum viventes celeriter cum ejus imperio veniunt, ita et quæ non vivunt, velut viventes, quod præcipitur peragunt. Sed quamvis quasi vivens terra illud vindictæ officium peragit, contra naturam tamen in illo nequaquam aliquid fit: vitam enim insensibilem terra habere indubitanter dignoscitur, per quam in se crescentia arborum et olerum fruteta moveri videntur. Unde quasi in vivente carne palpitantes venæ sanguinis discurrunt, ita etiam per terram viventium aquarum rivi profluunt: per quam vitam insensibilem Deo imperante terra os suum aperuit, quando hominum peccatorum, quasi serviens in ministerio vindictæ, tabernacula voravit.

CAPUT XXX. — *De plaga, quæ descendit in populum, quando Moyses fugit in Tabernaculum.*

Sequenti itidem die totus populus contra Moysen et Aaron, quasi sanguinis reos consurrexit, eosque in eorumdem ultionem occidere voluit. Sed hic uterque, Moyses videlicet et Aaron, ad tabernaculum Dei diffugiunt, et iterum in rebelli populo cœlestis flamma desævit. Rursumque Aaron imperante Moyse, impleto altaris igne thuribulo, foras in populum venit, et inter vivos et mortuos digredientis vestigium vindicta non transivit. Recto in utroque moderamine effecto, ut qui contra justos principes iracundiæ igne intus exarserant, foris justissimæ vindictæ flamma conflagrarent: et qui in corde proximorum culpas veniabiliter dimiserat, ejus vestigio defensos ignis de cœlo missus urere non audebat. Illa autem die quatuordecim millia ignis ille consumpserat (*Num.* XVI, 41-49).

(*a*) Ad annum mundi 3580.

CAPUT XXXI. — *De virga Aaron, quæ fronduerat.*

Quos etiam rebellionis reatus gravius perurgebat. Attamen cessante tumultu, ut singuli manifestius scirent, quem sibi Dominus in sacerdotium eligeret, singulorum ex duabus et decem tribubus principum virgas insertis nominibus Moyses postulaverat, et pro sorte Leviticæ tribus Aaron virgam inserto nomine acceperat, quas in conspectu Domini sub tabernaculi tecto una nocte recondit. Crastino autem mane Aaron virga gemmulas amygdalini floris ostendit, quo patebat Aaron præ omnibus in sacerdotium Deum elegisse (*Num.* XVII, 1-8). Nec tamen in hoc contra naturam virga monstratur aliquid effecisse.

CAPUT XXXII. — *De petra bis percussa in Cades.*

Interjecto tempore dehinc populus sitiens in Cades deserti Sin, murmure gravi contra Moysen et Aaron tumultuabat. Quæ res dum ad Dominum per Moysen refertur, virga percuti petra præcipitur. Sed Moyses infidelis populi murmure permotus, etiam de præcepto Domini fide titubavit, coramque populo cum Aaron bis petram percussit, largiterque fluentes aquas sitiens populus bibit. Sed hac causa Moyses terram repromissionis non intravit (*Id.* XX, 2-12). Semel in Oreb petra percutitur, ubi tantum populi infidelitas notatur (*Exod.* XVII, 6). In Cades autem deserti Sin saxum bis cæsum pulsatur: ibi namque infidelitas in populo et in duce dignoscitur.

CAPUT XXXIII. — *De serpente æneo.*

Itidem murmurante populo ignitos serpentes flatuque adurentes in eum Dominus immisit, quorum flatu adustos plurimos murmuratorum necavit. Cæteri autem intereuntium pœna territi, et animo pœnitente ad satisfactionem inclinati, ad Moysen et ad Dominum clamaverunt, ut hæc ab eis plaga cessaret. Et idcirco flexus pœnitentium lacrymis Dominus Moysi jubet, ut serpentem æneum virga in excelsum coram populo elevaret. Quo facto statim serpens æneus erigitur, et per illius aspectum priorum serpentium vulnera curabantur (*Num.* XXI, 5-9). Attamen quemadmodum et de virga diximus, et arbore qua amara aqua indulcatur, non in serpente salus, sed in Domini imperio tenebatur. Quidquid enim ipse præcepisset, illud tunc in populo salus esset. Sed historia præcedentium rerum in figura, virtus nunc in Christo et in Ecclesia continetur.

CAPUT XXXIV. — *De Balaam et asina ejus.*

Balach filius Sephor, cum in terram suam Israel venisse comperisset, nuntios misit, ut Balaam hariolum invitaret, ut populo Israel malediceret. Qui cum sedens super asinam pergeret, et asina angelum in angustiis stantem evaginato gladio videns timuisset, ter cæsa demum domino substitit. Unde amplius flagellata humano more et sermone, quasi querulosa ancilla, loquitur. Et illa loquente, statim Balaam oculi, ut angelum cerneret, aperiuntur (*Num.* XXII). In hoc admirabili signo quamvis asina competentia sibi verba profatur, non tamen sua mente nec affectu suo loquitur; sed Dominus de quo dicitur, *Et aperuit Dominus os asinæ*, sicut ad loquendum os aperuit, ita etiam linguam et palatum in verba gubernavit. Asina enim quid et quomodo diceret, et si aliquid diceret, omnino nesciebat. Quoniam et homines qui alieno inflati spiritu loquuntur, et adhuc cum loquuntur, quid dicunt nesciunt, et nihil ex eo recordantur cum resipiscunt. Sed qui loquendi modos et in nubibus et in igne sæpe invenit, et in ore muti animalis linguæ plectrum in verba gubernavit. Ex quo intelligimus nihil in natura asinæ Dominum commutasse, sed per aerem oris ejus, illa etiam ignorante, prophetæ ignorantiam compescuisse: quatenus Domini Spiritus etsi in se loqueretur, elatus in superbiam non esset, qui frequenter, et per res insensibiles, et brutum et mutum et subjectum sibi animal, eumdem loqui compulisset. Quoniam Spiritus Dei ubi vult spirat (*Joan.*

III, 8), etiamsi voluntati ejus qui loquitur, minus conveniat. Sicut et Saül prophetas occidere volens, mala incitatus voluntate venerat, et tamen Spiritu Domini arreptus, inter eos quos persequebatur, prophetabat (I *Reg.* XIX, 24). Unde et ipse Balaam ad maledicendum deductus, et illud volens implere, non maledicere Dei populo potuit, sed contra voluntatem suam a Domini Spiritu coactus est benedicere (*Num.* XXIII). His ergo duabus causis Balaam venire a Domino permissus est, ut per mutum animal ejus insipientia confutaretur, et adventus Christi per prophetam gentilem, qui futurus erat gentium Salvator, in lege Dei scriberetur. In omni populi Israel itinere columna nubis per diem nunquam defuit, nec coram populo columna ignis per noctem (*Exod.* XIII, 21, 22), ut noctis frigore defensi, et a tenebris illuminari pergerent cum igne. Et a calore solis protecti fuerunt in die sub nube. Quem Dominus custos Israel vere protegit, nec sol per diem nec unquam luna per noctem exurit.

CAPUT XXXV. — *De Moyse pergente in montem Abarim.*

Quadragesimo anno egressionis filiorum Israel de Ægypto, quadragesima secunda mansione in campestribus Moab super Jordanem populus sedit, ubi Moyses Deuteronomium, hoc est, iterationem Legis prædicavit (*Deut.* I, *sqq.*) : et postea constituto pro se in ducatu populi Jesu filio Nun ex tribu Ephraim (*Id.* XXXI, 7), imperio Domini in montem Abarim (transituum), in montem Nebo solus ascendit, ubi centesimo et vigesimo ætatis suæ anno, nec motis dentibus, nec caligantibus oculis, integro corpore, totius humani generis commune debitum solvit (*Ibid.*, 34). Duabus autem causis, ut sapientes aiunt, mortis ejus et sepulcri nemo conscius erat, quatenus illam faciem, quæ consortio sermonis Domini rutilaverat, mortis mœrore repressam, nullus videret; et ne sepulcrum ejus populus Israel, si cognovisset ubi esset, adoraret. Unde et virgam in qua signa fecerat, ut plurimi putant, ne adoraretur secum abstulerat; quoniam et serpentem quem fecerat, filii Israel postmodum adorabant. Omnis autem illius ætas in tres quadragenarias partes dividitur. Quadraginta enim annis in Ægypto in domo Pharaonis ab infantia litteras didicit. Quadraginta annis exsul ex Ægypto in domo sacerdotis Madian fuit. Et quadraginta annis per desertum ducatum populo præbuit. Certe et nos consummatis his quæ de Pentateucho historica narratione comprehendimus, primi libri finem de Mirabilibus hic facere conveniat, ut secundus de Prophetia scilicet excerptus, ab Jesu filio Nun et Jordane initium sumat.

LIBER SECUNDUS.

De Prophetia.

CAPUT PRIMUM. — *De Jesu filio Nun, et dirempto Jordane in transitu populi.*

Cum autem Moyse egrediente, Dei populi gubernationem Jesus filius Nun suscepisset, confortatus sermone Domini, de campestribus Moab ad Jordanis fluvium castra moveri jubet : ac deinde cum arcæ testamenti onere decorati, reliquam plebem præcedentes sacerdotes primas undas ingrederentur; ab illo loco ubi steterunt usque ad mare, omnis fluminis alveus aquis suis confestim nudatus, superiorque aquarum moles quæ de fontibus augebatur, sursum in aera montabat, quousque omnis Israel siccis pedibus alveum fluminis transierat (*Josue* III, 14, *sqq.*). In cujus miraculi testimonio duodecim lapides, quantos duodecim viri portare poterant, de ima glarea Jordanis portati sunt in locum castrorum, et totidem tanti ex his quos terra sicca continuerat, positi sunt in eorum locum (*Id.* IV, 9, 10). Certe et in hoc signo propositi operis nostri causa requiritur, qualiter arcam Domini fluvius naturaliter præterire non permittit. Ita enim aquarum pars quæ ad mare perrexit, naturæ suæ cursum consuetum consequitur, dum altiora deserens, per prona proprio more fluminis paulatim delabitur. At vero humana industria alveos fluminum nudatos legimus et audivimus, quomodo Cyrus imperator Persarum exercitus super Gangem fluvium, qui est secundæ post Euphratem quantitatis, illa expeditione qua Babyloniam expugnavit, dicitur esse castrametatus. Ubi charissimum et virorum et equitum, equitem transmeandi fluminis audacia persuasum, rapacis alvei vortex demersit. Quo facto, rex incredibiliter iracundiæ furore adversus fluvium permotus, velut in sensibilem creaturam ulcisci statuit : ac immensum amnem perpeti anno totis viribus in quatercentas sexaginta fossas divisit; nudatoque alveo, meabilem vix genua tingentibus feminis reliquit. Unde eodem exercitu et rege eadem expeditione Babyloniam obsidente, excelsissimo murorum objectu ab expugnandi molimine repulsi, ad Euphratis fluminis perfluentis superiora vada convertunt. Illa, autem prædicta arte edocti, per alienum limitem divertentes, per ejus nudatum alveum Babylonis murum subintrantes, urbem capiunt. Quod ergo humana industria laborioso conamine potuit, hoc Deus potentiæ suæ virtute facilius peregit. Sed forsitan quisquam dispariter respondebit hoc factum esse, dicens, Illic enim fossuræ opus alveos aquarum per humiliora divertit; hic vero stans aqua, nullo renitente ad aeris sublimia conscendit. Sed et hoc nonne humana diligentia sæpe efficit, et ab oppositis vallibus aquas in excelsum montare, et ad fontes redire offensas compellit? Quod vero homines velut terreni, de terrena crassa materia frequenter faciunt; quomodo Angeli tunc, quorum officiis hæc omnia mirabilia peraguntur, per aerem facere non potuerunt? Cum sit naturale aeris opus et proprium officium aquas retinere in nubibus : et ut docti indoctique pariter norunt, quotidiana administratione retinet; ita tunc Deo jubente fluminis cursum prohibuit, ut per illius fluenta arca Dei et sacerdotes transirent.

CAPUT II. — *De calceamentis et vestibus filiorum Israel.*

Terram igitur repromissionis post longi laborem itineris ingressi, de fructibus Chananitidis regionis populi turba comedit, et mannæ de nubibus esca ministrari desinit (*Josue* V, 12). In hoc tam longo itinere admiratione dignum accidit illud, quod per quadraginta annos nullius ex omni populo calceamentum aut vestis defecit (*Deut.* XXIX, 5). In quo Dominus non naturam novam in calceamentis et vestibus condidit, sed olim conditam conservavit.

CAPUT III. — *De subversione Jericho.*

Inde Jordanis ripam egressis, urbs Jericho prima ex Chananitidis civitatibus occurrit. Quæ lustrata circuitu dierum septem, quasi arcæ dominicæ et exercitus expavescens adventum, cito corruit. In quo circuitu nullo armorum suffragio usus est victor populus, sed ad clamorem in gyro sonantem murus erat usque ad fundamenta dirutus (*Josue* VI, 20). Ubi nihil extra naturam esse factum gesta res ostendit. Siquidem et hoc terræ motibus esse factum frequenter Scriptura denuntiat. Quomodo et in famoso illo terræ motu centum Lybiæ urbes corruerunt, et in terræ motu dominicæ passionis undecim in Thracia subversæ sunt. Præterea quoque quod humani actus efficacia congerit, hoc alterius destruentis vel etiam senectu-

tis tempus consumit. Attamen hæc dicentes, non casu accidisse murorum Jericho ruinam, ostendimus; sed nec contra naturam sicut aliquid in miraculis factum ostendemus. Hoc enim sicut et cætera ministrari angelico opere designavimus, Dei jussu effectum fuisse non dubitamus.

CAPUT IV. — *De sole et luna stantibus ad imperium Josue.*

Post hoc quoque Chananæorum quinque regibus in unum congregatis ut pugnarent adversus filios Israel, cum ex adverso miscerentur cohortes, et victoria in Dei populi partem concederet, Jesus filius Nun princeps populi Israel soli in medio die præcepit ut ne se moveret, et lunæ ubi fuerat staret, donec se Dei populus de inimicis vindicaret, quod et factum est. Nam sol duos dies in uno conclusit, et luna diei spatio non occurrit. In qua jussione non humani imperii auctoritate luminaria requiescunt, sed Domini imperantis ut starent, jussui obediunt. Nihil enim propter jubentis hominis verbum Dei creaturæ faciunt, sed quod Dominus servi sui orationi obediens præcepit, hoc efficiunt. Sic enim perscribitur : *Sol stetit contra Gabaon, et luna ad vallem Hailon, obediente Domino voci hominis* (*Josue* x, 12-14). Ex quo intelligitur Deum servorum suorum precibus obedire, et ad eorum necessitatem creaturas suas opportune gubernare. Hæc luminarium mora nihil novum in natura commisit, etsi in ministerio aliquid varium ostendit. Sed et illa varietas nihil in anni cursu et reliquorum dierum commovit, dum pariter sol et luna unumquodque in suo ordine requievit. Si enim unum luminare curreret, dum alterum interim requiesceret, dierum et mensium et annorum assuetum cursum conturbaret. Dum autem utrumque moram hanc habuit, quasi post consuetum diem in occasus sui limitem perrexit. Non enim quod ad belli illuminationem luna tunc in præsentia solis proficeret, stare imperatur; sed ne quid in congruo luminarium meatu per unius quietem et alterius cursum destrueretur. Sed quoniam et maris cursum lunari convenientem esse in omnibus evidenter monstravimus, et illum tunc requievisse, etsi Scripturæ vocibus reticetur, nonne ipse illarum rerum pronuntiat observabilis commeatus? Luna vero non tantum in hac statione requieverit, sed et incrementi vel decrementi sui interim consuetudinem agere non potuit. Si enim dum stetit luna, licet stans, sua incrementa vel decrementa ageret; illud incrementum lunare ultra solis cursum in cyclorum rationibus aliquid turbaret. Dum vero nihil in circuli in se revertentis cursu dies illa solito longior præbuit, tunc manifestum est, quod in illa superveniente vespera, unius diei incrementum luna, sicut quotidie solet, gessit. Ut enim hoc manifestis approbationibus pateat, cyclorum etiam ab initio conditi orbis recursus in se breviter digeremus, quos semper post quingentos triginta duos annos, sole ut in principio, et luna per omnia convenientibus, nullis subvenientibus impedimentis, in id unde cœperant, redire ostendemus. Quinto namque cyclo a mundi principio, anno centesimo quarto decimo, generale totius mundi diluvium sub Noe venit, qui post diluvium quadringentesimo decimo octavo anno defecit : et inde alius incipiens, id est, sextus, in octavo ætatis Abrahæ anno finitur. Et nono ejus anno septimus incipiens, trigesimo quinto anno egressionis filiorum Israel de Ægypto, quinquennio ante mortem Moysi concluditur. Post quem octavus, in quo est illud signum in sole et luna factum, trigesimo sexto anno egressionis Israel de Ægypto incipiens, in trigesimum primum annum Asæ regis Juda incidit. Cujus trigesimo secundo anno nonus exordium capiens, in quo et aliud signum in sole, Ezechiæ regis tempore, de quo paulo post dicemus, factum legitur, centesimo octavo anno post templi restaurationem, quæ sub Dario facta est, sui cursus spatium consummavit : donec decimus inde oriens nonagesimo secundo anno post passionem Salvatoris, Alia et Sparsa (*a*) consulibus, peractis cursibus consummatur. Post quem undecimus a consulatu Paterni et Torquati ad nostra usque tempora decurrens, extremo anno Hiberniensium moriente Manichæo inter cæteros sapientes, peragitur. Et duodecimus nunc tertium annum agens ad futurorum scientiam se præstans, a nobis qualem finem sit habiturus ignoratur : quorum unusquisque uniformi statu, peractis quingentis triginta duobus annis in semetipsum, id est, in sequentis initium revolvitur, completis videlicet in unoquoque solaribus octovicenis nonodecies, et in lunaribus decemnovenalibus vicies octies circulis. Post quos et in lunari supputatione per communes duodecim et embolismos septem, per ogdoadem et hendecadem et incrementum lunare, quod computatores saltum nominant; et solari per quadrantes et bissextos diligenter dinumeratos, demum duobus luminaribus totidem dies habentibus, et per cursus sui omnes lineas concordi ratione convenientibus, veluti primus conditi orbis annus innovatur. Dum ergo hi circulorum totales recursus in se congrue, et post illos cyclos quibus in sole et luna moræ vel reditus signa, quomodo sub Jesu vel Ezechia factum legitur, apparuisse describitur, sine ulla varietate redeunt; manifeste intelligitur, quod non mora illa aut reversio aliquid in luminarium et temporum assueto cursu præpeditum vel insolitum reliquerunt; sed quasi per diem omnem in occasus sui, ut supra dixi, limitem currunt, postquam illius solito longioris diei spatium peregerunt. Per quod videtur quod nihil ad sequentis noctis longitudinem temporis illa dies longa contulerit, cujus princeps pariter in die cum sole diei præposito luna requievit.

CAPUT V. — *De Gedeone et duobus signis.*

Itaque purgata funestis habitatoribus Chananitidis regione, in Dei populi deditionem ipsa a Domino terra tribuitur. Qui postmodum pacis otio resolutus, in idolorum terræ illius et reliquarum in circuitu nationum cultum pervagatur. Propter quod gentibus sæpe, quarum idola ipse colebat, potestate a Domino concessa, mancipium servire tribuitur. Sed captivitatum et servitutum laboribus durissimis afflictus, frequenter a Deo per pœnitentiam veniam precabatur : ad cujus liberationem, pœnitentium lacrymis sedatus ille, judices suscitabat, qui de servitutis jugo plebem eruentes, nequaquam potentiæ dominio, sed arbitrorum jure præfiebant (*Judic.* II, III, IV). Quorum temporibus dum Madianitis serviret populus, Gedeoni filio Joas cœlestis nuntius apparuit, illumque destructo idololatriæ ritu, de plebis suæ liberatione commonuit. In cujus conspectu dum Gedeon oblationem componeret, desuper carnis jus fundens, cœlestis ignis holocaustum absumpsit. Et iterum postulanti signum siccitas in omni terra, et ros in solo vellere; et rursum siccitas in solo vellere, et ros in omni terra fuit (*Id.* VI). Sed hæc quamvis socientur numero mirabilium, nihil tamen velut novum ostendere videntur in ministratione rerum. Quoniam et cœlestis ignis res terrenas, ut sæpe diximus et dicemus, frequenter devorat; et alternatim in mundo per partes nimbus rorat. Sed tamen multa talia de mirabilibus Scripturarum subveniunt, quæ etsi in rebus gestis diligentem explanationem non exigunt, figurarum tamen præsignatione in rerum spiritualium intelligentia referta sunt. Sed quoniam in opere isto rerum tantummodo gestarum intellectum prosequi disponimus, hoc licet memoriæ causa statim historialiter numero mirabilium inseremus. Quæ etiamsi sæpe fortuito casu Dei voluntate in rebus proveniunt, terribilius tamen et celerius et certius et mirabilius in signi alicujus ostensione per Domini imperium gubernata et ostensa sunt. Unde cum historialiter in holocausti hac concrematione, non terrestri igne, sed cœlesti flamma hoc ostendebatur, quod futurum tunc bellum non humanis viribus, sed cœlesti auxilio proficeret; et

(*a*) Pro, Aviola et Pansa.

ros prius demonstrabat in solo vellere ostensus, quod divina miseratio, quæ tunc in Israel fragili et molli populo fuerat, ignitas gentium iras, sicut aqua ignem, possit exstinguere.

CAPUT VI. — *De Samsonis fortitudine in capillis.*

Iterum cum Philistæis serviret Israelitica plebs, Manue filii Saruch de tribu Dan sterili uxori primo, deinde ipsi Manue Dei angelus prophetali habitu apparuit; eosque de filio qui illis esset nasciturus, qualiter foret educandus edocuit, quatenus ne unquam novacula caput ipsius transiret, et siceram et vinum et omne quod inebriare potest, non biberet. Cui cum Manue nesciens esse angelum, prandium voluisset præbere, angelus inquit, *De cibis tuis non comedam; sed Domino, si vis, holocaustum compone.* Quod cum Manue illo præcipiente composuit, cum igne holocausti coram eis statim angelus in cœlum ascendit (*Judic.* XIII). Et hic terrestris holocausti ignis de terra in cœlum ascendens demonstraverat, quod per nascituri hominis fortitudinem Deus populi liberationem præparaverat. Natus igitur Samson, juxtaque imperium Domini nutritus, maximam fortitudinem in septem sui capitis crinibus habuit. Quod pro certo probatum est, dum eisdem nudatus aliquando etiam virtutem amisit. Nam cum Dalilam in valle Sorecti mulierem de regione Philistinorum alienigenam adamaret, et illa pecuniam a Philistinis principibus, quibus Samson multa mala fecerat, proditionis ejus mercedem accepisset, ipse poscenti fortitudinis suæ mysterium in capillorum suorum conservatione fieri indicavit. Et illa dormientis in sinu suo, vocato rasore, caput totondit. Perductusque Samson a Philistæis, oculis orbatus, molam manu vertebat, donec capilli illius ad priorem longitudinem creverunt. Deinde Philistæis epulantibus, ut inter epulas Samson illuderetur, adducitur; et ipse puero regenti gressus dixerat, ut se ad duas columnas perduceret, quibus tota domus imminebat, quatenus super veluti illas lassus reclinaretur. Quibus ambabus utraque manu apprehensis, invocato in auxilium Deo, totam domum concussit. Quæ cito corruens, tria Philistinorum millia pariter cum ipso Samsone prostravit (*Id.* XVI). Sed naturas investigantibus, quæstionem non minimam incutit, quomodo totum sensibile corpus in insensibili capillo motum fortitudinis habuit; cujus damnum doloris sensum nequaquam intulit, cum illum tonsor a reliquo corpore ferramenti aculeo divisit. De Samsone ergo, priusquam nasceretur, a Domino præcipitur, ut capillus illius nunquam ferri acumine vel alicujus aculei tonderetur (*Id.* XIII, 5). Quamdiu igitur in mandati divini custodia permanserat, Spiritus sancti munere maximam fortitudinem habebat. Unde cum muliebri persuasione præcepti dominici transgressionem adinvenit; etiam spirituale fortitudinis donum, quod habuerat, statim recessit. Non quia in insensibili capillo ossium, et carnis, et sanguinis, qui nihil ex his habet, virtus inerat: sed mandati dominici observatio donum fortitudinis observabat. Sed fortasse aliquis dicet: Quare ergo cum capillis iterum fortitudo illius succrevit, si non in capillis etiam prius robur habuit? Attamen etiam hac vice, non tam in longo capillo amissam virtutem recuperabat, quam donum spirituale, quod negligens amisit, afflictus pœnitentia crescentibus capillis paulatim impetrabat; præsertim cum in hujus mandati transgressione ex parte licet aliqua excusabatur, quamvis suæ virtutis Dalilæ petenti mysterium dicere non negavit, non tamen se impetrante, vel concedente, vel consentiente tondetur. Unde afflictus postea a Deo impetravit facilius, quod non sponte, sed dormiens seductus amiserat.

CAPUT VII. — *De arca Domini in terra Philistiim.*

Inde post non parvum temporis, filiis Israel mandatorum transgressione Deum offendentibus, incitata Philistinorum agmina ad bellandum contra eos conveniunt. Et filii Israel de se nihil confidentes, arcam testamenti Domini in exercitu suo in pugnam contra adversarios conducunt. Sed Legis transgressores nequaquam Legis arca tuetur, victo potius et deleto ex parte populo, ab alienigenis ipsa capitur. Qui victoriæ munere lætantes, in terram suam eamdem captam perducunt, et veluti triumphi hujus auctorem, juxta Dagon deum suum, arcam Dei Israel in templo statuerunt. Sed primo die Dagon coram arca prostratus repertus, iterum in loco suo restituitur. Crastino vero fracti ad limen in centum partes, capite et manibus, spina dorsi ejus truncata reperitur: quod fugientem idololatriæ, in adventu dominicæ legis, cultum monstrabat. Qui enim fugiunt, persequenti dorsum dant. Præterea quoque tota Philistæa fœda admodum plaga percutitur: nam et extales eorum foras prominebant, et ingens soricum et insolens copia per totam provinciam diffundebatur (I *Reg.* IV, V). Convenienter quippe Dominus illis utramque pœnam præstaverat, qualem rerum ipsarum conveniens ratio exigebat: quatenus qui misera animalia divino cultu venerabantur, per miserrima animalia in adventu dominicæ legis castigarentur; et qui tabernaculi Domini interiora, id est, arcam extra limites suos protraxere, hi interiorum suorum foras prominentium fœda affligerentur clade. Quapropter quando plaustro novo impositam duabus fetis vaccis vehendam, quæ jugum antea non portaverant, teneris domi vitulis mugientibus, ad fines suos redire arcam permiserunt, quinque mures et totidem anulos aureos indices plagarum suarum, quatenus ne eam vacuam remitterent, juxta eam in capsella posuerunt (*Id.* VI, 10, 11). Sed in his multiplex figurarum intelligentia latet, quæ proprii operis industria, et temporis otio indiget.

CAPUT VIII. — *De cœli fragore quo territi sunt Allophyli.*

Iterum quoque infinita Philistinorum agmina, quasi arena maris innumerabilia, per plana se terræ Israel effuderunt, quæ Dominus Samuele orante a facie filiorum Israel ingenti cœli fragore perterrebat (*Id.* VII, 10): quatenus per hoc et Israel non propria virtute vicisse intelligerent; et hostes Dei protectionem, et auxilium erga hunc populum esse scirent.

CAPUT IX. — *De vocibus et pluviis quando Saül ordinatus est.*

Itidem Samuele invocante Dominum, cum populus sibi regem peteret, et Saül filium Cis de tribu Benjamin in Dei famine jussus Propheta ordinaret; Dominus per pluvias et horribiles voces intonuit, quibus plebs, quæ audierat, se Dominum repulisse ne regnaret sibi, intelligeret: quos fragores per Samuelis iterum Dominus deprecationem compescuit, postquam populi de hac re pœnitudinem intus aspexit (I *Reg.* XII, 18, 19).

CAPUT X. — *De Saül prophetante inter prophetas.*

Saül invidiæ stimulo suscitatus, et malo spiritu sæpe arreptus, cum David occidere vellet, et ipse David tunc cum Samuele et cæterorum prophetarum cuneo prophetaret; misit nuntios, et ipsum interficiendum de medio prophetarum rapere jubet. Sed illos, protinus ut adveniebant, spiritus qui in prophetis loquebatur, arripiebat. Ipse quoque Saül quasi injunctum famulis opus tertiis acturus post eos exiens, cum inter prophetas venerat, prophetabat (*Id.* XIX, 20, *sqq.*). Diximus autem cum de Balaam et asina disseruimus, quoniam Spiritus sancti verba, non dicentium merito pensantur, sed ipsius voluntate ubicumque voluerit proferuntur: per quod tamen proferentium ea merita non in melius augentur, si bona non habent opera, sicut in Balaam, et Saül, et Caipha pontifice. Unde tales prophetæ in judicio, *Nonne in tuo nomine prophetavimus?* damnati Domino respondebunt: et tamen æterni ignis consortium inter cæteros impios subibunt (*Matth.* VII, 22, 23). At vero et hoc loco quidam æstimant, quod Saül non divino spiritu, sed malo illo quo sæpe arripiebatur, per totum illum diem prophetaret, donec David etiam imminens mortis periculum, ipso suo spiritu arreptus [1],

[1] Ms. Aud., *arrepto.*

Domini dispensatione evaderet. Sed qualiter hoc sentiri potest, dum ita scribitur : *Et factus est super eum spiritus Domini, et ambulans prophetabat?* nisi forte sic in hoc loco accipiatur spiritus Domini, quomodo et in alio loco spiritus Domini malus Saül arripiebat (I *Reg.* XVI, 14). Verumtamen ubicumque sine additamento *spiritus Dei*, vel *spiritus Domini*, vel *spiritus Christi*, vel *spiritus Jesu*, in Scripturis sanctis invenitur, Spiritus sanctus esse a nullo sano sensu dubitatur. Ubicumque vero cum additamento dicitur *spiritus Domini malus*, ut est in libro Samuelis, intelligitur diabolus esse : qui *Domini* propter ministerium, *malus* propter vitium dictus videtur. Sæpe quoque cum singulariter *spiritus* tantum, et non addito, *sanctus*, aut *Dei*, aut aliud quodcumque ex his, quæ ad signandum aut demonstrandum Spiritum sanctum pertinent, deprehenditur; contrarius spiritus qui est diabolus, aut subjectus quisque sibi ex his qui ministrant dæmonibus, dignoscitur.

CAPUT XI. — *De Samuele suscitato a Pythone.*

Post etiam in angustia constitutus, hostili se premente impetu, cum neque per prophetas, neque per sacerdotes, neque per somnia, petenti sibi Dominus ullum responsum daret, Saül rex Israel ad pytonissam perrexit, ut ex mortuis aliquem sibi per suæ artis incantationes suscitaret. Quæ cum quæreret ex eo, quem mortuum de somno cuperet resolvi, ille sibi Samuelem velle respondit suscitari. Suscitatus vero Samuel, Saüli quid eveniret, prænuntiat, *Hac*, inquiens, *hora tu et filii tui mecum eritis, sed et Israel tradam tecum in manum inimicorum ejus* (I *Reg.* XXVIII, 5-19). Qualiter ergo Samuel a pythonissa suscitari dicitur, dum pythonissa dæmoniacis incantationibus et præstigiis uti videtur? Et quomodo Saül, qui in viventibus prophetis Dei responsum non invenit, resuscitatum a morte prophetam audire meruit? Unde non hunc esse Samuelem illum prophetam perfectum, facilius intelligitur; sed diabolus qui se transfigurat in angelum lucis (II *Cor.* XI, 14), in phantasia Samuelis consideretur. Quod ex sermonibus ejus recte dignoscitur, quoniam funesto Saüli dicebat, *Tu et filii tui mecum eritis.* Etenim si verus ille Samuel hic ostensus esset, nullo modo iniquum regem consortem sui meriti post mortem diceret. Si ergo a pythonissa diabolus ostenditur, quare Samuel in divina Scriptura dicitur suscitatus? In multis sacræ Scripturæ locis imaginatis rebus verarum rerum nomina sæpe adscribuntur. Quomodo et prædicta virga in similitudinem serpentis imaginata, et phantastica illa magorum serpentium in Ægypto (*Exod.* VII, 10, 12), et ille æneus in deserto serpens nominatur (*Num.* XXI, 9). Duo quoque Cherubim pro similitudine obumbrare propitiatorium memorantur (*Exod.* XXXVII, 7). Quinque mures, et quinque anuli de terra Philistiim in capsella cum arca Domini referuntur (I *Reg.* VI, 11). Duodecim boves sub mari æneo (III *Reg.* VII, 25), et quatuordecim leones in throno Salomonis eburneo statuuntur (*Id.* X, 19, 20). Cherubim quoque et palmæ, et mala granata, et retia in templi ædificio depicta describuntur (*Id.* VI, 32), cum hæc omnia non ipsa rerum veritate, sed pro similitudine ista nomina recipiunt. Ipsæ tamen Scripturæ sine ullo incertitudinis respectu quasi res veras hæc nominatim ponunt. Phantasma igitur Samuelis velut ipse Samuel ostensum pronuntiatur, sicut et in visibus Prophetarum, et in Apocalypsi Joannis ostensi viri pronuntiantur.

CAPUT XII. — *De percussione Ozæ.*

Post modicum deinde David regnum obtinente arca testamenti de domo Aminadab ad Jerusalem a rege et omni populo perducitur. Oza filius Aminadab sequens arcam, cum illam velut sustentans tangeret, subita morte percussus et suffocatus est (II *Reg.* VI, 2-7). In quo facto temeritas in ipso Oza, qui cum non esset de genere Aaron arcam tetigerit, damnatur; et totus populus, quia caute in divinis rebus se agere deberet, admonetur. Sed quidam aliquod præcedens peccatum in Oza per hanc punitum culpam esse existimant : quoniam sæpe evenit, ut minores culpæ præcedentium peccatorum vindictam incutiant.

CAPUT XIII. — *De David numerante populum.*

Quemadmodum cum populus Israel peccasset, commovit Dominus ut David numeraret populum, per quod accidit, ut plebs peccans per parvam regis culpam pœnam sustineret præcedentium delictorum. Angelus enim Domini septuaginta virorum millia ex omni Israel usque Bersabee occidit, et Jerosolymam urbem velut delere proposuit (II *Reg.* XXIV) : non quod Dominus civitatem, quam nunc disperdidit, delere vellet, sed ut ostensus in procinctu vindictæ angelus, dignam videnti regi pœnitentiam incuteret. Ex quo intelligitur David minorem culpam commisisse quam plebem, qui peccatum suum per solam pœnitentiam delevit; populi vero delictum in auctoribus suis mortis severitatem promeruit.

CAPUT XIV. — *De duobus signis juxta altare Bethel.*

Et deinde cum per peccatum Salomonis, populi Israel regnum unum in duo divisit Jeroboam filius Nabath rex decem tribuum in parte aquilonis, metuens ne templi, quod erat in Jerusalem, visitatio rursum populum Roboam filio Salomonis jungeret, idola et altaria in Dan et in Bethel posuit (III *Reg.* XII). Sed in dedicatione altaris quod fuit in Bethel, vir de Juda ut contra illud altare prophetaret, a Domino mittitur. Quo adveniente duo terribilia signa ostenduntur. Nam et altare in duas partes statim in hora holocausti scinditur, et regis ipsius arida manus siccatur (*Id.* XIII, 1-5). Quæ duo signa rei et operi suo apte convenerunt, dum quid in ipso tunc rege sit factum, evidenter ostendunt. Aptum enim videbatur, ut qui Dei cultum, qui illud usque in uno altari et templo erat, divisisset, ipsius altare quod ille sibimetipsi fecerat, sic scissum dessicaret; et qui populi Dei manum, ne Domino suo oblationem et holocausta immolaret, aridam fecisset, in schismatico illo holocausto manus illius arida appareret.

CAPUT XV. — *De trium annorum et sex mensium siccitate.*

Præterea quoque Achab filio Amri, incitante eum Jezabel uxore sua, plura agente scelera, Elias Thesbites de Galaad in sermone Dei dixit : *Si non ros et pluvia, nisi juxta oris mei verba, his annis erunt* (*Id.* XVII, 1). Cujus oratione prohibita pluvia tribus annis et sex mensibus non pluit : quatenus qui Deum per mala in terra exacerbassent, cœli clementia et aeris commoditate carerent. Verum hæc plaga, ut multi magistri putant, tantum terram Israel castigaverat. Sed moris est Scripturarum, ut illam provinciam de qua dicunt, omnem terram indifferenter nominent, quod convenienter cum Elia postmodum Achab sermone demonstratur. Cum enim Eliam ipse vidisset, *Tu quis es, qui conturbas populum Israel?* Achab dixisse refertur. Cui respondens Elias, in Israel tantummodo culpam, quæ hanc plagam incitaverat, fuisse denuntiat. *Non enim*, inquit, *Elias ego conturbo Israel, sed tu et domus patris tui, quia dereliquisti legem Domini, et servis Baal* (*Id.* XVIII, 17, 18). Quibus utrisque dictionibus in Israel tantummodo culpam et plagam convenientia verborum esse demonstrat. Si etenim totum mundum plaga illa flagellaret, non *qui conturbas Israel* tantummodo, sed qui conturbas totum orbem, Achab dixisset. In tempore autem siccitatis a Domino Eliæ dicitur, ut in spelunca torrentis Carith se absconderet, ubi corvis ministrantibus pane et carnibus, et aqua torrentis illum satiaret (*Id.* XVII, 2-4); duplici scilicet occasione, quatenus et in tempore famis haberet alimoniam, et persecutorum avide se quærentium rabidam effugeret iram. Corvis vero ministrare Prophetæ præcipitur, ut scilicet culpam, quam in diluvio commiserat in terra, purgare avis illa videretur, dum ut fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligens et fallax erat antea Noe. Præterea quoque in hoc ministerio illud etiam ostenditur, qualiter homo si non peccasset, etiam infructuosorum animalium

nunc ministeriis uteretur. Unde vero eas carnes et panes ille corvus detulerit, ipse viderit, qui tale officium committebat. In quo tamen intuendum est, quod ex aliquorum hominum scientium aut nescientium industria, corvi hæc acciperent, qui coctos panes et carnes quaslibet qualitercumque præparabant.

CAPUT XVI. — *De vidua in Sarepta Sidoniorum.*

Cumque de torrente propter nimiam siccitatem aqua deficeret, ad viduam in Sareptam, ut ibi pasceretur, exire Eliam Deus jubet. Quæ cum eum in domo sua victu quotidiano satiaret, familiariter receptum, lecythus olei, et farinæ hydria, in quibus unius diei refectionem in adventu suo invenerat, non minuta sunt, donec visitavit Dominus populum suum (III *Reg.* XII, 8-16). Et hoc accidit, non quod invalida manus Domini esset, ut etiam postquam torrentis unda defecisset, aquam illi cum panibus aliunde et carne donaret; sed idcirco ad Sareptam Sidoniorum saturandus Propheta mittitur, ut per illum bona et fidelis vidua pasceretur. Ne vero quem moveat, quod Sidoniorum terra hanc eamdem plagam pariter cum Israel perpessa erat; dum inde Jezabel persecutrix prophetarum, et totius vindictæ et facinoris causa, Sidoniorum regis filia, paternam originem ducebat. Certe etiam hoc signo non nova a Domino, sed condita natura immodica non modica substantia gubernatur, quomodo de calceamentis et Israel vestibus prædictum memoratur. Nam in cæteris prædictis omnibus miraculis nil naturæ rationem refugit, sicut ipse rerum eventus frequenter ostendit.

CAPUT XVII. — *De mortuo unico viduæ filio quem suscitavit Elias.*

Hujus viduæ filius illo tempore, quo Elias in domo ejus morabatur, gravi ægritudine mortuus fuit. Sed hunc Elias oratione sua ad vitam iterum revocavit (III *Reg.* XVII, 17-22). De quo tradunt Hebræi, quod ipse Jonas propheta postea fuerit, quem de ventre ceti glutientis, evolutis tribus diebus, Dominus absolvit (*Jonæ* II). Quia Dominus qui inimicum suum in quocumque tuto loco potest occidere, servum suum quem vult eruere, de qualicumque angustia liberare valet. At vero illa famosa quæstio, qua de mortuis resuscitatis agitur, usque ad Lazarum a nobis reservatur.

CAPUT XVIII. — *De holocausto in monte Carmeli.*

Evoluto autem tempore siccitatis, cum Dominus super terram vellet pluviam dare, prophetam Eliam in occursum regis Achab jussit exire, qui omnem Israel ad eum et idolorum prophetas quadringentos quinquaginta in montem Carmeli congregavit. Quibus congregatis, sanctus Elias duos boves, unum Domino, et alterum Baal, per se et per prophetas idolorum mactari in holocaustum rogavit, ut Deus qui per ignem exaudierit, ipse totius populi Deus sit. Quo impetrato, sacerdotes Baal bovem suum prius occidentes, usque ad mediam diem tristes, Baal ut per ignem consumeret holocaustum, rogabant. Sed Baal, qui potius igni in potestatem traditus est, super holocaustum ignem dare non poterat. Elias vero bovem suum in frusta comminuens, per membra dividens, super altare quod constructum fuerat, et quod ipse curaverat, tunc statuit : eumque aqua abunde superfudit, oranteque illo, subito ignis de cœlo cecidit, qui bovem cum altari et lapidibus et aqua simul consumpsit. Ac deinde sacerdotes Baal in potestatem sibi traditos, in torrente Cison interfecit, et omnis populus Deum Dominum esse confessus credidit (III *Reg.* XVIII, 19-40). In hoc etiam extra naturam ignis nequaquam aliquid fecit, qui desuper aerio ignito spatio descendens, cum Dei gubernantis imperio, alimenti sui materiam, quam in terra repererat, consumpsit. In superiore enim illo spatio ignis naturam abundantius esse, etiam ignis in terra ardens pronuntiat, qui ad superiora, ubi est natura illius, ardenter conscendere tentat. Sicut enim aquæ natura descendere semper ad inferiora, sic ignis proprium est appetere excelsa. Non tamen contra naturam suam etiam aqua sæpe in excelsa videtur conscendere : quod non substantia sua quæ gravis est, per semetipsam, sed per aeris leviorem naturam, qua aquarum minutissimæ guttæ vaporaliter contrahuntur, solet facere : quæ minutissimæ guttæ, ad aeris altiora fumali modo conscendentes, cum in densioribus nubibus in se conveniunt: aeris natura superferri non possunt, sed vento coagente graviuscula mole ad terram dilabuntur. Et si illas in nubibus, priusquam lapsæ fuerint, gelu præripuerit; easdem guttas concretas in grandinum lapillos glacialiter solidatos frigoris rigor deducit : et si remissiores et necdum densatas eas gelu invenerit, nivem facit : et si has gelidum frigus non perstrinxerit, aquæ stillicidium liberum, ad inferiores partes unde ierat redit. Sicut autem aqua per semetipsam, nisi per aliam substantiam, ut ostendimus, non ascendit; sic et ignis nisi per aliam substantiam inferius non descendit. Unde cum et Dominus super quinque civitates de quibus in primo libro diximus (*Cap.* 5), igneos imbres plueret; hoc idem per sulfur fiebat, quatenus et in sulfure ignis arderet, et per graviorem sulfuris naturam idem ad terram laberetur. In hoc ergo loco ubi super altare ad holocaustum ignis descendit, aut per aerem aut per sulfur descendit : quoniam ignis per se metipsum non potest descendere, nisi se alicui materiæ graviori Deus jusserit immisceri. Sacerdotes ergo idolorum sine homicidii culpa Elias Dei servus interfecit; quippe qui erat in illa Lege quæ dicit, Blasphemum non patieris vivere (*Levit.* XXIV, 16). Nullus hominum ergo idolum colit, nisi Dei blasphemus exstiterit. Ac per hoc qui idololatriæ cultores mactaverat, blasphemos et sacrilegos de terra purgabat. Et post hæc omnia, qui imbres a terræ perfusione tribus annis et sex mensibus orando prohibuerat, in modico temporis spatio, eodem orationis suæ officio, sitienti terræ abundantem pluviam et placidam a Deo impetrabat. Quæ in terram prius nequaquam venisset, nisi eam a cultoribus Baal occidendo mundaret.

CAPUT XIX. — *De quadraginta dierum jejunio.*

Quos cum Jezabel ab Elia interfectos esse comperisset, illum de morte propria minacibus verbis prophetam terret. Unde pergens in terram Juda querulus Elias, in umbra juniperi sedens obdormivit. Quem angelus Domini tangens de somno suscitavit, et pane et aqua esurientem saturans et sitientem refecit. Quo cibo refectus, in ejus fortitudine quadraginta diebus et quadraginta noctibus nil comedens, usque ad Oreb Dei montem ambulavit. Unde verbi Domini fruitus consortio rursum in terram Israel rediit (III *Reg.* XIX). De isto vero pane et aqua angelico officio ministratis, quorum fortitudo pastum famis labore Prophetam quadraginta diebus pervexit[1], scientibus unde naturæ sint, intelligentiam disserendam patefacere servamus. In quo pane cum quasi humanæ industriæ, quod panis coctus sit, operis similitudinem conspiciamus; non terreni panis virtutem, quod una saturitate quadraginta dierum necessitatem impleverit, esse intelligimus. Nisi forte angelico opere de quacumque terrena materia factus in terra degentis animam hominis pastam validiorem hominum pane effecerit. Sed hic panis etsi propriam occultando naturam sollicitum lectorem facit; de quadraginta tamen dierum jejunio, quomodo illud tempus jejunus Propheta pertulerit, securum reddit, dum per unius virtutem nullo egens cibo tanto tempore vixit.

CAPUT XX. — *De igne descendente super quinquagenarios.*

Inde intervallo quodam temporis interjecto, ipso propheta in monte sedente, quinquagenarium principem, cum iis qui sub eo erant, ut eum ad se ducerent, rex jussit. Qui supercilio, id est superbo tumore : inflatus animo dixit, *Homo Dei, ut ad illum nobiscum exeas, rex Ochozias,* id est filius Achab, *jussit.* Cui Elias : *Ut inquis, si homo Dei ego sum propheta, in te nunc et in eos qui tecum sunt, cœlestis flamma ardebit.* Quo facto, et alium ejusdem ordinis virum cum tot

[1] Ms. Aud., *protexit.*

comitibus ad eumdem rex ire præcipit: quem consona priori proferentem, simili sententia eadem vindicta consumpsit. Quo facto, tertius ad idem destinatus periculum quinquagenarius cum suis coram Domini propheta suppliciter genu flexit, et per verba precatoria illum regis adire conspectum rogavit. Sed, *Huic associare*, Eliæ angelus Domini dixit. Qui cito surgens et gressum socians, superbis interemptis, cum humiliato et supplice ad regem perrexit (IV *Reg.* I, 9, 15). Ignis autem in hoc loco, sicut et in prædicto holocausto Dei, dicto Prophetæ verbo obediens, quod jubebatur implevit. Et in his gravioris forsitan ante commissi crimen peccati, sicut et in Oza et numero populi prædiximus, ultrix flamma nimirum punivit.

CAPUT XXI. — *De transeuntibus Jordanem Elia et Elisæo.*

Demum vero cum Dominus Eliam elevare voluisset, ipse et Elisæus filius Saphan, minister suus, Jordanis flumen divisum pallio Eliæ, pede sicco, sicut in transitu filiorum Israel factum prædiximus, transierunt (*Id.* II, 8). In cujus rei explanationem, de libro Jesu prædicta huic operi satis sufficiunt. Quoniam dum in multis his mirabilibus virtutum gestis prædicta conveniunt, iisdem rebus miracula facta, et si in figurali explanatione deviaverunt, eamdem tamen rationem in rerum gestarum historico intellectu expositiones naturæ exigunt. Antequam de mirabilibus divinæ totius Scripturæ sermonis nostri cœperimus texere coronulam, operæ pretium est etiam ea, in quibus propter præcedentium similitudinem explanare aliquid non est necesse, prout gesta sunt exponam; præsertim cum ex mirabilibus Scripturæ dominicæ nil præterire disposui, in quibus a ministerio quotidiano excellere ut in alio videntur.

CAPUT XXII. — *De ascensione Eliæ.*

Igitur ambobus his ripa Jordanis egressis, Elias ministro suo dicebat: *Postula a me quod vis, priusquam me Deus a te transire et recipi jubeat.* Cui Elisæus, *Spiritus*, inquit, *tuus duplex, obsecro, in me requiescat.* Rursumque Elias: *Duriter, dicens postulasti, sed tamen si hora receptionis meæ mihi præsens astiteris et videris, hanc petitionem eventus complebit.* Hoc ergo postulans Elisæus, non elationis affectum super magistrum suum voluit, sed videns peccata populi innumera, a propheta, qui relinqueretur, non simplici Eliæ spiritu, sed duplici compesci posse prævidit. Si enim illud quod petivit vitio volentis se elevare animo postulasset, nequaquam a Domino et ab ipso Elia quod petebat, impetraret. Igitur his dictis, jamjamque Elias igneo curru receptus velut ad cœlum, considerante Elisæo, rapitur (*Ibid.*, 9, 12). Et hactenus ipse, sicut et Enoch in testimonium novissimi temporis, adhuc sine morte servatur, ut scilicet horum in ore duorum testium, novissimi testimonii sermo consistat, in extremo tempore, paulo ante quam damnetur satanas, qui humanum genus aperto bello deprimat. Conveniebat ergo ut Elias, quem divini amoris zelus, ignito ardore in anima sua flagrasset, et per ignem miranda multa signa faceret, et per currum igneum ab hominibus commutatum Dominus ad sublimiorem statum eveheret. Cæterum vero quod de Enoch in primo libro prædiximus, Eliæ etiam convenire videamus.

CAPUT XXIII. — *De virtutibus Elisæi.*

Interea labentia in terram vestimenta Eliæ mœstus hæres Elisæus colligebat et Jordanem, item Deum Eliæ invocans, pede sicco transierat. Veniens in Jericho, amaras et steriles aquas immisso in fontem sale, sicut per lignum in eremo Moyses, sanabat. De qua etiam re in loco illo disseruisse sufficit. Inde veniens in Bethel, a pueris parvis calvus Elisæus illudebatur. Quibus cum in nomine Domini malediceret, duobus ursis de silva venientibus quadraginta duo pueri lacerantur (*Ibid.*, 12-24). In hoc loco non propter proprium convicium, Propheta in iracundiam commotus pueris maledixit; sed aversatorum a Domino et Lege patrum filios, qui in Bethel idolis immolabant, cum fortasse et ipsi parvi pueri, ut moris tunc erat, idolis sunt consecrati, justa vindicta plexit. In Bethel namque unus ex duobus vitulis, quos Jeroboam filius Nabath fecerat, qui peccare fecit Israel, fuit constitutus (III *Reg.* XII, 29). In quibus decem tribuum Israel a Domino idola colendo divertens, peccavit populus. Præterea etiam Propheta prævidens quid longa post tempora illudens Christo in Calvariæ crucifixo Judæorum petulans populus esset passurus, quod eis figurali ratione competebat, interim est operatus. Deinde in illa expeditione, qua Joram rex Israel, et Josaphat rex Juda, et rex Edom ad filios Moab exierant, cum in deserto totus exercitus sitis labore fieret fatigatus, Elisæus aquas per siccatum torrentem sine pluvia venire a Deo impetraverat: ubi fossas et puteos populum facere jussit propter Israelitas et gentiles, qui in eodem exercitu erant (IV *Reg.* III, 9-20). Cumque ex illa expeditione reversus in terram Israel venisset, mulier vidua unius ex prophetis, lacrymabiliter ad eum clamavit: *Ecce*, inquiens, *creditor meus duos filios, quos servo tuo viro meo genui, ad serviendum sibi, quia reddere aliud ultra non habeam, tollere cupit.* Cui Elisæus: *Dic*, inquit, *quam rem in domo tua potes habere? Parvum*, respondens ait, *olei quo ungar reconditum penes me habeo in vase. Pete ergo*, inquit Elisæus, *mutuo a vicinis tuis vasa vacua non pauca.* Quod cum fecisset, de parvo illo olei crescente ipsa replevit omnia (*Id.* IV, 1-6). Hæc exigua olei particula per virtutem Prophetæ in majus crescere non contra naturam potuit. Omnem enim magnitudinem creaturarum de parvitate semper crescere convenit, cum præsertim specialius hoc in liquoris natura, pincernaria arte fit, ut quædam poculorum genera de parva materia in abundantiam liquoris exundare et fervescere comprobentur. Per Sunam quoque civitatem sæpe idem vir egrediens, cum a quadam divite femina, sed sterili, bono frequenter hospitio receptus fuerat, prædixit quod de viro suo proprio conciperet. Sed ille natus et nutritus gravi et solita doloris ægritudine, adhuc puer percussus obiit. Quem tamen Elisæus figurali ordine resuscitans, matri vivum assignavit (*Ibid.*, 8-37). Quodam etiam tempore fame coacti filii prophetarum, inter cæteras herbas agrestes colocyntidas mortiferas et valde amaras non agnoscentes, in pulmento coxerunt: quod cum unus quispiam illorum gustasset, in olla mortem esse clamavit. Sed dum Elisæus farinæ parum in eamdem ollam manu propria misit, illius virtus per illius farinulæ sapidum et suavem et sanum saporem, insipidum et mortiferum colocyntidarum agrestium vicit (*Ibid.*, 38-41). Viginti quoque panes in centum viros dividi præcipiens, turbam saturaverunt, et superabundantem copiam fragmentorum colligentes ministri habuerunt (*Ibid.*, 42-44). Sed et de hujus virtutis intelligentia diligentius explanabimus, cum de quinque panibus et duobus piscibus, et rursus de septem panibus et pisciculis paucis in Evangelio, si Dominus permiserit, disseremus.

CAPUT XXIV. — *De lepra Naaman curata, et adhærente Giezi.*

Post hæc Naaman princeps exercitus regis Syriæ leprosus, cum mirabilem prophetam et sanitatum gratia condonatum in terra Israel esse comperisset; comitum stipatus turba militum, sumptis a domino suo muneribus et epistolis, primitus ad regem Israel pergit: et ipse illum ad domum Elisæi tendere monet. Ubi præ foribus stante illo, Elisæus per puerum jussit, ut septies in Jordane se lavaret. Sed ipse superciliose nuntium omnino despiceret, nisi sociorum suorum sermonibus, ut hanc tam facilem rem faceret, suasus foret: quibus acquiescens, septies, ut Elisæus præceperat, in Jordane lavatur; ejusque cutis tota mollis et tenera, quasi pueri, sanata redditur. Unde pro salutis benefico viro Dei munera offerre tentabat. Quæ ille recusans, quod gratis acceperat, gratis impertiri malebat. Ex hac re manife-

stissime declaratur, ut prædixi, quod in sermone imperantis Dei, secundum imperium Prophetæ, non in re aliqua virtutis sacramentum continetur : quoniam si sine imperio Prophetæ, imo Dei per Prophetam, Naaman in Jordane se lavaret, suæ lepræ purgationem nullo modo tam cito reciperet. Cogitans ergo apud se Giezi minister viri Dei, quod quasi sine causa Naaman dominus suus Elisæus pepercerat, duobus assumptis secum pueris, festinantius post eum exire, ac si a domino suo missus, properat : acceptamque ab eo, composito mendacio, pecuniam in equis ex parte reportabat, quam Elisæus accipere totam, et habere nequaquam voluerat. Deinde vero interrogatus Giezi a domino suo quo isset, non quoquam se isse falso simulavit. Sed occultum mendacium evidenti judicio Propheta convincens, Nonne, inquit, spiritus meus tibi præsens erat, quando homo in occursum tui de suo curru descendit? Dum igitur infelix te cupiditatis cogitatio, ut hoc ageres et diceres, fefellit, lepra Naaman cum sua pecunia tibi et semini tuo usque in sæculum adhærebit (IV *Reg*. v). Ecce eadem potestate Elisæus propheta lepram Naaman corpori deposuerat, qua Giezi eamdem adhærere carni et domui imperabat. Unde pervidendum est istas omnes virtutes non rerum ipsarum effectibus, sed imperantis præcepto peragi : quamvis contra naturam nihil in illarum vel harum effectione certum est perfici. In quarum tamen perfectione ipsa Dei imperantis voluntas, seu per se, seu per angelos, seu per homines illas res inquirit, quas futurorum figuris apte per omnia convenire prænovit.

CAPUT XXV. — *De ferri supernatatione.*

Quodam quoque tempore filiis prophetarum coram Elisæo facientibus sibi locum, manu unius ex illis securis ferrum de manubrio lapsum excidens in Jordanis fluvium cecidit. Qui amisso ferramento quod mutuatum acceperat, animo graviter doluit. Unde Elisæus viri clamore motus, affectu dolentis, locum ubi ferrum ceciderat demersum, requirebat. Quo annotato, et a se illuc ligno immisso, ferrum de profundo ad superiora aquæ natans revocat (IV *Reg*. VI, 5, 6). Gravem vero ferri naturam tenuis aquæ substantia ferre non valet. Sed tamen qui postmodum, sub Petri pedibus maris solidaverat naturam (*Matth*. XIV, 29), ante illam de profundo ferrum levare jubet. Sane aquæ natura quamvis terra fragilior, tamen aere solidior videtur. Hoc enim a terra minus habere virtutis ostenditur, quod ab ea metalla et lapides minus sufferuntur. Ab aere vero illud plus retinet, quod hominum et cæterorum animalium corpora et ligna supernatantia sufferre valet. Unde etsi metallum ad integrum aqua non supportat, ex parte tamen cum portantibus tolerat : quoniam lapidem, ut sæpe probatur, quem vix duo viri in aere possunt levare, in aqua cum de fune pependerit, unus homo poterit retinere. Unde apparet aquam etsi non per totum, ex parte tamen metallum sufferre posse; et quod ex parte res habet, Deum per totum ut sequatur naturaliter imperare. Propter quod aquæ natura natans ferrum sufferre poterat, quia Deus quod ex parte per semetipsam creatura consuescit, ut ad integrum faceret, imperabat.

CAPUT XXVI. — *De victoria per Elisæum.*

Belli quoque tempore regi Israel in multis locis rex Syriæ insidias componebat, quas Elisæus propheta regi Israel semper, ut se caute in his ageret, manifestabat. Sed dum hoc rex Syriæ per Elisæum fieri pro certo dignosceret, ad Dothan civitatem Elisæi misit copiosum curribus et equis instructum exercitum. Quod cum viri Dei minister mature surgens videret, territus et pavore concussus ad Elisæum venit. Quem confortans Propheta, *Plures*, inquit, *auxiliatores nostri quam hostes*. Et ne ultra modum pueri mens perterrita fieret, videntis inimicorum multitudinem copiosam, ei Angelorum igneis curribus et equis instructas per totum montem in ejus circuitu astantes phalangas fecit esse visibiles. Unde ad hostes digrediens hoc a Domino impetrabat, ut illam gentem, sicut antea in foribus Loth, cæcitate percuteret (*Gen*. XIX, 11). Hostes igitur obcæcatos, demonstraturum se virum quem quærerent, promittens, in Samariam urbem perduxit, eorumque oculos aperuit ibi. Quos rex Israel videns, ab Elisæo quæsivit, utrum occideret eos, an non. Cui vir Dei, non ut interficeret imperavit, sed versa vice inimicos cibis reficeret, et abirent (IV *Reg*. VI, 8-23). Non ita igitur ut lucem diei non videret hic populus, cæcitate percutitur; sed præsentis Elisæi, et locorum per quos ambulabant, agnitio ab illorum oculis occultatur. Si etenim cæcata diei lucem non conspiceret, nequaquam tanta multitudo solum Elisæum sequi ducentem in Samariam potuisset. Ipsa igitur cæcitate percussi sunt, dum quem viderunt, nullo modo intellexerunt. Unde simili modo vir Dei suo ministro, non ad videndam lucem diei, per quam hostes videret, oculos aperuit; sed in Angelorum consideratione, quos ante non videbat, ejus intuitum direxit. Hoc etiam bello Benadab rex Syriæ in terram Israel cum infinita multitudine veniens, Samariam multis diebus obsedit, et ad tantam angustiam inclusos, ut matres filios suos comederent, obsidionis necessitate coercuit. Unde rex Israel tam obscœna infamia permotus, ad domum Elisæi furore plenus venit, et ut præsentem angustiam valentem absolvere, decollare destinavit. Quapropter ipse Propheta velut de animæ periculo curans, fixo sermone respondit, Cras eadem hora hac, statere modius similæ, et hordei modii mercabuntur in hujus introitu urbis uno statere. At unus ex duobus ducibus regis infida mente garriens, Si, inquit, cataractas Dominus in cœlo fecerit, verum, quod dicis, esse valebit. Cui Elisæus ait : Tu hæc oculis tuis videbis, sed causa hujus infidelitatis ex his comedere non poteris. Sequente dehinc nocte, sonitum aerei fragoris in Syrorum castris Dominus audiri fecerat, qui cunctas inimicorum catervas pariter versas in fugam divertebat. Quo explorato, catervatim populus per portam civitatis prorumpens, infidelem illum ducem suffocavit : qui videns ista, juxta Elisæi verbum, eis vesci non potuit (*Ibid*. 24, *sqq* ; VII, 1-7, 17, *sqq*.). His omnibus virtutibus, quas propter mirabilium divinæ Scripturæ originem servandam perstrinximus, aut ante in primo libro similia quædam annotavimus, aut etiam tertio, quo de Evangelio et Novo Testamento disseremus, si Dominus vitam et adjutorium dederit, quædam explananda reservamus. Interea post mortem Elisæi famuli Dei, cum quadam die familiares ejus mortuum quemdam portantes, latrunculos videntes pertimuissent, in sepulcrum Elisæi, quod prope erat, mortui cadaver projecerunt. Quod dum tangeret ossa Elisæi, revixit, et ambulavit (*Id*. XIII, 21). Unde quidam præscriptum sermonem in hoc signo impletum fuisse dicunt, hoc est, *Spiritus qui in te est, fiat duplex in me:* quod necessario impleri debuit. Elias ergo in vita sua priusquam reciperetur, mortuum resuscitasse unum scribitur (III *Reg*. XVII, 22), quod similiter et Elisæus fecisse jam cernitur (IV *Reg*. IV, 35). Sed et alium, id est istum, post mortem suam videlicet in sepulcro, revivificasse videtur. Sed etiam in hoc duplex gratia facto esse non apparet. Quippe quod enim Elias semel fecerat, bis ac ter, si necesse esset, iterare posset. Sed potius hoc duplicem gratiam Eliæ esse in Elisæo pronuntiat, quod Elisæus imperando præcipiebat, quæ Elias orando et postulando impetrabat. Sive, ut cæteri dicunt, quod Elisæus cum multo honore et sæculi dignitate, virtutum et prophetiæ donum habuit, quod Elias profugus et persecutus, in montibus et speluncis degens, et ejectus ab hominibus retinebat.

CAPUT XXVII. — *De captivitate populi, et Sennacherib veniente in Judæam.*

Per longum deinde tempus populus Israel cum Dei legem et Prophetarum dicta transgrediens, idola colendo Dominum ipsum contemneret, qui patres suos de terra Ægypti duxerat; in manus gentium traditus,

post plurimas populi strages, et urbium obsessarum eversiones, decem tribus quæ in partibus Samariæ fuerunt, a facie sua penitus projiciebat : et reges Assyriorum, Salmanasar scilicet et Teglatphalasar [1], quibus eos captivandos et translatos tradiderat, Samaritas pro eis, custodes videlicet, ex multis gentibus et urbibus, ne esset inculta terra, congregabant. Quos leones jubente Domino, quod eum non metuissent, dilacerabant. Unde ad regem Teglatphalasar cito per nuntios sermo devenerat, quod gentes quas statuerat in terra Israel, cultum Dei terræ ignorantes, leones lacerabant. Quapropter rex unum de sacerdotibus Leviticæ stirpis mittens, illas gentes Deum colere fecit. Quo accepto, quamvis gentili superstitione minus relicta, leonum plaga cessavit (IV *Reg.* XVII). Tribum autem Juda et Jerusalem civitatem quam elegit Dominus, et omnes qui ad eas pertinebant, adhuc Deus tunc reservavit. Cujus regnum ipso tempore Ezechias rex justus Deumque timens gubernavit. Sed Sennacherib rex Assyriorum, videns quod patres sui Samariæ regnum et imperium Israel destruxissent, et ipse ad terram Juda, duce Rapsace, quem Hebræi Isaiæ prophetæ filium dicunt, et profugum Judæum ad Assyrios commigrasse, exercitum convocat, et Jerusalem urbem expugnare jubet. Sed in ipso conamine Deus populi defensor et superborum humiliator, de cœlesti exercitu militem, angelum videlicet ad Assyriorum castra misit, qui opere unius noctis centum octoginta quinque millia ab exercitu Sennacherib interfecit. Qui sic fugatus de terra Juda, cum paucis ad Ninivem urbem suam fugiens vix evasit. Ubi in idolorum fano repertus, filiorum suorum, quos ipse genuit, vulnere corruit (*Id.* XVIII, XIX).

CAPUT XXVIII. — *De infirmitate et signo Ezechiæ.*

Parvo interjecto, Ezechias rex Juda, ne de tanta victoria esset elevatus, et forsitan etiam gratiarum actione exiguus in gravissimi languoris morbum incidit. Ad quem in ipso languore visitandum Isaias propheta veniens dixit : *Dispone domui tuæ, quia non vives ultra, sed morte morieris.* Quo tristi admodum nuntio protinus rex ipse permotus, ad parietem faciem suam convertit, lacrymabilemque pro vita sua in conspectu clementissimi et misericordissimi Domini precem fudit. Non quod de suo, utpote perfectus, merito in conspectu conditoris sui incertus fuit, sed quia in Christi venturi generatione sui generis prosapiam, et in throno David lucernam non dereliquit. Sed cum supplicantis fletibus regis et famuli sui, pius Dominus ad misericordiam esset flexus ; rursus Isaias propheta puro agitatus numine mittitur, vix medium atrii digressus, qui sanitatem et regnum et pacem undique regi ipsi et civitati fore denuntiat, et quindecim annos vitæ suæ ab ipso die, Dei sermone addi confirmat. Sed dum Isaias duas prophetias sibimet invicem contrarias eadem hora [2] protulisset, necesse erat ut alteram quæ facienda esset, signi ostensione firmaret. Unde rex ut quod dicebatur indubitanter crederet, solis in ortum ab occasu per decem horas cursum recidivo Deus tramite retorquet, quatenus inde veluti mane iterum festinare inciperet, qui diei totius, exceptis duabus horis, spatium consummasset. Per quas duas horas, ut multi æstimant, celeri cursu de occasu in ortum revertitur, ut dies integra rursum sine interveniente nocte in ortu innovaretur, ut scilicet dies duos, etiam in hac vice, in una luce concluderet (IV *Reg.* XX, 1-11). Quomodo et sub Jesu filio Nun, in illo prædicto bello moram fecisset, indubitanter et hac vice reverti luna minime dubitatur; quatenus nequicquam, ut prædiximus, in cyclorum cursibus conturbaretur. Propter quod et maris ipsa vicissitudo impedita fuisse non denegatur, ut de cætero convenienter, qualiter quotidie fieri solet, cum lunæ cursibus comitaretur. Naturam enim in hac reversione convenit solem non mutasse, sed sui conditoris in omnibus naturaliter præcepto obedire. Sicut enim lucere et calere naturæ suæ insitum sol possidet; ita quidquid præciperet dominica jussio, seu currere, seu stare, seu recurrere, naturaliter habet. Convenienter autem tale signum regi in mortis exspectatione posito aptissimum evenit, quod Dominus per solem fieri taliter, congrua dispensatione disposuit. Quoniam sicut sol in procinctu occasus sui positus, in diei initium reducitur; sic rex in mortis exspectatione constitutus, quasi ad incipientis vitæ gaudia revocatur. Tantum quoque temporis, id est, quindecim annos ejus vitæ se Dominus dixit addere, quatenus nasciturus tunc filius, consumpto illo tempore, regnum defuncti patris valeret gubernare. Cæterum illam quam non exiguam quæstionem de isto, utrum suæ vitæ finem hunc, si non fieret, fieri Deus disposuit, multi auctores habuere, quando de Lazaro illo quatriduano mortuo aliquid dicemus, si Dominus permiserit, ex ipsa Evangelii auctoritate cupimus intimare. Eadem quippe de isto ex mortis janua revocato sententia, quæ de resuscitatis ex mortis ipsius somno iterum quandoque obeuntibus est proferenda.

CAPUT XXIX. — *De captivitate Babylonica.*

Hoc quoque defuncto, cum reges Juda et reliquus populus multiplicarent scelera, et per Prophetas traditurum se Chaldæis Jerusalem cum regibus et populis ad destruendam Dominus prædiceret, id postea ipsius eventus, dum dicta Prophetarum tota pariter plebs contempserat, comprobabat. Nam cum Pharao rex Ægypti contra Assyrios et Chaldæos pugnaturus venerat, Josias, rex Juda satis justus, in campo Mageddo illi cum exercitu obviavit. In quo conflictu dum Josias victus et vulneratus occiditur, Joachaz filius ejus a populo terræ Juda pro ipso ordinatur. Nechao vero Assyriorum et Chaldæorum devicto exercitu, velut ad tuendum regnum quod ceperat, constitutis in Carchamis oppido ducibus, cum exercitu copioso post tres menses, ex quo Josias occisus est, Jerusalem revertitur. Unde, se inconsulto, ordinatus rex Joachaz Josiæ filius inventus, Joachim fratre suo in loco ejus constituto, catenis vinctus in Ægyptum secum trahebatur. Sed mortuo Nechaone, et ducibus qui in Carchamis relicti fuerant bello victis, tertio anno Joachim regis Juda, qui illud usque Nechaoni adhæserat, Nabuchodonosor rex Babylonis per exercitum Jerusalem velut Ægypti coloniam obsidebat. Cui se Joachim sponte tradens, datis obsidibus, Daniele videlicet, Anania, Azaria, Misaele, et parte vasorum templi Domini, adhuc in regno suo relinquitur ; donec gravissimæ servitutis onere depressus, ad Ægyptiorum regem iterum divertens, misso rursum de Babylone exercitu comprehensus et tractus, priusquam ad urbem perveniret, in campo Babylonis undecimo anno regni sui interficitur. Et interim dum hæc aguntur, in ejus locum Joachim, qui dicitur et Jechonias, filius ejus, pro patre suo a populo in Jerusalem rex constituitur. Cujus regni tertio mense Chaldæorum reverso exercitu, et civitatem Jerusalem obsidente, monente Jeremia propheta, ne civitas combureretur, rex Joachim cum Noescha matre ejus, et cunctis populi tribubus, et militibus, et fabris, et clusoribus, Chaldæorum se populo tradidit, qui illum cum omni transmigratione sua, in terram Chaldæorum, id est, in Babylonem deduxit. Post quem constitutus a Chaldæis Sedechias patruus suus filius Josiæ regis Juda, regnum Jerusalem obtinuit. Qui et ipse nono regni sui anno, deficiens a Chaldæis ad Ægypti regem, regi Nabuchodonosori occasionem dedit, ut ipso sedente in Reblatha in terra Emath, quæ nunc est Antiochia, per exercitum suum obsideret, et expugnaret. Et cum ipsum regem undecimo anno regni sui cepisset, incenso templo et tota urbe, plurimis occisis, et reliquis captivis, eumdem filiis pariter et oculis orbatum, secum in Babylonem perduceret (IV *Reg.* XXIII, 26, *sqq.* XXIV, XXV).

CAPUT XXX. — *De Daniele clarente in Babylone.*

Quo tempore Daniel, quem in primordio captivitatis

[1] Ms. Aud., *Teglaphalnasar.*
[2] Ms. Aud., *die.*

unum de obsidum numero posuimus, in Babylone ex Judæorum stirpe, illustri fama clarebat. Quoniam cum esset Spiritu Dei plenus, et prophetiæ munere condonatus, quæ hominibus cæteris fiebant incognita, ipsi Deus demonstrabat. Unde accidit ut Nabuchodonosor rex somnium videret, evigilantique etiam ex parte aliqua somnii memoria nulla remaneret. Deus Danieli non solum somnium ipsum, sed etiam somnii ipsam occasionem, quæ esset antequam rex dormiret, indicaverat (*Dan.* II). Hoc vero factum est, ut regi Daniel summi Creatoris notitiam insinuaret, et plebs in servitute et captivitate posita, aliquod quamvis parvum auxilium et solatium haberet.

CAPUT XXXI. — *De tribus pueris qui ignis tormentum sine læsura evaserunt.*

Sed rex ille ita in Dei oblivionem animo efferus incidit, ut statuam auream altitudinis nimiæ in campo Duran provinciæ Babylonis erigens, proprio nomine consecrari divino cultu præceperit. In cujus statuæ dedicationem omnes undique provinciarum populorumque præpositi convocati, communi decreto ipsam imaginem, vellent nollent, coacti sunt adorare, proposita recusantibus præsente pœna, quod non parva fornacis flamma urendum quisque agere nolens semetipsum præsciret. Unde accidit, ut præpositi Babylonicæ regionis tres numero, Sidrach, Misach, Abdenago, ex Judæorum stirpe progeniti, de quibus in initio captivitatis pariter cum Daniele Babylonem deductis diximus (*Supra*, *cap.* XXIX); a Chaldæis accusati sint coram rege, quod nec deos patronos ipsius regis, nec illam tunc consecratam nuper voluissent imaginem adorare. Quos, ne accusatio alicujus odii causa, et non justa querela posset provenire, ipse rex ad se vocari jussit, et utrum ut aliorum faminibus aure traxerat, ita certa re haberetur, interrogavit. Augensque interrogata, Sufficiat, inquit, de præterito narratum; nunc in mei præsentia jussa complete, et auream quam erexi statuam adorate. Si vero quod jubetur, exse qui non vultis, opere necessario camini ignis ardores experiendos subire debetis. Sed illi unanimi respondentes sententia, Deos quoscumque tuos non tantum non colimus, verum etiam astantem præsentialiter statuam nuper editam, inquiunt, nequaquam adoramus. Solum enim universitatis auctorem cœlestem tantummodo libenti voluntate et communi privatoque studio veneramur. Cujus potentia, quicumque sibi puram, nullo pravo opere læsam conservat fidem, a qualicumque angustia protegit. Ideoque, o rex, nec præsentis camini flammas pertimescimus, nec in ullo aliquo potestatis minas et supplicia formidamus. Quoniam potentissimus rerum conditor et gubernator, servos suos de ignis ardore, et qualicumque, quam manus tua intulerit, plaga, per omnia potest liberare. Unde rex incredibiliter ira succensus, et fornacem plus solito succendi præceperat, et hos per fortissimos de suo agmine viros, cum vestimentis et ornamentis in ignem projici, feroci sententia jubebat. Sed ipsi in fornacem projecti, cum in flammarum medio ceciderant, nullo modo ignis ardorem sibi in aliquo adversantem sentiebant. Namque Dei angelus cum in fornacem missis eadem hora pariter in ignem condescendit, qui foras ignis ardores et flammas de fornace excussit, et intus manentes velut placido rore superfusos, sine ulla molestia incolumes conservavit : atque in circuitu fornacis inimicos quoscumque Chaldæos perditionis et interfectionis eorum reos reperit, ignis ille consumpsit. Unde rex Nabuchodonosor caminum introspiciens, ait : Ecce ego quatuor video viros expeditos in medio flammæ, sed quartus cæteris excellit eminentia formæ. Illosque tres quos in ignem miserat, de fornace statim per propria nomina vocat. Quibus nihil adversi de fornacis consortio accidisse cuncti videntes populi considerabant : ita ut non solum corpora ardoris vulnera et pene ulla vestigia non pertulerant; sed etiam sana vestis aut capillus nullum adustionis aut ignis ardorem saltem habebat (*Dan.* III). In hoc mirabili facto, naturæ scrutator qualiter ignis leniter fornace inclusos fovit, inquirit, cum interim eodem igne viri circumstantes ejusdem substantiæ, eadem hora comburuntur. Unde ergo lenitatem hanc in una sui parte tunc ignis habuit, cum ex altera parte inimicos regnorum (*a*) Dei ferox illius ardor interfecit? Ignis igitur substantia vel natura in nulla nisi in aqua vel alicujus liquoris materia potest vivere, cum ipse incorporeæ intelligitur esse naturæ. Ex quo accidit, ut dum in lignis ardens, totum quod in eis ad humorem pertinet consumit, in arido cinere qui rursum terræ fuerat redditus, liquoris penuria ignem exstinguit. Eamdem quoque liquoris naturam ardoris voracitas consumendo non totam devorat, sed dum in superiora, ubi illius naturæ est copia, pergere nititur, rursum se in aera elevat. Unde familiaris vapor ille, cum ad aeris excelsa sustollitur, nebulosa facie concretus, terris iterum, unde ierat, per pluvias ministratur. Quod sæpe vastatarum adustionibus provinciarum comprobatur, et incensorum montium crebro vaporibus roreas copias deducentibus declaratur. Tamdiu igitur ignis in quacumque terrena materia perseverat, quoadusque liquorem omnem, qui in ea est, vel ipse consumat, vel quod ex suo pastu superest, sursum in aera mittat. Si vero exiguus ignis satis humidam materiam invenerit, ipse velut infirmior a validiore victus, humoris abundantiæ cedit. Præterea quoque, cum lymphatica, ut supra dixi, substantia pascitur, ipsius nequaquam in aliquo vita, nisi per aerem, conservatur. Etenim si in oleo vel in quocumque fomento incendatur, si circumfusus per totum aerem non contigerit, jamjamque exstinguitur. Quamdiu ergo in aliqua terrena materia arserit, ipsius vita in aere et humore consistit. Unde potens Gubernator ignis naturam inter inimicos et servos dividere voluit, ardorem inimicis, flabilem et humidam aeris et aquæ substantiam famulis suis convertit; ut et illi per comburentem naturam accensi arderent, et hi in flabili et lymphatico vapore nihil adversitatis perpeti sentirent. Quapropter ita Scriptura dicit : *Angelus Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in caminum, et excussit flammam ignis de camino, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem* (*Dan.* III, 49, 50). Ex aere enim spiritum, et ex aqua in ipso igne invenit rorem. Ecce et hanc divisionem sicut et cætera mirabilia per angelum effecit, qui pariter cum servis Dei, ut supra dixi, in ignem descendit.

CAPUT XXXII. — *De Daniele quiescente in lacu leonum.*

Daniel quoque veri Dei cultor, de quo in captivitatis principio diximus, cum de tribus principibus regni Persarum et Medorum unus fuisset constitutus, regi Dario Astyagis filio, Domino præstante, præ omnibus factus fuerat charus. Sed quoniam dilectionem honor sequitur, et honor maximus invidiam suscitat; ipsi cæteri Medorum et Persarum principes graviter invidebant. Et idcirco non valentes nisi in lege Dei sui occasionem illi aliquam, unde eum morti traderent, invenire, legem ex regis edicto talem fallaciam nescientis, Persarum et Medorum auctoritate firmatam statuere : Quatenus ne quisquam petitionem quamcumque a quoquam deo vel homine per triginta dies postulasset, nisi a rege. Cui decreto si quis jam inveniretur esse contrarius, illum absque ulla misericordia aut clementia, devorandum leonum reciperet lacus. Quo confirmato edicto, dum diligentissima cura non desisterent observare Danielem, in domo sua ter in omni die more consueto, vero Deo suo deprehendebant genua flectere. Unde graviter ab iis accusatum, de manibus eorum eruere voluit rex. Sed hoc lex constituta Medorum atque Persarum non permisit. Quapropter mœsto animo dolente rege devorandus Daniel in lacum leonibus decernitur. Sed a Dei angelo, ne insons periret, leonum ora clauduntur. Unde rex transacta insomni nocte, mane lacrymabilis ad lacum venit, ubi incolumem cubantem inter leones,

(*a*) Forte, *servorum.*

secura mente Danielem reperit. Imperante ergo rege, jamjamque Daniel de lacu leonum abstrahitur, quo proditores illius protinus devorandi pro eo mittuntur. Et quos inedia Danielis esurientes fecerat, reorum sanguinis illius criminosa corpora leones recipiebant (*Dan.* VI). In hoc etiam tam insigni facto, non natura in leonibus mutatur, sed insita a conditionis initio suapte per angelum a Deo gubernatur. Blanditiem enim et lenitatem, quas catulis suis leones ostendunt, in Danielem exercebant; et sævitiam et ferocitatem, quam in prædam faciunt, in devoratis peccatoribus reddebant. Unde certum est, quod non contra naturæ suæ terminos ullam creaturam Dominus aliquid facere, sed naturarum partes qualitercumque necesse habetur, aut in defensionem et solatium eorum quos protegit, aut in detrimentum eorum quos premit, gubernare disponit. De lacu vero iterum et Habacuc translato in Belis et draconis fabulis, idcirco in hoc ordine non ponitur, quod in auctoritate divinæ Scripturæ non habentur (*Id.* XIV, 30, *sqq.*)

CAPUT XXXIII. — *De Esdra restituente Legem.*

Interea captivitatis tempore completo, quod Dominus per Prophetas implendum esse prædixerat (*Jerem.* XXV, 12; XXIX, 10; *Dan.* IX, 2), reversionem populi sui et captivitatis solutionem per Cyri regis clementiam præparabat. Quo tempore Esdras Dei sacerdos combustam a Chaldæis in archivis templi restituit Legem (I *Esdr.* VI, VII). Nempe qui eodem Spiritu, quo ante scripta fuerat, plenus fuerit.

CAPUT XXXIV. — *De bellis præcipuis quæ Domini auxilio peracta sunt.*

Sanctæ Scripturæ Veteris Testamenti, Legis scilicet et Prophetarum mirabilium ordinem in duobus his libellis historica expositione summatim posui. Quibus si quid alicujus forte melioris ingenii sagax investigatio addiderit, adhuc me non recuso discipulum fieri. Præcipua vero bella tantum auxilio Domini peracta, quæ textui divinæ Scripturæ inserta sunt, in his idcirco omisimus, quoniam etsi propter de cœlo auxilium admiratione digna sunt, et figurali ratione contineant multa mysteria; tamen in rerum gestarum intellectibus nihil relinquunt incerti. Scimus quod Amalech, orante Moyse, Jesus filius Nun superabat (*Exod.* XVII, 11-13); et Seon regem Amorrhæorum, et Og regem Basan, proceræ altitudinis viros populus Israel interficiebat (*Num.* XXI, 24, 33, *et* XXII, 5). Balach filium Sephor regem Madian, cum Balaam illo præcipuo astrologo, Phinees filius Eleazar cum exercitu occidit. Et Jesus Bennun unum et triginta reges Chananitidis, multis conflictibus prostravit (*Josue* XII, 7). Gedeon filius Joas in trecentis viris innumera Madianitarum millia per tubas et lucernas occidit (*Judic.* VII, 19-23). Jephte Galaadites populum de Gentium potestate belli jure liberavit (*Id.* XI, 32). Samson ille fortissimus Hebræorum, leonem sibi occurrentem nihil habenti in manibus, confregit; de cujus postea ore et capite favum mellis accepit et comedit (*Judic.* XIV, 6, 8), trecentasque vulpes capiens igneque succensas in Philistinorum segetes dimisit (*Id.*, XV, 4, 5). De quibus ille mille viros impetu uno asini mandibula solus mortificavit (*Id.* 15); et undique sedentibus circa civitatem, in qua dormitaverat, Philistæis, ambas portæ fores cum ostiis et superliminaribus et seris et vectibus pariter comprehendens, in vertice montis qui respicit Bersabee, dereliquit (*Id.* XVI, 3). Tribum quoque Benjamin propter commissum piaculum totam, exceptis sexcentis viris, omnis filiorum Israel populus post tria bella delevit (*Id.* XIX, XX). Jonathas filius Saül et armiger suus stationem Philistinorum percussit (I *Reg.* XIV, 13). David filius Jesse adhuc puer et pastor ovium, ursi et leonis interfecti de ore prædam eripuit, et Goliath Philistæum de fundibula lapide prostravit (*Id.* XVII, 34, 49). Qui postea patientiæ virtute Saül bis deprehenso inimico suo pepercit (*Id.* XXIV, 8; XXVI, 10, 11). Et rex postmodum factus, tribus gravissimis præliis prostrata Philistinorum agmina tributaria fecit (II *Reg.* V, 20; *et* VIII 1). David solus octingentos interfecit impetu uno (*Id.* XXIII, 8). Abisai filius Sarviæ levavit hastam suam contra trecentos, et interfecit eos (*Ibid.*, 18). Tres robustissimi ruperunt agmina Philistinorum, ut potum darent regi David de cisterna Bethlehem, quæ in medio hostium erat (*Ibid.*, 16). Banaias filius Joiadæ interfecit duos leones in Moab, et leonem in cisterna in diebus nivis (*Ibid.*, 20, 21). Ipse quoque virgam tenens manu, Ægyptium spectaculo dignum hastam habentem, occidit. Bellum quoque robustorum in Gabaam exercitui David cessit in prosperum (II *Reg.* XXI, 15, *sqq.*). Præter hæc maxima regis David adversus in circuitu regiones bella, prospere Domini auxilio favente, seu per semetipsum, seu per exercitum sæpe peracta sunt. Bellum vero civile in saltu Ephraim in ipso Israel, in testamentum David restituit Samariæ regnum (*Id.* XVIII, 6, 7). Contra Syros et reges Damasci, nunc huc, nunc illuc, alterno proventu vergentia certamina multa fuerunt. Hæc omnia propter de cœlo auxilia mirabiliter gesta, provenerunt. Sed illi operi nostro conveniens additamentum conferre non possunt; quoniam nihil in quotidianam rerum administrationem inusitatum ostendunt, dum per hominum et ipsorum etiam Angelorum dispensationes et fortitudines effecta fiunt. In Machabæorum libris, etsi aliquid mirabilium numero inserendum conveniens fuisse ordini inveniatur, de hoc tamen nulla cura fatigabimur: quia tantum agere proposuimus, ut de divini canonis mirabilibus exiguam, quamvis ingenioli nostri modulum excedentem historicam expositionem ex parte aliqua tangeremus. Ideo et præsens libellus in hoc loco finem suum contingat, ut tertius de Novo Testamento ab Evangelii initio, Joanne videlicet et Domino primordium sumat.

LIBER TERTIUS.

De Novo Testamento.

CAPUT PRIMUM. — *De visione Zachariæ et nativitate Joannis Baptistæ.*

Octaviani Augusti Cæsaris quadragesimo primo anno, Zacharias sacerdos de vice Abia, cum in ordine suo holocaustum in templo offerebat, angelus Gabriel unus de illorum numero, qui stant in conspectu Domini, celeri nuntio ipsi responsa deferebat: quibus subnectens, Uxor, inquit, tua hucusque sterilis Elizabeth, grandæva satis, concipiet, filiumque Joannem nomine, Altissimi prophetam et præcursorem tibi pariet. Sed incredula mente sacerdos, parum his dictis animo fidem accommodans, Quomodo, respondit, hoc fieri poterit; cum ego sim satis senex, et uxor mea isto officio in juventute privata, in diebus suis provecta ætate processerit? Attamen angelus in ista nequaquam excusatione repulsus, non causa perfidiæ illatum munus retraxit, sed quo a Domino quod dicebatur impleretur, convenienti oris sui vindictæ subjectum mutum sacerdotem dereliquit: donec nascente postmodum puero, ligatæ linguæ vinculum solutum est, cui nomen filii scribere tentans, *Joannes*, dixit, *est nomen ejus* (*Luc.* I, 5-27, 57-64). Conveniente autem dispensatione factum est, ut Joannes qui postea hominibus victu et vestitu et loco exempla pœnitentiæ præberet, et pœnitentiam prædicans, etiam conceptionis ejus tempore pater pœnitentiæ

modum ab angelo sibi impositum, donec ille nasceretur, sustineret. Aliter quoque congrue hoc signum evenerat, uti dum qui regnum cœlorum prædicaret nasciturus conciperetur, antiquæ Legis et Prophetarum prædicator sacerdos silentio damnaretur : quoniam Lex et Prophetæ usque ad Joannem fuerunt (*Matth.* xi, 13), ex eo autem regnum Dei evangelizatur. Qui conceptus adhuc in matris utero manens, priusquam nasceretur, cum Mariæ matris Domini introitum in domum ubi fuerat sensit, spirituali famine per os matris de nascituro ex ea Christo Domino prophetavit (*Luc.* i, 41). Dum enim Moysi spiritus in septuaginta duos consiliarios distribuitur (*Num.* xi, 25), quid mirum si pueri adhuc in utero manentis spiritus per matrem loqueretur?

CAPUT II. — *De Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, et nativitate ex Maria Virgine.*

Interea nuntius ad sponsam Joseph Mariam virginem de stirpe David talia dicta detulit, cui sine viri cognitione parturire filium Spiritus sancti munere prædixit : Hic, inquiens, natus, quem omnium spondent oracula Prophetarum, magnus erit in conspectu Domini, et in æternum ore cunctorum credentium filius vocabitur Altissimi. Huic enim præcepto munere patris sui David sedem donavit, et regni domus Jacob absque fine imperium, sine succedente hærede, in sempiternum tenebit. Quibus verbis ovans virgo accommodata fide, sine ullo incredulitatis aut inobedientiæ objectu consensit (*Luc.* i, 26-38). Sed mentem Joseph conjugis tumentem uterum videntis, quam ipse nunquam cognoverat, ista res sollicitam reddidit. Quem tamen ne hac cogitatione fatigaretur, idem angelus de concepto puero et nascituro, et accipienda virgine commonuit (*Matth.* i, 19-24). Quæ virgo postmodum instante tempore filium, quem sine viri semine, et carnalis oblectamento voluptatis concepit, sine damno suæ virginitatis peperit. In qua re, quamvis præter cunctorum hominum conceptionis consuetudinem, absque viri semine factum opus ostenditur, non tamen extra naturam de muliebri utero sumpta substantia carnis nascebatur. Ex natura naturaliter naturam suscepit, qui cooperante Spiritu sancto ex materna, quamvis sola carne, veram carnis substantiam humanæ, exceptis vitiorum passionibus, integram contulit. Quam rem ne sine exemplo naturæ alicujus, velut novam in Dei creaturis dimittamus, multa animantia absque parentum coitu progigni comprobamus. Qualiter apes sine patribus fotu materni corporis tantummodo crescunt, et omnia illius modi volatilia fetus suos taliter concipiunt. Sed et multæ aves absque maribus ova gignere possunt. Et talem conceptum in multis piscium generibus esse physiologi aiunt. In sola quoque carne sine patre vermis nascitur, cui se Dominus hac de causa similem dicere per prophetam non dedignatur (*Psal.* xxi, 7). Quod ergo in multis rebus consueto more Dominus operatur, quid naturæ contrarium dicendum est, si quando ipse voluit, ut in virginali utero Spiritus sancti dispensatione filius sine viri coitu nasceretur?

CAPUT III. — *De pastoribus quibus Angeli natum infantem nuntiaverunt.*

Quo nascente in Bethlehem civitate David, pastores custodiæ gregum destinati, ab Angelis imbuuntur, quod cœli rex in terra cum hominibus ex homine carnem nascendi lege assumere tunc dignaretur. Et deinde cum huic nuntio conveniens audientibus pastoribus carmen concinunt, ad cœlum rursum conscendentes Angeli redeunt (*Luc.* ii, 8-15). Et in hoc conveniens ab Angelis peractus ordo conspicitur, ut prius pastoribus natus Agnus et gregibus Pastor nuntiaretur. In his duobus pueris Joanne et Jesu, præcursore et Domino, non sine historica ratione nativitatis ordo intenditur, quod de anu unus, alter de virgine puella generatur. Christi enim præcursor per omnia Joannes idcirco de vetula matre nasci debuit, dum ipse Veteris Legis finis quasi novissimus filius fuit. Christus vero de puella virgine corpus assumpsit. Ipse enim est Novi Testamenti principium, filiorumque, qui ex Nova Lege nascerentur, exordium exstitit. Igitur quadragesimo secundo anno Octaviani Augusti Cæsaris, temporibus Herodis regis Judæorum, ablata ex Judæis omni dominandi potestate, in oppido Judææ Bethlehem, de David stirpe, ex virgine Maria Jesus Christus Dominus nascitur. Quod competenter evenerat, ut cum regum et pontificum ex Jacob stirpe descendentium successio consumpta fuerat, qui in æternum rex est et pontifex, tunc nasceretur.

CAPUT IV. — *De Magis ab Oriente et stella duce.*

Nascente ergo illo puero, quem Israelitarum et Gentium Prophetæ utriusque populi salvatorem fore prædixerant, Magi de terra Hevilath ducti stella, ad eum cum muneribus longo admodum itinere venerant. Qui oblatis muneribus, et adorato per tempus puero, reversi sunt; non eadem tamen via qua venerunt, sed per aliam ad patriæ loca remeare moniti divino famine curabant (*Matth.* ii, 1-12). De hac autem stella, quod ab Jerusalem pergentibus Magis usque ad Bethlehem dux itineris fuit, Evangelii dicta exponunt. Cæterum vero qui de terra sua usque Jerusalem hanc ducem sui itineris habuisse Magos existimant, ex evangelica auctoritate firmare non possunt : quoniam Magi in terra sua cum essent, excellentem sideribus stellam videntes, Dei esse et regis, qui juxta prophetias tam ipsorum quam ecclesiasticas (*Num.* xxiv, 17), ex Israel nasceretur, seu ex propria eorum scientia, seu angelica admonitione intelligentes, ad terram Israel venerunt; et ad Jerosolymam, ubi totius provinciæ principatus fuerat, venientes, de rege nato et pariter Deo perquirunt. Unde inventis Israelitarum oraculis vatum de eodem nato, ubi nascendi locum acciperet (*Micheæ* v, 2), monente subdolo sermone rege, alacres pergunt. Egressique urbem, mox ducem itineris ad Christum stellam sequentes deveniunt. De ista vero stella, utrum stella simpliciter, an angelus, an Spiritus sanctus accipiatur, etsi catholico sensui nihil repugnat, cum de singulis disputatum fuerit, arbitris majoribus eligendi liberam voluntatem ingenioli nostri mensura concedet. Si enim simpliciter stellam accipiendam esse quis maluerit, a cæteris stellis in hoc ducatu quomodo deviavit? Quarum natura ab initio condita, in firmamento cœli constituta fuisse dignoscitur, sicut libri Geneseos auctoritate manifestatur (*Gen.* i, 17). Si ergo in firmamento cœli maneret, inter Bethlehem et Jerusalem dux fieri ambulantibus qualiter posset? Et si per aera, sagittæ more, quamvis paulo lentiore cursu propter sequentes pervolaret, assuetum in firmamento locum et cursum interim desereret. Quod nec majoribus quidem luminaribus accidisse Scripturæ describunt, cum in signis aut steterunt, aut reversa sunt. Nisi forte aereus ille ignis, qui tale ministerium accepit, propter similitudinem, sicut in multis diximus, stellæ vocabulum accepit. Aut si angelus habitu stellæ hoc ministerium fecit, quid repugnat, dum se Angeli quando se hominibus ostendunt, in multos transformant habitus? Quomodo et Moysi in Oreb de rubo angelus ignita facie loquebatur (*Exod.* iii, 2), et velut miles armatus Josue filio Nun extra castra in Galgalis ostenditur (*Josue* v, 13). In currum et equos igneos in ascensione Eliæ Angeli finguntur (IV *Reg.* ii, 11). Et quando Elisæus pueri sui oculos aperuit, in eisdem habitudinibus Angeli manifestantur (*Id.* vi, 17). In forma hospitum Abrahæ et Loth conspectibus se præbuerunt (*Gen.* xviii, 2; xix, 1) : et Manue et uxor ejus prophetali habitu loquentem ad eos angelum viderunt (*Judic.* xiii, 9). Nimirum eorum et ista vice angelus dux Magorum efficitur, qui astrologis in stellæ similitudinem et clarissimi sideris fulgorem transformatur. Licet enim in imagine rerum, quæ Joanni in Apocalypsi sua per visionem dicuntur, huic tamen intellectui non contra facit, *Stellæ septem, Ecclesiarum septem Angeli sunt* (*Apoc.* i, 20). Unde quamvis in spiritu, dum tamen stellæ Angeli dicuntur, quid repugnat, si etiam in hoc loco stella angelus dictus esse sentiatur? Vel certe si neque angelus, neque stella fir-

mamenti, neque alius quispiam ignis hæc stella fuisse dignoscitur; Spiritus ergo sanctus stella hæc fieri conceditur. Qui sicut postmodum corporali specie columbæ descendit super Jesum Dominum in Jordane (*Matth.* III, 16; *Luc.* III, 22); sic Gentes adoratrices, stellæ specie duxit ad cunabula Domini nascentis in carne. De quo per parabolam Balaam astrologus loquebatur, *Orietur stella ex Jacob* (*Num.* XXIV, 17), rutilum scilicet lumen spiritualis gratiæ Christi, qua nox infidelitatis Gentium illuminatur. Sicut ergo in igne super Apostolos postea in cœnaculo Sion descendit (*Act.* II, 3), ita in specie stellæ Magos ad Dominum Spiritus sanctus deduxit.

CAPUT V. — *De baptismate Christi.*

Hic igitur puer scientia præibat ætatem, donec trigesimum annum agens ad Jordanem venit, et ab Joanne, de quo supra diximus, Zachariæ filio, qui tunc populum in eum crediturum qui venturus erat, baptizabat, et ipse baptismum Agnus ante suscepit, et confitendum unda Jordanis lavavit. In specie columbæ Spiritus sanctus super eum descendit, et Patrem de cœlis loquentem de se audivit, *Hic est Filius meus dilectus, in quo sibi anima mea complacuit.* Cum his signis cœlum apertum vidit, et ita baptizatus de fluminis lavacro ascendit (*Luc.* III, 21, 22). Ad baptismum vero Dominus Jesus exivit, non quod baptismi sacramento et lavacro egeret, qui proprii aut originalis peccati nullam culpam haberet; sed ut aquas, quibus quamvis in delicto Adæ Deus non maledixerat, terræ qua continebantur maledicto infectas purgaret. Et ne quisquam Baptismi sacramentum negligeret, dum qui sine peccato fuerat, baptismi aquas inivit. Et ne quisquam ab inferiore baptizari parvi penderet, dum Dominus a servo suo mergi undis baptismi appeteret. Et quatenus adhuc a diabolo, se, donec tentatio perficeretur, occultaret, qui illum velut lavacro indigentem, inter pollutos peccaminibus ablui aquis conspiceret. Spiritum vero sanctum super se in baptismo descendentem vidit, et vocem Patris de cœlo se confitentem Filium suum audivit, et cœlum coram se apertum conspexit. Non quod ante baptismum suum hæc omnia Dei Filius non haberet, sed ut Baptismi sacramentum quid valeat ostenderet. Non enim tunc Spiritum ille cœpit accipere, qui eamdem cum Spiritu sancto substantiam creditur habere. Nec tunc illum Pater Filium suum primitus professus est esse, cui dixit, *Ex utero ante Luciferum genui te* (*Psal.* CIX, 3): ante videlicet omnem angelicam creaturam, quæ Luciferi appellationem per Scripturas sæpe tenet. Neque tunc illi aperiri cœperat thalamus cœlorum, qui ait, *Cœlum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum* (*Isai.* LXVI, 1). Sed idcirco hæc omnia sancta Trinitas in baptismo Domini congessit, ut sciret unusquisque nostrum, quid muneris in sacri Baptismatis mysterio suscipit. Tunc enim Spiritum sanctum quisque peccatorum sordibus ablutus accipit, et a Deo Patre profiteri filius adoptionis gratia incipit, et tunc sibi regni cœlorum januam aperiri, et civem cœlestis patriæ Angelorum sanctorum consors intelligi. Quamvis vero corporali specie Spiritus sanctus super Dominum descendere dicitur, non tamen de avibus sumpsisse columbam, sed ex aere, minime dubitatur. Nequaquam enim ex avibus Spiritum sanctum necesse fuit corpus assumere, dum aves sibi connexæ statutam (*a*) in nullo transgressæ sunt legem naturæ: sed si in aliquo transgrederentur, in hoc tantum meriti non haberent, utpote nec æterna, nec rationabilis creatura, ut a Spiritu assumptione carnis a delicti vindicta solveretur. Sed quod Filii persona corpore carnis humanæ induebatur, conveniens erat ut Spiritus sancti persona per corporalem speciem super eum descenderet, et Patris vox corporalis de nube per aerem corporis auribus audiretur. Præterea quoque idcirco in nube et columbæ imagine Pater et Spiritus sanctus ad baptismum veniunt, quoniam aquaticæ naturæ res illæ aliquid habuerunt. Dum enim in terra Filius ad baptismi mysterium aquæ creaturam elegisset, necesse fuit ut et Pater per aquaticam nubem intonaret, et Spiritus sanctus illud corpus, quod de aqua in principio factum est (*Gen.* I, 20), ex illa nube acceptum simularet, ut sic tota Trinitas eamdem voluntatem, sicut habet, ostenderet.

CAPUT VI. — *De Christi tentatione et jejunio.*

Cum ergo de aqua Dominus Jesus baptizatus, confestim ascendit, ut diabolo daret occasionem tentandi, avia deserti petivit, ubi et quadraginta dies, et totidem noctes nullo humani pastus suffragio fultus jejunavit. Ibique per tria tentatus, in quibus primus homo seductus est, tentantem satanam tribus responsionibus vicit (*Matth.* IV, 1-11). In diaboli tribus propositionibus tota iniquitas: in Christi vero tribus responsionibus, quibus diabolus repugnatur, tota justitia fuit. Cum inimicus damnatur et vincitur, et humano generi libertas et redemptio præparatur. In hoc namque satanas dum se supra auctorem [1] elevare voluit, qui sub eo illuc usque fuerat, id est, homo per Domini victoris auxilium ultra ipsum excrevit. Et dum illum qui ab omni impedimento liber [2] fuerat, alligare tentabat, interim vinctus ille, quem ipse tenebat in carcere, quibus tenebatur vincula deponit. Et dum contra se fortiorem repugnare nititur, interim ipse qui erat infirmior, adversus eum roboratur. Et eum qui huc usque de cœlo tantum in terram ejectus fuerat, terrore [3] etiam de terra ad inferna eum migrare Dominus jubebat. Quadraginta dierum inediam Domini incarnatio sustinere sine vitæ periculo poterat: quoniam sermo dominicus, qui Moysen per aera quadraginta diebus bis renovaverat, hic Christi artus et nervos intus irrigabat. Quare igitur consummatis quadraginta diebus et quadraginta noctibus esurire Dominus Jesus describitur, cum Moyses et Elias tanti temporis per jejunium famem pati non memorantur (*Exod.* XXIV, 18, *et* XXXIV, 28; III *Reg.* XIX, 8)? Famem vero et laborem Redemptor noster consummato tanto dierum numero sustinet, quatenus et tentatori occasionem tentandi inferret, et nosceretur quam veram humanæ carnis substantiam gestaret. Unde nec extra humanum opus et in hoc jejunio aliquid egit novi, dum temporis quod prius homines jejunaverunt, spatium non excessit.

CAPUT VII. — *De virtutibus Evangelii usque ad ambulationem super mare.*

Devicto ergo adversario et quadraginta dierum perfecto jejunio, per Judæam et Galilæam Israeliticum populum ad viam salutis vocabat, et duodecim primarios sibi milites ex omnibus speciali electionis munere segregabat (*Matth.* IV, 17, *sqq.*; *Luc.* VI, 13-16.). Et quatenus de invisæ et internæ substantiæ, animarum videlicet sanitate, faceret fida omnium corda, etiam in servi [4] potestate visibiliter nulla resistente vi languoris curata reddebat corpora. Unde cum prædicans Evangelium regni Dei, Galilæam circumiret, et promiscuum vulgus varia ægritudine pressum cerneret, quosdam oculorum præsentis defectio lucis lætitia privabat. alios perfusa per totius corporis superficiem lepra fœdaverat, nonnullos pedum frustratos habita forma, curavit. In paralytico autem a quatuor viris portato, tria divina opera cernuntur, dum dimittuntur ei peccata, et præsentis ægritudinis plaga verbo tunc solvitur, et cogitationibus more Dei omnia scrutantis respondetur (*Matth.* IX, 2-6; *Marc.* II, 3-12). Et in hoc viro ostenditur quosdam propter animæ maculas dolore grassari. Quomodo mutus loqui non poterat, cum Verbum Dei Patris responsa ab illo postularet? Qui in ore asinæ facundiam reperit, quomodo humanam linguam, quamvis mutam, ad verba non solidaret? Et cum

(*a*) Forte, *constitutam*.

[1] Ms. Aud., *altiorem*.
[2] Ms. Aud., *sacer*.
[3] Mss., *errore*.
[4] Ms. Aud., *inferni*.

justitiæ lux, quæ in mundum venit, appareret, qualiter cæcus non videret? Et qua potestate diabolus in homine permaneret, ad quem ejiciendum quomodo illum peccantem de cœlo expulerat, Christus veniret? In quinque panibus et duobus piscibus quinque millia saturantibus, continentur miratione digna tria, scilicet materiæ paucitas, et populi saturati multitudo, et fragmentorum copia (*Matth.* XIV, 15, 21).

CAPUT VIII. — *De ambulante Domino super undas.*

Dominus de terra discipulos petens, necesse habuit in undis ambulare. Causa hujus Petri fides fuit, id est, ne si solus Christus id egisset, veritatem carnis dubiam relinqueret. Dum autem Petrus filius viri et mulieris hoc faceret, per imperantis Christi auxilium, nullam de carne Virginis filii dubitationem admittit (*Matth.* XIV, 26, 29). Sed quæri potest, utrum Domini et Petri corporum levigata natura, ut illa aqua sustineret, an aquæ substantia solidata est, ut corpora humana fulcire posset? Quamvis ergo utrumque hoc fieret, non contra naturam, Domino præcipiente, esset, si aut aquam solidaret, aut humanam Domini jussio carnem levigaret; ut militantes in Scytharum oris, ut antiqui ferunt, et super æquorum auribus (*a*) proludant, natandi arte quoque imbuti, merso medio in profunda vix subeunt. Hominibus ergo illud valentibus, quid mirum si Domino imperante caro levigaretur? præsertim cum resurrectionis corpora in tantum levigabuntur, ut non solum crassa aqua, sed etiam nubibus et aere sustineantur, ut Apostolus ait, *Rapiemur ad occurrendum Christo in aera* (I *Thess.* IV, 16). Aliter si aquæ naturam solidatam esse quisquam elegerit, quoniam aqua terrenam habet crassitudinem, ut cum se gelu perstrinxerit, in duriorem quam terræ ipsius soliditatem, rigeat, et multitudinem sufferre valeat, et postea calida aura resolvat. Vel certe, si liquidas undas non perstrinxerit natura, quæ aquis inserta est, ligna quamvis grandia, et humana, et cæterorum animalium corpora, et naves liburnicas supernatantes sustinere consuescit. Illa soliditas Domino imperante facta, nec mirum si etiam Petrum diffidentem non sustinet, cum infideles Domino volente etiam terra non sustentabat, ut Dathan et Abiron (*Num.* XVI, 31).

CAPUT IX. — *De cæteris virtutibus Domini nostri Jesu Christi.*

In naturali rerum administratione binæ rationes deprehenduntur. Deinde inferior ratio quotidiana rerum administratio intelligitur, ut de aqua in animalibus sanguis fit, et unda salsa per nubes aut terræ infusionem indulcescit. Et ratio superior inusitata gubernatio fit, quæ in miraculis rerum dignoscitur, ut in sanguinem aquam in Ægypto in momento, et intincto ligno in dulcedinem Deus commutavit (*Exod.* VII, 20, *et* XV, 25.)

CAPUT X. — *De panibus et piscibus saturantibus millia populorum.*

Quapropter et panem de parvo semine juxta inferiorem rationem in magnam segetem per longi temporis administrationem innumerabilium hominum pastum procreat; quem secundum superiorem rationem de materia modica in momento per benedictionem multiplicat. Sic et pisces per primam benedictionem multiplicat, quando dictum est, *Crescite et multiplicamini, et replete aquas maris.* (*Gen.* 1, 22). Quorum nunc carnes per superioris rationis causam, ad turbarum saturitatem præsenti benedictione multiplicantur (*Matth.* XIV, 19; *Joan.* VI, 11).

CAPUT XI. — *De visione Domini in monte cum Moyse et Elia colloquentibus.*

Licet in hac ostensione (*Matth.* XVII, 2, *sqq.*). Domini facies solari splendore fulserit, non tamen ipsa caro splenduit, sed divinitas latens in corpore, luminis sui portiunculam conspiciendam foris videntibus, quantum poterant, concessit. Unde ergo vestimenta candorem nivis habuerunt, dum neque de carne, neque de divinitate erant? Nisi forte ut per carnem divinitas foris illuxit, sic et caro illuminata de divinitate, per vestimenta radiavit. Moyses autem et Elias specialiter ad talem ostensionem, vel ut Legis et Prophetiæ principes ad finem conducuntur, vel ideo ut Moysi cornuta facies, in quam non poterant filii Israel intendere (*Exod.* XXXIV, 35; II *Cor.* III, 13), et Elias curru igneo raptus (IV *Reg.* II, 11), comparato Christo obscurarentur. Et cum isti quadraginta dies jejunasse Scripturæ vocibus memorantur; de Jesu tantum Domino his præsentibus, Patris se illis pronuntiantis testimonium. Sed dum Elias manens adhuc in corpore vel ad talem conductionem venerat, quid de Moyse dicendum est? utrum in corpore iterum ad hanc ostensionem aderat; an ex aere simulatum, sicut Samuel visus est, habitum fingebat? Et si suo corpore indutus venit, si hac vice resurrectionem suam, quæ cæteris nonnisi in novissimo est futura, complevit? De qua quæstione auctores una eademque sententia prolata non differenter dicunt, quod dum Dominus cum tribus discipulis suis, et Elias, non cum imaginatis sed veris corporibus convenisse non dubitantur, et ipse Moyses in suo vero corpore de sepulcro resumpto videtur. Sed si Dominus Jesus, primogenitus mortuorum recte creditur (*Apoc.* I, 5), Moysi iterum post hanc visionem corpus sepulturæ commendatur, ut ipsum in novissimo die, quando resurgent mortui, assumere possit [1].

CAPUT XII. — *De Lazaro et cæteris resuscitatis mortuis.*

Immobili ergo voluntate Deus universorum vitas certo fini et termino præordinavit: quorumdam igitur vita, non ut moriantur, morte interfici videtur, sed ut per hoc qui eos resuscitant, clariores, utpote Deo chari, hominibus etiam habeantur. Unde de ipso Lazaro discipulis a Domino dicitur, *Hæc infirmitas non est ad mortem, sed ut Filius hominis per eam clarificetur.* Ecce hoc dicto Lazarus cito moritur: sed tamen per Filium Dei, qui in eo clarificatur, quarto die resuscitatur (*Joan.* XI, 4, 44). Quod non spatium vitæ ejus posuit; sed quod sine mutatione Dominus disposuit facere, sæpe retrahere simulat, ut partum uxoribus Abraham et Isaac distulit, ut gratius foret. Et Dominus occasiones præstat, ut quod ipse alicui donare cupit, indulgere rogetur. Si etenim ea quæ non disposuit, aliquis sanctorum rogaverit, nullo modo fieri permittit: ut quod Moyses terram repromissionis ingrederetur (*Deut.* XXXIV, 4); et Paulus ut ab eo angelus satanæ recederet (II *Cor.* XII, 8, 9). et petentes non impetraverunt. De omnibus ergo generaliter mortuis tale quid isentitur, quod ideo prima vice moriuntur, ut per illos digni clarificentur. In his enim octo mortuis, quos divina Scriptura Veteris et Novi Testamenti resuscitatos commemorat, hoc considerandum est, quod de eorum primo, id est, filio viduæ, quem Elias suscitaverat ita refertur: *Revertatur, obsecro, anima pueri* (III *Reg.* XVII, 19). De novissimo, id est, de Eutycho in Actibus Apostolorum: *Et sublatus repertus est mortuus.* Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum, et complexus, dixit, *Nolite turbari, anima enim ejus in eo est* (*Act.* XX, 9, 10). Caute utrumque intelligendum est, quod viduæ filius mortuus est, atque anima ejus reverti a Propheta postulatur: alter vero mortuus est, et in eo ejus esse animam Paulus dixit. In utroque namque Scriptura vera est, quia mentiri non potest. Sed qua ratione recipi potest, ut in membris occultari corporis posset mortui anima? Nisi forte anima, quæ incorporalis est, corpori inesse occulte creditur. Sed quidam intelligendi laborem vitantes, dicunt de Eutycho, quod emittens animam ita mortuus est, ut post modicum intervallum anima revertente Pau-

(*a*) Forte, *littoribus.*

[1] Ms. Aud., *speretur.*

lum dixisse putent, *Anima illius in eo est.* Sed tamen Scriptura tacet, si egressa est aut reversa anima. Cæteri vero sex mortui, quibus nec egressæ animæ, nec reversæ nuntiantur, sine ulla hic ambiguitate præstant quod mortui sint, et divina operatione resuscitati sint.

CAPUT XIII. — *De solis eclipsi in passione Domini.*

Solis defectio juxta carnem, non ut solet, quando luna accenditur, facta erat; sed in plena luna, scilicet quinta decima die mensis, ne casu putaretur fuisse, quod evenerat: et tantum lucem solis media die tenebræ obscuraverunt, ut per tres illas horas defectionis, stellæ in cœlo visæ sint (*Luc.* XXIII, 44, 45).

CAPUT XIV. — *De corporibus sanctorum venientibus de monumentis suis post resurrectionem Domini.*

Sancti venerunt de monumentis suis post resurrectionem Domini (*Matth.* XXVII, 52, 53): sed rursum in monumenta, quomodo et de Moyse memini, redintrarunt; ubi resurrectionem omnium novissimam exspectant, ut Apostolus ait: *Hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt, non acceperunt repromissionem a Deo pro nobis melius aliquid providente, uti ne sine nobis consummarentur* (*Hebr.* XI, 39, 40). Si igitur isti et Moyses bis resurgere, in hac ostensione utique, et in novissima cunctorum resurrectione, credendi sunt, dum semel mortem sibi inditam Adæ delicto gustaverunt? Sed hoc absit a catholica fide ut semel morientem bis credat quis resurgere. Nisi forte bis mori Moysen et istos aliquis dicat. Sed nusquam de his scribitur, qui sic apparuerunt, resurrexisse; sed aut vivere, aut apparuisse, vel de sepulcris exisse. Nomen autem resurrectionis in iis, qui post mortem in vita hac conversati sunt, aut in Domini solius, aut in futura omnium resurrectione ponitur. Talis autem apparitio istorum, nec ad vitam humanam, neque ad resurrectionem futuram pertinet; sed ad confirmationem dominicæ resurrectionis, et ad credulitatem resurrectionis animarum ex inferis, talis apparitio animos movet. Sicut in resuscitatis mortuis similitudo tantum, non mors continua fieri cernitur; ita et in his similitudo resurrectionis, non ipsa resurrectio ostendebatur. De continua enim morte nullus ad vitam indeciduam, nisi Dominus, usque ad novissimum diem revertitur; et a vera resurrectione nunquam in mortem iterum aliquis retrudetur.

CAPUT XV. — *De cibo Domini post resurrectionem.*

Hunc autem carnalem cibum qualiter resurrectionis caro susceperit, docti requirunt, dum resurrectura corpora spiritualia esse cuncti fideles sciunt, ut dicitur, *Resurget corpus spirituale* (I *Cor.* XV, 44). Quapropter resurgent corpora non gustatura, sano sensu creditur possibilitatem edendi cibos, si necesse foret, habitura. Hæc Dei exempla minime denegant, ut Angeli juxta ilicem Mambre (*Gen.* XVIII, 8, 9). Sed hoc non ut nos ruminatos cibos stomacho et intestinis conferunt, sed statim ut accepta, velut videntur, degustent, in spiritualem naturam, non ex parte, sed tota transformant.

CAPUT XVI. — *Petrus paralyticum restituit.*

Convenientia de Spiritu sancto in columba super Christum, et in igne super Apostolos perscripta sunt, et quando diximus de divisione linguarum et de virtutibus Apostolorum post acceptum Spiritum, in excusatione eleemosynæ et paupertatis professione, quando Petrus paralytico dixit, *Surge et ambula* (*Act.* III, 6), Magistri præceptum servans: *Nolite habere aurum, neque argentum* (*Matth.* X, 9), dum soli Deo serviens de iniquo mammona expeditus fuerat, verbo imperii morbo ligatum cito solvebat.

CAPUT XVII. — *Virtus Petri.*

Ecce quanta est apostolica virtus in Christo, sanum Ananiam dum Petrus arguit per sermonis tantum imperium, morte ligavit (*Act.* V, 4, 5); et Tabitham mortis vinculo ligatam, eadem imperii potestate dissolvit (*Id.* IX, 40). Ideoque prius Ananias et Saphira in conspectu Ecclesiæ cito mortui sunt, ut apostolica auctoritas quanta esset ostenderetur; et quam magnum peccatum esset, quod oblatum est iterum ab Ecclesia retrahere, monstraretur, et cæteri exemplo hujus castigarentur.

ADMONITIO

DE SEQUENTI OPUSCULO.

Non Augustini, sed Alcuini est isthæc de Benedictionibus Jacob patriarchæ quæstio expositioque historica et allegorica, decerpta nimirum ex ipsius libro Quæstionum in Genesim. Quanquam etiam apud Hieronymum sub iisdem ac totidem fere verbis in opusculo, quod item Quæstionum in Genesim inscribitur, expositionem priorem reperias; posterioris vero expositionis partem postremam apud Gregorium in libris Moralium in Job. Imo utraque ex integro, sed ordine nonnihil diverso, atque aliquot permutatis vocibus, habetur in tertio libro Commentariorum in Genesim, qui Eucherio Lugdunensi tributi olim falso fuere, editique in Bibliotheca Patrum.

DE BENEDICTIONIBUS

JACOB PATRIARCHÆ.

Quid intelligendum est de benedictionibus, quibus Jacob patriarcha benedixit filios suos? An historice vel allegorice intelligendæ sint, dum dicit, *Congregamini, filii Jacob, ut annuntiem vobis quæ ventura sunt in novissimis diebus* (*Gen.* XLIX, 2): et si videtur ex his verbis magis allegoriam sonare quam historiam? Resp. Utrumque vero, et historiam et allegoriam: historiam de divisione terræ repromissionis, quæ divisiones dividendæ erant nepotibus eorum; et allegoriam de Christo et de Ecclesia in novissimis temporibus futura. Sed prius historiæ fundamenta ponenda sunt, ut aptius allegoriæ culmen priori structuræ superponatur.

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, principium doloris mei: prior in donis, major in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas; quia ascendisti cu-

bile patris tui, et maculasti stratum ejus (*Gen.* III, 4) (*a*). Est autem sensus hic: Tu es primogenitus meus, major in liberis, et debebas, juxta ordinem nativitatis tuæ, hæreditatem quæ primogenitis jure debebatur, sacerdotium accipere et regnum. Hoc quippe in portando honore et prævalido robore demonstratur. Verum quia peccasti, et quasi aqua quæ quolibet vasculo non tenetur, voluptatis effusus es impetu; idcirco præcipio tibi ut ultra non pecces, sisque in fratrum numero, pœnas peccati luens, quod primogeniti ordinem perdidisti. [Principium autem doloris est omnis primogenitus, quia pro eo commoventur viscera parentum (*b*)]. « Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, et in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax; et indignatio eorum, quia dura. Dividam eos in Jacob, et dispergam illos in Israel » (*Ibid.*, 5-7). Significat autem non sui consilii fuisse, quod Sichem et Emor fœderatos viros interfecerunt, et contra fas in pacis et amicitiarum tempore sanguinem fuderunt innocentem, et quasi quodam furore, sic crudelitate raptati, muros hospitæ urbis everterunt (*Id.* XXXIV, 26). Unde dicit, *maledictus furor eorum*, *quia pertinax*, et reliqua. *Et dispergam illos in Israel.* Levi enim hæreditatem propriam non accepit, sed in omnibus sceptris paucas urbes ad inhabitandum habuit (*Josue* XXI). De Simeone vero in libro Jesu scriptum est, quod et ipse proprium funiculum non acceperit, sed de tribu Juda quiddam acceperit (*Id.* XIX, 1, 2). *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, et quasi leæna. Quis suscitabit eum?* Quia Juda confessio sive laus interpretatur, recte scribitur de Juda, *confitebuntur tibi fratres*; vel, *laudabunt te*. Et licet de Christo grande mysterium sit, tamen secundum litteram significat, quod per David stirpem generarentur reges, et quod adorarent eum omnes tribus. Non enim ait, filii matris tuæ; sed, *filii patris tui*. Et quod sequitur, *Ad prædam, fili mi, ascendisti*, ostendit eum captivos populos esse ducturum, et juxta intelligentiam sacratiorem ascendisse in altum, et captivam duxisse captivitatem. Sive, quod melius puto, captivitas passionem, ascensus resurrectionem significat. *Alligans ad vineam pullum suum, et ad vitem asinam suam.* Quod videlicet pullum asinæ, cui supersedit Jesus (*Joan.* XII, 14), hoc est Gentilium populum, vineæ Apostolorum, qui ex Judæis sunt, copulaverit; et ad vitem, sive, ut in Hebræo habetur, Soreth (*c*), id est electam vitem, alligaverit asinam cui supersedit, Ecclesia ex nationibus congregata. Quod autem dicit, *Fili mi*, conversionem ad Christum de ipso Juda facit [1], eo quod Christus sit universa facturus. [Quod autem dicitur, *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femoribus ejus, donec veniat ille qui mittendus est; et ipse erit exspectatio gentium* (*Gen.* XLIX, 8-11): significat quod non deficerent principes de tribu Juda usque ad tempus, quo natus est Christus, qui missus a Patre exspectatio est gentium (*d*).] « Zabulon in littore maris habitabit, et in statione navium, pertingens usque ad Sidonem. Issachar, asinus fortis accubans inter terminos: vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima; et supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tribus serviens » (*Ibid.*, 13-15). Quia supra Zabulon dixerat, quod maris magni littora esset possessurus, Sidonem quoque et reliquas Phœnices urbes contingeret, nunc ad mediterraneam provinciam redit, et Issachar, qui juxta Nephtalim pulcherrimam in Galilæa regionem possessurus est, benedictione sua habitatorem facit. Asinum autem osseum vel fortem vocat, et humerum dicit supposuisse ad portandum; quia in labore terræ et vehendis ad mare, quæ in finibus suis nascebantur, plurimum laboraret, regibus quoque tributa comportans. Aiunt Hebræi per metaphoram significari, quod Scripturas sanctas de die ac nocte meditans studium suum dederit ad laborandum: et idcirco ei omnes serviunt, quasi magistro dona portantes. *Dan judicabit populum suum sicut et alia tribus in Israel. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. Salutare tuum exspectabo, Domine* (*Gen.* XLIX, 16-18). Samson judex in Israel de tribu Dan fuit (*Judic.* XIII, 2). Hoc ergo dicit: Nunc videns in spiritu comam nutrire Samsonem nazaræum tuum, cæsisque hostibus triumphare, quod in similitudinem colubri regulique obsidens vias nullum per terram Israel transire permittat; sed etiam si quis temerarius, virtute sua quasi velocitate equi confisus, eam voluerit prædonis more populare, non effugere valebit. Totum autem per metaphoram serpentis et equitis loquitur. Videns ergo tam fortem nazaræum tuum, quod ipse propter meretricem mortuus est, et moriens nostros occidit inimicos (*Id.* XVI, 30), putavi, o Deus, ipsum esse Christum Filium tuum: verum quia mortuus est, et non resurrexit, et rursum ductus est Israel in captivitatem; alius mihi Salvator mundi et mei generis præstolandus est, ut veniat cui repositum est, et ipse exspectatio gentium. *Gad accinctus prœliabitur ante eum, et ipse accingetur retrorsum* (*Gen.* XLIX, 19). Significat, quod Gad, Ruben, et dimidia tribus Manasse ad filios, quos trans Jordanem in possessionem dimiserat, post quatuordecim annos revertens, prælium adversus eos gentium vicinarum grande repererit, et victis hostibus fortiter dimicaverit. Lege Jesum Nave et Paralipomenon. *Nephtalim, cervus emissus dans eloquia pulchritudinis*; sive, *Nephtalim ager irriguus* (*Ibid.*, 21). Utrumque significat Hebræum verbum, Aiala Seluha. Significat autem, quod aquæ calidæ in ipsa nascantur tribu, sive quod super lacum Genesar fluento Jordanis esset irriguus. Hebræi autem volunt propter Tiberiadem, quæ Legis videbatur habere notitiam, agrum irriguum et eloquia pulchritudinis prophetari. Cervus autem emissus temporaneas fruges et velocitatem terræ uberioris ostendit. Sed melius si ad doctrinam Salvatoris cuncta referamus, quod ibi vel maxime docuerit Salvator, ut in Evangelio quoque scriptum est (*Matth.* IV, 15, 16). « Filius meus Joseph accrescens, Filius meus accrescens et decorus aspectu: filiæ decurrerunt super murum; sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. Sedit in forti arcus ejus, et dissoluta sunt vincula brachiorum et manuum ejus per manus potentis Jacob. Inde pastor egressus est lapis Israel » (*Gen.* XLIX, 22-24). O filii Joseph, qui tam pulcher es, ut te tota de muris et turribus ac fenestris puellarum Ægypti turba prospectet, inviderunt tibi, et ad iracundiam te provocaverunt fratres tui, habentes livoris sagittas et zeli jaculis vulnerati. Verum arcum tuum et arma pugnandi posuisti in Deo, qui fortis est pugnator: et vincula tua quibus te fratres ligaverunt, ab ipso soluta sunt et disrupta, ut ex tuo semine tribus nascatur Ephraim fortis et stabilis, et instar lapidis durioris invicta, imperans quoque decem tribubus Israel. *Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia* (*Ibid.*, 27). Quam de apostolo Paulo, quæ dicta sunt, manifestissima sit prophetia, omnibus patet; quod in adolescentia persecutus sit Ecclesiam, in senectute prædicator Evangelii fuerit. Hebræi autem ita dixerunt: Altare in quo immolabantur hostiæ, et victimarum sanguis ad basim illius fundebatur, in parte tribus Benjamin fuit: hoc, inquiunt, significat, quod sacerdotes immolant mane hostias, ad vesperam dividunt ea quæ sibi ex lege collata sunt; lupum sanguinarium, lupum voracem

[1] Ms. Corb.: *Quod autem dicit, Fili mi, apostrophen ad ipsum Judam facit.*

(*a*) Ex Hieronymo, lib. Quæst. in Genesim.
(*b*) Hæc non sunt Hieronymi.
(*c*) Leg. *Sorec*: sic enim vitis hebraice appellatur.
(*d*) Non sunt hæc Hieronymi.

super altaris interpretatione ponentes, et spoliorum divisorem super sacerdotibus, qui servientes altari vivunt de altari (*a*). Hæc autem historice.

Spiritualiter autem in Ruben prioris populi Judæorum ostendit esse personam, cui a Domino dicitur, *Israel primogenitus meus* (*Gen.* XLIX, 3; *Exod.* IV, 22). Etenim juxta quod primogenito debebatur, ipsius erat accipere sacerdotium et regnum. Additur, *tu virtus mea.* Utique quod ex ipso populo fundamentum fidei, ex ipso virtus Dei, qui est Christus, advenit. Quomodo autem ipse sit principium dolorum, nisi dum Patri Deo semper irrogaverit injuriam; dum convertit ad eum dorsum, et non faciem? Iste prior in donis, quia primum ipsi credita sunt eloquia Dei (*Rom.* III, 2), et legislatio, et Testamentum sive promissio. Iste major imperio; utique pro magnitudine virium quia copiosius cæteris in hoc sæculo populus idem regnavit. Effusus est autem sicut aqua, peccando in Christum, quæ vasculo non tenetur : voluptatis effusus est impetu, et idcirco addidit, *Ultra non crescas;* quia populus ipse postquam in universo orbe dispersus est, valde imminutus est. Sed quare talia meruit, ita subjecit : *Quia ascendisti cubile patris tui.* Primogenitæ autem plebis audaciam prædicat, quæ ascendit cubile patris sui, et maculavit stratum ejus, quando corpus dominicum, in quo plenitudo divinitatis requiescebat (*Coloss.* II, 9), raptum in cruce suspendit, et ferro commaculavit. *Simeon et Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia.* Per Simeon et Levi Scribæ et Pharisæi et Sacerdotes Judaici populi intelliguntur. De Simeone enim Scribæ erant Judæorum, de tribu vero Levi principes sacerdotum, qui consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent et occiderent. De quo consilio dicit, *In consilium eorum ne veniat anima mea :* horrebat enim tanta scelera, quæ novissimis temporibus facturi erant Judæi. *Quia in furore suo occiderunt virum :* id est Christum, de quo dicitur, *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI, 12); et alibi, *Femina circumdabit virum* (*Jerem.* XXXI, 22). *Suffoderunt murum :* id est, illum spiritualem fortissimum murum, qui custodit Israel, lancea confoderunt. *Maledictus furor eorum, quia pertinax :* utique quando furore accensi et ira, obtulerunt Christum Pontio Pilato, dicentes, Crucifige, crucifige. *Et indignatio eorum, quia dura :* dum Barabbam latronem peterent, et principem vitæ crucifigendum postularent. *Dividam eos in Jacob, et dispergam illos in Israel :* quia nonnulli ex ipsis crediderunt, quidam in infidelitate permanserunt. Dicuntur enim divisi ii, qui ab eis separantur, et veniunt ad fidem; dispersi autem, quorum patria temploque subverso, per orbem terræ incredulum genus spargitur. *Juda, te laudabunt fratres tui.* Per hunc Judam verus confessor exprimitur Christus, qui ex ejus tribu secundum carnem est genitus. Ipsum laudabunt fratres sui : Apostoli scilicet et omnes cohæredes ejus, qui per adoptionem Patris, filii Dei effecti sunt, et Christi fratres per gratiam, quorum ipse est Dominus per naturam. *Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum :* eisdem enim manibus atque eodem crucis tropæo et suos texit, et inimicos et adversarias potestates curvavit. Juxta quod et Pater promittit ei dicens, *Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* CIX, 1, 2). *Adorabunt te filii patris tui :* quando multi ex filiis Jacob adorant eum, per electionem gratiæ salvi facti (*Rom.* XI, 5). *Catulus leonis Juda :* quando nascendo factus est parvulus, sicut scriptum est, *Parvulus natus est nobis* (*Isai.* IX, 6). *Ad prædam, fili mi, ascendisti :* id est, ascendens in crucem, captivos populos redemisti; et quos ille contrarius invaserat, tu moriens eripuisti : denique rediens ab inferis, ascendisti in altum, captivam duxisti captivitatem (*Psal.* LXVII, 19; *Ephes.* IV, 8). *Requiescens accubuisti, ut leo :* manifestissime Christus in passione accubuit, quando inclinato capite tradidit spiritum; et quando in sepulcro securus, velut quodam corporis somno quievit. Sed quare ut leo, et velut catulus leonis? In somno enim suo leo fuit, quando non necessitate, sed potestate hoc ipsum complevit, sicut ipse dicit : *Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam* (*Joan.* X, 18). Quod vero addit, *Et ut catulus leonis :* inde enim mortuus, unde natus. Bene ergo Christus ut leo requievit, qui non solum mortis acerbitatem non timuit, sed et in ipsa morte mortis imperium vicit. Quod autem dicit, *Quis suscitabit eum?* quia nullus nisi ipse, juxta quod ipse ait : *Solvite templum hoc, et in triduo resuscitabo illud* (*Id.* II, 19). *Non deficiet dux de Juda*, et reliqua. Hoc manifestissime ad Judam refertur. Diu enim fuit ex semine illius intemerata apud Judæos successio regni, donec Christus nasceretur, sicut supra diximus. *Alligans ad vineam pullum suum.* Pullus suus populus ex Gentibus, cui adhuc nunquam fuerat Legis onus impositum. Hunc copulavit ad vineam, ad Apostolos scilicet qui ex Judæis sunt. Nam vinea Domini Sabaoth domus Israel est (*Isai.* V, 7). *Et ad vitem asinam suam.* Ipse dicit, *Ego sum vitis vera* (*Joan.* XV, 1). Ad hanc ergo vitem alligat asinam suam, synagogam tardigradam scilicet, et gravi Legis pondere depressam. *Lavit in vino stolam suam :* sive carnem suam in sanguine passionis, sive sanctam Ecclesiam illo vino, quod pro multis effundetur in remissionem peccatorum. *Et in sanguine uvæ pallium suum.* Pallium Gentes sunt, quas corpori suo junxit : sicut scribitur, Vivo ego, dicit Dominus, nisi hos omnes induam sicut vestimentum. *Pulchriores oculi ejus vino.* Oculi Christi Apostoli sunt et Evangelistæ, qui lumen scientiæ Ecclesiæ præstant : quorum præcepta austeritatem vini priscæ Legis superant, quia longe leviora sunt. *Et dentes ejus lacte candidiores.* Dentes præceptores sunt sancti, qui præcidunt ab erroribus homines, et eos quasi comedendo in Christi corpus transmittunt. Candidiores autem effecti sunt doctores Ecclesiæ lacte veteris Legis. *Zabulon habitabit in littore maris, et in statione navium.* Zabulon interpretatur Habitaculum fortitudinis, et Ecclesiam significat. Hæc in littore maris habitat et in statione navium, ut credentibus sit refugium, et periclitantibus demonstret fidei portum. Hæc contra omnes turbines sæculi inconcussa firmitate solida spectat naufragium Judæorum, et hæreticorum procellas, qui circumferuntur omni vento doctrinæ; quorum etsi tunditur fluctibus, non tamen frangitur. *Pertendit autem usque ad Sidonem,* hoc est, usque ad Gentes. Legitur etiam in Evangelio inde assumptos esse Apostolos aliquos, et ipsis locis Dominum sæpe docuisse, sicut scriptum est, *Terra Zabulon, et terra Nephtalim, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam* (*Isai.* IX, 1, 2; *Matth.* IV, 15, *sqq.*). Sidon interpretatur Venator vel venatrix. Venatores qui sunt, nisi Apostoli? Qui, ut supra diximus, ex illis locis assumpti sunt, de quibus dicitur : *Mittam venatores multos, et venabuntur vos in omni monte* (*Jerem.* XVI, 16). *Issachar asinus fortis.* Issachar qui interpretatur Merces, refertur ad populum Gentium, quem Dominus sanguinis sui pretio mercatus est. Hic Issachar *asinus fortis* scribitur, quia prius populus gentilis quasi brutum et luxuriosum animal nullaque ratione substitit, sed postmodum jugum disciplinæ evangelicæ libenter portavit. *Hic accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, et terram quod optima* (*a*). Inter terminos autem cubare, est præstolato mundi fine requiescere, nihilque de iis, quæ nunc versantur in medio, quærere, sed ultima desiderare. Et fortis asinus requiem et terram optimam videt, cum simplex gentilitas idcirco se ad robur boni operis erigit, quia ad æternæ vitæ patriam tendit. Unde etiam apponit humerum suum ad portandum, quia dum ad promissam requiem pervenire desiderat, cuncta mandatorum onera libenter portat. Unde factus est tributis serviens, hoc est, Christo

(*a*) Hucusque ex Hieronymo.

(*a*) Ex Gregorio, lib. 1 Moral., cap. 16.

regi suæ fidei dona et operum bonorum offerens munera. *Dan judicabit populum suum sicut aliæ tribus in Israel. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*, et reliqua. Dicunt quidam (*a*) Antichristum per hæc verba et prædici de ista tribu futurum, pro eo quod hoc loco Dan et coluber asseritur et mordens, et quod inter tribus Israel primus Dan ad aquilonem castrametatus est (*Num.* II, 25), illum significans qui se in lateribus aquilonis sedere dicit, et de quo figuraliter dicit propheta, *A Dan auditus est fremitus equorum ejus* (*Jerem.* VIII, 16). Qui non solum coluber, sed etiam cerastes vocatur. Κέρατα enim græce cornua dicuntur. Serpens ergo ille cornutus esse perhibetur, per quem digne Antichristus asseritur, quia contra vitam fidelium cum morsu pestiferæ prædicationis armabitur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiorem esse quam viam? Fit ergo Dan coluber in via, quia in præsentis vitæ latitudine eos ambulare provocat, quibus quasi parcendo blanditur : sed in via mordet, quia eos quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit cerastes in semita, quia quos fideles reperit, et sese inter angusta præcepti cœlestis itinera constringentes, non solum nequitia callidæ persuasionis impetit, sed etiam terrore potestatis premit; et in persecutionis languore, post beneficia fictæ dulcedinis, exercet cornua potestatis. Equus iste cujus ungulas cerastes mordere dicitur, hunc mundum insinuat, qui per elationem suam in cursu labentium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema mundi hujus apprehendere nititur, cerastes iste equi ungulas mordere perhibetur. Ungulas quippe equi mordere est extrema sæculi feriendo contingere. *Ut cadat ascensor ejus retro* [1]. Plebs infidelis Judæa, erroris sui laqueis capta, pro Christo Antichristum exspectat. Bene Jacob eodem loco repente in electorum vocem conversus est dicens, *Salutare tuum exspectabo, Domine:* id est, non sicut infideles Antichristum; sed eum qui in redemptionem nostram venturus est, verum credo fideliter Christum. Amen.

(*a*) Ex Gregorio, lib. 31. Moral., cap. 10.

[1] In Ms. Corb sic desinit : *ascensor equi est quisquis iniquitatibus hujus mundi extollitur, qui retro cadere dicitur.*

ADMONITIO

IN LIBRUM QUÆSTIONUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

Hoc opus Augustino abjudicant eruditi quique. Nec injuria sane, quandoquidem res ratioque docendi, ut de stili distantia nihil dicamus, procul abhorret a S. Doctoris ingenio et fide. In quæstione secunda dicitur Deus, ut diaboli præsumptionem non potestate sed ratione destrueret, materiam condidisse, quæ esset rerum confusio, ex qua faceret mundum. In Q. decima tertia infantes qui in Sodomis cum parentibus perierunt, a gehenna liberos esse, quia in aliena causa occisi sunt, absolute pronuntiatur. Quo loco Quæstionum auctor, quisquis est, originale peccatum inficiari videbatur Bellarmino. Et revera ad hanc ipsam quæstionem respondens Alcuinus in opere super Genesim, interrog. 103, cum alioquin iisdem, quæ hic leguntur, verbis usus fuerit, nequaquam tamen originalis peccati reatum dissimulavit : *Nonne*, ait, *provisum est illis, ne diu viventes exempla sequerentur patrum; et ut levius in futuro crucientur, vel omnino non, aliena causa occisi?* In Q. vigesima prima, et quadragesima quinta, contendit auctor, mulierem non esse creatam ad imaginem Dei : contra quam docet Augustinus in lib. 3 de Genesi ad litt., cap. 22. In Q. vigesima tertia non patitur quidquam difficultatis, ut Augustinus, circa originem animæ. Q. vigesima septima non Samuelem a pythonissa excitatum, sed ejus spectrum sive diabolum Saüli apparuisse sic asserit, ut falsam et absurdam esse velit aliam opinionem : quam tamen pulchre congruere sacris Scripturis ostendit Augustinus in lib. 2 Quæst. ad Simplicianum. Q. quadragesima prima illud Geneseos, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, pugnat ne intelligatur de Spiritu sancto, de quo passim ab Augustino explicatur. Q. quadragesima tertia vehementer improbat votum Jephte, quem facinorosum appellat, nullumque justitiæ testimonium habere dicit, cum is tamen inter insignes viros laudetur in Epistola ad Hebr., cap. 11. In Q. quadragesima sexta nota ignorantiæ aut stultitiæ condemnat eos, qui dicunt Samuelem functum officio sacerdotis, quod ipse cum aliis plurimis sentit Augustinus in lib. 17 de Civit. Dei, cap. 4. In Q. quadragesima octava de Filio Dei loquitur more Arianorum. Q. quinquagesima sexta dicit immerito quibusdam videri (quod tamen Augustino etiam visum est) Joseph esse filium Heli et Jacob, unius secundum naturam, alterius secundum Legem. Q. quinquagesima nona quod apud Joannem dixit Dominus, *Spiritus ubi vult spirat*, vult de vento interpretandum esse, non de Spiritu sancto : cum Augustinus aliter interpretetur. Q. centesima octava multis conviciis insectatur eos, qui volunt Hebræos dictos ab Heber, non ab Abraham : at Augustinus in lib. 2 Retract., cap. 16, et de Civitate Dei lib. 16, cap. 11, eam sequitur sententiam. Q. centesima nona incumbit ut suadeat Melchisedech non hominem fuisse, sed Spiritum sanctum, ipsumque in oblatione dici summum sacerdotem improbat. Q. centesima decima quinta dicit Abrahamum cum patre suo idola coluisse : contra Augustinus, in lib. 16 de Civit. Dei, cap. 13. In Q. centesima decima sexta ille pascha a passione, Augustinus vero ab hebræa voce transitum significante censet fuisse appellatum, in Epist. 55 ad Januarium, n. 2. Præterea Pelagianam hæresim quæstiones aliquot resipiunt Lovaniensium Theologorum judicio, veluti Quæst. septuagesima nona, octogesima, octogesima tertia, etc. Perpaucæ demum sunt, quæ non aliqua ex parte pugnent in Augustini doctrinam; ut superfluum sit his addere, quod hujus operis prolixi nullam S. Doctor mentionem facit in libris Retractationum, cum illic diligenter Quæstionum libros alios recenseat.

Superest ut examini judicioque Lectorum subjiciamus opinionem eruditis hodie quamplurimis probatam, quæ hasce Quæstiones eidem auctori, cui Commentarios in Apostolum Ambrosii nomine vulgatos attribuit. Quippe collatis ad invicem utrisque operibus, scilicet Quæst. vigesima quarta ad Comment. in I Cor. 11, ỳ. 5; Quæst. septuagesima quarta ad Comment. in II Cor. 5, ỳ. 21, et in Gal. 3, ỳ. 13; Quæst. centesima secunda ad Comment. in II Timoth. 2, ỳ. 20; Quæst. centesima octava ad Comment. in Philipp. 3, ỳ. 5; Quæst. centesima decima tertia ad Comment. in Ephes. 3, ỳ. 10, etc., concordiam in rebus, in sententiis, in verbis etiam ipsis, quam maximam deprehenderunt. Ad hæc utrumque opus eodem fere tempore confectum putant: Commentarios quidem cum Damasus Papa, qui sub anni 384 finem obiit, Romanam Ecclesiam regeret, uti eorumdem auctor testatur in I Timoth. 3, ỳ. 15; Quæstiones autem anno circiter 300 ab excidio Jerosolymitano, ex Quæst. quadragesima quarta Adversus Judæos, tametsi non nemo sit qui hunc annum ab adventu Christi numerari arbitretur. Jamvero Commentariorum scriptor creditur designatus ab Augustino in lib. 4, ad Bonifacium, cap. 4, ubi Hilarii nomine sententiam profert, quæ ad verbum in iisdem Commentariis sup. Rom. 5, ỳ. 12, continetur: porro autem cum ab Hilarii episcopi Pictavensis stilo et doctrina plurimum dissideant iidem Commentarii, non alius esse existimantur quam Hilarii diaconi, qui Damaso Pontifice pariter vivebat, illius nimirum qui secta Luciferianus, patria Sardus dicitur. Hic nos, ut de Commentariorum auctore nihil pronuntiemus, juvat in subjectas Quæstiones observare, manuscriptorum codicum eam a nobis deprehensam esse varietatem, quæ efficere possit, ut jam demum revocetur, atque invalescat opinio Erasmi et aliorum, qui primum suspicabantur non unius hominis esse illud Quæstionum opus, in quo eadem quæ dicta sunt iterari, et propositis titulis rursum tractari eamdem quæstionem; tum dissimile dicendi genus adhiberi; nec ipsa constanter eadem, sed plane contraria dogmata propugnari cernebant. Enimvero duo sunt manuscriptorum codicum genera. Quidam centum viginti septem illas quæ primo vulgatæ fuerunt, quæstiones complectuntur: scilicet quadraginta septem ex Veteri Testamento, reliquas omnes ex Novo Testamento inscriptas; nihilque ab editis differunt, nisi quod titulum huncce tertium, ex utroque mixtim, qui posterioribus triginta quæstionibus a typographis præfixus fuit, nusquam habent. Hujus primi generis manuscripti duo sunt in Bibliotheca Sorbonica, in Victorina totidem, in Colbertina unus antiquior multo et ante annos circiter 700 exaratus. Alterius generis manuscriptos non plus quam tres reperimus, unum Sorbonicum, alium Victorinum, tertium Germanensem nostrum, qui licet centum quinquaginta unam quæstiones contineant, scilicet quinquaginta sex ex Veteri, et nonaginta quinque ex Novo Testamento, adeoque primi generis codicibus sint viginti quatuor quæstionibus auctiores, non tamen habent tractatus plerosque, et conciones ex istis primum vulgatas: quodque ad rem facit, carent quadragesima quarta illa, Adversum Judæos; et centesima decima quinta, Adversum Mathematicos quæstione aliisque nonnullis, unde auctoris ætas et patria comperiri posse credebatur. Ex hoc secundo manuscriptorum genere eruit Jacobus Haemer alteram collectionem quæstionum, quæ post vulgatæ sunt. Damus hic denique Quæstionum Elenchum duplicem, in quo manuscriptorum diversitas uno conspectu intelligitur. Quæstiones quæ codicibus sive primi sive secundi generis propriæ sunt, stellula designandas curavimus.

ELENCHUS QUÆSTIONUM.

EX MANUSCRIPTIS CODICIBUS

Primi generis (*a*).

QUÆSTIONES VETERIS TESTAMENTI.

(*a*) Hac serie continentur omnes quæstiones primo vulgatæ.

EX MANUSCRIPTIS CODICIBUS.

Secundi generis (*a*).

CAPITULA DE VETERI TESTAMENTO

(*a*) Hac serie inter alias continentur quæstiones post vulgatæ.

XIII. Si judicium Dei justum est, quare infantes in Sodomis cremati sunt.
XIV. Quid est ut Deus, qui justus prædicatur, peccata patrum filiis dicat reddi.
XV. Cum justum prædicet Lex, contra Salomon, *Noli*, ait, *esse justus multum.*
XVI. Quare angelus, qui volebat in via Moysen occidere, circumcisione infantis placatus est.
XVII. Quid est ut maledictos dicat, qui non reliquerint semen in Israel.
XVIII. Quare Saül peccans petiit orari pro se, et impetrare non potuit; David autem e contra.
XIX. Si Adam corpus immortale habuit, an mortale.
XX. Quid est quod dicitur, *Panem Angelorum manducavit homo :* cum Angeli non egeant cibo.
XXI. Quid sit ad imaginem et similitudinem Dei fecisse hominem, et an mulier imago Dei.
XXII. Quid est ut dicat Salomon, *Justifica animam tuam ante obitum tuum*, etc.
XXIII. An ex traduce sint animæ, sicut corpora.
XXIV. Quid est ut vir imago Dei sit, et non mulier.
XXV. Utquid Joseph adjurat filios Israel, ut tollerent cineres ejus de Ægypto.
XXVI. De Elisæo, an id quod dure petiit ab Elia, consecutus sit.
XXVII. An Pythonissa Samuel excitaverit.
XXVIII. Quid contradicendum his sit, qui mundum æternum dicunt.
XXIX. Quare octavo die circumcidi mandatum est.
XXX. In Proverbiis ait, *Justus sui accusator est :* quomodo justus, si peccator?
XXXI. An cum muliere serpens natura locutus sit, an ab actu dictus serpens an diabolus.
XXXII. Legimus apud Salomonem, *Dives et pauper obviaverunt sibi, fecit autem ambos Deus.* Quomodo ergo non est personarum acceptio apud Deum.
XXXIII. Salomon, *anni*, inquit, *impiorum minuentur :* cum videamus impios aliquantos longævos.
XXXIV. Apud Salomonem, *Deus mortem non fecit :* et alio loco, *Bona et mala, vita et mors a Deo sunt.*
XXXV. Qua ratione David Saül, postquam Deus ab eo recessit, christum Domini vocat, etc.
XXXVI. Si anima quæ peccat ipsa morietur, quid est ut in causa Charmi triginta viri occisi sunt.
XXXVII. Quid est ut missa mors in Jacob venerit in Israel.
XXXVIII. Si equus et mulus non habent intellectum, quanto magis terra? quid ergo est ut dicatur terra benedicere Dominum.
XXXIX. Quid est quod legitur in Salomone, *Spes est in tenebris. Melior est canis vivus leone mortuo.*
XL. Quid est quod dicit propheta, *Lætare sterilis, quæ non paris*, etc.
XLI. An spiritus qui super aquas ferebatur, Spiritus sanctus intelligatur.
XLII. Cur angelus Moysi et in igne et in rubo apparuit.
XLIII. * Cum Abraham prohibitus sit filium suum immolare; cur Jephte filiam immolare non prohibetur?
XLIV. * Adversum Judæos.
XLV. * Quomodo homo ad imaginem Dei factus sit, et an mulier quoque.
XLVI. * Utrum Samuel fuerit de filiis Aaron, et utrum sacerdos.
XLVII. * De hoc quod in Isaia legitur : *Et apprehendent septem mulieres*, etc.

QUÆSTIONES NOVI TESTAMENTI.

XLVIII. Deus perfectio est : quid ergo opus fuit Christo ut nasceretur.
XLIX. Cur Salvator baptizatus sit.
L. Si ideo Salvator baptizatus est ut exemplo esset, quare non ita et in circumcisione.
LI. Quomodo intelligatur: *Spiritus sanctus superveniet in te.*
LII. Si de Spiritu sancto natus est Christus, cur dictum est, *Sapientia ædificavit sibi domum.*
LIII. Quid est ut VIII calend. januar. Salvator natus dicatur.
LIV. Si ex semine David Christus Filius Dei factus, id est jam natus est, quare cum baptizatur audit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*
LV. Quid causæ fuit ut VIII cal. april. crucifigi se permitteret Dominus.
LVI. Quare in Matthæo pater Joseph Jacob scribitur, et in Luca, Heli, etc.
LVII. Quid est ut cum in Malachia scriptum sit, *Ecce ego mitto Angelum meum;* Marcus dicat in Isaia.
LVIII. Qua ratione negat Joannes Christum se nosse ante baptismum, cum probet ante eum nosse.
LIX. Si Baptismus cœleste mysterium est, cur Nicodemo ait Dominus, *Si terrestria dixi vobis*, etc.
LX. Si Lex et Prophetæ usque ad Joannem, quare Salvator ad sacerdotes mittit offerri munera.

16. Quid est ut Deus qui justus prædicatur, etc.
17. Cum justum prædicet Lex, contra Salomon, etc.
18. Quare angelus qui in via volebat occidere Moysen, etc.
19. Quid est ut maledictos dicat qui, etc.
20. Quare Saül peccans petit orari pro se, etc.
21. Si Adam corpus immortale habuit, etc.
22. Quid est quod dicitur, *Panem*, etc.
23. Quid sit ad imaginem et similitudinem Dei, etc.
24. Quid est ut dicat Salomon, *Justifica*, etc.
25. An ex traduce sint animæ.
26. Quid est ut vir imago Dei sit, etc.
27. Utquid Joseph adjurat filios Israel, etc.
28. De Elisæo, an id quod dure petiit, etc.
29. An Pythonissa Samuel excitaverit.
30. Quid contradicendum his qui mundum æternum dicunt.
31. Quare octavo die circumcidi mandatum est.
32. In Proverbiis ait, *Justus sui accusator est*, etc.
33. An cum muliere natura serpens locutus sit, etc.
34. Legimus apud Salomonem, *Dives et pauper*, etc.
35. Salomon, *Anni*, inquit, *impiorum minuentur*, etc.
36. Apud Salomonem, *Deus mortem non fecit*, etc.
37. * Cur Deus dixit, *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia sunt caro, et erunt anni illorum centum viginti.*
38. * Quid contineat benedictio Jacob, quam dedit.
39. Cur angelus Moysi et in igne et in rubo apparuit.
40. * Non fuit aliud signum, quod fieret a Moyse palam Pharaoni, nisi serpens.
41. * Quid est quod in Psalmo, *Homines*, inquit, *et jumenta salvos facies.* Et ad Jonam, *Non parcam*, ait, *civitati, in qua habitant centum viginti millia hominum et pecora multa*, etc.
42. * Si Adam factus a Deo et animatus Spiritum sanctum accepit (*a*).
43. Si anima quæ peccat ipsa morietur, quid est ut in causa Charmi triginta sex viri occisi sunt.
44. Quid est ut missa mors in Jacob venerit in Israel.
45. * *In sole*, inquit, *posuit tabernaculum suum*, id est corpus suum in quo habitavit Christus, qui a Pilato flagellis cæsus est : quomodo ergo dicitur in Psalmo de Christo, *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*
46. * Cur Adam in mundo positus mandatum accepit.
47. * Vetus Lex Deum jurasse allegat, Salvator autem jurare prohibuit : quomodo non destruxit vetera.
48. * Cur in Lege etiam ipsi Aaron dictum est ut pro peccatis suis holocausta offerret, cum dicat David, *Pro delictis holocaustum non postulasti*, etc.
49. * Cur Salomon Spiritum sapientiæ habuit, cum vitam mundam non habuit.
50. * In Tobia, *Opera Dei revelare et confiteri honorificum est :* Salvator autem opus Dei faciens, *Nulli*, ait, *dixeris.*
51. * Utquid circumcisio et præcepta data sunt populo, quæ prius non erant, neque nunc in auctoritate habentur.
52. Quid est ut dicatur terra benedicere Dominum, etc.
53. Quid est quod legitur in Salomone, *Spes est in tenebris*, etc.
54. * In Sapientia, *Qui creavit*, inquit, *orbem ex materia invisa.* Et contra quia ex nihilo facti sumus.
55. Quid est quod dicit propheta. *Lætare sterilis, quæ non paris*, etc.
56. An spiritus, qui super aquas ferebatur Spiritus sanctus intelligatur.

CAPITULA DE NOVO TESTAMENTO.

1. Deus perfectio est : quid ergo opus fuit Christo ut nasceretur.
2. Si unus Deus est, cur in tribus spes salutis, et quare prius non est Trinitas prædicata.
3. * Cur facta et dicta Dominica quatuor libris, et a quatuor Evangelistis scripta.
4. * Quis ordo quatuor Evangeliorum.
5. * Quare Matthæus scribit : *Liber generationis Jesu Christi filii David ;* cum prior sit Abraham.
6. * Quid est ut generationes in tres partes divideret Matthæus.
7. * Quare cum quadraginta una sint generationes, Evangelista quadraginta duas numerasse videtur.
8. Quid est ut cum constet a David ad transmigrationem Babylonis octodecim esse generationes, Evangelista quatuordecim dicat.
9. Cur Salvator baptizatus sit.
10. Si ideo Salvator baptizatus est ut exemplo esset, quare non ita et in circumcisione.

(*a*) Hæc quæstio diversa est a CXXIII quæst. Mss. primi generis.

LXI. Quid est ut Judæis discipulos accusantibus Dominus David exemplum proferret, per quod videntur simul cum David rei fieri.
LXII. Quid est ut occisis filiis Liæ, Rachel filios suos plangere dicatur.
LXIII. Qua ratione Magi per stellam Christum regem Judæorum natum intellexerunt.
LXIV. Quomodo probatur, post tres dies et noctes resurrexisse Salvatorem.
LXV. Si uno ore Evangelistæ locuti sunt, cur tres sexta hora, et Marcus tertia dixerit passum Dominum.
LXVI. Marcus dæmonia dixit cognovisse Dominum, Apostolus vero, *Si intellexissent*, ait, etc.
LXVII. Quid est ut in cruce Dominus dicat, *Pater, ignosce illis : non enim sciunt*, etc. Si enim nesciunt, quid ignoscitur?
LXVIII. Orandum pro inimicis docemur, quare animæ occisorum vindicari se petant.
LXIX. Si prædicante Joanne Lex cessavit, quomodo Salvator, *Non veni*, ait, *solvere legem, sed adimplere*.
LXX. * Dominus certe inimicos nos esse vult diabolo; quare ergo, *Esto*, inquit, *consentiens adversario*.
LXXI. Jacob appellatus est homo videns Deum; quomodo, *Deum nemo vidit unquam*.
LXXII. Quid est quod dicitur in Apocalypsi, *Vade et accipe librum, et devora illum*, etc.
LXXIII. Quid est quod dicit Simeon ad Mariam matrem Domini, *Positus est hic in ruinam*, etc.
LXXIV. Quid sibi vult ut Isaias dicat de Christo, *Qui peccatum non fecit* : et Apostolus, *Pro nobis peccatum fecit*.
LXXV. Cur Salvator pro se tantum et pro Petro didrachma solvit.
LXXVI. In Evangelio, *Lex*, ait, *per Moysen data est; gratia et veritas per Christum*. An antea veritas non erat? Ergo nec Lex.
LXXVII. Quid est quod dicitur in Marco, *Intrans in domum neminem voluit scire, et non potuit latere*.
LXXVIII. * Legitur in Joanne quod cum negaret se Jesus ascendisse ad diem festum, ascendit tamen.
LXXIX. Si proprio arbitrio vivimus, quare Salvator dixit, *Nemo venit ad me, nisi Pater attraxerit eum*.
LXXX. Certe aut filius Dei quisque est, aut diaboli; quid ergo nascimur requirendum est.
LXXXI. Apostolus ait, *Nos natura Judæi* : de Judæis ergo nasci Judæos ostendit, non de proselytis, etc.
LXXXII. Pagani elementis subjecti sunt, quare ergo dicat Apostolus, *Eramus sub elementis*, etc.
LXXXIII. Si per Christum salus et vera cognitio, cur non ante venit, etc.
LXXXIV. Quare lunæ cursum in ratione Paschæ custodientes, reprehendimus Paganos, quia dies lunares et motum custodiant.
LXXXV. Quid est ut cum a David usque ad transmigrationem Babylonis septemdecim sint generationes; evangelista dicat quatuordecim.
LXXXVI. Quid est quod probet matrem Domini esse de tribu David.
LXXXVII. Si unus est Deus, cur in tribus spes salutis est.
LXXXVIII. * Si major gratia in Novo est Testamento, cur in Veteri sedens videtur Dominus et stans in Novo.
LXXXIX. Quomodo accipiendum quod Salvator dicit de Spiritu sancto, quod veniens arguet mundum, etc.
XC. Si satanas diabolus est, quare dicit Judæis, *De patre diabolo nati estis*, etc.
XCI. Adversus Photinum qui dicit Christum ante Mariam non esse.
XCII. Quomodo intelligatur quod dicit Dominus, *Pacem meam do vobis*, etc.
XCIII. An Apostoli Spiritum sanctum habuerunt præsente Domino in carne.
XCIV. Si Judas Scariothes ante passionem Domini crepuit pendens.
XCV. Unde orta sit observatio Pentecostes.
XCVI. Si Pascha transitus interpretetur.
XCVII. Adversus Arium.
XCVIII. Si satanas diabolus est, quare Salvator dicit Judæis, *De patre diabolo estis*.
XCIX. Quid sit, Tentatio vos non apprehendat nisi humana.
C. * De eo quod legitur in Evangelio Matthæi, *Confiteor tibi, Pater*, etc.
CI * De jactantia Romanorum levitarum.
CII. * Contra Novatianos, qui pœnitentiam salutarem negant.
CIII. * Cum constet Deum in Levitico de sacrificiis offerendis mandasse, cur alibi negat et respuit.
CIV. * Utquid Dominus gladium parari jussit, et post prohibuit percutere.
CV. † Quomodo prophetia quadret cum Evangelio de obscuratione solis, etc.

11. Si ex semine David Christus Filius Dei factus, id est jam natus est, quare cum baptizatur audit : *Filius meus es tu, ego hodie genui te*.
12. Si de Spiritu sancto natus est Christus, cur dictum est, *Sapientia ædificavit sibi domum*.
13. Quomodo intelligatur, *Spiritus sanctus superveniet in te*.
14. Quid est ut VIII calend. januar. Salvator natus dicatur.
15. Quid causæ fuit ut VIII calend. april. crucifigi se permitteret Dominus.
16. Quare in Matthæo pater Joseph Jacob scribitur, et in Luca Heli, etc.
17. * Utquid Salvator quadraginta diebus jejunavit et post ea esuriit.
18. * Cur baptismus Joannis cessavit.
19. * Quare Lex usque ad Joannem, cum Apostolus dicat Legi nos subjectos esse debere.
20. Si prædicante Joanne Lex cessavit, quomodo Salvator, *Non veni*, ait, *solvere Legem*, etc.
21. Si Lex et Prophetæ usque ad Joannem, quare Salvator ad sacerdotes mittit, etc.
22. * Quomodo non evacuata Lex est, quando sabbatum solutum est.
23. * Cur Salvator discipulos suos filios tonitrui appellavit.
24. Cur Nicodemo ait Dominus, *Si terrena dixi vobis*, etc.
25. Quid est ut Judæis discipulos accusantibus Dominus David exemplum proferret, etc.
26. Qua ratione Magi per stellam Christum regem Judæorum natum intellexerunt.
27. Quid est ut occisis filiis Liæ, Rachel filios suos plangere dicatur.
28. * Cur post baptismum accessit ad Salvatorem tentator dicens, *Si Filius Dei es*, etc.
29. * Cur Salvator tentatori non aliter, quam exemplis Legis restitit.
30. Quid est ut cum in Malachia scriptum sit, *Ecce ego mitto Angelum meum*; Marcus dicat in Isaia.
31. Qua ratione negat Joannes Christum se nosse ante baptismum, cum probet ante eum nosse.
32. * Quomodo Deum nemo vidit unquam, cum Filius dicat videri Patrem cum ipse videtur.
33. * Cur Salvator mulieri alienigenæ, id est Chananeæ, initio misericordiam denegabat, non item Centurioni alienigenæ, etc.
34. Quomodo probatur post tres dies et noctes resurrexisse Salvatorem.
35. Cur tres Evangelistæ sexta hora, et Marcus tertia dixerit passum Dominum.
36. Quid est ut in cruce Dominus dicat, *Pater, ignosce illis*, etc.
37. Marcus dæmonia cognovisse dixit Dominum : Apostolus vero de principibus sæculi, *Si cognovissent*, ait, etc.
38. Orandum pro inimicis docemur : quare animæ occisorum vindicari se petant.
39. * Quid est, *Propter quod donavit illi nomen*, etc., cum imperfectus videatur, qui per opera sua augetur.
40. In Evangelio, *Lex*, ait, *per Moysen data est, gratia et veritas per Christum*. An antea veritas non erat, etc.
41. Quid est quod legitur in Marco, *Intrans in domum voluit neminem scire, et non potuit latere*.
42. * Cur Joannes ad Dominum, *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus ?*
43. * Quid est ut Salvator alios verbo, cæcum autem facto luto de sputo curaret.
44. * Quid est ut Lazarum resuscitaturus fleret; aut locum ubi positus erat, quasi ignarus quæreret.
45. * Quid est, ut Herodem mortuum legamus; infra autem, et post multos annos Herodem Joannem occidisse.
46. Quid est quod probet matrem Domini esse de tribu David.
47. Si arbitrio proprio vivimus, cur Salvator dixit, *Nemo venit ad me nisi Pater attraxerit eum*.
48. * Cur Apostolus omnibus omnia se factum dicit, quod factum videtur adulatoris et hypocritæ.
49. Quid est quod dicitur in Apocalypsi, *Vade et accipe librum, et devora*, etc.
50. * Quid est ut Apostolus factum Salvatorem dicat ex semine David.
51. * Quid est quod dicit Apostolus ad Galatas, *Estote sicut ego, quia ego sicut vos*.
52. * Quomodo liberi sumus arbitrii ac voluntatis, cum dicat Apostolus : *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, ut non quæ vultis ea faciatis*.
53. * Qua ratione sapientia carnis inimica est Deo, etc.
54. Quid est quod dicit Simeon ad Mariam matrem Domini, *Positus est hic in ruinam*, etc.

(*a*) Sic Elenchus collectioni præfixus in Mss., qui tamen hujus nonagesimæ quintæ quæstionis loco exhibent Hieronymi dialogum adversus Luciferianos.

Quæstiones
VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

Ex Veteri Testamento.

Quæstio prima. — Quid est Deus?

Hoc est quod nulla attingit opinio. Plus est enim quam quidquid dici poterit aut cogitari. Sed dicamus aliquid, quod licet impar sit, tamen ex aliqua conveniat ratione his quæ Deo digna videntur. Nam unaquæque natura pro capacitate sui suspicatur de Deo, ut quantum natura distat a natura, tantum distet sententia a sententia in judicando quid sit Deus. Quia enim supra omnia est, necesse est ut omnium mentes excedat. Homines enim quantum possunt aciem mentis extendere, aspiciunt quid Deus sit, opinione non definitione. Angeli autem qui superiores hominibus sunt, quia plus de Deo aliquid sentiunt, non est dubium; Archangeli vero eo ipso amplius; Cherubim

autem et Seraphim, quæ potentiæ juxta Deum esse dicuntur, majora de Deo sentiunt, non tamen comprehendunt penitus quid Deus sit. Quia nemo novit Patrem nisi Filius, nec Filium quis novit nisi Pater (*Matth.* XI, 27). Igitur Deus est, sicut hominibus videtur, spiritus natura simplex, lux inaccessibilis, invisibilis, inæstimabilis, infinitus, perfectus, nullius egens, æternus, immortalis omnimodo, a quo omnia initium consecuta sunt, venerandus, diligendus, metuendus, extra quem nihil est, imo in quo sunt omnia quæque sunt sursum et deorsum, summa et ima; omnipotens, omnitenens, vere in omnibus dives, quia nihil est quod ejus non sit; bonus, justus, misericors: bonus, quia fecit existere quæ non erant; justus, quia quæcumque fecit ut proficerent, proprio libertatis arbitrio dimissa sunt; quia tamen non tam perfecta sunt ut labi non possint, semina his legis inesse decrevit naturaliter, addens auxilium manifestatæ legis, ut auctoritas ejus perfecta esset hominibus: misericors vero, quia peccantibus non facile reddit, sed sustinet ut conversis ignoscat. Est et severus, ut terrore quæ ab eo bene condita sunt conserventur, ne negligentia pareret vitæ præcipitium. Et ne quod admirabilius est prætermittamus, tanta est ejus clementia, ut contumelias passus ab his quos fecit, sufferat, et prior vocet eos ad pacem. Numquid non majoris virtutis hoc est, quam condidisse creaturam? In quo si permaneret nimia bonitas ejus, obesset creaturæ. Unde aliquando diligi, aliquando timeri se vult, ne aberrantes ab eo depereant. Hinc est unde, ne patientia ejus non utique ad damnum ipsius, sed ad nostrum omnino contemnenda putaretur, ait: *Tacui; numquid semper tacebo* (*Isai.* XLII, 14)? Itaque Deus bonus, et omnia quæ fecit bona sunt. Unde ergo malum? Nihil est malum nisi prævaricatio boni, dum aut inconcessa præsumuntur, aut concessa inordinate fiunt: ut alibi mandatum, alibi peccatum fiat. Ut quando quod in uxore concessum est, fit in meretrice; et quod Deo offerendum erat, offertur diabolo: et cum quis non tollit suum, sed alienum; et cum prævaricator occidi debeat, occiditur innocens. Nulla igitur natura probatur malum. Voluntas autem est accidens naturæ, concepta ex causis, quæ male moventur, dum excedit modum, ut illa gerat quæ naturæ suæ non sunt. Causæ autem prævaricationis oriuntur ex sensibus, quando aliquid male videmus aut audimus. Quem errorem hæc res facit, quia homo non est Deus, qui solus errare non potest. Natura igitur hominum proprio arbitrio remissa et dimissa est, ut possit facere quod vult: ut si bonum naturæ suæ exercitio melioret, honorabilior sit; si autem infirmet vigorem suum, contumelia dignus habeatur hujusmodi. Facit enim quod contra se sit. Non est minimum quod concessum est homini, ut cum recta sequitur, gaudeat in sese per id quod opere suo videt se meliorem; aut certe imputet sibi, qui cum potuit, non dedit operam ut melioraret se bonis. Si autem homo potestatis suæ non esset, subjectus fuerat necessitati, ut neque boni operis haberet gloriam, neque mali pœnam, sed fuisset unum ex pecoribus. Quoniam ergo ad utrumque facti sumus possibiles, ut per negligentiam delinquamus, si quod bene audire et videre debemus, male, id est, extra normam [1] et rationem audiamus; per vigilantiam autem naturæ bonum custodiamus: et cauti esse semper non possumus, quia, sicut dixi, ad utrumque facti sumus possibiles; si peccamus, non jam condemnamur, nisi iterum delinquamus, jam quasi proditores. Qui enim semel peccaverit, reparare se debet ne denuo peccet, ne par sit ei qui se vicerat, ut iterum si non peccet, jam superior habeatur. Quia semel elisus bis triumphabit. Hæc justitia est, ut quia colluctatio est in mundo, qui propensior ad peccandum est, in non peccando coronetur. Nihil ergo in Dei opere malum est. At si a quibusdam mala quædam dicantur, ut venenum, aut tenebræ, quia corpora nostra vim veneni ferre non possunt; malum dicant etiam ignem aut aquam: et ferrum vel plumbum, quia multum ab auro distat, malum dicatur. Ad comparationem enim lucis tenebras condemnant, cum sciant pro loco suo necessarias esse, sicut plumbum aut testam. Nam utique requiem dant post laborem. Igitur omnis qui colluctatur in mundo, sic eniti debet, ne in re aspera victus abscedat, et fiat reus, vix aut tarde se reparans, et forte inter hæc proveniat exitus, et exeat hinc cum peccato. Qui enim omni virtute renititur, si elisus forte fuerit, quasi vir cadit, nec succenset ei quisquam, sed hortatu quodam animum ejus reparat. Videt enim eum propositum habuisse vincendi, et sperat talem posse proficere ad victoriam, quem non sine fatigatione sui hostis elisit. Qui enim facile vincitur, non habet animum resistendi; nec vincitur, sed consentit. Hic acerbius peccat. Hujusmodi vix [1] ad veniam admittendus est, qui votum habet delinquendi. Qui enim id meditatur ne peccet, etiam si peccaverit, non aspere peccat. Diligentioribus enim aliquando minora peccata subrepunt. Quanto autem minora sunt, tanto subtiliora; et dum contemnuntur, non vitantur. Majora enim longe apparent. Ac per hoc qui in majoribus peccat, voluntatis ejus est crimen. Sane quoniam superius peccata ex sensibus ortum capere diximus, dum contra legis imperium vel rationem, aliquid aspicimus aut audimus, id est, si solem videntes adorandum eum putemus propter pulchritudinem ejus, tunc male videmus: quia ad injuriam pertinet Creatoris communis, ut quod illi soli debitum est, deputetur creaturæ. Quippe cum ab eo prohibitum sit per legem. Aut cum corpora bene composita et decora videmus, aut aliquid proximi, si concupiscamus, et aliter ea aspiciamus, quam mandat lex: tunc facimus peccatum quod vocatur malum. Sed forte dicatur, Nihil igitur formosum debuit fieri, ne nos peccaremus, ut tutela nostra ex aliorum deformitate constaret. Quod si esset, nec ferrum esset, ne de eo fierent homicidia. Neque lucerna in usu esset, ne fures lumine ejus ad effringendum uterentur, ut quod magnopere omnibus utile est, deesset propter quorumdam vaniloquia. Cum constet nos semper omnia aspicere, nec tamen semper omnia concupiscere; quia non illorum vitium, sed nostrum est cum sumus negligentes: quod constat ex intervallo creari, quia non sumus quod Deus est. Sic autem male audimus, si audientes idola deos esse, consentiamus, aut si turpia cantantibus aurem accommodemus. Tunc autem bene audimus, si audientes de Deo quod unus sit, oblectemur. Si quis autem contra legem aliquid audiens assentiat, peccat: et hoc erit male audire.

II. — Cur Deus mundum fecerit?

Fecit, quia est opifex; aut negetur, si non est. Sed esse, ipsa opera manifestant. Fecit ergo ut esset quod ante non erat, quia sine dubio melius est esse, quam non esse. Si dicatur, Numquid inane fuit aliquid ubi faceret, aut quid prius erat ubi fecit? Hoc Vas electionis paucis absolvit. Ait enim cum de Deo esset sermo, *In ipso vivimus et movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28): hoc est, omnia in Deo, quia ubique est, et ante omnia solus ac æternus, invisibilis omni creaturæ. Et ne mysterium prætermisisse videamur, aut potius ignorasse cur mundus factus sit; dicimus diaboli apostasiam multos angelos, id est spirituales potentias, secum in prævaricationem traxisse, dum voluit sibi regnum impia præsumptione defendere: quod propheta Isaias significat, dicens, *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris* (*Isai.* XIV, 12)? id est, qui cæteris lucidior apparebas. Erat enim quasi princeps multorum, inter quos clarior erat, et cum quorum societate ad impium descendit certamen. Videns enim infra se multas spirituales potentias; quippe cum in paradiso Dei præstantior esset cognitione mysterii cœlestis, ipsa elatione inflatus,

[1] Mss., *naturam*.

[1] Mss. secundi generis, *nec*.

voluit dici deus : hac scilicet ratione, qua etiam in præsenti vita exemplum ejus quosdam imitatos videmus, qui contemplatione aggregatorum circa se militum elati, satellitibus in hac re fomitem conspirationis præbentibus, imperium sibi vindicare voluerunt. Hinc est unde Deus, ut ejus præsumptionem non potestate, sed ratione destrueret, materiam condidit, quæ esset rerum confusio, ex qua faceret mundum. Distincta enim, quæ simul confusa erant, hunc præstiterunt quem videmus ornatum. Discretis enim ab invicem substantiis, facta compaginatione mundus vocatur; quia unaquæque res ab altera segregata ad mundum apparuit : ut hic homo positus, creatus ex supernis et infernis, id est, ex cœlestibus et terrenis, unius Dei dominium, non tantum voce, sed et imagine, qua unus ab uno Deo factus est, ex quo cæteri orientur, ostenderet. Ideo enim unus unum fecit, ut doceret ab uno omnia esse, ac per hoc unum esse Deum, ut superior creatura ad confusionem suam in homine disceret, qui de terra conditus est, veritatem. Ex eo diabolus inimicus exstitit hominis. Prævidit enim quia ad accusationem ejus factus est homo : unde subtilitate sua id egit, ut in eamdem illum prævaricationem in quam ipse ruit, induceret, ut accusatorem suum participem suæ damnationis efficeret. Ex transgressione enim deitatem illi spopondit, ad quam ipse dum affectaret, ab ea dejectus est. Et quia omnis natura a crimine libera est, ex accidenti sumit nomina. Ante enim res, postea significatio : ac per hoc satanas et diabolus ex actu ejus composita sunt nomina, ut sit non naturæ ejus, sed voluntatis significatio. Itaque ut propositum Dei, quod in causa creati hominis decrevit, maneret, et factum diaboli, per quod hominem circumvenit, ad cumulum ejus reatus proficeret; Christus de sacris sedibus etiam ad terras venire dignatus est : ut et hominem a transgressionis sententia liberaret, et diaboli futuram perditionem, ne quis factum ejus imitaretur, ostenderet. Propterea dixit Joannes apostolus, *Ideo venit Filius Dei ut solveret opera diaboli* (I *Joan.* III, 8) ; qui si natura malus esset, pœnam ei promittere, aut dementis erat, aut iniqui. Quis enim arguat eum, quem videt non aliter aliquid facere, quam natura ejus admittit? Si igni potest succenseri, quia urit, aut aquæ quia infrigidat, cum non utique voluntate hoc faciat, sed natura? Unde etiam diabolus si natura malus esset, voluntatem non haberet. Nec enim posset discernere, sed uno atque eodem modo omnibus se quasi cæcus ingereret[1]. Porro autem judicio quodam hoc agit : nam suam voluntatem facientibus parcit, a quibusdam neophytis dissimulat, ad Dei auxilium confugere volentibus offendicula et impedimenta opponit, servis Dei insidias tendit, et promptioribus circa ejus obsequia magis infestus est. Unde manifestum est, voluntatem ejus esse in crimine. Quamobrem Petrus apostolus ait, *Sobrii estote et vigilate; quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens, circumit quærens quem devoret* (I *Petr.* V, 8). Gentiles non quærit, Judæos non quærit, malæ vitæ et conversationis non quærit : sed quærit Dei servos et Christi famulos, quos sibi scit inimicos ; quia factum ejus et præsumptionem ejus condemnant. Denique Lege data, plus exarsit invidia adversus eos qui sub Lege erant, sciens Legis documenta unum Deum tradere, et bonam conversationem hominibus. Igitur si hoc naturaliter putatur facere, reus constitui non potest : quia hoc facit quod naturæ suæ est, et potest; et non facit quod non potest, quia naturæ suæ non est. Itaque neque laudandus, neque condemnandus est. Laudandus non est, quia obsunt quæ agit; condemnandus autem non est, quia non voluntate hæc facit, sed impulsu naturæ. Nam aliquos scimus subito dementes factos, fuste, ferro, lapidibus, morsibus, multis nocuisse, quosdam etiam occidisse; captos autem industria et judicibus oblatos, minime reos factos, eo quod non voluntate, sed impellente vi nescio qua hæc gesserint nescientes. Quomodo enim reus constituitur, qui nescit quid fecerit? Ita et diabolus si bonum nescit, quare condemnandus censetur, qui non facit quod nescit? Imo, si posset fieri, laudandus erat, quia facit quod non novit. Nos autem jure rei constituimur, quia illud non facimus quod scimus debere nos facere, vel quia illud facimus quod scimus debere nos non facere. Sed quia[1] per omnem Scripturam reum diabolum constitui videmus, et propterea gehennam illi paratam legimus, legibus illum damnandum scimus : quia cum sciret et posset facere bonum, fecit malum. Nec enim Deus qui justus est, damnaret eum, quia bonum non fecerat, quod nescierat ; sed quia malum fecerat, quod sciverat. Manifestatum itaque puto, nullam naturam debere dici malum; quia omne malum, sicut claruit, ex voluntate fit, quæ per sensus accidit naturæ.

III. — Quid opus erat per Moysen postea, et non ante, exordium mundi et ordinem creaturæ exponere.

Prius describi non debuit, quia adhuc ex hac causa error tantus non erat in hominibus. At ubi jam error creverat generi humano, ita ut etiam filii Israel contra hanc expositionem in Ægypto tradi audirent a philosophis Ægyptiorum, a quibus etiam Moyses fuerat instructus omnem peritiam Ægyptiacam, quæ Apim[2] quemdam mundum istum asserit per malos angelos condidisse; hunc quoque principem mundi videri, id est, satanam. Quam sententiam Marcion secutus, ruit in mortem. Nam et Manichæi ab eodem satana[3] hominem dicunt factum, non mundum istum, stultiores cæteris. Cum enim mundum constet hominis causa fabricatum, illi a Deo dicunt mundum factum, licet de alieno : hominem vero ab adversario creatum, ut in domo alterius alter posuerit dominum. Oportuit ergo Moysen, ut errorem istum proderet et auferret, manifestare mundi et hominis fabricati Deum esse auctorem. Accepta enim auctoritate per signa et prodigia quæ fecit, docuit, sine dubio id verum esse, quod testibus signis tradebat. Quis enim non crederet ei, cujus tanta signa in rebus gestis existerent? Denique hinc est, unde qui contra disciplinam hanc sentiunt, errare noscuntur, quia nudis verbis assertionem suam allegare nituntur. Itaque ut nihil Deo coæternum esse doceret, ordinem ipsum creatarum rerum exponit, ut dum minora prius facta memorat, postea autem majora, nihil horum infectum habeatur : quia quæ tempore minora sunt, virtute majora sunt : ut si illa præscribere de tempore se putent, ipsa infirmitate qua posterioribus subjecta sunt, convincantur : aut si hæc de virtute præsumendo primatum[4] sibi vindicent, posteritate ipsa humilientur, ut nihil horum non initio subjectum videatur. Ante quidem cœlum factum est et terra; deinde lux, quæ in officio diei[5] est : post firmamentum, quod appellatum est cœlum, et congregationes aquarum quas appellavit maria, ut appareret terra in qua possit habitari. Terram autem quam post cœlum factam dicit, non terram solam vult intelligi, sed materiam significavit, id est, omnia inferna quæ in mundi omnem speciem profecerunt. Cœlum autem non hoc carnale, sed illud supernum quod spirituale est, in principio factum contendit : ut cum cœlum primo dicit factum, deinde terram in cœlo omnia invisibilia, et in terra omnia visibilia creata a Deo significaret. Totius enim naturæ summa et ima comprehendit, ut quidquid medium est, procul dubio etiam factum credatur. Luminaria vero quæ ad gubernandum mundum instituit, quarto die asserit facta, ut quanto majora sunt virtute, tanto inferiora

[1] Mss. Colb. et Germ., *immergeret*.

[1] Mss. : *quia aliud facimus, quam scimus debere nos facere. Sed quia*, etc.
[2] Germ. Ms., *Saclam*. Colb. Ms., *Salam*.
[3] Mss. Germ. et Colb., *Saclam*.
[4] Mss, *primatus*.
[5] Mss., *dies*.

sint tempore. Hominem autem sexto die constituit, ut in domum jam factam habitatorem introduceret. Et valde sublimior est homo, quem utique sexto die factum declaratum est : quem idcirco sublimiorem dixi, quia interior ejus natura invisibilis est, et intellectu capax : sed fortitudine major est sol, et lumine potior luna est, quam terra. Hinc est quod quibusdam displicet dictum, *Et vidit lucem quia bona est :* ut quia omnia a malo facta dicebantur, et bona credi non poterant. Moyses ut bona quæ facta sunt probaret, ipsi Deo placita quæ fecit ostendit, ut cui displicerent, reum faceret. Nam quomodo possit nescire lucem qui dixit, *Fiat lux, et facta est lux?* Aut quis facit quod nescit? Facta autem lux placuit ei qui se fecit. Quis opifex in opere suo non lætetur? Sic dictum est, *Vidit Deus lucem quia bona est* (*Gen.* I, 3, 4). Et non desunt qui dicant, quod mala est. Quid, si sine testimonio esset relictum? Igitur descripta mundi fabrica, e primi hominis origine traducem tenuit generis Seth, qui redditus est pro Abel, et per ordinem venit ad Abraham patrem Judæorum : ut ostenderet Abraham huic Deo credidisse, qui opifex mundi est, et ipsum Legem dedisse, in qua futurus Christus promissus est, qui liberaret genus humanum de dominio diaboli. Ex his rationabilis [1] probatur fides nostra. Testimonium enim huic dat origo descripta, quia ab initio genus est Christianorum. Ex Seth enim filio Adæ venitur ad Enoch, ab Enoch ad Noe, ex Noe ad Abraham, ab Abraham descenditur ad David, a David ad Mariam, ex Maria de Spiritu sancto nascitur Christus. Retro ergo omnes quotquot fidem habuerunt unius Dei, quam Salvator prædicavit, jure Christiani dicendi sunt. Ab initio enim Salvator venturus promissus est. Unde Joannes in Apocalypsi ait, *Agnus qui occisus est a constitutione mundi* (*Apoc.* XIII, 8). Itaque semper Christiani fuerunt. Ii enim omnes, quos supra dixi, a primo homine creato in mundo, per quos tradux tenditur ad Salvatorem, hujus Dei fidem habuerunt, de quo Christus locutus est dicens : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3) (*a*). Potest dici e contrario, Si ante et illi Christiani fuerunt, quæ notitia per Christum? Hunc intelligentiæ profectum adventus contulit Christi, quia prædicatio unius Dei ostendit mysterium, et quid cuique personæ competat, demonstravit, et ad explendam Legis justitiam, addidit quæ reservata erant.

IV. — Quare Deus Legem non in primordio dedit?

(*b*) Primum Lex formata in litteris dari non debuit, quia in natura ipsa quodammodo inserta est, et Creatoris notitia ex traduce non latebat. Nam quis nesciat, quid bonæ vitæ conveniat; aut ignoret, quia quod sibi fieri non vult, alii minime debeat facere? At ubi naturalis lex evanuit, oppressa consuetudine delinquendi, tunc oportuit Legem manifestari, ut in Judæis omnes homines audirent. Non quod penitus oblitterata esset, sed quia maxima ejus auctoritate carebant, idololatriæ studebatur. Timor Dei in terris non erat. Fornicatio operabatur. Circa rem proximi avida erat concupiscentia. Danda ergo Lex erat, ut et quæ sciebantur auctoritatem haberent, et quæ latere cœperant, manifestarentur. Nam invenimus ante Moysen non solum non latuisse, sed etiam vindicata esse peccata. Quammobrem et justi fuisse reperiuntur multi, qui scientes Deum vindicem, timebant peccare. Quod cum cœpisset jam negligi, legem naturalem revelari oportuit, ut scirent cuncti aperta ratione, Deum requisiturum actus humanos. Quamvis per diluvium vindicatum legatur, et in Sodomam et Gomorrham (*Gen.* VII, XIX) : sed hæc vetustatis oblivio texerat. Unde per Moysen terroris causa ad disciplinam corrigendam, et fidem in Deum reformandam, commemorata sunt. Quare et Apostolus, *Justis*, ait, *Lex non est posita, sed injustis, idola colentibus, fornicatoribus* (I *Tim.* I, 9), et talia. Nunc videamus an conveniat iis, qui Dei judicium audientes rident futurum; si proderit, an oberit; si veritate munitur, an caret ratione. Lex quidem data est mundo, sed videmus eam circa multos cessare. Non ergo justum videtur, ut qui hic peccant per potentiam, securi sint. Alii legibus illudunt, pauperes deprimuntur, justis accusatio componitur, bene agentes opprobrio sunt, pii indigent, mali florent, iniqui et corruptores in honore sunt, avari et raptores locupletantur, judex venalis est. Nonne iniquum videtur si Conditor rerum non hæc requirat : ut qui hic injuste oppressi sunt, releventur; et qui bene vivendo indiguerunt, remunerentur; et qui propter justitiam opprobrio erant, honorentur : illi autem qui per potentiam leges contempserunt, aut tergiversatione illuserunt, iniquitatem sectantes, sic gloriosi in his, ut ipsi justitiæ insultare videantur, ut humiliati et confusi tormentis subjiciantur in conspectu eorum, in quorum malis et despectione gaudebant; ut et ipsi de pœna illorum læti Deo gratias referant, apud quem solum personarum acceptio cessat (*Rom.* II, 11)?

V. — Utquid Abel sacrificium acceptatum est, et Cain refutatum (*a*)?

Ex verbis hoc ipsius lectionis potest colligi, quia non est litterarum arte velata historia. Nam Abel prudentem et devotum in eo ipso sermo indicat Scripturæ, Cain vero negligentem et improvidum, ac per hoc minus devotum. Abel ergo de placidis potiora elegit, quæ Domino offerret creatori, ut de iis utique quæ creaverat, præcipua illi offerret ut per hoc et dicationem suam et meritum ejus probaret, ut et propriam reverentiam et Deum auctorem ostenderet. Hoc Cain velut rusticus præsentare nequivit. Totum enim animum terræ inserens, mentis oculos ad cœlum levare non potuit, ut quid Creatore dignum esset aspiceret; qualiacumque enim Deo obtulit munera. Quæ causa etiam in Judæis obliquæ mentis deprehenditur. Sæpe enim reprehensi sunt, cum numera sua improvide Dei altari offerrent, quæ nec hominibus digna viderentur, dicente Domino, *Cæcas et luscas offertis mihi; non hæc suscipiam de manibus vestris. Offer ea præposito aut duci tuo, si acceperit ea* (*Malach.* I, 8). Cum constet apud omnes, personæ sublimi maxima offerri debere munera. Ideoque Cain munera repudiata sunt, dicente ei Domino, *Quid contristatus es, et utquid concidit vultus tuus? Nonne si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti? Quiesce. Apud te conversio ejus, et tu dominaberis ejus* (*Gen.* IV, 6, 7). Vides ergo quia divisio incurrit peccatum, dum non æstimans quid dignum Deo esset, potiora reservavit suis usibus. Itaque non quia obtulit reprehensus est, sed quia indigna obtulit. Neque ex eo damnatus est, sed quia factum noluit emendare commonitus. *Ad te enim*, ait, *conversio ejus, et tu ejus dominaberis :* hoc est, me non accipiente, ad tuum dominium conversum est munus a te oblatum; ut de cætero sciret quid faceret. Hinc invidia exarsit ut occideret fratrem, ut ab injusto occideretur, qui justitiam primus ostenderat, et exemplum malum daretur hominibus. Sic enim æmulatione zeli cæcatus est, ut non solum gratias non ageret, eo quod reus factus non fuerat, sed et didicerat quomodo hoc emendaret; verum etiam adderet aliud gravius, per quod damnari mereretur. Talis est causa improvidi ac fratricidæ Cain, qualis et illius nequam servi, cui cum ignotum esset a domino, ingratus effectus exiens suffocabat conservum suum, ut et de præterito ignoto sibi facinore, et de impietate in conservum suum admissa inexcusabilis damnaretur (*Matth.* XVIII, 27, sqq.). Et tamen ad præsens non est damnatus Cain, sed confusus et reus sub terrore dimissus est super terram; ut, si pœniteret, ignosceretur ei. Denique timens ne aliquis eum pro hoc facto occideret, ait ad Dominum, *Major cau-*

[1] Ms. Germ., *rationibus*.
(*a*) Reliquum deest in Mss. secundi generis.
(*b*) Confer Alcuini, quæst. 14 in Genesim.

(*a*) Alcuin., quæst. 15 in Gen.

sa est mea, relinqui[1] *me; si ejicis me hodie a facie tua, et a facie terræ abscondam me, et ero gemens et tremens super terram. Et erit, omnis qui invenerit me, occidet me.* Territus itaque Cain verbis justi judicis, timet despici a Domino, ita ut et a conspectu hominum confugere se debere putet; certus, quia qui irato Deo vivit, etiam ab homine possit occidi. Sed quid ei respondet Dominus? *Non sic*, inquit: hoc est, non ad hoc te remisi cum non merearis vivere, ut ab aliquo occidaris; sed ut gemas et tremas, quasi qui primus malum exemplum dederis super terram, dum laboribus tuis non respondet fructus ex humo. *Itaque omnis qui occiderit*, inquit, *Cain, septem vindictas exsolvet.* Hæc sententia ostendit jure damnandum Cain. Quando enim vidit legem datam sub tali comminatione, ne quis imitaretur factum ejus, plus cœpit timere, sciens quid mali admiserat. Septem ergo vindictas promittit, si quis ad hoc facinus aspirasset, ut videns ex hoc opere Cain reum factum, et cum adhuc legis manifestatio non erat, sciret se septemplici pœna multari si hoc non vitaret: ut legis notitia sex plagas adderet supra quam meruerat Cain, ut cum plaga Cain septem numerarentur vindictæ. Hoc etiam numero remunerandi sunt qui relictis omnibus Dominum sequuntur, et in futuro vitam æternam habebunt. *Hoc est signum quod posuit Dominus in Cain, ne occideret eum omnis qui invenisset eum* (*Gen.* IV, 13 15). In parricida enim posita lex est, ut si quis homicidium fecisset, quia omne parricidium homicidium est, septies reus esset, quam fuerat Cain, ut hac severitate perterriti cæteri, ab hoc se facinore cohiberent.

VI. — Si Lamech occidit Cain, sicut putatur?

Frustra hoc putant, qui arbitrantur quod Lamech dixerit de Cain, *Occidi virum in livore meo, et juvenem in vulnere meo.* Jam enim in quinta generatione natus erat Lamech a Cain, id est, de Mathusalem abnepote Cain. Hoc autem idcirco commemorat Lamech, ut ostenderet acrius astringendum eum qui sub manifestata lege peccaverit. Ac per hoc si post Cain in imitatorem ejus septies vindicatum est, quanto amplius in eum vindicandum est, quem nec factum Cain et correptio, nec post in eum lata sententia terruit, ut a tam impio et crudeli facinore voluntatem averteret? Post Cain ergo Lamech hoc homicidium perpetravit, qui sine dubio juxta ea quæ supra dicta sunt, septem vindictas exsolvit: et quid post Lamech ei qui hoc secutus fuisset, esset futurum, ostendit dicens, *De Lamech autem septuagies septies* (*Gen.* IV, 23, 24). Ut quia malum opus pœnitentia non subsequitur, septuaginta septem plagarum ictibus feriatur, unde et Salvator etiam septuagies septies peccanti, converso tamen remitti præcepit (*Matth.* XVIII, 22). Sed ne putetur alius ante Lamech homicidium post Cain fecisse, quia dixit, *De Cain vindicatum est* (*Gen.* IV, 24, *sec.* LXX), quasi jam factum. Lamech autem de se quomodo diceret quia vindicatum in eum erat, cum adhuc recens esset homicidium, quod confessus fuerat se fecisse? Cum constet omne factum sententiam secum habere. Quando enim alia spes non est, præterquam quod expleto operi dignum scitur, futurum pro facto habetur. Denique dictum est Adæ et Evæ, *Qua die manducaveritis, morte moriemini* (*Gen.* II, 17): et utique non statim mortui sunt, sed post longum temporis intervallum: sed quia jam spem immortalitatis amiserant, futura mors præsens dicta est, quia hæc cœpit in spe haberi. Igitur cum Lamech juvenem se occidisse fatetur, et Cain sicut claruit, usque ad hoc tempus pervenire non potuit, aut si pervenit, quod impossibile videtur, senior fuit; eum non occidit.

VII. — Quæ decem verba in tabulis data sint; aut singulæ tabulæ, quæ et quot verba habuerint?

Decem sententias, decem verba appellavit: quia et Salvator sensum verbum significavit, dicens inter cætera ad Judæos, *Interrogo vos et ego unum verbum; respondete mihi: baptismus Joannis unde erat, e cœlo, an ex hominibus* (*Matth.* XXI, 24.)? Hunc sensum verbum appellavit. Simili modo et in duabus tabulis decem verba scripta dicuntur, quæ decem sensus sunt. Denique dicit, *Non sint tibi dii alii præter me:* primum verbum hoc est: et subjecit secundum, *Non facies tibi ullam similitudinem in cœlo sursum, et in terra deorsum, neque in aqua quæ est sub terra.* Deinde adjecit tertium, *Non assumes nomen Dei tui in vanum. Non enim mundabit eum Dominus, qui sumit nomen ejus in vanum:* hoc est, Non in mendacio nomen Dei tui assumes, ut perjures per illud. Dehinc quarto loco dicit, *Sabbatum Domini Dei tui servabis, et non facies in illo ullum opus servile.* Hæc quatuor verba ad Deum proprie pertinent, et in prima tabula continentur. Reliqua hæc sunt: Primum verbum est, *Honora patrem tuum et matrem tuam:* secundum, *Non occides:* tertium, *Non fornicaberis:* quartum, *Non furaberis:* quintum, *Non falsum testimonium dices:* sextum, *Non concupisces quidquam proximi tui* (*Exod.* XX, 3-17). Hæc in secunda tabula scripta probat apostolus Paulus, dicens, *Honora patrem et matrem, quod est mandatum primum in promissione* (*Ephes.* VI, 2). Quomodo enim esset primum, nisi in secunda tabula ab ipso cœpisset? In promissione autem ideo dicit, quia statim subjecit, *Ut sis longævus super terram, et bene sit tibi.* Hæc est promissio facta iis qui mandata custodiunt. Itaque habes et mandata distincta, et numerum eorum consummatum, et quæ et quot singulis tabulis scripta sunt.

VIII. — Utquid Moyses descendens de monte cum tabulis vultum splendidum habuit et intolerabilem?

Accepta potestate in peccatores cum honorificentia descendit de monte, facie gloriosa. Lex enim contra peccatores data est. Moyses ergo quia non peccaverat, gloriosus apparuit, et in tantum ut a peccatoribus videri non posset. Ostensum enim in eo est, quia peccatores gloriam Dei non merentur aspicere. Post simulacrum enim vituli fusilis, et confractionem tabularum in quibus data Lex fuerat, rursus ascendit Moyses in montem cum tabulis, in quibus accepta Lege cum descenderet, gloriosa facta est facies ejus, ita ut non possent aspicere filii Israel vultum ejus, neque Aaron, quia et ipse peccaverat. Sed interposito velamine loquebatur ad illos, ut tamdiu indigni essent gloria Dei, quamdiu in peccatis versarentur (*Exod.* XXXIV, 29, *sqq.*). Unde dicit Apostolus, *Cum conversus fuerit ad Deum, auferetur velamen* (II *Cor.* III, 16), ut dono Dei abluti, digni fierent intendere gloriam Dei. In confractione enim tabularum, quas ante acceperat, Judæorum populum reprobum significavit, eo quod peccatis studentes, promissione Dei indigni futuri erant. Quod autem reiterata Lex est, alter populus futurus significatus est, cui proficeret Lex data in monte.

IX. — Si omnia Deus bona fecit et valde bona, utquid dixit ad Noe, *De mundis et immundis induc tecum in arcam* (*Gen.* VII, 2), cum immundum bonum dici absolute non possit?

Per id quod multimodam rationem habent verba, faciunt quæstiones. Nam si ad causam de qua agitur referantur, nulla erit quæstio, quia per ordinem res ipsæ se produnt. Nam aliquando commune dicimus, quod indivisum est; aliquando, quod immundum est. Duobus enim modis appellatur commune. Denique Petrus apostolus, *Commune*, inquit, *et immundum nunquam introivit in os meum* (*Act.* X, 14). Et apostolus Paulus, *Omne*, inquit, *quod non est ex fide peccatum est* (*Rom.* XIV, 23); et alibi, *Lex*, ait, *non est ex fide* (*Galat.* III, 12), et tamen non est peccatum. Vides ergo, quia unus atque idem sermo non eadem semper significat. Ideo et cum dicitur, *immundum*, considerandum est qua ex causa dicatur; quia aliquando ad comparationem melioris immundum dicitur, aliquando ad opera sordida refertur, ut malum intelligatur. Nulla igitur substantia malum; quia quæ per substantiam immunda

[1] Mss., *relinque.*

dicuntur, ad comparationem pulcherrimarum rerum immunda sunt. Nam et canis immundus dicitur ad ovem, et plumbum ad comparationem auri immundum est, et corvus ad pavum, et cum unius corporis membra sint, alia honesta, alia inhonesta vocantur, cum sciantur mala non esse. Itaque omnia in sua natura bona sunt, quia utilia.

X. — Cum Deus dicat ad Abraham de filiis Israel, quod quarta progenie exituri essent de potestate Ægyptiorum (*Gen.* XV, 16), cur Lex dicit, *Quinta progenie exierunt filii Israel de terra Ægypti?*

Quantum ad verba pertinet, videtur esse contrarium; si autem sensus requiratur, invenietur esse non dispar. Sic enim Lex loquitur, ut a diligentibus et sedulis possit intelligi, ut ratio veritatis non incuriosis, sed sollicitis se revelet. Nam utique Deus dixit, *Quarta progenie*, et Moyses scripsit, *Quinta progenie:* quamvis utrumque Moyses retulerit, et fallere eum impossibile sit, in quo tanta virtus operata sit: ac per hoc investigandus est sensus, quia non otiose aliquid aut improvide divina loquitur Scriptura. Itaque duæ partes sunt, quas singuli memorarunt. Deus enim quatuor generationes significavit, quæ natæ sunt in Ægypto; Moyses autem addens his unam, ex qua hæ ortum acceperunt, cum intrassent in Ægyptum, *Quinta*, inquit, *generatione exierunt filii Israel.* Generationem enim quæ intravit in Ægyptum, et quatuor quæ illic natæ sunt, simul complexus est. Nam ab Abraham usque ad exitum filiorum Israel de Ægypto, generationes sunt octo. Ducentis enim quindecim annis a promissione facta Abrahæ, habitaverunt in Chanaan, et ducentis quindecim in Ægypto. Hi sunt anni quos comprehendit Apostolus ad Galatas dicens, *Post quadringentos et triginta annos facta est Lex* (*Galat.* III, 17.) Igitur hæ quatuor generationes natæ sunt in Chanaan. In Isaac una, altera in Jacob, tertia in Levi, quarta in Gerson, et Caath, et Merari. Cum intrassent autem filii Israel in Ægyptum, Caath genuit Amram: hæc est prima generatio facta in Ægypto. Amram autem genuit Aaron et Moysen et Mariam, quæ est secunda generatio facta in Ægypto. Et Aaron genuit Eleazar et fratres ejus, quæ est generatio tertia. Eleazar autem genuit Phinees quarta generatione. Hæ sunt generationes quatuor procreatæ in Ægypto. Unde ait Dominus ad Abraham, Peregrinum erit semen tuum, et servitio oppriment eos: ego autem liberabo eos, et quarta generatione exient inde. Vide si non apertum est, quia non aliquid aliud significavit Deus, quam quod gestum est in Ægypto. Moyses autem ut etiam illam generationem poneret, quæ cum Jacob patre suo intravit in Ægyptum, ex qua istæ quatuor originem habent, dixit, *Quinta progenie exierunt filii Israel de terra Ægypti.*

XI. — Si viri justi voluntas bona est, quid est ut Isaac, non Esau, quem voluit; sed Jacob, quem noluit, benedixit (*Gen.* XXVII, 27)?

(*a*) Justi hominis, quantum ad conscientiam ejus pertinet, voluntas bona est; quantum autem ad præscientiam, immunis est ab adversis. Deus enim solus est, qui de futuris judicat. Ac per hoc Isaac justus quantum ad præsentem humanitatem, dignum esse majorem filium suum benedicendum magis putabat. Sed Deus qui occultorum cognitor est, minorem benedictionem mereri ostendit, ut in benedictione non hominis ostenderet esse beneficium, sed Dei; quia officii dignitas est, non hominis meritum, quam Dei sequitur benedictio. Denique dictum est a Deo in Numeris ad Moysen et Aaron sacerdotes, *Vos ponite nomen meum super filios Israel; ego Dominus benedicam eos* (*Num.* VI, 27): ut gratiam traditio per ministerium ordinantis transfundat hominibus, nec voluntas sacerdotis obesse aut prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis. Quanta autem sit dignitas ordinis sacerdotalis, hinc advertamus. Dictum est enim de nequissimo Caipha interfectore Salvatoris inter cætera, *Hoc autem a semetipso non dixit; sed cum esset princeps sacerdotum anni illius, prophetavit* (*Joan.* XI, 51). Per quod ostenditur spiritum gratiarum non personam sequi aut digni aut indigni, sed ordinationem traditionis [1]: ut quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere, nisi fuerit ordinatus, ut officium ministerii exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis.

XII. — Quare Abraham fidei suæ signum, circumcisionis accepit sacramentum (*Gen.* XVII, 10)?

Si velis advertere, non incongruum videbis quod putas diversum esse a ratione (*a*). Credens enim se filium habiturum, in quo omnes gentes benedicerentur, et a quo sanctimonium exoriendum erat, illa in parte signum accepit, per quam generatio filiorum et inchoat, et cessat, ut sanctior sit. Sed si aliquibus deformatio videtur, animadvertant Abraham in eo gavisum, et filios ejus hoc testimonio fuisse gloriosos. Nam Achior utique unus ex principibus Gentilium videns tantam virtutem esse in Deo Abrahæ, ut Holofernem ducem exercitus Assyriorum, cujus potentiam tota terra tremebat, proprio gladio manu feminæ decollaret; sponte se circumcidit, arbitratus ex eo ipso dignitatem sibi esse quæsitam (*Judith.* XIV, 6). Nonne præ se fert, si aliquis pro nomine Christi oculum aut aliquod membrum amiserit? Nonne partem ipsam humanis vultibus ingerit, ut appareat gloriosus? Pro fide enim aliquid ad tempus amittere, lucrum est facere. Ita et Abraham fidei suæ signum accipiens, non deformatus est, sed melioratus (*b*). Spiritualiter vero hoc significavit, quia nebula carnis circumcidi debebat a cordibus hominum per fidem Christi: quia carnalis error obstabat, caliginem præstans humanis cordibus, ne cognoscerent Creatorem. Abraham autem, quia et promissus est ex semine ejus futurus Christus, qui hanc caliginem abstergeret, ideo circumcisus est, quia filium credidit se habiturum, qui errorem hunc amputaret. Jam vide, si non congrue illa in parte vel tale signum accepit.

XIII. — Si judicium Dei justum est, quare infantes in Sodomis simul cum parentibus cremati sunt (*Gen.* XIX, 25)?

Ut nimis impium facinus Sodomitarum possit adverti, peccatum eorum pervenit usque ad necem filiorum ipsorum, ne de origine illorum signum aliquod remaneret. Nonne provisum est illis ne diu viventes exempla sequerentur patrum? A gehenna enim liberi sunt, in aliena causa occisi (*c*). Parentes enim tam pro se, quam pro his rei sunt, quia ut eorum opera oblitterarentur, omnis progenies ipsorum erasa est. Nam sicut de bonis parentum læti sunt filii, eo quod commendentur prærogativa illorum; sic et de morte, quæ pro malis illorum infertur, queri non possunt. Quemadmodum enim participes in lucro sunt, necesse est ut sint et in damno. Similiter et in Ægypto pro noxis patrum plexi sunt filii, sed ut ad emendationem eorum proficeret: ut quia ex aliis causis Deum credere et venerari, qui in Moyse erat, noluerunt, hac plaga territi confiterentur cum satisfactione, ne gravius hunc reatum sentirent. Hæc ergo mors filiorum, crimen est patrum. Quocumque enim modo filii debitum spiritum reddiderunt, futuri accusatores parentum, quia perfidiam suam nec sanguine filiorum vincere potuerunt. Non ergo in futurum, sed ad præsens tempus mala parentum filios invenerunt. Nec qualecumque beneficium est, gloriosum non esse, nec tamen reum (*d*). Nam si quidam cum precibus enituntur, in postremis positi, ad fidem veram accedere, ut, si non coronam, vel veniam mereantur; quomodo poterunt hinc aliquid queri, cum quibus ita actum est, ut neque esset unde ignosci sibi precarentur, neque sublimes haberentur quia minime laboraverunt? Confer nunc

(*a*) Exstat apud Alcuinum, q. 228 in Gen.

[1] Mss. secundi generis, *ordinem traditionis.*

(*a*) Alcuin., q. 174 in Gen.

(*b*) Reliquum deest in Mss. secundi generis.

(*c*) Cautius Alcuinus q. 183 in Gen. « Et ut levius crucientur, vel omnino non in aliena causa occisi. »

(*d*) Apud Alcuin. clarius in q. 183 in Gen. « Est qualecumque beneficium, reum non esse qui gloriosus non est. »

unius momenti cruciatum ad multi temporis pœnam. Arbitrare etiam multos laborare, et quia perseverare non possunt, non solum effectum laboris amittere, sed et pœna multari. Adde etiam, quia difficile de malis nati, et inter nequissimos educati vel conversati, mentem suam temperant ad disciplinam Dei sequendam. Vide ergo, si non magis bene actum est cum filiis perditorum.

XIV. — Quid est ut Deus, qui justus prædicatur, peccata patrum filiis reddere promiserit in tertiam et quartam progeniem (*Exod.* xx, 5)?

Nihil injuste Deum facere aut dicere, qui dubitat, insanus est. Itaque si verba Domini non supprimantur, sed omnia quæ ad eamdem quæstionem pertinent, proponantur; lucebit quod obscurum videtur, et pium æstimabitur quod minime justum putatur. Qui enim verba supprimit quæstionis, aut imperitus est, aut tergiversator, qui calumniæ magis studeat quam doctrinæ. Porro autem repromisit quidem Dominus, reddere se peccata patrum filiis, sed qui oderint eum, hoc est, qui in paternis malis versati servierint idolis, sicut et patres illorum. Ille enim inimicus Dei est, qui honorem nominis ejus vindicat creaturæ. Sicut enim justorum filii et ipsi justi nobilitant in se genus justitiæ, dum et patrum et sua justitia sublimantur; ita et nequissimorum, et ipsi filii nequissimi crementum faciunt malitiæ, quia et malorum filii sunt, et nequitiam illorum exemplarunt ad perditionem multorum. Cum terrore ergo locutus videtur Deus : sed verum est, et hoc habet ratio. Quis enim malum et mali hominis filium non duplici genere exsecretur; quomodo bonum et boni filium duplici mercede[1] censet honorandum? Idcirco autem in tertiam et quartam progeniem reddere se promisit, ut si post patrem malum filius non sequatur perfidiam patris, nepos autem avi in malis imitator existens, sciat se non immunem futurum a severitate sententiæ; aut si et nepos forte non avi, sed patris secutus vestigia Testamentum diligat Dei, non ignoret pronepos ad se usque pervenire sententiam, si æmulus sit proavi perfidiæ. Hac legis manifestatione deterreri voluit Deus impios patres, ut agnoscentes quantum mali pareret sectatio idololatriæ, vel affectu filiorum revocarentur ad reverentiam Creatoris; aut filii timentes ne incurrerent peccata patrum, Dei legi obtemperarent. Illi autem addentes ad nequitiam, aliter hoc interpretari cœperunt dicentes, *Patres nostri manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt* : ut securi de impunitate, eo quod filiis ipsorum redderentur peccata, neque spiritus neque carnis haberent pietatem. Hinc dicitur eis, Non morietur filius pro patre, neque pater pro filio; sed, *anima quæ peccavit, ipsa morietur* (*Ezech.* xviii, 2, 4). Ut addiscerent non impune sibi futurum, sed sic reddi peccata patrum filiis, ut quia impietatem parentum secuti, mala, quæ oblitteranda erant, exemplaverint, acerbius puniantur. Postquam ostendit Deus quid mali pariat idololatria, addidit statim quæ bona diligentes se sequantur, dicens, *Et faciens misericordiam in millia millium iis, qui diligunt me, et custodiunt præcepta mea* (*Exod.* xx, 6) : ut bonum patris, non usque ad pronepotem, sed usque ad millia millium reddat. Ut puta, si quis ex semine David diligat Deum, quem constat utique porro ante mille annos fuisse : huic additur misericordia Dei, ut in necessitate, duabus suffragantibus causis, misericordiam accipere mereatur; quia et ipse Dei cultor est, et ex ejus semine est, qui amaverit Deum. Et in hoc clementia Dei laudabilis est, ut odio habentibus se usque in tertiam et quartam reddat progeniem, et non in millia millium : ut si in quintam progeniem tractum fuerit malum, inde iterum caput habere incipiat, ut ex eo numeretur usque ad tertiam et quartam progeniem. Sed dicet quis : Auctori magis amplius reddendum justum videtur, quam imitatori. In auctorem congrue datur vindicta; filiis autem quod plus dicit reddi, pœna est patrum. Et si causam quæras, accessu Legis peccatores plus fiunt rei, sicut Lamech et post Lamech. Quibusdam tamen videtur, sic reddita esse peccata patrum in filios, dum in captivitatem ducti sunt causa patrum, et fuerunt ibi usque ad quartam generationem. Quod si verum est, non solum odio habentibus se reddidit peccata patrum, sed et diligentibus nomen suum : quia et Daniel abductus est, et tres pueri, et Baruch, et Ezechiel, et Esdras ibi natus est. Liquido ergo apparet illud convenire propositæ quæstioni, quod supra diximus.

[1] Mss. secundi generis, *merito*.

XV. — Cum justum Lex prædicet, et hic vere justus sit, qui plenam habet justitiam, quomodo contra Salomon, *Noli*, inquit, *esse justus multum* (*Eccle.* vii, 17)?

Nimia justitia incurrit peccatum, temperata vero justitia facit perfectos. Non enim sine malitia est, qui multum est justus; quia peccantibus ad singula si respondeas, non deerit ubi pecces. Denique Dei temperata justitia est. Peccantibus enim aliquando ignoscit, aliquando irascitur, aliquando reddit non quantum digni sunt : suffert enim eos, ut sint qui proficiant. Lex enim quia seipsam mollire non potest, a nobis mitiganda est, ut possit prodesse sub se agentibus. Hic ergo justus non est multum, qui Dei imitator est.

XVI. — Quare angelus qui volebat in via Moysen occidere, circumcisione infantis placatus est (*Exod.* iv, 24)?

Quod sine consilio Moyses fecerat, apparentia comminantis angeli emendavit. Denique videns fieri, quod per negligentiam fuerat prætermissum, cessavit ab ira. Idcirco ergo sic infestum angelum in se vidit Moyses, et paratum ad vindictam, quia viri sublimis culpa, grave peccatum est. Quanto enim persona ejus sublimis est, tanto magis grave delictum ejus. Quod ergo a summo viro, utpote a ductore populi, fit, acerbissimum est peccatum. Pergebat itaque ad filios Israel, missus a Deo Abrahæ, et signum justitiæ Abrahæ non ferebat, in quo gloriari sciebat Judæos, ut aut ipse sollicitator diceretur, aut non ab eodem Deo missus, qui Abraham elegerat. In Madian enim habitans filios suos minime circumcidit : quos aut ducere secum ad Ægyptum non debuit, qui cæteros ibat inde educere; aut certe circumcisos assumere, propter quæ supra diximus. Sephora ergo uxor Moysi, quod compendio loquitur Scriptura, non ignorans qua causa viro suo infestus angelus videbatur, accipiens petram, circumcidit filium suum, et recessit angelus. Ea enim ratione, mitigata est ira, qua fuerat accensa. Nam aliquando compendio loquitur Scriptura, quæ subintelligi vult ex proposita ratione : sicut et illud, quod Salvator dicit inter cætera ad Judæos, *Quare et vos præteritis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis? Nam Deus dixit, Honora patrem tuum et matrem; et, Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Quicumque dixerit patri aut matri, Omne munus quodcumque fuerit ex me, tibi proderit, et non honorificabit patrem aut matrem suam* (*Matth.* xv, 3-6). Sine dubio per compendium dixit hoc Salvator, ut subintelligantur sacerdotes Judæorum, dum avaritiæ studerent, Dei Legem sprevisse. Impia enim conspiratione consilium dederunt filiis, ut maledicentes patrem aut matrem, quodcumque offerrent quasi donum Deo, per quod data sententia in maledicos solveretur : unde securi facti filii, contra Dei præceptum contemnebant parentes. Ita et Moyses cum infestum sibi videret angelum, intelligens causam, quid fieri deberet ostendit uxori ut recederet ab eo angelus, qui eum quærebat occidere. Hoc subintelligitur in hac causa, sicut et illud quod supra diximus in sacerdotes.

XVII. — Quid est ut maledictos dicat Lex, qui semen non reliquerint in Israel; per Isaiam autem nihil obesse dicatur spadonibus, quia generare non possunt (*Exod.* xxiii, 26; *Deut.* vii, 14, *et Isai.* lvi, 3-5)?

Quoniam aliter quam dictum erat, intelligi cœperat : idcirco Isaias propheta ostendit postea, quo sensu di-

ctum esset. Cum enim hoc ex causa offensi Dei sententiæ loco positum esset, quia deserentes Deum in eo percutiebantur, ne ducentes uxores semen relinquerent; sic hoc arripuit error humanus, ut putarent reos esse apud Deum, si qui aut uxores nollent, aut accipientes, ut assolet, generare non possent; quasi nihil aliud quam semen quæreret [1] Deus, sicut arguuntur per Malachiam prophetam. Isaias ergo ut consolaretur eos quos mala intelligentia contristaverat, docuit nihil obesse, si quis aut non posset habere filios, aut nollet, dummodo legem Dei servaret. Maledictum enim illis competebat, qui cum possent ac vellent, divino obstante judicio, steriles erant, ne fructum haberent creationis Dei, quem spernebant; ut cum viderent aut generare se non posse, aut genitos minime possidere, cognoscerent indignantis Dei iram esse, et conversi satisfacerent. Nam et sancti viri cum cupidi essent filiorum, et non id obtinerent, æstimabant peccata obstare et dolebant, ignorantes Dei esse providentiam, cui servabantur. Denique ad Dei procurationem, et Anna concepit, et peperit Samuelem (I *Reg.* I, 20), et Elizabeth Joannem (*Luc.* I, 57), et uxor Manue Samsonem (*Judic.* XIII, 24). Spiritualis enim intelligentia in hac causa ista est, ut maledicti habeantur qui non reliquerint semen, quod videat Deum, id est, qui non imbuerint aut filium, aut servum, aut proximum, qui Dei timorem doceat super terram.

XVIII. — Quare Saül peccans petiit orari pro se ut ignosceretur sibi, et impetrare non potuit; David autem peccans postulavit, et veniam consecutus est (I *Reg.* XV, 24-26; II *Reg.* XII, 13)?

Dei judicium retractari non convenit : nam humana imbecillitas atque imperitia, Dei se debet judicio erudire, in hoc quod non sapit, ut ex sententia Dei intelligat veritatem, et nihil aliud fieri debuisse, quam quod videt fecisse Deum, quem scit acceptorem personarum non esse (*Act.* X, 34). Si enim David precem suscepit, et Saül refutavit, nihil adversum sentiendum est Deum fecisse. Sciens enim qua mente uterque locutus est, ejus petitionem accepit, quem vidit tribulato corde veniam postulare; illum autem despexit, quia animam ejus pœnitentiæ non tetigerat dolor. Quia Deus cordis auditor est magis quam vocis. Hinc dictum est, *Homo videt in facie*, *Deus autem in corde* (I *Reg.* XVI, 7). Ideo etiam fallimur, quia simulatio in verbis et vultu circumvenit nos : in corde enim quid sit videre non possumus. Quamobrem Dei judicium sequi nos oportet, qui secundum cor, in quo uniuscujusque sententia est, examinat singulos. Hoc etiam et Salvatorem fecisse invenimus. Scribam enim se offerentem non suscepit (*Matth.* VIII, 19); sedentem autem Levi ad telonium vocavit (*Id.* IX, 9; *Luc.* V, 27) : quia verba Scribæ non secutum est cor, Levi autem tacens hoc in corde habebat, quod Scriba in verbis : Jesus autem, qui juxta quod scriptum est, sciebat quid esset in homine (*Joan.* II, 25), Levi elegit (*a*). Præterea David non alium pro se voluit humiliari sicut Saül, sed ipse supplex tribulato corde veniam precabatur.

XIX. — Quærendum est, si Adam factus, corpus immortale habuit, an mortale?

Deus hominem fecit, qui quamdiu non peccaret, immortalitate vigeret : ut ipse sibi auctor esset aut ad vitam, aut ad mortem; ut custodiens se a peccato, labore suo gauderet, esse se immortalem; negligens vero factus, ipse sibi imputaret, quia cœperat esse mortalis. Quamdiu enim in Creatoris lege duravit, dignus fuit edere de arbore vitæ, ut mori non posset. Nec enim corpus tale erat, quod dissolvi impossibile videretur; sed gustus arboris vitæ corruptionem corporis inhibebat. Denique etiam post peccatum potuit indissolubilis manere, si modo permissum esset illi edere de arbore vitæ. Nam quomodo immortale corpus habebat, quod cibo sustentabatur? Immortalis enim non eget esca neque potu. Cibus enim vires præstabat, vitæ autem arbor medicinæ modo corruptionem omnem prohibebat. Sic enim homini erat quasi inexpugnabilis murus.

XX. — Quid est quod dicitur, *Panem Angelorum manducavit homo* (*Psal.* LXXVII, 25), cum Angeli non egeant cibo; quippe cum sint natura simplices, et potentia spirituali vigentes?

Panis quem Angelorum appellat, manna est. Manna autem interpretatur, *Quid est hoc?* Videntes enim filii Israel, quasi semen coriandri cadere super terram candidum, dixerunt ad invicem, *Quid est hoc* (*Exod.* XVI, 15)? Quod in Hebræa lingua dicitur, *Man hu?* Hic ergo panis aut cibus, non mundi lege creatus est, commixtione elementorum; sed desuper venit spirituali ratione provisus [1]. Nec quidem in supernis habebatur, quia corporibus alendis ad momentum, Dei virtute creatus est. Ideo autem Angelorum panis dictus est, quia ca virtute creatus est, qua angelica natura subsistit et vivit. Sine Deo enim nulla vita est. Per id ergo quod de cœlo venisse dicitur, Angelorum dictus est panis. Ut enim quanta et qualia beneficia Dei circa hominem sunt, memoraret; sic locutus est, ut agnoscentes Deo gratias referrent, qui tanta cura servos suos gubernat, ut eis hæc in carne adhuc positis, si necesse fuerit, exhibeat, per quæ vivunt Angeli. Dixit Apostolus inter cætera, *Petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 4), ut quia Christi virtute aqua fluxit de petra (*Exod.* XVII, 6), petra appellatus sit Christus. Simili modo, et quia manna potestate ejus venit de cœlo, manna, id est, panis dicatur : ut quod tunc factum est, ejus rei, quæ nunc in Ecclesia offertur, figura fuisse existimetur; ut Christiani populi, quos in Angelis significavit Scriptura, panem manducarent homines, id est, Judæi. Et quia major gratia est nunc, quam fuit in Prophetis et libertas data per Christum, quia ubi spiritus Domini, ibi libertas (II *Cor.* III, 17); ad comparationem temporum et gratiarum, Christiani Angeli dicti sunt : quorum pane, qui Christus est, satiati sunt Judæi, quos homines dixit. Horum enim magis Christus est, quibus et revelatus est, et qui hoc nomine vocari censentur. Duplici ergo genere potest intelligi supra dicta quæstio, ut et panis Angelorum cœlestium dici possit, et Christianorum secundum ea quæ dicta sunt.

XXI. — Quid sit ad imaginem et similitudinem Dei fecisse hominem (*Gen.* I, 27), et an mulier imago Dei sit?

Hoc est ad imaginem Dei factum esse hominem, quia unus unum fecit : ut sicut ab uno Deo sunt omnia, ita et ab uno homine omne genus humanum. Similitudo autem hæc est, ut quemadmodum de Patre est Filius, sic et de viro mulier, ut unius principii auctoritas conservetur. Sed filius ineffabiliter et incomprehensibiliter natus est de Deo Patre : mulier autem corporaliter, sicut legimus (*Id.* II, 21, 22), facta est de viro, ut per eam nativitas oriretur. Filius vero Dei ideo natus est, ut per ipsum fieret creatura. In hoc ergo dissimile est. Nam et de Deo Deus natus est, de viro autem femina : quia illic simplicitas est, et non potuit nisi de simplici simplex nasci, spiritus de spiritu, Deus de Deo. Igitur vir imago Dei est. Sic enim scriptum est, *Fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.* Unde et Apostolus, *Vir quidem*, inquit, *non debet velare caput, cum sit imago et gloria Dei : mulier autem*, inquit, *velet caput* (I *Cor.* XI, 7, 6). Quare? Quia non est imago Dei. Unde denuo dicit Apostolus, *Mulieri autem docere non permittitur*, *neque dominari in virum* (I *Tim.* II, 12).

XXII. — Quid est, ut dicat Salomon *justifica animam tuam ante obitum tuum :* et in Psalmo, *non justificabitur*, ait, *in conspectu tuo omnis homo vivens* (*Eccli.* XIV, 17; *Psal.* CXLII, 2)?

Hic justificat animam suam ante mortem, qui spe vitæ futuræ consequitur fidem, ne moriatur impius.

[1] Mss. secundi generis, *vetaret*.

(*a*) Reliquum deest in Mss. secundi generis.

[1] Mss. secundi generis, *pro justis*.

Sed Salomon de eo dicit, qui sub Lege vivit, et non conversatur juste. Hujusmodi ergo si corrigat animum ut justitiæ vias ambulet, justificat animam suam ante mortem. Salomon enim propter judicium futurum consilium dedit, ne quis indiligens circa se in peccatis moriatur. David vero de perfectione justitiæ locutus est; quia nemo justificabitur apud Deum, ut dignus promissione sit, nisi fuerit mortuus cum justitia. Quamdiu enim vivit, futurorum meritum non habet adhuc plenum. Unde dicit Salvator, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x, 22, *et* xxiv, 13).

XXIII. — An ex traduce sint animæ sicut et corpora?

Inhonestum puto, si dicantur animæ cum corporibus generari, ut anima nascatur ex anima, quod nec animæ ipsi competit : aut si certe singulæ cœlestes potestates factæ sunt, et ex ipsis cæteræ natæ sunt, potest ex una Adæ anima credibile videri cæteras nasci. Sed non convenit, quia soli Deo hoc possibile fuit, ut simplex generaret, nec cæteris concederetur. Quod tam mysticum est in causa Salvatoris, ut non solum a solis gentilibus vel Judæis, verum etiam ab ipsis qui Christianos se dicunt, incredibile reputetur. Photiniani enim et Ariani hanc fidem spernunt, nec credunt Deum generasse. Nam si eo tempore quo seminatur corpus, etiam anima generatur ex anima, de Adam costam sublatam legimus, non tamen animam natam ex anima : sed si costa secum habuit animam, jam non nata est, sed detracta in partem. Sed nec hoc scriptum est. Propheta enim Zacharias inter cætera, *Qui plasmavit*, inquit, *animam hominis in eum* (*Zach.* xii, 1). Nec Isaias ab his dissentiens ait, *Sic dicit Dominus Deus qui fecit te, et finxit te in utero* (*Isai.* xliv, 2). Si ergo in utero fingitur, jam formato corpori tribuitur. Cum enim omnia membra implet corporis, figurata dicitur in corpore. Ut sicut aqua, cum sit sine effigie, missa tamen in vas figurata videtur; ita et anima cum sit natura incorporea et simplex, quasi formatur in corpus, singula membra vivificans. Quod quidem Moyses manifestius tradidit dicens, *Si quis percusserit mulierem in utero habentem, et abortiverit : si formatum fuerit, det animam pro anima; si autem informatum fuerit, multetur pecunia* (*Exod.* xxi, 22) : ut probaret non inesse animam ante formam. Itaque si jam formato corpori datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine derivata. Nam si cum semine et anima existit ex anima, multæ animæ quotidie pereunt, cum semen fluxu quodam non proficit nativitati. Sed si propius respiciamus, videbimus quid sequi debeamus. Contemplemur facturam Adæ. In Adam enim exemplum datum est, ut ex eo intelligatur, quia jam formatum corpus accepit animam. Nam potuerat animam limo terræ admiscere, et sic formare corpus. Sed ratione informabatur, quia primum oportebat domum compaginari, et sic habitatorem induci. Anima certe quia spiritus est, in sicco habitare non potest, ideo in sanguine fertur. Cum ergo corporis lineamenta compacta non fuerint, ubi erit anima? An foris vagatur, quamdiu immittatur; cum ratio tradat sic dari eam ut animet corpus, non ut otiosa vagetur? Sed ex quo detur, dicant qui aliud putant; ex mare, an ex femina [1]? Si ex femina, non convenit; quia aliud in exemplo est. Proponunt enim ex viro cum costa datam et animam : quod multis rationibus infirmari docuimus. Unde forte videatur dari ex femina, maxime propter Salvatorem, quem scimus sine complexu carnis de Spiritu sancto natum ex femina. Quod si arbitrantur, plus dant feminis : auctoritatem enim viri immutant in feminam. Cum enim tam corporis quam animæ originem ex viro dicant, convertunt se ut id quod potius est, ex muliere dicant, id est, animam; quod vero minus, ex masculo, id est, corpus : cum manifestum sit ordinem exempli a Deo traditi immutari non posse.

[1] Mss. secundi generis, *aliud putant ex mare dari, aliud ex femina.*

XXIV. — Quid est, ut cum vir et mulier una sint caro, vir imago Dei sit, et non femina?

Unius substantiæ quidem sunt vir et mulier, et in anima et in carne : sed gradu major est vir, quia ex eo est femina, sicut dicit Apostolus, *Caput mulieris vir* (*Ephes.* v, 23; I *Cor.* xi, 3). Causa enim majorem fecit virum, non substantia. Nam et in uno corpore majora membra sunt et minora, non natura, sed ordinatione [1].

XXV. — Utquid Joseph post prophetiam adjurat filios Israel, ut cum a Deo liberarentur, cineres ejus de Ægypto transferrent (*Gen.* l, 24)?

Non otiose illud mandasse Joseph filiis Israel, in absoluto est. Qui enim prophetare potuit, non improvide locutus esse credendus est. Cum enim esset in Dei Creatoris devotione propensior, sciens autem ab Ægyptiis se coli causa administrationis, qua in magna egestate Ægyptum gubernavit; post exitum suum errorem petivit auferri : certus vanitatem vulgi mortuos magis ut deos venerari quam vivos, ne ei deferretur debitus Creatori honor. Hic ergo ostendit se liberum fuisse a vana superstitione Ægyptiorum, quando ne ad Dei injuriam proficeret, cineres suos transferri mandavit. Quod quidem et Apostolos invenimus secutos. Paulus enim et Barnabas cum sacrificari sibi velle vidissent, scientes hoc exosum Deo, sciderunt vestimenta sua dicentes, *Quid facitis? et nos homines sumus vobis similes* : et sic compescuerunt turbas (*Act.* xiv, 10-17).

XXVI. — Requirendum de Elisæo, an id quod dure petiisse ab Elia dictus est (IV *Reg.* ii, 10), consecutus sit?

Cupidus spiritus Elisæus faciendarum virtutum, illectus exemplo magistri, accepta facultate poscendi quodcumque voluisset, avarus ad bonum, dupliciter spiritum sibi inesse, quam in magistro erat, postulavit. Cui homo Dei Elias ait, *Dure petiisti.* Aviditate enim non consideravit discipulum non esse super magistrum (*Matth.* x, 24). Elias tamen sciens illum non ambitione præsentis gloriæ hoc postulasse, respondit : *Attamen si videris me assumi abs te, erit tibi sic.* Sensus hic ponderandus est. Subindignatus autem cum dixisset, *Dure petiisti*; subjecit, *Si videris me tamen assumi, erit tibi sic*; neque negasse illi visus fuerat. Ostendit sic illi futurum sicut dignum erat, non sicut ipse postulaverat. Multa enim subintelligi vult Scriptura, ut collectus sensus ex verbis, non sit rationi religionis adversus. Nam utique dura petitio, etiam meritum debebat amittere : sed quia cupidus boni sic postulavit, Deus qui scit quid unicuique dandum sit, bonis privari illum non passus est meritis suis. Videamus itaque si Eliæ meritum admitteret, ut Elisæus duplum donum ejus mereretur accipere. Dictum namque est a Spiritu sancto per Zachariam, cujus meriti futurus esset Joannes, *Veniet*, inquit, *in spiritu et virtute Eliæ* (*Luc.* i, 17). Parem ergo Joannem Eliæ ostendit. Et Dominus dicit, *Nemo major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista* (*Matth.* xi, 11). Non dixit, omnibus major est : sed, *nemo* illo *major est*; hoc est, æqualem habet, majorem non habet. Elias ergo par illi est, nullo utique minor; quomodo Elisæus major illo est, cum Joannes quo nemo major est, par Eliæ sit? Nam veniens ad aquarum transitum, non accepit honorem ab eis, ut potuisset transire, nisi nominasset Deum Eliæ (IV *Reg.* ii, 14) : ut per hoc dura petitio correpta videretur, dum nonnisi nomine Eliæ auditus est, ne id quod dure petierat, accepisse putaretur, quasi non sufficeret pro temporis merito dispensatio spiritus concessa Eliæ.

XXVII. — An Pythonissa Samuelem excitaverit, et ipse ab ea visus sit, et locutus sit ad Saül : quæ historia refert in libro Regnorum (I *Reg.* xxviii, 7-20)?

[1] Mss. secundi generis, *ordine.*

Indignum facinus æstimo si secundum verba historiæ commendetur assensus. Quomodo enim fieri poterat, ut arte magica attraheretur vir, et nativitate sanctus, et vitæ operibus justus? aut si non attractus est, consensit? Quod utrumque de viro justo credere absurdum est. Si enim invitus adductus est, nullum suffragium habet justitia; si autem voluntarius, amisit meritum spirituale, quod positus in carne quæsiverat: quod valde absurdum est; quia qui hinc justus recedit, permanet justus. Porro autem hoc est præstigium satanæ, quo ut plurimos fallat, etiam bonos in potestate se habere confingit. Quod Apostolus inter cætera ait, *Ipse satanas transfigurat se in angelum lucis* (II *Cor.* XI, 14). Ut enim errorem faceret, in quo et ipse gloriaretur, in habitu viri justi et nomine se subornavit: ut nihil proficere spem quæ prædicabatur Dei cultoribus, mentiretur; quando hinc exeuntes justos finxit in sua esse potestate. Sed hoc quosdam fallit, quod de morte Saül et filiorum ejus non sit mentitus: quasi magnum sit diabolo, ante diem occasum corporis prævidere, cum signa quædam soleant apparere morituris; quippe a quibus Dei protectio amota videtur. Quanto magis diabolus quem angelica majestate sublimem prophetica oracula fuisse testantur; de cujus magnitudine Apostolus ait, *An ignoratis altitudinem satanæ* (*Id.* II, 11)? Quid mirum ergo si imminentem prope mortem potuit prævidere, cum hoc sit unde fallit, et se in Dei potestate vult adorari? Nam tanta hebetudine demens effectus est Saül, ut ad pythonissam confugeret. Depravatus enim causa peccati, ad hæc se contulit quæ damnaverat. Sed si quis propter historiam, et ea quæ verbis expressa sunt putet non prætermittenda, ne ratio historiæ inanis sit; recte faciet quidem, si tamen minime istud ad veri rapiat rationem, sed ad visum et intellectum. Saül namque reprobus factus, non poterat bonum intellectum habere. Historicus enim mentem Saül et habitum Samuelis descripsit, ea quæ dicta et visa sunt exprimens; prætermittens, si vera an falsa sint. Quid enim ait? Audiens in quo habitu esset excitatus, *Intellexit*, inquit, *hunc esse Samuelem*. Quid intellexerit retulit, et quia non bene intellexit, contra Scripturam alium adoravit quam Deum; et putans Samuelem, adoravit diabolum, ut fructum fallaciæ suæ haberet satanas. Hoc enim nititur, ut adoretur quasi Deus. Si enim vere Samuel illi apparuisset, non utique vir justus permisisset se adorari, qui prædicaverat Deum solum esse adorandum. Et quomodo homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, dicebat ad virum pestilentiæ, dignum ardore gehennæ, *Cras mecum eris?* His duobus titulis subtilitatem fallaciæ suæ prodidit improvidus satanas, quia et adorari se permisit sub habitu, et nomine Samuelis contra Legem; et virum peccatis pressum, cum magna distantia peccatorum et justorum sit, cum Samuele justissimo futurum mentitus est. Verum potest videri si de Samuelis nomine taceatur, quia Saül cum diabolo futurus erat. Ad eum enim transmigravit, quem adoravit. Semper enim diabolus sub velamine latens, prodit se, dum ea confingit quæ abhorreant a personis, per quas fallere nititur.

XXVIII. Quid contradicendum iis sit, qui mundum istum ab æterno naturaliter moveri inquiunt, neque initio, neque abolitioni obnoxium?

Mundum ab æterno constare et nulli debere subjectionem, improbabile et impossibile est: quem videmus tanta diversitate exstare corporum; cum nihil divinum et æternum possit esse nisi simplex, in quo nulla diversitas videatur, sed sit unitas. Nam et vices ipsas temporum non servat, ut non solum in temporibus varius sit, aut contrariis constet substantiis, sed et in ipsis vicibus temporum: cum res æterna diversitatem abhorreat, et sit nec tactu nec visu capienda, utpote incorporalis: hic autem passioni obnoxius est, quia et aqua repugnat igni; et ignis si amplius fuerit, superat aquam; et terra cum sit natura arida et frigida, patitur incendium, quasi res corporalis. Itaque inconveniens est mundum æternum dicere, quem cum videmus passioni subjectum, et per sæcula senectute deficere, credimus et finiri. Quid censetur de homine, qui mundum æternum putat? Certe homo cœpit in mundo: sine homine ergo cui proficiebat annua fecunditas mundi? An sine aliqua providentia generabat? Et quomodo æternus corruptibilia et mortalia generabat, cum de æterno debeat æternum existere? Et quod visibile est et sentitur et tangitur, qua audacia vocatur æternum? Et quod vicibus temporum ministratur, ita ut ipsa tempora aliquando non servent officia sua, quomodo appellatur æternum? Æternitas enim non corrumpitur, nec immutatur.

XXIX. — Quare octavo die mandatum est circumcidi (*Gen.* XVII, 12)?

Octavo die a nativitate idcirco præceptum est circumcidi, quia juxta numerum et curricula dierum septem, ipse rursum primus invenitur quasi post sabbatum, ut jam non octavus habeatur, sed primus. Quia enim salus futura per Christum in primo die erat prædestinata (qui Dominicus ideo dicitur, quia in eo resurrexit Dominus), qui est post sabbatum; propterea salutis hujus figura in circumcisione data est, ut quasi renovatio futura in circumcisionis lege dignosceretur. Et quia per fidem salvari haberent homines, quæ primo die resurrectionis Domini firmata est; figura hujus rei in circumcisione primo die data est, quæ etiam esset signum fidei Abrahæ. Integra ergo causa est, quia signum præteritæ fidei primo die signatæ, figura fuit futuræ fidei primo die constabilitæ.

XXX. — In Proverbiis, *Justus*, ait, *accusator est sui in primordio sermonis* (*Prov.* XVIII, 17): quomodo justus, si peccator?

Omnis veritas justitia est. Quia ergo confitetur quod est, justus est: veritatem enim loquitur; peccatores autem vindicantes sua delicta, justificari non possunt. Unde hujusmodi digne justus dicitur, quia pronuntians peccatum suum, remitti sibi utique postulat, misericordiam Dei implorans. Scit enim dictum in Lege, *Confitere peccata tua, ut justificeris* (*Isai.* XLIII, 26). Quid est autem, *in primordio sermonis* confiteri; nisi non coactum fateri, sed voluntarium? Quis enim etiam timens Deum, sine peccato est; cum et in cogitatione admisceantur delicta, et aliquoties peccemus inviti? Potest tamen et de eo dici vel sentiri, qui catechumenus dicitur, ut accedens ad fidem justificetur. Cum enim petit immutari se, sine dubio peccatorem se confitetur ut justificetur.

XXXI. — An cum muliere, natura serpens locutus sit; an actu (*a*) dictus serpens diabolus eam seduxerit (*Gen.* III, 1)?

Quantum ad historiam pertinet, serpens natura dictus est, qui sapientior esset cæteris bestiis, quas fecerat Dominus Deus super terram. Denique et sententiam Deus in serpentem dedit. Nam quid mirum si diabolus sapientior erat bestiis, de quo dicit Apostolus inter cætera, *An ignoratis altitudinem satanæ* (II *Cor.* II, 11)? Usque adeo autem natura serpens fuit, ut diceretur illi, *Supra pectus et ventrem tuum repes, et terram edes omnibus diebus vitæ tuæ* (*Gen.* III, 14). Hæc longe sunt a conditione satanæ; quia neque corporeus est, neque mortalis. Et si proprius aspiciatur, videbitur sententia data nihil obfuisse serpenti: sed in eo in quo factus est, jussus est permanere. Quia enim minister factus est satanæ ad hominem subjugandum, cui omnia Deus subjecerat; idcirco Deus in ea subjectione qua omnia homini subjecerat, repressit elationem serpentis qua cœperat minister esse superbiæ. Videbatur enim homo factus sub serpente, per quem, accepto consilio legem datam contempsit. Quoniam autem serpentes prudentes sunt, confirmat in Evangelio Dominus dicens, *Estote astuti ut serpentes* (*Matth.* X, 16). Igitur quia claruit vere serpentem locutum esse cum Eva; illud superest ut discernatur, an potuerit tam prudens esse et astutus, ut dolo falleret eam. Si enim cæteris bestiis prudentior erat, non

(*a*) Forte, *astu*.

tamen hominibus; quippe cum nullum animal rationale sit, nisi homo. Itaque serpentem subtilitatem istam composuisse impossibile est : quamvis enim prudens dicatur, sed non ultra naturam suam. Nec enim deliberat aut excogitat, aut consilium capit. Idcirco diabolum fuisse, qui per serpentem mulierem circumvenit, dubium non est. Admiscens enim se serpenti, egit per illum quasi per organum, ut nec mulier occulti diaboli intelligeret dolum, sciens prudentem esse serpentem. Ac per hoc corporaliter data sententia, spiritualiter in satanam cecidit; quia sententia reum tenet. Non enim ab homine data sententia est, ut innocentem forte perimeret per errorem aut malevolentiam; sed a Deo qui falli utique non potest, ut sententia ejus eum solum teneat, qui reus est. Quia enim cum sit invisibilis satanas, dolum corporaliter egit, corporalis videtur data sententia, ut illum spiritualiter teneat, cujus factum elicuit dari sententiam. Nam projectus de sacratissimis cœlorum sedibus impudentissimus satanas in terra volutatur gemens semper. Sed forte dicatur, In qua, putas, lingua serpens locutus est ad mulierem? Serpentis utique ore. Si enim hodie non desunt, qui latratum canum intelligant, et luporum ululatum, et barritum elephantorum, et cantum gallorum; quare non magis rudis adhuc mulier scire potuit et intelligere sibilum serpentum, cum multos sciamus avium voces discernere (*a*)? Nam et constat diabolum ejus lingua uti, cujus corpus intraverit : nec aliter falleret mulierem. Ac per hoc serpentis ore locutus est per serpentem.

XXXII. — Legimus apud Salomonem, *Dives et pauper obviaverunt sibi; fecit autem ambos Dominus* (*Prov.* XXII, 2) : quomodo ergo personarum acceptio non est apud Deum?

Longe absit a fidelium mentibus hæc impietatis assertio. Nam Scriptura ne pauperem contemnendum doceret, et divitem honorificandum, ostendit amborum opificem esse Deum : non utique in paupertate et divitiis, sed in eo quod sunt. Si enim facultatibus ab invicem discrepant, non tamen naturæ substantia. Nec enim quia occasiones proventus quosdam faciunt in mundo, aut prosperos in divitiis, aut infaustos in paupertate, idcirco despiciendi sunt quos Deus non humiliavit, aut suspiciendi quibus veritas non dedit testimonium. Contemnendi plane sunt, sed corruptores morum et sacrilegi in Lege Dei; honorandi vero diligentes Deum et disciplinæ cultores. Hi enim divites apud Deum habentur, qui bonæ conversationis sunt : et quanto in mundo contemptibiliores sunt, tanto magis honorificentiores sunt in cœlo. Nam qui beneficium temporis habent in ampliandis facultatibus, si se cognoscant, et Dei intelligant voluntatem, qui terram omnibus dedit, et solem suum cunctis oriri jubet, et pluvias indiscretas effundit (*Matth.* v, 45); iniquitas autem temporis, aut fortuitæ occasionis, aut indigentia quibusdam abnegat quæ Deus omnibus dedit; ipsi ministrant eis, ut perficientes Dei voluntatem, non solum in mundo, sed et in cœlo divites sint, ne pauci temporis divitiæ excludant æternas. Illi vero quos paupertatis causa despiciendos putant, si futurum Dei judicium contemplentur, illic semper divites erunt, ubi divites sæculi egebunt, pœnitentes se pauperes non fuisse.

XXXIII. — Salomon, *Anni*, inquit, *impiorum minuentur* (*Prov.* x, 27) : quomodo ergo est quod videamus impios aliquantos longævos?

Dignum erat quidem omnes impios, non solum citius hac luce carere, verum etiam nec unius momenti temporis vita frui, qui Conditoris sui immemores, vitæ totius auctoritatem imputant creaturæ. Sed Scriptura hos impios alloquitur, qui cum sub Dei Lege agerent, propensiores in idolis erant. Pejores enim sunt cæteris impiis : scientes enim Deum et contemnentes eum, obtemperant servis. Et quod de his dictum sit, probat Apostolus dicens, *Scimus autem quoniam quæcumque Lex loquitur, his qui in Lege sunt loquitur* (*Rom.* III, 19). Gentiles autem non habentur in numero vivorum.

XXXIV. — Quomodo idem Salomon, *Deus*, inquit, *mortem non fecit* : cum alio loco dicat, *Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt* (*Sap.* I, 13; *Eccli.* XI, 14)?

Nulli dubium est bona omnia a Deo esse, mala autem quæ dixit, solum mala sunt, dum vindicatur de nobis. Pœna enim quamvis juste inferatur, patienti tamen mala videtur. Nam et per prophetam ad peccatores loquitur Deus dicens, Faciam vobis mala, id est, pœnis vos agam. Vita autem et mors sic a Deo est, quia legem dedit, quæ servantibus se vitam promittit, contemptoribus vero mortem, sed illam quæ secunda dicitur. Dum enim unumquemque adjudicat quid meretur, ab ipso est, sive absolutio ad vitam, sive reatus ad mortem. Non ergo inventor mortis est, sed judex, quia mortis auctor peccatum est. Quomodo ergo Deus poterat facere mortem, qui nescit peccare? Sed dum peccatis retribuit, ab ipso dicta est esse mors cum non ex ipso sit, sed ex hoc qui peccavit. Eadem ratione paupertas et divitiæ a Deo sunt. Quidam enim habentes timorem Dei, luxuriam spernunt, vitam prodigam fugiunt, ab egeno et paupere oculum non avertunt : hujusmodi crementum faciunt bonorum. Scriptum est enim in Proverbiis, *Paupertatem et ignobilitatem aufert disciplina* (*Prov.* XIII, 18). At hi qui timorem Dei non habent, solutius viventes et egenum despicientes, sicut scriptum est, in inopia erunt; non solum negligentes et improvidi circa se, verum etiam contemptores datæ legis. Hoc modo fecit Deus pauperes ac divites : quia dum offensio legis parit egestatem, a Deo fieri dicitur auctore legis; et cum aliqui terrore disciplinam legis custodiunt, a Deo auctore legis divites fiunt.

XXXV. — Qua ratione David Saül, postquam Deus ab eo recessit, christum Domini vocat, et honorem defert ei (I *Reg.* XXVI, 16, 18, *sqq.*)?

Non nescius David divinam esse traditionem in officio ordinis regalis, idcirco Saül in eadem adhuc traditione positum honorificat, ne Deo injuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decrevit. Dei enim imaginem habet rex, sicut et episcopus Christi. Quamdiu ergo in ea traditione est, honorandus est, si non propter se, vel propter ordinem. Unde Apostolus inquit, *Potestatibus sublimioribus subditi estote. Non est potestas nisi a Deo : quæ enim sunt, a Deo ordinatæ sunt* (*Rom.* XIII, 1). Hinc est ut gentilem, in potestate tamen positum, honorificemus, licet ipse indignus sit, qui Dei ordinem tenens gratias agit diabolo. Potestas enim exigit, quia meretur honorem. Nam ideo Pharaoni futuræ famis somnium revelatum est (*Gen.* XLI, 1-37) : et Nabuchodonosor aliis secum assistentibus solus filium Dei vidit in camino ignis (*Dan.* III, 92), non utique merito suo, qui in idolo se adorari voluit, se merito ordinis regalis.

XXXVI — Si anima quæ peccaverit, ipsamorietur, quid est ut Achar filius Charmi peccaverit, et triginta viri [1] occisi sunt in causa ejus (*Josue* VII, 24, 5)?

Alio sensu Scriptura locuta est quam propositum est. Non enim de hac morte quæ communis utique omnibus est, dixit; sed de illa quæ appellatur secunda. Hæc enim peccatores suscipit : illis autem qui in pugna mortui sunt, non peccatum Achar redditum est; sed obfuit illis, ne in protectione divina adjuti invalescerent hostibus. Nec enim causa Achar infirmati sunt, sed Dei auxilio minime muniti, ut dum fortiter facere nequeunt, occiderentur. Nam pauci fuerunt contra multos, unde et superati noscuntur. Nulla ergo injustitia in voluntate Dei est. In potestate enim habet, si adjuvare vult : ut si affuerit, misericors sit; si noluerit, justus : nec enim in talibus debitor est, ut teneatur obnoxius. Hinc est quod Jesus Nave contristatus scidit vestimenta sua (*Ibid.* 6),

(*a*) Reliquum abest a Mss. secundi generis.

[1] Mss. secundi generis, *triginta sex viri*. Et verius. M.

intelligens non sine causa Deum auxilium suum subtraxisse.

(*a*) Charmi quidem peccavit, et mortuus est lapidibus. Illi autem triginta sex viri, qui in pugna mortui sunt, non utique pressi a Deo sunt, sed non adjuti. Imbecillitate enim sua, dum fortiter facere nequiverunt, occisi sunt. Charmi ergo causa hoc præstitit vel obfuit, quia qui adjuvari habuerant, neglecti a Deo sunt. Hinc ergo est quod Jesus filius Nave contristatus exscidit vestimenta sua, quia intellexit Deum adjutorem suum auxilium subtraxisse in hoc loco.

XXXVII. — Quid est ut missa mors in Jacob venerit in Israel, cum Jacob ipse dictus sit Israel (*Isai.* IX, 8, *sec.* LXX)?

Unius populi duo nomina posuit, ut ex nominibus merita eorum possint intelligi. Nam utique qui Israel cognominatus est, prius Jacob dicebatur. Colluctans enim cum Salvatore, intellexit Deum esse, quem in specie corporis videbat: ideoque appellatus est, Homo videns Deum (*Gen.* XXXII, 24-28). Populum ergo, quem Jacob nuncupat, hoc loco et in hac causa carnalem significat, quomodo nomina quæ natis a parentibus imponuntur. Sed hi, id est, Judæi, propter mala opera non Israelitæ dicti sunt, quia vaccis et lucis sacrificabant in Samaria, studio et imperio Jeroboam regis. Ille autem populus, qui in Jerosolymis in templo Domini hostias offerebat per sacerdotes Dei, Israel appellatus est. Samaria ergo propter impietatem suam tradita est captivitati et morti: Jerosolyma autem reservata est, propter quod habuit reges diligentes Deum. At ubi autem et ipsa Jerusalem impietatem secuta est Samariæ, sententia illam comprehendit data in Samariam. Ideo ergo dictum est, *Misit Deus mortem in Jacob*, id est, in populum Samariæ, qui carnaliter conversatus est, sicut supra diximus; *Et venit in Israel*, hoc est, in populum Jerusalem, quia idololatriam secuta est, imitata Samariam: ut simili modo abduceretur in captivitatem a Nabuchodonosor, sicut et Samaria a Salmanasar rege Assyriorum. Hoc est aperte: sententia data in malos, invenit et bonos, dum desierint esse justi. Missa enim mors in Jacob, sicut supra ostensum est; pervenit in Israel, non prætermittens Samariam, sed dum causa, qua missa est in Samariam, inventa est in Jerusalem, missa illuc venit etiam in eum locum, quo eadem res erat. Quia vindicta causam sequitur, non discernens personam.

(*b*) Unius populi duo nomina posuit. Nam utique qui prius Jacob dicebatur, postea accepit nomen Israel, cum colluctatus est cum Filio Dei, et vidit eum per intellectum homo videns Deum. Populus ergo quem Jacob nuncupat, hoc in loco et in hac causa non videns Deum intelligitur, sed quasi carnalis habetur, propter opera bona (*c*): ut sicut Jacob priusquam videret Deum Christum, non dicebatur Israelita, et hi dum populus dicuntur Jacob, non videntes Deum designentur. Israel autem populum dicit, qui operibus Dei factus dignus habetur videre Deum. Itaque populus Jacob, quia carnali fretus erat auxilio, desperans de adjutorio Dei (idola enim diligebat) traditur morti, dum excitatur adversus eos rex Assyriorum. De Samaria autem hoc dictum intelligitur ab Isaia propheta, quæ prius malum fecit coram Deo, vaccas instituens quibus sacrificarent, adinveniente nova sacerdotia Jeroboam. Mors ergo ad eos missa est: primi enim ipsi capti sunt, et transmigrati a Salmanasar rege Assyriorum, ut illorum exemplo populus Juda et Benjamin et Levi, quæ duæ tribus remanserunt, et dimidia in Jerusalem Roboam filio Salomonis, quæ in templo Domini per sacerdotes Domini sacrificabant. Hos ergo dicit populum Israel propter tribum Juda et Levi, qui et ipsi cum exemplo Samariæ territi recte agere debuerunt, maligne fecerunt idolis servientes. Tamen fuerunt aliquanti reges in Jerusalem, qui post excessum Salomonis et filii ejus Roboam, viam secuti sunt David, recte ambulantes in conspectu Dei. Omnes autem reges Samariæ maligne egerunt in conspectu Domini usque ad transmigrationem suam. Ideoque carnali nomine nuncupati sunt. Et quia Jerusalem eorum impietatem secuta est, traditur etiam ipsa in captivitatem Nabuchodonosor regi Babyloniæ: et hoc est misisse mortem in Jacob, et venisse in Israel. Missa est enim in Samariam; sed dum causa per quam missa est in Samariam, inventa est in Jerusalem, missa illuc venit etiam in locum in quo eadem res erat. Non enim locum sequitur vindicta, sed causam.

XXXVIII. — Si equus et mulus non habent intellectum, quanto magis terra res sine sensu? Quid ergo est ut dicatur terra benedicere Dominum (*Psal.* XXXI, 9; *Dan.* III, 74)?

Non est sic intelligendum ut sonant verba. Opus est enim, quod licet mutum sit, clamare dicitur laudem Creatoris: hortatur enim aspicientes se, benedicere opificem; sicut et omne vas bene compositum, laudat artificem. Quippe cum legatur in Psalmis, *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam* (*Psal.* XXIX, 10)? In omni ergo insensata substantia, non voluntas, quæ utique nulla est, sed opera benedicunt auctorem. Si autem spiritualiter vis hoc accipere; per terram hominem significatum intellige, secundum dictum prophetæ, Memento enim ait, Domine, quoniam terra sumus (*Psal.* CII, 14); quem opera creaturæ in laudem Conditoris sui prorumpere exhortantur.

(*a*) *Benedicat terra Dominum*, ait; hoc est, laudet et confiteatur veritatem tuam. Quomodo ergo in Psalmis, *Numquid confitebitur tibi*, inquit, *pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Non est sic intelligendum ut legitur et sonant verba. Neque enim sensum habet terra, ut gratias agat Creatori. Si autem spiritualiter hoc acceperis, terram hominem intellige, secundum dictum prophetæ, Memento, Domine, quoniam terra sumus. Quam operam facti mundi in laudem Creatoris prorumpere exhortatur, ut confessionem veritatis ejus acquirat illis, quæ licet taceat, clamare dicitur laudem Creatoris, cujus opus est. Hæc ergo causa est, quod in creatione terra Deum dicitur benedicere.

XXXIX.— Quid est quod legitur in Salomone, *Spes est*, inquit, *in tenebris. Melior est canis vivus leone mortuo* (*Eccle.* IX, 4)?

Tenebræ gentilitatem et ignorantiam significant. Spem ergo majorem in gentili populo esse, quam in apostata, vult intelligi per id quod subjecit, dicens, *Melior est canis vivus leone mortuo:* quia sicut leo omnibus feris fortior est, ita Christianitas omnibus sectis. Si quis ergo ab hac destiterit, amittit salutem, ita ut deterior gentili sit. Potest enim fieri ut credat gentilis, et acquirat salutem, quam perdidit apostata. At si non credat, adhuc pejor est apostata; quia deterius est amisisse salutem, quam non habuisse. Canem autem, gentilem significatum Salvator ostendit dicens, *Non licet accipere panem filiorum, et mittere canibus* (*Matth.* XV, 26).

(*b*) Tenebræ ignorantiam significant et gentilitatem: quia spes est in gentili potius, quam in apostata. Hunc enim dicit leonem mortuum, hoc est, christianum apostatam: quoniam quamdiu in fide duravit, leo erat; at ubi recessit, mortuus dicitur. Canem veró, gentilem dixit de quo spes est, ut credat: quamdiu enim vivit, speratur de illo. Illius autem spes peribit. Nam canem, gentilem significari Salvator ostendit dicens, *Non licet panem accipere filiorum, et mittere canibus.*

XL. — Quid est quod dicit propheta, *Lætare*

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis quæ inter post vulgatas Veter. Test. fuit hactenus decima quarta.
(*b*) Ibid. Quæstio decima tertia.
(*c*) Forte, *non bona.*

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas Veter. Test. decima sexta.
(*b*) Ibid. Quæstio decima nona.

sterilis quæ non paris, erumpe et exclama quæ non parturis : quia multi filii desertæ magis, quam ejus quæ habet virum (*Isai.* LIV, 1)?

Quoniam filii Jerusalem terrenæ apostataverunt a Deo, non potest huic gaudium adscribi, sed mœror. Ad opprobrium ergo hujus Jerusalem propheta illam superiorem Jerusalem lætari debere dicit, quam Apostolus matrem nostram appellat (*Galat.* IV, 26) : quia sine gemitu et doloribus multo plures filios habet, quam hæc quæ cum lacrymis generat carnaliter, Judæos utique : illa autem Christianos per fidem spiritualiter. Quam ideo desertam dicit, quia ipsa est vita, quam deseruit Adam primus, et secutus est mortem. Cum regenerantur ergo homines, revertuntur ad eam, quam deseruerant, vitam. Hæc vita Christus est, quia ipse dicit, *Ego sum vita* (*Joan.* XIV, 6). Est et Deus Pater vita, quia ait Dominus, *Sicut habet Pater vitam, ita dedit Filio vitam* (*Id.* V, 26). Sine dubio et Spiritus sanctus vita est, dicente Domino. *Quia de meo*, inquit, *accipiet* (*Id.* XVI, 15). De vita utique qui accipit, vita est. Tres ergo sunt una vita. Hæc est vita, per cujus fidem regeneramur. Ipsa est mater nostra, sicut in Genesi legimus, quia ipsa, id est, Vita, est mater omnium vivorum (*Gen.* III, 20). Qui sunt qui vivunt, nisi qui credunt?

(*a*) Duas matres hoc in loco intelligimus, cœlestem, et terrestrem : id est Jerusalem liberam, de qua dicit Apostolus, *quæ est mater nostra ;* et Jerusalem istam quam servire dicit cum filiis suis, hoc est, Judæis. Propheta enim adventum Domini prædicans, et tempus gratiæ plenum in exsultatione vocis obtestans, Jerusalem cœlestem, quæ ideo deserta dicta est, quia inhabitantes filios per fidem generatos non habebat, lætari debere hortatur. Tempus enim venerat, ut haberet filios olim prædictos et multo plures quam fuerant hujus Jerusalem : quia Christiani supergressi sunt numerum Judæorum. Sterilis ergo dicta est, quia virgo est, quæ non per mixtionem et complexum generat filium, sed per solam fidem spiritualiter. Unde nec parturire dicitur; quæ enim parturit, dolores patitur. Hæc enim exclamat in lætitiam salutis humanæ. Jerusalem vero terrena ideo virum habuisse dicta est, quia carnaliter generabat. Civitas enim quasi in matrem est significata, sicut et habitatio cœlestis illa ad quam vocamur, mater nostra dicitur.

LXI.— An spiritus qui super aquas ferebatur, Spiritus sanctus intelligatur, quia dictum est, *Spiritus Dei ferebatur super aquas* (*Gen.* I, 2)?

Si videtur hic errasse in ista sententia, non est accipiendum quod dixit. Ideo et a quibusdam Spiritus sanctus esse putatur, quia Dei spiritus legitur esse. Invalida autem et inanis assertio est : non solum enim ordo hoc non patitur, et ratio abnuit, sed et verba ipsa infirma probantur ad causam istam astruendam. Nam his verbis frequenter aliud invenimus significatum in Lege. Inter cætera autem ait Dominus Deus dicens, *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia sunt caro.* Et in subjectis. *Sed deleam*, inquit, *omnia, ab homine usque ad pecus* (*Id.* VI 3, 7). Propterea quia diluvium facturus erat super terram, numquid Spiritus sanctus potest intelligi? Nonne de animabus locutus est? Nam non solum nostræ animæ spiritus dicuntur, sed et pecorum. Sic enim scriptum est, *Et mortua est omnis caro in aqua, in qua erat spiritus vitæ* (*Id.* VII, 22). Et in Ezechiele propheta sic dictum est, dum de reformatione hominum promittit Deus dicens, *Hæc dicit Dominus Deus ossibus istis, Extendam super vos cutem, et dabo in vobis spiritum meum, et vivetis* (*Ezech.* XXXVII, 5). Numquid de sancto Spiritu locutus est et non de anima? Omnia quidem cœlestia spiritus sunt, sed differunt ab invicem, et Deus spiritus est (*Joan.* IV, 24; II *Cor.* III, 17), sed longe aliter. Omnis itaque spiritus Dei est; non tamen Deus est, nisi spiritus qui de ipso est. Cujus significatio hæc est ut sanctus dicatur. Nam et homines filii Dei vocantur, et

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, et inter post vulgatas Veter. Test.

Christus dicitur Filius Dei ; sed intervallum est, quia hic verus est, illi adoptivi. Sic quoque et inter spiritum Dei diversitas est. Spiritus enim sanctus de Deo est, et consubstantivus ei; reliqui vero spiritus Dei esse dicuntur, sed creatura sunt. Sed nec ordinis est ut Spiritus sanctus ferri super aquas intelligatur ; cum super aquas spiritualem creaturam esse tradat ratio, et quæ super se habeat potiorem creaturam alteram, quia creatura a creatura differt in claritate (I *Cor.* XV, 41) : quidquid enim prope sedem Dei acceditur, clariora sunt ministeria. Unde dicit Raphael angelus inter cætera : *Ego sum*, inquit, *unus ex septem angelis sanctis, qui astamus et conversamur ante majestatem Dei* (*Tob.* XII, 15).

(*a*) Si ideo a quibusdam Spiritus sanctus putatur, quia Dei esse spiritus legitur, invalida et inanis assertio est. Non solum enim ordo hoc non patitur, et ratio abnuit, sed et verba ipsa infirma probantur ad hanc assertionem astruendam. His enim verbis aliud dictum significatur frequenter in Lege. Ait autem Dominus Deus, *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, propterea quod sint caro.* Et in subjectis, *Sed deleam*, inquit, *omnia ab homine usque ad pecus.* Hoc utique dicit, quia diluvium inducere habuit super terram. Nunquam hic Spiritus sanctus potest intelligi. De animabus enim dixit. Nam non solum nostræ animæ spiritus dicuntur, sed et pecorum. Sic enim scriptum est, *Et mortua est omnis caro in aqua, in qua erat spiritus vitæ.* Et in Ezechiele propheta sic dictum est, cum de reformatione hominum promittit Deus dicens, *Hæc dicit Dominus ossibus istis, Extendam super vos cutem, et dabo in vos spiritum meum, et vivetis.* Non utique ex eo Spiritus sanctus debet intelligi, quia dictum est a Domino, *Dabo spiritum meum in vos :* cum manifeste de anima dixerit Deus. Commune est enim hoc omni spiritui cum sancto Spiritu, ut similiter dicatur omnis spiritus, Dei spiritus. Intelligentia enim hic necessaria est quæ discernat res unius nominis. Nam Deus utique spiritus dicitur, et anima hominis spiritus dicitur, et ventus similiter, et aer, et anima pecoris, et angeli, et quæcumque acceperunt ut vivant per substantiam propriam. Sed jam per intelligentiam discernis aliter Deum spiritum dici, et aliter creaturam : sicut aliter intelligis Christum dici Filium Dei, et aliter homines vocari filios Dei. Quotiescumque autem spiritum qui proprie de Deo est, vult Scriptura significare, addit dicens, Spiritum sanctum; ut per hoc non creatura intelligatur, sed quia de Deo est, non aliud esse quam est Deus, credatur. Moyses autem cum creaturam hylicam, id est confusionem rerum describeret, quæ utique sensu bruta est, super terram et abyssum et tenebras spiritum Dei superferri interlocutus est, ut ex eo spiritu et loco in quo ferebatur, superior creatura, quam spiritualem dicimus, cognoscatur. Nam et ex eo quod superferri illum dixit, creaturam illum significavit, quia omnis creatura Dei fertur virtute a quo accepit ut sit. Nam quis ordo est ut Spiritus sanctus super aquas feretur, quem constat utique super omnem esse creaturam ? Si enim Christus in dextera Dei est super omnes cœlos (*Coloss.* III, 1), illic est et Spiritus sanctus. Res enim unius meriti et naturæ simul sint oportet : quanquam ubique Deus esse non negetur, hoc est Trinitatis potestas; tamen debita honorificentia etiam reservatur, ut super omnem creaturam esse dicatur, ut proprium illi hoc sit. Quare et dicimus, *Pater noster qui es in cœlis* (*Matth.* VI, 9) ; et, *qui lucem habitat inaccessibilem* (I *Tim.* VI, 16).

XLII. — Cur angelus missus loqui ad Moysen, in igne et in rubo apparuit in monte (*Exod.* III, 1, 2)?

Deus excelsus est : dignum ergo fuit ut in alto appareret, scilicet in loco qui vicinus est cœlo. Et quia ignis semper superiora appetit sursum crescen-

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, et inter post vulgatis vester. Test. secunda.

do ad cœlum, in eo debuit cœlorum Dominus apparere, qui de humo ad superna contendit. In rubo vero causa fecit, ut appareret, delictorum. Quia enim peccatorum causa Legem descenderat dare, spinæ autem in peccatis significantur, quia *sustinui*, inquit, *ut faceret uvam, fecit autem spinas* (*Isai.* v, 2); et Lex statim vindicare non venerat, sed prius ostendere : ideo ignis rubum non combussit; id est, data Lex non fecit reos de præterito peccatores. Nam et quia peccata non sunt de natura, sed ex accidenti; rubi, id est, spinarum materia non habet radicem spinis armatam. Ratione ergo factum est, ut ita Dominus appareret Moysi.

(*a*) Natura angelica secundum se simplex est, cujus substantia superiora appetit, non inferiora. Ideoque Dominus in igne apparuit, cujus natura semper ad superiora tendit, ubi Christus est. In rubo autem idcirco, quia et spinas habet quæ noceant, et facilis est ad combustionem et tamen ab igne non combustus est. Ignem fac esse Legem, quia peccatoribus ignis est. Rubus autem in peccatis significatur, quia a Salvatore ad comparationem cæterorum rubus mala arbor significata est : et peccata nihil aliud quam malitia. Igitur ignis cum in persona Legis apparuit, non tamen exussit rubum : sicut Lex data præteriti peccati causa, non utique vindicavit, sed magis abstinuit vim justitiæ suæ, ut postea jam data si contempta fuisset, vindicaret. Hac ergo causa Dominus in igne et rubo apparuit, quia in rubo ignis Legem significavit.

XLIII (*b*). — Cum Abraham filium immolare prohibitus sit, cur Jephte filiæ sacrificium persolvere non est prohibitus (*Gen.* xxii, 11, 12; *Judic.* xi)?

Multum intervallum est inter causam Abrahæ, et causam Jephte. Primo quidem Abraham legitime natus est, Jephte vero spurius : erat enim filius meretricis. Deinde Abraham conversationis optimæ, Jephte autem princeps latronum. Abraham vir justus, et in tentatione probatus; in Jephte autem nullum justitiæ testimonium. Abrahæ itaque præceptum est, ut filium suum Deo offerret, ut ostenderetur hominibus quantum Deo crederet Abraham, qui nec filium suum jubente eo dubitavit occidere. Qui enim contra mundi spem nasci eum potuit facere de sterili et anicula, non fuit ambiguum quod contra mundi rationem posset eum suscitare a mortuis (*Hebr.* xi, 19). Hoc facto cumulatus est justitia Abraham. Ostendit enim Deus, quia non sanguinem pueri poposcerat, sed ut famulus suus Abraham hoc facto auctior fieret. Diligentes enim se aliquid pati vult, ut juste illos promovere videatur. Nam Jephte homo facinorosus et improvidus, stulta devotione munus Deo promisit dicens, *Quidquid mihi redeunti a cæde occurrerit ante ostia domus meæ, hoc offeram Deo.* Numquid coactus devovit, aut numquid intellexit quomodo deberet votum facere? Quid enim si canis illi aut asinus occurrisset, quod Dominus offerri prohibuit; aut si filius alienus, aut si uxor, ut in dolore alieno exsultans redderet votum? Idcirco improvidæ menti quod in alienam perniciem devoverat, in illum ipsum Judicio divino retortum est : et usque adeo insensatus fuit Jephte, ut nec postea stulte se devovisse cognosceret, ut error ejus qui ab ipso cœperat, per ipsum emendaretur. Intelligere enim debuit Deum non tali sacrificio delectari, et rogare pro stultitia sua, et aliud offerre quod contra Legem non esset : sed fidelem se præstitit factus parricida, cum constet fidem stultam non solum minime prodesse, sed obesse. In causa itaque filiæ suæ ipse mactatus est, unde et Deus a tali sacrificio dissimulavit. Si enim hoc prohibuisset, aliud offerre sibi illum voluisse videretur, cum sciret ut indignum non debere illum offerre. Filia autem ejus lucrum fecit : quia enim innocens in malis patris mortua est, pœna caruit inferi; quod diu forte vivendo adipisci nequisset. Ut autem triumphus victoriæ Jephte prosequeretur, non meritum ejus fecit, neque populi : nec enim legitur supplices illos fuisse Deo, ut daret eis defensorem. Aut numquid ipsum Jephte Dominus misit, aut allocutus est? Sed quia Allophyli deos suos laudabant, quasi qui subjectos illis fecerant filios Israel, vituperantes Deum Abrahæ; idcirco propter honorem nominis sui Deus vindicavit in Allophylos, si non propter istos vel propter meritum Abrahæ et suum culmen. Aut numquid quia spiritus Domini insiliit in Samsonem meretricantem (*Judic.* xiv, 6, 19; xv, 14), dignus dicetur, cum hoc factum intelligatur ad Allophylorum perniciem?

XLIV (*a*). — Quomodo ostendi posset ex Prophetarum testimonio jam in Novo Testamento a gentibus recepto, promissionem quam Deus Abrahæ fecerat, per Christi adventum esse completam?

Scriptum est in Isaia propheta, *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus* (*Isai.* lvi, 7). Sed forte dicant Judæi, Domus Dei, id est synagoga, omnibus patet. Nec renitimur; ita tamen ut, sicut semper, circumcisi applicentur ad Legem. Lex enim eorum est qua jussi sunt more Abrahæ circumcidi. Nihil ergo novum hoc exemplo prophetæ poterit videri; quia ex quacumque gente quis veniens, non est prohibitus adjungere se Legi ab exordio Judaismi. Nihil novum a propheta dictum poterit æstimari; imo superflue, si semper admissi sunt servire Gentiles Deo Abrahæ, nec aliquando prohibiti inveniuntur. Et verum est, quia subjicientes se Legi, nunquam non suscepti probantur. Si igitur hæc ita sunt, superflue videtur admonuisse propheta, quod semel traditum custoditum est semper. Et an quis tam hebes poterit inveniri, qui dicat tantum prophetam rem superfluam et inanem locutum? Nescio cui hoc tutum sit vel audire et non prohibere. Nam cum Judaicus utique populus propter peccata, quæ in Deum delinquebant, ab idolis suffragia requirentes, a Prophetis sæpe correpti, pœnitentiæ iter ingredi nollent, ut reverterentur ad Deum; ad exprobrationem illorum domum suam Deus aperturum se omnibus gentibus ad orandum significavit, ut abdicatis Judæis, alios in loco illorum positurum se ostenderet. Nam si semper admissæ sunt gentes ad Legem, sicut supra dictum est, quomodo hoc propheta dicebat futurum, nisi quia aliud significavit quam præceptum erat prius? Non enim posset dicere de re quæ quotidie fiebat, quia futura erat. Unde manifestum est istud ad necem proficere Judæorum, quibus ostendit prophetia, quod alii his amotis vocandi essent, ac recepturi domum gratiæ Dei, quod promissum fuerat Judæis. Quid sit autem promissum, Isaias propheta docet, dicens, *Veniet ex Sion qui eripiet et avertet impietatem ab Jacob; et hoc illis a me testamentum* (*Isai.* lix, 20, 21). Igitur hoc testamentum est abolitio peccatorum. Hoc est testamentum Novum, quod promissum est per Jeremiam dicentem, *Ecce venient dies, dicit Dominus, et consummabo domui Israel et domui Juda Testamentum novum, non secundum Testamentum quod disposui patribus illorum in die, qua apprehendi manum illorum, ut educerem illos de terra Ægypti : quia ipsi non permanserunt in Testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus* (*Jerem.* xxxi, 31, 32). Hæc est prævaricatio illorum, quando simulacrum vituli fecerunt, tunc Testamentum ejus corruperunt. Unde et tabulæ in quibus data Lex fuerat, sub monte confractæ sunt (*Exod.* xxxii, 4, 19), ex eo quod graviora præcepta meruerunt accipere. Sed quia clemens et misericors Deus est, promisit per Prophetas mutare se Legem, ut aliud Testamentum

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis inter post vulgatas Veter. Test. septima.

(*b*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.

(*a*) Adversum Judæos. Hæc deest in Mss. secundi generis.

daret, quod differret ab eo quod dederat prius : ut non solum quod grave erat mutaretur, sed et illa quæ in figura data erant, id est, sabbatum et circumcisio : ut quia diu pressi erant, per omnia relevati supplices Deo gratias agerent. Et quia in prævaricatione paterna durantes animos ab idolis avertere noluerunt; gentes cum residuis qui fidem servaverunt, Testamento frui quod futurum dixerat, contestatur : ut duplici modo gravati excruciarentur perfidi Judæi. Et ad tempus enim gravati sunt præceptis, et in futurum congruas pœnas exsolvent, quia neque in Veteri, neque in Novo Testamento fideles inventi sunt. Novum ergo Testamentum dare se dixit, ut cessaret Vetus, quod datum erat Patribus. Ac per hoc qui in hoc Testamento servit Deo, neque sabbatum, neque neomenias, neque circumcisionem custodit, neque escarum discretiones; sed tantum Dei habet timorem in fide : quia non ex Lege justificabitur, sed ex fide, dicente Habacuc propheta, *Quia justus ex fide vivet* (*Habac.* II, 4) : ut non utique jam multis utatur præceptis ad Deum promerendum, sed paucis : Isaia iterum de hoc sensu eadem dicente; ait enim, *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ eorum salvæ fient. Verbum enim consummans et brevians in æquitate, quia verbum breviatum faciet Dominus in universo orbe* (*Isai.* X, 22, 23). Reliquis qui in fide promissionis perseveraverint, cæteris diffidentibus, breviatum Legis verbum ostendit : hoc est Novum Testamentum quod promisit. Quod non aliter Testamentum diceretur, nisi simili modo etiam hoc sanguinis testimonio firmaretur; sicut et Testamentum Vetus, ut nomen unum sit utriusque : sed in Veteri multa, in novo autem pauca sint præcepta, sicut promisit. Ut quia Abraham patrem multarum gentium futurum dixerat (*Gen.* XVII, 4, 5), eodem modo justificarentur et filii, sicut fuerat justificatus et pater : ut cessantibus quæ post fidem Abrahæ cœperant, suscipientes fidem per quam justificatus est idem Abraham, filii essent Abrahæ, sicut dictum est a Domino. Quod quidem nec mirum nec inauditum est, ut sine cura sabbati et circumcisione et reliquis hujusmodi mandatis justificentur homines. Nec enim per hoc placuit Deo Enoch, ut transferretur, neque, Noe hoc servando in diluvio solus inventus est justus, neque ipse Abraham postquam circumcisus est, justificatus est : *Credidit*, inquit, *Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Hebr.* XI, 5, 7, 8; *Rom.* IV, 3). Tunc circumcisus est, ut signum esset in eo, quia credidit cum senior esset, filium se habiturum. Non ergo circumcisio commendat Abraham, sed fides. Ideoque credentibus sufficit fides ad justificationem, ut filii sint Abrahæ in fide, non in circumcisione, quia his non est opus circumcisione. Non enim hoc creditur, quod credidit Abraham. Judæi autem idcirco jussi sunt circumcidi, ut fidei Abrahæ signum haberent, non suæ fidei, sed ut filii ejus secundum carnem scirentur : si autem credant, erunt filii ejus et in justificatione. Quid enim prodest dici filium potentis eum qui impotens sit, nisi quia magis obest? Dedecus est enim, inclyti et gloriosi filium esse sine honore. Nam in tantum circumcisio carnis nullius meriti est, ut vindicaturum se dicat Deus per Jeremiam prophetam in omnes circumcisos præputio, si non fuerint circumcisi corde (*Jerem.* IV, 4). Illis autem non indignatur, qui circumcisi corde præputiati sunt carne, quia nemo sine cordis circumcisione placuit Deo. Quicumque ergo circumcisi sunt carne, genus significant Abrahæ juxta carnem; nam qui circumcisi sunt corde, significant genus Dei secundum fidem, quia circumcisi omni mundano errore Deum profitentur parentem. Quid ergo prodest carnis circumcisio, si cum fides defuerit in Judæo, ad meritum Abrahæ pervenire non poterit? Aut quid obest præputium, cum nemo, nisi qui æmulus fuerit fidei Abrahæ, pervenit ad justitiam ejus? Superflue igitur gloriantur de carnis circumcisione, cum videant illam apud Deum meritum non habere. Et si, sicut est ostensum, melius est fidem habere, quam circumcisionem, meliores sunt Gentiles Judæis; quia isti fidem habent, Judæi circumcisionem. Et quos putas magis agnoscat filios Abraham; qui juxta carnem similes illi sunt, an qui in fide? Sed Abrahæ fides testimonium perhibet, Ac per hoc non in carne, sed in fide gloriatur. Ideoque istos in filios suscepit, quos videt imitatores esse gloriæ suæ. Quomodo enim illos potest appellare filios, a quibus videt abhorrere unde placuit Deo et justificatus est? Non ergo filios suos, sed inimicos poterit judicare. Invidi enim ejus videntur spernentes fidem, per quam glorificatus est. Nec mirum si Judæi diffidentes deprehendantur minime suscipientes Novum Testamentum, cum sciamus illos nec in Veteri fuisse fideles. Semper enim contra Deum rebelles et contumeliosi fuerunt, unde talia præcepta acceperunt, per quæ cervices illorum, quæ inflexibiles erant, premerentur. Nunquam enim bona de Deo sperare voluerunt, cujus tanta beneficia et virtutes tam mirandas agnoverant. Hinc est unde inter cætera dicit Ezechiel propheta, *Levavi manum meam in deserto inter eos, ut dispergerentur inter gentes, et disseminarentur in regionibus, eo quod justificationes meas non fecerunt, et præcepta mea repulerunt.* Et in subjectis, *Ego dedi illis præcepta non bona, et justificationes meas, in quibus non vivent in eis* (*Ezech.* XX, 23-25). Ostendit qua causa data sint illis præcepta tanta et tam aspera, ut quia ingrati tantis bonis exstiterunt, dictante justitia, præceptis severioribus premerentur. Idcirco non bona ea dixit, cum justa sint : quia non illis ad justificationem proficiebant, sed ad exitium; et pœna licet digne illata, patienti tamen bona non est. Post hæc tamen, quia pius est Deus, Novum Testamentum daturum se promisit, in quo abbreviatio facta Legis justificaret credentes, sicut justificatus est Abraham : ut cessantibus neomeniis et sabbato et circumcisione et cæteris præceptis, non quæ naturalis legis sunt, id est, homicidium, adulterium, et talia; ita justificarentur, sicut Abraham. Renovata enim fide Abrahæ, omnia voluit cessare, ut tale tempus esset, quale fuerat quando credidit Abraham. Sed forte dicant Judæi : Si ea quæ a Moyse data sunt, cessare dicta sunt per abbreviationem Legis, numquid circumcisio a Moyse data est ut cesset? Ac per hoc signum patris nostri habemus, quia sumus filii Abrahæ, quod propter testimonium generis cessare non debet. Tempore quidem suo servanda fuit circumcisio, id est, antequam Novum Testamentum daretur, quod promissum erat. At ubi Dei gratia præstante, onera Legis cessare jussa sunt, quid opus est circumcidi? Idcirco autem nova Lex data est, id est spiritualis, ut cessarent carnalia, et suscipientes eam signum ejus acciperent : ut sicut in Veteri Testamento Abrahæ signum habuerunt, ex quo cœpit Testamentum Vetus; ita et in Novo signum habeant Salvatoris, qui Novi Testamenti constitutor est. Quemadmodum enim ex Abraham Hebræi dicti sunt, sic et ex Christo Christiani dicuntur. Quicumque ergo adhuc Hebræi dicuntur, Novum Testamentum quod promisit Deus, non receperunt, beneficium et misericordiam Dei in irritum deducentes : qui populum suum jam non hominis nomine volens censeri, sub Filii sui nomine constituere illos dignatus est. Qua igitur audacia dicunt Judæi, non nostra nos lege uti, sed sua; cum dicat David, *Confitebor tibi in gentibus* (*Psal.* XVII, 50); et iterum, *Epulamini, gentes, cum populo ejus?* Et ad Jeremiam prophetam dicit Dominus, *Priusquam te formarem in utero, novi te : et antequam exires de vulva, sanctificavi te; et prophetam in gentibus posui te* (*Jerem.* I, 5). Judaismus certe proprias habet significationes : aut enim populus iste in Jacob significatur, aut in Samaria, aut in Jerusalem, aut in Judæa, aut in Israel. De gentibus autem apertum est, quia aliter illos significat, quam sunt Judæi. Noster ergo propheta est Jeremias. Quamvis enim in omnibus Prophetis gentes participes doni sui

ostenderit Deus, ad Jeremiam tamen specialiter dicit, quia nobis illum dedit prophetam. Hic enim Novum Testamentum futurum significavit, quod plus gentibus profeceret quam Judæis, quod nunc declaratum videtur. Cum enim in universa terra Novi Testamenti sit prædicatio; tam raro et difficile Juæus fidelis invenitur, ut omnes Ecclesiæ Novi Testamenti, gentium nominentur, sicut dictum erat in Osee propheta, *Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam* (*Osee* II, 24; *Rom.* IX, 25). Repulsis ergo Judæis, convocat gentes ea misericordia et gratia, qua vocare dignatus est et Abraham. Nec enim Abraham non vocatus cognovit Dominum. Itaque qui dignatus est Abraham, idem ipse dignatus est gentes. Cur ergo dicunt, Nostra est Lex; cum manifestum sit, donum Dei omnium esse volentium? Cesset itaque ista usurpationis temeritas, quia gratia Dei communis est omnibus. Quo namque pudore negant Christum nostrum in Lege promissum, cum videant omnia signa in eo, quæ Lex futura prædixerat? Quia et secundum Abrahæ promissionem omnes gentes justificantur, in eum credentes (*Gen.* XXII, 18); et secundum Isaiam prophetam de Virgine natus est (*Isai.* VII, 14) in Bethlehem ex tribu Juda, sicut fuit promissum, ex semine David (*Michææ* V, 2); et juxta quod Jeremias prophetavit (*Jerem.* XXXI, 31, 32), Novum Testamentum, quod Deus tunc promiserat futurum, prædicavit; et post omnia signa virtutum ostensa, humiliavit se, secundum dicta Prophetarum; et omnia quæ prædicta sunt, passus, tertia die resurrexit, quemadmodum scriptum est in propheta. Et si tempus promissionis requirant, sicut in Daniele propheta ostensum est (*Dan.* IX, 24, sqq.), invenient impletum tempore quo natus et passus est Christus: quia a tempore primi anni Darii regis Persarum usque ad nativitatem et passionem Domini et excidium Jerusalem, quod factum est per Vespasianum imperii Romani principem, impletæ sunt hebdomadæ septuaginta, quæ sunt anni quadringenti nonaginta, qui computus per regna et per successores imperii manifestus est. Quomodo etiam a Tertulliano computatum invenitur in libro quem scripsit adversus Judæos, quod ne ad injuriam ejus proficeret, quia recte computavit, prætermisimus. Et quis ambigat de hoc numero, cum trecenti circiter anni nunc super hunc numerum inveniantur? Impudentis ergo est post tantum superadditum numerum adventui Salvatoris, dicere, Non venit, Sub Apostolis enim, aut tempore quo agebat Dominus inter homines, se poterat occultare malitia contradicens veritati; ut cum omnia signa promissi Christi videret in Salvatore, de tempore tamen ambigere se diceret, ut perfidiam suam celaret. Post autem, cum super promissum numerum supercrescere multi anni cœperunt, quæ impudentia est negare venisse, quod etiam et signis et temporibus adimpletum scitur? Nam quando aliquid plenum est, et non superabundat, potest contentiosus aliquis dicere non esse plenum, sed superabundantia clauditur os contentioso: ita et Judæi tempore Salvatoris potuerunt dicere, licet per fallaciam, non bene computatum a Darii tempore usque ad Dominum Christum, ut ipse dicatur esse qui promissus est. Fallimur enim in annis et in mensibus et in diebus Imperatorum, et ad liquidum non colligimus. Ubi autem creverint tempora super numerum præscriptum annorum promissi Christi, nulla potest prætendi excusatio, ut non ipse esse Christus dicatur, qui venit, nisi, quod absit, mentitus dicatur esse qui promisit. Quando enim tempus promissionis emensum est, et negatur venisse qui promissus est quid aliud quam mendacii arguitur qui promisit? Sed veracem esse qui promisit, signa omnia docent, quæ prædicta in Christo sunt, et reperta in Christo noscuntur. Judæi autem, dum emendare erubescunt, non cogitant futurum judicium. Nihil enim pejus est, quam si neget quis verum esse, quod intelligit non esse mendacium.

XLV.— (*a*) Quomodo homo ad imaginem Dei factus sit, et utrum ad dominationem, et an mulier quoque?

Faciamus, inquit, *hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Hoc quibusdam ex alia parte lectionis intelligendum esse videtur; ex hac videlicet, in qua legimus dixisse Deum, *Venite, descendamus, et confundamus linguas eorum* (*Id.* XI, 7). Quia quantum in superficie videtur, simile est: unius enim vox est, plurali numero loquentis: sed discrepat sensu, quia et dissimilis ratio est. Illic enim de creando homine dicit, quem ad imaginem et similitudinem suam Deus vult creari. Illud autem quod dicit, *Venite, descendamus et confundamus linguas eorum*, ad hoc pertinet, ne se intelligerent homines: unde ad Angelos potest videri locutus Deus, quasi imperator ad exercitum. Communiter enim dicit, quia facturus erat per illos, utpote Creator illorum: ac per hoc, *Confundamus*, inquit, *linguas eorum*. Nam cum dicit, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, non potest dici Angelis locutus; quia non potest dici una esse imago Dei et Angelorum, sicut imperatoris et comitum. Quia quorum imago est una, non potest dissimilis esse dignitas vel natura. Denique adjecit, *Et fecit*, inquit, *Deus hominem; ad imaginem Dei fecit eum* (*Id.* I, 27): ut Deus dixerit, et Deus fecerit; non alter deus aut differens, sed idem Deus. Quod enim unus ad unum dixit, non aliam naturam significavit, sed personam. Cum enim Deus unus sit, tres tamen personæ sunt: et ideo unus est Deus, quia sive in Filio, sive in Spiritu sancto, Dei unius substantia est; quia non potest non hoc esse, quod de ipsa est, quod ipse est. Dei ergo Patris persona est dicentis, *Faciamus;* Filii vero facientis hominem ad imaginem Dei; sive ad Patris, sive ad suam, nihil interest, quia utriusque una imago est. Fecit autem Filius per Spiritum sanctum. Sicut enim Pater per Filium dicitur facere, ita et Filius per Spiritum sanctum, ipso dicente, quia *ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia* (*Matth.* XII, 28). Igitur una trium imago est; quia sive Pater, sive Filius, sive Spiritus sanctus, unus est Deus. Ac per hoc unus factus est homo ad unius Dei imaginem. In eo autem imago Dei est homo, ut sicut unus est Deus in cœlis, ex quo omnia subsistunt spiritualia; ita unus esset in terris homo, ex quo cæteri haberent carnalem originem. Aliquibus tamen videtur, quia in dominatione Dei imago est factus homo; et quia dicit, *Et dominetur piscium maris, et volatilium cœli, et totius terræ:* cum non solum viro, sed et mulieri ista cernantur subjecta, quam constat Dei imaginem non habere. Quod quidem duplici modo caret ratione: per hoc enim neque ad Filium dixisse Deus asseritur, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, sed ad dominationes cœlestes, quas Apostolus commemorat, si imaginem Dei homo in dominatione habet; et mulieri datur, ut et ipsa imago Dei sit, quod absurdum est. Quomodo enim potest de muliere dici, quia imago Dei est, quam constat dominio viri subjectam, et nullam auctoritatem habere? Nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dicere, neque judicare: quanto magis non potest imperare?

XLVI (*b*). — Utrum Samuel fuerit de filiis Aaron, et utrum sacerdos fuisse existimandus sit?

Sunt quidam inter nos, qui partim negotiis sæcularibus occupati, partim minus studiosi circa Scripturas sacras, errorem patiuntur, putantes Samuelem sacerdotem fuisse, id est, ex Aaron habere originem: ex cujus progenie constituit Dominus Deus nasci, non fieri sacerdotes. Nec alicui præter filios ejus concessum est, ut poneret in altare incensum. Ex quibus aliqui plus errantes, negant quidem Samuelem de genere fuisse Aaron; hoc est, non illum dicunt na-

(*a*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.
(*b*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.

tum sacerdotem, et nihilominus sacerdotio illum asserunt functum. Quibus prius respondendum est. Pejus enim est negare Samuelem natum fuisse sacerdotem, et tamen asserere illum functum esse sacerdotio, quam dicere sacerdotem illum fuisse ex filiis Aaron. Hic enim ignorantia est, illic stultitia. Cum enim didicerint, qui illum putant natum sacerdotem, ex filiis Aaron non esse; manifestum habebunt non illum fuisse sacerdotem : ignari quia non licuit agere alicui sacerdotium, nisi ei qui esset ex semine Aaron. Compertum enim habent; manifestum est enim, quod Chore cum non esset ex filiis Aaron, et voluisset super altare imponere incensum, hiatu terræ absumptus est cum sociis suis (*Num.* XVI, 1-34). Et Ozias rex, cum non utique esset ex semine Aaron, sed ex tribu Judæ, et præsumpsisset agere sacerdotium, stans ante altare, percussus lepra in fronte est, et sic exspiravit (II *Paral*, XXVI, 16-21). Illi autem, qui dicunt Samuelem non natum esse sacerdotem, et nihilominus egisse illum asserunt sacerdotium, satis stultum est quod dicunt : et stulto suadere quod bonum est, laboris est maximi. Quanta enim hebetudine ducuntur, ut sole apparente super terram, dicant quia nox est? Cum enim legant, et non uno loco legant, hoc a Deo esse decretum, ut nemo auderet sacerdotium agere præter Aaron et filios ejus, obstinata mente contendunt, sacerdotem fuisse Samuelem : non enim intelligunt, quia si natus sacerdos non est Samuel, et sacerdotium egit, præsumptor dicitur : quia hoc Deus statuit, ut nascerentur, non fierent sacerdotes. Et de Samuele hoc sentire puto tutum non esse. Quomodo enim posset fieri, ut vir laudabilis et Dei testimonio commendatus hoc ageret, quod inconcessum sciebat? Cujus etiam præsumptionis vindictam pro certo habebat semel et iterum factam. Neque enim Dei judicio potuit ad hoc aspirare, quem immutabilem sciebat : a quo, si forte hoc audisset, tentari se potius credidisset, sciendo Deum nullo modo sententiam suam posse rescindere. Posset enim magis sub Dei apparentia et nomine id agi secum credere, ut circumveniretur a parte adversa, quam judicium suum Deum posse mutare. Denique cum Balaam prohibitus fuisset a Deo, ne iret ad Balach, et postea iterum requisisset, an iret; indignatus ei Deus, ex ore asinæ corripuit eum : quia prohibentem angelum videns asina, cœptum iter implere nolebat (*Num.* XXII, 28). Balaam vero, prohibente Deo ne iret, iterum interrogans, an ire illum vellet; sic de Deo quasi de homine judicavit, qui per id quod impræscius est, varius et mutabilis est. Sed Balaam nullo divino testimonio commendatur; erat enim hariolus. Samuel autem vir Deo charus, et judiciorum ejus sciens fixam esse sententiam, quomodo aliud fieri debere crederet, quam sciebat a Deo esse constitutum? Sed Heli, inquiunt, mortuo, et filiis ejus sacerdotibus, Samuel cœpit agere sacerdotium. Quod nec lectio docet, nec ratio admittit. Hoc enim dicentes, nullum putant tunc fuisse, qui ageret sacerdotium, ut his tribus mortuis, nisi Samuel populi munera obtulisset, sacerdotium agi desiisset. Quæ asseveratio est Dei inimica. His enim Deus improvidus judicatur quasi nescius, cum id statuit, quod permanere non possit. Utquid enim nulli alii quam filiis Aaron sacerdotium agere usque in sæculum statuit, hoc est, usque ad tempora adventus Christi, si hoc deficere sciebat? Si autem nescivit, quod absit, improvidus fuit : et ideo fieri potuit, ut nec Samuel fuerit, illis deficientibus, sacerdos. Si autem providus et præscius Deus est, permansit quod statuit : et si permansit quod statuit, Samuel non egit sacerdotium, qui Dei non erat sacerdos. In Veteri enim Lege nasci decrevit Deus sacerdotes, in Nova vero fieri Dominus jussit sacerdotes. Eligant nunc unum e duobus; aut natum probent Samuelem sacerdotem, aut factum. Sed consentiunt non illum natum esse sacerdotem, quia sciunt illum non esse ex filiis Aaron. Si ergo natus non est sacerdos Samuel, factus autem non legitur, nec probatur, quia nec statuerat Deus fieri sacerdotes; in absoluto est, Samuelem minime fuisse sacerdotem. Sed contradictores clausis oculis, Si sacerdos, inquiunt, non fuit, vicem tamen egit sacerdotis; quoniam legitur Deo sacrificium obtulisse. Quis audeat negare quod scriptum probatur (I *Reg.* VII, 9)? Obtulit enim Deo sacrificium Samuel, sed non inde vicem sacerdotis egisse cognoscitur. Ipse enim semper dicitur offerre, cujus oblationes sunt, quas super altare imponit sacerdos. Et Saül obtulit hoc utique genere, id est, per sacerdotem, sicut et nunc offertur; et David obtulit, et Salomon obtulit, et cæteri similiter obtulerunt : numquid omnes vicem sacedotis egerunt? Quamvis enim proprio sacerdos fungatur officio, ille tamen offerre dicitur, cujus nomine agit sacerdos. Ipsi enim imputatur, cujus munera offeruntur. Et qui non fuit sacerdos, quomodo vicem agere poterat sacerdotis? Numquid diaconus potest vicem gerere sacerdotis? Præfectus etenim potest agere vicem præfecti, et prætor prætoris; non tamen privatus potest agere vicem potestatis alicujus : quanto magis sacerdotis vicem agere non potest, qui non est sacerdos? Quo enim consilio ad hoc aspirare audeat, quod sibi scit non licere? Nam si sacerdos alicubi desit, potest alterius loci sacerdos rogatus venire, et vicem ejus agere; non tamen propheta, quamvis sanctæ vitæ sit, agere potest quod scit sibi minime esse concessum. Aliud enim est bene vivere, et aliud potestatem alicujus officii accipere. Sicut enim qui sacerdos est, non ex eo vitam suam commendatam putare debet; ita et qui sanctæ conversationis et vitæ est, non jam ex eo sibi sacerdotium vindicare debebit. Quamvis enim bonum sit sacerdotium, tamen malum erit ei, cui concessum non est, et præsumit. Nam si respiciamus quod scriptum est de sancto Samuele, videbimus quale testimonium det ei Scriptura, dicens, *Et innotuit*, inquit, *omni populo, quoniam fidelis est Samuel propheta Domino* (*Id.* III, 20). Et in Psalmo, *Fiant*, inquit, *Moyses et Aaron in sacerdotes ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus* (*Psal.* XCVIII, 6). Quis non advertat ex hac distinctione divisas esse personas dignitatum causa, ut Moyses et Aaron sacerdotalem dignitatem adepti noscantur; Samuel vero inter prophetas Deo dignus exstitisse habeatur, qui precibus Deum invocabant ad protegendum populum suum, sicut legitur? In tantum autem sacerdotes minime defuisse probantur, ut revocata arca ab Allophylis, bajulis Levitis, viri Bethsamis obtulerint Deo sacrificia absente Samuele. Rege autem facto Saüle, Achimaas erat pronepos Heli sacerdotis, qui portabat ephod. Sed hinc, inquiunt, videtur sacerdos fuisse Samuel, quia vestitus erat ephod. Quasi non hodie diaconi dalmaticis induantur, sicut episcopi. Ephod autem etiam David legimus fuisse indutum, et duplicem ephod (II *Reg.* VI, 14). Samuel autem adhuc puerulus, succinctus erat ephod (I *Reg.* II, 18) : numquid puerulus potuit Deo munera populi offerre? Vides ergo, quia ephod unum quidem nomen est, sed non unam rem semper significat. Sacerdotes enim portabant, non vestiebantur ephod; reges vero et levita Samuel induebantur ephod. Aliquando ergo vestis, aliquando quasi armariolum [1], quod portabant sacerdotes ad interrogandum Dominum, significatur ephod. Quantum apparet, probatum est Samuelem non sacerdotem, sed prophetam fuisse : nunc his respondemus, qui ignorantes quia Samuel non est de filiis Aaron sacerdotis, æstimant illum sacerdotem fuisse; nec enim fas erat, ut de origine Aaron descendens, sacerdos non esset. Quos primum volo cognoscere, quia si sacerdos erat Samuel, sine dubio et Helcana pater ejus sacerdos fuit : congruum quoque fuerat et filios ejus sacerdotes fuisse : quos, quia sacerdotes non erant, judices illos constituit filiis Israel (*Id.* VIII, 1), sicuti et idem ipse erat Samuel. Sic enim legimus, quia judicavit filios Israel. Helcana autem pater Samuelis, propter quod sacerdos non erat, *Ascendebat,*

[1] Ms. Colbert., *armiliolum*.

inquit, *ex diebus in dies de civitate sua Ramathaim adorare et sacrificare Deo omnipotenti sabaoth : et ibi erat Heli et duo filii ejus, Ophni et Phinees sacerdotes Domini* (I *Reg.* I, 3). Quid tam apertum, quia veniebat Helcana offerre munera sua ante Dominum per sacerdotes tempore competenti, secundum quod statuerat Moyses, ut tribus temporibus anni offerrent munera et decimas suas, ubi fuisset arca Domini et sacerdotes ? Quippe cum et duas uxores habuerit tempore uno, quod illicitum est sacerdotibus. Erat enim Helcana ex Levitis, sicut generationum ordo se continet in libro Paralipomenon (*Paralip.* VI, 33). Adhuc enim Levitæ non erant habentes ordinem constitutum ministerii circa sacerdotes et arcam Domini. David enim in regno suo disposuit vices sacerdotibus et Levitis, ut a viginti annis et supra, in Lege autem a viginti quinque annis et supra, inciperent exhibere servitia dominicis cærimoniis, ut essent de filiis Aaron, id est de Phinees et Thamar traduce, classes sacerdotum viginti quatuor, quæ vices suas agerent certis temporibus. Levitæ autem constituti sunt, qui essent tabernaculi janitores, et qui bajuli arcæ Domini, et qui excubias observarent, et qui vasorum essent custodes, et qui promiscuas susciperent oblationes. Et viginti quatuor classes institutæ sunt cantantium et citharizantium et musicorum cæterorum, ita ut etiam hi, id est, omnes Levitæ haberent temporum vices : quia necesse erat eos et otium habere, ut et domorum suarum agerent curam. Et non solum hæc proficiunt ad causam supra dictam, quoniam Samuel non fuit de filiis Aaron ; sed et illud quod dicit mater ejus ad Dominum, quia *Si mihi*, inquit, *dederis filium, commodo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ* (I *Reg.* I, 11). Non hoc diceret, si natus esset sacerdos, oportebat enim illum servire altari ; sed quia Levita erat, et adhuc lex Levitis non erat posita, sed unusquisque pro voluntate sua agebat, ita ut oberrantes illicita præsumerent. Jonatha enim filius filii Moysi, cum inter Levitas deputatus esset, sacerdotium agere præsumpsit tribui Dan. Ac per hoc legimus in libro Judicum, *Quia unusquisque*, inquit, *placita sibi faciebat, eo quod non esset rex in Israel* (*Judic.* XVII, 6). Idcirco vovit Anna dicens, *Commodo eum Domino :* ne cum cæteris oberraret. Et ut plenius quæstio discuti possit, etiam illud tractemus, quod dictum est de Helcana, quia *veniebat ex diebus in dies offerre munera sua, et decimas :* quomodo decimas offerebat, qui nihil possidebat? Levitæ enim non acceperunt agros ; quia de decimis, quæ a plebe dantur, victum quærebant. Sed potest fieri, et sic datur intelligi, quia potuit habere possessionem uxoris suæ, aut emptam : quia de aliis tribubus accipiebant uxores, non solum hi, sed et cæteri ; ita ut et sacerdotes acciperent de aliis tribubus uxores. Nam Joiade sacerdos magnus uxorem duxit de tribu Juda filiam regis Joram (II *Paral.* XXII, 11).

XLVII (*a*). — Quomodo hoc quod in Isaia dicitur, *Et apprehendent septem mulieres*, etc. (*Isai.* IV, 1), septem Ecclesiæ catholicæ significentur ?

Et apprehendent, inquit, *septem mulieres unum hominem, dicentes, Panem nostrum manducabimus, et vestimentis nostris operiemur : verumtamen invocetur super nos nomen tuum, aufer opprobrium nostrum.* In absoluto est, per septem mulieres septem Ecclesias esse significatas : quamvis enim una sit, sed septiformis dicitur, ut corpus unum septemplici numero constet membrorum : non solum enim nos, sed et superni cives Ecclesiæ membra sunt, cujus caput Christus est (*Ephes.* V, 23). Sive igitur una, sive septem dicantur Ecclesiæ, non discrepat. Una enim dicitur, quia unum habet caput, quod est Christus ; septem autem ideo, quia sicut membra diversa sunt ; ita et potentiæ spirituales, inter quas et nos deputamur, diversæ sunt virtutes, propter quod et aeriæ [1] dicuntur. Idcirco enim diversæ sunt, ut non omnia singulæ possint, sed simul omnes corpus sint Christi : quia ipse est caput corporis Ecclesiæ (*Coloss.* I, 18), ex quo totum corpus subsistit, id est ex quo omnia in cœlis et in terra habent originem. In hac ergo quæ in terris est Ecclesia, omnium Ecclesiarum facta est mentio : quia cum huic sacramentum Creatoris prædicatur, etiam cœlestibus hujusmodi intimatur doctrina. Inferioribus enim cum insinuatur, necesse est ut audiant et superni. Unde Apostolus, Mihi, inquit, minimo omnium sanctorum data est hæc gratia, inter gentes evangelizare incomprehensibiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispositio ministerii absconditi a sæculis in Deo, qui universa creavit, ut innotesceret principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei (*Ibid.* 23, sqq.). Per hanc ergo Ecclesiam superni docentur, quia *Veritas*, ait, *de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV, 12). Ut enim mentio superiorum fiat, hic septem Ecclesiæ nuncupantur in una plebe, quas septem Ecclesias supplices propheta inducit Salvatori facto homini. Intellexerunt enim ad hoc natum esse Christum, ut auferret opprobrium, primum quidem sub Lege sua agentium, deinde cæterorum. Habebant autem in memoria, scriptum esse, *Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem ab Jacob* (*Isai.* LIX, 20). Hæ ergo septem Ecclesiæ apprehenderunt hominem unum, id est, natum Christum, dicentes, *Panem nostrum manducabimus, et vestimentis nostris operiemur : verumtamen invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.* Quid est hoc quod precantur? Si enim pane proprio utuntur, et vestimentis suis induuntur, id est, et vivunt, et nudæ non sunt, quid eis deest? Si enim panis ad vitam significatur, et vestitus ad Dei induitionem [1], quia qui sine Deo est, nudus dicitur; unde Apostolus, *Qui in Christo*, ait, *baptizati estis, Christum induistis* (*Galat.* III, 27) ; et iterum, *Si exspoliati*, inquit, *non nudi inveniamur* (II *Cor.* V, 3) ; quid est quod poscunt ut auferatur ab eis opprobrium ; nisi quia hic populus significatur in septem Ecclesiarum numero, qui sub Lege agens Christum exspectabat promissum ad abolenda peccata? Ideo dicunt, *Panem nostrum manducabimus*, hoc est, verbis Legis quæ unum tradunt Deum, pascemur : quia non in pane tantum vivit homo, sed in omni verbo Dei (*Deut.* VIII, 3 ; *Matth.* IV, 4). *Et vestimentis nostris operiemur*, id est, Creatoris nostri nomine censebimur : quia hoc unusquisque indutus dicitur, quod et est et profitetur. Denique senatores vel officiales ex vestibus intelliguntur quid sint. Sed quia hæc satis non faciunt ad Deum promerendum, hoc etiam statuit, ut per sacramentum cognitionis unius Dei, hæres esset homo regni cœlorum. Per fidem enim peccatis ablutus, et a morte secunda (quæ ex sententia data in Adam, homines apud inferos detinebat) alienus, nullo detinente, pergit in paradisum Dei Patris, in quo dixit latroni Dominus, quod secum esset futurus (*Luc.* XXIII, 43). Quamvis enim populus supradictus, qui per septem Ecclesias significatus est, sub Dei lege esset, et devotione tam proprii [2], quam paterni delicti, *Quia omnes*, inquit, *peccaverunt, et egent gloria Dei* (*Rom.* III, 23) ; idcirco orant supra memoratæ Ecclesiæ, ut auferatur opprobrium earum invocatione nominis Christi : quia qui signum ejus habent quo vicit mortem, ab inimico teneri non possunt. Et non solum istæ Ecclesiæ Christi nomen super se invocari precantur, sed et supernæ spirituales in cœlestibus degentes. Quanquam enim spirituales sint et cœlestes potentiæ, opprobrio tamen subjacent, si a Creatore suo fuerint alienæ, et nec membra erunt corporis, quæ caput suum non cognoscentes oberrant. Et quia aliud non est quam explanavimus, in subjectis propheta testatur dicens, *In illa autem die illuminabit Deus in consilio super ter-*

[1] Ms. Colbert., *egere*.
(*a*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.

[1] Ms. Colbert., *devotionem*.
[2] Ms. Colbert., *et devotione a mundi ipsius origine induebatur tunc purificatione tam proprii*, etc.

ram. Et adjecit, *Quoniam abluet Dominus*, inquit, *sordes filiorum et filiarum, et sanguinem purgabit de medio eorum* (*Isai*. IV, 2, *sec*. LXX). Quid tam evidens, quam in illo die, id est quo promissum Dei adimpletum est, et fidei sacramentum declaratum est hominibus, illuminati sunt, ut per Creatoris cognitionem purificati, qui rei fuerant mortis, fierent æternæ vitæ hæredes? Promiscue igitur propheta locutus est, ut omnes dono Dei indigere significaret, ut sive peccatores, sive justi, Dei misericordiam exspectasse noscerentur: peccatores propter delicta propria, ut de faucibus mortis eriperentur; justi vero paterno absoluti peccato, deleta sententia data in Adam, per quam cuncti tenebantur a morte, libertate accepta Dei regnum intrarent, facti jam non servi, sed filii Dei.

QUÆSTIONES
EX NOVO TESTAMENTO.

XLVIII. — Deus certe perfectio est et nullius egens; quid ergo opus fuit Christo Salvatori ut nasceretur de Deo, et Filium haberet Deus per quem omnia faceret?

Cum ea quæ non erant Deus voluisset existere, et majestatis suæ minime hoc condignum opus sciret; prius de se, cum sit natura simplex et incorporeus, Filium generavit [1], qui nihil ab eo distaret, ut magnitudini suæ congruus responderet effectus. Quid enim ultra posset facere, quam ut ex se alterum, qui perfectus est, generaret? Hoc ergo perfectum opus est, quo nihil possit aliud videri præstantius. [Cætera enim omnia minora sunt: quanto enim excellentior his omnibus Christus est, tanto magis creatio illorum inferior est generatione ejus. Est et aliud [2]:] Deus enim ex quo sunt omnia, volens condere creaturam, Verbum prius quod in mysterio apud se habebat, generavit, hoc est fecit existere. Quod Verbum idcirco Filium nuncupavit, ut ostenderet de se illum exstitisse, et esse sibi consubstantivum: ut lex, qua filii de parentibus sunt, hoc credibile faceret, per quod manifestaret creaturæ mysterium, quod latuit in eo ex æterno.

XLIX. — Cur Salvator cum sanctus natus sit, et Christus Dominus in ipsa nativitate appellatus, baptizatus est; cum baptisma purificationis causa sit, et peccati (*Luc*. II, 11; *Matth*. III, 16)?

Verum et manifestum est Salvatorem non eguisse baptismo; quia Christus non factus sed natus est, dicente angelo pastoribus, *Ecce natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus*. Denique sciens Joannes sanctitatem ejus, prohibuit eum a baptismo: Salvator vero instituit fieri oportere; non utique propter peccatum suum, sed propter implendam justitiam. Dignum enim erat, ut ipse exemplo esset futuris filiis Dei qui per Baptismum filios Dei fieri docebat: et qui credentibus Spiritum sanctum a Deo dari promittebat, debuit istud in semetipso visibiliter demonstrare, quo comperto credentes invisibiliter se posse Spiritum sanctum habere sperarent. Nam Salvator utique, cum de Spiritu sancto nasceretur, purificatum corpus habuit. Unctio enim carni ejus spiritualiter in utero Virginis data est. Spiritus enim sanctus purificavit quod de Maria virgine in corpus Salvatoris profecit: et hæc est unctio carnis corporis Salvatoris. Quare et natus Christus est appellatus. Quod enim per olei unctionem præstabat Deus ministerio Prophetarum iis, qui in reges ungebantur, hoc præstitit Spiritus sanctus homini Christo, addita expiatione. Quia anteriores Christi solam potestatem imperii accipiebant per unctionem; Salvator autem et potestatem accepit homo natus, et purificatus est natus. Incongruum enim erat, ut Dei Filius in corpore peccatis subdito nasceretur. Hominis ergo causam suscipiens, et per regenerationem filios Dei fieri docens, baptizari debuit, ut in se hoc ostenderet ratum. Facile enim probatum habetur et suadetur quod dicitur, si a magistro fieri videatur: sic utique et virtutum insignia oportuit fieri, ut jam Filius Dei apparens, per mysterium regenerationis medelam daret corporis passionibus, ut exemplo esset futuris fratribus, quia per regenerationem accipit unusquisque potestatem virtutis.

L. — Si ideo Salvator baptizatus est, ut exemplo esset; quare circumcisus, cæteros prohibuit circumcidi?

Circumcisio præteriti temporis mandatum est, quam usque ad Christum oportuit habere auctoritatem, ut tamdiu curreret, quamdiu Christus nasceretur promissus Abrahæ, ut de cætero cessaret circumcisio, promissione impleta. In figura enim Christi Isaac promissus est. Dixit enim ei Deus, *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen*. XXII, 18): quod est Christus. Fides enim, quam Abraham acceperat, restaurata a Christo est, ut in semine Abrahæ, quod est Christus, omnes gentes benedicerentur, sicut promissum fuerat Abrahæ. Circumcisio itaque signum fuit promissi Filii Dei, id est Christi; quo nato cessare oportuit signum promissionis: ita tamen ut ipse promissus adveniens signum patris acciperet, ut sciretur is esse, qui promissus fuerat omnes gentes justificare per fidem in circumcisione cordis. Quia enim patri Abrahæ carnaliter nascentis filii signaculum circumcisionis corporale fuit; ita et eorum qui spiritualiter nascuntur, spirituale signum est circumcisio cordis: ideoque recte post Christum non adhuc oportuit carnaliter circumcidi.

(*a*) Circumcisio usque ad Christum indulta est; Abraham autem circumcisionem in Christo promisso accepit, ut tamdiu circumcisio curreret, quamdiu Christus nasceretur promissus Abrahæ, qui omnes gentes justificaret per fidem, sicut fuerat justificatus Abraham. Ideo debuit circumcidi, ut ipse probaretur esse qui promissus Abrahæ esset: ita ut de cætero circumcisio cessaret, impleta promissione. Baptismus autem non debuit cessare, quia forma renascibilitatis est a Christo cœpta: non prius data, et usque ad Christum consummata; sed a tempore Christi incipiens et cursum suum tenens usque ad consummationem mundi.

LI. — Quomodo intelligatur, quod dicenti Mariæ ad angelum, *Et unde hoc sciam, quia virum non cognosco?* respondit Gabriel angelus, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc*. I, 34, 35)?

Ambigenti Mariæ de conceptu, possibilitatem angelus prædicat, dicens, *Spiritus sanctus superveniet in te;* hoc est, Ne dubites, quia virum nescis: quod enim dixi quia concipies, Spiritus sanctus superveniens in te, operabitur ut concipias sine viro. *Et virtus Altissimi*, inquit, *obumbrabit tibi*. Altissimi virtus

[1] In Mss. secundi generis additur, *in quo ipse videretur*.

[2] Hæc quæ uncis includuntur, omitt. in Mss. secundi generis; postque verbum, *generavit*, sic terminatur quæstio: *Per quem faceret quæ facta sunt, ut ostenderet creaturæ mysterium, quod latuit in illo ex æternis, sicut dicit postolus*.

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter postvulgatas ex Novo Test. ordine vigesima secunda.

sine dubio Christus est : hoc enim ad ipsius personam pertinet. Superveniens ergo Spiritus sanctus in Virginem, sanctificavit eam opere suo efficiens corpus sanctum ex ea, in quo Virtus quæ dicitur Dei Filius, nasceretur. Cujus obumbratio in Virginem hæc est, ut de immensitate divinitatis aliquid esset in utero Virginis, quantum posset capere natura humana, quod quasi ex splendore obumbratio diceretur, virtus Dei esset (*a*); quæ Dei virtus, necnon et Deus. Nihil enim de Deo est, quod non dicatur Deus. Nam hoc corporeum est, ut sit in carne aliquid et caro dici non possit, ut pili, et ossa, et nervi et cætera.

(*b*) Ambigenti Mariæ de conceptu, etc. Virtus Altissimi sine dubio Christus est. Ad ipsius enim personam pertinet dictum hoc; signum enim Filii Dei, hoc est cum dicitur, Virtus Dei. Juxta divinitatem vero et Pater virtus est, et sanctus Spiritus virtus est, et trium horum una virtus, quia una substantia est. Spiritus sanctus ergo carnem ex Virgine fecit Salvatori : virtus Altissimi autem, id est Christus, obumbravit eam veniens in carnem factam a Spiritu, ut in corpore et anima lateret Filii virtus. Latere autem ejus, est ad tempus non intelligi. Obumbratio autem quid penitus intelligatur, considerandum est. Vis autem hujus verbi si exprimatur, obumbratio virtutis Dei, impetitio aliqua intelligitur, ut dum obumbratur corpus, aliquid sumere ex Dei virtute dignoscitur. Hoc autem aliquid totum est, quia non potest partiri divinitas. Sequitur itaque, *Propterea et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quod enim de Spiritu sancto natum est, in se habens obumbrationem virtutis Dei, quæ est Filius Dei, sine dubio sanctum natum est, id est corpus Filii Dei. Sancti enim corpus sanctum est. Sanctus ergo Filius Dei in sancto corpore natus est. Sic etenim de carne Christi dixit David, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem* (*Psal.* XVII, 9) : ut in corpore sancto ipse significetur.

LII. — Si de Spiritu sancto natus est Christus, id est effectu ejus ex Maria caro factus, cur dictum est, *Sapientia*, quæ utique Christus est, *ædificavit sibi domum* (*Prov.* IX, 1)?

Quæstio ista gemina ratione potest intelligi. Primum enim domus Christi Ecclesia est, quam ædificavit sibi sanguine suo. Deinde etiam potest et corpus ejus dici domus ipsius, sicut dicitur et templum ejus. Si enim propter habitationem dicitur templum Dei, non absurde dicetur et domus, sicut legimus in Lege. Sed si effectu Spiritus sancti factum est corpus, et domum posse dici arbitramur, quare ad personam Christi relatum est, quæritur. Factum Filii, factum Patris est, quia utriusque una virtus est. Simili modo etiam factum Spiritus sancti, factum Filii Dei est, propter naturæ et voluntatis unitatem. Sive enim Pater faciat, sive Filius, sive Spiritus sanctus, Trinitas est quæ operatur : et quidquid Tres fecerint, Dei unius est operatio.

(*c*) Factum Filii, factum Patris est; quia una virtus Patris et Filii est. Sic factum Spiritus sancti, factum Christi est; quia de ipsius accepit. Secundum personam ergo effectu Spiritus sancti Christus caro factus est, id est homo natus : secundum divinitatem autem Christus operatus est in Virgine, ut fieret caro. Quia Spiritus sancti et Christi una divinitas est; ac per hoc opus Spiritus sancti, opus Christi est.

LIII. — Si omnia ratione facta sunt, quid est ut octavo calendas januarias Salvator natus esse dicatur?

Nemo sic poterit hebetari, ut neget omnia facere Deum cum ratione. Ideo ergo Christus descendens de sacris sedibus ad salutem mundo tribuendam, ut etiam mundum ipsum, et tempora a se instituta doceret; tunc nasci homo voluit, ad diminutionem humani generis augmentandam in Deum, quando ex magna diminutione lux quæ dies est, crementum incipit accipere : ut tempus nativitatis ejus ratione congruat doctrinæ divinæ, quæ ex umbra mortis homines cœpit multiplicare ad vitam.

LIV. — Si ex semine David Christus Filius Dei factus est secundum carnem, hoc est, natus jam Filius Dei est in utroque, quia sanctus natus est; quomodo ergo postquam baptizatus est, dictum ei a Domino Deo est, *Tu es filius meus, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 7)?

Christus Dei Filius ex æterno est secundum spiritum sanctitatis : juxta carnem vero ex semine David natus est Filius Dei, ut in utroque non factus Dei Filius habeatur, sed natus. Illud autem quod in baptismo audit, mysterii, non sua causa est. Nam hoc omnibus audit qui baptizantur. Ipse autem demonstratur tantummodo, ut ex hoc appareat in homine virtutibus Deus : cæteri vero firmantur, quia ex hoc incipiunt esse filii Dei, cum sanctum accipiunt Spiritum. Qamvis enim sanctum natum sit corpus Domini, non tamen sacramento regenerationis firmatus fuerat homo Christus esse Filius Dei, nisi Spiritum sanctum accepisset, juxta decretum renascibilitatis donum. Nam et Judæi filii Dei dicti sunt in devotione, non in sacramento quod nunc operatur, ut accepta remissione peccatorum superveniente sancto Spiritu, dicantur filii Dei. Salvator ergo et natus est secundum carnem Filius Dei, et post in mysterio firmatus. Nec enim poterat quod de sancto Spiritu natum est, non de Deo nasci; sed ut propositum mysterii impleretur, superveniente Spiritu non diminutum est, sed auctum.

(*a*) Christus Filius Dei secundum spiritum ex æterno est, juxta carnem autem Dei Filius ex semine David est ex nativitate. Non per baptismum factus, quia de Spiritu sancto natus purificatum corpus habuit. In baptismo autem ideo audit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, ut ostenderet per mysterium Baptismatis filios Dei fieri. Denique Spiritu descendente et manente in se, audit hæc verba; quia ante acceptum Spiritum sanctum non sunt filii Dei. Audit ergo non sibi, sed nobis, ut in illo disceremus quomodo filii Dei esse possemus. Non enim sibi baptizatus est, sed nobis; quomodo alio loco ipse Dominus ait, *Non propter me venit hæc vox, sed propter vos, ut credatis* (*Joan.* XII, 30) : ita et hoc factum est, ut forma nobis fieret.

LV. — Quid causæ fuit ut illo tempore crucifigi se permitteret Dominus, quo octavo calendas aprilis Pascha acturi erant Judæi?

Omnia propriis locis et temporibus egit Salvator. Ut enim omnia se voluntate Patris recte condidisse doceret, tunc voluit passione sua mundum redimere et reformare, quando eum et creaverat; id est in æquinoctio, unde mundus initium cœpit, et dies super noctem increscere. In regno itaque agens Romano, nonnisi octavo calendas aprilis pati debuit, quando æquinoctium habent Romani. Tunc enim utique primum hæc pars mundi illuminata est, et ex eo dies cœpit crementum accipere. Ideoque et passione Salvatoris tunc a tenebris ad lucem perducta est. Nulla itaque vituperatio auctoris poterit videri, quando lapsam creaturam tunc reformavit quando et fecerat. Nec enim reprehendi poterit rei lapsæ initium creationis, cum ad id redeat instauratio. Eadem enim die voluit esse renovationis gaudium, quo fuerat et dedicationis [1].

LVI. — Quare in Matthæo pater Joseph Jacob scribitur, et in Luca Heli, ut aut duos patres

(*a*) Forte, *obumbratio diceretur virtutis Dei, essetque Dei virtus.*

(*b*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter postvulgatas ex Novo Test. ordine trigesima octava.

(*c*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis.

[1] In Mss. secundi generis ita concluditur : *Ergo mysterium hoc continet ut salus mundo tunc redderetur, quando eam acceperat.*

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. ordine quadragesima quinta.

habere imperite descriptus sit, aut certe qui vere pater ejus sit, nesciatur (*Matth.* I, 16; *Luc.* III, 23)?

Non est ambiguum patrem Joseph Jacob fuisse. Ordo enim a David per Salomonem tramitem suum tenens, recto cursu pervenit ad Jacob, cujus filius est Joseph : Heli autem filius Mathat, a David per Nathan filium ejusdem David, ordinem tenet, usque ad tempus quo Salvator advenit [1]. Unde singuli Evangelistæ a David singulorum fratrum generationum ordinem prosecuti, quasi furcam fecerunt, ut Matthæus a David per Salomonem descenderet ad Joseph; Lucas vero ab Heli, qui tempore fuit Salvatoris, ascendit per traducem Nathan filii David, et utriusque, id est, Heli et Joseph junxit tribum, ostendens unius generis esse utrumque; ut cum Heli sociat Joseph, non discrepare eos in generatione, sed fratres ostendat : ac per hoc non solum ipsius Joseph filium esse Salvatorem, sed et Heli. Ipsa enim ratione, qua ipsius Joseph filius dicitur Salvator, ipsa est et Heli filius, et cæterorum omnium, qui de eadem tribu sunt. Hinc est quod dicit Apostolus, *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem* (*Rom.* IX, 5). Divino etenim nutu permotus Lucas est, ut ab Heli per traducem Nathan ascenderet ad David, et per Tharam patrem ejus ascenderet ad Sem filium Noe, et adhuc super diluvium perveniret ad Seth filium Adæ, qui redditus est pro Abel : et eadem ratione faceret filium Adæ Salvatorem, qua dicebatur filius esse Joseph et Heli. Super Adam autem transcendens, assignaret ante omnem carnem Christum Filium Dei esse. Illud quod quibusdam videtur, quia Heli acceperat uxorem Jacob, quomodo Lex mandavit, ut si quis mortuus fuisset sine filiis, acciperet frater aut propinquus uxorem ejus, et resuscitaret semen fratris sui (*Deut.* XXV, 5); et ita factum, ut Heli generaret Joseph Jacob, cujus uxorem acceperat, et per hoc jungi generationem, ut non immerito Joseph patrem habere Heli dicatur : hoc nec probabile est, nec ad ullam rem proficit. Illud autem quod supra dictum est, et per generationem jungit duos fratres filios unius, et Christum ostendit Filium Dei esse ante omnem generationem. Evangelista enim cum referret, dicens, *Et ipse Jesus erat incipiens fere annorum triginta, filius sicut putabatur Joseph, qui fuit Heli*, id est Jesus filius æstimabatur Joseph : et non solum Joseph erat filius, sed et Heli. Non quia Joseph filium dicit Heli, sed eodem genere, quo Joseph vocabatur filius esse Jesus, ita erat etiam filius Heli, propter quod fratrum filii erant Joseph et Heli, id est Salomonis et Nathan filiorum David, ut per David ascendens ad Abraham et Noe et Seth, et ad ipsum Adam, et super Adam, doceat esse Christum Filium Dei. Cum enim dicit, *Qui fuit filius Seth, qui fuit filius Adæ, qui fuit Filius Dei;* Christum utique ita dicit Adæ filium, sicut dicebatur filius Joseph. Ait enim Maria ad eum, *Fili, quid fecisti nobis sic? Etenim ego et pater tuus mœsti et tristes quærebamus te* (*Luc.* II, 48). Super Adam autem junxit Christum Patri Deo, ut qui horum, id est ab Adam usque ad Joseph et Heli filius dicebatur, ante istos omnes Dei verus Filius intelligeretur, ad confusionem Photini, qui Christum nonnisi ex Maria, nec ante fuisse contendit (*a*). Quorum enim non erat, filius dicebatur; et Dei, cujus Filius verus erat, negabatur. Si enim, quod improbabile est, et ad nullam rem proficit, Joseph Heli filius dicatur, secundum quod supra diximus, non dixisse videbitur de Christo, quia fuit Filius Dei, sed de Adam. Per ordinem enim singulorum filiorum patres subjiciendo, venit ad Enos, cujus patrem dicit Seth, patrem autem Seth dicit Adam, Adæ vero patrem dicit Deum : et nescio quæ utilitas sit sic asseverare. Si autem per ordinem, sicut diximus, singuli patres Christi dicantur, sicut et filius dicebatur Joseph, quia dictum est, *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem;* ipso ordine legitur filius esse Seth, et filius Adæ. Et super hos omnes assignatur Filius Dei, ut ante ipsos dicatur esse, quorum filius nuncupatur.

LVII. — Quid est hoc ut cum in Malachia propheta scriptum sit, *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparet viam tuam ante te;* Marcus hoc evangelista in Isaia propheta scriptum asserit (*Malach.* III, 1; *Marc.* I, 2)?

Non potuit latere Marcum, quid scriberet : nec enim expers erat lectionis, qui ab infantia divinis Litteris imbutus, et exercitatus erat in Lege, maxime cum Apostolos sit secutus. Sciens autem omnia ad auctorem referenda dicta, hæc ad Isaiam revocavit, qui sensum istum prior intimaverat dicens, *Vox clamantis in deserto : Parate viam Domino, rectas facite semitas Dei nostri* (*Isai.* XL, 3). Denique post verba Malachiæ statim subjecit Evangelista dicens, *Vox clamantis in deserto;* ut jungeret verba utriusque prophetæ ad unum sensum pertinentia sub prioris prophetæ persona.

LVIII. — Qua ratione negat se Joannes Christum scisse ante baptismum, cum venienti ei ad baptismum dicat, *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me* (*Joan.* I, 31, 33; *Matth.* III, 14)? quomodo ignorabat eum quem prohibuit, humilians se ei?

Tanta sanctitate præditus est etiam ab ipsis cunabulis Joannes, ut nec falli nec fallere credatur, nec Dominum suum qui eum in utero per Spiritum sanctum illuminaverat nescire : ac per hoc verum est, quia et descendente in eum Spiritu agnovit eum, et priusquam ad baptismum veniret, non ignoravit eum. Sciebat enim eum, sed an ipse esset, qui donum Dei olim Patribus repromissum ministraturus esset, nesciebat : hoc est, quod tunc se didicisse profitetur, cum vidit in eum Spiritum descendisse. Sic enim se a Deo instructum dicit Joannes, *Super quem*, ait, *videris Spiritum descendentem et manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto.* Hoc etiam Apostolus contestatur : *Dico enim*, inquit, *Christum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum* (*Rom.* XV, 8). Hoc est in quo nesciebat Dominum Joannes : quamvis enim magnificentiam ejus non ignoraret, hoc tamen latuit eum, quia per ipsum fides Abrahæ implenda erat.

LIX. — Si Baptisma cœleste mysterium est, cur Nicodemo cum de Baptismo dubitanti loquitur Dominus, *Si terrestria*, inquit, *dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis cœlestia credetis* (*Joan.* III, 12)?

Qui Baptismum putat carnali ratione consistere, hic non est spiritualis : nec donum cœleste poterit consequi, qui se non per aquam, sed per fidem immutari non credat. Aqua enim cernitur, sed qui non videtur Spiritus operatur, ut fides in eo sit. Quia sicut sordes corporeas aqua, ita Spiritus animam abluit a peccatis; ut quomodo visibilia visibilibus, ita et spiritualibus prosit Spiritus : ac per hoc spiritualis ratio vertitur in Baptismo. Plus enim est ibi quod auditur, quam quod videtur. Cum hinc ergo Nicodemus carnali instructus ratione dubitaret, Salvator ut eum ad fidem attraheret exemplo usus est congruo, ut ad rem invisibilem firmandam visibile daret exemplum, quod solo auditu consistit, non visu, et non negatur : et est tamen terrenum, quia mundi rem operatur. Ait ergo Dominus ad Nicodemum suadendo illi, *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, et nescis unde veniat vel quo eat. Sic est omnis qui renascitur ex aqua et Spiritu sancto :* ut quomodo vox venientis spiritus, id est, venti, auditur quidem, non autem videtur, sicut dictum est; sic et ratio Baptismi auditur quod dicatur, tamen quomodo per Spiritum

[1] Mss. secundi generis : *ad tempus quo fuit Joseph. Hi enim duo filii, id est Joseph et Heli, duorum fratrum, Salomonis et Nathan, singuli ex singulis fratribus per ordinem generationum suarum pervenerunt ad tempus quo Salvator advenit.*

(*a*) Reliquum deest in Mss. secundi generis.

fit non videtur : auditur tamen cum quid futurum est ab eo qui verba insinuat, prædicatur, ut fieri credatur quod auditur, non tamen ratio facti reddatur. Cum autem nec per exemplum Nicodemus duceretur ad fidem, tunc audivit a Salvatore, *Si terrestria*, inquit, *dixi vobis, et non creditis; quomodo si dixero vobis cœlestia, credetis?* Ista verba terrena dixit, quæ ad exemplum protulit : hoc est, si per rationem terrenam, inquit, exempli dati, spiritus, id est, venti, non creditis posse fieri, quia quomodo fiat, non videtur; quomodo fieri poterat, ut si darem cœlestia exempla, quæ utique nescitis, crederetis? Potest enim homini suaderi quod nescit, per id quod scit; ut puta Deus dicit de Christo, quod Filius ejus sit verus, quod quomodo sit, comprehendi non potest : per id autem quod scimus secundum carnem quomodo sint filii, credimus ideo Deum dixisse, Christus Filius meus est verus, ut de semetipso illum esse significaret. Hoc modo et Salvatorem quod nec verbis nec animo explicari potest, per id quod sensibile est et auribus auditur, voluit commendare; hoc est per exemplum spiritus qui est ventus, quem et sensibilitas capit et auris audit, sed unde veniat nescit, factum Spiritus sancti, quod capi non potest, voluit facere credibile. Sed et in Actibus Apostolorum eodem modo legitur : *Et factus est*, inquit, *subito de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus validi, et replevit totam domum* (*Act.* II, 2), etc. Ecce aperte exemplo venti Spiritum sanctum insinuat ita de cœlo advenisse, et sonuisse, quemadmodum validus ventus super terram. Nam et Jeremias ventum spiritum vocat dicens, Ventus spirat in omni regione. Qui propterea quod in hoc mundo est, et per diversa circumfertur loca, unde veniat, vel quo eat, nescimus. Spiritus autem sanctus de cœlo venit, sicut legimus, ut credentes illuminet. Quomodo ergo quibusdam videtur de Spiritu sancto Salvatorem dixisse, *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, vel quo eat?* cum constet exempli causa locutum hoc Salvatorem. Denique subjecit, *Sic est*, inquit, *omnis qui renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto.* Quid tam apertum, quia spiritum ventum significavit? Sed ideo putant non ventum significatum quia ait, *Ubi vult spirat :* quasi non omnis creatura, lege sibi posita, remissa sit arbitrio proprio. Et nos enim imus, et facimus quod volumus, agentes sub lege; quare et rationem præstabimus. Aut possibile putatur, et nec stultum videtur ut effectum volens sancti Spiritus insinuare, illum ipsum daret exemplum. Igitur omni genere quæstionem solutam arbitror.

(*a*) Quod dixit, *Si terrestria dixi vobis, et non creditis*, non pertinet ad Baptismum; quia baptismum nostrum scimus esse spirituale, quamvis per aquam celebretur : sed ratio illic vertitur cœlestis. Nec enim aqua purificat, sed invisibiliter et incomprehensibiliter Deus. Pertinet vero ad imitationem dati exempli, id est, ad id quod dixit, *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, vel quo eat.* Per hoc enim exemplum ad fidem Nicodemum voluit informare, ut crederet renasci hominem per aquam et Spiritum, non tamen posse capi quomodo fiat : fit enim spiritualiter. Sic enim spiritus, hoc est venti vocem audis, quæ est sonus, sed nescis unde veniat, vel quo eat : sic et eum qui renascitur, quomodo immutetur nescis, tamen quia fit sentis, quia immutationem ipsam sentis. Si enim ventus ubi vult spirat, quanto magis Spiritus qui de Deo est, quem vult sanctificat? Ideo autem dixit, *Ubi vult spirat;* quia omnis creatura quamvis sub Lege agatur, proprio tamen dimissa est arbitrio. Si quis autem spiritum istum, Spiritum sanctum putat intelligi, non stat : quippe cum exempli causa spiritum istum posuerit, per quem quod dixerat renasci per aquam et Spiritum hominem oportere, et a Nicodemo non credebatur, suaderet. Nam utique aliud est exemplum, et aliud quod firmatur exemplo. Si ergo in exemplum datus est, non est Spiritus sanctus, mundanus qui dicitur ventus. Volens enim rationem spiritualem suadere non credenti Nicodemo, exemplum spiritus dedit, ut per ipsum ratio et operatio sancti Spiritus crederetur. Spiritus tamen sanctus scimus quia de cœlo venit, ut se infundat credentibus, sicut factum legimus inter initia Apostolis, et sonum tunc vocem appellatum. Ita enim dictum est, *Et subito factus est de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus validi.* Hunc sonum in subjectis vocem appellat. Exemplo enim spiritus, id est venti, Spiritus sancti opera ostendit, ut dictum Salvatoris maneret. Quid enim aliud est cum dicit, *Et factus est de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus validi?* Sic utique dixit Spiritum sanctum descendisse et sonuisse sicut ventus validus. Hunc ergo spiritum ad exemplum dedit. Denique ait, *Sic est omnis qui renascitur.* Et hic unde veniat nescimus : Spiritus autem sanctus de cœlo venit.

LX. Si lex et Prophetæ usque ad Joannem, quomodo Salvator ad sacerdotes mittit offerri munera pro emundatione lepræ (*Matth.* VIII, 4; *Marc.* I, 44; *Luc.* V, 14)?

Hoc quidem non fuit temporis, sed ad condemnationem factum est Judæorum : ut cum veritatis culmen meliorati temporis non intelligerent ad lucrum salutis suæ factum, inclinaret se veritas ad accusationem eorum. Cum enim velut Legis inimicum haberent Salvatorem, quia misericordiæ causa ab onere illos Legis volebat liberare, sicut prædictum erat ab Jeremia propheta : ait enim inter cætera, *Et dabo illis testamentum novum, non quale dedi patribus eorum* (*Jerem.* XXXI, 31, 32) : tunc Salvator, ne inimicus, sicut putabant, appareret, nova prædicans, eum qui mundatus fuerat a lepra, ad sacerdotes misit offerre munera pro emundatione sua, sicut præceperat Moyses (*Levit.* XIV, 2). Et ut ad accusationem eorum hoc proficere testaretur, *In testimonium*, inquit, *illis :* ut in judicio hæc res contra illos testis esset, qui Salvatorem inimicum Legis dicebant. Hoc secutus est et apostolus Paulus : cum enim prædicaret jam non oportere circumcidi, ipse Timotheum circumcidit propter scandalum Judæorum (*Act.* XVI, 3) : maluit enim rem superfluam facere, quam tumultum excitari a falsis fratribus : quod quidem errori profecit Judæorum. Satis enim eis factum est ad horam, per quod in perpetuum errarent.

(*a*) Hoc secutus est apostolus Paulus. Cum enim prædicaret jam non oportere circumcidi quemquam, ipse Timotheum circumcidit, propter scandalum Judæorum. Maluit enim rem superfluam facere, quam imperitis ex quibus aliqui possent salvari, scandalo esse. Dominus autem prope similiter, ut Judæis, quod de illo opinabantur, auferret (dicebant enim hunc inimicum traditionis Judaicæ), tunc jussit ut leprosus offerret munera pro emundatione sua, sicut præceptum erat a Moyse : et subjecit, *In testimonium illis;* ut hæc res testis esset contra illos, quia Salvator non erat Legis inimicus. Factum itaque est quod jam cessare debuerat. Sed quia solent superflua jam non nocere, ideo factum est ut prodesset illis utique, qui male opinabantur, ut satis sibi facerent, quia Salvator non erat Legis inimicus.

LXI. Quid est ut Judæis discipulos accusantibus, eo quod sabbatum violarent, spicas manibus confricantes et comedentes, Salvator exemplum David proferret, quia manducavit panes, quos non licebat manducare nisi solis sacerdotibus (*Matth.* XII, 1-4)? per quod non videntur excusari, sed simul cum David rei fieri : quippe cum nec sabbatis fecerit hoc David.

Salvator hypocrisim Judæorum multis vult exemplis arguere, majora ostendens admissa in Lege, et nullum ausum fuisse accusare : ut non solum semel

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. decima sexta.

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secund igeneris, inter post vulgatas ex Novo Test. vigesima octava.

et iterum sabbatum in Lege violatum monstraret, verum etiam sacerdotalem panem ipso sacerdote concedente præsumptum illicite; et quod majus est, a sublimi auctoritate Legis suæ viris. Primus enim Jesus Nave divino præcepto sabbatum non servavit; quo facto muri Jericho ultro ceciderunt (*Josue* VI, 15-20). Quantum profuit sabbatum non custodisse, sed fidem? Et Machabæi, cum prius cæsi fuissent, sabbatis dimicaverunt, et de hostibus triumphaverunt (I *Machab.* II, 38, 41). Et sacerdotes ut dominicis cerimoniis inservirent, in templo sabbatum contemnebant. David autem jam unctus in regem, postquam Dei virtute interfectum armis exspoliavit Allophylum, in itinere positus, necessitatem famis passus, a sacerdote panem accepit (I *Reg.* XXI, 6), quem non illi licebat manducare : sed excepta necessitate non licebat; licitum autem erat, si necessitas exegisset. Denique sacerdos videns necessitatem, non negavit; et David a Deo electus, sine cunctatione accepit : talis causa est et sabbati, quare et circumcidi in sabbato non prohibetur. Hæc enim quæ periculosa non sunt, sic servanda mandata sunt, ut non obsit, si ex necessitate fuerint admissa : quia non ad salutem, sed ad reverentiam mandata sunt. Illud autem quod omnino non licet, semper non licet, nec aliqua necessitate mitigatur, ut admissum non obsit. Est enim semper illicitum, quod legibus quia criminosum est, prohibetur. Superiora autem illa, quæ diximus aliquando licere, talia sunt, qualia jejunia legitima, quæ in necessitate soluta, non faciunt reos, si stomachi fuerit causa aut infirmitas febrium. Hæc igitur scientes, dolose Judæi discipulos accusabant, quasi sabbatum violarent, sicut supra dictum est. Salvator autem noluit illis de tempore impletæ Legis præjudicare, ne plus ad insaniam prosilirent; sed de præterito, unde sabbatum vindicandum magis putabant, calumniosos illos ostendit : et non solum in sabbati causa, sed etiam in sacerdotali pane confusi sunt, sicut supra ostensum est.

(*a*) Noluit Salvator de tempore impleti sabbati præjudicare Judæis. Aperte enim audire quod verum est, non illos dignos judicavit, utpote infideles : sed de eo illos voluit convincere, quod sibi præsumebant, id est de tempore quo adhuc sabbatum robur suum tenere videbatur, cum accusarent discipulos cur sabbatis spicas vellerent, et confricantes manibus manducarent, et jam sabbati servandi tempus esset impletum. Prætermisso hoc ostendit illis, etiam tunc quando sabbati adhuc lex manebat, necessitatis causa sabbatum fuisse violatum : quod enim non licebat, fecit David; et quod prohibitum erat fecit Jesus Nave, quando muros Jericho septem diebus armatos jussit circumire; et quod interdictum erat Machabæi gesserunt, sabbatis se defendentes; *Et in templo*, inquit, *sacerdotes sabbatum violant, et sine crimine sunt.* Per hæc ergo ostendit, malevolentia magis quam errore accusari discipulos a Judæis; quando hæc omnia scientes a volentibus sabbatis gesta, et a sanctis quidem, accusabant innocentes. Sic enim mandatum est sabbatum custodiri, ut si necessitas tamen esset, reus non fieret qui sabbatum violasset. Ideo sabbatis circumcidi non est prohibitum, quia necessitas erat ut fieret. Unde et discipuli esurientes spicas vellebant, quod non licebat secundum præteritum tempus, sed necessitate famis factum est licitum : sicut et David fecit quod non licebat cum esuriret, et sciens famem hoc excusare. Talis hæc causa est, qualis hodie in jejuniis legitimis. Numquid si quis æger jejunium corruperit, reus constituitur? Non utique, quia non est periculum. Hoc enim aliquando licet, sicut sabbatum apud veteres. Quod enim semper non licet, non habet excusationem necessitatis.

LXII. — Quid est ut occisis filiis Liæ, qui erant ex tribu Juda, Rachel filios suos plangere dicatur (*Matth.* II, 18)?

Quantum ad historiam pertinet, Rachel filii sunt tribus Benjamin. Porro olim pro maleficiis propriis, operibus scilicet Sodomitarum, et stupro quod in concubinam viri Levitæ gesserant, a reliquis tribubus exstincti et erasi sunt (*Judic.* XIX, XX). Quamobrem consolationem recipere velle negatur, sciens nullam spem eorum qui periisse noscuntur. Filii autem Liæ in primævis annis, in Salvatoris causa occisi sunt. Unde eorum causam planctui non vult adscribi; quia et innocentes occisi sunt, et propter Deum, a quo sine dubio, mercedis gratia, æterna vita donati sunt. Quapropter planctum Rachel filiis dicit competere, qui et in præsenti et in futuro erasi sunt. Illi autem carnaliter plancti, spiritualiter consolati sunt. Filii autem Rachel carnaliter conversati, flammis spiritualibus consumentur. Idcirco autem Liæ filiis occisis adimpletum planctum Rachelis Evangelista testatur, quia tunc plangere [1] filios suos cœpit, quando filios sororis suæ in tali causa vidit occisos, ut æternæ vitæ hæredes existerent. Cui enim aliquid adversum advenit, ex felicitate alterius, infausta sua miserius luget.

LXIII. — Qua ratione Magi chaldæi per stellæ apparentiam Christum regem Judæorum natum intellexerunt, cum stella indice temporalis rex soleat designari (*Matth.* II, 1, 2)?

Hi Magi chaldæi non malevolentia astrorum cursum, sed rerum curiositate speculabantur. Sicut enim datur intelligi, traditionem Balaam sequebantur : qui cum accersitus esset a Balach ad maledicendum populum Dei, divino nutu benedicere cœpit. Ex hujus ergo relatione compertum habebant, futurum Dei providentia ex Jacob qui regnaret. Hinc enim, quod non est occultum, prophetavit dicens, *Orietur stella ex Jacob*, etc. (*Num.* XXIII, XXIV). Istam ergo traditionem Magi secuti, videntes stellam extra ordinem mundi, hanc esse intellexerunt quam Balaam futuram indicem regis Judæorum prophetaverat. Quod quidem factum contra inimicos religionis est. Inde enim testimonium accepit unde solet improbari. Astrologi enim inimici sunt veritatis.

(*a*) Hi Magi chaldæi non malevolentia, etc. *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel, et confringet duces Moab, et prædabitur omnes filios Seth, et erit Edom hæreditas ejus*, etc. Hæc ergo prophetia est Balaam, non quia fuit propheta, sed Deus causam populi sui egit per illum, non voluntarium sed invitum : sicut prophetasse inveniuntur missi a Saül ad David capiendum, et sicut ipse Saül cum dictum est, *Numquid et Saül inter Prophetas* (I *Reg.* XIX, 20 24)? Hinc enim probare voluit Deus quanta sit majestas Dei Judæorum, qui cum maledicere venerat, convertit, ut bonum illi videretur benedicere populum Dei. Nec enim maledictum ejus poterat timere, cujus cor habebat in potestate. Hunc ergo prophetam hanc intimasse collegis suis datur intelligi, qui cum curiosi sunt circa astra, videntes stellam incognitam, et nimia claritate fulgentem, ita ut solem luce superaret (videbatur enim per diem), conferentes inter se, animadverterunt hanc esse stellam quam futuram dixerat Balaam.

LXIV. — Quomodo probatur post tres dies et noctes resurrexisse Salvatorem ex mortuis?

In hac causa si numerum dierum ac noctium per ordinem requiris, effectum intelligentiæ non habebis. Quia et Moyses quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit (*Exod.* XXXIV, 28), et tamen non integer numerus invenitur : quando enim per diem ascendit, et per diem descendit, omnem utique numerum non implevit : sed quia ubi dies est computatur nox, et ubi nox est computatur et dies, ut a parte

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex novo Test. ordine vigesima tertia.

[1] Mss. secundi generis, *plus plangere*.

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. trigesima nona.

ad totum, quadraginta dies et quadraginta noctes dicuntur. Ita est quod dixit Salvator, *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ* (*Matth.* XII, 40). Et quia tres noctes sunt, tres accipiantur et dies. Est enim nox ne novum aut contra rationem forte videatur, ut cum nox ex die pendeat : nam ante lucem factam, ex qua appellatus est dies, quam vesperum quod sequitur nox institutum, minime dubitatur, quod passio Dominica a nocte sumere asseveratur initium, non absurdum est. Nam sicut lux, id est dies, imago vitæ est; ita nox similitudo mortis est, id est tenebræ : sicut in Scripturis evidenter ostenduntur filii lucis, et e contra tenebrarum. Nec mirum si cum ubique dies nocti, et lumen tenebris, hic solum quæ sunt sequentia anterioribus præponantur; vel quod in tali causa rerum ordo confunditur et mutatur, ut ante signavimus. Nam mortis nox magis, quam dies esse videtur. Ideo etenim a nocte initium sumitur, quia non aliter principi tenebrarum nisi per noctem potuit subintrari, id est non potuit vinci : et ut aliquatenus Dominus lucis, id est æternæ vitæ, principi tenebrarum sive mortis subjectus esset ad tempus; quatenus et præteritos et post futuros a morte liberaret. Nam non esset mors penitus evacuata, nec unquam tenebrarum caligo discussa, si Dominum non vidisset subintrantem. Etenim tanta luce secretum mortis, in quo dominabatur, evanuit, nec penitus vinci potest, nisi qui vel per sua vel in suis capitur. Recte ergo in tali negotio tantummodo nox obtinet principatum, ita ut amitteret potestatem : et ut Judæi non credentes in perpetua nocte remanerent, nec auctor dies tanti sceleris, imo sacrilegii, sed nox fieret, præcedenti nocti contra rerum seriem subditur dies, sicut Deus et Dominus omnium rerum principi nefariæ mortis, ut omnes a mortis laqueis explicaret. Quod si cui adhuc forte videtur esse contrarium, diligenter advertat ne incipiat illud durius æstimare, quod Deus se personam induens servi, non dicam hominis, morti dederit. Quid ergo hic et ordinem quæris, ubi omnia videas esse contraria? Quæ est enim lux quæ fuit in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt (*Joan.* I, 5)? Dominus lucis, qui et comprehensus est. Qui enim scit se ad hoc comprehendi ut feriatur, tempus illud in mortem computat. Est et dies sequens qua auditus et crucifixus est. Est et nox quæ cadit in sabbatum, est et ipsum sabbatum. Est etiam vesper post sabbatum, hoc est quod Judæis a Moyse præceptum est in figura, ut vespere intrarent in sabbatum, in quo Dominus resurrexit : qui complectitur diem dominicum; quia nox non computatur sine die, neque dies sine nocte. Hac ratione, post tres dies et post tres noctes Dominus resurrexit.

(*a*) Præscius Salvator omnium quæ in se futura erant, hæc protestatus est, certus ad hoc se a Judæis comprehendi ut occideretur, se quoque impietati illorum non repugnaturum, cum posset utique eos illudere : quippe cum propterea jam detentus, aurem servi principis sacerdotum, quam producto gladio absciderat Petrus apostolus, reddidit; ut se ostenderet non infirmitate humiliatum, sed providentia quadam voluntati illorum cessisse ad tempus, ut per hoc regnum inferni destrueret. Improvidus enim diabolus sensibus se Judæorum immersit, ut eos ad necem Salvatoris incenderet, quasi sibi prodesset, si hic qui viam veritatis ostenderet, tolleretur de vita : nesciens futurum adversum se. Cum enim peccati causa de captivitate hominis triumpharet, inventus ipse reus per id quod Christum innocentem occidit, ut eum qui peccatum nesciebat, inter peccatores teneret; ita factum est, ut etiam illos quos jure in inferis tenebat, amitteret. Igitur horum præscius Salvator, noctem qua comprehensus est, simul computavit. Omnis enim detentus, qui se judicis manus non credit evadere, antequam feriatur, jam se mortuum dicit. Adde huic diem quo passus est, et sequentem noctem. Adde et sabbatum et noctem quæ lucescit in diem dominicum cum ipso die dominico, et complevisti mysterium verborum Domini. Novissima enim nocte cum adhuc tenebræ essent, et dies inciperet oriri, inter lucem et tenebras surrexit, ut et nox computetur, et dies, quo possit numerus a Salvatore prædictus integer inveniri.

LXV. — Si uno ore et ratione Evangelistæ locuti sunt; quomodo factum est ut tribus dicentibus, id est Matthæo, Luca et Joanne, quia sexta hora crucifixus est Dominus, Marcus e diverso tertia hora crucifixum dicat Salvatorem (*Matth.* XXVII, 45; *Luc.* XXIII, 44; *Joan.* XIX, 14; *Marc.* XV, 25)?

Obscuris vera involvere non est bonum. Nam tres Evangelistæ unum sensum habuerunt, Marcus autem rem quæ ab illis prætermissa fuerat, voluit intimare, sciens necessariam. Nec enim falli posset qui auctorum exempla secutus, ea quæ scripsit magna devotione et industria didicit, et nec sine sancto Spiritu fecit. Quid ergo ex hoc ostendere voluit, debet absolvi. Contuendum itaque est, quia non a Pilato, sed a Judæis Salvator crucifixus est. Quantum enim ad leges Romanas pertinuit, innocentem pronuntiavit Salvatorem. Ait enim Pilatus Judæis, *Ego nullam invenio causam in eo.* Et dicentibus illis, *Crucifige eum;* respondit, *Quid enim mali fecit?* Denique persistens et volens educere eum de manibus eorum calumniam passus est, dicentibus eis, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Sic factum est ut traderet eum judicio illorum (*Joan.* XIX, 4-13). Sententiam ergo non dedit Pilatus, sed Judæi. Denique præmoniti sunt, inquit, a principibus sacerdotum, ut dicerent, *Crucifigatur.* Hanc sententiam tertia hora datam vult intelligi in qua assiduis vocibus perdurantes cum intervallo horarum fere trium, quibus itum et reditum est ab Herode, crucifixerunt Salvatorem. Omnis enim qui addicitur morti, ex eo jam mortuus computatur, quo sententiam excipit. Manifestavit igitur Marcus, quia non in judicis sententia Salvator crucifixus est. Difficile est enim innocentem probare eum, qui sententia judicis punitur. Discordare ergo se passus est in verbo, ut doceret tertia hora cœptum esse, quod sexta hora impletum est : non legibus, sed persistente malevolentia Judæorum.

(*a*) Obscuris vera involvere non est bonum. Nam tres Evangelistas verum dixisse ipsa concordia obtestatur. Marcum autem sensum nescio quem occultum voluisse prodere, res ipsa declarat. Nec enim falli posset, qui auctorum exempla secutus, ea quæ scripsit, magna devotione et industria didicit. Quid ergo ex hoc dicto prodere voluit, solerti vigilantia investigandum est. Nec enim otiose a tribus Evangelistis discordare se passus in verbis est. Animadvertamus ne verum dicant, qui sententiam datam tertia hora dixerunt, ac per hoc tertia hora crucifixum Salvatorem, quamvis illud probare non valuerunt. Sensum enim forte sciunt, sed quatenus defendant, ignorant. Ideoque Pilati persona interim sequestrata videamus, unde sententia data in Salvatorem accepit exordium, et tunc apparebit an possit verum videri quod dicimus. Constat itaque principes Judæorum præmonuisse Judæos ut Barabbam latronem peterent sibi in die festo dimitti, Jesum vero crucifigere debere. Contra quod Pilatus cum diu resisteret, volens dimittere Salvatorem, frequenter intrans et exiens ad Judæos, dicebat nullam se in eo causam mortis videre. Illi autem insistentes dicebant, *Crucifigatur.* Hinc moræ ortæ sunt, et cum illuditur a militibus, et producitur, et veste purpurea induitur, et fit ei corona de spinis, et adoratur, et conspuitur, et flagellatur, et palmis verberatur, propterea sexta hora in crucem positus est. Ad Pilatum autem adductus est : tunc exivit ad eos Pilatus foras, quoniam ipsi non introierunt prætorium; et

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. decima octava.

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test., vigesima prima.

allocutus est eos, et audivit falsas accusationes eorum, et misit illum ad Herodem, et regressus est, et iterum interrogavit Jesum, et ipse e contra respondit ei, et postea iterum exivit ad Judæos et collocutus dicebat, nullam causam mortis esse in Salvatore. Interea perventum est ad horam tertiam per has moras. Tunc Judæi volenti Pilato dimittere eum dixerunt, *Crucifigatur*. Contra quos Pilatus diu resistens, cum non potuisset obtinere, tradidit Jesum sententiæ illorum hora fere sexta. Sic enim scriptum est, *Tunc tradidit eum voluntatibus illorum*. Ideoque dictum est recte sententiam tertia hora datam; quia non a Pilato data est, sed a Judæis. Pilatus autem invitus consensisse videtur: propter invidiam enim maxime dicentium, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*. Quid ergo Marcus volens purgare hoc, secutus est, videamus. Ostendere voluit Salvatorem non judicis sententia occisum, quia difficile qui judicis sententiam excipit, non juste occisus videtur.

LXVI. — Quomodo Marcus evangelista dæmonia cognovisse ait et professa esse Jesum, e contra autem Apostolus, principes et potestates hujus sæculi neget cognovisse divinitatem Domini Jesu? Dicit enim inter cætera Marcus, *Sciebant eum ipsum esse*: Apostolus vero, *Quem nemo*, inquit, *principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent* (*Marc.* I, 34; I *Cor.* II, 8). Si dæmonia sciebant, quomodo principes ignorabant?

Quibusdam videtur principes hujus sæculi, majores Judæorum significasse, quasi juxta illud quod Petrus apostolus dicit, *Scitis enim*, inquit, *fratres, quia per ignorantiam gessistis hoc malum, sicut et principes vestri* (*Act.* III, 17). Ergo Judæorum erant principes, non tamen hujus sæculi principes erant. Unde ait, *vestri*, non sæculi: quippe cum dixerint regem se habere Cæsarem, sub cujus fuerant redacti potestate. Sunt autem isti hi principes, quos alio loco significavit Apostolus dicens: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates hujus mundi, adversus tenebrarum harum rectores* (*Ephes.* VI, 12). Recte ergo quæritur. Si enim isti non cognoverunt Jesum, quomodo poterat fieri ut dæmonia agnoscerent eum? Sed aliud est quod cognovisse in Christo dæmones dicit, et aliud quod hujus sæculi principes negat cognovisse. Nam dæmonia sciebant ipsum quidem esse, sed qui per Legem fuerat promissus. Omnia enim signa videbant in eo, quæ dixerant futura esse Prophetæ; ut quod ex semine David de virgine venturus esset redemptor Israel: mysterium autem divinitatis ejus ignorabant, sicut et principes eorum. Denique quærit, quamvis captiose, diabolus a Salvatore dicens, *Si tu es Filius Dei*, etc. (*Matth.* IV, 3). Videns enim aliquando divinam virtutem, aliquando hominis infirmitatem, ambigens quid verum esset, torquebatur. Concordant ergo Scripturæ secundum ea quæ revelata sunt. Impossibile est enim discordare unius spiritus viros.

(*a*) Quibusdam videtur principes et potestates hujus sæculi Judæorum majores et principes dixisse, qui juxta Petri apostoli dicta ignoraverunt quid mali fecerunt. Ait enim, *Scio, fratres, quia per ignorantiam gessistis hoc malum, sicut et principes vestri*. Judæorum principes hi fuerunt, non tamen hujus sæculi principes dici potuerunt: quippe cum in potestate redacti fuerant Romanorum, profitentes se non habere regem nisi Cæsarem. Hi autem sunt principes isti, quos alio loco significat Apostolus, dicens, *Non est nobis colluctatio adversus carnem, sed adversus hujus mundi principes, et tenebrarum harum rectores*. Si ergo hi sunt principes qui nescientes Dominum majestatis Christum esse, crucifixerunt, quomodo a dæmonibus potuit sciri? Non illum aliter scierunt dæmones, quam sciebant principes hujus sæculi. Sciebant enim ipsum esse qui promissus erat in Lege per signa prophetiæ: non tamen mysterium ejus, quo Filius Dei erat ex æterno, sciebant, neque sacramentum incarnationis.

LXVII. — Quid est quod in cruce positus Salvator ait: *Pater, ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII, 34): si enim nesciunt, quid est quod ignoscitur, maxime cum dicat rex Abimelech ad Deum, *Numquid gentem ignorantem perdes* (*Gen.* XX, 4)?

Non omnis ignorans immunis a pœna est: ille enim ignorans potest excusari a pœna, qui a quo disceret non invenit. Istis autem hoc ignosci petit, qui habentes a quo discerent, operam non dederunt. Hujusmodi non licet ignorare. Accipient ergo veniam, si convertantur.

(*a*) Non omnis ignorans immunis a pœna est. Hic enim qui potuit discere, et non dedit operam, reum se fecit. Erat enim ut disceret, et a quo disceret: sed negligentior luxuria aut malevolentia factus inexcusabilis est a crimine. Unde dicit Salvator, *Si non venissem et locutus eis fuissem, peccatum non haberent* (*Joan.* XV, 22). Ille autem qui non suo vitio ignorat, ideo enim ignorat quia non fuit a quo disceret, nec rumore comperit doctrinæ opinionem, omni genere immunis a condemnatione est. Ideo his, si convertantur, Dominus veniam postulat a Patre, qui cum prædicaretur veritas, ut eam addiscerent operam non dederunt, sed per ignorantiam auctorem ejus occiderunt. Unde Petrus apostolus in Actibus ait, *Convertimini, ut deleantur peccata vestra* (*Act.* III, 19).

LXVIII. — Cum utique orandum pro inimicis Dominus docuerit, quid est quod in Apocalypsi contra hos animæ occisorum ulcisci se petant, a Deo postulantes vindictam (*Matth.* V, 44; *Apoc.* VI, 10)?

Sic enim animæ occisorum clamant vindicari se postulantes, sicut sanguis Abel clamavit de terra (*Gen.* IV, 10). Causæ ergo sunt quæ clamare dicuntur, cum loqui non possint. Sanguis enim effusus quid aliud quam vindicari se postulat, clamans non voce, sed ratione? Nam et opus opificem laudare dicitur per hoc ipsum quod videntem se oblectat. Non enim tam impatientes sunt sancti, ut urgeant jam fieri quod sciunt tempore præfinito futurum, quod nec anticipari potest, nec differri. Sed hoc dicto ostendere voluit, vindicaturum Deum sanguinem sanctorum suorum: ne quia tam patiens nunc videtur, inultum putaretur impium bellum, quod contra sanctos geritur: ut et terrorem incutiens persequentibus Dei servos, et exhortaretur pro se patientes. Revelatur enim anima patientis quando vindicari se audit a potente. Præ se enim spem fert, si mortem suam audiat judici displicere: tunc enim pro certo habet innocentem se esse. Et Deus quidem misericors et patiens est, sed moderate. Exspectat enim ut impii credant, et peccatores se emendent: si quo minus, plectentur, quia Dei longam patientiam contempserunt. Cujus rei exemplum etiam tempore misericordiæ prædicatæ ostendit, ne non patiens, sed insensibilis, et quem neque dolor alicujus, neque pietas commoveret, videretur. Hinc est unde ait per prophetam, *Tacui, numquid semper tacebo* (*Isai.* XLII, 14)? et Dominus, *Numquid non faciet*, inquit, *Deus vindictam servorum suorum clamantium ad se die ac nocte* (*Luc.* XVIII, 7)? Sic utique clamant, sicut supra diximus. Si quis ergo christianus ad tempus vindicet, non acerbe, neque cum sanguine, non peccat: melius tamen fecerit, si dimiserit judici Deo.

(*b*) Apocalypsis cum futura mala et tribulationes diffidentiæ et malæ vitæ causa Deo vindice testaretur, exemplare etiam pœnarum uniuscujusque peccati occulata fide demonstrans, ut nihil impietatis et crudelitatis inultum remanere probaret, animas occisorum

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. quadragesima octava.

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex utroque Test. quarta.

(*b*) Ibid. Quæstio duodecima.

die ac nocte dicit vindicari se postulare. Quod quidem non est contrarium : quia Deus utique qui hanc legem dedit, vindicare se in diem judicii repromisit, ut hoc præceptum ad præsens dedisse videatur, quod excusat occisorum animas, si illic jam positi diem ultionis deposcunt. Et tamen, ut verius dicam, causam clamare intelligendum est. Ipsa enim non tacet, sed semper vindictam flagitat : sicut dicit Deus ad Cain, *Sanguis fratris tui clamat ad me de terra.* Quid est hoc, nisi quia causa facinoris clamat, vindicari desiderans ? Si enim dicimus, propter opus, Laudat terra Dominum ; cum utique neque vocem habeat, et careat intellectu : sic propter opera mala clamare dicitur sanguis. Nam utique non tam impatientes erant, neque tam imperiti, ut ante diem futurum judicii vindicari se peterent, ne postularent fieri quod sciebant non effici ante tempus definitum. Et Salvator similiter, *Non faciet*, inquit, *Deus vindictam electorum suorum clamantium die ac nocte ?*

LXIX. — Si jam prædicante Joanne, aut Salvatore, Lex cessavit ; quomodo Salvator ait, *Non veni solvere Legem aut Prophetas, sed adimplere* (*Matth.* v, 17) ? Si enim prohibita est [1], quomodo non soluta est, quæ agendi amisit auctoritatem ?

Omnia quæ de Christo dicta sunt, adimpleta sunt : et ipse Dominus sic adimplevit Legem et Prophetas, cum omnia quæcumque de se scripta sunt, fecit, nec dissolvit aliquid, sed confirmavit. Lex enim et Prophetæ usque ad ipsum. Prophetæ enim de ipso locuti sunt, ideo ultra illum quæ ab his de hoc, id est, de Christo dicta sunt, tendi non possunt ; neque post ipsum aliquid hujusmodi Prophetæ reperire potuerunt : quia neque habent de quo dicant, et de quo dicebatur jam venit. Omnia etenim suis voluminibus complexi sunt, et incarnationem, et conversationem, et passionem, et resurrectionem, et divinitatis manifestationem, et futurum ejus judicium revelaverunt : ac per hoc cessaverunt Prophetæ impleto opere dispensationis. Lex autem duplici modo cessavit ; nec quidem tota : nam et id quod cessavit poterit permanere, si servetur conditio. Aliud enim cessavit in sententia, aliud in ipsa Lege. Prædicante Joanne baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, cessavit sententia Legis, quæ reos tenebat peccatores ; cessaverunt etiam onera Legis, quæ ad duritiam cordis judaici fuerant data in escis, neomeniis, sabbatis, et cæteris. Misericordia enim adveniente, cessavit vindicta. Sed onera Legis in perpetuum cessaverunt. Sententia vero his cessat et aboletur, qui permansere in beneficio consecuto. His autem qui redeunt ad hominem veterem, refricatur Legis auctoritas, quia immemores beneficiorum redeunt sub sententiam Legis. Circumcisio vero et sabbatum usque ad illud tempus valuit, quo novæ legis prædicaretur mandatum. Sic enim data sunt, ut adveniente lege fidei cessarent. Unde dicit Apostolus, *Finis Legis Christus* (*Rom.* x, 4). Nam et Daniel hoc significat, cum et de adventu Domini et temporibus hebdomadum prophetat, quia et chrisma et judicium et sacrificium et ipsa civitas cessatura erant (*Dan.* IX, 24-27). Spirituali enim adveniente lege, necesse erat cessare carnalia. Tunc enim ex parte corporis serviebatur Deo, nunc ex parte animæ ; pridem visibiliter, modo invisibiliter ; tunc in carne, nunc in animo. Quia Deo utique qui spiritus est, in spiritu serviendum est (*Joan.* IV, 24). Non ergo soluta Lex est, quia cessavit, sed successum illi est impleto tempore. Nec enim administratio ejus accusatur aut judicium, si peccatoribus indulgentia datur : cum hinc magis recte data et justa probetur, quia quibus dominabatur, peccatores fuisse non negantur, quia *justis*, inquit, *Lex non est posita* (I *Tim.* I, 9). Non ergo quia misericordia præferenda est, contemnenda putetur justitia ; cujus reverentia si non esset, ipsa misericordia fructum non haberet. Nisi enim hanc servaverint post acceptam misericordiam, nihil illis proderit indulgentia. Nam dixit Lex, *Non facies tibi idolum, neque adoraveris quæ in cœlo sursum sunt, et quæ in terra deorsum ;* et, *Non pejerabis ;* et, *Honora patrem et matrem*, et, *Non occides*, *Neque fornicaberis*, *Neque furtum facies*, *Non dices falsum testimonium*, *Neque concupisces quidquam proximi tui* (*Exod.* XX, 4-17). Numquid hæc cessasse dicenda sunt? Absit. Sine his enim quis poterit vel in hac vita idoneus judicari ? Ac per hoc cætera cessaverunt quæ supra diximus, neomeniæ, sabbata, lex escarum, sacrificia, circumcisio, etc. Hinc est unde dicit Apostolus inter alia, *Principes non sunt timori operi bono, sed malo. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa* (*Rom.* XIII, 3). Hæc servata bonos faciunt, non tamen perfectos. Unde Salvator, *Nisi abundaverit*, inquit, *justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum* (*Matth.* v, 20). Addens enim istis potiora Salvator, non solvit utique Legem, sed adimplevit. Sensus enim Legis ad salutem hominis pertinet, utputa, *Oculum pro oculo, dentem pro dente* (*Levit.* XXIV, 20) : ut timens ne pateretur quod alii facere prohibitus est, cohiberet se a nequitia. Salvator autem superiorem in hunc sensum addens justitiam, *Ego autem*, inquit, *dico vobis*, *non resistere malo ; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et sinistram* (*Matth.* v, 39) ; ut dum vicem non reddit malo, perfectus sit. Reddere enim vicem justitia est, sed non plena ; si vero dissimulet ab injuria, plena justitia est et abundans. Retribuere enim, gaudere ad tempus est ; remittere autem, in futurum præstat lætitiam. Sic ergo adimplevit Legem Salvator, dum quos illa justitiam docuit, hic justiores effecit, quod illa non potuit. Quamobrem gaudium Legis est, quia discipuli ejus peritiores effecti sunt. Destruxisset plane Legem, si impune peccare docuisset. Porro autem suspendit sententiam, ut hic qui male facit, habeat spatium pœnitendi : si quominus, redit in illum sententia cumulata, quia non cognovit ad hoc se remissum ut emendaret se.

(*a*) Prophetarum dicta de Salvatoris adventu, impleta sunt cum venit ; quando enim quod prædictum est, factum est, impletum videtur : Lex autem, quam ad tempus datam diximus, cum tempore, quod transgredi prohibita est ; quia quod impletur, cessat. Auctoritatem enim amisisset, et destructa videretur, si non juxta prædictum tempus cessasset. Nam si alicui in potestate constituto successor datur, numquid destructus dicetur ? Destructa plane esset Lex si tempore quo viguit, accusaretur. Et non dixit, implesse se Legem aut Prophetas ; sed, *adimplere.* Adimplere autem non aliud significat quam plene addere. Quid est autem addere Prophetis, nisi culturam Dei sub Trinitatis nomine ordinare? Quamvis enim Prophetæ in Dei nomine docuerunt et corripuerunt populum ; hoc tamen mysterium in abscondito erat. Legem autem hoc est adimplesse, manentibus præteritis nova addere, utputa, *Audistis*, inquit, *quia dictum est antiquis, Oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo ; sed si quis percusserit te in maxillam tuam dexteram, præbe illi et sinistram.* Hoc fuit adimplere. Non enim destruxit illam, sed potiora addidit, non ut peccare videretur qui vindicat, sed ut melior sit qui non retribuit. Nec aliud ergo voluit, quam quod Lex in sensu habet, sed voluntatem ejus perficit. Ut enim Lex hominem justitiam doceret, et per hanc salvum faceret, mandavit ut si quis oculum tolleret alicui, oculum amitteret : et ut hoc timore territi homines non facerent quod sibi fieri nolebant, et per hoc salutem haberent. Sed quoniam fragile genus est hominum, et ad peccandum proclive, ideo incurrit ut patiatur quod sibi fieri non vult. Immutatis ergo Salvator verbis docuit quod saluti pro-

[1] Sic codex Colbertinus. At Mss. secundi generis : *Si enim cessavit.* Editi, *prophetia est.*

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. decima tertia.

desset, ut sensum Legis adimpleret, ut quia timore Legis salvi esse nequiverunt, per patientiam victi emendarentur, sese corrigentes. Hoc præceptum datum est, ut non insolentes viverent patientiæ bonorum, dum non illis retribuunt condigna; ut si voluerint corrigi, boni ex hoc profectum habeant, illi vero geminam pœnam. Non ergo justitia destructa est, quam videmus etiam per Apostolos operatam : quia et Petrus apostolus in Anania et Saphira hanc servavit (*Act.* v, 1-10). Et Vas electionis non repudiavit, sed usus est, dum et Elymam magum resistentem viæ Domini, excæcavit (*Id.* XIII, 8-11). Est etiam aliud quo impleta Lex est. Dicit enim Dominus, *Audistis quia dictum est, Diliges proximum tibi, et odio habebis inimicum tibi* ; hæc justitia est : Dominus autem, *Ego autem*, inquit, *dico vobis, Diligite inimicos vestros* (*Matth.* v, 43, 44). Addit utique, quod est adimplevit, quia non destruxit vetera, sed ut perfectos faceret, potiora mandavit. Inimicos enim, hoc est malos, quia retributione, quæ justitia dictante fit, emendare et corrigere non potuit, per amorem illos et obsequium salvos fieri voluit, quod et Lex in sensibus habebat. Lex enim sic voluit inimicitiam tollere, ut per retributionem territi homines desinerent esse inimici : et quoniam audacia sua homines timorem Legis et naturæ spreverunt, crescentes in malum ; per humilitatem Salvator inimicitiam voluit vinci, ut vel sic homines flecterentur ad bonum, dum viderent non sibi reddi inimicitiam ; permanentes autem gravius tractandos fore, quia nec humilitate ejus, cujus vicissitudinem experiri debuerant, victi sunt. Non ergo justitia in vindicta oblitterata est, sed suspensa ad utrumque ; quia cessavit circa eum qui sese cognovit : si quominus, plecteret contumacem.

LXX (*a*). — Dominus certe inimicos nos diabolo fieri præcepit : quid ergo est ut in Evangelio dicat, *Esto consentiens adversario tuo cito* (*Ibid.* v, 25)? Quis est hominis adversarius, nisi diabolus?

Nulli dubium est diabolum esse hominis inimicum, maxime fidelis. Vehementiora enim tela sua contra Dei servos exacuit. Sicut ergo iste bonorum inimicus est, ita et lex malis adversa est. Quis enim contemnenti se non adversetur? Dominus ergo peccatorem alloquitur, ut consentiat mandatis quæ illum inobedientem condemnant, ut subjiciat se voluntati eorum, et fiat ex inimico amicus. Quia et contemptor legis inimicus est ejus : voluntati enim ejus resistit. Ideoque hortatur Dominus peccatorem, ut bene agendo reconciliet sibi legem, ne in die judicii accuset eum apud judicem, et condemnatus pœnas det spretæ legis : Omni etenim, inquit, qui male vult agere, disciplina Dominica inimica videtur : cui nisi consenserit, mittetur in gehennam, diabolo, qui vere inimicus humani generis est, præparatam.

LXXI. — Jacob appellatus est Homo videns Deum, et Moyses vidit Deum facie ad faciem ; necnon et Isaias, *Vidi*, ait, *Deum sabaoth oculis meis* : contra autem Joannes evangelista, *Deum*, inquit, *nemo vidit unquam* (*Gen.* XXXII, 28 ; *Exod.* XXXIII, 11 ; *Isai.* VI, 5 ; I *Joan.* IV, 12) ; hoc, quantum videtur, contrarium est.

Quantum ad fidem veri pertinet, Deum omnino nemo vidit unquam, neque Patrem, neque Filium. Quod enim visus dicitur, ad intelligentiam refertur ; visus est enim velut in imagine. Veluti nos cum imperatores nesciamus, videmus eos in figura, non in veritate : ita et Deus visus est, ut intelligeretur Deus esse qui apparebat, per rationem, non per substantiam ; quia in natura sua Deus videri non potest. Et ut verius propositæ quæstionis secreta pandamus, sensum Evangelistæ explicare nitamur. Joannes enim occultum aliquid prodere voluit, quod scivit ad salutarem doctrinam pertinere : idcirco, *Deum*, inquit, *nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit*. Animadvertamus sensum Evangelistæ : ut enim verum esse, quia nemo vidit Deum unquam, ostenderet, Filium hoc enarrasse docet : quem falli utique impossibile est, quia in sinu Patris est. Sinus autem Patris quid est, nisi affectus in charitate veri Patris per naturæ unitatem in Filium? Quamobrem nemo vidit Deum, nisi unicus Filius : hoc Joannes apostolus Filium Dei audivit dicentem inter alia, *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem*. Ut ergo ad condemnationem proficeret Judæorum, qui Christum Dei Filium audire nolebant vel credere, ostendit Evangelista hunc esse Christum qui Patribus apparuisset in Deum [1] : illum autem qui Pater est, nunquam videri nisi a Filio. Quando enim Deum Patrem negat visum, et Deum apparuisse Patribus profitetur, manifestare se vult Dei Filius, quia ipse semper in Deum visus a Patribus est. Unde inter cætera dicit Judæis de Patre, *Neque vocem ejus audistis aliquando, neque figuram ejus vidistis* (*Joan.* v, 37). Ecce non est contrarium, et visum et invisum esse Deum.

LXXII. — Quando legitur in Apocalypsi Joannis, *Vade, inquit et accipe librum de manu angeli, et devora illum, et amaricabit ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulcis sicut mel* (*Apoc.* x, 8, 9) : quis iste liber est, qui amarum facit ventrem cum sit dulcis?

Omnia divina volumina amara sunt, sed perfidis atque carnalibus. Idololatris enim insuave est, cum audiunt unum Deum prædicari in Christo. Et Photinus simul pertimescit horrore correptus. Erubescit etiam Sabellius audiens Patrem esse qui Filius dici non possit, quia ab ipso sunt omnia ; Filium autem idcirco Filium appellari, quia non utique Pater ipse est, sed de Patre, nec a quo, sed per quem sunt omnia. Confutatur et Arius, cum legit Christum verum esse Filium Dei ; sine dubio enim verus dici non posset, nisi proprie esset de Deo. Convincitur et Marcion, addiscens quia Verbum caro factum est, qui putat Christo carnem negandam. Arguitur etiam improbus Manichæus, videns scriptum ab Evangelista, quia Salvator non solum præsentia sui nuptiarum vota decoravit, verum etiam poculis honestavit (*Joan.* II, 1-11), qui nuptiarum aditus intercludit et promiscue convenire hortatur. Hæc continentur in libro, quem accepit Apostolus devorandum. Hic liber Evangelium est quod κατὰ Joannem intitulatur, quod non solum male sentientibus amarum est, verum etiam indisciplinatis, qui nolunt corripi, ut in pejus proficiant. Ista revelatio eo tempore facta est, quo apostolus Joannes in insula erat Pathmos, relegatus a Domitiano imperatore, fidei causa. Tunc fuit in Spiritu, ut posset videre cœlestia, et dum hæc ei ostenduntur, quæ futura sunt causa impietatis et stupri et cæterorum, datus est illi liber qui dulcis quidem erat in ore, sed amarum faceret ventrem : ut ex his qui videntur unius corpus esse hominis [2], istis dulcis esset ; qui propter quod integræ professionis sunt, in ore significati sunt : hoc enim dulce in ore est, quod unum est : illis autem qui hæretica pravitate carnaliter vivunt vel sentiunt, propter quod in ventre significati sunt, amarus. Accusabit enim eos in die judicii Dei. Post revelationem ergo Evangelium jussus est scribere, propter hæc quæ supra diximus. Et Ezechieli prophetæ similiter dictum est, ut acciperet librum qui esset dulcis in ore ejus, quando perfidiam populi missus est increpare (*Ezech.* III, 1).

(*a*) Frequenter, qui compendium quærit, solet errare. Quid est ut non omnia ad causam dicta proponas, sed aliqua reprimas, ut obscurior fiat sensus? Nam dictum est Joanni, *Vade, et accipe librum, qui est in manu angeli, et devora illum; et erit in ore tuo dulcis tanquam mel, sed amaricabit ventrem tuum*. Et ait, *Oportet, inquit, te prophetare iterum populis et*

(*a*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.

[1] Abest, *in Deum*, a Mss. secundi generis.
[2] Ms. Colbert., *corporis esse hominibus*.
(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. sexagesima quinta.

gentibus multis. Quantum ergo ad veri pertinet rationem, post exsilium Evangelium scripsisse probatur. In exsilio enim positus in insula Pathmos, in quam fuerat a Domitiano imperatore relegatus, vidit revelationem, sicut dicit, in die dominico : post, sicut dixi, scripsit Evangelium, quod hæreticis amarum est, quos in ventre significavit. Sunt enim carnales, quia male intelligunt Christum. *In ore autem tuo*, quod dicit, *erit dulcis tanquam mel* : quasi omnium Christianorum unum facit corpus, ut singuli membra sint alter alterius : ita ut in ore, quod utique capitis pars est, honorabiliores et fideliores significet, quibus veritas quæ de Christo est, dulcis est; in ventre hæreticos significat, quia carnales sunt. Veritas enim quæ Christum verum Deum loquitur, his amara est. Totum enim Evangelium Joannis contra hæreticos est. Contra Photinum enim, qui Christum ante Mariam esse negat, probat de cœlis descendisse Salvatorem. Contra Arium autem, ostendit Christum initium non habere : quia in principio erat Deus Christus Filius Dei apud Deum Patrem, et quia nihil sine illo factum est, ipsum non posse dici facturam. Si enim factura erat, factum esset aliquid sine illo : sed quia nihil sine illo erat, semper fuit. Sabellium autem qui unionem accipit Patrem et Filium, ut unus singularis duobus nominibus nuncupetur, sic convincit ut dicat, *Si me diligeretis, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28) : ubi manifestavit duorum personas, quando Filius Patrem majorem appellat. Nec enim singularis ipse sibi major est. Necnon convincit et Marcionem qui carnem Christi denegat. Dixit enim, *Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Id.* I, 14). Hoc sensu etiam Manichæum arguit, qui Christum in carne venisse nescit, et nuptiarum aditus intercludit, ignarus Salvatorem nuptiarum convivium remunerasse. Similimodo et prophetæ Ezechieli dictum est ab angelo ut acciperet volumen (*Ezech.* III, 1), et devoraret illud, et dulce esset in ore ejus, ventrem autem ejus repleret. Hoc dictum est prophetæ, cum missus est arguere populum perfidum et indisciplinatum, qui similiter in ventre significati sunt, quia erant carnales. Ex his sunt quos Scriptura in Isaia propheta, licet mali sint, fratres appellat. Dicit enim : *Vos qui timetis Deum, dicite illis qui vos oderunt, nec audierunt præcepta mea, Fratres nostri estis* (*Isai*, LXVI, 5, *sec.* LXX).

LXXIII. — Quid est quod Simeon dicit ad Mariam matrem Domini inter cætera, *Hic positus est in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel : et tuam*, inquit, *ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes* (*Luc.* II, 34, 35)?

Simeon vir sanctus, et divinis oraculis commendatus, per Spiritum sanctum locutus quid futurum esset hominibus ex causa Christi, ut ruina his esset, qui cum sibi viderentur stare per observantiam et peritiam Legis, diffidentia tamen operum Christi caderent, dissoluti a promissione Patrum : illis autem qui nullius prope dignitatis essent in Lege, credentibus vero in Christum, resurrectio in Israel. [Ut digni Deo fierent qui prius indigni et inutiles erant, et reprobarentur qui aliquid esse putabantur [1].] Hoc est quod alio loco dicit Dominus, *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX, 39). Denique non Legis doctores, non Pharisæi, non Scribæ secuti sunt Christum; sed piscatores, homines imperiti et rusticani. Hinc est unde dicit Dominus : *Pater, gratias ago tibi, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI, 25). Quod autem adjecit, dicens, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes*; hoc utique significavit, quia etiam Maria, per quam gestum est mysterium incarnationis Salvatoris, in morte Domini dubitaret; ita tamen, ut resurrectionis honore et virtute Domini firmaretur. Omnes enim stupore quodam in morte Domini dubitarunt. Non tamen in dubitatione permanserunt. Sic enim animam pertransit gladius, si dubitatio non permaneat in cogitatione, sed pellatur superveniente reformante se pristina virtute. [Quis enim non ambigeret videns eum, qui se Filium Dei dicebat sic humiliatum, ut usque ad mortem descenderet? Et quia, ut dixi, omnis ambiguitas in resurrectione Domini recessura erat, pertransire dixit gladium, non supercadere, aut contingere transeuntem membrum aliquod. Ut sicut gladius missus pertransiens juxta hominem, timorem facit, et tamen non percutit, ita et dubitatio mœstitiam faceret, non tamen occideret : quia non sedit in anima, sed pertransiit, quasi per umbram contingens corda discipulorum. Denique Cleophas et alius discipulus Emmaus euntes [1], in via tristes, dixerunt inter cætera ipsi Domino, nescientes quia Dominus est, *Nos putabamus, quia ipse erat qui incipiebat liberare Israel* (*Luc.* XXIV, 21). Dubitaverunt, sed, statim agnito Domino, transivit dubitatio [2].] Sicut dictum est et de Joseph, quia *ferrum pertransivit animam ejus* (*Psal.* CIV, 18). In carcere enim innocens diu positus, de Dei judicio circa se quod dubitaverit, non est mirum : sed quia plus de Deo sperabat, non permansit in ambiguitate. In eo enim quis judicatur, in quo propensior est. Apocalypsis Joannis hoc sancit. Dicit enim, *Dubiis et infidelibus pars erit in stagno ignis et sulphuris* (*Apoc.* XXI, 8). Ideo qui non permanet in dubitatione, eripitur a morte (*a*) : hoc est mortem evadere; quia dubitare de Deo, vel de Christo, mors est. Ac per hoc qui desinit dubitare, evadit mortem.

LXXIV. — Quid sibi vult ut Isaias propheta dicat de Christo, *Qui peccatum non fecit* : contra autem Apostolus, *Eum qui peccatum*, inquit, *nesciebat, pro nobis peccatum fecit* (*Isai.* LIII, 9; *II Cor.* V, 21).

Quantum ad sensum pertinet, quæstiones diversæ sunt, sed verba similia : ex parte quidem similia, ex parte vero discrepantia. Fecit enim, et non fecit, contrarium est; nesciebat, et non fecit simile est. Propheta ergo ex persona Christi locutus est, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus; Apostolus vero loquitur de persona Dei Patris, qui eum, id est Christum qui peccatum nesciebat, pro nobis peccatum fecit. Quod duplici modo intelligendum est. Primum enim fecit illum peccatum, dum incarnari illum voluit, ut quem sors non tangebat, de peccatrice carne corpus acciperet, per quod dicitur factus peccatum. Deinde dum offert eum pro peccatis, fecit illum peccatum. Hostia enim in Lege pro peccatis oblata, peccatum nuncupabatur. Non ergo Christus peccatum fecit, sicut dicit propheta; sed a Patre ipse peccatum factus est, sicut ostensum est. Offerre autem Christum pro nobis quid est, nisi dare potestatem volentibus eum occidere? Quod idcirco concessum est, quia profuturum erat ut esset causa descendendi ad inferos, ut spoliaret tartarum animabus. Superabundans enim et inauditum peccatum est, occidisse eum qui non solum nullo genere peccaverat, sed et multis vitam donaverat. Hoc peccato reus factus diabolus, contradicendi audaciam perdidit. Nam simile aliud ad Galatas in Epistola legitur : inter cætera enim, *Factus*, inquit, *pro nobis maledictum* (*Galat.* III, 13). A quo factus, nisi a Patre? Judicio enim Dei crux Christi maledictum est Judæorum : peccatum enim illorum exclamat mors Salvatoris. Crucifigi ergo se permisit, ut passio ejus proficeret nobis, ut hinc cum signo ejus exeuntes, a secunda morte minime teneremur. Metuit enim mors etiam servos ejus a quo victa est.

(*b*) Quantum ad propositum pertinet, non solum verba discrepant, sed et personæ diversæ sunt. Fecit

[1] Hæc desunt in Mss. secundi generis.

[1] Ms. Colbert., *Cleophas et Amaus euntes.*
[2] Hæc desunt in Mss. secundi generis.
(*a*) Reliquum deest in Mss. secundi generis.
(*b*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. quadragesima.

enim, et non fecit, contrarium est. Sed quia non ab hoc factum intelligitur, qui fecisse negatus est, contrarium dici non potest. Prophetæ enim dictum ad personam pertinet Christi, Apostoli vero ad personam Patris. Deus enim Pater reconciliavit sibi mundum per Christum; et ita factum est, ut eum, id est, Christum, faceret peccatum. Hoc est enim fecisse eum peccatum, dare illum in utero virginali, ut nasceretur homo, ex parte carnis factus peccatum, quia caro peccati est, hic utique quem sors et conditio non tangebat hominem procreare. Ad hoc igitur natus est, ut hostia pro peccatoribus offerretur. Peccatum ergo factus dicitur, quia secundum Legem hostia quæ pro peccatis offerebatur, peccatum nuncupabatur. Similis locus est alius Apostoli ad Galatas dicentis de Salvatore, *Factus pro nobis maledictum :* ipse sensus est, Factus est pro nobis peccatum sive maledictum nostra causa a Deo Patre qui permisit illum a Judæis occidi, ut incredulitatis suæ causa abdicarentur a nobis in locum illorum inductis; sicut dicit Salvator, *Tolletur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus* (*Matth.* XXI, 43). Nam omne quod permittit Deus, facere dicitur : quia si non permittat, non fit. Unde dicit Dominus ad Pilatum, *Non haberes potestatem in me, nisi data esset tibi desuper* (*Joan.* XIX, 11). Non ergo immittens, sed permittens dare dicitur potestatem, ut dum mala mens voluntatis suæ accipit potestatem, sit rea : sicut Judæi qui occidentes Salvatorem, fecerunt illum maledictum suum, Dei judicio. Crux enim Salvatoris maledictum est Judæorum. Non enim sicut hostia quæ pro peccatis offerebatur, abluebat offerentem ; sed contra oblatus Salvator macula et peccatum fit offerentium : justificatio autem illorum qui dissentiunt, ut gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu. Oblatio enim Judæorum profecit Gentibus non diffidentibus a fide Jesu Christi.

LXXV. — Cur Salvator pro se tantum et Petro didrachmam solvit, non etiam pro cæteris Apostolis (*Matth.* XVII, 26)? Quippe cum omnes eum, relictis facultatibus omnibus, subsecuti sint, pro omnibus solvere debuisse videtur.

Didrachma, capitum exactio intelligitur, non prædiorum, [quod nunc pannosum aurum appellatur, quia et pauperes exiguntur [1] :] nec enim Salvator aliquid possidebat in mundo, cum sit dominus mundi. Mortuus enim alienis impendiis sepelitur : et nos a quibus mundus extraneus est, facultates augere cupimus, ut morientes mundum a nobis invasum, non tantum voce, sed et litteris contestemur, ut professione nostra ab eo, cujus mundus est, condemnemur. Hinc Dominus, *Qui non*, inquit, *reliquerit omnia*, *et secutus me fuerit, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV, 26). [Quicumque ergo sic habet facultates suas, ut spem in illis non habeat, paratus autem sit pro fide illas abjicere, viam ambulat qua itur ad Christum Dominum nostrum [2].] Didrachma ergo ab his exigenda erat, qui aliquid negotii gerebant, aut artibus operam dabant. Salvator autem, quia nihil horum curabat, neque discipuli ejus, exigendus utique non erat : sed quia inimicus diabolus semper in insidiis erat, occasionem quærens si posset inclinare Salvatorem ; exactorum didrachmæ animos occupavit, ut ejus facerent voluntatem ; ut accedentes ad Petrum, qui primus inter Apostolos erat, solvi debere ab eorum magistro dicerent didrachmam, qui ab his oneribus liberi erant. Nihil enim agebant in mundo quod esset mundi : ut quia non erat unde solveret, aut his scandalo esset, aut certe humilitate suffragii quæreret a quo solveretur. Tunc Dominus ut improvidum diabolum adversus semetipsum semper machinari ostenderet, ad mare ire Petrum apostolum jubet [3], et capti piscis os aperire, et illic invenire nummum exactioni debitum : quo soluto, non solum scandalum non esset exactoribus, neque inclinaretur requisito auxilio ad solvendum; verum etiam signum virtutis maximæ demonstraret, per quod captos a diabolo ad se traheret, ut argumento et astutia sua diabolus torqueretur. Dicunt ergo exactores didrachmæ ad Petrum apostolum, *Magister vester non solvit didrachmam*, etc. Quo dicto, magistrum ut pro omnibus discipulis solveret, convenerunt. Salvator autem cum pro se et Petro dari jubet, pro omnibus exsolvisse videtur : quia sicut in Salvatore erant omnes causa magisterii, ita et post Salvatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, ut pastor esset gregis dominici [1]. Nam inter cætera dicit discipulis. *Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* XXVI, 41). Et Petro dicit : *Ecce satanas expostulavit, ut vos ventilet sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII, 31, 32). Quid ambigitur? Pro Petro rogabat, et pro Jacobo et Joanne non rogabat, ut cæteros taceam? Manifestum est in Petro omnes contineri : rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in præposito populus aut corripitur, aut laudatur. Quia et alio loco dicit : *Ego pro his rogo quos mihi dedisti*, *Pater; et volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum* (*Joan.* XVII, 9, 24).

LXXVI. — Joannes in Evangelio, *Lex*, ait, *per Moysen data est*, *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Id.* I, 17) : ergo Gratia et veritas ante non fuit. Quomodo ergo Lex a Deo data dicitur, in qua veritas non fuit?

Non sic passim prætereundum est, sed considerandum est quid sit, *Lex per Moysen data est*. Per Moysen enim Lex data manifesta habet præcepta ; sed scripsit et historiam, quæ et ipsa Lex appellatur. Et videamus, quid in præceptis ejus non erit verum : forte quod dicit, *Non occides*, *Non fornicaberis*, *Non furtum facies* (*Exod.* XX, 13-15)? talia sunt et cætera. Nam historia ejus, quia ante adventum Christi veritas non erat, hoc manifestum est. Etenim quæ sub velamine erant, quid significarent, incertum erat. Cum autem per Christum manifestaretur, cujus persona sit quæ dicit in Genesi, *Faciamus hominem ad imaginem et ad similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26), et quis est qui fecit; et quis fuerit qui in rubo a Patriarchis visus fuit (*Exod.* III, 2); et qui in petra operatus sit, quæ dedit aquas in deserto (*Id.* XVII, 6); quia *Petra*, inquit, *erat Christus* (I *Cor.* X, 4) : sic fuit veritas per Christum, quando ea quæ latebant, aut in dubium veniebant, quid significarent a Christo ostensum est. Nam inter cætera Dominus ait, *De me scripsit Moyses* (*Joan.* V, 46). Hoc prius latuit; error enim erat. Putabatur enim Deus Pater, qui erat Filius; et qui æstimabatur angelus, cognitus est esse Dei Filius. Et promissio facta fuerat Abrahæ, quæ quamdiu non reddebatur, in ambiguo erat; cum autem veniente Christo reddita est, facta est veritas : quando et quod promissum est redditum est, et cœpit sciri quod erat promissum. Promittentis enim fides tunc vera probatur, cum exsolvit promissum.

(*a*) Videndum est quid sit, *Lex per Moysen data est*. Per Moysen autem Lex data, manifesta habet præcepta, et quid illic non erit verum? *Non occides*, *Non fornicaberis?* talia et cætera sunt. Sed scripsit et historiam in qua usque ad adventum Salvatoris, quæ esset veritas, manifestata non erat. Cum ergo per Christum manifestatur, cujus persona dicat, *Faciamus*, et quæ sit quæ faciat; et quis fuerit qui in rubo, aut Patriarchis visus sit; et qui in petram, cum aquam ipse produxit, operatus sit, quia *Petra*, inquit, *erat Christus :* fit ergo veritas per Christum, dum ea quæ in dubium veniebant, quid significent intelliguntur. Itaque Lex per Moysen data reos constituit peccatores :

[1] Absunt hæc a Ms. Colbertino.
[2] Hæc absunt a Mss. secundi generis.
[3] Mss. secundi generis addunt, *quasi cui curam domus delegaverat.*

[1] Mss. secundi generis : *Ipsum enim, post se reliquit pastorem, ut pastor esset gregis dominici.*
(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. trigesima.

Gratia autem promissa in Lege adveniens, donatis peccatis peccatores morte privavit. Ordo ergo fuit primum Legem dare, postea vero misericordiam, quæ tunc fit Gratia, dum donat peccata. Ante enim promissio erat, quæ postea fit Gratia. *Veniet enim*, inquit, *ex Sion qui eripiat et avertat impietatem ab Jacob* (*Isai.* LIX, 20, *sec.* LXX). Hæc promissio per Christum, facta est Gratia, dum donat gratis peccata. Quomodo autem donaret peccata, si non prius Legem daret, per quam reis factis veniam largiretur? Nam non daret nisi quod sibi debebatur. Deberi autem non poterat, nisi Lex præcederet.

LXXVII. — Quid est quod inter cætera dicit Marcus Evangelista de Christo, *Intrans in domum voluit neminem scire, et non potuit latere* (*Marc.* VII, 24)? si ergo voluit et non potuit, infirmata voluntas ejus videtur.

Impossibile prorsus est ut Salvatoris voluntas non impleatur; nec potest velle quod scit fieri non debere: idcirco quod factum est, hoc voluisse dicendus est. Nam voluntas ejus nunquam extra naturam ejus est. Sicut ergo natura ejus in reprehensionem non cadit, ita nec voluntas. Nam quod proponitur, factum legitur in finibus Tyri: tunc intravit in domum, et neminem voluit scire. Nunc requiritur quomodo vel quare neminem voluit scire. Animadvertendum est enim, quia istud in finibus gestum est Gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat. Denique mittens discipulos suos præcepit, dicens, *In viam Gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne introieritis; sed ite potius ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* X, 5, 6). Idcirco noluit se prodi, quod esset in domo; requiri autem se non noluit, sed libenter accepit. Quamvis enim tempus non esset prædicandi Gentilibus, ultro tamen venientes ad fidem non suscipere, invidiæ erat. Sic factum est, ut dum Salvator a discipulis proditus non esset, ab aliis tamen qui eum ingredientem domum viderant, proditus sit: et cœpit sciri quod esset in domo, ut intrarent ad illum qui vellent consequi beneficia. A suis ergo noluit prædicari, quod esset in domo. Requiri enim se voluit; et ita factum est. Non enim latuit ab aliis demonstratus quod esset in domo. Denique mulier Chananæa audiens de illo, intravit ad eum deprecans ut expelleret dæmonium a filia ejus: quæ nisi prius subjecisset se Deo Judæorum, beneficium consecuta non esset. Impleta ergo voluntas Salvatoris est secundum quæ explanavimus: ea enim quæ compendio brevitatis studens Evangelista complexus est, discutientes, invenimus quod latebat.

(*a*) Hoc quod per compendium propositum est, ut plus sensum posset occulere, in finibus factum legitur Tyri: quia cum Salvator pervenisset in fines Tyri, intravit in domum. Et quia non adhuc Gentibus prædicare oportebat, jussit neminem alicui nuntiare adventum suum: hoc est, *neminem voluit scire*: et subauditur, a suis noluit nuntiari alicui quia erat in domo. Requiri autem se noluit, quia tempus offerendi Gentibus gratiam non erat. Denique veniens mulier, comperto ab aliis qui viderant illum intrasse in domum, orabat expelli dæmonium a filia sua. Salvator autem sciens non esse tempus dandi ultro gratiam Gentibus, ait, *Sine, nati prius saturentur. Non enim licet accipere panem filiorum, et mittere canibus.* Tunc mulier consensit Salvatoris verbis, et accepit beneficium quod volebat. Consentiendo enim junxit se Deo Judæorum. Hac ergo causa noluit per suos sciri quod esset in domo: et ita factum est ut voluit.

LXXVIII (*b*). — Legitur in Evangelio Joannis, quod cum negasset se Salvator ascendere ad diem festum, ascendit (*Joan.* VII, 8, 14): hoc inconstantis esse videtur.

Semper breviata propositione sensum occultas. Nam hoc quod in quæstionem vocas tunc factum est, quando in Galilæa positus propter tumultum Judæorum, fratribus suis adhuc non credentibus sibi, compellebatur ascendere in Judæam, quia futurus erat dies festus Judæorum, ut seditionem pateretur. Ipse autem respondit eis, dicens: *Vos ascendite ad diem festum istum, quia mundus vos non odit: me autem odit, quia arguo opera ejus. Ego non ascendo ad diem festum hunc, quia tempus meum nondum impletum est.* Tunc fratres ejus ascenderunt ad diem festum, ipse vero mansit in Galilæa. Post autem et ipse ascendit ad diem festum. Quid videtur contrarium, quando non tunc ascendit quando negavit, sed ascendit postea; et ascendit non quasi ad diem festum, sed quasi ad litem? Illi enim omnes læti ascenderunt, quasi ad perfruendas delicias diei festi. Certum est ergo, quia non ascendit ad diem festum. Salvatori autem ille fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum. Denique dicit: *Nunc clarificatus est Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo* (*Joan.* XIII, 31). Hic dies festus ejus est, in quo vicit mortem.

LXXIX (*a*). — Si proprio arbitrio vivimus, quare Salvator dixit, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum* (*Id.* VI, 44): et consentiens his Apostolus, *Neque volentis*, inquit, *neque currentis, sed miserentis Dei est*: et, *Cujus vult miseretur, et quem vult indurat* (*Rom.* IX, 16, 18)? Quomodo voluntatis arbitrium liberum est, quando alterius nutu aut ad bonum ducitur, aut ad malum?

Aliter causa se habet quam proposita est. Non enim hic quæstionis hujus sensus est quem obtendis. Nam nullo genere ex his liberi arbitrii poterit causa turbari: quia si penitus sensum dictorum advertas, scies hinc magis arbitrii liberi firmari sententiam. Hæc enim contra malevolos Judæos prolata sunt. Cum enim dolo simulationis ortæ ex invidia, Joseph patrem proprium et filios ejus fratres assererent Salvatoris, ne Dei esse Filius crederetur, tunc Salvator ait, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum.* Quomodo autem Pater attrahebat ad Filium, nisi per opera quæ faciebat per illum? Sic enim dicit, *Pater manens in me, ipse operatur* (*Joan.* XIV, 10): ut opera hæc attraherent ad fidem Christi. Virtutes enim quas faciebat Salvator, ipsæ suadebant Deum esse Patrem Christi: ut qui alium patrem habere illum diceret, non attraheretur a Deo ad Christum. Ideo ergo Deus operabatur per Christum, ut verbis ejus fides commodaretur, quibus dicebat se Filium Dei. Hæc est attractio, non violentiæ, sed testimonium Dei in Christo, cui qui credidit, attractus dicitur ab eo ad Christum. Nemo enim Salvatori credit, nisi qui Patrem illius proprium dicit Deum. Nam Apostolus non ut arbitrium pulsaret, hæc fatus est quæ in quæstionem redegisti; sed ut judicium Dei retractari prohiberet, hæc dixit, justum prædicans Deum: scit enim cujus debeat misereri. Cordis enim inspector providet postulantis mentem, an mereatur accipere. Denique dicit per prophetam, *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (*Isai.* XXIX, 13). Nam simulatoris animum justum est ut obduret. Qui enim non per errorem, verum vocat falsum, sed per malevolentiam, ut intelligens bonum, fingat se nescire quod bonum est, ut convertat illud in malum; hoc utique debet illi præstari, ut vere non intelligat bonum, ne salvetur, quod non vult. Nec enim justum est, ut invitus salvetur, qui non per ignorantiam salutem spernit, sed per malitiam vel invidiam. His igitur confirmatur magis liberum arbitrium quam destruitur, ut unicuique pro voto suo respondeatur.

(*b*) Nullo genere ex his liberi arbitrii causa poterit turbari. Si enim dicta ad causam referas qua dicta sunt, scies hinc magis arbitrii liberi firmari senten-

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. vigesima quinta.
(*b*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.

(*a*) Pelagianizare videtur auctor hujus sequentisque quæstionis.
(*b*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis inter post vulgatas ex Novo Test. trigesima secunda.

tiam. Cum enim Judæi studio malevolentiæ suæ de Salvatore dicerent, *Nonne hic est filius Joseph, cujus nos novimus patrem? Quomodo ergo hic dicit, Quia de cœlo descendi?* Ad hoc respondit Jesus : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, attraxerit eum.* Nunc videndum est quomodo trahit Pater. Ipsius Salvatoris verbum sumatur; dicit enim, *Opera quæ facio, Pater facit. Credite quia ego in Patre, et Pater in me.* Si ergo in Filio Pater operatur, opera autem sunt quæ invitant ad fidem; recte dixit, quia *nemo venit ad me, nisi quem Pater traxerit.* Trahit autem, cum operatur per Filium. Nam qui sibi vult credi, quomodo tollit liberi arbitrii voluntatem? Et qui incredulum arguit, qua ratione trahit invitum? Ad Judæos utique hoc protulit, qui alium patrem illius, quam qui est, dicebant. Nemo enim Salvatori credit, nisi qui Patrem illius dicit Deum. Apostolus quoque non ut arbitrium pulsaret, hæc fatus est quæ nunc proposita sunt; sed ut ostenderet Dei esse justum judicium, qui falli non potest in danda aut non danda misericordia. Est enim qui postulat, et non meretur accipere; alius vero petit, et meretur accipere. Hic enim non solis verbis, sed operibus obsecrat; ille sola lingua; hic et corde contribulato; talis enim potest impetrare. Denique quid dictum in Lege est? *Plebs hæc labiis me honorat, cor autem illorum longe est a me.* Si ergo duo petant, unus autem ex his accipiat, debet sciri hunc sic postulasse ut dignus esset accipere : quia Deus qui justus est, non dat nisi cui dandum scit. Vides ergo non arbitrium negatum, sed firmatum. Nam si una mente, una operatione duos audieris postulasse, et unum ex his exauditum, alterum despectum; recte et arbitrium non esse, et Deum acceptorem personarum putares.

LXXX. — Certe aut filius Dei quisque est aut diaboli : semper ergo filius est; sed aliquando Dei, aliquando vero diaboli : quid ergo nascimur requirendum est.

Dominus cum filii Israel sæpe delinquerent educti de Ægypto, iratus sententiam dedit, dicens, nullum illorum intraturum in terram promissionis excepto Caleb et Josue filio Nave, qui prius Auses dicebatur. Eos autem qui nati fuerant in deserto, ipsos dixit intraturos, eo quod nescirent bonum aut malum. Nescire autem bonum aut malum, simplicitas quædam est naturalis, quæ neque ad malum erudita est. Hæc est ignorantia sine malitia. Sine sensu enim nascimur : sed natura nostra hoc bonum habet, quod capax est ediscere veritatem. Filius autem diaboli est, qui natus malis rebus imbuitur, ut his studeat quæ inimica sunt Creatori, multos asserens deos, et his immolandum quasi mundi rectoribus. Hic si resipiscat, et juxta naturam suam sentiat, ad Creatorem se conferens, filius Dei erit. Ac per hoc neque filii Dei sunt qui nascuntur, neque filii diaboli. Quid enim dicit Salvator Judæis? *Vos de patre diabolo estis, et concupiscentias patris vestri vultis facere* (*Joan.* VIII, 44). Vides ergo operibus et professione filios creari diaboli : hos autem esse filios Dei, qui confitentes proprium esse Deum Patrem Christi, recte versantur. Sic enim Deus instituit genus nostrum, ut sine sensu nascamur, possibilitatem tamen habeamus discendi, sive bona, sive mala; ut ipsi nobis aut mala acquiramus, aut bona : ut lætemur in nobis, cum recte agentes remuneramur; aut ipsi nobis imputemus, si prava sequentes condemnemur.

(*a*) Dominus, cum filii Israel sæpe delinquerent educti de Ægypto, iratus, nullum illorum in terram promissionis intrare permisit, excepto Caleb et Jesu Nave. Filios autem eorum qui nati fuerant in deserto, ipsos dixit intraturos, eo quod nescirent bonum aut malum. Nescire autem bonum vel malum, simplicitas quædam est naturalis, quæ neque ad bonum neque ad malum erudita est : hoc est, ignorantia sine malitia. Sine sensu enim nascimur, sed nostra natura capax est ediscere veritatem. Filius autem diaboli est, qui natus malis rebus imbutus, iis studet quæ adversus Creatorem sunt, dicens multos esse deos, et iis sacrificandum quasi mundi rectoribus. Hic si resipiscat, ad naturalem regressus justitiam, recipiens fidem Christi, erit filius Dei : ac per hoc neque filii Dei sunt qui nascuntur, neque diaboli. Quid enim dicit Salvator Judæis? *Vos de patre diabolo nati estis, et concupiscentias patris vestri vultis facere.* Vides ergo operibus et professione filios diaboli procreari. Sic enim Deus instituit genus nostrum ut sine sensu nati, possimus tamen erudiri ad utrumque, ut sive ad bonum, sive ad malum ipsi nobis quodammodo simus auctores : ut lætemur in nobis, cum recte agentes remuneramur; aut nobis imputemus si prava sequentes pœnis subjiciamur : ideo judicio nostro nos dimisit, ut neque queramur de malis, neque frustra, sicut et Dei filios per fidem fieri, de nobis gaudeamus si coronemur. Deus conditor et auctor substantiæ nostræ voluit aliquid nos proprium nostrum habere, ut non indigne gloriemur de fide, quam habemus in Deo. Qui enim potestatis suæ non est, quidquid habuerit, alienum est; ut nec gloriari possit de bonis, nec reus constitui de malis.

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. quadragesima prima.

LXXXI. — Apostolus ait, *Nos natura Judæi* (*Galat.* II, 15) : de Judæis ergo nasci Judæos ostendit : non de proselytis dico, quos constat fieri Judæos. Denique qui in eremo nati sunt, non sunt circumcisi, et tamen Judæi erant. Non ergo circumcisio Judæum facit; sed nativitas sub Dei Creatoris devotione progenita. Si ergo de Judæis Judæi nascuntur, quare non etiam de Christianis Christiani? nam et de Paganis Pagani nascuntur.

Non omne quod nascitur, hoc est unde nascitur. Nam et aurum de terra nascitur, et non tamen terra est; et gemmæ et alia multa : et de ligno esca nascitur, et de ovo pullus. De Paganis autem ut Pagani nascantur hæc facit causa : quia enim omnis paganus in ignorantia est, et qui nascitur ex eo sine sensu est, ambo ignorantes sunt. Sed hoc interest inter utrumque, quia qui generat, sine dubio blasphemus est, ac per hoc filius diaboli est : natus autem infans nescit blasphemare, sicut nescit benedicere; paganus tamen est, quia sine sensu est. De Judæo autem idcirco Judæus nascitur, quia sub Creatoris devotione generatur. Sicut dixit Adam de Cain, *Procreavi hominem per Deum* (*Gen.* IV, 1). Sicut enim Pagani indevoti Creatori, dæmoniis gratias agunt in omnibus quæ agunt; ita et Judæi Deo Creatori supplices, laudant eum in omni actu suo, in eo despiciendi quia non cognoscunt Christum, per quem sunt omnia. Hoc etiam modo de Judæo Judæus nascitur. Non enim sicut quibusdam videtur, quia circumcisio facit Judæum. Circumcisio enim signum Judaismi est, non Judaismus : quia non Abrahæ circumcisio justitia est, sed signum justitiæ, ut nati ex Abraham signum haberent, per quod probarentur filii esse Abrahæ : quippe cum ex Juda Machabæo hoc nomine sint appellati, ut non solum ex Juda, sed et cæteri ex omnibus filiis Jacob, Judæi vocarentur, propterea quod Judas dux fuerit eis. Ideoque nati Judæi signum accipiunt, ut qui sunt intelligantur. De Christiano autem ideo non nascitur Christianus, quia ipse qui generat, non natus, sed factus est Christianus. Quamobrem et iste qui nascitur, fieri oportet, ut sit. Nec enim per substantiam nascitur, sed per fidem quæ jam natis accedit. Ignorantia enim cum carne nascitur, fides autem postea spirituali ratione inseritur. Sed dicitur e contra, Si factus utique est qui generat, hoc jam debet generare quod ipse est, ut accepta dignitas traducem faceret. Nam senatores generant senatores. Sed senatorum dignitas non habet apud Deum meritum. Neque ipsa natura, hoc est substantia consequitur beneficium, sed in sola fama et sermone dignitas vertitur. Ac per hoc currit quidem sermo per traducem carnis, sed nihil aliud præstat, quam opinionem dignitatis : sicut et hi qui consules sunt, aut statuis honestantur, gaudent in vano. Christiani autem cum fiunt, ipsi naturæ accedit dignitas, ut essentia

ipsa hominis æternum habeat incorruptibilitatis beneficium ut non opinio sola, sed et res sit in effectu apud Deum. Tale est ut istud, si quis disertus pauper in laude sit et egeat pane, aut reliquis necessariis. Hæc enim vera laus est, si sic illi proficiat quæsita dignitas, ut nullius egeat; dum hoc naturæ ejus præstatur, ut per se ipsa vivat, et bene vivat nullo requisito suffragio: hoc est, vere divitem fieri et gloriosum.

(a) Non omne quod nascitur, hoc est quod unde nascitur. Nam et aurum, etc. Paganus tamen est, quia sine sensu est, neque suum habens meritum, neque alterius. De Judæo autem idcirco Judæus nascitur, etc. Sed dicitur e contra, Si factus utique est qui generat, hoc debet generare quod ipse est, ut jam accepta dignitas traducem faciat: sicut et in Judæis, quia Abraham de pagano, Dei cultor factus est, et ex eo origo Judæorum; sicut et facti senatores, jam senatores generant. Sed senatorum dignitas non apud Deum meritum habet, neque ipsa natura, id est substantia consequitur beneficium; sed in sola fama et sermone dignitas vertitur; ac per hoc currit sermo per traducem carnis, nihil aliud præstans, quam opinionem mundanæ dignitatis. Quare autem de Judæo Judæus nascitur, jam dictum est: Christianus autem cum boni dignitas naturæ ipsi accedit, ut substantia hominis qua constat beneficium consequatur, ut non opinio sola, sed et res sit in effectu apud Deum. Denique accepta remissione peccatorum, purificatur totus homo, ita ut et filius a Deo adoptetur. Quamobrem omnes natos renasci oportet, quia misericordia Dei singulis donat gratiam. Nec enim alter alteri potest remissionem accipere. Anima enim quæ nascitur in corpore, vel cum corpore, subdita morti inventæ ab Adam, nisi signum acceperit evictæ mortis, tartarum inferni non evadit. Unusquisque enim sibi accepit beneficium, non et ei qui nondum est. Si enim factus Christianus immortalis jam esset, recte natus de illo hoc esset quod et genitor. Nam qui fiunt Christiani, signum accipiunt, ne a morte secunda teneantur: non tamen mortem præsentem, quam Adam invenit, evadunt. Infantes autem propterea baptizantur, cum sint innocentes, ut anima rudis nata in corpore, signum habeat mortis evictæ, ne possit ab ea teneri. Hoc signum Abraham non habuit: neque Prophetæ, quia tempus illos non invenit; reservatum est autem Filio Dei, qui veniens vinceret mortem, et hanc gratiam credentibus largiretur. Hinc est unde Dominus ait Judæis, *Abraham pater vester cupivit ut videret diem meum; et vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII, 56). Sciens enim Abraham Christum ad liberationem humani generis repromissum, semper enim necesse erat ortum ejus in inferis positos exspectare; quem ubi in spiritu natum esse vidit, gavisus est, certus quod in brevi de inferno ereptus induceretur in cœlos. Quomodo ergo de Christianis nasci deberent Christiani, quando qui non crediderit, aut non fuerit baptizatus, non erit Christianus?

LXXXII. — Paganos elementis esse subjectos nulli dubium est: quid est ergo quod Apostolus dicit, *Eramus et nos sub elementis hujus mundi servientes?* (*Galat.* IV, 3). Si itaque et Judæi elementis erant servientes, quid differebant a Paganis?

Manifestum est adjectione, aut diminutione, sive immutatione unius syllabæ sensum perverti. Idcirco Paganos elementa colere omnibus cognitum est; Judæos autem non elementis, sed sub elementis Deo servisse, propter neomenias, et sabbata, et circumcisionem, et cætera talia; hæc enim carnalia sunt. Quidquid enim visibile est, carnale est, et de elementis est. Sed quia ex præcepto Dei erat, Deo serviebatur; ut ex visibilibus ad invisibilia veniretur, et ex hac causa profectus fieret ad majora capienda, ut in his meditati digni fierent promissis spiritualibus. Ex ea gitur parte, quam supra dixi, sub elementis serviebant Judæi; ex alia parte legem habebant spiritualem, quæ et peccare prohibet, et exhortatur ad dilectionem Domini Dei, qui venturus eis fuerat promissus ad remittenda peccata.

(a) Pagani non sub elementis serviunt, sed ipsis elementis. Colunt enim astra, solem, lunam et sidera; hæc in firmamento: in inferioribus autem terram, aquam: in mari vero Neptunum: in inferis autem Plutonem: aperte creaturam mundanam colunt, prælerito Creatore. Nam Judæi hoc modo sub elementis, Deo tamen serviebant, qui hæc ipsa mandata dederat. Observant enim neomenias, sabbata, pecorum sacrificia. Initio mensis septimi tuba canere, quinto decimo autem die mensis septimi medullas palmarum et ramos ligni spissos, et ramos salicis circumferre, et in casis septem diebus habitare. Hæc ergo observantes, recte sub elementis dicuntur servisse: hæc enim ex elementis sunt. Christiani autem non sub elementis, sed supra elementa Deo serviunt, ad Jerusalem cœlestem properantes, in spiritu Deum adorant, non in visibilibus et mundanis, sed in animo Dei culturam habentes, invisibili invisibiliter servientes, sicut dicit Dominus in Evangelio, *Veniet hora, in qua veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate* (*Joan.* IV, 23). Hæc ergo veritas est, spiritu Deo servire, animo magis quam corpore: ut quia Deus spiritus est, spiritualiter excolatur. Ex hac parte Judæos sub elementis subjectos dicit fuisse, qua supra memoravi: ex alia autem parte, Legis spiritualem fuisse rationem, qua et peccare prohibuit, et diligendum ex omni corde Dominum mandavit, et spem habere in Christo. Sed Apostolis prædicantibus hæc, magis defendebant quæ carnaliter data fuerant. Hæc Apostolus memorat ut obfuscet Judæos, qui obtrectantes Legis spiritualis, visibilibus erant subjecti: et ut hæc vere, ad comparationem legis fidei, infirma ostenderet, etiam interposita persona hoc denotat, qui utique eorum æmulus fuerat vehementer. Cognito autem Christo, hæc contemni æstimavit, quia multum differt Gratia Dei per Christum a Lege factorum.

LXXXIII. — Si per Christum salus, et vera et perfecta cognitio; cur non ante venit, ut et anteriores nostri qui in ignorantia fuerunt, addiscerent veritatem? Denique post adventum Christi multi salvati sunt, magis quam prius. Unde et si ante venisset, multo plures salvati fuissent. Si ergo ita est, reprehensibile videtur.

Nulli misericordiam facienti calumniam fieri oportet. In potestate enim dantis est, quando vel quantum velit misereri. Exhortandus est enim hujusmodi et precibus provocandus, non contentione a bono opere revocandus. Forte non contradiceretur, si pro hac misericordia vicis illi aliqua redderetur. An quis medicum arguet qui medicamenta sua et officium suum gratis impendet? aut accusabitur tarditas ejus ab eis, a quibus non est requisitus? Hæc quidem diximus secundum rationem, sed Salvatoris bonitas ista non curat propter imbecillitatem humanam: suam enim sequitur naturam ad faciendam misericordiam. Idcirco tunc venit quando debuit venire, voluntatis suæ rationem secutus, non meritorum nostrorum. Nam si merita perpendas, venire non debuit. Venit ergo quando et subveniri debere scivit, et gratum futurum beneficium. Si autem ei cui necessitas imminet ante subveniatur, erit quidem gratum; non tamen valde poterit scire quid sibi præstitum est: si autem in ipsa necessitate posito auxilium feras, sciet quale beneficium consecutus sit. De tribulatione enim ereptus, majores gratias referet: quomodo si esurienti offeras panem; si autem offeras cum non esurit, non utique tam gratum erit. Idcirco recte factum est, ut non ante veniret Dominus. Primum enim dimisit genus hominum uti voluntate sua, non sine testimonio sui, quia ex ipsa mundi fabrica per annua munera, quæ elementorum ministerio humanis usibus exhiberi decre-

(a) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. quinquagesima sexta.

(a) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. quinquagesima nona.

vit, intelligi et timeri divinitatem suam voluit. Quippe cum etiam ex traduce primi hominis, deinde Enoch et Noe notitia ejus esset in terris. Sed cum languore quodam humani generis obsolescere cœpisset cognitio Dei inter homines, et mores immutarentur, eligere dignatus est Abraham, in quo forma esset renovatæ notitiæ Dei et morum. Et cum adhuc reverentia segnior esset, postea per Moysen Legem litteris dedit, quæ neque obsolesceret, et magis metum incuteret. Major enim timor est, ubi auctoritas manifesta est. Et quia acceptam Legem gentes spreverunt, non se subjicientes ei, neque ii qui acceperunt servaverunt eam; motus Dominus misericordia, misit Filium suum, qui se pro illis offerens, mortem destruens, data omnibus remissione peccatorum, Deo Patri illos justificatos offerret. Non enim posset descendi ad inferos, nisi per mortem. Nec ordo enim nec ratio poscebat, eum qui mortuus non fuisset, intrare januas tartari. Nonne si quis vult in terra sua barbaros decipere, immutat se in habitu illorum, ut putetur unus ex his, et sic explorat quomodo illos subvertat? Ita factum est et de diabolo : quoniam malo more hominem subverterat, ut in morte non remaneret, inventum est remedium, quomodo quos male tenebat amitteret, et subintraretur ei : et quem putabat se velut hominem occidisse, reperiret illum apud inferos Deum. Quo facto, reus inventus omnes quos tenebat amisit, et de cætero aperta est ad cœlum via. Ecce quantum profuit adventus Salvatoris, ut scientes homines de quo periculo liberati sunt, sine cessatione gratias illi referant. Sed forte e contra dicatur : Si multi ante Legem et post Legem peccatis pressi totos se carni dederunt, et digni fuerunt in tartaro remanere, sine dubio fuerunt qui devotione et Creatoris reverentia vitam suam naturæ lege frenarunt : numquid non etiam hi detenti sunt apud inferos, exuti[1] hac vita? Si autem ante venisset post mortem Adæ, liberato Adam qui prior peccaverat, cæteris ad cœlum aperiret viam, ut qui bene vixerant, agnito Creatore defuncti reciperentur in cœlum. Damnum ergo est, quia non ante venit Christus? Damnum esse manifestum est, sed quære justum an injustum sit. Solent enim damna justa esse, de quibus queri non liceat. Numquid fur deprehensus et juxta legem in quadruplum condemnatus, ausus est queri? Ac per hoc damnum quod genus hominum passum est, juste factum est, unde et permissum est. Quare et Salvator inter ipsa primordia venire non debuit. Cum enim diabolus superbiret, homo factus a Deo positus est illi inimicus, ut auxilio Dei munitus, quia impar erat, resisteret ei accepto mandato. Diabolus autem solita subtilitate simulavit se ignorare quid præceptum esset a Deo, et invenit Evam instabilem : postea autem promittens illi, quod si interdictum contigissent, præstaret illis divinitatem; circumvenit eos. Tunc diabolus superato homine triumphavit : hic victus genus suum subjecit peccato. Quamobrem injustum erat victori violenter auferre spolia, quia Deus quod facit juste facit. Præterea cum acerbe peccaverit homo assentiens ei, contra mandatum Creatoris, fieri se Deum; idololatriam admisit, per quod in Deum peccavit : ideoque non illi statim debuit subveniri; quippe cum nec pœnituerit, nec grata ei fuisset misericordia, si non scivisset quid mereretur. Quanquam enim omnia possit Deus, illud facit quod convenit rationi, ut irreprehensibilis perseveret.

(*a*) Si ei cui necessitas imminet, ante subveniatur, erit quidem gratus, non valde tamen poterit scire quid sibi præstitum est. Si autem in ipsa necessitate posito auxilium feras, sciet quale beneficium consecutus est. De tribulatione enim ereptus plus gratias agit; quomodo si esurienti offeras panem : si autem offeras non esurienti, quæ erit gratia? Idcirco recte factum est, ut non ante veniret Dominus. Primum enim dimisit genus humanum uti voluntate sua, non sine testimonio sui : quia ex ipsa fabrica mundi per annua munera, quæ elementorum ministerio humanis usibus exhiberi decrevit, cognosci et timeri divinitatem suam voluit. Postea vero cum obsolesceret notitia Dei in terris, et mores immutarentur, dignatus est visitare genus hominum, ut data Lege, vel reformata (erat enim in natura, sed negligi cœperat), et notitiam sui et Legis auctoritatem restauraret; ut recognito Deo, et revocata Lege timere inciperent : certi quia qui Legem dedit, judicaturus esset actus humanos. Et quia accepta Lege a peccatis se cohibere nequiverunt, cum possent, diu etiam per Prophetas admoniti : motus Deus misericordia misit Filium suum, qui se pro illis offerens, et mortem destruens, data illis remissione peccatorum, Deo Patri illos justificatos offerret : ut scientes de quo periculo sunt erepti, sine cessatione Deo gratias agant; ut etiam si usus exegerit sanguinem pro illo fundentes, nec sic se illi vicem reddere profiteantur. Quam gratum ergo et pretiosum beneficium existimant, quod nec morte compensari putant? Sed forte contra dicatur : Si multi ante Legem, et post Legem peccatis pressi totos se carni dederunt; sine dubio fuerunt aliqui, qui creatori Deo devoti a vitiis se infrænarent. Age, numquid hi expuncti a vita non in infernum descenderunt? Si autem ante, post mortem Adæ, Christus venisset; liberato Adam, qui peccato proprio tenebatur, a morte, cæteris ad cœlum iter fecerit credentibus, ut quia hic bene vixerant, grati Creatori et restauratori defuncti reciperentur in cœlum. Damnum ergo est, quia non ante venit Christus. Damnum esse manifestum est. Sed quære an justum an injustum sit. Solent enim damna justa esse. Numquid fur reprehensus, cum in quadruplum juxta legem damnatur, non damnum patitur? Sed justum est, ac per hoc justum quod hominum genus passum est, juste provenit, ideo et permissum est. Quare et Salvator inter ipsa primordia venire non debuit. Cum enim diabolus superbiret, et homo a Deo factus positus est illi inimicus, ut auxiliis Dei munitus, quia impar erat viribus, resisteret illi accepto mandato unius Dei imaginem in terris ad errorem auferendum, per id quod unus ab uno factus, ex quo cæteri, demonstraret. Diabolus autem solita subtilitate simulavit se ignorare quid præceptum fuisset a Deo, et invenit Evam instabilem, post autem promittens illis, quod si interdictum degustassent, futuri essent dii; circumvenit eos. Sic diabolus devicto homine triumphavit, hic victus genus suum vendidit peccato. Non ergo justum erat victori statim auferre violenter spolia : quia quod facit Deus, juste facit. Præterea cum acerbe peccaverit homo; assentiens enim fieri se Deum, idololatriam admisit, hoc est in Deum peccavit : ideoque non illi statim debuit subveniri, qui nec pœnituit. Post autem justis multa mala intulit satanas : Job, Joseph, Jeremiæ, Isaiæ, Zachariæ, et cæteris Prophetis, et justis. Idcirco commissus est Christus a Deo Patre suo qui illum vinceret, et se manifestaret, regnum ejus auferens ratione, non potestate; quanquam omnia possit Deus : sed illud facit quod congruit rationi, ut irreprehensibilis perseveret.

LXXXIV. — Quare lunæ cursum in ratione Paschæ custodientes, Paganos reprehendimus, quia dies lunares et motum custodiunt?

Absit a Christianis ut sidera venerari dicantur, quibus indulta est spiritualis cultura, ut despicientes quæ videntur, iis quæ invisibilia et super cœlestia sunt, copulentur; et hæc omnia transcendant futuri cum Angelis Dei. Nam et siderum cultores aut cum ipsis erunt, aut infra ipsa. Quomodo enim fieri potest, ut aliquis super hæc sit quæ colit? Pagani itaque non computum lunæ observant; sed lunam ipsam velut deam venerantur. Et effectus curriculorum ejus apprehendisse se arbitrantes, quid certis diebus agendum, quidve cavendum sit, decernunt, imperio ejus quasi vitam et conversationem suam ordine quodam

[1] Ms. Colbert., *expuncti*.

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. quinquagesima octava.

subjicientes : quos, quia extra Dei ordinationem hæc ausi sunt usurpare, falli frequenter deprehendimus. Hæc enim luminaria in signa temporum Deus constituit. Unde et nos numerum lunæ custodimus, non illam ipsam excolimus; ut a quarta decima luna, quæ nobis secundum Legem prima est, rationem Paschæ observemus. Omnia enim plena Deus instituit : ideoque a quarta decima usque ad vigesimam primam, his septem diebus Pascha nobis celebrare concessum est, ut de his septem aliqui dies a parasceve usque ad resurrectionem Domini concludantur : ut neque tertia decima in passione sit, neque quarta decima in resurrectione, aut quinta decima; ne ante primam secundum nos lunam, passio Christi sit, neque resurrectio ejus non primo die quo cœptus mundus est. Omnia enim mundi tempora unius hebdomadæ curriculis numerantur; quia his Deus mundi membra et ornamenta composuit. Sex enim diebus mundum aptavit, et septima cessavit, quam sabbatum appellavit. His enim septem diebus totius mundi ratio et numerus continetur. Semper enim in se redeuntes multiplicant numerum temporum. Post sabbatum enim a primo die repetit semper usque ad diem septimum, id est sabbatum : ut resurrectio Domini primo die inchoati mundi facta discatur; qui dies dominicus dicitur. Ipsum enim fecit Dominus unum cum vespere, et in septenarium numerum evolutus incipit iterum, ut sit post hebdomadam primus. Quod ita decretum ab initio est propter sacramentum incarnationis Domini, et passionis, et resurrectionis. In corpore enim Domini totus prope mundus resurrexit, et instauratus est. Absolutum est, non nos lunam colere; sed numerum, qui per lunæ cursum institutus est, custodire. Diabolus autem, qui est satanas, ut fallaciæ suæ auctoritatem aliquam possit adhibere, et mendacia sua commentitia veritate colorare, primo mense quo sacramenta dominica scit celebranda, quia non mediocris potentiæ est, Paganis quæ observarent instituit mysteria, ut animas eorum duabus ex causis in errore detineret : ut quia prævenit veritatem fallacia, melius quiddam fallacia videretur, quasi antiquitate præjudicans veritati. Et quia in primo mense, in quo æquinoctium habent Romani, sicut et nos (*a*), ea ipsa observatio ab his custoditur; ita ut etiam per sanguinem dicant expiationem fieri, sicut et nos per crucem : hac versutia Paganos detinet in errore, ut putent veritatem nostram imitationem potius videri quam veritatem, quasi per æmulationem superstitione quadam inventam. Nec enim verum potest, inquiunt, æstimari quod postea est inventum. Sed quia apud nos pro certo veritas est, et ab initio hæc est, virtutum atque prodigiorum signa perhibent testimonium, ut, teste virtute, diaboli improbitas innotescat. Quoniam enim sola est quæ facile suadeat, hæc contra versutiam et præventum diaboli posita est, ut simulationem ejus revelet. Nemo enim etiam inimicorum negare audeat illic esse veritatem, ubi virtus apparet.

LXXXV. — Quid est ut cum constet a David usque ad transmigrationem Babylonis decem et septem esse generationes; evangelista quatuordecim dicat (*Matth.* I, 17), prætermissis Ochozia, qui post Joram est filium Josaphat, et Joas filio Ochoziæ, et Amasia filio Joas?

Nihil Evangelistam quam sensum Legis secutum credibile videri debet. Ideoque non immerito hi ab Evangelista sublati sunt de numero cæterorum. Sic enim horum continuavit impietas, ut malignum eorum nullum intervallum haberet. A Joram autem cœptum malignum sic perambulavit usque ad Oziam filium Amasiæ, ut nullius lateris esset suffragium, quo ex parte merito patris aliquis horum remaneret in numero regum. Nam Joram maligne agens merito Josaphat præmissus in numero est; et Ozias merito Joathan reservatus in numero est. Illorum autem trium continuata malignitas in Deum est. Salomon quoque merito patris remissus in regno est; et Roboam filius Salomonis maligne agens merito Asa relictus est in numero regum. Illi autem tres in medio malorum conclusi sunt maligne agentes, ideo erasi sunt. Pejus enim a perditione generis exemplum est, quando se jugiter malignitas pandit (*a*). Et ut proprie dicam, propterea quod ex traduce eorum non est Joseph, prætermissi sunt. Ab Abraham enim horum generationem secutus est Evangelista, ex quibus originem trahit Joseph, cui desponsata est Maria, quæ genuit Christum.

LXXXVI. — Quid est quod probet Mariam matrem Domini ex tribu et semine esse David?

Idonei testis proferemus sermonem. Dicit enim Angelus ad Mariam inter cætera : *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis* (*Luc.* I, 32, 33). Quomodo diceretur ab idoneo teste pater ejus David, si non esset mater ejus Maria ex semine David?

LXXXVII. — Si unus est Deus, cur in tribus spes salutis est, et non in duobus aut quator, aut certe in ipso uno? et quare non est ab initio Trinitas prædicata?

Nihil pene novum effectum est : sic enim Trinitas prædicatur, ut unus Deus credatur. Non ergo additum est aliquid, sed sacramentum Dei unius revelatum. Inter ipsa autem primordia manifestari non oportuit; quia prius prædicandum, et postea id quod prædicatum est, revelandum : ut scias Patrem esse, a quo cuncta sunt; Filium vero dici, per quem sunt omnia; Spiritum autem sanctum appellari, per quem omnia, quæ a Patre quidem, sed per Filium sunt, regenerantur ad fidem Dei unius. Hi ergo tres sunt quidem, sed una divinitas. Ratio igitur facit ut tres sint, non plures aut infra. Omnis enim numerus usque ad novem pervenit, quia tres dum invicem in se sunt, faciunt numero novem; quia in uno tres sunt, et tres sunt unum. Qui enim videt unum, videt tres, dum nihil differt alter ab altero. Tres ergo unum, et ter tres unum. Hæc enim in nono numero perfectio est, quantum ad numerum pertinet, quia de uno sunt omnia. Addito enim uno ex quo vel in quo tres qui numerantur novem, fiunt decem vel viginti. Semper tamen usque ad novem venitur, et unus additur, quia novem unum sunt, ut plena perfectio sit unitatis.

(*b*) Unus quidem est Deus, sed non singularis est. Habet ex æternis in mysterio alterum qui sit cum altero. Et quoniam Deus pater in se habet alterum cum altero, sicut dixi, dignum fuit unum prius prædicare, non manifestato mysterio quod erat in ipso : quoniam caput Filii Pater est, et caput Spiritus sancti Filius, quia de ipso accepit : et sicut Pater misit Filium, ita et Filius misit Spiritum sanctum. Postquam autem cognitus est Deus ex quo sunt omnia, tunc scientibus se manifestavit Filium suum, quem ex æterno habuit apud se. Manifestatus autem Filius ostendit Patrem esse qui prius unus Deus prædicabatur esse. Quo cognito palam fecit esse etiam Spiritum sanctum, qui tertius sit a Patre, secundus autem a Christo secundum numeri ordinationem; juxta substantiam autem non esse et non differre alterum ab altero : et hoc ex æternis fuisse in mysterio Dei, qui in Trinitate est adorandus. In eodem enim honore vult recipi, quod ex ipso est, in quo recipitur ipse a quo est. Dignum enim est, quia in ipso fuerunt et omnia per Filium facta, et per Spiritum sanctum illuminata, ut in Trinitate salus prædicetur, servato ordine personarum, unius divinitatis indiscreta adoretur potestas. Ut ergo tres sint non

(*a*) Loquitur perinde ac si alibi quam Romæ scribat : non ergo idem ipse est auctor quæstionis cxv apud Romam scriptæ.

(*a*) Reliquum deest in Mss. secundi generis.

(*b*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Vetere Test. nona.

plus aut infra, ratio facit: quia omnis numerus usque ad tres pervenit. Tres enim quia invicem in se sunt, undique Trinitas annuntiatur, quia in uno tres sunt, et tres unum sunt. Unum qui videt, videt tres, dum nihil differt alterum ab altero. Tres ergo unum, et unum tres. Hæc est Trinitas undique perfecta. Et hæc est Trinitatis intelligentia, quæ tunc perfecta est, si unum dicantur.

LXXXVIII. — (*a*) Si major gratia, et manifestior intelligentia in Novo est quam in Vetere Testamento; quare Isaias propheta sedentem in throno majestatis vidit Dominum sabaoth, qui est Christus, juxta interpretationem Joannis evangelistæ? dixit enim inter cætera, *Hæc locutus est Isaias, quando vidit majestatem ejus, et locutus est de eo* (*Isai.* VI, 1; *Joan.* XII, 41). In Novo autem Stephanus primus martyr stantem se vidisse dicit Jesum a dextris Dei (*Act.* VII, 55). Quid est istud ut hic subjectus videatur post triumphos, et illic quasi Dominus antequam vinceret?

Prout causa fecit ita et Dominus se ostendit. Prophetæ enim visus est quasi rex corripiens plebem: et hoc se ostendit quod erat, hoc est, sedentem. In pace enim erat causa divinitatis ejus. Stephano autem ut stans appareret, fecit calumnia Judæorum. In Stephano autem Salvatoris causa vim patiebatur. Ideo sedente judice Deo, stans apparuit, quasi qui causam diceret: et quia bona causa ejus est, ad dexteram judicis erat. Omnis qui causam dicit, stet necesse est.

LXXXIX. — Salvator inter cætera dicit de Spiritu sancto, quod *Veniens*, inquit, *ille arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me; de justitia vero, quia eo ad Patrem, et jam non videbitis me; de judicio autem, quia princeps hujus mundi judicatus est* (*Joan.* XVI, 8). Causam quidem videtur dixisse arguendi mundi, sed indiget explanatione.

Cum Salvatori non crederent Judæi, neque mundanæ potestates; quia non solum hominibus se manifestari voluit, sed et principibus et potestatibus in cœlestibus, sicut docet Apostolus in Epistola ad Ephesios (*Ephes.* III, 10); post passionem suam vera se locutum Spiritum sanctum probaturum ostendit. Et hoc est arguere mundum, ostendere illi vera esse quæ credere noluit. Credere enim noluit a Deo venisse Salvatorem. Salvator autem servata justitia non trepidavit reverti ad eum qui se miserat: et per id quod regressus est, probavit se inde venisse. Quia *nemo*, inquit, *ascendit ad Deum, nisi qui descendit a Deo* (*Joan.* III, 13). Videntes ergo potestates ascendere eum, confusæ sunt, videntes verum esse quod velut falsum spreverant. Itaque ista justitia arguit eos, qua justum probatum est, quia regressus est unde venerat. Sic autem arguit eos de peccato, quia non solum credere ei noluerunt, sed et occiderunt eum. De judicio vero sic eos corripuit, dum ostendit principem mundi reum factum et comprehensum ab eo, cujus fidei non communicarunt. Videntes enim animas de inferis ire in cœlos, cognoverunt adjudicatum esse principem hujus mundi, ut reus factus in causa Salvatoris, quæ tenebat, jure amitteret. Hæc quidem ascendente Salvatore visa sunt; sed superveniente in discipulos Spiritu sancto, palam aperteque manifesta sunt. Vera enim correptio tunc fuit, quando post passionem resurrectionemque ad testimonium Salvatoris publice a perfidis videbantur resurgentes mortui, claudi currentes, leprosi mundati, paralytici confirmati, cæci aspicere, surdi audire, muti eloqui, dæmoniaci purgari, infirmi recuperata sanitate gratias agere. Hoc modo Spiritus sanctus arguit mundum; quia in nomine Salvatoris, qui reprobatus est a mundo, omnium curationum virtutes operatus est.

(*a*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.

XC. — Si diabolus ipse est satanas, quid est ut inter cætera dicat ad Judæos Salvator, *Vos de patre diabolo estis, et concupiscentias patris vestri vultis facere. Ille homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit; quia veritas non est in eo: cum loquitur mendacium, ex suis propriis loquitur; quia mendax est sicut et pater ejus* (*Joan.* VIII, 44)?

Diabolus non speciale nomen est, sed commune cum cæteris. In quocumque enim opera diaboli fuerint inventa, sine dubio diabolus appellandus est. Operis enim nomen est, non naturæ. Itaque hoc in loco patrem Judæorum Cain significat, cujus imitatores volentes esse Judæi, Salvatorem peremerunt. Hinc dicit eum, quia se parricidio maculavit, et reum fecit mortis, in veritate non stetisse. Ab ipso enim forma data est fratricidii. Istum ipsum dicit, *cum loquitur mendacium, de suis propriis* loqui, ut ostenderet unumquemque nonnisi propria voluntate peccare. Sed quia imitator diaboli est, adjecit, *Quia mendax est, sicut et pater ejus.* Hic enim ut primum hominem morte condemnaret, simulavit se nescisse quid præceptum fuisset ei a Deo. Sic et Cain interrogatus finxit se nescire, ubi esset frater suus Abel, quem occiderat (*Gen.* IV, 9). Hoc ergo in loco diabolum Cain esse dixit; patrem autem ejus diabolum, cujus opera secutus est. Diaboli enim filius, diabolus est. Sed diabolus ille qui est satanas, patrem in malitia sua nullum habet. Ipse enim sibi in malo auctor est. Prior enim ipse peccavit, ac per hoc quicumque imitati illum fuerint, filii ejus dicentur, et ille pater eorum. Etenim nos in fide patrem Abraham habemus, quia prior ipse credidit Deo: ac per hoc nomine ejus censemur. Fideles enim dicimur sicut et ille.

XCI. — Quærendum quomodo contradicendum sit argumentis Photini dicentis, Christum ante Mariam non esse.

A Joanne prius quæramus Baptista, quem ipse Salvator testem suum esse professus est. Ait enim inter cætera de Domino, *Qui de sursum venit, super omnes est: qui autem de terra est, de terra loquitur. Qui vero de cœlo venit, quod vidit et audivit, testificatur: et testimonium ejus nemo accipit* (*Joan.* III, 31, 32). Ecce Joannes omnes secum pariter ad comparationem Domini terrestres appellat: quia illum de cœlis testatur venisse, cæteros vero omnes de terra esse, hoc est, de inferioribus. Et ipse Dominus inter cætera eadem loquitur, dicens: *Non enim descendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris* (*Id.* VI, 38). Et iterum Dominus inter alia hoc sensu loquitur dicens: *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem. Ipse enim Pater diligit vos, quia vos me diligitis et creditis quia a Deo exivi. Exivi enim a Patre, et veni in hunc mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Tunc videntes discipuli manifeste illum esse locutum, dicunt ei: *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quoniam scis omnia, et non opus tibi est ut quis te interroget: in hoc credimus, quoniam a Deo existi* (*Id.* XVI, 26-30). Hæc interpretatione non indigent. Quippe cum ista summa sit religionis nostræ, ut Christum ante carnem in cœlis cum Deo fuisse credamus, ut Filium apud Patrem. Nam si propter justam conversationem et cœlestem doctrinam de cœlo et a Deo se dixit exiisse, et venisse in mundum, eadem debuerant dicere de se omnes Prophetæ et Apostoli. Et quia dixit, *Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem*; hoc forte dicatur significasse, quia doctrina quæ venerat a Deo, relicto mundo ad Deum est regressa? Aliud enim quod dicant non habent. Si enim de cœlo venisse, et a Deo exiisse, et venisse in hunc mundum, ad virtutis et doctrinæ pertinet causam, non ad Salvatoris personam, cum dicit, *Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem*; illo utique redit unde venerat: sed videmus post abscessum Domini, et virtutem fuisse in mundo et doctrinam. Vides ergo non de virtute dictum esse

a Domino et doctrina, sed specialiter de se Dominum locutum. Quod si virtutis quæ in Christo operata est, dicis esse verba; hæc ipsa virtus Deum Patrem suum appellat. Ecce incurris quod times: quia si virtus Dei Filius Dei est, ipsa utique virtus Dei est, de qua dicit Apostolus, *Christum Dei Virtutem et Dei sapientiam* (I Cor. I, 24): hæc exivit a Deo, et iterum ad eum regressa est. Itaque hæc ipsa Virtus quæ Christus est, in Spiritu Dei dæmonia se testatur ejicere (*Matth.* XII, 28); qui Spiritus per Apostolos operatus est, ut scias Spiritum sanctum per quem Dominus operatus est, post abscessum Domini hic in mundo per Apostolos operatum; ut plenius appareat Dominum de sua persona locutum, quia relicto mundo regressus est ad Deum. Aut si putas virtutem hanc non esse Christum, duæ erunt virtutes et duo filii Dei: et ubi est illud quod legitur, *Unigenitus Filius Dei, qui est in sinu Patris* (*Joan.* I, 18)? et iterum, *Sic enim*, inquit, *dilexit Deus mundum hunc, ut Filium suum unicum daret pro eo* (*Id.* III, 16)? Animadvertis jam virtutem Dei, quæ corporaliter operata est in mundo, ipsam unam esse quæ et Dei Virtus dicatur et Filius. Et videamus quid crediderint, aut cui, Apostoli audientes a Domino, *Ecce iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem*: responderunt enim, *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc scimus quia nosti omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus, quoniam a Deo existi.* Nunc videamus si de virtutibus ambigerent discipuli, utrum a Deo exissent, cum vidissent Lazarum jam fetidum quarta die resuscitatum (*Id.* XI, 44), cæco a nativitate oculos reformatos (*Id.* IX, 7), tactu fimbriæ mulierem a profluvio liberatam (*Matth.* IX, 20-22), aquæ naturam mutatam in vinum (*Joan.* II, 9). At de persona Domini nemo plane dubitavit, vel de virtutibus: quippe cum dicerent illum alii esse Eliam, alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis (*Matth.* XVI, 14). Nam cum lapidare vellent illum Judæi, respondit eis Jesus: *Multa opera bona ostendi vobis a Patre meo; propter quod eorum opus lapidatis me?* Dixerunt ei Judæi: *Nos de bono opere non te lapidamus, sed propter blasphemiam; et quia cum sis homo, facis te Deum* (*Joan.* X, 31-33). Si ergo Judæi quod Dei opera essent non ambigebant, Apostoli ambigebant? Quoniam ergo omnis dubitatio de Salvatoris persona erat (res enim inaudita, et quæ in sensum humanum non rueret, stuporem hominibus faciebat, cum audiebant dicentem illum se a Deo exiisse, et proprium sibi patrem esse Deum); idcirco discipuli satis sibi esse factum confitentes manifestatione verborum Domini, dixerunt ad eum: *Nunc scimus quoniam nosti omnia, et non est opus ut quis te interroget: in hoc credimus, quoniam a Deo existi.* Si enim non vere a Deo exivit, fides Apostolorum exinanitur: sed non potest, quia a Salvatore probata est. Respondit enim eis, *Modo creditis;* id est, tanta signa videntes non credebatis. Itaque probatum est Apostolis Christum a Deo exiisse et venisse, ut per hanc exitionem Filium istum Dei credere non esset ambiguum. Si enim nemo vidit Deum nisi qui est a Deo hic vidit Deum (*Id.* VI, 46), et si nemo novit Patrem nisi Filius (*Matth.* XI, 27); hoc est vere apud Deum Patrem fuisse, et ab eo exisse, et venisse. Nemo enim alius poterat a Deo exire, nisi hic qui in principio erat apud Deum (*Joan.* I, 1); quia et nec quisquam alius sciebat, aut viderat Deum. Ideo non incredibile nobis est, verum Filium hunc Dei credere. Sicut dicit Joannes in Epistola prima, *Et simus*, inquit, *in vero Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, et vita æterna* (I *Joan.* V, 20): et Apostolus, *Qui proprio*, inquit, *Filio non pepercit* (*Rom.* VIII, 32): et Evangelista, *Quia proprium*, ait, *sibi patrem dicebat Deum* (*Joan.* V, 18). Si verus ergo Filius Dei est Christus, quomodo homo tantum est? verus enim Filius non diceretur, nisi proprie ab eo esset genitus. Aut dicat Photinus, quare verus Filius Dei creditur, si non est verus? Aut quid opus erat hunc credere Filium Dei, si unus esset de cæteris sanctis, qui filii Dei digni sunt appellari? Aut numquid aliqua indignitas in hoc est, per quam Filius Dei sicut cæteri sunt, credi non posset: et idcirco dicitur, ut hic de quo incredulum videtur, credatur Filius esse Dei? Si enim potior cæteris est, quid opus est ut dicatur, Crede Christum Filium Dei esse, si unus esset de cæteris; nisi quia, ut aliter de hoc credatur, præcipitur, quam de cæteris? Ut quia multi sunt qui filii Dei sanctitatis causa appellantur, hic solus verus Filius Dei credatur, unde et unicus dicitur. Nam quis sanctorum ausus fuerit Filium Dei se dicere, non dicam et unicum [1], nisi Salvator conscius nativitatis suæ a Deo profectæ? Quomodo autem pateretur se adorari, si nesciret se de Deo, cum scriptum sit, *Dominum Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies* (*Deut.* VI, 13)? Quippe cum Joannem angelus corripuerit, eo quod adorare se vellet, dicens ei, *Ne feceris, quia conservus tuus sum: Deum adora* (*Apoc.* XIX, 10, *et* XXII, 9). Et cum soli Deo serviendum Scriptura testetur; Apostolus tamen, *Qui servit*, inquit, *Christo, placet Deo* (*Rom.* XIV, 18). Quare? Quia unum sunt Deus et Christus, Pater et Filius. Apostolus se Christi servum fatetur, et dicit Corinthiis, *Nolite fieri servi hominum* (I *Cor.* VII, 23). Et ad Galatas, *Paulus apostolus, non ab hominibus, neque per hominem; sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis* (*Galat.* I, 1): ostendit aperte Christum Deum esse et hominem, ut apostolatum suum non ab homine esse, sed a Christo, juxta quod Deus est, et a Patre Deo esse demonstraret. Denique in subjectis ait: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; sed per revelationem Jesu Christi* (*Ibid.* I, 12). Quid tam apertum? Dei enim doctrinam non per hominem dicit se esse assecutum, sed ab ipso Deo edoctum. Nam nos Dei doctrinam per homines accipimus: Vas autem electionis nihil se probat ab Apostolis assecutum, hoc est, ab hominibus. Nam si, quia Dei doctrina est, ideo non per hominem discitur, quam laudem suam testatur Apostolus, si sic didicit sicut cæteri Apostoli? Utquid dicit, *Neque ego ab homine accepi illud, neque edoctus sum; sed per revelationem Jesu Christi?* Quis ambigat hoc loco Christum Deum significatum? Sed quid mirum, cum inter cætera dicat ad Romanos, *Quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus, benedictus in sæcula* (*Rom.* IX, 5)? Quid est, *et ex quibus Christus secundum carnem?* Non enim hoc diceret, nisi esset et secundum Deum; ut secundum carnem ex patribus, secundum divinitatem vero ex Deo Christus sit super omnia Deus. Sed forte ad Patris personam pertinere dicatur? Sed hoc loco nulla est paterni nominis mentio. Ideoque si de Christo dictum negatur, persona cui competat detur. Quare autem Christo non competat, cujus nomini cœlestia, terrestria et inferna genu flectunt (*Philipp.* II, 10)? hoc est, super omnia esse Deum. Præter hæc enim alia nulla sunt. Dicat nunc Photinus, si hæc homini genu flectunt: aut si Deus potentias illas cœlestes et sanctos Angelos ut hominem adorent, decrevit. Sed absit, quia Deus nihil stultum decrevit; maxime cum non liceat, nisi Deum adorari; quanto magis in cœlis? Rex enim adoratur in terris quasi vicarius Dei. Christus autem post vicariam impletam dispensationem adoratur in cœlis et in terra. Legimus namque, quia *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14): hoc est, ministro Spiritu sancto incarnatum esse ex Maria hoc Verbum, in principio apud Deum fuisse, et Deum esse, hoc quoque Filium Dei appellari. Quomodo ergo non ante Mariam est quod in principio erat, et Deus erat? Etiamsi obcæcatus Deum hoc esse negas, Verbum tamen non negas: neque ignoras hoc Verbum Filium Dei appellari, et hoc apud Deum fuisse in principio. Qua ergo ratione post Mariam dicis esse, quod in principio legis fuisse? In Apocalypsi enim legimus de Christo, *Et nomen ejus est, Verbum Dei* (*Apoc.* XIX, 13). Quod verbum multas habet inter-

[1] Ms. Colbert., *verum.*

pretationes. Nam nihil de Deo est quod non Deus dicatur; sed propter auctoritatem unius Dei, quod de ipso natum est, Verbum appellavit: ut hac ratione ducti, qua scimus verba nostra nonnisi ex nobis esse, Christum de Deo esse crederemus. Nec aliter quidem oportuit dici ut de ipso, et non extra eum crederetur. Nam simili modo et Virtus et Sapientia Dei vocatur, ut eadem ratione de ipso intelligatur. Si enim dixisset Deus et Deus; non illum de se esse significaverat, sed duos fecerat deos, quod unitati adversum est. Hæc ratio in divinis Libris est, ut significatus Deus Christus, modum non excedat Dei unius. Quam autem illud tuum stultum est, Photine, quo sic distinguis in capite Evangelii Joannis, ne Verbum Deus dicatur? Sic enim legis: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat. Verbum hoc in principio erat apud Deum.* Quid sibi vult hæc distinctio? quem indicat sensum? quam significat pietatis rationem, nisi solam adversus Dei Filium inimicitiam? Quæ enim significatio est pronuntiantis, *Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat?* Hæc ergo legis nostræ sapientia est, ut doceat quia est Deus? Quæ lingua est, quæ gens, quæ terra, quæ secta, quæ neget Deum esse? Et ut quid insinuet dicit, *Et Verbum erat apud Deum:* aut verbum hoc quid vult intelligi, nisi rationem ejus ostendat? Non enim propter Deum Evangelium scribitur, de quo nemo dubitat, sed propter Verbum de quo quæstiones fiunt. Mysterium enim Dei est, quod ideo creditur, quia non est omnibus manifestum. Ideoque Scriptura contendit docere quid sit Verbum, dicens: *Et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.* Istud et rationi convenit, et pronuntiatio integra est. Ostendit enim quia Verbum hoc, quod in principio apud Deum erat, et Deus erat, in sacramento mysterii æterni Dei quod ignotum erat a sæculis et generationibus, Deus Verbum apud Deum Patrem fuisse credatur. Et quia carnalibus in dubium venit, qui volunt Scripturam pro sensus sui loqui capacitate, fides posita est, quæ sensum Scripturæ secuta præmium mereatur. Salomoni cum sapientiam a Deo postulasset, responsum a Domino est: *Ecce dedi tibi*, inquit, *cor sapiens et prudens, quale non fuit ante te, et post te non exsurget vir similis tibi* (III *Reg.* III, 12). Quid dicemus? Verum est quod promisit Deus? Imo verum est. Nemo ergo hominum similis erit Salomoni. Et quid videbitur de Christo, qui inter cætera, *Regina*, inquit, *Austri, venit ab ultimis terræ audire sapientiam Salomonis: et ecce plus Salomone hic* (*Matth.* XII, 42)? Nunc elige qui credas, Photine, Deo an Christo, Patri an Filio? Si Patri credis, arguis Filium; si Filio credis, accusas Patrem. Si enim homo tantum est Christus, frustra se præposuit Salomoni contra promissum Dei; si autem intelligitur esse et Deus, digne se anteposuit Salomoni, et promissum incontaminatum est Dei, quia non exsurrexit homo similis Salomoni. Christus enim idcirco se potiorem ostendit, quia Deus est. O dementiam Photini, qui Christum ante Mariam fateri non vult, quem voce sua audit testantem quod ante Abraham sit! Cum enim de tempore agerent cum eo Judæi dicentes, *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* respondit eis, *Amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego sum* (*Joan.* VIII, 57, 58). Non dixit, melior sum: sed ad interrogata respondit, quia ante erat quam putabant Judæi. Maledictum plane Legis Photinus evadere non potest, quia spem suam habet in Christo, quem tantum hominem dicit, cum legat, *Maledictus homo qui spem habet in homine* (*Jerem.* XVII, 5). Apostolus autem sciens Christum Deum, ideo et in præsenti et in futuro spem esse in eo ait, *Si in hac tantum vita*, inquit, *sperantes sumus in Christo, miserabiliores sumus omnibus hominibus* (I *Cor.* XV, 19). Non ergo homo tantum est, in quo spem habere docemur; quia vana spes in homine est. Hæc diximus pauca de multis: sufficeret enim, si bonæ mentis esset. Photino hoc solum quod postremum posuimus.

XCII. — Quomodo intelligitur quod dicit Salvator, *Pacem meam do vobis; pacem meam relinquo vobis: non sicut hic mundus dat, ego do vobis* (*Joan.* XIV, 27)?

Qui pacem suscipit Salvatoris, inimicitiam contrahet mundi. Nisi enim discordaverit a diabolo, pacem non habebit cum Christo. Nemo enim potest duobus dominis servire (*Matth.* VI, 24). Hic ergo a mundo discordat, qui legem Dei fideliter servat. Christi pace munitus, omnium adversariorum comprimit tela. Quis enim audeat adversus eum quem scit regis amicum? Aliter tamen mundus pacem dat, quam se Salvator dare promisit. Mundus enim aut metu dat pacem, aut prece. Salvator vero cum sit fortissimus omnium, nullum utique metuens, non rogatus dat pacem. Salvatoris ergo hæc pax est, quæ idcirco datur, ut munimentum sit contra hostes. Pax quidem uno nomine appellatur, sed longo intervallo discernitur, Dei et mundi. Hæc enim fragilis est, illa fortis; hæc carnea, illa spiritualis; hæc terrena, illa cœlestis; hæc de necessitate est, illa de voluntate. Christus enim nullius egens pacem offert invalidis et inermibus, Dominus servis, bonus malis, Deus hominibus. Recte ergo ait, *Non sicut hic mundus dat, ego do vobis:* hoc enim dicens, intelligi voluit clementiam bonæ voluntatis suæ. Cum enim omnis idcirco det pacem ut proficiat sibi; hic, id est Salvator, ad hoc dat, ut prosit non sibi, sed eis quibus dat. Aliter ergo mundus dat pacem, quam dedit Salvator. Et mundi pax non docet bonam vitam, non suadet ad patientiam, non provocat ad justitiam, non hortatur ad misericordiam, non promittit æternam vitam. Quicumque enim acceperit pacem Christi, alienus erit a vitiis hujus mundi, quæ militant adversus animam.

XCIII. — Quærendum an Spiritum sanctum habuerint Apostoli tempore illo quo fuerunt in terra cum Domino: quia inter multa dicit Evangelista, *Spiritus nondum erat datus, quia Jesus nondum fuerat honorificatus* (*Joan.* VII, 39); et alio in loco, *Si diligitis me*, ait, *præcepta mea servate, et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere; quia non videt nec cognoscit eum: vos videtis eum et cognoscitis; quia apud vos manet, et vobiscum est* (*Id.* XIV, 15-17). Quid est hoc? Negat datum Spiritum ante passionem: rogaturum autem se promittit Patrem, ut mittat eum. Item subjecit, quia cum ipsis erat, et manebat apud eos. Post resurrectionem autem legitur insufflasse et dixisse eis, *Accipite Spiritum sanctum* (*Id.* XX, 22). In Pentecoste autem descendisse legitur Spiritus sanctus in Apostolos (*Act.* II, 1-4). Tantas video in hac causa perturbationes, ut quid tenendum sit nesciam.

In his omnibus quæ proposita sunt, non una est causa. Breviter enim singularum causarum significatæ sunt formæ; quia unus quidem est Spiritus, sed dona habet multa. Cum ergo legitur Spiritus sanctus, intelligi debet et ejus officium, in quo sit significatus. Nam quia et cum eis erat, et venturus erat, non est falsum: sed si non istud ad personam trahas, sed ad naturam. Alterum enim se venturum a Patre promisit Christus; ut quia indifferens est eorum divinitas, in præsentia Christi non putetur absens Spiritus sanctus, et in adventu et in apparentia Spiritus sancti præsens æstimetur et Christus. Ideo cum venturum eum promittit, dicit, *Vos videbitis eum, quia apud vos manebit, et vobiscum erit:* ut securi essent Apostoli, quia post ascensionem Domini non minorem aut degenerem ad tuitionem habituri essent pastorem aut regem. Nam non est dubium non datum esse credentibus Spiritum, nisi sicut Evangelista testatur, postquam devicta morte resurgens clarificatus est Dominus. Ipsius enim triumphantis Domini verba sunt et dicentis *Quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, quem accepturi estis non post multos hos dies* (*Act.* I, 5). hoc

tempore quo ascendere ad Patrem disposuit, interfatus videtur. Illud autem quod insufflasse in discipulos Dominus legitur post dies paucos resurrectionis suæ, et dixisse, *Accipite Spiritum sanctum*, ecclesiastica potestas collata intelligitur esse. Quia enim omnia in traditione dominica per Spiritum sanctum aguntur, idcirco cum regula eis et forma traditur hujus disciplinæ, dicitur eis, *Accipite Spiritum sanctum.* Et quia vere ad jus ecclesiasticum pertinet, statim subjecit dicens, *Cujus tenueritis peccata, tenebuntur; et cujus remiseritis, remittentur ei* (*Joan.* XX, 23). Inspiratio ergo hæc, gratia quædam est quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Unde Apostolus dicit ad Timotheum, *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterii* (I *Tim.* IV, 14). Semel ergo fieri oportuit, ut de cætero traditio ista non sine dono Spiritus sancti esse crederetur. Sicut enim in Salvatore forma data est visibiliter, ut post Baptismum Spiritus sanctus credentibus de cætero invisibiliter dari non ambigeretur : ita et in supra dicta causa forma data est in principio, ut ex eo traditioni ecclesiasticæ Spiritus sanctus infusus credatur. Ut autem Apostoli præsente Domino virtutes facerent, potestas data est, sicut et prius Prophetis. Trium ergo officiorum formæ doni Spiritus sancti in Apostolis sunt ostensæ. Quarum prima hæc est, quæ ad jus ecclesiasticum pertinet in regenerandis vel cæteris officiis. Secunda, quæ in Pentecoste data est, quæ est generalis. Non solum enim in Apostolos, verum etiam in omnes decidit Spiritus sanctus credentes. Tertia forma est, quæ solis Apostolis concessa est in signis ac virtutibus faciendis, usque dum fidei semina jacerentur ad crementum. Semina enim fidei sunt virtutes per Apostolos factæ. Ipsi enim antistites positi sunt hujusmodi veritatis, qui per signa et prodigia non irrationabilem esse fidem nostram testarentur. Nulla enim probatio major est veritatis quam virtus. Hæc est enim quæ omnem terrenam philosophiam accusat, quia semper solis verbis studuit, non habens testimonium virtutis, quæ stabile esse quod verbis astructum erat, demonstraret. Igitur Spiritus sanctus generaliter semel datur omnibus credentibus, per quem filii Dei esse probentur, dum manet in eis. In signis vero et prodigiis faciendis, non manet in homine, sed vocatus advenit, aut suggerit necessaria, et recedit. Similiter et in traditione vel ordinatione deforis gratiam præstat, tuitionem etiam deferens devotis fidei.

(*a*) In his omnibus quæ proposita sunt, non una est causa. Breviter enim, etc. Nam non est dubium credentibus non datum esse Spiritum, nisi postquam devicta morte clarificatus est Dominus. Ante ascensum enim Dominus formam discipulis dedit, quomodo accipere deberent baptizati Spiritum sanctum, quod nunc ab episcopis custoditur. Trium ergo officiorum formæ doni Spiritus sancti in Apostolos datæ sunt. Prima est quæ generalis est, quæ in Pentecoste data est; non solum enim in Apostolos, verum etiam in omnes cecidit Spiritus sanctus credentes, ut loquerentur magnalia Dei linguis diversis unius gentis homines. Secunda forma specialis est. Non enim pertinet ad omnes credentes, sed ad episcopos tantum, ut baptizatis per manus impositionem dent Spiritum sanctum : quæ inter episcopos potest dici generalis. Tertia forma est, quæ solis Apostolis est concessa, in signis ac miraculis faciendis ad fidei incrementum. Semina enim sunt fidei virtutes per Apostolos factæ. Itaque per ordinem officiorum Spiritus sanctus Apostolis datus est, ut primum decideret in eos, sicut et in cæteros credentes, in Pentecoste. Deinde quasi primi sacerdotes, ut episcopi manus imponentes credentibus darent Spiritum sanctum. Nam prodigia ut fierent per Apostolos, temporis gratia est, non personarum : sed beatificati sunt, quia eos tempus invenit, quo Dominus donum suum effudit super terram, ut potestatem acciperent ad exemplum credentium, per Spiritum sanctum faciendarum virtutum. Ut autem præsente Domino missi dæmonia pellerent et virtutes cæteras facerent, Apostolis potestas data est, ut sine invocatione nominis imperarent dæmoniis, aut cæteris ægrorum passionibus, et salutis prosequeretur effectus. Hac scilicet rationis potestate, qua usi sunt prophetæ, Elias et Elisæus, in virtutibus faciendis. Denique dicit Salvator discipulis suis, *Amen, amen dico vobis; si quid petieritis a Patre in nomine meo, dabit vobis : usquemodo non petistis quidquam in nomine meo; petite, et accipietis* (*Joan.* XVI, 23, 24). Quoniam ergo sine invocatione nominis fecerunt virtutes Apostoli, sicut supra memoravi, non tamen omnino sine nominis potestate. Per id enim quod ab ipso missi erant, qui dæmonibus et passionibus terrori erat, ipso metu fugabantur dæmonia, et infirmitates curabantur. Itaque nomen Domini tacite operabatur. Denique apostolus Petrus dicit Judæis inter cætera. *In nomine Jesu Christi Nazareni, quem vos abnegastis et crucifixistis, hic astat sanus coram vobis* (*Act.* III, 16) : nec quidem aliud nomen datum est sub cœlo, in quo oporteat salvos fieri.

XCIV (*a*). — Quærendum est, si Judas Scariotes proditor Domini, ante passionem Salvatoris laqueo vitam finivit.

Tradito Salvatore, et illucescente parasceve, omnes principes sacerdotum et Scribæ et seniores convenerunt in domum Caiphæ pontificis, quo perducendum sciebant esse Jesum, ut audirent eum. Hoc Matthæus et Marcus evangelistæ testantur, et nullum ex his ante perfectum impium opus a domo præsidis abscessisse, quippe cum omnis instantia eorum et devotio ad agendum Pascha mors esset Salvatoris. Occupatis ergo eis ad necem Domini a mane usque ad horam nonam, quo modo Judas eis retulisse pretium sanguinis, quod acceperat, ante crucem Domini probatur, et dixisse illis in templo, *Peccavi, quod tradiderim sanguinem justum* (*Matth.* XXVII, 1-5)? cum constet utique omnes principes et seniores ante passionem Domini non fuisse in templo. Quippe cum etiam in cruce posito insultarent ei (*Ibid.*, 41). Non enim inde potest probari, quia ante passionem relatum est, cum sint multa, quæ cum ante facta probentur, novissima ordinantur : et iterum, quando locus admittit, ut quod post factum est, anteponatur. Nam manifestum utique est quinquagesimum psalmum anteriorem esse quam tertium. Sic ergo aliquando evenit, ut anticipentur quæ posteriora sunt. Unde et Maria cum post resurrectionem fratris sui Lazari, ante sex dies Paschæ in cœna unguento pedes Domini unxisse probetur, propter significationem ejus anticipatum est ab evangelista, dicente inter cætera, *Maria autem erat*, inquit, *quæ unxit Dominum unguento* (*Joan.* XI, 2). Hoc refert antequam Lazarus moreretur : quod nisi postea factum inveniremus, nesciremus quo tempore factum esset. Sed ne forte post nonam horam factum sit, ut videns impius et crudelissimus Judas occisum Salvatorem, et ob hoc velum templi scissum, terram tremuisse, saxa fissa, elementa conterrita, ipso metu correptus doluerit, non nescius justum se tradidisse, in cujus passione sic indignatus sit judex Deus. Sed et post horam nonam occupati erant, sicut æstimo, seniores et principes sacerdotum. Vespere enim eadem die Pascha acturi erant; sabbato autem nummos portare non licebat secundum Legem : ac per hoc improbabile est apud me, quo die, imo quo tempore laqueo vitam finierit Judas Scariotes.

XCV. — Unde orta sit observatio Pentecostes, vel qua ratione?

Non est ambiguum cuncta religionis nostræ veteri[1]

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. quadragesima secunda.

[1] *Vero*, juxta Er. Lugd. Ven. Lov. M.

(*a*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.

testimonio roborari, et Legis veteris prærogativa signari. Omnia enim præterita Legis veteris, in figura fidei nostræ futuræ gesta et designata noscuntur, ut verum nos tenere non ambigeremus, quando ea quæ nunc et audimus et credimus, ante sæcula prædestinata videmus, non solum vocibus, verum etiam signorum virtutibus commendata. Sed nunc illud est, si eodem modo ut designata sunt, a nobis intelligantur, ut dies Pentecostes, unde et qua ratione tractus sit congrue dignoscamus. Scripturæ enim dominicæ sensus suos sollicitis et devotis aperiunt, negligentibus claudunt. Nec enim par erat, ut res quæ meritis ac dignis reservatæ sunt, passim ab omnibus viderentur. Pentecostes ergo, qui quinquagesimus a Pascha computatur dies, hanc habet rationem, ut sicut post hebdomadam dominicus dies primus est, in quo adimpletum est Paschæ mysterium in redemptionem salutis humanæ; quia semper post curricula dierum septem, ad primum reverti necesse est, ut ostendatur ætatem mundi septenario numero consummari, et ad requiem pervenire : ita et post hebdomadas septem, primus dies est Pentecostes. Denique nunquam alio die quam die dominico Pentecostes est, ut totum quod ad salutem humanam proficit, dominico die et inchoatum et adimpletum noscatur. Dominico enim die factus est mundus, et post lapsum rursus dominico die reformatus; cujus reformationis figura data est primum in circumcisione, in qua futuræ fidei signum fuit. Post hebdomadam enim, qui octavus est, primus est in mysterio. Hæc est enim dies, quam fecit Dominus. Unum eum diem fecit, ex quo cæteri curricula sortirentur. Ac per hoc ipso die resurrexit quem fecit, et secundum numerum supra dictæ rationis, ipso die et in monte Sina Legem dedit per famulum suum Moysen : ut sicut agnus figura passionis Domini fuit in sacramento Paschæ; ita et legislatio, evangelicæ prædicationis : quia eodem die, id est Pentecoste, Lex data est, quo et Spiritus sanctus decidit in discipulos, ut auctoritatem caperent, ac scirent evangelicum jus prædicare. Quod factum duplici testimonio confirmatur, quia et prædestinatum ostenditur, et manifesta Spiritus sancti infusione divinum et supercœleste probatur ad legi nostræ testimonium perhibendum. Cum enim incognitis sibi imperiti diversis linguis magnalia Dei loquuntur, divinitus se inspiratos ostendunt. Filiis ergo Israel tertio die mensis tertii data est Lex per Moysen, sicut in libro Exodi continetur (*Exod.* XIX, 16), qui dies a quarta decima mensis primi, quo die factum est Pascha in Ægypto (*Id.* XII, 18), quinquagesimus est, hoc est Pentecoste. Unde factum est, ut ad legem fidei prædicandam in Pentecoste Spiritus sanctus descenderet in Apostolos (*Act.* II, 1-4), ut gesta veterum, futurorum imagines haberentur, ad securitatem fidei nostræ : quia falsum videri non potest quod ab initio prædicatum est. Ideo remissionis et reformationis tempus in quinquagesimo psalmo describitur, ut eadem providentia quinquagesimi diei, quæ et primi est, sciretur. Hinc factum est ut et manna primo die, qui est dominicus, e cœlo daretur populo Judæorum, quod ita esse sex dierum continuatio probat, quibus collegerunt, et septimo die, id est sabbato quieverunt (*Exod.* XVI, 22, 23). Manna autem typus est escæ spiritualis, quæ resurrectione Domini veritas facta est in Eucharistiæ mysterio. Omnia itaque gesta sunt, ut ad causam primæ resurrectionis incolumia revertantur, et non glorietur satanas, sed hebescat, qui hominem falsa spe dejecit, ne in hoc maneret quod factum est per Christum Dominum (*a*). Nunc superest ut probemus, si ita intelligenda sunt quæ diximus, ut supra memoravimus. Mensis primus quo Pascha quarta decima die celebratum est in Ægypto, hæc dies quarta feria fuit. Unde et Lex quarta feria data est. Quod hinc datur intelligi, quia quinto decimo die mensis secundi profectionis filiorum Israel sabbatum videtur fuisse : idcirco non in die grex illis missus est coturnicum, sed vespere. Mane autem manna pluit de cœlo (*Exod.* XVI, 13, 14), id est die dominico, qui primus post hebdomadam in repetitione invenitur. Denique sex diebus continuis manna collegerunt, septimo autem die, qui est sabbatum, quieverunt. Ab hoc ergo die usque ad tertii mensis diem tertium quo Lex data est, quære et invenies quartam feriam fuisse quando Lex data est. Sunt enim a quinto decimo die mensis secundi, quando sabbatum fuit, usque ad tertii mensis tertium diem quo Lex data est, dies decem et novem. Tene ergo hos decem et novem, et redi super quintum decimum diem secundi mensis, quo sabbatum fuit, qui a primo computatur quartus decimus; et perveni usque ad diem primum secundi mensis, et habebis alios quatuordecim; quos superjunge ad decem et novem supra memoratos, et invenies primum diem mensis secundi sabbatum fuisse. Superadde adhuc ad caput primi mensis dies septem et decem, quia primi mensis tredecim dies retrahendi sunt, qui ante Pascha fuerunt : quarta decima enim die primi mensis Pascha factum est. Retractis ergo tredecim, et additis septem et decem, invenies quarta decima mensis primi quartam feriam fuisse. Et ne legendi fastidium patiaris, aut quæstionis singula membra curiose inspicere, do compendium, ut et de numero dierum quot a Pascha usque ad datam Legem sunt, certus sis, et ab ipso facilius discas, quota feria factum est Pascha. Tertio die post secundum mensem Lex data est. Sunt ergo menses duo et dies tres. Retrahe ergo de his tredecim dies qui ante Pascha fuerunt, et reliqui erunt dies quinquaginta. Quoniam autem quarta feria data est Lex, hinc facile videtur. Manna prima feria datum est, quia continuis sex diebus collegerunt, quæ prima feria sexto decimo die fuit mensis secundi. Ab hac itaque prima feria usque ad octavum decimum diem, quo Lex data est, quartam feriam invenies. A feria vero quarta, sive ante sive retro computes in quinquagesimum diem, quarta feria est : idcirco quia quarta feria Pascha egerunt in Ægypto Judæi, et quarta feria Legem acceperunt : quinta autem feria profecti sunt de Ægypto. Igitur dedicatio Legis est Pentecoste.

XCVI. — Quærendum si Pascha transitus interpretetur, sicut Græcis videtur.

Apostolus falli non potuit, qui ait, *Pascha nostrum immolatus est Christus* (I *Cor.* V, 7). Quod non suum utique, sed Legis est verbum, dicente Moyse, *Et erit cum dicent vobis filii vestri, Quæ est deservitio hæc? Et dicetis, Immolatio hæc Pascha Domini est* (*Exod.* XII, 26, 27). Quid amplius est necessarium ad testimonium? Lex loquitur; Apostolus probat : hoc superest, ut contradictor abjiciatur ut pervicax. Manifestum est enim transitum post Pascha fuisse. De sanguine enim immolati agni super postes ostii et super limen posuerunt, ut transiens nocte angelus non perculeret domum, in qua signum sanguinis esset. Sanguis igitur salutem præstitit, non transitus : quia ut transitus non noceret, obstitit sanguis.

XCVII. — Qua ratione responderi possit Arii impietati simpliciter ex Lege?

Si rationi fides commodetur, ipsa nominum ratio Patris et Filii ostendet unitatem. Si quæris, quomodo? Non enim verus Dei Filius diceretur, nisi exstitisset de substantia Dei Patris. Nec enim pateretur veritas et justitia Dei verum dicere Filium, si de ipso non esset. Non est enim verus Dei Filius, si de ipso non est. Sed Scriptura dicit, Verus est : ergo de ipso est. Qui enim negat de Deo natum Christum, Scripturæ calumniam facit, quæ ideo illum dicit verum Dei Filium, ut significet de Deo hunc natum. Si enim non est de Deo, et verus Filius Dei dicitur, fallax est Scriptura. Quod si Scriptura non fallit; qui Christum non fatetur exstitisse de Deo, et Scripturam evacuat, et Christum negat verum Filium Dei. Non enim voluntas verum Filium facit, sed nativitas. Sed poten-

(*a*) Reliquum deest in Mss. secundi generis.

tiæ, inquiunt, Dei hoc subest, ut falsa faciat vera. Imo potentia Dei hæc est, unde et omni laude dignus est, quia verum apud illum verum est, et falsum falsum est. Nam istud mendacis est, ut falsum dicat verum : quod Deo non competit. Nam omnia quidem potest Deus, sed non facit nisi quod conveniat veritati ejus ac justitiæ. Manifestum igitur est idcirco verum dici Filium Dei Christum, ut proprius, id est, de substantia ejus natus intelligatur. Unde inquit Apostolus : *Qui proprio Filio suo non pepercit*[1] (*Rom.* VIII, 32); et in alia Epistola : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se parem Deo* (*Philipp.* II, 6). Si ergo non rapinam arbitratus est, dicens se parem Deo, verum se Filium Dei demonstravit. Deo enim par esse non poterat, nisi esset de ipso. Pares enim hi sunt, qui aut ambo veri sunt, aut ambo falsi. Nec enim parilitatem recipit cœptum et æternum, aut unitatem. Unum enim se esse dicendo Christus cum Patre, parem se Deo facit. *Non solum enim*, inquit, *solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (*Joan.* V, 18), hoc est, parem. Nonne manifestum est æqualitatem hanc de proprietate nativitatis descendere? Proprium enim se, id est verum dicens Dei Filium, æqualem se faciebat Deo. Hinc est unde dicit, *Qui videt me, videt et Patrem meum* (*Id.* XIV, 9). Per illud enim quod consubstantivi sunt, qui unum videt, ambos videt. *Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso* (*Id.* V, 26); hoc est, æqualem sibi genuit Filium Pater; et omnia quæ Patris sunt, Filii sunt; et quæ sunt Filii, Patris sunt (*Id.* XVII, 10) : et nemo potest quidquam rapere de manu Patris, neque de manu Filii (*Id.* X, 29). Et subjecit, *Ego et Pater unum sumus* (*Ibid.* 30); et, *Verba quæ*, inquit, *loquor vobis, a meipso non loquor : Pater autem manens in me, ipse loquitur; et opera quæ facio, ipse facit. Credite mihi, quod ego in Patre, et Pater in me est; alioquin vel propter opera ipsa credite* (*Id.* XIV, 10-12). Quia enim generatio a semetipso non est, sed ab eo qui genuit, idcirco quidquid facit, factum dicit Patris: ut per hæc omnia illud firmetur, quia ideo verus dicitur Filius Dei Christus, ut de ipso natus credatur (*a*), ne et substantia ejus extra unius Dei naturam existimaretur. Humilitas ergo ejus maxima exaltatio est. Cum enim videtur se subjicere dicens, *Verba quæ loquor vobis, a meipso non loquor : Pater enim manens in me, ipse loquitur; et opera quæ ego facio, ipse facit :* probat se originem a Deo habere, et Virtutem ejus se esse ostendit, dum non quod est, a semetipso esse dicit, sed ab ipso. Per hoc enim commendatur Christus, non inclinatur. Qui enim a se loquitur, verus Filius non est. Vides ergo quia Ariani inde male intelligunt Christum, unde bene intelligendus est; et inde illum improbant et falsum dicunt, unde verus Dei esse Filius approbatur : nam clarificandum se a Patre postulat, et clarificare se Patrem quem petit, promittit; et ubi se humiliare videtur, exaltat. Pater enim cum testimonium dat Filio suo, laudem suam testatur; Filius vero cum prædicat Patrem, gloriam suam manifestat. Magnificentia enim et nobilitas Patris, generositas est veri Filii. Ideo quidquid Patris dicitur esse, est et Filii sine dubio; et quod Filii dicitur esse, est et Patris. Nam qui Spiritus dicitur Dei, idem Spiritus dicitur et Christi. Ecclesia dicitur Dei, dicitur et Christi. Adoratur Deus, adoratur et Christus. Servitur Deo, servitur et Christo. Sancti dicuntur sacerdotes Dei, dicuntur et sacerdotes Christi. Templum civitatis sanctæ dicitur Dei, similiter et Christi[2]. Lumine Dei illustrari dicitur civitas sancta, eodem modo et Christi. Sedes Dei est, nec non et Christi. Judex Deus est, est et Christus : quia Isaias propheta in throno majestatis Christum videt sedentem Dominum sabaoth (*Isai.* VI, 1), quod Ariani non negant. De Deo Patre legitur, quod *Rex regum sit et Dominus dominorum* (*I Tim.* VI, 15), eadem et de Christo Filio Dei vero (*Apoc.* XVII, 14; XIX, 16). Sic ubique divinitate exæquantur Pater et Filius, ut unius Dei modum non egrediatur numerus personarum. Inter Patrem autem et Filium nihil interest, nisi hoc solum, quia Pater ingenitus est, Filius vero genitus : id est, Pater a nullo est, Filius autem de Patre; quod quidem sublime est in Filio. Hinc enim addiscitur nobilitatis ejus æternitas, et quia verus Filius est veri Patris. Unde est enim illud quod legitur in Genesi dicente Deo, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26)? Itaque si imago eorum et similitudo una est, quomodo non unum sunt et natura? In spiritualibus enim ubi utique non sunt figuræ, simile non erit aliquid nisi per substantiam, ut ubi duorum imago una est, quomodo non eorum una erit substantia? Idcirco enim imaginem eorum et similitudinem unam esse legimus, ut eorum unum nihil differre ab altero crederemus, hoc est, verum Dei Filium esse Christum, quia non est dispar a generante nativitas. Denique Judæi intelligentes, quia proprium sibi Patrem dicebat Deum, dicunt ad Pilatum, *Nos Legem habemus, et secundum Legem debet mori, quia Filium Dei se fecit* (*Joan.* XIX, 7). Judæi intellexerunt, et Christiani se dicunt non intelligere? qui non credebant, intelligebant; et qui se dicunt credere, faciunt ne intelligant? Vel hoc saltem admitterent, quod propheta Isaias, ut Christum non a semetipso quidem, sed de Deo Deum esse significaret, inter cætera ait : *Post te sequentur alligati vinculis, et adorabunt te, et in te deprecabuntur; quoniam in te est Deus, et non est Deus præter te. Tu enim es Deus, et nesciebamus; Deus Israel salvator* (*Isai.* XLV, 14, 15). Quantum ad bonam mentem pertinet, hæc manifesta sunt. His enim et Pater in Filio esse probatur; et Filius Deus ejusdem substantiæ cujus Pater est, significatur. In quo enim Deus est, et præter ipsum Deus non est, et ipse Deus est; quid aliud poterit esse dici, quam hoc quod est Pater Deus, et nec differre in aliquo? Hoc est enim duos esse unum. In ipso enim Deus est, quia quamvis Deus sit, non tamen ex se Deus est. Est enim a Patre, quia Filius est. Præter ipsum autem non est Deus, quia unicus Patris Filius est. Ipse autem est Deus, quia una atque eadem substantia Dei et Christi est. Nihil igitur ambiguitatis relinquitur, ut Patris et Filii una esse credatur substantia. Verus enim Filius et veri Patris est. Tale enim etiam illud Jeremiæ prophetæ est : dicit enim inter alia : *Hic Deus noster, et non æstimabitur alter ad eum. Hic adinvenit omnem viam scientiæ; et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto sibi. Post hæc in terris visus est, et inter homines versatus est* (*Baruch* III, 36-38). Numquid de degenere potest dici, ad quem alius non potest æstimari; aut alius Deus quam Pater est, poterit dici, ut Deo proficiat ad injuriam Patris? Si enim æstimari ad eum alter Deus non potest, et absque Deo Patre est; videte an debeat dici id quod sequitur: periculosum est enim. Major enim Patre dicetur. Putantes enim se Deo Patri deferre, si ab eo Filium segregent, derogant ei; ut quem minorem volunt facere, impia obcæcati mente, præponant eum illi cujus auctoritati inclinandum hunc putant. Scriptura autem ut nihil Filium a Patre differre doceret (differret autem si non esset verus), alium nullum dicit æstimandum ad eum; quia nulla alia substantia poterit similis reperiri substantiæ Dei, quæ est et Christi. Aliter siquidem Christum de Deo esse docere non poterat, quam ut nullum diceret alium æstimandum ad eum. Sciens enim Deo Patri nullo modo dici posse subjectum Filium ejus, ut hinc parem esse ostenderet, *Non æstimabitur*, inquit, *alter ad eum :* quia Patri Deo, quoniam Deus est, æqualis est; verus enim ejus Filius est. Igitur propheta ait, *Hic est Deus noster;* hoc est, Deus Israel. Si hic est, ipse est Deus unus. De isto enim dicit Scriptura, *Audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut.* VI, 4) : et certe non est hic Pater, sed

[1] In Mss. secundi generis interponuntur hoc loco ea quæ habes post istam quæstionem.

[2] Ms. Colbert., *Deus, similiter et Christus.*

(*a*) Reliqua desunt in Mss. secundi generis.

est Filius ejus. Vides ergo non præjudicare uni Deo personam Filii, si et ipse unus Deus dicatur : quippe cum hoc Scriptura testetur. Unde hoc, nisi quia unum sunt Pater et Filius, quia non personis significatur unitas, sed natura : aut non substantia duo sunt, sed unum; nec duo divinitate, sed unus Deus : ut sive loquatur Pater sive loquatur Filius, unus Deus locutus dicatur? Nam si ipse Dominus inter cætera de mare et femina, *Jam non sunt*, inquit, *duo, sed una caro* (*Marc.* x, 8); quanto magis Pater et Filius non duo dii sunt, sed una substantia? Ut autem duo dicantur Pater et Filius, causa est nativitatis : ne autem iterum duo dii sint, causa est unitas divinitatis. Qua tamen hebetudine Christum creatum, id est factum prædicant, cum legatur nihil Deum sine Christo fecisse (*Joan.* I, 3)? Si ergo sine illo nihil factum est, non erit ipse factura. Si enim factura est, factum est aliquid sine ipso. Sed absit; quia nihil sine illo. Natus enim de Deo non esse cœpit, sed semper exstitit. Nativitas enim nihil est aliud quam exitio : exitio autem manifestatio est. Itaque non factus, sed editus est. Ut enim Christus de essentia Dei exiisse vel processisse significaretur, exitio ejus nativitas appellata est : ut quia non dispar est a genitore nativitas, consubstantivus esse Deo Christus non ambigeretur; et mens illa quæ ait, Erat quando non erat, damnaretur. Quia non potest aliquando non fuisse, qui ut apud Deum semper fuisse significaretur, de Deo legitur processisse. Nemo enim de Deo processit ubi non fuit. Solent quippe Ariani sic interpretari de Filio Dei dicentes, Ideo verus Dei Filius Christus dicitur, quia sic illum fecit ut verus sit. Quasi sit aliquid falsum quod faciat Deus. Et illa omnia quæ supra diximus de unitate Patris et Filii, quid erunt, cum sic roborata sint et firmata? Si hic aliter sentiendum putatur, multa poterunt divinis solidata oraculis unius convelli degeneris testimonio? Amputandum est tamen, ne sibi vel de eo ipso blandiatur iniquitas. Igitur sic, inquit, illum fecit ut verus sit, ut voluntas cesserit pro nativitate, et factura pro generatione. Tantum enim dandum est, inquiunt, potentiæ Dei, ut possit facere quæ non sunt, tanquam quæ sunt. Quoniam ergo hac astutiæ calliditate nituntur contra Filium Dei, ex iis ipsis de quibus præsumunt, quia in reliquis sunt convicti, respondendum est eis, ut in tota summa convicti appareant. Propositio enim hæc quantum ad sensum pertinet, nullius momenti est : quantum autem ad verba, caliginem facit ne cito appareat. Sic est enim ac si Ægyptius positus in obscuro; quia causa mala bono sensu defendi non potest. Ad impietatem ergo defendendam sacrilegis verbis utuntur. Si itaque hæc est potentia Dei, ut verum faceret Christum esse Filium sibi, cum de se ipso non esset natus; ergo talem illum fecit qualis ipse est, ut hoc præstiterit factura, quod datura erat generatio. Si ergo nihil interesse dicitis inter Deum et Christum, poterit forte dubitari [1], quia non hoc maliliose a vobis asseritur, ut quod in voce dicitur, hoc sit et in sensu : ut quia verus dicitur Filius, verus sentiatur, per id quod unius substantiæ est cum Patre, licet non per generationem, sed per facturam : quia totum potest Deus, sicut dicitis, ut factum sic sit quasi infectum. Si autem rationis lineam sequentes, non posse dicitis, quod initio continetur, æquale esse et consubstantivum cum eo quod æternum est, revelatis dolum malitiæ vestræ : quia ut sensum verbi eludatis, falsa voce Christum verum esse Filium Dei dicitis, negantes ei quia æqualis est Deo Patri. Non enim verus est si inæqualis. Numquid poterit verus dici Filius, si non verus dicatur et Pater? Si enim verus est Filius, erit verus et Pater : quam veritatem æqualitas probat. Quod si dispares sunt, neuter eorum verus est. Sed quoniam Scripturarum testimonium irritum fieri non potest, quo Christus verus Dei Filius approbatur, de Deo Patre natus credendus est : quia ut veritas hæc firmaretur, et par Deo et æqualis legitur. At tu qui potentiam Dei inæstimabilem prædicas, ais, Deus generare non potest, quia simplex natura est : per quod etiam ipsi Deo Patri contumeliam facis. Mendacem enim istum dicis, ut Filium quem ille suum et verum asserit, deneges; et tuam hypocrisim delegas, quia falso potentem Deum prædicas. Si enim potentiam Dei in id quod verum ex falso factum asseris, prædicas, ut quod verum est illudas; quanto magis hoc amplecti deberes, si bonæ mentis esses, per quod verum quod dicitur, verum probatur, et testimonium quod Deus Pater de Filio suo dedit, verum firmaretur? Nam Dominus ait, *Apud Deum autem*, inquit, *omnia possibilia* (*Matth.* XIX, 26) : ut quidquid hominibus impossibile videtur, Deo possibile sit. Nam si ratio carnis respicitur, nec Virgo peperit, nec Jonas in ventre ceti vixit (*Jonæ* II, 1), nec mortui resurgent, nec Deus Filium genuit, quia simplex natura non potest generare, quia nihil sine commixtione generatur in hoc mundo. Hæc omnia aut simul credenda sunt, aut simul refellenda. Si enim ratio mundi tenenda est, in his omnibus debet auctoritatem habere. Quod si aliqua ratio spiritualium est, carnalis dicendus est, qui mundi ratione infectus, negat aliter quid fieri quam novit. Aliud iterum assolent sua tergiversatione proponere. Aiunt enim, Utrum voluntate Pater genuit Filium, an non? ut cum audiunt, utique quod voluntate, statim ut inimici Dei Filii respondeant, Ergo voluntas ante Filium est; ut ex hoc non æternus appareat, cum non utique per nativitatem initium acceperit, sed exstiterit. Et tamen si hoc putant, non solum ante Filium erit voluntas, sed et ante Patrem; quia causa generationis Pater et Filius est. Infidelitas carnales sensus sequitur in omnibus. Sic enim inducit causam Dei quasi hominis, ut ante deliberaverit et excogitaverit ut generaret, quasi infirmitati subjectus; cum in Deo neque generatio sine voluntate fuerit, neque voluntas sine generatione. Ipsa enim voluntas, generatio est. Nam utique commune dictum est, Fecit Deus, fecit homo : sed aliter facit Deus, aliter facit homo : ita et in cæteris causis. Sic enim de Deo dicendum est, ut dignum est ei. Solent etiam ipsi de Deo Patre aliam facere quæstionem, dicentes, Accessit illi ut generaret, aut ejus naturæ est, ut semper generet? Quod ideo afferunt [1], ut et Deum mendacem asserant, qui se Christum generasse testatur, et Christum non verum, sed adoptivum faciant. Si enim generavit, inquiunt, semper debet generare; ut quia non semper generat, nec Christum genuisse credatur : quasi mundum negetur fecisse, quia alios non facit. Quæ irreverentia, quæ indisciplinatio est, legem Deo ponere, ut si genuit, aut multos genuerit, aut unum generare non potuerit? nec ipsi Domino credentes, qui se unicum Dei Filium protestatus est.

Post hæc quæ supra ostensa sunt æqualia Patri et Filio, videamus an in his concordant quæ de Spiritu sancto scripta sunt, ut Trinitas quam in salutari professione retinemus, non recipiat discrepantiam naturæ, quomodo non habet fidei diversitatem. Quanquam enim salus sine aliquo ex his non sit, una eorum videtur tamen potestas, quæ in se credentibus dat salutem. Quoniam ad testimonium Filii verba Patris protulimus; nunc ad testimonium Spiritus sancti, verbis utamur Filii, quibus non differre a se Spiritum sanctum protestatur : ut cum Filio Pater, et Filius Spiritui sancto testis est, unius esse naturæ Trinitas intelligatur. Dicit ergo inter cætera Dominus : *Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis* (*Joan.* XIV, 16, 17). Cum alium Paracletum mittendum dicit, se utique Paracletum probat. Nam et legitur in Epistola Joannis; dicit enim : *Habemus advocatum apud Patrem Jesum Christum, qui exorat pro peccatis nostris* (I *Joan.* II, 1). Et iterum dicit Dominus, *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6). Ecce aperta unitas Spiritus sancti et Filii Dei. Quæ enim de se loquitur Filius, eadem loquitur et de Spiritu sancto. Nunc subjicienda sunt, quæ in hujusmodi sensum ordinat Scriptura. Legitur

[1] Ms. Colbert., *putari*.

[1] Juxta Er. Lugd. Ven. Lov., *asserunt*. M.

in Isaia, quod Dominum sabaoth viderit in throno majestatis sedentem (*Isai.* VI, 1), quem Joannes evangelista Christum esse intellexit, dicens inter alia, *Hæc dixit Isaias, quando vidit majestatem ejus, et locutus est de eo* (*Joan.* XII, 41). Hunc Apostolus sanctum dicit esse Spiritum. Ait enim in novissima parte Actuum Apostolorum, *Bene locutus est Spiritus sanctus ad patres vestros dicens, Aure audietis, et non intelligetis*, etc., (*Act.* XXVIII, 25, 26). Hæc verba a Domino sabaoth dicta sunt. Hic est unus Deus, qui sive Pater intelligatur, sive Filius, sive Spiritus sanctus, non est contrarium, quia una eorum divinitas et una potestas est. Nam si in unius præfecti prætorio programmate, etiam cæteri præfecti jubere dicuntur, propter auctoritatem unius potestatis; quanto magis in unius Dei imperio, si locutus unus e tribus fuerit, non incongrue dicentur tres locuti? Est enim eorum natura et voluntas una. Solent iterum præjudicare Spiritui sancto, quod ideo degener intelligatur, quia in ordine tertius ponitur; cum tanta simplicitas sit in Scripturis divinis, ut aliquando invenias tertium primum positum. Ut enim causa se tulerit, sic et ponuntur. Nullius enim injuria est, quia una eorum divinitas est. Denique legimus in Isaia dicente Domino, *Ego sum primus, et ego in æternum : et manus mea fundavit terram, et dextera mea solidavit cœlum.* Et in subjectis, *Ego locutus sum, ego vocavi, ego adduxi eum, et prosperum iter ejus feci. Accedite ad me, et audite hæc : Non in occulto ab initio locutus sum : cum fierent, illic eram, et nunc Dominus misit me et Spiritus ejus* (*Isai.* XLVIII, 12, 13, 15, 16). Quem vis esse qui fundavit terram? Ipse enim dicit se missum esse. Numquid Patrem? Absit. Filius ergo est qui se missum dicit a Deo et Spiritu sancto. Ecce paria sunt inter Filium et Spiritum sanctum. Sicut enim a Patre et Filio missus legitur Spiritus sanctus; ita et a Deo et Spiritu sancto missus est Christus. Hoc enim solius Patris peculiare est, ne missus dicatur. Accipe dicta Apostoli, qui alio ordine complectitur Trinitatem : dicit enim inter cætera in Epistola ad Thessalonicenses secunda, *Dominus dirigat corda vestra in charitate Dei et in patientia Christi* (II *Thess.* III, 5). Quem putas dicit Dominum, nisi Spiritum sanctum? Et quid mirum? cum quem in throno majestatis sedentem Isaias viderit, hic ipsum dicat Spiritum sanctum Dominum sabaoth, sicut supra ostendimus. Et Joannes apostolus Deum intelligi in Spiritu sancto significat, inter cætera dicens, *In hoc cognovimus quia Deus in nobis manet, de Spiritu sancto quem dedit nobis* (I *Joan*, IV, 13). Si ergo per Spiritum suum ipse in nobis manet, non ambigitur de Deo esse Spiritum sanctum. Et nec dubium est, quia quod de Deo est, Deus est. Hinc est unde Apostolus dicit, *Nemo scit quæ sunt in Deo, nisi Spiritus Dei* (I *Cor.* II, 11). Quomodo potest scire quæ in Deo sunt, nisi sit ejusdem divinitatis? Inferior enim natura non potest scire quid sit in potiore : quanto magis creatura quid in Conditore suo esset, scire non poterat? Et ad Corinthios in Epistola prima, præterito ordine qui in traditione fidei est, a Spiritu sancto incipit gratiarum et mysteriorum memorare operationes : et subjungit Dominum Jesum; et tertium ponit Deum, quem et in Spiritu sancto et in Domino dicit operari (*Id.* XII, 4-6): sicut ait et Dominus, *Pater manens in me, ipse operatur* (*Joan.* XIV, 10). Per id enim quod de Deo patre est et Spiritus sanctus et Christus, operatio eorum opus est Dei. Denique Spiritum sanctum idem dicit et Dominum, et Dominum idem dicit et Deum, propter unitatem naturæ. Cum ergo hoc loco idem Deum qui est et Dominus, dicat operari omnia in omnibus, inferius sic concludit dicens, *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult* (I *Cor.* XII, 11). Quid tam apertum, tres unius esse operationis? quia operante uno, operari dicuntur tres; quare, nisi quia unius sunt divinitatis? Nam non est ambiguum donum gratiarum proprie Spiritum sanctum operari. Sed ut Deum et Dominum et Spiritum sanctum unum esse propter naturæ indifferentiam doceret, opus Spiritus sancti trium esse opus ostendit. Et ut manifestaret quia solius, quantum ad personam pertinet, Spiritus sancti opus est, *Hæc autem omnia*, inquit, *operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique prout vult.* Ideo prout vult, quia voluntas ejus, voluntas est Dei. Non enim dicit, prout vult Deus, sed prout vult Spiritus. Creatura enim cogit se, ut Dei faciat voluntatem; Spiritus autem sanctus naturaliter hoc vult. Ut autem aperte luceat quia omnia Spiritus sanctus operatur, dicit Dominus inter cætera, *Si enim ego in digito Dei ejicio dæmonia*, etc., (*Luc.* XI, 20). Digitum Dei appellat Spiritum sanctum, ut probet illum de Deo esse. Denique Judæos qui eum in Beelzebub principe dæmoniorum ejicere dæmonia dicebant, in Spiritum sanctum blasphemasse testatus est. Moyses quoque quia per Spiritum sanctum signa faciebat, cónfitentur magi dicentes, *Digitus Dei est hic* (*Exod.* VIII, 19). Nam in Actibus Apostolorum legimus, *Deservientibus autem eis et jejunantibus Domino, dixit Spiritus sanctus, Segregate mihi Barnabam et Saulum ad opus, ad quod vocavi eos* (*Act.* XIII, 2). Ecce servitur Domino, et hoc Spiritus sanctus sibi vindicat. Unde manifeste apparet hunc esse Dominum sicut et Deum Patrem. Et Saulum Christus de cœlo vocavit, et misit prædicare (*Id.* IX, 4) : et hoc simili modo sibi vindicat Spiritus sanctus, dicendo, *ad opus ad quod vocavi eos* : nam nemo ignorat episcopos Salvatorem Ecclesiis instituisse. Ipse enim priusquam in cœlos ascenderet, imponens manum Apostolis ordinavit eos episcopos. Hoc Apostolus Spiritui sancto deputat, cum dicit : *Attendite vobis et omni gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Domini Jesu* (*Id.* XX, 28). Et inter cætera dicit Petrus ad Ananiam : *Anania, cur replevit satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui sancto?* Et infra, *Non es enim*, inquit, *hominibus, sed Deo mentitus* (*Id.* V, 3, 4). Apertum est Spiritum sanctum dictum Deum, cui mentitus Ananias, Deo mentitus dicitur. Quod si Spiritum sanctum minime voluisset Deum intelligere, dixisset, Non es mentitus hominibus, sed Spiritui sancto; ut neque Deum hunc, neque hominem significaret. Et quid mirum? Apostolus enim aliquando templum Dei hominem appellat (II *Cor.* VI, 16), aliquando vero templum Spiritus sancti (I *Cor.* VI, 19), propterea quia unum sunt natura. Si enim Deus minime intelligeretur Spiritus sanctus, qua audacia diceret infra, *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*Id.* III, 17)? Quoniam unus Deus in omnibus Scripturis prædicatur; mysterium autem ejus in Trinitate adoratur. Idcirco sic ait Scriptura, ut sub unius Dei professione, ea quæ de ipso sunt, id est, Filius et Spiritus sanctus ejus, in eodem honore intelligantur, in quo ipse Deus est. Quia ideo sacramentum revelatum est Dei, ut gloria ejus in Trinitate significaretur. Quamobrem non plena auctoritate Deus vocatur quod de Deo est, ne alterum absque eo qui unus est, facere credatur. Sed intellectum dat, ut credamus ea ratione in Trinitate creaturæ salutem consistere, quia una est eorum divinitas. Neque enim possent simul jungi et in ordine poni Creator et creaturæ, Dominus et servi, æternitas et quæ sub initio sunt : quippe cum sine uno eorum salus nulli sit. Ad injuriam enim vocatur omne quod Deus est, sive Filius, sive Spiritus sanctus, si extra unius Dei honorem deputetur et gloriam. Scripturæ igitur ostendunt Christum Deum, ostendunt Spiritum sanctum Deum, ut videntes sciant quid sit, quid ostenditur [1]. Tale est si quis gemmam ostendat, non clamans quia gemma est, numquid quia ille non clamat, non erit gemma quæ videtur? Ita et Scripturæ ostendunt per ea quæ supra tractata sunt quid credere debeamus, intra unius Dei fidem sensum nostrum concludentes, mysterio Trinitatis.

(*a*) Si rationi fides accommodetur, etc., Manifestum

[1] Er. Ven. Lov., *ut videntes sciant quid sic ostenditur.* M.

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. quadragesima tertia.

igitur est idcirco verum dici Filium Dei Christum, ut proprius, id est de substantia ejus natus intelligatur. Unde et Apostolus, *Qui proprio*, inquit, *Filio suo non pepercit*. Nam Patrem et Filium unius esse substantiæ, ipsa nominum ratio docet. Ut enim mysterium, quod ratio humana propter suam infirmitatem non capit, possit sciri, nomina sacris rebus aptata sunt congrue, ut per hæc veritas Patris et Filii possit aliquatenus intelligi. Nihil enim sic Christum Dominum de Deo esse Deum facit adverti, quam nomen hoc quod dicitur Filius Dei. Et quia malignitas etiam ipsis nominibus perfidiam suam infert, ut aliter quam ratio ipsa se habet nominis ipsius, causam interpretetur, addidit, *verus Filius :* ut obstrueret os pravum, et mente perversum. Denique nemo in hæresim ruit, nisi a nominum ratione discedens : simplices vero permanentes in ratione nominum, catholicæ fidei adhæserunt. Ipsa enim simplicitas non aliter hoc advertit imperturbata, quam traditum est. Accedente autem tergiversatione, dum re bene et simpliciter posita commovent quæstiones, non contenti credere quod sonant verba, indignum putantes si non sibi addant aut demant, de traditione præcipitantur. Sollicitos enim se faciunt, ne Deus aliter debeat credi, quam tradidit. Ratio autem nominum Patris et Filii inducit ad veritatem unitatis eorum. Nec enim potest discrepare ab altero, quorum imago una sacris Scripturis refertur, quod etiam ipse Filius firmat, cum dicit, *Qui me videt, videt et Patrem*. Si ergo unum ex iis qui videt, ambos videt, sine dubio Pater et Filius unam habent imaginem ; quæ non esset una nisi consubstantivi essent Pater et Filius : quod quidem non est ambiguum circa notitiam humanam. De vero enim Filio quid aliud poterit judicari, quam ut unitas eorum ipsa nominum proprietate nascentis et generantis firmetur ? Quis enim aliud generet quam ipse est ? Si enim Filius tantum diceretur, et non adjiceretur ad intellectum quia verus est, testante illud apostolo Joanne, qui ait, *Sumus in vero filio Jesu Christo, qui est verus Deus, et vita æterna ;* et apostolo Paulo similiter prædicante : *Qui proprio*, inquit, *filio suo non pepercit :* posset de nudo nomine Filii dubitari. Nam cum addat verum hunc esse Filium Dei ; qui ab hac voce et sensu recedunt, ipsi sibi proprie inimici sunt. Confingunt enim sibi, et persuasione quadam opinionis perversæ aliud debere credi asserunt, quam ratio fidei continet, quasi plus dent Deo quam ipse de se voluit credi. Si enim adjectum non fuisset, *vero*, posset dubitari. Diceretur enim similis esse Patri, propter hoc quod ait, *Qui me videt, videt et Patrem :* ut sicut lac et gypsum, quantum ad colorem pertinet, simile est : quantum ad naturam, longe dissimile : sic et id quod dictum est, *Qui me videt, videt et Patrem*, possit videri. Sed quia veri Filii Dei verba sunt, non debet aliud ad intellectum admitti, quam ut ideo hoc videatur dixisse, quia unum sunt natura Pater et Filius, hoc est in nullo discrepare alterum ab altero. Nam si Salvator de viro et muliere, propterea quod una amborum substantia est, ait, *Jam enim non sunt duo, sed una caro :* quanto magis Pater et Filius non sunt duo dicendi juxta substantiam ; ne aut scissa vel divisa, aut certe dispar ac dissimilis eorum substantia dignoscatur? Denique Paulus apostolus unitatem substantiæ eorum firmans dicit, *Qui non rapinam arbitratus est esse se parem Deo*. Parilitas ergo hæc unde erit, nisi de unitate substantiæ ? Hinc ambo unius sunt imaginis. Sic ergo ut Apostolus ait, *Non rapinam arbitratus est esse se parem Deo*, verum se Dei Filium demonstravit. Deo enim par esse non poterat, nisi esset de ipso. Pares enim ii sunt qui aut ambo veri sunt, aut ambo falsi. Nec enim parilitatem recipit, cœptum et æternum, aut unitatem. Unum enim se esse dicendo Christus cum Patre, parem se Deo fecit. *Non solum enim*, inquit, *solvebat sabbatum, sed et Patrem proprium Deum sibi dicebat, æqualem se faciens Deo*, hoc est Patri. Nonne manifestum est æqualitatem hanc de proprietate nativitatis descendere ? Proprium enim se, id est verum dicens Dei Filium, æqualem se faciebat Deo : hoc est unde dicit, *Qui me videt, videt et Patrem :* per id quod consubstantivi sunt, qui unum videt, ambos videt. *Sicut enim habet Pater vitam in semetipso, ita et dedit Filio habere vitam :* hoc est, æqualem, etc., (*a*).

(*a*) Consequuntur perpauca uti in Mss. primi generis, scilicet usque ad verba, *natus credatur*. Reliqua deinceps in Mss. secundi generis desunt.

QUÆSTIONES
EX UTROQUE MIXTIM [a].

DE EVANGELIO JOANNIS [1].

XCVIII (*b*). — Audistis quæ contestetur sacrosanctum Evangelium, dicente Domino ad Judæos, *Vos de patre diabolo nati estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, quia veritas non est in illo. Cum loquitur mendacium, ex suis propriis loquitur, quia mendax est, sicut et pater ejus* (*Joan.* VIII, 44). Nemo fidelium dubitet diabolum apostasiæ suæ auctorem non habere. Ipse enim totius erroris est princeps : qui videns a Deo factum se non mediocris potentiæ, ausus est præsumere divinitatem ; ut quia cæteros vidit inferiores, seipsum præferret ut deum. Denique nomina quibus appellatur diabolus et satanas, ab actu ejus composita sunt, non ex natura. Omne enim malum opere probatur, ut non substantia in crimine sit, sed voluntas concepta ex causis. Dum enim se vidit potiorem cæteris, inflatus est ad exercendam dominationem. Quomodo ergo patrem habere dicitur, qui auctor sceleris ejus habeatur ? Aut unde probatur ab initio homicida fuisse ? Sed Scriptura illum qui ejus fuerit imitator, nomine ejus appellat ; ut quia ab opere nomen accepit, omnis qui malum opus fecerit, non immerito diabolus nominetur. Salvator ergo hoc loco Cain diabolum appellavit, quia operum ejus æmulus, dum invidit fratri, homicidium perpetravit, exemplum relinquens crudelitatis parricidii. Sicut et diabolus dum invidit homini facto ad imaginem Dei, malignitatem operis sui cumulavit, typum præbens erroris. Hinc itaque exstitit etiam mendax Cain, dicente sibi Deo, *Ubi est Abel frater tuus?* Qui patris sui imbutus malitia, in mendacium prorumpens, *Nescio*, inquit (*Gen.* IV, 9) ; ut cui vitam extorserat, ubi esset nescire se simularet ; sic furore cæcatus, ut Deo sic responderet quasi homini, quem putaret se posse celare. Igitur hujusmodi imitatores facti Judæi, etiam ipsum Dominum occiderunt, Cain potius fratricidam patrem volentes ha-

[1] Ita Mss. et editio Ratisponensis. Aliæ vero editiones sic habent : *Quomodo in Evangelio Joannis diabolus dicatur habere patrem.*

(*a*) Titulus ineptus, ut ex qq. CI, CII, CXIV, CXV, etc., patet, nec a nobis repertus in Mss. qui partitionem hic nullam habent. Sed ex editis hactenus receptum est, ut citetur hæc tertia pars Quæstionum sub illo titulo : quapropter nihil hic mutandum curavimus, in opere præsertim non magni momenti.

(*b*) In Mss. secundi generis non exstat hæc jam secunda tractatio ejusdem met argumenti, de quo supra est quæstio nonagesima.

bere quam Deum, ut totius sanguinis effusi rei fierent. Auctorem enim vitæ perimentes, totius sceleris principes exstiterunt, ita ut huic malo etiam filios suos obligarent dicentes, *Sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*Matth* XXVII, 25). Ut enim Pilato suaderent, nihil mali esse quod petebant, in filios suos retorqueri dixerunt, si esset injustum : quia ut furori suo satisfacerent, nec filiis quidem suis parcere voluerunt. Nam quia diabolus non natura malus est, hinc facilius dicitur, quia pœna non promitteretur ei qui non fecerat quod nescierat. Iniquum est enim punire eum qui non facit aliud, quam quod suæ est naturæ. Et magis istud malum est, si hoc exigas ab aliquo, quod scias illum non posse. Quamobrem juste plectendus est, quem cum constet scire ac facere posse bonum, agit malum. Hoc etiam ex verbis Salvatoris poterit adverti : ait enim, sicut supra memoratum est, Pater vester *homicida fuit ab initio, et in veritate non stetit.* Igitur si per naturam mendax est, quomodo dicitur in veritate non stetisse? Hic enim in veritate non stat, qui in veritate non permanet. Constat ergo diabolum in veritate fuisse, sed non perseverasse. Denique legimus in propheta sic dicentem Dominum, *Si stetissent*, inquit, *in substantia mea* (*Jerem.* XXIII, 22), id est in lege mea. Et Apostolus ad Galatas, *State*, inquit, *et nolite iterum servitutis jugo cohiberi* (*Galat.* V, 1). Quid tam apertum? Hic enim mandat ut de cætero permaneant in mandatis ejus. Quod si diabolus servasset, steterat in substantia et in lege Dei. Fundamentum est enim lex servantibus eam. Quomodo ergo quibusdam videtur, diabolum aut malum a Deo factum, aut propriam habere originem, id est ex nullo ortum, quod utrumque Deo videtur contrarium? Qui enim ad hoc illum dicit factum ut esset malus, imperfectæ putat Deum esse bonitatis; quia perfecte bonus non facit malum. Qui vero originis ejus Deum auctorem esse non credit, ejus dominium Deo abnegat. Per hoc enim, cum omnia Dei sint, aliquid esse arbitratur quod minime ad Deum pertineat : quos oportet pœnas perpeti, cum viderint cuncta a Deo judicari per Christum.

XCIX. — Quid sit illud Apostoli, *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana* (I *Cor.* X, 13)?

Non sine providentia, ut arbitror, magister Gentium Apostolus noster, tentatio ut nos apprehendat exoptat, sed ut humana duntaxat; quia divina tentatio perniciem parit. Hac enim Judæi apprehensi a serpentibus perierunt. Agentes enim sub Dei lege, de providentia ejus dubitabant : ac per hoc ne divina nos, sed humana tentatio apprehendat, hortatur. Hic enim tentari a Deo dicitur, qui sub nomine ejus agens, ab idolis sperat salutem; quia non habet Deum probatum. Omne enim quod probatum non est, tentatur; et quod tentatur, in dubium venit. Ac per hoc divina tentatio mortalis est, humana vero tentatio salutaris est : quia sicut de Deo dubitare perniciosum est, ita de homine desperare propter Dei legem saluberrimum est. Quamobrem providenter Apostolus, *Tentatio*, inquit, *vos non apprehendat nisi humana :* ut propter Dei legem ab hominibus tentati, fortes inveniamur [1], dubitantibus de nobis hominibus carnalibus, Deo autem probati simus : quia qui probati Deo non sunt, tentantur ut emendentur. Duplex ergo tentatio est : aliquando enim quasi fideles, aliquando quasi diffidentes tentamur; ut fidelium tentatio humana sit. Propter fidem enim ab hominibus tribulamur : tentant enim nos si possint abducere a fide. Propter diffidentiam autem tentantur, ut angustiati pœnitentes redeant in viam; sicut factum est etiam Judæis. Cum enim diffiderent de providentia Dei, tentati sunt a serpentibus, ut dolore correpti emendarentur. Deus enim sic tentat, ut corrigat hujusmodi homines. Est et alia tentatio, qua tentatus est Abraham, et Job, necnon et Tobias famuli Dei : ut Abraham per tribulationem oblati unici et dilectissimi filii (*Gen.* XXII), uberiorem fructum justitiæ haberet ad æternam gloriam : Job autem amissione totius substantiæ augmentaretur divitiis locupletatus in cœlis et in terra (*Job* I, II; XLII, 12, 13). Tobias vero cæcitatem luminum passus sic provectior exstitit, ut ad præsens gloriosus fieret receptis oculis, et in futurum servaretur ei claritas perpetua (*Tob.* II, 11; XI, 15). Quia ad hoc probantur justi, ut proficiant. Ideoque in tentatione robusto animo esse debemus, scientes non ad diminutionem nostram hoc proficere, sed augmentum, si modo æquo animo toleremus per Christum.

(*a*) Omnis quæstio ut dilucidari possit, ad originem revocanda est. Apostolus autem cum de Judæorum perfidia quereretur, et quoniam Deum in solitudine tentaverunt; unde dicit, *Neque tentemus Christum, sicut quidam tentaverunt* (I *Cor.* X, 9) : dum ergo hæc memoraret, et quid propter ista mala passi sunt, ad terrorem incutiendum exponeret, ut ipso nos exemplo malitiæ vel tentationis quæ in Domino fit revocaret (divina namque tentatio est, si sub lege Dei agens, ex alia parte aut ab idolis auxilium petat, diffidens de Deo), ideo hoc Apostolus cavendum monet. Ut autem humana tentatio nos teneat, exhortatur : quia humana tentatio est, in Dei causa desperare de homine, et promptum esse in fide Dei. Tentatio enim hæc diffidentia intelligitur, ut de promissis Dei non diffidant. De humanis, quia in omni errore seductionis humana tentatio est [1], quæ infesta mundanis rationibus Dei legi obsistit, desperans de promissis ejus. Habes ergo manifestatum quæ sit in Deum tentatio, et quæ est humana tentatio, quam fastidire non debemus, si fidei Dei participes sumus.

DE EVANGELIO MATTHÆI [2].

C (*b*). — Audistis, fratres charissimi, quæ contestetur Evangelium dicente Domino : *Confiteor tibi, Domine cœli et terræ, qui abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te* (*Matth.* XI, 25, 26). Igitur si dictorum sensum inspiciamus, videbimus ea quæ ad exhortationem credentium a Domino dicta sunt, eorum qui propterea quod mundanam sapientiam spernunt, parvuli videntur sapientibus mundi, qui nullo testimonio commendati sapientes volunt dici. Idcirco indignum visum est Deo his ostendere veritatem : humilibus autem qui nihil de se præsumentes divinæ se voluntati inclinant, æquitate cogente salutaria revelanda sunt. Hic enim prudens Deo est et salutis suæ memor, qui scientiæ suæ anteponit Dei legem, quam utique videt non verborum strepitu fulciri, sed rerum virtutibus. Et sine dubio hic stultus et vanus est, qui huic rei se commendat, quæ nulla munitur prærogativa signorum. Unde non litteratis sæculi regnum Deus promisit, sed fidelibus; neque scrutatoribus siderum æternitatem pollicetur, sed recte agentibus; nec dialecticis, qui fraude et minutis quibusdam ratiunculis verum excludere nituntur, gloriam dat; sed bonæ voluntatis hominibus, qui accurati magis vita sunt quam sermone. Istos enim reprobat Deus, qui oratione clari sermonis magis uti volunt quam bonis actibus. Nam et gloriam Dei in se vult convertere, qui rem Dei verbis exornare se putat. Res enim ipsæ per se placere debent, ut non sermo, sed sensus laudetur. Si enim sensus auctor est litteræ, et verba propter res significandas inventa sunt; cur non magis res ipsæ puro sensu promendæ sunt, ut felicius [3] mentem incitent ad salutem? Ideoque piscatores elegit Dominus noster Apostolos, homines simplices et sine litteris, qui sine aliqua versutia fidem servando et bene vivendo, Dei in se ostenderent veritatem. Unde et apostolus Paulus, *Et ego veniens*, inquit, *ad vos, fratres, non veni in sublimitate sermonis aut sapientiæ* (I *Cor.* II, 1). Et inter cætera, *Quia non*,

[1] Ms. Colbert., *forte si inveniamur.*

[1] Ms. Germ., *traditio est.*

[2] Ita Mss. et editio Ratisponensis. Aliæ vero editiones : *Quomodo in Evangelio Matthæi dictum sit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli*, etc.

[3] Ms. Colbert., *facilius.*

(*a*) Quæstio eadem ex Mss. secundi generis, inter post vulgatas ex Novo Test. quinquagesima secunda.

(*b*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.

ait, *in sermone est regnum Dei, sed in virtute* (I *Cor.* IV, 20) : ut quia verba contradictioni obnoxia sunt, Dei legi virtus testis existeret, cui omnis cedit sermonum sublimitas. Itaque hæc idcirco præmissa sunt, fratres charissimi, ut consuleretur simplicioribus, ne forte indignos se putarent gratia Dei, quia minime sunt litteris forensibus eruditi, cum magis ad laudem proficiat simplicitas eorum : quoniam quod prudentes mundi non vident superbia litterarum, hi credunt, non verbis sed consilio prudentes. Sciunt enim in bonis operibus requiescere Deum, et fidem quærere, non cultum sermonem. Legunt enim dicentem Dominum, *In quo requiescam, nisi in humili et mansueto et tremente verba mea* (*Isai.* LXVI, 2)? Quamobrem ut digni efficiamur ad promissa præmia, ea quæ a Domino jubentur, facere debemus, securi quia hos diligit Dominus, qui verba ejus custodiunt. Sic enim dicit discipulis suis, *Si diligitis me, præcepta mea servate* (*Joan.* XIV, 15) : ut in his Domino servientes regni ejus hæredes esse possimus per Jesum Christum Dominum nostrum.

DE JACTANTIA ROMANORUM LEVITARUM[1].

CI (*a*). — Dum jussis charitatis parere volumus, in vituperationem forte cademus, qui de re quæ nulli aliquando in dubium venit, scribimus; quia cum amicitiam offendere nolumus, studium quod ad aliquam rem occultam revelandam proficere debuit, intricamus : quamvis propter nimiam stultitiam cujusdam hoc asseverantis, quod in subjectis pandemus, istud nobis injunxerit charitas memorata, ne cum nemo diu ad hoc responderet, in pejus proficeret, et diu in vano exercitatus emendari non possit. Hoc enim charitatis studium est, quæ non quærit quæ sua sunt. Quidam igitur qui nomen habet Falcidii[2], duce stultitia, et civitatis Romanæ jactantia, levitas sacerdotibus, et diaconos presbyteris coæquare contendit : non dicam præferre, quia stultius est, et forte incredibile videatur[3], et nos non emendatores, sed calumniatores habeamur. Qua igitur lege quave consuetudine, quonam exemplo hoc aggredi audeat, nullum scire arbitror, ut istos quibus consessus in Ecclesia datus est minime, iis coæquet qui propter quod antistites Dei sunt, in domo Dei et in honore Christi cum dignitate considunt : quæ audacia est presbyteris ministros ipsorum pares facere? Quæ temeritatis præsumptio, sacerdotibus bajulos tabernaculi et omnium vasorum ejus et lignorum concisores et portitores aquæ conferre? Hoc enim officium fuit levitarum. Tale est, si præfectis officiales, dominis servi æquentur. Hoc enim scriptum est dicente Domino ad Moysen, *Accipe tribum Levi de medio filiorum Israel, et statue illos ante Aaron sacerdotem, et deservient ei* (*Num.* VIII, 13). Quid hoc exemplo apertius, quod etiam nunc in Ecclesia custoditur? Quanquam Romanæ Ecclesiæ diaconi modico inverecundiores videantur, sedendi tamen dignitatem in Ecclesia non præsumunt. Ut autem non omnia ministeria obsequiorum per ordinem agant, multitudo facit clericorum. Nam utique et altare portarent et vasa ejus, et aquam in manus funderent sacerdoti, sicut videmus per omnes Ecclesias, et sicut constitutum est a Domino per Moysen. Aut numquid meliores Elisæo sunt, qui aquam fundebat in manus Eliæ (IV *Reg.* III, 11)? Sic autem diaconos adversus presbyteros defendit, quasi ex presbyteris diaconi, et non ex diaconis presbyteri ordinentur. Sed quia Romanæ Ecclesiæ ministri sunt, idcirco honorabiliores putantur quam apud cæteras Ecclesias, propter magnificentiam urbis Romæ, quæ caput esse videtur omnium civitatum. Si itaque sic est, hoc debent et sacerdotibus suis vindicare : quia si ii qui inferiores sunt crescunt propter magnificentiam civitatis, quanto magis qui potiores, sublimandi sunt? Quidquid enim officialibus præstatur, augmentum fit potestati : sicut honor servi ad laudem proficit domini. Quanquam apud justum judicem Deum unicuique hic honor maneat, qui decretus est singulis Ecclesiarum officiis, ut qui diaconus est, diaconi honorem per omnes Ecclesias habeat. Non enim qualiscunque honor est, antistiti Dei servire in Ecclesia duntaxat ut sacerdos totius honoris ecclesiastici dignus habeatur. Major enim ordo intra se et apud se habet et minorem : presbyter enim et diaconi agit officium et exorcistæ et lectoris. Presbyterum autem intelligi episcopum, probat Paulus apostolus, quando Timotheum quem ordinavit presbyterum, instruit qualem debeat creare episcopum (I *Tim.* III, 1-7). Quid est enim episcopus, nisi primus presbyter, hoc est summus sacerdos? Denique non aliter quam compresbyteros hic vocat et consacerdotes suos. Numquid et ministros condiaconos suos dicit episcopus? Non utique, quia multo inferiores sunt. Et turpe est judicem dicere primicerium. Nam in Alexandria et per totam Ægyptum, si desit episcopus, consecrat presbyter[1]. Quanta autem sit dignitas ordinis sacerdotalis, causa ostendit Caiphæ, qui cum esset homo pessimus, prophetavit. Quare? *Quia princeps*, inquit, *erat sacerdotum* (*Joan.* XI, 49). Et iterum multum distare inter diaconum et sacerdotem, liber approbat, quem dicimus Actus Apostolorum. Cum enim ex Samaria credidissent Philippo prædicanti diacono ab Apostolis ordinato, Miserunt, inquit, ad Petrum et Joannem ut venirent, et iis qui crederent, darent Spiritum sanctum per manus impositionem (*Act.* VIII, 14, 15). Sed inscii credo Scripturarum aut immemores Legis hæc defendunt. Recordari ergo debet qui ista putat asserenda, quid levitis acciderit cum taliter saperent. Cum enim nihil inter sacerdotes et levitas interesse præsumerent, Deo judice hiatu terræ absorpti sunt Chore et consentientes ei, et ducentos quinquaginta viros torrens ignis simul consumpsit (*Num.* XVI, 31-35) : et Ozias rex cum opus sacerdotale præsumeret, lepra perfusus est (II *Paral.* XXVI, 19-21) : ut hoc utique exemplo cæteri territi non audeant quod sibi concessum non est præsumere. Nunc enim videmus diaconos temere quod sacerdotum est agere per convivia et in oratione id velle, ut respondeatur illis, cum istud solis liceat sacerdotibus. Diaconi enim ordo est, accipere a sacerdote, et sic dare plebi. Vides quid pariat vana præsumptio? Immemores enim elatione mentis, eo quod videant Romanæ Ecclesiæ se esse ministros, non considerant quid illis a Deo decretum sit, et quid debeant custodire : sed tollunt hæc de memoria assiduæ stationes domesticæ et officialitas, quæ per suggestiones malas seu bonas nunc plurimum potest. Aut timetur enim ne male suggerant, aut emuntur ut præstent. Hi sunt qui faciunt eos ordinis sui non considerare rationem. Dum enim per adulationem obsequuntur illis illicite, præcipites illos faciunt, ut plus sibi putent licere : quippe cum videant non sic deferri sacerdotibus; ac per hoc anteferri se putant. Sed testimonio, inquit, diaconi fit presbyter : quasi istud ad prærogativam pertineat magnitudinis. Legimus enim ad plebem dixisse Petrum apostolum : Eligite, inquit, ex vobis quos constituamus deservire mysteriis Ecclesiæ (*Act.* VI, 3). Nolo dicere, *mensis*. Ecce laicorum testimonio creati sunt diaconi. Et Apostolus eum qui ordinandus dicitur episcopus, etiam testimonium vult habere Gentilium : sic enim ait, *Oportet enim hunc et testimonium habere bonum ab his qui foris sunt* (I *Tim.* III, 7). Omnium ergo est testimonium dare, et non tamen omnes hoc honore digni sunt. Judicare enim omnes possunt, et non tamen omnes possunt esse quod judicant. Potest enim pictor judicari bonus, et præferri alteri ab

[1] Sic Mss. et editio Ratisponensis. Aliæ vero editiones: *Quomodo contra levitas Romanos disceptandum sit, qui contendunt levitas sacerdotibus, et diaconos presbyteris coæquare.*

[2] Ms. Colbert., *Falsi-de-re-quærenti duce*, etc.

[3] Juxta Er. Lugd. et Ven., *videtur*. M.

(*a*) Quæstio hæc deest in Mss. secundi generis.

[1] Ms. Colbert., *consignat*.

illo qui pingere nesciat; et choraula melior alio choraula approbari ab eo, qui alterius est artis : ita et testis potest esse creandi presbyteri qui inferior ordine est. Et iterum, quo inflentur et putent sibi multum deberi, A nobis enim, inquiunt, perducuntur qui ordinandi sunt : ut dum lateri illorum septi sunt, honore digni videantur. Fac verum esse. Quasi officialis enim ab episcopo mittitur, ut obsequium præbeat ordinando. Nam et imperator, ut imperator appareat, ordinatur obsequio militari : non tamen melior nec par est exercitus imperatori. Nam et Aman cum esset clarus in honore militari, a rege missus est ut Mardochæo in obsequium iret (*Esther* VI, 10) : ut quantum dignus esset Mardochæus, ex hujusmodi obsequiis nosceretur. Ita et diaconi creandis presbyteris in obsequium mittuntur; ut dignos eos fieri sacerdotes, omnes intelligant. Exceptis enim sacerdotibus, quibus obsequium debent, omnibus præponuntur diaconi.

CONTRA NOVATIANUM [1].

CII (*a*). — Dicunt discipuli sui ad Jesum, *Domine, vis ut dicamus, descendat ignis de cœlo, et consumat eos, sicut fecit Elias?* Et respondit illis Domnus dicens, *Nescitis cujus spiritus estis. Filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare* (*Luc.* IX, 54-56). Cum dignum utique esset vindicare in Samaritanos non suscipientes eum ; Dominus tamen qui ad misericordiam dandam advenit, sententiam amovit, ut de cætero corrigentes emendarentur. Et propheta Elisæus indignatus pueris qui ei contumeliam faciebant, Deo judice vindicavit in eos, ut eo loco ab ursis comederentur, ubi silva esse negatur (IV *Reg.* II, 23, 24) : Dominus autem oblatæ sibi meretrici pepercit, ei videlicet quam in adulterio se deprehendisse majores Judæorum dixerunt (*Joan.* VIII, 11); ut quia pia prædicatio incœperat, non condemnandum, sed ignoscendum doceret. Nam per Moysen data Lex, quia justitiam habuit ad vindictam, in primordiis suis severitatem exercuit. Quia et in illum qui sabbatis exiit ligna colligere, funebriter vindicavit (*Num.* XV, 32-36); et in filium Ægyptiæ qui blasphemaverat in Deum, similiter ultionem dedit (*Levit.* XXIV, 10-14) ; et in causa fusilis vituli percussit filios Israel (*Exod.* XXXII, 27). Unaquæque ergo Lex inter ipsa primordia sensum suum plenum ostendit, ut vetus Lex, quia ad vindicandum promptior erat, inter initia sua asperior videretur, ut metu incusso diligentes et sollicitos faceret auditores suos. Nova vero propterea quod pia et ad misericordiam facilis est, primordia sua mitissima et clementissima demonstravit, ut ipsa oblectatione ac dilectione omnes ad indulgentiam provocaret. Postea autem et illa quæ asperior visa est propter fragilitatem humani generis, non solum rigorem suum mollivit, sed et humanam et piam se præstitit, et hæc quæ clemens visa est aliquando vindicavit. Ananias enim cum Saphira uxore sua divinitus cæsi sunt (*Act.* V, 5, 10). Et Elimas magus incredulus et Dei legi repugnans, Domini judicio et virtute cæcatus est (*Id.* XIII, 8-11). Et Herodes rex propterea quod honorem non dedit Deo cœli, ab angelo Dei percussus scatens vermibus exspiravit (*Id.* XII, 23). Ne quia misericordia prædicatur, inultum omnino putarent homines et impune peccari, timorem posuit, ostendens ad hoc dari veniam delictorum, ut quasi ex mortuis vivificati postea abstinerent se a contrariis, ut id elaboretur, ne quis hinc cum crimine exeat, quia ad judicium venietur. Hæc enim unicuique sententia imputatur, in qua defungitur. Quoniam igitur nova Lex plenitudinem habet misericordiæ, ne contemptui duceretur ab amatoribus peccatorum, in supra dictos vindicavit. Vetus vero Lex quanquam ad vindictam data sit, quibusdam tamen ignovit, ne omnino crudelis diceretur : sed in plures vindicavit, quia sensus ejus ad ulciscendum promptus est. Sine dubio ergo major gratia novæ Legis est quam fuit veteris. Si ergo major gratia est, quomodo negatur hoc præstare posse, quod præstitit illa, quæ minorem gratiam habuit? Erat enim propensior in severitatem. Itaque si ista pœnitentibus ignovisse probatur, qui fieri potest ut ista quæ clemens est, non recipiat pœnitentes? Nam et Judæi filii Dei appellati sunt, qui per Moysen in nube et in mari baptizati, apostoli Pauli auctoritate leguntur (I *Cor.* X, 2). Legem enim accepturi procul dubio purificati noscuntur, ut de cætero acceptæ Legis redderent rationem, ut si quid peccarent, per pœnitentiam se reformarent; dicente Domino per Isaiam prophetam, *Pœnitentiam agite qui erratis, et convertimini* (*Isai.* XLV, 22). Sed forte e contrario dicitur, Pœnitentia quidem prædicata est, non tamen remissio. Si ergo pœnitentia a Deo prædicata est, fructus erit agentibus pœnitentiam. Nec enim supervacue hoc Dominus commoneret. Porro autem sciens Dominus conversis dari debere peccatorum remissionem, hoc præcepit : quippe cum dixerit, *Nolo mortem peccatoris, tantum ut convertatur et vivat*[1] (*Ezech.* XVIII, 32). Itaque et est fructus pœnitentiæ, sicut claruit, conversis ad Deum. Exclusa est ergo Novatiani impie composita assertio, qua verborum Domini sensum invertit dicens, Ait Dominus, *Qui me negaverit, et ego negabo ipsum* (*Matth.* X, 33): ut si aliquis christianus quacumque ex causa negaverit, jam redire non possit, aut certe revertens, minime recipiatur. Et ubi erit demandata pœnitentia? Cum Salvator post datam hanc sententiam negantem apostolum Petrum non negaverit. Quare? Quia pœnitentia subsequente erratum suum amarissime flevit (*Id.* XXVI, 75), sciens utique conversis ignosci, et reformari eos per pœnitentiam. Sed Novatianus fingit agendam pœnitentiam. Quia enim aperte non audet negare pœnitentiam dandam, astrictus Lege, subtiliter hanc frustrare contendit. Quando enim dicit, quia qui negaverit, nullo modo veniam habebit, sed negabitur et ipse in conspectû Angelorum Dei, quomodo non cum dolo agendam pœnitentiam profitetur? Hinc autem manifeste fraus ejus apparet, cum subjungit dicens, *Quicumque peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque hic, neque in futurum* (*Id.* XII, 32). Quamvis alia causa sit qua peccatum est in Spiritum sanctum, et alia negare Dominum Jesum ; Novatianus tamen ut huic peccato veniam deneget, unum sensum vult esse, et negantis Dominum, et peccantis in Spiritum sanctum, ut hac tergiversatione fructum amputet pœnitentiæ. Si enim idem est negare Dominum quod peccasse in Spiritum sanctum, nulla venia speranda est negantibus, neque fructus aliquis pœnitentiæ; quia hoc peccatum, neque hic, neque in futuro remitti dominica oracula promiserunt. Hinc ergo apparet, Novatianum cum dolo dicere agendam pœnitentiam, Utquid enim pœniteret, si delictum aboleri negatur? Pœnitentiæ enim gemitus, fletus et lamentatio hoc acquirit, ut et veniam mereatur et reformationem. Denique David pœnitens et confitens peccatum suum, et veniam meruit (II *Reg.* XII, 13), et ad pristinum statum redditus est; quia et rex permansit, et postea prophetavit. Quod liquido probatur : in quinquagesimo enim psalmo pœnituit, et postea persecutionem a filio suo passus prophetavit. Tertius enim psalmus juxta historiam post quinquagesimum est. Sed forte regi ignosci oportuit, humilibus autem ignosci non debet; cum magis potentioribus difficilius ignoscendum videatur? Deus enim personam hominis non accipit (*Rom.* II, 11). Quanto enim quis sublimior, tanto magis, licet leve peccatum ejus, grave est crimen. Sicut enim humilitas in potente sublimis et magnifica est; ita et culpa ejus pro crimine habenda

[1] sic Mss. et editio Ratisponensis. Aliæ vero editiones : *Quomodo contra Novatianos contendendum sit, qui pœnitentiam salutarem negant.*

(*a*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.

[1] In B. : *Quantum ut convertatur et vivat.* Lectionem Er. Lugd. Ven. Lov. secuti sumus. M.

est. Exceptis enim peccatis, quæ constat omnibus esse illicita, non omnia licent potentibus, quæ sunt concessa humilibus. Dignitatis [1] enim homini negotiari deforme est, et popinam ingredi notabile est. Senatoribus quoque fenus infamia est. Si ergo in his levibus inventi notandi sunt, quanto magis rei constituendi sunt, si peccaverint? Per hoc ergo apparet David gravissime peccasse, et quidem duplici modo : conversus tamen, et homicidii et adulterii veniam consecutus est, et quod est amplius, deflens reformatus est. Cum enim a propheta Nathan argueretur, peccatum celare non ausus est, sed confessus est dicens, *Peccavi Domino.* Tunc respondit propheta et dixit, *Abstulit Dominus peccatum tuum, et non morieris, quoniam pœnituisti.* Et quia invenitur postea prophetasse, dubium non est hunc reformatum. Nam et Achab correptus a propheta propter mortem Nabuthe ibat plorans, et conscidit vestimenta sua, et præcinxit se cilicio, et factum est verbum Domini in manu servi ejus Eliæ de Achab, et dixit Dominus : *Audisti, quoniam motus est Achab a facie mea? non inducam ei mala in diebus ejus* (III *Reg.* XXI, 27-29). Et Ninivitis peccata deflentibus, imminente morte reparata est vita (*Jonæ* III, 10). Ecce quantus profectus est pœnitentiæ. Sed forte dicatur e contra, Concessa quidem est, sed non de crimine idololatriæ : quamvis enim hæc gravia sint, majus est tamen crimen idololatriæ. Recte tamen explosa est non ex modica parte Novatiani assertio, qua duo crimina gravia concessa pœnitentiæ videntur. Quia si fornicationi ignosci non debet, sicut Novatiano videtur, quanto magis homicidio, aut adulterio? Sed hinc vanitas ejus apparet, quando hæc quæ graviora sunt, concessa probantur : quamobrem nunc, an idololatris concedi posse promiserit Deus, requirendum est. Omne enim quod jure hic concessum non fuerit, nec in futurum poterit concedi. Hic enim, sicut dixit Dominus, aut ligantur, aut solvuntur peccata (*Matth.* XVI, 19); in futuro autem nihil aliud erit, nisi remuneratio aut condemnatio. Omnis enim qui hic jure reprobatur, non poterit eligi, aut dignus in futurum judicari. Audiamus igitur quæ dicat Dominus de idololatris ad Jeremiam prophetam : *Vade, et dic*, inquit, *Revertere ad me, commoratio Israel, dicit Dominus, et non firmabo faciem meam in vos : quia misericors ego sum, dicit Dominus, et non irascar vobis in ævum. Veruntamen cognosce delictum tuum : impie egisti, et posuisti vias tuas in alienos subtus omne lignum nemorosum* (*Jerem.* III, 12, 13). Ecce quid promittit eis Deus, qui post lapsum ad se convertuntur, ut post apostasiam regressis remittat peccata. Et iterum dicit Deus per Jeremiam : *Delicati mei ambulaverunt vias asperas, ducti sunt ut grex direptus ab inimicis. Constantes estote, filii, et proclamate ad Deum, erit vestra in abductione memoria. Nam sicut fuit mens vestra ut erraretis a Deo, duplicabitis decies tantum conversi, quærentes eum. Qui enim induxit in vos mala, inducet in vos æternam jucunditatem cum salute vestra* (*Baruch* IV, 26-29). O clementia Dei! quemadmodum lapsos provocat ut se erigant! quomodo hortatur ut post errorem idolorum revertantur ad eum! quasi pater benevolus, filiis suis jucunditatem perennem promittit salutis si se corrigant. Item apud eumdem inter cætera : *Et restituam illos in terram istam, et reædificabo eos, et non destituam; et replantabo eos, et non evellam* (*Jerem.* XXIV, 6) : ut quia comminatus dixerat, Sacrificans diis, eradicabitur; ne peccantes in Deum desperarent de se, quasi jam qui sacrificaverant idolis eradicati, replantari non possent; hortatur eos, quia si pœniteant, poterunt ad statum suum pristinum reformari. Sententia enim tunc manet, si non emendetur delictum. Denique Ninivitis prædicatum est, quia post triduum everteretur civitas eorum. Quare post triduum, nisi ut aut pœniterent, et auferretur sententia; aut in eo permanentes, justius deperirent? Hoc est quod dixit per prophetam, *Nolo mortem morientis, tantum ut revertatur et vivat.* Ita factum est ut morituris peccatorum causa Ninivitis, ignosceretur pœnitentia subsequente. Utquid enim centum annis sub Noe arcam invenimus fabricatam (*Gen.* V, 31; VII, 6), nisi ut videntes et audientes quid immineret emendarent se? Neminem enim Deus vult perire. Hinc est unde in Salomone legimus, *Quoniam*, inquit, *Altissimus misertus est pœnitentibus* (*Eccli.* XII, 3). Et iterum, *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam* (*Sap.* XI, 24). Hoc sensu et Dominus dolens super perfidiam Judæorum, ait : *Jerusalem, Jerusalem, quæ interficis Prophetas, et lapidas missos ad te ; quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis suis, et noluisti* (*Matth.* XXIII, 37)! Igitur semper Dominus per totam Legem peccatores ad se converti hortatur, nolens opus suum perditioni esse obnoxium; cum nec alia causa datæ Legis esset, quam ut ex errore homines convertantur ad veritatem : ita tamen, ut in Novo Testamento auctor Legis clementior videatur, quia tempore quo sacramentum Filii sui Domini nostri manifestare dignatus est, largior et uberior in misericordia esse voluit, ut plus gratiæ prædicante Filio esset, quam fuerat prædicantibus servis. Nec immerito : sic enim fuit dignum ut majora dona per Filium, quam per famulos largiretur. Denique ad se conversis credentibus omnia simul peccata concedit, nulla interveniente lamentatione pœnitentiæ. Unde dicit Paulus apostolus, *Sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei* (*Rom.* XI, 29). Post autem si peccaverint, per pœnitentiam poterunt mereri veniam ; ut quia post acceptam gratuitam misericordiam peccaverunt, non jam gratis, sed interveniente gemitu et fletu possint ad indulgentiam pervenire. Impossibile est enim homini ut non peccet. Unde Joannes apostolus, *Si dixerimus*, inquit, *quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Si confitemur peccata nostra, fidelis et justus est, ut remittat nobis peccata, et mundet nos ab omni injustitia* (I *Joan.* I, 8). Sicut David meruit veniam et reformationem, cum confiteretur peccatum. Certe Christianis loquitur Joannes apostolus. Ait enim in subjectis, *Filioli mei, hæc scribo vobis ut non peccetis : et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum* (*Id.* II, 1). Hoc dicit, ut si post Baptismum peccaverimus, advocatum supplices deprecemur, ut exoret pro nobis Patrem. Si enim apud veteres nostros pœnitentia habuit locum, quomodo fieri potest ut hoc tempore locum non habeat, quando major clementia prædicationis est? et qui inimicis misertus est vocando illos ad gratiam, amicis factis non miserebitur cum mercede? Tribulatio enim cordis, merces est pœnitentis. Quod si esset verum, dolerent [1] homines ex inimicis factos se amicos. Aut qualis æstimandus erat ille, si inimicis non pœnitentibus misericordiam daret, amicis vero et pœnitentibus non daret? Præterea cum sciat Dominus diabolum adversus amicos et servos Dei plus se extollere et sævire : unde dicit Petrus Apostolus, *Vigilate et sobrii estote, quia adversarius vester diabolus fremens sicut leo circumit, quærens quem devoret* (I *Petr.* V, 8) : quoniam ergo novit Dominus adversarium nos habere horrendum et validum; si victi ab eo fuerimus, vult nos ad auxilium suum confugere, dolens elisos nos, ut virtute ejus reparati fortiter repugnemus. Sicut enim nisi breviati fuerint dies illi, quos dicit Dominus (*Matth.* XXIV, 22), nulla fiet salva caro; ita et si negetur hominibus pœnitentia, nemo poterit salvus fieri. Si enim *nemo*, inquit, *gloriabitur mundum se habere cor* (*Prov.* XX, 9); et alibi, *Nemo*, ait, *sine sorde, nec infans unius diei* (*Job* XIV, 4) : quis poterit evadere,

[1] Ms. Colbert., *dignitoso.*

[1] Ita Ms. Colbert. At editi, post, *pœnitentis*, prosequuntur sic : *Si lapsis pœnitentibus, qui ante lapsum amici fuerant, non ignosceretur, quod dictum est Novatiani si esset verum, dolerent*, etc.

si pœnitentia denegetur? Et ubi est quod dicit Dominus, quia *gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente* (*Luc.* xv, 7)? Sed majora crimina, inquit, ignosci non debent, fornicatio et idololatria. Et ubi est dictum dominicum, quo omnia peccata et blasphemias promittit remitti hominibus; *Spiritus autem sancti blasphemia non remittetur hominibus* (*Matth.* xii, 31)? Omnia penitus peccata dicit posse remitti, excepto uno. Nunc elige, Novatiane, de quibus vis dictum; de adhuc non credentibus, aut de jam credentibus? Si de non credentibus; quomodo datur remissio peccatorum, cum constet omnes, antequam credant, in Deum peccare et in Spiritum sanctum? Nam nonnulli gesta dominica magicas artes appellant, opus sancti Spiritus dæmoniis assignantes. Si autem de credentibus vis dictum, exclusa est asseveratio tua, quia omnia peccata remittentur: *Et qui dixerit*, inquit, *verbum contra Filium hominis*, *remittetur ei.* Ergo sive in Deum, sive in Christum peccetur, remittetur hominibus. Omnia enim peccata complexus est, præter in Spiritum sanctum. Itaque non hoc peccatum vult intelligi, quod peccatur in Deum, hoc esse et in Spiritum sanctum: si enim hoc esset, non utique istud exciperet. Quoniam ergo aliud peccatum significat, cum blasphematur in Spiritum sanctum (ad personam enim pertinet hoc dictum, non ad naturam Spiritus sancti); sive jam credentibus per pœnitentiam, sive futuris credentibus per Baptismum, omnia remittentur peccata. Quod autem in Spiritum sanctum peccaverunt Judæi, alia causa est, et quæ ad tempus illud pertinuit. Unde non illis hoc remitti, neque hic, neque in futurum ostendit. Non enim errore peccaverunt in Spiritum sanctum, sed malevolentia. Scientes enim prudentesque, opera quæ videbant in gestis Salvatoris Dei esse, ut populum a fide ejus averterent, hæc simulabant esse principis dæmoniorum. Hinc est unde dicit eis Dominus, *Vos habetis clavem scientiæ, et nec vos intratis, nec alios sinitis intrare* (*Luc.* xi, 52). Hæc ergo sententia contra malevolos prolata est quibus remedium inveniri non potest ut salventur. Nihil est enim hoc crimine gravius: fingit enim falsum esse, quod scit esse verum. Judæi enim qui sub Dei lege esse videbantur, quibusque facta promissio Christi est, videntes magnalia, et intelligentes hoc esse quod promiserat Deus; invidia cæcati sunt, ut hoc esse negarent; et non solum negarent, sed et persequerentur usque ad mortem. Non ergo dignum est, istis peccatum hoc unquam debere remitti, qui conscientia sua teste, Deo, cui se devotos dicebant, ausi sunt repugnare. Ut autem in Deum vel in Christum peccetur, diversæ sunt causæ. Aut enim aliquis dum felicitati alterius invidet, dolore humilitatis suæ insurgit in Creatorem; aut aliquid repentinum passus quod sit adversum, in iracundiam excitatus, in parentem injuriosus existit. Christi autem incarnatio etiam ad injuriam provocat [1]. Dum enim ignorant homines sacramentum incarnati Christi, blasphemant, indignum ducentes si Filius Dei, qui incorporalis et simplicis naturæ est, hominum more natus dicatur. Blasphemant ergo, quia ignorant mysterium. Quamobrem conversis his porrigenda est manus, quia sic contra verum existunt, dum pro vero se facere arbitrantur. Tortus hujusmodi et exungulatus, hoc verum esse dicit, quod persequebatur [2]. Supra memorati autem Judæi aliud senserunt, et aliud egerunt, qui sine judice et carnifice, conscientia sua teste semper torquentur. Qui enim per errorem inimicus exstitit vero, cum conversus fuerit, gaudet cognovisse se veritatem: malevolus autem non habet quod emendet; si enim converterit se, incipiet verum dicere quod prius falsum esse nesciebat. Spiritui autem sancto ut fiat injuria, causa nulla existit: officium enim ejus offensionem non parit, quia in

[1] Ms. Colbert., *Christo autem incarnatio sua injuriam provocat.*
[2] Ms. Colbert., *sequitur.*

virtute signorum et prodigiorum apparet. Quis enim insibilare [1] contra eum audeat, videns mortuos excitatos? Aut quis irascatur ei, cujus effectu videat currentes paralyticos, cæcos lumen accipere, surdos audire? Aut quomodo non amabit eum, quem videat spiritus immundos ejicere, leprosos mundare, et simul omnes infirmitates curare? Huic Judæi maluerunt injuriam facere, opus ejus dicentes opus esse dæmoniorum, dummodo invidiam atque odium contra Salvatorem exercentes [2] explerent: idcirco neque hic, neque in futurum, hoc peccatum remitti eis ostendit. Sed Novatianus, Majora, inquit, crimina nominatim remitti probentur, id est, idololatria et fornicatio post lavacrum. Idcirco enim in Baptismo, ait, simul omnia remittuntur peccata, ut de cætero si quid grave commiserint, nullo modo veniam consequantur; quia post acceptum Spiritum sanctum, quod contra Spiritum sanctum est, admitti non debet. Quis neget peccari nunquam debere, si esset possibile? Porro autem sciens Deus fragile genus humanum, semper remediis salutaribus prosecutus est eos, ut post peccata haberent quomodo se repararent. Si autem Spiritus datus prohibet peccantibus dari pœnitentiam, nulla providentia est in Novo Testamento, et melius videbitur veteribus provisum, quibus medicina ista minime est denegata. Et quomodo major gratia est in Novo quam in Veteri? Nam hoc inimici est, qui sciens hominibus aliter provideri non posse, ut perveniant ad salutem, quam interventu pœnitentiæ, Spiritum sanctum det, cui si injuria facta fuerit metu aliquo, aut per aliquem errorem, jam satisfactio locum non habeat reformandi hominem: hoc est occasionem quæsiisse perdendi homines, non salvandi. Sed absit, quia Dominus ait, *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* (*Luc.* ix, 56). Nam si nobis peccata, quæ in nos peccamus invicem, si convertamur, septuagies septies remitti a nobis alterutrum præcepit Deus (*Matth.* xviii, 22); quanto magis ipse, si in illum peccetur, ignoscit conversis? Omnem enim peccatorem converti vult. Unde Apostolus fornicariis et immundis remissum probat dicens, *Ne forte veniens lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia et fornicatione, quam gesserunt* (II *Cor.* xii, 21). Probat quosdam egisse pœnitentiam, de quibus non dolet, sed gaudet: aliquos autem significat, non egisse fornicationis suæ pœnitentiam; propter quod et lugere se eos dicit, non pertinentes ad vitam, quia non egerunt pœnitentiam. Si enim hujusmodi criminis in hac vita semper agenda pœnitentia esset, non diceret lugere se eos, quia non egerunt, sed quia non agunt. Sciens autem hic et incipi, et peragi pœnitentiam, ait, quia *non egerunt.* Hoc enim volebat, ut veniens ad eos pacem haberet cum communione eorum. Ecce probatum est, fornicariis post actam pœnitentiam communicandum esse. Non enim potest illis communicari quamdiu agunt: tunc autem communicandum est, cum desinunt agere judicio Ecclesiæ. Nunc superest videre an specialiter idololatris posse remitti probemus. Legimus enim in Apocalypsi beati Joannis apostoli, pœnitentiam super idololatria prædicari. Commonentur enim episcopi, quos angelos vocat, id est nuntios, sicut et beatus Paulus apostolus ait, *Sicut angelum Dei excepistis me* (*Galat.* iv, 14), ut peccantibus dent pœnitentiam, nec eos patiantur minime commoneri, qui scandala faciunt in Ecclesia, cum sint et ipsi de Ecclesia. Dicit ergo, *Et angelo Pergami Ecclesiæ scribe: Hæc dicit, qui habet gladium ex utraque parte acutum, Scio ubi habitas, ubi sedes est satanæ: et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam, in diebus, quibus Antipas testis meus fidelissimus occisus est apud vos, ubi satanas habitat. Sed habeo adversus te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum sub oculis filiorum Israel,*

[1] Ms. Colbert., *insilire.*
[2] Ms. Colbert., *quod circa Salvatorem exercebant.*

manducare delibata, et fornicari : ita et tu habes tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter age pœnitentiam. Hanc dicit esse doctrinam Nicolaitarum quæ fuit et Balaam, id est, idololatriam et fornicationem, de qua jubet agi pœnitentiam. Et quia hominibus Ecclesiæ loquitur, ostendit dicens, *Hæc dicit spiritus Ecclesiis* Quis autem fructus est pœnitentiæ, ita significat, *Vincenti*, inquit, *dabo manducare manna, quod est absconditum;* ut per pœnitentiam quasi vincat peccata. Quid est enim pœnitere, nisi dolere præterita, et de cætero temperare ab his quæ admiserat? *Et Angelo Thiatyræ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos sicut flammam ignis, et pedes ejus similes æramento Tyrino : Scio opera tua, et dilectionem, et fidem, et ministerium, et patientiam, et opera tua novissima meliora prioribus. Sed habeo adversum te, quod sinis mulierem Jezabel, quæ se dicit prophetam, et docet, et seducit servos meos fornicari, et manducare immolata idolis. Et dedi ei tempus ad pœnitendum, et noluit agere pœnitentiam de fornicatione sua. Ecce mittam illam in lectum; et adulteros ejus cum illa in tribulationem magnam, nisi egerint pœnitentiam factorum suorum, et natos ejus occidam morte; et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum qui scrutor renes et corda; et dabo unicuique vestrum secundum opera sua. Vobis autem dico, et cæteris qui Thiatyræ estis, qui hanc doctrinam non habetis, et ignoratis altitudinem satanæ, sicut dicunt, non mitto in vos aliud pondus : verum tenete quod habetis donec veniam. Vincenti autem et servanti opera mea usque in finem, dabo ei potestatem super gentes* (*Apoc.* II, 12-26). Sub una Epistola data ad Ecclesiam Thiatyram duplicem Novatianæ hæresis confundit et explodit errorem : et pœnitentibus enim idololatriæ causa fructum promittit, et in una Ecclesia malos non contaminare bonos ostendit, cum unius utique essent communionis : nec enim extra Ecclesiam positis scribebat dicens, *Qui habet aures*, inquit, *audiat quid dicat Spiritus Ecclesiis.* Simili etenim modo apostolus Paulus, *Scimus enim*, inquit, *quia quæcumque lex loquitur, his qui sub lege sunt loquitur* (*Rom.* III, 19). Et alio loco, *Quid enim*, inquit, *mihi de his qui foris sunt judicare* (I *Cor.* V, 12)? Unius ergo Ecclesiæ homines, partim ad pœnitentiam provocat, partim collaudat dicens, *Vobis autem dico, et cæteris qui Thiatyræ estis, quicumque non habetis doctrinam istam*, id est idololatriæ, *tenete quod habetis, donec veniam;* hoc est, perseverate usque ad finem, quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X, 22). Similiter et qui perseveraverit in malo, damnabitur. Ac per hoc sicut justitia justi non liberabit eum, in die qua erraverit; sic et iniquitas injusti non nocebit ei, cum converterit se. Ideo dixit, sacrificans diis eradicabitur : si autem converterit se vita vivet. Sicut est et illud quod ait Dominus, *Qui me negaverit, negabo eum* (*Ibid.* 33). Si autem converterit se, non poterit negari ab eo quem confitetur. Hinc est ut diceret in Psalmo, *Non justificabitur in conspectu tuo omnis homo vivens* (*Psal.* CXLII, 2). Hæc enim sententia imputatur homini in qua moritur. Nam quia in Ecclesia mali cum bonis futuri essent usque ad judicium Dei, ipse Deus significavit, dicens, *Simile est regnum cælorum reti misso in mare, quod ex omni genere piscium colligit. Cum autem venissent ad littus, bonos segregaverunt in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi : exibunt Angeli, et segregabunt de regno Dei omnia scandala, et eos qui iniquitatem faciunt* (*Matth.* XIII, 47 49). Hæc causa significatur etiam in illo, qui inter discumbentes inventus est non habens vestimentum nuptiale (*Id.* XXII, 12, 13) : quem solum projectum de cœtu ostendit Ecclesiæ, quia crimen indignitatis ejus non polluit cæteros; et quia hæc indignitas ejus designata est, eo quod vestimentum non habuerit nuptiale, manifestus fuit cæteris. Videbant enim eum inter se aliud esse vestitum. Hinc est unde Paulus apostolus, *In magna autem*, inquit, *domo, non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia* (II *Tim.* II, 20). Istud propter Hymenæum et Philetum posuit, qui cum essent ex Ecclesia, perverse de resurrectione sentiebant; sicut aliqui de Corinthiorum Ecclesia resurrectionem negabant. Sed hanc domum magnam Novatianus mundum significat intelligendum, non Ecclesiam; ne in una Ecclesia malos cum bonis, mundos cum immundis cogatur asserere. Quod facile puto convelli. In una enim domo omnes sub uno sunt nomine : quamvis enim moribus diversi sint, uno tamen domini sui nomine censentur in professione. Mundus autem hic diversæ professionis continet homines, ita ut dispares profiteantur se habere et deos et dominos. Vides ergo non hoc potuisse dici de mundo, sed de Ecclesia, in qua sub uno degentes nomine, diversi sunt actu. Quod quidem Novatianum non ignorasse adverto, sed quia abcessionis suæ justas querimonias non habebat, ne aperte erubesceret, argumenta quædam sibi conflavit per malam legis interpretationem, quibus excusare niteretur et tegere livoris sui invidam voluntatem. Denique respondet ad hæc quæ diximus dicens, Nec ego renuo agendam pœnitentiam admissæ idololatriæ, sed ego remittere non audeo; quia crimen hoc ab eo remittendum est, in quem admissum est. Hæc autem cum dolo respondet. Interpretationibus enim suis detegitur, quibus fraus ejus apparet. Quando enim dicit, scriptum est, *Qui me negaverit, et ego negabo eum*, et mentiri non potest cujus verba sunt; pœnitentiam quam agendam dicit, inanem et infructuosam ostendit. Si enim sententia data est, et non fallit qui dedit; quid excruciari compellis hominem lamentationibus et gemitibus, qui hujus rei effectum, aut denegas, aut scire te minime profiteris? Omnis enim qui consilium alicui dat, ad hoc utique dat, ut quid ex eo proficere possit, prædicet. Sed quia tu, Novatiane, dolose hoc profiteris, ad illudendas mentes hominum, agendam pœnitentiam dicis. Sciens enim aperte hoc negari non posse, subtiliter facis, quia non voce sed affectu [1] pœnitentiam amputas. Omnem certe qui idolis sacrificaverit, in Spiritum sanctum dicis peccare, cui neque hic, neque in futurum, peccatum hoc remitti per legis verba contendis. Quomodo ergo hujus delicti agendam pœnitentiam dicis, nisi quia fallis, sicut supra ostendi? Sed soles alio dolo fraudem hanc velle contegere, dicens eodem sensu etiam Petrum apostolum dixisse Simoni, *Age pœnitentiam ab hac malitia tua, si forte remittatur tibi* (*Act.* VIII, 22). Sed contuens apostolus Petrus veterem et venenatam malitiam hominis et peramaram, idcirco dubium ei dedit responsum. Quis enim mortalium sic peccavit, ut donum Dei pecunia vellet mercari? Malevolentiæ ergo responsum istud datum est, non errori. Hæc est enim quæ remedium non habet; quia nec error est, nec per quam excusetur necessitas, ut possit per fletum ad veniam pervenire. Si in tali itaque causa aliqui fuerint inventi, hoc audiant quod audivit et Simon. Nam ideo dubie respondit ei apostolus Petrus dicens, *In felle enim amaritudinis et in obligatione iniquitatis video te esse.* Si ergo in tam gravi causa, et quæ sine remedio videatur, dubie responsum est; ambiguum non est, eis qui errore aut necessitate aliqua in Deum peccant posse remitti, si congruam pœnitentiam agant. Hoc enim concessum est juri ecclesiastico ab auctore, ut et pœnitentiam det, et post pœnitentiam recipiat. Et adhuc est aliquid quod reprehendit Novatianus : Cur, inquit, corpus Domini tradunt eis quos noverunt peccatores? Quasi possint ipsi accusatores esse, qui sunt judices. Si autem accusati fuerint et manifestati, poterunt abjici. Nam quis judex accusantis sumat personam? Nam si ipse Dominus Judam passus est, quem sciebat furem esse, et ea quæ mittebantur exportare (*Joan.* XII, 6), nec eum qui accusatus non est, abjecit : hoc exemplo uti oportet, ut eum abjicere non liceat, qui publice detectus non fuerit. Nam nec justo

[1] Ms. Colbert., *effectu*.

viro competit aliquem accusare. Unde Matthæus, *Joseph cum esset*, inquit, *homo justus, et nollet eam traducere, voluit eam occulte dimittere* (*Matth* I, 19). Judas ergo cum esset inter discipulos, contagione sua non eos maculavit, dissentientes utique a furtis ejus; et Eucharistiam inter eos accipiens, non polluit innocentes. Nec Dominus ei quem latronem sciebat, corpus suum denegabat; quia secundum Apostolum, *Qui indigne sumit, gladium sibi sumit* (I *Cor*. XI, 27). Unde nec ab oculis ejus se avertit. Peccatores etenim eos polluunt, qui consentiunt malis eorum. Unde dictum est, *Videbas furem, et concurrebas cum eo* (*Psal*. XLIX, 18). Hinc est unde Apostolus plebem Corinthiorum arguit, propterea quod illum qui publice uxorem patris habebat, non corriperent aut evitarent, ut se emendaret, dicens, *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit* (I *Cor*. V, 1, 6)? Cum enim non esset dux aliquis, aut præpositus Ecclesiæ; plebis erat corripere eum, quem videbant tam turpiter et obscœne inter eos conversari. Ac per hoc quasi consentientes eos crimini ejus Apostolus arguit. Nec enim in hac re accusatore opus erat, aut testibus; publice enim novercam suam loco uxoris habebat. Itaque, quantum ad causam nostram pertinet, exposuimus rationem, non alios criminantes, sed nos defendentes. Novatiani autem obtestor conscientiam, qui nos semper accusat, si sanctos scit esse omnes quos secum habet. In tantum autem irascitur nobis, ut et christianos nos neget; cum sciat nos ea fide initiatos, de qua ipse præsumit. Christianum certe professio facit et vita. Si ergo vides hominem ea profiteri quæ tu, et non dissimilem esse in vita; quare negas esse eum quod tu es? Certe qui dicit Dominum Jesum, in Spiritu sancto dicit (*Id*. XII, 3); verum enim dicit. Omnis enim veritas de Deo est. Cur non assentis vera dicenti, sed negas? fatenti Deum contradicis non ratione, sed furore? Numquid non inimicus Dei videris, qui vera de eo profitenti resistis? Numquid paganus, audiens aliquem idola dicentem esse deos, negat paganum esse? Cur tu negas christianum quem audis verba integræ fidei profitentem, cum legas, *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom*. X, 10)? At tu, ut inimicus, quod per iracundiam non vides, Deo repugnas; negans hoc confitentem habere salutem, cum Dominus dicat, *Quicumque me confessus fuerit, et ego eum* (*Luc*. XII, 8). Numquid ait, Si Novatianus me fuerit confessus? Sed tu hoc sic astruis, ut tibi hoc defendere videaris, ut is salvetur qui non christianus tantum, sed qui fuerit et novatianus. Sed si in Christum facta confessio dat salutem; ubicumque, apud quoscumque integra fuerit hæc confessio, habet salutem. Itaque si confessionis hujus traditio corrupta est apud nos aut sensus immutatus, recte accusas. Si enim hæc manet in nobis sicut et in te, nos negando et te negare videris. Sed fidei ministros accusas: fac verum esse, quamvis probare non possis, Qui tamen ab his audierunt; verum est quod audierunt, an falsum? Nec enim si vitiosus verum dixerit, non erit verum, quia a vitioso dictum est; cum alia causa sit conversationis, et alia professionis. Nonne persecutor odio christiani nominis professionem persequitur, non conversationem? Primo in loco sciens hoc proficere religioni, cum confitemur esse nos christianos, sacrilegus confitentibus nobis credit quod non vult audire, quia audit. Tu autem cum ejusdem professionis sis et signaculi, non credis confitentibus nobis quæ ipse confiteris. Si aliter nos renatos scires quam tu renatus es, recte non crederes hoc nos esse quod tu es. Utquid a sacrilego persecutionem patior, si non hoc sum quod tu es? Nam si hoc de me profiterer, quod tu de me dicis; persecutionem non paterer. Ac postremum mihi credendum est de me, non tibi. Meam enim professionem quærit judex, non tuam de me. Quid ergo me confitentem tu negas, cum verum sit, in hac causa non alienum testimonium, sed meam professionem requiri, aut pro me, aut contra me? Nolebam pro nomine torquere [1] te contra me, ut appareret si vera confitentem et tu negares contra me, aut cui crederetur. Dolo enim hoc proponis, ut justam causam videaris habere schismatis. Nam non ignoras in hac re meam de me testificationem requiri, non alienam; et hoc verum haberi, quod ego fuero confessus, non quod alter negaverit. Manifestum est utique liberos esse eos, qui amore Christi non disquirentes hominum actus, ad fidem ejus consequendam concurrunt: hoc eorum probantes quod sibi utile norunt, id est, ut traditionem fidei, quæ de Christo est, consequantur. Nam qui præter mysterium aliquid aliud in hac re putat homini necessarium, traditioni facit injuriam; minus enim sentit de gratia Dei. Quando enim nisi meritum hominis adfuerit, negat donum Dei proficere posse devoto sibi, aut potiorem, aut parem facit hominem ipsi traditioni, cum longe sit meritum hominis ab hoc officio. Sicut de hac eadem re dicit apostolus Paulus, *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (I *Cor*. III, 6, 7). Quomodo in hac re aliquid de homine sperandum est, cum verba data sint quæ tradantur? Videamus itaque quid proderit, si boni meriti fuerit, aut quid oberit, si mali fuerit meriti. Accedens verba Dei audire desiderat, quibus fidem commodans, salutem se credit accipere. Quid facit in hac re, si bonæ aut malæ vitæ sit qui verba solemnia tradit, cum fides devota quæratur percipientis, ut ea quæ audit, toto animo credat? Numquid si malæ vitæ sit qui tradit, impedimentum faciet percipienti, ut non credat quæ audit credenda, ut peccatum ejus intret in cor ejus ne credat? aut Deus, qui justus est, despicere habet devotum sibi propter peccatum ejus, quem ipse patitur esse in ordine? Nec homo sic judicat, quem constat falli frequenter, aut esse gratiosum. Si ita esset, et homo causam suam ageret, nonne diceret Deo: Quis sit iste cujus causa me despicis, nescio. Ego ad eum tui causa accessi, quia tuus dicebatur antistes: te quæsivi, te desideravi, tibi credidi, de homine nihil speravi: quare ergo mala ejus mihi obsint, quem nescirem nisi te quæsiissem? Si bona ejus mihi possent proficere, justum videretur forte, ut et mala ejus obessent mihi. Sed sicut bona ejus si dubie credidissem, nihil proderant mihi; ita et mala ejus nihil obesse mihi debent bene credenti. Ego enim verbis ejus fidem dedi, quæ a te data dicuntur, quæque te inspirant, te loquuntur, de te promittunt: huic de se nihil credidi, nec gestis ejus; sed fidei, quæ ex te est, me copulavi. Secundum hæc integra est causa credentis. Advocatorum enim more accipe antistites: numquid si malæ vitæ sit advocatus, contra susceptum ejus pronuntiabitur? Hoc est officium advocati, ut secundum juris ordinem, suscepti sui causam peroret: numquid poterit vita ejus, si turpis est, obesse causæ suscepti? Persona enim advocati nec obesse, nec prodesse poterit; qualis enim fuerit causa, sic et respondebitur ei. Sic sunt et qui volunt christiani fieri: accedunt ad antistitem, dicunt ei vota sua: ille facit verba juris ecclesiastici. Si vera vota sunt, suscipiuntur a judice: in quo ille aut obesse poterit, aut prodesse? quippe cum nec causam suscepti sui norit. Deo enim judici soli cognitum est, quis, qua mente accedat. Antistitis ergo est, delegato sibi fungi officio; judicis autem, aut suscipere, aut renuere causam suscepti. Ipse enim invenitur dixisse, *Filia, fides tua te salvam fecit* (*Matth*. IX, 22). Vides itaque nullius adjutorio, sed unumquemque fide sua salvari. Hoc enim Deus decrevit fidei, ut si non dubitet, omne quod voluerit, consequatur. Tu tamen non ut amicus, sed quasi inimicus Christi, populum sub tuo nomine congregasti, ut non sint Christiani nisi fuerint et Novatiani; cum Apostolus condemnet, si quis dicat se Paulianum, aut alterius alicujus (I *Cor*. III, 4): sed tu potiorem te judicans, super Christi no-

[1] MS. Colbert., *Volebam pro nomine torqueri.*

men, tuum posuisti; quasi ille non sufficeret ad tuendam Ecclesiam suam.

CIII (*a*). — Quomodo in Levitico Dominus sacrificia et libamina offerenda præcepit, quæ alibi respuit? cum constet in Levitico de sacrificiis offerendis Dominum mandasse Patribus, ut offerrent libamina vel sacrificia, sive holocausta: denique sic dicit per Jeremiam prophetam, *Hæc dicit Dominus, Holocausta vestra congregate cum sacrificiis vestris, et manducate carnes; quia non sum locutus ad patres vestros, neque mandavi illis, qua die eduxi illos de terra Ægypti* (*Jerem.* VII, 21 *et* 22).

De holocaustis et sacrificiis, si penitus advertas, non est de hac re facere quæstionem: nec mentitum Dominum aut immutatum putes, ut mandaret, et postea denegaret. De hujusmodi enim sacrificiis et libaminibus seu holocaustis nihil invenitur mandasse, de quibus nunc se locutum testatur. Duo etenim genera sacrificiorum adverte: unum quod per singula genera offerri mandatum est, et aliud quod voluntarium dictum est. Illud ergo quod per diversa genera, sive pro peccatis, sive pro primogenitis offerri præceptum est, quid et quale et quomodo offerendum esset, mandatum est. Sacrificium autem voluntarium non utique mandatum est, quia arbitrio remissum est, ut si aliquis voluisset offerre, quod illi visum fuisset, offerret: voluntaria[1] enim erant hæc sacrificia. Et quia negligenter et improvide hæc offerebant, non deliberantes, quia qui offerret potentiori, munera electa offerret; idcirco dicitur eis, Non mandavi vobis de his: sed si vultis, debetis quæ digna sunt offerre. Sic etenim invenitur, et Cain peccasse, cum non considerat Deo hæc debere offerri, quæ potiora sunt. Cum enim ad propitiandum Deum hæc offerre se dicerent, in eo ipso provocabant Deum ad indignationem, ut in id quod dicerent se bene facere, peccarent offerentes Deo holocausta indigna. Unde dicit in Malachia propheta, *Si adducatis ad victimam cæcum aut claudum aut ægrum, non est bonum. Offer autem ea duci aut præposito tuo, si suscipiet te, dicit Dominus omnipotens* (*Malach.* I, 8). Hinc est ut per Isaiam de eadem re queratur Deus, dicens, Quo mihi oves holocausti tui? Neque in sacrificiis tuis honorasti me. Non enim ad hoc te feci, ut laborares in thure, aut ut mercareris mihi argento incensum; nec adipem sacrificiorum tuorum concupivi: in peccatis autem tuis et iniquitatibus astitisti mihi (*Isai.* I, 11). Manifestum est itaque ortas esse querelas: quia cum voluntaria sacrificia offerrent, non in his Deum honorabant, offerentes indigna, cum hæc utique non essent necessitatis. Si enim mandata fuissent, necessitate videbantur qualiacumque offerre; quando autem arbitrio suo hæc offerebant, talia debebant offerre, ex quibus obsequium in se Dei ostenderent. Sed quia animus illorum cupiditate idolorum errabat, inconsiderate hæc agebant. Igitur duplici genere exprobrantur, quia et inique agentes, Deo audebant offerre; et quæ indigna erant, offerebant: cum iniqui actus non sacrificiis redimantur, sed lamentatione et misericordia. Unde dicit David cum peccasset, *Si voluisses, sacrificia dedissem: utique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; et cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L, 18, 19). Denique dicit Samuel ad Saül, qui cum contempsisset præceptum Domini, sacrificio Deum putabat posse placari, *Non enim*, inquit, *vult Deus sacrificium magis, quam audiri vocem suam* (I *Reg.* XV, 22). Et Scriptura dicit, *Misericordiam volo plus quam sacrificium* (*Osee* VI, 6). Judæi cum injusti essent, et immisericordes, oblationibus propitium Deum fieri arbitrabantur: sicut et nunc quidam spernentes justitiam, oblationibus laudari se putant. Bona est ergo oblatio, si servetur justitia, et non negligatur misericordia; quia quod nobis petimus, et aliis præstare debemus.

[1] Ms. Colbert., *votiva.*

(*a*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.

DE EVANGELIO LUCÆ.

CIV (*a*). — Sciens Dominus bellum Judaicum adversus se futurum, dixit discipulis suis ut gladios sibi pararent: quo facto, cum cœptum esset bellum duce Juda Scariote, videns Petrus apostolus insurgentes hostes, protulit gladium, et amputavit auriculam servi sacerdotum. Tunc Dominus jussit Petro, ut reconderet gladium in thecam suam: *Omnis enim*, inquit, *qui accepit gladium, gladio peribit* (*Matth.* XXVI, 51, 52). Utquid parari jussit, qui prohibuit percutere; reum etiam mortis designans eum, qui percusserit gladio, cum non utique injuste videatur apostolus percussisse? Quantum enim pertinet ad Petrum, percussit eum quem contra se armatum videbat. Resistere enim debuit ingratis servis, et ad Dominum necandum armatis. Si singula membra inspicias causæ, cujus vis patefieri rationem, invenies et alia quæ requiras his dictis. Quid enim opus erat, ut hic qui spirituali fretus erat virtute, gladios juberet parari carnales: et qui prius jussit in via nec peram ferri, nec pecuniam, nec virgam (*Id.* X, 10); nunc juberet haberi, quæ prius prohibuit? Incipiamus ergo, cur gladios jusserit parari et occidi prohibuerit, explanare. Non solum enim inimicorum, verum etiam ipsorum discipulorum suorum causa, ad superventurum bellum arma procurari præcepit. Nova enim et mirabilis res futura erat, ut is qui nova et inaudita signa faciebat, sic subito humiliaretur, ut et verberibus subjiceretur et morti. Ne ergo velut impræscius hæc pati videretur, et a quo forte virtus recessisset, hæc omnia sic prædixit, ut non dubitaret de his, sed præscius contra hæc se pararet; et quia voluntate humiliatus est, non resistere acrius inimicis juberet: in tantum seipsum esse qui fuerat ostendens, ut jam detentus, aurem quæ abscissa fuerat restitueret; ut quod gladio operante deciderat, redderet: non quasi carnalis utique medicus, sed quasi corporum conditor opus suum truncatum refinxit. Nec enim possunt medici abscissa corporis membra reparare. Ut autem Dei virtus in illo non diminuta, sed ita ut fuerat inesse videretur, et illud firmaret quod dixerat, *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* X, 18): hac ergo causa gladios parari, non tamen occidi jussit. Nunc illud ostendere superest, quare contuens factum apostoli Petri, eum qui gladio usus fuerit, gladio dixit perire, cum non injuste percussisse videatur. Nam sicut significatur in Luca, ipso Domino permittente percussit, et sic prohibitus hæc audivit (*Luc.* XXII, 49, 50). Ideo etenim permissum est, ut et vindicare se posse videretur, sed nolle; et ut virtus ostenderetur in eo manere, in quo fuerat, ut in utroque vindicare se posse non ambigeretur; inimici vero pro certo haberent datam sibi ab eo potestatem, ut hoc facerent. Non enim victus apparebat, sed tradens se voluntati eorum. Quare ergo sententia data est, ut qui gladium accipit, gladio pereat; nisi quod nulli licet, excepto judice, quemquam gladio occidere? Apostolo autem Petro usque ad hoc permissum est, ut dolorem faceret, non quod occideret. Ob hoc enim audivit, ne iterum perculeret. Didicit præterea, quia christianis jam factis occidere non licet. In misericordia enim positis, lege juris mundo crediti uti non licet aspere. Illud autem quod ante euntibus in via discipulis mandasse videtur, ut nihil tollerent in via, pacis est causa, et gratia virtutum, et affabilitas doctrinæ. Quid enim opus erat tollere aliquid in via, quibus signorum causa omnia offerenda erant? At ubi tempus, quo se pati permisit, advenit, propter quod rixa magis quam bellum imminebat; armatos jubet esse discipulos: non ut repugnaret qui pati volebat, sed, ut dixi, ut præscium se hujus rei, et in potestate habere passionem suam ostenderet; humiliaret autem se humanæ salutis causa, quod suo loco dicetur.

CV (*b*). — Quomodo Prophetia quadret cum Evan-

(*a*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.
(*b*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.

gelio, de obscuratione solis et quibusdam aliis.

Cum in primo adventu Domini prædictum sit, quia contenebraretur sol in passione ejus, eadem hora qua factum probatur, id est, meridie. Sic enim scriptum est in Amos propheta, *Et erit in illa die, dicit Dominus, occidet sol in meridie, et contenebrescet super terram dies lucis* (*Amos* VIII, 9). Illo ergo die a sexta hora contenebratus est sol usque ad horam nonam, et ita completa est prophetia supradicti prophetæ. Imago hujus rei, quæ futura est in adventu Domini secundo, in passione Domini est ostensa; quia in fine, cum cœperit Dominus advenire ut judicet mundum, solventur luminaria ab officio suo, dicente Domino, *In illis diebus sol contenebrabitur, et luna non dabit lumen suum* (*Matth.* XXIV, 29). Quod quidem et Joel propheta non prætermisit, ut cum a multis significatur, sine dubio impleri credatur. Ita enim dixit: *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, priusquam veniat dies Domini magnus et manifestus* (*Joel.* II, 31). Hoc quantum apparet, secundo adventui magis congruit; tunc enim omnibus aperte manifestabitur, sic dicente Scriptura, *Tunc videbit illum omnis oculus, et plangent se super illum omnes tribus terræ, et qui illum crucifixerunt* (*Apoc.* I, 7). Itaque si in utroque adventu hoc continetur, quia sol contenebrabitur illis diebus, qui dies ille est, quo ampliari solem et lunam cecinit Scriptura? Ait enim inter cætera Isaias dicens: *Eritque super omnem montem excelsum, et in omni loco excelso aqua perambulans in die illa, cum perierint multi, et cum ceciderint turres. Et erit lumen lunæ, ut lumen solis; et lux solis erit septies tantum in die, cum sanabit contritionem populi sui* (*Isai.* XXX, 25, 26), et cætera. Qui dies potest intelligi, quo promisit se Dominus sanare contritionem populi sui? Hunc opinor esse diem, quem pater Joannis Zacharias ostendit dicens: *Benedictus Dominus Israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui. Sicut locutus est per os sanctorum Prophetarum suorum, qui a sæculo sunt. Et liberabit*[1] *nos de inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris* (*Luc.* I, 68-72). Et Simeon inter cætera, *Hic positus est*, inquit, *in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel* (*Id.* II, 34). Hæc ruina est Scribarum et Pharisæorum et principum Judæorum, quos propheta significavit per turres. His ergo per incredulitatem ruentibus, alii surrexerunt credendo qui prius videbantur infirmi, et ægri per negligentiam. Unde Salvator, *In judicio*, ait, *ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX, 39): ut qui per Legis culturam et peritiam lumina videntur, per incredulitatem cæcarentur; cæci vero, id est, imperiti vel publicani viderent, dum crederent. Quorum infirmitates propheta Salvatorem portaturum prædixit (*Isai.* LIII, 11). Itaque hoc tempore Salvatoris factum est, sicut legitur in Evangelio, *quia ipse infirmitates nostras accepit, et vulnera nostra curavit* (*Matth.* VIII, 17). Quæ quidem omnia in passione Salvatoris consummata et adimpleta sunt: sic enim salus humani generis, tam apud superos quam apud inferos et redempta est et firmata, quia prophetia Zachariæ supradicti utrumque comprehendit. Et hic enim apud superos liberati sunt a contritione inimicorum, interventu misericordiæ; et illic apud inferos, cum erepti sunt de tartaro. Cuncti enim qui speraverunt in promissum Christum, exspectabant adventum ejus, ut devicta morte liberarentur de inferno. Unde dixit, *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris.* Si quis autem salutem hanc et in secundo adventu contineri intelligat; in utroque tamen adventu, maxime in secundo, *sol convertetur in tenebras, et luna non dabit fulgorem suum*: quomodo ergo augeri solem et lunam die quo visitabit Dominus populum suum, advertemus; quando utroque in tempore, quo cœpta liberatio populi et adimpleta est, solem et lunam non minui, sed contenebrari legamus? nisi plane solem et lunam sanctis comparatos intelligamus; sicut in alio loco legimus sanctos luminaribus exæquatos, Paulo apostolo prædicante, quia inter hos homines sancti in hunc mundo velut luminaria videantur. Et in Evangelio, *Tunc justi*, inquit, *fulgebunt sicut sol* (*Matth.* XIII, 43). Dominus enim opera justa lumen appellat: sic enim ait, *Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videntes opera vestra bona, magnificent Patrem vestrum, qui est in cœlis* (*Id.* V, 16). Illi ergo, qui omnibus suis relictis, Dominum sequuntur, justitiæ et sanctitatis causa, soli et lunæ comparantur septies honorati; sicut dicit Dominus, *Nemo est qui relinquat domum, aut uxorem, aut filios, aut agros, qui non recipiet septies tantum in hoc sæculo* (*Luc.* XVIII, 29, 30). Qui ergo ad præsens septies honorantur, potest intelligi, quia etiam in futuro septem partibus clariores cæteris futuri credantur; ut resurrectio eorum soli comparetur ac lunæ, cæterorum vero sicut stellæ sint. Claritas ergo sanctorum, quæ hic septies honoratur, in resurrectione aliud septies consequitur, ut qui hic claritatem lunæ habet, in futuro solis accipiat claritatem; et qui hic soli comparatur, septies tantum futurus credatur accipere. Propheta ergo Isaias solis et lunæ comparatione sanctorum merita augeri prædixit, nec immerito. Si enim ipse Dominus sol justitiæ dictus est, sancti autem similes ei erunt, Joanne apostolo dicente, *Cum enim apparuerit*, inquit, *similes ei erimus* (I *Joan.* III, 2); convenienter sanctos in sole esse significatos, septem tamen partibus majorem solem quam lunam propheta supradictus ostendit. Quando enim lunam, sicut lumen solis, futuram ostendit, solem autem septies tantum; ad modum utique solis septies lunam augeri significat, ut talis sit tunc luna, qualis nunc est sol: quamvis sanctorum ratio hic vertatur, sub hac tamen causa luminarium ex parte prodidit quantitatem, ut post crementum solis ac lunæ tantum iterum major sit, quantum erat sol; et quantum in præsenti distat sanctus a sancto, tantum distet in futuro post remunerationem.

DE LIBRO GENESIS[1].

CVI. (*a*) — *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Si cœlum in principio fecit, et terram, cœlum autem firmamentum est, sicut in subjectis apparet; non est verum, quia prior lux facta est, et sic firmamentum: aliud enim cœlum significare non poterat, quia facturam mundi describit Deo operante perfectam. Propterea enim quod diversis opinionibus homines fallebantur in causa mundi, Moyses Deo se inspirante ostendit quæ esset ratio mundi. Quibusdam enim videbatur initium non habere; aliis initium quidem habere, sed ab Angelis quibusdam fabricatus esse; nonnullis vero factus similiter, sed a Sacla[2] quodam, qui est et Deus potestatis adversæ: pauci autem de origine, veritatis traducem sequentes, Deum opificem ejus asserebant. Horum ergo causa qui diversitatis falsa opinione trahebantur, coactus est Moyses quæ esset causa hujus vera ostendere; ne filii Israel erepti de potestate Ægyptiorum, a falsa tamen intelligentia eorum liberati non essent. Ipsi enim inter cæteros magis erroris studium sequebantur: hi enim antiquitus præ cæteris vanæ philosophiæ operam dabant. Denique Moyses per id, quod a filia Pharaonis adoptatus videbatur, eruditus est omni sapientia Ægyptiorum (*Act.* VII, 22). Quid est ergo quod dicit, *In principio fecit Deus cœlum et terram?* Si enim firmamentum significat secundum quod supra ostendi-

[1] Er. Lugd. et Lov. legunt, *liberavit.* Ven., *liberabit*, ut PP. Bened. M.

[1] Sic Mss. et editio Ratisponensis. Aliæ vero editiones: *Quomodo intelligenda sunt quæ habentur in Genesi, præcipue de opere sex dierum.*

[2] Am. Er. et Lov., *a spiritu.* Rat., *a Secla.* Aliquot Mss., *a Sacla*, uti etiam supra, in quæstione tertia. — Ven. et Lov., ferunt, *sed a spiritu quodam.* M.

(*a*) Hæc quæstio deest in Mss. secundi generis.

mus, videamus quid dicat. Arbitramur, quia Moyses ut omnem errorem inferioris creaturæ auferret, et impensarum facti mundi; in principio substantias ipsas, ex quibus mundus constat, factas esse significavit; quia si hoc tacuisset, æternæ forte putarentur esse substantiæ, Deo jugabiles æstimatæ: ut qui hujus rei testimonium recipit, ambigere non possit factum esse mundum, quando substantias, quæ ad impensas mundi profecerunt, initio subjectas fatetur. Igitur *In principio fecit Deus cœlum et terram*, id est supernam et infernam substantiam. Superna est, qua constat cœlum; inferna autem concretio est quædam fæculenta, quæ profecit in aridam quæ dicitur terra, et tenebras. Unde dicit in Isaia propheta, *Ego Deus, qui feci lucem, et creavi tenebras* (*Isai.* XLV, 6, 7). His ergo creatis, fecit simul substantiam; hoc est, aquam, tenebras, et terram ante tempora: tempora enim sub firmamento sunt. Firmamentum enim, sicut quibusdam videtur, glacies est aquarum. Et ideo firmamentum dicitur, quia concretis divinitus aquis firmatum est, quod ab occulendo vel celando appellatum est cœlum. Itaque propterea quod aqua majus sit elementum, prior est significata, quia pars ejus profecit in cameram mundi. Terra autem pavimentum: quæ quidem et David a Spiritu sancto creata fatetur. Ait enim, *Et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII, 4, 5). Post hæc ergo elementa, ante compaginationem mundi, fecit Deus lucem, ut opera ejus in lucem procederent, quæ lux modo disposito, cursum diei explevit. Facta est nox juxta diei modum, quæ similiter impleto modo spatii, illuminata est adventu luminis matutini: et sic impletus est primus dies, cum cœpit secundus; nox enim diei deputata est, ut simul dicantur unus dies: propterea enim, quod subjectæ sunt tenebræ lumini, auctoritate carent, nec possunt numerum facere. Triginta etenim dies una luna appellantur, cum secum habeant noctes. Itaque lucis ministerium, quo spatium consumit sibi decretum, dies nuncupatur. Tenebrarum autem substantia antequam illuminetur, nox appellatur. Spatium autem illud, quod inter occasum et ortum est, nox est. Non enim tenebræ faciunt noctem, sicut et lux diem; quia tenebræ manent in sua natura. Lucis autem accessus facit diem, et discessus noctem. Non immerito ergo subjecta est nox diei. Luce ergo facta, et cursu duodecim horarum impleto, totidemque et noctis spatio peracto, æquinoctium fuit in primo die: et exinde cœpit dies increscere super noctem tribus scilicet mensibus, qui sunt tempus veris. Ex eo deinde augmento suo minuitur dies aliis mensibus tribus, qui sunt tempus æstatis. Et iterum fit æquinoctium, ita ut ex eo nox increscat supra diem aliis mensibus tribus, qui sunt tempus autumni. Et incipit iterum nox de magnitudine sua, qua supergreditur diem, minorari usque ad finem quarti temporis, quod est hiems. Et fit æquinoctium primi temporis, quando Deus mundum creavit, qui dies intelligitur esse undecimus calendas aprilis, quando primus dies Paschæ est, id est primus dies primi mensis. In Lege enim mandatum est, ut decima die primi mensis vespere præpararent se ad Pascha faciendum quarta decima mensis die, id est, ab undecimo. Jam enim vesper decimi diei in undecimum lucet, ut ab undecimo calendas aprilis initium esset primi mensis. In principio etenim facta luna fuit quarta decima, quia omnia plena sunt facta: adde triduum a decimo vespere, et hi sunt tres dies ante luminaria qui fuerunt, ut undecimo calendas aprilis factus sit mundus; quia numerus lunæ ab undecimo venit ad quartum decimum, cui Paschæ primus mensis integer est attributus, ut in Pascha die solemni neque extra undecimum calendas aprilis sit, neque extra lunam quartam decimam, quia undecima mundus factus est, quarta decima autem luna majori lumine clarior factus est. Inter principium ergo et claritatem qua illuminatus est mundus, Salvator noster et passus est et resurrexit; quia quarta decima luna passus est, et primo die resurrexit, qui ideo dominicus dicitur, quia ipsum Dominus fecit, qui multiplicatos menses fecit, et tempora, et annos. Ut autem uno atque eodem modo minime celebretur, cursus facit lunæ in decrementis et crementis. *Terra autem erat invisibilis et incomposita.* Manifestum est, quia terra, postquam facta est, invisibilis erat et incomposita: tegebatur enim aquis, ideo erat invisibilis; incomposita autem ideo, quia cum esset fluxa, non erat apta ad culturam. *Et tenebræ erant super abyssum.* Tenebras dicit fuisse super abyssum, id est, super immensam ex omni parte aquam. *Et spiritus Dei superferebatur super aquam* (*Gen.* I, 2). Hanc aquam quasi summitatem significat, super quam spiritus Dei quia superferebatur, ostendit, ut tenebras super infinitam profunditatem fuisse significet. Spiritum autem Dei super aquas, quia ubi spiritus Dei erat, obscuritas non erat; quantum enim poterat, illuminabat aquam. Abyssum autem, id est immensam profunditatem illuminare non poterat: hoc est, superiores aquas illuminabat, et subter erant tenebræ, et super abyssum. Idcirco autem hunc Dei spiritum dicit, non quia sanctum hunc intelligi vult Spiritum, sed eum super creaturam hylicam spiritualiter vult intelligi, totum autem Dei esse significans, Dei hunc, qui super aquas ferebatur, spiritum vocat, ut pravam asseverationem convellat, qua quidam utuntur, dicentes aliquid esse quod non sit Dei. Nam nec ordinis, nec rationis est, ut super aquas Spiritus sanctus fuisse dicatur, quia super omnem creaturam est. Quod enim de Deo est, super omnes potestates et principatus et similiter super omnes potentias spirituales est. Non moveat autem mentem alicujus, quia Dei spiritus dicitur, cum constat omnia Dei esse. Ait enim Deus inter cætera facturus diluvium, *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia sunt caro* (*Id.* VI, 3): et in Ezechiele inter alia, *Hæc dicit Dominus ossibus istis, Extendam super vos cutem, et dabo spiritum meum in vos, et vivetis* (*Ezech.* XXXVII, 5). Numquid hæc ad officium Spiritus sancti pertinent, et non ad animam? Spiritus ergo hic Dei est quidem, sicut cætera, hylicarum tamen moderator est substantiarum; ipsius enim ordo est his præesse. Luce ergo facta, et cursu diei moderato, et peracto secundo die, fecit firmamentum, id est, cœlum, ut lux in terra firmamenti moderaretur diem, ut esset quasi lucerna in domo. Hoc, inquam, firmamentum factum est ex supradicta aquæ substantia. Nunc enim compaginatur in specie mundus, ut de confusione rerum discretis substantiis, singulæ partes aptarentur, quæ ad membra mundi proficerent. Substantiæ enim quas primum factas esse diximus, impensæ sunt mundi. Et ideo mundus dicitur, quia res ab invicem separatæ quæ erant confusæ, et in speciem productæ, mundum fecerunt vocari, cujus in fabricam profecerunt. Firmamentum ergo, id est cœlum, factum est in medio aquarum, ut divideret inter aquam quæ erat supra firmamentum, et inter aquam quæ erat sub firmamento; ut Dei virtute in medio aquarum consisteret firmamentum, sub se, et intra se, et supra et circa se habens aquam; ut esset concavum deforis, et intra munitum, ne aquæ sive interiores sive exteriores penetrarent concavum ejus, ut esset quasi domus munita atque firmata, ut securi essent habitantes in ea. Tertio die jussit congregari aquam quæ erat sub cœlo, hoc est, intra capacitatem firmamenti, in congregationem unam, ut appareret arida, quæ est terra, et factum est sic. Exhausta enim latitudine terræ, factum est velut alveum, in quo demergeretur omnis aqua, quæ erat intra firmamentum, et apparuit arida. Recedente enim aqua, necesse erat appareret terra facta visibilis, quæ prius erat invisibilis. Tunc arida appellata est terra, et congregationes aquarum maria. Et jussit producere terram herbam pabuli, et ligna fructifera ad semen super terram. Quarto item die jussit Deus fieri luminaria in firmamento cœli, ut luceant super terram; luminare majus, in inchoationem diei; et luminare minus, in inchoationem noctis, et stellas. Hæc ad conceptum et nativitatem

et ad nutrimenta pertinent eorum, quæ gignuntur in mundo, et ad signa temporum certis curriculis necessaria, necnon et ad ornatum totius mundi. Sicut enim ad ornamentum domus pertinet, si camera ejus habeat auro distincta laquearia; ita et mundo ornatum præstant stellæ diversa luce fulgentes. Luci itaque, quæ facta est prior, est additus splendor solis, ita ut connexa sint hæc et individua. Nocti autem, quæ erat tenebrosa, datum est luminare: et quia quarta decima fuit luna quando facta est, sic ait, *Luminare minus, in inchoationem noctis:* facta etenim, tota nocte luxit. A parte ergo ad totum dictum est, *in inchoationem noctis;* quia non semper vespere lucet. Luminare autem majus, quod solem dicimus, manet in initio diei, quia simul cum luce priore concretus est. Tribus ergo diebus sine luminaribus his fuit mundus; non enim erant adhuc quibus proficerent officia eorum. At ubi autem produxit terra herbam pabuli, et ligna fructifera; necessaria fuerunt quæ enutrirent vel conservarent quæ erant producta. Quia ergo generatio omnis horum interventu perficitur, non oportuit prius hæc fieri, ne eorum effectu quæ producta de terra sunt, orta putarentur; sed illa ante facere, ut sic hæc sine his facta esse non ambigantur. Quinta deinde die, aquas jussit producere reptilia animarum vivarum, et volatilia volantia super terram secundum firmamentum cœli, et factum est sic. Et inter cætera, *Et vidit*, inquit, *Deus quia bona sunt, et dixit, Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I, 21, 22). Ideo autem adjecit, *Et vidit Deus quia bona sunt*, quia a quibusdam dicuntur mala esse, ut vel sic erubescant. Quando enim Deo et conditori suo placent, nulli utique debent displicere. Nam solent dicere stulti, Ideo, inquiunt, vidit, et placuerunt ei, quia ante nesciebat. O hebetes, quomodo nescivit? Quidquid voluit, productum est. An quis vult quod nescit? et qui potest facere, potest dici quia nescit quod faciat? Et quod amplius est, non ipse fecit, sed jussit ut fierent; et qui jussit, non est hujus virtutis ut faceret? Sed quia huic omnia possibilia sunt, jubente hoc quæ non poterat, cœpit posse, ut ad hujus laudem proficeret [1]. Duplex ergo virtus est, ut insensibilem juberet sensibilia producere. Sexto vero die præcepit ut produceret terra animam viventem, quadrupedia, et bestias terræ; et factum est sic, et producta sunt. Et vidit Deus, quia bona sunt, et valde bona, quia omnia necessaria sunt. Supra dicta ergo die dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, et habeat, inquit, potestatem super omnia quæ facta sunt super terram (*Ibid.*, 26). Primum quidem fecit Deus substantias ex quibus mundum compaginaret, quo compacto, et omnibus ornatibus decorato, et necessariis honestato, post hoc hominem fecit, qui frueretur eo, et omnibus quæ in illo sunt. Nam cum omnia super terram ex aquis et terra produci jussisset, hominem tamen ut faceret, limum terræ manibus apprehendisse describitur, ut multum differre hominem ab his quæ fecerat, edoceret. Ad honorem enim hominis pertinere vult, quando eum Dei manibus factum describit, et factum ad imaginem et similitudinem Dei, id est Patris et Filii. Quid sit autem ad imaginem et similitudinem Dei, quamvis alibi diximus, hic tamen locus et causa postulat ut iterum dicamus. Patris enim ad Filium verba sunt dicentis, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram:* quanquam in opere utriusque intelligatur persona, dicentis et obaudientis. Hæc ergo imago Dei est in homine, ut unus factus sit quasi Dominus, ex quo cæteri orirentur, habens imperium Dei quasi vicarius ejus; quia omnis rex Dei habet imaginem. Ideoque mulier non est facta ad Dei imaginem. Sic etenim dicit, *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.* Hinc est unde Apostolus, *Vir quidem*, ait, *non debet velare caput suum, quia imago et gloria Dei est;* mulier autem ideo velat, quia non est gloria aut imago Dei (I *Cor.* XI, 7). Similitudo autem Dei hæc est in homine, ut sicut ex Patre Filius, sic ex homine mulier. In hoc plane dispar, quia hæc facta, ille vero natus est. Quibusdam tamen videtur omnia simul Deum fecisse. Si enim verbo, inquiunt, fecit, quare non omnia simul fecisse dicatur? Nam hic hominum mos est, ut per partes fecisse credatur. Ad potentiam ergo Dei magis facere videtur, si uno die omnia ab eo facta dicantur. Porro autem magnam providentiam in hoc opere et ordine contuemur. Nam potuit utique simul facere cuncta; sed ratio multiformis prohibuit, et sepositis his omnibus, Scripturæ divinæ fides adhibenda est, quæ dicit, et sæpe dicit, quia *in sex*, inquit, *diebus fecit Dominus Deus tuus cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt* (*Exod.* XX, 11). Primo enim in loco sic debuerunt fieri, ut sentirent ac scirent quia facta sunt: quando enim non se omnia simul viderunt, sed unum hodie, cras alterum; cognoverunt initio se contineri, et nullo modo posse æternitatem suspicari, ubi se partibus invicem recognoscunt. Nam si omnia simul exstitissent, non esset eis sensus infirmitatis, sed putarent se non cœpisse. Quæ enim verbo Dei subito simul existunt, non se fieri sentiunt, nisi aliud ante se, aliud post se videndo. Et ne forte illud quod primum factum est putet se infectum, majora post se facta cernendo, hoc credit de se quod vidit in altero potiore. Denique lumen quod dies appellatur, ante se habet cœlum et terram, id est, aquam et aridam. Cum autem ipsa aqua et arida et tenebræ confusa fuissent facta, æternitatem sibi vindicare non poterant, quia nihil horum statum et proprietatem sibi ausum est vindicare. Sol iterum et luna cum sint clarissima, ante se habent multa. Ita ergo factum est, ut potiora posteriora, anteriora autem inferiora cum se vident, nihil horum sibi vindicet æternitatem. Prætereaque sex diebus opus consummatum, totius mundi ætatem in se continet, ut sex dierum opera, sex millium annorum haberent figuram: quia quod unoquoque sæculo futurum erat, sex dierum per ordinem operibus continetur; utputa, quia prioribus sæculis tanta cognitio Dei in terris non erat futura, sine splendore anteriores dies videntur: ut autem ante hominem pecora fierent, quia veteres nostri inculti et agrestes pecorum more victuri erant: sexto autem die homo fieret, hæc res fecit, quia in sexto millenario annorum adventus Christi hominem fecit, ne morti esset obnoxius. Ut autem imago Dei esset homo, quia dono Dei coimaginari haberet Filio Dei, dicente Joanne apostolo, *Scimus autem*, inquit, *quia cum apparuerit, similes ei erimus* (I *Joan.* III, 2). Et Vas electionis: *coimaginati*, ait, *Filio Dei* (*Rom.* VIII, 29). Arbor autem vitæ quæ posita est in paradiso, imago fuit futuræ gratiæ Dei, quæ est corpus Domini, quod qui edit, vivet in æternum. Nam arbor scientiæ boni et mali significat quod Lex data est per Moysen, quæ cum cognitum fecisset peccatum quod prius latebat, dedit scientiam boni et mali. Ostendit enim quid esset bonum, quidve malum. Illud vero, quod septimo die requievit ab operibus suis, hoc significat, quia impleto sexto millenario [1] annorum, in septimo millenario requiescet, cessante jam mundo ab omni opere sæculari. Hæc diximus pauca de multis, ut viam panderemus intelligendi secundum ea quæ supra ostendimus.

DE ORDINE DIEI ET NOCTIS.

CVII. — Quantum ad mundi rationem pertinet, tenebras ante legimus quam lucem. Ea enim quæ ad mundi fabricam profecerunt, quæque simul facta videntur, lumine privata fuisse considerantur; id est, aqua, terra, tenebræ, ex quibus compaginatus est mundus, sicut continetur in Sapientia, quæ dicitur Salomonis, *ex materia invisa* (*Sap.* XI, 18), hoc est tenebrosa. Et tenebras enim et aquam factam sacra volumina ipsius Domini voce testantur per Isaiam

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. sic exhibent hunc locum: *quæ non poterat, cœpit esse, ut ad hujus laudem proficeret.* M.

[1] Ms. Colbert., hic et infra, *millesimo.*

prophetam : Ego, inquit, Deus feci lucem, et creavi tenebras (*Isai.* XLV, 6, 7). Similiter et per David, et aquas factas, et terram firmatam super aquas Spiritus sanctus ostendit (*Psal.* CXXXV, 6). Quod convenit et Evangelicæ auctoritati et Apostolicæ traditioni, in quibus omnia facta leguntur : et ut nihil exciperet, *sive quæ in cœlis sunt*, ait, *sive quæ in terris* (*Joan.* I, 3, *Coloss.* I, 16). In hac ergo parte, quæ ad terras pertinet, ante tenebras legimus quam lucem : hoc autem est quantum ad ordinem lectionis pertinet, non quantum ad dignitatem; nam utique multo melior lux quam tenebræ : in mundi tamen ratione lux accipit nomen ut appelletur dies, et tenebræ nox; sed hac scilicet ratione, quia dum illuminantur tenebræ, et præterit lux, illud tempus quamdiu redeat lux, dicitur nox; et illud tempus quo illuminantur tenebræ, appellatur dies. Nox ergo cum dicitur, speratur futurus dies; et cum dies dicitur, speratur futura nox. Cum vero officia hæc cessaverint, transeunte mundo, tenebræ tantum dicentur, et lumen. Non enim potest dici nox, cum perpetuo sint tenebræ : neque dies, cum occidere cessaverit lumen. Ubi æternitas est, cessant hæc nomina, quia cum mundo cœperunt. Denique antequam lux fieret, quæ appellata est dies, non nox legitur fuisse, sed tenebræ : quæ postquam illuminatæ sunt, et præteriit lux, vesper appellatæ sunt et nox. Igitur quantum apparet, subjecta est nox diei. Non enim quia ante tenebræ leguntur quam lux, idcirco anteponendæ debent videri : quia et cœlum ante solem est, et tamen claritate major est sol; et terra ante hominem, et pecora et cætera animantia, et tamen subjecta sunt homini : non ergo idcirco nox præferri debet diei, quia ante leguntur et tenebræ; cum appareat et dignitate lumen tenebris, et tempore diem nocti anteponi. Sicut enim supra ostensum est, cum essent tenebræ facta est lux. *Et appellavit Deus lucem diem, et tenebras appellavit noctem : et factum est vespere et mane dies unus* (*Gen.* I, 5). Nam nisi dies fuisset, nec nox esset; tenebræ enim erant, quæ cum illuminatæ sunt, et præteriit dies cursu suo peracto, factus est vesper. Et cum post vesperum illuxisset, factus est dies primus nocte transacta, ut diem sequeretur nox. Hoc et dignum est, et ratione commendatum, ut inferior natura per omnia subjecta sit potiori. Quomodo ergo nox ante diem dicitur, cujus nomen post diem legis? Non enim appellata fuisset nox, neque vesper, nisi facta lux diem egisset : quo transacto, factus est vesper, qui est nox : dies utique factus est vesper, ut scias noctem partem esse diei. Tunc enim consummatur dies, cum transit et nox. Denique sic dicimus, Annus dies habet trecentos sexaginta quinque; non utique sine noctibus. Cum enim dies dicimus, ibidem computamus et noctes. Sub auctoritate enim diei significamus et noctem; nam et si nox præiret diem, sub vocabulo noctis computaretur et dies. Quis etenim hominum dicat, Post quinque noctes videbo te, et non, post quinque dies? Nec legisse nos meminimus alicubi noctem ante diem significatam. *Nam fuit*, inquit, *Moyses in monte quadraginta diebus et quadraginta noctibus* (*Exod.* XXIV, 18). Et in Psalmo, *Sol*, inquit, *non uret te per diem*, *neque luna per noctem* (*Psal.* CXX, 6). Et ut de ipsis primordiis demus exemplum, *Fiant*, inquit, *luminaria in firmamento cœli, et luceant super terram : luminare majus in inchoationem diei; et luminare minus, in inchoationem noctis* (*Gen.* I, 14) : sed luna non potest præponi soli, sicut nec nox diei; sed sicut luna sub sole est, ita nox sub die. Et in Evangelio habemus sub auctoritate et numero dierum significatas et noctes : ait enim inter cætera Dominus, *Sunt hic quidam circumstantium, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno suo*. Et subjecit, *Factum est post dies octo* (*Luc.* IX, 27), etc. Numquid non in hoc numero continentur et noctes? Et alio loco, *Hæc*, inquit, *in Bethania gesta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. Postera die vidit Jesum venientem.* Numquid dixit, Postera nocte? Iterum sequitur, *Sequenti die voluit proficisci in Galilæam* (*Joan.* I, 28, 29, 43). Et in subjecto, *Et die tertio nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ* (*Id.* II, 1). Ecce ubique dies in auctoritate probatur, noctem habens subjectam. Si enim noctis nomine contineretur, præiret nox diem. Nam quia Romani regnum habent; Hispani et Galli et Afri et cæteri subjecti eis, sub eorum nomine Romani vocantur : ita et nox, quia subjecta est diei, sub ejus nomine continetur. Sed inde quidam falluntur, quia Judæi in sabbatum vespere jubentur intrare, non considerantes cur ita mandatum sit. Nam utique pridie necesse habent emere sibi escas et præparare in sabbatum, et lotum ire. Numquid possunt hæc nocte facere, ut orto die intrarent in sabbatum? Dominus certe vespere resurrexit, et diei deputatur. In die enim resurrectio celebratur, qui dies dominicus appellatur. Sic enim legis, *Hæc dies quam fecit Dominus* (*Psal.* CXVII, 24); non tamen nox dominica, quia principatum dies habet. Sive enim præterito die, sive futuro, semper nox subjecta est; quia et ordine inferior est et natura, dicente Apostolo, *Filii diei estis et luminis*, *non noctis neque tenebrarum* (I *Thess.* V, 5). Et si de consulibus conjiciamus, videbimus illum primum nominari qui prior eligitur. Denique solet dici, Cum illo quis erit consul? Si ergo et nox ante diem esset, prior nominaretur. Nam usque adeo a die incipit numerus, utputa si dicamus, Cras sextum calendas est; a mane utique est usque dum veniatur ad aliud mane, ut transacto die et nocte computetur. Nam et luna utique in initio mane facta est quarta decima : facta enim lucere debuit tota nocte, et in aliud mane cœpit quinta decima. Quid ergo ambigitur, ut non a die principia teneantur? Propter quorumdam contentiones de re manifesta coacti sumus latius loqui, cum ipsa se lectio explanet, in qua dies ante noctem aperta ratione significatur. Hæc omnia supra memorata secundum mundi originem diximus. Verum si altius loqui velimus, intellectum nostrum spirituali erigentes vigore, incongruum deprehendimus tenebras ante lucem creatas asserere. Si enim lucis cœlestis natura est, et tenebrarum terrena, ineptum utique est post tenebras lucem factam putare : quia Moyses lucem quidem factam, sed in qua nunc mundus est parte, non quia tunc creata est, dicit; quia omnia spiritualia ante creata sunt quam carnalia, ut lux quæ in supernis erat fieret in subjectis, ut lampas in domo. Qua autem ratione ante lucem tenebræ dicuntur, cum semper post lucem videantur? Denique cœlestia et spiritualia lumen natura esse creduntur, terrena et carnalia tenebræ; ut tenebrarum natura potentia luminis subsistere videatur, quia omne imum summitatis est. Nam si requiramus, in ipso sole tenebras deprehendimus. Quando enim juxta illum fueris, tam clarissimus videtur, ut prospici non possit; si vero intervallo, clarissimus quidem, sed ut possit aspici; si autem longe, minus clarus : quanto longius, tanto minus clarus. Unde defectus quidam apparet, qui tenebras nuntiat, et ita pervenitur, ut tenebræ ex lumine ortum capere videantur. Itaque qui fecit lucem, hoc modo creavit et tenebras, quomodo faciens aquam simul creavit et terram : ut sicut firmum aquæ terra est, ita tenebræ defectus luminis. Deus autem solus est qui defectum non patitur, qui cum ubique sit, imo omnia intra se habeat, tam præclarus est ut a nullo videatur, nisi si voluerit temperare. Denique Salvator cum esset in corpore et clausus non esset, tamen minime videbatur, nisi voluisset. Nam utique quod in monte transfiguratus est, et in claritate magna apparuit (*Matth.* XVII, 1, 2), hoc veluti latebat in corpore, quod cum voluit, manifestavit. Quomodo ergo latebat, qui clausus non erat? Nam si cum corpore clausis ostiis intravit ad discipulos (*Joan.* XX, 19), quemadmodum divinitas ejus non omnia penetrat? hoc est, claudi non potest, quia defectum non patitur. Cum ergo nusquam desit Deus, illic tamen dicitur esse, ubi apparet, et vult videri. Cum ergo omnia in Deo sint, quia excedit cuncta, dicente Apostolo, *In ipso enim vivimus, movemur et sumus* (*Act.* XVII, 28); ipse tamen

in nullo est nisi in quo voluerit. Mysterio enim quodam in omnibus est, et providentia quadam in quo vult, apparet.

DE LINGUA HEBRAICA, EX QUO NOMEN ACCEPERIT.

CVIII (*a*). — Omne quod a Deo est, rationabile est : et unicuique rei exordium causa dat, quæ sit origo ipsius, ut non absurde nominari aut subsistere videatur, sed ut nuncupationem ostenderet, quæ caput intelligitur esse ipsius nominis. Igitur ratio hominis est causa qua constat. Constat autem ex quatuor elementis, scilicet terra, aere, aqua et igne, Deo auctore duntaxat : quintus est animus quasi auriga, ut concretum et figuratum corpus agat, et quasi imperator ipsius. Et ab humo initium sumpsimus, et ejus nomine nuncupamur. Homines enim vocamur propter humum, unde pater noster forinsecus originem habet. Igitur causa et ratio facit ut ex nomine alicujus cæteri subsistentes sub eodem nomine appellentur, ipsum significantes in sese. Quamobrem videamus si congruit, sicut quidam putant, ex Heber dictos Hebræos. Videtur enim quantum ad nomen pertinet, inde hujus nominis origo descendere; anterior est etenim Heber quam Abraham. Quod si esset verum, deberent hi, qui de tribu Heber sunt, post ipsum eodem nomine nuncupari : ab Heber enim septima generatione natus est Abraham (*Gen.* XI, 16, 26). Si ergo super Abraham, vel ipse Abraham Hebræus dictus est; sine dubio Hebræi ab Heber nuncupantur : si autem non legitur super Abraham dictos Hebræos, sed post Abraham, non jam utique ex Heber, sed ab Abraham dicuntur Hebræi : quippe cum filii Abraham primo hoc nomine appellati noscantur. In Genesi enim Joseph et fratres ejus Hebræi sunt appellati (*Id.* XLIII, 32). Scientes enim Abraham fuisse, qui de Syria descendisset in Chanaan (*Id.* XII, 4), et multiplicatus fuisset, fidei causa omnibus copiis refertus, rex et Propheta appellatus et pater multarum gentium (*Id.* XVII, 4), qui cum trecentis decem et octo viris vernaculis suis quinque reges confoderit (*Id.* XIV, 14, 15); quia non in angulo hæc gesta et dicta sunt, ut laterent; eos qui ex semine ejus erant, Hebræos nuncupaverunt. Ordinis ergo et meriti ejus fuit Abraham, ut caput fieret his qui ex eo traducem habent. Dei enim judicio princeps et origo positus est in terra Chanaan, ut ex eo geniti, alterius essent et professionis et conversationis, quam fuerat ipse priusquam descenderet in terram Chanaan : innovatus enim ipse, novum constitueret populum in Dei devotione. Hinc est unde apostolus Paulus Hebræum se ex Hebræis fatetur (*Philipp.* III, 5) : hoc enim dignitatis videbatur esse cognomen. Testimonium enim et nobilitas generis erat, ut ex nomine ejus cognominarentur, qui multis modis Deo placuerat, quique eis erat origo. Abnuatur, si non convenit rationi; spernatur, si dispar est; convellatur, si alienum est a meritis Abrahæ; et nos refellamur quasi adulatores ejus. Quæ est inimicitia adversus Abraham, quæ æmulatio, qua ei obtrectant inimici; et qui sunt hi, nisi qui filii ejus dicuntur? Quid est in quo displicet Abraham, ut gloria hæc aliena ab eo putetur? Et quid est quod placeat in Heber, ut primatum istum habere dicatur? Cujus si conversatio posset inquiri, inveniretur forte idola coluisse sicut Thare et Nachor, et pater Nachor, quos constat non longe ab eo fuisse, sicut testatur Jesus Nave, qui idola coluerunt (*Josue* XXIV, 2). Aut certe qui ex diverso sunt, ostendant qua ratione vindicandum est hoc Heber, ne forte a nobis supprimatur meritum ejus; sed nullum est, quia communes sunt nobis Scripturæ, et quid unicuique debeatur, in propatulo est. Si enim ex solo nomine putant hoc debere defendi, infirmum et improbabile est. Tunc etenim rite nomini ejus vindicaretur, si causæ aliquæ testes existerent quæ hoc confirmarent : possent enim aliqui ejusdem nominis rem sibi non suam vindicare. Ideoque hoc est verum, quod non solo nomine, sed et perspicua ratione firmatur. Nam quoniam dignatione Dei factum est ut in Abraham vivificaretur [1] genus humanum, et forma fieret salutaris hominibus, nulli est ambiguum, idcirco in ipso reparatum esse quod fuerat amissum vitio fragilitatis humanæ. Hic enim imago quædam positus est, ut ad ejus similitudinem genus hominum reverteretur ad Deum, ut et Dei culturam, et sermonem qui datus prius fuerat in usum hominum, recuperaret hominibus : quia sicut in principio in Adam Dei fuit imago, ut cognitio ejus esset in terris; ita post ruinas humani generis, et oblivionem veri Dei, in Abraham reformatum est, ut ab ipso fides in Deum cœpta, iterum germinaret in fructum. Unde non est absurdum ut ex nomine ejus plebs ab eo cœpta vocabulum sortiretur. Sed ne forte propter nomen Heber scrupulum patiantur, quia magis cum Hebræis Heber sonat nomen, quia Hebræi dicuntur, non Abrahæi; recognoscant iterum quia Hebræi, non Heberæi dicuntur : Heber enim dictus est, non Hebre. Si ergo hinc impugnandum putant, patiuntur quod faciunt, et neuter nostrum habebit ex hac parte victoriam, nisi is qui per ordinem reddita ratione ostendit verum esse quod asserit : qui enim in una re par est, perdidisse dicendus est, si in altera inæqualis fuerit inventus : nam propter sonum immutata est littera, ut Hebræi pro Hebraei dicerentur, quia melius sonat. Quoniam et ex Juda non Judai dicuntur, sed Judæi. Ubicumque enim absurdum visum est, immutata est littera, ut vox sonum compositum haberet. Nam pro medio die meridie dicimus, et multa sunt talia. Igitur convenit, ut est ostensum, ut nomine Abrahæ, tam lingua quam populus nuncuparetur. Hæc ergo lingua est, quam dicimus primitus datam Adæ et cæteris, quam propter præsumptionem turris ædificatæ credimus in multas dispersam et confusam, ut non jam hæc, sed multæ ex hac, immutatione habita quorumdam dictorum, existerent : ut unam haberent speciem, nec tamen deperiret, sed tota confusa esset cæteris linguis. Ita enim tunc actum est, ne se homines intelligerent, et majora auderent (*Gen.* XI, 8). Tantæ ergo tunc linguæ intelliguntur exstitisse, quanti et homines fuerunt, qui dispersi, locis in quibus habitarunt, unusquisque linguam suam instituit. Si autem ipsa esse minime putabitur quæ scripta est tunc una fuisse, hoc supererit, ut de cæteris linguis collecta sit particulatim, et compaginata in speciem linguæ unius qua uteretur Abraham; ut quia pater multarum gentium erat, ex multis linguis sermonem haberet compositum, et esset per omnia innovatus. Sed quia ii quos memorat liber Geneseos unius vocis et sermonis (*Id.* X, 31), ab Oriente migrasse leguntur, et inde iterum dispersi a Deo super faciem totius terræ, non utique illic remansit, quin primitus lingua data remaneret. Denique neque terram aliquam habet inter homines, ut cæteræ linguæ, neque gentem, exceptis Judæis; quia primo homini data est in paradiso. Et postquam confusæ sunt linguæ, nusquam reperta hæc quæ nunc dicitur Hebræa. Si ergo nusquam habet locum vel gentem; Abraham autem natione Syrus erat; unde hanc linguam Abrahæ vel cæteris seminis ejus, nisi quia aut illa prima est, aut certe de multis aptata? Videmus enim aliquantas linguas nonnulla verba similia ejus habere. Sed hoc non sic convenit rationi quomodo illud, si prima ipsa esse dicatur : non enim otiose hoc factum ratio probat. Ipsam enim linguam debuit Abraham habere, quam habuit primus homo, ut Moyses veniens, et creaturam et hominem a Deo factum describens, hac voce uteretur, qua Deus locutus est et hominem appellavit Adam, et Adæ mulier vocata est Eva : ut hæc vox esset in libro Moysi, quæ fuerat et in iis quos describit, ut vere in omnibus reformatam doceret primam causam, et beneficium divinum in Abraham.

DE MELCHISEDECH [2].

CIX (*a*). — De Melchisedech legimus in libro

(*a*) Quæstio hæc deest in Mss. secundi generis.

[1] Ms. Colbertinus, *visitaretur*.

[2] Sic in Mss., et in editione Ratisponensi. Aliæ vero editiones addunt : *Quomodo Abraham benedixerit, et quid de eo senserit Apostolus.*

(*a*) Deest in Mss. secundi generis. — Bernardus Vindin

Geneseos, de Melchisedech etiam simili modo est et in Epistola data ad Hebræos, quia *obviavit*, inquit, *Melchisedech sacerdos Dei summi Abrahæ revertenti a cæde regum, et protulit panes et vinum, et obtulit ei, et benedixit eum, dicens : Benedictus es, Abraham, a Deo excelso, qui fecit cœlum et terram, qui tradidit inimicos tuos sub manus tuas* (*Gen.* XIV, 18-20). Et ut Apostolus significaret, quis intelligendus esset per Melchisedech, adjecit, *Sine dubio enim*, ait, *quod minimum est, a meliore benedicitur* (*Hebr.* VII, 7). Quod quidem non utique ad traditionem retulit officii ecclesiastici. Quis enim ambigeret regulam traditionis dominicæ, qua benedicuntur subjecti a Domino, meliorem esse iis qui benedicuntur ab ea? Domini enim mysterium in iis verbis, quæ ipsum complectuntur ac memorant, operatur. Personæ autem ejus proprium meritum et potentiam voluit demonstrare. Quis ergo hic et quantus est, ad cujus comparationem minimus dicitur Abraham, quem constat in omnibus fidelibus signum habere testimonii nobilitatis ac fidei? Igitur hic Melchisedech non utique sic benedixisse intelligitur Abraham, sicut faciunt homines sacerdotes, ut ex delegatione daret benedictionem verbis solemnibus; sed quasi propriam, quam non per verba, sed per naturam acceperit substantialiter, ut sit ei propria. Sacerdotes autem, quos antistites dicimus, regulam habent verbis solemnibus ordinatam et traditam sibi, quam superponentes hominibus benedicunt : non tamen quos volunt, sed etiam aliquando quos nolunt; quia dator regulæ ipse scit cui dari debeat vel infundi sacratissima benedictio. Ille vero qui natura habet benedictionem substantialiter, quem dicit summi Dei sacerdotem, per voluntatem dat benedictionem. Verba enim benedictionis et natura ejus cum voluntate concordant. Nec errat, ut ibi velit ubi non debet, neque nolit ubi debet; sed cui dederit verba, dat et effectum. Nostri autem sacerdotes super multos quotidie nomen Domini et verba benedictionis imponunt, sed in paucis effectus est. Est iterum quando meliores se benedicunt. Quamvis enim qui sanctus sit, curvat tamen caput ad benedictionem sumendam, quia non proprium sacerdotis est, sed Dei inventum. Heli enim sacerdos Annam benedixit, et prosecutus effectus est (I *Reg.* I, 17, 20), non utique merito sacerdotis, sed ipsius Annæ, cujus mundum cor inspexit Deus. Igitur Melchisedech non ideo melior Abrahæ dicitur propter solum officium sacerdotii : sed et natura anteponitur illi, ut ultra homines intelligatur. Nullo enim modo fieri potest ut qui tanto amico Dei præponitur, et fideli usque adeo ut amore et timore ejus nec filium suum charissimum dubitaret occidere, homo putetur. Qua enim justitia, quibus operibus plus posset mereri, quam meruit Abraham? Nec enim erat plus quod faceret ad commendationem meritorum, quam fecit Abraham. Primum enim cum nesciret Deum, nec signum vidisset quo ei suaderetur; dicenti sibi Deo, *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui* (*Gen.* XII, 1), nec distulit, sed statim obedivit, non solum præsentis Dei, sed et futuri Domini implens voluntatem. Dicit enim Dominus : *Quicumque plus fecerit domum, aut parentes, aut fratres, aut cognatos quam me, non est me dignus* (*Matth.* X, 37). Qualis ergo Abraham, et cujus meriti est, qui ante mandata Salvatoris implevit quam prædicarentur? Apostolus hospitalitatem sectandam magnopere docet (*Hebr.* XIII, 2); hanc Abraham sic et tam devote excoluit (*Gen.* XVIII, 3), ut videatur ab hoc didicisse Apostolus hanc prædicandam. Deinde provectus annis, sic multiplicari credidit semen suum, quod prudentibus mundi stultum videtur, quemadmodum sunt stellæ cœli, ut antequam sententia decerneretur prudentibus sæculi, ab hoc damnati videantur. Postea enim dictum est, *Perdam prudentiam prudentum* (*Isai.* XXIX, 14; I *Cor.* I, 19). Jussu Dei circumciditur; quod non utique sine dolore fit : et non ægre fert, ut posteris formam daret patientiæ. Ex Sara illi uxore sua jam anicula filius promittitur, et non dubitat (*Gen.* XVII, 17) : ut futuris ostenderet in tantum Dei auctoritati credendum, ut etiamsi quæ irrationabilia videntur, præcipiat aut promittat, non ambigatur; quia magis persona ejus respicienda est quam verba, ut quod in verbis infirmum aut impossibile videtur, persona ejus confirmet, et faciat videri possibile. Deus est enim qui promittit, de quo credendum est quia potest quod hominibus impossibile videtur. Quæ enim offensio potest judicari, cum plus de Deo opinatur, quam de se sentit humanitas? Propter quod datum sibi a Deo Abraham filium eodem jubente occidere illum non ambigit, nec tempus differt; nec admiratur ad Dei voluntatem, ut filium, quem magnopere beneficii et admirationis dederat gratia, hunc juberet occidi : certus Dei voluntatem non debere ab homine retractari, neque jussionem aut factum Dei sine providentia esse. Quod ut omni devotione festinanter impleret, matri ejus conjugi suæ non indicat, non ignarus fragiliores esse circa filios feminas, et posse huic devotioni lacrymarum miseratione impedimentum afferre : nec non et ipsum puerum latet usque ad horam necis, ut jussioni Dei toto mentis obsequio obediret (*Id.* XXII, 3-10); non parricidium hoc deputans, sed holocaustum, quod justo judice auctore fiebat. Quæ ergo his majora posset gerere Melchisedech, quibus præcederet Abraham, quem sicut videmus, in nullo constat inobedientem fuisse? Moyses etenim, cui legitur facie ad faciem Dominus esse locutus (*Exod.* XXXIII, 11), missus ad gentem et ad fratres suos, ire nolebat (*Id.* IV, 1). Jonas propheta præceptum sibi ut Ninivitis prædicaret irrupit, ut ad alium locum pergeret, quo missus non fuerat (*Jonæ* I, 1-3). Job plane egregius in omnibus, tamen motus amissione filiorum, vestimenta scidit sua, et totondit comam capitis sui (*Job* I, 20) : Abraham autem nec contristatus legitur de morte charissimi filii, et quem jussus fuerat ipse occidere, nec alicubi Deo sibi jubente legitur trepidasse. Igitur per hæc apparet Melchisedech ultra hominem esse, quia non erat unde melior esset quam Abraham, nisi sola præcedat illum natura. Natura enim impassibilis, beatitudinem per substantiam habet : humana autem nativitas[1] beatitudinem acquirit per gesta. Quia enim perfectionem divinitatis non habet, per exercitium et colluctationem proficit ut melior fiat, cum plus vincit quam vincitur. Si enim sic ageret, quod impossibile est, ut nunquam peccaret, melior Deo fieret : quod absit, (*a*) quia natura quæ potest peccare, sicut et non peccare, si semper vinceret, illi naturæ præponenda erat, quæ ideo non peccat, quia impassibilis est. Non enim magnum videretur non peccare, quia non potest; magnificum autem, si cum posset peccare, non peccaret. Hoc ergo interest inter substantiam Dei et hominis, quia Dei substantia beata semper est securitate invincibilis æternitatis suæ; hominis autem substantialiter[2] beata fit per laborem. Et alia necesse est beatitudo sit impassibilis, alia illius qui tribulationibus conficitur, ut possit aliquando gaudere. Beatitudo enim impassibilis in eo est semper ut beata sit; passibilis autem post magna exitia gaudet evasisse mortem. Contristatur ergo ut possit gaudere, nec perpetuo securus passibilitate naturæ. Impassibilis autem, semper bea-

gus in Critico Aug. ad hanc quæst. « Nonnulli, inquit, suspicantur hujus operis auctorem esse illum quem reprehendit Hieronymus epist. ad Evagr., asserentem Melchisedech esse Spiritum sanctum. Concedo quidem, librum illum de Melchisedech, quem ibi exagitat, huic insertum, sicut et cætera ipsius constat ex variis auctoribus et libris collecta : si vero hunc totum accepisset S. Hieronymus ab Evagrio, cum scateat longe pluribus iisque gravissimis erroribus, non is unum solum de Melchisedech carpsisset, sed reliquos etiam saltem verbo tetigisset. »

[1] Sic Mss. et editio Ratisponensis. Aliæ vero editiones, *necessitas*.

[2] Forte hic melius legeretur : *Substantia aliter*, pro, *substantialiter*. Vid. Morel, Elem. Crit. p. 311. M.

(*a*) Reliqua in editione Rat. et in Ms. Colbert. desunt.

tus est; quia neque novit tristitiam, neque suspicatur posse se contristari. Nam et natura hominum, quamvis per laborem beatitudinem consequitur, non erit tamen intacta, neque deerunt ei cicatrices. Quomodo enim fieri potest ut sæpe congressa et aliquoties victa, non sit vulnerata? Impassibilis autem semper intacta, illæsa, inviolabilis manet. Igitur non minimus diceretur Abraham ad Melchisedech, nisi potior esset natura Melchisedech quam Abraham. Nam hæc quæ diximus, ingenii esse forte videntur. Si autem Legem respiciamus, plurima adhuc et potiora dicentur. *Hic enim Melchisedech rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum, qui et benedixit eum, primum quidem interpretatur Rex justitiæ, deinde Rex Salem, quod est rex pacis, sine patre, sine matre, et sine genealogia, neque initium dierum, nec finem vitæ habens: similatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum.* Et ut hæc locis quibus significaverat, commendaret, de eo adjecit: *Videtis*, ait, *quantus sit hic, cui decimas dedit Abraham de primitivis princeps patrum* (*Hebr.* VII, 1-4). Ut enim qua potentia et quanta Melchisedech sit ostendat, laudat Abraham dicens quia *princeps patrum est*, hoc est, cæteris omnibus melior Abraham, sed minimus ad Melchisedech. Nonne manifestum est hunc hominem non esse, sed meliorem? Quid est enim quod dicit de eo, quia rex pacis est, et rex justitiæ? Propius accedite, et videte. De longe enim solem videntes lucernam putatis, et argentum aspicientes, æstimatis stannum. Potest aliquis hominum dici rex pacis atque justitiæ? Pax enim hominibus prædicatur, similiter et justitia: hic autem ideo rex pacis et justitiæ dicitur, ut ab eo justitia et pax originem habere noscatur. Non enim super ipsum esse dici potest, quod ab ipso regitur. Nam homines justitia magistra et pace erudiuntur ad Deum promerendum. Hæc ergo quæ hominum magistra est, Melchisedech habet regem. Quantum ergo melior est homine Melchisedech, quando gubernatrix hominum sub ipso est, hoc est, regem esse regum? Itaque cum rex justitiæ et pacis dicitur, auctor eorum esse significatur: ut quomodo Dominus Jesus auctor vitæ est, ita et Melchisedech auctor justitiæ sit et pacis; quia qui per Christum vivunt, hi dispensante justitia et pace reguntur. Cordibus enim servorum Dei justitiam infundit et pacem, ad exornandam disciplinam dominicam. Scriptum legimus in psalmo octogesimo quarto, quia *Justitia et pax complexæ sunt se, et veritas de terra orta est*: et ut de qua justitia diceret, ostenderet, ait quia *Justitia de cœlo prospexit* (*Psal* LXXXIV, 11, 12). Hoc de tempore Salvatoris Scriptura ostendit, quo justitia Dei data est mundo per Christum, in cognitione mysterii Dei unius quod ante promiserat. Justum est enim scire creaturam veritatem Creatoris sui: quæ justitia manifestata in terris, sublata discordia quæ de injustitia fuerat generata incogniti Dei, pacificos fecit discordes, dum diversos dudum in una fide constituit. Sic se complexæ sunt justitia et pax et veritas unius. De terra orta est magistra justitia. Incarnatio enim Christi ostendit quæ esset de ipso Deo veritas cognoscenda. Igitur hæc certe justitia Dei est. Similiter et pax, dicente Apostolo, *Ipse autem Deus pacis conterat satan* (*Rom.* XVI, 20). Quomodo hoc possit discernere, non adverto, ut cum Deus pacis, Pater sit Domini nostri Jesu Christi, necnon et ipse Christus; dicit enim *Pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27); de Melchisedech dicatur quia rex justitiæ et pacis est: qua ratione secernatur, non intelligo. Puto enim nihil differre, quantum ad rem pertinet, regem pacis a Deo pacis. Quia enim in mundo quisquam Deus dici non debuit, ut uni soli ex quo sunt omnia, reservaretur hoc tantum nomen, regem qui imaginem ejus haberet instituit, qui excepto Dei nomine omnem potestatem ejus haberet: sed quia terrenus est, hominum rex est, non tamen pacis et justitiæ. Quia etiam ipse ducem habet justitiam, quam non illi licet contemnere. Justitia enim Deus illi est. Res enim Dei est justitia, et qui prævaricatur eam, reus fit Dei judicio. Melchisedech autem sicut datur intelligi, non more hominum rex appellatur; quia sub se habet justitiam, quæ regibus dominatur. Nemo etenim potest habere sub se justitiam, nisi ejus naturæ sit ut peccare non possit. Sub ipso autem esse ideo dicitur, quia ab eo inventa est modo legis, per quam gubernentur, qui possunt peccare. Igitur rex justitiæ moderator est verborum a se inventorum, quibus bene beateque et vivi possit et credi. Diu multumque laboramus, et adhuc minus de Melchisedech dicimus, nisi revertamur ad Scripturam, quæ et ipsa diu pulsat et clamitat, ut pressos gravi somno excitet ad intellectum, non noctis, sed diei. Dicit ergo quia *sine patre, sine matre, sine genealogia est Melchisedech*. Et ne aliter intelligeretur quam dignum est, adjecit: *Nec initium dierum, nec finem vitæ habens*. Per quod ostendit neque natum, neque mortuum esse Melchisedech. Quid ad hæc tam manifesta humana argumentatur subtilitas? Quæ est tam versuta ingenii calliditas, quæ audet resistere manifestis, ut non sensum capiat ex lectione, sed sensum tribuat lectioni? Vis infertur Scripturis dominicis, ita ut etiam hos inimicos sentiat, qui auctoritati ejus se inclinare videntur. Dicunt enim quidam non ita de Melchisedech debere credi, ut relatum est Scripturis, ac per hoc ad sensum suum Scripturas convertunt. Quibus melius esset aperte non recipere Scripturas, quam dolose agere contra illas, ut sub nomine pacis paretur bellum, et sub tegmine amicitiæ lateat hostis. Dicunt ergo non ad generositatem pertinere Melchisedech, sed ad humilitatem generis ejusdem, quia sine patre et matre legitur fuisse. Hoc enim ideo aiunt sic scriptum esse, ut ostenderetur ex alienigenis fuisse, non ex tribu qua ortus est Abraham, quia genus ejus non invenitur in Lege. Unde et adjecit, inquiunt, *Et sine genealogia*, ut intelligeretur penitus origo ejus in Lege descripta non esse, ut ex parentibus qualibuscumque per seipsum vir bonus factus credatur. Porro autem jam tanta est Scriptura, ut omnia per ordinem digesta causæ necessaria ponat. Primum enim dicit, *Sine patre, sine matre.* Videamus si cæterorum matres significantur in Lege: quæ fuerit uxor Nachor avia Abrahæ, mater Thare, non legitur quæ fuerit mater Abrahæ, ut de cæteris taceam. Numquid hi sine matribus fuisse dicendi sunt? Si dixisset, Sine patre, sine fuerat color, quia omnium qui fuerunt, patres habentur in Lege. Addit, *Et sine genealogia.* Si ideo hæc dixit, ut ostenderet generationem ejus in Lege non esse, suffecerat dixisse, *sine patre;* quia illius patrem nemo novit. Multo magis iterum ad manifestationem dicit, *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens*. Dic, quisquis es violentus, quomodo istud interpretaris? Quid est initium dierum non habere, neque finem vitæ? Suffecerat certe dixisse generationem ejus in Lege scriptam non esse, ac per hoc origo ejus ex allophylis est credenda. Potest dici translatum hunc sicut Enoch, ideo non mortuum esse. Esto. Quid est initium dierum vitæ non habere? Forte dicas, quia dies natalis ejus scriptus non est. Cujus enim scriptus est in Lege? et hæc ratio est, ut cujus natalis dies scriptus non est, initium dierum vitæ negetur habere. Potuit ergo et de cæteris idem dici. Et si ut homo translatus fuisset, non tamen sine vitæ erat fine; quia quidquid sub spe mortis est, finem habet. Desine, quisquis contentioni studes. Expedit enim veris vinci, quam vincere vera per falsa. Perdere est enim, non vincere; quia si in homine perdere videretur veritas, apud Deum tamen vincit, quia ratio ejus invincibilis est. Itaque animus a Lege vinci debet, ut hoc sentiat quod a Lege significatur, non ut ipse Legi sensum det suo arbitrio, ut Legem se violenter legi exhibeat. Et audi Zorobabel, quia *super omnia*, ait, *vincit veritas* (III *Esdr.* III, 12). Jam Melchisedech futurum mysterium incarnationis et passionis Domini ostendit, dum Abrahæ primum, quasi patri fidelium tradidit Eucharistiam et corporis et sanguinis Domini, ut præfiguraretur in patre, quæ

in filiis futura erat veritas. Qui si homo putatur et sacerdos, eo more quo fuit Aaron, aut nunc sunt, ostendatur aut legatur locus habitationis ejus; aut si fuit templum aliquod aut synagoga in qua congregabat populum, et offerebat eorum sacrificia, vel qui populus conveniebat ad illum. Si enim sacerdos in terris erat, sine dubio habuit populum, et ante Abraham utique, vel tempore ejus erat populus qui serviret Deo. Et quomodo Abraham quasi caput factus est fidei, ut ex eo populus haberet notitiam Dei? Similiter enim si Melchisedech erat, qui doceret unius Dei timorem in terris, frustra electus est Abraham, ut ex eo plebs Dei nuncuparetur. Poterant enim inter eos esse, qui conveniebant ad Melchisedech. Et ubi est illud quod legitur in cantico Deuteronomii, quia *cum divideret*, inquit, *Altissimus gentes*, *quemadmodum separavit filios Adæ*, *statuit fines gentium*, *secundum numerum Angelorum Dei. Et facta est pars Domini populus ejus Jacob* (*Deut.* XXXII, 8, 9). Igitur si in mundo plebs non erat Dei, exceptis filiis Abrahæ, qua ratione alia plebs putatur fuisse, quæ ex doctrina descenderat Melchisedech, negante Propheta? Quando enim nominat omnes gentes quæ in mundo sunt, et non dicit populum Dei esse nisi filios Abrahæ; quid superest nisi ut, exceptis his, negetur cæteros Dei habuisse notitiam, quia *notus in Judæa Deus* (*Psal.* LXXV, 1)? Melchisedech autem sacerdos Dei summi, ad benedicendum Abraham apparuit ad præsagium futurorum sanctorum: quia benedictio danda erat in futurum plebi Dei per antistitem fere Dei, quem dicimus sacerdotem. Hic ergo Melchisedech præcursor apparuit sacrati futuri Filii Dei, quia præcedit ad obsequium qui ordine sequens. Non ergo admiranda sunt quæ diximus de Melchisedech, quando Scriptura ad confusionem obstrepentium plus addat et dicat. Post omnia enim laude digna, ut confundat malevolos ait: *Similatus autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum.* Jam vide de quo male sentire contendis, et si hunc non vereris, vel Christum metue, cui similis Scripturæ auctoritate refertur. Per ordinem enim paulatim ad naturale ejus meritum venit, ut si quos dicta superiora moverent, quibus rex justitiæ et pacis significatus est, et quia in carne visus neque patrem, neque matrem habuit, hoc est ingenitus apparuit, neque ortum, neque occasum habens; ex iis quæ ultima subjecit, superiora credibilia demonstraret. Quis enim audeat dicere nisi vesanus, hæc omnia quæ sublimia dicta sunt, incongrua esse illi qui Dei Filio similis designatus est, manens sacerdos in perpetuum? Similis autem Dei Filio non potest esse, nisi sit ejusdem naturæ. Et quid incredibile videtur, si Melchisedech ut homo apparuit, cum intelligatur tertia esse persona? Si enim Christus qui secunda persona est, frequenter visus est in habitu hominis, quid ambigitur de iis quæ dicta sunt? Legimus etenim in Psalmo quia, *Tu es*, inquit, *sacerdos in æternum*, *secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX, 4). Hoc nemo nostrum dubitat ad Christi pertinere personam, quia eodem genere sacerdos est Christus in æternum, quo et Melchisedech. Sed summus sacerdos Christus est, Melchisedech secundus. Nam si homo est Melchisedech, quomodo convenit ut secundum ordinem ejus Christus sacerdos sit in æternum? Jam ambo similes esse leguntur, et unius esse dispensationis, quia unius sunt et naturæ. Quoniam autem omni modo unius Dei auctoritas conservanda est, idcirco et tertia persona subjicitur paterno nomini. Christus autem vicarius Patris est et antistes, ac per hoc dicitur et sacerdos. Similiter et Spiritus sanctus quasi antistes, sacerdos appellatus est excelsi Dei, non summus, sicut nostri in oblatione præsumunt. Quia quamvis unius sit substantiæ Christus et Spiritus sanctus, uniuscujusque tamen ordo observandus est. Sacerdotes igitur vel legati ideo dicuntur, quia illum in se ostendunt cujus legati sunt: sunt etenim ejus imago. Ac per hoc Christus et Spiritus sanctus naturaliter habentes Dei imaginem, sacerdotes ejus dicuntur. In ipsis videtur Deus, sicut dicit Dominus, *Qui me videt*, *videt et Patrem* (*Joan.* XIV, 9). Et si in gestis Dei visus est Dominus, gesta autem Spiritus sancti sunt opera, significante Domino, *Quia ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia* (*Matth.* XII, 28); et in Spiritu sancto visus est Deus.

DE PSALMO PRIMO.

CX (*a*). — *Beatus vir qui in via peccatorum non stetit.* Si autem steterit, non jam beatus, sed reus dignus plagis. Ad emendationem enim aliquam videtur habere spem, quia non impius, sed peccator est. Si autem unus fuerit qui *non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit*, duplici genere beatus est. Nec enim potest esse beatus, si in consilium peccatorum non eat, et in via peccatorum stet; quia si non perditioni, pœnæ tamen obnoxius est. Dehinc adjecit, *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Hanc dicit beatitudinem esse, quæ his tribus gradibus constat, et triplici ratione munitur; id est, ut neque in consilium impiorum eatur, neque in via peccatorum stetur, neque in cathedra pestilentiæ sedeatur. Sed cum duo genera tantum habeantur impiorum et peccatorum, in comprehensione eorum quæ supra memorata sunt, hoc tertium cui generi adscribi voluit, quod adjecit, dicens, *Et in cathedra pestilentiæ non sedit;* impiorumne, an peccatorum? Sed videamus quid sit in cathedra pestilentiæ sedere, et tunc cui generi hoc adscribat intelligemus. Hanc dicimus cathedram pestilentiæ, quæ extra Dei ordinationem est, ad hoc utique inventa, ut iniqua inde exeant judicia: propterea pestilentiæ cathedra dicta est, quia est corruptio quæ parit mortem, sicut et iniquitas damnationem. Non est ergo a Deo quæ est cathedra mortis. Nam Moyses accepit cathedram vitæ. Ad hoc enim data est, ut auctoritas in ea sit justi judicis vel creatoris Dei. Unde dicit Dominus, *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi* (*Matth.* XXIII, 2).: et Apostolus, *Non est*, inquit, *potestas nisi a Deo: quæ enim sunt, a Deo ordinatæ sunt* (*Rom.* XIII, 1). Unde dicit ad principem plebis: *Tu quidem sedes judicans secundum Legem, et contra Legem jubes me percuti* (*Act.* XXIII, 3). Quod dixit, *secundum Legem*, justam et salutarem cathedræ auctoritatem significavit. Illud autem quod ait *contra Legem jubes me percuti*, illum ipsum injustum judicem ostendit, ut in Dei cathedra sedens judicaret injuste. Hinc est unde et Daniel, *Dei est*, ait, *regnum, et cui vult dabit illud* (*Dan.* IV, 14). Sicut enim terreni imperatoris auctoritas sic currit per omnes, ut in omnibus ejus sit reverentia; ita Deus instituit, ut ab ipso rege Dei auctoritas incipiat, et currat per cunctos: quamvis frequenter mundus hoc non intelligat, et aliis se subjiciat in potestate positis quam debet, tamen institutio est ut unus sit qui timeatur. Ubi ergo hæc institutio non est, ibi cathedra pestilentiæ reperitur [1]. Nusquam unius Dei auctoritas abnuitur, nisi apud eos qui multorum deorum prædicant metum et reverentiam. Hi ergo sunt qui in cathedra pestilentiæ sedent, quia quod pontifices eorum prædicant, mors est. Hoc enim debent, ut cultores unius Dei quasi stulti et inimici, aut opprobrio sint, aut de hac vita tollantur. Hæc ipsa materia impietatis est, quæ etiam in cæteras partes extenditur, per quas impietatis suæ leges ostendat. Nam jussu Jezabel antistites iniquitatis in cathedra pestilentiæ sederunt, qui adversus innocentem Naboth, cum judices non essent, prava meditantes, subornatis falsis testibus, mortis tulerunt sententiam (III *Reg.* XXI, 11-13). Unde et in alio psalmo dicit, *Et cum impiis non sedebo* (*Psal.* XXV, 5). Hoc enim judicium ejus est, cujus et cathedra pestilentiæ. Itaque si in Dei cathedra sedentes, innocentes opprimant, injustum erit judicium, non cathedra. Ubi enim cathedra pestilentiæ est, non potest judicium non esse iniquum:

[1] Ms. Colbert.: *Ubi ergo hæc institutio est, non ibi cathedra pestilentiæ reperitur.*

(*a*) Quæstio hæc deest in Mss. secundi generis.

quamvis quædam sibi applicent veluti velamina, quibus impietatem contegant, ut videntes fallantur. Non potest enim sola impietas proponi, quia non invenit emptorem : et ubi lex diaboli est, si ipse nominatur, horretur. Sed sicut mel veneno admiscetur per quod lateat, ita et legi diaboli quædam justa admiscent, et nomen applicant veritatis : sed uniuscujusque sensus est judicandus, quia ideo aliquando aliquid verum ostendit, ut fallat, ut cum maligna prædicat, bona putentur. Quoniam cathedram pestilentiæ non esse de Dei ordinatione asseveravimus, etiam eorum qui extra Ecclesiam vel contra Ecclesiam sedes sibi instituerunt, cathedram pestilentiæ dicimus. Qui enim inconcessa[1] præsumit, reus est; quanto magis si et corrumpat traditionem ejus cujus sedem usurpat? Nam et ordinem ab apostolo Petro cœptum, et usque ad hoc tempus per traducem succedentium episcoporum servatum perturbant, ordinem sibi sine origine vindicantes, hoc est, corpus sine capite profitentes; unde congruit etiam eorum sedem cathedram pestilentiæ appellare. Nec enim ideo impune erit, quia sub Dei nomine hoc agunt. Constat enim suas illos causas sub Dei nomine agere. Non enim zelo Dei hoc agunt, sed sibi locum volentes defendere : cum sciamus Core et ducentos quinquaginta viros per præsumptionem Deo offerentes, hiatu terræ absorptos esse (*Num.* XVI, 31, 35), et Oziam regem cum Deo illicite obtulisset lepra in fronte percussum (IV *Reg.* XV, 5, *et* II *Paral.* XXVI, 21). Quoniam claruit cathedram pestilentiæ ad impietatem supradictam pertinere, reliqua prosequamur. Adjecit enim : *Sed in lege Domini fuit voluntas ejus.* Ejus voluntatem in lege Domini dicit esse, qui spretis impiis et desertis peccatoribus, abnuens pestilentiæ cathedram, voluntatem suam in Dei lege statuit. Quamobrem beatum hunc dixit. Et sequitur : *Et in lege ejus meditabitur die et nocte.* Manifestum est, quia liber ab omnibus illecebris, et immunis ab iis quæ Dei legi adversa sunt, nihil aliud quam in Dei lege exercitium facit, sacramentis Filii Dei confirmatus, in die bonis operibus insistit, et nocte orationibus. Hic est enim de quo dicit in Canticis canticorum, quia dormit et cor ejus vigilat (*Cant.* V, 2). Unde ait : *Et erit tanquam lignum quod plantatum est juxta decursus aquarum.* Quis ambigit eum qui in lege Dei meditatur, spem habere ad præmium capiendum? Quia sicut lignum juxta aquam plantatum sterile esse non potest; ita et qui frequenti usu legi Dei studet, non potest ejus operis minime habere effectum. Et adjecit : *Quod fructum suum dabit in tempore suo.* Omnis plantatio bene germinata fructum dat tempore competenti; sic et hic qui legi Dei obtemperat, fructum habebit tempore præfinito. Tunc enim hujus devotionis mercedem accipiet, cum cœperit Dominus Jesus Christus sedere ad judicandum vivos et mortuos. Dehinc subjecit : *Et folium ejus non defluet.* Manifestum est in arbore cujus folia non decidunt, vitam significasse. Humore enim decurrentis aquæ vegetatum lignum, folia continet sua. Nam et Dominus Jesus, *Si in humido*, ait, *ligno hæc faciunt, in arido quid fiet* (*Luc.* XXIII, 31)? In ligno humido vitam significavit et fructum. Sicut lignum ergo auxilio decurrentis aquæ siccitatem non sentit; ita et hic qui legi Dei studet, accedente tentatione, præsidio Dei tutus non amittit, sed acquirit salutem, dicente Apostolo, *Quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV, 21). Et sequitur : *Et omnia quæcumque fecerit, prosperabuntur.* Apertum est quod dicit, quia qui legi Dei fidem servat cupidus mandatorum ejus, felix fit in omnibus suis factis : sicut et Joseph, qui propterea quod timorem Dei præsenti vitæ præposuit, omnia quæ agebat prospera faciebat Deus in manibus ejus. Et subjecit : *Non sic impii, non sic.* Iteratio sermonis, non aliter omnino futurum significat quæ præmittit, quia impiis nihil prosperum erit in futuro, sed omnia adversa usque ad interitum eorum : unde ait, *Sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.* Eodem modo dicit impios interire, sicut pulverem, quem spiritus projicit a facie terræ ut pereat. Sublatus enim a substantia sua, per aerem dispersus paulatim deperit : ita et impii, ministris Angelis projecti a facie auctoris Dei, sine quo non potest vivi, interibunt. Et sequitur : *Ideo non resurgent impii in judicio.* Dignum est quod dicit. Utquid enim in judicio resurgant, qui nullum negotium Dei credi sibi maluerunt cujus redderent rationem? Spernentes enim Dei legem et negantes, non est unde præstent rationem, ut in judicio interrogati juxta legem sibi creditam præstent causas. Arrogantes ergo et rebelles in Deum inventi, ad hoc resurgunt, ut videant verum esse quod credere noluerunt, ut pereant, quia Deum mendacem judicaverunt. Et adjecit : *Neque peccatores in consilio justorum.* In hoc psalmo, Psalmista trium hominum genera significat; impiorum, peccatorum, et justorum, quo ordine cœptus est error. Sed impii ab his alieni sunt, quia sub Dei decreto, sicut dixi, vivere noluerunt. Peccatores autem sub Dei lege agentes ante tribunal Christi sistendi sunt, segregati a justis ut acceptæ legis præstent rationem mandatorum[1], in quibus operam non dederunt, ut plus haberent laudis, quam vituperationis. Justi vero valde propensiores in exercitio implendæ legis inventi, remunerandi sunt. Et subjecit : *Quoniam scit Dominus viam justorum.* Hos scire dicitur Deus, qui memores præceptorum ejus bonis operibus insistunt, ut justi habiti coronentur. His autem qui immemores ejus circa curam animæ negligentes sunt, sic dicet, *Recedite a me; nescio vos, operarii iniquitatis* (*Luc.* XIII, 27). Et sequitur : *Et iter impiorum peribit.* Unde Psalmus cœptus est, et terminatus, ut causa impiorum tractata, nulli alii quam perditioni docerentur obnoxii. Sicut enim dixi, idcirco dicitur Deus scire viam justorum, quia in lege ejus ambulant : iter autem impiorum, quia extra legem Dei est, peribit; quia *omnes viæ impiorum tenebrosæ* (*Prov.* IV, 19), sicut dicit Salomon, piorum autem clarissimæ duce Christo Domino nostro.

DE PSALMO VIGESIMO TERTIO.

CXI (*a*). — Titulus Psalmi rationem ejus insinuat. De Christi enim Domini nostri sacramento locuturus, dominicum diem signavit, dicens, *Huic David prima sabbati :* cum enim dicitur, *Huic David*, ad eum pertinet, cujus hic David habet imaginem, de quo dicit propheta, *Et puer meus David pascet illos* (*Ezech.* XXXVII, 24). Prima autem sabbati, prima feria est. Post sabbatum enim primus dies dominicus est, affirmante Evangelio et dicente, *Prima autem sabbati venit Maria Magdalene et altera Maria ad sepulcrum*, etc. (*Matth.* XXVIII, 1). In dominico autem die, Salvatoris sacramentum significavit. Sed ut per rationem ordinis Psalmus exponeretur, a persona Dei Patris initium fecit, ut divinitatis sacramentum non sine ordine manifestaretur hominibus. Qui enim causam aliquam insinuare vult, nisi ejus caput et originem teneat, non poterit proprietatem ejus ostendere, neque quæ sit ejus veritas edocere. Itaque sic orsus est Propheta, et ait : *Domini est terra et plenitudo ejus.* Fidem rerum tenuit dicens : *Domini est terra et plenitudo ejus.* Auctoritatem enim veterum sanctorum secutus est, qui terram et ea quæ sunt in ea ad Dominum Deum pertinere dixerunt. Et adjecit : *Orbis terrarum et omnes qui habitant in eo.* Ne forte minus aliquid significasse putaretur, quia dixerat, *Domini est terra et plenitudo ejus;* sensum suum aperuit dicens, *orbis terrarum et universi qui habitant in eo :* ut doceret omnem omnino terram Domini esse, et quæ sunt in ea, ut nihil esset exceptum quod non sit Dei. Sicut putant quidam hæretici, qui secundum dictum apostoli Petri dominium Deo abnegant (II *Petr.* II, 10), quorum ad conde-

[1] Er. Lugd. Ven. Lov. sic legunt, *inconcessa.* In B. separatim, *in concessa.* M.

[1] Ms. Colbertinus, *præstent rationem emendandi.*

(*a*) Quæstio hæc deest in Mss. secundi generis.

mnationem cuncta Dei esse, prophetica oracula docuerunt. Et sequitur, *Ipse super maria fundavit eam*; hoc est, quod in alio psalmo significavit dicens, *Terram super aquas tu formasti* (*Psal.* CXXXV, 6): ut fidem testimonium sequeretur, ostendit quomodo fecerit. Dum enim confusio esset rerum, et neque terra, neque aqua propriam haberet speciem, jussu Dei adunata est terra, et firmata super aquas, ut et terra et aqua haberent originis suæ proprietatem. Unde in Regnorum libro vox est Dei dicentis, *Nonne aquas ego feci?* Et subjecit: *Et super flumina præparavit illam*. Sic super flumina præparata est, dum intra se aquas conditas habet, quæ quasi per venarum fistulas fluitantes præstant ei densitatem, ne penitus sicca fragilis esset, et inutilis ad culturam. Radicibus enim nascentium vitalem præstant effectum, simulque locis aridis siti auxilio sunt. Et ut professionem sine bona vita non valde proficere ostenderet, ait: *Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* Proponit qualis debeat esse qui Deum creatorem profitetur; ne quia puniendos ostendit, qui, sicut dixi, dominium Deo abnegant, ii qui confitentur immunes se a pœna scirent non esse, si recte minime versarentur. Montem ergo Domini dicens, cœlum significavit. Unde in alio psalmo dicit: *Levavi oculos meos ad montes, unde veniet auxilium mihi* (*Psal.* CXX, 1). Locus Domini est ubi apparet. Dicitur autem ad Jesum Nave, cum Dominus ei apparuisset, *Locus in quo stas, terra sancta est* (*Josue* V, 16): et Jacob ubi Deum vidit, *Hæc est*, ait, *domus Dei* (*Gen.* XXVIII, 17). Et sequitur: *Innocens manibus et mundo corde*. Hunc dicit dignum ascendere in montem Domini, id est, in cœlum, aut stare in loco sancto ejus, si quis fuerit innocens operibus, et mundum cor habeat in causa Dei, id est, fidei. Hujusmodi enim potest in cœlum ascendere, et stare in loco sancto ejus. Defunctus enim hac vita ascendit in cœlum. Deinde dum civitas Jerusalem in adventu Domini descendit de cœlo, dignus erit stare ubi judicaturus est Dominus de vivis et mortuis quasi innocens: impii autem et peccatores indigni erunt stare in loco sancto judicii Dei, quia resurgent impii ad perditionem, peccatores ad pœnam. Nam si vultum Moysi glorificatum descendentis de monte filii Israel peccati causa videre non poterant (*Exod.* XXXIV, 29, 30); quanto magis ipsum gloriæ Dominum in throno majestatis suæ sedentem, conscientia delictis obnoxia formidabit aspicere? Audient enim, *Non novi vos, operarii iniquitatis* (*Matth.* VII, 23). Et adjecit: *Qui non accepit in vano animam suam*. Nunc ipsa genera peccatorum tangit. Primo enim in loco, hic est innocens, et mundum cor habet, qui a fornicatione idololatriæ immunis est. Ipsa est enim vanitas, cui qui se inclinat, animam suam subjugat corruptioni. Et sequitur: *Nec juravit proximo suo in dolum*. Duas causas memoravit, quæ sunt principales, Dei et proximi; quia qui in his idoneus fuerit, sine dubio et in cæteris probatus habebitur, dicente Domino, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex omni virtute tua. Hoc est primum mandatum. Et secundum est simile illi, Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota Lex pendet et Prophetæ* (*Matth.* XXII, 37-40). Quis ergo ex toto corde Deum diligens legem ejus non servet? Aut quis habens proximi charitatem, peccatis studeat? quippe cum causa timoris Dei diligat proximum. Et subjecit: *Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo*. Nunc quod meritum est ejus qui in causa Dei et hominis, creatoris et proximi, fidem habuerit et dilectionem, ostendit: quia et benedicetur a Domino, ut commendatus appareat, et in his misericordiam consequetur quæ implere non potuit. Nec enim tam circumspectus potest aliquis esse, ut nusquam erret; sed quia in magnis sollicitus et fidelis inventus est, et in minimis misericordiam accipiat a Deo suo. Qui ideo salutaris dicitur, quia non vult morientis mortem, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII, 32). Et sequitur: *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob*. Unam dixit esse generationem requirentium Deum, et quærentium faciem Dei Jacob, quod non est otiosum. Quamvis enim utrumque bonum sit, duos tamen gradus his dictis significavit. Bonum est requirere Deum, plenum est autem bonum quærere faciem Dei Jacob. Digniores enim sunt, qui ante faciem judicis sunt. Horum ergo meritorum hæc est generatio: quia ut ad hoc veniatur, innocentia facit et puritas cordis; sicut iterum ut ad malum possit veniri, præcurrit injustitia atque iniquitas. Quia duæ generationes sunt: una est ex parte iniquitatis, quæ est mater Cain; altera ex parte justitiæ, quæ est mater Abel: hæc in fide consistit et bona conversatione; illa in perfidia et obliquis operibus. Istæ sunt duæ leges, boni et mali, Dei et diaboli; et quam secutus quisque fuerit, ejus appellabitur filius. Ac per hoc requirentium Deum generatio hæc est, fides in Deum, et dilectio in proximum, sicut supra diximus. Qui enim fidem habet in Deum, semper ejus quærit auxilium; nec hominibus injustum se præbet, qui Deum vult habere propitium. Cujus signum hoc est cum dicitur, Deus Jacob, quia notus in Judæa Deus (*Psal.* LXXV, 2). Sed quare ejus faciem quærere dicuntur, cum audierit Moyses, quia, *Non*, inquit, *videbitur tibi facies mea* (*Exod.* XXXIII, 20)? Si ergo et Moyses faciem Dei quæsivit, et videre non potuit; frustra hi quærere dicuntur, quia meliores Moyse non sunt. Sed nemo frustra faciem Dei quærere dicendus est; quia ideo faciem Dei dicuntur quærere, ut sciatur, quem quærunt quia digni sunt et videre. Omnis enim qui quæritur, tunc cognoscitur si facies ejus videatur. Sed quoniam a mortalibus facies Dei videri non potest, significatio hæc pro facie est, cum dicitur, Deus Jacob. *Diapsalma*. Diapsalma hoc in loco personæ significat mutationem. Post enim illa quæ ad Patris Dei personam pertinent, subjungit ea quæ ad Filii Dei pertinent sacramentum, ut ordo integer conservetur Patris et Filii. Nam data est Lex per Moysen, ut quasi pædagogus esset hominibus, erudiens et præparans eos magistra justitia, ut digni fierent ad expiandum (*a*) annum Domini et diem retributionis; ut qui sub spe futuri Christi fideles fuissent, susciperent eum, et possent Adæ peccatum effugere, de suis securi, quia adventus ejus quem speraverunt, daturus esset illis misericordiam de iis in quibus subreptum est illis ut delinquerent. Hoc est quod superius memoravit, dicens, *Accipiet misericordiam a Deo salutari suo*. Dicit ergo: *Tollite portas, principes, vestras*. Hæc vox sanctorum est Angelorum, de quibus dicit in Evangelio, quia *accesserunt*, inquit, *Angeli, et ministrabant ei* (*Matth.* IV, 11). Hi ergo dicunt ad principes et potestates adversus quos nobis colluctationem dicit esse Apostolus (*Ephes.* VI, 12), ut tollant portas principis sui, id est diaboli, qui est princeps principum in errore constitutorum, per quas itur in gehennam. Hæ portæ perfidia est et fallacia idololatriæ. Et sequitur: *Et elevamini, portæ æternales*. Fides et spes cum charitate portæ sunt æternales, quia non potest aboleri quod per veritatem prædicatur. Illæ autem portæ, quas dixi perfidiam esse et fallaciam idolorum, temporales sunt, quia omne mendacium non permanet. Manifestata enim veritate interibit. Docentur ergo ut tollant portas principis sui tenebrarum, id est, ut amoto multorum deorum errore, unius Dei fides introducatur in Christo. Hoc est quod se Apostolus edocere missum testatur, ut non solum ostendat hominibus, sed principibus et potestatibus in cœlestibus mysterium Dei unius in Christo ((*Id.* III, 8-12). Et subjecit: *Et introibit rex gloriæ*. Tollendas dicit fallaces portas diaboli subtilitate compositas, quæ sunt præsumptio, per quam deum se existimavit, ut introeat rex gloriæ, qui est Christus Jesus Dominus noster. Nullius enim mentem Dei fides ingreditur, nisi tulerit a se errorem diaboli prævaricatione inventum. Et principes supra memorati non possunt in unius Dei fidem Christum regem recipere, nisi projecerint a se traditionem per quam uni Deo importatur calumnia; non solum ter-

(*a*) Forte, *exspectandum*.

rena, sed et ea quæ in cœlestibus usurpata est a principe principum satana: quia illic errorem quem inter se conspiraverunt, ut auctore diabolo deos se dicerent, etiam hic in terra disposuerunt, ut hic error illius imago sit. Et sequitur: *Quis est iste rex gloriæ?* Ne supervacue forte Christum regem gloriæ dicere putaretur, interrogantis ponit personam et dicentis, *Quis est iste rex gloriæ?* Quasi admiretur aut doceri se velit, an verum est et condignum dicere Christum regem gloriæ. Et ideo responderunt ei: *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio*, ut hoc subjecto non nudis verbis, sed cum testimonio regem gloriæ Christum addisceret. Virtus enim et potentia qua subegit et pressit diabolum cum satellitibus ejus, hæc ostendit illum regem esse gloriæ. Et adjecit: *Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales;* hoc est, quoniam virtutis testimonio, cui contradici nefarium est, didicistis dignum esse Christum dici regem gloriæ, auferte errorem de mentibus vestris. Et quod ait, *Introibit rex gloriæ*, ostenditur quia non possunt participare cum fide Christi, nisi ab omni immunditia idololatriæ emundaverint corda eorum. Nisi enim innovatus fuerit homo, non intrabit Spiritus sanctus in eum. Et sequitur: *Quis est iste rex gloriæ?* Iteratio ista confirmationem facit. Omne enim quod novum auditur, non concipitur corde nisi iteretur. Admirationem autem et stuporem facit, cum dicitur quod auditum est nunquam. Et adjecit: *Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.* Eadem repetendo docet rite dici hunc regem gloriæ, qui sit Dominus virtutum. Non immerito enim rex gloriæ appellatur qui virtutibus dominatur. Unde Apostolus: *Si enim intellexissent*, ait, *nunquam Dominum majestatis crucifixissent* (I *Cor.* II, 8).

DE PSALMO QUINQUAGESIMO.

CXII (*a*). — Quinquagesimus Psalmus hic positus est, non pro temporis ordine, sed ratione. Titulus enim ejus non numero, sed rationi subjectus est. Quantum enim ad historiam pertinet, anterior est quam tertius. Prius enim a propheta Nathan delicti causa correptus est, quam insurgeret contra illum filius ejus Absalon, ut eum vellet et vita et regno privare. Hæc ergo causa est ut quinquagesimus poneretur, quam constat ex Lege descendere. Illic enim cautum est quinquagesimum numerum remissionem habere. Est enim post septem septimanas primus typum habens dominici diei: quia sicut post septem dies, primus dies ipse est qui initio factus est, qui semper finita septimana dies primus est; ita et post septem septimanas quinquagesimus numeratus, in mysterio primus est, qui duplici genere dominicus dies appellatur: primum quia initio factus a Domino est, qui semper in se conversus per curricula impleta septimana primus est; deinde quia in eo resurrexit Dominus, triumphata morte, dominicus etiam dies nuncupatur. Non immerito ergo in quinquagesimo numero, quem in mysterio primum significatum advertimus, remissio continetur. Denique Lex quinquagesimo die data est. A profectione enim filiorum Israel ex Ægypto, quadragesimo et octavo die ablui jubentur, ut biduo purificati, tertia die parati essent ad Legem accipiendam (*Exod.* XIX, 10, 11). Quæ ablutio quid aliud indicat, quam remissionem factam in quinquagesimo die, ut purificati Legem acciperent? Ex quo de cætero præteritis oblitteratis, actus sui redderent rationem secundum creditam sibi Legem. Hac etiam ratione possessionem emptam quinquagesimo anno remitti debere præcepit Lex (*Levit.* XXV, 10). Hinc est ergo unde et Psalmus quinquagesimus intitulatus est. In hoc enim rex David remissionem postulat secundum prædictum sensum; unde ait: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Sciens rex David graviter se peccasse, sic postulat dicens: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Magna enim misericordia tunc est, cum grandia ignoscit peccata. Et adjecit: *Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.* Ut manifestaret acerbe se deliquisse, peccatum suum iniquitatem appellat, quia iniquitas non leve peccatum est; et qui delet iniquitatem, hoc est, non imputat, miseratione abundat. Nihil ergo in causa sua excusare nititur, ut non solum animum sibi judicis mitiget, sed et faciat condolere. Commovetur enim animus ad misericordiam, quando videt reum sic sua confiteri peccata, ut ostendat dolere sibi quia peccavit. Qui enim non dolet, irridere videtur judicem; quia ideo precatur, ut evadat iterum postea eadem facturus. Et sequitur postea: *Usquequaque*, inquit, *lava me ab injustitia mea, et a peccato meo munda me.* Quoniam multam miserationem Dei prædicat, penitus se mundari precatur, ut nihil maneat delicti aut injustitiæ in eo, unde suspectus sit. Et ut hoc ipsum obtinere possit vel impetrare, adjecit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et delictum meum coram me* [1] *est semper.* Quoniam graviter scit se peccasse, sollicitus est ne non totum ei remittatur. Considerans enim magnitudinem peccatorum suorum, timet, sciens gravia peccata non facile ignosci; ac per hoc cum fletibus confitetur, peccatum suum ante oculos habens, ut ex omni parte propitium sibi faciat judicem. Scit enim scriptum esse: *Dic prior iniquitates tuas, ut justificeris* (*Isai.* XLIII, 26). Et sequitur: *Tibi soli peccavi, et malum coram te feci* Nunc ex alia parte culpæ suæ medelam prospicit, ut ad effectum postulationem deducat. Hac enim prosecutione in prima causa innocentem [2] se dicit: nam qui alteri Deo peccat, inimicus est auctoris Dei. In locum enim ejus alterum eligit, cui auctoritatem ejus adscribat. Unde hic ab hac se iniquitate alienum ostendens, *Tibi*, ait, *soli peccavi, et malum coram te feci:* hoc est, quia tibi, et nulli alii quem Deum per errorem dicerem, peccavi, minor mea culpa est quam cæterorum, qui sunt perditioni obnoxii. Non enim impius sum; sed peccator, quia non in te, sed in legem tuam peccavi: nec te negavi, sed te Deum et Dominum confitens, in hominem peccavi. Ergo quia in illa quæ tua propria causa est, reus non sum, ignosce quod in conservum peccavi. Sic enim peccavi, ut honorificentiam nominis tui nec negarem, nec alteri darem. Fuit itaque unde commoveretur ad misericordiam judex. Cum enim multi in illum peccent, quos etiam hortatur ad se converti, dum ii qui non in illum peccant, ex aliis tamen causis veniam postulant, libenter admittit. Semper enim Dominus ad auxilium suum vult confugere servos suos. Unde adjecit: *Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.* Misericordiam postulans, Deum justitiam suam non immutare precatur, cum soleat media esse justitia, ut non peccantibus et peccantibus æqua sit, id est, ut unicuique reddat secundum opera sua: sed non ignorat quid postulet vir innocens in Dei sacramento. Sciens enim Deum frequenter in Lege dixisse, quia *misericors*, inquit, *sum ego Dominus Deus vester* (*Exod.* XXII, 27); inde rogat ut hæc fides maneat, et in sermonibus suis Deus justificetur, dum in eo permanet quod locutus est, nec peccatis hominum vincitur, ut non misereatur. Scientes enim qui peccant, quæ promisit Deus bene viventibus, et quia in eo perdurant, judicant illum mendacem. Non enim credunt male vivendo vera esse quæ promisit. Idcirco petit rex David ut vincat hoc Deus quod putant homines, et det quæ promisit; ut erubescant qui dum non servant mandata, judicant illum non daturum. Et sequitur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Nunc hoc adjecto causam infirmitatis humani generis memorat, quia facile est homini peccare, ut examen circa se judicis mitiget. Primæ enim culpæ [3] facit mentionem, ex qua prævaricando Adam genus humanum obnoxium fecit peccato. Suasu enim et fallacia inimici iniquitatem concipiendo, omne semen suum iniquitati subjecit, ut ex eo omnes per traducem geniti peccato essent obnoxii. Propterea adjecit, *Et in delictis concepit me mater mea:* ut ab

(*a*) Deest in Mss. secundi generis

[1] Ms. Colbert., *contra me.*
[2] Editi, *nocentem;* et infra, *alteri a Deo.* Sequimur Mss.
[3] Ms. Colbert., *causæ.*

Adam derivatio facta peccati, conceptis et natis impedimento esset ad bonam vitam agendam; ac per hoc supplici non negandam misericordiam, quia infestum [1] habet hostem, qui ei suadet ut peccet. Per peccatum enim diabolus subjecto sibi primo homine potestatem accepit carni ejus se immiscere, et delictorum quadam subtilitate oblectamenta suggerere, per quod captum hominem spoliat vita. Quam rem magister gentium memorans, *Video autem*, inquit, *aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ* (*Rom.* VII, 23) : ut hoc contuens judex, dolenti circumvento porrigat manum. Et sequitur : *Ecce enim veritatem dilexisti.* Quia ergo veritatem diligis, inquit, subveni roganti, et quem scis vera pectoris sui impedimenta exponere, cuique reo olim motus misericordia subvenire decrevisti, ut errorem admissum in terra, cœlestis providentia emendaret. Propter quod subjecit : *Incerta et occulta cordis manifestasti mihi.* Incerta et occulta cordis hæc significat, quæ Deus ad præsidium humani generis procuravit, sicut et Apostolus, *Quod oculus*, inquit, *non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I *Cor.* II, 9). Qui sunt qui diligunt Deum, nisi qui legi ejus consentiunt, non celando vel excusando peccata? Hæc ergo occulta cordis manifesta sunt diligentibus Deum, ut quia dolebant se delictis circumveniri, ne correpti negarent [2], sibi et origini suæ imputantes, in auctorem Deum transferentes quæ peccabant : corda eorum illuminata sunt spirituali corusco, ut viderent Dei providentiam in Christo, quia venturus erat ad damnandum peccatum, quod ex prævaricatione Adæ humano generi imperabat. Hoc ergo orat rex David, ut quod decreverat Deus in futurum, videns genus humanum laborare, sibi prius subveniret in eadem necessitate constricto, in qua omnibus se decreverat subventurum; ut donum quod gratuitum futurum erat, et ante tempus dari non poterat, huic pro prece et lacrymis concederetur. Quod quomodo fiat, non tacet dicens : *Asperges me hyssopo, et mundabor.* Recte aspersione hyssopi petit se mundari. De hoc enim filii Israel postes suos sanguine liniverunt, ut tuti præstarentur a morte (*Exod.* XII, 22, 23) : ita et hic aspersione hyssopi orat mundari se a peccatis, ne tangatur a morte. Et sequitur : *Lavabis me, et super nivem dealbabor.* Manifestum est, quia factum Dei distat a facto hominis : ideo *super nivem*, inquit, *dealbabor*, quia quod Deus fecit, multo melius est quam quod fecit homo. Propterea aspersione hyssopi petit se mundari, ut sicut carnale corpus aqua abluitur, ita et per hyssopi significationem, spirituali ratione animarum maculæ abluantur. Aspersio enim hyssopi, lustratio quædam est; ut per id quod visibile est, invisibiliter emundetur. Et sequitur : *Auditui meo dabis gaudium et lætitiam.* Dubium non est, quia vox prædicantis remissionem, gaudium præstat peccatoribus. Quis enim non lætetur, cum audit dari indulgentiam? Cum enim Deus remittit, et in præsenti et in futuro securus est. Proptera *exsultabunt ossa humiliata.* Duplici genere sunt ossa humiliata : quia et ut peccaret humiliatus est; nemo enim peccans exaltatur; et ut postea supplex veniam imploraret. Nam utique in cilicio et cinere volutatus misericordiam precabatur, quam obtinens elevatus est mentis exsultatione et corporis refectione. Et subjecit : *Averte faciem tuam a peccatis meis, et omnes iniquitates meas dele.* Hac forma remissionem postulat, sicut constitutum erat in futurum per fidem Christi, ut Salvator qui ei spiritualiter est promissus, ab ipso inciperet cuncta conversis donare peccata. Cujus enim non respiciuntur peccata, et omnes delentur iniquitates, non habet unde reus constituatur, et inimicorum ejus ora clauduntur. Qui enim non respicit peccata, non illa imputat. Hoc est enim avertere faciem a peccatis alicujus, accusationem contra eum non accipere. Et quid est hoc, ut cum de duobus peccatis correptus sit, hic addat de multis se accusando? et cum audierit a propheta Nathan quia ignotum erat ei, quare sic postulat sedula prece, ut possit ad veniam pervenire, nisi quia non suam solius causam agit, sed sub accusatione [1] peccati sui, totius populi miserias narrat? Sibi enim reformationem precatur, quia cui ignoscitur, non est sine rubore, nisi loco suo fuerit redditus, ut dignitas loci ruborem excuset : cæteris autem beneficium Dei, quod ad cuncta peccata abluenda futurum erat in Christo significavit. Et sequitur : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum justum dedica* [2] *in visceribus meis.* Hoc est bona mente misericordiam deprecari. Non solum autem de præteritis rogat, sed etiam de futuris sollicitus est, ut peccator intendens odisse peccare ne peccet [3], adjuvetur a Deo per spiritum justitiæ quem orat dedicari in visceribus suis; id est, ut novus ad hoc ponatur in eo, ut custodiat eum a peccatis, ne cogatur facere quod scitur nolle. Cor autem mundum sic potest habere, si neque intus, neque foris delinquat; hoc est, neque in opere, neque in cogitatione. Quod quia prope impossibile est ut in omnibus servetur, vel in Dei causa servandum est, quæ principalis est ut mundum cor in sacramento Dei et Christi custodiatur, dum fides eorum inviolata servatur; quia et in alio loco dicitur, *Quis gloriabitur mundum se habere cor, aut immunem esse a peccatis* (*Prov.* XX, 9)? Denique rex David mundum cor habuit in causa Dei, quia neque auxilium aliquando a vanitate quæsivit, quæ est idololatria, neque aliud a Deo sibi præceptum non implevit. Ideo de cæteris adjecit [4] : *Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Hic sensus est, quem supra memoravi, quia securus de venia, sollicitus est de reformatione. Cui enim ignoscitur solum, solet a facie Domini secerni. Quamvis enim non in illum vindicetur, in animo tamen Domini vel judicis facinus ejus deletum non est. Ideo orat, ut penitus peccatum ejus deleatur, et dignus sit accedere ad faciem Domini, et iterum prophetare; quod et factum est. Hoc est enim quod dicit : *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Hic est spiritus Prophetarum. Et sequitur : *Redde mihi lætitiam salutaris tui, et Spiritu principali confirma me.* Lætitiam dari sibi postulat, quæ promissa erat in Christo, ut omnibus maculis ablutus et reparatus, lætus esset in salute quæsita; nec a motus, sed confirmatus in regno a Spiritu sancto. Quem ideo principalem dixit, quia super omnem creaturam est, per quem reges regnant. Et subdit : *Doceam iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur.* Hoc dicit, ut in eo discant iniqui pietatem Dei, qui confitentes sibi suscipit peccatores et promovet; nec impios conversos negligit, sed hortatur dum aliis miseretur. Et sequitur : *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ.* Hoc dicto ostendit peccatum suum morte dignum, ut Dei misericordia quanta sit, prædicet. Per hoc enim etiam alios provocat confugere ad Dei clementiam. Unde subjecit : *Exsultabit lingua mea justitiam tuam, Domine.* Gaudere se dicit in justitia Domini, quia in eo permanet quod promisit dicens : *Misericordiam autem meam non movebo ab eis* (*Psal.* LXXXVIII, 34). Lætus ergo David rex et securus in hac parte, Dei sui justitiam prædicat. Et sequitur : *Labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam.* Sic labia ejus aperit, dum subjectum illum esse non sinit causa peccati. Liberati enim os patet; peccatoris autem clausum est os : pudore enim et metu correptus loqui non audet; absolutus autem et liberatus tripudians prædicat laudem judicis. Nam et Apostolus sicut ipse testatur, propter quod ab hominibus liber esset, *Os nostrum*, ait, *patet ad vos, o Corinthii* (II *Cor.* VI, 11).

[1] Ms. Colbert., *insertum.* Et mox idem vetus codex, *peccatum enim qui est diabolus.... potestatem accepit carni ejus inserere, et dilectorum*, etc.
[2] Ms. Colbert., *nec correpti negabant.*

[1] Ms. Colbertinus, *occasione.*
[2] Sic Ms. At editi, *innova.*
[3] Ms. Colbertinus, *ne peccator tendens odisse peccare se adjuvetur.*
[4] Ms. Colbertinus: *Ideo videris de cæteris. Et adjecit.*

Et adjecit : *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique.* Hoc de comperto loquitur, sciens sanctum Samuel dixisse ad Saul regem, qui cum peccatum suum non dolore mentis, neque lacrymarum miseratione, sed sacrificii oblatione oblitterari putaret, *Non vult*, inquit, *Deus sacrificium magis quam audiri vocem suam* (I *Reg* xv, 22); quia hujusmodi sacrificia damnum possunt facere, non tamen Deum placare. Deus enim sic placatur, si anima peccati sui memor in tribulatione et mœrore cordis, defleat quod peccavit. Et sequitur : *Holocaustis non delectaberis.* Nec delectatur holocaustis Deus, sed in hujusmodi causis. Ipse enim animus pro se satisfacere debet, non se de foris redimere. Nam ista adjutorium præstare possunt. Animus enim sicut oblectatus est in peccatis, sic tribulari debet in pœnitentia, et tunc delectabit Deum delere ejus peccata. Unde subjecit : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non spernit.* Ostendit quale sacrificium pro peccatis Deus suscipit; quia non poterit Deum placare, nisi qui lætatus est contra salutem, contribulatus fuerit corde, et sic reparetur ad vitam. Denique omnis inquietus, vel indisciplinatus frequenter incurrit, ut membra corporis lædat, quæ utique non sine dolore possunt sanitatis recipere medicinam : sic et peccatores non possunt peccata sua redimere, nisi dolorem senserit animus qui peccaverit. Hoc enim justum est, ut quia contra rationem gavisus est, secundum rationem patiatur mœrorem. Et sequitur : *Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion.* Sion dicens Ecclesiam significat, ut perseveratio [1] nostra non improbabilis videatur, cui ut impleat Deus promissum suum, suggerit, sciens se tunc plenam remissionem accepturam, cum quod decrevit Deus in Christo impleverit : id est, ut ab omni peccato liberentur sperantes in salute promissa; quia non solum a propriis, sed ab Adæ peccato quod per traducem in omnes pervenit, liberabuntur per Christum. Et adjecit : *Et ædificabuntur muri Jerusalem.* Numquid destructi fuerant? Sed muros Jerusalem dicens, Ecclesiam significat, quæ per fidem in Christo disposita erat construenda. Cujus muri esse sancti homines intelliguntur, docente nos Apocalypsi Joannis apostoli; quia et Jerusalem civitas et muri ejus servi Dei sunt intelligendi (*Apoc.* xxi, 12). Sciens etiam per Christum rex David promissum, quod futurum erat implendum ad liberationem servorum Dei, orat ut impleatur; id est, ut per fidem ædificetur Ecclesia, et liberentur sperantes de hac fide salutem. Et sequitur : *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta.* Hoc dicit, quia oblationes et holocausta tunc accepta sibi haberet, cum esset Ecclesia ædificata; et non passim aut secundum omnem consuetudinem, sed *sacrificium*, inquit, *justitiæ acceptabis.* Justum est sacrificium, cum condignum munus offertur : porro autem nihil est tam justum sacrificium et condignum, nisi ut nos ipsos offeramus Deo. Quia enim Deus spiritus est (*Joan.* iv, 24), spiritualia illi offerenda sunt sacrificia, ut vivo viva hostia offeratur. Quia enim dixerat, in causa peccati sacrificiis carnalibus Deum minime delectari, ostendit futurum, quia spiritualiter Deo offerendum erat, et acceptaret; quia hæc Deo digna sunt sacrificia : hoc est, in præterito minora fuerunt, quia carnalia; nunc majora, quia spiritualia. Et adjecit : *Tunc imponent super altare tuum vitulos.* Si cessantibus pristinis sacrificiis, spiritualia successura sacrificia significavit, quid est ut diceret, *Tunc imponent super altare tuum vitulos :* nisi quia per hæc corporalia spiritualia significat; quippe cum dixerit, quia carnalibus non delectatur? Vitulos ergo dicens, populum novellum significavit, Christi fide renatum, cujus devotio quotidie super altare Domini delibatur. Qui enim de Ecclesia intelligitur locutus, sacrificia quoque ejus spiritualia significasse debet intelligi.

[1] Ms. Colbertinus, *asseveratio.*

CXIII. (*a*) — Cur Filius Dei missus sit, et non alius?

Quanquam omne quod facit Deus, rationabiliter et providenter factum credendum sit; melius tamen puto, si post fidem etiam causa facti possit adverti, ut quod creditur, non ignoretur. Unde Dominus ait : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* xvii, 3). Primum enim credi debet, sicut a Propheta dictum est, deinde sciri quod creditur : quia jam fidelem et in hac re diligentem adjuvat Spiritus sanctus, ut cognoscens intelligat fidei rationem. Tunc enim plenum habet gaudium credulitatis suæ, si quod credit intelligat. Hoc est enim fidei robur, hoc immobile fundamentum credulitatis, addiscere sacramentum. Ubi enim sola fides est, non est tam mera devotio, et potest aditum habere subreptio. Unde vas electionis ideo laborat, ut credentes fidei suæ rationem ediscant. Cum enim cognoverint quantus sit cui se crediderint, et quæ sit ejus potentia; nullo pacto, nullaque ratione ab ejus spe traduci se patiuntur. Unde dictum legimus, *Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* xxxiii, 9) : ut data opera cognoscant divinitatis ejus saporem, intelligentes nihil sapientius esse quam in Christum credere. Quamobrem ipse Magister Gentium inter cætera ait, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei absconditi* (*Coloss.* ii, 3) : et iterum, *Scio*, inquit, *cui credidi, quia potens est depositum meum custodire* (II *Tim.* i, 12). Igitur hic scit fidei suæ rationem, et non dubitat de potentia ejus, qui intelligit omnes thesauros sapientiæ et scientiæ in sacramento nativitatis et passionis et resurrectionis Christi esse absconditos. Manente ergo fide, diu mecum contuli, ut scirem cur Dominus noster de sacris et de cœlestibus sedibus ad terram incarnatus [1] venisset, et non alius, ex eis quos ipse Dominus sanctos Angelos vocat. Incongruum enim videtur personæ ejus hoc opus subiisse, nisi causa facti noscatur. Denique hoc est quod movet multos. Nam potuit Dei Patris provisio per alteram personam hoc negotium gerere, ut et hominibus in errore constitutis ostenderet veritatem, et diabolum præsumptorem et salutis invidum cum satellitibus ejus comprimeret, et exspoliaret devictum. Quia pervicacia et irreverentia nequissimorum servorum, ministris famulis fuerat compescenda, ut non Dominus omnium rem sibi indignam experiretur. Neque enim tanta vis et potentia est satanæ, ut per alteram potestatem ejusdem conditionis superari minime potuisset, cum constet Dei auxilio ipsum etiam ab hominibus vinci. Nam quamvis impar sit, si ex terrenis sumamus exempla, tamen ex aliqua parte convenient rationi. Servum enim contra David regem rebellantem, Joab conservus ejus missus est persequi et trucidare; et contra Absalon in patrem impium servis injuncta res est (II *Reg.* xx, 6, *et* xv, 14) : quanto magis et tyrannidem diaboli vincendam unius de multis suffecerat efficacia; quippe cum legamus quia repugnans contra Michael archangelum perdurare non potuit, sed projectus in terram est (*Apoc.* xii, 7-9)? Hoc ergo mecum sæpe reputans, hoc solum sciebam, quia ideo ipse a Patre missus est, ne ad injuriam ejus pertineret, si opus per eum factum, per alterum reformaretur [2] : sed hoc scire minimum erat. Non enim satisfaciebat ad tam magnam et admirabilem causam, nisi et aliud comprehenderetur quod proficeret ad arcanum intellectum. Sic factum est, ut animadverterem causam hoc poposcisse, ut sic veniret qui venit. Ipsum enim ratio tangebat, ut ad eum comprimendum veniret, qui dignitatem ejus et meritum usurpasset. Post Deum enim Patrem diabolus deus dici voluit, quod et nunc usque contendit, cum utique non illum res contin-

[1] Ms. Colbertinus, *incarnandus*
[2] Ms. Colbert., *reformaret.*
(*a*) Quæstio hæc deest in Mss. secundi generis.

geret, sed esset hoc Filii Dei, qui post Patrem Deum secundus est, non natura, sed ordine. Ad hanc ergo causam agendam non alium oportuit venire nisi Christum Dominum nostrum : qui non tantum ad comprimendum diabolum venit, sed et manifestare seipsum omni creaturæ : ut reprobata persona diaboli, hunc esse cognoscerent, cujus principatum et majestatem præsumpserat satanas; et de cætero cognita veritate relinquerent errorem, pro certo habentes Christum esse Dei Filium, qui solus Deus de Deo sit, et caput sive principium eorum omnium, sive quæ in cœlo sunt, sive quæ in terra : quia virtute et potentia, qua superavit tyrannum satanam, manifestatus est ipse esse, cujus imperium præsumpserat impius diabolus, qui est satanas. Dum enim voluit inique deus dici, ut dominaretur potentiis spiritualibus (unde increpatur a propheta dicente, *Tu enim*, inquit, *dixisti in corde tuo, Ponam sedem meam in nubibus, et ero similis Altissimo* [*Isai.* XIV, 13, 14]), multos decepit, quorum conspiratione princeps erroris est factus. Qui in Psalmo commonentur, ut rejicientes mendacium, suscipiant veritatem. Dicitur enim eis : *Tollite portas, principes, vestras; et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ.* Nisi enim tollatur error de mentibus incredulorum, non poterunt suscipere fidem unius Dei in Christo. Hoc enim edocentur, ut sublatis portis per quas itur ad mortem, secundum perfidiam a diabolo cœptam [1], suscipiant fidei sacramenta per quæ itur ad vitam. Ista sunt enim quæ significat in æternalibus portis; quia veritas fidei æternitas est : perfidia autem temporalis est, quia mendacium adinventio diaboli est. Diabolus enim cœptam prævaricationem in cœlis, seminavit in terris, multorum deorum suadens culturam, inter quos principatum haberet. Caput enim et principium voluit esse cæterorum, quod non ei debebatur, sed Salvatori. Unde persequitur eum usque ad terram, ut comprimens eum ostendat erroris ejus prævaricationem manifestata in se veritate. Unde dictum est : *Veritas de terra orta est* (*Psal.* LXXXIV, 12). Projectus enim de cœlis, confugit ad terras, ut meditatam divinitatem in supernis, expleret in inferioribus. Unde dicit Apostolus : *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens sese quasi sit Deus* (II *Thess.* II, 4). Quoquo enim modo desiderium suum implere vult et damnari : furore enim plenus minus putat esse damnari, quam non explere aviditatem erroris.

ADVERSUS PAGANOS.

CXIV (*a*). — Qua ratione Pagani adversus nos audeant congredi, aut fidem nostram impugnare, se autem putent absolutos esse, non video. Quippe cum nulla habeant assertionum suarum documenta, superstitionis suæ magis dicam quam religionis. Nam quæ cauta non habent, proferunt, ut ipsi potius novarum rerum auctores et defensores habeantur. Primo enim in loco deos se asserunt colere : quorum nulla insignia, nulla dant testimonia. Illos enim deos appellant, qui se ausi non sunt hoc nomine nuncupare, ut homines auctores deorum habeantur, cum Deus auctor debeat esse hominibus : ac per hoc vana et inanis assertio est. Quidquid enim sine Deo est, stabile esse non potest. Manifesta enim esse quæ dico, probant libri eorum, in quibus nihil divinum, nihil Deo jubente legitur constitutum; sed singulos viros propter quasdam causas diversa asserunt instituisse numinum sacrificia, ut ii qui nullius meriti videntur, ea ipsa quæ statuerant digne statuisse probarentur. Quando ergo quos deos appellant, nihil horum mandasse leguntur; qua auctoritate hi faciunt, aut accepto ferri putant, quod non probant mandatum; cum si etiam mandatum probaretur, examinandum prius fuerat si dignum esset aut debitum his obedire, quorum nulla signa, aut prodigia, ad commendationem divinitatis in rebus gestis existerent? Sed solent ab his exclusi ad elementa confugere, dicentes hæc se colere quorum gubernaculis regitur vita humana. A quibus, ut supra, requirimus si mandatum est aut jussum a Deo, quem etiam ipsi magnum et summum fatentur, et negligunt eum. Si enim fieri debet, ab illo mandari oportuit, qui auctor eorum dicitur. Si autem ab illo non est mandatum, præsumptio est, et ad pœnam proficiet, non ad præmium; quia ad contumeliam pertinet Conditoris, ut contempto Domino colantur servi, et spreto imperatore adorentur comites. Quomodo istud impunitum erit, quod etiam in hac vita vindicari, et quidem acerbius, videamus? Sed si forte ab ipsis elementis dicant mandatum, ostendant alicubi præceptum, legant aliquando aliquid illa locuta. Quod si non ostendunt, qua pœna digni sunt, qui auctores præsumptæ et confictæ religionis deteguntur? Libera sunt ex hac impietate elementa. Ipsa enim luminaria mundi accusabunt illos apud judicem Deum, quia in hac consilii vanitate minime se auctores ostendunt. Similiter et illi quos cum constet homines fuisse, deos nuncupant, cum cœperint pro peccatis suis cruciari, in hac parte minime se reos esse defendent, in hos crimen hoc retorquentes, quibus cum hoc non mandassent, ut deos illos colere cœperunt. Igitur quo pudore fidem nostram reprehendant aut irridendam putent, quorum legem virtutum testimoniis fultam, necnon et ipsius Domini ac Dei nostri relegunt vocem dicentis, *Ego sum Deus, et non est alius præter me* (*Isai.* XLV, 21, 22)? Quod si nudis verbis diceret, non erat ei credendum, ne similes Paganis videremur, qui nulla deorum suorum signa majestatis videntes, colere eos cœperunt; et, quod pejus est, inhonesta. Turpia enim illic aguntur, quæ pudoris est revelare, et prudentes se appellant, quia de lege sua sicut a Samardaco illuduntur. Porro autem Deus noster teste virtute cœli se mandavit : et ut nihil suspicionis relinqueret, legem ipsam honestam et sanctam, ut et Deo dignum est, tradidit. Nos vero qui stulti a Paganis dicimur, Deo nostro non credidissemus, nisi nobis satisfecisset etiam testimoniis virtutum; nec legem ejus suscepissemus, si non illam puram et ipsa professione dignam cognovissemus. Hinc est unde nihil apud nos in tenebris vel occulte geritur. Omne enim quod honestum scitur, publicari non timetur : illud autem quod turpe est et inhonestum, prohibente pudore non potest publicari. Quamobrem Pagani mysteria sua in tenebris celebrant, vel in eo prudentes. Erubescunt enim palam illudi : piacula [1] enim quæ illic vice legis aguntur, nolunt manifestare, ne qui prudentes se dicunt, hebetes his videantur quos stultos appellant. Sed ne forte hinc illis stulti videamur, quia lex nostra castitatem, misericordiam, pietatem, continentiam prædicat : apud illos enim hæc stulta sunt, quia omnis bonus malo malus est, et prudens stulto insensatus est. Nam in tantum castitatem exsecrantur, ut etiam cinædis delectentur, magisterio eorum subjecti; qui nisi tales fuerint, idonei non erunt ipsi, si dicendum est, religioni. Propterea enim abscinduntur, et habitum immutant, ut de viris quasi feminæ fiant, et contra naturam subjecti muliebria patiantur, et tunc demum apti et digni sint ministri superstitionis illorum. Numquid accusari potest hujusmodi, quem lex facit talem? Ideo enim amisso viri et actu et habitu in mulierem transformatur, ut licenter muliebria patiatur. Quæ ergo putantur esse mysteria, ubi de honesto inhonestum fit, et de incorrupto corruptum, cum hic sit vere cultus religionis, qui de turpibus honestos facit, de indisciplinatis modestos? Quomodo cultores ejus æmuli possunt esse bonæ vitæ, quando mysteria legis eorum sine cinædis celebrari non possunt? Si ergo lex eorum his delectatur, peccator erit et stultus quisquis non fuerit talis. Ideoque stultos nos appellant. Colentes enim hæc turpia, prudentes ab his judicantur; evitantes autem et fugientes,

[1] Ms. Colbertinus, *ad mortem secundam, quæ sunt perfidia a diabolo cœpta.*

(*a*) Quæstio hæc deest in Mss. secundi generis.

[1] Ms. Colbertinus, *turpia.*

stulti. Quod quidem callide et astute ab ipsis videtur aptatum. Idcirco enim legi suæ applicant nomen prudentiæ, ut contegant reprehensibilia ejus; quia ubi prudentia, reprehensio nulla est. Nostram autem legem stultam dicunt, ut prohibeant ab ea. Sed sublatis nominibus prudentiæ et stultitiæ, et submota omni invidia, quam parit defensio ambarum partium, ipsæ leges inter se confligant, ut appareat ubi sit prudentia, et ubi stultitia. Sed præsente signo crucis obmutescit Paganitas. Et si adest, quam vocant stultitiam, prudentia illa, sacra illorum respondere non audent. Reprimuntur enim exta illorum, et occultantur ob reverentiam christianæ majestatis. Magna res est, ut illa quam vocant prudentiam, metuat illam quam appellant stultitiam. Conferamus nunc tenorem legum. Pagani deos deasque colere se etiam litteris profitentur : et verum est quod dicunt, quia et masculos colunt et feminas. Janus enim et Saturnus, Jovis et Mercurius, et Apollo et cæteri, item Minerva, et Isis, et Fruxilla, et Venus, et Flora meretrix cum cæteris, dii deæque sunt, sicut historiæ tam Græcorum quam Romanorum testantur. Christiani autem utpote pauperes, quos stultos vocant, unum Deum colunt in mysterio, ex quo sunt omnia : nec aliquid quod ab eo conditum est venerantur. Ipsum enim solum sufficere sibi et abundare sciunt ad salutem, non ignorantes quia si gloriam et nomen ejus aliis deputaverint, offendant eum; quia nullus imperator permittit ut cum nomine ejus tribuni et comites adorentur. Conferantur nunc leges, ut videatur ubi sit prudentia, qui Creatorem colit, an qui creaturam; qui Dominum, an qui servos? Potest fieri in aliqua domo ut præter unum alius dominus appelletur, ut pagani litteris forensibus instructi, qui sibi prudentes videntur, in uno mundo ab uno Deo condito multos deos deasque venerantur? Procuratores enim et auctores [1] mundi deos et Dei nomine nuncupant, cum improvidi deteguntur. Illud autem asserere quod perniciem pariat, improvidi est et stulti. Quoniam necesse est Deum injuriam suam vindicare in eos qui conservis suis Domini Dei nomen et gloriam impertierunt. Dehinc considerentur præcepta. Lex nostra quos stultos vocant, antistites et ministros idoneos, sine crimine, sanctos et irreprehensibiles præcipit ordinari : e contra autem Paganorum traditio antistites et ministros idoneos sibi esse non posse, nisi ex viris transfigurentur in feminas, ut licenter et publice muliebria patiantur, et discussis in aqua inhoneste crinibus mollem quassatamque vocem et turpem emittant. Quod si publice facerent, ab omni populo lapidarentur. Et Cynocephalus ille, qui mutabundus [2] per omnia se circumfert loca, quærens membra adulteri Osiris viri Isidis. Ecce quibus ministris sive magistris Pagani prudentiæ sibi nomen adsciscunt, cum non solum non prudentiæ sit, sed et criminis. Obscœna enim et probrosa diligere funestum est. Illud autem quale est quod in spelæo (*a*) velatis oculis illuduntur! Ne enim horreant turpiter dehonestari se, oculi illis velantur : alii autem sicut ales alas percutiunt, vocem coracis imitantes; alteri vero leonum more fremunt; alii autem ligatis manibus intestinis pullinis, projiciuntur super foveas aqua plenas, accedente quodam cum gladio, et irrumpente intestina supra dicta, qui se liberatorem appellet. Sunt et cætera inhonestiora. Ecce quantis modis turpiter illuduntur, qui se sapientes appellant. Sed quia hæc in tenebris patiuntur, putant posse nesciri. Ista enim omnia, quæ a malis et turpibus inventa et ordinata sunt in occulto, sancta fides christiana prodidit et detexit. Prædicata enim fide, considerantes qui audiebant, quid boni et sanctitatis publice promitteretur, contulerunt se ad fidem, occulta illa inhonesta et turpia relinquentes, et quomodo per ignorantiam illusi sint confitentes. Tunc enim jampridem omnes prope in hoc vertebantur errore et idcirco sibi prudentes videbantur, quia qui reprehenderet non erat. Nam quanquam omnes errarent sub uno fallacis nomine idololatriæ, unusquisque tamen juxta mores suos et conversationem ordinavit culturam, ut unus error diversitatem haberet ex turpitudine et conversatione auctorum. Denique sacra, quæ Liberi vocant, inhonesta et vanissima sunt, et plena furoris. Difficile enim impurus non iracundus est : denique ubique cum Priapo depictus invenitur, cum quo inhoneste vivebat. Hoc modo sunt et cætera sacra eorum : sed ut posteri his inventionibus caperentur, subtilitate et astutia factum est satanæ : quanquam non sine illius consilio ista inventa sunt; inventis tamen singulis, aspersit quædam præstigia, per quæ illiceret homines ad errorem. Et sic factum est ut per traducem antiquitatis commendaretur fallacia, et excusaretur turpis inventio. Per consuetudinem enim cœpit non turpe videri, quod turpe erat. Nam cum dehonestantur aliqui; primo erubescunt, postea blandiente consuetudine, recedit pudor mutata fronte, præcipue si multos videant tales. Nam quæstus turpitudinis tunc est, quando ii qui nobiles dicuntur, dehonestari videntur : facile enim imitatores invenit honestata nobilitas. Si ergo jam porro pridem propter hoc prudentes sibi videbantur, quia cui fœda inventio hæc displiceret, non erat; nunc quia Dei misericordia illustratum est genus humanum, et declaratum crimen esse quod pro lege credebatur, stultum autem quod putabatur prudentia inventum; vel ab hac appellatione cessare deberent, permanere nolentes in detecto crimine, cognoscentes nomen sapientiæ a se alienum esse. Sed ut addant ad cumulum confessionis suæ stultitiam, in stultitia deprehensi vocant fatuos, a quibus convincuntur. Sed fidem nostram et posteritatem accusant; in præceptis autem non negant nihil posse reprehendi. Qui fidem nostram accusant, non magis contra nos, quam contra auctorem nostrum suscipiunt. Nos enim stultos, qui quasi rei fatuæ fidem dederimus : illum autem mendacem et circumventorem, necnon et malitiosum pronuntiant, qui fidem traderet per quam deciperemur. Credentes ergo prius non nos stulte credidisse probemus; deinde causam acturi auctoris. Cum in errore degeremus in quo nunc manent Pagani, nullis virtutum signis attracti, sed nudis verbis quæ sacra vocant percepimus, prodesse putantes, non quod divinitas commendaverat, sed quod vetus consuetudo tradiderat : in qua (quod non latet) diversis illusi vanitatibus, nullam spem salutis cognovimus. Quid enim poterat prodesse res ab hominibus inventa? Ut autem ad fidem Dei accederemus, et Filium ejus incarnatum et crucifixum crederemus, non verbis suasum est nobis, sed rebus. Vidimus enim mortuos suscitatos, leprosos mundatos, cæco nato oculos restitutos, dæmonia ejecta, et simul omnes infirmitates curatas. Nunc quando stulti fuimus judicetur; cum nudis verbis credidimus, aut cum rebus? Sine dubio enim res ante verba sunt; quippe cum ad res significandas inventa sint. Si ergo traditioni humanæ, nulla suadente virtute, quæ ad illudendas mentes hominum inventa est, fidem dedimus; quanto magis huic, quam divinam et deificam omnia signa quæ Deum invocant, contestantur? Nonne digne stulti judicaremur, si virtutibus non crederemus, qui sermonibus credideramus? Nonne rationabiliter improvidi et inconsulti notaremur, si advocantem spem non sequeremur, qui desperationi fueramus obnoxii? Sed, aiunt e contra, stultum est quod creditur. Non enim rationi subsistit, Deum habere Filium; neque emortua et dissoluta corpora rursus reparari posse ad vitam. Omnes philosophi et sectarum inventores diversis disputationibus invicem se confoderunt, nullus ad alterum transiens; quia unusquisque in quo imbutus fuerat, permanebat. Per id enim quod verba contradictioni obnoxia sunt, nullus alterum superabat. Non enim erat unde se quis victorem ostenderet, sed invicem contradictionibus se fatigantes, minime alter alteri persuadebat. Hinc factum est ut Dei providen-

[1] Ms. Colbertinus, *actores*.
[2] Ms. Colbertinus, *natabundus*.
(*a*) Id est, *spelunca*.

tia, cujus sensus investigari non potest, prædicationi suæ virtutem adjungeret, ut veritas prædicationis virtutis testimonio probaretur; ut qui verbis contradicere parati erant, videntes virtutem contradicere non auderent. Quæ enim major poterit esse testificatio veritatis, quam est operatio virtutis? Si quis autem opera virtutum deneget accusans Scripturas, quomodo poterit stultam fidem nostram dicere denegans Scripturas? Ubi enim scriptum est de Christo quod Filius Dei credendus est, eodem loco virtus testis invenitur. Et si cui absurdum videtur legenti Christum Dei Filium crucifixum, revolvat, et inveniet resurrexisse eum a mortuis, et intelligat non otiose eum mortuum esse, neque invitum, qui potuit resurgere, sed esse mysterium. Quicumque ergo est ille, aut tacebit de cruce; quia si dixerit stultam crucem, non poterit stultam dicere resurrectionem, excusat enim resurrectio crucem; aut si locutus fuerit de cruce, non poterit negare providentiam esse in ea quam videt testimonio resurrectionis firmari: aut utrumque enim accipitur, aut utrumque refellitur, ut qui non defendat, nec audeat accusare. Quare autem crucifigi se permiserit, cognatis mysterium reservandum est. Mortem autem hanc in tantum commendavit, ut clarificari se per eam testatus sit. Nam ait: *Potestatem habeo ponendi animam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* x, 18). Non ergo coactus est mori; quia potestatem habuit et mori et resurgere. Hanc qui abnuit, non poterit dicere violenter illi mortem illatam. Si enim istam negat, nec mortuum illum poterit asseverare, quia hæc illic continetur, ubi morti traditus legitur. Nemo enim ex superioribus postrema, aut ex postremis superiora condemnat; quia contrarium non est quod unius corporis est. De mortuis autem quod resurgant, dolo dicunt stultum credere. Vident enim exempla quibus credibile judicetur. Omnia enim semina usibus necessaria, nisi resoluta fuerint, renasci rursus non poterunt. Si hoc in mundo hominum causa Deus decrevit, cur illorum ipsorum corporibus si hoc præstaturus credatur, stultum putatur? Nisi quia ipsi stulti sunt, qui Deo non dant, quam potest mundus, virtutem; cum gestarum nunc usque appareat umbra, quia jam tempus non est faciendarum virtutum. Initio enim fieri oportuit, ut semen fidei per hanc crementum faceret. Tamen et modo dæmonia nominata cruce Christi terrentur; et si impensius fiat, fugantur; et dii Paganorum formidine et metu nominatæ crucis responsa dare non possunt. Si opprobrium est mors Christi, quare terrori est? Res enim quæ ex crimine venit, non timeri debet, sed contemni. Quis enim timeat hominem pro crimine suo occisum? At si innocens fuerit, timeri tamen non potest, sed doleri. Itaque nisi sentirent dæmonia, vel dii Paganorum, sacramentum esse crucem Christi, nominata ea non terrerentur; et ut expressius dicam, nisi rei essent, non timerent. Hi etenim omnes, qui ex parte diaboli sunt, consenserunt in mortem Christi. Unde cuncta dæmonia sive dii Gentium, nominata cruce Christi, terrore concutiuntur. Omnis enim qui in alicujus innocentis morte reus est, cum nomen ejus fuerit memoratum, timor apprehendit cor ejus. Recordatione enim habita delicti reum se videt. Quanto magis dæmonia, vel dii Gentium, qui rei sunt necis Domini et Salvatoris mundi? Sed Pagani antiquitatis causa verum se tenere contendunt, quia quod anterius est, inquiunt, falsum esse non potest. Quasi antiquitas aut vetus consuetudo præjudicet veritati. Possent enim homicidæ, aut molles, aut adulteri, vel cæteri criminosi per hoc illicita sua defendere, quia antiqua sunt, et ab ipso mundi initio cœpta; cum hinc magis intelligere deberent errorem suum; quia quod reprehensibile et turpe est, male cœptum probatur; quod autem honestum et sanctum est, digne colitur: nec posse turpe et reprehensibile ante factum esse honestum et irreprehensibile. Et ad extremum. Paganorum traditio ab homine inventa negari non potest: quia autem nostra Lex a Deo

data est, evidens res est. In monte enim apparuit majestas Dei ad dandam Legem hominibus. Et ut huic fides possit haberi, præmisit signa multa et prodigia facta in Ægypto, quod hodie quoque libri testantur a Ptolomæo reconditi in bibliotheca Alexandrina. Sic ergo Legem dignatus est dare, ut nemo ambigeret Deum esse qui tradidit. Palam enim et manifeste visa est omnibus majestas Dei, tanto fulgore et terrore, ut etiam præter eum nemo alius Deus crederetur, et quod jubebat omni observatione dignum haberetur. Et ut omnia deificæ rationi conveniant, inspiciatur tradita Lex, si quid in ipsa injustum, si quid inhonestum, si quid ridiculosum. Sic oportuit Deum innotescere; non ut in angulo per imposturam appareret, qui claudi non potest; neque in speculo, ubi aliud est quam cernitur operante illecebrosa fallacia: neque ea servanda traderet [1], quæ propterea quod inhonesta essent, in tenebris gererentur. Cum enim unius Dei notitia oblitterata esset in mundo consuetudine delinquendi, quia mendacium velamen præstiterat veritati, clemens et misericors Deus, nolens opus suum perditioni obnoxium fieri, visitare dignatus est genus humanum. Non sic apparens sicut hi qui falso dii appellari voluerunt; sed sicut est Veritas Dei, ita se manifestavit, ut errorem adimeret, qui falsorum deorum prædicatione mundi sensum corruperat. Denique supra sexcenta millia hominum egressa de Ægypto, videntes et cognoscentes Dominum hunc esse supra omnes ex apparentia ineffabilis gloriæ, proximare ad eum timuerunt, sed longe curvato genu eum adoraverunt (*Exod.* xx, 18). Postea prosequentibus aliis signis [2] quam quæ fecerat in Ægypto, in omnibus mirabilibus manifestatus est unus esse Deus. Hæc omnibus prope innotuerunt linguis, hæc vicinis gentibus terrori fuerunt. Quid tale in diis Gentium? Cui genti, cui populo gloriam suam ostenderunt? quæ signa aut virtutes ad divinitatis suæ testimonium fecerunt? ubi vel quando locuti probantur? Sed irrationale vulgus aut apparentes umbras, aut dæmonia, aut simulacra mortuorum, ut deos colere cœperunt: quæ res in consuetudinem vetustatis deducta, arbitratur rationis sibi veritatem posse defendi; cum veritatis ratio non ex consuetudine, quæ est ex vetustate, sed ex Deo sit, qui non vetustate Deus probatur, sed æternitate. Quamobrem fides non cœpta res, sed sine initio est. In Deum enim credere, nostrum incipere est. Nam quod creditur, æternum est. Quomodo ergo anteriores se putant Pagani, quando quod colunt, post Deum est? Numquid non opus post opificem est? Pagani colunt opera, nos opificem; illi creaturam, nos Creatorem. Certe Deus fecit mundum, facto notitiam suam non ostendit? Aut fecit hominem, et noluit se ab eo coli quem fecit? Sed absurdum est. Factus ergo homo cœpit venerari suum Conditorem; quia dignum est, et causa hoc exegit. Quod cum per desidiam hominum obsolevisset, reparavit istud Deus in Abraham, ut cognitio Dei quæ fuerat in Adam, inciperet rursum in Abraham: ut ab eo geniti, sub ejus cognitione educarentur, et per traducem non deficeret, neque deesset qui coleret Deum; advocatis etiam exteræ gentis hominibus ad istam Dei cognitionem. Qui ergo cognovit, sub initio est: qui autem cognoscitur, supra initium est. Qua igitur ratione Pagani legem suam ante dicunt fuisse quam nostram? Si mundus ante Deum est, quod absit, sic poterit et Paganitas anteponi Christianitati. Nemo miretur de nomine Christianitatis. Est enim colere unum Deum in mysterio Trinitatis. Quod si nomen Christi putatur ex chrismate, nominis tamen ratio ante chrisma est. Apud majores enim nostros, qui in reges ungebantur, christi vocabantur, habentes imaginem Christi venturi, qui natus de Deo Patre in regem non immerito Christus appel-

[1] Sic Ms. Colbertinus. At editi, *celaret*.
[2] Editi hic interponunt, *tam illis quæ fecit in deserto*. Redundat, et abest a Ms. Colbert.

(Soixante-quatorze.)

latur; quia quod istis chrisma, illi dedit nativitas: quem quamdiu ignorant Pagani, reprobant; cum autem cognoverint, diligentius excolunt, gaudentes quia de malo transierunt ad bonum. Qui enim in re tam frivola et inepta pertinaces fuerunt, quando fortiores et vehementiores erunt cognita veritate? Qualis ergo Christus noster est, qui cum nescitur, oditur; cum cognoscitur, amatur? Nam omnis malus cum nescitur, amatur, cognitus oditur. Quanti retro oderunt Christum, qui nunc amant, quique dolent odisse se, quod nescierunt? Imprudentis enim est odisse quem nescias, quia probandum est an odio digna sit res. Denique qui hodie adversantur, crastino defendent, pœnitentiam agentes, tarde se cognovisse quod verum est. Quod si odio digna res esset, aut aliquid haberet fallaciæ, quotidie ex christianis fierent pagani. Porro autem, quoniam hæc veritas est, quotidie omni hora sine intermissione deserentes Jovem, inter quos sophistæ et nobiles mundi, qui eum Deum confessi erant, confugiunt ad Christum, cui est honor et gloria in sæculorum sæcula.

DE FATO.

CXV (*a*).— Nihil tam contrarium christiano, quam si arti matheseos adhibeat curam. Hæc enim inimica dignoscitur Dei legi. Si enim nascuntur qui mali sint, et e contra qui boni sint; frustra lex data dicitur: et non solum hoc, sed et injustus habebitur Legislator. Qui enim lege data cogit homines contra id quod nati sunt facere, sciens non posse mutari naturam, ad hoc utique legem videtur dedisse, ut haberet occasionem qua crudelitatem suam de nece hominis satiaret. Utquid enim prohibet quod scit averti non posse? Aut quemadmodum damnat hominem qui non fecit quod facere non potuit? Si autem injustum videtur, ut est, quia istud de Deo sentire nefarium est; recte et salutari ratione legem dedit, sciens posse hominem continere se ab eo quod prohibet lex. Ergo quia juste legem dedit, non est utique iniquus cum vindicat. Itaque si legi Dei fides commodanda est, quia juste probatur data; ars matheseos evitanda et fugienda est. Hanc enim astutia et subtilitas invenit diaboli. Quia enim aperte repugnare non audet auctori, tergiversatione id agit, ut et Deo injuriam faciat, et hominem legi inimicum constituens, morte mulctet secunda. Qui ergo Dei auctoritati cedit, et factum ejus retractari nefarium ducit, legi ab illo datæ obtemperat, die noctuque studiis ejus insistens, nec aliquid adversum respicit, non dubitans quia potens est homo præcepta ejus servare. Nam hi qui peccare gestiunt, occasionem quærunt quomodo peccata sua a se faciant aliena; ut dum naturæ quasi imputanda peccata sint, immunis esse a pœna videatur peccator. Hoc propositum horum est qui desperatione promissæ futuræ vitæ, præsenti desiderant frui voluptate. At hi qui freti fiducia fidei, spem futurorum exspectant, hoc implere contendunt, quod in primordio renascibilitatis polliciti sunt, ut abrenuntiarent pompis et voluptatibus satanæ. Quanta ergo subtilitate usus est satanas, ut promptiorem hominem ad peccandum faceret, per quod invidiæ suæ expleret nequitiam? Dum enim audit sic se natum esse ut peccet, et Deum non ignorat esse justissimum, credit se impune peccare; quia qui justus est judex, non damnat eum qui imperante natura peccavit. Nec quidem ejus peccatum dicendum est, quod alius egit per illum. Sic deceptus est homo: peccatis enim pressus, factus est morti obnoxius. Igitur tollit omne hominis bonum, qui tollit et malum. Si enim peccator non habet pœnam, nec justus coronam. Utquid laudantur boni, et reprehenduntur mali? Si enim hujus naturæ est ut peccare non possit, quid laudas in illo quod non est ejus? Et utquid condemnas in peccatore delictum, cum scias non ejus esse quod peccat? Quid nisi injustus erit qui bonum laudat, et malum accusat? Sed forte dicatur e contra, Bonam naturam in homine laudo, et malam condemno: quia et vinum bonum laudatur, cum per naturam bonum sit; et malum recusatur, cum illud æque natura hoc præstet. Si ita esset, nihil erat reprehensionis causa, ut sic laudaretur justus, nec corona dignus judicaretur: neque ita accusaretur injustus, ut pœna dignus decerctur. Porro autem et in præsenti et in futuro justos remunerari scimus et legimus, et injustos pœnis subditos concremari: quod injustum utique videretur, si iste qui naturæ suæ rem gesserat, igne ultore pœnas pateretur; aut alius qui æque naturæ suæ rem exsequitur, præmiis afficeretur. Si autem laudandus est bonus, quia quod naturæ suæ erat fecit; laudari debet et malus, quia et ipse similiter quod naturæ suæ erat, gessit, ut unusquisque permanens in eo quod factus est, laudetur. Quia si in quo factus est manens vituperabilis habetur, auctorem tangit vituperatio, qui talem nasci fecit qui displiceret. Quod si jure remunerandus est justus, et condemnandus injustus, jam non naturæ respondetur, sed voluntati: quia natura libera est, voluntas autem in causa est, quæ sensibus accessus patitur et recessus; ut injustus videns coronari justum, se autem damnari, sibi imputet, qui contra legem sensibus credens malum fecit, cum potuit facere bonum. Numquid poterit accusari sol, quia urit; aut aqua, quia infrigidat? Aut numquid remuneranda est aqua, quia siti affectos homines recreat; vel præmiis afficietur sol, quia reficit homines calore suo post frigus? Quod enim naturæ suæ est, faciunt: unde nec damnantur, nec laudantur; aliud enim facere nesciunt. Sed quoniam non ita est ut æstimant stellarum speculatores, ratio actuum probat. Non enim inveniri potest qui bene faciat semper; aut male. Tunc enim videretur sic natus ut bene ageret, si irreprehensibilis permaneret; et ita digne æstimaretur ut esset malus, si in eo duraret ut male faceret semper: at cum et illum, quem bonum putas natum, aliquoties videas male agere; et hunc, quem malum natum dicis, nonnunquam cernas facere bonum, quomodo hoc verum probas, ut malus malus sit, et bonus bonus, nisi quia hoc magis certissimum est, quia ubi animum quis dederit, in eo proficit? Nam et causæ sunt, quæ generant peccata, ut aut invidia quis litiget, aut inimicus existat. Illa autem quæ a lege prohibentur, non palam neque manifeste, sed occulte admittunt. Quare, nisi quia reverentur legem? Sin vero, ita ut asserunt, ad hoc nati essent ut male facerent, non quærerent latibula, neque aliquam legi reverentiam exhiberent; sed passim ea facerent quæ cogeret natura. Sed cum videas procurari peccatis, et excogitari ut possint latenter admitti; et loca enim et personas et tempora eligunt, ut mali propositi impleant voluntatem; simili modo etiam boni judicio quodam et bona opera sua discernunt, ut pro tempore et causa alicujus bonum suum distribuant: quod utique non jam naturæ imputandum est, sed quæ in natura est voluntati. Si autem naturale esset, cessaret judicium. Nam si rem plenius discutiamus, qui nunc justi sunt, injustos illos prius fuisse ostendemus: data autem opera immutati sunt. Ipse etenim Abraham per fidem justificatus legitur (*Jacobi* II, 23, *et Rom.* IV, 3). Ante ergo non fuit, quippe cum patre suo duce idola coluisse intelligatur. Et Zachæus utique, cui post vulgarem vitam testimonium perhibet Dominus (*Luc.* XIX, 9). Et vas electionis, qui istud etiam fatetur, dicens, *Eramus et nos natura filii iræ, sicut et cæteri* (*Ephes.* II, 3): quia cedit voluntas pro natura. Ex voluntate enim quis judicatur, non ex natura. Sine dubio et omnes martyres et justi facti sunt boni; quia non fideles nati, sed renati sunt. Et quantos scimus turpis vitæ fuisse, et prodigos cultores luxuriæ, qui nunc continentes et sancti sunt? Accedente enim timore Dei, vincuntur vitia, quæ prius dominabantur. Quantum autem possit timor legis, hinc advertamus. Ante Ju-

(*a*) Deest in Mss. secundi generis.

liani edictum, mulieres viros suos dimittere nequibant. Accepta autem potestate, cœperunt facere quod prius facere non poterant; cœperunt enim quotidie viros suos licenter dimittere. Ubi latuit fatum tantis temporibus? Timore credo legis occultabat se. Illud autem quomodo subintravit, quod tradidit Moyses? Dormientibus credo fatis. Tanta enim tradita sunt illis servanda, et talia qualia nulla gens habet præcepta. Et ne hoc aliquis ad plagam cœli referendum putet, in omnem prope orbem dispersi mandata legis suæ custodiunt. Hæc præcepta contra fata sunt. Non enim forte fuerunt tribus millibus annis et supra a constitutione mundi: postea autem data, permanent usque in finem. Quod ergo tot millibus annis non fuit, quomodo cœpit? Stellarum enim cursus a constitutione mundi est. Et quid illud est, cum tanta multitudo Judæorum sit per totum mundum, nemo immutetur ex his ut fiat gentilis, cum videamus ex Paganis, licet raro, fieri Judæos? Ecce quantum pertinet ad ritum Judæorum, exclusum est fatum; quia et extra fatum esse cœperunt, et in eo permanent. Quid videtur de Sodoma et Gomorra, quorum qualis fuerit exitus, vindicta obtutibus adjacet (*Gen.* XIX, 24)? Sic fuit ut omnes spurcitiæ infamia aspersi, divino igne consumerentur. In cataclysmo omnes unius fati fuerunt, ut omnes una morte et eodem tempore cuncti perirent, excepta domo Noe (*Id.* VII). Et omnis exercitus Pharaonis uno decreto natus dicetur [1], ut ineptus error matheseos vindicetur, quia demersi sunt in Rubro mari cum suo rege (*Exod.* XIV, 24). Et alia quanta exempla sunt quæ prætermittimus, quia ad satisfactionem sufficiunt duo exempla; quanto magis tot mysteria? Nam et cunctæ gentes diversa habent instituta: et quod alibi licet, hic non licet; et iterum, quod hic licet, alibi non licet. Hic enim in urbe Roma (*a*) et finibus ejus, quæ sacratissima appellatur, licet mulieribus viros suos dimittere, cum cautum sit in lege divina, ut ne viri quidem hac potestate uterentur, excepta fornicationis causa (*Matth.* V, 32). Ecce in hac re meliores sunt Barbari. Quod et hic servari posse non impossibile est, quia prius servatum docetur. Mutatum est ergo fatum, quia cœpit licere quod ante prohibitum erat. Et eunuchos in regno Romano fieri non licet, apud alios licet: quia autem et hic possent fieri, in absoluto est; nam factum licet occulte probatur; si autem cessaret timor, publice fieret. Metus ergo prohibet fatum; vincitur enim, si quod vult facere non facit. Et Persæ mulierum more inaures habent, quod hic inhonestum et illicitum est: quia autem et hic fieri possit, attestantur antistites Matris, quæ appellatur magna; et revera magna fuit, sed meretrix: sed in eo distat, quia isti cinædi sunt, illi viri. Et quid dicemus? In omni orbe terrarum hi soli hoc fato nascuntur, ut abscisi in mulieres transformentur, ut toto mundo isti pauculi inveniantur; quos constat minis circumveniri, et promissis præmiis ad hunc dolorem et dedecus cogi: si autem ad hoc nati essent, non cogerentur. Persæ licitum habent cum filiabus suis convenire, quod et hic fieri posse ostenditur per id quod a quibusdam factum probatur. Sed quia vindicta intervenit, metu correpti sunt, ne facerent quod potest fieri, sed non licet. Omne enim quod prohibetur, ideo prohibetur, ne, quia potest fieri, fiat: si autem fati esset, non posset fieri, neque prohiberetur. Nam si non esset fati et prohiberetur, posse fieri quod fati non est significaretur. Et quæ prudentia est prohibere quod non potest fieri; ac si aliquis prohibeat, ne quis de urbe Romana transvolet in Hispaniam, aut ne quis humeris montem transferat? Illa autem quæ possunt fieri cum non debeant, prohibentur. Mos Maurorum est ut inaures etiam in naribus habeant feminæ; numquid fati est? Si fati esset, huc translati sic manerent; quia si fatum est, unusquisque secum habet fatum suum: sed quia non est fati, omnes inde venientes, hic immutantur, videntes turpe istic videri quod illic decorum putatur. Certe apud omnes gentes numerus, numerus est; terra, terra est; et aqua, aqua est; et aer, aer est; et ignis, ignis est. Numquid potest alicubi reperiri terra quæ non arida sit, aut aer qui palpabilis sit, aut aqua quæ non fluxa et frigida sit, vel ignis qui frigidus sit? Sic ubique Jupiter, Jupiter est; et Saturnus, Saturnus est; et Venus, Venus est. Eodem modó et cætera signa. Ars enim ista una ratione tractatur ubique: sed quia apud omnes gentes instituta manent, non fatorum ratione quæ ubique una est, sicut tractant, sed hominum excogitatione. Quidquid enim alicui qui primus putatus est apud suos, quod ratione dignum visum est et aptum decori, statuit quibus præerat. Inde unaquæque regio vel gens propria habet quæ servet. Sicut Solon et Lycurgus multa statuerunt quæ a Græcis legis more servarentur, quæ paulatim deficiente regno eorum oblitterata sunt. Nam regibus Judæorum mulæ placuerunt ad sessum; Romanorum autem non mulæ, sed equi; Garamantum autem, qui supra Tripolim Afrorum sunt, regibus tauri placuerunt ad sessum: Persarum vero reges vehiculis feruntur; nam veteres reges Persarum, nec videbantur a populis: et reges Madian camelis delectantur ad sessum, ita ut et colla eorum aureis exornentur torquibus: et per Africam asinis magis volunt insidere quam equis. Cum omnia ubique sint, non tamen omnia omnibus gratiosa sunt; quia unusquisque eligit quod magis apud illum habeat gratiam. Nam et nobis ipsis diversa voluntas est, et in vestibus, et in cibis, et in cætero usu, et in ipsa sententia. Quod ne fati dicant qui multorum diversa asserunt fata, hæc res probat, quia frequenter mutatur nobis voluntas. Quod enim diu amavimus, postea displicet; et diligere incipimus quod prius libenter non habebamus, et facta consuetudine immutati manemus. Ordinem autem si dicunt esse fatorum, ut sit quid quibus efficiant temporibus per intervalla recurrentia pristina, ut puta quod hodie faciunt, iterum faciant post tempus: non enim in uno dicuntur manere. Nam per disciplinam et consuetudinem vincuntur. Mulieribus etenim Romanorum multis temporibus vini usus incognitus fuit. Disciplina enim facta consuetudine confirmavit sensum suum, ut retineret quod prodesse didicerat. Numquid illis temporibus hæc fata fuerunt, et postea mortua sunt, ut cessaret res bene inventa? Sed non fata hæc, sed disciplina invenerat. At ubi recessum est a consuetudine, periit disciplina. Et veteres Romanorum tantæ continentiæ fuerunt, ut etiam oblata munera refutarent, bonam famam divitias arbitrantes, et virtutem voluptatibus præponentes: et his fatis successum est, aut obierunt; sed non fati fuit, sed disciplinæ, quæ etiam ipsius fati pædagogus est. Quomodo enim potest fati esse quod neque ante tempus habuit, neque nunc habet? Et quidem nescio utquid tantam invidiam fato faciant, ut in omnibus gestis ipsum dicant auctorem, cum sit et non sit. Ubi enim disciplina est, non est; et ubi consuetudo est, non est; et ubi casus est, non est: ubi autem videtur esse, timore legis vincitur; et libido enim metu compescitur, et quæstus pecuniæ propter Deum promerendum repudiatur. In hac ergo parte negari non potest, quia non potest non esse quod vincitur: et tamen recte potest dici et in eo ipso non esse, quia caret auctoritate quod vincitur. Itaque Dei legem qui sequitur, et consuetudinem tenet bonæ vitæ, huic cedunt omnia quæ dicuntur fata. Tantum enim potest consuetudo, ut etiam bestias mitiget. Nam male vivere volentes, ipsi sibi fata constituunt. Per luxuriam enim et voluptatem fit intemperantia et inquietudo, quæ parit incontinentiam et iracundiam. Et scientes istud

[1] Sic Ms. Colbertinus. At editi, *damnatus dicitur*.

(*a*) Romæ hæc scribuntur: cum alio in loco scripta sit quæst. 84.

pœna dignum, ut immunes se faciant, pudorem passi fatis adscribunt, cum de hac re cogitantibus adjutorium faciant dæmones; quia et hoc statuunt, ut male cogitantibus tribuant effectum : istos fata appellant, non intelligentes quia sunt hominis inimici. Nam si per sensus non subintrarent peccata ad animam, sed de intus nascerentur, recte omne quod delinquitur, fatorum esse videretur : cum autem videant, per visum et auditum et per reliquos sensus nasci concupiscentiam peccatorum (adjuvantibus inimicis qui suggesserunt faciendum quod contrarium est; et non putatur quamdiu fiat : dulce enim videtur cum fit, aut antequam fiat; perfectum autem apparet esse amarum), quid fatis imputant? Quia autem potest vinci, hinc advertimus. Cogitantibus etenim nobis et de aliqua re sollicitis, silent inimici, et conquiescit libido : non enim possunt suggerere occupatis nobis. Numquid aliquis ad aliquam rem alicui dedito aliud suggerit? Non facit, sciens aut se non audiri, aut aporiari quasi importune suggerentem. Ita et inimici quos constat esse dæmones; ii sunt enim dii Paganorum, qui si viderint divinis rebus nos occupatos, non se ingerunt ad contraria suggerenda, sed in insidiis sunt quærentes occasionem qua se ingerant. Munimenta ergo sunt animorum meditatio assidua legis Dei et operatio; quia si otiosos nos viderint a rebus divinis, excitantur ad sollicitandos nos. Ipsi enim sunt qui per carnem et sanguinem seminant concupiscentias. Quamvis enim habeat caro proprium motum originis suæ, quia non est otiosa [1] carnalis nativitas; tamen in hac re accedit ad necem hominum adjutorium dæmonum. Diversa enim sunt dæmonia, et disparem habentia voluntatem. Quædam enim sunt quæ cum perturbant animos, elidunt corpora : quædam vero admiscentia se sanguini, generant animis desideria : alia autem cordi hominis se copulantia, suggerunt cum blanditiis contraria : nonnulla autem sunt, quæ sola corpora obligant infirmitatibus; sicut et illam filiam Abrahæ, quam Dominus curavit (*Luc.* XIII, 11-16). Hæc omnia ignorantes Pagani, fatum appellant; cum diversæ sint causæ, et ista ab inimicis procurentur, ut quacumque ex causa irritetur homo, et subjiciatur passionibus. Sed fatum bonum appellant, cum bene temperata sunt corpora, aut affabilitate commendantur, habentia gratiam quamdam : malum autem fatum esse, si plus caloris habeant, aut humoris; aut si quis non sit aspersus gratia, sed magis ad detrimenta paratus, quos infortunatos vocant. Fac vera esse. Videmus enim hæc etiam in animalibus, ut plus habeant caloris : sed animalia non sunt rationalia sicut homo, ut possint adhibita cura corpus suum temperare. Ideo enim imperator est corporis animus, ut gubernet illud retinaculis legis divinæ. Ea enim quæ sive impulsu carnis, sive ab inimico suggeruntur, non esse utilia lex ostendit divina. Quam ideo adjutorio dedit Deus, ut dictantem inimicum mala, quasi bona respicientes legis præcepta, illum intelligamus esse seductorem, quia aliud suadet quam docet lex. Sic ergo frenatur corpus, ut quia fervet, minus illi detur, et a deliciis retineatur. Sicut enim corpus febricitans si accipit escam aut potum, increscit illi calor; ita et hujusmodi corpora quæ sanguinis fervore uruntur, vehementius exardescent, nisi fuerint gubernata. Ignis enim si deest esca, sopitur. Animi est ducere corpus. Si autem dimiserit illud ut eat quo vult, præcipitabit ipsum, sicut equus facit suus negligentem sessorem. Et quia corporis fervor plus exardescit, agentibus inimicis ad deceptionem animæ; quia non corpus desiderat, sed calore suo generat animæ desideria; Dei nostri assistentia [2] imploranda est ad tutelam, ut prohibeat eos : quia *non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates* (*Ephes.* VI, 12) : quibus amotis, facile erit carnis et sanguinis motum comprimere.

[1] Ita Ms. Colbertinus. At editi, *occisa.*

[2] Ms. Colbertinus, *ducio.*

Exstinguitur enim incendium, si desit materia per quam urat. Illis autem eveniunt quæ a mathematicis dicuntur, qui credunt futurum quod dicunt. Illud enim agitur subtilitate dæmoniorum, ut ea efficiant quæ antistites illorum dixerint futura, ne falsi detecti credantur. Circa eos vero qui responsis illorum non commodant fidem, non prævalet effectus eorum : quia neque ipsi tam intenti sunt, ut satisfaciant eis qui illis non credunt; neque patitur Deus facere illos per quod seducantur fidentes de Deo, et non credentes diabolo. Omnia enim sic Deus instituit, ut secundum uniuscujusque fidem eveniat, ut arbitrium liberum maneat voluntatis : ac per hoc qui Deo credit ad auxilium ejus confugiens, nihil ei poterit prævalere; certus est enim in potestate ejus esse quæ fecit, et non audere contra eum quem videt Deum communem habere propitium. Certe fecit Deus mundum, et solem et stellas creavit, constituens eis cursus quibus gubernatur genus humanum : numquid non habet potestatem imperare illis, ut aliquando aliud faciant, quam decretum habent? Sic enim ea condidit, ut voluntati subjaceant, tunc demum cursus decretos exsequantur, si aliud minime fuerit præceptum : ut si rogatus ab iis fuerit quibus ministrant, per id quod aut importunæ sint pluviæ, aut nimia siccitate steriles fructus appareant, jubeat temperari tempus : aut si forte, ut assolet, irato Deo vivant homines, dum per luxuriam et vanitatem oberrantes non faciunt quod placet Deo, diutissime suspensa pluvia, ut factum legimus sub Elia et Elisæo, famem excitet super terram, satisfactione placatus annuat ut imbres irrigent aridam (III *Reg.* XVIII, 45). Eodem enim modo ratio mundi est, ut imperium sæculare. Quomodo enim quidam pressi a rectoribus provinciarum, ad auxilium Imperatorum recurrunt ut erigantur; ita et homines si adversa sibi viderint tempora, supplices se præbeant Deo, in cujus potestate sunt omnia. Sed hoc mathematicis non videtur. Aliud enim inquiunt fieri non posse, quam ut sidera decretas sibi impleant causas : et neque revocari, neque ad aliud impelli possunt, sed semel statuta servant officia. Hæc mathematicorum asseveratio est, ut dicant fata immutari non posse, neque precibus aliquid impetrari; quia semel Deum dicunt statuisse totius mundi rationem, et ministris sideribus tradidisse, quæ neque retro neque ante fieri possunt. Hic est error mathematicorum, quo et Deum pulsant. Per hanc enim asseverationem negant aliquid posse fieri extra ordinem mundi, ut omnia quæ in mundo a Deo facta leguntur, si a mundi lege discordant, negent credenda : illa autem asseverant quæ juxta mundi statuta facta dicuntur, ut neque virgo peperisse dicatur, neque virga Aaron floruisse et fructum attulisse (*Num.* XVII, 8), neque Sara anus peperisse (*Gen.* XXI, 2). Hæc enim mundi ratio non habet, quia extra mundi ordinem a Deo facta leguntur. Et quid mirum, si auctor mundi fecit quod non potest mundus? Sed transgressus videretur, aiunt, rationem quam statuit, si aliter ipse fecisse dicatur, quam mundo decrevit. Age vero, mundo legem statuit faciendi, aut generandi; numquid sibi? Et humilitas ejus erat, si sic faceret, sicut ab eo conditus est mundus? Et unde ab eo factum intelligeretur, si mundi lege fecisset quod fecit? Ut autem intelligeretur a Deo factum, non a mundo, alio ordine factum est. Certe soli decrevit ut incessabiliter impleat statuta spatia, nec habeat licentiam standi; numquid qui hanc legem ei statuit, non ipsi licebit statuere illum? Certe judicibus statutum est ne liceat in reum datam sententiam revocare; numquid et ipse imperator sub hac erit lege? Nam ipsi soli licet revocare sententiam, et reum mortis absolvere, et ipsi ignoscere : quanto magis Deo licere debet quod mundo concedi non debuit, quia Creatoris sui est famulus? Denique mundus per legem sibi traditam, occidere potest, vivificare non potest; per intemperantiam cæcum creare potest, oculos illi reformare non potest; imbecillem et ægrum facere potest, curare illum non

potest : hoc enim sibi Deus reservavit, unde appareat eum Dominum omnium esse. Ad subruendum enim fatum pertinet, quia mortui surrexerunt ; cæco nato oculi reformati sunt, ægri et paralytici confirmati sunt, et cætera quæ facta sunt alia, ut confugientibus ad Deum, si quid fati esse potest, impedimentum afferre non possit. Dicit enim Joannes apostolus : *Major est*, inquit, *qui in nobis est*, *quam qui in hoc mundo* (I *Joan.* IV, 4). Rogatus enim Deus, etiam quæ statuit amovet. Nam utique statuit in peccatores vindicandum, et tamen deprecantibus ignoscit; quia ipsi soli licet ligare et solvere. Unde cum soli statio concessa non sit, sub Jesu Nave jussus est stare, et obedivit ejus imperio (*Josue* X, 12, 13), contra id quod sibi in ratione mundi fuerat præceptum. Sub Ezechia autem amplius factum legitur ; quia ut Ezechias, quod sibi promissum erat, verum esse non dubitaret, signum tale accepit, quod novum esset, et humanis auribus inauditum. Non enim sicut prius soli jussum est ut staret, sed ut reverteretur retro (IV *Reg.* XX, 11) : quod videns Ezechias certum haberet eum posse sibi quindecim annos addere ad vitam, qui de hora nona fecerat sextam. Et quia contra mathematicos est quod Ezechiæ concessum est, negant enim posse addi ad vitam ; signum iterum in hac re quod contra mathematicos esset, accipit. Impossibile enim asserunt aliud astra facere quam habet constitutum. Certe fati esse dicunt servum habere, aut non habere. Esto. Ab initio mundi hæc fata ubi fuerunt? Usque ad diluvium enim et infra multa serie annorum transacta, non fuit hæc conditio servitutis. Aut numquid ex Nini regis temporibus hæc fata cœperunt, qui primus dicitur finitimis bella inferre cœpisse, et captos facere servituti obnoxios? Vides ergo postea hoc esse inventum, et non esse fati, sed actus dæmonum ; quia si fati esset, ab initio mundi fuisset. Ipsa enim sunt sidera quæ facta sunt in initio, et nunc manet cursus eorum. Et antea vita hominum agrestis erat, nec divitiis studebatur : quomodo nunc astrologi per astra dicunt divites et pauperes fieri? Numquid mutata sunt astra? At versutia et præstigium est Satanæ, ut ea per stellas dicat fieri, quæ angelis suis ministris operatur. Accedente enim tempore quo interitus ei appropinquat, majora adinvenit per quæ peccetur. Ecce scimus laborasse fame Italiam, et Africam, et Siciliam, et Sardiniam ; dicant mathematici, si omnes hi unum fatum habuerunt, cum inter centum ne quidem duorum fata sibi convenire posse dicantur. Erubescant, et taceant ; et Deo supplices manus tendant, in cujus potestate sunt omnia. Sed in hoc forte subreptum est fatis? Quid dicamus esse de Pannonia, quæ sic erasa est, ut remedium habere non possit? O infirmitas eorum ! quia fide pendula christianos sese profitentur. Dum enim de promissis dubitant, nec de iis quæ facta sunt, cogitant. Si enim ea quæ a Prophetis et Apostolis gesta sunt, considerarent, nunquam fabulas mathematicorum admitterent. Scirent enim omnia in Dei esse potestate, nec terrerentur quando bonis mala accidunt; quia in futuro judicio remunerabuntur, memores Apostoli dicentis, *Quia per tribulationes*, inquit, *oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV, 21). Contentus enim, et Dei sui exspectans judicium, remuneratus etiam vindicabitur. Si enim in præsenti vindicari desiderat, aut omni aviditate præsentibus frui copiis, dubitat de promissa vita ; ac per hoc in futuro inter perfidos deputatus pœna dignus habebitur. Mundum enim Deus propter exercitium fecit, et omnibus copiis honestavit, duas causas proponens, præsentem et futuram, cœlestem et terrenam, ut ad probationem esset homini : ut qui spreta futura vita præsentem eligeret, carni deputaretur ; qui vero præsenti futuram anteponeret, spiritualibus dignus haberetur ; et qui injuste pressus potentia injustorum, querelas Deo deponeret vel resignaret [1], in futuro judicio relevatus spirituali gloria honoraretur. Unde nullus sanctorum in mundo gloriosus apparuit, neque præsentes dilexit delicias. Hinc Apostolus : *Habentes*, inquit, *victum et vestitum*, *his contenti simus* (I *Tim.* VI, 8). Sed qui est christianus, etiam dolet, si felix videatur in sæculo, cum Christianorum dignitas et felicitas non in terris promissa sit, sed in cœlis. Quomodo christianum se dicit, qui non illic gloriari vult ubi promissum est, sed hic ubi prohibitum est? Si enim expediret præsentibus frui, non utique hæc contemnentibus cœlestia promitterentur. Qua ergo spe Christiani mathematicis aures commodant, cum audiant Joannem apostolum clamantem et dicentem : *Nolite diligere hunc mundum*, *neque ea quæ in hoc mundo sunt* (I *Joan.* II, 15)? Itaque si hæc sunt fidei vel legis nostræ præcepta, ne mundus diligatur, neque ea quæ in mundo sunt ; quid est ut quidam nostrum querantur contristati de aliorum felicitate quæ est in mundo, quæ apud Deum forte infelicitas est ; cum magis gaudere deberent, quia non illis mundus præstat per quæ obligati teneantur humanis rebus obnoxii? Felicitas enim ista, securitatis facultate accepta, divinorum caret sollicitudine. Indiligens enim sit necesse est circa divina oracula, qui omnibus necessariis refertus, unde sit sollicitus non habet. Alia enim sollicitudine incipere solent laborare hujusmodi, ut amplificentur in sæculo, quod sine peccato non potest fieri. Si propius autem aspiciatur, videbitur inimicus magis illorum esse mundus, quos beatos dicitur facere. Vix enim aliquis illorum cœlestia cogitat. Gaudendum ergo Christianis est, dum recte conversantes premuntur in hoc sæculo. Hic enim vincit sæculum, qui contentus quomodo illi evenerit in hoc sæculo, Deo gratias agit, a quo si qua hic denegata videntur temporalia, reddi speret æterna. Utquid enim Deus futurum judicium statuit, nisi ut qui injuste deprimuntur ad tempus, vita æterna donentur, depressis iis qui per potentiam contemnentes, aut non credentes futurum Dei judicium, impunitatem esse scelerum arbitrati sunt? Sed fatorum assertores negant futurum judicium. Si enim nascuntur qui boni sint, et e contra qui mali sint ; quid laudas aut accusas, quando neque bonus congressus laboravit ut vinceret, neque malus negligens fuit ut perderet? Quid enim inter privatos fabulas venditant? Nam judicibus oblati peccatores, nunquam ausi sunt crimina sua fatis excusare ; sed semetipsos reos confitentes, jure se sententiam excipere non negant. Itaque legis auctoritas rationem calcat fatorum, ita ut ne nominari quidem possint, cum se commoverit lex. Quomodo autem evasuros se in perpetuum credunt, qui nequiter versati legis divinæ severitatem studio quodam ad tempus fugiunt, non cogitantes auctorem legis hinc dissimulare non posse? Nam hic imago legis est, illic veritas : et qui illudit imaginem, veritatem illudere non potest. Numquid est aliquis locus sine Deo, aut aliquis manus ejus effugiat? Putant autem blandientes sibi, quia qui hic evadit, jam securus sit. Et quomodo hoc justum æstimant, ut aliis punitis in talibus causis isti evadant? Certe Deus mundum constituit, et qua lege uteretur, ostendit. Diligens enim opus suum ostendit ei viam, qua itur ad vitam, ordinans quibus ducibus uteretur ; quia est et via quæ ducit ad mortem. Numquid non ergo requirere debet, si ii quos ministros regni sui posuit, eo jure quo constituit populum ejus gubernarunt ; aut si populus edictum ejus suscepit, aut administri fideles inventi laude digni sint, aut infideles pœnis subditi? Similiter et populus lege servata laudatur, aut contempta damnatur. Hoc jus suum, hoc causa exposcit. Quomodo ergo quibusdam displicet futurum judicium credere? Sed hoc mathematicorum invenit amentia. Quomodo enim possunt futurum accipere judicium, qui præsenti repugnant ; quia judicium in nativitate esse contendunt? Et quia nativitati imputatur præmium, desipiunt ipsi qui cum quodam judicio naturali bonos et malos non fieri, sed asserunt nasci, peccantibus retribuunt, nec pa-

[1] Ms. Colbertinus, *reservaret*.

tiuntur inulta esse peccata [1]. Virgis enim malos et vinculis intus corripiunt, quos foris inemendabiles asserunt natos. An quis prudentum corripit quos scit emendari non posse? quod quidem aut stulti esset, aut iniqui. Sed ne hoc ipsum fato dicant fieri; qui sub fato est, non facit quod vult, ut et ipsi naturale habeant ut vindicent in eos quos sciunt inconvertibiles manere naturaliter; et vere quia sic dicendum est, ut quidquid fati esse dicitur, stultitiæ deputetur. Quam enim stultum est ut cum dicant aliquem malum natum, nec illum bonum probent quem asserunt bonum natum? Quomodo enim potest bonus judicari, qui rem iniquam facere deprehenditur? Quid enim tam iniquum, quam ut iniquus credatur, qui negatur aliud potuisse facere quam fecit? Et si omnia sub fato sunt, quomodo lex subintravit quæ non sinat fieri quod fati est? Si enim tollatur lex, passim publice illicita fient, nec potentes poterunt ferri, nec erit libertas; quia ei qui nunc non cogitat malum, sublato timore incipiet malus esse. Denique legimus legem malorum causa datam. Sed et hoc ipsum fati forte fuit, ut lex daretur? Et qua ratione fata subsistunt, si generant a quo destruantur? Quidquid fati est, contradicit lex fieri debere. Carent ergo ratione, si contraria sibi generant. Et iniqua sunt, quia nasci faciunt homines ad damnationem : et si iniqua sunt, auctoritatem habere non debent; quia omne iniquum punitioni obnoxium est. Aut ne forte legem nihil prodesse dicant, quia qui sic natus est ut malus sit, per legem non potest immutari; quod si est, lex superflue data est : et quomodo fata rem superfluam fecerunt nasci? quia nihil sine fato [2]. Itaque fata et pro se et contra se faciunt : quod si ita est, stare non potest quod per inconstantiam rationis non tenet firmitatem. Sed ne propter hoc legem fata esse voluerunt, ut quos malos fata faciunt nasci, a lege damnentur, ut conveniat fatis ex lege adhibere punitionem? Ad hoc quid erit quod dicatur, nisi quia et leges et fata proprio judicio condemnari merentur, si pari injustitia hoc elaborant, ut occidantur qui non sponte, sed fatis agentibus mala fecerunt? Ad hoc lex contradicit, quia fata propria professione damnanda sunt. Non enim negant eos qui mali sunt, fati esse quod mali sunt. Lex autem usque adeo adversa est ipsis fatis, ut neget malos fati esse quod mali sunt, sed voluntatis illorum : quamobrem illos puniendos rite constituit [3]. Nihil ergo legi et fatis commune est, quando a lege negatur quod a fatis asseritur. Qua autem ratione nati dicentur, qui mathematicos urbe Roma prohibuerunt? quod diu servatum non ignoratur, et certe pagani fuerunt. Quomodo fato fiunt quæ contra fatum sunt? Sed si est fatum, non facit contra se. Isti non habent fatum, qui faciunt contra fatum; et si hi non habent fatum, non est fatum. Sed est, inquiunt, fatum unicuique præstans qua morte moriatur. Quod si ita est, non est accusandus homicida. Nam et duplici genere se defendet; quia et ipse fatis agentibus hoc fecit, et ille agentibus fatis occisus est. Sed inter hæc lex pulsatur, quia punit oblatum homicidam. Simili quoque modo nascitur qui adulter sit, et quæ adultera, et cui fiat adulterium. Quod si et hoc sic se habet; etiam nunc lex tangitur, quæ punit adulteros : quod si vere fati esset, etiam ille puniendus erat, qui tale habet fatum, ut adulterium patiatur. Et ipse enim particeps invenitur, quia fatum ejus admisit ut fieret adulterium.

[1] Ms. Colbertinus, sic legit hunc locum : *Et quia veritas computatur præmii resurgit, ipsi qui eam quodam judicio naturali bonos et malos non fati, sed [illegible], peccantibus retribuunt, nec patiuntur inulta esse peccata.* — Hanc lectionem admittit Morel, et sic corrigendam judicat : pro, *Et quia veritas computatur præmii resurgit*, legendum est : *Et quia veritas cum putatur premi, resurgit.* Nemo inficiari audebat correctionem istam esse sensui, si non genuinæ, at saltem [illegible].

[2] Ita Ms. Colbertinus. At editi, *nihil prodesset fato.*

[3] Ms. Colbertinus, *reos illos rite constituit.*

Æquum ergo erat ut aut simul condemnarentur, aut simul absolverentur. Inter hæc injusta lex videtur. Ideo si a Deo sunt fata, lex non erit Dei; quia hoc non solum Deo, sed nec prudenti convenit id damnare quod fecit. Sed quoniam nemo unquam contra legem ausus est dicere, vel a Deo hanc esse negare, fata a Deo dici esse non poterunt, quia ista Deus punit per legem. Quando enim damnatur quod fit impellentibus fatis, sine dubio fata damnantur. Sed animæ, aiunt, malæ ad hoc nascuntur ut male faciant. Esto. Sed non deberent malæ fato nasci, ut innocentes ab his possent occidi. Si enim illæ malæ animæ essent, nasci non deberent, sed puniri, ne occiderent innocentes. Sed non animæ, quas malas fingunt, innocentes occidunt; sed fata, quæ sic faciunt nasci homines, ut occidantur. Ac per hoc non animæ, sed iniqua sunt fata; et si iniqua sunt, a Deo non sunt : ergo a diabolo sunt; et si a diabolo sunt, simul damnanda sunt cum illo. Et quoniam discernere dicuntur singulis, quomodo moriantur, aut ferro, aut laqueo, aut præcipitio, aut naufragio, vel aliter, multis modis eadem præstant. Nemo enim potest solus ab omnium fatis discrepare. Quod si quis inventus fuerit discrepare, jam non est fati, sed eventus. Et si in unius morte eventus est, erit et in multorum; et jam non erit fati. Anaxagoras in pilam conjectus jussu regis contusus expiravit, quod non contigit ulli hominum. Et Sisaræ regi Allophylorum mulier palam in tempora fixit, et ita reddidit spiritum (*Judic.* IV, 21). Hoc modo nemo est mortuus. Et antea cruci homines figebantur, quod postea edicto prohibitum manet. Si fati erat, quomodo desiit? Quando enim quod fati est prohibetur et non fit, vincitur fatum. Aut si non erat fati, non fato homines crucifigebantur, sed judicio legis. Et ita est ut non fato homines damnentur, sed convicti a malis suis operibus. Apud Thuscos [1] natus dicitur quidam tam formosus facie, quam nemo unquam fuit : et quia vir bonus erat, ne cui in suspicionem veniret, quia etiam honestarum mulierum oculos illiciebat, faciem sibi septem plagis vulneravit, ut pulchritudinem quæ ab omnibus desiderabatur, damnaret (*Valer. Max. lib.* 4, *cap.* 5). Ecce quomodo si fata sunt, superata sunt. Sed forte dicatur, Naturæ fuit ut formosus nasceretur; fati vero, ut facies ejus vulneraretur. Quod si ita est, jam non nascitur fatum, sed accidens causa est. Et si accidens est, non erit fati, sed consilii, aut forte eventus, quantum ad reliquas pertinet partes. Nam quid aliud est vincere fatum, nisi immutare naturam? Quod si adeo utique esset, nec immutari posset, nec vinci. Legitur namque cautum in quodam juris libello, aliquando mulierem quinque peperisse : quomodo subreptum est fatis, ut huic soli hoc natura decreverit, quod non erat fati? Quod si fati fuisset, aliquantæ hac sorte oneratæ fuissent. Et cum quidam ad peregrina loca proficisceretur, uxorem suam amico quem fidelem sciret, commendavit, non utique puero, sed maturæ ætatis. Qui ut diligentior custos ejus esset, abscidit se ille, ut cum ea sine cujusquam suspicione caute dormiret. Quid putamus, fati fuisse, an consilii? Sed quomodo fati fuerit quod contrarium est? Qui vincit enim quod natum in eo est, hic exinanit fatum. Et in studiis certe fatorum vertitur causa, ut sciat quis aliquid, aut non possit comprehendere. Omnes ergo senatores unum habent fatum; nullus enim senatorum sine litteris est : et gentes quæ sine litteris sunt, unum habent, et omnes servi unius sunt fati; nemo enim servorum est senator. Sed si quod nascitur dicitur fatum, quidquid accesserit, extra fatum erit. Aut si quod accidit, ex fato venit, quare per laborem venit? Tunc enim diceretur fati, si invito homini eveniret. Quod enim evenit [2] sine providentia, fatorum dicitur : quod vero excogitatur, et diu pensatur, et exercitiis mediis acquiritur, cur fati esse

[1] Ms. Colbertinus, *Etruscos.*

[2] Ms. Colbertinus, *imminet.*

dicitur? Eunuchus aliquis natus est, alii fiunt, ubi erit fatum? In illo credo qui natus est: qui fiunt, quid dicendum de his est? Diversum est enim nasci et fieri. Aut si hi fato facti eunuchi sunt, ille contra fatum natus est eunuchus. Et quare tam raro eunuchus nascitur, ut incredibile videatur? Quædam mulier fuit in urbe Roma, quam constat undecim maritos habuisse; et alius vir qui duodecim [1] habuit uxores; quæ fata sunt quæ his hæc decreverunt? Nam tempore imperatoris Constantini manifestum est puellam in parte Campaniæ immutatam in masculum, et Romam perductam: quæ hoc fata fecerunt? Alia ut opinor quæ vos nescitis. O si de hoc nomine taceretis, et aliqua eventui et casibus remitteretis, quædam providentiæ concederetis! Nam tantum potest virtus et industria animorum, ut non solum naturæ resistat, verum et seipsam emendet aut inemendet, quia habet judicium sui. Traduntur enim mulieres Scytharum, quæ Amazones dictæ sunt, cum viri earum occupati bello longinquo diu abessent, propter sobolem se miscuisse servis, et omnem marem natum necavisse relictis feminis, ita ut nulla lanificio operam daret, sed ab ineunte ætate palæstra et armis imbuerentur. Harum tanta virtus in rebus gerendis fuit, ut per multam seriem annorum regnantes, nonnullas gentes subigerent, Asiamque omnem sub tributo ponerent. Quid ad hoc poterit dici? numquid hæc fati fuerunt, quæ per tot annos sic gesta sunt, ut omnia quæ fati putantur esse, exinanirent? Primum, ut contra naturam mulieres spretis viris regnarent; deinde quod servis mixtæ sunt propriis; tertio, ut omnes nati masculi necarentur, feminæ vivificarentur. Tanta eas prosperitas est secuta, ut sine viris regnum cœptum magnis copiis, magnis temporibus propagarent. Certe hoc factum a constitutione mundi nunquam factum est, nisi in Scythia tantum: ne forte dicerent, quia cum mundus innovatur post annos mille quadringuntos sexaginta, sic hæc veniunt; quippe cum mundus jam sexto millesimo anno agitur, quamdiu quod imitatus quis fuerit, facit. Nam Crassus Agelastus dictus est, quia semel traditur in vita risisse. Cur Junius, Brutus est cognominatus? Quia sagaci consilio stultum se simulavit, ne a superbo rege propter pecuniæ suæ magnitudinem occideretur. Tempore Constantini morionem se triginta annis finxit quidam, qui Samatius [2] vocabatur, ut imperatorem, sicut ipse postea dixit, a tædiis suis avocaret. Ubi est ratio fatorum, quando unusquisque quod vult facit? Exclusa est. Illud autem quale est, quod fatorum assertores supplicationibus sunt devoti, cum sint his adversæ? Nam et annos suos his commendant, et de nuptiis, et de profectione quærunt, et de emptionibus, et de dignitatibus. Quod si fati est, quid oras, quid supplicas, quod etiam te invito futurum est? Sed quæro, inquit, an debeam emere. Ergo non in fato consistit quod tunc facere debere te dicis, si didiceris expedire. Nam si fati est, frustra quæris, quod velis nolis, quæras non quæras, facturus es. Quod autem nec apud eos ipsos fixa est ista asseveratio, idcirco incerta tentant, ne aliud verum inveniant quam tractant. Sed prudentiores qui inter eos videntur, non propter fata, inquiunt, supplicamus, cum ea minime immutari sciamus, sed horum causa quæ juxta fata sunt, ne faciant nobis aliquid adversum. Age vero, si nescio quis bonum fatum habeat, et juxta se sit aliquid quod videatur contrarium, quid poterit esse, cum fatum bonum immutari negetur, sicut et malum? Certe hoc quod juxta fatum est, ne noceat supplicatur; nocebit enim nisi fuerit supplicatum: quomodo ergo illud fatum immutari negatur, quando hoc quod vicinum est, timetur? nec enim timeretur, nisi illud immutari posse crederetur. Sed quia in eo magis causa consistit, ne fatum mutari dicatis, sine dubio, sine causa supplicatis. Videte autem ne hoc fati sit quod supplicatis, quia sine malo solet esse quidquid fato assignatis. Certe non mala res est supplicare: cur ergo non fati esse dicatur? Si ergo fati erit quod supplicat, cujus erit supplicare, et non impetrare? quia si fati erat, impetrare deberet quod supplicat. Si autem fati est supplicare et non impetrare, stultum est fatum; quia supplicare facit hominem, quem scit non impetrare. Quod si nescit an possit impetrare, quod illum facit supplicare; improvidum erit fatum, et carens ratione: quia omnis ignorantia insipientia est, insipientia vero stultitia est. In hanc partem cadit omnis tractatus Paganorum. Viderint Pagani, qui circumfusa caligine non vident lumen. Antiquo enim errore circumventi, veritati quæ prius latebat, aures accommodare detrectant. Quid de quibusdam christianis dicemus, qui in Salvatore, ceu solo nomine mutati, pristini erroris vindicant vanitatem, in tantum hebetati, ut ipsum Deum sub fato egisse contendant, dicentes, Ipse dixit, *Nondum venit hora mea* (*Joan.* II, 4): ut hora hæc non voluntatis, sed fatalis conditionis fuisset necessitas, cum ille voluntatis suæ horam significaverit, qua se tradi [1] permiserit. Denique ait: ***Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam*** (*Id.* X, 18). Cessat ergo fatalis necessitas, ubi potestas est voluntatis. Et quomodo Salvator appellatur a nobis, si fati sunt quæ agimus, vel accidunt nobis? Quia ideo Salvator dicitur, quoniam ostendit nobis viam salutis: itaque si ab hoc ostensa est, non fati fuit quia prius latuit. Et quod fati esse dicitur, ex improviso evenire contendunt. Hoc enim fidei meritum est, quæ non potest dici ex fato, quia quod creditur, aliis sæculis auditum non fuit. Fata enim hoc dicunt præstare, quod in conversatione hominum vertitur. Hoc autem qua ratione præstare posse dicuntur, quod ignorare deprehenduntur? Hinc est unde Apostolus ait, *Quem nemo principum hujus sæculi cognovit* (I *Cor.* II, 8). Hi sunt principes et potestates, malos angelos sub se habentes, qui sub nomine fatorum voluptates suas efficiunt, prout eis libitum fuerit, sicut et assolent malefici confiteri. Sunt enim quos diligunt, alios non amant, quosdam oderunt. Et unicuique hoc suggerit unusquisque quod diligit, quia et ipsi diversas habent voluptates; aliis libidinem diversi stupri, aliis munera, aliis voluptatem, aliis petulantiam, aliis iram, quibusdam avaritiam, aliis lucra, aliis damna procurant, aliis charisma, aliis odia, necnon et impedimenta. Et aliquando certis temporibus satiati quiescunt in otio: aliquando vero ratione, aliquando occupatæ menti non se ingerunt; quia non dominantur, sed subrepunt opportunitatem quærentes qua capiant. Igitur voluntatis arbitrium liberum est, sed dum quodam desiderio negligentes circa nos ipsos efficimur, sollicitantes suadent nobis adversa: maxime si cogitare nos aliquid quod legis divinæ non est invenerint, veniunt in eo ipso adjuvantes ut impleamus quod prohibet lex. Nam si timor Dei in animo sit, nec caro, nec sanguis, nec principes, nec potestates prævalent; quia Dei adminiculis sic eos persequuntur, ut non cum labore vincantur. Si autem potestatis nostræ non essemus, quomodo diceret Dominus, *Petite, et dabitur vobis: omnis enim qui petit, accipiet* (*Matth.* VII, 7, 8)? Si ergo qui vult petere, accipiet, jam non est illud quod solet dici, Non quæ volumus, sed quæ data sunt habemus: quia voluntas a Salvatore incitatur ut petat, et accipiat quod petierit. Fati autem hoc esse dicunt, ut sive petat, sive non petat, fato tamen quod aut malum aut bonum est, consequatur. Dominus autem hoc excludens, ait: *Filia, fides tua salvam te fecit* (*Id.* IX, 22). Non jam fati sit, quando fides percipit, beneficium. Et iterum, *Si credis*, ait, *omnia possibilia sunt credenti* (*Marc.* IX, 22): in voluntate utique posuit meritum; quia fidei bonum est, non naturæ. Fides autem res accedens est, quæ excitat ad exercitium voluntatem; ut quia in natura non est, voluntas quæ in natura est, suscepta fide, meritum ei collocet apud Deum. Ita

[1] Ms. Colbertinus, *undecim.*
[2] Ms. Colbertinus, *samsucius.*

[1] Ms. Colbertinus, *pati.*

enim est natura hominum sicut lapis, qui cum ignem non habet in substantia, habet tamen in potentia, ut opere creet quod non videtur habere, quia non exi-stit, sed quasi in semine; ita est in potentia ut per exercitium generetur, et si defuerit exercitium, non fit; quia et semen nisi exerceatur non generat, sed ipsum solum manet. Accessio ergo facit ut generet. Ita et homo fidem non habet in natura, sed semen fidei habet, quod nisi fuerit provocatum et excitatum, fructum non dabit, id est, fidem non habebit. Mathematicorum enim fatis [1] credentes, fidei semen exterminant, quod et Creatori et justitiæ ejus testimonium perhibet. Opus enim opificem cognoscit, et æquo jure amoreque et facto testatur. Fugiendum omnibus modis ab hac arte monemus. Curiosi etenim ejus, inimici Dei sunt, et sine sollicitudine nunquam sunt: semper enim suspensi exspectant quod minime certum sciunt. Nos autem qui de Deo omnia prospera credimus, et si qua adversa exstiterint, ejus nutu comprimi, suppliciter vivamus securi de ejus protectione; nec tamen nescii quia et si quid adversum bene nobis agentibus evenerit, toleratum proficiet ad coronam.

DE RATIONE PASCHÆ [2].

CXVI (*a*). — Pascha, dilectissimi fratres, a passione appellatum est, sicut docet nos traditionis hujus præfiguratio, quæ perfecta est in Ægypto per famulum Dei Moysen, dicente Scriptura, *Immolationis* [3]. *Pascha hoc Domini est* (*Exod.* XII, 11). Quæ ergo ratio est ut mysticum sacramentum [4] per sanguinem sit celebratum, et reparatio vitæ per mortem; ut cum mors augmentum facere se putaret, accepto sanguine Salvatoris minorata deflueret; et cum virtute operatam se hoc existimaret, infirmata rueret? Morti enim mors per opus ejus divina procuratione inventá est: ut quia semper mala vult, cederetur illi ad tempus, ut injustitiæ suæ opere destructa [5], regnum sibi ablatum queri non posset. Quamvis enim omnia possit Deus, nihil tamen facit quod sit rationi absurdum. Justitiam enim quam exigit, hanc et facit, non præsumens de potestate. Magna est ergo providentia erga genus humanum, ut justitiam servans, sic ea quæ juste decreta erant, solveret, et hominem a morte erueret: quanquam non immerito teneretur. Sed quia invidia deceptus fuerat diaboli, justum fuit huic subveniri. Dei enim sententia tenebatur, sed hæc operatus fuerat satanas. Unde sicut justum visum est hunc eruere, ita et injustum erat per potentiam hoc facere, neglecta justitia. Victus enim homo suadente diabolo, ut misericordiam acciperet, quasi accusator diabolus contradicebat. Unde id actum est, ut iste qui in peccato hominis gloriabatur, peccans deprehenderetur, ut tunc demum reus factus, contradicere non auderet. Sic factum est ut Dei Filius homo nasceretur, et justitiam prædicans diabolum incitaret, propter quod homines a vitiis ejus prohiberet; ita ut et occideret eum qui peccatum nesciebat. Tunc peccasse, et gravius quidem quam homo quem accusabat, inventus est. Cum enim ex Dei decreto propter peccatum hominem sibi vindicaret, quia qui peccat, ex parte diaboli est; inventus est plus peccasse, cum eum qui non peccaverat interfecit, ut sibi usurparet. Per mortem ergo morti interitus subintravit; ut sanguis recuperaretur, sanguis effusus est: quia, ut dixi, mortis auctor, qui est diabolus, quoniam peccasse in morte Salvatoris inventus est, sanguinem ejus cum omnium nostrum amisit: quia sicut per unum Adam peccantem, omnes in morte tenebat; ita per unum non peccantem omnes amisit. Ergo sanguis Salvatoris fusus injuste, hoc præmium [1] consecutus est, ut originis suæ sanguinem cum triumpho recuperans ad pristinum statum revocaret meliorata substantia. Victa enim mors, ei qui illam vicerat, non potuit contradicere. Beatum itaque Paschæ mysterium, quod per sanguinem nos redemit, morte per mortem devicta, sicut solet venenum veneno superari.

DE ABRAHAM [2].

CXVII (*a*). — Hujus patriarchæ fides tam præcipua et admirabilis fuit, ut cæteri omnes justi patrem hunc credulitatis Dei judicio fateantur; nec sit aliquis Deo dignus et charus, nisi ejus filius fuerit appellatus. Prærogativa enim honoris ejus ac meriti fides est, quam cum rebus incredibilibus dare non ambigit, inter cætera etiam Salvatorem videre dignus exstitit in spe [3] tunc futuræ Incarnationis, dicente et probante Domino ad Judæos, *Abraham pater vester cupivit ut videret diem meum; et vidit, et gavisus est* (*Joan.* VIII, 56). Qui enim merito fidei pater factus est, dignum fuit ut futurorum filiorum suorum spem prævideret, quæ propitio et provido Deo hæreditatis gratia ab humano et pio patre in filios obsequentes redundaret. Videamus nunc quid credidit fides hæc, ut ad tantum honorem et gloriam divino judicio perveniret. Fidem laudavimus, sed quid credidit, nondum diximus. Educens etenim hunc Dominus ostendit ei stellas cœli, et dixit: *Si potes numeraer eas? Sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* XV, 5, 6). Non magnum esset credidisse Deo, nisi quia quod credidit, mundus non credendum et stultum judicat; quia istud in spe rerum naturæ non est. Unde Abraham unus e mundo quia hoc credidit, segregatus a mundanis, justificatus est. Hoc ergo credidisse perfidia mundanæ sapientiæ magnum facit, contra cujus spem hoc credidisse, maximi meriti est. Desperatio enim mundanorum, meritum est et spes Christianorum. Bonorum enim præmium, causa facit malorum: fortior namque et plenior fides est, cum se incredibilibus magis committit. Homo enim jam aridus et de uxore anicula semen se credidit habiturum, quod præ copia numerari non posset: non hoc magis respiciens quod ostensum est, sed illum qui ostendit, mentiri posse non æstimans. Ideoque deputatum ei est ad justitiam. Nam rem absurdam, et quæ impossibilis scitur, hebetis est credere, nisi persona sit quæ credi istud suadet. Unde Abraham et admirabilis fidei est, et cordis periti, dum et illud credit quod incredibile est, et huic se committit cui non credere et stultum est et periculosum. Fidem enim nostram hoc probat rationabilem, quia non de alio quam de Deo credit, posse ipsum quod promittit. Hoc ergo fidei propugnaculum est, hic triumphus. Quod perspicientes quidam mundi sapientes, quia rerum natura hoc non potest, stultum aiunt credere. Ignorantes quia secundum Apostolum, *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* (I *Cor.* I, 25). Juste enim stultos nos judicarent si hoc de rerum natura crederemus, quod probatur non posse. Porro autem ea quæ rerum natura non potest, nos Deum credimus posse facturum si promiserit. Quæ in hac re potest stultitia deprehendi? Si autem indignum Deo est opus quod posse creditur, recte fides hebetudini comparatur: quod si dignum est, per id quod creaturæ impossibile est; cur non laudanda fides est, quæ tantum dat Creatori, quantum creatura posse negatur? Magnus ergo et admirabilis Abraham, qui contra mundi sententiam Deo credere non dubitavit, quia facere potest quod promittit. Natura Chaldæus, magister credulitatis apparuit: quamvis astrologiæ peritus, Deum tamen præposuit humano consilio, dignum æstimans si hoc credatur de Deo, quod quomodo fiat investigari non possit. Infirmitatem enim suam

[1] Ms. Colbertinus, *fabulis*.
[2] Ita Mss., et editio Ratisponensis. Aliæ vero editiones addunt *Unde Pascha dictum sit, et quomodo per sanguinem mystice celebretur*.
[3] Ms. Colbertinus, *Immolatio*.
[4] Ms. Colbertinus, *mysterium sacrum*.
[5] Ms. Colbertinus, *ut in justitia opere suo destructa*.
(*a*) Deest in Mss. secundi generis.

[1] Ms. Colbertinus, *præmii nomine*.
[2] Addunt quædam editiones, *et ejus fide qua meruit fidelium pater appellari*.
[3] Ms. Colbertinus, *in specie*.
(*a*) Deest in Mss. secundi generis.

Dei potentia confirmavit, quia ad majestatis suæ unicam magnitudinem protestandam, facere disponeret quæ impossibilia et inaudita sunt mundo, quo facto ostenderet se Dominum creaturæ, et creatura subjiceret se ei, cujus opus cæteris omnibus impossibile videretur; quorum incredulitate plus sublimatur fidelissimus Abraham. Fides enim ejus, incredulorum pœna est : incredulorum perfidia, gloria ejus est. Nam fidelium est pater, et infidelium est judex. Hujus enim exemplo et boni æterna vita donantur, et malis æterna dabuntur supplicia [1]. Illo enim tempore quo mundus adhuc scientia parvulus erat, nec signis ac prodigiis quæ ad fidem attraherent illustratus, Deo contra scientiam suam fidem non denegavit. Sanctus igitur Abraham exemplum generi humano datus est fidelissimus. In ipso enim præfiguratæ sunt omnes gentes ad salutem venire per fidem ; cujus ut superabundans incrementum fidei nosceretur, tentatur, ac jubetur filium suum Deo immolare ; quod factum non erat unquam (et nec rei novitate turbatur, nec disputat an fieri deberet Deo jubente parricidium, qui homicidium ne fieret comminatus est. Sic de Dei voluntate intrepidus et securus, non cunctatur providum esse quod jubet Deus) : et hunc filium quem duo senes ex promissione susceperant, præmium fidei, meritorum indicem, et in quo omnis spes ex promissione futuri seminis habebatur. Quod ut omni devotione impleret, matri ejus non indicavit, ne quod dicationi ejus impedimentum afferret, sciens circa affectum filiorum procliviores in amore esse matres ; ideoque celavit eam, non ambigens impleri debere quod jubet Deus, ut hoc exemplo doceremur, omni cura Dei facere mandata. Si enim fidelissimus Abraham in re tam gravi et aspera obediens invenitur ; quanto magis nos, quibus illa præcipiuntur quæ possunt portari? O fides Deo dicata, et spes in Domino firma, quæ tam chara et suavis est, ut parentum ac filiorum affectibus præponatur, dicente Scriptura, *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* (*Psal.* XXXIII, 9) ! Patriarcha autem noster fidelissimus Abraham quia propheta erat, scivit quid sequi deberet. Ideo secundum quod Dominus nunc dixit, tunc ille fecit, ut filio quamvis charissimo Deum in dilectione præferret dicente Domino, *Si quis diligit patrem et matrem, aut filios supra me, non est me dignus* (*Matth.* X, 37). Unde Patriarcha et Domino præ cæteris dignus existeret, etiam occidere filium non recusavit.

DE JOB.

CXVIII (*a*). — Magna dilectio est, fratres dilectissimi, omnipotentis Dei erga genus humanum : quæ intellecta quidem perducit ad regna cœlestia ; non intellecta autem deducit ad inferos. Deus enim beneficium suum gratum vult esse et fructiferum, ut et nobis proficiat, et illum misereri delectet. Igitur quoniam bonus est, et omnes homines salvos vult fieri, exemplum nobis justitiæ in Job famulo suo demonstravit, sicut præsens lectio testatur, quod secuti et malo carere et ad bonum venire poterimus, et non solum a pœna liberari, sed et remunerari. Quam ergo admirabilis est sanctissimus Job, qui ante legem litteris editam, in operibus suis exemplar legis ostendit ; nulla in hac causa alicujus documenta addicens, sed natura ipsa duce, cui Deus justitiæ semina [2] naturaliter inesse decrevit, Creatori reverentiam pia devotione servavit ? Quanta ergo laude dignus est, et quibus verbis facta ejus debeant extolli, cui non ante Legem, neque post Legem parem possumus invenire ? Quamvis enim quis posset gesta ejus imitari, non tamen cum eo conferendus est, neque ei similis jure dicetur. Non enim suum esset quod talis exstitisset, quia exemplum secutus est alienum. Sanctus autem Job cum nihil tale vidisset, neque in voluminibus lectitasset, talem se præstitit, ut nullius aliquid in se

[1] Ms. Colbertinus, *et mali æterna dabunt supplicia.*
[2] Editi, *semen.* Mss., *semina.*
(*a*) Deest in Mss. secundi generis.

collatum haberet, sed ipse cæteris conferret, formam præbens mirabilium gestorum ad Deum promerendum. Quare et Domini testimonio commendatur dicentis : *Animadvertisti ad puerum meum Job? Non est enim similis ei quisquam in terris verus Dei cultor* (*Job* I, 8). Quis tantum potuit promereri, cui tale testimonium Dominus perhiberet, nisi hic qui non imitator invenitur, sed auctor eorum quæ gessit? Unde et verus Dei cultor asseritur. Nulla enim potest simulatio commentitiæ veritatis in eo videri, qui ante se non habet talem. Omnis enim qui fingit, hoc fingit quod cernitur imitari. Et his tamen omnibus potiora sunt quæ dicuntur. In his enim laudibus nulla probamenta tribulationum fuerunt, sed propositum Deo dicatum in exercitiis et observationibus constitutum : quod quia ad coronam meritorum tentatori non visum est plenum, petiit ut permitteretur ei diversis tentationibus probare ejus justitiam ; ut in multis constrictus alicubi hæreret, et posset modum excedere. Quia ad hoc solent peccantibus diversæ pœnæ inferri, ut quia nemo omnia potest ferre tormenta, aliquid illorum eliciat ei veritatis confessionem. Itaque permissum est tentatori omnia ejus exterminare, et perdere, usque ad mortem filiorum : ut si damnum ferret boum, ovium non ferret ; aut si et ovium ferret, camelorum amissionem non ferret, neque servorum aut totius substantiæ ; aut si, quia grandis animi erat et satis meræ devotionis, his omnibus non vinceretur, certe vel affectu charitatis, cogente frangeretur morte simul omnium filiorum. Sed quia ante legem editam, legem in corde suo scriptam habebat, nulla damna, neque orbitates minorem illum in Dei devotione fecerunt, ut formam daret ad Deum ex toto corde super omnia diligendum. Quanta ergo dignus est gloria, qui ante Legem, Legem servavit, ut Lex quæ futura erat, quomodo custodienda erat, demonstraret, non in verbis, sed auctor in factis? Et quia tentator irreverens est, nec hæc gloria satis ei visa est ad probationem viri justi, nisi aliud adversus eum machinaretur, quod sciret ab homine ferri non posse ; petiit iterum, ut illum ipsum sævo vulnere percuteret a capite usque ad pedum ungues. Et cum hoc permissum esset, quia fides ei haberi non debet, præceptum est ei, ut animam ejus servaret propter arbitrium, et ne quid violenter auderet in eum, quem rationis jure superare non poterat. Accepta igitur potestate, recrudescente in se crudelitatis sævitia, percussit virum justum plaga magna nimis, ut nihil esset in corpore quod immune esset a vulnere, quod nemo hominum tolerare posset, nisi solus Job [1], qui vincere potuit satanam. Et cum nec sic nequitia diaboli aliquod murmur contra Deum viro justo eliceret, memor pristinæ calliditatis suæ, qua decepit Adam, sategit si posset et istum per mulierem decipere ; quia facilius quis decipitur per domesticum. Et in his omnibus nihil proficiens, ipso detrimentum faciens impudentissimus satanas, non solum immobilem invenit Dei servum, sed etiam magistrum. In ipsa enim necessitate positus, non tantum in Dei timore duravit, verum etiam uxorem contraria suggerentem increpans, docuit, omnia quæ Deo permittente accidunt, fortiter toleranda (*Job* II, 1-10) : quod ad duplicem pœnam pertinet improvidi satanæ, quia nec suasit quod voluit, et cum huic invidit, alios fecit discere quod nec hunc scire volebat. Quantum enim prosit tentatio Dei servis, et obsit diabolo, hac lectione plenius edocemur. Cum enim putat se nocere eis, promovet eos ; et cum unum persequitur, multos ad virtutem provocat. Videntes enim auxiliis Dei hunc protegi, multi imitatores ejus existunt. Lucrum ergo volens facere perdidit. Semper enim furor ejus damnosus est ei. Nam cum persequitur justos ne munerentur, digniores eos facit : et cum zelatur sanctum Job, duplicavit ei meritum in cœlo et in terra ; quia et hic auctus est, et in cœlis cum Salvatore rece-

[1] In editis deest, *Job*, quod restituitur ex Ms. Colbertino.

ptus; ut ista omnia ad sanctorum proficiant gloriam, ad diaboli vero pœnam.

DE TOBIA.

CXIX (a). — Tanta providentia est Domini Dei circa nos, ut errare nos nolens, et legem et exempla bonorum operum daret, quibus modesta et tranquilla agi possit vita cum Dei timore. Qui enim auctor vitæ est, non vult utique opus [illegible] morti esse [illegible]. Quamvis natura ipsa legis non expers [illegible]; tamen quia Dominus bonus et misericors est, ut major notitia eorum esset quæ sequenda, et illorum quæ vitanda sunt, litteris et exemplis ostendit, sicut præsens lectio testatur. Dei ergo famulus sanctus Tobias post legem exemplum nobis datus est, ut quæ legimus, quomodo fiant, sciamus; et si tentationes advenerint, a Dei timore non recedamus, neque auxilium aliunde quam ab eo speremus, [illegible] scriptum esse, *Pusillus fui, etenim senui, et non [illegible] justum derelictum, nec semen ejus quærens panem* (*Psal.* xxxvi, 25). Nunquam ergo decipi potest, qui [illegible] mente sperat in Deum. Licet ad tempus [illegible] nes ortæ fuerint per insidias satanæ, exempla nos docent sanctorum virorum, non hæc a Deo permitti, nisi ad incrementum meritorum nostrorum: quia si æquo animo fuerint bajulatæ, hic nobis dabitur consolatio cum effectu, et in futuro vita æterna cum gloria. Deus enim noster quia justus est, et personarum acceptio apud illum non est (*Rom.* ii, 11), tentari nos permittit, quia nos diligit, ut post laborem possit nobis præmia dare amplissima. Denique Apostolo, ut tentationes ab eo cessarent, deprecanti, Dominus ait, ***Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.*** Hinc subsecutus ait, ***Cum infirmor, tunc fortior sum;*** et, *Gaudeo*, inquit, ***in tribulationibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi*** (II *Cor.* xii, 9, 10). Quam ergo laudabilis sit sanctus Tobias, Scriptura docemur; cujus devotionem nec captivitas minuit, nec oculorum amissio quominus Deum benediceret, persuasit, neque exhausta substantia a via justitiæ et veritatis avertit (*Tob.* i-iii). Necessitas enim probat justum; et in egestate æquitatem servare, vera ac perfecta justitia est. Unde enim quorumdam devotio minuitur, inde augmentum fecit laude dignus Tobias. ***Inopia enim***, inquit, ***humiliat virum; et qui humiliatur, non potest servare justitiam.*** Sancti autem Tobiæ erectus ad Deum animus, nec captivitate fractus est, nec inopia humiliatus: quia et contra interdictum, occisorum corpora sepulturæ mandabat, et de Dei largitione securus, de ipso exiguo misericors erat, sciens hanc magis placere Deo misericordiam quæ de exiguo fit; sicut et vidua illa fecit, quam Dominus in Evangelio collaudavit (*Luc.* xxi, 2-4). Hic enim vere fidelis est, hic non dubitat de promissis Dei, qui de parvo largitur. Spe ergo futurorum animum suum consolans, Deo dicatus Tobias in tentatione robustus et fortis inventus est, ostendens in necessitate plus in Dei timore vigilandum; quia si necessitas ad Dei auxilium non impellit, quanto magis securitas? Certi ergo sancti viri quod Deus judicium sibi eorum omnium quæ in hoc mundo fiunt, exceperit, tribulationes et damna et reliqua exitia vel contumelias, non tantum non ægre tulerunt, sed et gratanter acceperunt: sicut et nostri apostoli, qui cæsi gavisi sunt, quia digni habiti sunt pro nomine Christi contumeliam pati (*Act.* v, 41). Indicia enim meritorum futurorum exitia sunt, quæ injuste fiunt fidelibus, sive in tribulationibus sive in contumeliis. Itaque in tantum Deo placuit justus Tobias, ut duplici genere meritorum suorum consequeretur mercedem: et in præsenti enim quod amiserat, ministro angelo recuperavit lumen, ac ditatus est etiam copiis quæ ad præsentem pertinent vitam; et in futuro hæres regni cœlorum est factus: ut in hoc doceremur quia qui toto corde Dei legi obtemperat, nec de promissis dubitat, et in hoc sæculo copias ejus sæpe auget Deus [1], et in futuro donat illum vita æterna. Est etiam aliud quod nos invitat ad divina obsequia. Sanctus enim Tobias non solum justitiæ suæ merita consecutus est; quia accedit ad cumulum gloriæ ejus, etiam ex eorum bonis qui imitatores ejus existunt. In imitatoribus enim exempla laudantur. Quod nobis quoque poterit provenire, si sic vixerimus, ut dignum sit et nos imitatores habere.

DE JEJUNIO.

CXX (a). — Congruum est, fratres charissimi, devotissime Dei sacerdotem et præpositum plebis Christi, exhortari populum sub cura sua positum in doctrina sana, sicut mandat Apostolus (*Tit.* i, 9), ut opus fidei, pro temporis, observatione, omni cura diligentiaque, alacri et devoto animo faciamus. Jejunia etenim, quæ nunc imminente die festo Paschæ celebranda sunt, quid proficiant, quamvis non lateat, taceri tamen non debet. Incitatur enim devotio, quando ea quæ licet non ignorentur, recensentur tamen. Tale enim est ingenium naturæ nostræ, ut torpescat, si usus destiterit lectionis. Quia sicut ferrum, nisi usum fuerit [2], æruginem generat; ita et anima nisi frequentius divinis exerceatur lectionibus, nascentur illi peccata. Hinc est unde in Psalmo hunc dicit beatum, qui die noctuque legem Domini meditatur (*Psal.* i, 2). Denique quamvis nota sint divina eloquia, tamen cum fuerint sacris voluminibus memorata, sic illa devotum pectus suscipit quasi nova. Excitatur enim desiderium animæ erga opera salutaria. Unde Apostolus ad Timotheum inter cætera: ***Ut resuscites***, inquit, *gratiam Dei quæ est in te* (II *Tim.* i, 6). Igitur necessaria sunt nobis jejunia, sicut in vulneribus medicina. Medelam enim conferunt vitæ perpetuæ; ita tamen ut duarum rerum testimonio commendentur, id est, oratione et misericordia. Jejunia ergo intemperantiam corporis mitigant, motus adversos reprimunt, pressuram animæ auferunt, sicut ait Dominus: *Nolite dediti esse in esca et crapula, ne graventur corda vestra* (*Luc.* xxi, 34). Cum enim anima ab esu et potu nimio fuerit liberata, tunc se melius recognoscit. Sicut enim in speculo sordido non se talem homo aspicit qualis est; ita et si esca et crapula fuerit gravatus, alterum se sentit quam est. Tunc exsuscitatur libido, accenditur ira, inflammatur superbia, generatur luxuria. Unde Apostolus: ***Nolite***, ait, ***inebriari vino, in quo est luxuria*** (*Ephes.* v, 18). Quod si temperatum fuerit corpus interposito jejunio, cognitione sui recepta anima intelligit qua devotione obsequi debeat Redemptori. Magna ergo ex parte jejunia sunt necessaria. Sub Esther etenim regina cum Judaicus populus in periculo positus esset, jejuniis suffragantibus liberatus est (*Esther.* iv, 16). Et Ninivitæ cum eversionis suæ præscriptum diem a propheta audissent, jejunio indicto evadere meruerunt (*Jonæ* iii, 7). Et justi ac Prophetæ nostri, quando a Deo aliquid impetrare volebant, jejunio se humiliabant, dicente David, *In jejunio humiliabam animam meam* (*Psal.* xxxiv, 13). Nam et Salvator, cui opus non erat, ut nobis exemplum daret, jejunavit (*Matth.* iv, 2). Itaque nulli dubium est prodesse jejunia: sic etenim ostendit se homo velle impetrare quod postulat, cum se affligit jejunio. Unde dictum est, ***Bona est oratio cum jejunio*** (*Tob.* xii, 8). Ut accepta ergo possit esse oratio, consortium vult secum habere jejunii [3]. Et quia nihil horum sine pietate firmum est, adjecit, *Et eleemosyna cum justitia:* ut eleemosyna servata justitia, commendet orationem cum jejunio. Denique orationem et jejunium Cornelii misericordia commendavit. Ipse enim abundans copiis [4], jejunabat; sed et non habentes pascebat, ut illorum saturitas jejunium ejus faceret acceptabile. Nonnullis ergo in-

(a) Deest in Mss. secundi generis.

[1] Ms. Colbertinus, *curam ejus agit Deus*,

[2] Ms. Colbertinus, *fecerit*.

[3] Ms. Colbertinus, *solatium vult eam habere jejunii.*

[4] Er. Ven. et Lov., ***abundans opibus, seu copiis, jejunabat,*** Lugd., *abundans opibus jejunabat.* M.

(a) Deest in Mss. secundi generis.

diget, et nonnullis carere debet jejunium, ut possit mereri quod postulat.

LAUS ET GLORIA PASCHÆ [1].

CXXI (*a*). — O sanctum et salutarem diem Paschæ, et omni laude prædicandum, quo mors devicta est, diabolo regnum ablatum, sacramentum Dei manifestatum, decretum quod adversum nos erat, evacuatum; tartari januæ confractæ, vincti soluti, clausi remissi, cæci illuminati, imperiti scientia donati, impii facti misericordes, iniquis et injustis peccatorum data remissio, inimicorum reconciliatio, erroris emendatio, veritatis declaratio; Deo filii ex perditis acquisiti, superbia depressa, humilitas exaltata; pauperes ditati, divites exhausti; montes deplanati, valles repletæ, colles prostrati; impudentia calcata, verecundia compta [2], animabus ad cœlum data facultas, libertas reddita, disrupta ac resoluta captivitas: torpuerunt tenebræ, confusa est malitia, purificatus squalor, satanas dejectus; inanitus infernus: Dominus noster Jesus Christus verus Dei Filius approbatus, caro ad confusionem prudentium mundi in cœlos sublata, cœlestia, terrestria et inferna unus Dei et Domini demonstrata! Itaque, fratres charissimi, hunc diem festum colere et venerari debemus, devoti Deo cum modestia vitæ et animæ lætitia, turpia et inhonesta vitantes, ut ad fructum Paschæ venire mereamur per Christum Dominum nostrum, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

DE PRINCIPIO.

CXXII (*b*). — *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Quid est in principio? Quoniam legimus et in veteribus Libris, *In principio fecit Deus cœlum et terram* (*Gen.* I, 1). Et in Epistola ejus, cujus Evangelium est, de cujus principio aliquid conamur edicere, eodem sensu significatum est: ait enim, *Quod erat ab initio*. Epistola ergo et Evangelium unum habent sensum. Aliud enim est quod in veteri ait, *In principio fecit Deus cœlum et terram;* et aliud cum dicit, *In principio erat Verbum;* et, *Quod erat ab initio* (I *Joan.* I, 1). In principio enim esse, et ab initio esse, unum significat, qui ab initio quod erat, non cœpit esse. Quod enim incipit esse, ab initio non erat: et ideo subjicitur initio, id est, ut inter cætera in ordine primus sit, quia ipse initio factus, alios cœpit post se habere, qui post illum sunt facti. Sicut legimus, quia *in principio fecit Deus cœlum et terram:* non dixit, In principio erat cœlum et terra; quia cum non essent, et disponeret Deus facere mundum, in principio, hoc est inter cætera quæ ad mundi fabricam proficerent, primum fecit Deus cœlum et terram; quia principium initium est inchoantis aliquid, quod sit primum in ordine. Illud autem quod dicitur, quia *in principio erat*, id est, Verbum, ante inchoationem creaturæ supernæ et infernæ significatur fuisse: ut non utique inter hæc quæ creata sunt, prius factum intelligeretur; quia in principio erat cum Deus disponeret facere creaturam. Ergo si in principio erat, id est, ante omnia erat, semper erat. Ideoque et Verbum erat. Ubi? *Apud Deum*, inquit, ut non indigne initio subjectum minime æstimaretur, quod semper erat apud Deum. Convenit enim ut quod ante omnia apud Deum erat, nulli subjiciatur initio. Unde adjecit: *Et Deus erat Verbum*. Nunc ostendit aperte quia quæ supra dicta sunt, congruunt Verbo; quia *Deus est*, inquit, *Verbum:* et de Deo aliter non oportet sentiri, quam ut semper dicatur fuisse. Si enim cœpit esse, creatura est; si creatura est, Deus non est. Quidquid enim est, aut Deus est, aut creatura est: ac per hoc Dei nomen non competit creaturæ. Sed quia non cœpit esse (erat enim), digne dicitur Deus. Apud Deum autem ideo dicitur semper fuisse, quia non ex se, sed ex Deo Deus est. Quamobrem et nomen ejus dicitur Verbum Dei, sicut fides ejusdem evangelistæ in revelatione sua demonstrat. Ait enim inter cætera: *Et nomen ejus est Verbum Dei* (*Apoc.* XIX, 13). Ut enim non ipse ex quo sunt omnia significaretur, sed per quem [1] sunt omnia, id est non Pater, sed Filius, Verbum Dei appellatus est: ut quia Deus sine Verbo esse non potest, hic qui Verbum Dei dicitur, semper apud Deum fuisse credatur; et quia Verbum non est extra eum cujus Verbum est, hoc verbum quod apud Deum erat, non aliunde, sed de Deo esse significatum intelligatur: et quia de Deo est, non absurde Deus dicatur. Itaque non duos deos facit, Deum fuisse apud Deum. Si enim essent duo, diversi essent natura, nec unius voluntatis. Si enim nos homines cum unius sumus naturæ, diversæ tamen sumus voluntatis; quanto magis ubi diversæ et naturæ? et nec Deus apud Deum esse diceretur [2]. Deus enim qui apud Deum erat et est, non ex se habet quod Deus est: si quominus, nec apud Deum Deus esse diceretur, neque Dei Verbum Deus Verbum appellaretur; sed quia quod de Deo est, non aliud significat esse quam Deus est, Verbum Dei Deus est nuncupatus, ut quia Verbum Dei dicitur, ad alterum Deum non referatur. Quod autem Deus vocatur, ideo fit, ne ad injuriam Dei proficeret, si quod de Deo erat, Deus minime diceretur. Igitur et unitas Dei servata est, et debita honorificentia reddita; quando non in propria gloria receptus est hic qui de Deo Deus est, sed in ejus de quo Deus est. Propterea de Verbo incipit loqui Evangelium priusquam loquatur de Deo patre; quia quæstiones non de Deo fiunt, sed de Verbo Dei. Nemo enim dubitat de Deo, sed de eo qui est de Deo Deus. Omnis enim lingua cœlestium et terrestrium fatetur unum Deum; sed in sacramento unius Dei turbatur. Trepidat enim audiens Deum dici Verbum Dei; corporalibus enim modis pulsatur, quia verbum hominis homo dici non potest: cum utique Deus natura sit simplex, non membris compositus, neque qui intus habeat et foris, neque ante et post, aut summum et imum; sed si potest dici, totus per omnia idem, nusquam varius vel absimilis: una autem claritas ejus est immensa. Nam si ignis non habet anteriora et posteriora, aut intus et foris, quanto magis Creator ejus? Itaque quia omne quod Deus est, totum unum est, non discrepat cum quid de Deo est, dicitur Deus. Ex parte ergo humano exemplo, et ex parte non humano, Dei Filius qui est Verbum Dei, Deus est. Ea enim ratione qua filii hominum homines sunt, Dei Filius Deus est: sed quia ex commixtione filii hominum homines sunt, non hoc exemplo Filius Dei Deus est; quia ex simplici Deo simpliciter natus est. Et quemadmodum verbum nostrum ex nobis est, hoc exemplo intelligitur Verbum Dei esse de eo: sed quia verbum nostrum non est hoc quod nos sumus, non hac ratione Verbum Dei de Deo est; quia Verbum Dei res est, non sonus qui deperit. Nec enim quia communia vocabula nobis et Deo sunt, una ratio erit nobis et Deo in rerum effectu. Nam legimus, *In principio fecit Deus cœlum et terram*. Quomodo fecit? Numquid sicut nos manu facimus opera [3]? Et in subjectis: *Et dixit*, inquit, *Deus*, *Fiat lux; et facta est lux* (*Gen.* 1, 3). Cui putamus locutum esse Deum? Quia non utique homini locutus est, sed ei qui posset facere, qui etiam hominem facturus erat, sicut et fecit. Sed quomodo locutus est? numquid, sicut nos loquimur, organo corporali? Absit. Vides ergo quod vocabula quidem nobis et Deo communia sunt, sed discrepant in effectu: aliter enim Deus facit quam facimus nos; et loqui dicitur, sed non more nostro. Sic et Verbum Dei non tale

[1] sic Mss. et editio Ratisponensis. Aliæ autem editiones: *De Paschate, quam laudabilis et gloriosa sit solemnitas.*

[2] Ms. Colbertinus, [illegible].

(*a*) Deest in Mss. secundi generis.

(*b*) Deest in iisdem Mss.

[1] Ms. Colbertinus, *post quem.*

[2] Sic Mss. et editi, *Si diversitas non est naturæ neque voluntatis, Deus apud Deum diceretur.*

[3] Ms. Colbertinus, *facimus manu, opere.*

verbum est, sicut nostrum, quod postquam fit, non est; illud autem manet; quia tale Verbum est, quod et audit, et loquitur, et operatur. Non solum autem Verbum Dei est, sed et Virtus et Sapientia Dei, hic est Filius Dei: qui quantum ad effectum pertinet, Filius dicitur Dei; quantum autem ad locutionem, qua nos alloquitur Deus per ipsum, Verbum dicitur Dei; quantum vero ad sapientiam, qua nos Deus per ipsum docet sacramentum suum, Sapientia dicitur Dei; quantum autem ad operationem, qua per ipsum omnia fecit et facit Deus, Virtus dicitur Dei. Hæc nulli alii possent competere nisi Filio Dei. Propterea enim quod ex Deo Deus est, omnia Dei habere dicitur. Nascendo enim omnia consecutus est Dei. Nec enim conveniens erat degener dici Verbum Dei, et Virtutem et Sapientiam Dei: hoc est enim Deus Verbum, Virtus et Sapientia. Christus autem quia totus de toto est Deo Deus; et Sapientia dicitur Dei, et Virtus, et Verbum: hoc est, Deum esse de Deo, et apud Deum. Propter quod ait, *Hoc erat in principio apud Deum*. Ad evincendas enim incredulorum mentes coacta Scriptura erupit, ut ostenderet Christum esse Deum, cum omni loco propter unitatem Dei, intelligi vult Christum esse Deum. Nunc autem aperta voce dixit eum esse Deum, et semper fuisse apud Deum, sacramentum patefaciens Dei, ne Deus omnino solitarius putaretur, declaravit non propterea unum dici Deum, ut solitarius æstimetur, sed licet duo vel tres, ex uno tamen, non præjudicare unitati quia quod de uno est[1] ad illud ipsum refertur, quia unus est, quamvis omnia dicantur ex Deo. Sed aliud est quod proprie exstitit de Deo, et aliud quod nutu deforis creatum est Dei: hoc est, aliud est quod de substantia ejus processit, et aliud quod cum nullo modo esset, voluntate ejus creatum est. Quia quod de substantia Dei processit, nunquam fuit post[2] ejus substantiam; quod vero creatum est, tunc cœpit esse substantia cum creatum est: ac per hoc initium non habet Trinitas sola. Declaratio igitur mysterii merita fidei minoravit: quia quanto occultius est quod creditur, tanto magis propensior credentis est merces, et minor pœna diffidentis. Declaratio autem mysterii sicut minora fecit merita credentibus[3]; ita majores exsuscitavit diffidentibus pœnas. Manifestior enim lex plus facit reum. Nam suffecerat testimonium Salvatoris, quo sibi proprium Patrem dixerat Deum. Quis enim credentium dubitaret nihil a Patre differre in substantia Filium? Sed quia hæreticorum perversitas infidelitatis commentis fidei jura pulsare cœperat, aliter accipiendo Filium Dei quam prædicatur, additum est, ad faciendam manifestationem, hunc ante omnia apud Deum fuisse et Deum esse; ut declararet quod filii veri ratio mystice continebat: per quod divina clementia humanæ infirmitati providisse videtur, ut aperiret quod clausum potioris fidei meritis reservaverat: unde adjecit, dicens, *Omnia per ipsum facta sunt*, ut si quis ex superioribus in aliquo ambigeret, quia angusta est intelligentia hominum ad divinas res capiendas, ex his capax fieret, cum audit, *Omnia per ipsum facta sunt:* ut non utique facturam ipsum putaret, quia omnia per ipsum audit facta a Deo; si autem et ipse esset factura, non omnia per ipsum facta a Deo dixisset: nec enim ipse per se fiebat. Quod ut adhuc absolutius traderet, adjecit, *Et sine ipso*, inquit, *factum est nihil:* hoc dicens, exclusit omnem controversiam et argumenta terrena. Quamvis non desint qui diffidant; tamen quando sine ipso nihil factum ostendit, nullo modo illum facturam esse suspicari debere edocuit. Quomodo enim dici potest ipse esse factura, cum nihil dicatur Deus sine ipso fecisse? Si enim fecit, mentitur Scriptura. Sed absit. Fidelis enim est Scriptura, quæ ut errorem amputet, quanta potest utitur manifestatione ad salutem hominum redimendam. Denique subjecit, *Quod factum est in ipso vita est* (*Joan.* I, 2-4): *in ipso*, id est in Verbo, quod factum est, vitam esse significat. Sicut et ipse Dominus ait: *Sicut habet Pater vitam in semetipso, ita dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Id.* V, 26). Non quia Verbum sine vita erat, et postea aut data aut facta est in illo vita; sed ipsum Verbum vitam vult intelligi esse. Si de Patre Deo potest dici quod aliud ipse est, et aliud in se habet; ita etiam de Filio ejus: quia sicut habet Pater vitam in semetipso, ita dedit Filio vitam habere in semetipso. Humana enim eloquia non sunt idonea ad res explicandas divinas. Ideo vitiosum videtur quod dicitur, ut cum factura non sit Dei Filius, in ipso dicatur factum quod est[1]. Et si dixisset, quod genitum est in ipso, etiam sic vitiosum videbatur. Sed ut substantivam generationem[2] ejus ostenderet, opus in ea factum quali uti potuit sermone, per quod existeret, demonstravit, quia generatio ejus vitam in se habet. Nos enim vivimus quidem, sed non possumus aliis dare vitam: quippe cum nec in potestate nostra sit eadem vita. Ille autem ideo dicitur vitam in se habere, quia potens est vivificare, et creare quæ vult ut sint et vivant. Ad hoc enim natus dicitur, ut omnia possit facere quæ facit Pater; quia sic habet vitam in se, sicut habet et Pater. Hoc enim est, omnia per ipsum et in ipso fecisse, sic eum genuisse, ut haberet in se vitam, per quam omnia possit facere: non quia ipse aliud est quam vita, sed dum hoc potest vita ejus, ut et vivat, et alia possit creare quæ vivant, vitam dicitur habere in semetipso. Nos enim vivimus, sed non habemus sic in nobis vitam ipsam, ut etiam aliis demus vitam. Quem sensum et apostolus Paulus memorat inter cætera dicens: *Qui est imago invisibilis Dei, primogenitus ante omnem creaturam: quoniam in ipso condita sunt omnia in cœlis et in terra: visibilia et invisibilia, sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt* (*Coloss.* I, 15, 16). Conveniunt autem Evangelia in hoc duorum Apostolorum Joannis et Pauli: eadem enim dicunt, quia Filius Dei ante omnem creaturam genitus est, ut crearet potentias spirituales, et mundum, et quæ in eo sunt visibilia. Quod enim dixit Joannes, quia *quod factum est, in ipso vita est*, hoc idem significavit et Paulus dicens, quia *in ipso condita sunt omnia in cœlis et in terra*. Et in subjectis, *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt. Per ipsum* creavit, *quia* in substantia idem Deus est, hoc est Pater in Filio: *In ipso* vero, quoniam sic generavit Filium, ut haberet potentiam faciendi omnia visibilia et invisibilia. Hoc fuit fecisse in illo vitam, ut et viveret, et vitam aliis præstaret vivendi, intelligendi, agendi, et cæteris animantibus secundum quod voluit, quasi imago Dei. Dum enim imago dicitur Dei, ad utrumque refertur; quia et per expressam nativitatem, plenam habet in se similitudinem Patris, et potest quidquid potest et Pater, ut verum sit Patrem videri in Filio, qui est imago invisibilis Dei. Numquid quia Patrem invisibilem dixit, Filium visibilem fecit, cum hoc utique sit Filius per naturam quod et Pater? Et cum creatura cœlestis sit invisibilis, quanto magis Creator ejus? Sed hoc significavit quod in cœlis est, non quod in terra; quia quamvis Filius invisibilis sit, illic tamen, id est, in cœlestibus videtur ab Apostolis vel cæteris talibus, de quibus dixit: *Pater, volo ut ubi ego sum, et isti sint mecum, et videant claritatem meam* (*Joan.* XVII, 24). Et alibi: *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V, 8): hoc est, Patrem in Filio, Deum imagine; quod est Deum in Deo. Sicut corporalis

[1] Sic Ms. Colbertinus. At editi, *licet duæ vel tres personæ essent, tamen non præjudicaretur unitati, quia quod Deus est*, etc.
[2] Editi, *præter*. Mss., *post*.
[3] Ms. Colbertinus, *mereri credentes*.

[1] Ms. Colbertinus, omittit, *quod est*.
[2] Sic Ms. Colbertinus. At editi, *substantiam generationis*.

rei corpus imago est, ita et Dei Deus imago est: quia exemplum Pater, Filius vero exemplum de exemplo, quod communicat Spiritui sancto; *Quia de me*, inquit, *accipiet* (*Joan.* XVI, 14). Ideoque in Filio videtur Deus quasi in sua imagine. Sicut enim nemo dignus inventus est aperire librum, et signacula ejus, nisi Verbum Dei (*Apoc.* V, 4-8); ita et Deum Patrem nemo videre dignus est, neque natura, neque meritis, nisi verus Filius ejus. Nihil etenim medium est, quod obstet inter Patrem et Filium, ipso nobis teste qui ait: *Neque enim Patrem vidit quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Deum* (*Joan.* VI, 46). Sed si in Filio videtur Pater, quare nemo dignus dicitur videre Deum; cum videatur in Filio, quia nihil differt a Patre Filius? Nihil plane differt in substantia, quia verus Filius est; differt autem in causalitatis gradu [1], quia omnis potentia a Patre in Filio est: et in substantia minor non est Filius, auctoritate tamen major est Pater, ipso Domino testante et dicente, *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Quem etiam modum custodiens apostolus Paulus, *Unus*, inquit, *Deus Pater, ex quo omnia et nos in ipso; et unus Dominus Jesus, per quem omnia, et nos per ipsum* (I *Cor.* VIII, 6): ut primus gradus sit, ex quo sunt omnia; secundus, per quem omnia; tertius, in quo omnia. Et quia nullus ex his degener est, in unitate Dei significati sunt, dicente Apostolo, *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum* (*Rom.* XI, 36).

CXXIII (*a*). — Utrum Adam Spiritum sanctum habuerit?

Comperi quosdam ex fratribus nostris, non plene discussisse Scripturas; sed simplicitate animi asseverare quod Adam factus, sanctum accepit Spiritum, quem peccans amisit, sicut nunc datur credentibus. Hac ducti ratione, qua solet asseverari a plurimis quia per fidem instauratus est homo, ita ut ad pristinum redditus statum, hoc omne acciperet quod inter initia Adam fuerat consecutus; et quia perfectus homo factus dicebatur, qui si non habuit, inquiunt, Spiritum sanctum, imperfectus fuit. Ego autem non solum hominem, sed et cuncta quæ fecit Deus, quæ non possunt dici accepisse Spiritum sanctum, dico perfecta. Omnia enim genera animalium in suo perfecta sunt, ut impleant id ad quod sunt facta: ita et homo in suo genere perfectus est, ut potens sit discernere mala a bonis, prava a rectis. Est enim animal intelligibile, perfectum ad id ad quod factum est. Capax est enim dicendi, excogitandi et faciendi, ut quæ virtute non potest, impleat sensu. Et quomodo ausi sunt dicere, hominem perfectum nasci debere et totum scire, quem vident nihil ultra nosse quam hic discat? Quod enim hic non discit, nescit. Denique quoniam hic non discit, qualis sit, nescit: qui se ergo nescit qualis sit, quomodo omnia novit, cum minus sit se nosse, quam cætera? Sed quia de cæteris discit, de se autem non discit, de aliis novit, de se nescit, neque qualis sit, neque an ante corpus an post corpus sit. Nam si sic perfectus factus esset ut nullius egeret, non fuerat homo, sed Deus; neque circumventus prævaricasset. Spiritum autem sanctum habere, ultra naturam et perfectionem hominis est, ut possit quæ Dei sunt. Numquid non, quia asina locuta est ad Balaam, ultra perfectionem ejus est (*Num.* XXII, 28)? Accepit enim ut posset quod naturæ suæ non erat, sed nostræ. Itaque quia præstantior est homo cæteris animalibus, idcirco illa imperfecta dicenda sunt? aut quia sancti Angeli non sunt quod est Deus, imperfecti sunt? vel quia luminaria et stellæ imperfectiores sunt supernis Angelis, vel quia nubila velamine suo obscurant solem et lunam, minus perfecta sunt? Et quia membra invicem egent (non enim possunt pedes quod possunt manus), imperfecta dicentur? Absit. Omnia enim pro locis et gradibus suis firma et perfecta sunt, ut impleant id ad quod facta sunt. Igitur omnia perfecta sunt, quia et Creator eorum perfectus est; sed ad comparationem ejus imperfecta sunt. Deus enim per omnia perfectus est, quasi fons et origo omnium. Nam quæ facta sunt, perfecta quidem sunt, sed ad id quod facta sunt, ut in alia parte non sint perfecta; quia alter alterius eget: ut in eo quo non eget, perfectum sit, non in quo eget: ideoque perfecta et imperfecta sunt omnia. Manus indigent pedibus; quia nisi ambulaverint pedes, otiosæ erunt manus. Iterum pedes indigent manibus; calceare enim se non possunt, neque curare. Cum ergo corpus perfectum sit membris, volare tamen non potest, neque ferre tantum quantum potest burdo. Cumque hi perfecti sint, gubernare tamen se nesciunt, nec adhibere sibi possunt medicinam. Unde dictum est, *Nolite fieri sicut equus et mulus, in quibus non est intellectus* (*Psal.* XXXI, 9). Et aqua et ignis cum repugnent invicem, in suo genere perfecta sunt; implent enim id ad quod facta sunt. Coquit enim ignis, et consumit; purgat et calefacit: aqua vero abluit, refrigerat, irrigat, sitientes recreat. Itaque cum omnia in suo genere perfecta sint, sine homine tamen nihil possunt, neque homo quamvis perfectior sit, sine his. Hinc Apostolus imperfectos et perfectos nos dicit. Ad comparationem enim infidelium nos perfecti sumus, quia Deum cognoscimus: sed quia quæ promissa sunt, minus scimus quam debemus, quia in hac vita non tantum possumus comprehendere, quantum est quod creditur, imperfecti sumus. Igitur quoniam putant perfectionem Adæ instaurari credentibus, videamus si hæc instauratio nihil ultra doni habeat divini quam fuerat consecutus Adam. Factus enim Adam positus est in paradiso, ut operaretur ibi, et custodiret: hoc est, ut coleret terram, et custodiret præcepta Dei, per quæ sciret sic se dominium cunctorum accepisse, ut ipse tamen sub lege viveret Creatoris, ne dominatio extolleret eum, et inflatus superbia immemor fieret sui Conditoris. Positus ergo est, ut cibis sustentaretur vita ejus: per Christum autem hoc concessum est, ut resurgentes non egeant cibo vel potu; quia quod mortale est hominis, convertitur in vitam. Factus est Adam ut habitaret in terra; fides autem largiri dignata est ut in cœlis sit habitatio nostra. Scriptura ipsa testatur, quia *factus est*, inquit, *primus homo Adam in animam viventem, secundus autem homo in spiritum vivificantem. Primus autem homo de terra, terrenus; secundus autem homo de cœlo, cœlestis. Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes* (I *Cor.* XV, 45-48). Quid tam apertum quam quod Adam non habuit Spiritum sanctum? Factus est enim in animam viventem; per Christum autem in spiritum vivificantem, ut homo in aliquo similis sit Creatori, quem credit [1]. Quia enim mysterium fidei, quod ad salutem datum est, trinum est, trinus fit, corpore, anima, et Spiritu sancto, per quem dicimur filii Dei: quod minime Adam probatur vocatus; terrenus enim factus est. Filii autem Dei non carnaliter, sed spiritualiter nati, cœlestes dicuntur esse. Ecce absolutum est donum Dei multo plus gratiæ concessisse homini tempore Salvatoris, quam acceperat Adam; quia non solum est instauratus, sed et melioratus: in eo instauratus, quia peccatis ablutus est; in cæteris melioratus. Hoc enim et justitia et ratio exigebat, ut tunc uberior esset clementia Dei in dandis beneficiis, quando mysterium divinitatis suæ innotescere voluit creaturæ: ut cognoscentes, quod incognitum fuit a sæculis et generationibus, Dei unius sacramentum in Trinitate consistere, pro ipsa novitatis quasi dedicatione peccatis abluti insuper justificentur, et adoptati a Deo Spiritum sanctum accipiant, per quem signum adoptionis habere videantur. Adoptio enim a Deo signum habere debet Dei Patris, ut non immerito filii

[1] Ms. Colbert., *in causa vel gradu.*
(*a*) Deest in Mss. secundi generis.

[1] Ms. Colbert., *et sit quod credit.*

Dei appellentur. Hoc donum etiam per Prophetas promissum est, ut tunc daretur, postquam mysterium Dei declarari debuisset in Salvatoris morte, ut exstaret creatura Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum. Unde evangelista : *Spiritus*, inquit, *nondum erat datus, quia Jesus non erat clarificatus* (*Joan.* VII, 39). Clarificatio enim hæc est, cum per virtutem suam cognoscitur esse quod testificatus est de se, quia clarificatio hæc donum dedit, quod per Joelem prophetam fuerat promissum. Ait enim Deus : *In novissimis diebus effundam de Spiritu meo super omnem carnem*, etc. (*Joel.* II, 28). Et Apostolus inter alia : *Cum autem benignitas*, inquit, *et humanitas apparuit Salvatoris Dei nostri; non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis, per Spiritum sanctum, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum : ut justificati gratia ipsius hæredes efficeremur secundum spem vitæ æternæ* (*Tit.* III, 4-7). Confirmavit Apostolus quod per Joelem prophetam fuerat promissum, quia hoc postquam clarificatus est Jesus, implevit Deus, ut Spiritum sanctum effunderet in illos qui credunt in Christum : et hoc est hæredem fieri vitæ æternæ, Spiritum sanctum accipere; ut quia Spiritus æternus est, æternam habeat vitam qui accipit eum : pignus est enim immortalitatis. Qui enim accipit eum, et manet in ejus dilectione, transacta hac vita pergit in cœlos ad eum cujus Spiritum habet. Incongruum est enim ut qui hinc exit habens Spiritum sanctum, apud inferos teneatur. Signum est enim in homine victoriæ Christi, qua vicit mortem, Spiritus ejus, ut in quo fuerit Spiritus ejus ab inferis teneri non possit. Ac per hoc in veteribus sanctis non ita fuit Spiritus sanctus, sicut nunc est in fidelibus; quia exeuntes de sæculo, apud inferos erant : et non potest dici quia Spiritus sanctus causa peccati Adæ, quod per traducem generis omne semen ejus subjectum fecit inferis, simili tenebatur sententia data Adæ. Cum Prophetis ergo et justis viris sanctum fuisse Spiritum non est ambiguum : cum Prophetis, propter dispensationem; cum justis vero causa sanctitatis, sicut legitur de sancto Simeone, quia *Spiritus sanctus*, inquit, *erat cum eo* (*Luc.* II, 25); non ut signum esset adoptionis in eo, sed meritorum ejus gratia. Nam filii Dei credentes tunc esse cœperunt, quando manifestatus est Filius Dei, victa morte, cunctæ creaturæ. Si autem in Adam vel in cæteris sic dicatur fuisse Spiritus sanctus, sicut nunc est in fidelibus; quæ nova dona dedit Deus, cum regnum Filii sui dedicavit in nobis? Et quomodo felix et beatum tempus præ cæteris dicitur Salvatoris adventus, si ea præstitit quæ jam fuerant præstita? Et ubi est illud, quod dicit Salvator ad discipulos : *Multi*, inquit, *Prophetæ et justi cupierunt videre quæ videtis, et audire quæ auditis, et non audierunt* (*Matth.* XIII, 17)? Qua ratione ergo poterit dici quod beatitudo temporis hujus nihil amplius contulit doni, quam veteribus est collatum? Quod quidem ad injuriam proficit Salvatoris, ut nihil habuerit novum quod in ortu imperii sui suscipientibus se donaret : cum tamen laborare soleant divites, ut in die festo natalis sui exquisita invitatis dent apophoreta. Quanta ergo injuria est, ut Deus iis quos ad novum et inauditum diem festum et omni laude dignum invitavit, non dicatur habuisse inexperta quæ donaret? Et ubi est illud evangelistæ Joannis, quod dicit : *In sua venit, et sui eum non receperunt : quotquot autem receperunt eum, dedit iis potestatem filios Dei fieri; iis qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* (*Joan.* I, 11-13)? Igitur [illegible] non investitum est quod donavit credentibus in Christo, quando dedit eis potestatem filios Dei fieri, id est, fratres Filii sui proprii, non ex voluntate carnis aut viri, sed ex Deo, ut spirituales esse viderentur? Aut si prius gratia ista concessa est priscis, tunc nihil novum adventus Christi contulisse dicatur. Adæ certe carnalis et terrena fuit factura, non spiritualis. Non enim ex Deo sine carne et sanguine natus est, sed de terra a Deo factus est : ideoque non potuit Spiritum sanctum accipere, qui non erat spiritualis, et cui concessum non erat Patrem Deum vocare in oratione. Qui enim Spiritum sanctum accipiunt, his datur potestas ut per id quod Spiritum sanctum habent, patrem illum Christianorum in oratione appellent. Quod quia ante concessum non fuit, non possunt dici priores Spiritum sanctum habuisse. Ii ergo qui putant Adam vel cæteros habuisse Spiritum sanctum, nesciunt quale donum habeant Dei; nec gratias congruas possunt ei agere, qui plus cæteris accipientes nihil se dicunt amplius consecutos.

UNUM OPUS DIFFERRE SECUNDUM PERSONAS IN LAUDEM SIVE CONDEMNATIONEM.

CXXIV (*a*). — Una est misericordia in divite et paupere, sed aliter imputatur diviti, aliter pauperi : quia plus laudanda est in paupere quam in divite. Pauper enim de exiguitate sua largiri non timuit, sperans a Deo sibi retribui et in præsenti et in futuro. Credit enim Scripturæ dicenti quia *qui tribuit pauperibus, non egebit* (*Prov.* XXVIII, 27). Unde et paupercula [1] illa, divitibus multa mittentibus, sola meruit a Deo collaudari, quia de penuria sua largiri non timuit (*Luc.* XXI, 2-4). Divites vero securi de divitiis suis largiuntur, pauper autem securus de Domino. Bene igitur faciunt divites dum largiuntur egenis, sed multo melius pauperes. Ac per hoc alia remuneratio pauperis et alia divitis. Dives enim si hoc non fecerit, vapulabit : a paupere enim non exigitur tantum. Ideoque laudabilis est pauper misericors. Furtum in paupere et divite unum peccatum est, sed divitem plus facit reum : quia pauper per inopiam facit furtum, dives autem cum abundet non contentus suo, tollit aliena; et quod pejus est, solet pauperes exspoliare : ac per hoc differt pœna utriusque. Et justitia pauperis, et divitis una est; sed laudabilis est in paupere magis. In egestate enim servare justitiam, magnifica res est. Dives autem ideo servare videtur justitiam, quia alienus est ab inopia. Ergo uterque justus est, sed majus est in necessitate servare justitiam. Superbia una est, sed plus damnanda in paupere est quam in divite : quia dives copia elatus est, pauper autem in egestate superbus, quod ad insaniam pertinet, ac per hoc plus reus est pauper. Humilitas una est, sed magis laudanda in divite est. Quid enim magnum est si pauper humilis videatur, quem ipsa inopia humilem facit? Magnificum autem si hic qui dignitate et copiis commendatur, inclinet se, non sibi vindicans quæ mereri se novit. Ergo in omnibus humilitas bona est, sed multo magis in divite. Doctrinæ et studii una est causa; sed laudabilior in divite est. Pauper enim cum nulla prærogativa commendaretur, operam dedit ut haberet unde posset requiri : Dives autem cum esset unde commendaretur, adhibito labore auxit se, ut duplici genere necessarius esset; non enim avocatus copiis retraxit animum, quo minus per se floreret. Et ideo hic magis laude dignus est quam pauper, qui si studiis operam minime dedisset, per omnia remanserat vilis. Illum ergo voluntas, hunc necessitas fecit studii cupidum. Libido in paupere et divite eadem est, sed damnabilior in paupere quam in divite est. Pauperem enim ipsa egestas revocare debet a cupiditate luxuriæ : cogitare enim debet quia unde hoc impleat non habet, et dum hoc festinat adimplere, alia multa mala admittat necesse est, quibus forte nec ad præsens evadat; aut certe hoc ipsum quod habet insumens, mendicus remanebit cum nota. Divitem autem deliciarum copiæ lacessunt ad voluptatem libidinis; præsertim quia divites securi sunt de impunitate, scientes venalia esse judicia, et nec redargui se ab aliquo. Quis enim dignitate fultum virum et divitem arguere audeat? Unde magis accenduntur, ut et violenter hoc agant. Non solum enim minime

[1] Ms. Colbert., *paupera*.
(*a*) Deest in Mss. secundi generis.

reprehenduntur, sed in magno honore sunt, et gloriari possunt, quia tales sunt. Quod si uterque, id est, pauper et dives pudicus sit, multum differt pudicitia divitis a pudicitia pauperis. Pauperem enim potest humilitas revocare, ne quod vult possit implere, aut timor legum: dives autem cum multis suffragantibus causis ad voluptatem possit allici, laudabilis est, si avertat hinc animum. Alia ergo remuneratione dignus est dives pudicus, et alia pauper pudicus. Quod si rex sit pudicus, multum est gloriosum, ut omnia in potestate habens non contingat, quod scit impune a se posse fieri. Hic vere Deum timet, hic vere præcepta ejus custodit, qui in potestate habens leges, futurum Dei judicium contemplatur. Itaque grandis res est ut qui in præsenti non habet quem timeat, vincat quod delectat; cum delectatio tantum possit, ut non solum futura, sed et præsentia minime vereatur. Unde multum merentur quicumque hanc superant, sed plus ii qui in præsenti legibus et hominibus dominantur. Cæteri enim et homines et leges verentur; quare et propositum custodiunt. Ne enim apud homines erubescant, servant quod diu tenuerunt; et ne condemnentur, a prohibitis se abstinent: hic autem qui dominatione nec leges timet, nec homines erubescit, magnæ gloriæ est si se abstinet.

ADVERSUS EUSEBIUM.

CXXV (*a*). — Memini me in quodam libello Eusebii quondam egregii in reliquis viri legisse, quia nec Spiritus sanctus scit mysterium nativitatis Domini nostri Jesu Christi: et admiror tantæ doctrinæ virum hanc maculam Spiritui sancto inflixisse. Hoc enim dicens degenerem illum significavit. Neque enim potest dici de Deo esse, si nescit quæ Dei sunt: quia inferior natura quid in potiore sit, nescit. Sin vero substantiæ est ejusdem et divinitatis, quomodo potest nescire quæ sua sunt? Denique Filius Dei, quia, *Ego*, inquit, *et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30), propter unitatem substantiæ, non immerito adjecit, dicens, *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt; et quæ mea sunt, Patris sunt* (*Id.* xvi, 15). Quamobrem si Spiritus sanctus ejusdem divinitatis est, qua ratione segregatur, ne sit ejusdem scientiæ, cum ejusdem non negetur esse substantiæ? Quod plus est concessit, quod minus est renuens [1]. Creaturæ enim discit, et incipit aliquanta scire de auctore suo, et erunt ei quæ didicerit cum auctore suo communia: substantia autem vel divinitas non potest ei esse et creaturæ communis. Nam Dei substantia non habet quod discat, quia nihil est quod ignoret: substantia vero hominum non habet in natura ut sciat, sed ut discat. Itaque naturæ hominum accidit scientia: non tamen immutatur substantia; quia hominis natura debebat scientiam: sic enim condita est, ut per exercitium acquirat scientiam. Igitur major est substantia quam scientia: quia non scientia acquirit substantiam, sed substantia scientiam: et substantia est sine scientia, neutrum sine scientia potest esse sine substantia. In Deo autem sicut est substantia, ita et scientia: substantia enim quæ nihil habet quod discat, ipsa substantia est illi scientia. Quamobrem omnia in Deo substantiva dicuntur. Substantia enim cui nihil deest, omnia substantialiter habet; quia nihil ei accessit post studium. Quomodo ergo dici potest de Spiritu sancto quia nescit nativitatem Filii Dei, si consubstantivus est ei? Numquid potest una eademque substantia, et scire, et nescire? Certe Filius Dei mysterium nativitatis suæ non didicit; scit enim substantialiter, non per doctrinam: qua ergo ratione Spiritus sanctus dicitur nescire, cum similiter ipse non didicerit quod discit, quia omnia novit per substantiam? Sicut enim Filius Patris, ita et Spiritus sanctus Dei substantia est, dicente Domino, *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt*; per quod significavit substantiam Dei Patris sui in se esse, substantiam. Et Spiritum sanctum a Patre dicit procedere, et de suo accipere: *Et ideo*, inquit, *dixi, de meo accipiet, quia omnia quæ Patris sunt, mea sunt*. Si a Patre procedit, et de Filio accipit, quomodo Filii nescit nativitatem; quando substantia ejus substantia Filii est? Omnia enim quæ Patris sunt, Filii sunt. Sine dubio ergo Patris substantia et in Spiritu sancto est. Adjecit enim Filius, dicens: *Et omnia quæ mea sunt, Patris sunt*. Quid ergo ambigitur de Spiritu sancto, an ejusdem divinitatis sit, cum sit ejusdem substantiæ? Nam sicut de se dixit Dominus quia a Deo processit, ita et de Spiritu sancto testatur. Et re hæc aliter possit intelligi? *A Patre*, inquit, *procedit* (*Joan.* xv, 26): et, *De meo accipiet* (*Id.* xvi, 14): ut a Patre procedere, hoc sit de Christo accipere. Cum enim dicitur de Filio Dei accipere, non ambigitur etiam ipse esse de Deo, ut in sancto Spiritu Patris esse substantia et divinitas non ambigatur. Itaque qui hunc dicit nescire Filii Dei nativitatem, ipsi derogat cujus dicitur accepisse. Nec enim aliud accipit, quam ipse est de quo accipit; quia accepisse de Christo, de Deo processisse significavit: ideoque non potest nescire, quod hic sit de cujus accepit; neque ignorare dicendus est Dominum, quia a Deo processit. Certe Filius Dei, quia de Patre est Deo, scit omnia Dei: quare ergo Spiritus sanctus negetur scire quæcumque Christi sunt, cum de eo acceperit? Itaque si scit Filius Dei quæ in Deo sunt, dubium non est etiam Spiritum sanctum non ignorare quæ in Filio Dei sunt: et per id quod novit quæ sunt in Filio, non nescire dicendus est quæ in Deo sunt. De eo enim de quo accipit, Dei habet notitiam. Et quid laboramus, cum testis sit in hac re Apostolus, dicens: *Nemo scit quæ sunt in Deo, nisi Spiritus Dei* (*I Cor.* ii, 11)? Ecce in quo diu sudavimus, Apostolo adjuvante implevimus. Et numquid præjudicavit Filio Dei, quia neminem dixit scire quæ in Deo sunt, nisi Spiritum Dei? Absit. Sic nec præjudicavit Spiritui sancto Filius, cum dixit: *Nemo novit Patrem, nisi Filius*. Neminem enim dixit scire quæ in Deo sunt, præter eum qui de Deo est: quia omne quod de Deo est, novit Deum, et quæ in Deo sunt. Natura enim Dei, ipsa se novit; quam cum intelligis esse etiam in Spiritu sancto, per id quod a Patre processit, et de Filio accepit, tutum non est istum dicere nescire Patrem Deum, cujus naturam agnoscis in eo: et tamen Salvator sic dixit, neminem scire Deum Patrem nisi Filium, ut reservaret alii personæ hujus cognitionem: statim enim subjecit, dicens: *Et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* xi, 27). Cui, putas, velle revelare Filium? Non enim charior esse potest quam Spiritui suo: quia *si quis*, inquit, *Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* viii, 9). Quomodo ergo potest creatura Deum Patrem a Filio Spiritui solo, nisi creatura ipse Dominus ait, *de meo accipiet*. Creaturæ enim revelari non potest Pater Deus; quia Deum creatura nosse non potest, nisi fuerit ejusdem substantiæ: lucem etenim habitat inaccessibilem creaturæ dicit esse (*I Tim.* vi, 16). Sed quibus ratio videtur nihil dici nescire mysterium nativitatis Filii Spiritus sanctus, quia omnia dicitur scrutari (*I Cor.* ii, 10), et qui scrutatur, inquiunt, nescit utique. Quod ex alio loco debet intelligi: Dei enim verba sunt inter cætera dicentis, *Ego Deus qui scrutor renes et corda* (*Jerem.* xvii, 10); et in Psalmo, *Scrutans*, ait, *corda et renes Deus* (*Psal.* vii, 10); et Apostolus, *Qui scrutatur*, inquit, *corda*, scit quid desideret Spiritus: *quia secundum Deum voluntatem postulat pro sanctis*. His exemplis cum scrutari Deum Dei Spiritus, non ignorare significatur. Etiam illa Dei dicitur scrutari: et quæ sunt alta Dei, quæ a nullo perscrutari possunt, omnia scire significat per hoc, ut per id nihil esse occultum ei credatur. Alta enim Dei, et profunda sunt Dei, quæ scrutari a creatura non possunt. Nam et secundum Dei voluntatem pro sanctis postulare, quod sancti utique nesciunt, dicente Apostolo: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus* (*Rom.* viii, 27. 26). Ergo

[1] Ms. Colbert., *Quod plus est concedis, et quod minus est retines*.

(*a*) Deest in Mss. secundi generis.

alta Dei scire, et voluntatem Dei non ignorare, unum significat. Quid enim tam altum mysterium, quam voluntas est Dei, quod cognitum est Spiritui sancto, cæteris vero incognitum est omnibus? Contuendum etenim est quomodo dictum sit, quia *nemo scit quid sit in homine, nisi spiritus hominis, qui in eo est* (I *Cor.* II, 11) : spiritum animam significavit ; quia nemo scit quid sit in animo hominis, nisi animus ejus qui est spiritus. Sic et in Deo nemo scit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei, hoc est, ipse Deus. Qui enim de Deo est [1], non aliud intelligitur esse quam Deus est. Ideo Spiritus Dei scit quid in Deo est, quia de Deo est. Nam si cogitationes hominum nemo novit nisi Deus; quanto magis Dei secreta et voluntatem nullus potest cognoscere nisi sit de Deo, hoc est idem ipse Deus? Ipse est enim sibi soli cognitus. Nam utique in Deo non sunt cogitationes. Nec enim tractat apud se quid faciat, aut quid non faciat, deliberans an expediat; quia omnia quæ in Deo sunt sine dubitatione sunt non per accidentiam, sed per substantiam; nec per studium, sed per naturam; quia non immutatur[2]. Ac per hoc non aliter novit Spiritus sanctus mysteria Dei, nisi per substantiam : una enim substantia unum habet sensum et voluntatem. De Deo loquitur, qui semper unus et immutabilis est, sive in Filio, sive in Spiritu sancto. Quod enim vult Pater, hoc vult et Filius ; et quod vult Filius, eadem vult et Spiritus sanctus. Quamobrem aliquando dicitur Spiritus Dei, aliquando Spiritus Christi : *Qui a Deo*, inquit, *procedit;* et, *de meo accipiet.* Hinc est unde Joannes apostolus ait : *Ex hoc scimus quia Deus in nobis manet, de Spiritu suo, quem dedit in nobis* (I *Joan.* III, 24). Ergo si Spiritu Dei in nobis manente, manere dicitur in nobis Deus, Deus significatur esse Spiritus Dei. Denique, hoc est signum credentium, quod sint filii Dei, ut cum hunc accipiunt, Dei se filios audeant appellare. Nisi enim signum deitatis habuerint, Dei filii dici non poterunt. Quanquam aliquis verus Dei filius non est, ut sit totus de toto, sicut et Christus. Per adoptionem autem fiunt filii Dei, ut accipientes Spiritum Christi per ipsum filii Dei dicantur, per id quod de Deo est quem in se habent Spiritum. In filiis enim, quamvis adoptativi sint, patris tamen ex aliqua parte debet videri substantia. In mundo enim quia res imperfectæ sunt, adoptati ab hominibus filii nullum pignus, sed solum nomen accipiunt. Deus autem quia perfectus est, plus facit, ut adoptatis Spiritum suum det, per quem aliquam veritatem adoptati ab eo videantur habere; quia vocabula sine rebus inania sunt, Apostolus noster hanc assertionem nostram adjuvat, dicens : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*Rom.* XI, 33)! Quid tamen sibi vult, quod cum alibi dicat scrutabilia esse alta Dei, id est secreta, hoc in loco deneget, dicens inscrutabilia esse? Sed in hoc loco de creatura dixit, quia inscrutabilia sunt ei secreta vel judicia Dei : Spiritui autem sancto, eo quod omnia Dei noverit, scrutabilia dixit esse cuncta quæ in Deo sunt ; ut quod creaturæ incognitum est, Dei Spiritum asserat non ignorare. Dei ergo natura negari non potest, quæ cognitum habet quod a creatura non potest comprehendi. Qui degenerem dicunt Spiritum sanctum Dei, pulsant propositum, qui totius creaturæ salutem in Trinitatis divinitate consistere declaravit : quia si consubstantivus non est Deo et Christo, ineptum est ponere istum in numero Patris et Filii, ut sine hoc neque salus alicui sit, neque dignitas. Si enim non est ejusdem divinitatis, aut stulte, aut gratis effectum est[3]; quod absit. Quis enim prudentium deneget Creatorem cum creatura connumerari non posse, neque æternum cum eo qui sub initio sit comparari, neque Dominum cum servo æquari, neque potentem cum impotente conferri, neque scium cum inscio deputari? Sed jam cesset calumnia. Tertius enim ordine est, non natura; gradu, non divinitate; persona, non ignorantia. Sicut enim Filius Dei secundus a Patre est, et divinitate minor non est; ita et Spiritus sanctus sequens a Filio est, non impar, sed æqualis divinitate substantiæ. Denique quæ legimus de Filio Dei, eadem legimus et de Spiritu sancto, ipso nobis testante. Ait enim : *Rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis* (*Joan.* XIV, 16). Alium cum dixit, se Paracletum significavit. Quod Joannes declarat, dicens quia Filius Dei *postulat pro peccatis nostris* (I *Joan.* II, 2). Et Paulus apostolus : *Ipse*, inquit, *Spiritus Dei postulat pro nobis.* Ecce Scriptura ambos advocatos esse ostendit. Et cum veritatis illum dixit Spiritum, nihil illum a se differre ostendit, quia dixit : *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6.) Missum se a Patre dixit, et ipse mittere se Spiritum sanctum promisit. Si ipse a mittente impar non est, neque a mittente impar ab illo Spiritus sanctus est. Neque enim quia tres sunt singuli, alter alterius membra sunt, ut diversa possint. Una est enim trium potentia, ut nihil desit singulis. Hic finis sit. Jam enim in libello adversus Arianam impietatem digesto, reliqua plenius tractata sunt, quæ Trinitatis complexa sunt indiscretam unitatem.

DE EO QUI FIDEM CHRISTI PERCEPIT[1].

CXXVI. — Scriptum est, *Quia justo nihil proderit justitia ejus, in qua die erraverit : et quia injusto nihil oberit injustitia sua, cum se converterit* (*Ezech.* XVIII, 26, 27). Et Dominus in Evangelio, *Qui non crediderit*, inquit, *jam judicatus est* (*Joan.* III, 18) : ut per hoc eum qui crediderit, non judicio subjectum ad sententiam excipiendam significaret, sed fidei merito laude dignum futurum. Ergo cognitio Dei hanc habet prærogativam, ut peccatorum consequatur remissam. Credens enim Dei esse Filium Jesum, dignus existit ab omnibus liberari peccatis. Diu enim errore devius, cum per diversa ignorantiæ fluctibus jactaretur, illuminatus veritatis coruscationem nactus est, in qua post nimias tempestates requiescat securus : cui congruit, ut post cognitionem temperet se ab iis quæ jam pridem in ignorantia positus agebat. Quid enim prodest cognitio, si manet pristina conversatio? Hinc etenim quis videtur cognovisse Deum, si vitam mutet, et conversationem suam corrigat. Cognitus enim Deus timeri debet, quia judicaturus prædicatur, ut et fideles justitiæ suæ percipiant fructum, et impii, id est increduli, perfidiæ suæ congruas pœnas exsolvant. Convenit enim justos in futuro gaudere, ubi regnabit Christus cum suis : ut sicut in sæculo sunt opprobrio, et injuriis subjacent, in quo princeps est diabolus : ita et in regno Christi gloriosi appareant, propter quem contemptibiles judicati sunt a mundanis : injustos autem quia falso florere videntur, per mendacium repugnantes veritati, in pœna tribulari; ut qui per fucum gloriosi visi sunt, per verum despecti et humiliati nimis appareant. Tunc enim justi se credidisse gaudebunt, cum perfidos viderint cruciari : et nec pœnitebit perfidos non credidisse nisi viderint gloriam eorum et suam pœnam, quos quia crediderunt stultos, et contemptibiles arbitrati sunt. Ergo ex eo quod profitetur se quis christianum esse, id studere debet ne peccet, et armare se contra vitia : et quia impossibile est semper vincere, si victus fuerit, dolere ne iterum vincatur; quia qui se dolet victum, reparat se. Qui ergo repugnat, habet unde se excuset, si victus fuerit. Ostendit enim se votum habuisse vincendi, sed minime prævaluisse. De hoc spes est quia potest se reparare, ut assidua meditatione in congressione peritior et fortior inveniatur. Nam qui ad hoc surgit, ut peccet, inexcusabilis effectus pergravem habet causam. Pejus est enim sub Dei vivere professione, et voluntatem habere peccandi, quam si ignoret quis Deum et turpiter et contaminate verse-

[1] Editi, *in Deo.* At Ms. Colbert., *de Deo.*
[2] Ms. Colbert., *immutantur.*
[3] Ms. Colbert., *aut gratiose factum est.*

[1] Quidam editi addunt : *quid præeminentiæ seu prærogativæ habeat ad gratiam consequendam plus quam infideles.*

tur. Hic enim nescit quem timere debeat, ille sciens contemnit. Credentes ergo accipiunt remissionem peccatorum; non tamen gloriosi erunt, nisi post acceptam fidem vixerint sub Dei timore, ut colluctati contra hostes christiani nominis victoriam faciant, ut possint præmium mereri dum plus vincunt quam vincuntur. Nam qui intelligit Deum, et non accedit ad fidem ejus ne vivat christianus, sed in fine vult fidem accipere, ut moriatur christianus, aut erubescit christianus vivere, aut peccatis operam dat, quæ arbitratur posse sibi remitti cum crediderit; istum puto non bonam causam habere: quia ut quamdiu in sæculo est, peccet, non vult fieri, nec vivere christianus, aut confunditur fieri christianus. Qualem sperat Deum, cui cum militare erubescit, vult ab eo stipendium accipere? hujusmodi irrisor est. Sciens enim se jam non tempus habere ut peccet, morte imminente, tunc vult fieri christianus; ut quia jam non potest peccare, credere se dicat in Christum, qui exsecratur peccari, ut non jam nolit peccare, sed non possit præveniente morte. Istis debet legi quia *Deus non irridetur* (*Galat.* vi, 7). Nam et solent hujusmodi talia dare mandata, ut jam defectis et alienis, tantum anhelantibus detur fides, timentes ne evadant, et confundantur, quia facti sunt christiani. Quibus recitanda sunt Evangelii verba: *Qui*, inquit Dominus, *erubuerit me confiteri in hac generatione* [1], *et Filius hominis confundet eum, cum venerit in regno Patris sui* (*Matth.* x, 33). Sed forte dicant, scientes fragile esse genus humanum, idcirco in fine vitæ volumus fidem accipere, ne jam peccemus. Sed fides sic accipi debet, ut sciatur quid accipitur. Tunc enim beneficium ejus habebit, si cognoscat, et profiteatur eam. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* x, 10). Ac per hoc, qui jam nescit ubi sit, quomodo potest dici accipere? Ille enim accepit, qui profitetur se accepisse, sciens quia accepit. Si enim credunt quia datur credentibus remissio peccatorum, scire debent quia hic credit, qui corde suo teste credit. Quia Deus, qui promisit, cordis inspector est: ipsum enim suscipit quem corde videt credere. Itaque cujus cor verba fidei non advertit, quomodo beneficium ejus habebit? Ergo hic potest videri non temere fieri christianus accepta fide, qui id agere cernitur, ne facile peccet. Nam qui peccare festinat, idcirco non vult accipere fidem, ne cogatur bene vivere, quod videtur nolle; sed in morte vult consequi, impunitatem sperans, et remissionem præteritorum malorum, ut et de præteritis securus sit, et de futuro; quia jam utique non poterit peccare moriturus. Sed hoc non bono fit consilio, neque munda conscientia, ut tunc velit accipere fidem, quando jam non possit, non nolit peccare. His convenit dictum illud, *Faciamus mala, ut veniant bona;* hoc est, modo peccemus, et in novissimo credamus, et remittetur nobis. Ideoque subjecit, *Quorum damnatio justa est* (*Id.* iii, 8). Non est enim dignum ut his detur remissio peccatorum, qui jam scientes Deum qui nolit quemquam peccare, et odio habeat peccatores, peccare gestiunt; nolentes advertere, donum Dei his proficere, qui ignorantes Deum sic peccant, ut nesciant judicaturum Deum. Qui autem audivit et tractavit apud se, et votum habet peccandi, non ut vincatur aliqua cogente causa, sed velit peccare, durum est ignosci ei. Nam duæ causæ sunt quæ habent peccatorum remissam: una doni, alia pœnitentiæ, ut qui post donum peccaverit, per pœnitentiam reformetur. Quia enim in accepta gratia non permansit, ut in libertate duraret, sed iterum se subjecit peccato, lamentatione et gemitu impetrat oblitterari peccatum; sciens enim prudensque peccavit: non quod aliquis ignoret peccatum, sed qui nescit Deum judicaturum, impune putat futurum quod peccat. Ac per hoc gentilis si cœperit infirmari, et in ipsa vitæ desperatione tractet apud se de fide et spe promissa, integram habet causam, ut huic credenti remittantur peccata, nec teneatur in inferis, signum ferens secum evictæ mortis ac spoliatæ, licet non habeat dignitatem vel remunerationem. Quia debet aliquid interesse inter eum qui provocatus amore sui Domini contra hostes ejus dimicare non timuit, armans se continentia et observatione omnium vitiorum, ut possit resistere malo, semper sollicitus quomodo imperium Domini sui defendat; et inter eum qui cum inimicis Domini sui conveniens, et eis assistens, in fine vitæ ad Dominum suum regressus est, non ut regnum Domini sui vindicaret, sed ut sibi soli prodesset esse civis antequam miles. Ille enim qui vivere vult christianus, ut post mortem remuneretur, scit quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (*Rom.* viii, 18). Ac per hoc suscepta armatura fidei non dubitat congredi contra principes et potestates, ut in sæculo existens victor, post sæculum coronetur. Dignum est enim ut qui inter perfidos et rebelles Domini sui regnum ad præsens testatur, hujus rei in futuro consequatur mercedem: ut videntes inimici Dei testem Christi propter confessionis suæ veritatem sublimem apparere in regno Dei, doleant confusi falsum se æstimasse quod verum esse declaratum est; necnon et hi qui tarde crediderunt, non in vita, sed in morte confitentes Deum, videntes quanta eorum gloria est, qui sub armatura Christi militantes bella imperatoris sui devote et fideliter gesserunt, pœniteant non se vixisse, sed mortuos esse christianos. Potest enim videri minime idoneus mori christianus, qui votum non habuit vivere christianus: forte enim jam moriturus, idcirco voluit dici christianus, quia jam tempus peccandi non erat; Ne forte, inquit, verum sit quod creditur, volo fieri christianus, nihil amittens, si falsum est quod creditur: et quia jam in morte non voluntas [1] peccandi, sed peccatum fieri desinit, tentat si prodesse poterit fides post mortem; cum hoc utique fuerat utile, ut hic vitia et peccata emendarentur, ubi fuerant admissa. Tunc enim aliquis condemnasse se præterita probat, quando fidei lineam sequens, conversationem et vitam videtur mutare. Si enim prius ideo peccabat, quia nesciebat Deum, cum cognoscit eum, ultra non debet peccare, ne frustra sit cognovisse illum. Debet enim aliquis perfectus esse ex cognitione Dei. Christianus enim ante professionem debet intelligere operibus magis se probandum quam nomine. Nam propterea mandata data sunt cæteris legibus potiora [2], et ad sanctitatem pertinentia, ut ex his Dei cultura appareat: si quominus, audient, *Quid me vocatis, Domine, Domine, et non facitis quæ dico* (*Luc.* vi, 46)? Per quod tunc significavit prodesse Dominum vocari Dominum, si mandata ejus serventur: irrisor enim videtur qui Dominum vocat eum cujus præcepta contemnit. Huic verba Legis recitanda sunt, quæ dicunt quia *Deus non irridetur*. Itaque verbis suis condemnabitur, quia Dominum vocat quem minime se timere operibus suis ostendit.

DE PECCATO ADÆ ET EVÆ [3].

CXXVII (*a*).—Nulli dubium arbitror, mundum istum hominis causa esse fabricatum: qui cum diversis constet substantiis, unus est tamen multis membris aptatus, ut ex his invicem mutuis operibus, quæ necessaria homini futura erant, gignerentur. Domus enim facta est homini cum annona, ita ut singula eorum secundum genus fierent super terram, id est, ut facta hanc haberent insitam [4] potentiam in propagine uniuscujusque generis eorum quæ crearentur in terris. Origines enim institutæ sunt, quarum semen proficeret ad procreationem multiplicandorum generum

[1] Ms. Colbertinus: *Qui enim me erubescit, inquit, et mea verba in hac,* etc.

[1] Sic Ms. Colbertinus. At editi, *non est voluptas peccandi.*
[2] Ms. Colbertinus, *puriora.*
[3] Quidam editi addunt, *de eorum conditione et donis gratuitis.*
[4] Sic Ms. Colbertinus. Editi vero, *hinc haberent infinitam.*
(*a*) Deest in Mss. secundi generis.

super terram. Unde Scriptura testatur, *Et benedixit illa Deus, dicens : Crescite, et multiplicamini super terram* (*Gen.* I, 22, 28). Simili modo etiam hominum genus benedictum est : quem sensum continemur in Lege. Cernimus enim scriptum esse, *Crevit populus, et multiplicatus est in Ægypto* (*Act.* VII, 17). Qua benedictione enim benedicta sunt, quæ ad utilitatem creata sunt hominis, ea benedictione et homo est benedictus, ut similiter ex mare et femina propago generis humani cresceret et multiplicaretur super terram : et ut sicut per culturam melioranda erant semina, ita et hominum genus adhibita cura id studeret, ut Creatoris cognitione percepta, vitam suam frenaret ad promerendum eum, ut simul omnia proficerent ad laudem et gloriam Creatoris. Et quoniam non aliud hæc dicta significant, res ipsæ testantur. Omnia enim quæ facta sunt, Dei nutu multiplicata et meliorata super terram. Nec enim aliter posset accidere, quam Dei voluntas et benedictio decrevit seminibus. Quomodo ergo dici potest male fieri, aut non licere quod ex Dei benedictione et ipso favente augmentum facit? Cujus rei traditio et in Synagoga mansit, et nunc in Ecclesia celebratur, ut Dei creatura sub Dei benedictione jungatur. Non utique per præsumptionem, quia ab ipso auctore data est forma. Sed si cessare debere putatur, tunc cessare debebit, quando cessatura et illa sunt, quæ similiter benedicta sunt ut multiplicarentur : quia si generatio hominum cessat, ad quam utilitatem nascuntur, quæ benedicta sunt super terram? Non potest enim mundus ex parte agere, et ex parte cessare. Aut totus enim operatur, aut totus pausat in otio. Numquid utile corpus est, cujus quædam membra vigent, quædam torpescunt? Quod ergo a Domino benedictum est, cur sordidum et contaminatum opus a quibusdam asseritur, nisi quia ipsi Deo manus quodammodo infertur? Non enim hoc reprehenderent, nisi de Deo hujus operis auctore male sentirent. Quia enim aperte Deo detrahere verentur, per opus tamen ab eo inventum accusant eum. Quando enim displicet opus, reprehenditur auctor. Si hujusmodi homines legerent, aut potius acciperent Scripturas, memores essent Balaam dicentis, *Quid maledicam quem benedixit Deus* (*Num.* XXIII, 8)? Frustra enim accusatur qui a judice laudatur : imo ipse sui accusator est, qui reum dicit quem leges defendunt. Quis ergo tu es qui damnari censes quod a Deo benedictum legis, nisi aut Deum hunc negas esse, aut Scripturam falsam accusas? Sunt enim qui quasi nova accipientes, vetera repudianda putant. Sed non discrepant ab his nova, per Christum præcepta populis intimata. Ipse enim rogatus ad nuptias ire non dedignatus est : et non solum præsentia sua illustravit eas, verum etiam contulit quod deerat ad lætitiam (*Joan.* II, 1-11). Scriptum est enim, *Quia vinum lætificat cor hominis* (*Psal.* CIII, 15, *et Eccli.* XL, 20). Et ut hoc secundum Dei Patris sui voluntatem fecisse se demonstraret, Judæis interrogantibus an liceat homini dimittere uxorem suam, respondit inter cætera, dicens : *Quoniam ab initio fecit Deus masculum et feminam, et dixit : Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 4-6). Hinc est unde rogatus ad nuptias iit libenter, ne factum Dei et Patris sui infirmare videretur. Magis autem Legis veteris et novæ doctrinam concordare ostendens, nuptias non solum non prohibuit, sed et interesse dignatus est, testimonium eis tribuens quoniam Deus auctor earum est; et quod a Deo junctum est, neque prohiberi, neque separari debere salutari præcepto monstravit. Et quia nativitas prodest, cum jam relinqueret mundum, matrem suam Joanni discipulo suo commendavit (*Joan.* XIX, 26, 27). Quamobrem et nos per omnia Legis veteris et novæ mandata servantes, parentes honorare docemur (*Deut.* V, 16, *et Matth.* XV, 4) : quod nisi fecerimus, maledictum nos incursuros cautum est Lege. Itaque quænam est hæc præsumptio, aut ex qua lege descendit, nuptiarum aditus intercludere, quando tam nova quam vetus Lex per omnia istis favere videatur? Sed illud est quod legimus, quia *quod extra est, a malo est* (*Matth.* V, 37). Unde Apostolus hujusmodi homines cauteriatam dicit habere conscientiam, qui prohibentes nubere, et a cibis quos Deus ad percipiendum creavit, abstinendum docent (I *Tim.* IV, 2, 3). Hoc enim in hypocrisi, inimicitiarum causa facere denotantur, ut Legem a Deo traditam criminentur. Alii ideo studentes præceptis salutaribus obvias manus tendunt, ut pravæ doctrinæ mandata commendent : ac per hoc cauteriatam habere dicuntur conscientiam. Corrupta enim mente aliud scientes, aliud profitentur. Sicut et Judæi, qui non ignorantes gesta Salvatoris opera esse Spiritus sancti, invidentes dicebant quia *in Beelzebub ejicit dæmonia* (*Matth.* XII, 24) ; ut populum a fide ejus averterent. Talis est etiam supra memoratorum versutia, quia ut sanctitatis et castimoniæ amatores esse se simulent, nuptias esse dicunt damnandas, ut per hoc commendentur, et populum a veritate avertant : et ut abstinentiæ se studere fingant, temperandum a cibis tradunt, ut per hoc se alienos a mundo ad cœlestia regna festinare ostendant, per quod mentes hominum illicientes deinceps illicita doceant licere, et licita quasi inconcessa damnare. Hæc sunt præstigia satanæ, ut causas invertat, quasi novum insinuans aliquid, excludat veritatem, in qua nihil novum est, quia totum æternum. Quis non advertat sensum istum ab adversariis esse aptatum? Quis enim audeat Dei inventum reprobare, et quod nunquam alicui obfuit, nisi adversario veritatis? Qui ut impuritatem suam tegat, sanctimoniam prædicat quam non amat, ut dum ex eo se quasi bonæ voluntatis ostenderet [1], illicita suadeat quasi licita. Commendat enim se ut promptius fallat, ac per hoc captis imprudentibus suggerat, per quæ plus eos faciat peccatores : quia ut causæ suæ aliquam conferat medicinam, granditer suadet homines peccare, magnum ex eo quærens solatium, dum criminis sui socios multos ostendit, levem pœnam æstimans, ac si minus gravis sit, si secum multos videat in gehenna. Cæci homines [2], dum vincuntur vitiis, aut per infirmitatem, aut per ignorantiam sese defendunt, non vindicando hæc quæ contraria decipit concupiscentia. Aut quæ obstat caligo ut non quod verum est, videatur? Nam solent litteræ aliud videri significare, dum aut non bene pronuntiantur, aut improprie distinguuntur. Cum autem legitur, Fecit Deus; et, Benedixit quod fecit : quis hinc disputet? quis dubitet? quis quod benedictum est, maledictum putet, nisi alio spiritu animetur? Quod quidem si hominis vox esse diceretur, forte aliqua fallacia crederetur : Deus dicitur loqui, et dubitas? Deus benedixit, et reprobas? Sed forte sub Dei nomine Moyses errorem induxit? Satis tibi faciant signa et prodigia per Moysen facta in Ægypto; suadeant tibi mirabilia quæ in Rubro mari gesta sunt ad liberationem filiorum Israel. Audi magos confitentes quia *digitus Dei est hic* (*Exod.* VIII, 19). Consenti Apostolo dicenti, *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes per Moysen baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt. Bibebant autem de potu spirituali consequente eos petra : petra autem erat Christus* (I *Cor.* X, 1-4). Et unde hoc Apostolus locutus est? Præsto est Scriptura, in qua legimus Christum Dominum nostrum dicentem Judæis, *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi; quia de me scripsit Moyses* (*Joan.* V, 46). Quis huic concordiæ fidem deneget? quis audeat dicere, quod unum est discrepare? quis tam malæ mentis est, ut individuam charitatem contendat videri inimicitiam?

[1] Sic juxta Er. Lugd. Ven. et Lov. In B., *ostendet*. M.

[2] Ms. Colbertinus : *si secum multos viderint in peccatis, nec cæteris homines dum vincuntur vitiis*. Et paulo post, *defendent non vindicanda hic*.

Ecce habes et verborum testimonia, et exempla virtutum, quæ animum tuum subjugent veritati, ut non aliud putes verum quam quod Ecclesiæ catholicæ continent libri. Quoniam igitur probatum est eumdem Deum fuisse in Veteri Testamento, qui nunc noster est, et hunc multis virtutum indiciis verum esse, in tantum ejus auctoritas debet præferri, ut etiam id quod asperum, et forte absurdum a nobis æstimatur, acceplo ferri debeat, et aliter sentiri quam a nobis putatur, si Dei judicio commendetur; quia magis Deo credere debemus quam nobis. Infirmitas enim nostra et imperitia, utilia solet judicare quæ nociva sunt, et æstimare falsa pro veris: quod de Deo vel suspicari nefas est. Non est enim natura, quæ possit falli: quanto magis de conjugiis dubitari non debet, Deo dicente, *Quod Deus conjunxit, homo non separet?* Est enim res aperta et simplex. Certe omnis homo gaudet cum fuerit Dei dignationem adeptus, et meliorari se credit dum sacramentum Creatoris addiscit, quod utique non assequeretur, nisi natus. Cur ergo plangit quod gaudet, et quod gloriatur se didicisse, condemnat? Si enim gaudet quia didicit, non autem didicisset, nisi natus fuisset; sine dubio bonum est nasci, quia fructus nativitatis, cognitio est veritatis. Si autem malum est nasci, non erit bona cognitio. Cui enim rei proderit cognitio, si damnatur nativitas? Quia si non expedit nasci nec debet, inane est ut discat damnandus. Sed quia nemo tam hebes est, ut neget cognitionem Dei prodesse hominibus, et bona et utilis est. Per ipsam enim melioratur nativitas, ut meliorata nativitas plus mereatur quam fuerat collatum Adæ: quia in cœlo, non in terra regnabunt credentes, in paradiso Dei Patris, non in quo Adam corporaliter jussus fuerat operari. Nam si encænia celebrabantur Jerosolymis, id est, dedicationis templi Dei agebatur festivitas; quanto magis ipsius hominis celebrandus natalis est, qui magis templum Dei est; cujus etiam, ad agendum Deo gratias, manibus templum est fabricatum. Melius est enim templum, corpus nostrum: quia hoc Dei opere, illud vero humano labore constructum est; et hoc sub spe æternitatis est, illud perditionis. Itaque qui Deo instituente natum se novit, ut ei gratias agat, cognitum habens mysterium ejus, debet in natali suo gaudere, videns profectum esse nativitatis suæ. Vere autem illi nasci non debuerunt, qui Creatorem suum relinquentes, gloriam ejus aliis deputant: horum enim nativitas proficit ad pœnam: sed non nativitas crimen incurrit, sed voluntas. Sed quis es tu, qui nuptias prohibes? Forte Marcion, quia corpus non a Deo fabricatum putas, sed a diabolo: animam vero errore quodam lapsum passam, ut ad tenebrarum partes, in quibus nunc mundus est, veniret, contendis. Quomodo ergo posset hinc liberari, si prohiberetur generari? Natus enim cognovisti casum tuum, et data operâ id egisti ut remeares ad patriam [1] sedem, redditus sorti tuæ. Denique gratias agere te dicis Christo, per quem hanc cognitionem assecutum te gratularis. Age vero, si natus non esses, cessaret cognitio, nec prosequeretur liberatio. Itaque si gaudes animam liberari, fave nativitati: nam si nativitati resistis, inimicus es animarum. Aut si Manichæus es, qui nuptias quasi contrarias renuis, quæro a te, si corpora minime gignerentur, quomodo anima hinc, quam fusam in tenebrarum partem et hærentem hylicis rebus asseris, eriperetur? Nascendo enim liberari eam in libris vestris scriptum habetis, ut a luna susceptæ animæ et exeuntes de corporibus soli tradantur, quem Deum vestrarum asseritis animarum. Nam gaudetis, cum Manichæi vocamini. Per hoc enim nomen liberationem vestram flagitatis: quod utique nesciretis, nisi nati essetis. Longe itaque apparet per hypocrisim vos nuptias condemnare. Sanctimoniam enim profitentes, latenter immunditiæ studetis; quod non solum privatum sed etiam edictis proditum est imperatorum.

[1] Ms. Colbertinus, *patricam.*

Audi nunc, catholice, et ex Evangelio disce [1], prodesse hominis nativitatem. Cum Simeon enim vir justus vellet exire de sæculo, sufficere sibi putans Creatoris sine mysterii ejus cognitione notitiam, non permissum est ei nisi incrementum faceret in Dei perceptione, ut plenam haberet fidei suæ mercedem. Denique natum Salvatorem accipiens in manibus benedixit Deum, et dixit: *Domine, nunc dimittis servum tuum, secundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc.* II, 29, 30). Manifeste ostensum est Dei beneficium esse in hominis nativitate, quando viro justo de morte cogitanti responsum est quod non ante moreretur, quam Christum Domini vidisset: in tantum enim proficiebat in vita, ut dignus fieret etiam in præsenti videre quem liberatorem sperabat post mortem. Qui ergo reservatus in vita non permissus est mori, nisi spei suæ fructum vidisset, ut securus esset quia de vita ad vitam transiret; quomodo potest dici non huic profuisse nativitas? Si enim malum est quod nascimur, non paradisus promitteretur, non vita æterna, non regnum cœlorum, sed pœna et gehennæ perditio, ut timeret alterum generare, qui se sciret natum ad perditionem; ut ille qui se illicite natum sciret, non affectaret generare. Sed forte dicatur: Regnum quidem cœlorum promissum est, sed fidelibus et bene agentibus. Recte. Vides itaque non ideo reos fieri homines, quia nati sunt, sed quia male conversati sunt. Neque enim non natis promissum est regnum cœlorum, ut nativitati imputent, quibus non dabitur: promissum est autem natis bene agentibus, ut neque nativitas prosit male agenti, neque obesse possit bene agenti. A fidelibus enim et bene agentibus melioratur nativitas: ab infidelibus autem et male agentibus deterioratur. Sic enim est nativitas, quasi arbor quæ inseritur: quia si bono surculo inseritur, melior fiet et bona dicetur; si vero malo surculo inseratur, deterior erit, et non bona, sed mala vocabitur. Ita et nativitati si bona accedat doctrina, bonos faciet fructus; si autem mala, malos faciet fructus. Itaque sicut necessaria est arbor, ut sit ubi inseratur; ita etiam necessaria est nativitas, ut sit ubi proficiatur. Sed respondetur e contra: Si utilis est nativitas, cur renascimur? Non renasceremur nisi utilis esset nativitas. Renasci enim renovari est, et qui renovantur, instaurantur. Non ergo accusat renascibilitas nativitatem, sed reformat: et quod reformatur, bene ab initio institutum probatur. Igitur quod renascimur, consilio mutamur, corporis expiatione percepta, ut reddamur ad pristinum statum Adæ. Animæ autem peccato maculatum est corpus, quo reparato et meliorato per fidem, consilio abluitur: ut sicut per contemptum Dei fuerat pollutum, ita per obedientiam abluatur, ut effugiat sententiam datam Adæ, et possit resurgere. Itaque si ab anima cœpit peccatum, cur natura corporis accusatur [2]; cum in causa peccati Adæ non fuerit desiderium corporale, sed spe deitatis illecta anima transgressa sit Dei præceptum, ut corpus suum subjugaret peccato, et nascerentur homines sub peccato? Quod quidem nihil obest homini, si tamen legi Dei obediat, nisi quod moritur: cui rei benevolentia Dei promisit mercedem, ut quoniam in Creatoris devotione fideles inveniuntur, per prævaricationem autem Adæ corruptioni subjecti sunt et morti, pro hac re accipiant a judice Deo [3] ultra quam fuerat concessum Adæ, ut in futuro et gloriosi sint, et æternam habeant vitam, et adoptati filii Dei vocentur; ut lucrum sit, quia nati sunt. Ex hoc jam revertar ad reliquam partem lectionis. Cum positus esset homo in paradiso, hæc accepit mandata: *Ex omni*, inquit, *ligno quod est in paradiso ad escam, edes. De ligno autem unde dignoscitur bonum et malum, non edetis ex eo.*

[1] Ms. Colbertinus, *teste.*
[2] Sic Ms. Colbertinus. At editi: *cur non a corpore accusatur?*
[3] Sic Ms. Colbertinus. At editi: *ut qui in Creatoris devotione fideles inveniantur, salventur. Per prævaricationem autem quia Adæ corruptioni subjecti sunt et morti, pro hac re suscipient a judice Deo.*

Omnia ligna quæ commemorat, fructus sunt ad esum creaturarum. Denique uno nomine ligna dicuntur, sed varia intelliguntur in fructibus. Omnia tamen ligna sunt, et edendi unum est genus, quamvis diversa sunt quæ edantur. Cum enim multa fructuum ligna creasset homini ad edendum, sicut dixi, de uno ligno edi prohibuit; ut reverentiam Creatoris ex aliqua parte haberent, qui omnia in potestate acceperant, dum una reservata est arbor, cujus licentiam non haberent, ut memores essent conditionis legis. Quomodo autem ex sententia peccati genus intelligebatur? Et homicidæ enim, et malefico, et adultero, et infami congruit hæc sententia. Achar quoque filius Charmi cum peccasset, consumi cum omnibus suis adjudicatus est (*Josue* VII, 1). Quomodo ergo potest hæc sententia peccati genus intelligi? Grande delictum fuisse potest cognosci, non tamen genus delicti intelligi. Scimus enim alios hac damnatos sententia, cum sciantur aliter deliquisse. Et Amorrhæi [1] et Sodomitæ cum omnibus suis periisse noscuntur. Ita enim fit ut et unius peccati rei diversa feriantur sententia, et diversi criminis peccatores uno atque eodem genere puniantur. Quamobrem Adæ et Evæ non ex data sententia peccati genus potest intelligi. Quamvis enim unum eorum peccatum sit, sed secundum personam suam vir et mulier sententiam acceperunt: necnon et serpens, ut non solum in eo quod facti sunt, non manerent, verum etiam adderetur eis labor ad pœnam. Cum enim omnia pecora et animantia homini fuissent, sicut legimus, subjecta (*Gen.* I, 26); serpens contra hanc constitutionem erexit se, et dolo et fallacia circumventum hominem sibi subjecit. Sine dubio enim qui aliquem capit, infra se eum facit. Propter quod serpens ne astutiæ suæ effectum haberet, sententia Dei revocatur, et reprimitur ultra quam fuerat factus, ne supra hominem esset, ut calliditate sua non solum ad nihil se profecisse doleat, sed et deteriorasse. Cum enim prudentior legatur fuisse cæteris bestiis, postquam decepit hominem, maledictus factus est ab omnibus bestiis terræ. Post sententiam datam in hominem, datam in feminam, datam in serpentem, sequitur ut et mulier quam sibi sociaverat ad contemnendam Dei legem, excipiat sententiam. Ait ei: *Replens replebo ærumnas tuas et gemitum tuum: in tristitia paries filios, et ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur* (*Id.* III, 16). Nemo quod reprehendit, ipse confirmat. Si ideo concessi sunt filii quia usurpaverat coitum, ergo plus usurpatio præstitit. Sed quia dixit, *In tristitia paries filios;* si inde putas generationem sumpsisse principium, ubi erat quod dictum est, *Crescite et multiplicamini?* Intelligite ergo hoc ad pœnam tantum additum, ut cum per lætitiam sibi fuerat ante concessum, tristitia subderetur ad pœnam: et ut deterior et multiplicata pœna mulierem semper urgeret, additur conversio ad virum, ut esset unde ei dolor iterum innovaretur. Si coitum Dominus damnabat, cur in subjectis addebat, *Et ad virum conversio tua?* Nemo quod damnat, hoc pro pœna constituit; cum utique pœna sit damnationi contraria, nec unquam ex uno, sed contra proveniat. Quod si in uno essent, damnationem nemo metueret. Deinde aliquis in hoc addiceret [2], ex quo in legem commissum videret. Hoc est confirmasse, non punisse peccatum, si ideo conversio feminæ ad virum, et ex eo quod colit, et non quod verum est, conversio simpliciter ante concessa cum ultima servitute, propter pœnam eidem credatur imposita, quoniam per mulierem concessam subjectus factus fuerat vir. Et sine dubio superior videbatur, cujus consilio usus putavit prodesse quod suasit, ut factum Dei subtilitate serpentis destrui videretur: instauratur per sententiam Dei institutam, ut revertatur mulier ad conditionis subjectionem humiliata viro, sicut fuerat constitutum; et additum ei quod additur ad pœnam, cum audit, *Replens replebo mœrores tuos, et gemitum tuum: in tristitia paries filios, et ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur.* Numquid fuerat aliter decretum, quam ut mulier dominio viri esset subjecta? Hinc ergo apparet mulierem revocatam esse ad id quod fuerat cum additamento. Unde ait, *Replens replebo mœrores tuos et gemitum tuum.* Quod replet, in eo quod minus est, addit non in eo quod non est, videtur operari. Hac ergo sententia quæ ante processerat, *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I, 22, 28), non incipit ad creandum, sed ad creaturæ, quæ fuerat concessa, perniciem. Mulieri ad pariendum filios dolor additur, difficultas imponitur, non procreationis nova forma componitur: nam si ex hoc recte generatio speratur, magis intelligi potest arbitrio serpentis generationem extitisse, quam Domini; et est vere, ut ait ille, *Progenies viperarum* (*Matth.* III, 7). Si quis autem se existimat ita natum, quid mereatur, advertat, ut propter peccatum amplificaretur ei dolor partu, ut quæ modicum doloris habitura erat, filiorum cresceret ei causa delicti: quia et cum gemitu et mœrore pariuntur, nati autem sine tristitia non habentur. Nunc tertio promitur in virum sententia talis: *Quoniam audisti,* inquit, *vocem mulieris tuæ, et edisti de ligno, de quo præceperam tibi ne ederes ex eo, maledicta terra in operibus tuis, et in mœroribus tuis edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: spinas et tribulos germinabit tibi* (*Gen.* III, 17, 18). Et hinc idem Adam ad hoc revocatur, ad quod fuerat factus, sed cum decremento. Ante enim positus erat ut operaretur terram simpliciter, ut sequeretur eum laboris effectus: at ubi autem sprevit præceptum Dei, melius sibi procurari credens consilio serpentis quam fecerat Deus, ad institutum pristinum revocatur cum laboris dispendio; ut terra ei secundum laborem minime responderet, maledicta non sibi, sed operibus ejus; ut ostenderetur propositum Dei subverti non posse, neque melius posse quemquam providere quam Deum. Nemo enim potest alterius opus plus diligere, quam ipse qui fecit, dicente Apostolo, quia *nemo,* inquit, *carnem suam odio habet; sed nutrit, et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam* (*Ephes.* V, 29). Videamus nunc sequentia Legis, an concordent cum initiis ejus. Abraham cum placuisset Deo, inter cætera quæ ad remunerationem fidei ejus pertinent, cum senior esset, unum filium generare dignus est judicatus (*Gen.* XVIII, 10). Quomodo ergo accusari potest quod pro merito concessum videtur, ut qui ipsius Dei voluntatem fecerat, Deus voluntatem ejus impleret? quæ minime fuisset impleta, nisi innoxia esset; nec Deus impleret quod male vel imperite posci videbat, maxime ab eo qui sibi placeret: hoc enim nec homini convenit. Et Anna cum sterilis esset et Deum diligeret, petiit ut haberet filium et accepit (I *Reg.* I): quod si contrarium esset, moneri potuit ab eo quem diligebat, ne rem postularet adversam. Et natus ex ea sanctissimus Samuel, filios genuit, non tamen justitiæ suæ merita minuit. Prima enim ætate sua semper auctus est, ut in senectute propensiori Dei testimonio commendaretur. Et Zacharias sacerdos, vir justus, in senectute sua Dei nutu genuit filium: quo nondum nato, meruit prophetare (*Luc.* I, 5). Qua ergo ratione accusatur quod minime obesse probatur? Et quis neget bonum debere dici quod neminem lædit? Et ut hoc loco aliquid de Apostolis dicatur, quod ad robur pertinet causæ, certe sanctus Joannes castimoniæ fuit custos: condiscipulus autem ejus, id est sanctus Petrus, uxorem habuisse cognoscitur; et primatum ut acciperet inter Apostolos, non ei obstitit generatio filiorum. Quomodo ergo condemnandum putatur quod non impedit meritum? Hinc Apostolus eum qui uxorem habeat, si in cæteris servet mandata, sacerdotem fieri posse ac debere ostendit. Quod si illicitum esset, non poterat utique peccatorem dicere debere fieri sacerdotem. Et quid tam apertum? Ejusdem enim Apostoli vox est dicentis: *De virginibus autem imperium Domini non habeo* (I *Cor.* VII, 25). Cum enim Corinthii exagitarentur ab hæreticis, qui in hyprocrisi nuptias damnandas docebant, consuluerunt Apostolum litteris, an liceret nubere, an uxorem remittere,

[1] Ms. Colbertinus, *et Aman.*
[2] Sic Ms. Colbertinus. At editi, *addisceret.*

Tunc præcepit Apostolus non debere uxorem a viro recedere : cum habuerit occasionem dicendi, si scisset sic docendum, non licere nubere; quomodo quod sibi non sit traditum, docere se non posse ostendit. Quis autem discipulorum doceret quod a magistro traditum non est? Vel quis non audiat prædicantem : *Volo adolescentulas nubere, filios procreare* (I *Tim.* v, 14)? Sed forte dicatur : Si licet et bonum est nubere, cur sacerdotibus non licet uxores habere? id est, ut ordinatis jam non liceat convenire? Quis nesciat unumquodque suam legem habere? Est enim quod omnino generaliter omnibus non liceat : est item quod aliis licet, et aliis non licet : et est quod aliquando licet, et aliquando non licet. Fornicari omnibus semper non licet : negotiari vero aliquando licet, aliquando non licet. Antequam enim ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari : facto jam non licet. Et Christiano cum uxore sua convenire aliquando licet, aliquando vero non licet. Propter dies enim processionis aliquando non licet convenire ; quia etiam a licitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit quod postulatur. Unde Apostolus, ex consensu ait abstinendum ad tempus, ut vacetur orationi (I *Cor.* vii, 5). Nam secundum Legem in jejunio cædi et jurgari non licet, postea licet : quia major reverentia debetur Dei causis. Numquid omne quod ante cæteros licet, ante imperatorem licet? Quanto magis in Dei causis? Ac per hoc antistitem ejus puriorem cæteris esse oportet : ipsius enim personam habere videtur, est enim vicarius ejus : ut quod cæteris licet, illi non liceat; quia necesse habeat quotidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere. Et non solum huic concubitus non licet, verum etiam ministro ejus : quia ipse mundior debet esse, quia sancta sunt quæ ministrat. Nam sicut ad comparationem lucernæ tenebræ non tantum obscuræ, sed etiam sordidæ sunt, ad comparationem autem stellarum lucerna caligo est, ad solis vero comparationem stellæ nebulosæ sunt, ad Dei autem claritatem sol nox est : ita et quæ ad nos licita et munda sunt, ad Dei autem dignitatem quasi illicita et immunda sunt; quanquam enim bona sunt, Dei tamen personæ non competunt. Numquid non tunica mediocris hominis, quamvis munda, imperatori tamen sordida et illicita est? similiter et Saxonicia senatori? Ac per hoc antistites Dei puriores esse debent quam cæteri, quia et Christi habent personam, et ministros Dei mundiores esse oportet. Nemo enim imperatori ministrat non accuratus; igitur vestimentis claris et mundis induti ministrant : Deus autem quia natura clarissimus est, ministros ejus natura magis quam vestibus mundos esse oportet; cui laus et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN QUÆSTIONES VETERIS ET NOVI TESTAMENTI POST VULGATAS

ADMONITIO.

Habes præfixum superiori libro elenchum duplicem : unum quo illa præcedentium centum viginti septem Quæstionum exhibetur collectio, quæ ab Augustino Ratisponensi, ab Joanne Amerbachio et a Desiderio Erasmo fuit primum vulgata ; alterum, qui collectionem non tantum disparem Quæstionum ordine, sed etiam earum numero auctiorem longe repræsentat. Hujus porro alterius collectionis exemplar cum e Victorina Bibliotheca adeptus fuisset Jacobus Haemer, curavit ut subsequentes hic Quæstiones, quas videlicet aut nondum vulgatas, aut certe aliis verbis tractatas esse animadvertebat, prodirent in lucem. Fecit vero ipse tres earum classes, quarum prima in editis inscribitur, Quæstionum ex Veteri Testamento pars secunda ; aliæ similiter, Quæstionum sive ex Novo Testamento, sive ex utroque mixtim, pars secunda dici solent : cum tamen Victorinus codex aliique inspecti a nobis Mss., in una et altera classe Quæstiones omnes, nec alia quam in excuso superius elencho cernitur, ratione et ordine digestas complectantur. Nihil nos in constituta per Haemereum, perque posteriores editiones jam confirmata distributione mutandum duximus : nisi quod aliquod inde Quæstiones transferre visum est in superiorem librum collectionis primo vulgatæ ; ut quæ de eodem argumento agunt, juxta se collocatis, quid inter illas intercedat varietatis primo conspectu deprehendas ; tum etiam utra collectio in Mss. antiquior et sincerior sit, vel potius an utraque interpolatoris inepti manum referat, dijudicare possis. Cæterum de subsequenti opere idem quod de priore sentiri volunt Lovanienses Theologi : quod varia, inquiunt, contineat et Augustino indigna, et a veritate aliena.

QUÆSTIONUM

EX VETERI TESTAMENTO

PARS SECUNDA.

ADVERSUM EOS QUI NEGANT AD DEUM ALIQUID PERTINERE.

QUÆST. PRIMA (*a*).—Multis, quos sæcularis ista caligo cæcavit, plurimum displicemus, si solliciti Dei præcepta servemus, si occasiones delinquendi fugiamus, si bona omnia salutari studio implere conemur, si illecebrarum, vitiorumque blandimenta seductoria negligamus, si nulla nos sæculari dulcedine capi patiamur, si sponte pro Dei nomine cruciatus pœnasque subeamus, si mortem ipsam virtute spiritus contemnamus. Illis nimirum quibus omne quod geritur, sensus iste mortalis nec laude nec vituperatione dignum esse persuasit. Nolunt enim ad Deum horum aliquid pertinere. Nonnulli adeo scelera sua criminaque defendere cupientes, Nihil, inquiunt, prodest, bene an male vivas. Neque enim ista nunc Deo cura est, ut te diversa pro instituto proprio morboque gerentem sollicite festinet aspicere, et fœdis aliquando tuis actibus oculos permiscere. Vana sunt omnia, quæ ut libitum fuerit celebrantur : is qui ad Deum pertinet, secretus est et remotus ab istis rebus humanis, et ideo nec irascitur, nec movetur; nulla illi humanarum rerum, nulla nostri actus est contemplatio; totus rotati sæculi cursus, et quædam mundani orbis inexplicabilis volutatio, ita correptum rapit et projicit, ut stultus credatur quisquis se ad curam Dei

(*a*) Deest in Mss. primi generis.

revocare posse putaret. Nec martyrum quidem probandus est animus, qui Deum suum, quem misericordem esse pronuntiant, effusione sui sanguinis æstimant delectari. Nihil illi charum in nobis, nihil est odiosum; nulla mortis nostræ conditione, nulla sanitatis integritate lætatur; nec quid ubi geratur scire desiderat: non quod impossibile sit majestati divinæ omnium fere quæ gesta sunt vel geruntur habere notitiam, sed quod scire nolit miserias hominum vanitatesque mundanas. Sic denique scriptum est: *Vanitas vanitantium*[1], *universa vanitas* (*Eccle.* I, 2). Quorum sententia desperatione firmata, ut divini sensus auctoritate dissolvitur, sic ipsorum sacro sermone vulgari, qui maximus habetur in usu, convincitur expugnata. Nam cum inter negotia diversorumque contractus fides perfidiaque contendunt, ut testis divinitas adhibetur, quæ aliquando quid agamus scire negatur. Testis est, inquiunt, Deus: Deus videat, Deus judicet, Deus faciat, Deus reddat. Et cum ad necessitatem jurisjurandi venitur, et jurantis animus metuit ne sibi aliquid obveniat Dejeranti; et jusjurandum exigit, et reddi ei posse confidit, qui sibi male juravit. Et cum sanitas exoptata et bona valetudo fuerit consecuta, divinitati gratiæ referuntur. Et cum aliqua decidente materia casus proximus illæsus evaserit, Deus bonus dicitur præstitisse. Et cum adverso ventorum flatu commoti æquoris fluctus insurgunt, et navis undique cæsa quassatur, navigantium turbæ ad cœlum manus extendunt, Deum voce supplici deprecantur, et exaudiri se et liberari posse confidunt. Unde hæc si Deo nulla nostri est cura, si quid agamus ignorat? Inanis est igitur ista persuasio. Omnia Deo sunt cognita. Nullus sibi de impunitate commissorum scelerum blandiatur. Bonæ vitæ maximus fructus est, malæ perpetua pœna et æterni cruciatus. Igitur nobis qui Deum omnia nosse credimus, qui devote ad martyrium festinamus, inæstimabilis fructus, perpetua vita præstabitur: impiis vero, qui Deum scelera sua, criminumque nescire docuerunt arcana, ignis flamma consumens, incendiumque semper indeficiens ministrabitur.

II (*a*). — An Spiritus qui super aquas ferebatur, Spiritus sanctus intelligatur; quia dictum est, *Spiritus Domini ferebatur super aquas* (*Gen.* I, 2)?

Si ideo a quibusdam Spiritus sanctus putatur, quia Dei esse spiritus legitur, etc.

III (*b*). — Si Adam factus a Deo et animatus, Spiritum sanctum accepit; quia scriptum est, *Inspiravit Deus in faciem ejus spiritum vitæ* (*Gen.* II, 7).

Non erat ordinis ut acciperet Spiritum sanctum; quia hoc in posterum reservatum est a Deo, ut in novissimis diebus cum mysterium unius Dei manifestatum est, daretur credentibus. A principio quidem prædicata est Trinitas, sed quasi sub velamine erat intelligentia ejus. Dei enim Patris primum persona sine cunctatione et figura prædicata et manifestata est, quia ab ipso sunt omnia. Filii autem ejus, Domini nostri Jesu Christi et Spiritus sancti personæ non tacebantur, sed neque manifestabantur. Denique de Domino fit a perfidis quæstio, et de Spiritu sancto. Quidam enim dementes Spiritum sanctum ipsum Patrem dicunt, sicut et Sabellius ipsum dicit Patrem quem et Filium. De Dei autem Patris persona nemo dubitat. Cum ergo Trinitatis fit manifestatio, tunc demum Spiritus sanctus datur credentibus, ut et persona ejus manifesta sit, et accipientes illum, signum habeant, quia filii sunt Dei, per id quod Spiritum Dei, qui de Deo utique est, habent in se. Perfectionis enim significatio hæc est, cum scitur et Pater esse et Filius et Spiritus sanctus. Hæc perfectio hoc tribuit donum. Adveniens enim Filius Dei, et hæc adaperiens ac manifestans, plus aliquid debuit dare, et dignum fuit tribuere perfectionem hanc credentibus; quia nec in Filio, nec in Patre solo perfectio est vel salus, sed in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Unde dicit Joannes evangelista, quia *de plenitudine ejus nos omnes accepimus, gratiam pro gratia: quia Lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I, 16, 17). Apertum est, adveniente Salvatore plenitudinem factam veritatis. Quæ enim latebant, et quod promissum est dum revelatur, et manifestatur, plenitudo fit veritatis: tunc credentes accepto Spiritu sancto fiunt filii Dei. Nam inspiratio quæ dicitur facta a Deo in Adam, animæ traditio est: Spiritus enim frequenter pro anima ponitur, dicente Evangelio inter cætera, *Et reversus est*, inquit, *spiritus ejus ad illam* (*Luc.* VIII, 55). Et in Psalmo: *Spiritum*, ait, *contribulatum, et cor contritum Deus non spernit* (*Psal.* L, 19). Frequenter tamen aliqui codices non sic habent, quia *inspiravit Deus*; sed, *insufflavit Deus in faciem ejus spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem.* Non quia dixit, *spiritum vitæ*, ideo Spiritum sanctum significavit. Nam et de animalibus ita ait: *In quibus erat spiritus vitæ* (*Gen.* VII, 22). Spiritus vitæ dicitur, quia animat corpora ad vitam.

IV (*a*). — Cur Adam in mundo positus mandatum vel legem accepit, cum ipse dominium cæterorum haberet.

Quamvis in mundo dominus positus sit Adam, tamen quia non utique ex se, sed a Deo id accepit, debuit hujus rei significationem ex lege accipere; ut ipse qui dominus videtur, per legem subjectus ei esset qui illi hanc dederat potestatem; ut auctoritas Creatoris reverentiam illi faceret per legem, ne dominatio tanta extolleret illum, et immemor fieret Dei conditoris sui.

V (*b*). — Cur Deus dicat, *Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia sunt caro: anni illorum centum viginti*, etc. (*Gen.* VI, 3).

Cum gigantes essent illis diebus super terram, pestiferi et superbi, a magnitudinis statura elati, post desideria carnis euntes, nati apostatæ; tunc cum displiceret Deo, promisit genus humanum diluvio deleturum, et tempus statuit; ut si quis forte ira Dei audita et indignatione, super hoc vellet se corrigere, haberet spatium emendandi se. Denique centum annis arca hac ratione videtur fabricata. Ante arcæ autem inchoationem viginti anni fuisse perhibentur. Sed narratio istud quod postquam de numero annorum Noe dixit, subjecit, obscurare videtur. Nam hæc sententia antequam quingentorum annorum esset Noe, dignoscitur lata. Quid enim dicit? *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis:* propterea et subjecit, *Quia malitia increvit super terram, delebo*[1] *hominem a facie terræ usque ad pecus;* quod utique diluvio facto impletum est. Nam et post diluvium multis annis homines vixisse meminimus: et Aaron frater Moysi centum viginti tres annos vixisse memoratur (*Num.* XXXIII, 38, 39). Ipse autem Moyses ut centum et viginti annos transire non posset, fecit quod Deum in contradictione aquæ non clarificavit. Nam intraturus erat in terram promissionis, si non obstetisset peccatum (*Deut.* XXXIV, 7, *et* XXXII, 48-52). Videtur enim hoc quibusdam dictum ad tempus Moysi pertinere, cum inveniatur Joiada sacerdos centum triginta annos vixisse (II *Paral.* XXIV, 15).

VI (*c*). — Quid continet benedictio Jacob, quam dedit filiis suis (*Gen.* XLVIII, XLIX).

Non solum ex præsentibus causis futura uniuscujusque tribus prædixit, sed et de futuris futura, quorum adhuc umbra non erat, in populo Judaico significavit. Quales enim futuræ essent singulæ tribus moribus, fide, disciplina, luxuria, petulantia, contemptu fidei, ut cum de uno erant, et tamen unum non ser-

[1] Editi, *vanitatum;* et paulo post, *Dei jussus auctoritate.* At Mss., *vanitantium;* et, *divini sensus auctoritate.*

(*a*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 41.

(*b*) Idem argumentum tractatur in Mss. primi generis, quæst. 123, sed alia prorsus ratione.

[1] Mss., *deleam.*

(*a*) Deest in Mss. primi generis.

(*b*) Deest in iisdem Mss.

(*c*) Deest in iisdem Mss.

varent, ostendit. Aliqui enim profecerunt in melius, alii deterioraverunt, alii permanserunt : ut per hoc non sibi prærogativam generis vindicarent, cum ab eo ipso prædictum esset, quosdam ex his, qui utique ex ejus essent origine, reprobos futuros, imo multos perituros, ita ut alii significarentur subintrare, qui ad eorum dedecus et damnationem insererentur in naturam, ex qua illi exciderunt. Promiscuum ergo populum in omnibus tribubus futurum declaravit : qua varietate tam boni sed pauci, quam mali sed multi intelligerentur. Et quamvis sceptrum dederit filio suo Joseph ad tempus, Judam tamen præfecit omnibus. Non quod omnes ex Juda idonei essent futuri, sed quia Salvator, qui vere rex est, ex ea tribu oriundus erat secundum carnem.

VII (*a*). — Cur angelus missus loqui ad Moysen in igne et rubo apparuit?

Natura angelica secundum se simplex est, cujus substantia superiora appetit, etc.

VIII (*b*).— Non fuit aliud signum quod fieret a Moyse palam Pharaoni, nisi serpens (*Exod.* VII, 10)?

Qui hoc reprehensibile putat, dicat quid aliud fieri debuit. Nam utique serpentem fecit, qui et terrorem incuteret, non tamen obesset, per id quod stupore quodam ad nocendum tardior est. Si enim leonem fecisset, aut ursum, aut aliud tale, quomodo evaderent qui aderant? Nec enim occidere voluit quemquam, sed solum timorem ponere, et ostendere virtutem; ut quia prima prævaricatio per serpentem cœpit, similiter et recordatio cognitionis Dei et morum emendatio serpentis signo proveniret, ut quomodo peccatum est, sic et emendaretur : sicut et per mulierem peccatum factum, per mulierem sublatum est, Mariam matrem scilicet Domini, ex qua Christus natus damnavit peccatum. Eva virgo adhuc prævaricavit, sicut et Maria virgo erat. Hoc ergo modo ad statum pristinum revocata sunt, quæ perierant: quia et regnum per ligni gustum amissum erat, et iterum per lignum quæsitum est. *Dominus* enim, ait, *regnavit a ligno* (*Psal.* XCV, 10). Simili modo et mundus in quo factus est, in eo et reformandus est, id est in principio mensis primi, quod est Pascha. Nulla ergo mala erit natura nisi sola prævaricatio; quando peccatum per id emendatum est, per quod et admissum est.

IX (*c*).— Si unus Deus est, cur in tribus spes salutis est, et non in duobus, aut quatuor, aut certe in uno; et quare prius non est Trinitas prædicata?

Unus quidem est Deus, sed non singularis est, etc.

X (*d*). — Utquid circumcisio et præcepta data sunt populo, quæ prius non erant, neque nunc in auctoritate habentur?

Circumcisio signum est fidei Abrahæ, ut cum in filiis ejus hoc signum videretur, scirentur ejus filii esse, qui Deo credens hoc signum acceperit (*Gen.* XVII, 10, 11). Præcepta autem sabbatorum, et præteritorum testimonio data sunt, et futurorum quæ haberent figuram (*Exod.* XX, 9-11). Futuri enim sabbati, quod in æternis dabit requiem, figura est hoc sabbatum quod in hebdomadam impletam factum est. Escarum autem lex non in primordio Legis data est, sed cum duce perfidia, Dei verbis et promissis fidem nollent dare, ad duritiam cordis sui acceperunt præcepta non bona, sicut dicit propheta Jeremias (*Ezech.* XX, 25). Id enim actum est, ut cervix eorum premeretur, ad profectum illorum. Superbis enim hominibus et contumacibus, non debuit tota creatura subjici. Postea autem misericordia Dei veniente, reddita est libertas edendi. Unde dicit Petrus apostolus : *Quid imponitis jugum super cervicem fratrum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus* (*Act.* XV, 10)?

(*a*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 42.
(*b*) Deest in Mss. primi generis.
(*c*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 87.
(*d*) Deest in Mss. primi generis.

XI (*a*). — Si propter diffidentiam et detractiones dura acceperant Judæi mandata; quid peccaverant filii eorum, ut etiam ipsi his mandatis astringerentur?

Patribus data lex est, quæ filiis similibus oneri esset. Nam postea non minus, sed forte amplius in Deum peccaverunt quam patres illorum. Præscius enim Deus, filiis magis hanc legem dedit; quia illi omnes in eremo obierunt.

XII (*b*). — Cur in Lege etiam ipsi Aaron dictum est, ut pro peccatis suis holocausta offerret, cum dicat David, *Pro delictis holocaustum non postulasti* (*Psal.* XXXIX, 7); et in subjectis, *Holocaustis non delectaberis* (*Psal.* L, 18)? Quomodo offerri præcepit, quo non delectatur?

Manifestum est holocaustis Deum non delectari, sed pro satisfactione peccati gemitu et dolore cordis veniam posse mereri. Sacrificium autem testimonium peccati voluit esse, ut se peccator per oblationem sacrificii confiteretur peccasse. Remissio autem quomodo obtineretur, ipse alio loco ostendit, dicens, *Frange esurienti panem tuum : si videris nudum, vesti, et domesticos seminis tui ne despicias* (*Isai.* LVIII, 7) : aut certe, *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Psal.* L, 19). Primum ergo confitendum delictum monuit; deinde quomodo ignosci possit, ostendit. Nam nunquam pro manifesto delicto sacrificium mandavit, sed pro ignoratis; quia etiam cum nescit homo peccat, et cum se putat recte agere, intentione quadam delinquit. Tale peccatum dixit per sacrificium posse purgari.

XIII (*c*). — Quid est ut missa mors in Jacob, venerit in Israel; cum Jacob ipse sit Israel?

Unius populi duo nomina posuit. Nam utique qui prius Jacob dicebatur, etc.

XIV (*d*).— Si anima quæ peccat ipsa morietur, quid est ut Charmi peccante triginta sex viri occisi videantur causa ejus?

Charmi quidem peccavit, et mortuus est lapidibus. Illi autem triginta sex viri, etc.

XV (*e*). — Quid est quod dicit propheta, *Lætare, sterilis quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis : quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum?*

Duas matres hoc in loco intelligimus, cœlestem et terrestrem, id est, Jerusalem liberam, etc.

XVI (*f*). — *Benedicat terra Dominum*, ait, hoc est laudet et confiteatur virtutem tuam : quomodo ergo in Psalmis, *Numquid confitebitur tibi*, inquit, *pulvis, aut annuntiabit virtutem tuam?*

Non est sic intelligendum, ut legitur, et sonant verba, etc.

XVII (*g*).—*In sole*, inquit, *posuit tabernaculum suum* (*Psal.* XVIII, 6), id est corpus suum in quo habitavit Christus, qui a Pilato flagellis cæsus est : quomodo ergo dicitur in Psalmo de Christo, *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* (*Psal.* XC, 10)? quippe cum templum corpus suum dixerit.

Et filii hominis, et Dei Filii corpus templum esse intelligitur. Deus tamen, id est, Dei Filius, quamvis in carne venerit, in anima tamen habitavit. Ergo tam anima quam corpus tabernaculum est Filii Dei, licet unus sit Deus et homo, Filius Dei, et filius hominis. Ergo ex hac parte flagellum non appropinquasse dicitur tabernaculo ejus; id est, anima ejus, in qua habitat divinitas ejus, immunis fuit a pœna inferni vel principum ejus. Ne quia hic quasi peccator, cum sit innocens, crucifixus est, et passa est caro, aliquid mœstitiæ apud inferos anima ejus passa putaretur, ostendit Scriptura non potuisse animam ejus turbari apud inferos, quia ad hoc descendit, hoc est pati se

(*a*) Deest in Mss. primi generis.
(*b*) Deest in iisdem Mss.
(*c*) Habetur inter primo vulgatas, juxta quæst. 37.
(*d*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 36.
(*e*) Ibid., quæst. 40.
(*f*) Ibid., quæst. 38.
(*g*) Deest in Mss. primi generis.

permisit, ut confunderet tenebras, et principes earum remitteret hebetes. Unde et ipse Dominus ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38). Permissa est enim, quod naturæ suæ erat, ut tristaretur, tropæum protinus referens, et spolia eorum a quibus contristata fuerat usque ad mortem, post mortem jam in æterno gaudio constituta. Potest et de toto homine intelligi; quia qui peccatum nesciit, a lege flagellari non potuit.

XVIII (*a*). — Cur Salomon spiritum sapientiæ habuit (III *Reg.* III), cum vitam mundam non habuit? valde enim mulieribus delectabatur, ac per hoc peccabat (*Id.* XI).

Primum merito suo accepit spiritum prudentiæ: postea vero quam mulieribus nimium cœpit uti, et per hoc peccare, si habuit spiritum sapientiæ, regni merito habuit; sicut et Nabuchodonosor regni merito in camino Christum vidit.

(*a*) Deest in Mss. primi generis.

XIX (*a*). — In Salomone, *Spes est*, inquit, *in tenebris, et melior est canis vivus et leone mortuo*.

Tenebræ ignorantiam significant et gentilitatem: quia spes est in gentili potius quam in apostata, etc.

XX (*b*). — In Sapientia, *Qui creavit*, inquit, *orbem ex materia invisa*: et contra, quia *ex nihilo facti sumus* (*Sap.* XI, 18, *et* II, 2).

Deum simul confusas substantias creasse, Scripturarum sensus declarat, permixtis utique tenebris. Hanc confusionem rerum, id est, aera, ignem, aquam, terram, tenebras, materiam dixit invisam, sicut in Genesi legitur: *Terra autem erat*, inquit, *invisibilis et incomposita* (*Gen.* I, 2). Ex hac ergo confusione creavit orbem instituto firmamento, ut intra ipsum aquis congregatis in unum habitatio fieret generi humano. Distinctis enim et discretis substantiis, in concavo domum habitabilem fecit.

(*a*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 39.
(*b*) Deest in Mss. primi generis.

QUÆSTIONUM EX NOVO TESTAMENTO

PARS SECUNDA.

QUÆSTIO PRIMA (*a*). — Cur facta et dicta dominica quatuor voluminibus a quatuor scriptoribus sunt in scripturam digesta?

Congruum fuit annum Domini acceptabilem, sicut dicit propheta (*Isai.* LXI, 2), a quatuor voluminibus veluti quatuor vicibus contineri. Sicut enim annus quatuor temporibus evolvitur, ita ut invicem sui egeant; ita et gesta et dicta Domini quatuor libris definita sunt, ita ut alter alterius indigeat: simul autem plenitudine perfecta sunt. Ut autem a quatuor scriptoribus ordinarentur, hæc fuit causa, ut quia temporum diversa sunt nomina, Evangeliorum quoque essent diversa vocabula. Et si qua videntur in verbis contraria, sensu tamen non discrepant, per interpretationem aptam causæ: sicut tempora cum videantur utique diversa nomine, aere, et cursu siderum, in effectu tamen eorum quæ gignuntur non discrepant.

II (*b*). — Quoniam constat quatuor libros rite conscriptos gestorum et dictorum Domini, sciendum quis ordo eorum sit.

Evangelium ordinatione colligitur magis quam tempore. Matthæus ergo primus ponendus est, quia ab ipsa promissione sumpsit initium, id est ab Abraham, cui facta promissio est incarnationis Domini nostri Jesu Christi. Post hunc Lucas, quia incarnationem hanc quomodo facta est, narrat. Tertius Marcus, qui Evangelium quod prædicatum est a Christo, testatur in Lege promissum. Quartus autem Joannes, quia hunc qui promissus est Abrahæ incarnandus, et a Luca quemadmodum incarnatus est dictum est, et a Marco Evangelium ejus juxta Isaiam prophetam prædicatum ostensum est, aperta voce ostendit Deum dicens, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1).

III (*c*). — Quare Matthæus Evangelium Christi describens dicit, *Liber generationis Jesu Christi filii David* (*Matth.* I, 1); cum prior sit Abraham?

Propterea sic cœpit, ut prius de ipso diceret a promissione incarnationis ejus genealogiam describens, sicut dicit Apostolus, *Quorum patres et ex quibus Christus secundum carnem* (*Rom.* IX, 5). Ideo dixit, *Liber generationis*; quia ex multis et diversis incarnatio Christi consistit, ut quia ex uno diversi esse cœperunt, de omnibus corpulentiam traheret. De Judæis et Gentibus et de dignis et indignis: quia Ruth Moabitida fuit, et Bersabee ex mœcha facta uxor est; ut omnium carnem ad se trahens, ad unitatem illos genuinam revocaret. Idcirco, *Jesu Christi filii*, ait, *David*, cum prior sit Abraham; quia specialiter Christus dicitur filius David, propter regnum: ut sicut Deus de Deo, ita et rex de rege ortum caperet juxta carnem. Sic enim dictum est ad David: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal.* CXXXI, 11).

IV (*a*). — Quid est, ut generationes omnes in tres partes divideret supradictus Matthæus apostolus (*Matth.* I, 17).

Causæ faciunt divisiones et tempora. Idcirco ab Abraham usque ad David distinxit. Prima enim pars causæ ab Abraham usque ad David est; quia Abraham pater fidei est, et David pater regni. Saül enim indignus effectus, seipsum regno privavit. A David vero usque ad transmigrationem alia pars causæ, in qua regnum amiserunt facti reprobi Judæi. Post transmigrationem autem Babylonis usque ad Christum tertia pars lamentationis et miseriæ, captivitatis et dispersionis illorum: quia quamvis post transmigrationem Babylonis et septuaginta annorum tempus, quando a Cyro dimissi reversi sunt ad sua, nunquam tamen causam [1] vel requiem habuerunt. Neque enim postea Judæa regnare potuit, sed solliciti semper et pervagantes fuerunt. Nam utique tempore nativitatis Christi captivi fuerunt, dicentes: *Nos non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX, 15). Hac ergo causa Matthæus tres gradus fecit generationis, ut etiam meritorum et causarum mutationes ostenderet a promissione facta usque ad Christum, anni autem tempora usque ad finem in unam gratiam permanere.

V (*b*). — Quare cum quadraginta et una sint generationes, Evangelista quadraginta duas numerasse videtur (*Matth.* I, 17)? Ter enim quatuordecim, qui faciunt, nisi quadraginta duo?

(*a*) Deest in Mss. primi generis.
(*b*) Deest in iisdem Mss.
(*c*) Deest in iisdem Mss.

[1] Morel affirmat legendum, *pausam*, Vid. Element. Critic., pag. 521. M.
(*a*) Deest in Mss. primi generis.
(*b*) Deest in iisdem Mss.

Secundum numerum, quadraginta et una generationes numerantur; juxta rationem autem, quadraginta duæ probantur. Jechonias autem in transmigratione genitus, id est rex factus, sicut continetur in Paralipomenon, finem fecit secundæ parti : et quia post transmigrationem remansit in regno permittente rege Nabuchodonosor, ab ipso incipit tertia pars, quæ venit usque ad Christum. Ideoque bis computatur, ut et concludat secundam partem, et initiet tertiam Jechonias. Sic enim habet : *Et post transmigrationem Babylonis, Jechonias genuit Salathiel* (*Matth.* I, 12). Usque ad istum autem Salathiel regnaverunt qui sunt ex Juda, scilicet quorum ex radice nascitur Joseph. Nam Jechonias primum filium habuit Assur nomine. Sed quoniam Joseph per radicem Salathiel originem trahit, prætermisso Assur Salathiel Jechoniæ patri suo subjunctus est, ut veniretur ad Joseph, cui erat desponsata virgo Maria. Nam et post Josiam Jechonias sequitur. Sed quia per Joachim patrem Jechoniæ venitur ad Joseph, prætermisso eo, id est Joachim, Jechoniam posuit, ut numerum quatuordecim generationum non egrederetur, et quia post Jechoniam Salathiel et filius ejus per quem oritur Joseph.

VI (*a*). — Quare in Matthæo pater Joseph Jacob scribitur, et in Luca Heli; ut aut duos patres habere imperite descriptus sit, aut certe qui vere pater sit nesciatur?

Non est ambiguum patrem Joseph Jacob fuisse. Ordo enim a David per Salomonem tramitem suum tenens, recto cursu pervenit ad Jacob, etc.

VII (*b*). — Manifestum quia natus Salvator Dei Filius et Christus appellatus est : cur ergo post baptismum accessit ad eum tentator, dicens, *Si Filius Dei es?* etc. (*Matth.* IV, 3).

Sic natus Salvator ex Virgine est, ut et Christus esset et Filius Dei, non factura, sed ortu. Adhuc autem in minori ætate potentiam suam evacuans, hoc est a potestate sua dissimulans, impudentiam diaboli non provocavit. Baptizatus autem descendente in se Spiritu sancto, cum apparuisset hominibus testimonio Dei Patris, æmulatione zeli ductus est inimicus ad injuriam, videns hoc factum sibi obesse : intellexit enim ordinationem baptismatis ad salutem hominum procuratam. Ideoque accedit ad Salvatorem hujus rei principem, non ut approbet, sed ut locum inveniat evertendi. Tentatio enim aliquando ad probationem fit, aliquando sub dolo ad subversionem. Arbitratus est enim quasi Salvatori elicuisset secundum dolum voluntatis suæ responsum, ut regnum suum totum haberet securus, quod duce Salvatoris doctrinæ subjecto, nemo mortem ejus evaderet.

VIII (*c*). — Cur Salvator tentanti se diabolo non aliter quam exemplis Legis resistit (*Matth.* IV, 4-10)?

Salvator non solum diabolo tentanti respondit, sed et Judæis per quos crudelitatis suæ impietatem egit in Salvatorem. Præscius enim Judæos se inimicum Legis dicturos, patris eorum impudentiam diaboli, testimoniis Legis compressit, ut patrem in filios, et filios in patrem condemnaret.

IX (*d*). — Utquid Salvator post baptismum quadraginta diebus jejunavit, postea esuriit (*Matth.* IV, 2)? Qui enim quadraginta diebus jejunavit, potuit jam non esurire.

Scriptum est, *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1). Ideoque Salvator ut formam nobis daret, jejunavit; ut simili modo nos quoque jejuniis insistentes, omnem motum diaboli contra nos oppositum, Dei auxilio superemus, scientes exemplo Salvatoris tunc magis insidias adversarii cavendas, cum ad Dei timorem accedimus. Dolet enim quod recesserimus ab illo : ideo plus sævit adversum nos. Hoc nobis gessit Salvator, non sibi. Similiter et quod esuriit, non sua causa, sed nostra est. Jejuniis enim cum superatæ fuissent tentationes diaboli, quæ ideo scriptæ non sunt, quia ad profectum doctrinæ non pertinent; postea, id est, post quadraginta dies permisit, ut (quod hominis erat) pateretur famem; ut videns diabolus, qui jam fuerat superatus, infirmitatem in eo famis, incitaretur rursum ad tentandum, videns hominem esse a quo vincebatur. Hoc enim fuit mysterium Salvatoris, ut quia homini victo insultabat et dominabatur, ab homine vinceretur, ut Dei virtus homini victoriam acquireret : et sic magis vilis effectus est satanas, cum et hominem cernit, et virtutem non hominis intelligit. Mirabatur enim stupore hebetatus, quod mysterium inesset quod se lateret : ut potestas esset accedendi, circumveniendi non esset. Duabus enim ex causis torquebatur. Videns enim infirmitatem, accedebat, et inveniebat virtutem; ut cernens hominem suspectus esset de Dei virtute. Ad hoc ergo esuriit, ut illuderet astutiam satanæ. Idcirco autem non amplius jejunavit, ut concordaret Moysi et Eliæ.

X (*a*). — Quid est ut cum prius Joannes Baptista testimonium perhibuerit Salvatori, postea dubitaverit dicens per discipulos : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus* (*Matth.* XI, 3-10)?

Qui Joannem putant dubitasse, detrahunt Salvatori. Aut enim illum recte asserunt dubitasse, aut certe imperitiæ arguunt Salvatorem; quia sicut putant, male de se sentientem laudavit. Sed quia falli Salvatorem impossibile est, recte laudatus ab eo Joannes est. Si recte laudatus est, non dubitavit. Ipso enim tempore quo misit ad Jesum Joannes de carcere discipulos suos, dicens : *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* tunc Jesus respondit discipulis ejus dicens : *Ite, dicite Joanni quæ videtis et auditis. Cæci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur, claudi ambulant, mortui resurgunt, et beatus ille qui non fuerit scandalizatus in me.* Abeuntibus autem nuntiis Joannis, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne Baptista : *Quid existis in desertum videre? arundinem vento moveri, aut hominem mollibus vestibus indutum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre? prophetam? Dico vobis quoniam plus quam prophetam. Hic est de quo scriptum est, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparet viam tuam.* Tunc publicani laudaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. Quanta autem laus data Joanni est, ut plus diceretur esse quam propheta, et beatum vocat Salvator eum qui non scandalizatur in se? quomodo laudatur Joannes qui dubitando scandalizatus est? Sed non utique dubitavit. Laus enim beatum illum probat, quia non est scandalizatus. Nam et Salvator idcirco ipso tempore in laudem Joannis prorupit, ut ostenderet sensum Joannis esse liberum a discipulorum ejus dubitatione. Joannes enim volens mirantes discipulos suos corroborare in fide Salvatoris, sciens exitum sibi imminere, ea quæ de ipso dicebat, ore ejus voluit confirmari : ideo ut testis verus sit, testimonium potioris implorat, ut eorum concordia omnis ambiguitas auferretur. Hoc commentum Joannis est, ut dubios suis quasi verbis mitteret, ut eadem audientes a Salvatore quæ audierant a Joanne, firmarentur, scientes idonei procuratoris et Domini cœlestis testimonium in dubium vocari non posse. Idcirco et Salvator quasi Joanni respondit, ut inter Joannem interrogantem et Salvatorem respondentem discerent veritatem.

XI (*b*). — Quid est quod superius Herodem mortuum legimus (*Matth.* II, 19), infra autem et post multos annos Herodem Joannem occidisse (*Id.* XIV, 1-11), cum superius mortuo Herode Joannes supervixerit?

(*a*) Eadem est cum ea quæ inter prima vulgatas numeratur quæst. 56.
(*b*) Deest in Mss. primi generis.
(*c*) Deest in iisdem Mss
(*d*) Deest in iisdem Mss

(*a*) Deest in Mss. primi generis.
(*b*) Deest in iisdem Mss.

Herodes rex fuit Judææ : hic habuit filios quatuor, Archelaum, Herodem, Philippum, et Lysaniam : sed mortuo Herode patre eorum, successit Archelaus, quo mortuo, in quatuor partes divisum est regnum supra dicti Herodis, ita ut Pilatus in partem regni quartam admitteretur, quasi præses, non quasi rex (*Matth.* II, 22, *et Luc.* III, 1) : filii autem Herodis reges dicerentur. Denique mortuo iterum Philippo, accepit uxorem illius Herodes frater ejus, de qua arguebatur a Joanne Baptista, qua causa occidit eum Herodes filius supra memorati Herodis. Quid enim dicit? *Herodes*, inquit, *tetrarcha;* id est, in parte quarta regni positus sui patris Herodis. Quid ergo ambigitur quando significatio adjecti cognominis ostendit alium hunc esse Herodem? Ipse est enim qui et Jacobum occidit gladio, fratrem Joannis, qui postea percussus ab angelo Dei scatens vermibus exspiravit.

XII (*a*). — Orandum utique pro inimicis docuit Dominus : quid est ergo ut contra animæ occisorum ulcisci petant, a Domino postulantes vindictam?

Apocalypsis cum futura mala et tribulationes diffidentiæ et malæ vitæ causas Deo vindice testaretur, etc.

XIII (*b*). — Si jam prædicante Salvatore vel Joanne Lex cessavit, quomodo Salvator ait : *Non veni solvere Legem aut Prophetas, sed adimplere?* Si enim cessavit, quomodo non soluta est, aut destructa, quæ agendi amisit auctoritatem?

Prophetarum dicta de Salvatoris adventu, impleta sunt cum venit, etc.

XIV (*c*). — Joannes ad Dominum, *Tu es qui Sventurus es, an alium exspectamus* (*Matth.* XI)? ub sua persona discipulorum suorum agit causam. Non enim Joannes dubitabat, qui dixerat : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29) : sed ut discipulis suis satisfaceret, mittit illos suis verbis, ut Salvatoris ore firmaret quod ipse de illo docebat; ut post excessum suum sine dubitatione aliqua discipuli sui Christum sequerentur.

XV (*d*). — Quare Lex et Prophetæ usque ad Joannem, et post recte cessasse dicuntur (*Matth.* XI, 13)? Quia jam de quo prophetabant, advenit. Quare Lex usque ad Joannem, cum Apostolus dicat, Legi nos subditos debere esse : *Quæ autem*, inquit, *sunt, a Deo ordinata sunt* (*Rom.* XIII, 1)?

Legis quidem unum nomen est, sed tripartitam habet intelligentiam. Prima enim pars Legis de Deo est. Sic enim Lex a lectione dicta est, ut de multis quid eligas scias. Inter errores ergo positi acceperunt ut eligant verum, id est reprobato diabolo eligant Deum. Secunda autem Legis pars hæc est, quæ scilicet præceptis continetur, quæ sic incipit, Honora patrem et matrem. Tertia vero in neomeniis et in sabbato est, et in escis discernendis ac eligendis, et in circumcisione et in hostiis pecudum offerendis. Hanc itaque Legem dicit usque ad Joannem, non ultra servandam. Sic enim data est, ut completo tempore cessaret, nec enim fuit ab initio, sed ex causa data ad tempus est, ut adveniente Salvatore cessaret Lex. Ergo de Deo manet tam Lex præceptorum quam natura ejus quæ sine dubio est, ab ipso aboleri non potest. Per ipsum enim proficitur ad promissum præmium. Timor enim sollicitudinem parit.

XVI (*e*). — Cum Salvator baptismum Joannis de cœlo dicat, cur Nicodemo, cum de baptismo loquitur, dubitanti ait : *Si terrestria dixi vobis et non creditis?* etc.

Quod dixit, *Si terrestria dixi vobis, et non creditis*, non pertinet ad baptismum, etc.

XVII (*f*). — Quid est ut Salvator mulieri alienigenæ, id est Chananææ, inter initia misericordiam denegaret (*Matth.* XV, 22-28), cum et Centurioni alienigenæ, et leproso quem ipse Jesus alienigenam dixit, beneficium impertiendæ salutis non negaverit (*Luc.* VII, 2-10, *et* XVII, 12-19)?

Dignum factum Salvatoris ipsa causa designat. Absurdum enim erat, et ad injuriam promissionis Patrum proficiebat, si mulier quæ Judæorum Deum non confessa fuerat, acciperet beneficium promissum genti confitenti Deum. Inter initium ideo negatum est illi. At ubi autem cervice flexa Salvatoris verbis fidem non negavit, sed confessa est Judæos credentes esse filios, Gentes autem canes vel servos, per quod junxit se fidei dominicæ; quia servi dominum indicant, et dominus non est sine servis : unitas facta est subjecti et subjicientis. Hinc est unde meruit consequi quod precata est. Centurio autem qui beneficium a Salvatore incunctanter accepit, olim se Dei rebus infecerat. Denique dicunt majores Judæorum ad Dominum : *Dignus est ut præstes illi; diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis.* Leprosum vero alienigenam dixit Dominus, non fide, sed natione. Erat enim Samaritanus, quos constat ex origine esse Babyloniorum. Et hic tamen non sine confessione consecutus est beneficium : quia dictum erat discipulis a Domino : *In viam gentium ne abieritis, et in civitatem Samaritanorum ne introieritis, sed ite potius ad oves quæ perierunt domus Israel* (*Matth.* X, 5, 6); hoc est, ut non prius prædicaretur Samaritanis et Gentibus quam Judæis, quorum fuerat promissio hæc. At ubi Judæi cœperunt repudiare fidem Christi, tunc et Samaritanæ se obtulit Salvator, et post crucem Centurioni Cornelio : a Chananæa autem requisitus suscepit eam; quia non erat adhuc tempus, ut offerretur illis salus.

XVIII (*a*). — Quomodo probatur quod dixit Salvator, quia post tres dies et post tres noctes a mortuis resurgeret; cum utique cœna pura passus, illucescente die dominico, cum adhuc tenebræ essent, resurrexerit? Unde numerus dierum et noctium non convenisse videtur.

Præscius Salvator omnium quæ in se futura erant, hæc protestatus est, etc.

XIX (*b*). — Quare Salvator, *Orate*, ait, *ne fiat fuga vestra hieme vel sabbato* (*Matth.* XXIV, 20) : cum tempus persecutionis hujus differri non possit, dicente Apostolo, *Qui revelabitur in suo tempore* (II *Thess.* II, 6, 8); et in Actibus Apostolus inquit, *Definiens tempora et terminos habitationis eorum* (*Act.* XVII, 26)? Et cur hieme fugam vel sabbato non expedire significat?

Hieme tuta fuga non est : frigora enim sunt, imbres assidui, ningit, gelat, flumina exeunt; ideoque fugientibus pergrave est. Latere enim in silvis non possunt, neque in montibus, neque in speluncis. Sabbato autem juxta Judæos longius a civitate exire non licet, nec altum ascendere, ac per hoc fugi sabbato non potest [1]. Quomodo hæc tempora fugam tutam non faciunt, propter impedimenta supra dicta; ita et fuga nostra tuta non erit, si nos obligatos impedimentis carnalibus invenerit prædicta persecutio. Detinent enim homines quasi compedes desideria sæcularia, id est facultates mundanæ, ne edicta diaboli possint effugere. Ideo ergo orandum est ne tempore quo fugiendum est, hiemis et sabbati in nobis ratio inveniatur, sed ut liberos nos ab his impedimentis Dei præstet auxilium, ut non sit quod nos desiderio sui captos mancipet mundo. Quoniam ergo de novissima persecutione loquebatur Salvator, quæ futura est ab Antichristo; ideo hiemem posuit, quia novissimum tempus est : et sabbatum similiter, quia postremus dies est, ut sicut his temporibus aspera et difficilis fuga est, ita significaret illo tempore tam

(*a*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 68.
(*b*) Ibid., quæst. 69.
(*c*) Deest in Mss. primi generis.
(*d*) Deest in iisdem Mss.
(*e*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 59.
(*f*) Deest in Mss. primi generis.

[1] Ms. Germanensis, *fugere sabbato non potes.*
(*a*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 64.
(*b*) Deest in Mss. primi generis.

graves futuras persecutiones et pressuras, ut vix aliquis eas possit effugere.

XX (*a*). — Salvator cum se passurum diceret, et post tertium diem resurrecturum, adjecit, *Et postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis;* et angelus mulieribus similiter (*Matth.* XXVI, 32, *et* XXVIII, 7) : cum tamen inveniatur a mulieribus et a discipulis suis in Jerusalem.

Verba Salvatoris retractare infidelis est : sed te video non de verbis Salvatoris dubitare, sed sensum requirere, quare cum in Jerosolymis post passionem suam visus sit, dixit se in Galilæa ab his videri. In Jerosolyma visus est, sed particulatim ad recreandos animos discipulorum : in Galilæa vero ab omnibus simul. Ergo qui in Jerusalem visuri illum erant per partes, in Galilæam illis constituit ut simul omnibus appareret, et ad ordinandam disciplinam daret præcepta.

XXI (*b*). — Tres evangelistæ sexta hora crucifixum dicunt Salvatorem, Marcus vero evangelista tertia hora dicit crucifixum. Sed quidam strenui (industria sua) tertia hora sententiam datam dicunt, ac per hoc tertia hora crucifixum. Data enim quis sententia jam mortuus habetur. Sed constat post quintam horam in sextam Pilatum sedisse pro tribunali, et sic sententiam dedisse, sicut Joannes ostendit.

Obscuris vera involvere non est bonum. Nam tres evangelistas verum dixisse ipsa concordia obtestatur, etc.

XXII (*c*). — Si ideo Salvator baptizatus est ut exemplo esset, quare circumcisus cæteros prohibuit circumcidi?

Circumcisio usque ad Christum indulta est. Abraham autem circumcisionem in Christo promisso accepit, etc.

XXIII (*d*). — Judæis accusantibus discipulos eo quod facerent contra legem sabbati, spicas vellendo, Salvator exemplum protulit David, dicens : *Nescitis quid fecerit David cum esuriret, quomodo accepit panes propositionis et manducavit, et dedit his qui secum erant, quod non licebat nisi solis sacerdotibus?* Quod exemplum non excusare videtur discipulos, sed possunt tam hi quam David prævaricatores videri.

Noluit Salvator de tempore impleti sabbati præjudicare Judæos, etc.

XXIV (*e*). — Cur Salvator discipulos suos filios tonitrui appellavit (*Marc.* III, 17), qui plus magis videantur filii Dei dici? tonitrua enim dicuntur collisione nubium fieri.

Quoniam tonitrua terrorem incutiunt, hac causa filios tonitrui discipulos appellavit, quasi ejus filii, qui timendus sit. Quamvis enim tonitrua collisione nubium fiant, voluntate tamen Dei fiunt, et sunt terribilia.

XXV (*f*). — Quid est ut secundum Marci evangelistæ relationem, Christi non sit impleta voluntas : *Intrans enim*, inquit, *in domum, voluit neminem scire, et non potuit latere?* Si ergo voluit latere et non potuit, infirmata voluntas ejus est.

Hoc quod per compendium propositum est, ut plus sensum posset occulere, etc.

XXVI (*g*). — In Evangelio legimus angelum dicere ad Mariam matrem Domini, quod *regni ejus*, id est Christi, *non erit finis* (*Luc.* I, 33). Et Daniel eadem dicit : ait enim : *Tunc exsurget regnum in æternum, quod nunquam corrumpetur* (*Dan.* VII, 14). Contra Apostolus de Domino : *Cum tradiderit*, inquit, *regnum Deo et Patri* (I *Cor.* XV, 24) Quomodo regnum æternum habebit, quod traditurus dicitur Deo et Patri?

(*a*) Deest in Mss. primi generis.
(*b*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 65.
(*c*) Ibid., quæst. 50.
(*d*) Ibid., quæst. 61.
(*e*) Deest in Mss. primi generis.
(*f*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 77.
(*g*) Deest. in Mss. primi generis.

In causa Patris et Filii, id est, Dei et Christi, traditio non abolitio intelligitur. Considera enim quomodo Pater tradiderit Filio regnum, ipso hæc Domino protestante : *Omnia enim*, inquit, *mihi tradita sunt a Patre meo* (*Matth.* XI, 27). Si Pater ergo desiit habere cum tradidit, potest et de Salvatore dici quia cum tradidit, amisit. Nam Filius postquam traditum sibi a Patre regnum dixit, Patrem adhuc præferens ait : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum et verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Secundum hunc igitur sensum et Filius non amittit regnum cum tradit, ut hæc vera sint; et angelus et Daniel non discrepare ab hoc sensu dicantur. Qui horum enim testimonium retractandum putat, perfidia plenus est. Sed nunc videamus manentes in hac fide, quid sit tradere Filium Patri regnum : hoc enim est quod inter cætera alio loco dicit Apostolus : *Tunc et ipse subjectus erit ei qui subjecit ei omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor.* XV, 28). Subjectio igitur hæc, ipsa est traditio regni. Itaque hoc loco interpretatio videtur necessaria, ut et subjectus Patri Filius non negetur, et nihilominus æternum regnum habere dicatur. Hoc est regnum Filii, quia in nomine Jesu omnia genua flectuntur, cœlestia, terrestria, et inferna (*Philipp.* II, 10). Quod etiam firmat Petrus apostolus, dicens : *Non est aliud nomen datum sub cœlo, in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act.* IV, 12). Et ipse Dominus discipulis ait : *Usquemodo nihil petistis in nomine meo; petite, et ego faciam* (*Joan.* XVI, 24). Sic regnat Filius, cum omnia in nomine ejus salvantur, et dantur quæ postulantur usque ad finem mundi. Postquam vero omnia Christum fuerint confessa, sive vi, sive voluntate, et substrata potentiæ ejus cui restiterant, mysterium unius Dei cunctis manifestabitur, et omnis gratiarum actio referetur ad Patrem, ex quo sunt omnia; ut cessante prædicatione unus Deus sciatur in mysterio Trinitatis. Cum enim omnes potestates, omnes principatus et Dominationes Christo genu flexerint, tunc Filius manifestabit non se esse a quo sunt omnia, sed Filium ejus, et illum in se videri. Hæc est subjectio et regni traditio. Ostendens enim Patrem esse a quo sunt omnia, subjecit se illi cum de eo se dicit esse. Tanta enim majestas et claritas in adventu Filii videtur, ut omnes potentiæ et chori Angelorum hunc singularem putent Deum. Salvator autem cum se non illum esse dixerit, qui dicitur Pater, sed Filium ejus, regnans tradit regnum Patri. In hac re manifestata est et subjectio, et regni traditio; quia et cum a Patre se profitetur esse, quidquid habet, Patris confitetur esse, omnem summam referens ad eum.

XXVII (*a*). — Salvator ait, *Si quis non reliquerit omnia sua*, id est, domum, et agrum, et cætera, *non potest meus discipulus esse :* et contra evangelista, *Venit*, inquit, *Joseph ab Arimathia, homo dives, qui et ipse discipulus erat Jesu, exspectans regnum Dei* (*Luc.* XIV, 33, *et* XXIII, 50, 51). Quid est ut evangelista profiteatur eum discipulum quem Salvator negavit? Nam et Zachæus dives erat, et Cornelius Centurio dives, et mulieres quæ illis ministrabant de facultatibus suis.

Hunc sensum paucis absolvit Apostolus, dicens : *Qui habent, quasi non habentes sint; et qui utuntur hoc sæculo, quasi non utantur; et qui emunt, tanquam non possidentes* (I *Cor.* VII, 30, 31). Qui ergo hæc sic habet, quasi non habeat, reliquisse videtur. Quando enim non præsumit de his, neque se jactat, sed humiliter incedit, non tantum habitu, sed et mente, dispensatorem se harum et ministrum intelligens, omnia sua reliquisse videtur. Hoc enim relinqui dicitur, quod a desiderio recedit, et gratiam non habet.

XXVIII (*b*). — Si Lex et Prophetæ usque ad Joannem quomodo Salvator ad sacerdotes mittit offerri munera pro emundatione?

(*a*) Deest in Mss. primi generis.
(*b*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 60.

Hoc secutus est apostolus Paulus. Cum enim prædicaret jam non oportere circumcidi quemquam, etc.

XXIX (*a*). — Si Lex et Prophetæ usque ad Joannem, ex quo regnum cœlorum prædicatum est (*Luc.* XVI, 16); ipse est enim inchoator novæ prædicationis; cur baptisma ejus cessavit?

Baptisma Joannis cœptum non cessavit, sed additum est ei quod deerat. Joannes enim tantum baptizavit, non Spiritum sanctum credentibus dedit : sicut et ipse de Salvatore dicit, *Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam, ipse autem vos baptizabit in Spiritu sancto* (*Matth.* III, 11). Hoc est quod dicit : Per me remissio peccatorum, non tamen datur Spiritus sanctus, ut purificati filii dicantur ; hoc enim Salvatori reservatum est, utpote Domino, ut filii Dei non fierent, nisi accepto a Filio Dei Spiritu sancto. Effectus ergo baptismi Joannis, quod tacite operabatur sine interrogatione, non tamen sine Salvatoris mentione, ut firmum esset quod agebat, Trinitatis est donum : quod dignatio Salvatoris ostendit, dans formam trium nominum, quæ a primordio sub unius Dei nomine vel persona unum opus et indifferens operata sunt. Interpretatio ergo accessit ad baptismum Joannis cum significatione latentis dudum mysterii : accessit et amplius donum, ut baptizati accepto Spiritu sancto sint filii Dei. Amplificatum ergo est, non evacuatum.

XXX (*b*). — In Evangelio Joannis, *Lex*, ait, *per Moysen data est; gratia autem et veritas per Jesum Christum facta est.* Si ergo per Christum veritas facta est, ante non fuit. Si ante non fuit, quomodo a Deo data Lex dicitur, in qua veritas non erat?

Videndum est quid sit, *Lex per Moysen data est.* Per Moysen autem Lex data, manifesta habet præcepta, etc.

XXXI (*c*).— Sabbatum certe Lex est vel pars Legis; quomodo ergo non evacuata Lex est, dicente evangelista, *Non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum* (*Joan.* V, 18).

Solvit sane sabbatum Salvator, sed sine præjudicio dati sabbati. Dum enim sabbati jam tempus cessaret, Judæi autem sabbatum adhuc manere assererent, Salvator sabbatis operans, et infirmo lectum suum sabbatis portare præcipiens, secundum sensum Judæorum sabbatum solvebat. Nam juxta veri fidem tale est si dicatur quod jam cessaverat, quale est si dicatur de aliquo qui expræfectus dicendus est, et injuriam passus fuerit, quia præfectura injuriam passa est. Non ergo sabbatum solutum est, sed homines qui impudenter sabbati auctoritatem vindicabant, delusi sunt, cum jam sabbato successisset nova Lex.

XXXII (*d*). — Si arbitrio proprio vivimus, cur Salvator, *Nemo*, inquit, *venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum :* et non discordans ab his Apostolus, *Neque volentis*, inquit, *neque currentis, sed miserentis est Dei?* His utique perturbari videtur arbitrium liberæ voluntatis. Si enim nemo vadit, nisi tractus, non erit illius delictum, qui non vadit quia non est tractus. Et si non qui petit et currit, accipit, sed cui vult dat Deus, sine culpa erit et crimine qui vult et non obtinet; et ad illum redundat crimen qui petentem spernit.

Nullo genere ex his arbitrii causa poterit turbari. Etenim dicta ad causam referas qua dicta sunt, etc.

XXXIII (*e*).— Quid est ut cum Salvator omnes prope verbo curasset, cæco tamen per lutum de sputo factum oculos reformarit (*Joan.* IX, 6, 7)?

Hoc Salvator ad confusionem illorum fecit, qui Creatorem accusant. Quando enim non aliter vitium accidens corpori emendavit quam Conditor fecit, auctorem operis hujus commendavit. Per id enim emendavit, quo erat conditum. Omne enim quod fit, si lapsum per id quod fuerat factum reformetur, rectum factum probabitur. Si enim Salvator per hoc se Deum testatur, quia damna et vitia corporis emendavit, quanto magis Deus est qui ipsius corporis inventor est?

(*a*) Deest in Mss. primi generis.
(*b*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 76.
(*c*) Deest in Mss. primi generis.
(*d*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 79.
(*e*) Deest in Mss. primi generis.

XXXIV (*a*). — Quid est quod Salvator ait, *Ego sum janua ; qui ante me fuerunt, fures sunt et latrones* (*Joan.* X, 7, 8)? Quod dictum videtur Prophetas pulsare.

Quia nemo vadit ad Deum Patrem, nisi per fidem Christi, idcirco se januam dicit Salvator regni cœlorum. Si ergo januæ verbis utitur, quid opus erat ut de anterioribus diceret, *Quotquot ante me fuerunt ;* cum nulla quæstio de præteritis verteretur; sed utique quasi præsens janua de præsentibus quæreretur? De Judæis enim dicit Salvator, qui non per fidem, sed per justitiam Legis in regnum Dei se intrare putabant. Ante Salvatorem enim venientes, id est ante illum stantes, obtrectabant ei contradicentes, ut etiam alios a fide ejus averterent. Unde fures et latrones appellati sunt. Nam eo tempore hæc dicta sunt, quo Pharisæi disceptabant cum illo qui erat ex cæco illuminatus, cui Salvator oculos reddidit quos natura negaverat, quem volebant a fide Salvatoris avertere, dicentes non per hunc posse, quia sabbatum violat, sed per justitiam Legis intrari in regnum Dei. Tunc Salvator : *Ego sum*, inquit, *janua ; per me si quis introibit, pascua inveniet : si quis autem aliunde intrare voluerit, ille fur est et latro.* Quomodo hoc ad personam pertinet Prophetarum? Numquid Prophetæ contra Christi doctrinam per justitiam Legis sine fide Deum promereri posse dicebant, qui Christum in carne venturum scierunt? Hoc ergo de præsentibus dixit, ut quicumque ante ipsum fuerunt, astantes vel sedentes, fures intelligantur et latrones. Sevocantes enim illum qui fuerat cæcus, volebant eum a fide Salvatoris avertere, dicentes : *Da honorem Deo ; nos scimus quia hic homo peccator est.* Quos ille arguit, dicens : *A sæculo nunquam fuit auditum quod aperuerit quis oculos cæci nati : nisi hic esset a Deo, non poterat facere quidquam* (*Id.* IX, 24, 32, 33). De hoc ergo, quia perseveravit in fide ; et de illis qui dixerunt, *Hæc verba non sunt dæmonium habentis ; numquid potest dæmonium cæcorum oculos aperire?* dixit Salvator, *Sed non audierunt eos oves* (*Id.* X, 8, 9, 21) : illos utique quos fures et latrones appellavit. Nam quomodo non audierunt Prophetas oves, cum constet Scripturis omnes bonos obedisse Prophetis, et malos pseudoprophetis?

XXXV (*b*).— Quid est ut admirabilem et incognitam virtutem facturus, Lazarum scilicet a mortuis resuscitaturus, fleret, aut locum ubi positus erat quasi ignarus quæreret (*Joan.* XI, 34, 35)?

Salvator Deus et homo est, ac per hoc duas vices egit semper : ut quia hominis affectus habet, ploret ; sed quia et Deus erat, hunc quem flevit resuscitavit. A minimis ergo semper ad majora venitur, ut quia homo cernebatur, hoc reprobaret esse quod videbatur ; Deum autem se operibus asserebat.

XXXVI (*c*).— Cum Salvator dicat, *Ego pro eis rogo, quos mihi dedisti; non pro mundo rogo* (*Joan.* XVII, 9) ; Joannes apostolus contra, *Habemus*, inquit, *advocatum apud Patrem, deprecatorem pro peccatis nostris, et non solum pro nostris, sed pro universo mundo* (I *Joan.* II, 1, 2) : hoc contrarium videtur.

Quamvis non longe discrepet sensus, tamen aliud est quod dicit Salvator, et aliud quod affirmat apostolus Joannes. Nam Salvator rogat pro discipulis, ut a mali infestatione tuti præstentur : denique sic dicit : *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.* Apostolus autem Joannes aliud genus precationis inducit : ait namque : *Habemus advocatum, qui postulat pro peccatis nostris, et totius mundi.* Pro Christianis ergo duplici genere postulatur ; quia et pro peccatis illorum oratur, et ut tuti a diabolo infestatione præ-

(*a*) Deest in Mss. primi generis.
(*b*) Deest in iisdem Mss.
(*c*) Deest in iisdem Mss

stentur. Pro his autem qui non credunt, hæc sola deprecatio est, ut cum pro peccatis suis et perfidia plecti mererentur, bonitas et patientia exspectet illos, si forte velint corrigi. Non enim postulatur ut ignoscantur illis peccata diffidentibus, sed ut dilationem accipiant longam, ut si se emendaverint, dimittantur illis delicta. Hoc ergo postulat pro illis Salvator, quod diximus.

XXXVII (*a*). — Quid est ut Salvator dicat Mariæ volenti se tangere causa gaudii, *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem* (*Joan.* XX, 1-17); cum legatur a cæteris mulieribus et tactus et adoratus?

Indignantis verba sunt dicentis, *Noli me tangere.* Quamvis enim desideraret Salvatorem, aliis tamen resurrectionem ejus credentibus, hæc ad monumentum stabat plorans, quam jam gaudere oportuerat. Audierat enim a Joanne et Petro apostolis resurrexisse Dominum. Sic enim habes: *Et vidit linteamina et sudarium in unum locum, et credidit: nondum enim sciebat Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere.* Sed Maria quia non illum videbat resurrexisse, non credebat. Nimius enim amor dubitare illam faciebat. Denique quos diligimus, si incommodum patiantur, non eos evadere credimus: quos autem odimus, si jam prope mortem sint, incredulum nobis est. Mariæ ergo, quoniam obstupuerat et mœrorem patiebatur per amorem, quam oportuerat sequi discipulorum fidem, primum se ostendit Dominus, ut desineret a mœrore, non tamen sine indignatione. Hinc audit, *Noli me tangere:* hoc est, Carnalem sensum quæris; abstine te, et spiritualia sequere quæ non videntur. *Nondum enim*, inquit, *ascendi ad Patrem.* Tale est hoc, quale illud beati Joannis Baptistæ mittentis discipulos suos ad Jesum, et dicentis: *Ite, dicite, Joannes Baptista misit nos ad te, dicens, Tu es qui venturus es, an alium exspectamus* (*Luc.* VII, 19, 20)? Sub sua persona, discipulorum suorum agit causam. Nec enim Joannes dubitabat, qui dixerat, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (*Joan.* I, 29): sed ut discipulis suis satisfaceret, mittit illos suis verbis, ut Salvatoris ore firmaret quod ipse de illo docebat, ut post excessum suum sine dubitatione aliqua discipuli sui Christum sequerentur. Ita et Salvator in se [1] Mariam arguit, dicens, *Nondum ascendi ad Patrem:* id est, Adhuc cor tuum humi pressum est, quæ si non vides, non credis. Si enim ad Deum cor elevasset, resurrexisse Dominum cum discipulis credidisset.

XXXVIII (*b*). — Quomodo intelligitur, quod dicente Maria ad angelum, *Et unde hoc sciam, quia virum non cognovi?* respondit Gabriel angelus, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi?*

Ambigenti Mariæ de conceptu, possibilitatem angelus prædicat dicens, etc.

XXXIX (*c*). — Qua ratione Magi Chaldæi per stellam apparentem Christum regem Judæorum natum intellexerunt; cum stella indice temporalis rex designetur?

Hi Magi Chaldæi non malevolentia astrorum cursum, sed rerum curiositate speculabantur, etc.

XL (*d*). — Quid sibi vult ut Isaias propheta de Christo dicat, *Qui peccatum non fecit;* contra autem Apostolus, *Qui peccatum*, inquit, *nesciebat, peccatum pro nobis fecit?*

Quantum ad propositum pertinet, non solum verba discrepant, sed et personæ diversæ sunt, etc.

XLI (*e*). — Certe qui filius Dei non est, diaboli est: semper ergo filius est, sed aliquando Dei, aliquando diaboli. Quid ergo nascimur, requirendum est utrum filii Dei, an diaboli, an aliud tertium, si possit admitti.

Dominus cum filii Israel sæpe delinquerent educti de Ægypto, iratus, nullum illorum terram promissionis intrare permisit, etc

XLII (*a*). — Quærendum an Spiritum sanctum habuerint Apostoli tempore illo quo fuerunt cum Domino, etc.

In his omnibus quæ proposita sunt, non una est causa. Breviter enim singularum causarum significatæ sunt formæ, etc.

XLIII (*b*). — Qua ratione responderi possit Arianæ impietati simpliciter ex Lege.

Si rationi fides accommodetur, ipsa nominum ratio Patris et Filii ostendet unitatem, etc.

XLIV (*c*). — Cum Salvatorem natum profiteamur, quid est ut Apostolus factum eum dicat ex semine David (*Rom.* I, 3); cum aliud sit fieri, aliud nasci?

Quanquam hoc loco possit factura nativitatis intelligi: factura enim a generatione distat quidem; sed in aliis causis non ubi carnis et corporis vertitur ratio: Apostolus tamen non sine causa taliter verbis locutus est; quia et in alio loco, *Factum*, inquit, *ex muliere* (*Galat.* IV, 4). Aliquid ergo significavit hoc dicto. Quoniam enim non humano semine concreta caro Domini est in utero Virginis, et corpus effecta, sed effectu et virtute sancti Spiritus; ideo sic locutus est Apostolus. Aliud est enim semine admixto sanguinem coagulare, et generare, et aliud non permixtione, sed virtute procreare. Ideo factum potius dixit quam genitum [1].

XLV (*d*). — Si ex semine David Christus Dei factus est Filius secundum carnem, hoc est natus jam Filius Dei est in utroque, quia sanctificatus natus est: quomodo ergo postquam baptizatus est, dictum ei a Deo est, *Tu es Filius meus, ego hodie genui te?*

Christus Filius Dei secundum spiritum ex æterno est, juxta carnem autem Dei Filius ex semine David est ex nativitate, etc.

XLVI (*e*). — Apostolus Legem datam a Moyse, et sanctam, et justam, et bonam, et spiritualem appellat (*Rom.* VII, 12, 14). Alibi dicit, *Lex enim iram operatur;* et, *Ubi non est Lex, nec prævaricatio* (*Id.* IV, 15). Sine enim his esse, securitas est.

Ipse dicta conferens, satis tibi debueras facere. Nam sic solent dubii facere quæstiones, ut unius dicta, quæ fas non est reprehendere, pugnantia et inimica quærantur. Si enim Apostolus Legem sanctam, et justam, et bonam, et spiritualem vocat, vir omni laude præcipuus, et undique veritate munitus; sufficeret hoc ad fidem, et de hoc quod videtur in verbis contrarium, sine obstinatione et invidentia quærendum erat. Propositio enim hæc impunitatem peccandi vult. Nam Apostolus utique cum legem fidei pro temporis merito et gratia præferret apud Romanos, qui sub fide Christi in Legem fuerant inducti. In legem dico, non eam quæ naturalis est: nam utique in legem erant Romani, quam de Athenis decemviri missi, et post alii duo attulerunt, quæ in duabus [2] tabulis scripta est, quæ in Capitolio obrutæ sunt; sed eam quæ factorum appellatur, ut circumciderentur, sabbatum observarent et neomenias, discernerent escas, circa mundanda vasa essent solliciti, et cætera quæ continentur in Lege hujusmodi. Hanc ergo Legem dicit iram operari: propterea enim irato Deo addita sunt hæc, ut oneri essent perfidiæ Judæorum. De tantis enim necesse est ut aliquid prætereat. Unde apostolus Petrus: *Quid*, inquit, *imponitis jugum*

[1] Morel affirmat legendum, *ipse*. Vid. Element. Critic., pag. 156. M.
(*a*) Deest in Mss. primi generis.
(*b*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 51.
(*c*) Ibid., quæst. 63.
(*d*) Ibid, quæst. 74.
(*e*) Ibid., quæst. 80.

[1] Ms. Germanensis, *factum dixit quia ingenitum.*
[2] Forte legendum, *duodecim.*
(*a*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 93.
(*b*) Ibid., quæst. 97.
(*c*) Deest in Mss. primi generis.
(*d*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 54
(*e*) Deest in Mss. primi generis.

super cervicem fratrum, quod neque patres nostri, neque nos potuimus portare (*Act.* xv, 10)? Denique dicit Deus per Jeremiam prophetam : *Dedi illis præcepta non bona* (*Ezech.* xx, 25). Post enim offensiones multas et tentationes in Deum et contumelias factas Moysi et detractiones de Deo, hæc data sunt, quæ observarent, ut premeretur dura cervix eorum, et quocumque se converterent, Legem haberent, ut nullum eis esset refrigerium. Ut ergo ab hac illos Lege tolleret Apostolus, *Ubi*, ait, *non est Lex, nec prævaricatio :* ut securi per compendium possint Deo servire spiritualiter. Quia, inquit, legem Judæorum servantes, necesse est ut prævaricetis. Tanta enim sunt præcepta, quæ impleri impossibile est. Nam quomodo de ista lege diceret, quæ naturalis est? Nam Moyses ideo scripsit, ut auctoritatem illius firmaret, non quia ante non erat, cum legamus vindicatum esse ante Moysen; sed ut exponeret Romanis non debere vivere jam sub Lege, quos sub Lege agere expediebat. Nec aliter enim possent servare justitiam. Denique dicit ad eos : *Vis non timere potestatem? Bonum fac*; et, *Qui contemnunt, ipsi sibi damnationem acquirunt* (*Rom.* xiii, 3, 2). Spiritualem ergo hanc legem dicit, quam et sanctam, et justam, et bonam ostendit. Hæc est quam naturalem diximus, quæ prohibet peccare : dux est enim bonæ vitæ. Huic addita Lex fidei perfectum hominem facit. Nam quia communi nomine nuncupatur lex hæc quam naturalem dixi, et illa quæ factorum lex dicitur [1], contra Legem loqui videtur Apostolus. Sed ne hanc exinanire videretur, sine qua vita hæc gubernari non potest, dicit, *Scimus quia Lex spiritualis est :* ut illam quam exinanit, lex sabbati, et circumcisionis, et escarum, et neomeniarum sciretur. Illa enim idcirco spiritualis dicitur, quia omnia punit peccata [2].

XLVII (*a*). — Qua ratione sapientia carnis inimica est Deo; vel quæ est ipsa sapientia quæ legi Dei non est subjecta (*Rom.* viii, 7)?

Non discrepat sensu quæstio hæc a superiore (*b*). Nam carnem dicendo, quid significet declaratum est; unde quæ sit ejus sapientia, facile possit dignosci. Diximus ergo elementa omnia carnem appellari, id est visibilium substantias : quorum ratio talis est, ut nihil æstiment posse fieri sine commixtione spirituali et simplici, potentiæ rationem horrentes ac fatuam judicantes. Hi enim qui de spiritualibus diffidentes, carnalia sequuntur, nihil aliud sapiunt ac putant verum, quam ratio continet elementorum : ut neque virginem peperisse, neque carnis credant resurrectionem; quia hoc ratio carnis, id est elementorum, non recipit. Omnia enim quæ gignuntur in tempore, permixtione operante generantur : et emortua et resoluta corpora non posse rursus reddi ad vitam, quia unumquodque elementum permixtione discreta revertitur in propriam naturam. His modis inflati, negant futurum vel factum quod credimus : ac per hoc asseveratio illorum inimica est Deo, dum stultum et inane putat quod fecit et facturum se promisit Deus.

XLVIII (*c*). — Apostolus dicit de principibus et potestatibus hujus sæculi, quod *si cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent :* e contra Marcus evangelista de dæmonibus ait, *Sciebant enim ipsum esse.* Si dæmones sciebant, quomodo potestates ignorabant?

Quibusdam videtur principes et potestates hujus sæculi Judæorum majores et principes dixisse, etc.

XLIX (*d*). — Quem spiritum Apostolus salvandum asserit, cum dicit, *Tradidi hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis*, etc. (I *Cor.* v, 5)?

Interitus carnis est, cum quis voluptatibus et desideriis carnalibus deditus, gehennam sibi procurat : interitum enim ex opere carnis acquirit. Ex his enim totus fit carnalis, quia sicut secundum legem vivens totus homo spiritualis efficitur, ut etiam caro hoc dicatur quod anima : ita si secundum desiderium mundi et voluptates libidinum vivat; totus homo fit caro, proficiens in interitum carnis; id est, ut sicut caro, propterea quod fluxa et corruptibilis et mortalis est, amissa anima deformatur carens figura, defluit in interitum; interit enim cum vigorem omnium membrorum amittit : sic et anima de tali corpore deformata est, cujus vigore despecta erat in pœna cum carne, in qua se vitiis maculavit. Ut nullus profectus sit carni per animam; sed interitum habeat anima per carnem; quia non corpus gubernavit, spiritualiter, cum regina data sit carni, sed ipsa docet [1] opera carnalia. Talem igitur hominem cum Ecclesia abjecit, spiritum habet salvum, sanctum scilicet, qui Ecclesiæ curator est : quia si passi fuerint talem inter se habere qui uxorem patris polluit libidine, ut lege cum possint compellere, ne contaminet omnes, et Spiritus sanctus recedat ab Ecclesia propter pollutum; non habebit salvum spiritum Ecclesia. Quod enim amittitur, non est salvum, et in die Domini nudi ab spiritu inventi, inter filios Dei computari non poterunt. *Spiritus etenim testimonium perhibet quod sumus filii Dei* (*Rom.* viii, 16). Hæc Apostolus ad plebem loquitur, quia adhuc episcopi Ecclesiis non erant locis omnibus ordinati. Ideo plebem jubet hoc facere quod facturus esset si illic creatus fuisset episcopus, ut conspirantes in unum, ejicerent illum de cœtu suo, ne consentire viderentur operibus ejus. Quia qui non arguit eum quem potest, sed recipit quasi non errantem, delinquendi illi fomitem præstat, qua causa contaminatur et ipse fugans a se Spiritum sanctum. Ad Thessalonicenses namque simili modo inter cætera dicit : *Integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri servetur* (I *Thess.* v, 23). Ipse idem sensus est : hoc est enim salvum esse, quod integrum. Nam dicit rex ad Danielem, *Salvane sunt signa Daniel?* et ille respondit, *Salva, rex* (*Dan.* xiv, 16); id est, integra : ut nobis sit integer spiritus, cum non nos deserit. Quos enim spiritus deserit, jam non erunt integri in causa regenerationis; quia non habent eum, per quem filii Dei vocabantur. Nec hoc est contrarium, si Spiritum sanctum dicamus, nobis peccantibus nos deserere, et integrum non esse. Ideo enim integer non est, dum nos deserit qui dux et rector noster erat; quia si caput nostrum est, et nos membra ejus. Cum autem adversum aliquid facimus, non ille nos, sed nos illum videmur deserere : et tunc ille videtur integer non esse, cum nos amittit. Hoc enim verum ac manifestum est, quia non ille se a nobis avertit, sed nos ab illo cum peccamus. Et ad Colossenses inter cætera ait : *Ex quo omne corpus subministratum et productum crescit in incrementum Domini* (*Coloss.* ii, 19). Quod juxta sonum verborum si accipiamus, non convenit : nec enim Deus aliquid dehabet, ut crementum faciat per nos. Sed nos dum revertimur ad auctorem vitæ nostræ, et confitemur illum, acquirens nos ad salutem, crementum facit in nobis divinitas : ideo in eis qui ab eo recedunt, detrimentum est. Hoc est ergo integrum non esse, quod est et detrimentum facere.

L (*a*). — Cum multa peccata in corpus admitti videantur : omnis enim qui sibi ex quacumque parte corporis vim intulerit, in corpus utique suum peccat; est enim qui se abscidit, est qui laqueo vitam finivit, est qui ferrum in se injecit : quare Apostolus, *Omne*, inquit, *peccatum quodcumque fecerit homo*,

[1] Sic Theologi Lov. In B. desunt verba, *hæc quam naturalem dixi, et illa quæ factorum lex.* M.
[2] Germanensis Ms., *deponit peccata.*

(*a*) Deest in Mss. primi generis.
(*b*) Indicat quæstionem quæ infra est 61.
(*c*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 66.
(*d*) Deest in Mss. primi generis.

[1] Editi, *ducit.* At Ms. Germanensis, *docet.*
(*a*) Deest in Mss. primi generis

extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (I *Cor.* VI, 18).

Imperitum putas fuisse Apostolum, aut vim dicti explanari desideras? Nam Apostolus corpus dicens, non singularem hominem significavit, sed simul comprehendit et feminam; quia portio viri est mulier. Nam omnia supra dicta facinora, quæ violenter in se unusquisque admittit, non totum maculant corpus; singularis enim peccat, ac per hoc solus fit reus. In fornicatione autem totum polluitur corpus; quia consensus contaminationis et virum tenet et feminam: ideo grave delictum esse fornicationem. Pessime enim peccatur, cum quis facinori suo socium quærit ad perditionem. Si enim ut bene vivens etiam pro eo præmium accipiet, quem lucrum fecit; et malus non tantum in se, sed et in illo fit reus, quem participem voluit habere damnationis: quanto magis qui fornicatur, quem constat uno delicto seipsum bis quodammodo contaminare? Si enim in carnem, quæ ex se est peccat, bis utique seipsum adulterat. Si quis autem quæstionem hanc transfigurare se putat, ut aut ad Ecclesiam, aut ad corpus Christi dictum hoc aptet, non stabit. Improprie enim dicetur, et Novatiano erit similis, qui ut causam furoris sui astruat, pronuntiat eum qui fornicatur, non in corpus suum peccare, sed in Christi, quia Christiani membra et corpus Christi sunt; ut fornicatio hoc sit quod sacrilegium; ut talis in Christum dicatur peccare, sicut qui negat Christum. Quod quidem infirmum est et fragile: quia ex quavis parte hæret in laqueum, et non evadit. Si enim qui fornicatur, in corpus Christi peccat, cætera peccata non erunt in Christum admissa: ut si christianus fratrem occidat, aut sacrificet idolis, vel aliud genus peccati admittat: quia omne peccatum extra corpus est, excepta fornicatione. Si autem omne peccatum non est extra corpus, sed quodcumque fuerit, in Christum admittitur; qui furatur, aut qui perjurat, et qui mentitur, aut qui percutit fratrem, aut aliud tale admittit, in Christum vel in Spiritum sanctum dicitur peccare, quod valde absurdum est: et tamen Apostolus Ecclesiæ membra corpus Christi appellat [1], ita ut nos invicem simus membra. Quomodo ergo qui fornicatur, in suum corpus peccat, et non magis in Christi? quia secundum Ecclesiæ mysterium non nostrum corpus dicimur, sed Christi; et hoc longe a causa est, quia qui fornicatur, ideo in corpus suum peccat, quoniam totus Adam contaminatur.

LI (*a*). — Cur Apostolus omnibus omnia se factum dixit (I *Cor.* IX, 22): quod factum adulatoris videtur et hypocritæ?

Adulator ille est qui ideo dat consensum, ne offendat eum quem optat habere propitium. Qui enim propter scandalum aliquid facit, quod non quidem periculosum, sed superfluum sit, saluti studet illius quem scandalum pati non vult. Cum Paulus apostolus circumcidit Timotheum propter Judæos, et purificatus intravit in templum, talem se utique præstitit, ne illi qui æmuli erant traditionis paternæ scandalum passi aut occiderent illum, aut religionem nostram sibi inimicam putarent. Minus ergo admittere voluit, ut plus possit lucrari. Graviter enim potuerat peccare, si non ut Judæum se fecisset in templum ire ad orandum: subjecit ergo se, ut illis prodesset. His autem qui sub Lege erant, id est, Samaritanis, hac ratione, consensit, qua constat illos, libros Moysi recte confiteri esse a Deo, et circumcisionem et sabbata a Deo data. Ex his autem ostendebat illis Christum quem sperabant, hunc esse quem prædicabat. Sic enim habes dicente Samaritide ad Dominum, *Scio quia Messias venit: cum ergo venerit, ille annuntiabit nobis omnia* (*Joan.* IV, 25). Juxta ergo hunc sensum persequebatur verba librorum Moysi, qui dixit, *Quia Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris* (*Deut.* XVIII, 15). His autem qui sine Lege erant, ex hac parte assensit, quia mundum dicunt factum a Deo, et hominum genus. Ait enim: *Sicut quidam ex vobis dixerunt, Hujus etenim genus sumus* (*Act.* XVII, 28). Sic ergo factus est omnibus omnia, ut saluti eorum proficeret.

LII (*a*). Quid est quod dicit Apostolus, *Tentatio vos non apprehendat nisi humana;* quasi optet hanc fieri? Et quæ est hæc humana tentatio? Nam per hanc ostendit esse et divinam tentationem. Discernendæ ergo sunt et quæ sint ostendit.

Omnis quæstio ut dilucidari possit, ad originem revocanda est. Apostolus autem cum de Judæorum perfidia quereretur, etc.

LIII (*b*). — Quid est quod dicit Apostolus, *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3)? Ergo Photinus, qui negat Christum Deum, potest Dominum nostrum Jesum Christum in Spiritu sancto fateri? et Marcion et Manichæus, qui negant Christum in carne venisse, hi in Spiritu sancto possunt dicere Dominum Jesum Christum; vel meretrices et spurci: cum Spiritus sanctus non habitet in corpore subdito peccatis, et in malevolam animam non intret sapientia (*Sap.* I, 4)?

Veritas non ex persona probatur, vel improbatur: quidquid enim bene et verum dicitur, sine dubio in Spiritu sancto dicitur. Non ergo si quis in aliis reus est, et in hoc illi præscribi debet, quod verum loquitur. Nec illi tamen præscribitur, sed Christo Domino contradicitur. Qui enim negat istum verum dicere, Christo injuriam facit. Si autem verum dicitur, negeturque quod verum est in Spiritu sancto dici, quod et Christus admittit (nemo enim bonorum vera de se dicentem arguit: nec enim ex revelatione edíscitur, quod per traditionem discitur); nemo verum dicens poterit improbari.

LIV (*c*). — Apostolus dicit Christum pro omnibus mortuum esse: sic enim ait, *Ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est* (II *Cor.* V, 14, 15). Ipse vero Dominus ait, *Venit Filius hominis dare animam suam redemptionem pro multis* (*Matth.* XX, 28). Hoc modo contrarium.

Verba quidem diversa sunt, sed unus est sensus; quomodo iterum verba eadem diversum habent sensum, utputa, *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV, 23); et, *Lex*, ait, *non est ex fide* (*Galat.* III, 12), nec tamen peccatum est. Hos ergo quos multos dixit Salvator, ipsos Apostolus omnes significavit. Multi enim sunt, quia maxima pars ex omni populo et gente creditura est Salvatori. Istos Apostolus credentes omnes nuncupavit. Sic enim inter cætera ait, *Pro omnibus mortuus est;* his utique qui crediderunt et credituri sunt. Est etiam et pro ipsis mortuus, qui credere nolunt: sed dum illi beneficium non recipiunt, nolunt pro se mortuum esse Christum; ac per hoc non videtur mortuus pro his, quibus nihil profuit, sed magis obfuit. Pro his autem rite mortuus dicitur, quibus acquisita victoria est, qui intelligentes mysterium, Deo gratias referunt, per Christum Dominum nostrum.

LV (*d*.) — Cur apostolus Paulus Petrum coapostolum suum reprehendit, quod timens eos qui erant ex circumcisione, subtrahebat se a Gentilibus (*Galat.* II, 11, 14), cum et ipse timens eos qui erant ex circumcisione, accipiens circumcidit Timotheum, quod fieri prohibebat (*Act.* XVI, 3)? et ipse ergo reprehendendus est?

Incredibile est tantum apostolum in eo alterum reprehendisse, in quo se sciret succubuisse. Hoc a tam magno viro factum, non est fas credere; quia iis competit qui carnaliter vivunt. Caret itaque apostoli Pauli factum reprehensione. Cum enim prædi-

[1] Ms. Germanensis, *Ecclesiam membra et corpus Christi appellat.*

(*a*) Deest in Mss. primi generis.

(*a*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 99.
(*b*) Deest in Mss. primi generis.
(*c*) Deest in iisdem Mss.
(*d*) Deest in iisdem Mss.

caret non circumcidi, volens autem Timotheum secum assumere, qui cum esset natus matre Judæa, patre autem Græco, et hoc Judæis esset scandalum, ut ex Judæa natum incircumcisum assumeret; tunc subjectioni se submisit ad horam, et accipiens circumcidit eum. Rem ergo superfluam fecit, permittente eo qui passus est. Quia enim erat ex matre Judæa, eruditus ab infantia in synagoga litteris sacris, id est voluminibus Hebræorum, permisit circumcidi se, ut Judæis scandalum tolleret, quia zelum habebant generis sui. Denique *cum Titus*, inquit, *esset Græcus, non est compulsus circumcidi* (*Galat.* II, 3). Timotheum autem, quia de matre Judæa erat, sicut dixi, non sunt passi Judæi assumi inter doctores incircumcisum. Ad hoc illum assumpsit Apostolus, ut eum episcopum ordinaret, sicut fecit. Eruditus enim propheticis Litteris, ad asserendum Christum idoneus magister inventus est. Apostolus enim Petrus non esset reprehensus, si se more [1] Judæorum a Gentilibus segregasset, ne illis scandalo esset. Sed hoc reprehensum est in apostolo Petro, quod cum ante Græcis credentibus gentiliter viveret, advenientibus ab Jacobo Judæis, timore subjectus ex Gentilibus credentibus judaizare debere docebat. Hinc audit, *Si tu, cum sis Judæus, gentiliter vivis, quomodo cogis Gentes judaizare?* Dubitari enim fecerat de evangelica disciplina : quod crimen est, dum quæ ædificaverat, destruebat. Ideo simulationem hanc vocat apostolus Paulus, quem constat si circumcidisset Timotheum [2], ut non taceret rem se superfluam propter illorum scandalum facere, et ideo se cedere, propter quod matrem haberet Judæam : nec enim Judæi insisterent, nisi inventa occasione matris Judææ, quia hoc minime possent improbare Gentilibus, nec habere facile de his scandalum, qui non essent de genere Israel. Non ergo simulatione hoc fecit, sed violentia. Supra dicta enim causa simulationem habuit non minimam. Nam multi reprehensi sunt in hac causa, ita ut aliqui Judæorum et Barnabas consentirent huic simulationi.

LVI (*a*). — Apostolus ait, *Nos natura Judæi.* De Judæis ergo Judæos nasci ostendit. Denique in eremo qui nati sunt, non circumcisi Judæi erant. Non ergo circumcisio Judæum facit, sed nativitas sub Dei creatoris devotione progenita. Si ergo de Judæis Judæi nascuntur, et de Paganis Pagani nascuntur; etiam de Christianis Christiani nascuntur.

Non omne quod nascitur, hoc est quod unde nascitur. Nam et aurum de terra nascitur, etc.

LVII (*b*). — Quid opus erat ut Galatas arguens Apostolus hoc interponeret. Galatis enim post Evangelium ad Legem confugientibus inter cætera ait, *Mediator autem unius non est, Deus autem unus est* (*Galat.* III, 20) : quasi Galatæ unum Deum negarent. Quippe cum hac ratione inducti in Lege, ut unum Deum et singularem crederent : Christum autem ministrum tantum ex prædestinatione venisse ad dispensandum donum gratiæ Dei.

Manifestum est sic inductos Galatas in Legem fuisse ut et Christum profiterentur, sed non sicut dignum est, sed more Photini; ut quia unum Deum Lex prædicat, contra Legem sit si Christus Deus dicatur. Hoc commentum Judæorum est, qui magnalibus virtutum victi crediderunt post crucem Christi, ita ut profitentes Christum, Legem tamen servarent, quasi non esset omnis spes in Christo ponenda. Hi sunt quos Apostolus falsos fratres appellat (*Id.* II, 4, *et* II *Cor.* XI, 26). Isti ergo post Apostolorum traditionem, Galatarum sensum corruperant, ita ut Judæos eos facerent sub nomine Salvatoris. Hinc Apostolus Christum dicit venisse arbitrum circumcisionis et præputii, sicut dicit ad Ephesios : *In uno novo homine faciens pacem* (*Ephes.* II, 15). Si ergo arbiter venit Christus, arbiter autem sic facit pacem inter duos, ut novam regulam ponat, auferens ambobus professiones, reconciliat eos, ut ejus sententiam secuti, amittant discordiam pristinam. Judæo enim circumcisionem vindicante, et Gentili præputium, discordia fit. Cum vero hoc ambobus aufertur, fit pax. Si igitur sic se hæc habent, quomodo vos, inquit, Galatæ Judæi facti, Christi arbitrium corrumpitis? Ideo dixit illis : *Evacuati estis a Christo.* Jus enim reconciliationis quod inter eos constituerat spernentes, ad pristinum Judæorum sensum conversi sunt, accusantes tam se quam reconciliatorem. Omne enim quod displicet, accusatur. Et quoniam hæc res Galatas ad Legem converti coegerat, ut unum Deum sine mysterio faterentur, quasi Legi esset inimicum, si Christus Deus diceretur; dicit, *Arbiter*, hoc est, *mediator, unius non est*, sed duorum utique : vos autem conversi ad Legem, arbitrum recusastis, *Deus* tamen *unus est.* Quo dicto non sic se Christum Deum prædicare testatur, ut alterum Deum faceret, aut duos profiteretur, sed unum esse Deum, sicut et in Lege dictum est. Quia Christus cum de Deo Deus prædicatur, non ad alterum proficit Deum : quia quod de Deo est, non se permittit alterum Deum dici. Sive enim Deus, sive quod de Deo est, unus est Deus. Nihil enim utique distat inter Deum, et quod de Deo est. Est enim alter. Ipse enim alter, propter personam, qua Filius nuncupatur : ipse vero idem, propter unitatem substantiæ. Ne reprehensibile videatur quia personam dixi, solent enim hoc quidam abnuere; sed Apostolum sequamur qui ait : *Nam quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi* (II *Cor.* II, 10).

LVIII (*a*). — Si per Christum salus, et vera et perfecta cognitio, cur non ante venit, ut anteriores nostri qui in ignorantia fuerunt addiscerent veritatem? Denique post adventum Christi multi salvi facti sunt magis quam prius : unde si ante venisset, multo plures salvati fuissent. Si ergo ita est, reprehensibile videtur.

Si ei cui necessitas imminet, ante subveniatur, erit quidem gratus, non valde tamen poterit scire quid sibi præstitum est, etc.

LIX (*b*). — Paganos sub elementis esse nulli dubium est. Quid ergo Apostolus dixit, *Eramus et nos sub elementis hujus mundi servientes.* Si itaque et Judæi sub elementis erant, quid differunt a Paganis?

Pagani non sub elementis serviunt, sed ipsis elementis. Colunt enim astra, etc.

LX (*c*). — Quando Apostolus Galatis dicit, quos sic reprehendit et arguit per totam Epistolam, *Estote sicut et ego, quia ego sicut vos* (*Galat.* IV, 12) : si ergo talem se præstitit quales illi erant, superfluum fuit dicere, *Estote sicut et ego.* An forte in quibusdam imitator illorum esse cœperat, et in aliquibus vult illos sui similes existere?

Quid illorum poterat imitari Apostolus [1]? aut quid illi deerat magistro gentium? Sed hortatur illos ut imitatores ejus sint : et quoniam non est impossibile, sic reprobat, cum dicit, Quia hoc sum quod vos : homines enim estis, sicut et ego; ideo facite quod facio ego. Potest et ad illud referri, ut quoniam omnibus se omnia factum dicit per assensum in quibus a vero non discrepabant, maxime Gentiles (I *Cor.* IX, 22). Nec enim fuit aliquid eorum, quid jam fieri minime oportebat, prius autem recte factum erat, ut circumcisio, sabbatorum observatio, neomeniarum, escarum. Sed si quid gentium probavit, non cessare jam debere ostendit. Mundum enim dicunt a Deo et hominibus fabricatum : hoc semper stat. Si ergo in his consentiens illis factus est sicut et illi, hortatur illos

[1] Ms. Germanensis, *timore Judæorum.*

[2] Morel affirmat legendum, *quem constat sic circumcidisse Timotheum.* Vid. Element Critic., pagg. 264, 265. M.

(*a*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 81.

(*b*) Deest in Mss. primi generis.

[1] Germanensis Ms., *Quis illorum poterat imitari Apostolum?*

(*a*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 83.

(*b*) Ibid., quæst. 82.

(*c*) Deest in Mss. primi generis.

ut simili modo et hi fiant sicut et ille est, consentientes doctrinæ ejus.

LXI (*a*).— Quomodo liberi sumus arbitrii ac voluntatis, cum dicat Apostolus, *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus vero adversus carnem, ut non quæ vultis, ea faciatis* (*Galat.* V, 17)? Et si caro adversus spiritum concupiscit, mala est. Spiritus enim bona suggerit.

Carnem non substantiam carnis hoc loco intelligas, sed actus malos et perfidiam significata in carne. Per id enim quod omnis error ex visibilibus et mundanis, caro autem cognata eorum est; ex elementis enim constat; omnem errorem carnem appellat: non solum adulteria, fornicationes et luxuriam, opera dicit carnis, sed et idololatriam, et maleficia, et blasphemias, et talia. Numquid caro ad blasphemiam cogit aut idololatriam [1]? Nonne hæc animæ vitia sunt, dum consentit errori? Recte autem agentibus dicit quod non sint in carne, sed in spiritu. Et utique ad hoc in corpore sunt [2]. Qui ergo bene ambulat, nec diffidit de spe fidelium, in carne positus, non esse dicitur in carne: male autem vivens et blasphemus, in carne dicitur esse, et caro; quia quomodo bene agentes spirituales sunt cum ipsa carne, sic male viventes carnales sunt cum ipsa anima. Hoc enim nuncupatur quod dicit. Hic itaque error, quem carnem appellat, concupiscit adversus spiritum, id est suggerit mala contra eumdem spiritum, qui est lex Dei. Ad duas enim leges inducit, Dei et diaboli. Unde spiritum dicit, propterea quod lex Dei spiritualis est, contra carnem, hoc est contra vitia repugnare, ut hominem conservet Deo: lex autem diaboli, qui est error, contradicit per oblectamenta luxuriæ, et mundana dulcedine. His ergo repugnantibus medius homo est, qui cum consentit spiritui, non vult caro: cum autem manum dat carni, spernit spiritum, id est legem Dei contemnit. Consentientem ergo carni, spiritus revocat ne faciat quod vult: assentientem autem spiritui, caro sollicitat ne faciat quod putat utile. Sed spiritus recte et providenter contradicit et revocat, ut eripiat hominem a consiliis satanæ. Caro autem quæ est lex adversa, idcirco sollicitat, et spiritui legis resistit, ut per fallaciam decipiat. Ideo ergo hæc Apostolus publicat, ut ostendat arbitrio humano cui rei voluntatem suam committat, non ut arbitrium libertatis exinaniat, sed docet arbitrium cui rei se conjungat. Si autem non est voluntatis arbitrium, neque lex diaboli quæ est caro, neque lex Dei quæ est spiritus, invicem sibi adversando hominem consiliis sollicitarent. Qui enim sollicitat, suadet: qui autem suadet, non vim infert, sed circumvenit: qui circumvenitur, fallaciis quibusdam voluntas illi mutatur. Si autem non esset liberum arbitrium, nolens homo traheretur ad ea quæ non vult.

LXII (*b*). — Si in Christo *omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi* (*Coloss.* II, 3), quomodo idem Salvator de die et hora futuri judicii dicit se nescire (*Marc.* XIII, 32)? Si autem sciat, et dicit se nescire, videtur mentiri.

Dictum hoc duplicem continet sensum. In Christo enim omnes thesauros sapientiæ et scientiæ sic dicit absconditos, ut qui habet Christum, pro omni sapientia et scientia illi cedat [3]: ut scire Christum totum sit scire, et omnem sapientiam comprehendisse, sicut dicitur ad Colossenses, *Nemo vos circumveniat per philosophiam et inanem seductionem, secundum elementa hujus mundi, et non secundum Christum: quia in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:* Hoc est, nihil indigere ad salutem, eum qui credit in Christum, sed illi hoc abundare; quia plenitudo divinitatis in fide ejus est. Et iterum in eadem Epistola inter cætera ait: *Nemo vos seducat in humiliationem cordis, et in superstitione Angelorum, quæ videt extollens se, frustra inflatus mente carnis suæ, et non tenens caput ex quo omne corpus subministratum et productum crescit in incrementum Dei* (*Coloss.* II, 8, 9, 18, 19). Si itaque credentes in Christum, caput totius principatus et potestatis venerantur, nullius indigent, sed totum quod ad salutem opus est habent; nihil illis oberit inferiora quæ ad salutem nihil conferunt nescire, quando id quod necessarium est norunt. Hujusmodi ergo totum scire, dicendi sunt, qui hoc sciunt, quod illis proficiat ad salutem. Est etiam illud, quia in Salvatore omnes thesauri sapientiæ et scientiæ sunt absconditi. Omnia enim sacramenta Paterna ipsi sunt cognita; et omnem creaturam ipse metitur; et nec Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V, 22); et nemo scit quæ sunt in Deo, nisi Spiritus Dei (I *Cor.* II, 11), qui est et Christi. Quomodo ergo et diem et horam futuri judicii nescire dicendus est, cujus Spiritus quæ in Deo sunt, novit, de quo dixit quia de ejus accepit (*Joan.* XVI, 14, 15)? Si ergo qui de ejus accepit novit quæ futura sunt, quomodo non sciet Christus qui misit Spiritum sanctum? Et potest fieri ut judex nesciat diem futuri judicii? quippe cum omnia signa dederit quando speretur. Forte etiam hos dicatur vere nescire, quibus dicit: *Amen dico vobis, quod nescio vos* (*Matth.* XXV, 12). Nec virgines stultas et improvidas dicetur scire, quia dixit etiam, ipsis dicentibus, *Domine, Domine, aperi nobis, Amen dico vobis, quod nescio vos.* Causa ergo est ut dicat se nescire quod scit. Denique sic ait: *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit* (*Id.* XXIV, 42). Ut ergo sollicitos nos et vigilantes faceret, interrogatus nescire se dixit diem et horam futuri judicii; sed ut nobis prodesset, negavit se scire quod scit. Ignorantibus ergo nobis quid prosit nobis, scire omnino volumus quod si scierimus, oberit nobis: Christus autem provisor salutis nostræ, ne audiremus quod contra nos esset, dixit se nescire. Numquid si alicui in dolore posito gladium poscenti se ut perimat, qui habet respondeat se non habere, mendacii arguendus erit negans, quod si non neget, sciat contrarium?

LXIII (*a*). — Quid est ut cum Apostoli omnes curas sibi oblatas sanassent, propriis tamen infirmis medelam non dederint? Nam utique Epaphroditus usque ad mortem non ægrotasset (*Philipp.* II, 27), si intercessio Apostoli fuisset audita. Quis enim dubitet orasse hoc sæpe Apostolum, et non impetrasse? Si enim auditus fuisset, statim infirmitas fuisset adempta?

Signa et virtutes idcirco ab Apostolis factæ sunt, ut infidelitas cogeretur ad fidem, ut videntes facta quæ hominibus impossibilia sunt, Dei ex hoc esse prædicationem agnoscerent, et rationem esse in fide, virtute probarent: ut quoniam verbis semper contradicitur, testis virtus posita est, cui cum verba cedunt, rationem esse in fide significat, quæ verbis exprimi non potest. Inter fideles igitur non jam signa et prodigia sunt necessaria, sed spes firma. Postquam enim discitur vera esse quæ promissa sunt, ad hoc se armat animus, ut spretis præsentibus, futuris dignus existat, meritum sibi collocans per laborem; hoc Salomone testante, qui ait, *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in justitia et timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli.* II, 1). Quoniam tentationibus proficit homo, hæc data sunt monita. Unde Apostolus: *Per tribulationes*, inquit, *oportet nos intrare in regnum Dei* (*Act.* XIV, 21). Hæ tribulationum tentationes diversis modis accidunt, ut perseverans animus in accepta fide possit coronari. Non solum enim

[1] Juxta Lov.: *Numquid caro blasphemiam cogit aut idololatriam?* M.

[2] Morel affirmat legendum: *Et utique adhuc in corpore sunt.* Vid. Element. Critic., pag. 168. M.

[3] Ms. Germanensis, *illum credat.*

(*a*) Deest in Mss. primi generis.

(*b*) Deest in iisdem Mss.

(*a*) Deest in Mss. primi generis.

in fide tentatur homo, sed et in ægritudine, et in damno, et in persecutione, et in morte charorum : ut si in his passionibus ad auxilium dæmoniorum non fuerit abductus, sine sanguinis pretio meretur martyrium. Non ergo ad dispendium Epaphroditi non impetravit Apostolus quod petiit, sed ad profectum : quia et in sua causa, cum postulasset, audivit, *Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur* (II *Cor.* XII, 9).

LXIV (*a*). Petrus apostolus dicit, *Christus mortuus est pro vobis* (I *Petr.* II, 21). Paulus vero apostolus asserit quia et pro se mortuus est. *Factus*, inquit, *obediens usque ad mortem; propter quod donavit illi Deus nomen quod est super omne nomen* (*Philipp.* II, 8 *et* 9). Quod si ita est, imperfectus videbitur fuisse qui per opera sua fecit augmentum.

Filium Dei perfectum natum esse de Deo, nemo fidelium ambigit. Omnia enim divinitatis paternæ accepit nascendo de Deo Patre. Tunc ergo accepit nomen, quod est super omne nomen, id est ut hoc dicatur quod Pater, Deus. Nam nihil apud eum futurum dicitur : omnia enim ante se habet. Ideo ad hæc omnia creanda et restauranda natus est. Nam utique ordo et ratio hoc habet, ut paterno nomini omne genu flectatur. Hoc Pater donavit Filio propter ea quæ erat acturus ; donavit autem quando genuit. Sic enim illum genuit, ut in eodem honore esset, quo ipse Pater est.

LXV (*a*).— Quid est quod dictum est Joanni, sicut in Apocalypsi scriptum legitur, *Vade, et accipe librum, et devora illum; et amaricabit ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel?* Quid est hic liber : vel quomodo amarum facit ventrem, cum sit dulcis?

Frequenter, qui compendium quærit, solet errare. Quid est ut non omnia ad causam dicta proponas, etc.

(*a*) Deest in Mss. primi generis.

(*a*) Habetur sup inter primo vulgatas, juxta quæst. 72.

QUÆSTIONUM
EX UTROQUE MIXTIM
PARS SECUNDA.

QUÆSTIO PRIMA (*a*). — Quid sit ad imaginem et similitudinem Dei fecisse hominem : et an mulier imago Dei sit.

Hoc est ad imaginem Dei factum esse hominem, quia unus unum fecit, etc.

II (*b*). — Evangelium testatur quia nemo vidit Deum (*Joan.* I, 18, VI, 46, *et* I *Tim.* VI, 16) : contra Jacob et Moyses et Isaias asserunt Deum se vidisse (*Gen.* XXXII, 30, *et Isai.* VI, 1). Sed dicit quis, *Patrem nemo vidit.* Quid ad rem? Si Filius visus est, visus et Pater est : quippe cum Pater et Filius uterque sit unus Deus, et in substantia, et in imagine, quia duorum una imago est, et sicut ipse dicit, *Qui me videt, videt et Patrem* (*Joan.* XIV, 9). Quomodo ergo nemo vidit Patrem Deum, cum Filius dicat videri Patrem cum ipse videtur? Quia neque alter Deus. Si ergo alter non est, ipse idem quia unus est, visus est Deus.

Quantum ad Evangelistam pertinet, de Patre Deo hoc dixit, quia nemo vidit Deum, nisi Filius unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Credamus Filio ; ipse enarravit enim quia nemo, nisi ipse, vidit Deum. Hoc autem ideo dixit, ut doceret se semper apparuisse Patriarchis et Prophetis. Non ergo hoc ad unum Deum pertinet, sed ad personam Patris, de quo non potest dici aliter quam Deus Pater. Filius autem sic se visum dicit, ut invisibilis sit tamen in eo ipso cum videri putatur. Visus enim hic intellectus est ; quia non utique oculis visus est, sed mente intellectus : et hoc fuit vidisse, intellexisse, in eo quod apparuit ibi inesse Deum. Cum autem dicit Salvator, *Qui me videt, videt et Patrem ;* non utique ad oculorum visum hoc retulit, sed mentis, et ut nihil inter Patrem et Filium diversum esse putaretur. Neuter ergo eorum visus est juxta substantiam. Circum apparentia autem solus Filius visus est mente, non carnalibus oculis; quia invisibilis est sicut Pater.

III (*c*).— Vetus Lex Deum jurasse allegat : sic enim dicit, *Per memetipsum juravi, dicit Dominus* (*Gen.* XXII, 16). Salvator autem jurare prohibuit (*Matth.* V, 34) : quomodo non destruxit vetera?

Antequam notitia Dei esset in terris, non aliter oportuit provocare homines ad spem inauditam, quam jurejurando promissio illis fieret, ab eo utique quem non, ut dignum erat, sciebant. At ubi autem cœpit sciri, non utique jurare oportuit, quem mentiri fas non esset arbitrari. Ideo ergo Dominus nec servos jam jurare præcepit, sed tales se instituere, ut sermonibus illorum fides habeatur. Sacramentum enim jurisjurandi aut perfidia exegit, aut fallacia inconstantis ; ut quia fallere homines solent, timore forte Dei revereantur : aut certe satis erit, et qui fallitur, quia ex hoc offensam acquirit.

IV (*a*). — Quid est quod in cruce positus Salvator ait, *Pater, ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt?* Si nesciunt, quid est quod ignoscitur, maxime cum dicat Abimelech ad Deum, *Numquid ignorantes perdes?*

Non omnis ignorans immunis a pœna est. Hic enim qui potuit discere, et non dedit operam, etc.

V (*b*). — Si in Lege nemo justificatur apud Deum, quare scriptum est, *Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ut faciat ea* (*Deut.* XXVII, 26)? si ex fide justificantur homines, et non per Legem (*Galat.* II, 16), utquid maledictus est qui non implevit Legem, cum non proficiat ad justitiam?

Lex data per Moysen justitiam habebat quidem, sed terrenam ; ut servantes Legem justi essent ad præsens, ut non rei fierent. Justus est enim ex Lege, qui nulli nocet. Unde Apostolus, *Lex*, inquit, *non ex fide; sed qui fecerit ea, vivet in eis* (*Id.* III, 12) : hoc est, faciens Legem non morietur, sed vivit ad præsens ; justitia autem quæ ex fide est, justificat homines apud Deum, ut remunerentur in futuro sæculo. Addiderunt enim temporali justitiæ justitiam fidei. Justum est enim nosse ex quo et per quem sumus, ut Patris et Filii et Spiritus sancti vera confessio ad cœlestia regna nos perducat. Nam et veteres qui non solum Legis præcepta servaverunt, sed et Deum dilexerunt, spem habentes in promissione, justificati sunt apud Deum. Solam enim Legem dicit non justificare homines apud Deum, sicut nec sola fides exceptis bonis operibus commendat apud Deum, sed servata justitia terrena et divina, perfectos facit. Hinc dicit Dominus : *Nisi abundaverit justitia vestra*

(*a*) Eadem cum ea quæ inter primo vulgatas est quæst. 21.
(*b*) Deest in Mss. primi generis.
(*c*) Deest in iisdem Mss.

(*a*) Habetur supra inter primo vulgatas, juxta quæst. 67.
(*b*) Deest in Mss. primi generis.

plus quam Scribarum et Pharisæorum, non introibitis in regnum cœlorum (*Matth.* v, 20).

VI (*a*). — Quid est ut David dicat, *Confundantur et erubescant qui dicunt mihi, Euge, euge* (*Psal.* LXIX, 4): Dominus autem, *Euge*, inquit, *serve bone et fidelis*, (*Matth.* XXV, 21, 23) etc. Quod David pro malo accepit, hoc Salvator bonis meritis dignum ostendit?

Non valde istud discrepat a superiore quæstione. Unum enim verbum diversas habet significationes, sicut supra memoravi (*In secunda parte Quæst. ex Novo Test., quæst.* 54). Obtrectatores enim David, cum exitiis ejus faverent, gratulabantur malis ejus. Dum enim ille pressuras et angustias pateretur a Saül et filio suo Absalon, illi recte et bene fieri dicebant. Tale est si aliquis dicat, de eo qui injurias patitur, Bene illi hoc est, gaudere in malis: hoc est dicere, Recte illi fit, sic enim meretur. Simili modo et Salvator lætus in bonis operibus, meritum hominis pronuntiat dicens: *Euge, serve bone et fidelis.* Exsultat enim, quia servus digniorem se fecit, dicens, Bene; hoc est, Recte egisti, uti [1] majus meritum collocares. Unum igitur verbum duabus contrariis causis aptatur. Nam solemus de aliquo dicere, Adjudicatus est. Sed quomodo dicatur, causa aut subsequens aut præcedens declarat. Aliquando enim ad bonum dicitur, aliquando ad malum: sicut et concupiscentia aliquando ad bonum, aliquando ad malum aptatur.

VII (*b*). — Quid est quod in Psalmo, *Homines*, inquit, *et jumenta salvos facies* (*Psal.* XXXV, 7): et ad Jonam prophetam, *Non parcam*, ait, *civitati in qua habitant centum triginta millia hominum, et pecora multa* (*Jonæ* IV, 11): contra autem Apostolus, *Numquid*, ait, *de bobus cura est Deo* (I *Cor.* IX, 9)?

Quantum ad verba pertinet, videtur contrarium; si causa autem hominis et pecorum inspiciatur, manifestabitur esse non dispar. Omnium curam gerit Deus, quasi omnium opifex; sed non servat pecora propter ipsa, sed propter homines servat pecora, non homines propter pecora. Itaque qui hominum curam gerit, custodit pecora, ut non illi cura sit de bobus, sed de hominibus. Quæ enim spes in pecoribus?

VIII (*c*). — In Tobia, *Opera*, inquit, *Dei revelare et confiteri, honorificum est* (*Tob.* XII, 7). Salvator autem opus Dei faciens, *Nulli*, ait, *dixeris* (*Marc.* VIII, 26).

Non Salvator opus Dei celari debere dixit: nam alio loco, *Vade*, inquit, *et narra quanta tibi fecerit Deus* (*Id.* V, 19). Sed illorum testimonium refutavit aliquando, et jactantiam pressit; ne videretur, quod prudentibus absurdum est, ipse sibi, ut seductor, testimonium perhibere.

IX (*d*). — De æternitate Filii.

Quoniam sunt quidam, qui nondum adhuc discussa erroris caligine, nec purgata vel detersa veternosæ vitæ carie, terreno sensu existimantes, dubitant vel de Dei Filio, vel duos unum esse (perfida enim et contumax natio Judæorum, quibus fons Legis et sacramentorum thesauri patuerunt [2], non ambigit, sed nefariis pernegat vocibus), breviter quantum tractus contractior patitur edisseram. Spes enim ignorantibus si velint discere, integra dimittitur; pœna dissimulantibus perpetua destinatur. Deus omnipotens, cum magnitudine ac bonitate præstantior sit, magnum aliquod et maxime bonum edere ex se atque exhibere debuerat: sed si quid edidisset quod contra modum excellentiæ suæ foret, aut non potuisse amplius, quod in omnipotentem non cadit; aut noluisse, quod in benignissimum, videretur. Certe in summo Deo grande non fuerat fecisse quod infra se positum vim plenæ summitatis non esset habiturum. Super se ergo nihil erat; nihil est enim quod Deum vincat: infra se parum fuerat; quia minus maximo non congruebat. Simillimum itaque suum Filium creans, edidit ex se quasi alterum se: ac sic illud summum et maximum bonum, quod nobis ex Deo suppetit, per ejus ad nos propaginem redundavit. Quin et hæc simul intelligenda ratio est, Deum qui hunc mundum condidit, ei qui inter cætera pulchritudinis ordinationisque miracula, creandi quoque naturam sufficiendis sui cujuslibet generis fetibus tribuit, ipsum prius utique habuisse quod dederit. Nullus enim dat quod ipse non habeat. Qui habuit ergo Filium totis sibi similitudinis partibus congruentem, hoc est, unus unicum, probus probum, bonus benignum, beatus beatum, maximus maximum, sempiternus æternum, habuit utique ante mundum creatæ sobolis principatum, de quo rebus oriundis impertiebatur exemplum, ut gignentium germina suis respondere seminibus cogerentur. Nec sane aliter sinebat ordo legitimus, quam ut pater rerum futurus, ante esse debuerit pater proprius, hoc est proprii sui fetus. Sed quod editum filium diximus, non sic est accipiendum tanquam nostri similem habeat ortum, natusque ita sit, ut mortales nasci videmus, cum prorumpente fetu existant quæ ante non fuerant. Illa enim aliunde insitis concepta seminibus, elementorum subjectorum cœtu in generis sui speciem coalescunt [1]: hæc autem divinitus nullo auxilio admixtionis externæ ex se id quod in se ac secum semper habuit, eduxit et protulit. Ut enim si lucem nasci ex sole dicamus, quod ab eo procedat et profluat; non utique sic dicimus, quasi aliquando sine luce sol aut esse possit, aut fuerit, ut eam tempore aliquo a se posteriorem generaverit [2], sed ut quod secum semper obtinuit, eam de se scilicet genitam sine cœpti aliqua distinctione a principio, qua semper fulgeat, semper ex se velut munere reparante collustret: sic Dei Filius ab æterno omnino Patri cohærens, hanc quoque ejus similitudinem tenuit, ut nec ortum habeat, nec occasum. Et ut Deus sine origine sempiternus, ita et Filius sempiternus: et ut Deus unus est, simplex, idemque, sic cum Patre permixtus, ut nominibus et affectibus distincti quidem, sed idem sint, in ambobus unus, et uterque in uno inseparabili majestate continuus. Deus itaque Filium non ex materiis discordantibus tractum, sed ex simplici ac singulari naturæ suæ stirpe ac seminario editum, semper in se habitum, nec a se ulla unquam separatione dimissum, ita secum continet et amplectitur, ut nihil in ambobus de illa unitate mutetur.

X (*a*). — Quid est quod Apostolus dicit Galatis, *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vocavit vos in gratiam, in aliud Evangelium, quod non est aliud* (*Galat.* I, 6, 7)? Si aliud certe est, ipsum non est: si ipsum non est, quomodo non aliud est?

Ideo aliud dicit Evangelium, ad quod vocati fuerant, quia non hoc est quod postea sequi cœperant Galatæ. Ab Evangelio enim Christi abducti, in Judaismum fuerant attracti sub nomine Christi, quasi hoc esset sequendum; et aliud quam quod Apostolus prædicabat, affirmabant. Unde sublegitur, *Sicut vobis suadent.* Pseudo enim apostoli, cum circumvenirent Gentiles credentes, hoc dicebant a Salvatore traditum, quod ipsi docebant, sicut continetur in Actibus Apostolorum, *Quia nisi circumcidamini more Moysi, non poteritis salvi esse* (*Act.* XV, 1). Hinc Apostolus dolore eversionis illorum commotus, scribit ad eos, dicens: *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vocavit vos in gratiam, in aliud Evangelium, quod non est aliud.* Miratur ergo, quia post rem levem et minus gravem, asperitati studerent et oneri: hoc

[1] Sic Ms. Germanensis. At editi, *ulinam.*

[2] Sic Ms. Germanensis. At editi, *thesauri hoc monstrare potuerunt.*

(*a*) Deest in Mss. primi generis.

(*b*) Deest in iisdem Mss.

(*c*) Deest in iisdem Mss.

(*d*) Deest in iisdem Mss.

[1] Ms. Germanensis, *elementorum distantia in cœtum sui generis specie coalescunt.*

[2] Ms. Germanensis, *a se superiore generaverit.*

(*a*) Deest in Mss. primi generis.

est, ut post fidei simplicitatem circumcidi se, pro elementis permitterent, neomenias colerent et sabbatum, elementis subjecti ac provocati erant, id est, gratiæ non Legis factorum [1]. Et ne pseudoapostolis occasionem dedisse videretur, dicentibus aliud esse quod acceperant Galatæ quam veritatis habet traditio, statim subjecit, *Quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi.* Aliud ergo erat, ad quod ab Apostolo vocati erant Evangelium, quam quod sequi cœperant impulsu pseudoapostolorum : non tamen aliud erat quam Christus tradiderat, ut vel per id in errorem se inductos cognoscerent, et solam fidem sequerentur, profitentes Christum Deum, et hunc sufficere ad salutem tribuendam, per quem fuerant remissionem peccatorum adepti, non per Legem : quia sine Lege gratia Dei donat delicta.

XI (*a*).— Non esse contristandum de mortuis Paulus apostolus signat (I *Thess.* IV, 12). Nam desperantium est contristari ; et ipse, *Infirmus*, inquit de Epaphrodito, *fuit prope mortem, sed Deus misertus est illi : non solum autem illi, sed et mihi, ne tristitiam super tristitiam haberem* (*Philipp.* II, 27). Quomodo contristandum vetat, cum ipse contristandum se, si mortuus fuisset, declarat?

Aliter se de morte Epaphroditi, si provenisset, contristandum significavit, et aliter prohibet contristandum. Nam hic propter solatium adjutorii ejus, quo utebatur in Evangelio, si mortuus fuisset, contristandum se dixit. Nos autem sic contristari prohibet, ne obitos quasi exstinctos et perditos lugeamus, desperantes de resurrectione. Aliud est igitur solatium requirere quasi absentis, et aliud dolere interitum jam non futuri. Hic cessat consolatio, illic excluditur desperatio.

XII (*a*). — Quid est quia occisis filiis Liæ, qui sunt ex tribu Juda, Rachel filios suos plangere dicatur?

Rachel filii, quantum ad historiam pertinet, olim pro malefico suo opere Sodomitarum, et spurcitia quam in concubinam hominis levitæ operati sunt, exstincti fuerunt et erasi sunt a reliquis tribubus, etc.

[1] Hæc verba, *ac provocati erant, id est, gratiæ non legis factorum*, absunt a Germanensi codice.

(*a*) Deest in Mss. primi generis.

(*a*) Eadem cum ea quæ inter primo vulgatas est quæst. 62.

ADMONITIO

DE SUBSEQUENTI EXPOSITIONE IN APOCALYPSIM.

Veterum in Apocalypsim commentarios evolventi tibi occurret magna pars subsequentis expositionis, quæ ex Victorini martyris præsertim (si ad ipsum tamen vulgatus ejus nomine commentarius pertinet), atque ex Primasii et Bedæ verbis consarcinata est. Hanc pro Tichonii opere omnino recipi volebant nonnulli : at certe non habentur hic quæ Donatista ille suo operi insperserat, « multa » videlicet, uti Primasius scribit, « sanæ doctrinæ contraria, ita ut de causa quæ Catholicos inter et Donatistas vertebatur, secundum pravi- « tatem cordis sui loca nocendi captaret, catholicæque Ecclesiæ noxia expositione putaret mordaciter illu- « dendum. » Quin imo adversus Donatistarum hæresim exponuntur de industria sententiæ quamplures ; et Baptismi repetitio, quæ schismaticis illis in usu erat, passim improbatur, velut in Homilia 6 ad Apocal., cap. 8, ℣. 11. « Hoc, » ait auctor, « in his qui rebaptizantur, manifeste intelligi potest. » Hinc etiam absunt quædam interpretationes a Beda Tichonii nomine relatæ. Ad hæc, Tichonius in Apocalypsi quærens quemadmodum intelligendi sint Angeli Ecclesiarum septem, quibus scribere Joannes jubetur, « ratiocinatur multipliciter, » inquit Augustinus in lib. 3 de Doctrina christiana, cap. 30, « et ad hoc pervenit ut ipsos Angelos intelligamus Ecclesias ; copiosissima » utique « disputatione » usus. Sed hac profecto in re multo brevior pressiorque est subsequentis operis conscriptor, qui nimirum ex aliorum libris, atque ex ipso forsitan Tichonio, a quo præclara quædam mutuati sunt etiam Primasius et Beda, nudas interpretationes decerpere contentus fuerit. Quapropter Lovaniensibus Theologis merito visum est hoc opus nihil esse præter annotationes alicujus studio collectas, posteaque in Homiliarum formam redactas. Porro in vetustissimo Abbatiæ S. Petri Carnutensis codice Homilia 16 verbis quibusdam additis dividitur in duas : præterquam quod Homilia 1 non idem quod in editis habet exordium, sed aliquanto diversum sub hisce verbis :

« Ea quæ in Apocalypsi sancti Joannis continentur, fratres charissimi, aliquibus ex antiquis Patribus hoc visum est, quod aut tota, aut certe maxima pars ex ipsa lectione, diem judicii, vel adventum Antichristi significare videatur. Illi autem qui diligentius tractaverunt, quod ea quæ in ipsa revelatione continentur, statim post Passionem Domini Salvatoris nostri fuerunt inchoata, et ita sunt usque ad diem judicii consummanda, ut parva portio temporibus Antichristi remanere videatur : et ideo quidquid in ipsa lectione recitari audieritis sive Filium hominis, sive stellas, sive Angelos, sive candelabra, sive quatuor animalia, sive aquilam in medio cœlo volantem, et reliqua omnia in Christo intelligite, et in Ecclesia fieri, vel in typo ejus prædicta esse cognoscite. In septem Ecclesiis quibus sanctus Joannes evangelista scripsit in Asia, intelligitur una Ecclesia catholica propter septiformem Spiritum gratiæ. Quod autem dicit, *Testis fidelis*, Christus est, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato. *Fecit*, inquit, *nos regnum et sacerdotes Deo :* sacerdotes Deo totam Ecclesiam dicit ; sicut ait S. Petrus : *Vos*, inquit, *genus electum, regale sacerdotium* (I *Petr.* II, 9). *Et vidi*, inquit, *septem candelabra aurea :* in septem candelabris Ecclesia est. *Et in medio candelabrorum similem Filio hominis* (*Apoc.* I, 5, 6, 12, 13), id est Christum. Sive autem Filius hominis, sive septem candelabra, » etc.

EXPOSITIO
IN APOCALYPSIM B. JOANNIS.

HOMILIA I [1].

[Apoc. *cap.* I.] In lectione revelationis beati Joannis apostoli, fratres charissimi, animadvertimus, et secundum anagogen hoc Domino largiente explanare curabimus, quia revelatio Jesu Christi nostris auribus panditur, ut arcana cœlestia nostris cordibus manifestentur. *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis*, id est manifestare. *Quæ oportet fieri cito significans :* hoc est ostendens. *Servo suo Johanni :* Joannes, Dei gratia interpretatur *Scribens septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia.* Asia Elatio interpretatur, per quam genus humanum figuratur. Istæ septem Ecclesiæ et septem candelabra, hoc solerter intuendum est, quia septiformis gratia est, quæ data est a Deo per Jesum Christum Dominum nostrum, nobis generi humano, qui credidimus : quia et ipse pollicitus est nobis mittere Spiritum paracletum de cœlis, quem et Apostolis misit, qui in Asia esse videbantur, hoc est in elato mundo, ubi et septiformem gratiam septem Ecclesiis nobis per servum suum Joannem donavit. *Gratia vobis et pax multiplicetur a Deo Patre et a Filio hominis :* id est, Christo. Sive autem Filius hominis, sive septem candelabra, sive septem stellæ, Ecclesia intelligitur cum capite suo Christo. Quod autem ait, *Cinctum inter mamillas zona aurea :* ille qui erat cinctus, Christum Dominum figurabat. Duas mamillas, duo Testamenta intellige, quæ de pectore Domini Salvatoris tanquam de perenni fonte accipiunt, unde christianum populum nutriant ad vitam æternam. Zona vero aurea, chorus est, sive multitudo Sanctorum. Sicut enim de cingulo pectus stringitur, ita sanctorum multitudo Christo adhæret, et velut duas mamillas duo Testamenta complectitur, ut ex ipsis velut de sanctis uberibus nutriantur. *Caput*, inquit, *ejus et capilli sicut lana alba et nix :* capillos albos multitudinem albatorum, id est neophytorum ex Baptismo prodeuntium dicit [2]. Lanam dixit, quia oves Christi sunt. Nivem dixit, quia sicut nix de cœlo ultro descendit, ita et gratia Baptismi nullis præcedentibus meritis venit. Ipsi enim qui baptizantur, Jerusalem sunt, quæ quotidie ad instar nivis de cœlo descendit. Jerusalem, id est Ecclesia ideo de cœlo descendere dicitur, quia de cœlo est gratia, per quam et a peccatis liberatur, et Christo, id est æterno capiti sponso, cœlesti conjungitur. Sicut e contrario bestia de abysso ascendere dicitur, id est, populus malus qui ex populo malo nascitur. Nam sicut Jerusalem humiliter descendendo exaltatur, ita bestia, id est populus superbus arroganter ascendendo præcipitatur. *Oculi ejus velut flamma ignis :* in oculis præcepta Dei dicit; sicut scriptum est, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine;* et, *Ignitum eloquium tuum* (*Psal.* CXVIII, 105, 140). *Et pedes ejus similes aurichalco Libani* [3], *igniti velut in fornace ignis :* in pedibus ignitis Ecclesia intelligitur; quæ imminente die judicii, nimietate pressurarum probanda, et igne examinanda est. Et quia pes novissima pars est corporis et pedes ignitos dixit esse, ideo in pedibus Ecclesia novissimi temporis intelligitur multis tribulationibus velut aurum in fornace probanda. Quam rem qui bene considerat, jam nunc ex multitudine iniquitatum fieri videt. Ideo aurichalco signavit, quod ex ære et igne multo ac medicamine perducitur ad auri colorem : sicut Ecclesia per tribulationes et passiones purior redditur. In zona aurea accincta pectori, potest etiam scientia spiritualis ac purus sensus datus Ecclesiæ intelligi. *Gladium vero bis acutum de ore ipsius procedentem*, ipsum Christum esse significat, qui et nunc Evangelii bona, et prius per Moysen Legis notitiam universo orbi protulit : et de quo David similiter ait, *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi* (*Psal.* LXI, 12). Hæc ergo sunt duo Testamenta, quæ pro captu temporis aut nova, aut vetera, gladius bis acutus dicuntur. *Vox ejus tanquam vox aquarum multarum :* aquæ multæ, populi intelliguntur esse; in voce, prædicatio Apostolorum. Quod autem supra dixit, *Pedes ejus similes aurichalco, tanquam in fornace conflati;* possunt etiam Apostoli intelligi, qui post [1] passionem prædicaverunt verbum ejus. Per quos enim ambulat prædicatio, merito pedes nominantur : sicut et propheta dixit, *Quam pulchri pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona* (*Isai.* LII, 7) ! et illud, *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus* (*Psal.* CXXXI, 7). Quod autem dixit, *Habebat in dextera sua stellas septem;* Ecclesiam intelligi voluit. In dextera enim Christi est spiritualis Ecclesia cui ad dexteram positæ dicit : *Venite, benedicti Patris mei* (*Matth.* XXV, 34). Septem ergo stellæ, Ecclesia est. Diximus enim quia Spiritus septiformis virtutis ei datus a Patre, sicut Petrus ad Judæos de Christo ait, *Dextera igitur Dei exaltatus, acceptum a Patre Spiritum effudit* (*Act.* II, 33). Septem autem Ecclesias, quas vocat vocabulis suis, non ideo dicit, quia illæ solæ sint Ecclesiæ; sed quod dicit uni, omnibus hoc dicit. Denique sive in Asia, sive in toto orbe, septem Ecclesias omnes esse, et unam esse Catholicam : sicut ad Timotheum ait, *Quomodo oportet te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi* (I *Tim.* III, 15); et in Isaia, septem mulieres quæ apprehenderunt virum unum (*Isai.* IV, 1), septem Ecclesias significari intelligit, quæ et una est : virum, Christum intelligimus; panem mulierum, Spiritum sanctum, qui nutrit in vitam æternam. Et ut vobis ea quæ dicta sunt tenacius inculcentur, brevem ex ipsis recapitulationem fieri volumus. Septem ergo Ecclesiæ, quibus sanctus Joannes scribit, intelligitur una Ecclesia catholica, propter septiformem gratiam. Quod autem dicit, *Testis fidelis*, Christus est. Septem candelabra, Ecclesia catholica est. In medio candelabrorum similis Filio hominis, Christus est in medio Ecclesiæ. Quod autem ait cinctum super mamillas : mamillæ duo Testamenta intelliguntur, quæ de pectore Christi lac spirituale accipiunt, ut populum christianum in vitam æternam nutriant. Zona vero aurea, chorus est sive multitudo sanctorum, qui jugiter dum lectioni et orationi insistunt, Christo adhærere probantur. Jam ista charitati vestræ sufficiant. Quod audistis, sancta inter vos collocutione meditamini, donec quod reliquum est, donante Domino audire possitis. Quod ipse præstare dignetur, etc.

HOMILIA II [2].

[Ib. II et IV.] Fratres charissimi, in candelabro, de quo cum Apocalypsis legeretur audistis, populus intelligitur. Quod autem ait, *Movebo candelabrum tuum;* hoc est, dispergam populum pro peccatis. *Et pugnabo*

[1] Titulus, *homilia* 1, non est in veteri codice Petrensi.
[2] Ms. Petrensis, *procedentium.*
[3] In editis, *clibani.* Sed legendum esse, *Libani* patet ex Primasio et ex Autperto.

[1] Ms. Belgicus, *per.*
[2] Ms. Petrensis : *Incipit sequentia de expositione Apocalypsis;* nec aliter fere in cæteris.

cum eis in gladio oris mei : id est, proferam præcepta mea, per quæ arguantur peccata vel crimina sua. Quod vero dixit, *Facies ejus sicut sol lucet in virtute sua* (*Apoc.* I, 16) : et de adventu vel præsentia Christi, quia per faciem quisque manifestatur atque cognoscitur; et de Ecclesia potest hoc accipi, cui istam claritatem Christus promisit, de qua dicit, *Tunc fulgebunt justi sicut sol in regno patris eorum* (*Matth.* XIII, 43). *Stellam matutinam ;* primam resurrectionem dicit, quæ per gratiam Baptismi fit. Stella matutina noctem fugat, et lucem annuntiat, id est, peccatum tollit et gratiam tribuit : si tamen accepta gratia bona opera sequantur. Sicut enim magnam arborem virere et fructum non reddere nihil prodest [1]; sic nihil prodest christianum dici, et christiana opera non habere. Et ideo dicit, *Consulo tibi a me emere* [2] *aurum conflatum* (*Apoc.* III, 18) : id est, contende ut pro nomine Christi aliquid patiaris. *Et collyrio inunge oculos tuos :* ut quod libenter per Scripturas cognoscis, opere impleas. *Ostium apertum esse in cœlo*, Novi Testamenti prædicator vidit Joannes. [Quibus oculis vidit? Quantum ad figuratam ostensionem, non carnis, sed mentis. Quantum vero ad ipsius rei veritatem quæ jam in carne Domino apparente manifestata fuerat, non solum oculis carnis vidit, verum etiam manibus contrectavit. Quid vero per ostium designatur in hoc loco, nisi mediator Dei et hominum Christus Jesus? ipso Domino dicente, *Ego sum ostium* (*Joan.* X, 9), et reliqua. Jure igitur non clausum, sed apertum intuetur, quia nimirum idem mediator noster nascendo, moriendo cunctis fidelibus innotuit, quia ipse erat redemptor mundi. Quid per cœlum, nisi Ecclesia designatur? sicut ipse dicit, *Cœlum mihi sedes est* (*Isai.* LXVI, 1); vel, *Anima justi*, sicut Salomon testatur, *sedes est sapientiæ.* Paulus quoque occurrit dicens Christum Dei Virtutem, et Dei Sapientiam (I *Cor.* I, 24). Constat procul dubio quod cœlum est electorum Ecclesia, in qua ostium apertum cernitur; quia Redemptor noster natus et passus ac resuscitatus ad cœlos ascendisse in ea prædicatur et creditur. Quid autem in hac visione positus audierit Joannes, manifestat dicens, *Et vox prima quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens* [3],] *Ascende huc :* Quando apertum ostenditur, clausum antea fuisse hominibus manifestatum est. *Solium positum*, est sedes judicantis, super quem vidit similitudinem jaspidis et sardii. Jaspis aquæ colorem habet, et sardius ignis : in his duobus lapidibus duo judicia intelliguntur; unum quod jam per aquam factum est in diluvio, aliud quod erit per ignem in consummatione sæculi. Potest hoc loco et vita servorum Dei intelligi; quia ad similitudinem aquæ et ignis interdum in hac vita omnes sancti habent prospera, interdum patiuntur adversa. [*Et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdini.* Iris itaque græca latinaque lingua arcus vocatur, qui in die pluviæ apparere videtur. Et quid per hanc nisi reconciliatio mundi designatur, quæ per incarnati Verbi dispensationem facta cognoscitur? Hoc certe si solerter inspicitur, effectus ipsius iris indicare videtur. Arcus itaque tunc apparet, cum radiis solis imbrifera fuerit nubes illustrata. Sole igitur nubem illustrante, iris, id est arcus apparuit : quia videlicet Patris Verbum, quod candor est lucis æternæ ac sol justitiæ, humanam suscipiendo illustravit naturam, ipsa humanitatis ejus susceptio, quæ profecto nubes a propheta vocatur (*Isai.* XIX, 1), reconciliatio facta est mundi. Bene autem imbrifera, quia nimirum prædicationum eloquiis plena. Congruenter siquidem ad reconciliationem humani generis in novo Testamento arcus figuratim apparuisse describitur : qui in Veteri quoque ideo in nubibus a Domino positus intelligitur, ut post inundationem diluvii per eum terris pax reddita cognosceretur; ut scilicet ejus visione pacti sui memor omnipotens Deus, nequaquam ultra aquarum immensitate deleri terram pateretur. Cui videlicet nomini si una in fine additur littera et irini dicatur, utique hoc ipsum interpretatio sonare videtur : nam græco vocabulo εἰρήνη pax appellatur. Et in Veteri quidem Testamento Dominus ad Noe ait, *Ecce, ego statuam pactum meum vobiscum* (*Gen.* IX, 9). Et notandum quam apta sit figurarum contextio. Quia enim fulgura, voces et tonitrua de throno tanquam de nube procedere in subsequentibus narrantur, convenienter hic irradiante sole arcus similitudinem, idem thronus reddidisse narratur : qui videlicet arcus, cum sit diversi coloris, resplendeatque principaliter duobus, id est, aquæ et ignis, ac designetur per diluvium [1], ac subsequens per ignem; hic tamen non immerito visioni smaragdinæ comparatur, ut per eum, sicut diximus, repropitiato mundo divinitas ostendatur. Lapis enim smaragdus viridissimi coloris est : qui videlicet color, sicut præcedenti versiculo jam fatus sum, non inconvenienter naturæ divinitatis aptatur.] *Mare vitreum*, donum Baptismi est : quod ideo ante solium esse dicitur, quia ante adventum judicii datur. Quod vero post hæc ait, *Habeo claves mortis et inferni;* hoc ideo dicit, quia qui credit et baptizatur, a morte et ab inferis liberatur; et quia ipsa Ecclesia, sicut habet claves vitæ, ita et inferorum : ipsi enim dictum est, *Cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei ; et cujus retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX, 23). Ubicumque ponit in Apocalypsi angelum hominis, ipsum hominem significat : sicut et Ecclesiæ et Angeli eorum ibidem non debent intelligi, nisi aut episcopi aut præpositi Ecclesiarum. In tantum angelorum nomine Ecclesias catholicas voluit intelligi, ut jubeat angelos pœnitentiam agere. Non enim Angeli, qui in cœlo sunt, indigent pœnitentia; sed homines qui sine peccato esse non possunt. Nam quia etiam Angelus Nuntius interpretatur, quicumque aut episcopus aut presbyter aut etiam laicus frequenter de Deo loquitur, et quomodo ad vitam æternam perveniatur annuntiat, merito angelus Dei dicitur. Et tamen quia sine peccato nemo esse potest, dicitur ei, id est homini, ut pœnitentiam agat : quia et revera qui bene considerat, agnoscit quod non tantum laici, sed etiam sacerdotes una die esse non debent sine pœnitentia. Quia quomodo nullus dies est in quo homo possit esse sine peccato, sic nullus dies debet esse sine satisfactionis remedio. Septem autem candelabra, et unum candelabrum [2], septiformem Ecclesiam possumus intelligere : et ideo quæcumque ad septem Ecclesias loqui videtur, ad unam Ecclesiam loquitur toto orbe diffusam; quia in septenario numero omnis plenitudo consistit. Angelos ergo Ecclesiam dicit : in quibus duas partes, id est bonorum et malorum ostendit. Et propterea non solum laudat, sed etiam increpat, ut laus ad bonos, increpatio ad malos dirigatur : sicut Dominus in Evangelio, omne præpositorum corpus unum servum dixit beatum et nequam, quem veniens Dominus ipse dividet. Quomodo fieri potest ut unus servus dividatur, cum divisus vivere non possit? Sed unum servum dicit totum populum christianum : qui populus si totus bonus esset, non divideretur. Sed quia non solum habet bonos, sed etiam habet malos, dividendus est : et boni audituri sunt, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum ;* raptores vero et adulteri, qui misericordiam non fecerunt, audituri sunt, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum.* Quod autem in Apocalypsi singulis dicitur Ecclesiis, fratres charissimi, singulis hominibus convenit in una Ecclesia constitutis. *Hæc dicit qui tenet septem stellas in manu sua :* hoc est, qui vos in manu, id est in potestate habet, et gubernat. *Qui ambulat in medio candelabrorum aureorum :* id est,

[1] Mss., *Non enim magnum est arborem vivere, et fructus non reddere. Sic nihil prodest.*

[2] Mss., *consule tibi, eme a me.*

[3] Quæ uncis hic inclusimus, sicut et infra tota vers. 3 expositio, quam signo eodem distinximus, absunt a Mss. Petrensi et Belgico; adjecta sunt ex Ambrosii Autperti libro 3 in Apocalypsim.

[1] Sanius Apud Ambrosium Autpertum : *Designetur per eum vel Baptismus aquæ et Spiritus sancti, vel judicium præcedens per diluvium,* etc.

[2] Ms. Belgicus, *unum ad candelabrum.*

in medio vestri; quia candelabra illa populum significant christianum. Quod autem dicit, *Movebo candelabrum tuum de loco suo, si non egeris pœnitentiam:* videte quia non dixit, aufert, sed movet; quia candelabrum significat unum populum christianum. Et ipsum candelabrum moveri dicit, non auferri: et per hoc intelligitur quod in una eademque Ecclesia moventur mali, confirmantur boni; et quod occulto, sed tamen justo Dei judicio, id quod tollitur malis, bonis augetur; ut adimpleatur illud quod scriptum est, *Qui habet, dabitur ei; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo* (*Matth.* XXV, 14-41). Quod autem dicit, *Vincenti dabo manducare de ligno vitæ;* id est, de fructu crucis. *Quod est,* inquit, *in paradiso Dei mei:* paradisum Ecclesiam dicit; omnia enim in ejus figuram facta sunt. Nam quod dicit, *Scio opera tua, et tribulationem, et paupertatem; sed dives es;* omni Ecclesiæ dicit, quæ spiritu pauper est, et omnia possidet. Quod autem dicit, *Habebitis pressuram dies decem;* dies decem, totum tempus posuit, quia denarius numerus perfectus est: in quo populus christianus, sicut dicit Apostolus, per multas tribulationes intrat in regnum cœlorum (*Act.* XIV, 21). Nam quod dicit angelo Pergami Ecclesiæ, *Scio ubi habitas, ubi est introitus satanæ* (*Apoc.* II, 13); omni Ecclesiæ dicit in unius vocabulo, quia ubique habitat satanas per corpus suum. Corpus autem satanæ homines sunt superbi et mali; sicut et corpus Christi humiles et boni. *Vincenti dabo manducare de manna abscondito:* id est, de pane qui de cœlo descendit. Cujus figura fuit manna in eremo quod, sicut ipse Dominus dixit, multi manducantes mortui sunt (*Joan.* VI, 41). Sed et nunc quicumque manducat indigne, judicium sibi manducat (I *Cor.* XI, 29). Idem panis est etiam lignum vitæ. Possumus et per manna immortalitatem accipere. *Et dabo ei calculum candidum;* id est, corpus Baptismate candidum. *Et super calculum nomen novum scriptum:* id est, notitiam Filii hominis. *Quod nemo scit, nisi qui accipit:* scilicet per revelationem; et ideo de Judæis dicitur, *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*Id.* II, 8). Quod autem dicit angelo Thyatiræ Ecclesiæ, *Habeo adversum te, quia permisisti mulieri Jezabel;* dicit præpositis Ecclesiarum, qui luxuriosis et fornicantibus, et aliud quodlibet malum agentibus, severitatem disciplinæ ecclesiasticæ non imponunt. Potest hoc et de hæreticis intelligi, *Quæ dicit se propheten:* id est, christianam. Modo enim multæ hæreses sibi hoc nomine blandiuntur. *Nec cognovistis altitudinem satanæ:* id est, non respuistis[1] doctrinam ejus, sicut hæreses. *Non mitto super vos aliud pondus:* id est, super id quod potestis sustinere. *Verum quod habetis tenete donec veniam. Qui vincit, et qui servat opera mea usque in finem, dabo ei gentes; et pascet eas in virga ferrea, et ut vas figuli comminuentur, sicut et ego accepi a Patre meo.* In Christo habet Ecclesia hanc potestatem; sicut dicit Apostolus, *Cum illo omnia nobis donavit* (*Rom.* VIII, 32). Virgam ferream dicit propter justitiæ rigorem: et de ipsa virga corriguntur boni, confringuntur mali.

HOMILIA III.

[Ib. III et IV.] Modo, fratres charissimi, audivimus beatum Joannem, peccatorem hominem terribiliter increpantem; et ideo cum ingenti timore consideremus, et cum tremore timeamus quod dictum est, *Novi opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es.* Non moritur, nisi qui mortale crimen commiserit, secundum illud quod dictum est, *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII, 20). Quod pejus est, multi in corporibus vivis animas mortuas portare noscuntur. *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant. Hæc dicit sanctus et verus qui habet claves David:* id est, regiam potestatem. *Qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit:* manifestum est quod Christus pulsantibus aperiat, et hypocritis, id est fictis vitæ januam claudat. *Ecce dedi ante te ostium apertum:* hoc ideo dictum est, ut nullus dicat, quia ostium quod Deus aperit Ecclesiæ in toto mundo[1], aliquis possit vel in parte claudere. *Quia modicam habes virtutem:* laus est Dei, quod modicæ fidei Ecclesiæ aperiat ostium. *Et scribam super illud nomen Dei mei:* utique quo Christiani signamur. *Et nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo:* novam Jerusalem cœlestem, Ecclesiam dicit, quæ a Domino nascitur. Novam autem dixit, propter novitatem nominis christiani, et quia ex veteribus novi efficimur. *Neque frigidus es neque fervens:* id est, inutilis es. Potest enim et super divitum sterilium persona accipi, qui habent facultates, et non inde faciunt misericordias. Pauperes non sunt, qui habent facultates: divites non sunt, qui ex divitiis non operantur. *Consilium tibi do, ut emas tibi aurum:* id est, ut eleemosynas faciendo, et actibus bonis insistendo, ipse efficiaris aurum; id est, a Deo accipias intellectum, et per bonam conversationem merearis martyrium pati. *Et ecce,* inquit, *ostium apertum est in cœlo.* Ostium apertum Christum dicit, quia janua est. Cœlum Ecclesiam dicit ubi cœlestia geruntur; sicut dicit Apostolus, *Instaurare omnia quæ in cœlis et quæ in terra sunt* (*Ephes.* I, 10): cœlum intelligitur primitiva Ecclesia de Judæis, terra vero ex Gentibus. *Ascende huc, et ostendam tibi:* hoc non in solum Joannem convenit, sed in Ecclesiam vel in omnes credentes. Qui enim viderit ostium apertum in cœlo, id est natum, et passum, et resurrexisse Christum crediderit; ascendit in altitudinem, et videt futura. [Quibus gressibus nisi fidei et credulitatis? Ac si aperte cuilibet electorum diceretur, Ad cognoscenda Christi et Ecclesiæ sacramenta, fide conscende, credulitate pertinge. Recte enim a voce prima Joannes invitatur, ut ad ostium cœli cœlumque conscendat: quia videlicet unusquisque electorum, ut inoffenso credulitatis pede per Evangelium ad veræ fidei sacramenta pertingat, veteris instrumenti doctrina, quæ novam præcedit, roboratur.[2]] *Et ecce thronus positus erat in cœlo:* id est, in Ecclesia. *Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis vel sardii:* istæ comparationes in Ecclesiam conveniunt. Jaspis aquæ colorem habet, et sardius ignis: per hæc, sicut jam dictum est, duo judicia vult intelligi; unum per aquam, quod jam factum est per diluvium; aliud quod futurum est per ignem. [Quid per jaspidem nisi divinitas Mediatoris nostri figuratur?] *In circuitu throni vidi sedes viginti quatuor, et supra sedes viginti quatuor seniores sedentes.* Seniores totam Ecclesiam dicit, sicut Isaias dicit, *Cum in medio seniorum suorum fuerit glorificatus* (*Isai.* XXIV, 23). Viginti quatuor autem seniores, præpositi et populi sunt. In duodecim, Apostolos et præpositos; et in aliis duodecim, reliquam Ecclesiam intellige. *Et de sede procedebant fulgura et voces:* de Ecclesia enim procedunt hæretici, quia ex nobis exierunt. Est et alius sensus, ut fulgura et voces prædicatio Ecclesiæ intelligatur. In vocibus verba, in fulgure miracula cognoscuntur. *In conspectu throni mare vitreum:* mare vitreum, fontem Baptismi; ante thronum dixit, id est, ante judicium. Sed et aliquando animam sanctam intellige thronum: sicut scriptum est, *Anima justi sedes est sapientiæ* (*Sap.* VII); aliquando Ecclesiam in qua sedem habet Deus. *Et in medio throni quatuor animalia:* id est, in medio Ecclesiæ Evangelistæ[3]. *Plena oculis in priora et retro:* id est, intus et foris. Oculi, præcepta sunt Dei. *In priora et retro:* id est, in præterita et futura conspicientia. In animali primo simili leoni, fortitudo Ecclesiæ ostenditur. In vitulo, passio Christi. In tertio animali, quod est velut homo, humilitas Ecclesiæ significatur: quia nihil sibi blanditur ut superbum sapiat, quamvis adoptionem filiorum teneat.

[1] Mss., *resvicitis.*

[1] Ms. Petrensis, *in totum mundum*

[2] Mss. Petrensis et Belgicus carent istis septem versibus, qui ex Ambrosii Autperti libro 3 in Apocalypsim exscripti sunt, sicut et verba paulo interius uncis item distincta.

[3] Mss., *Evangelia.*

Quartum animal, Ecclesiam dixit, *Similem aquilæ:* id est, volantem et liberam, atque a terra suspensam duabus alis, quasi duorum Testamentorum, sive duorum præceptorum gubernaculis elevatam. Nam et Joannes evangelista cum de istis animalibus introspexisset in Christo completum esse quadriforme mysterium, et vidisset hominem nascentem, vitulum patientem, et leonem regnantem, tunc vidit et aquilam ad cœlestia remeantem. *Et singula eorum habebant alas senas per circuitum.* In animalibus ostenduntur viginti quatuor seniores: nam senæ alæ in quatuor animalibus, viginti et quatuor alæ sunt. Etenim per circuitum throni vidit animalia, ubi se dixerat seniores vidisse. Nam quomodo animal cum sex alis potest simile esse aquilæ, quæ habet duas alas, nisi quia quatuor animalia unum sunt, quæ habent viginti et quatuor alas, in quibus viginti et quatuor seniores intelligimus, qui sunt in Ecclesia quam assimilavit aquilæ? Et aliter senæ alæ testimonia sunt Veteris Testamenti. Sicut enim animal volare non potest, nisi habeat pennas; sic nec prædicatio Novi Testamenti fidem habet, nisi habeat Veteris Testamenti prænuntiata testimonia, per quæ tollitur a terra, et volat. Semper enim quod ante dictum est futurum, et postea factum invenitur, fidem facit indubitabilem. Nisi enim quæ prædixerant Prophetæ, in Christo essent consummata, inanis esset prædicatio illorum. Hoc tenet Ecclesia catholica, et ante prædicta, et postea consummata. Merito volat, et tollitur a terra unum animal [1] in cœlum. *Et requiem non habebant animalia illa:* Ecclesia est, quæ non habet requiem, sed semper laudat Deum Viginti et quatuor seniores possumus etiam intelligere libros Veteris Testamenti, et Patriarchas et Apostolos: fulgura et tonitrua, quæ de solio exire dicuntur, prædicationes et promissiones Novi Testamenti. *Mittentes coronas suas ante thronum:* hoc ideo, quia quidquid dignitatis habent sancti, totum Deo tribuunt; sicut et illi in Evangelio palmas et flores sternebant sub pedibus ejus (*Matth.* XXI, 8), id est, ipsi tribuentes omne [2] quod vicerant. *Quia tu creasti omnia, et ex voluntate tua erant, et creata sunt:* erant secundum Deum, a quo cuncta antequam fierent possessa sunt; creata sunt autem, ut et a nobis viderentur, sicut dicit Moyses ad Ecclesiam, *Nonne hic ipse est Pater tuus, qui fecit te, et possedit te, et creavit te* (*Deut.* XXXII, 6)? Possedit in præscientia, fecit in Adam, creavit ex Adam.

HOMILIA IV.

[Ib. V.] *Et vidi supra dexteram sedentis in throno librum scriptum intus et foris:* utrumque Testamentum intellige; a foris Vetus, ab intus Novum quod intra Vetus latebat. *Signatum,* inquit, *sigillis septem:* id est, omnium mysteriorum plenitudine obscuratum, quod usque ad passionem et resurrectionem Christi mansit signatum. Nam quomodo testamentum non dicitur, nisi quod faciunt morituri, et signatur usque ad mortem testatoris, et post mortem ipsius aperitur: ita et post Christi mortem omnia mysteria revelantur. *Et vidi angelum fortem clamantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus?* Cur primo signa solvantur, deinde liber aperiatur, certa ratio est, quia Christus tunc aperuit librum, cum opus paternæ voluntatis aggressus, conceptus et natus est; tunc ejus signacula solvit, quando pro genere humano occisus est. *Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque sub terra:* id est, neque angelus, neque in terris vivens, neque mortuus. *Aperire librum, neque videre illum:* id est, contemplari splendorem gratiæ novi Testamenti. *Et ego flebam multum, quia nemo inventus est dignus aperire librum et videre eum:* Ecclesia flebat, cujus figuram habuit Joannes, onerata et gravata peccatis, implorans sui redemptionem. *Et ecce unus ex senioribus:* unum ex senioribus totum corpus Prophetarum intellige. Prophetæ enim consolabantur Ecclesiam, annuntiantes Christum de tribu Juda radicem David. Quia ipse in nobis vincit omne peccatum, et si quid boni aliquis habet, ab ipso habet. *Et vidi, et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum agnum stantem quasi occisum:* throni, animalia, seniores, et agnus quasi occisus, Ecclesia est cum capite suo, quæ pro Christo moritur, ut cum Christo vivat. Possunt et martyres in Ecclesia agnus quasi occisus accipi. *Habentem,* inquit, *cornua septem et oculos septem, qui sunt spiritus Dei, missi in omnem terram:* quod nemo possit habere Spiritum Dei præter Ecclesiam, hinc manifeste cognoscitur. *Et venit, et accepit de dextra sedentis in throno librum:* sedentem in throno, et Patrem accipimus et Filium et Spiritum sanctum. Accepit ergo Agnus de dextra Dei, id est a Filio accepit opus libri perficiendum, ipso dicente, *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (*Joan.* XX, 21): eo quod ipse in illis perficiat quod donat. *Habentes singuli citharas:* id est, chordas laudum. *Et phialas aureas:* hæc sunt vasa in domo Domini, in quibus quia thymiama offerri consueverat, ideo orationes sanctorum bene in eis intelligimus. *Et cantabant canticum novum:* id est Testamentum Novum; cantantes canticum novum, id est professionem suam publice proferentes. Et vere novum est, Filium Dei hominem fieri, et mori, et resurgere, et in cœlum ascendere, remissionem peccatorum hominibus dare. Cithara enim, id est, chorda in ligno extensa, significat carnem Christi passioni conjunctam: phiala autem confessionem, et novi sacerdotii propaginem. Resignatio sigillorum adapertio est Veteris Testamenti. *Et vidi et audivi vocem multorum angelorum:* angelos homines dicit, qui et filii Dei dicuntur. *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere potestatem et divitias et sapientiam,* etc. Non de Deo dicit, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ (*Coloss.* II, 3), ut ipse accipiat: sed de homine assumpto, et ejus corpore, quod est Ecclesia, vel de martyribus ejus, qui pro nomine ejus occisi sunt; quia in capite suo totum accipit Ecclesia, sicut scriptum est, *Cum illo nobis omnia donavit* (*Rom.* VIII, 32). Ipse enim Agnus accipit, qui in Evangelio dicit, *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII, 18). Secundum humanitatem autem, non secundum divinitatem accepit. *Omnes,* inquit, *audivi dicentes sedenti in throno,* id est, Patri et Filio: *et Agno,* id est, Ecclesiæ cum capite suo. *Benedictio et honor et claritas in sæcula:* cui est honor et gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

[Ib. VI.] Sicut modo, dum lectio divina legeretur, audistis, ita ait beatus Joannes, *Et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, habebat arcum; et data est ei corona, et exiit vincens:* equus albus Ecclesia est, sessor Christus. Iste equus Domini cum arcu bellico per Zachariam hoc modo ante promissus est, *Visitabit Dominus Deus gregem suum domum Israel, et disponet eum sicut equum speciosum in bello: et ex eo inspiciet, et ex eo disponet, et ex eo arcus in ira, et ex eo exiet omnis insequens* (*Zach.* X, 3, 4). Equum ergo album intelligimus Prophetas et Apostolos. Equitem coronatum habentem arcum, agnoscimus non solum Christum, sed etiam Spiritum sanctum. Posteaquam enim Dominus ascendit in cœlum, et aperuit universa mysteria; misit Spiritum sanctum: cujus verba per prædicatores tanquam sagittæ ad cor hominum pertingerent, et vincerent incredulitatem. Corona autem super caput, promissa per Spiritum sanctum intelligenda sunt. *Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens: Veni et vide. Et exiit equus rufus: et sedenti super eum datum est tollere pacem de terra, et ut invicem occiderent, et datus est ei gladius magnus.* Contra victricem vincentemque Ecclesiam exiit equus rufus, id est populus sinister et malus, ex sessore suo diabolo sanguinolentus: quamvis legamus secundum Zachariam equum Domini rufum; sed ille suo sanguine erat, hic alieno. *Cui datus est*

[1] Apud Victorinum, *vivum animal.*
[2] Ms. Belgicus, *omnes.*

gladius magnus, ut tolleret pacem de terra; scilicet suam pacem, hoc est mundanam: nam Ecclesia æternam pacem, quam sibi Christus reliquit, habet. Sicut ergo supra dictum est, equum album Ecclesiam dicit; sessorem ejus, Christum vel Spiritum sanctum. Arcus quem tenebat in manu, præcepta ejus sunt: quæ per totum mundum velut sagittæ acutæ potentis ad interficienda peccata, et excitanda[1] fidelium corda directæ sunt. Corona in capite ejus, promissio vitæ æternæ est. Equum rufum, malum populum; sessorem ejus, diabolum: quem ideo dixit rufum, eo quod multorum esset sanguine rubicundus. Quod autem datus est ei gladius acutus, et tollere pacem de terra, hoc est, quod diabolo suadente, homines mali jugiter inter se lites et discordias usque ad mortem excitare non cessant. Et in equo nigro, intelligitur populus sinister, diabolo consentiens. Quod autem, *Stateram habebat in manu*, hoc ideo, quia dum se fingunt mali justitiæ libram tenere, sic plerumque decipiunt. Quod dixit, *Vinum et oleum ne læseris;* in vino sanguis Christi, in oleo unctio chrismatis intelligitur. In tritico vel hordeo, tota Ecclesia sive in magnis sive in minimis, aut certe in præpositis et in populis: et in equo pallido, homines intelliguntur mali, qui persecutiones excitare non desinunt. Isti tres equi unum sunt, qui exierunt post album et contra album: et sessorem habent diabolum, qui est mors. Tres ergo equi, fames et bella et pestis intelliguntur: quod etiam Dominus in Evangelio suo prædixit, quæ et jam fiunt, et imminente die judicii amplius futura sunt. Quod autem dixit se vidisse sub ara Dei animas interfectorum, martyres intelliguntur. Quod autem dicit, *Terræ motus magnus*, persecutio novissima est. Quod dicit, solem factum nigrum, et lunam sanguineam, et stellas cecidisse de cœlo; sol et luna et stellæ, Ecclesia est in toto orbe diffusa. Quod autem dicit cecidisse; non tota cecidit, sed a parte totum intelligitur. In omni enim persecutione boni perseverant, et mali quasi de cœlo, id est de Ecclesia cadunt. Denique sequitur, *Sicut ficus mittit grossos suos cum a vento agitatur:* sic de Ecclesia cadunt mali, quando per aliquam tribulationem fuerint conturbati. Quod autem cœlum recessit ut liber; Ecclesia est quæ separatur a malis, et velut liber involutus, continet in se sibi nota divina mysteria. Quod autem dicit, *Reges terræ fugerunt, et absconderunt se in speluncis terræ;* hoc significat quod totus mundus in bonis et sanctis refugium habiturus est ad Ecclesiam, ut sub ejus protectione constitutus, pervenire possit ad vitam æternam, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

[Ib. VI-VIII.] *Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis. Alterum angelum* eamdem Ecclesiam catholicam intelligit: *ab ortu solis*, a passione et resurrectione Domini clamantem quatuor angelis terræ. *Et clamavit voce magna dicens quatuor angelis, quibus data est potestas lædere terram et mare: Ne læseritis terram, neque mare.* Accipit autem gladium generaliter, sive contra quos in vita interficit, sive quos inter se pro rebus temporalibus usque ad mortem litigare persuadet. De tertio sigillo dicit equum nigrum exisse, et qui sedebat super eum habebat in manu sua stateram: *Libram*, inquit, *habebat in manu sua*, id est, examen æquitatis; quia dum fingit se justitiam tenere, per simulationem lædit. Dum autem in medio animalium, id est in medio Ecclesiæ dicitur, *Ne læseris;* ostenditur quod spirituales nequitiæ potentiam in servos Dei non habent, nisi a Deo acceperint. *Vinum et oleum ne læseris:* in vino et oleo, unctionem chrismatis et sanguinem Domini; in tritico autem et hordeo Ecclesiam dixit, sive in magnis sive in parvis Christianis, sive in præpositis et populis. De quarto sigillo, *Equus pallidus. Et qui sedebat super eum nomen erat ei Mors, et infernus sequebatur eum: et data est ei potestas super quartam partem terræ, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terræ.* Isti tres equi, unum sunt, qui exierunt post album et contra album: et unum sessorem habent diabolum, qui est mors. Nam equitem diabolum esse et socios ejus, sexto signo manifestat; cum prælio ultimo equos dicit congredi. Tres ergo equi, fames et bella et pestes intelliguntur, sicut a Domino in Evangelio prænuntiatur. Equus albus, verbum est prædicationis in orbe terrarum. In equo rufo et sessore ejus bella sunt significata quæ futura sunt, imo fiunt, cum jam gens surgat contra gentem. Per equum pallidum et sessorem ejus, pestis magna et mortalitas signatur. *Et infernus sequitur illum:* id est, exspectat devorationem multorum. *Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi sub ara Dei animas interfectorum.* Aram Dei Ecclesiam dicit, sub cujus oculis martyres effecti sunt. Et licet animæ sanctorum in paradiso sint, tamen quia sanguis sanctorum super terram funditur, sub ara clamare dicuntur: sicut illud est, *Sanguis fratris tui clamat ad me de terra* (*Gen.* IV, 10). *Et cum aperuisset sigillum sextum, terræ motus factus est magnus:* id est, persecutio novissima. *Et sol factus est niger sicut saccus cilicinus, et luna facta est tota sicut sanguis, et stellæ ceciderunt in terram.* Quod est sol et luna, hoc et stellæ, id est Ecclesia: sed a toto pars intelligitur. Non enim tota Ecclesia, sed qui mali sunt in Ecclesia, ipsi cadunt de cœlo. Totam autem dixit, quia in toto orbe terrarum erit novissima persecutio. Et tunc qui justi fuerint, permanebunt in Ecclesia tanquam in cœlo: cupidi vero, injusti et adulteri acquiescere habent sacrificare diabolo. Et tunc qui se christianos esse verbis tantummodo dicebant, tanquam stellæ cadent de cœlo, quod est Ecclesia. *Sicut ficus magno vento agitata mittit grossos suos.* Agitatam arborem, Ecclesiæ comparavit; ventum magnum, persecutioni; grossos, hominibus malis, qui excutiendi sunt et recessuri ab Ecclesia. *Et cœlum recessit ut involutus liber.* Et hoc loco cœlum Ecclesiam dicit, quæ a malis recedit, et intra se sibi soli nota mysteria continet, sicut liber involutus, quem iniqui intelligere nec volunt omnino, nec possunt. *Et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt.* Quod cœlum, hoc montes, hoc insulæ significant; id est Ecclesiam facta novissima persecutione omnem de loco suo recessisse, sive in bonis fugiendo persecutionem, sive in malis fidei cedendo. Sed potest in utramque partem convenire; quia et bona pars movetur de loco suo, fugiens, id est, amittens illud quod habet: sicut illud, *Movebo candelabrum tuum de loco suo* (*Apoc.* II, 5). *Et reges terræ et magistratus:* reges, potentes homines accipimus. Ex omni enim gradu et conditione convertentur ad Christum. Cæterum qui tunc reges erunt, præter unum persecutorem, *absconderunt se in speluncis et petris montium.* Confugiunt omnes in præsenti sæculo ad fidem Ecclesiæ, et in abscondito mysterio Scripturarum conteguntur. *Et dicunt, Cadite:* id est, tegite nos. *Et abscondite nos:* id est, ut homo vetus a Dei oculis abscondatur. Et aliter: Qui cogitat futurum judicium, convertitur ad montes, id est ad Ecclesiam, ut abscondantur peccata sua per pœnitentiam in præsenti tempore, ne in futuro puniantur. *Donec signemus servos Dei nostri in frontibus eorum:* Ecclesiam denuntiat; et dicit malis hominibus, id est sinistræ parti lædenti, *Ne læseris.* Hæc est vox, quæ in medio quatuor animalium dicit lædenti, *Vinum et oleum ne læseris:* in vino et oleo, omnes qui sunt justi intelliguntur, quos nec diabolus nec mali homines lædere poterunt, nisi quoties ad eorum probationem permiserit Deus. *Vinum*, inquit, *et oleum ne læseris:* præcipit Dominus omnem terram suam spiritualem non lædi, quousque omnes signentur. *Et audivi numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel.* Centum quadraginta quatuor millia, omnis omnino Ecclesia est. *Postea vidi, et ecce populus multus, quem dinumerare nemo poterat, ex omnibus*

[1] Mss., *exercitanda.*

gentibus et populis et linguis : non dixit, Post hæc vidi alium populum; sed, vidi populum, id est eumdem quem viderat in mysterio centum quadraginta quatuor millium, hunc vidit innumerabilem ex omni tribu et lingua et gente, quia omnes gentes insertæ sunt radici credendo. Dominus in Evangelio totam Ecclesiam tam de Judæis quam de Gentibus, in tribubus Israel duodecim demonstrat, dicens : *Sedebitis super duodecim thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX, 28). *Amicti stolis albis :* stolas albas, donum Spiritus sancti intelligit. *Et omnes angeli stabant a circuitu throni :* angelos, Ecclesiam dicit; quia præter ipsam nihil aliud describebat. *Et respondit mihi unus de senioribus dicens : Isti qui amicti sunt stolis albis, qui sunt?* Unus de senioribus qui respondit, officium indicat sacerdotum; quia Ecclesiam, id est populum in Ecclesia docent, quæ sit remuneratio laboris sanctorum : dicens, *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine agni.* Non enim, ut aliqui putant, martyres soli sunt, sed omnis populus in Ecclesia : quia non in sanguine suo dixit lavisse stolas suas, sed in sanguine agni, id est in gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, sicut scriptum est, *Et sanguis Filii ejus mundavit nos* (I *Joan.* I, 72). *Et qui sedet in throno, habitat super eos :* ipsi enim thronus sunt, super quos habitat Deus in sæcula, id est in Ecclesia. *Neque cadet super eos sol, neque æstus :* sicut dicit Isaias de Ecclesia, *Erit in umbra ab æstu* (*Isai.* XXV, 4). *Et deducet ad vitæ fontes aquarum :* omnia hæc etiam in præsenti vita spiritualiter Ecclesiæ eveniunt; cum dimissis peccatis resurgimus, et vitæ prioris lugubris ac veteris hominis exspoliati, in Baptismo Christum induimur, et gaudio sancti Spiritus implemur. *Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo :* id est, in Ecclesia. *Quasi media hora :* in semihora, ostendit initium quietis æternæ. *Et vidi septem angelos, qui stant in conspectu Dei.* Septem angelos, Ecclesiam dixit, *Qui acceperunt septem tubas*, id est perfectam prædicationem : sicut scriptum est, *Exalta, sicut tuba, vocem tuam* (*Id.* LVIII, 1). *Et alius angelus venit, et stetit ante altare :* alium angelum quem dicit, non post illos septem venit, quia ipse est Dominus Jesus Christus. *Habens thuribulum aureum :* quod est corpus sanctum. Ipse enim Dominus factus est thuribulum, ex quo Deus odorem suavitatis accepit; et propitius factus est mundo, quia obtulit seipsum in odorem suavitatis (*Ephes.* V, 2). *Et accepit angelus thuribulum, et implevit illud ex igne altaris :* accepit Jesus corpus, id est Ecclesiam, et ad perficiendam Patris voluntatem, implevit illam igne Spiritus sancti. *Et factæ sunt voces et tonitrua et fulgura et terræ motus :* omnia hæc spirituales sunt Ecclesiæ prædicationes et virtutes. *Et septem angeli qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tuba canerent :* id est, Ecclesia præparavit se ad prædicandum. *Et primus angelus tuba cecinit, et facta est grando et ignis mixtus sanguine :* facta est ira Dei, quæ haberet in se multorum necem. *Et missa est in terram, et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum, et omne fenum viride combustum est :* quod est terra, hoc et arbores, hoc fenum, id est homines. Fenum autem viride, carnem intellige sanguineam et luxuriosam, secundum illud, *Omnis caro fenum* (*Isai.* XL, 6). *Et secundus angelus tuba cecinit, et velut mons magnus ardens igni missus est in mare, et facta est tertia pars maris sanguis :* ardens mons, diabolus est. Et quod tertia pars terræ vel arborum, hæc tertia pars maris. Et homines habentes animas, impios dixit [1] : ut ostenderet in carne vivos, sed spiritualiter mortuos. *Et tertiam partem navium corruperunt :* doctrina sua hæretici corruperunt eos qui illis acquieverunt. *Et tertius angelus tuba cecinit, et cecidit de cœlo stella magna ardens velut facula :* de Ecclesia dicit cecidisse homines superbos et impios. Magnam vero stellam dixit; quia personæ majorum, et potestatem vel divitias habentium. *Et nomen hujus stellæ dicitur absinthium, et facta est tertia pars aquarum in absinthium :* tertia pars hominum facta est similis stellæ quæ super illam cecidit. *Et multi hominum mortui sunt ab aquis, quoniam amaricaverunt aquæ.* Homines mortui sunt ab aquis. Hoc in his qui rebaptizantur, manifeste intelligi potest. *Et quartus angelus tuba cecinit, et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ et tertia pars stellarum :* sol, luna et stellæ, Ecclesia est, cujus tertia pars percussa est; in tertia parte, intelliguntur omnes mali. Percussa est autem, id est suis malis tradita et voluptatibus : ut redundantibus et inolescentibus peccatis, suo tempore revelaretur. *Et vidi et audivi vocem unius aquilæ volantis in medio cœli, et dicentem, Væ! væ! væ habitantibus terram!* Aquilam Ecclesiam intelligit volantem in medio cœli, id est in medio sui discurrentem, et plagas novissimi temporis magna voce prædicantem. Quando enim sacerdos diem judicii annuntiat, aquila in medio cœli volat. Sicut ergo supra dictum est, alius angelus quem dixit ascendisse ab ortu solis, Ecclesia est, ascendens ab ortu solis, id est a passione vel resurrectione Domini. Quod autem dicit, *Ne læseris terram, neque mare;* Ecclesia hoc quotidie prædicando malis hominibus clamat. Quod dicit, *Vinum et oleum ne læseris;* in vino et oleo, omnes qui sunt justi in Ecclesia intelliguntur; quos nemo lædere poterit, nisi ad probationem illorum permiserit Deus. Quod autem ait, centum quadraginta quatuor millia fuisse signatos : tota Ecclesia intelligitur. Unde et in illis de quibus dixit se vidisse populum multum quem dinumerare nemo poterat, Ecclesia eadem significata est. Quod autem dixit, amictos esse stolis albis; in stolis donum Spiritus sancti intelligitur : angelos stantes circa thronum, Ecclesiam dixit, quia præter illam nihil aliud describebat. Senior qui respondens dixit, *Qui sunt isti, et unde venerunt*, officium indicat sacerdotum, qui populum in Ecclesia docent. Quod autem dixit, *Laverunt stolas*, de tota Ecclesia dixit, non de martyribus tantum. Denique non dicit in sanguine suo, sed *in sanguine agni*, quod utique per Baptismi sacramentum impletur. *Et qui sedet super thronum, habitat super illos :* ipsi enim thronus sunt, super quos habitat Deus. *Neque cadet super eos sol, neque ullus æstus : et deducet eos ad vitæ fontes aquarum :* omnia hæc etiam in præsenti sæculo, et his diebus spiritualiter Ecclesiæ eveniunt; dum ita per gratiam Dei defenditur, ut persecutionibus mundi hujus exerceatur potius quam vincatur. Quod dicit in semihora silentium factum in cœlo; in Ecclesia dicit, et significat initium quietis æternæ. Et septem angelis tubis canentibus : in angelis Ecclesia, in tubis prædicatio Ecclesiæ intelligitur. Alius angelus, quem dixit stetisse ante altare, Christus Dominus est. *Habens thuribulum aureum* : corpus scilicet sanctum, per quod Deus Pater passionis incensum, odorem suavitatis accepit. Quod autem dicit, *Factæ sunt voces, fulgura et tonitrua;* prædicationes sunt Ecclesiæ spirituales. Septem angeli qui se præparaverunt ut canerent, Ecclesia est : in qua per totum mundum contra omnia peccata vel crimina fit prædicatio spiritualis. Quod autem canente primo angelo tertia pars terræ combusta est, significat homines superbos et voluptatibus deditos, quos Deus justo judicio permittit incendio luxuriæ vel cupiditatis exuri. Quod autem, canente secundo angelo, mons ardens cecidit in mare; mons ille diabolus, mare mundus iste intelligitur. Tertia pars maris, sicuti jam supra dictum est, homines iniqui et impii. Quod autem, tertio angelo canente, stella magna cecidit de cœlo, homines magni intelliguntur, qui malis moribus et iniquis actibus de Ecclesia tanquam de cœlo cadunt. Quod dicit, *Multi hominum mortui sunt ab aquis, quoniam amaricaverunt aquæ;* hoc in his qui rebaptizantur intelligi potest. Quod autem, canente quarto angelo, solis, et lunæ et stellarum tertia pars percussa est; in his Ecclesia intelligitur, in qua quotidie qui mali vel ficti sunt, persuadente diabolo pec-

[1] Mss., *arbores habentium animas dixit.*

catorum vulneribus percutiuntur in anima. Quod autem dicit Aquilam volantem in medio cœli, et clamantem, Væ! væ! væ! Ecclesiam intelligi voluit volantem in medio cœli, id est, in medio sui, et per assiduitatem prædicationis plagas novissimi temporis annuntiantem. Quando enim sacerdos in Ecclesia Dei diem judicii annuntiat, aquila in medio cœli volat. Concedat divina pietas, ut dum et sacerdotes student jugiter prædicare, et populi ea quæ prædicantur fideliter adimplere, simul mereantur ad æterna [1] pervenire, præstante Domino Jesu Christo, qui vivit, etc.

HOMILIA VII.

[Ib. IX et X.] Modo, fratres charissimi, cum Apocalypsis legeretur, audivimus quia quinto angelo tuba canente, stella de cœlo ceciderit super terram. Una stella corpus est multorum cadentium per peccata. *Et data est ei clavis putei abyssi* : stella, abyssus, puteus homines sunt. Ergo stella cecidit de cœlo : id est, populus peccator de Ecclesia. *Et accepit putei abyssi clavem* : id est, potestatem cordis sui, ut aperiat cor suum, in quo diabolus deligatus non compescatur ut faciat voluntatem suam. *Et aperuit puteum abyssi* : id est, manifestavit cor suum sine ullo timore vel pudore peccandi. *Et ascendit fumus de puteo* : id est de populo ascendit quod cooperit et obscurat Ecclesiam, ita ut dicatur, *Et obscuratus est sol et aer de fumo putei*. Obscuratum dixit solem, non cecidisse [2]. Peccata enim malorum et superborum hominum, quæ passim committuntur per orbem, obscurant solem, id est Ecclesiam, et sanctis ac justis interdum faciunt obscuritatem : quia tantus est malorum numerus, ut aliquoties vix inter eos appareant boni. *Sicut*, inquit, *fumus fornacis magnæ. Et ex fumo putei exierunt locustæ in terram, et data est eis potestas, sicut habent potestatem scorpii terræ;* id est, veneno lædere. *Et præceptum est illis, ne læderent fenum terræ neque omnem arborem, nisi homines. Et datum est eis ne occiderent eos.* Et quia duæ partes sunt in Ecclesia, bonorum scilicet et malorum; una pars sic percutitur ut corrigatur, alia voluptatibus suis relinquitur. Pars bonorum humiliationi [3] traditur ad cognitionem justitiæ Dei, et commemorationem pœnitentiæ, sicut scriptum est, *Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem justificationes tuas* (*Psal.* CXVIII, 17). *Datum est eis ne occiderent, sed ut cruciarent : et cruciatus eorum sicut cruciatus scorpii, cum percutit hominem* : hoc tunc fit, quando diabolus per vitia vel peccata venena propinat. *Et quærent homines mortem* : mortem vero requiem dixit. Quærent itaque mortem, sed malis, id est tribulationibus, ut ipsi requiescant, dum mala moriuntur. *Super capita*, inquit, *earum tanquam coronæ similes auro*. Ecclesia superius descripta est in viginti quatuor senioribus, qui habent coronas aureas; isti autem similes auro, hæreses sunt, quæ imitantur Ecclesiam. *Et habebant capillos, sicut capillos mulierum* : in capillis mulierum non solum sexum effeminatum, sed etiam utrumque sexum voluit ostendere. *Et habebant caudas similes scorpiis, et aculei in caudis earum* : caudas hæreticorum præpositos dicit, sicut scriptum est, *Propheta docens mendacium, hic est cauda* (*Isai.* IX, 15); qui sunt pseudoprophetæ, et hi crudelia regum jussa implent. *Habentes super se regem angelum abyssi* : id est, diabolum vel regem sæculi. Abyssus populus est. *Cui nomen hebraice Abaddon, græce ἀπολλύων, latine Perdens. Væ unum abiit, et ecce duo væ veniunt, post hæc. Et sextus angelus tuba cecinit* ; hinc incipit novissima prædicatio. *Et audivi unum ex quatuor cornibus angelum altaris aurei, quod est in conspectu Dei, dicentem sexto angelo, qui habebat tubam : Solve quatuor angelos, qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* Altare quod est in conspectu Dei, Ecclesiam vult intelligi, quæ in tempore novissimæ persecutionis audeat crudelissimi regis verba aut jussa contemnere, et ab obtemperantibus discedere. *Solve quatuor angelos in flumine Euphrate.* Flumen Euphratem peccatorem populum dixit, in quo satanas et propria voluntas ligata est. Euphrates autem fluvius est Babylonis, sicut Jeremias in medio Babylonis submittit librum in Euphratem (*Jerem.* LI, 63). *Et soluti sunt quatuor angeli*, id est inchoata persecutio est. *Parati in horam et diem et mensem et annum, ut occiderent tertiam partem hominum* : hæc sunt quatuor tempora triennii, et pars temporis. *Et numerus*, inquit, *exercituum bis myriades myriadum, audivi numerum eorum* : sed non dixit, quot myriadum (*a*). *Ut occiderent tertiam partem hominum* : hæc est superborum pars tertia, de qua descendit Ecclesia. *Et vidi equos in visione, et qui sedebant super eos, habebant loricas igneas, et hyacinthinas ac sulfureas.* Equos homines dicit, sessores vero spiritus nequam, armatos igne, fumo et sulfure. *Et capita equorum erant sicut leonum* : ad sæviendum in persecutione. *Ex ore eorum exit fumus, ignis et sulfur* : id est, blasphemiæ de ore eorum contra Deum egrediuntur. *Caudæ eorum similes serpentibus.* Caudas præpositos diximus, capita principes mundi. Et in his nocet diabolus, et sine his nocere non potest : aut enim sacrilegi reges male jubendo, aut sacrilegi sacerdotes male docendo nocent. *Et vidi*, inquit, *alium angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, et iris*, id est arcus, *in capite ejus, et facies ejus erat ut sol* : amictus nube, Dominus intelligitur amictus Ecclesia. Legimus enim sanctos, nubes; sicut Isaias dicit, *Qui sunt hi, qui ut nubes volant* (*Isai.* LX, 8)? Indutum itaque nube spirituali, id est, sancto corpore Christum intellige. *Et iris super caput ejus* : id est, vel judicium quod fit et quod futurum est, vel promissio perseverans. Ecclesiam enim describit in Domino, dicens, *Et facies ejus sicut sol;* id est, de resurrectione. Sicut sol enim apparuit, quando a mortuis resurrexit. *Et pedes ejus sicut columnæ ignis.* Pedes Apostolos dicit, per quos in universo mundo doctrina ejus discurrit : aut certe, quia pes novissima pars corporis est, Ecclesiam dicit post ignem novissimæ persecutionis futuram sanctorum claritatem. *Et posuit pedem suum dexterum super mare, sinistrum autem super terram* : id est, ad prædicandum trans mare, et in universo orbe terrarum. *Et clamavit voce magna, quemadmodum leo rugit* : id est, fortiter prædicavit. *Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas*, quæ sunt et septem tubæ. *Et audivi vocem dicentem de cœlo, Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, noli ea scribere* : propter obtundendos, ut non passim omnibus impiis pateant verba Dei. Alio denique loco propter servos suos : *Ne signaveris*, inquit, *verba prophetiæ hujus.* Et ostendit quibus signari jusserat, et quibus non : *Qui persevaverit*, inquit, *nocere, noceat; et qui in sordibus est, sordescat adhuc* (*Apoc.* XXII, 10, 11). Hoc est, Propterea in similitudinibus loquor illis, ut qui justus est, justiora faciat, similiter et sanctus sanctiora; hoc est, Vestri felices oculi, quoniam vident, et aures, quoniam audiunt : istis enim non sunt signata verba libri, malis autem signata sunt. *Et juravit angelus ille, quoniam tempus jam non erit : sed in diebus septimi angeli, cum cœperit tuba canere* : septima tuba finis est persecutionis et adventus Domini. Propterea dixit Apostolus in novissima tuba fieri resurrectionem (I *Cor.* XV, 52). Quod autem sicut supra dictum est, quinto angelo tuba canente iterum stellam dixit cecidisse de cœlo; etiam et hæc stella corpus est multarum stellarum de cœlo, id est de Ecclesia cadentium : et significat populum superbum et impium. Quod autem *data est ei clavis abyssi;* dimissus est in potestate cordis sui, ut aperiat cor suum diabolo, et absque ulla reverentia exerceat omne malum. Quod autem ascendit fumus de puteo; id est, de populo malo : et

[1] Mss., *ad æternam beatitudinem.*
[2] Mss., *occidisse.*
[3] Mss., *humiliation.*

(*a*) Sic omnino Tichonius, teste Primasio.

obscuravit solem et lunam; obscuratum solem dixit, non occidisse. Hoc ideo, quia peccata malorum et superborum hominum obscurare videntur solem, dum sanctis et justis interdum per multas tribulationes faciunt obscuritatem. Sed lumen eorum exstinguere non possunt, quia illis ad malum consentire non acquiescunt. Quod autem dicit, *Ex fumo putei exisse locustas, et accepisse potestatem lædendi : et datum est eis ne occiderent eos;* hoc ideo, quia duæ partes sunt in Ecclesia, bonorum scilicet et malorum. Una pars sic percutitur ut corrigatur, alia voluptatibus suis relinquitur. Quod autem dixit, *Cruciatus earum sicut cruciatus scorpii, cum percutit hominem :* hoc tunc fit, quando diabolus luxuriosis hominibus per vitia et peccata, in modum scorpii venena propinat. *Et super capita earum tanquam coronæ similes auro.* Viginti et quatuor seniores, in quibus Ecclesia descripta est, coronas aureas habebant : isti autem similes auro, hæreses scilicet quæ imitantur Ecclesiam. Quod autem capillos habebant mulierum; in capillis non solum sexum effeminatum, sed etiam utrumque sexum voluit ostendere. In caudis earum, quæ erant tanquam scorpii, duces vel principes hæreticorum intelliguntur : sicut scriptum est, *Propheta docens mendacium hic est cauda. Habebant super se regem abyssi :* id est, diabolum. In abysso populus malus intelligitur, cui diabolus dominatur. Altare quod dixit esse in conspectu Dei, Ecclesiam vult intelligi, quæ velut aurum purgatum, tempore novissimæ persecutionis audeat crudelissimi regis jussa contemnere, et ab obtemperantibus discedere. Quod autem dicit quatuor angelos ligatos in flumine Euphrate; flumen Euphrates populum peccatorem significat, in quo satanas et propria voluntas ligata est. Euphrates autem est fluvius Babylonis, quæ interpretatur Confusio. Unde ad ipsum fluvium pertinent, quicumque res confusione dignas exercent. Quod autem dicit se vidisse equos, et qui sedebant super ipsos, habebant loricas igneas et hyacinthinas et sulfureas; equos, superbos homines dicit, et sessorem eorum diabolum et angelos ejus. Quod autem dicit capita equorum sicut leonum, propter violentam persecutionem malorum hominum dictum est. *Et ex ore eorum exiit ignis, fumus et sulfur :* id est, blasphemiæ de ore eorum contra Deum egrediuntur. In caudis, quæ erant similes serpentibus, sicut jam supra dictum est, principes et præpositi sunt hæreticorum, per quos lædere consuevit diabolus. Aut enim sacrilegi reges male jubendo, aut sacrilegi sacerdotes male docendo [1] nocent. Angelum quem dixit amictum nube, Dominus et Salvator noster est, amictus nube, id est Ecclesia : quia de sanctis scriptum est, *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* Quod autem dixit, *Facies ejus ut sol*, propter resurrectionem Domini dixit : sicut sol enim apparuit, quando a mortuis resurrexit. In pedibus ejus, qui erant sicut columnæ ignis, Apostoli figurati sunt, per quos in universo mundo doctrina ejus discurrit. Quod autem, *posuit pedem suum dexterum super mare*, hoc significavit, quod prædicatio ejus usque trans mare, et in universum mundum itura esset. Quod autem, *velut leo rugiens clamavit*, hoc ideo quia ex potestate fortiter prædicavit. Quod autem dixit, *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua*, propter obtundendos dictum est, de quibus in Evangelio, *Nolite sanctum dare canibus* (*Matth.* VII, 6) : id est, ut non passim omnibus impiis pateat verbum Dei. Alio denique loco propter servos suos dixit : *Ne signaveris*, inquit, *verba prophetiæ hujus.* Et ostendit quibus signari jusserit, et quibus non : *Qui perseveraverit*, inquit, *nocere, noceat : et qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Ecce quibus signatum est verbum Dei. Propterea in similitudinibus loquor illis, ut qui justus est, justiora faciat, similiter et sanctus sanctiora. Ecce quibus signatum non est. Quam rem oremus ut etiam in nobis implere Dominus pro sua pietate dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat. Amen.

[1] Mss., *prædicando.*

HOMILIA VIII.

[Ib. X et XI.] Vox *de cœlo*, imperium est Dei, qui Ecclesiæ cor tangit, et jubet percipere eam, quia Ecclesia [1] aperto libro futuram pacem prædicavit. *Et abii ad angelum, ut daret mihi librum :* hoc ex persona Joannis Ecclesia dicit, desiderans perdoceri. *Et tunc dixit mihi, Accipe et comede illum :* id est, tuis visceribus pande, et describe in latitudine cordis. *Et faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce ut mel :* id est, cum perceperis, oblectaberis eloquii divini dulcedine, sed amaritudinem senties cum prædicare et operari cœperis quod intellexeris; sicut scriptum est, *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal.* XVI, 4). Et aliter, *Erit*, inquit, *in ore tuo dulce ut mel, et in ventre tuo amaritudo.* In ore intelliguntur boni et spirituales Christiani, in ventre carnales et luxuriosi. Inde est quod cum verbum Dei prædicatur, spiritualibus dulce est : carnalibus vero, quorum secundum Apostolum Deus venter est (*Philipp.* III, 19), amarum videtur et asperum. *Et data est mihi arundo virgæ similis, dicens : Surge et metire templum Dei et altare, et adorantes in eo. Surge*, excitatio est Ecclesiæ. Non enim hic Joannes sedibundus [2] audiebat. *Metire templum, et altare, et adorantes in eo :* Ecclesiam jubet recenseri, et præparari ad ultimum, et adorantes in ea. Sed quia non omnes qui videntur, adorant, ideo dixit, *Atrium quod est foris templum, ejice foras, et ne metiaris illud.* Ipsi atrium sunt qui videntur in Ecclesia esse, et foris sunt, sive hæretici, sive male viventes catholici. *Quoniam datum est gentibus, et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* Qui excludentur, et quibus dabitur, utrique calcabunt eam. *Et dabo duobus testibus meis :* id est, duobus Testamentis. *Et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta :* numerum novissimæ persecutionis dixit, et futuræ pacis, et totius temporis a Domini passione; quoniam utrumque tempus totidem dies habet, quod suo in loco dicetur. *Saccis*, id est ciliciis, *amicti.* Quod in ἐξομολογήσει, id est, in confessione sint constituti, quia ex sensu humilitatis dixit saccis amictos. Dehinc ostendit qui sunt hi duo testes, dicens, *Hi sunt duæ olivæ et duo candelabra, in conspectu Domini terræ stantes :* hi sunt qui stant, non qui stabunt. Duo candelabra Ecclesia est, sed pro numero Testamentorum dixit duo. Sicut quatuor angelos dixit Ecclesiam, cum sint septem pro numero angelorum terræ : ita ex septem candelabris, si unum vel amplius pro locis nominet, tota Ecclesia est. Nam Zacharias unum candelabrum vidit septiforme, et has duas olivas (*Zach.* IV, 2, 3), id est, Testamenta infundere oleum candelabro, id est Ecclesiæ. Sicut sunt ibidem septem oculi, septiformis gratia Spiritus sancti, qui sunt in Ecclesia, inspicientes totam terram. *Et si quis vult eos lædere vel occidere, ignis exiet ex ore eorum, et devorabit inimicos eorum :* id est, si quis Ecclesiam vel lædit vel lædere voluerit, precibus oris ejus divino igne aut in præsenti ad correctionem, aut in futuro sæculo ad damnationem consumetur. *Hi habent potestatem claudere cœlum nubibus, ne pluat in diebus prophetiæ ipsorum. Habent*, ait; non, Habebunt : hoc ideo dicit, quia tempus quod nunc agitur significavit. Sed et spiritualiter cœlum clauditur, ne imbrem pluat, id est ne occulto, sed tamen justo judicio Dei super sterilem terram de Ecclesia benedictio descendat. *Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet cum eis prælium.* Aperte hæc omnia ostendit ante novissimam persecutionem fieri, cum dicit, *cum finierint testimonium suum :* utique illud quod præbent [3] usque ad revelationem Christi. *Et vincet eos, et occidet : vincet,*

[1] Mss., *Ecclesiæ.*
[2] In editis deest, *sedibundus.* Habetur in Ms. Petrensi et apud Bedam.
[3] Primasius, *perhibent.*

in eis qui succubuerint; *occidet*, in eis qui confessi Deum fuerint. *Et corpus eorum projicietur in plateis civitatis magnæ :* duorum dicit unum corpus, aliquando corpora, ut et numerum Testamentorum servaret, et Ecclesiæ unum corpus ostenderet [1]. *In plateis civitatis magnæ :* id est, in medio Ecclesiæ. *Et vident de populis et tribubus et linguis corpus eorum, per dies tres et dimidium :* id est, annos tres et menses sex. Miscet enim tempus, nunc præsens, nunc futurum : sicut et Dominus dicit, *Veniet hora, in qua omnis qui occiderit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo* (*Joan.* XVI, 2). Et nunc est, et veniet. *Et corpora eorum non sinunt poni in monumento.* Votum eorum ad impugnationem dixit : non quo valeant facere ne sit Ecclesia in memoria, sicut et illud, *Nec vos intratis, nec alios sinitis intrare* (*Matth.* XXIII, 13); cum multi introierint etiam illis impugnantibus. Sic ergo non sinunt poni in monumento. *Et inhabitantes terram gaudent super eos, et epulantur, et munera invicem mittunt.* Hoc semper factum est, et nunc invicem mittunt, et novissime gaudebunt et epulabuntur; quoties enim justi affliguntur, exsultant injusti, et epulantur. *Quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos :* per plagas, quæ pro contemptu Testamentorum Dei humanum genus affligunt. Denique etiam ipse visus justorum gravat injustos, sicut ipsi dicunt, *Gravis est nobis etiam ad videndum* (*Sap.* II, 15). Gaudebunt autem ubicumque, veluti jam nihil habuerint quod impatienter ferant, disturbatis et occisis justis, et eorum hæreditate possessa. *Et post dies tres et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in illos.* Jam dictum est de diebus. Huc usque angelus futurum narravit, et inducit factum quod futurum audit. *Et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super videntes eos. Et audivi vocem magnam de cœlo dicentem, Ascendite huc : et ascenderunt in cœlum in nube.* Hoc est quod Apostolus dixit, *Rapiemur in nubibus obviam Christo* (I *Thess.* IV, 16). Ante adventum autem Domini nulli hoc posse contingere scriptum est : *Initium Christus, deinde hi qui sunt Christi in adventu ejus* (I *Cor.* XV, 23). Unde excluditur omnis suspicio quorumdam, qui putant hos duos testes duos viros esse, et ante adventum Christi cœlum in nubibus ascendisse. Quomodo autem potuerunt habitantes terram de duorum nece gaudere, cum in una civitate morerentur, et munera invicem mittere, si tres dies sint, qui antequam gaudeant de nece, contristabuntur de resurrectione? Aut quales epulæ aut voluptas esse potest in plateis epulantium, cadaveribus humanis epulis morbum triduano fetore reddentibus? Unde nos Dominus liberare dignetur. Amen.

HOMILIA IX.

[Ib. XI et XII.] Quod audivimus, fratres, in lectione quæ recitata est, quia *in illa hora factus est terræ motus magnus;* in illo terræ motu persecutio intelligitur, quam diabolus per malos homines exercere consuevit. *Et decima*, inquit, *pars civitatis cecidit, et occisa sunt in terræ motu nomina virorum septem millia.* Et denarius et septenarius perfectus est numerus : quod si non esset, a parte totum intelligendum erat. Duo sunt enim ædificia in Ecclesia; unum supra petram, aliud supra arenam : quod supra arenam est, dicitur corruisse. *Et cæteri timuerunt, et dederunt claritatem Deo.* Illi dederunt claritatem, qui supra petram ædificati sunt, et cum illis qui supra arenam erant, cadere non potuerunt. Ideo autem dixit, *timuerunt*, quia videns justus peccatoris interitum, plus accenditur in observatione præceptorum, sicut dicitur, *Et lavabit manus in sanguine peccatoris* (*Psal.* LVII, 11). *Et apertum est*, inquit, *templum Dei in cœlo ;* id est, in Ecclesia incarnationis Christi mysteria patefacta sunt : unde ostenditur Ecclesia cœlum esse. *Et visa est arca testamenti ejus in templo ejus :* id est, intellectum est Ecclesiam esse arcam testamenti. *Et facta sunt fulgura et tonitrua et terræ motus :* hæc omnia sunt virtutes prædicationis et coruscationis et bellorum Ecclesiæ. *Et signum magnum est in cœlo visum, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus :* Ecclesiam dicit, partem suam, id est, homines fictos et malos Christianos sub pedibus habere. *Et in capite ejus corona stellarum duodecim.* Istæ duodecim stellæ, duodecim Apostoli intelligi possunt. Sole autem amicta spem resurrectionis significat, propter illud quod scriptum est, *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth.* XIII, 43). *Draco magnus rufus :* diabolus est quærens Ecclesiæ natum devorare. *Habens*, inquit, *cornua decem et capita septem :* capita reges sunt, cornua vero regna. In septem enim capitibus omnes reges, in decem cornibus omnia regna mundi dicit. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, et misit eas in terram :* cauda prophetæ iniqui sunt, id est hæretici, qui stellas cœli per iteratum baptisma adhærentes sibi dejiciunt in terram; ipsi sunt sub pedibus mulieris. Multi, homines illos esse æstimant, quos sibi consentientes diabolus fecit sodales : multi, angelos, qui cum illo quando cecidit præcipitati sunt. *Parturiens cruciatur ut pariat :* per omne tempus quotidie parit Ecclesia in prosperis et in adversis. *Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut cum peperisset filium ejus devoraret :* semper enim in cruciatibus parit Ecclesia, Christum per membra, semper et draco quærit devorare nascentem. *Et genuit mulier filium masculum :* id est, Christum. Deinde corpus ejus, id est Ecclesia, semper generat Christi membra. Masculum autem dixit, victorem adversus diabolum. *Et mulier fugit in eremum :* mundum istum non incongrue eremum accipimus, ubi usque in finem Christus Ecclesiam gubernat et pascit, in quo ipsa Ecclesia superbos et impios homines tanquam scorpiones et viperas, et omnem virtutem satanæ per Christi adjutorium calcat, et conterit. *Et factum est bellum in cœlo :* id est, in Ecclesia. *Michael et Angeli ejus pugnabant cum dracone :* Michaelem, Christum intellige; et Angelos ejus, sanctos homines. *Et draco pugnavit et angeli ejus :* id est, diabolus et homines voluntati ejus obtemperantes. Nam absit ut credamus diabolum cum angelis suis in cœlo ausum esse pugnare, qui in terra unum Job ausus non est tentare, nisi eum a Domino postularet ut læderet. *Et non valuerunt, neque locus eorum inventus est amplius in cœlo :* id est, in hominibus sanctis, qui credentes, semel expulsum diabolum ejusque satellites amplius non recipiunt; sicut Zacharias dixit, ut semel exterminata idola amplius non recipiant locum. *Et expulsus est draco magnus, anguis antiquus qui dicitur diabolus et satanas, et angeli ejus cum eo :* diabolus, et spiritus immundi omnes cum suo principe de sanctorum cordibus expulsi sunt in terram, id est, in homines qui terrena sapiunt, et totam spem suam in terra constituunt. *Et audivi vocem magnam de cœlo dicentem, Modo facta est salus et virtus et regnum Dei nostri :* id est, Ecclesiæ. Ostendit in quo cœlo ista fiant. Apud Deum enim semper fuit et virtus et regnum et potestas Filii ejus : sed in Ecclesia dixit per victoriam factam Christi salutem, quam videntes illi de quibus Dominus dixit, *Multi justi et Prophetæ cupierunt videre quæ videtis* (*Matth.* XIII, 17); dixerunt, *Modo facta est salus Domini nostri. Quoniam exclusus est accusator fratrum nostrorum*, etc. Si autem, ut quidam putant, Angelorum vox est in cœlo superiore, et non sanctorum in Ecclesia, non dicerent, *accusator fratrum nostrorum*, sed, accusator noster; nec, *accusat*, sed, accusabat. Quod si justos in terra positos appellaverunt Angeli fratres suos, non erat gaudium missum esse diabolum in terram, quem molestiorem possint experiri sancti secum in terris positum, quam si, ut dicitur, adhuc esset in cœlo. Sic enim terræ maledicunt dicentes, *Væ tibi, terra et mare !* id est, qui cœlum non estis. *Quia descendit ad vos diabolus, habens iram magnam, sciens quia breve tempus habet. Descendit*, inquit, ut allegoriam servaret. Cæterum omnes in cœlo sunt, id est in Ecclesia,

[1] Hic Mss. addunt, *quod est illud : Projecisti sermones meos retro.*

quæ juste cœlum dicitur : unde dejectus a sanctis diabolus descendit in suos, qui pro amore terreno terra sunt. Dejici autem de cœlo non sic dixit, quod in hominibus fieret jam cœlum factis, sed quod sint, non quod fierent [1]. Non enim possunt sancti cœlum fieri, nisi diabolo excluso. Non ergo primo nomine, sed secundo appellavit eos cœlum, in quibus ultra diaboli locus inventus non est. De quo periculo nos Dominus sub sua protectione liberare dignetur, qui vivit, etc.

HOMILIA X.

[Ib. XII et XIII.] Modo, fratres charissimi, audivimus quia cum vidisset draco quod de sanctis exclusus esset in terram, id est de cœlo in peccatores, persecutus est mulierem quæ peperit masculum. Quanto enim diabolus de sanctis dejicitur, tanto magis eos persequitur. *Et datæ sunt mulieri*, id est Ecclesiæ, *duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum locum suum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis a facie serpentis :* tempus, et annus intelligitur et centum anni. Duæ alæ magnæ, duo sunt Testamenta Ecclesiæ quæ accepit, quo serpentem evaderet in eremum. *In locum suum* dixit, id est, in hoc mundo, ubi serpentes et scorpiones habitant : quia illi dictum est, sicut Dominus dicit, *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (*Matth.* x, 16); et Ezechiel dicit, *Fili hominis, inter scorpiones tu habitas* (*Ezech.* II, 6). *Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam velut flumen :* id est, violentiam persecutorum. *Et adjuvit terra mulierem, et aperuit os suum, et absorbuit flumen quod misit draco de ore suo.* Terram sanctam dicit, id est sanctos. Quoties enim persecutiones Ecclesiæ irrogantur, sanctæ terræ precibus, id est omnium sanctorum orationibus aut amoventur, aut temperantur. Nam et Dominus noster Jesus Christus qui interpellat pro nobis, et has persecutiones removet, cum ipsa terra sedet a dextris virtutis. Item aliter, mulierem volasse in desertum, ipsam Ecclesiam catholicam intelligit, in qua novissimo tempore sub Elia creditura est Synagoga. Alas duas aquilæ magnæ, duos vult intelligi prophetas, scilicet Eliam, et qui cum eo venturus est. Aqua emissa de ore draconis, exercitum persequentium eam significat : absorpta aqua, de persecutoribus factam vindictam. *Et iratus est draco in mulierem, et abiit bellum facere cum reliquis de semine ejus :* id est, cum vidisset non posse continuari persecutiones, quas per Paganos solebat immittere, eo quod ore sanctæ terræ, id est orationibus sanctis removerentur, hæreses concitavit. *Et stetit super arenam maris :* id est, super multitudinem hæreticorum. *Et vidi ascendentem bestiam de mari :* id est, de populo malo. *Ascendentem* dixit, hoc est nascentem. Sicut flos in bonam partem de radice Jesse ascendit. Bestiam ascendentem de mari, impios dicit, qui sunt corpus diaboli. *Et bestia quam vidi, similis erat pardo, et pedes ejus sicut ursi, et os ejus sicut os leonis :* pardo propter varietatem gentium similavit, urso propter malitiam et vesaniam, leoni propter virtutem corporis et linguæ superbiam. Et quia temporibus Antichristi cum varietate gentium et populorum regnum illius erit commixtum, pedes tanquam ursi, duces ejus; os ejus, jussio ejus. *Et dedit ei draco virtutem suam :* sicut videmus modo hæreticos esse in hoc sæculo potentes, qui habent virtutem diaboli. Sicut quondam Pagani, ita nunc illi vastant Ecclesiam. *Et vidi unum ex capitibus ejus quasi occisum in mortem; et plaga mortis ejus curata est :* quod dicit quasi occisum, hæretici sunt, qui simulant se confiteri Christum : et dum non sic credunt ut fides catholica habet, blasphemant; cum eum et occisum prædicent, et resurrexisse : quia et ipse satanas transfigurat se in angelum lucis (II *Cor.* XI, 14). Et aliter : occiduntur hæreses per Catholicos, cum Scripturarum testimoniis opprimuntur, sed illi nihilominus quasi satanæ plaga redivivi peragunt opera satanæ, et non cessant blasphemare, et ad dogma suum quos possunt attrahere. *Et mirata est omnis terra secuta bestiam, et adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiæ :* utique habent potestatem hæretici, sed præcipue Ariani. *Et adoraverunt bestiam dicentes, Quis similis bestiæ? aut quis poterit pugnare cum ea?* Hoc ideo quia sibi blandiuntur hæretici, quod nullus melius credat illis, et quod nullus vincat populum ipsorum qui bestiæ nomine censetur : cui datum est ab ipso diabolo, et a Deo permissum est, ut loquatur magna et blasphemias; sicut dicit Apostolus : *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti sint in vobis* (I *Cor.* XI, 19). *Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos :* tempus novissimæ persecutionis in istis quadraginta duobus mensibus intelligimus. *Deinde aperuit os suum in blasphemiam ad Deum :* hic manifestum est illos significari qui de Ecclesia recesserunt catholica; ut qui ante occulte intra Ecclesiam quasi fidem rectam tenere videbantur, in persecutione aperto ore in Deum proferant blasphemiam. *Et in tabernaculum ejus, et in eos qui in cœlo habitant :* id est, in sanctos qui intra Ecclesiam continentur, quæ cœlum est nuncupata, quia et ipsi tabernaculum Dei sunt. *Et datum est ei bellum facere cum sanctis, et vincere eos :* a toto partem intelligimus, quæ vinci potest; non enim boni Christiani, sed illi qui mali sunt vincuntur. *Et data est ei potestas super omnem tribum et linguam, et adorabunt eam omnes habitantes terram :* omnes dixit, sed in terra habitantes, non in cœlo. *Quorum non est scriptum nomen in libro vitæ Agni :* de diabolo dixit vel ejus populo, non est scriptum nomen ejus in libro vitæ. *Signati (a) ab origine mundi :* quia in præsentia Dei Ecclesia ante præordinata est atque signata. Quod ipse præstare, etc.

HOMILIA XI.

[Ib. XIII et XIV.] In lectione quæ modo recitata est, fratres charissimi, audivimus beatum Joannem dicentem, *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra :* quod est mare, hoc terra. *Et habebat cornua duo similia Agni :* id est, duo Testamenta ad similitudinem Agni, quod est Ecclesia. *Et loquebatur ut draco :* hæc est illa quæ sub nomine christiano agnum præfert, ut draconis venena latenter infundat; hæc est hæretica Ecclesia. Agni enim similitudinem non imitaretur, si aperte loqueretur : nunc Christianitatem fingit, quo securius incautos decipiat. Propterea Dominus dicit, *Cavete a pseudoprophetis*, etc. (*Matth.* VII, 15). *Et facit terram et eos qui in ea sunt ut adorent bestiam priorem, cujus curata est plaga mortis ejus : et faciet signa magna, ita ut ignem faciat descendere de cœlo in terram :* et quia cœlum Ecclesia est, quid est ignem de cœlo descendere, nisi hæreses de Ecclesia cadere? sicut scriptum est, *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis* (I *Joan.* II, 19). Ignis enim de cœlo descendit quando hæretici qui de Ecclesia velut ignis recedunt, ipsam Ecclesiam persequuntur. Bestia ergo cum duobus cornibus, facit ut populus simulacrum bestiæ, id est diaboli adinventionem adoret. *Ut det eis notam super manum eorum dextram, aut super frontem eorum :* mysterium enim disputat facinoris. Sancti enim qui sunt in Ecclesia, Christum accipiunt in manu et in fronte; hypocritæ autem bestiam sub Christi nomine. *Si qui non adoraverunt bestiam, nec imaginem ejus, nec acceperunt inscriptionem* [1] *in fronte, aut in manu sua, occidentur :* non abhorret a fide, ut bestia ipsa impia civitas intelligatur, id est congregatio vel conspiratio omnium impiorum vel superborum, quæ Babylonia dicitur, et interpretatur Confusio; et ad ipsam pertinent quicumque res confusione dignas exercere voluerint. Ipse est populus infidelium, contrarius populo fideli et civitati Dei. Imago vero ejus simulatio est, in eis videlicet hominibus, qui velut fidem catholicam profitentur, et infideliter vivunt; fingunt enim se esse quod non sunt, vocanturque non veraci effigie, sed fallaci imagine christiani : de qui-

[1] Ms. Petrensis, *sed sint, non quod fuerint.*

[1] Ms. Petrensis, *imaginem ejus neque inscriptionem.*

(a) Pro *esphagménou*, occisi, legit *esphragisménou*, signati,

bus Apostolus dicit, *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (II *Tim.* III, 5); quorum non parva portio in Ecclesia catholica continetur. Justi autem non adorant bestiam, id est, non consentiunt, non subjiciuntur: neque accipiunt inscriptionem, notam scilicet criminis, in fronte propter professionem, in manu propter operationem. Sic ergo facient, *Ut nemo possit mercari, nisi qui habet nomen aut notam bestiæ, aut numerum nominis ejus. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ: numerus enim hominis est:* id est, Filii hominis Christi, cujus nomen in hæreticis sibi fecit bestia. Faciamus ergo numerum quem dixit, ut accepto numero inveniamus nomen et notam. *Numerus*, inquit, *ejus est sexcenti sexdecim* [1]. Quem faciamus secundum Græcos maxime quia ad Asiam scribit, *Et ego*, inquit, *α et ω*. Sexcenti et sexdecim græcis litteris sic fiant χιϛτ'. Quæ notæ solutæ, numerus est: redactæ autem in monogrammum, et notam faciunt, et numerum, et nomen. Hoc signum Christi intelligitur, et ipsius ostenditur similitudo, quam in veritate colit Ecclesia. Cui se similem facit hæreticorum adversitas, qui cum Christum spiritualiter persequantur, tamen de signo crucis Christi gloriari videntur. Hoc ideo, quia dictum est, *Numerus bestiæ numerus hominis est. Et vidi, et ecce Agnus stans in monte Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentia nomen ejus et nomen Patris ejus scriptum in frontibus eorum.* Aperuit quæ sit imitatio notæ in frontibus, dum et Deum et Christum dicit scriptos in frontibus Ecclesiæ. *Et audivi vocem de cœlo sicut aquarum multarum:* id est, centum quadraginta quatuor millium. *Et sicut tonitrui magni: et vocem quam audivi sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Quod autem dixit, *Hi sunt qui se cum mulieribus non coinquinaverunt*, etc., virgines hoc loco non solum corpore castos intelligamus, sed maxime omnem Ecclesiam, quæ fidem puram tenet, sicut dicit Apostolus, *Sponsavi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo* (II *Cor.* XI, 2): nulla adulterina hæreticorum commixtione pollutam, nec in male blandis et mortiferis hujus mundi voluptatibus usque ad exitum vitæ suæ absque remedio pœnitentiæ infelici perseverantia colligatam. Addit post hoc dicens: *Et in ore ipsorum non est inventum mendacium.* Non dixit, non fuit; sed, *non est inventum.* Qualem enim invenit Dominus cum hinc evocat, talem et judicat: nam aut per Baptismum, aut per pœnitentiam possumus in interiori homine et virgines effici et sine mendacio. Nunc iterum recapitulatio. *Et vidi*, inquit, *alium angelum volantem in medio cœli:* id est, prædicationem in medio Ecclesiæ discurrentem. *Habentem Evangelium æternum; ut evangelizaret habitantibus in terra, dicens: Timete Dominum*, etc. Volunt aliqui intelligi angelum volantem in medio cœli Eliam; et alium angelum qui eum sequitur, comitem Eliæ, qui eo tempore prædicabit. *Et alius angelus secutus est:* id est, pacis futuræ prædicatio. *Dicens, Cecidit, cecidit Babylon illa magna:* Babylonem civitatem impiam, sicut jam supra dictum est, diaboli congregationem dicit, id est, populum ipsi consentientem: et omnem concupiscentiam et corruptelam, quam in perniciem sui et humani generis exquirit. Nam sicut Ecclesia civitas Dei est et omnis conversatio cœlestis: ita e contrario civitas est diaboli Babylon in omni mundo, sicut dicit Dominus, *Ecce ponam Jerusalem lapidem conculcabilem in omnibus gentibus* (*Zach.* XII, 3). Ecclesia ergo dicit, *Cecidit, cecidit Babylon illa magna.* Jam quasi perfectum dicit, quod adhuc futurum erat: sicut illud, *Diviserunt sibi vestimenta mea* (*Psal.* XXI, 19). *Quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes:* omnes gentes, civitas est mundi, id est omnes superbi et impii, sive extra Ecclesiam, sive in Ecclesia constituti. *Et vidi, et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem Filium hominis*, id est, Christum. Ecclesiam enim describit in claritate sua præcipue post persecutionum flammas albentem. *Habentem in capite suo coronam auream:* ipsi sunt seniores cum coronis aureis. *Et in manu sua falcem acutam:* ista falx separat Catholicos ab hæreticis, sanctos a peccatoribus, sicut dicit Dominus de messoribus. Si autem putandum est quod ipse specialiter Christus visus est in nube alba messor; quis est vindemiator, nisi idem, sed in suo corpore quod est Ecclesia? Forte non male sentitur, si istos tres angelos qui exierunt, triformem intellectum Scripturarum intelligamus, juxta historialem, moralem, et spiritualem: falcem vero discrepationem. *Et misit in torcular iræ Dei magnum:* non in torcular magnum; sed ipsum misit in torcular, id est superbum quemque. *Et calcatum est torcular extra civitatem:* id est, extra Ecclesiam. Facta enim dissensione, foris exit omnis homo peccati. Calcatio autem torcularis, retributio est peccatorum. *Et exiit sanguis de torculari usque ad frenos equorum:* exiet ultio usque ad rectores populorum. Usque enim diabolum et angelos ejus novissimo certamine exiet ultio sanguinis effusi. *Per stadia mille sexcenta:* id est, per omnes quatuor partes mundi. Quaternitas enim est conquaternata, sicut est in quatuor faciebus quadriformibus et totis. Quater enim quadringenti sunt mille sexcenti [1].

HOMILIA XII.

[Ib. XV et XVI.] In lectione quæ recitata est, fratres charissimi, dixit se sanctus Joannes vidisse *aliud signum in cœlo magnum et mirabile: angelos septem:* id est, Ecclesiam. *Habentes plagas septem novissimas, quoniam in his finita est ira Dei:* novissimas dixit, quia semper ira Dei percutit populum contumacem septem plagis, id est, perfecte; sicut ipse Deus in Levitico frequenter repetit, *Et percutiam vos septies, propter peccata vestra* (*Levit.* XXVI, 24). *Et vidi sicut mare vitreum:* id est, fontem Baptismi pellucidum. *Mixtum igne:* id est, spiritu vel tentatione. *Et victores bestiæ super mare vitreum:* id est, in Baptismo. *Habentes citharas Dei:* id est, corda laudantium Deo dedicata. *Et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni:* id est, utrumque Testamentum. *Magna et mirabilia opera tua sunt:* hæc enim in utroque Testamento sunt, quod cantant supradicti. Repetit quod proposuerat dicens: *Post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo.* Templum Ecclesiam jam diximus sentiendam; angelum qui exiit de templo et jussit sedenti super nubem, imperium Domini esse, dictum est. Jussionis enim exitus est, sicut evangelista dicit, *Exiit edictum a Cæsare Augusto* (*Luc.* II, 1). *Induti lino mundo et splendido, et cincti super pectora sua zonas aureas:* manifeste ostendit in septem angelis Ecclesiam. Sic enim initium descripsit de Christo: *Habentem*, inquit, *zonam auream super ubera. Et unum ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas de ira Dei* (*Apoc.* I, 13): istæ sunt phialæ quas cum odore ferunt seniores et animalia, quæ sunt Ecclesia; qui et septem angeli. Et quod sunt odoramenta, hoc ira Dei, hoc et verbum Dei. Sed et hæc omnia dant bonis vitam, malis inferunt mortem: ut est illud, *Aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem* (II *Cor.* II, 16). Orationes enim sanctorum, qui est ignis exiens de ore testium, ira sunt mundo et impiis. Hoc ideo, quia superbis et impiis non sufficit, quod eos qui sancti sunt, nec diligunt, nec imitantur, verum etiam ubicumque potuerint persequuntur. Omnes istæ plagæ spirituales sunt, et in anima fiunt. Nam ipso tempore illæsus erit omnis populus impius ab omni plaga corporis; quia non meretur in præsenti sæculo flagellari, quasi qui acceperit totam sæviendi potestatem: sed spiritualiter, id est, voluntaria et mortalia peccata, quæ sunt ulcera in animabus suis, patiuntur omnes impii et superbi. *Secundus fudit phialam suam in mare*, et reliqua. Mare, flumina, fontes aquarum, sol, thronus bestiæ, fluvius Euphrates,

[1] Sic Mss. At editi, *sexcenti sexaginta sex.*

[1] In Ms. Petrensi, *sub cujus protectione nos Dominus liberare dignetur.*

aer, super quæ angeli fuderunt phialas, terra est et homines: quia omnibus angelis in terram fundere mandatum est. Omnes autem plagæ istæ a contrario intelligendæ sunt: plaga est enim insanabilis, et ira magna, accipere potestatem peccandi, maxime in sanctos, nec corripi; adhuc major ira Dei, et errorum fomenta subministrari injustitiæ. Hæc plaga iræ Dei, hæc vulnera, transpungi et gaudere et placere sibi unumquemque in peccatis. Sic prosperitas malorum, ulcera sunt animarum: et adversitas justorum, æternorum sunt pretia [1] gaudiorum. In tertio vero angelo et aquarum conversione in sanguinem, omnes angelos populorum intellige, id est, infirmiores [2] homines in animo cruentos. *Quartus angelus effudit phialam suam super solem, et usti sunt homines ustione magna:* hoc futurum est adhuc in igne gehennæ. Nam diabolus in præsenti cum in anima occidat amatores suos, non solum non urit in corpore, sed quantum permittitur clarificat: quam claritatem et lætitiam Spiritus sanctus plagas definivit et dolores. *Et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem in his plagis, nec egerunt pœnitentiam.* Quia non in corpore, sed in animo percutiuntur plagis istis a Deo: ideo nec Domini recordantur, sed in pejus proficiunt; et propterea blasphemant, persequentes sanctos ejus. *Quintus effudit phialam suam super sedem bestiæ, et factum est regnum ejus tenebrosum:* thronus bestiæ, Ecclesia ipsius est, id est congregatio superborum, quæ hujusmodi plagis obcæcatur. *Comedebant linguas suas a doloribus suis:* id est, sibi nocebant blasphemantes ex ira Dei, quia transpuncti gaudia existimabant. *Et pœnitentiam non egerunt:* utique obdurati lætitia. *Et sextus angelus effudit phialam suam super flumen magnum illud Euphratem:* id est super populum. *Et siccata est aqua ejus:* sicut supra dixit, aruit messis terræ, id est, ad combustionem paráta est. *Ut præparetur via eorum qui sunt ab ortu solis:* id est, Christo: his enim perfectis justi, proficiscuntur obviam Christo.

HOMILIA XIII.

[Ib. XVI et XVII.] Sanctus Joannes, fratres charissimi, dum de septem angelorum phialis vel plagis loqueretur, solito more prætermisso septimo angelo recapitulat ab origine breviter dicens: *Et vidi ex ore draconis, et ex ore bestiæ, et ex ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum.* Unum spiritum vidit, sed pro numero et portione [3] unius corporis. Draco, id est diabolus: nam et bestia, id est corpus diaboli, et pseudopropheta, id est præpositi corporis diaboli, unus spiritus est, quasi ranæ. *Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa.* Ranæ namque præter horrorem proprium, etiam in loco immundo sunt [4]. Quæ cum aquarum incolæ et indigenæ videantur, non solum aquarum refugæ et siccitatis impatientes sunt, sed etiam in ipsis aquis, in aquæ sordibus et cœno volutantur. Sic hypocritæ non in aqua, ut putantur, degunt; sed in sordibus, quas credentes in aqua deponunt. Ranis sunt similes etiam homines, qui in peccatis vel criminibus, quæ alii per pœnitentiam vel Baptismum deponunt, volutari non erubescunt. Quando enim aliquis se convertit ad Deum, et pœnitet fuisse superbum, adulterum, ebriosum vel cupidum, qui ista peccata quæ alius confitendo relinquit, imitatur, cogitans apud se et dicens, Facio quod volo, et postea quomodo iste agit pœnitentiam, et ego ago; et subito dum ei supervenit ultimus dies, perit confessio, et restat damnatio: iste qui talis est, dum alios non ad bonum, sed ad malum vult imitari, in luto, unde alius liberatus est, velut rana involvitur, et volutatur. Ranæ ergo significant spiritus dæmoniorum facientes signa. *Qui exeunt ad reges totius orbis congregare eos ad bellum diei magni Domini.* Diem magnum totum tempus dicit a passione Domini. Sed pro locis accipiendus est dies: aliquando diem judicii dicit, aliquando novissimam persecutionem, quæ sub Antichristo futura est, aliquando totum tempus, sicut per Amos prophetam: *Væ*, inquit, *eis qui concupiscunt diem Domini! Et utquid vobis dies Domini* [1] (*Amos.* V, 18)? et reliqua quæ ibi sequuntur. Omnia hæc in hac sunt vita his dies quibus Domini tenebræ sunt: qui concupiscunt diem Domini, id est qui in hoc sæculo delectantur, quibus suave est, qui in eo voluptati et luxuriæ servientes lucra percipiunt, qui existimant quæstum esse religionis, quibus dicitur, *Væ vobis qui saturati estis* (*Luc.* VI, 25)! non illi quibus dicitur, *Beati qui lugent* (*Matth.* V, 5). Recapitulat iterum ab eadem persecutione dicens: *Et facta sunt fulgura et tonitrua, et terræ motus factus est magnus, qualis non est factus ex quo homines facti sunt; et facta est illa civitas magna in tres partes.* Hæc civitas magna, omnis omnino populus intelligitur qui est sub cœlo, qui fiet in tres partes cum Ecclesia divisa fuerit, ut sint Gentiles una pars, hæretici et ficti Catholici altera, Ecclesia catholica tertia. Sequitur enim, et ostendit quæ sint tres partes, dicens: *Civitates gentium ceciderunt, et Babylon illa magna in mentem venit Deo dare ei poculum vini iræ suæ, et omnis insula fugit, et montes inventi non sunt.* Civitates gentium gentes sunt, Babylon abominatio vastationis, montes et insulæ Ecclesia est; in civitatibus gentium omne munimen et spem dicit gentium cecidisse. Non enim diversas [2] habent a Christianis, sed civitates bonæ atque malæ in hominibus describuntur. Tunc ergo Babylon cecidit aut iram Dei bibit, cum potestatem accepit adversus Jerusalem, quæ est Ecclesia. *Insulæ inventæ non sunt:* id est, non sunt superatæ. *Et grando magna quasi talentum descendit de cœlo super homines:* grandinem iram Dei dicit. Omnes plagas istas figuras esse dicit plagarum spiritualium. *Et blasphemaverunt homines Deum ex plaga grandinis, quoniam magna est plaga ejus nimis.* Recapitulat iterum dicens: *Et venit unus ex septem angelis, et dixit mihi, Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, sedentis super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ*, id est, omnes terrigenæ. *Et tulit me in eremo in spiritu, et vidi mulierem sedentem super bestiam.* In bestia omnis populus malus intelligitur; in muliere corruptela monstratur: in eremo mulierem sedere dicit, eo quod in impiis, in anima mortuis et a Deo desertis sedeat: in spiritu, dixit; quia nonnisi in spiritu videri potest hujusmodi desertio. Pretiose ornatam dixit, propter ornamenta luxuriæ. Nam bestiam super quam sedit, sicut jam dictum est, populum esse dicit, quæ sunt aquæ multæ, sicut ipse exponit: *Aquam quam vides, ubi mulier sedet, populi et turbæ sunt, et gentes et linguæ.* Corruptelam dicit sedere super populos in eremo. Meretrix, bestia, eremus unum sunt. Bestia, ut jam dictum est, corpus est adversus Agnum, in quo corpore nunc diabolus, nunc caput velut occisum, quod significat hæreticos, qui velut de morte Christi gloriari videntur, non solus superborum populus accipiendus est: quod totum Babylon est. In tribus spiritibus, qui ex ore draconis velut ranæ procedebant: in uno intelligitur diabolus; in alio, pseudoprophetæ vel præpositi hæreticorum; in tertio, corpus diaboli, id est omnes ficti, superbi, vel impii Christiani, quorum maximus numerus in Ecclesia continetur. Denique qui tales sunt, ad similitudinem ranarum, in omni immunditia et luxuriæ sordibus volutantur. Ranis etiam similes sunt homines, qui in peccatis vel criminibus, quæ alii per pœnitentiam vel Baptismum deponunt, volutari non erubescunt, dicentes sibi, Ad præsens impleo voluntates meas; postea, quomodo isti conversi sunt,

[1] Mss., *præmia.*
[2] Mss., *interiores.*
[3] Ms. unus, *participatione.* Alius, *partitione.*
[4] Mss., *proprio etiam loco immundæ sunt.*

[1] Sic vetus codex Petrensis. At editi: *Et utquid vobis diem persecutionis? Et facta sunt fulgura*, etc., omissis sex versibus.
[2] Mss., *divisas.*

et ego convertar ad Deum. Et subito superveniente morte perit confessio, restat damnatio. Quod dicit, congregandos homines ad diem magnum; diem magnum dicit totum tempus a Domini passione usque ad finem mundi. Iste enim dies quibus suavis est, et qui in eo voluptati et luxuriæ servientes lucra requirunt, in magnam miseriam convertuntur, quia implendum est in eis illud propheticum, *Væ desiderantibus diem Domini!* Per falsam enim et transitoriam dulcedinem præparant sibi æternam amaritudinem. Potest hoc loco dies magnus intelligi illa desolatio, quando a Tito et Vespasiano obsessa est Jerosolyma, ubi exceptis his qui in captivitatem ducti sunt, quindecies [1] centena millia mortua referuntur. Quod autem dicit, *Congregavit illos in loco Hermagedon* [2], omnes inimicos Ecclesiæ intelligi voluit. Denique sequitur, et dicit, *Circumdederunt castra sanctorum et civitatem sanctam dilectam* (*Apoc.* XX, 8) : id est, Ecclesiam. Quod autem facta sunt tonitrua, et terræ motus factus est magnus, et facta est civitas magna in tres partes; civitas magna, omnis omnino populus intelligitur, ubi una pars Paganorum, alia hæreticorum, tertia Christianorum, in qua sunt etiam hypocritæ. Cum ex ista tertia parte separati fuerint boni, tunc illi qui sunt in Ecclesia ficti, illis duabus partibus juncti accipiunt judicium Dei : quod etiam in hoc tempore jam ex aliqua parte completur. Tunc enim Babylon cadit, quando potestatem accipiunt mali, ut persequantur bonos qui sunt Ecclesiæ. Quod autem grando magna sicut talentum descendit de cœlo, in grandine ira Dei intelligitur : quæ etiam antequam dies judicii veniat, super impios et superbos spiritualiter intus in anima mittitur. Mulierem meretricem, quam vidit in spiritu super bestiam sedentem in eremo; ideo dicit in eremo, quia in impiis, id est, in anima mortuis sedeat et a Deo desertis. *In Spiritu* dicit, quia non nisi spiritualiter videri potest hujusmodi desertio, quæ intus in anima fit. Meretrix, bestia, eremus unum sunt, quod totum Babylonia intelligitur. Bestia, ut jam dictum est, corpus est impiorum adversus Agnum : in quo corpore nunc diabolus, nunc caput velut occisum, quod significat perfidiam hæreticorum, qui velut de morte Christi gloriari videntur, cum tamen Christi Ecclesiam jugiter persequantur. Et quia non solum hæretici vel Pagani, sed etiam Catholici mali, id est superbi et impii eos quos in Ecclesia mansuetos et humiles viderint, persequuntur; quantum possumus, Dei misericordiam deprecemur, ut et illos de tam malis actibus ad bonum corrigat, et nobis in bonis operibus felicem perseverantiam pro sua pietate concedat, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, etc.

HOMILIA XIV.

[Ib. XVII.] Modo cum divina lectio legeretur, fratres charissimi, audivimus beatum Joannem dixisse quia viderit *mulierem sedentem super bestiam coccineam :* id est, peccatricem, cruentam. *Plenam nominibus blasphemiæ :* ostendit multa nomina esse in bestia, id est in populo impio, uti jam diximus. *Habentem capita septem, et cornua decem :* id est, mundi reges et regnum, cum quibus diabolus visus est in cœlo. *Et mulier*, id est, omnis multitudo superborum, *erat circumdata purpura, et cocco, et ornata auro et lapide pretioso :* id est, omnibus illecebris simulatæ veritatis. Quid sit denique intra hanc pulchritudinem, sic exponit, dicens : *Et habens poculum aureum in manu sua, plenum abominationum et immunditiarum fornicationis ejus.* Aurum immunditiarum hypocrisis est; qui a foris quidem parent hominibus quasi justi, intus autem sunt pleni omni immunditia (*Matth.* XXIII, 28). *Et in fronte ejus nomen scriptum, Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terræ :* nulla est superstitio, quæ fronti det signum, nisi hypocrisis. Spiritus autem retulit [3] quid sit scriptum in fronte. Nam quis talem titulum aperte imponat? Mysterium enim dixit esse, quod interpretatus est dicens, *Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum et martyrum Jesu.* Unum est enim corpus, quod adversatur Ecclesiæ intus ac foris; id est, in Ecclesia ficti Christiani, et extra Ecclesiam hæretici vel Pagani. Quod licet corpus videatur loco separatum, in persecutione tamen Ecclesiæ unitatem spiritus operatur. Impossibile est enim Prophetam perire præter Jerusalem interficientem Prophetas (*Luc.* XIII, 33, 34); id est, non potest fieri ut Christiani boni sine Christianis malis persecutionem aliquam patiantur. Sic nepotes [1] proavorum consensu, Zachariam lapidasse accusantur (*Matth.* XXIII, 35), cum ipsi non fecerint. *Et bestia fuit et non est, et futura est, et ascensura de abysso, et in perditionem iræ Dei ibit :* id est, ex populo nascetur, ut possit dicere, Bestia ex bestia, abyssus ex abysso. Quid est bestia ex bestia, et abyssus ex abysso, nisi populus malus nascens ex populo malo? Hoc fit dum filii mali parentes pessimos imitantur. Et ascendit superstes, et in perditionem vadit, sicut et patres sui, ex quibus ascendit. Et jam nunc sunt, quia aliis morientibus alii succedunt eis. Et sic nunquam desunt, seu in paucis seu in multis, seu occulte sive quasi aperte, qui non ab initio semper insidientur Ecclesiæ. Quod autem dicit, mulierem sedentem super bestiam coccineam; peccatricem et cruentam plebem intelligi voluit. Quod autem dicit, circumdatam purpura et cocco, et ornatam auro et lapide pretioso; ostendit superborum et impiorum hominum plebem omnibus illecebris simulatæ veritatis repletam. Quod autem poculum aureum habebat in manu sua plenum abominationum et immunditiarum fornicationis ejus; hypocritæ et ficti Christiani intelliguntur, qui a foris quidem parent quasi justi, intus autem pleni sunt omni immunditia. Quod autem, in fronte habebat scriptum, *Babylon mater fornicationum;* nulla est superstitio quæ fronti det signum, nisi hypocrisis, id est, fingunt se bonos cum sint mali. Quod autem dixit, ebriam esse mulierem sanguine sanctorum et martyrum Jesu; unum corpus malorum intelligi voluit, quod semper adversatur Ecclesiæ intus et foris : quia et in Ecclesia sunt ficti Christiani, et extra Ecclesiam hæretici vel Pagani. Et licet interdum corpore separentur, uno tamen animo in Ecclesiæ persecutione junguntur. Quod autem dicit, *Bestia fuit, et non est, et futura est, et ascensura de abysso;* hoc intelligitur, quod ex populo malo nascatur populus malus, ut possit dici, Bestia ex bestia, abyssus ex abysso. Quid est bestia ex bestia, nisi populus malus nascens ex populo malo? Hoc fit dum filii mali parentes pessimos imitantur : ac sic dum aliis morientibus alii succedunt, nunquam desunt sive in paucis, sive in multis, seu occulte, seu aperte, qui non ab initio semper insidientur Ecclesiæ. De quorum consortio quia corpore non possumus separari in hoc sæculo, oremus Dei misericordiam, ut sic moribus separemur, ne cum illis æterno supplicio pereamus : sed magis cum illi audierint, *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum;* nos audire mereamur, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Id.* XXV, 41, 34); præstante Domino nostro Jesu Christo. Amen.

HOMILIA XV.

[Ib. XVII et XVIII.] In lectione quæ recitata est, fratres charissimi, reges illos quos dixit quod persequuntur Jesusalem, populi mali sunt, qui persequuntur Ecclesiam Dei : qui quasi reges appellantur, quia velut in somnis regnant. Omnis enim malus qui persequitur bonum, velut in somnis hoc facit : quia malorum omnium persecutio non permanebit, sed velut somnium evanescet, sicut Isaias ait, *Erunt velut somnians in somno divitiæ omnium gentium* (*Isai.* XXIX, 7). *Hi unam sententiam habent :* id est, uno animo persequuntur bonos. Ideo dicit, *habent;* et non habebunt : quia persecutio malorum non solum ad-

[1] Mss., *undecies.*
[2] Mss., *Magedon.*
[3] Editi, *non retulit.* Abest, *non*, a Mss.

[1] Mss., *pronepotes*

ve·iente die judicii erit, sed etiam in præsenti non desinit. *Et virtutem et majestatem suam diabolo dabunt :* hoc ideo dicit, quia homines impii, ipsi videntur dare virtutem, quo instigante faciunt mala. *Hi cum Agno pugnant :* id est, usque in finem, donec sancti regnum omne percipiant, Ecclesiæ adversantur. *Et Agnus vincet eos :* id est, utique, quia non permittit illos Deus tentari supra id quod possunt. Ideo dicit, *Et Agnus vincet eos, quoniam Dominus dominorum est, et rex regum ; et qui cum eo, vocati et electi et fideles :* id est, Ecclesia. Propterea autem dixit, *vocati et electi*, quia non omnes vocati sunt et electi : sicut Dominus ait, *Multi vocati, pauci autem electi* (*Matth.* xx, 16). *Et dixit mihi angelus : Vides aquas ubi mulier sedet, hæc et populus et turbæ sunt, et gentes et linguæ : et decem cornua quæ vidisti, hi odio habent meretricem :* id est, mulierem illam. Meretrix est enim vita luxuriosa, quæ rapinis et voluptatibus agitur. Ideo dixit quod odio habeant meretricem, quia homines luxuriosi, superbi, cupidi et elati, non solum sanctos persequuntur ; sed etiam seipsos odio habent. Et alio modo seipsos odio habent, in quibus impletur quod scriptum est, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x, 6). *Et desertam eam facient et nudam.* Ipsi enim per iram Dei et justum judicium quo deseruntur ab eo, desertum faciunt mundum ; dum ei dediti sunt et injuste utuntur. *Et carnes ejus edent.* Hoc ideo, quia se invicem secundum Apostolum mordent et comedunt (*Galat.* v, 15). Et propterea adjecit causam dicens, *Deus enim dedit in corda eorum facere sententiam ejus :* id est, excitavit plagas, quas mundo jure meritoque irrogare decrevit. *Et dabunt regnum suum bestiæ, usque dum finiantur dicta Dei :* id est, homines mali diabolo obtemperant, donec impleantur Scripturæ, et veniat dies judicii. Post hæc sequitur, *Mulier quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ :* id est, omnes mali et impii. Sic et de Ecclesia dictum est, *Veni, ostendam tibi mulierem Agni : et ostendit mihi civitatem descendentem de cœlo* (*Apoc.* xxi, 9, 10). *Postea vidi alium angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam : et terra illuminata est ad claritatem ejus. Et clamavit in fortitudine, dicens : Cecidit, cecidit Babylon illa magna, et facta est habitaculum dæmoniorum, et custodia omnis avis immundæ et inquinatæ.* Numquid unius civitatis ruina potest omnes spiritus immundos capere, aut omnem avem immundam ; aut eo tempore quo civitas ipsa ceciderit, totus mundus deseretur spiritibus et avibus immundis, et in unius civitatis ruina habitabunt? Nulla est civitas quæ omnem animam capiat immundam, nisi civitas diaboli, in qua omnis immunditia in hominibus malis, per totum orbem commoratur. Reges quos dixit quod persequantur Jerusalem, homines mali sunt, qui persequuntur Ecclesiam Dei : qui vivit et regnat, etc.

HOMILIA XVI.

[Ib. xviii-xx.] Quoties Babyloniam nominari auditis, nolite civitatem de lapidibus factam intelligere ; quia Babylonia Confusio interpretatur : sed homines superbos, raptores, luxuriosos et impios in malis suis perseverantes ipsius nomen significare cognoscite : sicut e contrario quoties nomen Jerusalem audieritis, quæ Visio pacis dicitur, homines sanctos ad Deum pertinentes intelligite. Nam quia Babylonia malorum hominum imaginem gerit, ideo de eis in sequentibus dicit, *Quoniam ex vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et reges terræ qui cum ea fornicati sunt :* id est, cum invicem. Non enim cum una meretrice omnes reges fornicari possunt ; sed dum se luxuriosi, qui sunt meretricis membra, invicem corrumpunt, cum meretrice, id est luxuriosa conversatione fornicari dicuntur. Post hæc sequitur, dicens : *Et omnes mercatores terræ ex virtute luxuriæ ejus divites facti sunt.* Hoc loco divites peccatis dicit ; nam nimietas luxuriæ pauperes potius quam divites facit. *Et audivi*, inquit, *aliam vocem de cœlo dicentem : Exite de ea, populus meus, ne communicetis peccatis ejus ; et plagis ejus ne lædamini.* Hoc loco demonstrat Babyloniam in duas partes esse divisam : quia dum aspirante Deo convertuntur mali ad bonum, Babylonia dividitur ; et pars illa quæ ab illa discesserit efficitur Jerusalem. Quotidie enim de Babylonia transferuntur ad Jerusalem, et de Jerusalem seducuntur ad Babyloniam ; dum et mali convertuntur ad bonum, et qui videbantur in hypocrisi boni, manifestantur publice mali. Denique bonis ita etiam per Isaiam Scriptura dicit, *Exite de medio eorum, et immundum nolite tangere : exite de medio eorum, et separamini, qui fertis vasa Domini* (*Isai.* lii, 11). Hujus separationis Apostolus meminit, dicens : *Firmum enim fundamentum Dei manet ; et cognovit Dominus qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini* (II *Tim.* ii, 19). *Ne communicetis*, inquit, *peccatis ejus, et plagis ejus ne lædamini.* Cum scriptum sit, *Quicumque morte occupatus fuerit justus, in refrigerio erit* (*Sap.* iv, 7) ; quomodo particeps delicti esse potest justus, quem cum impio civitatis casus abstulerit? Nisi forte quando de civitate diaboli, id est, de conversatione luxuriosa et impia exeunt boni, si aliquis ex illis remanere et delectari voluptatibus Babyloniæ voluerit ; hoc si fecerit, sine dubio plagæ ejus particeps erit. Quod autem toties dixit, *Exite*, nolite hoc corporaliter, sed spiritualiter intelligere. De medio Babyloniæ exitur, quando conversatio mala deseritur. Nam et in una domo et in una Ecclesia et in una civitate simul sunt Babylonii cum Jerosolymitanis : et tamen quamdiu nec boni consentiunt malis, nec mali convertuntur ad bonos, et in bonis Jerusalem, et in malis Babylonia esse cognoscitur. Simul habitant corpore, sed longe divisi sunt corde : quia malorum conversatio semper in terris est, quia terram diligunt, et omnem spem suam et totam intentionem animi sui in terra constituunt ; bonorum vero mens secundum Apostolum semper in cœlis est, quia quæ sursum sunt sapiunt (*Coloss.* iii, 2). *Exite*, inquit, *de ea, populus meus*, id est, de Babylonia : *ne communicetis peccatis ejus, et plagis ejus ne lædamini. Quoniam ascenderunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Deus iniquitatum ejus. Reddite ei sicut et ipsa reddidit vobis, et duplicate dupla secundum opera ejus : in quo poculo miscuit, miscete illi duplum : quantum se clarificavit et indeliciavit, tantum date ei cruciatum, et luctum poculum suum* [1]. Hæc omnia Christianis bonis, id est, Ecclesiæ dicit Deus : de Ecclesia enim exeunt in mundum plagæ visibiles et invisibiles. *Quoniam in corde suo dicit Babylonia*, id est, plebs omnium malorum vel superborum, *Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo. Propterea in una die venient plagæ ejus mors et luctus et fames ; et igne concremabitur.* Si una die morietur, et concremabitur, quis super istis lugebit mortuum, aut fames quanta esse potest unius diei? Sed diem dixit breve tempus vitæ præsentis, quo et spiritualiter et carnaliter affliguntur : nam super omnes superbos et voluptatibus deditos, majores plagæ in anima veniunt, quam in corpore. Tunc enim majori plaga percutiuntur, quando de suis se iniquitatibus extollentes, ita justo Dei judicio malum agere permittuntur, ut inter filios Dei flagellari non mereantur, sed impleatur in eis illud quod scriptum est : *In laboribus hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur ; ideo tenuit eos superbia eorum* (*Psal.* lxxii, 5, 6). *Quoniam fortis Dominus Deus, qui judicabit eam* [2]. *Et flebunt et plangent se super eam reges terræ, qui cum ea fornicati sunt.* Qui reges plangent eversam, si eam reges evertent? Sed quod est civitas, hoc et reges, qui eam plangent. Non luxuriæ malum quia cum ea peccant, agendo pœnitentiam plangunt ; sed quia prosperitatem sæculi, per quam suis voluptatibus serviebant, perire cognoscunt : vel quia cessare incipiunt in eis ea, quæ per luxuriam ante placebant, luxuriosi invicem consumentur, *tan-*

[1] Sic Ms. Petrensis. At editi, *populo suo*.
[2] Ms. Petrensis, *judicavit eam*.

quam fumus instantis gehennæ, a longe stantes propter metum pœnæ ejus : a longe stantes non corpore, sed animo ; dum unusquisque sibi timet, quod alterum per calumnias et per superborum potentiam pati videt. *Dicentes, Væ, væ, civitas magna Babylon, civitas fortis, quoniam una hora venit damnatio tua!* Spiritus dicit nomen civitatis : verum illi mundum plangunt, exiguo admodum tempore pœnæ interceptum, omnemque industriam labefactam cessisse. *Et equorum et rhedarum et porcorum*[1] *mercatores qui ditati sunt ab ea, longe stabunt flentes et dicentes, Væ, væ, civitas magna!* Ubicumque spiritus ditatos dicit ab ea, peccatorum divitias significat. *Induta byssino, et purpura, et cocco, et ornata auro et lapide pretioso ac margaritis.* Numquid civitas induitur bysso aut purpura, et non homines? Ipsi itaque se plangunt, dum supra dictis spoliantur. *Et omnis gubernator, et omnis qui navibus navigat, et nautæ, et quotquot mare operantur, a longe steterunt, et clamaverunt videntes fumum ignis.* Numquid omnis gubernator et nautæ quotquot operantur mare, adesse potuerunt ut viderent incendium unius civitatis? Sed omnes sæculi amatores et operarios iniquitatis dicit timere sibi, videntes spei suæ ruinam. Post hæc ait, *Et vidi bestiam et reges terræ et exercitus eorum :* in bestia diabolum significat; in regibus terræ et in exercitu, omnem populum ejus. *Congregatum facere bellum cum sedente super equum*[2], *et cum exercitu ejus*, id est cum Christo et Ecclesia. *Et vidi alium angelum descendentem de cælo :* Dominum Christum dicit in primo adventu. *Habentem clavem abyssi :* id est, potestatem populi; abyssum enim populum malum vult intelligi. *Et catenam magnam in manu sua :* hoc est, potestatem dedit Deus in manu ejus. *Et tenuit draconem, anguem antiquum, qui est diabolus et satanas* (*a*), *et ligavit eum annos mille :* primo utique adventu, sicut ipse dicit, *Quis potest introire in domum fortis et vasa ejus diripere* (*Matth.* XII, 29), nisi prius alligaverit fortem? Cum enim excludit diabolum de populo credentium, mittit eum in abyssum, id est, in populum malum : quod et invisibiliter ostendit, cum eos de hominibus ejiciens in porcos, qui in abyssum mergendi erant, ire permittit; quæ res maxime in hæreticis adimpletur.

HOMILIA XVII.

[Ib. XVIII-XX.] Ea quæ de lectione Apocalypsis nunc audivit Charitas vestra, secundum vestram consuetudinem animo attento suscipite. Dixit enim beatus Joannes evangelista se vidisse cælum apertum, *Et ecce equus albus, et sessor ejus vocatur Fidelis et Verus, et oculi ejus ut flamma ignis, et super caput ejus erant diademata multa :* in illo enim est multitudo coronatorum. *Habens nomen scriptum, quod nemo scit nisi ipse :* ipse utique et quæ in illo est omnis Ecclesia. *Et circumdatus est veste sparsa sanguine :* vestimentum Christi Ecclesia est quam induit; hæc est passionum sanguine variata. *Et dicitur nomen ejus Sermo Dei. Exercitus qui sunt in cælo sequebantur eum in equis albis :* id est, Ecclesia in corporibus candidis imitatur eum, sicut supra dictum est, *Hi sunt qui sequuntur Agnum, quocumque ierit* (*Apoc.* XIV, 4). *Induti albo byssino mundo*, quo definivit justa sanctorum facta. *Et ex ore ejus procedit gladius bis acutus :* ipse est de quo defenduntur justi, puniuntur injusti. *Ut in eo percutiat gentes : et ipse reget eas in virga ferrea. Ipse calcat torcular vini indignationis iræ Dei omnipotentis :* calcat etiam nunc, quando malos permittit facere malum, et dimittit eos in voluptatibus suis; et postea extra civitatem, id est, extra Ecclesiam calcabit, cum eos qui non egerint pœnitentiam, gehennæ ignibus tradet. *Hic habet in vestimento, et super femur suum scriptum nomen, Rex regum et Dominus dominorum :* hoc est nomen quod nemo superborum cognoscit, quia Ecclesia serviendo, in Christo regnat, et dominatur dominantium; id est, vincit vitia et peccata. Femur autem posteritas est, sicut illud, *Non deficiet princeps de femoribus Juda :* et Abraham, ne posteritas ejus alienigenis misceretur, inter se servumque suum, certum testimonium femur adhibet (*Gen.* XLIX, 10, *et* XXIV, 2-4). *Et vidi*, inquit, *angelum stantem in sole :* id est, prædicatorem[1] in Ecclesia. *Et clamavit voce magna dicens omnibus avibus, quæ volant in medio cœli :* aves vel bestias pro loco accipimus bonas et malas, sicut est illud, *Benedicent me bestiæ agri* (*Isai.* XLIII, 20); et, *Leo de tribu Juda* (*Apoc.* V, 5) : hoc ergo in loco aves volantes in medio cœli, Ecclesias dicit, quas in unum corpus redigens dixerat aquilam volantem in medio cœli. *Venite, congregamini ad cœnam magnam Dei, ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum et fortium, et carnes equorum et sedentium super eos, et carnes omnium liberorum et servorum et pusillorum et magnorum :* omnes enim gentes, quando in Christo credentes Ecclesiæ incorporantur, spiritualiter ab Ecclesia comeduntur. Et post hæc de diabolo ait : *Et clausit et signavit super eum, ne seducat nationes : usque dum finiantur mille anni.* Isti intelliguntur mille anni, qui ab adventu Domini nostri aguntur. In istis ergo Dominus diabolo interdixit ne seducat nationes; sed quæ in vitam destinatæ sunt, quas antea seducebat, ne Deo reconciliarentur. *Post hæc oportet eum solvi modico tempore :* id est, tempore Antichristi, cum revelatus fuerit homo peccati, cum acceperit totam persequendi potestatem, qualem non accepit ab initio. Mille annos dixit, partem pro toto. Hic reliquias mille annorum sexti diei, in quo natus est Dominus et passus, intelligi voluit. Post hæc ait : *Væ, væ, civitas illa magna, in qua ditati sunt omnes illi qui habebant naves in mari; quoniam una hora deserta est! Exsulta, cælum, super eam, et sancti, et Apostoli, et Prophetæ.* Numquid sola Babylonia civitas in omni mundo persequitur aut persecuta est Dei servos, ut ipsa exstincta universi vindicentur? In toto enim mundo est Babylonia in malis hominibus, et in toto mundo persequitur bonos. *Et tulit unus angelus lapidem, ut molam magnam, et misit in mare, dicens : Sic impetu dejicietur illa Babylon civitas magna :* ideo Babyloniam velut molam magnam dicit projectam, quia omnes amatores mundi revolutio temporum sicut mola conterit, et in gyro mittit, de quibus scriptum est, *In circuitu impii ambulant* (*Psal.* XI, 9). Quorum infelix occupatio semper quasi incipit. *Et non invenietur amplius : et vox citharœdorum, et musicorum, et tibicinum, et fistulatorum non audietur in ea amplius :* jucunditatem dicit transire impiorum, et jam non inveniri. Et adjecit causam, dicens, *Quoniam mercatores tui erant maximi terræ :* id est, quoniam in vita tua percepisti bona. *Quoniam in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes, et sanguis Prophetarum et Sanctorum inventus est omnium a te occisorum super terram.* Numquid eadem civitas occidit Apostolos, quæ et Prophetas et omnes reliquos martyres? Sed hæc est civitas omnium superborum, quam Cain fratris sui sanguine fundadavit, et vocavit nomen ejus nomine filii sui Enoch (*Gen.* IV, 17), id est, posteritatis : quia omnes mali, in quibus est Babylonia, succedentes sibi, usque ad finem mundi persequuntur Ecclesiam Dei. In civitate ergo Cain funditur *omnis sanguis justus a sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ*, id est, populi et sacerdotis; *inter templum et altare* (*Matth.* XXIII, 35), id est, inter populum et sacerdotes. Hoc ideo dictum est, quia non solum populi, sed etiam sacerdotes conspiraverunt in mortem Zachariæ. *Inter templum*, inquit, *et altare :* in altari intelliguntur sacerdotes; in templo, populi significati sunt :

[1] Ms. Petrensis, *pardorum.*
[2] Ms. Petrensis addit, *album.*
(*a*) Ita vetus Ms. Petrensis : at editi, sexdecim detractis versibus, subsequentem Homiliam cum ista confundunt.

[1] Mss., *prædicationem.*

alia enim causa loci nominandi non fuit. Hæc est civitas quæ interficit Prophetas, et lapidat missos ad se. Hæc est civitas quæ sanguine struitur, sicut scriptum est : *Væ, qui ædificat civitatem in sanguinibus, et parat civitatem in injustitiis* (*Habac.* II, 12)! In equo albo, de quo supra dictum est, Ecclesiam intellige : in sessore ejus, Christum Dominum recognosce. Quod autem dixit, *Habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse*; ipse utique, et quæ in illo est, omnis Ecclesia. *In veste sanguine sparsa*, martyres qui sunt in Ecclesia, intelligendi sunt. Quod autem, *exercitus qui est in cœlo, sequebatur eum in equis albis;* Ecclesia est in corporibus candidis. In gladio bis acuto, potestas Christi intelligitur, de qua defenduntur justi, puniuntur injusti. *In virga ferrea*, justitia ejus cognoscitur, de qua erudiuntur humiles, superbi tanquam vasa figuli confringuntur. Quod autem dixit, *Ipse calcat torcular vini iræ Dei omnipotentis :* calcat enim etiam nunc, quando malos permittit ut persequantur bonos, et dimittit eos in voluptatibus suis; sed postea retribuet, quando eos qui non egerint pœnitentiam, mittet in gehennam. Angelum stantem in sole, prædicationem in Ecclesia intellige. Ideo enim Ecclesia soli comparatur, quia de ea scriptum est, *Tunc justi fulgebunt sicut sol, in regno patris eorum* (*Matth.* XIII, 43). Quod autem, *clamavit omnibus avibus, quæ volant in medio cœli;* aves illæ Ecclesia intelligitur. Quod autem dictum est, *Congregamini ad cœnam magnam, ut manducetis carnes regum et carnes tribunorum;* hoc in Ecclesia fieri in veritate cognoscimus. Nam quando omnes gentes Ecclesiæ incorporantur, spiritualiter comeduntur : et qui devorati a diabolo erant corpus diaboli, suscepti ab Ecclesia membra efficiuntur Christi. Quod autem de diabolo dixit, *Et clausit et signavit super eum, ne seducat nationes, usque dum finiantur mille anni :* sicut dictum est, isti mille anni a passione Domini aguntur, in quibus non permittitur diabolo facere quantum vult; quia non permittit Deus tentari servos suos supra id quod possunt sustinere (I *Cor.* X, 13). Quod autem postea modico tempore solvendus est, tempus Antichristi designatur, in quo majorem potestatem sæviendi diabolus accepturus est. Quod autem dicitur, *Væ, væ, civitas magna!* Babylonia intelligitur. Sciendum tamen est, quod non sola civitas Babylonia persequitur sanctos, ut ipsa exstincta universi vindicentur. In toto enim mundo est Babylonia in malis hominibus, et in toto mundo persequitur bonos. Quod autem *lapidem grandem velut molam misit angelus in mare, dicens, Sic mittetur* [1] *Babylonia*; ideo velut molam dicit Babylonem, quia amatores mundi revolutio temporum sicut mola conterit et in gyro mittit. Quod autem dixit, *In veneficiis tuis erraverunt omnes gentes, et sanguis Prophetarum inventus est omnium a te occisorum super terram :* non enim in una civitate occisi sunt Apostoli et Prophetæ aut reliqui Martyres; sed hæc est civitas superborum, quæ in toto mundo persequitur sanctos. Ipsa est civitas quam Cain fratris sui sanguine fundavit, et vocavit nomine filii sui Enoch, id est, posteritatem : quia omnes mali in quibus Babylonia est, succedentes sibi usque ad finem mundi persequuntur Ecclesiam Dei. De quorum persecutione nos Dominus per suam misericordiam liberare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto, etc.

HOMILIA XVIII (*a*).

[Ib. XIX-XXII.] In lectione quæ recitata est, fratres charissimi, beatus evangelista Joannes sic ait : *Audivi vocem magnam populi multi, in cœlo dicentium : Alleluia, Salus, et claritas, et virtus Deo nostro : quoniam vera et justa judicia ejus, quoniam judicavit meretricem illam magnam, quæ corrupit terram fornicatione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus. Et iterum dixerunt, Alleluia.* Hæc vox est Ecclesiæ, cum discessio facta fuerit, et cum ab ea exierint omnes mali æterno incendio concremandi. *Et fumus eorum ascendit in sæcula sæculorum.* Audite, fratres, et expavescite, et pro certo cognoscite quia Babylonia et meretrix, quorum fumus ascendit in sæcula sæculorum, non intelliguntur nisi homines cupidi, adulteri et superbi. Et ideo si vultis hæc mala evadere, nolite tam gravia peccata committere. *Et fumus*, inquit, *eorum ascendit :* numquid enim visibilis civitatis exustæ fumus in sæcula sæculorum ascendit, et non hominum in superbia perdurantium? *Ascendit* autem; et non, ascendet : semper enim etiam in præsenti sæculo in perditionem vadit. Babylon autem crematur ex parte, sicut Jerusalem in illis sanctis qui de sæculo migrant, transit in paradisum, Domino manifestante in paupere et divite (*Luc.* XVI, 19-22). *Et audivi ut vocem populi multi, et ut vocem aquarum multarum, et ut vocem tonitruorum fortium, dicentes : Alleluia; quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens : gaudeamus, et exsultemus, et glorificemus nomen ejus; quoniam venerunt nuptiæ Agni, et mulier ejus paravit se :* mulier Agni Ecclesia est. *Et datum est ei ut operiatur byssino splendido mundo, Byssinum enim justa facta sanctorum sunt :* id est, datum est ei factis suis indui, sicut scriptum est, *Sacerdotes tui induantur justitia* (*Psal.* CXXXI, 9). *Ili*, inquit, *omnes vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis :* id est, in præsenti sæculo. Et recte dixit, *Omnes et superstites et animæ justorum* [1] : id est, et qui adhuc in hoc mundo vivunt, et qui jam de hac vita migraverunt, regnant cum Christo. *Regnaverunt* profecto dixit, sicut, *Diviserunt vestimenta mea sibi* (*Psal.* XXI, 19). Nam dicturus erat, Regnabunt. Ut ostenderet autem quod in hac vita isti mille anni sunt, ait, *Hæc est resurrectio prima.* Ipsa est enim qua resurgimus per Baptismum, sicut Apostolus dicit, *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite* (*Coloss.* III, 2) : et iterum, *Tanquam ex mortuis viventes* (*Rom.* VI, 13). Peccatum enim mors est, sicut dixit Apostolus, *Cum essetis mortui delictis et peccatis vestris* (*Ephes.* II, 1). Et sicut prima mors in hac est vita per peccatum, ita et prima resurrectio in hac est vita per remissionem peccatorum. *Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima :* id est, qui servaverit quod in Baptismo renatus accepit. *In hoc secunda mors potestatem non habet :* id est, æterna tormenta non sentiet. *Sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annos.* Retulit spiritus cum hæc scriberet, regnaturam Ecclesiam mille annos in hoc sæculo usque ad finem mundi. Manifestum est quod dubitari non debeat de perpetuo regno, cum etiam in præsenti sæculo sancti regnent. Bene enim regnare dicuntur, qui cum Dei adjutorio etiam inter ipsas pressuras mundi et se et alios bene regunt. *Et cum finiti fuerint mille anni, solvetur satanas de custodia sua.* Finitos dixit, a toto partem. Nam sic solvetur, ut supersint anni tres et menses sex novissimi certaminis temporibus Antichristi. *Et exiet seducere nationes quæ sunt in quatuor angulis terræ.* A parte totum dicit : nam non omnes seduci possunt. Superbi tantummodo seducuntur et impii : quia veri et humiles christiani non seducuntur. *Multi namque vocati, pauci electi* (*Matth.* XX, 16). *Et ascenderunt diabolus et populus ejus in altitudinem terræ :* id est, in elationem superbiæ. *Et circumdederunt castra sanctorum et dilectorum civitatem :* id est, Ecclesiam. Hoc est quod supra dixit, collectos in Armagedon (*Apoc.* XVI, 16). Non enim ex quatuor angulis terræ potuerunt in unam civitatem congregari; sed in ipsis quatuor angulis unaquæque gens congregabitur in obsidionem sanctæ civitatis, id est, in persecutionem Ecclesiæ. *Et descendit ignis de cœlo a Deo :* id est, de Ecclesia. *Et comedit eos :* dupliciter hoc loco intelligitur ignis : aut enim per ignem sancti Spiritus credunt in Christum, et spiritualiter

[1] Mss., *mergetur.*
(*a*) Alias 17.

[1] Ms. Petrensis, *sanctorum.*

comeduntur ab Ecclesia, id est, incorporantur Ecclesiæ; aut peccatorum suorum igne comeduntur, et pereunt. *Et diabolus seducens ipsos, missus est in stagnum ignis et sulfuris, ubi et bestia et pseudoprophetæ :* pseudoprophetæ intelliguntur aut hæretici aut ficti Christiani. Ex quo enim passus est Dominus, moritur bestia et pseudoprophetæ, et in ignem mittuntur, usque dum finiantur mille anni ab adventu Domini. *Et punientur die ac nocte in sæcula sæculorum. Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni : et libri aperti sunt, et alius liber apertus est, qui est vitæ uniuscujusque.* Libros apertos Testamenta Dei dicit : secundum enim utrumque Testamentum judicabitur Ecclesia. Librum uniuscujusque vitæ, memoriam dicit gestorum nostrorum; non quod librum habeat commemoratorium occultorum cognitor. *Et judicati sunt mortui ex his ad quæ scripta sunt in libris secundum opera sua :* id est, ex Testamentis judicati sunt, secundum quod Dei præcepta aut fecerunt, aut non fecerunt. *Et dedit mare mortuos suos :* eos quos hic judicii dies inveniet vivos, ipsi sunt mortui maris; quia hoc sæculum mare est. *Mors et infernus dederunt mortuos suos :* id est, eos qui in sepulcris inveniendi sunt in die judicii. *Mors et infernus missi sunt in stagnum :* mortem et infernum diabolum dicit et populum ejus. *Et si qui non est inventus scriptus in libro vitæ :* et qui voluptatibus suis dimissus, per temporaneam examinationem in hoc sæculo non meruit judicari a Deo dum viveret, *missus est in stagnum ignis. Et vidi cœlum novum et terram novam. Primum enim cœlum et prima terra abierunt, et mare jam non est. Et civitatem sanctam Jerusalem novam vidi, descendentem de cœlo a Deo, compositam sicut sponsam, et ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de cœlo dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum ipsis; et ipsi erunt populus ejus, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus : et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors non erit amplius, et luctus non erit.* Hoc totum de gloria Ecclesiæ dixit, qualem habebit post resurrectionem. *Et dixit, Scribe; quoniam sermones isti fideles et veri sunt. Et dixit mihi; Ego sum α et ω, initium et finis. Ego sitienti dabo ex fonte aquæ vitæ gratis;* id est, cupienti remissionem peccatorum per fontem Baptismi. *Qui vincit, possidebit hæc; et ero ejus Deus, et ipse erit meus filius. Timidis autem et incredulis, et exsecrabilibus, et homicidis, et veneficis, et idolorum cultoribus, et omnibus mendacibus pars erit in stagno ardente igne et sulfure, quod est mors secunda.* Quod supra dictum est, *Judicavit meretricem illam magnam quæ corrupit terram in fornicatione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus;* hæc vox est Ecclesiæ, cum ab ea in die judicii exierint omnes mali, æterno incendio concremandi. *Et fumus eorum ascendit in sæcula sæculorum.* Non enim visibilis civitatis fumus ascendit in sæcula sæculorum, sed hominum in superbia perdurantium. Quod autem dicit, *Quia venerunt nuptiæ Agni;* de Christo intelligitur, et de Ecclesia. Quod vero eam dicit opertam bysso; in bysso opera justa sanctorum intelliguntur, quibus justi vestiuntur, secundum quod dictum est, *Sacerdotes tui induantur justitia.* Quod autem dicit, eos regnasse mille annos; præsens tempus intelligitur, in quo sancti juste regnare dicuntur, quia se ita cum Dei adjutorio regunt, ut a peccatis vinci non possint. Et ut hoc evidenter ostenderet, secutus ait : *Hæc est prima resurrectio.* Prima enim resurrectio, qua a morte peccati ad vitam justitiæ animæ resurgunt, toto nunc tempore agitur : secunda vero, qua de terræ pulvere ad vitam corpoream redeunt, in futurum exspectatur [1]. Ipsa est enim qua resurgimus per Baptismum. Quia sicut prima mors in hac vita est per peccatum, ita et prima resurrectio per remissionem peccatorum. *Beatus et sanctus qui habet in resurrectione prima partem :* id est, qui servaverit quod in Baptismo renatus accepit. Quod autem dicit, regnaturam Ecclesiam mille annos; in hoc sæculo intelligitur usque in finem mundi. Unde manifestum est quod dubitari non debeat de perpetuo regno, cum etiam in præsenti sæculo sancti regnent. Recte enim regnare dicuntur, qui cum Dei adjutorio, etiam inter ipsas pressuras mundi, et se et alios bene regunt. Quod autem de diabolo dicit, *Quia seducit nationes quæ sunt in quatuor angulis terræ,* a parte totum intelligitur. Nam soli mali seducuntur, secundum illud, *Multi vocati, pauci electi.* Quod autem dicit, quia *diabolus et angeli circumdederunt castra sanctorum, et civitatem dilectorum :* non enim potuerunt ex quatuor angulis terræ in unam civitatem congregari, sed in ipsis quatuor angulis unaquæque gens congregatur in persecutionem Ecclesiæ. Quod autem dicit, *Cecidit ignis de cœlo et comedit eos,* dupliciter intelligitur : aut enim per ignem sancti Spiritus spiritualiter comeduntur, dum Ecclesiæ incorporantur; aut si ad Deum converti noluerint, peccatorum suorum igne comeduntur, et pereunt. Quod autem dicit, libros apertos esse, Testamenta Dei intelligi voluit. Secundum enim utrumque Testamentum judicabitur Ecclesia. Librum vero vitæ uniuscujusque, memoriam dicit gestorum nostrorum, quia in die judicii nihil latebit, nec ullus poterit abscondere peccata vel crimina sua. Quod dicit, quia *mare dedit mortuos suos;* eos dicit quos in hoc mundo vivos invenerit adventus Christi. Ipsi sunt mortui maris, quia hoc sæculum mare est. Quod dicit, *Mors et infernus dederunt mortuos suos;* illi intelliguntur, qui in sepulcris inveniendi sunt in die judicii. *Et mors et infernus missi sunt in stagnum ignis.* Hoc loco mortem et infernum, diabolum et populum ejus intelligi voluit, qui voluptatibus suis dimissus, per temporaneam examinationem non meruit judicari. Post hæc exposita Ecclesiæ gloria adjungit et dicit, *Ego sitienti dabo ex fonte vitæ aquæ gratis :* id est, cupienti remissionem peccatorum per fontem Baptismi. *Qui vincit, possidebit hæc, et ero ejus Deus, et erit meus filius :* quod ipse præstare dignetur, qui cum Deo Patre, etc.

HOMILIA XIX (*a*).

[Ib. XXI et XXII.] Sicut modo audivimus, fratres charissimi, locutus est Angelus Domini ad beatum Joannem dicens : *Veni, ostendam tibi sponsam, uxorem Agni. Et abstulit me in spiritu supra montem magnum et altum :* montem Christum dicit : *Et ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, descendentem de cœlo a Deo.* Hæc est Ecclesia, civitas in monte constituta, sponsa Agni. Ipsa enim civitas tunc in monte est constituta, quando in humeris pastoris, tanquam ovis ad ovile proprium revocata est (*Luc.* XV, 5). Si enim alia est Ecclesia, alia civitas descendens de cœlo, erunt duæ sponsæ, quod omnino fieri non potest. Et hanc enim civitatem sponsam dixit Agni. Unde manifestum est ipsam esse Ecclesiam, quam sic describit, dicens : *Habentem claritatem Dei. Luminare ejus simile lapidi pretiosissimo.* Lapis pretiosissimus Christus est. *Habentem murum magnum et altum, habentem portas duodecim, et super portas angelos duodecim.* Ostendit duodecim portas et duodecim angelos, Apostolos esse et Prophetas [1] : quoniam, sicut scriptum est, *coædificati sumus super fundamentum Apostolorum et Prophetarum* (*Ephes.* II, 20); sicut et Dominus dixit Petro, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 18). *Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres, ab austro portæ tres, ab occidente portæ tres :* et quia civitas ista quæ describitur, Ecclesia est toto orbe diffusa, ideo per quatuor partes civitatis ternæ portæ esse dicuntur, quia per totas quatuor partes mundi, Trinitatis mysterium in Ecclesia prædicatur. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et super ea duodecim nomina Apostolorum Agni :* quod sunt portæ, hoc fundamenta; quod civitas, hoc murus, hoc supellex.

[1] Ms. Belgicus non habet hæc verba : *Prima enim resurrectio, qua a morte peccati ad vitam justitiæ animæ resurgunt, toto nunc tempore agitur : secunda vero, qua de terræ pulvere ad vitam corpoream redeunt, in futurum exspectatur.*

[1] MSS., *Patriarchas.*
(*a*) Alias 18.

Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam auream : in arundine aurea, homines Ecclesiæ ostendit, fragili quidem carne, sed aurea fide fundatos; sicut dicit Apostolus, *Habentes thesaurum in vasis fictilibus* (II Cor. IV, 7). *Et supellex muri et civitas aurum mundum, simile vitro mundo* : Ecclesia enim aurea est, quia fides ejus velut aurum splendet; sicut septem candelabra, et ara aurea et phialæ aureæ; hoc totum Ecclesiam figuravit. Vitrum autem ad puritatem fidei retulit, quia quod foris videtur, hoc est et intus, et nihil est simulatum, sed totum perspicuum in sanctis Ecclesiæ. *Fundamenta muri civitatis omni lapide pretiosi. Fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonix, sextum sardius, septimum chrysolithus, octavum berillus, nonum topazius, decimum chrysoprasus, undecimum hyacinthus, duodecimum amethystus* : ideo diversitatem gemmarum in fundamentis nominare voluit, ut dona diversarum gratiarum, quæ Apostolis data sunt, demonstraret; sicut de Spiritu sancto dictum est, *Dividens singulis prout vult* (I Cor. XII, 11). *Et duodecim margaritæ singillatim : et unaquæque porta erat ex una margarita* : et in istis margaritis, sicut dictum est, Apostolos designavit; qui ideo portæ dicuntur, quia per doctrinam suam æternæ vitæ januam pandunt. *Et platea civitatis aurum mundum, ut vitrum perspicuum : et templum non vidi in ea; Dominus enim Deus omnipotens templum ejus est et Agnus* : hoc ideo, quia in Deo est Ecclesia, et in Ecclesia Deus. *Civitas non indiget sole neque luna, ut luceant in ea* : quia non lumine aut elementis mundi regitur Ecclesia, sed Christo æterno sole deducitur per mundi tenebras. *Claritas enim Dei illuminavit eam : et lucerna ejus Agnus est* : ipso dicente, *Ego sum lumen mundi* (Joan. VIII, 12); et iterum, *Ego sum lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Id. I, 9). *Ambulabunt gentes in lumine ejus*, usque in finem. *Et reges terræ afferent gloriam* : reges terræ, filios Dei dicit. *Et portæ ejus non claudentur die. Nox enim ibi non est* : usque in æternum. *Et inferent gloriam et honorem gentium* : in Christo utique credentium. *Et non introibit in eam omne immundum, aut faciens abominationem et mendacium, nisi scripti in libro vitæ Agni. Et ostendit mihi flumen aquæ, sicut crystallum, exiens a throno Dei et Agni, in medio plateæ ejus* : fontem Baptismi ostendit in medio Ecclesiæ, venientem a Deo et Christo. Nam quale decus civitatis esse potest, si flumen per medium plateæ ejus ad impedimentum habitantium descendat? *Et ex utraque parte fluminis lignum vitæ faciens fructus duodecim per singulos menses, et reddens fructum suum.* Hoc de cruce Domini dixit. Nullum est lignum quod omni tempore fructificet, nisi crux quam gestant fideles, qui rigantur aqua ecclesiastici fluminis, et reddunt fructum perpetuum omni tempore. *Et thronus Dei et agni in ea erit* : utique a nunc in sæcula. *Et servi ejus servient ei, et videbunt faciem ejus* : sicut dicit, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (Id. XIV, 9); et, *Beati mundo corde, quia ipsi Deum videbunt* (Matth. V, 8). *Et nomen ejus in frontibus eorum. Et nox non erit amplius, et non egebunt lumine lucernæ, et lumine solis; quoniam Dominus Deus illuminabit super eos, et regnabunt in sæcula sæculorum.* Omnia ista a Domini passione cœperunt. *Et dixit mihi angelus : Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus : tempus enim prope est. Qui injustus est injusta faciat adhuc, et sordidus sordescat adhuc* : isti sunt propter quos dixerat, *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua* (Apoc. X, 4). *Et justus justitiam faciat adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc* : isti sunt propter quos dixit, *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus.* Ac sic Scripturæ divinæ omnibus superbis, et plus mundum quam Deum amantibus signatæ sunt : humilibus autem et timentibus Deum apertæ sunt. *Ecce venio cito, et merces mea mecum, reddere unicuique secundum opera ejus. Ego sum α et ω, primus et novissimus, initium et finis. Beati qui servant mandata hæc, ut sit potestas eorum super lignum vitæ, et per portas intrent in civitatem* : qui enim non servant mandata, non per portas intrant, sed alia parte. In istis signatus est liber, de quibus sequitur et dicit, *Foris canes, et venefici, et fornicarii, et homicidæ, et idolorum cultores, et omnis amans et faciens mendacium. Ego Jesus misi angelum meum testari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix et genus David, stella splendida matutina. Spiritus et sponsa dicunt, Veni* : utique sponsus et sponsa, Christus et Ecclesia. *Qui sitit, veniat; qui vult, accipiat aquam vitæ gratis* : id est, Baptisma. *Testor ergo omnem audientem sermones prophetiæ libri hujus : Si quis apposuerit ad ea, apponat super eum Deus plagas scriptas in hoc libro : et si quis dempserit de sermonibus prophetiæ hujus, demet Deus partem ejus a ligno vitæ et ex civitate sancta; scripta in libro.* Hoc dicit qui testificatur hæc propter falsatores sanctarum Scripturarum; non propter eos qui simpliciter quod sentiunt, dicunt. *Etiam venio cito* : mons altus, in quo sanctus Joannes ascendisse se dixit, spiritus [1] intelligitur. In civitate Jerusalem, quam se ibi vidisse dixit, Ecclesia significata est. Quod in Evangelio ipse Dominus ostendit, quando dixit, *Non potest civitas abscondi supra montem posita* (Matth. V, 14). Quod autem dicit, habere eam lumen simile lapidi pretiosissimo; in illo lapide Christi claritas demonstratur. In duodecim portis et in duodecim angelis, Apostoli intelliguntur et Patriarchæ, secundum illud, *Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum* : et quia civitas quæ describitur, Ecclesia est toto orbe diffusa, ideo per quatuor partes ejus propter Trinitatis mysterium ternæ portæ esse dicuntur. In arundine aurea, homines Ecclesiæ ostendit, fragili quidem carne, sed aurea fide fundatos, propter illud Apostoli : *Habentes thesaurum istum in vasis fictilibus.* Quod dicit civitatem auream, aram auream, et phialas aureas; Ecclesia est propter fidem rectam. In vitro autem puritas fidei ipsius significata est. Quod autem nomina diversarum gemmarum in fundamentis nominare voluit; dona diversarum gratiarum, quæ Apostolis data sunt, demonstravit. In illis autem margaritis Apostolos designavit, qui ideo portæ dicuntur, quia per doctrinam suam æternæ vitæ januam pandunt. Quod autem dicit, *Quia templum non vidi in ea, quia Dominus omnipotens templum ejus est, et Agnus*; hoc ideo, quia Deus est in Ecclesia, et Ecclesia in Deo. Quod vero dicit, *Quia civitas non indiget sole neque luna*; hoc ideo, quia non visibili sole Ecclesia, sed Christi æterno lumine inter tenebras mundi istius spiritualiter illuminatur, sicut ipse dicit, *Ego sum lumen mundi.* Reges terræ, filios Dei, id est, Christianos intelligi voluit. In flumine aquæ, sicut crystallum, fontem Baptismi in medio Ecclesiæ venientem a Deo et Christo. Quod autem dixit, *Lignum juxta fluvium duodecies per singulos menses dare fructum*; crux intelligitur, quæ per totum mundum non solum omnibus mensibus, sed etiam omnibus diebus, in his qui baptizantur, exhibet fructum Deo. Quod autem dicit, *Dominus Deus illuminabit illos, et regnabunt in sæcula sæculorum*; omnia ista a Domini passione cœperunt. Quod vero in superiori parte libri dixit, *Signa quæ locuta sunt septem tonitrua*; propter eos dixit, de quibus ait : *Ut sordidus sordescat adhuc, et qui injustus est injusta faciat adhuc.* Illud autem quod ait, *Ne signaveris verba prophetiæ*; propter sanctos et justos intelligi voluit. Ac sic Scripturæ divinæ omnibus superbis, et plus mundum quam Deum amantibus signatæ sunt, humilibus autem et Deum timentibus apertæ. Et quia sic concludit Apocalypsis Joannis evangelistæ, ut dicat, *Ecce venio cito*; oremus ut secundum suam promissionem Dominus Jesus Christus ad nos venire, et per suam misericordiam de carcere nos mundi istius liberare, et ad suam beatitudinem pro sua pietate perducere dignetur : qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Ms. Petrensis, *Christus*.

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC TERTIO VOLUMINE CONTINENTUR.

EXPLICIT TOMI TERTII PARS POSTERIOR.